S-A-5-2

BIBLIOTECA HOSPITAL REAL
GRANADA
Sala: A
Estante: 45
Número: 137

2 400 40 Galia MADE IN SPAIN

In Primam Secundæ S. Thom. Comment.

# PHILIPPO PRINCIPI MAGNI PHILIPPI. II. REGIS Filio, Catholico & Glorioſiſsimo.

*De Gratia, & operibus.*
*De Auxilijs & prædiffinitionibus.*
*De Cauſalitate gratiæ, inſtrumentorum, & humanitatis Chriſti.*

*De Fide, & pœnitentia, aliqua.*
*De Merito, & gratia Chriſti.*
*De Iuſtificatione, & merito finito & infinito.*

R. 13957

TOMVS SECVNDVS.

*AVTORE Reuerendiſsimo P. F. Franciſco Camel Palentino à Pincia Ordinis B. M. de Mercede Redempt. Captiuorum Magiſtro Generali, apud Salmanticenſes Doctore Theologo ac publico profeſſore.*

Salmanticæ, Excudebat Ioannes Ferdinandus.

Anno M. D. XCIIII.

# EL REY.

POR quanto por parte de vos el Maestro fray Frãcisco C,umel Cathedratico de propriedad de Moral de la Vniuersidad de Salamãca,Rector del Collegio de la Veracruz de la Orde de nuestra Señora de las Mercedes Redempcion de Captiuos, Nos fue hecha relacion, que auiades escrito vn libro intitulado Commentarios sobre diuersas materias de la Prima Secundæ de Sancto Thomas,especialmente de Gratia,Merito, & Iustificatione; en el qual auiades gastado mucho tiẽpo y trabajo con mucho cuydado,por ser necessario para la facultad de Theologia,y en mucha parte cõtra los Herejes destе tiempo:Y nos pedistes y supplicastes os mandassemos dar licencia para imprimir el dicho libro, y priuilegio por veynte años, ò como la nuestra merced fuesse. Lo qual visto por los del nuestro Consejo, y como por su mandado se hizieron las diligencias que la pragmatica por nos fecha sobre la impression de los libros dispone:fue acordado, que deuiamos mandar dar esta nuestra cedula para vos en la dicha razon, y nos tuuimos lo por bien. Por lo qual vos damos licencia y facultad, para que por tiempo de diez años primeros siguientes,que corren y se cuentan desde el dia de la data desta nuestra cedula,podays imprimir el dicho libro intitulado Commentarios,de que de suso se haze mencion,por el original que en el nuestro Consejo se vio, que va rubricado, y firmado al cabo de Miguel de Ondarça çaual,a nuestro secretario de Cãmara de los que residen en nuestro Consejo.Con que antes que se venda,lo traygays ante ellos,juntamẽte con el dicho original,para que se vea si la dicha impresion esta conforme à el:ò traygays fee en publica forma, en como por el corrector nombrado por nuestro mandado se vio y corrigio la dicha impresion por el dicho original.Y mãdamos al impressor que imprimiere el dicho libro, no imprima el principio, y primer pliego, ni entregue mas de vn solo libro con el original al author,ò persona à cuya costa le imprimiere,ni à otra alguna, para effecto de la dicha correction y tassa:hasta que primero el dicho libro este corregido,y tassado por los de nuestro Cõsejo. Y estando assi,y no de otra manera,pueda imprimir el dicho principio,y primer pliego:en el qual seguidamẽte pongan esta nuestra cedula y priuilegio,y la approbacion, tassa,y erratas. Y no lo pueda vender, ni venda el, ni otra persona ninguna,hasta que este el dicho libro en la forma suso dicha:so pena de caer è incurrir en las penas contenidas en la dicha prematica y leyes de nuestros Reynos.Y mandamos que durante el dicho tiempo,persona alguna sin vuestra licencia no le pueda imprimir,ni vender:so pena que el que lo imprimiere, aya perdido y pierda todos è qualesquier libros, moldes,y aparejos,que de los dichos libros tuuiere; y mas incurra en pena de cincuenta mil marauedis,por cada vez que lo imprimiere. La qual dicha pena,sea la tercia parte,para la persona que lo denunciare,y la otra tercia parte para el juez que lo sentẽciare,y la otra tercia parte para la nuestra camara.Y mandamos à los del nuestro Consejo,presidente,y oydores de las nuestras audiencias,alcaldes, y alguazíles de la nuestra casa,corte,y chancillerias,y à todos los corregidores,assistẽte,gouernadores,alcaldes mayores y ordinarios, y otros juezes,y justicias qualesquier de todas las ciudades, villas, y lugares de los nuestros Reynos y Señorios,assi à los que ahora son,como à los que seran de aqui adelante : que vos guarden y cumplan esta nuestra cedula y merced,que assi vos hazemos,y cõtra el tenor y forma della,ni de lo en ella cõtenido no vayã ni passen,ni consientan yr ni passar por alguna manera,so pena de la nuestra merced y de diez mil marauedis para la nuestra Camara.Dada en Madrid à onze dias del mes de Abril,de mil y quinientos y nouenta y vn años.

*YO EL REY.*

Por mandado del Rey nuestro Señor.
Iuan Vazquez.

---

## *TASSA.*

*YO Miguel de Ondarça çaual escriuano de Camara del Rey nuestro Señor, de los que en el su Consejo residen, doy fee, que auiendose visto por los Señores del dicho Consejo vn libro intitulado Commentaria in Primam Secundæ Diui Thomæ, compuesto por el padre Maestro fray Francisco C,umel, General dela Orden de nuestra Señora de la Merced, Redempcion de Captiuos y Cathedratico de propriedad de la Vniuersidad de Salamanca, impresso con licencia, y priuilegio de su Magestad, de pedimiento del dicho fray Francisco C, umel, tassaron el precio de el,à tres marauedis, y medio cada pliego, y à este precio, y no mas mandaron se venda el dicho libro, y se ponga esta tassa antes que se venda,en el primer pliego de cada volumen,y para que de ello conste de pedimiento del dicho fray Francisco C,umel, y mandado de los dichos Señores del Consejo,di la presente, Que es fecha en Madrid,à veynte y dos dias del mes de Deziembre,de mil y quinientos,y nouenta y tres años.*

*Miguel de Ondarça çaual.*

¶ 2

# CENSVRA DE LA VNIVERSIDAD DE ALCALA DE HENARES.

*AVIENDOSE remittido por el Conſejo del Rey nueſtro Señor à la facultad de Theologia de Alcala de Henares, vn libro del doctiſſimo padre Maeſtro F. Franciſco Cumel Maeſtro General de toda la Orde de nueſtra Señora de la Merced Redepcion de Captiuos, y Cathedratico de propriedad de Moral de la vniuerſidad de Salamanca, intitulado Commentarios ſobre la Prima Secundæ de S. Thomas, deſde la quaſtion ciento y nueue, haſta la ciento y catorze: Y por cõmiſſion de la dicha Vniuerſidad encomendandoſe à los Doctores Ximenez, Iuan Garcia, Tenas, Benauides, S. Martin. Y auiendole viſto y examinado con cuydado y diligencia, nos parece, que en el ſuſo dicho libro no ay coſa contraria à nueſtra fee, ni mal ſonante, ò de otra alguna nota: antes ay mucha y muy buena doctrina y muy grande erudicion, y coſas grauiſſimas en el. Por lo qual dezimos ſer muy vtil y prouechoſo, y tal que ſe deue y puede imprimir, para que ſe pueda gozar de tan buenos è importantes trabajos. Fecha en Alcala en 31. de Março, de. 1591. años.*

*El Doctor Franciſco Ximenez. El Doctor Iuan Garcia. El Doctor Tenas. El Doctor Benauides. El Doctor S. Martin.*

---

# RELIGIONIS CENSVRA ET APPROBATIO.

FRATER Petrus Machado in ſacra Theologia Magiſter, Prouincialis Ordinis B. Marię de Mercede Redemptionis Captiuorum in prouincia Caſtellæ ac Luſitaniæ, &c. Librum iſtum Reuerẽdiſsimi Doctiſsimi ac præclariſsimi Patris noſtri F. Franciſci Cumel Doctoris Theologi ac in Salmanticenſi Academia publici ac proprij profeſſoris, noſtræ Religionis fulgentiſsimi luminis, & de tota Religione Chriſtiana tot nominibus optimè meriti; quamque tot voluminibus egregijs illuſtrauit: ipſe ego vidi & examinaui. Et quoniam ſingularem eruditionem, accuratam Sanctorũ lectionem, integerrimam Scripturarũ interpretationem, & acutiſsimas diſputationes ſacroſanctæ Theologiæ arcana reſerantes, in Primam Secundæ D. Thomæ, etiam ad mores & Catholicam Fidem perutiles, in eo reperio: non ſolum approbandum cenſeo, ſed ſumma breuitate prælo mandandum eſſe iudico; vt luceat lux hæc omnibus hominibus, etiam doctiſsimis & ſapientiſsimis Theologis, quorum intereſt volumina iſta alacri animo, magnaque cum admiratione ſuſcipere. Datis in noſtro almo cœnobio Deiparæ Redemptoriæ Madriti decimo octauo die menſis Ianuarij, Anno Domini milleſimo quingenteſimo nonageſimo ſecundo.

F. Petrus Machado Prouincialis

# FRATER FRANCISCVS ÇVMEL IN SACRA THEOLOGIA MAGISTER APVD Salmanticenſes proprius ac publicus profeſſor, Magiſter Generalis totius Ordinis Redempt. B. Mariæ de Mercede, S. D. Lectori.

TANTIS hæreticorum turbinibus & procellis agitatur Eccleſia: vt iure, prędidio diuino muniatur, eoq; indigeat. Quo circa, illi adeſt Chriſti Dñi certa promiſsio apud Matthæum cap. 28. dicentis: Ecce ego vobiſcum ſum vſq; ad conſummationem ſeculi. Tantis etiam malis miſeri homines pſeudoprophetæ, non contenti, conantur indies maiorem toti Orbi cladem & iacturam inferre: ita vt ſingulis diebus hæretici, execrabiles in lucem libros edant. Tot eſt præterea Lutheranorum & Proteſtantium doctrina implicatis vorticibus diſſecta: vt veritatem aſſequi, aut verum portum attingere, non potuerit. Horum certè venenatam linguam & fanaticum cerebrum, omnem immundum ſpiritum conuiciorum & mendaciorum genera compedies continere. Quapropter, nos qui in Eccleſiæ ſanctæ campo, veluti Chriſti milites Catholici, verſamur: horum impudentiam comprimere, & faſcinantem doctrinam repellere, quod in nobis eſt, debemus; aſſumptoq; Chriſtiano calamo eos debellare. Cùm ergo hi aliquando neceſsitatẽ bonorum operum repellant, aliquando verò pœnitentiæ & gratiæ compaginem diſſoluant, interdum etiam ſacramentorum & meritorum vim conculcent, & ſcurriliter de fide noſtra ac rabioſe loquantur: illis obſiſtere neceſſe fuit. Vnde, cùm pleriſq; ante actis diebus Commentarios in Primam ſanctiſsimi Præceptoris Diui Thomæ Aquinatis Partem in communem boni publici vtilitatem dediſſem: nunc denuò in alteram, eiuſdem Sanctiſsimi Doctoris offero Commentaria. In quibus gratiam Dei, eiuſq; benignitatem erga nos, neceſsitatemq; bonorum operum, ac pœnitentię, & meritorum, planè oſtendo: quidq; Chriſtus pro nobis fecerit, & quam ſtragem peccatum intulerit noſtrum. Hæreticorum etiam fabulas, ſcurrilem & ſcœnicam eorum dicacitatem, impuriſsimamq; doctrinam: orthodoxis, efficaciſsimiſq; diſcurſibus, atq; puriſsimis Sacræ Scripturæ teſtimonijs, impugno. In hoc rurſus opere, priſcorum & Sanctorum Patrum ſententijs, Diuiq; Auguſtini decretis & pronuntiatis (præcipuè in hac hæreticorum & perditorum hominum cõcertatione) libenter adhæreo: & cum ipſo Catholicè ſentire volo. Sacra etiam Romanæ Eccleſiæ Concilia ab Spiritu Sancto edocta, munitiſsima armorum genera nobis paſſim offerunt. Quia labyrinthus doctrinæ eorum ita innumerabilibus eſt anfractibus & ſinuoſis diuerticulis ſectus: vt qui ſemel ſit ingreſſus, exitum inue-

niat difficilem. Vnde, omnia nobis tela Ecclesiæ sanctæ, aduersus eos necessaria sunt. Hæc igitur causa fuit, cur Paulus dixerit. 1. Corinth. 11. Oportet hæreses esse: vt qui probati sunt, manifesti fiant in vobis. Atq; sic factum est, vt non in angulo domus me continerem: sed publicè, vt Christianæ Ecclesiæ miles Catholicus, prodirem, illis strenuè obsistens. Nam in huius Catholici operis progressu vnusquisque videre poterit Christianæ & Orthodoxæ fidei stabilẽ veritatem, quam ostendere conati sumus. Videbit etiam quid olim, quid media ætate, & quid hac postrema, censuerit & senserit Ecclesia Dei. Cognoscet præterea Candidus Lector quàm congruant præsentia præteritis: nec aliter doceri modò in Romana Ecclesia, quàm olim; nec nouas tradi institutiones, sed veteres retineri. Contrà autem in hæreticorum conuenticulis & cœtibus diuersa omnia conspicientur. Verissimè nanq; iam dicitur illud Apostoli. 2. ad Timoth. 4. Erit tempus, cùm sanam doctrinam non sustinebunt: sed ad sua desideria coaceruabũt sibi magistros prurientes auribus; & à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur. Faxit Deus, vt nostrũ hoc opus de gratia & concordia liberi arbitrij, cum donis gratiæ, Diuinisque auxilijs, vtile sit Ecclesiæ sanctæ Dei. In quo sanè (Candide Lector) non tantùm de Gratia, Iustificatione, & Merito, ad amussim egimus: sed cõtrouersias omnes, etiam abstrusas & reconditas, quæ in latissimo Theologiæ campo cõtinentur; quæ & occursum habent & affines sunt, connexionem concatenationem & mutuam amicitiam inter se habentes cum disputatione de gratia, fuse aperuimus. Neque enim illæ valent intelligi, aut aperiri, sine controuersia de gratia; neque istæ sine illis: vt existimo. Quocirca, de Gratia, de Essentia gratiæ, de Auxilijs, de Valore operum & meritorum, de Merito infinito & finito, de Pœnitentia nonnulla, de Diuinis prædiffinitionibus, de Causalitate instrumentorũ & gratiæ & humanitatis Christi, & de Satisfactione eius, Meritoque ipsius, & Gratia; de Iustificatione, & Dispositione ad illam, de Charitate & plerisq; alijs: à nobis actum est. Quod sanè, vtile & necessariũ esse hoc loco iudicaui: quicquid nonnulli reclament, aut dicant. Non enim, cùm tot sint varia eorum iudicia, ipsorum potui votis omnibus satisfacere. Et quãuis ea quæ in hoc opere diximus longo sermone, multa & varia videantur: tamẽ omnia ita suo certo loco distinctè disposuimus; vt quanuis fusè tradita, nemo sit mediocris Theologus, qui quam ipse voluerit controuersiam & difficultatem reperire, facilè non inueniat. Habetque rursus quæcunq; nostrarum disputationum, noua & antiqua; & in eis resolutionem: quã quis, certò, aut probabiliter, sequi debeat. Et quidquid aliqui musitent, nihil mea interest, nihilque curo. Solùm enim hoc scio, quòd hoc meo opere prodesse studeo doctis, & indoctis: & quòd vtriusque materiam intelligendi suggessi, non solùm ad publicas controuersias, sed etiam ad quotidianas prælectiones, & concertationes Diuinæ Theologiæ. Vale.

## Errata, quæ in hoc secundo tomo continentur.

PAgina. 14. columna. 2. linea. 33. ratio sui. lege, ratione sui. pagina. 18. columna. 2. line. 61. reuelabat. lege, reuelabat. pag. 28. col. 2. li. 33. & 34. eo Qrum nia. le. eorum. Quia. pa. 31. col. 1. li. 29. vel in statu excellentis. le. vel in statu excellentis gratiæ. p. 42. co. 2. li. 62. rigore. le. vigore. pa. 45. co. 1. li. 1. habeti. le. haberi. p. 48. col. 1. li. 2. augmentum. le. Augustinum. pa. 60. co. 2. li. 41. actus. le. actum. pa. 88. co. 1. li. 34. Quiare. le. Quare. pa. 97. co. 2. li. 1. certamen. le. certamen. pa. 99. co. 1. li. 22. Tridentino. le. Tridẽtino, sessione sexta. pa. 99. co. 2. li. 62. alter. le. aliter. pa. 108. co. 2. li. 48. porpetrare. le. perpetrare. pa. 122. co. 2. li. 64. afficacia. le. efficacia. pa. 129. co. 2. li. 61. forte. le. forte. pa. 141. co. 1. li. 23. commoda. le. accommoda. p. 156. co. 1. li. 32. aut. le. at verò. pa. 156. co. 2. li. 22. & 22. temdus. le. tempus. pa. 160. co. 2. li. 57. se. le. te. p. 203. co. 1. li. 36. diuersitate. le. diuersitas. pa. 216. co. 1. li. 15. à quo. le. à qua. pa. 219. li. 30. petinent. le. pertinet. pa. 221. co. 1. li. 20. creatura. le. creaturæ. pa. 223. co. 1. li. 43. foram. le. formam. pa. 239. co. 1. li. 19. efficat. le. efficiat. pa. 250. co. 1. li. 9. participat. le. participare. pa. 261. li. 51. co. 2. speciale. le. specialem. pa. 263. co. 1. li. 30. aut alij. le. aut alios. p. 278. co. 1. li. 27. ritaliter. le. vitaliter. pa. 279. co. 1. li. 55. dicunt. le. dicit. pa. 292. co. 2. li. 53. aut. le. quòd. pa. 299. co. 1. li. 19. & nõ stat. le. non stat. pa. 303. co. 1. li. 51. ue. le. fuc. pa. 305. co. 2. li. 35. effectu. le. effectum. pa. 337. co. 2. li. 47. ad iustitiam. le. ad iustitiam secundũm propositum gratiæ Dei. pa. 372. co. 1. li. 2. vestirtualiter. le. vt dictum est, virtualiter. pa. 379. co. 1. li. 9. esfed. le. sed. p. 396. co. 2. li. 22. futuræ. le. futuri. ibidem. li. 42. vteri. le. veteri. pa. 411. co. 1. li. 30. maioris. le. minoris. pa. 411. co. 2. li. 42. alter. le. aliter. pa. 425. co. 2. li. 62. aportet. le. oportet. pa. 475. co. 1. li. 12. resultare. le. non resultare. pa. 496. co. 2. li. 16. vt habet. le. vt habeat. pa. 528. co. 2. li. 3. resurectionem. le. iustificationem. pag. 528. co. 2. li. 21. iusti, formaliter. le. iusti formaliter, pa. 543. co. 1. li. 28. plicitum. le. placitum. pa. 546. co. 2. li. 53. mutatur. le. mutatus. p. 593. co. 1. li. 46. de supernaturali. le. sed supernaturali. pa. 656. co. 2. li. 28. qui. le. quia. p. 689. co. 2. li. 41. promisiue facto. le. promissione, pacto. pa. 784. co. 2. li. 32. nature. le. creaturæ. p. 786. co. 1. li. 6. & intrinsecam. le. & extrinsecam. pa. 797. co. 1. li. 46. ex se relatus. le. ex se est relatus. pa. 857. co. 2. li. 38. enalogiam. le. analogiam. pa. 875. co. 1. li. 15. præcessunt. le. præcesserunt.

*Concordat cum originali, his dumtaxat erratis exceptis. In cuius rei testimonium, hæc subscripsi. Dat. Salmanticæ, die. 22. Nouembris. Anno. 1593.*

*Regius corrector, &c.* *Emanuel Correa de Montenegro.*

# REVERENDI PATRIS FRATRIS FRANCISCI CVMEL Palentini, à Pintia Commentaria.

## IN PRIMAM SECVNDÆ D. THOMAE AQVINATIS, ANGELICI Doctoris, De gratia & operibus.

## QVÆSTIO CENTESIMANONA

### De exteriori principio humanorum actuum, scilicet, de gratia Dei.

*D. August. de natura & Gratia.*

DEI omnipotentis dono, ipsiusque auxilio indigemus, vt de gratia eius quidquam rectè præfari possimus. Delitescunt nãque pleraque arcana, & sinuosa, in recondita Dei gratia; cùm sit fons aquæ viuæ salientis in vitam æternam, qua efficimur filij Dei, & cùm pariter sit etiam semen ipsius, in iustificatis existens. Salubriter namque profitemur cum D. August. de natura & gratia, contra Pelagianos cap.2. Neminem ad perficiendam iustitiam sibi sufficere, neque rursus iustificari, nisi per fidem & sacramentum sanguinis Christi, à quo bona cuncta procedunt, & in nos deriuantur, etiam ipsum primum iustificationis exordium. Hæc igitur Christi gratia, & ab eo in nos fusa ob eius merita eximia, sine qua nec infantes, neque ætate grandes & maiores salui fieri possunt, gratis donatur, & idcircò gratia nominatur. Iuxta Pauli vocem: Iustificati gratis per sanguinem ipsius. Et de ea in præsenti nobis est sermo habendus. Hæc à Sanctissimo Præceptore externum principium humanorum actuum appellatur. Et idcircò, statim inter initia controuersiæ huius asseuerat se agere de exteriori principio humanorum actuum, nempe de Deo quatenus ab ipso per gratiam adiuuamur ad rectè agendũ. Verum, quia Aristot. in Topicis nos docuit, initio cuiusque controuersiæ disputationis terminos aperire, oportet titulum quæstionis explicemus. Et primò certum est, Paulum. 1. Corinth. 15. dixisse: Gratia Dei, sum id quod sum, quo loco bona omnia corporis & animæ, & alia exteriora gratiæ tribuuntur, vt idem Paulus iterum testatus est 1. Corinth. 14. Quid habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Et omnia gratiæ Dei tribuuntur. Et 1. Paralipo. 29. legimus: Omnia sunt tua Domine, & quæ de manu tua accepimus, reddimus tibi. Imò verò S. Thom. 1. p. q. 38. art. 2. ob id probat donum esse proprium nomen Spiritus sancti; quia donum dicit gratuitam donationem. Cùm ergo omnia nostra sint dona Dei Iacob. 1. Omne datum optimum, & omne donum perfectum de sursum est descendẽs à Patre luminum: igitur omnia à gratia dependent. Quid ergò est quòd singularis & specialis sit de gratia disputatio, cũ omnia à Dei gratia pẽdeant? Profectò, principio huius controuersiæ quid hic

*Aristo. 1. Topi.*

gratiæ vocabulo intelligendum sit, interpretari debet. Priùs tamen obmurmuret Pelagius qui nomine gratiæ, ad bonum & malum æquam possibilitatem naturæ insitam, leges etiam & doctrinam scriptam, solum intelligi voluit. Et omnem gratiã aliam desuper infusam, auxiliumq; supernaturale diuinitùs datum, negabat. Et ne videretur à Catholicæ Ecclesiæ sensu discedere, naturam hominis, eiusq; mentem & liberum arbitrium, vniuersalémque motionem; gratiam nuncupabat; Eam tamen qua Christi filij sumus & hæredes æternæ vitæ, negabat. Adde rursùs, quòd nomine gratiæ verè intelligitur supernaturale quoddam donum, specialeq; Dei auxilium gratuitum, quo hominis animus à Deo permouetur, siue actuale internum, aut externũ sit, siue habituale quod naturæ viribus adipisci non potest; vocatur q; sæpiùs à Theologis, animæ motio: vt elegantèr docuit S. Tho. infrà. q. 110. art. 2. Quæ gratia à Sanctissimo August. ineffabilis suauitatis occulta infusio, subministratióq; spiritus Sancti vocatur lib. de Gratia Christi capi. 13. &. 34. 39. Et hæc gratia est, quam Pelagius nũquam agnoscere voluit: vt August. docet lib. citato capi. 47. Hęc igitur gratia est quæ virtutes omnes præuenit & actiones, ipsasq; efficit, & medio quodam loco inter commune Dei auxilium, & gratiam habitualem consistit, quæ nullis etiam præcedentibus meritis datur. Quæ sanè, quando sit operans, & quando cooperans & cur sic dicatur deinceps à nobis aperietur. Tandem accipitur gratia pro qualitate illa supernaturali animæ essentiæ inhærente, qua imbuta mens humana formaliter iustificatur; & per quam efficimur diuinæ naturæ consortes; & de qua Paul. ad Rom. 3. dixit. Iustificati gratis per gratiam ipsius, & hæc à Scholasticis vocatur habitualis gratia gratum faciens; & principium operis meritorij; ad quam veluti ad finem & scopum reliquæ omnes aliæ gratiæ ordinantur & referuntur, & de ea dixit Paul. ad Rom. 6. Gratia Dei vita æterna: est enim immortalitatis vera radix, & ad Rom. 5. Per fidem accessum habemus in gratiam istam, in qua stamus, & gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei; & hæc ab Spiritu sancto semen Dei vocatur. Nam sicut ex semine generatio & natiuitas filiorum proficiscitur; sic per gratiam hanc, filij Dei efficimur, & ob id magna & pretiosa nobis Deus donauit.

*Prima Conclusio.*

His igitur sic prælibatis, per gratiam hac in parte intelligimus Dei auxilium speciale vt distinguitur contra naturam, quod naturæ superadditur, & eam perficit, vt fusè interpretatur D. Bernard. libr. de gratia & libero arbit. in principio. Quam rem vt intelligas aduerte, quòd præter generalem Dei concursum & naturalem, est alius specialis concursus quem nostri vocant speciale & supernaturale auxilium quod non est naturæ debitum; sed gratuitò collatum, & est quando natura non potest in aliquem peruenire finem, & tunc à Deo adiuuatur vt ad eum perueniat. Cùm enim homo in beatitudinem suam peruenire non possit, suæ naturæ viribus fretus, adiuuatur à Deo per timorem & vocationem, per bonas inspirationes & per diuinum amorem; quibus adiutus, in eo tandem constituitur statu, vt iam possit ad suam peruenire fœlicitatem. Quò circà, concursus hic & auxilium hoc, proprijssimè gratia nuncupatur, siue sit actus, siue sit habitus, siue quidpiam aliud. Hanc gratiæ acceptionem tradit Diuus Augustin. epistl. 95. & Psalm. 144. explicans illa verba: Iustitia tua exultabunt, & Driedo libr. 1. de gratia & libero arbit. capit. 1. Et profectò fuit valdè necessarium hanc constituere gratiæ acceptionem, quia Pelagius negabat necessariam esse gratiam; & idcircò fuit damnatus in Concil. Miseuit. capi. 4. &. 5. Contendebat tamen se Pelagius excusare gratiam vocando generale auxilium & vniuersalem concursum: sed impiè quidem. Nam gratia propriè appellatur quia gratis & non ex debito confertur: sed ex mera liberalitate, quæ est naturæ superaddita eam superans: sed perficiens quidem.

*Secunda Cõclus.*

Secunda propositio. Potissimum huius tractatus obiectum est gratia iustificans, adæquatum tamen est gratia in communi; sermo tamen est de supernaturali gratia, de qua tantùm in præsenti agimus & quæ ad opera supernaturalia ordinatur, vel ad opera etiam naturalia, non quidem ex generali prouidentia quasi naturæ debita: sed ex alia speciali atque gratuita; nam hac ratione suprà naturam dici potest. Hæc propositio palã fiet ex discursu totius disputationis, de qua Theologi disputant in. 2. d. 26. 27. &. 28. Alens. 3. p q. 69. Altisiodorens. lib. 4. suæ summæ. pag. 11. Diuus Bernard. & Prosper libr. de gratia & libero arbit. Diuus Aug. 3. de libero arbit. & epistola. 90. vsq; ad. 96. & lib. de natura & gratia contra Pelagium, & de peccatorum meritis & remissione potissimè. 2. libr. & D. Hierony. in tribus libris Dialogorum contra Pelagium Tomo. 2. & Iuniores Theologi Marsil. in. 2. quæst. 17. &. 18. Osius libr. de confessione catholicæ fidei à cap. 60. & deinceps. & Ruardus Taper. 1. Tomo. art. 7. &. 2. Tomo arti. 8. & Pater Soto libr. 1. de natura & gratia & deinceps, & Pater Vega in libello de iustificatione, & super Concilium Tridentinum.

*Cõc. Tertia*

Tertia propositio. Quando. S. Thom. in titulo quæstionis affirmat se agere de externo principio humanorum actuum, scilicèt, de gratia Dei, per actus humanos intelligit operationes, quæ sunt propriæ ipsius hominis quatenus homo est, & quatenus ei conuenit peculiaris modus consequendi per eas vltimum finem supernaturalem. Omitto in præsenti quòd humana operatio dicitur illa quæ conuenit homini quatenus homo, & quatenùs differt à rebus ratione carentibus, cuius principium est natura humana secundùm vltimum grádum, & illa etiam quæ conuenit homini quatenus habet peculiarem modũ agendi & operandi circa vltimum finem, quæ procedit ex deliberata voluntate, seu ex libera facultate operandi aut non operandi. Itaque loquitur S. Thom. de humanis actibus seu operationibus homini conuenientibus contemplando hominem quatenus habet peculiarem quendã modũ tendendi in finem vltimũ, & hæ operationes sunt propriæ hominis, & actiones humanæ in consideratione Theologica. Denique actus omnes quibus homo promoueri potest in supernaturale præmium, nomine humanarum actionum à S. Tho. comprehenduntur.

ARTI-



# ARTICVLVS I.

*Vtrùm homo sine gratia aliquod verum cognoscere possit:*

PRima Conclusio. Actio cuiuscũq; agentis creati pendet à Deo, primò ex parte formæ, qua agens agit quatenùs à Deo habet formam & perfectionem per quam agit, secundò quatenùs, ab ipso Deo mouetur ad agendum. ¶ Secunda conclusio. Ad cognitionem cuiuscunque veri indiget homo diuino auxilio, cũ Deus sit primum mouens sine cuius motione nemo operari potest. ¶ Tertia conclusio. Ad cognoscẽdum veritatem, non indiget homo semper in omnibus noua illustratione superaddita, seu auxilio speciali Dei; indiget tamen illo ad cognoscendum veritates supernaturales quæ excedunt cognitionem nostram. ¶ Quarta Conclusio. Deus miraculosè instruit aliquando quosdam de his quæ naturali ratione cognosci possunt, per suam gratiam; & confert supernaturale auxilium ad cognoscendum veritates naturales, sicut miraculosè aliquando nonnulla facit quæ ipsa natura etiam facere potest.

## Discursus articuli.

QVod ad omnem actionem requiratur Dei cõcursus, naturali lumine cognoscitur: pẽdemus enim à Deo primo ágẽte ineſſe & conseruari & in operari. De qua re fusè diximus in commentarijs. 1. p. & idcircò veritatẽm hanc suppono vt proximam fidei. Sic enim legimus Christum dixisse: Pater meus vsque modo operatur & ego operor, & Propheta Isaias cap. 26. Omnia opera nostra operatus est in nobis Dominus, & Actor. 16. In ipso viuimus, mouemur & sumus. Profectò sicut res se habet ad esse, ita ad operari: ergo sicut nulla res est extra Deũ quę habeat esse independens, ità etiam neq; operari. Adde etiã quòd posita causa cõseruatrice, & omnibus requisitis ad agendum potest contingere vt non ponatur effectus: vt si Deus non concurreret, quòd planè constat de igne illo in fornace Babylonis, qui non potuit comburere tres illos innocentes viros, quia Deus ab igne illo abstulit concursum. Tandem, res omnis quantumcunq; sit perfecta, per se à Deo pendet in conseruari: ergo pari ratione in fieri & in operari. Ostendo consequentiam; quia conseruatio est productio continuata seu continuatio productionis, aut ipsum producere quodammodo continuatum. Liquet etiam antecedens; quia si Deus non conseruaret res omnes, & suum suspenderet concursum, annihilarẽtur. Item etiam, quia creatura habet esse quoddam participatũ, Deus autem per essentiam; & idcircò multò magis pendet esse creaturæ participatum abesse diuino per essentiam, quàm lux à sole: ergo planè constat, ad omnem actionem requiri diuinũ concursum. ¶ Aduerte rursus, duplex esse verum, alterum quidem naturale siue practicũ siue speculatiuum sit, & hoc est illud quod non excedit lumen naturale nostri intellectus, & hoc cõtinetur in quidditatibus rerum naturalium, vel in primis principijs moralibus. Alterum est verum supernaturale siue practicum, siue speculatiuum sit, & illud est quod facultatem excedit intellectus humani; vt Trinitas, Incarnatio, &c. ¶ Obseruandũ est præterea, quòd in præsenti articulo S. Thom. non solum accipit gratiam pro gratum faciente, quæ facit hominem Dei amicum: sed etiam pro dono gratuito, vt distinguitur contra vires naturales, & pro auxilio Dei, siue interno, siue externo: vt fides, prædicatio, & miracula. Quocirca, idẽ est quęrere, vtrũ homo sine gratia possit cognoscere verũ, & vtrum ex viribus naturæ absque dono aliquo gratuito naturæ superaddito possit cognoscere verum. Meminit tamen S. Thom. in articulo eiusdã acceptionis gratiæ, sanã & extensa quadam significatione, nempe si sumatur pro auxilio generali & communi quo Deus in omnibus rebus concurrit ad suas actiones & motus. Cæterùm, hæc deceptio non appellatur gratia à S. Thom. sed potiùs computatur inter naturalia; eo quòd Deus generali cõcursũ ad modum causæ naturalis concurrit; & ob id is concursus dicitur quodammodo naturæ debitus. Sunt tamen Theologi qui dicant huiusmodi concursum aliquando gratiam vocari; quoniam ex gratuita Dei misericordia & nullis præcedentibus meritis nobis donatur; quia certum est quòd Deus gratis nos creauit, & gratis absque merito præcedente nobiscum concurrit ad motus & actiones naturales.

## DVBIVM I.

*Vtrùm sine gratia possit homo cognoscere veritates omnes speculatiuas?*

ANctissimus Præceptor in art. insinuat posse hominẽ lumine naturæ veritates omnes proportionatas cognoscere, & loquitur de homine sine vlla distinctione, & consequenter videtur loqui de homine integro & lapso, & hoc habet ingẽtẽ difficultatẽ in homine lapso propter vulnus ignorantiæ, quod cõsistit in destitutione rationis ab ordine ad verũ. Nã si per peccatũ ratio destituta est à recto ordine quẽ habebat ad verũ, sequitur eã per se ipsam non posse assequi omne verũ; alias ratio non esset infirma, neq; cõtraxisset vulnus ignorantiæ. Nã rationis sanæ & non infirmę opus maius esse non potest, quã assequi omne verũ naturæ proportionatũ. Sunt Theologi qui dicãt ad veritatẽ quamcunq; cognoscendã, etiã naturalẽ, requiri speciale auxiliũ: vt refert S. Tho. in. 2. d. 28. q. 1. art. 5. Alij verò dicunt etiã ad veritates omnes speculatiuas cognoscendas etiã collectiuè, sufficere auxiliũ cõmune, Et hæc sententia videtur insinuata à Philosophis, qui beatitudinem hominis magna ex parte in hac vita, in consideratione scientiarũ speculatiuarũ cõstituũt, & suaderi potest primò. Quia homo sine gratia potest cognoscere supremũ ens quod est Deus: ergo pari ratione omnia alia quæ inferiora sunt cognitione, imo verò de Gentibus dixit Paul. Gentes quæ legẽ non habẽt, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt, & ad Roma. 1. Inuisibilia Dei à creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciũtur, sempiterna quoq; eius virtus, &c.

& Sapiens dixit, A magnitudine speciei creaturæ poterit visibiliter creator omnium videri. Quod latiùs ostendit D. August. serm. 55. de verbis Domini & lib. de spiritu & litera cap. 12. ¶ Secundò arguitur. Nam per veritates naturales, vel intelliguntur illæ quæ modo humano percipi possunt ex obiectis sensibilibus, & istæ possunt facilè cognosci etiam collectiuè, quia nō superant nostrum intellectum, vel intelliguntur veritates illæ quæ in rerum naturis consistunt; & istæ non possunt cognosci ab homine etiam diuisiuè, quia non omnes innotescunt per sensum, qui, videtur esse necessarium cognitionis naturæ humanæ principium. ¶ Tertio in natura integra, poterat homo veritates omnes speculatiuas collectiuè cognoscere: ergo id etiam potest in statu naturæ lapsæ. Ostendo consequentiam; quia ignorantia quam contraximus per peccatum solum impedit practicam cognitionem, quæ experientia, & per prudentiam habetur: vt asserit S. Tho. 1.2. q. 85. art. 3. ¶ Quartò. Veritates omnes naturales speculatiuæ non excedunt etiam collectiuè sumptę rationem obiecti naturalis, & multò minùs capacitate naturalem intellectus humani: cùm quæuis potétia naturæ satis sit proportionata cum obiecto sibi cōnaturali & commensurato: cùm ergo post lapsum naturalia non amiserit homo, sequitur eum posse cognoscere veritates omnes speculatiuas suis viribus. ¶ *Quintò arguitur.* Intellectus hominis naturalem habet propensionem ad cognitionem omnium, nam omnis homo naturaliter scire desiderat: sed naturalis appetitus frustra esse non potest: ergo.

*Dico primo* In hac controuersia. Certum est primò, non posse lumē naturale intellectus humani inclinare ad falsum, cùm sit immediatè à Deo; aliàs Deus deciperet nos, & induceret ad falsum mediante isto lumine: ergo sicut Deus non potest infundere habitum inclinantem ad falsum; ita neq; producere lumen naturale ad falsum inclinans, Deus enim est prima veritas. Imò verò hac ratione, fidei non potest subesse falsum, quia fides infunditur nobis à Deo prima veritate, qui nec fallitur nec fallere potest. Sanè Deus nobis loquitur per lumen naturæ: vt Paul. docet Rom. 1. cùm ait: Deus enim illis manifestauit: ergo. ¶ Sed dices lumē naturale est infallibile & ei nō potest subesse falsum, quia à prima veritate immediate procedit: ergo in suo ordine tā certū & infallibile est sicut lumen supernaturale fidei. Respōdetur vtrobiq; nō esse eandem rationē. Primò, quoniā licèt vtrūq; certū sit & infallibile; præstat tamē certitudo luminis fidei, propter maiores causas suæ certitudinis. Secundò, quia certitudo luminis fidei nobis apertè cōstat propter exteriorē regulā infallibilē quā habemus nēpe ecclesiā; certitudo autem luminis naturæ quamuis forma sit; cæterùm non ita apertè constat de ea apud plures qui credētes se ex illo naturæ lumine conclusiones colligere, decipiuntur & falluntur. Sed nihilominùs negari non debet infallibilitas & veritas à lumine naturæ, quod non potest ad falsum inclinare. Et ex hoc

*Recès Theologus reprehenditur.* colligitur quā miserè lapsus est inter iuniores ille qui. 1.2. q. 19. art. 6. dixit: non esse incōueniens quòd diuina lex inclinet ad mendacium peraccidens, imò vero dicit esse concedendum quòd diuina lex inclinet aliquando ad malum peraccidens: Nunquam enim mihi hæc arrisit doctrina: sicut enim Deus non potest per se aut peraccidens peccare, ita nec lex diuina inclinare ad malū aut ad mendacium; alioqui Deus peraccidens posset mentiri & posset peccare quod est blasphemum.

*Dico secūdo* Secundò. Certum est, hominem non posse sine gratia veritates omnes naturales collectiuè cognoscere. Et quidem homo sine gratia in triplici statu considerari potest, primò quidem in natura integra præscindēdo à gratia. Secūdò in puris naturalibus: posset enim homo sine ordine ad supernaturalia creari, cū gratia non sit debita naturæ. Tandem tertio in natura lapsa modo de facto, in quo statu habet easdem vires quas in puris naturalibus haberet, cùm per peccatum nō fuerit extincta natura. Cùm ergo diximus hominem sine gratia non posse veritates omnes naturales collectiuè cognoscere, sermo est de homine in secundo & tertio statu, & multo magis certum est de homine in natura lapsa. Hæc dixi contra Caiet. qui. 1.2. q. 109. art. 1. loquendo de ordine ad verum speculatiuū quod non dicit respectum ad prudentiam, & in sola cognitione consistit; dixit hominem ex puris naturalibus in hoc statu, posse cognoscere speculatiua & moralia quæ in pura cognitione ipsius veri consistunt, non extendendo cognitionem ad verum quod spectat ad prudentiam, & practicum intellectum, quod consistit in cōformitate ad appetitū rectum, secundùm præscriptum prudentiæ, & sermo à Caiet. institutus, erat de cognitione totius veri, & non vnius aut alterius tantùm. Nam volens explicare Sanctissimum Præceptorem in hoc art. dixit: Habes secundò quòd intellectus humanus ex virtute suæ naturæ, potest cognoscere omne verū non supernaturale; hæc ille. Cæterùm, sententia à nobis proposita adeò certa est vt ferè conueniant omnes; verum intelligenda est non quidem de potentia Physica: sed de morali. Physicus namque abstrahit à difficultatibus quæ in ipso vsu occurrunt & solum respicit obiectum secùndum se. Quocircà veritates omnes speculatiuæ, etiam collectiuè acceptæ non superant facultatem intellectus humani physicè considerati. Sed si res hæc secundùm omnes circunstantias cōsideretur, & moraliter, prout in re contingit, censendum est prorsùs impossibile, posse hominem veritates omnes naturales collectiuè cognoscere sine gratia; Quod sane experiē tia liquet; quia hactenus nullus fuit qui veritates omnes naturales attigerit, & sanè in moralibus id quod nunquam accidit, reputatur impossibile. Profectò homo in natura lapsa passionibus vrgetur, & homo contraxit ignorantiam: ergo non potest veritates omnes naturales homo collectiuè cognoscere sine gratia Dei. Vndè conficio argumentum. Ad perfectionem intellectus speculatiui pertinet cognitio veritatis, & cognitio rei sine vllo errore: sed ad id requiritur perfectio & puritas potentiarum ministrantium intellectui, nempe sensuum internorū & externorum: ergo cùm phantasia, æstimatiua, & imaginatiua facili negotio decipiantur & defatigentur, & à passionibus & sensibus exterioribus concutiātur; sequitur intentū, eò præsertim quòd post peccatum memoria labilis est,



est, & sensus externi plerumque decipiuntur. Adde rursus, quòd omnis nostra cognitio pendet ex discursu, in quo non breue tempus insumitur, & ingeniū lassatur, vita etiam breuis est, & experimentum fallax, veritates etiam ipsæ, sunt penè infinitæ: Ergo si sermo sit non de potétia physica: sed de morali, non potest homo collectiuè veritates omnes naturales cognoscere sine gratia.

*Dico tertio.* Dico tertiò. Nullum hominem per disciplinā alterius hominis, aut per quamcunque aliam industriam, id posse consequi vt cognoscat collectiuè omnes veritates naturales sine gratia Dei. Probatur; quia non est certum homines in natura lapsa fuisse omnes simul veritates assequutos. Nam de facto cōstat quòd in his quæ homo potest addiscere, nunquam sine errore cuadit: vt constat de Philosophis & sapientibus qui interdum pleraque falsa dixerūt quæ aliquando probabiliora veris sunt. Item etiam, quia non est possibile moraliter loquendo quòd in vno & eodem homine simul omnia reperiantur, quæ necessaria sunt ad nunquam à veritate deficiendum. Et quando diximus gratiam requiri ad hæc omnia, non loquimur de iustificante: sed de speciali Dei auxilio, siue id fiat per habituum infusionem, siue per eius peculiarem directionem & motionem.

*Dico quarto* Dico quartò. Homo potest diuisiuè cognoscere quamcunque veritatem naturalem sine gratia. Hęc est D. Tho. in hoc art. & Caiet. & omnium. Verum obserua, quòd per veritatem naturalem, non intelligo eas omnes quæ pertinent absolutè ad rerū naturam: sed solum eas quæ à sensibilibus rebus possunt percipi: vt apertè ostendit argumentum secūdo loco factum initio huius dubij. Ita insinuat & docet S. Thom. 3. lib. contra gent. cap. 45. & Caiet. de ente & essentia. q. 24. & Ægid. in. 2. d. 28. q. 1. Imò verò non debet intelligi cōclusio de qualibet cognitione: sed de illa quæ potest sensibilium rerū perceptionem causare, & quæ nata est id efficere, & hæc aliquando erit clara & euidens, aliquando verò probabilis solum. Nam certum est neminem habuisse claram cognitionem aliquorum scibilium: vt patet de quadratura circuli & alijs. Iam ergo persuadetur assertio nostra. Quoniam ex solo Dei generali auxilio omnis creata forma efficaciā habet respectu alicuius effectus: ergo pari ratione lumen intellectus id habet; aliàs non esset sufficiēs ad cognoscendum vera, Quòd probo; quia omnis forma naturalis ad id solum dicitur sufficiēs ad quod minimè eget speciali auxilio. Item, nam Pau. Rom. 1. ait: Inuisibilia Dei à creatura mundi per ea quę facta sunt intellecta conspiciuntur; sempiterna quoque eius virtus atq; diuinitas, & loquitur Paulus de cognitione naturali: ergo si possunt à nobis diuina naturaliter cognosci quæ magis recondita & difficiliora sunt, multòmagis & à fortiori alia pertinentia ad ordinem naturæ. Certè omnis potentia suis viribus potest ferri in obiectum sibi cōnaturale & proportionatū seu cōmensuratum: sed naturalis veritas est tale obiectum respectu nostri intellectus: ergo etiā sine gratia homo potest diuisiuè cognoscere quālibet veritatē naturalē. Aduerte tamen quòd cùm dixi hominem posse quamlibet veritatem naturalem diuisiuè cognoscere sine gratia, nō intelligitur respectu cuiuscunq;. Sunt enim nonulli tam parui ingenij, vt non attingant neq; possint attingere quòd plerique alij acutioris & optimi ingenij; neque rursus intelligitur de quacunque veritate ex parte obiecti; quia forte veritas aliqua reperitur quam nullus fuit assecutus, imò quam nemo moraliter loquendo potest cognoscere: vt patet de quadratura circuli, & de signis cælestibus & influxibus, atq; proprietatibus stellarum.

Ad argumenta. Ad primum dico, quòd licèt noster intellectus possit supremam veritatem cognoscere, cæterū imperfectissimè cognoscitur, vbi nullus affulsit radius diuini luminis, aut reuelationis, & hac ratione etiam imperfectè veritates aliæ cognosci possunt aliquo modo: sed sub ratione quadam cōmuni; non tamen palam exactè & sine ænigmate. Vndè, neganda est consequentia.

Ad secundum ex dictis patet solutio, quòd non potest homo cognoscere collectiuè veritates omnes naturales etiam eas, quæ ex sensibilibus ortum habent; potest tamen diuisiuè. Si dicas, veritates naturales etiam illæ quæ ex sensibilibus colligi nō possunt, adhuc pertinent ad obiectum naturale: ergo saltem diuisiuè poterunt cognosci à naturali potentia. Respondetur id esse concedendum si de intellectu separato sermo sit. Cæterùm, pro hoc statu in quo sumus, obiectum nostri intellectus est ens concretum quidditati sensibili, & à quidditate rerum materialium permouetur intellectus noster, & ob id nunquam format absolutos: sed connotatiuos conceptus de Angelis & substantijs immaterialibus. ¶ Ad tertium dico non solū practicum: sed etiam speculatiuum intellectum saucia tum fuisse ex peccato, quia destitutus fuit ordine rationis ad verum, & iustitia ad verum infallibiliter dirigēte: vt docuit Sanctissimus præceptor 1.2. q. 85. art. 3. Negāda igitur est consequentia argumenti; quia nō est par ratio de natura integra: Nam per inuentionem simul & per disciplinam posset homo integer simul cognoscere veritates omnes. Nā si primus homo qui habebat scientias omnes naturales per accidens infusas filios suos instruēret, certum est eos per inuentionem simul & disciplinam potuisse veritates omnes cognoscere. At verò sine disciplina hac per solam eorum inuentionem, difficilè aut fortè nunquam possent eas omnes simul assequi sine infusione Dei, aut instructione parentum. Et huius rei ratio est; quia licèt in statu illo nō essent tot difficultates quæ modò sunt: essent nihilominùs plures earum, vt occupatio in cibo, in somno, in generatione, & in tempore ad discursum necessario, & præterea esset in illo statu intrinseca difficultas obiecti cognoscendi continentis plures reconditas & occultas veritates. ¶ Ad quartum dicendum, quòd licèt veritates naturales sint omnes commensuratæ & proportionatæ; nihilominus necessarius labor ad earum inuestigationem non est proportionatus satis viribus humanis; & idcirco argumentum concludit solùm de potentia physica; non tamen de morali: vt planè constat ex dictis. ¶ Ad quintum respondetur, naturalem appetitum solùm inclinari ad cognoscendum omne verum quantum fieri potest, & non inclinari ad omnem collectionem moraliter impossibilem:

sibilem: sed ad veritates singulas quas respicit & in quas fertur vt in rem sibi possibilē. Est simile de homine qui naturaliter semper viuere appetit, & licèt videatur re vera appetere rem impossibilē, nō appetit quidē quia appetitus ille terminatur ad aliquid possibile; quoniam in quacumq; tēporis differentia appetit viuere & nō respicit totius temporis collectionem. Quòcircà non est inconueniens appetere aliquid quod totum simul collectiuè assequi, est impossibile; alioqui frustra visus inclinaretur in visibile vt sic; quia non potest si sibi solum relinquatur percipere omne visibile, aut sustinere.

## SECVNDVM DVBIVM, Vtrùm Homo sine gratia possit cognoscere veritates omnes naturales practicas & morales.

DIsputatio hæc est de homine in statu naturæ lapsæ, in quo statu non solùm homo caret iustitia & illis donis quibus abundabat in statu naturæ integræ: sed etiam & secundùm corpus & secundùm animam manet vulneratus & auersus à Deo & diuinis rebus, & habet destitutionem ordinis ad verum & ignorantiam. Et est paritèr hæc quæstio de veritatibus naturalibus potissimè pertinentibus ad mores. Nam veritates practicæ quæ per artem vel per scientiam cognoscuntur, pari ratione loquendum est de illis atque de speculatiuis. Quòcirca, tota difficultas est de veritatibus moralibus quæ ad prudentiam pertinent in quibus non sumitur veritas per conformitatem ad rem: sed per conformitatem ad appetitum rectum. Nam hoc verum non in sola cognitione consistit; sed in voluntate vel in ratione vt mota à voluntate; quia verum morale in intellectus practici, sumitur per conformitatem ad appetitum rectum: vt Aristo. & sui dixerūt in 6. Ethicorum. Adde etiam, quòd veritates pertinentes ad prudentiam, & quæ important iudicia practica circa res contingentes, quædam sunt practica ad quæ necessariò sequitur operis executio, de quibus infrà dicemus; quædam verò quæ non modo imperatiuo; sed directiuo proponunt hoc esse bonum vel malum, & de his veritatibus est potissimus sermo nostræ controuersiæ. ¶ De qua re Greg. Arim. in 2. dist. 26. & 28. quæst. 1. dixit: hominem non posse in natura lapsa sine gratia veritatem vllam cognoscere practicam & moralem, quæ ad rectam vitæ institutionem & directionem promoueat & valeat. Capreol. in 2. dist. 28. q. 1. concl. 1. & art. 3. ad argumenta. Grego. posita secundo loco contra 1. concl. idem sensit, & putat Diuum Tho. fuisse in eadem opinione hic ad tertium & artic. 9. infrà. Alexand. Alens. 3. p. q. 26. membr. 2. consentit inter antiquos Theologos licèt q. 27. videatur oppositum affirmare. Persuadetur hæc sententia primo. Nam homo per peccatum contraxit ignorantiam rerum agendarum, & non potest eam à se repellere proprijs viribus: ergo indiget speciali gratia vt verè cognoscat quæ sunt fugienda aut prosequenda erga mores. Consequentia liquet & vtraq; pars antecedentis probatur ex D. August. libr. 3. de libero arbit. capi. 18. 19. & 30. & 1. retractation. cap. 9. Ad miseriam (inquit Aug.) iustæ damnationis pertinet ignorantia & difficultas, quam patitur homo ab exordio à qua nullus liberatur sine Dei gratia, & in Inchyrid. cap. 28. & 29. & 1. retractation. capit. 9. fusè idem confirmat, & lib. 6. contra Iulian. ca. 16. inquit: Ignorantia minuitur, veritate lucente; concupiscentia corrigitur, charitate magis atque magis feruente, & nihil boni horum duorum est à nobis. Hoc ipsum Hugo de sancto Vict. dicit lib. 1. de sacrament. part. 7. cap. 26. ¶ Secùdò arguitur Sancti petunt à Deo vt eos illuminet, orantque pro cognitione harum veritatum: ergo ex se sine gratia non possunt illas cognoscere; aliàs frustra id petissent aut orassent: vt docet D. Aug. ergo sine gratia Dei non potest haberi hæc cognitio. Antecedēs patet Psalm. 118. &. 142. Da mihi intellectum, &c. Notam fac mihi viam, &c. Et hoc argumento vsus est D. August. ad ostendendam gratiam Dei contra Pelag. epist. 105. &. 107. quia nemo, inquit, preces fundit pro ijs quæ sunt in sua potestate. ¶ Tertiò arguitur. Cognitio practica veritatum moralium de qua loquimur proficiscitur à prudentia: sed hæc nō potest haberi sine speciali auxilio, cùm requirat omnes virtutes connexas: ergo. ¶ Quartò arguitur. Homo non potest cogitare veritatem aliquam qua dirigatur ad mores rectè instituendos nisi per auxilium speciale Dei: ergo. Probatur antecedens, ex Paul. 2. Corinth. 3. Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis tanquam ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est. Et in 1. tom. Concil fol. 524. dicitur quòd piè cogitare habemus ab ipso Deo. Et Cōcil. Arausi. 2. cap. 9. ait quòd cogitare rectè est donū Dei. Et Sap. 9. Da mihi sediū tuarū assistricē sapientiā. Baruch. 3. Viam disciplinæ non inuenerūt. Cōc. Mileuit. can. 4. Scire quid facias, donum Dei est. Et Arausi. loco citato. Diuini muneris est, & veritatem cognoscere, & pedes nostros ab iniustitia continere D. August. epist. 105. ad Sixtum presbyterum ait: Rectè velle & rectè sapere, rectè intelligere, pientèr scire nemo potest nisi habuerit spiritum sapientiæ & intellectus. Et de Ecclesiasticis dogmatib. c. 25. Cognoscere rectè quod bonū sit faciēdū, nō est nisi à Deo. ¶ Contrariā sententiā tenet Duran. in 2. d. 28. q. 1. Bonauen. & Scotus ibi, & cōmuniter omnes Doctores cū S. Tho. dicente in hoc art. quòd homo nō indiget noua illustratione ad cognoscēdū huiusmodi veritates morales, & idē sentit Caiet. eo loci.

Pro explicatione huius dubij sit prima propositio. Nullus homo in quocumq; statu sit, potest vllā veritatem cognoscere sine Dei auxilio generali vt minimum. Hæc est de fide, & habetur Isai. 26. Omnia opera nostra operatus est in nobis Dominus. Et act. 17. In eo enim viuimus, mouemur & sumus. De qua re legendus est S. Tho. 3. contra Gent. c. 67. & 1. p. q. 105. art. 5. & 1. 2. q. 79. vbi Deus dicitur causa omnis entitatis bonæ & operationis.

Secunda propositio. Homo pro hoc statu naturæ lapsæ potest cognoscere sine gratia Dei quamlibet veritatem practicam & moralem diuisiuè, & consequentèr potest iudicare verè quid faciendum sit, & quid fugiendum in moralibus diuisiuè. Profectò, si absque speciali auxilio nō posset saltem diuisiuè

*2. Propositio.*



siuè veritates morales & practicas cognoscere, sequeretur quòd lumen naturale, quod signatum est super nos, & discursus rationis non essent sufficientia prorsùs. Quod ostendo; nam omnis forma ad id solum dicitur sufficiens, ad quod non est opus speciali auxilio gratiæ: nō enim forma ignis diceretur sufficiens ad generandū ignē si ad talem actionē in digeret speciali auxilio gratię superaddito: ergo &c. Item probatur; nam dato oppositō quòd intellectus humanus non posset cognoscere suis viribus saltem diuisiuè veritates illas, sequeretur quòd intellectus humanus ex peccato primi parentis non esset infirmatus, sed prorsùs extinctus & abolitus: hoc autem falsum est & absurdum. Sequela patet; Nam qui egrotant quamuis grauiter, nihilominus possunt aliqua per se operari. Et cōfirmatur. Quia homo essentialitèr est rationalis & suaptenatura polyticus: ergo ex viribus proprijs saltē diuisiuè potest habere sufficientem cognitionem moralem qua diuisiuè dirigatur ad institutionem rationis. Sanè, intellectus etiam in statu naturæ lapsæ cognoscit has veritates morales: Quod tibi non vis, alteri ne feceris. Bonum est sequendum & malum fugiendum: sed ex his principijs moralibus potest discurrere & inferre: ergo modò non est adulterandum, neque alienum retinendum: ergo depositā sunt reddenda, & inferre vlteriùs alia in particulari: ergo. Probatur etiam hæc assertio efficacitèr; quia aliàs non peccaret homo si neque diuisiuè posset cognoscere morales veritates; quia inculpabiliter ignoraret quid agendum sit. Quod argumentum efficacius est de homine in puris naturalibus. Et confirmatur. Quia, vt infrà ostendemus, homo potest benè moraliter operari: ergo etiam cognoscere & cogitare. Et confirmatur iterum; quia in puris naturalibus posset homo habere operationes naturales suæ naturæ consentaneas, cùm cæteræ res naturales id possent efficere per vires suas naturales & formas: ergo etiā homo: sed vna ex his operationibus maximè necessaria est harum veritatum cognitio: ergo & modò idem potest; quia eadem habet vires vt diximus. Adde etiam, quòd istæ veritates non excedunt lumen naturale intellectus, imò verò sunt illi proportionatæ. Probari etiam potest hæc assertio ex scriptura Psalm. 4. Nam interrogante Propheta: Quis ostendet nobis bona? Respondet ipse: Signatum est super nos lumen vultus tui domine. Quod sancti non intelligunt de supernaturali lumine: sed de naturali ad cognoscendum bonum naturale morale. Pater Soto explicans illud Roma. 1. Qui cùm cognouissent Deū nō sicut Deum glorificauerūt; docet lumine naturali Philosophos habuisse sufficientē cognitionē ad glorificandū Deū &c. Ambros. Chrysosto. Theophylat. locum illū Pauli Roma. 2. Gentes quæ legem non habēt, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt, intelligunt de infidelibus & de cognitione naturali, licèt Origenes etiā explicet de fidelibus. ¶ Itaq; aliud est cognoscere vniuersa quæ pertinent ad veritates morales collectiuè; aliud verò cognoscere vnam aut aliam veritatem moralem in particulari, & diuisiuè. Et quidem in huiusmodi veritatibus moralibus potest haberi duplex cognitio, vna imperfecta, & imbecillis & permixta cum maxima dubitatione, qualis non est sufficiens ad impellendam efficaciter voluntatem erga ea, quæ honesta sunt, nec ad efficaciter auertendum ab inhonestis; altera verò cognitio potest haberi perfecta atque constans & firma sine aliqua dubitatione. Et quidem certa, firma & constanti cognitione pauciora cognoscuntur. Sed nihilominus quoniam à Greg. Arimin. citatur sæpiùs. D. August. in contrariam nostræ conclusionis sententiam, idcircò dico conclusionem propositam à nobis fuisse expressam D. Aug. sententiam. Quia. 1. Retractatio. cap. 4. inquit. Non approbo quod in oratione dixi, Deus qui non nisi mundos verum cognoscere voluisti &c. Responderi enim potest multos non mundos vera sciuisse & scire posse. Vnde, D. Thom. hoc arti. expressè definit assertionem propositam, & pater Soto. 1. de natura & gratia. capi. 20. Legēdus est D. Fulgent. lib. de gratia Christi cap. 26. & D. Aug. 3. hypognost. vbi ait, hominem habere sufficiens iudicium rationis ad pertinentia ad vitam præsentem, & de spiritu & litera cap. 8.

Tertia propositio. Homo pro statu naturæ lapsæ non potest suis viribus sine gratia & noua illustratione Dei habere certam & constantem cognitionem, & directiuum iudicium de eo, quod faciendum vel fugiendum est in omni re pertinente ad veritatēs morales, & ob id homo sine gratia non potest omnes illas veritates collectiuè cognoscere. Hanc assertionem defendit Durand. in 2. distin. 28. & AEgid. quæst. 2. Bonauent. quæst. vlt. D. Thom. & Caiet. hic, & pater Vega super Concil. Tridenti, capit. 12. &. 13. & pater Soto. 1. de natura & gratia capit. 20. & lib. 3. capit. 4. Et probatur. 1. Quia ad non errandum eget homo diligentia non parua & ordinatione appetitus, & licèt in singulis operibus possit attendere, non tamen collectiuè in omnibus, quia lassatur animus & distrahitur pluribus intentus. Rursùs, appetitus varijs atque vanis passionibus afficitur & sæpe veritati impedimentum præstat. Quocircà, est impossibile vt homo aliquando non decipiatur: imo verò hoc est vulnus ignorātiæ per originale peccatum contractum, & in quod incurrit homo. An verò hūc etiam defectū habuissent homines in puris naturalibus licèt non sub nomine pœnæ aut vulneris, dicemus infrà. Profectò cupiditates, corporeæ & violenti affectus perturbāt iudiciū rationis: sed iuxta Arist. placitū in moralib. Qualis vnusquisq; est, talis finis sibi videtur: igitur cùm ex peccato homo sit septus tot inimici, s & procliuis ad malum, sequitur ex suis viribus non posse iudicare in omni euētu sine errore & cōstantèr quid sit agendum iuxta præscriptum rationis. Vndè, Sap. 9. legimus: Cogitationes mortalium, timidæ & incertæ prouidentiæ nostrę: corpus enim quod corrūpitur aggrauat animā, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitatē. Quo loco aperte ostēdit Sapiēs nostra iudicia incerta esse & fluctuosa & cū falsitate permixta. Cuius rei assignat causam nēpe corpus quod corrūpitur, quia hoc aggrauat animā & deprimit sensum. Imo verò in eo reperitur sensualitatis violentia & rebellio contra rationem. Item, Ecclesiast. 10. Cunctæ res difficiles nō potest eas homo explicare sermone, nō satiatur oculus visu neq; auris auditu impletur. D. August. libr. 2. super. Gen. contra Manichæos capi. 20. explicans illud Gen. 3.

*Tertia propositio.*

In sudore vultus tui vesceris pane tuo, inter alias interpretationes hanc adducit, idest, cum magna difficultate habebis cognitionem rerum. Etenim panis noster etiam est rerum præcipuè moralium cognitio. Item probatur. In hoc differt homo sanus ab ægro quòd sanus potest per se ipsum exercere munus suum integrè & perfectè, ęgrotus verò, non item: sed munus intellectus humani est in vna quaque re agenda sine errore videre, & cognoscere quid bonũ sit aut malum: igitur cùm intellectus humanus pro hoc statu æger sit & infirmus, sequitur quòd suis viribus nõ potest exercere integre & perfecte hoc munus & officiũ: ergo indiget gratia Dei.

*Quarta propositio.* Quarta proposito. Quando sacræ literæ dicunt nos sufficientes non esse cogitare aliquid ex nobis tanquam ex nobis: sed sufficientiam nostram ex Deo esse, solum definiunt hominem ex facultate naturæ præcisè, nihil posse respectu eorum quæ per Christum ad æternam vitam promissam nobis pertinent aut promouent nos. Ita explicatur hæc veritas in Concil. Mileuit. Cano. 4. & 5. & in Arausi. capi. 6. & 7. & in Trident. sessione. 6. c. 1. 2. & 3. Qua propter scripturæ sacræ non definiunt, nos ex facultate & viribus naturæ non posse aliquod verum cognoscere; sed solum traditur in quãto pretio haberi debeat cogitatio illa, quæ nos promouet in beatitudinem per Christum. Nam quæ ad hunc finem nos non inducit, pro nihilo æstimatur. Iuxta sensum Pauli. 1. Corinth. 13. Si habuero, inquit, prophetiam & nouero mysteria omnia; charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.

*Quinta propositio.* Quinta propositio. Ad ea quę sunt naturalia multotiès Deus tribuit auxilium supernaturale probatur. Exod. 31. vbi de quodam artifice inquit Deus quòd dabit ei spiritum Dei, intelligentiam, sapientiam, & scientiam ad ea omnia quæ fiunt ex auro & ex ære. Et constat hoc ex Salomone. 3. reg. 3. qui habuit cognitionem infusam rerum naturalium quã posset naturalitèr comparare: vt ipse testatur Sap. 7. Et de Adamo primo homine tenent idem Theologi in. 2. dist. 23. & S. Thom. 1. p. q. 104. arti. 3. Imo verò idem S. Thom. 2. 2. q. 2. art. 4. tres assignat rationes cur necessè sit credere ea quæ etiam per rationem naturalem scire possumus.

Ad argumenta, ad primũ respõdetur, exilitatẽ & infirmitatem naturæ in eo consistere quòd non omnes veritates collectiuè potest attingere, & id petimus à Deo vt sua gratia suppleat quod natura ipsa precisè præstare nequit, ita vt nunquam deficiamus in cognitione ad rectè operandum necessaria. Vnde argumentum probat non posse hominẽ suis viribus sine speciali auxilio certum habere iudiciũ & directionem de eo quod faciendum est in omni euentu in moribus; nihilominùs potest etiam homo lapsus diuisiuè verum morale cognoscere. Et ad D. Agustinum & Hug. dicendum quòd loquuntur de practico intellectu pro vt subijcitur prudentiæ quæ supponit in appetitu virtutes omnes morales. Nam veritas huius prudentiæ est confessè se habere ad appetitum rectum: & hæc explicatio est Caiet. in præsenti art. Cùm ergò per peccatum appetitus factus sit rebellis, pariter etiam intellectus ignorantiam incurrit, & destitutionẽ à vero in cognitione directiua & in executione & imperio. Et idcircò, errat in plerisque in hoc statu naturæ corruptæ. Nam & hoc vulnus ignorantiæ vtrumque intellectum practicum & speculatiuum infecit eum destituendo ab ordine infallibilitatis ad verum. ¶ Ad secũdum dico esse donũ singulare quod Deus auxilio speciali hominem adiuuet ad cognitionem veritatum naturalium, vt sine errore & firmiter veritatem cognoscat, & nos oramus Deum, vt omnes de facto veritates cognoscamus, & vt faciliùs & sine errore cognoscamus, potissimè quia sæpiùs in rebus facillimis magna insurgunt inconuenientia, & ob id Deum oramus vt ea auertat ne decipiamur. Imò verò vt diximus S. Thom. 1. contra gent. cap. 4. & 1. part. quæst. 1. arti. 1. ostendit fuisse necessarium vt nonnulla quæ naturali ratione cognosci possunt, nobis credenda per fidem proponerẽtur & innotescerent diuinis reuelationibus. Et id ipsum contingit in alijs Dei petitionibus cùm sanitatem & fructus terræ pro quibus gratias agimus Deo, petimus, vt vel his acceptis Deum fontem esse & authorem bonorum omnium fateamur. ¶ Ad tertium respõdetur, prudentiã posse esse in homine peccatore licèt non in statu perfecto. ¶ Ad quartũ respõdetur, testimonia illa intelligi de veritatibus supernaturalibus, vel de cõgnitione & cogitatione conducente ad finem supernaturalem, Vnde Cõc. Arausic. ait: Si quis dixerit per naturæ vigorem hominem cognoscere aliquod verum vel bonum quod pertineat ad vitam æternam, hæretico fallitur spiritu, quia nõ intelligit illud Ioan. 6. Sine me nihil potestis facere, neque illud. 2. Corinth. 13. Nõ sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis tanquam ex nobis. Potest etiam explicari Paul. de auxilio communi vel de particulari quod est necessarium ad veritates omnes collectiuè. Quæ expositiones colliguntur ex Diuo Augusti. epistola. 106. de prædestinatione Sanctorum, & ex Conci. Arausic. cano. 6. & 7. & ex Mileuit. can. 4. & ex Tridenti. sessione. 6. cano. 1. 2. & 3. Vndè, sermo instituitur à Paulo de cogitationibus promouentibus in ordine ad finem supernaturalem, & sic necessaria est gratia semper, vel in ordine ad finem naturalem, & sic non est semper necessaria gratia, nisi ad omnes veritates de facto cognoscendas.

# DISPVTATIO I.

## *Vtrùm potentia naturalis sine gratia Dei possit tendere in obiectum supernaturale.*

HVius controuersiæ materia difficilis est, & à paucis exactè explicatur, & quidem cogitaueram non esse reponendam hoc loco; cæterum quia interpretanda est à me quæstio altera: vtrùm intellectus sine gratia possit cognoscere aliquid supernaturale? idcircò rectum seruaturus ordinem, priùs à quęstione an est, initium sumpsi. Et ob id priùs quàm de singulis potentijs controuersiam instituamus; de omnibus in communi: An possint tendere in supernaturale obiectum absque supernaturali auxilio, sermonem instituo. Deinceps verò de intellectu & voluntate, & specialitèr de homine circa doctrinam fidei & obseruationem diuinorum mandatorum; & dilectionem Dei super omnia fusior erit sermo. Meritò igitur præsenti articulo disputatur de potentia naturali in ordine ad obiectum supernaturale, an possit in illud tendere sine gratia, cùm dixerit. S. Tho. quod intellectus humanus, nisi fortiori aliquo lumine perficiatur, non potest altiora quædam intelligibilia quæ naturalem cognitionem excedunt cognoscere. ¶ Et pro parte affirmatiua quòd sine auxilio Dei speciali naturalis potentia possit in supernatu-

*Argumẽ. 1.* rale obiectum tendere arguitur primo: Nam supernaturale auxilium vel est necessarium vt per illud solus Deus concurrat ad actum, potentia tantùm passiuè se habente: sicut se habet aqua affecta calore in ordine ad calefactionem. Vel est necessarium vt eleuet potẽtiam ad immediatè eliciendum actũ: si dicas primum, sequitur quòd potentia tunc non operatur vitaliter, & consequenter idẽ posset Deus immediatè sine vlla potentia. Si dicas secundum; contra, Quia tunc potentia vel habet se vt purũ instrumentum eleuatum per illud auxiliũ, & hoc implicat vt statim dicemus. Vel habet se tanquã agens partiale, & tunc eius actiuitas vt sic attingens ad actum illum supernaturalem; erit distincta partialiter: igitur non est opus vlla alia efficientia Dei supernaturaliter concurrentis, quia Deus concurrit tantùm vt causa prima in tali ordine, & hoc non tollit quin ex proprijs dicatur potentia ipsa concurrere. Et confirmatur; quia potentia influit in quantum vitalis; At esse vitale non procedit ab auxilio neque tribuitur aliquo modo ab illo: sed est potentiæ ipsi naturale & intrinsecum; ergo influit secùndum esse naturale. Item, quia si aliquod datur auxilium supernaturale, hoc tenet se ex parte habitus coadiuuantis potentiam, vt cùm ea habeat partialem concursum distinctum ab eo, quem habet ipse habitus: sed in eo concursu potentia non indiget alio auxilio: ergo absolutè erit verum potentiam ex proprijs concurrere ad supernaturalem actum. ¶ Se-

*Argumẽ. 2.* cundò arguitur; Quia sunt Theologi qui dicant eos actus quibus potentia attingit supernaturale obiectum, esse naturales secùndum substãtiam: ergo pari probabilitate & consequenter ad eorum sententiam dici potest, ad huiusmodi actus nõ esse necessarium supernaturale auxilium, sed sufficere naturale & generale: quod ipsi potentiæ naturali & actibus naturalibus proportionatur. Nam cùm Dei auxilium nõ ponat in numero cum entitate actus ad quã cõcurrit; sed sit idem realitèr quòd ipsa entitas à Deo concurrente producta; si ipsa entitas est naturalis, concursus etiam erit naturalis: quod potissimè fatentur illi qui concedunt eandem numero entitatem actus posse migrare & transire de naturali in supernaturalem. Quoniam si eadem entitas est: ergo idem concursus Dei est, variato namque concursu variatur entitas: sed antea erat naturalis: er-

*Argumẽ. 3.* go postea etiam est naturalis. ¶ Tertio arguitur. Quia auxilium illud quod requiritur, vel ob id requiritur, vt potentia efficiat actum supernaturalem & altioris ordinis. Vel requiritur vt recipiat eundẽ actum supernaturalem. Si dicas quòd tantùm requiritur vt efficiat & non vt recipiat; Contra, quia sicut potentia actiua debet proportionari & commensurari cum suo obiecto, ita etiam passiua: ergo sicut potentia naturalis passiua ex suis viribus potest recipere supernaturalem actum; sic pari ratione potentia actiua poterit viribus suis, supernaturalem illum actum efficere: Nam ad neutrum eorum habet naturalem potentiam: sed solum obedientialem. Item, quia forma quæ fit, non solùm recipit esse à causa efficiente: sed etiam à causa materiali: sed forma supernaturalis non potest recipere esse à causa naturali vt sic, sed vt eleuata auxilio supernaturali: ergo cùm recipiat esse à causa materiali & non ab illa vt habet esse naturale, sequitur quòd ab illa accipit vt habet esse eleuatum per auxilium supernaturale. Nam si causa efficiens indiget supernaturali auxilio ad causandum effectũ supernaturalem, etiã causa materialis: non enim consistit eius causalitas solùm in receptione, sed in tali modo cõcursus. Ex quo quidem infertur formam pendère in fieri & in esse à subiecto, ita quidem vt subiectũ ex se, tribuat semper esse formæ, quod habet. Vndè, ex defectu substantiali quantumuis adsint aliæ causæ, peribit effectus. Quomodo ergò potest intelligi rem supernaturalem, pendère infieri & esse à re naturali vt sic? Et quomodo res naturalis vt sic potest causare formam supernaturalem & dare illi esse supernaturale quod in se non habet? Nam causa naturalis verè dat esse effectiuè. Si dicas quòd requiritur auxilium ad hoc vt potentia recipiat actum supernaturalem, seu habitum, quia vtrobique est par ratio. Contra, quia vel illud auxilium quod datur ad hoc vt potentia eliciat actum, sufficit etiam vt recipiat illum, vel requiritur aliud distinctum auxilium. Si dicas primùm. Contra, quia licèt in eadem re coincidant agere & pati; tamen secùndum se formaliter distinguntur, & in alijs rebus inueniuntur distincta: ergo pari ratione sicut in alijs rebus requiritur auxilium ad operandum, & efficiendum, distinctũ quidem ab eo quod est ad recipiendum; ita in proposito. Nam si Deus eleuaret aquam vt calefaceret, & similiter cœlum ad recipiendum calorem, tunc distincto concursu concurreret cum aqua ad calefaciendũ, & alio diuerso cum cœlo vt calefieret; qui sane duplex concursus pari ratione reperiretur, si cœlum eleuaretur vt in se produceret calorem: ergo similiter in proposito. ¶ Et cõfirmatur: quia Deus naturaliter concurrit cum subiecto vt recipiat naturalem formam, & vt causet illam materialiter: ergo similitèr concurrit supernaturaliter vt recipiat & causet materialitèr effectum supernaturalẽ, quia hæc duo proportionabilitèr se habent. Antecedens probatur; quia Deus concurrit ad omnem causalitatem: sed illa est vera causalitas: ergo concurrit ad illam. Præterea, materialis causalitas subiecti, est limitatæ & finitæ virtutis: ergo si suprà istam virtutem aliquid causat, illud nõ potest esse ex vi propria: ergo est ex diuina eleuatione: ergo per eius auxiliũ. Nam si cœlum non habet virtutem naturalem vt ex eius potentia educatur calor; ergo si educitur, id quidem est propter supernaturalem virtutem cœlo donatam: ergo pari ratione hic. Nam vel potentia sua natura potest recipere illum actũ, & tunc magis erit potentia naturalis, quam obedientialis, vel non potest recipere actum illũ ex sua natura, & tũc indiget auxilio suprà suã naturam vt possit. ¶ Quarto Ar-

*Argum.* 4. to Arguitur. Nam Dæmones sola naturali facultate intellectus sine auxilio speciali attingunt obiectum supernaturale fidei, quia assentiuntur rebus fidei. Cur ergò naturalis potentia sine Dei gratia nó

*Argum.*5. poterit tendere in supernaturale obiectum? ¶ Quinò arguitur, De homine hæretico credente articulũ Trinitatis; ille namque attingit per actum naturalem fidei acquisitæ obiectum supernaturale; quia credit Deum esse trinum & vnum, & id attingit sine

*Argum.*6. speciali Dei auxilio: ergo. ¶ Sexto Arguitur. Omnis potẽtia est naturaliter inclinata in suũ obiectum & potest suis viribus tendere in suũ obiectũ: sed quòd sit supernaturale non tollit quin sit suum obiectum: ergo suis viribus potest in illud tendere. Maior planè constat; quia in hoc cõsistit debita proportio inter obiectum & potentiam, quòd potentia possit proprijs viribus attingere suum obiectũ, & in illud tendere. Minor autẽ inductione persuadetur. Nam obiectum intellectus adæquatum est verũ, quatenùs cõuertitur cum ente sumpto in omni sua latitudine. Omne namq; ens est intelligibile, & cõsequenter est obiectum intellectus: ergo sicut ens vt sic comprehendit omnia tam naturalia quàm supernaturalia, ita etiam verum comprehendit naturalia & supernaturalia. Et idem videtur dicendum de obiecto voluntatis quod est bonum in communi, & de obiecto appetitus suo modo; quia idem militat proportionabiliter de omnibus his obiectis. ¶ Quod sane explicatur ampliùs; Nam potentia nõ habet nisi vnicum obiectum à quo specificatur, & sub cuius ratione formali tendunt eius actus; aliàs si esset duplex obiectũ formale, esset etiam duplex potentia. Quo posito sic argumentor; Quia vel sub obiecto potentiæ naturalis includitur res supernaturalis vel nõ. Si dicas primum, sequitur quòd proprijs viribus poterit ipsa potentia in illud tendere; quia potentia & obiectum sibi adæquatè correspõdeant necessè est; id namque est obiectum in quod potentia ipsa in quantum talis potest tendere: sed de se est potentia: ergo de se potest tẽdere in illud. Quod si ex se non potest: ergo non est eius obiectũ, neque ipsa vt sic est potentia in illud. Si dicas propter hoc quod non includitur sub obiecto potentiæ. Contra, ergò neq; de potentia Dei absoluta poterit versari potentia circa illud; nam potentia nullo modo ferri potest extra obiectum formale eius. Etenim, actus qui non fertur sub ratione formali obiecti in ipsum, non est elicitus à potentia quæ à tali obiecto specificatur, & sumit suam formalẽ rationem & suorum actuũ. Quòd si recurras ad eleuationem Dei omnipotentis vtentis potentia tanquã instrumento, Contra, Nam implicat potentiam vitalem esse purum instrumentum, in ordine ad suum actum elicitum; aliàs pari ratione posset eleuari res non vitalis ad producendum & efficiendum actum vitalem, vel ea virtus quæ deriuatur à causa principali per instrumentum posset immediatè deriuari in effectum, & consequentèr posset Deus immediatè efficere operationem nostram vitalem; quod implicat si sermo sit de Deo vt de causa particulari, sicut est oculus: vt fusiùs de ea re. 1. p. diximus.

In hac quæstione non disputamus vtrùm actus quibus intellectus, & voluntas, & appetitus attingunt obiecta supernaturalia, sint naturales vel supernaturales secùndum substantiam: supponimus namq; eos secundũ substantiam supernaturales esse sicut obiecta ipsa à quibus specificantur, & sicut habitus à quibus eliciuntur. Aliqui tamen Theologi sunt qui dicunt actus illos naturales esse secùndum substantiam; supernaturales verò supernaturalitate quadã extrinseca, quæ attenditur penes hoc quòd actus illi attingentes obiecta supernaturalia, sunt meritorij; Dicunt, enim quòd actus illi non dicuntur supernaturales quantum ad substantiam suam: sed solum supernaturalitate extrinseca, quæ est extrinseca ratio meriti. Et ob id totum quod tribuunt virtutibus infusis supernaturalibus, hi authores tribuunt etiam viribus naturalibus excepto merito. Imò verò etiam de ipsa dilectione Dei super omnia, quæ habetur per charitatẽ dicunt quòd solum differt ab ea quæ potest haberi per naturam, quia illa est meritoria, hæc verò non item. Ita sentiunt quantùm videtur Scot. in. 3. d. 29. q. 3. & Gabri. eodem loco dub. 2. Ocham, & Aliacens. & sui, imò verò Durand. ibidem. q. 2. & in. 2. etiam sent. & Caiet. 1. 2. q. 109. art. 4. ¶ Sed est mirabile quod Caietanus dicit in opuscu. de contritione. q. 1. vbi duplicem contritionem constituit, alteram acquisitam & consequẽter naturalẽ, de qua dicit quòd est displicẽtia peccati suprà omne odibile cũ proposito vitandi peccatũ supra omne vitabile, & ex amore Dei suprà omne amabile, & hanc dicit esse contritionem informẽ. Alteram verò contritionem constituit, quæ solũ addit ad præcedentem, charitatis informationem. Nã dicit quòd displicentia prædicta cum prædictis omnibus charitate informata, vocatur cõtritio formata. Omitto modò Caietani errorem & turpem deceptionem, dicentis esse contritionem acquisitam eã quæ includit displicẽtiam peccati suprà omne odibile, cum proposito vitandi peccatum suprà omne vitabile, & ex amore Dei suprà omne amabile. Nã testificante Christo, sic legimus: Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & Rursus diuina sapiẽtia, Ego diligentes me diligo. Quo ergò pacto potest fieri vt sit acquisita contritio illa, quæ includit amorem Dei suprà omne amabile, & displicentiam peccati suprà omne odibile, cum proposito vitandi peccatum suprà omne vitabile? aut quo pacto qui hæc omnia habet, non diligitur à Patre? Profectò, Tridentinum Cocilium sessio. 14. cap. 4. declarans veræ contritionis naturam hæc quæ Caie modo comminiscitur describit, & per hæc dicit præparari remissionem peccatorum. Et ne quis dicat Caietanũ intellexisse de contritione quæ vocatur quædam attritio, aduertat pius & Catholicus lector, quòd distinguit contritionem à duplici attritionis specie, in eodem opusculo & contextu, loco citato. Quòd si contritio qualis ab ipso describitur, acquisita est vt ille ait; planè ex eius sententia infertur sine Dei gratia posse attingi supernaturale obiectum, imò verò sequitur quòd præcepta supernaturalia circà supernaturale obiectum, adimplentur per actus naturales, & quòd actus circa supernaturalia obiecta, nõ dicuntur nec sunt supernaturales quantum ad substantiam, & consequentèr Caietanus, & citati authores tenent partem affirmatiuam huius quæstionis, quæ ex factis argumentis in initio probatur à nonnullis eorum.

¶ Obserua



Obserua, vlteriùs, quòd voluntas verbi gratia tribus modis potest ferri in Deum obiectum supernaturale, primò quidem omnino materialiter, ita vt supernaturalitas neque sit ratio terminans obiectũ, nec ratio subqua, & isto modo fertur in Deum ille qui diligit ipsum vt est author naturæ & prima causa. Quia in re ipsa & materialiter idem omnino est Deus author naturæ, & author gratiæ. Sicut qui videt pomum materialiter videt suaue & dulce; nam idem pomum & est dulce & coloratum. Altero modo potentia potest ferri in obiectũ supernaturale, ita vt supernaturalitas sit ratio quæ, terminans in obiecto actum; non tamen quod sit ratio sub qua potentia per talem actum feratur in tale obiectum. Sicut verbi gratia intellectus cognoscit bonum quod est obiectum voluntatis, & bonitas ipsa est ratio quæ in obiecto cognito; non tamen est ratio sub qua potentia intellectiua cognoscit ipsum bonum. Quia nõ sub ratione boni: sed sub ratione veri cognoscit bonum. Et è conuerso, aliquando actus volũtatis fertur etiam in verum non sub ratione veri: sed sub ratione boni. Tandem tertiò, potentia potest ferri in obiectum supernaturale omnino, ita quidem vt supernaturalitas ipsa non solum sit ratio formalis quæ; sed etiam sit ratio formalis sub qua: vt verbi gratia per fidem credimus Deo supernaturaliter reuelanti, ita sanè vt supernaturalis reuelatio, sit ratio formalis sub qua fidelis intellectus credit Deo. Et profectò, S. Thom. 1. 2. q. 109. art. 3. ait quòd supernaturalis dilectio, est præstãtissima quãtum ad rationem & modum diligendi. Quoniam tam ratio dilectionis quàm modus illius est supernaturalis. Et huiusmodi actus & similes tantùm, sunt supernaturales; quia formaliter versantur circa obiectum supernaturale. Illi verò de quibus in. 2. modo seu in. 2. acceptione, tantùm materialiter versantur circa obiectum supernaturale.

Tandem obserua, fuisse Theologos qui docent potentiam ex se habere actiuitatem nonnullam ad actum supernaturalem. Pro cuius rei interpretatione aduertunt quòd obiectum potentiæ quamuis sit vnicum & indiuisibile secùndum formalẽ rationem eius, nihilominus habet latitudinem, vt verbi gratia obiectum visus est omne lucidum & coloratum; sub quo tamen obiecto sunt aliqua lucida, quæ non possunt exactè percipi à potentia nisi eleuata extrinseco auxilio: Nam visus non potest directè intueri vehementem & intensam lucem solis nisi confortetur à Deo. Similiter etiam obiectum intellectus est omne verum; at sub ista ratione sunt veritates nonnullæ quæ cognosci nequeunt prout in se sunt, nisi intellectus supernaturaliter eleuetur. Dicunt igitur hi theologi potentiam ex se habere duas actiuitates, alteram completam intra suum ordinem naturalem, & in ordine ad obiectum naturale prorsus; alteram autem incompletam in ordine ad eleuationem supernaturalem. Cùm ergo ratio formalis obiecti possit inueniri in vtroque ordine, natura dedit potentiæ actiuitatem proportionatam seu adæquatam in ordine ad obiectum omnino naturale, vel inadæquatam & dependentem à supernaturali auxilio in ordine ad obiectum supernaturale. Sicut species intelligibilis aut intentionalis, ex sua natura habet efficere similitudinem sui obiecti, & id quidem effectus formalis ratio. Sed quia hoc potest intimè reperiri in vitalitate, idcirco natura dedit ei partialem actiuitatem in ordine ad actum vitalem, cum dependentia tamen à potentia vitali; ita vt ex proprijs influat partialiter. Sicut ergo species tendit secundùm suam rationem formalem ad efficiendam similitudinem obiecti, ita intellectus ad cognoscendum verum. Et sicut aliqualis similitudo obiecti reperitur in actu vitali qui excedit gradum potentiæ naturalis, & sicut natura dedit partialem actiuitatem specici in ordine ad id in quo relucet ratio sui obiectitatis in proposito natura dedit potentiæ actiuitatem inadæquatam dependentem ab auxilio supernaturali in ordine ad obiectum supernaturale, citant authores huius doctrinæ pro hac parte D. Thom. 2. 2. q. 23. art. 2. qui deducit tanquam inconueniens, ex sententia Magistri dicentis quòd charitas nihil aliud est quam Spiritus Sanctus mentem inhabitans, quòd si hoc esset verum, nempe quòd motus dilectionis esset immediatè ab Spiritu sancto tanquam à principio particulari, & non ab aliquo habitu seu forma supernaturali, sicut procedunt actus aliarum virtutũ; sequereturq; tunc volũtas se haberet merè passiuè respectu dilectionis, vel cõcurreret tantùm vt instrumentũ, cũ ex his quæ habet in se, non possit volũtas in illum actum dilectionis, sed tantùm vt mouetur ab Spiritu sancto. ¶ Sed iste modus dicendi, difficultatem habet, vt postea dicemus, & non est D. Tho. quia Præceptor sanctissimus loco citato, solùm infert tanquam inconueniens, quòd si esset vera sententia Magistri, voluntas non operaretur ex proprio habitu; non tamen infert quòd non operetur ex proprijs viribus. Et sanè quòd sit difficilis prædictus modus, & alienus à veritate, patet: Quia cùm natura hon attingat aliquid supernaturale, nõ potest dare virtutem in ordine ad illud, neque completam vt certissimum est, neque incompletam ex proprijs; sicut dedit speciei & actum vitalẽ, cui ea ratione à natura talis virtus est concessa & tributa, quia in eodem ordine naturali compleri poterat: at in ordine ad actum supernaturalem, frustra daretur, cùm in tota natura compleri nõn possit. Item etiam, quia si vis actiua potentiæ est naturalis, quo pacto id quod fit est supernaturale in sua substantia: cùm effectus non possit excedere virtutem causæ. Contra hanc sentẽtiam fusius infra agẽdum est.

His prælibatis est prima conclusio. Circa obiectum supernaturalẽ in quo supernaturalitas est ratio formalis quæ, & ratio formalis sub qua potẽtia tendit in ipsum, non potest naturalis potentia actũ habere ex proprijs viribus sine speciali Dei auxilio. Itaque, nulla potentia naturalis potest tendere in obiectũ supernaturale sub ratione formali obiecti supernaturalis, vt sic sine auxilio supernaturali. Probatur, quia potentia & obiectũ debent proportionari & debent esse eiusdem ordinis: sed sine auxilio supernaturali potentia non est proportionata tali actui & obiecto supernaturali: ergo potẽtia naturalis non potest tendere formaliter in obiectum supernaturale formaliter nisi per supernaturale auxilium eleuetur, vt sit eiusdem ordinis cum illo. Probatur minor; Quia obiectum & actus circa ipsum, *Conclus.*

sum,sunt omnino supernaturalia; vt constabit ex dicendis, at potentia semper est naturalis si proprijs viribus consideretur:ergo neque est proportionata,neque eiusdem ordinis cum tali obiecto. Et confirmatur,quia magis differunt naturale & supernaturale quàm spirituale & materiale:sed potentia materialis & corporea non potest se extendere in obiectum spirituale:ergo neque potentia naturalis in obiectum supernaturale. Probatur etiã apertè præfata conclusio ex illo Ioan.6. Nemo potest venire ad me,nisi Pater meus traxerit eum: venimus autem ad Deum per huiusmodi actus ergo. Et rursùs eodẽ cap.specialiter de actu fidei dicitur.Hoc est opus Dei,vt credatis in eum. Rursus persuadetur; Quia cùm totum iustificationis ędificium supernaturale sit,oportet vt fundamentũ illius quod est actus fidei,& alij actus qui sunt mediã per se ordinata ad finem supernaturalem, sint etiam supernaturales vt tali fine proportionentur. Et non sufficit ratio extrinseca meriti, vt aduersarij dicunt. Quoniam etiã actus naturales à virtutibus naturalibus eliciti, sunt isto modo supernaturales per extrinsecam rationem meriti. Atque ita nullo modo differrent actus virtutum naturalium & infusarũ. Quòcirca,cùm actus fidei per se possit haberi sine vllo merito, sequeretur ex sententia istorum, ad actum fidei supernaturalis non esse perse requisitũ auxilium supernaturale; imò verò sequeretur actũ omnino eiusdem speciei cum actu charitatis,posse haberi ex viribus naturæ, quæ quidem plusquam falsa sunt(vt infra ostendemus.Item probatur præfata conclusio;quia cùm natura non attingat aliquid supernaturale;non potest dare virtutem in ordine ad illud,neque completam, neque incompletam ex proprijs.Nam si vis actiua potentiæ naturalis est,quo pacto id quod fit,potest esse in sua substantia supernaturale cùm effectus non possit excedere virtutem causæ.Item probatur,Quia si verum esset quòd aduersarij affirmant,non esset mera gratia quòd eleuaretur potentia ad actum supernaturalem;sed esset quid naturaliter debitum tanquam complementum naturæ,sicut est debitum in natura potentijs cognoscitiuis vt sint species naturaliter.Præterea patet etiam conclusio. Quia ad id ad quod potentia habet sufficientem virtutem, ex se & ex auxilio generali,non requiritur aliud particulare. Quod probo; quia tunc actus partim esset naturalis vt à potentia, & partim supernaturalis vt ab auxilio:sed hoc repugnat simplici & indiuisibili entitati illius, nam totus actus fit à potentia & ab auxilio: ergo totus esset naturalis & supernaturalis in casu,quod implicat quidem,vel asignandum est aliquid quod fiat à sola potentia, & aliquid à solo auxilio quod repugnat.

*Conclus.2.* Secunda conclusio. Quamuis naturalis potentia sine supernaturali auxilio, non possit attingere obiectum supernaturale sub ratione formali obiecti supernaturalis vt sic, nihilominus potentia ipsa in ordine ad actum supernaturalem eliciendum, non est purum instrumentum sicut est aqua in ordine ad producendam gratiam; Imò verò potentia vt eleuata per Dei auxilium est principale agẽs. Et ob id dicendum est quòd actus dilectionis Dei vitalis à voluntate procedens prout mouetur à Deo ex auxilio supernaturali, non est actus procedens à voluntate tanquam à puro instrumento: sed tanquam à principali agente, Et idem dicendum est de qualibet alia potentia in ordine ad actum supernaturalem, quod non est purum instrumentum, sicut est aqua in ordine ad producendam gratiam. Probatur ratione hæc conclusio. Nam si potentia esset purum instrumentum, sequeretur quòd posset assumi à Deo ad talem actum efficiendum quælibet res non vitalis; vt ostendit optime primum argumentum initio quæstionis propositum. Nam ideo verbi gratia Deus posset assumere lignum ad producendam gratiam sicut assumit aquam; quia aqua est purum instrumentum: ergo pari ratione, si potentia vitalis esset purum instrumentum,tunc quælibet res non vitalis, posset assumi à Deo ad talem actum efficiendum. Vndè, si Deus non potest assumere aliam rem vt instrumentum, signum est potentiam vitalem ex se habere aliquo modo concursum,quem Deus non potest perse solum supplere, vel habere: ergo Deus non est propriè agens particulare principale. Nam agens principale per se potest immediatè facere, quod per instrumentum operatur, quod sanè optimè militat in Deo qui non indiget aliqua intermedia virtute. Præterea, si voluntas est purum instrumentum: ergo tota virtus concurrendi eo modo,est à causa principali: ergo causa illa principalis posset immediatè vti tota illa virtute.

*Quid nõ nulle Theologi concludant.*

¶ Aliqui Theologi, vt præfatam conclusionem ostendant, vtuntur hoc discursu. Operatio vitalis pendet à potentia, quodammodò in genere causæ formalis: ergo sicut in receptione, & causalitate materiali potentia non est instrumentum Dei; aliàs Deus esset principalis causa materialis, & recipiens principale: ita nec in causalitate efficienti vitali quæ reducitur ad formalem, & in hoc conueniunt causa materialis & formalis, quòd non possunt esse instrumentum alterius, neque possunt eis vti vt instrumento. Cuius rei ratio à priori videtur esse; Quoniam cùm de ratione actus vitalis sit essentialiter, quòd sit emanatio à principio viuente coniuncto; implicat quòd eius causa non sit principium viuens coniunctum, & ob id hæc est causa principalis particularis, cùm alia extrinseca non possit esse.

*Aliorum discursus.13.*

¶ Alij verò iuniores etiam Theologi vtuntur ad eandem conclusionem ostendam altero argumento & discursu. Nam si intellectus verbi gratia esset purum instrumentum respectu actus credendi, in ordine ad obiectum supernaturale, sequeretur quòd Deus esset agens principale, & quòd ipse crederet; sicut ipse est qui vt agens principale producit gratiam per sacramenta; Hoc autem repugnat. Quia licèt ad Philip.1.dicat Paul. Deus est qui operatur in nobis velle & perficere, non tamen Deus vult ea voluntate,quam operatur in nobis, vellet autem si nostra voluntas esset purum instrumentum; licèt ergo non simus sufficientes cogitare aliquid ex nobis quasi ex nobis (vt ait Paulus) non tamen Deus est qui cogitat, aut qui credit tanquam causa principalis, sicut est qui vere producit



cit gratiam per aquam baptismi, ad Tit.3. Secundum suam misericordiam saluos nos fecit, per lauacrum regenerationis: ergo si eodem modo voluntas esset instrumentum ad volendum aliquid supernaturale, sicut aqua est instrumentum ad sanctificandam animam, pari ratione sicut per aquam Deus dicitur sanctificare, ita per nostram voluntatem diceretur propriè velle, & per intellectum propriè credere,& per nostrum appetitum appetere.Qui tamen modus loquendi nusquàm reperitur in scriptura: sed potius ea quæ ex supernaturali auxilio homo potest, ei tribuuntur tanquam causæ principali, vt Prouerb.16. Hominis est præparare animam, & statim: Cor hominis disponit viam suam. ¶ Cæterùm, consequentia huius argumenti, non concludit intentum, neque est efficax; quoniam ex alia parte potest sequi impossibilitas, & quòd licèt intellectus esset purum instrumentum, non ob id Deus diceretur credere aut appetere;Ex alia enim via potest prouenire impossibilitas productionis operationis vitalis vt à puro instrumẽto:Nempe quia credere in sua ratione, non tantum importat rationem productionis respectu actus,sed etiam passionem seu passiuam informationem ex parte intellectus.Cùm ergo ad hoc non concurrat Deus quia non recipit, neque concurrat ad receptionem per nouum auxilium distinctum à primo; ob id non dicetur credere.Imo verò cùm in actibus vitalibus interueniat perse effectus causæ formalis, hoc satis sufficiet vt non possit suppleri à Deo:Non igitur ex eo quòd intellectus sit purum instrumentum, sequitur quòd Deus credat. Nam quamuis fateremur intellectum esse purum instrumentum;manet nihilominus alia ratio diuersa in actu credendi, ad quam non posset concurrere, vt liquet ex dictis. Quòcircà, licèt habeat se potentia ad modum instrumenti, quia non operatur ex virtute propria, sed ex Dei virtute: comparatur enim instrumento Isai.10. Nunquid gloriabitur securis contra eum qui secat:quia iuxta illud Prouerb.21. Cor regis in manu Domini, & quocùnque voluerit,vertet illud; nihilominùs non est purum instrumentum, vt explicatum est argumentis suprà positis. Verum est,quòd non sequitur illa consequentia: Potentia visiua est purum instrumentum Dei respectu visionis: ergo Deus videt. Responderi namque potest ab aduersarijs quòd in actu vitali duo sunt, primum est productio ipsius ad quam Deus concurrit; Secundùm autem est passio siue receptio ipsius actus vitalis, quæ etiam importatur per videre respectu potentiæ visiuiæ, & importatur etiam eadem receptio seu passio per credere respectu intellectus credentis, & talis receptio seu passio ipsius actus vitalis, pertinet ad vitalem immutationem quatenùs talis est, idcircò quamuis Deus concurrat ad primum non dicitur videre neq; credere.Quia non recipit quòd forma licèt importatur in ipso videre, & in ipso credere.

*Conclus.3* Tertia conclusio.Auxilium speciale supernaturale, est necessarium in potentia vt eficiat actum attingentem supernaturale obiectum, sub ratione supernaturalitatis,vt sic; non tamen est perse necessarium vt potentia illum recipiat, neque vt sit receptiua eius. Probatur hæc assertio. Quia ex Sacra scriptura, & ex Conciliis & Sanctis,solum habemus,auxilium illud esse necessarium,vt potentia possit efficere & agere id quod est supra suam naturam; de receptione verò nunquam reperitur facta mentio, neque de auxilio receptiuo, quod sane si daretur, deberet esse distinctum ab actiuo; sicut distinguntur potentia actiua & passiua: vt ostendit argumentum.3. in exordio quæstionis à nobis factum.Rursùs persuadetur conclusio. Nam vel istud auxilium receptiuum datur vt subiectum sit dispositum & proportionatum tali formæ; & hoc non, quia iam daretur per modum habitus, sicut character; atque ita ad illud recipiendum esset necessarium alterum auxilium, & sic in infinitum. Præterea, si dicas debere constitui auxilium illud per se loquendo vt potentia recipiat actum; adhuc per hoc non tollitur difficultas, quo pacto potentia naturalis ex proprijs, habeat vim ad recipiendum aliquid supernaturale; cùm auxilium illud (vt supponimus) sit supernaturale, præintelligatur receptioni actus. Quod verò ad huiusmodi auxilium receptiuum & materiale, non sit necessarium auxilium, probo; Quia auxilium non est necessarium,nisi vt potentia det aliquid quod in se non habet: sed subiectum recipiendo formam supernaturalem, neque concurrendo ad illam materialiter, non dat aliquid quod in se non habeat: ergo. Maior est nota.Quoniam si potentia habet ex se id quod causat, non requiritur vt ab extrinseco adueniat illi virtus ad id præstandum. Minor verò probatur; quia potentia materialis,non concurrit ad effectum nisi dando se ipsam immediatè composito, vel quia est id ex quo educitur forma: sed penes hæc duo non dat aliquid quod in se non habeat: ergo &c. Et hac de causa Deus supplere non potest concursum causæ materialis & formalis: ergo neque perse concurrit ad earum causalitatem vt est distincta ab efficiente, nisi quatenùs conseruat tales entitates: non enim indiget auxilio albedo vt constituat album: ergo neque subiectum indiget auxilio, vt sit receptiuũ albedinis, neque vt recipiat albedinem.Nam profectò,si Deus concurrit cum causa formali vel materiali ad earum causalitatem vt sic, interrogo cur non poterit Deus addens maiorem concursum supplere omnino earum causalitatem, sicut de facto potest in causa efficiente.¶Sed aduerte, nos minime negare Deum suo concursu causę efficientis concurrere ad hoc vt materia recipiat formam, & forma actuet materiam, sed solum dicere, quòd non concurrit in genere causæ materialis, aut formalis, & quòd concursus efficiens Dei, non est distinctus & diuersus ab eo, quo Deus producit & conseruat has duas causas formalem & materialem; Quia recipere, in ipsa materia non est res, neque modus realiter distinctus à sua entitate, Sicut neque informare in ipsa forma. Item, iuxta ea,quæ diximus in discursu probationis secundæ assertionis, si Deus concurrit cum potentia vt recipiat actum supernaturalem, benè sequitur; ergo Deus concurrit ad recipiendum aliquid: ergo

verè

verè recipit aliquid;ſicut fatemur quòd quando cõcurrit ad agendum, verè agit. Si adhuc contendas, auxilium Dei receptiuũ debere conſtitui, tũc Deus vel per illud recipit cum ipſo ſubiecto & cùm hoc dicat imperfectionem, Deo repugnat; vel per illud concurrit actiuè, & hoc videtur neceſſariò eſſe dicendum; & ob id cùm infertur quòd ex Deo educatur forma, negatur hoc: cauſat enim Deus illud vt efficiens, & non vt ſubiectum, & ita non dicitur recipere. Etenim, qui producit & conſeruat potentiam, quamuis det cauſæ materiali ſuum eſſe, ſed non vt materia, ſed vt efficiens cauſa. ¶ Item, illud auxilium, ſi dicas quòd eleuat potentiam, vt ſit id, ex quo educitur forma, etiam tunc ſuo modo ex Deo educeretur, quod etiam dicit imperfectionẽ & repugnat Deo. Neq; rurſus intelligi poteſt quid Deus efficiat in ſubiecto, neq; cum ſubiecto, vt ſit id ex quo educitur forma: ſufficit ergo quòd ſubiectum dicat obedientialem potentiam cum capacitate formæ, quantum eſt ex parte ſubiecti & materiæ.

¶ Dixi in concluſione, non eſſe per ſe neceſſarium auxilium illud, vt potentia ſit receptiua. Quoniam ſecundariò, ex eo quòd Deus concurrit effectiuè ad actum recipiendum in hac potentia, ſeu in hoc ſubiecto, ſubdit etiam potentiam receptioni talis actus. Vndè, illud auxilium quodammodo eſt duplex ſecundùm rationem, quia eſt virtute multiplex, nempe quatenus tenet ſe ex parte principij effectiui, & etiam quatenus terminatur ad tale ſubiectum, ſeu ad talem materiam, ex qua educendus eſt effectus. Nam ſi Deus, verbi gratia, eleuaret aquam ad producendum calorem, tunc neceſſarium eſſet ſpeciale auxilium; ſi autem eleuaretur etiam ad producendum calorem in cælum, tunc neceſſarium eſſet ſpecialiùs auxilium, quod ſanè auxilium, licèt ſe teneat ex parte agentis, cui donatur & conceditur virtus ad ſuperandam reſiſtentiam & improportionem paſsi; nihilominus tamen, etiam ſe tenet ex parte materiæ quodammodò, ad quam quidem extenditur, vt eam ſubdat & ſubijciat huic agenti creato, ob id quòd talis materia in ordine ad tales actus, non ſubdebatur: ſolum enim ſubdebatur immediatè agenti infinito, & ob id dicitur potentia obedientialis. Itaque, auxilium quo Deus effectiuè concurrit ad actum ſupernaturalem, ſubdit etiam potentiam receptioni illius actus, & ob id diximus, duplex eſt auxilium illud ſecundùm rationem, nempe & quatenus ſe tenet ex parte principij effectiui, & etiam quatenus terminatur ad talem materiam, ex qua educitur effectus, eam ſubijciendo tali agenti, & tali motioni. Et ſic eſt intelligenda & interpretanda propoſita aſſertio.

*Ad argum.* *Ad primũ.* Ad argumenta initio quæſtionis facta. Ad primum dicendum, quòd Deus ſua virtute eleuat intellectum ad actualem vſum, non ſolùm per habitum ſupernaturalem, & mediante auxilio ex parte habitus requiſito; ſed etiam alio quod ſe tenet ex parte potentiæ, vt ſimul cum eo habitu coefficiat id ad quod non ſufficeret ſolus habitus, & ob id requiritur diſtinctus concurſus. Nam cùm potentia non habeat ex ſe partialem actiuitatem naturalem (vt ſuprà diximus) idcircò præter habitum ipſum, indiget auxilio quo actiuitatem habeat partialem: nunquam enim forma dat ſubiecto actiuitatẽ diſtinctam à ſe ipſa, neque efficit ſubiectum intrinſecè actiuum, niſi tantùm per ipſam formam. Cùm ergo intellectus habeat actiuitatem intrinſecam diſtinctam ab ea quæ procedit ab habitu, ob id poſtulat eleuationem diſtinctam. Vndè, ſi verbi gratia calefactione qua aqua influit ex vi caloris, influeret aliquid ex vi propriæ ſubſtantiæ; tunc non ſufficeret calor ſolus ad eleuandam aquam in ordine ad influxum iſtum. Nam ſi verbi gratia mediante calore calefacit, & præterea producit carnem, non ſufficit calor ad eleuandam aquam ad vtrumque influxum: ſed præter formam caloris quę illam eleuat ad producendum calorem, requiritur alia forma viuentis vt illam eleuet ad id, videlicet, vt mediante calefactione producat carnem. Si dicas, quòd ſupernaturalis forma eminenter habet vtrumque, hoc non videtur verum; quia ratione vitalitatis, non poteſt id continere niſi ſit res viuens à qua dependet formaliter. Secundò, quia aliàs tota actiuitas eſſet à forma illa ſupernaturali, materialiter ſolùm ſe habente potentia. ¶ Sed dices, eandem prorſus difficultatem militare in ordine ad auxilium Dei, quod cùm videatur extrinſecum, non poterit tribuere potentiæ actiuitatem intrinſecam; præſertim, quia actiuitas potentiæ eſt partialiter diſtincta ab actiuitate auxilij: ergo vt ſic diſtincta, non habet vim ab auxilio. Reſpondetur, quòd cùm habitus ipſe ſit forma limitata in ſua actiuitate, ob id non poteſt tribuere potentiæ aliam actiuitatem præter eam quam continet ratio ſui, cæterùm Deus qui omnem cauſalitatem continet, & qui eminenter omnia continet, ita intimè penetrat potentiam, vt eam confortet adhoc vt ex entitate potentiæ oriatur intrinſecè talis entitas actus, ita vt non dicantur duo agentia ſed vnum confortatũ, neque aliud videtur poſſe dici in quocumque inſtrumento, quo vtitur Deus vt phyſicè concurrat ad effectum qui ſit ſuprà ſuam naturam. Et penès hoc eadem ratio eſt de voluntate, quæ circa hoc, eſt quodam modò inſtrumentum, ſed non omnino (vt diximus ſuprà). Et hæc duo optimè inſinuantur à Paulo. 1.Corint.15. Abundantiùs omnibus illis laboraui, nõ ego, ſed gratia Dei mecum. Laboraui, inquit Paulus, quaſi agens principale, & non omnino: ſed quodam modò vt inſtrumentum Dei; quia ſufficientia noſtra ex Deo eſt; atque adeò omnino non ego laboraui, ſed gratia Dei mecum. Aduerte ergo Paulum non dicere gratiam Dei abſolutè laboraſſe quaſi agens principale per ſe; ſed mecum laboraſſe, & collaboraſſe tribuẽdo vires & confortando potentiam. Hanc doctrinam eleganter Sanctiſsimus Methodius optimè explicat & cõfirmat in lib. de libero arbitrio his verbis: Si factus fuiſſet homo tanquã vnum ex elementis, aut tanquam vnum ex eorum numero, quæ ſimili neceſsitate Deo ſeruiunt; non iam mercedem libera voluntate dignam reciperet: ſed potiùs tanquam inſtrumentum opificis eſſet, de cuius non rectè factis iniuſta & temeraria eſſet quærela; eorum enim author eſſet is qui inſtrumẽto vtitur. Quare, cùm ſit voluntas liberũ inſtrumentũ, conſequẽs eſt vt ſi-



vt ſicut inſtrumentum neceſsitate ſeruiens, per motionem eius, qui eo vtitur ſecundùm virtutem propriam operatur, ſic etiam & multò meliùs, voluntas inſtrumentum liberum gratiæ Dei operans per motionem eius, bonum ſecundùm quamcunq; virtutem illud operetur, nõ ſola motio, eius ſit cauſa, ſed volũtas ipſa dicatur concauſa, ſic enim princeps Philoſophorum vocat nos cauſam adiuuantẽ ſeu cooperantem, & ſic nos vocare ſolemus: adiutores enim Dei ſumus, ſicut inquit Apoſtolus, Deus verò prima ſit & præcipua cauſa. Hæc B. Methodius. Deniq; dicendũ eſt potẽtiam per ſupernaturale auxilium ſic eleuari, vt efficiatur eiuſdem ordinis cum actu producendo, & quodãmodò illi connaturalis. Vndè, ipſa eſt proximum operans principale, Deus autem ſicut cauſa prima concurrit auxilio ſupernaturali. Vndè, proloquium illud, quòd inſtrumentum eſt quod operatur in virtute alterius, ſic debet accipi & intelligi, quando videlicèt taliter operatur in virtute alterius quod illud alterum eſt immediatum & principale operans. Sic enim Deus eſt principale iuſtificans mediante ſacramento. Quando verò id quod recipit alterius virtutẽ, ſic eleuatur per ipſam, vt efficiatur quodammodo ipſius propria, & conſtituatur connaturalitate quadam, effectui aptum; agens quod ipſam recipit, tũc non concurrit inſtrumẽtaliter. Et ſic eſt in actibus ſupernaturalibus ad quos per ſupernaturale auxilium potentia eleuatur. Neq; enim Deus credit aut ſperat mediante potentia eleuata; ſed ſolus homo eſt qui credit & qui ſperat, ipſa autem potentia effecta eſt per tale auxiliũ quodammodo ſupernaturalis, & eſt cauſa proxima talis operationis. Quod ſatis apertè docuit Paul. loco citato. 1. Corinth. 15. Abundantiùs omnibus laboraui, non ego, ſed gratia Dei mecum.

*Ad ſecũdũ.* ¶ Ad ſecundum iam impugnauimus eos authores, qui dixerunt actus illos eſſe naturales quantum ad ſubſtantiam; imò verò Caietanus impugnatus eſt cùm dixit poſſe eſſe contritionẽ adquiſitam, eãque verè talẽ eſſe. Rurſùs, bifariã poteſt intelligi ſententia illorũ quæ aſſerit prædictos actus eſſe naturales quantùm ad ſubſtantiam, primò ita vt actus quo quis credit res omnes fidei quia Deus reuelauit, ſit naturalis, & quòd ſupernaturalitas tantùm ſit extrinſecus modus: Quod quidem mihi non probatur. Si verò motiuum credendi nempe quia Deus reuelauit, ſit modus formalis conſtituens actum in eſſe ſupernaturali; ſic neceſſariò dicendum eſt, in omni actu tendendi formaliter in ſupernaturale obiectum vt ſic, neceſſarium eſſe ſupernaturale auxilium. Veruntamen ſententia hæc, ſicut fingit actum conſtantem ſubſtantia naturali & modo ſeu forma ſupernaturali, ita conſequentèr tenetur concedere, adeſſe illi auxilium naturale debitum ſubſtantiæ actus, perſeuerans cũ illa, variato tamen modo, ad modum verò requiri auxilium ſupernaturale, & ſicut actus abſolutè denominatur ſupernaturalis, ratione modi ſupernaturalis, ita abſolutè dicunt dicẽdum eſſe de auxilio. Sed adhuc iſte modus dicendi non ſatisfacit. Et minus concedit quam illi qui aiebant, quòd potentia ex ſe habet partialem actiuitatem in ordine ad actũ ſupernaturalem vt ſic. Nam ad iſtum modum ſupernaturalem quẽ hęc ſententia dicit eſſe in ipſo actu, neque partialiter conducit potentia ex proprijs, ſed ex eleuatione Dei. Ipſe verò iuxta eandem ſententiam, ad ſubſtantiam actus dicunt iſti potentiã concurrere non tantùm partialiter, ſed etiam totaliter, & adequate ex proprijs. Quia vt exiſtimant, tota illa ſubſtantia actus eſt naturalis. Hoc tamẽ ſuſtineri non poteſt vt ſupra diximus & oſtendimus, & magis oſtendetur infra præſertim in art. 4. Nã etiã tota ipſa ſubſtãtia actus eſt ſupernaturalis, & à potẽtia vt ſupernaturaliter eleuata procedens, & ab obiecto ſupernaturali vt ſic ſpecificata: & à quo ſumit ſpecificationẽ, accipit ſubſtantiã. Dicere ergo oportet ad argumentum non eſſe probabile eos actus quibus potentia attingit ſupernaturale obiectum ſub ratione formali ſupernaturalitatis, eſſe naturales ſecundùm ſubſtantiam, & ob id negandum eſt antecedens. & pari ratione neganda eſt cõſequentia argumenti.

*Ad tertiũ.* ¶ Ad tertium iam diximus, quod cauſalitas potentiæ receptiuæ, eſt ad hoc vt ſubdatur agẽti, & diximus etiã quod non ſubditur ei per potentiam obedientialem, niſi quatenus agit ex eleuatione ſupernaturalis auxilij. Et ob id non cauſat materialiter effectuni niſi quatenus ſubeſt illi auxilio; Quia licèt auxilium ſit extrinſecum ei quatenus eſt receptiua, ſufficit tamen quòd ad illum vt ſic dicat ordinem. Etenim, non eſt materia cauſa producens niſi quatenus ſubditur agenti in ſua actiuitate & conſeruatione, ideſt, quatenus eſt id ex quo agens educit, format, & in quo conſeruat eam; & ex conſequenti ſufficit vt auxilium ſe teneat intrinſecè ex parte potentiæ agentis dominantis paſſo. Sicut ſi Deus dat virtutem aquę vt producat gratiam in animam, eo ipſo ſubdit animam tali agenti, & non eſt neceſſarium, aliud nouum auxilium ex parte animæ ad ſolam receptionem. Sed obijcies. Contra, ſpiritualis forma non poteſt ſubiectari in re materiali: ergo nec forma ſupernaturalis in re naturali. Reſpondetur quòd hæc obiectio ſolum oſtendit ſecundùm naturam hæc non proportionari: Verùm ſuppoſita eleuatione gratuita ſufficiens eſt obedientialis potẽtia ad ſupernaturalem formam; quoniam licèt talis potentia, naturalis ſit ex parte ſubiecti, nihilominus eſt ſupernaturalis ex parte termini, & poſſet forſan Deus per ſe eleuare rem materialem, vt eſſet ſubiectum ex quo educeretur forma ſpiritualis. De qua re nos olim pleraq; diximus in controuerſijs Meta. Quòd ſi hoc nõ eſt improbabile, ex hoc maximè declaratur & confirmatur tertia cõcluſio à nobis poſita. Quia tũc Deus nihil ſpirituale præſupponeret in materia ad recipiendum formam ſpiritualem: ſed de eius obedientiali potentia eleuata & ſubdita agenti eiuſdem ordinis cum effectu, educeret immediatè illam. Sed obijcies iterum, Habitus non ſolùm conſtitui ad agendum, ſed pariter etiam ad recipiendum: ergo ſi datur habitus qui ſe teneat ex parte potentiæ receptiuæ vt ſic, pari ratione debet dari auxiliũ, quod actualiter & tranſeuntèr ſuppleat defectum habitus quando ille non eſt. Reſpondetur (quidquid ſit de antecedenti, quod tenent eſſe probabile Palude in 4. diſt. 49. & Marſil. in. 3.) negandam eſſe conſequẽtiam; quia licèt ex habitu immediatè tanquam ex agente, poſsit elici actus ſupernaturalis; tamen nec cum illo habitu adeſt ſpeciale auxilium in ordine

dine ad per se recipiẽdũ, sicut adest ad illũ eliciendũ, neq; cũ potẽtia ipsa naturali vt recipiat habitũ supernaturalem. Quocirca, si quid probaret argumentum, etiam ostenderet semper prærequiri in potentia aliquid supernaturale, vt habitualiter & permanẽter conseruaret materialiter habitum recipiendo, & sustentando illum, & sic in infinitum

*Ad quartũ.* esset processus. ¶ Ad quartum respondetur, quòd dæmones non credunt propter aliquem affectum bonum, sed potius coacti euidẽtia signorum & per spicacitate intellectus, & hoc ipsum displicet eis, scilicet, quòd argumenta nostræ fidei sint tã euidentia vt credere compellantur. Ita S. Tho. 2.2.q.5. art.2. in corpore, non ergo habent fidem quæ attingat obiectum supernaturale formaliter vt sic. Vndè S. Tho. de verit. q.14 art.9. ad.4. inquit quòd credere æquiuocè dicitur de actu credẽdi, qui est in nobis, & in dæmonibus. Nam in nobis actus credendi procedit ex pia affectione voluntatis, mouentis intellectum ad bonum & ad subijciendũ se Deo; in dæmonibus autẽ ex compulsione & coactione propter euidentiam signorum, & ob id non valet consequentia. Vndè, propter hanc causam D. Iacob. in sua Canonica cap.2. dixit dæmones credunt & contremiscunt. Verùm talis eorum fides vera non est, tum propter ea quæ diximus, tùm etiam quia eam non resoluunt in primam veritatem, sed in euiden

*Ad quintũ.* tiam & magnitudinem signorum. ¶ Ad quintum respondetur, quòd hæreticus ille, non assentitur rebus fidei ex motiuo supernaturali, neque ex ratione sub qua attingitur obiectum supernaturale, aut ex qua creditur Deum esse trinum & vnum, neque credit assensu catholico neque assensu certo & indubitato sicut oportet. Vndè, assensu opinatiuo benè potest sine speciali auxilio tendere in obiectum supernaturale materialiter, & ob id hæreticus solum assentitur illi articulo per fidem humanam & opinionem. Verùm in hanc opinionem aut humanam fidem nunquam descenderet, nisi priùs foret de hoc mysterio ecclesiæ facta reuelatio, qua posita qui audiret & perciperet, posset probabiliter reti-

*Ad sextum* nere veritatem huius mysterij. ¶ Ad sextum aliqui dicunt, potentiam ex se habere nonnullam actiuitatem ad supernaturalem actum; non tamen completam, sed incompletam, & in ordine ad eleuationem supernaturalem dependentem semper à supernaturali auxilio: vt fusiùs explicuimus suprà in hac controuersia obseruatione vltima. Cæterùm, (vt ibi diximus) iste modus habet difficultatem, & non est D. Thom. Nam cùm natura nõ attingat aliquid supernaturale, non potest dare virtutem in ordine ad illud, neq; completam quod certissimũ est, neque etiam incompletam ex proprijs, sicut eadem natura concessit vim speciei ad actum vitalẽ, cui ea ratione talis virtus tributa est; quia in eodem naturali ordine poterat complere suum officium; at verò in ordine ad supernaturalem actum frustra daretur, cum in tota natura nõ possit compleri. Itẽ etiam, quia si vis actiuæ potentiæ est naturalis, quo pacto id quod fit est supernaturale secundùm suam substantiam? cùm effectus non possit excedere virtutem causæ; Et præterea quia nõ esset mera gratia, quòd potentia eleuaretur ad actum supernaturalẽ: sed esset quid naturaliter debitum tanquam complementũ naturæ, sicut est debitum in natura, quòd sint naturaliter species. Respondetur ergo ad argumentum, quòd sub ratione formali & indiuisibili obiecti alicuius potentiæ, possunt esse duo obiecta materialia, primum est illud, ad quod potentia ex se ferri potest, alterum verò ad quod potest supernaturaliter eleuari; Et ratio cur ad illud eleuari potest, est quia licèt sit suprà naturam potẽtiæ & obiecti eius naturalis; conuenit tamen cum eius obiecto in modo formali immutandi ipsam potentiam: Et ita licèt verum sit obiectũ formale intellectus; distinguitur tamen in naturale, & supernaturale. ex quo patet, ad id ad quod eleuatur intellectus, non posse eleuari oculum materialem. Quia verũ supernaturale nullo modo conuenit cum ratione formali visus corporei, neque in ordine ad obiectũ visus quod est nimis materiale & contractum. Datur ergo duplex ordo, naturalis & supernaturalis. Sed aduerte, quòd aliud est potentiam non posse se extendere in tale obiectum, aliud vero quod ei repugnet. Repugnat nanq; illi, id cuius formale obiectum non habet per se conuenientiam cum illo, non verò repugnat alijs, quæ licet non habeant facultatem, habent tamen capacitatem. Sed dices iterum, Aqua potest eleuari ad productionem gratię, & ignis ad torquendum spiritum, & ij effectus spirituales sunt, & extra rationem formalem obiecti earundem potentiarum: ergo non incõuenit quòd sit extra formalem rationem obiecti. Respondetur, quòd actio vitalis debet necessariò esse coniuncta potentiæ, à qua elicitur immediatè, sicut operatio propria eius, quod sanè est de ratione vitalitatis, & ex hac ratione implicat quòd sit extra rationẽ formalem talis potentiæ, & ita operatio illa ignis, quia non calefacit spiritum, sed torquet in virtute illius à quo eleuatur; non est propria vt sic ignis. Et ob id cùm non sit propria operatio talis potentiæ, nõ est necesse, vt sit circa obiectum proprium illius, sed circa obiectum illius potẽtiæ in cuius virtute operatur: sed tunc non operatur secundum potentiam naturalem, sed tantùm obedientialem, cuius obiectũ est omne id ad quod potest assumi virtute Dei, & consequenter nullo modo fertur extra suũ obiectum. Et hæc solutio videtur admittẽda, non tamẽ illa prior; quia ex priori restat magnũ dubiũ, Cur natura dederit particularem actiuitatẽ intellectui in ordine ad actum supernaturalem, non verò oculo corporeo. Quod si respondeas rationem huius esse, quia oculus non est eleuabilis ad tale obiectum. Hæc est petitio principij. Nam id quæritur cur vna potentia est eleuabilis & non altera. Quod si dicas naturam præstitisse potentiæ partialem quandam actiuitatem ad actum supernaturalem: pari ratione dicam præstitisse aquæ partialem actiuitatem ad producendam gratiam. ¶ Ex dictis ergo colligitur, ratio cur aqua est purum instrumentum in productione gratiæ; non verò potentia vitalis in ordine ad eius operationem. Quia videlicèt, gratia nullo modo est obiectum potentiæ ipsius aquæ, & consequenter nullo modo producit eam ex proprijs: at cùm sit proprium obiectum potentiæ Dei; Deus est principale agens: sed actus vitalis eliciendus, nullo modo est obiectum potentiæ Dei, sicut est obiectũ intellectus & voluntatis, cùm non possit illum tan

quam



quam particulare & proximum agens producere, & est aliquo modo sub obiecto ipsius potentiæ: vt diximus. Quamuis Deus vt vniuersale agens cõcurrat effectiuè ad ipsum actum vitalem elicitũ mediã te intellectu, voluntate, aut oculo. Aqua etiam non habet alium concursum ad gratiam præter eũ quẽ à Deo accipit immediatè, potentia verò vitalis habet concursum qui à Deo immediatè exerceri non potest. Nam actus vitalis dicit ordinem formalẽ ad potentiam vitalem, & ob id non prorsus operatur potentia ex virtute aliena, sed etiam ex proprijs cõcurrit. Et hinc sequitur, quòd non vt purum instrumentum operatur, quia vitalitas quæ intimè includitur in supernaturali illa entitate, ita est à potentia, vt non possit esse à solo Deo, licèt ad illam concurrat, sed non vitaliter sicut ipsa potentia. Et sanè, potissima differentia sumitur ex natura actus vitalis, qui est essentialiter à vitali principio coniũcto. Cùm ergo Deus non sit principium vitale coniunctum sequitur quòd non est agens proprium particulare & principale. Neq; est aliud quòd possit esse nisi potentia ipsa: igitur ipsa est. Quocirca, quando dicitur potentiã esse instrumentum vitale Dei, particula illa vitale, diminuit rationem instrumenti: implicat enim esse vitale & esse propriè instrumentum. Quoniã actus vitalis tribui nõ potest nisi principio proximo immediato: ergo illud est agẽs principale, quia effectus principaliter tribuitur agenti principali; neq; profecto in ordine naturali, neq; in supernaturali inuenitur instantia in oppositũ. Vndè, non tribuitur illa actio vitalis Deo tanquã agẽti proprio principali & particulari: nõ enim Deus vult per meã voluntatem, sicut comburit per caloreẽ, aut sicut artifex qui diuidit lignum per serram: serra enim non est quæ operatur absolutè. Cæterũ, mea voluntas est quæ absolutè vult, & meus intellectus est qui absolutè credit: igitur neq; intellectus, neq; volũtas, possunt esse purũ instrumentũ sicut serra. Et ob hanc causam dicitur cõmuniter, q causa efficiẽs est extrinseca, dicere autẽ extrinsecã esse in ratione causæ, nihil aliud est quàm dicere, q omnia quæ vnũ efficiens cõmunicat alicui, posset alterũ efficiens cõmunicare, perseuerante effectu inesse eiusdem rationis omnino. Quod patet; Nam quamuis quælibet creatura intelligeretur procedere ab alio Deo, vel ab alia creatura, & nõ à Deo, nihil quidẽ ex parte essentiæ ipsius creaturæ minùs inueniretur pòsitũ ab alio efficiente omissa relatione, quia non loquor nisi de essentialibus prædicatis. Quod sanè dico ad differẽtiã formæ & materię; nã si quælibet harũ mutetur, est alia omnino res; & hoc à quocũq; efficiente fiat. Cũ ergo actionẽ esse vitalem vt sic, non sit relatiuũ prædicatũ, sed absolutum ad quod sine dubio sequitur relatio effectus ad agens vitale; sequitur q hoc totũ pẽdet vt à proprio efficiente, à potentia vitali. Nã vitalitas, per se primò pertinet ad rationẽ actionis vitalis, vitalitas quidem in cõmuni tanquã gradus superior, & hæc tanquã differentialis, quæ se habẽt sicut materia & forma respectu hominis, & oppositũ nõ est intelligibile. Vnde, actio vitalis & quælibet immutatio vitalis quæ perficitur in agere seu in pati, nõ habet rationẽ vitalis actionis, aut immutationis, nisi eliciatur & recipiatur in subiecto, à quo egressa est; quia de ratione vitalis immutationis est, quòd progrediatur à principio vitali coniũcto, & quòd in eo recipiatur. Vndè, si Deus poneret entitatẽ actus vitalis in lapide, illic nõ faceret vitalem immutationẽ, quia in hoc depẽdet à principio coniũcto. ¶ Sanct. Tho. 2.2.q.23.art.3. planè sentit nobiscũ, quòd potẽtia vitalis respectu suæ actionis elicitæ vitalis non est purũ instrumentũ. Sic enim ait eo loco in simili. Nõ enim actus charitatis, ita procedit à Spiritu sancto mouente humanã mentẽ, vt humana mens mota sit, & nullo modo principiũ actiuũ huius motus, sicut cùm aliquod corpus mouetur ab aliquo exteriori mouente. Et infrà iterum ait. Etiam nõ potest dici quòd sic moueat Spiritus sanctus voluntatem ad actũ diligendi, sicut mouetur instrumentũ, quod licet sit principiũ actus; non tamen est in ipso agere vel non agere. Quo loco S. Tho. apertè defendit nostram secundam conclusionem, & inde infert ponendum esse habitũ charitatis, Quia proximũ agẽs debet habere formã per quã connaturaliter producat effectum. Nam in ordine ad omnẽ effectum, est dandum proximum agens principale, cui specialiter & proximè tribuatur effectus: sed tale non est Deus respectu actionis vitalis supernaturalis, quia solum se habet ibi, vt causa prima, sicut quando cõcurrit cum igne: ergo est ipsa potentia, vt eleuata per auxilium, aut per habitum cõnaturalẽ effectui. *S.Thom.*

*Dissolvitur argum.* ¶ Et ad argumentum quod solet fieri contra hoc: Agens principale est quod operatur per propriam virtutem, instrumẽtum verò est, quod operatur per virtutem alterius: sed potentia non operatur ex proprijs, seu ex propria virtute, sed Dei: ergo non est agens principale; sed instrumentum. Respondetur, quòd potentia operatur ex auxilio Dei, sed non ita in virtute illius quasi fiat id, propter quod Deus tanquam proximum principale agens, operatur; quod denotat particula illa; in virtute alterius. Vndè, hæc forma argumenti non tenet. Non operatur nisi quatenus eleuatur ab alio: ergo vt instrumentũ illius. Potentia enim producit formalem similitudinem obiecti, & non nisi vt eleuata adhoc per speciem, & non vt instrumentum illius. Rursùs, causa secunda nulla quidem operatur nisi per auxilium primę, nõ verò vt instrumentum illius. Quocircà, potentia in ordine ad illum actum, aliquo modo operatur per suam virtutem. Quia operatur per principium cõiunctum vitale, quod est de essentia actus vitalis. Et licèt totum quod producitur, tribuatur Deo tanquam causæ efficienti primæ, naturali aut supernaturali, nihilominùs non est operatio illa vitalis tanquam ex virtute proximi agentis, & principij coniuncti vitalis, nisi quatenus procedit à potentia viuente intellectus aut voluntatis, licèt ad complementũ talis agentis, requiratur supernaturale auxilium, & vt pariter agens sit connaturale per formã in se existentem, ad quod requiritur supernaturalis habitus: liquet ergo ex discursu quẽ fecimus quòd potentia vitalis licet habeat se aliquo modo vt instrumentum, ad modum quem sumus interpretati, quòd nihilominùs non est verè aut propriè instrumentum, sicut aqua in ordine ad productionẽ gratiæ. Quòd si solutionem huius argumenti perpẽdas planè cognosces vera esse quæ in secunda conclusione diximus fusè.

# DISPVTATIO II.

### *Vtrũ sine gratia Dei poßit intellectꝰ cognoscere aliquid supernaturale, & assentire rebus fidei?*

IN hac controuersia aduersarios habemus non infimæ notæ Scotum & Durand. & alios. Dixit enim Scot. in.3.d. 23. q. 1. posse nos assentiri fidei Christianæ, & omnibus articulis eius, prædicationiq; vniuersæ eorum quæ sunt fidei, per fidem humanam, & acquisitam, & ex hoc statim sequitur, necessarium non esse speciale auxilium ad credendum. Durand. verò in.2.d. 28.q. 1. liberè loquitur & ait, quòd assentiri supernaturalibus veritatibus ex authoritate dicentis, verè est credere; sed non excedit facultatem naturalem intellectus nostri. Ait enim, quòd quamuis sit supra facultatem nostri intellectus, clare intelligere veritatem articulorum, non tamẽ est supra facultatem eius assentire ei ex authoritate alterius, & paulò anteà, ad duxit exemplum de assensu, qui fit, quia ita dicit scriptura diuina. *Caietanus.* Caietanus varius est de hac re: Nam.1.2.q.109.art.4. expressè docet, posse Gentilem & infidelem credere totam fidem esse veram, vt ecclesia tenet, de quo infideli satis liquet, quòd nulla supernaturali gratia credet adiutus; imò verò addit quòd credere, sperare, diligere Deum, confiteri ipsum Iesum Christum, potest homo per sua naturalia, quantùm ad substantiam operum adimplere. Et hoc dicit ex eo conuinci, quia Gentilis fidem edoctus & nolens esse Christianus, posset credere totam fidem esse veram, vt ecclesia tenet. Rursus, idẽ Caietanus.2.2.q.6.art.1. conuictus testimonio Sanctissimi Præceptoris aliter ait, ꝙ assentiri rebus fidei secundum scripturas, & sensum ecclesiæ; est actus eleuans hominem supra naturam suam, & ex consequenti est supernaturalis, & qui haberi nõ potest sine gratia speciali. Argumenta verò quibus Durãdi sententia suadetur, sunt hæc quæ sequũtur. *Argum.1.* ¶ Primũ est; Ratio naturalis ostẽdit mysteria fidei nostræ non esse impossibilia, vt S. Tho.1.p.q.32.art.1.&.2.2.q.1.art.4. asseuerat: ergo ex eadẽ euidẽtia cõstat ꝙ si non sunt impossibilia, sunt possibilia: sed in æternis idẽ sunt esse & posse: ergo in his quæ cõpetunt Deo ad intra, sequitur ꝙ si Deus potest esse trinus & vnus, de facto necessario est trinus & vnus: ergo id euidẽter cognoscimus esse credendũ: ergo nõ indigemus supernaturali auxilio, vt his credibilibus supernaturalibus ex fide assentiamur. Profectò ratione naturali vnusquisq; cognoscit omnia quæ Deus dicit esse credẽda, eo modo quo ipse iusserit credi: sed ratione naturali potest aliquis sibi persuadere propter miracula visa, vel propter alia testimonia, articulos fidei dictos esse à Deo, & credendos esse eo modo quo ipse iusserit, nẽpe, quia dixit Deus: ergo poterit eos omnes credere quia dixit. Et suppono credentem, firmiter cognoscere, proponentem esse veracem, qui non solũ proponit credendos, sed esse credẽdos, quia Deus dixit: ergo. *Confirm.* Et cõfirmatur. Miracula facta à Christo, euidẽter ostendunt illum esse Deũ: ergo euidenter demonstrant eum nõ posse mentiri: sed dixit Deũ esse trinũ & vnũ: ergo euidenter demonstrauit hoc esse credibile: ergo ad credulitatis assensum, non est necessaria specialis gratia. Nã si intellectus conuincitur ex euidentia credulitatis, non potest non præstare assensum credendi. Et consequenter nõ requiritur speciale auxiliũ. Legendus est Sanctissimus Præceptor. 3.p.q.47.art.5.&.2.2. quæst.5.artic.2. & de veritate. quæst.14.art.9.ad.4. Vbi planè docet, miracula à Christo facta euidenter ostendere illum esse Deum, & consequenter veracem in suis dictis. *Argum.2.* ¶ Secundò arguitur. Nam peto, vnde oritur talis necessitas auxilij supernaturalis ad credendum certo & indubitato assensu, ea, quæ veritas prima dixit? Non quidem ex eo quòd res credita, est supernaturalis; quia res supernaturales possunt credi fide humana, vt patet in hæretico, & res naturales possunt credi fide diuina vt quòd anima est immortalis: Neque oritur necessitas supernaturalis auxilij ex parte rationis formalis credẽdi, scilicet, ex parte diuini testimonij; quoniam vel necessarium est supernaturale auxilium ob id quòd non videmus Deũ dicentẽ, & hoc non; Nam siquis referat mihi concilium aut Papam aliquid dixisse, possum credere propter testimonium ipsius Papæ quem non video, quod sane non crederem propter testimoniũ proponentis. Vel requiritur tale auxilium, quia etiam ipse qui proponit non videt, & hoc non; Nam alias qui audiebant à Christo res supernaturales, non indigerent auxilio supernaturali. Si dicas tale auxiliũ ob id esse necessarium quia Deus reuelans, est author supernaturalis. Cõtra; quia Deus, vt author naturalis, potest naturalia etiã reuelare. Vnde, firmitas fidei non oritur ob id quod Deus est author supernaturalis, sed quia est prima veritas, quæ neque fallit neque fallitur neque fallere potest, quod est attributũ naturale Dei. Item etiam, quia modus reuelandi, extrinsecè se habet ad intrinsecam rationem credendi: non ergo apparet à quo oritur talis auxilij supernaturalis necessitas. *Argum.3.* ¶ Tertiò arguitur, Nam plerique credunt Indiam Occidentalem esse, plurimosque in ea esse Thesauros auri & argenti, & etiam si velint, non possunt dissentiri: ergo assensus fidei humanæ, non pendet ex electione voluntatis; multò igitur minùs pendet assensus fidei diuinæ, quia hæc multò certior est: ergo apprehẽsa semel euidentia credulitatis rerum fidei, necessitabitur intellectus ad assentiẽdũ, ergo nõ requiritur speciale aliquod auxiliũ. *Argum.4.* ¶ Quartò. Lumine naturali possumus euidẽter cognoscere, veritates supernaturales (vti diximus) esse credibiles; ergo & eas credere. Nã facile est obiecto euidẽter credibili fidẽ adhibere. *Confirm.* Et cõfirmatur. Nã actus donorũ qui sunt in intellectu, versantur solũ circa credibilitatem obiecti supernaturalis: sed ad hoc sufficit ipsum lumẽ naturale intellectus; supposita cognitione fidei ergo, &c. Et idẽ argumentũ fit de actu prudẽtiæ infusæ. Nã supposito ex fide, talia media esse adhibẽda ad cõsequẽdũ finẽ supernaturalẽ, cur nõ potest intellectus ea practicè dictare & imperare. *Argum.5.* ¶ Quintò arguitur; Et suppono euidẽtiã in testificãte vt sic præcise, non excludere fidẽ rei secũdũ se. Tunc arguitur. Primus Angelus cũ erat viator & accepit à Deo reuelationẽ fidei, euidenter cognoscebat Deũ esse eũ qui sibi rauelabat obiecta supernaturalia: ergo nõ erat in potestate eius situm nõ credere reuelatis à Deo: ergo necessitabatur ad assentiendum: ergo non indigebat auxilio gratiæ





ad credendum: ergo neque homo. Quòd verò primus Angelus euidenter cognouisset Deum esse qui reuelabat illa, & ob id necessitari ad credendum, probo. Quia erat euidens Angelo talis reuelatio, & erat euidens illi quòd sibi fiebat, & non à creatura aliqua, (cùm angelum constet cognoscere omnẽ creaturã:) ergo erat illi euidens quòd reuelatio fiebat à Deo, de quo paritèr iudicabat quòd nõ poterat mentiri. Hoc argumentum sic adeò Durandum torsit in.3.d.23.q.9. vt negauerit angelum habuisse fidem in via, licèt concedat fuisse creatum in gratia, & consequenter docet angelos meruisse per actum obedientiæ, & non per actum fidei. *Argum.6.* ¶ Arguitur sextò. Hæreticus credit Deum esse trinum & vnũ sub ratione formali fidei, nempe quia Deus dixit, & adhoc non habet auxilium supernaturale: ergo. Probatur maior; quia si putaret id non esse dictum à Deo, quantumuis ab alio dictum esset, non crederet. *Confirm.* Et confirmatur. Quia non credit propter testimonium humanum; nam suppono nunquam id venisse in mentem illius: ergo propter diuinum. Et non satisfacit, si dicas eum non credere quia Deus dicit; quia si propter hoc motiuum hæc crederet, non negaret alia de quibus eisdem fundamentis constat dicta esse à Deo; hoc inquam non satisfacit. Quia ille non iudicat ea quæ negat, esse dicta à Deo. Nam si hoc sibi persuaderet, etiam crederet illa; quia etiam fidelis & Catholicus qui ex culpabili ignorantia discredit aliquid fidei, credit alia propter testimoniũ diuinũ, cùm tamẽ vtriusq; eadem sint fundamenta, nempe quia à Deo sunt reuelata: ergo similiter in casu proposito. *Argum.7.* ¶ Septimò arguitur. Homo viribus naturæ potest assentiri rebus falsis, imò verò rebus contrarijs fidei, cùr ergo eisdem viribus non poterit noster intellectus assentiri rebus fidei? Añs experientia liquet, cõsequẽtia probatur. Quia intellectus propensior est ad assentiendum veris quam falsis. Et confirmatur, Nam intellectus suis viribus, potest præstare assensum cuilibet rei in qua reperitur probabile testimonium suæ veritatis: sed in veritatibus fidei plura sunt testimonia, pluresque similitudines & species veri quæ eas veritates probabiles reddunt: ergo intellectus potest illis assentiri ex proprijs. *Argum.8.* ¶ Octauò. Infidelis diu inter nos viuens cognita fide nostra ex plerisque potest iudicare eam esse veram, & velle baptizari, cum obice tamen non deserendi concubinam; & ob id in baptismo non recipiet gratiam; Tunc iste assentitur doctrinæ fidei, & non ex infusa fide. Quia in tali casu sicut non infunditur illi gratia, ita neque fides: ergo assentitur veritatibus supernaturalibus ex proprijs viribus. *Argum.9.* ¶ Nonò. Fides resoluitur in humanã authoritatem: ergo non requiritur auxilium supernaturale ad credendum. Cõsequentia liquet, & antecedens probatur. Nam si fidelis interrogetur cur credat Deum esse trinum & vnum, respondebit sane, quia habet testimonium Dei in se. Quod si ab eo petas vndè sciat se habere testimonium potiùs quàm hæreticus. Respondebit se id scire, quia ecclesia ei proponit credibilia, quæ est columna & firmamentum veritatis. Si rursus interroges vndè scit hanc esse veram ecclesiam, tunc vel debet recurrere ad testimoniũ internum Dei, vel ad authoritatẽ maiorũ quæ humana fide cognoscitur. *Argum.10.* ¶ Decimò. Vnus & idem assensus potest esse verus & falsus, fidelis & hæreticus successiuẽ, vt patet in assensu huius propositionis, Deus est homo, qui si continuetur per vnam horam, in cuius medietate Deus factus est homo, & in altera medietate, in qua nondum erat incarnatus; tunc pro prima medietate pro qua iste assensus erat falsus & hæreticus, poterat continuari cum solo generali concursu: ergo pari ratione pro secunda medietate horæ, pro qua assensus ille erat verus & catholicus, poterat continuari, & ad id non videtur cur sit necessarium auxilium speciale; & idẽ videtur dicẽdũ de alijs credibilibus: ergo.

*Sotus.* Sotus olim.2.lib.de nat. & gratia, cap.11. dixit ex parte voluntatis necessarium esse auxilium supernaturale in iustificatione hominis; non tamen ex parte intellectus, imoverò credebat sufficientẽ esse cognitionẽ illã naturalem de Deo, & quòd est, & ꝙ remunerator est, in qua (vt ille arbitrabatur) implicatur cognitio confusa Christi. En quo pacto vir doctissimus per cognitionem naturalem, sufficienter credebat hominem disponi ex parte intellectus ad salutem, & per ipsum lumen naturæ. Quia in cognitione qua de Deo cognoscitur quòd Deus est & quòd remunerator est, confusè implicabatur cognitio Christi; & pariter aiebat, quòd licèt ex parte intellectus, non fuisset alia necessaria cognitio fidei, quàm naturalis; semper tamen fuit necessarium auxilium supernaturale ex parte affectus & voluntatis. En ergo quo pacto ex parte intellectus excludit auxilium; Quamuis arbitretur quòd in naturali illa cognitione, includitur confusa cognitio supernaturalis Christi, quæ est obiecti supernaturalis in confuso. Verum est quòd mutauit, & retractauit hanc sententiam vir doctissimus deinceps plerisque in locis, in.4.sent. in fine & in eodem 2.de natura & gratia, cap. 11. in impressione, quæ hisce diebus præ manibus habetur.

Holcoth in.1.q.1. dixit, quòd actus fidei Christianæ nõ pendet à volũtate, & cõsequẽter dicit actũ fidei non esse liberum sed necessariũ. Ait enim quòd euidentia signorum & testimoniorum, aliarumque rerum quæ nostram fidem confirmant, cogit & compellit intellectum simpliciter ad assentiendum rebus fidei, & idcirco videtur excludere auxilium ex parte intellectus. Nam putat, tam necessarium esse credere positis motiuis ad credendum, sicut necessarium posita demonstratione assentiri conclusioni. Videtur ergo negare etiam piam affectionem ex parte voluntatis. Almainus disputans de causis actus fidei tract.2. c.4. propositione.3. ait quòd ratio probabilis quæ se sola causaret opinionẽ, superueniente imperio voluntatis, cum tali imperio est sufficiens ad causandum assensum fidei. Quæ duo sufficere & nihil aliud requiri, affirmat ad actũ fidei. *Argum.11.* ¶ Citati authores suam sententiã suadent. 1. ex illo Iacobi.2. Dæmones credunt & contremiscunt, quasi diceret quòd inuiti & coacti credunt res ipsas fidei: ergo non requiritur auxilium ex parte intellectus, neque pia affectio ex parte voluntatis ad attingendum obiectum. *Arguitur ratione.* Nam intellectus potest assentiri veritati, circa cuius obiectum habet sufficiẽs motiuum probabile & persuasiuũ, quamuis nõ sit prorsus necessariũ: sed intellectus habet sufficiẽs

motiuum probabile & persuasiuum ad credẽdum veritatibus supernaturalibus: ergo sine aliquo auxilio supernaturali, suis viribus potest intellectus assentiri veritatibus supernaturalibus ex sola au-
*Confirm. 1.* thoritate dicentis. Et confirmatur. Quia nos habemus plura & maiora motiua ad assentiendum rebus fidei; quàm Pagani & Ethnici ad assentiendum rebus suæ sectæ: sed illi credunt per suas vi-
*Confirm. 2.* res: ergo. Et confirmatur iterum. Nam si tam firmiter crederet hæreticus quæ negat; sicut quæ credit; nihil ab eo esset amplius exigendum; sed quæ ille concedit & credit; sine auxilio supernaturali credit: ergo non requiritur ad credendũ auxiliũ supernaturale. Sanè hæretici dissentiẽtes vni articulo assentiuntur reliquis sine aliquo speciali auxilio: ergo pari ratione, possent assentiri vni illi articulo si-
*Confirm. 3.* mul & reliquis per suas vires. Nam interrogo. Cùr quilibet homo potest credere futuram eclipsin, ex sola authoritate alicuius Astrologi dicentis, sine aliquo auxilio supernaturali, & nõ potest multò meliùs credere veritatibus fidei nostræ, authoritate Dei dicentis & reuelantis? Nam profectò, multa defacto credimus quæ re vera non intelligimus, & creduntur à nobis, quia sapiẽtes ita dicũt & prædicant. Cùr ergo non possumus credere Deo dicenti nobis de se ipso, quamuis non intelligamus, sine auxilio speciali supernaturali? Imò ve-
*Confir. vlti.* ro aliquando sufficit authoritas hominum ad credendum falsis, impossibilibus, improbabilibus, & non vero similibus vt patet in Saracenis. Cùm ergo magis sit contra inclinationem intellectus assentiri falsis, & impossibilibus sine auxilio, cùr nõ
*Argum. 2.* possibilibus veris & rationabilibus. ¶ Arguit præterea Hölcoth, & sui. Quia credere rebus fidei, non est voluntarium & liberum, sed necessarium, vt dicunt, ergo non indigemus auxilio supernaturali. Probant antecedens ex Arist. 2. de anima. Vbi ait quòd imaginari possumus cùm volumus, opinari verò non item; ergo multò minùs possumus credere cùm volumus, cùm credere sit cum assensione cogitare. Experientia etiam confirmant. Nam experimur non esse positum in nostra voluntate credere vel non credere in plerisq; rebus. Quia si maximè desiderarem non credere quòd Roma sit, nũquam possem id mihi persuadere. Si rursus etiam desiderarem credere, quòd astra sunt paria, nunquã id obtinere possem: ergo actus credendi non est liber. Tandem confirmant idem antecedens ex argumẽto superiùs facto. Quia res nostræ fidei sunt euidenter credibiles; euidentia autem necessitat intellectum: ergo si est euidens quòd sunt credendæ, nõ est in voluntate nostra positum auertere intellectũ ab assensu earum, tot enim miracula sunt in ecclesia, tot rationes & congruentiæ, tantusque est consensus ecclesiæ vt conuincatur intellectus ad assentiendum: ergo potest intellectus assentiri huiusmodi veritatibus supernaturalibus per suas vires. De hac re legendus est Picus Mirand. in Apolog. conclusione. 8.

*Nota. 1.* In hac controuersia quæ propter varietatem opinionum & sententiarum, & propter difficultatem argumentorum sinuosa est, abstrusa & difficilis, plusquàm apparet iunioribus quibusdam Theologis. Aduerte primò veritates supernaturales nõ posse à nobis aliquo modo cognosci, nisi præcedat reuelatio earum, vel instinctus Dei, iuxta illud Rom. 10. Quomodo credent sine prædicante. Sunt enim veritates istæ suprà totam naturam, & ob id ad earum manifestationem prærequiritur reuelatio Dei, quem, vt dicitur Ioan. 1. Nemo vidit vnquam, vnigenitus qui est in sinu Patris, ipse enarrauit. Et de hac speciali reuelatione loquitur Concil. Mileuit. cap. 4. Quoniam nihil est in rerum natura ex quo possit deduci aliquod firmum argumentum ad huiusmodi res indagandas, & perquirendas. Et sic si vocatur gratia, hæc externa prædicatio mysteriorum supernaturaliũ, & reuelatio ipsa Dei, certũ est neminẽ posse cognoscere res fidei sine gratia. Imò verò Pelagius dicebat, quòd erat necessaria hęc gratia Dei ad credendum, quæ aperiret & proponeret quid esset credendũ: vt cõstat ex Conc. Mile. can. 4.
*Nota. 2.* ¶ Obserua rursus, q̃ credere rebus fidei, est actus liber atq; voluntarius. Nã non assentimur rebus fidei nisi volentes, & piè erga res illas affecti, ita vt positum sit in facultate nostra dissentiri ab illis rebus quoties voluerimus, quod dico contra authores citatos. Et ex hoc sequitur, quòd ad actum credendi vtraq; potentia concurrit, nẽpe volũtas & intellectus, sed diuersimodè. Et quidẽ ex dispositione bona vtriusq; potentiæ à Deo facta, pendet actus fidei. Quæ cùm ita sint, quando quæritur, vtrũ ad credendũ rebus fidei sit necessarium auxilium gratiæ, hæc quæstio potest habere duplicẽ sensum; primus est, vtrũ sit necessariũ hoc auxiliũ ad credendũ, ex parte voluntatis, vt voluntas piè afficiatur erga res fidei. Secundus sensus est, vtrũ sit necessariũ tale auxilium ex parte intellectus vt credat. Et difficultas est, vtrũ ad actus elicitos ab habitibus supernaturalibus fidei, sapiẽtiæ, & prudẽtiæ infusæ, vel ad alios eiusdẽ rationis, sit necessariũ speciale auxiliũ gratię? Itaq; dubitatur, vtrũ intellectus sine auxilio gratiæ possit tendere in obiectum verũ, supernaturale formaliter, id est cognitione tali obiecto proportionata.
*Nota. 3.* ¶ Suppono rursus, quòd intellectus triplici ter ferri potest in Deũ obiectũ supernaturale, primò omnino materialiter, ita vt supernaturalitas, neque sit ratio quæ, terminans in obiecto, neque ratio sub qua, & hoc modo dicitur ferri in Deum ille, qui diligit ipsum, vt est author naturæ & prima causa. Quia in re & materialiter, idem sunt omnino Deus author naturæ, & author gratiæ, & supernaturalium. Secundò intellectus potest ferri in obiectum supernaturale; ita vt supernaturalitas sit ratio quæ in obiecto terminans actum, non tamen sit ratio sub qua intellectus fertur in tale obiectum. Tertiò potest intellectus ferri in obiectum omnino supernaturale, ita vt supernaturalitas ipsa non tantùm sit ratio formalis quæ; sed etiam sit ratio formalis sub qua. Verbi gratia, per fidem credimus Deo reuelanti supernaturalia, ita vt reuelatio supernaturalis sit ratio formalis sub qua credit fidelis Deo. Vndè, Sanct. Thom. infrà artic. 3. docet, dilectionem supernaturalem esse præstantissimam quantum ad rationem & modum diligendi; Quia ratio dilectionis est supernaturalis & modus illius, & huiusmodi actus tantùm sunt supernaturales, quia formaliter versantur circà obiectũ supernaturale. Illi verò actus qui versantur circa obiectũ in se-



in secundo modo, tãtùm materialiter versantur circa obiectum supernaturale. Huic distinctioni & doctrinæ, similis est altera quæ circũfertur inter Theologos, videlicèt, quòd cognitio potest dici supernaturalis tribus modis, primò ex parte obiecti præcisè, secundò ex parte modi tantùm, tertio ex parte vtriusq;. Ex parte obiecti tantùm, cognitio dicitur supernaturalis quando quis fide acquisita ex auditu credit Deum esse trinum & vnum, sicut credit hæreticus: tunc enim obiectum creditum est supernaturale, quamuis humana fide acquisita improportionata cum tali obiecto supernaturali, credatur. Ex parte autem modi tantum, cognitio potest esse supernaturalis, vt cùm Catholicus credit Deum esse, ob id quia Deus reuelauit. Ex parte verò vtriusque nempe modi & obiecti, est cognitio supernaturalis quando Catholicus credit Deum esse trinũ & vnũ ex reuelatione Dei, & per illam.

*Conclus. 1.* His ita positis & prælibatis, in hac quæstione primò certum est, quòd actus fidei pendet ex nostra voluntate, & ex consequenti fit libere, neque credimus nisi sponte volendo. Quod patet ex Paul. ad Rom. 10. Corde creditur ad iustitiam, ore autem cõfessio fit ad salutem. Cæterùm, nomine cordis in sacris literis, vt benè docet S. Thom. super illum locum, vtrumque significatur, scilicet, intellectus & affectus: ergo si corde creditur, sequitur quòd vtrũque est necessarium ad credendum, scilicet, intellectus & voluntas. Et eodem capite iterùm Paul. ait. Sed non omnes obediunt euangelio: dicit enim Isai. Domine, quis credet auditui nostro, & paulò inferiùs. Tota die expandi manus meas ad populũ non credentem & contradicentem: ergo si nonnulli credunt euangelio postquam est illis prædicatũ, & alij non credunt, sequitur eos qui credunt liberè credere. Rursus idem Propheta Isai. cap. 50. ait, Dominus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico, retrorsum nõ abij: ergò positum erat in illius potestate & corde, abire retrorsum, & cõtradicere: falsùm est ergo quod dicit Holchoth quòd ex euidentia miraculorum & signorum necessitamur & cogimur ad defacto credendum. Et ratione cõstat, quia datur præceptũ de fide: ergo credere est actus liber. Nam Marci vlti. dicitur. Prædicate euangelium omni creaturæ, qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit; qui verò nõ crediderit, condemnabitur. Alias si non esset præceptum de credendo infideles non peccarent increditatis peccato. Vndè, Lucæ. 14. reprehenduntur tardi corde ad credẽdum, & Eccles. 11. dicitur. Qui citò credit, leuis est corde: igitur vtrumque situm est in nostra voluntate, nempe credere & non credere. Et ob id D. Aug. super Ioan. homil. 26. ait. Quòd intrare quis potest ecclesiã nolens, credere nõ potest nisi volẽs.

*Conclus. 2.* Secundò etiam est certum, necessariam esse motionem voluntatis vt intellectus rebus credendis, per fidem assentiatur. Verùm, vt intellectus moueatur in assensum fidei; non sufficit præcisè sola voluntas cum sola apprehẽsione terminorum, sed requiritur vlteriùs vt ex parte rei credendæ, sint aliqua motiua atque rationes quæ inclinent ad credendum. Hæc assertio sequitur ex superiore, & duas habet partes, prima est, necessariam esse motionem voluntatis ad mouendum intellectum in assensum fidei. Vndè, Ioan. 12. dicitur. Cùm tanta signa fecisset coram eis, non poterant credere, ait Augustinus. Non poterant quia nolebant. Patet etiam ex testimonio citato ad Rom. 10. Corde creditur ad iustitiam. In Conc. Arausic. cap. 5. definitur quòd initium fidei, id est, credulitatis affectus, quo credimus in eum qui iustificat impium, datur nobis per Spiritus sancti inspirationem, corrigentem volũtatem nostram ab infidelitate ad fidem; & in Conc. Trident. sessio. 6. cap. 6. dicitur. Disponuntur homines ad iustitiam, dùm excitati diuina gratia, fidem, ex auditu concipientes, liberè mouentur in Deum credentes vera esse quæ diuinitùs reuelata & promissa sunt. Imò verò, ad fidem acquisitam requiritur per se loquendo motio voluntatis: ergo id cõuenit ex communibus fidei, vt necessaria sit motio voluntatis ad eius assensum. Nam non conuincitur intellectus, absque motione & electione voluntatis, quæ fundatur in opinione fidelitatis eius qui asserit. Dico, per se loquendo requisitam esse motionem hanc. Quoniam posset aliàs tanta esse certitudo in re aliqua fide humana credita, vt etiã si homo vellet dissentire non posset. Nam qui nunquam vidit Romam, ita certus est ex multorum hominum testimonio, vt si velit dissentiri, non possit. Cuius rei causa est, quia certitudo hæc derivatur ex aliquo quod reputatur euidens, & eius oppositum iudicatur impossibile, nempe quòd tàm multi homines qui non potuerunt conuenire, fingerent Romam esse, & testentur se eam vidisse. ¶ Al-
*Secunda assertionis pars ostenditur.* tera pars conclusionis est, quòd sola apprehẽsio terminorum non sufficit cum motione voluntatis ad assensum fidei; sed requiritur vlteriùs, vt ex parte rei credendæ sint motiua & rationes, quæ inclinẽt ad credendum. Hæc pars palã deducitur; Quia ad prudenter credendum, siue per acquisitam, siue per diuinã fidem; requiritur persuasio; alioqui quomodo prudenter creditur; Eccles. 19. Qui citò credit leuis est corde. Sanè adultus qui de nouo incipit credere, ex aliquo motiuo incipit, cũ anteà nõ crederet, & ad credẽdum supernaturalia, mouetur à Deo, incipitq; videre, quòd quæ antea credebat falsa quidẽ sunt, sicque incipiunt in eius intellectu esse rationes quibus suauiter mouetur. Hanc assertionem probat Picus Mirand. in Apolog. concl. 8. Nam etiam vt quis opinetur de aliqua re, non sufficit se velle opinari, sed requiritur probabilis ratio ex parte obiecti: ergo pari ratione sola voluntas sine alio motiuo ex parte intellectus, nõ sufficit ad præstandum assensum fidei. Patet consequentia; quia firmior est assensus fidei quã opinionis, & ob id plura ad fidẽ quam ad opinionẽ requirũtur. Vndè, authoritas & veracitas dicentis, plurimũ mouet intellectum ad credendum. Probatur rursus hæc pars bona ratione. Nam vt quis credat rem aliquã esse talẽ, necesse est vt illi talis appareat esse. Quia implicat me credere Petrum esse doctum & prudentem, & quòd Petrus non appareat mihi talis: sed non est in voluntate mea præcisè positum facere quòd obiectum appareat tale: sed id habet obiectum ex se se, aut ex testimonijs dicentium, aut ex rationibus verosimilibus quę afferuntur ad id probandum: ergo non est positum in sola voluntate præcisè cum sola apprehensione

terminorum, credere vel non credere. Verùm est, quòd ad credendum & assentiendum quomodolibet, sufficit persuasio siue illa sit rationabilis siue apparens, & aliquando ex vehementi affectu voluntatis ad obiectum aliquod, facilè persuasiones finguntur, aliquando apparentes ex quibus oritur opinio, vel suspicio aliqua, quibus intellectus magis aut minùs adhæret, quatenus magis aut minùs afficitur voluntas. Et manifestatur efficacia huius rationis. Quia obiectum intellectus, est verum: ergo sicut voluntas non potest ferri nisi in bonum vel apparens bonum, pari ratione intellectus non poterit assentiri, nisi vero vel apparenti vero. Nam licèt voluntas velit determinare intellectum ad assensum alicuius, non ob id statim efficitur obiectum verum, vel apparens verum: ergo non sufficit ista motio voluntatis præcisè, sine persuasione aliqua. Ita sentiunt omnes Theologi, Scotus, Duran. Almàynus locis citatis. Sed obijcies ex Caiet. 1.2. quæst. 65. art. 4. Voluntas determinat indifferétiam intellectus ad alteram partem teste Aristot. 9. met. text. 10. ergo non requiruntur motiua aut persuasiones. Respondetur, quòd quando existunt rationes & motiua pro vtraque parte ex parte intellectus, voluntas est quæ determinat illum ad alteram partem, & aliquando plurimum valet voluntatis affectio, vt determinetur quoad exercitium intellectus in ordine ad obiectum.

*Conclus. 3.* Tertiò certum est, Sacra Concilia definire gratiam Dei esse necessariam, non vt faciliùs credamus, sed vt simpliciter credamus. Quia non dicit Christus. Sine me difficilè potestis aliquid efficere, sed absolutè ait: sine me nihil potestis facere. Et licèt à quibusdam iunioribus interpretetur sententia Christi de generali auxilio; Cæterùm, Catholicè interpretatur de auxilio Dei speciali. In quo sensu citata concilia interpretantur eandem sententiam. Sed de hac assertione & quo pacto debeat intelligi, dicemus inferiùs.

*Conclus. 4.* Quartò certum est, Quòd obiectum supernaturale secundo modo expositum, quando supernaturalitas præcisè tantùm se tenet ex parte obiecti, potest attingi ex proprijs viribus per aliquem actum. Nam hæreticus habet actum credendi circa Deum trinum & vnum sine aliquo auxilio supernaturali. Etenim, supernaturalitas in tali obiecto, solùm se tenet materialiter respectu illius actus, & consequenter actus ille non est proportionatus, secundùm omnia quæ postulat obiectum. Et hoc probãt argumenta superiùs facta.

*Conclus. 5.* Quintò certum est, Quòd circà obiectum supernaturale formaliter acceptum, in quo supernaturalitas est ratio formalis quæ, si intellectus tendat in ipsum per actum ei formaliter proportionatum, ita vt supernaturalitas sit etiam ratio formalis sub qua tendendi, non potest ex proprijs viribus sine speciali auxilio Dei supernaturaliter mouentis, ipsum attingere. Quo fit, vt nemo possit sine speciali auxilio gratiæ Dei, credere vniuersam Christi fidé Christiano assensu, certo & indubitato, & ob id quia prima veritas reuelauit & dixit; & oppositum asserere Pelagianum est, Dico, assensu & actu proportionato cũ ipso obiecto, & actu certo & indubitato, quoniã assensu incerto & opinatiuo, potest quis sine speciali Dei gratia, assentiri rebus fidei plerisq;. Sicut patet in hæreticis, vt suprà diximus. Vnde sequitur, quòd homo proprijs viribus non potest cognoscere aliquid supernaturale sub ratione formali obiecti supernaturalis vt sic. Probatur hæc assertio apertè ex illo Ioan. 6. Hoc est opus Dei, vt credatis, & ad Philip. 1. Vobis donatum est pro Christo, non solùm vt in eum credatis, sed etiam vt prò illo patiamini. Et ad Ephesios. 2. Gratia estis saluati per fidem, & hoc non ex vobis; donum enim, Dei est. Ex quibus testimonijs; D. Aug. lib. de Gratia Christi contra Pelag. cap. 51. & lib. 1. contra duas epistolas Pelagianor. cap. 3. & 19. & lib. 4. cap. 6. & lib. de gratia & libero arbit. plerisque in locis & cap. 7. & 14. Colligit apertè, quòd non possumus habere ipsam fidem, nisi Deo miserante, & D. Paulus enumerat fidem inter dona Spiritus sancti. 1. Corinth. 12. Et rursùs Ioan. 6. Omnis qui audit à Patre & didicit, venit ad me; & statim. Sunt (inquit Christus) quidam ex vobis qui non credunt, propterea dixi vobis, quia nemo potest venire ad me nisi Pater meus traxerit eum. Quocircà, veritas hæc definita est in Con. Trid. Vbi legimus neminem posse sine inspiratione Spiritus sancti credere, diligere, & sperare sicut oportet, &c. Idem habetur in Conc. Arausic. cap. 25. Si quis initium fidei & ipsum credulitatis affectum, non per inspirationem Spiritus sancti, sed naturaliter nobis inesse dicit: apostolicis dogmatibus contrarius probatur. Idem habetur Cano. 6. & 7. Si quis dixerit, per naturæ vigorem bonum aliquod quod ad vitam æternam pertineat, eligere vt expedit, aut cogitare, aut prædicato euangelio consentire, se posse affirmat sine illuminatione Spiritus sancti, hæretico fallitur spiritu, non intelligens vocem domini, Sine me nihil potestis facere. Et idem in Concil. Mileuit. cano. 4. & D. August. lib. de fide ad Petrum c. 32. Firmissimè tene, & nullatenus dubites, posse quidem hominem verba euangelij legere aut audire; sed diuinis præceptis obedire neminem posse, nisi eum, quem Deus sua gratia præuenerit, vt quod corpore audiuit, fide percipiat.

*Ioan. 6.* *Ad Phil. 1.* *Ad Ephe. 2.* *D. August.* *1. Corin. 12.* *Ioan. 6.* *Conc. Trid. sess. 6. can. 3.* *Conc. Arau. cap. 25.* *Conc. Mile. can. 4.* *D. August.*

Caiet. 1.2. q. 109. art. 1. in fine inquit, Quòd si fiat sermo de solis viribus naturæ, excludendo omne supernaturale tàm intrinsecum, quam extrinsecum, planè constat quòd ex solis naturalibus non potest natura, aliqua supernaturalia cognoscere; si verò fiat sermo de solis viribus naturæ, excludendo solùm supernaturalia intrinseca, non tamen extrinseca, sic ait posse hominem ex naturalibus solis assentire his, quæ sunt fidei, sed non sicut ex fide; vt patet de Dæmonibus, & de hominibus: Ait enim q̃ suppositis obiecti præsentatione per auditum vel per signum aliquod, potest homo credere: Cæterùm, non loquitur Caiet. de credulitate terminata ad obiectum supernaturale formaliter, neque de credulitate certa & infallibili terminata ad obiectum, quia veritas prima dixit Nam ad hanc requiritur Spiritus sancti motio & auxilium. Quia intellectus, non potest naturaliter aut ex proprijs cognoscere, nisi solum id quod in suo obiecto habetur: sed naturale obiectum intellectus creati naturaliter & ex proprijs tãtùm ad naturalia se extendit: ergo optimè concluditur quòd

*Caieta.*



quòd sine gratia, supernaturale verum non potest cognosci. Rursùs persuaderi potest præfata assertio, ex argumentis in præcedenti quæstione factis; quia cùm natura ex se non attingat aliquid supernaturale, non potest dare virtutem potentiæ intellectiuæ in ordine ad obiectum supernaturale. Nam potentia & obiectum debent proportionari, & debent esse eiusdem ordinis: ergo naturalis potentia non potest tendere formaliter in obiectum supernaturale formaliter, nisi eleuetur per auxilium supernaturale, vt fiat eiusdem ordinis cum ipso obiecto. Profectò, cùm totum iustificationis ædificium supernaturale sit, oportet vt etiam fundamentum illius, quod est actus fidei, & alij actus qui sunt media per se ordinata ad finem supernaturalem, sint etiam supernaturalia, vt proportionetur tali fini.

*Assertio. 6.* Sextò, certum est, auxilium supernaturale Dei requisitum esse, non solum ex parte intellectus, sed etiam ex parte voluntatis, vt homo assentiatur veritatibus fidei sicut oportet ad iustificationem & salutem. Quocirca, suis viribus naturalibus & cum solo generali concursu nõ valet homo assentiri fidei veritatibus, sicut oportet ad iustificationem & salutẽ: sed indiget ad id peculiari & supernaturali auxilio Dei. Hæc est contra Pelagium: & habetur in Tridẽt. sess. 6. cap. 5. Quo loco Concilium dicit, quòd peccatores incipiunt disponi ad iustitiam per fidem, vt habetur etiam sess. 6. cap. 6. vbi sic habetur: Disponuntur autem ad ipsam iustitiam dum excitati diuina gratia & adiuti, fidem ex auditu concipientes, liberè mouentur in Deum, credentes vera esse quæ diuinitus reuelata & promissa sunt. Rursus probatur. Nam ad credendum requiritur pia affectio voluntatis, quæ efficaciter determinet & moueat intellectũ: ergo etiam requiritur supernaturale auxiliũ ex parte voluntatis. Patet consequentia. Quia voluntas nequit suis viribus solis mouere efficaciter ad actum supernaturalẽ: huiusmodi est credere sicut oportet ad iustificationem: ergo. Et confirmatur. Quia illa pia affectio voluntatis habet obiectum supernaturale: ergo ad eam requiritur supernaturale auxiliũ. Patet consequentia. Quia ex supernaturalitate obiecti colligitur supernaturalis actus: & ex hoc, necessitas gratiæ in principio elicitiuo. Vnde, nullo modo est admittendus Scotus, qui in. 3. d. 25. q. 2. dicit, posse voluntatem suis viribus naturalibus mouere intellectum ad assentiendum veritatibus supernaturalibus assensu supernaturali & ex habitu fidei.

*Quopacto dicantur non in Theologi.* ¶ Verùm aduerte, deceptos fuisse quosdam recentes Theologos circa sensum huius conclusionis. Nam dicunt, auxilium gratiæ solùm requiri ex parte voluntatis quando actus credendi est coniunctus cum alijs actibus, qui requiruntur ad vltimam dispositionem ad gratiam, & cum ipsa iustificatione: non tamen quando est solus & separatus ab illis. Quæ sententia est periculosa, & fortè errori proxima. Quia Concilia expresè solùm diffiniũt requiri auxilium ex parte voluntatis ad credendum sicut oportet ad salutem: & non dicunt in particulari, an hoc sit intelligendum de isto actu quando est coniunctus cum iustificatione, vel quando est separatus. Nam certè loquuntur vniuersaliter de actu credendi quando est talis, vt quantum est ex parte cognitionis & intra propriam latitudinem, sit sufficiens ad iustificationem: siue postea subsequantur alij actus, siue nõ. Et confirmatur. Quia actus fidei non habet quòd sit qualis requiritur ad iustificationem & salutem, ex coniunctione cum reliquis actibus qui ad eam requiruntur, vel cum ipsa iustificatione: sed ex parte proprij obiecti formalis, suppositis ordinatione Dei. Et potest elici circa idem formale obiectum abeo qui manet in peccato mortali, etiam si nullum aliũ actum exerceat. Et confirmatur secundò. Quia si ille qui est in peccato mortali eliciat actum credendi circa illud obiectum formale, poterit adimplere præceptum supernaturale fidei: ergo ad eliciendum huiusmodi actum indigebit auxilio supernaturali ex parte voluntatis. Et ex consequenti, indigentia huius auxilij, non prouenit ex eo quòd actus iste sit coniunctus cum alijs actibus, vel cum iustificatione: sed ex propria natura ipsius. Ostendo primam consequentiam. Quia supernaturale præceptum nequit impleri sine auxilio gratiæ: & præcepta pertinent ad voluntatem, per quam obseruari debent. ¶ Probari etiam potest conclusio ex testimonijs Sanctarum Litterarum. Nam Paulus. 1. Cor. 12. ait: Nemo potest dicere, Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto. Et ad Philip. 1. Vobis datum est pro Christo, non solum vt in eum credatis, sed etiam vt pro illo patiamini. Et Ioan. 6. Hoc est opus Dei, vt credatis in eum quem misit ille. Et inferius: Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum. Et intelligitur de venire per fidem: vt constat ex supra dictis, ex Concil. Arausicano. c. 8. vbi adducitur hoc testimonium ad probandum, neminem posse solis viribus liberi arbitrij per semetipsum cognoscere mysterium salutis æternæ. Vnde, constat conclusionem propositam intelligendam esse de assensu fidei, non solum quando est cõiunctus cum alijs actibus spei, timoris, &c. aut cum ipsa actuali receptione gratiæ iustificantis: sed etiam quando est solus & separatus ab illis omnibus. Itaq; assensus ille, si sit qualis requiritur ad iustificationem, habet per se & intra latitudinem cognitionis tantam perfectionem, vt non possit elici sine auxilio gratiæ. Quod etiam constare potest. Quia licèt Concilia ex quibus colligitur conclusio ista, plerumq; simul enumerent cum actu fidei alios actus; tamen loquuntur disiunctiuè de vnoquoq; eorum: vt constare potest ex verbis ipsorum. Et specialiter in Trid. cap. 6. dicitur, fidem quatenus antecedit liberam peccatoris conuersionem in Deum, prouenire à gratia excitante. Imò verò can. 28. dicitur quòd fides, amissa gratia, est vera fides in homine peccatore fideli: & sufficiens, vt qui eam habet, Christianus sit. ¶ Patet etiam posita assertio Actor. 16. Vbi de Lydia Purpuraria cùm credidit & baptizata fuit, dicitur: Aperuit Dominus cor illius. De his verò qui non credunt Ioan: 12. dicitur, quòd Dominus indurauit cor illorum, & nomine cordis significatur voluntas & affectus. Vndè, de illis qui non credunt, duæ huius rei assignantur rationes in scriptura. Prima est, quòd habent oculos excæcatos, nempe intellectum non illuminatum. Secunda est, quòd habent cor induratum, hoc est volũtatem non piè affectam ad supernaturalia obiecta. Vt ergò hi credere possent, non solùm egebant auxilio ex parte voluntatis, sed etiam ex parte intellectus. Nam supra naturã intellectus est assentiri rebus, quarum causas & rationes

*Actor. 16.* *Ioan. 12.*

tiones inuestigare non potest, & tales sunt res fidei nisi intellectus noster Dei gratia, & peculiari illustretur auxilio. Et quidem in Concilio Arausic. can.5.apertè diffinitur hęc assertio;sic enim legimus; Si quis sicut augmentum ita ipsum initium fidei, scilicet, ipsum credulitatis affectum quo creditur in Deum,non per gratiæ donum,id est,per inspirationem Spiritus sancti corrigendo voluntatem nostrā ab infidelitate ad fidem, haberi dixerit ;apostolicis dogmatibus contrarius esse probatur. Et Can.7. Si quis per naturæ vigorē,bonū aliquod,quod ad salutem vitæ æternæ pertineat, posse haberi dicat absq; illuminatione & inspiratione Spiritus sancti, qui dat omnibus suauitatem in consentiendo & credendo veritati,hæretico fallitur spiritu.Quo loco Concilduo dicit necessaria esse ad credendum: nempe illuminationem & inspirationem Spiritus sancti: Horum autem inspiratio, pertinet ad voluntatem: illuminatio verò ad intellectū : Ergo auxilium gratiæ speciale ex parte etiam voluntatis requiritur: Quia pia illa affectio voluntatis, & volitio illa efficax credendi supernaturalia,quæ ad fidem est necessaria,est actus supernaturalis, procedes ex appetitu æternæ beatitudinis. Vndè, Christus dixit Petro: Beatus es Simon Bariona,quia caro & sanguis non reuelauit tibi,sed Pater meus, &c. Aduerte tamen, quòd licèt ad assensum fidei supernaturalis in ordine ad supernaturalia,sit necessaria pia affectio volūtatis absolutè loquendo: cæterùm, ad rationem fidei acquisitę,non est necessaria hæc pia affectio sem per;sed satis est, vt intellectus assentiatur ex aliqua inclinatione libera voluntatis, & hoc modo Dæmones assentiuntur veritatibus fidei : non ex pia affectione erga testificantes, aut rem testificatam; quia nihil magis abhorrent. Imo verò ad rationem fidei acquisitæ,non est necessaria voluntas omnino libera;quia ex eadem ratione tacta sufficit voluntas imperfectè libera, & quodammodo coacta,vel admixta cum aliqua necessitate : qualis est voluntas eius, qui proijcit merces in mare tempestate compulsus. Quia periculo subiacet vita ipsius. Iste enim liberè proijcit absolutè, quia potestatem habuit non proijciendi absolutè loquendo : & nihilominùs proijcit tempestate coactus. Idem contingit ei qui pecunias donat latroni,vt liberetur à morte: qui sanè liberè iudicat esse donandas latroni, licèt iudicium illud sit mixtum, & habeat aliquid inuoluntarium & violentum. Et ex his liquet, quòd voluntas dæmonis mouet eius intellectum,ad credendum id quod non videt : sed non ita liberè, vt non adsit quædam coactio; quia non vellet illa, quæ credit esse vera. Vndè,S.Thom.2.2.q.5.art.2.ad primum,ait;quòd fides dæmonum est quodammodo coacta. Quocircà, sufficit ad assensum fidei, quòd voluntas simpliciter moueat intellectum,& cum præfata coactione, adhuc est voluntarium simpliciter quamuis mixtum. Sicut quæ per metum & vim fiunt, licèt sint mixta cum inuoluntario, sunt tamen simpliciter volūtaria. At verò ad assensum fidei infusæ & supernaturalis,necessaria est voluntas omnino libera, vt fusè ostendemus.2.2.q.5.art.2.

*Cone.Arau can.5.*

*Matth.16.*

*S.Thom.*

*Argū.difficile cōtra.6. assertionē.*

Sed contra propositam assertionem, est difficile argumentum. Volitio credendi præsupponit iudicium intellectus, quo iudicet credendum esse : sed hoc iudicium est naturale: ergo volitio credendi est naturalis.Ac proinde,ad eam non requiritur gratiæ auxilium.Patet consequentia.Quia voluntas ex natura sua inclinatur ad sequendum iudicium intellectus : ergo si intellectus naturaliter potest iudicare credendum esse , etiam voluntas naturaliter poterit velle credere. Maior probatur. Quia vt voluntas moueatur ad aliquid faciendum , requiritur, quòd præcedat in intellectu iudicium de eius bonitate & conuenientia. Minor autem probatur. Quia obiectum formale illius iudicij,non est supernaturale,sed naturale.Quoniam ratio formalis iudicandi quæ se tenet ex parte obiecti , est naturaliter cognoscibilis: nam ratio ista non est aliud quàm testimonia & motiua, quæ reddunt credibiles veritates fidei. Rursus etiā probatur minor.Quia si illud iudiciū sit supernaturale, cùm nō sit euidēs, erit inuidens ; quia in via non datur notitia euidens supernaturalis de mysterijs fidei:ac proinde ad ipsum erit necessaria pia affectio voluntatis ; & sic dabitur processus in infinitum. Et tandem aliàs sequeretur, quòd actus fidei non esset in nobis primus actus supernaturalis:& ex consequenti,nec initium & fundamentum iustificationis , sicut Concilia loquuntur; si quidem iudicium de quo loquimur , non solùm præcedit actum fidei , sed etiam voluntatem credendi.

Huic argumento respondetur, negando minorē, quòd hoc iudiciū sit naturale : est enim verè supernaturale. Quod dupliciter potest intelligi. Primò quidem,ex parte principij, & non ex parte obiecti formalis:scilicet , quia licet ratio formalis ob quam intellectus determinatur ad iudicium illud sit naturalis , nimirum manifestatio credibilitatis facta per signa vel motiua humana ; tamen Deus excitat & mouet intellectum supernaturali auxilio ad huiusmodi iudicium, non quia id postulet suum obiectū formale , sed quia ordinatur ad finem supernaturalem extrinsecum, scilicet ad motionem conuersionis in Deum. Sicut etiam Deus ad adimpletionem naturalium præceptorum solet supernaturaliter mouere in ordine ad supernaturalem finem. Secundò verò,ex parte vtriusq;:nempe quia & hoc iudicium procedit ex supernaturali auxilio Dei, & rursus habet rationem formalem obiectiuam supernaturalē. Et sanè sine præiudicio fidei negari nō potest,quòd illud iudicium sit supernaturale , saltem primo modo.Quia in Con.Mileuitano ca.4.diffinitur, esse donum Dei scire quid facere debeamus: ergo & iudicare quid facere aut credere debeamus. Et in Con. Arausicano.2.can.7.diffinitur,non posse nos sine auxilio gratiæ cogitare aliquid , quod ad salutem vitæ æternæ pertineat. Imò verò D. Augustinus lib. de Prædestinat. Sanctorum cap. 2. ex illo testimonio Pauli.2. Cor.3. Non quòd simus sufficientes cogitare aliquid de nobis quasi ex nobis,colligit quòd ante actum credendi est in intellectu alius actus , qui est donū Dei,& nō ex nobis:hoc est,ex virtute naturali.Quia prius est cogitare , quàm credere : nullus enim credit aliqua , nisi priùs iudicauerit esse credenda.¶Dico tamen vlterius, iudicium illud etiam esse supernaturale secundo modo. Quia si ratio formalis obiectiua,aut terminatiua illius iudicij,est naturalis: ergo etiam ratio formalis terminatiua actus

*Solutio.*





voluntatis est naturalis; quod est contra ea quæ dicta sunt.Patet consequentia. Quia voluntas nequit velle facere aliquid propter motiuum aliquod , nisi per intellectum proponatur huiusmodi motiuum: ergo pari modo non potest velle credere propter motiuum credendi supernaturale, nisi præcedat iudicium quo dictet credendum esse propter motiuū illud.¶ Dices, quòd illud iudicium versatur & circa materiā supernaturalē , & circa rationē credēdi supernaturalem etiam:tamen circa vtramque versatur materialiter, & sub ratione quadā naturali, hoc est quatenus intuetur vtramq; vt manifestatam per signa & motiua humana : & ob id iudicium ipsum esse naturale ex parte obiecti formalis,& nihilominus posse mouere voluntatem ad volendum credere propter rationem credendi supernaturalem.Sed contra hoc,est. Quia bonitas vel conuenientia quæ est in ratione credendi supernaturali, si solùm cognoscatur per signa & motiua humana, non est formaliter motiuum supernaturale: ergo quando intellectus proponit voluntati hanc bonitatem ita cognitam,non proponit ei motiuum supernaturale formaliter loquendo; & ex consequenti voluntas sequens istam propositionem, non operatur formaliter propter motiuum supernaturale. ¶ Qui sequuntur hunc modum dicendi, respondent ad primam probationem minoris suprà tactam pro hoc difficili argumento,quòd formale obiectum illius iudicij non est naturale. Quia intellectus non solum iudicat esse credendum propter rationem credendi supernaturalem , & propter bonitatem supernaturalē quæ est in tali actu credendi : sed etiam ad hoc , supernaturaliter illuminatur à Deo ; & non ducitur motiuis aut signis humanis. Vnde,ad.2.probationē dicēdum est,illud primum iudiciū esse inuidens, & nihilominus non requiri ad ipsum alteram piam affectionemvoluntatis antecedentem:quia videtur pertinere ad gratiam excitantem. Sed nihilominus sentiendum est,quòd quamuis illud iudicium sit supernaturale: potest fides appellari initium & fundamentum iustificationis. Tum, quia iudicium , sicut & pia affectio , ordinantur ad ipsum actum credendi:& ideo moraliter reputantur vnus actus; sicut diximus de pia affectione & actu credendi. Tum etiā, quia cùm hoc dicitur de actu fidei , fit comparatio tantùm inter actus liberos : & ita non excluditur, quòd alij actus supernaturales,si nō sint liberi, possint esse priores. Nec Concilia negant esse priorem Dei vocationem & excitationē. ¶ Verùm aduerte, quòd quando dicimus illud iudicium esse supernaturale,non negamus intellectum plerumq; habere iudicium naturale fundatum in discursu practico naturali:vt cùm ex eo quòd ea quæ proponuntur taliter & cum talibus circunstantijs sunt credenda,& quòd mysteria fidei ita proponuntur; colligitur mysteria fidei esse credenda. Sed solùm negamus,quòd iudicium hoc sit sufficiens & proportionatum ad mouendum voluntatem ad volitionem supernaturalem credendi:& affirmamus,quòd quādo intellectus hoc facit, & præstare quasi videtur quod in se est;tunc Deus (vel quando aliàs sibi placet) inserit se per dona sua supernaturalia, & illustrat supernaturaliter intellectum vt producat iudicium illud supernaturale. Dicitur; illustrare intellectum , quia suo supernaturali & particulari concursu cōcurrit cum ipso ad illud iudicium. Et si interroges; An posito isto iudicio necessario,sequatur pia affectio voluntatis ad credendum ? respondetur negatiuè. Aliàs , primus actus fidei non esset liber: quod non est dicendum. Et si quæras vlterius , Ad quam speciem cognitionis supernaturalis pertineat illud iudicium?respondetur, non pertinere ad fidē, quia præsupponitur ad piam affectionem , quæ est causa primi actus fidei;sed pertinere ad speciem prudentiæ supernaturalis , quia est dictamen de aliquo agibili supernaturali : non tamen pertinere ad eam simpliciter & directè,sed reductiuè, tanquā inchoationem quandam prudentiæ;& ob id non esse conclusionem syllogilmi deliberatiui, nec præsuppone re intentionem finis supernaturalis,nec cognitionē principiorum fidei.Sicut etiam in naturalibus,quādo voluntas primò habet actum volendi bonum honestum , non requiritur quòd iudicium intellectus quod præsupponitur ad huiusmodi actum , sit conclusio syllogilmi deliberatiui ; nec q̄ præsupponat intētionē boni honesti,aut finis naturalis:sed ,uenit ex motione authoris naturæ,& excitatione eius.

*Aduerte.*

Sed contra ea quæ diximus,argumentātur authores oppositæ sententiæ,quòd sequatur ex nostra sententia,quòd sicut in intellectu præter actuale auxilium ordinis supernaturalis ponimus supernaturalem habitum tanquam necessarium non vt credatur simpliciter,sed vt credatur connaturaliter,firmiter,& certò sicut oportet:ita propter eandem rationem sit ponendus alius habitus supernaturalis in voluntate ad imperandum actum fidei. ¶ Ad hoc argumentum nonnulli respondent,negandam esse sequelam.Et ad probationem, respondent, quòd non est par ratio de illis duabus potentijs respectu actus fidei.Quia intellectus elicit prædictum assensum immediatè : & ob id ad suauem Dei potentiam & prouidētiam pertinet infundere habitum illi, quo operetur per propriam formam;& ex consequenti, connaturaliter , magis quàm si operaretur solùm vt actualiter motus ab extrinseco. At verò voluntas non ita concurrit , sed solùm applicando intellectū ad operandum:& idcirco in ipsa non requiritur tāta perfectio, vt operetur per formam sibi inhærentem habitualiter. Sicut etiam in naturalibus respectu artificialiū ponitur in intellectu practico habitus intellectualis artis:& tamen in voluntate, à qua pendet per se eius applicatio ad operandum, nō ponitur talis habitus. ¶ Secundò respondetur ab alijs, concedendo sequelam. Quia non habet hoc specialem aliquam difficultatem in hoc casu,de quo nunc loquimur:sed communem solùm respectu propositæ assertionis sextæ.Et ita Scotus in.3.dist.25.q.2. vt defenderet non esse ponendam hanc virtutem , dixit vniuersaliter , voluntatem sine auxilio supernaturali posse mouere intellectum ad actum fidei.Sed malè loquitur , vt suprà diximus. Quòd si interroges,Vtrùm virtus hæc sit Theologica , vel moralis? respondetur esse moralem , & non Theologicam. Quia non habet Deum pro obiecto in recto,sed solùm in obliquo:in recto autem habet actum credendi Deo. Non enim exercet actus suos immediatè circa Deum:sed circa actum credēdi, qui per ipsam imperatur. Sicut dici solet de virtute religionis.

*Argum.ad aduersariorum contra cādē 6. Assertionem.*

*Argum.1.*

*Solutio.1.*

*Solutio.2.*

Quòd si vlteriùs petas, Quo pacto possit esse virtus ista in eo qui est in peccato mortali, cùm virtutes morales infusæ infundantur simul cum gratia, & etiam amittantur simul cum ipsa per mortale peccatum: respondetur, illud esse intelligendum de virtutibus moralibus, quæ per se sint totales: hæc autem (de qua nunc loquimur) non ita est totalis, sed censetur moraliter integrare virtutem fidei cum habitu qui est in intellectu. Et similiter actus istorum habituum licet distinguantur physicè, aut metaphysicè: tamen moraliter constituunt vnum actum virtutis, & vnum actum humanum.

*Corollariũ.* Ex dictis colligitur, in nullo casu esse concedendum, quòd voluntas suis viribus solis possit mouere intellectum ad assensum fidei, qui sit qualis requiritur ad iustificationem. Primò, quia Concilia adducta loquuntur vniuersaliter, & sine exceptione alicuius casus. Secũdò, quia voluntas (etiam in quibuscunq; casibus) cùm habet talem assensum, mouet efficaciter intellectum ad actum credẽdi supernaturalem: ergo indiget auxilio supernaturali. Tũ, quia virtus inferioris ordinis non est sufficiens ad mouendum efficaciter ad producendum effectum superioris ordinis: alias, nulla esset proportio inter mouens efficaciter & suum mobile; nec possent inter se comparari vt actuale & potẽtiale. Tum etiam, quia voluntas non potest mouere intellectum nisi media volitione supernaturali. Nam ex motione efficaci sequitur infallibiliter, ex suppositione & virtute ipsius motionis, supernaturalis effectus: & tamẽ ex naturali actu non potest sequi hoc modo actus supernaturalis. Tũ deniq;, quia nõ possumus naturę viribus velle efficaciter, id qđ nõ possumus, eisdẽ viribus facere. Quo fit, vt Catholicus qui est in mortali peccato, bene possit velle credere, ppter motiuũ bonum & supernaturale: sed non suis viribus solis.

*Argum.2.* Secundò argumentantur aduersarij. Quia actus fidei quando non est coniunctus cum iustificatione potest imperari à voluntate propter temporale aliquod motiuum, verbi gratia, propter commoda tẽporalia, vt si quis velit credere ne displiceat alicui homini à quo sperat hæc bona, vel timet mala, vt tradit Aug. libr. de Catechizandis rudibus capit. 17. vbi expressè loquitur de fide quæ sufficit, vt aliquis sit Christianus & intra Ecclesiam: vel potest imperari propter motiuum malum, vt cùm quis vult credere propter inanem gloriam. Ergo in eo casu nõ erit necessarium auxilium supernaturale ex parte voluntatis. Patet consequentia. Quia temporale motiuũ, est proportionatum facultati naturali voluntatis: & ex consequenti, non requiritur alia maior facultas ad operandum propter ipsum. Et multò minùs requiritur ad operandum propter motiuum malum. Respondetur huic argumento, negando consequentiam: si antecedens intelligatur de actu fidei, qui sit qualis requiritur ad iustificationem. Et ad probationem, dico, quòd in illis cãsibus voluntas habet dũplex motiuum. Vnum, proximum, quod est bonitas quædam supernaturalis, quæ est in ipso actu credendi elicito sicut oportet ad salutem; nam credere isto modo, est quoddam bonum, non solum in genere entis, sed etiam in genere moris: & neutro modo est bonũ naturale. Quia nec est perfectio naturalis intellectus, cùm intellectus non habeat naturalẽ inclinationem ad talem cognitionem: nec rursus est consonum nec dissonum rationi naturali, vt sic; sed est supra illam. Et ita, ipsa immediatè & directè nõ dictat esse faciendum. Quare, vtroq; modo erit bonum supernaturale. Alterum motiuum est remotũ, quod est bonum illud temporale, siue verum, siue apparens, propter quod voluntas vult quòd intellectus credat. Et licèt hoc secundum sit proportionatum facultati naturali volũtatis: tamen primum est improportionatum, quia est supernaturale; & ob id ratione ipsius indiget voluntas supernaturali auxilio. Verùm aduerte, quòd quando secũdum motiuũ est malum, tunc actus voluntatis est simpliciter malus in genere moris: ita, quòd non habet bonitatẽ moralem, sicut diximus. 1. tomo, de actu cuius proximus finis, est bonus; & remotus, malus: vt cùm quis vult dare eleemosynam propter inanem gloriam. Et ita bonitas supernaturalis nõ conuenit ipsi in genere moris: sed entitatiuè, hoc est, secundum entitatẽ quæ præsupponitur moralitati. Sicut actui naturali malo conuenit bonitas naturalis secũdum entitatem, quæ præsupponitur malitiæ morali. Et hanc bonitatem sumit tanquam ab obiecto, ab actu credẽdi, quatenus habet etiã bonitatẽ supernaturalẽ in genere entis: & secũdũ eã terminat ipsum, vt eius obiectũ. Nec est incõueniens, cp actus iste, licet sit peccatũ ex mala circũstãtia, procedat à supernaturali auxilio. Quia nõ procedit ab eo, quatenus terminatur ad finẽ remotũ, à quo habet malitiam: sed quatenus terminatur ad obiectum proximũ, à quo habet bonitatem supernaturalem in genere entis.

Septimo, certum est, hoc auxilium gratiæ de quo diximus esse requisitum ad assensum circa veritates fidei, qui sit sicut oportet ad iustificationem; non solùm esse necessarium propter aliquem modum accidentalem ipsius assensus tantùm: sed etiam, propter eius substantiam & entitatem. Vnde, cum solo generali concursu non potest elicere homo alium assensum, qui sit similis & eiusdem speciei cum isto quantùm ad substantiam: Quocirca, puto valde periculosam esse doctrinam in fide, dicere quòd cum solo cõcursu generali potest homo habere actum & assensum circa veritates fidei supernaturalem quantùm ad substantiam & entitatẽ, sine speciali auxilio gratiæ & concursu Dei pertinente ad ordinem gratiæ. Et hoc videtur esse diffinitum in Concilio Arausic. superiùs citato. Nam certè, assensus qui est qualis ad iustificationem requiritur, est supernaturalis, etiã quoad substantiam & entitatem suam: ergo produci nequit, etiam quo ad substantiam, cum solo generali concursu; sed ad ipsum requiritur supernaturale auxilium. Patet consequentia. Primò, quia concursus generalis prout distinguitur ab auxilio supernaturali; accommodatur rebus pertinentibus ad ordinem naturæ: ergo non extenditur ad effectus supernaturales. Secundò patet consequentia argumento sumpto ad hominem. Nam authores oppositæ sententiæ putant concursum Dei ad aliquem effectum, esse idem cum ipso effectu prout est à Deo: ergo si hoc verum esset, sequitur quòd si effectus est supernaturalis, cuiusmodi est substantia huius assensus, non posset produci cum solo generali concursu pertinente ad ordinem naturæ. Antecedens autem probari potest. Primò, quoniam formale obiectum à quo assensus iste sumit speciem, est supernaturale: ergo etiam substantia & entitas eius est supernaturalis.



ralis. Ostendo consequentiam. Quia si obiectum à quo sumitur species & essentia huius assensus, est supernaturale; etiam species & essentia erit supernaturalis: & ex consequenti, idem erit sentiendum de substantia & entitate ipsius. Quoniam nihil magis pertinet ad substantiam & entitatem cuiusq; rei, quàm species & essentia. Quòd verò obiectum formale à quo assensus iste speciem sumit, sit supernaturale, ostendi potest explicando in quo consistat supernaturalitas obiecti formalis huius assensus. Et sanè, vt assensus iste sit qualis ad iustificationem requiritur, non satis est quòd quomodocunq; terminetur ad veritates fidei: sed vlteriùs requiritur quòd ad eas terminetur, non innitendo euidentiæ aut rationi; vel humanæ authoritati, sed tantùm authoritati diuinæ. Ita, vt quamuis multæ rationes & pleraq; indicia & signa, naturaliter cognita, & humana authoritas inducant intellectum ad assentiendum: tamen ipse omnia ista transcendat, & quodammodo relinquat; & non propter ipsa, sed propter diuinam authoritatem assentiatur. Hoc autẽ excedit naturalem virtutem nostri intellectus. Rursus potest idem antecedens ostendi. Quia non posset bene defendi necessitas gratiæ, ad istum assensum, si dicamus illum non esse supernaturalem quantum ad substantiam: sed quantum ad aliquem modum accidentalem, vel intensionis gradualis, vt dicit Scotus; vel maioris facilitatis, nempe vt homo facile assentiatur, vt dicit Durandus, qui fidem insusam putat requiri ad istum assensum, vt solum homo facilè assentiatur ac discretè.

*Opinio recẽtiorũ Theologorum.* Hac nostra ætate sunt recentes Theologi qui dicant, modum in quo consistit supernaturalitas huius assensus esse quandam speciem accidentalem superadditam ipsi substantiæ. Vnde dicunt, actum illum assentiendi duas habere species, vnam naturalem; quæ quia prior est, pertinet ad eius substantiam: & alteram supernaturalem; quæ quia posterior est & supponit naturalem, est extra eius substantiam, & dicitur accidentalis. Sicut philosophi Morales dicere solent de actibus moralibus, quòd duas habent species, vnam in genere naturæ, & alteram in genere moris: & quòd in priori consistit substantia & prima entitas eorum, posteriorem autem affirmant esse accidentalem; licèt intra genus moris, & facta comparatione ad alias species morales, quæ ei possunt adiungi, dicatur essentialis aut substantialis hæc prima. Et hanc sententiam defendunt, tam de isto assensu fidei, quàm de alijs actibus nostris supernaturalibus, vt de spe, & de charitate.

Sed neque iste modus dicendi probatur. Primò, quia falsum est quòd species huius assensus quæ sumitur ex obiecto formali, sit naturalis: Quia obiectum formale fidei est supernaturale, vt ostensum est supra. Secundò, quia videtur ficta illa species secundaria supernaturalis. Nam non satis explicatur quid sit, præter hoc, quod est, assensum procedere à supernaturali principio: & tũ controuersia est de hoc, quorsum debeat procedere à supernaturali principio, si in seipso non habet aliquid supernaturale? Dices, esse ordinẽ ad supernaturalẽ finẽ. Sed cõtrà. Quia vel causa huius ordinis in isto assensu est præcisè principiũ supernaturale, vt cõdistinctũ ab intellectu: vel intellectus ipse, vt supernaturaliter eleuatus? Primũ, nõ potest dici. Quia supernaturale principium in casu isto cõcurrit eleuãdo potentiã ad agẽdũ: ergo nullã speciẽ producit in assensu, ad quam etiã nõ cõcurrat potẽtia. Aliàs, assensus quantũ ad illã speciẽ nõ esset actus vitalis. Si verò dicas secundũ: sequitur cp terminus formalis illius ordinis sit obiectũ cognitũ ab intellectu, cùm producit assensum, & cõsequẽter quòd tũc obiectũ formale intellectus sit supernaturale. Sequela probatur. Quia intellectus, vt exercens actũ cognitionis, nõ causat in suo actu ordinẽ ad obiectũ, nisi vt cognitũ: sicut nec volũtas, vt exercens actũ volẽdi, causat in ipso actu ordinẽ ad obiectũ, quod nõ sit aliquo modo volitũ. Et cõfirmari põt. Quia cũ species ista non pertineat ad genus cognitionis: sequitur cp ratione eius non cõueniat illi assensui certitudo sumpta pro infallibilitate. Quia certitudo hæc, est proprietas cognitionis. Et ex hoc etiã sequitur vlterius, cp assensus Christianę fidei nõ excederet in hac certitudine assensum fidei humanæ. Quia quantùm ad substantiã non excedit iuxta prælatã sententiã. Tandẽ probari potest. Quia si vera esset istorũ opinio, sequeretur, cp assensus iste duas haberet species pertinẽtes ad genus cognitionis: quod est impossibile. Sicut etiã est impossibile, intellectũ in eodẽ actu assensu duo habere obiecta formalia; siue duas rationes formales assentiendi.

¶ Quocirca, præfatus assensus, supernaturalis est secundũ entitatẽ & substantiã suã: habetq; accõmodationẽ & cõmensurationẽ in ordine ad formã & finẽ supernaturalẽ. Et qũ purè naturalia nõ possũt eam habere (aliàs trãscederet ordinẽ finis naturalis, quę purè naturalia respiciũt) idcirco huiusmodi assensus, de quo loquimur, qui speciẽ & substãtiã suã accipit à principio obiecto & termino supernaturali, à quibus habet cp sit supernaturalis; in se etiã habet & cõmensurationẽ & ordinẽ in supernaturalem finẽ, & substantiam atq; entitatem supernaturalem.

*Assertio. 8.* Octauò, certũ est, cp sine auxilio gratiæ, potest homo assentiri veritatibus fidei, à Deo reuelatis fide acquisita: nõ tũ tanquã reuelatis à Deo, seu vt reuelatis; assensu inquã acquisito & naturali: qui, etiam quantũ ad substantiã & speciem distinguatur ab eo qui requiritur ad iustificationẽ. Hæc assertio est D. Tho. 2.2.q.5.ar.3. in corp. & ad.1. vbi dicit, hæreticũ errantẽ circa vnũ articulũ fidei assentiri proprio iudicio & ppria volũtate reliquis articulis, circa quos nõ errat. Et eadẽ ratione videtur admittere cp etiã possit ex naturalibus assentiri alijs: cùm additio vnius ad reliquos, parũ addat difficultatis. Itẽ ponatur de puero infideli ab infantia nutrito inter fideles & catholicos, præsertim si nihil audiuit de sua secta, nec etiã aliquid cõtrariũ. Ille enim ex auditu habebit acquisitã fidẽ. Tertiò probatur. Quia veritates fidei possunt proponi infidelibus cum argumentis & motiuis, quibus ostẽdatur credendũ esse ipsas à Deo esse dictas: & cõsequẽter possẽt infideles propter illa motiua, ea credere. Nã quotiescũq; sunt rationes & argumẽta quæ rem aliquã reddũt credibilẽ, possumus illi assensum præbere ex nostris viribus. Veritamẽ in casu isto ratio formalis assẽtiẽdi, nõ est diuina reuelatio: nemo enim põt credere veritatibus fidei vt reuelatis, nec tãquam reuelatis à Deo, nisi ex supernaturali auxilio. Vnde, licèt in casu posito id quod creditur, sit illud creditũ quod est à Deo reuelatũ: tũ assensus iste nõ innititur diuinæ reuelationi, sed iudicio & naturali lumini intellectus,

ctus,quo iudicatur motiua illa & signa humana esse talia,vt propter ea præbeatur assensus. Quare, in fide acquisita ratio formalis terminandi respectu credibilis,est diuersa:quia terminat assensum elicitum viribus naturæ, quatenus est cognoscibilis per rationem assentiendi humanam & naturalem. At verò assensum elicitum auxilio supernaturali terminat, quatenus est cognoscibilis per medium assentiendi supernaturale.

*Ad argum. ad.1.* Ad argumenta. Ad primum dico,quòd ratio naturalis aperte & euidenter ostendit, fidei mysteria non esse impossibilia euidenter : alias si impossibilia forent euidẽter, nõ possent esse credibilia. Quia euidens impossibilitas rei, apertè tollit non solùm

*Dico.2.* possibilitatem, sed credibilitatem. Dico secundò, multò difficilius esse credere,quam iudicare mysteria fidei euidẽter esse credibilia,cùm pro se habeant tot ac tanta testimonia. Dico multò difficilius esse credere ; quia ad ipsum credulitatis assensum, nulla ratio cogit sicut ad iudicandum credibilitatem , & licèt circà credibilitatẽ obiecti supernaturalis versentur aliqua dona, non tamen vt talis credibilitas substat testimonijs externis & rationibus naturalibus, sed vt ex peculiari instinctu & motione Spiritus sancti , per excellentiores rationes, & per altiora motiua, ad eas veritates supernaturali modo penetrandas, inducimur. Nam fateri oportet errorem esse in fide , asserere esse possibile , vt res quæ per se sub fide cadunt, possint ostendi euidenti, naturaliq; ratione.Neganda est ergo argumenti consequẽtia. Nam fidei articuli subterfugiunt naturale lumẽ intellectus & ei sunt improportionati. Vndè, absq; Dei speciali adiutorio , non possunt à nobis credi, sicut oportet assensu certo & constanti, & connaturali seu commensurato cùm supernaturali obiecto,

*Obiectio.* sicut diximus in conclusione.5.Sed dices ; Ex lumine naturali possumus cognoscere Deum esse veracem , & neque falli , neque fallere posse nos : ergo vbi constiterit Deum aliquid reuelare, sicut constitit Abrahæ & Prophetis , non erit illis opus aliquo speciali auxilio ad credendum. Patet consequentia. Nam si ex proprijs viribus assentimur maiori & minori:ergo & conclusioni,quia iste assensus sequitur ex præmissis.Sed hæc consequẽtia est euidens:Omne reuelatum à Deo est verum, Hoc est reuelatum à Deo,ergo hoc est verum.Et Prophetæ assentiebãtur maiori & minori euidenter: ergo non indigebant auxilio speciali ad assentiendum conclusioni.

*Responsio.* Respondetur,quòd licèt etiam Deus sit manifestissima quædam res & de se maximè visibilis : sed tamen nec angelus , nec homo possent eum videre vllo pacto , nisi Deus eorum intellectum adiuuaret & confortaret ; & ob id necesse est intellectum super se tolli. Et pari ratione ad assentiendum, certo assensu & indubitato mysterijs fidei , & ob id quia prima veritas dixit , non satis est quòd à nobis manifestẽtur credibilia,quæ supernaturalia sunt,& excedũt vires intellectus nostri:sed necesse est eũ specialiter adiuuari à Deo:Nam si non est necessarium speciale auxilium Dei , sequitur , quòd non esset opus orare pro infidelibus , vt Deus adaperiat corda eorũ.Vnde,licèt euidenter cognoscamus Deum esse veracem:interest tamen inter ea quæ sunt naturalia,& ea quæ sunt fidei , quæ verè supernaturalia sunt , & excedunt captum hominis. Deinde , Vega quæst.9. de necessitate gratiæ ad credendum; facilè concedit , non fuisse necessarium Abrahæ neq; alicui prophetæ , auxilium Dei speciale ad credendum reuelatis à Deo , si formarent eum syllogismũ, & euidenter cognoscerent maiorem & minorem eius. Cæterùm , hoc mihi non probatur. Nam euidentia solùm in testificante, ex vi huius,non excludit fidem.Quia talis euidentia testificantis præcisè, non facit euidentiam rei credibilis secùndum se : imò verò nulla est euidentia in testificante Deo, nisi Deus ipse videatur , quo viso excluderetur fides. Si tamen admittitur euidentia in testificante seclusa visione eiusdem : sic illa non excludet fidem mysteriorum supernaturalium , quia semper maneret obscurum obiectum,quantùm sufficit ad complendam rationem fidei.Sic tenet Caieta. 2.2. quæstio.1. art.4. Ex quibus liquet , quòd quamuis euidenter cognoscatur dignos esse credibilitate fidei articulos , nihilominùs eos semper manere obscuros secundum se : & ob id necessarium esse auxilium ad credendum infallibiliter; & sine hæsitatione aliqua assensu Christiano , & Catholico . ¶Ad confirmationem respondetur miracula à Christo facta, fuisse euidentia signa Diuinitatis , his tamen qui miracula cognoscebant , & modum quo fiebant: quæ sanè sine infusa fide cognosci non poterant. Dicendum est rursus , quòd licèt in Christo testificante videtentur esse credibilia: tamen cùm secundùm se manerent obscura , adhuc erat necessaria motio supernaturalis ad credendum. Imò verò , licèt Christus cerneretur visibiliter ab hominibus : nihilominùs non cernebatur neque intuebatur vnio illa hypostatica, cuius ratione Christus erat Deus , & consequenter mẽtiri non poterat in dictis suis aut factis.

*Vega.*

*Ad confir.*

*Ad secũdũ.* Ad secundum respondetur, quòd licèt fides præ requirat sufficientem propositionem ad euidẽtiam credibilitatis , & dictamen prudentiæ, rectæque rationis , quod est rationabiliter credere : tamen ex suppositione fidei , ipsamet dictat maiori certitudine esse credendum id quod fides proponit , quàm haberi possit ex signis , & testimonijs, quibus res fidei apparent euidenter credibiles.Itaque, hoc exposcit fides ipsa, vt quodam altiori & firmiori assensu res fidei credamus, quàm sit ille,per quem res fidei apparent euidenter credibiles,& quem causare possent signa,si illis solis inniteremur.Exquo patet , quòd supernaturalitas fidei magis excedit vires nostras , quàm externa signa quibus permouetur homo ad credendum. Vnde, credere Deum esse trinum & vnum tanta certitudine & relictis signis externis ostendentibus credibilitatem,ad aliam superiorem & obscurissimam rationem recurrere, quia Deus dixit, & propter hanc certissimè adhærere obiecto , & rebus fidei obscuris ; hoc est virium supernaturalium. Dicendum igitur est ad argumen.quòd necessitas illius auxilij oritur ex parte tàm credibilium supernaturalium,quàm ex parte ipsius assensus &credulitatis,quę proportionari debẽt:ita vt assensus ipse,si Christianus esse debet, indubitatus & infallibilis etiam esse oportet ; & ob id quia veritas prima reuelauit , debet tendere in omnia quæ ad vniuersam Christi fidem & reuelationem Dei pertinent.Debetque sicut obiectum est super-



supernaturale , attingi per actum supernaturalem formaliter, vt omnia sibi constent & proportionentur , & ad id requiritur eleuans auxilium speciale.

*Ad tertiũ.* ¶Ad tertium respõdetur, negando paritatem rationis in assensu fidei Diuinæ , respectu cuius necesse est captiuare intellectum nostrũ in obsequiũ Christi:sunt enim veritates supernaturales fidei,quæ superant vires naturæ & intellectus,& ingenium humanum.Sed per se loquendo, etiam ad fidem acquisitam requiritur motio voluntatis , quia innititur per se loquẽdo humano testimonio quod interdùm fallax est;idcircò necessaria est electio & motio voluntaris , quæ fundetur in opinione fidelitatis eius qui testificatur. Et quamuis per se loquendo necessaria sit hæc pia affectio ad fidem acquisitam , quia non conuincitur intellectus sine electione voluntaris fundata in prædicta opinione fidelitatis eius qui asserit;nihilominus aliundè potest prouenire tanta certitudo,vt quamuis homo dissentire velit,nõ possit.V.g.qui non viderunt Indiam , credunt nihilominùs eam esse, ex multorum hominũ testimonio, & ex signis moralitèr euidentibus : ex quibus ita sunt certi,vt licèt velint,resilire non possint. Ratio autem huius est, quia certitudo hæc nascitur , ex eo quòd indicatur euidens moraliter esse impossibile quòd sit falsum id quod tam multa signa,& tã multi homines(qui non potuerunt conuenire vt fingerent Romam esse)testantur. Et hinc etiam nascitur vt non possint dissentire. Vndè, talis certitudo oritur ex vniuersali illa euidenter certa moraliter, nẽpe quòd est impossibile esse falsum,quod tam multi & penè infiniti testes affirmant se vidisse.Cuius rei, historiæ & penè infinita signa , sunt nobis morale euidens argumentum:& ex alio capite, constat nobis euidenter possibilitas istarum rerum naturaliũ. Cùm ergo possibilitas hæc clarè & manifestè cognoscatur, sequitur manifestè conuinci intellectum in his quæ dependent à natura , ne possit dissentire etiam si velit.Rerum autem supernaturalium,diuersa est ratio , quia non est nobis euidens possibilitas earũ,neq;potest euidẽter ostẽdi ex proprijs naturę.

*Ad quartũ.* ¶Ad quartum respondetur negando cõsequentiã: multa namque sunt credibilia , quæ tamen re vera sunt impossibilia.Vnde,negatur hæc consequentia: Possumus cognoscere apertè religionis nostræ mysteria esse credibilia; ergo possumus cognoscere ex eadem ratione naturali,esse possibilia.Et paritèr negatur illa altera consequentia:Lumine naturæ, productis signis & miraculis,possumus apertè iudicare veritates supernaturales esse credibiles;ergo & credere eas infallibili assensu , certo & indubitato sine auxilio speciali Dei. Nam profectò vtraq; opinio de distinctione quantitatis à substantia siue affirmatiua siue negatiua,est probabilis & credibilis: & nihilominùs vna illarum à parte rei est impossibilis. Pari etiam ratione , quòd materia possit conseruari sine forma,vel quòd non possit de potentia Dei, vtraq; pars est credibilis & probabilis: in re tamen vna illarum opinionum est impossibilis. Vndè, Arist. in Topicis,dixit;Multa falsa esse probabiliora veris:& posset dicere, pleraq; impossibilia probabiliora possibilibus iudicari.Et hæc solutio aduertenda est etiã pro responsione ad primum argum.suprà factum.

*Aristot.*

*Ad quintũ.* ¶Ad quintum dicendum , quòd hoc argumentum sic adeò torsit Durandum in.3. vt negaret angelum habuisse fidem in primordijs suæ creationis:licèt in gratia fuerit creatus. De qua re agitur contra Durand.in.2.2.q.5. art.1. vbi nos dicemus falsam & temerariam esse illius opinionem.Et ob id ad argum. aliter respondere oportet. Suppono enim esse probabile , euidentiam articulorum fidei in testificante solum,posse simul stare cum fide: Secùs tamen asseuerarem , si vera esset illa sententia quæ affirmat nullam esse euidentiam in attestãte Deo,nisi Deus ipse videatur & intueatur. Cæterum , quidquid sit de hoc:semper videtur mihi dicendum,quòd quandiù articuli fidei non cernuntur in se ipsis , sed solùm cognoscuntur in testificante vt sic præcisè; tũc euidentia credulitatis articulorum fidei in testificãte, potest esse simul cũ fide , & cum cognitione obscura articulorum secùndum se & in se ipsis.Neq; satisfacit dicere,quòd sicut scientia à Posteriori excludit fidem abcuius obiecti,ita euidentia in testificante.Quia in naturalibus demonstratio à posteriori; procedit ex passionibus & effectibus internis,& intrinsecis,qui adæquatè ostendunt (licèt à posteriori)euidentiam connexionis prædicatorum essentialium,cum re,à qua passiones & effectus interni dimanant.Sunt præterea passiones & effectus isti, intrinseci & adæquati & eiusdem ordinis cum obiecto scibili:imò verò adæquant virtutem causæ à qua oriuntur.Testificatio autem solius attestantis vt sic, non est veluti passio intrinseca veritatis obiecti supernaturalis:& idcirco non ostendit euidenter connexionem prædicatorum essentialium rei testificatæ. Nam quamuis ostendat euidenter veritatem testificantis illa:non tamen ostendit veritatem rerum in se ipsis,sed solùm in testificante vt dictum est.Nã profectò præcisum testimonium Dei dicentis vt sic, non transeundo ad alia,non repræsentat Deum esse trinum & vnum,sicut effectus proprius repræsentat suam causam,aut sicut creaturæ repræsentãt Deum esse.Et non satisfacit dicere,quòd testimonium Dei etiam est effectus Dei dicẽtis & illuminantis. Quia iste effectus repræsentabit Deum dicentem , aut sicut etiam aliæ creaturæ repræsentant Deum esse: non tamen repræsentabit euidenter mysterium supernaturale secundùm se , vt Deum esse trinum & vnum & alia infinita prædicata , quæ Deo trino in personis cum vnitate essentiæ, conueniunt : quamuis talis illuminatio faciet euidẽtiã articulorũ in testificãte. ¶Sed objcit recẽs Theologus contra nos. Si euidentia in attestante non excludit fidem: ergo beati videntes Deum habent fidem de perpetuitate suæ gloriæ.Patet consequentia.Quia Hanc perpetuitatem non cognoscunt, nisi ex voluntaria Dei reuelatione.Quia non eo ipso quòd vident essentiam Dei , necessariò vident perpetuitatem propriæ beatitudinis. Mirabilis profectò consequentia, quam non nisi recens Theologus aut cæcus facere potuisset. Neganda igitur est sequela. Nam Beati cognoscunt perpetuitatem suæ beatitudinis euidenter: quia euidenter cognoscunt perpetuitatem & immutabilitatem esse de intrinseca ratione beatitudinis, cuius possessione fruuntur beati, & id cernunt in proprio obiecto. Rursus , videntes Deum beati ipsi paritèr cernunt euidenter quòd Deus potest pro sua omnipotẽtia deturbare illos à beatitudine:

*Recẽs Theologus in. 2. 2.q.5. ar.1.*

sed

sed eadé etiã euidétia cognoscũt,legé statuisse conformé naturæ & cõditioni eiusdem beatitudinis,de perpetuitate ipsius. Videat ergo modò mediocris Theologus quomodo sequitur: Euidétia in attestante nõ excludit fidem;ergo videntes Deum habẽt fidem de perpetuitate suæ gloriæ. Quia hanc perpetuitatem non cognoscunt nisi ex voluntaria reuelatione Dei: Nam euidentèr cognoscunt ex natura suæ beatitudinis in qua sunt, esse perpetuitatem,& euidentèr cognoscunt Deum legem statuisse huic rei cõformem. Vndè, duplicem habent euidétiam. Alteram, de perpetuitate beatitudinis suæ;quià intrinseca est illi:alteram,de lege perpetuitatis,quam in Deo cernunt mediante lumine gloriæ. Cur ergo habebunt fidem? Neque multum vrget illud Pauli si dicas quòd cum vidit diuinam essentiam,non vidit perpetuitatem illius visionis. Quia Paulus in visione illa vidit perpetuitatem intrinsecam esse visioni & beatitudini qua potiebatur, nisi Deus quantum ad existentiam & connexionem beatitudinis cum ipso, alitèr disposuisset. Imo verò Paul. habuit manifestam reuelationem,quòd deinceps futurus etiam erat prædicator gentium, & reuersus in hunc mũdum. ¶ Obijciet adhuc aduersarius. *Si quis habuit demonstrationem alicuius conclusionis, & postea obliuiscatur demonstrationis, & medij seu luminis demonstratiui, ille si habeat memoriam se habuisse demõstrationem, non potest habere fidem illius conclusionis:ergo pari ratione neque ille qui habet euidentiam in Deo attestante potest habere* fidem. *Respond. 1.* Respondetur negando antecedens & consequentiam: falsissimum est enim dicere quòd qui caret demonstratione, obliuione abolita,adhuc euidentèr cognoscat cõnexionem prædicatorum cum subiecto in se ipsis. Nam cùm euidentia huius cognitionis non fiat nisi ex lumine demonstratiuo, illo deficiente non illuminabitur obiectum: & quanuis recordetur se aliquando habuisse lumen; sed neque habet,neque mediante illo,modo videt,aut cernit obiectum. Nisi velis dicere quòd quis in tenebris cernit picturam, ob id quia paulò antea illuminato sacello, figuram vidit:non enim ei sufficiet recordatio omnium quæ vidit, vt visus ipse exterior qui in tenebris delitescit, dicatur videre. Imò verò non sufficit ipsa recordatio memoriæ sensitiuæ. Si ergo fugit demonstratiuum lumen, necessariò fugit euidentia cognitionis rei in se per suas causas: licèt permaneat recordatio,quòd aliquando habuit lucem ad videndum obiectum. Quia recordatio illa, non est ostensiua aut intuitiua prædicatorum & causarum internarum rei in se. Explosa igitur hac sententia dicendum est, quòd licèt angelus certus esset quòd fiebat sibi talis reuelatio,& quòd fiebat à Deo; non tamen sibi erat euidens neque in effectu neque in causa: siquidem neque Deum videbat neque reuelationem ipsam luminis fidei. Sicut Catholicus,certissimus est quòd illuminatur à Deo supernaturali lumine fidei,& tamen neque habet euidẽtiam reuelantis, neque ipsius reuelationis in se ipsa. Nolo autem modò disputare,An possit esse euidentia rerum supernaturalium in attestante Deo, nisi ipse Deus testificans videatur esse Deus:quia de hoc agendum est à nobis.2.2.q.5. ¶ Respondetur.2.quòd *Respond. 2.* licèt esset euidens angelo quòd fiebat ei talis reuelatio; tamen non habuit euidentiam, ꝙ illa reuelatio seu locutio erat à Deo & non à creatura,& hoc poterat ei occultari, quia poterat latere illũ creatura nõ quidem quantum ad substantiam suam,sed quãtum ad operationem ordinis supernaturalis,minimè cognoscendo à quo fieret reuelatio. ¶ Tandem dico.3. quòd cũ veritates supernaturales articulorum quandiù non cernuntur in se ipsis, adhuc sint nobis obscuræ & supra captum intellectus, adhuc etiam indigemus auxilio Dei,etiã ex parte intellectus. Quia licèt cognoscamus euidenter esse credibiles,non tamen cognoscuntur euidenter in se ipsis, & potissimè hoc est verùm si non constaret angelo quis ei loqueretur;sed de hac re aliàs. *Respond.3.*

¶ Ad. 6. dico hæreticum illum in re non credere propter testimonium Dei; sed propter rationes humanas, vel authoritatem humanam qua sibi persuadet hoc dictum esse à Deo, sicut Gentilis qui potest credere quosdam fidei articulos, & eos esse dictos à Deo,sed opinatiuè propter authoritatem proponentis:neque credit cum modo proportionato tali obiecto formali,neque cum debita certitudine & eleuatissima adhæsione. Quocircà, cum sit euidens fidei articulos esse credibiles, idcircò quanuis improportionati sint cum nostro intellectu, possumus eis assẽtiri ex viribus nostris aliquali assensu,nempe opinatiuo & infirmo, non tamen certo & constanti & proportionato veritatibus supernaturalibus,& consequenter non habet hæreticus ille assensum fidei Christianæ, & ita facile mutat sententiam, & incidit in alios errores. Et per hoc patet ad confirmationem. ¶ Ad 7. aliqui Theologi dicunt,in statu innocentiæ faciliùs fuisse intellectui assentiri veris quam falsis,non tamen in natura corrupta, quando per peccatum obscuratus & deprauatus est intellectus ipse. Cæterum, rationabilius est dicere, etiam in hoc statu procliuiorem esse intellectum ad assentiendum veris quam falsis. Sed distinguendum est in hac re. Nam si sit sermo de veritatibus naturalibus eidem naturæ proportionatis, verum est intellectum nostrum propensiorem esse, magisque proportionatum ad assentiendum veris quàm falsis. Si verò sit sermo de veritatibus supernaturalibus, quæ improportionatæ sunt viribus intellectus nostri, non ita contingit; quia veritates supernaturales ex suo genere excedũt & superant facultatem nostri intellectus, & consequenter ex proprijs naturæ ineptior est ad præstandum illis assensum. Et ob id necessẽ est intellectum attolli & adiuuari, vt sit sufficiens ad ea credẽda quæ pertinent ad fidẽ Christianam; alias non dicerentur supernaturalia ipsi intellectui. ¶ Ad confir. respondetur, ꝙ veritatibus naturalibus quæ non superãt captum humanũ,optimè intellectus valet assentiri quãdo habet sufficiens motiuũ; cæterũ quãdo res sunt alterius ordinis,& superãt captũ humanũ,non possumus rebus fidei assentiri,sicut oportet assensu Christiano per vires nostras, licèt possimus habere circa aliqua assensum incertũ aut opinionẽ,firmũ tamẽ & catholicũ assensum,nõ sine auxilio speciali. Nam credere propter humanã authoritatem potest homo sine auxilio supernaturali, ea firmitate quam humana authoritas præstare valet. Cæterum firmiter credere infallibili certitudine Christiana, minime possumus, nisi diuino numine afflati. Christianus enim debet credere saltem in genere, quæ in vtroque sunt testamento, & quæcũque Ecclesia dixerit esse de fide,& hoc adeò firmitèr & certò, vt si opus fuerit negare scientiam & euidentiam,quam Philosophi talẽ existimarent, abneget omnia & non deserat fidem, & id propter solam Dei authoritatem, ita vt si omnes homines oppositum dicerent etiam Angeli de cœlo;minimè desistat à credendo. Et cùm hæc fides excedat vires naturales ingenij nostri, & natura hanc firmitatem præstare non possit,& vera supernaturalia superent vim nostri intellectus, indiget necessariò auxilio supernaturali & testimonio Dei. Hæc docet Paul.1.ad Thessal.2.dicẽs. Gratia ago Deo, quòd cùm accepissetis verbum Dei, accepistis illud non vt verbum hominum, sed vt verè erat verbum Dei. ¶ Alij Theologi dicunt, quòd quando res sunt supernaturales & improportionatæ,licèt habeant plures similitudines & species veri;nihilo minus non potest intellectus eis assentiri suis viribus. Quia magis retrahitur intellectus ab assensu earum propter improportionem supernaturalitatis suæ, quam inducatur propter verosimilitudinem & humana motiua. ¶ Ad octauum respondetur, quòd illi homini infunditur in baptismo fides informis. Nam sicut potest manere fides sine gratia & charitate,vt accidit in peccatoribus, ita etiam potest infundi à principio sola fides,sine gratia & charitate,vt docet Sanctissimus præceptor.2. 2.q. 6.art. 2.ad.3.& Pater Soto.2.de natura & gratia cap.5.&.8 Et sic,ille homo si credit,habet fidem supernaturalem infusam. Dico secundò, quòd licèt homo ille non recipiat in baptismo, neque fidem neque gratiam,si tamen credit articulis fidei assensu certo & firmo,dicendum est, quòd adiuuatur à Deo peculiari auxilioquotiescũque credit,siue ante siue post baptismum. ¶ Ad Nonum respondetur negando antecedens,& consequentiam. Nam testimonium Ecclesiæ,quatenus regitur ab Spiritu sancto,& quatenùs est vnum ex articulis fidei credere sanctam ecclesiam catholicam,est illud in quod resoluitur fides nostra: Quantũ ad distinctionem tamen,& explicationem credendorum,& ecclesiam esse regulam infallibilem proponendi & explicandi veritates fidei,non potest reduci ad authoritatem eiusdẽ ecclesiæ,Quia hoc esset idem per idem confirmare. Et ob id necesse est reducere assensum illius, nempe quòd ecclesia est infallibilis, in testimonium Spiritus sancti inclinantis per lumen fidei ad verum credibile supernaturale.Nam profectò, assensus fidei nostrę catholicæ, non potest reduci ad fidẽ acquisitã qua credimus ecclesiã, esse veracẽ,tanquã in regulam vel rationẽ formalẽ credẽdi.Quia error est dicere, fidem humanam tam certam esse sicut fides diuina:sed si certitudo fidei diuinæ reducitur ad hanc humanam fidem, tanquam in mediũ & regulam formalem credendi,plane sequitur humanam fidem non solum esse æquè certam, imoverò certiorem diuina; nam propter vnumquodque tale & illud magis. Vnde Paul.gratias agebat Deo pro Thessalonicẽsibus,quia cùm accepissent à Paulo verbum Dei, non acceperunt illud vt verbum hominum,sed sicut verè erat verbum Dei, qui operatus fuit in illis qui crediderunt. Vndè, ratio credendi ea quæ Paulus prædicauit,non fuit Pauli authoritas,sed Dei qui operatus est in illis qui crediderunt.Et ob id dixit Paul.ad Galat.1.etiam loquẽs de se ipso.Licèt nos aut angelus de cælo euangelizet vobis præterquam quod euangelizauimus;Anathema sit.Vndè,si fides illorum reduceretur in authoritatem Pauli prædicantis, tanquam in formalem rationem credendi,non poterant illi ita esse affecti & dispositi,vt etiam si idem Paulus oppositũ diceret, non crederent. ¶ Ex his ergo liquèt quòd aliundè pendet certitudo fidei, tanquam à ratione prima credendi & regula. Nam cùm fidei diuinæ non possit subesse fallsum,satis constat quòd non innititur fidei humanæ tãquàm regulæ aut fundamento credendi. Ad probationem antecedentis dico, quòd in illo discursu qui fit quando fidelis interrogatur.Cur credat Deum esse trinum & vnum; duplex ratio potest assignari, altera quidem specifica & formalis ipsius actus credendi,& tunc mirabilis responsio est si dicat:Credo ob eandem rationem propter quam Petrus credidit,quando dixit:Tu es Christus filius Dei viui. Altera verò ratio potest assignari;ex parte ipsius credibilis proponendi & distingendi Et quãtùm ad hoc,nos modò non habemus interiùs reuelationem distinctam eorum,quæ credenda sunt,sicut Apostoli habuerunt, qui fuerunt doctores ecclesiæ dati ab Spiritu sancto. Habemus tamen suggestionem Spiritus sancti, per illuminationem intrinsecam,vt ea omnia & sola credamus quæ ecclesia ab Spiritu sancto edocta, nobis credenda proponit. Et est quidem grandis differentia,inter hæreticum & catholicum, quòd catholicus quantum ad credibilia proponenda, & distinguenda,admittit & recipit quod ecclesia proponit, hæreticus verò dicit se habere Spiritum sanctum, vt Apostoli habuerunt,cum lumine distinguente credibilia,& sic eligit id quod sibi placet credere, & reijcit quod sibi displicet,Et ob id non fundatur super confessione Petri,cuius authoritas manet in suis successoribus,vt quod dixerint eãdem habeat authoritatem,acsi Petrus ipse dixisset. Quocircà,testimoniũ ecclesię testimoniũPetri,determinat potẽtialitatẽ luminis fidei nostræ,quãtùm ad proponẽdas & distinguẽdas res illas, quæ pertinẽt ad fidẽ. Et hęc modò sufficiãt, quia maiorẽ argumẽti lucẽ ostendemus.2.2.q.1.art.1.quò loco hæc materia differitur. ¶ Ad Decimum, negatur quòd vnus & idẽ assensus possit esse verus & falsus, fidelis & hæreticus &c. Vndè, assensus ille quòd filius Dei sit homo, manifestè potest continuari coniecturis aut motiuis humanis;at verò si talis assensus sit fidei,necessariò qui habet illum assensum continuatum,assentitur fidei eiusdem propositionis propter testimonia supernaturalia,& propter authoritatem Dei. Et multò perfectior est iste actus & includit supernaturalitatẽ,vndè opus est diuino auxilio,& potissimè propter rationes graues & plures,quas assignauimus.

Ad alia argumenta quæ pro opinione Almayni, Holcoth & aliorum militabant.Ad primum, Iam diximus quòd Dæmones non credunt propter affectum aliquem bonum,sed potiùs coacti euidentia signorum,& hoc displicet eis. Vndè,non habẽt fidem infusam, neque supernaturalem, neque credunt



*Ad septimũ*

*Ad. 6. argu.*

*Ad confir.*

*1. Thessal. 2.*

*Ad octauũ.*

*S. Thom. Soto.*

*Ad Nonũ.*

*Ad decimũ.*

*Ad argumẽta Holcoth & Almayni. Ad primum.*

dunt quia veritas prima dixit. Et ad argumentum ex ratione petitũ ibidem, iam suprà dedimus solutionem in responsione ad septimum cum sua confirmatione. ¶ Ad confirmationes autem Holcoth ad primam dico, quod catholicus vir ita tenetur credere, vt quamuis qui illi prædicauerunt veritatem, iterùm oppositum asserant, non ideò desistat à credendo & à fide, vt suprà retulimus ex D.Paulo. Et hoc sanè non habet Paganus & Saracenus. Nã si qui illi persuaserunt Alchoram oppositum asseuerarent, desisteret à credendo. Secundò dico, quòd res pertinentes ad alias sectas specialitèr non habent aliquid supernaturale. Vndè, credulitas illa rũ non habet eam firmitatemquã habet assensus fidei Christianæ, quia infideles credunt ex humano testimonio, quia sic acceperunt à maioribus suis. Cæterùm, res fidei sunt multæ & supernaturales, & difficiles ad cognoscendum, quibus assentiri oportet assensu infallibili & catholico iam explicato; ac proinde indigemus auxilio supernaturali. ¶ Ad secundam confirmationem respondetur quòd hæretici respectu eorum quæ ab eis creduntur, non habent assensum fidei Christianæ, neque assensum firmum & certum de quo nos loquimur. Vndè, facilè mutant sententiam. Negatur ergo maior ipsius confirmationis; quia amplius requiritur ad credendũ assensu firmo & catholico, quam ad credendum quomodo credit quicunque alius, qui non credit assensu christiano, neque implet præceptum de credendo. Vndè, non credimus futuram Eclipsim sola authoritate Astrologi dicentis, ea firmitate & certitudine, qua credimus res fidei, sed solùm ea certitudine quam humana authoritas præstare valet. Rursùs etiam, non est simile de Astrologo nobis dicente futuram Eclipsim, & de rebus fidei. Nam Astrologum quidem videmus dicentem & manifestantem, Deum verò non videmus &c. ¶ Ad postremam confirmationẽ Respondetur, quod est supra naturam voluntatis, efficacitèr velle & mouere intellectum ad credendum supernaturalia, sicuti etiam est suprà naturam intellectus firmitèr illa credere sicut oportet, vt explicuimus, & ob id vtraque potentia indiget auxilio Dei. Dico secundò, quòd si forte aliquando credimus falsa & impossibilia, non tamen firmitèr, ea inquam firmitate qua tenetur Christianus credere. Dico tertio, quòd lumine naturali videmus hominem loquentem & asserentem, Deum autem non intuemur. Quare requiritur lumen supernaturale ad credendum propter Dei authoritatem, assensu christiano, & infallibili. Patet etiam solutio huius confirmationis potissimè ex solutionibus argumentorum principaliũ.

*Ad secundũ Argument.* ¶ Ad secundum argumentum, Respondetur negãdo antecedens, & quando Arist. 2. de anima tex. 135. dixit, quòd imaginari possumus cùm volumus, opinari non item; nõ negat quòd requiratur actus voluntatis ad opinandum: sed docet quòd talis actus voluntatis præcisè non sufficit ad opinandũ de aliqua re, vt nos iam diximus. ¶ Ad primam confirmationem desumptam ex experientia, respondetur quòd fides vt sic, ex natura rei pendet plurimũ ex pia affectione voluntatis, vti iam diximus: Et ita regularitèr contingit, nihilominus tamen sunt res aliquæ ita corroboratæ, consensu ferè omnium hominum, quę tamen non superant facultatem naturæ nostræ, quia non sunt ordinis supernaturalis, neque includunt supernaturalitatem, vt nullo modo homo benè institutus possit eis dissentiri, vt quòd Roma est, quòd mare est, quòd Indiæ sunt &c. Sed istæ res perpaucæ sunt, præ multitudine aliarum rerum de quibus fidem habemus, & respectu etiam earum de quibus habemus opinionem. Vndè, ex natura sua & regularitèr loquendo, tam ad fidem, quam ad opinionem, requiritur affectus voluntatis. Sed de solutione huius confirmationis, legenda est attentè prima & secunda conclusio. ¶ Ad vltimam confirmationẽ quòd res nostræ fidei sunt euidenter credibiles, & euidentia necessitat intellectum, Fateor quòd licèt res fidei non sint euidentes nobis inse, sunt tamen euidenter credibiles, & dignæ vt credantur. Psal. 118. Testimonia tua credibilia facta sunt nimis. Nam euidenter credibile est quòd fide digno & probatissimo testimonio confirmatur, & tales sunt res fidei nostræ, quæ probatissimis & fide dignis testimonijs confirmantur, vt nos fusè. 1. p.q. 1. art. 8. disput. 2. deduximus &. 1. 2. q. 51. art. 4. in disputatione de habitibus infusis. Hæc autem euidentia credibilitatis rerum fidei non solùm ex argumẽtis & testimonijs, quibus res fidei confirmantur consurgit, sed etiam causatur ab habitu infuso fidei interiùs existẽte. Nam cùm iste habitus infusus fidei sit lumen quoddã supernaturale, debet agere illuminando, quia vnũquodque agit in quantùm est actu, & quantùm aptum natum est agere. Et cùm lumen fidei non faciat euidentiam & claritatem veritatis articulorum in se ipsis, facit tamen euidentem esse credulitatem eorum, quia hæc euidentia credibilitatis suo lumine, etiam causatur ab habitu infuso fidei interno. Aduerte tamen, quòd infusa fides non causat euidentiam credibilium vt sit in quocumque subiecto, sed in subiecto benè disposito. Itaque si quis non habuit vsum fidei circa credenda, & non est satis instructus in his quæ pertinent ad religionem, & ob id habet imperfectam cognitionem, ille fidelis, non est satis dispositus, vt recipiat eam euidentiã quam potest causare habitus infusus fidei circa articulorum credibilitatem. Etenim, non est necesse vt habitus præcipuè infusus fidei prorumpat in actũ suum, in quolibet subiecto, sed in subiecto disposito ad suscipiendam eius vim. Vndè, ad argumentũ informa respondetur negando consequentiam. Nã certè, quamuis aliquis habeat sufficientia testimonia quibus iudicet aliquid esse dignum credulitate, potest tamen ei non assentiri circà veritatem ipsius, primò quia veritates mysteriorum fidei supernaturales sunt, & superãt captũ intellectus nostri, & sunt credendæ à fidilebus assensu infallibili, & indubitabili, & sub ratione supernaturalitatis, & ad hoc non sufficiunt vires nostræ. Secundò, quia habet perturbatum animum, vel quia habet malitiam & duritiam cordis. Etenim, cùm veritas rei quæ creditur non sit illi aperta in se ipsa, animus calumniandi & malitia plurimùm efficiunt in hac parte, & probabile est propter hanc causam, quid simile accidisse Iudæis Ioan. 12. qui cùm tot ac tanta miracula vidissent, non crediderunt. Quo loco D.Aug. ait, quòd Iudei non crediderunt, non quidem



dem quia non vidissent quòd Christus erat dignus credulitate, sed quia noluerunt & erant indurati. ¶ Tandem dico, quòd hoc argumentum plures excitat Tragædias, præsertim illam: Quomodò res fidei nostræ sint euidẽter credibiles? & quo pacto nihilominus liberè credimus? Et quomodo habitus fidei faciat hãc euidentiam credibilium? Et, An hæc consequentia sit bona: Hoc est mihi euidenter credibile: ergo euidenter possibile. Nam ex oppositi consequentis sequitur oppositum antecedentis, si dicas: hoc est mihi euidenter impossibile: ergo euidenter incredibile. Sed de hoc argumento plura diximus. 1. p.q. 1. art. 8. disputatio. 2. &. 1. 2. loco citato. Plura etiam dicemus. 2. 2. q. 1. art. 4. Nam huiusmodi disputatio magis pertinet ad materiam de fide. ¶ Fortè aliquis dicere posset quòd potest esse aliquid mihi euidenter impossibile, si video causas impossibilitatis suæ, nempe quia implicat contradictionem, & simul esse mihi euidenter credibile, quia video causas suę credibilitatis moraliter loquẽdo, quia moraliter sunt fidedigna testimonia, & sufficientia motiua, licèt physicè loquẽdo, neque sint verè causę, neque fide digna testimonia. Et ita fiet, vt licèt aliquid sit euidenter credibile moralitèr, non tamen physicè. Et ob id semper requiritur illa pia affectio, & motio voluntatis, ad verè & firmitèr credendum de facto. Sed de hoc aliàs.

## ARTICVLVS. II.

*Vtrùm homo possit velle, & facere bonum absque gratia.*

PRima conclusio. Homo in vtroq; statu, scilicet, naturæ integræ & corruptæ indiget auxilio diuino tanquam primo mouente ad quodcùmque bonum volendum & operandum. Quia omnis creatura, vt ex articulo præcedente liquet, siue corporalis siue spiritualis, eget diuino auxilio ad quamcunque operationem: cessante enim concursu primæ causæ, necessariò cessant actiones inferiorum causarum. ¶ Secunda conclusio. Homo in statu naturæ integræ, poterat operari omne bonum suæ naturæ proportionatum, cum solo auxilio generali Dei, nõ tamen aliquod bonum excedens eius naturam. Patet prior pars conclusionis; Quia omnis forma habet efficaciam cum solo generali auxilio respectu obiecti sibi proportionati, si forma ipsa integra sit & perfecta; sed bonum virtutis naturalis quod est viuere secundùm rationem, est obiectum proportionatum naturæ humanæ integræ & perfectæ: ergo poterat illud peragere. Secunda etiam pars ostẽditur. Quia forma non potest agere in obiectum excedens nisi eleuetur à fortiori virtute; aliàs iam nõ esset obiectum excedens. ¶ Tertia conclusio. Homo in statu naturę corruptæ, potest operari aliquod bonum proportionatum sibi, non tamen omne bonum naturale, ita vt in nullo deficiat.

### Discursus Articuli.

QVòd homo in natura corrupta possit proportionatum sibi bonum aliquod agere, planè deducitur. Quia ex peccato non mansit natura extincta, neque totalitèr corrupta, & ob id in ea permansit aliquis ordo ad bonum, & potentia ad executionem illius. Quòd verò non possit homo in eadem natura omne bonum naturale peragere, ita vt in nullo deficiat; planè etiam deducitur exemplo hominis infirmi, qui non potest opera vitæ præstare ita perfectè, & integrè sicut homo sanus; potest tamen nonnulla vitæ opera præstare. Quapropter, in statu naturæ integrę, indigebat homo auxilio speciali, non quidem ad peragendum omne bonum sibi commensuratum & proportionatum: sed ad cognoscendas veritates supernaturales. In statu autem naturæ lapsæ eget homo auxilio supernaturali, & ad animę salutem, & ad cognitionem supernaturalem: Imo verò ex peccato contraxit homo vulnus ignorantiæ, quod consistit in destitutione rationis ab ordine ad verum. Et licèt posset cognoscere intellectus verum naturale & morale, nihilominùs vulnus rationis inflictum est homini, secùdùm quod est subiectum prudentiæ, prout dependet à rectitudine volũtatis; quam quidem post lapsum non potest homo viribus naturæ assequi, sicut neque ipsas virtutes morales omnes; Quo defectu in intellectu existẽte, paritèr vulneratur volũtas in ordine ad bonum peragendum etiam morale. Adde rursus, Duos esse hominis fines, alterum commẽsuratum virtuti, & facultati eius naturali, & intellectui & voluntati; alterum verò qui eius virtutem superat, & excedit. Et sanè, finis hominis naturalissimus, est viuere semper secundùm rationem, & operari iuxta normam & regulam moralem, rationis rectè institutæ; quòd est omnia agere propter bonum honestum, quando & vbi oportet secũdùm regulas prudentiæ à benè instituta ratione præscriptas, at suorum officiorum finis in hac vita præcisè, est pax tranquillusque status Reipublicæ. Est namque homo politicum animal, natũ in societate viuere, & ob id in hoc propensum suapte natura, vt ea se ratione gerat, primùm respectu sui, deinceps respectu familiæ, & Reipublicæ, suorumque fratrum, vt ea ratione pax in Republica, dilectio & beneuolentia iugiter & perpetuò constent. Et hunc finem Philosophi cognouerũt, in quem positæ sunt leges & ordinatæ, & Magistratus in Republica constituti. Itaque hunc dicimus esse finem hominis, & scopum, in quem nos natura tulit & genuit. Quæ veritas, postulatio est adeò patens, vt persuasione non egeat. Sicut ergò natura rei grauis, est ad centrũ permoueri, & natura solis illuminare, sic inhũc finem & scopum natura nos perduxit, vt ex electione & Consilio in hunc rationis, & boni honesti scopum, moueremur. Hoc ipsum insinuat essentiæ hominis natura, quando à Philosophis definitur esse animal rationale. Igitur in hoc natum est politicum & rationale animal, vt ratione viuat. Et quamuis munus hoc à natura homini sit donatum, tamen sensualitas nobis impedimento est, ne id semper præstare possimus ad quod nati sumus. Profectò, cùm agere secundùm rationem homini ratione formæ, & à supremo rationis gradu conueniat, meritò, iudicatur naturale esse eidem homini operari secundùm rationem, licèt interdum ratione corporis, quod corrumpitur & aggrauat animam, deficiat ab honesto

honesto & æquo. Est alter nobis finis, non quidem naturæ viribus commensuratus, sed eas excellens longo interuallo. Is consistit in summo Dei amore per intuitiuam visionẽ Dei comprehensi: Sic enim legimus docente Christo. Hæc est vita æterna, vt
*Ioan.17.* cognoscant te Deum verum, & quem misisti Iesum Christum. De quo fine quo pacto & quibus viribus assequatur, & ad eum disponamur, & quibus meritis eum promereamur, dicemus in discursu huius disputationis, de quo etiam pleraq; diximus. 1.part.quæst.12.

## DISPVTATIO I.

### *Quid intelligat S. Thom. per hominem in natura integra & in natura corrupta?*

Difficultas huius dubij & sequentium attentione indiget, neq; est facile distinguere quid sit status naturæ integræ, & an ille differat ab statu iustitiæ originalis? Et quid intelligat S. Thom. per hominem in statu naturæ corruptæ, vt distinguitur ab homine in statu naturæ integræ. Aut enim intelligit per
*Prima ratio dubitandi.* hominem in natura integra, hominem sine defectu culpæ, præcisè tamen in solis naturalibus, expulso omni dono gratuito, aut supernaturali, Aut intelligit hominem in statu iustitiæ originalis, vbi natura humana integra erat & sine peccato. Sed non primum, aliàs falsa esset secunda conclusio Sanctissimi Præceptoris, qua docet, hominem in natura integra posse operari omne bonum morale proportionatum naturæ suæ. Nam homo in puris naturalibus, quamuis esset sine defectu culpæ, est nihilominus ex duabus naturis sibi inuicem aduersarijs cõpositus, nempe sensitiua & rationali. Vna namque istarum naturarum tendit in bonum rationis, altera in bonum sensibile. Habet rursus homo in puris naturalibus, quamuis careat omni defectu culpæ, appetitum corruptioni subiectum, & lassitudini; sic adeò vt si ille status daretur, adhuc esset verisimũ Sapiẽtis elogium, Corpus quod corrũpitur aggrauat animã. Ex quibus sanè sequitur non leuis pugna inter appetitum & rationem, qua sanè suppositа necessarium esset moraliter loquendo illum hominem ita conditum, aliquando à bono deficere, & succumbere, insequereturq; sensibilia bona, & sic fieret vt peragere non posset omne bonum morale conforme rationi. Si verò Sanctissimus Doctor per hominem in natura integra, intelligat hominẽ cum dono originalis iustitiæ (vt certè intelligere videtur dicens: si consideretur natura integra qualis fuit in primo parente) sic falsa videtur sentẽtia D. Thom. quando docet, quòd homo per sua naturalia sine speciali auxilio, aut dono Dei, potest operari omne bonum naturæ proportionatum. Nã quod homo potest per donum originalis iustitiæ, non potest per sua naturalia. Iustitia namq; originalis, nõ erat naturalis homini, sed supernaturalis, & ex gratuito dono homini concessa, neque pertinebat ad concursum Dei generalem, sed potiùs ad speciale, & supernaturale auxilium. Iam igitur non ex suis naturalibus, sed ex gratuito dono & ex speciali auxilio operaretur homo, omne bonũ naturæ suæ proportionatum. ¶Rursus etiã est difficile intelligere, *Secunda ratio dubitandi.* quid S. Tho. intelligat per hominem in natura corrupta; vtrùm intelligat naturam sibi ipsi derelictã, cum sola priuatione originalis iustitiæ, vel intelligat naturam, aliquem alium defectum habẽtem, vltra priuationem illam iustitiæ. Cùm igitur hæc priuatio non sit alicuius potentiæ naturalis, vel alicuius doni naturaliter debiti, sed solũ sit priuatio doni gratuiti, aut supernaturalis, idem erit iudicium omnino de homine in natura lapsa, & de homine in puris naturalibus, quantùm ad sufficientiã operatiuæ virtutis circa bonum proportionatum. Si verò S. Tho. intelligat per naturam corruptam, nõ solum naturã cum sola illa priuatione iustitiæ originalis, sed etiam cum aliquo alio defectu superaddito, scilicet, cum maxima pronitate ad malum, & inclinatione sensitiui appetitus ad propria, sequitur, quod homo per peccatum, non solum esset destitutus in donis supernaturalibus, sed etiam in naturalibus, neq; esset facile explicare quo pacto post peccatum naturalia integra manserunt.

Caietanus vt explicet sensum D. Tho. in omne la *Caietanus.* tus se vertit, & inquit quòd per hominem in statu naturæ integræ S. Tho. intelligit hominem non in puris naturalibus, sed cum dono iustitię originalis, non quidem quatenus operatur omne bonũ rationi proportionatũ, ex vi originalis iustitiæ, sed quatenus operatur ex vigore quodam virium naturalium & potentiarum. Itaque Caietanus intelligit, naturam hominis integram esse, quando habet vigorem quendam virium naturalium, & potentiarum, quo firmæ & valentes redduntur potentiæ ad peragẽdum omne bonum morale naturæ hominis commensuratum, & ad resistendum omni malo morali occurrenti. Addit tamen Caie. quòd vigor iste non est portio aliqua originalis iustitiæ; aliàs natura integra, idem esset quòd natura in statu iustitiæ originalis; sed est vigor iste quem ratio & volũtas, & vires omnes inferiores ex coniunctione ad originalem iustitiam recipiunt. Cuius rei aliqualis similitudo esse potest in cogitatiua hominis, quæ ex coniunctione ad rationem & intellectum meliùs operatur, quàm sine ipsis. Imò verò, vniuersaliter loquendo, supremum infimi in vnoquoq; ordine, superiori vnitum, non solũ superioris perfectionẽ participat, sed etiã secundũ sibi propria nobilitatur & meliorẽ sortẽ habet. Meliùs nãq; cogitatiua natura operatur, quã separata ab illa; & id cernere licet in calore hominis natiuo qui ex cõiunctione ad animã perfectiores edit operationes quã sibi relictus. ¶Ex his colligũt pleriq; Theologi inter quos prin- *Quid Theologi colligãt ex Caie. sententia.* ceps est Caie. differentiã inter iustitiã originalẽ, & hunc naturæ vigorẽ ex parte effectus. Nã cũ dono iustitiæ originalis, natura hominis non potest prius deficere venialiter quã mortaliter; at vigor iste naturæ permittit priùs venialẽ offensam. Posset nãq; homini huiusmodi vigore vallato, etiam sese insinuare parua quædam declinatio citrà finem, & id nõ sustinet neq; cõpatitur integritas status iustitiæ originalis. ¶Colligunt secundò, quòd vigor iste naturæ humanæ essentialiter est naturalis; quoniam est vigor partis superioris nostræ animæ, secundum rationalem naturam, se extendens ad solum



solũ & onue bonũ rationi proportionatũ. Et idcir co si adiungatur naturę in puris naturalibus, consti tuit statũ naturæ integræ, quo deperdito, natura iure & merito vocatur corrupta. Meritò ergo natura integra est, quando nihil deest naturalium non solùm constituentium naturam, & fluentium ab illa, sed etiam requisitorum secundùm eam; & corrupta dicitur natura, si quid horum perdiderit, & amiserit. Et quamuis de facto iste vigor non habeatur nisi ex coniunctione ad statum gratuitum originalis iustitiæ, nihilominùs intellectus potest vnum ab alio præscindere; quia vnum reuera ab alio distinguitur. Et vigor hic essentialiter est naturalis vt dictum est, & non gratuitus. Per hominem ergo in natura integra formaliter loquendo de integri- *Caietan. sent.* tate naturæ Caietanus intelligit hominem in puris naturalibus cum vigore isto, firmante & perficiente naturam, in ordine ad bonum morale naturæ suæ proportionatum, præscindendo per intellectũ donum originalis iustitię. Nam cùm dixerit. S. Tho. quòd homo in natura integra potest per sua naturalia facere omne bonum suæ naturæ proportionatum cum solo generali Dei auxilio, ex hoc liquet, quod id quod homo potest per donum originalis iustitiæ, non potest per sua naturalia.

*Caietanus.* Mirabilis est hęc Caietani sententia & ingeniosa satis pluſquam vera, credit tamen ille esse sententiam D. Thom. in disputatione de peccatis, vbi eo loco sanctissimus Præceptor constantèr asseuerat, *S.Thom.* hominem per originale peccatum duo perdidisse bona, nempe originalem iustitiam, & præterea vigorem rationis, & idcircò ait se non esse inuentorem huius vigoris, quem tanti facit vt ab originali iustitia distinctum esse dicat, (licet eam concomitetur) & ob id constituere nouum quendam statum naturæ humanæ distinctum à reliquis.

*Nota.1.* His ergo ita prælibatis, pro intelligentia huius controuersiæ aduerte primò, quòd de facto natura humana solum habuit & habet quatuor status: habuit enim in primordijs suæ creationis statum iustitiæ originalis in primo parente, quo peccante fuit in secundo statu peccati originalis. Tertiò fuit in statu gratiæ quæ per Christum homini concedi tur; Et quartò tandem in statu gloriæ & beatitudinis. Itaque & est status iustitiæ originalis, & status peccati originalis, imouerò & peccati actualis & habitualis, & tertiò est status iustitiæ iustificantis, & gratiæ per Christum; & tandem est status fœlicitatis supernaturalis. Cæterũ, vt huius materiæ campus, ampliùs aperiatur, res hæc fusius scribenda est. Dico ergo posse nos hominem cogitare in sex statibus distinctis, vt insinuant plerique Theologi inter quos est Pater Soto lib.1. de natura & gratia inter initia, & Caietan hoc art. Primus status est pu- *Primus status pure naturalis.* re naturalis, sine vllo dono gratuito, nempe sine peccato & gratia, & sine iustitia originali, & sine vllo dono sanante naturam, cum sola quidem compositione ex corpore organico & anima rationali, & libero arbitrio, alijsque potentijs naturalibus, & hic est status purè naturalis, de quo loquũtur Theologi quando disputant de homine in solis purisque naturalibus. Secundus status hominis seu naturæ humanæ, est ille quem Caiet. fingit, quando consideratur natura humana cum vigore illo rationis & virium animæ, hoc est, cum quadam sanitate & firmitate naturæ, ex cuius vigore fit potens seruare semper rectitudinem rationis in omnibus agendis, circa bonum morale naturæ proportionatũ. Et falluntur in hac parte noui quidam interpretes D. Thom. qui per hominem in hoc statu conditum, intelligunt hominem non solùm conditum in statu rationi naturali consono, verùm etiam in eo statu, in quo pars sensitiua est subiecta rationi, & ipsa ratio est subiecta Deo, & benè affecta erga ipsum, vt est finis naturæ, ita vt in naturalibus homo sit prorsùs perfectus, & omnino rectus. Nam profectò, hic cumulus perfectionum non est cur non constituat statum iustitiæ originalis, & non hunc secundum. Et ob id secundus hic status de quo loquimur, includit vigorem rationis & partis superioris animæ ad conseruandum statum rationi in nullo dissonũ, quamuis admittat, homini hoc vigore prædito, posse subrepere paruam aliquã declinationem citrà finem. Etenim, etiam in hoc statu naturæ rationali consono per vigorem naturæ, etsi pars superior rectè se habeat ad Deum, inferiora tamen à rationis ordine exorbitare possunt, licèt non permittantur. De hoc autem statu consono naturæ rationali per naturæ vigorem, inquit Caiet. quòd talis status nunquam est inuentus in se ipso seperatus ab alijs statibus, sed solùm fuit repertus concomitanter in statu iustitiæ originalis, à qua continebatur, vt in Adã. Ve in statu excellẽtissimo, vt in Beata Virgine. Sed an possit reperiri hic secundus status de facto distinctus à reliquis, diuersa res est, de qua fortasis infra dicemus. Itaque, status iste est mediũ quoddã inter statum in puris naturalibus, & statum in iustitia originali; & ob id per naturam integram intelligit Caiet. ipsam naturam in statu consono naturæ rationali per vigorem suprà dictum, qui superaddi tur ad pura naturalia, vt conseruet omnes vires animæ in rectitudine debita. Si roges, An iste vigor sit naturalis vel gratuitus? Respondet Caiet. quòd supponit quidem donum gratuitum nempe iustitiam originalem ex qua prouenit, in quantùm ratio ipsa ex coniunctione ad hanc iustitiam vigoratur, sicut vis cogitatiua in nobis (vt dictum est) ex coniunctione ad intellectum, perficitur inordine ad suas operationes sensitiuas. Tertius status fœlicissimus, est iustitiæ originalis, in quo primus Adam conditus fuit, de quo Sapiens dixit, Quòd fecit Deus hominem rectum, ipse autem se immiscuit mille quæstionibus. Hic autem status iustitiæ originalis, addit supra statum secundum vigoris naturæ consonum naturæ rationali, indefectibilẽ ordinẽ & corporis sub anima & inferiorũ sub superiori, quẽ non dicit simplicitèr status ille vigoris naturæ. Quartus est status gratiæ iustificãtis quæ nobis datur per Christum. Quintus status est naturæ lapsæ, in quo homo consideratur iã prolapsus in peccatũ. Tandem sextus & vltimus status est fœlicitatis & beatitudinis.

Secundò maximè aduertere oportet, quanta & *Nota.2.* qualis sit differentia, inter hos status quos suprà retulimus. Et profectò, Caiet. inter primum statum hominis in puris merisque naturalibus, & quintum naturæ lapsæ, licèt constituat distinctionem realem, quod attinet ad rationem formalem status, quia in natura lapsa homo & est inimicus Dei, & ab illo

illo auerſus; in puris autem naturalibus, & eſt ſine peccato & culpa; & abſque inimicitia Dei. Quod tamen attinet ad ſufficientiam virtutis operatiuæ, ea ſola diuerſitas eſt inter vtrumque ſtatum, quæ reperiri poteſt inter hominem qui ſemper fuit nudus & eum qui licèt aliquando fuerit veſtitus, modò tamen eſt veſtibus ſpoliatus, vterque namque incedit æquè nudus; ſed nuditas in primo habet rationem meræ negationis, in ſecundo verò æqualis nuditas, habet rationem priuationis, & pœnæ, ita homo in puris meriſque naturalibus, conſideratur tãquam homo nunquam veſtitus, at in ſtatu naturæ lapſæ conſideratur homo, vt ſpoliatus veſtibus, nempe iuſtitia originali, & ſupernaturali gratia, ita vt ſpoliatio in ipſo habeat rationem priuationis & pœnæ, quæ quodammodò cenſentur eſſe voluntaria in ſua radice & cauſa. Quod autem attinet ad ſufficientiam virtutis operatiuæ in ordine ad bonũ naturæ proportionatum, æqualis eſt potentia in vtroque homine. Cuius rei rationem aſſignat Caietanus. Quia originalis iuſtitia tantùm ſe habebat in homine ſicut remouens prohibens; remouebat nãque impedimenta, quæ ex paſſionibus apperitus ſenſitiui, vel ex alio capite, poſſent impedire rationem ne rectè operaretur in omnibus. Vnde, illa deſtitutio quæ manet in potentijs operatiuis ſublata iuſtitia originali, non eſt effectus per ſe ſpoliationis iuſtitiæ originalis, ſed tantùm peraccidens, ſicut remouentis prohibens. In naturalibus verò cõſtat, quod ad remotionem prohibentis, non ſequitur maior vel minor effectus, quàm ille qui eſt proportionatus naturis rerum: vt patet in lapide qui remoto prohibente, æquali impetu deſcendit atque ſi nunquam fuiſſet prohibitus. Et in ipſo etiam homine eſt huius rei exemplum manifeſtum. Iuſtitia namque originalis impediebat etiam ex parte corporis corruptionem, & nihilominùs ea ſublata non manet homo magis corruptibilis quam ſi eſſet in puris naturalibus, ſine gratia & peccato. Eſſet nihilominùs differentia inter vtrumque ſtatum, quantum ad rationem meriti & demeriti. Homo enim in puris naturalibus ſi operaretur aliquod bonum morale, eſſet capax præmij, quod ſanè mereretur per operationem bonam moraliter; Quia neque eſt inimicus Dei, neque auerſus ab illo, imò verò conuerſus ad Deum tanquam ad finem naturalem; at verò homo in ſtatu naturæ lapſæ, ſi operaretur æquale bonum morale, non mereretur per illud, neque reciperet aliquod præmium, niſi adiuuaretur priùs ab aliquo auxilio ſpeciali Dei. Quia eſſet inimicus Dei, & auerſus ab eo. ¶ Secundus autem ſtatus qui eſt conſonus rationi naturali, per vigorem naturæ & rationis differt à primo ſtatu. Quia in puris naturalibus, eſſet planè appetituum diuerſitas, & executio huius appetitionis. Nam quicùmque inclinaret ad bonum proprium, neque plenè ſubijceretur ſenſitiuus appetitus ipſi rationi, & ob id ex intrinſeco defectu virium naturalium, ſequeretur aliquã do peccatum in ipſa natura. At verò in ſtatu illo cõſono rationi per vigorem naturæ, pars ipſa rationalis ita ſubijceretur Deo, quod etiam poſſet ſubijcere appetitum ſenſitiuum ſibi & Deo vt in nullo deuiaret à regula rationis. Nam quamuis in tali ſtatu poſſet appetitus ſenſitiuus inclinare ad propriũ obiectum, nunquam tamen permitteretur contra regulam rationis agere. Et dicitur ſtatus iſte conſonus naturæ, non quia dimanet ex principijs naturæ tanquam pars illius, ſed ex eò quod perficit & ordinat ipſam naturam in ordine ad bonum ſibi connaturale. Eſt nanque naturale homini, viuere ſecundùm rationem rectam. Itaque iſta rectitudo, & conſonantia naturæ, in ſecundo ſtatu, neque eſt merè naturalis, neq; merè gratuita. Non quidem merè naturalis, quia neque conſequitur naturam vt ſic, neque ex eius principijs obtineri poteſt, neque eſt etiam omnino ſupernaturalis & gratuita, quia non perficit naturam in ordine ad aliquod bonum ſuperexcedens, ſed in ordine ad bonum proportionatum eidem rationi naturali tantùm. Et ob id, licèt eſſet ſupernaturalis poſſeſsiuè, hoc eſt, ex gratuito dono Dei obtinenda, cæterum eſſet naturalis obiectiuè, & ſecundum ſuam ſubſtantiam, hoc eſt, perficiens ipſam naturam, tantùm in ordine ad bonum rationis ſibi proportionatum & connaturale. Verbi gratia, ſiquis artifex inueniret artem aliquam, qua poſſet vigorare ferrum, vt nunquam cõtraheret rubiginem; tunc talis ars maximè eſſet conformis naturæ ipſius ferri, quamuis ex accidenti & ab extrinſeco, conueniret ipſi ferro. Verumtamen, vt ſuprà diximus, hic ſtatus nunquam fuit ſeparatus de facto à iuſtitia originali, ſed ſemper fuit repertus in homine ſimul cum originali iuſtitia, vt in primo parente, vel cum ſtatu excellentiſsimæ gratiæ, qualis eſt illa quæ data fuit Beatiſsimæ Virgini. Et licèt vigor ille rationis, ſeu rectitudo illa vigoroſa naturalis, non eſſet pars originalis iuſtitiæ; conueniebat tamen ipſi naturæ intra proprios limites, & in Adam conueniebat illi ex coniunctione ad ſuperius donũ iuſtitiæ originalis, vt ſuprà dictum eſt à nobis. ¶ Tertius ſtatus eſt iuſtitiæ originalis, & hic addit ſuprà hunc ſecundum, indefectibilem quendam ordinem ipſius rationis ad Deum authorem naturæ, & virium inferiorum ad ipſam rationem, vt ſuprà etiam retulimus, taliter quòd cũ iſto ſtatu non poterat eſſe primum peccatum hominis veniale, cum ſtatu autem illo conſono rationi, benè potuit eſſe primum peccatum hominis veniale. Sed de hac differentia fuſior habendus eſt nobis ſermo deinceps. ¶ Quartus ſtatus eſt gratiæ ſupernaturalis, & hic addit ſuprà præfatos omnes, eleuationem naturæ ad finẽ ſupernaturalem, & principium meritorium ipſius, & eſt ſtatus ſuperioris ordinis. Magna enim & pretioſa nobis Deus donauit, vt filij Dei nominaremur & eſſemus per hãc gratiam de qua loquimur, & per quam conſtituitur hic quartus ſtatus. ¶ Tandem poſtremus ſtatus vię, eſt naturæ lapſæ quæ infecta eſt peccato originis, imò verò à nobis pleriſque infecta culpis mortalibus, actualibus, & habitualibus; qui ſtatus ob huiuſmodi delicta, includit etiam naturam cum inimicitia, & auerſione ad Deum.

Caietanus.

2. Status.

3. Status.

4. Status.

Tertiò valdè obſeruare oportet, quòd aliud eſt explicare, quid ſit poſsibile ſecundùm Dei potentiam abſolutam, aliud verò quid deceat ipſam diuinam potentiam, cum alijs perfectionibus infinitis, ſapientiæ & bonitatis quas habet. Multa namque poſſet Deus ſecundùm abſolutam potentiam, quæ tamen non decent ipſum Deum; poſſet nãque Deus creare

Nota. 3.



creare ſubſtantiam ſine multis potentijs & accidentibus, quæ ipſam perficiunt & exornant, non tamen id decet diuinam bonitatem & ſapientiã. Fatemur tamen ſimul cum hoc, potentiam ipſius abſolutam, ſe extendere ad omnia ea, quæ non inuoluunt repugnantiam neque implicant contradictionem.

Concluſ. 1.

His animaduerſionibus veluti præambulis ita prælibatis, eſt prima propoſitio. Primus homo ita fuit creatus à Deo in natura integra, vt pariter habuerit cum naturæ ſuæ integritate, dona alia ſupernaturalia & diuina. Hæc eſt certa; Et quòd ante peccatum habuerit ſupernaturalia dona, & ſanctitatem atque iuſtitiam, certa fide credendum eſt. Sic in Cõcil. Trident. legimus. Siquis non cõfitetur primum hominem Adam, cum mandatum Dei in Paradiſo fuiſſet tranſgreſſus, ſtatim ſanctitatem & iuſtitiã in qua conſtitutus fuerat amiſiſſe, &c, Totumque Adam per illam præuaricationis offenſam, ſecundùm corpus & animam, in deterius commutatum fuiſſe, Anathema ſit. Et in Cano. 2. & ſeſsione. 6. capit. 7. in fine idem diffinitur quod in ſeſsione. 5. Quibus locis apertè decernitur primum hominem etiam ante peccatum, habuiſſe ſupernaturalia dona ſanctitatis. Imò verò Sancti Patres vt Auguſt. homil. 37. de verbis Domini, & homil. 2. de verbis Apoſtoli. Beda. lib. 3. ſuper. Lucę. caput. 43. Chryſoſt. tomo. 2. in homil. ſpeciali qua explicat parabolam Lucæ. 10. Et communiter Sãcti explicantes teſtimonium illud Lucæ. 10. de homine illo, qui incidit in latrones, qui deſpoliauerunt eum plagis impoſitis ſemiuiuo relicto, interpretantur locum hunc de Adam, qui per peccatum expoliatus eſt gratia & donis ſupernaturalibus. D. Cyrill. lib. 1. ſuper Ioan. capit. 15. lib. 2. capit. 3. aperte ait, primum hominem accepiſſe gratiam Spiritus ſancti à principio ſuæ conditionis, à qua per peccatum denudatus eſt auolante Spiritu ſancto. Idem Anaclet. epiſt. 1. ad omnes fideles; Damaſc. 2. de fide capit. 30. D. Ambroſ. lib. 6. Exameron. cap. 7. & 8. D. Aug. 14. de Ciuit. capit. 11. & 6. ſuper Geneſ. ad literam capit. 26. & 27. Et profectò, hæc concluſio eſt communis conſenſus eccleſiæ. Vndè Auguſt. lib. de correct. & gratia. capit. 10. agens de rectitudine in qua conditus eſt Adam, æquiparat illum Angelis, & idem in Enchirid. capit. 104. Et profectò, Deus impoſuit homini præceptum ſtatim in initio, ne ederet de ligno ſcientiæ boni & mali: ergo contulit ei ea auxilia, quibus poſſet, & naturalia & poſitiua præcepta implere. Imò D. Auguſt. Contra Pelag. lib. 3. loquens de Adam, & de poſsibilitate implendi diuinum præceptum meritoriè, ait, quòd Deus iuſtè poſuiſſet præceptum, ſi non erat poſsibilitas adimplendi, & loquitur de poſsibilitate implendi meritoriè, quę nó eſt ſine gratia iuſtificãte. Rurſus, benè ſequitur; Adam nó habuit gratiam neque dona ſupernaturalia cum fuit creatus, neque etiam ante peccatum: ergo primum Adæ peccatum non fuit priuatio gratiæ, ergo originale peccatum quod in nos transfunditur, etiam de facto non eſt priuatio gratiæ. Tandem, omnes homines in præuaricatione Adæ, inocentiam perdiderunt & ſanctitatem, vt ait Concil. ſed hæc ſanctitas & innocentia, non potuit eſſe ſine dono ſupernaturali, alias Paul. non colligeret efficax argumentum, ad probandum quòd per obedientiam Chriſti ſumus conſequuti quod per inobedientiam Adæ, perdidimus. Nam ſi Adam non habuiſſet ſupernaturalia dona, ſequitur nos non fuiſſe conſequutos per obedientiam Chriſti, ea dona, quæ perdideramus in illo.

Conc. Trid. ſeſs. 5. cano. 1.

Auguſt. Beda. Chryſoſt.

Cyrillus.

Anacle. Ambro. Hexam. Auguſt.

Paul. ad Rom. 5.

Paul. 1. Corin. 15.

Quod verò fuerit creatus primus homo in natura integra, pariter eſt communis conſenſus Sanctorum Patrum & Eccleſiæ. Quia certum eſt fuiſſe creatum à Deo in iuſtitia originali, ſiue illa diſtinguatur à gratia, ſiue non; vt nos fuſe in. 2. tomo. 1. part. quæſt. 95. art. 1. diſput. 2. deduximus. Nam cùm primum condebatur hominis natura, ſi acceperit ſupernaturalia dona gratiæ, non eſt cur intelligamus Deum denegaſſe minora dona integrantia naturam. Eſt in re hac inſigne teſtimonium Eccleſiaſtici. 7. Fecit Deus ab initio hominem rectum, ipſe autem immiſcuit ſe mille quæſtionibus. Sed nomine quæſtionum adumbrauit Sapiens perplexitates omnes, quæ in hoc ſtatu naturæ lapſæ, ex corporis defectu, ex bello & ſenſualitate, & ex ęgritudine, nobis ſociantur, & pœnalitates vniuerſus ex peccato ortæ; igitur in ea rectitudine & integritate conditus eſt homo, in qua nulla eſſet perturbatio rationis à ſenſualitate. Quo argumento & teſtimonio, aperte colligitur, primum hominem ita creatum fuiſſe à Deo in natura integra, vt pariter habuerit cum naturæ ſuæ integritate, dona alia ſupernaturalia & diuina. Sanè, Sanctus Tho. non ſolùm naturæ integritatem, verum & ſupernaturalem celſitudinem ex præfato teſtimonio Sapientis, oſtendit. Nam finis hominis eſt beatitudo cœleſtis, gratia vero eſt ſemen illius: ſed Deus rebus omnibus, cùm eas condidit, virtutem donauit eiſdem, vt earum quælibet ſementem faceret in genere ſuo, vt hac via finem ſibi debitum conſequeretur: ergo pari ratione conuenientiſſimum fuit, vt in hac integritate naturæ, & in ſupernaturali etiam rectitudine conderetur, quibus ad ſupernaturalem beatitudinem duceretur. Tandem, natura humana recepit in Adam ius ad regnum cœleſte, & ad beatitudinem ęternam: ſed ius ad regnum non adquiritur, niſi per gratiam gratum facientem, per quam homo ſit filius Dei & hæres æternæ beatitudinis: ergo Adam recepit gratiam pro ſe & pro tota ſua poſteritate: ergo recepit illam in primo inſtanti cum originali iuſtitia, in poſteros transfundendam. Hanc rationem latius ſumus proſequuti in. 1. p. q. 95.

Eccleſ. 7.

Eccleſ. 7.

Concluſ. 2.

Secunda propoſitio. Status naturæ integræ includit naturam perfectam cum iuſtitia originali, formaliter loquendo de originali iuſtitia, vt condiſtinguitur à gratia gratum faciente. Et quamuis per naturam integram, poſſet intelligi natura cum vigore rationis in ſtatu naturæ rationali conſono, ſi Deus hunc ſtatum condidiſſet diſtinctum à iuſtitia originali: Cæterùm de facto S. Tho. cùm ſermonem inſtituit de homine in natura integra, loquitur de ſtatu includente naturam perfectam, cum iuſtitia originali, & vigore rationis ab ea ſecuto, in quo ſtatu, de facto Deus naturam humanam condidit, cùm Adam primum hominem creauit. Imò verò Caiet. fatetur ſtatum naturæ integræ, de facto non includere pura naturalia

Rationes pro hac Concluſ.

turalia, licèt nolit concedere quòd includat iustitiam originalem. Credit enim, quòd status naturæ integræ, est medium quoddã inter statum in puris naturalibus, & statum in iustitia originali; de facto tamen ait, quòd iste status vigoris naturæ supponit donum gratuitum, nempe ipsam iustitiam originalem, ex qua prouenit vigor ipse. Sed profectò, videtur fictitium quod Caiet. ait. Quia vigor ille rationis, est effectus iustitiæ originalis: ergo implicat dicere, quòd homo ex vigore illo rationis, possit operari omne bonum morale, & quòd non operetur ex vi iustitiæ originalis, sed ex suis naturalibus; ipsa enim vis iustitiæ originalis vt sic, non est aliud quã, ille vigor ab illa proueniens. Imò verò, cùm iustitia originalis primario sit in essentia, non aliter habet vim operandi, quàm perficiendo, & roborando rationem, & reliquas potentias, igitur idem est operari ex iustitia originali, & operari ex vigore seu robore rationis. S. Thom. & Sãcti Patres, solùm distinguunt duplicem hominis statum, scilicet, statum integrum innocentiæ causatum per iustitiam originalem, & statum naturæ lapsæ: non ergo oportet in ipso statu innocentiæ distinguere duos status, vnum naturæ integræ ex vigore rationis, & alterum iustitiæ originalis. Nam de facto hæc in Adam, vnum tantum integrum statum constituebant. Et ob id cũ S. Thom. loquitur de statu in natura integra, loquitur de eo statu qui de facto præcessit in Adã, in quo fuit vera integritas, & cõsummatio naturę ante peccatum. Et hoc planè insinuat Sanctissimus Præceptor in corpore articuli. Nam ait, naturam hominis bifariam posse considerari, primò quidem in sui integritate, sicut fuit in primo parente ante peccatũ. Altero modo, secũdùm quòd est corrupta in nobis post peccatum primi parentis. Et quo pacto per naturam integram intelligit naturam, sicut fuit in primo parente ante peccatum. Profectò, quòd status naturæ integræ includat naturam perfectam cũ iustitia originali vt sic, sentiunt communiter Doctores, & Sancti Patres, & ita sentit S. Thom. in discursu huius articuli. Et quando arguitur: Quia iustitia originalis non est naturalis: ergo licèt possit homo per illam operari omne bonum naturæ, non est dicendum, quòd id possit per sua naturalia. Respondętur, quòd iustitia originalis secundùm D. Thomæ sententiam. 1.2. q. 85. art. 1. computatur inter bona naturalia. Quia licet non profluat ex proprijs naturalibus, fuit tamen data toti naturæ cùm primùm condita est, vt esset perfecta in ordine ad bonum sibi connaturale. Nam vt ait Sanctissimus Præceptor in artic. 3. sequenti ad. 3. ibidem, nempe in quæst. 85. citata, quòd concupiscentia subdatur rationi, est homini maximè naturale, hoc autem præstabat iustitia originalis. Imò verò affirmat idem Sanct. Tho. quòd concupiscentia in tantum est naturalis homini, in quantùm subditur rationi. Quòd autem excedat limites rationis, hoc est homini contra naturam.

*Conclus. 3.* Tertia propositio. Per hominem in natura lapsa, intelligimus naturam cum priuatione originalis iustitiæ, & cum priuatione rectitudinis proenientis ab ea. Nam cùm lapsus naturæ opponatur eius integritati, in tantùm dicitur natura lapsa, in quantùm caret integritate, & vigore, quem præstabat iustitia originalis. Quocircà, licèt homo sit iustus & in gratia Dei nunc, nihilominùs dicitur esse in statu naturæ lapsæ; quia non habet illam rectitudinẽ, & ordinationem consummatam, atque perfectam, qua appetitus sensitiuus plenè subdebatur rationi per iustitiam originalem; sed potiùs habet repugnantiam & rebellionem huius appetitus ad rationem. ¶ Ex dictis sequitur, aperta conuenientia, inter hominem existentem in natura lapsa, & hominẽ in puris naturalibus constitutum: conueniũt enim quòd neuter habet originalem iustitiam, vel aliquam qualitatem superadditam potentijs naturalibus. Conueniunt etiam, quià in vtroque, sensualitas repugnat rationi magis, vel minùs pro diuersitate complexionis. Ita Caietan. hic. Soto. 1. de natura & gratia. cap. 3. & 13. Vega lib. 2. super Concilium cap. 11. Et colligitur Sanct. Thom. in hac. 1.2. quæstione 82. articulo. 1. ad tertium. Vbi ait, quòd peccatum originale, non aliter causat inclinationem inordinatam appetitus, quàm remouendo prohibens talem inclinationem, quod erat iustitia originalis.

*Conclus. 4.* Quarta propositio. Homo in natura lapsa, multis modis differt ab homine in puris naturalibus cõstituto. Differunt enim primò, quoniã ille qui est in natura lapsa, nisi superaddatur gratia, est positiuè inimicus & peccator ratione peccati & maculæ originalis, qui autem esset in puris naturalibus, nõ esset positiuè inimicus & peccator. Secũdò differũt, quia defectus iustitiæ originalis, & repugnãtia appetitus sensitiui ad rationẽ in natura lapsa sunt pœnæ; at verò in puris naturalibus nõ haberent rationẽ pœnæ; quia in eo qui est in natura lapsa, habet rationẽ priuationis formæ debitæ inesse, in eo autẽ qui esset in puris naturalibus, non haberet rationem priuationis, quia natura illius non erat ordinata ad iustitiam originalem, atque adeò non debebat illam habere, sicut ille qui est in natura lapsa. Et idcircò, communiter dicitur, quòd homo in natura lapsa differt ab homine in puris naturalibus, sicut ille qui est spoliatus vestibus, quibus antea erat indutus, ab eo qui est nudus & nunquam habuit vestes; vt superiùs à nobis dictum est & explicatum. Tertiò differunt, quia naturalis inclinatio & habilitas ad virtutẽ in homine in natura lapsa, est diminuta, & quasi hebetata ratione peccati, per quod fuit homo cõuersus ad bonũ cõmutabile, & ad vitiũ vt suprà docuit S. Tho. in hac parte. In homine autem in puris naturalibus existente, non est tantùm diminuta nec debilitata huiusmodi inclinatio naturalis. Vndè, promptiùs & faciliùs operaretur ille bonum rationis quam operatur in natura lapsa. Ex quibus liquet qualiter sit intelligendũ Conc. Arau. cap. 1. 13. & 25. quando dicit, liberum arbitriũ post peccatum Adę esse attenuatũ, infirmum & læsum. Non enim est imaginandum, quòd deficiat ei particula aliqua suæ entitatis, aut quòd sit illi impressa qualitas aliqua morbida, necesitans ipsum ad malum, vt falsò dicunt hæretici, contra quos disputat Alb. Pighius. cõtrouers. 1. Sed intelligi debet, quòd ex defectu iustitiæ originalis, & ratione conuersionis ad bonum commutabile, &c. non habet liberum arbitrium eas vires ad prosequendum bonum naturæ proportionatum, quas habuisset ante peccatum Adæ.

*S. Tho. 1.2 q. 35. art. 1.*

Quin-



*5. Concluſ.* Quinta propositio. Sententia Caiet. de secũdo & tertio hominis statu, licèt ingeniosa sit, & subtiliter ab eo dicta, sed fortasis est vero similius magisque rationi cõsonũ, ꝙ isti duo status sunt vnicus status. Quocircà existimo, clariùs & verius dici posse, ꝙ status iustitiæ originalis, quatenùs iustitia est donum sanans naturam in ordine ad bona naturalia, dicitur status consonus naturæ rationali. Quoniam dato, talis iustitia esset donum gratuitum, tamen computabatur inter naturalia, ex eo quòd firmabat naturam in ordine ad finem naturalem; & ob id quòd vigorabat naturam, appellatur status consonus naturæ rationali. Vndè, si vigor quem habet natura hominis in statu consono naturæ rationali, conuenit illi ratione iustitiæ originalis firmantis naturam in ordine ad finem naturalem, videtur quòd ipsa iustitia originalis, sub hac ratione, sit intrinseca statui consono naturæ rationali, & per consequens, idem sunt status iustitiæ originalis quatenùs est donum sanans naturam rationalem in ordine ad finem naturalem, & status hominis qui appellatur consonus naturæ rationali. Quod si hoc verùm est, inde sequitur, quòd sicut statui iustitiæ originalis repugnant passiones & peccata venialia, ita etiam repugnant in isto statu consono naturæ rationali, quia sunt vnus & idem status. Ad illud verò quod Caiet. dicit, quod ipsa hominis natura secundùm se ex coniunctione, quam habet ad iustitiam originalem, habet vigorem ad omne opus virtutis. Respondetur, quòd si ab ipsa hominis natura, in eo qui habet iustitiam originis, separemus per intellectum originalem iustitiam, non videtur quòd natura habeat maiorem vigorem, quam si esset in puris naturalibus; Neque oppositum dicit S. Tho. in illa. q. citata. Quare, cùm dicimus quòd in habente iustitiam originalem, natura secundùm se, aut homo, per sua naturalia, potest operari omne opus virtutis; illud verbum, secundùm se aut per sua naturalia, non excludit iustitiam originalem, sed potius includit, quatenùs est donum sanans naturam in ordine ad finem naturalem. Et hoc voluit dicere D. Tho. quando dixit quòd homo per peccatum, est destitutus iustitia originali, & vigore rationis. Quoniam eo ipso quòd perdidit homo iustitiam, perdidit vigorem qui intrinsecè proueniebat à iustitia, quæ computabatur inter naturalia. His ergo consideratis statibus, facile est intelligere sensum D. Tho. & quid intelligat per statum naturæ integræ & naturæ corruptæ.

*Ad rationes dubitandi. Ad primã.* Ad rationes dubitandi propositas initio dubij. Ad primam patet solutio, quòd per hominem in natura integra, intelligit Sanct. Thom. hominem in statu iustitiæ originalis, sine defectu culpæ, à qua iustitia, intrinsecè oriebatur vigor ille rationis, & status consonus naturæ rationali, Et iustitia originalis, quatenus erat donum sanans naturam in ordine ad finem naturalem, computabatur inter dona naturalia, propter rationes suprà assignatas. An verò iustitia illa originalis, esset distincta realiter à gratia, vel solùm ratione; non est huius loci, sed de ea re egimus. 1. part. quæstione. 95. articulo primo. ¶ *Ad secundã* Ad secundam iam diximus, quid oporteat intelligere per hominem in natura corrupta.

# DISPVTATIO II.

*Vtrùm status consonus naturæ rationali ex vigore rationis, possit creari distinctus ab statu iustitiæ, & ab statu in puris naturalibus?*

DIfficultas huius quæstionis ortum habet ex præcedente dubitatione, & ex varietate sententiarum; quas Theologi, præsentim recentiores, in hac parte tenent. Henric. quod- *Henric.* lib. 6. q. 11. affirmat, ad integritatem naturæ non requiri aliquod donum naturę superadditum, sed solam rectitudinẽ naturalẽ voluntatis, quæ prouenit ex principijs intrinsecis ipsius naturę. Quocircà, videtur sentire Henric. quòd homo in puris naturalibus, habet statũ naturæ integræ, ex quo planè deducitur quòd secũdũ illũ, status cõsonus naturæ rationali, nõ est distinctus nec potest esse distinctus ab statu in meris purissimis naturalibus. Imo verò sequitur ex ipsius sententia, quòd status naturæ lapsæ nõ solũ importat priuationẽ iustitiæ originalis, sed etiam priuationẽ rectitudinis naturalis quã haberet voluntas hominis cõstituti in puris naturalibus. ¶ Sed cõtra hanc sententiã multipliciter arguit Scot. in 2. d. 29. q. 1. Breuiter tamẽ sic argumentor cõtra Hẽric. Nã secũdũ communẽ sententiã Sanctorũ, homo in statu naturę integræ poterat seruare omnia mãdata legis naturalis, vt infrà ostẽdemus: sed homo in puris naturalibus id nõ posset: ergo nõ est idẽ status naturæ integræ, & status in puris naturalibus. Minor patet. Quia homo in puris naturalibus cõstitutus, habet appetitũ repugnãtẽ rationi, & subiectum ignorãtiæ: ergo necessariò aliquãdo vincetur à sensualitate, & trãsgredietur mãdata legis. Et cõfirmatur. Quia vt ipse Hẽric. loco citato fatetur, *Confirm. 1.* homo in puris naturalibus, nõ posset cauere omne peccatũ sine aliquo dono superaddito: ergo neque posset seruare omnia præcepta naturalia. Et cõfirmatur iterũ. Quia ad statũ naturæ integræ pertinet se- *Confirm. 2.* cũdũ Sãctos Patres, ꝙ possit homo nũquã mori: sed homo in puris naturalibus id nõ posset, vt apertè cõstat, licèt oppositũ videatur dicere Hẽri. ergo, &c.

*2. Sententia.* Alij Theologi sunt qui dicant, quòd non potest creari homo à Deo sine vigore rationis, per quem sit potens vitare omne peccatum & subijcere appetitum in omnibus agendis, siue id sit per qualitatem inhærentem, siue per auxilium actuale collatum à Deo, vt est author naturæ, per quod posset omnia præcepta & collectiuè & diuisiuè implere. Itaque existimat hæc sententia, hominem in puris naturalibus, necessario includere rectitudinem, sic adeò, vt non possit creari à Deo sine vigore rationis, in statu illo consono naturæ rationali. Et ita, status in natura integra, non distinguitur ab eo qui est in puris naturalibus. Et huic etiam sententiæ multũ fauet Hẽric. loco citato. Et arguitur pro hac sen- *Argu. 1. pro 2. sententia.* tẽtia primo; Nẽpe ꝙ nõ põt creari homo sine vigore illo rationis. Nã Deus creãdo hominẽ, imponit illi naturale præceptũ seruandi totam legem, & exequendi omne bonum morale debitum suæ naturæ: ergo potest ille homo in puris naturalibus implere totam legem: ergo si potest implere, vigorem habet

rationis ad eius implętionem. Cõsequentia patet ex sententia Hierony.in dialogo contra Luciferianos, vbi decernit quòd blasphemum esset dicere Deum præcepisse homini aliquid impossibile:ergo si possibile est homini in puris naturalibus constituto,implere præceptum seruandi totam legem, & exequendi, sequitur quòd non potest creari à Deo sine vigore rationis: ergo homo in puris naturalibus,necessariò includit rectitudinem, & integritatem. Quòd verò statim atque creatur homo etiam in puris naturalibus,imponatur ei naturale præceptum seruandi totam legem, certissimum est;neque enim tale præceptum est superadditum naturæ,sed potius in ipso rationis lumine impressum: ergo.

*Argum.2.* ¶ Secundò arguitur.Peccatum,ita necessariò includit voluntarium,quòd sine voluntario esse non potest: sed peccatum non esset voluntarium huic homini,si non haberet talem vigorem rationis; per quem posset exequi omnem legem:ergo ex ipsa ratione naturæ rationalis debetur illi talis vigor. Probatur minor. Ille homo necessariò peccaret, si destitueretur tali auxilio & vigore rationis, vt etiam Caiet.ipse fatetur:ergo peccatum non esset illi voluntarium.Et cõfirmatur,ex D. Aug.lib.de correct. & gra.cap.11.vbi ait, quòd si Deus non dedisset homini auxilium quo stare potuisset, vtique non sua culpa cecidisset:ergo si Deus non conferret homini in puris naturalibus tale auxilium,& talem vigorem, non deberet illi ad culpam imputari, si aliquando deficeret in lege naturali.

*Argum.3.* ¶ Tertiò arguitur,Deus nullo modo potest esse causa peccati, aut defectus moralis; at si non conferret homini auxilium,& vigorem prædictum, peccatum quodcùmque seu defectus,moralis, referẽda essent in Deum authorem naturæ: ergo non potest creari homo sine vigore illo,aut sine statu consono naturæ rationali.Probatur minor. Nam agens naturale, vel debet constituere effectum in proprio fine, vel concedere media necessaria ad consecutionem finis: sed ad consecutionem finis naturalis, necessarium est præfatum auxilium & vigor naturę,rationali naturæ consonus:ergo Deus necessariò debebat tribuere prædictum auxilium & vigorem; aliàs defectus

*Argum.4.* qui consequeretur ex negatione talis auxilij,refunderetur in Deum.¶ Quartò.Homo in puris naturalibus esset perfectior quacumque creatura corporali:ergo ad perfectiorem finem esset ordinatus:ergo pari ratione etiam haberet vires necessarias ad consecutionem talis finis:aliàs esset homo deterioris cõditionis quam omnes aliæ creaturæ, quæ possunt ex viribus naturæ consequi proprios fines. Imo verò necessariò homo ille esset miser;quia necessario deficeret à proprio fine.¶ Quinto Appetitus sensitiuus in homine ex ipsa institutione humanæ naturæ; datus est ad seruiendum rationi, & vt obediat illi:ergo ex eadem conditione naturæ, debetur rationi talis vigor, & potestas, quibus possit subijcere appetitũ,& dirigere in omnibus agendis.

*Sentẽtia. 3.* Caietanus, Diuersis argumentis permotus dixit quòd homo in natura integra dicitur esse in tali statu,in quo habet rectitudinem naturalem,& vigorẽ illum rationis,per quem potest in omni euentu operari bonum sibi connaturale, & proportionatum; ait tamen statim,quòd licèt iste vigor rationis nunquã fuerit repertus per se solùm; nisi cõiunctus iustitia originali, tamẽ consideratur, nõ vt pars iustitia originalis, sed vt aliquid proportionatũ ipsimet naturæ.Addit rursùs,quòd iustitia originalis habet se ad hũc statum vigoris,naturę rationali consonũ, tanquã quid extrinsecũ.Nam quamuis sine illa non posset esse hic status;tamen ipsa iustitia,nõ est quæ intrinsecè constituit hunc statum, sed habet se tanquã id, ex cuius cõiunctione cõstituitur ille status.

Tres ergo versantur opiniones in præsenti difficultate,prima est Henrici, quod idem est status in puris naturalibus,quod status cõsonus naturæ rationali cũ vigore naturæ.Et consequenter in hac opinione,nõ potest Deus creare hominem in puris naturalibus,nisi in natura integra, & cũ vigore rationis.Secunda opinio est, quod status in natura integra cum vigore rationis, est idem cum statu in iustitia originali, & consequenter dicit hæc opinio, posse hominem creari à Deo sine iustitia originali, & sine statu illo consono naturæ rationali. Tertia opinio est quã insinuat Caiet.hic,nẽpe quòd potest creari homo à Deo, qui neque sit in puris naturalibus,neque in statu iustitiæ originalis cũ solo vigore rationis. De qua opinione fusiùs dicemus infra.

His ita constitutis est prima propositio. Possibile est Deum condere hominẽ in puris naturalibus de potẽtia eius absoluta,taliter vt neque cõferat illi gratiã,neque iustitiã originalẽ,neque vigorẽ illũ rationis,quẽ comminiscitur Caietanus.Itaque potest Deus cõdere hominẽ ex corpore & anima rationali,cũ libero arbitrio,& cũ rectitudine naturali,sine defectu culpę& sine dono aliquo gratuito superaddito. Et suppono, aliud esse explicare quid sit possibile Deo secũdũ absolutã eius potẽtiam,aliud verò quid deceat eãdẽ potẽtiam Dei cũ alijs perfectionibus infinitis sapiẽtiæ,bonitatis,& prouidẽtię quas habet.Multa nãq; De' põt secũdũ absolutã potẽtiã,quę tamẽ nõ decẽt ipsum Deũ.Posset.n.Deus creare substãtiam sine vllis accidẽtibus,& sine vlla quãtitate, & sine potẽtijs naturalibus quæ eã perficiũt, & exornãt nõ tamẽ id decet diuinã sapientiã. Fatemur ergo potẽtiã eius absolutam extẽdi ad ea omnia,quæ nõ implicãt cõtradictionẽ:nõ tamẽ illa omnia decẽt diuinã bonitatẽ,& sapiẽtiam.Nã si,vt fuit in opinione multorũ,Deus potest facere prętetita nũquã fuisse, nõ decet diuinã bonitatẽ &sapiẽtiã facere Adã nũquã fuisse,aut Prophetas eorũque diuina vaticinia. Neque decet eũ facere quòd verbũ Dei nõ assumpserit carnẽ, aut quòd incarnatio Christi nũquã fuerit,postquã pręcesserit & facta fuit. Sic ergo,licèt forte nõ deceat sapiẽtiã Dei,hominẽ cõdere in puris merisq; naturalibus,quia suauis Dei dispositio postulat naturã in becillem roborare aliquo auxilio, quo possit operari bonũ omne naturæ ꝓportionatũ;Aliàs ille homo in eo statu esset cõditꝰ in quo teneret adimplere omnia pręcepta,& tñ,nõ posset omnia collectiuè implere, secluso omni dono gratuito: Nihilominus,si tm̃ habeatur respectus ad diuinã potentiã pręcisè vt sic nõ est impossibile Deũ posse producere hominẽ in puris naturalibus. Probatur.Nã ꝙ homo ita possit formari à Deo,nõ habet repugnãtiã,aut implicationẽ aliquã,neq; exparte hominis,neq; ex parte Dei. Nam ex parte hominis vt sic, tantum debentur ei anima & corpus & potentia,quæ consequũtur ex huiusmodi compositione,quæ sane, re vera illi homini in tali statu verè & propriè cõuenirent,simul cum potentia liberi arbitrij, & cũ syndęresi &rectitudine naturali.Quòd verò neque ex parte Dei, sit aliqua repugnantia, ostendo. Quia si aliqua est, ea maximè videtur, quòd defectus moralis in quem iste homo incideret,refunderetur in Deum ipsum,vt argumenta initio tacta insinuãt: sed hoc non sequitur ex tali productione, vt ex solutionibus argumentorum ostẽdemus.Et præterea etiam;Quia homo etiam in gratia gratum faciente constitutus, ex debilitate & contrarietate naturæ, certò incidet in aliquod peccatũ veniale, & tñ peccatũ illud non refunditur in Deũ:ergo pari ratione, etiã si homo in puris naturalibus cõstitutus incideret in aliquod peccatũ,& defectũ moralẽ, nõ refunderetur actu talis defectus, in Deũ ipsum.Rursùs,ꝙ non repugnet diuinæ potẽtiæ.Ostendo.Quia adhoc vt dicatur nõ repugnare, satis esset,si produceretur à Deo homo ille, & tãtis per durasset in illo statu, Deo deinceps aliter prouidente de eo: tũc enim in breuissimo illo tempore, non sequerentur inconuenientia in argumentis insinuata.Neque ex hoc quòd produceretur homo in puris merisque naturalibus, sequuntur duo contradictoria vera:ergo.

*Conclus.2.*

*Conclus.2.* Secunda conclusio. Si conderetur homo à Deo in puris naturalibus,tunc in tali statu,Deus tanquã author naturæ,cõtulisset homini illi generale quod dam auxilium, sufficiens adhoc vt possit in singulari operari rectè,& vitare quòdcumque peccatum in particulari. Probatur hæc assertio. Quia author naturæ,sicut non abundat in superfluis, pari ratione non deficit in necessarijs:sed tale auxilium,esset simpliciter necessarium vt homo ille in tali statu implere posset naturalia præcepta:ergo intra ordinem illius status,Deus dedisset illud auxilium. Sed de materia huius conclusionis, fusiùs dicemus dubio tertio sequenti,& etiam infrà articulo.3.

*Conclus.3.* Tertia conclusio. Etiam posito tali auxilio generali sufficiente, adhuc homo ille ex imbecillitate: naturæ, & contrarietate sensualitatis,si viueret per longum tempus, deficeret in aliquo præcepto, & peccaret.Hęc est contra Henric. Ganden. quodlib. 6.q.11.asserentẽ, quòd absque aliqua rectitudine naturę superaddita,ex sola perfectione naturę rationalis,posset homo indefectibiliter operari omne bonum morale,etiam collectiue.Nam profectò;homo in puris naturalibus constitutus, haberet appetitũ repugnantem rationi;Quia appetitus sensitiuus pro pẽderetur in propriũ obiectũ,& interdũ cũ passionibus exorbitantibus: ergo moraliter erit verùm, quòd aliquando passiones, & per modum impedimenti, & per modum contrarietatis, rationem ipsam obruent & perturbabunt. Adde etiam, quòd homo ille,multis erit subditus ignorantijs:ergo aliquando vincetur.Et confirmatur.Quoniam ex illo

*Sapient.9.* Sap.9.Corpus quod corrumpitur, aggrauat animã & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem:Quo loco, non exprimit Sapiens conditionem naturæ lapsæ vt sic,sed magis naturæ,secũdùm propria;corruptibilitas enim corporis esset homini naturalis;& terrena inhabitatio naturalis etiã animæ nostræ: non igitur posset homo ille, diu sine peccato viuere. De materia etiam huius assertionis, fusiùs dicemus infra loco citato.

*Conclus.4.* Quarta propositio.Licèt homo in puris naturalibus conderetur cum repugnantia appetituum,si tamen peccaret, liberè nihilominus peccaret in tali casu.Probatur. Nam si Deus modò reuelaret alicui peccatum finalis impœnitentiæ,propter quod esset damnandus, nihilominùs ille liberè peccaret & liberè esset impœnitẽs,& nõ peccaret necessariò;sed homo ille in puris naturalibus, haberet auxilium sufficiens,vt suprà diximus, ad hoc vt posset vitare quodcumque peccatum in particulari: ergo quãdo non vitabat, liberè committebat illud peccatum. Consequentia est bona cum maiori;minor autẽ patet,ex secunda conclusione.Sanè, qui potest vitare aliquẽ actum,& tenetur vitare,liberè omnino peccat in illo.Vnde, licèt respectu omnium actuũ moraliũ collectiuè,homo ille in tali statu, certò & infallibiliter aliquando deficeret, vt dictum est,tamẽ respectu cuiuscunque actus in particulari, poterat operari rectè ex auxilio sufficienti Dei, & si deficeret,liberè quidem deficeret.Huius rei aliquale exẽplum esse potest,de peccatis venialibus, quæ omnia collectiuè etiam in statu gratiæ, nisi ex speciali priuilegio, nemo potest vitare omnia, habet tamẽ iustus sufficiens auxilium, vt possit vitare quodcũque in particulari,& idcirco liberè peccat:ergo pari ratione,sicut non est peccatũ in homine iusto,nõ vitare collectiuè omnia peccata venialia (cognoscit enim hoc non esse possibile sine speciali adiutorio,& priuilegio.Imò verò,non habet tale præceptũ à Deo vitandi omnia collectiuè; quia præcepta imponuntur circa actus in singulari:)ita etiã homo ille in puris naturalibus,si cognosceret propriũ statum non teneretur habere propositum vitandi omnia collectiuè,neque huius rei imponeretur illi præceptum:teneretur tamen vitare quodcumque peccatum in particulari. Ex quibus satis explicatur & liquet,quo pacto in tali casu, si homo esset cõditus in puris naturalibus,nihilominùs Deus nõ esset causa peccati;Quia defectus & imbellicitas naturæ,de quibus diximus,non habent rationem peccati, sed consequuntur naturam,nisi perficiatur, & vigoretur aliquo dono extrinseco. In particularibus verò actibus haberet homo ille sufficiens Dei auxilium. Quocircà,ipsi homini soli esset imputandum peccatũ,neq; peccaret necessariò, sed liberè in tali casu.

*Conclus.5.* Quinta Conclusio. Possibilis est status medius, inter statum in puris naturalibus, & statum iustitiæ originalis. Itaque nulla est repugnantia, quòd Deus possit cõdere hominem, cum vigore rationis in statu consono naturæ rationali,sine gratia& sine iustitia originali. Hæc conclusio est probabilis, relata ad potẽtiã Dei absolutã.Quia Deus multis infinitis & miris modis, potest circũuallare naturam hominis,eãque firmare, in ordine ad bonũ naturæ proportionatum præcisè,absque eo quòd cõstituat hominẽ in gratia gratũ faciẽte, aut in originali iustitia,quę(vt est in opinione probabili) non distinguebatur realiter à gratia in primo homine.Hãc cõclusionem insinuat Caiet.in hoc art.quamuis eam non formaliter defendat. Ait enim de secundo statu hominis consono naturæ rationali, quòd clarè differt ab statu hominis in puris naturalibus,&

mente contemplatur, distinctionem huius status à reliquis; & præsertim ab statu hominis, in solis & puris naturalibus; in quo, homo pateretur molestias carnis, & appetitus tenderet in bonum delectabile, & consequéter in eo homine, esset lucta inter rationem & appetitum inferiorem, qui non plenè subijceretur illi. In hoc autem statu consono naturæ rationali, ratio ipsa haberet vigorem ad conseruandum eum hominem, ne operaretur aliquid contra rationem. Et sanè, non improbabiliter dici potest quòd hæc sententia insinuatur à D.Tho.1.2. q.91.art.vltimo. vbi ait, quòd homo per peccatum, est destitutus iustitia originali, & vigore rationis. Quibus verbis insinuat Sanctissimus Præceptor, quòd præter amissionem iustitiæ originalis, incurrit homo aliud damnum, videlicèt priuari robore, & vigore, ad debellãdas & vincendas passiones, si tunc insurgerent, quem vigorem ratio tunc habebat. Et ob id Caietanus, hoc eodé art. aduertit, quòd huic statui naturæ rationali consono per præfatũ vigorem, non repugnat, quòd in homine insurgant passiones contra rationẽ, sicut non repugnat, quòd in eo sint peccata venialia, propter passiones surgẽtes. Vndè, ratione huius status in quantùm talis, id-est, consonus rationi, non repugnant ea quæ modò diximus. Et licèt tales passiones insurgerent in hoc statu, ratio tamen cum vigore illo, eas debellaret & destrueret. Hunc ergo vigorem habuit de facto ratio secundùm se in primo homine, ex coniũctione tamen ad iustitiam originalem, & hunc perdidit per peccatum, præter iustitiam ipsam. Fauet etiam ad probabilitatem huius conclusionis, quòd Caietanus asseuerat de hoc statu consono naturæ rationali; Nempe quòd iustitia originalis habuit se ad illum, tanquam quid extrinsecum: ergo si iustitia originalis, non est illa quæ intrinsecè constituit hunc statum, sed potius se habet, tãquã *id* ex cuius coniunctione sequitur ille status, planè infertur, quòd iustitia originalis posset separari, tanquã quid extrinsecum, ab huiusmodi statu consono naturæ rationali.

Profectò, si iustitia originalis & gratia iustificans possunt efficere duos status, & nihilominùs possunt identificari in re iustitia originalis & gratia, cur non vigor naturæ & iustitia originalis duos efficient status? Et sicut iustitia originalis & gratia, possunt separari ad inuicem, cur non iustitia originalis, & status ille consonus naturæ rationali? Est ergo posibilis de potentia Dei. Item probatur. Quia ordo naturalis & ordo supernaturalis, sunt duo ordines valdè distincti, & efficiunt distinctos ciues, si præcisè inter se considerentur: ergo posibilis est ordo naturæ absque ordine gratiæ: ergo possibile est etiam quòd intra metas naturæ & eius terminos, talis ordo habeat omnem perfectionem naturalem, ex proprijs naturæ eidem naturæ posibilem: ergo fieri potest de potentia Dei, quòd Deus constituat hominem cum solo illo vigore rationis & naturæ. Præterea, posibile est non ordinare hominem ad finem supernaturalem gratiæ: ergo posibile est condere in naturalibus præcisè: ergo ad diuinam prouidentiam naturalem spectabit, prouidere quid esset agendum de illo homine ita condito, & de illius anima immortali: ergo pertineret ad Deum sine supernaturali dono vigorare eius naturam, vt haberet statum rationi consonum, & quòd haberet præmium intra ordinem naturæ, & remedium culpæ: igitur est posibilis iste status, vt distinctus à reliquis. Item etiam probatur. Quia neque repugnat iste status, neque implicat contradictionem aliquam ex parte Dei, neque ex parte hominis, neque sequuntur illa inconuenientia, quæ ab aduersarijs obijciebantur. Quia in hoc statu apertè cõstat, quòd non refunderetur peccatum huius hominis in Deum authorẽ suæ naturæ, & huius status. Quia haberet vigorem, & statum eidem naturæ rationali consonum, cum auxilio eiusdem ordinis cum statu illo consono. Et rursùs, posset Deus per auxilium & motionem aliquam, aut per qualitatem aliquam formaliter vigorare naturam, & id ipsum quod sequebatur ex iustitia originali tanquam effectus eius, efficere per motionem illam, seu qualitatem vigorosam. Tandem probatur. Quia iste status nõ dicit necessariam connexionem cum iustitia originali, vt aduersarij etiam fatentur: ergo potest separari à iustitia, & esse status medius, qui sanè dicit rectitudinem quandam naturalem, & consonantiam potentiarum, vigoremq; rationis, ex quibus potest talis homo in eo statu naturæ vigorosè operari, opera naturæ rationali commensurata, & proportionata, tàm diuisiuè quàm collectiuè. Et Caietanus ipse fatetur, quòd talis rectitudo naturalis & vigor rationis, neque est pars originalis iustitiæ, neque postulat necessariò coniunctionem cum illa. Quia potest esse cum excellentissima gratia, vt fuit in Beatissima Virgine, vel cũ speciali aliquo auxilio Dei, superadito ipsi naturæ. Verùm est tamen Caietanum affirmare, quòd talis status vigoris naturæ, rationali naturæ consonus, dicit necessariam connexionem cũ aliquo dono superaddito hoc vel illo, non tamẽ determinatè cum iustitia originali. Nos verò asseuera mus, quòd licèt de facto talis status semper sit coniunctus cũ aliquo dono superaddito; de posibili tamen potest ab alijs secerni. In quo sanè, homo posset ex ipso vigore naturæ agere bonum sibi cõmensuratum, vt suprà diximus. ¶ Differentia tamen quæ assignatur à Caietano inter hunc statũ vigorosum naturæ rationali consonum, & statum iustitiæ originalis, quòd *in* statu iustitiæ originis, nõ poterat esse peccatũ veniale, permanente ipso statu; in statu verò naturæ integrę poterat esse peccatũ veniale; Hęc inquam differentia, non acceptatur ab omnibus discipulis S. Tho. Dicũt enim pleriq; quòd ex ipsa rectitudine status secundi, & ex vigore rationis, homo poterat vitare omne peccatũ contrariũ rationi naturali, sicut poterat operari omne bonũ morale naturæ proportionatum. Nã ob id etiã appellaretur status naturæ integræ. Sed tamen hæc ratio nõ satis impugnat doctrinam Caietani: ille enim non docet, quòd in hoc statu vigoris naturæ, consono naturæ rationali, necessariò homo peccaret venialiter; sed quòd in statu iustitiæ originalis, non posset homo peccare primũ peccatũ veniale. In statu autem naturæ rationali consono, licèt nõ necessariò homo peccaret venialiter, posset tamẽ peccare venialiter primo peccato, & alias etiã differẽtias nos assignauimus inter vtrumque statum, in discursu huius dubij & præcedentis. Et fortius argumentum contra doctrinam

*Caietanus.*



doctrinam Caietani desumitur ex Sanct. Thom. 1.2.q. 89. art. 3. Nam eadem ratio propter quam Sanctissimus Præceptor ibi docet, quòd Adam nõ potuit primo peccare venialiter, ostendit, quòd nec etiam homo in hac natura integra vigorosa cõsona naturæ rationali, posset peccare primò venialiter. Quia ratio D.Tho. tota fundatur in plena subiectione hominis ad Deum, quæ esset in statu innocẽtię, ratione cuius, pars superior plenè subiecta Deo, quandiù manebat in illa subiectione, necessariò subijciebat sibi perfectè partem inferiorem, & ita neque ex imperfectione actus, neque ex inordinatione circa media, saluo ordine ad finem, poterat esse peccatum veniale, sed in statu naturæ integræ consono naturæ rationali, esset etiam plena subiectio rationis ad ipsum Deum authorem naturæ: ergo etiam tunc ex tali subiectione ratio ipsa comprimeret omnem motum inordinatum, circà media & circà finem. Sed tamen quidquid sit de hoc, de quo infrà, certum tamẽ esse debet, quòd hic status de quo in præsenti controuersia loquimur, ex vigore rationis haberet virtutem ad debellandas passiones & vincendas, in ordine ad bonum morale sibi proportionatum, licèt illæ insurgerent; & ob id nõ est par ratio de homine in hoc statu, & de illo in iustitia originali.

*Argumen. ad primum.* Ad argumenta. Ad primum respondetur, Deum non præcipere aliquid impossibile tali homini existenti in puris naturalibus; quia non imponit ei præceptum circà omnia agibilia collectiuè, sed circà singula diuisiuè; ad singula autem implenda, sufficiens auxilium haberet homo ille. *Ad secundũ* ¶ Ad secundum patet solutio ex dictis, & quo pacto homo ille, voluntariè & libere peccaret in quacunque operatione singulari. Pertinet igitur ad essentialia naturæ quòd homo sit liber in qualibet singulari operatione, non tamẽ circa omnẽ collectiuè. *Ad tertium* ¶ Ad tertiũ respondetur etiam ex dictis, Deum tunc non esse causam peccati, quia verè cõfert homini auxilium sufficiens, vt vitare possit omne peccatum. De qua re fusiùs dicemus statim. *Ad quartũ.* ¶ Ad quartũ respõdetur, q̃ homo in tali casu esset ordinatus ad perfectiorem finem, quam aliæ quæcumque creaturæ corporales, & perfectiori modo consequeretur illum; quia per actiones proprias intellectus & voluntatis ipsum assequeretur. Neque necessariò esset miser; quia per aliquod tempus posset operari benè moraliter. Et si tunc temporis moreretur, sine dubio perueniret ad proprium finem. Si tamen longo tempore viueret, ex imbellicitate naturæ, incideret in aliquod peccatum. Neque esset inconueniens, quòd plura naturæ in diuidua tunc damnarẽtur; quia etiã modò, quando Deus offert auxilia supernaturalia sanantia naturam, maxima pars in diuiduorum damnatur. Vel possemus dicere, iuxta ea quę dicta sunt in progressu primæ conclusionis, quòd Deus propter suã bonitatẽ, cognoscẽs defectibilitatẽ naturæ, acceptaret in remedium pro peccato dolorem aliquem naturalem. Vel aliquod aliud auxilium illi tribueret, per quod posset rursus cõuerti ad Deum authorem naturæ. Sed tamen tale auxilium, nõ esset debitum ipsi naturæ ex proprijs, sed ex sola condecentia diuinę bonitatis & prouidentiæ & sapientię eius. *Ad quintũ.* ¶ Ad quintum respõdetur, ex ipsa institutione naturæ, appetitum sensitiuum subijci rationi, & rationem habere vires vt imperet ei, non tamen imperio despotico & seruili, sed politico & ciuili, vt Sanctissimus Præceptor docet. 1.p.q.81.ar.3.ad.2. & 1.2.q.17.art.7. ex Arist. lib.1. Politicor. cap.3. Imperium autem Politicum seu ciuile, est respectu eorum, qui licèt subijciantur imperanti, tamen aliquãdo possunt resistere illius imperio. Et ad eum modum, appetitus sensitiuus qui subditur rationi, vt ciuis regi vel prætori, potest resistere imperio rationis. Propter quã causam vera est illa Caietani doctrina quòd homo in puris naturalibus non dicit necessariò illam rectitudinem & integritatem seu vigorem rationis. Ex quibus voluit Caietanus colligere, & qui eum sequũtur, idem esse iudicium de homine in puris naturalibus, & in natura lapsa, quantùm ad sufficientiam operandi bonum morale commẽsuratum naturæ rationali, quòd quidem. Vtrùm sit verum, sequẽti dubitatione disputabitur.

## DISPVTATIO III.

*Vtrùm quantùm ad sufficientiam operandi, sit par ratio de homine in puris naturalibus, & in natura lapsa.*

CAietanus, sentit idem esse iudicium de natura hominis in vtroque statu, nempe in puris naturalibus & in natura lapsa, quòd ad sufficientiam operã di benè moraliter, quia vtrobique esset bellum & pugna inter appetitum & rationem & inter passiones & mentem ipsam, & quia tàm nudus est verè ille qui nunquam habuit vestes, sicut ille qui spoliatus est. Neque haberet maiora dona, ille qui est in solis & puris naturalibus, quam ille, qui spoliatur donis gratiæ & iustitiæ originalis. Quocirca, par videtur esse ratio vtriusque hominis, quantùm ad sufficientiam operandi benè moraliter. Quod probat Caiet. primò. Quia naturalia mã serunt integra post peccatum, ergo ex vi naturaliũ nihil minus potest homo, quã ille qui in solis & puris naturalibus conderetur à Deo. Secundo probat. Quia peccatum solùm se habuit in natura tanquam remouens prohibẽs: ergo remoto hoc prohibente omnia sunt paria in natura. Potestque suaderi & confirmari hæc sententia ex doctrina D.Tho. supra q.82.art.1.ad.3. vbi ait, quòd ex peccato orta est inclinatio in natura ad actum malum, non quidem directè, sed indirectè, nempè tanquam ex remouente prohibens.

*Caietanus impugnatur.*

Verumtamèn hæc Caietani doctrina non videtur mihi omnino certa, & vt percipiatur eius falsitas suppono doctrinam D. Tho. 1.2.q.85. Nempe quòd per peccatum, bonum naturæ hoc est ipsa naturalis inclinatio ad virtutem, diminuitur. Nam ex hoc quòd conuenit homini, naturaliter, ex eo quòd rationalis est, agere secundùm rationem, quòd est agere secundùm virtutem, si per peccatum imminuitur hæc inclinatio ad virtutem, sequitur quòd lædatur natura. Et idcircò, S. Thom. enumerat vulnera naturæ ex peccato sequuta, & quæstione 86. articulo. 1. ait, quòd homo per peccatum adhæret rebus contra lumen rationis. Et idcircò

incurrit maculam contra refulgentiam luminis naturalis rationis, per quam dirigitur in suis actibus. En quo pacto Sanct. Thom. decernit, læsam esse naturam rationalem vt sic per peccatum, non solùm quia sublata est originalis iustitia, verùm etiam quia per peccatum incurrit maculam refulgentiæ luminis naturalis rationis, & diminutionem inclinationis naturalis ad bonum virtutis moralis.

*Authoris calculus.*

¶Quo sanè constituto sentio, non esse parem rationem, neque idem iudicium de homine in vtroque statu, nempe in puris naturalibus & in natura lapsa, quoad sufficientiam operandi, & id est probabilissimum & valdè rationabile: Quòd probo primò. Peccatum originale, vel est conuersio aliqualis ad bonum commutabile cum inordinatione quadam, vel saltem includitur in peccato originali ipsa naturæ conuersio ad commutabile bonum cum inordinatione quadam, vt etiam Caietanus ipse. 1. 2. quæst. 82. artic. 1. fatetur. Vel si est priuatio iustitiæ originalis, vt alij contendunt, habet sibi annexam talem conuersionem inordinatam ad bonum commutabile; sed natura sic conuersa ad bonum commutabile, difficiliùs operatur bonum virtutis, quam natura in puris naturalibus, quæ & caret in ordinatione illa, & etiam conuersione ad bonum aliquod commutabile: ergo non est idem iudicium naturæ humanæ in vtroque statu quantùm ad sufficientiam operandi. Probatur etiam minor huius argumenti ex Sanctissimo Præceptore. 1. 2. quæst. 85. art. 1. vbi ait, quòd quantò aliquid magis inclinatur in aliquod obiectum, tantò magis minuitur de facilitate operandi, & inclinatione circà bonum contrarium, & circà obiectum contrarium. Ex quo quidem ostendit Sanct. Thom. id quod paulò antea retulimus, scilicet, quòd per peccatum diminuitur inclinatio naturalis ad virtutem, sed per peccatum originale natura est conuersa inordinatè ad bonum commutabile: ergo est diminuta eius inclinatio & facilitas operandi circà bonum rationis: At homo in puris naturalibus, vt dictum est, non esset habitualiter conuersus inordinatè ad bonum commutabile, sed potiùs ad ipsum Deum authorem naturæ: ergo non est par ratio de homine in vtroque statu, quantùm ad sufficientiam operandi bonum morale. Imò verò, in opinione Caietani conceditur, naturam lapsam abhorrere bonum virtutis ratione voluntatis propensæ ad sensibilia bona. Hæc autem depravatio voluntatis abhorrens bonum, non esset in puris naturalibus, vt sic: ergo. Secundò probatur. Homo in puris naturalibus mereretur apud Deum, & attingeret ipsum tanquam finem naturæ in omni opere bono: at homo in natura lapsa, non attingit Deum tanquam finem in omni opere bono, ita vt mereatur propter ipsum: ergo maior esset virtus operatiua, & perfectior in illo homine in puris naturalibus sine vlla culpa & peccato, quàm modò sit in natura lapsa. Adde etiam, quòd homo in natura lapsa, ex illa habituali conuersione inordinata ad bonum commutabile, non solùm debet iudicari tanquam homo nudatus, sed etiam quodammodò tanquam homo malè vestitus. Nam (vt Caiet. & sui fatentur) homo in peccato actuali dicitur malè vestitus, propter habitualem conuersionem ad bonum commutabile: sed homo cùm peccato originali, est aliqualiter conuersus: ergo, &c. Neque sufficit dicere, quòd in peccato actuali, illa habitualis conuersio est per aliquem habitum superadditum naturæ, qui immediatè respicit operationem, habitualis verò conuersio in originali peccato, non est per habitum naturæ superadditum, sed per solam inordinationem potentiarum, neque rursùs talis habitus respicit immediatè operationem. Non inquàm satisfacit ita dicere, primò. Quia habitualis conuersio relicta ex peccato actuali non semper est per aliquem habitum superadditum naturæ. Secundò. Quia licèt hæc conuersio habitualis nõ fit per aliquid naturæ superadditum, nihilominùs forma liter loquendo, talis natura intelligitur esse conuersa. Et hoc necessariò debet tribuere naturæ aliquam denominationem. Præterea, homo in puris naturalibus, vt plerique censent, posset diligere Deum super omnia; at in natura lapsa non posset diligere Deum super omnia, etiam vt author est naturæ: ergo aliquid posset etiam in puris naturalibus, quod non posset in natura lapsa. Probatur maior; quia tunc homo ille esset rectificatus in ordine ad finẽ naturalem. Minor verò sequenti art. ostẽdetur.

Qui Caietani partes defendunt, respondent, argumenta facta probare tantùm esse diuersitatem status inter hominem in puris naturalibus, & eundem in natura lapsa, quia vnus est auersus à Deo & inimicus, alter verò rectificatus in ordine ad Deũ finem naturæ. Ex quo nascitur altera differentia, quantùm ad rationem meriti & demeriti, non tamen quantùm ad sufficientiã operandi. Posset namque homo in natura lapsa, operari aliquod bonum morale perfectius & intensius, quam homo existens in puris naturalibus; quamuis ex imperfectione status, actus iste perfectior non attingeret vltimum finem secundùm rationem meriti. Vndè, dicunt quòd illa habitualis conuersio ad bonum cõmutabile, de qua diximus, cùm non sit per aliquid superadditum naturæ, non intelligitur diminuere inclinationem eius & virtutem.

Verùmtamen, quamuis aduersarij per hæc credant probabiliter dissolui argumenta facta; tamen reuera quantùm ego iudico maximè vrgent, & plane ostendunt hominem in puris naturalibus maiorem habere vim operandi, quàm in natura lapsa; Si tamen homo in natura lapsa consideretur vt sic, seclusis auxilijs supernaturalibus, & etiam si cætera sint paria. Quocircà, licèt illa conuersio habitualis in homine lapso non sit per aliquid superadditum naturæ, tamen est vera conuersio ipsiusmet naturæ ad tale bonum: & consequenter, necessariò debet diminuere inclinationẽ naturæ ad bonũ oppositũ, vt planè defendit S. Th. 1. 2. q. 85. art. 1. Loquitur, enim Sanctissimus Præceptor de effectu peccati in communi, non distinguendo de peccato originali, vel actuali: nã cũ disputasset de peccato originali tractauit immediatè de causa peccati in communi, & de effectibus illius, verè assignat causas & defectus cõmunes vtriq; peccato. Rursùs, si solutiones argumentorũ ab aduersarijs insinuatæ essent sufficientes, pari ratione ostenderent, hominem infectum plerisque peccatis mortalibus, habere æqualem sufficientiam virtutis cum homine in puris naturalibus; quod tamen neque Caietanus, neque qui eius partes defendunt, admittunt. Probatur manifestè; Quia homo etiam cùm est in multis peccatis mortalibus, potest agere aliquod bonum morale intensiùs & perfectiùs, quam homo existens in gratia; & tamen ex hoc non benè colligitur esse æqualem sufficientiam virtutis in vtroque, in ordine ad bonũ morale. Qua propter, præfata sentẽtia videtur nobis satis probabilis. Et quòd homo in natura lapsa, licèt posset in omnem actum secundum substantiã in quem posset homo in puris naturalibus, non tamẽ secundùm eandem perfectionem, vt constat in dilectione Dei authoris naturæ super omnia, neque cum eadem pronitate & inclinatione ad actum virtutis quam haberet in puris naturalibus. Nam absq; dubio hæc, per peccatum & illius conuersionem aliquo modo extenuata est. Imouerò, homo in natura lapsa non potest efficacitèr diligere Deum authorem & finem naturæ super omnia, at verò in opinione probabili, id potest homo in puris naturalibus, quamuis non perseuerantèr, de qua re inferiùs fusiorem habebimus sermonem, vbi ostendemus quid homo possit in puris naturalibus, & quid non possit in natura lapsa, & id fiet artic. 3. & sequentibus.

*Ad argumẽ tũ Caietani. Ad primũ.*

Ad argumenta ergo Caietani & aduersariorum. Ad. 1, dico, quòd æqualitèr probaret de homine actualitèr peccante, & de damnatis omnibus in quibus naturalia etiam integra manserunt. Quocirca, dictum illud D. Dionys. lib. 4. de diuinis nomi. quòd naturalia manserunt integra; debet explicari iuxta doctrinam sanctissimi Præceptoris loco nuperè citato; quòd manserunt integra quantùm ad essentialia naturæ, corpus, scilicet, & animam, & potentias,

*Ad 2. Arg.*

quæ ex illis proficiscuntur. ¶ Ad. 2. Respondetur, quòd peccatum non tantùm se habuit vt remouẽs prohibens. Nam licèt ex parte Dei, qua ratione spoliauit hominem iustitia originali propter peccatũ, se habeat vt remouens prohibens, cæterùm qua ratione tenet se ex parte hominis, qui demeritoriè operatus est ad subtractionem iustitiæ originalis, etiam se habet vt imprimens aliquem impetum ipsi naturæ, ratione cuius, est quasi habitualitèr conuersa ad bonum commutabile, & vulnerata, hebetataque; quod sane non esset in puris naturalibus. Neque est idem iudicium de corruptibilitate corporis; hæc enim nõ est maior in natura lapsa, quàm esset in puris naturalibus. Nam peccatum in anima subiectatur, & habet rationem culpæ. Vndè, impetus ipsius peccati originalis, respicit principaliter animam, defectus autem corporales tantum habẽt rationem pœnæ. ¶ Sed obijciet aliquis contra nos

*Obiect. Solutio.*

doctrinam D. Thom. 1. 2. q. 82. ar. 1. ad. 3. vbi ait, quòd habitualis conuersio quæ reperitur in originali peccato, non est ex illis habitibus qui respiciunt actũ immediatè, & quòd ob id ex habituali illa conuersione, non potest colligi in natura lapsa, maior inclinatio ad actum peccati, neque minor promptitudo ad actum virtutis. Respondetur ex doctrina eiusdem Sanctissimi præceptoris. 1. 2. q. 49. arti. 3. quòd omnis habitus in ratione habitus, etiam ille qui immediatè est dispositio naturæ, necessariò dicit ordinem ad actum, siue mediatè siue immediatè. Sicut gratia quæ immediatè est in essentia animæ veluti in subiecto, licet non sit habitus immediatè per se operatiuus; tamen mediate respicit operationem; quia perficit naturam, quæ ordinatur ad operationem tanquam ad finem. Cùm ergo peccatum originale, necessariò includat habitualem quandam conuersionem, & quasi habitum, consequentèr debet aliquomodo respicere operationem. Et hoc pacto, iuxta præfatam doctrinam, satis aptè interpretantur & explicantur decreta Concil. Arausi. Cano. 1. & 13 & 15. quando docet, liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum fuisse viribus attenuatum & infirmum. Et pari ratione explicat Trident. Conc. sessio, 5. Cano. 1. quando ait, quòd per originale peccatum, totus homo secundùm animam & corpus in deteriùs est commutatus. Imo verò, fauent prædicta decreta nostræ sententiæ; vt planè dicamus, maiorem vim habere hominem in puris naturalibus, quã in natura lapsa vt sic, seclusis auxilijs supernaturalibus.



## DISPVTATIO IIII.

### *Vtrùm homo in puris naturalibus constitutus, posset esse beatus, vel necessariò deberet esse infœlix & miser.*

Difficilis est hęc controuersia de homine in puris naturalibus, qui neque est ordinatus ad beatitudinem supernaturalem, neque habet gratiam, neque auxilium supernaturale, sed solum consideratur intra terminos naturæ, & latitudinem naturalium præcisè, sine gratia & sine peccato, qui homo consideratur à Philosophis, qui caruerunt lumine fidei, & cognitione aliqua rerum supernaturalium. Seneca tamẽ lib. de vita beata sæpe docuit, quòd beatitudo hominis consistit in congerie omnium virtutum. Vndè, ille de virtutibus loquens ait, Erras cùm interrogas quid sit illud propter quòd virtutes petantur, quæris enim aliquid suprà summum; interrogas quid petam ex virtute ipsa? nihil melius habet se ipsa. Ex quibus patet mens huius Philosophi; putauit enim in congerie virtutum sitam esse beatitudinem hominis in puris naturalibus; ac subinde rarò homini contingere, sed non esse impossibilem. Et ob id in epistolis ad Lucillum, & Clarian. contendit demonstrare, quòd solum est vnicum bonum honestum, quod neque crescere potest, neque diminui. Quasi diceret, illud esse sufficiens ad beandum hominem. Et indè intulit Seneca, quòd in sapientem non cadit iniuria. Arist. quoque. 1. &. 10. Ethicor. dixit, beatitudinem & fœlicitatem hominis sitam esse in operatione perfectissimæ virtutis, & cõsequentèr in vita perfecta, quæ est Dei solicita & continua contemplatio, prout possibile est in hac vita, & hanc esse homini possibilem credit, & non esse subiectam fortunæ docet, imò sibi subijcere fortunam. Aliqui referunt Solonem affirmasse, quòd beatitudo & fœlicitas hominis debetur homini secundùm vitam suam; eam tamen consequi non posset dum viuit; Quia ignoratur an homo ille benè & opti-

*Senecae epist. 77. &. 80.*

*Arist. 1. &. 10. ethicor.*

&optimè vitam ſuam conſummare debeat,quod requiritur,vt etiam ille docet;ad fælicitatem humanam.Eſt namque fœlicitas,bonum quoddã perfectum & ſtabiliſsimum, cuius firmitas & ſtabilitas ante mortem,non perfectè inuenitur;legẽda tamen eſt de hac re,epiſtola Senecæ ad Polybium.vbi inſinuat,homines poſt mortem conſequi fœlicitatem quandã,cùm tamen nihil ille ſuſpicatus fuerit de donis ſupernaturalibus.

Theologi dicunt,quòd eſt duplex fœlicitas,vna quidem quæ conſiſtit in præmio , altera verò quę cõſiſtit in merito.Et ſic aiunt, vnam eſſe præmiatoriam,alteram verò meritoriam.Sed differunt inter ſe ſe fœlicitates iſtæ. Quia illa,quæ conſiſtit in præmio,excludit omnia mala,tàm culpæ quam pœnæ, & includit omnia bona ,quibus homo dignus eſt, & complet etiã omne deſiderium;at fælicitas meritoria,licèt repellat mala culpæ,ſed non mala pęnę. Denique fœlicitas meritoria,includit bona,perquę homo fit dignus,non tamen includit omnia bona, neque complet in tali ſtatu meritorio omne deſiderium & gaudium.De qua quidem beatitudine meritoria intelligitur illud Matth.4.Beati pauperes ſpiritu,Beati qui lugẽt,Beati qui perſecutionẽ patiuntur &c.De qua autẽ beatitudine loquutus ſit Ariſt. ſcilicet,de meritoria aut præmiatoria,incertũeſt:ſolũ enim habemus ex eius ſententia,quòd fœlicitas eſt operatio,ſecũdùm perfectiſsimã virtutẽ in vita perfecta;Quia eſt Dei ſolicita & continua contemplatio ſecundùm quòd eſt poſsibile in hac vita. Quæ ſanè fælicitas habetur , vt ex Ariſt. doctrina colligimus, quando virtutes ſunt in gradu heroico: Quam fœlicitatem affirmat Ariſt. non eſſe ſubiectam fortunæ,imò ſibi ſubijcere fortunam, ferendo vbique omnia prudenter.Verùm Ariſt.non cognouit veriſsimum beatitudinis noſtræ meritum; Neque rurſus nouit meritum ſupernaturale & diuinum.Et ob id loquutus eſt ſemper de merito imperfecto,& de imperfecta fœlicitate qualem ipſe excogitabat. ¶ Alij inter quos eſt D.Aug.dicunt, quòd ſi Deus crearet hominem in puris naturalibus,nempe neque in peccato neque in gratia,tunc talis homo neceſſariò habuiſſet adiutorium ſufficiens,ordinis naturalis,quo poſſet naturæ viribus, omne opus bonum virtutis perficere , & in ea permanere;& quo poſſet finem conſequi ſuum, & fælicitatem ſuam naturalem acquirere.Hoc videtur ſenſiſſe D.Augu.lib.de correct.& gratia.cap.11. & lib. 3.Hypog.Vbi ſic ait.Si Deus adiutorium, quo permaneret ſi vellet homini dediſſet;quia non talis natura facta eſt, vt ſine diuino auxilio poſſet permanere ſi vellet , non vtique ſua culpa cecidiſſet.Igitur ſi in puris naturalibus,non talis eſt facta natura humana, vt poſſet permanere ſi vellet , ſequitur quòd non ſua culpa cadit,ſiquidem adiutorium nõ eſt datum homini quo poſſet ſi vellet permanere.

Nihilominus ſunt difficilia argumenta, quibus ſuadetur,quòd ſi homo eſſet conditus in puris naturalibus,in eo ſtatu,futurus eſſet miſer,& infœlix, *Argum.1.* Primò.Homo in puris naturalibus ſenſibus,carne, & anima conſtat,caro verò concupiſcit aduerſus Spiritũ,& corpus quod corrumpitur aggrauat animam:ergo in tali ſtatu , non poteſt implere omne opus ſuæ naturæ conſentaneum: ergo neque implere totam legem naturalem;cùm careat omni auxilio ſupernaturali:ergo in tali ſtatu ,neceſſè eſt incidat in mortale peccatum:ergo futurus eſt miſer, & infœlix in eo ſtatu. *Argum.2.* ¶ Item. Homo eſt naturalitèr propenſus ad cognoſcendum omne verum, ſaltem creaturæ rationali proportionatum:ſed viribus naturæ, & in puris naturalibus, non poteſt conſequi omne verum,etiam proportionatum rationi : ergo *Confirmat.* non poteſt implere omne ſuum naturale deſideriũ: ergo in tali ſtatu,non poteſt eſſe fœlix & beatus. Et confirmatur,de voluntate, quæ eſt propenſa ad omne bonum honeſtum rationi conſonum, ac ſub inde habet deſiderium naturale agendi opus moraliter bonum:ſed in puris naturalibus , non poteſt omne bonum honeſtum perficere,neque legis naturę omnia mãdata implere ex naturę viribus. *Argum.3.* ¶ Tertiò Beatus ille dicitur, qui habet quidquid vult, & nihil mali vult . Imò verò beatitudo,eſt ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus: ſed homo in puris naturalibus conditus, non poteſt habere ſtatum perfectũ aggregatione omnium bonorum: ergo in puris naturalibus non poteſt eſſe beatus. Probatur minor ex ſuprà dictis,Quia in puris naturalibus,eſſet lucta inter carnem & ſpiritum,& non poſſet ſemper operari bonum:ergo. *Argum.4.* ¶ Quartò Rectitudo voluntatis, intrinſeca eſt beatitudini:ſed hanc nemo habere poteſt in puris naturalibus,nempe in omni ſuo opere . Nam non poteſt implere omnia præcepta naturalia,neque diu perſeuare : ergo deſtituetur hac rectitudine,& conſequẽtèr erit miſer. *Argum.5.* ¶.Quinto ſiquis committit mortale,offenditDeum etiam vt naturæ authorem,& eiuſdem naturæ finẽ: ergo facit Deum ſibi inimicum:ergo niſi reconcilietur hic homo Deo,& reparetur,conuertaturque in ipſum,abſque dubio ſine vllo remedio erit infœlix.Imouerò ad hanc reparationem , & reconciliationem, indiget gratia,qua caret homo ille in puris naturalibus : ergo in tali ſtatu non poteſt eſſe beatus.

Sunt tamen pro altera parte argumenta . Quia Deus etiam vt finis & author naturæ,obligat hominem,etiam in puris naturalibus , ad obſeruantiam legis,omniumque mandatorum;imouerò homo in puris naturalibus,habet impreſſam legem naturæ eum obligantem : ergo Deus huic homini debet conferre virtutem , qua legem implere poſsit omnem.Imo ſi viueret in Republica,tenebatur adimplere leges principum:ergo ad hæc omnia implenda,egebat adiutorio ordinis naturalis:ergo non ſequitur ex tali ſtatu in fœlicitas & miſeria ¶ Argumentor etiam argumento D.Hiero. dialog.contra Luciferia. *D. Hieron.* Quia Deus author & finis naturæ vel dedit nobis mandata poſsibilia, vel impoſsibilia . Si primum,ergo in poteſtate noſtra eſt ſitum , implere totam legem.Si ſecundum:ergo nullus erit trãſgreſſor legis,ſi eam non ſeruet.Nemo namque obligatur ad impoſsibilia:Neque peccat in eo quod vitare non poteſt.

In hac difficultate ſuppono,poſsibile eſſe Deum creare hominem in puris naturalibus; Suppono etiam,Deum poſſe condere hominem ſine gratia, & iuſtitia originali,cum ſolo rigore naturæ: Et forte in ſtatu illo conſono naturæ rationali, ſine dono alio ſuperaddito.De qua re ſuprà ſatis latè . Suppono præterea, quòd non eſt par ratio de homine in puris naturalibus,& de homine in natura corrupta præciſè, ſeclusis auxilijs ſupernaturalibus, quantùm ad ſufficientiam operandi. Eſt enim homo in natura lapſa vulneratus, quantùm ad inclinationẽ ad virtutem,& lumen intellectus,& quaſi ingenio hebetatus.Homo verò in puris naturalibus,his omnibus caret . Imouerò ſunt Theologi qui dicant, quòd ſi Deus crearet hominem in puris naturalibus , ex vi huius , ſequitur quòd contuliſſet illi ſufficiens,& neceſſarium auxilium , quo ex naturæ viribus poſſet omne bonum morale,& conſequentèr finem,& naturalem beatitudinem conſequi,efficacitèr. ¶ Rurſus aduerte,quòd homo ſecundùm intellectum & voluntatem vt ſic , eſt capax vniuerſalis boni,habetque immediatum ordinem ad Deum,vt ad mouentem, & finem, & obiectum.

*Prim.Conc.* His ita prælibatis, eſt prima concluſio . Cùm ſit homo per eſſentiam rationale animal,&politicum, finis eius naturaliſsimus , eſt viuere ſecundùm rationẽ,id eſt,omnia agere propter finem honeſtum, quando & vbi oportet,ſecundùm regulas prudentiæ,à ratione præſcriptas.In qua concluſione, contemplor hominem intra terminos naturæ præciſe, ſine gratia & ſine dono ſuperaddito , & abſque ordine ad ſupernaturalem finem . Philoſophi enim cùm ſummo eorum ingenio & vſu ſummam hominis huius fœlicitatem perſcrutantes,id ſolum ſunt aſſecuti,quòd practica quidem beatitudo,in vſu virtutum;ſpeculatiua verò, in ſubſtantiarum ſeparatarum contemplatione,& cognitione ſapientiæ;qualem illi cognouerunt,collocatur;Nihil ſuſpicantes de fine illo ſupernaturali, & viſione Dei clara , de quo Eſai.dixit cap.64.A ſæculo non audierunt , neque auribus perceperunt,oculus non vidit , Deus abſque te,quę præparaſti expectantibus te.Et Paul. 1.Corinth.2.dixit de hac fœlicitate , & de eis quæ in ea ſunt. Neque in cor hominis aſcederunt , quæ præparauit Dominus ijs, qui diligunt illum.Patet ergo concluſio.Quia ſi homo eſt politicum animal ergo natum viuere in ſocietate : ergo finis ſuorum officiorum in hac vita,eſt pax,&tranquillitas:ergo ex eo quòd rationalis eſt ,ſuaptenatura inclinabitur,vt ea ratione ſe gerat & gubernet,primò quidẽ reſpectu ſui,ſecundò reſpectu familiæ, & tertiò reſpectu Reipublicæ & ciuium . Qua ratione pax in Republica,amor & beneuolentia,perpetuò duret. Hunc finem Philoſophi cognouerunt; & in hunc poſitæ ſunt leges ciuiles , & conſtituti ſunt magiſtratus in Republica.Si igitur homo in puris naturalibus,vitam ageret ſecundùm rationem, & ſapiẽtiæ naturalis lumine illuſtraretur , & pacem atque tranquillitatem ſibi conciliaret,ille finem aſſequeretur ſuum,beatuſque eſſet in naturalibus. De quo exiſtimo verè dictum eſſe , quòd in ſapientem non cadit iniuria. Sed cùm dico , naturale eſſe homini viuere ſecundùm rationem,non eſt ſenſus eſſe,naturale homini veluti animalibus gradi, & piſcibus natare,aut auibus volare.Quoniam hæc non dicuntur fines,ſed media opera quibus aſſequuntur finẽ. Et ob id aſſeueramus,quòd viuere ſecundùm rationem,eſt finis,& ſcopus in quem nos natura vt ſic produxit,ſicut natura rei grauis,eſt ad centrum moueri. Eſt igitur concluſio,hæc poſtulatio , quæ perſuaſione argumentorum non eget;imouerò ex ipſa hominis definitione colligitur . Quia idem pollent rationale animal , & animal aptum natum vt ratione viuat.Cæterùm,munus hoc ita nobis naturale eſt , vt nihilominùs ſenſualitas nobis impedimento ſit,ne ſemper id præſtare poſsimus,ad quod nati ſumus. Quia ſenſitiuus appetitus , vehementi impetu fertur in ſua obiecta præter rationis iuſſum; Et ita,vel rationem poſt ſe præcipitat & rapit, vel ingentem moleſtiam illi infert.

*Iſaie 64. Paul.1.Corinth.2.*

Secunda concluſio.Ille vigor naturæ, illudque *Conclu.2.* adiutorium, quo homo poſſet agere , & perficere omne bonum honeſtum,& rationi conſentaneum, non pertinet ad purè naturalia; Quia non eſt naturalis proprietas,homini debita in puris naturalibus vt ſic. Patet; Quia ſi vigor & adiutorium illud naturæ,pertinerent ad naturalia vt ſic,ſequitur quòd eſſet debitum naturæ,etiam,homini exiſtenti in puris naturalibus.Ex quo ſequitur , quòd homo poſt peccatum eſt monſtrum; Quia caret proprietate illa naturali ſibi debita , non minus, quam ſi careret intellectu , aut communi , & generali auxilio naturali . Igitur talis vigor commemoratus , non eſt computandus inter naturalia illa, quæ debentur homini in puris naturalibus.D. Auguſt. Videtur reſpondere huic argumento lib. de correct.& gra.capit.11.quòd ſi Deus hominem condidiſſet in puris naturalibus,neceſſario dediſſet illi adiutorium,naturæ rationali proportionatum, quo ageret naturæ bonum,& in ſtudio virtutum permaneret.Imouerò,ſunt Theologi hac ætate qui dicãt, eſſe impoſsibile Deum condere hominem in puris naturalibus,ita vt nõ conferat illi vigorẽ naturæ & ſufficiens,& neceſſarium auxilium , per quod poſsit ex naturæ viribus operari omne bonum honeſtum naturale,& conſequi efficacitèr ſuum finem, & naturalem beatitudinem.Verùm hæc ſolutio nõ ſatisfacit.Quia ſi homo haberet talem ſtatum , non eſſet in puris naturalibus,ſed magis in natura integra,cum vigore illo naturæ & adiutorio eius . Sic enim vallata eſſet natura,& ob id integra.Et præterea,ſequitur benè argumẽtum ſuprà tactum, quòd ſi huiuſmodi vigor, vel adiutorium , inter naturalia præciſè numeratur,& non eſt gratuitum donũ, ſed potiùs debetur ipſi naturæ,tunc homo poſt peccatum,priuaretur bono , & proprietate naturæ ſuæ debita,& ita eſſet monſtrum. Nam poſt peccatum, naturalia integra manſerunt in hominibus & Angelis:ſed hæc ſufficientia operandi, hic vigor & rectitudo naturæ,non manent poſt lapſum: ergo hæc nõ pertinent ad purè naturalia vt ſic .Adde etiam, quòd homo eſt compoſitus ex carne & ſpiritu , interquæ eſt mutuum bellum,& iugis lucta: Nam caro concupiſcit aduerſus Spiritum:ergo illa integritas ſupradicta,non pertinet ad purè naturalia præciſè vt ſic.Imouerò,cùm ſit aperta rebellio carnis ad Spiritum, ſequitur quòd aliquando ſuccumbet ratio peccabitque homo ille:igitur adiutorium illud, non includitur in puris naturalibus, tanquam naturæ conditio.Et quamuis hæc vera ſint : nihilominus propter dictum Auguſt.ſupra allatum; Dico,quòd homo in puris naturalibus, ſi ita conderetur à Deo,haberet adiutorium ſufficiens ad ſingula cauenda

cauenda peccata,& ad obseruãda singula præcepta legis,sed non omnia,neque per longum tempus vitæ.Vndè,censeo non esse æqualem rationem, hominis lapsi,& in puris naturalibus sine peccato,quantùm ad sufficientiam agendi opus honestum; Neque sunt æqualiter dispositi (vt suprà fusiùs dub. 3. ostendimus.) Homo enim in natura lapsa, extenuatam habet inclinationem ad bonum honestum, he betatamq; rationem, &c.

*Conclus.3.* Tertia conclusio:Homo in puris naturalibus conditus, generaliq; Dei auxilio suffultus, potest cognoscere vnam primam rerum causam quę est Deus. Et potest etiam cognoscere ea, quæ ad ius naturale spectant, illaque quandoq; vsu & more præstare. De qua conclusione,fusiùs artic. 3. sequenti. Nunc verò ratione probatur.Quia effectus quodammodo repræsentat suam causam; Et ea vis est in intellectu hominum,vt ex effectibus creatis, & productis, & ex miro ordine totius vniuersi,possit eleuari ad cognitionem Dei,vt Paul. clamat ad Rom. 1. loquens de cognitione naturali; ait enim. Quod notum est Dei,id est,quod lumine naturali de Deo est cognoscibile, manifestũ est in illis, Deus enim reuelauit. Et statim.Inuisibilia Dei, à creatura mundi, per ea quæ facta sunt,intellecta conspiciuntur,sempiterna quoq; eius virtus, atq; diuinitas: Ergò naturali lumine, hæc potest homo cognoscere etiam in puris naturalibus. Nam ob id Propheta Psalm. 18. dixit Cœli enarrant gloriam Dei.Et ob id etiam, Philosophi cognouerunt,quòd hæc omnia visibilia, ordinantur ad hominem,homo verò ad Deum, tanquã in finem suum,& reliquorum omnium. Ac proinde homo naturali cognitione intelligit,quod debetur Deo,obedientia,& cultus religionis, rebus benè gestis ac compositis. Similiter,lumine eodẽ naturali, percipit homo prima illa elementa rationalis vitæ. Nempe; Bonum esse sequendum & malum fugiendum; Quod tibi non vis,alteri ne feceris.Et pari passu eiusdem luminis, cognoscit homo se esse politicum animal, & sociale,cui proindè natiuũ est viuendo secundùm rationem, inquirere pacem, & tranquillum reipublicæ statum. Quocircà, cùm hæc omnia in puris etiam naturalibus homo cognoscat,quandoque exercebit honesta opera, rationi consentanea.Nam cognitio rerum agibilium,est propter earundem rerum operationem,vt Arist. 2. Ethicor. dixit. Igitur, si homo rectum habet iudicium de his quæ pertinent ad ius naturæ, sequitur, quòd aliquando exercebit illa opera, quæ sunt consona iuri naturali. Et quod magis premit, est hominem esse rationale animal, habereque pro fine, viuere secundùm rationem. Nam ex hoc sequitur, quòd exercebit vitam hanc rationalem consonam iuri rationis. Nam, cùm ista pugna inter carnem & spiritum, sit occasio; quòd ratio vincatur aliquãdo, incredibile est quòd mutata vice, aliquando ratio non vincat sensum & carnem, & operetur quod bonum est, & honestum, attingendo finem,in quẽ natura hominem produxit,cum homo rationalis sit ex parte formæ,pugna autem ista, & cõtradictio,ortum habeat à carne & à sensu.

*Rom. 1.*

*Psalm.18.*

*Aristot.*

*Conclus. 4.* Quarta propositio. Homo in puris naturalibus conditus, perueniens ad vsum rationis, si haberet hunc actum moraliter bonum; Volo sequi bonum honestum & fugere malum, & statim moreretur, reciperet à Deo præmium huius boni operis, in quantum Deus est author naturæ, & habet prouidentiam naturalem, erga hominem illum. Probatur.Quia Deus etiam vt author naturæ, nullũ opus bonum irremuneratum relinquit, si persona,quæ operatur non est auersa à Deo,aut in peccato,& capax præmij:sed homo in puris naturalibus, vt supponimus,habet rectitudinem naturalem.& non est incapax præmij,neque est auersus à Deo, imò verò est Deo naturaliter gratus:ergo si in primo instanti vsus rationis bene operetur,& statim moriatur, recipiet à Deo authore naturæ præmium. Neque D. Augustin. nobis aduersatur. Quia homo in solis naturalibus conditus, sine dubio haberet adiutorium à Deo authore naturæ, ad cauenda singula peccata, & ad obseruandum singula legis naturæ præcepta.Itaque credo, quòd si Deus conderet statum in puris naturalibus, ille esset gratus & dilectus naturaliter àDeo.Et opera honesta & bona moraliter, haberent à Deo præmium intra naturæ terminos.Rursus haberet,tale auxilium generale, quo posset adimplere quodlibet opus rationi consonũ, non tamen omne sine aliquo lapsu,vt deinceps ostẽdemus,artic.3.sequenti. Si verò homo in rectitudine illa naturali conditus, in meris & puris naturalibus,efficeret opus rationi dissonum, tunc ad prouidentiam Dei pertineret remittere peccatum illud, vel per dolorem aliquem comparatum ex ipsa natura, vel per efficacem dilectionem Dei in illo statu possibilem, vt finis naturalis est, vel per hoc quòd talis homo proponeret sequi bonum cum dolore peccatorum,vel alijs modis,quibus prouidentia diuina illis hominibus in eo statu degentibus, prouideret.In quo etiam statu,opera honesta præmiũ tali statui possibile, pariter haberent, nempe contemplationem altissimarum causarum, & Dei vt finis naturalis est, sed non visionem eius. Ea verò non possunt conuenire homini in statu naturæ lapsæ, si ab hac vita migraret sine gratia. Nam etiam si faceret idem opus rationi consonum, in æternum periret;quia discessit inimicus Dei.

*Conclus.5.* Quinta conclusio. Fœlicitas & beatitudo naturalis hominis conditi in puris naturalibus, non tantùm consistit in virtute,& in studiosis operibus, & in cognitione Dei, & cultu eius; verùmetiam potissimè consistit,in diuina prouidentia & beneuolentia erga illum hominem naturalem. Hæc conclusio insinuatur satis ab Aristot. 1. Ethicor. cap. 9. & 10.quo loco,in operatione virtutũ & cultu rationis, & præmio bonorũ operũ à Deo condonando, constituit beatitudinem. Et ob id Philosophi omnes, & alij rectè sentientes cum Aristot. dicunt, quòd ille homo, qui per naturæ facultatem cognoscit & colit Deum, maximè positus est in cura Dei & prouidentia, qui idcircò suppeditabit illi, non solum temporalia bona, sed etiam spiritualia, nempe quæ expediunt ad salutem sui status, & vitam rectè instituendam. Et hæc est causa cur Arist. dixit, vbi supra, quòd fœlicitas huius hominis consistit in virtute & honestis operibus, sed præcipuè in prouidentia Dei erga illum. Quod probo. Quia ad Deum non tantùm pertinet distribuere præmia pro bonis operibus,vt constat naturali

*Aristot.*



rali ratione,sed etiam pertinet ad ipsum vnicuique tribuere necessariam cognitionem, secundùm suũ statum,qua Deum & cognoscat, & religioso cultu honoret.Imouerò,pertinet ad Deum remittere peccata huiusmodi hominibus, quæ illorum beatam vitam impedire possunt. Igitur in vtrisque bonis consistit huius hominis in puris naturalibus conditi,fœlicitas naturalis & beatitudo, nempe & in operibus honestis,& in cognitione & cultu religionis,& præcipuè in diuina prouidentia & beneuolentia.Dico in diuina prouidentia, quia rectitudo naturalis,quæ necessaria est ad beatitudinem istã, ex speciali prouidentia naturali & cura particulari quam Deus gereret erga talem hominem, posset ab illo laberi,& ita nõ esset ex necessitate in fœlix & miser.

*Conclusio.6* Sexta conclusio.Homo in puris naturalibus conditus,nõ est miser,sed habere posset aliqualẽ fœlicitatem naturalem,non tamen omni ex parte perfectã,aut consummatam. Quòd non sit miser ostẽdo. Quia talis homo potest cognoscere Deum & colere illum, & potest quodlibet opus honestum & naturali rationi consonum peragere, & præterea de eo specialis cura est apud Deũ,vt finis & author naturæ est: ergo.Quòd verò non haberet fœlicitatẽ cõsummatam omni ex parte, probo. Quia homo ille haberet mutuam pugnam & luctam inter carnem & Spiritum, & aliquando superaretur; Imo verò in eo statu, non posset omne bonum rationis perficere,neque omni ex parte, & posset habere errorem ex parte intellectus: ergo &c. Arist.10. Ethicor.cap.7.&.8.dixit,vltimam hominis fœlicitatẽ,esse perfectissimam contemplationem qua optimum cognoscibile quod est Deus,contemplari potest in hac vita.Et.1.Ethico.cap.8.&.9.dixit,inoperatione virtutũ,& cõsequutione boni cõsistere fœlicitatem;addit tamen,beatitudinem esse bonum firmum & stabile in vita perfecta:sed huiusmodi firmitas & stabilitas, esse non posset in illo statu in puris merisque naturalibus præcisè: ergo non haberet talis homo exactam & perfectam fœlicitatẽ. Et ob id Arist.adducit exemplum quòd sicut neq; vna hirundo facit ver,ita neque vna dies,neque tẽpus breue facit hominem beatum.Hanc eandẽ sententiam & assertionem tenet Pater Soto in. 4. d.49. q.2.art.2,præsertim conclu.5. Et quidem beatitudo illa ab Arist. adumbrata .1 .Ethicor. cap. 7. 8. &. 9. nempe quòd fœlicitas hominis, est operatio secundùm virtutem in vita perfecta;firma & stabili, non potest in puris naturalibus perfectè possideri; posset tamen homo ille, sæpè attingere eum finem ad quem eum natura produxit,viuendo secundùm rationem & colendo rationem, aliquando Deum cõtemplando,aliquando religionis cultu adorando. Et ita non esset dicendus miser.Sanctissimus. Præceptor.1.p.q.62.art.1.ait,quòd nomine beatitudinis intelligitur vltima perfectio,rationalis seu intellectualis naturæ,& inde est quòd naturaliter desideratur;Quia vnumquodque agens naturaliter desiderat suam perfectionem vltimam.Hæc autem vltima hominis,vel angeli perfectio,duplex est;altera quam assequi potest virtute suę naturæ,& hæc,beatitudo,& fœlicitas aliquomodo vocatur. Nã Arist. fœlicitatem vocat perfectissimam Dei contemplationem,qua in hac vita cognosci potest. Altera autem est fœlicitas & beatitudo supernaturalis, qua videbimus Deum sicuti est, & hanc non habuerũt angeli in principio suæ creationis. Quia beatitudo hæc,non est aliquid naturæ ipsorum angelorum sed potiùs finis naturæ.At verò,illa beatitudo naturalis quam angelus potuit assequi virtute suæ naturæ,fuit in angelo à principio suæ conditionis.Quia hanc beatitudinem angelus non adquirit per aliquem motum discursiuum,sicut homo; sed statim ei adest propter suæ naturæ dignitatem.Ex quo pacto,candide lector,S.Thom.supponit,hominem aliqualiter peruenire posse ad naturalem fœlicitatẽ. Quòd si homo moreretur in puris naturalibus, & non haberet peccatum,reciperet,vt suprà diximus, præmium naturæ humanæ consentaneum secundùm naturæ ordinem, & haberet cognitionẽ Dei. Imo verò,operaretur deinde opera heroica moralia ex parte animæ,& tandem finem aliqualiter cõsequeretur in morte. Sed totum hoc, vt plerique Theologi dicunt,est diuinare.Quia nihil habemus scriptũ apud sanctos Patres de isto homine in puris naturalibus,neque in nouo aut veteri testamento. ¶Sed obijciet aliquis vlteriùs. Contra; Si iste homo est in puris naturalibus, tunc non esset relatus & ordinatus ad gratiam neque ad gloriam:ergo careret omni remedio,& ita esset miser. Respondetur,quòd si Deus illum statum condidisset, sicut in tali casu haberet curam & specialem prouidentiã de illo homine, ita etiam prouideret de remedio; quod sanè quale esset, ille nouit solus. ¶Aliqui Theologi dicunt quòd in isto casu si homo in puris naturalibus conderetur,neque destinatus ad gratiam neque ad gloriam;tunc si Deus remitteret aliquod eius peccatum,id quidẽ fieret,Deo ita disponente,quòd per dolorem aliquem naturalem, remitteretur à Deo.Alij docent,quòd in eo casu remitteretur peccatum per hocquòd homo ille in puris naturalibus proponeret toto conatu sibi possibili,sequi bonum honestum,& fugere malum,cum vero dolore peccatorum,vel alijs modis,ex diuina prouidentia constitutis pro tali homine in puris naturalibus,quibus consuleret ei & prouideret. Cæterùm,vt diximus,totum hoc est diuinare, cùm nihil certum scriptum habeamus. Nam solùm habemus ex fide,quòd homines qui defacto à Deo conditi sunt,& modò degunt in natura lapsa, ordinati sunt ad dona supernaturalia & ad gratiam, & gloriam,& quòd possunt resurgere à peccato, Deo adiuuante per Christum & illius merita, Deoque renouante per pœnitentiam & gratiam eorum animos, & voluntates, vt ad gloriam & fœlicitatem illam supernaturalem peruenire possint.

*Aristo.*

*Obiectio.*

*Solutio.*

*Septima cõclusio.* ¶Septima conclusio. Non est improbabilis sententia,quòd homo in puris naturalibus sine speciali auxilio,possit diligere Deum super omnia,finem & authorem naturæ, dilectione naturali perfecta. Si tamen semel iste homo peccatum admitteret,nõ esset in puris naturalibus,sed magis in natura lapsa.Vndè,sermo noster est de homine recto rectitudine naturali,& condito in puris naturalibus præcisè. Et suppono, quòd iste homo in tali statu præter generale auxilium,haberet aliud speciale ordinis naturæ,iuxta prouidentiam Dei naturalem, vt implere

implere posset hanc dilectionem Dei super omnia, quæ est actus optimus & difficilis in eo statu. Nam hoc præceptum dilectionis super omnia, exuit hominem totaliter ab amore proprio; Alia verò præcepta, non nisi in parte. Et ob id, longè difficilius est adimplere hoc mandatum, quàm alia. Vndè, cum tali auxilio ordinis naturæ, fieret, vt ille homo non esset miser in eo statu, Deo ita prouidente. Sed de hac conclusione, luculenta satis disputatio fiet à nobis artic. 3. sequenti. quæst. 1. vbi disputabimus; Vtrùm homo in puris naturalibus, possit efficaciter diligere Deum super omnia?

*Ad argum.* Ad argumenta facta, patet quid sit dicendum, ex his quæ in discursu difficultatis dicta sunt, Et patet quo pacto, aut qualiter homo ille non esset miser, & qualiter etiam posset non semel consequi bonum honestum, & habere religionis cultum erga Deum & cognitionem ipsius. Et rursus patet, qualiter esset positus in diuina prouidentia, & qualiter præmium reciperet naturale de bonis operibus si moreretur. Et item patet, qualiter ad prouidentiam Dei pertineret, remittere illius peccata dum viueret, prouidendo de aliquo remedio, quod quale futurum esset in tali statu, omnino est incertum. Exacta tamen argumẽtorum solutio, meliùs explicabitur à nobis in art. 3. & deinceps, vbi disputabitur; Vtrùm in puris naturalibus possit homo diligere Deum finem naturalem super omnia.

## DISPVTATIO V.

*Vtrùm homo in statu naturæ integræ, sine vllo alio speciali auxilio Dei, posset agere omne bonum honestum virtutis moralis?*

*5. Quæstio.* QVid homo in natura integra posset naturaliter, hoc est, cum solo auxilio generali Dei, in bonis moribus & honestis, & sine speciali auxilio gratiæ, desiniendum est à nobis & disputandum in præsenti. Et non est par ratio, de statu naturæ integræ præcisè, & de dotibus & virtutibus quibus fuit Adam exornatus. Quoniam habuit pleraq; dona personalia; Imò verò ex sententia Sanctissimi Præceptoris, fuit conditus primus homo in gratia & iustitia, ita vt iustitia illa penderet à gratia, vel in separabiliter ei coniungeretur, vel fortè essent idẽ, iustitia & gratia in Adam, quamuis ratione distinguerentur. Quocircà, cùm disputamus de homine in natura integra, loquimur de homine cum natura valida, & cum dono sanante naturam, semouendo cogitatione gratiam, ad supernaturalia eleuantem. Vndè à Theologis, etiam donum iustitiæ originalis numeratur inter naturalia, licèt fuerit gratuitum: Quia firmabat naturam in ordine ad finem naturalem. ¶ Arguitur ergo, quòd homo in statu naturæ integræ, sine alio speciali auxilio Dei, non potuerit operari bonum omne virtutis moralis. Quia si id posset, planè sequeretur, quòd posset etiam persistere in bono & nunquam peccare, sine speciali Dei auxilio, cõsequens est falsum: ergo, &c. Sequela est aperta: Quia si peragit omne bonum semper, sequitur, quòd non peccat, eò quòd persistit in bono, si quidem operatur omne bonum operabile. Minor autem probatur, ex Concil. Arausi. cap. 19. Vbi dicitur. Natura humana, etiam si in illa integritate in qua condita erat, perseueraret, nullo modo se ipsam creatore suo non adiuuante seruaret; Idem insinuat Augustin. Epist. 106. ad finem. Et in Enchyrid. capit. 106. & plerùmque dicit, quòd liberum arbitrium sufficiebat sibi ad malum, non autem ad bonum nisi adiuuaretur à Deo. Et ob id Magist. in. 2. distin. 29. ex sententia D. Augustin. concludit, Quod Adam non habuit, quo pedem mouere posset, sine gratiæ operantis & cooperantis auxilio.

*Argum.1.*

*Cõc. Arausi.*

*D. Augustin.*

¶ Secundò arguitur. Homo in illo statu, habebat appetitum propensum in sensibilia, habebat etiam inimicum Dæmonem, qui poterat vehementer tentare: sed ad has difficultates superandas, necessarium erat speciale Dei auxilium: ergo. Minor probatur ex D. Augustin. 14. de ciuit. capit. 17. & de correctio. & grat. capit. 12. Vbi dicit, primum hominem sic fuisse conditum & institutum, vt si de adiutorio Dei confideret, malum angelum vincere posset; aliàs vinceretur, erat enim Dæmon potentior homine ipso. ¶ Tertiò arguitur. Quoniam aliàs sequeretur, quòd homo potuerit se melio rem reddere & facere, quàm esset factus à Deo: hoc enim est magnum inconueniens secundùm Augustin. 12. de ciuit. capit. 19. ¶ Quartò arguitur. Quia si primi parentes adeò virtute pollerent, vt possent agere, omne opus honestum moraliter bonum, non fuissent superati tam facili tentatione.

*Argum.2.*

*Argum.3.*

*Argum.4.*

In hac quæstione Gregor. Arimin. in. 2. distinct. 29. quæstio. 1. artic. 1. tenet, Adam ante lapsum, nullum opus bonum moraliter verè honestum & studiosum potuisse facere, sine nouo & speciali auxilio Dei, præter generalem Dei influentiam, & concursum; aliàs (inquit ille) per solas vires naturæ, posset seruare diuinum mandatum, & diaboli tentationi resistere, & in rectitudine iustitiæ in qua conditus erat, permanere. Patet; quia tentante diabolo de aliquo malo morali, potuit vel le oppositum bonum morale, & consequenter contra quamlibet tentationem, potuit habere actum bonum moraliter: ergo manere in rectitudine integritatis naturæ, & non cadere; quod est contra D. Augustin. libr. de natura & gratia, capit. 27. & 49. Vbi Augustin. ait; Si hoc adiutorium, vel Angelo vel homini cùm primum facti sunt defuisset; quoniam non talis natura facta erat, vt sine diuino adiutorio posset manere si vellet, non vtique sua culpa cecidisset, adiutorium quippe defuisset, sine quo manere non posset. Nunc autem quibus deest tale adiutorium, iam pœna peccati est; quibus autem datur secundùm gratiam datur, non secundùm debitum. Et in Enchyr. cap. 116. Loquens de statu hominis ante peccatum, ait. Etsi peccatum in solo libero arbitrio constitutum esset, non tamen iustitiæ retinendæ sufficiebat liberum arbitrium, nisi participatione immutabilis boni, diuinum adiutorium præberetur, &c. Et idem repetit. 14. de ciuit. cap. 27. Et inquit Gregor. quòd testimonia hæc D. Augustin. non indigent explicatione aliqua, quia planè ostendunt sententiam suam. ¶ Quòd si obijcias Gregor. vt ipsi sibi obijcit,

*Quid Greg. Arimin. sentiat.*

*D. Augustin.*





si homo ante peccatum non potuit, sine speciali adiutorio, bonũ morale agere per suas vires; sequitur nullam naturalem possibilitatem operandi benè moraliter, homines perdidisse, in Adæ præuaricatione; siquidem Adam ante peccatum non potuit, (vt Greg. fatetur,) sine speciali Dei auxilio, vel benè moraliter agere. Huic obiectioni respondet Greg. quòd possibilitas naturalis Adæ ad benè agẽdum ante peccatum, fuit talis, quòd ipse per liberum arbitrium suasque vires naturales, cùm adiutorio gratiæ habitualis superadditæ, sufficiebat sine alio speciali auxilio Dei, ad benè moraliter agendum. Nunc verò propter præuaricationem Adæ, infirmatis viribus naturalibus, & vulnerato arbitrio, nemo persuas vires, etiam cum habitualibus donis similibus illis, quæ Adæ concedebantur, sufficit sine Dei speciali auxilio agere quicquam benè moraliter. Et ob id, adhuc est necessarium aliud speciale auxilium, quo Deus moueat voluntatem faciendo eam benè velle. Ex quo patet, vt ipse dicit, quòd possibilitas quam ipse Adam habuit si non peccasset, nos etiam eandem habuissemus possibilitatem naturalem, quam verè perdidimus.

*Nota.1.* Pro explicatione huius difficultatis, sunt nonnulli qui fusè satis hoc loco disputant, de statu iustitiæ originalis, & de statu naturæ integræ; quod potiùs oportet supponere tum ex dictis, tùm etiam ex. 1. p. homo enim in natura integra dicitur ille, qui perfectam habet rectitudinem animæ, & omnium potentiarum in ordine ad finem naturæ; quod per vnicã fieri non potest, sed plures rectitudines sunt necessariæ, tàm ex parte intellectus quam voluntatis, & appetitus. Et præter hæc requiritur specialis manutenẽtia extrinseca Dei, qua ita cohibeantur passiones, vt non insurgant ante deliberationem voluntatis, neque impediant, quòminùs possit homo perfectè præstare; quod est consonum naturæ rationali. Importat igitur prædictus status, subordinationẽ perfectam inferiorum partium ad superiores. Et licèt Adã de facto per gratiã & iustitiã originalẽ hoc habuerit, sed id potest rectè à gratia, & omni super naturali ordine separari, ita vt maneat homo, sicut cùm consideratur angelus in puris naturalibus; licèt talis integritas in eo dici possit suprà naturam, ideſt, suprà debitum naturæ. Quia id non haberet homo in puris naturalibus, non tamen quia eleuaret naturam ad alium ordinem diuinum, sicut qui per gratiam eleuatur; atque adeò absolutè dicitur naturalis, talis integritas, in sensu à nobis superiùs explicato. Nam licèt non sit secundùm naturam partis inferioris, perficit tamen partem superiorem quæ est præcipua in homine. Nam licèt rebellio appetitus, sit magis naturalis homini, conuenit tamẽ illi tanquam naturalis imperfectio, sicut & corruptibilitas ipsa. Dico ergo quòd homo in statu naturæ integræ, habet appetitum sensitiuum, adeò rationi subditum, vt nulla sit in eo repugnantia vel rebellio, & hæc est communis Sanctorum Patrum sententia, præsertim Aug. lib. 2. de peccatorum meritis ca. 21. & etiam lib. 1. cap. 16. & lib. 11. super Gen. ca. 32. & 14. de ciuit. cap. 10. & 17. & sermo. 47. de verbis Domini. Et patet ex verbis Paul. Rom. 7. Vbi hanc repugnantiam & rebellionem appetitus carnis, vocat legem peccati. Quia videlicèt introducta fuit per peccatum cùm antea non esset. ¶ Secundò etiã aduerte, in conditione primi hominis, datas ei fuisse virtutes omnes morales, saltem eas, quæ nullam supponunt imperfectionem. Quod ostendit apertè Magister, in. 2. d. 29. c. 2. ex Augustin. & Ambros. quod etiam docet. S. Thom. 1. p. q. 95. art. 3. & patet ex illo Eccles. 7. vbi legimus, Deum à principio fecisse hominem rectum. ¶ Aduerte tertiò quòd cùm est sermo de homine in natura integra, potest esse sermo, non solùm de natura humana secundùm se, præcisa omni corruptione; verùm etiam de natura humana perfecta à iustitia originali, cuius virtute, etiam apud eos qui tenent eam non includere gratiam gratum facientem; efficiebatur in homine debita harmonia, & consonantia omnium partium hominis, qua sublata, potentia quælibet non expectato rationis iudicio & dictamine, fertur in sibi conueniens.

*Nota.2.*

*Aug. Ambros.*

*Nota.3.*

His igitur ita prælibatis, est. 1. concluſi. Homo in natura integra, per vires eius, sine speciali alio auxilio Dei, potuit perficere omne opus moraliter bonum, non solùm diuisiuè, sed etiam collectiuè, & consequenter potuit nunquam deficere circà moralia: Nam licèt primus homo per originalem iustitiam præcisè, si separes ab ea gratiam gratum facientem, nõ potuerit facere opus dignum amicitia Dei, & supernaturali fœlicitate, neque se præparare ad gratiam istam, nisi ex speciali auxilio; poterat nihilominùs per sua naturalia in eo statu, cognoscere, & velle, & agere totum bonum, suæ naturæ proportionatum secundùm rationem, in ordine ad Deum, prout est finis naturalis boni. Nam iustitia illa, erat sanitas naturæ in ordine ad finem à ratione præscriptum, vt sine molestia homo operaretur secundùm rationem. Et hoc vult. S. Thom. in hoc art. Nã in statu naturæ integræ, stante Dei motione generali, habet homo sufficiens principium, respectu boni proportionati moralis, & naturalis. Quia vnaquæque forma indita rebus, est efficax respectu operationis sibi proportionatæ, dummodò natura ipsa sana sit: ergo pari ratione, loqui debemus de natura humana integra respectu boni moralis proportionati, vel assignanda est ratio efficax, cùr natura sana seclusis impedimentis, potest agere omne opus sibi proportionatum, & non natura humana sana & integra. Cùm prædicta opera sint ordinis naturalis. Imoverò dicitur homo esse in statu naturæ integræ, quia habebat vires ad integrè complendum ea, quæ pertinent ad perfectionem suam naturalem. ¶ Et cõfir. Quia in illo statu naturæ integræ, erat homo sufficienter inclinatus per virtutes, ad prompte & delectabiliter exequenda opera moraliter bona; ex parte autem sensualitatis, nulla erat repugnantia: ergo. Vndè Aug. 14. de ciuitate cap. 15. ait; Hominẽ ante peccatum, potuisse facere quæcumque vellet, modò verò non posse, & lib. de Ecclesiast. Dogmatib. cap. 21. ait quòd libertati arbitrij sui, commissus est homo in prima conditione, vt sola vigilantia mentis adnitente, etiam in præcepti custodia perseuerare[t], si vellet in eo statu, in quo creatus fuerat permanere; post verò vigorem arbitrij perdidit. Idem. 3. Hypognos. Vbi præfatam conclusionem confirmat, ex illo Eccles. 7. Deus fecit hominem rectum, & reliquit illum in manu consilij sui adiecit mandata

*Conclu.1.*

*Augustin.*

*Paul. Rõma. 7.*

*D. Augustin.*

*Eccles. 7.*

*Eccliſ.15.* mandata & præcepta ſua, ſi voluerit &c. Vide cap. 15.Eccleſ.qui ſanè locus ſecundùm Augmentum propriſsimè verificatur de primo homine. Sed dices, quòd ex prædictis ſolum habetur, quòd homo in illo ſtatu, potuerit benè operari per vires ſibi diuinitùs datas, non tamen per vires naturę, vt S. Tho. *S.Thom.* inſinuat. Reſpondetur, Sanctũ Thom. non intendere, potuiſſe Adam perficere omne opus bonum, ex viribus naturæ præciſè ſumptis, ſed ex illis vt coniunguntur iuſtitiæ originali, & virtutibus ipſi annexis; Quæ omnia aliquomodo dicũtur connaturalia homini, modo ſuperiùs explicato. Vndè, collectio omnium bonorum moralium, eſt obiectum proportionatum naturæ integræ hominis. Hanc concluſionem tenent communiter doctores in 2. d. 24. & 28. *Abulenſ.* Abulenſ. Matth. 9. q. 175. D. Thom. hic, Pater Soto. 1. *S.Thom.* de nat. & gra. cap. 6. Et omnes oſtendunt præfatam *Soto.* concluſionem ex præfata ratione; Nempe quòd omne bonum morale collectiuè, eſt obiectum proportionatum naturæ integræ, in qua integritate nulla ſunt impedimenta ex parte paſſionum, ſicut modò ſunt in natura lapſa: ergo licèt homo non poſsit modò præſtare id totum, propter impedimẽta hæc; tunc tamen facere poſſet, quia nulla erant. Imouerò, natura erat omnino integra in Adam, & ad bonum omnino propenſa, cui virtutes omnes donatæ ſunt; & ob id repugnantia & rebellio appetitus, dicitur lex peccati, quia per peccatum fuit in- *Paul.Rom.* troducta cùm antea non eſſet, vt teſtatur Paul. ad *3.* Roma. 3.

*Conclu.2.* Secunda concluſio. Homo in natura integra, etiã ſine gratia gratum faciente, poteſt diligere Deum ſuper omnia, dilectione naturali ex naturę viribus Hanc tenet. S. Thom. potiſsimè art. 3. ſequenti, & eſt *De ha conclu. latius infra art. 3. & 4. & ſequentibus.* omnium Theologorum, ſed quoniam eſt appendix ad præcedentem, idcirco propoſita eſt à me. Nam ſi in illo ſtatu integro, poterat homo virtute naturali, omne peragere bonum rationis ſibi connaturale, quod eſt bonum honeſtum; hoc profecto, eſt diligere Deum ſuper omnia opere & voluntate. Nulla namque tunc in natura ſana eſſet illecebra, nullumque impedimentum, quominùs homo tunc, ſe & omnia ſua referret in Deum. Et eſt ſermo in hac concluſione, de dilectione naturali quæ per actum elicitum etiam completur, & nõ ſolùm de dilectione naturali, quæ per propenſionem & inclinationem, ſeu naturæ pondus, expletur. De qua etiam eſt certum, quòd quælibet creatura magis diligit Deũ quam ſe, imo quàm omnia. Cùm enim Deus omnia propter ſe fecerit, propẽſionẽ rerũ naturis dedit, vt ſuprà ſe authorem ſuum diligerent, & id maximè dedit homini, quem dominum omnium rerum inſtituit. Et id etiam poteſt confirmari exemplo de brachio, quod ſe exponit periculo pro ſalute totius & vt caput ſuum defendat; & etiam exemplo aquæ, quæ pro ſalute vniuerſi ſurſùm aſcendit. Natura ergò integra & perfecta potiſsimè rationalis, non minùs debuit habere quam reliquæ creaturæ, vt in integritate ſua permanens, Deum ſuper omnia diligeret ex proprijs. ¶ Anuerò homo in illo ſtatu naturæ integræ, per donum ſibi collatum, perſeuerare potuiſſet ſi voluiſſet; ſatis à nobis explicatum eſt. 1 p. q. 23. articulo. 3. Diſput. 5. dub. 2. Vbi diximus, quòd donum perſeuerantiæ duplicitèr datur *De dono perſeuerantiæ, late agendũ eſt à nobis infra.*

alicui. Vno modo, vt poſsit perſeuerare; quomodo datum fuit Adæ. Altero modo, vt perſeueret, defacto, quomodo datum fuit Paulo, & Apoſtolis. Quæ diſtinctio eſt D. Aug. de Correct. & grat. cap. 12. & D. Thom. 1. 2. q. 109. arti. 10. ad. 3. Vbi ait, quòd homo in primo ſtatu, accepit donum per quod perſeuare poſſet, non tamen accepit vt perſeueraret. Sed legẽda ſunt ea quæ ibi diximus, & legendus eſt Pater Soto lib. 1. de nat. & gratia, cap. 6. qui non ſolùm docet, hominem in illo ſtatu ſibi ſufficère ad diligendum Deum naturali dilectione ſuper omnia, & ad præcepta omnia legis naturalis explenda; quin imò, & cauere poſſe ſe ipſum à prohibitione illa eſus ligni vetiti, & ſibi etiam ſufficere ad preſeuerandum in illo ſtatu perdonum ſibi collatum ſi voluiſſet. Et hoc vltimum explicat ex D. Aug. de Cor- *D. Aug.* rect. & grat. cap. 12. dicente, primo homini datum fuiſſe poſſe non peccare, & conſequentèr datum fuiſſe ei adiutorium perſeuerãtiæ, non quo fieret vt perſeueraret, ſed ſine quo per liberum arbitrium perſeuerare nõ poſſet. ¶ Ex his omnibus aperte conſtat & colligitur, quòd primus homo in natura integra ante peccatum, non indigebat gratia habituali, ad bene moraliter agẽdum & omnia peccata in moribus vitanda.

Ad argumenta. Ad .1. reſpondetur, potuiſſe homĩ perſiſtere in bonitate morali, & nunquam ab *Ad argum.* ea deficere in ſtatu illo naturæ integræ. Quia natu- *Ad primum* ra integra, non ſupponit pro natura hominis in pu ris naturalibus, ſed magis pro homine conſtituto in ſtatu conſono rationi naturali, in quo pars ſenſitiua eſt ſubdita rationi, & ratio benè affecta, & rectificata, cum ſubiectione in ordine ad Deum, vt eſt finis naturalis. In quo quidem ſtatu, homo conſtituitur per vigorem rationis, qui eſt vnus effectus dimanans ab originali iuſtitia. Quæ in primo illo homine integro, habuit plures effectus, conferendo perfectam rectitudinem, & ſanando naturam inordine ad finem naturalem. Hoc autem donum vigorans & integrans naturam, quamuis non procedat à principijs naturalibus; tamen computatur inter bona naturæ. Quia vt præciſè erat donum integrãs naturam, ſi conſideretur abſque conſortio gratiæ, non dat homini bonum aliquod ſupernaturale neque eleuat naturam hominis ad finem aliquem ſupernaturalem. Cùm ergo homo in tali naturę integritate conſtituitur, neceſſe eſt dicere, eum poſſe perſiſtere in bonitate morali. Sancti autẽ & Concilia, loquuntur de perſeuerantia, tam in bono naturali quam ſupernaturali, & potiſsimè loquuntur de bonitate ſupernaturali & meritoria, vt optimè *Magiſt.ſẽt.* Magiſter. in 2. d. 24. interpretatur de mente D. Aug. Dicit enim quòd homo in ſua creatione accepit gratiam, per quam ſine alio adiutorio poterat ſtare, non tamen proficere, id eſt, poterat non declinare ab eo quod acceperat, non autem mereri vitam æternam. Quod ampliùs explicans, ſubiungit, potuiſſe hominem benè viuere & ſine peccato, non autem ſpecialitèr viuere vt mereretur vitam æternam. Ita Magiſter. Simul tamen cum hoc fatemur, quòd ex conſortio gratiæ, poterat primus homo exercere opera diuina, quibus ab Spiritu ſancto motus, mereretur vitã æternam. Et quamuis in primo hõmine, gratia eſſet idem cum iuſtitia originali & habe-



& haberet duo hæc officia & multa alia, nihilominùs ad inueſtigandam naturã rei, nunc ſecernimus primum officium & munus, & conſideramus hominem, atque ſi eſſet ſolùm conſtitutus cum dono ſanante naturam, ad finem ſuæ naturæ proportionatum. *Ad ſecundũ* ¶ Ad ſecundũ reſpondetur, quòd licèt in eo ſtatu, appetitus eſſet propenſus in ſenſibilia, & Dæmon poſſet tentare, nihilominùs tamen, appetitus plenè ſubdebatur imperio, & fræno rationis. Neque Dæmon poterat decipere hominem, niſi priùs ille voluntatem liberè auertiſſet à Deo, vt rectè S. Tho. 1. p. q. 94. art. 4. docet. Vndè, licèt Dæmon, potentior eſſet homine ſuapte natura, per donum tamen iuſtitiæ originalis, erat homo ita fortificatus vt bene poſſet illi reſiſtere. Neque aliud intendit Aug. locis citatis. *Ad tertiũ.* ¶ Ad tertium reſpondetur, neminem ſine ſpeciali auxilio Dei, poſſe ſe facere melio rem in ordine ad vitam æternam promerendam, at in ordine ad moralia cum ſolo auxilio generali, poteſt ſe facere meliorem. Et quidem, conſtat quòd modò de facto poteſt quis facere multa opera bona moralia, cum ſolo generali auxilio, quibus melior euadet in illo genere. ¶ Dico ſecundò, quòd bona voluntas in Adam, ad omne opus bonum morale, ſufficiens non erat, ex ſolis naturæ viribus, ſed ex dono Dei, roborantis illam per originalem iuſtitiam, & virtutes, ſine alio tamen ſpecialiori auxilio Dei. Neque aliud intendit D. Aug. Et de hac re legendus eſt Conrad. ſuper hunc articulum. *Ad quartũ.* ¶ Ad quartum reſpondetur, inde colligi, quàm fuerint liberi primi parentes, & quàm graue fuerit illorum peccatum, vt egregiè põderat Aug. 14. de ciuit. cap. 12. Profecto, tentationes quæ ſolùm militabant circa rationem naturalem, facilè poſſent ab homine vinci in illo ſtatu integro ſine ſpeciali gratia. Ex quibus omnibus patet ſolutio ad motiua Gregorij, quę fuſè dubitatione. 6. ſequenti, à nobis ſoluentur.

## DISPVTATIO VI.

### *Vtrùm ſpeciale auxilium Dei, requiratur, vt homo in natura lapſa, poſsit abſolutè bonum morale efficere?*

HEc difficultas mouetur, ad inueſtigandum & oſtendendum, quid poſſit liberum arbitrium ſine gratia. Nam Pelagius, negans gratiæ neceſſitatem, libero arbitrio tribuit gratiam, & facultatem merendi vitam æternam. Lutherus verò cum ſuis aſſeclis, aſſeuerat poſt primi parentis peccatum, extinctum eſſe liberum arbitrium, & eſſe titulum ſine re; nihilque efficere hominem lapſum ſine gratia, quod peccatum non ſit. Et è regione pugnat cum Pelagio. Hoc refert Martyr Roffenſ. art. 31. & 36. contra Lutherum, & Ruard. Tapper. art. 4. pag. 157. & art. 11. ¶ Gregorius Arimin. in 2. d. 26. 27. & 28. quid ſimile videtur *Greg. Arim in 2. d. 27. 28. q. 1. ar. 2.* aſſeuerare. Nempe, eſſe errorem Pelagij aſſeuerare, quòd homo poteſt ex ſuis viribus naturalibus, abſque ſpeciali auxilio Dei, agere actum bonum moraliter. Imo verò dicit, quòd à nullo catholico debet ſuſtineri, poſſe hominem per liberum arbitriũ, ſine ſpeciali gratia, bonum aliquod morale agere. Quia voluntas circa obiectum ſibi oſtenſum à ratione, ex ſe, non poteſt actum bonum moralem, ſine ſpeciali adiutorio, & quod peius eſt ſubiũgit; Quòd ſi aliquem actum haberet voluntas non adiuta diuinitùs, neceſſario ille actus eſſet deordinatus. Quia licèt homo in ſolis ſuis naturalibus conſtitutus, poſsit ſine ſpeciali auxilio Dei, honorare parentes, & ſubuenire indigenti, aliaque multa agere de genere bonorum moralium; nullum tamen eorum poteſt agere propter id quod oportet, & ſicut oportet, ſecundùm omnes circunſtantias, requiſitas ad bonitatem moralem operationis; Quia ſaltem deficiet circũſtãtia vltimati finis debiti, qui eſt Deus. Itaque tenet Grego. diſtinct. citata. q. 1. quòd homo in peccato exiſtens, ſiue originali, ſiue actuali, propter conuerſionem habitualem ad finem creatum; non poteſt agere opus quod non ſit malum moraliter. Quia omne opus eius, habebit carentiam circunſtantiæ vltimi finis debiti; cùm enim homo in peccato, non poſsit diligere Deum ſuper omnia, vt pote auerſus à Deo, ſequitur quodlibet opus eius, caritarum eſſe debita circunſtantia finis. Tandem, vltimò dicit, de gentilibus & infidelibus, quòd licèt fecerint plura opera bona, vt honorare parentes tribuere eleemoſynas, quòd licet talia egerint, quę ex genere videntur eſſe bona opera, non tamen illa egerunt vltimate propter Deum, & conſequenter, nec propter id finaliter propter quod debuerunt; ac proindè non ſtudioſe neque benè moraliter, ſed malè atque vitioſè. Et hanc dicit eſſe Doctrinam *D. Auguſt.* D. Aug. virtualiter, lib. 4. contra Iulianum cap. 10. Idem ſenſit cum Greg. Capreol. in 2. d. 28. q. 1. & Romeus Caſtellus lib. de veritate operũ, verit. 14. & 15.

Habet præfata ſentẽtia Gregorij, pleraq; argumẽta pro ſe. Primũ eſt, ex teſtimonio Pauli. 1. Corin. 4. *Argum. 1.* Quid habes quod non acceperis? ſi acceperis, quid gloriaris quaſi nõ acceperis? Et ſtatim; Non ſumus *1. Corinth. 4* ſufficiẽtes cogitare aliquid ex nobis, quaſi ex nobis ſed ſufficiẽtia noſtra ex Deo eſt, Et. 2. Corin. 3. Deus *2. Corinth. 3.* eſt qui operatur in nobis velle & perficere pro bona volũtate. Et fauet illud Ioã. 15. Sine me nihil poteſtis facere, & illud ad Philip. 2. Deus eſt qui opera *Ioan 5.* tur in nobis velle & perficere pro bona ſua volũta- *ad Philip. 2* te, & illud Eccleſ. 7. Nõ eſt homo iuſtus in terra, qui *Eccleſ. 7.* faciat bonũ. Et Sap. 8. Sciui, quoniam aliter non poſ- *Sap. 8.* ſem eſſe cõtinẽs, niſi Deus det: ergo ad omnẽ bonitatẽ moralẽ, cuiuſcũque operis, aut cogitationis, requiritur ſpeciale Dei auxiliũ. ¶ Secũdò fauet Greg. *Secundum.* eiuſque ſentẽtiæ, Conc. Arauſ. cano. 9. Vbi ſic diffinitur. Diuini eſt muneris, cum rectè cogitamus, & pedes noſtros à falſitate & iniuſtitia cõtinemus: quoties enim bona agimus, Deus in nobis atque nobiſcũ vt operemur, operatur. Et Cano. 20. Multa in nobis bona fiunt, quæ nõ facit homo, nulla verò facit homo bona, quæ nõ Deus præſtet, vt faciat homo. Et *Cæleſtinus Papa.* Cæleſtinus Papa, epiſt. 1. ad Epiſcopos Gallię, cap. 9. ait. Deus in cordibus hominũ, atque in ipſo libero operatur arbitrio, vt ſancta cogitatio, piũ cõſilium, omniſq; motus bonæ volũtatis ex Deo ſit. Pleraq; alia huiuſmodi teſtimonia ſunt, in eodẽ Cõc. Arau. & in epiſt. Innoc. & Cæleſt. & in Cõc. Mileu. can. 4. Et idẽ videtur diffinitũ in quodã Cõc. Palæſt. cuius meminit Aug. epiſt. 106. ad Paulin. Vbi dãnatus fuit Pelagius, eo quòd diceret gratiã Dei, & adiutoriũ, nõ ad ſingulos actus dari. ¶ Tertiò fauet eidẽ Greg. *Argum. 3.*

D. Auguſt. plerisque in locis & potiſsimè. 1. de prædeſtinatione ſanctor. cap. 1. & 3. & lib. 3. ad Bonifacium, cap. 8. Vbi ait, liberum arbitrium captiuatũ, non niſi ad peccatum valere. Et in Epiſt. 106. ad Paulin. ait, gratiam eſſe neceſſariam ad ſingulos actus, & idem in Epiſto. ſequenti ad Vitalem. Et libr. de prædeſtinatione Sanct. cap. 1. clariſsimè ait, Nemo ſibi ſufficit, ad incipiendum, vel perficiendũ quodcunque opus bonum, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt. Et tandem ſimilia verba repetit ſæpeſæpiùs, lib. de correctio. & gratia. Et lib. 3. contra duas epiſtolas Pelagianorum. Et de ſpiritu & litera. cap. 4. Quibus locis, liberum arbitrium ad malum ſufficere dicit, ad bonum parum, niſi adiuuetur ab omnipoten

*Roffenſ.* ti Deo. Roffenſis loco citato, docet hanc eſſe Patrum ſententiam cum Ariminenſi & Capreo. Et mirabile eſt, quòd cùm Sanctiſsimus Præceptor dixerit, hominem in natura lapſa ſuis viribus, poſſe aliquod bonum morale agere, non auſus ſit adducere exempla, niſi de rebus indifferentibus, ſicut plantare vineam, colere agros, &c. Fundamenta huius ſententiæ ſunt, tùm concupiſcentia quæ manſit in homine poſt peccatum, ratione cuius non poteſt operari homo cum perfecta dilectione, vt obligat charitatis præceptum; tum etiam definitiones contra Pelagium prolatæ, & Concil. Arauſ. locis citatis. Et illud Iſai. 64. Facti ſumus vt immundi, &

*Iſaiæ. 64.* vt pannus menſtruatæ vniuerſæ iuſtitiæ noſtræ.

*Argum. 1.* Rationibus etiam ſuadetur præfata ſententia. Primò; Quia vt opus ſit bonum moraliter, neceſſaria eſt ordinatio ad Deum, tanquam ad vltimum finem; Hanc non poteſt homo lapſus habere dum caret gratia ergo, &c. Patet minor: Quia peccator habet creaturam pro vltimo fine: ergo non poteſt habere Deum; aliàs haberet duos vltimos fi-

*D. Auguſt.* nes. Quæ ratio eſt D. Auguſt. lib. 4. contra Iul. ca-

*Argum. 2.* pit. 3. ¶ Secundò arguitur. Quia ſi ratio D. Thom. in articul. aliquid probaret; pariter etiam oſtenderet, Dæmones & damnatos, poſſe agere bonum aliquod opus morale, quod eſt falſiſsimum; Quia in omni ſuo opere peccant. Sequela probatur. Quia ratio D. Thom. fundatur in hoc, quòd natura hominis lapſi, non eſt per peccatum totaliter corrupta, aut extincta, ſed tantum infirma, & vulnerata. Sed in dæmonibus, & damnatis etiam, non eſt totaliter corrupta: manent enim ſemper habitus naturales, & morales, circà principia practica, Bonum eſt ſequendum. Quod tibi non vis, &c. Ex quibus principijs, Philoſophi dixerunt, oriri in nobis omnem

*Argum. 3.* virturem, tanquam ex radice & ſemine. ¶ Tertiò. Debilior eſt homo ad bonum, dùm eſt in ſtatu naturæ lapſæ, quàm in puris naturalibus: ſed in puris naturalibus, poteſt aliquod bonum, & non omne: ergo in natura lapſa nullum poteſt. ¶ Quartò arguitur. Quia ſi poteſt homo ſuis viribus facere opus verè ſtudioſum, & bonum moraliter; ſequitur, quòd poſsit veram acquirere virtutem, quod eſt falſum. Sequela patet; Nam multiplicatis actibus ſtudioſis, producitur habitus ſtudioſus, qui eſt

*D. Auguſt.* virtus. Falſitas autem ſequelæ, patet ex D. Auguſt. lib. 4. contra Iulian. cap. 3. Vbi ait, Sine charitate & gratia Dei, nullam poſſe eſſe veram virtutem. Quia aliàs, in inferno poſſet reperiri aliquis verè

*Argum. 5.* ſtudioſus, quod eſt abſurdum. ¶ Quintò arguitur. Quia aliàs ſequeretur, poſſe nos ſine ſpeciali auxilio, vincere tentationes: conſequens eſt falſum: ergo vrgente tentatione, non poſſumus in bono perſiſtere, ſine ſpeciali gratia Dei. Sequela probatur. Nam idem eſt facere opus bonum, & vincere tentationem, quæ ne illud faceremus, nos retardabat. Minor autem probatur. Quoniam in Dominica oratione, petimus à Domino victoriam tentationum, tanquàm aliquid difficillimum, & ſuprà vires noſtras. Vndè, Innocentius Papa, in reſcripto ad Concil. Carthaginen. dicit; Ad reſiſtendum non ſuffice re liberum arbitrium. Dæmon etiam vrget, varijs tentationibus, & eſt homine potentior: ergo niſi homo iuuetur à gratia Dei, vel Dæmon impediatur ab eadem gratia, ſemper ſuperabitur homo. Et ob id Auguſt. Epiſt. 106. dicit, Victoriam tentationum *D. Auguſt.* non eſſe ex noſtra voluntate. ¶ Sextò arguitur. Quia *Argum. 6.* aliàs ſequeretur, non eſſe magis neceſſarium diuinum concurſum ad benè operandum, quàm ad malè agendum. Nam etiam ad mala opera requiritur concurſus generalis; conſequens eſt valdè abſurdum: ergo. Et confirmatur. Quia ſequeretur, non minus poſſe hominem in natura lapſa, quàm in puris naturalibus. ¶ Septimò arguitur. Quia Pelagius *Argum. 7.* non negabat auxilium generale, ſed ſpeciale dicebat non eſſe requiſitum, ad ſingula bona opera; contra quem Sancti diffiniunt & concilia locis citatis, eſſe neceſſarium auxilium: ergo non intelligunt de generali, ſed de ſpeciali. ¶ Octauò arguitur. Nam nõ *Argum. 8.* poſſumus adimplere diuina præcepta, neque vitare peccata, ſine gratia Dei: ergo neq; rectè moraliter operari. Antecedens patet, ex Mileuit. Conc. cano. 34. & ex Cæleſtino, in epiſtola citata, cap. 10. Qui diffiniunt, ad quodcunq; peccatũ vitãdum, & ſuperandam tentationem, neceſſariam eſſe diuinam gratiã. ¶ Nonò ſic obijcio. Nã, vel iſte homo qui eſt in pec- *Argum. 9.* cato, operatur propter bonum honeſtum, id eſt, propter ipſam honeſtatem virtutis, vel operatur bonum honeſtum propter aliquid aliud. Non primùm, quia ſic conſtitueret vltimũ finem in ipſa honeſtate virtutis, & inuerteret debitum ordinem: Quia frueretur honeſtate virtutis, cùm debeat vti illa, in ordine ad bonum ſuperius diuinum. Si verò operatur propter aliquid aliud, vel illud eſt Deus, vel creatura; ſi creatura: ergo peccat mortaliter, quia conſtituit illam finem vltimum ſuæ operationis. Si dicas, quòd eſt Deus: ergo iam neceſſariò requiritur, quòd homo ille operetur propter Deum; Hæc autem relatio ad Deum, nõ poteſt fieri ſine ſpeciali auxilio Dei: ergo. ¶ Decimò arguitur, quòd ſaltem infidelis qui *Argum. 10* omnia ſua retulit in idolum, ſemper peccet in omni opere ſuo: Quoniam omnia eius opera cenſentur relata in talem finem malum, ex vi prioris intentionis, ſicut opera iuſti, qui ſe & omnia ſua retulit in Deum, cenſentur ex vi huius intentionis, in Deum tendere. Quod oſtendo; Quia infidelis ille, habet iudiciũ erroneũ & culpabile, ſeu conſcientiam erroneã, qua iudicat, ſe teneri ad facienda omnia propter idolũ: ergo ſemper cẽſetur operari ſecũdũ hoc iudiciũ: Quia tale iudicium nõ deponitur, niſi propter ſufficientia motiua contraria, quæ tunc non habet: ergo ſemper peccat, vel apponendo finem malum, ad quod putat ſe teneri, vel non apponendo; quod ex conſcientia erronea eſt peccatum.

Et



*Conſirm.* Et confirmatur. Quia ſaltem opera de ſe indifferentia, cenſebuntur relata à tali relatione in idolum. Quia talibus operibus, non eſt magis naturalis, vel violenta, relatio mala quam bona. Nam hac ratione dicuntur indifferentia, ergo ſicut relatio præcedens bona, ſufficit vt ſint bona; ita mala vt ſint ſimi-

*Conſirm. 2.* liter mala. Et confirmatur ſecundò. Nam ſaltem ea quæ de ſe ſunt venialia, erunt mortalia propter talem finem. Nam magis connaturalis eſt actui de ſe malo, finis vltimus malus eiuſdem ordinis naturalis, quam actui de ſe bono & naturali, finis ſupernaturalis: ſed relatio in Deum finem ſupernaturalem, ſufficit vt opus ſit bonum ſupernaturaliter, vt infra oſtendemus. q. 114. ergo pari ratione in idololatra.

*Vndecimũ.* ¶ Vndecimò obijcit petitiones fidelium: Nam fideles, iugiter petunt à Deo adiuuari, in executione bonorum operum: ſed non petunt generale illud auxilium; Quia hoc, non poteſt deficere, imò videtur quodammodò creaturis debitum, ex diuino pacto: igitur ſicut non petimus quòd Sol illuminet, aut quòd ignis comburat; ſic pari ratione, cùm petimus adiutorium bonorum operum, non petimus generale auxilium, ſed ſpeciale. ¶ Præterea, Si po-

*Argum. 12.* teſt homo per vires ſuas, agere bonum morale: ergo ex eiſdem viribus, poteſt ſe diſponere ad gratiam, & ſe ad illam præparare infallibiliter; & ſic noſtræ ſaluris initium eſſet ex nobis. Patet conſequentia. Quoniam operanti bonum moraliter, & ſequenti dictamen prudentiæ, ſeu rationis, Deus confert gratiam infallibiliter.

His argumentis perſuaſi Capreol. Greg. & Roffenſ. tenuerunt præfatam ſententiam. Ad quam oſtendendam, innumera argumenta, variaſque rationes colligunt, & citant pro ſe omnes Sanctos, Cyprian. Ambro. Hiero. Damaſc. Proſper. Auguſt. Greg. Iſidor. Bernard. Anſel. Hugon. S. Thom. Bedam. Innocent. & Conc. Arauſ. & Mileuit. Ex quibus concludũt, oppoſitam ſententiam eſſe Pelagianam. Et præter argumenta facta, ex quatuor fundamentis, potiſsimè colligunt ſuam opinionem. Primum eſt, quòd nemo poteſt, tentationem abſq; Dei auxilio vincere, vt ſiquis tentetur, ad aliquem actũ moraliter malum. Nam cùm obiectum fuiſſet Pelagio, quòd diceret, victoriam tentationum ex Dei, adiutorio non eſſe, id cõpulſus eſt anathematizare,

*D. Auguſt.* vt refert Aug. in epiſt. ad Paulin. Secundum fundamentum, ſunt preces eccleſiæ & fidelium implorantium auxilium Dei, & cùm non implorent generale, petunt ſpeciale. Tertium fundamentum eſt, quòd homo lapſus, eſt infirmus & impotens. Quartum eſt, quòd homo ad agendum actus bonos moraliter, ex omni parte, taliter indiget adiutorio Dei, qualiter non indiget ad peragendum actus malos moraliter. Quia actus boni ſic Deo tribuuntur vt authori, qualiter non tribuuntur actus mali. Et hinc Greg. colligit, quòd cùm concurrat Deus etiam ad actus illos malos, quantùm ad ſubſtantiam actus, quòd maiori concurſu, & diuerſo, concurrit ad actus bonos.

*Nota. 1.* Pro explicatione huius controuerſiæ, aduerte primò, Opus bonum eſſe duplex, nempe morale, & meritorium; opus bonum morale, eſt actus conformis rectæ rationi, tàm ex parte obiecti, quam ex parte circunſtantiarum, quod ſubijcitur alicui regulæ, rectæque rationi conforme, factum propter debitum finem; ad quam bonitatem moralem præciè, non requiritur neque gratia neque charitas. Vndè, bonum meritorium, eſt illud, quod præter honeſtatem ipſius operis ex obiecto & fine, habet etiam ex forma ſupernaturali adiuncta, quòd ſit dignum vita æterna. Et Greg. non ignorauit quo pacto ſumatur bonum morale. Nam pariter ſicut nos, ſtatim in exordio huius quæſtionis, definit & accipit bonum morale, & opus bonum morale, quod habet debitum obiectum & finem; & cui non apponitur mala aliqua circunſtantia. De quo opere moraliter bono, dico, ipſum ex propria natura referri in Deum, Quia cùm ratio naturalis, ſit participatio quædam rationis æternæ, quod eſt ſecundùm rationem particularem naturalem, neceſſariò eſt cõforme rationi diuinæ. Et cùm debitus finis & honeſtus boni operis, & regula prudentiæ rectæque rationis, ſint in Deum relata, & participationes quædam diuinæ ſapientiæ, & diuinæ regulæ, ſequitur opus bonum morale, conforme huic regulæ, & fini, ex propria natura referri in Deum. Et ob id, ſicut lapis naturaliter deſcendit ad centrum, violenter verò remouetur ab ipſo, & aſcendit ſurſùm; ſic etiam opus bonum moraliter, ex naturali conformitate, quam habet ad rectã rationẽ naturalẽ, & ad regulã diuinã, naturaliter refertur in Deum; ac pro inde, ſi ab ipſo operante diſtraheretur à ſuo fine debito, & ordinaretur in malum finem, quodammodò violentaretur opus ipſum moraliter bonum. Quia contra propriam operis inclinationem diſtraheretur à connaturali fine, & ordinaretur ad oppoſita.

*Nota. 2.* ¶ Secundò aduerte; Quod generale Dei auxilium eſt, quo Deus ſufficienter mouet creaturam, ad operationem proportionatã fini eiuſdem creaturæ, & potentiæ atque formæ eius. De quo Theologi dicunt, quòd ſi creatura habet formam & potentiam proportionatã alicui effectui, & non impediatur aliundè, ſolum generale Dei auxilium tale eſt, vt ſit ſufficiens ad operationes ſibi proportionatas. Et quidem, tale eſt auxilium, quo Deus vt author naturæ, cum creaturis concurrit, per motionem & influxum Dei. Et id auxilium Deus creaturis communicat, tanquam vniuerſalis naturæ author ex ipſa conditione creaturarũ; Nempè, quaſi ex quodam veluti implicito pacto ipſius creatoris, cum creaturis ab eo conditis. Hinc fit, quòd ſpeciale auxilium, appellatur illud, quod ex ipſa conditione naturæ nõ debetur operanti. Quia natura & forma eius, exſe non proportionantur operationi, aut perfectioni illius operationis, nempe ſupernaturalis. Vndè, non eſſet miraculum, ſi Deus tale auxilium ſpeciale gratuitum ſubtraheret; ſicuti eſſet ſi ſubtraheret generalem concurſum. Itaque, generalis concurſus, ſeu generale auxilium eſt, quo Deus dicitur operari cum omni operante, etiam in operibus naturalibus, quæ per ſolã generalẽ influentiã & naturalem, *Quid auxilium generale* fiunt. Quia videlicèt; non ſolũ dat Deus principia agendi, vt reliqua agentia naturalia faciũt, ſed etiã mouet ipſa agentia. Quæ motio eſt concurſus Dei, quo pariter cũ actione agẽtis effectũ, non ſolũ attingit eundẽ effectum, ſed etiam ipſum agens mouet, ita vt motio & actio agentis, tota ſit à Deo tanquã à cauſa prima, & tota ſit à cauſa ſecũda tanquã

à subordinato agente. Si quæras; Vtrùm auxilium generale, sit applicatio agentis ad agendum, & conseruatio eius, vt Conrad. in hoc art. explicat, Respondetur, quòd applicatio agentis ad agendū, magis est determinatio agentis adhoc vel illud, quàm generalis concursus seu auxilium. Conseruatio autem semper conuenit; & est necessaria creaturis, etiam quando nihil operantur, ne in nihilum fluāt. Quapropter, concursus generalis formaliter loquēdo; neque est conseruatio, neq; applicatio agētis ad agendum præcisè, sed est diuina motio, & hæc appellatur concursus generalis, qui cōcomitatur omnem creaturæ actionem in agendo, licèt talis motio præintelligatur priùs natura, vt à Deo fluens. Etenim, agens creatum operatur dependenter à motione Dei, & hæc prioritas est independentia Dei, vt concurrentis & causantis; Et hic cōcursus seu diuina motio, includit influxum diuinum, & conseruationem agentis ad agendum, & applicationem virtutis ad operationem. Vndè, Deus tanquā vniuersalis motor, voluntatē mouet ad bonū vniuersale, sub qua motione voluntas se se agit, & determinat, dependenter à diuino concursu, & à diuina motione, adhoc vel illud bonum. De qua re, legendus est S. Thom. 1.2. q. 9. art. 6. præsertim ad 3. ¶ Tandē aduerte; Aliud esse quærere, an sine gratia gratū faciēte, possimus facere aliquod bonū opus morale. Aliud vero, an sine auxilio Dei speciali. Nā primū negare, est hæresis Lutheri aiētis, nullū opus hominis existētis in peccato, esse bonū; sed omnia esse peccata. Imò tā tū desipuit, vt idē postea diceret de homine iusto.

*Nota. 3.*

*Conclus. 1.* His ita prælibatis, est prima cōclusio. Conc. Trid. sessio. 6. cano. 5. & 7 nihil definit contra sententiam Gregor. Arimi. Primò; quia Greg. licèt dicat, hominem sine auxilio Dei speciali, non posse benè operari moraliter; tamen non negat, huiusmodi auxiliū sæpè conferri peccatoribus, & infidelibus. Et conseqüēter dicit, eos plærumq; benè agere & benè operari moraliter, ex præfato auxilio eis concesso. Imò verò fatetur, ea opera quæ à peccatore fiunt, quibus se ad gratiam disponit, non solùm procedere ab auxilio speciali, sed etiam esse bona opera. Ex quo patet, Gregorium nunquam dixisse, neq; ex illius sententia sequi, omnia hominis peccatoris opera, esse mortalia peccata. Nam cùm in. q. 1. distinct. 28. sibi obiecisset, ex eius sententia sequi, omnia opera infidelium, esse peccata, & quocumq; suo actu deliberatè facto, nempe dando eleemosynam, orando Deū, testificando verum, defendēdo iniustè oppressum, infidelem peccare, quod non dicitur benè, neq; catholicè, quia ad talia opera exercēda, Ecclesia quotidie exhortatur peccatores. Respōdet, negando sequelam. Quia licèt infideles & peccatores, careant gratia iustificante, non tamen carent omni gratuita Dei motione, ad actum moraliter bonum. Imò verò plærisq; illorum auxiliatur Deus specialiter ad benè agendum. Concedit ergo Gregor. à peccatoribus & infidelibus, multa fieri opera bona moraliter ex speciali Dei auxilio, potissimè cum incipit peccator, se ad gratiam & iustificationem disponere. Quod sanè auxilium; Deus nequaquàm illis denegat; imò verò, licèt peccatores & infideles, careant gratia iustificante & charitate, tamen sæpius (ait Gregorius) iuuantur à Deo, speciali auxilio, ad bona & honesta opera. Secundò; quia Gregor. non dicit, omnia opera hominis lapsi esse mala & peccata, sicut dixit Lutherus, contra quē extat diffinitio Cōcil. Trid. sessio. 6. cano. 7. Tertiò. Quia non negat liberum arbitrium, sicut Lutherus, qui omnia opera peccatoris, etiam illa quibus disponitur ad gratiā, imo verò ipsam contritionem & dolorem peccatorum, dicebat esse peccata, & liberum arbitrium esse extinctum & titulum sine re. Sed profectò aduertē da est perfidi hominis insania; Quia licèt homo peccator, non posset suis viribus bonum agere, nihilominus esset liberum arbitrium; vt nos latè deduximus. 1. p. q. 14. art. 13. disput. 2. Quia cùm offertur peccatori occasio dandi eleemosynam, licèt peccaret tribuendo & non tribuendo eleemosynam, nihilominùs euidens est, ipsum habere liberum arbitriū, & liberè agere. Quia homo ille potest conferre, vel non conferre eleemosynam, & hoc fieri non potest sine libero arbitrio & voluntate indifferente. Vndè Concil. Lutherum damnat, in eo quod dixit, peccatorem nō posse agere bonum ante iustificationem, & omnia eius opera mala esse. Et in eo quod dicit, non esse liberum arbitrium post peccatum. Quapropter, in prædicto Concilio Tridentino, cano. 6. non diffinitur, omnia opera facta ante iustificationem & gratiam, esse bona, neq; etiam omnia esse mala; sed diffinitur, posse peccatorem ante gratiam iustificantem bonum operari. Et id bonum verè facit, cùm præuentus diuino auxilio, paulatim se disponit homo ad iustitiam, per timorem, per dispicentiā peccatorum, per exercitium bonorum & honestorum operum. Qui canon damnat Lutheri errorem dicētis, omnia opera peccatoris, etiam illa, quibus ad gratiam disponitur, esse mala & peccata. Reliquit ergo Concil. Gregorij sententiam intactam, qui nō dixit, hominem peccatorem semper peccare in omni suo opere, sed sine auxilio Dei, nequaquam posse benè operari moraliter. Et subiungit, huiusmodi auxilium, sæpè conferri peccatoribus & infidelibus. Quocircà, tres Gregorius in art. 1. quæstionis citatæ, constituit conclusiones. Prima, quòd nullus homo in statu præsenti, Dei etiam generali influentia stante, potest absque speciali auxilio eius, agere aliquem actum moraliter bonum. Secunda, quòd nullus homo in natura lapsa, potest absque speciali auxilio Dei, in his quæ ad moralem vitam pertinent, sufficienter cognoscere, quid volendum, vel nolendum, agendum & vitandum sit. Tertia, quòd nullus homo in statu præsenti, etiam habita sufficienti notitia, de his quæ ad moralem vitam pertinent, potest absque speciali auxilio, specialiter velle vel agere. In quibus nihil contra Concilij definitionē decernit. Et idcirco, non est hæretica sententia Gregorij; quamuis sit apertè falsa.

*Conclus. 2.* Secunda conclusio. Non omnia opera quæ facit peccator, sunt peccata, imò verò aliqua sunt bona moraliter. Hæc est contra Lutherum & Caluinum, & eam defendit Gregor. licèt dicat, requiri auxilium speciale, ad quæcunque bona opera moralia: hoc tamen dicit à Deo conferri, ita vt si ei denegaretur, excusaretur homo à peccato. Quod verò non omnia opera hominis lapsi, sint mala & peccata, apertè diffinitur in Conc. Trid. sess. 6. can. 7. Et probatur ex scriptura, in qua aliqua bona opera peccatorum



torum laudantur tanquam bona; quibus excitantur peccatores ad dispositiones remotas ad gratiā. Imo verò liquet, quòd quando quis nititur se disponere ad gratiam, & displicet ei vita ante acta, tunc studiosè, & benè operatur, etiam antequā iustificetur.

*Ioan. 9. Matth. 5.* Quod patet Ioan. 9. & Matth. 3. Progenies viperarum, &c. & Matth. 5. Si diligitis eos qui vos diligunt, &c. Nonne, ethnici hoc faciunt? Ratione etiā, euidentissimè constat. Nam nemo peccat in eo quod vitare non potest: ergo implicat, liberum arbitrium negare, & concedere culpam. Non ergo stat, peccatorem carere libero arbitrio, vt dicebant Lutherus & Caluinus, & quòd omnia opera illius imputentur ei ad culpam. De qua re lege confessionem Augustinianam, cap. 8. Et legendus est etiam Pater Vega, lib. 11. super Conc. cap. 16. & Roffensis, & Pater Soto, locis citatis, & Castro, de hæresibus, verbo, Opera.

*Conclusio. 3.* Tertia conclusio. Homo in statu naturæ lapsæ, potest suis viribus, sine speciali Dei auxilio, facere aliqua opera moraliter bona, etiam quandiu est in peccato. Hæc conclusio expresse est contra Gregor. locis citatis; qui credidit, quòd homo quandiu est in peccato, nullum potest bonum opus morale facere, absque Dei speciali auxilio, & consequenter omne opus quod extra gratiam operatur, & sine speciali auxilio Dei, esse malum opus, & in illo peccare. Itaque putat Grego. quòd homo in natura lapsa, & in peccato, differt ab homine in natura integra, sicut homo viuus à mortuo. Nam, sicut viuens potest exercere opera vitæ, mortuus verò nullum tale exercere opus potest; ita pari ratione homo in natura integra, potest totū opus virtutis moralis; at in natura corrupta, & in peccato, nullū potest. Cæterum; nostra conclusio, est communis sentētia Theologorum in. 2. d. 26. & 28. Sic Durand. d. 28. q. 2. Bonauent. q. vlti. Ægid. q. 2. Ruard. Tapper. art. 7. & 11. S. Thom. in hoc art. Qui in eo sensu asserit, hominem post peccatum facere aliquod bonum opus morale in quo dixerat, ante peccatum potuisse omne bonum naturæ proportionatum, sed hoc intelligitur de bono virtutis moralis: ergo & illud. Vndè in. 2. d. 28. q. 1. art. 1. expressè concludit, quòd potest homo ex se facere opera fortia & iusta, licèt nō possit per ea mereri. Imo verò in hac. 1. 2. q. 65 art. 2. docet, posse hominem proprijs viribus, acquirere virtutes morales, quatenus sunt operatiuę boni, in ordine ad finem, qui non excedit facultatem naturalem hominis. Eandem assertionem tenent, Pater Vega, opusc. de iustificatione. quæstio. 12. & Pater Soto. 1. de natura & gratia, cap. 20. Et Driedo, lib. 1. de redemp. & captiuit. & c. cap. 2. & Abulens. Matth. 19. quæstio. 174. Et probatur. Primò, ex illo Roman. 1. Cum cognouissent Deum non sicut Deum glorificauerunt, Et statim capit. 2. Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt, faciunt. Quo loco vtitur Cyprian. ad id probandum libr. 3. ad Quirinum capit. 9. Vnde, in testimonijs citatis docet Paul. posse hominem naturaliter cognoscere quæ legis sunt naturalis, & ea opere præstare. Quod cōfirmatur, Matth. 5. Si diligitis eos qui vos diligūt, & si salutaueritis fratres vestros tantùm, quid ampliùs facitis? Nonne Ethnici hoc faciunt? Exquo habetur, quòd Gentiles sine speciali auxilio, faciunt nonnulla opera pietatis laudabilia erga proximos suos. Quocircà, hæc assertio & est vera, & est D. Tho. & est etiam D. Aug. & Sanctorum. Nam Aug. lib. 3. Hypognos. quamuis dicat, liberum arbitrium non posse agere quæ ad Deum pertinent, affirmat tamen posse velle & operari, quidquid boni ad præsentem pertinet vitam, vt laborare in agro, habere amicum. Et idem colligitur, ex verbis eius, Epist. 5. ad Marcelli. & 99. ad Euodium, & 103. ad Cyrcenses, vbi ait, in peccatoribus fuisse veras virtutes morales proprijs actibus cōparatas. Idem docet epist. 5. ad Macedones; & 1. de Ciuit. cap. 15. Et licet cap. 12. videatur id negare, loquitur tamen aliter. Nam intelligit non fuisse perfectas virtutes in eis, quia erant sine charitate. Idem sentit de spiritu & litera, cap. 27. & 28. Quòd si aliquādo videatur D. Aug. reclamare, debet intelligi de opere bono morali, quod simul est meritorium æternæ vitæ, vel de opere bono morali, quod habet aliquid supernaturalitatis, vt est opus detestationis peccatorum & attritionis, & opus quo paratur via, & dispositio ad amicitiam & gratiam Dei, vel quòd non potest homo, bonum morale facere omne, neque perseueranter, aut opus, quod ne fiat, gauisimis tentationibus perturbatur. Et hoc est mihi certum, quidquid dicant noui & recentes Theologi. Nam profectò, explicans testimonium Rom. 2. Gentes quæ legem nō habent naturaliter ea quæ legis sunt, faciunt, ait Aug. quòd inter infideles, quędam facta legimus, nouimus, & audiuimus; quæ secundùm iustitiæ regulam, non solùm vituperare non possumus, verùm etiam meritò, rectèque laudamus. Et hoc docuit lib. de spiritu & litera cap. 27. Et statim cap. 28. dicit, quòd quemadmodum quædam peccata venialia, non impediunt iustum à vita æterna, sic ad salutem æternam, nihil prosunt impio aliqua bona opera, sine quibus difficillimè vita cuiuslibet etiam pessimi hominis, inuenitur. En, nihil clariùs dici potuit à D. Aug. quàm quod in quolibet pessimo homine, inueniuntur aliqua bona opera, quæ licèt illi non prosint ad meritum, sunt tamen bona opera moralia. Et ne quis dicat, ad illa opera habuisse speciale auxilium, lege Aug. lib. 3. Hypognost. vbi constituit differentiam, inter opera hominis pertinentia ad Deum, & opera vitæ præsentis, quæ sunt naturalia, de quibus ait, quòd ad illa non est sufficiens liberum arbitrium, benè tamen ad alia. Eandem assertionem defendit D. Hiero. in epist. ad Demetrium, dicens quosdam peccatores, fuisse castos, patientes: & subiungit. Vndè illis hæc bona, nisi de naturæ bono? Damasc. 2. fidei capit. 14. & 20. D. Basil. cap. 2. suæ regulæ. Vndè, cùm in nobis, etiam post peccatum insita sint à natura semina virtutum moralium (vt docuit Arist. 6. Ethicor. c. vlt.) & non sit totaliter natura corrupta, neque extinctū liberum arbitrium, mirabile & incredibile esset, quòd homo ex his viribus & principijs; cum generali concursu Dei, non posset facere opus aliquod moraliter bonum. Hoc enim esset facere hominem simpliciter corruptum, & mortuum, sine principio aliquo, aut apprehensione boni & iudicio.

*Diuus. Bonauent. Ægidius. Ruar. Tap. S. Thom.*

*Vega. Soto. Driedo. Abulens. Roman. 1. & 2.*

*Cyprian. Matth. 5.*

*D. Augst.*

*D. Augst.*

*D. Augst.*

*D. Augst.*

*D. Hiero.*

*Damasc.*

*Ratio, & fundamentū. propositæ assertionis. Arist.*

Rationibus etiam persuadetur proposita assertio. Nam sicut cognoscere bonum morale, est proportionatum intellectui; ita illud velle & operari

*Rationibus ostenditur 3. Conclus.*

aliquando est proportionatum voluntati. Potest enim homo peccator in hoc statu, per naturam cognoscere diligendos esse parentes, & honorandos, & faciendam esse eleemosynam indigenti: ergo per vires naturæ suæ, potest aliquando id velle, & operari; ergo sicut non requiritur lumen fidei ad hæc cognoscenda, ita non requiritur speciale auxilium ex parte voluntatis. Imo verò naturalis inclinatio voluntatis, est ad faciendum id, quod ratio dictat esse bonum & faciẽdum. Nam profectò miraculum esset, quòd intellectus dictet mihi, esse necessarium aliquid facere, & quòd habeam inclinationem voluntatis ad id faciendum, & quòd non possim per voluntatem sine gratia Dei, illud aliquando velle & operari. Quare, sicut in omnibus alijs causis naturalibus, supposito generali Dei concursu, causa potest producere effectum sibi proportionatum, suæ naturæ consonum; alias esset miraculum: pari ratione, cùm opus moraliter bonum sit consonum naturæ rationali, sequitur quòd homo eiusque voluntas, poterit aliquando opus hoc consonum naturæ rationali, peragere. Quia si natura rationalis, nil boni posset operari proprijs viribus, non esset bona sed mala, vt Manichæi dicebant;

*Matth. 7.*

Nam ex fructu, arbor cognoscitur Matth.7.& Lucæ 6. Dices, hoc argumentum probare de natura non infecta peccato, secùs vero de ipsa corrupta, & læsa per peccatum. Contra. Nam per peccatum, non est omnino extinctum liberum arbitrium, nec sunt omnino deperditæ illius vires, vt definitur in Cõc. Trident. sessio.6.cano.5. Igitur adhuc supersunt vires naturales, ad faciendum aliqua opera moraliter bona, licèt vires sint infirmæ & debiles.

Secundò probatur, & suppono non dari semper tale auxilium speciale. Tunc arguitur. Homo non habet speciale auxilium: ergo non potest bene operari: ergo non peccat in eo quod vitare non potest; Et ita non peccat in eo, quòd non benè operetur; quæ duo implicant. Dices, non peccare, sed excusari. Contra; Quia in individuo nullum opus est indifferens: ergo vel tale opus est malum, & hoc non: Quia non potest illud efficere melius homo, sine auxilio Dei. Vel est bonum, & tunc sequitur intentum. ¶ Tertio. Homo in puris naturalibus, potest plerâque opera bona moraliter agere: ergo etiam homo peccator. Patet consequentia? Quia ille homo in puris naturalibus, non habuit gratiam, neque auxilium gratiæ, & ex sola sua natura & lege naturali obligatur agere secundùm rationem, siquidem natura non obligat, ad aliquid, ad quod non habet sufficientiam. Et confirmatur, quia homo ex lege naturali, tenetur viuere secundum rationem, & bene agere moraliter: ergo ex facultate naturæ potest hoc agere, alias esset ridiculũ quòd natura obligaret ad aliquid, ad quod non dedisset sufficientia principia. ¶ Quarto. Homo per sua naturalia, potest facere opus ex suo genere bonum, apponendo illi malum finem, aut malam circunstantiam: ergo etiam id potest, quando est opus moraliter bonum. Patet consequentia; quia ridiculum esset dicere, quòd possim naturaliter comedere, quando mihi nocet, per vires naturales, & quòd non possim id, quando mihi prodest, & quando est opus bonum morale; quia est opus temperãtiæ. Et etiam, quia comestio illa in genere naturæ est eiusdem speciei, quando prodest, & quando nocet: ergo si ex vi naturæ, potest homo attingere ad illam comestionem quando nocet: ergo etiam quando prodest. Et confirmatur. Quia siquis viribus naturæ potest dare eleemosynam, quando & vbi oportet, propter malum finem: ergo poterit etiam dare, relinquendo actum suæ naturæ, hoc est, non apponendo malum illum finem. Dices, quòd licèt posset non apponere finem malum illi actui, non tamen posset apponere bonum finem positiuè, ordinando actum, in vltimum finem qui est Deus. Contra; Quia ipse actus cùm sit bonus, ex genere suo, ordinatur suapte natura in finem vltimum naturalem, neque opus est, quòd ordinetur in finem vltimũ supernaturalẽ ex charitate. Nam metus gehennæ in peccatore, est actus bonus, vt diffinitur in Conc. Trid. sessio.6.can. 8.& tamẽ nõ est ex charitate. Vndè aduerte, quòd vt actus sit moraliter bonus, non requiritur quòd expressè & formaliter ordinetur ab operante, in vltimum finem; sed satis est, q̃ habeat bonum obiectũ, & non vitietur aliqua mala circũstantia, vt fusiùs. q.18.art 8.&.9. deducitur. Et sanè, opinio Gregorij videtur aliquãtulum fauere hæresi Lutheranæ, qua dicitur omnia opera hominis existentis in peccato, esse peccata. Verum est tamen, quòd opinio Gregorij, longè distat ab hæresi Lutherana (vt diximus cõclusione.1.) iuxta sensum ibi datum.

*Concluſ.4.*

Quarta conclusio. Fundamentum seu ratio, quibus potissimè Gregorius probat suam sententiam, tantùm abest quòd illam ostendant, vt potiùs probent, quòd etiam cum auxilio Dei speciali, non potest homo benè moraliter operari. Probatur. Nã ratio propter quam negat Grego. opera moraliter bona in peccatore sine auxilio speciali; est propter conuersionem peccatoris ad bonum commutabile; Nam ita conuersus, non diligit Deum super omnia, neque ordinat opus in ipsum, tanquam in finem vltimũ. Sed ex hac ratione sequitur, quòd neq; etiam cum auxilio speciali, nisi superaddatur gratia iustificans, non potest homo in peccato existens operari benè moraliter, quod est contra eundem Greg. Probatur sequela; Nam auxilium, speciale sine gratia gratum faciẽte, non aufert neque tollit peccatoris conuersionem ad commutabile bonum, neque efficit vt diligat Deum super omnia: ergo adhuc posito speciali auxilio, deest tali operi eius, qui est in habituali peccato, circunstantia vltimi finis, nempe Dei. Et consequenter erit peccatum in opinione Gregor. Ex quo rursùs sequitur, quòd etiam in illis operationibus, quibus homo supernaturali auxilio disponitur antecedenter ad gratiam, peccaret homo ipse, Nempe, quando per attritionem & timorem gehennæ detestatur peccata. Nam isti actus, qui tempore antecedunt gratiam, non procedunt ex dilectione Dei super omnia; Consequens autem est hęreticum, & contra definitionem Concilij Tridentini, sessio.6.cano.7. & 8. Igitur licèt Gregor. excusetur ab hæresi Lutheranorum asserentium, omnem actum hominis antecedẽtem gratiã esse peccatum; si tamẽ ratio Greg. aliquid valeret aut conuinceret, pari ratione ostenderet, omnia opera antecedentia gratiam habitualem, esse peccata. Quia non fiunt ex dilectione Dei

*Conc. Trid.*



ne Dei super omnia: hanc enim sine gratia nequit habere homo, vt ostendemus artic.3. &.4. sequent. Non ergo requiritur ad bonitatem moralem operis, quòd ordinetur in Deum summè dilectum, ita vt operans sit conuersus in Deum super omnia dilectum; sed satis est, quòd fiat opus morale, eo modo quo natura ipsius exposcit, nempe, quòd fiat propter bonum honestum, & propter bonum rationis, quod secundùm naturam suam refertur in Deũ author naturæ. Et quando ponitur iste finis immediatus ipsi operi morali; implicitè continetur ibi, ordo eiusdem operis ad finem vltimũ. Imò verò tũc, operans, virtualiter & implicitè, intendit talem finem per tale opus. Dices, quòd ratio & fundamentum Gregorij saltem est, quòd opus moraliter bonũ secundùm omnes circunstantias, est opus naturæ integræ: ergo homo in peccato & in natura corrupta, non potest facere tale opus; quia in tali statu est imbecillis & infirmus: ergo non potest, quod aliàs poterat in natura integra. Respondetur, quòd neq; hæc ratio concludit, imò verò ex ea sequitur oppositum. Quia infirmus homo, licèt nõ possit eas actiones omnes, quas homo sanus; potest tamen aliquid operari. Pari ergo ratione, homo in statu naturę corruptæ, potest aliquod bonum opus morale; non tamen omnia sicut homo in natura integra. Vndè, licèt homo infirmus non possit omnia quæ sanus, potest tamen aliqua, de quo dubitare non licet. Negatur ergo vniuersitas omnium bonorũ operum moralium ab homine peccatore collectiuè, quia non potest omnia; non tamen est negandum, quòd possit vnum aut alterum bonum opus morale. ¶ Ex quibus infertur, falsam esse sententiam Dionysij Cisterc. in. 1. d.17.q.1. asserentis, non posse hominem sine auxilio speciali Dei, implere aliquod præceptũ morale, etiam quantùm ad substantiam operis: Credit enim quòd in ipsa substantia præcepti, includitur quòd fiat ex charitate opus præceptum; cùm tamen minus requiratur ad impletionem præcepti, quam ad operationem moraliter bonam. Præceptũ enim potest quis implere, etiam cum mala circunstantia finis, vt patet in eo qui colit parentes, vt impleat præceptum, sed vult id facere ad ostẽtionem, & cum magno apparatu, propter vanam gloriam. ¶ Secundò infertur, quòd quando sancti & concilia dicunt, hominem sine gratia non posse ex se agere bonum aliquod, non loquuntur de bono morali proportionato naturæ, sed de bono ordinato ad vitam æternam; quod asserebat Pelagius, posse fieri ab homine, ex viribus solis naturæ. Sancti verò, illud solùm vocant bonum quod ordinatur aliquo modo ad vitam æternam, vt dicit D. August. lib.4. contra Iulian. cap.13.& lib.1. de gratia Christi, cap.26.& lib.3. Hypognos. in initio. De qua interpretatione legendus est Driedo loco citato, & cap.4.& Pater Vega, vbi suprà.

*Contra Dionys. Cisterc.*

*D. August.*

*Conclus.5.*

Quinta conclusio. Durum est valdè, imò verò periculosum dicere, quòd peccator habitualis dando eleemosynam indigenti ex pietate naturali, & honorando parentes, faciendo q̃; alia bona opera, peccet & offendat Deum, si ea non facit ex speciali auxilio. Quod sane videtur concedere Greg. Et in primis id concedit de idololatra, qui cùm sit cõuersus in idolum, & se & omnia sua retulerit in ipsum, sequitur in sententia Gregorij, vt ipse putat, quòd omnia opera illius, vitiantur ex circunstantia vltimi finis, nempe idoli. Quia sufficit habitualis relatio subiecti, vt opera ab eo procedẽtia dicantur habitualiter relata in idolum; Nam non considerat Gregor. quòd cùm honorare parentes, aut dare eleemosynã ex pietate naturali, ex natura sua, sint actiones relatæ in finem honestũ, non possunt distrahi ab huiusmodi fine, nisi actualiter referantur in idolũ, vel virtualiter. Imò verò, hoc idem infertur de quocumq; peccatore, ex Ariminensis sententia. Conficit enim hoc argumẽtum pro se. Vt opus sit moraliter bonũ, necesse est habeat circũstantiã vltimi finis: sed hæc deficit in peccatore quoties operatur sine speciali auxilio Dei: ergo tale eius opus non potest esse moraliter bonum. Probatur minor. Nam quicumq; nõ refert actu opus suum in Deum, agit propter alium finem, quàm propter Deum: ergo illi operi deest circunstantia vltimi finis. Et cùm peccator, sit habitualiter ad creaturã conuersus, sequitur quodlibet eius opus ordinari ad creaturã, veluti ad finem vltimũ. Durũ ergo hoc est. Sic enim sequitur, quòd homo peccator dando eleemosynam indigenti, motus ex pietate naturali, peccat. Et idẽ sequitur de homine infideli, quãdo neq; recordatur idoli, neq; proximè habuit recordationem & relationẽ in illud. Primò; Quoniam omnes Sancti, admonẽt peccatores & infideles, non solùm vt exeant ab infidelitate & peccato; verùmetiam vt operẽtur bona opera moralia. Sic enim continget aliquando, vt redeant in mentem. Si vero in omnibus operibus peccarent, nõ videretur rationabilis, ista tã frequens & vehemẽs admonitio. Secundò: Quia duobus modis, potest referri aliquod opus in vltimũ finẽ, qui est Deus; Nempe explicitè formaliter, ita vt opus fiat ab operãte propter Deum; altero modo implicitè, vt si quis faciat opus bonũ propter intrinsecũ finẽ ipsius virtutis, vt siquis det eleemosynam ex pietate naturali, ad leuãdam pauperis miseriam; Nam hoc est motiuũ miseri cordiæ, tũc sanè, licèt iste actualiter nõ recordetur Dei; nihilominus tã, opus illud virtualiter refertur in Deũ, & implicitè. Cui' rei ratio est. Quia fines boni, sunt ordinati inter se sicut causæ efficiẽtes: ergo sicut omnes effectus secundarũ causarũ, reducũtur in primã causam, ita fines isti ordinantur ex natura sua in finẽ vltimũ: ergo tanquã periculosa iudicãda est ea opinio, quæ dicit, quòd secluso auxilio speciali, honorare parentes, & tribuere eleemosynam ex pietate naturali, sunt peccata. ¶ Propter quã causam dico, quòd vt opus sit moraliter bonũ, & habeat circunstantiam vltimi finis, non requiritur quòd habeat relationem formalem, & explicitam, in vltimũ finem: sed satis est, quòd seruetur implicitè circunstãtia & relatio vltimi finis. Seruatur autẽ eo modo, quando fit propter bonũ ipsius virtutis. Vndè, Caie. dicit, quòd tã peccator quã infidelis, possunt in suo opere conseruare circunstantiam vltimi finis, non solùm actualiter referendo opus morale in Deũ, ad quod non requiritur speciale Dei auxilium: Quia sicut viribus naturæ, potest cognosci Deus, quatenus est finis vniuersi, ita eisdẽ viribus, potest homo aliquãdo opus honestũ referre in Deũ; sed etiã implicitè. Imò verò, dato quòd formalis relatio in Deum requireretur, vt opus esset bonum moraliter, & ha-

*Caietanus.*

beret circunſtantiam finis vltimi, ſemper tamen minor argumenti ipſius Gregorij eſt falſa. Quia homo exiſtens in peccato, non refert actualiter omne eius opus in creaturam. Imò verò explicitè propter bonum honeſtum, honorat parentes, & tribuit eleemoſynam, & implicitè propter Deum. Neque ſatisfacit dicere, quòd vt opus ſit moraliter bonũ; & habeat circunſtantiam finis vltimi boni, non eſt ſatis, quòd referatur in Deum, quatenùs lumine naturali à nobis poteſt cognoſci; ſed requiritur quòd referatur in Deum, quatenùs eſt lumine ſupernaturali cognitus. Hoc, inquàm, neq; eſt verũ, neq; ſatisfacit. Quia in hoc differt opus meritorium, & opus moraliter bonum, vt ſuprà diximus, &c. Item, quia id quod humana & naturalis ratio dictat, non eſt reijciendũ; ſed quod per vires noſtras naturales, poſſimus bona aliqua opera moralia agere, dictat ratio naturalis: ergo nullo modo ſentiendum eſt, quod aduerſarij dicunt. Vndè, merum commentum eſt dicere, quòd vt opus ſit moraliter bonum præciſè, requiritur circunſtantia ſupernaturalis.

*Concluſ. 6.* Sexta concluſio. Quamuis homo in ſtatu naturæ lapſæ; & in peccato poſsit facere nonnulla opera moraliter bona, nõ tamen poſſet omnia collectiuè. Poteſt ergo ſine gratia benè moraliter agere, non tamen ſemper ſine vllo defectu. Probatur. Quia (vt art. 4. oſtendemus) non poteſt ille homo, adimplere omnia mandata naturalia, per longum tempus. Imò verò, vt artic. 8. videbimus, non poteſt longo tempore perſiſtere ſine peccato: ergo certiſsimè deficiet circa bonum aliquod morale. Et confirmatur ex ſimili S. Thom. in litera, de homine debili, & infirmo, qui licèt poſſet exercere, vnum vel alterum opus hominis ſani, non tamen omnia. Sic ergo homo in natura lapſa & infirma, poterit aliqua opera moraliter bona facere; Aliàs non fuiſſet vulnerata natura per peccatum, ſed penitùs extincta, ſi habere non poſſet conatum aliquem bonum; non tamen poſſet omnia collectiuè. An verò poſsit omnia diuiſiuè, ita vt nullum ſit opus in particulari, moraliter bonum; ad quod non habeat vires, deinceps dicemus. Nam plerique credunt, nullum eſſe diuiſiuè; niſi fortè illud ſit, opus dilectionis Dei, quatenus eſt vltimus finis naturalis. De qua naturali dilectione; An poſsit præſtari ſolis viribus naturæ, dicemus in ſequent. artic.

*Concluſ. 7.* Septima concluſio. Homo in natura lapſa, ſine ſpeciali gratia & auxilio, non valet ſemper, neque vt in plurimum bene moraliter agere, ex ſolis inquam liberi arbitrij viribus. Hanc tenet Sanctiſsimus Præceptor hic, & infra articulo. 4. & 8. Et oppoſitum dicere, non eſt tutum in fide. Probatur. Quia dato oppoſito; peccator poſſet per multum tempus, vitare omne peccatum proprijs viribus; vel ſemper, vel vt in plurimum, & conſequenter implere præcepta omnia illi oblata, ſine ſpeciali gratiæ auxilio, quod non eſt in fide tutum. Patet ſequela. Quia dùm quis benè operatur moraliter, non peccat: ergo ſi poteſt diù bene agere, poteſt etiam, per longum tempus peccatum vitare, & implere mandata Dei. Præterea, Homo ſanus, nullo modo infirmus, ſed integer, ſuis viribus poſſet ſemper benè moraliter agere, quia hoc eſt opus, homini integro & ſano proportionatum: ſed homo per peccatum eſt infirmus, & non eſt ſanus neque integer; ergo non frequenter operabitur tale opus. Et hoc voluerunt Sancti Patres quando dixerunt, hominem lapſum non poſſe aliquod bonum agere ex ſe. Nempe, quia homo lapſus & peccator, neque poteſt perſeueranter benè agere moraliter, neque per totam vitam, neque per longum tempus, ſine ſpeciali adiutorio Dei.

*Concluſ. 8.* Octaua concluſio. Illa opera, quibus paratur via ad iuſtitiam, & diſponitur homo ad illam, & ad iuſtificantem gratiam, neceſſariò indigent ſpeciali auxilio Dei, ſiue per ea immediatè, ſiue mediatè diſponatur peccator. Probatur. Nam Ioann. 6. ait Chriſtus. Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater meus traxerit eum: ſed ad Chriſtum venire, ſignificat totum illum motum iuſtificationis, à puncto, quo incipit homo diſponi, quouſque iuſtitiam aſſequatur. Et 2. Petri. 1. habetur, quòd omnia quæ ad vitam & pietatem pertinent, nobis donauit Deus: ergo quidquid ad gratiam diſponit, ex Deo eſt. Profectò, Sancti Patres id ipſum docent. Ita Auguſtin. libr. 1. de prædeſtinatione ſancto. capit. 7. Quidquid, ait, Cornelius & antequam in Chriſtum crederet, & cùm credidit, & cùm credidiſſet, operatus eſt; totum Deo dandum eſt. Ita Proſper. lib. contra Collatorem cap. 29. vbi ait. Omnia quæ ad vitam & pietatem pertinent, non per naturam quæ vitiata eſt, habemus; ſed per gratiam quæ reparata eſt, accepimus. Et hoc eſt diffinitum in Conc. Arauſ. cano. 7. Vbi ſic dicitur. Si quis per naturæ vigorem, bonum aliquod quod pertineat ad ſalutem vitæ æternæ, cogitare aut facere poſſe dixerit, hæretico fallitur ſpiritu. Ratione etiam patet. Quia ſi poſſet peccator facere ex ſe opus, quo ſe diſponeret, mediate vel immediatè ad gratiam, tunc initium ſalutis ex nobis eſſet: ergo gratia non eſſet gratia, quia nõ daretur gratis. Item; Nam propter huiuſmodi diſpoſitiones ad gratiam, & iuſtitiam, dicit Deus, quòd ſtat ad oſtium & pulſat, & quod vocat ad ſe peccatores: ergo totius iuſtificationis primum initium, eſt ex gratia Dei: ergo nulla diſpoſitio ad eam, eſt ex ſolis viribus liberi arbitrij. Tandem, motus quo tendit homo ad iuſtitiam, quouſque eam aſſequatur, cùm terminus eius ſit ſupernaturalis, neceſſe eſt, vt & ipſe motus ſuper naturalis ſit: ergo neceſſariò debet habere initium ab agente ſupernaturali: igitur vniuerſa illa opera, quibus peccator ad iuſtitiam mouetur & diſponitur, & ad diuinam amicitiam, & reconciliationem ſiuè mediatè ſiuè immediatè, fieri non poſſunt niſi ex ſpeciali Dei gratia. Sed de hac re, & de diſpoſitionibus ad gratiam, fuſior eſt à nobis habendus ſermo infrà. Hanc enim concluſionem dedimus hoc loco, quia recentes Theologi huius ætatis eandem etiam dederunt.

*Ioan. 6.* *2. Petr. 1.* *Auguſtin.* *Proſper.*

*Ad argum. ad. 1.* Ad argumenta. Et primò ad ſcripturæ teſtimonia & Cõciliorũ reſpõdetur, q; in omnibus illis teſtimonijs, eſt ſermo de operibus, quatenùs meritoria ſunt vitæ æternæ. Neq; ſcriptura aut ſancti negant, poſſe hominẽ viribus naturæ, facere aliquod opus conſonũ rationi; ſed ſolũ negãt, poſſe facere opus meritorium vitæ æternæ, ex viribus naturæ. Et quòd hæc ſit legitima expoſitio, patet ex Arauſic. can. 7. Vbi habetur. Siquis per naturæ vigorem, bonum aliquod quod ad ſalutem pertinet vitæ æternæ, nos poſſe facere, dixerit; hæretico fallitur ſpiritu, non intelligens vocem Domini in euangelio: ſine me, nihil poteſtis facere. Et illud. 2. Corinth. 3. Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis &c. Et ſic exponit D. Proſper. in lib. contra collatorem. & D. Aug. lib. 4. contra Iulian. cap. 3. Vbi poſt longam diſputationem de hac re, concludit ſic. Scito, nos illum bonum hominem dicere, illam voluntatem bonam, illud opus bonum, per quod ſolùm poteſt homo ad æternum Dei donum, regnumque perduci. Et ob id aduerte, quòd apud ſcripturam & Sanctos, nil vocatur, id quod nullius eſt meriti ad vitã æternam: iuxtà illud. 1. Corinth. 13. Si habuero omnem fidem, ſi tradidero corpus meum, ita vt ardeam; charitatem autem non habuero, nihil ſum. Et. 1. Corinth. 7. Circunciſio nil eſt, & præputium nil eſt &c. Itaque, ſicut eſſe creaturarum, in comparatione ad diuinum eſſe, dicitur quaſi non eſſe, ſimiliter opera virtutis moralis, extra charitatem facta, comparatione ad ea quæ ex charitate fiunt, dicuntur nõ eſſe bona, & quaſi nihil habẽda. Quocircà, D. Aug. epiſt. 19. explicãs illud Ezech. 20. Dedi eis præcepta non bona, ad hoc propoſitum ait. Præcepta legis dicuntur non bona, quia non poterant ex vi ſua præciſè, homines per ducere, ad vitam æternam, licèt ſecundùm aliam rationem, & in genere moris eſſent optima. ¶ Secũdò reſpõdetur, loca illa intelligenda eſſe, vel de neceſsitate auxilij generalis ad ſingula opera, vel ſpecialis, ad omnia collectiuè, vel quod frequentius eſt, de neceſsitate gratiæ, vt illa opera cenſeantur abſolutè bona in ordine ad finem ſupernaturalem. Et hoc potiſsimè intelligitur in illis locis, in quibus opera omnia, quantũuis bona, ſi non fiant ex charitate, cenſentur nihil. vt paulò antea diximus. Ex quibus facilè patet, quid dicendum ſit ad D. Aug. locis citatis.

*2. Corinth. 3.* *D. Proſper.* *D. Auguſt.* *1. Corinth. 13* *1. Corinth.* *D. Auguſt. Ezech. 20.*

*Ad primum* Ad alia verò argumenta, ex ratione petita. Ad primum reſpondetur, peccatorem, poſſe ordinare aliquod opus in Deum vltimum finem, vel quia opus de ſe in illum tendit, quod ſufficit; vel quia ab operante dirigitur. Neque eſt inconueniens, alium eſſe finem operis, & alium operantis, vt patet in viro iuſto dum venialitèr peccat. Neque ideò habet abſolutè duos fines, ſed alterum, quaſi habitualitèr & permanenter; alium verò actualiter & tranſeuntèr. Sed contra. Non eſt conuerſus ad creaturã, niſi quia per vnum actum habuit illam pro vltimo fine: ſed etiam habuit Deum pro vltimo fine: ergo æqualitèr, & eodẽ modo eſt conuerſus ad duos vltimos fines. Ad hoc tamẽ dicemus infra. Sed ad hoc remanet ſcrupulus: Quia omnis actus hominis exiſtentis in peccato, neceſſariò refertur in malũ finẽ: ergo nũquã actus huius hominis, poteſt eſſe bonus moraliter. Probatur antecedẽs. Nam homo in peccato, habet malum finem vltimum, nam eſt conuerſus inordinatè ad bonum commutabile. Imouerò quãdiù eſt in peccato, nullo modo poteſt habere finem vltimum bonum; & vnius hominis, ſolùm eſt vnus vltimus finis: igitur neceſſariò homo ille peccator, operatur proter finem illum vnicum malum quem habet. Imo verò. S. Thom. 1. 2. q. 1. art. 6. ad. 3. ait, quòd virtus primæ intentionis, quæ eſt reſpectu vltimi finis, manet in omni operatione, etiam ſi de vltimo fine actu non cogitetur: ſed homo peccator, habuit primã intentionẽ circà finem malũ: ergo virtus huius intentionis, manet in omni opere, quouſque retractetur talis intentio. Profectò, vt opus ſit moraliter bonum, requiritur quòd referatur in debitum finem vltimum, quod præſtare non poteſt homo peccator, viribus naturæ. Quia ſine gratia Dei & quandiu eſt in peccato, non eſt homo recte ordinatus in finẽ vltim; ũ quia ſe & omnia ſua retulitin malum finem. Nã peccator habet pro fine vltimo, creaturam; & ſine gratia Dei, non poteſt auerti ab illa, & conuerti ad Deum vltimum finem, aliàs poſſet homo ſolis viribus naturæ, habere vltimam diſpoſitionem ad gratiam, quod eſt hæreticum. Reſpondetur, quòd licèt peccator ſit habitualitèr conuerſus ad bonum commutabile; tamen in actu moraliter bono, nõ refert ſe in talem finem. Quia cùm operetur ipſum actum ſecundùm quòd debetur naturæ ipſius actus, nempe propter rationem, & conformitatem ad eam, refert virtualitèr & implicitè, ipſum actum, in finem ipſuiſmet operis; imo ſe in finẽ ipſius operis, hoc eſt, in Deum authorem naturæ. Quocircà, tunc & eſt habitualitèr conuerſus ad finem creatum, & implicitè & virtualitèr ex natura ipſius operis debitè exerciti, referuntur in ipſum naturæ authorem. Virtus verò primæ intentionis agẽtis, manet quidem in omni opere, ſi tale ſit, quòd cõtineatur in radice ipſius primę intentionis, cæterùm actus bonus moraliter, non continetur in virtute illius intentionis, qua peccator refert ſe in finem creatum, cùm ex natura ſua, tale opus tendat in Deum authorem naturæ. Vndè, niſi eleemoſyna data virtute alicuius actus præſentis, vel proximè præcedentis, referatur in malum finem, ſemper ex propria natura, tendit in bonum, tanquam in finem ſibi connaturalem. Dicendum ergo eſt, quòd licèt homo non poſsit, ex ſolis naturæ viribus, ordinare opus morale in Deum, vt in vltimum finem ſummè dilectum, & ſuper omnia; poteſt tamen facere opus, quod ex natura ſua tendit in vltimum finem, non apponendo malam aliquam circunſtantiam; & hoc ſufficit, vt opus ſit moraliter bonum. Sed dices. Opus procedens ex gratia, & charitate, & non relatum actu in Deum finem ſupernaturalem; eſt meritorium æternæ vitæ; quia licèt actu non referatur in finem ſupernaturalem; eſt tamen relatum habitu; Et quando ſe conuertit, retulit ſe & omnia opera ſua in Deum finem ſupernaturalem, ſed idolatra qui habet pro fine idolum, retulit ſe & omnia ſua in illud: ergo licèt actu non referat illud opus, ſcilicet dare eleemoſynam, in Idolum; refert tamen actu. Et confirmo. Quia vel iſte refert, vel non; ſi refert actu, eſt malum; ſiquidem vitiatur ex circunſtantia mali finis. Si non: ergo peccat. Patet conſequentia; Nam à conſcientia erronea obligatur. De ſolutione huius argumenti, dicemus in reſponſione ad decimum. Interim tamen negatur conſequentia. Quia (vt dictum eſt) cùm opus illud ſit ex natura ſua bonum, niſi referatur in Idolũ actualitèr, tendit in id, ad quod ex natura ſua tendebat: ſicut opus meritorium ex natura ſua tendit in finẽ ſupernaturalem. Et ſicut lapis ex natura ſua tendit deorſum, & vt deſcendat, ſatis eſt impetus à generã

*Obiectio.* *Obiectio.* *Reſponſio.* *Reſponſio.*

te impressus; vt verò ascendat, requiritur actualis impetus proijcientis. Pari ergo ratione in proposito. ¶ Ad secundum Scotus & Gabriel existimant, damnatos in inferno, & Dæmones, habere operationes aliquas bonas moraliter; cæterùm S.Tho. credit, quòd damnati & Dæmones peccant in omni opere, etiam in eo quod aliàs de se habet bonum obiectum. Quia tali opere abutitur voluntas eorum deprauata; vt latiùs deduximus in 2. tomo, in materia de Angelis. Et ob id, in via D. Tho. respondetur ad argumentum, quòd natura, quæ non est totaliter corrupta, potest habere aliquam operationem moraliter bonam, nisi sit in malo confirmata: per talem enim obstinationem in malo, & consummationē, licèt non corrumpatur totaliter natura, cùm maneat semper habitus naturalis circà prima principia practica; nihilominus tamen, ita deprauatur voluntas per talem obstinationem, & consummationē in malo, quòd semper est in actuali odio Dei, & abominatur bono naturæ in detestationem eiusdem Dei, & voluntas damnatorum ex ratione status, est consummata in malo. ¶ Ad tertiū aliqui negāt antecedēs, de quo suprà nos. Sed etiam illo dato, argumentum non concludit, & negatur consequentia: Solum enim probat, si aliquid probat, quòd difficiliùs operaretur homo in natura lapsa in peccato mortali, bonum honestum, quàm homo rectus in puris naturalibus sine peccato. ¶ Ad quartum respōdetur, quòd per actus moraliter bonos, potest quis acquirere virtutes secundùm quid, non tamen simpliciter, nisi adsit auxilium diuinæ gratiæ. Quia sine gratia & charitate, nulla est virtus simpliciter in homine, vt latè S.Tho. 1.2.q.65.art.2. docet & 2.2.q.23. art.7. Nullum autem est inconueniens dicere, quòd homo cum huiusmodi virtutibus, secundùm quid damnetur in inferno, propter aliquod mortale. Verùm est tamen, quòd illas statim amittet ex pertinaci deordinatione voluntatis, qua damnati ordinant omnia opera sua in odium Dei. ¶ Ad quintum respondetur, quòd Sancti dicentes, nessariam esse gratiam Dei ad vincendas tentationes, loquuntur de victoria ex charitate & amore Dei, qua meremur coronam vitæ æternæ. Vndè, Aug. 21. de Ciuit. cap. 16. Tunc (inquit) victa vitia deputanda sunt, cùm Dei amore vincūtur. Dico secundò, quòd tentationes sunt duplices, quædam sunt externæ à malis spiritibus: de quibus Paul. ad Ephes. 6. ait. Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes & potestates; & de his tentationibus nihil disputamus modò: Quoniā nūc solùm inquirimus, quid possit homo per efficaciam suæ naturæ. Istæ autem tentationes spirituum sunt impedimenta externa hominis, & de his loquitur S.Th. De quibus concedendū est, quòd non solum qui non est in gratia, sed etiam qui est in gratia indiget continuo auxilio Dei; vt non succūbat istis tentationibus. Et idcirco, sancti & iusti petunt, Et ne nos inducas in tentationem, &c. Aliæ sunt tentationes internæ, quæ proueniunt ex parte appetitus sensitiui, & insurgunt contra rationem; de quibus loquitur Paulus ad Rom. 7. Non enim quod volo bonum, hoc facio. Et istæ tentationes, tales sunt, vt nostris viribus eas non possimus vincere, taliter quòd victoria earum placeat Deo, & sit meritoria vitæ æternæ. Oppositū huius dicebat Pelag. nēpe, q̄ poteramus resistere tētationibus, nostris viribus, ita vt victoria complaceret Deo, & esset digna præmio æterno; quòd sanè est hæreticum. Vndè, quod nos dicimus, est diffinitum contra Pelagium. Et hac ratione quotidie petimus, Et ne nos inducas in tentationem; Quia scilicet non petimus qualemcūq; victoriam, sed victoriā quæ ex amore Dei fiat, & quę sit meritoria. Dico tertio, quòd homo in isto statu naturæ lapsæ, indiget auxilio speciali Dei ad resistendum omnibus, vniuersisque tentationibus; neque id potest suis viribus facere. Nam & ob id Paulus ad Rom. 7. dicebat: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Et subiungit statim: Gratia Dei per Iesum Christū. Vndè insinuat, quòd etiam ad perseuerandum contra cumulum istarum tentationum, requiritur gratia Dei. Et ob id petimus, ne inducamur in tentionem; nam tentatio est magnum periculum. Et nihilominus homo lapsus, potest etiā sine auxilio Dei resistere vni aut alteri tentationi, & deuincere illam. Neque hoc est Pelagianum (vt putat Greg.) Nam homo, natura sua est rationalis; sed natura non fuit per peccatum omnino extincta, sed infirma; & ratio deprecatur ad optimum: ergo potest homo aliquando se continere à nōnullis tentationibus. Nam profectò, esset mirabile, quòd cùm homo habeat à natura duas inclinationes, scilicet rationis, & sensualitatis, & potissima sit inclinatio rationis, quòd possit ex viribus suis, sensualitas deuincere rationem, & quòd nunquam ratio ex natura sua deuincat sensualitatem. Quòcircà, licèt homo non possit vincere tentationes sine speciali auxilio meritoriè, neque per totam vitam, aut longum tempus; vnam tamen aut alteram poterit vincere moraliter. Dico quartò, quòd licèt ita esset, quòd in hoc statu, nullam tentationē magnā, aut paruā, possemus nostris viribus deuincere; tamen non indè sequitur, quòd nullū opus morale possumus facere: Quoniam alia sunt opera, in quibus faciendis non reperiuntur istæ tentationes repugnantes. Verbi gratia, quòd aliquis dicat veritatē in iudicio, circa rem, quæ nihil refert, respectu testificantis, nulla est tentatio quæ illum moueat ad oppositum. Similiter, quòd diues tribuat paruam eleemosynam, circa hoc nulla est tentatio. Verum est tamen; quòd circa totum cumulum bonorum operum, & perseuerantiam in illis, se offerunt pleræque tētationes; in vno tamē, aut in altero opere, nō oportet quòd semper adsint tentationes, & tūc aperta res est, quod posset homo suis viribus operari tale bonum opus morale. Dico quintò, Quòd si tentationes sunt contra præcepta supernaturalia, necessarium est auxilium gratiæ ad eas superandas sine defectu. ¶ Ad sextum respondetur, concedendo sequelam, nempe, quòd modus concurrendi est idem, licèt non concurrat in malis ad formale, sicut concurrit ad materiale. Nam Deus in nostris operibus bonis, concurrit ad omnia quæ reperiuntur in illis; in malis autem non concurrit quò ad omnia: non enim concurrit ad deformitatem. Rursūs, ad bona non solum concurrit, vt causa generalis & prima; sed etiam vt causa moralis: Ad mala autem non cōcurrit vt causa moralis. Ad cōfirmationē, possumus & negare, & concedere

*Ad secundū*

*Ad tertium*

*Ad quartū.*

*Ad quintū.*

*Ephes. 6.*

*Rom. 7.*

*Ad sextum*

*Ad confir.*



cedere sequelam: Nam homo in natura lapsa, differt ab homine in puris naturalibus, sicut homo nudus, & spoliatus. Rursus differunt, quòd homo in natura lapsa, non ita promptè, & facilitèr potest ex meris naturalibus, sicut homo in puris naturalibus. Quia inclinatio naturalis ad bonum virtutis, est immutata & hebetata post peccatum in homine lapso. ¶ Ad septimum respondetur, Pelagium negasse, gratiam ad opera meritoria esse necessariam; & contra eum vt sic procedunt concilia; Quia (vt dictum est) opera meritoria Sancti appellant aliquid; alia verò nihil. Et ob id, recte contra Pelagiū concilia dicunt, ad faciendum aliquid, scilicet meritorium, requiri auxilium gratiæ. ¶ Ad octauum dicemus art. 5. & 4. sequentibus, & patet etiam solutio ex dictis. Non enim omnia præcepta collectiuè potest homo per vires proprias; imouerò neque aliqua, quæ nimis ardua sunt, sicut neque omnes tentationes, aut vehementissimas aliquas. At verò, vnum vel alterum præceptum implere, & superare leuissimas aliquas tentationes, idque raro, potest homo suis viribus. Neque oppositum diffinitur à Mileuit. Conc. ¶ Ad nonum, Scotus & sui in. 1.d.1. q.1. presi hoc argumento, fatentur dari actum medium inter fruitionem & vsum, nempe, quando appetitur aliquid honestum propter se. Discipuli tamen Sancti Thom. non admittunt talem actum medium. Vndè respondetur, quòd quando appetitur bonum honestum propter se, talis appetitus non est fruitio, sed potiùs est vsus: Quia non appetitur tanquam finis vltimus, sed in ordine ad finem vltimum. Sicut enim bonum honestum, ex natura sua refertur in Deum, vt finem vltimum, sic & qui habet bonum honestum propter se, refert tale bonum & ipsum amorem in eundem finem. Dicitur autem bonum honestum appeti propter se, iuxta explicationem D.Ambros. ad Galat. 5. nempe, quia ex se tale bonum, habet vndè posset mouere voluntatem. In quo sensu dixit Arist. 1. metaphy. cap. 2. Scientias speculatiuas esse appetibiles propter se. ¶ Ad decimum, respondetur, esse disparitatem; Quia opus bonū morale, natura sua refertur in Deū finē naturalē; & ideò violentèr refertur in Idolum. Quia ratione necesse est vt actualitèr referatur, sicut lapis, cùm naturaliter fertur deorsum, vt feratur sursum, oportet vt actuali & violento motu proijciatur, & quòd perseueret impetus proijcientis; aliàs naturaliter reuertetur in suum locum. Ita ergo, bonum opus morale, ad Deum reuertetur, si actualitèr non referatur in Idolum. Est etiam magnum discrimen: Quia homo iustus, cùm rectè operatur, non interrumpit præcedentem intentionē, qua se & omnia sua retulit in Deum, cùm tale opus, non fit de se cōtrarium illi intentioni. Infidelis verò, cùm tribuit eleemosynam ex pietate naturali, reuocat præcedētem intentionem, qua id retulit in Idolum. Sunt enim tales intentiones repugnātes dese; præsertim, quia actualis intentio efficacior est, quam habitualis, vel virtualis. Vndè, si actualitèr non referatur opus in malum finem, censetur illud facere conformitèr ad naturam talis operis; & consequentèr propter finem bonum. Et ad probationem dico, quòd licèt non censeatur deponere errorem nisi per sufficientiam motiua, non tamen censetur semper operari ex illo iudicio erroneo, Quia non semper applicat illud ad opus. Et etiam per diuturnam operationem, censetur destructum. Igitur, quando Idololatra non refert opus in Idolum, operatur contra habitum erroneum; sed non propriè contra conscientiam erroneam, quæ dictat, hic & nunc, nos obligari & teneri. Nam importat applicationem &c. Ad primam confirmatione respondetur, opera de se in differentia, in indiuiduo esse bona propter appōsitum finem actualem bonum, qui repellit alium vitualem. Si autem sint mala, non ob id contrahunt nouam malitiam ex præcedenti relatione mala; quæ eo q̄ mala est & violēta intentioni actus, parùm durat. Et nisi actualitèr influat, non censetur virtualitèr manere. Et ita patet ad confirmationem, quid sit dicendū. ¶ Ad vndecimū, solutio patet ex dictis; Et præterea, fideles, non eàdē ratione petunt adiuuari à Deo in operibus bonis, sicut in supernaturalibus. In illis enim perūt auxiliū, vt faciliùs & meliùs & diuturniùs, ac delectabiliùs possint agere; in istis autem, vt simplicitèr possint. Quia sine Dei spiritu, nequaquam valemus vitam viuere spiritualem. ¶ Ad duodecimum, negatur sequela. Et ad probanem dico, quòd neque est certū operanti benèmo raliter, aut facienti quod in se est ex solis viribus naturę, neque tutum, Deum infallibilitèr conferre dispositiones, quibus vltimò ad gratiam disponatur. Rursus, benè moraliter agere diù, & per longū tempus, & in omnibus quæ se offerunt, non potest homo sine peculiari auxilio Dei. Quocircà, primū initium gratiæ, ex Deo est. Sed de hac re, fusior est à nobis habendus sermo in sequentibus. ¶ Et per hæc eadem quæ dicta sunt, dissoluuntur fundamenta Gregorij, & Capreoli, suprà posita.

*Ad septimū*

*Ad octauū.*

*D. Ambros. Arist.*

*Ad decimū*

*Cōscientia dicitur dictamen rationis*

*applicatum ad opus in particulari. S. Thom. 1. p. q. 79. art. 13. & 1.2. q. 19. ar. 5 & 6.*

*Ad primū.*

*Ad vndecimū*

*Ad duodecimum.*

## ARTICVLVS. III.

*Vtrùm homo possit diligere Deum super omnia, ex solis naturalibus, sine gratia.*

PRima conclusio. Homo in statu naturæ integræ sine speciali auxilio gratiæ poterat diligere Deū super omnia, naturali dilectione, vt author naturæ est, & finis. Probatur. Quoniam quęcumque res cū solo generali concursu, potest in operationem sibi connaturalem, & proportionatam: sed talis esset dilectio Dei superomnia, quatenus est principiū, & finis naturalis boni, quia esset proportionata naturæ integræ: ergo posset illā habere Probatur minor: Nā operatio, quæ est conformis inclinationi naturali, est proportionata rei: sed hæc dilectio, est conformis inclinationi naturali, qua omnis creatura magis inclinatur, & propenditur in Deum, quod est bonum commune, quam in se ipsam: ergo, &c. Secunda conclusio. Homo in statu naturæ lapsæ, nó potest diligere Deum super omnia, naturali dilectione, sine auxilio speciali gratię Dei. Probatur: Quia ex corruptione peccati, deprauatur voluntas, & minuitur ipsa inclinatio ad bonum, & hebetatur intellectus, & post peccatum est iugis lucta appetitus ad rationem.

DISPV-

# DISPVTATIO I.

## *Vtrùm in puris naturalibus constitutus homo, posset diligere Deum finem naturalem, super omnia, suis viribus.*

CONtrouersia hęc, duas inuoluit difficultates; Alteram de homine in puris naturalibus, id est, de illo homine, qui, sicut nullum habet peccatũ, ita neq; est ordinatus ad gratiam, neque habet vigorem sanantem naturam. Alteram verò, de homine peccatore in natura lapsa, qui, quamuis sit ordinatus ad finem supernaturalem; nihilominùs naturam habet corruptam, & est in peccato. Et ambæ quidem sunt veluti sorores, quæ mutuo fœdere copulantur, & suis se difficultatibus, & solutionibus, iuuant. Priùs tamen prior controuersia, à nobis est aperienda & explicanda. Et principio, cùm paulò antea sit diffinitum, posse hominem habere ex suis viribus, actus moraliter bonos, propter Deum, tanquam propter vltimũ finem, iure se se offert difficultas de eodem homine; Vtrùm posset hunc vltimum finem diligere super omnia, ex eisdem viribus, postquam constat, quòd ex illis eisdem, potest pleraq; bona moralia agere, propter Deum, tanquam propter vltimum finem? Et multò meliùs id quæritur de homine in puris naturalibus, in quo statu, neq; est culpa, neq; peccatum; imò verò in eo, ratio est benè instituta, & non est deordinata; sed potiùs benè naturaliter composita cum Deo, vt est author naturæ, & finis naturalis; sine dono tamen gratiæ, aut vigoris sanantis naturam. Et quidem, aliud est quærere, Vtrùm homo habeat naturalem inclinationem, ad diligendum Deum super omnia? &, Vtrùm homo ex suis viribus naturalibus absque auxilio Dei gratuito, possit diligere Deum super omnia? Nam, licèt homo habeat naturalem inclinationem ad diligendum Deum super omnia; nõ proinde sequitur, quòd suis viribus naturalibus, possit exire in talem actum. Et è diuerso, licèt homo suis viribus, posset producere actum dilectionis super omnia Dei; non proinde sequeretur, quòd haberet homo naturalẽ inclinationem, ad diligendum Deum super omnia. Quia certum est, quòd benè potest producere actus, contra suam naturalem inclinationem. De prima ergo difficultate, Vtrùm homo habeat naturalem inclinationem ad diligendum Deum suprà se; agit D.Tho. 1.p.q.60.art. 5. Quo loco, nos luculenter, & exactè hanc quęstionem sumus interpretati. Et eandem cõtrouersiam tangit D.Tho.2.2.q.26.art.3. & in vtrisq; locis, Sanctissimus Præceptor definit, quòd tàm Angelus quàm homo, imò verò omnis creatura, habet suo modo naturalem inclinationem, ad diligendũ Deum super omnia; licèt oppositum velint nonnulli Theologi defendere, inter quos est D. Bonauent. & Gabr. & sui, vt fusiùs loco citato diximus. De secunda autem difficultate; Supposito quòd habeat homo naturalem inclinationem, ad diligendũ Deũ plusquàm se, agẽdum est modò; Vtrùm in puris, meriśque naturalibus, sine aliquo auxilio gratuito, aut dono sanante naturam, possit diligere Deum super omnia, vt est finis naturæ, dilectione consummata, & efficaci.

*D. Bonauẽ.*

In qua quæstione, vt certa ab incertis separemus, stando in sententia D. Tho. Primò certum est; hominem habere naturalem appetitum ad Deum, & naturalem inclinationem voluntatis, ad diligendum Deum suprà se. Imò verò, certum est, hominem in quolibet statu, siue in natura lapsa, siue in puris naturalibus, posse habere dilectionem Dei elicitam inefficacem, & imperfectam: Quia talis actus, neque ex modo, neque ex obiecto, excedit vires naturales, sine gratia. ¶ Secundò etiã est certũ, posse hominem habere actũ moraliter bonum, propter Deum, tanquam propter vltimum finem. Nam præterquàm, quòd actus bonus, & honestus, de se refertur in Deum vltimum finem; ipsum etiam operãs benè agens moraliter in ipso actu, habet Deum pro fine vltimo de facto; vt artic. præcedenti dubit. 6. diximus. ¶ Tertiò pariter est certũ, hominem sine gratia, in puris naturalibus, & in natura lapsa, non posse habere dilectionem Dei efficacem diuturnam, & stabilem; sicut non potest longo tempore, seruare vniuersa mãdata, & præcepta. ¶ Quartò etiã est certum in omni opinione, hominem in natura integra, posse habere efficacem dilectionem Dei finis naturalis, etiam diuturnam, & stabilem, sine speciali gratia. Quod concedit Sanct. Thom. in hoc artic. Quia tunc, natura est integra, & sana, & nullæ sunt difficultates, nulla vulnera, nullumque bellum inter appetitum & rationem. Et à fortiori, Angelus potest sine gratia, habere talem dilectionem. ¶ Quintò etiã est certum, in omni statu perfectius requiri auxilium, adhunc actum dilectionis Dei super omnia, quàm ad reliquos omnes alios naturales. Quia hic actus secundùm se excellentior est; sicut fortè ad substantiam, perfectius auxilium requiritur, quàm ad accidens. Et in hoc sensu, requiritur perfectius auxilium, quod vocari potest speciale; Sed non quòd sit extra latitudinem auxilij naturalis generalis; aliàs ad supremum, & difficillimum actus virtutis naturalis, requireretur auxilium speciale. ¶ Tandem etiam est certũ, in nullo statu posse hominem, vel Angelum diligere efficaciter Deum finem, & authorem supernaturalem, formaliter sub ratione supernaturali, sine speciali gratia Dei; vt deinceps ostendemus. Hæc igitur omnia certa sunt in doctrina Sanctissimi Præceptoris; imò verò, in doctrina omnium rectè sentientium. ¶ Quod ergo quæritur est, Vtrùm homo in puris naturalibus, per actum elicitum, posset diligere Deum efficaciter, & super omnia, vt est finis naturalis, ita sanè, vt quantùm est de se, pro tempore quo habet actum, omnia postponat, propter Deum, quẽ appreciatiuè magis diligit, quàm reliqua omnia.

In qua sanè difficultate, Almaynus in. 3.d.27.q.1. tenet, quòd homo in puris naturalibus, potest diligere Deum super omnia, finem naturalem efficaciter, sine gratia, & sine auxilio speciali. Imò verò docet, quòd stat, aliquem habere dilectionem Dei super omnia, per actũ elicitũ, & simul habere peccatũ. Quia (vt ille putat) si Paulus, diligendo Deum super omnia cũ omnibus debitis circũstãtijs, iudicaret Petrũ esse hæreticũ, & inimicũ fidei; qui tamen re vera



re vera non est, & ex zelo fidei, ipsum occideret, quia credit esse fidei inimicum, ignorantia vincibili; tunc in eo casu, Paulus peccaret mortaliter, & mihilominùs diligeret Deum super omnia: ergo stat (inquit Almain.) quòd aliquis cum peccato, habeat dilectionem Dei super omnia; & multò magis id credit de homine, in puris naturalibus constituto. Caiet. in hoc art. & sequenti, videtur esse huius sententiæ, nempe, quòd homo in puris naturalibus, sine speciali auxilio gratiæ, potest diligere Deum finem naturalem, super omnia; & id multò magis cõfirmat, in opusc. de attritione, & contritione q.1. Cuius tamen sententia, examinanda est à nobis ampliùs dubitatione sequenti. Et præfatam opinionẽ sequutus est D.Thom. iuuenis, quodlib.1.art.8. & in 2.d.33.q.2.art.2.ad.5. Et idem insinuauit.1.p. q.60.ar.5.ad vltimum, & de verit.q.24.art.12.in corp. & ad 8. & ibidem, in argumento, sed contra. Neque in corpore id negat, nisi de homine in natura lapsa. Et huius sententiæ, est Abulens. Matth.17.q.177. & Ricard. in.3.d.29. Henric. quodlib.4.q.11. & plures, ex recẽtioribus Theologis, apertè tenent, hominem in puris naturalibus, posse efficacitèr diligere super omnia Deũ finẽ naturalẽ, sine gratia, & auxilio speciali; non tamen posse multo tempore durare; & citãt pro sua sententia Durand.in.2.d.28.q.4.num. 6. Vbi ait, quòd sine gratia, quæ est specialis acceptatio diuina, potest homo implere præcepta iuris naturalis; Interquæ, vnum est dilectio Dei super omnia. Et idem insinuat, in 3.d.29.q.2.num.10. sed obscurè satis, & non clarè. Egid. tamen in.2.dist.28.q.4. ad.1. & Gerson.3.p. disputans de impulsibus, fauet præfatæ sententiæ. Scot. tamen in.2.d.28.q.vnica, & in.3.d.27 q.vnica, aliquantulùm fauet eidem sententiæ, sed non est expressus assertor eius. Vndè, in.§. qui incipit. Quantum ad illum articulum, solum ait, quòd ex puris naturalibus, potest quæcumque voluntas, saltem in statu naturæ institutæ, diligere Deum super omnia.

*Abulens.*

*Argumen.1*

Persuaderi etiam potest præfata sententia, sequẽtibus rationibus. Prima est Scoti. Quia euidens est homini, etiam in puris naturalibus, quòd Deus est diligendus super omnia, amore amicitiæ, & hoc dictat recta ratio euidentèr: sed huic dictamini, potest voluntas se conformare; nam intellectus necessitatur ad huiusmodi iudicium: ergo voluntas, ex suis viribus potest illud sequi. ¶ Secunda ratio sit. Fortis Politicus stando in puris naturalibus, eligit mori pro republica, & consequentèr magis diligit Rẽpublicam, quam proprium esse: igitur ex dictamine rationis purè naturalis iudicantis, Deum esse diligendum supra omne diligibile, sequitur quòd voluntas eliciat amorem Dei super omnia. Vndè Scotus sic colligit: Certum est ex puris naturalibus, quòd possum diligere aliquam creaturam super omnia; quia aliàs non possem peccare mortaliter: ergo multò magis, ex puris naturalibus possum diligere Deum super omnia. Nam ex puris naturalibus, potest repręsentari Deus voluntati, vt summè diligibilis: ergo ex eisdem viribus naturalibus, potest eũ super omne diligibile amare. Et hoc sibi persuadẽt qui hanc sequuntur opinionem, ex exemplo allato de forti politico, si esset naturalis Philosophus, & purus homo, qui, sicut potest velle mori pro Republica, & dictare, esse optimum præferre bonum publicum, proprię vitæ, & ex puris naturalibus, plùs amare republicam, quam vitam propriam; ita pari ratione, imò multò meliùs, poterit elicere dilectionem Dei super omnia &c. ¶ Tertiò probatur. Quia ad huiusmodi dilectionem Dei super omnia, est naturale præceptum, ergo potest naturalitèr impleri, secluso ordine supernaturali gratiæ. Patet consequentia: Quia aliàs, Deus præcepisset aliquid impossibile in suo ordine, quod est blasphemum: Nam talis præceptio, esset stulta, & prouidentia Dei, esset deficiens, & diminuta. Ad hoc argumentum aliqui negant, esse præceptum naturale diligendi Deum super omnia; sed male, vt rectè ostendunt Durand. in 2.d.29.q.2. Scot. in.3. d.27.art. 2. Alij dicunt, quòd in natura lapsa, potest impleri hoc præceptum, ex gratia Dei; in puris verò naturalibus, ex auxilio speciali ordinis naturæ, quo destituta est natura lapsa, propter peccatum. Et ob id dicunt, quòd licèt in puris naturaribus, sine auxilio gratiæ, possemus implere hoc præceptum; non tamen in natura lapsa, quæ destituitur illo auxilio speciali ordinis naturæ. Verùm, ex hac solutione ad minùs colligitur, quòd in puris naturalibus, sine auxilio gratiæ, poterat homo diligere Deum super omnia; ex quo idem videtur colligi, de homine in natura lapsa. Quia peccatum, nihil abstulit eorum, quæ pertinent ad ordinem naturæ. Item etiam, quia fictium videtur ponere auxilia specialia ordinis naturæ, ad hunc actum, potiùsquam ad alios Potissimè, quòd cùm hoc auxilium, esset tunc paratum omnibus hominibus, & in omni tempore, nõ videturqua ratione posset dici speciale igitur, esset generale. Et sic sequitur, nõesse ablatũ per peccatũ. ¶ S. Th.1 p.locis citatis tenet, q̃ pars, magis inclinat naturalitèr in bonum totius, quam in bonũ, priũ; Imouerò docet, in Dæmonibus esse naturalem dilectionem Dei super omnia, conformem isti ponderi naturæ. Quia appetitus elicitus, debet naturali ponderi cõformari: ergo similitèr potest homo, appetitu elicito, diligere Deum super omnia, conformando se ponderi naturæ. Vndè, idem sanctissimus præceptor.1.2.q.89. ait, quòd cùm homo peruenit ad vsum rationis, tenetur se & omnia sua referre in Deum, vt finem naturalem, quòd si faciat ex viribus naturæ; illuminabitur à Deo supernaturalitèr de rebus fidei: ergo etiam ex mente S. Thom. potest Deus, ex naturalibus diligi super omnia. Et confirmatur: Quia idem. S. Thom. affirmat, quòd ad diligendum Deum, vt est author naturæ non oportet ponere aliquem habitum in voluntate: Quia voluntas est inclinata quantum est in se in Deum: ergo secundùm Diuum Thom. facile est, Deum super omnia, vt authorem naturæ diligere, præsertim quando non insurgunt passiones. ¶ Tandem arguitur. Quia homo existens in puris naturalibus, poterat consequi beatitudinem naturalem: ergo diligere Deum super omnia: Quia beatitudo nõ potest constare, sine dilectione Dei super omnia. ¶ Inter recentiores, Pater Medina, in hoc art. tribuit homini in puris naturalibus, quòd cùm puer peruenit ad vsum rationis, potest ex naturalibus implere præceptum, referendi se, & omnia sua in Deum. Imouerò insinuat, quòd cum auersione à Deo vt est finis supernatura

*Argumen. 2.*

*Argumen. 3*

*Argum. 4.*

*Confirmã.*

*Argum. 5.*

lis

lis,quã habet puer per peccatũ originis, potest esse rectitudo naturalis;Et idem concedit Caiet. q. 113. art.2. huius p. etiam post peccatum actuale. Et hãc dicunt,esse sententiam D.Thom.in 2.d.33.q.2.Et tã dem,Pater Medina significat in hoc art. conclusio. 5.& etiam.4.quòd homo tàm in puris naturalibus, quam in natura lapsa,potest habere actum dilectio nis Dei super omnia;licèt non eam, quæ includit obseruationé omniũ mãdatorũ, quã nos vocamus, dilectionem Dei continuatam.Huius sententiæ, nẽ pe quòd homo,saltem in puris naturalibus, potest diligere Deum super omnia, vt est author naturæ, sine auxilio gratiæ,non solùm dilectione conditionata,& inefficaci;sed efficaci & absoluta;nõ solùm

*D.Basil.* *D.Bernard.* videtur esse D.Tho.locis citatis,sed etiã D. Basil.in regulis fusiùs disputatis,interrogatione. 2. vt infrà citabimus,& D.Bernard.tractatu deDiligẽdo Deo, & Capreol.in.1.d.17.q.1.ad argumenta. Aureol. & Gerson,Alphabeto.97.partitione prima in Cantica.

*Nota.1.* Hæc argumenta,rem hanc efficiunt difficilem;& idcircò,materiam huius controuersiæ,oportet aperire,& primò aduertere,quòd ad diligendum Deũ super omnia, non sufficit habere illum pro vltimo fine,in aliquo opere: Quia potest stare hoc,& quòd nõ diligatur Deus super omnia. Verbi gratia qui est in peccato mortali,si faciat eleemosynam ex pietate naturali, tunc in tali actu, habet Deum pro vltimo fine;Quia tale opus implicitè,& virtualiter ordinatur in Deum, tanquam in finem vltimum;& tamen ille non diligit Deum super omnia. Diligere ergo Deum super omnia, non est, quòd implicitè opus referatur in Deum,sed est, quòd explicitè homo,tendat in ipsum,talitèr eum diligendo,quòd omnia referat in eum, & illum anteponat omnibus rebus.Hoc enim differt dilectio ab actibus aliarum virtutum, quòd actus aliarum virtutũ, implicitè tendunt in Deum;dilectio verò, est actus elicitus à voluntate, in quo explicitè referuntur omnia in Deũ,ipsum anteferendo omnibus rebus,

*Nota.2.* Secundò aduerte,quòdhęc dilectio naturalis,de qua est præsens disputatio,duplex est; quædam perfecta,& efficax;& est illa,quæ virtute continet impletionem omnium mandatorum naturalium. Vndè,sicut dilectio Dei supernaturalis, & Christiana, potens est adimplere præcepta omnia naturalia,& supernaturalia; ita dilectio naturalis perfecta est quę facit hominem potentem,ad implẽdum omnia

*Roman.* 13. præcepta naturalia.Et fortasis,etiam de hacdilectione naturali & perfecta loquebatur Paulus ad Rom. 13.vbi ait:Non adulterabis,Non occides,& si quod est aliud mandatum,in hoc verbo instauratur, Diliges proximum sicut te ipsum,id est, invirtute huius præcepti,continentur omnia. Et ob id subiungit:Plenitudo omnis legis, in hoc præcepto continetur.Et.1.Ioan.2.Qui dicit se nosse Deum, id est,

*1.Ioan.2.* diligere Deum,& mandata eius non seruat, mendax est;qui autem seruat verbum eius, verè in hoc charitas Dei perfecta est,& cap.5.Hæc est charitas Dei,vt mandata eius custodiamus. Et cap.3.Filioli, non diligamus verbo,& lingua,sed opere & veritate.¶ Quòd si quis dicat,vndè nobis cõstat,quòd hæc testimonia loquantur etiam de dilectione perfecta naturali.Videtur enim quòd commodius explicentur de sola charitate Christiana,& supernaturali, quæ est potens adimplere omnia in vniuersum mandata,tàm naturalia, quam supernaturalia. Sed tamen satis nobis est quòd ex locis illis,colligamus congruam analogiam, quòd sicut dilectio supernaturalis, est potens respectu omnium mandatorum,ita dilectio naturalis,si est perfecta, debet esse potens respectu mandatorum naturalium,iuxta illud Ioan.14. Qui diligit me,mandata mea seruabit.Et Rursùs:Qui habet mandata mea,& seruat ea, *Ioan.14.* hic est qui diligit me.Alia est dilectio naturalis imperfecta, & vt ita dixerim,verbalis,quæ non est potens adimplere omnia præcepta Decalogi, ex eo quòdpotest simul esse cum peccato,contra aliquod præceptum Decalogi. Distinctio ista dilectionis perfectæ ab imperfecta,videtur fundari in testimonio Ioan.citato;Qui dicit se nosse Deum,& mandata eius non seruat, mendax est; qui autem seruat verbum eius,verè in hoc charitas Dei perfecta est. Ecce hic distinguit charitatem perfectam ab imperfecta.Quòd si quis quærat; Quis actus est ista dilectio Dei imperfecta? Ad hoc nõnulli dicunt, quòd est actus absolutus, quo quis vult Deo placere in omnibus,& per omnia;qui actus, quamuis sit impotens ad implendum præcepta, tamen est appellandus vera dilectio Dei super omnia. Vndè dicunt, quòd ista dilectio Dei imperfecta, distinguitur à perfecta,sicut distinguitur homo puer, à se ipso viro.Nam,sicut puer est verus homo,quamuis impotens ad faciendum ea opera, quæ vir potest; ita dicunt,quòd ista dilectio imperfecta,est vera dilectio Dei super omnia,impotens & inefficax ad implendum præcepta.Sed profectò, hoc quod isti dicunt, non videtur esse verum.Quia ista dilectio imperfecta,compatitur secum peccatum mortale:sed actus voluntatis absolutus,qui est vera dilectio super omnia,non compatitur secum peccatum mortale,nec actu, nec habitu, nec affectu:ergo ista dilectio Dei imperfecta, non est vera dilectio Dei super omnia. Imouerò,perfecta ab imperfecta distinguitur,secũdùm Theologos, quòd imperfecta compatitur secum mortale non item perfecta. Nam, qui verè diligit Deum super omnia,sic diligit Deum, quòd ipsum omnibus præfert,& omnia refert in illum,nihil admittendo, quod sit contrarium diuinæ dilectioni. Hoc enim, est diligere ex toto corde, & ex tota mente. Qui autem hoc modo diligit Deum, detestatur peccatum,supra omne detestabile; & sic non manet affectus ad peccatum; aliàs si aliquo modo maneret affectus ad peccatum, non diligeret Deum super omnia.Imouerò, in affectu committeret aliquid contrarium Deo, quod non stare potest cum vera dilectione. Et quamuis in habente veram dilectionem Dei, aliquando remaneant habitus vitiosi,quos antea habebat;sed tamẽ illi,iam nõ sunt in illo culpabiles & voluntarij, ac subinde, nec ratione illorum,dicendus est homo habere maculam peccati, neque vllo modo esse affectus ad peccatum. Quocircà verius crediderim, quòd ista dilectio Dei imperfecta, non est vera dilectio Dei super omnia, sed dicitur dilectio Dei obiectiua: Quia habet Deum pro obiecto,sed verè non est super omnia, quia compatitur secum peccatum mortale, & non est potens adimplere mandata. Et ita sentit Pater Soto, lib.1.de natura & gratia, cap.22.

Vera



Vera autem dilectio Dei super omnia, nihil admittit,quod sit contrarium Deo,actu vel habitu,talitèr vt homini imputetur ad culpam mortalem.Et idcircò,dilectio naturalis imperfecta, verosimilius est, quòd explicetur per verbum optatiui, quam per verbum indicatiui,quod est,volo per omnia, & in omnibus Deo placere.Nam volitiò absoluta, & indicatiui modi,est efficax: sed ista dilectio imperfecta,non est efficax præceptorum Dei: ergo non est volitio Dei absoluta,sed velleitas potiùs quæ explicatur his verbis, vellem placere Deo in omnibus, & per omnia.Quòd si quis contendat,quòd prædicta dilectio naturalis imperfecta,est absoluta&indicatiui modi, & nihilominùs inefficax,Dico, quòd parùm refert dicere, quòd talis dilectio imperfecta explicetur per verbum indicatiui, vel per verbum optatiui;dummodò conueniamus, quòd non est vera dilectio,& efficax Dei super omnia. Verum est tamen,quòd ista dilectio imperfecta, quamuis sit inefficax respectu omnium mandatorum;tamen est efficax respectu vnius vel alterius præcepti. Nam qui est in peccato mortali,& vellet Deo placere in omnibus,hac volũtate & velleitate potest defendere diuinum honorem,quando nomen Dei blasphematur,aut honorare parentes.Et idcircò, talis dilectio imperfecta,respectu vnius aut alterius mandati,non est dubium,nisi quòd est explicanda per verbum indicatiui absolutum.Quia certum est, quòd si peccator in mortali existens, defendat diuinum honorem,quòd vult hoc bonum absolutè,& habet hanc voluntatem,volo defendere honorem Dei;tamen respectu omnium mandatorum simul, sicut volũtas nõest efficax,ita nõ est absoluta simpliciter.

*Nota.3.* Tertiò aduerte, quòd dilectio Dei super omnia, stat dupliciter; Primò vt importat simplicem actũ voluntatis,quo quis diligit Deum præ omnibus rebus,referendo se, & omnia in ipsum. Sic enim sumitur dilectio Dei super omnia, prout dicit actum singularem voluntatis, qui habet speciale obiectũ, quod est Deus.Et de hac dilectione,seu de isto actu amoris,est disputatio præsens. Secundò,prout dilectio includit obseruantiam omnium mandatorum

*Ioan.14.* *Rom.13.* naturalium vt diximus; iuxta illud Ioan.14.Siquis diligit me, mandata mea seruabit,& Rom.13. Pleni tudo legis est dilectio.Et sic diligere Deum,non est aliquis singularis actus; sed est impletio omnium mandatorum,nempe, vnum colere Deum,non occidere. Et de hoc modo dilectionis, non disputat potissimè D.Tho.hic. Quoniam in hoc sensu, quærere,Vtrùm possit homo suis viribus diligere super omnia Deum, est quærere, Vtrùm possit homo implere omnia Dei mandata? Et hæc dilectio super omnia,appellatur dilectio Dei continuata; Quia includit obseruantiam omnium mandatorum. Dilectio verò,quæ solum importat simplicem actum,vo luntatis; & singularem actum amoris erga Deum, potest esse instantanea,& per breue tempus durare, & non includit obseruantiam omnium mandatorum,aut per totam vitam, aut per longum tempus; sed solùm pro illo instanti, aut pro illo breui tempore,quo currit præceptum dilectionis cum proposito formali,vel virtuali seruandi præcepta semper. Quæstio igitur est, An aliquando sine auxilio gratiæ possit homo in puris naturalibus habere hunc actum efficacem amoris, & dilectionis erga Deum scilicet, Volo in omnibus, & per omnia placere Deo semper;nihilque præponere Deo &c.

Quartò obserua,quòd dupliciter potest intelligi, *Nota.4.* quòd homo per se adimpleat præceptum de dilectione Dei super omnia:Vno modo sic,quòd per talem dilectionem, vitetur peccatum mortale, quantùm sufficit ad salutem;quod committeretur, si quis non exerceret actum illum amoris, & dilectionis specialis,erga Deum.Secundò homo potest implere præceptum de dilectione Dei perfectè, non solùm quantùm ad salutem, vt opponitur omissioni dilectionis præceptæ, sed vlteriùs quòd non admittantur actus contrarij; & sic includit talis dilectio obseruantiam omniũ mandatorũ, vt diximus. Itaque, diligere Deũ perfectè isto modo,non est solùm elicere actũ amoris,conformẽ dictamini rectæ rationis;sed etiã est repellere,& nunquã admittere actus contrarios, quibus hæc dilectio rũpitur,& destruitur.¶ Huic doctrinæ,& distinctioni propositæ, similis est distinctio, quæ cõmunitèr circũfertur inter Theologos, nẽpe,quòd dilectio,quæ in simplici actu voluntatis consistit;quædã est efficax, valdeq; perfecta,qua,scilicet aliquis vult in omnibus & per omnia placere Deo,& in nullo displicere. Taliter, vt pro illo instanti in quo est talis dilectio,pro nulla re mundi,quæ est,aut esse potest,offenderet Deũ Alia autẽ est dilectio inefficax,& imperfecta placẽdi Deo in omnibus,& per omnia,quæ dici solet affectiua,& potiùs est dicẽda velleitas.Nam illa,quæ est dilectio continuata,& quæ includit obseruantiã omnium mandatorũ,appellatur dilectio effectiua. Sic refert ex antiquioribus aliis Almain.in.3.d.27.q. 1.Aliter etiã solet distingui hæc dilectio Dei super omnia,in obiectiuã,qua aliquis vult Deũ esse super omnia,& qua vult esse summũ ens infinitum, & infinitè bonũ,prout est à parte rei;& in subiectiuam, qua,scilicet,homo in se,& in ordine ad suas operationes,præfert Deũ,& eius beneplacitum sibimet, & omnibus suis rebus,quæ sunt,vel esse possunt.

Tandẽ aduerte,quòd cùm loquimur de homine *Nota.5.* in puris naturalibus,excludimus omnem ordinem gratiæ,perquã homo ordinatur ad consequutionẽ beatitudinis supernaturalis.Itaque, homo in puris naturalibus,neq; esset ordinatus ad talẽ assequutionem,neque haberet præcepta supernaturalia, neq; dona vel auxilia per se,& formalitèr ordinata ad talem consequutionẽ;posset tamen habere alia pertinentia ad ordinẽ naturalem. Vndè aduerte,esse difficultatem inter Theologos,Vtrùm actus dilectionis Dei excedat totam actiuitatem humanam,& naturalem ipsius hominis,ita vt tota actiuitas naturalis,etiam in homine sine peccato, non possit in ipsum,nisi eleuetur per auxilium Dei speciale.

His ergo ita prælibatis & constitutis, vt separe- *Conclu.1* mus certa ab incertis,sit prima conclusio certa.Loquendo de dilectione Dei continuata, & generali, quæ includit obseruationẽ omnium mãdatorũ,non poterat homo in puris naturalibus diligere Deum super omnia,semper aut per longum tempus. Nam aliàs posset diu implere totam legẽ ex viribus naturæ præcisè, & permanere absque peccato;quod tamen est apertè falsum,vt infrà ostẽdemus ar.4.&.8. Loquẽdo tamen de dilectione imperfecta,& ineffi-

caci,

caci; quæ etiam potest dici affectiua seu obiectiua, benè poterat homo in puris naturalibus, cum generali & communi concursu Dei, illum diligere super omnia. Et hoc probant argumenta suprà facta. Imo verò experiētia constat, etiā homines existētes in peccato, habere velleitatē placēdi Deo in omnibus & per omnia. Imo verò, si peccator videt nomē Dei blasphemari, potest pro honore diuino respōdere, quod sanè est, legē amicitiæ ex parte implere; vt dicit Pater Medina hic. Sed cùm motus iste volū tatis, sit imperfectus & inefficax, non est vera dilectio Dei super omnia. Cùm ergo tam in puris naturalibus, quam in natura lapsa, sit tetrum bellum ex repugnantia carnis ad spiritum, non potest diu homo perseuerare in dilectione Dei, sine speciali auxilio; præsertim cùm natura ipsa præcisè sumpta, plerisque pateat erroribus, & prudentèr agere sem per sit difficile.

*Conclus. 2.* Secunda conclusio. Non est improbabilis sententia dicere, quòd in puris naturalibus, ad breue tempus, possit homo efficacitèr diligere Deum super omnia, vt est finis naturalis, & naturæ author, sine gratia & sine auxilio speciali. Et non est idem de peccatore habituali; quia peccator in tali statu habituali culpæ, & eo perseuerante, non potest se & omnia sua referre in Deum dilectione efficaci, propter impedimentum peccati, quod habet. Ille verò qui est in puris naturalibus, non habet impedimentum peccati, neque auersionem à Deo habitualem, aut conuersionem ad creaturam; Et ob id, manente peccato, non potest diligere Deum super omnia. Hanc assertionem tenent authores suprà citati, & S.Th. quodlib.1.art.8.expressè, & in.2.d.33.q.2.art.2. ad.5. & idem insinuat.1.p.q.60.art.5. ad vltim. & de verit.q.24.art.12. in corpore, & ad.8. & ibi in argumento, Sed contra, Almain.in.3.dist.27.q.1. & Ricard.Henr. Ægid.Scot.Duran.Abulens. locis suprà commemoratis, & à fortiori id tenet Caiet. opusc. illo de attritione & contritione.q.1. & Pater Medina, in hoc art. in discursu conclusionis. 5. idem docet. Nā ait, q̄ quādo se offert speciale præceptū dilectionis naturalis, potest aliquando homo, implere præceptum de dilectione naturali Dei super omnia, ex viribus naturæ; vt si homo esset conditus in puris naturalibus, in primo instanti vsus rationis, posset se in Deum conuertere, & post illud instans, posset per breue tēpus in bono perseuerare, & absque peccato esse. Implere autem diuinum præceptum, non fit per solam velleitatem, sed per absolutā voluntatem: ergo si potest implere præceptum de dilectione Dei super omnia, id potest per voluntatē absolutam. Et probatur præfata assertio, ex D.Basil. *D. Basil.* in regulis fusiùs disputat interrogatio. 2. Vbi aperte ait, quòd in prima nostra constitutione habemus mandatum diligendi Deum, & facultatem nobis naturaliter insitam, adhoc præceptum obseruandū. Et adducit plures rationes pro hac parte, & super Psalm.44. facilè putat esse Deum diligere, eis qui volunt suscipere dilectionem erga iustitiam, & odiū aduersus peccatum: sed homo ex naturalibus propo nendo rectè viuere, habet hanc dilectionem erga *D. Bernar.* iustitiam, & odium aduersus peccatū, vt docet moralis Philosophia: ergo. Idem docet D. Bernard. in tractatu de diligendo Deo dicens: Clamat intùs ei innata & non ignota rationi iustitia; Quia ex toto eum diligere debet, cui se totum debere, non ignorat. Imo verò Paulus Rom.1. damnat Gētiles, quòd cùm cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt. *Rom. 1.*

Rationibus etiam persuadetur hæc eadem secunda assertio, nempe, hominem in puris naturalibus ex suis viribus, per actum elicitum, posse diligere Deum finem naturalem super omnia, ità vt quantùm est de se pro tempore, quo habet actum, omnia postponat propter Deum, quem amore amicitiæ, appreciatiuè magis diligit, quàm reliqua omnia. Sit ergo prima ratio. Deus vt finis naturalis, & naturæ author, quem naturaliter iudicamus dignum esse summo amore & dilectione, est obiectum proportionatum naturæ hominis præcisè sumptæ: ergo proprijs viribus poterit in illud tendere. Patet consequentia. Quoniam quæcumque potentia, proprijs viribus sine speciali auxilio, cum generali tamē auxilio & concursu, potest tendere efficaciter in obiectum sibi proportionatum. Antecedens probatur. Quia Deus, vt finis & author naturæ vt sic, est ordinis naturalis, & ad illum habet ordinationem naturalem, natura hominis, vt Sanctissimus Præceptor hic fatetur. Rursùs, euidenter potest intellectus cognoscere Deum, vt summum bonum, super omnia esse diligendum, & id potest proponere voluntati: ergo id potest voluntas efficere. Nam, quod est proportionatum intellectui in ratione intelligibilis, est etiam proportionatum voluntati in ratione volibilis, & diligibilis. Huic argumento respondent cōtrarium opinantes, proportionem quidem esse, si secundùm se consideretur; Cæterùm propter impedimenta, quæ ex parte appetitus occurrunt, non posse hominem quod rectum iudicat, exequi. Sed contra. Nam suppositis etiam illis impedimentis, adhuc tale obiectum est naturale, & proportionatum: ergo intellectus etiam tunc iudicat esse omnibus prę ferendum: ergo etiam tunc, potest voluntas efficaciter in illud obiectum. Potissimè, quia illa impedimenta, non sunt semper, neque in omni instanti occurrunt, neque semper insurgunt vehementes passiones, & tentationes perturbantes. Neque habitualis dispositio appetitus, semper de facto impedit; Quia non semper homo operatur ex illa; aliàs peccator, semper peccaret, si ex dispositione peccati, quam habitualiter habet, deberet operari.

*Verus intellectus cōclusionis & eius explicatio.*

Secunda ratio. Homo ex præcepto naturali, tenetur in puris naturalibus diligere Deum super omnia: ergo id potest viribus naturalibus. Nam profecto mirabile esset, quòd de huiusmodi dilectione esset naturale præceptum in tali statu, & quòd nō posset naturaliter impleri secluso ordine gratiæ, & supernaturali. Patet consequentia: Quia aliàs Deus præcepisset aliquid impossibile in suo ordine, quod est impium. Cum ergo nemo possit obligari ad impossibile in particulari, neq; Deus habeat deficientem aut diminutam prouidentiam; sequitur, quòd homo in statu purè naturali, poterit diligere Deum super omnia finem naturę. Implicat nanq; Deū obligare quenquam ad impossibile, & hominem peccare in eo, quod non potest vitare. Antecedens autem primum patet; Quia præceptum naturale de huiusmodi dilectione, est potissimum præceptum legis naturæ



naturæ, ex quo pēdet obligatio aliorū, vt ostendūt Scot. & Duran. vbi sup. Adhoc argumētū aduersarij respōdent primò, negātes esse præceptū naturale diligēdi Deū super omnia; sed male. Imo verò, hoc præceptū est cōplantatū cū ipsa natura, vt Durā. in.2.d.29.q.2. Scot.in.3.d.27.art.2. ostendūt. Secundò respōdēt, fatis esse, q̄ sit possibile implere illud præceptū ex gratia Dei, in natura lapsa; in puris verò naturalibus, ex auxilio speciali ordinis naturę, quo destituta fuit natura lapsa propter peccatū. Et idcircò, licèt in puris naturalibus, sine auxilio gratiæ, possit homo implere dictū præceptū, nō tñ in natura lapsa in peccato. Sed vt omittamus modo hominē in natura lapsa, quia de hac re dubio sequēti fusè disputabimus: de homine in puris naturalib', ex hac solutione ad minus habemus, q̄ sine auxilio gratiæ, poterat diligere Deū sup omnia ex speciali illo auxilio ordinis naturæ. Sed cōtra. Quia nō videt, quid sint ista auxilia specialia ordinis naturæ, ad hūc actū dilectionis Dei, potiusq̄ ad alios iustitiæ, aut fortitudinis & religionis. Præsertim, q̄ cū tale auxiliū in statu illo esset paratū omnibus hominibus, & in omni tēpore, non videtur cur dicat speciale: ergo esset generale. Vnde sic argumētor. Vel istud auxiliū est debitū naturæ, sicut auxiliū ad loquēdū, & ad opera moralia, & tunc nō erit speciale, sed generale, & consequēter homo posset ex viribus naturæ diligere Deū super omnia, sicut poterat edere alia opera bona moralia. Si dicas, q̄ nō est debitū, sed gratuitū, supposito illud nō dari; & nihilominùs, tūc manet obligatio præcepti: ergo possibilitas implēdi illud præceptū, etiā manet in illo statu. Et cōfirmatur. Q̄m ratio naturalis docet neminē obligari ad impossibile, & ita præcisè ratio naturalis, tātū obligat ad id, quod intra ordinē naturę præcisè est possibile. Nā pfecto, hoc præceptū diligēdi Deū super omnia, procedit à Deo, vt est autor naturæ præcisè: ergo pōt impleri per vires, quas ipse vt sic præstat; aliàs deficeret eius puidētia naturalis. Adhoc nōnulli dicūt, q̄ si negaret homini tale auxiliū speciale, excusaret ab impletione præcepti, & q̄ sufficeret tūc, quòd diligeret quātū posset. Sed cōtra. Quia si ipse præciso quocūq; extrinseco, nō pōt: ergo in natura ipsa nō est tale præceptū; atq; adeò nō solū excusat, sed neq; vllo modo obligatur: sicut modò homo nō obligat ad volādū; Quia nō habet auxiliū speciale, neq; alas, quę omnia ad id requirūtur; & si hæc haberet, posset quidē obligari: sed tale præceptū nō esset naturale. Quia tūc, quis dicit obligari? Igitur, cū præceptū de dilectione Dei super omnia, naturale sit; sequitur, q̄ homo in puris naturalibus cōstitutus, intra ordinē naturalē illius status, pōt illud implere. Quia ratio naturalis, tūc dictat, Deū esse summè diligēdū: ergo est præceptū omnino naturale: ergo sicut in præciso statu naturali est præceptū, etiā in præciso statu, naturales erūt vires. Imo verò, nō solū intellectus, viribus naturæ, pōt cognoscere Deū esse super omnia diligibilē, & diligēdū: sed etiā inuenire plures rationes ad diligēdū Deū, quā ad alia: sed volūtas proportionat intellectui: igitur quod naturaliter iudicat esse diligendum, potest naturaliter diligi. Profectò, Philosophi cognouerunt, omnia in Deum esse referēda, tanquam in vltimum finē, vt docet Arist. 1. Eth. c.2. & .12. metaph. tx. 52. quē citat, & sequitur Cice. 1. & .3. definibus. Igitur volun- *Cicero.*

tas poterat se cōformare huic dictamini, prout Philosophi existimabant esse possibile. Potissimè, quia iste actus dilectionis, licèt includat in voto impletionē omniū mandatorū, nō videtur impossibilis naturæ vt sic. Quia facile est multa pponere, licèt ea nō possimus exequi, vt deinceps dicemus. ¶ Tertia ratio. Homo habet naturalē inclinationem diligendi Deū super omnia: ergo & vires ad id præstādū. Patet consequētia: Quia natura, omnibus alijs rebus cōtulit vires ad cōsequendū id, ad quod maximè inclinātur; aliàs esset defectuosa illa inclinatio, & frustra data, & semper maneret ociosa & violēta. Ańs huius rationis cōceditur à S.Th. plerisq; in locis, &.1.p.q.60.art.5. Et patet etiā ex ratione ipsius hic. Quia vnū quodq;, ex natura sua inclinatur in id propter quod est; & quoniā Deus fecit volūtatē hominis, vt diligeret illū, tāquā finē, & quia est eius summū bonū: ergo. Adhoc respōdent contrarij opinātes, etiā animā separatā habere naturalē inclinationē ad diligēdū Deū, & ad vnionē corporis, quod tamen nō pōt viribus proprijs cōsequi. Sed cōtra: Quia est opinio multorū, q̄ anima separata, potest ex se talē actū dilectionis efficere, & ex hoc inferūt, q̄ etiā homo in puris naturalibus. Quia vnio ad corpus, non tollit potentiā, nec libertatē in anima, licèt addat difficultatē nonnullā; aliàs absolutè tolleret libertatē in ordine ad aliquē actū. Et quādo dicitur, animā separatā naturaliter inclinari ad vnionē corporis, quod tamē nō potest viribus proprijs consequi. Dico, quòd illa est eadē inclinatio omnino, quā habuit à principio; & idcircò sufficit aliquādo fuisse reductam in actū. Rursùs, illa inclinatio solū est in genere causæ formalis, & quasi passiua vt vniatur ab alio. Hæc aūt inclinatio diligēdi Deū, est inclinatio potētiæ actiuæ, & quæ indiget reductione ad actū. Et confirmatur ex ratione D. Tho. Quia in puris naturalibus, si homo diligeret Deū, non diligeret q̄ualiter sibi, neque minùs, quàm alia; Quia iam non esset in puris naturalibus, sed in peccato: talis enim amor esset inordinatus: ergo diligeret Deū plusquam se & super omnia. Sed dices, quòd tunc non diligeret Deum comparatiuè, sed absolutè. Contra; Quia licèt cōparatio non se teneat ex parte obiecti; tamen simpliciter non potest non esse. Quia comparatio illa, est secundùm quantitatem adhæsionis ipsius voluntatis ad obiectum: igitur implicat quòd adhæreat determinatè duobus obiectis, & non vni magis quàm alteri, vel æqualiter vtriq;: sed implicat esse duas quātitates determinatas, & quòd vna non sit alteri q̄qualis, maior vel minor; & loquor de amore appretiatiuo: ergo cū natura dederit voluntati, inclinationē vt diligeret Deum, non modo infinito, sed limitato, certū est, dedisse talem inclinationem, vt diligeret magis Deum, quàm omnia alia; aliàs inordinata esset & mala. ¶ Quarta ratio. Homo existens in puris naturalibus, poterat consequi beatitudinem naturalem: ergo & diligere Deum super omnia. Patet cōsequentia: Quia (vt docet Fulgen. 1. ad Monimū. c. 18.) creaturę rationali, alia beatitudo nō potuit esse, nec potest nec poterit, nisi maiorem dilectionem exhibeat creatori quam sibi. Antecedens concedūt plerique Theologi. Quia aliàs homo in puris naturalibus esset miser. Imo verò, Pater Medina concedit de homine in puris naturalibus, quod cùm non

fit à Deo auersus, sed Deo naturaliter gratus, posset per dolorem; ex facultate naturæ comparatum, Deo ita disponente, habere peccatorum cõdonationem. Quòd si hoc est verũ, multo veriùs est quòd posset habere dilectionem Dei super omnia.

Quinta ratio. Homo potest viribus naturæ diligere Parentes, amicos, Patriam, & falsos Deos plusquam se, & omnia sua: ergo & Deum cui plùs se debere cognoscit; Nam plures rationes bonitatis apparent in Deo, quam in illis. Antecedens probatur: Quia contingit, hominem dare vitam, & honorem pro patre, & pro patria, & pro falsis Dijs, vt Arist. ait 3. Ethic. cap. 2. & 9. Vbi ait, quòd fortis Polyticus secundùm rectam rationem, debet se morti exponere pro bono Reipublicæ. Imo verò, infideles sic diligunt falsos Deos, vt mortem oppetant pro ipsis: ergo sicut viribus naturæ quis vincit difficultatem naturæ, & propensionem ad bonum priuatum, exponendo illud propter amorem hominum, à fortiori id poterit propter amorem Dei: ergo & diligere Deum super omnia. Et confirmatur. Quia per charitatem, potest homo diligere Deum super omnia, finem supernaturalem: ergo & per voluntatem poterit diligere Deum finem naturalem, etiam super omnia. Patet consequentia: Quia tam proportionata est voluntas fini naturali, sicuti est charitas fini supernaturali; imò verò sicut impeditur, & retardatur voluntas ab appetitu, sic & ipsa charitas. Imo, vt per charitatẽ diligat Deum super omnia, & seruet omnia præcepta, indiget specialiori auxilio, propter rebellionem appetitus. Rursus, sicut appetitus frænatur per habitus supernaturales proportionatos in ordine ad supernaturalem finem; ita per naturales habitus frænatur in ordine ad finẽ naturalẽ. ¶ Sed dices, q̃ præfatæ rationes, vel nihil probant, vel eodẽ modo concludunt, hominẽ in puris naturalibus posse seruare omnia præcepta collectiuè, quod est apertè falsum. Nam tale obiectũ, etiã est proportionatũ naturæ, & homo etiã habet naturalẽ inclinationẽ ad totũ illud obiectũ; imo verò obligatur ad totã collectionẽ mandatorũ; & præterea potest viribus proprijs nunquã offendere amicum, scilicet, Petrũ vel Paulum; & tamen non potest viribus proprijs diu se abstinere ab offensa Dei: ergo. Sed respondetur, diuersissimam esse rationẽ vtrobiq; Quia nõ implicat habere inclinationẽ, vel obligari vno vel pluribus præceptis, ad aliqua plura, quorũ singula perfectè cadunt sub nostra potestate; at inclinari vel obligari ad aliquid particulare, quod est impossibile, implicat omnino: Quia hoc arguit impossibilitatẽ absolutã & physicã; illud autẽ moralẽ tantũ & secũdũ quid. Sed de hac re latiùs infrà dicemus. Et profectò, meo iudicio euidens ratio est ad ostendendum, præfatã obiectionẽ, nullius esse põderis. Quia homo per charitatẽ cum auxilio supernaturali illi debito, potest diligere Deũ finẽ supernaturalẽ, & tamẽ nõ potest collectiuè seruare præcepta omnia supernaturalia, imo nec naturalia omnia collectiue sine speciali auxilio. Quia certũ est, quòd adhoc requiritur specialius auxiliũ: ergo pari ratione, vires quæ sufficiũt ad diligendũ Deũ finẽ naturalẽ super omnia, non idcircò debẽt sufficere ad implenda omnia mãdata collectiuè. Et ob id, non rectè instantur rationes seu probationes, quæ pro secunda conclusione militãt. ¶ Si verò interroges, Cur homo potest se abstinere ab omni offensa cõtra Petrũ, vel contra amicũ; nõ autẽ cõtra Deũ? & cur potest homo cõstanter creaturã diligere, & non creatorẽ? Adhoc, nõ possumus vno verbo satisfacere; quia plura dabimus infra; Sed nihilominùs pro nũc sufficiat solutio D. Augustini. 2. de ciuit. c. 6. & 7. quòd dilectio creaturæ, non repugnat cũ omnibus vitijs & passionibus, sicut dilectio Dei. Et ob id, possum non offendere Petrũ, licèt offendã amicũ, vel faciã alia mala: Et circa vtrũque possum esse rectus, licèt ergà me sim malus; vt verò non offendam Deũ, requiritur vt nullam etiã creaturam offendam. *D. Augus.*

Sexta ratio. Maior est inclinatio appetitus in bonũ rationis, tanquã in bonũ vniuersale, quã in bonũ proprium. Imo verò, volũtas etiã propositis impedimentis & difficultatibus quæ ex parte appetitus occurrũt, maiorẽ habet inclinationẽ, quã appetitus ad cõtrariũ. Quia illa est inclinatio in obiectũ propriũ, & in bonũ vniuersale totius hominis, & est inclinatio perfectioris potẽtiæ ad perfectius obiectũ: ergo est de se perfectior & vehementior: ergo etiã vehementior est inclinatio naturalis hominis ad Deũ: ergo volũtas potest etiã vehemẽter Deũ diligere. Itẽ, ad bonũ rationis est duplex inclinatio, scilicet, volũtatis, & appetitus: ergo illa quæ est duplex ad bonũ vniuersale, & cõmune appetituũ, & voluntati propriũ, vincet illã, quæ solũ est simplex inclinatio appetitus. Sicut inclinatio lapidis ad bonũ vniuersi, vincit aliã particularẽ, quæ est ad centrũ. Profectò, si omnibus pensatis, maior esset inclinatio hominis ad bonũ sensibile, quã ad bonũ diuinũ: ergo homo naturaliter magis inclinaretur ad diligendũ se plusquã Deũ, quod est apertè falsum, vt latè deduximus 1. p. q. 60. art. 5. cum Victoria, in relectione de homicidio. Quia aliàs daretur inclinatio naturaliter mala, qui defectus tribueretur authori naturæ.

Septima ratio. Si nõ posset in puris naturalibus homo, Deũ super omnia diligere, inter alia, ideò esset etiã propter repugnantiã, rebellionẽ, & luctã, quæ est inter appetitũ & rationẽ, vt suprà diximus: ideò nõ semper se offerũt ista impedimẽta, neq; istæ difficultates; Nã, p aliquo instãti quo deberet durare iste actus dilectionis, possunt passiones esse quietæ, & non insurgere. Nã etiã in homine, qui premitur lãguore aliquo vehemẽter, passiones sunt quietæ pro aliquo tẽpore: ergo præfata ratio nihil concludit. ¶ Octaua ratio. Si quis ita minaretur homini existẽti in puris naturalibus; Nisi blasphemaueris Deũ, perdes vitã, honorẽ, & omnia tua; tũc põt nõ blasphemare, aliàs necessitaretur ad peccãdũ: Sed tũc velle nõ blasphemare, est velle tradere vitã, & omnia, ne Deũ offendat: ergo talis actus virtualiter est dilectio Dei super omnia, & efficax, vel habet tantam difficultatem sicut illa: ergo etiam in statu naturali præciso ab omni auxilio speciali & gratuito, potest diligere Deum. Et confirmatur. Quoniam in aliquo casu, sicut ratio naturalis obligat vt moriar pro Republica, ita vt moriar pro Deo: ergo: vt diligam Deum super vitam, atque adeò super omnia. ¶ Nona ratio sit: Quia non est maior difficultas in adimpletione vnius præcepti, quam aliorum præceptorum naturalium: sed quodlibet aliud diuisiuè, potest homo implere in puris naturalibus: ergo & hoc. Et confirmatur:



matur: Quia ob id negat S. Thom. hominem in natura lapsa id posse, quia ex peccato corrupta est natura, & inclinata ad bonum priuatum: sed hæc ratio non procedit in homine existente in puris naturalibus sine culpa & peccato, & sine gratia. ¶ Tandem, præfata assertio ab his qui eam defendunt, fundatur potissimè in proportione obiecti naturalis, & in præcepto naturali diligendi Deum super omnia, quod cùm sit naturale, imo verò præambulum ad omnia præcepta naturalia; sequitur quòd naturaliter potest impleri ab homine in puris naturalibus. Et ob id intellectus, viribus naturæ, euidenter cognoscit, Deum esse summè diligibilem super omnia: igitur planè poterit voluntas se conformare huic dictamini, ex proprijs viribus: Quia hæ potentiæ, nempe intellectus & voluntas, sunt sibi inuicè proportionatæ. Sed negant nõnulli prædictam consequentiam, & dicunt, quòd adhuc necessarium esset speciale auxilium, quo impleret tale præceptum dilectionis, & quòd ob id Deus conferret illud tali homini in illo statu. Sed cõtra: Quia illud auxilium, vel est debitum naturæ, vel superadditum ipsi; si est debitum: ergo iam ex puris naturalibus, poterit ille homo implere illud præceptum. Si non est debitũ: ergo iam non consideramus hominem in puris naturalibus; at quæstio est de homine in tali statu, nempe in puris naturalibus. Sed dicunt alij, quòd tunc satisfaceret homo illi præcepto, faciẽdo quod in se est, licèt nõ attingeret perfectam dilectionem Dei super omnia. Sed hæc solutio non satisfacit. Quoniam homo adhuc in tali statu, secluso omni ordine gratiæ, & rerum supernaturalium, haberet præceptum naturale diligendi Deum super omnia: ergo vel faciendo quod in se est impleret tale præceptum, & sic habetur intentum. Vel non posset implere; & tunc sequeretur Deum præcepisse aliquid impossibile in illo statu. ¶ Secundò fundatur in inclinatione hominis ad Deum, magis quã ad se ipsum, quæ inclinatio non est ablata per peccatum; Imo vero S. Thom. in argumento. Sed contra, ita colligit: Homo in puris naturalibus diligeret Deum nõ minùs quam se, nec æqualiter sibi: esset enim iste inordinatus amor: ergo plusquam se. De hoc lege quę diximus. 1. p. q. 60. art. 5.

*Conclus. 3.* Tertia conclusio. Homo in tali statu naturali præcisè, non posset per multum tempus perseuerare sine speciali Dei auxilio, in huiusmodi dilectione Dei super omnia, etiam quatenus dicit impletionẽ illius specialis mandati, prout importat singularẽ & simplicem actum volũtatis, quo quis diligit Deũ præ omnibus rebus, referẽdo se & omnia in ipsum. Hæc conclusio ita certa est, vt de ea nõ liceat alicui dubitare, & eam ostendemus fusiùs in sequentibus. Nã profectò, in tali statu naturali sine iustitia, & gratia, non posset homo implere omnia mandata naturalia sine auxilio speciali, ita vt non deficeret in aliquo, si per longũ tẽpus viueret. Imo verò, recentes Theologi in hoc art. circa finẽ dicũt, quòd baptizatus cũ peruenit ad vsum rationis ex gratia, quam in baptismo recepit, poterit diligere Deũ super omnia, non tamen diù perseuerare in hac dilectione, sine speciali auxilio. Sicut ergo iste habet dilectionẽ Dei super omnia, & tamen non perseuerat in ea sine auxilio speciali, propter vulnera peccati, & repugnantiã carnis ad spiritũ; sic in puris naturalibus, licèt haberet dilectionẽ Dei super omnia perfectam; non tamen perseueraret in ea sine auxilio superaddito, propter diuersitatem, & contrarietatem appetituum.

*Conclus. 4.* Quarta conclusio. Probabilius multò & rationabilius est, non posse hominem in puris naturalibus, efficaciter diligere Deũ super omnia, sine gratia & sine speciali auxilio. Hanc conclusionẽ tenet Altisiodorẽ. lib. 3. tract. 3. & Alber. in. 3. d. 23. & Alens. 2. p. q. 80. memb. 1. & Ioan. Maior. in. 4. d. 15. q. 1. & Pater Soto. q. 2. art. 5. & de nat. & gratia. cap. 22. Vega, de iustificat. q. 10. idem insinuat; Et à fortiori Greg. Ariminen. in. 2. d. 26. q. 1. Et probatur: Quia Sancti, & Cõcilia absolutè definiunt contra Pelagium, non posse hominem per sua naturalia, diligere Deũ super omnia: ergo hæc definitio multum fauet nostræ assertioni. Itẽm probatur: Quia ex opposita sententia sequitur, quòd si homo in puris naturalibus peccaret posset etiam ex proprijs viribus habere cõtritionẽ, & resurgere à peccato, atque adeò consequi remissionem illius, sine gratia Dei: consequẽs est falsum, & videtur apertè contra Concilia, & Sanctos, qui dicunt, remissionem peccati non posse haberi nisi ex diuina gratia. Sequela probatur: Quia dato quòd homo in puris naturalibus peccaret, posset diligere Deum sicut antea: ergo sicut antea poterat diligere Deum super omnia, etiam tunc posset. Quia vnus actus peccati non potuit auferre potentiam, quam antea habebat. Tunc vltra: Ille diligit Deum super omnia: ergo potest dolere de peccato cõmisso propter Deum summè dilectum: sed hæc est contritio, cum qua stare non potest peccatum: ergo. Et confirmatur: Quia per huiusmodi dilectionem, rectificatur voluntas, perfecta rectitudine naturali, quã potest habere: ergo per illam recuperatur totum id, quod fuit deperditum per peccatum; atque adeò perfectè resurgit homo à peccato, per proprias vires, & consequitur diuinam amicitiam naturalem, quam ante peccatum habebat. Rursus confirmatur: Quia amicitia, quam antea Deus habebat in ordine adhunc hominem in puris naturalibus constitutũ, solùm erat beneuolentia, qua illi volebat communi care rectitudinem naturalem, & bona consequentia illam rectitudinem, & proportionata ipsi. Sed hanc eandem beneuolentiam habet modò, siquidẽ obiectum est rectificatum sicut antea. Et cõfirmatur iterum. Quia authores tenentes oppositam sententiã, præsertim moderni, consequenter ad illam dicunt, quòd homo in natura lapsa, potest diligere Deum super omnia ex proprijs viribus; & habere veram contritionem, quæ sit vltima dispositio ad gratiam. Hæc autem omnia, absurda sunt & plusquam falsa, vt ex Concilijs & Sanctis Patribus art. 6. sequenti, ostendemus. Præterea, Homo in puris naturalibus, non potest operari totum bonum naturæ rationali proportionatum: at si posset habere perfectam dilectionem Dei super omnia pariter posset omne bonũ naturæ proportionatum: ergo non potest habere talem dilectionem perfectam, ex viribus naturæ sistendo in puris naturalibus. Probatur minor; Quia is qui diligit Deum super omnia, omnia mandata legis supernaturalis adimplet. Quia hæc dilectio perfecta, includit, vt nihil Deo & eius mandatis præponamus. Item etiam patet minor: Quia

efficax voluntas circa finem, includit efficacem voluntatem mediorum, quæ necessaria sunt ad finem; ac subinde, si homo in tali statu diligit perfectè, & efficaciter Deum super omnia; consequens est, vt sine gratia possit omnia præcepta naturalia adimplere. Item. Ad dilectionem Dei super omnia pertinet, vt homo sit paratus postponere omnem creaturam, & se ipsum diuinæ dilectioni, omniaque sua & commoditates suas, ita vt merè gratis Deum amet: Et si per possibile vel impossibile posset manere proprium bonum, bono diuino destructo, vellet magis destrui bonũ proprium, quã bonũ Dei: sed adhoc non potest pertingere homo ex puris naturalibus: ergo, &c. Minor probatur. Quia voluntas ex coniũctione ad appetitum sensitiuum, est nimis propensa ad sensibilia & ad proprias commoditates. Rursus, ad diligendum Deum modo prædicto sequitur, quòd homo totaliter vincat se ipsum, & omnẽ proprium sensum & voluntatem: ergo indiget superioribus viribus. Patet consequentia: Quia nemo vincitur, nisi à potentiori. Et confirmatur iterùm: Quia cùm humana mens, corpori est immersa, longè meliùs percipit corporalia & sensibilia, quàm intelligibilia & spiritualia; atque adeò ipsa voluntas efficaciùs à sensibilibus mouetur, quàm ab intelligibilibus & spiritualibus: ergo in puris naturalibus, nõ potest diligere Deum super omnia sensibilia. Item probatur: Nam dilectio Dei super omnia, vt est finis vltimus naturalis, includit obseruantiam omnium præceptorum naturalium, & votum efficax seruandi illa: sed homo in puris naturalibus, nõ potest obseruare omnia præcepta naturalia sine gratia Dei, saltem per longum tempus: ergo. Maior patet Ioan. 14. Si quis diligit me, mandata mea seruabit. Minor probatur. Quia si homo in puris naturalibus posset seruare omnia præcepta naturalia per longum tempus, sequitur primò, quòd posset diu manere absque peccato sine gratia Dei, quod est plusquam falsum. Secundò sequitur, quòd posset multiplicare actus dilectionis Dei super omnia sine speciali auxilio, quibus multiplicatis, posset adquirere habitum verum, quo firmaretur in diuina dilectione, ita vt nunquàm peccaret, quod est falsissimum. Tandem: Quidquid homo poterat in puris naturalibus (vt est in opinione probabili) potest nunc in natura lapsa: sed modò non potest diligere Deum super omnia proprijs viribus, vt diffinitum est in Mileuit. & Araus. & patebit latiùs disputatione sequenti: ergo. Maior patet: Quia, vt constat ex D. Dionys. 4. cap. de diuinis nominibus, & ex D. Aug. 3. de libero arbitrio. cap. 14. Peccatum non abstulit naturam; atq; adeò nec vires naturales ipsius: sed solùm diminuit naturalem inclinationem ad bonũ, vt non ita promptè & faciliter posset sicut antea, vt S. Tho. 1. 2. q. 85. deducit.

*Ioan. 14.*

*D. Dionys.*
*D. August.*

Vrgent præterea alia argumenta pro hac parte. Primum est. Homo sine gratia, non potest diligere super omnia Deum finem supernaturalem, vt fide constat, ergo nec naturalem. Patet consequentia; Quia obiectum, quò perfectius est & sub maiori bonitate proponitur, eò est magis & faciliùs diligibile. Nam non est vero simile, quòd nostra voluntas, quando proponitur illi Deus talis qualis cognoscitur per lumen naturæ, scilicet, vt bonus & iustus; tunc possit diligere Deum super omnia, & quando idem Deus proponitur voluntati, non solùm vt bonus, vt iustus & sapiens, sed vt amicus, & vt beatificator & reparator, etiam per incarnationẽ filij sui; tunc non possit diligere Deum super omnia. Nam, si ego possum diligere Petrum efficaciter, quia cognosco illum virum bonum & honestum, si vlterius cognosco eum, non solum esse bonum & honestũ, sed esse mihi vehementer amicum; multò faciliùs potero eum diligere. Igitur si volũtas posset suis viribus Deum, finem naturalem, super omnia diligere, faciliùs posset finem supernaturalem; quia vt sic proponitur vt maius bonum, scilicet, vt beatificãs, & eleuans ad suprema bona: ergo vt sic magis mouet ad amandum: sed homo sine gratia nõ potest diligere Deum super omnia, finem supernaturalẽ, vt fide constat: ergo neq; naturalem. Hoc argumentũ, licèt quibusdam videatur efficax, mihi tamen non videtur. Nam suppono, necessariam esse gratiam supernaturalem, vt is qui potest super omnia diligere Deum, dilectione naturali, vt est principium & finis naturæ, possit & valeat diligere Deum, vt est principium supernaturale, vt fide cõstat. Et ita non valet; Sine gratia non potest Deum finem supernaturalẽ diligere, vt fide cõstat: ergo neq; naturalẽ: est enim optima instantia in angelo, & homine in natura integra, qui viribus naturæ poterant diligere Deũ finem naturalem; non tamen supernaturalem; Quia licèt sub hac ratione, maius bonum sit, est tamen supernaturale, & eleuatum supra naturam potentiæ naturalis; & idcircò improportionatum; vt in disputatione speciali de hac re, dicemus. Meliùs autem concluderet prædictum argumentum, si ita colligeret: Homo in ordine supernaturalium proportionatus ex gratia cum obiecto supernaturali, potest diligere Deum finem supernaturalem, ex gratia Dei: ergo homo in ordine naturalium constitutus sine culpa & peccato aliquo, gratus Deo, amore & amicitia naturali, poterit per simplicem, & singularem actum voluntatis, diligere Deum finem naturæ precisè, ex viribus eiusdẽ ordinis & naturæ. Patet cõsequentia: Quia in suo ordine, vtrobiq; est eadẽ proportio & ratio. ¶ Secundũ argumentũ est. Nam per actũ dilectionis Dei super omnia, etiã vt finis naturæ, in statu illo in puris naturalibus, rectificatur voluntas perfectissima rectitudine, quã potest habere homo ille in illo statu: ergo si hãc dilectionẽ potest habere, sequitur, quòd per eam posset recuperare totum id, quod perdidisset si peccaret; & cõsequenter perfectè resurgere à peccato, per proprias vires, & recuperare totã rectitudinẽ naturalẽ, etiã ex parte Dei. Quia amicitia, quam Deus habebat ad prædictũ hominẽ purè naturalẽ, consistebat solùm in illa beneuolentia, qua illi Deus volebat communicare rectitudinem naturalem: sed hanc eandem beneuolentiam haberet, si diligeret Deum super omnia; siquidem obiectum esset rectificatum modò, sicut antea: ergo. Consequens autem est falsum: Quia in homine post peccatum, nulla remissio peccati est sine gratia. Sequela autem probatur: Quia si posset diligere efficaciter Deum super omnia ex viribus naturæ, posset dolere de peccato propter Deum summè dilectum: ergo sicut in statu supernaturali, talis actus sufficit ad delendum peccatum, ita & tunc

*Argum. 2.*





tunc sufficeret in statu naturali. Hoc argumentum sane efficax est. Sed respondent Aduersarij, quòd ipsi loquuntur de homine in puris naturalibus constituto: Nam si semel habeat peccatum, iam non est in puris naturalibus: sed magis in natura lapsa. Vndè, ferè dicunt, nullam esse inter doctores probabilitatem eius sententiæ, quę docet, hominem ex puris naturalibus posse conteri, seu dolere de peccato contra Deum, vt est author naturæ; cùm tamen sit sententia omnium consensu valdè probabilis, quòd in puris naturalibus posset diligere super omnia, Deum authorem naturæ. Sed profectò, inconueniẽs illatum contra aduersarios, adhuc non soluitur per hanc solutionem. Imo verò, si homo in puris naturalibus, in eo statu peccaret, & esset in natura lapsa, & nihilominus (vt aduersarij fatentur) posset Deum authorem naturæ efficaciter diligere super omnia, non est cur non intelligamus, quòd posset in illo statu conteri de peccato, propter Deum quem summè de facto efficaciter diligit super omnia. At non potest conteri in illo statu neque resurgere à peccato, quia nulla remissio peccati, fit sine gratia: ergo. Rursus; Quomodo potest stare præfata solutio dicendo, quòd potest diligere efficaciter super omnia Deum authorem naturæ; non tamen conteri de peccato contra Deum, vt est author naturæ? Nam si homo non conteritur de peccato, neque potest conteri sine Dei gratia, quo pacto se non conterendo ex gratia Dei, posset in statu illo diligere super omnia, Deum authorem naturæ efficaciter? Nam rogo, Quomodo diligit ille Deum super omnia efficaciter, si non refert se & omnia sua in Deum, efficaciter? Nam quãdiù habet peccatum illud, nõ refert se & omnia sua efficaciter in Deum, propter impedimentum peccati mortalis, quod habet: ergo si semel concedas, posse efficaciter diligere Deum super omnia authorem naturæ, se & omnia sua referendo in ipsum; necesse est, vt tollatur impedimentum peccati: ergo ex dato antecedenti sequitur, quòd ex proprijs viribus posset homo ille resurgere à peccato, quod est aperte falsum. ¶ Tertium argumentum. Homo in puris naturalibus, nõ posset habere firmam, & efficacem voluntatem non offendendi Deum, neque efficax propositum: sed hoc includitur in efficaci dilectione Dei: ergo non posset hanc efficacem dilectionem habere, ex viribus naturæ. Patet maior: Quia nõ est efficax voluntas, neque efficax propositum, de eo quod fieri non potest: sed non posset homo in illo statu seruare omnia præcepta, vt infrà dicemus: ergo neque habere voluntatem illam efficacem, nũquam offendendi Deum, sine gratia; ergo neque diligere efficaciter Deum super omnia: Quia in tali dilectione, esset non solum votum efficax obseruandi omnia mandata: sed etiam esset virtualiter obseruatio omnium mandatorum. Nam dilectio, est plenitudo legis ad Rom. 13. & Ioan. 14. Qui diligit me, mandata mea seruabit. In quo sensu optimè explicantur hęc testimonia ab Aug. 8. de Trinit. cap. 7. & ab Origene super ad Rom. 13. Nã si omnes occasiones, quæ succesiuè se offerũt, simul occurrant, ita vt in vno instanti; postponẽdæ sint creaturæ omnes, propter Deum, & subeunda omnia ardua & difficilia; tunc quidem non posset: ergo neque diligere Deum super omnia, efficaciter. Antecedens probatur: Quia si non potest in tota vita: ergo neque in illo instãti. Quia obiectum vnitum, est difficilius, sicut virtus vnita, est fortior: ergo. Vndè aduerte vim argumẽti facti, in eo positam esse. Quòd si homo propter difficultatem maximam obiecti, non posset seruare præcepta omnia: ergo neque habere efficax votum seruandi omnia illa, quod esset virtualis obseruatio omnium mandatorum. Nam si difficultates singulas vincere non potest, quo pacto poterit omnes? Igitur si omnes simul proponerentur, minùs poterit, vt dictum est. Ex discursu huius controuersiæ, & potissimè ex difficultate tacta statim in primo argumento proximè præcedẽte, oritur altera quæstio; Vtrùm homo in aliquo statu, possit sine auxilio gratiæ diligere Deum finem supernaturalem, & obiectum supernaturale efficaciter, saltem supposita reuelatione diuina, & supernaturali cognitione? Sed de hac difficultate, specialiter agendum est à nobis, disputatione. 3. sequenti in hoc art.

*Argum. 3.*

*Rom. 13.*
*Ioan. 14.*
*D. August.*
*Origen.*

Ad argumenta quæ pro secunda conclusione militant, quam diximus esse probabilem; aliqui respondent, iuxta solutiones in eisdem argumentis datas: sed nihilominùs ad primum respondetur, negãdo consequentiam: Quia homo in puris naturalibus; haberet pugnam inter appetitum & rationem. Secundò respondetur distinguendo consequẽs, & minorem. Nam si intelligas quòd potest voluntate efficaci, se conformare, aut exequi actum dilectionis, loquẽdo de efficacia cõsummata, qua refert homo se, & omnia sua in Deum, ita vt pro nulla re mũdi desineret Deum, ipsum anteferendo omnibus; negatur minor & consequentia. Si verò intelligas de conformitate, & dilectione inefficaci, sic non est difficile intelligere, posse voluntatem nostram, voluntate inefficaci, Deum diligere, velleque illi placere. Dico tertiò, quòd intellectus, poterat fortè speculatiuè cognoscere, Deum esse diligendum super omnia; non tamen practicè, & perfectè simul cum actibus prudentiæ, iudicio & imperio ipsius, hic & nunc. Quia talis cognitio, dependet ex volũtate. Aliqui etiam respondent, iterùm negando cõsequentiam, cuius negationis rationem assignant. Quia cùm obiectum voluntatis, sit res cognita, & res istæ sensibiles, sint quæ à nobis potissimè cognoscuntur; idcircò res istæ, magis alliciunt nos ad eas diligendum: dato in Deo sit multò maior ratio diligendi secundùm se, quam in omnibus alijs rebus. Et fortè hæc est ratio, cur non sequitur, quòd si parentem, aut amicum possumus diligere super omnia, quod etiam possumus diligere Deum super omnia, dilectione perfecta, ex nostris viribus; potissimè, si essemus in puris naturalibus. Quartò respondetur, & est generalis solutio ferè ad omnia argumenta, quòd in puris naturalibus poterat voluntas præstare quemcùmque actum moralem, hunc verò actum dilectionis, perfectè & efficaciter non poterat, tùm propter rationes allatas in discursu quartæ assertionis; tum etiam quia hic actus est natura sua difficilior, & eleuatior, quam omnes alij; tum denique, quia hic actus continet virtute sua, impletionem omnium mandatorum naturaliũ, & efficax votum ipsorum. Quocircà, non est simile de isto actu dilectionis, & de reliquis.

*Ad argum. Ad primũ.*

*Ad secundũ* ¶Ad secundum argumentum, quod est Scoti, respondetur negãdo cõsequentiã de dilectione efficaci. Et ad probationẽ, negatur iterum consequentia. Et ratio discriminis est: Quia licèt Deus sit maius bonum, & habeat maiorẽ rationem diligibilitatis, est tamen obiectum minùs proportionatum voluntati, corpori immersæ, quæ maximè fertur in sensibilia, qualia sunt hæc quæ cernimus, & amici & patria etiam in puris naturalibus. Aliqui etiam Theologi respondent, quòd licèt homo oppetat mortem propriam pro republica; tamen finaliter quærit ibi se ipsum in eo actu; in quantum id facit, vt consequatur gloriam vel famam, vel aliud commodum proprium. Vnde, & in illo actu, magis diligit se ipsum, quàm Rempublicam, aut patriam. Secundò respondetur, quòd licèt appareant plures rationes bonitatis in Deo, quàm in voluptatibus & rebus huius sæculi; cæterùm bonitas voluptatum, est magis sensibilis, & faciliùs rapit hominem, & ex alia parte ad diligendum Deum super omnia, plura sunt necessaria; quia bonum est ex integra causa. Idcircò non sequitur: Potest homo diligere creaturam super omnia, ex proprijs viribus: ergo Deum. Nam, vt quis diligat voluptates seu diuitias, plùsquàm Deum; satis est, vt anteponat illas alicui præcepto; cæterum, vt quis diligat Deum super omnia, necessaria est obedientia omnium, & efficax amor, & votum omniũ præceptorum, & obseruantia singulorum mandatorum. Sed de solutione huius argumenti, fusior erit

*Ad tertium* sermo, disputatione. 2. sequenti. ¶Ad tertium argumentum, quod est Achiles contra Hectorem, vt prędicant aduersarij, aliqui negant, esse præceptum de dilectione Dei super omnia; sed malè profectò, vt benè probat Durand. in. 3. d. 29. q. 2. Scot. in. 3. d. 27. artic. 2. Quocircà, admisso præcepto illo naturali respondetur, quòd licèt non possit homo ille implere ipsum ex proprijs naturalibus cum communi concursu præcisè; potest tamen cum auxilio speciali intra ordinem naturalis prouidentiæ, & citra ordinẽ gratiæ. Sed aduerte, quòd de statu hominis in puris naturalibus multa scimus in genere, quæ tamẽ qualiter futura essent in particulari, scire nõ possumus. Vndè, probè scimus & intelligimus, quòd in puris naturalibus, anima rationalis esset immortalis & perpetuò durans. Rursùs, benè intelligimus, quòd in eo statu essent constituta præmia bonis, & pœnę malis; ignoramus tamẽ in particulari, qualia essent hæc præmia, & quales illæ pœnæ. Rursùs etiam lumen naturæ nos docet, quòd homo conditus in puris naturalibus, posset peccare & deficere, & eadem natura nos docet, quòd teneretur homo satisfacere Deo, & quærere remedium peccati; & remissionẽ; ignoramus tamen in particulari, quod nam tunc esset remedium pro peccato. Pari ergo ratione in proposito, scimus esse præceptum naturale de diligendo Deum super omnia; nescimus tamen in particulari, quo pacto in puris naturalibus esset implendũ ab homine purè naturali. Hoc tamen est certum, quòd Deus vt naturæ author, haberet specialem curam, & prouidentiam generis humani in eo statu, scilicet, in puris naturalibus. Et consequenter, secũdum hanc prouidentiam, exhiberet hominibus specialia quædam auxilia, ad consequendam suam naturalem perfectionem; quæ non pertinerent ad ordinem gratiæ; sed naturæ: Quia per ea non ordinaretur homo in tali statu ad beatitudinem supernaturalem, sed ad naturalem; essent tamen auxilia specialia intra naturalem ordinẽ. Quia aliter concurreret Deus cum hominibus, quàm cum reliquis agentibus naturalibus. Nam, sicut in productione hominis aliter agit Deus, etiam vt naturæ author, quàm in productione aliorum generabilium; quia speciali actione creat animam rationalem quam infundit materiæ vt formam eius; Sic etiam in hominis perfectione & gubernatione, speciali prouidentia atque concursu, concurreret Deus, quam in complemento & perfectione aliarum rerum naturalium, Et, sicut in ordine gratiæ præter concursum communem & ordinarium, quo Deus concurrit secundum communem prouidentiam supernaturalem, dando auxilia sufficientia ad salutem, est alius concursus specialior, quo Deus concurrit ad opera insignia & magna, & ad perseuerandum; ita quidem in ordine naturæ, si homo conderetur in tali statu, præter communem prouidentiã & concursum, quo Deus concurrit cum omnibus agentibus naturalibus, ad consequutionem suorum finium esset etiam specialior prouidentia, & concursus cum hominibus, ad consequendum suum finem naturalem. Et secundùm hanc prouidentiam, daret Deus homini in puris naturalibus speciale auxilium ad diligendum ipsum super omnia. Neq; hoc est fictitium, sed necessarium, facta suppositione hominis in puris naturalibus: Quia id necessariò sequitur dicendum ad talem statum. Ex hoc emergit noua altera difficultas; An per hoc auxilium, cùm sit ordinis naturalis, homo in natura lapsa, & in peccato, posset implere præceptum de dilectione Dei super omnia? Sed de hoc fusè dicemus disputatione. 2. sequenti.

*Ad quartũ.* ¶Ad quartum dicendum, quòd inclinatio illa naturalis, de qua S. Thom. loquitur, est quædam propensio generalis, rebus etiam insensibilibus indita, qua res omnes propenduntur & inclinantur ad conseruationem vniuersalis boni, quod est Deus. Ex hac inclinatione & propensione, graue aliquando ascendit ad vitandum vacuum, sed non inclinatione elicita, quæ sequitur cognitionem. Hæc autẽ inclinatio creaturarum omnium ad Deum, valdè differt à dilectione elicita super omnia, ipsius Dei, de qua nunc est sermo. Quia dilectio Dei super omnia, non tantum consistit in eo, quod vitam Dei anteponamus propriæ: sed etiam includit voluntatem anteponendi efficaciter singula præcepta Dei, propriæ saluti, atq; vitæ. Et per hoc patet ad confirmationem. ¶Ad quintum patet solutio ex artic. 2. *Ad quintũ.* præcedente, dubitatione. 4. Sed nihilominus, vt possibili sibi fœlicitate naturali potiretur homo existens in puris naturalibus, necessarium esset speciale auxilium, intra eundem naturæ ordinem.

*Solut. 2.* Alia etiam argumenta sunt eorundem aduersariorum, quæ à nobis sunt adducta in probatione secundæ conclusionis, quæ ex traditis solutionibus pariter dissoluuntur; & etiam dissoluentur specialiter, in speciali controuersia de homine in natura lapsa, & in eum locum remitto Lectorem. ¶Ad nonam tamen rationẽ, suasiuam secundæ conclusio- *Aduerte sa tis.* nis prædictæ, interim respõdetur primò negãdo maiorẽ. Secũdo negãdo consequentiã. Et est efficax ratio



tio huius: Quia hoc præceptũ dilectionis Dei super omnia, cùm includat efficacem & perfectam dilectionem, ex tota anima & ex toto corde, & ex totis viribus, exuit hominem totaliter ab amore proprio alia verò præcepta singula, non nisi in parte; & idcircò, longè difficilius est hoc adimplere, quam alia. Ad confirmationem eius, negatur minor: Quia (vt dictũ est) etiam in puris naturalibus, appetitus resisteret rationi, & esset mutua lucta, & mutuum bellum.

*Quid aduersarij pro se respondeant* Sed, quoniam in præfata secunda assertione diximus, non esse improbabilem sententiam, quòd homo in puris naturalibus possit habere actum speciale m, dilectionis Dei super omnia ex naturæ viribus; licèt non diuturnam, neque stabilem; idcircò referam solutiones eorum. Ad primum respondent,

*Ad primũ argumentũ.* quòd est optima instantia in angelo & homine in natura integra; qui viribus naturæ poterant diligere Deum finem naturalem; non tamen supernaturalem; Quia licèt sub hac ratione maius sit bonum; est tamen supernaturale & eleuatum supra naturam potentiæ naturalis; & ideo improportionatum, vt dicetur in disputatione de homine in natura lapsa.

*Ad secundũ* ¶Ad secundum respondetur, hominem per actum illum, non reddere tantum bonum, quantum commisit malũ: Et sic, non satisfacere perfectè ad æqualitatem. Nam dignitas in satisfactione, sumitur principaliter à persona satisfaciente; grauitas verò in offensa, ex persona offensa. Et quia persona satisfaciẽs non est æqualis in dignitate, cum persona offensa; ideo non potest ad æqualitatem satisfacere, pro tali iniuria commissa, etiam contra Deum finem naturalem. Lege S. Thom. in. 2. d. 28. in expositione literæ Magistri Neque ob id quod homo faciat quantùm potest, Deus tenetur illi remittere culpam, vel etiã reconciliare ipsum, sibi circa amicitiam naturalem; sed maneret homo rectus ex parte sua, secundum quid: Quia non haberet iam affectum ad creaturam sed ratione maculæ nõ deletę, & peccati pro quo nõ perfectè satisfecit, dicetur adhuc manere in sua culpa, & conuersus ad creaturam habitualiter. Et licèt Deus ad id non teneatur ex iustitia, consonũ tamen est eius prouidẽtiæ & benignitati, vt optimum quod homo potest facere ad delendum peccatum in tali statu, admittat tanquam dispositionem ad peccati repulsam, & remissionem; aliàs non sufficienter videretur esse prouisum illi statui, in puris naturalibus, in quo infallibiliter esset homo aliquãdo peccaturus, si non esset remedium, vel ad nunquam peccandum, vel vt peccatum vnquam remitteretur; & tandem aliàs homo in statu naturali, minimè posset consequi suum vltimum finem naturalem, sed esset necessariò miser; & consequenter Deus meliùs prouidisset alijs naturis, quàm humanæ. Secũdo respõdetur, quòd per talem actum rectificaretur voluntas in puris naturalibus: Quia illa videtur sufficiens dispositio ad reparandam naturalẽ Dei amicitiam, qua Deus hominem diligat in ordine ad naturalem beatitudinem, eo quòd homo tũc nihil pręstantiùs facere potest. At verò nunc, non rectificatur voluntas per talẽ dilectionem, rectitudine naturali, vel supernaturali. Nam cùm aliquid præstãtius facere possit homo ex auxilio Dei, illud exigit Deus ad amandum ipsum hominem, in ordine ad beatitudinem, tam supernaturalem quam naturalem, per quem amorem Dei seu amicitiam, homo qui aliàs factus erat indignus beatitudine, reddetur ea dignus. ¶Ad tertium respondent, quòd *Ad tertiũ* etiam homo per charitatem, licèt possit Deum super omnia diligere; non tamen seruare omnia præcepta collectiuè, sine speciali auxilio. Quia longo tempore moraliter loquendo, certum est hominẽ in aliquod peccatum, hoc vel illud lapsurum, propter innumeras, & ingentes difficultates, in quibus omnibus collectiuè non potest esse semper vigil. At verò breui tempore, id potest, licèt nonnunquam difficultates omnes occurrant: Quia breui tempore potest esse attentissimus ad omnes, & breui etiam tempore potest habere actum, quo Deum diligat super omnia efficaciter; & quo proponat efficaciter omnia illa præcepta seruare, quantùm est de se. Quæ autem sit efficacia huius propositi, dicetur infra.

Ad argumentum verò, quod sumitur ex Sanctis & concilijs, contra Pelagium respondetur, Concilia & Sanctos loqui de dilectione charitatis Christianæ; aliàs definirent, quòd etiam in natura integra requiritur gratia, ad naturalem dilectionẽ Dei. Et patet quòd sit bona explicatio, ex Conc. Arausic. 2. cap. 25. vbi solùm diffinitur, neminem posse diligere & credere, sicut oportet, sine gratia Dei; & tamẽ nõ latebat Concilium, quòd per fidẽ adquisitã, homo hæreticus multa credit: ergo per credere & diligere sicut oportet, intelligit Concilium, credere fide supernaturali & Christiana, & amare dilectione charitatis Christianæ.

## DISPVTATIO II.

### *Vtrùm homo in natura lapsa, ex suis viribus, possit diligere efficaciter Deum finem naturalem?*

Vdacter loquuntur nõnulli recentes Theologi, aientes hominem in peccato mortali, non actuali, sed habituali, posse sine gratia diligere Deum finem naturalem, super omnia. Et citant pro hac sententia Doctores Theologos suprà relatos, disputatione. 1. præcedente, Scotum, in. 2. d. 28. & in. 3. d. 37. Vbi insinuat, quòd homo ex viribus naturæ potest diligere Deũ super omnia. Capr. in. 1. d. 27. q. 1. in solut. ad argumẽta Aureoli, qui peiùs multò loquitur. Nam asseuerat, volũtatẽ humanã per suas vires, posse habere dilectionẽ eiusdẽ speciei, cũ dilectione ex charitate infusa, & supernaturali. Et Theologi omnes, qui tenẽt, posse hominẽ diligere Deũ super omnia, efficaciter in puris naturalibus, tenent etiam, id posse in statu naturæ corruptæ. Quia per peccatum, natura non est extincta aut ablata. Citant etiam D. Thom. in. 2. d. 33. q. 2. & in. 3. d. 23. q. 1. Nam, licèt in hoc artic. contrarium defendat; dicunt tamen, quòd potest explicari D. Tho. hic de dilectione diuturna & stabili, quam non potest habere homo sine gratia, sine qua etiam, non potest diù homo se continere, sine peccato: Nam sola firma & stabilis dilectio, est quæ denominat absolutè hominẽ amantẽ. Quia actus ille dilectionis, qui est veluti actio transiens

siens, non denominat simpliciter. Et hoc videtur probare tantùm ratio D.Th. Nempe, propter rebellionem appetitus, non posse hominem habere firmam, & stabilem dilectionem Dei. Sicut nō potest diù vitare omne peccatum sine gratia. Vndè, per breue tempus (dicunt) poterit habere homo efficacem dilectionē Dei. Imo verò, S.Th. in hoc art. argumento: Sed contra, ait, quòd hoc mandatum ex solis naturalibus homo potest implere, & ex solis naturalibus, Deum diligere plusquam se, & super omnia. Et art. 4. sequenti, argumento. 3. cùm argumentaretur hoc modo: Maximū mandatum est illud, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo: sed hoc potest implere homo ex solis naturalibus, diligendo Deum super omnia: ergo. Respondet S.Tho. quòd præceptum de dilectione Dei, non potest homo implere ex puris naturalibus, secundùm quòd est charitate impletur. Ecce, in argumento & in solutione, tantùm negat eam dilectionem quæ ex charitate habetur; & de illa se fuisse loquutum, ait ibidem. Rursùs, idē Sanctissimus præceptor expressè tenuit, in puris naturalibus id posse hominem: ergo pari ratione in natura lapsa, idem tenet.

Homo tamē in natura lapsa, post ruinā peccati originalis, potest cōsiderari, vel in peccato mortali, habituali, vel illo deleto, in statu gratiæ, & cū rectitudine naturali & supernaturali, postquā à peccato surrexit; & siue surrexerit à peccato siue non, semper est in natura lapsa. Dicunt ergo modò plerique Theologi, quòd in vtroque statu, ex viribus naturæ præcisè potest homo, efficaciter diligere Deum super omnia; siue homo ille sit sine peccato, siue non.

*Arg. primū.* ¶Et probatur primò hæc sententia. Nā modò potest homo cognoscere sine lumine fidei, quòd est diligēdus Deus plusquā se & plusquā omnia: nam hæc est vna veritas naturalis, quam Philosophi cognouerunt dicentes, Deum esse principium, & finem rerum omnium, in quem debent ordinari omnia: ergo potest diligere Deum super omnia. Patet consequentia: Quia voluntas, est naturalis inclinatio, tendens in id quod dictat intellectus, esse bonum, vt fiat præsertim, quando obiectum est illi connaturale, & proportionatum, sicut est Deus. Vndè, sicut omnes aliæ causæ naturales, solo generali concursu, tendunt in obiectum sibi connaturale, & proportionatum; ita

*Supra, art. 2 præcedente.* videtur quòd idem posit voluntas. Nam hac ratione suprà ostendimus, quòd voluntas hominis, potest per naturam suam, velle & operari aliquod bonum morale: Cur ergo hæc ratio non erit efficax in

*Secundum.* præsenti? ¶Secundò arguitur. Homo in natura lapsa, vt est in opinione probabili, habet omnino eadem vires, quas haberet, si in puris naturalibus conderetur: sed in puris naturalibus id potest, vt multi

*Tertium.* probabiliter dicunt: ergo. ¶Tertiò. Suppono, hominem inuincibiliter ignorare ordinem gratiæ, & maculam sui peccati originalis: Tunc nō apparet specialis ratio, quæ hunc hominem impediat à dilectione Dei super omnia, quæ non impediret in puris naturalibus: ergo sicut tunc posset, ita nunc. Imo verò quòd cognoscat se esse in propria macula peccati

*Quartum.* originalis, nō diminuit proprias vires. ¶Quartò homo cùm pertingit vsum rationis, & proponit per vires naturæ, sequi bonum honestum, & fugere malū quod per pura naturalia potest facere (vt ostendūt Theologi. 1.2.q.89.) verè diligit Deum super omnia Nam diligit bonum honestum, & virtutem super omnia, ad quam se & omnia sua refert: ergo.

*Quintum.* ¶Quinto arguitur. Nā de peccato mortali, ferè eadem est ratio, transacto actu, ac de peccato originali: ergo quòd in aliquo præcesserit tale peccatū, nō impedit talē dilectionē. Quod patet. Quia vel impediret, ex eo quòd minuat vires; & hoc non: quia non debilitat, ita vt non possit efficere eosdem actus, quos antea, licèt non cum tanta facilitate. Et ita, in tali statu potest homo diuisiuè implere præcepta naturalia, sine gratia; & quodlibet bonum opus morale efficere: ergo etiā poterit hoc mandatū de dilectione

*Rom. primū.* Dei super omnia; cùm eius videatur facta expressa mentio Rom. 1. Qui cùm cognouissent Deum, non tanquam Deum glorificauerunt; quod de potestate quam ex viribus proprijs habebant infideles, intelligunt sancti supra citati. ¶Sextò arguitur. Si homo

*Sextum.* per plures actus dilectionis Dei super omnia, acquisiuisset habitum aliquem, non deperderet illum per vnum peccatum: ergo per eūdem habitū acquisitū, poterit similes actus elicere, dilectionis Dei super omnia. Si dicas, esse impedimentū, vt se conuertat ad Deum finem naturalem, quia est auersus ab ipso ratione peccati. Cōtra, Quia nō implicat, actualiter conuerti ad obiectum, à quo habitualiter quis est auersus: vt si quis deliquit contra Regē, & ob id est auersus ab ipso, nihilominùs potest regē super omnia diligere, licèt ab ipso odio habeatur propter peccatum præteritum, qua ratione cēsetur habitualiter auersus à Rege, adhuc propter delictum cōtra Regem, quod non est condonatum; & nihilominùs ex parte sua, est conuersus ad Regem propter maximum amorem: ergo similiter in proposito. Quod videtur colligi ex S.Tho. in 2. d. 28. q. 1. art. 2. & d. 23. q. 2. & de veri. q. 12. art. 12. & ex Patre Soto, in 4. d. 17. q. 2. ar. 5. Et cōfirmatur: Quia potest quis habere actū

*Confirmat.* intemperantiæ, & habitum temperantiæ simul: ergo. ¶Septimò. Opinio probabilis est, q̄ pōt aliquis

*Septimum.* de potētia absoluta, esse auersus à Deo fine superna turali habitualiter; & tū actualiter cōuerti ad illū q̄ actū charitatis: ergo existēs in peccato habituali, potest diligere Deū super omnia. ¶Octauò. Possum q̄

*Octauum.* facultatem naturæ diligere parentes, super omnes homines, & me ipsum, plusquam parentes: ergo pari ratione, possum diligere Deū, plusquam me ipsum, & parētes, & reliquos homines. Patet cōsequentia: Quia ratio, cur possum diligere me ipsum, & parentes, plusquam alios homines, est quia in me ipso, & in parentibus, re ipsa est maior ratio diligendi, & intellectus id ita proponit voluntati: sed multò potior ratio dilectionis, est in Deo, quam in me ipso, & quā in parētibus, cū sit excellentius bonū, & intellectus ita proponit volūtati: ergo

*Confirmat.* ¶Et cōfirmat, ex cōmuni argumēto: Quia homo diligit super omnia diuitias, & voluptates, & idololatra idolū, ita vt interdū pro ipso moriatur: Cur ergo nō poterit facilius & melius, ex eisdē viribus diligere Deū super omnia? ¶Nonò potest homo ex viribus naturæ habere

*Nonum.* doloré, & cōtritionē de peccato: ergo & diligere super omnia Deū. Patet cōsequētia: Quia cōtritio, est dolor de peccatis propter Deū summè dilectū. Probatur antecedēs: Quia potest peccator odio habere Petrum, suprà omne odibile, ex suis viribus: ergo si repræsen-



repræsentetur voluntati peccatum cum omni sua faditate & malitia, & vt inimicum sibi, & destructiuū amicitiæ Dei infinici; sequitur, quòd multo magis poterit odio habere peccatū, suprà omne odibile, & suprà omne detestabile. Imo verò Caie. tract. 4. de attritione & cōritione, q. 1. apertè docet, posse esse in nobis contritionem sine charitate, & dilectionem Dei super omnia, sine charitate; & consequentèr esse contritionem acquisitam: ergo ex propijs viribus. Et probat ille: Quia si non posset esse contritio informis, & dilectio Dei super omnia, sine charitate, sequeretur quòd euidentèr essemus certi de nobis ipsis, quòd habemus hanc voluntatem deliberatam præferendi omnibus Deum. Et tādem inquit, quòd contritio quæ importat displicentiam peccati, suprà omne odibile, cum proposito vitandi peccatum suprà omne vitabile, ex amore Dei suprà omne amabile, vt distinguitur ab attriti; one

*Confir.* vocatur contritio informis, & acquisita. ¶Et cōfirmatur. Quia homo conditus in puris naturalibus, ex diuina prouidentia & misericordia, haberet remedium de peccato; & non videtur aliud, quam detestatio & contritio intrà ordinem naturæ: ergo eādem potest modò habere in natura lapsa. Patet consequentia: Quia quantùm ad sufficientiam agendi ex viribus naturæ, par ratio videtur de homine in

*Decimum.* natura lapsa, in quo naturalia integra manserunt, & de homine in natura corrupta. ¶Decimò arguitur, ex rationibus suprà. q. 1. tactis pro opinione aduersariorum. Quia homo habet naturalem inclinationem ad diligendum Deum super omnia; vt S. Thom. 1. p. q. 60. art. 5. docet: ergo & vires. Neque satisfacit, quòd modò natura est corrupta, & ob id potius in bona priuata fertur, quam in Deum. Quoniam, vt diximus, ægritudo quæ est in via per peccatum, non sustulit à nobis naturam, neque abstulit quòd intellectus cognoscat naturales veritates, aut quòd voluntas ferat̄ in ea, quæ intellectus dictat; præsertim, si ad illud naturaliter inclinatur. ¶Item.

*Vndecimū.* Obiectum est proportionatum: ergo etiam nunc est proportionatum. ¶Item. Quia homo in natura

*Duodecimū* corrupta, habet naturale præceptum diligendi Deū super omnia: ergo potest naturaliter implere. Quia nemo potest obligari ad impossibile sibi. Nā hoc præceptum, extat in natura secluso ordine gratiæ, & progreditur à Deo, vt authore naturæ: ergo habet homo vires, intra ordinem naturæ. Neque peccatū mortale videtur obstare, præsertim si habeat ignorantiam inuincibilem illius. Et manifestè hoc patet: Quia in omni sententia videtur hoc certum, quòd si haberet integritatem naturæ, sine gratia vlla, id posset; Imo & cum aliquo peccato mortali, quod Deus nollet remittere; tunc ipse posset diligere Deum finem naturalem, sicut animabus in Limbo id concedit S. Thom.

*Medina.* Pater Medina. 1.2.q.109.art.3. conclusiō. 4. loquēs de puero in natura lapsa, cùm peruenit ad vsum rationis, dicit, quòd potest implere ex naturalibus, præceptum referendi se, & omnia sua in Deum, & quòd cùm auersione à Deo, vt est finis supernaturalis, quam habet per peccatum originis, potest esse rectitudo naturalis. Quod etiam concedit Caiet. q. 113. art. 2. etiam post peccatum actuale. Imouerò, idem Pater Medina in re, tandem concedit & insinuat, quòd tam in puris naturalibus, quam in natura lapsa, potest homo habere actum absolutè dilectionis Dei super omnia, licèt non eam, quæ includat obseruationem omnium mandatorum, quam nos vocamus, dilectionem Dei continuatam, virtualiter. Vndè ait, de hac dilectione includente obseruantiam omnium mandatorum, intelligendum esse D. Thom. in hoc art. Et, licèt verbis videatur id negare in conclusione. 5. Tamen in discursu illius apertè id fatetur. Nam ait, quòd quando se offert speciale præceptum dilectionis naturalis, potest aliquando homo illud implere, ex viribus naturæ. Et à quibusdam ostenditur hoc argumento: Nam Adā, secundùm quosdam Theologos, conditus est in puris naturalibus: sed non est credibile, quòd antequā reciperet gratiam, non diligeret conditorem suum dilectione comparatiua, hoc est, referendo se, & sua in Deum, sicut solent facere, qui beneficia ab aliquibus acceperunt: Sed illa dilectione comparatiua, non dilexit æqualitèr, vel minus quam se; peccaret enim sic: ergo plusquam se: ergo referendo se, & omnia sua in Deum. Et sic videtur intelligenda esse ratio D. Thom. hic in argumento, Sed contra.

Pro explicatione huius difficultatis suppono, *Suppo. 1.* quòd dilectio Dei super omnia, stat dupliciter. Vno modo, pro eo, quod est adimpletio mandatorum; & sic diligere Deum, non est aliquis singularis actus, neque est aliquod singulare præceptum, sed potiùs est plures actus, & plura præcepta; & de hoc modo dilectionis non disputat D. Thom. in hoc art. Quoniam in hoc sensu quærere, Vtrùm possit homo suis viribus diligere super omnia Deum? est quærere, Vtrùm possit homo implere mandata Dei, ex suis viribus? De qua difficultate disputat. S. Thom. art. 4. sequenti. Alio modo sumitur dilectio Dei super omnia, prout dicit actum singularem voluntatis, qui est amor, & dilectio elicita; qui actus habet speciale obiectum, quod est Deus summè bonus & amabilis; & de hac dilectione, est disputatio præsens; & loquitur D. Thom. de dilectione secundùm præsentē statum, quæ compatitur secum leues quasdam offensas Dei, seu venialia peccata.

Suppono secundò, quòd ista dilectio Dei, quæ est *Suppo. 2.* singularis actus amoris & voluntatis, quædam est Christiana & supernaturalis, per quam Deum diligimus, vt est obiectum beatificum, & quatenus cū illo habemus societatem & amicitiam. Et hæc dilectio, necessariò pendet ex fide infusa & supernaturali: Quoniam ex sola fide cognoscimus beatitudinem supernaturalem & amicitiam, quam habemus cum illo. De hac dilectione, loquitur S. Thom. hic ad. 1. & de hac non agimus modò; agemus tamē statim, disputatio. 3. Alia est dilectio naturalis, per quam Deum diligimus, vt est principium naturale, & finis noster naturalis. Et hæc dilectio non requirit fidem infusam necessariò, sed solum cognitionem naturalem; & de hac dilectione naturali, est præsens difficultas, Vtrùm sicut cognoscimus Deum esse lumine naturali, summè bonum, & summè diligendum; ita voluntas possit diligere illum summè, per naturam & vires eius? Vndè, sermo esse potest de speciali præcepto dilectionis, & ipsius amoris, quod debet impleri per explicitum amoris actum, terminatum explicitè ad Deum, vt est obie-

ctum amoris,& dilectionis super omnia.Quia actus pro aliquo tempore implet speciale illud præceptum positiuum, de dilectione Dei super omnia.

*Suppo.3.* Item suppono tertiò, quòd diligere Deum super omnia, est actus elicitus voluntatis, & est actus amoris,quo diligendoDeum,homo se & omnia sua refert in Deum. Et non est idem operari propter vltimum finem,& diligere Deum super omnia. Nam in quouis bono opere, agit homo propter vltimum finem,saltem implicitè:Quia bona opera,suapte natura,sunt relata in finem vltimum bonum. ¶ Tandem suppono, quòd diligere Deum super omnia, quod est velle efficaciter placere Deo, in omnibus & per omnia, etiam loquendo de dilectione naturali,licèt sit vnus simplex actus, tamẽ in virtute & voto continet multa & difficilia,& efficacem atq; absolutam voluntatem implendi vniuersa mandata: Nam est alia dilectio inefficax,& imbecilla,quæ nõ est absoluta, sed appellatur velleitas.Neque te prætereat, quòd homo ex peccato Adæ, pleraque mala contraxit,nempe propensionem, & pronitatem in bona sensibilia,defectum luminis, & vulnus intellectus & volũtatis,& alia multa,de quibus diximus in disputatione de peccatis.Imo verò,quandam fugam;& ignauiam rerum cœlestium, & spiritualiũ, & quasi quoddam odium ipsarum.

*Suppo.4.*

*Conclus.1. Hæc est contra nouos Theologos huius ætatis*

His ita prælibatis, est prima conclusio. Homo in peccato mortali habituali *existens*, non potest diligere Deum super omnia,dilectione efficaci, ex suis viribus,& sine gratia Dei,etiam si sit sermo de dilectione Dei super omnia, prout dicit actum singularem amoris, includentem efficax votum obseruandi mandata.Quocircà,licèt sit probabile,hominem in puris naturalibus posse diligere Deum super omnia,vt finis vltimus naturalis; id tamen non videtur mihi probabile,de homine in natura lapsa, & multò minùs de homine existente in peccato mortali habituali. Quia Sancti & Concilia,de huiusmodi homine lapso diffiniunt absolutè & simpliciter, quòd non potest diligere Deum super omnia. Et,licèt possint glossari de dilectione Dei, vt est supernaturalis finis; tamen non videtur hæc interpretatio ad mentem Sanctorum Patrum : Nam dicunt, non posse hominem diligere Deum super omnia. Quia liberum arbitrium per peccatum, est attenuatum, & infirmatum,vt non possit quantum poterat in statu naturæ integræ: sed potissimum opus, quod poterat in statu naturæ integræ, erat diligere Deum super omnia, vt finis naturalis est: ergo hoc non potest in statu naturæ corruptæ. Et confirmatur ex Concilio Arausi. Cano. 25. Vbi dicitur, prorsùs donum Dei esse, diligere Deum; Nam ipse, vt diligeretur dedit.Idem in Mileuit. Cano.4. idem Cælestin. & Innocent. in epistolis passim. D. Augustin. contra Iulian. capit. 5. inquit: Amor quo Deus gratis amatur à nobis, esse non potest nisi ex ipso, & in epistol. ad Vitalem: Ad diligendum Deum super omnia, liberum arbitrium,peccati granditate,perdidimus. Et de gratia & libero arbitrio, cap. 18. Dilectionem Dei esse in nobis ex Deo.Probat ex illo Ioann. 4. Ipse prior dilexit nos. Et in capit.19.dicit, Pelagianum esse asserere, dilectionem esse ex nobis D. Bernard. libr. de diligendo Deum, ait: Difficile, imò impossibile est, quempiam liberi arbitrij viribus, semel accepta à Deo libertate, ad Deum ex toto corde conuerti. Et idem docet S. Maximus, sermo. 12. de vno Martyre, & D. Gregor. 27. Moral. capit. 21. Quòd si dicas, hæc omnia esse explicanda de dilectione tantùm supernaturali; hoc inquam non satisfacit: Quia non videtur ad mentem Conciliorum, & Sanctorum, qui non distingunt, sed absolutè negant, posse hominem diligere Deum super omnia. Et quòd etiam de dilectione naturali loquantur, patet ex ratione quam reddunt: Quia, scilicet, post peccatum attenuatæ sunt vires naturales, ita vt non possint idem, quod in natura integra : Sed neque in natura integra vires naturales erant sufficientes, ad dilectionem supernaturalem : ergo de naturali etiam dilectione loquuntur. Et confirmatur: Quoniam aliàs, modò viribus naturæ posset adimpleri præceptum charitatis, licèt non quoad modum. Item. Supposita diuina ordinatione, & reuelatione, secundùm quã homo dirigitur *in finem supernaturalẽ*,ratio naturalis dictat,diligendũ esse Deũ,secũdũ quòd est finis vltimus supernaturalis: ergo nõ stat,diligere Deũ super omnia,vt finis vltimus naturalis,quin pariter diligatur,vt est finis supernaturalis.Patet cõsequẽtia: Quia ad dilectionẽ Dei super omnia,vt est vltimus finis naturalis, pertinet quòd ex vi illius, homo sit promptus facere, quæcumq; ratio naturalis dictat esse necessaria,pro diuina dilectione. Itẽ probatur: Quia per dilectionem Dei super omnia, auertitur homo totaliter à creatura, & conuertitur totaliter ad Deum:sed hoc non potest fieri viribus naturæ,sine Dei gratia:ergo.Patet maior: Quia auerti totaliter à creatura,& cõuertere se ad Deum, nihil aliud est quàm dimouere omnem affectum à creaturis,& illum transferre ad creatorem;hoc autem fit per dilectionem Dei super omnia: Nam per illam paratus est homo ad postponendum quæcumq; sunt,vel esse possunt,diuino beneplacito & voluntati. Minor probatur:Quia si posset homo naturæ viribus auerti à creatura totaliter, & conuertere se ad creatorẽ, posset sine gratia Dei, resurgere à peccato. Nam ex hoc solùm dicitur aliquis esse in peccato, quia auersus est ab incommutabili bono, quod est Deus, & conuersus ad bonum commutabile, quod est creatura.Dicere autem,quòd possit homo viribus naturæ sine Dei gratia resurgere à peccato, est hæreticũ apertè,vt patet ex Epist.1.Calixti PP. & ex plerisq; Epist.Innoc.Papæ,ad Conc.Cartha.& ipsius Concilij ad Innoc.& Epist.1.Cælest.PP.ad Episcopos Galliæ,& ex Mileui.c.3. & Arausi.cap.15.vbi dicitur.Ab eo quod formauit Deus,mutatur Adã,sed in peius, propter iniquitatem suam;ab eo verò quod operata est iniquitas,mutatur fidelis,sed in melius,per gratiam Dei. Et subditur,quòd hæc est mutatio dextere excelsi. Dices; Peccator per proprium actũ fuit conuersus ad creaturam: sed proprijs viribus potest facere actum contrarium efficaciorem, imo & plures actus contrarios:ergo poterit totaliter auerti à creatura,ad quã fuerat cõuersus. Respondetur primò,negando consequentiã vltimã:Nam plùs requiritur ad conuersionẽ illã in Deũ, & bonum est ex integra causa; minùs verò ad auersionẽ requiritur: Nam liberum arbitrium in natura lapsa, est infirmatum

*D. Maxim.* *D. Gregor.*

*D. August.* *Ioan. 4.* *D. Bernar.*

*Obiectio.*

*Solutio.*



matum & attenuatum,& non potest in summum& perfectissimum actum,in quem poterat, dum erat sanum.Et quidem,summum opus hominis sani, est conuersio in Deum, & dilectio Dei super omnia; Summum autem opus hominis sani, infirmus præstare nonpotest.Vndè,sicut in naturalibus,ægrotus non solùm non potest tot actus, quot sanus efficere imouerò neque potest vno actu,tantum pondus sustinere,sicut sanus;ita in moralibus euenire necesse est.Secundò respondetur,quòd in peccato,tripli cem conuersionem ad creaturam,possumus concipere.Prima est actualis,quæ consistit in affectione, qua quis inordinatè diligit actualitèr diuitias, aut voluptates,aut quid simile.Secunda est habitualis per habitum;cùm scilicet quisper huiusmodi actus acquirit habitum, quo inordinatè inclinatur eius affectus, ad furandum diuitias, vel ad fruitionem voluptatum.Et has duas conuersiones, potest interdum tollere peccator,viribus proprijs: Nam potest per actus contrarios,remouere affectum, & actualem conuersionem à diuitijs & voluptatibus, quas inordinatè concupierat.Imouerò, actualis conuersio ad creaturam,cessat transacto actu conuersionis actualis.Et si est habituatus ad furandum,potest acquirere habitum contrarium, quo repellat & dimoueat affectum à furto,& illud odio prosequatur. Sed est alia tertia conuersio ad creaturam,qua peccator se ipsum diligit sine ordine diuinæ regulæ, quam gratia præstabat. Itaque,ex eo quòd quis amisit gratiam per peccatum,eius affectio quæ per gratiam erat erecta ad Deum,relabitur in se ipsam, vt proprium bonum diligat,propriasque commoditates, præ bono diuino: Quia transfudit in se ipsum, affectionem illam.Vndè,benè statquòd qui commisit peccatum furti, iam non sit affectus actualitèr, sed habitualitèr ad furtum, & quòd sit conuersus ad creaturam per amorem proprium,quo inordinate diligit propriũ cõmodũ,sine subordinatione debita adDeum,& absque ordine diuinę regulæ.Hæc igitur tertia conuersio ad creaturam,est quam non potest peccator auferre,sine gratia, qua extrahatur ab amore proprio,& transferatur in amorem diuinum.Et ratione huius dicimus,peccatorem sic esse conuersum ad creaturam,& auersum à Deo, vt nõ possit sine Dei gratia auerti à creatura, & conuerti ad Deum,diligendo ipsum super omnia.Sed dices: In hoc statu naturæ lapsæ, plura cognoscimus de Deo,quam cognoscerentur in puris naturalibus:ergo sunt plura motiua dilectionis Dei super omnia: ergo si in puris naturalibus, quando proponitur Deus,vt bonus & iustus,qualis cognoscitur per lumen naturæ,potest diligere Deum super omnia;sequitur,quòd quando idem Deus proponitur voluntati,non solùm vt bonus & vt iustus;sed vt incarnatus propter hominem,& vt amicus & beatificator; quòd potest multò magis diligere Deum super omnia.Respondetur,quòd licèt per Dei reuelationem cognoscat homo in natura lapsa,plura motiua diligendi Deum;nõ tamen habet plures vires ex parte voluntatis,nisi accedat Dei auxilium, illam confortans.De qua solutione dicemus, disputatione.3.sequenti. ¶ Ex dictis palàm sequitur, quàm sit efficax argumentum illud, quo in dub. præcedenti ostendimus, hominem in puris naturalibus, non posse sine speciali auxilio, diligere Deum super omnia:Nam si ille posset,etiam videtur quòd posset homo in natura lapsa,idem. Quia peccatum per se loquendo, solùm est causa primæ, vel secundæ conuersionis ad creaturam;respectu autem tertiæ conuersionis,non est causa per se,sed per accidens, vt remouens prohibens.Diuina enim gratia prohibebat,ne homo esset illo modo conuersus ad creaturam,& hanc Dei gratiam sustulit & remouit peccatum.Vndè,homo in puris naturalibus,esset illo modo conuersus ad se ipsum, per proprium amorem, licèt talis conuersio non haberet rationem culpæ vel peccati in illo;Quia non esset inducta ex transgressione,vel prœuaricatione legis,vt est in peccatore.Cùm ergo totum impedimenrum, ratione cuius peccator non potest diligere Deum super omnia,sit ista tertia conuersio,& hæc eadem secũdùm substantiam,sit in puris naturalibus; sequitur apertè,quòd sicut peccator non potest diligere Deum super omnia,dilectione perfecta & efficaci; ita neque homo in puris naturalibus constitutus. Item probatur:Nam homo in natura lapsa,per frequentationem dilectionis Dei super omnia,posset acquirere habitum dilectionis Dei super omnia : ergo per eum poterit deinceps promptè & delectabilitèr exire in similes actus,quibus diù se exercuit in custodia legis.Item persuadetur conclusio:Quia aliàs modò per vires naturæ, posset homo se disponere sufficientèr ad gratiam: Nam dilectio efficax Dei, est dispositio ad gratiam.Rursùs,facienti quod in se est.Deus non denegat gratiam:sed qui diligit Deũ super omnia,facit totum quod in se est:ergo illi nõ denegabitur gratia;si quidem per talem actum dilectionis super omnia,refert se & omnia sua in Deũ. Suppono enim quòd diligere Deum super omnia, est velle illi placere in omnibus, & velle omnia eius præcepta exequi: sed hoc non potest homo in natura lapsa, ex suis viribus præcisè, sine gratia: Nam profectò homo in natura lapsa, Deum, quem aliàs ratione naturali nouerat, esse authorem naturæ,& finem naturæ,modò cognoscit etiam authorẽ supernaturalem : ergo velle illum diligere super omnia,quod est velle illi placere in omnibus, & velle omnia eius præcepta exequi ; includit velle, vt etiam tanquam supernaturalis author diligatur, & præcipuè vt eius præcepta supernaturalia,executioni mandentur:igitur modò diligere Deum finẽ naturalem,est etiam illum diligere vt finem supernaturalem, & habere propositum seruandi omnia eius præcepta supernaturalia:sed id non potest homo sine gratia:ergo.Vndè,si quis haberet propositum non seruandi aliquod præceptum supernaturale,non posset super omnia Deum diligere finem naturalem:ergo in dilectione Dei finis naturalis, includitur propositum seruandi omnia eius præcepta,etiam supernaturalia:sed ad hoc requiritur gratia:ergo. Item persuadetur eadem assertio : Homo scit,non posse modò se esse gratum Deo,nisi per supernaturalem actum conuertatur ad ipsum,vel per sacramentum:ergo dùm tantùmvult habere actum naturalem,non censetur diligere Deum super omnia. Nam quomodo diligo Deum super omnia, in cuius inimicitia volo manere, & in cuius amicitiã nolo redire, & quem contra me iratum nolo placare,

*Appendix.*

care,cùm tamen facilè hæc omnia præstare posim? Igitur dùm non conuertor ad ipsum ,finem supernaturalem,non censeor diligere illum,finem naturalem;Quia non facio id totum,quod ratio naturalis dictat faciendum esse,nempe quidquid ille iusserit,etiam si supernaturale sit.Et confirmatur: Quia si quis nollet admittere fidem sufficientèr propositam,dùm illam non admittit,censetur habitualiter affectus ad peccatum: ergo dùm non vult recipere fidem,non poterit diligere Deum super omnia.Patet consequentia:Quia non facit totum,quod ratio naturalis dictat esse obligatoriũ,& esse faciẽdum.

*Conclusio.2.* Secunda conclusio.Dicere quòd homo in peccato mortali habitualitèr existens, potest sine gratia ex proprijs viribus,diligere Deum super omnia efficacitèr & perfectè,non videtur mihi tuta doctrina in fide.Probatur ex Concilio Arausc.2. Cano.25. vbi dicitur: secundùm sanctarum scripturarum & antiquorum Patrum definitiones,hoc prædicare debemus,& credere quòd per peccatum primi Parentis,ita inclinatum & attenuatum est liberum arbitrium , vt nullus postea diligere & credere sicut oportet,posset,nisi illum gratia diuina,& diuinum auxilium præuenerit.Ex quo sic argumentor: Homo in statu naturæ integræ,non poterat Deum diligere super omnia,vt est obiectum supernaturale,sine gratiæ auxilio : sed concilium definit, quòd in statu naturæ lapsæ,non potest diligere Deum super omnia,propter infirmitatem liberi arbitrij : ergo Concil.apertè loquitur de dilectione illa Dei, quã homo in statu naturæ integræ, ex viribus naturæ, præstare poterat;Quæ erat dilectio Dei, vt est principium & finis naturæ.Igitur Concil.definit,quòd homo,hanc dilectionem non potest habere ex suis viribus,pro hoc statu.Quocircà , contraria sententia,sine dubio videtur mihi Pelagiana : Non enim voluntate absoluta & efficaci , potest quis sine speciali auxilio Dei , Deum super omnia diligere , & multò peius in mortali peccato.Probatur ex diffinitione cõcilij. Mileuit.Cano.5.vbi habetur: Placuit, vt quicumque dixerit,ideo nobis dari gratiam, vt quod facere per liberum arbitrium poteramus,faciliùs faciamus,tanquam & si gratia non daretur,posse mus sine illa implere diuina mandata;Anathema sit.Sed plenitudo legis,dilectio est. Et rursùs Rom. 5.ait Paul.Charitas Dei,ideſt, dilectio , qua diligimus Deum, diffusa est in cordibus nostris, per spiritum Sanctum,qui datus est nobis;per spiritum Sanctum inquit:igitur non ex viribus naturæ. Vndè.1. Canon.Ioan.cap.4.dicitur:Charitas ex Deo est . Et prædictam definitionem Concilij confirmauit Innocent.1. in quadam epistola missa ad ipsum Concil.Et idem cœlest. PP.in.1.epist.cap.10. Et D.Augusti.affirmat oppositum esse Pelagianum, lib.3.cõtra duas epist.Pelagianorum,cap.2,& lib.de perfectione iustitiæ cap.17.Et lib.1.contra Iulian. cap.5. ait:Amor, quo Deus gratis amatur, non potest esse in nobis,nisi ex Deo . Et sunt penè innumera testimonia D August. pro hac veritate . Et fauent testimonia citata,hic conclusione.1.& etiam illa,quę retulimus dubitatione.1.præcedente.¶ Et probatur ratione , quòd præfata sententia non possit sustineri.Nam profectò,qui Deum diligit efficacitèr super omnia,se & omnia sua refert in Deum, aliàs non esset efficax dilectio. Imouerò præponit Deum sibi ipsi & omnibus;hoc autem non potest fieri ab homine;dùm est in peccato mortali habituali: Nam si est in peccato,non refert se & omnia sua in Deũ efficacitèr, cùm habeat impedimẽtũ,nẽpe peccatũ & sit habitualitèr auersus à Deo;imouerò,cùm sit habitualitèr conuersus ad creaturã,& ad se ipsum,sequitur quòd non præfert Deum sibi & omnibus: ergo non habet dilectionem Dei super omnia . Item;Si homo permanens in habituali peccato,sine auxilio speciali,diligit Deum super omnia, sequitur quòd diligit Deum, & non diligitur ab eo,contra illud: Ego diligentes me diligo.Rursùs,illa dilectio , est actus amicitiæ : sed amicitia necessariò debet esse mutua:ergo . ¶ Item probatur : Quia sequeretur quòd homo haberet duos vltimos fines, nempe creaturam,ad quam est conuersus habitualitèr , ratione peccati; & Deum , ad quem conuertitur per dilectionem.Et confirmatur:Quia per dilectionem Dei super omnia,auertitur peccator totalitèr à creatura,& conuertitur totalitèr in Deum:sed hoc non potest fieri viribus naturæ,vt diximus conclusione præcedente ; quia talis dilectio repellit & dimouet omnem affectum à creaturis, & illum transfert in Deum;hoc autem est resurgere à peccato, nempe auerti à commutabili bono , & conuerti ad incommutabile:ergo.Præterea;Sicut in naturalibus, pari ratione in spiritualibus,non potest aliquis accedere ad vnum terminũ,quin recedat ab alio , cui est affixus:sed peccator in naturali motu non potest recedere à peccato,quod est terminus,à quo , sine speciali auxilio: ergo neque accedere potest , & se conuertere ad Deũ,per efficacem amorẽ & dilectionem eius,sine speciali auxilio gratiæ.Maior est Concilij Florent.& D.Thom.3.p q.9.art,4.Minor autem est de fide contra Pelagium. Rursùs : Talis dilectio Dei super omnia efficax,est absoluta & perfecta: ergo si exvitibus naturę habetur sequitur q̃ per easdẽ vires,possit homo adimplere omnia mãdata, quod est hæreticũ.Probatur sequela primò: Quia qui diligit Deum,legem impleuit.Secundò,quia voluntas efficax & absoluta placendi Deo in omnibus &per omnia , est sufficiens imperium , atque efficax,ad executioni mandandum vniuersa alia præcepta. Quia stante hac voluntate absoluta & efficaci, placendi Deo in omnibus,& per omnia ex viribus naturæ,non potest homo violare aliquod præceptũ: igitur si homo per vires suas,potest habere hanc volitionem absolutam, & efficacem placendi Deo in omnibus;potest ex consequenti adimplere omnia mandata per suas vires . Nam ad hanc dilectionem efficacem,sequitur sufficiens imperium , & sequitur necessariò executio cuiuscùmque oblati præcepti . ¶ Ex quibus omnibus liquet , quòd homo peccator,non potest diligere Deum super omnia, manens in peccato , etiam autorem naturæ ; quia implicat hominem diligere Deum super omnia & non esse rectificatum in ordine ad ipsum;ita vt si diligit supernaturalitèr,sit rectificatus cum Deo sine supernaturali , & si diligit super omnia Deum authorẽ naturæ sit rectificatus in ordine ad Deũ authorẽ naturæ . Nã postquam homo est ordinatus ad finem supernaturalem,ita est necessaria coniunctio Dei finis naturalis,& supernaturalis,quòd non potest homo auerti à Deo,sine supernaturali,& esse rectificatus cum ipso , vt est finis naturæ : igitur non potest ex proprijs viribus diligere Deum authorẽ naturæ,aliàs etiam ex proprijs viribus,posset rectificare se,in ordine ad finem supernaturalem , propter necessariam vnionem & coniunctionem vtriusque finis.Et profectò, in Concil. Mileuit. cap. 4.& Arausc.2.ca.25. expressè traditur,quòd dilectionem Dei super omnia, non potest habere homo ex viribus naturæ, sine speciali auxilio , & gratia Dei. Et quamuis explicentur determinationes conciliorũ optimè de dilectione Dei supernaturali ; tamen rationes conciliorum, manifestè conuincunt paritèr de dilectione naturali:Nam ratio Concilij tota fundatur in hoc,quòd liberum arbitrium per peccatũ est attenuatum viribus,& infirmum in ordine ad finẽ vltimũ sed etiã est infirmũ in ordine ad Deũ authorẽ naturæ: ergo eadem est ratio vtriusque finis. Probaturmaior:Nã implicat,q̃ homo ordinatus ad finẽ supernaturalem ,deordinetur ab ipso,quinetiã deordinetur à fine naturali . Propter quam causam discipuli.S.Thom.1.p.q.63.art. 1.dicunt , Dæmonẽ etiam peccare contra Deum authorem naturæ , ex necessaria coniunctione vtriusque finis. Imouerò, S.Thom sæpius ait,quòd peccata omnia,etiam contra naturalia,sunt in Dæmone secundùm affectum , at certè affectus iste pugnat rationi naturali : Nam licèt immediatè Dæmones respiciant finem supernaturalem,& auersionem ab illo;tamen saltẽ mediatè,etiam à fine naturali recedunt, contra quem saltem mediatè peccant. Vndè , repugnat manere in Dæmone rectitudinem naturalem , & multò minùs beatitudinem naturalem.

*Concln.3.* Tertia conclusio.Homo in peccato originali,suis viribus non potest diligere Deum super omnia,dilectione perfecta , & efficaci . Et hic status est proprius naturæ lapsæ præcisè, nempe cùm precisè est in originali.Nam quamuis simus etiam modo in natura lapsa,& qui est in mortali similitèr sit in natura lapsa,imouerò , etiam quando nunc homo est in gratia,dicitur esse in natura lapsa propter originalem iustitiam quam amisit , & vigorem naturæ quem perdidit, ob originale peccatum ; nihilominùstamen proprius status naturæ lapsæ,est in peccato originali. De quo sanè statu , ego non intelligo, quo pacto homo in originali peccato permanens, sine auxilio gratiæ,aut sine dono sanante naturam, possit efficacitèr diligere Deũ super omnia,se & omnia sua in Deũ referẽdo. Et Caiet. hoc loco ait , q̃ hæc dilectio efficax , & perfecta Dei super omnia, est qua plenè se refert homo in Deum,nihil volendo nisi cum relatione ad Deum, in qua relatione includitur carentia omnis peccati. Nam efficax dilectio,quantùm ego credo , si efficax & perfecta est, ex toto corde est,at qui permanet in originali culpa,(& suppono illi esse cognitam) non diligit Deũ ex toto corde,si quidem non est amicus Dei,sed inimicus & filius iræ , neque refert se & omnia sua in Deum:ergo.Dices,quòd in primo instanti vsus rationis,se offert speciale præceptum dilectionis naturalis , & quòd in illo instanti potest se in Deum conuertere ,& diligere efficacitèr super omnia, & post tale instans,per breue tempus in bono perseuerare,& absque peccato esse.Sed hoc non satisfacit, primò:Quia si est sine peccato , iam nullum habet impedimentum,neque permanet in inimicitia illa. Secundo,quia si ille est in originali peccato , & cũ rebellione carnis ad rationem & spiritum , & cum destitutione ordinis ad verum morale & practicũ; quo pacto potest efficacitèr Deum diligere,sine auxilio speciali,& implere præceptum illud?cùm efficax dilectio exuat hominem totalitèr ab amore proprio,& trãsferat illum in Deum. Nam dilectio Dei super omnia absoluta & perfecta,includit quòd homo se totalitèr conuertat in Deum;at qui est in originali culpa , verè & propriè dicitur peccator. Cùm ergo peccator ex viribus naturæ præcisè,non possit se totalitèr conuertere in Deum,etiam authorem naturæ , sequitur quòd non efficaciter diligit. Nam certè,si peccator se totalitèr in Deum conuerteret,ex viribus naturæ,posset se sufficientèr disponere ad gratiam,tollens obicem illius:ergo.Profectò , si negatur de homine in puris naturalibus, quòd possit efficacitèr diligere Deum , secluso vigore sanante naturam,aut speciali aliquo auxilio, à fortiori id negare oportet de homine in peccato originali.Et quamuis adultus , non possit esse cum peccato originali præcisè ; tamen ego considero, quid posset homo respectu dilectionis efficacis super omnia,in ordine ad Deum, si esset peccator solùm in originali peccato,præscindẽdo alia omnia. Ex quibus omnibus colligo,quòd homo in originali,dùm proponit studiosè agere, se conuertendo in Deum, ex viribus naturæ per conuersionem illam, & dilectionem virtutis & boni honestiq; certa ratione diligit Deum super omnia;sed non perfect. dilectione aut efficaci .Quia ille adhuc est Dei inimicus.Et secundò;quia perfecta dilectio super omnia, includit efficax votum , nunquam transgrediendi diuina mandata,& semper adimplendi,& exuit tale votum in dilectione super omnia inclusum, hominem totalitèr ab amore proprio. *Aduerte.* ¶ Homo autem baptizatus,& in gratia Dei , cùm primum ad vsum rationis peruenit , implet præceptum dilectionis Dei super omnia in eo statu,sed ex munere gratiæ: Nam hic,præterquam quòd est amicus Dei,eius voluntas est recta,naturali & supernaturali rectitudine,& nullum est impedimentum ex parte subiecti operantis.Verum est tamen, quòd puer ille non poterit longo tempore,aut per totam vitam,in ea dilectione perfistere , nisi adiuuetur specialiter à Deo. *Aduertè.* ¶ An verò homo existens in gratia,in hoc statu naturæ lapsæ,possit ex viribus naturæ præcisè diligere Deum super omnia,ita vt talis dilectio non procedat à gratia , vt à principio concurrente: sed solùm à viribus naturæ vt sic,veluti à principio ,gratia concomitantèr solùm se habente : De hoc infrà dicemus:Quoniam de hoc homine, est specialis ratio,atque de alijs.Quia,licèt non consideretur gratia in ratione principij;nihilominùs ille homo , de facto est amicus Dei,& nõ inimicus:& præterea de facto habet rectitudinem naturalem & supernaturalem:ergo videtur quòd ad breue tempus, nõ perstabilem,neque diuturniam dilectionem , possit ex viribus naturalibus diligere Deum super omnia. De hac ergo consequentia & difficultate, postea dicemus,vt promisi. *Conclusio.4*

Quarta conclusio.Homo per naturam,sine auxi-

lio

*Rom.5*

*Innocent.1. Cœlest.PP. D.Aug.1. Ioan.4.*

lio speciali Dei, potest habere detestationem imperfectam, & inefficacem peccatorum, & habere dilectionem Dei imperfectam & inefficacem, & consequenter non stabilem, neque diuturnam. Verbi gratia, homo peccator, sine auxilio speciali Dei, potest habere hunc actum: Volo, aut vellem placere Deo in omnibus, & in nullo displicere; & etiam potest habere propositum cauendi à peccatis in futurum. Et si de hac dilectione loquantur Scotus & Caietanus, verum dicunt, quòd homo potest ex suis viribus, diligere Deum super omnia, imperfectè. Cæterùm, hæc dilectio Dei imperfecta, non est appellanda vera dilectio Dei super omnia. Et hoc probant argumenta suprà, initio huius difficultatis tacta: Nam homo, per naturam cognoscit peccatum esse malũ, & esse rem sibi nociuam, & esse in iniuriam Dei, & cognoscit Deum esse summè diligendum: ergo potest detestari peccatum per naturam. Quocircà, virtus veræ pœnitentiæ, licèt imperfectè multùm, fuit cognita à Philosophis naturalibus, & potuit in illis esse actus aliquis pœnitentiæ imperfectus, ex viribus naturæ, qui haberet aliquam similitudinem analogam cum actu veræ pœnitentiæ: Cæterùm talis pœnitentia, magis esset vestigium, quàm vera pœnitentia. ¶ Quod verò fuerit cognita hæc imperfecta pœnitentia à Philosophis naturalibus, primò liquet ex Arist. 7 Ethic. c. 7. &. 8. Qui loquens de intéperato ait, quòd intéperatus, quia peccat ex electione, est insanabilis & incurabilis, ob id quòd nõ pœnitet illum illius delicti: ergo lumine suo naturali cognoscebant Philosophi, pœnitentiam esse remedium vtcumq; ad sananda peccata. Et Plat. lib. 9. de Legibus, statim in initio ait, quòd aliquando contingit, vt homo peccator incidat in alia, eo quòd nõ expiauit præterita peccata. Et subiũgit: Cùm tentatur quis ad peccatum, confugiat ad expiationem. Seneca, tragædia 8. Quem peccati pœnitet, penè innocens est. Et rursus: Si scirem Deos ignoscituros, adhuc propter peccati fœditatem, peccare dedignarer. En, cognouit peccatum vt est contra Deum, & vt est contra rationem. Verùm hæc pœnitentia Gétilium, erat de peccato, quatenùs est contra rationẽ & quatenùs est Dei offensa, vt author naturæ est. Et quòd hæc malitia benè potuerit per naturam cognosci, probat Caiet. 3. p. q. 71. art. 6. An verò homines isti, haberent sine fide spem veniæ. Dico, quòd fuit in eis aliqua veniæ spes, sed confusa & obscura. Decipiebantur enim plurimum credentes, culpas illas deleri posse per naturam, sine gratia Dei. Quapropter, hæc sua spes venię, timida erat & incerta. Vndè, licèt fuerit consuetudo apud Gentiles, offerẽdi aliquid exteriùs pro peccatis; nihilominùs tamen sola ratio naturalis non dictat, remissionem peccati per factam isto, vel illo modo. Quoniã naturalis ratio, non habet vim, vt dictet quo pacto fieri debeat peccati remissio: Nam cognitio sola fidei docet, nõ posse fieri per naturam, veram remissionem culpę. Imò verò, quòd Deus sit placabilis & facilè placabilis, non dictat sola ratio naturalis, sed fides. Vndè, illud verbum Ioel. 2. Quoniam benignus & misericors est, fides illud docuit. Nam quòd Deus sit bonus, iustus & pius, ratio dictat: sed quod sit ita pius, vt velit ex se & ex sua promissione reparare mala & peccata, hoc non dictat natura. Nam ratio, quantùm ad totam latitudinem naturæ præcisè, non dictat, quòd tristitia est medium ad reparandam vitam illius hominis mortui per peccatum. Imò verò, etsi ratio naturalis dictaret, bonum esse tristari de malo culpæ; non tamen doceret talem tristitiam esse medium efficax destruendi peccatum, & resarciendi naturam. Imò verò, stando in sola natura, nusquam crederet culpam esse verè remissibilem, sicut neq; hominem occisum, esse suscitandum. Ex quibus omnibus satis liquet, quòd homo peccator, per naturã sine speciali Dei auxilio, solum posset habere imperfectam dilectionem Dei. Tandem: Si potest homo habere dilectionem erga parentem & amicum: ergo etiam erga Deum. Imo verò, hæreticus qui per culpabilẽ errorem putat se tueri veritatem, potest velle placere Deo, & mori pro ea re, quam putat esse veritatẽ; tunc iste habet illam animi affectionem: Volo Deo placere in omnibus, imò mori pro defensione huius veritatis, & id sine speciali Dei auxilio: ergo potest habere hãc dilectionem imperfectam. Et fauet S. Tho. in. 3. d. 27. q. 2. art. 2. Vbi ait, quòd nulla virtus est vera virtus sine gratia, nec ipsa charitas. Vbi insinuat in hoc verbo, quòd potest esse aliquis actus charitatis naturalis.

*Aristot.* *Plato.* *Seneca.* *Ioel. 2.*

*Concluſ. 5.*

Quinta conclusio. Homo in hoc statu naturæ corruptæ, non potest sine auxilio Dei speciali, habere dilectionem Dei perfectam & efficacem, quæ scilicet virtute sua contineat impletionem omniũ mandatorum naturalium. Et de hac dilectione, est intelligendus S. Tho. in hoc art. Vult enim dicere, quòd homo in natura integra poterat per vires suæ naturæ, habere hanc dilectionem, & eam non potest habere modò. Quòd si Caiet. & Scot. loquantur de hac dilectione, profectò malè dicunt aiendo, quòd homo potest eam habere modò: Imo verò eorum sententia, est multum periculosa. Et probatur: Homo in hoc statu, si non habeat gratiam & auxilium Dei speciale, necesse est, quòd multoties corruat, & incidat in peccata mortalia: igitur non potest habere talem dilectionem Dei super omnia. Antecedẽs est

*D. Gregor.*

sententia omnium Sanctorum. Vndè D. Gregorius ait: Peccatum quod statim per pœnitentiam non deletur, aliud secum trahit. Et hoc probant etiam rationes, in prima & secunda conclusione factæ. Quam veritatem debemus confirmare in artic. 8. tanquam rem fidei. Consequentia autem probatur: Quoniam vt diximus, ea appellatur dilectio naturalis perfecta, quæ continet virtute sua, impletionem vniuersæ legis naturalis; ita quòd nulla admittatur culpa. Quocircà, ille actus, quem habet homo existens in mortali, scilicet: Volo Deo placere in omnibus, solum est verbalis dilectio, & imperfecta cordis, in qua diligitur lingua Deus, vt dicit D. Ioan. non autem opere & veritate. Et confirmatur: Quia eiusdẽ rationis est seruare totam legem naturalem, pluribus operibus, aut vnico actu, quo omnia legitimè, & efficaciter referantur in Deum: sed homo nõ potest modò seruare totam legem diuersis operibus, ex viribus naturæ, vt dicemus artic. sequenti: ergo non potest vnico actu habente vicem omnium, diligere Deum super omnia, perfectè & efficaciter. D.

*D. Auguſt.*

Augustin. in epist. ad Vitalem, quæ est. 107. dicit, liberum arbitrium ad diligendum Deum, primi peccati granditate perdidimus. Et lib. de grat. & libero arbi.



arbi. cap. 18. omnino damnat tanquam Pelagianum, quòd dilectio Dei nõ sit donum ipsius Dei; & idem dicit plerisque alijs locis, quos superiùs retulimus. Probatur etiam tertiò præfata assertio, ex Conc. Mileuit. cap. 4. Si quis dixerit gratiam Dei non præstare nobis, vt quòd faciendum cognouerimus, etiam facere diligamus; Anathema sit. Vndè subditur, quòd vtrumque est donum Dei, & scire quid facere debeamus, & diligere vt faciamus. Et in Conc. Arausi. cano. 25. Prorsus donum Dei est, diligere Deum. Tandem probatur, ex Scriptura, in qua passim asseritur, quòd fides est donum Dei, & non ex nobis; & sicut hoc dicitur de fide, ita de charitate & dilectione dicitur, quòd diffundit illam Deus nobis in cordibus nostris, per Spiritum sanctum, qui datur nobis. Igitur Deum diligere super omnia efficaciter, non potest viribus nostris haberi. Vide Patrem Soto. 1. de natura & gratia. c. 22. cõclusio. 3.

*Argumen.*

Sed contra hæc quæ dicta sunt hic, & in discursu huius controuersiæ, est argumentum. Deus, vt diximus, si conderet statum in puris naturalibus, haberet specialem prouidentiam illius status, & secundùm hanc prouidentiam, exhiberet hominibus specialia auxilia ad consequendam suã perfectionem naturalem, quæ auxilia non pertinent ad ordinem gratiæ, sed naturæ: Quia per illa non ordinaretur homo ad beatitudinem supernaturalem, sed ad naturalem: ergo iam per vires naturæ, posset adimplere homo illud præceptum. Patet cõsequentia: Quia illud tale auxilium speciale, pertinet ad ordinem naturę, & nõ gratiæ. Nã supponimus, esse posse talia auxilia specialia, intra ordinẽ naturalẽ, & quòd aliter concurreret Deus cum hominibus, quam cum alijs agentibus naturalibus. Quia sicut in productione hominis, aliter Deus agit, etiam vt author naturæ, quam in productione aliorum generabilium: speciali enim ratione creat animam rationalem, quam infundit materiæ, ita etiam in operationibus moralibus, & rationalibus ipsius hominis. Ad hoc

*Solutio.*

plerique Theologi concedunt consequentiam: Nam homo in puris naturalibus, per tale auxilium speciale, posset habere actum dilectionis perfectum in ordine ad Deum authorẽ naturæ præcisè: Quod verò negant multi, id non posse hominem in puris naturalibus, id intelligunt concursu generali solum. Sed contra hoc est difficile argumentũ. Quia

*Replica.*

etiam in statu naturæ lapsæ, posset homo per vires naturales, implere illud præceptum sine auxilio gratiæ, scilicet per illud auxiliũ speciale, pertinens ad ordinem naturæ. Quia easdem vires habet homo in statu naturæ lapsæ, quas haberet in puris naturalibus. Ad hoc respondent aliqui, quòd si in statu naturæ lapsæ homo haberet, præter concursum generalem, illud auxilium speciale, pertinens ad ordinem naturæ, posset per illud diligere Deum super omnia; modò autem, scilicet in statu naturæ lapsæ, illud nõ habet; sed habet aliud auxilium, nempe

*Solutio.*

gratiæ, quo potest illud implere. Sed contra: Præceptum est naturale: ergo intrà ordinem naturæ cõtentum: ergo est posibile intrà ordinem naturæ præceptum implere: ergo etiam est posibile intrà ordinem naturæ, tale auxilium speciale. Patet secunda consequentia. Quia præceptum datur de re possibili; aliàs non peccaret, qui non adimpleret illud: ergo modo habet illud speciale auxilium, quo possit illud implere. Et confirmatur: Nam ad prouidentiam rectam Dei pertinet dare omnibus rebus, quæ illis intra suam naturam, sunt debita. Et confirmatur iterum: Quia alias homo esset punitus in naturalibus per ablationem alicuius entis, quod est cõtra omnes. Patet sequela: Quia esset punitus per ablationem illius auxilij naturalis specialis. Respondetur, quòd Deus loco illius specialis auxilij, tribuit modò altius aliud auxilium gratiæ, quod est alterius ordinis, & perfectius illo. Qui verò dat quod perfectius est, magis facit, quam si daret quod minus est. Si roges: Cur dat supernaturale auxilium, & non naturale tantũ? Respondetur, quòd ratio est; quia ordinauit hominẽ ad supernaturalia opera, quia & homo non potest implere hoc præceptum diligendi Deum, vt author naturæ, nisi simul adimpleat præceptum de dilectione Dei, vt finis supernaturalis est. Nam suppositâ diuina ordinatione, & reuelatione, secundùm quam homo dirigitur in finem supernaturalem, ratio etiam naturalis dictat, diligendum esse Deum, secundùm quòd est finis vltimus supernaturalis. Et ita non stat, diligere Deum super omnia, vt finis est vltimus, naturalis, quin pariter diligatur, vt est finis supernaturalis. Quia ad dilectionem Dei super omnia, vt est finis vltimus naturalis, pertinet quòd ex vi illius, homo sit promptus facere quæcũq; ratio naturalis dictat esse necessaria, pro diuina dilectione. ¶ Dico rursùs, quòd Deus optimè seruat prouidentiam: Quia quando condidit hominẽ, cùm constituisset illum in natura integra, per iustitiam originalem, dedit vires & omnia requisita ad impletionem huius præcepti, & aliorum naturalium. Quòd verò modò non habeat id, quo posset intra ordinem naturæ, seruare præceptum illud, est ex defectu & peccato primi parentis; non tamẽ ex defectu prouidẽtiæ naturalis Dei. Quia optimè prouidit constituendo illũ in statu illo fœlicissimo iustitiæ originalis. Quòcircà, si homo fuisset in puris naturalibus, haberet, si deinceps filij nascerentur in puris naturalibus sine peccato, speciale illud auxilium ordinis naturæ, quo posset implere præceptum illud de dilectione Dei. Sed quia non fuit conditus in puris naturalibus, & fuit ordinatus in finem supernaturalem, & ad ordinem gratiæ, & ob ipsius peccatum origine transfusum in filios; id circò modò non habet speciale illud naturale auxilium, sed aliud melius, scilicet ordinis gratiæ, propter rationes suprà datas. Sed dices, Contrà: Iustitia originalis fuit donum supernaturale, vt dicunt Theologi: ergo non dedit Deus homini in sua conditione, omnia naturalia debita: ergo non seruauit rectam prouidentiam. Respõdetur, quòd licèt illud donum esset supernaturale, nihilominùs dicitur naturale; quia homo per illud tantùm se extendebat ad opera naturalia, si vt tale est præcisè, consideratur absque coniunctione gratiæ. Sed adhuc etiam hoc habet difficultatẽ. Quia si illud donum fuit supernaturale, videtur quòd non optimè prouidit Deus, siquidem non dedit homini vires naturales, ad id quod erat illi impositum, intrà ordinem naturæ. Respondetur, quòd ex dono iustitiæ originalis, sequebatur vigor quidam naturæ, quo perficiebantur vires, & vigorabantur, in ordine ad opera naturæ

*Solutio.* *Solutio.2.* *Replica.* *Solutio.*

naturæ proportionata,vt ſuprà diximus.Sed de hac re,fuſiùs in materia de peccatis, & in. 1. p.2.tomo noſtrorum commentariorum diximus.

*Ad argum. Ad primũ.* Ad argumẽta initio huius controuerſiæ facta ad primũ reſpõdetur,quòd ſolũ probat quartã Cõcluſionẽ,nẽpe,hominẽ per naturam poſſe habere dilectionẽ Dei imperfectã, & inefficacẽ; & hoc ipſum probãt ſolũ,reliqua etiã argumẽta,ibi tacta.Secũdò reſpõdetur,negãdo cõſequẽtiã. Vndè,ſicut licèt homo per intellectũ cognoſcat,naturaliter eſſe bonũ, ſeruare totã legẽ naturalẽ;tamẽ nõ poteſt illã ſeruare per volũtatẽ,ex ſuis viribus:Quia volũtas in hoc ſtatu,infirma eſt propter peccatũ,& ſine vigore prę dicto, & indiget aliquo vt ſanetur;ita propter eãdẽ rationẽ,quãuis homo cognoſcat per intellectũ,eſſe Deũ ſummè diligẽdũ;tamẽ hoc volũtas non poteſt exequi.Vndè,licèt ita ſit,quód omnes cauſæ naturales tẽdãt in obiecta cõnaturalia,& ſibi proportionata;tamen hoc nõ poteſt facere voluntas hominis in hoc ſtatu reſpectu Dei naturaliter cogniti,per actũ dilectionis perfectæ.Quia ipſa valdè infirma eſt, & habet ſe ſicut ægrotus,& infirmus, qui optimam & difficilẽ operationẽ,nõ poteſt edere perfectã & exactã,,ſed imperfectã. Et ita,licèt poſsit volũtas actũ dilectionis imperfectæ,nõ tamẽ perfectæ.Et quãuis hoc eodẽ argumẽto primo oſtẽderimus in art. precedẽte,quòd volũtas hominis poſsit aliquod bonũ morale velle; ſed tamẽ nõ cõuincit in præſentiarũ. Quoniã operari vnũ,aut alterũ opus morale,eſt etiã hominis infirmi;Diligere autẽ Deũ ſuper omnia dilectione perfecta,eſt ſolùm hominis ſani:Quia hoc præceptũ exuit hominem totaliter ab amore proprio;alia verò nõ niſi in parte. ¶ Ad ſecũdũ negatur antecedẽs,vt ſatis oſtẽdimus in ſuperioribus,art.2. Et præterea, homo in puris naturalibus, eſſet ſine peccato,& haberet rectitudinẽ naturalẽ;& ita nullũ haberet impedimẽtũ exparte ſubiecti,ad dilectionẽ Dei.Secũdò reſpõdetur negãdo minorẽ,vt diximus in hoc art.dub.præcedẽti. ¶ Ad tertiũ iam à nobis ſunt aſsignatæ rationes, cur talis homo ex viribus naturę,nõ poſſet diligere Deũ ſuper omnia,efficaciter. ¶ Ad quartum dico, quòd ſi puer veniẽs ad vſum rationis,per intellectũ, auxilio ſupernaturali illuminatũ,iudicet certò & infallibiliter,vitã honeſtã eſſe ſequendã,debitũ finẽ, aut bonũ rationis eſſe eligendũ,& per volũtatẽ,eodẽ auxilio ſupernaturali motã,in illũ finẽ ſe & omnia ſua cõuertat;tũc verè diligit Deũ ſuper omnia; ſed adhoc nõ ſufficiunt vires naturæ præciſè.Secundò dico, quod in puris naturalibus,& ex ſolis naturæ viribus præciſè, nunquam diligeret Deũ ſuper omnia,efficaciter & perfectè,tũ propter corporis corruptionẽ,tum propter bellũ & luctã appetitus ſenſitiui,contra rationẽ.Verũ tamẽ eſt, quòd puer pertingẽs vſum rationis in puris naturalibus,ſi haberet illũ actũ, & ſtatim moreretur,reciperet præmiũ aliquod ab authore naturæ.Quia operatio illa erat moraliter bona,& operãs nõ erat inimicus,neque auerſus à Deo per peccatũ. Si verò puer ille eſſet in originali culpa,licèt haberet cõuerſionẽ illã & dilectionẽ virtutis, non ob id reciperet præmium,quia eſſet inimicus & auerſus à Deo,donec per ſpecialẽ gratiã cõuerteretur.Fateor tamẽ quod illo actu diligeret Deũ, ſed non efficaciter, neque perfecta dilectione, propter rationes quas in diſcurſu tertiæ cõcluſionis dedimus, propè finem.

*Ad ſecũdũ.* *Solutio.2.* *Ad tertiũ.* *Ad quartũ.* *Solutio.2.*

¶ Ad quintũ reſpõdetur,negãdo antecedẽs,& cõſequẽtiã:Eſt enim deteſtabile dicere, hominẽ in mortali poſſe diligere Deũ ſuper omnia,perfectè & efficaciter,vt cõcluſio.1.2.&.3.deduximus, cum ille ſit inimicus Dei;& auerſus ab vltimo fine.Nã inde ſatis liquet,quòd haberet duos vltimos fines,& quòd nõ refert ſe & omnia ſua in Deũ,cũ habeat peccatũ, & impedimẽtũ,ratione illius.Neque Paulus dixit q infideles poterãt diligere Deũ ex ſuis viribus præciſè:ſed ſi nõ reſtitiſſent,præſto eſſet illis Deus. ¶ Ad ſextũ reſpõdetur,quòd ex actibus charitatis,quãuis ſæpiùs frequẽtatis,nõ generatur aliquis habitus acquiſitus,ita S.Tho.1.2.q.51.art.4.ad.3.& ibi eius diſcipuli.Nã actus dilectionis,procedẽs ab habitu charitatis infuſæ,nõ poteſt producere habitũ diuerſum ab eo,à quo procedit,ſed ipſum à quo procedit,vel auget,vel intẽdit.Nã ſi actus dilectionis procedentes à charitate,generarẽt aliquẽ habitũ acquiſitũ,interrogo,vtrũ talis habitus acquiſitus, ſit eiuſdẽ ſpeciei cũ habitu charitatis infuſæ,vel alterius ſpeciei? Nõ poteſt dici quòd ſit eiuſdẽ ſpeciei; quia obiectũ formale,& ratio ſub qua vtriuſq; habitus,nõ eſt eadẽ.Secũdò, quia aliàs duo accidẽtia eiuſdẽ ſpeciei ſolo numero differẽtia,eſſent in eodẽ ſubiecto.Imo verò ſi generaretur talis habitus charitatis acquiſitus, ſuperfluè poneretur habitus charitatis infuſæ. Et præterea ſequeretur quòd eſſet virtus acquiſita, quæ per naturæ vires poſſet cõſequi finẽ ſupernaturalẽ:igitur ſentire oportet,quòd actus qui producitur ab aliquo habitu,nũquã producit aliũ habitum, ſed priorem perficit, & cõſequẽter actus charitatis, quãtũcũq; multiplicati,nõ producũt habitũ acquiſitũ.Dices,q generaretur habitus acquiſitus diuerſæ ſpeciei.Cõtra:Quia talis charitas acquiſita,ſi daretur,inclinaret ad eliciẽdos actꝰ eiuſdẽ ſpeciei, cũ actibus charitatis infuſæ.Quòd patet:Quia habitus ſemper inclinat ad eliciẽdos actus ſimiles his à quibus producitur & generatur: & ex cõſequenti illa qualitas acquiſita, eſſet eiuſdẽ ſpeciei cũ charitate infuſa:Nã ambæ inclinarẽt ad ſimiles actus;hoc autẽ dicere,eſt pluſquã falſum & abſurdũ. Sed dices: Homo qui ſe exercuit in actibus dilectionis Dei, ſentit ſe facilẽ & prõptũ, etiã poſtquã peccauit:ergo acquiſiuit habitũ charitatis,& dilectionis. Reſpõdetur,quòd licèt ſentiat ſe prõptũ & facilẽ,propter exercitiũ præcedẽs dilectionis;nũquã tamẽ hęc promptitudo eſt in illo ratione alicuius habitus acquiſiti,ſed ex eo ſolũ, quòd per exercitiũ charitatis ſunt remota impedimẽta,& extenuata ea quæ charitatem impediebãt.Secũdo reſpõdetur,quòd homo per plures actus dilectionis Dei ſuper omnia,cũ illi nõ ſint efficaces & perfecti,ſi fiãt ſine gratiaDei,nũquã acquireret habitũ. Ad probationẽ in eodẽ ſexto argumẽto cõtẽtã,reſpõdetur,quòd implicat manẽte peccato, peccatorẽ ſe cõuertere efficacitèr in Deũ finẽ naturalẽ, ex ſuis viribus;& paritèr implicat,quòd ſit verè cõuerſus actualiter ad obiectum à quo pariter eſt habitualiter auerſus. Neque eſt eadẽ ratio de exẽplo Regis,vt patet:Nã ſi ſimel eſſet conuerſus efficaciter ad Regẽ, nõ eſſet auerſus ab illo. ¶ Ad ſeptimũ dico,implicare antecedẽs.Sed exacta ſolutio huius argumẽti, tradenda eſt à nobis infrà. q.113.art.2. ¶ Ad octauũ reſpondetur negãdo conſequentiam.

*Ad quintũ.* *Ad ſextũ.* *Ad ſeptimũ* *Ad octauũ.*



quentiã, ſicut ſuprà negata fuit in ſimili.Non.n.valet:Poteſt quis ex ſuis viribus diligere diuitias & voluptates;ergo Deũ ſuper omnia; in quo ſplẽdet maior ratio dilectionis. Et cauſa negationis cõſequentiæ,prima eſt.Quia voluptates,& diuitiæ,& parẽtes; pertinẽt ad obiectum partis ſenſitiuæ,in quod obiectũ poſt peccatũ noſtra volũtas valdè prona eſt.Secũda ſit.Quia cùm homo cõſtituit ſibi pro fine diuitias & voluptates,non diligit illa bona propter ipſa bona; ſed propter ſe ipſum.ſ.amore cõcupiſcẽtiæ.Et ita,diligere ſuper omnia diuitias aut voluptates, nihil aliud eſt,quã ſe ipſum ſummè diligere:& homo poſt peccatũ; ad ſe diligẽdũ plùs nimiò pronus eſt. Tertia.Quia ad hoc vt aliquis dicatur diligere ſuper omnia voluptates aut diuitias,ſatis eſt vt anteponat illas alicui præcepto diuino: ſed vt dicatur diligere Deũ ſuper omnia,neceſsè eſt vt obediẽtiã atq; obſeruãtiã ſingulorũ mãdatorũ Dei anteponat,nõ ſolùm voluptatibus & diuitijs, ſed etiã propriæ vitæ. Quo circa, licèt cognoſcamus plures rationes bonitatis in Deo,quã in creatura,& ex hac parte alliciatur voluntas;tamẽ dilectio Dei ſuper omnia efficax & perfecta,includit in ſe multa difficilia,quã omnis quæcumque alia dilectio.Nã dilectio efficax,exuit hominẽ totaliter ab amore proprio;aliẽ verò dilectiones; non itẽ.Rurſus includit hæc dilectio efficax Dei,votũ & efficax deſiderium omnium mandatorum. Dices,quòd infideles interdùm oppetunt mortem protuenda ſua religione:ergo ſuis viribus multò magis fidelis poterit mortem oppetere pro Deo; ſine gratia ſpeciali.Reſpõdetur,negãdo conſequentiã. Neque indè ſequitur,quòd fidelis poſsit efficaciter diligere Deũ ſuper omnia,ex ſuis viribus præciſè.Nam poſt peccatũ Adæ,homines proniores ſunt ad malũ quam ad bonũ;& oppetere mortem pro tuenda falſa religione,malũ eſt;inquo infidelis inſtigatur à Dæmone;non ſolum occultè ſuggerendo, & incitando imaginationem,verùm tacitè quaſi impellendo, & vires miniſtrando ad captandam gloriã & famã de falſa religione. Vt verò fidelis oppetat mortem pro Deo,ipſum efficaciter diligendo ſuper omnia:oportet vt ipſe non ſit inimicus Dei,neq;habeat maculã culpæ,neq;quærat gloriã ſuam.Aliàs,quo pacto moritur pro Deo ſummẽ dilecto? Alij theologi dicũt, quòd licèt ex viribus naturæ mortẽ oppeteret pro Deo aliquis:quod ex hoc non ſequitur,q poſsit diligere Deum efficaciter ſuper omnia.Quia iſta dilectio Dei efficax, includit efficax votũ nunquã diuinã legẽ tranſgrediẽdi, & includit obſeruationẽ omnium mandatorũ.Sed hoc non ſatisfacit nonnullis. Nam quomodo poteſt ſtare ſententia Chriſti dicentis.Maiorẽ charitatem nemo habet, quam vt animã ſuam ponat quis pro amicis ſuis, ſi nõ diligit ſuper omnia Deum.Sed dicet aliquis. Ciuis honeſtus poteſt oppetere mortem pro tua Republica tuenda: & hoc facere,eſt bonum & honeſtũ,& id facit per ſuas vires,ſine auxilio ſpeciali: ergo pari ratione fidelis poteſt ex viribus ſuis mortẽ oppetere pro Chriſto, q eſt diligere ipſum efficaciter ſuper omnia. Reſpõdetur primò,negãdo antecedens. Nam apud plures probabile eſt q vir fortis,non poteſt mortẽ oppetere pro bono honeſto, & pro tuenda ſua Republica, cũ ad id obligatur ex præcepto, neq; efficere huiuſmodi opera heroica & egregiæ virtutis,ſine auxilio ſpeciali Dei. Vnde Plato in Prothagora dixit,q homo non poteſt cõſeruari diù in officio virtutis,ſine peculiari munereDei. Reſpondetur ſecũdò, negãdo conſequẽtiã. Quia viro forti poteſt conſtare euidenter q incolumitas & ſalus Reipublicæ, poſita eſt in ſua morte:at verò homini Chriſtiano,non poteſt cõſtare euidẽter, q ſua mors ſit opportuna & neceſſaria,ad conſeruandũ bonũ diuinũ.Verũ nõ ſatisfacit hæc ſolutio.Nã cur non poteſt cõſtare apertè homini Chriſtiano, q ſua mors ſit neceſſaria, & quòd ſit pretiola in aliquo caſu? Vndè,ſiper eſt dicẽdũ,q vt homo non quęrat in morte illa ſe ipſum, vt cõſequatur famã,vel gloriã,vel quid ſimile, neq; quærat ſe ipſum in tali opere, ſed ſolũ Deũ, ſe ipſum totaliter exuẽdo ab amore proprio:neceſſariũ eſt Dei ſpeciale auxiliũ. ¶ Ad Nonũ negatur, hominẽ poſſe habere doloré & cõtritionẽ de peccato ex viribus naturæ.Imò verò,nõ ſolũ nõ poteſt habere cõtritionem, qualẽ deſcribit Conc.Trid.ſeſ.14 ca.4.& cano.5.ſed neque etiã poteſt habere attritionẽ, quæ ex cõſideratione turpitudinis peccati, vel ex gehẽnæ, & pœnarũ metu cõcipitur:ſi volũtatẽ peccandi excludat cũ ſpe veniæ.Quia hæc attritio, donũ Dei eſt,& Spiritus Sãcti impulſus, quo via paratur ad iuſtitiã pœnitẽtis.Et licèt poſsit peccator habere aliquam pœnitudinẽ imperfectã ſuorũ peccatorum ex ſuis viribus;non tamẽ eam,quę volũtatẽ peccandi excludat cũ ſpe veniæ. Vndè, nõ poteſt ex ſuis viribus præciſè odio habere peccatum ſuprà omne odibile:quidquid Caie.dicat de contritione acquiſita. In quare valde periculoſe errat. ¶ Sed Vtrũ ſit de iure naturę, q pœniteat de malis quæ fecit, vt doleat ſe feciſſe, & quęrat remediũ,per aliquod mediũ:Caiet.3.p.q.84.ait,q ſuppoſita fidei cognitione,id quidem eſt de iure naturæ,& nõ aliàs:Quia lumẽ naturale præciſè nõ poteſt oſtẽdere dolorẽ ipſũ,aut actũ aliquẽ hominis,eſſe remediũ ad delẽda peccata.Imo verò,nõ poteſt naturaliter cognoſci, quòd peccata cõmiſſa deleãtur;quia remiſsio peccatorũ eſt articulus fidei: igitur non eſt de iure naturali, quòd homo quærat mediũ aliquod ad remiſsionẽ peccati impetrãdã.Nãſaltẽ quãdo peccatũ fit occultè, non dictat ratio naturalis neceſſe eſſe exhibere ſigna externa doloris. At verò, ex fide ſuppoſita quæ oſtendat dolorẽ eſſe mediũ ad peccatũ delẽdũ, ratio naturalis dictat tali medio vtẽdũ eſſe.Ruardus Tapper.ar.3.dicit, pœnitẽtiam ſic eſſe de iure naturæ, vt homo ſolo lumine naturæ abſq;omni reuelatione ſupernaturali, expulſo omni errore, aut praua diſpoſitione intellectus, cognoſcat ratione naturali Deũ noſtris peccatis offẽdi,& placari poſſe:ita vt offẽſa remittat, per pœnitudinẽ,& deteſtationẽ peccati, vt eſt Dei offẽſa,& cũ ordine ad ſacrificia,& ſigna oſtẽdẽtia dolorẽ. Nãratio naturalis dictat,vt quãtum fieri poſsit, curemus Deũ authorẽ noſtrũ,benevolũ reddere nobis:& ob id,ſuppoſito peccato, neceſſe eſt humiliari corã illo per internũ dolorẽ,& oſtẽſionẽ eius;Sũpto argumẽto ex eo quod inter homines obſeruari ſolet.Et certè naturaliter cognoſci poteſt, quòd peccatũ eſt cõtra rationẽ,& cõſequẽter offẽſa Dei.Et addit Decan',q cũ Deus habeat omniũ ſuidẽtiã,& ſit ſũmè bonus & clemẽs,ex hoc ſequitur,quòd videtur facilis ad ignoſcẽdũ.Hoc igitur eſt diſsidiũ,quod verſatur inter Caiet.& Decanũ Louani. ¶ Sed vt rẽ hãc aperiamus,dupliciter poſſumus loqui de remedio cõtra peccatũ,vel de remedio efficaci,ad delẽdũ peccata,

*Dubium.* *Nota.*

vel de remedio inefficaci. Quòd si sit sermo de remedio efficaci; vera est Caiet. sententia. Si vero sit sermo de inefficaci; sic Decanus vera pronunciat: & hoc ostendit argumenta ab eis ducta. De qua re, legenda est quarta cõclusio à nobis adducta. Vndè, suppositâ diuina reuelatione facta supernaturaliter de remedio peccati, quòd necessarius est dolor, & necessaria est humiliatio; ratio dictat, id exequendũ esse, sed exequutio remedij efficacis, nõ est sine Dei dono & gratia. ¶ Ad decimũ respõdetur, quòd illa consequentia nihil valet: Habet inclinationem; ergo habet vires. Tũ qa natura nostra, est infirma, in qua appetitus sẽsitiuus aggrauat volũtatẽ. Tùm etiã, quia Deus, cũ sit res distincta à nobis, neq; ita euidenter cognitus vt bonũ nostrum, sicut nosmetipsos cognoscimus: ideò multò magis afficimur, ad diligendũ nos, quam Deũ. Quapropter, licèt homo naturaliter inclinetur ad diligendũ super omnia Deũ: non sequitur, quòd actu elicito possit eũ diligere super omnia. Vndè, ratione impedimentorũ nõ potest elicere talẽ actum efficaciter: Habet nãq; se voluntas in hoc statu, respectu Dei, sicut oculus Noctuæ respectu Solis. Nam quamuis Sol sit maximè visibilis, & visus vt sic maximè in ipsũ inclinatus; tamẽ ꝓpter infirmitatẽ dispositionũ quæ sunt in oculo, & propter excellentiã obiecti, nõ potest videri perfectè ab homine. Sic ergo licèt Deus sit maximè diligibilis, & volũtas maximè inclinata in ipsum; tamẽ propter ipsius naturę infirmitatẽ, & ꝓpter Dei excellẽtiã, nõ potest volũtas actu elicito eum perfectè & efficaciter diligere. Profecto licèt naturaliter inclinemur ad diligendũ Deũ, plusquã nos; tamen in homine peccatore, talis inclinatio est impedita per peccatum actuale. Quia sic rapit peccatũ voluntatẽ ad bonũ cõmutabile, vt ex se ab illo non dimoueatur volũtas, se trãsferẽdo & cõuertẽdo in Deũ efficaciter, nisi ex Dei auxilio. Est namq; homo peccator auersus ab vltimo fine; & quoniã vltimus finis est principiũ vitæ in homine, sequitur ꝓpter peccatũ & auersionẽ ab hoc fine, homo est mortuus: ergo sicut homo mortuus nõ potest se viuificare, ita neq; peccator ex suis viribus, neq; potest in amicitiã Dei redire, neq; se iustificare. Dico secũdò ꝙ inclinatio illa naturalis, de qua S.Tho. 1.p.q.60. art.5. est inclinatio quædã generalis rebus omnibus insita, qua res omnes ad cõseruationẽ boni vniuersalis quod est Deus, propẽduntur: ita vt si in periculum adduceretur vita Dei per impossibile; res omnes mallent Deũ esse, quã se ipsas viuere, aut esse. At verò, hæc inclinatio ad Deũ, multũ differt à dilectione Dei super omnia: de qua modò agitur. Quia dilectio Dei, primò anteponit vitam Dei propriæ: secundò exuit hominẽ totaliter ab amore proprio: Tertiò includit voluntatẽ anteponẽdi singula præcepta Dei, propriæ vitę, & saluti. Adde etiã quòd inclinatio naturalis quæ fertur ad diligendũ Deum plusquã nos, sic est debilitata per peccatum, vt post ipsum existat in nobis alia inclinatio in parte sensitiua, qua rapimur ad bona sensibilia, quæ vehemens est, neq; potest vinci, sine Dei auxilio. ¶ Ad vndecimũ respõdetur, quòd obiectum est proportionatum in natura integra & sana: sed non in corrupta. ¶ Ad duodecimum, patet solutio ex his quæ diximus cõtrouersia precedente ad.3. Vbi diximus, quòd hoc argumentum est Achilles contra Hectorem. Sed aduerte, præceptum dilectionis Dei super omnia, esse maximum inter omnia moralia, & includere necessariò materiam omnium aliorum præceptorũ: ideò non admittere secum aliquod peccatum mortale, aut trãsgressiones aliorum præceptorum. Quoniam (vt S.Th.1.2.q.100.ar.10.ait) præceptum hoc in sua substantia includit intrinsecè modum istum, quòd excludatur à voluntate hominis omnis amor boni contrariè. Hoc autem non postulant alia præcepta. Quocircà, semper neganda est consequentia argumenti, vt superiùs diximus.

*Ad decimũ*

*Solutio.2.*

*Ad vndecimum.*

*Ad duodecimum.*

## DISPVTATIO. III.

### *Vtrùm homo sine gratia, viribus naturæ, possit diligere Deum super omnia, finem supernaturalem, per fidem ostensum?*

Disputatio hæc duos continet articulos mutuo se consequentes: & alter alterum præcedit, sicut cõmune particulare, & ambo aperientur simul si Deus dederit. In quibus, exacta intelligentia disputationum præcedentium huius articuli plenè & perfectè tradetur. Primus ergo articulus est. Vtrùm homo sine gratia, possit velle aliquid supernaturale? Secundus verò, Vtrùm homo viribus naturæ, possit diligere Deum super omnia, vt est finis vltimus supernaturalis & obiectum beatificum, prout ostenditur à fide? Et huic controuersiæ fauent plurimum, quæ nos ar.1. disseruimus, Vtrùm potentia naturalis possit attingere obiectũ supernaturale de se? Et, An intellectus sine gratia, possit cognoscere supernaturale obiectum vt sic. Quod enim ibi quęritur de intellectu, id modò quęrim⁹ specialiter de volũtate, An possit velle aliquid supernaturale, & specialiter, An possit efficaciter diligere obiectum beatificum & finem supernaturalem, per fidem ostensum?

*Argumẽtũ.*

Et quòd homo sine gratia possit velle aliquid supernaturale, arguitur. Potest quis sine supernaturali auxilio abstinere se propter motiuũ supernaturale: ergo potest appetere bonum supernaturale, vt sic. Probatur antecedens. Quia peccator potest ex dictamine fidei habere hoc iudicium: Bonũ est tẽperatè comedere, tãquã mediũ ad supernaturalẽ beatitudinẽ cõsequẽdã. Ergo, ꝓpter hoc motiuũ abstinet, & hoc sine auxilio supernaturali; nã non habet in appetitu habitũ supernaturalẽ, cui tale auxiliũ debetur: ergo. Et augetur difficultas. Nam si quis efficaciter desideret habere charitatem, tale desideriũ erit de obiecto formaliter supernaturali: non enim desiderat habere charitatẽ naturalẽ, quã iam fingamus habere, sed supernaturalẽ. Quòd verò, nõ sit necessarium supernaturale auxilium ad talem actũ, ostendo. Quia aliàs ille actus erit supernaturalis, & alter quo iste desideraretur, esset supernaturalis: & sic in infinitum. Et

*Confirm.*

confirmatur. Nam is, qui desiderat recipere sacramenta, vel ea diligit, versatur circà aliquid supernaturale: at non indiget auxilio supernaturali: ergo. Dices; omnia hæc obiecta posse appeti & amari, & actu supernaturali, talibus obiectis debito; & tũc requiritur auxilium supernaturale: & etiam posse appeti actu naturali; naturali, inquam, qui tendat tantum naturaliter in illa bona supernaturalia; supernaturalitas enim obiecti materialis, non arguit supernaturalitatem actus, neque è conuerso; cum actus supernaturalis, possit versari circà rem naturalem, licèt sub ratione supernaturali; vt cùm ex charitate diligimus Christũ, ex fide credimus, animam eius esse immortalem. Sed contra. Nam res supernaturalis, nõ postulat ex propria ratione actũ supernaturalẽ: Quia aliàs, quot sunt gradus rerum in sua entitate supernaturali, tot esset gradus actuũ versantiũ circà eos. Et consequẽter, sicut substantia habet eleuatiorẽ gradũ, quã accidens, & res spirituales, quam materiales; postularent & requirerent actus diuersi ordinis. Nec præterea ad huc explicatur, quæ nam sit ista ratio formalis supernaturalitatis: Quoniam si quis sperat beatitudinem supernaturalem Dei; quæ est ratio formalis, subqua tendit qui habet auxilium supernaturale? & in quo distinguitur ab eo qui illo caret?

*Sententia.1.*

Prima sentẽtia in hac cõtrouersia est, ꝙ suppositâ cognitione finis supernaturalis, potest homo ex puris naturalibus, in natura lãpsa, diligere Deũ super omnia, finẽ supernaturalẽ, etiã dilectione eiusdem speciei cũ ea, quæ habetur ex charitate. Ita Capreol. in.1.d.17.q.1.ad argumẽta Aureo. cõtra. 1. cõclusio cõsentit Scotus in.4.d.14.q.2.art.2.& in.3.d.27.art.3. Grabri. ibidẽ. q.1.dub.2. Almain. eadẽ. d. Et tract. 2. moral. ca.9. cũ Ochã & Petro de Aliaco. Duran. in.2. d.27.q.2.3.&.5.& in.3.d.29.q.2. Et sunt aliqui, qui eã tribuũt Patri Soto. 1. de nat.& gra. ca.2. asserenti, ꝙ actus charitatis, quãtùm ad substantiã, potest haberi ex naturalibus. Idẽ insinuant. S.Tho.1.p. q.71. art.2. ad.3. & Marsi. in.2.q.18. Sed hi sunt exponẽdi, de substãtia secũdùm rationẽ genericã, hoc est, ꝙ homo sine gratia Dei, potest diligere Deũ super omnia, saltẽ in natura integra; dilectione tamẽ alteri⁹ speciei à dilectione charitatis. ¶ Verũtamèn, alij authores suprà citati tenent, posse hominẽ ex puris naturalibus: suppositâ cognitione finis vltimi supernaturalis diligere Deũ eadẽ dilectione, qua diligitur ꝑ charitatẽ; nõ tamẽ meritoriè. Et ita dicũt, ꝙ dilectio Dei super omnia, quæ potest elici ex solis viribus naturæ, & quæ elicitur ex charitate, nõ differunt quoad substantiã actus, sed tantũ quoad modũ, nẽpe quòd illa quæ fit ex charitate elicitur meritoriè, alia verò nõ ité. Ita Caie. in hoc ar. & seq. & apertiùs opusculo decõtritione q.1. Quibus in locis, totũ quod tribuit gratiæ, & charitati, tribuit etiã viribus naturæ, exclusa ratione meriti: ait enim Caiet. ꝙ potest esse cõtritio acquisita, quę est displicẽtia peccati, suprà omne odibile, cũ proposito vitandi peccatũ, suprà omne vitabile, & ex amore Dei suprà omne amabile. Et hãc, dicit ille, esse cõtritionẽ informẽ: Quia potest esse sine charitate & gratia. Itaq;, tã ipse quam Durãdus, totũ quod tribuitur gratiæ & charitati, tribuũt viribus naturæ, excluſa ratione meriti. Et quãuis, Pater Soto citatur ab aliquibus pro eadem sententia; immeritò tamen.

*Argum.1.*

Argumẽta huius sententiæ, sunt quæ sequuntur. Primũ est. Nã ratio naturalis dictat, finẽ, & authorẽ supernaturalẽ, esse diligendũ: sed voluntas potest naturalitèr se cõformare naturali dictamini intellectus: ergo potest naturalitèr diligere Deũ, vt finẽ supernaturalẽ, supposito lumine supnaturali hominis cognoscẽtis, Deũ esse finẽ supernaturalẽ. Probatur minor: Quia volũtas & intellectus, sunt potẽtiæ naturaliter proportionatæ, in ratione motiui & mobilis. Et cõfirmatur. Quoniã S.Tho.1.p.q.12.ar.1. ait, ꝙ est in nobis naturale desiderium, videndi Deũ per essẽtiam. Imo verò ait, ꝙ naturaliter appetimus videre Deũ, prout est obiectũ beatitudinis supernaturalis; quod saltim est verũ de homine fideli, vt ibi exponit Caiet. ergo sub illa ratione finis supernaturalis, potest viribus naturæ diligi. ¶ Secũdò arguitur. Maiorẽ charitatem nemo habet, quàm vt animam suã ponat quis pro amicis suis, Ioã.14. sed potest homo viribus naturæ, ponere vitã pro Deo, vt est author supernaturalis: & finis vltimus supernaturalis ergo potest haberi viribus naturæ, perfectissima dilectio Dei, qualis est illa quæ est charitatis: ergo habebit homo perfectissimũ amorem; ac subinde eiusdẽ rationis cũ amore ꝓcedente à charitate. Minor probatur: Quia cernimus infideles mori pro sua religione, immouerò hæreticus, vt cõsequãtur beatitudinẽ supernaturalẽ, & placeãt Deo fini vltimo supernaturali, aliàs non morituri; neq; tamen id faciunt ex charitate, neq; ex aliquo supernaturali auxilio, imouerò morientes pro sua secta, peccãt in illo actu. ¶ Tertiò arguitur. Vel amores diuersificãtur specie ex diuersitate specifica cognitionũ, vel ex ꝓprietatibus rei amatæ, mouẽtibus ad eius dilectionẽ. Si primũ: ergo amor sequens notitiã beatã, est diuersæ speciei, ab eo qui sequitur fidẽ, vel scientiã per se infusam, vel donũ Prophetiæ, vel dona intellectualia Spiritus Sancti; Imouerò in humanis, amor qui nascitur ex opinione, & qui ex scientia, & qui ex fide, erũt diuersæ rationis, quod est absurdũ. Si dicas secundũ: ergo amor sequens cognitionẽ fidei, quæ est de attributis naturaliter notis, erit diuersæ speciei ab amore sequẽte fidẽ, de attributis solũ cognitis supernaturaliter. Imouerò; amor rationevnius attributi, erit semper diuersus specie, ab amore ratione alterius, quomodocùmque innotescant. Quæ omnia absurda sunt. Igitur neq; ex diuersitate cognitionum, neque ex diuersitate rationum amandi, diuersificantur amores specie: ergo non incõuenit, ꝙ amore eiusdẽ speciei ametur Deus, vt obiectũ naturale, & vt supernaturale, seu ex viribus naturæ & ex charitate. ¶ Quartò Arguitur. Si aliquis homo habeat solã fidẽ, nõ autẽ charitatẽ, neq; aliquod auxiliũ supernaturale, ex parte voluntatis, ita vt Deus omnino denegaret illud; ille potest mori pro Deo fine supernaturali: ergo sine auxilio supernaturali, potest diligere Deũ finẽ supernaturalẽ, super omnia. Patet cõsequẽtia, ex dicto Christi citato: Maiorẽ charitatẽ nemo habet, quã vt animã suã ponat quis pro amicis suis: ergo habet efficacẽ, & summã dilectionẽ Dei, si pro eo sustinet mortẽ. Antecedẽs autẽ probatur. Quoniã si minetur ita illi Tyrãnus: Nisi negueris Deũ finẽ supernaturalẽ, quẽ tu ꝑ fidẽ tuam cognoscis, te occidã; tũc potest iste nõ negare Deũ, & tenetur ad nõ negãdũ: sed velle nõ negare in tali occasione; est velle mori pro Deo: ergo verè moritur pro Deo fine supernaturali; quia ne illũ neget, ꝓmittit se occidi. Martyres. n. dicũtur mori ꝓ Deo, nõ quia semꝑ se offerũt morti, sed quia nolẽtes negare Deũ, occisi sunt: sed iste, ne Deũ neget, permittit se occidi: ergo moritur ꝓ Deo: ergo diligit illũ super omnia, cùm diligat super vitam, & supra honorẽ, & suprà omnia alia bona, quæ suppono in diferimine versari, nisi Deum neget. Eligit ergo omnium bo-

*Confir.*

*Argum.2.*

*Ioan.14.*

*Argum.3.*

*Argu m.4.*

norum iacturam facere, potiusquam Deum negare:ergo diligit Deū super omnia alia.Tūc vltra.Iste non moritur pro Deo sine naturali: Quia Tyrānus hoc non exigit,sed solùm petit,vt expressè neget finē supernaturalē,fide cognitū ità vt licèt naturalem negasset,ad huc exigat aliud. Rursus,non moritur ex amore propriæ vitæ,vel honoris: hæc enim omnia amittit,vt suppono:ergo ex amore Dei finis supernaturalis moritur:Igitur talis homo de facto, vult& amat aliquid supernaturale vt sic,sine gratia Dei.Et in hoc argumento tangitur difficultas,vtrū in bonum supernaturale vt sic, possit voluntas formaliter tēdere,sine auxilio supernaturali?¶ Quintò arguitur.Volūtas,certùm est, q̄ potest elicere actū ex proprijs viribus,circa Deum,ostensum per fidē, in ratione finis vltimi supernaturalis,& obiecti beatificiːsed non necessitatur ad eliciendū actum dissonum illi cognitioni & dictamini:ergo poterit elicere actum consonum illi dictamini, quo fidelis iudicat,Deum esse super omnia, ea ratione qua est obiectum beatificum & finis supernaturalis. Maior probatur:Quia ad voluntatis libertatem pertinet, circà quodlibet obiectū propositū, posse habere actū. Minor etiam probatur.Quia si voluntas suapte natura cogeretur ad eliciendum actum dissonum illi dictamini,necessitaretur suapte natura ad malū,atq; adeò ex natura sua esset mala, quod est impium & absurdum.¶ Sextò Arguitur.Tota difficultas,nè possit homo diligere Deum super omnia, est ex parte proprij amoris, quo quis inordinatè diligit se: sed hæc difficultas vincitur viribus naturæ pro bono Reipublicę:ergo etiam poterit vinci pro Deo finevltimo & supernaturali. ¶ Septimò Arguitur. Intellectus ex suis viribus potest tendere in obiectum supernaturale. Patet: Nam destitutus omni auxilio supernaturali,potest ex fide acquisita,credere Deū esse trinum,& esse incarnatū; vt patet de hæreticis: ergo pari ratione voluntas, potest diligere Deū,vt obiectū supernaturale.¶ Octauò arguitur.Deus cognitus ratione naturali, potest amari supernaturaliter;vt cùm homo iustus contemplatur ipsum,quatenùs est dominus & creator omnium, & in se bonus:ergo è conuerso vt cognitus notitia supernaturali, amari potest amore naturali.¶ Nonò.Quilibet potest viribus naturæ,desiderare beatitudinē supernaturalem,vt patet in hæreticis:ergo potest etiā dilige re amore amicitiæ, authorem supernaturalem. Nam non est maior ratio de amore concupiscentiæ,quam de amore amicitiæ: Et sic habebit actum eiusdem rationis,cum amore procedente à charitate. Et confirmatur. Quia Deus potest fide humana credi,quantùm ad aliquas proprietates reuelatas:ergo & amari per vires naturæ ratione illarum, qui amor videtur eiusdem speciei,cū amore charitatis. ¶ Tandem,extat argumentum commune. Quia potest voluntas viribus naturæ, diligere Rempublicā super omnia, imò voluptates & diuitias: ergo & Deum finem vltimum supernaturalem. Patet antecedens: Quia fortis Polyticus (teste Arist.) diligit Rempublicam plusquam se;& per consequens,plusquam omnia alia.Probatur consequentia:Quia volūtas naturaliter fertur in bonum:ergo vbi apparet maior ratio boni,magis fertur ex natura sua: sed in Deo cognito in ratione obiecti beatifici supernaturalis,apparet maior ratio boni,& diligibilis,quā in quauis alia re:ergo.Nam non videtur verosimile, quòd quando proponitur voluntati Deus, vt bonus & sapiens, per lumen naturæ; tunc possit ipsum super omnia amare,& quando idem Deus proponitur voluntati, non tantùm vt bonus & iustus, sed vt beatificator & amicus, & vt incarnatus propter hominem, quòd tunc non possit eundē Deū, super omnia diligere. Nam profectò, si possum diligere Paulum,quia est bonus& honestus;sequitur, quòd si vlteriùs cognoscam eum, non tantùm esse bonum & honestum, sed etiam esse mihi amicum, multò facilius potero ipsum diligere:ergo pari ratione de Deo. Et confirmatur: Quia in dilectione Dei,duo possumus cōsiderare. Primum est obiectū formale dilectionis,seu ipsa ratio diligendi,nempe bonitas diuina. Secundum est, modus diligendi, hoc est,quòd sit super omnia. Et sanè, quod reddit difficilem dilectionem Dei, non est formale obiectum.Quia hoc est summa bonitas Dei, & nihil facilius aut suauius quam diligere bonitatem:igitur id quod efficit dilectionē Dei super omnia,esse difficilem,est ille modus dilectionis super omnia.Tūc vltrà:Non est difficilius diligere Deum super omnia,quando cognoscitur,per lumē fidei,quamcùm cognoscitur per lumen naturæ: igitur si homo potest diligere super omnia Deum, vt est obiectum naturale,sequitur quòd potest eundem diligere,vt est obiectum supernaturale.Antecedens probatur: Quia tota difficultas diligendi, se tenet ex illo modo dilectionis super omnia:sed iste modus, est idē in vtraque dilectione,quia vtraq; est super omnia: ergo intentum.

*Argum.5.* *Confirma*

*Argum.6.* *Argum.7.* *Argum.8.* *Argum.9.* *Argum.10*

Secūda sententia est,quòd in natura integra potest homo sine auxilio gratię,diligere Deū super omnia,non solùm finem & authorem naturæ,sed etiam finem & authorem supernaturalem;at verò in natura corrupta,neutrum potest sine gratia.Et hæc sententia docet, quòd hæc distinctio dilectionis Dei, quatenùs est obiectum naturale & finis naturalis, & quatenùs est obiectum supernaturale,& finis supernaturalis,est noua & inaudita Sanctis & Concilijs, qui sine distinctione aliqua dicunt,hominem non posse diligere Deum super omnia,sine gratia Dei:ergo eadē est ratio de vno & de alio amore:ergo sicut vnus non potest haberi, sine gratia in natura lapsa,benè tamē in natura integra; ita & alius. Item,Deus non potest amari super omnia, vt finis naturalis,quin etiam diligatur vt finis supernaturalis: igitur si in natura integra poterat homo, sine auxilio gratiæ vnum,etiam poterat aliud. Patet antecedens:Nam qui diligit Deum, vt est finis & author naturalis,paratus est placere Deo in omnibus: ergo etiam in præceptis quæ iusserit, vt author supernaturalis: ergo amat illum, vt authorem supernaturalem. Item arguitur. Quia virtus & auxilium, adhibentur ob difficultatem operis, vt dictum est: sed difficultas amandi Deum, eadem est siue diligatur vt finis naturalis, siue vt supernaturalis. Nam tota difficultas oritur ex eo, quòd ad vtrùmque amorem necesse est, quòd homo exuat totaliter sui amorem,& creaturarum:igitur auxilium quod sufficit ad vnam dilectionem, illud idem sufficit ad alteram. Tandem,non videtur cur in

*Sententia secunda.*



cur in natura integra poterat amari Deus super omnia,propositus à ratione naturali, vt obiectum & finis naturæ, & non vt propositus à fide, vt beatificator & redemptor. Nam,vt dictum est, quantò plures rationes obijciuntur voluntati, ad amandam rem,tantò magis naturaliter excitatur & exardescit in amore eius: Quia naturaliter habet fetri in bonum cognitum,quacùmque via cognoscatur sicut naturaliter refugit malum,quacumque via,vt tale cognoscatur:ergo.

*Nota.1.* Vt quæstionem hanc aperiamus, aduerte, quòd in præsenti nō quæritur,Vtrùm tali Actus,quo voluntas potest velle aliquid supernaturale,sit naturalis,vel supernaturalis,quoad substantiam? Sed solū quæritur, Vtrùm in bonum supernaturale vt sic, possit voluntas formaliter tendere, sine auxilio supernaturali?Et in simili,de intellectu proposita fuit quæstio hæc in articulo.1.Cæterùm, hæc difficultas de voluntate specialis est, imò eò maior, quò difficilius est in bono supernaturali,quam in vero rationem formalem,à materiali distinguere. Et sanè in hac difficultate supponenda sunt ea,quæ in duabus præcedentibus quæstionibus huius articuli, dicta sunt.Et quoniam pleraque argumenta aduersariorum, ex his quæ potest voluntas naturaliter, transeunt ad obiectum supernaturale,& finem supernaturalem,suppono,quòd bonum intellectus, præsertim speculatiui, imò etiam practici, potest stare cū peruersitate, & deordinatione appetitus, quamuis prudentia non stet simul.Et suppono,quòd per peccatum homo magis est corruptus, & vulneratus,secundùm appetitum, quam secundùm intellectum, intellige speculatiuum,vel practicum in vniuersali.Quia peruersitas & corruptio appetitus,fert secū peruersitatem & errorem rationis,in particulari eligibili.Quoniam non est peruersitas & deordinatio in appetitu, sine defectu rationis imperatiuæ & in particulari; vt benè admonet Conrad.1.2.quæstio.109.artic.2.propè finem. Et inde est, quòd ad cognitionem veri connaturalem, speculatiuam, vel practicam,communem,& vniuersalem; homo solùm eget motione generali; verùm ad electionem vt in plurimùm rectam & bonam, quæ fit sine defectu rationis imperatiuæ in particulari, homo eget speciali motione:vt dicit S.Thom.de verit.q.24.ar.14.Suppono etiā,quòd ex peccato sequuta est quædam obscuritas intellectus, etiam speculatiui, per modum impedimenti, quatenùs homo ex sensibilium occupatione,distrahitur & impeditur à consideratione intelligibilium,& spiritualium; at intellectus practicus,vt est subiectum prudentiæ, impeditur per viam contrarietatis. Quia delectatio sensus,impedit & corrumpit æstimationem intellectus practici,& prudentis in particulari, per viam contrarietatis.Vndè,appetitus corruptus secum adducit corruptionem directionis rationis, in particulari eligibili.Et ob id,homo peccando,plùs deficit secundùm directionem rationis,quam secūdùm cognitionem.Quocircà, Conrad.loco citato dicit,falsum esse, quòd intellectus ita possit ex se dictare, Deum esse super omnia diligendum, vt voluntas secundùm se ipsam,possit se tali dictamini conformare.Imouerò alt,vtrùmque esse falsum, si intelligatur de dictamine particulari,& imperatiuo,quod est secundùm dispositionem appetitus: Qualiter enim aliquis dispositus est secundùm appetitum, taliter dictat in particulari eligibili.Neque etiā voluntas sibi derelicta,& corruptæ,potest in actum dilectionis Dei super omnia perfectè, vt suprà diximus.Vndè,quantumcùnque fides infusa,vel acquisita ostenderet,Deum diligendum esse super omnia sub speciali ratione, vt est obiectum beatitudinis, & finis supernaturalis,non ob id voluntas sibi derelicta,attingeret tale obiectum,sub illa ratione supernaturalitatis;& consequenter neque promptè,neq; delectabiliter,neque secundùm modum virtutis,nisi moueretur ab aliquo ordinis supernaturalis.

*Nota.2.* Secundò aduerte,quòd diligere Deū super omnia,quatenus est principium & fons beatitudinis supernaturalis,& quatenùs habet homo cum Deo societatem,& cōmunionem spiritualē hic per gratiā, modo perfectiori,quam possit ex natura diligi; hoc inquam diligere,est actus charitatis,includens alietatem in ratione,&in modo diligēdiDeo super omnia,respectu dilectionis naturalis.Quoniā naturadiligit Deū super omnia,quatenùs est fons totius esse naturalis,& quatenùs est quoddā totū respectu cuius libet creaturæ,& totius vniuersi creati;quælibet autem creatura,est pars ad eum naturaliter ordinata.Charitas autem,eminentiùs quam natura,diligit Deum,modo prædicto.Quo circà, diligere Deum finem vltimum supernaturalem,& obiectum beatificum,potest stare dupliciter.Primò,ex parte obiecti,quasi materialiter,quòd nihil aliud est,quam vel le quòd Deus in se sit obiectum beatificum,& finis vltimus supernaturalis, & velle etiam habere illud obiectum beatificum,pro fine vltimo supernaturali.Secundò potest stare formaliter,& ex parte subiecti,ita,scilicet,vt non solùm diligatur finis vltimus supernaturalis,vt ratio quæ,diligitur, sed etiam sit ratio subqua diligitur,taliter quòd respectu voluntatis exerceat rationem & causalitatem finis vltimi supernaturalis,& feratur voluntas in ipsum,vt exigit ratio finis vltimi supernaturalis, sub illa ratione sub qua diligitur.

*Diligere Deum finē supernaturalem Stadupliciter.*

*Nota.3.* Tertiò obserua,esse de ratione formali vltimi finis, quòd nihil omnino præferatur illi, sed omnia ipsi subordinentur, eiúque subseruiant, quantùm necesse fuerit ad talis finis consequutionem. Adde etiam,quòd finis vltimus supernaturalis,ex propria & speciali ratione postulat,vt ordinentur in illum, non tantū media ordinis naturalis, sed etiam media ordinis supernaturalis. Ex quibus omnibus sequitur,quòd ad diligendum Deum formaliter sub ratione vltimi finis supernaturalis,& obiecti beatifici,dilectione perfecta & efficaci,requiritur necessariò in voluntate, vigor sufficiens, & promptitudo ad faciendum quæcumque requiruntur,ad consecutionem talis finis, siue illa sint naturalia, siue supernaturalia.Atque adeò, diligere Deū prædicto modo,est diligere ipsum super omnia simpliciter; taliter,vt quidquid occurreret pro tunc,vt necessarium ad illū finem,eligeretur efficacitèr ab eo, in quo esset talis dilectio;siue illud esset naturale, siue supernaturale.Hinc vlteriùs infertur,huiusmodi dilectionē,non admittere secum mortale peccatū,vt optimè notat Adria.quodlib.7.q.4.admittere tamē posse veniale:Quia hoc nō repugnat consecutioni

talis finis. Vndè, non videtur esse verum quod Caiet. docet hic, scilicet, neminem pro hoc statu, posse super omnia sua diligere Deũ simpliciter. Et probat Caiet: Quia vt quis super omnia sua diligat Deũ simpliciter, requiritur vt referat quæcũque habet, in Deum: sed nemo potest referre in Deum omnia sua simpliciter, pro hoc statu; quia quantùmcunq; iustus, habet peccata venialia pro hoc statu, quæ nõ sunt referibilia in Deum: ergo &c. Respondetur tamen, quòd diligere Deum super omnia sua simpliciter, non consistit solùm in relatione, qua quis ponitiuè refert omnia sua opera totius vitæ, in Deum, inter quæ sunt opera mala malitia veniali: sed sufficit ad simpliciter diligendum Deum super omnia sua, velle efficaciter nihil admittere, quod repugnet diuinæ amicitiæ, & facere quidquid ad illam est necessariũ. Neque requiritur, quòd referat semper omnia opera, vt dicatur esse verè amicus & verè diligere Deum super omnia sua. Eò præsertim, quòd cum amicitia perfecta, se compatiuntur leues quædam offensæ, vt patet etiã in humanis. Secundò respondetur, quòd licèt homo nõ possit transigere vitam, sine venialibus, potest tamen per Dei gratiam, pro aliquo tẽpore, esse sine veniali, & cũ voluntate efficaci, seu proposito nunquam illud admittendi. Et tunc poterit se, & omnia sua simpliciter referre in Deũ. Neque obstat dicere, quòd iste homo peccabit postea venialiter. Nã etiam poterit peccare mortaliter; & hoc non obstante, verificatur pro eo tempore, quo habet dilectionem illam, quòd habet voluntatem efficacem, nunquã peccandi mortaliter.

*Nota.4.* Tandem obserua ex D. Tho. hic, quòd homo pro hoc statu deficit à dilectione Dei super omnia, secundùm appetitum voluntatis rationalis, & dicit notanter D. Tho. secundùm appetitum voluntatis rationalis: Quia secundùm appetitum naturalem, & secundùm naturam corpoream, diligit homo Deũ, nõ secùs atque aliæ res diligũt ipsum; & sicut aqua potius pateretur sui iacturam, quam permitteret vacuum; ita dicendum est de appetitu naturali innato non elicito qui inuenitur in qualibet potentia hominis, respectu Dei. Vndè, quamuis in voluntate rationali: saluetur id quod est naturæ, & voluntas sit natura quædam; tamen non est pura natura præcisè, sed cum hoc est intellectualis, rationalis & libera. Quocircà, vt est talis natura, nempe libera & rationalis, & vt fertur in Deum appetitu elicito naturali in natura lapsa & corrupta, ex suis viribus, non diligit Deum naturaliter; pluſquam se, ideſt ex se ipsa non diligit, vt rationalis & libera in statu corrupto, sine adiutorio superaddito, Deum super omnia; appetitu tamen naturali non elicito, sicut aliæ res, diligit homo Deum, pluſquã se. Quò fit, vt quoniam ex corruptione peccati, sequuta est in homine pronitas ad malũ, & difficultas ad bonum rationis, quia factus est infirmus, & ob id non potest opera hominis sani facere, cuius est Deum super omnia diligere; Imouerò, cùm sit per corruptionem, peccati affectus hominis recuruatus ad se ipsum, propter inordinationẽ partiũ inferiorũ, quæ directè circà terrena versantur, tanquam circà propria bona; Idcirco, nisi sanetur voluntas per gratiam Dei, non diliget Deum super omnia, & suprà se. Nam quamuis diligere Deum, sit quid connaturale omni creaturæ, & homini in natura integra; (aliàs esset deterioris conditionis, quam quæcùmque alia creatura) nihilominùs post corruptionem peccati commissi, ob sui defectũ, non valet super omnia, & supra se Deũ diligere, sine gratia. ¶ Suppono etiam, quòd cùm Deus sit summum bonum, & principium communicationis beatitudinis supernaturalis, illi debetur summus amor, non tantùm secundùm rationem summam diligendi, sed etiam secundùm summum modum, ita vt illa excellentia attendatur, non tantùm penes excessum dilectionis Dei ad dilectionem creaturarum; sed etiam penes comparationem dilectionis Dei, ad dilectionem Dei, quoad rationem & modum diligendi. Altior namque est ratio diligendi Deum, prout est origo beatitudinis supernaturalis, quam prout est origo ipsius esse naturalis, & beatitudinis naturalis. Et pari ratione, modus & perfectio dilectionis procedentis ex natura eleuata per donum aliquod, maior & melior est, modo dilectionis procedentis ex natura tantùm.

His ita prælibatis, est prima conclusio. Homo pro prijs viribus, non potest sine auxilio gratiæ, velle bonum supernaturale, sub tali ratione formali. Hæc est de fide, & pertinet ad priorem articulum huius controuersiæ, quem suprà retulimus. Nam profectò velle bonum supernaturale, sub tali ratione formali, est velle ex charitate, quam homo non potest habere, nisi ex gratia. Ad Rom. 5. Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per spiritum Sanctum, qui datus est nobis. Et 2. Ioan. 4. actu autem spei, qui etiam est actus voluntatis, constat ex illo Pauli. 2. ad Thessalo. 2. Qui diligit nos, dedit consolationem æternam, & spem bonam. Et. 1. Petri. 2. Qui regenerauit nos in spem viuam. Et est diffinita præfata conclusio in Concilio Mileuit. sessio. 5. his verbis: Placuit, vt quicùmque dixerit, ideò nobis dari gratiam, vt quod facere per liberum arbitrium poteramus, faciliùs agamus, tanquam & si illa non daretur, possimus sine illa implere præcepta diuina; Anathema sit. Et idem docent Innocent. epist. ad idem concilium, & Cæleſt. epist. 2. cap. 12. Et idem definitur in Arauſ. Cano. 7. De qua re latissimè Aug. contra Pelagi. epist. 107. & de gratia & libe. arb. cap. 18. & 19. & 21. de ciuit. cap. 25. Greg. 33. moral. cap. 25. Et attendẽdũ est illud Ioan. 6. Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum. Itur autem ad Deum per huiusmodi actus: igitur voluntas, prorijs viribus non potest sine auxilio gratiæ, velle bonum supernaturale, sub tali ratione formali. Nam potentia & obiectum, debent proportionari, atque adeò debent esse eiusdem ordinis: igitur voluntas destituta auxilio gratiæ, & intrà latitudinem suarum virium præcisè, non potest velle bonum supernaturale, sub tali ratione formali, nisi ita eleuetur per supernaturale auxilium, vt fiat eiusdem ordinis, cum illo obiecto. Nam profectò, cùm natura non attingat aliquid supernaturale, non potest dare virtutẽ in ordine ad illud. Quia si vis actiua potentiæ, est naturalis, quomodo id quod fit est supernaturale, in sua substãtia, cũ effectus nõ possit excedere virtutem causæ. Imouerò, si voluntas destituta auxilio gratiæ, ex solis naturalibus, posset velle supernaturale bonum sub tali ratione formali, sequeretur quòd non esset mera gratia, quòd

*Prima.cõcl*

*Rmo.5.*

*2.Ioan.4.*

*2.Thessa.2*

*1.Petri.2.*

*Conc.Mileui.*

*Innocentius*

*Cæleſtinus*

*Conc. Ara.*

*D. Auguſt.*

*D. Gregor.*

*Ioan.6.*



quòd eleuaretur potentia ad actum supernaturalem, sed quid naturaliter debitum, tanquam complementum potentiæ. Vndè, rationes factæ in art. 1. huius quæstionis. 109. disputatione. 3. idem confirmant, quæ hic maiorem habent vim, quantò difficilius est diligere Deum finem supernaturalem, quã eius dictis fidem adhibere. Si ergo obiectum & potentia, necessariò debent proportionari, sequitur quòd sicut intellectus indiget supernaturali auxilio, quo eleuetur ad verum supernaturale, tendendo in ipsum sub tali ratione supernaturalitatis, ita voluntas ad bonum supernaturale indiget auxilio supernaturali.

*Argumẽtũ* Sed contra obijciunt aduersarij. Quia auxilium supernaturale, vel requiritur, quia res amanda, est supernaturalis, & hoc non: quoniam peccator, saltem actu inefficaci, tendit in obiectum supernaturale, & hæreticus credit res aliquas supernaturales. Vel requiritur supernaturale auxilium, quia res diligenda, est amanda super omnia, & hoc non. Quia penes hoc, eadem difficultas est in amando Deum super omnia, vt est finis naturalis, & vt est supernaturalis: sed illud primum potest: ergo & hoc secundum. Vel requiritur supernaturale auxilium, propter modum tendendi in tale obiectum, & hoc est quod quæritur in præsenti, & in quo consistit potissimè difficultas. Quam vt aperiamus, fingamus aliquem angelum, habentem fidem, vel clarè videntem Deum trinum & vnum; destitui omni auxilio supernaturali ex parte voluntatis. Tunc in omni sententia potest diligere Deum finem naturalem, super omnia. Quòd verò possit diligere Deum finem supernaturalem, quidquid sit de ratione subqua diligit, probatur. Quia non solum potest, sed etiam est necessitatus talis angelus ad amandum illud bonum summum, quod videt: sed tunc videt summum bonum supernaturale: ergo. Si dicas beatum illum diligere super omnia, Deum finem supernaturalem materialiter, & non formaliter, sub ratione consona obiecto supernaturali vt sic. Contrà; Ratio formalis obiecti; est bonitas supernaturalis: sed tunc voluntas amat tale obiectum propter illam bonitatem vt sic: ergo propter illam rationẽ formalẽ obiecti supernaturalis. Minor probatur: Quia amat Deũ, vt est author gratiæ, & gloriæ, & prout manifestatur per visionẽ beatã: sed manifestatur, vt author supernaturalis: ergo. Item: suppo namus, Deum tunc non cognosci, vt est author naturalis: ergo non amatur, vt est author naturalis: ergo vt supernaturalis. Dices, Amare Deum finem supernaturalem, sed amare illum sub ratione naturali, quod fit diligendo ipsum, vt est obiectum beatitudinis supernaturalis, quam nemo potest proprijs viribus assequi, & vt præcipientẽ aliqua, quæ nemo potest proprijs viribus adimplere. Et ob id, quia ad hoc non habet vires, non tendit in tale obiectum, sub ratione formali talis obiecti. Sed contra: Quia hæc solutio, apertè petit principium. Nam inquirimus, cur homo proprijs viribus nõ possit diligere Deum finem supernaturalem? & respondetur, quia nõ potest eius præcepta supernaturalia implere, eisdem viribus, ideſt, quia non potest amare Deum finem supernaturalem, & similia &c. Vndè, argumẽtum simul concludit, posse hominem proprijs viribus seruare præcepta supernaturalia. Quod sic ostẽditur. Nam ille angelus, obseruat præceptum dilectionis supernaturalis, & eodem modo potest alia. Quòd autem obseruet dilectionis supernaturalis præceptum, probatur: Quoniam diligit Deum finẽ supernaturalem, super omnia. Vel debes assignare rationem, cur non obseruet, & quid ei deficiat, vel talis actus dilectionis, in quo deficiat ab eo, quo nunc defacto diligit Deum per charitatem. Sane, in nulla ratione intrinseca videtur differee, sed solùm in principio extrinseco, à quo procedit, quod non variat rationem actus, sicut actus prudentiæ naturalis, qui est à sola potentia, non videtur differre, sed omnino est eiusdem speciei, cum actu prudentiæ elicito ab habitu prudentiæ.

Ad hanc obiectionem seu argumentum sunt qui dicant, in tali casu Beatum illum non indigere auxilio supernaturali, ad actum charitatis & dilectionis. Sed contra: ergo neque viator indigebit: Quòd si indiget auxilio, vel indiget illo, quia potentia est improportionata ad obiectũ; & hoc non, cùm similis improportio sit in dicto casu. Vel quia non potest diligere super omnia; & hoc etiam non obstat: Quia habet vires ad finem naturalem super omnia diligendum, cùr non ad supernaturalem? quia sub excellentiori ratione apparet. Vel quia non videt Deum clarè; & hoc non. Quia obiectum vt sic, non requiritur, quòd sit cognitum euidenter; sed sufficit obscurè. Nam aliàs non posset efficaciter diligere Deum finem naturalem, qui ipsum non scientificè cognosceret. Et argumentum suprà positum, non solum concludit de angelo videnteDeum, sed etiam de habente tantùm fidem illius: ergo sicut angelus non indiget auxilio supernaturali, ita neque homo. Tandem: Quia secundùm hanc solutionem, saltem angelus viribus naturæ, poterit diligere Deum finem supernaturalem, formaliter, quod est contra fidem, & contra fundamentum illud, quòd potentia & obiectum debent proportionari.

*Solutio.*

*Replica.*

¶ Secundò dici potest, tunc angelum non posse exire in actum ex defectu virium, in ordine ad tale obiectum supernaturale. Quocircà, amabit quidem Deum finem naturalem, quem implicat non repræsentari videnti essentiam diuinam; non tamen tendet in obiectum supernaturale. Sed contra: Quia licèt auxilium sit necessarium ad modum formalem consonum tali obiecto; non tamen ad tendendum in ipsum obiectum, materialiter. Dico autẽ in obiectum materialiter, non solùm quia tendendo in Deum finem naturalem, tendit in rem, quæ est supernaturalis: sed quòd tendat in rem ipsam supernaturalem, quatenus vt sic cognoscitur, licèt nõ cum proportionato modo ex parte potentiæ: Licèt enim non possit credere res supernaturales, propter motiuum fidei diuinæ, sine supernaturali auxilio; benè tamen propter motiuum naturale. Et præterea, si ad actum inefficacem Dei finis supernaturalis, non requiritur auxilium supernaturale, vt omnes concedunt cum Caiet. 2. 2. q. 3. art. 8. & 1. p. q. 12. art. 1. & Soto. 1. de natura & gratia cap. 22. & in. 4. d. 17. quæst. 2. art. 5. ergo neque ad actum efficacem. Nam efficacia actus, non mutat rationem formalem obiecti; sed dicit maiorem conatum, aut affectum,

*Solutio.*

*Replica.*

vel applicationem potentiæ. Item: Nam charitas, non solùm concurrit ad actum efficacem, sed etiã ad alios inefficaces, seu minus efficaces. Sicut ergo actus inefficax qui est à charitate, & actus inefficax, qui est à peccatore, quamuis conueniant in modo efficaciæ, & in obiecto materiali; nihilominùs tamen differunt formaliter. Quia vnus tendit sub ratione supernaturali, alius non item. Et ita, potest saluari similis differentia, inter duos actus efficaces, respectu eiusdem obiecti materialis. Præterea: Quia rem supernaturalem, nempe charitatem, vel supernaturale auxilium, possumus efficaciter desiderare, sine auxilio supernaturali, vt dicemus infrà: ergo. Item etiam: Quia rem naturalem possumus diligere, amore supernaturali: ergo rem supernaturalem, amore supernaturali. Vndè, plerique concedunt, nos habere appetitum naturalem ad Deum clarè visum, ideſt, ad finem supernaturalem: Quòd si conceditur appetitus naturalis, cur non elicitus? Tandem; Nam qui est in peccato, putans se esse in gratia, efficaciter vult abstinere se, propter gloriam supernaturalem obtinendam; atque adeò propter idem obiectum, ac si esset in gratia, quidquid sit de ratione formali tendendi: ergo similiter angelus diligit efficaciter finem supernaturalem. Et sicut solet dici de illo, qui abstinet, quòd fallitur in eo quod putat, se abstinere propter, motiuũ supernaturale formaliter: ita etiã angelus falleretur, si iudicaret, se tẽdere in obiectũ supernaturale formaliter quod nõ iudicat: imò ille qui abstinet, nullo modo fallitur in illo actu directo, quo vult efficaciter abstinere, ꝓpter Deũ finẽ supernaturalẽ: In hoc enim actu, nullꝰ est error, nec speculatiuus nec practicus. Quiare dicipotest, angelũ tũc diligere super omnia Deũ, finẽ supernaturalẽ, materialiter, & nõ formaliter, ita vt supernaturalitas sit ratio quæ. Quod autem non sit ratio formalis, sub qua potissimum habet fundamentum, quod desumitur ex fide, & ex fundamentali illa ratione, sæpiùs dicta, quòd potentia naturalis, est improportionata obiecto supernaturali. Vndè, licèt non possimus nos, rationem materialẽ & formalẽ, satis distinguere, ex illis fũdamẽtis colligimus, circà obiectum supernaturale formaliter vt sic, non tendere potentiam, nisi quando est eleuata, per auxilium supernaturale. Sicut dictum est de illo, qui dum est in peccato, abstinet propter motiuum supernaturale. Quia licèt habeat iudicium speculatiuum, elicitum à fide, quòd est bonum abstinere propter illum finem; illud tamen dictatur postea, à prudentia; practicę à prudẽtia, inquã naturali, & modo naturali, & non à supernaturali. Atque adeò tendit in obiectum vniuocando illud, & rationem supernaturalem, cum naturali. Neque mirum est tunc illum decipi, si putet se tendere in supernaturale formaliter, sicut fallitur, qui inanem videns nubem viridem, putat se tendere in coloratum vt sic; cùm tamen reuera non tendat, nisi in lucidum vt sic. Qui modus deceptionis, in actibus supernaturalibus, est frequentior. Imouerò est certum, nos non posse certò condistinguere actum naturalem, à supernaturali; aliàs possemus esse certi, vtrùm simus in gratia, nec ne. Aduerte tamen, dilectionem illam obiecti supernaturalis, non esse dicendam efficacem; cùm in virtute illius non possit homo, non solum omnia, sed neque singula præcepta supernaturalia, obseruare; vt patet de præcepto fidei, sicut iam dictum est. Ex quo etiam colligimus, non tendere sub ratione formali supernaturali. ¶ Sed contra. Illud obiectum est supernaturale: ergo potentia naturalis, non potest vllo modo in illud tendere. Patet consequentia. Quia potentia naturalis, non fertur, nisi in bonum naturale, quod est suum obiectum: sed illud non est bonum naturale: ergo &c. Neque sufficit dicere, quòd vniuocat illud cum bono naturali: Quia ista vniuocatio, non potest intelligi, nisi ex parte intellectus repræsentantis: sed intellectus non repræsentat nisi bonum supernaturale vt sic; ergo non proponit obiectum proportionatum potentiæ naturali. Quod ampliùs explicatur. Nam si intellectus proponit aliquid, & proponendo, simul asserit, non esse obiectum voluntatis, vt, Verbi gratia, malum vt sic; Tunc non potest voluntas in illud tendere; sed dùm proponit bonum supernaturale, simul asserit, hoc non esse obiectum potentiæ naturalis: ergo. Respondetur tamen, hanc formam argumenti, etiam habere locum, quandocùmque tendimus in obiectum supernaturale, vt credendo fide acquisita, quòd Deus est author supernaturalis; & etiam cùm obiectum supernaturale diligimus actu naturali, & inefficaci. In omnibus ergo dicimus, nunquam desumi rationem formalem ex obiecto materiali: sed ex ratione formali, sub qua in illud tenditur, quæ cùm in his omnibus sit naturalis, nihil refert, quòd obiectum sit supernaturale. Sufficienter ergo vniuocatur per hanc rationem tendendi naturalem; præsertim, quia sicut potest intellectus cognoscere ens vt sic, abstrahendo ab eo, quòd sit verum, licèt quod abstrahitur sit etiam verum; ita potest tendere in obiectum supernaturale, ea ratione, qua verum est, & voluntas ad bonum supernaturale, quatenùs bonum est, non reduplicãdo supernaturalitatem, licèt ibi specificatiuè includatur. Sed dices: ergo etiam modò in natura lapsa, homo poterit sine auxilio gratiæ diligere Deum super omnia finem supernaturalem, illo modo. Respõdetur, homini taliter disposito, adesse auxilium supernaturale, vt formaliter efficiat actum supernaturalem; quamuis ad materialem, non per se requiratur. Dico autem materialem, eum qui est circa idem obiectum materiale, licèt non sit eiusdẽ substantiæ, cum supernaturali.

*Replica.*

*Appendix*

Ex dictis sequitur, per actus nostros, tripliciter posse nos tendere in Deum, primò in illum, vt est author naturalis, & finis naturalis, primaque rerum causa. Et hoc modo, in naturalibus tenderent homines in Deum, per actus elicitos, & vt sic tendimus in Deum, finem supernaturalem, purè naturaliter. Itaque, Deus author supernaturalis, respectu horum actuum, nõ se habet, neque vt ratio formalis quæ, nec sub qua; sed habet se vt dulce ad visionem: tendit enim visus ad dulce, non vt sic, nec sub ratione saporis, sed in coloratum, quod est dulce. Secundo modo tendimus in Deum finem supernaturalem, ita vt licèt superna turalitas, non sit ratio formalis sub qua; sit tamen ratio formalis quæ, & obiectum quod; & tunc habet se ad actus nostros, sicut bonum ad intellectum: licèt



cèt enim intellectus non tendat in bonum, sub ratione formali boni, sed sub ratione veri, at sub ista sua ratione, attingit ipsum bonum. Hoc igitur modo dicimus, voluntatem posse tendere in Deum finem supernaturalem, ita vt supernaturalitas sit ratio formalis quæ, non verò sub qua: sicut respectu intellectus bonitas obiecti, est ratio formalis, quæ attingitur & cognoscitur, non verò sub qua. Et hoc tantum intendunt plures ex familia D. Tho. qui citari solent pro prima solutione, suprà impugnata. Et hoc fortè tantùm vult Pater Soto. 1. de natura & gratia, cap. 22. Imo verò, hoc planè concedunt ferè omnes qui dicũt, actum charitatis esse naturalem, quoad substantiam; & illi Doctores, qui opinantur nos habere appetitum naturalem, ad Deũ clare visum. Hi nanque, non ponunt istum appetitum in ordine ad Deum finem supernaturalem, vt dicit rationem sub qua, neque in ordine ad Deum, etiam vt dumtaxat finis naturalis; sed in ordine ad Deum finem supernaturalem, vt dicit rationem formalem, non sub qua, sed quæ. Tertio modo tẽdimus in Deũ supernaturalem, & etiam sub ratione supernaturali; & hoc non fit, nisi per auxilium supernaturale. Sicut in obiectum Philosophiæ, & sub tali abstractione, non tendimus per alium habitum, nisi per Philosophiã, licet sub alia abstractione, circa illud obiectum per aliam scientiam, versari possimus. Quocircà, in præ dicto casu ille non tendit sub ista ratione formali, sed sicut hæreticus credit aliquid fidei; quia secundùm rationem naturalem, id sibi videtur credibile; taliter, vt si ipse iudicaret, non esse credibile secundum rationem naturalem, minimè crederet; ita diligit Deum finem supernaturalem; quia secundum rationem id sibi videtur bonum, & diligibile taliter, vt si iudicaret ipse, non esse bonum, secundùm rationem naturalem, non illud faceret. Et ita, vt ex vi talis dilectionis, non diligeret Deum, si ratione naturali non appareret conueniens. At verò modus supernaturalis, vincit omnino rationem naturalem, & est supra totam naturam: tendit ergo in illud, vt vniuocatum cum bonis naturalibus, ideſt, quia ab initio expressè vel virtualiter, proponitur vt conueniens cum bonis naturalibus. Et quia ratio sub qua, in obiecto sumitur ex modo tendendi ipsius operationis; qui modus, vt refunditur in obiectum, est ratio sub qua terminat, & specificat operationem; idcircò, cùm operatio sit intrinsecè specificata, per obiectum, vt stat sub modo; si modus est naturalis, etiam operatio. Et cùm operatio sit naturalis, colligitur, quòd sit etiam modus naturalis. Hinc colligitur, quòd ratio sub qua obiecti, respectu istius operationis, sit etiam naturalis, & quia ex ratione sub qua, denominatur absolutè obiectum, idcircò dictum est non tendere in obiectum super naturale formaliter, sed materialiter, ad modum explicatum in præcedentibus. Et hæc satis sint de hac conclusione.

*Conclus. 2.* Secunda conclusio. Loquendo de dilectione perfecta, & efficaci, nemo potest sine auxilio gratiæ, diligere Deum super omnia, vt est finis vltimus supernaturalis, & sub ratione talis finis; & consequẽter nemo potest diligere Deum super omnia, viribus naturæ, vt oportet, ad obtinendam gratiam, & vitam æternam. Hæc est de fide, & ita vt talem, eam recipiunt Catholici Theologi. Quia hæc dilectio, supponit gratiam & charitatem, Ioan. 14. Qui diligit me, diligetur à patre meo, & ego diligam eum. Ad Rom. 5. Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum. Et quoniam hæc conclusio, sequitur ex præcedente, eisdem definitionibus & scripturæ testimonijs, probatur. Vndè, in Concil. Arausic. c. 25. & infrà definitur, credendum esse secundùm scripturas, & Patrum traditiones, quòd nemo potest diligere Deum, sicut oportet, nisi gratia eum, & misericordia diuina præuenerint. Et idem in Triden. sessio. 6. cano. 3. D. Aug. lib. 5. contra Iulian. cap. 5. ait, quòd amor quo Deus gratis amatur, in nobis esse non potest nisi ex ipso. Idem docent Gregor. & Bernard. locis suprà citatis, præsertim Bernar. lib. de diligendo Deum. Difficile (inquit) imo impossibile est, suis quempiam, liberi ve arbitrij viribus, semel accepta à Deo libertate, ad Deum ex toto conuertere voluntatem, & non magis ad propositum retorquere, &c. Neque obstat expositio aliquorum, scilicet, hæc testimonia intelligi debere, solùm de dilectione meritoria vitę æternæ: Quia Sancti & Concilia, absolutè loquuntur, de perfecta dilectione Dei. Item: Quia actus, ex eo est meritorius, quia habet rationem amicitiæ diuinæ, & supernaturalis: sed dilectio Dei super omnia, de qua loquimur in conclusione, est intrinsecè, & essentialiter, actus perfectissimę amicitię supernaturalis: ergo non potest non esse meritoria. Confirmatur. Quia in illo actu, saluatur tota ratio formalis charitatis supernaturalis: fertur enim in obiectum ipsius formalissimum: ergo est eiusdem valoris, atque meriti apud Deum, sicut actus à charitate elicitus. Rursùs, ratione probatur conclusio: Quia (vt dictum est sæpe) obiectum & potentia, debẽt proportionari: sed obiectum formale dilectionis prędictæ, est omnino supernaturale: igitur potentia naturalis nudè accepta, non potest ferri in illud. Item etiam: Quia plùs est diligere Deum super omnia, sub ratione finis vltimi supernaturalis, quam assentiri veritatibus fidei, sub ratione diuinæ reuelationis supernaturalis; sed adhoc requiritur donum fidei supernaturale: ergo. Præterea probatur: Quoniã prædicta dilectio, virtualiter excludit omne peccatum, & includit obseruantiam omnium mandatorum: sed adhæc non potest homo, solis viribus naturæ: ergo neque ad illum. Sanè, ea omnia argumenta quæ ostendunt, non posse hominem diligere Deum super omnia, vt est finis naturalis, à fortiori ostendunt hanc conclusionem.

*Ioan. 14.* *Rom. 5.* *Conc. Arauſ* *Conc. Trid.* *D. Aug.*

*Concluſ. 3.* Tertia conclusio. Omnis dilectio consequens cognitionem supernaturalem, requirit auxilium supernaturale, ex parte intellectus, non solùm vt intellectus eliciat talem cognitionem, sed etiam vt per illam causet in voluntate, dilectionem. Hæc cõclusio sequitur ex præcedentibus, & fundatur in eis: Quia nulla causa operatur, nisi concursu causæ primæ, qui sit eiusdem ordinis, cum causa secunda: ergo cognitio supernaturalis; non causat dilectionem, nisi secum concurrente Deo supernaturaliter Quia tamen aliquando contingit, quòd ex actibus supernaturalibus, cum alia causa naturali, prodeant actus naturales, qui ex parte causæ naturalis, non requirunt supernaturalem concursum Dei; tunc ex

parte voluntatis,non requiritur concursus Dei supernaturalis,quamuis requiratur ex parte dilectionis supernaturalis. Vt, cùm ex actu charitatis & ex voluntate,elicitur aliquis actus virtutis acquisitæ: tunc enim non requiritur ex parte voluntatis,vt dictum est,supernaturalis Dei concursus,licèt ex parte dilectionis supernaturalis, optimè requiratur. Sed Dubitabit aliquis,Vtrùm dilectio consequens cognitionem supernaturalem, necessariò requirat auxilium supernaturale,ex parte voluntatis,præter illud,quod requirit ad hoc vt cognitio supernaturalis,causet huiusmodi dilectionem? In qua re,aliqui Theologi dicunt,quòd non requiritur necessariò auxilium,ex parte voluntatis, & quòd hoc probant ferè omnia argumenta, suprà posita in principio huius controuersiæ.Mihi tamen videtur, vtendum esse distinctione: Quia si dilectio,quæ sequitur,efficax est & ex toto corde, ea quidem requirit auxilium ex parte voluntatis; secus verò illa, quæ non est huiusmodi. Vndè,vt rem hanc amplius aperiam,subijciam sequentem assertionem.

*Conclus.4.* Quarta conclusio. Loquendo materialitèr & ex parte obiecti,optimè potest homo,solis viribus naturæ, diligere Deum finem vltimum supernaturalem;Imouerò potest diligere Deum super omnia, dilectione imperfecta & inefficaci,quatenus est obiectum beatificum,& finis supernaturalis vltimus. Nam quilibet fidelis,quantumuis peccator,& destitutus gratia Dei,vellet consequi finem vltimum supernaturalem,& vellet placere Deo in omnibus,& per omnia,in ordine adhunc finẽ:nõ tamẽ vult simplicitèr,ex toto corde,& perfectè.Hanc conclusionem ostenduntfacta argumenta in principio dubij. Et à simili persuadetur:Quoniam potest quis, solis viribus naturæ,credere veritates supernaturales materialitèr,vt patet in hæretico credente .Trinitatẽ, & incarnationem : ergo pari ratione dicendum est de dilectione sumpta materialitèr,&ex parte obiecti.Item, experimur nullum esse ferè fidelem,vt diximus,quantumuis malum , qui non velit sibi beatitudinem,& finem vltimum supernaturalem, quẽ fide cognoscit:ergo.

Sed interrogabit aliquis; Qualitèr sit concedendum,vel negandũ,quòd possit homo diligere Deũ vt est finis vltimus supernaturalis, quoad substantiam actus,non quoad modum?Et quidem,ex superiùs dictis,si quis rectè ea pensauerit,sequitur huius

*Conclus.5.* dubitationis solutio. Vndè,quinta conclusio sit . Si per substantiam actus,intelligitur totum quod pertinet ad essentiam specificam ipsius, & permodum actus,intelligitur hoc,quod est fieri meritoriè; negandum est omnino,quòd possimus solis naturę viribus,habere illam diuinam dilectionem super omnia,etiam quoad substantiam actus.Et in hoc sensu, videntur intelligendi Durãdus & Scotus.Nõ enim potest homo in natura lapsa,imouerò neque in natura integra,viribus naturæ,implere præceptum dilectionis Christianæ,& amicitiæ Christianæ Dei super omnia,quantum ad substantiã actus modo prædicto.Nam.S.Thom.1.2.q. 100.art.10.ad.2.ait, quòd sub præcepto charitatis,continetur modus,vt diligatur Deus ex toto corde.Et idcirco,non potest homo implere hoc præceptum,nisi se & omnia sua ita referat in Deum,vt nihil contrarium eius amicitiæ admittat:igitur huius præcepti substantia est,vt diligatur Deus ex toto corde super omnia: ergo existens in mortali, nõ adimplet hoc præceptũ,etiam quantùm ad substantiam operis. ¶ Si verò per substantiam,intelligatur actus,quoad materiale,& per modũ intelligatur ratio specifica,& formalis actus; sic verum est quòd possumus habere prædictã dilectionem,quoad substantiã actus,ex viribus naturæ: Quia hoc est solùm habere dilectionem imperfectã & obiectiuam,quæ solùm materialitèr feratur in finem vltimum supernaturalẽ.Et quidem,in hoc sensu loquitur tantùm Patet Soto,cùm ait, quod possumus per vires naturæ,diligere super omnia Deũ finem supernaturalẽ,quoad substantiam actus, non quoad modũ.Vndè,malè damnatur Soto à quibusdam in hac parte:Neque enim ille dixit,quòd quis in peccato mortali existens, diligit Deũ super omnia,dilectione amicitiæChristianæ.Nã(vt liquet ex S.Thom.q.100.art.9.imouerò exAriſt.2 .Ethicorũ) ad modum virtutis pertinet,quòd actus fiat, ex intentione finis proprij, & intrinseci ipsius virtutis. Nam si aliquis velit facere quod iustum est, & non propter finem iustitiæ, materialitèr quidem facit actum iustitiæ;sed non seruat modum intrinsecum illius virtutis.Et talis modus,non est quid accidẽtale,aut extrinsecum ipsi virtuti,sed intrà rationem formalẽ,& specificam ipsius : vt habetur ex S.Tho. 2.2.q.44.art.4.ad.1.Sic ergo dicimus, quòd diligere Deum super omnia,ex vera & perfecta intentione finis vltimi supernaturalis,quòd est diligere ipsum ex toto corde;est modus intrinsecus ipsius dilectionis diuinę,pertinẽs ad essentiam & speciem illius.

Sexta conclusio.Sententia Caietani dicentis,posse hominẽ ex naturæ viribus,sine gratia,& charitate,etiam in peccato mortali, diligere super omnia Deum, vt est obiectum supernaturale; periculosa valdè est in fide, imouerò erronea: hac enim nota inuritur à suæ familiæ Theologis.Et vt semel Caietani phantasiam explicemus,aduerte, eũ in opusculis,Tom.2.q.1.de attritione,& contritione, dixisse, dari contritionem acquisitam, & loquitur de contritionevt distinguitur ab attritione. Imouerò dicit dari verã contritionẽ informem, ab attritione distinctam,quam ille dicit esse acquisitam,nostrisque viribus cõparatam.Quòd si roges à Caietano,Quid sit hæc contritio acquisita?Respondet,quòd est displicentia peccati suprà omne odibile,cùm propositum vitandi peccatũ suprà omne vitabile, ex amore Dei suprà omne amabile.Et hanc dicit,esse contritionem,acquisitam nostris viribus cõparatã& aliàs informẽ.Imouerò ait,contritionẽ acquisitã nostris viribus,esse vltimam dispositionẽ ad gratiã.Verum est,quòd propè finẽ Caiet.inquit,quòd hæc contritio acquisita dicitur vltima dispositio ad gratiam habitualem quatenus Deus per gratuitam directionem, dignatur vti nostra acquisita contritione, vt dispositione vltima ad charitatem & gratiam. En, quantis periculis & procellis agitatur Caietani sententia,& quibus scopulis sit circumsepta . Nã quod primo loco affirmat , hominem ex viribus naturæ, posse Deũ super omnia diligere vt est obiectum supernaturale; Pelagiana sententia est. Etenim,amor rei supernaturalis & super omnia, excedit vires liberi arbitrij,neque est in homine dũ manet in peccato

*Conclus.6.*



Cato.Nã apertissimè dicit Christus Ioan.14.Qui dili
8. git me,diligetur à Patre meo,Et Prouerb.8.Ego diligentes me diligo.Igitur homo in peccato,non diligit Deum,vt obiectum supernaturale , super omnia.Nam benè sequitur, Hic homo diligit Deum super omnia,vt est obiectum supernaturale;& constituit sibi illum pro vltimo fine:ergo diligitur à Deo: ergo est in gratia & amicitia Dei:ergo non in peccato:ergo errat Caietanus.Rursus.Homo qui habet Deum pro vltimo fine,& super omnia ipsum diligit,vt est obiectum supernaturale, detestando peccatum suprà omne detestabile;vel ille est in peccato,vel in gratia : non in gratia iuxta Caiet. sententiam:ergo in peccato mortali . Nam , vt Caietanus credit,omnes illi actus possunt exerceri ab homine peccatore,dùm est in peccato mortali . Quod verò impossibile sit eum hominem esse in mortali;Ostẽdo:Quia ille homo non est auersus à bono incommutabili:ergo non est in peccato mortali.Patet antecedens.Quia talis homo habet Deum pro vltimo fine,& detestatur peccatum suprà omne detestabile,ex amore Dei suprà omne amabile , vt Caiet.ait: igitur non est auersus ab vltimo fine .Pleraque etiã alia diximus suprà , quibus Caiet. sententia apertè impugnatur.Quòd verò contritio , vt distincta ab attritione,non procedat ex viribus naturalibus, neque sit acquisita , tanquam dogma catholicum defendere oportet.Contritio namque , nasci non potest,nisi ex auxilio speciali Dei supernaturali, præueniente liberum arbitrium , & simul infundente habitum pœnitentiæ,ex quo actus contritionis elicitur.Vnde,ex timore filiali oritur contritio , & ex
*Ierem.31.* Deo supernaturalitèr mouente.Nam Ierem.31.legi
*Threnor.5.* tur . Conuerte me domine , & conuertar. Et Thenor.5. Cõuerte nos domine ad te,& conuertemur.
*Rom.9.* Imò verò Paulus,Rom.9.comparat hominem secũdùm vires naturales,luto , quod non solùm à figulo efformatur,sed mollefit & disponitur,vt formam
*D. August.* recipiat.Et D.August.lib.3. Hypognost. contra Pelag. determinat,q; homo per liberũ arbitriũ,nec incipere valet,nec perficere,nisi speciali diuino subsidio præueniatur.Sanè, contritionis obiectum , est Dei offensa suprà omne detestabile detestanda, & ex amore Dei suprà omne diligibile orta : hoc autem non pertingunt vires naturales: Quia conuersio in Deum,est opus supernaturale; Neque quis naturalitèr potest se vltimatè ad gratiam disponere.
*Conci.Trid.* Imouerò,iustificationis exordium in adultis, à præueniente gratia sumendum est,vt definitur in Concil.Trident.sessione.6.cap.5.Vide rursus,quo pacto vera esse possint,quæ Caietanus dixit. Nam de attritione, quæ voluntatem peccandi excludit,cum speueniæ,dicit Concil.& esse donum Dei , & spiritus Sancti impulsum:ergo minùs rectè dixit Caiet. hominem posse habere ex suis viribus contritionem, cum displicentia peccati suprà omne odibile , & cum proposito vitandi ipsum suprà omne vitabile, ex amore Dei supra omne amabile. Vnde. Concilium Trid.sessio.14.ca.4.apertè contra Caietani sensum pronunciat. Nam & de attritione ipsa qualem ibi describit,dicit esse Dei donum,& spiritus Sancti impulsum . Sed de hoc aliàs . Legendus est tamen Pater Soto,in 4.dist.14.quæst.2. artic.5. &.6.&. dist.17.quæst.2. art.4. & .5. & Pater Medina , super hunc articulum contra Caietanum.

Hoc loco interrogare solent plerique Theologi, Vtrùm actus dilectionis ortus ex viribus naturalibus,differat specie ab eo , qui procedit ex habitu charitatis , aut ex auxilio supernaturali , tenente se *Conclus.7.* ex parte voluntatis?In qua re sit septima Conclusio Dilectio Dei,quæ procedit ex auxilio speciali, specie differt à dilectione,quæ procedit ex naturæ viribus,& à fortiori dilectio Dei super omnia elicita ex charitate,differt essentialitèr & specificè , à quauis dilectione elicita solis naturæ viribus , ex parte rationis formalis obiecti,& non solùm differt accidentalitèr & extrinsecè ex parte diuinæ acceptationis , in ratione meriti . Hæc est expressa sententia D.Thom.1.2.quæst. 63. art.4. ad. 3. & in additionib. ad.3.p.q.1.art.7. Vbi ait , quòd attritio nullo modo potest fieri contritio vera,quia differunt specie . Et probat:Quia contritio, procedit ab habitu infuso, & auxilio speciali.Vndè sic argumentor : Dilectio, quæ procedit ab auxilio speciali , non potest elici nec produci à causa purè naturali, vt superius constitutum est : ergo talis dilectio ex sua natura, est altioris ordinis , quam dilectio naturalis , & ex consequenti, est alterius generis & speciei . Hanc eandem assertionem tuetur Gerson Alphabeto.97. partition.1.consideratio.2. de amore gratuito . Et Catherin.lib.5.contra Caiet.censet, prædictam Caietani opinionem, inter errores eius esse numerandam. Hanc eandem assertionem sequitur Pater Soto.1. de natura & gratia cap. 22. Profectò dilectio quæ disponit ad gratiam & facit opera meritoria, ex se & ab intrinseco habet,& sic disponere , & meritum inferre:sed quæ habetur viribus naturæ,non potest ex se,aut ab intrinseco hoc habere:ergo differunt specie.Confirmatur primò: Nam actus, qui ex se non sunt sufficiẽtes dispositiones ad gratiam nec intrinsecè meritorij , etiam si procedant ab auxilio supernaturali , non disponunt sufficienter ad gratiam , nec merentur perse gloriam:ergo si aliqua dilectio secundùm suam speciem,non est meritoria;nec disponit ad gratiam,neque obtinebit hoc etiam si procedat à supernaturali auxilio , eo quòd nõ est supernaturalis perse,sed per accidens.Et sic, dilectio quæ ad gratiam disponit & meretur per se gloriam,specie differt ab ea , cui hæc non competunt. Confirmatur secundò:Nam dispositio , debet esse connaturalis ipsi formæ:sed forma, nempe gratia,est supernaturalis, quoad substantiam : ergo & dispositio,nempe dilectio:ergo differt specie à dilectione orta ex viribus naturalibus . Et confirmatur iterùm tertiò .Nam actus & habitus , debent proportionari:sed charitas est habitus supernaturalis, quoad substatiam:ergo etiam actus,qui ab illa procedit, & consequenter erit specie diuersus , à dilectione naturali.Certè,actus fidei & spei,sunt super naturales quoad substantiam :ergo etiam actus charitatis.Recedat ergo procul Caiet. Qui contritionem acquisitam , & dilectionem Dei super omnia, erga Deum,vt est supernaturale obiectum , ex viribus naturæ esse dicit . Tandem : Si non differunt specie dilectiones illæ , sequitur quòd ex duobus æqualitèr Deum diligentibus , & habentibus eum pro vltimo fine, & æqualitèr dispositis ad gratiam, vnus illam consequetur,nempe,ille qui habet dilectionem

ctionem ex auxilio supernaturali, alter verò non. Quod, suppositа istorum opinione, videtur voluntarium. Nam si vtraque dilectio est æqualis dispositio ad gratiam, & eiusdem essentiæ & speciei, voluntaria videtur eorum solutio.

*Ad argumẽ.* Ad argumenta. Ad. 1. respondetur, quòd voluntas, potest se conformare naturalitèr dictamini rationis purè naturalis, iuxta doctrinam traditam, non autem dictamini, quod intrinsecè supponit obiectum supernaturale, & reuelationem supernaturalem Secundò respondetur, quòd ratio naturalis, supposita diuina reuelatione, dictat quidem imperfectè & speculatiuè, Deum esse diligendum super omnia, vt finis est supernaturalis, non autem practicè & perfectè, vt opus est ad mouẽdũ efficacitèr voluntatẽ. Ad hoc enim necessaria est Dei gratia. ¶ Ad cõfirmationẽ respõdetur, q̃ ille appetitus, licèt sit naturalis, non potest naturalitèr prodire in actum elicitum perfectum, sed tantùm in velleitatem imperfectam. ¶ Ad secundum respondetur, quòd licèt quis fortè posset exponere vitam pro Deo, viribus naturæ; non tamen conuincitur statim quòd id fecerit ex perfecta dilectione Dei super omnia. Nam non repugnat, quòd quis velit mori pro Deo, & tamen nolit quoad vixerit, ab effectu peccati desistere: contingit enim sæpiùs, vt promptior sit homo ad moriendum, occasione oblata, quam ad viuendum sine aliqua delectatione, cui inordinatè afficitur. Dilectio autem Dei super omnia, omnem eius inordinatam affectionem excludit. Quocircà, testimonium illud ita est intelligendum. Maiorem charitatem nemo habet, quam vt mortem oppetat exuendo se ab omni amore proprio, & cæteris omnibus impedientibus consequutionem amici. Vnde, Hæreticus aut infidelis, non verè moritur pro Deo; sed pro sua perfidia, licèt ipse deceptus, putet se obsequium præstare Deo. Aliqui Theologi alitèr respondẽt, quòd ponere vitã pro aliquo, est potissimus actus exterior amicitiæ; velle autem ponere vitã pro illo, non dicitur quomodocùmque potissimus actus interior amicitiæ, sed sub distinctione: est enim in suo genere omnium potissimus, qui præcisè ad particularia obiecta referuntur. Quia per illud velle, datur id quod est maximum, nempe vita; tamen maior amicitia est velle, non solùm vitam, sed etiam simul honorem, famam, & diuitias, pro amico ponere. Quia iste actus, spoliat hominem pro amico, omnium bonorum cumulo. Sed, licèt hic actus, quo homo vult exponere omnia bona pro amico, sit perfectissimus ex parte obiectorum materialium; tamen dabilis est alius perfectior, scilicet, considerata ratione formali sub qua, & modo procedendi, nimirùm cùm ratio formalis sub qua, sit communicatio gratuita: vt docet D. Thom. in hoc art. ad. 3. Et hic actus ita perfectus, nequit haberi sine auxilio gratiæ. ¶ Ad. 3. respondetur, concedendo, quòd non distinguntur illi amores ex diuersitate specifica cognitionum, nec rationum cognitarum mouentium voluntatem ad amorem: sed distinguntur specie, ex rationibus formalibus sub quibus, vt cõtingit in pleriſq; actibus & habitibus; Verbi gratia in sciẽtia & opinione, vel in diuersis sciẽtijs, quæ de eodẽ obiecto, & de eadẽ ppositione esse possunt, & tamen differunt, propter diuersum modum procedendi, vel propter diuersam rationem formalem subqua. Sic igitur in proposito dicendum est. Sed aduerte ex D. Thom. hic, ad. 1. & in materia de charitate, quòd dilectio charitatis, fundatur in communicatione supernaturali & gratuita, qua creaturę rationales communicant, vel communicare possunt de lege ordinaria, cum Deo. Et ob id damnati, qui iam sunt incapaces gratiæ & cõmunicationis gratuitæ cum Deo, non sunt diligibiles ex charitate, teste D. Thom. omnes autem aliæ creaturæ rationales, sic; at verò dilectio naturalis fundatur in naturali societate, & communicatione. Vnde, dilectio ex charitate, est proportionata fidei, & authori supernaturali, ac fini supernaturali; at verò dilectio naturalis est proportionata naturali cognitioni, & potest ab ipsa procedere, licèt etiam posset procedere ab eminentiori cognitione, nempe fidei. In hoc igitur, istæ dilectiones distinguntur specie, quòd altera habet pro ratione formali subqua, cõmunicationem gratuitam; altera verò naturalem. Tandem negatur, quòd amor charitatis sequẽs notitiam beatam, sit diuersæ speciei ab eo qui sequitur fidem. Si dicas. Diuersitas rationis formalis obiecti, diuersificat specie in operatione: sed diuersitas apprehẽsionis, respectu boni, & respectu finis, facit diuersã rationẽ formalẽ sub qua, respectu obiecti volũtatis: ergo cùm visio beata, & cognitio Dei per fidẽ, sint apprehẽsiones, non sola specie, sed etiã genere differẽtes; sequeretur charitatem viæ & Patriæ, & actus ipsarũ, qui sequuntur cognitionem beatã, vel apprehẽsionẽ obscuram fidei, nõ esse eiusdem speciei. Ad hanc obiectionem Pater Medina. 1. 2. q. 1. art. 1, dicit, quòd eadem bonitas diuina, quæ apprehẽditur per visionem claram à beatis, apprehenditur etiam in via per fidem, & consequentèr, cũ eadẽ bonitas proponatur volũtati sub eadẽ ratione, licèt, per fidẽ obscurè, & per visionẽ apertè; idcirco non mutatur ratio formalis obiecti charitatis; & consequentèr eiusdem speciei sunt amor viæ & patriæ. Nam diuersitas apprehensionis, non causat diuersam appetitionem, aut dilectionem secundùm speciem, nisi cùm apprehenditur bonum sub diuersa ratione boni. Cæterùm, hæc respõsio non satis dissoluit propositam obiectionem, & impugnata est à nobis in commentarijs super. 1. quæst. huius p. art. 1. Quò circa, alij Theologi respõdent, quòd apprehẽsio, quam plerique dicunt, esse rationem formalem sub qua, respectu boni & finis, non est apprehensio speculatiua, sed practica: Visio autem beatifica, & cognitio Dei per fidem, non distinguntur in apprehensione practica, sed tantùm in speculatiua: solum enim differunt, quòd altera est euidens & clara, altera verò obscura & ænigmatica. Clarum autem & obscurum, non sunt proprietates pertinentes ad praxim, sed ad speculationem; Et idcircò, diuersitas apprehẽsionis beatificæ, & ipsius fidei, non variant rationem formalẽ sub qua obiecti charitatis, & cõsequentèr non mutant speciem. Et pro nunc, hæc sufficiant ad solutionem argumenti, nam maiora dicemus, si Deus dederit, suo loco. ¶ Ad. 4. respondetur, quòd probat magna ex parte ea, quæ diximus, nempe, posse hominem diligere super omnia Deũ finẽ supernaturalem, materialitèr, non verò formaliter, neque efficacitèr. Vel respondetur, tùnc propriè

*Ad confir.*

*Ad secundũ*

*Obiectio.*

*Solutio.*

*Ad Tertiũ.*

*Ad Quartũ*



priè loquendo non diligere Deum super omnia: Quia id non sufficientèr colligitur ex eo, quòd subeat mortem pro Deo. Quod planè insinuãt Doctores, quando disputãt, Vtrùm adultus cum sola attritione, consequatur effectum Martyrij: sed attritio non est dilectio Dei super omnia: ergo supponunt quòd sine dilectione Dei super omnia, potest quis mori pro Deo. Et D. Paul. dicens: Si tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest; videtur supponere, posse aliquem mori pro Deo, sine charitate. Vndè, in illo casu tenetur non negare Deum, & potest non negare ex viribus naturæ; directè autem & positiuè, non potest diligere Deum finem supernaturalem. Vndè, ad illud euangelij sæpiùs citatum: Maiorem charitatem nemo habet, Dico hoc esse intelligendum, quando ex puro amore illius dat vitam pro illo, ideſt, ille est maximus amor, quo quis etiam propriam vitam offert pro re amata. Aliæ etiam huius loci interpretationes, positæ sunt in præcedente argumento. Sed tamen non sequitur. Permittit se mori, ne illum offendat: ergo ex maximo amore illius, præsertim quando non se offert morti pro illo. Nam in tali casu, semper erit ex perfecto amore illius. Sed tamen quando consequentèr vult virtualitèr, & permittit se mori, non semper censetur ex perfecto amore illius mori. Verbi gratia si quis minetur: Nisi occideris amicum, te occidam: possum nolle occidere amicum, ex maximo amore quo illum diligo, & ista est maxima charitas. Possum etiã nolle occidere propter particulares respectus & speciales causas, vt non sim infamis, & ingratus amico; & tunc potiùs diligo meum honorem. Pari etiam ratione, possum nolle negare Deum, ne ipsum quem maximè diligo, offendam. Et hæc est maxima charitas. Possum etiam id nolle propter turpitudinem huius vitij, etiam si velim manere in alijs peccatis, quæ non ita turpia & fœda mihi videntur. Et hæreticus potest dare vitam pro defensione huius veritatis, quòd Deus est trinus & vnus: Et tùnc, manifestum est non diligere Deum super omnia. In casu ergo argumenti, motiuum propter quod homo ille permittit se mori, non est purus Dei amor, sed imperfectus; Sicut quando operatur quodlibet aliud opus bonum, vt quando tribuit eleemosynã propter Deum, licèt sit in peccato; atque adeo potest aliquis dare vitam pro alio, quem non super omnia diligit, vt aduertit Pater Vega. 6. in Trident cap. 23. Quamuis enim quis exponat vitam pro amico, aut Republica; non tamen illam super omnia diligit, sed tantùm super vitam, quam non diligeret suprà honores, aut suprà liberos. ¶ Ad Quintum respondetur, posse voluntatem per vires naturæ, habere actum circa Deum ostensum per fidem; imperfectum tamen & inefficacem: sed ex diuino auxilio poterit habere dilectionem perfectam, & hoc sufficit ad libertatem voluntatis. Vndè, non necessitatur ad habendum actum repugnantem illi fini. ¶ Ad sextum. Posset negari minor: Sed meliùs respõdetur negando maiorem. Ratio enim propter quã non possumus diligere Deum formalitèr, sub ratione finis vltimi supernaturalis, non tam est difficultas impedimenti ex parte amoris proprij, quam excellentia ipsius obiecti, quod est suprà vires naturæ nostræ. Sicut, quòd non possimus directè cernere radios Solis, non est ex impedimento aliquo, tenente se ex parte potentiæ, sed ex ipsa excellentia obiecti, cui non est proportionatus visus humanus. ¶ Ad septimum dico, quòd solùm probat, quòd Deus cognitus per fidem, potest amari sine auxilio gratiæ, ex parte voluntatis, qualicùmque amore. ¶ Ad Octauum eadem est solutio, quòd dilectione materiali & inefficaci diligi potest. ¶ Ad nonũ respondetur negando consequentiam, & ex dictis potissimè in conclusionibus, patet eius solutio. ¶ Ad decimum, Caietanus conuictus eo argumento tenuit, posse hominem habere contritionem suis viribus, & detestari peccatum suprà omne odibile, ex amore & dilectione Dei, suprà omne diligibile. Nã cùm hoc experiatur homo in se ipso, si non posset hanc dilectionem habere, ex suis viribus; sequeretur, quòd posset homo cognoscere certò se esse in gratia. Veruntamen hæc Caietani sententia, explosa est à nobis suprà, plerisque in locis, præsertim cõclus. 6. & 7. Vndè, ad argumentum Pater Vega, loco citato, negat antecedens: licèt enim posset quis exponere vitam pro Republica; non tamen censetur statim illam diligere super omnia, sed tantum super vitam suam, quod est bonum quoddam particulare: vt superiùs dictum est. Quocircà, bene stat, aliquem ponere vitam pro Republica vel amico, & tamen non ponere honorem, vel famam, imò neque delectationem, cui maximè afficitur durante vita. Quare, non est euidens aut infallibile signum dilectionis Dei super omnia, quòd quis exponat vitã pro illo: stat enim quòd peccator nolens relinquere affectum peccati dùm viuit; nihilominus potiùs eligat mori, quam velle negare fidem, vt patet ex loco citato. 1. Corinth. 13. Si tradidero corpus meum ita vt ardeam; charitatem autem non habuero, &c. Ex quo apertè colligitur, posse contingere, vt quis moriatur pro defensione fidei, & tamen quòd non habeat charitatem: Quia permanet in affectu peccati. Verum est, quòd regularitèr loquendo, non permittit Deus, vt qui moritur pro defensione fidei, per maneat in affectu peccati. Secundò Respondetur, quòd licèt antecedens esset verum, consequentia est nulla. Et ratio differentiæ, est satis aperta: Quia Respublica vel amicus, sunt bona ordinis naturalis, & proportionata naturæ voluntatis; Deus autem vt finis supernaturalis, & obiectum beatificum, est longè alterius ordinis suprà totam naturam. Et ex hoc patet apertè argumenti solutio. ¶ Et ad confirmationem, dico, quòd impossibilitas huius dilectionis super omnia, prouenit primò ex improportionẽ obiecti, ad nostras vires naturales; secundò prouenit ex parte efficaciæ, & eorum, quæ suprà retulimus in discursu huius controuersiæ.

*Ad septimũ*

*Ad octauũ*

*Ad nonum*

*Ad decimũ*

*Ad confir.*

*Ad Quintũ*

*Ad sextum*

*1. Corinth. 13*

## ARTICVLVS. IIII.

*Vtrùm homo sine gratia, per sua naturalia, legis præcepta implere possit?*

PRima conclusio. In statu naturæ integræ, potuit homo implere omnia præcepta, per sua naturalia, quantùm ad substantiam operis. ¶ Secunda conclusio.

clusio. In statu naturæ lapsæ, non potest homo sine gratia, seu speciali auxilio, omnia legis mandata implere, etiam quantùm ad substantiam operis. ¶ Tertia conclusio. Si sermo sit de impletione mandatorum, quantùm ad modum agendi, vt, scilicet, ex charitate fiant Dei mandata; sic neque in natura integra, neque in natura corrupta, possunt adimpleri sine gratia Dei. ¶ Quarta conclusio. In vtroque statu indiget homo auxilio Dei mouentis, ad implenda mandata.

## Discursus articuli

Diuina præcepta, quædam sunt iuris naturalis, quæ à Deo, vt authore naturæ dimanant, non quidem per præceptum aliquod superadditum positiuum, sed medio lumine naturali ipsius rationis. Et hæc alio nomine vocantur præcepta moralia, respectu quorum homo nunquam excusatur ignorantia inuincibili, etiã in natura lapsa: Quia sẽper habet lumen illud naturale rationis, sufficiens vt hæc possit cognoscere. Alia verò sunt diuina præcepta positiua, & superaddita naturæ, eamque excedentia, circà obiecta supernaturalia, qualia sunt præcepta fidei, spei, charitatis & sacramentorum. Sed aduerte, quòd implere præceptum quantum ad substantiam actus, nihil aliud dicit, quam præstare opus imperatum, sic vt vitetur peccatum; atque hac ratione vera implet præceptum de eleemosyna facienda, qui dat eleemosynam; existens in peccato. Imouerò qui dat eleemosynam quando tenetur dare, propter vanam gloriam, seu malum finem; implet præceptũ, quantùm ad substantiam actus. Quia, licèt tunc ille peccet ex malo fine, aut vana gloria, quia vult; tamen re vera vitat illud peccatum, quod committeret transgrediendo præceptum misericordiæ, si nõ daret eleemosynam. Implere autem præceptum, quantùm ad modum charitatis, est operari, referendo opus ipsum supernaturaliter in Deum; secũdùm illud Pauli; Omnia vestra in charitate fiant, & omnia in gloriam Dei facite. Et hic modus, & relatio charitatis, est extra substantiam præceptorum naturalium; imouerò & aliquorum supernaturalium, verbi gratia fidei & spei. Nam charitas, licèt sit forma virtutum; est tamen forma extrinseca, neque pertinet ad essentiam, & substantiam ipsarum virtutum, & consequtèr neque pertinet ad substantiam præceptorum in materijs aliarum virtutum.

## DISPVTATIO I.

*Vtrùm homo in natura integra, potuerit implere præcepta omnia, quoad substantiam, per sua naturalia.*

*Argumẽt.1.* De hac difficultate, est concertatio inter discipulos D. Thom. Vtrùm Santissimus Præceptor sit intelligendus in priori conclusione, de omni præcepto tam naturali quam supernaturali? Et sanè, nõ videtur vera cõclusio si intelligatur de præceptis supernaturalibus. Quoniã in statu naturæ integræ, habuisset homo præcepta supernaturalia fidei, spei, & charitatis: sed hęc nõ possunt impleri, etiã quò ad substãtiã sine auxilio supernaturali: ergo falsa videtur conclusio D. Thom. in hoc sensu. Probatur minor. Quia actus fidei, intrinsecè includit in sua substãtia, quòd fiat formaliter sub ratione diuinæ reuelationis; & ad hoc necessaria est fides infusa, vt probat. S. Thom. 2.2.q.6. & proportionabilitèr potest fieri argumentum de actu spei, & charitatis. ¶ Item. Homo in natura integra, non poterat implere præceptum de habẽda gratia etiã quantùm ad substantiã operis: ergo. *Argum.2.* Dices, quòd nõ datur præceptum de habẽda gratia; Quia de habitibus non dantur præcepta. Contra: Tenetur homo habere charitatem cum Deo; charitas autem haberi non potest sine gratia, imouerò tenetur homo præcepto diuino, non prodigere, neq; destruere gratiam: Quia qui hoc facit, se ipsum occidit spiritualitèr: ergo est præceptũ de habẽda gratia, sicut est de habenda charitate. D. Augustin. lib. de correctio. & gra. cap. 11. & de natura & gratia cap. 48. apertè ait, Adam indiguisse auxilio diuinæ gratiæ, ad seruandum diuina mandata. Imo Concilia decernũt, hominem non posse seruare vniuersa legis mandata, sine Dei auxilio speciali, idque determinant, nulla facta distinctione de homine in natura integra, aut in natura lapsa. Vndè, benè Theologi omnes dicunt, quòd homo in natura integra, ex dono iustitiæ originalis sanantis naturam, poterat facere omne bonum: ergo non per sua naturalia præcisè. *D. Augustin.* ¶ Præterea. Homo in fælicissimo statu naturæ integræ, non poterat diù sine peccato perseuerare in bono, nisi ex auxilio supernaturali: ergo non poterat non peccare per vires suæ naturæ; aliàs si posset non peccare, posset perseuerare. Patet antecedens: Quia, vt plerique ex Theologis dicunt, homo peccauit primum peccatum superbiæ, quod est contra legem naturæ. Et confirmatur. Quia si Adam seruaret præceptum illi positum, non comedendo de ligno prohibito; perseueraret perpetuò in gratia confirmatus: igitur non potuit illud præceptum, viribus suæ naturæ seruare; aliàs sequitur planè, quòd sine auxilio gratiæ, potuisset perseuerare in gratia. *Arg.3.* *Confer.* ¶ Caiet. censet D. Thom. generalitèr esse intelligendum de omni præcepto. Nam credit, quòd ex viribus naturæ integræ, poterat homo omne præceptum diuinum, quantùm ad substantiam, etiam præceptũ dilectionis Dei super omnia. ¶ Sed profectò, quidquid sit de veritate huius sentẽtiæ Caietani, de qua dicemus infrà; tamen doctrina D. Tho. ex mẽte eius videtur intelligẽda de præceptis naturalibus, & nõ de supernaturalibus. Nam loquitur. S. Thom. de impletione quantùm ad substantiam, sic vt excusetur homo nouum peccatum; sed circà præceptum fidei & spei, non potest homo ex solis naturalibus, habere actũ (etiam quantum ad substantiam) quod excusetur à transgressione præcepti fidei, quando obligat: ergo. Probatur minor. Nam substantia actus, ad quem obligat præceptum fidei, in omni opinione, debet esse fides super omne credibile humanum: ergo necessario includit aliquid supernaturale, in sua substantia, quod latius ostendemus infra.

Pro intelligẽtia huius difficultatis aduerte, quòd aliquod præceptum potest dici supernaturale; quia res ipsa præcepta, est supernaturalis, quãtùm ad modum aliquem extrinsecum. Rursùs potest dici supernaturale, quando res præcepta, est supernaturalis, non quantum ad rationem genericam, sed quãtùm ad specificam, seu modum quendam intrinsecum: sicut diligere Deũ dilectione charitatis, est quid supernaturale, non quantùm ad genus, quod est diligere Deum, sed quantùm ad talem speciem dilectionis. Quę quidem, quia sumitur ex modo attingendi obiectum, idcircò, diligere Deũ tali specie dilectionis, appellatur quid supernaturale quantùm ad modum: & de tali modo, ac de tali dilectione constituta in specie vltima, per illum modum intrinsecũ, est præceptũ Dei supernaturale, & nõ tantũ de dilectione in genere. Tertio, res aliqua dicitur supernaturalis quantum ad substantiam, etiam specificam; vt facere miracula, conuertere panem in corpus Christi, &c. Hæc enim neque secundùm rationem specificam, nec genericam, sunt naturalia. Quocumque igitur horum modorum, essent res præceptæ supernaturales Adæ, non poterat illas facere per vires naturales, cum sola iustitia originali: quia iustitia originalis vt sic, solùm perficiebat ad opera naturalia. Et ob id indigebat gratia; ideſt, auxilio supernaturali, ad præstanda talia opera.

*Nota.2.* Secundò aduerte, quòd actus aliarum virtutum à charitate, possunt considerari tribus modis. Primò quatenùs feruntur in obiectũ materiale ipsius virtutis. Secundò, quatenus feruntur in obiectum, sub ratione formali & propria ipsius virtutis: & hoc pertinet ad modum intrinsecũ, & specificum ipsius actus studiosi. Tertio, possunt considerari quãtùm ad modũ extrinsecũ charitatis, pro vt, scilicet, hi actus imperantur à charitate, & ordinãtur ad finẽ vltimũ supernaturalem vt sic: Nam (vt rectè ait S. Thom. 1.2. q.12. art.4. &. q.100. art.10.) intentio finis, est quidam modus actus ordinati ad finem. Adde etiã, hoc esse difsidium inter fidẽ & spẽ ex vna parte, & virtutes morales acquisitas ex altera. Quòd in illis, modus intrinsecus & specificus, est supernaturalis; quia ex propria & intrinseca ratione habent ferri in obiectũ sub ratione supernaturali, & per mediũ supernaturale: in virtutibus autem moralibus, proprius & intrinsecus modus virtutis est naturalis, sed modus charitatis in vtrisque supernaturalis est.

*Conclus.1.* His suppositis, est prima conclusio. Absolutè loquendo, homo in statu naturæ integræ non potuit per vires suas naturales implere præcepta supernaturalia fidei, spei, & charitatis. Probatur. Quia vis & obligatio legis, non solùm se extendit ad materiale actus, sed etiã ad formale, seu ad modũ intrinsecũ, & propriũ virtutis, de qua datur præceptũ; vt S. Th. docet. 1.2.q.100.art.9. & 2.2.q.44.art.4.ad.1. & Pater Soto vbi suprà. Vndè, non satisfacit quis præcepto fidei, si credat articulos ob id solum; quia vir aliquis doctus & magnæ authoritatis dixit, sed oportet vt credat, quia Deus reuelauit supernaturaliter: ad hoc autẽ necessarium est supernaturale auxilium: ergo. Itẽ. Quia (vt dictũ est) iustitia originalis vt sic, solũ perficiebat ad opera naturalia: ergo indigebat gratia seu auxilio supernaturali, ad præstanda opera fidei, spei, & charitatis, vt oportet. Quare, ipsum etiã Adam comprehendit diffinitio Concilij Trident. sessione. 6. cano. 3. diffinientis: Neminem posse sine Spiritus Sancti inspiratione, credere, sperare, aut diligere, sicut oportet. Et idem diffinitur in Araufícano & Mileuitano. Et similiter, non poterat Adã præcepta naturalia facere propter Deũ, supernaturaliter dilectum: nisi ad illã supernaturalitatem, extrinsecam illis præceptis, haberet auxiliũ supernaturale. *S.Th.1.2.q.100.ar.9.& ar.10.ad.2.*

Dices: Si homo non potest in natura integra, implere supernaturalia præcepta, sequitur eum nõ potuisse non peccare: consequens est contra Diuum Thomam hic, & contra communem sententiam Theologorum: ergo. Probatur sequela. Quia eo ipso, quòd non implet præceptum, peccat contra illud. Respondetur, multò minus requiri ad non peccandum contra præceptum supernaturale, quàm ad implendum illud positiuè: ad illud namque satis est, non ponere obicem diuinę motioni, sed exhibere se promptum, & paratum ad cooperandum diuinę inspirationi. Et hoc poterat homo in natura integra; atque adeò poterat non peccare contra præceptum supernaturale. Sed ad implendum illud positiuè, requiritur vlterius, quòd homo eliciat actum supernaturalem, & hoc non poterat homo, sine inspiratione Dei, supernaturalique auxilio in natura integra. De qua re in fra Caietanus articulo. 8. in initio.

*Conclus.* Secunda conclusio. Si per substantiam actus intelligitur actus ipse cum suo modo intrinseco, excludendo solum modum charitatis; non potuit homo in natura integra, sine speciali auxilio, implere præcepta supernaturalia fidei, & spei, etiam quo ad substãtiã; potuit tamen implere omnia præcepta naturalia, vt statim dicemus. Probatur. Quia modus intrinsecus in illis, est supernaturalis; in his verò, est naturalis. Natura verò quantũcũnq; integra & perfecta, non potest per se ipsam ferri formaliter in id, quod est supernaturale; potest tamẽ in id, q̃ pertinet ad ordinẽ naturæ: ergo. Hinc colligitur à fortiori, q̃ nõ potuit Adã implere præcepta, quoad modũ charitatis, per suas vires: Quia ille est maximè supernaturalis. Hinc secũdò colligitur, q̃ si per substãtiã actus, intelligitur ipse actus pro materiali tantùm; sic homo in statu naturæ integræ, potuit implere supernaturalia præcepta quo ad substantiã operis, sed non fine supernautrali cõcursu. Probatur: Quia nũc viribus naturæ solis nõ possumus elicere actus supernaturales etiam pro materiali, seu quoad substantiã & entitatẽ supernaturalẽ operis, qui ferãtur in obiectũ supernaturale supernaturaliter materialiter: vt articulo præcedenti, fusiùs interpretati sumus. Vndè, non mihi probatur sentẽtia illa quæ dicit, Adamũ potuisse implere supernaturalia præcepta quoad substantiã operis, eliciẽdo actus supernaturales entitatiue solis viribus naturæ. Hoc enim iudico plusquã falsum, & sine nota dici non posse: sed esse necessariũ auxiliũ supernaturale, vt supernaturalia præcepta positiue impleantur. Et certè, actus supernaturalis postulat in suo ordine supernaturalem concursum: vt bona philosophia etiam tradit.

*Conclus.3.* Tertia cõclusio. S. Th. in prima conclusione, nõ loquitur de præceptis supernaturalibus fidei, spei & charitatis; vt liquet ex dictis: sed est intelligendus de præceptis naturalibus. Et in hoc sensu certum est q̃ homo in natura integra poterat sine auxilio speciali, omnia præcepta naturalia implere, quantũ ad substantiam. Nam cùm homo suapte natura sit rationalis, & omnia opera legis naturalis sint opera secundum rationem: inde sequitur, quòd omnia huiusmodi opera, tunc homo poterat præstare.

Præterea

Præterea probatur. Quia siue ille status includat iustitiam originalem, siue rectitudinem rationis, & vigorem ex coniunctione ad iustitiam: semper tamen dicit infallibilem ordinem circa omne agibile ita vt possit homo implere in illo statu omnia præcepta collectiuè,& vitare omnia peccata naturæ collectiue.Itē.Ratio,propter quā Theologi & Cōcilia probant necessitatē gratiæ,vel auxilij,in natura lapsa,manifestè deficit in illo statu integro,nēpe debilitas rationis; & impedimēta; ex parte appetitus sensitiui:ergo in ordine ad naturalia præcepta, non indigebāt aliquo auxilio speciali. Ibi enim non erat deprauata voluntas,neq;obscuratus intellectus.Vndè D.Aug.lib.de correp.& gratia capit.vndecimo, cū docet hominē in statu naturæ integræ indiguisse speciali auxilio Dei,vt permaneret in bono:Et li. de Natu. & grat.c.48.cū ait: In illo statu indiguisse etiā gratia,vt posset implere omnia præcepta; intelligēdus est de perseuerantia in omni bono tā naturali quam supernaturali, & de impletione omnium mandatorum, etiam supernaturaliūm. Quia taliter homo fuit cōditus in naturæ integritate, quòd etiā fuit eleuatus ad finem supernaturalē: habuit enim præcepta supernaturalia fidei,spei,& charitatis.Vndè,Pater Medina interpretādus est in hoc articulo, cū asserit, quod in natura integra indigebat homo speciali auxilio,ad perseuerandum in bono naturali:loquitur enim de bono naturali, non quomodocūmq;sed vt de facto erat in illo statu subordinato fini supernaturali.Aliàs,si consideretur bonū naturale præcisè,sine eleuatione hominis ad finē supernaturalem,non rectè loquitur Medina. Quia posset homo in natura integra, seruare omnia naturalia præcepta:Nam sine difficultate operaretur semper.

*Ad argumēta.Ad.1.* Ad argumēta Ad.1.respondet Caie. quòd S.Tho. in proposito per substantiā actus præcepti,solum intelligit id quod est materiale in ipso actu.Et in hoc sensu credit, quòd potuit homo in natura integra, implere præcepta supernaturalia, quoad substantiā operis,non tamen simpliciter quoad totam vim, & quantū ad obligationem præcepti. Hæc solutio placet Caietano:cæterùm non videtur ex mente Diui Thomę.Quoniā ille,substantiā actus condistinguit contra modum charitatis. *Solutio.2.* Et ob id respondetur secundò,& meliùs,quòd in hac conclusione, non loquitur Sāctus Tho. de supernaturalibus præceptis: sed de naturalibus ,vt suprà diximus. Neq; obstat, quòd loquatur generaliter de omnibus præceptis sine distinctione, non excludendo supernaturalia. Quia id reliquit tanquā per se notū,nēpe quòd hæc non poterāt adimpleri simpliciter, & absolutè,sine supernaturali dono & auxilio.Vndè negāda est consequētia argumēti. *Ad secūdū.* ¶ Ad secundum Marsil.in.2.distin. 18.q.1.ar.2. dicit, quòd primus homo ante lapsum, non habuit præceptū de habenda gratia gratū faciē te:cæterùm post lapsum, datum est tale præceptum hominibus.Primò,quia omnes habent præceptum de fide Mediatoris: nullius autē momenti erit hæc fides, nisi sit formata per gratiam: ergo homo post lapsum,habet præceptū de gratia, per quam formetur fides. Item, est præceptum de medijs necessarijs ad salutem:sed gratia est medium necessariū ad salutem:ergo extat præceptū de illa habenda.Et sanè iuxta hanc opinionem Marsi.argumentum factum secūdo loco,non habet difficultatem.Nā,ait,Adam non habuisse præceptū de habenda gratia,licèt nos illud habeamus.Veruntamen,hæc doctrina Marsilij non satisfacit.Primò. Quia modo non extat præceptum aliquod speciale, de gratia habenda:Quia de habitibus non dantur præcepta,sed de actibus.Itē,quia tale præceptum,de gratia habenda, non inuenitur in Scriptura,neq; in traditionibus.Secūdò.Quia aliàs toto tēpore, quo peccator est in peccato habitualiter,& sine gratia, semper peccaret duplici peccato. Saltē sequitur,quòd qui adulteratur vel transgredi tur aliud præceptū,duplex cōmittit peccatū : vnum verbi gratia adulterij ; & alterū de habenda gratia. Quòd plane cōcēdit Marsi.Tamē nō rectè.Quia (vt dictū est)præcepta nō dantur de habitib⁹,præsertim quando habitus non sunt producibiles viribus nostris,vt sunt gratia,fides,spes,charitas:sed præcepta dātur de actibus amoris, pœnitētiæ,& fidei,&c.Itē. Quia(vt in materia de dominio solet probari) homo est dominus suorū bonorū spiritualiū:Et idcircò,si homo trāsgrediēdo aliquā legē,amittat gratiā præter speciale peccatū,quod cōmittit in transgressione legis,non peccat specialiter aliud peccatū, ob gratiam quam perdidit.Imo verò, Si Adā post peccatum habuit præceptum de habenda & seruanda gratia(vt credit Marsi.)multò magis debuisset illud præceptum habere ante peccatū.Quia tūc,erat multò magis necessarium, seruare gratiam, quam modò: eò quòd non seruando illam tunc, sequebatur perditio totius posteritatis.Ergo si modò ( vt Marsil. vult ) est præceptum de seruanda gratia, multo melius tūc.Præterea, Multò magis si extaret præceptum de habenda gratia, deberet esse in illo statu; Quoniam Adam habuit gratiam,non solùm pro se, sed pro tota posteritate:sed si Adam in se ipso illam disperderet,tota posteritas remoueretur ab illa:ergo Adam destruendo suam gratiam, peccaret mortaliter contra charitatem posteritatis;imo verò contra iustitiam.Quia gratia Adæ, quodammodo erat posterorum. Imo verò rursus videtur , quòd etiam tunc peccaret mortaliter contra charitatem sui ipsius.Nam homo tenetur se diligere in ordine ad finem supernaturalem,& naturalem,non se inhabilitando ad illum:sed Adam se reddebat inhabilem ad vtrumque finem,perdendo gratiam , nisi subueniret gratia Dei,de qua subuentione non erat certus: ergo re vera , ex hoc ipso quòd disperdebat gratiā, peccabat mortaliter, non solùm contra proximum; sed etiam contra se ipsum. Quia damnum , quod sibi & alijs inferebat, erat grauissimum . Nos tamen cùm peccamus,non peccamus contra amorem nobis debitum,quia continuò credimus esse reparabilem ; & idcircò , non reddimus nos inhabiles ad finē supernaturalem,nec naturalē. Vndè, argumentum secundū,dissolui potest,quòd præceptum Adæ de reseruanda gratia , non erat speciale præceptum, neque erat immediatè de re supernaturali: Quia non erat de ipsa gratia secundùm se,sed tantum de non apponenda dispositione corruptiua gratiæ.Vnde,Christianus tenetur nō perdere gratiā,nō adulterādo,nō peierādo,nō furando.Et hoc poterat homo in natura integra,scilicet, nō apponere dispositionem corruptiuam gratiæ,per huiusmodi peccata adulterij, furti, & fornicationis. Nam ex iustitia originali poterat seruare naturæ præcepta; quibus seruatis, gratia non destruebatur. Ad illud verò de charitate respondetur, quòd non omne medium necessarium ad charitatem habendā,cadit sub præcepto;imo verò,licèt detur præceptum de actu charitatis, non tamē de habitu.Ad illud verò D.Aug.dico, quòd potestas ad non peccandum , quæ fuit in primo parente,erat respectu præceptorum naturalium; respectu tamen supernaturalium, indigebat auxilio gratiæ supernaturalis. Et quando Theologi dicunt, primum hominem indiguisse dono gratiæ ad perseuerandum in bono , loquuntur de perseuerantia in bono , siue naturali,siue supernaturali. Vel fortè loquitur Aug.de dono efficaci perseuerantiæ, quod Deus homini contulisset,si non peccasset. Dedit nā que illi donum,quo perseuerare potuit , sed non dedit donum,quo actu perseueraret, vt S.Thom.dicit. Et ad Concilia dico,quòd loquuntur de homine læso & vulnerato,& in statu naturæ lapsæ & corruptę, aut loquuntur Concilia de vniuersali mandatorum Dei obseruatione , sicut oportet,ad consequendum finem supernaturalem,æternamque vitam. *Ad tertiū.* ¶ Ad tertium patet solutio ex his, quæ proximè diximus ; & superbia primi hominis , fuit quidem in eo posita, quòd quæsiuit propriam excellentiam, & consequēter fregit præceptum supernaturale positiuum:Nam oportebat vt humiliaretur homo Deo præcipienti, ne comederet de fructu arboris prohibitæ. Et huius præcepti ratio,non fuit cognita lumine naturali,sed lumine fidei.Vndè,suppositā vehementi illa Dæmonis tentatione, opus erat hominiprimo supernaturali humilitate & auxilio , ne caderet de facto , & vt tunc seruaret præceptum vrgente tentatione potissimè.Tandem,indigebat homo dono perseuerantiæ efficaci, vt diximus paulò antè , quod si non peccaret , haberet:sed nihilominus habuit donum , quo posset perseuerare;& id sufficiebat. *Obiectio. Her.11.* ¶ Sed obijcietur aliquis.Fides,semper fuit necessaria ad salutem,ad Hæbr.11.Quia sine fide impossibile est placere Deo:sed fides informis non sufficit ad salutem:ergo necessè est habere fidem formatam : ergo gratiā:ergo datur præceptum de habenda gratia.Respondetur negando consequentiā:non enim rectè colligitur.Teneor credere;& habere fidem:ergo fidem formatam.Nam latro qui baptizatur credens omnia quæ Ecclesia credit,satisfacit præcepto fidei , licèt non habeat fidem formatam. Et quamuis teneremur habere fidē formatā,nō sequitur quòd teneremur habere gatiā. Quia non omne medium necessarium ad salutem, cadit sub præcepto , nisi ille sit actus alicuius virtutis:non enim cadit prædestinatio, aut perseuerantiæ donum sub præcepto,quæ sunt media necessaria.

*An detur præceptū de habenda gratia.*

*Solutio.*

## DISPVTATIO II.

### *Vtrùm in natura lapsa, possit homo peccata omnia vitare, & omnia præcepta naturalia seruare,ex solis naturæ viribus?*

IN hac controuersia , quæ valdè abstrusa est , nobis est colluctatio non solùm aduersus domesticos & Catholicos Theologos , sed etiam contra Hæreticos,& aduersarios Catholicæ Ecclesiæ. Et quoniam priùs zizania eradicanda est , priùs cartamen est ineundum contra aduersarios Ecclesiæ . Pelagius & sui dixerunt, posse hominem seruare omnia præcepta tam naturalia, quam supernaturalia, viribus naturæ,& solum requiri fidem , vt per eam innotescerent nobis præcepta supernaturalia; atque adeò præuia Dei reuelatione;qua nobis hæc patefierent, nullam gratiam esse necessariam homini ad totam legem implendam , & ad perfectam iustitiam consequendam. Imo vero dicebant , gratiam solùm ad implenda præcepta faciliùs , esse optimam: Dicebantque Deo Pelagiani , teste Augustino , Tu nos creasti homines, iustos autem nos facimus. Quem errorem impugnat D. Augustlibr. de Hæresib. capit.88. & epistol.90. & sequentib. vsque ad. 65. Et Driedo, lib.1. degratia & libero arbit. capit. 2. & sequentib. Et Pater Castro verbo , Libertas , hæresi.2. & Pater Soto.1. de natura & gratia. cap. 11. 19. & 22. Hunc errorem Pelagiani probant primò ex illo Eccles. 15: Deus ab initio constituit hominem , & reliquit illum in manu Consilij sui: Adiecit manda & præcepta ; Si volueris mandata seruare , conseruabunt te: ad quod volueris porrige manum tuam ; apposui tibi aquam & ignem. Et iterum , Ante hominem vita & mors , bonum & malum : quod placuerit ei, dabitur illi : ergo in nostra potestate est seruare illa præcepta:nulla igitur gratia requiritur. *Ecclesi.15.* *Argum.1.* ¶ Item. Homo , est liberi arbitrij , ex natura sua ad prosequendum , vel fugiendum, quidquid intellectus proponit: ergo suppositā diuina reuelatione,poterit velle quidquid præcipitur,& id ipsum poterit operari. Et confirmatur : Quia aliàs frustra præciperet Deus quæ nos facere debeamus: Quia si non possumus ex nostris viribus facere , sequitur quòd homo non facit , sed ipse Deus in homine,est qui facit & adimplet præcepta;& consequenter frustra præciperet Deus nobis, quæ non nos sed ipse in nobis,facere debet. *Argum.2.* *Confirm.* ¶ Tertiò. Si non possumus diuina præcepta & naturalia & supernaturalia, implere ex nostris viribus , sequitur quòd non sumus digni pœna,pro transgressione, neque digni præmio pro adimpletione: consequēs est cōtra omnē rationē,& cōtra Scripturā. Et confirm.ex eo quod dixit Dominus ad Cain gen.4. Nōne si benè egeris recipies;sin autē male , statim peccatū tuū in foribus aderit:sed subter te erit appetitus tuus , & tu dominaberis illius. Habet igitur homo liberum & plenum dominium ad faciendum , quæcumque præcepta fuerint à Deo. *Confirm. Gen.4.* ¶ Lutherus suis etiam implicatus erroribus, nescio quo furore , dixit cum suis , in alio extremo, posse hominem in hac vita nihil respectu legis ; atque adeò non posse alicui mandato Dei satisfacere , neque legem implere. Sed dicit , quòd Christus solus legem impleuit pro omnibus , cuius adimpletio imputatur per fidē hominibus,& ideò reputātur legem impleuisse.Fundamentum Lutheri & suorum est;quòd omnia præcepta, obligant ad modum charitatis.Nā existimant hi hæretici, q̄ præceptum charitatis , obligat nos in omnibus & singulis operibus nostris,& q̄ non possumus in hac vita implere præceptum dilectionis & charitatis. Quia semper regnat in nobis concupiscentia , quæ charitati aduersatur.Ex quo inferūt, q̄ in omni opere suo peccat homo,& consequēter nō potest implere legem aliquā,

neque naturalem, neque supernaturalem. Imo verò necesse esse peccare hominem contra præceptum, de non concupiscendo. Quia semper operatur ex concupiscentia alicuius boni proprij, & contra præ-
*Paul. 1. Corinth. 10. & 1. Corin. 16.* ceptum diuinæ dilectionis; dicente Paulo: Omnia vestra in charitate fiant; & iterum: Omnia in gloriã
*D. Bernar.* Dei facite. Vnde Bernard. ait: Omne quod præcipi-
*D. August.* tur, in sola charitate solidatur. Et D. August. ait: Dicisti ex lege non mæchari, non furari, &c. Singula hæc sine fide, spe, & charitate non possunt adimpleri. Ex quibus colligit, quòd quandiù viuimus, non possumus implere præceptum diuinæ dilectionis.

*Conclus. 1.* In hac controuersia, vt separemus certa ab incertis, Primò certum est, non posse hominem viribus naturæ, omnia diuinæ legis mandata implere, sine speciali Dei auxilio. Hæc conclusio est de fide contra Pelag. & diffinitur in plerisq; Concilijs Africanis, vt refert D. August. Epist. 90. vsq; ad. 95. Et præsertim, in Mileuit. cap. 4. & 5. Vbi anathematizantur dicentes, gratiam iustificationis, tantùmmodò dari, vt faciliùs possimus implere Dei mandata, quasi possimus sine illa, sed non facilè. Et in confirmationem huius diffinitionis adducitur illud Ioan. 15. Sine me nihil potestis facere. Idem habetur in Concilio Trident. sess. 6. cano. 2. & 3. & in epist. 1. Cælest.
*Cælest. PP. Conc. Ara.* PP. ad Episcopos Galliæ, cap. 20. & in varijs epistol. Innocent. 1. Et idem diffinitur in Concil. Arausi. cano. 7. & 25. Probatur etiam hæc veritas contra Pelagium ex diuina Scriptura. Nam Ierem. 10. habetur; Quòd non est hominis via eius, neque viri est vt ambulet, & dirigat gressus suos. Et Ezech. 33. apertiùs:
*Ierem. 10.* *Ezech. 33. & 11.* Spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam vt in præceptis meis ambuletis. Et cap. 11. Spiritum nouum ponam in visceribus eorum, vt in præceptis meis ambulent. Et Psalm. 33. A Domino gressus ho-
*Psalm. 33.* minis diriguntur. Vndè, sæpe Dauid petit, vt Domi-
*Psalm. 118.* nus deducat ipsum in semitam mandatorum suorum. Psalm. 118. Et rursùs Sap. 8. Vt sciui quoniam
*Sap. 8.* aliter non possum esse continens, nisi Deus det. Et
*Rom. 7.* Rom. 7. Velle adiacet mihi, perficere autem non inuenio. Et subiungit Paul. Condelector legi Dei, secundum interiorem hominem; video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ. Et statim: Infœlix ego homo, Quis me liberabit de corpore mortis huius. Et concludit Paul. Gratia Dei per Iesum Christum. Et capit. 8. Spiritus adiuuat infirmitatem nostram: nam quid oremus sicut oportet, nescimus? Quocircà, ea ipsa quæ Deus nobis præcipit in diuina Scriptura, dicuntur
*Marci vlt. Ioan. 6. Ephes. 2. Ioel. 2.* esse dona eius. Nam Marci vltim. traditur præceptum credendi Euangelio. Et Ioan. 6. dicitur: Hoc est opus Dei, vt credatis in eum. Et ad Ephes. 2. fides dicitur donum Dei. Et Ioelis. 2. Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos; & tamen hoc est donum
*Thren. 5. D. August. Driedo. Vega. D. Prosper. Fulgent. Ricardus. Ambros.* Dei. Thren. 5. Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur. Legendus est de hac re D. August. epistolis citatis, & Driedo, lib. de gratia & libero arbit. cap. 2. Et Pater Vega. 2. in Tridentinum. cap. 11. & opusc. de iustificatione, quæst. 8. & Prosper. libr. de grat. & libero arbit. & 3. de vita contemplatiua. capit. 2. & lib. contra Collat. & Fulg. de fide ad Petrum. cap. 32. & Ricard. lib. de statu interioris hominis, cap. 20. & 22. Ambros. ad Rom. 7. super illa ver

ba: Velle adiacet mihi. Augustin. epist. 89. ad Hilar. *August.* quæst. 2. & epist. 200. & tracta. 74. in Ioannem, & lib. 3. contra duas epist. Pelagianorum. cap. 2. Et 1. Hypognos. propè initium, & de perfectione iustitiæ, *Hieronym.* capit. 18. & Hieronym. in lib. contra Pelagium. Ex quibus liquidò constat, certum esse id quod diximus, ex communi consensu Sanctorum Patrum, fideque Catholica tenendum, quòd non possit homo viribus naturæ, sine speciali Dei auxilio, omnia in vniuersum mandata diuinæ legis, implere.

¶Probatur etiam id ipsum ratione: Nam quicunque seruat mãdata omnia diuina, acceptus est Deo, & consequitur vitam æternam, iuxta illud Matth. *Matth. 19.* 19. Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Et Ioan. *Ioan. 15.* 15. Vos amici mei estis, si feceritis quæ præcipio vobis: sed nemo potest per solas vires naturæ consequi vitam æternã, aut esse acceptus Deo: hoc enim pertinet ad gratiam Dei, dicente Paulo ad Roman. *Rom. 6.* 6. Gratia Dei, vita æterna. Et confirmatur. Quoniam inter diuina præcepta, duo potissima sunt de dilectione Dei, ex toto corde, & de fide: sed hæc non possunt impleri per solas vires naturæ, vt latè diximus, artic. 3.

¶ Ex quibus omnibus confutatur Pelagius, non solùm quando dixit, posse hominem ex viribus naturæ totam legem implere: Quia credidit per peccatum, liberum arbitrium & hominem, nihil perdidisse; sed permansisse in natura integra; quod est cõtra Concilia citata, quæ prædicant, hominem perdidisse integritatem illam & vigorem naturæ, & sauciatum fuisse; Sed etiam confutatur quando dixit, posse hominem ex viribus naturæ iustificari coram Deo, credendo, sperando, & amando. Quæ opera, dicebat Pelagius, posse hominem præstare, ex viribus liberi arbitrij, suppposita Euangelij prædicatione; quod dictum pariter confutatur ex prædictis Concilijs, & Sanctorum Patrũ dictis hic & in art. 3.

¶Sed obijcit Pelagius contra nos. Nam vel Deus dedit nobis possibilia mandata; vel impossibilia? Si possibilia: ergo seruari possunt nostris viribus. Si dicas, quòd dedit impossibilia nostris viribus: igitur non peccamus, si non seruemus illa; Quia nemo peccat in eo, quod vitare non potest, aut in eo quod non est in eius potestate. Hoc argumentum refert D. Augustin. ex Pelagio, in libr. de perfectio. iustitiæ, vbi suprà. Huic obiectioni Lutherus respondet impiè, Deum præcepisse nobis impossibilia, & aliqui citant Hieronym. libr. 2. contra Pelagium, dicentem, quòd impossibilitas implendi mandata, teneatur in crimine, iuxta illud Pauli: Sentio aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ. Quibus verbis insinuatur, quòd possit inueniri peccatum, in eo quod vitare non possumus. Sed sanè, hoc non est intelligibile, neque facilè cognoscitur quid voluerit D. Hieronym. illis verbis: Nam alibi, eius sententia hæc fuit: Qui dicit Deum præcipere impossibile; Anathema sit. D. Augustin. ait, hominem posse implere omnia mandata, si sanetur à crimine, & quòd ob id inuocamus Deum cũ dicimus: De necessitatibus meis, erue me Domine; & consequenter non præcepit Deus impossibilia. Nam habet homo præstò auxilium Dei, vt diuina mandata custodiat; nisi ergo rebellis sit homo lumini & Deo,



Deo, ipsè adiuuatur & pulsatur à Deo, vt sic impleat eius mandata. Nam profectò, homini cum primàm eum condidit, dedit integram naturam, donis & naturæ, & gratiæ circumseptam: quæ omnia perdidit sua culpa; & cùm se dederit præcipitem; deinde erigitur à Deo, vt quæ vtrobique præcepta habuit & habet, verè impleat. Quocircà, S. Thom. 3. contra gent. cap. 160. ait, imputandum esse peccatori, si careat diuino auxilio ad legem implendam. Et quamuis homo non habeat potestatem implendi omnia mandata, per totam vitam; potest tamen singula seruare. Et certè, quod possumus de lege, (Deo ipso nos adiuuante per gratiam suam, & liberam donationem) absolutè possumus, licèt ex Deo. Et ob id non præcipiuntur nobis impossibilia.

*Conclus. 2.* Secundò certum est, hominem absolutè posse ad implere omnia mandata legis diuinæ, non quòd illa possit per solas vires naturæ; sed per gratiam Dei, quæ præstò est semper, quantum est ex parte Dei. Hæc conclusio est de fide, & diffinita contra Lutheranos expressè in Concilio Tridentino, capit. 11. & cano. 18. & priùs fuit diffinita in Mileuit. capit. 4. & Arausic. capit. 25. Et extant etiam epistolæ Decretales Innocentij & Cælestini de hac re. Probatur etiam conclusio, ex communi consensu
*Hieronym.* Sanctorum Patrum. Nam D. Hieronym. in expositione symboli ad Damas. ait; Execramur eorum blasphemiam, qui dicunt, Deum aliquid impossibile, homini præcepisse, & mandata Dei, non à singulis, sed ab omnibus in communi seruari posse.
*August.* Idem docet in lib. contra Pelagia. Idem D. August. sermo. 91. de Tempore, & de gratia & libero arbit.
*Chrysost. Basil. Osius. Castro.* cap. 16. & de natura & grat. cap. 43. & 69. Chrysosto. homil. 7. de laudibus Pauli. D. Basil. in regulis monasticis, cap. 83. Legendus est Osius in confessione Polonica. cap. 64. & 65. & in expositione fidei, cap. 64. & Pater Castro, verbo, Præceptum. Rursus probatur
*Deuter. 30. 1. Ioan. 5. Matth. 11. Ad Phil. 4.* ex Scriptura Deutero. 30. Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non est suprà te: Et. 1. Ioan. 5. Mandata eius grauia non sunt, Matth. 11. Iugum meum suaue est, & onus meum leue. Ad Philip. 4. Omnia possum, in eo qui me confortat. Præterea; Scriptura meminit multorum Sanctorum, qui seruauere omnia mandata diuina. Nam de Dauid. 3.
*3. Reg. 11.* Reg. 11. 14. &. 15. Legimus, quòd custodiuit omnia mandata Dei, & sequutus est illũ, in toto corde suo.
*Psalm. 18. Psalm. 118. Lucæ. 1. Iob. 1.* Et ipse dicit Psalm. 18. Etenim seruus tuus custodit ea. Et Psalm. 118. Seruauí mandata tua & testimonia, &c. Et, In toto corde meo exquisiui te. Lucæ. 1. dicitur de parentibus Ioannis Baptistæ, quòd erant ambo iusti, incedentes ante Deum in omnibus mandatis & iustificationibus, sine querela. Et Iob. 1. dicitur de ipso, quòd erat vir simplex & timens Deum, ac recedens à malo, & permanens in innocentia sua. ¶Tandem probatur. Quia aliàs non peccaret homo, ob id quod non custodiret mandata Dei, imo verò posset Deus argui iniustitiæ, si hominem puniret pro eo quod vitare non potest: igitur si mãdata Dei essent impossibilia homini, & non posset homo ea implere, nullus saluus fieret; atque adeò superflua esset tota prædicatio Euangelij.

*Ad argum.* Ad argumenta, quæ principio obiecimus. Ad pri-
*Ad primũ.* mum respondetur, quòd locus ille intelligitur de primo homine, qui ob id dicitur relictus in manu consilij sui; quia per originalem iustitiam poterat facere omnia, quæ pertinebant ad rectitudinem naturalem, & cauere omne peccatum. Ita interpretatur hoc testimonium D. August. lib. 3. hypognos. non lõ-
*D. August.* gè à principio. Quod verò subiungitur: Si volueris mandata seruare, seruabunt te; id sanè intelligitur de voluntate adiuta per gratiam Dei. Hæc enim sola est, quæ sufficit omnia mãdata diuina seruare. Sic exponit August. lib. de grat & libe. arb. c. 15. Et eodè modo sunt interpretanda similia Sacræ Scripturæ testimonia, in quibus commendatur facultas liberi arbitrij, ad obseruationem mandatorum. ¶Ad secun-
*Ad secundũ* dum dico, quòd ad libertatem nostri arbitrij, satis est vt possit liberè cooperari diuinæ gratiæ mouenti & adiuuanti, & quòd ex se etiam possit velle, aut
*Ad confir.* nolle obiectum sibi proportionatum. Ad confirmationem respondetur, quòd quamuis sit necessarium diuinum auxilium ad mandatorum impletionem, hoc tamen non tollit quin etiam nos debeamus liberè cooperari, & sic non frustrà dantur nobis præcepta, sed optimè & prudenter. ¶Ad tertium negatur sequela. Quia (vt habetur in Concil. Trid. sess. 6.
*Ad tertiũ.* cap. 11.) Deus, impossibilia non iubet, sed iubendo monet, & facere quo possis, & petere quod non possis, & adiuuat vt possis: cuius mandata grauia non sunt, &c. Quæ verba sunt Aug. lib. 1. de nat. & grat. c. 43. Quocircà, licèt præcipiat, quæ viribus naturæ præcisè facere non possumus; tamen ipse præstò est adiuuare vt possimus; Et ob id, si nõ facimus, culpa nostra est, ratione cuius dicimur pœna digni. ¶Ad
*Ad confir.* confirmationem dico, quòd liberum arbitriũ in ordine ad supernaturalia, non habet plenarium dominium, neq; in ordine ad collectionem omniũ naturalium, sed tantùm ad singula. Vndè, quòd dicit Dominus: Si benè egeris, recipies: Sensus est; Si benè egeris ex viribus supernaturalibus receptis à Deo, recipies præmium, vel remissionem peccatorũ. Quidam autè, pro recipere, legunt parcere. Et ita interpretatur Pater Soto ex Pagni. & Drie. lib. de grat. & lib. arb. tract. 2. ad. 4. Pelagij. Et Ferus in suo Thesau. linguæ sacræ. Vel dicatur alter, quòd licèt liberum arbitrium suapte natura dominetur appetitui, quo propendimur in peccatum; hoc tamen dominiũ, nõ est plenissimum sine gratia Dei auferente peccatũ. Vndè, ante illa verba: Subter te erit appetitus tuus, hortatus erat Dominus Cain ad pœnitentiam dicẽ do: Si benè egeris, recipies. Vel, Si benè egeris, parce, hoc est, si conuersus fueris per pœnitentiam, tibi parcam. Ita Driedo & Pagninus, vbi suprà.

*Ad fundamentum Lutheri.* Ad fundamentum quo Lutherus suam constituit hæresim respondetur, quòd sua fundamenta, sunt falsa: Nam præceptum dilectionis diuinæ, quo præcipitur nobis ex toto corde diligere Deum, non obligat nos ad omnimodam perfectionem dilectionis, qualis habetur in vita beata, vt semper simus in actuali Dei dilectione, nihil aliud cogitantes, excludendo omnem etiam, quantùmcunq; leuem offensam, sed solùm obligat nos ad hoc, vt nihil præferatur ipsi Deo, vel ad hoc vt velimus in nullo ei displicere mortaliter: sed q̃ ipse habeatur solus pro vltimo fine. Et quantùm ad hoc, rectè impletur in hac vita à iustis, vt ostensum est. Et id latius probat August. lib. 3. contra duas Epistolas Pelagianor. capit. 7. &

lib. de perfectione iustitiæ, propè medium. Et quando obijcit Lutherus; Dùm viuimus, semper concupiscimus: sed concupiscentia aduersatur charitati: ergo semper transgredimur præceptum illud Decalogi: Non concupisces; & consequèter, semper trãsgredimur præceptũ dilectionis diuinæ; quæ repugnat concupiscentiæ. Respõdetur, quòd ad impletionem diuinorum mandatorum non impediunt nos prorsus passiones, quia sæpè non insurgunt, & aliquando iuuant, aliquando verò quæ sunt inordinata, reprimuntur ne regnent: vt notat August. lib. de *D. August.* Nuptijs, & concupisc. cap. 23. & Greg. 21. moral. cap. *D. Gregor.* 3. Ricard. lib. 2. de Emanuele, cap. 2. Osius, in confessione fidei. cap. 85. *Osius.* Neque tenemur omnia ex charitate semper in Deum referre, sed satis est facere opera referibilia in gloriam Dei; & est consilium quòd omnia referãtur in Deum, actu vel virtute, aliàs nõ erunt meritoria æternæ vitæ. Vel respondetur secũdò, & in idem redit, quòd illud præceptum, non prohibet ne omnino concupiscamus, sed ne illicitis concupiscentijs, per liberum consensum, succũbamus; iuxta illud Pauli Rom. 6. Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis, &c. *Rom. 6.* Nõ igitur prohibet concupiscentiam habitare in nobis aut sentire, sed regnare & consentire illi, vt egregiè exponit August. Greg. & Ricard. locis paulò anteà citatis. Falsum est etiam alterum illud fundamẽtum Lutheri, quòd obligent omnia præcepta, vt seruentur cum modo charitatis. Et multò magis est falsum, quòd teneamur ex præcepto operari in singulis operibus ex charitate, ita vt expressè & formaliter referamus singula opera in finem charitatis. Testimonia autem in contrarium citata Scripturæ & Sanctorum; intelliguntur secundum consilium, nõ secundùm præceptum; & si de præcepto sunt accipienda, debent intelligi negatiuè, vt videlicèt nihil faciamus, diuinæ gloriæ aut charitati repugnans & contrarium. Et hæc sufficiant pro concertatione cõtra hæreticos. Nam oportet, vt contra Domesticos & Catholicos Theologos, in secunda parte præsentis controuersiæ, disputemus.

### *Secundus controuersiæ articulus, An possit homo ex se, mandata omnia naturalia obseruare?*

QVamuis Domestici, & Catholici Theologi conueniant, neminẽ posse resurgere à peccato, neque satisfacere pro illo ex viribus naturæ, neque per solas naturæ vires implere præcepta omnia, tam naturalia, quàm supernaturalia, sine speciali gratia Dei; est tamen inter eos non parua contentio, An saltem per solas naturæ vires, possit homo lapsus, implere naturalia præcepta? Et in *Sententia. 1.* hac re, reperio Gregorium, qui in 2. distinct. 26. dixit, hominem sine speciali auxilio Dei, nullum præceptum Decalogi implere posse. Nam putat ille, quòd præceptum necessariò debet impleri per opus moraliter bonum. Et quoniã apud ipsum, opus moraliter bonum, postulat speciale Dei auxilium sine quo fieri non potest, inde colligit, nullum præceptum legis naturæ, sine speciali Dei auxilio, posse ab homine impleri. Huic sententiæ alij addunt, quòd vt verè impleatur præceptum aliquod Decalogi, non tantum requiritur auxilium Dei speciale, sed etiam gratia iustificans, ita vt extra gratiam nullum possit impleri præceptum. Hoc tenet Dionys. Cistercien. in. 1. distinct. 17. quæst. 1. & Capreo. in 2. distinct. 40. & 41. Et probatur: Quia si præcepta possunt impleri sine gratia & charitate, sequitur, quòd sine illa, posset quis mereri vitam æternam; quod est hæresis Pelagiana. Patet sequela: Quia nihil aliud requiritur ad vitam, nisi seruare mandata: secundum illud Christi; Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.

¶ Secunda sententia in alio extremo, est Durandi *Sententia. 2.* in. 2. distinct. 28. quæst. 3. & 4. & tribuitur Scoto, ibidem, quæst. 1. imo verò & S. Thomæ, in. 2. distinct. 28. quæst. 1. art. 3. & Abulens. expressè, Matth. 19. quæst. 177. & 178. Vbi tantùm loquitur de homine in puris naturalibus. Quia de homine lapsõ negat, & partem negatiuam dicit esse veram. Hi autem omnes tenent partem affirmatiuam, quòd potest homo cum solo generali auxilio, implere omnia mandata legis naturalis non solum diuisiuè, sed etiam collectiuè. Et loquuntur isti omnes authores, de obseruatione præceptorum, quoad substantiam, non quoad modum, vt ex charitate, vel meritoriè fiant. Modus enim non cadit sub præcepto, vt falsò putauit Dionys. Cistercien. loco citato. Tribuitur etiam præfata sententia D. Bonauent. in. 2. distinctione. 28. quæstione. 3. sed immerito: expressè namque ait, opus esse gratia data ad implendum omnia præcepta, quoad substantiam, & gratia gratum faciente ad implendum illa quoad modum charitatis. Hæc sententia, habet magna argumenta pro se.

¶ Et arguitur primò. Homo ex proprijs viribus, *Argum. 1.* potest obseruare nonnulla præcepta, per opera moraliter bona: sed ex obseruatione ista fit potentior ad seruanda reliqua præcepta: ergo poterit omnia seruare: Nam semper acquirit nouas vires homo, & ex eo quòd seruat vnum præceptum, non fit debilior ad seruandum aliud, imo verò potentior: ergo si potest vnum præceptum, & secundum, aut tertium obseruare; poterit consequenter omnia. Et quòd ex obseruatione ista, fiat homo potentior, ad seruanda reliqua præcepta, probatur: Quia si homo ante comparatum habitum virtutis, potuit abstinere à peccato aliquoties: ergo à fortiori post comparatum habitum, multoties id poterit. Nam certum est, quòd per actus moraliter bonos, per quos implet homo naturalia præcepta, acquirit habitus moralium virtutum, ex quibus promptiùs, faciliùs, & delectabiliùs operatur bonum virtutis. ¶ Secundò *Secundum.* arguitur. Omnia præcepta naturalia collectiuè sumpta, sunt proportionata viribus naturæ: ergo eisdem viribus possunt impleri. Consequentia est aperta: Quia quælibet potentia, potest in obiectum sibi proportionatum. Antecedens probatur: Quia omnia præcepta naturalia, sunt proportionata rationi, & naturali prudentiæ, & omnia simul sumpta, sunt obiecta ordinis naturæ. Imo verò, ita proportionata sunt omnia mandata viribus naturalibus, sicut est vnum mãdatum: ergo si potest vnum, poterit omnia. Patet antecedẽs: Quia sicut vnum est naturale, ita omnia collectiuè sunt naturalia. Et confirmatur: Quia *Confirm.* aliàs



aliàs sequeretur, hominem conditum in puris naturalibus, non posse vnquam consequi suum vltimum finem, sed necessariò esse miserum; qui defectus, necessariò esset referẽdus in eius authorem: ergo auxilium necessarium ad nunquam peccãdum, debitum est naturæ; atque adeo iam ex auxilio generali & debito, id poterit homo. Nam omnia media ad consequutionem finis necessaria, debentur naturæ, vt patet in omnibus rebus; aliàs frustra dedisset homini Deus appetitum ad finem; Imo verò Deus in sua actione frustraretur, si creatura non posset consequi finem, ad quem Deus ipsam ordinauit. *Tertium.* ¶ Tertiò arguitur. Quia intra præcisum ordinem naturæ, est obligatio naturalis, seruandi totam legem collectiuè: ergo & possibilitas; alioqui obligaretur ad impossibile. Probatur antecedens: Quia si homo haberet illam volitionem, scilicet, Volo nõ seruare omnia mandata collectiuè; verè peccaret: ergo contra aliquam obligationem legis præcipientis seruare totam legem collectiuè. Nam ex eo, quòd quis non seruat totam legem collectiuè; sequitur, quòd peccat per aliquod particulare peccatum: ergo tenebatur totam collectiuè seruare intra præcisum naturæ ordinem: ergo & habet possibilitatem *Quartum.* ad id. ¶ Quartò arguitur. Nam vel peccator non potest implere omnia præcepta naturalia, ex defectu gratiæ: vel ratione peccati præcedentis, aut ex mala inclinatione peccati relicta. Non primum: Quoniã in natura integra, si careret homo gratia, poterat ex vigore naturæ, & integritate eius, sine gratia, præcepta omnia naturalia adimplere. Non secundum: Quia per habitus bonos, inclinatur homo ad bonum, & nihilominùs potest contra illorum inclinationem, committere quodcùmque peccatum: ergo etiàm non obstante inclinatione ad malum relicta, poterit homo benè operari. Item etiam, quia vnus actus peccati, non necessitat voluntatem ad similes *Confirm.* actus. Et confirmatur: Quia difficilè valdè videtur, quòd Adam immediatè ante peccatum, posset naturaliter omnia præcepta implere, & statim post mo- *Quintum.* mentum, non posset. ¶ Quintò arguitur. Quia si homo ex viribus naturę non posset præcepta omnia naturalia implere, sequeretur apertè, quòd homo cognosceret certò, se esse in gratia, si experiatur in se ipso, quòd non offenderit Deum in transgressione alicuius præcepti, quod sanè potest cernere in se ipso: Præsertim, si sit homo sine querela, & pacificus, & valde semotus ab hominum negotijs. *Sextum.* ¶ Sextò arguitur. Quia aliàs sequeretur, quòd teneretur homo post peccatum, statim pœnitere de ipso, ita vt peccaret, si hoc non efficeret: consequens autem est falsum, & sequela probatur. Quia ille homo, non potest implere omnia alia præcepta, quandiù est in peccato; ex proprijs viribus: ergo est constitutus in peccandi periculo propter transgressionem præcepti; at constituere se in tali periculo, est *Septimum.* peccatum mortale: ergo. ¶ Septimò. Homo, potest in particulari vitare quoduis peccatum: ergo omnia. Antecedens patet; Consequentia probatur: Quia à distributiua ad compositam, est bona consequentia, si ipsum posse eodem modo sumatur in antecedente, & consequente, id est, si potest omnia distributiuè, non simul, sed successiuè, & copulatiuè vnum post aliud, vsque ad vltimum, videtur rectè sequi, quòd possit omnia collectiuè: sed ita est in proposito. Nam peccata, quæ homo potest vitare in hac vita, ita se habent, quòd quouis vitato, potest aliud vitare, & sic vsque ad vltimum: ergo potest omnia. Consequentia patet ex dictis. Et præterea; Quia si aliquo modo posset vitare omnia, non aliter posset, quàm vitando singula. Antecedens autem probatur: Quia si daretur aliquod peccatum in particulari, quod vitare non posset; illud non esset peccatum, vt constat: ergo. ¶ Octauò arguitur. Qui *Octauum.* potest diuisiuè seruare omnia mandata, potest collectiuè seruare illa: sed homo potest diuisiuè, vt omnes concedunt: ergo & collectiuè. Maior probatur: Nam qui seruat diuisiuè, seruat collectiuè; Quia non aliter potest seruare collectiuè, quam seruando diuisiuè, vnum post aliud: ergo qui potest diuisiuè seruare, potest collectiuè. Nam profectò, si seruat omnia diuisiuè, in nullo deficit: si enim aliquando defecerit, iam non seruat omnia diuisiuè. Et confirmatur: Quia si homo potest seruare om- *Confirm. 1.* nia diuisiuè, supponamus seruasse illa: Nam possibile posito inesse, non sequitur inconueniens. Tũc sic: Vel iste homo deficit in aliquo, & hoc est contra suppositionem: Vel in nullo deficit; & sic seruabit omnia collectiuè: ergo qui potest omnia diuisiuè, potest collectiuè; atque adeò nulla est responsio commemorata, de distinctione diuisiua & collectiua. Et confirmatur secundò: Quia seruando *Confirm. 2.* diuisiuè mandata, adimpleret homo præceptum, si esset, de seruando omnia collectiuè: ergo idem sunt seruare omnia collectiuè & diuisiuè. Nam ex hoc quòd potest omnia diuisiuè, si id ponatur inesse, fiet omnium collectio. Præsertim, quia (vt diximus) per vnius præcepti obseruationem, non redditur inhabilior homo ad seruandum aliud, imo verò promptior propter habitum acquisitum, & experientiam. Et si non seruaret priora, posset seruare sequentia. Quod probo: Sit tempus quod homo potest transigere sine peccato, vnius mensis, tempus verò quo non potest, sit maius, Verbi gratia sit triginta & vnius dierum. Tunc suppono, quòd accesserit homo ad finem mensis, sine vlla transgressione præcepti; & tunc est fortior in ordine ad diem. 31. quàm in ordine ad priores, & quàm si tempore præcedente violasset præcepta: Igitur poterit etiam diem trigesimum primum agere, sine peccato. ¶ Nonò arguitur. Et videtur quibus- *Nonum.* dam euidens argumentum. Si potentia seruandi præcepta, non est ad infinitum tempus cathegorematicè, nec syncathegorematicè, sed est prorsùs limitata: ergo debet terminari ad maximum quòd sic vel ad minimum quòd non, sicut terminantur omnes potentiæ finitæ, & sic debet dari maximum tempus in quod potest, vel minimum in quod non potest. Si datur maximum, ponamus quòd accesserit ad instans terminatiuum illius temporis, tunc offeratur ei occasio peccandi, iste non potest per tempus vlteriùs esse sine peccato: Nam ex suppositione, iam accessit ad maximum tempus in quod poterat: ergo necessariò peccabit in hoc particulari peccato, quod repugnat. Quia nullum est peccatum, quod in particulari vitari non possit. Si dicas dari tempus minimum, in quod non potest: hoc non satisfacit, primò: Quia in

physicis diximus, potentias non terminari per minimum quod non, sed per maximum quod sic. Secundò: Quia etiam si detur minimũ quod nõ, ponamus quòd homo acceſſerit ſine peccato, vſq; ad inſtans initiatiuũ milleſimæ partis, Verbi gratia, horæ, quæ intercedit, inter illud inſtans, & inſtans tẽporis minimi, quod non; tũc ſequitur quòd in illa milleſima parte, neceſſariò ille homo peccauit, quod eſt cõſtituere illum in maxima anguſtia, & auferre ab illo libertatem: Nam moraliter, pro eodem reputatur, tẽpus imperceptibile & inſtans. Et præterea, fortaſsis in modiciſsimo illo tempore, per ſomnum vel diſtractionem aliquam naturalem, erit ſine iudicio, & aduertẽtia rationis, aut nõ offerẽtur ei vehementes occaſiones peccandi: ergo nõ neceſsitabitur ad peccatum intra illud breuiſsimum tempus. *Confirm.* Et cõfirmatur; Quoniã de qualibet collectione tẽporis, eſt verum affirmare vel negare, quòd in illa poteſt homo non peccare, vel quod non poteſt nõ peccare: ergo neceſſariò deueniendũ eſt ad aliquam collectionẽ, diſcurrendo per ſingulas, de qua primò ſit verũ dicere, quòd non poteſt illam trãſigere ſine peccato. Et ſic, ſi veniat ad quodlibet inſtans præcedens illã collectionẽ, eò vſq; poterit homo accedere ſine peccato: ergo in nullo inſtanti præcedente, neceſſariò iſte incipit peccare, & ſic neq; in toto tempore præcedente neceſsitabitur ad peccatum, maximè cùm in eo toto, & in ſingulis eius inſtantibus, habeat facultatem amandi Deum, cum quo amore repugnat peccatum. *Decimum. Rom. 2.* ¶Decimo arguitur, ex Paulo Rom. 2. Gẽtes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis ſunt faciũt. *D. Chryſoſt.* Vbi Chryſoſt. ait, ſermonem eſſe de præceptis naturalibus: ergo ex viribus naturæ, poteſt homo ſeruare omnia præcepta legis naturæ. Imo verò Chryſoſt. videtur dicere, aliquos ex gentilibus, *D. Baſil.* omnia legis præcepta præſtitiſſe. Et D. Baſil. in fuſio rib. regulis. cap. 2. ait, accepiſſe nos à Deo, facultates naturales, ad implenda diuina mandata. *Deut. 30.* Vndè, Deuterono. 30. legimus: Mandatum hoc quod ego præcipio tibi, nõn eſt ſuprà te. *Eccleſ. 25.* Et Eccleſ. 25. Ab initio fecit Deus hominem rectum adiecit mandata & præcepta ſua: *Confirm. 1.* Si volueris mandata ſeruare, conſeruabũt te. Et confirmatur; Nam ſi homo ſine gratia, nõ poſſet ſeruare præcepta naturalia, apertè ſequitur, quòd homo in puris naturalibus (in quo ſtatu nulla eſt gratia) neceſſariò peccaret contra præcepta naturalia; & ex conſequẽti neceſſariò eſſet miſer. Quia peccator eſt indignus etiã beatitudine naturali, & hæc indignitas nõ põteſt tolli niſi per gratiam; quia per eam ſolam poteſt deleri peccatum: *Confirm. 2.* conſequens eſt à ratione alienum: ergo. Et confirmatur ſecũdò: Quia talis homo non poſſet diligere Deum ſuper omnia; quia huiuſmodi dilectio, etiam includit quòd proponat homo ſe ſeruare omnia præcepta; id autẽ proponere non poſſet, cùm iudicet id eſſe impoſsibile ſibi. Imo verò, liceret ei proponere ſaltem ſine mortali peccato, peccare aliquãdo mortaliter; Quia proponere id, quod eſt neceſſarium, non eſt peccatum mortale, licèt fortè ſit veniale; quia eſt actus ocioſus. *Vndecimũ.* ¶Vndecimò arguitur. Quia ſequeretur, q̃ peccatum vt ſic, non eſſet peccatum. Probatur. Quia peccatum, eſt neceſſarium homini non habenti gratiã, vt patet in caſu quæſtionis: ergo peccatum vt ſic, nõ eſt ei liberum: ergo neq; peccatũ vt ſic, erit peccatũ, quod repugnat. *Duodecimũ* ¶Duodecimò arguitur. Nam poteſt homo viribus naturæ, hodie implere præcepta quæ occurrunt, & ſimiliter cras: & ſic de ſingulis ſucceſſiuè: ergo poterit facere omnium collectionem, ex his ſingularibus, ita vt nullum fregerit. Patet conſequentia. Quia ſi ſic faciat de omnibus diuiſiuè, in fine habebitur collectio: ergo nõ poteſt in omnia diuiſiuè, quin poſsit in omnia collectiuè, cùm non occurrant omnia ſimul, ſed ſigillatim & ſeorſum.

### *Prima concluſio.*

*Concluſ. 1.* PRo explicatione huius controuerſiæ, eſt prima concluſio. Quod homo habeat gratiam gratum facientem, non eſt conditio neceſſaria ad ſingula præcepta legis implenda; ſed quãuis homo ſit in peccato, ſi efficiat id quod præcipitur, adimplet præceptum. Hæc debet eſſe certa in omni opinione, quã tenet S. Th. art. 8. ſequen. & Scot. in. 2. d. 28. q. 1. Bonauẽ. *D. Bonauẽ.* ibi, art. 1. q. 3. Almai. in moral. tract. 2. c. 2. & eſt cõtra Dionyſ. Ciſtercienſ. in. 1. d. 17. q. 1. Quo loco dixit, q̃ *Diony. Ciſt.* gratia & charitas, eſt conditio neceſſaria ad implenda præcepta legis; & à fortiori tenet hoc. Ratione autem probatur; Quia nulla lege diuina, aut humana præcipitur, vt qui adimpleturus eſt aliquod præceptũ, ſit in gratia. Nam ſi legiſlatores id voluiſſent, ſine dubio, id in ſuis legibus expreſsiſſent. Et confirmatur: Nam qui vouit ieiunium, & non vouit ea intentione, vt adimpleret in gratia, talis tenetur ieiunare ex præcepto diuino, & non tenetur ieiunare in gratia, quia non id promiſit: igitur poteſt quis implere aliquod præceptũ Dei, quãuis ſit extra gratiã gratũ facientẽ. Item probatur: Quia ſi ſentẽtia Dionyſij eſſet vera, ſequeretur quòd quotieſcunq; occurrit tẽpus & obligatio adimplẽdi aliquod præceptũ, v.g. dandi eleemoſynam, honorandi parentes, ſeu etiam audiendi miſſam; teneremur ſcrupuloſè examinare noſtras cõſciẽtias, & de peccatis dolere: cõſequẽs eſt incredibile, & abſurdũ, & cõtra cõmunẽ cõſenſum.

### *Secunda concluſio.*

*Concluſ. 2.* SEcunda concluſio. Certum eſt, quòd poteſt homo nunc præcepta aliqua legis naturæ implere, vt, honorare parentes, ſubuenire pauperi, non blaſphemare nomen Domini; imo verò per breue tẽpus poteſt homo ex viribus naturæ, illa omnia præcepta legis naturæ, quæ tunc occurrunt, verè implere & ſeruare. Et intelligitur concluſio, non ſolum de potentia Phyſica, quæ abſtrahit à difficultatibus, quæ poſſunt in particulari occurrere; ſed etiam de potẽtia morali. Hæc concluſio recipitur apertè ab omnibus, & eſt contra Gregor. Ariminenſ. vbi ſuprà. Et ſanè, quòd poſsit homo nonnulla præcepta legis naturæ implere, adeò certum eſt, vt nullus, niſi amẽs & ſtultus, poſsit id negare. Quòd verò per breue tempus, ea præcepta quæ tunc occurrunt, ſi modò ſint legis naturæ, poſsit homo implere, Scholaſtici omnes concedunt; aliàs natura hominis non fuiſſet ſolùm læſa per peccatum, ſed extincta. Et profectò, ſi non poſſet præcepta aliqua legis naturæ implere, non haberet præceptum naturale circà ea, imò non eſſet peccatum in illis, ſi vitare ea non poſſet. Item. Quia præcepta affirmatiua, non occurrunt ſimul omnia implenda, quia non obligant pro ſemper. Rurſus:

Præcep-



Præcepta negatiua, ſine actu ſeruantur, & poteſt homo per breue tempus negatiuè ſe habere: ergo.

### *Tertia concluſio.*

*Concluſ. 3.* TErtia concluſio. Homo ex ſolis viribus naturæ, neque poteſt longo tempore vitare omnia peccata, neque omnia præcepta collectiuè implere. Hãc tenet S. Thom. hic, & infra art. 8. & 3. contra Gent. capit. 126. Ricard. in. 2. diſtinct. 28. artic. 7. Marſil. in 2. quæſt. 18. artic. 2. concluſ. 4. Decanus Louan. artic. 7. Henric. quodlibet. 5. quæſt. 20. D. Bonauent. vbi ſuprà. Ægid. in. 2. diſtinct. 28. quæſt. 4. Vega, de iuſtificatione. q. 12. & 13. Gerſon Alphab. 54. litera. S. Et hi dicunt, oppoſitam ſententiam eſſe periculoſam in fide, & particulam quandam hæreſis Pelagianæ. Quocircà, homo in natura lapſa non poteſt, neque per tõtam vitam, neque per longum tempus, implere omnia præcepta naturalia collectiuè, ita vt in nullo deficiat. Et intelligo, quòd nõ poteſt implere omnia præceptæ legis naturæ, etiam quoad ſubſtantiã operis, ſemper & perſeueranter, ſine ſpeciali Dei auxilio. Hæc concluſio, eſt diffinita in Concil. Mileuit. cano. 3. 4. & 5. Vbi habetur: Siquis dixerit, hominem egere gratia tantùm ad faciliùs implendum legem, & non ad ſimpliciter implendam; anathema ſit. Idem in Arauſicano cano. 22. & in Trident. ſeſſ. 6. cano. 2. & in Tolet. 3. cano. 2. Quæ Concilia, abſolutè definiunt, gratiam eſſe neceſſariam ad implẽda omnia præcepta, & vitanda omnia peccata, ſine vlla diſtinctione. Dicunt tamen aliqui, quòd loquuntur Concilia de obſeruatione omnium præceptorum, tam naturalium, quàm ſupernaturalium; & aſſerere hanc eſſe poſsibilem homini ſine gratia, eſſet Pelagianum; non tamen aſſeuerare, quòd poſſet implere omnia præcepta naturalia. Sed hæc ſolutio & reſpõſio, non eſt ſatis ad mentem Conciliorum. Vndè, ad huc aduerſariorum ſententia, vt minimum, erronea eſt, vel errori proxima. Concilia namq; conſtituunt differentiam inter hominem in natura lapſa, & in natura integra: & circà totam collectionem præceptorum, etiam ſupernaturalium, homo, neq; in natura integra poterat ea agere, ſine ſupernaturali auxilio. Vndè, diſcrimẽ inter hominem in natura lapſa, & in natura integra, quantùm ad neceſsitatẽ ſupernaturalis auxilij; non eſt conſtituendum in ordine ad præcepta ſupernaturalia: quia in ordine ad illa, nulla erat dubitatio; nam in vtroq; ſtatu apertè eſt neceſſarium; ſed diſcrimen ſeu differentia, eſt in ordine ad præcepta naturalia, præterquã, quòd Concilia & Sancti, non in naturalitatem, aut ſupernaturalitatem præceptorum, referunt neceſsitatem auxilij ſupernaturalis; ſed in defectibilitatẽ liberi arbitrij, & infirmitatem ipſius, contractam per peccatum. *Auguſt.* Et D. Aug. ſæpèſæpiùs apertè explicat neceſsitatem diuini auxilij, reſpectu præceptorum naturalium: vt patet in lib. 63. quæſtion. q. 53. vbi expreſsè negat, præcepta Decalogi poſſe ſeruari, viribus naturæ. Et epiſt. 89. & 90. & epiſt. 105. & 106. & 200. & lib. 2. de peccatorum meritis, & de nat. & grat. cap. 59. & lib. de perfectione iuſtitiæ, & ſpiritu & litera per totũ. *Ambroſ. Hiero. 3. cõtra Pelag.* Idem Ambroſ. ad Rom. 7. ſuper illa verba, velle adiacet mihi. Idem Hieron. in epiſtol. ad Theſiphon. & in libris contra Pelagian. Vbi ponit exemplum de renitente cõtra impetum fluminis, qui trahitur quo non vult. Idem Greg. Homil. 11. & 15. ſuper Ezech. & lib. 7. Moral. cap. 13. & lib. 2. cap. 12. Idem Chryſoſtom. explicans illud Matth. Soluite & adducite mihi. Vbi ait, quòd ſicut nauis deſtituta gubernaculo, tendit quo tempeſtas eam impellit, ita homo ſine gratia & auxilio Dei. Idem Baſil. Homil. de liber. arbit. Idem Cyril. 2. in Ioan. cap. 45. Quo loco dicit; Impoſsibile eſt facere bonum, & benè viuere, Dæmonum laqueos effugere, ſine perturbatione animæ, niſi nos gratia Dei præueniat, & muniat. ¶Profectò, inter errores Pelagij, apertè & expreſsè ponitur in Epiſt. 90. apud D. Auguſt. quæ eſt Concilij Carthag. *Auguſt.* quòd ipſe Pelagius diceret, nos poſſe ſeruare legem naturalem & ſcriptam, ſine Dei gratia. Et in eius cõdemnatione abſolutè dicitur, quòd non poteſt homo ſine gratia Dei, implere omnia præcepta. Idem habetur in cap. placuit. 3. & 4. de conſecrat. diſtin. 4. ¶Aliqui dixerunt, Concilia & Sanctos tantùm exigere auxilium generale, quia id tantùm negabat Pelagius. Sed contra: Quia potiùs Pelagius conſtituebat auxilium generale, commune bonis & malis; vt conſtat ex Auguſt. epiſt. 98. & lib. de natura & grat. cap. 10. ergo, Concilia & Sancti nomine auxilij, intelligunt ſpeciale, quod ideo appellant donum Spiritus ſancti. Sed reſpondent ſecundò aduerſarij, teſtimonia citata Conciliorum & Sanctorum, intelligenda eſſe de obſeruatione mandatorum ſupernaturalium, & quæ meritoria eſt. Sed contra: Quia in homine integro nõ exigunt hoc, ſed in homine lapſo: ergo ſignum eſt ſe loqui de præceptis naturalibus. Nam ad ſupernaturalia, in quolibet ſtatu requiritur gratia, vt dictum eſt; Et ob id, cauſam aſsignãt infirmitatem noſtram, & defectibilitatem, quam homo includit per originale. Si verò de ſupernaturalibus & meritorijs operibus tantùm loquerentur, teſtimonia citata Conciliorum & Sanctorum, aliam redderent cauſam, improportionem naturæ ad obiectum, ita eleuatum. Et ob id, in epiſt. citata Concilij Carthagin. apud D. Auguſt. tanquam particularis error Pelagij numeratur, quòd poſsimus ſeruare omnia præcepta legis naturæ, ſine gratia.

*Gregor. Chryſoſt.* *Baſilius. Cyrillus.* *Auguſt.*

Probatur etiam præfata concluſio ex diuina Scriptura. Et primò quidem ex Paulo in epiſt. ad Rom. & ad Gala. vbi contendit probare, omnes tã Iudæos quàm Græcos, eſſe peccatores, & egere gratia Dei, nõ ſolũ propter originale, ſed propter fragilitatẽ naturæ deſtitutæ & ſpoliatæ, quæ non poteſt totã legẽ naturalẽ implere. Vndè, ca. 7. ait. Infelix homo, quis me liberabit de morte corporis huius? Et reſpõdet; Gratia Dei per Ieſum Chriſtũ. Vbi apertè loquebatur de tentationibus cõtra caſtitatẽ, nẽpe de pugna carnis. Et alibi; Concupiſcentiã neſciebã, niſi lex diceret, Non concupiſces. Quod præceptũ cõſtat eſſe legis naturæ, de quo ait, quòd niſi adiuuetur ab ſpiritu, offendit ſemper propter fragilitatẽ naturæ. Itẽ probatur ex illo Iere. 10. Scio Dñe, quia eſt hominis via eius, neq; viri eſt vt ambulet & dirigat greſſus ſuos. Et Threno. 1. Peccatũ peccauit Hieruſalẽ, propterea inſtabilis facta eſt. Et Eccl. 27. Si non in timore Domini tenueris te conſtanter, citò ſubuertetur domus tua. Vbi inſtabilitas & ſubuerſio domus, ad noua peccata referuntur, in quæ incidet homo niſi ſpeciali gratia Dei cõuertatur. Et Sap. 8. dicitur: Scio q̃ nemo põt eſſe continẽs, niſi tu Deus dederis. Idẽ

*Gal. 7.* *Ieremi. 10.* *Threni. 1.* *Eccleſ. 27.* *Sap. 8.*

3. Reg. 8.
2. Parali. 6.
D. Hieron.

3. Reg. 8. & 2. Paralip. 6. Vbi dicitur; Non est homo qui non peccet. Ex quibus locis colligit Hiero. hoc argumẽtum cõtra Pelagianos Malach. 1. Quod fuit, id ipsum erit, Eccles. 2. sed hactenus non fuit homo qui absque gratia potuerit perseuerare sine peccato: ergo signum est quòd nunquam erit. Et ob id esse moraliter impossibile.

Ostenditur rationibus conclusio.

¶ Rationibus etiam apertè probatur. Prima sit. Nã 3. concilia decernunt, quòd Adam per iustitiam originalem, poterat seruare mandata omnia, & certũ est, quòd sine gratia non poterat supernaturalia: sed eisdem locis docent, quòd amissa originali iustitia, factum est impossibile, vt sine gratia Dei homo seruet mandata: ergo loquuntur de mandatis naturalibus. Item. Si homo potest vitare omnia peccata cõtra rationem naturalem sine gratia: ergo potest implere præceptum fidei, & alia similia, similiter sine gratia. Quia non vitantur peccata contra illa, nisi per eorũ adimpletionem. Supponimus nanq;, neminem peccare contra finem supernaturalem, quin etiam peccet contra rationem naturalem.

2. Ratio.

¶ Secunda ratio sit: Homo per peccatum, deuiat à regula debiti finis, & conuertitur inordinatè ad finem creatum: ergo si se obtulerit aliquid tali fini conueniens, insequetur illud, nisi reducatur ad regulam & finem debitum; at hoc non poterit insequi, nisi ex transgressione alicuius præcepti: ergo peccato vno supposito, necessariò aliud sequetur, nisi conuertatur. Hæc ratio est S. Tho. 3. contra Gentes, cap. 160. quam fusè Ferrar. ibi interpretatur. Est tamen breuiter intelligenda, non de necessitate physica, quasi ex primo peccato necessitetur homo ad aliud peccatum; sed de necessitate morali. Morale nanq; est, quòd vt in plurimũ, & sæpiùs contingit; Et sanè ita euenit, quòd homines vt in plurimum operantur secundùm fines, quibus affecti sunt, nisi diligentissimè curẽt opposita: non est autem morale, quòd id frequenter curent, sed rarissimè.

3. Ratio.

¶ Tertia ratio sumitur ex impetu passionum, & ex continua pugna inferioris partis, contra rationem superiorem. Quibus procellis agitatus homo, non potest ita esse peruigil, & in perpetua custodia, quin aliquando labatur in aliquod peccatũ, & sequatur id ad quod maximè allicitur, propter sensibilia, quæ maximè mouent eũ: ex varijs igitur tentationibus atq; periculis, quæ sese offerunt homini peccatori, apertè constat, quòd non possit omnia præcepta legis naturæ collectiuè implere ex solis naturalibus modò. Et confirmatur. Quoniam in rebus naturalibus, quando aliquid componitur ex cõtrarijs, non potest diu permanere sine corruptione; Quia vnum contrarium insurgit in aliud: sed homo est compositus ex contrarijs, quæ bellum ducũt moraliter in nostros actus: ergo impossibile est, quòd semper superet vnum, ex his cõtrarijs determinatè. Et confirmatur iterum: Quia homo habens inclinationem naturalem ad obiecta opposita, non semper operatur secundùm vnam, & non secũdum alterã. Et confirmatur vltimò: Quia potentior est gratia ad opera supernaturalia, quàm natura ad opera naturalia; vel saltem habent se proportionabiliter: sed non potest homo, cum sola gratia seruare omnia præcepta supernaturalia collectiuè, sine alio specialiori auxilio supernaturali: ergo non potest per solam naturam. Vnde, in art. 9. ostendemus, quòd etiam ille, qui est constitutus in gratia, non potest de lege ordinaria, per sola communia, auxilia gratuita, cauere omne peccatum veniale, in quo tamen vrgent eadẽ argumenta, quæ procedunt de peccato mortali, lõgo tempore vitando, sine gratia: ergo sicut illud defenditur impossibile, ita & hoc. Neq; satisfacit, aut valet responsio Duran. in illa. q. 3. citata. nu. 8. quòd peccata venialia, possunt esse indeliberata, & ideo facilius committuntur, quã mortalia: & quia ratio non potest semper esse vigil, necessariò cõmittet aliquid ex indeliberatione: secùs autẽ dicit de mortalibus, quæ nõ sine deliberatione cõmittuntur. Hoc inquã non satisfacit, neq; valet. Quia omnia venialia, sunt libera, quamuis nõ plenè deliberata: ergo sicut propter libertatem, quæ est in peccato mortali, cogitur Duran. fateri, quòd possumus vitare omne mortale collectiuè, ita debuisset cogi ad idẽ fatendũ de venialibus, licet ad venialia, minùs tempus constituatur: ergo sicut hoc nõ concedit Duran. ita neq; primũ debet cõcedere.

4. Ratio.

¶ Quarta ratio sit. Quia si posset homo omnia collectiuè implere per vires naturæ, etiam quoad substantiam operis, aut per totam vitã aut per longum tempus; sequitur quòd posset homo vitare omnia peccata sine gratia: consequẽs est plus quã falsum, vt art. 8. sequenti ostẽdemus. Et patet sequela: Quia non minùs requiritur ad seruanda præcepta, quã ad vitanda peccata, imo verò magis; & sanè, qui seruat omnia præcepta occurrentia, necessariò vitat omnia peccata. Dices, quòd solũ sequitur, quòd potest vitare peccata contra naturalia præcepta, non contra supernaturalia. Cõtra: Quia vel Deus confert auxilium speciale, ad seruanda præcepta supernaturalia; vel non confert. Si confert, poterit homo cooperari tali auxilio. Si non confert, non peccat homo, ex eo quòd non seruet legem supernaturalem: ergo qui seruat omnia præcepta naturalia viribus naturæ, per easdem poterit non peccare cõtra leges supernaturales. Confirmatur. Quoniam Gentilis, qui nihil audiuit de fide supernaturali, excusatur ab obseruatione legũ supernaturalium: ergo si ille potest seruare totam legem naturæ, poterit etiã omnia vincere, sine peccato, proprijs viribus; quod tamen videtur contra fidem. Quocircà, inter errores Pelagij distinctè ponitur, quòd diceret, posse nos seruare legem naturalẽ, sine Dei gratia: ergo temerarium videtur distinguere de præceptis naturalibus & supernaturalibus, suppositis Conciliorũ & Patrũ sententijs de hac re; maximè, cùm remota omni gratia Dei, tota difficultas esset in non peccando cõtra præcepta naturalia.

5. Ratio.

¶ Quinta ratio sit: Quia ex hoc quòd seruentur omnia Dei præcepta collectiuè per vires naturæ, consequitur apertè, quòd dimeretur homo vitam æternã & Dei gratiã, saltem ex lege infallibili Dei, qua dictũ est Ioã. 15. Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis. Et alibi: Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Vndè, Patres damnantes Pelagium, pro eodem reputabant, posse hominẽ implere omnia præcepta naturalia collectiuè, & posse nunquã peccare, & posse etiã se disponere ad gratiã. Ex quibus liquet apertè, Duran. sententiã, esse minùs cõsonã fidei, & diffinitionibus Concilio rũ, licet nõ sit apertè hæretica. Sed respondẽt Durã. Scot. & Gabr. solũ diffiniri cõtra Pelagium, nõ posse seruari mandata meritoriè sine gratia. Sed contra:

Ioan. 15.

Quia



Quia tanquam errores diuersi, dãnatur seorsùm isti duo: scilicet, q̃ possimus mereri sine gratia, & quod possimus seruare mandata sine gratia: igitur non solùm est error, quod possimus ea seruare meritoriè sine gratia: sed etiam est error, quòd absolutè possimus ea seruare collectiuè, aut per totam vitam aut longo tempore.

6. Ratio.

¶ Sexta ratio sit. Quia homo in hoc statu, est veluti infirmus: sed homo infirmus, quamuis possit per aliquod spacium ambulare; non tamen longiùs: ergo quamuis homo in hoc statu possit vnum aut alterum præceptum implere, non tamen omnia. Nam (vt diximus) regulariter homini in vita, insurgunt occasiones peccandi, & tentationes, quibus agitatur & permouetur, & impellitur. Vndè, homines extra gratiam Dei, cernimus frequẽter incidere in peccata.

*Quarta conclusio.*

Concl. 4.

QVarta conclusio. Hæc impossibilitas obseruandi omnia mãdata naturalia collectiuè, sine supernaturali auxilio Dei, non est intelligenda de impossibilitate physica, sed de impossibilitate morali. Quoniam potentia physica abstrahit à difficultatibus, quę possunt in particulari occurrere, potẽtia verò moralis, non item; quia omnia includit. Rursus; Possibilitas vel impossibilitas physica, præcisè attenditur ex connexione terminorum interse, vel ex repugnantia ipsorum, ita vt illud dicatur physicè possibile, quod ex terminis non inuoluit aliquã repugnantiam. Et quoniam obseruatio præceptorum naturalium, ex se non dicit aliquam repugnantiam, cum potentijs operatiuis intellectus & voluntatis, idcircò hæc obseruatio, non dicit impossibilitatem physicè. Possibilitas autẽ, vel impossibilitas moralis, non ex naturis rerum absolutè pensanda est; sed ex circunstãtijs loci & temporis, alijsque huiusmodi, & etiam ex impedimentis operationum. In homine namque peccatore, varia impedimenta concurrunt, nempe maior instigatio Dæmonis, à quo tenetur captiuus per peccatum; cõcurrunt etiã naturalia & sensibilia obiecta, quæ vehementer mouent; concurrunt rursùs varia pericula, & offendicula, quæ sæpiùs euenìunt indiscursu vitæ humanæ, & concurrit actualis inclinatio voluntatis ad bonum commutabile inordinatum, & alia huius ordinis impedimenta. Vndè, potentia moralis, non abstrahit ab his difficultatibus, sicut potentia physica. Quocircà, non est morale quòd sine supernaturali auxilio Dei, semper hęc superet collectiuè. Hæc tamen moralis impossibilitas, non tollit possibilitatem physicam, neque libertatem, respectu cuiuscùmque actus in particulari: nèque enim deueniendum est ad aliquem actum præcepti, quem non potest homo implere, vt aliqui malè dixerunt. Nam tunc, non esset peccatum omissio illius actus præcepti. Impossibilitas ergo moralis, in hoc tantùm cõsistit, quòd licèt possit implere legem, possibilitate physica, quæ non dicit repugnantiam cum potentijs operatiuis intellectus & voluntatis, abstrahendo ab omnibus difficultatibus, quæ possunt in particulari occurrere; nunquam tamen reducetur talis potentia in actum, sine auxilio supernaturali Dei. Imo verò, non est morale propter impedimenta tacta, quæ occurrunt.

*Quinta Conclusio.*

Concl. 5.

QVinta conclusio. Nec omnia præcepta naturalia, etiam diuisiuè, potest homo implere diù aut semper ex viribus naturę præcisè, in natura lapsa, sine Dei speciali auxilio. Hæc conclusio est contra nouos Theologos, qui dicunt, posse hominem implere quoduis præceptum, & vitare quod vis peccatum contra legem naturæ, non solùm potentia physica, sed morali, ita vt hic & nunc nullum præceptum possit occurrere, quod non possit homo corruptus implere, ex solis naturæ viribus in omni euentu semper. Cõtra quos decerno, esse quædam præcepta naturalia in particulari, quæ propter vehementes incidentes tentationes, variaque pericula, quæ superanda sunt; ita sunt difficilia, vt homo sine Dei speciali auxilio, ea non possit in omni euẽtu moraliter implere. Et licèt hæc assertio, non sit tam certa, sicut tertia conclusio suprà tacta; nihilominùs adèo rationabilis, & certa mihi videtur, vt opposita non sit tuta. Primò: Quia potest euenire, vt homo non possit adimplere præceptum aliquod, ex naturalibus, sine eo quòd contemnat propriam vitam; imo verò interdùm, honorem, & famam, & filios. Et potest etiam euenire, vt casus hic repente eueniat, inquo ferè non dantur inducię, & quamuis alij casus ita graues non occurrant plerumque sicut iste; occurrunt tamen alij turbulenti multum in discursu vitæ. Quis ergo ferat, hominem posse sine vllo speciali Dei auxilio, hæc omnia vincere & superare moraliter loquendo, & præcepta implere? Item probatur: Nam de præcepto naturali dilectionis Dei super omnia ex toto corde, suprà diximus, non posse impleri sine gratia Dei: de alijs tamẽ actibus præceptis, habet etiam verum præfata conclusio, quòd in aliquo euentu moraliter loquẽdo, non possit homo implere aliquod præceptum, sine speciali Dei auxilio, vt si vehemens passio insurgat, & turbulenta Dæmonis tentatio, & manifesta occasio circà aliquod obiectum, in quod homo naturaliter propenditur. Sanè, hæc cõclusio apertè habetur ex Scriptura Sap. 8. Scio quòd nemo potest esse continens, nisi Deus dederit. En, quo pacto in speciali sunt quædam particularia præcepta, quæ propter incidentes tentationes, ita sunt difficilia, vt sine speciali auxilio, nõ possint impleri; aut semper aut per longum tempus. Et Paulus Rom. 7. propter huiusmodi graues tentationes ait; Sentio aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuum me ducentem in legem peccati; Infelix homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Et respondet: Gratia Dei per Iesum Christum. Et iterum, Sufficit tibi gratia mea.

Sap. 8.

Rom. 7.

Ex quibus patet, quòd licet nonnulli Theologi colligant, nullum esse opus morale in indiuiduo, quod nõ possit homo præstare in particulari & diuisiuè; nihilominus tamen in aliqua speciali materia, non potest homo à peccato abstinere, per longum tempus, sine auxilio gratiæ. Prima pars huius consectarij liquet: Quia omne bonum morale naturale, est consonum naturæ rationali, & proportionatum: ergo nullum est dabile in indiuiduo, præter illa, quæ suprà retulimus, ad quod ipsa natura nõ sit sufficiens; maximè cùm sit præceptum naturale de il-

lo,Nam præcepta naturalia,sunt de naturalibus posfibilibus.Secunda autem pars huius insectarij, patet ex Lactantio,lib.de falsa religio.cap.vltimo.Vbi expresse ait,quòd per vires naturæ,nemo potest vincere iram.Idem affirmat de auaritia,& de carnis voluptate.Et,quòd nemo potest esse continens,nisi ex gratia Dei,docet Origen.tract.7.in Matth.August.6. Confession.cap.11.Naziãzenus, super illud Matth. 19.Cùm cõsummasset Iesus sermones hos.Theodoret.1.Corinth.7.Hieron.lib.1. aduersus Iouinian.& Matth.19. Chrys.hom.17. super epist. ad Hebr. Isid. 2.de Summo bono cap.4.Prosper. in respensione ad dub.9. Genuens. & latiùs Epigram.18. & sententia. 18.& 131.Abbas Isaac. Cheremon. apud Casian.collat.12. Hoc etiam tenent iuniores huius ætatis, vt Pater Medina, in hoc art.dub.2. conclusio.4. Et patet etiam ex testimonijs citatis Sap.8. &.ad. Rom.7. & ex illo Matth.19.Nõ omnes capiunt verbum hoc. Propter quam causam, & propter varia pericula occurrentia,aliasque tentationes, dicimus in oratione Dominica, Et ne nos inducas in tentationem; quod nihil aliud est, quam dicere, vt in graui & vehementi tentatione non deserat nos, & in plerisque periculis moraliter occurrentibus, in materia præsertim quorundam præceptorum: quòd non sic instanter peteremus, *si nostris* viribus præcisè possemus moraliter,tentationibus illis resistere, & peccata vitare.Item, liberum arbitrium per peccatum, est attenuatum viribus, & factum infirmum: sed implere tale præceptum in illo casu,est actus liberi arbitrij sani,& omnino integri:ergo.Probatur minor:Nam illa potentia est sana & integra,quæ potest operari, actu perfectissimo : sed ille actus tunc est perfectissimus:ergo illud operari,postulat perfectam potentiam, non infirmam. Sicut ergo æger non potest efficere ea omnia, quæ homo sanus; ita pari ratione,si aliquod opus in particulari,sit nimis difficile & laboriosum, pluribusque periculis & tentationibus implicatum,in id non poterit moraliter homo lapsus & infirmus; sicut homo infirmus non potest longum iter conficere pedibus, licèt paulatim & leuiter gradiatur;imo verò nõ potest, paruo & exiguo spacio, conficere cursum velocissimum. Pari igitur modo, libero arbitrio existente infirmo, non poterit sine auxilio gratiæ, facere omnia præcepta naturalia, etiam diuisiuè ex solis naturæ viribus, in quibusdam materijs & particularibus præceptis,vt patet in casibus suprà tactis. Quocirca,nõ videtur mihi tuta doctrina, quòd possit homo solis suis viribus,in peccato mortali existens, quodlibet præceptum in qualibet materia iuris naturæ,quacũque oblata occasione,perficere,& peccata atque offendicula vitare:etiã de potentia morali,quæ nõ abstrahit à difficultatibus & tẽtationibus suprà tactis. Sic enim dicebat Sapiens; Scio quòd nemo potest esse continens, nisi tu dederis. Et idem dixit Paul. Rom.7.vbi suprà.Ad hoc respondent aduersarij, aliqua esse præcepta, quorum materia est ita frequens & difficilis, vt non possit homo diù perseuerare in obseruatione talis materiæ,aut talium præceptorũ, qualia sunt ea, quæ enumerauimus, ad distinctionem eorum,quæ per totam vitam possunt sine defectu obseruari, vt præceptum dandi eleemosynam, vel non furandi,&c.Subijciunt tamen,quòd materia quorumlibet præceptorum, pro vt in particulari occurrit quodlibet præceptum, per se sumptum, semper & in omni euentu obseruari potest, & vitari peccatum contra illud. Hæc solutio,quantum ad hoc vltimum,non mihi probatur.Primò; quia præceptum omne,& materia quælibet,nũquam occurrit,nisi in particulari: ergo si quodlibet præceptum pro vt occurrit, semper & in omni euentu potest obseruari,& vitari peccatum contra illud;sequitur quòd potest homo vincere semper,& in omni euentu omnem tentationẽ imaginabilem,vitareque omnia pericula,& peccata, moraliter loquendo, ex solis naturalibus,sine vllo auxilio Dei.Imo sequitur, falsam esse sententiam Sapientis,quòd nemo potest esse continẽs nisi Deus dederit.Patet sequela: Quia in materia castitatis aut continẽtiæ,sicut in materia cuiuslibet alterius præcepti ( vt isti dicunt) semper & in omni euentu,potest peccator suis viribus vitare omne peccatum contra illud, & obseruare tale præceptum; quòd si semper & in omni euentu potest id facere ; sequitur quòd potest omnia vincere & superare tentationes & pericula,ex suis viribus, sine Deo auxiliante. Secundò: Quia si semper & in omni euentu, quodlibet potest præceptum implere, & quodlibet peccatum vitare, contra illud præceptum;sequitur, quòd per totam vitam id potest:quia idem sunt dicere,semper & in omni euentu, quòd per totam vitam.Et rursus: Si quodlibet per se sumptum,in omni euentu potest implere, vt in particulari occurrit; cùm omnia occurrant in particulari,ex hoc sequi videtur, quòd omnia possit collectiuè,& suis viribus.Nam idẽ est semper,& in omni euentu, quodlibet vt in particulari occurrit, quòd omnia collectiuè.Nam iste est sermo moralis,non metaphysicus.

*Lactãtius.*
*Origenes.*
*August.*
*Nazianze.*
*Theodoret.*
*Hieron.*
*Chrysost.*
*Isidorus.*
*Prosper.*
*Abb.Isaac.*
*Cheremon.*
*Medina.*
*Sap.8.*
*Rom.7.*
*Matth.19.*
*Sap.8.*
*Rom.7.*

### *Sexta conclusio.*

*Cõclusio.6.* SExta conclusio. Probabile & rationabile valdè est,quód non est par ratio in omnibus,de homine recto in puris naturalibus, circà obseruationem aliquorum mandatorum, & de homine in peccato mortali,in natura lapsa, vt suprà diximus art.2.&.3. Nam non est probabile de homine lapso,in peccato mortali existente, quòd possit efficaciter diligere Deum super omnia,vt est finis naturalis, sine auxilio speciali Dei,cùm sit in peccato,& eo perseuerante, non potest se & omnia sua referre in Deum, dilectione efficaci, propter impedimentum peccati,quod habet.Homo verò rectus,in puris naturalibus, non habet impedimentum, neque est inuisus Deo. De qua re,legẽda sunt quæ diximus.q.109.art. 3.disputatio.2.& ea etiam quæ art.2. dixeramus antea.Quapropter,plures possunt differentiæ assignari circa hoc,inter hominem lapsum, de quo loquimur & hominem rectum in puris naturalibus. Prima est:Quia homo in puris naturalibus, ita videtur constituendus, vt careat ea impugnatione Dæmonis, quæ modò hominibus in natura lapsa, est non leuis occasio peccandi.Secunda differẽtia est:Quia in homine naturæ lapsæ, comprehenditur & intelligitur etiam status peccati mortalis, à quo abstrahit homo rectus in puris naturalibus;alioqui homo lapsus esset.Ratione autem peccati mortalis,nunc homo potest contrahere nouam difficultatem vitandi peccata,



peccata,& adimplendi præcepta.Tertia differentia sumitur ex parte auxilij,quod Deus secũdùm suam prouidentiam, naturæ sic infirmæ præstat; Quia in puris naturalibus,non esset aliquis habitus infusus, sed specialis manutenentia extrinseca eius; Nam non est ponenda in tali statu,aliquorum habituum etiam naturalium infusio ; at verò in natura lapsa, id præstat Deus per gratiam iustificantem, & per alios habitus etiam infusos. Licèt enim Deus per auxilium præcisè naturale præstare posset, etiam sine vllo habitu, quo forte modò multis gentilibus aliquãdo præstitit vires,vt longiore tempore quam alij vitarent peccata;cùm tamen nullus sine gratia, vitaret diù omnia peccata; signum est esse requisitam, secundùm prouidentiam huic statui consonã, manutenentiã eius extrinsecam, quod videntur docere D.Tho.& Doctores suprà citati,& pater Cano lib.4.de locis cap.5.vbi etiam dicit,gratiam Dei,nõ solùm esse vtilẽ, sed etiam necessariã omnino. Imo addendum est, ipsam gratiam cum auxilio supernaturali, secundum prouidentiam communem debito, non esse satis vt longissimo tempore, aut per totam vitam homo lapsus obseruet omnia præcepta naturalia, nisi cum specialiori auxilio concurrat Deus,vt infrà dicemus.

*S.Thom.*
*Magister.*
*Conradus.*
*Henric.*
*Albertus.*
*Bonauent.*
*Durandus.*
*Palude.*
*Marsilius.*
*S.Thom.*
*Eccles.7.*
*D.August.*
*D.Prosper.*
*Fulgentius.*
*Rom.7.*

### *Septima conclusio.*

*Conclu.7.* SEptima conclusio.Homo in natura integra,absolutè loquendo, poterat non peccare, vitareque peccata omnia.Hanc constituo, vt contraponendo hunc statum cum homine lapso, aut in peccato existente,faciliùs cognoscatur,quid possit,aut non possit homo in natura lapsa, circa obseruationem præceptorum.Et sanè hæc conclusio elucidata est à nobis,præsertim art.2.&.3. eamque tenet S. Thom hic & art.2.&.8. huius quæstionis. Eandem tenet Mag. in.2.d.24.&. 29. Conradus art.2.præcedente, & hic. Heric. quodlib. 11.q.7.Albert.2. p. suæ summæ.q.90. tract.14.memb.1.&.2.Bonauent.in.2.d.24.q.2. Durã. in.2.d.28.q. 3. Palude. in.2.d.29. q.1. Marsil.in.1.q.18. art.2.Idẽ docet S.Thom.1. p.q.95.art.3. Et Probatur ex illo Ecclesiastici. 7. Ab initio fecit Deus hominem rectum, ipse autem miscuit se mille quæstionibus.Et ex D. August. sæpius dicente quòd Adam per iustitiam originalem habebat omnes passiones frænatas,ita vt eis non contradiceret rationi,neque posset repugnare; & ob id, quòd liberum erat ei à peccato abstinere. Ita docet in Dialogo ad Orosium, &. 2. de Peccatorum meritis cap.21.&.11.super Genes.cap.32.& lib.14.de Ciuit.cap. 10.17. & sermo.43.de verbis Domini, de correct.& grat.cap.12. &.3.Hypognos.nõ longè à principio, de Ecclesiast. dogmatib.cap.21.D.Prosper. Fulg.locis citatis. Rursus Prosper.2.de vita contemplatiua, ca.18.& lib.cõtra Collatorem, post medium, hanc eandem assertionem probat.Et patet ex Paulo.Rom.7.Vbi repugnantiam & rebellionem appetitus vocat legem peccati ; Quia nimirum introducta fuit per peccatum, cùm antea non esset in Adam; semota autem illa rebellione, & posito vigore naturæ, collectio omnis boni moralis,& vitatio omnis peccati, erat facilis Adæ:ergo.Item persuadetur,ex consideratione multorum concurrentium in natura integra,ad præstandum omne bonum morale,& cauendum omne peccatum, quæ omnia nõ reperiuntur in homine in natura lapsa.Primò enim Adam habuit scientiam infusam omnium cõuenientium sibi & suis successoribus:vt docet D.Thom.1.p.locis citatis,& expresse id habetur Ecclesiastici.17. Secundò, habebat Adam subiectionem appetitus sensitiui,vt dictum est: Tertio habebat subiectionẽ imaginatiuæ ad rationem; ita vt nec naturaliter,nec instigatione Dæmonis,ex citaretur ad aliquid imaginandum contra voluntatem ipsius Adæ; & ideò non poterat Adam pati internas tentationes. Quartò præseruabatur ab omni errore intellectus, ita vt Dæmon non posset illũ decipere, vt patet ex S.Thom.1.p.q.94.art.4.Et pariter, tota eius progenies habebat intelligentiam sibi conuenientem, & sine vllo errore. Quintò habebat, quòd non moueretur eius voluntas sine plena deliberatione.Et hinc est ; quòd non potuit primò peccare venialiter; quia omne peccatum,vel ex indeliberatione,vel ex leuitate materiæ euenit ; ex indeliberatione,non poterat peccare venialiter.Quia eius voluntas non mouebatur sine plena deliberatione: Neque etiam ex leuitate materiæ: Quia etiam ex leuitate materiæ; contemptus redderet illam grauem; qui deesse nõ poterat Adæ.Nam ob rem inanem offenderet Deum, cum perfecta deliberatione; cùmque tot & tantis beneficijs ab eo plenè cognitis affectus esset,contemptus ille esset grauissimus.Et ob id,licèt materia fuisset leuis,contemptus tamẽ fuisset grauissimus.Aliæ etiam rationes huius assignantur, quas nos in materia de peccatis fusiùs sumus prosequuti. Sextò habebat Adam statum fœlicissimum,vt nihil ei posset accidere triste, nec habebat ab hominibus, aut à creaturis, occasionem peccandi. Ex quibus colligitur, facillimam fuisse Adæ, omnis boni collectionem, & peccati vitationem,& quòd hæc omnia erant ei proportionata simpliciter. Quartò probatur præfata conclusio: Quia iustitia originalis,non redderet naturam nostram, integrã; nisi eam faceret ad omne bonum naturale sufficientem,& valdè proportionatam,& peccati expertem: Vndè, locus ille Ecclesiastici.15. Deus ab initio fecit hominem rectum, & reliquit eum in manu consilij sui,adiecit mandata & præcepta;secundũ Augustinũ.3.Hypognost.proprijssimè verificatur de primo homine, qui in potestate liberi arbitrij habuit, posse ex se,suisq; viribus,seruare præcepta omnia,à Deo sibi imposita. Vnde.14.de Ciuit.cap.15. & lib. 22.cap.3.& de Ecclesiast. dogmatib.cap.11.ait Aug. Libertate arbitrij sui, commissus est homo in prima conditione,vt sola vigilantia mentis enitente, etiã in præcepti custodia,perseueraret,si vellet in eo,quo creatus fuerat permanere.Ricard.de Sanct.Vict.lib. 1.de Emanuele cap.12.ait. Adam ante peccatum,firmiter potuit stare, & viriliter agere. ¶Dices, quòd Adam habuit istam potestatem seruandi præcepta, & non peccandi, ex gratia & virtutibus per se infusis. Respondetur, quòd hanc potestatem seruandi omnia præcepta & non peccandi,non solum habuit ex gratia & virtutibus per se infusis, sed ex natura roborata per iustitiam originalem, & ex alijs, quæ ipsam consequebãtur.Ita S.Thom.& Caiet. arti.8.& Communis Scholasticorum sensus, cum Magistro, in.2.distin.24.vbi ex mente August.ait, quòd Adam sine alio auxilio poterat velle benè moraliter viuere,&

*D.Thom.*
*Eccles.15.*
*D.Aug.*
*Ricard.*

re, & sine peccato;non tamen ita viuere spiritualiter,vt vitam mereretur æternam. Et quòd posset seruare præcepta & non peccare ex vi iustitiæ originalis,patet; Nam ex sola iustitia originali,tollebantur omnia impedimenta passionum, & occasiones, & consequebantur ex ipsa multa bona, quę erant causa talis potestatis.Quocircà Sancti adducti, expressè ponunt discrimen inter nos & Adam, quòd nos non possumus esse immunes à peccato, sine gratia Dei,& auxilio speciali,Adam verò sic: ergo intelligunt,quòd Adam non ex gratia,sed ex vi originalis iustitiæ, habebat etiam illam facultatem. Tandem, ex vi originalis iustitiæ,homo reddebatur immortalis.Vnde,illa amissa per peccatũ, introinit mors in orbem terrarum,teste Paulo:ergo ex vi eiusdem iustitiæ,habebat posse nõ peccare. Quoniam hæc duo simul sunt,non peccare,& non mori.

Sed quoniam ad veritatem tertiæ assertionis,nempe, quòd non possit homo in natura lapsa,ex solis naturalibus præcisè, implere omnia mandata naturalia,inter plures instantias adductas, nonnulli adducunt instantiam in dilectione Dei super omnia; iure dubitari potest, Vtrùm saltem præceptum singulare naturalis dilectionis Dei super omnia,possit modò homo implere, quantùm ad substantiam ex suis naturalibus,ita vt per eam impletionem,homo excusetur à nouo peccato? Ad hoc tamen respondetur breuiter, ex his quæ diximus art. præcedente; quòd homo sine gratia & sine auxilio speciali, potest implere hoc præceptum dilectionis, quoad substantiam,imperfectè tamen.Verbi gratia,Si est tempus necessitatis, quo Deus blasphematur, aut irrogatur iniuria sacramento, tunc existens in mortali, si tueatur diuinum honorem,ille implet præceptum dilectionis, quoad substantiam. Quia tunc ex lege amicitiæ,tenetur homo defendere honorem Dei, sicut suo modo tenetur homo defendere honorem amici.Et quoniam(vt supponimus) protunc, ad nihil ampliùs tenetur homo, quam ad defendendum diuinum honorem;ideo per talem defensionem excusatur à nouo peccato, quod incurreret cõtra præceptum dilectionis Dei,si non defenderet illius honorem. Sed sanè, dato quod istis modis impleatur præceptum dilectionis, quòad substantiam, sed illud est imperfectè. Quoniam tunc non habet homo veram dilectionem Dei super omnia, neque efficacem & perfectam; quia est in peccato mortali. Vndè,sine gratia & sine auxilio speciali, non potest homo implere hoc præceptum dilectionis Dei super omnia, quòad substantiam, perfectè. Hinc sequitur, quòd quandocùnque tenetur homo habere veram & perfectam dilectionem Dei, & efficacem, non satis est ad vitandum peccatum, habere actum illum,quoad substantiam,Volo Deo placere in omnibus, seu vellem placere in omnibus,quòd est quodammodo implere præceptum hoc quoad substantiam, non inquam satis est hoc ad vitandum peccatum, sicut in omnibus alijs præceptis naturalibus, est satis adimplere illa quòad substantiam,ad euitandum peccatum: sed necesse est habere veram & perfectam dilectionem, quæ procedat ex gratia, quam dilectionem si tũc non habeat,peccat peccato omissionis, quantùmcùmque habeat alios actus naturales.Vndè(vt Theologi dicũt.1.2.q.100.art.10)in hoc differt hoc præceptum dilectionis ab alijs præceptis naturalibus, quòd alia non obligant ad modum, sed solum ad substantiam operum;hoc autem obligat ad modum,scilicet, vt diligatur Deus ex toto corde,& ex tota mente.Et ita,in hoc præcepto,substantia,quæ præcipitur, etiam est modus. Quare, qui non habuerit talem modum, non euitat peccatum. Nam profectò, efficax dilectio Dei, exuit hominem ab omni amore proprio,& excluditpeccatũ.Nã dilectio Dei ex tota mente, non potest esse in eo,qui habet peccatum in mente & in corde. Plura dici possent hoc loco de hac dilectione Dei super omnia, quæ includit efficacem voluntatem seruãdi omnia mandata,quæ tamen dicta sunt in art.3.præcedente.

### *Octaua conclusio.*

*Conclus.8.* OCtaua conclusio. Absolutè est concedendum, quòd potest homo in quocumque statu vitare omnia peccata,& omne præceptum naturale implere.Nam aliud est,quód possit ex proprijs viribus,sine supernaturali auxilio; aliud verò quòd absolutè possit.Primum, negauimus suprà in conclusione.3. Secundum verò necessariò est concedendum,vt liquet ex prima parte huius concertationis. Et probatur apertè: Quia id quod possumus cũ auxilio diuino, quod nobis Deus offert, absolutè possumus:sed Deus nobis offert speciale auxilium, ad implenda omnia mandata: ergo absolutè possumus. ¶Ex quo infertur,quòd absolutè loquendo,peccaret homo,si haberet hoc propositum,Nolo vitare omne peccatũ mortale collectiuè.Quia licèt ex viribus naturæ, nõ possit vitare omne peccatum mortale collectiuè,ita vt in nullo deficiat;potest tamen per auxilium Dei, de quo diximus.Et non est par ratio de peccatis veniasibus:Quia forte non peccaret venialiter, qui nõ haberet propositum vitandi omnia illa collectiuè: quia ad hoc nunquam confert Deus auxilium, secundùm legem ordinariam, nisi ex aliquo speciali priuilegio.Verum est,quòd qui non haberet propositum vitandi omnia peccata venialia collectiuè, si haberet propositum positiuum non vitãdi omnia, & deficiendi in venialibus, quæ sunt offensæ Dei licèt leues;talis voluntas esset mala,quia neque est bona ex obiecto,neq; cõformis regulæ & legi Dei. Vndè licèt non possit vitare omnia collectiuè, sufficit posse vitare singula.Vndè, tenetur habere hanc voluntatem, Nullum peccatum volo admittere, imo verò nullum in particulari veniale vnquam perpetrabo neque volo porpetrare.¶An vero,homo in natura lapsa, licitè possit habere hunc actum, nempe, Non intẽdo ex proprijs naturæ viribus,seruare omnia præcepta naturalia collectiuè,ita vt in nullo deficiam.Certè, iste actus bonus est, possetque illum habere homo. Quia cũ sit moraliter impossibile omnia collectiuè seruare, ex naturalibus præcisè, sine speciali Dei auxilio, non tenetur homo habere intẽtionem circa illud:Imo verò, esset actus conformis catholicæ doctrinę,& actus humilitatis dicere,Non intendo ex proprijs meis viribus naturalibus, sine speciali Dei adiutorio,seruare collectiuè omnia præcepta.Secus verò est,si haberet intentionem deficiẽdi in aliquo.Quia sic haberet affectum peccandi.

*Aduerte.* Sed,quia sæpius diximus,hominem non posse ex suis viribus,moraliter implere omnia præcepta collectiuè,



lectiuè, aduerte, quòd hæc impossibilitas moralis, de qua est sermo,non tollit libertatem, circà quemcùmque actum particularem,in quo peccatum committitur.Vndè, cùm dicitur esse impossibile moraliter, ly, moraliter dupliciter accipitur. Primò vt dicit libertatem, & voluntarium in actibus humanis, per quod distinguntur actiones naturales, & actiones morales, & hæc moralitas est inseparabilis ab actu peccati & virtutis;& ita,quotiescumque homo peccat,sicuti liberè & voluntariè peccat, ita peccat moraliter.Secundò accipitur morale,vel moraliter, pro eo quod communiter & regulariter homines operantur:sicut dicimus,quòd moraliter loquendo, homo inclinatus ad iram,frequenter irascitur, non quidem ob id tollimus;quin liberè irascatur talis homo; sed solùm significamus communẽ vsum actuũ humanorum.Nam regulariter, homines operantur secundùm passiones, quæ in illis prædominantur vehementer, nisi adsit speciale auxilium Dei.Inquo sensu diximus in discursu controuersiæ,quòd licèt libere & moraliter trãsgrediatur homo præceptum Dei,quotiescùmque ipsum transgreditur; tamen cũ sit affectus ad bonum commutabile & habeat plęra que incũtiua ad malum pellentia, tam intra se quam extra se;non est morale, hoc est, non est secundùm communem cursum vitæ humanæ,vt aliquãdo non deficiat homo, si operetur tantùm ex solis naturæ viribus, & non adsit speciale auxilium Dei. Neque hoc est mirum de homine peccatore:Nam etiam iustus sine auxilio Dei speciali superaddito gratiæ, nõ perseuerat,vt dicemus infrà.

*Ad argum.* ### *Dissoluuntur argumenta in exordio posita.*

*Ad primũ.* AD argumenta.Ad primum,respõdetur, quòd licèt ratione habitus & experiẽtiæ, cauẽdo priora peccata, fiat homo habilior ad resistendum posterioribus;tamen quia longè ampliùs crescit proportionabiliter difficultas obiecti, & vires nostræ sunt valdè limitatæ,tandem resistere nõ possunt,nisi diuina adiuuante gratia. Quod potest exemplo declarari,cùm quis audit aliquem sibi exprobrantem, licèt id patienter ferat,& augeat in se habitum patientię; tamen si exprobrator offendens instet, semper fit ad iram procliuior, quia crescit difficultas in sustinendo,& tandem ipsum ferre non potest. Similiter etiã qui diù abstinuit à voluptatibus, & acquisiuit habitum contra illas,interdum vehementissimè impugnatur ab eadem voluptate, vt tandem illa potiatur ne prorsus maneat expers illius.Itaq;,illa voluptatis inexperientia, quæ virtutem genuit, postea acriter contra virtutem ipsam dimicat. Quia ægrè fert voluntas in perpetuum voluptate priuari, & eam facilè modò contemneret,si antea esset ipsa satiata. Hæc solutio communiter àplerisque assignatur;nescio tamen an hoc vltimum verum sit. Vndè, alia solutio est,quòd licèt quantùm est ex parte actus,quo vitantur peccata, non reddatur homo impotens ad alia vitanda, sed potiùs disponatur ad vitanda alia peccata;tamen aliundè fit indispositus, scilicet,ex lassitudine corporis & potentiarum animæ,& ex naturali conditione,qua homo de se infirmus est; & per illos actus non ideo sanatur, imò occasionaliter ex ipso officio virtutis,lassatur homo.Et rursùs,quia facilè lassatur, & occurrunt successiuè diuersæ occasiones & cogitationes peccatorum; & materiæ, circà quas non potest se in omnibus strenuè gerere: sic enim etiam ad diuersa vagatur. Sicut claudus & cæcus,possunt lentam viam peragere, & plures alias diuisiue, sine eo quòd sedeant aut errent,non tamẽ omnes collectiuè. Vel dicendum est, & redit in idem, quòd minor non est vera, omnibus pensatis, & ob id negare oportet,quòd absolutè fiat homo potentior ad omnem operationem rectam,ex exercitio circà aliquam materiam solam alicuius præcepti:solùm enim probatur & sequitur, quòd in ordine ad obiectum talis actus, fiat homo per se loquendo promptior ad operandum; non tamen inordine ad omnem alium actum præcepti; imo verò respectu eiusdem obiecti, circà quòd est actus virtutis, per accidens propter infirmitatem naturæ, debilitatur homo. In quo sensu, optimè explicatur dictum Sapientis;Corpus quod corrumpitur aggrauat animã, &c. Et potest esse exemplum, in actibus scientificis,ex quibus disponitur homo,vt faciliùs operetur per se loquendo;per accidens tamen,si diù perseueret,propter dependentiam intellectionis à phantasmatibus,& coniunctionem animæ ad corpus, deficit in intellectione. ¶Ad secundum respondetur; esse quidem proportionata respectu potentiæ physicæ,non tamen moralis. Vndè argumentum probat, in nobis esse potẽtiã physicã,ad illa omnia seruãda, non tamẽ potentiam moralem, quæ attenditur secũdùm omnes circunstantias, quæ possunt impedire ipsum actum.Quocircà, licet potẽtia liberi arbitrij, physicè considerata,dicat ordinẽ ad omnia præcepta naturalia, tamen vt subest innumeris occasionibus exterioribus,& tentationibus interioribus,tum Dæmonis, tũ appetitus sensitiui,& quatenùs implicatur multis necessitatibus corporalibus, quibus fatigatur & lassatur,non potest homo semper esse peruigil,& premeditatus,taliter vt nunquam transgrediatur aliquod præceptum.D.Hiero.in Dialogo contra Pelagian. pulchrum adducit exemplum in hac parte:ait enim,quòd sicut vnus potest discere singulas scientias,nõ tamen omnes,licèt omnes sint naturales:ita licèt collectio omnium mandatorum naturalium,sit intrà ordinem naturæ;non tamen est proportionata solis viribus naturæ. ¶Ad confirmationẽ respondetur,hominem in puris naturalibus,esse talis cõditionis, vt supposita diuina prouidentia, sub cuius protectione positus est specialiter in eo statu; quodammodò debeatur illi auxilium eiusdẽ ordinis naturæ,ad vitanda omnia peccata, quod sit specialius,quam generale;semper tamen intra eundem naturæ ordinem.Nam ad prouidentiam Dei ordinãtis in finem vltimum, spectat, quatenùs, ordinans est in finem illum,dare conuenientia media,in ordine ad talem finem,per auxilium speciale illius ordinis,ad finem naturalem. Huic solutioni addũt noui Theologi, quod hoc cognouerunt antiqui Philosophi.Arist.1.Ethicor.cap.8.&.9. & lib.de bona fortuna,vbi ait,esse extraordinarios Dei instinctus, naturæ datos, vt possit viuere secundùm rationem. Dequo vide Ferrar.3.contra.Gent.cap.81. Et idem videtur cognouisse Plato in Phædro. Hæc tamen prouidentia, modò est in supernaturalẽm commutata: Deus enim tribuit media iuxta exigentiam finis: & quoniam destinauit modò hominem ad finẽ supernaturalem

*Ad confir.*

*Arist.*

*Plato.*

naturalem;idcircò illam prouidentiam, in ſupernaturalem conuertit. Quamuis naturalis etiam non deficiat. Dices, auxilium neceſſarium, vt aſſequatur ſuum finem, eſt debitum naturæ ex generali prouidentia: ergo auxilium ad nũquam peccãdum, quod eſt neceſſarium & requiſitum, vt homo aſſequatur ſuum finem vltimum, eſt neceſſariò debitum, ex generali prouidentia: ergo eſt auxiliũ generale, & non ſpeciale. Reſpondetur, licèt non præſtaret auxilium ad vitanda omnia collectiuè, ſufficeret prouidere re medium, vt peccatum remitteretur; ſed neque hoc ad auxiliũ generale omnino pertinet: ſufficit enim, cp requiritur, & eſt ſatis ad potẽtiã Phyſicã, vt ſic cõſideratã vt inferiùs dicemus. Et iſto modo & phyſicè, cẽſebitur natura ordinata in vltimũ finẽ, non tamẽ omnino efficaciter. Neq; enim hoc eſt omnino neceſſarium, neq; eſt de eſſentia creaturæ, vt conſequatur cum effectu, ſuum vltimum finem; ſed quòd habeat proportionem cum illo, & propenſionem ad illum. *Ad tertiũ.* ¶ Ad tertium argumentũ ſuppoſita fide, quòd Deus nihil nobis præcepit impoſsibile, vt ſupra deduximus contra Lutherum & alios hæreticos; Dicẽdum eſt, quòd non datur ſpeciale præceptum ſeruandi omnia collectiue, quòd ſit diſtinctum præceptum, ab alijs particularibus, quæ circà ſingulas materias verſantur. Vndè, homo non ſeruando omnia mandata collectiuè, peccaret quidem in ea materia alicuius præcepti quam tranſgrederetur. Cæterùm non peccaret, quia non ſeruat omnia, per aliquod ſpeciale præceptum collectiuum omnium, ſed quia non ſeruat ſingula, quæ poteſt per naturam ſeruare. Quocircà, homo etiam in puris naturalibus, non habet præceptum ſpeciale ſeruandi mandata omnia collectiuè; ſed habet præcepta ſeruandi omnia ſingulariter, ita vt nullum ſit in particulari, quod non teneatur obſeruare & implere; & ita habet præceptum ſeruandi ſingula. Veruntamen, licèt nõ habeat hoc præceptum ſpeciale ſeruãdi omnia collectiuè, habet nihilominùs homo ſpeciale & particulare præceptum conuertendi ſe in Deum, in quo omnia includuntur quo tenetur homo potiſsimè, cùm peruenit ad vſum rationis. Denique patet ſolutio huius argumenti, ex concluſione. 8. præcedente, & etiam ex concluſione. 4. & ex ſolutione ad. 2. *Ad quartũ.* ¶ Ad quartũ reſpondetur, non ſufficienter numerari cauſas peccati, ꝓpter quas nõ eſt morale, cp homo perſeueret, ſine illo ex proprijs viribus; ſunt enim alię plurimę, de quibus diximus, vt tentationes vehementes, internæ & externæ, mala conſilia, & exempla aliorum, & pleraque alia. Deficit præterea argumentum hoc, quod eſt Duran. Quia in ſtatu naturæ integræ, nõ eſſet carentia gratiæ, ſed pura negatio illius. Secũdó, quoniam gratia non tantum tribuit efficaciam merendi, ſed etiam tribuit eſſe diuinum, & ſupernaturale, ex quo ſequitur quòd tribuat facultatem operandi ſupernaturaliter. Quocircà, hęc impotentia prouenit ex peccato occaſionaliter, in quantũ per illud deſtituti ſumus gratia & iuſtitia roborante, & perficiente naturam, ne ſuccũbat peccato, ſecundũ ſuam infirmitatem naturalẽ. Hinc Chryſoſt. Matth. 21. ſuper illud, ſoluite & adducite mihi ait; Nauis fracto gubernaculo, non quò vult vadit, ſed quo tẽpeſtas impellit; ſic homo, auxilio diuinæ gratiæ perdito non quò vult agit, ſed quò Diabolus intendit ac impellit. *Ad cõfirm.* ¶ Ad confirmationẽ reſpondetur, quòd illud apparet difficile illis qui exiſtimant, primum hominem ſine aliquo dono ſuperaddito, ex puris naturalibus, potuiſſe ſeruare omnia præcepta naturalia. Nos autem aliter ſentimus, nempe, quòd id non poterat, niſi per donum iuſtitiæ originalis. Et quoniam hoc perdidit per peccatum, non eſt mirabile, ſi ſtatim non poſsit, quod immediatè antea poterat, cùm erat integer. *Ad quintũ.* ¶ Ad quintũ reſpondetur negando ſequelam; Nã non poteſt homo eſſe certus, quod non peccauerit, peccato aliquo omiſsionis, imò neque poteſt ſemper eſſe certus, quòd habeat rectam intentionem in opere etiam bono ex obiecto, aut quòd non habeat eam intentionem deprauatam, malo aliquo fine: Quia ſæpè ſibi mentitur humana mẽs. Et de his peccatis dixit propheta, Ab occultis meis munda me domine. Præterquam, quòd nõ poteſt homo habere euidentiam, quòd recordetur omnium, quæ per multum tempus operatus eſt; & conſequenter non poterit certò ſine hæſitatione aliqua iudicare ſe non commiſiſſe aliquod peccatum per longũ tempus. *Ad ſextũ.* ¶ Ad ſextũ Pater Cano, relectio. de pœnit. p. 4. & Pater Soto. in 4. d. 17. art. 6. q. 2. & d. 19. art. 4. ſuppoſita communi doctrina, quòd cùm præceptum pœnitendi ſit affirmatiuum, & ſolùm obliget pro loco & tempore; non tenetur homo ſtatim pœnitere immediatè poſt peccatum. Vndè ad argumentum Reſpondent, negantes conſequentiam: Quia non conſtat homini, per quod tempus poſsit ex propijs viribus perſeuerare ſine nouo peccato; ac ſubinde, non cõſtat ſibi tempus, ſeu inſtans determinatum, in quo ſit in periculo peccandi. Verùm, hæc ſolutio non ſatisfacit; Quoniam licèt non conſtet mihi, quanto tẽpore perſeuerabo ſine nouo peccato; conſtat tamen certò, quòd per longum tempus non perſeuerabo, iuxtà ea quę diximus. Quocircà, is qui videret ſe per manere in peccato per longum tempus, verè cognoſceret, ſe non poſſe ſine alio peccato perſeuerare, ex proprijs viribus, & tunc teneretur pœnitere. Præterquam, quòd licèt non conſtet mihi determinatè, in quo tempore incidam in peccatum; tamen peccabo mortaliter, ſi me exponam periculo peccãdi mortaliter, etiam poſt longũ tempus. Alij Theologi ſecundò reſpondent, quòd ille homo tenetur pœnitere, ratione periculi; non tamen nouo præcepto diſtincto ab eo, quo tenetur vitare peccatum ſequens; & ita non peccat duplici peccato, ſed vno tãtum. Sicut, qui tenetur recipere Euchariſtiã, & conſequenter tenetur cõfiteri peccata, ſi nõ cõfiteatur, tunc non peccat duplici peccato, ſed vnico tantum. Quia præceptum confitendi, non obligabat tunc, niſi in ordine ad Euchariſtiam. Sed neque hæc ſolutio ſatisfacit. Quia ille, qui ſe exponit periculo alicuius peccati, eo ipſo peccat, licèt non peccato diſtincto ab eo, cuius periculo ſeſe exponit: Igitur ſi iſte per peccatum, & perſeuerantiam in illo, ſeſe exponat periculo morali committendi aliud peccatũ, ſtatim peccat, ſi non pœniteat; licèt non peccet peccato diſtincto ab eo, cuius periculo ſe exponit. Dicere autem, quòd iſte peccet non pœnitendo ſtatim, eſt contra communem doctrinam omnium. Meliùs igitur videtur dicendum, negando quòd ille exponat ſe periculo. Quia, vt dictum eſt, ille homo abſolutè poteſt vitare omne peccatum, quamuis non ex pro



prijs viribus, ſed ex auxilio Dei, quod tamen paratum habet peccator, ſi velit acceptare. Quid autẽ ſenſerit D. Thom. de hac re, non ſatis conſtat inter eius diſcipulos. Nam in. 2. diſt. 28. quæſt. 1. docet expreſsè ſententiam Durãdi, nempe quòd poteſt vitare omnia peccata, &c. Et idem in. 2. ſcripto ſuper ſetent. ad Anibald. verſans, mutauit ſententiam, & ſequutus eſt veram ſententiam. Et videtur mihi dicendum cum Caiet. quòd Sanctiſsimus Præceptor retractauit, & mutauit ſententiam in melius, quidquid dixerit iuuenis. *Ad ſeptimũ* ¶ Ad ſeptimum reſpondetur negando conſequentiam. Non enim eſt bona conſequentia, aut bonum argumentum à diſtributiua ad collectiuam. Quia diſtributiua verificatur ſumendo copulatiuè præcepta; collectiua verò ſumendo copulatim; adhoc autem plus requiritur. Vt non ſequitur, Nullus equus requiritur ad equitãdum diſtributiuè: ergo neque collectiuè. Ita ergo hic, nõ eſt opus ſignare aliquod præceptum, quòd in particulari nõ poſsit impleri, ſed ſatis eſt aſsignare cõfuſè & vagè. Sicut cùm dicitur, requiritur equus ad equitãdum, non debeo aſsignare determinatè, ſed ſolum in confuſo, ſingulare vagũ, ideſt, aliquis requiritur equus, ſed non iſte neque ille: ſit enim aſcenſus diſiunctus ſic, vel hic equus requiritur ad equitãdum, vel hic, vel hic: ergo aliquis requiritur: ſed nullus requiritur in ſingulari, diſtributiuè inquam. Sic igitur in propoſito, non opus eſt ſignare aliquod præceptum determinatum, ſeu in particulari, quod non poſsit impleri: ſed ſatis eſt ſignare confuſè aliquod. Et ratio eſt; Quia ſumendo omne præceptum in communi, non ſumitur aliquod particulare, circà ſpeciale obiectum, ſed ſumũtur plura obiecta. Et, licèt homo poſſet ſe rectè habere circa vnum, & circà aliud, non tamen circa omnia: Quoniam talis eſt humana conditio, quòd nunc laſſatur, nunc defatigatur, aliquando non attendit, neque vigilat, & neque poteſt omnes interiores cogitationes repellere, licèt ſingulas poſſet. Vndè, ſi fingas eſſe octo præcepta, poteſt primum, ſecundum, & tertium præceptum, & ſic de alijs ſumendo quodlibet per ſe; nõ tamen prout dicit ordinem ad alia, ideſt, non poteſt primum, & ſecundum, ſimul cum alijs, &c. *Ad octauũ.* ¶ Ad octauum reſpondetur, negando maiorem: & ad probationem reſpondetur, eum qui ſeruat, vel ſeruauit diuiſiuè ſeruare etiam collectiuè; ſed non ideò ſequitur, eũ qui ſeruat, ſeu poteſt diuiſiuè ſeruare, poſſe collectiuè: Quia arguitur à determinata ad confuſam, & à diuiſiua ad confuſam, ſeu collectiuam. Et ratio eſt: Nam eo ipſo, quòd ſupponis hominem ſeruare vel ſeruaſſe omnia mandata; ſupponis etiam, collectiuè ſeruaſſe: Vndè, fruſtra addis illud diuiſiuè; cùm in reſit collectiuè. Quia ex eo quod intelligitur iam reductum in actum; eſt iam etiam tota collectio poſita in re, quod non habet locũ in potentia, antequam intelligatur deducta ad actum; quæ de ſe eſt indifferens, vt determinetur per iſtos modos diuiſiuè, vel collectiuè. Eſt ſimile in potentia Dei, qua poteſt producere vnum angelum, in quolibet inſtanti diuiſiuè, nõ collectiuè. Quia ſi ſupponas, Deum inquolibet inſtanti diuiſiuè de facto creaſſe vnum angelum, tũc concedendum eſt, id feciſſe in quolibet inſtanti collectiuè, licèt tu addas diuiſiuè. Nam procùl dubio in præfato argumẽto, arguitur à collectiua ad diuiſiuã & à determinata ad confuſam, dum arguitur à potẽtia reducta in actum, ad ipſam ſecundum ſe, vt reſpicit tale obiectum in confuſo. Et ita, *Ad confir.* ad confirmationem negandum eſt, talem potentiam reduci poſſe ad actum. Quia poſsibili determinato, poſito in eſſe, nullum ſequitur inconueniens, at poſsibili in confuſo, poſito in eſſe, ſequitur magnum inconueniens. Vt ſi dicas, Deus poteſt maius aut maius in infinitum producere, vel continuum poteſt in plures partes diuidere, & ſic in infinitum, non tamen poteſt reduci ad finitũ in actu, vel ad infinitas partes. Quocircà, nõ poteſt reduci, quia eſt poſsibilitas ad obiectum indeterminatum & confuſum; de cuius ratione, eſt, vt non poſsit reduci, neque per ſe poni ſecundum ſe totum in actu ad extra. Nam quod verè ponitur in actu ad extra neceſſe eſt eſſe quid determinatum, & non poteſt eſſe quid vagum & confuſum. *Ad nonum.* ¶ Ad nonũ quidam Theologi dicunt, deueniendũ eſſe ad inſtans, in quo ex ſuppoſitione quòd homo careat de facto auxilijs gratuitis Dei, neceſſariò incidet in peccata; cæterùm iſta neceſsitas, eſt ex ſuppoſitione, quòd homo ille liberè peccauit, & noluit ſe conuertere, vt obtineret diuina auxilia: Et ob id non excluditur libertas, neque ratio culpæ. Hæc ſolutio non mihi probatur, & impugnabitur à nobis art. 8. ſequenti. ¶ Alij Theologi reſpondent, quòd quando dicimus, ſine auxilio gratiæ, non poſſe ſeruari præcepta naturalia, neque cauere peccata; intelligitur de potentia morali, non verò de potentia logica aut Phyſica. Et ob id, licèt veniatur ad inſtãs, in quo eſt moraliter impoſsibile non labi, tamen ad huc lapſus, erit peccatum: Quia remanet potentia logica & phyſica. Ita docuit Pater Vega de iuſtificatio. q. 13. Ita etiam pleriſque ex Patribus & Magiſtris huius Achademiæ, à quibus id accepit Pater Medina, in hoc art. qui tandem amplectitur hanc ſolutionem, & ait, eſſe doctiſsimorum virorum. Et quidem probabilis eſt iuxta ea quæ diximus. Sed nihilominus ſuas habet difficultates: Nam quod eſt poſsibile phyſicè, licèt ſit impoſsibile moraliter, nullum ſequitur inconueniẽs, ſi reducatur ad actum in aliquo caſu raro: ergo nõ eſt inconueniens dicere, quòd aliquis ſine auxilio Dei, perſeuerabit longo tempore, ſine nouo peccato, ſiuè fuerit in gratia, ſiue non; quod non videtur tutum. Item: Quia fortè iſtam impoſsibilitatem moralem, non negaret Pelagius, qui tamen damnatur à Mileuit. cano. 5. eò quòd dixerit, eſſe difficile ſeruare præcepta ſine gratia, ſed nõ omnino impoſsibile. Item: Nam etiam poſſet concedi, quòd aliquis cauet longo tempore peccata venialia, non ſolùm ſine ſpeciali priuilegio; ſed etiam ſine auxilio gratiæ; quod eſt periculoſum valdè. ¶ Quà propter, tertia ſolutio ſit, quòd cùm vires voluntatis ſint limitatæ, & aliquando vitia multa, cæteruatim in eam irruant, homine parùm vigilante; nõ mirum eſt, quòd in aliquo deſignato inſtanti, ad lapſum infallibiliter deducatur, niſi diuina gratia protegatur. Neque tamen ſic neceſsitatur, vt careat libertate: nõ enim ſequitur, quòd non liberè peccet. Quia infallibilitas illa, ſuppoſitis conditionibus, licèt talis ſit; tamen non aufert libertatem. Et non ſolùm cũ hac infallibilitate verè coniungitur libertas, verùm etiam ſaluatur, liberè peccare circa hoc vel illud obiectũ, ex multis præſentibus, præteritis, & futuris, quæ ei

quæ ei offeruntur; & saluatur pariter libertas in hoc vel illo motiuo, quod offertur. Itaque, ad vincēda singula, potens est voluntas; & ob id est libertas ad singula, non tamē ad omnia collectiuè. Sed neque hæc solutio plenè satisfacit, aut quietat intellectum, vt videbimus art. 8. Vndè, vel tenenda videtur secunda solutio data, vel dicendum, quòd non datur determinatè, neque debet dari maximum, vel minimū tempus, in quod potest; sed solùm est dicendū, quòd non potest in omne tempus collectiuè, & quòd non potest in aliquod, confusè & vagè; sicut diximus in præcedentibus solutionibus in simili.

### *Maior explicatio & solutio præcedentium argumentorum.*

VT tamen res hæc planè percipiatur, aduertere oportet, quod quando Ecclesia & Concilia decernunt, hominem suis viribus naturalibus, non posse perseuerare diu, sine mortali peccato, quin sponte & libertate sua, transgrediatur aliquod præceptum Dei, non est sermo de impossibilitate mathematica, sed de morali, vt dictū est supra, quæ similitudinem habet cum ea, quæ cerni solet in rebus casui subiectis, vt exēplis illustrabitur. Quæ quidē impossibilitas habet ortum ex difficultate, ꝙ aliquid quodammodo contingat certò, quando nō est facile rem eodem modo euenire. Vnde, aliquando huiusmodi difficultas, quæ cernitur in euentu talis rei, tantum crescit & augetur, vt iure dicatur in ea esse quędā impossibilitas, maior aut minor, prout maior vel minor fuerit difficultas ex circūstantijs. Quocirca, quando tanta est difficultas, vt arbitrio prudentis, res nunquam eueniat omnino, tunc vocatur simpliciter impossibilitas: Quando verò, solum est tanta difficultas, vt licèt sit valde difficile euenire, nihilominus possit euenire, & contingere, quamuis valde rarò; tunc etiam dicetur impossibilitas, sed non tanta, sicut prior, neque ita simpliciter. Quæ doctrina habetur apud Aristotelē in simili. 1. de cœlo. cap. 11. vbi dicit sic; Impossibile (vt scilicet aliquid oriatur) dupliciter dicitur, aut enim quia non verum est dicere; ortum esse posse, vel quia non facile neque cito; neque benè oriri potest. Est igitur impossibilitas hæc, de qua loquimur, nihil aliud quam difficultas tanta, vt res aliqua eueniat, quod meritò arbitrio prudentis, consideratis circunstantijs, iudicetur non posse euenire. Cum igitur tanta sit hominis fragilitas in hoc statu, totque sint molestiæ, difficultates, tentationes, & occasiones, quibus re vera afficitur, vt peccata omnia mortalia deuitet, nullūque legis præceptum sub mortali obligans violet, vt sit difficile valdè eum viribus suis relictum, non succumbere aliquando pro libertate sua, violareq; præceptum aliquod; idque eo difficilius sit, quò maius & longius tempus, fuerit acceptum, & quò difficiliores, maiores & crebriores occasiones, tentationes, & difficultates occurrerint vincēdæ, & superādæ; tam longum certè tempus potest constitui, vt iure arbitrio prudentis iudicetur, non posse omnino euenire, quin in aliqua illius duratione, seu parte, in determinatè, hac vel illa tentatione occurrente, vel difficultate, contra hoc vel illud præceptum, pro libertate sua deficiat, & succumbat: Cum tamen ille idem qui prudenter tale tempus constituerit, pariter iudicabit etiam, cæteris paribus, nō esse plus difficultatis, in medio, vel in fine illius temporis, quā in principio, tamque liberum esse hominem & tam potentem, vt non peccet, ad quamcunq; partem tēporis dati peruenerit sine peccato, quàm potens & liber erat in principio. Rursus etiam, pro magnitudine, qualitate, & frequentia occasionum & difficultatum, quæ sæpiùs vno tempore quàm alio occurrunt, & sæpiùs vni quam alteri, alijsque inspectis circunstātijs occurrentibus, cōstituendū erit tēpus arbitrio prudentis, non tantùm illud, in quo omnino fieri non possit, quin aliquis pro libertate sua, in mortale, aut veniale peccatum incidat, sed etiam illud, in quo nō nisi valde difficilè, & rarò peccatum vitare, & euadere possit.

*Aristot.*

Ad explicandam vero huiusmodi impossibilitatem, vtuntur Theologi exemplo hominis infirmi, ægri, & imbecilli. Dicunt enim, hominem in natura lapsa & vitiata, collatum cum homine naturæ integræ, non aliter se habere ad operandum, atque se habet homo infirmus, & imbecillus, ad hominem sanum & robustum. Quapropter, veluti ægrotus, non potest efficere omnia, quæ potest sanus, sed aliqua solum: ita homo naturæ lapsæ, non potest per longum & diuturnum tempus, seruare mandata omnia ita vt euitet mortalia omnia peccata; benè tamen potest seruare aliqua, imò etiam singula, quantum satis est, vt in obseruatione eorum, singula peccata mortalia euitare possit. Neque rursus potest diu se continere ab omni veniali peccato, quamuis à singulis possit abstinere; cum tamen homo naturæ integræ, diu & per longum quodcunq; tempus, possit abstinere ab omni peccato, mortali & veniali, & manda ta omnia seruare.

*Exemplum quo res explicatur.*

Hoc exemplum, quamuis omnino exactum non sit: tamen negari non potest, quin magna ex parte explicet rem propositam, de qua loquimur; Nam nō eò adducitur, vt ostendat, quod homo naturæ lapsæ non potest lōgo tempore adimplere præcepta: quia obseruatione eorum imbecillior fiat, ad præstandū eandem impletionem, & obseruationem deinceps; ita vt progredi non valeat vlterius, aut ob id quod per mandatorum obseruationem, & abstinentiam ab omni peccato, minuatur libertas in ipso, ad proficiendum & progrediendum vlterius. Imò potiùs redditur indies valentior, exercitio, & obseruatione mandatorum iugiter continuatis. Quapropter, propria, vera, atque genuina ratio, cur homo naturę lapsæ, cum solo generali Dei concursu, non potest longo tempore mandata omnia, seruare, se ab omni peccato abstinendo, ea est. Quoniam considerata naturæ humanæ lapsæ infirmitate, fragilitate, difficultate atque molestia, quæ in cupiditatibus superādis & frangendis, & mandatis seu præceptis implēdis, vincendisq; tentationibus, cernitur à nobis; fieri non potest, quin aliquando sua libertate atq; spōte, homo lapsus, & fragilis, succumbat, occurrente hac, vel illa occasione, aut difficultate, in impletione huius aut illius præcepti; atq; ex consequēti peccet; cum tamen posset si vellet, tunc minimè succūbere. Itaque non datur tantum tempus, in quo cum solo generali Dei concursu, possit non peccare, & in quocunq; maiori non possit: neque rursus in quo non



non possit nō peccare, & in quolibet minori possit, vt argumētū quoddā aduersariorū, quod infra etiā adducemus, videtur cōcludere. Præcipuè, cū nemini imputetur ad culpā, quòd ex eo nō possit iā vitare, quòd vsq; ad illud tēporis momentum, strenuè cum vitijs pugnauerit, sequè à peccatis abstinuerit finitūq; sit tēpus, in quo viribus suis poterat peccatū vitare & repellere. Vndè, præfatū exemplū, tātū adducitur ad ostendēdū, quòd sicut ægrotus nō potest omnia rectè agere, neq; per lōgū tēpus, ita etiā neq; homo naturæ lapsæ, cōsiderata fragilitate humanæ naturæ, difficultate, & molestia, & tētationibus, atq; alijs ęrūnis & calamitatibus ipsius humanæ naturæ lapsæ. Et ob id, inanes sunt & ridiculæ impugnationes quorundā, contra prædictū exemplū; pręcipuè, cum dixerimus, exemplū istud non esse omnino simile, & per omnia æquale. ¶ Quapropter, ad explicā dā huiusmodi impossibilitatē moralē, adduci solet exemplū, ex cōmuni prouerbio, quo vtitur Arist. 2. de cœlo. c. 12. vbi inquit; Rectè agere multa, aut sępè bene agere, difficile est; vt al Tos Cœnses mille proij cere, impossibile est, sed vnum vel duos facilius est. Quibus verbis, Arist. planè affirmat, quòd quāuis in particulari singula facilè euenire possent; tamen ex multiplicatione, repetitione vel accessione multorū, aut omniū, quorū singula possent facile euenire vt dictū est, maiorē oriri difficultatē, ita vt tātus numerus rerū agendarū sumatur, vt impossibile sit omnia eodē modo euenire. Et hoc est sanè, quòd Arist. loco citato voluit; significans, difficile esse, multa rectè, aut idē sæpiùs bene agere, seu impossibile esse impossibilitate morali. Vndè, Arist. exēplo suo intēdit docere id ipsum, quòd à nobis affirmatur. Videś enim, quā difficiliter homines in officio virtutis cōtineantur, propter repugnantiā partis sensitiuæ, & quā difficile sequantur rectā rationē & honestam in agendo, docet, nō esse cuiq; difficile, singulas operationes exercere, iuxta præscriptū rectæ rationis: eò tamen difficilius esse, nunquā contradicere rectæ rationi, quo per longius & maius tēpus agendū sit, & quo plures actiones sint accessurę: tantūq; & tā lōgū tēpus constitui posse, totq; ac tātas actiones, vel tā variè in eo exercendas esse, & fore, vt sit impossibile rectè omnes agere; nō tamen difficile singulas in particulari, quod apertè ostenditur exēplo adducto ab Arist. loco citato. ¶ Singulas ergo pręceptorū & mādatorū obseruationes (omitto modo obseruationem dilectionis efficacis Dei super omnia, & ea quæ diximus, concluſ. 5.) potest homo naturæ lapsæ, quātū satis est, suis viribus exhibere, vt peccatū euitet, iuxta sensum quintæ cōclusionis, & nō aliter, & quò breuius constitutū fuerit tēpus, in quo mādata seruet, eò faciliùs ea poterit in eo toto tēpore seruare; quò verò maius, eò poterit difficiliùs, tantūq; & tā longū cōstitui potest, vt nequeat fieri, quin in aliqua parte incerta illius, pro sua fragilitate, sponte ac liberè, aliquod transgrediatur mandatū; cū tamē ad quamcunq; partē illius tēporis deuenerit, sine transgressione mandatorū, æquè potens, & liber sit, vt in residuo tēpore, nullū trāsgrediatur; nō secùs ac si illud esset initiū totius tēporis dati: Imò verò, aliquomodo potētior sit, propter habitū & consuetudinē, seu dexteritatē, quā cōparauit ex præcedente obseruatione, vsq; ad illud temporis momentum.

*Arist. 2. de cœlo.*

Ex quibus omnibus colligo, potentiā vitandi sin gula peccata, in quolibet pūcto tēporis, satis apertè cohærere cū impotentia, ad omnia diù vitāda: & nō esse aliud huiusmodi impotentiā, quā impossibilitatē, non quidē physicā, sed moralē, vt res certo quod dā modo, diu eueniat, vel sæpiùs. Quo fit, vt illa infirmitas, quæ cernitur in libero arbitrio post peccatū, & impossibilitas ex ea consequens, ad seruandū diu mandata omnia, abstinendūq; ab omni peccato, nō auferant, neq; impediant libertatē arbitrij, quo minus singula præcepta valeat implere suis viribus, quantum satis est ad singula mortalia peccata vitanda, vel venialia: Iuxta sensum in conclusionibus explicatum, & limitationem ibidem positam.

*Appendix.*

Sed contra hæc quæ diximus, sese offert argumētum validū, & cōmune quo valdè torquentur Scholastici, quod tale est. Si homo suis viribus naturalibus, nō posset diu cū solo generali Dei cōcursu, se continere ab omni peccato mortali, superarēq; tentationes omnes, sequeretur apertè, cōcedendū esse, vel quòd datur tantū tēpus, in quo toto, homo non posset se cōtinere, & in quocūq; minori posset; vel ꝙ datur seu dari potest tantū tēpus, in quo toto, posset homo se cōtinere, & in quocūq; maiori non posset. Idq; facilè ostēdetur, sumpto tēpore aliquo magno vt viginti, vel triginta annorū, in quo inter omnes planè & apertè cōstet, nō posse aliquē sine speciali Dei auxilio perseuerare, sine mortali peccato. Nam interrogare quis posset, vtrū ablato vno die ab eo tēpore, possit in residuo perseuerare sine mortali peccato vel nō. Si dicas, non posse, iterū interrogare potest; vtrū ablato vno altero die, in reliquo possit: Et ita consequenter, quousq; vel absumatur totū tēpus datū; vel deueniendū sit ad tàm paruū tempus, vt ablata ab eo certa aliqua parte, in reliquo temporis spatio, absque mortali peccato perseuerare possit. Tūc autē interrogabit: Nū, si ex eo tēpore tolleretur vna hora, seu dimidia, posset perseuerare? Et siuè dicas posse, siuè nō posse, plane diuidendo horā illam per partes proportionales, & addēdo eas illi tēpori, à quo fuit ablata, tandem erit deueniendum, vel ad tantum tempus, in quo non possit, & in quolibet minori possit: vel ad tantum tempus, in quo possit, & in quolibet alio maiori, non possit, quod erat probandum: ergo, &c.

*Arg. contra superius dicta.*

Hoc argumentum, calculatorium est, & iam solutum, ex his quæ à nobis dicta sunt, tam hic, quàm in progressu disputationis. Quocircà, negatur sequela, nempè, quòd sequatur, vel dandum esse tempus, in quo toto, homo non posset se continere à mortali peccato, & in quocumque minori posset; vel dari tantum tempus, in quo toto, posset se continere, & in quolibet maiori non posset. Vndè, ad probationem respondetur, diminutiones illas, & additiones temporis, quousque deueniatur ad minimum quod non, vel ad minimum quod sic, neque habere locum, neque aliquid concludere, aut probare in euētibus & casibus fortuitis; qui sanè, quod semel vel sæpe eueniant, hoc aut illo modo; id quidem non habent, ex tanta vel tanta virtute causæ, vt ob id, comparatione causæ, habeant certum tempus, & certum terminum mathematicè diffinitum; sed accidit fortuitò, vt quandoq; eueniant eodem modo

*Solutio arg.*

in maiori numero, indefinito tamen, quandoq; vero in minori, atq; interdum, vt neque semel contingat res eo modo, prout quasi sorte quadam, atq; fortuna euenerit. Vnde, sicut nullus eiusmodi euentus fortuitus, sui effectus, est certus; sed omnes à fortuna pendent: ita neq; est certus aliquis determinatus eorum numerus, qui euenire possit, quasi nullus alter maior possit accidere. ¶Hoc etiã cernitur in effectibus liberis, quorũ singuli pendent à libero arbitrio; ita tamen, quod ob infirmitatem suam, necessariò sine aliqua certi temporis prædiffinitione, deficiet, ne id omne in particulari & in singulari efficiat, quod in singulari potest. Nam, cũ quilibet singularis defectus, pendeat à libertate arbitrij, non potest mathematice esse certus & determinatus, quando erit, aut in qua occasione & euentu continget; Quia tunc sane euenìet & continget, quando ipsum liberum arbitrium liberè voluerit succũbere. Quocirca, sicut certum est de fide, neminem posse peruenire ad tantum incremẽtum gratiæ in hac vita, quin ad maius peruenire possit, si per liberum eius arbitriũ voluerit vlterius, meliùs atq; meliùs operari: Quia semper, quandiù vitam hãc agit, est in statu merendi; & nihilominùs certissimũ est, nullũ hominem peruenire posse ad tantam gratiã, quantã Christus habet: ita non datur tantum tempus, in quo toto quis possit, sine mortali peccato aut veniali viuere & perseuerare, quin, si totum illud absq; peccato transegerit, possit in maiori sine peccato vllo, perseuerare: eo quòd ideò peccet vnusquisq; hominum, quia in ipsius potestate sit tunc non peccare, & perseuerare vlteriùs sine peccato. ¶Ex dictis tam hic, quã in superioribus constat apertè, neminem mortaliũ posse in hac vita per liberum eius arbitriũ, collectiuè efficere totum id quod in ea diuisiuè facere potest, sicut neq; ipse etiam Deus potest collectiuè producere in quocunq; instanti temporis, totum quod diuisiuè facere potest; aliàs produceret & efficeret infinita, & suam exhauriret potentiam; quod planè pugnat cum omnipotentia ipsius Dei. Et hæc de hoc argumento dicta sufficiant.

*Ad decimũ.* ¶Ad decimum respondetur, locum illum intelligi de natura adiuta, & refrænata per gratiam Dei, sine lege scripta. Ita S.Th. hic ad.1.& Aug. de spiritu & litera.c.26.& sequen. Fulgen. de incarna. & tripli ci grat. Christi.c.25. Prosper. lib. contra Collatorem, circa medium. Et quamuis intelligatur de natura sine gratia, vt interpretãtur Soto, & Chrysost. citatus in argumento, tamen intelligitur de singulis præceptis, & non de omnibus collectiuè; vt Aug. dixit de spiritu & litera, cap.28. vbi etiam sic ait, Neq; in malis adeò est destructa imago Dei, quin in sua impietate aliqua legis opera faciãt. ¶Ad primã confirmationem respõdetur, aliquam fœlicitatẽ esse homini naturaliter possibilẽ, vt docet D.Tho.1.p.q.12.&.q.23. art.1.&.q.62.art.1.& in hac.q.art.5. Quam fœlicitatẽ consequeretur homo constitutus in puris naturalibus, quamuis aliquando peccaret, dummodò per dilectionem, vel dolorem, illi naturaliter possibilẽ, ex Dei prouidentia, & statuto resurgeret à peccato, vt hic sentit Pater Medina, & in art.3. præcedente, iuxta declarationẽ à nobis superiùs positam in hac parte. ¶Ad secundã confirmationẽ respondetur, quòd siquis in puris naturalibus euidẽter sciret, se nõ posse longo tempore abstinere à peccato mortali, non posset habere actum absolutum, non offendẽdi Deũ vnquam mortaliter collectiuè; posset tamẽ velle facere quantùm posset, & velle vitare singula; & per hoc fortè obtineret amicitiam naturalẽ Dei. Si verò proponeret, se facere peccatũ mortale, etiã in cõmuni, ex hoc ipso peccaret mortaliter. Quia talis volitio, est de malo obiecto; quia in ea volitione includitur affectus offensæ Dei. Vt siquis modò sciẽs, quòd aliquando debet peccare venialiter, & quòd hoc est infallibile, si proponat peccare venialiter, proculdubio peccat venialiter, non solũ otiositate, sed etiã ex malitia obiecti. Et sic volo esse intelligenda, quæ dixi suprà in simili. Dicit tamẽ Pater Medina, quòd si homo in puris naturalibus haberet hanc volitionem, volo nõ seruare omnia mãdata Dei collectiuè, quia scio, me non posse ex mea infirmitate ea seruare; fortasis nõ peccaret mortaliter. Cæterũ oportet distinguere: Nam si ille habeat illam volitionem absolutam, volo non seruare omnia mãdata Dei collectiuè; nõ video, quomodo hæc volitio possit habere bonũ obiectũ. Nã aliud est dicere, non volo ex meis viribus naturalibus præcisè, ex quibus scio me non posse implere mandata; & aliud est dicere positiuè, volo nõ seruare omnia mãdata collectiuè, quia scio me non posse. Nã multa volumus, quæ nõ possumus facere; & rursus, quantũ est ex parte hominis & voluntatis positiuè, tenetur habere affectum ad omnia collectiuè, & impletionẽ atq; possibilitatẽ cõmittere Deo, & tenetur facere totũ quod in se est. Cũ ergo possit homo habere illã volitionẽ, volo (si Deo placuerit) omnia Dei mandata implere, ita vt neq; in minimo deficiã; & sic volo omnia collectiuè sine alicuius defectu implere; sequitur, quòd tenetur habere hunc affectũ. Et profecto, ratio benè instituta, & instructa, hunc postulat vt habeamus affectũ, quã tùm ex nobis est. Nã sanè, hæc esset mala volũtas, volo ex meis viribus implere, sine speciali adiutorio Dei; & esset præsumptuosa; illa verò de qua nos dicimus, non itẽ. ¶Ad vndecimũ respondetur, quòd de ratione peccati, nõ est quod ipsa ratio peccati, sit secundũ se libera agenti, sed satis est, q; sit libera secũdũ rationes sibi inferiores, vel secundũ circũstãtias: vt patet in dãmnatis, qui necessario peccãt, licèt in particulari, isti vel illi actus peccatorũ, sint illis liberi. Similiter, licèt habeamus libertatẽ in ordine ad hoc vel illud veniale, & ad quodlibet in particulari; nihilominùs nõ possumus omnia collectiuè cauere. Et idẽ, dicũt pleriq;, cõtingit circa actus bonos moraliter, quòd aliquãdo sunt necessarij in cõmuni, nõ autem in particulari. Et ipsa ratio actus moralis, quã uis petat intrinsecè libertatẽ; tamen ipsa secundũ se non est nobis libera; quia necessariũ est facere aliquod opus morale. Ex qua solutione patet, q; quãdo D.August. de correct. & gra.c.11.ait, Si Deus adiutoriũ, quo permanere posset homo si vellet, homini nõ dedisset, nõ vtiq; sua culpa cecidisset. Et quando D. Hier. in Dialogo cõtra Luciferianos pariter dixit, q; si Deus nõ daret præcepta possibilia, non peccaret homo, illa nõ implẽs, intelligũtur quidẽ de impossibilitate in particulari: Quia cũ impossibilitate totius collectionis, benè stat peccatũ. Quod verò dicit Hiero.2.contra Pelag. & Prosper. de ingrat. cap.32. & D.Thom.3. contra gent. cap.160. Ideò imputari nobis,

*Ad.1.cõfir.* *Ad.2.cõfir.* *D. Augustin.* *Ad vndecimum.* *D. August.* *D. Hiero.* *D. Prosper.*



nobis, quòd sine gratia non possimus abstinere à peccato; quia lapsi sumus in Adam; non est sensus, quòd lapsu Adæ reddãtur nobis peccata omnia culpabilia: sed quia non est cur querelam in Deũ autorem nostrum referamus, sed potiùs in Adam: cùm Deus illi iustitiam originalem dederit, quam si seruaret, refunderet in totam posteritatem, cum gratia & alijs auxilijs, quibus possemus omnino non peccare. Item, nõ est cur de Deo quæramur; cum etiam nunc misericorditer nobis conferat auxilia gratiæ, necessaria ad nunquam peccandum mortaliter. De quo Aug. lib. de perfectio. iusti. & D. Tho. 3. contra gent. c.159. & hic ad.2. ¶Ad duodecimum argumentum, Aliqui respondent, negando antecedens: Quia sunt aliqua præcepta naturalia, quæ etiam in particulari & diuisiuè considerata, non possunt impleri, sine speciali Dei auxilio; vt de præcepto naturali dilectionis Dei super omnia ex toto corde, dictũ est. Et idem dicunt de præcepto continentiæ, Sapien.8. Vt sciui quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det. Et Paulus agens de tentatione carnis quã sit difficilis Rom.7.ait; Infœlix homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Et subditur: Gratia Dei per Iesum Christum. Quasi diceret, sine gratia non posse liberari. Sed quidquid sit de hoc, de quo suprà; respondetur secundò, & melius; argumẽtum solum probare, quòd possit homo omnia præcepta seruare diuisiuè, nõ collectiuè. Respondetur tertiò & reddit in idẽ, quòd licèt peccata nõ occurrãt omnia simul, sed successiuè; tamen non possunt successiuè omnia vinci collectiuè; eò quòd abstinuisse à prioribus, auget interdum difficultatẽm cauendi posteriora, vt suprà explicatum est. ¶Sed contra præfatam distinctionem arguitur: Quia præcepta nõ occurrunt collectiuè, sed diuisiuè vnum post aliud: ergo qui potest omnia diuisiuè, potest simpliciter omnia. Secũdò: Quia siquis seruaret omnia diuisiuè, ita vt nullum trãsgrederetur, seruaret etiam omnia collectiuè. Item; quia nulla est potentia quæ non possit reduci ad actum: igitur si in homine est potentia ad seruanda omnia diuisiuè, & hæc reducatur ad actũ; tunc apertè sequitur, quòd seruabit omnia præcepta diuisiuè, & hoc est collectiuè. Nam seruare omnia præcepta diuisiuè, nihil aliud est, quã nullum violasse præceptum, & hoc est collectiuè. ¶Ad hæc argumenta, in solutionibus septimi & octaui argumenti arbitror me satis dixisse. Et præterea respõdetur, hęc argumenta procedere, ac si diuisiuè & collectiuè essent modi reales, tenentes se ex parte præceptorũ, vel actuum, de quibus dantur præcepta; cùm tamẽ non sint modi reales, sed logicales, quibus vtimur ad maiorem declarationem rerum. Quocircà, posse omnia diuisiuè, & non collectiuè, non est posse omnia præcepta diuisa ad inuicem, & sibi succedentia; & non posse in illa collecta in vnum, quasi cumulum. Sed est dicere, quòd nullum præceptũ assignabitur determinatè, & diuisum ab alijs, quod non possimus implere; confusè tamen, & indeterminatè, aliquod præceptũ infallibiliter transgredimur. Quò fit, vt cùm dicitur, Possumus omnia præcepta diuisiuè implere, ly diuisiuè, facit terminum, cui adiungitur supponere distributiuè; & consequẽter, sub illo licet descendere ad quodlibet præceptum determinatũ. Cũ autẽ dicimus, nõ posse omnia collectiuè, ly collectiuè, facit terminum cui adiũgitur, supponere confusè; ita vt non liceat sub illo descendere, ad determinata præcepta, ostendendo aliquod determinatum, quod nõ possit implere. Sicut dictũ est, quòd ad equitandum requiritur equus, & tamẽ nullus equus requiritur. Similiter dici potest, quòd homo destitutus Dei auxilio, infallibiliter, seu necessariò transgredietur aliquod præceptũ, & tamẽ nullum præceptum transgredietur necessariò. Ex quibus facilè soluuntur obiectiones: Nam in prima, diuisiuè & collectiuè, sumuntur vt modi reales; In secunda, fallacia cõmittitur. Quia in antecedẽte, diuisiuè & collectiuè, sumuntur vt modi reales; in cõsequenti verò vt modi logicales, variantes suppositionem terminorum. Ad tertiã obiectionẽ respõdetur, quòd potentia ad seruanda omnia præcepta diuisiuè, non est reducẽda in actũ per modũ collectionis, ita vt aliquando sit verũ dicere, quòd ex tota collectione præceptorũ occurrentiũ in vita, nullũ fuerit violatum; sed debet reduci in actum per modũ diuisionis, respectu huius præcepti vel illius, & sic de singulis: vt superiùs fusè satis interpretatum est.

*D. August. Ad duodecimum.* *Sap.8.* *Rom. 7.*

## DISPVTATIO III.

### *Vtrùm homo sine gratia, ex suis viribus, possit implere præcepta supernaturalia.*

IÆc cõtrouersia, hoc loco differitur ab omnibus ferè Theologis; & idcircò decreui eã aperire. In qua inquiritur, An latitudo viriũ naturalium, sine supernaturali auxilio, possit se extendere ad implendũ supernaturalia præcepta, saltẽ quoad substantiã operũ? Et supponimus, necessariã esse aliquã reuelationẽ supernaturalẽ, per quã homines cognoscãt huiusmodi præcepta. ¶Et pro parte affirmatiua, arguitur primò. Nã omnis potẽtia, ex suis viribus potest habere actũ, circà propriũ obiectũ, cũ ex ordine ad ipsum specificetur: sed actus circà præcepta supernaturalia sunt circa obiecta potẽtiarũ intellectus & volũtatis; aliàs neq; etiã per potentiã diuinã, posset potẽtia habere tales actus: ergo ex proprijs põt illos habere. ¶Secundò arguitur: Nã si potẽtia nõ potest ex proprijs habere tales actus supernaturales, sed solũ per eleuationẽ auxilij supernaturalis, sequitur q; cõcurrit homo, solũ instrumẽtaliter ad huiusmodi actus; & consequẽter sequitur, q; solus Deus est causa principalis illorũ: consequẽs est falsum. Et probatur sequela: Quoniã illud quod nõ operatur secũdũ propriã formã, sed tantũ secũdũ motionẽ agẽtis extrinseci, & eleuationẽ illius, cõcurrit tantũ instrumentaliter ad effectũ, vt cõstat in calore producẽte subst iã. Probatur verò minor: Nã aliàs, Deus esset qui diligeret, & qui crederet, quod nõ est admittendũ. Et cõfirmatur: Quia si potẽtia indiget supernaturali auxilio ad eliciendos tales actus circà præcepta supernaturalia; sequitur quòd etiam indigeat auxilio supernaturali ad recipiendum eosdem actus in se. Nam potẽtia actiua, & passiua, proportionari debẽt: consequens autem est apertè falsum: ergo. ¶Tertiò arguitur, quòd possit homo implere præceptũ dilectionis Dei, etiã vt est obiectum supernaturale. Nã ratio naturalis dictat, Deum vtcùmq; cognitum, esse summum bonum, & summè diligibile: igitur si se-

*Argum. 1.* *Secundum.* *Confirm.* *Argum. 3.*

si semel cognoscatur per reuelationem supernaturalem, eadem ratio naturalis dictabit esse super omnia diligendum. Cur ergo voluntas, non poterit se conformare huic dictamini, & implere præceptũ charitatis, suis viribus? Et confirmatur ex suprà dictis. Nã si homo aut angelus, videret clarè Deum, neq; conferret illi aliquod auxilium supernaturale, ex parte voluntatis, adhuc posset voluntas diligere illũ super omnia, ex proprijs viribus, imò verò necesitaretur ad amorem illius: quia cerneret in illo omnẽ rationem boni & amabilis: ergo sufficit sola reuelatio supernaturalis, ex parte intellectus, sine auxilio superaddito, ex parte voluntatis. ¶ Quartò, de præcepto fidei specialiter arguitur. Homò per rationẽ naturalem cognoscit, Deum esse summã veritatẽ, esse summè sapientem, summè bonũ, neque posse decipi, neq; decipere: ergo supposito q; cognoscit, Deũ reuelasse aliquid, poterit prębere assensum circà omnia reuelata. Et confirmat. Quia ratione naturali iudicat homo, veritates fidei esse euidẽter credibiles, ex miraculis factis, ex discursu Ecclesiæ, alijsq; testimonijs: ergo potest ex suis viribus assentiri articulis fidei. Et confirmatur iterum: Quia omnis resolutio fidei supernaturalis, tandem fit in fidem humanam, nam resoluitur in Ecclesiã proponentem: igitur tota fides, quæ innititur humano fundamẽto, nõ excedit proportionem rationis naturalis. ¶ Quintò arguitur de præceptis sacramentorũ, quæ cũ sint supernaturalia, & de supernaturali obiecto, impleri possunt ab homine, sine speciali gratia. Nam, si quis suscipiat baptismum cũ affectu concubinæ, verè implet præceptum de susceptione Baptismi, quantũ ad substantiã operis; Imo verò, si quis recipiat absolutionẽ à peccatis, & sacramentũ confessionis informe, ex ignorantia; tunc non tenetur iterũ confiteri; quia quoad substantiã operis implet præceptum de confessione facienda. Imo verò, homo in mortali, constanter respondet pro Deo, quando audit nomẽ ipsius blasphemari: sed hoc est implere præceptum amicitiæ & charitatis, quantũ ad substantiã operis.

*Confir.* *Argum. 4.* *Confir. 1.* *Confir. 2.* *Argum. 5.*

In hac difficultate, aliqui dicunt, quòd dato ita sit, quòd actus supernaturalis requiratur ad consequendã vitã ęternã; tamen nunquã requiritur ad implendũ pręceptũ fidei, neq; vt homo vitet nouũ peccatũ: Quia aliàs oportet dicere, quòd datur præceptũ, de habitu fidei habẽdo, aut de auxilio supernaturali. Nã si habemus præceptũ, de actu supernaturali fidei, & ille supernaturalis actus, non potest haberi sine habitu fidei, aut auxilio supernaturali, inde videtur colligi, quòd datur præceptũ de habitu fidei habendo. Quo argumẽto, permoti sunt aliqui Theologi, vt dicerent, quòd dato, actus supernaturalis fidei sit mediũ necessariũ ad salutẽ; tamen ad implendũ præceptũ fidei, & vitandũ peccatũ omissionis fidei, non est necessariũ habere actũ supernaturalem, sed satis est credere fide humana. Sed profectò, hoc neq; satisfacit, neq; est verũ. Quia si tale præceptum est supernaturale, obligabit aliquando ad actum supernaturalem. Quocircà dico, quòd dato hoc præceptum obliget aliquando ad actũ supernaturalẽ fidei; nunquam tamen obligamur, ad habitũ fidei habẽdũ. Quia præceptũ est de actu, quẽ Deus particulari auxilio producit, per hoc donũ, quod est habitus.

Alij tenent, nullũ esse præceptũ, quod non possit impleri sine gratia & charitate. Ita S. Th. iuuenis in 2.d.28.q.3. & alij tenentes, modũ charitatis nunquã cadere sub præcepto, dicunt, quòd licet intẽtio Dei præcipientis, fit vt operemur ex charitate; vis tamẽ & obligatio præcepti, nunquã se extẽdit adhoc, sed solum ad substantiã operũ, quæ præcipiuntur. Quia præcepta, non dantur de habitibus: ergo nunquã tenẽmur operari ex habitu charitatis. E contra verò Dionys. Cist. in 1.d.17.q.1. tenet, nullũ omnino præceptũ adimpleri posse, sine gratia & charitate. Quia plenitudo legis, est dilectio. Rom. 13. Quẽ locum interpretatur Aug. in suis sententijs, sent. 223. dicens, charitatẽ esse legis plenitudinẽ, quia per charitatẽ lex impletur. Et de Catechizãdis rudib. cap. 22. ait, Lex impletur dum non cupiditate rerũ temporaliũ, sed charitate illius qui præcipit, fiunt quæcũq; præcipit. Et confirmatur hæc sententia: Nã præcepta dãtur à Deo, vt per eorũ impletionẽ, tẽdamus in vitã æternã: sed tendere in vitã æternã, nõ cõtingit sine charitate & gratia. Vndè Aug. inquit, quòd præceptũ nõ furandi, non occidendi, & similia, impleri non possunt sine fide, spe & charitate. Et fauet Bernar. cùm ait, Quod præcipitur, in sola charitate solidatur.

*Dionys. Cist.* *Rom. 13.* *D. Augus.* *D. Augus.* *D. Bernard.* *Nota. 2.*

Alij Theologi dixerũt, quòd præcepta supernaturalia, & actus circà illa, solũ dicũtur supernaturalia, supernaturalitate quadã extrinseca, quæ attenditur penes hoc, quòd illi actus sint meritorij vitæ æternæ; non tamen dicuntur supernaturales, quantũ ad substantiã. Et ita, totũ quod tribuũt virtutibus infusis supernaturalibus, tribuunt etiã viribus naturalibus, excepto merito. Imo verò, etiã de ipsa dilectionẽ Dei super omnia, quæ habetur per charitatẽ, asserunt, quòd tantũ differt ab ea, quæ potest haberi per naturã: quia illa est meritoria; hæc verò non ité. Huius sententiæ videtur esse Caie. opusc. de contri. q.1. & hoc idẽ insinuatur ab eo, & à S. Th. 2.2.q.171.art.2. ad.3. Idẽ Scot. in.3.d.29.q.3. & Gabr. dub.2. & Ochã ibidem cũ suis, & Duran. ibid. q.2. & in. 2.d.29.q.2. & 3. & 5. & Adria. in.4.d.7.art.4. & Pater Soto, de natu. & gra. c.22. Qui omnes, quãuis dicant, quòd modus obiecto supernaturali debitus, non possit seruari sine auxilio supernaturali; asserunt tamẽ, præcepta supernaturalia, nõ quo ad modũ, sed quoad substãtiã, impleri posse viribus naturæ. Et cõsequenter addũt alij, q; huiusmodi actus quibus talia præcepta implẽtur, sunt naturales; & dicũt hoc insinuari à D. Th. 2.2.q.171.ar.2.ad.3. quod apertè Caie. loco citato dicit.

*Aduerte quid isti dixerint.*

Vt quæstionẽ hanc interpretemur, & aperiamus, obseruandum est primò, quòd triplicitèr voluntas potest ferri in Deum obiectũ supernaturale, primò quidẽ, omnino materialiter; ita vt supernaturalitas, neque sit ratio terminans in obiecto, neq; ratio sub qua; & hoc modo fertur in Deũ is, qui diligit ipsum, vt est naturæ author, & prima causa rerũ. Quia materialiter & in re, idem omnino sunt Deus author naturæ, & author gratiæ. Sicut qui videt pomum, videt materialiter dulce; quia idem pomũ in re, & est coloratum, & est dulce. Secundo modò ferri potest potentia, in obiectum supernaturale, ita vt supernaturalitas sit ratio quæ in obiecto, terminans actũ; nõ tamen ratio sub qua fertur potentia in tale obiectũ. Sicut intellectus cognoscit bonum, quod est obiectũ voluntatis, ita vt bonitas ipsa sit ratio formalis quæ, in obiecto cognito; non tamen ratio sub qua intellectus

*Nota. 1.*



tellectus cognoscit ipsum bonum; quia non sub ratione boni, sed sub ratione veri, cognoscit ipsum; & è conuerso actus volũtatis fertur etiam in verũ, sed non sub ratione veri. Et iuxta hunc modum, explicari solet aliquorũ Theologorum sententia, dicentiũ, in homine esse naturalem inclinationem ad Deum, finem supernaturalem. Tertio modo potentia ferri potest in obiectum supernaturale omnino, ita vt supernaturalitas ipsa, non tantũ sit ratio formalis quę; sed etiam ratio formalis sub qua. v.g. per fidem credimus Deo reuelanti supernaturaliter, ita vt reuelatio supernaturalis, sit ratio formalis sub qua credit fidelis Deo. Vndè, S. Th. art.3. præcedente ad.3. dixit, quòd dilectio supernaturalis, est præstantissima quãtùm ad rationem, & modũ diligendi. Quoniã ratio dilectionis, est supernaturalis, & modus illius. Et huiusmodi actus tãtũ, sunt supernaturales; quia formaliter versantur circà obiectũ supernaturale; illi tamẽ de quibus in secundo modo, tantũ materialiter versantur circà obiectum supernaturale. ¶ Secundò aduerte, quòd præcepta supernaturalia, circà actus virtutum, dantur de actibus secundũ istã rationẽ vltimam; ita vt actus ipse respiciat vtramq; rationẽ formalẽ, sub qua, & quæ. Quoniã secundũ illas tantum proportionatur fini supernaturali. Vnde, præceptũ fidei obligat hominẽ credere Deo authori supernaturali, nõ quomodocùmq;, sed vt author supernaturalis est, & supernaturaliter reuelans. Quocircà, modus iste & ratio sub qua, ita pertinet intrinsecè ad virtutem supernaturalem, vt si deficiat in actu credendi, non sit actus fidei supernaturalis, ad eum modum, quo aliquis potest assentiri huic veritati, Deus est; si tamen non credat propter reuelationẽ supernaturalẽ, non erit assensus fidei. Vndè colligitur, in duplici sensu explicari posse Doctorũ quorundam sententiam, dicentiũ, ex viribus naturę posse haberi actum eundẽ, secundũ substantiã, cũ actibus virtutum infusarũ, licèt diuersum secũdũ modũ. Si enim nomine substantiæ, intelligunt omnia, quæ pertinẽt ad essentiã specificã actus supernaturalis; & per modũ, intelligant rationẽ meriti; intolerabilis opinio est in Theologia. Primò quidẽ: Quia iuxta istũ sensum, virtutes supernaturales, non darẽtur ad simpliciter operandum, sed tantũ ad meliùs. Item secũdò: Quia hic modus meriti, etiam reperitur in actibus naturalibus virtutũ, qui charitate referũtur in Deũ, finem supernaturalẽ, & sunt meritorij. Et consequẽter, nõ esset magis necessariũ auxiliũ supernaturale, ad actus fidei, & spei, & virtutum supernaturalium, quã ad actus virtutũ naturaliũ, quod est pluspuã falsum. Nam aliàs interrogo, quare dicuntur virtutes supernaturales? Alter sensus, in quo explicari potest præfata illa aliquorũ Theologorũ sentẽtia, est, quòd nomine substantiæ, non explicetur ratio specifica ipsius actus; sed tantum ratio quædã generica, quæ attenditur penes obiectũ materiale; In quo sensu dicimus, quòd actus Astrologiæ & Philosophiæ tendentes in rotunditatem terræ, vel cœlorũ, sunt idem secũdùm substantiã, non quidẽ specificam, sed tantũ generică; Per modũ verò intelligatur, non ratio meriti, sed supernaturalitas, quæ pertinet ad rationem formalẽ sub qua, ipsius actus. V.g. in fide, diuina reuelatio supernaturalis, sub qua assentimur veritatibus fidei, &c. Et in hoc sensu, vera est illa sententia, & iuxta hunc sensum intelligenda est sententia D. Th. 2.2. loco citato, vt Pater Medina interpretatur in hoc art. & suprà. q.62.art.2. ex verbis eiusdẽ S. Tho.

*Nota. 3.*

¶ Tertiò aduerte, quòd gratia & charitas, dupliciter se possunt habere in obseruatione mãdatorũ. Primò antecedẽter, & per modũ principij elicientis & producentis operationes. Secundò, cõcomitanter & cõsequenter per modũ formę perficientis, & dãtis esse meritoriũ ipsis operationibus. Adde etiã, præcepta diuina quædã esse naturalia, quædã verò supernaturalia; quædam de interioribus actibus; alia verò de exterioribus, vt de confitenda fide, & suscipiendis sacramentis, & vel loqui possumus de actibus virtutum fidei, & spei, vel de præceptis sacramentorum.

His ita constitutis, in hac controuersia, primò certũ est, non esse necessariã gratiã gratũ facientẽ, vel charitatẽ ad obseruationẽ singulorũ mandatorum, ita vt nullũ possit impleri, sine illa. Hoc est adeò certũ, vt oppositũ videatur parũ tutũ in fide. Probatur: Nam ex oppositio sequitur, quòd peccator faciens quod in se est pro consequenda gratia, peccat, quod est contra fidẽ, vt diffinitur in Conc. Trid. sess.6. cano.7. Siquis dixerit, opera omnia quæ ante iustificationẽ fiunt, verè esse peccata; anathema sit. Sequela autẽ probatur: Quia secundũ illã opinionẽ, qui facit opus præcepti, & nõ ex charitate, peccat: sed peccator faciẽs quãtũ in se est, vt disponatur ad gratiã, facit opus præcepti, & nõ ex charitate, quia nondũ illã habet, vt supponimus: ergo peccat; quod est contra Concil. Et cõfirmatur: Quoniã præfata sentẽtia, videtur multũ fauere hæresi Lutheranæ dicenti, q; quantò quis nititur magis se disponere ad gratiã, tãtò vehementiùs peccat, & quòd omnia opera peccatoris, sunt peccata. Itẽ probatur. Quoniã ex opposita sententia sequitur, quòd quicunq; transgreditur aliquod præceptũ particulare, peccat duplici peccato, altero quidẽ cõtra illud præceptũ, altero verò cõtra præceptũ charitatis. Imo verò sequitur, quòd quãdo occurrit aliquod præceptũ. v.g. ieiunij, vel eleemosynæ, tenemur discutere cõscientiã, an simus in gratia, ac si esset suscipiendum sacramentum; hæc autẽ omnia absurda sunt: ergo. Et hæc de hac conclusione sufficiant. Nam pleraq; diximus in superioribus.

*Dico. 1. tamquam certũ.*

Secundò certũ est, q; regulariter loquẽdo, omnia præcepta naturalia diuisiuè quantũ ad substantiam seruari possunt, sine gratia & charitate, imò & sine speciali auxilio. Quod patet ex argumẽtis factis in quæst. præcedente. Itẽ: Quia potest homo, suis viribus facere pleraq; opera moraliter bona: sed præcepta naturalia sunt de huiusmodi operibus. Rursùs talia præcepta sunt ordinis naturalis, de quibus Paul. fatetur Rom. 2. Gẽtes quæ legẽ nõ habẽt, naturaliter ea quæ legis sunt, faciũt. Dixi, regulariter loquẽdo: Quia præceptũ naturale dilectionis Dei super omnia, ex toto corde, vt visum est suprà, nõ potest impleri sine speciali auxilio Dei. Imo verò rebus vt nũc, nõ potest impleri sine charitate & gratia, saltẽ concomitantèr se habente. Quia Deus de lege, non dat auxiliũ, quo quis se conuertat ad Deũ finẽ naturalem, efficaciter & ex toto corde, quin pariter conuertat hominem ad Deum finem vltimum supernaturalem, quod non fit sine charitate. Vndè, præceptũ naturale dilectionis Dei super omnia ex toto corde, & ex tota mente, quodammodo est inclusum in

*2. Certũ est.* *Rom. 2.*

præcepto supernaturali charitatis. De alijs verò præceptis naturalibus, crediderim singula per se loquẽdo, diuisiuè seruari posse, solis naturæ viribus, licèt peraccidens in particulari propter incidentia pericula, & vehementes incidentes tentationes, & pleraq; alia offendicula occurrẽtia, cõtingere possit, vt sit necessarium speciale Dei auxilium ad seruãdum aliquod præceptum naturale, in particulari, vt patet in materia castitatis, & in materia iustitiæ, vt nos latè deduximus disputatione. 2. præcedente. Et hæc est causa cur dixi, regulariter loquendo.

*Conclusio. 1.* Quibus tanquam certis iam prælibatis, subijciam conclusiones. Prima sit. Actus fidei, spei, & charitatis secundum substantiã, sunt supernaturales actus. Itaque, non solùm isti actus differunt in genere moris, & secundum modum, ab actibus virtutũ acquisitarum fidei acquisitæ & spei; sed etiam in genere naturæ, & secundum substantiam; & contrarium dicere, neq; est tutũ in fide, neq; consonũ sanæ doctrinę. Hæc est contra Capreo. in. 1. d. 17. & contra Caiet 2. 2. q. 171. art. 2. Probatur hæc assertio, & primò de actu à charitate immediatè elicito, nulla est difficultas, quòd secundũ substantiã sit supernaturalis. De actu verò fidei, & spei, & charitatis etiam simul, id ipsum ostendo. Quoniã Theologi omnes fatentur; obiecta virtutum Theologicarũ, esse supernaturalia simpliciter: sed vltima differentia actus & habitus, ab obiecto formali sumitur: ergo totus actus secundũ suam substantiam, est supernaturalis in actu fidei, spei, & charitatis. Patet consequentia: Quia substantia rei sumitur ab eius differentia, & hæc est supernaturalis in actibus charitatis fidei, & spei. Accedit etiã, quòd si differentia est supernaturalis, genus est supernaturale, vtpotè in eo contenta: Et rursùs, quia ab eodẽ sumitur genus & differentia, alia atq; alia ratione; imo verò in re ipsa sunt idem: igitur cùm genus & differentia pertineant ad ordinẽ supernaturalẽ, in habitibus charitatis fidei & spei infusis; sequitur, q̃ actus earũ non possunt pertinere ad genus naturæ, quantùm ad substantiã. Ex quo etiã necessariò colligitur, quòd prædicti actus nõ solũ differunt in genere moris, sed etiã in genere naturæ. Et confirmatur. Nam ratio formalis quæ, & ratio formalis sub qua fides, spes & charitas, feruntur per suos actus in obiecta, vtraq; est supernaturalis secundũ substantiã & secundũ rem: ergo & actus, quibus virtutes feruntur in ipsa, habent supernaturalitatẽ secundũ substãtiã. Item, quia isti actus sicut eliciti secundũ substantiã suam, à forma supernaturali, & habitibus supernaturalibus: ergo secundũ suã substantiã, sunt supernaturales. Et cõfirmatur iterũ: Nã Theologi dicũt, quòd actus fidei supernaturalis, & actus fidei acquisitæ, differunt secundũ substantiã in genere naturæ, in hoc sensu, quòd non differunt tantũ quantũ ad modum, & dicunt, hoc esse de fide: igitur si hoc est de fide, sequitur, eidem fidei & sanæ doctrinę consentaneũ esse dicere, quòd differunt in genere naturæ, secundũ substantiã, & quòd oppositũ docere, est dissonũ sanæ doctrinæ. Et confirmatur rursus: Quia si illi actus, v.g. fidei infusæ & acquisitæ, differrent tãtum secundũ modũ, & non secundũ substantiã, seu in genere naturæ; tunc peto, quid est iste modus? Nã certè, non est quòd actus virtutis Theologicæ, sit intensior aut firmior, aut quòd sit meritorius: Quia actus fidei informis, non est meritorius, & tamen est actus fidei Theologicæ in peccatore. Rursùs: Actus virtutis Theologicæ, efficaciter attingit obiectũ supernaturale, quod est supernaturale, tam secundũ substantiã, quã secũdũ modũ; actus verò virtutis acquisitæ, non item: ergo fit consequens, vt differant ex obiectis specificantibus; ac proinde in genere naturæ, & quantũ ad substantiã. Præterea: Isti actus differunt, quia procedunt ex diuersis principijs formalibus: Nam fides diuina procedit ex lumine supernaturali & infallibili, imo verò ipsa est lumen; fides autẽ humana procedit ex lumine humano & fallibili: igitur differunt, non tantũ in genere moris, sed in genere substantiæ & naturæ. Rursus: Ad actũ fidei, spei, & charitatis infusæ, requiritur supernaturale auxiliũ, non solũ quantũ ad modũ operis; sed etiam quantũ ad substantiã, vt apertè habetur ex testimonio Ioan. 15. Sine me nihil potestis facere; & loquebatur Christus ibi de operationibus supernaturalibus & dixit; Nihil potestis: ergo. Et hoc videtur mihi diffinitum in Concilijs, Africa. Mileuit. & Araus. suprà citatis. *Ioan. 15.* ¶ Sed obijciunt Caiet. & Capreo. quòd actus istarũ virtutum, solùm differant in genere moris & nõ secundũ substantiã, seu in genere naturæ ab actibus virtutum acquisitarũ. Quoniam attritio ex facultate naturæ, siquis recipiat sacramentum fit contritio cum per solum sacramentum fiat ex attrito contritus: igitur vnus & idem actus vitalis attritionis modo est attritio, & modo est contritio: ergo pari ratione sequitur, eundẽ actũ secundũ substantiã, posse esse naturalẽ, & supernaturalem, & q̃ solũ fit distinctio secundũ modũ & in genere moris. Itẽ obijciũt de actu interiori fidei supernaturalis, qui potest cõtinuari cũ actu interiori fidei acquisitæ. Nã Iudæus ante natiuitatẽ Christi, habebat hũc assensum fidei, Christus nascetur: sed Christo iam nato permansit idem iudiciũ, quòd cũ Christo nato esset falsum, & nõ fidei supernaturalis, sed acquisitæ tantum, & nihilominùs fuerit continuatũ cũ actu fidei infusæ: ergo isti actus secundũ substantiã non differunt, sed solùm in genere moris, & secundũ modũ. Adhoc, inter recentiores, Pater Medina. 1. 2. q. 61. art. 2. quamuis concedat, quòd actus fidei & spei infusæ, differant secundũ substantiam, & in genere naturæ, ab actibus fidei & spei acquisitæ, in hoc sensu, quòd nõ differunt tantũ quantũ admodũ quod dicit esse de fide, nihilominùs ait, quòd nõ aduersatur sanæ doctrinæ dicere; q̃ actus virtutis supernaturalis, & acquisitæ differunt tantũ in genere moris, & nõ in genere naturæ, aut secundũ substantiã; Quia Capre. & Caiet. tenent hanc sententiã, & nõ dãnantur erroris. Nã licèt solùm differãt in genere moris, optimè saluatur quòd nemo potest credere & amare, sine aditorio Dei. Etenim, ex hoc q̃ occisio hominis facta à latrone & à prætore, solũ differant in genere moris, & non in genere naturæ, optimè saluatur quòd vna est actus humanus, altera verò non item; & quòd vna est bona; altera verò mala. Cæterùm, hæc ratio non satisfacit. Nam quamuis actiones illæ pertineant ad genus moris ambæ; nihilominus non excedunt ordinem naturæ; imò neque ascendunt ad ordinem supernaturalem; at verò actus fidei infusæ, & actus charitatis per se loquendo, sunt ordinis supernaturalis, & tendunt sub formalitate supernaturali



naturali, in obiecta; & forma etiam, à qua procedũt, est supernaturalis; imò verò principium vitale elicitiuum earundem actionum, non nisi supernaturalizatum & eleuatum concurrit. Quocircà, prima cõclusio posita, vera est & tenenda, quidquid dicat Medina. Et ad primam obiectionem Caiet. dicendum, quòd nunquam Theologi dixerunt quòd attritio fiat contritio, cum sacramento: nunquã enim fit attritio intrinsecè contritio: Quia nõ est vtriusq; idẽ obiectum formale. Et ob id Theologi solùm dicũt, quòd attritus fit cõtritus, ob id quòd recipit gratiã iustificantem cum sacramento; Cæterùm ex hoc nõ colligitur, actum attritionis & contritionis non distingui secundum substantiã, aut in genere naturæ. Ad secundam obiectionem dico, quòd multa videtur continua ad sensum, quæ re vera non sunt continua, vt patet in insertis & in virga arida & viridi, & in motu canis descẽdentis à turri si moriatur in via, qui non est continuus secundum rem, sed secũdum sensum. Vndè, actus fidei supernaturalis, nulla ratione potest continuari, secundum substantiam suam, cum actu fidei acquisitæ; ac subinde, actus illius Iudæi credentis post Christum natum, esse nasciturũ, nõ erat actus fidei supernaturalis & infusæ. Nã fidei non potest subesse falsum, & consequenter non cõtinuabantur illi actus, in genere substantiæ, entis, aut naturæ.

*Conclus. 2.* Secunda conclusio. Circa obiectum supernaturale vt sic, prout in tertia acceptione loquuti sumus de obiecto supernaturali in prima animaduersione, nemo potest habere actum ex naturalibus præcisè, sine speciali Dei auxilio. Et nomine auxilij, non intelligimus gratiam iustificantẽ necessariò, sed aliud auxilium supernaturale speciale. Probatur: Inter potentiam & actũ debet esse proportio, ita vt sint eiusdem ordinis: sed sine auxilio supernaturali, potentia non est proportionata tali actui & obiecto supernaturali: ergo non potest habere talem actum. Probatur minor. Quia obiectum & actus circa ipsum, vt diximus, sunt omnino supernaturalia: at potentia semper est naturalis, si ex suis viribus consideretur, & semper manet in ordine naturæ: ergo neque est proportionata, neq; eiusdem ordinis cum tali obiecto. Secundò probatur specialiter de actu fidei, ex testimonijs Scripturæ & Conciliorum à nobis adductis, art. 1. Et specialiter patet ex illo Ioan. 6. Hoc est opus Dei, vt credatis in eum; Et ex aperta diffinitione Concilij Trident. sess. 6. cano. 3. Siquis dixerit, sine præueniente Spiritus Sancti inspiratione, posse hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere sicut oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur; anathema sit. Vbi aduerte, quo pacto Concil. doceat, necessariam esse præuentionem Spiritus Sancti ad huiusmodi actus, non quidem vt sint meritorij, loquitur enim de illis apertè secundùm quòd præcedunt iustificationem, sine qua non est meritũ. Et per credere sicut oportet, iuxta mentem Concilij, debet intelligi, credere innitendo reuelationi primæ veritatis, ita vt reuelatio ipsa diuina, & ratio illius includantur intrinsecè & essentialiter in ipso actu credendi; ita vt homo credat præcisè veritatibus fidei; quia à Deo sunt reuelatæ, iuxta illud Pauli 1. Thessal. 2. Ideo & nos gratias agimus Deo sine intermissione, quia cùm accepissetis à nobis verbum Dei, accepistis illud non sicut verbum hominum; sed sicut verè est, vt verbum Dei, qui operatur in vobis, qui credidistis. ¶ Ex qua conclusione colligo, quòd quando obiectum est supernaturale, secũdo modò tantùm, ita vt supernaturalitas præcisè se teneat ex parte obiecti, & non ex ratione sub qua, neque ex modo tendendi; tunc potest homo ex proprijs viribus habere aliquem actum circà illud obiectum, vt patet in hæretico habente actum credẽdi, circà Deum trinum & vnum, sine auxilio aliquo supernaturali. Quia supernaturalitas in tali obiecto, tantum se habet materialiter respectu illius actus; & consequenter, nõ est obiectum improportionatum potentia, secundùm præcisam illam rationem. *Ioan. 6.* *1. Thessal. 2.*

*Concluſ. 3.* Tertia conclusio. Cùm substãtia actus fidei, spei, & charitatis infusæ, sit supernaturalis, necessariò requiritur modus supernaturalis ad obseruationem præceptorum earundem virtutum, circa obiecta supernaturalia fidei, spei, & charitatis, & non sufficit sola substantia illorum actuum, sed requiritur vltrà supernaturale auxilium. Hanc tenet Sanct. Thom. 1. 2. quæst. 100. art. 1. ad. 2. Et Concilia relata in artic. 1. citato huius quæst. 109. Idem tenet S. Thom. 2. 2. quæst. 44. artic. 4. Optimè (inquit) in his, non solùm substantiam operis, sed modum ipsum esse in præcepto. Et probatur: Quoniam hæc præcepta supernaturalia, sunt de actibus quatenus sunt media necessaria ad consequendam beatitudinem supernaturalem. Cùm igitur media sint supernaturalia, sine gratiæ supernaturali auxilio impleri non possunt ea præcepta, quibus talia media præcipiuntur. Et ob id actus istorum præceptorum, dicuntur in Scriptura dona Dei, vt patet ex loco citato Ioã. 6. Hoc est opus Dei, vt credatis. Hierem. 5. Conuerte nos Domine, & conuertemur. Legendus est Driedo, lib. de gra. & lib. arb. c. 2. ad finẽ. Item. Nã Scriptura teste; Qui credit, habet testimoniũ Dei in se: igitur licèt præceptũ supernaturale fidei aut spei, possit homo implere quantũ ad substantiã operis, sine gratia iustificante; non tamen sine gratia supernaturali auxiliante. Patet consequentia: Nã præceptũ fidei, iubet vt habeamus fidẽ supernaturalẽ, & actũ supernaturalẽ fidei: sed nemo ex viribus naturæ, hunc potest habere: igitur neq; ex viribus naturæ, potest implere hoc præceptũ, etiã quãtũ ad substantiã operis. Imo verò, præceptũ fidei, obligat vnũquemq;, vt sit verè fidelis ex fide diuina. Nã obligat illũ, vt sit verè Christianus: sed nemo potest esse verè fidelis ex fide diuina, & verè Christianus, nisi ex dono Dei. Vndè, Scriptura testatur, fidẽ esse donũ Dei: ergo verè requiritur, & substantia supernaturalis, & modus supernaturalis, & gratia auxilians. Sanè, Pelagij error fuit, quòd possumus credere & sperare, implereq; præcepta fidei & spei ex solis naturæ viribus, solùm posita euangelij prædicatione. Et quidem, ab hoc errore non lõgè abest ea sententia, quæ excludit supernaturale auxilium, seu modum supernaturalẽ, ab impletione præceptorũ fidei, & spei. Tandem præfata cõclusio persuadetur: Quoniã meritũ vitæ æternæ, cõsistit in adimpletione præceptorũ omniũ, etiã supernaturaliũ: iuxta illud Matth. 5. Si vis ad vitam ingredi, serua mandata: sed non possumus neque consequi, neque mereri vitam æternam sine gratia: igitur neq; præcepta saltim supernaturalia, sine vlla gratia, seruare. *Ioan. 6.* *Ierem. 5.* *Matth. 5.*

Quocircà, Gregor. in. 2. d. 26. & 29. & Pater Vega. 11. super Trident. cap. 11. plurima Scripturæ, Conciliorum & Patrum testimonia adducunt, quæ non solũ de homine lapso; sed de homine in natura integra ostendunt, quòd sine supernaturali auxilio, non potest seruare huiusmodi præcepta supernaturalia. Vtrùm verò posset vitare peccata contra talia præcepta, dicemus deinceps. Nam in hac conclusione, est sermo potissimè de istis actibus, qui sunt necessarij necessitate finis, in quibus hac ratione requiritur fini talis conueniens modus.

*Conclus. 4.* Quarta cõclusio. Non solum præcepta naturalia, verùmetiam nonnulla supernaturalia, possunt magna ex parte seruari & impleri, sine gratia iustificante & charitate. Probatur de præceptis fidei & spei. Quia sicut possunt esse fides & spes informes, sine charitate & gratia iustificante; ita pari ratione, actus harum virtutum, possunt exerceri sine charitate; nõ tamen sine speciali Dei auxilio, vt diximus concl. 3. & etiam dub. 1. huius art. Vbi sancitum est, hæc præcepta obligare, nõ solùm ad materiale actus, sed etiã ad formale, quod est supernaturale. Addit tamen Pater Soto. 1. de nat. & grat. c. 8. quòd præceptum de cõfessione exteriori fidei, potest impleri, non solùm sine gratia iustificante, verùmetiam sine auxilio speciali, imo & sine habitu fidei. Nam si hæreticus pro confessione Sanctissimæ Trinitatis, mortẽ oppetat, implebit præceptum confessionis fidei, tunc occurrens; & licèt tale opus, nõ sibi prosit ad meritũ æternæ vitæ; tamen teste Aug. proderit, vt tolerabiliùs subeat iudicium. Sed de hoc inferiùs nonnihil dicam. Præterea probatur nostra conclusio, de quibusdam præceptis sacramentorum: Nam qui recipit baptismum in mortali, implet præceptum de suscipiẽdo baptismo; aliàs teneretur iterum baptizari; & tamen nõ habet charitatem, aut gratiam iustificantẽ. Vndè, ille non damnabitur, quia nõ suscepit baptismum, sed quia indignè suscepit cum obice peccati mortalis. Idem dicendum est, de illo qui facit confessionem informem. Nam satisfacit præcepto confitendi peccata, licèt non recipiat gratiam.

Sed interrogabit aliquis, Vtrùm ad impleda hæc præcepta baptismi, & pœnitentiæ, & confessionis saltem requiratur speciale auxilium Dei? De qua dubitatione, Pater Medina hic apertè dicit, posse impleri præcepta sacramentorum, sine auxilio supernaturali Dei; vnum solum excipit sacramẽtum Eucharistiæ. Et probat ex argumento à nobis facto: Quia potest baptizari homo peccans mortaliter in suscẽptione baptismi, ad quam non concurrit Deus speciali auxilio, cùm sit peccatũ; & tamen per illam suscẽptionem implet præceptum baptismi. Et idem argumentũ facit de confessione informi, quã nõ tenetur iterare peccator. Et idẽ, de satisfactione imposita in pœnitentia, quã peccator implere potest, quantùm ad substantiam operis. Et propter hæc argumẽta Theologi nonnulli ex ipsius familia addunt, esse probabilẽ sententiã, posse impleri præcepta sacramẽtorũ, sine supernaturali vllo auxilio Dei. Verùm, sententia citata cum suo fundamento, non mihi probatur; & ob id sequentem conclusionem subijciam.

*Conclus. 5.* Quinta conclusio. Præcepta sacramẽtorum, licèt nonnulla possint impleri sine gratia iustificante; nũquam tamen sine supernaturali Dei auxilio. Probatur, & hac probatione contẽdo simul destruere fundamentum aduersariorum. Nam Deus concurrit supernaturali auxilio, cum eo qui consecrat in peccato mortali, ad consecrationem illam: Nam talis effectus consecrationis, principaliter refertur in Deũ, vt in causam supernaturalem: igitur pari ratione, ad suscẽptionem sacramenti baptismi, seu impletionẽ præcepti suscipiendi baptismum, Deus concurrit speciali auxilio, & concursu. Item: Opinio probabilis est, quòd possit aliquis actus esse elicitus à fide supernaturali; qui tamẽ sit malus ex obiecto aliquo extrinseco, vt siquis credat propter vanã gloriam: sed ad istum actum, prout elicitur à fide supernaturali concurrit Deus supernaturali auxilio. Imo verò, gratijs gratis datis, potest malè vti homo, cùm tamen ad vsum earum, Deus supernaturali auxilio concurrat. Exemplum est de Prophetia Caiphæ Pontificis, quando prophetauit nescius quid diceret; qui tamen in eo consilio peccauit mortaliter. Nam ex mala intentione occidendi Christũ, loquutus est dicens: Expedit vt vnus homo moriatur pro populo. Item: Qui accedit ad sacramentum baptismi; etiam cum obice peccati mortalis, necessariò vt suscipiat sacramentum, habere debet intentionem aliquam intrandi corpus ecclesiæ Christianæ, & voluntatem efficacem huius. Et ita debet habere intentionem, circà finem supernaturalẽ: hæc autem non habetur sine supernaturali Dei auxilio: ergo. Probatur maior: Nam qui suscipit sacramentum iã adultus, necessariò debet esse voluntarius, circà ipsum sacramentum & effectum illius, & habere intẽtionem in ordine ad veritatem sacramenti, & institutionem eius; aliàs nihil faceret. Vndè, aduersariorum fundamentum, non satisfacit. Nam in illa suscẽptione sacramẽti, consideramus & actum suscẽptionis, & impletionis præcepti baptismi, ad quem actũ Deus supernaturali auxilio cõcurrit, quantũ ad substantiam, sicuti auxilio generali Deus concurrit, ad actus aliorũ peccatorũ, & possumus considerare malam intentionem finis ipsius agentis; & ad hanc, nõ concurrit Deus speciali auxilio. Quia illius malitiæ Deus non est causa, vt cõstat in exemplis adductis. Fatemur tamẽ argumenta, & exẽpla à Patre Medina adducta, ostendere non esse necessariã gratiã iustificantẽ, vt impleantur præcepta sacramentorũ, excepto sacramento Eucharistiæ. Quamuis oppositũ sentiat Duran. in. 2. d. 28. q. 3. & 4. non tamen probant nõ esse necessariũ auxiliũ speciale Dei. Nã præter argumẽta facta, secundũ Aug. & Concilia, præceptũ profitendi Christianitatem & regenerationẽ per baptismum, est maximum & specialissimũ Dei donũ. ¶ De præcepto autẽ sumendi mirabile Eucharistiæ sacramentum, mihi videtur certum, & valdè rationabile quòd nemo potest implere huiusmodi præceptũ, nisi habeat gratiam; & consequẽter dico, quòd siquis reciperet Eucharistiã in mortali, licèt impleret præceptum humanum ecclesiç, obligans in Pascha te; nihilominùs nõ impleret præceptum diuinum, de cõmunione dignè facienda, & de communione spirituali per cibationem spiritualem & alimoniam. Probatur. Quia hoc est sacramentum amicorum, & quod potissimè supponit vitam, cùm sit cibus spiritualis, qui cibat & nutrit spiritualiter: igitur ille, qui accedit ad altare, & ad huiusmodi cibum,



*Ioan. 6.* bum, qui est alimentum vitæ spiritualis, tenetur accedere vt amicus; secundum illud Ioan. 6. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in illo. Hæc videtur esse sententia Pauli, cùm loquens de manducatione huius sacramenti inquit; Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Vndè, est præceptum diuinum probandi se ad communionem vitæ spiritualis; quæ probatio est dispositio, & sæpiùs fit præcedente sacramento confessionis, vt homo sic probatus, dignè comedat & accedat. Dices, fieri posse, vt quis in mortali ex ignorantia peccati, accedat ad Eucharistiam, credens se feciſſe debitam præparationem. Respondetur, quòd si ignorantia, est inuincibilis, verè implet præceptũ; sed nihilominùs simul recipit primam gratiam ex virtute sacramenti, vt apertè docet S. Thom. in materia de Eucharistia. Vndè, simul habet iustificantẽ, & concomitantem gratiam in instanti, in quo recipit & implet præceptũ. Sed objcies vlteriùs, quòd hoc præceptum Eucharistiæ, seruari potest quantũ ad operis substantiam. Quia licèt homo peccet, recipiendo in mortali Eucharistiam; tamen peccat solùm contra religionem. Nam ex præcepto religionis tenetur vnusquisque dignè facere quæ pertinẽt ad cultum Dei, & non peccat contra speciale præceptum diuinum recipiendi Eucharistiam. Respondetur, quòd licèt hoc videatur quibusdam probabile; mihi tamen multò certius est, quòd peccat cõtra speciale præceptum. Nam obligatio quæ pendet ex præcepto religionis, qua homo tenetur dignè facere quæ pertinent ad cultum Dei; illa quidem generalis est & communis omnibus sacramentis: Nam per eã peccat indignè recipiens baptismum, quamuis impleat præceptum de suscẽptione eius. Obligatio vero, quæ data est respectu huius sacramenti, specialis est. Et ob id Paul. vigilanter dixit: Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat, & loquitur Paulus, vt ecclesia sentit, de vtraque probatione interna, & externa per confessionem; & tamen probatio per confessionem, iure diuino non est præcepta ad alia sacramenta, vt antecedens ea, ni si solùm ad Eucharistiam. ¶ Sed interrogabit vlteriùs aliquis, An cùm quis implet præcepta sacramẽtorum, peccet, si ea sine gratia impleat? Respondetur, quòd præcepta aliorum sacramentorũ, si is qui implet illa nõ est in gratia, vel probabiliter & cõiecturaliter id ita esse suspicetur; peccat quidẽ, cõtra virtutẽ religionis, quãuis talia præcepta adimpleat. Probatur. Nam qui recipit indignè sacramentũ, peccat mortaliter in re graui: ergo vt quis sine noua culpa impleat obligationem recipiendi dignè sacramenta; necesse est quòd non sit cõscius peccati mortalis. Non dico necesse esse vt sit in gratia iustificãte, sed solùm quòd non sit conscius peccati mortalis, ita vt cognoscat se apertè esse inimicum Dei, & in mortali existere. Aduerte tamen, quòd in pœnitentia & baptismo, cùm hæc sint sacramenta mortuorum, requiritur vel quòd recipiens non habeat conscientiam culpæ mortalis, vel quòd saltem habeat attritionem ex Deo mouente de peccatis suis, vt sic illi displiceant, & possit non indignè accedere ad hæc sacramenta.

*Conclusio. 6.* Sexta conclusio. Aliqua sunt præcepta, quæ sine charitate & gratia, saltem concomitantèr impleri non possunt. Patet de præcepto charitatis, & de præcepto contritionis. Imo verò, præceptum charitatis de dilectione Dei supernaturali, cuius præcepti substantia est, vt diligatur Deus ex toto corde super omnia & efficaciter; non potest impleri sine gratia iustificante, vt manifestè constat ex definitione Concil. Trident. & ex plerisque alijs Cõcilijs, Arausic. & Mileuit. Et probatur ex illo 1. Corinth. 8. Si quis diligit Deum, hic cognitus est à Deo, vbi nomine cognitionis Apostolus intelligit diuinã approbationem, iuxta frequentem vsum Scripturarum, in quibus ea, quæ Deus nõ approbat, ignorare dicitur. Approbatio autem Dei, nõ est nisi per gratiam. Imo verò, quotiescunque fit mentio de hac dilectione supernaturali Dei, semper is qui diligit Deum super omnia, intelligitur amicus Dei, & coram eo iustus: iuxta illud Christi: Qui diligit me, diligetur à Patre meo. Et diuina Sapientia. Ego diligentes me diligo. Probatur rursùs apertè in præcepto de contritione, quæ est dolor de peccatis propter Deum summè dilectum; esse autem summè dilectum, includit dilectionem summam in ordine ad obiectum supernaturale, quæ sine gratia gratum faciente, haberi nõ potest. Et ex hoc colligo hunc discursum. Nam dilectio Dei super omnia, est actus supremæ amicitiæ, in cuius exercitio constituitur Deus efficaciter finis vltimus diligentis, & consequenter excludit omne peccatũ, & includit efficacem voluntatem implẽdi omnia præcepta: Sed hæc omnia sine gratia impleri non possunt: igitur præceptum charitatis & dilectionis Dei supernaturalis, sine gratia iustificante, non potest impleri. ¶ Dixi in cõclusione, esse aliqua præcepta quæ sine gratia & charitate non implentur, vt patet de præcepto charitatis & contritionis. Nam hi actus sunt semper meritorij; meritum verò non est sine gratia & charitate. Rursùs, est præceptum generale de sacramentis dignè suscipiendis: sed hoc fieri nequit nisi ab existente in gratia: ergo. Sed de his specialiter agemus. 3. p. q. 64. art. 6. ¶ Ex dictis sequitur verissimè, diffinitum esse contra Pelagium in Concil. Mileuit. c. 4. quòd ad seruandum totam legẽ, requiritur gratia iustificans, & quòd non sufficiunt vires naturæ; & pari ratione sequitur, nullũ præceptum posse impleri meritoriè, nisi implens sit in gratia iustificãte, vt S. Thom. hic dicit. Et ob id in Cõc. Arausic. can. 18. dicitur, quòd debetur merces bonis operibus, si fiant: sed gratia quæ non debetur, præcedit vt fiant: igitur nullum præceptum meritorie impletur, nisi implens sit in gratia gratum faciente.

Septima conclusio. Per auxiliũ supernaturale Dei; *Conclus. 7.* potest quis obseruare omnia præcepta supernaturalia diuisiuè sumpta. Ita diffinitur in Arausic. cano. 2. Mileuit. cano. 4. Triden. sessio. 6. cap. 11. & 13. Probatur ex illo Ioan. 5. Mandata eius, grauia non sunt. Iugum meum suaue est, & onus meum leue. Quod testimonium adducitur à Conc. Trid. sess. 6. cap. 11. Et ad Philip. 4. Omnia possum in eo qui me confortat. *Ioan. 5.* *Ad Phil. 4.* Et ratio est. Quia præcepta dantur de rebus possibilibus: igitur si præcepta supernaturalia non sunt possibilia per naturam, erunt possibilia per gratiam; vt apertè diffinit Concil. cap. 11. citato. Quocirca, quando D. August. lib. de perfectio. iustit. tom. 9. ait. Præceptum charitatis non posse impleri in hac vita: Io- *D. August.*

quitur de perfectione charitatis Patriæ, quæ consistit in perpetua & immutabili adhęsione ad Deum. At verò, perfectio viæ cosistit in eo quòd Deus præferatur omnibus rebus. In quo sensu potest impleri præceptum charitatis in via; vt patet ex Propheta Psalm.118. In toto corde meo exquisiui te. Et Ioan.2. Qui autem seruat verbum eius; verè charitas Dei, in eo perfecta est. Dixi in conclusione Per auxilium supernaturale, & non per gratiã iustificantem. Primò; Quia hæc conclusio est intelligenda iuxta interpretationem modificationem & limitationem præcedentium, & quidem de præcepto sumendi Eucharistiam diximus, ad eius impletionẽ necessariam esse gratiam præter speciale auxilium, suprà concluſ.5. Et de præcepto dilectionis supernaturalis, etiam diximus, quòd ad impletionem eius requiritur etiam quantùm ad substantiam operis, gratia iustificans. Nam huius præcepti substãtia est, vt diligatur Deus super omnia ex toto corde, & ex tota mente. Aliqui tamẽ volũt, quòd licèt sine gratia concomitante nõ possit impleri præceptũ huius dilectionis; forsan tamẽ sine hac saltẽ præuia, potest impleri tale præceptum dilectionis supernaturalis. Dixi etiã diuisiuè, & non collectiuè. Nam ad collectiuè seruanda omnia præcepta supernaturalia, specialius auxilium requiritur, vt dicemus.

*Contra concluſ. argu.1.* Sed contra hanc conclusionem, & contra tertiam præcedentem, *sunt nõnulla argumenta.* ¶Primũ est. Nam sine auxilio supernaturali potest homo diligere Deum finem supernaturalem materialiter, ideſt, non sub ratione formali supernaturalitatis, seu cum proportionato modo, ex parte potẽtię respectu finis supernaturalis vt sic: ergo pari ratione, sine tali auxilio potest seruare præcepta supernaturalia. Patet consequentia: Quia dilectio Dei, includit efficax propositum obseruandi eius præcepta, vt supponimus. Nã dilectio super omnia, includit propositum efficax obediendi Deo in omnibus; & talis dilectio, præfert efficaciter Deum sibi & omni creaturæ, & vult quid quid Deus iubet, licèt sit contra amorem eius, & omnis creaturæ. Vndè, eo ipso quòd quis habet propositum transgrediendi præceptum aliquod, non censetur diligere Deum, *2.Ioan.2.* 2.Ioan.2. Qui enim dicit se nosse Deum, & mandata eius non custodit, mendax est; qui autem seruat verbum eius, verè in hoc charitas Dei perfecta est: Sed non includit efficax propositũ talis dilectio, nisi quatenùs potest executioni mandari; ergo non requiritur illud supernaturale auxilium. Item; non minus potest homo sine supernaturali auxilio, saltem in natura integra, quam angelus, diligere Deũ finem naturalem: igitur habet efficax propositum obseruandi omnia mandata eius, quacùmque via sibi proponantur: sed per fidem proponuntur ei præcepta supernaturalia: ergo habet propositum efficax illa seruandi: ergo illa omnia potest seruare sine alio auxilio. Si dicas, non habere propositum nisi seruandi præcepta naturalia. Contrà: Nam supposita manifestatione præcepti supernaturalis, contra rationem naturalem esset; atque adeò contra finem naturalem illa non obseruare, vt dicemus infrà.q.113. Et ita, agendo contra finem supernaturalem, etiam ageret contra naturalem: ergo supposita cognitione supernaturalium, qui proponit obseruare præcepta Dei finis naturalis, etiam proponit seruare præcepta Dei finis supernaturalis. Imo non potest intelligi, quo pacto peccet contra Deum finem naturalem, nisi simul peccet contra rationem, quæ dictat hoc esse præceptum. Dices, illud esse propositum efficax, quod non potest proprijs viribus adimpleri; benè tamen per auxilium supernaturale, quod prẽsto est. Sed contra: Suppono, denẽgatũ esse auxilium supernaturale voluntati. Tunc, vel illud propositum est efficax: vel non; si est efficax, potest impleri. Nam efficax propositum, includit posibilitatem mandandi rem propositam executioni. Si non est efficax, falsum est quòd diligat Deum super omnia finem supernaturalem, etiam materialitèr. Si dicas illud propositum esse efficax. Quia quantùm est de se, illa adimpleret, si ad hoc haberet vires. Contra; quia si non habet vires, præcepta non sunt sibi possibilia, & consequenter, propositum de illis seruandis, non est efficax: igitur neque dilectio Dei est efficax. ¶Secundò arguitur. Homo non potest obseruare omnia præcepta supernaturalia cum eo auxilio supernaturali, quo potest singula, vt postea dicemus: ergo auxilium supernaturale, quod datur ad diligendum Deum finem supernaturalem, non sufficit ad obseruanda omnia eius præcepta: ergo si per illud nõ potest seruare omnia, pariter sequitur, quòd nec per illud potest efficaciter diligere Deum: Nam non est efficax ad diligendum Deum super omnia, nisi sit efficax ad obseruanda omnia eius præcepta: igitur falsum est quod dicitur in conclusione, sufficere auxilium supernaturale ad singula præcepta obseruanda, cùm non sufficiat ad illud præceptum dilectionis. Dices: Sufficit vt immediatè illo auxilio possit omnia præcepta, scilicet diligere Deum, & singula diuisiuè obseruare, licèt nõ omnia collectiuè. Sed contra: Propositum est efficax, & est de nunquam peccando, nec transgrediendo vllũ præceptum: ergo vires ad hoc totum debent esse sufficientes, & non solum ad singula præcepta. Præterea: Nam dato auxilio ad actum supernaturalem dilectionis, posset Deus denegare auxilium ad actum spei: ergo illud auxilium non sufficit, neque ad singula præcepta. ¶Hæc argumenta, supponunt duo principia. Alterũ est, quòd ad diligendum super omnia Deum, requiritur efficax propositum obediendi ipsi in omnibus, & seruandi omnia eius præcepta. Nam si talis dilectio, præfert efficaciter Deũ sibi, & omni creaturæ: ergo vult quidquid Deus iubet, licèt sit contra amorem eius & omnis creaturæ. Nam, qui vult efficaciter finem, etiam vult media: sed medium necessariũ ad consequendum Deum, est obseruatio præceptorum; ergo. Et ob id Rom. 2. Plenitudo legis dicitur *Rom.2.* dilectio. Quoniam qui diligit, cẽsetur obseruare plenissimè totam legem propter efficax propositum, quod de hoc habet. Secundum verò principium est, quòd efficax propositum, illud dicitur, quod executioni potest mandari: est enim actus absolutus, qui nisi de re possibili, haberi non potest. Nam de obiecto impossibili, tantùm est velleitas, qui est actus in efficax, & conditionalis. Vndè, propositum volandi, non est efficax; quia est de re naturaliter impossibili. ¶Ad hæc argumenta, ad missis duobus his principijs, aliqui dicunt, quòd propositum illud efficax, *Ad argu* quod includitur in dilectione Dei super omnia, dupliciter potest appellari efficax. Quia efficacia potest sumi

*Argum.2.*



sumi Physicè & moraliter. Ad primam efficaciam Physicam, requiritur possibilitas in re; ad secundam verò, nẽpe moralem, sufficit quòd homo sit paratus quantùm est in se, facere id quod proponitur, licèt postea in executione, vires deficiant. Et ob id, actus ille quo quis vellet tribuere in eleemosynam infinitos Thesauros, licèt physicè sit inefficax; tamen præmiatur tantum à Deo, ac si esset efficax, quia eius ad impletio non deficit exparte voluntatis, sed ex parte materiæ extrinsecæ. Et ita dicũt, quòd hic modus efficaciæ, sufficit in eo proposito seruandi præcepta, quod includitur in actu dilectionis in casu argumẽti, in quo aliquis sine supernaturali auxilio diligeret Deum finem supernaturalem, materialiter. Quia tũc dilectio ista, non est intentio nec volitio consequẽdi finem: Nam tunc non esset efficax physicè, nisi dilectio esset absolutè efficax ex gratia; & adhoc non sufficit, quòd faciat totum, quod in se est, sine speciali illo auxilio, nisi verè in re applicet media necessaria, quæ si non posset applicare, non censeretur eligere nec diligere efficaciter. At verò, vt diligat Deum efficaciter moraliter, si careat auxilio illo speciali, sufficit vt quantùm est in se, faciat ad obseruãda eius præcepta. *Ad primũ.* Quibus positis, respondent ad primum argumentum, quòd ille qui diligit Deum, habet propositum seruandi omnia præcepta, quæ potuerit seruare, siue naturalia siue supernaturalia sint. Sed contra dices: Ergo ex viribus naturæ potest habere propositum efficax alicuius actus supernaturalis, qualis est obseruatio præcepti supernaturalis, quod videtur falsum; cum tale propositum, sit proxima dispositio ad gratiam. Respondetur primò negando consequentiam. Secundò respondetur, quòd immediatè illud propositum, non est nisi de sequendo dictamine rationis naturalis, licèt remotè & mediatè sit de præceptis supernaturalibus, quæ dictari possunt à ratione, ipsa suppositа fide. Quo etiam modo, qui in puris naturalibus haberet propositum obediendi Deo in omnibus, haberet etiam virtualiter propositum seruandi præcepta supernaturalia; & ita non est dispositio proxima ad gratiam, vt inferebatur, neque sufficiens. Aliter tamen respondere possumus, quòd nunquam potest homo efficaciter diligere Deum super omnia in hoc statu, nisi ex auxilio. Si enim repellas omnem gratiam, & omne speciale auxilium Dei, nunquam fiet vt possit homo efficaciter, aut perfectè diligere Deum ex toto corde, etiam vt finem supernaturalem materialiter. Nam efficacia, quæ includitur in hac dilectione, quatenus continetur in illo actu, exuit hominem à se ipso & ab amore proprio, transfertq; hominem ad Deũ. Vndè, argumentum hoc est efficax contra eos, qui dixerunt, quòd homo in habituali peccato, potest diligere Deum efficaciter. Quam sententiam suprà impugnauimus. *Ad secundũ* ¶Ad secundum argumẽtum dico, quòd supponit casum specialem, nempe, quòd postea denegaretur auxilium ad alia præcepta seruãda. Quòd si hoc postea denegaretur, etiã patet, quo pacto illud propositum inclusum in dilectione Dei, antecedente hanc denegationem, sit efficax, etiam si postea denegaretur auxilium ad obseruãda alia præcepta. Quia hoc non requiritur quòd sit propositum efficax physicè, per possibilitatem in re; sed sufficit moraliter, scilicet, quòd quantum est in se, proponat id facere, licet postea ex defectu auxilij nõ possit. Si tamen hos casus non fingamus, sed loquamur secundum communem modum prouidentiæ; tunc huiusmodi propositum, quod sequitur ad actum charitatis, alio modo est efficax in ordine ad præcepta supernaturalia, quam illud propositum, quod sequitur ad alios actus dilectionis naturalis. Nam propositũ, quod includitur in actu supernaturali charitatis, ita est efficax, quòd ineius virtute, semper quòd manet, potest effici, id quod proponitur, & si non efficitur, est quia tunc desistit homo ab illo proposito, quod non reperitur in eo, qui diligendo Deum ex viribus naturæ, proponit seruare præcepta supernaturalia. Et prædicta omnia, sunt valde aduertenda, potissimè cùm primum argumentum loquatur de dilectione naturali, terminata ad Deum obiectum naturale, & materialiter ad Deum obiectum supernaturale. Sic enim qui tali dilectione diligit Deum quantùm in se est, solùm proponit in confuso, respectu supernaturalium; Quia proponit obedire Deo, & seruare eius præcepta, quæcumque illa sint, aut quomodocũq; proponantur, in quo includitur cõfusè obedientia, & iam in ordine ad ea, quę posset præcipere siue naturalia, siue supernaturalia essent. Quia ratio naturalis dictat, implenda esse quæcumque Deus præceperit.

*Ad arg. initio quæſt. facta.* Ad argumenta initio quæstionis facta. Ad 1. respondetur quòd potentia specificatur ab actu, non vtcũque, aut semper in ordine ad obiectum adæquatum. Et ratio est: Quia ratio formalis potentiæ, quamuis sit vnica, & formaliter indiuisibilis; tamen diuiditur in obiectis materialibus, & per se, distinctio materialiter se habet respectu potentiæ, quæ semper retinet eundem modum tendendi in obiectum quodcùmque, & secundùm eandem rationem, immutatur ab ipso. Est exemplum in potẽtia visiua, quæ si eleuaretur per potentiam diuinam, vel confortaretur ad videndam lucem Solis, secundum eandem rationẽ formalem videret, & eodem modo immutaretur à luce Solis, atque à luce huius diaphani: sic ergo semel eleuata potentia intellectiua, per supernaturalẽ auxilium, secundum eandem rationem formalem, veri; tendit in ipsum obiectum, & eodem modo immutatur ab eo. Vndè, neganda est maior argumenti, respectu cuiuscùmque obiecti particularis, quod potest includi, intrà latitudinem obiecti adæquati. Et ad probationem respondetur, specificationem potentiæ, sumi etiam ex ordine ad obiectum improportionatum proprijs viribus. *Ad secundũ* ¶Ad secundùm argumẽtum respondetur, quòd licèt potentia, habeat aliqualẽ rationem instrumenti, respectu Dei mouentis & eleuantis ipsam, qua ratione comparatur instrumento, Isai.10. Nunquid gloriabitur securis contra *Isaias.10.* eum, qui secat in ea, aut exaltabitur serra, contra eũ, à quo trahitur? Tamen absolutè loquendo, homo ipse est principale agens, & non Deus solus, vt benè probat argumentum. Quia licèt non simus sufficientes ex nobis credere aut sperare; tamẽ per auxilium diuinũ eleuati, nos credimus, nos speramus. In quo cernimus manifestum discrimen inter sacramenta; & ministros ipsorum, & hominem eleuatum per auxilium supernaturale. Nam effectum sacramentorũ, solus Deus, vt principalis causa operatur; tamẽ Deus non credit, nec sperat; sed homo per auxilium supernaturale.

naturale. Vndè, si potétia ipsa, esset purum instrumẽtum, Deus posset operari actum illum, medio alio instrumento, imo verò posset sine aliquo instrumento; quia virtus Dei neque pendet ab aliquo, neque determinatur ad hoc instrumentum, quod tamen est impossibile, cùm operatio vitalis, qualis est intellectus & voluntatis, dicat intrinsecũ ordinẽ & formalem ad potentiam vitalem. Cuius etiam impossibilitatis, rationes plures dedimus, suprà in art. 1. q. 1. &. 2. eius. Rursùs etiam, potentia per auxilium supernaturale elenata, efficitur eiusdem ordinis, cum actu producendo, & quodammodo illi connaturalis, exquo palàm sequitur, eam esse proximum agẽs principale, Deum autem esse primam causam concurrentem auxilio supernaturali. Quocircà, axioma illud; Instrumentum est quod operatur in virtute alterius debet intelligi, quãdo sic operatur virtute alterius, vt illud alterum ita sit principale operans, & immediatum, vt instrumentum non habeat virtutem concurrentem, aut formam, sed solùm operetur ex influentia præcisa fluente, ipsius principalis agentis. Verbigratia Deus est principale iustificans, mediante sacramento. Cùm autem id quod recipit alterius virtutem, sic eleuatur per eam, quòd efficiatur quodammodo ipsius propria, & constituatur connaturalis effectui, tunc, nõ concurrit instrumentaliter, & sic est in actibus supernaturalibus, ad quos eleuatur potentia per auxilium supernaturale receptum, & ipsa exercet actum vitalem, quæ sane vitalitas est intrinseca illi. Et quidem, potentia per tale auxilium, est effecta quodammodo supernaturalis, & sic est proxima causa talis operationis, nempe credendi, sperandi, &c. Et ob id, Paulus dixit: Abundantiùs omnibus laboraui, non autem ego; sed gratia Dei

*1. Corinth. 15* mecum. 1. Corint. 15. Vbi explicat Paul. necessitatẽ gratiæ, & ea suppositа inquit, se laborasse, & nõ Deũ mediante ipso, sed gratia Dei cum illo; fuit namque cooperator Dei. Verùm de hac re legendus est locus citatus in art. 1. Vbi disputatum est, Vtrùm potentia naturalis, sine gratia Dei, possit tendere in obiectum supernaturale. ¶ Ad confirmationem respondetur, neque in sacris literis, neque in Cõcilijs, aut Sanctis, explicari necessitatem aliquam supernaturalis auxilij, ad recipiendum auxilium aliud supernaturale: Sic enim fieret processus in infinitum: Auxilium ergo supernaturale ad operandum, recipitur in potentia, nõ secũdũ proportionẽ naturalitatis, aut potentiæ naturalis, sed potẽtiæ obediẽtialis, qua subditur creatura infinitæ potentiæ Dei, vt possit in ea agere quidquid non repugnat naturæ eius.

*Ad confir.*

*Ad tertium.* ¶ Ad tertium respondetur, quod licèt ratio naturalis dictet, Deum esse amandum; tamen quando proponitur vt finis supernaturalis, est obiectum improportionatum voluntati. Vndè, etiam si angelus euidenter cognosceret Deum authorem gratiæ; non tamen posset sine supernaturali auxilio, ex parte volũtatis, amare ipsum supernaturaliter: Posset enim amare ipsum vt authorẽ naturæ, imò & vt authorem gratiæ, amore naturali, ita vt supernaturalitas obiecti, tantũ se haberet ibi materialiter, & vt ratio quæ; non autem formaliter & vt ratio subqua; vt liquet ex suprà

*Ad quartũ.* dictis. ¶ Ad quartum respondetur, quòd ratio naturalis, quæ ostendit; Deum esse primam veritatem, etiã ostendit, quòd ad assentiendum his, quæ supernaturaliter reuelantur, necessaria est maior certitudo, quam ea quæ possent haberi per naturam, & per alia visibilia. Nam fides supernaturalis, requirit actum supernaturalem sibi proportionatum; & consequenter, in actu sibi proportionato, requirit formalem rationem assentiendi, nempe diuinam reuelationẽ; quia Deus dixit; quia Deus reuelauit; quæ ratio non attingitur ab ipsa natura. Quocircà, sicut ratio naturalis ostendit, Deum esse omnipotentem, non tamen in particulari ostendit, Deum posse incarnari, aut esse in sacramento, sicut modò est Christus: quia hæc pertinent ad ordinem supernaturalem: sic etiam, quamuis ratio naturalis dictet, Deũ esse primam veritatẽ; cæterum quòd nunc credatur ipsi Deo reuelanti, & quòd ipse reuelauerit; non attingit ratio humana, ex natura sua, propter improportionem talis obiecti. *Ad. 1. cõfir.* ¶ Ad primam confirmationem respõdetur ex dictis, quòd licèt ex testimonijs visibilibus, ostendantur articuli fidei euidenter credibiles; non tamẽ hoc sufficit, vt de facto, secluso dono Dei, credatur illis fide supernaturali, quoniam circa credibilitatem cõuincitur intellectus; at verò circa actum credendi; non necessitatur, cùm homo semper credat liberè, præsuppositа pia affectione ex parte voluntatis, & ex reuelatione supernaturali credat, quia Deus dixit præterquam, quòd credibilitas, etiam est ex ipso habitu fidei, vt aliàs dicemus in materia de fide. *Ad. 2. cõfir.* ¶ Ad secundam confirmationem respondetur negando, quòd vltima resolutio fidei, fiat in fidem humanam. Primò namque, fides nostra resoluitur in propositionem Ecclesiæ, non tanquam in rationem formalem credendi, sed tanquam in conditionem necessariam & adhuc hæc resolutio, in propositionem Ecclesiæ; & in ipsam, secundũ quòd credimus per fidẽ ipsã Ecclesiam gubernari ab Spiritu sancto, & esse infallibilem regulam, in proponendis rebus fidei. Atque ita, totum fundamentum fidei, est supernaturale. De qua re latius diximus suprà art. 1. &. 2. & latius dicemus. 2. 2. q. 1. art. 1. Vbi ostendemus, resolutionem fidei, vltimatè fieri in diuinam reuelationem. *Ad quintũ.* ¶ Ad quintum patet solutio ex conclusionibus, quas in discursu quæstionis proposuimus. Sed aduerte, quòd infidelis, non verè credit nec sperat, & consequenter neque implet præcepta supernaturalia, quo ad substãtiam. Quia non satis est credere fide humana, sed credere fide diuina, ex diuina reuelatione, & infallibili fide, vt impleatur præceptum fidei. Et pari ratione, infidelis seu hæreticus, non verè sperat, neque implet præceptum spei, sed solùm habet inanem fiduciã; quia nõ innititur misericordiæ Dei, sed magis suæ præsumptioni. Et cùm hoc verum sit; nihilominus, quia in præcepto sperandi includitur negatiuum præceptum non desperandi, hoc negatiuum præceptũ, quod est inclusum in virtute spei, non transgredietur, sed implet, quia non desperat. Hoc loco, se offerebat altera quæstio; Vtrùm homo sine gratia possit vitare peccata contra præcepta supernaturalia? Sed de hac quæstione, agemus infra articulo. 8.

Rursus, circà ea omnia, quæ in discursu huius tertiæ controuersiæ diximus, se offerebat maxima difficultas, Vnde sumatur ratio formalis supernaturalitatis in omnibus actibus, & præceptis, quæ diximus esse supernaturalia? Sed hoc aptiùs explicabitur infe-



riùs, cùm inquiramus radicem & rationem, vndè gratia habeat, quòd sit supernaturalis; cùm ipsa sit radix omnium actuum supernaturalium. Et quamuis hac ratione, eius tractatio necessariò præmittenda videretur in initio disputationis de gratia; tamẽ vt seruemus ordinem S. Tho. infrà. q. 110. &. 112. disputabimus de re hac difficili, cum Theologis huius ætatis.

## ARTICVLVS V.

*Vtrùm homo possit mereri vitam æternam, sine gratia?*

¶ Conclusio S. Thom. est negatiua, & de fide.

### Discursus articuli

DE materia huius art. disputatur à Theologis, in materia de merito, & S. Thom. infrà. q. 114. art. 2. eandem difficultatem sub eisdem verbis, inquirit. Et Caie. hic, ait, quòd quæcùmq; dicẽda sunt in hoc art. reseruat in. q. 114. art. 1. de merito, & art. 2. de necessitate gratiæ respectu meriti, ad vitam æternam. Et in summa. ratio D. Tho. & discursus eius hic est: Actus perducentes in finem, debent esse illi proportionati & commensurati: sed impossibile est, hominẽ sine virtute supernaturali, producere actus proportionatos, & commensuratos beatitudini supernaturali: ergo, &c. Minor probatur: Quoniam nulla virtus producit actum excedentem se: ergo vires naturales non possunt producere actum supernaturalem: ergo neq; proportionatum fini supernaturali: ergo homo proprijs viribus, nequit mereri vitam æternam. Vndè, vox Pauli Rom. 6. vox est fidei & veritatis, cũ ait: Gratia Dei, vita æterna. Igitur de materia huius articuli, pariter nos agemus infrà. q. 114.

*Rom. 6.*

## ARTICVLVS VI.

*Vtrùm homo possit se ipsum ad gratiam præparare, per se ipsum, absq; exteriori auxilio gratiæ?*

PRima conclusio. Ad recipiendum gratiam habitualem, non requiritur aliud donum habituale gratiæ: aliàs esset in infinitum abitio. ¶ Secunda cõclusio. Homo, non potest se præparare ad gratiam habitualem, sine auxilio gratuito Dei mouentis interiùs. ¶ Tertia conclusio. Proloquium illud vulgare. Facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam; non est intelligendum de homine faciente quod in se est, ex viribus naturæ præcisè, sed ex motione supernaturali Dei.

### Discursus articuli

SAnctissimus Præceptor, hic supponit, quòd ad operandum meritoriè, vel adfruendum Deo, homo indiget habituali dono gratiæ, & hoc supponit, ex præcedente articulo. Quo suppositо, subiungit duo. Primum est, quòd indiget homo ad recipiendam gratiam, speciali auxilio Dei mouentis animã, vel inspirantis bonum propositum. Et hoc probat. Quoniam cùm ordo finium, sit secundùm ordinẽ agentium, primum agens, quod est Deus, debet in se ordinare omnia, tanquam in finem vltimum, vt de facto ordinat omnia naturalia in se, vt in finem naturæ. Et cùm idem sit finis supernaturalis vltimus omnium hominum, sequitur quòd omnis ordinatio ad talem finẽ, debet esse ex motione supernaturali ipsius Dei. Secundò subiungit ex suppositis, tanquam quid consequens, quòd homo non potest se ipsum disponere, ex proprijs, ad gratiam, quæ est forma supernaturalis: Nam disponere se ad gratiam, est conuerti in Deum autorem supernaturalẽ; sed hæc conuersio non potest esse absque supernaturali motione Dei, vt statim diximus, igitur homo ex suis præcisè, non potest se præparare ad gratiã. Dein de aduerte, quòd ad iustificationem hominis, triplex ordò operum solet concurrere, ex parte Dei, nempe vocatio Dei, inspiratio subita, pulsatio ad cor; & his præuenitur homo, De quibus etiam verificari potest illud Pauli. Rom. 9. Non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis. Et hæ dispositiones, antecedunt gratiam, & tempore & natura. Secundus ordo, est eorum operum, quæ cùm sint à Deo supernaturaliter mouente; tamen fiunt cum libero consensu liberi arbitrij. Nam licèt simul tẽpore sit motio efficax supernaturalis Dei ad talia opera, cum operatione libera ipsius arbitrij; nihilominus priùs natura est supernaturalis motio, quam cõcursus noster liber. Quia ad talem cõsensum, mouetur homo supernaturaliter & liberè; & suauiter. Hinc est, quòd huiusmodi opera nos vigilanter petimus à Deo, propter necessariam Dei motionem, quę debet antecedere priùs natura, & vicissim Deus postulat à nobis concursum, & consensum nostrum per liberum arbitrium; quoniam hic necessarius est ad tales operationes. Et ob id dicit Deus; Conuerti mini ad me, & ego conuertar ad vos. Et rursus è cõuerso: Conuerte nos Domine, & conuertemur. Vndè Ioan. 6. legimus; Nemo potest venire ad me, nisi *Rom.* *Ioan. 6.*
Pater meus traxerit eum. Et Cant. 1. Trahe me post te. Cùm tamen Matth. 11. dixerit Christus: Venite ad me omnes, qui laboratis. Et alibi: Si quis vult venire post me, abneget se metipsum. Cùm igitur Deus, in Scriptura à nobis postulat huiusmodi opera, primùm ostenditur misericordia eius, ex qua præstò est, nobis auxiliari, suumque auxilium præbere ad ea opera. Secundò admonemur libertatis nostræ. Nam liberè operamur ist hæc opera. Quando verò nos hæc opera postulamus à Deo, profitemur necessarium esse supernaturale Dei auxilium, ad illa præstanda, vt optimè explicuit Cõc. Trid. sessio. 6. cap. 5. De qua re, legendus est Aug. epist. 47. ad Valentinum, circà illa verba Prouerb. 4. Dirige semitam pedibus tuis. Et hinc est illud elogiũ Augusti. Da quod iubes, & iube quod vis. Qua etiam ratione Paul. ad Ephes. 2. ait, Nos creatos esse in operibus bonis; non quidem, quasi nihil agamus dum operamur, vt pessimè philosophabatur Lutherus: sed sicut in creatione, primum omnium fuit libera Dei voluntas, nulla præcedente dispositione ex parte creaturę; sic etiã in operibus disponentibus ad gratiam, primum omniũ, est libera & liberalis motio supernaturalis, & auxilium Dei mouens hominem, non necessariò necessitate constringente, sed liberè; ita vt etiã possit resistere motioni Spũs sancti: iuxta illud Acto. 7.

*Conc. Trid. Augustin. Prouer. 4. Ephes. 2.*

*Actorum. 7*

vos

Vos semper restitistis Spiritui sancto. Nam (vt ait Cõcilium) potest dissentire, si velit homo: Nam non se habet velut inanime quoddã, merè passiuè se agẽs, aut nihil omnino agens. Tertius ordo operum, est earum rerum, quas Deus operatur in nobis iam dispositis ex supernaturali gratia, & auxilio, per opera supernaturalis ordinis. De quibus in progressu huius materiæ, fusè agendum est.

## DISPVTATIO. VNICA.

### *Vtrùm proprijs viribus, possit quis se disponere ad gratiam?*

DIsputatio hæc, insignis est; in qua non solum aduersarium habemus; Pelagium; verum etiam plures ex Scholasticis Theologis, & quod peius est, nouitios alios Theologos; qui publicè aliquid sinistrè, & minùs bene quam debuerant, dixerunt. Et sanè, difficultas hæc de præparatione ad gratiam, duplicem sensum habet: Primus est: Vtrùm detur ex parte hominis dispositio aliqua, ex viribus naturæ, ad quam necessariò, & infallibiliter, ex vi illius sequatur gratia? Qui sensus intentus est à Pelagio præcipuè: & asserit, affirmatiuam partem veram esse. Secundus sensus est: Vtrùm detur aliqua dispositio naturalis, ad quam infallibiliter sequatur gratia, non quidem ex vi illius dispositionis, sed ex liberalitate, & misericordia Dei, aut ex lege vniuersali & infallibili? In quo sensu cõtrouertitur etiam apud Catholicos Theologos. Potest etiam addi tertius sensus videlicet: Vtrùm homo possit per naturam suam mereri primam gratiam de congruo, vel de condigno? Et hunc sensum non intendimus modo disputare: quia de hac difficultate, agendum est inferiùs & potissimè in quæst. 114. de merito. Suppono tamẽ, quod gratia prima iustificans datur sine meritis, & quòd nulla opera nostra naturalia, possunt esse meritoria primæ gratiæ, nec de condigno, nec de congruo? Quoniam vbique Scriptura clamat, nos iustificari à Deo gratis, & non ex operibus: Quoniam si esset ex operibus, non esset gratia. Vndè Paul. dicit. Iustificati gratis, per gratiam ipsius. Et iterùm: Ei qui nõ operatur, merces non imputatur secundum debitũ; sed secundum gratiam. Quam veritatem definiunt apertè Concilia, Mileuit. Arausi. & Triden. De primo igitur sensu, & secundo, potissimè hoc loco agendum est. Nam de necessitate & qualitate dispositionis ad gratiam, Vtrùm illa teneat se ex parte intellectus & voluntatis, Et de alijs concernentibus, disputaturi sumus. q. 112. Nunc verò inquirimus; Vtrũ vt homo se disponat propriè ad gratiam, requiratur auxilium supernaturale, vel sufficiant propriæ vires naturæ? De qua re, error Pelagianorum fuit, hominem viribus naturæ, ita se posse disponere ad gratiam, vt per modum naturalis sequelæ, vel meriti rigorosi, statim gratia necessario sequatur. Sic refert D. Aug. lib. de grat. Christi cap. 3. 22. 23. & 4. cõtra duas epistol. Pelagianor. cap. 3. De qua re videndus est Pater Vega, de iustificatione. q. 6. Aliqui autem Catholici, aliter sentiunt, nempe hominem viribus naturæ, se posse disponere ad gratiam, non ita, vt ex debito sequatur gratia, ad talem dispositionẽ; sed infallibiliter ex pacto, vel liberalitate Dei. Ita sensit Durã. q. 6. Prolog. & d. 41. q. 2. & 2. d. 28. q. 5. Quibus locis tenet, posse hominem per opera moraliter bona, ex proprijs viribus, se disponere ad gratiam: imo verò impugnat rationem D. Thom. Nam ex proprijs viribus, homo disponit materiam, ad receptionem animæ rationalis; & tamen solus Deus creat animam & non homo: ergo à simili, licèt solus Deus causet gratiam, & infundat illam, poterit homo se disponere ad illam. Idem sensit Scotus cum Durando in .4. d. 14. q. 2. art. 2. Nam ait, quòd homo per facultatem naturæ, sic potest detestari peccatum, vt ea detestatio sit dispositio ad deletionem peccati mortalis: & in. 2. d. 28. q. 2. dixit, quod potest homo ex naturalibus diligere Deum super omnia, & quòd istè amor naturalis, est optima dispositio ad gratiam; ita vt quando diligit Deum super omnia, Deus offerat illi gratiam, quam si acceptat, iustificatur; sin minùs, peccat mortaliter. Caiet. opuscu. de contritio. q. 2. concedit, posse nos habere contritionem, proprijs viribus acquisitam, quæ sit non dispositio secundum se, sed vt Deus per suam gratiam, illam acceptat, & ea vtitur tanquam dispositione ad gratiam; atque adeò, non videtur requirere auxilium supernaturale Dei mouentis, sed extrinsecè ordinantis, & acceptantis, vt operatio illa naturalis, sit dispositio ad gratiam. Eadem sententia videtur fuisse D. Ambros. & D. Chrysost. & Orig. super illud. 1. Timo. 2. Deus vult homines saluos fieri. Quorum verba recitat Driedo. de captiuita. & redemptio. generis humani tract. 4. cap. 2. p. 3. &. 8. & Decanus Ruard. Taper art. 7. In eadem sententia, videtur fuisse Casian. collatio. 18. cap. 9. Contra quem scripsit D. Prosper lib. de gratia Dei contra Collatorem. Et quod magis me in admirationem rapit, est S. Thom. qui in. 2. d. 28. q. 1. artic. 4. in corpore dixit, quòd non oportet vt actus, quibus homo se ad gratiam habendam præparat, sint naturam humanam excedentes. Quia, sicut natura humana se habet in potentia materiali ad gratiam, ita actus virtutum naturalium, se habent vt dispositiones materiales, ad ipsam: Et ob id, non exigitur ad hoc, vt homo ad gratiam se præparet, aliquod aliud lumen gratiæ præcedens. Et subiungit in fine corporis articuli sic: Alijs consentiendo dicimus, quòd ad gratiam gratum facientem habendam, ex solo libero arbitrio, se homo potest præparare; faciendo enim quod in se est, gratiam à Deo consequitur; hoc autem solum in nobis est, q̃ in potestate liberi arbitrij. cõstitutum est. Rursus, idem Sãctissimus Doctor, in. 2. d. 27. q. 1. art. 4. respondẽs huic argumẽto: Si Deus dat alicui gratiam aut dat digno? aut indigno. si indigno, insipiens & iniustus est, quod est impossibile: ergo dat digno: sed nullus est dignus habere aliquid, nisi qui hoc meruit: ergo quicumque accipit gratiam, priùs meruit eam. Huic argumento respondet D. Tho. in corpore dicens, quòd licèt habituale donum gratiæ nõ possit cadere submerito eius qui est in peccato, aut in puris naturalibus; nihilominus opera bona, antè donum gratiæ facta, præmio suo sibi proportionato, non carent: causant enim quandam habilitatem ad gratiam. Et ad. 4. ait, quòd indignum sumi potest dupliciter, vel negatiuè tantũ; & sic Deus dat gratiam indignis: Quoniam his qui non sunt sufficienter ad hoc digni: sed tamẽ habent aliquã dispositionem ad recipiendum, ex quo dicuntur quodãmodo ex congruo gratiam mereri. Neque ex hoc sequitur quòd sit iniustus Deus, sed liberalis. Vel sumitur contrariè, vt dicantur indigni qui habent voluntatem resistentem gratiæ; & talibus, gratiam non infundit; quia ad virtutem non cogit, vt Damas. dicit.

*Durandus.* *Scotus.* *Caiet.* *D. Ambros.* *D. Chrysost.* *Origenes.* *Driedo.* *Decanus.* *Castanus.* *D. Prosper.* *D. Thomas.*

*Rom. 3. & 4.* *August.* *Vega.*



*Argum. 1.* Pro citatis sententijs, sunt argumenta. ¶ Primum argumentum sit. Causa totalis, cur aliquis non se disponat ad gratiam, est liberum arbitrium, nam to talis causa, cur non conuertatur, est liberum arbitrium: igitur ipsum etiam est totalis causa dispositionis ad gratiam. Patet consequentia: Quoniam si affirmatio est causa affirmationis, negatio est causa negationis, & è contra: sed tota causa, quòd iste nõ conuertatur & iustificetur, est quia non vult: ergo totalis causa quòd conuertatur, est quia vult: ergo ipsum liberum arbitrium volens se disponere, est totalis causa. *Confir.* ¶ Confirmatur: Nam facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam: sed homo viribus naturæ, potest facere quod in se est: ergo Deus huic ita operanti, semper gratiã confert. Nam rogo, Cur homo non consequitur gratiam? Dices, Quia non vult illã acceptare: ergo in non repugnantia positum est quòd habeat gratiam: sed hoc quod est non repugnare, habet ex proprijs viribus: ergo ex proprijs potest habere gratiã: igitur si repugnantia, & negatio voluntatis, ex proprijs viribus, est causa negationis gratiæ, sequitur quòd affirmatio voluntatis, ex proprijs viribus, sit causa gratiæ. Dices ad hoc cum Catholicis Theologis, quòd Proloquium illud, Facienti quod in se est, Deus non denegat gratiã, intelligitur de faciente quod in se est ex auxilio supernaturali gratiæ. Sed contra: Nã primò, est probabilis sententia, quod facienti quod in se est ex facultate naturæ, Deus ex sua misericordia nunquam denegat gratiam; quod, inter alios, docet esse probabile Pater Medina, 1. 2. q. 109. art. 6. propè finem ad. 3. Imo verò, alij noui Theologi addiderunt, quòd fortasis est lex infallibilis, & vniuersalis Dei, quòd exercenti se in operibus misericordiæ, dabit Deus misericorditer peccatori, auxilia, quibus de facto cõuertatur infallibiliter omnino, vel saltem quadã infallibilitate morali: ergo saltem facienti quod in se est, ex viribus naturæ, Deus non denegat auxiliũ supernaturale, quo se disponat ad gratiam: ergo licèt dispositio ad gratiam, non sit ex viribus naturæ; tamen dispositio ad auxilium supernaturale, erit ex viribus naturæ. Et confirmatur iterùm: Nam homo ex viribus naturæ, potest habere attritionem, & hęc est vltima dispositio ad gratiam cum sacramẽto; vt olim dixerunt Pater Cano. Victoria, & Soto. Nam sacramenta conferunt gratiam non ponenti obicem: sed qui habet attritionẽ de peccatis, non ponit obicem, imò remouet animum à peccato: ergo recipit gratiam. Et confirmatur tertiò. Nam homo absq; omni auxilio supernaturali, vel potest aliquid facere, vel non; si nihil potest: ergo non est culpandus, quòd non se præpararet ad gratiam. Si potest aliquid, fingamus quòd faciat illud; tũc ille est immediatè dispositus ad gratiam: ergo ¶ Secũdò arguitur. Homo, viribus naturæ potest cognoscere, peccatũ esse offensam Dei: ergo potest odio habere ipsum, in quãtùm est Dei offensa: sed tale odium, seu detestatio peccati, est sufficiẽs & vltima dispositio ad gratiã. Nam est dolor de peccatis, propter Deum, qui est dispositio & præparatio ad habẽdam gratiam. Quòd verò hanc dispositionẽ, ex naturalibus possit habere homo, patet: Nam potest homo dolere de offensa amici, propter amicum, & dolere de peccatis, propter pœnas inferni, ex viribus naturæ: & Idolatra potest dolere de peccato, propter Idolũ, suis viribus: Cur ergo non propter Deum, quem homo Christianus cognoscit esse sibi beneficentissimum, misericordem, & diuitem in omnibus, qui inuocant illũ? Imo verò, intellectus naturaliter cognoscit; & iudicat, dolendũ esse de offensa contra Deum commissa: ergo hæc vna sola causa sufficiens est vt homo detestetur peccatum, ex eisdem viribus; & hoc sufficit vt se disponat ad gratiam. Nam rogo, potest nè homo, sibi complacere, quòd Deum offenderit, quia reputat illum sibi inimicum? Quoniã si potest sibi complacere in hoc, quòd Deum offendit: igitur è cõuerso poterit dolere, quòd Deũ offenderit. *Confir.* *Tertium.* ¶ Tertiò arguitur contra rationem S. Tho. Nam licèt introductio formæ, pertineat ad agens principale & primariũ, tamen dispositio pertinet ad agens secundariũ; & infimũ: igitur ex hoc quòd forma gratiæ, per quam homo vnitur Deo, producatur ab ipso Deo, vt à primò mouente; non licet inferre, quòd dispositio & præparatio ad talem formam, non possit esse ab alio, quã à Deo. Cõfirmatur à simili: Quia anima rationalis, à solo Deo producitur, & tamẽ vltima dispositio ad eius introductionem, producitur à causa secunda. *Confir.* *Quartum.* ¶ Quartò arguitur. Homo potest facere, ex suis naturalibus, bonum opus morale: ergo potest se disponere ad gratiam. Patet consequentia: Quoniam bona opera moralia, habent immediatũ ordinem ad gratiam: Nam inter opus supernaturale gratiæ, & opus bonũ moraliter, non datur medium. *Quintum.* ¶ Quintò arguitur. Quando homo primũ peruenit ad vsum rationis, cognoscens vnũ esse Deũ, cui seruiendũ est; si deliberet secum fugiendum esse malum, & sequendũ bonum, ille iustificabitur; & tamẽ hæc dispositio, naturalis est: ergo. Maior est D. Tho. 1. 2. q. 89. art. 6. & patet: Quia si Deus nõ donaret gratiam illi, pro illo instãti, sed magis differret, tunc tẽpore illo intermedio, poterit esse peccatũ veniale cum solo originali. Minor autem probatur: Quia ille puer per naturam potest velle sequi bonũ, & fugere malum, postquàm hoc cognoscit lumine naturali. *Sextum.* ¶ Sextò arguitur. Si non solùm gratia, sed etiam auxilia & dispositiones ad gratiam, sunt à Deo, & non à nobis aliquando; sequitur frustrà esse prædicationes, & exhortationes, quibus fideles excitantur, vt se disponant: & frustra essent clamores prædicatorum, quibus persuadent peccatores, ad detestandum peccatum: Quia frustrà exhortatur peccator, ad id quod non habet vires. *Septimum.* ¶ Septimò arguitur ex Sacra Scriptura, in qua dicitur passim, hominẽ se disponere ad gratiã, quasi hoc à se habeat, vt Proue. 16. Hominis est præparare animã. Et infrà, Cor hominis disponit viã suam. Et Zacha. 1. Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos, dicit Dominus. Quod sæpius repetitur apud Isai. cap. 21. 31. 45. & Ierem. 3. Thre. 3. Ezech. 18. 20. 33. Oseæ. 14. Ioel. 2. & 1. Paralip. cap. 28.

*Secundum.*

*Proverb. 16. Zach. 1. Isai. 21. 31. 45. Ierem. 3. Thren. 3. Ezech. 18. 20. & 33. Oseæ. Ioel. 2. 1. Paralip. 28*

cap. 28. Si quæsieris eũ, inuenies; si autẽ dereliqueris eũ, reijciet te in æternum. Matth. 7. Petite & accipietis. Eccle. 2. Quis inuocauit & despexit illũ. Rom. 10. Quicũq; inuocauerit nomẽ Domini, saluus erit. Lucæ. 11. Pater vester cœlestis, dabit spiritũ bonũ petẽtibus se. Ex quibus testimonijs, & similibus, sic colligo argumẽtũ; Deus exigitâ peccatoribus, vt cõuertãtur ad Deũ, vt orẽt, vt ipsum quærãt, vt resipiscãt; promittit autẽ, q̃ hęc faciẽtibus, remittit peccata, & cõfert gratiã: ergo in potestate hominũ est, se præparare sufficiẽter ad illã. Patet cõsequentia: Quia aliàs fruſtrà à nobis id exigeret Deus. Imò inhis locis, videtur De⁹ prędexigere, vt homo faciat secũdũ naturã quod potest, vt si sæpius se cõuertat ad Deũ per naturã, Deus ipse se cõuertat ad illũ, per gratiã. Nã homo, potest virib⁹ naturę facere illa, quæ exigit Deus, nempe cognoscere & detestari peccatum, & petere veniã; imo verò, quod difficilius est, homo virib⁹ naturæ potest diligere Deũ super omnia, & detestari peccatũ, vt est offensa illius. ¶ Et cõfirmatur: Nam Deus, nõ est acceptor personarũ, vt patet Actor. 10. ergo ei qui fecit totũ quod est in se secũdũ naturã, statim tribuit gratiã. Aliàs, si duobus in tali dispositione æqualiter existentibus, vni cõferret gratiã, & nõ alteri; plane esset acceptor pſonarũ, quã notã volẽs De⁹ à se repellere. Ezech. 18. ait. Nũquid via mea, non est æqua? Cũ enim auerterit se iustus à iustitia sua, morietur, & cũ auerterit se impius ab iniquitate sua, quã operatus est, & fecerit iudiciũ sui iustũ, ipse animã suã viuificabit: Quo loco Deus ostẽdit, q̃ quantũ est ex parte sua, æqualiter se habet, respectu omniũ, & quod tota inæqualitas, prouenit ex diuersis dispositionibus liberi arbitrii; iuxta illud Rom. 10. Nõ est distinctio Iudæi & Greci; nã idẽ Dominus omniũ, diues in omnibus, qui inuocãt illũ. Omnis enim qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit. ¶ Postremò arguitur. Nã ita cernimus in moralibus, quòd in amicitia humana, qui offendit, ponit dispositionẽ ad recõciliationẽ; offensus autẽ superinducit formã recõciliationis & amicitiæ: ergo pari ratione se habet peccator, in ordine ad Dei amicitiã & gratiã; Aliàs, sicut Deus est tota & particularis causa formæ, ita & dispositionis; & cõsequẽter, sicut homo nõ cõcurrit effectiuè ad gratiã, ita; neq; ad dispositionẽ, quod est falsum. Imo verò, vt diximus, anima rationalis producitur à solo Deo; vltima autẽ dispositio, producitur ab homine: ergo licet gratia producatur à Deo, tamen dispositio ad illam, potest produci ab homine: ergo ex suis viribus, potest homo se ad gratiam præparare.

Vt quæstionẽ hãc, alioqui difficilem, aperiamus, Suppono, q̃ gratia iustificationis, est donũ supernaturale, nec personæ, nec naturæ, nec viribus, aut operibus nostris debitũ; & ob id, ratio naturalis, nihil de hoc demõstrare potest. Vndè, Sãcti patres impugnãtes Pelagiũ, nõ humanis rationibus, sed Scripturis pugnabãt, in quibus habetur illud; Quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Et illud; Nõ vos me elegistis, sed ego elegi vos. Et illud, Sine me nihil potestis facere. Quo suppoſito, aduertendũ est, quòd dispositio ad gratiã, duplex est, nẽpe proxima, & remota. Rursùs, dispositio ad gratiã, quę verè est dispositio, adhuc est duplex: Vna est dispositio perfecta & immediata & vltima prorsùs, ad quã sequitur gratia; seu qua posita, de lege Deus infallibiliter, & certò iustificat hominem. Et de hac dispositione loquitur Propheta Ezech. 18. dicens, In qua cumq; horã ingemuerit peccator, ampliùs non recordabor, &c. Quæ autem sit ista dispositio, postea erit disputandum, in materia de iustificatione. Altera est dispositio, hanc vltimam & perfectam antecedens; quę licèt sit ex auxilio Dei speciali, appellatur tamẽ imperfecta, relata ad primam: Quia ad hanc non infallibiliter aut ex lege sequitur gratia. Hæc est, quando Deus mouet peccatorẽ, metu gehẽnæ, vt doleat de peccatis, & quando inspiratur & commouetur per desideria iustificationis. Ex quo infero, quòd illa tertia dispositio; quam alij recensent, quæ ex viribus naturæ præcisè est, non est verè, neque propriè dispositio ad iustificationẽ, & secundum proprietatem vocabuli, vix debet appellari dispositio ad gratiam & iustificationem; ac subinde; opera ex viribus naturæ præcisè orta, quæ fiunt ab homine in mortali, vt sunt eleemosyna, & alia opera moraliter bona, non est cur dicantur dispositiones iustificationis, imo verò neq; sunt dicendæ remotæ dispositiones, semper enim ego intelligo nomine dispositionis, aliquid positiuũ eiusdẽ ordinis cũ forma. ¶ Aduerte secundò, quòd dispositio immediata, & proxima ad gratiam, dupliciter potest intelligi, esse proxima & immediata. Primò, taliter vt ex ipsa consequatur gratia; per modum naturalis sequelæ, seu per modũ debiti rigorosi. Et sic intellexisse videntur Pelagiani, aientes quòd posumus viribus naturæ, habere vltimam dispositionem ad gratiam, nempe, & per modum debiti rigorosi, & per modum naturalis sequelæ. Ita exponit eorum sententiã D. August. lib. 4. contra duas epistol. Pelagianor. cap. 6. &. fusiùs lib. de gratia Christi cap. 3. 22. 23. & aliàs sæpe: vt refert Pater Vega, opusc. de iustificat. q. 6. Vbi refert ex Beda in sua historia Ecclesiastica, quosdam suscitasse hunc errorem in Anglia & Scotia. Secundò potest intelligi hæc dispositio proxima & vltima, taliter vt ea posita, infallibiliter & necessariò sequatur gratia, non per modum naturalis sequelæ aut debiti, sed ex sola liberalitate Dei, qui statuit elargiri gratiam misericorditer, & gratuitò his qui fecerint quod in se est, viribus suæ naturæ. Et in hoc sensuplerique catholici id videntur tenuisse, quòd posit homo viribus naturæ habere vltimam dispositionẽ ad gratiam. Et in hac sententia, videtur fuisse Durã. Scot. Gabr. & alij suprà citati; imo verò D. Thom. iuuenis. Et hac ætate, audio iuuenes introducere rem hanc detestabilem, quòd fortasis est lex infallibilis & vniuersalis Dei, quòd exercenti se, viribus naturæ, in operibus moraliter bonis, misericordiæ potisimè; Deus condonabit homini peccatori, ex misericordia, auxilia, quibus de facto conuertatur, infallibiliter omnino, vel saltem quadam infallibilitate morali. Nam si non est lex de iustificatione & gratia, vt non est, pro bonis operibus, ex viribus naturæ præcisè factis; sequitur quod neque pro auxilijs supernaturalibus, vt infallibiliter omnino sequantur, cum conuersione ad gtatiam. Et si hoc est cathòlicum, & semper fuit in Ecclesia; Quo pacto impunè licebit dicere, Forsasse est lex infallibilis & vniuersalis Dei, quòd exercenti se in operibus moralibus, ex viribus naturæ præcisè, condonabuntur auxilia



auxilia supernaturalia, quibus de facto conuertatur infallibiliter omnino peccator? Aut quomodo forte est opinio, id quod est contra fidem, & non satis tutum in ea? Aut quomodo est mutua consequutio infallibilis virium naturalium præcisè, ad auxilia & opera supernaturalia, è quibus infallibiliter omnino sequitur conuersio peccatoris?

### *Prima Conclusio.*

Concl. 1. His ita prælibatis, sit prima cõclusio. Homo per naturã, nõ potest disponi sufficiẽter, aut perfectè ad gratiã, sed ad eã dispositionẽ habendã, requiritur auxiliũ Dei supernaturale. Hęc conclusio ponitur in cõmuni, nõ solũ vt vera, & tanquã sentẽtia D. Tho. sed tanquã cõclusio, quæ ex Sacris literis colligitur; & dicere oppositũ, nõ solũ est falsum & periculosum, sed erroneũ. Et inferiùs interpretaturi sumus veritatẽ huius assertionis, per subsequẽtes alias cõclusiones. Interim tamẽ probatur primò: Quoniã nihil aliud est disponi & præparari ad gratiã, quam auerti à peccato, & conuerti in Deũ efficaciter: sed hæc cõuersio peccatoris ad Deũ, est opus Dei, ex auxilio eius speciali, gratuitò cõuertẽtis hominem ad se: ergo præparatio ad gratiã, á solo Deo fit, ex auxilio speciali ipsius. Maior patet, exẽplo hominis habẽtis vultũ auersum à Sole, qui per hoc dicitur præparari ad lumẽ Solis, quia cõuertitur ad Solẽ: cũ igitur peccator habeat vultũ à Deo auersum, præparari ad gratiã, est auertere vultũ à creatura, & à bono cõmutabili, & cõuertere illũ ad Deũ. Minor autẽ probatur ex Scriptura: Nã Propheta in Psalmis, sæpè dicit, Deus virtutũ cõuerte nos; Ostende faciẽ tuã, & salui erimus. Threno. 5. Cõuerte nos Dñe ad te, & cõuertemur. Iere. 31. Castigasti me Dñe, & eruditus sũ, quasi iuuẽculus indomitus, cõuerte me & conuertar; quia tu Dñs Deus meus. Postquã enim Dñe conuertisti me, egi pœnitẽtiã. Voluit dicere Propheta; Priusquã homo timoribus gehẽnę, & doloribus imperfectis corripiatur, & castigetur à Deo, ante hæc omnia habet se, tanquã iuuenculus indomitus; idcirco, conuerte eũ Dñe. Vbi, & cõuersionem, & totum quod ad iustificationem conducit, Propheta tribuit Deo. Quòd si quis dicat, etiã esse nõnullas testimonia in Scriptura, quæ tribuũt nobis hanc operationẽ & cõuersionẽ, vt Zach. 1. Cõuertimini ad me, & ego cõuertar ad vos. Et Ioel. 1. Cõuertimini ad me in toto corde vestro; Vnde videtur, q̃ aliquando posimus nos cõuertere ad Deũ. His tamẽ locis respõdet Sanctissimus Præceptor hic, quòd in his actibus in quibus præcipit Deus, vt cõuertamur ad ipsum solũ docemur, q̃ libere possumus in ipsum cõuerti, & nõ in uiti, & q̃ cõuersio nostra, libera & volũtaria est. Ex hoc tamẽ nõ repellitur auxiliũ gratuitũ Dei: Quia licet libere cõuertamur; sed tamẽ cõuerti nõ possum⁹, nisi Deus nos ad se cõuertat. Quæ respõsio, expresse cõtinetur in Conc. Trid. sess. 6. c. 5. vbi exordiũ iustificationis, à præueniẽte gratia sumẽdũ esse, dicit, & q̃ cũ dicitur, Cõuertimini ad me, libertatis nostræ admonemur. Et cũ respõdemus: Cõuerte nos Dñe ad te, & cõuertemur, Dei nos gratia præueniri, confitemur. Secũdò probatur cõclusio & est confirmatio prioris argumẽti. Dispositio & præparatio ad iustificationẽ, dicitur in sacris literis tractio. Quoniã fit instar motus corporalis. Vndè, Ioan. 6. dixit Christus; Nemo potest venire adme, nisi Pater meus traxerit eũ. Vbi apertè loquitur de auxilio speciali supernaturali: Quia si loquitur solũ de generali, nullã energiã haberet verbũ illũ, Traxerit: ergo per illud videtur Christus, velle insinuare aliquid particulare, & speciale, circa iustificationẽ, & cõuersionẽ ad ipsum: sed nõ est aliquid speciale, aut particulare, quod in iustificatione Deus moueat hominẽ auxilio generali; Nam neq; folia arboris mouẽtur sine Dei generali auxilio: ergo loquitur de auxilio speciali supernaturali; ac subinde, nisi homo adiuuetur tali auxilio, nõ potest disponi ad gratiã. Dices, q̃ hoc testimoniũ & similia, debẽt intelligi de ipsa infusione gratiæ; nõ tamẽ de præparatione, itavt ob id Deus dicatur nos trahere, quia nobis infundit gratiã. Sed hæc solutio nõ satisfacit: Quoniã infusio gratiæ, nõ est tractio, sed terminus tractionis, & terminus cõuersionis; Nã est terminus motus iustificationis. Quocirca, si tãtũ tribueremus Deo infusionẽ gratiæ, & nõ præparationẽ, nõ diceretur ꝑpriè Deus, nos ad se trahere & cõuertere; sed potiùs nos traheremus & cõuerteremus nos ipsos, ad Deũ, & ille terminaret nos, & exornaret per gratiã. Cernimus autẽ, q̃ vtrũq; in Scriptura tribuitur Deo, nẽpe, & tractio, & illuminatio, & gratia, quę terminus tractionis est, vt dicit Aug. lib. de gratia & libero arb. c. 1. vbi legimus, Nisi donũ Dei esset, etiã ipsa ad Deũ nostra cõuersio; nõ ei diceret; Dñe De⁹ virtutũ, cõuerte nos: ergo nõ solũ infusio gratię, sed etiã motus, quo trahimur & cõuertimur, est specialiter à Deo. Et ad hoc aperiẽdũ, cõueniẽtissimũ exẽplũ est, qđ adducitur à D. Tho. de Sole. Nã certũ est, q̃ homo habẽs faciẽ à Sole auersã, si postea cõuertatur in Solẽ, tũc cũ cõuertitur, ipse est qui se cõuertit ad Solẽ, Sol autẽ est qui solũ illũ illuminat, & quasi infũdit suã lucẽ. Nõ sic autẽ est de nobis & Deo, quasi nos simus, qui ex proprijs cõuertimur ad ipsum, ita vt ipse sit solũ, qui illuminat, & infundit suã gratiã, sicut imaginãtur Scot. & Durand, sed potius vtrũq; est à Deo, nẽpe, & infusio gratiæ, & præparatio & cõuersio ad ipsum. Nã sine eo eramus impotẽtes, cõuertẽdi nos ad ipsum. Tertiò ꝓbatur: Nã ista dispositio perfecta, de qua loquimur, est inchoatio, & initiũ nostræ iustificationis: sed ipsum initiũ & ipsa inchoatio, sunt à Deo, non à nobis ex nostris viribus; imoverò, quidquid se tenet in genere dispositionis ad gratiã, & iustificationẽ vt sic, totum est à Deo: ergo homo per naturã, non potest habere hãc perfectã dispositionẽ. Maior aperta est. Minor autem ꝓbatur, ex Paul. 2. Corin. 3. Vbi sufficiẽtiã huius præparationis, ex Deo esse ait, de qua dixerat priùs: Nõ sumus sufficiẽtes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis; sed sufficiẽtia nostra, ex Deo est: Vbi apparet, q̃ prima dispositio ad iustificationem ordinata, quæ saltẽ est ipsa cogitatio, seu cogitare de iustificatione illa obtinenda, à Deo est, non ex nobis, & quòd per naturã haberi non potest. Et idcircò, Christus, Ioan. 15. dixit: Sine me nihil potestis facere. Vbi loquitur, de præparatione ad iustificationẽ. Et subiũgit: sicut palmes non potest ferre fructũ à se metipso, nisi mãserit in vite, &c. Hinc est, quòd in Scriptura, sancti dicũtur vocati forte, ad Ephe. 1. In quo nos sorte vocati sumus, idest, in Christo. Et ad Colos. 1. Dignos nos fecit in partem sortis sanctorũ. Et vsus est Paulus vocabulo sortis, vt intelligamus, quòd sicut in

*Matth. 7. Eccles. 2. Rom. 10. Luc. 11.* — *Confir. Actor. 10.* — *Ezech. 18.* — *Rom. 10.* — *Obtanum.* — *Nota.* — *Ezech. 18.* — *Nota.* — *D. Augus.* — *Beda.* — *Threnor. 5. Ierem. 31.* — *Zachar. 1. Ioel. 1.* — *Ioan. 6.* — *D. August.* — *2. Corinth. 3.* — *Ioan. 15.* — *Ephes. 1. Colosen. 1.*

fortibus,neque hominis ingenium,neq; solicitudo, neque vires humanæ aliquid valent, sed solũ bona fortuna;ita pariter ad hoc esse supernaturale, quod per iustificationẽ consequimur,neque vires humanæ,neque ingeniũ, quidquã præparant; sed solùm Christus, & sors beneuolentiæ diuinæ. Vndè, ad
*Ephes.2.* Ephes.2.legimus:Gratia estis saluati per fidẽ,& hoc non ex vobis; donum enim Dei est, non ex operibus,ne quis glorietur: ipsius enim sumus factura, creati in Christo in bonis operibus,quæ præparauit Deus,vt in illis ambulemus.Vbi ponderandum est verbum,creati,in quo aperitur,nos,id ipsum præstare iustificationi, quod præstamus creationi, saltem quantũ ad hoc,quòd opera naturalia nihil valẽt ad iustificationẽ,tanquã præparationes, & dispositiones eius;& quòd si quid operamur in iustificatione, & ad illam,id debetur,Dei gratiæ,& auxilio speciali,non autem nostris viribus,aut operibus. Et ob id
*Ioan.1.* Ioan.2.dicitur,quòd Deus dedit potestatẽ filios Dei fieri,his qui credunt in nomine eius,qui nõ ex sanguinibus,neq; ex voluntate carnis,sed ex Deo nati sunt.Vult dicere,quòd ad esse spirituale, quod filij Dei habent ex Deo nati,nihil præparant aut disponũt vires nostræ;sed esse,& præparatio ad esse supernaturale,totum est ex Deo.Et nonnulli citant illud
*2.Corint.4.* Paul.2.Corint. 4. Deus qui dixit,de tenebris lucem splendescere;ipse illuxit in cordibus nostris,ad illuminationẽ scientię claritatis Dei,in facie Iesu Christi.Habemus autẽ thesaurũ istũ in vasis fictilibus,vt sublimitas sit virtutis Dei,& nõ ex nobis.Vbi Paul. inter alias interpretationes,duo dicit,primũ, quòd sicut Deus in exordio mundi,ipsum illuminauit cũ in tenebris esset; ita cùm ante iustificationem esset in tenebris homo,& ex suis viribus, neque haberet illuminationem,neq; supernaturaliũ cognitionem, Deus illuminauit illũ,scientiã Christi donando, & voluntatẽ atque animã,per iustificationẽ, sanando. Nam sic illuxit in cordibus hominũ,hoc est, in animis,& intellectu & voluntate ipsorũ, per supernaturaliũ cognitionẽ,& gratiæ illuminationem,circà cor. Secundò dicit Paulus,quòd postquã sumus iusti,tam ingẽs thesaurus in nobis est, nẽpe fidei Iesu Christi,& gratiæ,in vasis fictilibus seu testaceis, vt hoc sit sublimitas virtutis Dei,& non ex nobis.Vndè,ad
*Rom.11.* Rom.11.inquit Paul.Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?Et ad
*Ephes.2.* Ephe. 2. eos qui iustificantur, appellat creatos in operibus bonis.In quo insinuat, quòd id quod attulimus in creatione,attulimus etiã in iustificatione nostra.Imo verò,ad
*Rom.9.* Rom.9.dicitur: Non est volentis,neq; currentis.Vbi iustificatio cõparatur in ordine ad Deũ,sicut lutũ in manu figuli, quod emollitur, præparatur & disponitur, vt ex eo pulchra vasa efformẽtur.Sic Pau.præparationẽ omnẽ ad gratiã,dicit effectũ esse diuinæ prædestinationis.Nam quos prædestinauit,hos & vocauit,& quos
*Rom.8.* vocauit, hos iustificauit,&c. Romano.8. Vbi apparet,q̃ sicut gratis prædestinauit nos:ita gratis vocauit, emolliuit, præparauit, disposuit, iustificauit, & tandẽ glorificauit. Nã ratio id poscebat,vt si gratis voluit finẽ,& ex supernaturali dono, etiã gratis tribuat media.Et ob id,cõparat nos Paul.ad Deũ iustificantẽ,sicut lutũ ad figulum.Sanè,iuxta probabilem sententiam,vltima dispositio ad gratiam, quæ est simul cum gratia,est meritum vitæ æternæ; hoc autem haberi non potest ex viribus naturæ, sicut neque pœnitentia, neque dilectio Dei super omnia: ergò dispositiones ad gratiam, supernaturaliter donantur.

Hanc veritatem tuetur D.Augu. contra Pelagianos,& vbicunque disputat de hac re,excludit opera nostra,& ait,quòd ad illa nõ sequitur gratia de lege,& quòd indè nõ sequitur Deũ acceptorem esse personarũ;Quoniã nulli quicquam debet,& gratis nos iustificat.Si autẽ vera esset sententia Scoti & Durandi,facile posset Augu.repellere Pelagij argumẽtũ quòd Deus nõ est acceptor personarũ:quia iustificat eũ qui viribus naturalibus disponitur,& nõ alterũ.Cùm igitur id nõ respondeat vnquã Augu. aperte sequitur,semper contra Pelagianos dixisse, quòd nos naturaliter nõ præparamur ad gratiã.Lege Auguſt.3.lib.Hipognost.per totũ. Vbi adducit exẽplũ de D.Petro,quẽ nisi Dñs respexisset,nunquã pœnitentia motus fleret amarè.Lege etiã Aug.lib.2.cõtra duas epist.Pelagianor.cap.7.& 8.& epist.105.ad Sixtum Presbyterũ, & epist.106.&.1. Retractat.cap.23. Vbi retractat sententiã quam tenuerat de initio iustificationis,quod esset ex nobis.Quia tunc non aduerterat Paulum dicentem: Misericordiam consequutus sum,vt fidelis essem.Et notat, quòd non dicit Paul.Quia fidelis eram,sed quòd misericordiam consequutus est,vt fidelis esset. *D.Augu.*

Hanc eandem assertionẽ definiunt Concilia,Trident.sess.6.cap.5.& cano.3.Mileuit.ca.4. Arausc.cano. 3.4.&.17.& alia plura Concilia,quorum testimonia adducemus conclusione sequenti. *Conc. Trid. Mileuit. Arausc.*

### *Secunda Conclusio.*

*Conclu.2.* SSecunda Conclusio.Hæreticũ est asseuerare, posse hominẽ solis viribus naturæ,efficere opus aliquod,quod vel sit meritoriũ gratiæ,cui verè,& propriè debeatur,vel ex quo naturaliter sequatur gratia;ac subinde,nemo valet se ad gratiã disponere ex suis naturalibus, dispositione propria & proxima, sed totum id referendum est in gratiam diuini & supernaturalis auxilij. Hæc conclusio interpretatur priorem,ambæque mutuò se iuuant,& in ea conueniunt modò omnes catholici.S.Tho. hic, & de verit.q.3.Henri.quodlibet.8.q.5.Pater Soto.2.de natura & gratia vbi supra,& Driedo vbi supra,& Pater Vega 6. in Trident.capit.3.&.4. & opusculo de iustificatione.quæst.6.Et probatur ex definitionibus conciliorum. Id enim diffinitur in Arau. can. 3.& 4.& 17. vbi dicitur, gratiam dari, nullis præcedentibus meritis.Et can. 18. Debetur merces bonis operibus, si fiant: sed gratia Dei præcedit vt fiant. Et can. 25. Hoc etiam salubriter profitemur, & credimus; quòd in omni opere bono, nos non incipimus; Et postea per Dei misericordiam adiuuamur, sed ipse nobis(nullis præcedentibus bonis meritis) fidem & amorẽ sui inspirat.Idem diffinitur in Conci.Palest.in quo(vt Aug.refert de gratia Christi cap. 3.& li.1.contra Epistolas Pelagij cap.4. & 19.) coactus est Pelagius recantare palinodiam, & anathematizare oppositam sententiam, qua dixerat, gratiam dari secundùm merita nostra. Idem definiunt Cęlestinus primus Epistola 1. ad episcopos Galliæ cap.12.& Leo primus Epist. 84. damnat Pelagiũ dicens:Nec propria quisq; iustificatur virtute;quoniã gratia *Soto. 2. de nat. & gra. cap.4. Driedo. Vega. D.Augu. Cælest.1. Leo.1.*





gratia vnicuiq; principiũ iustitiæ, & bonorũ fons, ac origo meritorũ est.Definitur tandẽ vltimò hæc veritas in Trid.sess.6.c.5.vbi dicitur:Declarat præterea sancta synodus,ipsius iustificationis exordiũ in adultis,Dei per Christũ Iesum præueniente gratia, sumendum esse,hoc est,ab eius vocatione qua,nullis eorũ existentibus meritis,vocantur.Et in postremis verbis eiusdẽ cap.subiũgitur:Dei vos gratia præueniri confitemur.Et can.3.Siquis dixerit,sine præueniente Spiritus sancti inspiratione,atque eius adiutorio,hominem credere,sperare,diligere, aut pœnitere posse,sicut oportet,vt ei iustificationis gratia conferatur; anathema sit.

Ratione probatur.Nam contra rationẽ gratię est, quòd detur ex operibus,aut ex meritis nostris, iuxta illud
*Rom.11.* Rom.11.Si gratia,iam non ex operibus; nã quod datur ex meritis, est debitũ; ratio autẽ debiti repugnat gratiæ. ¶Item: Vltima dispositio ad gratiam, includit dilectionem Dei super omnia;& veram contritionẽ;sed hæc nõ possunt haberi viribus naturæ,vt supra ostendimus:ergo.¶Præterea:Si viribus naturæ, haberi posset gratia, sequitur, frustrà
*Galat.2.* Christũ mortuũ esse; quo argumẽto vtitur Paul.ad Rom.& ad Galat.2.ad probandũ, q̃ gratia non potuit haberi ex lege scripta. ¶Rursus: Gratia est forma supernaturalis,ex mera liberalitate Dei dependẽs;sed vltima dispositio,debet esse proportionata, & quasi cõnaturalis formæ introducendæ:ergo per actum naturalem,non potest vltimatè quis disponi ad gratiam.¶Item:Quicquid potest homo facere viribus naturæ,est debitum Deo pro beneficijs naturalibus,quæ nobis præstitit,& quotidie præstat,igitur per nullum opus,factum viribus naturæ, possumus à Deo promereri donum gratiæ supernaturalis.Nam nihil supereſt in natura,cui debeatur beneficium supernaturale.¶Præterea:Si per vires naturę possemus habere dispositionem ad gratiam,non esset necessarium orare Deum vt nos disponat,& cõuertat ad ipsum;cum tamen Prophetæ dicant,vt supra citauimus:Conuerte nos Domine ad te,& conuertemur.¶Item etiam persuadetur: Quoniam cernimus plures conuersos esse ad Deum, cum minus ipsi nitebantur conuerti,vt patet in Paulo,& Magdalena,igitur hoc est opus Dei,& mutatio dexteræ excelsi,& non solius liberi arbitrij. ¶Profectò, homo peccando,vt diximus,auertitur à Deo fine naturali & supernaturali:igitur vt ad iustitiam redeat, meritò exigitur à Deo, vt se conuertat ad eundem finẽ, quod facere non potest per se ipsum;Quia nulla res mouetur per se ipsam, vltra terminum suæ naturæ. ¶Huc tendit ratio.D.Tho. Qualis est ordo finium, talis est ordo agentium:ergo sicut Deus est, ad finẽ supernaturalem mouens,& quo gratia supernaturalis infunditur,ita ab ipso debet esse dispositio. ¶Sed contra hanc rationem arguit Duran. Nam licèt introductio formæ,pertineat ad agens principale, dispositio tamen pertinet ad agens secundarium agens:ergo ex hoc quòd forma gratiæ,sit ab ipso Deo,tanquã à primo mouente,non infertur quòd etiam dispositio sit ab ipso: productio enim animæ rationalis, est à Deo immediatè;at dispositio sit ab homine:ergo.Respondetur,rationẽ D.Tho.esse efficacẽ;quæ ita cõsici potest:Omne agens cõuertit suos effectus in propriũ finẽ sui ipsius: ergo primũ agens conuertit eos in vltimũ finẽ,& consequenter in seipsum, vt in finem supernaturalẽ,excedentem naturã:sed hæc cõuersio,est per quã homines præparantur ad gratiã: ergo disponuntur per motionẽ Dei specialẽ. Antecedens cõstat ex eo,q̃ cũ omne agens agat propter finẽ,necessẽ est vt ordinet effectũ in finẽ ab ipso intentũ,& cõsequenter q̃ Deus conuertat ad seipsum. Quia omne agens habet finem proportionatum, in quẽ non potest tendere inferius agens, nisi virtute superioris.Ad exemplũ de anima rationali dico, hominẽ non disponere ad productionẽ animæ; sed ad eius vnionem,quam verè causat ipse homo,quia vere generat hominem.Vel dici potest cum Caiet. hominem disponere naturam, ad hoc quòd Deus ex pacto,producat animam:vel hoc fit virtute animæ, quæ est in generante,atque adeò iam refunditur in Deum,à quo immediatè est illa anima.

Testimonia Scripturæ,quibus veritas assertionis persuadetur,pleraq;adducta sunt,& extat illud Iob. 41. Quis antè dedit mihi,vt reddam ei? Psal.54. Deus meus,misericordia eius præueniet me.Psal. 78. Anticipent nos misericordiæ tuæ.Psal.76.Dixi,nunc cœpi,hæc mutatio dexteræ excelsi,& Psal.126.Nisi Dominus ędificauerit domum,frustra vigilant qui custodiunt eam.Cant.5.Aperi mihi soror.Vbi insinuatur,Deum pulsare priùs per gratiam præuenientem, quàm consentiamus.Quoniam stat Deus ad ostium & pulsat Apoca.3.Et ob id Ioann. 6. Christus dixit: Nemo potest venire ad me,nisi Pater meus traxerit eum,& 2.ad Timoth.1. Vocauit nos vocatione sancta,non secundum opera nostra,sed secundum propositum suum, & gratiam, quæ data est nobis in Christo Iesu. Et profectò, tota Pauli ad Rom. epistola,id vnum contendit:gratiam non dari propter opera facta,secundũ legem naturalem, aut scriptã; sed ex sola Dei misericordia & benignitate.Et ob id capit.3.inquit:Iustificati gratis, per gratiam ipsius. Et infrà:Ex operibus legis, non iustificatur omnis caro coram Deo.Et cap.9.Non est volentis neque currentis,sed Dei miserentis.Et cap. 11. Quis prior dedit illi,& retribuetur ei?&c.Ex quibus tam apertis testimonijs liquet,cõclusionem propositam,sensum esse Spiritus sancti. *Iob.41. Psal.54.78 & 76. & 126. Cant.5. Apocal.3. Ioan. 6. 2.Timo.1. Rom.3. Rom. 9. Rom.11.*

### *Tertia Conclusio.*

*Concl.3.* Tertia Conclusio.Dicere, proprijs viribus posse hominẽ habere vltimam dispositionẽ ad gratiã; in diuerso gradu est contra fidẽ,secũdũ diuersum modũ explicandi.Quocircà,quælibet sententia asserẽs, hominẽ proprijs viribus posse habere dispositionẽ vltimã ad gratiã,est apertè contra fidẽ, sed tamẽ in diuerso gradu,vt diximus,secũdũ diuersũ modũ explicãdi.Nã illa sententia quæ asserit, ex debito tribui gratiã,propter opera naturalia,est Pelagiana & hæretica sententia vt deduximus concl.1.&.2.Et quidẽ, dispositio ad gratiã,est dilectio Dei supernaturalis: sed hæreticũ est dicere;hãc habere ex viribus naturæ:ergo.¶Illa autẽ sententia,quæ asserit,nõ ex debito,sed necessariò & infallibiliter ex lege Dei,immediatè sequi gratiã ad opera naturalia,est erronea, vt minimũ:Nam secundũ alios fortè est hæretica. Hoc videtur esse contra Scotũ & Duran.& sequaces, vt illis imponit Pater Soto. 2. de nat.& grat. capit. 4. Sed quantùm arbitror, isti non concedunt, esse

legé infallibilem dandi gratiã ex suppositione operis, facti ex solis viribus naturæ. Nam licet hoc videantur sentire; cæterũ, tantũ volunt, esse congruũ, vt facienti quod in se est viribus naturæ, Deus det gratiã; non tamen ꝙ omnino infallibiliter id fiat ex lege. Hoc enim, esse erroneũ, patet: Quoniã scriptura, & Concilia, & Sancti Patres, non solũ dicunt, ne minẽ posse viribus naturæ obligare Deum ad cõferendã primam gratiã per modum meriti de condigno; verũ etiam negant; posse nos facere viribus naturæ, quæ necessaria sunt secundũ legẽ Dei, ad hoc vt Deus conferat nobis gratiã. Et ita, Conc. Tridẽt. determinat, sessio. 6. cano. 3. Sancti Patres etiã damnantes Pelag. potissimũ intendebant damnare hãc infallibilẽ, & necessariã consequutionem gratiæ, ex operibus naturalibus. Imo verò, valdè probabile est, vt dicunt Pater Vega, & Medina, quòd Pelagius non adeò desipuit, vt diceret, nos posse facere Deũ debitorẽ simpliciter, primæ gratiæ, & mereri illam de cõdigno, aut ex rigore iustitiæ; sed tantũ ex lege sua infallibili. Quoniã ad rationẽ meriti, sufficere videtur, quòd merces debeatur, nõ ex natura operis, sed ex pacto & lege diuina. Imò totum meritũ, quo iusti merẽtur gloriã, fundatur in lege, & ordinatione diuina: ergo si secundum legem infallibilẽ Dei consequitur gratia ex operibus, solis viribus naturę factis, sequitur quòd talia opera simpliciter sint meritoria primæ gratiæ, quod directè damnatur in Cõcilijs citatis.

### *Quarta Conclusio.*

*Conclu. 4.* QVarta cõclusio. Dicere, quòd fortassis est lex infallibilis & vniuersalis Dei, quòd peccatori operanti benè moraliter, ex viribus naturæ, circà opera misericordiæ & similia; ex tali lege donantur auxilia supernaturalia, quibus de facto, infallibiliter & omnino conuertitur homo, & habet gratiã Dei; mihi videtur falsa, temeraria, & fortè erronea sentẽtia: Imo hoc est contra concilia citata. Quoniam Sancti Patres damnãtes Pelagiũ, potissimum intendebant damnare istam infallibilẽ consequutionẽ gratiæ, ad opera naturalia; sed hanc infallibilẽ consequutionẽ gratiæ omnino, ponit de facto hæc sententia, respectu operũ naturaliũ: ergo est erronea. Probatur minor; Nam præfata sentẽtia docet, quòd fortè est lex vniuersalis, & infallibilis, vt operanti ex viribus naturæ misericorditer, erga proximos, dentur auxilia supernaturalia, quibus infallibiliter, cõuertatur omnino homo: ergo plane docet, hanc infallibilẽ consequutionẽ omnino. Sed respondentassertores eius, se nõ docere, esse legẽ; sed quòd fartassis est lex vniuersalis & infallibilis. Verũ hæc responsio, neq; est vera, neq; satisfacit. Quia, quo pacto potest esse lex, aut forte esse verum, quòd est cõtra fidem? aut quod est contra Sanctos Patres? Execrabile ergo est dicere, fortassis est lex vniuersalis & infallibilis, cùm Ecclesia dicat & sentiat oppositum. Qui ergo, ita loquuntur, Anathema dicuntur à Concilijs. Sed dicunt vlterius, se ponere hanc legẽ inmediatè respectu auxiliorum supernaturalium. Contra: Nam neque respectu gratiæ auxilij supernaturalis, datur infallibilis lex, & vniuersalis, vt ex viribus naturæ, omnino de lege infallibili, dentur homini peccatori, ita vt illi debeantur, ex præcisis naturalibus, ex lege vniuersali. Secundò: Quoniam præfata sentia dicit, quòd non solum dantur gratiæ auxilia, sed etiam omnino datur infallibiliter cum illis auxilijs, conuersio ad Deum; quæ non fit sine gratia iustificante; ergo velit nolit, hæc sententia ponit legem infallibilem & vniuersalem, respectu conuersionis peccatoris, ex suppositione virium naturalium præcisè: quod erroneum est.

¶ Hęc assertio quarta, à nobis posita est, propter nouos Theologos, qui dixerunt audactèr, quòd fortassis est lex infallibilis & vniuersalis Dei, de auxilijs supernaturalibus, quibus de facto infallibiliter omninò, conuertatur homo, propter opera viribus naturæ facta præcisè. Et profectò, hoc est Pelagianum. Nam si sequitur infallibiliter omnino de facto, & ex lege, vt isti dicunt, auxilium, quo de facto conuertitur homo, ego non video quo pacto tunc vires naturæ dicantur, esse remota dispositio ad gratiam. Nam hæc duo, nempe præparatio ad gratiam infallibilis omninò, & de lege, ad quam de facto ex ipsa lege omninò infallibili, sequitur conuersio peccatoris in Deum: & esse dispositionem remotam; simpliciter aduersantur. Nam id quo posito, sequitur omnino infallibili lege, conuersio in Deum, non est remota dispositio ad gratiam: ergo istorum recentiorum philosophandi modus, aduersatur catholicæ doctrinæ. Et, quòd sit apertè falsa præfata sententia patet: Nam certè si peccatori se exercenti in operibus moraliter bonis, ex solis viribus naturæ præcisè, de lege omninò infallibili confertur gratia seu conuersio in Deum; sequitur quòd initium iustificationis, esset ex nobis. Probatur sequela: Quia, secundum aduersarios, ex viribus naturalibus præcisè, possemus habere dispositionem, ad quã de lege infallibili, sequitur auxiliũ gratiæ, & gratia iustificans, & conuersio in Deum. Imo verò haberemus quid Paulo interroganti, respõdere possemus. Cũ enim inquit: Quis te discernit? Possemus dicere; Ego me discerno, per mea opera viribus naturæ facta, saltem remotè. Item ad illud Pauli: Quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Possemus dicere: Nos priùs dedimus Deo. Nam dedimus opera ex viribus naturæ facta, quibus de lege omnino infallibili, debetur conuersio. Rursus, temerariè incideremus in illud Augustin. Cur hunc trahat, illum non trahat; noli iudicare, si non vis errare; & consequenter possemus soluere quæstionem illam, quam Paul. excitat in epistо. ad Roman. & insolutam relinquit, nempe, Quid est quòd hunc trahit, & alium non trahit? Posset quis respondere, Hunc trahit, quia ex viribus suis se disposuit; illum verò *non* trahit; quoniam non se præparauit ex suis viribus. Præterea: si est talis lex infallibilis omnino, quomodo scripturæ, & Concilia definiunt, hominem ex facultate naturæ, non posse aliquid facere, quod ad vitam æternam conducat, sine speciali Dei gratia. Nam profectò, vtilissimum, & maximè conducens est ponere talem præparationem, & dispositionem ex facultate naturæ, ad quam de lege omnino infallibili, sequitur conuersio in Deum, & consequenter gratia iustificans, & postmodum gloria. Imo verò, dispositio, & præparatio illa, ad quam de facto ex lege infallibili, sequitur conuersio

*D. Augus.*



uersio in Deũ, & gratia iustificãs, est propriè diuinę prædestinationis effectus: sed hi effectus prædestinationis, in diuinã voluntatẽ præuenientẽ, sunt referendi, vt Scriptura, & catholica doctrina testantur: ergo. Neque satisfacit dicere, non esse inconueniẽs haberi ex naturalibus dispositionẽ remotã, ad quã ex misericordia Dei, sequatur infallibiliter gratia: vel ad quã conferantur supernaturalia auxilia, quibus ponatur proxima dispositio ad gratiam. Non in quàm hoc satisfacit: Quia præfata aduersariorũ sententia, ponit legẽ omninò infallibilẽ, & connexionẽ necessariã conuersionis, & gratiæ, & auxiliorum supernaturaliũ; cum operibus naturalibus præcisè. Imo verò, non videtur quomodo dicatur talis præparatio, remota dispositio moraliter loquendo; cùm sit dispositio de lege, & habeat connexionẽ necessariã cum auxilijs, & cũ conuersione peccatoris ad Deũ, quæ, (vt isti dicunt) sequitur de lege & de facto, omninò infallibiliter & inseparabiliter; Imo verò, semper sequitur, quòd initiũ iustificationis esset ex nostris viribus. Et sequeretur etiã, quòd de lege infallibili omninò, faciẽti quod in se est ex solis naturalibus, daretur de facto & de lege gratia, quod est cõtra Sanctos Patres, & contra diuinã Theologiam, & catholicã. Fateor quidẽ, & catholicè profiteor, posse hominem facere opera moraliter bona, & aliquandiù cessare à peccatis cõmittendis, & ea detestari imperfectè saltẽ; verũ tamen hęc opera, ex solis naturalibus præcisè nata, magis se habent per modũ remouentis prohibẽs infusionẽ gratię, quã per modũ directè & per se disponentis. Cùm enim opera ordinis naturalis, nõ possint per se disponere ad introducendã formã supernaturalẽ, nulla videtur ratio aut causa, cur ex prouidẽtia Dei suaui, & rationabili, Deus dederit legẽ infallibilẽ, vt ex viribus naturæ, seu ex operibus, ex solis viribus naturæ factis, sequatur Conuersio. Nam, quãuis ex operibus misericordiæ, & cessatione à peccatis per aliquod tẽpus, & ex detestatione imperfecta peccatorũ, vt sunt cõtra Deũ authorẽ naturæ, & ex alijs bonis operibus, viribus naturæ præcisè factis, inuitetur diuina misericordia, vt cõferat auxilia pro conuersione, ex mera gratia, & mera liberalitate; tamen dicere quòd est lex vniuersalis & infallibilis Dei, ad quam omnino infallibiliter & de facto sequitur conuersio; est dicere, quòd est necessaria connexio gratiæ & conuersionis cũ operibus naturalibus, de lege infallibili, quod est Pelagianũ, & cõtra catholicã doctrinã, vt diximus. Nã opera naturalia vt sic, vel disponũt ex natura sua ad gratiam, & hoc non, quia non sunt proportionata, imò neque eiusdẽ ordinis; vel ex lege Dei vniuersali & infallibili: & hoc non; quia non est talis lex, vt vidimus: ergo.

Quocircà, Cum Caiet. Matth. 5. dixit, quòd opus misericordiæ remittendi iniurias, gaudet hoc priuilegio, quòd aliquãdo obtinebit remissionẽ peccatorũ, nisi homo huic operi ponat obicẽ; nunquam somniauit dicere, esse legẽ vniuersalẽ, & infallibilẽ. Quia, licet homini ita operanti, Deus det aliquãdo auxiliũ peculiare; tamẽ id quod homo facit ex viribus naturalibus præcisè, nullo modo est dispositio ad illud auxiliũ peculiare, & ad conuersionẽ & gratiam iustificantẽ. Quoniã Deus illi homini, sic operanti in naturalibus, si postea det auxiliũ peculiare supernaturale, & conuersionẽ, illud nõ est intuitu illius dispositionis naturalis, quia non est lex vniuersalis & infallibilis de hoc, vt aduersarij dicunt, sed est ex mera Dei voluntate & liberalitate, sine lege aliqua. Cuius veritatis, nõ infirmum argumentũ, sed optimũ est, quòd auxilium Dei supernaturale & speciale, & gratia, quæ confertur postea peccatori sic operanti naturaliter benè, non conferũtur secũdũ quantitatẽ dispositionis naturalis: ergo signum est, ꝙ talis operatio præcisè naturalis, nõ est dispositio ad gratiã. Probatur antecedẽs: Quia, licet sæpè contingat, ꝙ magis conantibus per vires naturales, Deus absq; vlla lege, postea det maius auxilium, & maiorẽ contritionẽ & gratiã, vt de gratia angelorũ cõstat; tamen nõ est necesse vt hoc semper eueniat; imo verò aliquando contingit oppositum, vt patet in conuersione Pauli, qui cùm persequebatur Ecclesiam Dei, tunc est conuersus, & tunc aliqui erant, qui magis conabãtur ad bonũ viribus naturalibus, qui tamen non receperũt tantã gratiã, sicut Paulus.

Sed cõtra hanc conclusionẽ obijciũt aduersarij, nõnulla testimonia scripturæ & Sanctorũ, malè ab eis intellecta. Primò adducũt illud Tobię. 4. Eleemosyna, ab omni peccato & morte liberat, & nõ patietur animã ire ad tenebras, fiducia magna erit corã Deo, omnibus faciẽtibus eã. Psal. 40. Beatus qui intẽdit super egenum & pauperẽ, in die mala liberabit eũ Dns. Et Eccles. 7. de misericorde dicitur. Altissimus miserebitur eius, magis quã mater. Et ca. 12. Benefac iusto, & inuenies retributionẽ magnã, si non ab illo, certè à Dño. Et ca. 17. Eleemosyna viri, quasi sacculus cũ ipso, & gratiã hominis, quasi pupillam cõseruabit. Et Lucæ. 11. Date Eleemosynam, & ecce omnia mũda sunt vobis. Dani. 4. Peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordijs Pauperũ, & forsitã ignoscet delictis tuis. Eccles. 3. Ignẽ ardentẽ extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis, & Deus prospector eius, qui reddit gratiã, meminit in posterũ, & in tẽpore casus sui, inueniet firmamentũ. Prouerb. 15. & 16. Per misericordiã & fidẽ purgantur peccata. Misericordia & veritate redimitur iniquitas. Isaiæ. 58. Frange esuriẽti panẽ, &c; Tunc erũpet quasi mane lumẽ tuũ, & sanitas tua citius orietur, & gloria Dñi colliget te. ¶ Citant etiã ad idẽ testimonia sanctorũ, Chrysost. hom. 32. ad Populũ: Eleemosyna, æternã ministrat vitã, de mortis manibus eripit, & in vtraq; vita claras exhibet mãsiones, ędificat in cœlis, & æterna parat tabernacula. Et homil. 6. super epist. ad Tit. Nihil tantũ habet viriũ; ad extinguenda peccatorũ incendia, quantũ eleemosyna. Et infra: Hæc nostrorũ scelerũ, medicina est, hæc animæ nostræ sordes emũdat. Aug. hom. 47. Remedia peccatorum, fratres, medicina eleemosyna. Et de diuite epulone ait: Si pauperis vlceros. misertus fuisset, mereretur & ipse misericordiã. Nazian. in oratione de Pauperũ amore, ait: Nulla per inde res est, quę Dei beneuolentiã cõciliet ac misericordia. Eadem verba dicit Basil. hom. 8. Quòd á peccatis soluimur per eleemosynam. Idem Lactan. & Prosper de promissionib. p. 2. cap. 7. D. Leo. sermo. 3. de ieiunio Pentecostes; scimus apud misericordem Deum præcellere eleemosyna largitatem, dicente Domino; Date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis. Et plerumque dicit, quòd eleemosy-

*Tobiæ. 4.* *Psalm. 40.* *Eccle. 7. 12. & 17.* *Lucæ. 11.* *Dani. 4.* *Eccles. 3.* *Prouer. 15. & 16.* *Isaiæ. 58.* *Chrysost.* *D. Augus.* *Nazian.* *Basil.* *Lactan.* *Prosper.* *D. Leo.*

næ peccata delent,mortem perimunt,& pœnã perpetui ignis extinguntIdem Hiero. ad Nepotian. Idem Cyrill.homi.2.in Leuit. Philo Iudæus, & Cicero, pro Ligari.Gerson, Pater Vega.lib.9. in Trident cap.14.& penè infinita alia adducunt aduersarij testimonia,vt probent suam sententiam.

*D. Hieron.*
*D. Cyrillus*
*Philo Iudæ⁹*
*Cicero.*
*Gerson.*

Vt hæc dissoluantur, Certe ego non intelligo, qua ratione ea aduersarij citant,aut quomodo intelligant,Scripturam& Sãctos loqui de operibus prædictis,factis extra gratiam Dei & in peccato mortali.Imouerò,ego intelligo,quòd Sancti & Scriptura potissimè loquuntur de his operibus,quando fiunt in gratia,& amicitia Dei:sic enim ea,quæ Sancti & Scriptura dicunt, ab huiusmodi operibus factis in amicitia Dei,fieri & obtineri,vera sunt.At,aduersarij non hoc dicunt,sed è conuerso,quòd opera moraliter bona,in mortali facta, de lege præparant ad conuersionem,& auxilia gratiæ supernaturalis,quãdo fiunt extra gratiã Dei,& ex solis naturæ viribus præcisè.Dico secundò, quòd cùm Scriptura dicit, Peccata tua eleemosynis redime,Et quòd eleemosyna ab omni peccato & morte liberat, & alia similia quæ retulimus,& cùm Sancti Patres id ipsum repetũt,& exaggerant;Hæc omnia sunt intelligenda de redemptione peccatorum,& liberatione à peccatis & iniquitatibus,quantùm ad pœnam temporalem ipsorum,de quo non est dubium. Quia talia opera misericordiæ & similia,de quibus suprà,sunt maximè satisfactoria pro peccatis,idest, pro pœna temporali peccatorum.Vel dicendum est, quòd opera illa misericordiæ,inquibus se se exercent homines habent ex sola Dei beneuolentia & liberalitate, nõ ex lege infallibili,quòd dum fiunt ante conuersionem,sint impetratorię diuinæ misericordiæ;sicque per modum impetrationis,inuitando diuinam misericordiam,impetrant auxilia,quibus homo possit conuerti,& conuertatur.Negare tamen oportet, ꝙ sit lex vniuersalis & infallibilis Dei,quòd illis positis,veluti præparationibus & dispositionibus,sequatur omnino infallibiliter de lege, conuersio peccatoris,vel auxilium simul cum cõuersione de facto, ita vt sit necessaria connexio conuersionis,seu auxiliorum,ad conuersionem de facto, cum operibus naturalibus moraliter bonis,in sensu à nobis superiùs explicato.Dico vltimò,quòd Sancti plerùmq;, dum populo contionabantur, peccatores à peccatis suis amouere cõtendentes,sæpè inducebant eos ad bona opera,vt sic desisterent à peccato,& se exercentes in operibus bonis, impetrarent veniam, ex sola diuina largitate & misericordia.Et pariter, eisdem admonitionibus inuitabant homines, etiã bonos & iustos,ad satisfaciendum pro peccatis, & nõ loquebantur semper in rigore scholastico.Nam certum est,quòd eleemosyna facta in mortali,neque satisfacit pro pœna,neque promeretur gloriam;& tamẽ Sancti,plerùmque de eleemosyna,& misericordiæ operibus ita loquuntur, vt dicant extinguere peccata,promereri gloriam;& intelligunt hoc, iuxta regulas fidei,& Ecclesiæ.Nam nisi fiant in gratia & amicitia, neque sunt meritoria, neque satisfactoria; possunt tamen impetrare ex diuina gratia & misericordia;non tamẽ disponunt de lege infallibili,ad conuersionem & gratiam, vt aduersarij voluerunt.

*Quinta conclusio.*

*Conclus.5.*

QVinta conclusio. Omnis dispositio remota,quę verè disponit;& perse parat viam ad operãdum vltimam dispositionem, & iustitiam; debet esse supernaturalis.Hæc conclusio est certa, licèt nõ in eo gradu in quo.1.2.&3.Veruntamen,nõ licet ab ea recedere.Et probatur ex definitionibus Conciliorum: Nam simpliciter loquuntur de omni dispositione.Et expressè. Concil. Trid. sessio. 6.&.14. etiam imperfectam contritionem, & timorem gehennæ,& similes dispositiones remotas dicit, esse Spiritus Sancti dona.Et sessione.6.Cano.6. scribẽs totam seriem istarum dispositionum, planè docet, primum initium sumendum esse à gratia; & ita progredi per dispositiones remotas,vsque ad proximam.Quocircà,Aug.de prædestin.Sanctor. cap.5. retractat sententiam,quam tenuerat alias,cum dixerat,initium iustitiæ esse aliquomodo ex nobis.Idẽ, de bono perseueran.cap.2.&.1.retractat. cap.23. Et in disputatione de fide ostendemus, initium fidei esse gratiam Dei.Ex quo sic argumentor. Nam initium iustificationis,sumitur ex dispositionibus remotis:ergo vbi est aliqua dispositio remota, iam est aliquod initium iustificationis:ergo necessè est illã esse ex gratia Dei.Præterea, vt colligitur ex Paulo Rom.8.& ex Trident sessio.6. omnis dispositio ad iustificationem,supponit Dei vocationem, atque adeò aliquam gratiam, seu aliquid supernaturale. Tandem, pro hac re potest esse non infima ratio: Quia cùm omnis actus naturalis,sit inferioris ordinis per se,& ex se,non refertur ad finem supernaturalem:ergo non disponit ad conuersionẽ perfectã, in illum finem.Si dicas, aliqua opera bona moraliter,conferre ad iustitiam saltẽ remotè, vt patet ex locis Scripturæ suprà citatis pro sententia aduersariorum;Respondetur,quòd sæpè in Scriptura fit sermo de illis operibus,quatenus fiunt in gratia; & aliquando,quatenus sumuntur per modum impetrationis:non tamen quòd perse disponant modo proportionato ad formam gratiæ introducendam. Vel dicuntur remotissimè & impropriè dispositiones, negatiuè & per accidens,quatenus,efficiunt,vt homo non apponat obicem peccati,& impedimentũ vocationi Dei.Vndè, nunquam sunt dispositiones propriæ,sed dicuntur conditiones remouentes prohibens.Itaq;, dispositiones imperfectę antecedẽtes nostrã iustificationẽ,sunt à Deo præueniẽte. Quod patet etiã ex naturis rerũ,vbi non solũ vltima dispositio est ab agente; sed etiã dispositiones quæ paulatim disponunt ad introducendam formam:ergo pari ratione,nõ solum vltima dispositio ad gratiã,est à Deo,sed & aliæ,quæ paulatim emolliunt cor peccatoris. Differt tamẽ,ꝙ naturale agens, procedit per imperfectas dispositiones semper: sed Deus aliquãdo subitò infundit gratiã,cum sit infinitæ virtutis vt patet in Paulo,& Dauid,qui statim correptus,dixit Peccaui. Et in cõcilijs apertè decernitur,ꝙ initiũ nostræ salutis, est à Deo,& quòd dolor de peccatis propter infernitimorem, etiam est Dei donum. ¶ Ex quibus omnibus satis liquet, non esse ferendam sententiam asserentium,opera per vires naturæ facta,ita concurrere & conferre ad gratiam, vt ex eis inferatur infallibiliter, & sequatur vltima dispositio ad gratiam. Nam incidit in errorem Pelagij. Quid enim aliud est dare initium iustificationis,nisi efficere opus, ad quod infallibiliter sequatur iustificatio,vel immediatè, vel mediante aliqua dispositione. ¶ Et multò minùs est ferenda sententia illa,quæ præter infallibilitatẽ moralem,constituit legem vniuersalem,& connexionem necessariã conuersionis,cum operibus & viribus præcisè naturalibus. ¶ Sed respondent isti Pelagium errare, quia dixit,istam dispositionem naturalem,mereri illam gratiam;isti verò,non dicunt esse id ex merito nostro,sed ex misericordia Dei statuentis hanc infallibilem legem.Sed hoc nihil valet: Quia Concilia absolutè definiunt;Et rursùs, quia neque per gratiæ auxilium, potest homo ita se disponere,vt mereatur iustitiam de condigno; at meritum de congruo, ipsi tribuunt illi dispositioni naturali: Cùm ergo Concilia negant,hominem posse se disponere suis viribus; non loquuntur solum ratione meriti,sed perse,ratione dispositionis.Vndè,ad hoc faciunt omnia Concilia citata, & D.August. 1.de prædestinat.Sanct.cap.7.Vbi ait: Quidquid Cornelius,& antè quam in Christum crederet,& cùm credidit,operatus est; totum Deo dandum est. Idem Ambros.super Lucã,lib.2.ca.12.& li.6.ca.32.&li.10. ca.96.Hieroni. li.cõtra Pelag.& in epist.ad Damas. & Chrysost. Homil.42.ad populũ.Gregor.16.moral. ca.11.&li.33.c.25.D.Bern.sermo.8.super Cãtica.Theophil. ad Romi. Et iterum Ambros. super epist.ad Ephes.1.Qui omnes,omnem dispositionem,quæ parat viam ad conuersionem & iustitiam, dicunt esse ex gratia,aut auxilio supernaturali Dei.Et quamuis Pelag.prosè aduxerit Sanctos aliquos;sed falsò,quidem, & præter eorum mentem, vt optimè docet Aug.2,de natura & gratia cap.6.& deinceps. Et Pater Vega,locis citatis.

*D.August.*
*D.Ambros.*
*D.Hierony.*
*D.Chrysost.*
*D.Gregor.*
*D. Bernar.*
*Theophil.*
*D.Ambros.*
*D. August.*
*Vega.*

*Sexta conclusio.*

*Conclus. 6.*

¶ Exta Conclusio. Ad dispositionem ad gratiã, hoc est,vt se disponat homo, non sufficit auxiliũ extrinsecum per modum acceptationis,vel prouidentiæ:sed requiritur intrinsecum auxilium per modũ principij intrinsecè mouentis. Quapropter; temerarium,& forte erroneum est dicere, quòd auxiliũ Dei necessarium, ad hoc vt aliquis se disponat ad gratiam;non necessariò se habet per modum principij mouentis interius, sed solùm per modum acceptionis,vel prouidentiæ extrinsecæ. Quocircà, Caietani sententia,quæ huic nostræ assertioni contraria videtur esse,ab omnibus,tanquam temeraria & forte erronea,repellitur:ait enim actum purè naturalem,quem ille vocat contritionem informem, sine vlla alia motione diuina,per solam acceptationem,vel extrinsecam ordinationem Dei, esse vltimam dispositionem ad gratiam. Estque conclusio hæc contra Scot.& Duran.qui negant,esse necessariam huiusmodi internam motionem Dei. ¶ Probatur nihilominùs præfata assertio,primò ex Scriptura,inqua huiusmodi auxilium ponitur requisitum, propter imbecillitatem nostram, vt interius nos moueat.Vndè Paul.Rom.8.Spiritus adiuuat infirmitatem nostram.Et ad Philip.2. Deus est qui operatur in nobis velle & perficere.Et ibidem: Confidimus,quia qui cæpit in nobis opus bonum,perficiet Et.2.Corinth.3.Nõ sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis,quasi ex nobis. Et Ioan. 15. Sine me nihil potestis facere.Ex quibus locis apertè cõstat, ad gratiam Dei non solùm pertinere reuelare, vel docere extrinsecùs,aut etiam parare occasiones, & remouere impedimenta,aut acceptare seu ordinare nostra opera; verùm etiam pertinet ad gratiam, mouere voluntatem &,cor, & facere in nobis bonam voluntatem,qua disponimur ad gratiam. Qua propter,in ordine ad operasupernaturalia,voluntas nostra habet se sicut instrumẽtũ diuinæ gratiæ viuũ, quod nihil operatur, nisi ex motione principalis agentis,& quatenus ab eo mouetur,vt Isaiæ.10. fignificatur illis verbis:Nunquid gloriabitur securis contra eum qui secat in ea, aut exaltabitur serra, contra eum à quo trahitur? Vndè, liberum arbitriũ vertitur & trahitur à Deo,suauiter tamen. Sic insinuatur Prouerb. 21. Cor regis in manu Domini, quocùmque voluerit inclinabit illud. Sic factum fuit cum Assuero,& Hester.15.de quo dicitur. Conuertit Deus cor regis in mansuetudinem. Veruntamen,quamuis liberum arbitrium se habeat vt instrumentum,quantùm ad hoc, quod est non posse operari supernaturalia,nisi moueatur à Deo; differt tamen longè ab instrumento materiali emortuo,& non libero;quia illud mouetur necessariò, liberum autem arbitrium,mouetur libere & suauitèr, iuxta propriam naturam.

*Rom.8.*
*Philip.2*
*2.Corinth.3.*
*Ioan.15.*
*Isaiæ.10.*
*Prouerb.21.*
*Esther.15.*

Secundò probatur eadem assertio: Quia Sãcti & Concilia dicũt,huiusmodi dispositionẽ esse ex gratia Dei,per modũ adiuuantis infirmitatem nostrã, & mouentis voluntatẽ,imò & causantis,seu afficiẽtis in nobis ipsam volitionẽ,& alios actus, quibus disponimur:ergo necessariò dicendũ est, quòd vltima dispositio est ab auxilio diuino interius mouente & operante. Antecedens probatur ex Cõci.Miletuit.& ex quodam Concilio cuius est epist.95.B. August. Vbi expressè dicitur,quòd gratia necessaria ad opera salutis & ad habendã dispositionẽ requisitam ad iustificationẽ, non tantũ est externa reuelatio, seu prædicatio,sed interna Spiritus Sancti impulsio impellẽtis & mouentis corda nostra. Et in Arausic. cano.3.diffinitur,ꝙ ipsa gratia facit in nobis, vt innocemus Deũ.Et cano 4.diffinitur,ꝙ voluntas,qua volumus purgari à peccato, & iustificari, fit in nobis per infusionẽ & operationẽ Spiritus Sancti.Et cano.5.dicitur,ipsũ initiũ fidei,esse in nobis per inspirationẽ Spiritus Sancti corrigentis voluntatẽ nostram.Et in Trident.sessio.6.cap.5.decernitur, conuersionem peccatoris fieri per gratiam excitantem & adiuuantẽ.Et eodẽ modo loquuntur Sancti.Nam Diuus Ambrosius lib.3.super illud Lucæ.22. Conuersus Dominus respexit Petrum,inquit;Non oculis corporeis respexit,quia Christus erat intus cum principibus.Petrus verò foris,& deorsum, & cum seruis.Et statim; Quod ibi Scriptum est,Respexit eum Dominus,latenter subuenit,cor tetigit,memoriam subleuauit, & reuocauit, interiori gratia sua visitauit Petrum. Quę verba adducens August. libro.1.degratia Christi, cap.45. ex illis concludit in hunc modum:Ecce quomodo Deus adiuuando adest voluntati,& actionibus nostris,& lib. 4. contra duas epist.Pelagianor.ca.5. & epist.107.ad Vitalem,idem docet.Et confirmatur: Quoniam Sancti Patres summopere laborãt circà concordiã liberi arbi-

*D. Augustꝰ.*
*Ambrosius. lib.3.in Lucam.ca.98.*
*D. Augustꝰ.*

arbitrij cum gratia, quam astruebant: sed si solùm ponerent gratiam extrinsecam, sine intrinseca motione, nulla erat difficultas in huiusmodi concordia. Imò verò, Sancti Patres dicunt, esse necessariã gratiam propter defectum, & imbecillitatem virij: ergo intendunt, quòd per illam datur nobis vis & robur ad operandum, & non solum acceptatio, & ordinatio quædam extrinseca.

*Septima conclusio.*

*Concl. 7.* SEptima conclusio. Quidquid potest sumi ex parte creaturæ, secluſa gratia Dei, & auxilio gratuito, non est dispositio ad gratiam, nisi velimus abuti vocabulis, & loqui impropriſsimè. Itaque, quantũcùmque intelligamus, aliquẽ ex facultate naturali pœnitere de peccatis, & diligere Deũ dilectione naturali, & exercere opera naturalia misericordiæ, nihil horũ est dispositio ad gratiã iustificantẽ, secluso auxilio Dei. Vndè, sicut qualitates, quas habet lignũ in se, nõ sunt dispositiones nisi impropriè & passiuè; quia illis etiam intensiſsimè positis, non introducitur forma ignis, sed requiruntur dispositiones agentis: Nã requiritur calor ignis, & cõtactus eius; ita pari ratione, omnia quæ homo potest facere per naturã, non est dispositio inductiua gratiæ, quæ est forma supernaturalis; sed habent se istæ actiones, sicut siccitas in ligno, quæ quantũcùmq; in suis gradibus sit intensa, non inducit formam ignis, sed solùm se tenet passiuè ex parte passi. Et ita simpliciter fatendum est, quòd nullus se potest præparare & disponere ad gratiam, nisi sit præuentus à Deo, specialiter supernaturaliter illum mouente. Quod aperte colligitur: Quia in omnibus rebus naturalibus cernimus, quòd dispositiones solùm sunt illæ, quæ introducuntur ab agente: ergo idem erit in nostro libero arbitrio. Item; Nam dispositio & forma, ad quam disponit, debent esse eiusdem ordinis: ergo cùm gratia sit forma supernaturalis, dispositio quæ ad gratiam disponit, debet esse supernaturalis; aliàs quomodo obseruaretur proportio? vel quomodo lex esset rationabilis & suauis, si operationes merè naturales, essent dispositiones ad gratiam? Profectò, lignum nũquã se disponit ad formam ignis per siccitatem; Nam quis vnquam dixit, quòd elementum terræ, quod est summè siccum, siccitate sibi cõnaturali, se disponit ad formam ignis per siccitatem sibi naturalem: igitur omnis dispositio efficitur ab agente, qui conatur introducere suam formam: ergo pari ratione, omnis dispositio ad gratiam, efficitur ab agente supernaturali, conante introducere formam supernaturalem sui ordinis. Tandem, Concilia planè decernunt, omnem motum ad salutem pertinentem, & omne initium iustificationis nostræ, esse ex Deo, vt fuse suprà deduximus. ¶ Obserua tamen, quòd prefata conclusio, non solùm est vera in hoc statu naturæ lapsæ, sed etiam in quocumque hominis statu. Itaque, quãtumcunque homo per solam naturam operaretur, siue in puris naturalibus, siue in natura integra, nihil istorum disponeret ad gratiam, aut haberet valorem ad illam. Nam, vt dictum est, quãtumuis lignum rarefiat, & exiccetur, nunquam introducetur forma ignis, nisi illi applicetur ignis, & introducatur calor: sic ergo in quocumque statu, quantùmcunque habeat homo actus naturales perfectiſsimos, nisi promoueatur à Deo supernaturaliter, non se disponit ad gratiam ex virium naturalium valore, exercito per actus naturales vt sic.

*Octaua conclusio.*

*Concluſ. 8.* OCtaua conclusio. Nullum est constituendum meritum de congruo in peccatore, respectu primæ gratiæ, & consequenter opera moraliter bona, ex naturæ facultate nata, non habẽt hanc rationem congruitatis meritoriæ. Imouerò, Deus sæpiùs iustificat homines, in quibus hæc congruentia non reperitur, vt patet in cõuersione Pauli, Magdalenæ, & Latronis. Et quamuis, in operibus miseri cordiæ viribus naturæ factis, & in remissione iniuriæ illatæ, & in oratione à peccatore in Deum fusa, per modum impetrationis, fit nonnulla vis, ad misericordiam Dei impetrandam ex mera liberalitate Dei; tamen ratio meriti etiam de congruo, prorsus est explodẽda ab huiusmodi operibus, sicut & ratio dispositionis. Nam profectò, impetratio innititur soli liberalitati & misericordiæ; meritum verò, iustitiæ; Nam dicit ordinem ad præmium; & peccatori nihil debetur ex merito, neque exmerito congruitatis, vt statim ostendemus. Hæc assertio, est contra Scot. locis citatis, qui dicit, posse hominem habere attritionem, naturæ viribus præcisè, & hanc dicit esse meritum de congruo iustificationis. Imouerò dicit, esse dispositionem ad gratiã, si debitis circũstantijs sit vestita; aliàs difficilè, inquit est saluare, quòd Deus nõ sit acceptor personarũ. Idẽ tenent Durãd. Adrian. & plerique alij Nominales. Sed dicunt Scotus, Adrian. & Duran. quòd meritum de congruo, non est sicut meritum de condigno, cui de iustitia debetur præmium; sed solùm, cui debeatur ex sola congruitate, quòd dicunt, vt fugiant à Pelagiana sententia. Veruntamen, hoc non satisfacit. Nam meritum decongruo in peccatore, pugnat cum gratia. Nam prima gratia iustificans impium, nulla ratione illi debetur: Quia iuxta Paul. Rom. 4. & 11. Si ex debito, non ex gratia. Et si ex operibus, iam non est gratia: ergo nulla est ratio meriti in ordine ad primam gratiam. Quoniam, teste Paulo, meritum dimi nuit de ratione gratiæ, imò tollit gratiam. Item, ex puris naturalibus nulla datur dispositio respectu gratiæ: ergo neque meritum de congruo ex puris naturalibus, respectu eiusdem gratiæ. Ostendo cõsequentiam. Nam maiorem videtur habere energiam meritum de congruo, quam dispositio, vt hic dicũt Theologi, etiam iuniores, & Pater Medina. Nam meritum est correlatiuum ad præmium, mercedem, & debitum: ergo vbi nulla est ratio debiti vel præmij, non est ratio meriti: At prima gratia iustificans, nulla ratione nobis debetur, vt diximus ex Paulo. Vndè, Auguſt. explicans illud Rom. 3. omnes peccauerunt, & egent gratia Dei, dicit, Antè istam gratiam, nihil præcesit, nisi quo damnari merebamur. Et epist. 106. Antè iustitiam impius, quid est nisi impius? quem si debitum sequeretur, quid eius merito nisi supplicium, redderetur? Et sermo. 15. de Verbis Apostoli, interpretans illud Paul. Gratia estis saluati per fidem, & hoc non ex vobis, ait. Non ex operibus, inquit Paulus, ne fortè dicas, promerui & ob id accepi: non putes te promerendo accepisse, &c.

*Rom. 4. & 11.*

*Aug. serm. 2. in psal. 8 & epist. 106.*



&c. Et statim: Gratia præcesserit meritum tuum, non graria ex merito, sed meritum ex gratia. Nam si gratia ex merito, emisti, & non gratis accepisti; omnia merita præcedit, vt dona tua consequantur merita tua; Prorsus, gratis das, gratis saluas, qui nihil inuenis vndè saluas. Et psal. 43. sic colligit discursum Auguſt. Antè quam esses, non poteras mereri vt fieres: igitur ante quam iustus esses, non poteras mereri vt iustus fieres; Non fuisti, factus es; Quid Deo dedisti? Malus fuisti, iustificatus fuisti; Quid Deo dedisti?

*Ephes. 2.* Quæ omnia videtur definire Paul. ad Ephes. 2. dicens: Creati in operibus bonis. In quo insinuatur, id nos attulisse ad iustificationem, quod ad creationem attulimus, quantùm est ex nobis.

*Bernard.* D. Bernard. sermo. 67. in Cant. ait: Nolo meritum quod gratiam excludit, horreo quidquid meum est, vt sim meus. ¶ Ex qua doctrina colligo, quòd præparationes illæ quæ anteuertunt gratiam iustificantem, licèt sint à Deo, vt timor gehennæ, &c. nõ debent dici meritum de congruo, gratiæ iustificantis, vt patet ex dictis: Nam omne meritum innititur amicitiæ: igitur si homo est impius & peccator, & caret hac amicitia, nihil ei debetur, nisi suppliciũ, vt dicit Auguſt.

*D. Auguſt.* ¶ Sed obijcies Auguſtinum epist. 105. dicentem, quòd neque ipsa remisio peccatorum fit sine aliquo merito, si fides hanc impetrat, secundum quam ille dicebat; Propitius esto mihi peccatori, & descendit iustificatus merito fidei, fidelis humiliatus. Et lib. de Prædestinat. Sanct. cap. 7. ait. quòd Cornelius meruit credere, quoniam erat vir probus. Et sanè, Auguſt. certò existimauit, quòd si fides est à nobis, pari ratione esset à nobis aliquod meritum ad gratiam iustificantem; sed fides aliquando infunditur priùs tempore, quam gratia iustificans: ergo potest esse meritum nostræ iustificationis. Itẽ; Deus iubet vt remittamus offensas, Matth. 6. & Lucæ. 6. ergo si peccator offensus remittat iniuriam sibi illatam, obseruans mandatum Domini: Dimittite, & dimitteturvobis; sequitur quòd meretur de congruo, vt sibi dimittatur offensa, cuius debitor est. Origenes homi. 3. in Leuit. ait, quòd pronunciare peccatũ meretur remissionem peccatorum: ergo arrè remissionem peccati, est aliqua ratio meriti. Respondetur, quòd interdùm Sancti Patres, dummodò constaret de veritate, non erant vehementer anxij de rigore vocabulorum; & ob id, nonnunquam vsi sunt vocabulo, meritum, in significatione impropria. Sic solemus in communi loquendi modo dicere peccatoribus; Ieiunate, facite eleemosynas, vt mereamini exaudiri à Deo, id est, facite hæc opera quantùm in vobis est, vt si placuerit Deo, vestri misereatur. Et hoc fuit consilium Danielis: Peccata tua eleemosynis redime. Et Tobiæ. 4. Eleemosyna à morte liberat. Secundò dico, quòd per fidem & huiusmodi opera, fides habet modum impetrandi diuinam misericordiam: Nam docet fides, quomodò debeamus orare, & à quo debeamus petere. Tertio respondetur, quòd si aliquando dicit Auguſt. fidem mereri iustificationem, loquitur de fide viua, & de augmento iustificationis, iuxta illud: Qui iustus est, iustificetur adhuc. Et hic fuit sensus Auguſt. vt S. Thom. docet. 1. 2. q. 114. art. 5. ad. 1. Et Magister in 2. dist. 27. & vt ipse Aug. se ipsum interpretatur epist. 106. An verò in operationibus moraliter bonis, siue sint ortæ ex bona aliqua inspiratione, siue ex libero arbitrio, antè iustificationem, sit in eis aliqua congruitas, & decentia, expulsa ratione meriti de condigno, aut de cõgruo, vt sic inuitetur diuina misericordia &, iustificetur? dicemus infra, q. 114. Nã D. Anſel. dicit, suppositis his operibus, esse nõ quidẽ meritum, sed congruentiam ex parte Dei. Nam ait, loquens cum Deo: Cùm punis malos, iustus es; quia illorum meritis conuenit; cùm verò parcis malis, iustus es; non quia illorum meritis, sed quia tuæ volũtati est congruum. Quòd verò sit congruentia, seu decentia ex parte peccatoris benè moraliter agentis, dicit hic Pater Medina: Quia certum est, quòd peccator plerisquè operibus bonis deditus, minorẽ repugnantiam habet ad gratiam iustificantem, quã homo sceleribus onustus: sicut lignum aridum, minorem repugnantiam habet ad combustionem, quã si sit madidum. Imouerò, S. Thom. 3. p. q. 4. art. 1. dicit, quòd in natura humana, erat congruẽtia vt assumeretur à verbo diuino, quæ consistebat nõ solùm in dignitate naturæ, sed in necessitate, in qua erat constituta, propter miseriam lapsus: ergo pari ratione, in operibus moraliter bonis est quædam congruentia seu decentia, vt Deus misereatur peccatoris, &c. quæ tamen decentia, aut congruentia, non fundat rationem iustitiæ aut meriti, vt faciat debitum; imouerò Deus plerùmque præterit hanc congruentiam, & non iustificat eos, in quibus inuenitur, vt patet de conuersione latronis, & Pauli. Imò vlterius, ex duobus, in quibus æqualis congruentia reperitur, vnus dimittitur & alter iustificatur, pro suo beneplacito, ne glorietur omnis caro ex operibus coram illo. ¶ Fateor tamen, posse iustum & amicum Dei, mereri de congruo conuersionem alicuius, orans Deum pro ipso vt conuertatur. Nã æquitas est, Deum exaudire amicos suos pro peccatoribus orantes. De D. Paulo inquit Aug. quòd illum habemus ex precibus Stephani, & non illi meruit gratiam de condigno: ergo de congruo. Et Sancti Patres antiqui meruerunt incarnationem Christi, de congruo; quæ est fons gratiæ iustificantis, veruntamen hæc congruentia supponit gratiam, & opera grata à gratia procedentia; & rursus, hæc congruentia non fundat rationem iustitiæ, iuxta explicationem suprà datam. Et S. Thom. apertè dicit, antiquos Patres meruisse decongruo incarnationem Domini. Verùm hoc meritum de congruo est, quia nõ habet legem, in qua fundetur, vt exaudiatur amicus Dei pro altero amico, licèt oratio omnis debitè facta, à peccatore etiam fusa, habeat aliquam vim impetrandi misericordiam Dei, vt diximus suprà.

*D. Anſelm.*

*Matth. 6. Lucæ. 6.*

*Origenes.*

*Tobiæ. 4.*

*D. Auguſt.*

Veritas etiam huius octauæ assertionis, constat satis. Quoniam si tempore Pelagij esset inuentum hoc meritum de congruo, vt antecedens iustificationem, & id darent Sancti Patres Pelagio; profecto Pelagius nihil ampliùs petijsset ex nobis, ad iustificationem. Nam Pelagius optimè cognoscebat, inter Deum & creaturan rationalem, non esse rigorem iustitiæ; & ob id contentus esset Pelagius, si ei concederetur hoc meritum de congruo, ex nobis. Nam Pelagius, constituebat meritum primæ gratiæ nè Deus videretur acceptor personarũ: si verò concedatur Pelagio tale meritum de congruo, iam Pelagius haberet, quo dissolueret nodum de acceptio

ne personarum. Et ob id,Scotus dicit, se difficilè posse saluare Deum esse acceptorem personarum,si ne hoc merito de congruo;in quo sentit cum Pelagio:ergo nulla ratione est constituendum meritum de cõgruo respectu primæ gratiæ. Neq; ob id Deus est acceptor personarum:Quoniam in gratuitis,nulla potest esse talis acceptio,dicente euangelio:Amice, non facio tibi iniuriam, an non licet de meo, quod volo, facere? An oculus tuus nequàm est, quia ego bonus sum?Et ob id Paul.comparat peccatores luto,in manu figuli.Tandem, meritum de cõdigno, non dicitur tale, quia Deus debeat nobis præmium propriè ex vi operis præcitè;sed quia ipse promisit, & statuit legem certissimam, de præmio reddendo:sed, vt aduersarij dicunt,Deus fecit legẽ infallibilẽ,quòd facienti quod in se est ex facultate naturæ, continuò datur gratia, & hoc quidem ex merito operum:igitur tale meritum, debet appellari de condigno;Quod sanè repugnat primæ gratiæ.

*Nona conclusio.*

*Conclus.9.* NOna conclusio.Quamuis peccator proprijs viribus non possit habere dispositionem præparatoriam, seu vltimam ad gratiam;nihilominùs oportet fateri,quòd absolutè loquendo, quiuis peccator potest habere dispositionem ad gratiam.Num Deus quantùm est de se,omnibus dat auxilium:gratiæ necessarium, vt se conuertere possint,si velint. Probatur ex plerisque testimonijs Scripturæ,potissimè.Isai.65.Expandi manus meas tota die, ad populum incredulum,& cõtradicentem mihi:Quo testimonio vtitur Paul.Rom. 10. Vbi ex professo ostendit hanc veritatem dicens:Ne dixeris in corde tuo, quis ascendet in cœlum.Et statim :Prope est verbũ in ore tuo & in corde tuo.Quasi dicat : Ne reputes impossibile ascendere in cœlum , & vitam æternã cõsequi;nam prope est & ad manum Dei auxilium quo id possis.Et Prouerb.1.Sapientia foris prædicat in plateis dat vocem suam,in capite turbarum clamitat,in foribus portarum vrbis profert' verba sua, conuertimini ad correctionem meam:en proferam vobis spiritum meum.Et statim: Vocaui & renuistis, manus meas extendi, &c.Cant. 5. Vox dilecti mei pulsantis.Aperi mihi soror mea. Apoca.3 . Ecce sto ad ostium,&pulso Ioan.1.Qui illuminat omnem hominem.Et tandem,id ipsum colligunt Sancti Patres ex verbis Paul.1.Tim. 2. Deus vult omnes homines saluos fieri.

*Isaiæ.65.*
*Rom.10.*
*Proverb. 1.*
*Cant.5.*
*Apocal.3.*
*Ioan.1.*
*1.Timo.2.*

*Obiectio.* Ex dictis dissoluitur scrupulus quorundam, qui ita obijciebant:Si oportet Deum præuenire semper hominem,vt disponatur ad gratiam,sequitur quòd si permanserit multo tempore in peccato , illud nõ est imputandum homini,sed Deo qui non dedit tale auxilium,vt se præpararet ad gratiam. Respondetur sanè,quòd Deus prestò adest semper, imo est paratissimus subuenire homini,si ille non cõtradicat stat ad ostium & pulsat.Vbi insinuatur, quòd Deus præuenit peccatorem.Quocircà planè sequitur,nõ esse ex defectu Dei,quòd aliqui pereant, aut quòd non se disponant ad gratiam;sed esse ex defectu hominis, & liberi abitrij nolentis cooperari diuino auxilio.Nam homo est liber. Imouerò si subtraheret Deus auxilium , per hoc quòd subtraheret,neq; faceret illi iniuriam;quia nihil debet homini peccatori,neque necesitaret ad peccandum . Et ob id, quòd conuertantur aliqui , ex gratia Dei prouenit, consentiente libero arbitrio & non contradicente. Nam,vt legimus Oseæ.13 .Perditio tua ex te Israel, tantummodò ex me auxilium tuum . Ad id etiam est egregium testimonium Deutero.8.vbi recensentur pleraque Dei beneficia in populum, & egregia facta eiusdem populi & ad extremum ait: Misertus est tui,ne diceres in corde tuo,fortitudo mea,& robur manus meæ , hæc mihi omnia præstiterunt; sed recorderis Domini Dei tui, quòd ipse vires tibi præbuerit.&c. ¶ Sequitur etiam ex dictis, qualiter debeat intelligi,& cõcordari varia testimonia Scripturæ,& Sanctorum Patrum,quæ prima facie videntur contraria.Nam in quibusdam, totum negotium conuersionis,videtur tribui libero arbitrio, in alijs totum videtur tribui gratiæ;intelligendũ est, quòd totum pendet ex gratia,& totum ex libero arbitrio secundùm diuersas rationes,& secundũ diuersum modum causalitatis. Ex gratia enim pendet , vt ex primo mouente,& præbente vires;ex libero autem arbitrio,vt ex consentiente , & recipiente per modum causæ materialis . Quod quidem mirabiliter docuit Paul.1.Corinth.15.dicens : Gratia autẽ Dei sum id quod sum , & gratia eius in me vacua non fuit,sed abundantiùs illis omnibus laborani ; non ego autem,sed gratia Dei mecum.Vbi Paul.fatetur, pendere illa omnia & ex gratia Dei, & ex libero arbitrio.Et ob id vltimò concludit,Et gratia Dei mecum.Et ità Trident.sessio.6.ca.5.ait , q̃ cùm in Scriptura dicitur,conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos;libertatis nostræ admonemur; cùm verò respondemus,Conuerte nos Domine ad te,&conuertemur;Dei nos gratia præueniri confitemur.De hac re legendus est Cassian.collat.3.à cap.2. vsque infinem,& collat.13.cap.9. &.10 . Legenda etiam sunt, quæ nos diximus fusè.1.p.q.23.art.3. Et de hac re iterum nonnulla dicemus inferiùs.

*Oseæ.13.*
*Deutero.8.*
*1.Corinth.15.*
*Cassianus.*

*Ad argumenta in exordio disputationis facta.*

*Ad argumẽta Ad.1.* AD argumẽta initio facta quæstionis. Ad.1.Respondetur, negando consequentiam : Quia vt homo recedat à Deo fine supernaturali,satis est efficere aliquid contra rationem , sed vt conuertatur, non sufficit quoduis opus rationi consonum,sed requiritur speciale auxilium,quòd quia prẽsto est omnibus,imputatur illis,si non conuertantur, Neque illa maxima,Si affirmatio est causa affirmationis,habet locum: Quia solùm intelligitur , quando causa affirmationis est adæquata,& eiusdem ordinis: non ergo est causa dispositionis sola voluntas;sed etiam auxilium Dei.Imouerò,licèt maxima illa , hoc modo intellecta,verum habeat ab affirmatione ad negationem;non tamen est verum , quòd si negatio est causa negationis,affirmatio sit causa affirmationis. Quia cũ negatio dicat malũ , quod resultat ex quolibet defectu,ideo sufficit sola volũtas hominis: vt sit causa negationis;ad affirmationẽ verò , cũ sit bonũ,& cõstet ex integra causa, requiritur etiã auxiliũ Dei.Dico secũdò,magis requiri vt homo disponatur,quã vt deficiat à dispositione; & ideò potest ipse esse totalis causa q̃ nõ disponatur;quia ex se habet repugnare; non autẽ q̃ disponatur ; quia ex se non habet gratiam . Et maxima illa intelligitur



tur in causis totalibus& adæquatis,vt vidimus.Quãdo verò negatio est solùm causa partialis , tunc ex contraria affirmatione,non affirmatur effectus. Cuius ratio insinuata est: Quoniam negatio cùm sit de genere malorum, ex quocùmque particulari defectu cõsurgit;affirmatio verò cùm sit de genere bonorum,ex omni causa debet consurgere .Et ita cernimus,quòd quando duæ causæ partiales debent concurrere ad eundem effectũ,negatio vnius,sufficienter,infert negationẽ effectus;cùm tamen affirmatio contraria,nõ inferat effectum . Sic ergo in proposito,ad iustificationem hominis , & ad præparationẽ ad gratiam concurrit liberũ arbitriũ,& simul auxilium Dei.Vndè,ex negatione cuiuscùmque , sequitur negatio effectus;affirmatio tamen debet esse ex affirmatione vtriusque causæ.¶ Ad primam Confirmationẽ.Inter iuniores, Pater Medina , postquã attulit D.Thom.sententiã & solutionem,secundo loco dicit,esse probabilem sententiam Doctorum , q̃ faciẽti quod in se est ex facultate naturæ,Deus ex sua misericordia,nũquã denegat gratiam ;quod neque esse tutũ,neq; satis probabile,suprà fusius ostẽdim⁹. Imouerò,hoc est alienũ à sentẽtia sui Præceptoris Sãctissimi,qui docet,quòd homo nũquam facit quod in se est,respectu gratiæ, nisi sit præuentus auxilio Dei gratuito.Quia nihil potest facere respectu gratiæ,nisi à Deo moueatur,Ioan.15. Sine me nihil potestis facere.Et ob id,cùm dicitur, quòd est in potestate hominis facere quod in se est; intelligitur secundũ q̃ est motus à Deo:Nisi enim ex auxilio gratiæ Dei,non potest homo facere aliquid conducẽs ad receptionem gratiæ.Vndè , magis consentaneũ est Sanctis Patribus,quòd facienti quod in se est ex diuino auxilio,quod prẽsto adest,Deus ex sua misericordia dat gratiam.Nam non est lex, quòd homini peccatori operanti ex facultate naturæ quòd in se est,continuò conferatur gratia,vt paulò inferius consentit Pater Medina.Dico,quòd licèt ex viribus naturæ,homo faciat totũ,quod potest , totum illud non sufficit ad promerendam gratiã, neque sufficit tanquam dispositio per se parans viã,licèt sit remota:sed requiritur semper auxiliũ supernaturale Dei; quia est res longè inferioris ordinis. Verũ est tamẽ, quòd inuitatur diuina pietas & misericordia;& sic præuenitur homo à Deo,vt verè disponatur: Deus ergo nõ denegat gratiã iustificationis,faciẽti quod in se est viribus supernaturalibus;secus tamen faciẽti quod in se est præcisè viribus naturæ.¶ Sed dicunt aliqui,quòd licèt nõ det gratiã iustificationis; confert tamen Deus auxilia,quibus possit ad illam peruenire,scilicet,maturè instruendo illum in fide mediatoris,saltẽ implicitaper se,vel per angelũ,vel per hominem : hoc enim spectat ad communem prouidentiam supernaturalem.Et ob id dicunt,sine miraculo hæc fieri posse.Et citatur pro hac re Gersalphabeto.24.litera.M.in regulis moralib. & Gabr. in.2.d.27.q.vnica,& d.22.q.2.cum Alexandro.2.p.q. 129.memb.8.& Vigerius cap.5.§.3.verb.1. in fine.Si isti intelligunt esse aliquam legem vniuersalem omnino,& infallibilem,malè loquuntur,vt.4. conclusione fusè deduximus.Siverò intelligunt,quòd inuitatur diuina pietas & misericordia ab huiusmodi hominibus ita operantibus,iuxta suprà dicta , id quidem verum est.Ad illud verò de non repugnãtia respectu gratiæ,arbitror me satis dixisse.1.p.q.23 art.5.disputat.1.cõclus.5.& præcipuè in solutionib. argumentorũ Henrici,ibi contentis. ¶ Ad.2.cõfir. Pater Soto.2.de natura & gratia cap.3.&.4. & in.4. d.14.q.1.art.5.Pater Cano,& Victoria,& alij ex familia D.Tho.quos refert hic Pater Medina, dicunt , q̃ dispositio merè naturalis simul cũ sacramento,sufficit ad obtinendã gratiã,quæ licèt cũ sacramento dicatur sufficiens;tamen nõ indè colligitur posse hominẽ se præparare ad gratiã,ex sola facultate naturæ.Quia talis præparatio,non est sola attritio per se præcisè,sed cum sacramento,quod potissimè videtur habere verũ in sacramentis mortuorũ.Nã sacramenta conferunt gratiã non ponentibus obicem; qui autẽ habet doloré attritionis de peccatis, remouet animũ à peccatis,& non ponit obicem.Verũtamen hoc mihi non probatur:Nã existimo , quòd dispositio requisita etiã cum sacramento, debet esse supernaturalis in ordine ad iustificationem. Et hoc esse verũ colligo ex Triden.sessio.14.ca.4. & sessio. 6.ca.56.Et ex Arauf.cano.8.&.35.Et probatur efficacitèr:Quoniã si ex parte intellectus etiam cũ sacramento,requiritur dispositio supernaturalis:ergo & ex parte voluntatis.Cõfirmatur,Quoniã attritio naturalis,potest haberi sine fide: ergo cũ sacramento posset homo iustificari sine fide per talẽ attritionẽ. Profectò,sicut docet fides, q̃ sine cognitione supernaturali , impossibile est placere Deo;ita docet , q̃ sine voluntate supernaturali;sed ab illa regula nullus excipitur euentus,etiã cũ sacramento : ergo néque ab ista.Si dicas:In quo distinguitur attritio supernaturalis à naturali? Respondetur,non in hoc q̃ naturalis fit propter motiuũ naturale ; vel in hoc q̃ sequatur cognitionẽ naturalem;attritio verò supernaturalis non itẽ.Nãpropter motiuũ supernaturale & supernaturaliter cognitũ,possumus habere attritionẽ naturalẽ,sicut & dilectionẽ , spem & timorẽ, & è contrario propter motiuũ naturale cognitum per fidẽ,possumus habere supernaturalẽ attritionẽ, vt propter deformitatẽ peccati,& offensam.Distinguntur ergo sicut suprà deduximus de dilectione naturali , & supernaturali , quòd attritio naturalis fundatur in ordine & communicatione naturali;at verò attritio supernaturalis innititur ordini supernaturali,& auxilio Dei supernaturali, & est donum Dei, vt Concil.dicit.Vndè haberi non posset,nisi homines essent constituti in ordine gratiæ.Quocircà, damnati qui iam sunt extra istum ordinem,in statu, in quo sunt,dicuntur incapaces huius speciei doloris.¶ Ad.3.confir. lege quæ diximus indiscursu.9. conclusionis. Nam ibi fusè prosequuti sumus solutionẽ,& etiã conclusione.4.5.&.6. Cum ergo dicũt homines, Quid ampliùs facere debuimus , si fecimus quod in nobis est,& gratiã qua cõuerteremur, non accepimus;Respondet August. Quiescant homines sic murmurare;Nam fortè rectè conquereréetur si prẽsto Deus non adesset,qui auersum reuocat & credentem doceat:nõ enim homines sunt in culpa,quia inuiti ignorant;sed quia medicinam negligunt.Si rursùs vrgeas pro hominibus , qui non negligunt quærere remedium : Respondet iterum Aug.quòd condemnantur,vel ratione peccati originalis,vel aliorum scelerum , quæ addiderunt ad peccatum originis.Tandem dico,quòd homo absque

*Ioan.15.*

*Ad confir.1*

*Ad confir.2*

*Ad confir.3*

*D. August.*

que omni auxilio supernaturali, non habet extin-
ctum liberum arbitrium, vt non possit quidquam
facere, imò potest benè moralitèr agere, imò inuita
tur à Deo & pulsatur vt se conuertat. Et hoc est ma-
ximè expediens diuinæ & suauissimę prouidentiæ
*Ad secundū* Dei¶ Ad secundū respondetur primò, falsum esse ꝙ
possit homo viribus naturæ cognoscere peccatum,
quatenus est offensa diuinæ amicitiæ, quæ habetur
per charitatē, hæc enim sola fide cognoscitur, sed,
an homo possit cognoscere peccatū pro vt est offē
sa Dei, suprà diximus art.3. Respondetur secundò, ꝙ
etiam supposita huiusmodi cognitione, non potest
homo detestari peccata, aut dolere de illis prout
oportet: non enim potest diligere Deū super omnia
efficacitèr & simplicitèr; dolor autem qui est vlti-
ma dispositio ad gratiam, procedere debet ex dile-
ctione Dei efficaci super omnia. Quia debet esse sū
ma dilectio ex toto corde, & ex tota mente. Vndè,
detestatio peccati ex sola facultate naturæ, non est
dispositio: Quia dispositio ad gratiam, non est qui-
cùmque dolor, sed efficax propter Deum summè di
lectum, & cum firmissimo proposito cauendi in fu
turum, quæ sine dono gratiæ auxiliantis non haben
tur. Imouerò, Caiet. qui dixit, ex facultate naturæ
posse nos habere contritionem, quod est contra fi-
dem; reseruauit præparationem ad gratiā Deo, nè
glorietur omnis caro coram illo, ex operibus suis.
Nam dixit, quòd talis contritio ex viribus naturæ
nata, vt sit sufficiens præparatio ad gratiam, postu-
lat acceptationem Diuinam, & gratuitam Dei mo-
tionem. Verū est, quòd errat Caiet. in hoc quòd cre
dit, quòd acquisita contritio ex naturalibus, non
perdonū habituale superadditū, sed quia dignatur
Deus vti nostra acquisita contritione, vt dispositio-
ne vltima ad suum proprium opus, quod est chari-
tas; sic transfertur talis contritio in vltimam disposi
tionem ad gratiam habitualē. Sed de errore Caiet.
*Ad tertium* suprà satis diximus.¶ Ad.3. posset responderi, quòd
ratio S. Tho. non est demonstratio metaphysica, aut
Mathematica, sed est optima congruentia moralis,
supposita veritate fidei, & doctrina Sanctorum Pa-
trum. Secundò respondetur, quòd duplicitèr potest
aliquis causare dispositionem ad aliquam formam,
vel finem. Primò materialitèr; quia facit rē, quæ est
dispositio, sed non ex intentione talis finis. Secūdò
formalitèr, quia facit opus ex intentione talis finis.
Ad causandam dispositionē primo modo materiali
ter, idest, id quod est dispositio, non semper requiri-
tur motio principalis agentis; ad causandā autē dis-
positionē formalitèr secundomodo, requiritur talis
motio. Et hoc potissimū habet verum in agentibus
humano modo, & ex deliberatione, vt in proposito
contingit. Quocircà, semper est dicendū, ꝙ agēs in
ferius nunquā sic disponit & præparat materiā agē
ti superiori, vt inducat vltimā dispositionē. Et ratio
D. Tho. ita debet intelligi, & formari: Omnis causa
operatur effectus suos propter suū finē: ergo causa
prima ordinat suos effectus in suū finē, & consequē
ter omnes illi, inclinatione quadam vniuersali, vt
sunt effectus Dei, ordinantur in ipsum Deum, & in
gloriā eius: sed Deus specialiter est causa hominis
quantū ad esse supernaturale: ergo ob id specialiter
debet dirigi & moueri ab ipso Deo, in finem ipsius
Dei, hoc est, in bonū & gloriā ipsius Dei; & hoc est
conuerti hominē cōuersione supernaturali, in ipsū
Deū, nēpè, ꝙ intendat ipsius Dei gloriā & bonū, nō
generaliter vt omnes creaturæ, sed specialitèr secū
dū ꝙ est ordinis supernaturalis: igitur huiusmodi
cōuersio debet esse supernaturalis, vt sit proportio-
nata ordini supernaturali, in quo constituitur à
Deo, & vt sit proportionata fini supernaturali, quē
intēdit; & pari ratione formæ supernaturali recipiē
dæ, nēpe diuinæ gratiæ.¶ Ad cōfirmationē respōde *Ad Confir.*
tur, ꝙ dispositiones ad animā intellectiuā, fiunt vir-
tute animæ intellectiuæ, quæ est in generāte, & per
consequēs virtute Dei, à quo est anima intellecti-
ua. Alij respōdent, ꝙ dispositiones, quæ virtute ani-
mæ rationalis fiūt, habēt ordinē & proportionē ad
animā, quæ debet introduci. Sed in proposito, cùm
gratia sit omnino Supernaturalis, nihil quod opera
tur homo suis viribus naturalibus, habet proportio
nē ad gratiā; Et ob id nō potest esse dispositio ad il-
lā.¶ Ad quartū Respōdetur, negādo consequētiam. *Ad Quartū*
Rursùs negandū est, quòd opera moralia habeāt im
mediatū ordinē dispositionis, respectu gratię. Pater
Medina dicit, quòd est immediatus ordo inter opus
morale, & opus gratiæ, sed nō inter opus morale, &
tale opus gratiæ, scilicet, habitualis: Quia mediat cō
uersio supernaturalis, quæ est præparatio ad gratiā.
Sed semper dico, non esse immediatū ordinē inter
opus morale, & gratiā; Quia nō est ordo immedia-
tus dispositionis ad illā, vt suprà deduximus.¶ Ad. *Ad Quintū*
quintū satis diximus suprà q.89. art.6. vbi diximus,
de puero perueniēte ad vsum rationis, quòd tene-
tur ad minus in primo instāti se cōuertere in Deum
implicite. Nā cū omnis volitio aut cognitio, quæ im
plicita est vnius, sit explicita alterius; tunc tenetur
homo habere actū, quo explicitè velit bonū hone-
stū, aut finē debitū, seu viuere secundū rationē, in
quibus Deus implicitè cōtinetur; atq; ita, qui hunc
finē proponit, & ita eligit, ad Deū se cōuertit. Quæ
doctrina est S. Tho. loco citato, à quo ferè nullus di-
scordat, vt latius citato loco ostēdimus; Sed nihilo-
minus vt iustificetur in eo instāti puer ille, indiget
necessariò supernaturali motione. Nā necessaria etiā
est illi cognitio fidei supernaturalis, vt iustificetur.
Quia sine fide impossibile est placere Deo, vt dicit
Paul. Imouerò, nullū est aliud argumētum Pauli in
epist. ad Rom. & ad Gala. nisi ꝙ ad iustificationē, nec
sufficit circūcisio, nec præputiū, idest nō sufficiunt
opera ex lege facta, aut ex natura, sed requiritur fi-
des supernaturalis, Et ita ad Galat.5. ait: In Christo *Galat.5.*
Iesu, nec circūcisio aliquid valet, nec præputiū, sed
fides quæ per charitatē operatur. Et ad Rom.1. addu *Rom.1.&3*
cit Pau. illud Abach. 2. Iustus autē ex fide viuit. Et
c.3. Iustitia Dei ex fide, in omnes & suprà omnes. Et
c.4. Credidit Abrahā Deo, & reputatū est ei ad iusti *Hebræ.11.*
tiā. Et ad Hebrę.11. Sine fide impossibile est placere
Deo. Et in Conc. Trid. sessio.6. c.6.7.&.8. dicitur: Cū
verò Apostolus ait; iustificati ergo per fidē, & c. ea
verba in eo sensu accipiēda sunt, quē perpetuus Ec
clesiæ tenuit cōsensus, & expressit, quòd, scilicet ex
fide dicamur iustificari; quia fides est initiū & fūda
mentū nostræ salutis, & prima radix iustificationis.
Quia sine fide impossibile est Deo placere, & ad fi
liorū eius cōsortiū peruenire. Et ratio huius optima
est: Nā creatura rationalis, in hoc differt à cæteris,
quòd ipsa potest aliqua eius actione, attingere Deū
ipsum



ipsum immediatè, vndè eius beatitudo consistit in
visione & amore Dei: ergo necesse est quòd dū ho-
mo est in hac vita, disponatur ad hunc supernatura-
lē finem, dispositionibus eiusdē ordinis: sed cogni-
tio naturalis, nō est eiusdē ordinis: requirit ergo fi-
dē supernaturalē. Dico ergo, ꝙ si fecerit puer per-
ueniēs ad vsum rationis, quæ in argumēto dicūtur,
tunc habebit motionē Dei & inspirationē, lumēq;
supernaturale refulgebit, inspirabiturq; voluntas, &
cōcutietur cor illius per diuinū amorē; sicque nun-
quā fiet vt iustificetur ex naturali dispositione. Vn-
dè, cū nostrę salutis mysteria, sacer Euangelista tra-
ctaret, dicturusque, de plenitudine Christi nos om-
nes accepimus, & gratiā pro gratia; paulò antea di-
xit de Christo, quē infra dicit nō receptum fuisse à
*Ioan.1.* mūdo, in quo erat (Imo verò, cū esset in carne, mun
dus eū nō cognouit) quòd illuminat omnē hominē
venientē in hunc mundū; & loquitur potissimè de
illuminatione supernaturali, qua illustrātur intelle-
ctus & volūtas, vt Sancti Patres sentiunt in explica-
tione Ioan. 1. quos citat. S. Tho. lectio.5. Et D. Aug.
*D. August.* inquit, quòd illuminat Deus omnē hominē venien
tē in hūc mūdū, itavt sit distributio acōmoda, quòd
omnis qui illuminatur, à Christo, & à verbo illumi-
natur. Et sanè, nisi resistat homo, & malè se gerat, cū
peruenit ad vsum rationis, inuitatur diuina miseri-
cordia, & Christi clementia & liberalitas, se conuer
tendo in Deum, vel explicitè vel implicitè cogni-
tum, in primo instanti vsus rationis: vt illuminetur
cor ipsius per gratiā, vt sic ex supernaturalibus, ad
iustificationē disponatur. Quod intelligendū puto,
iuxta ea quæ in nostris assertionibus suprà definiui-
mus. Sed fusior huius rei claritas & cognitio, ad prę
dictā q.86. de peccat. art.2. pertinet, vbi nos multa di
*Adsextum.* ximus.¶ Ad sextū respōdetur, ꝙ solū probat, disposi
tionē ad gratiā, nō esse á solo Deo, sine cōsensu libe
ri arbitrij. Et quāuis ex viribus naturæ non possit se
ad gratiā præparare homo, tamē absolutè & simpli-
citer potest se disponere ad illā per auxiliū Dei su-
pernaturale, quòd pręsto adest: Et ob id meritò ex-
hortātur homines.¶ Ad septimū respōdetur, totū ne
gotiū cōuersionis pēdere ex gratia Dei, & totū pen-
dere ex libero arbitrio secundū diuersas rationes, &
diuersum modū causalitatis: ex gratia enim Dei, de
pendet tanquā ex primo mouēte & præbente vires;
ex libero autē arbitrio, tāquā ex liberè cōsentiēte, &
tāquā ex recipiente per modū causæ materialis. Quā
solutionē suprà latiùs sumus prosequuti, in conclu-
*D. August.* sionibus vnde, D. Aug. li.2. cōtra duas epist. Pelagia.
adducit illud scripturę elogium: Dñe, labia mea ape
ries. Et illud; Aperi os tuū, & implebo illud, vndè,
cū hominis sit præparare animā, dicitur; præparatur
*Iob.10.* volūtas à Dño. Et ob id Iob.10. cū dixisset; Sicut ca
seū me coagulasti, subditur: Vitā & misericordiā po
suisti mihi. Quæ verba mirè explicātur in proposito
*D. Maxi.* à D. Maximino, in respōsionibus ad quæstiones Ta-
*Ad confir.* laf.¶ Ad confir. negatur, Deum acceptare personas.
Primò, propter rationē superiùs datā. Secundò, quia
omnibus præstat sufficiētissima auxilia gratiæ. Neq;
hic potest reperiri personarū acceptio, cū nō debeat
Deus ex iustitia hæc dona, quæ ideò meritò dicūtur
gratia. Quapropter, si illa Deus denegaret, nulli irro
*Matth.20.* garet iniuriā; iuxta illud Matt.20. Amice; nō facio ti-
*Ad octauū.* bi iniuriā.¶ Ad octauū ex superiùs dictis bene intel-
lectis, liquet solutio. Nā in humanis præcisè, omnia
sunt eiusdē ordinis; dispositio verò hominis respe-
ctu gratiæ iustificātis, & cōuersionis, si esset ex pu-
ris naturalibus, nō esset eiusdē ordinis, ac proindè
nō esset dispositio. Rursùs, inter homines, amicitia
humana, quæ superaduenit, est etiā ordinis natura-
lis, & forma recōciliationis humanæ & amicitiæ, est
aliquid naturale. Recōciliatio verò hominis cū Deo
& iustificatio, sunt ordinis supernaturalis. Adde etiā
ꝙ amicitia humana, nō est propria forma; & ideò, li-
cèt debeat adhiberi ab eo, qui est offensus; non tamē
debet ipse adhibere dispositionē, sed satis est, quòd
ponatur quædā veluti dispositio ab ipso offendente.
Amicitia autē diuina seu gratia, est forma superna-
turalis; & ideo petit sui ordinis dispositionē, causa-
tā ab eo qui causat ipsam formā. Et ad replicā respō
detur, ꝙ satis est causam principalē inducere dispo
sitionē, vt est dispositio, idest, quatenus habet super
naturalitatē; & nō requiritur, quòd ita Deus cōcur-
rat totalitèr respectu dispositionis, vt homo nō con
currat liberè cōsentiēdo & operādo. Nā sufficit, ꝙ
sit causa totalis respectu formæ. Ad illud verò de ani
ma rationali, satis diximus, ꝙ homo non disponit ad
productionē animæ, sed ad vnionē, & hāc causat; &
similiter Deus, qui eandem vnionem causat, etiam
causat illam dispositionem. Sic igitur, quia causat
gratiam, debet causare dispositionem ad gratiam.

## ARTICVLVS. VII.

*Vtrùm homo possit resurgere à peccato, sine auxilio gratiæ.*

PRima cōclusio, est negatiua.¶ Secunda cōclusio.
Homo sine auxilio gratiæ, viribus naturæ, nō po
test reparare aliquod ex tribus nocumētis illatis per
peccatum, quæ sunt macula peccati, corruptio boni
naturalis, quatenùs natura & voluntas hominis de
ordinatur; & reatus pœnæ æternæ.

## Discursus articuli

DE fide certū est, hominem nō posse resurgere à *Conc. Mile.*
peccato per se ipsum, sine auxilio gratiæ: ac
subinde peccatū nō posse remitti sine gratia. Sic de
finitur in Con. Mile. cano.3. & epist. Decret. Cœlest.
PP. ad Episcopos Gallię, c.10. & in Arau. & Trid. ses. *Cœlest. PP.*
6. sæpiùs. Et patet Iere.2. Si laueris te nitro, & multi- *Arausic.*
plicaueris herbā borith; tamē maculata es corā me *Trident.*
in iniquitate tua. Et c.30. Insanabilis est fractura tua,
pessima plaga tua. Isaiæ.43. Ego sum ipse qui deleo *Ierem.2.*
iniquitates tuas propter me. Ezech. 36. Saluabo vos *Isaiæ. 45.*
de vniuersis inquinamētis vestris. Et infrà: Nō pro- *Ezech. 36.*
pter vos ego faciā. Psal.48. Nō dabit Deo placationē *Psal.48.*
suā, & pretiū redemptionis animæ suæ. Ad Rom.8. *Rom. 8.*
Quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per
carnē, Deus filiū suū mittens in similitudinē carnis
peccati, de peccato dānauit peccatū in carne. Vbi
Christus dicitur peccatū, quia est oblatio pro pecca
to: iuxta illud ad Gala.3. Conclusit scriptura omnia *Galat.3.*
sub peccato, vt promissio ex fide Iesu Christi, dare-
tur credētibus. Vndè, adeo nota est hæc veritas, vt
Pelag. nō potuerit eā omnino negare: Cōcedit nāq;
(teste Aug. epist.89. & 94.) quòd remissio peccati est *August.*
opus solius Dei, & ex gratia Dei, errat tamē quia pu
tat, nos ex viribus naturæ posse mereri hanc remis-
sionem,

sionē,& restaurare omnia dãna quæ incurrimus per peccatũ,& pariter nos posse disponere & præparare ex nostris viribus,ad gratiã Dei, quod est apertę hęreticum,vt patet ex dictis art.6.Vndè, iste hęreticus non negabat gratiã inhęrentē;sed tantũ intendebat excludere dispositiones supernaturales & gratuitas.

*Lutherus.* ¶Lutherus errauit,dicēs,iustificationē impij nō esse renouationē internã animæ,sed solũ non imputationē peccatorũ propter iustitiã Christi,qua nō tollerentur,sed tegerentur. De quo errore notatur Pighius,aliàs catholicus,in controu.2. *Pighius.* Et quidē,quòd peccata nō solũ tegantur,sed etiã eradicētur, docet Trid.ses.6.c.7.& canone.11. *Con.Trid.* Et Scriptura Psal.50. *Psal.50.* Dele iniquitatē meã, & omnes iniquitates meas dele. Isaiæ.43. *Isaiæ. 43.* Ego sum qui deleo iniquitates tuas.Et Ioannes dicebat.Ecce agnus Dei,qui tollit peccata mundi.Ezech.36. *Ezech.36.* Auferã àvobis cor lapideũ.Ad Rom.6. *Rom. 6.* Hoc scientes,quia vetus homo noster,simul crucifixus est,vt destruatur corpus peccati;idest,nō solum apparentia & vmbra,sed tota eius entitas.Et idē habetur Isaiæ.1. *Isaiæ.1.*

Quòd verò iustificatio nostra,fiat per internã renouationē, definitur in Trid. vbi suprà,& cōstat ex Paul.2.Corinth.5. *2.Corint. 5.* vbi præter nō imputationē,exigitur recōciliatio cũ Deo,quæ fit per internã renouationē,vt ibi interpretatur Chrysost.& Aug. *D.Chrysost. D.Augu.* de fide & Symbolo c.9.& Propheta Psal. 50. Cor mundum crea in me Deus. Et Ioan.13. *Ioan. 13.* Pater, sanctifica illos in veritate.De qua renouatione interna, sunt penè infinita testimonia in sacro eloquio.Legendi etiam sunt sancti de hac re,D.Dionys.de diuin.nomi.c.12. *D. Diony.* Orige.hom. 11. in Leuit.Chrys.& Eucher.Rom.4.& 1.Corint.6.& ibidē Theo.& Theodor.D.Aug.cōtra Iulian.& li.2.confession.ca.3.13.& 14.Legendus est etiam Clemēs V.in Clement.vnica, de Sũma Trin. *Origenes. Chrysost. Eucherius. Theophilat. Theodoret. D. August. Clemens.V.*

Rursus certũ est,quòd cũ homo non possit resurgere à peccato sine auxilio gratiæ,necessaria est pœnitētia,quæ ex gratia procedit,& est remediũ necessariò requisitũ ad remissionē peccatorũ,vt resurgat homo à peccato,& hoc est de fide,vt patet ex Concil.Tri.ses.14. *Con.Trid.* doctrina de sacramēto pœnitētiæ,c.1. vbi ita decernitur: Fuit quidē pœnitētia vniuersis hominibus,qui se mortali aliquo peccato inquinassent,quouis tēpore ad gratiã & iustitiã assequendã, necessaria,&c.Et c.4.sequenti.Fuit autē quouis tempore ad impetrandã veniã peccatorũ,hic contritionis motus necessarius.Vndè,Ezech.18. *Ezech.18.* legimus:Si impius egerit pœnitentiã ab omnibus peccatis,vita viuet,& rursus omniũ iniquitatum eius,quas operatus est,nō recordabor.Et in fine ca.Cōuertimini,& agite pœnitentiã,ab omnibus iniquitatibus vestris, & nō erit vobis in ruinã iniquitas.Actor.3. *Actor.3.* Pœnitemini igitur & conuertimini, vt deleantur peccata vestra.Vndè,sine pœnitentia nemo resurgere potest à peccato,& nō potest agere pœnitentiam sine gratia Dei:ergo nō potest resurgere à peccato sine auxilio gratiæ Dei.¶Ex quo infero,quòd ad pœnitētiã,quæ sit sufficiens dispositio ad primã gratiã,& remissionē peccatorũ,quouis tēpore fuit necessaria displicētia,& humilis detestatio peccatorũ corã Deo, cum proposito nō peccandi in posterũ,& satisfaciēdi; & in lege euangelica requiritur etiã in homine nondum baptizato,votum baptismi,& in eo qui post baptimum lapsus est, votum sacramenti pœnitentiæ; & hæc necessaria sunt,vt resurgat à peccato homo: vt Theologi docent.3.p.q.86.art.2.& ibi probant ex Sanctis Patribus,& Scripturis,& Concilijs.

Hoc loco meritò posset quis dubitare; Vtrùm si quis non potest resurgere à peccato sine gratia, id sit verum solùm de lege;an etiam de potentia absoluta Dei?Veruntamē hæc cōtrouersia non est huius loci; Quoniam hic solùm agimus de gratia Dei, vel de resurrectione à peccato,in ordine ad vires naturales hominis,& non in ordine ad vires Dei. De quo tamen dicemus infrà in.q.113.ar.2.de iustificat.

## DVBIVM I.

*Quid sit peccatum à quo homo dicitur peccator,transacto actu Peccati.*

*De hac difficultate egimus etiã in materia de peccatis. q. 86. disputatione vnica luculēter satis, in primo Tomo.*

HVIVS disputationis ansam, dedit nobis S.Tho.in hoc art. Nam dicit, quòd trãsacto actu peccati remanet reatus,& quòd peccãdo incurrit homo triplex detrimentum, nēpe maculam peccati, corruptionem boni naturalis, quatenùs deordinatur voluntas hominis Deo nō subiecta,& reatũ pœnæ æternæ.Et idcircò,decreui cōtrouersiã hanc,etiam hoc loco aperire, vt verè intelligamus etiã transacto actu peccati, hominē manere in peccato, & per pœnitentiã resurgere à peccato, quod fieri sine auxilio gratiæ Dei minimè potest.Inquiro ergo;Peccatũ,à quo talis dicitur peccator trãsacto actu peccati,an sit priuatio gratiæ, vel auersio à Deo,aut quid illud sit?Quod dubiũ est necessariũ, vt in sequentibus examinemus & aperiamus, Vtrũ de potentia Dei absoluta possit remitti peccatũ sine gratia? Sanè, in hac difficultate, explosa sententia Gregor.in.2.d.33.asserentis quòd peccatũ transacto actu nihil aliud est,quã habitus vitiosus,& qualitas morbida ex peccato contracta, quã fusiùs in disputatione de peccat.impugnauimus,præsertim cũ ageremus de peccato originali.Et omissa etiam alia sententia quorundã asserentium,quòd est relatio realis ad obiectũ,relicta ex actu; sicut ex generatione relinquitur relatio Paternitatis:quia hæc opinio non satisfacit.Nã obiecto destructo, non potest manere relatio realis;peccatum autē manet: ergo non est talis relatio.Rursus,non videtur intelligibile, quã relationē habeat peccator,ad obiectum modò cũ non peccat, quam antea non haberet, cùm actu peccabat. Omissa præterea sententia Scot. in 4. d.14. q.1. &.2.& Almain.q.2.art.1.Duran.in 4.d.24.q. 5. ad.2.& Gabr.q.1.art.1.& Holchoth.q.de imputabilitate peccati.Ocham,eadem. d. q.8. Quòd peccatum transacto actu,nihil aliud est quam relatio, seu denominatio extrinseca,consequuta ad voluntatem puniēdi, quam habet Deus commisso peccato, qua quidem peccator dicitur ordinatus ad pœnam ęternã.Hanc enim sententiam facilè omnes impugnant.Quia licèt Deus statuisset non punire peccatorem, adhuc ipse maneret in peccato: ergo peccatum transacto actu,non est quid resultans ex voluntate puniendi. Præterea, quòd homo ita sit ordinatus ad pœnam æternam, est bonum & iustum,& à Deo: ergo non est peccatum, alias Deus constitueret hominem peccatorem. Et confir.Nam ob id homo manet ordinatus ad pœnam, quia manet in peccato: ergo
illa



illa ordinatio non est peccatum, sed quid consequens ad peccatum.His igitur explosis, & omissis opinionibus,de hac re probabiliores alias explicabo Theologorum sententias.

*Sententia.1.* Prima opinio est,quòd homo transacto actu peccati dicitur peccator, ob id q manet priuatus gratia.Vndè,S.Tho.1.2.q.86.art.2.semper dicit, trãsacto actu peccati, maculam peccati permanere, eamque esse priuationem decoris gratiæ, & pulchritudinis spiritualis;sicut corporalis macula est priuatio pulchritudinis corporalis. Ita sentiunt loco citato super D.Tho.Caiet.& Pater Medina, qui etiã docent; quòd peccator dicitur talis ab auersione, quæ manet in eo in ordine ad Deum: censent igitur hi autores, quòd priuatio gratiæ est macula animæ;quia tollit splendorem & nitorem gratiæ, & quòd eadē est auersio à Deo,quia priuat gratia,quæ est habitualis conuersio in Deum; & formaliter facit hominē Deo proximum,& coniunctum ratione formalis similitudinis.Itaque tenet hæc opinio, eandem esse priuationē,qua homo auertitur, & elōgatur à Deo, & priuatur nitore & gratia;Sicuti per eandem qualitatem gratiæ; non solùm homo vnitur Deo,sed etiam habet nitorem gratiæ.Vndè,Magist.in 4.d.18. in fine,& Bonauent. ibidem dicunt, maculam esse elongationem à Deo per dissimilitudinem, id est, priuationem gratiæ, per quã Deo vniebamur via similitudinis.Fundamentũ huius opinionis est:Quòd peccatum habituale est macula animæ,vt ex plerisq; Scripturæ locis colligitur: sed macula nihil aliud est quam priuatio gratiæ: ergo ipsa erit peccatũ habituale,à quo homo dicitur peccator trãsacto actu. Maior est nota,minor autem est D.Thom.hic,& suprà.q.86.art.1.& 2.&.q.89.art.1.&.2. & in.2. d.30.q.1. art.1.& in 4.d.18.q.1.arti.2.quæstiunc.1. Vbi Ricard. articul.2.quæstio.1.Carthus. quæstio. 2. & Caieta.in locis citatis D.Tho.& infrà.q.113. art.2. Pater Soto, d.15.q.1.artic.2.Antonin.4. p. titul.9. capitu.5.§.2.Et alij. Idem dicunt, quòd macula nihil aliud est quã priuatio gratiæ.

*Duo modi explicandi præfatã sententiam.* ¶Hæc opinio,duobus modis explicatur à quibusdam Theologis: quidam enim ita eam exponunt; quòd macula & peccatum habituale,non sit priuatio ipsiusmet gratiæ habitualis: Hæc enim priuatio est malum pœnæ,& fit à Deo: ergo non est peccatum, sed peccatum erit priuatio pulchritudinis & nitoris, quem causabat gratia habitualis in anima. Sed hoc non satisfacit: Quia gratia, præter habitus virtutum quos infert, nullam pulchritudinem causat in anima, nisi quatenus per se ipsam informat animam: sed peccatum, per te,non est priuatio virtutum;ergo erit priuatio pulchritudinis,quam causat gratia,quatenus per seipsam informat animam: igitur idem erit priuatio ipsiusmet gratiæ habitualis, & priuatio pulchritudinis gratiæ. Sicut idem sunt priuatio albedinis, & priuatio informationis albedinis; & ex consequenti, si vnum non est peccatum, neque aliud. Et confirmatur. Quoniam etiam ipsa priuatio ipsius nitoris est pœna inflicta à Deo: ergo non est ipsa culpa. Secundò, illa priuatio non suscipit magis & minus, peccatum autem habituale & macula, suscipiunt magis & minùs; vt, verbi gratia, totalis priuatio lucis: sed qui propter peccatum priuatur gratia, vel nitore, totaliter manet priuatus: ergo huiusmodi priuatio non suscipit magis & minus. Neque valet dicere quòd suscipit magis & minus in ordine ad causam, nempe quia procedit ex maiori vel minori peccato actuali. Nam totalis priuatio lucis, siue procedat à maiori obstaculo, siue à minori, non suscipit magis & minus: ergo neque illa macula. Dices, non esse simile: quia ordo ad obstaculum, non est intrinsecus priuationi lucis: ordo verò ad peccatum actuale, est intrinsecus maculæ: non enim, quælibet priuatio gratiæ est macula, sed quæ procedit ex mala voluntate. Et ob id, secundum maiorem, vel minorem malitiam actualem à qua procedit, macula dicitur maior, vel minor. Contra: ergo saltem sequitur, quòd si duo ex pari peccato amitterent gratiam, vnus maiorem, aliùs minorem; non manerent paritèr maculati; quia vnus ex peruersa voluntate se priuat maiori gratia; alter verò minori: ergo maculatur magis quam alter. Nam priuatio suscipit magis & minus secundum maiorem, vel minorem intensionem formæ qua priuat: consequens autem est falsum: ergo. Item sequitur quòd homo non erit peccator transacto actu, nisi extrinseca denominatione. Nam quòd illa priuatio sit voluntaria,est extrinseca denominatio. Tertiò præterea. Si in puris naturalibus homo peccaret, transacto actu peccati, non esset priuatus gratia, neque nitore gratiæ; cùm talis homo non sit ordinatus ad gratiam,neque in ordine supernaturalium: ergo huiusmodi peccatum non est talis priuatio. Quartò arguitur contra præfatam sententiam. Nam sequeretur quòd omnia peccata mortalia inter se, & cum originali, essent eiusdem rationis transacto actu peccati: Quia priuationes illæ sunt eiusdem positiui. Imo verò tantum esset vna macula, & vnum peccatum in homine, qui commisit mille peccata: Quia vnius formæ tantum est vna priuatio: consequens est contra modum loquendi scripturæ, & sanctorum: ergo iste modus explicandi non est admittendus.

*Secũdus modus explicãdi prædictã sententiam.* ¶Vnde, secundus modus explicandi, consistit in tribus propositionibus, quarum prior est, quòd in puris naturalibus peccatum non est priuatio gratiæ neque alicuius positiui: Quia in illo statu, nempe in puris & solis naturalibus, non est aptitudo ad gratiam, neque qui tunc peccaret, careret aliquo positiuo, quod haberet si non peccaret. Dicere autem quòd tunc esset priuatus spirituali aliqua pulchritudine, vt videtur ponere Caieta.1.2.quæstione.86. articul. 1. videtur fictitium, & non verum. Secunda propositio explicatiua huius sententiæ est, quòd in puris naturalibus homo transacto actu peccati, diceretur peccator; quia quandiu non conuerteretur ad authorem naturæ, actus peccati censeretur moraliter manere, cùm non sit Deo satisfactum pro illo. Tertia proportio etiam explicatiua eiusdem sententiæ est, quòd in homine eleuato ad finem supernaturalem, peccatum habituale, à quo peccator dicitur talis,transacto actu peccati, suprà actum peccati moraliter manentem, dicit priuationem gratiæ.

Hæc sententia ita explicata, quantum ad secundam, & tertiam propositionem, non videtur satis
vera

vera. Vndè, contra secundam propositionem, arguitur primò. Quia ex ea sequitur, quòd negatio conuersionis nostræ sit de intrinseca ratione peccati, quod infrà impugnabitur. Secundò. Quia sequeretur, quòd homo in puris naturalibus trãsacto actu, solùm diceretur peccator, per extrinsecam denominationem ab actu præcedente, qui cessetur moraliter manere, tamen verè non manet: hoc autem est inconueniens, Potissime, quia (vt statim ostendam) idem est peccatum modo, & in puris naturalibus; & sic post actum peccati non esset modò homo formaliter peccator, sed tantum extrinseca denominatione; & consequenter quando iustificatur, non diceretur ablui, mundari, & renouari, &c. Tertiò arguitur. Nam actus qui retractatur, non censetur moraliter manere: sed homo in puris naturalibus vere diceretur habitualiter peccator, etiã si retractaret actũ peccati, dicendo, Nollé egisse intẽperatè: ergo nõ diceretur peccator, ab actu moraliter manẽte. Et confirmatur. Nã actus nõ dicitur manere moraliter, nisi quia manet virtualiter in aliquo effectu principali: sed per te, hic manet moraliter actus: ergo hoc habet in quãtũ manet secũdũ aliqué effectũ: ergo ab illo effectu dicetur homo formaliter peccator. ¶ Contra tertiam propositionẽ efficaciùs etiã arguitur. Primò. Quia peccatum actuale cõmissum in hoc statu, est eiusdem rationis, & malitiæ cum cõmisso in puris naturalibus: ergo & habituale; & sic sequitur consequenter quòd modò non includit priuationem gratiæ. Patet cõsequentia. Quia iuxta malitiam peccati actualis est malitia habitualis, & eadem proportio est inter malitias habituales, quæ est inter actuales. Antecedens autem probatur. Quia si quis modò nõ cogitet de Deo, saltem vt authore supernaturali, vel quia ignorat illũ inuincibiliter, vel quia est naturaliter oblitus, vel quia non vult cogitare eo quòd non tenetur, & cõmittat furtũ eadem intensione & circunstantijs, cum illo, qui est in puris naturalibus; ille actus est circa idem obiectũ, & cum eisdem circunstantijs: ergo est eiusdem speciei & malitiæ. Confirmatur. Nam ignorãtia alicuius circunstantiæ, excusat actum à malitia in ordine ad talem circunstantiam, si ignorantia est probabilis: ergo qui furatur ignorans inuincibiliter authorem supernaturalẽ, nullam habet malitiã in ordine ad illũ; sed tantum habet eam malitiam, quam haberet ille actus in puris naturalibus. Secundò arguitur. Quoniam per hoc, quòd homo actu se priuat gratia, non habet malitiã actualé distinctã, à malitia furti: ergo neque habitualé: Antecedẽs est cõmunis opinio in materia de Dominio; imo verò ex hoc principio colligunt ibi plerique Theologi, quòd homo est Dominus bonorũ spiritualium; quia aliàs cũ furatur cõmitteret duplex peccatũ, nempe furando, & à se propulsando gratiam. Et confirmatur. Nã illa priuatio vt sic, est pœna & effectus à Deo volitus, causatus propter peccatum: ergo non ingreditur rationẽ culpæ actualis, neque habitualis in hoc statu. Tertiò arguitur. Quia aliàs peccatũ esset aggregatũ per accidẽs: constituitur enim, per te, & ex peccato posito in puris naturalibus, quod esset ens cõpletũ in sua specie, & ex noua malitia, scilicet, priuatione gratiæ. Et cõfirmatur. Quoniã aliàs trãsacto actu peccati, nõ esset vnus homo magis peccator, quam alius formaliter; sed tantũ extrinseca denominatione. Probatur. Nã à priuatione gratiæ, vt sic, nemo dicitur magis formaliter peccator, neq; vnus quã alter, cũ vterq; sit totaliter & æqualiter priuatus; neq; verò à maiori malitia actuali moraliter manẽte. Quia hæc tãtũ denominat extrinsecè: ergo. Quartò argumẽtor. Peccatũ cõmissum ab eo, qui immediatè ante habebat gratiam, est eiusdẽ rationis, & malitiæ cæteris paribus, cũ cõmisso ab illo, qui iã illã perdiderat: Sed tale non includit priuationẽ gratiæ, cũ iam illa præcesserit, sed solũ includit, q̃ de se est aptũ priuare gratia: ergo priuatio gratiæ nõ est de ratione peccati, etiã commissi abeo, qui ante habebat gratiã. Quintò arguitur. Nã peccatũ veniale ex leuitate materiæ est eiusdem speciei cũ mortali, in eadem materia, & pari ratione veniale ex surreptione, cũ mortali ex deliberatione; sed de ratione peccati venialis, non est priuatio gratiæ, aut alicuius positiui: ergo neq; de ratione mortalis secundũ suã speciẽ. Confirmatur. Quoniã peccatũ veniale habituale est verè peccatũ, & macula; tamẽ non dicit priuationẽ alicuius positiui: ergo etiã si mortale sit macula, nõ est necesse dicere, quòd vt habitualiter manens, sit ipsa priuatio gratiæ. Maior est D. Thom. & communis inter Theologos. 1.2.q. 86.art.1.&3.p.q.87.art.2.ad 2. vt etiam probat Osius in explicat. fidei, capit. 48. ex Philone Iudæo, & Pater Vega. 14. in Trident. capit. 15. Et probat ex Diuo Gregor. 21. moral. capi. 9. dicente, Crimina animam extinguere, cætera illam polluere. Et ad idem adducitur Augusti. de perfect. Iustitiæ, capit. 17. Hieron. 2. contra Pelagian. Idem patet ex eo quod canit Ecclesia de Diuo Ioanne Baptista. Ne leui saltem, maculare vitam, famine posset. Sancti Patres etiam docent, propter venialia neminem posse vitam agere omnino puram à maculis & sordibus. Tandem arguitur. Quia si peccatum vt sic, includit priuationẽ gratiæ habitualis, implicaret cõtradictionẽ, quòd Deus deleret peccatum, sine infusione gratiæ habitualis, quòd est contra ipsos opinantes, & cõtra communem sententiam, vt videbimus: sequela probatur. Nam implicat priuationem tolli nisi per suũ habitum.

Secunda opinio est, quòd peccatũ habituale non est macula illa, nec priuatio gratiæ habitualis, sed est auersio à Deo. Ita tenet Capr. vbi suprà. Quæ opinio à plerisq; impugnatur. Nam vel nomine auersionis intelligitur aliqua inclinatio habitualis ad bonũ commutabile contrarium, vel intelligitur priuatio alicuius inclinationis ad Deum: sed neutrum horũ dici potest: ergo. Minor probatur quantùm ad primam partem, nẽpe, quòd non sit inclinatio habitualis ad bonum commutabile contrarium Deo. Nam qui peccat ex puris naturalibus, nõ habet postea maiorem inclinationem ad tale bonum, quã ante actũ peccati, nisi fortè aliquem habitũ acquisierit, in quo tamen non manet ratio peccati. Nam in iustificatis sunt aliquãdo tales habitus; tamẽ non manet peccatum. Et confirmatur. Quia potest aliquis ita peccare vt non acquirat habitũ, vt cùm peccat per puram omissionem, aut secũdũ aliquos, per actũ remississimum; & dato q̃ producat habitum; tamen si illũ destruat, per actum oppositũ, adhuc manebit peccatũ: ergo non consistit peccatum in illa habituali inclinatione, ad bonum commutabile. Secundò. Nam potest *Sententia 1.*



potest esse magis inclinatus ad bonum diuinum, qui est habitualiter in peccato, quàm qui non est in peccato: ergo non consistit peccatum in inclinatione contra bonum diuinum. Antecedens patet in eo qui habet habitus acquisitos intensissimos, & committit aliquod peccatum, ille minorem inclinationem habet ad bonum cõmutabile contrariũ Deo, quàm ille, qui habet remissum gradum gratiæ, & habitus vitiorum intensissimos, in quibus diù se exercuit: ergo. Secunda pars minoris probatur, scilicet, quòd non consistat in priuatione conuersionis ad Deum. Quoniam, vel ista priuatio est priuatio conuersionis actualis, vel habitualis, nõ habitualis; quia conuersio habitualis, est formaliter per gratiam & charitatem: ergo peccatum esset priuatio gratiæ habitualis vt sic, quod iam est impugnatum: Neq; est priuatio conuersionis actualis: ergo nulla. Assumptum probo. Quia sequitur quòd nos modò per hoc quòd non conuertimur actualiter, constitueremus nos peccatores habitualiter, atq; adeò de nouo peccaremus, quod est falsissimum; Nam non tenemur statim atque peccauimus, conuertere nos illicò ad Deum. Confirmatur: Quia homo dormiens nõ peccat non conuertendo se ad Deum; nec tamen priuatio illius conuersionis constituit illũ formaliter peccatorẽ, cùm non teneatur eo tempore conuertì: ergo. Item; quia sequeretur, quòd Deus constituerit rationem peccati habitualis, & concurreret ad rationẽ peccati habitualis, si mihi præciperet, vt in hoc instanti non conuertar ad illum, quod est apertè falsum. Item: quia sequeretur, quòd ante infusionẽ gratiæ per solum actum charitatis, vel pœnitentiæ deletur peccatum. Nam priuatio conuersionis actualis statim tollitur, per ipsam actualem conuersionem. Rursùs sequitur inuoluere contradictionem, quòd sine actu liberi arbitrij Deus iustificet hominem, quod est falsum. Probatur sequela: Quia implicat tolli priuationem conuersionis actualis, sine actu liberi arbitrij: ergo.

*Sententia 3.* Tertia sententia est, quòd transeunte actu peccati, peccator dicitur talis, ex eo quòd iam peccauit, & Deus non remisit ei peccatum, id est, non habuit voluntatem non puniendi illum. Hanc sententiam tenuit Ioan. Medina Complut. Codice de pœniten. tracta. 1.q.7. Sed hæc opinio, non mihi probatur, neque satisfacit. Quia ex ea sequitur, quòd diuina voluntas compleret vltimò rationem peccati. Itẽ etiã: Quia si esset vera, iam peccatum habituale esset pura denominatio extrinseca ab actu præcedente, & à voluntate Dei. Præterea, Hæc sententia incidit in opinionem Scoti, quem ipse Ioan. Medina impugnauerat loco citato. Quia ponit, quòd voluntas puniẽdi, sit necessaria ad rationem peccati habitualis; atq; adeò non posset Deus nõ punire eum, qui maneret habitualiter peccator.

*Conclus. 1.* His opinionibus ita constitutis, paucis dicã quid sit sentiendum in hac parte. Sit prima propositio. Peccatum, transacto actu peccati, formaliter est dignitas odij, & inimicitiæ diuinæ, atque æternæ punitionis, vel saltem hic est effectus secundarius formalis peccati. Hæc propositio constat, ex impugnatione præcedentium opinionum, quam tenet apertè Petrus à Soto, in lib. de institution. sacerdot. in tractatu de reatu peccati, lect. 3. Vbi inquit, non aliter posse explicari rationem peccati habitualis, quàm per hanc dignitatem odij, & inimicitiæ diuinæ. Et videtur sentẽtia D. Dionys. 4. c. de diuin. nomin. quẽ citat & sequitur S. Thom. 1.2.q.87.art.1. ad 2. Puniri enim non est peccatum, sed est esse pœna dignum. Quo modo loquendi vtuntur sæpe Sancti. Et ratione probatur iste modus dicendi, tùm ex præcedentium impugnatione, vt diximus; tum etiam, quia per hunc modũ omnia benè saluantur. Primò enim saluatur, quòd peccatum sit macula: Nam hæc dignitas ad pœnam æternam, macula quædam est reddẽs hominem Deo odibilem, quamuis non negemus, ipsam priuationem gratiæ secundum se, esse quandam maculam, quia est priuatio debitæ perfectionis. Imò illa priuatio gratiæ quodammodò facit homines Deo odibiles: Quoniam ex illa consequitur, priuatio dignitatis in ordine ad beatitudinem supernaturalem; sicut per ipsam gratiam dignificatur homo in ordine ad illam. Item; Quia ipsa priuatio gratiæ in genere causæ materialis, antecedit peccatum: Nam expulsio vnius contrarij in genere causæ materialis, antecedit inductionem alterius; & sic ex ipsa priuatione gratiæ, sequitur peccatum; atque adeò redditur homo Deo odibilis. Tertiò probatur: Quia peccatum est auersio à Deo; quoniam ex ipso in genere causæ formalis, sequitur priuatio gratiæ, quæ est habitualis conuersio ad Deum, & coniunctio ad ipsum per modum similitudinis. Quartò probatur: Quia per hoc quòd homo est Deo indignus, & ipsius amicitia; manet elongatus ab amicitia diuina, & ab ipso Deo, vt ab vltimo fine, & fixit in creatura. Hinc intelligitur essentia peccati actualis & originalis, & quid sit reatus pœnæ, quidque reatus culpæ. Nam certum est, quòd peccatum originale, est quædam dignitas ad priuationem supernaturalis beatitudinis contracta ex peccato Adæ. Peccatum verò habituale mortale, est dignitas odij & inimicitiæ diuinæ, & dignitas ad æternam punitionẽ, sequuta ex peccato mortali actuali; & reatus culpæ, idem est quòd peccatum habituale; reatus verò pœnæ, non est dignitas ad pœnam consequuta immediatè ex peccato actuali mortali vel veniali, sed est obligatio prouenies à diuina voluntate, propter peccatum, ad pœnam æternam, vel temporalem. Hanc sententiam sequutus est Gerson lect. 1. de vita spirituali animæ, alphab. 61. litera. D. *D. Dionys.*

*Conclus. 2.* Secunda propositio. Peccatum habituale, transacto actu peccati, formaliter dicit habitualem deordinationem voluntatis hominis ad Deum. Hanc tenet Sanct. Thom. in hoc artic. in corp. & Petrus à Soto, loco citato. Et probatur: Nam cùm actus humani boni, includant rectitudinem ad regulam, & per eos ordinetur homo in Deum; sequitur, quòd hoc ordine & hac rectitudine, tam positiuè quàm priuatiuè, caret actus peccati. Imo verò, hanc inordinationem comitatur conuersio peccatoris in creaturam, ex qua sequitur auersio. Cùm igitur peccans actualiter, incurrat hanc deordinationem, etiam si ipsam non velit; sequitur, quòd transacto actu peccati, homo peccator manet formaliter inordinatus, & deordinatus, voluntate ipsius, Deo non subiecta: igitur sicut illa duo, sunt cũ actu peccati coniuncta, ita pariter transeunte actu peccati, manet anima in eadem dispositione deordinationis

& obliquitatis, conuersa ad creaturam, & elongata, atque separata à Deo. Nam sicut post motum corporeum, id quod motum est, manet separatum à termino, à quo discessit, & si motus est in contrarium, manet coniunctum termino, ad quem accessit: ergo pari ratione in proposito, cùm peccator peccando deordinatur, respectu Dei; transacto actu peccati manet habitualis illa deordinatio, quæ est dignitas odij & inimicitiæ diuinæ; & consequenter, manet in anima macula, & elongatio à Deo. Vndè, sicut transacto actu conuersionis ad Deum, si hoc nõ fieret de lege per habitum, adhuc intelligeremus, hominem conuersum ad Deum, habere rectitudinem habitualem, & coniunctionem ad Deum; sic pari ratione, præsertim cùm peccatum & malum morale, sit aliquid positiuum, peccator transacto actu peccati, ex opposita ratione manet formaliter deordinatus, & creaturæ coniunctus vt fini, & dignus odio & inimicitia Dei, & consequenter caret pulchritudine & nitore, & est auersus à Deo. Ex quo sequitur quòd ex deordinatione habituali, sequitur, quòd peccator sit priuatus pulchritudine deiformitatis, quam habebat ex coniunctione ad Deum. Et auersio, contingit ex conuersione ad creaturam, veluti vmbra quædam ex obiecto corpore opaco. Hanc assertionem insinuauit Propheta in Psalmis dicens: Cor meum conturbatum est in me, dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum nõ est mecum. Vbi conturbationem, deordinationem, & obliquitatem cordis intelligit esse peccatum, ratione cuius omnia bona à se recessisse, dicit Propheta, per manisseque priuationem pulchritudinis & nitoris gratiæ: ergo transacto actu peccati, permanet in homine cõturbatio cordis, deordinatio & obliquitas, à quibus formaliter est peccator. Deindè verò exigit ordo iustitiæ diuinæ, & indita hominibus ratio, vt qui obliquè, & perturbato ordine Dei & rationis, plus sibi permisit, quam par erat, subtractione eorum, quæ illi bona erant, deijciatur in iustam vindictam, à qua omnis infligitur pœna; iuxta Paul. Rom. 2. Tribulatio & angustia in omnem animã hominis operantis malum. Et iterum de peccatore loquens ait: Thesaurizas tibi iram.

*Rom. 2.*

Ex quibus colligo, quòd à pœna nõ dicitur quis peccator & malus, sed potiùs ab eo quòd dignus est puniri; dignus autem dicitur punitione, ratione culpæ & peccati actualis & habitualis; & hæc dignitas punitionis odij & inimicitiæ diuinæ, oritur primò ex ipsa culpa, & ex ipsa deordinatione, corruptione & obliquitate voluntatis; & hæc permanent etiam transacto actu peccati. Ita docet D. Dionys. loco supra citato, quòd puniri non est malum, dignum autem esse pœna, id, est malum. In qua dignitate manet peccator transacto actu peccati; Et ob id, nõ benè dictum esse putamus, neq; Scripturæ, & D. Aug. consentaneum, post actum peccati nihil aliud remanere, nisi quòd à diuina voluntate ordinatur peccator ad pœnam. Nam ordinari ad pœnam, re vera bonum est, & quidquid in voluntate diuina est circa peccatorem, bonũ est, neq; ab eo peccator dici potest, transacto actu peccati; sed à malitia illa; & deformitate manẽte post actum peccati. An verò hoc sit ens rationis positiuum, vel priuatiuum, & an sit habitualis conuersio peccatoris in creaturam, deordinatio & obliquitas habitualis, transeũte actu peccati; Id in materia de peccatis disceptatum est, & ex dictis liquet. Et quidem certum est, quòd ob culpã, & peruersitatem cordis, indignus est homo amicitia Dei, & dignus odio & inimicitia. Indignitas igitur hæc fundatur in ipsa culpa, vel est ipsa culpa.

*D. Dionys.*

Ex dictis rursus colligitur secundò, reatum esse duplicem, nempe culpæ & pœnæ. Vndè D. Augustinus & reatum simul cõiungit; & Scriptura Exod. 32. reatum pro culpa accipit cùm dicit: Dominus percussit populũ pro reatu vituli. Quare, Aug. explicans prædictum locum, & etiam locis suprà citatis, inquit; Nam si quisquam fecerit adulterium, etiam si nunquàm deinceps faciat, reus est adulterij, donec reatus ipsius indulgentia remittatur. En, reum & reatum simul coniungit Aug. Quod ob id dico, nequis credat, reatum solam obligationem ad pœnam esse. Vndè, August. ex altero, alterum reatum intulit, loco citato. ¶ Ex quo iterum infero, quòd remissio peccati, id primò facit vt homo non sit dignus puniri; secundò verò quòd non puniatur. Tollit ergo primò indignitatem diuinæ amicitiæ, seu dignitatem odij, tollit maculam, priuationẽ nitoris & pulchritudinis, tollit auersionem à Deo. Et ob id Scriptura dixit, peccata abolita esse; non tamen abolerentur, si solùm de facto non imputarentur ad pœnam. Quæ est sententia D. Aug. vbi suprà. Et ob id Propheta dixit Psalm. 50. Dele iniquitatem meam. Hæc igitur peccati malitia, quæ dignum reddit peccatorem odio, inimicitia, & damnatione; in mente peccatoris, & in iudicio diuino dicitur scripta per Ierem. Prophetam: Peccatum Iuda scriptum est stylo ferreo, in vngue adamantino, & exaratum super latitudinem cordis eorum. Et in hoc vltimo expressit Ierem. in corde, seu in mente peccantis, exarata esse peccata, transactis peccatorum actibus. Nam, inquit: Et exaratum super latitudinem cordis eorum. Sicut ergo gratia Spiritus sancti scribit Christum in cordibus nostris; ita peccatum describit Sathanã, deordinationem, superbiam, cùm per hæc peccatũ nos Sathanæ assimilat. Hæc hoc loco dicere sufficiat; reliqua in disputatione de peccatis. 1.2.q.86. & 87. legenda sunt.

*D. Augu.*

*Exod. 32.*

*Psalm. 50.*

## DVBIVM II.

### *Vtrùm homo possit proprijs viribus, sibi restituere ordinationem naturalem, quam peccãdo amisit?*

HÆc dubitatio, est de rectitudine naturali, An possit homo eam sibi recuperare, & restituere postquã peccãdo ab ea cecidit? Caiet. in hoc art. tria dicit. Primũ est, quòd sicut potest homo viribus naturæ de intemperato fieri temperatus; ita etiam potest mutari de inobediẽtia Dei, vt principium & finis naturæ, ad obedientiam eiusdem. Secundò dicit, quòd si homini nihil fuisset reuelatum de ordine gratiæ, subijci & obedire Deo secundùm rationem, esset totum bonum naturę; atque adeò posset peccator per vires naturæ, recuperare bonum connaturale sibi. Tertiò dicit, quòd postquã ordo gratię reuelatus est hominibus, vt volũtas subijciatur Deo secundum ordinẽ naturæ, oportet quòd



quòd subijciatur ipsi simpliter, nõ solùm vt est principium & finis naturæ, sed etiã vt est author & causa gratiæ; & quoniam hoc nõ potest viribus naturæ; idcircò S. Thom. dicit, quòd bonũ naturæ amissum per peccatum, nequit reparari. Ex quibus liquet, Caiet. sentire, posse hominem ex proprijs viribus post peccatum, rectificari cum Deo, nõ simpliciter, sed secundum quid, vt finis naturalis est. Vndè, ad D. Tho. qui solutione ad. 3. apertè docet, non posse hominem post peccatum, ex proprijs restitui rectitudini naturali; Respondet, quòd debet intelligi D. Tho. de vigore rationis, quem habebat homo in natura integra. Nam hunc non potest recuperare per proprias vires.

¶ Caiet. sententia probatur primò: Nam potest homo per naturam conuerti ad virtutem, quam per peccatum reiecerat: ergo potest sine gratia reparari in bono naturali. Patet antecedens: Quia siquis furatus est centum, per naturam potest deserere affectum furandi, & exercere se in operibus iustitiæ: ergo potest reparari in bono naturali. Quod ostendo: Quia illud est reparari, nempe exercere se in operibus virtutum. Secundò, potest esse peccatum hominis contra virtutem aliquam supernaturalem, & nõ contra finem naturæ: ergo tunc manebit integra rectitudo naturalis: Nam, sicut non statim posito fine naturali, ponitur supernaturalis finis: quia potuit Deus ordinare ad finem naturalem, non ordinando ad supernaturalem: ergo etiam potest tolli rectitudo respectu finis supernaturalis, manente tamen circà finem naturalem. Patet consequentia: Quia prius non dependet à posteriori.

Hæc Caiet. sententia, expressè est contra D. Tho. & contra veritatem, quantum ad primum & secundum dictum. Nec potest explicari S. Tho. de vigore rationis, quem habuit homo in natura integra: Nam hunc vigorem etiam per gratiam non recuperat homo. At Sanctissimus Præceptor apertè dicit, rectitudinem naturalẽ, quam homo non potest ex proprijs viribus consequi, per auxilium gratiæ posse. Imo verò Caie. in suis dictis, hic in commẽtario videtur sibi repugnare: Nam ait, quòd supposita reuelatione, & ordinatione Dei, iam istæ duæ rectitudines sunt necessariò connexæ: ergo qui non potest acquirere vnã ex proprijs, neq; alteram poterit. Quocircà, S. Th. apertè tã in corpore, quã in solutione ad. 3. ait, quòd non potest peccator viribus proprijs, reparare sibi bonũ cõnaturale, nec ordinẽ naturæ amissum per peccatũ, & loquitur apertè de bono connaturali, nõ vt coincidit cum supernaturali, sed vt illi cõdistinguitur.

Vnde dicẽdum est simpliciter & absolutè, quòd homo postquã peccauit, non potest viribus naturæ recuperare bonum connaturale sibi. Quia non potest diligere Deum vt finem naturalẽ super omnia, dilectione perfecta & efficaci; nec potest seruare omnia mãdata naturalia, vt suprà diximus. Et ad hoc valent argumenta, quæ fecimus contra Caietanũ. Dices, hoc ipsum haberet homo in puris naturalibus, etiam si nunquã peccaret: ergo non debet computari inter nocumẽta prouenientia ex peccato. Respondetur negando consequentiã: Quia postquã homo fuit creatus in natura integra, cũ omni perfectione & bono sibi cõnaturali, eius amissio tribuẽda est peccato, sicut & mors dicitur effectus peccati, licèt aliàs secluso dono iustitiæ originalis, esset naturalis. Dices; saltẽ sequitur, quòd si homo crearetur in puris naturalibus sine ordine ad gratiã, & peccaret, posset postea se restituere per vires naturæ, in totum bonum connaturale, quod antea habebat. Respõdetur; quòd neq; tunc posset. Quia offensa facta Deo, quodãmodo esset infinita; vires autẽ hominis sunt finitæ. Vndè, quantùmcũq; faceret homo, nõ posset satisfacere offensæ; atque adeò non posset se restituere in perfectionem naturalem, qua erat Deo acceptus, secundum ordinem naturæ.

*Conclus. 2.*

Dico secundò, quòd propter cõnexionẽ finis naturalis & supernaturalis, quocũq; actu deordinetur homo ab vno fine, deordinatur etiã ab altero. Huius rei exemplũ est in peccato Adæ, quod primò & principaliter fuit cõtra rationẽ supernaturalẽ: cuius fuit præceptũ, quod transgressus est; & tamẽ certũ est, quã sibi, quã nobis amisit rectitudinẽ naturalẽ per ipsum. Nã, licèt materia præceptorũ supernaturalium, non cadat determinatè, & secundũ propriã speciẽ, sub præcepto rationis naturalis; tamẽ cadit in genere & in cõmuni. Quoniã ratio naturalis dictat, obediendũ esse Deo quomodocũq; præcipiendo; sicut etiã præcepta positiua, & leges humanæ nõ cõtinentur secundũ propriã speciẽ & materiã, in præcepto rationis naturalis, sed tãtũ secũdũ rationẽ cõmunẽ. Dictat enim ratio naturalis, esse obediendũ præceptis superioribus. Et ob id, licèt secundum rationẽ sit priùs ratio finis naturalis, quàm supernaturalis, in Deo; tamen supposita eleuatione naturæ ad finem supernaturalem, iam secundum rem est necessaria connexio inter vtrumque finem.

*Ad arg. Caiet. Ad. 1.*

Ad argumenta Caie. Ad primũ respõdetur, quòd peccator, quantùmcũq; se exerceat in operibus virtutũ suis viribus, nõ potest reparari in bono naturali. Quia quantũcunq; exerceat se in bonis operibus, semper habet faciẽ auersam à Deo, vt principiũ & finis naturæ est. Vndè aduerte, q; qui peccat, se auertit à Deo, vt est finis & principiũ naturæ, & cõuertit se ad bonũ cõmutabile. Et ob id, in eo q; peccat, non solũ facit contra ordinẽ supernaturalem gratiæ, sed etiã contra rectitudinẽ naturalẽ, vt dictũ est suprà. Verũ, in hoc differt homo habẽs rectitudinẽ in puris naturalibus, & homo peccator, quòd qui est in puris naturalibus, nec est auersus à Deo vt finis naturalis est, nec habet faciẽ conuersam ad bonũ commutabile; & idcircò dicitur habere rectitudinẽ naturalẽ. Sed tamen peccator, quia est auersus à Deo, qui est principiũ & finis naturæ, & conuersus ad bonũ cõmutabile, ob id nõ habet rectitudinẽ naturalẽ; & consequẽter, licèt se exerceat in multis operibus virtutũ, non potest reparari in bono naturali. Quoniã reparari in bono naturali, est auertere faciẽ à bonõ commutabili, & cõuertere illam in Deum, vt est principium & finis naturæ, quod homo facere non potest, quandiù est in peccato, quia semper manet auersus à Deo: Potissimè, propter connexionem finis naturalis & supernaturalis suprà tactam: sic enim quocũq; actu deordinetur homo ab vno fine, deordinatur etiã ab altero. Sed obijcies. Corruptio boni naturalis, facta fuit per vnũ actũ peccati; & pòt homo viribus naturæ facere multos actus cõtrarios & intensiores: ergo. Respõdetur ex dictis, quòd per actum peccati, non tantum deordinatur homo

*Obiectio.*

*Solutio.*

circa bonũ, in quod per se & directè talis actus fertur, verùm etiam deordinatur per accidens & consequutiuè quoad omnes suas vires, quibus inordinatè fertur ad bonum propriũ. Et idcircò, licèt per actus contrarios possit rectè ordinari, circà bonum particulare, respectu cuius per se & directè deliquit: nõ tamen potest rectè ordinari circa totum bonum naturæ, sine adiutorio gratiæ. Sicut contingit aliquem amittere sanitatem ex vsu cibi frigidi vt quatuor; & tamen non sequitur, quòd possit recuperare sanitatem comedendo rem calidã vt quatuor, vel vt octo: Et hæc etiam potest esse secunda solutio ad idẽ primum argumentum.

*Obiectio.*

Sed obijcies adhuc S.Thõ. in.2.d.28. in expositione literæ dicentẽ, quòd potest homo per suam naturã mutare volũtatem in melius, secundùm bonitatem ciuilem.

*Solutio.*

Respondetur tamen, quòd S.Thom. loquitur non de melioratione perfecta & omnimoda, quæ includit totum bonum connaturale, & consistit in dilectione Dei perfecta, & obseruatione mãdatorum naturalium; sed loquitur de melioratione imperfecta in ordine adhoc vel illud particulare obiectum, & in ordine ad actiones ciuiles, quibus homo rectè disponitur in ordine ad communitatem in exterioribus. ¶Tandem respondetur ad idem primum argumentũ Caiet. quòd homo in peccato existens, potest habere actus moraliter bonos, non tamẽ ex illis generabuntur veræ virtutes. Quia nulla est talis sine charitate, vt docet S. Tho.2.2.q.23. art. 7. Generabuntur tamen ex huiusmodi actibus, habitus quidam moraliter boni, qui non habent statum virtutis absque gratia. Et ratio huius discriminis est: Quoniam virtus, in sua definitione dicit, quòd sit dispositio perfecti ad optimum, & quòd bonum faciat habentem: Sine gratia enim nemo bonus est, nec disponitur ad optimum, cùm non attingat finem per propriam operationẽ. Habitus autem moraliter bonus, tantum dicit ordinem debitum sine mala circunstantia, vndè potest esse sine statu virtutis. Sicut è contra, habitus moraliter malus, potest esse sine ratione vitij in homine iustificato. Alij respondent ad prefatum primum argumẽtum Caiet. quòd quidquid sit de alijs actibus moralibus, non potest homo postquã peccauit, habere dilectionem Dei super omnia suis viribus, in qua consistit principaliter rectitudo naturalis.

*Ad secundũ*

¶Ad secundum argumentum Caiet. patet solutio, ex his quæ diximus in secundo dicto: neganda est enim consequentia, & potest negari minor; propter connexionem finis naturalis & supernaturalis prædictam.

## DVBIVM III.

*Vtrùm supposito auxilio gratiæ, possit homo promereri remissionem culpæ, quo ad maculam, & reatum pœnæ æternæ?*

Hoc dubium multa implicat, & potissimè illud de satisfactione peccatoris respectu offensæ diuinæ, Vtrũ in compensatione, quàm pœnitens offert pro peccato, reperiatur ratio iustitiæ per modum satisfactionis respectu culpæ, ita vt suis actibus satisfaciat pro peccato, quatenùs est offensa Dei? De qua re fusè agendum est à nobis infra. q. 113. de iustific. impij, art. 5. Vbi quærit D.Th. Vtrùm ad iustificationem impij, requiratur motus liberi arbitrij in peccatum. Et. q. 11. de merito. disput. 2. vbi expressè à me differetur, vtrum homo mereatur de cõdigno remissionẽ culpæ, & pœnæ æternæ? Et de hac re pro nũc suppono, quòd contritio & quicunq; actus pœnitentis, quatenùs ordine naturæ præcedit gratiam, si cõsideretur vt est ab ipso pœnitente, nõn habet valorem ad satisfaciendum pro peccato mortali, quantùm ad culpam aut pœnam æternam, neq; de toto rigore iustitiæ, nec de condigno, neq; etiam imperfectè, & oppositũ dicere, non est satis tutum. Et in hac re tota difficultas nõ est de satisfactione de rigore iustitiæ, neq; de satisfactione de condigno, sed de satisfactione imperfecta, siue ex acceptatione Dei, quod genus satisfactionis, fundatur in gratiosa acceptatione creditoris. Et probatur, quòd neq; isto modo actus ille sit satisfactorius pro peccato quãtùm ad auersionẽ. Quia satisfactio, est opus iustitiæ, & facit debitũ ex iustitia, id pro quo redditur: ergo si pœnitens suis actibus satisfacit pro peccato, vt est offensa Dei, facit sibi debitam ex iustitia, remissionẽ talis offensæ: consequens est cõtra Paul. qui peccati remissionẽ, gratis nobis concedi, dicit Rom.3. *Rom.3.* Iustificati gratis per gratiam ipsius, & redemptionẽ, quæ est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiatorẽ. Et paucis interiectis, Propter remissionẽ præcedentiũ delictorũ. Et.2.ad Tim.3. *2.Tim.3.* Non ex operibus iustitiæ, quę fecimus nos: sed secundũ suam misericordiã saluos nos fecit. Fauet huic veritati Triden. sess.6. decreto. de iustifica. c.9. Vbi habetur, necessariũ esse credere, neq; remitti, aut remissa vnquam fuisse peccata, nisi gratis diuina misericordia propter Christũ. Item patet: Quoniam secundum legẽ ordinariã, nunquã fit remissio peccati, nisi per infusionẽ gratiæ, ita vt remissio ipsa, sit quasi formalis effectus secundarius gratiæ: igitur si per contritionẽ, prout antecedit gratiam, pœnitens satisfacit pro peccato quo ad culpã, sequitur quòd habemus ius iustitiæ & remissionem illius; & consequenter idem ius habemus ad gratiã. Patet consequentia: Quia implicat quòd, sit effectus formalis alicuius formæ debitus, & nõ sit debita ipsa forma. Antecedens probat Caiet. in opusc. tom.3. tract.11. de fide & operi. c.4. Et probatur: Quia remissio peccatorũ includitur in iustificatione impij. Nã iustificari impiũ, est ex impio & peccatore fieri iustum, in quo sanè remissio peccati apertè cõtinetur: igitur si iustificatio impij continet remissionẽ peccatorũ, sequitur quòd si remissio hæc est debita ex iustitia pœnitenti, non potest dici absolutè, quòd iustificatio fiat gratis, quod est contra Paul. Vndè, prę fatum antecedens expressè definitur in Conc. Trid. sess.6. decreto de iustific. c.7. Vbi sic habetur: In ipsa iustificatione cum remissione peccatorum, hæc omnia simul infusa accipit homo. Tandem probatur id quod supponimus: Quoniam inter nos & Deũ, non est propriè iustitia: ergo vt satisfaciamus ex iustitia apud Deũ, necessè est vt interueniat liberalitas ipsius Dei acceptãtis satisfactionẽ nostrã: sed hęc acceptatio fit per gratiã: ergo satisfactio nostra, supponit gratiã; & ex consequenti actus pœnitẽtiæ, vt antecedit gratiam, non est satisfactorius. An verò contritio prout ordine naturæ subsequitur gratiam, sit satisfactoria pro peccato mortali, quoad culpam? Hoc inter-



interpretaturi sumus loco citato. quæst.113. artic. 5.

Rursùs, circà dubitationem propositam dubitari solet; Vtrùm supposito gratiæ auxilio, possit homo promereri remissionem culpæ, quoad maculam, & reatum pœnæ æternæ? Et ratio dubitandi est: Quoniam infusio gratiæ, est prior in genere causæ formalis, quàm remissio culpæ: ergo actus liberi arbitrij, vt procedit ex gratia, secundum illud prius, poterit esse meritorius remissionis culpæ, quæ consequitur ad infusionem gratiæ. Confirmatur: Nam actus liberi arbitrij vt procedunt ex gratia, merentur primã gloriam: ergo & remissionem pœnæ æternæ. Patet consequentia: Quoniam pœna æterna damni, non est aliud quam carere gloria aut visione Dei: ergo non stat mereri primam gloriam, quin pariter mereamur ablationem huius pœnæ æternæ. ¶Adhoc, nõnulli negant, nos posse mereri primam gloriam, sicut non possumus mereri remissionem culpæ, & pœnæ æternæ. Alij verò Theologi è contrario dicunt, quòd sicut meremur primam gloriam, possumus etiam mereri remissionẽ culpæ, & pœnæ æternæ per actus nostros, vt procedunt ex gratia in illo priori. Sed de hac re, fusè dicendum est infrà à nobis. Vndè respondetur breuitèr, nulla ratione posse concedi, quòd mereamur remissionem culpæ: Nam ante remissionem culpæ, homo est inimicus, & omne meritum fundatur in amicitia eius: ergo implicat contradictionem, quòd sit meritum ante remissionem culpæ, & quia culpæ respondet intrinsecè pœna æterna, inde fit, vt nulla ratione quis possit sibi mereri remissionem pœnæ æternæ. Et ad rationẽ dubitandi incõtrarium, dico, quòd licèt infusio gratiæ præcedat in aliquo genere causæ, remissionem culpæ, non tamen præcedit simpliciter, & secũdum omnem rationem. Nam in genere causæ materialis, ipsa remissio culpæ, est prior quàm infusio gratiæ; atque adeò est prior quàm omne meritum. Ad confirmationẽ respõdetur, quòd gratia primò & per se habet reddere subiectum gratum, & acceptum Deo; secundariò verò habet ordinare illud in vitam æternam: Et quantùm ad primum, est causa remissionis culpæ & pœnæ æternæ, neq; cadit aliquo modo sub merito; sed quantùm ad secundũ pendet quodãmodò ex operibus nostris, in quãtùm refert & ordinat hominem in vitã ęternã, mediãtibus operibus eius; & hac ratione, opera hominis, vt procedunt ex subiecto grato, & amico Dei, possunt esse meritoria vitæ ęternæ, etiam quoad primam gloriam. Alij dicũt, quòd culpa & pœna æterna, primò & per se est carentia acceptatione Dei, ad amicitiam, quæ fit per gratiam; secundò verò gloriæ. Et sic patet solutio in forma ad confirmationem. ¶Verùm de hac re quid sit dicendum, definiemus fusiùs in materia de merito & iustificatione. Et hæc sufficiant de hoc artic.

## ARTICVLVS VIII.

*Vtrùm homo sine gratia, possit non peccare?*

Prima conclusio. Homo in natura integra constitutus, etiã sine gratia habituali, poterat nõ peccare, nec mortaliter nec venialiter. ¶Secunda conclusio. Post naturam lapsam, non potest homo sine gratia omnino abstinere à peccato. ¶Tertia conclusio. In statu naturæ lapsæ, licèt aliquis sit in gratia, nõ potest cauere omnia venialia, sine specialissimo alio auxilio; potest tamen cauere omne mortale. ¶Quarta conclusio. Qui amisit gratiam per mortale peccatum, potest per aliquod tempus viuere sine nouo peccato mortali, & singula peccata occurrentia mortalia vitare; non tamen diù potest esse absq; peccato mortali. ¶Quinta cõclusio. Existens in mortali, non potest sine gratia iustificante, omnia mortalia cauere, ita vt (sicut dictum est) diù maneat sine nouo peccato.

## Discursus articuli

Secunda conclusio S.Thom. vt iacet, est de fide, & oppositum illius fuit error Pelagij, dicentis, sine gratia Dei posse hominem vitare peccata, vt refert D.Hieron. lib.1. contra Pelagia. *Hieronym.* & damnatur iste error in Concil. Mileuit. cap.3.4.&.5. & in epist.1. Cælest. Pap. & in altera epist. Innocen. Papæ ad Concilium Mileuit. *Cõc. Mileu. Cælest. P P. Innoc. P P.* & damnatur etiam in quodam Concilio cuius est epist.95. B. August. *B. August.* & in Conc. Tolet. 3. cap.2. Et patet ex Scriptura Prouerb.20. *Prouer. 20.* Quis potest dicere, mundum est cor meum, & purus sum à peccato? Eccles.7. *Eccles. 7.* Non est homo iustus in terra qui non peccet. Et.3.Reg.8.&.2.Paralip.6. *3. Reg. 8. 2. Parali. 6.* Nõ est homo qui non peccet. Ad Rom.3. *Rom. 3.* Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei. Et in confirmationem eius, affertur illud Psalm.13. *Psalm. 13.* Abominabiles facti sunt, omnes declinauerunt, &c. Vide August. lib. de nat. & grat. cap.59. & lib.2. de peccator. merit. & remissio. *D. August.* Paul. Oros. in lib. Apologet. *Paul. Oros.* Et antiquiores dicunt, hanc sectam descendisse ex secta Stoicorum, qui faciebant quosdam homines impeccabiles. Et licèt ex locis Scripturæ & Conciliorum adductis, non habeatur in speciali, esse necessariam Dei gratiam, ad vitãda peccata mortalia, sed in communi ad vitãda peccata siue venialia siue mortalia; satis tamen apertè colligitur ex illis, gratiam Dei esse necessariam ad vitanda peccata mortalia, saltem per longum tempus, vt infra ostendetur.

## DVBIVM I.

*Vtrùm homo in natura integra etiam sine gratia, potuerit cauere omne peccatum?*

Hic sermo est de omni peccato, etiam de illo, quod est contra præcepta supernaturalia. Nam hoc dubium mouetur propter primam assertionem. S.Tho. in qua decernit, quòd homo in natura integra constitutus, etiam sine gratia habituali, poterat nõ peccare nec mortaliter nec venialiter. Et in hoc dubio pleriq; tenent, hominẽ in statu naturæ integræ, nõ potuisse cauere omne peccatũ, sine supernaturali gratia Dei. Ita sensit Capreo. in.2.d.29.q.1. & ibidẽ Greg. q.1. art.1. Et probatur: Nam homo in natura integra non poterat implere præceptum diligendi Deum super omnia, dilectione supernaturali, sine gratia gratum faciente, neque etiam poterat credere aut sperare, sine auxilio speciali Dei: ergo nõ poterat in illo statu vitare omnia peccata. Patet consequentia: Quia non vitatur peccatum, nisi adimplendo præceptum. Item probatur ex Aug. *D. August.* qui lib. de nat. & grat. c.48. & lib. 14. de Ciuit. cap.27. & in Enchirid. cap.106. & .107. ait, quòd homo indiguit diuino adiutorio, vt posset nõ peccare, & in rectitudine, in qua conditus erat per-

manere. Et in Concil. Arausc. cano. 19. Natura humana, etiam si in illa integritate, in qua est condita, per maneret, nullo modo se ipsam, creatore suo non adiuuante, seruaret. ¶ Conrad. & Pater Medina hic dicunt, homine potuisse in natura integra, vitare omnia peccata contra legem naturæ; non tamen cõtra præcepta supernaturalia. Quia sicut per suas vires non poterat implere præcepta supernaturalia; ita etiam non poterat per suas vires, vitare peccata opposita illis præceptis: Quia idem est implere præceptum, & vitare peccatum illi oppositum. Et probatur hæc sententia: Quoniam ad implenda hæc præcepta supernaturalia, requiritur auxilium supernaturale: ergo etiam ad non peccandum contra illa. Patet consequentia: Quia ad non peccandum cõtra præceptum, requiritur adimpletio præcepti. Et confirmatur: Quia S. Th. 1.2. q. 63. art. 2. ad. 2. inquit, quòd peccata quæ sunt directè contra virtutes Theologicas, non possunt vitari sine gratia, sicut neq; potest exercere illas virtutes sine gratia. Ex quibus colligunt authores citati, quòd quãdo Sanctissimus Præceptor in art. dixit, hominem in natura integra, posse, per suas vires non peccare, & cauere omnia peccata, intelligit de peccatis, quæ aduersantur rectitudini naturali, & non de peccatis, quæ aduersantur legi supernaturali.

*Conclus. 1.* His non obstantibus, sit prima conclusio. Absolutè & simpliciter homo in statu naturæ integræ, poterat vitare omnia peccata. Hæc est S. Tho. hic, & supra art. 4. & Magist. in. 2. d. 24. &. 29. Henric. quodlib. 6. q. 11. Bonauent. in. 2. d. 24. q. 2. Marsil. in. 2. d. 18. q. 2. Duran. q. 3. & Caiet. hic, & est communis sententia multorum, & est D. Aug. lib. de correct. & grat. cap. 12. Vbi ait, quòd primus homo in Paradyso poterat non peccare, sicut & non mori. Idem docet. 14. de Ciuit. cap. 10. & lib. 22. cap 30. & lib. Hypognost. non longè à principio, & lib. de ecclesiast. dogmati. c. 21. Et confirmatur: Quoniam primus homo ex vi iustitiæ originalis erat immortalis secundum corpus, ita quòd simpliciter poterat nunquam mori secundum corpus: ergo nec secundum animam. Patet consequentia: Quia mors corporis pẽdebat ex morte animæ. Nam per peccatum introiuit mors in orbẽ terrarum. Item, in illo statu poterat homo facere omne bonum morale, & poterat implere omnia præcepta naturalia, vt dictum est art. 2. &. 4. ergo poterat non peccare. Dices, quòd argumentum solùm probat de peccato contra præcepta naturalia, non contra supernaturalia. Sed contra: Quia adhoc vt aliquis nõ peccet contra supernaturalia præcepta, satis est vt non ponat obicem diuinæ motioni, sed paratum se exhibeat ad operandum opera supernaturalia, ex auxilio & motione diuina: sed hoc poterat homo in statu naturæ integræ. Et confirmatur: Nam, vt art. 4. visum est, plus requiritur ad implendum præceptũ supernaturale, quàm ad non peccandum contra illud. Caiet. in hoc art. expressè docet, conclusionem D. Thom. intelligendam esse de *omni* peccato, etiã cõtra præcepta supernaturalia: Ait enim, quòd aliud est implere præcepta supernaturalia; aliud verò non peccare contra illa; & quòd magis requiritur vt impleantur præcepta, quàm vt vitentur peccata cõtra ipsa. Quoniam vt præcepta impleãtur, requiritur supernaturalis actus; vt verò non fiat transgressio contra ipsa, neq; peccet homo contra illa, non requiritur actus aliquis, sed satis est non ponere obicẽ gratiæ diuinæ, vt constat de eo, qui inuincibiliter ignorat legem supernaturalem. Et ex his colligit Caieta. quòd licèt in statu naturæ integræ, ex proprijs non posset implere præcepta supernaturalia; poterat tamen ex proprijs vitare peccata contra ipsa; quia poterat non ponere obicem diuinæ motioni. Nam impletio præceptorũ supernaturalium, de necessitate claudit donum supernaturale in habente, quo fit potens adimplere. Ad vitandum autem peccatũ omissionis, non exigitur supernaturale donum, sed sufficit non ponere obicem, in nullo; reniti diuinæ motioni, in quantum præceptum obligat pro tali statu; aliter enim ad alium pertinet statum. Profectò, in statu naturæ integræ, poterat homo ex proprijs conseruare immortalitatem, sicuti & iustitiam originalem: ergo & poterat vitare omne peccatũ. Liquet cõsequentia: Quia per quodcùmq; mortale, amittebat homo immortalitatem & iustitiam originalem; Imò verò de facto primum hominis peccatum, fuit contra rationem supernaturalem: igitur si ex proprijs, non poterat se cõseruare sine peccato, neque etiam ex proprijs, posset conseruare immortalitatem, aut iustitiam originalem. ¶ Quocircà, sequitur, quòd si homo constituatur in natura integra, licèt sine dono supernaturali, nunquam impleat præceptum charitatis vt sic; tamen sine tali dono supernaturali vitaret peccatum omissionis omnium præceptorum, ob id quòd nullum impedimentum præstitisset dono supernaturali, quo potuisset præceptũ implere.

*Conclus. 2.* Secunda conclusio. Probabiliùs & rationabiliùs videtur, hominẽ in natura integra non aliter vitare posse singula peccata cõtra præceptas supernaturalia, quã homo in natura lapsa; atq; adeò sicut in natura lapsa absolutè indiget auxilio supernaturali, ita & tunc. Hæc cõclusio cõmunis est inter discipulos D. Th. & inter Iuniores, eã tenet pater Medi. hic Ferra. 3. cõtra Gen. c. 160. Greg. & Conrad. locis supra citatis. Imò verò D. Aug. in Enchirid. c. 106. &. 107. ait, ꝙ primus homo eguit diuino adiutorio, vt posset non peccare, & in rectitudine, in qua cõditus erat, permanere. Et in Conc. Arausc. habetur; quòd natura humana etiã si in illa integritate, in qua fuit cõdita, maneret; nullo tamen modo se ipsam, creatore suo non adiuuante, seruaret, id est, nullo modo posset se continere sine peccato contra præcepta supernaturalia: Nã peccata omnia contra præcepta naturalia facilè sine auxilio supernaturali vitare posset, vt suprà dictũ est. Et ob id, prima assertio D. Tho. intelligenda est tantũ de peccatis cõtra rationẽ naturalẽ. ¶ Probatur ergo his positis, hæc secunda assertio. Nã licèt verũ sit posse hominẽ vitare peccata contra præcepta supernaturalia, sine eorũ adimpletione, vt si Deus denegaret prorsùs auxilium supernaturale: Quia tunc non possunt esse præcepta supernaturalia; vel si homo haberet auxilium supernaturale; haberet tamen ignorantiam inuincibilem; quia tunc licèt essent præcepta, excusaretur ab eorum adimpletione: sed hoc etiam militat in natura lapsa: ergo sicut absolutè negatur, hominem vitare peccata contra præcepta supernaturalia sine auxilio; ita est negandum in natura integra. Hæc est expressa sententia D. Thom. 1. 2. quæst. 63. artic. 2. ad. 2. Vbi ait, esse aliqua peccata, quæ homo nullo modo potest vitare sine gratia, vt sunt illa quæ opponuntur virtutibus Theologicis. Et confirmatur: Quoniam præceptum supernaturale fidei obligat ad actum aliquem positiuum supernaturalem habendum, ita vt si de facto non habeatur, fiat transgressio præcepti; sed ex viribus naturæ, nemo potest habere talem actum: ergo necessarium est auxiliũ supernaturale ad impletionem præcepti; & consequenter ad vitandum peccatum, quod incurret homo, si non impleret præceptum. Hæc idem confirmant argumenta in principio dubitationis adducta. Neque satisfacit Caiet. distinctio, de obseruatione præcepti positiua, & de vitatione ipsius, quòd potest vitare transgressionem præcepti, sed non adimplere præceptum. Videtur enim impertinens in proposito. Nam æquè licebit colligere ex illa, quòd etiam homo existens in peccato, posset vitare ex proprijs viribus, omnia peccata contra præcepta supernaturalia, quod sanè nemo ex Catholicis admittet. Patet sequela. Nam infidelis negatiuè qui nihil vnquàm audiuit de fide, & habet inuincibilem ignorantiam, non peccat contra præcepta supernaturalia: sed vitare peccata contra præcepta supernaturalia, non solùm dicit negationem actus cõtrarij: Quia si hoc tantum diceret, posset homo vitare illa peccata, merè negatiuè se habens, qui est proprius modus implendi præcepta negatiua, & vitandi peccata contra ipsa: ergo hæc impletio præceptorum, dicit actum positiuum, sicut euenit in alijs præceptis affirmatiuis: ergo sine illo, homo erit verè transgressor præcepti; à quo tamen excusatur infidelis negatiuè, propter ignorantiam inuincibilẽ, quæ non erat in statu innocentiæ. Item, Præceptum supernaturale, aliquando obligat ad actum supernaturalem: ergo eo tempore non implere præceptũ per actum supernaturalem, erit peccatum. Et ita tunc, idem est implere præceptum, & vitare peccatum: ergo Caiet. distinctio, non est vsquequaq; vera. Quòd si vt probabilis posset sustineri, non est dicendum, quòd homo in natura integra posset per vires naturales vitare peccata cõtra præcepta supernaturalia, quando talia præcepta obligant ad actus supernaturales; sed solùm est verum extra illud tempus.

*Medina. Ferrara. Gregor. D. August. D. Thom.*

*Conclus. 3.* ¶ Tertia conclusio. Aliqua præcepta supernaturalia sunt, quæ non possunt impleri sine auxilio gratiæ præcedente, & aliqua, sine gratia consequente. De quo non licet dubitare. Probatur: Nam omnia præcepta supernaturalia sunt de fide, spe, & charitate, pœnitentia, vel de sacramentis; Quæ sunt de fide, spe, charitate, & pœnitentia interiori, impleri nequeunt sine diuino auxilio præcedente; benè tamẽ sine gratia habituali præcedente, quamuis præcepta de charitate, & pœnitentia interiori, nõ possint impleri, quin gratia sequatur. ¶ Aliqui dicũt, quòd præcepta externa harum virtutum, impleri possunt sine gratia, & sine auxilio gratiæ; Imò verò dicunt, quòd præcepta sacramentorum aliquando possunt impleri, non solùm sine gratia præcedente; sed etiam sine gratia subsequente. Quia potest dari accessus, neuter, in quo taliter accedit homo ad Eucharistiam, vt neque gratiam recipiat, neque peccet de nouo, sed potiùs impleat præceptum de communione, vt à quibusdam dicitur in materia de Eucharistia. Sed quid sit verum, & quid sit in hac parte sentiendum, diximus fusè suprà art. 4.

Ad argumenta quæ pro prima conclusione, & Caiet. sententia militant, solutio satis patet ex dictis ibi. Et respondetur præterea, quòd primus homo potuit conseruare originalem iustitiam, sicut potuit non peccare; non tamen hoc poterat in ordine ad præcepta supernaturalia, ex proprijs viribus, sed ex supernaturali auxilio, quod tamen habebat præsentissimum. In quo sensu explicandus est B. August. Nam loquitur de facto, secundum omnia quæ habuit tunc primus homo. Et in hoc sensu absolutè cõceditur, primum hominem vitare potuisse peccata omnia contra præcepta supernaturalia; non tamẽ ex proprijs præcisè, sed ex auxilio speciali.

## DVBIVM II.

*Vtrùm ex eo specialiter, quòd quis sit in peccato, habeat impossibilitatem ad vitanda alia peccata?*

DIfficultas hæc, solet sub hac serie disputari, Vtrùm homo in mortali possit diù viuere, sine eo quòd incidat in noua peccata, ita vt ex proprijs possit perseuerare multo tempore cauendo alia mortalia, etiam illa quæ sunt cõtra præcepta naturalia? Caiet. in hoc art. asseuerat, quòd licèt regulariter loquendo, & vt in plurimũ, nõ possit peccator diu perseuerare sine nouo peccato; tamen in aliquo casu particulari euenire poterit, quod aliquis non peccet de nouo. Vt, v. g. Si quis ignoret se esse in peccato, credés se adhibuisse perfectam diligentiam, vt per sacramentum iustificetur; quam tamen non adhibuit. Est etiã alius casus, vt si quis non meminerit sui peccati, & inter probos & sanctos viros semper versetur, præsertim si fortitus est bonas inclinationes, &c. ¶ Quòd ergo talis homo possit per multum tempus perseuerare sine nouo peccato, probatur primò. Nam ille homo non habet aliquem finem in particulari præconceptum, ex cuius determinatione inclinetur ad malũ. Quia potiùs existimat se omnia agere propter Deũ: igitur ratio D. Thom. iam non procedit in isto casu: Nam fundatur in hoc, quòd homo operatur ratione finis præconcepti. ¶ Secũdò arguitur. Quia si aliquis esset in solo originali, posset diù viuere sine peccato mortali: ergo idem poterit si semel commiserit vnum peccatum mortale. Patet antecedens: Quia rationes S. Tho. & testimonia Patrũ ab illo adducta,

*Argum. 1.*

*Secundum.*

solùm procedunt de illo, qui est in peccato mortali actuali. Consequentia probatur: Quia inclinatio relicta ex vno actu peccati, poterit auferri per actus contrarios. Rursus, sicut homo in originali peccato non est affectus particulariter ad aliquem finem specialem, quod sit bonum commutabile, sic in nostro casu. *Confirm.* Confirmatur: Quoniam inclinatio relicta ex vno peccato, solùm inclinat ad similes actus: sed qui commisit peccatum, verbi gratia, furti, potest diù & per totam vitam abstinere à furtis: ergo quàtum est ex vi illius actus peccati, poterit abstinere *Tertium.* ab omnibus alijs peccatis diu. ¶ Tertiò arguitur. Nam ex eo quòd homo sit in aliquo peccato mortali, non contrahit nouam difficultatem ad vitanda peccata: ergo pari modo, quo poterat illa vitare si non esset in peccato, poterit etiam, licèt in eo sit, eadem vitare. Probatur antecedens: Quia peccatum non tollit vires naturales, vt patet in peccato originali, & etiam in peccato actuali, quod non relinquit habitum, & consuetudinem ad peccandum, præsertim si illius sit omninò immemor homo. *Quartum.* ¶ Quartò arguitur. Quia si homo ex eo quòd est in peccato, est in periculo contrahendi noua peccata: ergo sub mortali tenetur statim conteri, & confiteri peccata sua: consequens est falsum; & sequela probatur: Quia tenemur non versari in periculo peccàdi mortaliter; si autem S. Thom. sententia esset vera, eo ipso quo quis committit vnum mortale, versaretur in periculo committendi alterum: ergo. ¶ *Quintum.* Quintò arguitur: Quia si peccator non posset diù abstinere à nouo peccato mortali, sequitur, quòd qui cognosceret se diu abstinuisse à peccato, consequenter sciret se esse in gratia Dei: consequens est falsum: ergo. ¶ *Sextum.* Sextò arguitur: Si homo qui abiecit gratiam, non potest longo tempore abstinere à peccato, bene tamen breui tempore, sumo aliquod determinatum tempus, in quo possit abstinere ab omni mortali collectiuè, & sit. v. g. Mensis; summo etiam aliud tempus, in quo toto non possit abstinere ab omni peccato collectiuè, & sit tempus duorum mensium, gratia exempli; Tunc rogo, Vtrùm in illo instanti terminatiuo mẽsis, vel immediatè post illud instãs, necessè sit hominem labi in peccatum mortale? Si *D. August.* affirmes, re vera non peccabit: Quia secundũ Aug. 1. retract. cap. 9. & 3. de libero arb. c. 18. de grat. Christi, cap. 67. *D. Hiero.* Hieron. in exposit. fidei ad Damasc. nemo peccat in eo quod vitare non potest. Si dicas, quòd etiam in illo instanti, & post illud instans, potẽs est homo cauere omne peccatum mortale collectiuè, etiam facta suppositione, quòd toto tempore præcedente abstinuerit à peccato; Tunc iterum discurro per tempus sequens, & tandem necessariò deuenien dum est ad aliquod tempus, in quo necessariò incidet in peccatum, ex suppositione, quòd rectè vixerit tempore præcedenti; vel paulatim colligẽdo partes secundi mensis, habebo quòd toto tempore secundi mensis, poterit vitare omnia peccata collectiuè; & sic potest etiam argui de tota vita, imo verò de infinito tempore syncathegorematicè. Et con *Confirm. 1.* firmatur: Quia peccator potest vitare hodie peccatũ occurrens, & similiter cras peccata occurrentia, & sic de singulis, vt S. Tho. insinuat concluſ. 4. ergo po *Confirm. 2.* terit vitare omnia simpliciter. Et confirmatur secundò: Quia peccata quæ possunt occurrere, sunt finita: ponamus ergo quòd sint decem; Tunc sic, potest vitare primum, & cùm vitauerit illud, potest vitare sequens, & sic de alijs. Si dicas, quòd cùm vitauerit nouem, non potest vitare postremum. Contra arguitur: Quia per hoc quòd vitauerit præcedentia, non est imminuta potentia; imò verò potius est aucta, & fortior effecta: Quod si non posset vitare illud, non peccaret ipsum committendo, vt deductum est in argumento. ¶ Septimò: Qui est in mortali & id igno *Septimum.* rat, poterit esse dispositus & affectus circà finem vltimum: ergo poterit diu operari in ordine ad illum, atque adeò vitare multò tempore omne peccatum mortale.

Caiet. in Comment. huius loci, citat D. Thom. in 2. dist. 28. quæst. 1. artic. 2. qui impugnat sententiam, quam in hoc art. defendit. Nam idem Sanctissimus Præceptor, in eodem. 2. citato dicit, quòd multiplici ter apparet falsum dicere, quòd homo in mortali, potest ad tempus stare ne cadat in peccatum, sed nõ diu. Et probat: Quia naturalia, per peccatum non sunt ablata, sed solũ infirmata; ergo libera fuga mali, quæ est de ratione liberi arbitrij, nõ est ablata per peccatum, sed infirmata; ergo ex peccato non incurrit homo, non posse cauere peccatum, sed non posse facilè fugere malum, & peccatũ. ¶ Rursus ait S. Th. quòd non satisfacit simile, quod adducitur de peccato veniali; nam venialia absq; deliberatione committuntur, mortalia verò cum deliberatione: ergo quòd non possimus omnia venialia vitare, sed singula, id euenit propter primos motus, & indeliberationem rationis, ad quos motus non requiritur deliberatio consensus: at verò cùm mortalia solùm ex deliberatione fiant, sequitur, quòd qua ratione peccator potest vitare vnum mortale, potest vitare omnia. Si dicas, quòd potest vitare omnia ad tẽpus, sed non diù. Contra arguit D. Th. Nam liberũ arbitriũ, postquàm vitauit aliqua peccata, resistendo malo ex peccato, multò fortiùs efficitur ad vitãdũ alia mala; non enim efficitur infirmum: ergo post vitatũ vnũ peccatũ, & aliud, multò fortiùs redditur liberum arbitrium, quàm antea ad vitãdum omnia. Legendus est Sanctissimus Præceptor eo loci attentè.

Durandus in. 2. d. 28. q. 3. tenet peccatorem posse diù viuere sine nouo mortali. Idẽ sensit Scotus ibi; imò arrisit hæc sententia D. Thom. iuueni, distin. 28. quæst. 1. art. 2. Et arguit Durandus. Priuatio gratiæ, & finis malus præconceptus, & prauus habitus, nõ faciunt impotentiam in homine peccatore, ad diù vitandum mortalia: nam hæc omnia non comitantur peccatum mortale habituale existẽs in homine peccatore; igitur ex illis non benè colligitur impotentia ad diù cauendum noua peccata. Quòd verò hæc omnia, nempè priuatio gratiæ, & debiti finis vltimi, & assiduæ vigilantiæ, circa ea quæ oportet, & prauus habitus, non comitentur semper hominem peccatorem in solo habituali, probatur: Quia stat hominem semel commisisse adulterium, & nolle ampliùs committere, & peccatum illud non esse ablatum per gratiam, & simul habere habitum acquisitum temperantiæ: Quoniam ex vno solo actu intemperantiæ, non corrumpitur habitus acquisitus, & cõsequenter neque habebit prauum habitum, neque finem malum præconceptum: Neque rursùs ob id indigebit maiore præmeditatione quàm prius.

¶ Secundò



¶ Secundò argumentantur. Concomitantia peccatum, quæ ad propositum spectant, tria sunt: nempe priuatio gratiæ, priuatio subiectionis ad Deum vltimum finem, & inordinata conuersio ad bonum cõmutabile, quæ iam transijt actu: sed hæc non inferunt talem impotentiam vitandi peccata diù: ergo. Quòd verò priuatio gratiæ non inferat hanc impotentiam, ostẽdo: Quia hęc priuatio gratiæ, potest esse in natura integra, vt si Deus condidisset hominẽ in iustitia originali, & sine ordine gratiæ; tùnc homo poterat vitare omne peccatum. Item etiã, quia priuatio non plus tollit, quàm opposita forma ponit: sed habitus gratiæ, solùm ponit efficaciam merendi; ergo priuatio illius, non tollit nisi solùm hoc: igitur non tollit potentiam vitandi peccatum mortale. Quod autem priuatio subiectionis ad Deum vltimum finem, non inferat hanc impotentiam, patet: Quia talis priuatio, non plus priuat, quàm inhæsione ad Deum ex charitate: sed cum tali priuatione potest stare bonitas moralis, vt patet in hæretico sola hæresi maculato; potest enim hæreticus per multum tempus nihil cogitare de sua hæresi, nẽpe quòd Spiritus sanctus non procedat à Patre; & in alijs recte se habere diu, absque mortali peccato; Imo verò potest in affectu suo habere Deum, ita vt pro nullo consequendo, aut vitando velit Deum offendere; ergo. Et est sermo de peccatis contra legem naturę. Tandem, quòd conuersio inordinata ad bonũ commutabile, non inferat hanc impotentiam vitandi diù peccata, probatur: Quoniam talis conuersio ad bonum commutabile, non manet in se, cum iam trãsierit; neq; manet in affectu, quia per vnum actum non potest generari talis affectus; sicut neque hirũ do facit ver. Imo verò, homo ex puris naturalibus potest se ipsum mutare de affectu huius boni commutabilis, in aliud bonum commutabile, vt experientia testatur: ergo. ¶ Caietanus in hoc art. ait, regulariter & vt in plurimum, non posse hominẽ peccatorem diù viuere sine nouo mortali; per accidẽs tamen posse contingere in aliquo casu, quòd peccator sine gratia Dei permaneat diù, absque nouo peccato. Et ponit exemplum, de eo qui fecit diligentiam, quam putauit sufficientem ad resurgendum & exeundum à peccato, & tamen reuera non fuit sufficiens; talis enim secundum Caietanum, posset diù viuere sine nouo peccato. Et similiter dicunt nonnulli Thomistæ, quòd si puer educaretur cautissimè inter viros optimos, remotis omnibus occasionibus peccati, posset diù viuere sine peccato, absque gratia iustificante.

Contraria sententia, est communis Theologorũ cum Magistro in. 2. d. 27. & 28. ita S. Throm tertio contra Gentes cap. 160. & de Verit. q. 24. ar. 12. Capreo. ibi. Henricus quodlibet. 5. q. 20. Bonauent. in. 2 d. 28. q. penultima. Ægidius. q. 2. Grego. q. 2. quos sequitur Marsilius. q. 28. art. 2. concluſ. quarta in eodem secũdo. Sent. Abulẽsis Matth. 5. q. 179. & Matth. 19. q. 279. Vega de iustificatione. q. 13.

Pro explicatione huius difficultatis aduerte, quòd tota difficultas consistit in hoc, quòd homo etiam si sit in mortali, nihilominus adhuc est liberi arbitrij, quo ad actum deliberandi; alias, post quodlibet peccatum non peccaret mortaliter; quia sine voluntaria deliberatione positiuè, vel negatiuè nõ incurritur mortale peccatum; voluntate autem existẽte libera ad deliberandũ, difficile est intelligere, quo pacto non possit homo, semel commisso peccato, Si in eo permaneat, vitare omnia peccata mortalia per multum tempus. Nã, si posito peccato, etiam voluntas manet libera, ita vt deliberare possit, cur non potest in vtrunque oppositorum, nempe deliberare vitationem, vel cõmissionem peccati: Quod si non potest de vtroque extremo, vt sibi libuerit de liberare, non videtur quo pacto maneat libera in deliberando. Et propter hæc Caietanus censet, dubitationem propositam esse difficilem. ¶ Adde rursùs, dupliciter posse intelligi, quòd aliquis sit in mortali, vno modo secundũ affectum & propositum, quãdo videlicet est affectus alicui peccato, & habet propositum illud committendi; & de tali peccatore omnes fatentur sine dubio, etiam ipse Durandus, quòd non potest diu permanere sine nouo peccato. Secundo potest aliquis esse in peccato mortali, secundum reatum tantùm, nullum habens affectum vel propositum peccandi vlteriùs de nouo; in quo manet nihilominus macula præcedentis peccati, & destitutio gratiæ habitualis, cum alijs quæ concomitantur habitualem culpam, & de hoc est tota difficultas, & potissimè est controuersia de peccatis, quæ militant contra præcepta naturalia, non enim modò sermonem instituo de vitatione peccatorum contra præcepta supernaturalia. Nã si detur aliquis infidelis negatiuè, qui nihil audiuit, neque audire potuit de fide christiana, ille excusatur à præceptis supernaturalibus, atque adeò non necessariò peccabit contra illa, sed poterit diù manere, absque eo quòd peccet contra huiusmodi præcepta. Quo circà, tota difficultas est, de peccatis contra rationem naturalem, An scilicet diù vitari possint à peccatore, sine gratia Dei? ¶ Et suppono, quòd peccator quãdo est in peccato, nõ solũ priuatur gratia Dei, verũ etiam habet malum finem præconceptum. Quare, sicut in actibus virtutum, duo sunt fines, scilicet proximus illius virtutis, & communis omnium, vt in actu temperantiæ bonum rationis, & etiam Deus; ita etiam in peccatis mortalibus, præter speciale malum, reperitur commune malum, quod est inordinatus amor sui, vsq; ad contemptũ Dei, qui amor efficit Ciuitatem Babylonis, dicente Aug. sicut amor *D. August.* Dei, vsque ad contemptum sui, efficit ciuitatẽ Hierusalem. Ex quo patet, quod homo existens *in* mortali, non solũ priuatur gratia & subiectione ad Deũ; quæ idem est, quod amor Dei vsque ad contemptũ sui; sed etiam est indutus amore *sui* vsque ad contemptum Dei. Vndè, homo peccando, non solum cecidit à bono fine, sed etiam habet malum finem communem; & quoniam hunc habet præcõceptum quandiù est in peccato, sequitur quòd quandiù existit in mortali, habet positiuum principium inclinans ad peccandum mortaliter; nempè, ad amorem sui vsque ad contemptum Dei, qui amor sui, est finis præconceptus in peccatore, & perseuerat in eo habitualiter, vel secundum affectum. ¶ Suppono etiã, quòd aliud est loqui de potentia physicè ad vitandum peccata, aliud de potentia morali, seu moraliter, vt fusè dictum est à nobis, supra art. 4. disputatione. 2. in. 2. art. Eiusdem disputationis.

His ita prælibatis, est prima conclusio: Homo *Conclus. 1.*

peccator in mortali existens, non potest moraliter loquendo, ex suis viribus præcisè, diù viuere sine nouo peccato. Itaque, postquam peccauit mortaliter, non potest diù cauere omnia mortalia, quæ sese obtulerint, per plurimũ illud tempus, sine eo quod incidat in alia noua peccata. Probatur primò ex Sacris literis, Threno.1. Peccatum peccauit Hierusalé, propterea instabilis facta est. Isaiæ.57. Abscondi faciem meam, & abijt vagus in via cordis sui. Gene.4. in figura huius dicitur de Chain: Ecce eijcis me à facie tua, ero vagus & profugus super terram: Omnis qui inuenerit me occidet me. Nam qui auersus est à Deo per peccatum, facilè ab irruentibus vitijs supe ratur. Psal.41. Abyssus abyssum inuocat; ideſt, vnũ: peccatum, aliud vocat. Isaiæ.34. Pilosus clamabit alter ad alterum; id est vna nequitia prouocat ad alteram, vt Gregorius interpretatur lib.7. Moral. cap.15. Et Psal.1. Postquã stabilitas iustorũ in bono cõparata est arbori, quæ fixas interra habet radices, statim dicitur: Non sic impij non sic, sed tanquam puluis, quem proijcit ventus à facie terræ, ideſt, quasi ventus vel stipula ab Spiritu maligno, vel à ventis tentationum aguntur in peccatum, vt ibi exponit Iansen. Eugubin. Flamin. Titelm. & alij. Et confirmatur exemplis Scripturæ: Nam Dauid cõmisso adulterio, lapsus est in homicidium, similiter Saul & alij &c. Rursùs, Peccatum dicitur funiculus in Scriptura, tum quia trahit hominem ad alia peccata, tum quia mala vita est veluti funiculus contextus è varijs filis, & spartis, ita vt vno posito, aliud ei continẽter aptetur, vt interpretatur D. Basil. circà illud Isaiæ.5. Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis. Et Aug. Psal.130. Hieron. Isaiæ.5. Hac ratione peccator dicitur seruus peccati; quia agitur in alia peccata. Et Cõcil. Arausc. cano.1: adducit illud Rom. 3. Nescitis quia cui exhibetis vos seruos ad obedien dum, serui estis eius cui obeditis. Et.2. Petri.2. Aquo quis superatus est, huic in seruum addictus est.

*Threnor.1.* *Isaias.57.* *Geneſ.4.* *Pſalm.41.* *Iſaias.34.* *Pſal.1.* *D.Baſil.* *D.Auguſt.* *D. Hieron.* *Rom.3.* *2.Petri.2.*

Item probatur ex Concilijs suprà adductis contra Pelag. quæ de solis peccatis mortalibus videntur intelligenda: Quia venialia, neque homo in gratia vitare potest sine alio specialissimo auxilio. Vndè, in Trident. sessio.8. cano.22. definitur, neminem posse iustè viuere, & diù permanere absque peccato mortali, sine speciali Dei auxilio. Et hoc dicitur etiam de homine iusto, quantò magis de peccatore? Innocent.1. epist. ad Cõc. Carthag. quæ est.93. apud Aug. ait; Necesse est quod homo priuatus Dei gratia, Diaboli laqueis irretitus occumbat. Et Cœlest.1. epist. ad Episcopos Galliæ definit, quòd nisi gratia Dei iuuemur, insidias Diaboli vitare non possumus. Et rursùs ait, quòd gratia Dei non solum peccata dimittit, sed etiam adiuuat ne committantur, & præstat vires vt lex impleatur, non sicut Pelagius, ait facile, quasi sine gratia difficilius possit impleri. Et fauent tertius, quartus, & quintus Canon Conc. Mileuit. qui referuntur de consecratione. d.4. quorum. 5. sic habet: Placuit, vt quicũq; dixerit, ideo nobis gratiã iustificationis dari, vt quod facere per liberum iubemur arbitrium, facilius possimus implere per gratiam, tanquam & si gratia non daretur, non quidẽ facilè, sed tamen possemus etiam sine illa implere diuina mãdata; Anathema sit. Vbi aduerte cõtra D. Bonauent. quòd non quæcumque gratia, sed iustificans exigitur ad vitanda peccata, & implendam legem Dei. Idem docet D. Aug. lib. de Perfect. Iust. sæpissimè, Contra alios verò, qui neque auxilium gratiæ esse necessarium existimant, præter testimonia, & concilia citata, sunt etiam alia euidentia testimonia referenda, art. sequenti, in quibus dicitur, etiam iustificatos ad cauenda mortalia diù, & iustè viuendum, indigere speciali auxilio gratiæ Dei, vt Conc. Trident. citatum definit. Legendum est Concil. 3. Tolet. cap.2.

Tertiò probatur ex Sanctis Patribus; Greg.25, Moral. cap.12. & hom.11. in Ezechiel. Peccatum quod per pœnitentiam nõ deletur, suo pondere ad aliud trahit, D. Hieron.3. contra Pelagian. Quo modo qui aduerso flumine lembũ trahit si remiserit manus statim retrò labitur, & fluẽtibus aquis quò nõ vult ducitur; sic humana cõditio, si paululum se remiserit discit fragilitatẽ suã, & multa se nõ posse cognoscit. Aug. Psal.77, circà illud, Immissiones per angelos malos ait, q; Diabolus habet potestatẽ in peccatore sicut in re propria. Rursus, D. Hiero. & Glossa super illud Thren.3. Misericordia Domini, quòd non sumus consumpti, dicunt, hominem diù non posse stare contra insidias Diaboli D. Chrysost. super illud Matth.20. Soluitè & adducite mihi, ait: Sicut nauis fracto gubernaculo non quò vult vadit, sed quò tẽpestas impellit, ita homo diuinæ gratiæ auxilio deperdito, non agitur quo vult, sed quò Diabolus impellit. Et homil.30. de Ira; In peccatis duo sunt mala, vnum quòd offendimus; secundum verò quòd peiores euadimus. Idem Origen. super Num. hom. 23. Qui semel intrà se licèt paruum posuerit fermentum, quotidiè semetipso nequior efficitur atque deterior.

*Gregor.* *Hieronym.* *D. Auguſt.* *D.Chryſoſt* *Origenes.*

Quartò probatur. Quia Scriptura, & Sancti docent nos assiduè orare, vt nos liberet à malo peccati, vt patet in Oratione Dominica: ergo ob id est, quia id non possumus sine gratia Dei. Ita docet D. Aug. de nat. & grat. cap.18. & epist.107. &.108. Quid stultiùs quam orare vt facias quod in potestate tua præcisè habes? Et lib. de perfectione iustitiæ docet, vanum esse petere, quod in sola potestate habemus. Idem docent Patres Concilij Carthag. apud D. Augustũ. ¶ Quintò probatur, Dæmon à quo impugnamur, est fortissimus, & solicitus valde Iob.40. Non est potestas in terra quæ comparetur ei. 1. Petri.5. Aduersarius vester Diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens, quem deuoret, Et ex alia parte nos sumus natura fragiles, & proni ad malum; Gen.8. sensus & cogitatio humani cordis, prona sunt ad malum ab adolescentia sua: ergo vincemur, nisi à Deo protegamur. Confirmatur. Quoniam Paul. ad Ephes.6. ait; De cætero fratres confortamini in Domino, & in potentia virtutis eius, induite vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias Diaboli; Quia non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, &c. Et statim; Propterea accipite armaturam Dei, vt possitis resistere. Quasi dicat, quòd non poterimus resistere sine armis diuinæ gratiæ. Idem Paul. Rom.7. Quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christũ. Et Psal. 123. Nisi quia Dominus erat in nobis, &c. Cum exurgerent homines in nos, forte viuos deglutissent nos. ¶ Sextò probatur ex ratione D. Tho. quã Caiet.

*Iob.40.* *1.Petri.5.* *Epheſ.6.* *Rom.7.* *Pſal.123.*

hi c



hic ita disponit; Homo in peccato mortali permanens, est destitutus gratia, & subiectione ad Deum simpliciter, habens malum finem, vel malum habitum, & constituitur inter multa quæ occurrunt agẽda vel vitanda contra Deum: ergo eget præmeditatione ad vitandum omne peccatum mortale: ergo non potest diù sic perseuerare, quin peccet mortaliter. Antecedens patet ex dictis, & prima consequentia probatur: Quia deficiente fine regulatiuo omnium, & appositò contrario fine inter tot occurrentia pericula, & prouocantia ad mortale, consequens est vt sequatur peccatũ mortale. ¶ Ego verò sic formo discursum, & rationẽ D. Tho. Homo in mortali permanens, cùm careat gratia Dei, non habet cor suum firmatum in Deo, & ex alia parte est inclinatus, & propensus in finem præconceptum, quem sibi eligit peccando; est etiam implicatus multis negotijs, & occasionibus, quibus impeditur, ne possit esse in continua præmeditatione, & vigilia ad resistendum: ergo impossibile est ipsum diù permanere absque eo quòd incidat in noua peccata. Quæ ratio insinuatur Isaiæ.57. Cor impij quasi mare feruẽs, quod quiescere non potest, & redundant fluctuationes eius in conculcationem. Et videtur etiam insinuata hæc ratio D. Tho. Psal.34. Viæ illorum tenebræ & lubricum, & angelus Domini persequẽs eos. Vbi via peccatoris dicitur tenebrosa; quia caret luce diuinæ gratiæ; dicitur etiam lubrica propter pronitatem in malum, & inconstantiam in bonum; dicitur obnoxia persecutionibus angeli, propter insidias Diaboli, & assiduas tentationes, & insultus Dæmonis, à quibus sola gratia nos liberat. ¶ Tandem, Ad seruanda diuina mandata per longum tempus, est necessaria diuina gratia, vt definitur in Mileuit. cano.5. Et vt suprà art.4. vidimus: ergo etiam est necessaria diuina gratia ad vitanda peccata. Patet consequentia: Quia licèt in aliquo casu detur medium inter hoc quod est seruare præceptum currens, & vitare peccatum contra illud, tamen regulariter loquendo, quando currit præceptum non vitatur peccatum, nisi per obseruationem præcepti. Et confir. Quia si aliquis resistat peccatis occurrentibus, & se exerceat in mandatis, crẽdendum est de diuina pietate quòd non sinet illum persistere extra suam gratiam: est enim paratissimus dare illam non ponentibus obicem peccati.

Et licèt præfata omnia videantur tantum concludere, hominem non posse viribus proprijs vitare omnia peccata, sed requiri auxilium supernaturale: sed tamen quia suppositâ prouidentia, quam de facto habet Deus, non præstat hoc auxilium, nisi per gratiam iustificantem, vel eam tribuit statim ei, qui auxilio cooperatus est; idcirco gratia est necessaria ad vitanda peccata, vt in simili dictum est in superioribus; atque ita homo destitutus diuina gratia, pronior est ad lapsum, & magis succumbit tentationibus Dæmonum, nec poterit sine illa diù sine peccato perseuerare, quantumuis sit inter probos educatus. ¶ Ex dictis etiam sequitur, quòd quando diximus in conclusione, non posse hominem moraliter vitare omnia pecata; non sumitur moraliter per eo, quod difficulter & rarò accidere potest, sed moraliter impossibile dicitur quod nunquam contingere potest suppositis circũstantijs, quæ in doctrina moralí considerari solent. Itaque licèt liberum arbitriũ physicè & secundum se consideratum, habeat vndè possit cauere peccata; tamen moraliter secundum quòd subest impugnationi Dæmonis, & carnis, & imbecillitati, & suppositâ destitutione vigoris sanãtis naturam in natura lapsa, & alijs circũstantijs moralibus semper occurrentibus, simpliciter, & absolutè non potest vitare omnia peccata. Vndè in Mileuit. Conc. cano.5. dicitur, gratiam Dei non solum dari vt faciliùs possimus; sed etiam vt simpliciter possimus, ita vt fine illa nullo modo possimus. *Concluſ.2.*

Secunda conclusio. Sententia Caiet. dicẽtis quòd conclusio S. Tho. solùm habet verum regulariter, & vt in plurimũ, & quòd in aliquibus casibus potest contingere, quòd peccator perseueret diù & multo tempore sine nouo peccato, licèt nõ sit adeò absurda & improbabilis sicut sententia Durandi, tamen & est falsa, & non videtur ferẽda, imò videtur plusquam falsa, & ita communiter reijcitur ab omnibus Theologis, maximè hac nostra ætate. Nam cõcilia & Sancti Patres sine vlla exceptione affirmãt, non posse peccatorem, sine supernaturali auxilio perseuerare per multum tempus sine peccato. Quę testimonia adduximus suprà art.4. Imo verò, Sancti vniuersaliter loquuntur de omni peccatore, etiam si esset in solo originali: ergo non omnino caret temeritate, qui ab hac regula vniuersali excipit aliquem sine authoritate Sanctorum. Quocirca, licèt puer cautè educaretur inter exẽpla optimorũ virorum, & remotis occasionibus exteriùs, nihilominùs nõ posset diù persistere, quin, vel iustificaretur per gratiã Dei, vel rueret in noua peccata. Imo verò, Cõcil. Trid. sess.6. can.22. definit; neminẽ posse iustè viuere & diù permanere absq; peccato mortali, sine speciali Dei auxilio & hoc dicitur etiam de homine iusto, quantò magis de peccatore: ergo excipere ab ista regula Conciliorum & fidei, casum aliquem, nõ est ferendũ. Potissime, Quia casus Caiet. est frequẽs: sunt enim multi qui existimant se esse in gratia, cùm tamen de facto non sint in gratia; & tamen secundam doctrinam Caiet. omnes isti possent perseuerare in gratia. Absolutè ergo dicendum est, Caiet. sententiam esse falsam & plusquã falsam, dùm aliquos excipit, cùm Sancti & Concilia absolutè dicant, neminem posse, Quæ impotentia, non ex ignorantia vel exscientia, sed ex alijs causis & impedimentis, quæ sunt omnibus communia, oritur. ¶ Sententia autem Durandi, temeraria est, & parùm consona fidei, imò secundum aliquos est erronea, vt patet ex dictis in prima conclusione, & ex his, quæ nos diximus suprà art.4. & disput 2. in illius controuersiæ.2. articulo, & Henriquus dicit, Pelagianam esse sententiam Durandi. *Seſsione.6.*

Ad argumenta. Ad primum respondetur, quòd ratio S. Tho. etiam militat in illo casu: Quia si reuera homo est in peccato, iam non habet cor firmatũ in Domino, licèt existimet se habere. Vndè necessariò est conuersus ad bonum commutabile, saltem ad se ipsum inordinatè. ¶ Ad secundum respondetur, quòd licèt aliqui Thomistæ dixerint, quòd si daretur talis homo cum solo originali peccato, & nutritus inter viros probos, posset perseuerare per longum tempus sine peccato actuali; hoc nõ est verum, vt vidimus. Vndè, verius dicendum est, quòd licèt *Ad argum.* *Ad primum* *Ad ſecundũ*

licèt homo ille nō esset ita conuersus ad bonū commutabile, sicut cum peccato actuali; tamen quia adhuc non habet ita firmatum cor suum in Domino, non posset per longum tempus perseuerare sine peccato mortali, nec posset semper esse præmeditatus & vigilans contra insultus & tētationes Dæmonis. Quæ sententia confirmatur maximè ex dictis suprà art.4. quòd homo in puris naturalibus propter imbecillitatem naturæ, non posset per longum tempus perseuerare in obseruantia præceptorum naturaliū ex proprijs viribus. Vndè, quādo S. Tho. dicit, quòd peccator habet malum finem præcōceptū, non tam debet intelligi de fine in particulari huius vel illius vitij, quam de fine vniuersali omnium vitiorū, qui est ipsemet peccator, & proprium eius commodum. Et licèt posset peccator auertere se à fine particulari, cōuertēdo se ad bonū contrariū, nō tamē potest se totaliter auertere à bono cōmutabili. ¶ Dico secundò, nō posse dari hominem adultum cum solo originali peccato, vt tenet Henric. quodlib. 5. q.20. & S. Tho. 1.2. q.88. art.6. Si verò daretur, iā diximus, quòd non posset diù viuere sine peccato mortali, &c. Et ex dictis patet ad confirmationem.

*Ad tertium*

¶ Ad tertium respondetur negando antecedens, & consequentiam, & similiter ad probationem. Vndè, ad fundamentum Duran. & aliorum respondetur ex Scriptura & Sanctis potissimum haberi, hominē in peccato existentem non posse se continere sine alijs peccatis. Nam cùm eò ipso quòd sit in peccato, sit destitutus gratia Dei, & auxilijs, quæ illā comitantur, non potest non frequentiùs labi. Et licèt hoc sit certum, & quod potissimè intendunt; aut vero etiam vidétur significare, quòd ex eo quòd quis sit in peccato, induit specialem facilitatem ad iterum peccādum: Quod liquet ex testimonijs adductis; & patet etiam ratione. Quoniam peccata communiter relinquūt in anima prauam consuetudinem, & habitum ad peccandum, & cùm homo iam sit auersùs à Deo, in quo non habet firmum, neque stabilitū cor, & sit conuersus ad creaturam, tanquam ad finē vltimum, ideò facilius in eius amorem declinat. Quoniam homo communiter operatur secundum finem præconceptum, & à se præstitutum; atque adeò homo in natura lapsa peccator, difficilius peccata vitabit, quam in puris naturalibus, quamuis tunc etiam non possit diù vitare peccata, sine alio speciali auxilio, vt suprà dictum est: manet enim in illo principalis ratio difficultatis, scilicet, pugna carnis cum Spiritu, &c. ¶ Vndè, homo in peccato permanēs, præter hoc quòd habet multa mala quæ illū incitant ad peccandum, nempe ignorantiam rerum moralium agendarū, pronitatem ad diligendū se & sua commoda, & hostes infestissimos mundū, Diabolum, & carnem, qui iugiter ipsum ad malum solicitant, suosque internos affectus. Quæ omnia communia sunt omnibus hominibus iustis & iniustis: Specialiter tamen peccator quandiù permanet in peccato, duas alias habet causas, quæ eum ad peccatum inuitant & inducunt. Prima est, deordinatio à Deo, ratione cuius sicut voluntas peccatoris non subijcitur Deo, ita non stabilitur, neque firmatur in eo, imo auertitur à Deo. Vnde, sicut homo benè ordinatus, Deoque subiectus, sufficienter munitur & armatur; quia radix sapientiæ est timere Deum, Ecclesiastici. 1. Ita è cōuerso, cùm careat peccator hac subiectione animi, & voluntatis ad Deum, non habet in se vim qua possit peccata omnia mortalia cauere. Secunda causa est, finis & amor sui inordinatus vsque ad contemptum Dei, in quo amore inordinato, & fine, permanet peccator quandiù est in illo.

*Eccles. 1.*

*Ad quartum*

¶ Ad quartum respondetur, quod siquis videret se per aliquod spatium temporis, post primum peccatum mortale, non cōmisisse aliud; teneretur sub mortali se præparare ad gratiam ad cauendum periculum imminens commitendi nouum mortale, Sicut dicit Pater Soto in.4.d.17. & alij in materia de pœnitentia. Vbi affirmant, quòd tenetur homo pœnitere aliquando de peccato præterito duntaxat, ob periculum imminens noui peccati. Alij dicunt, quòd cùm homo nesciat quantùm temporis possit sine nouo peccato viuere, si non sit in gratia, non poterit designari tempus, in quo peccet non se præparando ad illam: excusabitur enim tunc propter ignorantiam illius periculi in speciali. Sed hoc non satisfacit: Quia licèt non sciat determinatum tempus in speciali; scit tamen quòd non potest diù permanere sine nouo peccato. Vndè ad argumentum respondetur primò negando consequentiam: cum enim possit peccator singula peccata vitare, non est adeò præsentaneum, & euidens periculum incidendi in aliud peccatum, vt obliget statim conteri, vel confiteri; per accidens tamen contingere posset talis obligatio, si aliquis in particulari videret se in periculo vrgenti incidendi proximè in aliquod peccatum. Secundò respondetur, quòd non statim post peccatum cōmissum occurrit periculū probabile vlterius peccandi; Si verò sese obtulerit periculum; pari ratione instabit obligatio conuertendi se in Deum. Similiter instabit obligatio eadem si peccator viderit se iam per tempus aliquod cauisse non nulla peccata, aliasque instare occasiones similes. Quòd verò non teneatur statim confiteri aut conteri de peccato commisso, & quòd non statim se offerat periculum illud cadendi statim de nouo, ostendunt, tum diuina misericordia, tùm diuina auxilia, quæ Deus sæpius peccatoribus cōfert & offert, quibus possint interdum vincere tentationes etiam graues. Ex quibus auxilijs efficitur, vt licèt, peccator sit sine gratia iustificante; non tamen semper sit in probabili periculo incidendi statim in noua peccata.

*Obiectio.*

Sed objjciunt aduersarij, neque necessaria esse hæc auxilia ad vitanda peccata, neque conuersionē, aut præparationem illam ad gratiam ex obligatione aut præcepto aliquo: Nam homo cum peccat, liberè peccat, & ex deliberatione: ergo quacumque occasione oblata, potest non peccare: ergo potest vitare omnia peccata: ergo non obligatur ad cōuersionem ob periculum peccandi.

*Solutio.*

Respondetur, quòd licèt possit homo sine gratia vitare hoc vel illud peccatum, non tamen potest diù omnia vitare, nisi adiuuetur supernaturaliter à Deo. Nam quamuis habeat homo liberum arbitriū; tamen est valdè infirmum. Fateor tamen, quòd quotiescùmque peccat homo, liberè peccat, & cùm objjcitur: ergo potest vitare collectiue omnia peccata; negatur consequētia, quòd possit suis viribus, propter causas assignatas in discursu huius dubij. Vel concedo, quòd potest vitare omnia peccata, non tamen suis viribus, sed ex auxilio gratiæ Dei, quod omnibus Deus paratus est conferre misericorditer. Secundò dico, quòd potest homo ille singula peccata cauere in particulari; non tamen omnia collectiuè, vt suprà dictum est, & fusiùs infrà explicabitur.

*Ad quintū.*

¶ Ad quintum respondetur, negando sequelam. Nā nemo potest scire se longo tempore abstinuisse à mortali: Delicta enim quis intelligit, Psal. 18. Fatemur tamen esse coniecturam gratiæ Dei, si quis vigilanter attendens per longum tempus, non sensit conscientiam peccati mortalis, sed non euidens & certum argumentum. Caiet. hic pari ratione respondet negando sequelam. Et quando objjcitur; Potest quis scire se diù non deliberasse in peccatum mortale, Respondet, quòd quidquid sit de peccatis commissionis, nemo scit se diù non cecidisse in peccatum mortale omissionis, quæ omissio non eget deliberatione positiua; quia sufficit ei non deliberare quando tenetur. Et idcirco dixit Propheta; Ab occultis meis mūda me Domine. Imo verò ait Caiet. quòd talis impotentia, est effectus status peccati mortalis formaliter & per se, & non per accidens tātum, solo facto. Et idcircò, ob id quòd quis diù cernit quòd non est lapsus, non potest scire euidenter & certò, se de facto non esse in mortali; sed solum non esse in affectu mortalis, iuxta illud Paul. Nihil mihi cōscius sum; sed non in hoc iustificatus sum.

*Ad sextum*

¶ Ad sextum quod est difficile, plures assignantur solutiones à iunioribus. Aliqui dicunt, non esse deueniendum ad instans vel tempus determinatum, in quo sit necessè illum hominem labi; sed tantum esse necessarium lapsum illum intrà illam collectionem temporis. Et forte hoc est verum; quia res hoc moralis, & non prorsus metaphysica. Et quoniam hæc solutio impugnatur à quibusdam; Alij respondent, quòd facta suppositione, quòd necessarium sit deuenire ad tale instās vel tēpus determinatū, in quo, supposito quòd peccator postquā mortaliter deliquit, cauerit multa peccata, & rectè vixerit, non potest non incidere in nouum peccatum mortale: Tunc talis necessitas incidendi in nouum peccatum, est ex suppositione, quód peccauit mortaliter, & non se conuertit, neque voluit conuertere; necessitas autem ex suppositione non tollit libertatem. Hæc solutio multis non probatur: Quia supposito, quæ iam nō est in mea potestate, licèt aliquando fuerit, si est causa inferens necessariò effectum, libertatem tollit ab effectu; potissimè si non est causa vniuersalis, & extrinseca sed intrinseca & particularis; Nā de suppositione diuinæ voluntatis extrinsecæ, alia est ratio, quod licèt necessariò inferat effectū, nō tollit libertatē: Quia libertas attenditur in ordine ad causam particularem proximam & intrinsecā. De alijs verò suppositionibus, plerisque rationibus & exemplis patet, quòd si non sint iam in potestate facientis, tollunt libertatem. Nam si quis à se vel ab alio præcipitetur in saxa, necessariò lædetur, & illa læsio dum actu fit, non est libera; quia suppositio iam non est in potestate læsi. Idē videtur, siquis ex nimia comestione se polluat in somnis, vel si ex ebrietate perpetret homicidium: tunc enim non est noua libertas in effectu, neq; noua culpa. Quoniam suppositio præcedens, quæ primò fuit libera, iam deinceps nō est in potestate facientis. Ita D. Th. 2.2. q.150. art.4. & 3. p. q 80. art.7. Pater Soto in.4.d.12. q.1. art.7. Martinus Ledesma, eisdem locis, Pater Victor. num.81. in summa. Nauarro, cap.21. num.51. Adrian. q.3. de Eucharist. Et id colligitur ex D. Aug. 22. contra Faust. cap.44. dicente, quòd Loth committens incestum ex ebrietate, non est culpandus quantum incestus ille, sed quātum ebrietas meruit: igitur si homo supposito quod diù fuerit in peccato, est priuatus auxilijs necessarijs ad vitandum nouum peccatum, cū ea suppositio non sit iam in eius potestate, non poterit habere nouam culpam. Et confirmant: Nam aliquando suppositio non est à mala voluntate huius: ergo quod necessariò sequitur ex illa, non imputabitur ad nouam culpā. Antecedens patet in eo, qui solùm est in peccato originali, & diù abstinuit à peccatis mortalibus. Ad quod spectat illud dictum, quod Pater Victoria protulit, relect. vltima. p.2. nu. 6. & deinceps, quòd si ex suppositione peccati originalis, necessariò homo faceret malum, non ei imputaretur ad culpā; alioqui puniretur pæna sensus pro eo, quod propria voluntate vitare non potuit.

*D. August.*

Vndè Aug. lib.3. de libero arbit. cap.19. ait: Si veri boni ignorantia, difficultas quoque & impotentia; ita sit naturalis homini, vt nullum habeat Dei miserantis auxilium, quo bonus fiat; non peccat, sed peccati primi parētis, iustum sustinet supplicium. Et de correct. & grat. cap.49. loquens de adiutorio dato angelo, & primo homini, ait: Si hoc adiutorium homini vel angelo, cùm primū facti sunt, defuisset; quia nō talis naturæ essent, quòd sine Dei adiutorio possent manere si vellent, non vtique sua culpa cecidissent: adiutorium quippe defuisset, sine quo manere non possent; nunc autem quibus deest tale adiutorium, iā pæna peccati est. En, quo pacto insinuat August. carentiam diuini auxilij excusare à culpa, quia tollit libertatem.

*D. August.*

*Arist.*

Si objjcias Arist. dicentem. 3. Ethic. quòd ebrio debetur duplex increpatio; altera, quia se inebriauit; altera verò, quia homicidium ex ebrietate commisit: ergo suppositio quæ tempore actus non fuit in potestate facientis sicut antea, non tollit libertatem requisitam ad culpam. Respōdent, quòd mens Arist. tantum est, quòd cùm se inebriauit dupliciter deliquit, scilicet se inebriando, & exponendo se periculo homicidij. Ex quibus dicunt, satis impugnari præfatam solutionem. ¶ Alij Theologi, secundam aliam solutionem assignāt; nempe quòd homo ille perueniet ad aliquod instans in quo occurrent multa peccata circà materiam præsentem, præteritam, & futuram, è quibus necessariò aliquod committet in eo instanti, quod maluerit, quo motiuo fine, & intensione ei placuerit; & ideò peccabit; quia erit liber quo ad ista. Neque mirum his esse debet, id qui ad pauca non respexerunt: Nam primò in Christo, in prædestinatis confirmatis in gratia, ideo saluatur meritum; quia licèt sint necessitati ad bonum in communi in sensu composito, quoties operantur; tamen habent libertatem circà hoc vel illud bonum, & præterea circà has vel illas circunstantias. Similiter in beatis & damnatis, sic saluatur libertas, quòad bonū in beatis, & quòad malum in damnatis. Et confirmant: Quia etiam si quis esset determinatus, quòad omnia alia; si tamen non esset determinatus ad tempus, liberè ageret & mereretur: ergò pari ratione, si est determinatus ad tempus

tempus & non ad alia.Item, potentia ad resistendũ tentationibus, est limitata in nobis:ergo adeò possunt crescere in aliquo instanti, vt excedant proportionem ipsius, ita vt necesitetur volũtas cedere alicui illarum,licèt liberum sit cedere huic,vel illi, & si cedat peccabit;quia est libera in particulari.Tandem Ricard.de Sancto Vict.lib.2.de erudit.interioris hominis.c.43.ait; Nullus sine protectione posset vel passionibus suis, vel suggestionibus malignis vel ad modicum resistere:ergo si Deus permitteret, tot esse possent tentationes in aliquo instanti, vt necessariò laberemur. Veruntamen, in multis deficit hæc solutio, & non satisfacit, vt deinceps videbimus, & præsertim dubijs immediatè sequentibus. Sed aduertunt nonnulli hic, quod homo redactus in illas angustias, si tunc non posit recordari Dei, non videretur inconueniens dicere, quòd nequeat conuerti,& quòd ex illa suppositione obliuionis,& peccatorum,& tentationum,nequeat non peccare: semper enim obliuio naturalis reddit impossibilé conuersionem.Si verò potest recordari Dei, potest vincere quascumque tentationes tunc occurrentes quia potest in Deum conuerti,quod si facit,non peccabit tunc; & sic accipiet in posterum auxilia ad nõ peccandum.Si autem non conuertitur, liberè non conuertitur,& liberè labitur, etiam in ordine ad totam collectionẽ:Quia illa suppositio, est tũc in sua libertate;sicut homo, suppositio quòd perseueret in actuali volitione finis efficaci, necessè est eligat medium,quòd euidenter iudicat necessarium;tamẽ liberrimè eligit. Quia potest in eo instãti cessare ab intentione finis.Similiter, vt Caiet.hic ait ex Aug. lib. de vera religione, superbus necessariò est inuidus; tamen liberè est inuidus; quia potest non esse superbus.¶Alij Theologi,quibus non placet precedens solutio, aliam assignant.Quòd homo physicè potest vitare omnem collectionem peccatorum;nõ tamen moraliter: Quia in aliquo instanti adeò erit aucta difficultas,vt moraliter sit impossibile nõ peccare.Et cùm ais; Potentia ad resistendum est finita: ergo sic potest crescere difficultas in illo instanti, vt volũtas necessariò succumbat:Respondẽt, quòd si non potest resistere toti collectioni tentationum, excusabitur à peccato, si eligat id quod de se est minus malum, vt Caiet.ait in simili,esse licitum consulere minus malum, quando ab vtroque non possumus aliquem auertere. ¶Sed contra hanc solutionẽ etiã obijcitur.Quia Patres & Scriptura,vt vidimus, docent absolutè esse impossibile,quod autẽ est possibile physicè,non est absolutè impossibile:ergo est nimia licentia explicare illos de impossibilitate morali.Et confirmatur: Quia impossibilitas moralis,est magna & ingens difficultas: sed nõ erat tam inops mentis Pelagius, vt hanc quam nos omnes experimur difficultatem,ipse negaret:ergo. Et cõfirmatur iterum:Quoniam Patres docent; per gratiam posse vitare omnia mortalia, hoc autem quam sit difficile moraliter, multis, apertum est, ob superioris vitæ prauam consuetudinem, vel ob status sui imperfectionem,& occasiones:ergo cùm dicũt, esse impossibile sine gratia,& per illam esse possibile;loquuntur de possibilitate & impossibilitate physica.¶Cũ solutiones præfatæ, neque quietent intellectum,neque satisfaciant alia solutio assignanda est.Vndè ad quintum argumentum cum confirmatione eius respondetur solùm probare quòd peccator potest vitare omnia diuisiue, non autem collectiuè. Vndè,sicut non valet;sine hoc equo possum equitare, & sine illo & sic de singulis: ergo possum equitare sine omni equo;ita non valet;Hoc peccatum possum vitare & illud,& sic de singulis: ergo possum omnia: semper committitur fallacia; quia arguitur à diuisa ad compositam. Quocirca,non est admittendus casus, quod aliquis vitauerit omnia præter vltimum quod occurrerit in vita:Nam arguitur à confusa ad determinatam. Quando enim dicitur,nõ posse peccatorem vitare omne peccatum,ille terminus, peccatum,supponit confuse pro omnibus peccatis indistincte & indeterminatè: Quando vero infertur: ergo datur quòd vitauerit omnia præter vltimum peccatũ, supponit determinatè. De qua re plura diximus suprà artic.4. Quod si vrgeas, casum esse admittendum, scilicet, quòd aliquis vitauerit omnia præter vltimum;tunc consequẽter ex suppositione, & in sensu composito solùm,dicendum est quòd nõ poterit peccator vitare illud vltimum; simpliciter tamen & in sensu diuiso,poterit;& hoc sufficit vt sibi imputetur.Secũdò respõdetur, quòd non solum poterit simpliciter vitare illud,sed etiam ex suppositione,quod vitarit præcedentia, potest vitare hoc per diuinum auxilium,quod semper est ad manum præstò.¶Si dicas;Præcedentia potest vitare proprijs viribus sine auxilio speciali:ergo & hoc,Patet consequentia: Quia per hoc quòd vitauerit præcedentia, non sunt vires diminutæ, imò potiùs videntur auctæ:Virtus namque in infirmitate perficitur. Respondetur quòd quamuis vires non fiat imminutæ in sua entitate;sunt tamen lassatæ ex diuturno exercitio resistendi peccatis.Sicut qui longum confecit iter,licèt easdem habeat vires naturales,sicut antea & fortassis auctiores in natura & entitate sua; sunt tamen lassatæ, ita vt non possit vltrà progredi; stat enim quòd ex vna parte crescant vires in se ipsis, & ex alia parte impediantur per lassitudinem ab exercitio actuali.Neque est in hoc repugnantia aliqua, quòd eadem entitas sit aucta secundum vires, & quod pro tunc sit lassata secundum exercitium. Quia experientia cernimus, quòd cũ incipit homo se exercere in deambulatione itineris,lassatur, quãuis ex alia parte roboretur virtus tibiarũ, &c. ¶Ad Septimum respondetur,quòd ille semper manet cõuersus ad se ipsum,vt modò dicebamus,& sine gratia Dei.Vndè,cetera mala quæ retulimus,ipsum comitantur. Vndè non poterit diù sine nouo peccato viuere.Quod verò ignoret peccatum suum,nihil interest:Nam etiam homo in puris naturalibus & etiã in solo originali sine gratia Dei,non potest diù perseuerare sine nouo peccato.Imò verò, in statu peccati mortalis, si secludas gratiam Dei, minùs virium haberet homo ex parte naturæ præcisè, quam in puris naturalibus, vbi esset naturale illud auxilium, quod modò est in nobis supernaturale ex diuina misericordia, & quo caret modò propter suum peccatum,dùm non vult ab illo exire. Rursus,In hoc statu sunt Dæmonũ impugnationes,quę magis præualent contra eum,quem reperiunt sine gratia Dei in peccato.Quò circà, idem est de homine ignorante suum peccatum. Neque hoc multum interest, vt

*Solutio ad argũ. supra factum.*

*Ad septimũ*

Caiet.



*Ad argum. Durand.* Caiet.credebat. ¶Ad argumẽta Duran. iã diximus, quòd homo in peccato permanẽs,induit specialẽ facilitatẽ ad iterũ peccãdũ;Et licet habeat liberũ arbitrium, tamen supposito peccato,& carentia gratiæ Dei,illud est ægrum & infirmum,nisi adiuuetur.Et idcircò, licèt possit in singulari hoc & illud peccatum cauere,non tamẽ potest omne diù, aut per multum tempus. Vndè Caieta. hic dicit, quòd libertas quæ permanet etiam post peccatũ, licèt vera libertas sit, & ob id inferat facultatem vitandi singula; tamen quia infirma est, non infert facultatem vitandi omnia mortalia in homine sic dispositio in mortali.Et per hoc soluitur argumentum, quod ad hanc rem S.Tho. iuuenis adduxit in sententijs. Ad illud quod adducitur de peccato veniali,dicit Caie.quòd similitudo tenet,quò ad occursum,& frequentiam, & deordinationẽ; non tamen quo ad modum deordinationis contra Deum:modus namque offendendi in venialibus,sæpè est per negligentiam,& ex defectu deliberationis; in mortalibus verò non offenditur Deus,nisi deliberando.Sed de hac similitudine peccati venialis adducta,latiùs dicemus infrequẽ

*Ad primum* tibus dubijs. ¶Ad primum Duran.respondetur negando antecedens, vt latè deduximus in præcedentibus.Et licèt ex vno solo actu intemperantiæ non corrumpatur habitus acquisitus; nihilominùs destruitur gratia Dei si talis actus sit mortalis.Et quamuis, qui semel commisit adulterium, nolit ampliùs committere, & non habeat contrarium finem præconceptum in particulari;habet tamen quandiù nõ pœnitet, & quandiù est extra gratiam Dei contrarium finem communem,qui est finis omnium vitiorum & peccatorũ, nempe ipsummet amatũ vsq; ad cõtemptũ Dei, qui finis præcõceptus, in omni actu vitioso mortali perseuerat habitualiter, donec reparetur per gratiam. ¶Ad secundum Duran.respondetur negãdo minorem,& ad probationem dico,plurimum interesse inter negationem gratiæ,& priuationem.Nam homo in natura integra,si non esset ordinatus ad gratiam,haberet negationem gratiæ:sed simul cum hoc haberet integritatem, & vigorem naturæ. Cæterum in peccato mortali, non tantum negatio gratiæ reperitur,sed priuatio, & imbecillitas,atque ægritudo liberi arbitrij,& alia mala suprà recensita.Vnde, priuatio gratiæ ex tali causa procedens, nempe ex mortali peccato, infert in homine peccatore,dum in mortali permanet, impotentiam cauendi diù & per multum tempus omnia peccata, cùm ille nõ habeat cor suum stabilitum in Deo. Vndè, falsum est gratiam præcisè dare solam efficaciã merendi. Nam dat etiam subordinationem ad Deũ, & subiectionem volũtatis, respectu vltimi finis per charitatem,adiuuat vires,& illustrat hominem, facitque alia multa diuina & supernaturalia. ¶Ad reliqua argumenta Duran. in solutione ad septem argumenta præcedentia, habetur sufficiens respõsio, & satis prolixa.Præterquam quòd legendus est Caietan. hic in comment. Nam etiam transacto actu peccati,manet peccatum habitu, & manet deordinatio, & priuatio gratiæ, & sui adiutorij, quod vires præstabat homini iustificato, vt se contineret.

*Ad secundũ*

## DVBIVM III.

*Vtrùm Deus alicui de facto deneget auxilium; ex cuius defectu excusetur à peccato?*

HAEc controuersia, magnas excitat tragœdias. Nam ex ea aliæ pullulabunt difficultates; de quibus partim in hoc art. partim infrà.q.112. aliquid dicemus; vbi aperiem' quo pacto Deus conferat omnibus gratiam excitantem & vocantem? Sane, nos.1.p.q.23. art.3.disputa.3.4.&.5. disseruimus, An relinquantur aliqui ex hominibus sine omni auxilio supernaturali? Et, An detur omni homini sufficiens auxilium quo conuertatur vel conuerti possit? Et, An obdurati & reprobi careant auxilio Dei? Vbi etiam diximus nonnihil de auxilijs infidelium & infantium; & quæ eo loco aperuimus, ea omnia supponimus pro nunc.Nunc verò solùm quæritur, Vtrùm de facto Deus deneget alicui auxilium,ex cuius defectu excusetur à peccato:¶Quod Deus non conferat omnibus auxilium ad non peccandum,id plerique videntur defendere de induratis, vt de Pharaone & Antiocho.Neque propter hoc eos excusant à peccatis.Ita Greg.lib.1.Moral.cap.46.Roffens.contra Luther.art.36. Abulens. super.c.4. Exod. q.32. & super Deutero. cap.2.q.10.Armachanus, lib.4.de erroribus Armenorum cap.27. Adrianus, in.4. in materia de Sacramento Pœnitentiæ. q.1. His accedit Cosmas Philiar.in. q. singulari de prædestinatione. cap.13. Dicit enim Deum denegare reprobis speciale auxilium, & sufficiẽs ad ipsorum finalem cõuersionem. ¶Et pro hac sententia arguitur. Ad non peccãdum per totam vitam neque venialiter, requiritur specialissimum priuilegium, & auxilium gratiæ Dei, quod vt patet,non datur omnibus: ergo neque ad vitãda omnia mortalia datur omnibus. Nam si daretur, omnes de facto nõ peccassent mortaliter. Imò verò, neque ad singula peccata vitanda videtur dari auxilium sufficiens:Nam auxilium,quo quis possit vitare peccatum, est illud quod est efficax vt de facto non peccet.Nã præter hoc nõ requiritur aliud vt de facto præcepta impleantur;sed hoc non datur omnibus,vt infrà ex multorum sententia probatur: ergo nemo potest dicere Deum esse paratum, vt si homo se ad talia auxilia disponat, illa habebit de facto, quia ad hoc requiruntur alia auxilia: igitur si non dantur vt se disponant, nugatoriè promittuntur ei, qui se disposuerit. ¶Secundò arguitur. Nam Deus de facto; non confert peccatoribus plerisque auxilia,quibus cum efficacia conuertantur, & sæpè non dat sufficientia in actu secundo: ergo ab æterno decreuit non dare:ergo non est paratus dare:Nã quod in tempore fit, statutum est à Deo ab æterno. ¶Tertiò arguitur Deus non est paratus conferre donum perseuerantiæ omnibus:sed hoc est necessariũ vt homo non peccet, & vt possit cauere omnia peccata collectiuè: ergo. Et confirmatur; Quia reprobus in instanti mortis non habet auxiliũ sufficiens, quo ad Deũ conuertatur: nam Deus decreuit efficaciter,non saluare istum hominem: ergo necessariò debet consequenter denegare illi auxilium sufficiens, quo saluetur; atque adeò quo hic & nunc

*Cregorius. Roffensis. Abulens. Armachan. Adrianus. Philiar.*

*Argum.*

*Secundum.*

*Tertium.*

*Confir.*

conuerta

conuertatur.Nam aliàs per hoc frustraretur diuinũ decretum, si tunc ille reprobus vteretur auxilio sufficienti Dei. ¶Quartò arguitur ex diuina Scriptura,in qua insinuatur, quosdam ita destitutos esse auxilijs Dei, vt nó possint non peccare,vt patet ex illo Ioan.11.postea quam Euangelista dixit,quosdã visis miraculis,non credidisse in Christum,subiungit: Non poterant credere, quia iterum dixit Isaias Propheta;Excæcaui oculos eorum, & induraui cor eorum, vt non videant oculis, & non intelligant corde,& conuertantur & sanem eos.Sed quod peccent,patet Ioan.3. Qui incredulus est fidei, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum. Et apud Ezechielé Prophetam:Cõsidera opera Dei,quòd nemo potest corrigere, quem ille despexerit. Ierem. 6.Erudire Hierusalem, ne fortè recedat anima mea à te, nè fortè ponam te terram desertam inhabitabilem. Et statim: Frustrà conflabit conflator, malitiæ eorum non sunt cõsumptæ: argentũ reprobũ vocate eos,quia Dominus proiecit illos. Prouerb.1. Manè consurgent ad me,& non inuenient,clamabunt & nõ exaudient.Hebræ.6.Impossibile est eos,qui semel illuminati sunt,iterum restitui ad pœnitentiam. Et cap.12.dicitur de Esau, quòd non inueniret locũ pœnitentiæ, & idem dicitur de Antiocho & alijs. Sed hi peccauerunt, ex eo quòd non pœnitebant: ergo.Et actor.14.Deus in præteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas,ideſt sine auxilio eos reliquit peccatis inuolutos. Idem videtur insinuare Aug.super ad Rom.cap.62.dicens, primũ hominem post peccatum, respiscere non valuisse. Idem dixit de aliquibus Isidorus. lib.2. de summo bono cap.5.Vbi ait,quod Deus aliquandò relinquit peccatores sine interna cordis motione, & inde prouenit quòd non moueantur externa prædicatione.Et D.Greg.31.Moral.cap.11.Cor Pharaonis nulla desuper infusi timoris sensibilitate tangebatur. D. Bernad. Sermo.de nimia fallacia præsentis vitæ inquit,quòd cor hominis indurati, est siccũ ab omni rore spirituali gratiæ. Et idem videtur insinuare Aug de natura & grat.cap.18.&.40.& de bono perseuerant.cap.8.&.14.

*Quartum.* *Ioan.11.* *Ioan.3.* *Ezechiel.* *Ierem.6.* *Prouerb.1.* *Hebr.6.& 12.* *Actor.14.* *Aug.* *Isidorus.* *Gregor.* *Bernard.* *Auguſt.*

Pro explicatione huius dubij, est prima propositio. Certũ est Deum habuisse vniuersalé voluntaté circa omnes homines dãdi eis media sufficiẽtia cõtra peccatũ,& sufficiẽtia auxilia ad consequendã salutem, & vitam æternam, ad quam omnes retulit. Hæc propositio adeò certa est, vt non possit negari sine præiudicio fidei,& sine magna iniuria redẽptionis Christi;Imò verò est sententia cõmunis Sanctorũ super illud Paul. Vult omnes homines saluos fieri. Quod fusè explicuit D. Aug. lib. Respon. ad art.sibi impositos,art.2.&.1.ad Simplician.q.2. Hiero.epist.ad Thespho.Chrysost.adRom.9.Damasc.2. de fide Orthodoxa capit.20.D. Paul.ad Roma.10.ex professo ostendit,gratiam Dei quantum est de se,se extendere ad omnes homines; & ob id Deum diuitem appellat in omnes,qui inuocant illum. Et respõdens excusationi hominum, quòd non audierãt verbum Dei,addit: In omnem terram exiuit sonus eorum. Et citat illud Isaiæ: Tota die expandi manus meas ad populum non credentem.Et in Conci. Niceno, cano.8.diffinitur hæc veritas, quòd quicùmque homo viator, de lege ordinaria saluari potest, iuxta illud Ezechiel.33. Viuo ego dicit Dominus, nolo mortem impij, sed vt cõuertatur impius à via sua,& viuat.Et idcircò, Dominus inuitabat Cain ad pœnitentiam dicens:Nonnè si bene egeris,recipies?ergo Deus paratus est dare auxilia quibus homines abducantur à malis, & alliciantur atque inducantur ad bona. Et probatur ratione: Quoniam Deus præcipit omnibus peccatoribus quandiù viatores sunt,vt conuertantur & agant pœnitentiam, & bonum operentur,quibus si contra faciant, pœnam comminatur æternam:ergo dat sufficiens adiutorium ad hæc implenda.Rursùs. Christus est caput omnium hominum, etiam futurorũ: ergo cùm virtus huius capitis sufficiens sit sibi vnire quemcũq; hominem,& libertas arbitrij non sit obstinata in malo in viatoribus, sicut in damnatis; sequitur quòd homo quo tempore viator est in hac vita,saluari potest,& iustificari: habuit ergo Deus voluntatem illã vniuersalem dandi hominibus sufficientia media contra peccatum, & sufficientia auxilia ad consequendam salutem;& cõsequenter dat & paratus est dare Deus ea auxilia, quibus peccatores abducantur à malis,& alliciantur ad bona.De materia huius conclusionis,legenda sunt quæ nos diximus in Cõment.1.p.q.23.art.3. disputat.3.4.5. Vbi etiam diximus,homines obduratos & excæcatos habere sufficiẽs auxilium ex parte Dei,vt cõuertantur:& quod dicere,Deum decreuisse illis non auxiliari,vt agant pœnitentiam,videtur erroneum, & fortè hæreticũ.

*Ezech.33.* *Genes.4.*

Secunda propositio. Deus omnibus hominibus confert auxilia necessaria & sufficientia, ad hoc vt possint cauere peccata, seu ad hoc vt possint non peccare. In hac propositione conueniunt ferè omnes doctores Theologi.S.Tho.3.p.q.86.art.1.Vbi oppositum tãquam erroneum damnat. Altisiodor.lib. 3.summæ.q.5.tract.2.Alens.2.p.q.124.memb.8.&.3.p. q.68.memb.3.Scot.in.1.d.46.q.1.Ferrar.3. cõtra.Get. cap.154.Driedo,de captiuit.& redempt.generis humani.tract.5.Ioannes Medina,tract.1.de pœnitẽ. q.11. Pater Soto.1. de nat.& grat. cap.18.&.19. Et in.4.d. 15.q.1.art.2.Et probatur ex Sacris literis Deuter. 32. Hæc præcepta non sunt suprà te.Et Isaiæ.65. Ecce eo ad gentem quæ nesciebat me. Quo testimonio vsus est Paul.ad.Rom.10.vbi ex professo probat hãc veritatem dicens:Ne dixeris in corde tuo, quis ascẽdit in cœlum? Et statim: Propè est verbum in ore tuo.Quasi dicat; Propè est ad manũ auxilium, Dei quo possis hæc omnia præstare,& saluari.Et Ioan.1. illuminat omnem hominem.2.Petri.3. Patiẽter agit propter vos,nolens aliquos perire. Et ne quis dicat hæc testimonia intelligi in ordine ad peccatores omnes communiter; est insignis locus Sap.12.vbi est sermo ad literam de Pharaone & Ægyptijs, de quo(vt habetur in Exodo)videmus fuisse induratũ. Et de Pharaone & Ægyptijs dicitur: Dans tempus & locum, per quæ mutari possint à malitia sua. Et Rom.2.An ignoras,quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit?tu autem secundum duritiem tuam thesaurizas tibi iram. Vbi, licèt duricies sit ex parte hominis; affirmatur tamen auxilium ex parte Dei; Quod etiam testatur D. Augustin. lib. de Prædestin. & gratia.cap.14.&.15.& refertur.13.q.34.cap.Nabuchodonosor.Idque definitur etiam in cap. Firmiter ex Conc.Lateran.Vbi habetur, quòd omnibus hominibus

*S.Thom.* *Altiſio.* *Alenſis.* *Scotus.* *Ferrar.* *Driedo.* *Ioã.Medi.* *Soto.* *Denter.32.* *Iſaia.65.* *Rom.10.* *Ioan.1.* *2.Petri.3.* *Sap.12.* *Rom.2.* *D. Auguſt.*



minibus in hac vita semper patet aditus ad veram pœnitentiam.Idem videtur definiri in Tridẽ. sess.6. Idq; dicunt omnes Sancti in superioribus relati.Et D.Dionys.de cæleſt.Hierar.D.Ambros.& Chrysos. circà illud.: Qui vult omnes homines saluos fieri. Orig.lib.3.Periarch.D.Aug.lib. de prædest.Sancto. c.13.&.14.&.5.de libero arb.c.18.&.19. & sermo.88. de Tempore,& Psal.46.Cassia.collat.3.c.12.Iræneus lib.4.contra hæreses,cap.48.Leo Pap.epist.90. Faust. de libero arb.cap.18.&.19.D.Bernar.1.de consid.ad Eugen. dicit quosdam ex induratis aliquando conuerti,iuxta illud Ezech. Auferam à vobis cor lapideum,& dabo vobis cor carneum. ¶Ratione etiam probatur. Nam Deus obligat homines ad non peccandum:ergo confert illis auxilium vt non peccẽt; aliàs obligarentur ad impossibile,quod in sequentibus fusiùs interpretaturi sumus. Rursus, Deus vult omnes fieri saluos: ergo quantùm est ex se, præstat sufficiens auxiliũ,quo possint salui fieri:ergo & sufficiẽs auxiliũ vt nõ peccẽt,& vt à peccato resurgãt.

*Conci.Trid.* *D.Dionyſ.* *D.Ambro.* *D.Chryſoſt.* *Origenes.* *D. Auguſt.* *Caſsianus.* *D.Iræneus.* *D.Leo.Pa.* *D. Bernar.* *Ezech.56.*

Tertia propositio. Nemo potest excusari à peccato ex defectu Dei auxiliantis,prætendens excusatio nẽ à culpa cõmissa, ex defectu diuinorũ auxiliorũ, & oppositũ dicere,non solũ non est tutũ in fide,sed est contra fidem,& contra Scripturã,& est blasphemũ contra Deũ. Hæc conclusio apertè sequitur ex præcedentibus,& est contra Abulens.super. 4. cap. Exod.q.12.& Deut.2.q.10. & contra Driedo. lib. de capti.& redempt. generis huma.Qui dixerũt,quòd Deus interdũ denegat peccatoribus necessaria auxilia,ita vt pœnitere nullo modo possint.Probatur: Quoniam Deus omnes ad se vocat, & omnibus suã gratiam & misericordiã promittit, iuxta illud. 1. ad Timot. 2. Qui vult omnes homines saluos fieri:sed hæc volũtas videretur inanis & vacua, si saltem eis auxilia ad salutem sufficientia non daret, aut statuisset non dare: ergo ex defectu diuinorũ auxiliorum, nemo potest prætẽdere excusationẽ. Et ob id Deus semper inuitat nos, & stat ad ostiũ & pulsat, Apoc. 9.Imò verò in Scriptura inducitur diuina Sapientia summo mane solicitè consurgens, clamitans in plateis, omnesq; peccatores indiscriminatim vocãs,& hoc ipsum est quod suprà vidimus diffinitum Cap. Firmitèr,de summa Trinit. & fide Cathol.Et hoc ipsum insinuatur in Concil.Trid.sess.6.de iustific.Ob id Paul.ad Rom.10.citat illud Isaiæ; Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, & cõtradicentem mihi.Hoc idem docent parabolæ Euãgelicæ,de seminante in omne genus terræ,Luc 8.& c.24.de inuitatis ad cœnã.Et Matth.20.de vocatis ad vineam.Imò verò,ob id Sancti comparant gratiam Dei,Soli,qui quantùm est de se omnes illuminat;& fonti, qui quantùm est de se, omni volenti haurire aquam,tribuit: Ergò nemo potest prætendere excusationem à peccato, ex defectu diuinorũ auxiliorũ. Vndè, D. Paul.Rom.5. comparans gratiam Christi peccato Adæ; ostẽdit, quòd iustitia Christi gratior fuit Deo,quã fuerit illi ingrata culpa Adæ,& quòd sicut Adam fuit principium perditionis;sic è cõuerso Christus fuit generale principiũ recõciliationis: Quia sicut peccatũ Adæ in omnes diffunditur, ita etiã gratia Christi, quantũ est ex parte sua,ad oẽs se extendit:ergo nemo potest prætendere excusationẽ à peccato ex defectu Dei.Vndè,Ezech.33.Legimus; Nolo mortem peccatoris,sed vt magis conuertatur & viuat. Et antea dixerat; In quacùmq; hora ingemuerit peccator, ampliùs nõ recordabor.Quod duplici similitudine expressit Scriptura,præsertim Isai. 49.Nunquid obliuisci potest mulier infantẽ suũ, vt non misereatur filio vteri sui? Et si illa oblita fuerit,ego tamen non obliuiscar tui. Ecce,in manibus meis descripsi te.Muri tui corã oculis meis semper. Altera similitudo habetur Ierem.3.Tu autẽ fornicata es cum amatoribus multis; tamẽ reuertere ad me dicit Dominus.Et ad Rom.2.Ignoras, quia patiẽtia Dei ad pœnitentiam te adducit? Tu autem secundum duritiem tuam, & impœnitens cor tuum thesaurizas tibi iram. Vndè, licèt sit durities ex parte hominis;affirmatur tamẽ auxiliũ ex parte Dei:ergo nõ potest peccator prætẽdere excusationẽ præfatã.

*Apoc.9.* *Conc. Trid.* *Rom.10.* *Luca.8.& 24.* *Matth.20.* *Rom.5.* *Ezech.33.* *Isaiæ.49.* *Ierem.3.* *Rom.2.*

Ad argumenta. Ad primum respondetur,Deum quantũ est in se;omnibus conferre auxiliũ sufficiẽs, vt vitent omnia peccata, etiã venialia, vt superiùs explicatũ est de mortalibus;hoc tamen opus, ordine quodam fit à Deo,vt priùs quidẽ mentẽ peccatoris illustret,cor moueat, & alia minora auxilia præbeat,paratus maiora cõferre ei,qui prioribus cooperatus fuerit. Qui modus optimè aperitur & exponitur in Trid.sess.6.cano.6.Et fatemur, maiora auxilia requiri,vt de facto per totã vitã homo caueat peccata,& vt prioribus illis auxilijs de facto cooperetur. Vndè negatur, quòd Deus nõ det omnibus auxilia sufficiẽtia & necessaria.An verò ad singula peccata vitanda,detur sufficiens auxiliũ,statim in sequentibus disputabimus.Nam in ordine ad singulos actus aliqui putant, præter auxiliũ sufficiẽs, requiri aliud præueniẽs & efficax. Quòd si objicias:Præter auxiliũ sufficiẽs, est necessariũ efficax: ergo Deus illud cõfert;si autẽ nõ cõfert:ergo iã stat per Deũ denegãtẽ auxiliũ requisitũ.Si dicas, Deũ esse paratũ, si ille cooperetur sufficiẽti.Contra. Nã si expectat hoc,nõ erat modò necessariũ ei,siquidẽ expectat,vt cooperetur sufficiẽti; Ad hãc cooperationẽ dicũt illi esse necessariũ efficax;Cur ergo nõ datur?Vndè,qui hac via procedũt,vel tenẽtur Deo imputare defectũ cõuersionis istius, quòd est impiũ; vel dicere, q̃ licèt iste homo potuerit,noluerit tamẽ cooperari,nec cõuerti.Dico ergo, q̃ semper Deus cõfert sufficiẽs auxiliũ & necessariũ, & paratus est dare efficax auxiliũ,& cõcomitãs, nisi homo resistat, aut cõtradicat. Cũ ergo Deus sit paratus hæc dare nisi homo cõtradicat & resistat ob sui culpã,sequitur, q̃ habebit auxilia, quibus facto præcepta impleat, & peccata caueat.¶Ad secũdũ respõd.Deũ nũquã denegare auxilia ad pœnitẽtiã, vt diximus cõcl.3. cõtra quosdã. Deus.n. dat & parat̃ est dare,& nõ denegat auxilia necessaria & sufficiẽtia ad salutẽ & pœnitẽtiã,& paratus est dare & cõferre posteriora auxilia bonè vtẽtibus illis prioribus,& nõ cõtradicẽtibus.Itaq;,Deo paratus est dare semp motionẽ actualẽ, vt cõuertat̃ peccator,vt latè deduxim̃. 1.p.q.23.ar.3.disp.5.dub. 1. Vbi etiã disputauimus de dono perseuerãtiæ, & de obduratis & excæcatis,quæ auxilia habeãt. ¶Ad tertiũ de dono perseuerãtiæ, quo possit quis perseuerare,quomodo& an omnibus cõferatur,dicemus art.10.& nõnulla dixim̃.1.p.loco statim citato,dub. 2. ¶Ad quartum respondetur, quòd illa testimonia nõ denotant impossibilitatẽ, sed maximã difficulta

*Ad argum.* *Ad primum* *Ad ſecundũ* *Ad tertiũ.* *Ad Quartũ.*

tem, quæ in cõmuni modo loquendi, ſolet dici impoſsibilitas. Ex eo namq; quòd homines ſunt affecti peccatis firmiſsimè propter diuturnam conſuetudinem, & ex eo quòd non habẽt frequentes illas inſpirationes, propter reſiſtentiam, qua ſe opponunt gratiæ Dei; indè prouenit vt difficillimè poſsint à peccatis reſurgere, & alia de nouo vitare; ſed abſolutè nõ eſt impoſsibile; imò verò ſimpliciter poſſunt. Vnde *D. Auguſt.* D. Auguſt. ſuper Ioan. tract. 53. explicans illa verba; Propterea non poterant credere, ait; Si à me quęratur, cur non poterant? Citò reſpondeo; Quia nolle bant. Et ſi obijciatur, quòd aliã dederit cauſam Euãgeliſta, ſcilicet, quia non dedit illis Deus ſpiritũ cõpunctionis. Reſpõdet idem Aug. hoc ipſum meruiſſe ipſorum voluntatem in malo obſtinatam, à qua ſi vellent, recedere potuiſſent. Et quoniã præuiderat Deus eorum malam voluntatem, è contra per Prophetam ait, quòd non poterant credere. Induratis igitur, licèt Deus tribuat ſufficientia auxilia; tamen cùm non conferat vberiora, propter eorũ contradictionem, & ob culpam eorum, qui nõ vtuntur benè prioribus auxilijs; idcircò non conuertuntur, ſed hoc illis imputatur, ſuæq; voluntati defectuoſæ, qua efficiunt ſe incapaces aliorum auxiliorum. Hoc modo intelligenda ſunt alia teſtimonia. Vel etiam de pœnis tẽporalibus; & ſic intelligitur illud de Eſau & de Antioco, quibus Deus pœnas temporales implacabiliter ſtatuit. Ad illud Acto. 14. reſpõdet Ambroſ. *D. Ambroſ.* lib. de vocat. gent. cap. 5. &. 6. quòd etiam in præteritis generationibus ante & poſt malum vſum naturalium, omnes præuenti ſunt aliquo auxilio gratiæ ſufficiẽti ad ſalutem; quòd clariùs dicit ibi cap. 10. Vndè, quando dicitur, Deum dimiſiſſe omnes gẽtes ingredi vias ſuas, ſolùm eſt intelligendum quòd dimiſerit eas reſpectu gratiæ euangelicæ, quam Ambroſ. cap. 7. vocat gratiam altiſsimam & potentiſsimam, atque benigniſsimam; de qua tunc loqui Paulum, patet ad Epheſ. 3. Quod non eſt agnitum in præ- *Epheſ. 3.* teritis generationibus omnibus hominibus, reuelatum eſt per Apoſtolos & Prophetas. Ad illud verò Hebræor. 6. reſpondet Ionas Epiſcopus Arial. lib. 1. de cultu imaginum circà finẽ, illud dici contra eos, qui peccata quæ poſt baptiſmum admiſerant, non niſi baptiſmatis iteratione, deleri poſſe putabant. Et iuxta hæc omnia quæ diximus, interpretãdi ſunt & *D. Auguſt.* explicandi Sancti citati, & expendendus eſt Aug. ſuper Exod. qui ſe explicans dicit, quòd peccatum indurati, vt ab induratione naſcitur, non eſt peccatum; benè tamen vt naſcitur ex libertate & poſsibilitate, quam ad non peccandum habebat. Et hæc de hoc dubio.

## DVBIVM IIII.

### *Vtrùm Deus poſsit denegare auxilium, ad non peccandum in peccato determinato.*

DVbitatio hæc duo inuoluit; vnum, Vtrùm Deus poſsit denegare auxilium ad aliquem actum tam naturalem quàm ſupernaturalẽ, ad quẽ efficiẽ dũ, Deus me obligat? Quod eſt quærere, An poſsit Deus obligare me ad aliquem actum, quem ſi non facio peccabo, & quòd ipſe deneget mihi auxilium neceſſariũ ad illum? Secundum quod inuoluit eſt, An ſi Deus denegaret ſpeciale auxilium ad vitandum peccatum, quod vitare tenetur; imputaretur nihilominùs homini ad culpam, quòd non vitauerit? Qui duo articuli ſunt difficiles, & ſub alio titulo ſolent cõtrouerti, nempe, Vtrùm Deus poſsit me obligare ad impoſsibile in particulari, ita vt non excuſer à peccato propter impoſsibilitatem implendi, neque propter denegationem auxilij neceſſarij? Et, Vtrùm ſuppoſito quòd peccator vitauit omnia peccata præter vltimum, & quòd Deus nolit dare illi ſpeciale auxilium ad vitandum vltimum, vtrùm debeat imputari illi ad culpam, quòd non vitet vltimum peccatũ? Vel, vtrùm ob id excuſetur quòd Deus denegat auxilium neceſſarium ad vitandum vltimum? Et eſt caſus de illo peccatore, qui cùm nõ poſsit ſine Dei gratia diù vitare omnia peccata, vitauit ex ſuppoſitione decem & nouem peccata, & ſolùm reſtat vltimum, quo vitato, vitaret omnia collectiuè, & ſimul verificaretur quòd diù vitauit omnia. ¶ Gregor. Ari- *Gregorius.* minen. in. 2. d. 28. q. 1. & 2. in fine, nullum reputat eſſe inconueniens, quòd Deus in pœnam peccati originalis deneget alicui ſpeciale auxilium, quod eſt neceſſarium ad cauenda peccata, & nihilominùs concedit, quòd nõ vitare peccatum, imputabitur ei ad culpam. Quia licèt ille homo non poſsit ex ſuppoſitione vitare illa peccata; tamen impotentia illa prouenit ex culpa originali: Et idcircò, non excuſat illum à noua culpa peccati ſequentis. Addit tamen Grego. quòd ſi daretur homo in puris naturalibus, aut in ſtatu, in quo nulla prorſùs præceſsiſſet culpa; ſi tamen denegaretur auxilium ſpeciale ad cauendum peccatum, tunc non imputaretur ei ad nouam culpam; quoniam impotentia cauendi, non fuiſſet tunc ex ſua culpa. Hoc ſenſit etiam Marſil. 2. q. 18. ar- *Marſilius.* tic. 2. Idem penitùs ſenſit Capreol. in. 2. d. 28. q. 1. art. 3. ad. 15. contra. 2. conclu. Et ait, hoc idem eſſe de mẽte S. Tho. 3. contra gen. cap. 158. &. 159. *Capreolus.* Et probatur ex D. Auguſt. lib. de correct. & grat. cap. 11. &. 49. Vbi *D. Auguſt.* loquens de auxilio & gratia, quam dedit Deus primo angelo, & primo homini ad nõ peccandũ, ait; Si hoc auxiliũ homini vel angelo, cũ primũ facti ſunt, defuiſſet, quoniã non talis natura facta erat, vt ſine Dei adiutorio poſſet manere ſi vellet; non vtiq; ſua culpa cecidiſſent; adiutorium quippe defuiſſet, ſine quo manere non poſſent, nunc autẽ quibus deeſt tale adiutoriũ, iã pœna peccati eſt. Ex quo teſtimonio colligit Greg. de mente Aug. quòd ſi nõ eſſet peccatũ originale, & Deus denegaret ſuũ auxiliũ ſpeciale, excuſaretur homo à peccato, propter impotentiã vitandi illud, ſeu propter defectum illius adiutorij. Nunc verò (ait Grego.) non excuſatur homo à culpa propter talem impotentiam: Quia illa prouenit ex noſtra culpa originali. Huic ſententiæ fauet An- *Anſelmus.* ſel. lib. 1. Cur Deus homo cap. 23. Vbi ait; Sicut homini modò culpa eſt non habere poteſtatem illam, quam accepit vt poſſet cauere omne peccatum; ſic culpa eſt illi, habere impotentiam, per quam nec iuſtitiam tenere, neque peccatum cauere poſſet. Et D. *Hieron.* Hiero. lib. 2. cõtra Pelag. videtur dicere, quòd poteſt homo peccare, etiam ſi ſit impoſsibile quòd iuuetur. Et oſtendit ex illo Paul. Sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuum me ducentem in legem peccati.

Certè,



Certè, controuerſia hæc non eſt de Deo, Vtrùm poſsit denegare auxilium ad aliquẽ actum tam naturalem quàm ſupernaturalem. Quia certiſsimum eſt abſolutè loquendo, Deum id poſſe facere, cùm liberè concurrat ad quemlibet actum ad extra, & Deum eſſe Dominum omnium. Sed ſolum controuerſia eſt, Vtrùm poſsit denegare mihi auxiliũ neceſſarium ad actum aliquem, quem ſi non facio, pec- *Argum. 1.* cabo? ¶ Et præter teſtimonia citata & opiniones, Ratione etiam pro affirmatiua parte arguitur. Nam poſſet Deus relinquere hominem cum potentia, quam habet ex proprijs ad vitanda peccata diuiſiuè, ſine eo quòd præſtaret auxilium ad vitanda omnia collectiuè. Tunc ſic argumentor: Huic homini aliquando ſe offerret peccatum determinatum, ad quod vitandum non habet auxilium: ergo. Probatur antecedens: Nam ſint. v. g. viginti præcepta, contra quæ poteſt peccare per totam vitam, & ſit caſus quòd iam ſeruauit 19. Tunc eſt difficultas de vigeſimo. Nam vel poteſt illud vltimum implere, vel non; Si poteſt implere, iam ſequeretur quòd adimpleret omnia collectiuè, ſine auxilio gratiæ Dei; ſed hoc fieri non poteſt: ergo neque illud. Si dicas, quòd non poteſt ſeruare vigeſimum, aut vltimum peccatum cauere; ſequitur quòd peccat ille homo in eo ad quod vitãdum non habet potentiam, neque auxilium, quod eſt intentum. Si verò dicas, nunquam poſſe hominẽ illum deuenire ad illas anguſtias. Cõtra, quia vt nõ ſeruet collectiuè, ſufficit quòd in vno deficiat: ergo ſicut poteſt deficere in primo vel in penultimo, ita etiam in vltimo, Cur non? Patet: Quia ſi homines relinquerentur ſine vllo auxilio, & tunc moreretur vnus, qui deficeret in primo, & alius qui deficeret in ſecundo; ſequitur, quòd poſſet dari aliquis qui ſe contineret, ita vt vſque ad vltimum peruenire, & in eo tandem deficeret, vt contingere poſſet in eo, qui ſupra alios haberet maiorem virtutem, qui. v. g. per duos menſes abſtinuit à peccato, & cùm primũ incidit in peccatum, mox ab inimico interfectus eſt. De hoc igitur eſt dubium & controuerſia. Nam iſte non poterat vitare hoc vltimum peccatũ. Quia ſi vitaret illud, vitaret omnia collectiuè ad quæ nõ habet auxilium: ergo iam peccat in eo, ad quod vitandum non habet auxilium. Et aduerte, quòd ad vim huius argumenti nõ eſt neceſſarium quòd peccauerit in vltimo, & loquor de homine iã mortuo, qui defecit in vno vel in duobus peccatis, ſiue iuxta finem vitæ, ſiue iuxta initiũ. Tunc arguitur: Iſte nõ habebat auxilium ad vitandum vnum illud vel duo peccata: Nam aliàs vitaret omnia collectiuè; ergo cùm caruerit auxilio ad vitandum omnia collectiuè, ſequitur quòd nõ peccauit: at verè peccat: ergo vel Deus obligat illum hominem ad impoſsibile in particulari, vel non poteſt denegare auxilium illud in caſu. Et confirmatur: Nam ſi homo per longum tempus non poteſt non peccare; aſſignemus diſputationis gratia quod tempus ſit: Sit verò vnius menſis, ita vt in toto menſe poſsit vitare peccata, & poſtea non. Demus igitur hominem, qui in toto mẽſe non peccauit, & ſupponamus hoc non eſſe longum tempus, & quòd poſt menſem incipiat eſſe lõgum tempus. Et tunc interrogo de primo præcepto quod poſt menſem occurrit. Quia vel poteſt illud ſeruare & implere; vel non: Si non, ſequitur quòd peccat in eo quod vitare nequit. Si poteſt, ſequitur quòd ſine auxilio Dei ſeruauit omnia diù, & per multum tempus, quod eſt apertè falſum, & contra fidem: ergo. ¶ Secundò arguitur. Si Deus ſtatueret *Secundum.* non concurrere cũ aliquo homine ad actus malos, ſed tantum ad bonos, nihilominùs ille mereretur in actibus bonis à ſe elicitis & productis: ergo pari ratione à cõtrario, ſi tantũ ſtatueret ad actus malos cõcurrere, ille demereretur. Quia tanta libertas requiritur ad rationem meriti, ſicut ad rationẽ demeriti. Antecedens patet. Nam illa ſuppoſitio non tollit libertatẽ, quod ſatis apertè explicatur in confirmatis in gratia, quos Deꝰ decreuit nõ peccare mortaliter, atq; adeò non concurrere cũ illis ad actũ peccati: ſed licèt ex ſuppoſitione peccare non poſsint, abſolutè tamẽ poſſunt, & ideò merentur, licèt carẽt auxilio ad peccandũ: igitur pari ratione iſte qui caret auxilio ad benè operãdum, demerebitur. Quia licèt ex ſuppoſitione non poſsit non peccare; abſolutè tamen liberè peccat. Quia in modo operãdi eſt liber, & habet plenum vſum rationis, & ita ſe habet ac ſi nulla eſſet facta ſuppoſitio: ergo intentũ. ¶ Tertiò ar- *Tertium.* guitur. Si Deus denegaret auxiliũ etiã ad ſeruanda præcepta diuiſiuè, videtur etiã quòd tũc peccet homo non ſeruando illa. Nã ita liberè peccat, ac ſi haberet auxiliũ ad non peccandũ: ergo non excuſatur ex defectu auxilij. Probatur antecedẽs. Quia ſuppono ipſum neſcire, an careat auxilio. Profectò tũc ita tranſgreditur præceptũ ac ſi haberet illud auxiliũ: Cũ enim ad nõ ſeruandũ præceptũ voluntas ſola ſit ſufficiens, & cauſa totalis, nullo modo penes hoc pẽdet, ex eo inquã quòd habeat, vel nõ habeat auxiliũ. Nam ſi aliquis eſſet ita detentus & clauſus, vt nullo modo poſſet exire ad audiendã miſſam; ſi ipſe tunc ita nollet exire ac ſi poſſet, certè ita peccaret ac ſi poſſet, & nullũ haberet impedimentũ; Quia in tali caſu, detentio ſolũ ſe haberet concomitanter: ſed qui caret illo auxilio ita voluntariè omittit præceptũ, ac ſi poſſet illud adimplere: ergo. ¶ Quartò argui- *Quartum.* tur, & eſt cõfirmatio præcedentiũ. Et ſuppono Deũ eſſe determinatum ad concurrendum cum aliquo homine in actibus peccati, & non in alijs actibus; tunc ſi occurrit præceptum fidei, iſte neceſſariò debet habere actum volitionis, vel nolitionis, neq; eſt dare medium; Volitionis autẽ non poteſt habere ex ſuppoſitione, quòd Deus non det illi auxiliũ: ergo neceſſariò debet habere actũ nolitionis qui eſt peccatũ. Quia ſi nõ eſſet peccatum, Deus non concurreret cũ illo homine, vt ex hypotheſi patet: ergo datur peccatum ad quod vitandũ homo non habet auxiliũ, Quoniã non poteſt tunc vitare, niſi per actum volitionis; ſed ad hunc non habet auxilium: ergo.

Aliqui Theologi dicũt, quòd ſi admittatur prædicti caſus, adhuc eſt valde probabile, q̃ nõ imputatur *Quorundam ſententia.* ad nouã culpã illud peccatũ quod cõmittitur, & q̃ admiſſo caſu ſuprà tacto, q̃ peccator vitauerit omnia peccata præter vltimũ, & quòd Deus nolit illi dare ſpeciale auxiliũ ad vitandũ vltimũ, quòd non imputatur ei ad culpã quòd nõ vitet vltimũ peccatũ. Et dicũt, quòd ſi ille homo eſſet in ſolo originali res videtur certiſsima, vt dicit Pater Victor. relect. vlt. part. 2. nu. 6. Vbi ait, oppoſitam ſententiam Greg. eſſe parũ Catholicã. Quia ſequitur ex ea, aliquẽ dãnari in inferno, pœna ſenſus, pro eo quòd vitare

non potuit, per actum suæ voluntatis. Imò verò sequitur, aliquem peccare peccato personali, in eo quòd vitare non potuit per actum suum personalé; Quæ omnia absurda sunt: ergo. Sequela patet. Quia secundum Gregor. ex sola culpa originali redditur homo impotens ad vitandum peccatum personale sequens; culpa autem originalis, non est ex actu personali eius qui contraxit illam. Confirmatur. Quia (vt ait Augustinus lib. 3. de libero arb. cap. 18.) si veri boni ignorantia, difficultas quoq; & impotétia, ita sit naturalis homini, vt nullum habeat Dei miserentis auxilium quo bonus fiat; non peccat quidé, sed peccati primi parentis iustum sustinet supplicium: ergo secundùm Aug. impotentia proueniens ex originali, excusat à peccato sequenti. Rursùs probatur, quòd conclusio habeat verum, etiam de illo qui ex peccato actuali antè commisso, in angustias illas conijcitur. Quia ille, facta suppositione, non potest vitare hîc & nunc peccatum occurrens: ergo hic & nunc non debet sibi imputari. ¶ Secundò probatur: Quia ex suppositione non potest illud vitare, & nō est in sua potestate tollere illam suppositioné; quia iam est transacta, & ad præteritum non est potétia. Dices: Illam impotentiam vitādi, prouenire ex malitia huius, & cōsequenter non posse excusare illū à peccato. ¶ Contra hoc arguitur tertiò. Quia quòd aliquis sit obduratus, est ex malitia ipsius; & tamen peccata quæ postea facit, non imputantur illi ad nouam culpam, sed sunt pœna præcedentis obdurationis, vt de Pharaone, & alijs obduratis dixit Aug. lib. 3. de libero arbit. cap. 16. &. 19. & in epist. Rom. num. 62. Et confirmatur. Quia qui sua culpa fuit inebriatus, licèt postea occidat hominem, hoc non imputatur sibi ad nouam culpam: ergo similiter in proposito. Antecedens patet ex S. Th. 2. 2. q. 15. art. 4. Vbi ex Augustin. lib. 22. contra Faust. c. 44. dicit, quòd Loth committens incestum ex ebrietate non est culpandus, quantùm incestus ille, sed quantū ebrietas meruit. Et idem dicitur de pollutione nocturna causata ex culpa præcedente, quòd non habet aliam malitiam quàm fuerit in causa, vt docet Sanctissimus Præceptor 2. 2. q. 80. art. 7. & Pater Soto in 4. d. 12. q. 1. art. 7. ¶ Quartò arguitur: Quoniā ille, qui incidit in prædictas angustias, si nullum commisit peccatum actuale, sed solùm sit in originali; imò posset in easdem incidere angustias si fuisset creatus in puris naturalibus; sequitur, quòd in his saltem casibus non operatur imputabiliter ad culpam, & quòd non potest imputari illi ad culpam illud vltimum peccatū. Patet consequentia: Quia videtur durissimum concedere, quòd imputetur alicui ad culpam id quod sequitur necessariò ex suppositione præuia quæ non fuit posita ex eius culpa saltem actuali. His & præcedentibus argumentis, suprà tactis, difficilis satis redditur & implexa controuersia hæc, & plures habens sinus.

His iam prælibatis, est prima propositio. Deus neminem obligat ad impossibile, & oppositum dicere, est blasphemum, & pugnat cum lumine naturali. Vndè Christus dixit: Iugum meū suaue est, & onus meum leue, Et alibi; Præcepta eius grauia nō sunt. Hæc conclusio decernitur in Trid. sess. 6. cap. 11. Et sanè res quæ præcipiuntur vel pertinent ad ordinē naturæ, vel sunt supernaturales; sed homini dedit liberum arbitrium, intellectum, & voluntatem suūq; concursum naturalem & supernaturalem, stat ad ostium & pulsat: ergo præcepta à Deo data possibiliter implentur. Nam da oppositum, quòd sint impossibilia: ergo non possunt implerī: ergo is qui legem statueret de re prorsùs impossibili, insipiens esset: ergo Deus neminē obligauit ad impossibile, neq; potuit obligare. Præterea, finis legis consequi non potest nisi ex obseruantia legis: ergo vbi obseruantia est impossibilis, nulla lex potest consistere: ergo nulla obligatio. Certè, in omni lege includitur præceptū; præceptum autē est imperiū quod dicit ordinem ad impletionem & executionem: ergo vbi executio & impletio est impossibilis, præceptū non est: ergo Deus neminē obligat aut obligare potest ad impossibile. Quocircà, postquā Deus Deutero. 15. dederat *Deut. 15.* præcepta filijs Israel, ostendere voluit omnia quæ illis præcipiebat, & ad quæ eos obligabat, esse possibilia, nè fortè cum ea in posterum omissent, causarentur ea fuisse impossibilia. Vndè sic ait; Mandatū hoc quod ego præcipio tibi hodie, non suprà te est, neq; procul positum, neq; in cœlo situm, vt possis dicere: Quis nostrum valet ad cœlum ascendere vt efferat illud ad nos, vt audiamus atq; opere cōpleamus. Et statim: Iuxta te est sermo, vt facias illū. Quibus verbis ostēdit obseruationem mandatorū Dei esse possibilem. Et in verbis proximè præcedētibus fecerat sermonē de præcepto dilectionis Dei ex toto corde, & in sequentibus verbis iterū idē præceptū repetit. Ex quo colligitur apertè, præceptū illud, esse nobis possibile cū Dei adiutorio, quod ille paratus est nobis præstare. Et de hoc præcepto specialiter dicit: Mandatū hoc quod ego præcipio tibi hodie, *Matth. 11.* non suprà te est. Rursùs, Matth. 11. Christus præcepta sua appellat iugū & onus, & hæc esse leuia & non grauia: ergo non sunt impossibilia. Nā si impossibile esset illa seruare, iam non leuia, sed grauia essent, quod est contra Scripturam. 1. Ioan. 5. Vbi ait, *1. Ioan. 5.* mandata Dei non esse grauia: Sed nihil grauius esse potest alicui, quàm obligare illum ad id quod nullo modo potest seruare: ergo necesse est si Dei præcepta grauia nō sunt, vt impossibilia nō sint. Præterea; Infignis demētia est dicere, Deū præcepisse impossibilia: Nam Deus iniustè ageret, si impossibilia præciperet: Nam lege naturali docemur, neminem obligare ad impossibile. Tritissimum est elogium illud Augustini. Nemo peccat in eo quod vitare non potest. *D. Augustin.* Et in speciali quodam sermone ait; Dominus seruum pigrum nō damnaret, si ea quæ fieri nullo modo poterant, imperaret. Extat expressum & luculentum testimonium D. Basilij in regul. Monachorum *Heronym. Chrysost. Augustin. Conc. Trid.* cap. 85. de dilectione inimicorum loquens. Vbi ait; Nunquam præciperet hoc iustus & clemens Deus, *D. Basil.* nisi vtique etiam possibilitatem nobis donasset. D. Hiero. ad Damas. ait: Execramur etiam eorum blasphemiam, qui dicunt impossibile aliquid homini *D. Hieron.* præceptum esse, & mandata non à singulis posse seruari. Idem docent Chrysost. Gregor. Theodoret. & *D. Chrysost. D. Gregor. D. Theodo.* omnes Sancti.

Secunda propositio. Deus nunquam denegat auxilium illud necessarium & sufficiens, quod requiritur ad implenda præcepta, & cauenda peccata. Nam licèt Deus posset annihilare creaturam, & posset etiam denegare auxilium ad aliquem actum tam naturalem



turalem, quàm supernaturalem, cùm liberè concurrat ad omnia, & sit Dominus omnium; defacto tamen Deus non denegat auxilium sufficiens ad non peccandum. Nam dato oppositio, Deus non sufficiēter prouidisset hominibus eos obligando, & nullas præstando vires; aliàs si non præstaret vires, neque auxilia sufficientia; nullo pacto possent ab hominibus impleri eius præcepta, & sic reddiret Lutheri hæresis, quòd Deus per suam legem obligauit homines ad impossibile.

*Conclus. 3.* Tertia propositio. Deus nunquam permittet aliquem hominem incidere in eas angustias, quas suprà retulimus in quæstione: semper enim Deus paratus est auxiliari, & defacto auxiliatur quantùm necesse est; vt possit homo vitare peccatum, & consequi salutem. Neq; est credendum de diuina pietate, quòd deneget alicui auxilium sufficiens ad salutē, etiam si sit in originali; Imò etiam si multa alia peccata commiserit. Vndè, quòd aliquis viator committat peccata, nō est ex defectu auxilij Dei, sed ex propria malitia, vt liquet ex dictis supra, & ex his quæ nos etiam diximus. 1. p. q. 23. art. 3. disputat. 3. 4. &. 5. vbi fusè satis de hac re egimus. Et hęc cōclusio apertè sequitur ex duabus præcedentibus.

*Conclus. 4.* Quarta propositio. Videtur implicatio, Deum me obligare ad actum aliquem, quem si non facio, peccabo, & simul denegare auxilium sufficiens, ad nō peccandum. Hanc propositionem tenēt communiter Doctores asserentes, Deum non posse obligare *Victoria.* ad impossibile. Ita Pater Victoria relect. vlti. p. 2. nu. 6. Vbi dicit, sententiam Greg. Arimin. esse parū Catholicam. Et probatur. Quia implicat esse transgressionem legis, & esse peccatum transgressionis, & quòd talis transgressio non sit libera voluntate facta: ergo poterat fieri & non fieri: ergo habebat homo sufficientem potentiam, & sufficiens auxilium requisitum, vt si vellet non peccaret. Rursùs; Peccatum personale debet esse personaliter liberum, & voluntarium: ergo implicat peccare peccato personali, in eo quod vitare non potuit, per actum personalem. Patet consequentia. Quia aliàs damnaretur quis in inferno, & puniretur pœna sensus pro eo quod vitare non potuit per actum suæ voluntatis. Cuius oppositum docuit D. Augustin. vt vidimus suprà. Et fauent in hac parte testimonia suprà citata Sanctorum, vt est illud D. Hiero. in exposit. symboli ad Damas. dicentis, Neminem peccare posse in eo quod non potest vitare. Chrysost. Homi. 6. de laudi. Paul. Augustin. 1. retract. cap. 9. & sermo. 9. de tempore, & lib. de gratia Christi. cap. 67. Et Conc. Trid. sess. 6. cap. 11. apertè definit, Dei mandata non esse impossibilia: Quia Deus impossibilia non iubet, sed iubēdo monet, & facere quòd possis, & petere quod nō possis, & adiuuat vt possis. Cuius mandata grauia non sunt; cuius iugum suaue est & onus leue. Hæc Concilium.

*Difficultas in quo sita sit.* Sed difficultas tota est in casu quæstionis suprà dicto, nempe, quòd peccator vitauerit omnia peccata præter vltimum, & quòd Deus nolit dare illi auxilium ad vitandum vltimum; An imputetur illi ad nouam culpam? Et quidem, in hac re oportet distinguere de peccato omissionis & commissionis. Nam fortè nō est eadem ratio de peccato commissionis, & omissionis. De qua re plerique Theologi dicūt, quòd in casu posito, si sit sermo de peccato commissionis, peccator ille non vitando vltimum peccatum, licèt culpabiliter agat, & malum atque peccatum committat, nihilominùs id non debet illi imputari ad nouam culpam, in hoc sensu, vt ob eam puniatur pœna sensus de nouo. Et ad hanc rem ostendendam, adducunt simile illud de damnatis in inferno, qui non habent auxilia ad vitanda peccata, nec Deus paratus est illis donare ea, nihilominùs peccant in omni sua actione, & peccare possunt; quamuis hæc illorum damnatorum peccata nō puniantur de nouo pœna essentiali, licèt cumulentur hæc illorum peccata, vt crescat eorum accidentalis pœna. Sic ergo dicunt & philosophantur isti proportione quadam, ex suppositione illa facta denegationis auxilij, ex qua non tollitur, quin minùs in casu prædicto illud vltimum peccatum, quod non vitatur, verè sit malum, peccatum, atque culpa respectu huius hominis, qui de facto videns & scięs operatur, & non cauet peccatum. Vndè, ille homo peccat. Dicunt tamen, quòd tale peccatum non ita imputatur illi ad nouam culpam, vt ob ipsum puniatur pœna sensus, & pœna essentiali de nouo. Verùm hæc sententia neque est vera, neque satisfacit: Non inquam est vera: Quia si ille peccator commit tit peccatum: illud verè est demeritorium, & dignū pœna essentiali, & pœna sensus. Rursùs; Ille peccator est in statu merendi & demerendi; quia est viator, & non est in termino, aut extra viam, sicut damnatus in inferno. Rursùs, non est obstinatus in malo, ex sola denegatione illius auxilij: ergo non est simile ad rem hanc ostendendam, & ad solutionem quæstionis tradendam. Neque satisfacit etiam: Quia si homo ille caret auxilio ad non peccādum in peccato determinato, non satis explicatur quomodo ille peccator peccat peccato personali, in eo quod vitare non potuit; cùm denegetur illi auxilium necessarium & sufficiens ad vitandum vltimum illud peccatum, vt supponimus. ¶ Alij dicunt, quòd si admittatur præfatus casus, valdè probabile est quòd non imputatur ad nouam culpam illud peccatum quod committitur. Et sanè, si ille esset cum solo originali (vt dicit Pater Victoria, relect. vlt. de perueniente ad vsum rationis. p. 2. n. 6.) res videtur certa. Sed ait Pater Victoria, oppositam sentētiam Greg. non esse Catholicè dictam; Nempe quòd non obstā te quòd Deus denegaret alicui speciale auxiliū, ad vitandum peccatum; nihilominùs imputaretur ei. Ob id quòd ista priuatio est ex peccato originali. Sicut siquis ex ignorantia, quam incurrit vel ex originali peccato ageret quod non debet. Hæc inquam Greg. sententia à Patre Victoria reijcitur tanquàm parum Catholica: Quia sequitur aliquem damnari in inferno pœna sensus, pro eo quod vitare nō potuit per actum suę voluntatis; Imò sequitur aliquem peccare peccato personali, in eo quod vitare nō potuit, per actū personalē suū: Hæc autē absurda sunt: ergo. Sequela patet: Quia secundū Greg. ex sola culpa originali redditur homo impotēs ad vitandū peccatum personale sequens, culpa autē originalis non est ex actu personali eius, qui contraxit illam. Et confirmant. Quoniā vt dicit Aug. lib. 3. de libe. arb. cap. 19. Si veri boni ignorantia, difficultas quoque & impotentia ita sit naturalis homini, vt nullū ha-

*Duæ huius ætatis sentētiæ cōmemorantur.*

*2. Sententia quā aliqui defendunt.*

*D. Augustin.*



*D. Augustin.*

*Secundum.*

*Tertium.*

*D. Augustin.*

*Quartum.*

*Conclus. 1.*

beat Dei miserentis auxilium quo bonus fiat; non peccat quidem: sed peccati primi parentis iustũ sustinet supplicium: Ergo secundum Aug. impotétia proueniens ex originali, excusat à peccato sequenti. Sed præterea probatur, quòd prædicta sententia habeat verum, etiam de illo, qui ex peccato actuali antè commisso in angustias illas conijcitur: Quia ille, facta suppositione, non potest vitare hic & nunc peccatum occurrens: ergo hic & nunc, non debet sibi imputari. Tandem, argumenta à principio facta militant pro hac opinione, seu pro sententia istorũ, propter quæ dicunt illi, fieri valdè probabilem.

*Conclus. 5.* Quinta conclusio. Si sermo sit de peccato cõmissionis, valde rationabile est, quòd in casu prædicto quæstionis, illud vltimum peccatum imputabitur ad nouam culpam. Probatur: Quia licèt talis homo nõ possit ex suppositione vitare tale peccatum; simpliciter tamen potest: ergo verè est liber in eo actu. Et confirmatur: Quia iste in modo operandi perinde se habet ac si nulla suppositio esset facta: ergo hic & nunc liberè operatur. Item; In eo actu habet plenum vsum rationis, & sponte ac maximè voluntariè operatur, & vult committere talem actionem aliàs indebitam: ergo debet sibi imputari: Nam certum est, quòd illa actio est mala, & exercita & volita ab agente libero, & ab agente existente in via: ergo est actio demeritoria: ergo imputabitur illi ad nouam culpam. Neque habet se voluntas huius, sicut voluntas damnati, quæ est obstinata in malo, & præterea est in termino, & non in statu merendi, aut demerendi. Nam voluntas huius hominis de quo loquimur, nõ est obstinata in malo, & est volũtas viatoris existentis in statu merendi aut demerẽdi, cùm non sit in termino: ergo tale peccatum imputabitur illi ad nouam culpam. Quod verò careat auxilio ex suppositione, non tollit quin minùs ille peccet: Nam etiam pari ratione, licèt damnati careant auxilio speciali ad cauenda peccata; nihilominus in omni suo opere peccant, vt latiùs deduximus. 1. p. q. 64. Præterea; Confirmatus in gratia non potest peccare ex suppositione, & in sensu composito; & tamen imputatur sibi ad meritum quando vitat peccatum. Similiter prædestinatus, qui est in peccato circà finem vitæ, non potest non conuerti ex suppositione, & tamen liberè & meritoriè conuertitur, & è contrario reprobus in vltimo vitæ, licèt ex suppositione non possit se conuertere; tamen quòd non conuertatur, imputatur sibi ad nouam culpam: ergo similiter in proposito. Quocircà, quando suppositio ex qua aliquis dicitur necessitatus, non tollit vsum rationis, nec determinat, aut ligat liberum arbitriũ, sed finit illud vt perindè se habeat in opere, ac si nulla facta esset suppositio; tunc actus sequens verè est liber & imputabilis siue ad culpam, siue ad meritum. Et ita euenit in confirmatis in gratia, & etiam in prædestinatis, seu reprobatis. Et in nostro casu est simile de illo, qui vult efficaciter finem, & perfectè iudicat hoc medium esse vnicum, & necessarium ad illum finem: talis enim ex suppositione necessitatur ad eligẽdum illud medium, & tamen electio est omnino libera. Sic ergo licèt in casu nostro denegetur auxilium ad vltimum vitandum ex suppositione; nihilominùs, cùm hæc suppositio non auferat libertatem, neque cognitionem peccati, sequitur, quòd illi imputabitur ad nouam culpam & peccatum. Est aliud simile ad præfatam conclusionem ostendendam: Siquis esset domi detentus & inclusus taliter, vt exire non posset; ipse tamen id ignorans; neque attẽdens se esse clausum, vellet nihilominùs permanere ibi; Talis ex suppositione, non posset exire, & tamen liberè vult nõ exire. Quia ex modo operandi perinde se habet, ac si non esset clausus, & proprio arbitrio eligit manere ibi: Sic in proposito videtur dicendum. Et ita dicit Caiet. in fine huius art. Quæ doctrina videtur esse communis. ¶ Quamuis his argumentis præfata conclusio videatur satis probari; nihilominùs manifestiùs & clariùs ostenditur in actibus supernaturalibus, & in illo cui denegaretur auxilium ad actum fidei, de quo erat multò maior difficultas. Nam si denegaretur auxiliũ ad actum fidei, dupliciter se posset habere homo ille, vel quòd ipse vellet habere talem actum, sed non posset; & tunc non peccaret, sed excusaretur, vt dicemus in conclusione sequenti: Vel quòd vult non habere etiam si posset, & tunc peccat propter hanc volitionem, ad quam vitandã habebat sufficiens auxilium; imò verò ad nihil volendum non erat necessarium; Quod argumentum procedit siue ille sciat denegatum esse sibi tale auxilium, siue nesciat. Nam cùm tenebatur habere actũ positiuum, merè negatiuè se habebat vt minimum, & tunc peccat: quia virtualiter vult nõ habere actũ, quem patet fuisse possibilem, licèt verè de facto nõ esset. ¶ Sed profectò, quamuis ex dictis fiat rationabiliter probabilis proposita conclusio; nihilominùs multi dicunt eam esse difficilem: Quoniam si homo ille nõ habet vires ad impletionem illius præcepti, præsertim si sit supernaturale, quas habet per auxilium, & Deus denegat illud, quas quidem vires haberet suppositio auxilio, Quomodo peccat de nouo, aut quomodò imputabitur ei ad nouam culpam & nouum peccatum? Neque est simile (vt dicunt) de confirmatis & prædestinatis: Nam hi habent vires, & habent absolutè liberum arbitrium, quo possent absolutè non perseuerare, aut benè agere, sed manu tenentur à Deo. Neque est simile de homine clauso & domi detento: Quia ille verè habet vires ad exeundum, & clausura non tollit vires intrinsecas, sed solùm tollit conditionem requisitam ad exeũdum; quod secùs est, de auxilio supernaturali, quod computatur in ratione potentiæ, cùm mouet liberum arbitrium, ad actus supernaturales, & non se habet sicut conditio solùm, aut sicut applicatio ignis ad comburendum solùm. Cæterùm hæc non adeò sunt difficilia, vt impugnent prædictam conclusionem quintam. Primò: Quia certum est etiam damnatos peccare, licèt denegetur illis auxilium, imò verò in omni suo actu peccant, licèt sint obstinati, & angelus postquam semel malè elegit in supernaturalibus, licèt habeat liberum arbitrium inflexibile, nihilominùs peccat. Rursùs, licèt suppositа denegatione auxilij, homo non possit cauere illud peccatum; nihilominùs licèt id non possit ex suppositione; tamen si est peccatum commissionis, voluntariè vult commissionem illam, & vult agere, & perinde se habet ac si nulla suppositio esset facta. Rursùs, exẽplũ quod adducitur de homine clauso, licèt non sit per omnia par; sed nihilominùs aliqualiter explicat veritatem rei, & aliqualem inducit similitudinem; & non adducitur vt sit idem omnino, aut vt euidenter demonstret conclusionẽ, sed rationabiliter & persuasibiliter in plerisq;.



*Conclus. 6.* Sexta conclusio. Si sermo sit de peccato omissionis, & præsertim de omissione actus supernaturalis fidei, fieri potest, vt aliquando in casu denegationis auxilij, ille homo excusetur à culpa omissionis, sicut è contra etiam fieri potest, vt aliquando in aliquo euentu non excusetur à tali omissione, & à culpa eius, sed potiùs imputetur illi. Hæc conclusio est aperta de omissione actus supernaturalis: Nam siquis teneatur habere actum supernaturalem fidei, vel supernaturalem charitatis & dilectionis; tunc ad vitandam omissionem huius præcepti supernaturalis, requiritur vt homo habeat actum supernaturalem fidei: vel charitatis, & consequenter quod habeat auxilium sufficiens supernaturale: ergo si Deus denegaret sufficiens, neque esset paratus illud dare; excusaretur homo ille: Quia nemo peccat in eo quod vitare non potest: sed non potest vitare omissionem illam in casu denegationis auxilij supernaturalis: ergo. Quocircà, si illud esset vltimum peccatum quod teneretur cauere, excusaretur ab illo vt liquet ex dictis. Quòd si obijcias: ergo iam diù vitaret omnia peccata ex proprijs, & sine auxilio Dei. Respondetur negando consequentiam. Primò; Quia in tali casu nego, quòd vitasset omnia præcedentia: Quia non stat excusari ab hoc vltimo ob defectum auxilij, & vitasse simul omnia præcedentia. Secundò respondetur implicare contradictionem Deum denegare auxilium sufficiens ad non peccandum in aliquo peccato determinato, quem si non faciam, peccabo; quia hoc esset obligare me ad impossibile. Vndè, si supponis Deum denegare auxilium, necessariò debes tollere obligationem respectu illorum actuum; & tunc propriè loquendo non esset omissio sed potius negatio actus. Alij dicunt, quòd in tali casu excusaretur homo ille sicut qui habet inuincibilem ignorantiam excusatur. Præterea probatur conclusio, quantùm ad secundam partem: Nam ille cui denegatur auxilium ad actum fidei, duplicitèr se habere potest; primò quòd ipse velit habere talem actum, sed non potest, & tunc non peccat, sed excusatur, vt dictum est. Secundò, quòd velit non habere etiam si possit; & tunc peccat propter hanc volitionem, ad quam vitãdam habebat sufficiens auxilium, quod procedit; siue ille sciat denegatum esse sibi tale auxilium, siue nesciat. Si tamen cùm tenebatur habere actum positiuum, merè negatiuè se habuit; tunc peccat: Quia virtualiter vult nõ habere actum, quem putat esse sibi possibilem, licèt verè de facto non sit. Tandem hæc conclusio probatur ex doctrina & solutione argumentorum, quam statim trademus, vbi quo pacto sit intelligenda conclusio hæc, & sensus etiam quartæ assertionis, ampliùs aperietur.

*Ad argum. Ad testim. Augus.* Ad argumenta initio facta. Et primò ad testimonium D. Aug. de correctio. & grat. Respondetur, expresse Augustinum dicere, quòd si Adam non habuisset adiutoriũ Dei, quo permanere posset si vellet, non cecidisset sua culpa: Quia per naturam non poterat vitare casum. Et idem videtur dicendũ de homine in puris naturalibus, si non daretur sibi auxilium speciale Dei. Respondetur inquam, negari non posse quin iste locus faueat contrariæ sententiæ, quam suprà retulimus, præsertim in difficultate cõtra quintam conclusionem. Sed nihilominùs, sustinendo quintam assertionem dicimus, Diuum Augustinum loqui de perseuerantia in ordine ad supernaturalia, & vult quòd si non daretur adiutorium Dei ad seruanda præcepta supernaturalia, non esset homo in culpa, ex eo quòd non faceret illa: Quia de essent sibi vires: Secùs tamen si loquamur in ordine ad præcepta moralia: Ad hæc enim sigillatim & diuisiuè homo habet vires, cum solo auxilio ordinis naturalis; ac proinde, etiam si careat auxilio superna turali, debet imputari sibi transgressio præcepti: Quia simpliciter poterat non transgredi, vt liquet ex suprà dictis. ¶ Ad rationes verò seu ad argumenta ex ratione ibi petita. Ad primum, Aliqui dicunt *Ad. 1. arg.* implicare, quòd Deus ita relinquat hominem cum auxilio ad vitanda peccata diuisiuè, & non collectiuè. Sed hoc non satisfacit. Primò, quia fortè id non implicat, & per se id non implicat, vt infrà latiùs declarabitur. Secundò; quia etiam argumentũ videtur concludere quòd illud auxilium quòd sufficit ad vitanda peccata diuisiuè, sufficit etiam ad collectiuè. Nam posito tantum primo auxilio, & secundo ablato, seu per possibile vel impossibile negato; homo habet sufficiens auxilium ad nunquam peccandum. Quia habet auxilium ad vitandum illud particulare, quo vitato, vitabit omnia collectiuè, vt argumentum probat. Præterea, Quoniam modò in statu naturæ lapsæ quãdo homo est in peccato mortali, non potest se continere multo tempore, quin incidat in alia peccata; & nihilominùs homo habet auxilium sufficiens vt vitet omnia diuisiuè; non tamen omnia collectiuè per multum aut longum tẽpus, supposito quòd est in mortali: Atq; ita defacto militat prædicta difficultas in hoc homine, & non erit necessarium recurrere ad potentiam Dei absolutam. Alij Theologi respondent eidem primo argumento aientes, tunc illum hominem excusari ratione impotentiæ; atque adeò nõ peccare in illo casu. Sed contra. Quoniam ad vitãda singula diuisiuè habet potentiam: ergo ad vitandum istud etiam; cũ non requiratur maior potentia adhoc, quàm ad alia. Item etiam; quia si excusatur: ergo iam vitauit omnia peccata collectiuè. Patet consequentia: Quia iã non peccat in hoc: ergo si vitauit præcedentia, apertè vitauit omnia collectiuè, quòd est contra suppositionẽ. Id enim non potest sine auxilio speciali, quod tunc non habet. Alij tertiò respondent (sed malè quidem) non esse inconueniens quòd tandem in casu tam stricto aliquis vitauerit omnia collectiuè, licèt cõmuniter & regulariter non ita contingat. Sed contra: Quia hoc esset incidere in sententiã Caietã. quã nos suprà retulimus, & tanquã parũ tutã impugnauimus. Præterea; quia si semel admittas casum hunc, nõ erit rarus, sed frequens & cõmunis. Quia licèt non cõmuniter cõtingat, quòd post istud vltimum peccatum moriatur; at communiter cõtinget quòd viuat lõgo tempore sine peccatis, sicut ille vixit: sed ille si viueret, euitaret ampliùs si non interficeretur: ergo. Quartò aliqui respondent, concedendo illum hominem non habere potentiã moralem ad vitandum illud peccatum, sed nihilomi-

nùs non excusari. Quia licèt ex suppositione, quòd alia vitauerit non possit hoc vitare; absolutè tamen & in sensu diuiso potest. Sed contra. Nam illa suppositio modò non est in eius potestate: ergo simpliciter non potest; sicut si ex eo quòd ego cucurrissem non possem loqui; tunc non peccarem in eo quòd non loquerer; præsertim quia illud impedimentum, nempè quòd alia vitauerit, non est eius culpa contractum, sed eius naturæ & virtutis suppositum. Rursùs, iste homo habet potentiam moralem ad omnia diuisiuè: ergo etiam facta quacùmque suppositione, habet potentiam moralem ad hoc: Quia moralis potentia resultat pensatis omnibus circunstantijs. Quòd si ex aliqua suppositione nō posset, certè moraliter non posset. Dices, posse quidem vitare illud peccatum secundum se, sed non vt dicit ordinem ad alia. Contra; Nam modò se offert secundum se: ergo modò potest illud vitare. Item: Nam si faciat iste homo totum, quod facta illa suppositione potest; tunc vel vitat illud peccatum, & sic vitat omnia collectiuè: Vel non vitat; & tunc non illi imputabitur; quia fecit totum quod potuit, & sic non solùm habebit impotentiam moralem, sed etiam physicam: Quia hic & nunc absolutè non potest, cùm non sit libet ad tollendum impedimentum. Tandem; Quia si dicere ordinem ad alia quæ iam sunt vitata, tolleret potentiam quæ ex continua pugna iam est defatigata; sequitur, quòd hæc defatigatio excuset; atque adeò non habebit potentiam moralem: ¶ Quocircà, Respondeo, habere potentiam moralem ad illud peccatum vltimum vitandum, sicut & reprobus habet auxilium sufficiens ad vitādum peccatum finale; & ita non excusatur si non euitat. Et ad argumentum si illud quod est vltimum vitaret suppositio quòd alia vitauerit, sequitur, quòd vitaret omnia collectiuè; Concedo maiorem: Sed nō habet auxilium ad vitanda omnia collectiuè; Concedo minorem: Ergo non habet auxilium ad vitandum istud; Nego consequentiam. Sicut non valet; Si reprobus qui fuit in gratia vsque ad peccatum finale, vitaret illud peccatum, esset prædestinatus: sed non est prædestinatus: ergo non potest illud vitare. Non inquam valet hæc consequentia, licèt penes hoc videatur similis formæ; quamuis sit disparitas quoad hoc, quòd prædestinatio non est auxilium requisitum per se intrinsecè ad operandum, sicut est necessarium in nostro casu auxilium ad vitanda peccata collectiuè. Vndè, adhuc pungit argumentum. Nam si habet potentiam moraliter ad illud vltimum vitandum, cur non euitat aliquis? Respondetur, posse quidem euitare; si tamen vitaret, tunc nego casum, nempe quòd alia vitasset antea, quod colligo ex illis fundamentis, quibus dixi suprà, hominem viribus proprijs non posse vitare omnia peccata: Sicut reprobus potest saluari, si tamen saluatur, nego quòd fuerit reprobus. Nam non valet hæc consequentia: Reprobus in nullo sensu potest falsificare scientiam Dei: sed si saluaretur falsificaret illam: ergo in nullo sensu potest saluari. Non inquam valet; quia antecedens est verum, & consequens falsum; Et defectus consequentiæ statim sequitur; Nam arguitur à sensu cōposito ad diuisum. Nam quantumuis in antecedenti dicat in omni sensu; tamen eo ipso quòd dicis falsificare scientiam Dei, loqueris in sensu composito, id est, supposito, quòd Deus viderit reprobum condemnari, non potest reprobus facere, vt Deus non viderit. Similiter non valet: Ille homo non potest vitare omnia collectiuè: sed si hoc vltimum vitaret, vitaret omnia collectiuè: ergo non potest vitare hoc; Et defectus consequentiæ suo modo stat in hoc quòd minor est vera ex suppositione tantum, quòd alia vitauerit, & non absolutè. Et ita arguitur ex illa ad consequens absolutè suppositum: Non enim est verum quòd si hoc vitaret, vitaret omnia collectiuè, nisi ex suppositione quòd alia iam vitauerit, vel alia si superfint sit vitaturus. Sed contra: Ergo sicut ex suppositione quòd alia vitauit, est verum, quòd vitando hoc vitabit omnia collectiuè; ita ex suppositione quòd alia vitauit, erit verum quòd non potest hoc vitare. Sicut reprobus ex suppositione quòd est reprobus, non potest saluari. Adhoc respondetur concedendo consequentiam. Sed sicut hæc suppositio non tollit quin verè reprobus habeat potentiam moralem, vt saluetur; ita non tollit quin ille homo habeat potentiam moralem, vt euitet hoc peccatum. Sed contra: Ergo sicut reprobus absolutè habet potētiam moralem vt saluetur; ita ille homo absolutè habet potentiam moralem, vt euitet omnia collectiuè. Nam vitando hoc, vitabit illa. Respondetur impotentia moralis non dicit necessitatem absolutè, sed potiùs dicit infallibilitatem euentus. Vndè, licèt homo physicè posset vitare omnia; moraliter tamen non poterit, id est, tam fragilis est homo, quòd nūquam faciet, suppositis difficultatibus, quæ moraliter possunt occurrere. Sed neque hoc satisfacit: Quoniam adhuc sequitur, quòd in particulari non habet adhoc potentiam moralem. Quia non vitabit illud defacto & in euentu, supposito, quòd alia vitauit. Item secundò: Quia si infallibilitas euentus constitueret impotentiam moralem; tunc sequitur quòd nullus reprobus haberet potentiam moralem adhoc vt saluaretur. Tertiò: Quia etiam in pluribus peccatis quæ occurrunt non solùm in fine vitæ, sed etiam in discursu vitæ, est similis infallibilitas euentus; cognoscit enim Deus quòd homo perditissimus in tali occasione non vitabit peccatum, sed propter id non dicimus eum carere potētia morali ad id, cùm habeat ad omnia diuisiuè: ergo. Quartò: Quia impotentia moralis dicit infirmitatem naturæ tenentem se ex parte potentiæ: ergo non solùm dicit infallibilitatē euentus. Probatur antecedens. Nam ex eo quòd natura sit debilis, colligimus quòd infallibiliter deficiet in aliquo: igitur hæc debilitas tenet se ex parte potentiæ priùsquam intelligamus actus. ¶ His obiectionibus & argumentis posset ita responderi: Non negamus quin impotentia moralis præsupponat in natura debilitatem & propensionem ad malum: sed cùm adhuc maneat cum sufficienti libertate ad singula quæ occurrunt; idcircò quòd non habeat potentiam moralem ad omnia collectiuè, non est omnino defectus naturæ, sed quòd iste homo procliuis ad malum, aliquando tendet in illud, in quod vehementissimè propenditur: Quia hoc moraliter solet contingere. Quapropter, impotentia moralis cōpletur ex infallibilitate euētus. Ex his ergo patet ad primam obiectionem: Dico enim, quod ad illud peccatum



peccatum vitandū, habuit ille potentiam moralem. Et in forma ad argumentum, quòd vitando illud vitaret omnia collectiuè; sed potest vitare illud: ergo & omnia collectiuè. Respondetur distinguendo minorem: Potest vitare illud absolutè; concedo: tamē supposito quod alia vitauerit; nego. Dicere autem quòd ex suppositione non potest hoc vt dicit ordinem ad alia, est dicere quòd hoc non vitabit. Quoniam si hoc vitaret, certè alia non vitasset. Nam in hoc consistit impotentia moralis. Vt, moraliter est impossibile quòd omnes homines qui sunt in Hispania, sint iusti; si tamen fingas omnes excepto vno iustos esse; de isto erit simile argumentum: Nam vel potest moraliter esse iustus, & tunc possibile est moraliter, quòd omnes sint iusti; Vel non potest esse iustus, & tunc erit extra statum salutis. Respondetur ergo quòd licet absolutè possit esse iustus, quia est viator & potest saluari; nihilominus tamen in casu ex suppositione moraliter non euenier; atque ita nō potest moraliter, ex suppositione inquam, idest secundum quòd moraliter res eueniunt, ille non erit Iustus, supposito quòd alij sint, licèt absolutè possit esse iustus & illi imputabitur si non sit iustus. Est simile huius rei, de eo quod Christus Dominus dixit Nam necesse est in mundo vt veniant scandala; id est, moraliter loquendo est impossibile vt non eueniant; Væ autem homini illi per quem scandalum venerit, &c. Similiter, impossibile est moraliter quòd homo in vno die non habeat actum liberum; & si fingas non deficere nisi vnum instans diei, vel imperceptibile tempus quod raptim elabitur; tunc ex suppositione non poterit non elicere actum liberum, in quo apertè apparet, & manifestiùs, hāc suppositionem non tollere libertatem neque potentiā absolutè. Sicque dissoluitur prima obiectio. ¶ Ad secundam obiectionēm respondetur negando consequentiam. Quoniam infallibilitas euentus in reprobo, non prouenit ex debilitate naturæ, cùm habeat sufficiens auxilium supernaturale, confortans naturam; sed prouenit & cognoscitur talis infallibilitas & certitudo, ex scientia Dei qua videt omnes illos libere peccare, cum moraliter possint non peccare. ¶ Ad tertiam obiectionem, dico, quòd imbecillitas non est tanta, vt ex illa possit infallibiliter colligi, non stante vlla suppositione, quòd in hoc actu determinato, & particulari deficiet. ¶ Ad quartam obiectionem, iam dictum est.

Veruntamen, quāuis hæc dicta sint; adhuc tamen non quiescit animus. Nam sese insinuat noua difficultas. Quoniam ista potentia moralis, finita est & limitata: ergo habet determinatā sphērā suæ actiuitatis: ergo sicut respectu potentiæ gressiuæ & ambulatiuę signamus certum terminum, ita vt possit quis absque interruptione ambulare, verbigratia decem leucas, non vltra; & pari ratione respectu potentiæ portatiuæ, quòd potest hoc pondus, verbi gratia, vt quinq; & non aliud maius: ita pari ratione videtur dicendum, quòd potentia nostra moralis potest vitare verbi gratia decem peccata, & non plura, & cō sequenter, aliud superueniens non poterit vllo modo vitari. Quod argumentum procedit etiam si non admittatur casus. Quòd autem non sit admittēdus casus, probatur secundò: Quia homo non potest vitare per longum tempus omnia peccata; bene tamen per non longum tempus; Tunc sic: Vel quando ille peccauit, iam transierat longum tempus, & hoc non: quia sequeretur quòd per longum tempus se continuerit sine peccatō: Vel nondum peruenerat tunc ad longum tempus, & tunc nulla est difficultas: Nam concedimus posse vitare omnia, quando non est longum tempus. ¶ Ad hæc dici potest, quòd cùm potentia moralis sit libera, & præterea dependeat à circunstantijs extrinsecis, & ex modo quo occurrūt, & ex dispositione, quam pro tunc habet homo; ideo non potest præfigi & assignari certus terminus: Sicut est moraliter certum quòd cæcus peragens longum iter sine comite & directō re, aliquando errabit in via: non tamen potest signari determinatè si errabit hic vel illic, aut in prima vel in secunda leuca, &c. Sed contra. Nam licèt intrinsecè nō possit assignari terminus, nec idē determinatus respectu omnium; nihilominus respectu vnius benè potest assignari à Deo aliquis terminus, saltem extrinsecus: cognoscit namque Deus hunc hominem supposita eius debilitate & conditione propria; & sic, quòd si relinquatur propriæ naturæ, non poterit peruenire ad longum tempus sine peccato. Et certè, non dubium est quin Deus cognoscat hoc tempus esse, verbi gratia, vnus mensis vel duo, &c; aliàs non esset verificabile quod Concilia docēt, hominem per longum tempus non posse seruare omnia præcepta, cùm neque à Deo sit sighabile hoc longum tempus. Præsertim, quòd impotētia moralis, vt suprà dictum est, se tenet ex parte potentiæ; quidquid autem tenet se ex parte potentiæ antecedenter ad actum liberum, cognoscitur à Deo: cognoscat ergo Deus istum hominem non posse peruenire ad duos menses sine peccato: Tunc sic, vel cognoscit Deus quòd in quocunque minori tempore quam sint duo menses potest, & postea non: & tunc si quis se continuerit antea; quādo peruenit ad duos menses, iam non poterit: Vel cognoscit quòd antequam perueniat ad duos illos menses, iam aliquando peccauit; & tunc non solùm non potuit vitare omnia per longum tempus, sed nec per breue: Nam breue est antequam adimpleantur duo menses ex suppositione facta. Quartò insurgit eriā difficultas: Nam tu concedis, quòd solùm per longum tempus non potest vitare omnia; benè tamen per breue tēpus. Sit ergo aliquis, qui in quocunque tempore quod non censetur longum tempus, euitet omnia; & in hoc nolo assignare terminos in indiuisibili & determinate, sed in confuso, sicut tu dicis in breui tempore posse, non autem in longo; tunc ille homo vel potest vitare peccatum statim occurrens, vel non? Si non: ergo peccat in eo quod non potest vitari: Si potest; ergo per longū tēpus euitat omnia. Et confirmatur. Quia vel admittis quòd in toto tēpore quod nondùm censetur longum, potest vitare omnia, & sic sequitur quòd potest peruenire ad longū tempus sine eo quod peccet; Vel dicis quòd antequam adueniat longum tempus, necessariò peccabit; & tunc sequitur quòd in breui tempore non potuit vitare. ¶ Ad hæc omnia respondeo, quòd quando dicitur, hominem non posse vitare omnia peccata longo tempore, non dicimus quòd possit peruenire ad longum tēpus sine eo quòd peccet, & quòd postea peccabit: sed volumus dicere quòd nūquam

perueniet ad longum tempus sine eo quod aliquando antea peccauerit. Vnde, concedo quòd antequã perueniat ad longum tempus peccabit; & cùm quodlibet tempus quod est antèa, denominetur breue; manifestè sequitur quòd necessariò peccabit in breui tempore, antequam perueniat ad longum. Quapropter, cum dicimus quòd in breui tempore possumus vitare, intelligimus in breui tempore diuisiuè & determinatè, non in confuso, scilicet, quòd in quocùmque breui tempore signato potest. Neque constituimus certum tempus, quod incipiat de nouo denominari longum, sed sub quadam latitudine morali. Vndè, cùm arguis. In omni illo quod non est longum tempus potest vitare, & in solo longo tempore non potest: ergo. Respondetur negando maiorẽ si sumatur in cõfuso, & collectiuè, secùs diuisiuè & determinatè. Sicut non valet, Deus potest facere quidquid est minùs infinito: ponamus ergo quòd totum illud faciat, Rursus, in quacùmq; duratione minori quam sit æterna, potest creare mũdum; ponamus ergo quòd ita fecit: In his ergo omnibus non rectè proceditur, quia arguitur à determinata ad confusam: potest enim Deus facere minus infinito, & creare antea mundum diuisiuè, idest potest ante hunc diem determinatum, & ante illum &c. & potest facere hoc determinatum &c, sed non totum quod est minus infinito simul, vt in confuso sequitur. Similiter potest homo ante duos menses viuere sine peccato, ideſt, in quolibet determinato tempore contento intra duos menses; non verò in omnibus simul. ¶ Sed contra. Nam non videtur optimum simile: est enim infinita distantia inter quam libet durationem temporis, in qua potest Deus creare mundum, & inter æternitatem in qua nõ potest; at verò est finita distantia inter quodcumque breue tempus, & terminum extrinsecum longi temporis, scilicet, anni: Potest enim in vno mense non peccare, & postea nec in sequẽti, &c. ita vt vsque ad duos menses non superfit illi nisi vnus dies, & postea vna hora, & tandem vnum instans. Respondetur quòd iste terminus extrinsecus, non est signabilis determinatè secundum aliquod certum instans, & licèt signaretur, adhuc non militat argumentũ. Quia ad illud instans non potest peruenire sine peccato. Vndè, cùm dentur infinita instantia inter quodlibet breue tempus signatum, & inter terminum extrinsecum longi temporis, idem est ac si daretur infinita distantia: Quia in quolibet instanti potest peccare. ¶ Sed cõtra. Quia necessariò videtur admittẽdus aliquis terminus: manifestum namque est quòd per duos menses, aut per duos annos non potest vitare omnia peccata; Tunc sic, vel iste homo habet potentiam moralem ad vitandum peccata in toto tempore quod per solam vnam horam est minus duobus mensibus, aut duobus annis: vel non? & loquor de toto illo tempore collectiuè; Si habet potentiam: ergo iam est admittẽdus talis casus, quòd detur homo sine peccato cui nõ deest nisi vna hora, vt perueniat ad duos mẽses, vel ad duos annos. Si nõ habet, sequitur quòd duo menses, vel duo anni non erunt primus terminus ad quem non potest peruenire, sed alius minor, qui si detur, de illo fiet argumentũ; imò licèt nullum determinatum assignes, militabit argumentum, si incipiendo extrinsecè ab illis duobus annis, vel duobus mensibus, detrahamus semper vnam horam, quousque perueniamus ad tẽpus breuissimum; ita vt si in duobus mensibus aut duobus annis non possumus, quæramus vtrùm possit in alio tempore breuiori per vnam horam, &c. Et cùm non possit de omnibus negari (aliàs etiam negaretur de breuissimo tempore determinato) deuenien dum est ad hoc vt possit in aliquo tempore, in quo non deficiat nisi vna hora, ad tempus in quo non potest: Et tunc est difficultas. Quia potest vitare omnia peccata collectiuè per vnam horam, & in hac hora potest; sed vitãdo in hac hora, vitabit in tota vita, iuxta prædictum casum, quem supponimus ad manifestãdam veritatem: ergo. Vndè, cùm hæc sint membra contradictoria, vel habet potentiam moralem ad tempus per vnam horam breuius duobus mensibus, aut duobus annis; vel non habet; alterum istorum debet esse determinatè verum in re; Quia implicat contradictionem vnam partem non esse veram quod etiam in propositionibus de futuro cõtingenti verificari debet, vt dicunt Dialectici. Respondetur, quòd istud procederet si ista potentia esset physica; cùm tamen sit moralis, quæ solùm dicit tantam difficultatem in potentia, vt moraliter loquendo nunquã faciet, licèt absolutè possit. ¶ Quocircà, ad argumentum principale, vel potest negari casus; quia moraliter nunquam tale eueniet, & tunc dicemus Deum cognoscere tempus in quo nõ possit, non determinatè & metaphysicè; quia impotentia moralis, cùm dicat potentiam liberam in ordine ad actus, non solùm se tenet ex parte naturæ, sed etiam pendet ex liberis actibus, quos Deus non cognoscit cognitione visionis antequã sint in æternitate: cognoscit ergo illud tempus sicut est, moraliter & indeterminatè, id est, iste homo ad vnum mẽsem, vel ad vnum annum, parum magis vel minus, non perueniet sine eo quòd antea peccauerit; vel si admittatur casus, admittenda erit solutio antea tradita; vel quòd Concilia & sancti per impotentiã moralem intelligunt summam difficultatem, licèt aliquis forsan de facto possit. Sed hoc postremum nõ mihi probatur: Quia Sancti & Cõcilia dicunt, hominem peccatorem non posse absolutè diù aut per lõgum tempus, vitare omnia peccata. ¶ Ad secundum patet quid sit dicẽdum ex dictis in discursu quæstionis. Dicendum est enim quòd tunc ille mereretur, quia cùm posset non elicere illum actum bonum, sed merè negatiuè se habere suspendendo actum: nihilominus elicit illum actum liberè, vt cõtrouersia sequenti dicemus. ¶ Ad tertium Respõdetur quòd ille cui denegatur auxilium ad actum fidei, duplicitèr se potest habere, Primò, quòd ipse velit habere talem actũ, sed non potest, & tunc nõ peccat. Secundò, quòd vult non habere etiam si posset; & tũc peccat propter hanc volitionem, ad quam vitandam habebat sufficiens auxilium, quod procedit, siue ille sciat denegatum esse sibi tale auxilium, siue nesciat. Etenim, cùm tenebatur habere actum positiuũ merè negatiuè se habens; tunc peccat, quia virtualiter vult non habere actum quẽ putat esse sibi possibilem, licèt rectè de facto non esset. ¶ Ad quartum respõdetur, q̃ in tali casu ille põt suspẽdere actũ, ita vt nullũ habeat positiuè. Et p̃ hoc etiã respõdere ité possum⁹ ad difficultatẽ secũdi argumẽti præcedẽtis.

*Ad argum. principale.*

*Ad secundũ*

*Ad tertium*

*Ad quartũ.*

Ad alia.



*Ad alia argumenta.* Ad alia argumenta, quæ militant pro sententia illorum qui aiebant, quòd si admittatur casus quæstionis, valde probabile est quòd non imputatur ad nouam culpam illud peccatum, & quòd hoc est verum, præsertim si ille esset in solo originali, &c. Ad

*Ad primũ.* primum patet solutio ex dictis in quæstione, & specialiter ex his, quæ diximus cùm respondere cæpimus ad argumenta statim in initio. Vide supra. ¶ Ad

*Ad secundũ* secundum, aliqui negant antecedens: dicunt enim quòd ille peccator licèt ex suppositione necessitetur ad vltimum peccatum; potest tamen ipse tollere suppositionem, licèt fuerit præterita. Sed respondetur secundo, & meliùs, quòd suppositio non potest tolli ab homine, & tamen imputatur sibi peccatum sequens, quia non obstante suppositione, liberè facit illud cum pleno vsu rationis & ex propria electione, perinde ac si nulla facta esset suppositio: Illa enim suppositio habet se quodammodò per accidens ad liberam electionem huius. Sicut quòd aliquis clauserit cubiculum claue, me id nesciente, per accidens se habet ad electionem qua liberè eligo me manere ibi. Vndè, non dicimus quòd illud peccatum vltimum imputabitur huic homini ratione malitiæ præteritæ propter quam redactus est in prædictas angustias, sed imputabitur sibi ratione præsentis libertatis, qua hic & nunc liberè eligit

*Ad tertium.* peccatum. ¶ Hinc patet ad Tertium. Dicendum est enim quòd induratis imputantur peccata quæ faciunt. Quia sponte & liberè illa committũt. Neque

*D. August.* oppositum huius dixit August. suprà, sed solùm intendit quòd non imputantur ipsis, quatenus sunt pœna obdurationis præteritæ; benè tamen vt sunt ex præsenti electione libera. Vndè, idem Aug. suprà citatus in lib. quæstion. super Exod. num. 18. & super epist. ad Rom. Vbi supra docet, in obduratis adhuc manere libertatem, & quòd ex suo arbitrio sit quale cor habeant ad malum. ¶ Ad quartum respondetur pariter, peccatum sequens imputari, siue fiat ab

*Ad Quartũ.* eo qui est in mortali actuali, siue ab eo qui solũ est in originali, siue in nullo peccato: Ratio enim propter quã imputatur, non est malitia præcedens, sed libertas præsens, qua hic & nunc eligit peccatum, ad quod vitandum, homo habebat potẽtiam simpliciter & absolutè. Vndè, si quis in puris naturalibus relinqueretur sine speciali auxilio, necessarium esset ex suppositione, quòd peccaret aliquando, & tamen liberè peccaret, & sibi imputaretur. Sed contra hoc arguit Gregor. ex quodam testimonio D. August. de correct. & gratia cap. 11. Cui suprà dedimus solutionem statim inter initia ad priora argumenta.

## DVBIVM V.

*Nùm possit denegare Deus auxilium, ad non peccandum in communi?*

DIximus controuersia præcedente, non posse denegari auxilium ad vitandum peccatum determinatum, & quid inde sequeretur si Deus illud denegaret. Diximus etiam quo pacto Deus neminẽ obliget ad impossibile, & quo pacto se habeat homo denegato auxilio, in ordine ad peccata omissionis, vel commissionis. Et interpretati sumus, Vtrum Deus possit denegare auxilium necessarium & sufficiens ad actum aliquẽ quem si nõ facio pecco, & consequenter sum transgressor, quod est quærere, Num Deus ita possit me obligare in particulari ad aliquid impossibile, vt propter impossibilitatem adhuc non excuser à peccato? In præsenti vero quæritur, Vtrùm relicto auxilio ad quælibet peccata determinata vitanda, & cõsequenter ad non peccandum diuisiuè, vtrum possit Deus negare auxilium ad non peccandum collectiuè? Et ratio dubitandi est: Quia potest homo in natura lapsa seruare omnia præcepta naturalia diuisiuè, non tamen collectiue nisi cum gratia. Rursus, potest cũ gratia omnia præcepta implere, etiam supernaturalia diuisiuè seruare; nõ tamen collectiuè, nisi cum alio specialiori auxilio. Potest præterea cũ hoc singula venialia vitare: ad omnia autem peccata venialia vitanda, requiritur specialissimũ priuilegium. Quæritur ergo nunc, An Deus relicto homine secundum vires naturales, & cum obligatione ad vitanda omnia peccata collectiuè; & ad implenda omnia præcepta collectiue possit denegare ei gratiam? Et, Vtrùm homini iam in gratia constituto; possit denegare alia specialiora auxilia, quibus sit potens ad omnia præcepta? Et, Vtrum si specialiora illa auxilia denegauerit, peccet homo in eo quòd aliquod præceptum non seruet, aut in eo quòd aliquod peccatum non vitet?

In hac difficultate varius videtur esse Sanctissimus Præceptor diuersis in locis; & ob id authores citant eum vnusquisque pro sua sententia. Et profectò, quæstio & difficultas proposita nata est hoc seculo; Vnde parum aut nihil de ea inuenietur apud antiquos authores. Nam sub hac serie verborum non disputatur. Aliqui Theologi de hac re docent, non posse negari à Deo tale auxilium ad non peccandum in communi; quod videtur insinuare S. Thom. suprà artic. 4. ad. 2. & hic artic. 8. ad. 1. Quibus in locis ex eo dicit posse hominem obligari ad seruanda omnia præcepta, quæ alias ex viribus proprijs non posset; quia Deus habet paratum auxilium: ergo censet S. Thom. quòd si Deus non haberet paratum auxilium, non posset homo obligari. Et lib. 3. contra Gent. cap. 159. dicit, homini imputari non cauere peccata omnia neque seruare præcepta omnia; quoniam Deus paratus est cum sua gratia. Nam ex defectu hominis est, quòd ipse ad habendã gratiam se non præparet; & ob id non excusatur à peccato, quod sine gratia vitare non potest, vt hic ad. 2. docet idem Sanctissimus Præceptor. Idem videtur sentire August. lib. de correct. & grat. cap. 11. Vbi ait, quòd si Adam & angeli non habuissent adiutorium Dei quo possent permanere si vellent, nõ cecidissent sua culpa. Quia per naturam non poterant vitare casum. Et eo loci, (vt patet) non loquitur Aug. de auxilio ad seruanda singula præcepta diuisiuè, sed ad omnia collectiue, scilicet, ad permanendum sine vllo peccato. Idem insinuat lib. 3. Hypognos. suprà citato: Ex hoc inquit Aug. peccasse hominem, quia potuit permanere si voluisset. Et subiungit; hanc posibilitatem permanendi, & nõ peccãdi à natura liberi arbitrij per peccatum esse ablatam: sed non est ablata posibilitas ad omnia diuisiue: ergo loquitur August. de ea quæ est ad omnia collectiue. Eandem sententiam videtur recipere

*S. Thom.*

*D. August.*

Pater

*Vega. D. Ansel.*

Pater Vega super Conc.Trident.lib.14.cap.11.&.21 Idem etiam insinuat & tenet D. Anselm. lib.1. Cur Deus homo cap.3. quem suprà disputat.præcedente retulimus. ¶Fundamentum præcipuum huius sententiæ est, quia Deus non potest præcipere aliquid impossibile, vt suprà diximus:igitur non potest denegare auxilium ad seruanda omnia præcepta,& vitanda omnia peccata collectiuè. Quoniam si obligat ad omnia;ergo omnia debent esse possibilia, & non per naturam:ergo per gratiam: ergo hanc non potest negare. Huic argumento respondent aliqui, Deum non obligare ad omnia collectiuè,sed tantũ ad singula.Sed hoc non videtur esse verum neque de mente D. Tho. Quoniam vt homo faciat id omne ad quod Deus obligat ipsum,siue obliget ad omnia collectiuè ,siue diuisiuè, debet seruare omnia collectiuè,Nam si hoc modo nõ seruat nõ implet id ad quod obligatur.Nã eo ipso peccabit in aliquo diuisiuè: igitur vt possit adimplere id ad quod obligatur,necessariò debet habere potẽtiã ad seruãda omnia collectiuè.Quocirca licèt negetur Deũ obligare ad omnia collectiuè; nõ tamen ob id dissoluitur nodus difficultatis.¶Aliqui Theologi,vt possint satisfacere prædictæ difficultati, aliam ingressi sunt viã. Nam dicunt, ꝙ vt præcepta sint possibilia homini, sufficit quòd homo habeat potentiam moralem ad omnia diuisiuè, licèt non habeat ad omnia collectiue.Nam vt quis peccet contra præceptũ aliquod, sufficit vt habeat vires ad illud implendum quando occurrit: sed præcepta non occurrunt nisi diuisiue: ergo sufficit potentia moralis ad seruanda illa diuisiuè:non enim peccat nisi quia singula transgreditur:ergo sufficit potentia moralis quam habet ad singula.Sed contra:Pt imò;quia id quod præcipitur, debet esse moraliter possibile:sed non solùm præcipiũtur omnia præcepta diuisiuè,sed etiã collectiuè: ergo omnia illa debent esse collectiuè moraliter possibilia.Et confirmatur.Nam vel homo habet vires ad id quod præcipitur,vel nõ;si habet: ergo põt collectiuè quod collectiuè præcipitur. Si non: ergo præcipit quod est impossibile.Quoniam de ratione intrinseca præcepti est quòd sit per se possibile:ergo implicat esse præceptum in communi, vel in particulari, quin illud sit possibile. Præterea secundò : Implicat quòd Deus sit iniustus:sed esset iniustitia præcipere moraliter impossibile in communi, licèt diuisiuè sit possibile : ergo :Minor probatur: Quia non minus tyrãnus & iniustus esset rex, qui per vnicam legem præcepisset id quod est moraliter impossibile, quam qui per plures leges. Dices, quòd per plures leges præcipitur id quod est moraliter impossibile. Contra:ergo non minùs Deus esset iniustus si ad id negaret auxilium, quam si per vnam legem id præcepisset.Rursùs,esset contra iustitiam exigere tributa, quæ licèt singula diuisiuè solui possent; non tamen omnia collectiuè. De hac enim iniustitia meritò conquerebantur Hebræi Exod. 5. Paleæ non dantur nobis, & lateres similiter imperantur:En famuli tui flagellis cædimur, & iniustè agitur contrapopulum tuum. Isti quidem diuisiuè poterant implere singula quæ præcipiebantur;sed quia collectiuè non poterant, idcircò iniustè eis mandabantur:ergo pari ratione in nostro casu meritò conquererentur homines apud Deum; Auxilia non dantur nobis, & præcepta totidem Similiter imperantur,& famuli tui propter hoc flagellis cædimur in inferno, & iniustè agitur contra populum istum:ergo,&c. Item tertio.Quoniam præcipere omnia collectiuè, & non dare vires ad omnia collectiuè, & relinquere hominem in tali statu vt infallibiliter & sine vllo remedio labatur in peccatum sine vlla excusatione, quod magis crudele & iniustum aparebit si attendamus illum hominẽ (quem suppono vnicum tantum peccatum cõmisisse)in æternũ cruciari in inferno propter illud peccatum inquod non poterat non incidere, neque poterat vitare, quod sanè de Deo sentire, impium & blasphemum videtur,imò & implicatorium.Nam si non potest vitare omnia peccata collectiuè: ergo impossibile est non incidere in aliquod peccatum: ergo aliquod peccatum in communi & in confuso non potest vitare; & consequenter,aliquod peccatũ non est peccatum, quia peccatum est quod vitari potest:igitur implicat quòd in cõmuni vel in particulari sit peccatũ aliquod,quod vitari nõ possit:Cõsequentiæ autem istæ sunt necessariæ, & vna sequitur ex altera euidenter.Quartò etiam obijcio. Nam sequitur posse Deum præcipere homini vel angelo saltem , vt in quolibet instanti collectiuè efficiat vnum actum intellectus vel volũtatis : consequens est falsum:ergo.Sequela patet.Nam illud est possibile diuisiuè etiam vt se offert in executione ; sed per te hoc sufficit,licèt collectiuè sit impossibile: ergo, Minor autem probatur. Quia Deus in quolibet instanti collectiuè non potest facere vnum actum, verbi gratia creandi seu efficiendi aliud quid: ergo neque id potest præcipere angelo.Quoniam præcipere id quod neque ipse Deus potest facere,manifesta iniustitia esset. Sicut si Deus præciperet illi vt continuum diuideret in omnem suam partem collectiuè,quod implicat contradictionem, licèt diuisiue sit possibile.Et confirmatur. Nam si sufficit potentia quam habet ad singula vt possint omnia collectiuè præcipi:ergo sufficit habere potentiam moralem ad singula,vt habeat etiam ad omnia.Tandẽ, quia tunc homo posset licitè habere hunc actum, Nolo obseruare omnia præcepta collectiuè:Imo & istum, volo committere aliquod peccatum : consequens est falsum,& patet sequela, Quia homo licite potest habere hunc actum, Nolo facere id quod nõ possum facere. Nam qui ex infirmitate non potest audire missam,potest dicere, Nolo audire quia non possum:sed ille ex infirmitate naturæ non potest seruare omnia præcepta collectiuè:ergo potest habere hunc actum, nolo illa omnia obseruare. Nam hoc est collectiue seruare , &c. Imò sequitur , quòd possit etiam habere hunc actum, volo aliquãdo peccare.Probatur. Quia potest habere hunc actum, volo id quod non possum vitare:sed non possum vitare aliquod peccatum:ergo volo aliquod peccatum. Præterea;Non obseruare præcepta est peccatum:sed potest habere hunc actum,volo non obseruare præcepta collectiuè:ergo & hunc,volo peccatũ.Quod etiam aliter ostendi potest.Quoniam ille tunc non potest efficaciter habere hunc actum , volo seruare omnia præcepta,vel vitare omnia peccata:nõ enim est volitio efficax de obiecto impossibili. Imò esset præsumptuosum, quòd quis modò diceret, volo vitare

*Prima via eorum qui dicunt sufficere potentiam moralẽ vt omnia diuisiue sint possibilia.*

*Prima. obiecto.*

*Secunda.*

*Exod.5.*

*Tertia.*

*Quarta obiectio.*



vitare omnia venialia , & maximè vanum , cùm sit ab eo impossibile: Sicut cognoscere collectiue omnes veritates speculatiuas;Tunc sic: ergo nõ potest obligari ad talem actum faciendum;cùm sit impossibilis : ergo nolitio talis actus & sui obiecti , erit licita; quia est nolitio rei impossibilis. Cõfirmatur: Nam si alicui Deus reuelet quòd est reprobus , iste potest desperare,& habere hunc actum; Nolo ire in cœlum,qui actus aliàs esset malus;sed ex suppositione talis reuelationis est licitus ; quia est de obiecto impossibili in casu : ergo pari modo, si alicui Deus reuelaret, quòd non habet auxilium ad vitanda omnia peccata collectiuè , poterit habere hunc actum; Nolo illa omnia vitare ; atque adeò volo in aliquo deficere , qui actus licèt aliàs esset malus , tunc non erit ex suppositione talis reuelationis. Hæc dicta sint in probationẽ illius sequelæ, nempe quòd denegato tali auxilio, homo licitè possit habere hunc actum,volo aliquando peccare.Sed hoc consequẽs esse falsum;atque adeò id ex quo sequitur esse impli catoriũ,probatur: Quia volitio peccati est intrinsecè mala , cùm habeat obiectum malum : sed illa est volitio peccati:ergo. Dices, esse volitionem peccati quod aliàs vitare non possum: Hoc implicationẽ includit:Nam eo modo quo est peccatum, vitari potest:ergo qui habet volitionem peccati,habet volitionem illius mali,quod vitari potest : Nam volitio ista est in ordine ad executionem,hoc est,in ordine ad seruandum præceptum , vel vitandum peccatũ: sed vt se offert in executione,atque adeò vt est obiectum talis volitionis,est possibile:ergo. Quare, hic actus , Nolo obseruare omnia præcepta , æquiualet huic; Volo aliquod præceptum nõ obseruare,idest, Volo in aliquo deficere; atque adeo volo committere aliquod peccatum ; Quem actum esse illicitum: etiam probatur.Quia non est compossibilis cũ charitate:ex charitate enim diligimus Deum super omnia,in qua dilectione includitur virtualiter volitio obseruandi omnia eius præcepta ,& nunquam illũ offendẽdi:sed ille actus repugnat cũ ista volitione, & cum isto proposito:ergo intentum.¶Alia via alij Theologi se expediunt à proposita difficultate: Dicunt enim,ista omnia præcepta esse nunc possibilia per gratiam,quam si Deus negaret,statim ex sua liberalitate conferret auxilium naturale,quod etiam esset in puris naturalibus.Sed neque iste modus dicendi satisfacit huic difficultati, neque illi argumẽto fundamentali suprà facto, nempe, Deus non potest præcipere aliquid impossibile : ergo non potest denegare auxilium ad seruanda omnia præcepta,& vitãda omnia peccata collectiuè.Quia si obligat ad omnia: ergo omnia debent esse possibilia; non per naturam : ergo per gratiam : ergo hanc non potest negare.Non inquam satisfacit dicere huic argumẽto,quòd nunc ista omnia præcepta sunt possibilia per gratiam,& quòd si Deus eam denegaret, statim ex sua liberalitate cõferret auxilium naturale, tale, quale esset illud aliud , quod daretur si homo esset in puris naturalibus conditus. Nam argumentum non solùm petit , Vtrum secundum liberalitatem Dei ,& prouidentiam naturæ consonam, sit dandũ tale auxilium?Sed petit,Vtrùm omnino sit debitum ita vt Deus non possit illud negare? Quocirca, Alij Theologi dicere voluerunt, hoc auxilium non esse omnino debitum:Quia eo negato, homo excusabitur à præcepto,& non peccabit, & ita cessat inconueniens in argumento allatum.Sed neque hoc satisfacit: Nã etiam illo auxilio negato,homo peccaret, præsertim si commisisiuè operaretur,vt supra dubit. 4. & infra in discursu huius difficultatis dicemus. Quòd si peccaret in actibus commissionis, optimè colligitur quòd non excusaretur. Vndè , aliam alij respõsionem fingũt,nempe, sufficere ad hoc quòd præcepta sint possibilia ; quòd homo habeat potentiam physicã ad illa præcepta,licèt non habeat potẽtiam moralem.Sed cõtra. Primò. Quoniã præcepta sunt moralia, & moraliter adimplenda:ergo debẽt esse possibilia moraliter : Quia præceptũ debet esse possibile eo modo quo est adimplendum. Secũdò, Deus ob id nõ põt præcipere impossibile physice; quia sine potentia physica non potest impleri: ergo nec poterit præcipere impossibile moraliter,cũ sine potentia morali non possit impleri:Nam nemo peccat in eo quod vitare non potest:sed non potest moraliter: ergo non peccat moraliter.Patet consequentia : Quia eo modo quo non potest vitare,eo modo non peccat:sed non potest moraliter: ergo nec moraliter peccat.Tertio,Quia si Deus denegaret lucẽ, non posset præcipere vt viderem, quamtumuis habeam potentiam physicam.Rursùs, non posset præcipere cæco & claudo , vt Romam irent absque eo quòd alicubi errarent,vel aliquando sederẽt:Quoniam licèt istud sit possibile physice ; non tamen moraliter:ergo,&c.Et confirmatur : Quia si est potentia physica : ergo potest aliquando reduci ad actum secundum id totum,ad quod est potentia. Si dicas , esse impedimentum . Contra : ergo tenetur Deus auferre impedimẽta;aliàs male prouidit Deus naturæ dando potentiam,& impediendo illam perpetuo.Nam impedimentum etiã est à natura.Quartò; Quia tunc ille defectus , qui necessariò esset in homine,Deo esset tribuẽdus. Sicut si angelus in primo instanti peccaret, Deo tribueretur ille defectus & si Deus condidisset ignem, qui ex natura sua aliquando deficeret;certè ille defectus in Deum refunderetur.Et pari ratione,si produceret habitum , qui aliquando inclinaret ad falsum : ergo similiter tale peccatum imputaretur Deo,qui dedit tam fragilem & rebellem naturam homini , qui talem rebellionẽ domare non potest. Propter hæc argumenta ad satisfaciendum prædictæ difficultati,aliqui Theologi se quuti sunt viam superiùs positam,& impugnatam; parùm post principium huius dubij,nempe,sufficere ad hoc vt præcepta sint possibilia,quòd homo habeat moralem potentiam ad omnia diuisiuè, licèt non ad omnia collectiuè: Quia vt quis peccet contra præceptum,sufficit quòd habeat vires ad implẽdum illud quãdo occurrit: sed præcepta non occurrunt nisi diuisiuè : ergo sufficit potentia moralis ad implenda illa diuisiuè. Hæc inquam via etiam impugnata est à nobis, vt vidimus suprà: Imò responsiones & solutiones pro ea impugnatæ etiam sunt, & visum est quam habeant probabilitatem.

His ita prælibatis,est prima conclusio. Licèt non sit speciale præceptum de seruanda gratia; tamẽ certum est Deum obligare hominem, ad seruanda præcepta omnia collectiuè,& pariter ad vitanda omnia peccata collectiuè.Et per hoc non intendimus, ita esse

*Aliavia & postrema.*

*Prima. Obiectio.*

*Secunda.*

*Tertia.*

*Quarta.*

*Alia via.*

*Responsio quorũdam.*

*Conclus. 1.*

esse speciale præceptum de non peccando, vt sit speciale præceptum de gratia seruanda, vt Marsil. volebat, quem superiùs impugnauimus. Hæc assertio cõstat apud nonnullos. Quia fortè est præceptũ obediẽtiæ & dilectionis, se extẽdens ad totam collectionem præceptorum, prout significatur illis verbis, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, &c. Et pro vt significatur illo rationis dictamine, Recede à malo, & fac bonũ. Imo verò, quia omnia præcepta simul sumpta obligãt, & quodlibet pro suo tẽpore & modo: sed ista sunt omnia collectiuè: ergo obligamur ad totam collectionem. Hanc sententiã docet D.Maxim. D.Maxim. in Dialogo de Incarnat. Verbi, explicans illud Matth. Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & filij, & Spiritus Sancti, & docentes eos seruare omnia quæcùmque mandaui vobis: Sic enim ait; Omnium præceptorum obseruationem Dominus rectè adiunxit fidei, tanquam sciens impossibile esse si vnum ab alio segregetur, vt homo saluari posset. Et ob hoc Dauid, cùm rectã fidem apud Deum haberet, dicebat Psal. 118. Ad omnia mandata tua dirigebar, Et omnem viam iniquam odio habui: Nam contra omnem viam iniquam omnia nobis mandata à Domino tradita sunt, Hæc ille: qui huic innititur argumento & rationi. Deus præcipit omnia quæ sunt necessaria ad consequẽdam salutem, iuxta illud Christi Domini; Si vis ad vitam ingredi serua mandata: sed ad consequendam salutem necesse est seruare omnia collectiuè (Nam qui ita non seruauerit, saluté nõ assequetur) ergo præcipit omnia collectiuè. Rursus, Deus absolutè obligat ad non peccandum, & absolutè prohibet omne peccatum, siue collectiuè siue diuisiuè, vt habetur. 2. Petri. 1. Nolite peccare omnino. Et. 1. Ioan. 2. Hæc scribo vobis vt non peccetis Prouerb. 3. Recede à malo & fac bonum. Adde; quia si peccatum non est prohibitum in communi: ergo peccatum in communi non est peccatum. Nam peccatum ex intrinseca ratione habet quòd sit prohibitum. Cum igitur homo absolutè obligetur ad nullo modo peccandũ, pariter obligatur ad vitanda omnia peccata collectiue, & ad implenda omnia præcepta collectiuè quæ si non ita seruet, peccabit: Nullum nãque est præceptũ in cõmuni, vel in particulari ad quod homo nõ teneatur: ergo tenetur ad totã collectionẽ. Nã si nõ teneretur ad totã collectionẽ, nõ diceremus gratiã Dei necessariò illi esse præstandã ad efficiẽdũ id, ad quod tenetur, vt dicũt Sanctissimus Præceptor hic, & D. Aug. ab eo citatus. Præterea, Homo obligatur ad seruandam totam legem: sed tota lex sunt omnia mandata collectiuè: ergo ad omnia collectiuè seruãda obligatur. Item etiã. Quia si actus qui in tota vita possunt occurrere essent decem; & seruatis nouẽ, homo posset seruare decimum, sanè posset omnes illos actus collectiuè seruare. Tũ sic; Si sunt decem præcepta; nõ solùm nouem illorũ obligant, sed etiã obligatione horum manente, obligat decimum: ergo obligant omnia collectiuè. Et confirmatur. Quia si Deus speciali præcepto præciperet collectionem omnium mandatorum, non alio modo præciperet quam modò, scilicet præcipiendo vt omnia seruentur quãdocumque quodlibet illorum occurreritigitur tunc teneretur homo eodem modo quo nunc tenetur: sed tunc teneretur ad seruãda omnia collectiuè: ergo & nunc. Neque alio modo peccaret tunc homo contra tale præceptum, quam nunc, scilicet, peccando in aliquo particulari; Solùm igitur esset differentia, quod tunc peccaret cõtra duo præcepta, modò autem solùm contra vnum. Item etiam probatur. Nam si eo modo quo me obligant præcepta seruarẽ illa, certè seruarem collectiuè: ergo obligant collectiuè. Probatur antecedens. Nam si ea omnia eo modo quo teneor seruo, nunquam peccabo in tota vita; alias esset peccatum aliquod quod non esset contra præceptum. Et licet homo nõ terenetur primò & perse ad omnia collectiuè; secũdariò tamẽ tenetur Quoniãnon potest seruare id omne quod Deus præcipit, nisi seruet omnia collectiuè: ergo sicut qui obligatur audire missam, obligatur secũdariò egredi atq; exire à domo, si aliter nõ potest missam audire: Ita in proposito. Neque satis sit difficultati quæstionis respondendo, quòd non obligatur nisi ad omnia diuisiuè, cùm etiam si supponam obligari ad omnia collectiuè, maneat èadẽ difficultas. Nam, vt suprà dicebamus, non esset minor iniustitia per vnam legem præcipere quod est impossibile, quam per plures, & idcircò præsens cõtrouersia potest esse conditionalis, Vtrum si Deus obligaret ad omnia collectiuè, denegare posset auxilium ad omnia collectiuè seruanda. Tandem probatur conclusio. Quia si homo non seruat omnia collectiuè, non facit id ad quod tenetur, & consequenter si seruet collectiuè omnia, nõ facit amplius quam id ad quod tenebatur: ergo intentum.

2. Pet. 1. 1. Ioan. 2. Prouer. 3.

Sed contra præfatam assertionem arguitur. Nam *Argum. contra conclus.* si ex eo quòd homo tenetur ad seruanda omnia præceptadiuisiuè colligitur eum teneri ad omnia collectiuè: ergo pari ratione, ex eo quod potest omnia diuisiuè, etiã sufficiẽter colligi potest, cp potest omnia collectiuè: quod sanè esse falsum, & plusquã falsum, liquet ex antea dictis. Consequentia verò probatur. Quia ita se habet obligatio ad præcepta, sicut potẽtia: ergo sicut ex obligatione ad omnia diuisiuè sufficiẽter colligitur obligatio ad omnia collectiuè; ita ex potẽtia ad omnia diuisiuè, colligitur potentia ad omnia collectiuè seruãda. Ad hoc argumentũ, quid *Solutio.* quid sit de antecedẽte, de quo infra dicemus: respõdetur negando consequentiam. Nã obligatio legis, non respicit circunstantias nec difficultates quæ moraliter occurrunt, & abstrahit ab eo cp est illud fieri quod præcipitur; vel non fieri. Nam non cõsiderat euentum, qui de facto erit, sed dicit illud esse faciendum; ac proinde si obligat ad plura diuisiuè, etiam collectiuè. At verò potentia moralis dicit possibilitatem in ordine ad actum, vt coniunctum pluribus difficultatibus, & vt respicit euentum qui moraliter euenire solet, & idcircò ex eo quòd possit omnia diuisiuè, nõ sequitur quòd possit omnia collectiuè. Quoniam propter difficultates moraliter occurrentes, aliquando deficiet, quamuis id non sit in aliquo determinatè. Sed contra. Quia etiam extra casum difficultatis moralis, non videtur bona illa *Replica.* consequẽtia suprà facta, Obligat ad omnia diuisiue; ergo ad omnia collectiuè. Sicut non valet; Continuum est diuisibile in omnes partes diuisiuè: ergo & in omnes collectiuè. Respõdetur, quòd ob id dixi *Solutio.* mus suprà, illud antecedens esse aperiendum & explicandum. Quia non ideo formaliter omnia obligant collectiuè quia obligant diuisiuè; sed quia nullum est neque in confuso neque in particulari, quod non obliget. Sicut ideò omnes angeli sunt creati à Deo collectiuè, quia nullus est in particulari vllo modo, qui non sit ab ipso creatus & cõditus. Et pari ratione in proposito dicendum erit.



*Conclus. 2.* Secunda cõclusio. Sententia Sanctissimi Præceptoris est, posse denegari auxilium ad non peccandũ in communi. Hanc tenet. 3. cõtra Gent. cap. 160. Vbi sic ait: Quãuis illi qui sunt in peccato, vitare nõ possint per propriam potestatem, quin impedimentum gratiæ præstent, nisi gratiæ auxilio præueniãtur; nihilominus hoc eis imputatur ad culpã: Quia hic defectus ex culpa in eis relinquitur. Et statim subiũgit: Licèt ille qui est in peccato non habeat hoc in propria potestate quod omnino vitet peccatum; habet tamen potestatem nunc vitare hoc vel illud Vndè, quodcumque committit, voluntariè committit; & ita non immeritò ei imputatur ad culpam: igitur secundum D. Tho. vt homini imputetur ad culpam, sufficit quod habeat potestatem ad omnia diuisiuè, licet non ad omnia collectiuè. Et idem expressè defendit Ferrar. ibi, respodens ad argmentum Scoti. Et idem insinuat D.Th. 1.2.q.74.art.3.ad.2. Vbi agẽs de peccatis quæ facilè subrepunt, & aliquando insurgunt per modum peruolantis, sic ait; Et ideò nõ potest homo vitare omnes huiusmodi motus propter corruptionem prædictam; sed hoc solùm sufficit ad rationem peccati voluntarij, quòd possit vitare singulos. Vbi Caiet. aduertit de peccatis venialibus quæ subrepunt, & ex minùs deliberata voluntatis actione proueniunt, quòd cùm tale peccatum veniale sit imperfectum quid in genere moris & peccati, cùm sine deliberatione cõmittatur; cõsequens est quòd sufficiat ad commissionem ipsius imperfecta ratio potentiæ. Vndè, concedit ibi Caiet. quòd est in nobis imperfecta potentia ad reprimendum singulos motus malos, & ad obuiandum singulis motibus malis. Imò dicit Caiet. certum esse quòd omnes motus mali quos voluntas potest & debet præuenire, si nõ præueniat quando & sicut oportet, sunt peccata: sed quòd voluntas possit & debeat semper singulos motus sensualitatis aut voluntatis præuenire, dicit, non esse consonum, quia hoc videtur esse obligatio ad impossibile in reali executione singularum præuentionum. Et Caietan. hanc eandem assertionem insinuat, & eam communiter omnes Theologi videntur supponere vt certam, & plerique hanc dicunt esse eligendam propter reuerentiam & authoritatem S. Tho. licèt nullus hanc quæstionem in terminis disputet. Et sanè, Sancti Patres in communi modo sentiendi, magis fauent huic sententiæ. Fauet etiam huic assertioni illa sententia de auxilijs, & gratuitis Dei priuilegijs, quæ cùm sint priuilegia gratiæ specialis, nullo modo neq; ex vlla suppositione videtur debita. Nam quo magis habent de ratione gratiæ, eò minùs habent de ratione debiti; alias iam gratia nõ esset gratia. Et facere gratiam ita debitam, vt implicet contradictionem non dari, id quidem videtur repugnare cõditioni gratiæ, quæ omnino gratis datur. Et profectò videtur inconueniens valde, quòd Deus ex suppositione quòd tribuit auxilium ad vitanda venialia diuisiuè, teneatur quantum est ex se tribuere cuilibet illud eximium priuilegium: concessum soli Virgini Sanctissimæ; ita vt si homo se ad illud disposuerit; sit ei sic debitum, vt implicet contradictionem non dari, quod videtur sequi ex contraria sententia, vt dicemus infra. Et sanè Greg. Arimi. & alij quos suprà retulimus dubitat. 4. à fortiori defendunt præfatam assertionem, eisdem rationibus & testimonijs à se adductis, & consequenter fauent Aug. & Ansel. citati pro sententia Gregorij.

Rationibus etiam persuadetur conclusio. Primò ostendendo, quòd Deus potest denegare tale auxilium ad euitanda omnia collectiue in communi, seu ad non peccandum in communi, siue per hoc maneat homo excusatus à peccato, siue non. Et sit prima ratio. Nam tale auxilium, est omnino gratuitum, & liberè confertur à Deo: ergo posset illud negare: potest enim denegare auxilium primum requisitum ad seruandum vnum præceptum in particulari, licèt tunc excusaretur homo: igitur illo primo auxilio concesso, potest denegare aliud secundum auxilium requisitum ad seruanda omnia collectiuè. Nam hoc non implicat contradictionẽ. Quod probo: Quia vel implicat ex suppositione, quod est concessum primum auxilium, & hoc non, cùm sint distincta auxilia, & vnum essentialiter non pendeat ab altero, cum plerique vtantur primo & non secundo. Vel implicat, quia tũc tenetur homo vitare quod non potest, & hoc non, quia omnes qui ex infirmitate excusantur ab adimpletione præcepti, tenentur & non possunt. Dices, cuòd tunc homo ille tenebitur ad omnia collectiuè. Contra, Nam potiùs inde sequitur, quod non implicat ei denegare tale auxilium, cùm eo denegato, ad hoc posset implere præceptum, quia si non posset, excusaretur: sed si dicas non excusari: ergo potest, vt fusiùs infrà interpretaturi sumus. Confirmatur specialiter in peccatis venialibus. Nam saltem Deus potest denegare specialissimum illud auxilium, quod requiritur ad venialia omnia collectiuè vitanda, cùm nõ sit necessarium ad cõsequendum vltimum finem. Quòd si hoc potest denegare; tunc quæritur in proposito, An talis homo peccet venialiter, vel excusetur ex defectu auxilij? Et rursus, si hoc potest denegare Deus, apertè sequitur quòd etiam possit denegare illud, quod est necessarium ad vitanda omnia mortalia collectiuè. Dices, esse differentiam; Quia venialia non separant ab vltimo fine, nec impediũt omnino eius consequutionem, sicut mortalia. Sed contra; Quia non implicat contradictionem quòd Deus creaturam ordinatam ad aliquem finem, non perducat in illum: posset enim omnes angelos à cœlo repellere, vt nunquam illo fruerentur. Imo verò, qui tenent, Deum clarè visum esse finem naturalem hominis, ad quem habent appetitum naturalem; non ob id dicunt, Deum debere homini media ad talem finem consequendum, cùm illa ex sola gratia habeantur. Quocirca, difficultas à nobis proposita, solùm est, an permanente auxilio ad vitanda peccata diuisiuè, possit denegari auxilium ad vitanda omnia peccata collectiuè? Quæ sanè difficultas, pari & eodem modo militat in ordine ad venialia, sicut ad mortalia, & si in illis peccat vel excusatur, similiter in alijs, & ad hoc est impertinens quod Caiet.

suprà

suprà insinuabat,nempè,quòd ad venialiter peccandum minor requiritur libertas: Nam si habeat sufficientem potestatem seu potentiam,ita vt peccet venialiter,per hoc quòd habeat solum auxilium ad vitanda peccata venialia diuisiuè : ergo etiam habebit sufficientem facultatem & potentiam,ita vt peccet mortaliter, per hoc quòd habeat auxiliũ solùm ad vitanda mortalia diuisiuè. Imò potiùs in ordine ad mortalia dices excusaretur. Quia cùm requiratur maior libertas videtur requiri maius auxilium. Sed quod non excusetur ostendemus infra.

¶Probatur sententia D. Thomæ secundò, Quoniam adhuc isto auxilio denegato , homo habet potentiam physicam ad vitanda omnia peccata collectiuè , & potentiam moralem ad vitanda omnia diuisiuè: sed hoc sufficit : ergo potest tale auxilium denegari. Maior liquet ex dictis. Quoniam potentiam physicam habet homo ad naturalia præcepta implenda , & per gratiam habitualem , ad omnia etiam supernaturalia collectiuè,& proportionabiliter habet potentiam moralem ad hæc omnia diuisiuè. Minor probatur.Quia impotentia moralis ad omnia collectiuè , non est in rigore impotentia ex parte hominis , sed solùm dicit moraliter loquendo infallibilitatem effectus seu euentus : ergo hæc per se non impedit, nec excusat ab obligatione omnium præceptorum collectiuè: Quod amplius explicatur. Nam istum hominẽ habere impotentiam moralem , est quòd moraliter loquendo aliquando deficiet, & liberè non faciet:sed cùm libere potest facere,non excusatur : ergo : quod hoc simili fit manifestius: Nam moraliter loquendo , impossibile est quòd omnes homines , qui sunt in Hispania , sint iusti; hoc tamen non tollit quin possit Deus omnes illos obligare vt sint iusti. Adde etiam , quòd homo non habet potentiam moralem ad vitandos omnes actus liberos in vno die,sed infallibile est quòd eliciet actum aliquem liberum: sed hæc impotentia moralis non tollit quin omnes actus sint liberi in particulari , quia ad omnes diuisiuè habet potentiam moralem : ergo hæc sufficit.

¶Tertiò probatur præfata conclusio , & sententia D. Thom. Quia impotentia moralis ad omnia collectiuè , eam dicit tantam ac talem difficultatem , vt moraliter loquendo nunquã fiat, & non repugnat Deum cum tali difficultate hominem relinquere. Nam tali auxilio negato , vel potest homo implere omnia præcepta , & tunc nulla fit ei in iustitia , nec obligatur ad impossibile. Si autem non potest , similiter non fit illi iniustitia , quia excusabitur : ergo.

¶Quartò probatur. Licèt Deus denegaret hoc auxilium , peccaret homo non seruando mandata collectiuè : ergo auxilium non est omnino debitum. Consequentia patet; Quia ideò peccat , quia potest & non facit : sed sine auxilio peccat : ergo sine auxilio potest : ergo sicut habet sine auxilio sufficientem potentiam , vt si non faciat peccet; ita habet sufficientem potentiam , vt non dato auxilio , id possit præcipi : ergo non est debitum auxilium. Antecedens probabitur conclusione tertia sequenti. Sed ad nostrum propositum probatur modò: Quoniam ob id non seruat collectiuè , quia in aliquo particulari deficit , sed peccat non seruando istud particulare,quod potest:ergo peccat nõ seruãdo omnia collectiuè, vt dictum est.

¶Quintò probatur , & arguitur in fauorem D. Thom. Quia si Deus non posset denegare tale auxilium,sequerentur multa inconueniẽtia, & primò sequeretur quòd tale auxilium vt distinctum à primo non est gratuitum , sed potiùs omnino debitum , atque adeò sequitur , quòd auxilium ad vitanda collectiuè omnia etiam venialia , non erit speciale priuilegium , & gratia Dei , quod est contra definitionem Concilij Tridentini tribuentis specialissimo priuilegio , quòd Beata Virgo nunquam peccauerit. Item etiam arguitur. Quia iam homo ex viribus naturæ posset seruare omnia præcepta naturalia collectiuè , quod est falsum , & contra ea, quæ supra diximus. Probatur. Quia tale auxilium est debitum naturæ cùm non possit illi negari: sed id quod potest homo ex auxilio suæ naturæ debito potest ex sua natura:ergo. Dices,hominẽ existentẽ in natura lapsa,id nõ posse ex proprijs viribus naturalibus:Quia illud auxiliũ naturale quod erat debitum naturæ , cõmutatũ est in supernatũrale, quod eminenter continet quidquid naturale præstaret , & cùm Concilia de homine in natura lapsa loquantur , optimè definiunt non posse seruari præcepta naturalia ex proprijs viribus , sed ex auxilio gratiæ. Sed contra : ergo saltem homo in puris naturalibus ex proprijs viribus poterit seruare omnia præcepta collectiuè.Patet consequentia. Quoniam per te non minus erat debitum tunc auxilium ad omnia collectiuè,quam ad omnia diuisiuè , & quam est debitum auxilium ad loquendum ; sed ex proprijs poterat loqui, & implere omnia diuisiuè :ergo & collectiue: ergo absolutè natura ex se est sana : ergo illud auxilium non est gratuitum absolutè , sicut neque generale , Imò sufficit auxilium generale , quia istud sufficit ad concurrendum cum alijs naturis in consecutione suorum finium : ergo & ad naturam hominis : ergo non est opus auxilio speciali. Tum sic ; Omnia auxilia debita naturæ manserunt in natura corrupta, in qua non differt homo ab illo statu, nisi sicut spoliatus à nudo. Nam secundum omnium sententiam , naturalia post peccatum integra manserunt: ergo etiam hoc manfit ; aliàs modò esset monstrosa natura , quia careret principio naturali debito. Neque satisfacit dicere illud auxilium esse commutatum in aliud eminentius & excellentius in ordine gratiæ. Nam ordo gratiæ superaddit ad naturam ; nihil verò aufert ab illa. Per hoc enim quòd virtutes infusæ eminenter contineant virtutes naturales, non sequitur has esse ablatas. Rursus , quamuis supernaturale auxilium ad seruanda quælibet præcepta diuisiuè , eminenter contineat id,quod ad hoc præstat auxilium naturale; non tamen istud cessabit: ergo nec illud aliud. Item , si auxilium ad loquendum esset commutatum in aliud supernaturale, ad huc homo ex proprijs diceretur posse loqui , quia illud auxilium supernaturale , ita esset debitum sicut erat debitum naturale , per quod posset loqui: ergo eodem modo diceretur homo in natura lapsa ex proprijs posse implere omnia præcepta collectiuè , quia potest ex auxilio ita debito , sicut est debitum



debitum ad seruanda diuisiuè omnia. ¶ Postremò probatur præfata sententia. Quia sequeretur Deum non posse modò negare supernaturale istud auxilium , quin conferat illud naturale , quod esset necessarium in puris naturalibus , quod satis videtur inconueniens,& cõfirmare rationem statim factam. Cum ergo tot absurda sequantur ex oppositio , sequitur Diui Thomæ sententiam , esse tenendam. ¶Profectò , ferè in omnium sententia eadem difficultas militat in ordine ad peccata venialia , ad quæ collectiuè vitanda non habet homo de lege ordinaria potentiam moralem , vt omnes communiter dicunt : ergo. Vndè , ex conclusione tertia & quarta sequenti , ostendetur amplius hæc secunda assertio.

*Conclus.3.* Tertia conclusio.Si denegaret Deus per possibile vel impossibile , auxilium ad vitanda collectiuè peccata omnia, relicto tamen auxilio ad illa diuisiuè vitanda; nihilominus homo teneretur ad vitanda omnia peccata collectiuè; sicut modo tenetur quando adest id auxilium.Imò verè peccaret, neq; vllo modo excusaretur ab obligatione aut à peccato.Prior pars huius assertionis liquet.Quoniam tũc homo teneretur ad omnia collectiuè, vt patet ex dictis conclus.1. cuius rationes & argumenta conuincunt hoc ipsum eodem modo.Nam tunc nullum esset præceptum vel in communi, vel in particulari, quod non obligaret; Et rursus quia præciso illo auxilio, homo remaneret rationalis & liberi arbitrij: ergo & obligatus ad totum id quod ratio dictat;atque adeo ad totam legem naturalem. Posterior etiã conclusionis pars probatur. Quoniam, vt supponimus, homo habet auxilium ad vitãda illa diuisiuè: ergo quando illa non euitat , vere peccat sine vlla excusatione. Patet consequentia. Quia istud quod modo occurrit,potest vitare,& tenetur vitare:ergo peccat si non euitat.Et idem est de omnibus alijs in quibus peccat,cùm nõ se offerant nisi diuisiuè.Præterea probatur. Nam peccatum,non potest committi, nisi in indiuiduo & determinate : Nam actiones sunt singularium, & in indiuiduo , sed potest tunc quodlibet peccatum in indiuiduo vitare:ergo peccat si non euitat:igitur si Deus per possibile vel impossibile auxilium denegaret , ad omnia peccata collectiuè vitanda,relicto auxilio ad vitanda illa diuisiuè;nihilominus homo teneretur ad vitanda omnia peccata collectiuè, sicut modò tenetur quando adest id auxilium;imò verè peccaret neque excusaretur vllo modo.

*Conclus.4.* Quarta conclusio. Deus posset negare auxilium requisitum ad præcepta seruanda collectiuè & diuisiuè,de potentia absoluta eius; Ita sanè, vt nullum præceptum posset homo seruare , sed nõ de lege ordinaria.Hæc assertio interpretata est à nobis magna ex parte in superioribus , & probatur prima eius pars.Quoniam Deus liberè donat auxilium hoc: ergo posset illud non donare,neque conferre. Neque sequitur ex hoc implicatio vlla : tunc enim homo non peccaret, sed excusaretur ab adimpletione præceptorum. Imò tunc non dicerentur apud multos, esse præcepta,cùm non sit potentia per se requisita ad illa. Et pari ratione posset nolle remittere culpã per nullum medium quantumuis supernaturale;Neque interest quòd tunc omnes homines infallibiliter à fine deficerent , quia in hoc nulla est implicatio, cùm non repugnet rem aliquam non pertingere suum finem : Neque esset vlla iniustitia in Deo. Quoniam vt habetur Sap.12.Quis tibi imputabit,si perierint nationes quas, &c. Sed hæc dixi secundũ potentiam Dei absolutam. Nam secundum communem & suauem prouidentiam Dei,non negatur auxilium ad seruanda omnia præcepta collectiuè , & ad resurgendum à peccato.Imòverò Deus maxime misericors,iuxta eandem suauem prouidentiam paratus est dare supernaturale auxilium ad seruanda collectiuè præcepta omnia , & vt homo à culpa resurgat. Nam debita sunt media ad consequendum finem,in quem res dirigitur:sed illa auxilia sunt media necessaria : ergo illa dicuntur debita. Maior liquet à simili in omnibus naturis quæ ordinantur ad suos fines:Nam lapidi est debita grauitas qua descẽdat in centrum,&c.Præterea,Quia aliàs frustra daretur homini appetitus ad finem: ergo nõ potest homo infallibiliter & totaliter suo fine frustrari, quia peioris esset cõditionis,quam res aliæ, imò verò naturaliter esset miser, si nõ esset in procinctu auxiliũ ad obtinendũ suũ finẽ naturalẽ. Imò verò sequeretur,q̃ Deus in sua actione frustraretur si creatura nunquam assequeretur finem , ad quem Deus illam ordinauit. Sed hæc ratio non concludit esse necessarium auxilium ad non peccandum.Quia si aliquã do peccat,sufficiet auxilium vt resurgat à peccato, & hanc prouidentiam vt minimum esse necessariã, probat illa ratio. Sed quòd etiam de lege ordinaria sit debitum auxilium ad non peccandum,probatur. Nam aliàs peruersa esset natura, cùm non posset nõ contradicere Deo.Et confirmatur. Quia Deus de lege ordinaria dat vires ad totum quod obligat , sed obligat ad non peccandum,& ad seruanda præcepta collectiuè: igitur ad id secundum eius prouidentiam dicitur debitum auxilium.Et hoc etiam videntur concludere & insinuare argumenta , quæ fecimus pro sententia contraria D.Thom. quæ dicebat non posse negari tale auxilium ad non peccandum in communi , iuxta sensum quæstionis suprà positum.Imò verò, plerique dicunt , quòd licet opinio S.Thom.sit eligenda propter eius authoritatem;nihilominus negatiua sententia suprà posita videtur probabilis.

*Ad argumẽta.* Ad argumenta suprà facta , quæ militabant pro sententia dicentium , non posse Deum negare tale auxilium,quam nonnulli dixerũt probabilem, imò probabilissimam sententiam,sed eligendam nõ esse propter authoritatem D.Tho.qui expresse oppositũ defendit;Respondetur,& primò ad D.Tho.dico,satis apertè constare quid ipse senserit ex locis citatis conclus.2.vbi ipsius mentem aperuimus.In alijs autem locis ab aduersarijs allatis , tantum vult Sanct. Thom. secũdum prouidentiam Dei talia auxilia ad omnia vitanda peccata,nõ deesse,licèt non sint omnino debita.Et idem intendit & vult D. Anselmus. Ad Diuum verò Augustinum dico, eum expresse loqui de angelo & homine in natura integra, non de homine in natura corrupta,seu lapsa,in quo statu ipse dicit & explicat esse distinctam rationem. Quocircà , optimè & formalissimè loquitur Augustinus. Nam cùm tam angelus,quã homo in natura integra non haberent ea impedimẽta , & illas difficultates,

quæ nunc in nobis causant impotentiam moralem; idcircò si illi non haberent potentiam moralem ad vitanda omnia collectiuè, non haberent potentiam physicam, quæ in illo statu idem sunt. Requiri autē physicam potentiam ad omnia seruanda, statim dicemus. Imò verò, si non haberent potentiam physicam ad omnia, non haberent ad singula. Quoniam cùm potentia physica abstrahat à difficultatibus quæ occurrunt in exercitio operis, si potest per se ad singula, nulla est ratio cur non possit ad omnia. Vndè, si illi habuerunt potentiam moralem ad vitāda omnia collectiuè in integro illo statu, sicut vere habuerunt; pariter etiam habuerunt physicam potentiam & è conuerso. ¶ Ad fundamentum, quod pro aduersariorum sententia militat, quòd Deus nō potest obligare ad impossibile: sed obligat ad omnia collectiuè: ergo omnia collectiuè debent esse possibilia. Respondetur, quòd vt Deus obliget ad omnia collectiuè, sufficit vt homo habeat potentiā physicam ad omnia collectiuè, & potentiam moralem ad singula. Dices: Igitur Deus obligat ad impossibile moraliter cùm obligat ad omnia. Respondetur, quòd absolutè Deus non potest ad impossibile obligare. Cæterùm, illud quod tantum in communi est impossibile, moraliter non est impossibile absolutè; tum quia physicè est possibile: tum etiam quia in particulari vt subest executioni, est moraliter possibile. Quocircà, non inconuenit præcipi aliquid secundum quid impossibile, quod tamen absolutè & in particulari & vt debet impleri, est moraliter possibile; & consequenter absolute est possibile: offert enim se in indiuiduo & in particulari. Qua ratione est omnimodo possibile, vt pendet ab exercitio & executione. Qua propter, non inconuenit impossibile aliquid præcipi ex cuius transgressione non peccat quis, nisi in quantum est moraliter possibile, vt subest impletioni & executioni, vt explicatum est. Sed obijcies, Contrà, primò: Quia pari ratione sequeretur Deū posse obligare ad aliquid, quod licet in communi sit physicè impossibile; tamen in particulari est moraliter possibile. Secundò; Quia si potest Deus præcipere aliquid in communi moraliter impossibile, scilicet, totā legem collectiuè, cur proportionali ratione non poterit præcipere aliquid particulare moraliter impossibile? Respondetur, ex solutione horum pendere explicationē difficultatis propositæ, & sententiæ D. Tho.

*Nota.* Cum ergo ex solutione istarū obiectionum pendeat solutio, & interpretatio quæstionis, obserua, potentiā moralem distingui à physica. Quoniā hæc dicit tantū vires præcisè sumptas secūdū quòd possunt in obiectū, quantumuis de facto nō reducatur in actum talis physica potentia, sed quia quantùm est de se, poterat reduci, neq; repugnabat illi reduci; ideo dicitur potentia physica; At verò potentia moralis, nō solū dicit id quod homo potest, sed id quod cōmuniter & moraliter loquēdo solent homines facere suppositis difficultatibus quæ occurrere solēt, non omnino impedientibus; aliàs tollerent potentiam physicam, sed maximè retardantibus, qua ratione constituunt impotentiam moralem, quæ completur ex ipso euentu, vt suprà aperuimus. Et idcircò Deus potest obligare ad id quod in cōmuni est moraliter impossibile, quādo est possibile physice, hoc est, potest obligare ad id quod absolute possunt homines facere, licèt moraliter loquendo, libere aliquādo deficiant. Nā hoc solum est esse moraliter impossibile. Et ob id implicat quòd sit in particulari moraliter possibile, si in cōmuni est physicè impossibile, cùm potentia moralis supponat potentiam physicam: Deus enim non potest obligare ad physicè impossibile, quia hoc est absolute impossibile. Et similiter Deus nō potest præcipere aliquid quod in particulari sit impossibile moraliter, vt superiùs diximus. Nā si in particulari est impossibile moraliter: ergo etiā physicè; Quoniā si hic & nunc supposi tis circunstantijs non potest: ergo absolute non potest, nisi per impossibile moraliter intelligas, id quod de facto solēt homines cōmuniter facere. Sed fortè quis propter deprauatissimos mores ita longe est ab illo actu difficillimo, vt cēseatur quasi impotens moraliter ad illū. ¶ Sed quoniā præactū à nobis modò fundamentum, innititur duabus vltimis solutionibus datis inter arguendū; idcirco obiectionibus factis contra easdem solutiones respondendum est. Et primò ad eas quæ militant cōtra solutionē datā, quæ dicit sufficere potentiā physicam, respondere oportet: quæ habētur parum ante. 1. conclusionē.

*Ad 1. obiectionem. ad secundā.* Ad primam igitur obiectionē præfatam ibi, respondetur, sufficere quòd in particulari & eo modo quo obligat ad executionem, sit moraliter possibile. Et per hoc patet ad secundam. Et disparitas inter potentiam physicam & moralem, iam est assignata.

*Ad tertium.* ¶ Ad tertiam obiectionē respondetur, quòd qui nō habet lucem, neque speciem obiecti, non censetur absolutè habere potentiam physicam. Similiter ille cæcus, quando de facto erraret in via, tunc in illo particulari non habet ad illud absolute potentiā. Si tamē libere sederet cùm posset nō sedere, peccaret si de non sedendo haberet præceptum. Ad confirmationem respondetur, quòd secundū se illa potentia potest reduci in actū, sed cū sit libera, libere non reducitur.

*Ad quartū.* ¶ Ad quartam obiectionē respōdetur quòd non tribueretur Deo tale peccatum. Nam quando peccat, libere operatur, & posset non operari. Alia ratio esset de igne defectuoso, & habitu inclinante ad falsum: Quoniam naturaliter haberent hos defectus omnino ineuitabiles quantum est ex parte sui. Neq; rursus est par ratio de angelo in primo instanti, cuius peccatum ob id tunc tribueretur Deo, quia cùm ad actum liberum prærequiratur deliberatio, & hæc in primo illo instanti non possit esse formalis, debet esse virtualis, quæ est inclinatio ipsius naturæ, & ideo, si tunc angelus peccaret, tribueretur Deo, à quo est illa inclinatio. Sed examinare hanc rationem, non est huius loci: pertinet enim ad materiam de angelis, vbi nos fusè examinauimus hanc & alias rationes. 1. p. quæstione. 63. articulo quinto. Et per hæc respondetur ad præfatas quatuor obiectiones, quas supra retulimus pro postrema via, parum ante primam conclusionem huius dubij.

*Ad obiectiones primæ viæ. Ad primā.* Ad argumēta, seu ad obiectiones quæ fiunt cōtra viā eorū qui dicūt, sufficere potētiā moralē ad omnia diuisiuè, restat satisfacere. ¶ Ad primā obiectionē iam diximus, sufficere q̄ absolute sit possibile, ideſt, physicè in cōmuni, & etiā moraliter in particulari.

*Ad secundā.* ¶ Ad secundam obiectionē, negatur minor, q̄ tūc Deus esset iniustus. Neq; probationes vrgent, tū quia



quia Deus ad aliqua potest obligare, ad quæ nō potest Rex, & ad quę, si obligaret Rex, esset iniustus: vt si ante iudicis sententiā obligaret ad solutionē pœnæ auferentis propria bona: vel cōmuniter cum periculo mortis. Tum etiā; quia ea quæ ibi narrantur, in aliquo particulari sunt physicè impossibilia.

*Ad Tertiā.* ¶ Ad Tertiā obiectionem respondetur, illā miseriā & imbecillitatē oriri ex natura hominis. Vndè, nō esse in iustitia in Deo, talē naturam ita relinquere; Sicut nō esset iniustitia in Dño, aut in Deo, nō remittere, aut condonare culpā in quā homo lapsus est, neq; cōferre media necessaria ad consequendū finē vltimū naturalem, præsertim si constituatur in clara Dei visione: Item; Quia simile quod de facto concedunt cōmuniter Thomistæ in reprobo, qui dicunt nō data esse auxilia efficacia necessaria, vt de facto saluetur; & hoc est minus inconueniens, cū nō loquamur de facto, sed de potentia Dei absoluta. Rursus; quia licèt infallibiliter peccet homo; libere tamen: Et ita posset absolutè nunquā peccare. Et quando arguis, Non potest moraliter vitare omnia peccata: ergo aliquod peccatū in cōmuni, vel particulari nō potest vitare: ergo. Respondetur, nō inconuenit quòd aliquod peccatū in confuso non possit moraliter vitare, ideſt, quòd moraliter loquēdo incidet in aliquod peccatū, liberè tamē; cū simul concedamus, nullum esse peccatū quod in communi non possit physicè

*Ad Quartā.* vitari; & in particulari etiā moraliter. ¶ Ad Quartam obiectionem respōdetur negando sequelā. Quia, vt suprà diximus, vt aliquid præcipiatur lege & præcepto, debet esse possibile saltem physicè; atillud obiectū est physicè impossibile, cū implicet cōtradictionē. Et ad confirmationē etiā patet ex superiùs dictis.

Ad difficultatem autē illam inter arguendū positam, de illo actu; Volo aliquando peccare, vel, Nolo obseruare omnia præcepta; vt reor multa diximus suprà art. 4. Sed & nunc etiam respondetur, illum actum, Volo peccare, seu illum, Nolo abseruare omnia præcepta; esse intrinsecè malū, vt optimè inter arguendū probatur, & etiā in præfato art. 4. Quoniā volitio implendi vel transgrediēdi præceptū, est in ordine ad executionē: sed in executione trāsgredi, est peccatū: ergo volitio transgrediendi, erit peccatū. Nā dicere, Volo aliquādo peccare, est dicere, Ali quando volo offendere Deū. Dices, Possum habere hunc actū, Volo facere id quod est impossibile me nō facere, & volo nō seruare omnia mandata collectiuè, quia scio me non posse ex mea imbecillitate. Respondetur, illud obiectū obseruādi mandata absolutè esse possibile, iuxta sensum suprà explicatū. Quod verò nō sit potētia moralis ad illud vt collectiuè sumptū, solū est quòd moraliter loquēdo, ego libere transgrediar. Quocircà, dicere; Volo aliquando peccare; vel dicere, Nolo vitare omnia peccata, quia moraliter nō possum; est dicere, Nolo vitare peccata, quia de facto postea aliquod liberè nō vitabo. Qui actus, vt patet, est malus, sicut & obiectum. Et quāuis hæc impotentia moralis fortè sufficeret, vt nō posset quis habere volitionē omnino efficacē ad implendi omnia præcepta collectiue, vel vitādi omnia peccata venialia, quia scit homo hoc esse moraliter impossibile; nō tamen inde sequitur q̄ possit homo habere vólitionē contrariam. Sicut non possum ego vitare quòd reprobus peccet; non tamen ob id possum habere volitionē q̄ peccet. Imò verò, si liceret habere illā volitionē, sequeretur q̄ si quis esset in gratia, per volitionē illā posset mereri, cū sit actus bonus per te & liber, & ab homine existente in gratia, & cōsequenter per hūc actū, volo aliquādo peccare, & per illum, Nolo obseruare omnia præcepta, posset quis se magis gratū exhibere Deo, & maiorē gloriā mereri, quod mihi videtur impium, imò blasphemū. Recedant ergo Theologi qui ita loquūtur. ¶ Ad illud verò quod obijcitur de illo cui sua dānatio reuelatur, respondetur, valde diuersam esse rationē. Quia actus ille, Nolo ire in cœlum, non est de obiecto malo. Nā reuelatio illa subtulit ab eorationē spei, & cōsequenter cū non maneat obiectū spei non manet vlla malitia in illo actu. At verò, quamuis ei reueletur quòd propter peccatū odij Dei dānabitur, nō ob id potest habere volitionē talis odij, licèt infallibilitèr sciat quòd illud nō vitabit. Sicut cū Christus prædixit Petro eius negationē & peccatū, quod suppositā prædictione Dei & reuelatione, certò erat euenturū, non ob id potuit habere hunc actū, Volo negare Christū, quia verè scio me illū negaturū infallibiliter, & ex suppositione est impossibile nō negare, hoc est, in sensu cōposito, quia, nunquam hæc duo stabunt, Christus dixit, & Petrus non negat.

De peccatis autē venialibus, vtrū homo possit illa vitare, & vtrum impossibilitas vitādi venialia sit physica vel moralis, & an ex speciali priuilegio aliqui per totam vitam caruerint venialibus, & an de lege possit homo paruo tempore esse sine veniali? Dicemus artic. 9. sequenti.

## ARTICVLVS. IX.

*Vtrùm constitutus in gratia, possit operari bonum, absque auxilio gratiæ?*

PRima cōclusio. Iustificatus, nō indiget alio auxilio, quod se habeat per modū doni habitualis ad operandum bonū, & vitandum peccatū. ¶ Secunda conclusio. Homo iustificatus in gratia existens, indiget nouo auxilio gratiæ per modum mouentis ad operandum bonum, & vitandum peccatum.

### Discursus articuli

QValis sit D. Tho. sensus in art. & quid intelligat per operari bonū quando dicit, iustū indigere auxilio gratiæ mouētis ad operādū bonū, id aperire oportet. Et in ea re Capre. in 2. d. 28. artic. 3. ad. 12. contra. 2. conc. & Greg. eadē. d. 28. q. 1. art. 3. interpretantur D. Tho. de bonis operibus moraliter diuisiuè sumptis, & intēdūt neminē posse sine auxilio gratiæ operari bonū moraliter, etiā si sit iustus. Verūtamen hæc sententia videtur mihi plusquā falsa. Quia nō solū est falsū dicere, q̄ homo ex facultate liberi arbitrij non potest facere aliquod opus bonum in esse moris; sed etiā est falsissimū, q̄ nemo etiā iustus potest facere aliquod opus bonū in esse moris, sine speciali auxilio gratiæ: Hoc enim esset dicere, quòd de se liberum arbitrium nihil aliud potest quam peccare, & facere liberum arbitrium seruum peccati ex natura sua, & extinctum esse prorsus post peccatum. Et quoniam præfatus modus dicendi nec est

verus, neque ad mentem S. Thom. & suprà impugnatus est à nobis artic. 2. idcircò eò loci videndæ sunt impugnationes huius sententiæ? ¶ Alij dicunt, quòd S. Thom. loquitur de operibus bonis, quatenus sunt meritoria vitæ æternæ: Ad hoc enim requiritur actus charitatis quo in Deum referantur. Et ad istum actum requiritur auxilium gratiæ. Qui modus dicendi habet fundamentum in litera S. Thom. Quia facit expressam mentionem de operibus meritorijs. Sed hæc interpretatio licèt verum asserat; tamen non adæquat mentem D. Thom. qui respectu omnium bonarum operationum ponit necessitatem talis auxilij, & ob id aliquid amplius videtur intendere Sanctissimus præceptor. ¶ Tertius modus explicandi Diuum Thom. est, quòd loquitur generaliter de omnibus operibus supernaturalibus, vt sensus sit, quòd sicut agentia naturalia non possunt operari opera naturalia sine concursu, & auxilio Dei generali, quod pertinet ad ordinem naturalem; ita etiam ad hoc vt homo iustus operetur per gratiam, & virtutes supernaturales, indiget auxilio diuino pertinente ad ordinem supernaturalē. Et licèt istud auxilium sit commune & generale in ordine gratiæ; potest tamen dici speciale per comparationem ad auxilium, siue concursum generalissimum ordinis naturalis. Ita explicat Decanus Louan. arti. 7. contra Caluin. & Pater Soto lib. 3. de nat. & gra. capit. 4. Et licèt hæc doctrina verissima sit; nō tamen satis explicat sensum & mentem D. Thom. Quoniam auxilium generale gratiæ, cùm sit coniunctum cum ipsis habitibus, non ponit in numero cum illis; At S. Thom. intendit esse necessarium auxilium gratiæ condistinctum ipsi habituali gratiæ; illud autem auxilium in genere gratiæ, includitur quodammodo & imbibitur in ipsa habituali gratia. Quia per habitus virtutum supernaturalium, nihil possumus operari sine tali auxilio. Vndè, quod possumus per tale auxilium, dicimur posse per habitū simpliciter & absolute. Sicut in naturalibus, quod possumus per generalem concursum, dicimur posse per vires naturæ. Imò verò, præfata explicatio data à Decano, & à Patre Soto, licèt verum habeat in re ipsa; tamen in modo loquendi aliqui ab ea discedūt. Dicunt enim q̄ concursus supernaturalis, aliter se habet respectu operationum supernaturalium, quā se habet concursus naturalis Dei in ordine ad operationes naturales. Quoniam naturalis concursus ex ipsa naturæ institutione debitus est potentijs, & virtutibus operatiuis. Vndè, qui habet talem virtutem, simpliciter dicitur potens operari ex proprijs viribus. Quia actualis concursus Dei, ipsi naturæ est debitus; ita vt esset miraculum si Deus non conferret illud virtuti operatiuæ applicatæ ad operationē. Cæterum, auxilium supernaturale requisitum ad actum credendi, etiam supposito habitu fidei, non est debitum ipsi operanti, & consequenter etiam in ordine supernaturali est speciale auxilium. Sed quidquid sit de diuerso modo loquendi; nihilominus doctrina D. Thom. non videtur satis explicata adhuc. Quocircà, Caiet. hic dicit, quòd S. Thom. nō loquitur de aliquo determinato opere bono, sed solùm intendit docere in genere, q̄ licet gratia quantū est de se, præbeat facultatē benè agendi in omnibus & per omnia; sed tamē propter infirmitatē carnis, & ignorantiam intellectus, & propter varios casus & euentus huius vitæ, non possunt iusti vti semper hac facultate gratiæ, sine alio speciali auxilio, illos protegēte & dirigente. Et de hoc auxilio loquitur Propheta, Psal. 90. Qui habitat in adiutorio altissimi, in protectione Dei cœli cōmorabitur. Et Psal. 31. Intellectū tibi dabo & instruā te, in via hac qua gradieris. Vndè secunda S. Tho. assertio, quantū ad eā partem qua dicit, auxiliū gratiæ esse necessarium iustis ad bene operandū, est definitain Conc. Arausi. cap. 19. vbi dicitur: Ipsis etiā renatis implorandū est diuinum adiutorium, vt possint in bono opere perdurare. Et idē definitur per Cœlestin. Epist. 1. & per Innocent. 1. Epist. ad Milenit. Et idē docet Aug. lib. de nat. & gra. ca. 26. cuius verba refert. S. Tho. in argumento. Sed contra. Et lib. 2. de Peccator. meritis cap. 5. Vbi ait Augu. non posse iustos ex omni parte implere præceptū iustitiæ, nisi adiuuētur diuina manutenentia, Dico ergo veram & communem esse Caiet. explicationē, quòd D. Tho. vult, neminē etiā in gratia constitutū, posse semper ita benè agere moraliter, vt nunquā peccet mortaliter, sine speciali auxilio distincto à gratia, propter varios casus, variaq; impedimenta passionū, quæ si remouerētur sufficeret gratia cum suis virtutibus. Vnde, requiritur hoc auxilium suprà tactum, quod semper habent qui sunt in gratia. Vt patet in Trident. sessio. 6. cano. 22. & de illo loquitur totus ille Psalm. 90. suprà citatus. Pater Medina hic apertè dicit, quòd homo iustus cū gratia Dei, licèt careret speciali auxilio; nihilominus posset efficere aliquod opus bonum, quod extra gratiam aliàs non posset, & hoc dicit esse valdè probabile sibi, ob id quòd per gratiā habitualem, & per virtutes infusas homo redditur potentior ad benè agendum, & debilitatur concupiscentia. Et hoc insinuatur à Conc. Mileuit. cano. 3, cùm inquit: Qui cùmq; dixerit, Gratiam Dei qua iustificamur per Iesum Christū Dūm nostrū, ad solam remissionē peccati valere, non etiam adiutorium conferre ne peccata cōmittantur; Anathema sit. Sed de hac sentētia quo pacto intelligatur, Deo volente, dicemus infrà.

*Psal. 90. Psal. 31.*

*Cœlest. PP. Innoc. 1. D. Aug.*

Altera etiam hoc loco sese insinuabat difficultas, vtrùm homo constitutus in gratia, possit sine auxilio condistincto gratiæ & virtutibus infusis, vitare omnia mortalia, & in bono perseuerare? Sed de hac difficultate disputabitur art. 10. sequenti.

## DISPVTATIO. I.

### *Vtrùm homo in gratia constitutus, possit vitare omnia venialia?*

QVamuis nonnulli diù perseuerent in gratia, & pleriq; alij etiam finaliter migrēt ab hac luce in ea; tamē cū Ioānes Apostolus dicat: Si dixerimus q̄ peccatū non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis nō est; idcircò quæritur, Vtrū illud auxiliū quod sufficit ad perseuerandum in gratia, & ad vitanda mortalia per longum tempus, pariter sufficiat ad vitanda venialia longo tempore, vel vtrùm requiratur aliquid aliud? Et, An posset vitare omnia peccata venialia collectiue? De qua re di- *1. Ioan. 1.*



*Vega. Driedo. Soto.* re disputant Theologi in 2. d. 29. & 41. Pater Vega libro 4. super Trident. capit. 19. Driedo, libro de Gra. & libero arbit. capit. 4. & 5. Pater Soto lib. 3. de nat. & grat. capit. 4. & 5. Et in hac re, duo extremi errores inueniuntur. Primus est Pelagianorum qui (vt

*Primus error Pelagianorum.* D. Augustin. lib. de hæresibus refert, capi. 88. & epist. 95.) apertè dicebant, iustos omnes posse viuere absque omni culpa & peccato, & non solùm id asserebant, sed etiam quòd non stat esse iustum, & habere peccatum quantumcumque minimum & veniale. Ita colligitur eos sensisse, vt colligitur ex relatione Conc. Mileuit. capit. 7. Iouinian. Hæreticus ampliùs desipuit. Nam dixit quòd iustus non solùm non potest peccare, sed neque tentari & quòd est impeccabilis. Sic refert Hieron. lib. 2. contra eundem Iouinian. ¶ Probabat ille ex illo. 1. Ioan. 3. Qui natus est ex Deo, peccatum non facit. Et Lucæ. 1. de Sanctis Zacharia, & Elizabeth dicitur quòd incedebant in omnibus mandatis Domini sine querela. ¶ Secūdò, Quia in Scriptura passim admonemur vt simus perfecti & immaculati, vt 1. Corin. 15. Exhibetevos sanctos, & immaculatos & irreprehēsibiles: Ergò possibile est iustis absq; omni peccato vitā trāsigere, alias frustra scriptura præciperet, vel admoneret, quod est impossibile. ¶ Tertiò, Peccatum nō potest cōmitti sine libertate: sed quod est in libertate hominis potest illud facere, & facilè vitare. Vnde Paul. ad id nos admonet. 1. Corinth. 15. Euigilate iusti, & nolite peccare: Ergò homo ex facultate liberi arbitrij potest omnia peccata vitare, etiam venialia. Et confirmatur. Quia si ad vitandum omnia venialia requiritur specialissimum auxilium: ergo qui illud non habent, non peccant in eo quod vitare non possunt. ¶ Quartò arguitur. Quia licet nō possit homo vitare omnia venialia ex surreptione, potest saltem vitare omnia ex genere, vt dixit Durand. in 2. d. 28. quæstio. 3. Et videtur probari ex illo Apocal. 14. In ore eorum non est inuentum mendacium: ergo saltim aliqua venialia, illa videlicet, quæ sunt peccata ex genere, potest homo vitare per totam vitam, & diuisiuè & collectiuè, qualia sunt mendacia & murmurationes, & alia huius generis, licèt non possit illa omnia vitare, quæ sunt ex animi surreptione. Et confirmatur. Quia ratio D. Thom. tantum procedit de his peccatis secundi generis: fundatur enim in hoc quòd appetitus sensitiuus nō plenè sanatur per gratiam, nec subijcitur rationi. Sed hæc ratio tantū concludit de moribus primò secundis: non enim procedit de venialibus, quæ ex plena deliberatione voluntatis fiunt: igitur hæc omnia poterit homo vitare diuisiuè & collectiuè.

*D. Hieron. Argum. 1. 1. Ioan. 3. Lucæ. 1. Secundum,* *1. Corinth. 15* *Tertium.* *1. Corint. 15.* *Confirm.* *Quartum.* *Apocal. 14.* *Confirm.*

*Secūdus error Lutheri.* Alter error est Lutheri, qui dixit, iustos in omni suo opere peccare, & hic error opponitur præcedēti. Vndè, apud Roffens. artic. 22. idem Lutherus iterum ait: opus bonum optimè factum, esse saltem peccatum veniale. Idem tenuit Caluinus, vt refert Decan. Loban. artic. 11. & tribuitur Erasmo in annotat. Super illud Matth. 19. & Lucæ. 18. Quid me dicis bonum? Nemo bonus nisi solus Deus; Sed immeritò tribuitur Erasmo. Potissimum fundamentum Lutheri fuit, vt refert Pighius controuer. 1. de peccato Originali, Quoniam existimauit concupiscentiam, quæ semper remanet in iustis, esse vere & propriè peccatum repugnans charitati. Et arguitur pro

*Matth. 19. Luc. 18.* *Argum. 1. Lutheri.*

eius sententia. Quoniam in omni actu nostro dùm sumus in hac vita, operamur ex concupiscentia, & non ex perfecta charitate: ergo in omni actu transgredimur duo illa præcepta, nempe, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, Et non concupisces. ¶ Item secundò objcit Lutherus vt suā ostendat dementiā, pleraq; Scripturæ loca in quibus asseritur, q̄ omnes iustitiæ nostræ sunt quasi pannus mēstruatæ corā Deo, & in qua dicimur omnes esse immundi. Vndè, Eccles. 7. legitur. Non est homo iustus in terra qui faciat bonum & non peccet. Et Psalm. 142. Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Et ad Roman. 7. Non quod volo bonum hoc ago, sed quod odi malum, illud facio. Et illud Isaię. 64. Quasi pannus menstruatæ omnes iustitiæ nostræ. Ad idem adducunt plura alia testimonia suprà citata pro sententia Gregorij dicentis, non posse hominem sine auxilio gratiæ operari bonum opus morale.

*Secundum.* *Eccles. 7.* *Psal. 142.* *Rom. 7.* *Isaiæ. 64.*

His ita prælibatis est prima conclusio. Præter iustificantem gratiam, & præter donum perseuerantię quod donatur communiter his qui salui fiunt, requiritur vlteriùs specialius auxilium, & singulare priuilegium, & donum ad vitanda omnia venialia. Vndè, Hæreticum est asseuerare, quòd existentes in gratia possunt vitare omnia peccata etiam venialia citrá aliud speciale priuilegium. Hæc conclusio est de fide definita in Conc. Mileuit. capit. 6. 7. 8. Et in Arausi. capit. 10. & in varijs epistol. Pontificum Innocent. & Cœlest. & in Trident. sessio. 6. cano. 23. Et probatur; Eccles. 7. Non est homo iustus in terra qui non peccet. Psalm. 31. Pro hac orabit ad te omnis Sanctus, scilicet, pro remissione culpæ seu peccati. Psalm. 142. Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Iob. 9. si iustificare voluero os meum condemnabit me. Et infrà; verebar omnia opera mea. Et statim; Si lotus fuero quasi aquis niuis, & fulserint velut mundissimæ manus meæ; tamen sordibus intinges me. Et. 1. Ioannis. 1. specialiter probatur ex testimonio illo; Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. Et Iacobi. 3. In multis offendimus omnes. Item probatur; Quoniam omnes Sancti petunt à Deo remissionem suorum peccatorum dicentes, Dimitte nobis debita nostra, Sicut Christus instituit Matth. 6. Vndè Prouerbio. 24. dicitur de iusto; Septies in die cadit iustus, Et ob id Propheta Psalm. 118. Septies in die laudem dixi tibi, vt singula peccata compensando deleret. Ex quibus argumentis. Sancti & Concilia argumentantur contra Pelagiū. Nā si Apostoli qui primitias Spiritus acceperunt, fatētur se in multis offendisse, quanto magis hoc erit verum de alijs iustis. Sed respondet Pelagius Apostolos hoc ex humilitate dicere. Verùm, dùm Pelagius eos humiles esse proclamat, mendaces facit; atque adeo in hoc iam ipsos peccare fatetur. Rursus, præfata solutio stare non potest cum verbis D. Ioannis citatis. Nam non dixit; Si dixerimus quòd peccatū non habemus humilitas in nobis nō est, sed veritas in nobis nō est: ergo in rei veritate habēbat peccata. Sed respondet secundò Pelagian. D. Ioannem loqui, reliquosque Apostolos in nomine & persona aliorū. Nā sic, peccata quæ sunt in nobis,

*Conclu. 1.* *Conc. Mileuit. Arausic. Innocent. Cœlest. Eccles. 7. Psal. 31. & 142. Iob. 9. 1. Ioan. 1. Iacob. 3. Matth. 6. Prouerb. 24. Psal. 118.*

*Psal.21.* aliquando tribuuntur Christo, vt Psal.21. Longè à salute mea verba delictorum meorum, vocans peccata sua ea quæ vere sunt peccata aliorum hominū. Sed hæc solutio stare non potest; tum quia Christo tribuuntur eo modo quo ad illum pertinēt, scilicet quatenus ea quæ pertinent ad mēbra, dicuntur etiā propria capitis, quod non militat in Sanctis. Item etiam: Quia ipsi Sancti & Apostoli fatentur apertè satis, se loqui de peccatis ab ipsis in propria perso-
*Daniel.9.* na cōmissis. Vnde, Daniel.9. Cùm adhuc loquerer, & confiterer peccata mea; & postea distinctè orat pro peccatis populi. Vbi apertè loquitur etiam de peccatis personalibus; quia postea distinctè orat pro
*3.Reg.8.* peccatis populi. Sic.3.Reg.8. legimus, quòd non est
*Iob.25.* homo qui non peccet. Et Iob.25. Nemo mundus à sorde. Et in Psalmis, Omnes declinauerunt simul, inutiles facti sunt. Et iterum; Non intres in iudicio cum seruo tuo, quia non iustificabitur in cōspectu tuo omnis viuens. Sed respondet tertiò Pelag. q̄ Sancti Apostoli loquebantur de peccatis præteritis commissis ante eorum conuersionem. Sed contra hoc est, quòd Sancti loquuntur sæpiùs per verba de præsenti. Tandem probatur conclusio ex Sanctis
*D. August.* Patribus D.Augu.tract.41. in Ioan. & lib.de nat. & gra.cap.36. Et lib. de perfectione Iustit. cap.17. Et li.9. Confessi.cap.23. & 1. Retract.cap.19. & lib.3. cōtra duas epist. Pelagianor. cap.7. Et lib.2. de Peccator. merit.capit.7. Et de Spiritu & litera, capit.22. & vltimo. D.Basil.homil. de pœnit. in principio. D. Cy-
*D.Basil.* *D.Cyprian.* prianus, Sermo. de opere & Eleemosyna, & sermo. de Oratione Dominica, in id; Dimitte nobis. D.
*D.Greg.* Gregor.18.Moral. capit.14. Vbi ait: Omnis humana iustitia iniustitia conuincitur si districto iudicio iu-
*D.Fulgent.* dicetur. Fulgent. ad Petrū, cap.41. & epist.3. ad Galā,
*D.Hiero.* & Epistol.4. ad Probam. cap.3. Diuus Hieronymus in libris contra Pelagianos & cōtra Iouinianos. Ex quibus patet, conclusionem esse ex communi consensu sanctorum Patrum, quorum testimonia refert Pater Vega, lib.14. in Tridentin. capit. 17. & 20.
*Vega.* *Driedo.* Driedo, lib.1. de Gratia & libero arbitrio, apit.5.
*Soto.* Pater Soto lib.3. de nat.& Gra. capit.4. Gregorius
*Greg. Ari.* Arimin.in.2.d.28. quæstione. 2. Confirmatur tamen experientia. Nam in omnibus iustis, quantumcumque perfectis notantur aliqui defectus vniuersales, & minima atque leuia quædam peccata, quæ di-
*Rom.7.* cuntur leues offensæ. Vndè, Paul. Roma.7. Velle ad iacet mihi; perficere autem non inuenio. Non dixit facere non inuenio sed perficere, vt aduertit Augu. tract.1. in Ioan. Nam homo potest facere legem; non autem perficere, ideſt, perfectè implere sine vlla etiā
*D. August.* leui offensa. Ideò D.August.epist.26. ad D.Hiero. ex hoc loco colligit, in omnibus esse peccata venialia.
*Sixtus Senens.* Legendus est de hac re Sixtus Senen. lib. 5. Annotat.159. & 223. & Abulens. super Matth. tomo. 5. ex-
*Abulens.* plicans locum citatum.
*Conclus.2.* Secunda conclusio. Ex speciali Dei priuilegio potest iustus vitare omnia venialia per totam vitam. Hæc assertio habetur in Concil. Tridentin. ca-
*D.August.* no.23. & ex epistol.95. D.Augustin. & aliorum Episcoporum, in qua habetur, quòd etiam si non inueniatur homo in hac vita sine peccato; id tamen fieri potest per adiutorium gratiæ Dei. Vndè, idem Augustinus lib. de Spiritu & litera, capit.1. & 2. & libro.2. de Peccator. meritis & remissi. capit.6. ait, negari non posse quin per Dei gratiam possit homo sine peccato esse in hac vita, & quòd oppositum dicere, cedit in iniuriam gratiæ Christi. Vndè, Iudas Apostol. in sua Canonica dicit; Ei autem *Iudas Ap.* qui potens est vos conseruare sine peccato &c. Et profectò, hæc conclusio euidens est: tanta est enim Dei omnipotentia, vt possit manutenere hominem, ne vnquam deficiat peccando, ex speciali ipsius gratia & priuilegio. ¶ Sed interrogabit aliquis, In quo consistit ratio huius specialissimi auxilij & priuilegij? In qua re Durandus. in 3. d.3. quæstione.1. & 3. in corp. & ad.2. dicit, priuilegium hoc de facto competere Beatę Virgini, & gratiæ sibi infusæ, quæ tanta fuit vt potentiam peccandi ab illa tolleret. Sicut forma cœli propter maximam perfectionem eius, repellit à materia cœli potentiam ad corruptionem. Vndè, Ricard. de Sanct. *Ricard. de S.Vict.* Victore libro 2. Emmanuelis, capit. vltimo dicit, Beatam Virginem habuisse incorruptibilitatem à peccato. Sed in hac re mihi videtur esse dicendum, priuilegium hoc partim prouenire ex perfectione gratiæ inhærentis, seu ex aliquo speciali modo gratiæ à Deo dato eidem gratiæ internæ: sed magis principalitèr prouenire ex manutenentia & assistentia extrinseca Dei. Ita philosophatur Diuus *D.Thomas.* Thom. de verit.q. 24. articul.9. & 3. part. quæstione 27. articul.4. De qua etiam re videndus est Sanctus Thomas. 1. part. quæstione. 97. articulo primo, & quo pacto ibi philosophetur de dono immortalitatis concesso Adæ. Et sicut priuilegium hoc vitandi peccata omnia venialia collectiuè, affirmamus prouenire ab intrinseco dono gratiæ & speciali modo ipsius, & ex manutenentia & assistentia Dei; ita fortè proportionabiliter dicendum est de dono confirmationis in gratia. Sed de hoc aliàs articul. 10. sequenti. ¶ Sed dices, Contra: Homo potest per gratiam longiori tempore vitare peccata, quàm sine illa, vt suprà dictum est: ergo tantum potest intēdi & multiplicari gratia, vt sine alio specialissimo auxilio possit quis vitare per totam vitam omniave nialia. Patet consequentia. Quoniā si gratia vt vnū, dat vt possit quis vitare in vno die omnia venialia: ergo gratia vt duo, dabit vt possit duobus: ergo deueniendū est ad gratiam tā intensam, per quā possit peccata omnia venialia vitare. Respondetur, q̄ cùm gratia habitualis communiter data iustis, non liget fomitem peccati, neque tollat radicem venialium; non poterit tantas vires præstare, vt omnino vitētur omnia venialia. Neque verò illa calculatio est sufficiens in moralibus, licet nō colligatur quòd augeatur gratia; potestas tamen liberi arbitrij ad resistendū in omnibus peccatis, non æqualiter crescit. Quoniā ad ipsum vsum gratiæ requiritur auxilium speciale. Vndè, licet quis habeat intensissimam gratiā, non potest omnia venialia vitare. Quia ad vtendum ad id ipsa gratia, requiritur specialis assistentia Dei. Et ita, licet maiori gratia possit quis facilius vitare peccata; non tamen potest dari tanta gratia, quæ omnino exhauriat totam difficultatem, nisi ponatur aliquis modus ipsius gratiæ specialis, & manutenentia & assistentia. Vndè, ad argumentum factum, concesso antecedente, negatur consequentia. Quia licet gratia præstet maiorem & maiorem facultatem bene agendi ex genere suo,



suo, & maiorem difficultatem male agendi; tamen semper manet natura fragilis; atque adeò cum difficultate, Sicut si crescet potentia visiua sine eo quòd fieret maior manifestatio obiecti, aut additio luminis manifestatiui, nō magis videret homo: sic, licet gratia crescat, nō sufficit nisi addatur amplius auxilium vel modus facilitans ad vsum, & manutenentia extrinseca.

*Conclu.3.* Tertia conclusio. Per aliquod breue tempus homo iustus potest non peccare venialiter sine speciali priuilegio ex solo generali auxilio gratiæ, verbi gratia, per vnum diem aut duos. Probatur. Quoniā non est necesse vt homo continuò peccet, vt dicemus infrà contra Lutherum, etiam si consideretur sine auxilio gratiæ: sed gratia magis perficit vires naturales ad vitanda peccata: ergo cum auxilio illius poterit homo per aliquod breue tempus sine
*D. Hieron.* veniali perseuerare. Hoc admittit D.Hieron. lib.3. contra Pelag. Secundò probatur. Quia potest contingere etiam moraliter loquendo, quòd per breue tempus non se offerant occasiones, & quòd homo sit maximè intentus circà diuina: ergo. Vndè, cùm
*Prouer.24.* Prouer.24. dicitur: Septies in die cadit iustus, quod de peccatis venialibus interpretantur Theologi, & numerus septenarius in Scriptura ponitur pro magno numero. Respondetur, quòd locus iste, vt ex ipso contextu liquet, intelligitur de differentia quæ est inter iustum & impium: iustus namque etiā si aliquando offendat; tamē statim resurget, impius, autem in malum corruit. Ait namque ibi textus; Nè quæras iniquitatem in domo iusti, neque vastes requiem eius: septies enim in die cadet iustus & resurget, impij autem corruent in malum. Docet ergo Sapiens, non statim publicandum esse peccatum iusti, nec deferendum ad superiorem, quia ipse iustus ex iustitia resurget etsi sæpiùs cadat. Alij dicunt, quòd cùm dicitur, septies in die cadet iustus, hyperbolicè est intelligendum. Sed certè hic non absolutè, sed conditionaliter intelligitur: Comparat enim ibi Sapiens impium cum iusto, & dicit iustum facilius resurgere à peccato, etiam si multoties peccet. Sed licet iustus per breue tempus possit abstinere à peccato secundum actum & effectum; at verò secundum reatum & malum aut affectum, rariùs & per breuius tempus contingit, vt plerique Sanctorum dicunt. Nullus autem citrà temeritatem potest certò præsumere de se, quòd nullo modo sit in peccato veniali: latet enim, sæpè affectus ad malum, vel culpabilis ignorantia, vel certè manet aliquis reatus pœnitentiæ; debitæ, quòd si innocens sit, hoc ipsum ignorabit anima eius, vt habetur Iob.9. Et sic poterit dicere cum Apostolo; Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum. Legendus est Driedo. lib. 2. de Gra. & libero arbitrio capit. 5. p. 2. & Pater Vega in Trident. lib. 14. capit. 19. Sed dices, extare definitionem Concilij Mileuit. vbi suprà asserentis, quòd semper iusti verè orant quòd dimittantur sibi peccata: ergo non possunt etiam per breue tempus sine illis esse. Respondetur, non esse mentem Concilij, quòd saltem per breue tempus non possit homo cauere peccata venialia. Sed docet, quòd quia iusti etiam & Sancti sæpè offendunt venialiter, & sæpè cadunt, & sæpe sunt debitores pœnæ, idcircò semper verè orant ex animo, & non ex sola humilitate (vt dicebat Pelagius) vt sibi dimittantur peccata. ¶ Aliqui Theologi ex recentiori bus distingunt de peccato veniali, quòd aliud est loqui de peccato secundum actum, aliud verò secundum culpam habitualem, & reatum pœnæ. Et dicūt quòd aliquo tēpore potest esse homo sine actu peccati venialis, sine speciali auxilio gratiæ, & cùm dicunt aliquo tempore posse esse, & perdurare sine actu peccati venialis; dicunt quòd potest esse per tēpus saltem octo & quindecim dierum. Et illi sunt qui dicunt, quòd Sapiens cùm dicit, septies in die cadit iustus, loquitur hyperbolicè, & non assertiuè, sed conditionaliter. Addunt tamen isti, etiam deueniendū esse ad aliquod punctum in quo homo ita tentationibus prematur, vt moraliter non possit nō cadere; sicut Theologi dicunt de mortalibus vitandis sine gratia Dei. Imò verò dicūt, quòd si vera est opinio quòd omnia venialia possumus Physicè vitare, nullum est inconueniens, ad angustias necessitatis moralis venire. Tenendo tamen non esse potentiam physicam ad omnia venialia vitanda, est ingēs difficultas. Et Pater Vega vbi suprà omnino contendit, nullum esse punctum in quo homo positis quibuscumque tentationibus, necessariò labatur; alias obligaretur ad impossibile, & daretur perplexitas in lege Dei, eū non posset cauere vnū, quin in aliud incurreret. Veruntamē, quidquid sit de potētia illa physica ad vitanda venialia, & an possimus physicè illa vitare, & solū habeamus impotētiam moralem, de qua re infrà agendum est à nobis in speciali dubitatione de hac re, vbi interrogabimus, vtrùm impossibilitas vitandi venialia, sit physica an tantum moralis? Illud tamen quòd hæc sententia asserit de homine sine speciali auxilio gratiæ, quòd possit per quindecim dies vitare venialia, videtur mihi plusquā falsum. Quia id nō reperio apud authores; imò verò id repugnat modo loquendi Sanctorū Patrū, & apertis testimonijs Sāctarū literarū suprà citatis, in quibus de iustis etiā dicitur q̄ sunt peccatores, & q̄ peccant & q̄ deficiunt. Et rursus etiā id dicere est parū cōsentiēs veritati & rectæ rationi. Nā suppositarebellione carnis ad Spiritū, varijsq; motibus primo primis, & tētationib' internis, & negotijs huius vitæ, & occasionibus & motibus atq; agitationibus, & tētationibus exterioribus, & scādalis; nō videtur intelligibile respectu peccatorū venialiū, quo pactò per quindecim dies aut eò amplius homo non deficiat in aliqua leui culpa, præsertim proueniente ex surreptione. Vndè, hoc scimus ex regulis Sanctorū, & sacræ Theologiæ, q̄ solū per breue tēpus potest homo esse sine actu peccati venialis. Neq; potest fignari punctualiter quod erit: illudverò tēpus quindecim dierū, aut eò ampliùs, nō est breue respectu peccatorum venialium. Quòd si concedas, q̄ tempus quindecim dierum est breue, etiam erit breue si addas duos, aut tres dies vlterius, & sic &c. Solū ergo habemus vt certum quód debet esse breue, & quòd hoc quod isti assignant, non est breue respectu venialium, neque sancti aut Scriptura possunt interpretari nisi de breuissimo tempore. Et idcircò, explodenda est hæc sententia in hoc.

*Iob.9.* *Driedo.* *Vega.*

Quarta conclusio. Aliquo breui tempore potest esse homo sine culpa veniali habituali, & sine *Conclu.4.*

*D. Hiero.* reatu pœnæ.Ita D.Hieron.3.contra Pelag.in princi
*D. Auguſt.* pio, de homine recenter baptizato. Pater Vega ci-
*D. Hilarius* tat Diuum Auguſtin.de nat.& grat. capit. 62. & ſe-
*D. Ambro.* quentibus. idem docentem ex Hilario, Ambro. Hie
*D Sixtus.* ron.& Sixto. Idem docet Driedo,de grat.& libero
*Driedo.* arb.p.1.capit. 5. & Gabrie. ſuper Canon.miſſæ lect.
*Gabriel.* 85.S.Thom.3.p.quæſtio.79. artic. 4. ad. 2. Pater Soto
*D Thomas.* lib.3.de nat.& grat.capit. 4. concluſ. 3. Et probatur.
*Soto.* Nam per amorem feruidum & charitatem vehe-
mentem, vel pœnitentiam vniuerſalem omnium
peccatorum,per ſacramenta, & ſacramentalia, per
ſacrificium altaris,& per indulgentias, poteſt om-
nino deleri,quòd ad culpam & pœnam. Quidam ta-
*Gerſon.* men,vt refert Gerſon Alphab.26.propè finem,quos
non impugnat,tenent quòd ſemper manet aliquod
veniale, aliàs poterit homo aliquando veraciter di
cere, ſe eſſe ſine peccato, neque indigebit dicere,
Dimitte nobis debita noſtra,quod eſt contra illud.
*1.Ioan.1.* 1.Ioan. 1. Si dixerimus quòd peccatum non habe-
mus, ipſi nos ſeducimus,& veritas in nobis nõ eſt,
& contra Conc. Mileuit. capit. 6.7. & 8. & contra
Can.81.82.& 83. Conciliorum Africanor. & contra
Auguſtin.de nat,& grat.capit.14.36.& 62.& ſequen-
tibus aſſerentem cum Cypriano & Hiero. quemcũ-
que iuſtum & Sanctum ſi interrogetur, poſſe veraci
*Trident.* ter dicere,ſe habere peccatum, &, Dimitte nobis
debita noſtra.Idem docet Trident. ſeſsio. 6. Sed di-
co, D. Ioannem & alios ſolùm velle quòd non po
teſt homo eſſe multo tempore quin poſſit vere affir
mare, ſe habere veniale.Quæ explicatio colligitur
ex eodem D.Ioanne ibidem:ſubiungit enim,Si cõ-
fiteamur peccata noſtra,fidelis eſt & iuſtus,vt remit
tat nobis peccata noſtra, & emundet nos ab omni
iniquitate:ergo aliquando ab omni peccato munda
*D. Auguſt.* mur.Vndè,Trident.vbi ſuprà,& cano.23. & D. Au-
guſt.in Enchirid.capit.64. ad totam vitam vel ad lõ
gum tempus referunt,non poſſe nos eſſe ſine pecca
to,& non ad ſingula momenta. Tamen quia com-
munitèr ſemper manet aliqua culpa vel reatus pœ-
næ ſaltim probabiliter; idcircò ſemper dicere poſ-
ſumus & orare,dicentes, Dimitte nobis debita no-
ſtra.Tandem de pleriſque Sanctorum qui ab hac
luce migrarunt,& ſtatim ſunt recepti in æterna ta-
bernacula, non magnam habet difficultatem præſen
ta aſſertio.

An verò de facto aliqui ex ſpeciali priuilegio
Dei per totam vitam caruerint venialibus,& qui-
bus fuerit conceſſum tale priuilegium, id quidem
dicemus infrà.

*Concl. 5.* Quinta cõcluſio.Dicere quòd homines iuſti pec-
cant in quolibet ſuo opere,eſt contrà fidem,imò ve
rò eſt hæreticum. Hæc aſſertio definitur in Concil.
Trident.ſeſsio.6.ſpecialiter cano.25.& in Bulla Leo
*Leo.10.* nis.10.contra Lutherum. Et in Conc. Arauſ. cano.
*Vega.* 9.18.20.& 25.De qua re legendus eſt Pater Vega in
*Clithouæus.* Trident.lib.11.capit.26.& deinceps. Clithouæus li.
*Ruard. Tap* 1.Anthilutheri. Ruard. Tapper artic. 11. Pater Ca-
*per.* ſtroverbo,opera,& Roſſenſ.contra Luther.art.31.&
*Caſtro.* 32. Et probatur ex ſcriptura Iob.1. vbi recẽſitis qui
*Roſſenſ.* buſdam dictis & factis illius, dicitur; In omnibus
*Iob.1.* his non peccauit Iob, neque quid ſtultum loquu-
*1.Corinth.7.* tus eſt.Et,1.Corinth. 7. Si nupſerit virgo, non pec-
*2.Petri.1.* cat.Et.2. Petri. 1. Satagite vt per opera veſtra bona
certã faciatis vocationẽ veſtram: hæc enim, faciẽ-
tes nõ peccabitis.Et 1.Corin. 15.Nolite peccare.Et
Ioã.5.Chriſtus admonet Paralyticũ dicens;Noli pec
care.Et Pſalm.4. Iraſcimini & nolite peccare: ergo
ſupponitur vt certum in ſcriptura,quòd poſſunt iu-
ſti per Dei gratiam non peccare.Sed reſpondet Lu-
therus,quòd in his locis, ea quæ verè ſunt peccata
dicuntur non eſſe talia,quia per fidem non imputã-
tur nobis.Sed contra.Quia non imputari poſtquam
facta ſunt,non tollit quin verè fuerint & eſſent pec-
cata cùm fiebant; Scripturæ autem nos admonent
vt in noſtris operibus vitemus peccata. Igitur ſup-
ponit quòd aliqua noſtra opera fieri poſſunt ſine
peccato.Et confirmatur.Quoniam.1.Ioan. 2. apertè
diſtinguuntur vt res longè diuerſæ, hoc quod eſt
non peccare, & hoc quòd eſt remitti, aut non im-
putari propter Chriſtũ.Dicit enim,Apoſtolus. Hæc
ſcribo vobis vt non peccetis,ſed ſi quis peccauerit,
aduocatum habemus apud Patrem.Vbi priùs admo
nemur ne peccemus,& poſtea dicitur,quòd ſi fortè
peccauerimus, remedium eſt petendum ex meritis
Chriſti:Sunt ergo res longè diuerſæ.Rurſus proba-
tur concluſio contra Lutherum ex communi con-
ſenſu Sanctorum Patrum.Præſertim ex Hieronym.
in Proœmio ſuper epiſt.ad Philemonem.& lib.1.&
3.contra Pelagian.& ſuper epiſt.ad Epheſ. circà ca-
pit. 1.vt eſſemus Sancti & immaculati. Idem Am-
broſ.ſuper illud Lucæ.1,Erant autem ambo iuſti &
ſine querela.Idem D.Auguſtin. de Spiritu & litera
capit.36.& de natura & gratia,capit. 58. Et lib.2 .de
Peccator.merit.capit.5.& .6. & alijs locis quæ refe-
runtur in confeſsione Auguſtana,lib.2.§. 8. Hi om-
nes docent, multa iuſtorum opera eſſe bona. Et idẽ
docent plures epiſtolæ Decretales Summorum Põ-
tificum.De qua re legendus eſt Pater Vega lib.11.ſu
per Trident.capit.32. Tandem probatur ratione præ-
fata fidei aſſertio: Nam iuſti per ſua opera poſſunt
mereri, imò de facto merentur vitam æternam de
condigno,vt vniuerſa Scriptura clamat, & nos.q.
114.de merito,dicemus: ſed peccata non ſunt meri-
toria vitæ æternæ:ergo non omnia opera iuſtorum
ſunt peccata.Et confirmatur. Quia vt ſuprà arti.2. vi
dimus,poſſumus facere multa opera moraliter bo-
na, & tamen nullum peccatum eſt opus moraliter
bonum.Rurſus,vt vidimus artic.4. per gratiam Dei
poſſumus ſeruare omnia præcepta: ergo poſſumus
facere opera,quæ non ſint peccata.¶Ex ſuprà dictis
infertur, quòd exiſtentes in gratia iuſtificante ſe-
cundum communem legem,& prouidentiam ordi
nariam, quam Deus habet de ipſis, poſſunt vitare
multa peccata venialia, imò diuiſiuè omnia. Quia
in quolibet particulari, liberè operantur; non ta-
men poſſunt vitare omnia collectiuè. Sed de hoc
aliàs ſuprà egimus.

*1.Corinth.7. Ioan.5. Pſalm.4.* *1.Ioan.2.* *Hieron. Ambroſ. Auguſt.* *Vega.*

*Ad argumenta primo loco facta.* Ad argumenta primo loco facta reſpondetur, ſo-
lum probare quintam concluſionem præcedentem.
Sed nihilominus ſpecialiter,Ad illud.1.Ioan.3. Qui
natus eſt ex Deo,peccatum nõ facit;Dico, quòd de-
bet intelligi de eo qui natus eſt ex Deo per gratiam
conſummatã,quæ habetur in patria.Ita docet D.Au
guſtin.epiſt.95.& alij Patres ibi. Dico ſecundò cum
Auguſt.ibidem,& ſuper eundem locũ Ioannis,& 2.
de peccator.merit.cap.7.Et.2.contra duas epiſtolas
Pelagian.cap.3.Intelligi de eo qui natus eſt ex Deo
vt ſic.Vnde, locus ille debet interpretari formali-
ter

*1.* *D. Auguſt.*



ter, vt ſit ſenſus, quòd ille qui natus eſt ex Deo,
non peccat in quantum eſt filius Dei, & ex ipſo na-
tus: Nam ſi operatur quatenus ex Deo natus, non
degenerans ab hac filiatione, non peccabit: Nam
cùm peccat, iam quaſi ex ſanguinibus, & voluntate
carnis,non quaſi ex Deo ſe gerit.Ita D.Augu.vbi
ſuprà.Et licèt vt ex Deo natus non peccet; hoc ta-
men non tollit,quin peccet aliquando,in quantùm
eſt homo liber,& ſubditus infirmitati carnis. Ad il-
*Lucæ.1.* lud verò Lucæ.1.Dico,longè minus eſſe viuere ſi-
*D. Auguſt.* ne querela coram hominibus, quam viuere ſine
peccato coram Deo. Ita Auguſtin. libr. de perfe-
*Ad ſecundũ* ctione iuſt. capit. 17. ¶ Ad ſecundum reſpondetur,
quòd in illis & ſimilibus locis, non datur præce-
ptum ſpeciale vt viuamus ſine peccato, ſed admo-
nemur vt in ſingulari vitemus peccata, & hoc eſt
poſsibile, illud non. Poſſumus namque vitare ſin-
gula venialia diuiſiuè, licèt non omnia collectiuè.
Quocircà, alia teſtimonia Scripturæ tantum pro-
bant,hominem poſſe vitare ſingula venialia, cùm
ad hoc teneatur. An verò teneatur ad vitanda om-
*Ad tertium* nia collectiuè, diximus ſuprà, & dicemus paulò
inferiùs in hoc art. ¶Ad tertium reſpondetur ne-
gando conſequentiam. Quia licèt poſsit omnia ve-
nialia diuiſiuè, non tamen omnia collectiuè. Ad
confir. reſpondetur, quòd illud ſpecialiſsimum au-
xilium & priuilegium, requiritur ad omnia venia-
lia vitanda collectiuè; non tamen ad quodlibet in
particulari diuiſiuè. Vnde negatur conſequentia:
Nam ſufficit ad peccandum,quòd poſsit quodlibet
in particulari vitare,& diuiſiuè. Vnde, quodlibet
*Ad quartũ.* quod non vitat in particulari,libere non vitat.¶Ad
Quartum, Aliqui dicunt & exiſtimant illud eſſe
probabile,quòd poteſt homo vitare omnia venia-
lia,quæ fiunt ex deliberatione,& non ex ſurreptio-
ne; ſine ſpeciali priuilegio. Et id probant ex hoc
quarto argumento.Sed hoc ego non credo eſſe ve-
rum,propter rationes ſuprà tactas. Quia moraliter
loquendo, tot ſe offerunt negotia & occaſiones,vt
id de facto nunquam fiat. Item etiam; Quia licet
gratia ſanet rationem; tamen manent paſsiones ap-
petitus,tentationes,occaſiones externæ, quas om-
nes,non eſt morale, quòd de facto per totam vitam
repellat,& ſuperet iuſtus,circà obiecta venialia.Sed
dicunt aliqui, quòd ſaltem mendacium poteſt ho-
mo vitare per totam vitam, & quòd de facto aliqui
Sancti ſine ſpecialiſsimo hoc auxilio, illud vitarũt.
Quia ad vitandum hoc genus peccati in particula-
ri,non ſemper eſt infirma natura. Sed neque hoc ſa
tisfacit,neque mihi probatur.Nam ſi quis commit-
tat aliquod peccatum mortale, eo ipſo quòd eſt affe
ctus ad libidinem verbi gratia, vel ad honoré plùs
nimio,vel adiram;ſi ad ſeruandum honorem iudi
cat eſſe ſibi vtile mentiri, mentietur proculdubio.
Dices, quòd intelligitur præfata ſententia de ho-
mine exiſtente in gratia. Sed contra: Nam homo
exiſtens in gratia, non poteſt perſeuerare per to-
tam vitam in gratia, ſine dono perſeuerantiæ, &
ſpecialiſsima manutenentia Dei; ergo. Quòd ſi ali-
quis vitauerit per totã vitam,nunquã mentiri,neq;
venialiter,præſertim ſi vita longa ſit;crediderim, id
non fieri ſine ſpeciali aliquo Dei dono. Ex quibus
patet ad argumentum & confirmationem ſolutio.

*Ad argumẽta Lutheri.* Ad alia duo argumenta Lutheri & ſuorum.Ad.1.
Certè ſolùm probat,quòd exiſtentes ingratia, citrà *Ad.1.*
ſpeciale priuilegium, nõ poſſunt vitare omnia pec-
cata,etiam venialia.Et negatur,quòd concupiſcen-
tia ſemper ſit peccatum.Imò etiam negatur, quòd
ſemper operemur ex concupiſcentia, & quòd ſem-
per teneamur operari ex charitate:Non enim eſt præ
ceptum charitatis, quòd omnia faciamus propter
amorem Dei.Vndè,licet ſit optimum conſilium; ta-
men non eſt præceptum ſpeciale de hoc.¶Ad ſecũ- *Ad ſecundũ*
dum reſpondetur,quòd illa teſtimonia probant ſo-
lùm,neminem eſſe adeò iuſtum ſecundum legem
communem,quin interdum committat aliqua leuia
peccata.Ita Diuus Auguſtin.Pſalm.142.exponendo *D. Auguſt.*
illud:Non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis vi-
uens. Imo verò, verſiculus iſte fauet in propoſito.
Ita Hieron.ſuper illud ad Epheſ.1. vt eſſemus San- *D. Hieron*
cti,& immaculati.Poſſunt etiam interpretari illa te-
ſtimonia,vt ſit ſenſus tantum,quòd vniuerſa ſancti
tas & iuſtitia hominum,comparata ſanctitati & iu-
ſtitiæ diuinæ,eſt quaſi nihil,iuxta illud Lucæ. 18.Ne
mo bonus niſi ſolus Deus. Et Iſaiæ. 40. Omnes gen- *Lucæ. 18.*
tes quaſi non ſint,ſic ſunt coram eo.Ita Auguſti.vbi *Iſaiæ 40.*
ſuprà.Ita Bernard.Sermo.5.de verbis Iſaiæ.Vbi ele- *D. Auguſt.*
ganter diſtinguit quadruplicem iuſtitiam & ſancti- *D. Bernar.*
tatem. Ad illud Iſaiæ.44.Omnes iuſtitiæ noſtræ,qua
ſi pannus menſtruatæ,facti ſumus vt immundi om-
nes nos.Reſpondetur, quòd locus iſte intelligitur
de toto populo Iudæorum,vt ſit ſenſus;vniuerſæ iu
ſtitiæ legales illius populi erant maculatæ innume-
ris peccatis Iudæorum.Ita interpretatur Hiero ibi-
dem. Legendus eſt Pater Vega lib.11. ſuper Tridẽt. *D. Hieron.*
à capit.26. & deinceps vbi elegantèr impugnat er- *Vega.*
rorem Lutheri.¶Ex dictis patet,quòd propter pecca *Conc. Trid.*
ta venialia, non amittit iuſtus rem aut nomen iuſti.
Ita Trident.ſeſsio.6.Hiero.& Auguſt.licis ſuprà ci- *D. Hieron.*
tatis.Imò ſtat,quòd aliquis ſit perfectus,& quòd in- *D. Auguſt.*
terdùm committat venialia,vt Oſius in explicatio- *Oſius.*
ne fidei cap.74. Gregor.10.moral.capit.9. Auguſtin. *D. Greg.*
in Enchirid. cap.64.apertè docent.Et ideò, cùm Sã- *D. Auguſt.*
cti dicuntur in ſcriptura,toto corde & perfecto di-
lexiſſe,vel quæſiſſe Deum,non excluduntur venia-
lia,quę fuiſſe in Iob,Moyſe,& Abrahã & alijs,opti-
mè docet Pater Vega,lib.14.in Trident. cap.15.

*Vega.*

## DISPVTATIO. II.

*Vtrùm fuerint aliqui de facto, qui ex ſpeciali priuilegio, caruerũt venialibus per totã vitã?*

HAEC dubitatio contendit examina re,vtrùm ſalua fide,& ſine temerita-te vlla,poſsit aliquis excipi à regula generali peccati actualis,& venia-lis?Et potiſsimus ſermo in præſenti, eſt de veniali.In quo dubio,recentes Theologi di-cunt,probabile eſſe,quòd D.Ioannes Baptiſta caruit peccato veniali. Et citant prò ſe Patrẽ Medinã. 1.2. q.109.art.8.propè finẽ. Sed male; quia Medina dicit eſſe valde temerariũ & errori proximũ aſſeuerare, hoc priuilegiũ non peccãdi venialiter, fuiſſe cõceſ-ſum alicui Sanctorũ, præterquã B.Virgini;licet for-tè nõ eſſet ita temerariũ de D.Ioan.Baptiſta ex ſpe-ciali priuilegio ſanctificationis in vtero. Vbi Pater Medina,non dicit eſſe probabile, neq; non eſſe te-

merarium prorsus, sed quòd non esset ita temerarium. Catherin. 2. de Eximia prædestinat. Christi docet, D. Ioannem non habuisse veniale, propter id quod canit Ecclesia; Ne leui saltem, maculare vitam famine posses. Et iterum; O nimis felix, meritiq; cel si Sancte Ioannes, nesciens labem niuei pudoris. Driedo. 1. de Gra. & libero arbit. cap. 5. p. 2. ait, quòd si rationes subessent, posset sine temeritate alicui concedi. Et videtur doctrina D. Augustin. de nat. & grat. capit. 36. De peccator. meritis capit. 2. lib. contra duas epist. Pelagian. capit. 20. & epistol. ad Hilarium, & epistol. 95. quæ est Augustini, & aliorum Patrum Concilij Mileuit. ad Innocentium. 1. Sed in Ioanne Baptista sunt rationes, tùm propter testimonia citata, tùm quia repletus est Spiritu sancto adhuc ex vtero matris suæ, & ibi dispositus est ad gratiam cum vsu rationis, qui postea in eo perseuerauit, secundum grauissimos Sanctos & authores; & quia Sanctificatus est primus omnium à Christo, media sua humanitate, & media voce Sacratissimæ Virginis; & quia vitam egit ab omnibus occasionibus, quàm remotissimam; & Scriptura ac Sancti ob mirabilem eius puritatem, eum angelum vocant. Rursus. In Concil. Trident. dicitur; Si quis hominem semel iustificatum, ampliùs peccare non posse dixerit, neque gratiam amittere, atque ideò eum qui labitur & peccat, nunquam vere fuisse iustificatum, aut contrà, posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali Dei priuilegio, quemadmodum de Beata Virgine tenet Ecclesia; anathema sit. Et, in Conci. Tridenti. dicitur, neminem posse in tota vita vitare venialia, nisi ex speciali priuilegio: ergò insinuatur, quòd si asseratur specialiter hoc priuilegium, propter rationabiles causas, non erit periculosum & temerariũ illud asseuerare.

*Driedo. lib. de gratia & li. arb. c. 5. p. 2.* *D. Augusti.* *Catherinus.*

*Conclu. 1.* Pro explicatione huius difficultatis, est prima propositio. Certũ est de fide, Beatissimã Virginem habuisse hoc specialissimũ priuilegiũ, & caruisse per totã vitam omni culpa etiam veniali. Ita tenet vniuersa Ecclesia, vt testatur Conci. Trid. sess. 6. cano. 23. Et hoc idem fuit olim definitum in quodã Concil. Claramontensi cui præfuit Vrbanus. 2. quem refert Andreas à Vega. 14. in Trid. cap. 18. Et idem habetur in Conc. Basilien. Et hoc ipsum videtur voluisse Sophronius Patriarcha Hierosolymita. in quadã epist. Synodica, quæ approbatur in. 6. Synodo Generali act. 11. Vbi dicitur, Diuam Virginem ab omni contagione animæ & corporis fuisse liberatam. Et hinc est, ꝙ communiter vocatur in Ecclesia immaculata, & tota pulchra. D. Bern. expressè tenet hanc assertionẽ in quadã epistola. ad Canonicos Lugdunenses. Idẽ sentiunt omnes Theologi cũ Magistro in. 3. d. 3. cũ. S. Tho. 3. p. q. 27. art. 4. Et colligunt hanc veritatẽ ex Augu. lib. de nat. & gra. ca. 36. Vbi habetur celebris illa sententia: De sancta Virgine Maria propter honorẽ Dñi, cũ de peccatis agitur, nullam prorsus volo habere quæstionem: Indè enim scimus quòd ei plus gratiæ fit collatũ ad vincendum ex omni parte peccatũ, quia concipere ac parere meruit, quẽ constat nullum habuisse peccatũ. Ex quibus satis liquet, erroneũ imò hæreticũ esse dicere, ꝙ B. Virgo habuerit aliquod peccatũ actuale, siue mortale siue venia le. Idẽ docẽt Tertulia. Origenes, Chrysost. Theoph.

*Bernard.* *Augusti.* *Sophronius.*

cum Augustino. Et liberant illud Theologi Iuniores à nota contrariæ sententiæ, quam plerique, hæretici & catholici inurunt. Vnde, Grego. Arimin. in. 2. d. 31. q. 2. art. 1. magna est reprehẽsione dignus, qui ne cogeretur concedere, B. Virginem præseruatam fuisse ab originali peccato, concesit commisisse venialia. Putat namque fortissimum argumentum esse, si nullum habuit peccatum actuale: ergo neque originale. Et ne cogatur concedere secundum, negat antecedens. Nos verò fatemur, illud esse certissimum, vt patet ex Augusti. lib. 5. contra Iulian. cap. 9. Vbi illo argumento conuincit, Christum non habuisse originale. Sed tamen, sicut antecedens est verum, ita & consequens, tam in Christo quam in Sanctissima Virgine. Alij dicunt, illud argumentum nõ concludere; Nullum habuit actuale: ergo neque originale; nisi in eo qui ex lege, & non ex priuilegio, caret venialibus. Et hoc pacto assumitur ab August. 5. contra Iulian. capit. 9. in fine, ad probandum, quòd Christus non habuit originale. ¶ Tandem hic aduerte, quòd hoc specialissimum auxilium, dicitur priuilegium, non quia sit contra aliquam legem, sed quia insolitum est, & habet specialissimam Dei gratiam: vel quia eo ligatur fomes, cui omnes nos subditi sumus, tanquam legi existenti in membris nostris repugnanti legi mentis nostræ.

*Grego. Arimi.* *D. Augusti.* *Nota.*

Secunda propositio. Hoc priuilegium, non est facilè alteri Sanctorum, sine magno fundamento concedendum. Hanc tenet D. Augustin. lib. de Spiritu & litera cap. 1. Vbi ipse iudicat, nullum talem hominem esse, vel fuisse, vel futurũ esse, qui caruerit per totam vitam venialibus, præter Diuam Virginem; & id testimonijs Scripturæ dicit videri definitum. Pater Medina dicit, temerarium & errori proximũ esse, oppositum huius assertionis asseuerare. Et quòd hoc priuilegium nunquam peccandi veniali ter, alicui Sanctorum non sit donatum, præterquam B. Virgini, probatur primò: Quia Concil. solùm excipit Diuam Virginem, & subiungit; Quemadmodum de Beata Virgine tenet Ecclesia: Ergò de nullo alio tenuit, hoc priuilegium ei fuisse concessum. Item probatur: Quoniam hoc priuilegium nunquã peccandi venialitèr, non fuit datum Apostolis etiã post aduentum Spiritus sancti: ergo, neque alicui alij ex Sanctis: Nam Apostoli primitias Spiritus habentes, etiam peccata venialia habuerunt, vt docet Mileuit. loco citato. Nam ait, quòd de Apostolis etiã intelligitur illud. 1. Ioannes. 1. Si dixerimus, quòd peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Rursus probatur. Quia alias paratur via & occasio, vt quis dicat, Ioannem Baptistam, aut Ieremiam, non fuisse in originali conceptos. Et confirmatur: Quia nemo est excipiendus à communi regula tradita in Scriptura, sine vrgentissimis fundamentis & argumentis, præsertim sine testimonijs Sanctorum Patrum; at Sancti Patres potiùs contrarium sentiunt. Nam D. Augustin. lib. 2. de peccator. merit. & remiss. cap. 7. & de nat. & gratia capit. 36. & 62. & epistol. 95. & de Ecclesiastic. dogmatib. capit. 49. licèt concedat, posse aliquem per Dei gratiam viuere sine peccato, dicit tamen, neminem (excepta Virgine Sanctissima) caruisse minimis saltem peccatis. Idem docet D. Hieronym. lib. 3. contra Pelagium. Beda in illud Ioan.

*Conclus.* *D. Augusti.* *1. Ioan. 1.* *D. Augusti.* *D. Hieron.* *Beda.*



Ioan. 1. Ecce qui tollit peccata mundi Diuus Basili. homil. 89. D. Grego. hom. 13. in Euangelia, & 18. moral. capit. 9. & lib. 31. capit. 1. Et D. Cæsarius Episcop. Arelate nſ. homi. 5. loquens de peccatis venialibus ait; A quibus non solũ populus Christianus, sed etiã nullus Sanctorum, immunis esse potuit. Imò verò D. Bernardus epistol. 174. ad Canonicos Lugdunen. negat hoc in particulari fuisse concessum B. Ioanni Baptistæ, aut Ieremiæ.

*D. Basil.* *D. Gregor.* *D. Cæsarius* *D. Bernar.*

Sed interrogabit aliquis; Quid sit, & in quo consistat tale priuilegiũ? Vtrũ cõsistat in aliquo dono habitualiter inhærente, quo liberũ arbitrium cõfirmatur in bono, taliter vt non possit declinare in malum? vel, Vtrùm tantùm sit quædam extrinseca manutenentia Dei repellentis occasiones, & incitamenta peccati, & promouentis ad bonum? Ad hoc iam diximus, Durandum docuisse, hoc priuilegium, quod est, non posse peccare, nulli viatori posse competere ex dono inhærente, sed tãtum ex adiutorio coassistente. Nam in. 3. dist. 3. quæstion. 4. asseruit, hoc priuilegium vitandi omnia venialia collectiuè, non cõsistere in perfectione gratiæ habitualis, sed solùm in extrinseca manutenentia, & prouidentia Dei. Sed contrarium sensit Diuus Thomas in 3 d. 3. quæstio. 1. articul. 2. quæstiunc. 3. in corpore, & ad secundum. Vbi ait, hoc priuilegium vitandi omnia collectiuè, competere Beatæ Virgini, ex gratia sibi infusa, quæ fuit tanta, vt potentiam peccandi ab illa tolleret; sicut forma cœli excludit à materia cœli potentiam ad corruptionem. Insinuat ergo S. Thomas, hoc priuilegium consistere in maxima perfectione gratiæ, quæ tanta esse potest in iusto, vt auferat potentiam peccandi, sicut abstulit in Beata Virgine. Et probari potest hoc, ista ratione: Nam per gratiam fit homo potentior ad vitanda venialia, quàm sine illa: ergo quò maior fuerit gratia, potentior efficietur homo; ergo poterit ita crescere, vt omnino vincat venialia. ¶ Sed nihilominus dicendum est, hoc priuilegium, neque totaliter esse per donum intrinsecus inhærens, nec solùm per assistentiam extrinsecã; sed partim prouenire ex perfectione gratiæ inhærentis intrinsecè, magis autem principaliter, ex assistentia & manuteneutia extrinseca Dei: ad eum modum, quo de dono immortalitatis concesso Adæ, philosophatur Sanctus Thomas 1. part. quæstione 97. articulo primo. Hæc sent. habetur ex Sancto Thoma de veritat. quæstione 24. articu. 9. & 3. part. quæstione 27. articulo 4. & nos eam suprà insinuauimus dubitatione prima præcedente; & proportionabiliter dicendum est, de dono confirmationis in gratia, ex qua Apostoli habuerunt, vt non possent peccare mortaliter, pro vt communis traditio tenet, & Sanctus Thomas expresse loco citato de verit. ad secundum.

*Conclu. 3.* Tertia propositio. Nõ est probabile dicere, quòd Diuus Ioann. Baptista omnino caruit peccato veniali; Imò verò habuit venialia, licet frequentia eorundem caruerit. Hæc est contra nouos theologos, & contra Catherinum libro secundo de eximia prædestinatione Christi. Hanc tenet Diuus Bernardus epistol. 174. ad Canonicos Lugdun. saltem insinuat eam ibi, si attentè legatur. Idem Durand. in. 3. d. 5. quæstione 4. & Sanctus Thomas 3. part. quæstione 27. articulo tertio ad primum. Ita Augustin. de natura & gratia cap. 36. qui soli Beatæ Virgini concedit hoc priuilegium. Rursus, priuilegia non debent extendi, aut concedi sine maximis fundamentis, & vrgentissimis rationibus, aut sine dictis Sanctorum Patrum; sed fundamenta non sunt ita magna, ea inquam, quæ contraria sententia adducit: ergo. Neque fauet Driedo. libro de gratia & libero arbitrio, capitulo quinto, particula secunda, cum dixit, citra errorem & temeritatem, id priuilegium posse cõcedi alicui sanctorum, si adesset sufficiens fundamentum, & efficax ratio. Nam eadem verba, locis citatis, dixit Augustin. in quibus licet sæpe tetigisset hanc difficultatem, tamen neque ipse, neque alij plerique Sancti & authores, qui adamussim laudant D. Ioan. ausi sunt concedere hoc priuilegium Baptistæ sanctissimo, aut alijs sanctis, excepta Virgine: ergo neque nos debemus id facere. Præterea; Quia si quis diceret Baptistam caruisse veniali, propter eximiam eius sanctitatem, & eximia opera, quæ gessit, per hoc paratur via, & consequentia ad id concedendum de plerisque Sanctorum, quod tamen esset temerarium. Et confirmatur. Nam Apostoli, quos nemo bene postponet Ioanni Baptistæ, etiam post copiosum aduentum Spiritus sancti, & confirmationem in gratia, habuerunt venialia; vt Petrus, de quo dicit D. Paul. quòd in faciem ei restitit, quia reprehensibilis erat. Et Ioann. Euangelista: Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus. Et Diuus Iacobus; In multis offendimus nos. Imò verò Gregorius Arimin. existimat, loco superius citato, firmam esse consequentiam; ex denegatione peccati actualis, mortalis & venialis per totam vitam, inferre denegationem peccati originalis: paratur ergo errandi occasio, si extendatur præfatum priuilegium, etiam ad D. Ioã. Bapti. Et confirmatur iterum: Quia omnes Sancti Patres dicunt simul cum Conci. Trid. & Ecclesia, neminem posse in tota vita omnia peccata, etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei priuilegio; & tamen nullus ex illis extendit illud ad D. Ioan. Baptistã. sed solùm ad D. Virginem; ergo signum est, non esse firma fundamenta, neque efficaces rationes ad id condonandum Baptistæ.

*D. Bernar.* *D. Augusti.*

Quarta propositio. Dicere de Sancto Ieremia Propheta, & de alijs etiam iustis, Apostolis inferioribus, quòd caruerint venialibus in discursu vitæ ipsorum, temerarium est. Nam si Apostoli habuerunt venialia, etiam post aduentum Spiritus sancti, quid de alijs, & de Ieremia Propheta? Sic Bernardus argumentatur libro de gratia & libero arbitrio. Vnde Concilium Mileuit. capitulo sexto, & septimo definit, falli eum, qui dixerit, se carere peccato veniali, & quòd omnes, non solùm humiliter, sed veraciter dicere possunt: Dimitte nobis debita nostra: ergo temerè extenditur hoc priuilegium. Nam nemo est excipiendus à communi regula tradita in Scriptura, & in definitione Ecclesiæ sine vrgentissimis, & efficacissimis argumentis, & dictis Sanctorum Patrum: ergo cum hæc dicta non extent, sequitur, &c. Præterea; Quia Diuus Augustinus libro. 2. de peccatorum meritis capit. 7. & de natura & gratia, capit. 36. & Epistol. 95. licet concedat, posse aliquem per Dei gratiam viure sine peccato; dicit tamen, neminem, excepta Virgine,

*Conclu. 4.* *D. Augusti.*

*D. Hieron.* Virgine, caruisse minimis saltem peccatis. Et idem docent Hieronym,& alij Sancti supra citati. Et Pater Medina expresse negat hoc de Ieremia,imò verò de Diuo Ioanne Baptista. Et dicit, tutius esse neminem excipere præter Diuã Virginem,quam excipit Ecclesia; Quia aliàs hac via facile daretur occasio, vt quis diceret, Ioannem Baptistam ex priuilegio, non fuisse conceptum in peccato originali, & ita de alijs. Sicut modo plerique nescio cur, ex priuilegio dicunt, de facto Diuũ Benedictum vidisse diuinam essentiam, dum viueret in terris nobiscum, quasi minus sanctus sit, aut fuerit, si id priuilegium nunquam habuerit, sicut de facto non habuit. ¶ Sed in hac parte, nonnulli Theologi aduertunt, quòd licet nullus ex sanctis caruerit venialibus omnino in discursu vitæ, nihilominus esse probabile, quòd in aliqua speciali materia, seu in vno aliquo genere, potuerunt carere venialibus in illo genere: Et ob id dicunt esse probabile, quòd Sanctus Ioseph, sponsus Beatissimæ Virginis, & vterque Ioannes, nullum commisere veniale contra castitatem & pudicitiam. Et fortè, id est quod in hymno festiuitatis Sanctissimi Baptistę de illo canit Ecclesia: Nam subiungit; O nimis fælix meritique celsi,Sancte Ioannes, Nesciens labem niuei pudoris.

Ad argumenta; arbitror esse soluta ex doctrina tradita in discursu huius dubitationis, & ex verbis, quæ nunc postremò loco dicebamus. Certè, in hymno illo: Antra deserti, Ecclesia laudat Baptistam, quòd fugiens turmas ciuium, regiamque curiam; splendoremque: ob id amore Christi ardens, antra deserti petierit, ne maculare vitam etiam leui famine posset, hucque direxisse mentem, efficacemque intentionem; ex quo non benè deducitur, aut colligitur, eum omnino caruisse, omni genere peccatorum venialium. Verùm Ecclesia, assertiuè & iure laudans Baptistam, ob candidi & castissimi animi pudicitiam, dixit: Nesciens labem niuei pudoris, quod interpretati sumus paulo ante. ¶ Ad illud verò quod adducitur ex Driedone & alijs, quòd si adesset sufficiens fundamentum, & efficax ratio, citra errorem & temeritatem posset concedi priuilegium nunquam peccandi venialiter alicui Sanctorum; Respondetur, quòd hoc solum probat, quòd si alicui hoc conceditur, ex priuilegio donatur; & cõsequenter, quòd si Baptista id habuit, ex priuilegio habuit. Cæterùm, ex verbis citatis nõ probatur quòd in particulari sit sufficiens fundamẽtum & efficax ratio, & inefficacia rationis ostensa est in conclusionibus. Fundamentum autem, nõ est in præsenti adeò sufficiens; Quia non extant dicta aliquorum Sanctorum Patrum, à quibus excipiatur Baptista; imo verò oppositum videtur sensisse: Quia disputãtes de hoc priuilegio, excipiunt Sanctissimã Virginem ab omni veniali, & non Baptistã, quia tacent. Vnde, solum ex fide habemus, quòd solum ex speciali priuilegio Dei, & suæ gratiæ, potest quis liberari ab omni peccato veniali, & quòd si aliquis careret omnino venialibus, id sibi contingeret solũ ex speciali priuilegio gratiæ Dei, vt dicit Tridenti. sess.6.can.23. Sed hęc doctrina est vniuersalis & communis. Quare, argumenta aduersariorũ nihil concludunt.

## DISPVTATIO. III.

*Vtrùm impossibilitas vitandi omnino venialia, sit physica, an tantum moralis?*

DE hac difficultate, consequẽter possemus loqui ad ea quę dicta sunt in ar.4.&.8.cũ de potentia ad vitanda peccata locuti sumus. In quare aduerte, duplicem illam potestatẽ, & impossibilitatem moralem, & physicam, seu logicam & Metaphysicam, quam in superioribus fusè sumus interpretati. Quo supposito, Pater Vega 14.in Trident.à capit.20.vsque ad 23.apertè dicit, quòd possumus per Dei gratiam, etiam loquendo de potentia physica, vitare omnia venialia, non tamen de potentia ordinaria. Et inter recentes Theologos, etiam sunt nonnulli, qui probabile reputant, quòd iustus potest etiam physicè cauere omnia venialia, per gratiam Dei. Imo verò censent, esse probabile id fieri posse per naturæ vires. Quoniam rationes, quibus nonnulli probãt, possibile esse per gratiam Dei cauere omnia venialia, pari ratione probant de homine in puris naturalibus constituto; & eandem efficaciam, easdemque vires habent rationes illæ, de prædicto homine in puris naturalibus posito. Et probant: Quia probabile est, quòd per vires naturæ potest physicè vitare omnia mortalia, vt Pater Vega & alij fatentur: ergo pari ratione, idem dici potest de venialibus, explicando concilia & Sanctos de potentia morali: Et saltem de venialibus, quæ committuntur ex deliberatione, & non ex subreptione. Et hoc etiam videtur insinuare Durand. in 2.d.28.quæstion.3.numer.8.& in.4. d.41. Tandem dicunt, non solùm saluandum esse, quòd possumus vitare omnia diuisiue, sed etiã collectiuè, quia vtrumque præcipitur à Deo. Vnde Pater Vega lib.14.in Trident.capit.21.& 22.& 23. totis viribus conatur ostendere, quòd licet sit impossibile moraliter loquendo, iustum vitare omnia venialia; hoc tamen est possibile physicè, seu metaphysice aut logicè; Quia quantum est ex parte libertatis, & gratiæ diuinæ, potest iustus semper viuere sine peccato.

Vnde, res hæc aperienda est à nobis. Sit ergo prima propositio. Vires naturæ, seu liberi arbitrij lapsi, non possunt vitare omnia venialia collectiuè, & ita viribus naturæ nõ possumus physicè collectiuè omnia cauere. Hæc est S.Tho. suprà art.4.& 8. quam sem per supponit vt verã. Eandem tenet Decanus art.7. quã semper supponit. Et Ricar. Marsil. Henri. Ægid. D. Bonauent. Gerson suprà citati artic.4. Vbi egimus de potentia ad vitanda peccata, disputatione 2. in 2. parte illius controuersiæ, præsertim conclusione.3. 4.5.& deinceps. Et Pater Vega, oppositũ censet esse Pelagianum, & probat ex dictis D. Augustin. & Hieronym. & ex disputationibus eorundem, & ex his quæ dicunt nobiles authores contra Pelagium ponentem hanc difficultatẽ moralem solũ. Vnde Concil. Trid. sess.6.can.23. satis fauet huic assertioni. Eò præsertim, quòd peccata venialia, non solũ sunt ex deliberatione, sed interdum ex subreptione. Rursus Concilia decernũt, Adam per integritatẽ naturæ, & iustitiam originalem, potuisse cauere omnia peccata; sed per peccatum, licet natura non fuerit extincta; fuit tamen vehemẽter læsa secundũ vires suas. Et confirmatur: Quia si post læsam naturam, & post peccatum, physicè posset vitare omnia venialia collectiuè, etiam illa quæ ex subreptione proueniunt? sequitur quòd posset omnia vitare collectiue sine gratia, quod est pluspquã falsum, vt locis citatis deduximus. Quocirca, homo in hoc statu est veluti infirmus, etiã ex parte viriũ: ergo deficit sibi hæc potestas ad omnia collectiuè. Hoc idẽ insinuat Concil. Mileuit. c.6.7.& 8.& Arausi.cap.10.& Cælestinus primus, Epistola.1. & Innocentius primus in varijs Epistolis. Extãt etiam pleraq; testimonia sacræ Scripturæ, supra in hoc art. dubio.1.conclu.1. Vnde, per vires naturæ lapsæ, secluso dono sanante naturam, non potest homo omnia venialia cauere collectiuè; secus verò per vires naturæ sanæ & integræ, non lapsæ.

*Conclu.1.* *D.Thom.* *Decanus.* *Ricardus.* *Marsilius.* *Henricus.* *Ægidius.* *D.Bonau.* *Gerson.* *Vega.* *D.Augus.* *D.Hieron.* *Cælestin.* *Innocent.*

*Conclusio.2.* Secunda propositio. Si sermo sit de vitatione omnium venialiũ, etiam proueniẽtium ex subreptione & ex minus plena deliberatione, non potest vitare homo omnia sine priuilegio, etiam potentia physica. Hæc est communis sententia, per quã saluantur Sancti & concilia; & opposita est noua, & dura. Et patet; Nã si esset posibile physicè omnia vitare, id quidẽ posset cadere sub voto, quod est cõtra omnes in materia de voto: & præsertim contra D. Bernard. lib. de præcepto, & dispensatione. Rursus, licèt homo teneretur ad omnia collectiuè vitanda; tamẽ sufficeret habere potentiã moralem ad vitanda singula in particulari; & præterea Deũ esse paratum quantum est de se ad conferendũ auxilia, quibus moueat hominem ad perfectionem. Quare, de illo auxilio, & de quolibet alio, quod est per se necessarium ad vitanda ea, quæ tenemur vitare, inconueniens videtur, quòd Deus non esset paratus conferre auxilia per se necessaria, ita vt nullo modo stet per illum denegantem auxilium ad id quod iubet, sed per nos non cooperantes auxilijs Dei, vt vberiora conferantur. Diuus Augustinus ex regula superius tradita, quam infallibilem putat, dicit, quòd Deus non denegat auxilium ad id quod hortatur, & iubet vt faciamus, sed hortatur vt nunquam peccemus, & vt simus perfecti, & irreprehensibiles: ergo.

*D. Bernar.* *D.Augus.*

*Conclusio.3.* Tertia propositio. Licet homo possit vitare singula venialia diuisiuè, non solum physicè, sed moraliter; tamen non potest omnia collectiuè vitare moraliter, seu potentia morali. Quòd possit singula vitare diuisiuè & in particulari, physicè & moraliter, omnes cõcedunt, aliàs si neque physicè neq; moraliter posset vitare, neq; diuisiuè neq; collectiuè, careret prorsus potẽtia ad vitandũ; & tamen nemo peccat in eo quòd vitare nõ potest. Rursus vt diximus, licet ad vitanda omnia collectiuè teneretur homo, sufficeret habere potentiã moralẽ ad vitanda singula, & Deũ esse paratũ de se: ergo. Itẽ; Nam oblata occasione in particulari diuisiuè, homo liberè peccat, etiã inuenialibus: ergo potest qualibet oblata occasione, diuisiuè nõ peccare: ergo vitare quodlibet diuisiuè in particulari. Vnde, argumenta quæ militãt de mortalibus diuisiuè, etiam concludunt de venialibus. ¶ Quòd verò homo careat potentia morali ad vitanda omnia peccata venialia collectiuè, aut diu & multo tẽpore, aut per totã vitã, expresse docet Hilarius Psal.118.explicans illud: Amputa à me opprobrium meum. Sic enim ait: Propheta in corpore positus loquitur, & neminem viuentium scit, sine peccato esse posse. Et statim; Se hominem meminit, qui per naturæ infirmitatem, sine peccato esse non posit; & ideo precatur: Et ne auferas de ore meo verbum veritatis vsque quaque. Idem sensit Augustin. Homi.2. in Apocalyp. Et Homi.2. de verbis Apostoli; vbi ait: Non Angeli indigent pœnitentia, sed homines qui sine peccato esse non possunt. Et subiungit: Non dicam laici, sed etiam sacerdotes, vna die esse non debent sine pœnitentia; quia quomodo nullus dies est, in quo homo possit esse sine peccato, sic nullo die debet esse sine satisfactionis remedio. Et de bono perseuerantiæ capit.13. citat ex Ambrosio, & approbat cauere difficilè, exuere autem impossibile subreptiones, in quibus dubium non est quandoque nos peccare venialiter. Idem sensit explicans verba illa Ioannis, Si confiteamur peccata nostra, lib. de fide ad Petrum capit. 41. Diuus Gregorius. Homil.17. in Euang. & lib.18. moralium. capit.4. postquam dixit, quòd humana vita sine culpa transiri non potest, asserit, à iustis peccata etiam leuia, & minuta esse ineuitabilia. Et debet intelligi de omnibus collectiuè, & de potentia morali, seu de potentia ordinaria. Idem Beda explicans illud: Ecce agnus Dei. Idem Bernard. de triplici misericordia ait: In leuibus peccatis, à quibus abstinere non possumus, dum gestamus corpus peccati, sufficit ad salutem quotidiana pœnitentia. Et iterum: In hoc corpore peccati; & in hoc tempore malo, sine peccato esse non possumus. Et lib. de præcepto & dispensatione, & de cœna Domini, ait: Fateor sinè impossibile cuiuis mortalium, vel venialiter interdum non delinquere. Et colligit, neminem posse cautè polliceri se non peccaturum. Vndè frequens est illud axioma Theologorum & Scholasticorum, singula posse vitari in hac vita peccata venialia, sed non omnia. Hæc veritas videtur mihi definita in Trid. sessio.6.can.23. Et idem esse dictum à Sanctis Patribus asserentibus, esse impossibile vitare omnia venialia, sine speciali priuilegio, quod saltem intelligendum est de potentia morali. Similiter Scholastici in.2.d.28.& d.41. cum D. Thom. suprà artic. 8. dicunt, id esse impossibile; & ob id in materia de voto affirmant, votum factum de nunquam peccando venialiter, esse inualidum, quia est de re impossibil. Et propter eandem causam, & rationem idem asseruit Diuus Bernardus loco citato. Et patet etiam ex suprà dictis articulo quarto. Quoniam potentia moralis, non abstrahit à difficultatibus, neque attenditur ex connexione terminorum, neque ex naturis rerum absolutè, sed ex circunstantijs, & impedimentis, & tentationibus, & periculis: ergo, &c. Vnde, q; homo nõ possit vitare collectiuè omnia venialia per totam vitam, licet sit iustificatus, ni si ex speciali Dei priuilegio; aperte est definitum in Concil. Trident. loco sæpius citato sessio. 6. can. 23. & consequenter aperte definitur, quòd vt minimũ, homo iustus non habet potentiam moralem ad omnia collectiue vitanda.

*D. Hylari.* *D. Auguſt.* *D.Gregor.* *Beda.* *D. Bernar* *D. Bernar.*

Sunt nõnulli ex iunioribus Theologis, qui asseuerant,

rant, hominem iustificatum, posse physicè cauere omnia venialia per gratiam & fauorem Dei; & ita habere potentiam physicam ad vitandum omnia collectiuè, etiam sine speciali Dei priuilegio. Et addunt modò nouissimi & recentes Theologi, esse probabile, hominem posse cauere physicè omnia venialia per vires naturæ; Quia rationes quibus probatur id esse possibile physicè, per solam gratiam hominis iustificati, id ipsum probant; & eandem efficaciam habent, si formentur de homine cõstituto in puris naturalibus; Nam probabile est, quòd per vires naturæ potest homo physicè vitare omnia mortalia; ergo pariter de venialibus dici potest, explicando Sanctos, & Concil. de potentia morali. Ita insinuat Durandus in 2. distin. 28 quæsti. 5. & locis suprà citatis. ¶ Pater Vega in Trident. lib. 14. capit. 21. adducit multa argumenta, quibus conatur ostendere, quòd homo iustus potest vitare omnia peccata collectiuè, & per totam vitam, per Dei gratiam, etiam sine speciali priuilegio. Et dicit, quòd licèt hoc non sit possibile per solas vires liberi arbitrij, tamen est possibile ex parte suæ libertatis, & diuinæ gratiæ, & quòd hoc intelligitur de potentia logica, & metaphysica. ¶ Tandè probat quòd ex gratia, quæ datur ex lege communi, sit possibile, physicè vitare omnia venialia collectiuè per totam

*Argumen. 1.* vitam. Et primum argumentum pro hac parte, est. Quia homo tenetur vitare, non solum singula, sed totam collectionem; sed Deus non obligat ad impossibile; ergo potest vitare totam collectionem. Si dicas, nullum esse præceptum de tota collectione, sed esse singula de singulis, & ob id nullum esse præceptum seruatu impossibile. Contra arguitur. Quia nequeuno, neque pluribus præceptis fatendum est, nos Deum obligare ad impossibile, vt impudicè hæretici dicunt. Vnde, lex dicitur iugum suaue Matth. 11. & Deutero. 30. Mandatum quod ego præcipio tibi, non suprà te est. Et apud Ioannem: Mandata eius grauia non sunt. Et confirmatur. Quia æquè tyrannus esset dominus, qui pluribus præceptis præciperet collectionem impossibilem, sicut qui vno præcepto tantùm; Nam si dominus seruo infirmo præciperet singulis præceptis, vt singulis horis, singula portaret ligna, quæ non posset in fine collectiuè, sed tantùm diuisiuè afferre; si vnico præcepto ei iniungeret, æquè Tyrannus esset.

*Matth. 11.* *Deuter. 30.*

*Secundum.* ¶ Secundo arguitur. Quia tota collectio venialium habet rationem culpæ: ergo & voluntarij: ergo possibilis: ergo potest homo physicè totam collectionem vitare.

*Tertium.* ¶ Tertio arguitur. Sub illo præcepto; Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, ex tota mente, ex totis viribus, includitur vt ne etiam in minimo Deum offendamus: igitur si non possumus vitare omnia venialia, illud præceptum erit impossibile.

*Quartum.* ¶ Quarto arguitur. In Oratione Dominica, petimus auxilium ad vitanda omnia venialia, cum dicimus: Et ne nos inducas in tentationem: ergo id est possibile ex auxilio prouenienti à gratia præcisè.

*Quintum.* ¶ Quinto arguitur. Per aliquod tempus possumus vitare omnia venialia: sed illis vitatis, reddimur potentiores ad reliqua, tum ex augmento habituum; tum ex auxilio Dei, quo præmiaremur: ergo.

*Sextum.* ¶ Sexto. Vergit in iniuriam diuinæ bonitatis, quòd non det nobis auxilium ad cauendam omnem offensam Dei collectiuè.

*Septimum.* ¶ Septimo. Quilibet experitur, se potuisse vitare omnia venialia præterita: ergo similiter futura.

*Octauum.* ¶ Octauo arguitur. Quia aliàs sequitur quòd tentamur suprà id quod possumus, quod est contra Paulum, si non possumus implere præcepta, quæ de tota collectione in Sacra scriptura dantur. Ad Coloss. 1. Exhibete vos sanctos, & immaculatos, & irreprehensibiles. 1. Corinthio. 15. Euigilate iusti, & nolite peccare. Idem habetur 1. Petri. 1. vbi citatur illud: Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum. Et 2. Petri. 1. pollicetur, eos qui sua consilia seruauerint, non peccaturos aliquando. Et 1. Ioann. 2. Hæc scribo vobis, vt non peccetis. Et Diuus Iacobus in sua Canonica ait: Ei autem qui potens est nos seruare sine peccato. D. Augustin. libro secundo de peccatorum meritis capit. 6. ait: Qui dicunt esse posse hominem in hac vita sine peccato, non est eis continuo incauta temeritate obsistendum. Si enim esse posse negauerimus, & hominis libero arbitrio, qui hoc volendo appetit, & Dei virtuti, vel misericordiæ, qui hoc adiuuando efficit, derogabimus. Et statim ait, esse indubitatum, quòd id fieri potest per Dei gratiam & liberum arbitrium. Idem docet de spiritu & litera cap. 1. & 2. & Epistola. 95. Imò verò, licet Augustin. lib. de natura & gratia capit. 60. dicat; se non velle contendere, an aliquis in tota vita caruerit venialibus; tamen lib. contra duas Epist. Pelagianorum, videtur asserere, non esse inconueniens, quòd alicui hoc concedatur, dummodo asseratur habuisse originale. Idem insinuat; & docet loco citato de Spiritu & litera. capit. 36. Et de natura & gratia capit. 58. 62. 63. 64. 65. Ex Sixto & Hieronymo absolute docet, hominem per gratiam Dei, esse posse sine peccato per totam vitam. Pater Vega citat D. Hieronym. plerisque in locis, & adducit eius verba contra seipsum, & conatur dissoluere capit. 22. & 23. loco citato.

*Ad Coloss. 1. Corint. 15. 1. Petri. 1. 2. Petri. 1. 1. Ioan. 2. D. Iacob. D. Augus.*

*Conclu. 4.* His non obstantibus; Quarta propositio est. Impossibilitas illa vitandi omnia peccata collectiuè, & per totam vitam, non tantum est moralis, sed etiam physica. Itaque, quamuis possit omnia diuisiuè, non item omnia collectiuè. Hanc contra nouos. Theologos constituo, & eam mihi videntur insinuare omnes Sancti citati, Hieronym. Augustin. Bernardus. Beda, quos suprà retulimus, prima & secunda propositione; & hanc supponunt vt verissimam Concilia citata, Cœlest. & Innocen. vbi suprà. Probatur primò ex Concil. Tridentin. session. 6. cano. 23. Nam loquens etiam de homine iustificato, ait, quòd si quis dixerit, hominem iustificatum &c. posse in tota vita peccata omnia etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei priuilegio, quemadmodum de Beata Virgine tenet Ecclesia; anathema sit. Et in primis Concilium dicit, ex solo Dei priuilegio speciali posse hominem vitare omnia venialia: ergo cum dixerit, hoc specialissimum priuilegium esse simpliciter necessarium ad vitanda omnia venialia, & non sufficere gratiam iustificantem, quæ datur communiter iustis, sequitur, impossibilitatem illam vitandi omnia collectiuè, & per totam vitam, non tantum moralem, sed physicam esse. Et confirm. Nam ad vitan-



vitanda omnia venialia collectiuè, & per totam vitam, requiritur de fide specialissimum priuilegiũ: sed hoc de lege ordinaria non datur, alias non esset priuilegium: ergo non censetur illa potentia esse physica, quæ tantum distat & tam longè ab isto specialissimo auxilio. Secundò probatur ex dubio primo huius artic. vbi conclusione. 1. definitum est, quòd præter iustificantem gratiam, & donum perseuerantiæ, quod donatur his qui salui fiunt; requiritur specialius aliud auxilium, & singulare priuilegium ad vitanda omnia venialia: ergo si ad vitanda mortalia sufficit donum perseuerantiæ, & auxilium speciale in homine iustificato, & præter hęc in confirmatis in gratia, sufficiebat ad mortalia omnia vitanda, vt patet in Apostolis, sua confirmatio, & nihilominus illud donum cõfirmationis in Apostolis, non abstulit ab illis venialia, sed vlterius erat necessarium speciale priuilegium, quod dicit Concilium; sequitur minorem illos habuisse potestatem ad vitanda venialia; & consequenter maiorem impossibilitatem vitandi venialia, præsertim ex surreptione prouenientia: ergo non tantum moralem, sed physicam. Nam, vt articul. 4. ostendimus, impossibilitas obseruandi omnia mandata naturalia collectiuè; non intelligitur de impossibilitate physica, sed de impossibilitate morali: ergo cũ confirmati in gratia possint vitare omnia mortalia collectiuè, & non habeant impossibilitatem physicam; sequitur quòd cùm ex eadem confirmatione præcisè, sine priuilegio speciali, non ita possint vitare omnia venialia collectiuè, & per totam vitam; quòd habent non solùm impossibilitatem moralem, sed physicam. Tertiò probatur: Nam iustus in natura integra cum vigore naturæ, potest physicè vitare venialia: ergo in natura infirma & vulnerata, non est ista potestas physica. Itaque, cùm ipsum liberum arbitrium lapsum & vulneratum sit, & careat vigore; sequitur minorem habere potentiam in semetipso ad omnia venialia collectiuè vitanda per totam vitam, quàm si esset sanum & cum vigore naturæ: ergo cùm prius non haberet impossibilitatem physicam; sequitur quòd post lapsum & carentiam vigoris, non habet illam possibilitatem physicam. Quartò probatur: Nam quid est ista potentia physica ad vitanda omnia venialia? Certè nihil aliud est, quam liberum arbitrium habere vires ab intrinseco, non occurrentibus impedimentis & difficultatibus extrinsecis, moraliter occurrẽtibus, sed ipsis cessantibus: Sed adhuc extrinsecis impedimentis cessantibus, liberum arbitrium post lapsum est læsum, & infirmum, & caret illo primo vigore in semetipso: ergo habet in semetipso non tantum impossibilitatem moralem, sed physicam. Quintò, cùm præter iustificantem gratiam & donum perseuerantiæ, seu confirmationem in Sanctis Apostolis, ad vitanda omnia venialia collectiuè, sit necessarium speciale priuilegium; non dicimus per hoc quod repugnat libertati, illa potestas physica, aut quòd defectus prouenit ex parte gratiæ. Nam si repugnaret libertati talis potentia, neque angelus neque alia creatura à Deo factibilis, posset habere physicam illam potentiam, quod est apertè falsum: ergo quod dicimus est, liberum arbitrium lapsum per se physicè, non solùm carere viribus, sed cluſa gratia Dei ad vitandum omnia venialia collectiuè per totam vitam, sed etiam in homine iustificato, secluso priuilegio speciali Dei, habere non tantum impossibilitatem moralem propter difficultates & impedimẽta occurrentia moraliter; sed etiam in semetipso non habere potentiam physicam, exlæsione quam in semetipso habet, & vulneribus atque infirmitate, & imbecillitate post idem lapsum. Sextò probatur: Quia de venialibus ex surreptione prouenientibus, nullus vnquam dubitauit: omnes enim fatentur, hominem non posse vitare omnia collectiue sine priuilegio, etiam potentia physica. Profectò per hoc meliùs saluantur Sancti & Concilia, & hæc est communis opinio & sententia, & oppositum, vt dicit ipse Pater Vega, plerisque & sibi ipsivi sum est nouũ & durum. Tandem probatur: Quia si esset possibile physicè, posset cadere sub voto contra D. Bernar. lib. de præcepto, & dispensat. & contra omnes in materia de voto.

*D. Bernar.*

*Ad argumẽta. Ad 2.* Ad obiectiones & argumẽta, quæ pro aduersarijs & recentioribus militabant parùm ante hanc quartam assertionem, respondetur. Ad primum respondetur, solutionem ibi datam, bonam esse. Nam præceptis illis, quibus astringitur homo vitare singula, obligatur ad possibilia: Quia potest homo, vt dictum est, vitare singula diuisiuè. Imò verò, licèt ad vitanda omnia collectiuè teneretur homo, sufficeret habere potentiam moralem ad vitanda singula. Et præterea (addunt aliqui) Deum esse paratum, quantùm est de se, vt si ille prioribus auxilijs, quibus Deus mouet illum ad perfectionem, cooperatus fuerit, tribuet ei vberiora auxilia. ¶ Aliqui Theologi, vt respondeant præfato argumento, & quibusdam testimonijs, quæ adduci solent in fauorem aduersariorum, respondent, quòd præfata argumenta & testimonia, solùm ostendunt, posse hominem vitare singula venialia, cùm ad hoc teneatur, & quòd licèt teneretur ad omnia collectiuè, sufficeret habere potentiã moralem ad vitanda singula. Sed subijciunt statim, Deum esse paratum quantum est de se, vt si ille prioribus auxilijs, quibus Deus mouet ad perfectionem, cooperatus fuerit, tribuet ei vberiora auxilia, quibus per aliquod tempus & postea per maius, atque adeò per totam vitam, omnia peccata etiam collectiuè vitet. Sed quoniam hoc difficillimum est, nullus peruenit ad hoc, vt Deus de facto tale specialissimum auxilium conferat. Et dicunt vlterius isti, quòd licèt de dono perseuerantiæ non sit inconueniens dicere, Deum non esse paratum illud conferre, quod est necessarium de facto ad perseuerandum; Cæterum, de isto auxilio & quolibet alio, quod est per se necessarium ad vitanda ea quę tenemur vitare, inconueniens esset Deum non esse paratum conferre, ita vt nullo modo stet per illum denegãtem auxilium ad id quod iubet, sed per nos non cooperantes prioribus auxilijs, vberiora conferantur. Nam, licèt quod datur, ad omnia diuisiuè, fortè sit sufficiens, vt Deus possit obligare ad omnia collectiuè, tamen secundùm legem ordinariam, Deus non denegat auxilium ad vitanda omnia collectiuè. Quia secundum regulam, quam infallibilem putat August. Deus non denegat auxilium ad id, quod hortatur vt faciamus: sed hortatur vt nunquam peccemus,

& vt

& vt simus perfecti & irreprehensibiles: ergo. Et cõfirmant. Quia hæc cõditionalis est vera, si homo vteretur auxilijs abstinẽdo aliquo tẽpore à venialibus, Deus præstaret illi auxiliũ ad abstinendũ maiori tẽpore, & longo tempore, &c. Si dicas: ergo non est specialissimum priuilegium, Respondent negando consequentiam. Sicut, quòd Deus sit paratus ad cõferendum donum perseuerantiæ, ad vitandum longum tempus mortalia, non tollit quin sit speciale auxilium & priuilegium. Dicitur etiam specialissimum priuilegium, id quod concessum est Virgini, speciali ratione; quia datum infallibiliter ad vitandum venialia, quod quidem priuilegium, nõ est datum alteri, (vt nos diximus) neque est Deus paratus dare omnibus, sed neque ad infallibiliter vitandum omnia mortalia; sed tantum vt actu & cum efficacia possit si velit. ¶Hæc iuniores dicunt, quæ, an omnia verùm habeant, non vacat modò examinare, pleraque tamen illorum in superioribus sunt discussa. Quòcirca, his non obstantibus nihilominus est absolutè dicendum, quòd homo iustus non potest absolutè vitare omnia venialia collectiuè per totam vitam, sine speciali priuilegio Dei. Sic enim Concilia & Sancti loquuntur, & id quod nõ datur de facto sine speciali priuilegio, non censetur possibile moraliter loquendo. Vndè liquet, nullum esse præceptum de tota collectione per totã vitam, sed esse singula præcepta de singulis peccatis venialibus vitandis, & nullum illorum in particulari est seruatu impossibile. Imò verò, vt artic. 4. diximus præsertim solutione ad. 8. si quis seruaret omnia diuisiuè, seruaret etiam collectiuè; Quia non est alius modus seruandi collectiuè, quam seruando omnia & singula diuisiuè. Et ob id, etiam si ad vitanda omnia collectiuè teneatur; sufficit potentia moralis ad vitanda singula diuisiuè. *Ad confir.* ¶Ad confirmationem respondetur, quòd esset Tyrannus, qui suo arbitrio iniungeret collectiones impossibiles; non sic autem Deus imponit illas homini: Imò verò, producendo hominem rationalem, resultat ex eius natura, obligatio ad non furandum, ad non adulterandum, &c. quorum collectio non est impossibilis homini integro, neque homini per auxiliũ speciale gratiæ Dei. *Ad secũdũ.* ¶Ad secundum dico, quòd vt collectio sit culpabilis, satis est quòd sit voluntaria quò ad singula; & in puris naturalibus concedit ipse Pater Vega, collectionem venialium esse ineuitabilem. *Ad tertiũ.* ¶Ad tertium respondetur, quòd præceptum charitatis multipliciter explicatur: Nam vnum est interius, & est de actu includente obseruationem omnium mandatorum, & obligante sub mortali in voto; aliud est præceptũ charitatis de respõdendo pro honore Dei, & de subueniendo proximis. Alia verò sunt præcepta negatiua, secundum numerum peccatorũ, vnum de non committendo hoc; aliud de non cõmittendo aliud, &c. Et licet tota collectio *non* sit possibilis, sine specialissimo auxilio collectiuè sumpta, & sine confirmatione gratiæ Dei, aut speciali priuilegio; tamen singula præcepta sunt possibilia, vt suprà dictũ est. *Ad quartũ.* ¶Ad quartum respondetur, quòd illa appetitio refertur ad mortalia collectiuè & diuisiuè, ad venialia vero diuisiuè tantum. *Ad quintũ.* ¶Ad quintum dico, D. Hieronymum respondere huic argumento lib. 2. cõtra Pelagianos in fine, negando consequentiã. Sed nos in simili de peccatis mortalibus, tam in art. 4. quam in. 8. assignauimus responsionem. Imo verò licet ex vna parte crescat gratia, ex altera tamen amplius & amplius debilitamur: neque semper & in omnibus potest esse homo peruigil. *Ad sextum.* ¶Ad sextum respõdetur, potius arguere bonitatem diuinam: Quoniã isti lapsus leues, maximè conducunt Sanctis ad humilitatem. *Ad septimũ.* ¶Ad septimum respondetur negando antecedens, & consequentiam. Nam negatur illa experientia. *Ad octauum.* ¶Ad octauum dicẽdum, quòd in ordine ad vnũ veniale, & in ordine ad totam collectionem mortalium, nemo potest tentari super id, quod potest per gratiã Dei: Vndè, negatur antecedẽs, negatur etiã, quòd in Scriptura sit vnicum præceptum distinctũ de tota collectione venialium: Sed testimonia illa loquuntur de collectione mortalium, vel vnico verbo includunt præcepta multa de singulis venialibus. Et cùm August. de venialibus loquens, videtur dicere, quòd derogat diuinæ gratiæ & libero arbitrio asserere, quòd per gratiã Dei non possint vitari per totam vitam; non loquitur de gratia, quæ datur per legem ordinariam, sed de ea, quæ dari potest ex priuilegio. Dico secundò, q̃ ex gratia Dei potest vitare quodlibet in particulari, & sic diuisiuè. Vnde, nõ potest esse ex defectu gratiæ Dei, quòd nõ vitet quodlibet diuisiuè, & sic de singulis; Et hoc sufficit.

Ad alias obiectiones, quę initio dubitationis sunt positæ, solutio patet ex dictis. Et negandum est semper quòd ex viribus naturæ præcisè, possit quis vitare omnia venialia, etiam de potentia physica. Imo verò, dicere in natura lapsa vires naturæ corruptæ vt sic, de se posse vitare omnia venialia collectiuè, est Pelagianum.

In hoc articulo se offerebat disputãda altera quæstio, Vtrùm homo constitutus in gratia possit sine auxilio condistincto gratiæ & virtutibus infusis, in bono perseuerare & vitare omnia mortalia? Sed de hac controuersia, fusiùs art. 10. sequenti agemus.

## ARTICVLVS X.

### *Vtrùm homo in gratia constitutus, indigeat auxilio gratiæ ad perseuerandum?*

PRima cõclusio. Siue perseuerantia accipiatur prout dicit habitum mentis, quo homo firmiter stat, ne remoueatur ab eo, quod est secundum virtutem, per tristitias irruentes; siue accipiatur prout est quidam habitus, secundum quẽ homo habet propositũ perseuerandi in bono vsq; in finẽ; vtroq; modo habitus perseuerãtiæ infunditur simul cũ gratia, sicut cæteræ virtutes infundũtur simul cũ illa. ¶Secunda conclusio. Si perseuerãtia accipiatur prout dicit continuationẽ quandã in bono vsq; ad finem vitæ, sic ad perseuerandũ, indiget homo, qui est in gratia non alia habituali gratia, sed diuino auxilio, ipsum protegente & dirigente, & manu tenẽte in bono, contra tentationum impetus nè succumbat illis, & Dæmonum incursibus.

## Discursus Articuli.

DE habitu perseuerantię disputat Doct. Sanct. 2.2.q.137.&.1.2.q.58.art.3.ad.3. & hoc loco inquit, q̃ habitus perseuerãtiæ infunditur, omnibus iustis simul cũ gratia. Quoniã cõsequuta gratia, remanẽt adhuc in homine passiones, & cõsequẽter offerũtur illi tristitiæ, quibus cõcutitur ne firmiter stet in virtute; & idcircò indiget continentia & perseuerantia infusis. Rursùs aduerte, q̃ perseuerantia actualis, quæ est continuatio quædã in bono, sumi potest pro cõtinuatione in bono per notabile tẽpus; & hoc pacto non est sermo potissimus D. Tho. in hoc art. Quia de hoc modo perseuerantiæ loquutus fuerat art. 9. præcedente. Altero modo sumitur perseuerãtia pro actuali cõtinuatione in bono, vsq; ad finẽ vitę; & hac ratione potissimè loquitur S. Th. in hoc art. de perseueran. Vndè, secũda cõclusio Sãctissimi Præceptoris vt iacet, est de fide. Nã definitur in Cõc. Trid. sess. 6. can. 22. Siquis dixerit, iustificatũ, vel sine speciali auxilio Dei in accepta iustitia perseuerare posse, vel cũ eo nõ posse; anathema sit. & in Arausi. can. 10. Adiutoriũ Dei etiã renatis ac Sãctis semper est implorandũ, vt ad finẽ bonũ peruenire possint, vel in bono opere perdurare. Et cano. 19. dicitur, q̃ sine Dei gratia nõ potest homo salutẽ quã accepit, custodire. Et probatur ex Scriptura. Nã Christ⁹ Ioã. 17. orat Patrẽ specialiter, vt hoc donũ suis cõferat, dicẽs: Pater Sãcte, serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi. Ex quibus verbis Cyril. lib. 11. in Ioan. c. 12. & Chrysost. super Ioan. hom. 8. colligunt præfatã assertionẽ. Et fauet illud Lucę. 22. Rogaui pro te, vt nõ deficiat fides tua. Igitur perseuerãtia in fide est donũ speciale. Et. 1. Parali. c. 29. orat Sãctus Dauid pro populo dicẽs: Custodi Dñe in æternũ hanc voluntatẽ cordis eorũ, & semper in veneratione tui mẽs ista permaneat. Et Paul. ad Philip. 1. orat q̃ fidelibus, vt Deus qui cæpit in illis opus bonũ, perficiat vsq; in diẽ Christi Iesu. Et. 1. Cor. 1. Gratias ago Deo meo pro vobis, qui & cõfirmauit vos vsq; in finẽ sine crimine, &c. Et sanè hęc est Sãctorũ Patrũ sententia. Ita Cypria. serm. de orat. Dñica, Vbi ait, nos petere hoc donũ à Deo cũ dicimus; Sanctificetur nomẽ tuũ, quã petitionẽ hoc etiã pacto, exponit D. Aug. de bono perseuer. c. 2. & eandẽ veritatẽ docet de correct. & gra. c. 6. 7. &. 11. & lib. de grat. & libero arb. interpretãs illud. Cãt. 8. Quæ est ista quæ ascẽdit de deserto delicijs affluẽs, innixa super dilectũ suũ. Idẽ confirmat, & similiter exponit hũc locũ Hiero. & Bernar. serm. 3. super Cantica: Nõ sum, inquit, omnino cõtentus priori gratia, qua iã malorũ sum pœnitẽs, nisi secundã accepero, vt videlicet faciã pœnitẽtiæ fructus, & deinceps non reuertar ad vomitũ. Ricard. de Sanct. Vict. lib. de statu interioris hominis. c. 13. ait; Gratiã recuperatã nõ potest homo nisi ex aliena tutela custodire. ¶Ratione etiã præfata cõclusio cõstat: Quia si perseuerãtia nõ est speciale Dei donũ distinctũ ab eo, quo data est prima gratia; sequitur, q̃ nõ magis debeat Deo is, qui in gratia perseuerat, quã ille qui accepit gratiã sine perseuerãtia: cõsequẽs est absurdũ: ergo. Præterea, Gratia iustificãs nõ tollit omnino difficultatẽ benè operandi, quæ se tenet ex parte appetitus, neq; adimit totaliter, infirmitatẽ naturæ, relinquit etiã hominẽ inter ingentia pericula, quã plures tentationũ turbines: igitur opus est alia speciali gratia ad perstendũ in iustitia accepta. Vndè, Paul. 2. Corint. 4. inquit habemus thesaurũ istum in vasis fictilibus, vt sublimitas sit virtutis Dei, & nõ ex nobis. Quasi dicat; Sumus valdè fragiles ad continẽdũ perseuerãter donũ gratiæ. Quare, perseuerantia non est ex nobis, sed ex sublimi quodam dono Dei. Et idẽ dixit ad Ephes. 6. cũ fidelibus iustis loquẽs, ait enim. Induite vos armaturã Dei, vt possitis stare aduersus insidias Diaboli, id est, vt possitis perseuerare. ¶Sed circà priorẽ conclusionẽ, dubitabit aliquis; Nã videtur superfluè repetita hic à S. Th. cũ art. 9. dixerit, hominẽ existentẽ in gratia egere speciali alio auxilio Dei ad benè cõtinuè operandũ, ita vt nõ deficiat: sed nihil aliud est perseuerare in bonis operibus, quã hoc: ergo. Respõdetur tamẽ, q̃ perseuerãtia, vt in hoc art. accipitur, nõ tantũ dicit continuationẽ in bono, operãdo per longũ tẽpus, sed insuper addit finaliter decedere in gratia. Et hoc videtur esse formalissimũ cõplemẽtũ doni perseuerantiæ. Quocircà, licèt ex art. 9. habeamus, nõ posse hominẽ per longũ tẽpus cõtinuare vitã exactã seu bonã sine auxilio speciali; nõ tamẽ habetur, quòd finaliter decedere in gratia, præscindẽdo à præuia cõtinuatione lõgi tẽporis, sit specialissimũ donũ gratiæ, & hoc determinatur in hoc artic. Vbi disputabimus, Vtrũ ad perseuerandũ in gratia, etiã per breue tẽpus morti proximũ, requiratur speciale auxiliũ Dei? ¶Aduerte Candide Lector, quòd in hoc art. poterant excitari pleræq; quæstiones, nẽpè, Quid sit auxiliũ sufficiẽs? Et, An sit habitus, vel potẽtia? Vel, Vtrũ sit actus & diuina motio? Nã si est motio Dei, auxiliũ sufficiẽs est efficax: Nã si Deꝰ mouet hominẽ, homo mouetur: Si verò dicas, sufficiẽs auxiliũ esse habitũ, occurrit quæstio. Quis habitus sit, & an tale auxiliũ sit in Deo, vel in homine. Et, an constituatur per modũ actus primi, vel secũdi; Vel, Vtrũ sit sola illa voluntas, qua Deus vult omnes homines saluos fieri? Occurrit etiã altera quæstio, An tale auxiliũ sit sufficiens ad salutẽ, vel requiratur vlteriùs aliud? Quia si requiritur aliud: ergo non erat sufficiens, imò sequitur, quod sine efficaci non poterat quis salutẽ obtinere. Tandẽ potest controuerti hoc loco, Vtrùm cum æquali auxilio duo homines ita se possint habere, vt vnus conuertatur & alter non? De quibus omnibus cõtrouersijs nos fusè scripsimus. 1. p. q. 23. de diuina Prædestinatione per oẽs articulos, sed præsertim art. 3. & dicemus etiã vlteriùs in tractatu de auxilijs infra. q. 111. de diuisione gratiæ operãtis & cooperãtis, præuenientis & subsequentis. Quo loco, neq; scrupulus vnus remanebit intactus. Nunc verò duas volo aperire quæstiones huius art. genuinas.

*Conc. Tridẽ.* *Conc. Arau.* *Ioan. 17.* *Cyrillus.* *Chrysost.* *Lucæ. 22.* *1. Parali. 29.* *Ad Phil. 1.* *1. Corint. 1.* *Cyprianus.* *D. August.* *Cant. 8.* *Hieronym.* *Bernardus.* *Ricardus.* *2. Corint. 4.* *Ephes. 6.*

## DISPVTATIO I.

### *Vtrũ homo in gratia cõstitutus possit in ea lõgo tẽpore perseuerare, sine alio speciali auxilio?*

IN hac controuersia certũ est, quòd homo iustus, & in gratia cõstitutus adhuc eget supernaturali auxilio, quo gratia Dei in illo conseruetur & quo supernaturales operationes à gratia procedẽtes, possit efficere. Sed specialis difficultas est, Vtrũ auxilium illud supernaturale, quo Deus cũ omni habẽte gratiã cõcurrit ad singula bona opera, & ad singula præcepta seruãda, sit sufficiẽs ad seruãda omnia per longũ tẽpus; Vel requiratur aliud specialius auxiliũ? Quæ cont. uersia sub alijs verbis à nõnullis ꝓponitur. Vtrũ homo cõstitutus in gratia, possit sine auxilio condistincto gratiæ &

virtutibus infusis,vitare omnia mortalia,&in bono perseuerare:Et,ꝙ primũ auxilium quod simul habetur cũ gratia,sufficiat,neq; aliud sit necessarium, tenent nonnulli,Hēric.quodlib.4.q.10.Durā.in.2.d.29.q.3.& idē tenent illi, qui sentiũt cũ Pelagio dicentes, posse hominē per vires naturæ implere omne præceptũ collectiuè,imò verò omnes qui dicũt,per vires naturæ posse hominē implere omne præceptũ naturæ. ¶Et arguitur primò ostendendo partē affirmatiuā.Quoniā hoc speciale auxiliũ,vel requiritur ad seruāda omnia præcepta naturalia, vel supernaturalia,& ad vitāda omnia peccata cōtra illa; Nō primũ,quia sufficit gratia iustificans ad seruāda omnia præcepta naturalia collectiuè,imò verò naturalia præcepta potest seruare peccator omnia diuisiuè & vitare peccata cōtra illa,vt superiùs est dictũ:sed per gratiā fit potentior respectu istorũ præceptorũ naturaliũ,cũ sanetur per ipsam:ergo poterit omnia etiā collectiuè,ex vi solius gratiæ,supernaturalia autē præcepta rarissimè occurrũt:Vndè,respectu eorũ nō videtur quāta sit hæc necessitas specialioris auxilij. Nā si rarissimè occurrũt supernaturalia præcepta,sufficit ad ea,illud primũ auxiliũ gratiæ, quod ad singula diuisiuè datur.Ex quibus colligo,ꝙ si potest alia cũ sola gratia seruare, poterit pariter cũ sola gratia in ea perseuerare lōgo tēpore.Et cōfirmatur argumento cōmuni, quod ab omnibus adducitur,ex S.Th.qui art.8.præcedēte dixit,ꝙ homo existens in gratiā sine alio speciali auxilio,potest abstinere se ab omni mortali;nō tamen ab omni veniali: sed ad perseuerandū in gratia nō requiritur aliud, quā abstinere ab omni mortali:ergo. Et cōfirmatur iterū.Quia S.Th.in hoc art.ad.3.dicit,per donū gratiæ habitualis dari nobis, vt perseuerare possimus: ergo nō est necessariū aliud auxiliū distinctũ. ¶Secūdò.Homo per gratiā ascendit ad cōsortiū diuinæ naturæ,fitq; illius particeps,& consequēter per gratiā fit potēs ad superādas omnes tētationes. Nā gratia etiā minima,vt Theologi colligũt, potēs est superare omnē tētationē; quia omnis qui natus est ex Deo,nō peccat,vt dicit D.Ioa. Igitur potest implere omnia ex vi gratiæ etiā minimæ,& cōsequēter vitare omnia peccata,diùq; perseuerare. Et cōfirmat. Nā qui est in gratia, pōt ampliùs,quā qui est in peccato:sed qui est in peccato potest vitare omnia peccata mortalia diuisiuè,imò per aliquod tēpus breue potest omnia collectiuè : ergo sola gratia habituali poterit vitare omnia peccata mortalia collectiuè, etiā per longũ tēpus;atq; adeò perseuerare.¶Tertiò arguitur. Fingamus ꝙ tota collectio præceptorũ cōtinet decē præcepta,& sit casus ꝙ homo ex gratia& auxilio generali eius,seruauit nouē præcepta,vt verè seruare potuit,quia(vt supponimus)illa nō est tota collectio præceptorũ;tūc adhuc potest seruare decimũ sine speciali auxilio: ergo pōt seruare omnia, &cōsequēter perseuerare.Probatur hoc antecedēs; quia istud decimũ præceptũ nō est difficilius quam singula præcedētia,& nō est tota collectio, sed tātũ vnũ diuisum ab omnibus alijs:ergo sicut potuit seruare alia præcedētia ex auxilio generali, pari ratione hoc vltimũ.Et confirmatur: Quia vel homo potest implere tale præceptũ:& sic habetur intētũ;vel nō potest? & sic Deus obligat ad aliquid impossibile,quod est absurdũ, neq; est intelligibile ꝙ homo peccet in eo quod vitare nō potest. ¶Quarò arguitur. Per iustitiā originalē poterat Adā perseuerare in bono, ita vt nūquā caderet ab illo statu : sed gratia nō est minoris virtutis, sed maioris, ad Rom. 5. Vbi abūdauit delictū,superabūdauit &gratia:ergo. Vel formetur argumentū hoc pacto.Per solā gratiā habitualē,quā Adā habuit,poterat in bono diù perseuerare:ergo & nos per eandē. Ostendo consequētiā.Quia gratia Christi,qua iustificamur, nō est minoris valoris ex sententia Pauli citata,sed maioris. ¶Quintò arguitur.Nā ad perseuerādū diù in gratia, sufficit seruare quodlibet præceptū, quod diuisiuè occurrit:sed adhoc sufficit auxiliū gratiæ,quod prēsto est in vnaquaq; occasione. Imò verò nō apparet Deū posse alio auxilio cōcurrere, quā eo,quo ad singula præcepta concurrit: sed hoc nō est distinctū à singulis, imò verò est idē in singulis occasionibus. Et confirmatur. Quia si est aliud auxiliū specialius: ergo est debitū omnibus, Nā omnes tenentur diù perseuerare in gratia ; & ita omnes debent habere donū perseuerantiæ,quod est cōtra illud,quod dubita. sequēti aperiemus. ¶Sextò arguitur. Cōtingit sæpènumerò,vt qui accipit gratiā,breuissimo tēpore viuat: ergo sine alio auxilio speciali poterit perseuerare.Patet consequētia:Quia per breuissimū tempus,benè potest quis solis viribus naturæ, viuere sine peccato mortali, quāto magis id poterit cũ habituali gratia. ¶Septimò arguitur. Nā si adhoc vt iustus existens in gratia perseueret, requiritur aliud donū speciale; sequitur ꝙ omnes qui perseuerāt, & perseuerarūt, fuerūt cōfirmati in gratia: consequēs est falsum , quia hoc fuit speciale priuilegium quorundam Sanctorum.Sequela patet; quia confirmari in gratia,non est aliud quam iustū custodiri à Deo, ne gratiam amittat peccando mortaliter.

Pro explicatione huius controuersiæ, obseruare oportet primò, ꝙ licèt gratia quantū ex se est conferat virtutē ad superandas tentationes,& vitāda peccata; tamen ex defectu subiecti in quo recipitur,nō habet semper omnē operationē sibi proportionatā. Nā habitus infusi viatorũ , licèt aliqualiter stabiliāt & firment voluntatē in bono; tamen non auferunt totaliter mobilitatem ipsius ad malum ; & quamuis per eosdē habitus homo benè operetur;tamē nō potest facere,quòd per eos immobiliter operetur.Cuius rei specialis ratio est in homine viatore;quia taliter est dominus sui actus, quòd nō est dominus potentiarū naturaliū,neq; motuū ipsarū,& gratia non perfectè sanat inferiores potentias, ex quibus & ex fragilitate naturæ oritur interdū ignorantia circà agēda, & circa pericula quæ se offerūt semper;neq; pertinet ad ipsam gratiā , & auxiliū sibi proportionatū,auferre has imperfectiones à subiecto.Quocircà,siquis ita argumentetur: Homo in gratia existēs est particeps diuinæ naturæ:ergo potens ad operandum omne bonum,Nam omnis qui in Deo manet, non peccat;& omnis qui natus est ex Deo , non facit peccatum ; quia semen ipsius in Deo manet. 1. Ioan. 3. Imò verò , minima gratia quantùm est de se,potentior est quamuis tentatione oblata, vel à Dæmone,vel à carne, ergo est sufficiens ad vincendas omnes tētationes, & ad implēda cūcta mādata. Respondetur,quòd argumentū tantū probat gratiā ex suo genere esse sufficientē cū auxilio quòd procedit

*Hericus. Durandus.* *Argum.1.* *Confirm.1.* *Confirm.2.* *Secundum.* *1.Ioan.3.* *Confirm.* *Tertium.* *Confirm.* *Quartum.* *Rom. 5.* *Quintum.* *Confirm.* *Sextum.* *Septimum.* *Nota.1.* *1.Ioan.3.*



cedit ab ipsa,vt homo possit perseuerare,& esse sufficiens ad vitanda omnia peccata , licèt ex defectu subiecti,& propter causas datas , & propter plures tentationes,& infirmitatē naturæ,opus sit specialiori alio auxilio.Vndè Caiet.hic dicit, duobus modis posse dici quòd res aliqua sit sufficiēs ad aliquē actū exercendū. Primò simpliciter sine adminiculo alterius ; quia ipsa sola potest absolutè operationē producere.Secūdò potest dici sufficiens, nō quidē simpliciter,sed in suo genere.Vndè,visus est sufficiens in genere potentiæ ad videndū: non tamē simpliciter,sine obiecto & lumine. Sic ergo iustus per gratiā & virtutes ex suo genere, potēs est perseuerare, nō tamē sine auxilio speciali : Nā eget auxilio diuinæ gratiæ,ad sic operandū & perseuerandū.¶Secūdò aduerte,ꝙ auxilia supernaturalia, sunt in triplici differentia.Nā quoddā est auxiliū cōmune supernaturale,quod est, quasi cōnaturale ipsis habitibus semel infusis,& secundū legē ordinariā Dei cōfertur omnibus habentibus supernaturalē habitū gratiæ & charitatis.Aliud est auxiliū specialius in ordine gratiæ,quod nō est debitū ipsis habitibus supernaturalibus ex vi ipsorū,sed confertur ex liberalitate Dei,quale auxiliū est interior inspiratio hominis ad proficiendū in bono , & interior illuminatio ad propulsandā ignorantiā, & vincendā obscuritatem circà agibilia , augmentatio etiā viriū ad vincēdas vehemētes tentationes, quæ omnia auxilia sunt specialissima , & ex se ordinata ad rectā operationem. Alia tandē auxilia sunt altiora , & magis specialia; nēpe,specialissima prouidentia Dei,circà saluté alicuius hominis , qua illi prouidit auferēdo occasiones peccati,diuertendo pericula , abreuiando vitā vel per alia huiusmodi media , etiā supernaturalia, disponendo salutē & viā hominis, vt tandē moriatur in gratia.Et quidē,auxilia ordinata ad huiusmodi finē bonū, licèt respiciant eundē terminū in omnibus prædestinatis, nō tamē semper sunt eiusdē rationis.¶Tertiò aduerte,quòd de perseuerātia loqui possumus duobus modis , vno modo materialiter, prout dicit continuationē bonæ vitæ, sine peccato mortali,per longū tēpus.Secundò formaliter, quatenùs dicit præcisè finaliter mori in gratia,siue diù fuerit habita gratia, siue breui tēpore. Nā, vt Aug. lib.de bono perseueran.c.1. docet, quantùmcunq; breuissimo tempore vitæ aliquis vixerit, si mors eū iustum inuenit,perseuerare dicendum est; & è conuerso,non perseuerasset,qui sine gratia moreretur, quantocumq; tempore in ea vixerit.

His ita prælibatis, est prima conclusio. Vt homo in gratia perseueret,& obseruet mādata omnia per longum tempus, requiritur speciale auxiliū gratiæ Dei, neq; sufficit illud auxiliū supernaturale quod datur ad singula præcepta.Itaq; , quāuis gratia ipsa etiā sine alijs auxilijs specialibus adiuuet ad vitāda peccata,vt habetur in Conc.Mileu.cano.3.Vbi diffinitur,gratiā iustificantē valere nō solū ad remissionē peccatorū,sed etiā adiutoriū conferre,ne cōmittantur;tamen nō sufficit sine auxilio speciali ad perseuerandū in gratia,& obseruandū omnia mandata collectiuè per longū tēpus.Hæc est cōmunis sentētia Catholicorū,quā intendit S.Th.art.9. vt optimè ibi Caiet.explicat.Et patet ex secūda ratione D.Th. ait enim,quòd homo in gratia constitutus, licèt sanetur;tamē in ipso manet concupiscentia carnis,& obscuritas intellectus,vt patet ex Paulo.Quo fit,vt si loquamur de perseuerantia,vt dicit permanentiā diuturnā in gratia sine mortali, ad eā requiritur speciale auxiliū præter gratiam habitualē;& loquimur nō de auxilio primi generis tantū: Hoc enim nō habet rationem nouæ aut specialis gratiæ distinctæ ab habituali:Quia licèt secundū substantiā sit supernaturale & gratuitū,includitur tamē in ipsa gratia habituali, vt naturaliter cōcomitans , & quodāmodò quasi debitū illi formæ: sed loquimur de auxilio secundi,vel tertij generis,quod est magis speciale,& habet rationē nouæ gratiæ. Diximus enim,ꝙ de speciali auxilio possumus loqui tripliciter. Primò,vt dicit cōcursum ordinariū , & cōmunē in genere gratiæ,quādo,scilicet,Deus ꝓ modū causę primę super naturalis cōcurrit cū gratia & charitate,& alijs habitibus supernaturalibus,ad suos actus;sicut cōcurrit cū agentibus naturalibus,per modū causæ naturalis.Et præter hoc auxilium dicimus requiri aliud speciale secundi vel tertij generis. Et est sermo de cōcursu magis speciali , quo Deus præuenit iustos motione interna,quandoq; illustrādo intellectū eorū noua luce,quandoq; inspirando bonū, & fortificando eorū mentes ad difficultates vincēdas,& resistendū contrarijs occurrētibus. Indiget ergo hoc auxilio speciali præter gratiā habitualē , & auxiliō sui ordinis,quod eā sequitur; Vel auxilio illo tertio specialissimo,quod est prouidentia quædā paterna; qua Deus prospicit saluti electorū,& inuigilat taliter disponēdo eorū res internas & externas,vt finaliter in gratia migrent;Ad hāc prouidentiā paternā pertinet aliquando quidē remouere occasiones peccandi,& aliquādo coercere aduersariū, ne tētet,aliquando inspirare bonū,addere gratiā ne tētetur homo supra id quod potest,& ad ea pertinet disponere negotia tā vitæ,quā mortis,ita vt efficaciter quis saluetur permanēdo in gratia,vsq; ad mortē,& hoc est auxiliū tertij generis.In conclusione autē loquimur de auxilio secundi vel tertij generis hic allati, quod est magis speciale, & habet rationē nouæ gratiæ. Volumus ergo dicere,ꝙ existēs in gratia nō potest sine huiusmodi auxilio secūdi vel tertij generis viuere diù sine peccato mortali, quo illam amittat. Quæ sentētia verissima est,certa & Catholica , quā intēdit S.Th.hic & art.præcedēte. ¶Et probatur ex testimonijs in discursu articuli citatis. Nā Christus Ioan.17. orat Patrē specialiter,vt hoc donū & auxiliū suis conferat.Pater Sancte,serua eos in nomine tuo quos dedisti mihi.Ex quo loco Cyril. lib. 11. in Ioan.c.12.& Chrysost.hom.8.in Ioan.colligũt positā assertionē.Paul.ad Philip.1. orat pro fidelibus,vt Deus qui cæpit in illis bonū opus,ipse perficiat,vsque in diē Iesu Christi.Idē definitur in Cōc.Arausicano.10.Vbi habetur , ipsis renatis ac Sanctis adiutoriū Dei semper esse implorandū , vt in finē bonū peruenire possint; vel in bono opere perdurare. Et cano.19. dicitur, ꝙ sine gratia Dei nō potest homo salutē, quā accepit custodire. Et id ipsum habetur. 1.Paralip.29. orante Dauid Dominum pro populo; Custodi Domine in æternū hanc voluntatem cordis eorū, & semper in veneratione tui,gens ista permaneat. Idem definitur in Trident. sessio. 6. cano. 22. Siquis dixerit, iustificatum, vel sine speciali auxilio

*Nota.2.* *Nota.3.* *August.* *Conclus.1.* *Conc. Mile.* *Ioan. 17.* *Ad Phil.1.* *1.Paral.29.* *Conc.Trid.*

xilio Dei in accepta iustitia perseuerare posse, vel cum eo non posse;anathema sit. Et Cæles.1.epist.1. c.6.ait; Nemo etiam post baptismatis gratiã est idoneus,ad superandas Diaboli insidias, & ad vincendas carnis concupiscẽtias, nisi per quotidianũ Dei adiutoriũ,perseuerantiã bonam conseruationis accipiat.Et Innocen.I.in rescriptis ad Conc.Mileuit. & ad Cõc.Carthag.vt habetur epist.90.D.Aug. idẽ docet.Et idem D. Cyprian. serm. de oratione Dominica. Vbi dicitur,nos petere hoc donũ à Deo cũ dicimus,Sanctificetur nomen tuũ.Idẽ Aug.de nat. & gra.cap.6.& de peccator.merit.cap. 6. P. Diaconus lib.de Incarna.& gratia Iesu Christi. c.8. quod habetur inter opera Fulgosij,& ipse Fulg.epist.4.ad Probam.c.4.& sequent.Prosper.respons.ad.6. obiectionem Gallor.&.1.de voca.gen.cap.24. docet,perseuerantiam esse à Deo,& Epigram.85. tentationes non vinci nisi gratia Dei.Idem Ricard.Victor.2. de Erudit.interioris hominis.cap.43.Idem Hilar.super Psal.63.D.Aug.de bono perseuerã.c.2.Beda.Bernar. sermo.3.in Cant.Hiero.2.dialogo contra Pelag.qui omnes citati sunt in discursu art.suprà.¶Rursùs probatur præfata assertio,ex ratione qua Sancti & Concilia probant, iustum indigere speciali auxilio gratiæ ad perseuerãdum: illa enim ratio sumitur ex imbecillitate naturæ,& ex varijs & innumeris occasionibus & tentationibus; quæ occurrunt in discursu vitæ:sed hæc ratio procedit respectu diuturnæ permanentiæ in gratia,& citrà finalẽ perseuerantiã:ergo.Et confirmatur ex verbis Trid.sess.6.c.13.vbi traditur doctrina de necessitate auxilij ad perseuerandũ,& quasi pro ratione sic dicitur:Qui se existimãt stare, videant ne cadãt, formidare enim debent de pugna,quæ superest cũ carne,cũ mundo, & cũ Diabolo,in qua victores esse nõ possunt,nisi cũ Dei gratia.Et in Arausc.c.10.distinguntur hæc duo,perueni re in bonũ finẽ, & perdurare in bono opere;& dicitur,quòd ad quodlibet illorũ,est necessarium iustis speciale auxiliũ Dei:ergo nõ solũ debemus ponere auxiliũ ad finaliter perseuerandũ, vt postea ostẽdemus; sed etiã ad perdurandũ longo tẽpore in bono opere.¶Præterea,ratione etiã probatur. Nã ita se habet gratia cũ solo auxilio supernaturali, in ordine ad opera supernaturalia, sicut natura cũ suo auxilio naturali,ad opera naturalia:sed præter auxilium naturale debitũ naturæ,& sufficiẽs ad singula bona opera moralia, requiritur speciale auxiliũ ad perseuerandũ in illis: ergo similiter præter auxiliũ supernaturale debitũ gratiæ, sufficiens ad quoduis bonũ opus supernaturale diuisiuè sumptũ, requiritur specialius auxiliũ ad perseuerandũ in illis. Vndè,sicut natura cũ auxilio sibi debito,est potẽtia physica,nõ verò moralis in ordine ad rectitudinẽ naturalẽ; ita gratia in ordine ad supernaturalẽ; atq; adeò gratia nõ tollit omnẽ difficultatẽ benè operandi,quę se tenet ex parte appetitus, neq; adimit taliter infirmitatẽ naturæ: relinquit enim hominẽ inter ingentia pericula &tẽtationes,vt dictũ est:ergo opus est alia speciali gratia ad perseuerandũ in accepta iustitia. Quocircà Paul.2.Corinth.4.dixit; Habemus autem thesaurũ istũ in vasis fictilibus,vt sublimitas sit virtutis Dei,& nõ ex nobis. Quasi dicat; Sumus valdè fragiles ad cõtinendũ perseuerãter donũ gratię,ita vt perseuerantia nõ sit ex nobis,sed ex sublimi quo dã Dei dono.Et cõfirmatur:Quia si perseuerãtia nõ est speciale Dei donũ distinctũ ab eo,quo dat primã gratiã;sequitur, quòd nõ magis debeat Deo is, qui in gratia perseuerat,quã qui accipit gratiã sine perseuerantia: consequens est falsum & absurdũ:ergo. ¶Aliqui limitant assertionẽ præfatã, vt solũ habeat verũ regulariter, & vt in plurimũ. Cũ quo (dicũt) stat, quòd in aliquo casu speciali posit iustus diù permanere in gratia sine alio specialiori auxilio.Sed hęc limitatio nec est vera,neq; mihi probari potest, quoniã regula,quæ colligitur ex Sanctis & ex scriptura,& Cõcilijs,de qua Sãcti generaliter semper loquũtur,generalis est & sine limitatione.Vndè,temerariũ videtur aliquẽ casum excipere.Nã in superna turalibus,quãdo aliquis casus excipitur,id fit ppter singulare aliquod gratiæ priuilegium: sed limitatio prędicta,nõ solũ nõ addit priuilegiũ speciale gratię aut gratiã;sed potiùs eã aufert & tollit: ergo talis limitatio, est destructio regulæ vniuersalis & gratiæ.

Secunda conclusio.Illud auxiliũ gratiæ,quod necessariũ est ad perseuerandũ, siue per longũ tẽpus, siue per totã vitã,offertur omnibus iustis,Deusq; paratus est dare omnibus,si ipsi nõ impediãt, vel resistant,sed petant,vt par est.Ita nos.1.p.q.23.disput.5. dub.2.fusiùs diximus,& sumus interpretati. Et quidẽ,hæc conclusio videtur mihi verissima,& ferè in terminis definita in Conc.Arausc.cano.25. Vbi dicitur,omnẽ hominẽ post baptismũ,& gratiã eius,habere auxiliũ, quo seruare posit omnia mandata,& perseuerare.Et idem colligitur ex Mileui.cano.6.& 7.&.11.& ex Trid.sess.6. c. 13. Vbi vnus ex defectibus gratiæ sanantis,dicitur esse dare virtutẽ,ad seruanda omnia præcepta, & gratia sanans appellatur gratia iustificãs. Et hoc probant omnia testimonia, quibus ostendi solet Deũ conferre omnia,quæ sunt necessaria ad salutẽ,vt ad Rom.8.Deus filiũ suũ mittens,de peccato dãnauit peccatũ, vt iustificatio impleretur in nobis,impletur autẽ maximè perseuerãdo in iustitia.Legendus est D.Ambros.Luc.1. & lib. de Iacobo & vita beata.c.3.D.Basil.in oratione quę incipit,Attende tibi,& in regulis Monach. c.83. D. Chrysost.ho mil.7.de laudib.Pauli,&.80.de pœnitẽtia,Cyril.1.in Ioan.c.5.Hilar.Psal.118.Aug.2.de pec cator.merit.c.6.de grat.& libero arb.c.16.Tertul.2. contra Martion.Osius in confes.fidei.c.64.&.65.Hie rony.in exposit.symboli ad Dama.& ad Gala.1.Rursùs legenda sunt quæ nos diximus.1.p.q.23.art.3.dif put.4.&.5. Et probatur ratione:Quoniã Deus hortatur nos,vt petamus ab eo hoc auxiliũ perseuerãtię: ergo ipse paratus est nobis dare.Hanc esse regulã infallibilẽ D.Aug.docet sermo.29.de verbis Domini. Vbi ait; Dominus nunquã ad petendũ hortaretur, nisi dare vellet. Istud autem donum perseuerantiæ (vt dubitat. sequenti aperiemus) non est habitus: Nam habitus suppositа naturæ fragilitate,ipse præcisè solus non sufficit; cùm in vsu talis habitus,sit ipsa difficultas, ad quam superandam, & vincendam ponitur istud donum,quod non est nisi gratia actualis pertinens ad auxilium vocans,& excitans, & stabiliẽs,& continuãs,hominẽ permouẽdo, &c.

Tertia cõclusio.In homine in statu integro innocẽtiæ,& iustitiæ originalis,& pariter in angelis,sufficiẽs erat gratia ad diù perseuerãdũ in ea cũ auxilio supernaturali illi debito,sine specialiori alio. Hanc suppo-

*Cæles.1.* *Innocent. I.* *D.Cyprian.* *D.August.* *P.Diaco.* *Fulgos.* *Prosper.* *Ricard.* *D. Hilar.* *D. August.* *Beda.* *D.Bernar.* *D. Hieron.* *2.Corint.4.* *Conclusa.* *Trident.* *Rom. 8.* *D.Ambros.* *D.Basil.* *D.Chrysost.* *Cyrillus.* *Hilarius.* *August.* *Tertulia.* *Osius.* *Hieronym.* *D. August.* *Conclus.3.*



*D.Thom.* *Vega.* *D.August.* *Anselmus.* *Conclus.4.* *D. August.* *Pater Vega S.Thom.* *Conc.Arau.* *Conc. Mile* *Medina.* *1.Ioan.3.* *Iacob.1.*

supponunt communiter Theologi in.2.d.29 & insinuatur à D.Tho.hic, & art.8.Eam tenet Pater Vega lib.12.in Trid.cap.22.Et patet ex Aug.de dono perseueran.cap.7. Vbi ait:Qui non infertur in tentationem,non discedit à Deo, non est hoc omnino in viribus liberi arbitrij,quales nunc sunt,fuerat in homine antequã caderet; quæ tamen libertas voluntatis in illius primæ conditionis præstantia quantũ valuerit apparuit in angelis,qui Diabolo cũ suis cadẽte,in veritate steterunt.Et postea;Post casum autem hominis,non nisi ad gratiam suam Deus voluit pertinere,vt homo accedat ad eũ, neq; nisi ad gratiam suã voluit pertinere,vt homo non recedat ab eo.Et lib.de correct.& gratia,dicit, quòd Adã in statu innocentiæ acceperat donũ quo perseuerare posset si vellet,& distinguit statũ naturæ integræ in hoc, ab statu naturæ lapsæ.Idẽ Ansel.de casu Diaboli.c.2.& 3.¶Et probatur;quia tũc nõ esset rebellio appetitus neq; obscuritas mentis, & carnis fragilitas: ergo si hæc non essent tunc pariter non esset necessarium hoc specialiùs auxiliũ sublatis difficultatibus.Patet consequentia: Quia,vt dictũ est, necessitas eius, vt colligitur ex Sanctis & Concilijs, est propter necessitatem,& ægritudinẽ naturę lapsæ,&c.ergo.Itẽ probatur: Nam potissima difficultas in obseruatione præceptorũ, versatur circà ea, quæ frequentiùs occurrunt;qualia sunt naturalia;sed adhoc non indigebat auxilio speciali, imò neq; gratia;quia cũ sola natura integra poterat illa obseruare:ergo gratia quæ ad nihil aliud erat necessaria,sufficiebat ad omnia præcepta supernaturalia, quæ paucissima sunt, & rarissimè occurrebant.Quocircà,cũ nõnulli Doctores contrarium videtur insinuare,solũ intendũt, ad singula opera supernaturalia,& ad merendũ,requiri auxiliũ supernaturale, quod aliquando vocãt speciale,vt distinguitur cõtra naturale.Et ita est intelligẽdus D.Aug.12.de ciuit.c.8.cùm ait,quòd angeli non fecerunt in se bonã voluntatẽ sine Deo,& Conc.Arausc. c. 19. Vbi dicitur,quòd licèt homo in prima integritate permaneret, nullo modò se,creatore suo non adiuuante,seruaret.Legẽdus est Pater Vega lib.12.in Trid.c.22. ¶ S.Tho. hic solutio.ad.3. apertè dicit ex sententia D.Aug. quòd homo in primo statu accepit donum, per quod perseuerare posset,sed non vt perseueraret, & quòd nũc per gratiã Christi pleriq; accipiũt donũ gratiæ,quo perseuerare possunt; sed vlteriùs datur eis quo perseuerẽt.Et subiungit,q; faciliùs poterat homo per gratiã perseuerare in statu innocẽtię,in quo nulla erat rebellio, neq; lucta;quàm nunc possimus per gratiam.

Quarta propositio.Gratia iustificans, non solùm efficit hominem Deo gratum formaliter, sed etiam confert vires & auxiliũ ad benè operandũ. Probatur: Gratia habitualis sanat hominis mentem infirmam &ad malum pronam:igitur confert vires,& auxiliũ ad benè operandũ.Patet cõsequentia:Quia sanitas animæ nihil aliud est, quàm effici potentiorem & valentiorem ad bonũ, quam antea erat.Præterea,Virium defectus,& infirmitas in homine peccatore inter alia ex eo procedit, quòd habet pro vltimo fine bonũ cõmutabile:ergo illa res quæ efficit formaliter,vt homo reiecto illo fine,habeat pro vltimo fine bonũ incõmutabile,& Deũ,confert illi vires atq; robur;& hoc efficit gratia habitualis: ergo, &c. Hoc etiã est apertè definitũ in Concil.Mileuit. cano.3. Vbi dicitur: Quicũq; dixerit,gratiam Dei, qua iustificamur,valere ad solã remissionẽ peccatorũ,quæ iã cõmissa sunt,& nõ etiam adiutoriũ cõfere ne cõmittantur;anathema sit. ¶Ex quibus omnibus colligũt pleriq; Theologi,quòd gratia habitualis iustificans & auxiliũ, quod procedit ab ipsa, est in suo genere sufficiens, vt homo perseuerare possit.Et ob id dixit D.Tho. quòd ad perseuerandũ nõ requiritur aliquis alius habitus,præter gratiã iustificantem. Nam minima gratia quantũ est de se & ex sua natura,est potentior,quã sit aliqua tentatio,quę obijcitur. Ita Pater Medina inter iuniores hic. Ex quibus colligitur,distinctũ esse donũ,posse perseuerare,ab eo quòd est perseuerare de facto. Quia posse perseuerare,habet homo ex gratia iustificãte,per quã natus est ex Deo,& per quã est cõsors & particeps naturæ diuinæ; & vt sic natus ex Deo & particeps naturæ Dei,potẽs sit operari omne bonũ,& vitare omne malũ, vt docuit Ioannes Euangelista dicens;Omnis qui natus est ex Deo,peccatũ nõ facit: quia semen ipsius in eo manet.In quo Scripturæ testimonio aperitur nobis potestas & virtus gratię & charitatis infusæ,& aliarũ virtutũ,quæ gratiã sequũtur,quibus vitare potest homo omne malũ, Sed dices.Hæc sufficientia gratiæ iustificantis,.qst.per quã potest homo perseuerare:sed frustra est potẽtia,quę non potest reduci ad actũ;quia ex fide habemus,neminẽ perseuerare de facto per solã habitualẽ gratiã iustificantẽ,sine alio specialiori & abundantiori auxilio gratiæ Dei.Respondetur, q; licèt nõ sit simpliciter,ita sufficiens,vt secluso omni alio, reducatur ad actũ perseuerãdi;tamẽ potest dici gratia sufficiẽs non simpliciter,sed in suo genere,vt suprà obseruatione.1.huius dubij fusiùs deduximus. Sed dices:Si gratia iustificans de se est sufficiens ad perseuerandũ,& ad tentationes vincendas,cur non dicitur sufficiens simpliciter ad perseuerandũ in bono:Respõdetur,quòd si gratia est in subiecto sano & integro, vbi nõ esset rebellio neq; lucta,gratia iustificãs sufficeret simul cũ charitate, & virtutibus, & auxilio eã concomitãte, ad perseuerandũ in bono.Cæterũ, gratia habitualis in homine, est in subiecto infirmo circunsepto millẽ defectibus, & plerisque occasionibus & tentationibus. Et ob id eget copiosiori auxilio, vt de facto perseueret. ¶Et ex hac doctrina colligo,quòd præter gratiam iustificantem,& virtutes infusas,& charitatem,& auxilia gratiæ indè nata,iusti indigent speciali alio auxilio ad perseuerandum.Et hoc est de fide, vt fusè & eleganter docuit S.Tho.3.contra gent. cap.155,& constat ex Arausc. cano.10. sæpiùs citato,& ex Trident.sessio. 6. cano. 22. Si quis dixerit, iustificatum sine speciali Dei auxilio perseuerare posse, aut cum illo non posse; anathema sit. Et hoc ipsum ostendunt pleraque testimonia Scripturæ,& Sanctorum suprà citata, tam in discursu art.quã in hoc dubio. ¶Colligo secũdò, etiam hominem iustificatũ nõ posse perseuerare in bono per suas vires sine auxilio, quod est à gratia: Nam omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est,descendens à Patre luminum: sed perseuerantia est quoddam præclarum & insigne donum:ergo est donum Dei. Sed de hac re, latiùs dubit.sequenti.

*Ad argum.* Ad argumẽta. Ad primũ respõdetur speciale auxilium, vel aliud proportionale requiri ad seruãda

*Ad primum* præcepta naturalia per longum tempus, vt optimè ostendit Augustinus locis citatis: Cùm homini iusto rarissimè occurrant præcepta supernaturalia, quæ secundum substantiam & modũ supernaturalia sunt; Quòd si cætera posset cum sola gratia seruare, etiam illa. Fatemur tamen, cum sola gratia diutiùs posse perseuerare sine peccato, quàm in puris naturalibus; atq; adeò respectu eius quod tunc posset esse, est longum tempus id in quo potest vitare peccata, dùm est in gratia; & hoc videtur voluisse tantum D.Thom. quando in artic. 8. dixit, hominem per gratiam posse abstinere ab omni mortali, nisi velit intelligere per gratiam habere physicam potentiam ad vitanda omnia peccata, etiam contra præcepta supernaturalia, licèt non habeat potentiam moralem. Sed contra: Nam etiam per gratiam habet physicam potentiam ad venialia omnia vitanda: igitur

*Replica.* etiam potest abstinere ab his. Respondetur, quòd

*Solutio.* cùm ad vitanda omnia venialia collectiuè, requiratur specialissimum priuilegium, quod de lege ordinaria nõ datur, non censetur potentia physica illa, quæ tãtùm distat ab isto specialissimo auxilio. Hæc solutio assignatur à iuuenibus quibusdam Theologis, quæ quamuis aliqua vera dicat; tamen non omninò satisfacit, neq; omninò dissoluit difficultatem argumenti. ¶Pater Medina hic, quẽ honoris & amicitiæ vinculo semper colui, qui sicut alij citantur,

*Medina.* vt Gabr. Adamus, Ariminen. non est cur ipse nõ citetur: est enim mos iuuenum quorundam modò in fauorem sui citare interdum Gabrielem, Ochamum, Almaynum, Angestũ, & Classicos alios; subticere verò alios huius ætatis doctiores, à quibus suggillant quæ dicũt; Non sic ego, sed sicut grauiores antiquos commemoro, ità & peritissimos huius

*2. Solutio argumenti.* meæ ætatis. Pater igitur Medina. 1.2. q. 109. art. 10. aliã solutionem assignat præfato primo argumento: ait enim aliud esse posse perseuerare & vitare omnia peccata; aliud verò de facto vitare. Primum quidẽ tribuit gratiæ secundum se; secundum verò non tribuit gratiæ, sine speciali auxilio Dei. Sicut aliud est posse intelligere, aliud verò actu intelligere: Nam primum habet homo per intellectum, sine dependentia à voluntate, & sine vllo ordine ad illam: Secundum verò, id est, actualiter intelligere, habet dependenter à motione actuali voluntatis: Igitur, inquit, per gratiam iustificantem posse hominem seruare omnia præcepta, vitare q; omnia peccata, & ad id potentem fieri ex viribus gratiæ vt sic: Quia vt nos diximus, illa nos facit participes & consortes diuinæ naturæ; de facto tamen non seruare, neq; seruaturum esse omnia sine speciali illo auxilio suprà tacto. De qua re legendus est Ferrar. 3. contra gent.

*3. Solutio.* c. 155. ¶Sed respondetur tertiò, & suppono hominẽ per gratiam maiores habere vires ad agendũ, quàm sine illa; non tamen sufficientes ad perseuerandum per longum tempus. Quo posito dico, necessarium esse hoc auxilium ad omnia præcepta & naturalia, & supernaturalia: Nam licèt gratia secundum se vim habeat vt possit illa omnia implere; quia tamẽ nõ sanat totaliter naturam, cùm maneat ignorãtia, obscuritas, rebellio, mutua lucta & pugna, & naturæ imbecillitas, aliaq; impedimenta, ad quæ superãda & propulsanda requiritur specialius auxiliũ; idcircò hoc speciale auxiliũ requiritur, & ad omnia naturalia, & ad supernaturalia multò magis: Nã requiritur primum mouẽs in genere supernaturaliũ; & ob causas tactas, specialius aliud in genere supernaturalium. ¶Ad cõfirmationes patet quid sit dicẽdum ex dictis. ¶Sed respondetur secundò ad easdẽ:

*Ad confirmationes.* Nam cũ dicit D. Tho. hominẽ existentem in gratia sine alio speciali auxilio posse se abstinere ab omni mortali peccato verbum, posse, duobus modis accipi potest; Primò quidẽ vt denotat vim sufficientẽ, quantũ est ex parte principij operatiui; Secũdò verò prout insuper includit remotionẽ impedimẽtorum, & conuenientem, ac necessariam dispositionẽ omnium, quæ requiruntur adhoc vt potentia operatiua reducatur in actũ secundũ. Et hæc est distinctio, quæ tacta est à nobis, & quæ tangitur à iuniori

*Obiectio.* bus, & quæ probatur ab antiquis etiam: Nã hæc non est noua doctrina. Quocircà, loquẽdo primo modo quantũ ad vim sufficientẽ ex parte principij operatiui, gratia habitualis cũ virtutibus annexis supernaturaliter infusis, cũ auxilio quod ab ea procedit, dat posse vitare omnia peccata mortalia; Quia ex propria ratione ordinat rectè hominẽ ad vltimũ finem, & causat dilectionẽ Dei super omnia, quæ dilectio de se repugnat omni peccato mortali. Cæterùm, si sermo sit secundo modo, habitualis gratia non dat posse vitare omnia mortalia per longũ tempus. Nam non remouet omnia impedimenta, neq; tollit omnem difficultatẽ: Simile est de potentia visiua, per quã possumus simpliciter videre quodcũq; visibile, si sermo sit de posse, primò modo ex parte principij; & tamen secundo modo interdũ non possumus propter varia, vel impedimenta, vel difficultates & obstacula, quæ intercedunt. Sic etiam patet

*Respõsio.* ad secundam confirmationẽ: Quia gratia dat posse perseuerare, quantũ est ex parte principij, nõ tamẽ simpliciter, & secundũ omnẽ rationẽ. Imò verò ex his patet solutio ad principale argumentũ. ¶Sed cõtra obijciet aliquis. Iustus tenetur perseuerare in actu exercito & de facto: ergo potest nõ solũ possibilitate tenente se ex parte principij, sed etiã possibilitate, quæ respicit actũ exercitũ, & quæ potest reduci ad actum secundũ. Respondetur, quòd in perseuerantia est aliquid quod se tenet ex parte Dei,

*Ad secundã.* scilicet, illa specialissima prouidentia iam superius dicta & explicata. Et ex hac parte, nõ tenetur iustus perseuerare. Et rursùs est etiam aliquid se tenens ex parte hominis, scilicet, non committere peccatum mortale, quo gratiã amittat. Et ad hoc obligatur homo non quidem ex speciali præcepto perseuerantiæ, sed ex reliquis præceptis contra quæ peccat. Vndè, sicut potest iustus vitare quodlibet mortale in particulari occurrens; non tamen omnia ex suppositione, quòd non est prædestinatus: Ita etiam potest simpliciter perseuerare; Sed tamen ex suppositione quòd non est prædestinatus, non poterit perseuerare. ¶Ad secundum dicendum, quòd solùm probat, gratiam ex suo genere, & ex parte principij esse sufficientem ad vitanda omnia peccata, quamuis ex defectu subiecti, & propter varias tentationes, & propter infirmitatem naturæ, & alia quæ diximus, opus sit specialiori alio auxilio.

*Ad confir.* ¶Ad confirmationem dicendum, quòd existens in





in gratia, quantùm ad id quod est posse vitare peccata, habet ampliùs, quam existens in mortali; Primò quidem ex parte principij; Nam habet principiũ de se sufficiens ad vitandum omnia mortalia, scilicet, gratiam, & hoc non est in peccatore. Secundò autẽ ex parte modi: Nam qui est in gratia, promptiùs & delectabiliùs operatur bonum, & resistit peccato. Tertiò verò ex parte auxilij Dei; quia Deus specialiori prouidentia inuigilat super iustos & amicos suos, donando illis frequentiora auxilia & potiora. Et ob id, qui est in gratia per se loquendo, maioritẽ

*Ad tertium* pore potest persistere, quàm qui illa caret. ¶Ad tertium, admisso casu, respondetur, quòd absolutè potest seruare illud præceptum; suppositò tamen quòd seruauerit omnia alia nouem, non admittò quòd de facto seruet istud vltimum sine speciali auxilio Dei. Et potest esse simile in reprobo: Nam vltimum peccatum hominis reprobi, adhuc est illi liberũ & voluntarium, & poterat illud vitare, nunquã tamẽ debet admitti quòd defacto vitet, suppositò quòd sit præscitus. Vndè, in omnibus argumẽtis, quæ pro hac parte fieri solent, cõmittitur semper defectus à diui

*Ad Quartũ.* sua ad copulatiuas. ¶Ad quartum respondetur negando consequentiam: Quia licèt gratia habitualis per Christum donata, de se sit maioris virtutis, quã gratia Adæ, cæterùm modò sunt pleraq; difficultates, & ingentia impedimenta, quæ tunc non erant. Quocircà, Adam cum minori gratia poterat se conseruare sine peccato; nos verò id nõ possumus, sine speciali auxilio; sed hoc etiam datur per Christũ ijs, qui non ponunt obicem peccati. Et idcircò, absolutè & simpliciter perfectior & abundantior gratia confertur per Christũ, quàm fuerit collata Adæ à principio, tum quia non reddebat hominem adeò gratum & acceptum; tùm etiam, quia licèt per illam daretur posse perseuerare de facto; non tamen data fuit actualis perseuerantia, sicut modò datur multis per Christum. Deniq;, per istam gratiam plura nobis bona & merita crescunt, quàm per gratiam Adę accrescerent: Nam, vt Paul. clamat, Virtus in infirmitate perficitur, & inter difficultates magis splẽdet.

*D. Augustin.* Vndè, D. Aug. lib. de correct. & gra. c. 11. & 12. Comparans gratiam collatam Adæ, cum gratia quæ modò confertur fidelibus per Christum; dicit, quòd illa erat latior & suauior: quia sine difficultate & labore perduceret hominem in cœlum; hæc autẽ est potentior & efficacior; quia per eam possumus vincere difficultates, & labores occurrentes in discursu vitæ, & consequenter possumus plura, & potiora nobis comparare merita. Lege Aug. loco citato, &

*D. Ansel.* D. Anselm. de casu Diaboli. cap. 2. & 3. Vbi eleganter ostendit, quo pacto Adæ fuerit collatum posse perseuerare; & tamen non fuerit illi datum perseuerare de facto. Tandem, licèt secundum se nostra gratia maioris sit efficaciæ & virtutis, quàm ea quæ fuit in Adam, cæterùm ratione subiecti, in quo residet, nõ potest prodire in cõtinuos actus, licèt quodãmodò sit maioris efficaciæ, quatenus vincit maiores tentationes & difficultates, vt optimè aduertit S. Thom.

*Ad quintũ.* hic. ¶Ad quintum respondetur, Deum specialiori modo posse concurrere, & magis illuminando mentem, & fortiùs mouendo voluntatem, & pericula remouendo, &c. ¶Ad confirmationem patet solutio

*Ad confir.* ex secunda conclusione: Dicendum est enim, Deũ quantùm de se est, omnibus cõferre hoc specialius auxilium longo tempore perseuerandi. Vndè, qui prioribus auxilijs fuerit cooperatus, vberiora accipiet à Deo. ¶Ad sextum patebit solutio dubio sequenti. ¶Ad septimum respondetur, quòd confirma-

*Ad sextum. Ad septimũ* tio in gratia, & donum perseuerantiæ differunt formaliter; primò, quoniam confirmatio respicit omnino vniuersum vitæ discursum, quantùmcunq; longum; perseuerantia verò per se loquendo, solùm respicit ipsum finem vitæ, præscindendo ab alijs. Secũdò; quia donum perseuerantiæ non datur completè in executione, nisi in fine vitæ; donum verò confirmationis, datur etiã completè dùm quis viuit. Tertiò, quoniam quòd confirmatus nunquam sit peccaturus mortaliter, id quidẽ est ex speciali & summo Dei decreto, & beneuolentia prædiffinitiua, & ex abundantiori gratia interna, quam confert. Quòd autem perseuerantes nunquam peccent in posterum, id prouenit ex prouidentia magis ordinaria, neque regulariter procedit ex tãta copia, & abũdãtia interioris gratiæ, qua anima interiùs permouetur à Deo.

## DISPVTATIO. II.

*Vtrùm homò iustus vsque ad mortem possit perseuerare, sine nouo alio gratiæ auxilio speciali, in ea gratia iustificante, quam semel accepit?*

De auxilijs etiam nonnulla disputantur.

Difficultas controuersiæ huius, id petit, Vtrùm specialiter ad hoc vt homo moriatur in gratia, requiratur illud speciale donum, & gratię auxilium distinctum ab eo, quo illo tempore à gratia fouetur? Et, Vtrùm requiratur necessario, vt quis in gratia decedat, siue in ea longo tempore perseuerauerit, siue breui? Et quidem, titulus huius controuersiæ, valdè diuersus est à præcedenti; Nam continet specialem difficultatem: Quoniam fieri potest vt quis per longum tempus perseueret in gratia, & tamẽ quòd nõ moriatur in gratia; & fieri potest etiam, vt qui breui tempore in gratia durauit, in ea moriatur; qui tamẽ propriè perseuerare dicitur; non tamẽ ille alter, qui quamuis multo tempore in gratia permanserit, tamen in ea mortuus non est. Quã doctrinã elegãter docet D. Aug. lib. de bono perseuerãtiæ. c. 1. & istud propriè vocatur secundũ Aug. donũ perseuerãtiæ. Deniq; quærimus, Num ad perseuerandũ in gratia per breue tẽpus morti proximũ, requiratur speciale auxiliũ Dei? ¶Pro parte negatiua huius quæstionis argumentor primò. Nã homo etiã per vires naturæ potest breui tẽpore abstinere ab omni peccato,

*Argum. 1.* moriatur ergo in illo tempore, sicut est naturaliter possibile, tũc sequitur, q; sine auxilio gratię perseuerauit in gratia p tẽpus morti vicinũ & immediatũ. ¶Secundò. Deus non deserit hominẽ iustificatũ, nisi priùs deseratur ab eo, vt docet Cõc. Trid. sess. 6. c.

*Secundum.* 11. & 13. Cui satis consonat illud Paul. Hebr. 12. Cõtemplãtes ne quid desit gratiæ Dei: ergo sine nouo

*Hebre. 12.* vllo auxilio, præter illud quod est necessarium ad non peccandũ, quod Deus nõ subtrahit, nisi priùs homo peccauerit, in potestate iusti est perseuerare,

*Confirm.* Et confirmatur. Nam homo constitutus in gratia iustificante cum diuino auxilio communi & supernaturali potest perficere bonũ omne, & repellere omne peccatum, cùm sit sanatus, & ad Deum conuersus per gratiam, & habeat præsentissimum, & paratissimum diuinum auxilium: ergo non requiritur

*Tertium.* aliud de nouo. ¶ Tertiò arguitur. Fingamus aliquẽ hominem vitam agere quietam, & liberam à perturbationibus sæculi, & propter indolem bonam, naturalemq; complexionem, animum habere ad bonũ propẽsum, aut propter genus vitæ quòd elegit quietum & à negotijs procul semotum; tunc talis homo ad perseuerandum, & ad superandas tentationes non indigebit speciali dono perseuerantiæ. Potissimè, si spatium huius iusti sit breuissimum vsq; ad mortem. Et supponamus in breuitate illa vitæ, nullam sese illi offerre occasionem peccandi; sequitur, quòd in tali casu, talis homo iustus sine speciali vllo alio concursu, perseuerabit in bono vsque ad mortem, quam breuissimè paratam habet. ¶ Quar-

*Quartum.* tò arguitur: Nam si donum perseuerantiæ est necessarium, vt quis in gratia moriatur, & consequenter vt de facto saluetur, sequitur, quòd Deus confert illud auxilium omnibus. Patet sequela: Quia Deus dat omnia necessaria ad salutem. Si verò non dat illud omnibus: ergo qui illo caruerit, quantumuis habeat gratiam, non poterit salutem consequi: sicut qui habet potentiam visiuam si non adest lux, non potest videre, neq; illi imputatur quòd non videat si non est in eius potestate habere lucem: ergo pari ratione ei qui caret hoc dono non est imputandũ, quòd non conuertatur in hora mortis; quia non potest, cùm non habeat auxilium requisitum, vt tunc conuertatur. Sed dices, culpam esse ipsius quòd nõ

*Responsio. Replica.* habeat; quia Deus paratus est conferre illud. Sed cõtra. Deus non est paratus illum prædestinare, cùm voluerit efficaciter illum non prædestinare: ergo non est paratus conferre hoc donum perseuerãtiæ, vsque ad exitum vitæ, quod est maximus effectus prædestinationis, & in quo completur prædestinationis effectus in hac vita. Rursùs, si Deus paratus

*Responsio. Replica.* est dare, quid expectat aut cur non dat? Dices, expectat Deus vt ipsẽ velit conuerti. Sed contra. Nam ad hoc quòd ell velle conuerti, requiritur istud auxilium: igitur non id expectat: Ridiculum namq; esset si Deus expectaret, vt ego aperirem oculos adhoc, vt statim conferret auxilium ad aperiendum oculos, siue vt ego, oculos aperire: ergo neq; expectat, vt ego conuertar, adhoc vt tribuat quod est necessarium, vt ego conuertar: Nã vt faciã id quod Deus

*Quintum.* expectat & quod in me prærequirit, est necessariũ illud. ¶ Quintò: Potest aliquis baptizari; & post horam vnam mori: sed in illa hora potuit ex naturæ viribus, quantò magis ex gratia iustificante, vitare peccata omnia quæ tunc occurrũt: ergo potest mori in gratia, sine alio speciali auxilio. Imò verò post lauacrum potest statim mori, & adhoc non videtur cur sit necessariũ auxiliũ aliquod, cùm mors posit aduenire ei naturaliter sine eo quòd sit opus illa su

*Sextum.* pernaturali prouidentia. ¶ Sextò arguitur. Contingit sæpenumerò, vt qui accipit gratiam, breuissimo tempore viuat: ergo sine alio auxilio speciali poterit perseuerare. Patet consequẽtia, quia per breuissimũ tempus, vt dictum est, benè potest quis viuere sine mortali, naturæ viribus: ergo multò magis id poterit cum gratia habituali. Probatur consequentia. Nã si aliquis homo in gratia iustificãte positus, sine vllo alio speciali auxilio, & sine hoc dono perseuerãtiæ: imò verò cui Deus statuerit non dare illud, statim potest interfici dormiens: sed tũc moritur in gratia: igitur vt in gratia decedat, nõ opus est isto auxilio: Nam sicut potest tyrannus fortuitò, & sine alia speciali prouidentia, interficere eũm quando est in peccato, cur non quando est in gratia? aut cur aliquid

*Responsio. Replica.* maius hic excogitatur? Dices, quòd eo ipso quòd interficitur iam habet tale donum. Sed contra: Nã ad hoc vt interficiatur, non videtur requisitum speciale iuus auxilium: sed sufficit voluntas interfectoris cũ concursu generali, & naturali Dei; vel satis erit si tunc vehementer aliquo morbo corripiatur, quod in eo instãti intulit natura. Et vis seu efficacia huius argumenti, hæc esse potest. Gratia de se, & ex sua natura, habet efficaciam vt perseueret homo in ea, saltem per duas vel tres horas, ergo pariter causa naturalis habet efficaciam de se ad occidendum hominem dum est in gratia: sed Deus non aufert istã effi-

*Septimum.* caciã à gratia, neq; à causa naturali: ergo. ¶ Septimò arguitur. Et suppono hominem aliquem carere hoc dono perseuerantiæ, & esse in vltimo instanti mortis, cui occurrat hic & nunc præceptum moriendi pro Deo. Tunc iste potest moraliter adimplere hoc præceptum; Nã potest omnia diuisiuè, sine alio speciali auxilio: Si autem illud adimpleat, morietur in

*Responsio. Replica.* gratia: ergo sine alio speciali auxilio potest mori in gratia? Dices, quòd licèt ille posset; tamen non facit. Sed cõtra; quia si ille moraliter potest, cur colligis, aut vndè, quòd non faciet? Nam non ex defectu auxilij, cum habeat omne auxilium necessarium, vt de facto faciat. Neq; rursùs ex defectu doni perseuerantiæ. Nam argumentum concludit, hoc non esse necessarium, cùm sine vllo dono tũc homo habeat potentiam moralem, & proximam actui: ergo, &c.

*Octauum.* ¶ Octauò arguitur: Potest contingere, quòd homo iustus semel faciat opus vnum bonũ, & quòd statim moriatur, & quòd alter etiam iustus sæpiùs operetur benè, & quòd in vltimo vitæ in peccato moriatur. Tunc sic argumentor. Iustus ille qui decesit in gratia, non accepit aliquod auxilium diuinæ motionis, quod non acceperit ille, qui recessit in peccato: ergo donum perseuerantiæ nõ est distinctum auxiliũ ab eo quo homo rectè vtens, benè & studiosè operatur. Imòverò fieri potest vt iustificatus ex attritione sola cum sacramento, statim moriatur sine vllo alio bono opere; & tunc gratia continuatur in eo vsque ad finem vitæ sine noua motione gratiæ Dei: ergo.

Pro explicatione huius controuersiæ. Est prima conclusio. Ad perseuerantiam formaliter loquendo, hoc est, quatenus dicit præcisè finaliter mori in gratia, siue diù fuerit habita, siue breui tẽpore; semper est necessarium auxilium illud specialissimum suprà tactum, quòd est prouidentia quædam paterna, qua Deus prospicit saluti electorum, & inuigilat sic disponendo eorum res internas & externas, vt tandem finaliter in gratia decedant. Hæc assertio est præambula in doctrina huius controuersiæ, & debet esse certa in omni sententia. Et probatur. Nã quòd iustus perseueret in gratia vsque ad finẽ vitę, est noua & specialissima gratia secundũ fidẽ, iuxta decretum



decretum Concilij Trident. sessio. 6. citata: ergo est ex aliquo specialissimo auxilio Dei: Et confirmatur Quoniam ex fide habemus quòd Dæmon aduersarius est noster, & potẽtissimus, & summopere exoptans nostram damnationem, præsertim in fine vitæ: ergo est specialis gratia Dei, quòd ab illo non superemur, siue id contingat, quia non permittitur tentare nos suprà id quod possumus, siue quia Deus adauget vires ad superandas tentationes, siue quia rapit hominem à vita ne mutetur intellectus eius à

*Sapientia. 4.* bono, tempore opportuno, iuxta illud Sap. 4. Placẽs Deo dilectus, raptus est ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius. Rursùs; perseuerantia finalis pendet intrinsecè ex

*D. August.* prædestinatione diuina; vt docet Aug. lib. de bono perseuerant. cap. 7. sed prædestinatio est gratia specialissima longè diuersa à gratia habituali secundum se sumpta: ergo.

*Concluſ. 2.* Secunda conclusio. Præter gatiam habitualem, & supernaturale auxilium ei correspondens, requiritur aliud. Imò verò, præter illud quod requiritur, vt quis longo tempore gratiam conseruet; datur aliud speciale auxilium vt in gratia quis vsque ad finem vitę perseueret, siue diuturna fuerit vita, siue breuis Quò fit, vt nemo possit breui illo tempore morti vicino, verè perseuerare in gratia iustificante, sine speciali Dei auxilio impedientis, ne dæmon tentet suprà id quod potest homo, & tentaret quidem nisi cohiberetur à Deo. Vnde Ricard. Victorinus lib. 2. de erudit. interioris hominis; cap. 43. dixit, quòd nullus sine diuina protectione, vel suggestionibus malignis, vel passionibus & incursibus in vita occurrentibus, posset resistere, vel ad modicũ tempus

*Celestin. 1.* morti proximum. Et Cælest. 1. epist. 1. ait, ad perseuerandum requiri adiutorium Dei quotidianum. Vndè, Propheta in psalmis dicit. Misericordia eius sub

*D. August.* sequetur me omnibus diebus vitæ meæ. Et D. August. de bono perseueran. cap. 1. inquit, quòd quãcunque breuissimo tempore aliquis iustè vixerit, si mors eum iustum inuenit, perseuerare dicendus est; & è conuerso, non perseuerare si absque gratia mortuus est etiam si longo tempore in gratia vixerit: sed perseuerare absolutè loquendo est donũ Dei gratuitum, vt Aug. eo loci dicit: ergo perseuerare etiam per breue tempus morti vicinum, est donum gratuitum Dei. Sanè, tantas posset Sathan coaceruare calumnias & tentationes in aliquo puncto, vt moraliter certo homo laberetur: ergo requiritur auxilium illud gratuitum. ¶ Præfata veritas, vi-

*Conc. Trid.* detur expressè definita in Conc. Trident. sessio. 6. cano. 22. Si quis dixerit iustificatum sine speciali auxilio Dei, in accepta iustititia perseuerare posse, vel cum eo non posse; anathema sit. Et quòd concilium loquatur de perseuerantia propriè, nẽpe de ea quæ est vsq; ad finem vitæ conseruans gratiam, licèt eã breui tempore possederit; patet ex cap. 13. eiusdẽ Concilij. Vbi agens de perseuerantia sic incipit. Similiter, de perseuerãtiæ munere de quo scriptũ est. Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit, &c. Et cano. 16. idem supponitur cùm dicat: Si quis

*Conc. Arau.* magnum illud vsque in finem perseuerantiæ donũ &c. Et in Conc. Arausc. cap. 10. distinguntur hæc duo peruenire in bonum finem, & perdurare in bono opere: Et dicitur, quòd ad eorum quodlibet iustis est necessarium speciale Dei auxilium. Hæc namque sunt verba Concilij: Adiutorium Dei etiam renatis, ac sanctis semper est implorandum, vt ad finem bonum peruenire, vel in bono possint opere perseuerare, seu perdurare. Legendus est August. to to lib. de bono perseuerant. cap. 2. 8. 9. & 10. Vbi duo dicit. Primum est donum perseuerantiæ donari etiã his qui ægritudine vel quocũq; casu subitò moriuntur. Secundum est ad hoc donum perseuerantiæ spectare vt subitò quis moriatur in gratia, ne malitia mutet intellectum eius. Idem Hieron. 3. contra Pelagian. Et tandem, perseuerantia finalis, vt Aug. docet & nos diximus, intrinsecè pendet ex prædestinatione diuina: sed prædestinatio est specialissima gratia valde diuersa à gratia habituali secundum se sumpta: ergo. ¶ Rursùs persuadetur præfata assertio ampliùs explicando naturam huius doni perseuerantiæ, quod sanè vel accipi potest pro specialissima manutenentia, qua Deus ita quosdam protegit, vt infallibiliter salutem assequantur, vel pro eo auxilio quod de se sufficiens est vt quis de facto perseueret, quamuis ratione libertatis, vel aliundè agitatus, possit non perseuerare. Et quidem si donum perseuerantiæ sumatur primo modo, illud ex natura rei nõ videbatur per se necessariũ, vt quis breuissimo tẽpore gratiã conseruaret, licèt instaret mors, nisi ordo rerũ moraliter talis esset sicut descriptus est & difficultates occurrẽtes graues & vehemẽtes multum per omnem modum; aut si Deus alium modum prouidentiæ seruasset quam nunc. Sed quoniã omnes saluandi efficaciter sunt prælecti antequã eorum bona opera præuiderentur; nam non permisit Deus rem tanti momenti, in ancipiti & casuali dubio versari; idcircò quos prædestinauit, & finaliter in gratia, decedere decreuit, hos statuit vocare & iustificare, & quadam speciali manutenentia protegere, vt finem in quẽ efficaciter præordinati sunt infallibiliter consequerẽtur. Quod à Christo Ioan. 10. illis verbis significatur: Oues meæ, vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me meæ, & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum; neque rapiet eas quisquam de manu mea. Et cap. 6. Pater quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quenquam. Igitur hæc specialissima cura, & misericors protectio qua Deus ita eos fouet, modò inspirando & incitando ad bonum, modò remouendo tentationes, & accelerando, & alia innumera prouidendo, hoc dicitur perseuerantiæ donũ. Quod eisdem rationibus ostendi po-sst, quibus probari potest, Deum ante præuisionem operum prædestinasse omnes, quotquot prædestinati sunt. Quapropter, qui oppositam sententiam dicunt, negabunt requiri hoc donum perseuerantiæ, & incident in errorem; quia ponunt, Ex prouisione operum fuisse homines prædestinatos.

*Aug. de bono perseuerant. cap. 7.*

*D. Hieron.*

*Ioann. 10.*

*Concluſ. 3.* Tertia conclusio. Auxilium & donum perseuerantiæ finalis, nõ semper est operatio, Cùm pueri in baptismo discedentes, consequantur hoc donum, qui tamen nihil operati sunt. Itaque si sit sermo de perseuerantia formaliter, vt dicit solam permanentiam in gratia, vsque ad finem vitæ, non semper requiritur auxilium speciale operatiuum: Quia operatiua auxilia dantur ad operandum, & potest contingere quòd quis post acceptã gratiam iustificãtem,

nihil operetur vsque ad mortem; quia non datur tempus, neque necessitas operandi, vt si moriatur subitò, statim atque iustificatus, præsertim in casu in quo in primo non esse sacramenti moreretur, Sed nihilominus isti adhuc habent necessariũ auxiliũ & speciale perseuerantię diuinæ protectionis, & paternæ prouidentiæ interiùs & exteriùs. Et ob id nemo perseuerat vsq; ad mortẽ sine dono perseuerantiæ. Sanè conclusio posita, in pueris baptizaris, qui moriuntur ante vsum rationis, & consequenter perseuerant in gratia; qui tamen nihil operantur; euidentissima est, & tale donum perseuerantiæ, inquit August. donari his qui subitò moriuntur in Christo ægritudine aut morbo aliquo correpti, cùm parum antea gratiam acceperint iustificantem. Legendus est August. de bono perseuerãt. cap. 2. ¶Cæterum, donum perseuerantiæ non est eiusdem rationis in omnibus. Nam in vno habet effectum prolongandi vitam, vt conuerti possit; in alio, accelerandi mortem, nè malitia mutet intellectum eius.

*Quid dicant plerique Theologi.*

Plerique Theologi dicunt, quòd licèt præfatum donum perseuerantiæ, requiratur & sit necessariũ vt iustus moriatur in gratia, sicut hactenus explicãtum est ex Sanctis, ex Scriptura & Concilijs; nihilominus ex natura rei & per se loquendo, non esset per se necessarium, si Deus alium modum in rebus statuisset. Nam si Deus aliam prouidentiam habuisset ab ea quã de facto habet, aliqui possent perseuerare, vel perseuerarent, sine hoc dono ita explicato, & quòd ita fortè homines in originali iustitia perseuerando, non indigerent hoc modo perseuerandi secundum prouidentiam illi statui debitam. Sed quidquid sit de modo perseuerantiæ, qui foret si Deus alium ordinem statuisset, aut aliam prouidentiam exerceret; semper tamen est dicendum, neminem de facto perseuerare sine Dei protectione & manutenentia. ¶Rursùs, cùm per auxilium Dei speciale, de quo dictum est dubitat. præcedenti, possit iustus perseuerare in actu secundo, culpa hominis est quòd non perseueret. Quarè, ipsi est imputandũ, non Deo qui non tenetur tribuere donum perseuerantiæ, cùm istud non sit necessarium nisi ad infallibiliter perseuerandum, quod cùm sit specialissimũ & gratuitum auxilium seu priuilegium, nulli est debitum, sed sufficit vt nulli denegetur gratia, qua de facto perseuerare possit. Quare autem aliquis ex tot millibus, qui non tenent hoc donum, habent tamẽ gratiam, non perseuerauerit de facto, vel cooperando gratiæ, qua posset perseuerare de facto, vel morte fortuita præuentus, dũ est in gratia, hoc maximũ & grauissimum mysteriũ est ad materiã de prædestinatione spectans. De qua difficultate ibi multa diximus in Comment. 1.p. Neque hic aliud dicere vacat, quam, suppositio nullam dari causam prædestinationis, nullum eorum qui perierunt perseuerasse, cùm perseuerare potuisset & saluari: Quia Scriptura teste, id docemur 1.Ioan. 2. Quod ex nobis prodierunt; sed non erant ex nobis, quoniam si ex nobis fuissent, vtique permansissent. Quod interpretatur ad hoc propositum D.Aug. de bono perseueran. cap. 8. Non ergo possumus colligere defectum aliquẽ in hoc ex defectu auxilij sufficiẽtis, quod Deus nulli denegat, Neque ex vllo alio fundamento.

1.*Ioan.* 2.

*D.August.*

*Conclus.* 4. Quarta conclusio. Deus non denegat alicui viatorum illud auxilium gratiæ, quod est necessarium & sufficiens ad salutem. Hanc ego assertionem luculenter sum prosequutus per plures controuersias in commentarijs. 1.p.q.23. præsertim art.3. Nam de fide est, quemlibet viatorem dũ est in via, posse conuerti ad Deum & saluari: ergo si saluari potest, non caret necessario, & sufficienti auxilio ad salutẽ. Et ob id Sacræ literæ clamant, Deum esse paratum ad vniuersos peccatores conuertendos: Nam vult omnes homines saluos fieri, & illuminat omnem hominem Ioan. 1. & stat ad ostium & pulsat Apoc. 3. & exaltat vocem suam. Matth. 11. dicit: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis. Rursus. Deus præcipit vniuersis peccatoribus viatoribus vt pœnitentiam agant, & conuertantur, & perseuerent in bono: ergo dat sufficiens auxilium, seu adiutorium ad hæc iussa implenda; alias præciperet impossibile: Nam si homo conditus in puris naturalibus sine ordine ad finem supernaturalem, & sine prouidentia mediorum supernaturalium, quæ illuc eum ducere possent, non haberet actus supernaturales; non imputaretur tunc illi, si non crederet aut diligeret supernaturaliter: ergo pariter dicendum esset si homo careret sufficienti auxilio & necessario.

*Ioannis. Apocal. Matthæi.*

## *Doctrina nouorum Theologorum impugnatur, & auxilium sufficiens & efficax astruitur & declaratur.*

OBserua tamen vt præfatam, conclusionem percipias duplex auxilium à theologis vere distingui nempe sufficiens & efficax, sufficiens quidẽ secũdũ se, & ex parte principij, quo possint homines saluari & resipiscere, & quo excitatur & allicitur ac inuitatur liberum arbitrium ad actus sperandi, diligendi, & pœnitendi, quod nonnulli dicunt, esse instrumentum Spiritus sancti, quod sanè auxiliũ est virtute multiplex, vnũ cũ sit. Nã excitat, præuenit, allicit, & inuitat ad actus credẽdi, sperãdi, diligendi, & pœnitẽdi: quod donũ & auxiliũ sufficiens vniuersis hominibus offert Deus, atque confert. Et ob id stat ad ostium & pulsat semper Apocal. 3. & alibi: Aperi mihi soror mea, &c. Quocircà, sufficiens auxilium verè se ipso sufficiens est vt homo conuerti possit, seu vt conuertatur; & ob id per ipsum arbitrium stat quòd homo non conuertatur, & quòd nõ conferatur homini efficax, vel quod illud non fiat efficax à Deo, homine ipso cõcurrente, & liberè cõsentiente. Alterum est efficax auxilium, quo posito non solùm homo conuerti potest, sed cui coniunctum est opus conuersionis, & salutis; & hoc efficax, pereuntibus non confertur in fine vitæ alioquin conuerterentur; cùm efficax auxilium habeat simul coniunctum opus conuersionis & pœnitentiæ. ¶Et quòd hoc auxilium efficax sit distinctum à sufficienti, satis deduximus. 1.p.q.23. art.3. disputat. 7. Quod dico cõtra nouos Theologos, qui vt concordiam liberi arbitrij faciant cum diuina gratia, minùs recte putant, sufficiens & efficax auxilium, vnum & idem prorsus ita esse, vt nihil supernaturalitatis accrescat efficaci ex Deo, quod non sit totaliter in sufficiente vt sic præcisè. Imò verò dicunt,

*Apocaly.3.*

*Contra nos Theologos.*



cunt, totam distinctionem sufficientis & efficacis, præcisè sumendam esse ex parte effectus, & pendere ex arbitrij libertate præcisè. Qui dicendi modus non mihi tutus videtur. Nam addit hæc sententia, ex libero arbitrio prouenire aut pendere efficaciam ipsius auxilij; in quo valdè decipiũtur: Nã sic, refundetur initiũ quo discerneretur, is, qui cõuertitur ab eo qui nõ cõuertitur; in vires liberi arbitrij. Etenim licèt verũ sit hominẽ liberè cõsentire, & cooperari diuinis auxilijs sufficientibus, & efficacibus in conuersione & pœnitentia; tamen non oritur veluti ex primo principio radice, & causa, efficacia illa quæ in talibus auxilijs reperitur (cũ efficacia illa auxilij supernaturalis sit, & supernaturalitatem quandam includat) ex libero arbitrio suisque viribus. Quod profectò, latenter videntur concessisse, qui dicunt, quòd efficacia auxilij supernaturalis pendet & originatur ex libero arbitrio. Nam aliud est, consentiẽte libero arbitrio, & libere cooperante, adesse efficax auxilium simul: Et aliud est, ex libero arbitrio, prouenire & pendere efficaciam illam aliàs superna turalẽ, quæ in ipso auxilio à Deo fluente, cernitur. Quamuis enim idem esset auxilium sufficiens & efficax; cæterum inquantùm efficax, non posset non habere aliquid specialius secundum se à Deo proueniens, vel modum aliquem supernaturalem, quod non esset in eo auxilio sufficienti, quod operi & efficaciæ coniunctum non est. Sanè nemo negare poterit, quod efficaci posito auxilio, ad conuersionem peccatoris in Deum, simul ponatur in re conuersio ipsa, libera tamen, iuxta concilij definitionem, quæ minimè ponitur solo sufficienti; & efficaci excluso: Et cùm libertas arbitrij par sit vtroque posito auxilio; Nam etiam efficaci posito, dissentire potest si vult, vt Trident. Concil. asseuerat sessio. 6. cano. 4. Sequitur, quòd diuersitate & differentia illa efficaciæ in auxilio, quæ non reperitur in sufficiẽti præcisè, includit aliquid supernaturalitatis ex Deo: ergo quòd tale auxilium efficax fiat, aliquid supernaturalitatis dicit specialius à Deo proueniens. Constans itaque sententia debet esse, efficaciam auxilij ex Deo prouenire, sed liberum consensum, ex libertate arbitrij pendere. Quo autem vinculo hæc duo copulentur, licèt difficile sit intelligere, & planè penetrare; non tamen ob id denegandum est id, quod de manu Dei accipimus per efficaciam diuini auxilij; & aliàs incidimus in extremũ Pelagij. Nam vires nostræ non tribuunt efficaciam auxilio; Quia sic salus in vires refunderetur naturales. Sed liberè cooperante & consentiente libero arbitrio, in exercitio ipso cernitur qualis sit efficacia in ipso auxilio mouente ipsum arbitrium suauiter, & iuxta modũ suum. Et licèt pereuntibus de facto non donetur hoc auxilium efficax, quod operi & conuersioni est coniũctum; nihilominus & possunt conuerti, & saluari, & sua culpa non habent, & habere possunt illud, sicut à nobis fusè satis dictum est in plerisque controuersijs, potissimè in Commentarijs. 1.p.q.23. art.3.4.&.5.

*Conc. Trid.*

Sed obijciet aliquis. Nemo potest venire ad Christum, nisi Pater traxerit illum Ioan. 6. Sed auxilium efficax est necessarium, vt in fine vitæ peccator resurgat & trahatur ad Christum; quia si efficax auxilium haberet, absque dubio conuerteretur & perseueraret vsque in finem per illud tempus morti vicinum: ergo non est in culpa pereuntis, quod non habeat auxilium, quo conuertatur. Vndè, Scriptura teste, sic legimus: Conuerte me domine, & conuertar. Nam profecto, nemo agere potest sine concursu, motione atque influxu primæ causæ: igitur si ille qui perit & est reprobus, non conuertitur efficaciter à Deo, vel si non concurrit per efficax auxilium cum ipso videtur eum conuerti non posse. ¶Et confirmatur. Quia si Deus negat efficax auxilium conuersionis pereuntibus, alias necessarium ad conuersionem: igitur non debemus formidare id concedere, nempe Deum denegare auxilium gratiæ reprobis. Nam ex hoc non sequitur quòd careant libertate arbitrij, aut facultate vt saluentur: Quia posita ad huc negatione diuini auxilij, tantum infertur quòd in sensu cõposito nõ possint saluari; nam indiuiso, optimè possunt: ergò. ¶Et cõfirmatur iterùm. Quia si Deus dat auxilium necessarium & sufficiens omnibus etiam pereuntibus, ita vt qui consentiunt & amplectuntur illud, saluentur; qui verò reijciunt, dãnentur; sequitur quòd Deo tribuatur nos posse iustificari & saluari; libero autem arbitrio tribuatur nos saluari & actu conuerti: Qui error est peior quã Pelagianorum; Nam illi, initium iustificationis libero arbitrio tribuebant; consummationẽ tamẽ Deo. ¶Et cõfirmatur tertiò. Nam Deus denegat reprobis donum perseuerantiæ quod si donaret, verè perseuerarent; sed hoc est necessarium ad salutem, sine quo nemo salutem assequi potest: ergo reprobis denegatur sufficiens auxilium ad salutem. ¶Tandem confirmatur ex illo citato Ioan. 6. Nemo potest venire ad me, nisi pater meus traxerit eum: sed reprobi non trahuntur: ergo non possunt venire ad Christum: ergo non habent auxilium necessarium & sufficiens, ad salutem & vitam æternam. ¶Pleraque alia argumenta congessimus in comment. 1.p.q.23. art.3.4.&.5. & deinceps, quorum dedimus solutionem ex doctrina Sanctorum Patrum, & ex communi modo loquendi Theologorum omnium, & catholicorum. Et sanè in re hac obscura satis & difficili, non video cur liceat impunè nouis quibusdam Theologis, quosdam nunc recenter excogitare modos, qui plurimum sunt suspecti, & parum tuti in fide. Sufficiat nunc nobis ea scire, quæ Sancti Patres, & maiores nostri cognouerunt, & quæ doctiores & Grauiores Theologi dixerunt, quos loco citato primæ partis retulimus.

*Ioann. 6.*

*Confirm.1.*

*Confirm.2.*

*Confirm.3.*

*Confirm.4.*

Ad has quas modò fecimus obiectiones. Quidã nouitij se facilè expediunt aientes, nullam esse distinctionem sufficientis & efficacis auxilij, sed omnem illam sumendam esse ex parte liberi arbitrij, ab eoque pendere præcisè, ita vt quòd auxiliũ reddatur efficax, id à libero arbitrio sit solum; & consequenter, cùm nihil supernaturalitatis sit in efficaci magis, quam in sufficiẽte, ratione cuius fiat efficax à Deo; sequitur argumenta nihil probare: Quia tota efficacia auxilij referenda est ad liberum arbitrium; ac proinde sequitur Deum in fine vitæ, neque denegare pereuntibus efficacia auxilia; imò verò donare; eos verò resistere, & quantumuis illa sint efficacia, reddere inefficacia & inualida: Quia totũ id negotium præcisè à libero arbitrio pendet. Et ob id dicũt, quòd neque certitudo prædestinationis

*Respondent nouæ Theologi.*

posit

posit esse vlla, ex parte efficacis auxilij, etiam in fine vitæ, Et pariter ob eandem causam iudicant, adultorum prædestinationem fuisse secundum præscientiam boni vsus liberi arbitrij, cuius habuit rationem in eis prædestinandis, tanquam eius à quo pendebat voluntas opitulandi, & prouidendi per auxilia & dona illis, vt hæc ipsa voluntas rationem haberet vel prædestinationis, vel solius prouidentiæ. *Respõdet. 2.* ¶ Secundò etiam latenter respondent, Deum ex præuisione operum, & ex futuris successibus cognitis, & à Deo præuisis, deinceps decreuisse & diffinuisse omnia, &c. quoniã erãt præstituri bonũ vsum nonnulli in fine vitæ, hunc modum & ordinem rerum Deum elegisse, & prædestinasse. Et ob id hanc electionem & prouidẽtiam, babuisse rationem prędestinationis potiùs comparatione horum adultorum, quam illorum. Quòd si non præuideret priùs Paulum præstiturum bonum vsum, aut res non ita esset euentura, electio talis ordinis, haberet rationẽ prouidentiæ in beatitudinem, sed nõ rationem prædestinationis. ¶ Vndè, videtur mihi hæc sententia, prædestinationem horum reducere ad liberum arbitrium; nã latenter dicit q̃ homines se prædestinãt: Quia vt à Deo prædestinẽtur, expectat Deus successum, & quid sint præstituri: quibus à Deo cognitis, hunc ordinem rerum potiùsquam alium ex sua æternitate eligit.

*Impugnantur noui Authores.* Hic modus dicendi verborum vmbris & sinuosis circuitibus tangitur hodierna die à quibusdam, vt concordiam liberi arbitrij cum donis gratiæ & prædestinationis efficiant. Qui, sicut nouus est ita introspiciendus. Dico nouus, quia cùm sepultus esset, nouè fuit excogitatus, & extensus ab Ambrosio Cathar. Polito, & modò placet quibusdam sui spiritus amatoribus, & latenter concedunt iustificationis & prædestinationis initium ex nobis esse. Quorum sententiam longè ab ecclesia Christi exterminandam esse sentimus, & definiuimus multis, & testimonijs Sanctarum literarum, & Diui Aug. atque Sanctorum Patrum, & definitionibus Ecclesiæ, & Conciliorum & rationibus Theologicis. Imo verò, addidimus humilitatem credendi in his diuinæ prædestinationis obscurissimis arcanis, & latebrosis; ne putaremus posse nos introrsùs comprehẽdere Deum & penetrare. Et licèt prædicti iuniores in omne latus se vertant, & verbis negent, initium salutis ex nobis esse, & nos eosdem, nos ipsos prædestinare; latenter tamen id concedunt. Quid dico latenter? Nam ex ipsorum verbis, doctrina, fundamẽtis, & discursibus, apertiùs id sequitur quã vt opus sit labore aliquo ad id cernendum. Quæ sanè sententia (vt retuli) exposa est à nobis. 1. p. q. 23. art. 5. disputat. 1. & art. 6. disput. 1. 2. &. 3. & similiter in eadem. q. 23. art. 4 disputat. 1. 2. &. 3. &. 4. Qui locus specialiter est videndus, quia ibi luculenter & exactè satis impugnauimus præfatam horum sententiã, quæ plures excitat contentiones & tragœdias in Ecclesia Christi: Est enim doctrina prægnans, & plura in se inuoluens quam in superficie dicat.

*lege attente. 1. p. q. 23. ar. 4. disput. 2. quæ ibi nos diximus, & etiam art. 5. disputat. 1. & art. 6. sequenti.*

*Ad argum. principale.* Iam ergo aliter iudico dissoluẽdas esse obiectiones, & confirmationes præfatas. Ad argumentum ergo principale, quod fundatur in testimonio illo sæpius citato Ioan. 6. Nemo potest venire ad me nisi Pater meus traxerit eum, Respõdetur, q̃ licèt Deus reprobis post primum peccatum denegaret auxilia necessaria ad salutem, nihil alienũ à sua æquitate faceret. Nam potest reprobum iustè post primum peccatum interficere, & supplicijs æternis tradere: igitur si eum viuere permittat quamuis auxilium gratiæ illi deneget, misericorditer cum illo agit, vt. 1. p. fusiùs diximus. Dico tamen, quòd nulli reprobo dùm viuit, denegat Deus necessaria auxilia, & sufficientia ad salutem, sed auxilia communia & specialia dat; quibus & abducatur à malis, & inducatur, atque alliciatur ad bona, & sic trahitur ab his auxilijs, quantùm ex Deo est; quòd si priora auxilia re ipsa oblata sic à malis abducant, & ad bonũ alliciãt vt homo cui donantur, his prioribus rectè vtatur; paratus est Deus posteriora auxilia conferre. Nam cùm pateat aditus in hac vita ad veram pœnitentiam, Deus priora auxilia reprobis dat, eos incitando, & mouendo ad meliorem frugem & ad meliorem vitam. Itaque Deus non denegat auxilia sufficientia necessaria & ordinaria, quibus conuerti possint, sed negat de facto efficacia, donum perseuerantiæ, diuinam protectionem, & manutenentiam in fine vitæ, vt latiùs deduximus. 1. p. q. 23. art. 4. disputat. 2. conclus. 7. Et idcircò reprobi non trahuntur à Patre per hæc. Sed nihilominùs Pater paratus est illos trahere, nisi ipsi resistant, idque semper agit, & cõnatur quantum ex se est. Propter quam causam, negatur consequentia argumenti: Quia sufficit quòd homo ille acceperit auxilium supernaturale, & notitiam diuinæ misericordiæ ad pœnitentiam inuitantis, vt homo obligetur tunc, & vt simpliciter dicatur, quòd p otest agere pœnitentiam: Nam aliud donũ Dei est, posse agere pœnitentiam, aliud verò agere. Cæterum, si nullum supernaturale auxilium recepisset homo ille, neq; illi offerretur, tunc colligere mus Deum non esse paratum. Dico secundò, hanc consequentiam esse negandam: Homo viator potest saluari & ad Deum conuerti, & venire ad Christũ tractus à Patre: ergo quicumque viator habet de facto in hac vita illud auxilium efficax, sine quo nõ potest de facto conuerti, aut saluari. Negatur igitur consequentia ista: Nam solùm sequitur, si recta fiat illatio: Ergo quilibet homo potest habere auxilium gratiæ in hac vita, secundum ordinariam legẽ, &c. Et quidem, defectus huius consequentiæ, dialecticis est manifestus. Nam hæc consequentia in simili nihil concludit: Lignum potest esse album: sed non potest esse album sine albedine: ergo habet albedinem: Non valet inquam consequentia: Quia esset inferendum: Ergò potest habere albedinem. Et idẽ efficies si dicas: Quilibet reprobus tam cùm viuit, quam in extremo vitæ cursu, potest venire ad Christum tractus à Patre, & saluari: sed hoc nõ potest facere sine dono perseuerantiæ, & efficaci auxilio: ergo habet illud donum: Non sequitur hæc consequẽtia, vti diximus. Itaque licet de facto non habeat efficax auxilium; tamen tunc potest habere. Qualis autem sit ista potentia, nos latiùs deduximus, 1. p. q. 23. art. 3. disputat. 3. &. 4. &. 5. &. 7. &. art. 4. disputat. 2. Tandem dico, quòd reprobus non trahitur de facto quãuis Deus sit paratus illum trahere, si non contradicat & resistat, & fortè loquitur Dominus de auxilio efficaci, quod reprobus non habet, quo quidem efficaciter conuerteretur, & saluaretur: sed nihilominus

*Solutio argumenti.*



nus Deus est paratus conferre efficax auxilium si ipse non contradicat, & resistat. Et quidem sufficit, quòd homo possit habere auxilium efficax, vt dicatur verè, quòd potest resurgere in fine vitæ; & ob id in culpa est pereuntis, quòd nõ habeat, cùm verè possit habere, & Deus sit paratus cõferre efficax auxilium, nisi contradicat, & resistat peccator. Qua propter, ratio hæc nihil concludit: Sine efficaci auxilio non potest conuerti aut saluari: sed reprobus non habet defacto efficax auxiliũ: ergo non potest saluari. Nam potest habere auxiliũ illud, & id sufficit vt possit saluari. Vndè in simili non valet, vt suprà vidimus. Et pariter etiam non valet; Nemo potest videre sine lumine; sed qui claudit oculos non habet lumen: ergo non potest videre: Non inquam valet hæc consequentia: Quia potest habere lumen, & sic potest videre. Vndè, hoc pacto dissoluitur argumentum hoc à D. Aug. lib. de correct. & grat. cap. 11. &. 12. Vbi dicit, quòd Adam accepit donum, quõ potuit perseuerare, sed non accepit donum vt perseueraret. *D. August.* ¶ Ad confirmationem dicendum. Deum negare efficacia auxilia & donũ perseuerantiæ pereuntibus; quia nemo de facto saluatur cum solis auxilijs communibus, & sufficientibus, nisi habeat donum perseuerantiæ, diuinam protectionem, & efficacia auxilia in fine vitæ; sed nihilominùs potest homo de lege communi saluari, fide docẽte, quòd si hoc potest, sequitur quòd potest habere auxilia, quibus saluetur, licèt de facto non habeat, si reprobus sit. Vndè, si Deus negaret, neque offerret vllum prorsus auxilium, etiam sufficiens, tunc non posset cõuerti: sed quia potest habere illa auxilia sufficientia & efficacia, idcircò culpa hominis est, ea non habere. *Ad cõfir. 2.* Ad secundam confirmationẽ respondetur, omnia illa esse Dei dona, nempe, stare ad ostium & pulsare, introire, & cœnare & petere quod Deus det, & accipere quod dat; & hæc omnia diuinæ gratiæ tribuuntur, non nostris meritis, quasi de proprijs viribus præsumentes. Et cùm dicitur, omnes homines habere auxilium sufficiens ad salutem, quod qui amplectitur saluatur, & qui repellit condemnatur; id potest duobus modis intelligi. Primùm, quòd qui amplectitur ex viribus liberi arbitrij, & ex naturali talento saluatur, ita vt tribuat efficaciam auxilio; id quidem Pelagianum est; quia reducit discretionem bonorum & malorum, in facultatem liberi arbritrij, & non in diuinam gratiã veluti in primam radicem & causam. Imò verò tribuit etiam consummationem & perfectionem operis libero arbitrio. Secundò potest intelligi, quòd qui amplectitur sufficiens auxilium excitatus à gratia Dei, eo rectè vtens, habebit efficax auxilium fidei & charitatis, quo in Deum conuertatur. Quem sensum prętendit proloquium illud, Facienti quod in se est, scilicet, ex diuino auxilio, Deus non denegat gratiam. Et hunc videtur insinuare sensum Concil. Trident. sessio. 6. cano. 9. *Conc. Trid.* Vbi dicit, necesse esse hominem suæ voluntatis motu præparari, & disponi ad iustificationis gratiam consequendam. Nam hoc non fit sine diuinò & supernaturali auxilio. ¶ Sed hac ætate nonnulli dicunt, Deum semper cõferre auxilia gratiæ, conanti ex suis naturalibus præcisè, facere quod in se est. Imò verò dicunt; Quotiescunque liberum arbitrium ex suis viribus naturalibus conatur, præsto ve est ad conandum ex suis viribus, tam circà ea quæ sunt fidei, quam circà iustificationem, & dolorem de peccatis, à Deo conferri gratiam prævenientem, & auxilia quibus id faciat, vt oportet ad salutem; & id dicunt de lege fieri; Nam dicunt, quòd sicut Deus semper est præstò per generalem cõcursum libero arbitrio, vt natura liter velit, aut nolit, quod sibi libuerit, ita est illi præstò per auxilium gratiæ sufficiẽs, vt quoties ex suis viribus naturalibus aggredi voluerit opus aliquod, ex ijs, quæ pertinent ad iustificationem, illud exequatur pro vt ad salutẽ oportet. Et authores huius sententiæ dicunt, quòd auxilia gratiæ adulto præsta, quòd sint efficacia, habent ex libero arbitrio. Nã dicunt liberum arbitrium ex sua innata libertate, & cooperatione, posse sufficiens auxilium, illud vnũ & idem, reddere & efficere efficax. Quam sententiã suprà impugnauimus; & quia plurimum fidit solis naturæ viribus, examinanda est inferiùs in q. 111. de auxilijs: Quia licèt Deus semper offerat auxilia sufficientia, necessaria ad salutem, ea proponendo & ad illa inuitando; cæterum dicere quòd facienti quod in se est ex solis & puris naturalibus, Deus confert & prævenientem gratiam; & auxilia, quibus & iustificetur; & habeat dolorem de peccatis, & credat, seu vt hæc faciat, vt oportet ad salutem de lege, id non intelligõ; sed examinare oportet & inuigilare, cùm hæc sententia legem faciat à natura ad gratiã, & ad auxilia; quibus id faciat homo quod diximus respectu iustificationis & salutis. Et quoniam in hac controuersia non est modò locus amplius disputandi, idcirco remitto lectorem ad prædictam disputationem de auxilijs allegatam, vbi nos fusè, Deo donãte, plura dicemus. *Ad cõfir. 3.* ¶ Ad tertiam confirmationem idem est dicendum, quòd reprobus non habet donum perseuerantiæ de facto vt perseueret; sed tamẽ Deus paratus est conferre, quod est de se, & ob id non dicitur denegare propriè, sed negare, ideſt, nõ dare. Potest etiam dissolui hæc cõfirmatio, per solutionem primi argumenti, seu primæ obiectionis. *Ad cõfir. 4.* ¶ Ad quartam confirmationem patet solutio in forma, ex dictis in solutione primi ante confirmationes: & negatur vtraque consequentia.

*Quæstio quæ solet controuerti hic.* Solet à quibusdam dubitari hoc loco, An ex duobus æqualiter adiutis, fieri possit vt vnus saluetur & alter pereat? Sed de hac difficultate à nobis fusè satis actum est. 1. p. q. 23. art. 3. disputat. 8. & aliquid dicemus in disputat. de auxilijs infra. q. 111. art. 3. &. etiam q. 112. art. 2. disputat. 4.

*Ad argumẽta initio facta. Ad. 1.* Ad argumenta, initio huius controuersiæ facta iam satisfacere oportet. Ad primum dicendũ, quòd hoc ipsum, quòd est mori statim post acceptam gratiam, vel dari gratiam cùm instat mors, non fit sine speciali Dei prouidentia, & singulari benuolentia istius, qui sic moritur. Adde etiam, quòd licèt homo posset stare contrà nonnullas tentationes de facto occurrentes breuissimo tempore, nõ tamen contrà eas, quas Dæmon induceret & posset inducere si à Deo permitteretur; maximè tẽpore mortis: Tũc enim impugnat nos acerrimè vt perdat. *Ad secũdũ* ¶ Ad secundum dico, Deum nunquam deserere hominem iustum, nisi ipse priùs Deum deserat, verum vt nunquam deserat, oportet vt muniatur ingenti dono perseuerantiæ. Et cùm Sancti & Cõcilia dicũt, Deũ semel

semel iustificatũ sua gratia non deserere, nisi priùs ipse ab eo deseratur; verus sensus est, de gratia iustificante, quam nusquam aufert à iusto, nisi propter culpam mortalem. Et ob id Aug. de nat.& grat. cap.22.ait, præuaricatorem legis Dei, dignè lux deserit veritatis. Si vero fiat sermo de subtractione efficacis auxilij, id nonnunquam subtrahit propter peccatum, etiam malè agentis & operantis, contradicentisque Deo per sua crimina, & indè sequitur quòd homo non conuertatur; sed culpabiliter quidem. *D. August.* D. aug. de. correct.& grat. cap.8.&. de bono perseuerant. cap.8. apertè fatetur, causam huius subtractionis non semper esse peccatum, sed aliquandò solam ipsam Dei voluntatem esse causam: Vni, inquit Aug. ex duobus pijs hominibus cur donetur perseuerantia vsque in finem, alteri autem non, imperscrutabilia suntDei iudicia. Et subtractio diuini auxilij, aliquando nihil aliud est, quam ipsa permisio cadẽdi à iustitia: Sed talis permisio; neque est, quia peccauit iustus, neque in pænam peccati antiquioris; quia suppono fuisse remissum per gratiã. Quòd declaratur. Nam nullus potest dicere, quòd prima permisio Adæ, qua permissus est ruere in peccatũ primum, fuit propter peccatum quod antea commiserat: Quia priùs est permisio peccati, quam labi in peccatum: igitur huius permisionis non est causa peccatum præcedens, sed Dei voluntas & prouidentia, cuius interest non solum de bonis prouidere, sed etiam interdum permisiones malorum admittere. *Ad tertiũ.* ¶Ad tertium, iam diximus, eum qui semel auxilium gratiæ Dei recepit ad benè agendum, quod si statim moriatur, maius donũ & specialius accepit, quam ille qui quamuis receperit sæpius diuina auxilia, & habuerit plura merita, nihilominùs in vltimo vitæ tempore mortuus est in peccato, & in æternum perijt. Neque tamen id, casu factum fuit, nempè quòd alter in gratia moreretur, sed ex Dei proposito, eiusq; voluntatis beneuolẽtia. Quo fit, vt cõtinuatio gratiæ in fine vitæ, sit verum donum perseuerantiæ, *Sap.4.* secundum illud Sap.4. Raptus est ne malitia mutaret sensum eius, aut nè fictio deciperet animam illius. Ex quibus colligitur insigne donum perseuerantiæ esse necessarium ad salutem: de quo dono superiùs diximus, quòd non est semper vnius generis, sed esse multiplex: Nam in communi, est quædam particularis prouidentia, atque protectio Dei, qua Deus fouet eos, qui perseueraturi sunt, & pariter custodit. Et hic est vnus præcipuus effectus diuinæ prædestinationis. Hæc autem diuina prouidentia efficit vt quibusdam conferatur specialior concursus, & quòd eisdem perseueraturis conferantur maiores vires, præsertim tempore quo tentationes concurrunt. Hæc eadem, quosdam antequã tentationes sese insinuent, adiuuat hominem, & erigit, præparat etiam bonis consilijs. Ab alijs, repellit occasiones peccandi; alios verò eripit è vita, ne immutetur sensus eorum, aut malitia peruertatur. Sic intelligitur illud Prophetæ: Oculi Domini super iustos, *Psalm.90.* & aures eius in preces eorũ. psalm.90. Et illud etiam: Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei. Et illud rursus. Angelis suis Deus mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis. Ex quibus colligi potest solutio argumenti. Nam quòd nonnulli iusti breuissimè moriantur, & quòd ab alijs peccandi occasiones auferantur; & quòd vitam agant quietã, & à tentationibus liberam, totum inquã hoc originatur ex peculiari illa prouidẽtia, quæ efficit iustos in bono perseuerare. Vndè, neganda est minor argumenti, & sequela etiam vltima. *Ad 4.* ¶ Ad quartum respondetur, Deum non omnibus conferre hoc donum, vt dixit Aug. loco citato, de correct. & grat. cap.8.&. de bono perseueran. cap.8. & in Enchirid. vbi suprà, & superiùs dissoluentes aduersariorum argumenta diximus, quòd reprobus non habet efficax auxilium in fine vitæ, quò alias efficaciter conuerteretur & saluaretur. Et ita in fine vitæ tunc non trahitur à Deo, quamuis Deus sit paratus illum trahere, si non contradicat & resistat. Diximus etiam quòd sufficit ꝙ homo posit habere auxiliũ efficax, vt dicatur vere ꝙ potest resurgere in fine vitæ; Et asignauimus defectum huius argumenti in simili. De qua re lege quę diximus paulò supra ad quoddã argumentum aduersariorum. *Insurgunt Theologi noui.* ¶Modò verò insurgũt Theologi noui, qui dicunt quòd non videtur necessarium dicere, Deum fuisse paratum ad illud auxilium efficax cõferendum, sicut non est paratus prædestinare. Quod si obijcias cõtra, hos quod per hoc denegatur hominibus aliquod auxilium necessariũ ad consequendam salutem; Respondent negando consequentiam: Quia sine illo auxilio possunt saluari si volunt. Et quando ab istis dicitur, posse iustum quantum est ex parte gratiæ, quam habet, perseuerare sine speciali auxilio, intelligunt sine ista speciali manutentione Dei, quam nos dicimus esse donum perseuerantiæ. Nam tunc illa continuatio & extensio gratiæ cum auxilijs supernaturalibus illi correspondentibus, diceretur perseuerantiæ donum, & auxilium speciale. Quod tenentur dicere omnes illi qui dixerunt, prædestinationem hominum factam fuisse post præuisionem operum. ¶Veruntamen, sicut neque hæc opinio de prædestinatione à nobis probatur, imò verò multis impugnata est à nobis in Commen. 1.p. Ita neque iste nouus dicendi modus. Nam si Deus modò de facto hanc haberet prouidentiã, vt omnibus cõferret æqualia auxilia per omnia, ita vt qui illis operaretur saluus fieret & non alius, sine alio modo prædestinationis; & quod sic aliqui de facto perseuerarent & saluarentur, ex quorum operum præuisione dicuntur à Deo saluari, imò prædestinari apud istos; Tunc repelleremus de facto donum speciale & auxilium perseuerantiæ, quod Concilia definiunt esse necessarium de facto & gratiæ superadditum. Quapropter, standum est priori solutioni & alijs præcedentibus: Deus namque paratissimus est semper de se ad promouẽdum hominem ad bonũ, iuxtà ea quæ diximus. ¶ Quòd si obijcias. Deus negat efficax auxilium in fine vitæ, & donum perseuerantiæ reprobo, & id statuit ab æterno: ergo non est paratus dare illud. Nam si decreuit nũquam dare, quomodò est paratus dare? Fateor difficile esse hoc intelligere, sed non ob id deserenda est veritas. Sed respondeant mihi prius aduersarij; Quomodò sit verum secundum fidem, quòd quicũque viator potest de lege saluari? & quòd Deus secundum se ipsum paratus est omnes viatores saluare? Nam si viator potest saluari: quicumque ergo potest perseuerare. Imò verò sanguis Christi, eiusque merita & sacramẽta pro omnibus data sunt, & dese sufficien-



sufficientia sunt, vt posint omnes saluare & iustificare; & tamen quòd inter hos viatores plures sunt, quibus Deus statuit & decreuit non dare efficax auxilium, aut donum perseuerantiæ in fine vitæ. Quòd si hoc est verum secundum fidei doctrinam, & sensum Catholicum, cur rogo videtur incredibile aduersarijs, dicere, Deum paratissimum esse omnibus conferre ea auxilia, quibus quicumque saluari posit, licèt pereuntibus de facto statuerit non dare efficax auxilium & perseuerantiæ donum? Aut cur voluntas illa consequens, quæ est diuini decreti iuxta reprobum, non dandi perseuerantiæ donum in fine vitæ, neque conuertendi illum de facto; non contradicit volũtati illi antecedẽti; & legi vniuersali, qua vult omnes homines saluos fieri? quia Deus neminem vult perire. Igitur si huic non contradicit antecedenti voluntati; vtriusque veritas saluari debet. Ergo dicendum est, Deum paratum esse & sæpius offerre & inuitare ad omnia ea auxilia, quæ necessaria sunt vt homo saluetur, nisi homo resistat & contradicat; & simul cum hoc esse verum in particulari in ipsa executione & exercitio de facto non dare efficax auxilium reprobis & donum perseuerantiæ. Vndè, neganda est consequentia obiectionis, sicut sępius negata est suprà, de qua etiam plura scripsimus in controuersia de diuina prædestinat. 1.p.q.23. ¶Et quidem, homo in fine vitæ habet pręceptum vt se conuertat: ergo potest habere auxilium conuersionis: ergo potest habere efficax, Vnde S. Tho. in hoc art. 10. ad.3. ait, quòd nunc per gratiam Christi, multi accipiũt donum gratiæ, quo perseuerare posint; & vlterius eis datur quo perseuerent, idest, per donum gratiæ possunt, sed vt infallibiliter perseuerẽt, datur eis vlterius auxilium. Addit tamen S. Thom. quòd in statu innocentiæ facilius poterat homo per donum gratiæ perseuerare (quia ibi nulla erat rebellio carnis ad spiritum) quam nunc possumus: Quia licèt nunc reparetur gratia per Christum, sed hoc inchoatur quantum ad mentem; nõ tamẽ consummatur quantũ ad carnem in hac vita. Ex dictis ergo colligitur, culpam esse hominis quòd non perseueret, & id imputandũ esse ipsi & non Deo, qui non tenetur donũ perseuerantiæ tribuere, cùm istud non sit necessarium, nisi ad infallibiliter perseuerandum, vt S. Thom. dixit, Quòd cùm sit gratuitum & specialissimum auxilium, seu priuilegium, nulli est debitum, sed sufficit vt nulli denegetur gratia Christi, per quam multi accipiunt donum gratiæ quo perseuerare possunt, licèt non accipiant de facto illud vlterius, quo de *Ad quintũ.* facto perseuerent infallibiliter. ¶Ad quintum, certè patet solutio ex dictis: Nam non est neganda diuina ista protectio prouidentiæ, vt moriatur in gratia Dei. Nam licèt posit homo ad horam vitare peccata; tamen quòd semel iustificetur, & quòd tã breui tempore rapiatur à Deo in gratia & amicitia eius, id ex speciali prouidentia & protectione Dei prouenit, qua cuncta ita disposuit, vt ille tunc in gratia moreretur; sine qua prouidentia speciali posset ille alter mori. Quòd verò tunc nõ fuerit mortuus dum erat in gratia, nõ est alia ratio præter suprà asignatam. Vndè patet solutio argumenti: probat enim quòd sine alia speciali prouidentia posset mori; cæterùm mori in gratia, & omnia disposuisse, vt recessus ille in amicitia Dei sequatur & gratia; prouenit ex speciali beneuolentia & protectione Dei. *Ad sextum* ¶Ad sextum respondetur, quod ille posset interfici, & tunc moreretur in gratia; sed hoc est verum, si causæ physicæ considerentur. Nam si moriatur dum est in gratia, certum est quod habuit diuinam protectionem. Deindè dicò, quòd vt posit perseuerare cùm est in gratia quam per Christum accepit, simul habet donum gratiæ quò perseuerare potest, sed non habet illud quod est de facto perseuerare infallibiliter, quod vlterius datur perseuerantibus per Christum. *Ad septimũ* ¶Ad septimum, etiam colligitur solutio ex dictis; habet enim ille potentiam moralem ad actum illum; solum autem colligo non facturum ex scriptura significante, & ex suppositione argumẽti; quia supponitur carere dono perseuerantiæ, & efficaci auxilio in vltimo instanti mortis. *Ad octauũ.* ¶Ad octauum respõdetur, quòd si statim moriatur, necessario habuit diuinam protectionem, & consequenter donum perseuerantiæ: Nam quòd iustus ex hac vita eripiatur, & omnia ita fuerint ordinata & disposita, vt in gratia decederet; totũ hoc manat ex illa speciali Dei prouidentia: non enim est à casu quòd vnus moriatur in gratia, sed ex intentione Dei, & ex proposito bonæ voluntatis suæ; ac proindè continuatio gratiæ quantumcùmque minima in fine vitæ, est magnum donum perseuerantiæ vt superiùs fusè diximus. Vndè, electus præ reprobo, non permittitur vt occidatur vel moriatur donec conuertatur; alius verò permittitur mori dum non est in gratia.

# QVÆSTIO CX.

## De Gratia Dei quantùm ad eius essentiam.

### ARTICVLVS I.

*Vtrùm gratia ponat aliquid in anima?*

PRima conclusio. Tribus modis capitur gratia, Primò pro amore quo quis alium diligit. Secundò, pro beneficio quod ei confertur. Tertiò, pro gratitudine qua quis recognoscit donum acceptum. Gratia primo modo vt est à Deo, ponit aliquid in anima recipiente: non verò vt est ab homine; at verò secundo & tertio modò à quocumque fit, ponit aliquid. ¶Secunda conclusio. Dilectio cõmunis, qua Deus amat omnes creaturas, ponit in eis ipsum esse naturale; at verò dilectio specialis qua Deus eleuat creaturam rationalem ad participationem diuini boni, ponit in ipsa aliquid supernaturale. ¶Tertia conclusio. Si sit sermo de gratia vt dicit dilectionem Dei æternam secundum se, vt est aliquid in creatum in Deo, sic nihil ponit formaliter loquendo, in creaturis. ¶Triplex ista gratiæ acceptio, quam S. Thom insinuat, olim insinuabatur & significabatur à Poëtis per tres illas gratias, quas sorores esse fingebãt, implexis manibus incedẽtes, virgines

virgines & adolescentulas,ac semper ridẽtes, quarum proprietates ac significationes aperit & adumbrat Seneca.1.de beneficijs cap.3. &.4. Extat etiam apud Alciatum Emblema. 162. egregium quidem de hac re.

## ARTICVLVS II.

*Vtrùm gratia Dei sit qualitas animæ?*

*D.August.* PRima conclusio.Si gratia sumatur pro auxilio, quo Deus mouet animã hominis ad aliquid agẽdum vel volendum, non est qualitas, sed motus. Vbi aduerte, illud auxilium non esse qualitatem, sed ipsum motum animæ à Deo factum. ¶Secunda conclusio. Si sumatur pro forma secundum quam suauiter & promptè à Deo mouemur, ad bonum æternum consequendum,& secundum quam efficimur formaliter iusti & grati, sic est qualitas inhærens animæ

*De gratia,quod sit eius genus,& an sit qualitas intrinsecè inhærens?*

DE proposita cõtrouersia & difficultate,cũ tantum sit sermo de ea gratia, per quam iusti & grati denominamur;certum est de fide gratiam hãc à qua iusti & grati sumus formaliter, esse aliquid reale intrinsecè existens in nobis. Quia id sic definit Trident. sessio.6.cap.7.&.16.& cano.11.Vbi gratiam & charitatem diffundi in cordibus & mentibus iustorum,dicit,atque illis inhærere. Itaque, de fide est Dei gratiam qua homines iustificantur,non solùm esse diuinum fauorem,aut solam peccatorum remissionem exclusa gratia; sed etiam esse aliquid inhærens animis iustificatorum, & diffusum in cordibus eorum per Spiritum sanctum. Hæc est doctrina D.Tho.hic,quam latiùs prosequitur Ruard. Tapper,art.8.& Pater Soto.2.de nat.& gratia cap.17.vsque ad.20.& Francis.Somnius lib.7.demonstration. relig.Christi.tractatu.2.cap.9. & Pater Vega lib.7. in Trident.cap.21.vsque ad.24. Et continetur hæc veritas in Sacris literis, vbi sunt pleraque testimonia, quæ interpretari non possunt Catholicè & verificari,nisi iustificati in se habeant aliquid super naturale intrinsecè hærens ipsis; vt est illud Rom.5. vbi dicitur, charitas Dei diffundi in cordibus nostris &.2. Corinth.1. Deus signauit nos & dedit nobis pignus in cordibus nostris. Et ad Ephes. 1. In quo signati estis spiritu promissionis Sancto. Quem locum explicans Athanas. in Thesauro de Trinita. ad Nemesium ait, Spiritu sancto signati, ad imaginem Dei reformamur, per quem diuinæ substantiæ imago,nobis imprimitur, & ingenitæ naturæ remanent in nobis figilla & notæ,tãquam in cera quadam,in cordibus recipientium,instar figilli,Spiritus sanctus imprimitur inuisibiliter. Vndè, consonat illud D. Petri: Magna & pretiosa nobis promissa donauit, vt diuinæ efficiamur consortes naturæ.Et D. Cyrillus exponens iuxta septuaginta,illud Isaiæ. 44. Formaui te puerum meum,dicit quòd Christ⁹ in anima formatur, iuxta illud Pauli: Donec formetur Christus in nobis, immittente Spiritu sancto in animas nostras, diuinam quandã formam, per sanctificationem & iustificationem. Rursus,est apertum testimonium.1. Ioan.3.Qui natus est ex Deo, non peccat; quia semen Dei manet in ipso; hoc semen est gratia, quia reddit nos filios Dei.De quo dicitur.1. Petri .1. Renati ex semine incorruptibili.Et ad Tit.3.saluos nos fecit per lauacrũ regenerationis & renouationis spiritus sancti, quẽ effudit in nos abundè, vt iustificati per gratiam ipsius spem habeamus vitæ æternæ. Vndè ex gratia datur nobis spes vitæ æternæ, quia facit nos hæredes vitæ æternæ;Quod si filij,& hęredes. Vndè,gratia facit nos Deo formaliter propinquos per modũ similitudinis, atque etiam Deo amicos. Quocirca, Genes.18.post quã fides Abrahę reputata ei est ad iustitiam,vocatur appropinquans Deo, vt obseruauit Philo Iudæus in lib .de transmigratione Abrahæ. Quod Ioan.in sua canonica interpretans ait,Amicũ Dei appellatũ esse.Hæc est animæ pulchritudo, decor,ornamentum,stola, nouitas, & similia, &c. Isaiæ.61. Induit me vestimento salutis & ornamento iustitiæ. Ezech.46. Dabo vobis cor nouum. Ad Ephes.5.Eratis aliquando tenebræ;nunc autem lux in Domino:Ergò est quid inhærẽs animis iustorũ.

*1.Ioan.3.* *1.Petri.1.* *Ad Tit.3.* *Philo Iud.* *Isaiæ.61.* *Ezech.36.*

Hinc colligo primo, diffundi in nos Spiritum sanctũ, signari pignore, ablutione,sanctificatione, & iustificatione , & quod hæc denotant aliquid reale existens in nobis ex operatione Spiritus sancti.Et ob id consequenter colligitur, gratiam cui tribuũtur præfati effectus, & alij suprà commemorati, non esse aliquid merè extrinsecum in nobis. Vndè,hæc gratia dicitur decor & pulchritudo animæ,ornamentum & stola iustorum, & indumentũ. Quæ omnia nequeunt rectè intelligi ,nisi ponatur aliquod donum , desuper iustis infusum. ¶Hæc est communis sententia Sanctorum dicentium, iustitiam & Sanctitatem nostram, esse deriuationem & participationem in nobis receptam ex iustitia & Sanctitate Dei.Ita Aug.tractatu.26.in Ioan.& epist. 120.ad Honoratum,cap.30.& lib.1.de peccator.merit.cap.9.Et Psal.150. & de Spiritu & litera, cap.32. Idem habetur,ex Cyrillo lib.12.Thesauri cap. 3.&. 5.&.ex D.Basilio.Hieronymo , Didimo Chysostom Greg.quos omnes refert Osius, in confessione catholicæ fidei,cap.70. Est etiam apertum testimoniũ D.Dionys. de Eccles.hierar.cap.5.Vbi ait:Sũma illa diuinitas,eos quibus se insinuat spiritus purgat primò,consequenter illuminat, & illuminatos , ad diuinã effigiem perficit.Quò loci, describit apertè, iustificationem nostram,per aliquid in nobis receptum.Legendus est D.Cyprian. lib.2,epistolar.epist. 2.&.lib.3.epistol.8.

*Augustí.* *Cyrill.* *Basilius.* *D.Dion.* *D.Cypr.*

Hanc veritatem diximus,esse definitam in Cõc. Tridẽt. sessio.6.cano.11.Quia sic habetur:Siquis dixerit,homines iustificari,vel sola imputatione iustitiæ Christi,vel sola peccatorum remissione,exclusa gratia,& charitate, quæ in cordibus eorum per spiritum sanctum diffundatur , atque illis inhæreat, aut etiam gratiam,qua iustificamur, esse tantũ fauorem Dei,anathema sit. Et in decreto de iustificatione cap.7.de iustificatione impij, dicit,iustificationẽ peccatoris fieri per renouationem interioris hominis,per susceptionem gratiæ & donorum,& per iustitiam,quam iusti in se ipsis recipiunt,& per charitatem diffusam in cordibus iustificatorum,ipsis in hærentem

*Conc.Trid.*



hærentem: ergo apertè definitur de fide,gratiam à qua iusti grati efficiuntur & denominantur,esse aliquid reale intrinsecè existens in ipsis.¶Ratione etiã ostendi potest prædicta veritas & assertio.Nam in ordine supernaturali, attemperat se Deus ordini naturali: sed amor naturalis semper versatur circà aliquod bonum naturale,&eiusdem ordinis:ergo etiã amor supernaturalis versari debet circa aliquod supernaturale:ergo cùm hoc non supponatur in creatura, debet infundi à Deo, vt ita creatura fit obiectum congruum diuinæ dilectionis supernaturalis. Prætereà;Deus infundit iustis virtutes, quæ sunt habitus operatiui: ergo & gratiam cui proportionantur;Quæ consequentia disputat. sequenti ostendetur. Rursus, cũ aliquis iustificatur,dicitur accipere nouum cor, & quòd ex lapideo corde fit in eo cor carneum:ergo per aliquam mutationem intrinsecã. Ad hæc;Homo tunc dicitur esse iustus actu, quãdo operatur iusta, & habet in se realiter diuinos & supernaturales affectus in actu secundo:ergo proportionabiliter , qui est iustus habitualiter , debet in se habere principium & radicem talium affectuum iustorum. Nam si essemus iusti per solam imputationem extrinsecam iustitiæ Christi, vel per solam acceptationem extrinsecam Dei(vt hæretici malè sentiunt] tantùm essemus iusti denominatione extrinseca, & non verè & propriè:sed hoc derogat efficaciæ meritorum Christi:ergo. Patet minor: Quia ad dignitatem & efficaciam passionis Christi, pertinet facere nos verè & realiter iustos, & non solùm per imputationem extrinsecam; aliàs non abstulisset à nobis verè peccata,sed tantum illa tegeret,cõtra illud elogium Baptistæ : Ecce agnus Dei , ecce qui tollit peccata mundi.Et confirmatur:Quoniam ex oppositio errore , sequuntur pleriq; alij, scilicet, quòd vnus non sit magis iustus,quàm alter,& quòd ille qui est prædestinatus,quantacùmq; habeat peccata & scelera,verè tunc est gratus Deo,& quòd iustus per sua opera, nõ verè mereatur vitam æternã, neq; propriè, cùm in se non habeat gratiam & iustitiam;quæ omnia hæretica & absurda sunt.Tandem; Sacramenta causant effectiuè gratiam:sed in paruulis non causant aliquem actum: ergo causant habitum, qui dicitur gratia: ergo gratia qua formaliter sumus iusti & sancti corã Deo, est aliquid intrinsecũ,nobis realiter inhærẽs, & oppositũ est hæreticũ.

*Leo. I.* *Conc. Brac. & Tolet.*

Secundò colligo,turpiter errasse Pelagium , qui præter naturam & libertatem, nullam gratiã nobis inhærentem agnoscebat,sed duplicem gratiã quasi extrinsecam, nempè doctrinam & legem,& remissionem peccati, quam dicebat esse extrinsecam beneuolentiã sine inhærente supernaturali dono.Colligo etiam,Manichæũ & Priscillianistas dãnandos esse,qui dixerunt, gratiam esse partem quandã diuinæ substantiæ,& eiusdem naturæ cum ipso Deo; & consequenter dicebant,gratiam esse ipsam substantiam animæ.Imò verò dicebant, quòd sicut Deus essentialiter est sapiẽtia,iustitia, & charitas;ita anima nostra essentialiter est gratia & charitas.Quem errorem damnat Leo.I.Epist.93.ad Turibium Episcopũ Asturicens. dicens; Nemo hominum veritas,nemo sapientia,nemo iustitia,nemo charitas est: sed multi participes sunt veritatis, & iustitiæ, & charitatis. Et Concil. Bracarens.1.cap.5.& Tolet.1. in assertio-

ne fidei contra Priscil. eundem errorem repellunt. Qui sanè error,ortus videtur fuisse ex Platonis sententia,qui vt tangit S. Thom.1.part.quæst.3.artic.8. & quæst.6.artic.4 dixit, Deum esse animam mundi. Colligo rursùs, apertum esse errorem dicere , gratiam iustificatorum , solum esse fauorem quendam & beneuolentiam, qua Deus extrinsecè solùm nos habet gratos & acceptos ad vitam æternam. Quem errorem Philipp.Melancton sequutus est , & quem refert & impugnat Ruard. Tapper. artic. 8. In qua sententia & errore , Lutherani ferè omnes conueniunt, licèt varijs & diuersis verbis vtantur. Nam siue dicant , Christum esse formaliter nostram iustitiam , vt Lutherus; siue dicant , iustitiam nostram esse remissionem peccatorum extrinsecam, vt Caluinus; omnes tandem tendunt ad hoc, quòd non sumus iusti per aliquid inhærens , sed quia ex mera beneuolentia non imputat Deus nobis delicta nostra.Cui errori videtur fauere Pigius magna ex parte , in controuersia. 2. vir alioqui Catholicus , sed in hac parte deceptus. Colligo præterea , esse errorem dicere , quòd sumus iusti per iustitiam essentialem Dei habitantem in nobis, & excitantem nos ad benè agendum,vt dixerunt Osiander,& Brentius,& quidam alij hæretici nostri temporis, vt refert Osius. 1. contra Brent. Qui error, ortus videtur ex sententia Magistri in.1. distinctione.17. dicentis , quòd charitas non est aliquid creatum , sed ipsemet Spiritus sanctus habitans in nobis.Et hic error,ex professo impugnatur à Theologis.2.2.quæstione.23. articulo.2. & videtur etiam ortus ex altera sententia , quam quidam Ioan. de Ripa dixit, nempe , quòd videbimus Deum per visionem essentialem Dei nobis vnitam.Contra quos omnes errores, proposita est à nobis suprà doctrina fidei, quòd gratia est donum creatum inhærens animæ , & pro hac parte attulimus testimonia Sanctorum , Ecclesiæ & Conciliorum definitiones , & Sanctarum literarum elogia.

*Pigius.* *Osius.*

Sed argumẽtantur hæretici pro se ex.1.Corinth.1. Christus factus est nobis iustitia , sanctificatio , & redemptio : ergo nostra iustitia est ipse Christus, & non aliquid in nobis hærens aut manens. Item. Quia in Scriptura , aliquem esse Deo gratum , explicatur per acceptationem extrinsecam Dei tantum , vel per imputationem iustitiæ ipsius , vt Tobiæ.12.Quia acceptus eras Deo,id est,gratus. Et ita definitur gratia,quòd sit acceptatio ad gloriam: ergo tantum per gratiam extrinsecam illius sumus grati. Quod videtur insinuare locus citatus. 1. Corinth. 1. Tertiò , Gratia Dei est amor quo Deus aliquos diligit: sed amor nihil reale causat in re amata:ergo. Probatur minor : Nã amor in ratione amoris in communi,id nõ habet, vt patet in amore quo vnus homo alium diligit. Sed nec quòd amor Dei id habeat probatur : Nam in puris naturalibus verè Deus diligeret vt amicos eos, qui benè moraliter operarentur; at non infunderet aliquid reale: ergo. Quòd verò nec amor supernaturalis aliquid reale imprimat, probatur : Nam ex eo quòd Deus odio habeat peccantem cõtra finem supernaturalẽ, nihil reale causat in eo:ergo neq; ex hoc q̃ diligat aliquẽ dilectione supernaturali, sed sicut ille peccator est obiectũ odij,penes hoc solũ q̃ extrinsecè de-

*Arg.1. hæreticorum.* *1.Corinth.1.* *Secundum.* *Tobiæ.12.* *Tertium.*

nominatur inuisus, vt patet in eo,qui est in solo originali;ita ille qui est iniustus, erit obiectum amoris, per hoc solùm quòd denominetur dilectus & acceptus Deo.Et confirmatur: Quia prædestinatio
*Confirm.* est maxima dilectio supernaturalis, quæ tamen nihil causat in subiecto: ergo. ¶Quartò arguitur.Ex
*Quartum.* eo quòd Deus hominem diligat,causat omne bonũ creatum tam naturale quàm supernaturale: ergo priùs est hominem esse gratum & dilectum à Deo, quàm quod habeat donum creatum in se: ergo nó est gratus per tale donum.Et cõfirmatur: Quia obiectum potentiæ, debet supponi saltem priùs natura, quam potentia & eius actus:sed bonum est obiectũ dilectionis:ergo est priùs quam ipsa dilectio: igitur tale bonum nõ causatur à dilectione, cùm sit prius quàm illa. Maior patet: Quoniam actus & potentia specificantur ab obiecto:ergo debet supponi obiectum:Nam specificans, se habet vt causa formalis specificati;aliàs actus non pẽderet ab obiecto;quia quod est prius, nõ pendet ab eo quod est posterius:
*Quintum.* ergo, &c. ¶Quintò arguitur cõtra rationem D.Th. qui id probat ex differentia inter dilectionem hominis & Dei:Nam dilectio Dei,non mouetur à bonitate obiecti,sed illam causat; quod non contingit in dilectione hominis.Contra:Nam etiam Deus mouetur ad diligendam creaturam, propter bonum quod in ea antea erat, & mouetur ad dandam gloriam,quæ est maxima dilectio,propter merita. Præterea;Nam etiam dilectio hominis, infert bonum in creaturam:quando enim amo amicum, confero illi bona,aliàs in quo consistit talis amicitia?
*Ad hæc arg.* Hæc argumenta à nobis allata sunt,præter primũ
*Ad primũ.* & secundum,quod est hæreticorum, vt magis aperiretur & explicaretur posita difficultas. Vndè ad primum respondetur, quòd illa verba intelligũtur causaliter,secundum omnes Sanctos, & est sensus,
*Ephes.2.* quòd Christus fuit nobis causa iustitiæ,& sanctificationis,& redẽptionis. Sicut ad Ephes.2. dicit Paul. quòd Christus est pax nostra,quia fecit vtraq; vnũ. Et passim in Scriptura dicitur Deus esse salus, & vita hominum;non formaliter, sed effectiuè. ¶Ad se-
*Ad secundũ.* cundum respondetur, Gratiam prout se tenet ex parte nostra, dicere aliquid reale inhærens, terminans id quod se tenet ex parte Dei,scilicet, eius acceptationem & beneuolentiam.Vndè,cùm in sacra Scriptura dicitur,animam alicuius esse acceptam Deo,supponitur gratia in illo formaliter inhærens, & explicatur acceptatio & beneuolentia, quæ ex parte Dei tali gratiæ correspondet.Definitio autem gratiæ,quòd sit acceptatio ad gloriam,intelligenda est quantum ad id quod se tenet ex parte Dei, vel etiam causaliter, sicut explicatum est in solutione primi argumenti. ¶Ad tertium respondetur, quòd
*Ad tertiũ.* amor naturalis siue hominis, siue Dei,qui supponit iam rem productam, nõ ponit communiter aliquid reale in re amata:Quia ipsum esse naturale hominis cum rectitudine naturali, est sufficiens obiectum terminatiuum & motiuum dilectionis naturalis; at cum dilectio supernaturalis requirat obiectum proportionatum & eiusdem ordinis,& hoc non supponatur in natura,debet infundi à Deo aliquid supernaturale, ratione cuius creatura proportionetur in ratione obiecti supernaturaliter diligibilis. Ad hoc autem, quòd Deus odio habeat peccantem contra finem supernaturalem, sufficit vt in eo reperiatur priuatio rectitudinis supernaturalis; neque potest à Deo infundi aliquid ratione cuius possit hominem odio prosequi:nihil enim odit Deus eorum quæ fecit.Neque est verum,quòd puer in originali,solùm dicatur inimicus & inuisus per solam extrinsecam denominationem, sed per verum peccatum ei intrinsecè inhærens. Imò verò,ex hoc amplius confirmatur doctrina fidei à nobis tradita: Nam peccatum Adæ, fuit causa originalis peccati in nobis, quod verè & propriè reperitur & est in nobis, & non solum per imputationem: ergo iustitia Christi causauit & fecit in nobis verè & propriè iustitiam, & non tantum per imputationem: efficacior namque est iustitia Christi in nobis, quam peccatum Adæ, vt dixit Paul.ad Roman.5. ¶Aliter solet explicari præfata solutio, & redit in idem, nempe, quòd quando homo diligit hominem in ordine ad aliquem finem, inuenit in eo naturam capacem talis finis, & ob id non requiritur, vt ponat in eo aliquid, quo reddatur tali fini proportionatum; at verò cum Deus diligit hominem secundum præsentem statum ad finem supernaturalem, debet in eo prius ponere aliquid, quo fiat illi fini proportionatus; Quia non est proportionatus ex natura sua; istud autem est gratia per quam homo participat naturam diuinam, & consequenter redditur proportionatus ad operationem & finem ordinis diuini. Vndè,illa communis definitio gratiæ, quòd sit acceptatio ad gloriam, licèt reprehendatur à Cano relect.de pœnitent.part.1.in fine;tamen vt postea declarabitur, est conueniens si sic intelligatur, quòd gratia non est formaliter acceptatio ad gloriam: sed est id ratione cuius diligimur, & acceptamur ad gloriam. Et hoc est idem cum eo, quod dicit Concil. esse dignitatem diuinæ amicitiæ, vel participationem diuinæ naturæ. Sed obijcies, Contra: Nam aliquando secundum Theologos,homo est magis gratus Deo quam antea,etiam si nihil plus reale habeat in anima, quam antea habebat, scilicet, cùm augetur gratia in esse gratiæ & acceptationis, & non in esse qualitatis, eo quòd actus sunt remissiores ipsa qualitate: ergo simpliciter potest homo esse gratus de nouo, sine impositione qualitatis: Nam sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis.Respondetur, quòd fortassè actus remissi augent gratiam, vt.1.part. extra scholam D.Thom. diximus fuisse probabile, & infra aperietur & videbitur amplius, quid in hac re sit dicendum.q.114.Respondetur etiam secundò, dato quòd non augeant gratiam, quòd cùm quælibet gratia reddat nos diuinæ naturæ participes,iam reddit nos aptos ad merendum,etiam per opera remissa,licèt minùs mereamur(vt videbitur.q.citata) cæteris paribus, quando minorem gratiam habemus; sine illa tamen nullo modo mereri possumus, seu acceptari ad beatitudinem;quia nõ sumus proportionati ad finem supernaturalem,& ad gloriam. Ad confirmationem respondetur, prædestinationẽ non semper constituere aliquẽ amicũ secundũ præsentem statum, de quo solùm hic loquimur. Nam fieri potest quòd aliquis ex prædestinatis ad tẽpus sit in peccato mortali; nos autem loquimur de iustitia, secundum quam in præsenti vita iustificatur.

*Rom.5.*

*Obiectio.*

*Solutio.1.*

*Solutio.2.*

*Ad confir.*

Dico



Dico secundò, quòd etiam prædestinatio ponit secundùm effectum in prædestinato suos effectus gratiæ,de quibus nos.1.p.q.23.satis diximus.¶Ad quar-
*Ad quartũ.* tum respondetur,quòd cùm Deus confert primum esse naturale, vel primum esse supernaturale, talis collatio prouenit ex actu liberalitatis diuinæ. Sed hoc non satisfacit;Quia si Deus diligendo nos, causat in nobis gratiam inhærentem; rogo, Quid est priùs,dilectio an gratia?Si gratia est prior, non erit effectus dilectionis, quod est contra S.Tho. dicentem, quòd Deus non mouetur ad amandum creaturam,ex bono in ipsa existente,sed magis bonũ creatura procedit ex amore Dei. Si verò dilectio est prior:ergo priùs sumus accepti Deo, quàm sit in nobis habitus gratiæ;& sic non ponitur gratia vt reddat nos Deo acceptos & amabiles. Respondetur, priùs esse,Deum velle dare gratiam, quàm diligere illum ad beatitudinem secundum præsentem statũ: Et sic eiusmodi dilectio supponit gratiam in creatura,causatam tamen ex alia dilectione,qua voluit dare isti gratiam, vt fieret dignus amari secundũ præsentem statum ad gloriam. Et sic intelligitur Sanctissimus Præceptor:Dico secundò,Deum diligendo nos,causare gratiam in nobis,& simul esse diligere causando gratiam,& causando diligere, licèt
*Ad quintũ.* priùs intelligamus quòd Deus vult dare gratiam, vt explicatum est.¶Ad quintum respondetur,quòd bonitas causata à Deo per vnam dilectionẽ, potest ipsum mouere ad conferendum aliud donum. Et hoc non negat S.Tho. Quia solum vult, quòd prima omnium dilectionum Dei in suo genere, nõ est propter bonum, quod inuenit in creatura, sed potiùs causat illud;vt in prima dilectione naturali, nõ mouetur Deus ex bonitate creaturæ, sed illam causat,& in prima dilectione supernaturali similiter,in quo differt à creatura,quæ semper supponit bonum in subiecto,& ad illud fertur per amorem; ex quo amore postea mouetur ad communicanda alia bona,& alia dona amato.

*Quod sit genus gratiæ.* Ex superiùs dictis sequitur,id quod S.Thom. intendit inuestigare circà genus gratiæ, vt sic paulatim explicet essentiam eius. Dicendũ est enim gratiam,qua formaliter iusti tales sunt, esse qualitatem realem,& habitum in nobis hærentem.Et licèt non sit de fide,gratiam & virtutes infusas,quæ illam sequuntur,esse qualitates & habitus;est tamen proximum fidei,ita vt contrarium sit temerarium.Hæc assertio,communis est sententia omnium Theologorum in.1.d.17.& in.2.d.27. Eandem tenet D.Thom.
*D.Thom.* hic,Marsil.in.2.d.17.Et probatur ex cap. Maiores.de
*Marsil.* Baptis.& eius effectu,& ex Conc.Vienens.vt habetur in Clemen.de summa Trinit.Quibus locis,præfata sententia videtur esse recepta à Concil.Latera. & Vienens. Vbi dicitur, hanc sententiam esse magis consonam sacris Scripturis, & esse omnium Theologorum illius ætatis. Et patet ex verbis Concil. Trident. suprà citatis: Vix enim intelligi potest,quo pacto gratia sit aliquid nobis inhærens, vt Concilium dicit, nisi ponamus illam esse habitum vel qualitatem.Vndè, Guido inter hæreses enume-
*Gabriel.* rat contrariam sententiam,& Gabr.in. 3. distin. 33. quæstio.2. concluſ.3.sentit,esse de fide gratiam esse qualitatem inhærentem.A qua sententia non valdè
*Almaynus.* recedit Almaynus in Moralib.tracta.2.capit. 1. Sed tunc sine dubio non erat de fide: Nam Innocent. 3. in cap.Maiores, significat esse varias sententias, & rem indefinitam relinquit. Et in Concil. Vienens. vt habetur in Clementina vnica. de Summa Trinitate, solùm dicitur, hanc sententiam esse probabiliorem.¶Sed post Concil.Trident.videtur difficultas,cùm in illo definiatur,iustitiam seu gratiam nobis diffundi & inhærere. Quibus verbis planè videtur significari, esse habitum seu qualitatem. Sed nihilominùs adhuc post Concil. non est expressè de fide,vt Cano.7.de locis, capit.2.Vega.7.in Trident. *Cano.* capit. 24. Soto. 2. de natura & gratia, capit.18. Bar- *Vega.* tholomæus Medina hic artic.2.dicunt.Sed vt mini- *Soto.* mum sequitur ex illa definitione Concilij, contra- *Medina.* rium esse omnino temerarium, & fortè erroneum. Nam in Trident.definitur,quòd charitas Dei infunditur in cordibus eorum, qui iustificantur, & ipsis inhæret.Et alibi:Si quis dixerit, hominem iustificari sola remissione peccatorum,exclusa gratia & charitate,quæ in cordibus hominum per Spiritum sanctum diffunditur, & in illis inhæret; anathema sit. Quæ definitio quanquàm varijs interpretationibus explicetur, aptior tamen ea est,quæ explicat, & interpretatur eam de qualitatibus diuinitùs infusis. Vndè,vt minimum sequitur ex tali definitione Cõcilij, contrarium esse omninò temerarium, & fortasis maiori censura dignum. Nam conficio hunc discursum: Gratia est aliquid in nobis inhærens, vt patet ex fide, & non est substantia, quia aduenit enti in actu; neque substantia inhæret: ergo est accidens; non quantitas, vt de se patet; Neque relatio; quoniam Scriptura & Sancti ponunt, eam per se infundi & produci, & ad relationem non est per se motus. Neque est actio, vel passio: Quoniam in Scriptura,sæpè dicitur,quòd gratia manet, 1. Ioan. *1.Ioan.3.* 3. Omnis qui ex Deo est, non peccat, quia semen Dei manet in illo. Rursùs, gratia est in paruulis & infantibus baptizatis, in quibus nulla est actio: est enim gratia in anima pueri vel adulti, etiam dùm nihil agit aut patitur, imò verò est in eis permanenter,iuxta illud Ioan. 14. Dabo vobis spiritum, &c. *Ioan.14.* qui maneat vobiscum.Sequitur ergo, quòd sit qualitas; & cùm ex suo genere disponat benè subiectum, & sit difficilè mobilis, planè sequitur esse habitum; quia non est alia qualitas quæ esse possit nisi habitus, vt patet discurrendo per omnes species qualitatis: igitur cùm sit aliquid inhærens, vt definit Conciliũ & Scriptura docet; sequitur, quòd est habitus. Sed contra: Ergo hæc veritas est tam certa,sicut quòd Christus est risibilis,atq; adeò de fide mediatè,quia sequitur ex vna de fide,& alia euidenti per bonam consequẽtiam, vt deductũ est. Ita sentit Pater Vega loco citato.Respõdetur,quòd fides docet,peccatum originale inesse omnibus hominibus vnicuiq; proprium, ex quo tamen non sequitur esse qualitatem. Ad eundem modũ aliqui dicunt,posse dici sine errore, gratiam non esse qualitatem;sed non absq; temeritate.Nam de peccato nũ quam dicitur, quòd inhæret sicut dicitur de gratia. Et præterea, quia huiusmodi locutiones sunt accipiendæ iuxta naturam cuiuslibet rei. ¶Pater Medi- *Pater Medina.* na dixit,vt vidimus, cõtrarium præfatæ assertionis, esse temerariũ & periculosum, & alij addiderũt,& fortè erroneum, non tamen hæreticum.Nam cùm

homo post peccatum habeat animum inordinatũ, & auersum à bono incommutabili, vt sanetur & cõuertatur repulsa inordinatione illa voluntatis, quæ manet transeunte actu peccati, mutari debet, eiusq; animus renouari, & cõuerti à prauitate & inordinatione, in rectitudinem, quod cùm fieri possit, vel per infusionem qualitatis supernaturalis permanẽtis, vel per actualem motionem diuini auxilij conuertentis animum ab inordinatione, ad rectitudinem, Concilium potest intelligi vno ex his duobus modis, siue renouatio interior fiat per qualitatem, siue per motionem diuini auxilij efficaciter cõuertentis animum peccatoris, à prauitate in rectitudinem. Nam Concil. intendebat definire contra hæreticos, iustificationem hominis, & remissionẽ peccatorum, non fieri solùm per non imputationem exteriorem, aut solùm esse diuinum fauorem; sed esse renouationem interiorem hominis, quæ vel fit per infusionem qualitatis permanentis, vel per motionem actualem auxilij diuini efficacis. Sed hanc explicationem, iuuenes Theologi volunt carpere, & dicunt esse ineptissimam; quia non est Deus semper in actuali motione animæ iustæ, neq; potest intelligi motio, quin imprimat qualitatem aliquam in anima: & illa commodiùs appellatur gratia. Sed certè non est inepta explicatio. Nam certum est, de potentia absoluta posse iustificari hominem per solam illam motionem actualem, & supernaturalem diuini auxilij efficacis renouãtis animum, ab inordinatione & prauitate conuertẽdo in rectitudinem: Quòd si ita fieret à Deo, non semper Deus esset in actuali motione animæ iustę; vt si iustus dormiret, vel si idẽ fieret circà paruulos, & infantes. Rursùs, motio illa non appellatur propriè qualitas, & sufficeret quòd ex tali motione supernaturali, renouata mente, conuerteretur in finem supernaturalem, qua conuersione præcedente, maneret habitualis conuersio. Nam post peccatum etiam manet habitualis conuersio in peccatore, de quo peccato non dicitur, quòd est qualitas; & id multò magis patet in peccato originali.

Rationibus etiam persuadetur, gratiam ex suo genere esse qualitatem & habitum; Nam hoc pertinet ad suauem dispositionem & prouidentiam Dei, vt sicut respectu operationum naturalium dantur habitus naturales; ita etiam respectu operationum supernaturalium, dentur habitus supernaturales, per quos diuinæ efficiamur naturæ consortes. Rursùs confirmatur. Quoniam ad eandem suauem Dei prouidentiam spectat, vt ad consequendum finem supernaturalem, per supernaturales operationes, det vires & habitus supernaturales, in quibus sit participatio virtutum ipsius Dei: ergo etiam vt homo sit proportionatus, & condignus tali fini, debet dare habitum in quo Dei natura participetur, ex quo veluti ex fonte alij habitus virtutum procedant, tanquam proprietates à natura; & sic fiat reductio multorum ramorum ad vnam radicem. ¶ Secundò persuadetur. Quoniã munus gratiæ est reddere animã Deo amabilem, & tollere maculam animæ: ergo debet esse quædam pulchritudo & decor: ergo qualitas & habitus. ¶ Tertiò. Sancti & Scripturæ citatæ, appellant gratiam characterem, figuram, indumẽtũ animæ, decorem, pulchritudinẽ, & imaginẽ Dei, & participationẽ diuinæ substantiæ; hæc autem important qualitatem & habitũ: ergo. ¶ Tandem probari potest, ex discursu à nobis allato paulò superiùs ex definitione Concilij Trident. Nam cùm gratia sit diffusa in cordibus iustorum, & non sit actio, neq; relatio, &c. sequitur, quòd est qualitas & habitus.

Argumenta quæ contra nos possent adduci, superiùs in discursu quæstionis sunt à nobis posita, post quàm cæpimus Hæreticorum argumenta enarrare, quo loco simul Scholastica & Theologica argumenta quinque scripsimus, quæ non libet iterum repetere, sed ibi legenda & videnda sunt, cum suis solutionibus.

### *Dubia circa primum & secundum articulum.*

HOc loco duæ difficultates tractari solent. Altera de perfectione gratiæ; altera verò de productione eius. Prima difficultas est; Vtrùm gratia sit perfectior quacumq; substantia spirituali contenta in ordine rerum naturalium? In qua re S. Thom. hic art. 2. ad. 2. docet, quòd anima est nobilior quantum ad modum essendi; gratia verò est nobilior substantia animæ, vel angeli, quatenùs est participatio diuinæ naturæ. Sed an sit nobilior simpliciter, non determinat S. Thom. Communis tamen sententia est, *S. Thomas.* quòd accidentia ordinis supernaturalis secundum quid perfectiora sunt, quàm substantia, cui hærent, licèt substantia simpliciter sit perfectior: Quia est substantia, & ens cui conuenit esse per se: ergo in ratione essendi substantia spiritualis, veluti angelus & anima, præstat gratiæ, quæ est accidens: Nam anima excedit in potissima actualitate. Imò verò substantia est ens simpliciter; gratia verò cùm sit accidens, est entis ens, & non producitur per se. Rursùs, gratia essentialiter est in genere qualitatis: ergo specifica differentia non potest esse superioris ordinis, quàm sit qualitas, cùm qualitas sit proprium genus gratiæ: ergo cùm omnes differentiæ specierum cõtineantur in potentia generis; sequitur quòd sunt eiusdem ordinis cum genere: ergo non excedunt ordinem sui generis: ergo gratia non excedit perfectionem substantiæ, & genus substantiæ. Imò verò, gratia magis pendet ab anima absolutè loquendo, etiã quantùm ad esse, quàm è conuerso. Et quidẽ illud est altero perfectius, quod cũ sit in genere substantiæ minùs pendet ab eo, & habet magis de entitate: ergo cùm substantia spiritualis sit huiusmodi, simpliciter est perfectior gratia. ¶ Quòd verò gratia secundũ quid sit perfectior substãtia naturali angeli, vel animæ rationalis, patet. Primò; quia gratia ex propria ratione specifica, eleuat hominẽ ad superiorem ordinem, suprà totum ordinem vniuersi creati, & creabilis; imò verò facit hominẽ cõsortẽ diuinæ naturæ. Vndè, gratia dicitur semẽ Dei manẽs in anima, quæ facit hominẽ filium Dei per participationem, & adoptiuũ. Cùm igitur nihil sit excellentius natura diuina, quæ sanè multò magis participatur per gratiam, quam per omnes naturales perfectiones substantiæ, sequitur, quòd si ordinem ad ordinem comparemus, multò perfectior est gratia. Quo circà Sanct. Thom. 1. part. quæstio. 25. artic. 3. ad. 6. *S. Thomas.* dicit, tria esse, quæ habent quandam infinitatem, nempe, gratiam vnionis hypostaticæ, & gratiã gratũ faciẽtẽ, & dignitatẽ genitricis Dei: igitur gratia simpliciter loquendo intra speciem ordinis supernaturalis, plures & maiores habet rationes perfectionis, quàm substantia quæ vndiq; finita est & limitata. Vndè, Philosophus dixit, quòd excellentius est pauca scire, & probabiliter opinari de superioribus propter excellentiam obiecti, quàm de inferioribus demonstrationem habere, licèt demonstratio à toto genere sit perfectior, & nobilior cognitio, quã opinio: ergo pari ratione dici potest de gratia, quòd sit excellentior, etiam si sit accidens, quã substantia animæ; quia gratia est diuinæ naturæ participatio. ¶ Imò verò, præfata argumenta adeò fortia videntur plerisq;, vt etiam credãt, sustineri posse, gratiam esse simpliciter nobiliorem anima, vel saltem aliqua substantia imperfectiori. Nam nõ videtur inconueniens, quòd accidens perfectissimũ sit simpliciter nobilius substantia imperfectissima; sicut aliquis actus virtutis imperfectioris potest esse perfectior simpliciter, quã actus imperfectus nobilioris virtutis: sicut patet de actu perfectissimo Martyrij, qui est actus elicitus à fortitudine, & est perfectior aliquo actu iustitiæ. Et quòd id sustineri possit, probatur: Quoniam maior vel minor perfectio rerum pensatur penes maiorem, vel minorem accessum, & assimilationem ad ipsum Deum: sed nulla substãtia creata, vel creabilis, potest tantum assimilari Deo per actionem connaturalẽ, quantùm ipsa gratia assimilat animam per actionẽ cõnaturalem ipsi: Quod patet ex visione beatifica supernaturali, quæ est connaturalis lumini gloriæ & gratiæ consummatæ: igitur gratia simpliciter loquendo, potest dici perfectior quacùmq; substantia creabili. Et hanc excellẽ-
*1. Ioan. 3.* tiam attendẽs D. Ioan. 1. cano. cap. 3. ait: Videte qualem charitatem dedit nobis pater, vt filij Dei nomi-
nemur & simus. Et statim; Nunc filij Dei sumus, sed nondum apparuit quid erimus, scimus autem; quia cùm apparuerit, similes ei erimus; quia videbimus Deum sicuti est. Ex quibus omnibus colligo argumentum. Actio quæ consequitur gratiã consummatam, est excellentior omni actione, quę per vires naturæ haberi potest: est enim visio Dei aperta: ergo forma siue natura, quæ est radix illius actionis, erit perfectior qualibet alia forma substantiali creata, quæ est radix illius actionis, erit perfectior qualibet alia forma substantiali creata, quæ est radix aliarum actionum naturalium. Patet sequela: Quia ex actionibus cognoscitur perfectio formæ; sicut arbor cognoscitur ex fructibus, & sicut homo cognoscitur esse perfectissimum animalium; quia potens est ratio-
*Rom. 6.* cinari & intelligere, quæ operatio reliquas animalium actiones super excedit. Et fauet illud Rom. 6. Gratia Dei vita æterna, id est, radix vitæ æternæ. Ad de etiam, habitum scientiæ Theologicæ, perfectiorem esse habitu scientiæ naturalis, propter differentiam specificam, quæ sumitur ex obiecto, etiam si in ratione communi scientiæ sit perfectior scientia Mathematica, cuius demonstrationes sunt clariores: ergo pari ratione, quamuis secundũ modũ essendi cõmunem vniuersi, anima aut angelus sit nobilior gratia; tamẽ gratia poterit dici simpliciter nobilior anima, propter specificam differentiam sui ordinis; nã dicit consortium diuinæ naturæ. Vndè, eligibilius est homini annihilari, quàm amittere gratiam: ergo habere gratiam absolutè est melius, quã animã esse.

Rursùs, esse, est actualitas substãtiæ, & est perfectius, quàm substãtia ipsa, vt est in opinione probabili, & tamen ipsum esse non est substantia, sed est quid ab ea distinctum: ergo iam reperitur in rebus creatis aliquid, quod non est substantia, quod est quid melius quàm ipsa substantia: ergo non incõuenit dicere, quòd forma & actus supernaturalis potest esse melior, quàm ipsa substantia cum suo esse naturali creato. Profectò, si actus essendi ob id est melior, quia ponit substantiã formaliter extra nihil, & quia collocat eam in ordine vniuersi; sequitur, quòd gratia quæ eleuat eandem substantiam & esse substantiæ suprà totum ordinem vniuersi, & naturæ creatę; imò quæ collocat substantiam in ordine diuinæ naturæ participatiuè, quòd potest iure dici perfectior. ¶ Alij etiam circa hanc rem, alia adducunt argumẽta. Nam quamuis ex parte illius gradus communis, quòd est esse accidens, gratia pendeat ab esse substãtiæ; tamen ex parte differẽtiæ, propriæ, est multò excellentior omni substantia; quia constituit formaliter hominem filium Dei, & diuinæ naturæ participem, & ordinat ad beatitudinem supernaturalem, quæ est possessio boni infiniti; secundum quã rationem anima pendet à gratia, & hæc est maior dependentia respectu maioris perfectionis. Quoniam gratia plùs confert animæ, quã ab illa accipiat. Ad hæc. Peccatum est detestabilius, quàm non esse animæ, & non alia ratione, nisi quia priuat gratia & participatione diuinę naturæ: ergo detestabilius est animę carere gratia, quàm nõ esse, & sic esse gratiæ est nobilius quam esse animæ.

Ex quibus omnibus colligo secundũ diuersas rationes, aliam atq; aliam gratiam esse, & perfectiorẽ & imperfectiorem. Neq; hoc est mirabile. Nam accidentia ordinis naturalis quatenus important actualitatem respectu eius, & eam complent, exornant, & pulchram reddunt, sic perfectiora secundũ quid dicuntur; at cùm gratia transcendat ordinem naturę, & sit in ordine supernaturali, multò potiores habet causas & rationes, quas nos suprà retulimus.

Secunda difficultas initio tacta de productione gratiæ, ea est. Vtrũ gratia producatur per creationẽ? Et de hac re quidam dicunt, gratiam propriè creari ex nihilo, sicut anima rationalis. Ita Ferrar. 4. contra gent. c. 57. qui citat pro se Capreo. Idem tenet Pater Vega. 7. in Trid. c. 13. & citat pro se Henric. & Scot. 1. q. Prologi, & sequaces. Alij verò citãt D. Bonauẽ. in. 2. d. 16. q. 4. ad vltimũ, Alexan. Alber. Ricar. Durã. Ocham, Gabr. Aliacens. Marsil. Palud. Victor. & Cano. Sed proculdubiò dicendum est, gratiã non creari. Ita Herueus in. 4. d. 1. q. 1. art. 4. & Pater Soto eadẽ d. q. 3. art. 1. Caiet. hic, &. 1. p. q. 45. art. 4. &. 3. p. q. 13. art. 2. &. q. 62. art. 1. & Pater Medina hic, & D. Tho. ad. 3. & infrà. q. 112. art. 1. & de verit. q. 1. artic. 10. ad. 13. & quæst. 27. art. 8. ad. 9. & de Poten. quæst. 5. artic. 8. ad. 3. Et probatur: Nam cùm gratia sit accidens, necessariò depẽdet in esse & fieri à subiecto, atq; adeò educitur de potentia ipsius non naturali, sed obediẽtiali. Et ob id tenendum est, produci per quandam alterationem perfectiuam supernaturalem & diuinam, & non per creationem: dicitur autem creari metaphoricè & per quandam similitudinem in quã tum datur nobis cùm iustificamur & à peccato recedimus nullis nostris præcedentibus meritis, ac si

*Ferrara.* *Pater Vega.* *Herueus.* *Soto.* *S. Thom.*

ex nihilo fieret. Ita docet S. Tho. in solutione citata. Præterea persuadetur. Quia aliàs cùm sacramenta sint causa gratiæ, sequitur, quòd creant, quòd est impossibile creaturæ, in opinione D. Tho. 1.p.q.45. art.4. De qua re nos diximus. 1.p.q.65.in.2. tomo. Et confirmatur. Nam aliàs aliquid annihilaretur de facto, nempe gratia cùm destruitur, quod est contra S.Thom. 1.p.q.104.art.4. Igitur cùm gratia non sit forma subsistens, sed accidens, ex natura sua pendens à subiecto in esse, fieri, & conseruari, vt paulò antea diximus; sequitur, quòd non creatur, sed educitur ex obedientiali potentia subiecti, aliàs omne accidens supernaturale diceretur creari.

*Soto.* ¶Sunt tamen nonnulli qui dicant (inter quos est Pater Soto) quòd licèt gratia non creetur, concreatur tamen à Deo, quia per creationem efficit subiectum gratum, vt forma cœli non creatur, concreatur tamen, ad creationem cœli. Sed iste modus dicendi, non mihi probatur. Nam quando eadé actione, qua forma producitur, nihil creatur, talis forma nõ concreatur; sed actione, qua Deus producit gratiam nihil creatur: ergo ipsa gratia non concreatur. Minor patet; quia homo fit gratus priùs supposito ipso subiecto hominis: ergo non creatur in quantùm gratus, sicut neq; creatur in quantùm calidus, neq; calor ipse concreatur. Sed nihilominùs verum est, vt paulò antea dicebamus, verum esse per quandã metaphoram, quòd cùm homo fit gratus in prima iustificatione, dicitur creari; quia nullo præsupposito esse meritorio, & supernaturali gratiæ deducitur ad participationem diuinæ naturæ, & meritum gloriæ. Vndè, ad Ephes. 2. legimus de iustificatis. Creati in Christo Iesu, in operibus bonis. Et ad Galat. 6. & 2. Corint. 5. Si qua in Christo noua creatura est, &c. Et Iacob. 1. Vt simus initium aliquod creaturæ eius. Et Psalm. 50. Cor mundum crea in me Deus. Sed de hac difficultate fusiùs diximus. 3.p.q.62.art. 1. & dicemus infra. q. 112. art. 1. disput. 4.

*Ad Ephes. 2* *Ad Gal. 6.* *Corinth. 5.* *Iacobi. 1.* *Psalm. 50.*

## ARTICVLVS III.

*Vtrùm gratia sit idem quòd virtus?*

Conclusio S. Thomæ est. Gratia differt à virtutibus non solùm secundum rationem, sed secundum re, m.

## ARTICVLVS IIII.

*Vtrùm gratia sit in essentia animæ?*

Conclusio S. Thomæ est, quòd gratia est in essentia animæ immediatè, & non in aliqua eius potentia.

## DISPVTATIO. I.

*Vtrùm gratia à charitate, & virtutibus distinguatur?*

*Sententia. 1.* *Heric.* Henricus, quodlib. 4. q. 10. credit, gratiam non distingui à virtutibus, & consequenter dixit esse idem cùm fide, spe, & charitate. Si dicas, amissa gratia manent fides & spes: ergo gratia non est idem cum illis. Respondet Henricus, quòd in gratia sunt diuersi gradus differentes secundum completum, & incompletum. Vndè, amissa gratia secundum complementum, quòd est charitas, manet quidem secundum esse in completum, quod est fides & spes. Hæc sententia nulla ratione potest defẽdi; Quoniã gratia in nullo gradu cõpatitur peccatum mortale. Rursus, tam in Christo Domino, quam in beatis est gratia, non tamen fides aut spes: ergo fides & spes non intrant essentiam gratię. Adde etiam, Sanctos, & Concilia & Scripturam, semper loqui de gratia, quasi de re vna, quæ infundi tur homini conuerso in Deum, licèt habeat iam priùs fidem & spem; Imò verò definitur à Concil. Trident. quòd in peccatore fideli destructa gratia, manet cognitio supernaturalis fidei. *Conc. Trid.*

Secunda sententia est, quòd gratia est idem realiter cum charitate solùm. Quã sententiã plerique Doctores Theologi defẽdũt cũ Magist. in. 2. d. 26. & 27 Et idẽ tenet. d. 27. Scot⁹. q. vnica. Durãd. d. 26. p 1. Ricar. q. 4. &. in. 1. d. 17. q. 1. Gabr. in. 2. d. 26. q. 1. Marsil. in. 2. q. 17. art. 1. & à fortiori Henric. vbi suprà. Pater Vega lib. 7. in Trident. capit. 25. &. 26. Quibus in locis omnes concorditer docent, esse idem donum gratiam & charitatem, quamuis differant ratione. Nam illud donum quatenùs datur gratis, & per ipsum sumus à Deo dilecti & amati, dicitur gratia; quatenus verò est principium merendi & diligendi Deum, sic dicitur charitas; & consequenter dicunt eundem habitum esse secundum rem, illum quo diligimus Deum, & quo sumus à Deo dilecti. Alij dicũt, quòd illa qualitas gratiæ quatenùs per eã acceptamur ad beatitudinẽ, vocatur gratia, quatenus verò per eãdẽ qualitatẽ nos diligimus Deum, appellatur charitas. Et hãc geminã rationẽ, quidã dicũt solum formaliter esse distinctã ex natura rei; alij, solũ per operationẽ intellectus. ¶Hãc sententiã nõ esse impũbabilẽ, sequẽtibus argumẽtis, & rationibus suadetur. Primò arguitur: Nã omnia quæ tribuuntur gratiæ in Concil. & Scriptura, conueniunt charitati, & possunt illi attribui, & è cõuerso: ergo nõ distinguntur realiter. Probatur antecedẽs: Quia vtraq; distinguit inter filios regni, & perditionis. Similiter, sicut gratia non potest esse informis, & sine amicitia Dei, ita, pari ratione charitas. Rursùs, Sicut gratia coniungit nos Deo ea coniunctione, quæ potest esse in via, ita charitas cũ sit vinculũ perfectionis: ergo sunt idẽ realiter. Imò verò, tã gratia, quam charitas expellũt, & excludunt peccatũ mortale, & vtraq; est principiũ meriti, & forma virtutũ. ¶Secũdò arguitur. Nam charitas reddit nos deiformes, & participes diuinæ naturæ: ergo est ipsa gratia. Probatur antecedens: Quia per amorẽ charitatis transformamur in Deũ, per quem Deus habitat in nobis. 1. Ioan. 4. Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. ¶Tertiò arguitur. Omnis forma accidẽtalis, præsertim si est actiua, duos habet actus: Alterum qui cõsistit in informatione, & actuatione subiecti; & consequenter in denominatione subiecti; Alterum verò, qui cõsistit in hoc, quod est esse principiũ operationis. Sicut calor ignis informat, actuat & tãdem denominat ignẽ calidũ formaliter, & prę terea est igni principium, & instrumentum calefaciẽdi; sed iste duplex actus causatur in homine eodẽ modo à gratia & charitate, ergo sunt idẽ. Probatur minor: Quia sicut gratia dat formaliter esse gratũ, pari ratione charitas dat formaliter esse charum, quod est idẽ quòd esse gratũ; Et sicut charitas est prin- *Sententia.* *Argum. 1.* *Secundum.* *1. Ioan. 4.* *Tertium.*



est principium operandi meritoriè, ita gratia: ergo identificantur realiter. Sanè, per charitatem sumus grati Deo, & accepti ad gloriam: ergo frustrà ponitur alia qualitas ad præstandum hæc munera. Ostẽdo antecedens; Nam ex eo quòd quis diligat Deum, dignus est vt diligatur ab ipso Deo, & acceptetur ad gloriam, iuxta illud Ioan. 15. Siquis diligit me, diligetur à Patre meo. Vndè, Tilet. in Apolog. Trid. dicit, quòd charitas est qua formaliter sumus iusti, & citat Aug. de natura & grat. cap. vlt. & de gratia Christi, cap. 30. dicentem, quòd gratia Dei est ipsa charitas. ¶Quartò arguitur argumento Durandi, & Gabr. Nã si distinguitur realiter gratia à charitate: ergo quælibet poterit ab alia separari, saltem per potentiam Dei: sed hoc implicat contradictionem; Nã si detur gratia sine charitate, habens illã saluaretur, & non saluaretur. Patet. Quia si quis haberet gratiã & non charitatem, iam ille si decedit in gratia saluaretur: Sed qui discedit sine charitate non saluatur; quia nõ discedit in amicitia Dei, neq; amicus Dei. Imò verò per charitatem distinguntur filij saluationis, à filijs perditionis. ¶Quintò arguitur ab Scoto, & Durando contra rationem D. Tho. Nam si gratia & virtutes infusæ distinguerentur, ex eo quòd infusæ supponunt lumen gratiæ à quo deriuantur, ex hoc sequitur, quòd fides & spes non possunt esse sine lumine gratiæ: consequens est falsum: ergo probatio S. Tho. non est efficax. Sequela patet; quia virtutes acquisitæ, non possunt esse sine lumine naturalis rationis, quia proficiscuntur ex illo, & disponũt ad illud, & perficiunt illud: sed hoc quidem habent virtutes infusæ respectu luminis gratiæ: ergo non possunt esse sine gratia. Scotus soluit rationẽ D. Th. in artic. & inquit, quòd similitudo, quam attulit S. Tho. inter virtutes acquisitas in ordine ad lumẽ rationis, & inter virtutes infusas in ordine ad lumen gratiæ, solùm tenet in hoc, quòd sicut virtutes acquisitæ præsupponunt prudentiam, quæ est in ratione, & rursùs iterum prudentia ordinatur ad lumen intelligibile rationis; ita etiam virtutes infusæ ordinantur ad lumen gratiæ, siue charitatis, quæ est veluti prudentia; Et rursus, gratia siue charitas ordinãtur ad ipsum Deum, qui est lumẽ quoddam naturale; ex hoc autem non sequitur, quòd gratia non sit charitas & virtus: Imò verò potiùs sequitur, quòd si prudentia est vera virtus, quòd etiam gratia est vera virtus, & consequenter non est à charitate distincta. ¶Sextò arguitur: Nam si differũt realiter, & formaliter: ergo vna illarum est maior: Nam duæ species nũquam sunt æquales in perfectione, quia species sunt sicut numeri secundum perfectionem essentiæ. Quam veritatem olim in certaminibus metaphysicis, latius ostendimus: ergo aut gratia est maior charitate, aut è conuerso; vtrumq; autem est inconueniens. Nam charitate nullum donum Dei est excellentius secundum Augustinum. 15. de Trinita. cap. 18. & de morib. Ecclesiæ cap. 11. de verbis Domini cap. 18. Bernard. sermo. 29. in Cant. Greg. hom. 38. in Euangelia. Vndè Paulus. 1. Corinth. 13. Maior horũ charitas. Idẽ ad Colossen. 3. Rursus, gratia nihil est præstãtius: nã est radix & fundamentũ omniũ donorũ Dei, & dat esse supernaturale; Imò verò Paul. 1. Corin. 15. dicit, Gratia Dei sum id quod sum: ergo. ¶Septimò arguitur. Nãsi gratia distingueretur à charitate realiter, maximè quia gratia dat esse supernaturale & ordinis diuini; charitas verò operari: sed hæc ratio non est efficax; quia (vt diximus) non inconuenit quòd ab eodem habeat res esse accidentale & operationem; Nam virtutes acquisitæ, dant esse morale & operationem. Et confirmatur. Quia si gratia dat esse supernaturale ex quo fluant virtutes: ergo nunquam infunduntur virtutes sine gratia: ergo neque manent fides, & spes, illa ablata. Imò verò sequeretur, quòd quando augetur gratia, non augetur charitas, siquidem distinguntur realiter, & sequitur quòd perdita gratia, nulla manet virtus supernaturalis, siquidem destructo esse, quod est fundamentum omnium, reliqua pereũt: ergo perdita gratia, neq; fides, neq; spes manent, quod est hæreticũ. Et confirmatur iterum. Quia in Trident. sess. 6. cap. 7. In iustificatione impij præter remissionem peccatorum, solùm dicitur requiri fidem, spem, & charitatem: ergo frustra ponitur alia qualitas. Patet consequentia. Quia omnibus habitibus sublatis, manente tamen charitate in homine sola, adhuc homo est gratus & dilectus Deo: ergo sunt idem charitas & gratia. ¶Ex quibus omnibus colligunt Scotus & sui, eosdem effectus habere gratiam & charitatem, eadem priuilegia & æncomia, & quòd vtraque est forma virtutum, & quòd neutra potest esse informis, quia vtraq; coniungit cum vltimo fine, & vtraque est vita animæ; & consequenter, quòd si charitas esset in voluntate, destructa gratia, quòd nihil minùs ille cui conueniret charitas, esset charus & amicus & gratus Deo, quam si simul haberet gratiam.

*Quartum.* *Quintum.* *Sextum.* *Augustin.* *Bernardus.* *Gregor.* *1. Corint. 13.* *Colos. 3.* *Septimum.* *Confirm. 1.* *Confirm. 2.* *Conc. Triden.*

His tamen non obstantibus, verior sententia est, charitatem & gratiam esse duos habitus realiter distinctos. Imò verò, gratiam esse qualitatẽ distinctã à qualibet alia virtute, & hæc est sententia D. Tho. hic, & in. 2. d. 26. q. 1. art. 4. & de verit. q. 27. art. 2. Idem D. Bonauen. in. 2. d. 26. q. 5. & in. 3. d. 23. q. 3. & 4. Ægid. ibidem. quæst. 2. art. 1. Idem Capreol. ibidem. Idem Caiet. hic, & Pater Soto lib. 2. de natu. & grat. cap. 17. & Alens. 3. p. q. 89. membro. 3. Thom. de Argent. eadem. d. 26. & in. 3. d. 27. Et probatur. Nam D. Paul. vocat gratiam & charitatem nominibus diuersis. 1. ad Tim. 1. Superabundauit gratia cum fide & dilectione. Et. 2. Corinth. 13. Gratia Domini nostri Iesu Christi, & charitas Dei, &c. Et. 1. Ioan. 3. Commendat charitatem suam Deus in nobis, non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos: ergo prius est, quod nos sibi gratos faciat per gratiam, quã quòd nos ipsum per charitatẽ diligamus. Et in. c. Maiores. de Baptismo, & eius effectu In nocen. 3. & in Clem. vnica. de sum. Trinit. Clemens 5. cum Concil. Vienens. eligũt opinionẽ Theologorum dicentiũ, q̃ tam paruulis, quã adultis infunditur gratia, fides, spes, & charitas. Ecce loquuntur de gratia & charitate tanquã de diuersis. Neq; valet dicere, q̃ ob distinctionẽ formalẽ ex natura rei fit sermo de illis, tanquam de diuersis. Nam inter entia absoluta & completa, qualia sunt gratia & charitas, omnis distinctio ex natura rei debet esse realis, & sicut res à re. Et in Trid. sess. 6. c. 11. cõnumerantur gratia & charitas, tanquam res distinctæ. Et cano. 3. cùm dicitur actum fidei, spei, & charitatis requiri ad obtinendam gratiam. Hæc est sententia August.

*D. Thom.* *D. Bonauẽ.* *Ægidius.* *Capreolus.* *Caietanus.* *Soto.* *Alensis.* *Th. de Arg.* *1. ad Thim. 1.* *1. Ioan. 3.* *Innocen. 3.* *Clemens. 5.* *Conc. Trid.* *D. August.*

de bono perseueran. cap.16. Inquit enim, quòd gratia prævenit fidem & charitatem. Idem Chrysost. hom.54.&.59. ad populum Antioch. Euseb. 1. de præparat. cap. 1. & D. Dionys. cap. 2. Ecclesiast. Hierar. Vbi inquit, quòd sicut adhoc, vt possimus humana operari, necesse est priùs habere humanæ vitæ statum; ita adhoc vt aliquis possit habere dilectionem Dei, & alias operationes diuinas, necesse est vt priùs habeat diuinam vitam, & constituatur in diuino statu. Et reddit rationem. Quia vnumquodque agit & patitur ea solùm, quæ substãtiæ & status sui sunt; & ex hoc sumitur potissimum fundamentum conclusionis. Quia omnis potentia operatiua supponit essentiam sibi proportionatam, quam perficit, & à quo oritur: ergo potẽtia supernaturalis operatiua, cuiusmodi est charitas, supponit essentiam sibi proportionatam, atq; adeò ordinis supernaturalis, quæ non est alia præter gratiam. Nam sicut aliud est esse rei & aliud eius operatio, sic etiam alia est forma constituens esse rei, & alia deseruiens ad operandum. Et sicut ad esse rei sequitur operari, & præsupponitur ipsum esse ex quo pẽdet, sic formæ quæ immediatè ordinantur ad operationes, sequuntur ex formis, quæ constituunt esse rei, à quo dimanãt; homo autem ex sua natura nullum habet principiũ ad opera supernaturalia; & ideo indiget virtutibus & viribus supernaturalibus, non solùm vt faciliùs, sed vt simpliciter possit, & vt istę virtutes procedãt connaturaliter ex aliquo principio radicali, & eiusdem ordinis. Et ideò ponitur gratia per quam participamus ipsum esse diuinum; & sumus consortes naturæ diuinę, vt dicit D. Petrus: Natura namq; hoc semper obseruat, vt cùm in vna re plures virtutes coniungit, præbeat aliquam veluti radicem & fontem omnium, cui omnes inseruiant. Et ob id, omnis virtus inclinat ad aliquid connaturale habenti virtutem: disponit enim benè subiectũ secundũ eius naturã. Totus igitur hic discursus fundatur in hoc, quòd vis operatiua supponit essentiam sibi proportionatam, quam perficit, ex qua habeat efficaciam operandi. Et consequenter vis operatiua supernaturalis, nempe charitas, supponit essentiam ordinis supernaturalis, & diuini, quæ habetur per gratiã, quæ est semen Dei, & nos efficit filios Dei. Quod confirmatur: Quia supernaturalia debent proportionari naturalibus: sed in naturalibus potentia operatiua distinguitur realiter ab essentia operantis: ergo. Vnde Paul. charitatem qua nos diligimus Deũ & proximos, vocat Agapin: gratiam verò qua sumus Deo grati & chari vocat nomine Græco Chanzar. Rursus, quòd actus dilectionis reddat nos Deo amabiles & Deum amantes, non distinguit ipsum ex natura rei ergo neq; charitas, vt facit nos amare, & vt facit nos amabiles seu gratos, distinguetur ex natura rei. Quòcircà, Sancti & Scriptura non loquuntur de gratia, vt de habitu operatiuo per se, sed vt de pulchritudine, decore, venustate, nitore, figura, imagine, &c. Igitur non est idem quòd charitas. Imò verò gratia in Scriptura, & Sãctis dicitur participatio naturæ diuinæ, & initium substantiæ Dei, imago & figura illius, quod charitati non quadrat: non enim est participatio diuinæ naturæ vt sic, sed secundum spirituale attributum amoris, vt aliæ virtutes: ergo debet poni alia qualitas, quæ sit participatio diuinæ substantiæ vt sic: Vt enim participatur in nobis diuina natura, prout est operatiua, ita debet participari, vt est natura, quæ origine & radice sit communicatiua similium proprietatum cum diuinis, vt optimè tangit D. Th. art 4. Item persuadetur. Gratia in esse gratiæ, per quodlibet opus meritorium augetur; charitas non item: ergo non sunt idem realiter. Maior patet. Quia quodlibet opus meritorium facit ad maius cumulum gloriæ; & cùm gratia inter alia sit acceptatio ad gloriam, indè colligitur, quòd per quodlibet opus meritorium augetur gratia. Minor probatur. Quia charitas augetur per actum intẽsiorem & feruentiorem; Nam cùm charitas sit habitus operatiuus, & de natura habituum, qui ordinantur ad opus sit augeri per operationes intensiores ipsis habitibus, inde est, quòd charitas non augetur per actus remissiores, sed intensiores. De qua re plura suo loco dicemus.

*D. Chrysost. D. Euseb. D. Dionys.*

Sed vt sententiam D. Thom. & positam doctrinã intelligas, aduertere oportet, quod sit officium & munus gratiæ, & quod charitatis. Vndè, munus gratiæ est reddere nos aptos, vt diligamur à Deo, & esse id quo sumus obiectum diuinæ dilectionis. Nam gratia est forma qua sumus dilecti & chari Deo. Ita insinuauit S. Tho. art. 1. huius quæst. dicens, quòd ex dilectione supernaturali, qua Deus nos diligit, sequitur in nobis gratia, qua sumus illi grati & chari. Et hoc idem etiam insinuauit D. Ioan. in verbo illo citato: Non quasi nos priùs dilexerimus Deum, sed quia ipse prior dilexit nos, & hoc munus tribuunt Sancti & Concilia gratiæ. Cæterùm, munus charitatis, non est formaliter nos facere Deo gratos & caros, vt malè dicit Durand. sed est facere, quòd simus Deum diligentes, & quòd ipse sit à nobis dilectus: est enim habitus nobis datus ad diligendum Deũ. Ista autem duo munera, & officia habent hunc ordinẽ inter se, quòd priùs natura est, quòd Deus nos diligat, simusq; illi grati, quàm quòd nos diligamus illum. Imò verò, in puero baptizato, ille priùs tempore diligitur à Deo, quàm quòd ille diligat actu Deum. Vndè, sicut non potest intelligi quòd homo habeat naturalem inclinationem, nisi priùs intelligamus illum habere naturam & esse; ita etiam non potest intelligi habere inclinationem supernaturalem, nisi intelligamus priùs habere esse supernaturale per gratiam. Et ob id, priùs est, quòd per gratiã simus Deo grati & dilecti, quàm quòd nos per charitatem diligamus illum. Hinc sequitur, quòd quidquid communiter tribuitur gratiæ & charitati, non eodem modo conuenit illis, sed charitati conuenit tanquàm proximæ & immediatæ causæ; gratiæ verò tanquàm radici. Verbi causa, mereri tribuitur charitati & gratiæ; sed charitati, tanquàm principio proximo & immediato, quia mereri est operari, & agere opera digna vitæ æternæ, & charitas est habitus operatiuus, & ob id in potentia operatiua collocatus: Gratiæ etiam conuenit, sed tãquam radici; quia non possumus diligere Deum per voluntatem, aut facere opera meritoria, nisi priùs Deus nos diligat & nos simus illi grati.

*Nota.1.* *D. Thom.*

Aduerte præterea, quòd sicut operatio supponit esse id quod operatur, ita etiam potentia operatiua supponit essentiam operantis, & sicut operatio realiter differt ab esse substantiali, ita potentia operatiua



ratiua ab essentia substantiæ. Et licèt essentiæ substantiales nõ sint immediata principia operationũ, sicut potentiæ; tota tamen vis operatiua quę est in potentijs, prouenit radicaliter ex essentia. Exqua doctrina intelliges præcedentem animaduersionem. Sed adhuc obserua, quod homo suapte natura nullum habet principium ad opera supernaturalia, vt sic, & ob id non solùm eget dono supernaturali ad facilius operandum, sed etiam vt simpliciter possit operari, vt dicitur in conc. Mileuit. Ex quo patet quòd homo in ordine ad finem supernaturalem nõ solùm habet perfici in propria natura, sicut per virtutes morales ad finem sibi connaturalem perficitur, sed etiam habet eleuari ad altiorem ordinem entium, ita vt quodammodò fiat alterius naturæ, iuxta illud. 2. Petri. 1. Magna & pretiosa nobis promissa donauit, vt diuinæ efficiamur consortes naturæ, & id quidem fit per gratiam.

*Concil. Mileuit.*

Ad argumenta. Ad. 1. respondetur, quòd gratia & charitas sunt inseparabiliter coniũctæ, & idcircò ex cellẽtia vnius, alteri tribuitur; semper tamen est discrimen, quòd vni conuenit tanquã primæ radici; alteri verò tanquam proximo principio operatiuo; & sic vtrique conuenit diuidere filios Dei à filijs Diaboli, & esse vitam animæ. Rursus, gratia est forma virtutum, sed non eadem ratione cum charitate. Nam gratia est forma virtutum ratione subiecti. Nã ob id quòd hominem reddit gratum, subinde efficit, vt opera illius grata sint & meritoria, secũdum illud Genes. 4. Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius. Quo loco priùs respexit Dominus personam, an esset illi grata & accepta. Charitas verò dicitur forma virtutum ratione finis. Nam cum ipsa tendat in finem vltimum, & illum respiciat, sui muneris est virtutes omnes in finem vltimum dirigere & referre. Rursus, gratia & charitas nos vniũt Deo, sed non pari ratione; Quia gratia est per quã Deus nos sibi vnit, & consortes diuinæ naturæ facit; Charitas autem est, qua nos Deo nos coniungimus, & eum complectimur amore, & dilectionis amplexibus. Et cùm hæc verissima sint, nihilominùs quædã dicuntur de gratia, quæ charitati conuenire non possunt. Nam gratia dat esse supernaturale, quòd per diuinam generationem accipit homo, & est principium formale. Nam per gratiam fit iustus, filius Dei adoptiuus, & ob id ipsa dicitur semen Dei: Charitas verò est virtus operatiua. Vndè charitas formaliter loquendo, non facit nos deiformes, & similes Deo secundum naturam diuinam vt natura est, sed secundum quandam proprietatem ipsius; gratia autem secundum quòd est natura. ¶ Ad secũdum quòd respondetur, quòd per gratiam sumus deiformes radicaliter & in actu primo, sicut per essentiam est homo intellectiuus in actu primo; at sicut per intellectũ est intellectiuus in actu secũdo & accidentali, ita per charitatem est isto modo deiformis; aliter autem conuenit gratiæ dare esse supernaturale, & alijs virtutibus. Nam gratiæ, per modum essentię & esse totaliter absoluti; sicut pulchritudo & sanitas; alijs verò virtutibus, per modum potentiæ & esse quodãmodo respectiui. Sed dices. Per charitatẽ sumus grati Deo, & chari: ergo sumus illi deiformes. Respondetur negãdo antecedens. Si dicas; Ex hoc quòd quis diligit Deũ, dignus est vt diligatur ab ipso Ioan. 15. Si quis diligit me, diligetur à Patre meo. Respondetur, quòd diligere Deum, non facit nos formaliter loquendo, dignos vt diligamur ab ipso, sed potiùs nascitur ex eo quòd sumus dilecti à Deo, & obiectum sui amoris, per gratiam habitualem. Et ita debet intelligi testimonium Ioan. vt semper sit priùs nos diligi & gratos haberi à Deo, quam quòd diligamus ipsum. Hinc vera est & certa illa sententia Christi, Qui diligit me, diligetur à Patre meo: & alibi, Ego diligẽtes me diligo. ¶ Ad tertium respondetur, negando minorem. Imò verò, maior benè intellecta non est ad propositum: Quia forma accidentalis, non dat esse simpliciter: at verò gratia dat simpliciter esse filium Dei adoptiuum, & est veluti semen Dei, & dat homini esse participem diuinæ naturæ. Vndè, licèt esse quod dat gratia simpliciter & absolute sit accidentale; habet tamen se per modum esse substantialis; & idcircò differt à virtute, quæ est principium proximum operandi. Vndè, non est par ratio de forma caloris, aut de virtutibus acquisitis: Quia illæ supponunt esse substantiale ipsius naturæ cui proportionantur; Virtutes autem supernaturales cùm non sint proportionatæ cum esse naturali, idcircò prærequirunt aliud quasi substantiale esse præsuppositum, & hoc dat gratiam, vt dictum est. Ad probationem minoris patet solutio ex dictis in responsione ad. 1. &. 2. q. dilectio habitualis se ipsa formaliter non facit nos dignos, vt diligamur à Deo, sed hoc facit gratia. Nam charitas facit nos dilectores, & ob id charitas non habet rationem gratiæ. Et testimonium citatum Ioan. 15. solùm loquitur de dilectione actuali, & est bona consequentia. Qui diligit me, diligetur à Patre meo: Sed non vult quòd faciat nos dignos, & obiectum amoris per habitum charitatis formaliter, sed vt informatur subiectum à gratia, cui inseparabiliter coniungitur charitas. ¶ Ad quartum respondetur, quòd si Deus separaret charitatem à gratia, tunc apud Capreol. loco superiùs citato, si quis discessisset & migraret è vita cũ vna, sine alia, neque saluaretur, neque condemnaretur, sed Deus singulariter disponeret de illo, quia ille esset casus præter communẽ legem. Dico tamen, q̃ iste talis si recederet, verbi causa in gratia Dei, saluaretur; quia perfectio gratiæ, virtualiter includit charitatem, & è contrà: ergo cùm perfectio charitatis virtualiter includatur in gratia, & è conuerso; sequitur quòd ille saluaretur, neque esset indecens quòd fieret de potentia absoluta ob rationabilem causam. Neque ex eo quòd cum sola charitate saluaretur, sequitur gratiam esse frustra, vt arguit Marsilius; quia etiam sine igne cum solo calore posset Deus calefacere.

*Ad tertiũ.* *Ad quartũ.* *Ad secũdũ.* *Obiectio. Solutio.* *Genes. 4.*

Sed dubitabit fortè aliquis, Cur non possint ad inuicem de lege separari gratia & charitas, sicut vtraque separatur à fide, & spe in Christo & Beatis, & sicut fides, & spes ab vtraque separantur in peccatore? Respõdetur, ex S. Tho. in 3. d. 27. q. 2. art. 4. quòd charitas & gratia intrinsecè pertinent ad amorem amicitiæ, quæ sane mutua debet esse; & idcircò vna non debet esse sine altera. Nam si quis habeat gratiam, & sit obiectum diuini amoris; & dignus amari à Deo, & consequenter amatur à Deo, æquum est quòd charitatem habeat, qua huic amori respõdeat;

è conuerso, qui habitualiter Deum diligit, debet habere esse, quo sit dignus amore Dei, vt amor Dei, suo amori correspondeat: & ob id in hoc statu connexæ sunt gratia & charitas, at fides & spes non sic se habent. Nam sunt præcisè media, quibus homo ab amico Deo promouetur in finem supernaturalé, quo finè habito, cessant huiusmodi virtutes; quoniam assequuto fine, media cessant. Nam tunc aliud lumen illustrius loco fidei succedit, nempe lumen gloriæ; loco autem spei, possessio Dei. In peccatore etiam relinquit Deus has virtutes; quia eius salutem adhuc desiderat, & cùm sit viator, vult salutem ipsius & vult ipsum in ordine ad salutem, cui consequendæ maximè deseruiunt. ¶ Rursùs est alia ratio illius connexionis: Nam peccatum mortale, reddens nos indignos diuino amore, repugnat gratiæ, & cum reddat nos indignos amore diuino, repugnat etiam charitati nostræ ad Deum, quia est offensa Dei. Et ob id, cùm excluditur gratia, pariter excluditur charitas, at verò non quidquid repugnat gratiæ, repugnat fidei & spei: peccatum enim contra alias virtutes, repugnat gratiæ & charitati, sed non fidei, neque spei. Similiter, status beatificus repugnat fidei & spei; non tamen gratiæ neque charitati; & ob id beati manent cum gratia & charitate,

*Ad quintũ.* sine fide & spe. ¶ Ad quintum, fatemur quòd in homine sine gratia, non manent virtutes infusæ fidei, & spei secundũ rationẽ virtutis perfectæ & cõsummatæ. Vndè, quãuis maneãt fides & spes secũdũ substantiam; tamen manent informes, & sine gratia, cũ sint informes, non manent viuæ, sed mortuæ; & consequenter non manent in statu virtutis consummatæ & perfectæ, licèt maneant in ratione habitus supernaturalis; imò verò manent in ratione virtutis

*Ad sextum.* Theologicæ, respectu sui obiecti, à quo specificantur. ¶ Ad sextum, S. Thom. in 3. d. 27. q. 2. art. 4. quæstiun. 3. ad. 2. dicit, quòd gratia simpliciter est excellentior charitate, sicut essentia est præstantior, quã eius potentia. Et quando D. Aug. dicit, nullum esse donum excellentius charitate, loquitur de charitate, vt habet gloriam annexam, vel de charitate, vt habet annexam gratiam. Vel intelligitur de habitibus operatiuis per se, quibus relata, excellentior est charitas alijs donis. Sed optima solutio est, quòd intelligatur de charitate non excludendo gratiam, quia exclusio non fit à cõcomitantibus. Et cùm D. Paul. dixit: Maior autem eorum est charitas, apertè contulit Charitatem cum fide & spe, &

*Ad septimũ* cum alijs infusis virtutibus. ¶ Ad septimum respondetur, quòd hoc argumentum militat contra rationem D. Tho. in art. Et quidem, ratio Sanctiss. Præceptoris, est sufficiens & efficax, & ob id negatur minor septimi argumenti. Et ad probationem dicendum, quòd licèt esse, quod dat gratia, sit accidentale; habet tamen se per modum esse substantialis, vt suprà dictum est; quia est semen Dei, & est semen virtutum; & ideò debet distingui à virtutibus, & ab ea virtute quæ est principium proximum agendi & operandi. Vnde, non est eadem ratio de virtutibus acquisitis, quæ supponunt vt principium sibi

*Ad confirm.* proportionatum, ipsam potentiam naturalem eiusdem ordinis cum ipsis. ¶ Ad primã confirmationẽ dico, quòd licèt fides & spes per se loquendo, oriantur ex gratia in esse perfecto virtutis, sicut potentia ex essentia; nihilominùs tamen possunt manere secundum aliquod esse imperfectum, & secundum substãtiam informem sine gratia, & habere aliquas operationes, sicut de facto habent in homine peccatore. Itaq;, licèt fides & spes pẽdeant à gratia, in esse perfectæ virtutis; at possunt manere sine gratia secũdum statum imperfectum: Sicut calor in aqua, quia est in statu imperfecto, non habet principium essendi sibi proportionatum. Neque est eadem proportio inter virtutes & gratiam, quæ inter essentiam & potentias: Nam potentiæ, physicè conseruantur ab essentia à qua fluunt; at verò virtutes, moraliter solũ pendent à gratia. Et ita, licet illæ virtutes, quæ requiritur ad statum amicitiæ nõ possint manere destructa gratia, vt charitas & aliæ morales infusæ; benè, tamen illæ quæ nõ ita per se requiruntur ad amicitiam; in hoc sensu, quòd in homine inimico possunt manere, vt fides & spes, sine quibus tamen impossibile est placere Deo. Nam omnes istæ virtutes & cumulus earum integer, ad statum amicitiæ requiritur. Sed quoniam primum esse supernaturale est à gratia, ea destructa, pereunt illę, quæ cum statu inimicitiæ non se compatiuntur. Et quòd non sit exigenda rigorosa talis proportio, qualis est inter essentiam & potentias, indè patet; quia in patria manet eadem gratia; non tamen fides & spes; cùm tamen in naturalibus semper potentiæ comitentur essentiam. Gratia ergo non habet necessariam connexionem cum his virtutibus, quæ solum sunt necessariæ ratione status, & includunt imperfectionẽ, quales sunt fides & spes. Et hinc etiam patet veritas illius dubitationis, quæ in solutione ad. 4. insinuata est à nobis, nempe, Cùr charitas semper sit connexa gratiæ; non autem fides & spes? Dicendum est enim quòd tam gratia, quam charitas intrinsecè pertinent ad rationem amicitiæ, quæ est inter nos & Deum: gratia quidem, tanquam terminus & obiectum amicitiæ, quam Deus habet ad nos; charitas verò, vt principium amicitiæ seu amoris, quem nos habemus ad Deum. Et cùm amicitia cõsistat in vnitate affectuum cum mutua & reciproca relatione, quidquid opponitur gratiæ, opponitur charitati, & è conuerso, quod non accidit in fide & spe; & ob id contingit fidem & spem esse sine gratia, vt in peccatore, & gratiam esse sine fide & spe, vt in beatis; Gratia autem nunquam potest esse sine charitate, neque è conuerso. ¶ Et ad illud, quòd quando augetur gratia non augetur charitas; respondetur, quòd quando augetur gratia in esse qualitatis, augẽtur virtutes: sufficit enim ad augmentũ virtutis, prius actus eius saltẽ intensior, vel quòd per actũ alterius virtutis, augeatur eius radix, scilicet, gratia. Aliquãdo tamẽ augẽtur fides & spes, amissa vel remissa gratia, vt cum peccator intẽsissimè credit & sperat. Dico secũdo, quòd si augetur gratia, & nõ augetur charitas, ex hoc sequitur q̃ distingũtur realiter. ¶ Ad secũdã cõfir. respõdetur, quòd Conc. quã-

*Ad 2. cõfir.* do dicit, in iustificatione impij cũ remissione peccatorũ, dari simul fidẽ, spẽ & charitatẽ; sub remissione peccatorũ intelligi gratiã, per quam formaliter fit remissio & iustificatio. Vndè, in cano. 3. dicit Concil. actum fidei, spei, & charitatis, prærequiri ad obtinendam gratiam iustificationis, insinuans has virtutes ab ipsa gratia distingui.

DIS-



## DISPVTATIO II.

*Vtrùm gratia sit immediatè in essentia animæ, vel in eius potentijs?*

HAEc disputatio, sicut & præcedẽtes huius quæstionis, ordinatur ad aperiendam essentiam gratiæ, vt ea explicata, cognoscatur in quo subiecto sit reponenda. Et profectò, omnes qui tenent, gratiam non distingui realiter à charitate, consequenter dicunt, gratiã & charitatem eidem subiecto hærere. Nam fieri non potest, quòd sint idem realiter, & quòd sint in diuersis subiectis realiter distinctis. Imò verò.

*D. Bonauẽ.* D. Bonauent. in 2. distin. 26. quæst. 5. licèt dicat, gratiam & charitatem realiter distingui; tamen ponit

*Durandus.* gratiam immediatè in voluntate. Durand. q. 2, Scot. & sui, locis suprà citatis, consequenter ad suam sentiam, quòd gratia & charitas sunt idem realiter;

*Scotus.* dicunt gatiam immediatè esse in voluntate. Solus

*Ricardus.* Ricard. cùm asseruisset, gratiam nõ distingui à Charitate; nihilominùs asseuerauit, gratiã primò & perse perficere essentiam. Et licèt D. Bonauẽ. constituat gratiam in volunrate; nihilominus dicit, gratiam perficere voluntatem secundum quòd habet colligationem cum essentia; charitatem verò perficere voluntatem secundum quod ordinatur ad operandum.

*Vera sententia.* Vera sententia est, gratiam esse in essentia animæ immediatè. Hanc tenet D. Tho. hic, & omnes qui dicunt distingui realiter à charitate, idem sentiunt, præter vnum citatum D. Bonauẽ. Imò verò Hẽric. & Ricard. dubio superiori citati, licèt dicant esse idem realiter; tamen propter distinctionem formalem ex natura rei, nõ verentur concedere charitatẽ esse in voluntate, & gratiam in essentia. Et quidem, sicut vis operatiua supponit essentiam sibi proportionatam, quam perficit, & à qua habeat efficaciam agendi; pari ratione, vis operatiua supernaturalis vt charitas, supponit essentiam ordinis supernaturalis & diuini, quæ habetur per gratiam, quæ est semen Dei, & nos efficit filios Dei: ergo gratia in essentia animæ necessariò debet esse. Nam vt diximus disputatione præcedente, licèt esse quod dat gratia sit accidentale; habet tamen se per modum esse substãtialis, & est primum esse supernaturale, & principium formale, quod dat esse supernaturale, quod per diuinam quandam generationem accipit homo: ergo immediatè in ipsa natura debet recipi. Item persuadetur hæc veritas. Nam qualitas inhærens potentię, sapit eius naturam, & perficit eam in ordine ad suã operationem: ergo est habitus operatiuus per se loquendo: sed gratia nõ est habitus per se operatiuus, vt liquet ex argumentis factis, disputat. superiori: ergo, &c. Maior patet: Quia perfectio debet proportionari suo perfectibili: ergo sicut potentia de se ordinatur ad operandum, ita habitus in illa existens debet esse virtus aperatiua. Nam, omnis perfectio vel habitus inhærens potentiæ, habet rationem virtutis operatiuæ, sed gratia non est virtus, vt ostensum est controuersia superiori: ergo. Item: Gratia est vita animæ, & est vita spiritualis prima & essentialis: sed viuere viuentibus est esse, & ei primò tribuẽda est gratia, cuius est esse & viuere; scilicet, animæ: ergo. Et confirmatur: Quia gratia ita est prima vita, vt ab ea procedant virtutes: ergo subiectũ ei cõsonum, est essentia animæ; vt sicut ab essentia manant potentiæ, ita ab eo quod immediatè in essentia est, manant virtutes, quæ sunt in potentijs. Et confirmatur iterùm: Nam si esset in voluntate, non fluerent ab ea virtutes, quæ sunt in intellectu: quod enim est in potentia anteriori, non manat ab eo, quod est in potentia posteriori. Rursus, Gratia est participatio diuinæ naturæ, vt sic: ergo debet immediate recipi in natura, & non in potentia. Et cõfirmatur, Quia macula peccati, est immediatè in anima, vt de peccato originali docet S. Thom. 1. p. q. 83. art. 2. ergo & gratia quæ opponitur maculæ, præsertim in opinione dicentium, maculam esse priuationem gratiæ. Præterea. Gratia semper est in actu gratificandi, nulla tamen potentia semper est in actu. Addi etiam potest alia ratio non infirma: Nam potẽtiæ perficiuntur & eleuantur per habitus & virtutes supernaturales, in isto ordine supernaturali, ergo ipsa essentia etiam debet perfici & eleuari, per aliquod ornamentum supernaturale. Nam vel hoc est possibile, & tunc magis congruum & proportionatum videtur, secundum prouidentiam Dei, vt infundatur: esse autem impossibile, nulla ratio cogit: ergo. ¶ Aliqui Theologi, ex alio capite & fundamento contendunt probare sententiam D. Thom. Quia opinantur, ad actum vitalem non solùm concurrere essentiam animæ, quatenus materialiter sustentat potentias, quod pertinent ad genus causæ materialis; sed quatenus simul cũ potẽtijs influit in actus vera efficiẽtia partiali. Neque putãdum est esse superflua ista duo principia efficientia, quia sunt in diuerso ordine, & vnũ est primum; aliud verò proximũ: quia actus vitalis debet procedere à principio intrinseco, non tantum proximo, sed etiam primo; Quia aliàs anima se haberet mortuo modo ad actus

*D. August.* vitales, si solum concurreret ad eos, sustentando potentias, à quibus fiunt. Cui sententiæ fauet Aug. 11. de Trinit. cap. 2. Quæ sententia si vera est, consequẽter tenetur dicere, gratiam habere aliquam efficientiam proportionatam ei, quam habet anima, & distinctam ab ea, quam habent virtutes; Sicut efficientia animæ distinguitur ab efficientia potentiarum. Quod patet. Nam si anima habet concursum effectiuum partialiter distinctum à concursu ipsarum potentiarum: ergo ad omnes actus supernaturales efficiendos, non sufficit quòd eleuentur potentiæ, per habitus supernaturales, sed requiritur quòd eleuetur ipsa anima: ergo in ea etiam est constituẽdus aliquis habitus, vt proportionaliter & connaturaliter concurrat, & iste est gratia. In peccatore autem ad actus fidei & spei dicũt, quòd non solùm Deus concurrit supernaturali auxilio cum ipsis potentijs, sed etiam cum anima partialiter influente in ipsos. Cæterum, quoniam ista ratio inuoluit multa, & pendet ex illo fundamento allato ab eis, quod non est certum, neque paucis explicari potest: idcircò de probabilitate, aut improbabilitate eius, alibi disputabitur, si Deus tempus dederit. Tandem probatur D. Thom. sententia. Quia dignitas hominis, ad diuinum amorem, & gloriam est immediatè in ipsa anima. Imò vero, maneret in ea etiã destructis ipsis potentijs, sicut etiam macula peccati est immediate

diate in anima,sed hæc dignitas ad diuinum amorem & gloriam, formaliter est gratia: ergo est in essentia.

*Gratiæ essentia & definitio.* Ex dictis colligo,qualis sit essentia gratiæ,& qualiter definiatur & adūbretur à Theologis:Est enim gratia qualitas supernaturalis infusa animę,per quā efficimur consortes diuinæ naturæ. Quæ definitio fundatur in verbis Petri.2.canoni.cap.1.Maxima & pretiosa nobis promissa donauit, vt per hoc efficiamini diuinæ naturæ consortes. *2.Petri.1.* Et in verbis D.Ioā. 1.canoni.cap.3.Videte qualem charitatem dedit nobis pater, vt filij Dei nominemur & simus.Filij in quam,per participationem eiusdem ordinis cum Deo,qui ordo explicatur in operatione eiusdē speciei cum diuina operatione, quantum est ex parte obiecti,nempè in visione beatifica. Fundatur etiam in illo Ioan.1.Quo loco iusti dicuntur ex Deo nati; *1.Ioan.3.* vbi significatur, quòd Deus communicatur per semen gratiæ,quasi per nouam generationem. Vndè. *Ioan.1.* gratia est forma quædam supernaturalis, quæ nobis confert esse & vitam supernaturalem.Instituit namque Deus vt homo collocaretur in duplici statu vitæ,vt vel sic geminam ageret vitam,nempe naturalem & supernaturalē. Et ob id, iusto duplex vitæ principium communicauit, naturale & supernaturale,quasi duplicem animam;vt sicut ex anima quæ est naturale principium,proficiscuntur potentiæ & vires ad vitæ opera obeūda ei conformia;sic ex gratia quæ est supernaturalis vita, proficiscerentur infusæ virtutes.Quæ doctrina optimum habet fundamentū in D.Paul.adGala.4.vbi sic habetur:Quoniā autē estis filij,misit Deus spiritū filij sui in corda vestra clamantem, Abba Pater. *Galat.4.* Sumus ergo filij Dei per gratiam ipsam formaliter,& per eandem,vt sic, consortes diuinæ naturæ. Et hinc consequitur amoris quædam inclinatio, & diuini desiderij erga Deū Patrem, quem videre cupimus, eius implorantes opem. Et idcircò, dicit Paul. Misit Deus spiritum filij sui in corda vestra clamantem, id est,faciētem clamare.Et quamuis authores contrariæ sententiæ, nempè quòd charitas & gratia sunt in voluntate, quia sunt vnum & idem; cæterum multò formalius intelligitur definitio præfata gratiæ,pro vt à nobis est explicata, iuxta opinionem D. Thomæ:Nam charitas est quidam impulsus, & quædam diuina inclinatio, quæ supponit naturam proportionatam cuius est inclinatio.Sicut in naturalibus,inclinatio supponit naturam cuius ipsa sit: ergo pari ratione, charitas formaliter non est participatio diuinæ naturæ,sed illam supponit tanquam inclinatio ipsius. ¶Altera definitio gratiæ,solet assignari,nēpè,quòd gratia est acceptatio ad gloriam.Quæ definitio explicat quandam proprietatem diuinæ gratiæ. Etenim,cùm per gratiam quæ est semen Dei,simus filij geniti à Deo, sequitur quòd si per eam sumus filij, per eandem sumus hæredes gloriæ, & consequenter acceptati ad gloriam. Hanc definitionem carpit Pater Cano in relect.de pœnit.p.1.Quia non est formalis definitio,sed datur quasi per propriam passionem, & per aliquid consequens naturam gratię. Priùs namque est, quòd simus filij & geniti,quam hæredes vitæ æternæ, & acceptati ad hæreditatem. Cùm autem potest aliqua forma definiri per suum effectum formalem,conuenientiùs definitur,quam per proprietatem cōsequentē.Nam si prædicta definitio esset exacta,etiam hæc, Gratia est vestis & ornamētum animę,quo anima pulchra redditur corā Deo: Quoniam hæc omnia à gratia proficiscuntur. *Isaiæ.61.* Sic enim dicit Isai.Propheta,cap.61. Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo,quia induit me vestimentis salutis, & indumēto iustitiæ circundedit me, quasi sponsam decoratam corona, & quasi sponsam ornatam monilibus. Sed profectò,quamuis præfata definitio non detur per suum formale, neque per id,quod ei conuenit per se primò; nam priùs efficit nos filios & consortes diuinę naturæ; nihilominus à posteriori non ineptè adumbrat conditionem & naturā gratiæ. ¶Alij Theologi,aliter definiunt gratiam dicentes, quòd gratia est qualitas animæ infusa, per quā reddimur grati & amabiles Deo. Hanc definitionem *Medina.* probat Bartholom. Medina. 1.2.q.110.art.4.Imò dicit,quòd datur per causam formalem, quæ explicat præcipuè rei definitionem & quidditatem,veluti si quis diceret,pulchritudo est quæ efficit pulchrum, & cādor qui facit candidū.Verū neq; hæc definitio est tam formalis sicut aparet:Nam si sensus sit,quòd priùs natura oporteat nos habere gratiam, quā diuina voluntas nos amet, sic definitio indebitum haberet sensum,& bona non esset.Imò verò Deus priùs natura & ab æterno etiam nos amat, quam gratiam habeamus,& ipse prior dilexit nos, vt Scriptura dicit. Si verò sit sensus, quòd gratia ipsa est effectus diuini amoris in nobis,inquo Deo placemus,verū est gratiam esse per quam amabiles sumus ipsi Deo, & placemus illi; & tunc talis definitio magis datur per effectum & à posteriori, quam per rationem formalem. Imò verò potest aptari virtutibus infusis.Nam per actus virtutum infusarum,& per meritoria opera placemus Deo, & consequenter hoc nō esset loqui de gratia specialiter,sed generaliter pro vt est nomen commune ad omne donum supernaturale,quo Deo placemus.Quocirca, prima definitio formalior est, & quæ magis explicat quidditatē gratiæ; & amplius aperietur in disputatione illa, Vtrùm gratia habeat ex propria & intrinseca ratione,reddere hominem formaliter consortem diuinę naturæ?de qua infra agemus.

*Argum.cōtra cōclu.* Sed contra præcipuam conclusionem huius disputationis, sunt nonnulla argumenta, quibus suadetur quòd gratia non sit in essentia animæ,tanquā in subiecto. Primum sit. Gloria est gratia consummata:sed gloria est in potentia animæ, & non in essentia:ergo & gratia. *Confirm.* Cōfirmatur. Quia facere opus meritorium,est effectus gratiæ: sed hoc pertinet ad voluntatem:ergo: Gratia enim tantum perficit animam in ordine ad actus meritorios, & operari meritoriè,est propriū volūtatis. Confirmatur.Quia aliàs *Confir.2.* sequeretur quòd possemus mereri per actum intellectus, vt præuenit voluntatem: consequens est falsum: ergo. *Secundum.* ¶Secundò arguitur. Si gratia esset in essentia animæ: ergo illi potentiæ cui priùs communicatur vis animæ, communicabitur gratia: sed vis animę communicatur priùs intellectui quam voluntati: ergo & vis gratiæ: ergo poterit mereri per actum, qui prœuenit operationem ipsius voluntatis,vt in confirmatione præcedente deductū *Tertium.* est.¶Tertiò arguitur.Si esset in essentia,haberet maiorem



iorem colligationem cum intellectu, cùm ille sit prior ipsa voluntate; & consequenter fides maiorē colligationem haberet cum ipsa gratia,quam charitas.¶Quartò arguitur.Gratia est habitus: ergo non *Quartum.* est in essentia.Patet consequentia.Quia habitus est ad facilè operandum, quod est proprium potentiæ. *Quintum.* ¶Quintò arguitur.Quia peccatum non est in essentia animæ,sed in potentia:ergo neque gratia. Patet consequentia:Quoniam opposita & contraria, nata sunt fieri circà idem subiectum; peccatum autem, est formaliter oppositum gratiæ.

His non obstantibus, sententia D. Thom.amplectenda est, tum propter rationes supra factas, tum *Ad argum.* etiam quia est vera.Vndè ad primum argumentum *Ad primū.* respondetur, quòd gloria duobus modis accipi potest.Primò,pro ipsa beatitudine formali, & essentiali,quæ est operatio intellectus; Secundò pro vt significat omnia pertinentia ad beatitudinem,siue sint actus secūdi,siue principia illorum actuum.Itaque, importat actum perfectissimum creatura rationalis,in quo perfectissimè participat esse diuinum.In primo sensu, falsum est quòd gratia & gloria sint idem;In secundo est verum;& sic intendimus dicere quòd gratia quo ad se & omnia alia, quæ ipsam consequuntur,perficitur &consummatur in patria; ac in hoc consistit gloria nostra. Itaque, si gloria sumatur præcisè pro beatitudine essentiali, sic non appellatur gratia,nisi per tropum, quatenùs est quasi effectus gratiæ: Si verò accipiatur pro beatitudine quantùm ad omnia quæ ad illam spectant, siue vt principia, siue vt effectus, & hoc in gratia consummata,est idem quòd gloria.Nam gratia consummata,est participatio esse diuini, cum omnibus habitibus,& actibus tali esse conuenientibus in statu perfecto.Vel dico, quòd gratia consummata est intermino,& hæc est vita æterna essentialis, & origo luminis gloriæ;tamen vita æterna actualis, est visio Dei,& hæc est in potentia intellectiua; gratia verò consummata, in essentia. Et hoc intendit D.Thom. quādo infrà.q.111.dixit,gloriam esse ipsam gratiam consummatam existentem in essentia animæ, à qua dimanat visio beatifica mediante lumine gloriæ. *Ad.1.cōfir.* ¶Ad primā confirmationē respondetur, quòd primarius effectus gratiæ,est facere consortem diuinę naturæ,& consequenter acceptabilem ad gloriam: Hæc enim duo constituunt effectum adæquatum, quamuis prior teneat se ex parte causæ formalis, alius verò ex parte finis: quatenus enim finis connaturalis gratiæ est ipsa beatitudo, facit illum acceptum ad gloriam: sola autem charitas id non efficeret; quia meritum respicit dignitatem personæ & suppositi,& nō solius potētiæ.Et quando dicitur, quòd gratia tantum perficit animam in ordine ad actus meritorios, & quòd operari meritoriè est proprium voluntatis: ergo, Respondetur primò cū Caiet. negando antecedens: gratia enim primo & per se non datur ad operandum meritoriè, sed ad hoc quòd habeat esse deiforme, & supernaturale. Secundò dico cum Capreo..in.2.d.26. ad.3. contra. 2.concl. negando quòd sola volūtas habeat elicere actus meritorios.Licèt enim nullus sit actus meritorius,nisi in quantū aliquo modo proficiscitur ex voluntate informata charitate; tamen intellectus & aliæ potentiæ per virtutes infusas eliciūt actus meritorios, qui radicaliter procedunt ex gratia. ¶Ad *Ad.2. cōfir.* secundā confirmationē respondetur, negando sequelam:Dicimus namque, quòd meritum consistit in operatione,prout à nobis in ordine ad vltimum finem supernaturalem; & quoniam ordo iste completiuè non est nisi per charitatem; idcirco, nullus actus secundum quòd præuenit charitatem est meritorius, sed secundum quòd aliquo modo proficiscitur ex illa: Quæ solutio ampliùs aperietur inferiùs ¶Ad secundum respondetur, negando conse- *Ad secūdū. & tertium.* quentiam.Quoniam meritum consistit in operatione libera & humana, & ita gratia non influit rationem meriti,nisi per voluntatem: Quia licèt voluntas in esse,sit posterior intellectu; tamen in ratione mouendi quoad exercitium & executionem, est prior omnibus alijs potentijs. Et hinc habet quòd in ratione meriti charitas & voluntas maiorem colligationem habeant cum gratia, quam intellectus & fides:charitas enim est amicitia, & ideò necessariò colligatur cum gratia: Nam amicitia inter Deū & homines importat mutuam redamationem Dei erga nos.Et per hoc patet solutio ad tertiū argumētum. ¶Ad quartum respondetur cum S. Tho.1.2.q. *Ad Quartū.* 50.art.2.quòd gratia est habitus naturæ, sicut sanitas,quæ non immediatè ordinatur ad opus,sed solū vt se habeat optimè in hoc,quòd est esse consortem diuinæ naturæ. Sed dices. Gratia perficit animam *Obiectio.* in ordine ad obiectum voluntatis,ergo est in volūtate.Ostendo antecedens.Nam gratia perficit in ordine ad actū voluntatis: ergo in ordine ad obiectū. *Responsio.* Respondetur, quòd gratia non immediate perficit animam ad determinatum obiectum, sed solùm radicaliter perficit in ordine ad omne obiectum bonæ operationis. Et hinc sumitur efficax argumentum, quòd gratia non est virtus quæ sit in potentia aliqua, aliàs haberet determinatum & specificum obiectum. Quocircà, gratia neque est immediata dispositio ad actum,sed solùm per se primo perficit animam,vt formaliter sit particeps naturæ diuinæ, consequenter autem perficit ad meritum exercendum per habitus virtutis,qui sunt in potentijs.Neque rursus, gratia est dispositio immediata ad gloriam,sed est radix vitæ æternæ,vt supra diximus,& ob id non oportet quòd sit in eodem subiecto. Est autem vltima dispositio lumen gloriæ,per quod fit anima immediatè potens videre Deum, vel secundum Scotum, vltima dispositio erit habitus charitatis in termino.Vndè, ex omni parte liquet gratiam non esse in potentia, sed in essentia animæ, & non esse virtutem. ¶Ad quintum dicendū, quòd in pec- *Ad Quintū.* cato sunt duo:primò enim auertit hominem à Deo, & causat maculam in anima; Secundo,priuat habitum debita rectitudine. Et ratione huius secundi, peccatum est in potentijs, & non opponitur primariò gratiæ,sed virtuti,vt diximus in disputat.de peccatis in initio.At verò ratione primi opponitur formaliter gratiæ. Et hac eadem ratione, sicut gratia est in essentia animæ,ita peccatum, vt auertit hominem à Deo,& causat maculam, est in eadem essentia. Alij dicunt, quòd licèt peccatum actuale sit in aliqua potentia;tamen peccatum habituale ratione cuius actuale opponitur gratiæ, est in essentia animæ, & quòd idcirco ibi debet poni gratia. Et quidem certa res est,quòd peccatum quantum ad maculam

culam est in essentia animæ,& vt sic opponitur formaliter ipsi gratiæ; non autem secundum quòd dicit actum vel habitum vitiosum.

Sed An gratia priùs redundet ad intellectum, quam ad voluntatem ? cum intellectus sit prior voluntate,& intimior & vicinior animæ,quam voluntas,maiori indigebat inquisitione? Et ratio dubitandi insinuata est: Quoniam si gratia est in essentia,sequitur quòd ab essentia animæ per prius redundaret gratia ad intellectum, quam ad voluntatem, cũ intellectus sit prior voluntate , & tunc sequeretur quòd actus intellectus quatenus præcedit actum voluntatis,esset meritorius, & gratificabilis sine ordine ad voluntatem; quod tamen est contra Anselm. & alios Sanctos,qui dicunt meritum solum esse in voluntate.Respõdetur tamen pro nunc breuiter,quòd duobus modis potest vna potentia esse ante aliam, vno modo simpliciter & absolutè; & hoc modo prior est intellectus quam voluntas : quia nihil est volitum , nisi cognitum. Altero modo potest vna potentia esse prior alia in ratione mouentis. Et isto pacto prior est volũtas,quam intellectus;quia volũtas est,quæ mouet omnes potentias quantũ ad exercitium ,vt superiùs diximus. Qua posita distinctione dicendum est, quòd priùs deriuatur gratia ad intellectum , quam ad voluntatem , & quòd priùs est gratificabilis intellectus , qui est simpliciter prior voluntate: Sed hoc intelligendum est comparatione ad primum effectum gratiæ. Nam sicut essentia animæ est priùs natura grata quam voluntas,ita intellectus; non autem oportet quòd hoc sit verum quantùm ad secundum effectum gratiæ, qui est mereri,vt existimauit Scotus ; Nam cùm mereri dicat opus liberum & humanum à voluntate factum , & voluntas habeat primum locum mouendi, inde est quòd gratia quantùm ad mereri, priùs redundet in voluntatem,quæ licet non sit prima simpliciter, est tamen prior in mouendo. Et ita intelligendus est Anselmus cum alijs Sanctis.

## DISPVTATIO III.

*Vtrùm huic qualitati, quæ est gratia conueniat intrinsecè, vt formalis actus ipsius,facere hominem gratum & Deo acceptum? vel, An posit de pötentia absoluta quis esse gratus sine qualitate gratiæ?*

HAec controuersia grauis est, & in ea aperitur ampliùs essentia,& quiddi tas gratiæ : Quæ quidem posset tractari infra.q.113.art.2.& art.5.sed ibi etiam nobis plura manent certamina,in quibus ex alio capite partim redibit sermo de hac re,& ex vtrisque articulis aperietur campus totius difficultatis,& cõtrouersiæ. Itaque, controuersia hæc petit,Vtrum sicut albedini competit intrinsecè & essentialiter dare esse album , ita gratiæ conueniat ex natura sua, & essentialiter facere hominem gratum,& Deo acceptum ad vitam æternã, ita vt hic sit actus formalis ipsius? In qua re Capreo. in.1.d.17.q.1.ad argumenta Greg.& Aureol.eadem d.q.1.art.2.vt refert Greg.Arimin.ibidem.Et Ruard. Tapper art.8.contra Luther.dicunt , quòd illi qualitati quæ est gratia,conuenit intrinsecè, & essentialiter dare esse gratũ formaliter,sicut albedini dare esse albũ.Et consequenter dicunt, nõ posse de potẽtia absoluta aliquẽ esse formaliter gratũ, sine qualitate gratiæ.¶Probatur hæc sentẽtia primò.Quia implicat esse effectum formalem sine causa formali: *Argum.1.* sed esse gratum Deo,est effectus formalis huius qualitatis , gratiæ : ergo implicat aliquem esse gratum Deo,sine hac qualitate.Maior est aperta , minor autem probatur. Tum ex locis supra citatis ex Trid. vbi sancitur,causam formalem nostræ iustitiæ , esse aliquid nobis inhærens , scilicet , hanc qualitatem gratiæ;Tum etiam,quia illa qualitas non habet aliũ effectum formalem,nisi facere gratum: ergo.Et cõ- *Confir.* firmatur : Nam modò de facto homo est formaliter gratus,per aliquid sibi intrinsecum & inhærens,scilicet, per hanc qualitatem: Quia id quod est formaliter tale , est per causam formaliter talem : ergo implicat aliquem esse formaliter gratum , sine hac qualitate. Ostendo consequentiam : Quia effectus formalis est inuariabilis:Nam ob id implicat aliquãdo hominem esse formaliter album sine albedine, quia modo de facto est formaliter albus, per albedinem : ergo pari ratione in proposito.¶Secundò ar- *Secundum.* guitur. Quia si homo non haberet in se istam qualitatem gratiæ,non posset esse gratus Deo: ergo implicat,quòd sine illa sit gratus.Ostendo antecedẽs. Nam peto,In quo consistit quòd iste sit gratus Deo? Si dicas , quòd in eo quòd vult Deus illi dare gloriam: Contrà : Quia prædestinato Deus vult dare gloriam; non tamen ob id secundum præsentem iustitiam;est gratus Deo, cùm aliquando sit in peccato mortali;at esse in tali peccato , non tollit quin sit prædestinatus:ergo.Et confirm. Nam cùm gloria essentialiter consistat in sola visione (vt est in opinione probabili S.Thom.)posset Deus de potentia absoluta conferre gloriam existenti in peccato:igitur esse gratum Deo nõ consistit formaliter in eo,quòd quis sit acceptus ad gloriam. ¶Dices , esse gratum Deo , non solùm quia acceptat illum ad gloriam, sed quia complacet in illo , & illum tunc diligit actualiter, tanquam amicum, Contra hoc arguitur *Tertium.* tertio.Amor supernaturalis Dei , non tendit nisi in bonũ supernaturale: sed ille homo destitutus omni qualitate supernaturali , non habet vllam bonitatẽ supernaturalem, per quam terminet amorem Dei: ergo implicat sic amari à Deo. Maior probatur. Quia nemo diligit obiectum, nisi propter bonitatẽ existentem in illo. Nam si Petrus diligit Ioannem propter speciositatem,& pulchritudinẽ in eo existẽtem , implicat esse amorem in Petro , & quod non præcedat pulchritudo in Ioanne:sed Deus nõ amat creaturas supernaturali amore, nisi propter pulchritudinem supernaturalem , quam in illis cernit:ergo.Rursus probatur maior:Quoniam actus & obiectum proportionantur:ergo actus dilectionis supernaturalis,requirit obiectum proportionatum, scilicet,supernaturale:implicat enim actum naturalem tendere in obiectum supernaturale : ergo & actum supernaturalem , in obiectum naturale. Ad hæc. Obiectum supponitur priùs natura , quã actus qui ad illum tendit:ergo priùs natura homo debet habere in se aliquam bonitatem supernaturalem , ad hoc , vt posit diligi à Deo amore supernaturali; quia bonitas & rectitudo supernaturalis prærequisita in

*Capreol. Aureolus. Greg.Arim. Ruard. Tapper.*



ta in obiecto,vt possit terminare actum dilectionis Dei , non potest consistere formaliter in solo actu, *Quartum.* quo Deus hominem diligit,vt de se patet.¶Quartò arguitur.Si posset Deus sine hac qualitate supernaturali facere hominem gratum , sequitur posse etiã facere gratum, sine vlla alia re creata : consequens est falsum, & patet sequela:Nam qua ratione potest sine ista quæ de se est proportionata ad tale munus, poterit sine omni alia: Nam cur non? Minor autem probatur,primò , quia homo gratus Deo,est elevatus ad statum altiorem , & supernaturalem ; sed ille homo nihil habet in se per quod sit elevatus : ergo ita manet sicut antea , atque adeò in puris naturalibus:Implicat enim quòd lapis manens in suo cẽtro sit proportionatus , & elevatus ad supremum locũ, sine vlla sui mutatione : ergo pari ratione implicat, quòd ille homo in se manens eodẽ modo atque antea, sit proportionatus & dignus gloria , & consequenter elevatus ad statum supernaturalẽ. Secũdò; quia sequeretur esse relationem de nouo , sine vlla mutatione de nouo,quod implicat. Et probatur sequela:Nam homo referretur ad Deũ relatione amici & grati,& tamen non habet de nouo vllum habitum,neque actũ:ergo. Item tertiò, quia si Petrus est de nouo gratus & dilectus à Deo:ergo per aliquid, quod est de nouo in Deo,vel in Petro;non in Deo; quia est immutabilis;ergo in Petro:Nam si de nouo sum dilectus à Rege , & sine eo quòd ponat in me aliquid de nouo,hoc ob id est,quia in ipso Rege est actus de nouo,quod non habet locũ in Deo,in quo nõ est actus de nouo,alioqui mutaretur.Item quartò.Deus non potest amare aliquem naturali amore, nisi det illi aliquod bonum naturale creatum:ergo neque amore supernaturali poterit diligere quem quam,nisi det illi bonũ aliquod supernaturale creatum. ¶Quinto principaliter arguitur. Quoniam si *Quintum.* nõ est effectus formalis huius qualitatis , hominem reddere gratum, sequeretur , quòd sumus formaliter grati,per aliam formam,quæ , vel est intrinseca & nobis inhærens, & tunc vel est ista & idem cum qualitate gratiæ, de qua loquimur? Vel si est distincta,de illa militabit argumẽtũ,& quæstio.Si autem est extrinseca forma:ergo de facto nõ sumꝰ formaliter grati, per aliquid inhærens,sed per extrinsecam denominationẽ,ab acceptatione vel fauore Dei,cõtra definitionem Concilij , in quo damnantur anathemate,qui dixerint iustitiam nostram,non esse aliquid nobis inhærens,vel gratiam, qua iustificamur esse tantũ fauorem Dei.Et confirm.Nam vel modò sumus formaliter grati,per istam qualitatẽ, vel nõ? Si primũ:ergo de se est causa formalis faciendi gratos;nã id quod semel est causa formalis, semper est; quia cõpetit illi formaliter,& ex sua essentia. Si dicas secũdũ :ergo modò sumus formaliter grati, per hoc solũ , quòd Deus nos amat , & non per aliquid creatũ in nobis existens, quod videtur contra fidẽ, *Sextum.* & definitionẽ Conc.¶Sexto arguitur. Quoniã si formalis effectus qualitatis gratiæ,non est facere gratũ ergo neque effectus formalis charitatis , erit facere charũ,nec tẽperantiæ temperatum,aut fortitudinis fortem,cũ sit prorsus eadem ratio: consequens autẽ est falsum,nam illæ sũt causæ formales: ergo habẽt suos effectus formales;non alios,nisi prædictos: ergo.Et cõfirmatur: quia Deus non potest facere tem peratũ,sine tẽperãtia:ergo neque gratũ sine gratia.

### *Opinio secunda.*

SEcunda sententia est quæ docet,posse hominẽ esse gratum Deo, sine hac qualitate supernaturali gratiæ.Imò verò tenet de facto non esse gratũ , per huiusmodi qualitatem , secundum naturam suam, sed secundum institutionem diuinam , quatenus Deus decreuit dare gloriam habenti illam qualitatem.Sicut si statueret dare gloriam habenti candorem;tunc enim cãdor esset eodẽ modo gratia, sicut ista qualitas. Hæc opinio non displicet Patri Soto in.4.d.1.q.3.art.1.argumẽt.6.&.2.de nat.& grat.cap. 17.&.18.Et fauet Durã.in.1.d.17.q.1.num.5.Vbi probat,quòd priùs natura sumus grati , quã habeamus vllam qualitatem. Probatur hæc sententia. Primò: *Sententia.2.* *Argum.2.* Quia si ista qualitas supernaturalis ex propria ratione haberet talem effectum formalem,implicaret fieri talem effectum, sine qualitate ista gratiæ ; at non *sententiæ.* *Argum.1.* implicat;quia in humanis, potest rex hominem acceptare absque aliqua gratia,quæ sit qualitas indita ad suam amicitiam:ergo. ¶Secũdò probatur. Quia *Secundum.* opinio probabilis est,posse Deum de potentia absoluta facere hominem beatum, sine qualitate infusa, per auxilium quoddã supernaturale, quo posito homo posset videre ipsum Deum : ergo pari ratione non implicat facere gratum sine gratia:ergo ille nõ est effectus intrinsecus & essentialis gratiæ.¶Tertiò *Tertium.* arguitur.Nam plerique opinantur quòd aliquando fit augmentũ gratiæ,in esse gratiæ,& nõ in esse qualitatis,vt quando quis operatur per actus remissiores , quam sit habitus: ergo qualitas quæ est gratia, non habet ex propria ratione,facere gratum formaliter.Patet consequentia: Quia sicut se habet simpliciter ad simpliciter , ita magis ad magis: sed potest esse magis gratus,sine intensiori qualitate gratiæ:ergo poterit esse gratus, sine qualitate vlla. ¶Quartò *Quartum.* probatur. Nam esse in gratia , formaliter loquendo nihil aliud est, quam esse dilectum à Deo & acceptũ illi: ergo nullo modo est effectus formalis huius qualitatis. Probatur. Quia esse dilectum ab aliquo, solùm dicit actum dilectionis in diligente, & denominationem extrinsecam in re dilecta: ergo ad hoc impertinenter & per accidens se habet qualitas;Sicut me esse visum , nõ est effectus formalis alicuius qualitatis, sed denominatio extrinseca ab actu visionis,qui est in alio.Exquo etiam patet, quòd non solum non sit effectus primarius huius qualitatis, sed neque secũdarius, quia actio alterius, vel passiua denominatio extrinseca à tali actione,nõ profluit formaliter ab aliquo reali in me existente,sicut non dicimus,quòd secundarius effectus albedinis , est dare esse visum;benè tamen esse visibile. Et confirm. Quia licet ego amẽ Petrum ratione virtutis; tamen virtus Petri non dat illi , vt effectũ formalẽ secundariũ,quòd sit dilectus à me ,& acceptus ad aliqua mea dona : ergo similiter dicendũ est in proposito. ¶Quintò probatur. Priùs natura homo est gratus, *Quintum.* & dilectus à Deo,quã habeat istam qualitatem,quę ànobis dicitur gratia:igitur ista qualitas nõ tribuit esse gratũ formaliter.Probatur antecedẽs : Quoniã Deus dilectione sua , ob id quòd hominem diligit, confert illi istam qualitatẽ:ergo priùs natura Deus diligit hominẽ , quã ei infundat qualitatẽ, & cõsequenter

quenter priùs natura est dilectio Dei, quam sit illa qualitas. Imò verò, priùs natura est dilectus à Deo & posteriùs intelligitur qualitas illa. Hoc argumentum etiam probat, quòd per hanc qualitatem non constituimur obiectum congruum diuinæ dilectionis, cum ante illam supponatur dilectio, atque adeò & obiectũ proportionatũ dilectionis. Quia pro eo signo quo intelligitur actus, intelligitur etiam obiectũ eius à quo specificatur. ¶ Sextò arguitur. Nã si ista qualitas est intrinsece necessaria, vt homo sit formaliter gratus Deo, vel hoc prouenit quia est effectus necessariò consequens, ad diuinam dilectionem: vel quia est obiectum dilectionis Dei: non primum; quia dilectio Dei æterna est, effectus autem tẽporalis; Neque secundum; quoniam Deus ab æterno dilexit prædestinatos, & tamen non præsupponit in eis aliquam qualitatem, quæ sit obiectum suæ dilectionis; alias daretur causa, & ratio prædestinationis, ex parte creaturæ, ¶ Septimo. Deus potest de potentia absoluta dare gloriam homini in puris naturalibus; non suppositа aliqua qualitate supernaturali gratiæ: ergo iam ille homo esset acceptus à Deo ad beatitudinem, absque gratia quæ sit qualitas: Antecedens non implicat contradictionem: ergo id ita Deus poterit facere: consequentia autẽ est manifesta: Quoniã talis homo maximè diligeretur à Deo ¶ Octauò. Hæc qualitas, quæ est gratia, de potentia absoluta potest esse, non solum cũ acceptatione ad gloriam, sed cũ dignitate ad pœnam, vt si conseruaretur in homine peccatore actuali, vel habituali: ergo eius effectus formalis, non est acceptatio neque dignitas ad gloriã. ¶ Propter hæc argumẽta, authores citati dicunt, quòd huic qualitati supernaturali gratiæ, conuenit merè accidentaliter, facere hominem gratum, & acceptum ad gloriam, scilicet, ex mera institutione diuina.

*Sextum.*

*Septimum.*

*Octauum.*

### *Conclusio prima.*

*Concl.1.*

HIs ita prælibatis, vt rem alioqui difficilẽ, & in qua variè sentiunt Theologi, explicemus, sit prima conclusio. Certum est, aliquem effectũ formalem supernaturalẽ esse tribuendum qualitati illi supernaturali, quæ appellatur gratia. Hæc assertio debet esse certa apud vniuersos sapientes. Nã cum gratia sit qualitas supernaturalis de facto inhærens animis iustorum, & in cordibus eorum diffusa, tãquam forma actuans subiectũ, in quo est; fieri non potest vt non habeat aliquem effectum formalẽ supernaturalem in subiecto, in quo est. De quo effectu formali est præcipua pars huius controuersiæ. Probatur hoc. Nam quamuis ex Sacris literis non habeamus expresse, quòd gratia est qualitas infusa: tamẽ ex testimonijs allatis art.1.&.2. Theologi omnes intulerunt necessariam esse qualitatẽ supernaturalẽ infusam, quã gratiã vocant. Quia vix possent aliàs testimonia illa scripturæ explicari & verificari, nisi diceremus gratiam esse qualitatẽ supernaturalem infusam. Vnde, hanc dicunt esse necessariã consequentiam: Iusti sunt filij adoptiui Dei, Deo grati & amabiles, accepti ad vitã æternã, & iustificati per hanc gratiã in cordibus eorum diffusam: ergo est in illis qualitas aliqua supernaturalis, per quã tales sint iusti; & tales denominẽtur, hẽpe filij Dei, & cõsequẽter talis gratia & qualitas supernaturalis necessario habebit effectum aliquẽ formalem supernaturalẽ, & primarium. Rursus, Qualitas omnis, est forma actuans subiectũ, in quo est inhæsiuè: ergo habet effectum aliquem formalẽ per se: sed gratia de facto est vera qualitas supernaturalis (vt supponimus), & inhærẽs essentiæ animæ immediate: ergo ea ratione necesse est dicere, quòd habeat effectum aliquẽ formalem perse, qui ei conueniat ex propria ratione: Prior illa consequẽtia cum suo antecedente, est eui dens naturali lumine; Minor verò de facto concedi tur ab vniuersis Theologis, catholicè sentientibus: ergo posterior consequentia est certissima. Quis au tem sit hic effectus formalis primarius huius qualitatis supernaturalis gratificantis nos, id quidẽ difficultatem habet apud Theologos. Et quidẽ certum est, quod talis qualitas supernaturalis, non est formaliter relatio, cùm directè à Deo infundatur, & cõsequenter, neque effectus eius formalis, est aliquid formaliter relatiuum, in suo primo conceptu, imò verò absolutum. Nam illa qualitas est absoluta forma: ergo formalis illius effectus primarius, est absolutus formaliter. Vndè gratia reductiuè est in prædicamento qualitatis, vt hic S.Tho. docet art.3.ad.3. & forma vnius prædicaméti non habet pro effectu primario, esse alterius prædicamenti; alias nõ essent primò diuersa prædicamenta. Certo igitur statuere debemus, gratiam esse qualitatem supernaturalem absolutam, & habere aliquem effectum formalẽ primarium, in subiecto cui inhæret.

### *Conclusio secunda.*

*Concluſ.2.*

SEcunda conclusio. Effectus primarius formalis qualitatis gratiæ præcisè sumptæ non est facere gratum, & dilectum formaliter actualiter. Imò verò non potest vlla ratione intelligi, quo pacto aliqua qualitas existens in alio, possit esse ratio formalis, cur ille sit à me actualiter dilectus: Quoniã talis denominatio pendet essentialiter à dilectione existente in me, à qua sanè dilectione non pendet essentialiter qualitas existens in alio. Rursùs, sine ista qualitate potest quis esse gratus, & dilectus Deo, vt postea explicabitur; igitur effectus primarius formalis illius qualitatis gratiæ præcisè sumptæ, non est facere gratum & dilectum formaliter. Hæc conclusio euidenter ostenditur ex tertia assertione sequente, & ambæ intelligentur suppositа quadam distinctione gratiæ, nempe, gratiam accipi posse tripliciter. Primò, formaliter & præcisè, pro eo quod est hominem esse dilectũ à Deo. Secundo materialiter, pro eo quod se tenet ex parte hominis, ratione cuius proportionatur dilectioni Dei, id est, pro qualitate illa. Tertio accipitur, vt cõprehendit vtrũque. Et quidem nostra conclusio loquitur de primario effectu formali gratiæ; si accipiatur, vt qualitas gratiæ præcisè: sic enim eius effectus formalis & primarius, non est facere formaliter actualiter gratum & dilectum, seu amatum.

### *Conclusio tertia.*

*Concluſ.3.*

TErtia cõclusio. Facere gratũ & dilectum formaliter, præscindendo à qualitate, est primarius effectus,



effectus, & extrinsecus dilectionis; quæ se tenet ex parte Dei. Nam sicut visio habet quasi duos effectus formales primarios, alterum, quatenùs denominat subiectum videns, alterum, quatenus dehominat obiectum visum; ita dilectio Dei; Intrinsecè quidem denominat Deum diligentem; & amantem; & extrinsecè, hominem dilectum. Quare, tantum est denominatio extrinseca, quam sane non appello effectum secundarium; quia sumitur ex ordine, quem dicit actus ad obiectum, qui ordo primario & essentialiter actui conuenit: Sed appello illam extrinsecum effectum; quia tenet se ex parte obiecti, vt à potentia distincti: Hæc autem conclusio & præcedens constant: Quoniam repugnat peccatorem esse dilectum à Deo, sed non repugnat hanc qualitatem gratiæ materialiter esse in peccatore: ergo præcisa qualitas, non tribuit esse dilectum & gratum. Præterea secundò, repugnat esse qualitatem, quæ formaliter tribuat esse visum, vel auditum, vel esse cognitum: ergo pari ratione repugnat esse qualitatem, quæ tribuat esse dilectum & amatum. Tertiò probatur: Id quod causatur per amorem beneuolentiæ, non tribuit formaliter esse amatum. Nam cùm Deus per amorem beneuolentiæ producit in peccatore fidem, effectus formalis fidei, vt qualitas est, non est dare esse amatum, amore beneuolentiæ: sed hoc est denominatio, quæ concomitatur ipsam formam: ergo proportionabiliter in amore amicitiæ. Et confirmatur. Nam actus qui denominat intrinsece aliquem amantem, necessariò denominat obiectum amatum, etiam si nihil ponat in illo: ergo talis denominatio non potest primario prouenire à qualitate, alias per se primò haberet duas causas. Quartò probatur: Quoniam alias qualitas gratiæ, vt qualitas est, etiam tribueret esse de facto acceptum ad gloriam; atque adeò posita tali qualitate, necessitaretur Deus, ad amandum hominem habentem illam, & ad acceptandum illum ad gloriam, quod est aperte falsum; quia nihil ad extra potest necesitare Deum. Tandem probatur. Nam qui dicunt, non esse aliam gratiam præter charitatem, plane supponunt non dari qualitatem, quæ per se primò tribuat esse dilectum, sed amorem Dei terminari ad hominem ratione charitatis: ergo, &c.

### *Quid sit effectus formalis & primarius, qualitatis quæ est gratia, explicatur.*

*Ab hoc loco disputatur quid sit positiue primarius effectus formalis, illius qualitatis supernaturalis, quæ est gratia.*

DIximus hucusque, quis non sit effectus primarius formalis gratiæ, nempe, non esse facere gratum & dilectum formaliter, quia non præscindendo à qualitate, facere gratum & dilectum formaliter, est effectus primarius extrinsecus dilectionis quæ se tenet ex parte Dei, sicut esse visum, est effectus formalis extrinsecus visionis, quæ se tenet ex parte videntis. Restat explicare, quid sit positiue effectus primarius formalis illius qualitatis supernaturalis, quæ est gratia, vt eo cognito possimus intelligere, num de potentia absoluta possit homo, esse formaliter gratus Deo, sine qualitate illa gratiæ? In qua re, aliqui concedunt formalem causam faciendi gratum, esse hanc qualitatem. Dicunt tamen, sine illa posse aliquem esse gratum, quia effectus formalis huius qualitatis, non est facere gratum quomodocunque, sed qualificando intrinsecè. Sed hoc non satisfacit. Quoniam qualificare conuenit illi ex parte generis, constituere autem gratum, ex parte differentiæ vltimæ. Implicat autem esse vltimam differentiam alicuius speciei, sine genere: ergo implicat aliquem esse gratum, quæ est differentia vltima huius qualitatis, quin etiam sit qualificatus, quod est genus illius. Nam eodem modo diceremus, posse Deum facere album, sine albedine qualificante: Quia similiter dicemus non esse effectum formalem albedinis constituere album quomodocunque, sed qualificando intrinsecè. Et ita Deus posset supplere effectum omnium formalium causarum, faciendo extrinsecè, quod ipsæ faciunt intrinsecè. Rursus, quoniam is qui est gratus, sine hac qualitate, in eo præcisè quod est esse gratum, conuenit essentialiter cum eo, qui habet hanc qualitatem; ergo cùm conueniant in eodem effectu, etiam conueniunt in eadem causa formali: ergo sicut in vno causa formalis faciendi gratum, non est qualitas, ita neque in alio.

¶ Alij dicunt, effectum formalem secundarium huius qualitatis, esse facere gratum. Sed licet hoc aliquo modo posset esse verum; non tamen per hoc satis explicatur, id, quod intendimus: Quoniam effectus secundarius alicuius formæ, non prouenit formaliter, ab illa forma, sed tantum efficienter. Et ita oportet inquirere à qua forma proueniat formaliter; Nam respectu illius erit effectus formalis primarius. Sicut patet de humanitate, quæ primario dat esse essentiale, & secundariò dat esse subsistens; sed esse subsistens formaliter, & primariò oritur ex subsistentia, quæ in genere causæ efficientis originatur ab essentia. ¶ Bartholomeus. *Magister* Medina.1.2.quæstion.110.arti.4.dicit, qualitatem su- *Medina.* pernaturalem gratiæ infusam animæ, ex sua natura efficere homines Deo gratos, & amabiles; alias nulla esset ratio, cur potius per hanc qualitatem infusam nos redderet gratos, quam per aliam quamcunque. Dicit rursus, Deũ posse facere pro sua omnipotentia homines gratos & amabiles sibi, sine qualitate vlla inhærente. Quoniam Deus potest amare hominem, absque vlla qualitatis infusione. Et tandem affirmat, non esse prorsus impossibiles, de potentia absoluta Dei, quòd ista qualitas supernaturalis desit per infusa inhærea animæ, & quòd anima nõ sit grata, neque accepta Deo, quia potest Deus facere, vt prædicta qualitas conseruetur in anima, etiam quando homo peccat mortaliter. ¶ Sed profectò, dicta huius viri sapientissimi non cohærent, inter se, & præcipuè primum cum duobus sequentibus. Nam si qualitas illa supernaturalis gratiæ, ex propria & intrinseca ratione habet efficere nos gratos Deo, vel diuinæ naturæ consortes, non videtur intelligibile, quo pacto sine illa habeatur ille effectus formalis, aut quo pacto cum illa non habeatur. Nam effectus formalis non potest separari à forma; fieri namque non potest, vt albedo actuet corpus & inhæreat illi, & quòd non faciat album; sed esse hominem Deo gratum, est

effectus formalis gratiæ, quæ est qualitas supernaturalis diuinitùs infusa: ergo hic effectus non potest ab ea separari: sibi ergo contradicit, in suis dictis: Nó enim Deus potest supplere effectum causæ formalis. Huic argumento respondet Bartholo. Medina, distinguendo primò duplicem effectum formalem alicuius formæ, vnum intrinsecum, sicut esse album, qui est effectus formalis intrinseci albedinis, & huiusmodi effectus, neque potest suppleri per aliquam potentiam sine vlla forma, neque forma potest haberi sine illo. Alterum effectum formalem extrinsecum, qui potest suppleri sine forma, vt si quis esset similis alteri in albedine, cuius similitudinis formalis causa est albedo, qui effectus destruitur si alterum extremum desinat esse. Nam si homo albus moriatur, iam desinit esse similitudo, & manet albedo, atque ita separatur effectus formalis à forma. Rursus adducit aliud exemplum ad præfatam solutionem confirmandam, quo intendit ostendere, extrinsecum effectum formalem, posse separari à forma, & inueniri sine illa. Nam quod materia existat, est effectus formalis formæ, extrinsecus tamen; at secundum probabilem sententiam, Deus potest facere, quòd materia existat sine forma; In quo casu Deus suppleret effectum extrinsecum formalem, & secundarium formæ, sine forma ipsa. Adducit præterea tertium exemplum, de quantitate, cuius effectus formalis, est distinguere partem extra partem; in substantia corporea; & nihilominus si Deus separaret quantitatem ab homine, adhuc vna pars substantiæ esset extra partem aliam substantialiter, licet non quantitatiue. Et fortasse hic author opinatur, effectum formalem gratiæ, quæ est qualitas supernaturalis, esse extrinsecum, & secundarium: Et ob id posse separari ab ipsa forma, per diuinam potentiam, & consequenter eandem formam posse inueniri sine illo. ¶ Alteram etiam seu secundam solutionem assignat idem Medina, quòd effectus formalis gratiæ, quæ est qualitas supernaturalis infusa, duplex est. Alter est efficere hominem rectum, pulchrum, & iustum, per qualitatem inhærentem in corde diffusam, & hunc effectum non potest Deus supplere sine gratia, quæ est qualitas inhærens, vel saltem sine motione diuini auxilij rectificante animam. Alter verò effectus, est reddere hominem gratum & acceptum Deo, & hic quoniam secundarius est, & à primo dimanans, potest à gratia separari, & absque illa inueniri. ¶ Sed neutra solutio satisfacit argumento, neque exempla, quæ adducit, conueniunt proposito: Quia nulla ratione dici potest, quòd albedo formaliter faciat simile. Nam similitudo est formaliter relatio, & vnitas in albedine est fundamentú proximum similitudinis; albedo autem remotum. Nam relatio non fundatur in qualitate præcisè. Imò verò, similitudo potest esse inter duo nigra, & inter duas figuras. Cùm igitur gratia sit vera qualitas, necesse est assignare illi effectum formalem absolutum, licet possit forte esse relatiuum secundum dici, sicut scientia. Illud verò secundum exemplum, de existentia formæ, supponit opinionem contrariam sententiæ Sanctissimi Præceptoris, nempe quòd materia possit existere sine forma. Sed adhuc admissa veritate exempli, non est simile cum gratia. Quoniam effectus ille absolutus gratiæ, est primarius, scilicet, hominem esse consortem diuinæ naturæ: alter verò, qui est relatio, scilicet, esse gratum, oportet quòd habeat fundamentum reale intrinsecum, alias esset relatio rationis, quæ nullo modo est effectus formalis gratiæ. Tandem, exemplum de quantitate non satisfacit: Quoniam effectus formalis quantitatis continuæ, est distinguere partes substantiæ corporeæ continuatæ, ita vt pars sit extra partem. Extendere autem partes substantiæ in ordine ad locum, dicitur à metaphysicis & Theologis, effectus secundarius. Et ob id, in sacrosancto Eucharistiæ sacramento, quantitas corporis Christi est illic distinguens partem extra partem formaliter respectu totius; non tamen commensurans illas respectu loci: neque enim est illic tanquam in loco, neque quantitas est ratio existendi illic, sed concomitanter est in sacramento ratione substantiæ corporis Christi, in quam transubstantiatur panis. Item etiam non est simile. Quoniam gratia habet aliquem effectum per se primarium formaliter intrinsecum, huic qualitati, qui non potest suppleri per aliquam potentiam, & ille est consortium diuinæ naturæ. Postremò, etiam secunda solutio non satisfacit, quia est eadem cum præcedentibus, & potius est applicatio exemplorum, Imò verò, vtrumque effectum supplet Deus, sine qualitate infusa, per diuinam omnipotentiam. Nam dicit Pater Medina, quòd ille effectus non potest suppleri, sine qualitate inhærente, vel sine motione diuini auxilij rectificantis animam.

### *Conclusio Quarta.*

Conclus. HIs ergo ita prælibatis, vt difficultatis huius nodum difficilem aperiamus, sit quarta conclusio. Effectus formalis primarius qualitatis supernaturalis gratiæ, est facere obiectum congruum diuinæ dilectionis, atque adeò formaliter diligibile, & acceptabile ad gloriam. Et hoc est quod alij dicunt, alijs verbis, quando definiunt effectum formalem, & per se, illius qualitatis supernaturalis, quæ est gratia inhærens, esse facere hominem consortem diuinæ naturæ. Nam ob id quòd est obiectum congruum diuinæ dilectionis supernaturalis est formaliter diligibile & acceptabile ad gloriam, diuinæque naturæ particeps, & consors.

¶ Aliqui Theologi aliter explicant præfatam assertionem, & redit in idem. Dicunt enim, quòd esse gratum Deo, & acceptum ad vitam æternam, potest intelligi dupliciter. Primò, ita vt illa acceptatio sit cum quadam condignitate, & connaturalitate ex parte hominis, ita vt habeat in se intrinsecè aliquid, quo reddatur dignus & proportionatus ad talem acceptationem. Sicut primogenitus Regis iuxta communem successionem regnorum, ex vi & modo suæ prosapiæ, & generationis regiæ, habet dignitatem & proportionem, vt acceptetur ad regnum: Quoniã ex modo suę descendentiæ & generationis regię, intrinsece & cónaturaliter hoc



hoc conuenit sibi. Et hoc pacto implicat aliquem esse acceptum, vel acceptari ad vitam æternam, nisi vel habeat naturam diuinam hypostaticè vnitam, vel per infusioné huius qualitatis, quæ est participatio naturæ diuinæ; nulli namque potest esse connaturalis, aut proportionata beatitudo diuina, nisi sit consors diuinæ naturæ. Quocirca, Sanctus Thomas articulo tertio præcedente dicit, quòd gratia secundum suam essentiam habet constituere hominem, in esse supernaturali, ratione cuius habet proportionem, & dignitatem respectu vitæ æternæ. Et ob id Tridentinum sesione. 6. capite septimo, & Pater Vega libro septimo capite 24. Soto. 2. de natura. & gratia. capite. 18. dicunt, gratiam esse causam formalem iustificationis nostræ, nimirum, quia dignificando nos, ad diuinum amorem & beatitudinem, aufert peccatum habituale, quod est dignitas ad odium Dei, & ad priuationem beatitudinis. Secundo modo potest aliquis esse gratus & acceptus, sine prædicta connaturalitate, & condignitate, ac proportione. Et hoc est extrinsecè esse gratum; cùm deficiat illi prædicta connaturalitas, & condignitas. Et sic posset Deus de potentia absoluta, ad beatitudinem acceptare, sine ista qualitate, & sine vnione hypostatica, hominem habentem actum charitatis, vel pœnitentiæ, imò verò nullum habentem actum. Sicut si Rex designaret aliquem extraneum in regni successorem. ¶ Quibus positis dicunt, quòd esse gratum, & acceptum secundo modo, non conuenit intrinsecè, & essentialiter illi qualitati supernaturali, quæ est gratia, tanquam actus formalis ipsius. Nam posset Deus velle dare gloriam alicui sine tali qualitate, per hoc solum (vt diximus) quòd haberet actum pœnitentiæ, vel charitatis. Imò verò, per hoc solùm quòd haberet virtutes acquisitas. Imò etiam, sine aliqua præuia dispositione, aut connaturalitate posset ordinare ad gloriam hominem in puris naturalibus existentem; & tunc ex tali ordinatione, ille diceretur acceptus ad vitam æternam, & gratus. Rursus, è contrario posset Deus nunquam dare gloriam habenti qualitatem illam, quæ est gratia: Sicut Rex posset nolle dare regnum filio suo primo genito. Verum est tamen, quod ex suppositione diuinæ ordinationis, implicat aliquem habere illam qualitatem, quæ est gratia, & quòd Deus non acceptet ipsum ad vitam æternam: Sicut ex suppositione reuelationis diuinæ, quòd Antichristus erit, implicat quòd non sit futurus. ¶ Secundò dicunt, quòd esse gratum Deo, & acceptum ad vitam æternam primò modo, intrinsecè & essentialiter conuenit illi qualitati, vt actus formalis ipsius. Itaque, si per esse gratum intelligatur habere connaturalitatem, & condignitatem ad vitam æternam, sicut filius Regis primogenitus habet esset acceptum ad regnum, ex vi talis ortus & generationis regiæ prosapiæ; sic intrinsecè conuenit illi qualitati supernaturali, facere gratum Deo, & acceptum. Probatur. Quia omnis forma habet aliquem actum formalem, qui sibi conueniat intrinsecè & essentialiter, secundum propriam rationem specificam: sed non potest dari alius actus formalis, qui sic competat illi qualitati, nisi dare esse gratum intrinsecè, & connaturaliter ex quadam condignitate: ergo. Et confirmatur ex verbis Diui Thomæ. citatis, vbi ait, quòd gratia secundum suam essentiam, habet constituere hominem in esse supernaturali, ratione cuius habet proportionem, & condignitatem respectu vitæ æternæ. ¶ Semper tamen obserua valde ex dictis, quòd actus formalis gratiæ, non est acceptari hominem actualiter ad vitam æternam, sed esse dignum ad hoc, vt acceptetur, & quasi intrinsecè proportionatum, & coaptatum ad vitam æternam, iuxta illud ad Colossenses. 1. Qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum, in lumine, & transtulit in regnum filij dilectionis suæ. Itaque, sicut per generationem naturalem, filius Regis habet quandam intrinsecam connaturalitatem ad regnum, ita per generationem spiritualem, qua Deus mediante illa qualitate supernaturali gratiæ communicat homini, esse supernaturale, & diuinum, habet homo ipse connaturalem proportionem, per supernaturalem formam intrinsecam, ad hoc vt diligatur à Deo, & acceptetur ad vitam æternam, ex qualitate, inquam, illa gratuita ordinis supernaturalis. ¶ Quo fit, quod quanuis Deus statuisset nunquam dare gloriam, habenti talem qualitatem, tamen ipse, quantum est ex se, esset proximè proportionatus, & cooptatus ad vitam æternam, atque adeò gratus Deo, secundum primum modum iam explicatum. Imò verò opiniones supra positæ, possunt explicari & conciliari, vnaquæque in suo sensu ex dictis: Et hic modus explicandi valde rationabilis est.

*Concil.Trid. Pater Vega Magister Soto.*

*Ad Colos.1.*

Satis ergo ex suprà positis constat, primarium effectum formalem qualitatis supernaturalis gratiæ, esse facere consortem diuinæ naturæ, & dare connaturalitatem, ad æternam vitam, facereque obiectum congruum diuinæ dilectionis, atque adeò formaliter diligibile, & acceptabile ad gloriam. Quæ omnia aptè satis adumbrauit Diuus Petrus in secunda Canonica. capite primo dicens: Maxima & pretiosa nobis promissa donauit, vt per hæc efficiamini diuinæ consortes naturæ. Et Paulus ad Colossenses primo. Qui dignos nos fecit, in partem sortis Sanctorum: Vnde sicut filius Regis per generationem naturalem, regalis prosapiæ, habet proportionem, & connaturalitatem quandam ad Regnum; sic per generationem spiritualem (vti diximus) mediante qualitate illa supernaturali & Deifica, quosdam Deus adoptat, & designat in filios; tribuitque illis connaturalitatem, & proportionem, vt possint cum Deo amicitiam contrahere, & bonorum ipsius fieri participes, secundum illud Ioannis primo. Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt, ideſt, per gratiam regenerati. Quòd si filij: ergo hæredes per Christum, vt optimè intulit Paulus ad Romanos octauo, & ad Titum. 3. vt iustificati gratia ipsius, hæredes simus secundum spem vitæ æternæ.

*D.Petrus. D.Paul.*

*Ioannis 1.*

*Paul.*

Ex quibus colligitur à plerisque, q̃ hominem es- *Insectarium*

se acceptum Deo, vel esse acceptum ad vitam æternam, est proprietas quæ cõsequitur ad gratiam, & ad effectum eius formalem; quoniam esse acceptum Deo, est actus diuinæ voluntatis, quæ sibi complacet in effectibus, & illum ordinat ad beatitudinem, quæ ordinatio si passiuè sumatur ex parte hominis, consequens est ad dignitatem gratiæ: Vnde sicut per generationem naturalem, qui accipit naturam ab alio, statim habet relationem filij ad patrem quæ consequitur generationem, & habet ius ad hæreditatem patris; ita ex eo quòd homo regeneratur recipiendo gratiam in se, per quam fit diuinæ naturæ consors, consequitur relatio filij, & ius ad hæreditatem. Quo circa, cum dicunt Theologi, per gratiam hominem esse filium Dei, & acceptum ad gloriam, particula, per, dicit fundamentum & radicem illarum relationum.

### *Conclusio Quinta.*

*Conclusio. 5.* QVinta conclusio. Absolute est dicendum, per hanc supernaturalem qualitatem gratiæ, homines fieri gratos Deo, & formaliter iustos. Sic *Conci. Trid.* enim loquitur Concilium Tridentinũ, locis citatis. Cæterum hæc veritas interpretanda est, & explicanda primò de gratia, non præcisè, vt dicit dilectionem quomodocunque, sed vt dicit dilectionem modo proportionato, & connaturali: tunc enim gratia vtrumque includit, tam id quod se tenet ex parte Dei, quàm ex parte hominis; secundo de gratia obiectiue, & sic formaliter sumus grati per hanc qualitatem, id est per illam constituimur formale, & connaturale obiectum diuinæ dilectionis. Et hoc etiam videtur intendere Concil. non enim ait, nos esse formaliter gratos per aliquid inhærens, sed formalem causam nostræ iustificationis, & gratiam qua iustificamur esse aliquid inhærens: Vnde optimè ista qualitas dicitur iustitia formaliter; nam esse iustum, est esse perfectum, quod ex *Arist.* vi nominis dicit quid intrinsecum. Et sic Aristot. 5. Ethic. capit. vltimo dicit: Quòd esse iustum, est esse dispositum sicut oportet. Et ita per illam qualitatẽ proprie & formaliter dicimur iusti, & diligibiles, sed non dicimur per illam præcisè formaliter dilecti, nisi causaliter: qua ratione ista qualitas solet dici gratia materialiter; quia præexigitur ad dilectionem Dei, qua posita, statim sequitur. Et ita facere gratum, & dilectum, potest dici effectus formalis secundarius huius qualitatis; sicut facere figuratum, est effectus formalis secundarius quãtitatis, sed non eodem modo; quia ibi figura sequitur physicè ad quantitatem, at verò hominem esse dilectum à Deo, non sequitur physicè ad hoc, quod est habere istam qualitatem, sed solùm moraliter, & secundum proportionem, & decentiam, & secundum ordinationem & institutionem Dei, qui statuit inire amicitiam cum habentibus, hoc *Ad Ephe. 1.* pignus redemptionis æternæ, iuxta illud ad Ephesios 1. Signati estis spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ. Vnde nos diximus suprà in processu quartæ conclusionis, quòd licet Deus posset ordinare hominem ad vitam æternam, sine qualitate illa supernaturali, imò verò habenti illam nõ dare gloriã; tamen ex suppositione diuinæ ordinationis, implicare aliquem habere illam qualitatem supernaturalem gratiæ, & quòd Deus non acceptet ipsum ad vitam æternam: sicut ex suppositione diuinæ reuelationis, quòd Antichristus erit, implicat quòd non sit futurus. ¶ Gratia ergo, quæ de lege ordinaria iustificat, est qualitas cuius ratione anima est pulchra & dilecta Deo, sed includit etiam denominationem ab amore Dei. Quod significauit Tridentin. sessione sexta Canone. 11. Si quis dixerit, gratiam qua iustificamur, esse tantùm fauorem Dei, quasi dicat; Est fauor, sed non tantùm fauor, sed etiam gratia cordibus iustorum diffusa, & inhærens intrinsecè. Et hoc modo qualitas gratiæ tribuit esse dilectum à Deo; sed præscindendo solam qualitatem, non tribuit, nisi esse pulchrum per participationem diuini boni, & esse diligibilem, id est esse obiectum congruum diuinæ dilectionis, vt insinuat Glossa, quam in hac quæstione Articulo secundo Sanctus Thomas adducit. Inquit enim, quòd gratia est nitor animæ, sanctum concilians amorem, ideſt, est pulchritudo quæ tanquam obiectum mouet Deum ad amorem habentis illam. Quod etiam significat sanctissimus præceptor Articulo tertio, & nũquam alium effectum huic qualitati assignauit. Imò verò Doctores communiter affirmant, gratiam facere gratum tanquam obiectum dilectionis. Ita Gregorius & Gabriel. supra citati. Soto de natura & gratia capit. 17. & 18. & Decanus articulo octauo pagina 24. Vega septimo in Tridentin. capit. 25. & 27. licet ipse procedat in sententia Scoti dicentis, charitatem esse gratiam. Quod etiam notat contra Durandum: Qui putat hominem prius natura esse perfectè gratum, quàm habeat qualitatem gratiæ. Sed hoc non videtur verum: Quia prius, vel simul natura supponitur obiectum amoris, vt infra declarabitur: Atq; adeò de lege ordinaria, nemo potest esse gratus, vel dilectus à Deo, nisi habeat prius, vel simul natura qualitatem gratiæ.

*Conc. Trid.*

*Glossa.*

*Gregor. Gabriel. Soto. Decanus. Vega.*

### *Conclusio sexta.*

*Conclus. 6.* SExta conclusio. Homo de potentia absoluta Dei potest esse formaliter gratus Deo, sine qualitate gratiæ. Hanc assertionem tanquam valde probabilem constituo. Quam tenent Pater Soto & Durandus & alij supra citati pro secunda sententia & opinione. Idem sentit Gregorius in 1. distinctio. 14. articulo secundo & distinctio. 17. quæstio. prima articulo secundo. Et Gabriel. in 1. distinctio. 17. articulo secundo, conclusione prima. Idẽ Scot. in 1. distinctione. 17. quæstio prima articulo secundo. Pater Vega libro septimo in Tridentinũ capit. 25. Neque autores primæ sententiæ, si rectè expendantur, id negarent, & hoc vt minimum probant argumenta secundæ opinionis & sententiæ, quæ militant pro hac assertione. Sed probatur præterea. Nam esse gratum, est esse dilectum à Deo: sed Deus potest aliquẽ diligere, sine eo quòd infundat hanc qualitatem: ergo. Probatur minor. Nam vel requiritur ista qualitas, tanquam effectus necessarius dilectionis Dei; & hoc non, quia iste effectus non habet necessariam, seu essentialem dependentiam à dilectione, cùm non procedat ab illa, nisi in genere causæ

*Pater Soto. Durandus. Gregorius. Gabriel. Scotus. Vega.*



causæ efficientis: ergo posset esse dilectio, sine tali effectu, sicut homo diligit alium hominẽ, vel ipsum Deum, sine eo quòd ex tali dilectione sequatur aliquis effectus. Vel requiritur ista qualitas tanquam obiectum necessariò præsuppositum ad dilectionem Dei, & hoc non, quia Deus amat quos prædestinat, & non supponit in eis talem qualitatem: ergo. Rursus, posset Deus homini existenti in puris naturalibus conferre gloriam, quod arguit maximum amorem, sine vlla qualitate præsuppositа. Item etiã probatur ex sententia Diui Thomæ 2. 2. quæstione 24. articu. 6. & expressius. 1. 2. quæstione 114. articu. 8. in corpore & ad. 3. qui inquit, quòd si quis faciat opus meritorium, licet non augeatur qualitas gratiæ in esse qualitatis; augetur tamen in esse gratiæ, quando tale opus meritorium non est intensius qualitate illa gratiæ, à qua procedit: Tunc enim homo est acceptus ad maiorem gloriam, quam antea; atque adeò magis gratus Deo, quam antea vt patet. Quoniam Deus non acceptat ad maiorem gloriam, nisi ex eo quòd efficit sibi magis amicum, & ille qui maiora habet merita, magis est sibi gratus: ergo si potest esse magis gratus, sine maiori qualitate, etiam poterit esse absolutè gratus, sine qualitate, vt si posset esse magis albus, sine intensiori, aut maiori albedine, posset etiam esse albus sine albedine: quia ille excessus gratiæ est vera gratia, & est maior effectus formalis: & non ab excessu qualitatis: ergo eodem modo posset tota gratia esse sine vlla qualitate. Item probatur veritas huius assertionis, ex discursu omnium conclusionum. Nam cùm esse gratum formaliter, id est, esse dilectum à Deo non sit effectus formalis primarius qualitatis, sed dilectionis Dei: optimè potest Deus facere gratum sine hac qualitate, per solam dilectionem. Dices, saltem est effectus secundarius ipsius qualitatis: ergo non potest reperiri sine primario: non enim potest reperiri figuratum sine quantitate, neque vllus effectus secũdarius formalis, sine primario. Respondetur, iuxta ea quæ diximus in discursu quintæ assertionis, & in discursu quartæ conclusionis, præsertim prope finẽ & ad medium, non esse effectum formalem secundarium, qui physicè & necessario sequatur ad aliũ, sed solum moraliter secundum beneplacitum Dei, qui potest vnum ab alio seiungere: Cùm etiam de facto secundum opinionem D. Thom. id contigat. Nam aliquãdo homo est acceptus ad maiorem gloriam sine maiori qualitate. Imò verò, neque in naturalibus illud est omnino necessarium. Nam effectus secundarius quantitatis, est facere rem extensam in ordine ad locum. Potest tamen res per rarefactionem esse magis extensa, quam antea in ordine ad locum, quamuis non sit magis extensa secundum seipsam.

*Obiectio.* ¶ Rursus, sequitur ex ante dictis, Deum sine ista qualitate, non posse facere gratum, id est obiectum congruum diuinæ dilectionis, eo modo quo in quarta conclusione sumus interpretati, ex propria & aliorum sententia, id esse effectum primarium huius qualitatis supernaturalis; quoniam non potest Deus supplere effectum causæ formalis. ¶ Sed dices, Deum per seipsum supplere in intellectu beati, id quod præstat species intelligibilis creata in intellectu cuiuslibet; imò verò Deus facit subsistere naturam humanam, sine vlla creata subsistentia: ergo pari ratione posset facere illum hominem obiectum congruum suæ dilectionis, sine vlla qualitate, vel re creata. Nam similiter est effectus formalis subsistentiæ creatæ, facere subsistentem naturam, sicut qualitatis huius, facere illum diligibilem. Respondetur, quòd Deus non supplet id *Responsio.* quod præstaret species in genere causæ formalis, in formando ipsum subiectum, sed tantũ id quod præstaret in genere causæ efficientis cooperãdo cũ subiecto. Et sic Deus facit naturã humanam subsistere, sine propria subsistentia; non tamen sine formali subsistẽtia, qualis est diuina ipsius verbi, atque adeo non supplet effectum formalem, sine causa formali; Sed sicut causa est distinctæ rationis, ita & effectus. Qua etiam ratione Deus potest facere obiectum congruum diuinæ dilectionis, sine qualitate gratiæ; sicut de facto fecit naturam humanam gratam veniendo illam sibi hypostaticè, licet in anima nulla esset qualitas gratiæ. De qua re videnda sunt, quæ diximus. 3. part. quæstion. 7. artic. 1. & ibidem S. Thom. Sed tunc sicut causa formalis constituendi gratum esset distinctæ & diuersæ rationis; ita & effectus formalis, sicut proportionabiliter dictum est. Quòd si rursus inquiras cur etiam non posit Deus *Dubitatio.* facere album sine albedine eodem modo, ita vt illud album sit effectus distinctæ, & diuersæ rationis, ab eo qui est ab albedine, Respondetur, non esse for- *Responsio.* mam aliquam creatam aut creabilem aliam, præter albedinem, quæ det esse album, cùm hoc conueniat illi essentialiter; & Deus per se ipsum non potest id præstare sicut præstat subsistere. Quia ipse est subsistens formaliter, non tamẽ albus formaliter. Ex quibus omnibus colligitur, quam rationabilis & probabilis sit sexta conclusio.

Rursus etiam sequitur, quo pacto, & sub qua ratione effectus formalis illius qualitatis supernaturalis gratiæ, possit suppleri à Deo efficiendo obiectum congruum diuinæ dilectionis, & sub qua ratione id non possit fieri: Quia Deus non supplet aliquid in genere causæ formalis informando subiectum. Et ob id diximus, sine ista qualitate supernaturali non posse fieri hominem gratum, id est, obiectum congruum diuinæ dilectionis, eo modo quo diximus id esse effectum primarium huius qualitatis, supra conclusio. quarta, per connaturalitatem & proportionem subiecti intrinsecam: Quia Deus non potest supplere hunc effectum causæ formalis.

### *Soluuntur argumenta Primæ opinionis.*

*Ad argumẽta 1. opinionis.* AD argumenta initio posita, quæ pro prima opinione militant. Ad. 1. Concedo maiorem, & nego minorem & ad probationem satis diximus in tertia quarta, & quinta atque sexta conclusione. Imò verò, per doctrinam ibi traditam, *Ad. 1. & secundum.* patet solutio ad confirmationem, & ad Quintum argumentum. Vnde, quamuis sine ista qualitate *Ex dictis patet ad. 5.* nemo sit obiectum congruum diuinæ dilectionis, per connaturalitatem ad dilectionem Dei supernaturalem; nihilominus esse gratum Deo potest prouenire de potẽtia Dei absoluta, ex alio quã ex qualitate illa. Quia iste nõ est effectus physicè prouenies ex

qualitate illa. Imò per actum pœnitentiæ, & per merita posset acceptare illum sine qualitate gratiæ, de potentia absoluta. Et cùm dicimus secundum fidem, esse certum nos esse gratos, per aliquid inhærens, Respondetur distinguendo illud antecedens, nos esse gratos, id est, ex parte nostra diligibiles & iustos, vt Concil. ipsum significat; concedo hunc sensum. Sed si faciat hunc sensum, nos esse gratos, id est, actualiter dilectos, ita vt ipsa qualitas sit ratio formalis; nego: Sed si ita accipiatur, vt sit causa obiectiua formaliter; concedo. Et cum hæc qualitas supernaturalis sit causa formalis nostræ iustificationis, & præterea sit ratio formalis, per quam de facto constituimur obiectum proportionatum diuinæ dilectionis & fauoris extrinseci Dei, meritò damnantur anathemate qui dixerunt, gratiam qua iustificamur esse tantum fauorem Dei, Cum etiam sit ipsa qualitas, quæ est formaliter ipsa iustitia; & obiectum fauoris & dilectionis diuinæ, & cuius effectus secundarius est reddere dilectum; atque adeò non est solus fauor cùm esse gratum formaliter modo connaturali & proportionato, vtrumque includat. Sicut ad hoc quòd quis sit temperatus, id est, facilis ad eliciendos actus temperantiæ, sufficeret quidem auxilium Dei; sed tamen de facto & modo connaturali talis homo non esset formaliter temperatus, nisi per habitum & qualitatem intrinsecam inhærentem.

*Ex dictis. patet ad.6.* ¶Per hoc patet solutio ad 6. Effectus namque formalis charitatis, est constituere hominem facilem & habituatum intrinsecè, ad exercenda opera charitatis; hoc tamen non tollit, quin Deus posset sine hac qualitate charitatis, ita auxilium præstare homini, vt facile eliciat actus charitatis; sed tunc nõ supplet id quod præstabat charitas, in genere causæ formalis actuando ipsam potentiam, & constituendo illam in ratione principij intrinseci connaturalis, ad tales actus: Sed id quod præstabat charitas in genere causæ efficientis cooperando cum potentia, sicut supra dicebamus, de modo quo Deus supplet in beatis officium speciei intelligibilis.

*Obiectio.* ¶Sed contra. Si absolute posset homo esse gratus, & exercere opera supernaturalia; sine vllo habitu: ergo frustra constituuntur isti habitus. Nam si asseruntur, potissimè propter nostram imperfectionem: sed maior perfectio est, quòd Deus ipse per se nobis vniatur & nos confortet ad efficiendos hos actus: ergo. Et quidem, simili argumento Sanctus Thomas. 1. part. quæstione 12. tollit speciem creatam à Beatis: Quia Deus per se potest quod per speciem. Et confirmatur. Quia propter eandem causam & rationem Magister negat habitum charitatis in nobis esse quid creatum. Cui videtur fauere Diuus Augustin. 8. de Trinitat. capit. 8. &. 9. & libro 15. capit. 17. Vbi dicit, charitatem illam, quam dicit Ioannes ex Deo esse, illam esse Deum ex Deo.

*August. Ioannes. Solutio.* Respondetur tamen, negando sequelam. Imò verò maior perfectio hominis est vt habeat formas sibi inhærentes, quibus habeat proportionem, & connaturalitatem internam, per quas perficiatur & operetur. Et licet Deus posset supplere efficientiam, non tamen effectum formalem, qui est ita afficere potentiam & disponere, vt maneat connaturaliter inclinata, ad hos actus; & quantum est ex vi huius inclinationis proportionaliter, & delectabiliter illos operetur. Neque est simile de specie. Nã illa habet vicem obiecti, & ideò vbi obiectum adest, & per se sufficit, non est aliud necessarium; Habitus verò tenent se ex parte potentiæ, & supplent eius impotentiam. ¶Ad confirm. dico, in ea re Magistrum sent. errasse, Augustinus verò loquitur de charitate, qua Deus nos diligit. ¶Hactenus præpostero ordine dictum est, ad quintum, & sextum, quia id postulabat discursus & cohærentia doctrinæ præcedentis. Nunc verò redeamus ad ordinem argumentorum. Vnde, ad secundum principale, quod initio disputationis positum est, respondetur optime probare, esse gratum formaliter, non consistere in eo, quòd sit actualiter acceptus ad gloriam, licet de facto ad esse gratum consequatur acceptatio ad gloriã. Quò circà, posset quis esse gratus, siue per qualitatem, siue sine illa; & tamen non esse acceptus ad gloriã, licet ratione gratiæ, esset de se acceptabilis, id est, proportionatus tali acceptationi. Et similiter posset quis esse acceptus ad gloriam de facto, qui neq; sit in gratia in esse gratiæ, nec in esse qualitatis, sed sit in puris naturalibus, & forsan etiam in peccato, vt aliqui voluerunt, quæ omnia de potentia absoluta dicuntur fieri posse. Quapropter, siue gratia consistat in esse qualitatis, siue non; manet difficultas in omni opinione, in quo consistat tunc quòd Deus diligat tanquam amicum eum, cui non vult dare gloriam, & quòd non diligat eum quem beatificat, & cui suum elargitur bonum: & quòd vnus dicatur gratus Deo, & nõ alius. Respondetur, cùm gratia formaliter consistat in gratuita Dei dilectione, qua dignatur aliquem respicere, tanquam amicum, ita vt velit complacere sibi in illo, & eius opera tanquam sibi grata acceptare, & hoc morale sit, tenens se ex parte affectus & ordinationis ipsius diligentis; inde principaliter est sumenda differentia, cur vnus sit gratus, & non alius: Quia videlicet vnum acceptat, vt amicum, & complacet sibi in illo, & non in alio. Aliquando namque Pater maximè diligit filium, cui nihil tribuit. ¶Sed mihi est difficile, imò verò inintelligibile, quòd Deus acceptet aliquem tanquam amicum, & non in ordine ad communicationem & participationem alicuius boni, quod est de complemento amicitiæ; sed non erit opus communicare necessario prædictam qualitatem, sed sufficit communicare aliam qualitatem charitatis, vel alicuius actus boni, vel etiam non requiritur de potentia absoluta, quòd imponat aliquid intrinsecum, vt infra aperietur, sed sufficit ordinare ad gloriam, vel ad aliquod bonum supernaturale; Et tunc distingueretur à peccatore, quem Deus de potentia absoluta vellet beatificare, eo quod ordinatio ad gloriam in vno, prouenit ex acceptatione personæ, & amore illius, non verò in alio. Distingueretur etiam á prædestinato, quia licet vtrumque acceptet Deus, in gloriam per actum extrinsecũ dilectionis, est tamen maxima quædam differẽtia, quia prædestinatus eo tempore, quo est in mortali, est ita inimicus Dei, quòd si in eo statu per impossibile decederet, condemnaretur. Vndè, Deus vult illi malum secundum illam præsentem dispositionem; quod conditionaliter explicatur: si in hoc statu peccati permãseris, proijciam te in infernum, At verò alium diligit Deus, etiam secundum præsentem dispositionem. Item, nunc Deus non diligit prædestinatum peccatorem, per modum exequentis amorem, sed veluti proponentis ordine intentionis se velle cum eo amicitiã contrahere & inire; non tamen actu contrahit, nisi quando est in gratia.

*Ad Cõtra.* *Ad secundũ.* *Dubitatio.* *Responsio.*

*Ad Tertiũ.* ¶Ad Tertium respondetur, quòd aliqua ratione obiectum, & actus proportionantur ibi, licet actus sit supernaturalis, & obiectum naturale. Quocircà, non valet argumentum. Actus naturalis est improportionatus obiecto supernaturali: ergo etiam actus supernaturalis obiecto naturali. Sicut, licet potentia materialis sit improportionata obiecto spirituali; nõ tamen potentia spiritualis obiecto materiali: Quoniam tam actus, quam potentia superioris ordinis versari possunt circa inferius obiectum. Sicut creatura non potest comprehendere Deum, Deus autem comprehendit omnes creaturas futuras & possibiles. ¶Respondetur secundò, quòd potẽtia debet proportionari cum obiecto primario & formali, nõ autem cum obiecto secundario. Nam per charitatẽ supernaturalem amamus proximos etiam non existentes in gratia; primariò tamen Deum ipsum propter quem omnia alia diligimus. Similiter, voluntas Dei primario tendit in se ipsam, secundariò autem in alia propter se. Sed cõtra. Quia in Deo possumus distinguere actum amoris naturalis, & supernaturalis; & illius obiectum, est naturale; huius verò, supernaturale: ergo cùm gratia in esse gratiæ sit amor supernaturalis, illius obiectum debet esse supernaturale. Respondetur. Sufficere, quòd obiectum primariũ sit supernaturale, vt dictum est. Est etiã amor supernaturalis; Quia constituit hominem participem bonorum supernaturaliũ, vel proxime dispositum ad illa bona percipienda. Sicut prædestinatio est amor supernaturalis, licet non supponat obiectũ supernaturale. Quod autem prædestinatio absolute dicatur amor & gratia in Scriptura, patet. 2. ad Timo. 1. Secundũ propositum suum & gratiã, quæ donata est nobis ante tẽpora sæcularia. Neq; valet argumẽtum de amore creaturæ propter pulchritudinem: Quoniã amor creaturæ supponit in obiecto bonitatem sufficientẽ, ad mouendum voluntatem ad amorem, Deus verò non id supponit, sed efficit hanc bonitatem. Neque requiritur de potẽtia Dei, vt efficiat aliquid creatum, vt dictum est. Vt autem obiectum dicatur supernaturale, sufficit, vt Deus velit huic subiecto aliquod bonum supernaturale. Et per hanc doctrinam satis fit huic tertio argumento. In quo pariter fundari potest id quod superius dicebamus, nõ posse percipi, quòd Deus amet aliquem supernaturali amore, quin velit illi bonum aliquod supernaturale, ita vt hoc non tantum sit propter complemẽtum amicitiæ, quæ in hoc formaliter consistit, quòd velim, vel desiderem alteri bonum, vel complaceam in bono quod habet. Cùm autem creatura non habeat bonum supernaturale, oportet, vt Deus dicatur illam diligere supernaturali amore, quòd illi conferat aliquod bonum supernaturale, in quo complaceat, vel illam ordinet, ad aliquod bonum supernaturale, quod illi velit. Neque aliter possumus intelligere, quo pacto Deus plus amet vnum, quam alium, aut quomodo vnus sit magis gratus Deo, quam alter, nisi per hoc, quòd Deus vni velit maius bonum, quam alteri. Neque aliundè potest sumi differentia, cum actus Dei ex parte ipsius sit semper idem. Sed præter hoc, aliunde etiam probatur necessitas huius ordinationis, in bonum supernaturale propter necessitatem actus supernaturalis, qui requirit obiectum supernaturale; posita autem tali ordinatione, facilius intelligemus esse obiectum actus supernaturalis, illum, qui esset ordinatus ad aliquod bonum supernaturale. ¶Ad quartum, Nonnulli dicunt, quòd quamuis Deus possit facere gratum, sine ista qualitate; non tamen sine vlla alia, quæ vel sit charitas, vel saltem aliquis effectus supernaturalis. Sed hoc neque satisfacit, neque videtur verum, nisi intelligatur de ordinatione ad aliquid extrinsecum postea habendum. Quoniam gratia principaliter consistit, in eo quod Deus diligat hominem, & *ista* dilectio non pendet essentialiter, ab aliqua conditione vel motiuo, quod sit in homine. Nam quodcumque ponatur, siue sit actus charitatis, siue fidei, non obligat Deum ad amorem, cùm talis actus possit esse in peccatore. Quod amplius explicatur. Nam talis actio, & etiam qualitas gratiæ (vt est in opinione probabili multorum) de potentia Dei absoluta possunt esse in peccato. Supponatur ergo ita esse, quòd aliquis peccator simul habeat qualitatem gratiæ; tunc Deus potest istum diligere remittendo peccatum, non infundendo aliquid de nouo, & tunc militat eadem difficultas, quomodo fiat gratus De nouo, sine eo quòd infundatur ei aliquid de nouo? Quapropter, ad argumentum negatur minor. Et ad primam probationem, fateor quòd ille non est eleuatus ad statum supernaturalem intrinsecè, & connaturaliter, sicut per qualitatem gratiæ, sed eleuatur extrinsece. Sicut si Rex ad sui amicitiam eleuaret hominem abiectum, absque eo quòd poneret aliquid in eo. Neque est ad propositum, seu ad rem, illud de lapide: Quoniam ista proportio consistit in morali amicitia & vnione, cuius eleuationis lapis non est capax, neque potest esse capax. Ad secundam probationem dicendum, quòd tunc non esset relatio realis, sed rationis: sicut rei cognitæ ad cognoscentem. Sicut qui peccato puræ omissionis peccat, vere constituitur inimicus Dei; & tamen non mutatur realiter per susceptionem alicuius entitatis. Pari ergo modo de potentia absoluta potest quis fieri, & constitui amicus, licet realiter non mutetur, per susceptionem qualitatis, aut entitatis realis. Ad Tertiam probationem dico, quòd vt plurimùm concludit requiri aliquam mutationem in creatura, vel aliquam specialem vnionem Dei cum illa: Nam aqua mediantibus verbis ministri dicitur eleuata ad causandam gratiam, per hoc quòd modo assistit Deus, quando corpus abluit. Sed neque vlla mutatio requiritur; quia posset Deus ab æterno statuere, vt aqua ex tali puncto temporis inciperet causare gratiam, sine mutatione sui. Vndè, Petrus modò est de nouo gratus, quia nunc de nouo terminat dilectionem Dei. Et ob id modò terminat talem Dei dilectionem de nouo. Quia modo de nouo peruenit ad tale punctũ tẽporis, in quo ab æterno Deus voluit quòd inciperet esse eleuatus ad sui amicitiã;

*Obiectio.* *2. ad Tim. 1.*

*Ad quartũ.*

vel de nouo habet talem conditionem, ſiue naturalem,ſiue ſupernaturalem, qua poſita, Deus voluit ſtatim illum amare.Vidit namque Deus Petrum in peccato,& ab æterno voluit,tali die remittere illud peccatum, & amare Petrum: ergo de nouo incipit Petrus tali die eſſe gratus Deo, ita vt ex tunc iam opera illius ſint meritoria gloriæ. Sicut poteſt ab æterno ſtatuere, vt ex tali die inciperet eſſe præceptum de aliquo,de quo non erat antea,& poſſet aliquis homo adoptare alium in filium, illo neſcio: ita vt inciperet tali die eſſe adoptatus,ſine eo quòd inciperet aliquid de nouo, neque ex parte adoptantis,cuius actus iam præterijt,& non eſt de nouo: Neque ex parte adoptati,qui nihil reale acquirit, præter ius ad hæreditatem adoptantis, quod etiam acquirit homo gratus ad hæreditatem Dei. Ad vltimã probationem reſpondetur, negando antecedens, Imò verò,priùs natura actio Dei intelligitur,vt productio entitatis naturalis; quam vt amor illius, & conſequẽter, amor ſupponit rem productam priùs natura.Quare,ſicut in puris naturalibus, hominem recte moraliter operantem, Deus diligeret amore naturali, non dando actualiter aliquod bonum,ſed ordinando ad beatitudinem naturalem, ita poſſet proportionabiliter facere in ordine ſupernaturali. Si autem prima collatio entitatis naturalis dicatur amor,quia eſt volitio boni;tunc diſparitas eſt,quòd non poteſt eſſe amor ſine aliquo obiecto, quod ame
*Ad.5.&.6.* tur.Et ideò debet realiter produci. ¶Ad quintum & ſextum argumentum, quid ſit reſpondendum,fuſè & in forma dictum eſt,parùm poſt initium ſolutionis ad primum argumẽtum ſuprà,cùm cæpimus diſſoluere argumenta,quæ pro prima opinione, & ſententia militabant,& modò non ſunt eadem bis repetenda.

### *Argumenta ſecundæ ſententiæ diſſoluuntur.*

*Ad argumẽta 2.opinionis. Ad.1.* Ad argumenta ſecundæ ſententiæ.Ad primum reſpondetur,quòd facere gratum,acceptum,& charũ actu, non eſt primarius effectus formalis huius qualitatis,ſicut albedinis facere album, ſed primarius effectus eſt,dare participium diuinæ naturæ,& reddere animam acceptabilem, & amabilem Deo in potentia proxima.Et hoc eſt facere obiectum congruum diuinæ dilectionis.Secundarius autem effectus eſt,quòd actualiter accepretur & ametur; & iſte effectus poteſt ab hac qualitate ſeparari de potentia abſoluta, ſicut ab albedine, quòd diſgreget viſum, & à quantitate, quòd occupet locum &c. ¶Aduerſarij qui tenent oppoſitum, reſpondent ad hoc argumentum primum, negando minorem, & ad probationem negant conſequentiam.Et ratio illorum eſt.Quia ex imperfectione humanæ dilectionis prouenit quòd non efficiat quòd amat extra ſe; at verò diuina dilectio nihil extra ſe amat, quod nõ efficiat:Nam ſi amor Dei conſideratur vt eſt creatoris,& gubernatoris vniuerſi,dat rebus dilectis eſſe naturalis ordinis;Si autem conſideretur,vt ſpecialis dilectio agentis ſupernaturalis in ordine ad finem ſupernaturalem,dat eſſe ſupernaturale per gratiam infuſam, eis, quos amat ad ſuper naturalem finem. Cæterùm hæc ſolutio dicit ſolùm id quod euenit de facto;non tamen explicat effectum formalem gratiæ,& an poſsit quis eſſe congruum obiectum dilectionis,abſque eo quòd actu diligatur & ametur à Deo.Neque rurſus explicat an poſsit eſſe quis de potentia Dei,actu dilectus & amatus,abſq; eo quòd producat entitatem aliquam ſupernaturalem,ad extra in ſubiecto,& ob id ſtandum eſt priori ſolutioni. ¶Ad ſecundum dicendum, quòd ſi quis careret gratia & qualitate iſta ſupernaturali,& habitibus in fuſis,quamuis haberet auxilium aliquod; ille de lege non mereretur gloriam; præſertim dandam ſecundum ſtatum præſentem.Nemo namque meretur ſtatim ſibi dari,id,ad quod non habet proportionẽ, & connaturalitatem,qualem non habet ille,ſi caret participatione diuinæ naturæ,cui ſoli proportionatur ſupernaturalis beatitudo.Si dicas, Deus poteſt huic conferre lumen gloriæ,& eo ipſo erit illi connaturale,& proportionatum videre Deum,ſicut habenti calorem,vt ſic, eſt proportionatum calefacere;quoniam inter potentiam,& actum ſibi propriũ, eſt naturalis proportio.Reſpondetur,quòd ille homo ſecundum quid eſſet proportionatus, ad viſionem Dei,ſi videlicet,careret gratia & charitate; eſſet inquam proportionatus; quia haberet potentiã cui ille actus viſionis eſt connaturalis,& proportionatus;tamẽ ſimpliciter eſſet improportionatus;quia non habet naturam,cui ille finis ſit connaturalis & proportionatus. Sicut aquæ ſimpliciter non eſt naturale calefacere,quia calor non eſt ſibi connaturalis.Imo verò,addunt nonnulli,quòd ſtando in natura rei,quia tunc ſubiectum illud careret confortio, & participatione diuinæ naturæ, ſine qua non eſt congruum eleuari,ad finem diuinum; illud lumen quaſi impediretur à proprio effectu. ¶Dico ſecũdò, quòd argumentum nihil probat contra nos,imò potius fauet noſtræ ſententiæ,ad modum explicatum in ſuperioribus.¶Ad tertium reſpondetur,quòd militat pro noſtra ſententia, vt ſuperiùs deduximus fuſe ſatis. ¶Ad quartũ iam diximus,quo pacto hæc qualitas ſupernaturalis gratiæ tribuat primariò eſſe gratum obiectiuè,& ſecundariò eſſe dilectum formaliter. Neq; eſt eadem ratio de albedine,quæ nullo modo dicitur tribuere eſſe viſum;quia non ſequitur ex natura rei ad eſſe viſibile;quòd ſit actu viſum, aut formaliter viſum;ſed ex natura rei ad eſſe obiectũ congruũ diuinæ dilectionis,& ſupernaturaliter diligibile,ſequitur quòd Deus illud diligat. Et ſic patet ad confirmationem. ¶Ad quintum dicẽdum, quòd in ordine ſupernaturali proportionabiliter ſe habet Deus,ac in naturali,in quo ita ſe gerit vt primò conferat eſſe naturale,& ſtatim illud amet; Quare illa collatio ipſius eſſe naturalis,potius eſt actus liberalitatis,quam amoris. Nam actus amoris cùm prerequirat exiſtentiam rei amatæ, eſt poſterior natura,quam productio illius,vel ſaltem eſt poſterior, quam ordinatio efficax productionis illius.Pari ergo modo, cùm hæc qualitas gratiæ ſit primum eſſe ſupernaturale, collatio illius magis videtur eſſe actus liberalitatis ſupernaturalis,quã amoris: actus enim amoris cùm ad minus de lege ordinaria ſupponat obiectum congruum,& habens eſſe ſupernaturale, quod fit per hanc qualitatem, eſt poſterior natura quam illa. Quocirca, Deus prius confert qualitatem, & facit eſſe obiectum congruum diuinæ dilectionis, quam illum acceptet, vt amicum. Et hac ratione ſuprà diximus,quòd eſſe gratum formaliter,eſt effectus ſecundarius huius qualitatis ſupernaturalis. ¶Vndè,cùm arguitur : Omne bonum quod Deus confert homini,prouenit ex amore,quo illum diligit:ergo tradita doctrina non eſt vera.Reſpondetur,negando antecedens,ſi vniuerſaliter intelligatur:non enim ſemper prouenit ex amore proprio,ſed interdum ex liberalitate. Vel reſpondetur ſecundò,prouenire ex amore beneuolentiæ,non verò amicitiæ: Nam cùm Deus peccatori tribuit aliquod auxilium ſupernaturale, vel aliquem habitũ, vt fidem,vel ſpem,tunc non ideò hęc dona confert, quia abſolute amet peccatorem amore amicitiæ, licet aliquo modo poſsit dici amor beneuolentię,quatenus benè vult illi,conferendo hoc donum.

*Ad ſecundũ.* *Obiectio.* *Reſponſio.* *Ad tertium* *Ad quartũ.* *Ad quintũ.*

### *Sententia Durandi diſcutitur,& veritas aperitur.*

*Dmãdi ſententia.* DVrandus loco ſuprà citato dixit, priùs natura hominem eſſe gratum Deo,quam habeat qualitatem gratiæ.Sed hæc doctrina videtur falſa, Primò,qtia hæc qualitas tribuit eſſe obiectum cõgruũ diuini amoris: ergo priùs natura eſt iſta qualitas in homine,quam quòd ſit gratus & amatus à Deo. Sicut priùs natura eſt quodlibet obiectum,quã actus, qui ad illum terminatur,& priùs natura ſupponebatur angelus creatus,quam amaretur à Deo amicitia naturali,& hanc ſententiam ſupponunt Pater Soto, & Vega & alij qui admittunt,id quod nobis inhęret tribuere eſſe gratum obiectiuè: & à fortiori Soto qui dixit qualitatem gratiæ ſecundum Dei inſtitutionem, facere dilectum. Nam priùs natura debet ſupponi id,in quo fundatur inſtitutio. Et confirmatur.Nam alias hæc qualitas non eſſet obiectum amoris,ſed effectus amoris;atque adeò eſſet inquirendũ, quis ſit eius effectus formalis.Rurſus,amicitia eſt inter æquales,& amor Dei de lege ordinaria non verſatur,niſi circà obiectum eiuſdem ordinis:ſed priùs natura,quam homo habeat qualitatem gratiæ, non eſt eiuſdem ordinis:ergo. ¶Secundò.Quia hoc præciſè,quod eſt dare qualitatem gratiæ,non eſt præciſè amare hominem amore amicitiæ.Nam de potentia abſoluta poſſet Deus dare homini peccatori hãc qualitatem:ergo amor Dei non conſiſtit in eo,quòd det hanc qualitatem, ſed ſupponit illam. ¶Tertiò. Quia alias falſum eſſet,effectum ſecundarium huius qualitatis eſſe,dare eſſe dilectum, Imò & falſum eſſet, nos eſſe gratos per aliquid inhærens, cum priùs natura eſſemus grati,quam haberemus illam qualitatem. Confir:ex Trident.dicente, gratiam qua iuſtificamur,eſſe aliquid inhærens:ergo priùs natura, quam intelligatur iſtud inhærens, non intelligitur homo gratus,neq; iuſtus.¶Quartò. In ſacris literis, & apud ſanctos gratia dicitur pulchritudo,& nitor animæ, ſanctum cõcilians amorem,vt dicit Gloſſa, quam hic refert.D.Thom.artic. 2. Eſt ergo pulchritudo animæ,ratione cuius Deus mouetur, ad amorem habentis illam : ergo ſupponitur priùs natura ad amorem.¶Quintò.In pueris,& in his,qui iuſtificantur, ſine contritione, priùs natura eſt qualitas, quam homo ſit dilectus à Deo:ergo idem eſt in omnibus.Patet antecedens. Nam aliàs peccator priùs natura eſſet dilectus à Deo, amore amicitiæ, quam ex parte ipſius hominis intelligeretur aliqua mutatio.Confirmatur etiam in his, qui iuſtificantur per contritionem.Quia priùs natura homo debet auertere ſe à creatura, per contritionem, quam quòd Deus diligat ipſum.Nam hęc eſt vera cauſalis,Quia homo habet contritionem,Deus illum diligit, tanquam amicum. ¶Sextò.Huic qualitati ſupernaturali tribuitur in Scriptura,quòd faciat nos filios Dei, regenerando & conferendo primum eſſe ſupernaturale:ergo non eſt quis filius Dei,antequam intelligatur habere hanc qualitatem.

*Pater Soto. Pater Vega* *Conci.Trid.* *D.Thomas.*

Sed contra obijciunt nonnulli. Primò, Quia S. Thom.hic arti.1.dicit,gratiam, id eſt, dilectionem Dei,cauſare aliquid in nobis,in quo diſtinguit dilectionem Dei à dilectione hominum:igitur hæc qualitas eſt poſterior natura tanquam effectus dilectionis Dei.Item ad Epheſ. 1: Effectus gratiæ dicuntur eſſe ſapientia,Prudentia,& alia dona,quibus ſumus Sancti,& immaculati.Item tertiò, Priùs natura eſt homo ordinatus ad iſtam qualitatem; & per conſequens ad gloriam: ergo prius natura eſt dilectus; quia talis ordinatio,ſatis eſſet ad gratiam in eſſe gratiæ.Item quartò.In adultis, priùs natura eſt contritio,quam qualitas gratiæ:ergo priùs natura eſt dilectio Dei erga hominem.Nam Deus diligentes ſe diligit:ergo pro illo priori quo homo diligit Deum, diligitur ab illo;quia de ratione amicitiæ eſt amor mutuus.¶His argumẽtis, nonnulli permoti affirmant poſſe dici;priùs in genere cauſæ obiectiuæ eſſe qualitatem illam ſupernaturalem,ſed priùs in genere cauſæ efficientis eſſe amorem;ſicut idem proportionabiliter eſt de amore beneuolentiæ. Sed cõtra.Nã pro illo priori quo intelligitur actus,intelligitur etiã ipſius obiectũ,cum ab illo ſpecificetur:ergo implicat obiectũ dilectionis eſſe effectũ illius, quoniã cauſa eſt prior natura quã effectus,& indepẽdẽs ab illo : Sicut implicat per viſionem produci obiectum terminans viſionem. Neque etiam eſt par ratio de amore beneuolentiæ, quæ vt ſic non habet pro obiecto niſi rem vt poſsibilẽ,ſicut dicunt Theologi.3.p.prædeſtinationem Chriſti terminatam ad Chriſtum vt poſsibilem; at verò amor amicitiæ eſt circa obiectum exiſtens,vt explicatum eſt. Quocircá,quatuor obiectiones propoſitæ, non oſtendunt aliquid contra hoc.¶Ad primam enim dicere oportet,qualitatem hanc prouenire efficienter ab amore beneuolentiæ,& finaliter ab amore amicitiæ, id eſt, vt Deus diligat hominem tanquam amicum; debet illi infundere hanc qualitatem,ſeu gratiam. Quod eſt dicere, propoſitum Dei contrahendi amicitiam cum homine,ponit qualitatem, ratione cuius contrahit amicitiam,& huius propoſiti effectus eſt. Et per hoc patet ad ſecundam obiectionem. ¶Ad tertiam dicendum, quòd conſequentia eſt neganda. Quoniam ſi Deus de potentia abſoluta diligere vellet tanquam amicum, illum quem ſolùm ordinat in gloriam;tunc ibi ſiſteret eius amor; at de lege ordinaria,non ibi ſiſtit,vt patet in prædeſtinato, qui ex ſola vi ordinationis ipſius in gloriam, non eſt amicus Dei.Imò verò,fieri poteſt,vt quis ſit prædeſtinatus,& nihilominus de facto in tempore determinato ſit inimicus Dei,& odio habitus à Deo, nempe cùm eſt in actuali peccato.¶Ad quartam obiectionem dicemus infrà.

*Obijciũt alij quí.* *Ad Ephe.1.* *Diſſoluũtur obiectiones.*

Sed contra arguitur à pleriſq;.Nam eadem ratione,ille amor qui ſequitur poſterius natura, quam ipſa qualitas,ſcilicet ipſa gratia formalis in eſſe gratiæ,

*Duo argumenta aduerſariorum. Ad.1.*

tiæ,non erit amor amicitiæ, sed solùm beneuolentiæ,qualis etiam habetur ad peccatorem. Quod probatur primò: Quoniam ille amor est prius natura quam charitas:ergo non potest esse amicitia. Patet consequentia:Quia amor amicitiæ requirit essentialiter obiectum redamans: sed antequam intelligatur homo habere charitatem, non intelligitur redamans ipsum Deum:ergo. Antecedens verò probatur.Quia prius natura est gratia formaliter in anima quàm oriantur virtutes in potentijs,vt patet in puero cui priùs infunditur gratia,& inde posteriùs natura dimanant fides,spes,& charitas, &c. Secundò probatur:Quoniam idem patet in adulto,qui antea actualiter peccauerat. Nam cùm huic infunditur gratia,talis gratia vt est priùs natura quam charitas, non tollit peccatum illius,nec inimicitiam:ergo nõ est amor amicitiæ. Consequentia est nota, & antecedens,probatur. Quoniam peccatũ actuale illius, primò erat in voluntate: sed per id præcisè quod fit in anima, non aufertur priuatio & macula, quæ est in voluntate:ergo non censetur amor amicitiç,quousque infundatur charitas voluntati. Rursus, ista volũtas erat auersa à Deo:sed nullo modo est in se mutata,neque actualiter,neque habitualiter : ergo nõ est conuersa ad Deum: ergo ille homo non est amicus Dei,cùm habeat auersam voluntatem ab illo; alias esset conuersus ad Deum per animã, & auersus per voluntatem,quod implicat sanè:ergo,&c.

Propter hæc argumenta dici posset, non censeri hominem formaliter gratũ & amicum Dei, in casu in quo argumenta loquuntur, quousque intelligatur cum charitate ex parte voluntatis. Cæterùm,hęc responsio non satisfacit,neque videtur vera. Quoniã gratia secundum totam suam rationem adæquatam, est prior natura in anima,quam ex illa oriantur virtutes:ergo priùs intelligitur homo habere gratiã & amicitiam Dei,quã ꝙ habeat charitatem. Nã alias omnia quæ de facto sunt præuia in anima ante infusionem charitatis, possent manere simul cum peccato. Quod sane esse falsum patet: Quia posset Deus reddere aliquem gratum & amicum sibi sine infusione charitatis:ergo, &c. Nam si modo à puero baptizato auferret Deus solam charitatem præcisè, ille vere maneret gratus Deo : ergo non dependet gratia formaliter à charitate.

*Ad argumẽta aduersariorum.*

Quocircà,ad duo argumenta aduersariorum paulo antea allata respondetur, quòd quamuis amor nõ denominetur simpliciter amicitia, nisi quando est mutuus,at verò ad essentialem rationẽ amoris amicitiæ, sufficit quòd ex parte vnius extremi sit talis amor,ex quo secundum naturam rei sequitur proportionalis amor in altero extremo, licèt per accidens in illo nõ sit; vt pueri baptizati dicuntur actualiter amici Dei, licet non correspondeat ex parte ipsorum actualis amor. Et eadem charitas,quę est habitualis amicitia,est eiusdem speciei quando est in iusto,ac quando de potentia absoluta relinqueretur in peccatore;& idem est de actibus ipsius. Et idem amor essentialiter est,quo diligo Petrum, tanquam me amantem, quando ipse verè me redamat, ac quando non correspondet per mutuum & reciprocum amorem, cùm non mutetur essentialiter meus amor, ex eo quod me inscio, est vel non est in Petro alius amor reciprocus. Vnde ad argumentum cum dicitur; Amor amicitiæ requirit essentialiter obiectum actualiter redamans; negatur antecedẽs: Quia sufficit obiectum, ex quo ex natura rei possit sequi talis redamatio, licèt non sequatur de facto. Vel respondetur secundò, distinguendo antecedens, quoad denominationem, concedo; quo ad essentialem rationem, nego. Ex quo patet ordo actuum concurrentium ad amicitiam absolute denominandam. Nam in pueris, quamuis cùm primùm Deus gratiam infundit, censeantur amici, quia ex vi talis gratiæ sequitur ex natura rei amor in illis; sed de facto non denominantur amici redamantes, quousque intelligantur cum charitate; at verò in adultis qui iustificantur per contritionem, cùm illa contritio, quæ est dilectio Dei super omnia, sit ex suo genere amor amicitiæ; idcirco licet vt est prior natura, quam gratia non denominetur amicitia; at verò statim vt infunditur gratia antequam intelligamus charitatem, intelligimus amicitiam, quia iam supponitur amor mutuus. ¶ Ex quo etiam liquet, quòd amicitiæ amor quantùm ad essentiam, non pendet ex actuali redamatione. Nam eiusdem speciei est præfata illa contritio, vt est prior natura,quam gratia, & vt postea intelligitur simul cum illa; aliàs in eodem instanti transiret ex vna specie ad alteram. Sed aduerte, non esse eandem aut parem rationem in ordine ad contrahendam amicitiam inter amorem ex parte Dei, & amorem ex parte hominis. Quoniam solus amor ex parte Dei, terminatus ad creaturam, rectificat illam, & habitualiter ad se ipsum conuertit; at verò solus amor etiam charitatis ex parte hominis, non conuertit ad se necessariò voluntatem Dei. Et ob id, talis amor hominis, apud multos dicitur de potentia Dei compossibilis cum mortali, non tamen amor Dei. Et hac ratione, de facto, licèt contritio sit prior natura quam infusio gratiæ; non tamen censetur pro illo priori naturæ constituta amicitia, neque ablata inimicitia; quia nondùm intelligitur amor Dei, & gratia formalis; at verò pro illo priori, quo intelligitur amor Dei terminatus ad hominem, intelligitur ablatum peccatum, etiam priùs natura quam intelligatur aliquid ex parte voluntatis hominis. Et ita intelligitur, quo pacto tam in amore beneuolentiæ, quam amicitiæ priùs Deus dilexerit nos vt patet ex sententia Ioannis Apostoli. ¶ Ad secundum aduersariorum argumentum paulo antea positum, dicendum, quòd sicut sola gratia formaliter constituit totum hominem absolutè gratum; & ratione talis gratiæ in anima existentis, etiam voluntas ipsa dicitur conuersa in Deum, quasi habitualiter, non quidem conuersione particulari ipsius, sed conuersione totius suppositi; ita sola priuatio huius gratiæ constituit formaliter peccatum. Quoniam ista gratia formaliter est rectitudo radicalis, quam homo retinetur habere suppositа eleuatione ad finem supernaturalem, vt patet in pueris habentibus peccatum originale, qui ratione illius non habent priuationem alterius rectitudinis radicaliter, nisi gratia. Vndè, licet Deus non infunderet charitatem, sed solam gratiam, quælibet priuatio manens in voluntate, non induceret rationem peccati, neq; maculæ moralis, sicut neque

*Aduertendũ.*

*Ad secundũ.*



neque modò priuatio iustitiæ originalis, quæ manet in baptizato existente in gratia, non est peccatum; Et sicut priuatio virtutũ supernaturalium existentium in appetitu,non diceretur peccatũ,si anima & voluntas essent rectificatæ. De quibus fusius dicemus disputatione sequenti. Sed de facto peccatum priuans gratia,priuat charitate,ex qua,& ex virtutibus iustitia completur & gratia. ¶ Ad alteram impugnationem eodem secundo argumento contentam, dicendum; quòd quamuis pro illo priori naturæ, non sit mutata ipsa voluntas per aliquem actum vel habitum in se existentem; est tamen mutata indirecte,& consequenter, non quidem mutatione & conuersione physica,sed morali, quatenus ipsa anima cuius est potentia,per gratiam est mutata, quæ mutatio est sufficiens, vt iam non dicatur auersa à Deo. Imò verò, mutatio per solam infusionem charitatis,non sufficeret,quia talis charitas de potentia Dei absoluta,vt plerique concedunt, posset simul esse cum peccato. ¶ Sed nihilominus vrget adhuc argumentum. Quoniam peccatum vt est prius in voluntate, quam in anima,est ibi verè peccatum, & priuatio rectitudinis, vt infrà aperietur: sed per id quod præcisè fit in anima, non tollitur hæc priuatio,quæ est in voluntate: ergo necessario debet poni aliquid in voluntate. Respõdetur; quòd priuatio huius rectitudinis,non est priuatio charitatis;vt disputatione sequenti aperietur:sed solum est quòd hæc voluntas habuit actum priuatum ordine rationis,& conformitate ad legem Dei; Quam priuationem implicat physicè auferri: Quia implicat eundem numero actum qui fuit priuatus, habere illam eandem ordinationem, illique restitui: ergo tantum potest moraliter, scilicet quòd iam non imputetur ad culpam, quod fit per gratuitam condonationem Dei,& gratiam ipsius; non verò per hoc quòd ponat aliquid in voluntate. Nam quodcunque ponat,non tollit physice illam priuationem,vt dictum est,Cùm de potentia Dei absoluta,sit incompossibile cum illa. Ex quo aperte sequitur,peccatum non esse priuationem præcisè illius, quia priuatio nec de potentia Dei absoluta potest esse cum forma positiua,qua priuat. Et ratio horum omnium à priori sumitur ex eo,quòd peccatum nõ habet esse mortale,nisi vt offendit Deum; sic adeò, vt si illum non offenderet, potius esset defectus & imperfectio naturalis & moralis,quam peccatũ mortale. Et ob id, sicut constituitur in ratione peccati in eo quòd sit contra Deum, etiam auferetur ratio peccati,in eo quòd ipse Deus illud remittat, quod facit per ipsam gratiam,cõstituendo illum sibi amicum & gratum. Rursus etiam, quia peccatum quod manet habitualiter,solùm est defectus & imputatio moralis, atque adeò de potentia absoluta sufficiet aliquid morale vt remittatur, nempe ipsa gratuita condonatio, & non imputatio Dei. Hæc tamen omnia melius explicabuntur disputat.4. sequenti.

*Ad impugnationem.*

*Replica.*

*Solutio.*

*Ad.6.principale.*

Ad sextum argumentum principale, quod pro secunda sententia militabat. Certè probat, Deum id posse facere de potentia absoluta;& præterea dicendum est, quòd supposito quòd Deus amore beneuolentiæ vult hominem facere consortem diuinæ naturæ,& obiectum congruum diuinæ dilectionis,ad id quidem necessaria est simpliciter qualitas ista supernaturalis, non tamen ad esse dilectum & gratum formaliter actualiter de potentia Dei absoluta, vt dictum est superius. ¶ Ad septimum dicendum, quod etiam fauet sententiæ propositæ, cuius etiam solutio & intelligentia,in superioribus interpretata fuit. Sed nihilominus dicunt Theologi, ꝙ homo in puris naturalibus,si ei condonaretur gloria à Deo, & ob id diceretur acceptus & gratus ad beatitudinem sine vlla qualitate;tunc diceretur dilectus & gratus eo modo,quo prædestinati dicũtur dilecti & grati,quando non sunt. Sed hoc non satisfacit,supposita nostra sententia, Et ob id standũ est illi,& solutionibus suprà tactis. ¶ Ad octauum dicendum,quòd petitillam difficultatem, Vtrum qualitas supernaturalis gratiæ, de potentia absoluta possit manere in peccatore? De qua statim agendum est à nobis. Et nonnulli dicunt,peccatum habituale nõ posse esse simul cũ hac qualitate supernaturali, etiã de potentia absoluta. Quia tantæ nobilitatis est qualitas illa gratiæ, vt nisi peccatum habituale habeat causam sui conseruatiuam,nempe actuale peccatũ, penitus ipsum destruat & repellat,auferendo dignitatem ad odium Dei, & priuationem rectitudinis, quam actuale peccatum reliquerat. Cæterùm, de potentia absoluta Dei non implicat posse manere prædictam qualitatem cum peccato actuali, vt concedit Bartholom. Medina.1.2.quæstione. 110. artic.4. Sed de hac re statim, vt diximus, disputabitur.

*Adseptimũ*

*Ad octauũ.*

## DISPVTATIO IIII.

### *Vtrum qualitas supernaturalis,quæ est gratia, possit manere in peccatore,de potentia absoluta Dei?*

*De hac disputatione legenda sunt ea,qua diximus infra q. 113.art.2.dispu.2.3.& 4.*

Difficultãs hæc, affinis est præcedenti,& eam iuuat. In qua fidẽ supponimus & legem Dei,nempe,gratiã & qualitatem hanc supernaturalẽ, nunquã permanere in homine peccatore,& inimico Dei, sed solũ in sibi amico & grato. Supponimus etiã,hanc gratiã repellere culpã & peccatũ,à peccatore. In quo autem gehere causæ moralis vel physicę? modò nõ disputamus;disputabitur autẽ in sequẽtib⁹. Qua fide suppositа, solũ inquirimus, Vtrũ de potẽtia absoluta Dei, possint esse simul peccatum & qualitas illa gratiæ?

*Sententia prima.*

SAne,de hac re Theologi recentiores nonnulli cõcedunt,hanc qualitatem tribuere formaliter esse gratum & dilectum;posse tamen manere & relinqui in homine peccatore. Et istorum ratio est; Quia potest Deus,conseruare formã sine suo effectu formali;sicut si poneret actum visionis in lapide, ibi esset forma visionis, sed non constitueret formaliter videns. Rursus, sicut similiter anima rationalis est in osibus, in quibus est impeditus effectus formalis animæ,qui est dare esse sensitiuum: Et præterea, habitus vitiosi qui manent in homine iusto,non denominãt illum formaliter vitiosum: ergo pari ratione poterit Deus conseruare prædictam formam supernaturalem,sine suo effectu formali. ¶ Sed hic modus dicen-

dicendi,falſus eſt.Quoniã forma non cauſat effectũ formalem in ſubiecto,niſi dando ſe ipſam: implicat ergo eſſe formam in ſubiecto, & quòd ibi nõ ſit effectus eius formalis.Nam effectus formalis, non eſt aliud præter formam vt in ſubiecto, & formam informare ſubiectum,non eſt aliud, niſi inhærere illi & actuare ſubiectum, & hoc modo dat eſſe. Et ita, quia repugnat lapidem eſſe videntem, etiam repugnat viſionem eſſe in lapide. Anima autem rationalis cuicumque parti, in qua exiſtit,tribuit omnes gradus eſſentiales,quos in ſe habet;atque adeò, oſſa ſunt ſenſitiua in actu primo,licet non habeant in actu ſecundo aliquam potentiam ſenſitiuam aut actum, ex defectu ſubiecti & organorum.Et hac ratione,non differunt à carne eſſentialiter; ſed tãtum ſecundum diuerſas diſpoſitiones, vt optime docuit S.Thom. 1. p. q.76.artic.5.ad.3.Habitus verò vitioſi etiam in homine iuſto,ſuos habent effectus formales. Nam illum facilitant in ordine ad actus vitioſos.Sed de hoc aliàs.

*Sententia ſecunda.*

*Sententia.2* ALtera ſententia eſt,quòd qualitas gratiæ ſecundum ſuum primarium effectum,poteſt manere in peccatore de potentia abſoluta Dei.Quoniã eius effectus formalis, non eſt facere gratum & dilectũ formaliter, ſed proportionatum dilectioni Dei, & conſortem naturæ diuinæ:ſed non implicat proportionatum dilectioni Dei & conſortem diuinæ naturæ,eſſe in peccato:ergo.Minor probatur:Nam ob id quòd quis ſit proportionatus dilectioni Dei, non neceſſario diligitur à Deo,vt ſuprà oſtendimus: ergo poteſt non diligi:ergo etiam poteſt odio haberi ratione peccati. Ex eo verò quòd ſit conſors diuinę naturæ,id etiam non repugnat, quia non eſt aliud conſors, niſi habere in ſe qualitatem hanc ordinis ſupernaturalis,quæ eſt participatio quædam diuinę naturæ;ſed etiam fides,& ſpes ſunt participationes, licet non ita perfectæ,& tamen manent ſimul cum peccatore:ergo.Quam rationem vt intelligas, aduerte ea quæ diximus ſuprà de qualitate iſta gratiæ, nempe,habere duos effectus formales;alterum primarium,qui eſt facere obiectum diligibile,ſeu obiectum congruum diuinæ dilectionis. Alterum autem ſecundarium,qui eſt facere illud dilectũ, amatum,& gratum.Et ſicut diſtingũtur hi duo effectus, ita proportionabiliter eſt dicendum de peccato, quòd habet duos effectus; alterum primarium, qui eſt priuatio gratiæ in eſſe gratiæ & amicitiæ; alterum ſecundarium,qui eſt priuare illa qualitate ſupernaturali. Et ſicut ſecundarius effectus qualitatis gratiæ,non ſequitur ex illa in genere cauſæ formalis,nec propriè in genere cauſæ efficientis,ſed tantũ moraliter:Quia poſita illa qualitate,ſtatim Deus diligit hominem & gratum habet, licet poſſet non diligere : eodem modo ſecundarius effectus peccati;ſequitur ad peccatum,nõ in genere cauſæ formalis, nec propriè in genere cauſæ efficientis,ſed tantum moraliter;quia videlicet poſito peccato, ſtatim Deus aufert qualitatem gratiæ,licet poſſet non auferre. Sed ſicut præſcindendo in gratia vnum effectum ab alio ; principaliter ratio gratiæ, & formaliter, (loquendo de formali & actuali dilectione, ſecundum quam quis eſt dilectus & gratus,& amatus à Deo) conſiſtit in ſecundario effectu, nempe, in hoc quòd eſt hominem eſſe dilectum & amatũ; non verò in hoc quòd eſt habere qualitatem;ita prę ſcindendo in peccato vnum effectum ab alio, principaliter & formaliter, ratio peccati conſiſtit in priuatione gratiæ in eſſe gratiæ,& non in eſſe qualitatis. Ex quibus liquet, qualitatem gratiæ ſecundum primarium eius effectum,poſſe de potentia abſoluta manere in peccatore , in eſſe inquàm qualitatis, ſed non in eſſe gratiæ & amicitiæ , quantùm ad ſecundarium effectum relatum , cui verè opponitur peccatum , vt patet ex dictis. ¶Rurſus perſuadetur præfata ſententia , de permanentia gratiæ in homine peccatore quantùm ad primarium effectum. Nã de facto in homine iuſto & grato , poſtquam eſt conuerſus ad Deum , manent omnes habitus vitioſi , quos ante habebat cùm erat in peccato : non enim ſtatim repelluntur cùm eſt recenter homo conuerſus ad Deum : ergo multò melius de potentia abſoluta Dei poterunt manere in homine peccatore omnes illi habitus boni , quos antea habebat, quãdo erat in gratia:ergo permanebunt qualitates illæ habituales.Et confirmatur:Quoniam eſt ſentẽtia probabilis , quòd peccatum non expellit hanc qualitatem phyſicè ſed moraliter ; quia ſolũ definit, quia Deus non vult eam conſeruare:ſed poſito peccato,non neceſsitatur Deus ad non ſeruandam illã: ergo.¶Præterea. Eſſe gratum & dilectum ( vti diximus)nõ prouenit ab hac qualitate,niſi quodammodo vt ſecundarius effectus:ſed Deus poteſt conſeruare formas ſine ſuo ſecundario effectu : ergo ſicut conſeruat animam rationalem Chriſti,ſine propria ſubſiſtentia,quæ eſt eius ſecundarius effectus; ita in poſito:ergo.¶Ad hæc.Quia Deus poſſet beatum torquere in inferno pœna æterna ſenſus ; quoniam licet de ſe ſit proportionatus gaudio & lætitiæ,ratione gratiæ,& ſit improportionatus ad pœnam etiam ratione gratię;nihilominus Deus poteſt vincere has omnes improportiones:igitur pari modo , quamuis ratione huius qualitatis gratiæ ſit modò obiectũ proportionatum dilectioni Dei & gloriæ ; poteſt nihilominus Deus relinquere hanc proportionem in peccatore,& etiam in damnato.¶Imò verò , ſecundùm hanc ſententiam,fieri poſſet de potentia abſoluta,vt homo diligeret Deum abſque eo quòd diligeretur à Deo.Nam licet de facto oppoſitum cõtingat;nihilominus contritio , quæ eſt dilectio Dei ſupernaturalis,eſt prior in omni genere,quam gratia; & vt ſic,nempe vt prior, intelligitur procedere ab inimico & peccatore, vel non ab amico vt ſic, licet ratione gratiæ,quæ eſt in illo inſtanti, ſit amicus & non peccator; atque adeò, ſi Deus vellet non ſequi gratiam , maneret homo contritus & in peccato, quod non repugnat.Quia viſio beata eſt maius bonum,quam actus charitatis ,& magis coniungens vltimo fini,& tamen non implicat eſſe in peccatore.Et rurſus,Quia qualitas gratiæ,nõ repugnat peccatori:ergo neque diſpoſitio ad talem formã: magis enim opponitur peccato forma, quæ illum expellit formaliter,quã diſpoſitio ad talẽ formam. ¶Tandẽ. Hominem diligere Deũ,eſt diſtinctum ab eo quod eſt hominẽ diligi à Deo,& ſunt diſtinctæ gratiæ nõ pendentes eſſentialiter ad inuicẽ:ergo poteſt Deus facere primam gratiam,homini conferendo auxiliũ vt diligat Deum,ſine eo quòd velit Deus ipſum diligere , aut eius peccatum remittere. Nam ex eo quòd reus qui maximè offendit Regem, diligit illius omnia , non tenetur Rex illum etiam diligere & redamare, neque in ſui amicitiam reconciliare, aut admittere.¶Adijciunt etiam nonnulli aliam rationem , oſtendentes , poſſe conſeruari gratiam in homine exiſtente in peccato originali , vel mortali, de potentia abſoluta.Quoniam illa qualitas ſuper naturalis , dependet in fieri & in conſeruari à ſolo Deo:igitur non obſtante qualibet actione peſsima creaturæ, mala vel bona , Deus poterit conſeruare qualitatem illam animæ infuſam . Quòd verò hoc non dicat incompoſsibilitatem in ſenſu à nobis explicato , oſtendimus iam : Indiget namque hæc ratio vt efficax ſit , explicatione tradita , & quo pacto poſsit conſeruari à Deo,ſuppoſita intentione peſsima peccati actualis.¶Et cõfirmatur hæc ratio. Quia licèt peccatum dicatur effectiuè corrumpere gratiam;hoc tamen communiter explicatur à diſcipulis D.Thom.quòd non corrumpit illam ad modum cauſæ phyſicæ,ſed moralis,id eſt, demeritorię : ſed non obſtante hoc demerito,Deus de potentia abſoluta,poteſt non punire hominem,non auferẽdo gratiam ab illo:ergo.

*Durandus Gregorius Soto. Vega. Medina.*

Authores qui ſequuntur hanc ſententiam affirmatiuam , ſunt omnes illi ſuprà citati diſputat. 4. qui tenuerunt,poſſe hominem de potentia abſoluta eſſe formaliter gratum & dilectum Deo,ſine qualitate ſupernaturali gratiæ.Inter quos recenſetur Durandus,Gregorius,Pater Soto, Vega , Bartholom. à Medina hic articulo quarto & plerique alij cum Scoto,& inter hos eſt diſſenſio. Nam quidam dicũt, quòd non poteſt ſtare peccatum habituale,cum hac qualitate ſupernaturali gratiæ,etiam de potentia abſoluta. Quoniam tantæ nobilitatis eſt hæc qualitas ſupernaturalis gratiæ , vt niſi peccatum habituale habeat cauſam ſui conſeruatiuam , nempe peccatum actuale,penitus ipſum habituale deſtruat, tollẽdo dignitatem ad odium Dei,& priuationem rectitudinis,quam peccatum actuale reliquit. Concedunt tamen,poſſe manere hanc qualitatem ſuperna turalem gratiæ cũ peccato actuali,de potentia abſoluta Dei,vt cõcedit Pater Medina loco citato.¶Alij verò dicunt,tantæ malitiæ eſſe peccatum actuale,vt nõ obſtãte tali qualitate ſupernaturali gratiæ à Deo conſeruata,inferat tunc peccatum habituale, dignitatem ad diuinam inimicitiam. Nam bonum quod eſt eſſe amabile , ex integra cauſa , nempe ex iſta qualitate & priuatione actualis peccati , debet procedere;malum autem,ſcilicet eſſe odibile , ex quocunque defectu,nempe,ex præſentia actualis peccati,etiam ſi qualitas gratiæ non deſit, de potẽtia Dei, ibi conſeruata.Vnde colligunt , non implicare coexiſtentiam illius qualitatis ſupernaturalis cum peccato,tam actuali,quam habituali , de potentia Dei.

*Ruardi,& Capreoli ſententia.*

*Ruardus Tapper. Capreolus.*

RVardus Tapper ,& Capreolus,& alij,qui ſupra diſputa. 3. dicebant , neminem poſſe eſſe gratum ſine hac qualitate , pari ratione conſequenter dicunt , implicare contradictionem , quòd homo peccator poſsit perſeuerante peccato , habere qualitatem illam ſupernaturalem gratiæ, & ob id tenẽt partem negatiuam huius controuerſiæ , & dicunt, id non poſſe fieri à Deo.Quia gratia illa infuſa , formaliter illuminat animam , & facit illam conſortem diuinæ naturæ, & conſequenter repellit tenebras ſpirituales,quas inuoluit & includit peccatũ. Quæ quidem ſententia probari poteſt ſequentibus argumentis.Primum ſit.Implicat eſſe peccatorem, & eſſe gratum Deo:ergo & eſſe peccatorem , & habere qualitatem gratiæ. Oſtendo conſequentiam. Quoniam eſſe gratum Deo,eſt habere hanc qualitatem ſupernaturalem gratiæ,ſicut eſſe album eſt habere albedinem.Si dicas,effectum formalem huius qualitatis ſupernaturalis non eſſe facere gratum & dilectum,ſed facere obiectum congruum diuinæ dilectionis.¶Contra hoc ſubijcio alterum argumentum , quod ſit ſecundum. Implicat eſſe obiectum congruum diuinæ dilectionis , & quòd à Deo non diligatur : ergo implicat ſimul eſſe peccatorem , & obiectum congruum diuinæ dilectionis,aliàs ſimul afficeretur odio & amore. Probatur antecedens;quia implicat eſſe obiectum congruum odij diuini,& quòd Deus illud odio non proſequatur:ergo implicat eſſe obiectum congruum diuinæ dilectionis,& quòd Deus illud non diligat.Et confirmatur: Quia implicat eſſe obiectum congruum diuinæ dilectionis naturalis,& quòd à Deo non diligatur amore naturali:ergo implicat eſſe obiectum congruum dilectionis ſupernaturalis, & quòd non diligatur à Deo ſupernaturaliter.Probatur antecedens ex illo Geneſ.Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona,ideſt , approbauit & amauit vt bona. Et Sap.11.Diligis enim omnia quæ ſunt,& nihil odiſti eorum quæ feciſti.Et confirma.2. Quia implicat manere peccatum in homine iuſto : ergo & iuſtitiam in peccatore: ſed illa qualitas eſt formaliter iuſtitia,vt dictum eſt ſuprà:ergo.Antecedens patet:Nam iuſtum diligit abſolute Deus.Et confirmatur vltimò.Quia per iſtam qualitatem, iſte homo eſt acceptus ad gloriam & condignus illius:ergo peccator non poteſt habere illam,aliàs ſimul eſſet dignus & indignus illius.¶Tertium argumentum ſit. Peccatum eſt priuatio huius qualitatis gratiæ: ergo implicat manere qualitatem gratiæ cum peccato. Oſtendo conſequentiam. Quia implicat manere priuationem formæ cum ipſa forma, cuius eſt priuatio , ſicut implicat quòd ſimul maneant tenebræ & lux. Antecedens probatur : Quoniam peccatum eſt priuatio alicuius formæ quam homo tenetur habere:ſed non eſt alia niſi iſta qualitas ſupernaturalis gratiæ:ergo. Item,Peccatum non eſt priuatio actus ipſius Dei,quo nos diligit : ergo eſt priuatio huius qualitatis.Nam profectò ; ſi non eſt priuatio huius qualitatis,ſequitur quòd per peccatum non expellitur de facto hæc qualitas;quoniam non deſtruit niſi illud cuius eſt priuatio.Sicut,licet calor ſequatur ad lucẽ,nihilominus tenebræ per ſe non deſtruunt niſi lucem,quia tantum conſiſtunt in priuatione lucis. ¶Dices,peccatum non conſiſtere niſi in priuatione gratię,id eſt,dilectionis Dei formaliter.¶Cõtra hoc arguitur quartò.Nã pari ratione,ſicut poteſt manere qualitas gratiæ,poſſet manere charitas,non tantũ in eſſe qualitatis,ſed etiã ſecundum ſuam rationem formalem ſimul cum peccato , de eadem potentia Dei : conſequens autem eſt aperte falſum ; & ſequela

*Argum.1.*

*Secundum.*

*Confir.1.*

*Geneſ.1.*

*Sap.11.*

*Confir.2.*

*Confir.3.*

*Tertium.*

*Quartum.*

quela patet. Nam peccatum per se, non consistit in eo quòd priuet aliqua re, quæ se teneat ex parte hominis, sed dilectione, quæ se tenet formaliter ex parte Dei, & obiectiuè solùm ex parte hominis: sed charitas omninò se tenet ex parte hominis: ergo potest manere cum peccato. Sed hoc esse falsum probatur: Quoniam peccatum prius est in voluntate, quam in essentia animæ: ergo pro vt est in voluntate, est priuatio alicuius rectitudinis debitæ existentis in voluntate, sed non alterius quam charitatis: ergo peccatum primariò & formaliter est priuatio charitatis: ergo non potest manere simul cum charitate, etiam de potentia Dei. Imò verò, magis propriè peccatum priuat charitate quam gratia: Quia peccatum, est priuatio rectitudinis & iustitiæ: sed charitas in nobis formaliter existens, est magis propriè iustitia & rectitudo nostra, quam dilectio, qua nos Deus extrinsecè diligit & amat:

*Confirm.* 1. ergo. Et confirmatur: Quoniam licèt Deus nõ amaret homines amore amicitiæ, in homine posset esse peccatum: ergo non consistit formaliter in priuatione talis amicitiæ. Imò verò, de facto post primum peccatum mortale, alia quæ sequuntur, licèt sint peccata actualia de nouo; tamen non sunt priuationes actuales de nouo amicitiæ, quæ iam antea erat deperdita: ergo. Præterea; si Deus relicta obligatione præceptorum supernaturalium & auxilio sufficienti ad illa implenda, nollet nobis conferre gratiam, nec eleuare ad sui amorem & amicitiam, tunc transgressio illorum præceptorum, esset verè peccatum contra Deum, & tamen tunc non esset priuatio gratiæ, cùm non sit tunc debi-

*Confirm.* 2. ta in esse: ergo. Et confirmatur secundò: Nam charitas est amicitia: sed implicat esse amicitiam ex parte hominis, quin sit etiam ex parte Dei; Nam amicitia est mutuus amor inter duos, & importat reciprocam redamationem, mutuamque beneuolentiam: ergo. Rursus, implicat esse amicitiam ex parte Dei, quin etiam sit ex parte hominis: ergo & è conuerso, implicat quòd sit amicitia ex parte ho-

*Quintum.* minis, & quòd non sit ex parte Dei. ¶ Quinto arguitur: Si in casu quæstionis simul haberet homo charitatem & peccatum: ergo pari ratione simul posset elicere actum charitatis & peccati, & poterit simul esse conuersus actualiter ad Deum, & auersus actualiter ab ipso. Nam peccatum intrinsecè & formaliter importat quòd peccans auertatur à Deo: ergo implicat quòd simul possit manere consors diuinæ naturæ per qualitatem supernaturalem gratiæ. ¶ His argumentis persuasi plerique ex Theologis dixerunt, etiam de potentia Dei fieri non posse, vt conseruetur qualitas illa gratię in homine peccatore. ¶ Sed profectò, vtraque sententia est probabilis, propter argumenta vtrinque facta. Sed quando non est euidens implicatio & impossibilitas, declinandum est in fauorem partis affirmatiuæ. Eò præsertim, quòd secunda sententia suprà allata, explicat possibilitatem huius rei, si referatur ad potentiam Dei absolutam; & explicat, quo pacto nulla sit contradictio, aut implicatio, vt suprà vidimus. Præsertim, quòd maior pars Theologorum huius ætatis, hanc eandem partem defendit. Vndè ad argumenta partis negatiuæ, cum omni humilitate respondere conabor.

*Argumenta Ruardi & Capreoli dissoluuntur.*

AD argumenta quæ militant pro sententia Ruardi, & Capreoli, Ad 1. respondetur, Fuisse quosdã qui dicerent, qualitatem hanc supernaturalẽ tribuere formaliter esse gratum & dilectum; posse tamen relinqui in peccatore; quia potest Deus conseruare formam, sine suo effectu formali. Sicut, si poneret actũ visionis in lapide, ibi esset forma visionis, sed non constitueret formaliter videns. Veruntamen iste modus dicendi, nobis non probatur: imò verò explosus est & impugnatus in initio huius disputationis. Quocirca, ad argumentum respondetur, negando illũ esse formalem effectum huius qualitatis, vt superius diximus. Vnde, illi authores qui dicunt, hanc qualitatẽ tribuere formaliter esse dilectum & gratum; vel plurimùm sunt decepti, vel forte loquũtur de hac qualitate, non quidẽ in esse materiali, sed de qualitate secundũ extrinsecã institutionem Dei. Explicant namq; nõnulli, q̃ sicut ramus ante tabernã, & habet quòd sit ramus, quod illi cõuenit secundũ entitatẽ materialẽ; & quòd sit signum, quod conuenit illi ex institutione extrinseca, & nihilominus absolutè & formaliter ramus ille dicitur signũ; pari ratione, qualitas hæc supernaturalis instituta est à Deo, vt per illam sit homo amicus & dilectus, & ita absolutè & formaliter cõuenit illi, quòd reddat hominem dilectum & gratum, non ex vi effectus formalis, quẽ habet vt qualitas supernaturalis est, sed ex vi institutionis Dei. Qui modus loquendi in re, coincidit cum nostra sententia, dũmodò concedat, qualitatẽ gratię ex sua natura, vt qualitas supernaturalis est, tribuere homini esse obiectum congruum & proportionatum diuinæ dilectionis: nõ enim potest fingi qualitas, quę ex se non habeat aliquem effectum formalem vltimum & specificum, vt diximus disputatione. 3. aliàs illa qualitas ex sua natura tam apta esset ad munus fidei & charitatis, quam gratiæ; quod sane implicat; cùm effectus formales sint inuariabiles, & incõmunicabiles; quia essentia vnius rei, non potest alteri conuenire. Quòd verò ex Dei institutione qualitas illa supernaturalis habeat, reddere hominem formaliter dilectum, ideſt, quòd Deus statuerit habere tanquam amicũ eum, in quo fuerit talis qualitas; hoc nos in superiori disputatione decreuimus, aientes, hunc esse effectum formalem, sed secundarium. Dico secundariũ: Quia cùm ista qualitas supernaturalis, sit res in qua fundatur talis institutio, prius natura intelligitur hæc qualitas denominare secundum suum esse, quã secundum institutionem quæ in tali esse fundatur. Sicut ramus, priùs natura intelligitur habere esse naturale rami, quam esse ad placitũ, signi ad significãdum instituti. Quod quidem explicari videtur ex te-

*Ephes.1.* stimonio Pauli ad Ephesi. 1. cùm dixit; Signati estis Spiritu promissionis sancto. Quòd si prædicti authores per suam doctrinam putant, sufficienter se explicare mentem Concil. Trident. dicentis, hominem esse formaliter iustum per aliquid inhærens, sed nõ ratione inhærentiæ naturalis & materialis, sed ratione institutionis Dei; nos quidem à fortiori id melius multò explicabimus, qui non solùm hanc Dei institutionem admittimus; sed etiam asseueramus, per qualitatem illam in esse qualitatis supernaturalis,



ralis, hominem fieri gratum obiectiue, eamque qualitatem vere diffusam in cordibus nostris, qua efficimur obiectum congruum amoris Dei & dilectionis, & qua de facto secundum illius legem amamur & diligimur. ¶ Ad secundum respondetur, negando antecedens. Quia non implicat de potentia Dei, cùm esse dilectum & gratum actualiter formaliter, non sit effectus formalis primarius qualitatis gratiæ. Et ad probationem dicendum; quòd est distincta ratio prorsus de odio & de amore supernaturali: Quia odium est naturalis displicentia mali, qui actus est naturalis & necessarius in Deo, sicut & cõplacentia boni naturalis, de qua est sermo in prima confirmatione. Et similiter, suppositâ qualitate gratiæ, necessario Deus complacet in illa, sicut & in fide & spe. Quia necessariò approbat bona; at verò amor supernaturalis, est gratuitum & speciale donum, quo Deus aliquos vult in sui amicitiam eleuare, vt eos efficat supernaturalium bonorum participes; atque adeò non amat Deus necessario obiectũ isto modo, licèt habeat prædictam qualitatem; sicut, neque Deus necessario punit peccatorem in inferno, quia posset non punire; & in hoc solùm est par ratio. Dices, sufficit in homine esse peccatum, ad hoc quòd Deus absolute illum prosequatur odio, quamuis videat in eo aliqua bona supernaturalia, nempe fidem & spem: ergo sufficit in homine esse hanc qualitatem gratiæ, vt illum amet, licet alias habeat peccatum. Respondetur, negandam esse consequentiam. Quia bonum, & per consequens amor, qui ad illum sequitur, resultat ex integra causa; malum autem, & per consequens odium; ex quolibet defectu. Præterea; Quia sicut in ordine supernaturali sola gratia simpliciter est bonum, ita sola priuatio illius, quæ continetur in quolibet peccato, est simpliciter malum. Et per hoc patet ad secundam con-

*Ad 2. cõfir.* firm. Negatur enim consequentia; Quia peccatum, est priuatio gratiæ, per quam constituitur homo iustus; non verò est primario & formaliter priuatio qualitatis, nisi nomine iustitiæ, intelligas ipsam qualitatem; & tunc negatur antecedens confirmatio-

*Ad 3. cõfir.* nis. ¶ Ad tertiam confirm. dicendum, hominem esse dignum gloriæ & beatitudinis, ratione illius qualitatis supernaturalis gratię: non quia illam mereatur: quia nisi habeat gratiam formaliter, nullum opus illius erit meritorium: sed quia habet proportionem, sicut optima species dicitur digna imperio; Sed aliunde potest ratione peccati esse indignus gloria, & dignus priuatione illius. Sicut homo sapientissimus, ratione sapientiæ, dignus est Episcopatu, & obiectum congruum ad electionem illius; tamen absolute est indignus, propter vitia quæ habet. Pariter ergo ille homo, ratione qualitatis est dignus gloria, & obiectum congruum illius, id est, illi proportionatus; sed ratione peccati absolute odio habetur, tanquam simpliciter indignus, sicut coloratum occultum, de se est visibile; si tamen non auferantur impedimenta, non poterit vnquam videri.

*Ad tertium* Et hæc satis de hac solutione ¶. Ad tertium respondetur negando antecedens. Et ad probationem dicendum, quòd qualitas gratiæ, duos habet effectus, vnum primarium, qui est facere obiectum diligibile, seu obiectũ congruum diuinę dilectionis; Alterũ verò secundarium, qui est facere illud dilectum &

*Adsecundũ*

*Ad argum. Ad.1.*

*Obiectio*

*Solutio.*

gratum formaliter & actualiter. Sic ergo de peccato dicerè oportet, quòd habet duos effectus; alterum primarium, qui est priuatio gratiæ in esse gratiæ & amicitiæ; & alterum secundarium, qui est priuatio illius qualitatis. Et sicut secundarius effectus qualitatis gratiæ, non sequitur ex illa in genere causæ formalis, nec propriè in genere causæ efficientis, sed tantum moraliter, quia videlicet posita qualitate, statim Deus diligit hominem & gratum habet, licet posset non diligere; eodem modo secundarius effectus peccati, sequitur ad peccatum, non in genere causæ formalis, nec propriè in genere causæ efficientis, sed tantum moraliter, quia, scilicet, posito peccato, statim Deus aufert qualitatem illam supernaturalem gratiæ, quamuis posset eam non auferre, aut tollere ab homine. Sed sicut præscindendo in gratia vnum effectum ab altero, principaliter ratio gratiæ, & formaliter, consistit in secundario effectu, nempe in hoc, quòd est hominem esse dilectum, amatum, & gratum; non verò in eo quod est habere qualitatem: ita præscindendo in peccato vnum effectum ab altero, principaliter & formaliter ratio peccati consistit in priuatione gratiæ, in esse gratiæ, & non in esse qualitatis, vt fusius suprà aperuimus. ¶ Sed contrà. Quia non videtur soluta difficultas: Nam peccatum verè opponitur gratiæ: ergo primarius effectus peccati, verè opponitur primario effectui gratiæ: ergo non stat, esse peccatum & esse qualitatem illam in subiecto, etiam de potentia Dei. Respondetur, quod si sit sermo de gratia in esse gratiæ, sic conceditur antecedens & consequentia. Si verò sit sermo de qualitate illa supernaturali, vt ex illa profluunt duo illi effectus, sic distinguendum est consequens. Nam cùm dicitur: opponitur primario effectui gratiæ; si intelligas, id est, magis principali effectui, concedo: Sed si intelligas primario effectui, id est, ei qui est prior in ordine naturæ, nego. ¶ Quam rem vt intelligas, aduerte, contrario ordine assignari effectus in gratia & in peccato. Nam primarius effectus peccati, opponitur secundario effectui gratiæ. Et huius rei ratio est, Quoniam in iustificatione hominis priùs natura Deus infundit qualitatem supernaturalem, & mox diligit hominem amore amicitiæ; at verò statim atque homo peccat, perditur & destruitur amicitia Dei, & gratia in esse gratiæ, & statim Deus expoliat hominem illa qualitate, tanquam ea indignũ. Nam sicut in naturalibus id, quod prius generatur, est quod vltimò moritur, vt cor, & etiam in generatione ignis, priùs intelligitur producta substantia & essentia, quam calor, qui in ea subiectatur; cùm tamen in corruptione prius corrumpatur calor, & propter eius corruptionem & defectum corrumpatur substantia & essentia. Pari ergo modo in productione gratiæ, priùs intelligitur producta gratia in esse qualitatis, & statim gratia in esse gratiæ, quę in illa qualitate fundatur; at verò in eius destructione per peccatum prius definit gratia in esse gratiæ, & propter eius defectũ aufertur etiam & dissipatur qualitas gratię. Vndè ad argumentum dico, quòd peccatum non est priuatio actus, vt est in Deo, seu actus ipsius Dei, sed vt terminatus ad hominẽ, & vt vitio vertitur homini, quod sua culpa perdiderit amicitiam regis, & fecerit se in

dignum

dignum eius amore, & dignum eius odio. Ad alteram argumenti replicam: ergo per peccatū non expellitur hęc qualitas gratiæ, respondetur, formaliter vel physicè, cōcedo; moraliter & demeritoriè: nego. *Ad Quartū.* Sicq; apparet difficultatis solutio. ¶ Ad quartū, multi Theologi concedunt sequelā de potentia Dei absoluta. Dicunt enim quòd de potētia Dei benè posset homo diligere Deū, absq; eo q̄ diligeretur à Deo. Imò verò, cōtritio quæ est dilectio Dei supernaturalis, est prior in omni genere quā gratia, & prout in illo priori antecedit gratiā, intelligitur vt procedens à nondū amico, quāuis de facto & in rē secundū legē, simul sit amicus & habeat gratiā. Quocircà, ad argumentū negatur minor. Et ad probationē, oportet supponere, quòd licèt ad rationē formalē peccati, sufficiat sola priuatio gratiæ, vt patet in peccato originali: quoniā in ista gratia cōsistit principaliter nostra sanctitas & iustitia, & rectitudo radicalis; tamen non requiritur ad rationē formalē peccati, quòd sit actualis priuatio talis gratiæ, vt argumentū cum sua confirmatione optimè ostēdit. Nā posset Deus obligare ad præcepta, dādo auxilium sufficiens ad illa implēda, sine eo q̄ implētibus talia præcepta, cōmunicaret suā gratiā & amicitiā: tunc enim essent peccata cōtra Deum, & nō priuarēt gratia ipsius, quæ nec antea erat in subiecto, neque erat debita illi in esse. Tunc verò peccatū cōsisteret in priuatione rectitudinis debitæ inesse, id est in eo q̄ esset actus nō cōformis rationi rectę, & regulæ diuinæ. Cùm ergo in actuali peccato hominis, de facto modò cōcurrant hęc duo, quorū quodlibet præcisè sumptū sufficeret cōstituere peccatū; nam est priuatio rectitudinis formalis debitę in esse actui, & est priuatio rectitudinis radicalis, scilicet, ipsius gratiæ debitæ in esse animę; ideò peccatū de facto, actu cōpletur ex vtraq; priuatione; sed vna sequitur ex altera. Nā ob id q̄ actus sit priuatus rectitudine formali, sequitur quòd priuet animam rectitudine formali gratiæ in esse gratiæ, seu quod idem est, quòd priuet etiam gratia in esse gratiæ. Et hoc est omnino necessarium; Quia implicat esse gratum Deo illum, qui habet peccatum in voluntate, quamuis formaliter peccatum actuale priùs consistat in prima priuatione; non verò in priuatione gratiæ, quæ potiùs est effectus peccati, & dicitur macula & priuatio nitoris. Quòcircà, ad argumentum, fateor, peccatum priùs esse in voluntate, quam in anima, quamuis priùs natura expoliet animam qualitate gratiæ, quā voluntatem ipsa charitate. Vndè, aduerte differentiam inter odium Dei & amorem desumptum ex illo Prophetæ Oseæ. 13. *Oseæ. 13.* Perditio tua ex te Israel, in me tantummodò auxilium tuum, quòd Deus non amat nos propter aliquid quod nos facimus; sed propter aliquid quod ponit ipse in nobis. Et ita primariò terminatur amor Dei ad animam, inde ad voluntatem; at verò non odit nos, nisi propter aliquid quod nos operamur. Et ob id, motiuum odij primùm est in voluntate, & inde resultat ad essentiam animæ. Sed supposito hoc motiuo, primò & per se odium terminatur ad animam priuatam ista gratia, in qua eius radicalis iustitia & rectitudo consistebat. Quò fit, vt quoniam voluntas hominis, est priuata rectitudine formali debita in esse suo actui; idcircò Deus statim aufert gratiam in esse gratiæ, & consequenter ipsam qualitatem gratiæ, & statim charitatem, & cæteras virtutes, quæ ab illa pendebant. Et hoc ordine naturæ & rationis, intelligenda est fieri expoliatio animæ. Ex quo etiam patet, essentialem rationem peccati, saluari posse absq; eo quòd sit priuatio gratiæ in esse gratiæ. Vtrū autē cōsistat in eo quòd, positiuè sit contra legem Dei, vel in eo, quòd sit priuatum conformitate ad illam legem, hoc pertinet ad materiam de peccatis. Sed obijcies contra ea quæ dicta sunt. Priùs est peccatum in voluntate quam in anima; sed peccatum in voluntate, est priuatio rectitudinis debitæ in esse voluntati: ergo est priuatio charitatis. Quia non gratia voluntate alia rectitudo: ergo priùs deperditur charitas quam gratia. Respondetur, quòd peccatum est priuatio rectitudinis, id est, ordinis debiti in esse tam ad rectam rationem, quam ad regulam diuinam; non verò est formaliter priuatio charitatis. Tum, quia ista qualitas, de potentia absoluta est compossibilis cum peccato. Tùm etiam, quia licèt homo non haberet charitatem, verè committeret peccata: & peccata quæ aduenient de nouo, de facto non sunt priuationes charitatis de nouo. Et ob id, cùm peccatum nec fit formaliter priuatio charitatis; neque eam expellat physicè, inde est, quòd non priùs expellat charitatem quam gratiam. Nam sicut iustitia primario consistit in gratia; secundario verò in charitate; ita peccatum primariò priuat gratia, secundario charitate. Et per hoc patet ad primam confirmationem. ¶ Ad secundam confirmationem, iam diximus disputatione 3. præcedente, præsertim solutione cuiusdam argumenti. Nam licèt amor Dei sufficiat conuertere nos ad ipsum; (quia implicat peccatorem manentem in peccato, amari tanquam amicum à Deo) at nos non conuertimus necessario voluntatem Dei ad nos, neque implicat Deum amari à peccatore in casibus suprà tactis, in quibus loquimur de potentia absoluta. Vndè, ad argumentum dico, quòd charitatis amor ex suo genere, est amor amicitiæ, quia naturaliter & secundum modum communem, quem Deus de facto habet, statim sequitur amor in altero extremo; at bene potest stare talis amor ex parte hominis, quin stet ex parte Dei, sed tūc non denominabitur absolutè amicitia. Sicut bene potest qui offendit regē, amare illum maximo amore, sine eo q̄ ametur à rege. Quare autē è contra non possit stare amor ex parte Dei cū odio ex parte hominis, iam suprà assignata est differentia, quia repugnat bonitati diuinæ amare hominem existentē in peccato, iuxta elogium illud Sap. 14. Similiter autem odio sunt Deo impius & impietas eius. *Sapient. 14.* Non autem implicat contradictionem, quòd peccator præsertim habitualis, diligat Deum summum bonum. Si obijcias, quòd charitas habet ex natura sua facere bonum habentem: ergo, Respōdetur, quod in primario effectu præciso sui, nō habet absolute facere iustum, & bonum; sed bonum, idest, rectè dispositum, sicut calor est bonus igni, quamuis peculiari ratione charitas dicatur bonitas, & rectitudo moralis. Quoniam ex sua natura est coniuncta gratiæ & repugnans peccato. ¶ Ad quintum dicendum, quòd si de potentia absoluta vellet Deus conseruare in homine peccatore charitatem, tūc posset homo modò efficere actum charitatis, & statim actū pecca-

*Obiectio.* *Solutio.* *Ad 1. Confirm.* *Ad 2. Confirm.* *Ad quintū.*



peccati mortalis, sed non simul; Quia affectus peccati repugnat dilectioni Dei super omnia, qualis est actus charitatis. Neque implicat in casu quæstionis, quòd actualiter sit conuersus ad Deum secundum affectum, & habitualiter auersus ab eo secundū culpam & maculam. Sed quoniam quæ in hac quæstione dicta sunt, ad examinandam Dei potentiam sunt allata; idcircò solùm sunt intelligenda de eo ordine possibili & intelligibili, qui foret si vteretur Deus sua potentia omnino absoluta.

## DISPVTATIO V.

*Vtrùm gratia sit ordinis supernaturalis? Et, Vtrùm possit produci substantia eiusdem ordinis supernaturalis, cum gratia, & lumine gloriæ?*

Is diebus orta & nata est disputatio hæc, de qua sanè nos mentionē fecimus. 1. p. q. 12. art. 4. dispu. vnica, & ex eo loco plures sumpsere occasionem disputādi fusiùs de illa. Sed quoniam Sanctissimus Præceptor tota hac. q. 110. inuestigat essentiam gratiæ; idcircò & nos vt quidditatem gratiæ exploratam habeamus, eam hoc loco aperire decreuimus. In qua (vt arbitror) duo sunt articuli. Alter quidem de qualitate ista gratiæ, Vtrùm sit secūdum suam entitatem supernaturalis & deifica, & alterius ordinis ab his, quæ in latitudine rerum naturalium sunt contenta? Nam si gratia est ordinis naturalis, sequitur Pelagium non errauisse: Cùm ergo ille crediderit, esse ordinis naturæ; cōsequenter aiebat, ex naturæ viribus posse consequi à nobis. Sed sicut errabat in primo, ita in secundo. Alter verò, est de potentia absoluta Dei, Num implicet, creaturam produci à Deo, quæ secundum suam substantiam supernaturalis sit, cui lumen gloriæ, & dona omnia supernaturalia ordinis diuini, sint connaturalia?

Difficilis sanè est controuersia hæc, in qua supponimus, hominem eleuatum esse per gratiam Dei ad finem supernaturalem; & supponimus, ob id dari habitus & actus supernaturales; supponimus etiā, gratiam esse radicem supernaturalitatis; & ob id inquirimus, In quo consistat hæc supernaturalitas gratię, quæ communis est & actibus, atq; habitibus supernaturalibus? Certè, hæc difficultas ab antiquis Theologis sub hac specie non proponitur; si tamen de ea interrogarentur; facile dicerent (vt ex eorum scriptis liquet) supernaturale id appellari, quod vires naturales non attingunt, neq; proportionatum est rebus his, quæ sub isto naturali ordine rerum continētur; & ob id gratiam esse ordinis supernaturalis. Sed in quo consistat hæc improportio, & hæc excellētia ordinis ad ordinē, id inquirimus in præsenti. ¶ Huic difficultati posset quis dicere, supernaturalitatem propriè sumi ex improportione ad omnem potentiam creatam aut creabilem; sic adeò, vt illud supernaturalitatem diceretur habere, quod à nulla creata potentia attingi potest, & illud diceretur esse verū supernaturale, quod à nullo creato lumine posset attingi, & sic de bono, atq; de alijs; & consequēter, qualites quæ adhæc amanda, vel cognoscenda inclinant & mouent, esse supernaturales. Sed contra hoc arguitur. Quia licèt hoc sit certum; tamē huiusmodi responsio, difficultatis videtur petere principium. Nam cùm inquiritur, Cur res aliqua non est cognoscibilis naturali lumine? Respondetur. Quia est supernaturalis. Et cùm rursus inquiritur, Quare est supernaturalis? respondetur, quia non est cognoscibilis lumine naturali: ergo committitur circulus. Item etiam, quia priùs natura est, rem in se esse supernaturalem, quam non posse intelligi lumine naturali; hoc namque oritur ex illo: ergo illud non cōstituitur per hoc, sed per aliquid priùs. Inquirimus ergo, Cur angelus supremus constituatur in ordine naturali, & eius perfecta cognitio similiter; at verò cognitio fidei, sit ordinis supernaturalis, & similiter cognitio charitatis sit supernaturalis & ordinis supernaturalis, & in quo hoc consistat? Vel quid excellentius habeant in se fides & charitas? ¶ Dices, supernaturalitatem in istis actibus & habitibus, sumi ex eo quòd attingunt Deum vt est in se. Nam cùm Deus sit essentialiter infinitus, non potest ei proportionari creatura finita; nisi per aliquid quod sit ordinis diuini, & infiniti per participationem. ¶ Contra arguitur secundò. *Argum. 2.* Omnis creatura est finita creata & creabilis: ergo inter illam & Deum est distantia infinita: sed non potest sufficienter proportionari cum Deo manente distantia illa infinita; imò non videtur intelligibile, aut posibile, quòd virtus eleuandi creaturam vt proportionetur Deo, sit cōmunicabilis accidenti creato, quod & finitū est & imperfectius ipsa substantia creata; atq; adeò magis improportionatum Deo: ergo. Et confirmatur. Quoniā si datur aliquod accidens, quod ex natura sua habet attingere Deum prout est in se: ergo vt sic est accidens naturale. Patet consequētia: Quia id conuenit illi ex natura sua. Rursus; quia si daretur substantia proportionata illi accidenti, illa proculdubio esset naturalis.

*Argum. 1.*

*Confirm.*

Aliqui dicunt, quòd hæc supernaturalitas tam in actibus, quam in habitibus & in ipso fine supernaturali, vt ex vi nominis patet, ob id supernaturalitas est, quia vires naturales eam non attingunt. Quoniā supernaturale, non est proportionatum rebus, quæ sub ordine naturali continguntur. Sed certè quamuis verum sit illud, supernaturalitatem habere quod à nulla creata potentia attingi potest, quia non proportionatur rebus sub naturali ordine contentis; tamen hoc non satisfacit, neq; quietat intellectū; quia non explicat hanc improportionem & excellentiā, quam inquirimus, in quo consistat. ¶ Nam, vel super naturalitas consistit in eo quòd Deus, à quo procedunt omnia, tanquàm à prima causa, & quem respiciunt omnia, tanquam finem vltimum vel obiectum, est infinitus, & infinitum quoddam bonum & pelagus; vel quia est superioris ordinis: Non primum, quoniam Deus vt infinitus, magis pertinet ad ordinem naturalem, & vt sic est naturaliter cognoscibilis & amabilis: Non secundum, quia Deum esse superioris ordinis, non est aliud, quam habere naturam multò excellētiorem, quàm sit in creaturis: sed hoc non causat maiorem improportionem, quam sit ipsa eius infinitas;

*Tertium.*

ergo. Probatur minor. Nam non potest concipi maior excessus excellentiæ, quam infiniti secundū perfectionem & essentiam ad finitum, in quo nulla est proportio. Et confirmatur: Quoniam multò maior proportio est inter qualitatem gratiæ, & animā nostram, quam inter animam & Deum ipsum infinitū: sed Deus vt sic, est ordinis naturalis cū anima nostra: ergo & qualitas illa. ¶ Dices, hanc supernaturalitatē sumēdam esse ex ordine ad Deū, quatenus est trinus, qua ratione dicitur author & finis supernaturalis. Nam vt vnus est & vt infinitus est, dicitur author naturalis. *Quartum.* ¶ Contrà hoc arguitur quartò. Quia Deus etiam vt est vnus, est cognoscibilis & amabilis amore supernaturali. Nam per fidē cognoscimus Deum esse vnū, quem vt sic per charitatē amamus. Rursùs, quia Deus ipse secundū omnē rationē sui, est ordinis supernaturalis in se ipso, tā secundū infinitatem, quā secundū bonitatē & veritatē. Nā eius bonitas supernaturalis est, & sic de alijs attributis. Quod sanè ostendo: Quoniā fides tendit in Deū sub ratione veri, & charitas sub ratione boni vt sic: ergo Deus vt verus & vt bonus vt sic, est aliquid supernaturale formaliter; Nam vt sic, est obiectū formale habitus supernaturalis. *Confirm.* Et cōfirmatur: Quoniā si Deus vt vnus & vt prima veritas, reuelet mihi, animam esse immortalē, ita vt credā quia Deus dixit, & quia Deus reuelauit: tunc actus est supernaturalis; & tamen id quod creditur est merè naturale: testimoniū verò propter quod creditur, nō est Dei vt est trinus, sed vt est prima veritas: ergo sub hac ratione est ordinis supernaturalis, vel aliunde est sumenda ratio supernaturalitatis. ¶ Si dicas non tam sumendam esse ex obiecto, quam ex modo tendēdi in illud; quia scilicet superat vires naturales, vt patet in prædicto actu fidei, qui idcircò est supernaturalis, quia exigit maiorē & altiorē certitudinē, quā motiua naturalia possunt causare & præstare. *Quintum.* ¶ Contra hoc arguitur quintò. Nā multa sunt quę excedūt vires alicuius, quæ licèt dicātur suprà naturā illius; nihilominus tamen propriè & secundū substantiā non pertinent ad alium ordinē absolutè supernaturalem, de quo est præsens controuersia. Antecedens ostendo: Quoniā visio tam excellens, perspicax, & acuta, qualis est in aquila, est supra naturā hominis, sicut & volare & alia id genus, &c. Sed ob id tales actus secundum substantiā suam non pertinent ad alium ordinē supernaturalē: ergo. Item; Quia licet veritatem illam reuelatam ego credam maiori certitudine & excellentiori, quā motiua inferiora causare possent; sed tamen illud motiuum propter quod credo, scilicet testimonium Dei reuelātis, quatenus est prima veritas, non transcendit ordinē naturalē, *Sextum:* cùm Deus vt sic, sit ordinis naturalis: ergo. ¶ Sextò arguitur. Nam si gratia est ordinis supernaturalis, & dantur accidentia creata supernaturalia, vt lumen gloriæ, fides, charitas, spes, cur non datur substantia creata supernaturalis. Imò verò, colligo ego in bona consequentia, Dantur accidētia supernaturalia: ergo datur vel dari potest substātia creata supernaturalis. Nam valet argumentū, Dantur accidētia spiritualia: ergo datur substantia spiritualis, cuius hæc sint. Rursus, colligo hoc argumentum, Non est maior ratio cur Deus sit participabilis secundum suū esse in accidentibus, & non in substantia, potissimē quia nullum est accidens, quod non sit connaturale alicui substantiæ, cùm accidens nō sit propter se, sed propter substantiam, atq; adeò substantia propter quam est, erit finis connaturalis ipsius, & connaturale subiectum eius; atq; adeò eiusdē ordinis. Nā certa res est, quòd non possunt ista accidentia esse propter substātiam increatā, cùm neq; illi inhæreāt, neq; inhærere possint, neq; stare cum ipsius perfectione, vt patet de fide & spe, &c. ergo talia accidētia sunt propter substantiam creatam eiusdem ordinis: ergo licèt cognitio perfectissima supernaturalis, propria sit Dei, & illi connaturalis; at cognitio supernaturalis imperfecta; poterit esse connaturalis creaturæ. Sicut, quamuis intensissimus calor sit connaturalis igni; cæterùm calor minùs perfectus, potest esse connaturalis aëri, vt de facto contingit. Et confirmatur communi argumēto. Nam huiusmodi *Confirm.* accidētia sunt perfectionis finitæ, & limitatæ: igitur possunt esse alicui creaturæ connaturalia. Nā quacū que creatura data, Deus potest facere perfectiorē: ergo procedēdo in augmēto perfectionis tandē deueniemus ad aliquā creaturā tam perfectā, vt huiusmodi accidētia illi cōnaturalia sint aut esse possint.

De hac difficultate, in qua parum aut nihil reperio apud antiquos authores & Theologos, satis arbitror me facturum, si probabiliter dixero, priùs supposita fide, quæ magis regulis fidei videntur esse cōformia. Primò igitur certum sit in hac disputatione, *Conclus.* gratiam esse ordinis supernaturalis, & hoc esse de fide. Hanc assertionem supponunt omnes Theologi & Sancti Patres, imò verò tota Ecclesia eam supponit vt certam, & verissimam; aliàs periret omnis disputatio de gratia, de iustificatione, de pœnitentia, de merito, &c. Hanc vt certam tradit Concil. Trid. sess. 6. tam in decreto de iustificatione, quam in canonibus, & in vniuersa doctrina ibidem tradita. Patet etiam ex vniuersis illis testimonijs supra adductis & citatis contra Pelagium. Certè, gratia est semen Dei & fons aquæ viuæ salientis in vitam æternam, quæ cùm in clara Dei visione consistat, id quidem ostendit, hunc fontem aquæ viuæ, hoc semen Dei, & hanc gratiam esse ordinis supernaturalis. Imò verò colligo ex hoc, gratiam esse radicem quādam supernaturalium virtutum, potissimè cùm ipsa sit (vt supra vidimus) quæ dat esse supernaturale, & esse præintelligitur alijs omnibus. Si ergo gratia est radix supernaturalium virtutum, quarum actus sine supernaturali auxilio non posse haberi, supra ostendimus; & simul est pignus gloriæ supernaturalis, quæ in supernaturali actu formaliter consistit; indè facilè colligemus gratiā ipsam proximè accipere supernaturalitatem suam: Nam est semen vitæ æternæ, & fons saliens in ipsam, pignus gloriæ in actu supernaturali formaliter consistētis, quo homo redditur consors & particeps naturæ diuinæ, filius, & hæres huius beatitudinis: ergo inde proximè sumit gratia suam supernaturalitatem. Rursùs, Cùm omnis actus esse suum habeat ex obiecto, inde etiam supernaturales actus suam supernaturalitatē trahunt. Ex quo infero, quòd Deus, qui est obiectum actuum & habituum supernaturalium, non solum est causa efficiens & finalis, sed etiam est ratio seu causa specificatiua suæ supernaturalitatis. Quod sanè duobus modis explicari potest.



potest. Primò quidem si in Deo duas consideremus actiones; alteram secundum quam est imitabilis à creaturis, nempe vt est vnus, & qua ratione est author & finis naturalis. Nam omnis causa, intendit assimilare sibi effectum, Deus autem non assimilat sibi creaturas, nisi prout est vnus, & vt sic, est finis vltimus earum, secundum esse naturale eius. Secundò consideratur vt trinus; & hac ratione implicat imitari ab aliqua creatura secundum substantiam. Nam implicat dari creaturam, cuius essentia sit multiplicabilis in plura suppositа, etiam finita & creata. Quia hoc prouenit in Deo ex infinita eius essentia & perfectione. Sed nihilominus creatura est elevabilis ad talem finem supernaturalem, per qualitates, & superadditas perfectiones. Et sanè, Deus vt trinus est obiectum earum vt sic. Ex hac igitur duplici ratione finis vltimi, sumitur duplex ordo, nempe, naturalis & supernaturalis. Quoniā cùm vniuersæres creatæ, per se ordinentur ad finem, diuersitas finis arguit & ostendit diuersum ordinem esse in illis; Quia Deus vt vnus est imitabilis à creaturis, & illis proportionatus secundum suam naturam. Et ob id; omnia quæ ad istum finem ordinātur, & quæ consequenter habent inter se ordinem, dicuntur pertinere ad ordinem naturalem. At verò ea quæ ad Deum vt trinum ordinantur & ordinant, scilicet ad participandum vel attingendum illū aliquo modo vt sic, dicuntur pertinere ad alium ordinem supernaturalem.

Sed quamuis omnia hæc vera sint; tamen adhuc non explicant satis rationem supernaturalitatis. Præsertim, cùm Deus ipse secundum omnem modum & rationem, sit supernaturalis; & nihilominùs in suprà dictis saltim explicatur optimè potissima ratio, vnde oritur supernaturalitas, licèt non explicetur adæquata ratio. Quocircà, secundo modò potest explicari ratio supernaturalitatis, ita quidem vt prima radix supernaturalitatis, sit Deus in se ipso, secundum entitatem propriam & substantiam sui ipsius, secundum quam est super omnem creaturam. Etenim, vt sic verè est supra totam naturam, neque continetur intra ordinem illius. Imò verò, in se ipso ab omni ordine est absolutissimus, & vt sic secūdum suam rationem formalem; est improportionatus intellectui & voluntati, vt potè qui in sua ratione formali intrinsecè & formaliter est infinitus; & consequenter omnem proportionem cum creatura superans, & ob id nulla creatura, quæ ex eo quòd secundum suam rationem formalem creatura est, differt à Deo in infinitum, est q; illi improportionata, nulla inquam potest Deum attingere secūdum se. Quapropter, naturalis amor non attingit eum secūdum propriam rationem bonitatis, quam habet intrinsecè in se ipso. Quia neq; hæc lumine naturali cognosci potest vt est in se, sed secundum aliquam rationem sumptam ab extrinseco, scilicet, quia est principiū omnis boni creati. Neq; diligitur eius bonitas, nisi eo modo quo cōcipitur; cōcipitur autē nō vt in se est, sed ad modū bonitatis, quæ reperitur in creaturis. Ita tamen improprius est iste cōceptus, vt si Deus à parte rei haberet quod repræsentaretur in eo, non esset Deus. Omnes igitur substantiæ creatæ cum potentijs, habitibus & actibus, qui ex illis oriūtur, pertinent ad vnum ordinem inferiorē & naturalem, non eleuantem se supra se, neq; Deū vt est in se attingentem; Deus autē vt est in se & omnia illa accidentia, quæ attingūt Deum vt in se est, vel cognoscendo, vel amando illum, vel assimilādo & proportionando creaturam Deo, vt est in se; omnia inquam ista pertinent ad alium ordinem diuinum & supernaturalem.

Colligo ergo ex dictis, tāquam magis conforme fidei & rationi, sacræq; Theologiæ, quòd supernaturalitas in singulis habitibus & actibus, sumitur ex Deo, prout est in se ipso. Probatur: Quoniā habitus fidei est supernaturalis, quia inclinat in cognitionē Dei, vt est in se ipso; vel propter testimoniū Dei, vt est in se; & ob id, quamuis fidelis & infidelis credāt eandem veritatē, nempe, Deū esse trinū & vnū, diuerso tamen modo. Nā eū actus credēdi in homine fideli, sit supernaturalis, verè attingit Deū vt est in se, scilicet, vt ipse se ipsum cognoscit, & vt ipse se manifestauit nobis, reuelando illā veritatē. At verò infidelis nō cognoscit illud, vt dicitur & reuelatur à Deo, sed eo modo quo ipse concipit. Ex eodē etiā capite, facilè patet supernaturalitas charitatis: Quia tendit in Deū, vt est in se, & vt proponitur per cognitionē supernaturalē prædicto modo. De spe verò proportionabiliter dicere oportet, q̄ respicit bonū diuinū arduū secundū q̄ est in se, & quatenus subiacet firmitati, & patrocinio promissionis diuinæ. De virtutibus tamen moralibus infusis & supernaturalibus, quæ pariter immediatè respiciūt Deum, dicēdum est, q̄ tendunt in sua obiecta, vt dicunt ordinē ad Deū in se ipso. Nam si Deus prout est in se ipso superat vires naturæ, etiā ordo ad ipsum vt sic. Quatenùs ergo consideratur actus temperantiæ. v.g. tēperata comestio, vt cōformis diuinæ regulæ, prout participabilis est in natura, seu in nostra ratione naturali vt sic, habet rationē obiecti naturalis; at verò considerata, vt conformis diuinæ regulæ in se ipsa, vel secundū q̄ per fidē à nobis in se ipsa attingitur, ita vt ratio assentiendi sit cōformitas ad ipsum Deū talē materiā præcipientē; ita inquā, vt hæc præcisa ratio sufficiat honestare actū, quāuis rationi nostræ nō videretur conformis; sic habet supernaturalitatē quandā. ¶ Rursùs patet ex suprà dictis, visionem illā beatam sanctorū, ad quā prædictæ virtutes, tanquā media proportionata ordinantur, & quæ perfectissimè Deū prout est in se attingit, & consequitur, esse actum supernaturalē perfectissimū. Patet præterea, gratiam siue in esse gratiæ quatenus est amor prædicta dona supernaturalia conferens, & in illis cōplacens, siue in esse qualitatis, quatenus est illorū omniū radix & origo, esse omnino supernaturalē, & diuini ordinis. ¶ Supernaturale igitur, idem est, quòd eleuatum suprà naturam, seu diuinum. Cùm autem Deus ex sua natura habeat esse eleuatum suprà totam naturam, & supra omnem naturæ ordinem; idcircò quidquid est in Deo supernaturale est, siue sit eius cognitio, siue amor quo se diligit, siue eius veritas aut infallibilitas, aut virtus, aut attestatio. Vnde, gratia est ordinis supernaturalis, quia imitatur Dei substantiā quatenus est origo cognitionis, amoris, & aliorū attributorū. Pari etiā ratione, charitas ideo supernaturalis est, quia est producta ad exēplar charitatis, qua Deus se ipsum diligit, & sic de cæteris. Lege de hac re quæ scripsimus 1.p.q.12.art.4.disp.vni.

Secundò colligo tāquàm certum, & fidei noſtræ conforme, valdeque tutum, gratiam non poſſe eſſe connaturalem alicui ſubſtantiæ creatæ aut creabili. Quoniam ſi gratia eſſet connaturalis alicui creaturæ, iam gratia eſſet ordinis naturalis; quia implicat, vt inferiùs oſtendemus, ſubſtantiam creatam eſſe ordinis ſupernaturalis; & loco citato. 1. part. oſtendimus, lumen gloriæ non poſſe eſſe connaturale ali cui creaturæ.

Sed quoniam tota difficultas huius controuerſiæ conſiſtit in hoc vt aperiamus, cùr implicet dari ſubſtantiam creatam ſupernaturalem, ſeu ordinis ſupernaturalis, & non implicet dari accidens ſupernaturale; id quidem à nobis interpretari debet. Dico ergo eſſe implicationem dari ſubſtantiam ſupernaturalem, cui ſupernaturalitas ſit connaturalis. Et quòd hoc implicet in ſubſtantia, & non implicet in accidentibus, dupliciter poteſt explicari. Primò, quia Deus conſiderari poteſt, vt author naturalis & ſupernaturalis; & ſanè, vt eſt principium rerum naturalium præciſè, ſic nō poſtulat formaliter, quòd eius eſſentia ſit eadem numero in pluribus ſuppoſitis. Nam in quantum eſt naturale rerum principium ad extra, non poſtulat plura ſuppoſita; ſed tantū petit vnum ſuppoſitum; neque ex creaturis aliud poteſt colligi. Vnde, ſubſtantiæ naturales imitantur eſſentiam diuinam iſto modo. At vt eſt ordinis ſupernaturalis, dicit formaliter eſſentiam, quæ eadem numero manens ſit in pluribus perſonis, id eſt, vna ſecundum ſe in pluribus ſuppoſitis exiſtens. Fieri ergo ſubſtantiam ordinis ſupernaturalis, eſt fieri ad imitationem diuinæ eſſentiæ, in quantùm vna & eadem numero eſt, in pluribus ſuppoſitis exiſtens, quod apertè repugnat creaturæ. Nam deberet habere creatura per participationem id, quod Deus in ſua ſubſtantia habet per eſſentiam: Sed de ſubſtantia Dei eſt entitas vna numero communicabilis tribus ſuppoſitis, quod nullo pacto poteſt conuenire ſubſtantiæ creatæ: igitur non poteſt ſubſtantia creaturæ attingere Deum in hoc, aut imitari Deum, vt eſt trinus ſecundum ſubſtantiam creaturæ. Hanc rationem nonnulli infringere contendunt hac ætate; Cæterùm nos eius vim atq; neruos infrà oſtendemus, cùm adduxerimus rationes oſtēdentes impoſſibilitatem & implicationem ſubſtantiæ ſupernaturalis creatæ.

¶ Quòd autem accidentia ſupernaturalia habeāt aliquid, in quo Deum imitentur, vt eſt trinus, poteſt intelligi: Quia de præciſo conceptu intellectus diuini vt ſic, eſt quòd cognoſcat & intelligat Deum comprehenſiuè vt trinum & vnum, neque dicit formaliter quòd idem manens, ſit multiplicabilis in plura ſuppoſita. Cùm ergo id quod intelligimus ad noſtrum modum concipiendi veluti conſequens ſubſtantiam Dei, in nobis verè ſit accidens, ſit vt Deus ad imitationem ſui diuini intellectus & voluntatis producat in nobis fidem, & charitatem, & alia accidentia quibus illum attingamus in ſe, & quibus illum vt trinum amemus & cognoſcamus.

¶ Secundò poteſt hoc explicari & forte melius, nempe, quòd accidens poſſit eſſe ſupernaturale; atque adeò habere proportionem cum Deo, vt eſt in ſe. Quia iſta proportio, nō poteſt eſſe in ratione entis, cùm etiam in naturalibus accidens immediatè attingat ſubſtantiam, cognoſcendo & amando illam, ſed conſiſtit in ratione obiecti & potentiæ; modo autem limitato poteſt potentia, ſeu actus finitus, & limitatus verſari circa obiectum infinitum, & illimitatum. Et hoc implicat poſſe conuenire ſubſtantiæ, ſicut conuenit accidenti: Quoniam ſubſtantia non poteſt habere proportionem cum Deo, vt eſt in ſe, Nam iſta proportio in ſubſtantia, neceſſario deberet eſſe in ratione entis; quia ſubſtantia, vt ſic, eſt quid abſolutum, & non poteſt proportionari in ſolo ordine, & attingentia ad aliud, ſicut de potentia & actu dictum eſt. Vndè, cùm limitatio non proueniat ex obiecto, debet prouenire ex modo eſſendi; modus autem eſſendi ſubſtantiæ, vt ſic limitatus nō eſt, id eſt, iſto modo ſuprà tacto limitatus non eſt. Et ideò, talis perfectio ſubſtantialis, eſſet illimitata & infinita, cùm nō habeat à quo limitetur; ſicut potentia, & actus limitantur ex modo attingendi obiectum. ¶ Sed quoniam adhuc vrget difficultas de gratia quæ ſupernaturalis eſt, & tamen non limitatur ab obiecto; idcirco licèt poſſit aſſignari diſparitas, nihilominus aliam rationem reddere volumus. Nam cùm Deus, & creatura maximè diſtent, nō poteſt creatura propriè Deum attingere, prout eſt in ſe, niſi per aliquid participatum à Deo, & illi proportionatum, vt in diſcurſu primæ & ſecundæ aſſertionis diximus. Quòd ſi daretur creatura ſupernaturalis, ſecundum ſuam ſubſtantiam, ex proprijs attingeret Deum, vt eſt in ſe, quod implicare inde patet: quia attingere Deum, vt eſt in ſe, conuenit Deo ex identitate ſui ad ſe ipſum, & ex æqualitate inter ſe cognoſcentem, & ſe ipſummet cognitum; at verò nulla ſubſtantia creata de ſe habet iſtam æqualitatē cum Deo. Et ob id ex ſe, non poteſt attingere ipſum, vt ſic. Sunt namq; perfectiones aliquæ in Deo, quæ includunt in illa ratione modum quendam, quem talis perfectio habet in Deo proprium quidem ipſius Dei in ſe, vt. 1. part. diximus loco citato, & tales perfectiones non poſſunt eſſe connaturales creaturis; poſſunt tamen illis communicari, ſaltem diuina virtute, per fidem, & charitatem, &c. quæ habent attingere Deum, vt eſt in ſe: Et ob id ſunt participationes illarum perfectionum, quibus Deus ſeipſum attingit, quod proprium eſt ipſius. Eſt ſimile de angelo, qui habet modum quendam particulare cognoſcendi ſe & alia, qui non poteſt eſſe connaturalis alteri creaturæ, præcipuè inferioris ordinis, vt homini, & nihilominus poteſt ſupernaturaliter communicari illi. Simile etiam eſt de homine habēte ſpecialem modum ſentiendi, qui naturaliter non poteſt alteri communicari; benè tamen ſupernaturaliter.

### *Secundus diſputationis huius articulus, & Authoris ſententia.*

SIc adeò ſinuoſa hac difficultate præſsi, diuagati ſumus, vt non potuerimus exactam aſsignare rationem, cur non implicet dari ſupernaturalia accidentia, implicet verò ſubſtantiam eſſe ſupernaturalē, cui ſupernaturalitas ſit eſſentialis & intrinſeca? niſi interim aſsignauerimus etiā plures, & nō infimas cauſas, cur implicet dari ſubſtantiam ſupernaturalē? Nō enim poterat fieri cōparatio inter ſubſtantiam, & accidens, cur ſupernaturalitas non implicet



plicet accidentibus, implicet autem ſubſtantiæ creaturæ, niſi facta comparatione & relatione accidētis ad ſubſtantiam, & è conuerſo. Et idcirco, nonnulla diximus, quæ adhunc ſecundum diſputationis, & controuerſiæ articulum, etiam attinent. Nunc verò meā ſubijciam ſententiam circà difficultatem propoſitam, Num poſsit à Deo creari ſubſtantia ſupernaturalis, cui intrinſeca ſit & eſſentialis ſupernaturalitas ipſa, & conſequenter connaturalia omnia dona ſupernaturalia, tam gratia, quam charitas & lumen gloriæ?

*1. Propoſitio Authoris cuius de titulo quæſtionis poſito in initio huius controuerſiæ & eſt principalis concluſio.*

Sanè de re propoſita ſic ſentio, Manifeſtam eſſe implicationem dicere, poſſe produci creaturam ſubſtantialem ſupernaturalem, cui ſupernaturalitas ipſa intrinſeca ſit, & eſſentialis, ſicut naturalitas entis intrinſeca eſt cuilibet ſubſtantiæ creatæ intra ordinem naturalem rerum: Nam produci poſſe creaturā ſupernaturalibus accidentibus exōrnatam, cuius ſubſtantia naturalis eſt, ſed accidētia multa, quibus exornatur ſupernaturalia ſunt, id quidem nemini dubium eſſe poteſt, neq; in opinione conſiſtit. Vnde tota controuerſia eſt de creatura, quæ ſubſtantialiter ſit ſupernaturalis. De qua negatiuam ſuſtinemus partem. Probatur. Nam Deus, vt eſt author ſupernaturalis & finis ſupernaturalis, poſtulat formaliter, quòd eius eſſentia ſit eadem numero in pluribus ſuppoſitis, & hoc eſt naturale Deo. Nam diuinæ eſſentiæ eſt eſſentiale, eſſe in tribus perſonis, & ſuppoſitis realiter diſtinctis, ſe illis communicādo per modum naturæ, de quo non licēt dubitare: ergo fieri ſubſtātiam ordinis ſupernaturalis, eſt fieri ad imitationem diuinæ naturæ, & eſſentiæ, in quantū vna, & eadem numero ſubſtantia in pluribus ſuppoſitis exiſtit, quod apertè repugnat creaturæ quantùmcunque ſupernaturali, vt latiùs deduximus ſuprà concluſ. 3. Tunc enim ſubſtantia ordinis ſupernaturalis, diceret vnam numero eſſentiam in tribus ſuppoſitis. Et hoc inconueniens non ſequitur in accidentibus ex eo quòd detur accidens ſupernaturale. ¶ Huic argumēto aliqui Theologi reſpōdent; quòd eſt ſatis probabile, Trinitatem perſonarum non eſſe de eſſentia Dei; quia multi docent, relationes non eſſe de eſſentia eſſentiæ diuinæ. Et ſic ex eo, quòd daretur ſubſtantia ſupernaturalis, nō ſequitur, quòd illa eſſet trina in perſonis, & vna in eſſentia. Secundò reſpondent, quòd præſcindendo trinitatem à Deo, adhuc Deus habet eſſe ſupernaturale gratiæ, & gloriæ. Nam Pagani, & Gentiles conſiderant Deum, vt vnum, & non vt trinum; & ita poſſet cōmunicari ſupernaturalitas Dei, abſque eo quòd cōmunicaretur trinitas. Tertiò reſpondent, quòd gratia eſt ordinis diuini & ſupernaturalis; & tamen nō ob id eſt trina, aut dicit ordinē ad plura ſuppoſita. ¶ Sed iſtæ ſunt euaſiones friuolæ, & quæ non diſſoluunt argumentum. Nam licèt relationes diuinæ nō eſſent de eſſentia diuinitatis, ſub cōceptu relatiuo; tamen non eſt poſitum in opinione, quòd eſſentiæ diuinæ ſit intrinſecū, & naturale, eſſe in tribus perſonis, & ſuppoſitis realiter diſtinctis, communicando ſe illis per modum naturæ. Neque eſt poſitum in opinione, quòd ſit naturale Deo, in vnitate ſuæ naturæ habere tria ſuppoſita perſonalia. Imò verò hoc eſt Deo proprijſsimum, & naturaliſsimum. Quocircà, iſta propoſitio, Pater eſt Deus, eſt per ſe, & eſſentialis; ergo præfata aduerſariorum ſolutio, non ſolùm non diſſoluit argumentum, ſed eſt parū tuta. Et quidem parùm intereſſet, quòd relationes eſſent de eſſentia eſſentiæ, ſi ſemel data creatura illa ſupernaturali ſecundum ſubſtantiam, illa haberet vnitatem naturæ ſubſtantialis, in tribus ſuppoſitis creatis. Nam hoc eſt inconueniens, quod attulimus in argumento. Rurſùs, cùm ſint opiniones de diuinis relationibus, Vtrùm ſint de eſſentia eſſentiæ diuinæ; certum eſt, quòd vna illarum opinionum de facto eſt vera, & neceſſaria, & altera impoſsibilis. Si ergo affirmatiua ſententia eſt vera, altera erit impoſsibilis, & tunc ſolutio data, neque eſt ſolutio neque euaſio, ſed temeritas, & falſitas. ¶ Neque ſatisfacit etiam ſecunda ſolutio, nempe, quòd præſcindendo à Trinitate, adhuc habet Deus eſſe ſupernaturale gratiæ & gloriæ. Quia hoc ſolùm arguit quòd poteſt producere Deus creaturam ſupernaturalem alicuius accidentis, in ordine gratiæ & gloriæ. Et hoc verificatur in accidentibus ſupernaturalibus gratiæ, & charitatis, & formalis beatitudinis conſiſtentis in actu vitali videndi Deum: ſed non verificatur in ſubſtantia ſupernaturali ſecundum ſuam eſſentiam: Quia ſupernaturalitas ſubſtantialis, & intrinſeca eſſentiæ illius creaturæ, quæ ſingitur ab aduerſarijs, debet eſſe ad imitationem eſſentiæ & ſubſtātiæ diuinæ; nam reliqua, quæ diſtinguntur ratione ab eſſentia, vt iuſtitia, ſapientia, lumen gloriæ, hæc optimè quidem ſecundum accidentia communicantur creaturis. Neque ſatisfacit etiā præfata ſolutio: Quia ſi id quod primò ſupernaturale eſt in Deo, quod eſt Trinitas ſuppoſitorum in vnitate eſſentiæ, præſcindas & repellas, continuò Deum tollis, & reliqua ſupernaturalia. ¶ Tandem, tertia aduerſariorum reſpōſio, etiam non ſatisfacit. Nam accidentia, non ſunt inſtituta propter ſe, ſed magis ad perficiendas ſubſtantias, & non ſunt entia ſimpliciter, ſed entis entia; neque conſtituunt per ſe ordinem rerum diſtinctum, à ſubſtantijs, ad quas reducuntur, quem tamē conſtituunt ipſæ ſubſtantiæ. Et rurſus, accidentia non habent eſſe per ſe, neque poſtulant perſonalitates, aut ſuppoſita ad naturalitatem ſuæ eſſentiæ, & ob id quamuis dentur ſupernaturalia accidentia, non ſequitur idem inconueniens, quod in ſubſtantijs ſupernaturalibus. Et nihilominus adhuc accidētia ſupernaturalia quod habeāt aliquid, in quo Deū imitentur, vt eſt trinus, apertè deduximus & oſtendimus concluſ. 3. præcedente.

Quocircà, præfatum argumētum ſententiam noſtram oſtēdens, neruos habet & efficax eſt. Nam optimè ſequitur; Si Sapientia eſt ſubſtantialis, & eſſentialis homini: ergo ipſe homo eſt formaliter & eſſentialiter ſua ſapientia, ſua iuſtitia, ſua bonitas. Nam idem argumentum fieri poteſt de iuſtitia & bonitate: ergo pari ratione optimè colligitur, ſupernaturalitas eſt ſubſtantialis, & formalis, ſeu intrinſeca alicui creaturæ: ergo talis creatura ſubſtantialiter ſupernaturalis, eſt ſua ſupernaturalitas, ſed ſupernaturalitas diuinæ ſubſtantiæ conſiſtit in hoc, quòd ſit vna natura & ſubſtantia in tribus perſonis: ergo talis creatura ſubſtantialiter ſupernaturalis, eſſet ſubſtātialiter vna in eſſentia, in tribus ſuppoſitis, quod repugnat creaturæ. *Aduerte rationem.*

¶ Nā rogo, ſi ſubſtātia illius creaturæ à Deo facte,

est supernaturalis, cùm illa substantia sit supernaturalis per participationē, inquiro, cuius entitatis supernaturalis Dei debet esse participatio? Quia loquendo in sensu formali, supernaturalitas substātialis naturæ, non dicitur participatio amoris, aut intellectionis, aut iustitiæ, aut luminis gloriæ: ergo formaliter loquendo, est participatio ipsius substantiæ, & naturæ diuinæ; & ita sequitur intentū. Et confirmatur. Nam si potest dari creatura supernaturalis secundum substantiam: ergo pari ratione potest dari creatura, cui sapientia sit substantia, & iustitia sit substantia. Patet sequela. Quia fieri potest creatura cuius supernaturalitas sit substantialis, vt aduersarij fatentur: ergo potest fieri creatura, cui iustitia & sapientia sit substantialis. Nam cur implicat hoc, & non illud? cùm tam essentialis, & substantialis sit Deo sua sapientia, & sua iustitia, sicut sua supernaturalitas, atq; excellentia entitatis substantialis.

2. *Probatur.* Secundò etiam probari potest, apertam esse repugnantiam, posse produci creaturam substantialem, supernaturalem, cui supernaturalitas sit intrinseca, & essentialis; Sicut naturalitas entis *intrinseca* est, cuilibet substantiæ creatæ, intra ordinem rerum naturalium, quod aduersarij fatentur. Nam si daretur creatura intellectualis secundum eius substantiam, & essentiā supernaturalis, & talis cōderetur à Deo; profectò talis creatura esset condita in natura integra supernaturali: ergo huiusmodi creatura supernaturalis intellectiua, cùm esset in statu integro, esset beata: ergo ex sua natura supernaturaliter beata. Nam homo in natura integra, in ordine ad finē naturalem est naturaliter beatus, & angelus perfectè cōditus in naturalibus, est naturaliter beatus: ergo creatura intellectualis substantialiter supernaturalis, esset supernaturaliter beata: Nam supernaturalia habent commēsurationem ad beatitudinem supernaturalem: Et finis commēsuratus, & proprius creaturæ supernaturalis, necessariò debet esse finis supernaturalis: ergo hūc assequeretur ex suis viribus, qui cùm in visione Dei consistat, sequitur talē creaturam esse naturaliter beatam. *Aliud arg.* ¶Imò verò, rectè sequitur; datur creatura quæ substantialiter est supernaturalis, & illa est intellectiua: ergo intellectus eius est supernaturalis: ergo lumen sui intellectus est supernaturale. Sed lumen intellectus euidēter, & clarè demonstrat, & ostendit prima principia: ergo tale lumen necessario ostendet principia supernaturalia fidei nostræ, clarè & euidenter: sed vnum ex principijs supernaturalibus est, Deum esse trinū, & vnum: ergo notitia clara, & euidenti cognoscetur ab illa creatura hoc principium supernaturale, & euidenter illud penetrabit, siquidem illud lumē supernaturale euidens & clarum, est congenitum à natura, & deriuatum ex intellectu supernaturali, sicut nostrum lumen naturale deriuatur à nostro intellectu, & ab essentia intellectuali. Et ex hoc sequitur, quòd talis creatura non poterit habere fidem.

*Confirm. 2. argum.* ¶Et confirmatur secunda ratio. Nam esse supernaturale per se, & habere per se lumen gloriæ, & visionem beatam, id quidem est proprium, & essentiale Deo: ergo sicut implicat essentiam hominis communicari alteri, qui non sit homo, ita esse supernaturale, quod essentiale est Deo, implicat quòd alteri communicetur à Deo. Huic confirmationi aduersarij respondent, quòd licèt esse supernaturale infinito modo, sit proprium & essentiale Deo, sicut esse sapientem infinito modo, & tamen esse supernaturale finito modo, nihil obstat, quòd communicetur alicui substantiæ. Sed hæc solutio non satisfacit. Nam etiam implicat, essentiam hominis, quæ finita est, communicari alteri, qui non sit homo, etiam si id sit per maiorē limitationē rationalitatis. Itē etiā: quia quantumcunq; creatura illa spiritualis, & supernaturalis in substātia, limitata sit, & finita, habet intellectum supernaturalem, & lumen intellectus supernaturale, clarum, & euidens, & cognoscit euidenter finem supernaturalem suum, & omnia principia fidei religionis nostræ; Imò verò habet voluntatem supernaturalem, & consequenter amorem supernaturalem, ab eadem voluntate productū, quo necessariò fertur in supernaturalem finem. Ex quo sequitur, quòd si talis substantia spiritualis substantialiter est supernaturalis, quòd quantùmcunq; eius substantia sit limitata, posset Deus facere quòd sapientia & iustitia illius creaturæ esset supernaturalis, & substantialis; & sic iustitia & sapientia essent substantiæ in illa creatura. Nam si supernaturalitas, potest esse substantialis illi, cur non iustitia, aut sapientia poterit esse substantialis, licèt ea limitatè cōmunicetur? aut cur nō implicat, q̄ supernaturalitas limitata, substātialis sit creaturæ, & implicat q̄ sapiētia substantialis supernaturalis, sit essentialis creaturę, nō quidē infinito modo, sicut in Deo, sed finito, & limitato. ¶Certè, cùm substantijs conueniat esse per se, si crearetur substantia supernaturalis intrinsecè, iam talis substantia esset supernaturalis, secundum suam essentiam, & secundum suam formam; & hic est punctus quæstionis: Quia difficultas non cōsistit in hoc, vtrum Deus possit facere creaturā naturalem donis supernaturalibus accidentium exornatam? Nam hoc omnes concedunt. Sed controuersia est de supernaturalitate substantiali. Huic obiectioni respondent nonnulli, quòd ex hoc quòd substantiæ communicetur, esse per se, & intrinsecè supernaturale, non extrahitur à ratione creaturæ, neque negatur, à Deo fuisse creatam: Quia angelus est ab intrinseco intellectiuus & incorruptibilis; & nihilominus simul stat, quòd id receperit à Deo: ergo pari ratione, ille modus per se & substantialis additus supernaturalitati, non tollit quòd talis entitas sit finita & participata. Cæterùm hæc responsio friuola est: Quoniam id supponit titulus quæstionis, nempe, quòd sit creatura. Nam ad extra nihil producitur substantiale à Deo, quod non sit creatura, aut quòd non sit limitatum & finitum. Et id nos contēdimus, quod si est creatura, non potest esse supernaturalis substantialiter, & secundum essentiam suā: Quia hoc est facere creaturam finitam & infinitam, limitatam & illimitatam, & beatam supernaturali beatitudine secundum suam essentiam, & aliàs impeccabilem & vnam in essentia, & trinam in personis.

*Solutio aduersariorum.*

*Impugnatio solutionis.*

3. *Ratio.* Tertiò ostendi potest nostra sententia. Nam visio beatifica, quę in intuitiua Dei cognitione consistit, non potest esse connaturalis alicui creaturæ: ergo neq; lumē gloriæ, neq; amor supernaturalis charitatis, neque gratia, neque dona supernaturalia; quia hæc omnia ordinantur ad illam visionem, & lumen ordinatur



ordinatur veluti actus primus ad secundum; & natura non dat primum, nisi propter secundum: & in vniuersum, si principium agendi est connaturale, etiam agere: ergo si daretur creatura supernaturalis secundum substantiam, cui esset connaturale habere lumen gloriæ; etiam illi esset connaturale videre Deum facialiter. Probatur antecedēs: Quia modus illius visionis excedit modum essendi creaturæ, & modum cognitionis connaturalem illi, vt fusè sumus interpretati. 1.p.q.12.art.4. in probatione concluſ. Nam omne lumen connaturale creaturæ, facit cognoscere per modum alicuius potentialitatis, & in ordine ad aliquam compositionem: ergo necessariò dimanat ab essentia habente illum modum essendi: Quia non potest esse essentia creata, quæ non habeat illum modum essendi: sed lumen gloriæ habet modum essendi multò superiorem: ergo fieri nō potest, vt dimanet naturaliter ab essentia alicuius creaturæ.

*S.Thom.* Sanctus Thomas. 1.p.q.12.art.4. assignat rationem nostræ sententiæ, quæ optima est, nempe, quòd proprietates conuenientes alicui creaturæ, secundum quòd talis est, non possunt esse connaturales rebus habentibus diuersam naturā; & præcipuè si res sint inferiotis ordinis: sed lumen gloriæ secundum se est connaturale diuinæ naturæ, vt talis est; quæ natura non potest esse alicui creaturæ connaturalis: ergo. Quocirca, licèt creatura possit participare per suam naturam esse diuinum, secundùm quandam rationem communem & imperfectam; tamen secūdum ea, quæ sunt Dei propria, vel nullo modo potest participare, vel saltem non per naturam, sed per aliquid superadditum naturæ; Videre autem Deum prout est in se, includit modū quendam cognoscēdi proprijsimum ipsius Dei. Quam rationem fusiùs sumus prosequuti. 1.p. loco citato, vbi diximus, quasdam esse perfectiones, quæ in sua ratione formali includūt proprium esse Dei, & modū propriū Dei. ¶Tertiam hanc rationem videtur insinuare Scriptura Ioan. 1. cùm dixit, Deum nemo vidit vnquam. Nā licèt nemo viderit Deum nisi ex dono ipsius, & ex summa gratia, atq; liberalitate eius; tamen D. Ioan. non solùm voluit his verbis excludere creaturam à visione comprehensiua Dei, verumetiam à visione sibi connaturali, per connaturale lumē gloriæ. Qua si diceret, illud creaturæ non posse esse cōnaturale, vt sic Deum cerneret connaturaliter; Ita vt lumen ab ipsa creaturæ substantia dimanaret, non secus atque lumen naturale, quod à substantia angeli mediante intellectu eius dimanat.

*Ioan. 1.*

4. *Ratio.* Persuadetur rursùs idem pronuntiatum. Quia si Deus posset producere creaturas intellectuales supernaturales in sua substantia, pari ratione produceret easdem cum amore supernaturali, & consequenter cū gratia. Imò vero ipsa supernaturalitas substātialis earū esset ipsum esse diuinū supernaturale, & haberet eundem effectum, quem habet gratia: Nam per supernaturalitatem illam substātialem, creatura illa esset consors naturæ diuinæ, & consequēter haberet gratiam sibi naturalem, tanquā propriā passionem, per quam esset consors naturæ Dei, & supernaturalis fœlicitatis hæres. Ex quo sequitur, quòd si gratia est naturalis huic creaturæ, & hæres beatitudinis, quòd talis creatura dicitur filius Dei, & cùm sit illi naturalis ipsa gratia, sequitur, quòd est filius naturalis Dei: Quia cùm non habeat rationem filij per gratiam extrinsecam, sed per naturalem & substantialem, sequitur, quòd talis creatura nō haberet rationem filiationis, eo modo quo nos habemus per gratiam. Et cōfirmatur: Quia si gratia posset esse naturalis alicui creaturæ cùm reliquis habitibus supernaturalibus; sequeretur, quòd gratia filiorum Dei, per accidens esset ordinis supernaturalis, siquidem creatura aliqua eam poterat naturaliter habere, ex proprijs naturæ viribus: sed est absurdū dicere gratiam, lumen gloriæ, visionem beatificam secundum se, & per se loquendo non esse ordinis supernaturalis: ergo. Profectò, si visio Dei supernaturalis est: ergo omnia media ad illā sunt supernaturalia & gratuita: ergo non possunt esse cōnaturalia alicui creaturæ: ergo non potest dari creatura supernaturalis secundum substantiam: Et durissimum est, persuasioneq; inintelligibile, quod detur substātia aliqua creata, cui sit naturale cernere Deum intuitiuè. Et ob id etiam dictum est, quòd Deum nemo vidit vnquam, sed neq; videre potest. Nam nulla creatura vnquam intellectualis poterit habere, vt sibi naturale, lumen glorię quo Deum cernere possit. Imò verò sequeretur ex aduersariorum sententia, quòd obiectum adæquatū illius substātiæ supernaturalis creatæ, esset Deus; & quidquid participat supernaturalitatem Dei in tota sui latitudine; Et ita eius adæquatum obiectū esset ens supernaturale infinitū.

5. *Ratio.* Præterea quintò ostenditur eadem assertio. Nā si posset produci supernaturalis substantia; illa quidē esset per naturam impeccabilis; Nam per naturam suam haberet gratiam: ergo per naturam suam haberet charitatem: ergo impeccabilitatem. Quòd verò talis creatura supernaturalis in substantia, haberet naturaliter gratiam, & consequenter charitatē, & impeccabilitatē, patet. Nam talis substantia creata, esset supernaturalis per propriam substantiam: ergo consors diuinæ naturæ: ergo obiectū congruum diuinæ dilectionis. Imò verò, si talis creatura daretur, esset filius Dei, ex vi supernaturalitatis substātialis, & ex eadē vi esset obiectū congruū dilectionis diuinæ, & obiectū dilectum à Deo, & consequēter haberet charitatem supernaturalem cōgenitam, & naturaliter deriuatā: ergo talis creatura esset impeccabilis. Quòd verò nulla creatura præsertim in ordine ad finem supernaturalē, si libera est, possit esse impeccabilis, nos fusè ostendimus; tùm ex Sanctis Patribus & Theologis Scholasticis, tū etiā plerisq; rationibus, ijsque euidentissimis. 1.p.q.63.art.1. disputa.1. concl.7. & alijs. Et probatur. Voluntas creata non potest esse regula suorū actuū: *solus enim Deus* & sua volūtas potest esse regula suarū actionū. Nā omnis volūtas præter increatā Dei, est defectibilis; quia sola illa habet regulam naturaliter & inseparabiliter coniunctam omnium actionum; sed nulla voluntas creata, aut creabilis potest esse à se ipsa: ergo non potest esse similiter sibi prima regula operandi. Vndè, sicut habet authorem sui esse, ita habet superiorem à quo dirigatur. Si ergo voluntas illa est defectibilis, cùm non sit ipsa regula suarum actionum, sequitur non posse esse impeccabilē per naturā. Et confirmatur. Omnis creatura producta aut producibilis, est finita in se & in sua

bonitate: ergo ſicut habet authorem ſui eſſe,ita habet ſuperiorem à quo dirigatur: ergo ipſa non poteſt eſſe ſibi ſua regula agendi. Et confirmatur iterum. Nam voluntas creata non poteſt habere ſe ipſam pro vltimo fine, ſed Deum: ergo neceſſariò habet Deum pro regula ſuæ rectitudinis: Nam in moralibus finis vltimus eſt regula actionum: ergo voluntas creata habet pro regula rectam rationem ſuam,in qua poteſt eſſe defectus. Nam non adhæret immobiliter tali regulæ indefectibiliter ex natura ſua, niſi per viſionem beatam, quam nemo poteſt habere connaturalem. Tandem confirmatur. Nam ſententia Sanctorum, ex eo quòd creatura facta eſt ex nihilo,infert quòd ſi creatura eſt ex nihilo, & in nihilum conuerti poteſt,quòd poteſt peccare & deficere. Patet conſequentia. Quia vnaquæq; res ita operatur, ſicut habet eſſe: ſed eſſe cuiuſlibet creaturæ,eſt defectibile: ergo poteſt deficere ſecundum operationem, & peccare.

*Reſpondent aduerſarij.* Huic argumento dicunt aduerſarij, quòd de potentia abſoluta poteſt dari creatura per naturam impeccabilis,Sed hoc iam eſt à nobis impugnatum,& ex profeſſo impugnatur.1.p.loco citato.Secúdò dicunt,quòd fortaſſe producta & creata illa creatura ſupernaturali ſecundum ſubſtantiam, non haberet naturaliter charitatem,& alios habitus ſupernaturales quibus redderetur impeccabilis; Quia licèt iſti habitus eſſent eiuſdem ordinis cum illa ſubſtantia ſupernaturali,& eſſent proportionati eius potétijs, adhuc non eſſent congeniti; ſed eſſent acquiſibiles per proprios actus illius ſubſtãtiæ,ſicut de facto homo per proprios actus acquirit habitus naturales virtutum,qui ſunt eiuſdem ordinis cum potentijs.

*Replica.* Sed hæc euaſio non ſatisfacit: Quia ſi creatura illa eſſet impeccabilis,vt iſti neceſſariò putant,tunc neceſſariò haberet gratiam & charitatem coniunctam inſeparabiliter. Secundò, non eſt ſimile de habitibus acquiſitis: Quoniam habitus acquiſiti ponuntur ad facilitandum potentiam,& ad commenſurationem cum obiecto & actibus: ſed ſi daretur creatura ſupernaturalis ſecundum ſubſtantiam, illa eſſet commenſurata cũ obiecto ſupernaturali,& actibus circa ipſum obiectum: Nam cùm ſubſtantia illius creaturæ ſit ſupernaturalis, intellectus & volũtas ipſius erunt ſupernaturales: ergo habebunt naturaliter proportionem & commenſurationem cũ obiecto ſupernaturali: ergo non requiruntur habitus adiecti ſupernaturales ad commenſurationem, & proportionem cum obiecto, aut cum actibus eliciendis. Rurſùs, non requiruntur tales habitus acquiſiti ad difficultatem agendi vincendam. Quia, vt ſuppoſuimus,ſi daretur creatura ſupernaturalis ſecundum ſubſtantiam,& potentias,illa eſſet integra natura,& nullam difficultatem pateretur in agẽdo; Imò verò,omnis amor elicitus à volũtate eius eſſet ſupernaturalis, & lumen quòd haberet ex parte intellectus non poſſet non eſſe ſupernaturale, euidenter,& clarè oſtendens omnia principia ſupernaturalia,& omnes fidei articulos: igitur præfata aduerſariorum ſolutio non ſatisfacit.

*Propoſit. 2.* Ex quibus omnibus apertè colligo ſecundã propoſitionem;nempe,Deum potuiſſe accidentibus cõmunicare ſupernaturalitatem, & de facto communicaſſe,& non potuiſſe facere ſubſtantiam ſupernaturalem ſupernaturalitate ſubſtantiali: Nam mirabile eſt Deum potuiſſe facere ſubſtantiam ſupernaturalem,& creaturam ordinis ſupernaturalis ſecundũ ſubſtantiam, & intellectum ſupernaturalem ab intrinſeco; & quòd non produxerit de facto vllã ſubſtantiam ſupernaturalem, aut vllum intellectũ ſupernaturalem. Cui hæc accidentia eſſent connaturalia,& intrinſecè proportionata,iuxta ſubſtantialẽ ipſius ſubſtantiæ creatæ ſupernaturalitatem. Neque poteſt reddi efficax ratio,cur id non fecerit, cũ poſſet facere; cùm etiam de facto produxerit accidẽtia ſupernaturalia. Certè accidentia ex natura ſua non ſunt propter ſe facta; ſed propter ſubſtantias, & potiſſimè vt perfectiones ſuperiorum inferioribus cõmunicentur. Et inde fit, vt quòd aliqua ſubſtantia perficiatur ſupernaturaliter,poſsit ei communicari per accidentia à Deo; non tamen per ſe ipſam immediatè aut ſubſtantialiter: Multa namq; communicãtur ſubſtantijs per accidentia, quæ per ſe ipſas non poſſunt habere immediatè: Nam agere,& poſſe agere tam in actionibus ad intra, quã in actionibus ad extra,conuenit ſubſtantiæ, per potentiam & facultatem ſuperadditam agendi,& per actionem,& neutrum horum immediatè poteſt habere ſubſtãtia per ſe ipſam, ſine potentia adiecta: Sed hoc eſt proprijſſimum Dei,quòd agat immediatè per ſe ipſum. Pari ergo ratione, ſupernaturalitas poteſt communicari ſubſtantijs per accidentia ſupernaturalia,non tamẽ poteſt ſupernaturalitas cõmunicari ſubſtantijs ſubſtantialiter,vt dictum eſt & oſtenſum. Quo fit,vt ac cidentia ſupernaturalia ſolum reducantur ad Deũ, à quo ſolo habent naturaliter dimanare: Nam cum accidentia non ſint entia,ſed entis entia, per ſe nõ habent ordinem,neq; conſtituunt ordinem, ſed reducũtur ad ordinem illarum ſubſtantiarũ,à quibus naturaliter oriuntur & dimanant: igitur ſicut lux reducitur ad principium lucis,hoc eſt, ad ſolẽ tanquam ad fontem eius,à quo naturaliter emanat, & non reducitur ad aërem, licet in eo inueniatur lux; pari ratione,ſupernaturalia accidentia non ſunt reducibilia, neq; poſſunt reduci ad ſubſtantiã aliquã ſupernaturalẽ creatam, ſed reducuntur ad Deum à quo ſolo habent naturaliter dimanare, & non reducuntur ad ſubſtantiam creatam,à qua emanant,aut emanare poſſent. Ex qua doctrina S.Thom.1.p.q.12. art.5.ad.3.intulit, lumen gloriæ non poſſe eſſe connaturale alicui creaturæ, niſi creatura eſſet naturæ diuinæ; ſicut neque lux ſolaris poteſt eſſe connaturalis niſi Soli. ¶Ex quo vlteriùs infertur,quòd ſi daretur ſubſtantia aliqua, à qua emanarent ſupernaturalia accidentia, illa ſubſtantia eſſet apertè Deus. Nam ſi eſſet talis ſubſtantia, cùm illa eſſet ens ſimpliciter, per ſe conſtitueret ordinem rerum ſupernaturalium: Nam non eſſet entis ens,ac proindè illa accidentia ſupernaturalia quæ ab ea emanarent, non reducerentur in Deum, ſed ipſa eſſet Deus, & inde ſequitur manifeſta implicatio: Quia ſi illa ſubſtantia eſſet per ſe ſupernaturalis, ſeu ſubſtantialiter, ad eam reducerentur accidẽtia ſupernaturalia, quæ ab ea dimanarent: Sicut lux omnis ad Solem reducitur, veluti ad ſuum fontem, & conſequenter talis creatura eſſet Deus,& ſimul nõ eſſet Deus, quia eſt producta: Implicat ergo, q; detur talis ſubſtantia ſupernaturalis, & non implicat,quòd detur accidens

*Arg. pro ſtra ſentẽ.*



accidens ſupernaturale: Quoniam accidens non cõſtituit per ſe ordinem diſtinctum rerum; ſicut conſtituit ſubſtantia. Et hinc etiam colligo, non poſſe dari intellectum ſupernaturalem creatum,aut potẽtias vitales ſupernaturales,licèt ſint accidẽtia: Quoniam huiuſmodi potentiæ vitales, non poſſunt dari,niſi procedẽtes à ſubſtantia viuente, quam poſſe dari ſupernaturalem, eſt impoſsibile, vt oſtenſum eſt ſupra: Nam Deus creauit de facto omnes gradus creaturarum (vt diximus in materia de Angelis) ſaltem omnes gradus in genere, & non creauit vllam creaturam ſupernaturalem ſubſtantialiter: ergo illa non eſt poſsibilis; quia mirabile eſt, quòd ſi potuit producere non produxerit de facto; cùm tamen de facto produxerit accidentia ſupernaturalia, ad eundem ordinem pertinẽtia: ergo implicat quòd detur talis ſubſtantia; & eatenùs implicat inter implicationes alias; quia ſi daretur, haberet naturaliter gratiã, & cætera dona ſupernaturalia, & habitus ſupernaturales, & charitatem; & forte lumen gloriæ, & vt minimum haberet lumen quoddam ſupernaturale deriuatum ex intellectu ſuo ſupernaturali, quo euidẽter, & clare cerneret omnia ſupernaturalia principia, & inter illa illud, quòd Deus eſt trinus & vnus. Quæ omnia, quam habeant difficultatem, ſuprà aperuimus.

*Aduertenda doctrina.* Dicendum igitur eſt, in Deo duo eſſe genera perfectionum: Nam quædam ſunt perfectiones ſimpliciter, vt, eſſe, viuere, intelligere, & iſtæ in proprio ſuo conceptu non includunt proprium modũ, quo ſunt in Deo, & ob id produci poſſunt, & communicari creaturis; non tamen in eo gradu, quo ſunt in Deo, nempe infinito. Aliæ verò perfectiones ſunt in Deo, quæ in proprio conceptu intrinſecè includunt modum propriſsimum Dei, vt eſſe à ſe primũ, eſſe ipſum eſſe, & eſſe actũ purũ, & eſſe primã regulã rerum omnium, & eſſe primum motorẽ indepẽdentem. Et iſtæ perfectiones nullo modo cõmunicari poſſunt: Quia in ſuo conceptũ proprio includunt infinitatem & propriam Dei eſſentiam. Et in hoc genere continetur, ſubſtantiam intrinſecè & per ſe eſſe diuinam & ſupernaturalem. Vnde, ſupernaturalitas ſubſtantialis intrinſecè, includit & inuoluit infinitatem Dei; ac proinde talis ſupernaturalitas ſubſtantialis non eſt creaturæ communicabilis, vt oſtenſum eſt. Et idcircò, aliqui Theologi, vt oſtendãt noſtram ſententiam argumẽtantur. Quod ſi creari poſſet ſubſtantia ſupernaturalis ſubſtantialiter & ab intrinſeco, quòd Deus eſſet deterioris cõditionis quam homo, aut quam vlla creatura: Nam implicat quòd natura hominis communicetur ei, qui non eſt homo, quòd ſi ſupernaturalitas ſubſtantialis communicaretur alicui creaturæ, iam tunc non implicaret, quòd natura Dei communicaretur alteri, qui non eſſet Deus. Et non ſatisfacit ſolutio, Quod tunc eſſe ſupernaturale, non communicaretur niſi finito modo creaturæ: Nam ſupernaturalitas ſubſtantialis, eſt perfectio Dei, quæ in proprio conceptu includit & inuoluit modum propriſsimũ Dei. Nam includit infinitatem, & eſſentiam Dei; Et non eſt neceſſè dicere quòd eſſe ſupernaturale infinitum & illimitatum eſt perfectio incommunicabilis: ſicut non eſt neceſſe dicere, quòd eſſe actum purum infinitum, eſt perfectio incommunicabilis: Quia in hoc ipſo, quòd eſt eſſe actum purum, inuoluitur infinitas & eſſentia propria Dei. Pari ergo ratione, in hoc ipſo quod eſt, eſſe ſupernaturalitatem ſubſtantialem & intrinſecam, includitur infinitas & eſſentia Dei; ac proinde excluditur communicabilitas illius ſecundum ſubſtantiam, & non ſecundum accidens: & hoc eſt valde notandum. Ex quo etiam ſequitur, ſupernaturalitatem ſubſtantialem excedere omnes naturas quãtumuis perfectas, creatas & creabiles, & cõſtituere diſtinctum ordinem, ab eo quem dicit naturalitas rerum omnium creatarum & creabilium.

### *Tertia propoſitio.*

*Tertia propoſitio.* TErtia propoſitio, quæ ex omnibus ſupra dictis tanquam appendix infertur, eſt; Deum non poſſe facere ſubſtantiam ſupernaturalem, cui ſit intrinſeca viſio Dei, aut lumen gloriæ beatum, vel aliquod aliud ſupernaturale accidens, quatenus ſupernaturale eſt. Quoniam aliàs produci poſſet creatura, quæ per naturam eſſet impeccabilis. Sane cum viſio Dei neceſſario ſupponat vnionem diuinę eſſentiæ cum intellectu, ſequitur quòd ſi viſio Dei poteſt eſſe intrinſeca, & connaturalis alicui creaturæ, quòd pari ratione eſſentia diuina eſt intrinſecè, & naturaliter vnita creaturæ, & ex conſequenti poſſet dari creatura, cui ſit naturaliter, & intrinſece vnita diuina eſſentia; in ratione ſpeciei; quod tamen eſt aperte falſum. Primo; quia illa vnio eſt ſumma gratia, & gratiæ cõſummatio. Secũdo; quia pari ratione dici poſſet, quòd poſſet dari creatura, cui diuina natura neceſſario hypoſtaticè vniretur: Nam non videtur maior ratio cur creatura aliqua poſſet ſibi vendicare diuinam eſſentiam vnitam in ratione ſpeciei, & non vnitam hypoſtatice. ¶Simile argumentum fieri poteſt, ſi dicas quòd lumen beatũ poteſt eſſe connaturale, & intrinſecum alicui naturæ: Nam certe lumen beatificum determinat intellectum ad viſionem, & eſt vltima diſpoſitio ad vnionem diuinæ eſſentiæ cum ipſo intellectu, in ratione ſpeciei: ergo creatura, quæ haberet lumen illud ab intrinſeco, & naturaliter, pari ratione haberet formam, ad quam naturaliter diſponit. Dices quòd quamuis creatura non poſsit habere ſibi intrinſecũ lumen beatum, aut viſionem, vel eſſentiam diuinã ſibi vnitam; tamen dici poteſt connaturale abſolutè & ſimpliciter, ſicut in centrum tendere, dicitur connaturale creaturæ, quamuis actu non feratur, nec tendat in centrum aliquando. Sed contra: Quia oppoſita ſententia putat, quòd ſit naturalis, tanquã proprietas & paſsio. Rurſus etiam: Quia ſi ſemel cõcedas, accidens ſupernaturale, eſſe connaturale alicui creaturæ, non eſt cur non dicatur ſimiliter, illud poſſe eſſe proprium alicui ſubiecto, eique intrinſece annexũ: Nec hoc inuoluit implicationem aliquam, ſi ſemel fatearis, dari creaturam ſupernaturalem ſubſtantialiter; Imò verò eo ipſo quòd ſubſtãtia eſt ſupernaturalis, euidenter ſequitur, quòd eius propria accidentia ſupernaturalia ſint, cum certiſſimum eſſe debeat in omni opinione, proprietates proportionari debere cum eſſentia, cuius proprietates eſſe dicuntur. ¶Fauet etiam: Quia ſi dari poſſet ſubſtantia eſſentialiter ſupernaturalis, ſequeretur, quòd participaret eſſentialiter diuinum eſſe; & ex

consequenti esset Deus, & tamen ex alio capite esset creatura; quod sane implicat: Sequela probatur: Quoniam supernaturalitas diuini esse, est idem essentialiter, quod ipsum diuinum esse, Imò verò, vt diximus. 1.p. Deus in se ipso, & secundum esse quod habet in se, supernaturalitatem habet, ita vt hæc nō sit attributum, sicut Sapientia, vel iustitia, sed quasi modus essentialis ipsius diuini esse, considerati in se: ergo si substantia illa creata habet, participat essentialiter, supernaturalitatem Dei, ita vt dicatur essentialiter supernaturalis, ex consequenti infertur, quòd essentialiter participabit ipsum diuinum esse. *Objectio.* Quod si dicas, Theologos affirmare Deum secundū se, aut de se, nec esse naturalem, nec supernaturalē, *Responsio.* sed hos tantum esse modos accidentarios, Respondetur Theologos in huiusmodi sermone, & locutione, loqui tantum de Deo secundum quòd est finis creaturarum, secundum quam rationem potest vtroque modo se habere. ¶Et confirmari hoc potest: Quoniam quod supernaturale est per essentiā, est Deus: ergo si creatura illa est essentialiter supernaturalis, sequitur quòd essentialiter est Deus. *Objectio.* Dices charitatem esse supernaturalem per suam essentiam, seu essentialiter, & intrinsecè, & tamen non est se Deum. *Responsio.* Respondetur hoc non valere: Quia accidentia, quantumcunque sint supernaturalia, semper tamen pendent à substantia, cui inhærent; & ex consequenti semper habent suam essentiam; & proprietates, aut perfectiones participatiuas substātiq; ac proinde non dicuntur talia per essentiam, nec à se ipsis; cæterum substantia est per se ipsam, & non est entis ens: Quo circa si est supernaturalis essentialiter, pari etiam ratione dicitur supernaturalis per essentiam. ¶Et confirmatur vlteriùs: Quoniam creatura illa non dicitur supernaturalis, quia participat sapientiam, vel iustitiam, vel aliud Dei attributum, secundum modum essendi, quem habet in Deo, sed quia participat esse supernaturale Dei; non autem stat, substantialiter participare esse supernaturale Dei, quin participet diuinum esse, secundum quod in se est: ergo participat tale esse secūdum id, quod est proprium ipsius Dei: ergo quod est propriū Dei essentialiter, & substantialiter, etiam conueniret substantialiter, & essentialiter creaturæ, quod sanè *Objectio.* manifestam habet implicationem. Dices hoc creaturæ conuenire per participationem tantum, Deo *Responsio.* autem conuenire per essentiam. Sed nec hæc euasio satisfacit: Quia eodem modo dicere posset aliquis, creaturæ conuenire posse, esse trinam & vnā per participationem, quod tamen implicat. Et quòd hoc sequatur, ostendo: Nam eadem proprietate, & eodem rigore sermonis: quo affirmamus, Petrū essentialiter esse hominē, & ens, diceremus etiam talē creaturam habere id, quod est proprium diuini esse, & participare diuinam substantiam, secundum quòd in se est: Quia, vt ex Philosophia supponimus, Petrus est homo, & est ens per participationem, & dependenter à prima causa, & nihilominus simpliciter & in rigore, dicitur essentialiter homo & ens: ergo pari ratione diceretur talis creatura essentialiter habere diuinum esse, & supernaturalitatem ipsius Dei.

Moueor etiam pro tertia assertione: Quia si gratia est intrinseca, & naturalis tali creaturæ, de qua loquimur, etiam habebit intrinsecè id, quod est proprium gratiæ; consequens autē est falsum; quod probo: Quia tunc creatura non solum esset cōsors diuini esse intrinsecè, sed etiā esset intrinsece Deo amica; Imò verò esset & diceretur filius Dei naturalis: Nam certe gratia, sicut facit gratum ex natura sua, similiter facit filium Dei: ergo si gratia esset naturalis & intrinseca alicui creaturæ, similiter etiam esset naturale eidem, esse filium Dei; & ex consequenti talis creatura, esset filius Dei naturalis. Et confirmari hoc potest: Quia tunc ille non esset filius Dei per adoptionem: ergo esset filius Dei naturalis. Probatur antecedēs: Quoniam esse filium adoptiuum, est esse filiū ex dono & liberalitate: ergo ille qui intrinsecè, & per naturam haberet esse filium Dei, nō esset adoptiuus filius. Dices illum, vel bigratia; spiritum eleuatissimū (in casu de quo loquimur) esse filium adoptiuum, ex eo quòd libere producitur à Deo. *Objectio.* Sed contra: Nam eodem pacto posses tu dicere, quòd Petrus est filius adoptiuus sui patris; quia libere producitur. *Responsio.* Et confirmatur iterum: Quia gratia; ex sua essentia est gratia: ergo gratuitum donū: ergo non potest esse intrinseca, & naturalis alicui creaturæ: Quia quod est naturale & intrinsecū creaturæ, non habet rationem gratiæ ¶Adde etiam, quod si daretur creatura supernaturalis, cui gratia esset intrinseca, & naturalis, & similiter visio Dei, & lumen beatum, sequeretur creaturam illam esse per naturam impeccabilem, non solum circa legem & authorem naturæ, sed etiam circa legem supernaturalem. Sequela probatur; Primo de impeccabilitate circa legem naturæ: Quia tunc maiorem multo perfectionem haberet, in ordine ad authorem naturæ, quam Angeli habent: sed Angeli sunt impeccabiles, circa naturalia: ergo multo magis creatura illa præstantissima supernaturalis ab intrinseco. De impeccabilitate autē circa supernaturalia, similiter probatur: Quia talis creatura haberet rectitudinem supernaturalem intrinsece: ergo non posset ab illa deuiare, aut deficere. Quod autem sit falsum posse dari creaturam per naturam impeccabilem, nos ostēdimus prima part. in materia de Angelis: quoniam creatura quantumcunque perfecta, non est regula suarum actionum, sed subijcitur alteri superiori. Imò verò omnis creatura facta est ex nihilo: ergo non potest esse impeccabilis, & indefectibilis ab intrinseco. *S. Thom.* De qua ratione lege S. Thom. de verit. quæst. 24. artic. 7.

Quod autem Deus non posit facere substantiam supernaturalem, cui sit intrinseca visio Dei, aut lumen beatum, nos ostendimus. 1.p.q.12. art.4. Ex quo loco nonnulli Theologi hanc deducunt rationē. Intellectus creatus quantumcunque perfectus, & excellens, continetur intra genus creabilium: ergo tantum poterit per sua naturalia cernere obiectum creabile. Patet consequentia: Quia talis intellectus solum habet proportionem cū obiecto sui generis, scilicet, cum re creabili, ergo nō poterit per sua naturalia cernere, aut videre rem increatam, & infinite excedentem, nempe, Deum. Dices argumentum hoc etiam ostendere fidem, lumen beatum, & visionem Dei, non attingere immediatè ipsum Deum: *Objectio.* Quia hæc omnia continentur intra genus creabilium. *Responsio.* Verum hæc responsio nihil valet: Quia non aduertit, quod in genere qualitatis continentur, accidentia naturalia; & supernaturalia, & hæc dicuntur eiusdem ordinis cum Deo; Intellectus autem, eo ipso quòd creatus est, non potest esse eiusdem generis cum diuino intellectu: ergo non potest per naturam percipere intuitiuè, obiectum proprium intellectus diuini: Nam omnis intellectus creatus, vel est humanus, vel Angelicus, id est, alicuius substantiæ spiritualis completæ: sed omnis intellectus creatus, qui continetur subgenere intellectus humani, vel Angelici, est multo inferior, & alterius generis, ab intellectu increato diuino: ergo non potest pernaturam intuitiuè percipere, & cernere proprium obiectum diuini intellectus. Maior aperte constat: Quia sufficienter diuiditur intellectus creatus, in humanum, & Angelicum, & præter hoc, solum restat intellectus diuinus, ita vt, si fingendi detur licentia, nullus intellectus excogitari posset, qui nō contineatur sub aliquo istorum trium, nisi quis diceret, talem intellectum creatum, sub diuino conteneri, quod est chimera. Consequentia autem liquet, quia intellectus inferioris generis, non potest cernere obiectum adæquatum intellectus superioris generis, nisi eleuetur ad altiorem ordinem: ergo cū diuina essentia in se, sit obiectum adæquatum diuini intellectus, & diuinæ visionis, non poterit videri ab inferiori intellectu creato, per sua naturalia. Hic discursus videtur esse D. Thomæ. 1.p.q.12.art.4. Vbi distinguit triplex genus naturæ intellectualis, & triplex genus intellectus, & similiter triplex genus obiectorum, & ex consequenti triplex genus cognoscibilium. Vnde sicut naturæ intellectuales, ita inter se ordinatur, vt humana natura quantumcumque crescat, aut perficiatur, non possit fieri angelica, nec angelica diuina; sic etiam non potest virtus intellectus creati, attingere perfectionem intellectus diuini, & consequenter per sua naturalia nō poterit immediatè cernere obiectum adæquatum diuini intellectus, vt dictum est.

Verum contra hæc, quæ diximus Aduersarij *Objiciunt aduersarij.* obijciunt: Quia non implicat dari accidens supernaturale, quod sit in eadem proportione cū Deo, secundum sibi propria: ergo pari ratione non habet implicationem vllam, quòd detur substantia supernaturalis, cui supernaturalia accidentia sint propria & connaturalia. Patet consequentia; Quia substātia in genere entis præstantior est quam accidens, & capax maioris perfectionis, quam illud, & ex consequenti si supernaturalitas potest accidēti cōuenire, multo melius poterit communicari substantiæ. ¶Et confirmari hoc potest: Quia substantia immediate & per se, participat diuinum esse, accidens autem quantumcunque excellens, participat esse dependenter à subiecto creato, cui inest: ergo multo melius poterit produci substantia participans esse diuinum supernaturale immediate, quā accidens. Ostendo consequentiam: Quoniam quod immediatius participat esse alicuius causæ, magis illi proportionatur, maioremque habet vnitatem cum illa, & ob id certum est, quod substantia creata magis assimilatur Deo, quam accidens.

Hoc argumentum solutum fuit à nobis 1.p.q.12. *Dissolvitur argumentū.* art.4. Imò verò arbitror me satis de illo dixisse in antecedentibus, ex dictisque patère eius solutionem.



Dicendum est enim quod accidens quantumcūque eleuetur, semper pendet in suo esse à subiecto; substantia autem est ens per se, independens in suo genere. Vnde inconuenientia supra posita nō procedūt in accidentibus, sed in substantia, quæ sane quamtūis necessario sit ordinis naturalis, eo ipso quòd est substantia creata, tamen eleuari potest ad actus & obiecta supernaturalia, per Dei gratiam. ¶Similiter liquet ad confirmationem quod accidens est entis ens, & ita in genere accidentis potest dari qualitas aliqua, per quam Deus eleuet substātiam creatam; substantia verò est ens absolutum, quod habet esse independens à subiecto. Nec rursus requiritur, quòd omne accidens respondeat alicui subiecto, sibi proprio in specie, ac proinde quòd accidens supernaturale habeat subiectum supernaturale, cui conueniat per se, & intrinsece in rebus creatis. Est enim aperta & manifesta instantia huius, in accidentibus communibus naturalibus, quæ non sibi vendicant specialia, & determinata subiecta, in quibus sint. Præter hæc etiam sunt speciales rationes, cur hoc implicet, de substantijs, & non de accidentibus, vt supra fuse vidimus, & explicuimus.

### *Argumenta aduersariorum aliqua proponuntur.*

*Objiciunt aduersarij.* OBijciunt contra nos aduersarij nonnulla argumenta, quibus ipsi persuasi, oppositum veritatis amplexantur; Sicque dicunt, potuisse Deum supernaturalem substantiam, supernaturalitate substantiali condere. Primum igitur sit: Quoniam non *Argum.1.* implicat contradictionem; Nam si implicat, vel implicat ex parte substantiæ, vel ex parte supernaturalitatis, vel ex parte vtriusque: sed nullum istorum: ergo. Et in primis non implicat ex parte substantiæ: Quia Deus est substātia supernaturalis, neq; implicat productio ex parte supernaturalitatis, Quia Deus produxit & producit plurima accidentia supernaturalia: igitur ex parte supernaturalitatis non implicat produci creaturam supernaturalē. Nec repugnat ex parte vtriusq;: Quia si partes sunt posibiles, totum est posibile; & Deus quotidie producit & creat plures animas, quæ sunt verè substātiæ: ergo nō repugnat ex parte substātiæ talis productio. Et confirmatur: Quia non repugnat supernatu- *Confir.1.* ralitas substantiæ creatæ in quantum est ens; aliàs neque accidens posset esse supernaturale. Neque repugnat quatenus substantia est præcisè, aliàs (vt diximus) neque Deo posset conuenire. Neque repugnat quatenus est substantia limitata & participata; Quia ratio supernaturalitatis non importat infinitatem; aliàs non posset communicari accidenti: ergo nulla ex parte repugnat substantiæ quòd sit per se, *Confir.2.* & intrinsecè supernaturalis. Et confirmatur secundò. Quia ex hoc quod alicui substantiæ communicetur esse per se & intrinsecè supernaturalem, non repellitur neque extrahitur à ratione creaturæ: Nā pari ratione angelus est intrinsece intellectiuus & incorruptibilis, & simul cum hoc stat, quòd hoc receperit à Deo: ergo similiter ille modus per se substantialis additus supernaturalitati, non tollit, quin minus talis entitas sit finita & participata & à Deo producta.

Huic argumento, non est difficile satisfacere. Di- *Solutio.* co enim quòd repugnat, creaturā per se intrinsecè superna-

supernaturalem subſtantialiter, produci. Nam, vt dictum eſt, fieri ſubſtantiam ſupernaturalem per ſe intrinſecè ſecundum propriam formam, eſt fieri ad imitationem diuinæ eſſentiæ & naturæ, in quantum vna & eadem numero eſt in pluribus ſuppoſitis. Vndè, repugnat ſubſtantiæ creatæ, eſſe per ſe, & intrinſecè ſupernaturalem; quia iſta ſunt incompoſsibilia inter ſe, nempe, eſſe ſubſtantiam creatam & eſſe intrinſece & per ſe ſupernaturalem. Itaque, implicatio eſt ex parte cõplexionis omniũ inter ſe; quia ſic ſequuntur inconuenientia omnia data. Rurſus, repugnantia eſt, quia quod eſt ſupernaturale, ob id tale eſt, quia habet proportionem cum Deo, vt eſt in ſe ipſo: Sed hanc proportionem non poteſt habere ſubſtantia creata cum Deo, vt eſt in ſe ipſo: Quia talis proportio in ſubſtantia, deberet neceſſariò eſſe in ratione entis: quia accidentia proportionantur nõ in ratione entis, ſed in ratione potẽtiæ, ſeu actus ad obiectum; at vero ſubſtantia, vt ſic, eſt quid abſolutum; & ſic non poteſt proportionari in ſolo ordine & attingentia ad aliud, vt accidentia de quibus diximus concluſ. 3. Vnde, cùm limitatio non proueniat ex obiecto, debet prouenire ex modo eſſendi. Et cùm proportio non proueniat ex parte ſubſtantię in quantum ens eſt, ſequitur quòd non poteſt eſſe creatura per ſe & intrinſece ſupernaturalis ſecundum ſuam ſubſtantiam, quia non poteſt habere proportionem cum Deo, vt eſt in ſe ipſo, quod requirebatur ad hoc, vt eſſet ſupernaturalis intrinſece & ſubſtantialiter. Vnde, ſequitur, quod ex parte complexionis omnium prouenit hæc impoſsibilitas à priori. Prouenit etiam hæc impoſsibilitas ex parte impeccabilitatis. Quia non poteſt fieri creatura impeccabilis ab intrinſeco & per ſuam naturam. Rurſus prouenit hæc implicatio à poſteriori ex omnibus inconuenientibus à me allatis in argumentis, & in diſcurſu quæſtionis. Et tandem prouenit hæc implicatio; quia ſupernaturalitas ſubſtantialis per ſe & ab intrinſeco, dicit perfectionem includentẽ proprium modum quo eſt in Deo, ſicut eſſe à ſe & non ab alio: & ob id non poteſt communicari. Vndè, argumentum non enumerat omnes cauſas impoſsibilitatis & implicationis, cur Deus non poſsit condere creaturam ſupernaturalem ſubſtantialiter & ab intrinſeco. Nam præter ea quæ recenſet, ſunt alia multa quæ dicunt implicationem, vt vidimus in diſcurſu quæſtionis. ¶ Ad confirmationẽ vero dico, quòd repugnat ſupernaturalitas ſubſtantiæ creatę vt ſubſtantia creata eſt. Quia vt ſubſtantia creata, non poteſt habere proportionem cum Deo, vt eſt in ſe ipſo; in ratione entis, quod requirebatur ad rationem ſupernaturalitatis, cum ſubſtãtia ſit ens per ſe, quod per ſe conſtituit ordinem rerum in ratione entis. ¶ Ad ſecundam confirmationẽ, aliqui dicunt, quod tunc creatura ſubſtantialiter ſupernaturalis, eſſet Deus, & non eſſet Deus; eſſet limitata, & non eſſet limitata. Secundo reſpondetur, quod ſi talis creatura ſupernaturalis ſecundum ſubſtantiam per ſe & intrinſece daretur; tunc illa haberet proportionem cum Deo, vt eſt in ſe ipſo in ratione entis, & non haberet poportionem cum Deo in ſe ipſo. Dico tertio, quòd ſi per impoſsibile daretur, quamuis non extraheretur à ratione creaturæ; nihilominus alia multo maiora inconuenientia ſequuntur, quæ

*Adconfir.1.*

*Adcõfir.2.*

à nobis ſunt commemorata in diſcurſu controuerſiæ. Et inter alia velim attendas ſequi hoc inconueniens, quòd ſi daretur creatura ſupernaturalis ſecũdum ſubſtantiam per ſe & ab intrinſeco, ex proprijs attingeret Deum, vt eſt in ſe ipſo; quod implicare inde patet, quia attingere Deum ex propria entitate & ſibi intrinſeca non poteſt creaturæ conuenire ſecũdum ſubſtantiam. Quia id cõuenit Deo ex identitate ſui ad ſe ipſum & ex æqualitate inter ſe cognoſcentem & ſe ipſum cognitum; at nulla ſubſtantia creata de ſe habet iſtam æqualitatem cũ Deo, & ob id ex ſe cum ſubſtantia ſit quid abſolutum, & eius proportio non conſiſtat in ſolo ordine & habitudine, ſicut in accidentibus, non poteſt ex proprijs attingere Deum, & ſimiliter ob id nulla talis creatura poteſt à Deo produci. Omitto quod illa creatura tunc haberet charitatem & gratia ab intrinſeco, & conſequenter eſſet filius Dei, non adoptiuus per gratiam extrinſecam ſicut nos, ſed eſſet filius naturalis, quod implicat purę creaturæ vt ſic: Quamuis ratione vnionis hypoſtaticæ Chriſtus etiam in quantum homo ſit filius Dei naturalis. Imò verò hoc eſt mihi maximũ argumentũ, quòd cùm Deus dederit vniuerſo ſe ipſum, ita vt aſſumeret creaturam rationalem ad ſui conſortiũ, vt eleuaret omnia ad ſe in humanitate aſſumpta; quod ſi fieri potuiſſet, pari ratione produceret ſubſtãtiam ſupernaturalem per ſe talem & ab intrinſeco vt ſic nouũ ordinem creaturarum ſupernaturalium ſubſtantialiter conderet, & donaret vniuerſo.

*Argum. ſecundum.*

Secundò argumentantur aduerſarij. Quia Deus poteſt producere accidentia ſupernaturalia, nempe, gratiam, charitatem, lumen gloriæ, & hæc accidentia intrinſecè ſunt ſupernaturalia: ergo pari ratione ſupernaturalitas Dei poteſt participari à ſubſtantia creata: ſicut Deus ſecundum ſuum eſſe ſupernaturale, eſt participabilis ab accidentibus. Patet conſequentia. Quia ſubſtantia maiorem habet conuenientiam cum eſſe diuino, quam accidens: ergo ſubſtantia multo aptior eſt ad participandum eſſe ſupernaturale Dei, & naturã Dei, quam accidens.

*Confir.1.*

Et confirmatur. Nam ex eo quòd forma rationalis communicatur cum natura vegetatiua, à fortiori ſequitur quòd rationalitas poteſt communicari naturæ & animæ ſenſitiuæ. Nam ſenſitiua aptior & propinquior eſt ad participandã rationalitatẽ, quã vegetatiua. Et ita cernimus, hominẽ per eandẽ animam vtrumque habere, eſſe ſenſitiuum, & rationale; & quòd rationale cõmunicatur animali & ſuppoſito ſenſitiuo. Rurſus, ex eo quòd Deus aſſumpſit humanã naturam, ſequitur à fortiori quòd potuit aſſumere angelicã. Quoniam angelica aptior & cõformior eſt modo eſſendi Dei, quam humana natura: ergo pari ratione, cùm natura ſubſtantiæ ſit cõformior cum modo eſſendi Dei, quam natura accidentis, quę longiſsimè diſtat ab eſſe Dei, rectè ſequitur quod qua ratione natura diuina participatur in accidentibus, nempe, in gratia & charitate & lumine gloriæ modo ſupernaturali, eadem & multo fortiori ratione Deus poterit communicare ſuam naturam diuinam alicui ſubſtantiæ; Ita vt ſupernaturalitas ſit intrinſeca alicui ſubſtantiæ, Sicut eſt intrinſeca nonnullis accidentibus.

*Confir.2.*

Et confirmatur ſecundò. Quia ſi dantur accidentia, quæ intrinſecè ſunt ſuper-



ſupernaturalia, vt gratia, charitas, lumen gloriæ: ergo iuxta exigentiam & naturam illorum accidentium, non implicat quòd Deus producat ſubſtantiam, & ſubiectum eiuſdem ordinis cum illis accidentibus, quod ſit eis commenſuratum. Nam omne accidens dicit intrinſecum ordinem ad ſubiectum ſibi proportionatum: ergo accidentia ſupernaturalia, vt ſic, dicunt habitudinem, & ordinem ad ſubiectum ſibi proportionatum, & eiuſdem ordinis cum ipſis accidentibus ſupernaturalibus.

*Soluio.* Ad hoc argumentum reſpondetur, negando conſequentiam, propter rationem differentiæ & implicationis, quæ inuenitur in ſubſtantia & non in accidentibus, vt diximus fuſè in diſcurſu quęſtionis, & nunc in ſolutione præcedentis argumenti. &. 1. p. q. 12. art. 4. diſput. vnica. ¶ Ad primã confirmationẽ, reſpondetur, non eſſe aptiorem ſubſtãtiam ad communicationẽ ſupernaturalitatis intrinſecã, quã accidẽs; imò verò ex cõditione ſubſtãtiæ finitæ & limitatæ, & ex natura ſupernaturalitatis ſimul, ſequitur nõ eſſe aptiorem ſubſtãtiam, vt illi communicetur ſupernaturalitas ſubſtantialis per ſe intrinſecè. Quia accidens non commenſuratur niſi in ratione habitudinis, aut proportionis ad obiectum & actum; ſubſtantia verò deberet eſſe proportionata ſecundũ rationem entis, vt ſic, cùm ſit ens abſolutum. Imò verò, ſupernaturalis creatura ſubſtantialis, ſi talis eſſet, attingeret Deum vt eſt in ſe ipſo, quod non poteſt illi conuenire; quia hoc eſt proprium Dei ex identitate ſui ad ſe ipſum. Neque eſt ſimile de rationalitate reſpectu vegetatiuæ & ſenſitiuæ. Nam cum rationalitas ſit forma ſuperior, ſi eſt communicabilis infimæ naturæ ſubſtantiali, & ſubſtantialiter; multòmagis ſibi æquali, aut penè æquali; quia illi omnes gradus ſunt ſubſtantiales & ſubordinati. Ad illud verò de aſſumptione naturæ humanæ & angelicæ, idem dicendum eſt: Nam cum ratio terminandi dependentiam naturæ & difficultas ſit vtrobique par, & ab eadem ſubſiſtentia increata verbi poſsibilis fieri, non eſt par ratio in hoc exemplo, & in productione entis accidentalis, & entis per ſe ſubſtantialis ſupernaturaliter, & intrinſecè. Præſertim, quòd licet perſonalitates ſint diuerſæ in angelo & in homine; tamen ſunt eiuſdem ordinis, & in eodẽ genere contentæ, & naturæ quæ terminantur ſunt eiuſdem prædicamenti ſubſtantialis, & æqualem dependentiam habent in ratione perſonandi, vt terminẽtur. Quæ omnia paria non ſunt in accidentibus & ſubſtantijs. Denique argumentum eſt ſymbolicum & non habet vires.

*Ad.2.cõfir.*

¶ Ad ſecundam confirmationẽ reſpondetur, negando conſequentiã propter rationes factas. Et ad probationem quòd accidens dicit ordinem intrinſecum, & naturalem ad ſubiectum, dico quòd ſufficit quòd in quantùm accidens dicat ordinem ad ſubiectum, quod ſit capax ſuæ inhæſionis, ſed non ad ſubiectum emanationis, & proportionis ſupernaturalis per ſe ſubſtantialis & intrinſecæ.

*Argum.3.*

Tertiò arguitur: Quoniam ſi ſupernaturalitas eſt cõmunicabilis accidentibus, ſequitur quod non implicat, dari intellectum & voluntatem, qui ſint intrinſece ſupernaturales; ac proinde quibus connaturalis ſit viſio, & dilectio beatifica. Nam cùm hæc ſint accidentia intrinſecè, & implicatio ſolum conſtituatur in ſubſtantijs ſupernaturalibus per ſe; non apparet cur ſit impoſsibile dari intellectũ ſupernaturalem creatum, & per ſe ſupernaturalem, & non ex accidente. Si dicas, intellectum & voluntatem eſſe quidem accidentia, ſed eſſe vitalia, & ob id nõ poſſe eſſe ſupernaturalia. Sed contra. Quia vitalitas harum potẽtiarum, eſt vitalitas accidentalis: igitur cùm implicatio non ſumatur ex ratione accidentis, non eſt cur deſumi poſsit ex ratione vitalitatis. Potiſsimè, quia omnes rationes implicationis adductę ſolum oſtendunt de ſubſtantia & non de accidente. Quoniam licèt accidens ſit vitale; non tamen eſt ens per ſe, ſed accidentale.

*Obiectio.*

*Solutio.* Ad hoc argumentum reſpondetur, negando ſequelam: Quoniam huiuſmodi potentiæ vitales, neque poſſunt eſſe, neque poſſunt dari, niſi procedẽtes à ſubſtantia viuente, quam poſſe dari ſupernaturalem, eſt impoſsibile, propter euidentes rationes & efficacia fundamenta allata. Cum ergo nõ poſsit dari ſubſtantia ſupernaturalis à qua dimanent intellectus & voluntas ſupernaturales; ſequitur has potẽtias ſupernaturales non poſſe dari. ¶ Quartò arguitur. In Deo idẽ ſunt eſſe naturale & ſupernaturale: ergo idẽ ſunt Deus & deitas, Deus & trinitas, naturalitas & ſupernaturalitas, & non videtur magis de eſſentia Dei, quòd habeat in ſe ſapientiam, bonitatem, iuſtitiam, quam quòd habeat in ſe lumẽ gloriæ, gratiam & charitatem: ſed multa ſunt, quæ nobis communicantur, quæ pertinent ad ſapientiam, bonitatem, & iuſtitiam: Nam angeli ſunt naturaliter ſapientes, & quælibet res naturaliter eſt bona & perfecta: ergo poteſt ſimiliter communicari alicui creaturæ, quòd ſit naturaliter grata & glorioſa, ſaltim finito & limitato modo; Sicut ſapientia, & bonitas communicantur finito modo: ergo ſicut naturalitas eſt communicabilis, ita ſupernaturalitas ſubſtantialiter eſt communicabilis.

*Quartum. argum.*

Huic argumento reſpondetur, quòd ſi aliquid probaret, pari ratione oſtenderet, quod poteſt communicari creaturæ, quod ſubſiſtat in tribus ſuppoſitis cũ vnitate naturæ & eſſentiæ, ſaltẽ limitato modo. Sed hæc eſt implicatio in adiecto. Rurſus, nõ valet in ſimili, idem ſunt in Deo eſſe, & eſſe actũ purũ & eſſe à ſe & non ab alio: ſed eſſe eſt cõmunicabile creaturis ſuo modo: ergo pari ratione eſſe à ſe, & nõ ab alio, & eſſe actum purum, quod implicat creaturæ. Imò verò, argumenta quæ ex identitate naturæ colligunt identitatem in omnibus, quæ habent diſtinctas rationes formales & parem rationem eſſe in omnibus proprietatibus, & actionibus, & communicationibus, propter ſolam realem identitatẽ, non ſunt argumenta formaliter concludentia, aut efficacia, vt patet diſcurrenti per cauſas & influxus rerum omnium, Imò verò vlterius, ſi argumentum aliquid probaret, ſimiliter concluderet hoc modo; In Deo idem ſunt naturale & ſupernaturale, Deus, & deitas, Deus, & trinitas, naturalitas & ſupernaturalitas: ergo ſicut naturalitas eſt communicabilis, ita ſupernaturalitas ſubſtantialiter eſt communicabilis: ergo maxima ſupernaturalitas, maximè communicabilis de potentia abſoluta: ergo trinitas ſuppoſitorum in vnitate eſſentiæ: ſed hæc omnia repugnant: ergo poſitio falſa. ¶ Dices, quòd ſupernaturalitas non eſt differentia ſpecialis, aut gradus

*Obiectio.*

dus Dei:ergo ob id quòd per se communicetur alicui substantiæ, non sequitur quod communicetur ei,esse diuinum. Consequentia est nota, & antecedens ostenditur: Quia ratio supernaturalitatis abstrahit à creato & increato: est enim transcendens omnia prædicamenta; & ob id non dicit specialem gradum sicut ratio naturalitatis, aut ratio entis, aut veri, aut boni non dicunt specialem gradum in homine aut in equo:ergo potest alicui indiuiduo naturæ intellectualis communicari, quòd sit per se supernaturalis;sine eo quòd extrahatur à propria specie & natura. *Responsio.* Respõdetur, quòd ratio supernaturalitatis completa,dicit perfectionem maximã & substantialem, & hæc in sola substantia reperiri potest: quæ cùm non possit dari in creaturis, ita vt sit substantialis per se & ab intrinseco, non potest comunicari alicui naturæ creatæ. Imò verò, supernaturalitas substantialis est perfectio Dei, & talis quòd secundum proprium conceptum includit proprijssimum modum ipsius Dei; sicut esse actum purum,esse ipsum esse,à se primum, & esse primam regulam. Et sicut hæc nullo modo possunt comunicari, quia in proprio conceptu inuoluunt infinitatem, & essentiam propriam ipsius Dei; ita neque potest communicari creaturæ quòd sit creatura supernaturalis, secundum suam substantiam & essentiã: Quia hoc est esse intrinsecè & per se diuinam. Nam esset ens completum in genere supernaturalitatis, & consequenter persona diuina & Deus, & ex alia parte esset creatura, & sic simul esset finita & infinita, Deus & creatura, quod implicat.

*Argum. initio. quæstionis facta.* ***Argumenta initio quæstionis facta soluuntur.***

*Ad primũ.* AD argumenta quæ in initio huius disputationis sunt posita, restat satisfacere. Ad primum dicendum, illam responsionem esse optimam, & à priori. Nam si petas, cur naturali lumine nõ cognosco Eucharistiæ sacramentum? Respõdetur, quia hoc est mysterium supernaturale, quod non potest attingere lumen naturale. Quòd si rursus petas, Quare hæc res est supernaturalis? & respondeas; Quia non est cognoscibilis lumine naturali: Dico quòd tunc non assignatur responsio à priori, sed est ratio à posteriori. Nam omne quod non est cognoscibile lumine naturali saltem angelico, pertinet ad altiorem ordinem supernaturalem. Quare, iste non est circulus vitiosus, sed necessarius. Per quid autem res cõstituatur in esse supernaturali; satis apparẽter ostendimus in discursu quæstionis, & in solutionibus ad *Ad secundũ.* argumenta aduersariorum. ¶ Ad secundum respondetur, quòd cum proportio inter actum & obiectũ, non sit in ratione entis, vt explicatum est, sed in ratione cognoscentis & cogniti; idcircò, licèt creatura maneat finita; & Deus sit infinitus, possunt aliũde proportionari, vel ex modo ordinis & habitudinis, vel ex modo & ordine essendi: Quia licèt non sit inter illa proportio gradualis; est tamen proportio habitudinis, & quasi connaturalitatis, quod sufficit; alias accidens non posset esse formalis simili tudo substantiæ, neque illam attingere, ¶ Ad cõfir *Ad confir.* mationẽ respondetur, ex natura sua habere illud accidens: quod sit ordinis diuini. Neque est eadem ratio de substantia; quæ si esset supernaturalis, esset, Deus, vt iam explicatum est; & pariter sequerentur alia incommoda dicta. ¶ Ad tertium respondetur, supernaturalitatem sumi ex Deo, qui secundum omnem rationem, vt est in se, non est attingibilis à creatura per vires naturales. Sed contra. Nam per lumen naturale vere cognoscimus Deum, vt est in se. Sicut enim certissimè per fidem cognoscimus Deum esse vnum; ita hoc ipsum, per lumen naturale euidentissimè iudicamus: ergo sicut fides attingit Deum vt est in se, ita & lumen naturale. Confirmatur: Nam saltem voluntas fertur in Deum, pro vt est in se: quia non attendit imperfectionẽ cognitionis, per quam proponitur obiectum. Qua ratione solet probari charitatem esse perfectiorem fide. Item; Nam aliàs amor naturalis Dei in nihil fertur; Quia non in Deum, pro vt est in se, neque in creaturam vt patet: ergo. Respondetur quòd licet per naturale lumen cognoscamus Deum esse vnum, sed tũc non proprie attingimus Deum, pro vt est in se, sed pro vt à nobis per conceptus connotatiuos & in ordine ad aliqua naturalia apprehenditur. Quare tione D. Dionys. & communiter Doctores asserunt, nos propriè non formare conceptum Dei. Vndè, sicut anima dum est alligata corpori, & materiæ non format conceptum absolutum & proprium angeli, quia est alterius ordinis spiritualis omnino, ita lumen naturale non format conceptum proprium Dei, qui est alterius ordinis omnino supernaturalis. Dices, Per fidem etiã non cognoscimus Deũ vt in se est, quia etiam imperfectè & obscurè. Respondetur, quòd fidelis per fidem cognoscit ipsam entitatem & vnitatem Dei, vt à Deo reuelatam & expressam; & vt sic tendit in illam. Et quia Deus reuelat entitatem suam vt est in se; idcirco actus ille terminatur ad Deum vt est in se, non clarè & immediate sicut visio beatifica, sed per speculum, non rerum naturalium, sed per testimonium, & attestationem ipsius Dei videntis se, & manifestantis se eo modo quo est, quamuis obscure. Dices, in eo quòd est cognoscere Deum esse vnum, in quo (rogo) fidelis excedit infidelem? Respondetur quòd licet ni- *Confir.* nihil amplius penes hoc materiale cognoscat vnus quam alter; nihilominus cognitio ipsius fidelis, supernaturalis est; quod explicatur per ipsam cognitionem qua Deus se cognoscit vt vnum; Ista namque cognitio existens in Deo, supernaturalis est & diuina, licèt vt sic præcisè concepta attingat tantũ *Ad confir. obiectionis.* hoc quod est Deũ esse vnũ &c. Ad confirmationẽ hic positam, respondetur verum habere, quãdo res proprio conceptu concipitur. Quia voluntas fertur non in conceptum, sed in rem conceptam. Vndè, amor naturalis Dei fertur in bonitatem diuinam, nõ quatenus est in se, sed secũdũ, quòd bonitas creata quam concipimus, est in illo inclusa tanquam in superiori & eminentiori alia bonitate, quam nos nõ attingimus. Est simile de eo qui sine auxilio supernaturali diligeret Deum finem supernaturalem, qui (vt supra dictum est) non attingit tale obiectum formaliter & vt est in se, nec propriè diligit Deum vt trinum, sed vt à se concipitur vt trinus, ad modũ *Ad confir. principalis argumenti.* alterius entis naturalis. ¶ Ad confirmationem verò argumenti principalis positi initio quæstionis, negatur illa consequentia. Quia potest inter aliqua esse maior conuenientia in entitate & perfectione, licet sit maxima distantia in ordine & gradu essendi.

¶ Ad



¶ Ad quartũ argumentũ diximus supra, Deũ omnino & ex omni parte esse in se ordinis supernaturalis, atque adeò sicut est necessariũ lumen supernaturale, vt cognoscatur quatenus trinus, vt est in se; ita quatenus vnus, vt est in se ipso; scilicet, vt Deus se ipsum manifestat, & sicut cognitione naturali possumus aliquo modo attingere Deum vt vnum, ita & vt trinum, vt patet in hæretico; sed non euidenti cognitione, sed tantum opinatiua suppositio quòd ab aliquo priùs proponatur; in quo tantum est differentia, quæ est sufficiens, vt principaliter ratio supernaturalitatis sumatur ex Deo, quatenus est trinus: Quia vt sic minus concernit ordinem naturalem. Ad confirmationem patet ex dictis. *Ad quintũ.* ¶ Ad quintum dicendũ, quòd Deus dicitur finis & author naturalis, secundum aliquam rationem, non quia in se ipso habeat aliquid eiusdẽ ordinis cum rebus naturalibus, sed quia illas causat; causat autem illas vt vnus, & assimilat illas sibi non propriè; faciendo eas eiusdem ordinis supernaturalis, sed constituendo illas in esse entis talis: quod aliquo modo est vestigium diuini esse; secundum aliquas rationes analogicè communes, per quas aliquo modo possimus deuenire in cognitionem Dei, vt est vnus & infinitus, &c. Sed non vt est trinus: Quia hoc nisi suppositа reuelatione Dei, nullo modo nec opinatiuè cognosci potest. Sed dices, creaturæ habent pro vltimo fine Deum, prout est in se: ergo ex hoc ordine fument esse supernaturale, sicut diximus de qualitatibus supernaturalibus. *Respons.* Respondetur, quòd Deus est finis vltimus illarũ extrinsece, quatenus propter manifestandam suam gloriam illas produxit. Dicitur etiam speciali modo finis vltimus intellectualium, quatenus ordinantur ad consequendum Deũ, eo modo quo naturaliter attingi potest. Sed quoniã iste modus est imperfectus, nec eleuatur ad ipsum Deum, pro vt est in se; ideo non specificatur talis ordo ab ipsa supernaturalitate Dei, sed à modo imperfecto & naturali, quo tales res Deum attingere possunt. Quæ difficultas magis procedit in ea sententia, quæ putat Deum clarè visum esse finem naturalem hominis, & etiam procedit cùm in rem supernaturalem actu naturali tendimus & ferimur. ¶ Ad *Ad sextũ.* sextum, vt existimo plures & valde rationabiles assignatæ sunt causæ, & rationes cur supernaturalitas communicetur accidentibus, & non substãtijs, ita vt detur supernaturalitas substantialis intrinseca substantijs de nouo à Deo creatis. Et ob id negãdum est quòd non sit maior ratio de accidentibus, quàm de substantijs, & consequenter negatur etiã prima consequentia argumenti. Et ad probationem dico; multa quidem ita esse propria accidentium, vt nullo modo possint conuenire substantiæ creatæ. Nam accidentibus conuenit immediate agere, quod secundum D. Tho. repugnat substantiæ creatæ. Quia proprium est accidentis supplere imperfectionem substantiæ, & esse illud per quod natura superior communicatur inferiori, secundum modũ proprium superioris, vel saltem participatum. Et ideò, multa possunt communicari substantiæ per accidentia, quæ non possunt illi conferri per se ipsam. Vndè cernimus, quòd intellectus est qualitas de secunda specie qualitatis, & intellectio quæ est illius actio vitalis elicita, pari ratione est accidẽs; & tamẽ hæc non possunt communicari substantiæ, ita vt fiat intellectus creatus substantialis, & intellectio, quæ sit substantia, & actus elicitus substantialis vitalis. Quocirca, hæc maxima perfectio vitalitatis in actione elicita, & potentiæ intellectiuæ, nõ potest communicari substantiæ per se ipsam substantialiter, sed solùm per accidentia. Non ergo erit mirabile si supernaturalitas possit communicari accidentibus, & non substantijs. ¶ Ad impugnationem verò & obiectionem ibi contentam, respondetur, illa accidentia supernaturalia quoad gradum essendi, esse connaturalia Deo; at verò secundum entitatem imperfectam repugnant illi. Vndè, cùm dicitur, omne accidens est propter substantiam, tanquam propter connaturale subiectum, &c. Si intelligas de accidẽtibus naturalibus, concedo; Si de omnibus absolutè, nego. Rursus diximus, quòd accidens supernaturale sufficit quòd dicat ordinem ad subiectũ, quod sit capax suæ inhæsionis, sed non ad subiectũ emanationis, aut proportionis supernaturalis substantialis, & intrinsecæ. *Ad confir.* Ad confirmationem, pariter respõdetur negando consequentiam. Nam licèt supernaturalia accidentia sint limitata secundum perfectionem, tamen non possunt habere commensurationem cum creatura quantumuis perfecta. Sicut intellectus est finitæ perfectionis, sed non potest habere commensurationẽ cum re pure corporali, quãtumuis in infinitũ crescat eius perfectio, quia sunt diuersi ordinis. Quocircà, supernaturalitas consistit in eo quòd res sit in suo esse entitatiuo, proportionata & connaturalis Deo in se ipso.

# QVÆSTIO CXI.

## De diuisione gratiæ.

### ARTICVLVS. I.

*Vtrùm gratia conuenienter diuidatur, per gratum facientem, & gratis datam?*

PRima conclusio S. Thom. est affirmatiua. ¶ Secunda conclusio. Gratia gratum faciens, quæ nos Deo coniũgit, differt à gratis data; quia illa ad vtilitatem habentis, hæc ad vtilitatem aliorum ordinatur.

### DVBIVM I.

*De discursu articuli Diui Thomæ.*

*Vtrũ rectè diuidatur gratia, in iustificantem, & gratis datam.*

EXplicare oportet, post quidditatẽ gratiæ relatam, eius diuisionem & partes. Et principiò de sufficiẽtia huius partitionis gratiæ in iustificantem, & gratis datam; An sit exacta? Ratio dubitandi est: Quoniam fides & spes habent rationem gratiæ, & non sunt gratia gratum faciens. Nam reperiuntur in peccatore, & non sunt gratiæ gratis datæ, cùm non ordinentur ad bonum aliorum, sed solum ad bonum eius

eius in quo sunt: ergo. Simile argumentum est de auxilijs gratuitis, quibus mouetur homo, ac disponitur ad iustificationem: Nam certum est quòd hæc auxilia sunt dona Dei, & dona gratiæ, & neque pertinent ad gratiam iustificantem, neque ad gratis data: ergo. ¶Secundò est simile argumentum de diuina prædestinatione, quæ est gratia, imò verò fons omniũ donorũ gratuitorũ cuiuscũq; prædestinati at prædestinatio nõ est gratia iustificãs, neq; videtur quod sit gratis data. ¶Tertiò. Is qui habet donum Prophetiæ à Deo, aut donum linguarum, ex huiusmodi donis atque gratijs potest sibi vtilitatẽ capere: ergo non recte dicitur quòd gratia gratis data, est quæ ordinatur ad vtilitatem & commodũ aliorum. ¶Postremò Beatitudo Sãctorum est gratia Dei, Ad Rom.6. Gratia Dei vita æterna, & non est iustificans neque gratis data: ergo.

*Rom.6.*

*Conclusio.*

De hac dubitatione, certam statuo sententiam. Quod quàmuis primo & per se gratia gratũ faciẽs solùm sit illa, qua formaliter iustificamur & Deo coniungimur, vt condistinguitur à virtutibus infusis, & earum auxilijs: quia illi conuenit essentialiter reddere hominem gratum; tamen reductiuè & secundariò per gratiam gratum facientem etiam intelliguntur virtutes infusæ, actus & auxilia, quatenus præparant, & disponunt ad gratiam iustificantem, vel ad eius augmentum. Per hæc enim omnia, quodammodo efficimur grati, & constituimur in aliquo esse supernaturali. Quò fit, vt gratia supernaturalis recte diuidatur in gratiam gratum facientẽ, & gratis datam: Neque requiritur vt in prima hac diuisione plura fiãt membra: Quia, vt diximus, subgratia gratum faciente comprehẽduntur omnes virtutes supernaturales, & actualia auxilia, quæ per se ordinantur ad hoc vt hominem meliorem reddant, & suo fini coniungant. Ad quam etiam reduci potest ipsa formalis coniũctio cum vltimo fine, quæ est beatitudo, & vocatur gratia à Paulo. Alijs verò placuit, gloriam non comprehendi sub ista diuisione gratiæ, licèt dicatur gratia consummata: Quoniam hæc diuisio solùm comprehendit gratias viæ. ¶Dico secundò, quòd sub gratia gratis data cõtinentur omnia illa dona, quæ per se ordinantur ad aliorum vtilitatem, quamuis per accidens etiam habenti prodesse possint, vt docet D.Greg.hom.17. in Ezechiel. & Alens.3.p.q.63.memb 2. Et patet in Diua Virgine, quæ habuit hæc dona, vt donum Prophetiæ & pleraquæ alia dona, nõ tam propter alios, quam propter ipsius decorem & ornamentum atque vtilitatem. Et idem fortè est de beatis. ¶Dico tertiò, quòd quando Sanctissimus Præceptor dixit, gratiam gratis datam, esse ad aliorum vtilitatẽ spiritualem; intelligitur per se loquendo, & hoc colligitur ex præcedẽti doctrina. Et ob id Paul.1.Corinth. 12. enumeratis eiusmodi gratijs, subiungit: Vnicuique datur manifestatio spiritus ad vtilitatem, scilicet, spiritualem aliorum. Et ad Ephes.4. Alios dedit Apostolos, alios Euangelistas, in opus ministerij in ædificationem corporis Christi. Et 1.Petri.4. Vnus quisque accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes; Hoc tamen non tollit, quin possit aliquis ex gratia gratis data, capere vtilitatem animæ, & suę sanctitatis aliquod testimonium. ¶Quartam etiam statuo sententiam, quòd istæ gratiæ non sunt euidẽs sanctitatis testimonium; quia possunt esse in malis & peccatoribus vt Matth.7. patet de Caipha, & Nume.22. de Balaam peccatore. Legendus est D.Aug.7. de Ciuit. Vbi de Sybillis pleraque dicit huic instituto accommodata. ¶Postremò statuendum est, gratiam gratum facientem, perfectiorem esse gratis data. Quia per se efficit hominem magis bonum, & magis similem Deo, & simpliciter dilectum à Deo, filium Dei & hæredem vitæ æternæ. Verũ est, quod si compares, non quidem gratiam gratum facientẽ formaliter, sed gratiam; quæ reductiuè & secundario in genere continetur sub gratum faciente; tunc in indiuiduo non implicat, aliquod donũ pertinens ad genus gratiæ gratum facientis reductiuè, esse minùs perfectum aliqua gratia gratis data, vt multi putant de dono Prophetiæ relato ad fidem. Sed de hac re quid sit sentiẽdum, agemus in 2.2.q.172. ¶Vnde, ad obiectiones seu argumenta in initio dubij posita respondetur, Ad primum dico, quòd licèt primò & per se gratia gratum faciens solum sit illa, qua formaliter iustificamur, vt condistinguitur à virtutibus, & alijs auxilijs: illi namque soli conuenit essentialiter reddere hominem gratum, & consortem diuinæ naturæ, & obiectum congruum diuinæ dilectionis; reductiuè tamen & secundariò in genere, etiam comprehenduntur virtutes Theologicæ, & auxilia etiam gratuita, per quæ disponimur ad gratiam iustificantem: Per hæc enim omnia quodammodo efficimur grati, nempe dispositiuè, in sensu explicato. ¶Ad illud de diuina prædestinatione, dicendum est, quòd si sumatur secundum effectum, quem habet in prædestinato; sic prædestinatio vtrãque gratiam includit: Nam effectus prædestinationis est non solum gratia iustificans; verum etiã quæcumque dona gratis data, & donum Prophetiæ, quotiescumque in prædestinatis reperitur. Nam etiam fuit effectus prædestinationis in Sanctis Prophetis, quatenus Prophetia etiam in vtilitatem ipsius Prophetæ, & non tantum aliorum cedebat. ¶Ad tertiũ respondetur, quòd quando S.Thom. dixit, gratias gratis datas ordinari ad vtilitatem aliorum, intelligitur per se loquendo, vt insinuatum est superius. Et hac ratione verum est huiusmodi gratias non ordinari ad vtilitatem habentis, sed aliorum, vt liquet ex Paul.1. Corinth.12. & locis supra citatis. Hoc tamen non tollit quin per accidens aliquis ex gratia gratis data, possit capere vtilitatem sibi tam corporis, quam animæ; vt Alens.3.p.q.63.memb. 2. adnotauit. ¶Ad quartum patet solutio ex dictis.

*Matth.7. Numero.*

*Ad argum. Ad 1.*

*Ad secũd.*

*Ad tertium*

*Ad quart.*

*D.Paulus*

*D.Gregor.*

*1.Corint.12.*

*Ephes.4.*

*1.Petri.4.*

Duo tamen se insinuabant hoc loco disputanda; Alterum est, vtrum nostra merita obligent Deum ad reddendum præmium? Quod dubium tangitur in solutione secundi argumenti: Nam ex altera parte militat, quòd iustus meretur de iustitia vitam æternam, & consequenter Deus de iustitia tribuit præmium, & persoluit mercedem: ergo illius est debitor de iustitia. Rursus, Christus de rigore iustitiæ meruit & satisfecit; ergo Deus de iustitia obligatur acceptare Christi satisfactionem. Ex altera parte militat, quòd Deus non habet superiorem cui obligetur, & quòd post opera meritoria cuiuscunque iusti, Deus manet verus Dominus omnium: ergo nõ obligatur de iustitia. Sed difficultas & explicatio horum argumentorum, magna indiget inquisitione. De qua, Deo annuẽte, dicemus infra, quæst.114. de merito.

Altera se insinuabat etiam difficultas, Vtrùm gratiæ gratis datæ, sint habitus? De qua re nõ vacat modò disputare; aliquæ tamen dantur per modum habitus, vt patet de dono linguarum, vt S.Th. dixit. 2.2. q.176.art.2. ad. 3. Aliquæ dantur per modum actus, vt patet de Prophetia apud D.Th.2.2.q.171.art.2.ad 3. & de gratia miraculorum.q.178.art.1.ad. 1. Et nõnulli Theologi addunt, esse gratiam gratis datam per modum potentiæ, vt potestas consecrãdi & absoluendi, seu character. Sed fortè non debet connumerari character inter gratias gratis datas: nõ enim meminit illius S.Tho. vbi de his gratijs egit. Alij dicunt, potestatem consecrandi, & absoluendi reduci ad operationem virtutum. Sed obstat, Quia opera virtutum, propriè dicuntur miracula, quæ ad stabiliendam fidem sunt vtilia. Sed nihilominus ad hoc possunt reduci, licèt non ita propriè. Sed de hoc alias. Rursùs, solutio D.Th.ad.2. videtur insufficiẽs: Nam creatio mundi, neque est debita personæ, neque naturæ: videtur ergo gratia gratis data. Sed dicendum, quòd non habet propriè rationem gratiæ; quia gratia est beneficiũ, quod præsupponit aliquid cui fiat gratia; creatio verò nihil præsupponit rei, quæ creatur; quia solum est in potentia obiectiua, & solum præsupponitur, quòd est in potẽtia actiua Dei. Qua ratione non potest dici gratia in rigore; sed secundum quandam similitudinem. Sed de his omnibus aliàs: Nam hæc modo de gratijs gratis datis in genere sufficiant, & in specie de illis agit S.Thom. 2.2. q.177. & sequentibus, Vbi tractat, quæ gratiæ dentur per modum actus, & quæ per modum habitus? & nos ibi.



## ARTICVLVS II.

*Vtrùm gratia conuenienter diuidatur in operantem & cooperantem?*

PRima conclusio. Hæc diuisio potest rectè accõmodari gratiæ, siue sit sermo de gratia, vt sumitur pro auxilio, siue vt sumitur pro habitu. ¶Secunda conclusio. Gratia auxilij dicitur operans respectu operationum in quibus volũtas se habet, vt mota; dicitur autem cooperans respectu operationum in quibus voluntas mouet & mouetur, seu in quibus se habet, vt mota & mouens. ¶Tertia conclusio. Gratia habitualis dicitur operans in quantum dat esse; & cooperans, in quantum est principium operis meritorij.

## DISPVTATIO I.

*Quomodo intelligatur diuisio gratiæ, in operantem, & cooperantem?*

*D.August.*

*Tiletan.*

DIuisio gratiæ in operantem & cooperantem, accepta fuit ex D. August. lib. de libero arbit. cap. 17. & illam explicant Doctores Theologi cum Magistro in. 2. distinct. 26. & Tiletan. in Apolog. pro Trident. Et sanè, ratio dubitandi huius disputationis, est. Nam quoties Deus operatur in nobis, nos etiam cooperamur: nihil enim aliud est Deum operari in nobis per motionem sui auxilij, quam facere, vt nos operemur: ergo videtur, quòd nulla sit gratia operans distincta à cooperante. Et confirmatur. Nã auxilium Dei quo nos Deus mouet, non est habitus, sed actus in nobis existens: ergo est à nobis cooperantibus.

De hac difficultate, Prima explicatio est, quòd concursus gratuitus Dei ad actus internos, dicitur gratia operans; ad externos verò dicitur cooperãs. Ita Durand. in. 2. distinct. 26. quæstione. 3. Et videtur esse dẽ mente D. Thom. in hoc articulo, & in 2. distinctione. 26. quæstione. 1. articulo. 5. & D. Antonin. 4. part. titul. 9. capit. 3. §. 1. & ex verbis D. Augustin. loco citato, vbi ait: Vt velimus, sine nobis operatur Deus; cùm autem sic volumus vt faciamus, nobiscum cooperatur. Et D. Bernard. lib. de libero arbitrio. Tria (inquit) sunt, benè cogitare, benè velle, & perficere. Benè cogitare, Dei est; bene velle Dei est, perficere autẽ, Dei & nostrũ. Sed licèt verũ sit quòd gratia cooperãs eluceat valdè respectu actuũ exteriorũ circà quos volũtas habet plenarium dominium; tamen re vera neque S. Thom. neque August. intendunt coarctare gratiam cooperantem ad actus exteriores: Sunt enim aliqui actus interiores etiam supernaturales, quos cum plena libertate elicimus, & in quibus voluntas mouet se ipsam, sicut mouet membra ad actus exteriores.

*1. Explicat.*

*Durand. S.Thom. D. Antoni. D. August.*

*D. Bernard.*

¶ Secunda explicatio est, quòd gratia dicitur operans, vt causat in nobis intentionem finis; cooperans verò vt causat electionem mediorum. Hæc dixit Pater Soto libr. 1. de natura & gratia. capit. 6. quem sequuti sunt nonnulli iuniores, qui dicunt esse operantem gratiam; quia voluntas est determinata à Deo, quoad specificationem respectu finis, non verò respectu mediorum. Sed hæc expositio non satisfacit: Quia non ad omnem finem, sed tantum ad vltimum sumus determinati, quo ad specificationem. Imò verò non videtur attingere mentem D. August. Nam, quòd Deus incipiat trahere ad se peccatorem, est proprium gratiæ operantis; non autem incipit semper causando & suggerendo intentionem finis; imò verò frequentiùs incipit deterrendo timore gehennæ, aut alliciendo spe præmij. Quod confirmatur: Nam ipsa intentio finis est actus liber sæpè, & cum pleno dominio elicitus à voluntate, taliter quòd se mouet *in illo* actu: ergo tunc pertinet ad gratiam cooperantem.

*2. Explicat.*

*Soto.*

¶ Tertia explicatio est Tiletan. loco citato, quòd gratia operans est, cùm Deus dat nobis aliquid sine præuia petitione & solicitudine; cooperans verò, cùm aliquid largitur præuio studio, cura, oratione. Vnde August. de liber. arbit. capit. 15. inquit: Fides etiam non petita conceditur, vt ei petenti alia concedantur.

*3. Explicat.*

¶ Quarta explicatio est, quam vt existimo, intendit D. August. de libe. arbi. c. 17. & in Enchi. c. 31. & 32. quòd gratia operans dicitur respectu operationũ, in quibus absq; deliberatione nostra mouemur à Deo supernaturaliter & subitò immittente bonas cogitationes & affectiones. De quibus dicitur Cãt. 5. Ad tactũ eius cõtremuit vẽter meus: & Ezec. 1. vbi

*4. Explicat. optima. D. August. Cant.5. Ezech.11.*

erat impetus spiritus, illuc gradiebatur. Et fauet D. Gregor. Homil. 5. quo loco videndus est. *Gregorius.* Gratia verò cooperans est, quando Deo adiuuante, libere cõsentimus ijs affectibus & cogitationibus. Exemplum D. August. lib. de libero arbit. capit. 5. exprimitur in D. Paulo. Nam quòd subitò circunfulsit eum lux de cælo, quòd exterritus in terram deiectus, interius illustratus & vocatus fuit, fuit opus gratiæ operantis. Quòd verò consensit Deo sic vocanti, & dixit; Domine quid me vis facere? fuit gratiæ cooperantis. Itaque, cùm quis excitatur, vocatur, illuminatur, & pulsatur subitò, ipso homine de hoc nihil cogitante; tunc à gratia operante mouetur. *Aduerte.* Cùm verò gratia cooperans comitem habet consensum & voluntatem, vt cùm homo amat, pœnitet, diligit, dolet; tunc verè cooperans est. Quam diuisionem ita explicatam, tradit Concil. Arausic. cano. 20. dicens; *Conc. Arau.* Multa bona in homine fiunt, quæ non facit homo; nulla verò facit homo bona, quæ non Deus præstet, vt faciat homo. Idem docet August. lib. 2. contra duas epist. Pelagian. capit. 8. *D. August.* Quæ verba explicantur à Driedone in fauorem huius sententiæ. 2. de gratia & libe. arbit. capit. 2. & de concordia prædestinationis & liberi arbitrij, capit. 3. ad. 1. & à Ruard. Tapper. artic. 3. contra Caluinum. *Ruar. Tap.* Ad idem sunt verba August. de Spiritu & litera, capit. 34. Sentire diuinam motionem, in nobis necessariò fit; consentire autem, liberè contingit. Et idem sibi vult Bernard. vbi supra, Soto. 1. de natura & gratia. cap. 16. ponit eosdem motus non liberos, Bartholom. Medina hic, & infrà quæst. 113. artic. 3. Ægyd. in. 2. dist. 26. *Mag. Med. Ægydius.*

¶ Alij Theologi addiderunt aliam explicationẽ; nempe; quòd gratia dicitur operans in quantùm operatio nostri liberi arbitrij est à Deo, vt à principali agente: dicitur autem cooperans in quantùm est à libero arbitrio, tanquam ab instrumento Dei. Et secundum hunc modum in omni operatione vel motione gratuita, concurrit vtraque gratia. Hoc insinuat Pater Vega lib. 6. in Trident. capit. 6. & Ægyd. in. 2. distinctione. 26. quæstione. 3. Sed hæc expositio non videtur multum ad mentem August. Quoniam D. Augustin. distinguit gratiam operantem, & cooperantem, in ordine ad diuersos actus. Item; quia Deus non aliter cooperatur, nec operatur in nobis, quam vtendo potentijs nostris vt instrumentis: ergo sic vti potentijs nostris, non tantum pertinet ad gratiam cooperantem, sed etiam ad operantem. Quocircà; quarta explicatio & interpretatio à nobis tradita, valdè rationabilis est.

*Nota.* Vt rem hanc illustremus, & difficultates occurrentes aperiamus, obseruare oportet, quòd voluntas ex eo quòd libera est, hoc habet speciale, quòd præuia consultatione & deliberatione, potest se determinare ad vtrumlibet, & tunc censetur mouere se eo modo, quo ex vno volito per consultationem & deliberationem eligit aliud. Quando verò voluntas sine speciali deliberatione mouetur, non dicitur sese agere, sed potiùs agitur ab aliquo exteriori principio: Et idcircò dicunt Theologi. 1. 2. quæst. 9. artic. 4. ex mente Aristot. quòd voluntas in prima sua operatione, non se mouet, sed mouetur ex instinctu vel impulsu impresso ab authore naturæ. Adde etiam; quòd solus Deus potest mouere voluntatem nostram quoad exercitium actus, vt mouens extrinsecum; mouet autem illam dupliciter. Primò, vt author naturæ per inclinationem, vel impetum naturaliter impressum, vt Aristot. 7. Ethicor. ad Eudemum, docet: & D. Augustin. lib. 9. super Genes. Vbi ait, quòd natura agitur à Deo interiori motu nobis occultissimo. Secundò mouet Deus voluntatem nostram, vt author supernaturalis, imprimendo impetus & impellẽdo ad quasdam operationes diuinas & supernaturales, quæ minùs subsunt rationi nostræ, & deliberationi, quam naturales.

His ergo sic prælibatis, certum est, quòd quando Deus sine præuia consultatione aut deliberatione nostra subitò immittit bonam cogitationem intellectus, aut saltem desiderium in voluntate; tunc illud prouenit à gratia operante. Cooperans verò dicitur, quando iam consentit homo huic sancto desiderio, aut cogitationi, & libere eligit illam habere, & secundum illam operari. Rursus, Gratia operans solet vocari excitans; cooperans verò adiuuans; imò verò illa dicitur præueniens, hæc verò subsequens & concomitans. Hoc dixit Propheta Psalm. 58. & Psalm. 12. Et misericordia eius præueniet me; & misericordia eius subsequetur me. *Psal. 12. & 58.* Deus namque nolentem præuenit, vt benè velit, & volentem subsequitur, vt perficere valeat; vt fecit cum Paulo; Nam quòd vocatus fuerit, quòd superno illustratus lumine, quòd exterritus in terram ceciderit, gratiæ operantis erat, de qua ipse. 1. Corinth. 15. *1. Corin. 15.* Gratia Dei sum id quod sum. Quòd autem consenserit, Deo vocante, dicendo; Domine, quid me vis facere? & quòd plus omnibus laborauerit, ad gratiam cooperantem spectat, De qua ille subiungit; Gratia eius in me vacua non fuit, sed abundantius omnibus laboraui: non ego autem, sed gratia Dei mecum. Quocircà, ad gratiam operantem pertinet pulsare ad cor, trahere, excitare, vocare, inspirare, illuminare, præuenire; Quæ operationes in Scriptura tribuuntur Deo, & non exiguntur à nobis. Ad gratiam verò cooperantem pertinet iuuare voluntatem vt perfectiùs velit, & vt liberè eligat & perficiat quod vult. Bartholomæus Medina hic aduertit, quòd in prima hominis iustificatione & peccatoris conuersione, locum etiam habet gratia operans, imò verò etiam in operibus in quibus nostræ voluntatis consensus est necessarius. *Medina.* Idem insinuat Pater Vega lib. 6. in Trident. capit. 5. in fine; & capit. 6. & 7. & 8. *Vega.* Dicunt namque gratiam operantem esse, cùm Deus hominem incitat, vt iustificetur, & bonam cogitationem inspirat, vt dolorem mali concipiat. Cooperantem verò gratiam esse illam, quæ iuuat, vt quod propositum est impleatur.

¶ Sed profectò, standum est superius dictis, & etiam quartæ explicationi propositæ, & repellendus est Gabr. in. 2. d. 26. q. vnica, qui dixit, quòd gratia habitualis, vt informat subiectum dicitur operans, vt verò per virtutes concurrit ad actus bonos, dicitur cooperans. Si enim sistat præcisè Gabriel in hac explicatione, & non distinguat vlterius, neq; cognoscat aliam gratiam operantẽ distinctam



ab habituali, neq; illam distinctionẽ cognoscat in gratia actuali & auxilio diuino nihil dicit.

¶ Secundò statuendum est, quòd gratia operans & cooperans possunt distingui tàm in auxilijs diuinis, quam in ipsa gratia habituali: Auxilium namque diuinum, quatenus nos mouet libertatem nostram præueniendo & consensum, dicitur operans gratia; & quatenus concurrit concomitanter ad liberum consensum, dicitur cooperans, quod abundè in superioribus diximus & explicuimus. Et pariter proportione quadam gratia habitualis, quatenus dat esse gratum formaliter inhærendo, & reddendo hominem obiectum congruum diuinæ dilectionis antequam intelligatur se explicare in opera deifica medijs virtutibus, dicitur gratia operans; Sed quatenus concurrit iam ad actus meritorios & supernaturales actiones liberas, dicitur gratia cooperans. Vndè, eadem realiter est gratia operans & cooperans; differunt tamẽ ex parte effectus, vt hic ad. 4. S. Tho. docet.

Ex his sequitur apertè, quòd gratia actualis seu auxilium Dei, rectè diuiditur in excitantem & adiuuantem, quæ doctrina certa est & de fide, vt habetur in Trident. sessio. 6. cano. 3. &. 4. *Conc. Trid. Araus.* Idem docet D. August. lib. 2. de baptismo paruulor. capit. 28. Vbi inquit, nos ad Deum conuerti nisi Deo adiuuante & excitante, non posse. Et ad id adducitur ex verbis illis Apocalyp. 3. *Apocal. 3.* Ego sto ad ostium & pulso (En excitantem gratiam.) Si quis aperuerit mihi intrabo & cænabo cùm illo, scilicet, per adiuuantem gratiam. Ad Philip. 5. *Philip. 15.* Seminauit bonum desiderium, scilicet, per excitantem; Ipse perficiet, per adiuuantem. Ioan. 6. *Ioan. 6.* Audire, discere, & venire gratiæ tribuitur. Et Psalm. 118. *Psalm. 118.* passim fit mentio vtriusque gratiæ, super quem Psalm. legendus est D. August. & ecclesia orat dicendo, Actiones nostras aspirando præueni, & adiuuando prosequere. Vndè, D. Bernard. de libero arbitrio. Inquit, Conatus nostri cassi sunt, si non adiuuentur, & nulli, si non excitentur.

¶ Sed vt vtriusque gratiæ ratio intelligatur, circa excitantem gratiam aduerte, quòd gratia excitans potissimè continet duo genera bonorum. Primum est quasi extrinsecum, & hoc complectitur omnes res illas, vel occasiones, quæ speciali Dei prouidentia nobis offeruntur, vt moueamur ad efficienda bona, vel vitanda mala: Huc spectat exterior vocatio prædicatoris, immissio aduersitatis, quæ ferocis hominis animum debilitat, & ad Deum eleuat; remotio exterior occasionis peccandi, ablatio vel extenuatio exterior tentationis. Secundum verò genus bonorum potissimè ad interiores actus refertur, & continet interiores inspirationes & illuminationes quas Deus in nos, nobis nihil cogitantibus immittit; Quæ illuminationes ad intellectum pertinent, & sunt actus illius, quibus subitò repræsentantur vel malitia peccati, vel bonum virtutis, &c. Inspirationes propriè expectant ad voluntatem & sunt actus illius, & interdum sunt velleitates, vel timores. De quibus omnibus disputabimus quodam dubio inferiùs, Vtrùm isti actus sint verè actiones procedentes à nobis, aut solum passiones receptæ à Deo? Vbi fusius agemus de diuisione gratiæ, in excitantem & adiuuantem.

De gratia autem adiuuante, vt intelligatur, obserua valdè, omnes hos actus gratiæ excitantis non esse propter se, sed magis esse ordinatos ad alios efficiendos. Nam gratia excitans, ad aliquid aliud excitat, & non tantum ad se. Imò verò ad ipsam excitantem potiùs impellimur suauiter à Deo: Vel ergo cũ excitamur à Deo id operamur ad quod excitamur, vel non: Si non, non habet locum gratia adiuuans, & tunc non datur nobis in actu secundo, licèt veluti in actu primo sit paratus Deus ad dandum. Quòd si operamur obserua, illum actum ad quem excitamur interdum esse naturalem; & tunc præter excitantem gratiam non requiritur alia adiuuans supernaturalis distincta ab excitante, licèt interdum requiratur duratio, vel perseuerantia illiusmet gratiæ excitantis, qua nimirum excitamur & cõfortamur, ad perficiendum opus inceptum, iuxta illud ad Philip. 3. *Philip. 3.* Qui dat velle & perficere. Et tunc eadem motio quæ erat gratia excitans, potest dici adiuuans. Quia verè iuuat ad illud opus. Et de hac gratia adiuuante sæpè loquitur August. in Enchirid. cap. 32. &. 3. de libero arbitrio. capit. 15. &. 19. Verum tamen est huiusmodi adiutorium gratiæ excitantis, esse quidem perutile adhæc bona opera perficienda; nõ tamen simpliciter necessarium. Et idem genus adiuuantis gratiæ habet locum in supernaturalibus, quãdo ad illos perficiendos ordinatur.

Sed in his actibus supernaturalibus aduerte, præter totam gratiam excitantem explicatam, adhuc esse necessarium nouum genus gratiæ adiuuantis ad perficiendos illos, vt colligitur apertè ex Trident. vbi supra, & ex testimonijs allatis, & ex natura istorum actuum. Nam cùm ipsi in se sint supernaturales, præter motionem illam quæ antecedit, & præter omnes habitus si adsint, requirunt actualem Dei influxum, quo & potentiæ nostræ & habitus ipsi iuuentur ad perficiẽdos hos actus. Quoniam habitus ipsi supernaturales pendent in suis actionibus ab actuali auxilio Dei, sicut cætera omnia principia creata. Et illud auxilium eiusdem ordinis debet esse cum illo principio, & ob id, supernaturale. Nostræ etiam facultates, vt influant cum habitibus, postulant speciale & peculiare auxilium Dei subleuans illas, vt suprà vidimus. Et hæc omnia pertinent ad gratiam adiuuantem.

Ex dictis, satis intelligitur, quid sit gratia adiuuans isto modo sumpta. Nam si consideretur non illo pacto, sed vt nobis inhærens, nihil aliud videtur esse, quàm ipsemet actus supernaturalis, prout est in fieri, & vt à Deo procedit. Quod sanè faciliùs intelligetur si actio, qua Deus agit, vt est transiens consideretur in passo. Nam si consideretur, prout in Deo est actio illa, nihil aliud est, quam diuina voluntas qua vult nobiscum concurrere ad istas actiones supernaturales, vt paulò inferiùs explicaturi sumus. Et colligitur etiam, diuerso modo procedere consensum voluntatis nostræ ab excitante, & ab ista adiuuante gratia. Nam licèt gratia excitans in ordine ad illum actum imperfectum quem in nobis producit, physicè & per se concurrat ipsum efficiendo; Quia in hoc non tantum se habet vt excitans, sed etiam vt adiuuans gratia; tamen respectu consensus voluntatis, qui deinceps subsequitur, potiùs se habet veluti causa moralis cõsulẽs, vel

vel applicans obiectum, vel alio simili modo impellens, quod verum est propriè intelligendo causalitatem gratiæ excitantis respectu actus ad quem vltimò refertur. Nam si consideretur, vti diximus, excitans gratia in ordine ad hunc actum immediatum, quem in nobis efficit; sic physicè concurrit. Quocirca, consensus ille voluntatis nostræ, qui subsequitur deinceps post excitantem gratiam, procedit quidem à gratia adiuuante physicè, tanquam à causa principali per se efficiente; ab illa verò excitante, tanquam à causa morali, vt dictum est.

Rursùs, ex dictis colligo duo. Primum est, quòd quamuis iustificatio essentialiter, & secundum suã substantiam sit effectus gratiæ operantis; tamen quantùm ad dispositiones, quæ requiruntur ex parte liberi arbitrij, pertinet ad gratiam cooperantem: Contritio enim non est opus solius gratiæ operantis, sed etiam cooperantis, quidquid nonnulli dicant, quod patet ex Trident. sessione. 6. capit. 5. vbi expressè dicitur, quòd dispositio ad iustificationem in adultis fit cooperantibus nobis & liberè consentientibus: Et idem definitur in cano. 4. illius sessionis. Et confirmatur: Quoniam ille actus verè & propriè est meritorius: ergo non est tribuendus soli Deo, sed etiam homini cooperanti. *Conc. Tridē.*

¶Secundò colligo, quòd gratia operans, non solum habet locum ante iustificationem; vel in ipsa iustificatione, sed etiam postquam aliquis iustificatus est. Mouentur enim aliquando iusti subito impulsu Spiritus sancti præuenientis etiam ipsos ad opera egregia & feruentioris charitatis. Sed consensus quo iusti liberè consentiunt huic motioni, eliciendo actum feruentiorem charitatis, verè est à gratia cooperante, quidquid Caiet. reclamet. Hæc namque videtur certa regula, quòd motio quæ fit à Deo præueniente nostrum liberum arbitrium, est effectus gratiæ operantis. Quæcumq; autem operatio libera à nobis elicita ex auxilio Dei supernaturali, pertinet ad gratiam cooperantem. Vndè, sicut in operationibus ordinis naturalis motus primo primi in voluntate, non sunt liberi, sed necessarij, consensus autem in huiusmodi motibus est liber, & à voluntate applicante, & mouente se; ita etiam primus motus gratiæ est á Deo operante; consensus autem liber, est ex gratia cooperante. Et idcircò, D. Augustin. lib. de spiritu & litera, capit. 34. ait, quòd sentire diuinam motionem in nobis necessariò fit; consentire autem illi, libere contingit. *D. Augustī.*

Postrema propositio huius disputationis ea est, quòd gratia gratum faciens, in actualem & habitualem rectè diuiditur, de habituali satis dictum est in quæst. 110. & in materia de virtutibus: Nam omnes habitus infusi comprehendũtur sub latitudine gratiæ habitualis. Actualis autem gratia, dicitur auxilium, seu concursus, quo Deus actualiter concurrit ad actum hominis, qui actus si sit naturalis, dicitur auxilium naturale; si autem sit supernaturalis, dicitur auxilium supernaturale, & hoc propriè est, quod dicitur gratia: Nam aliud cum ipsa natura computatur, vt dicebamus superiùs. Deum autem ad omnẽ operationem naturalem naturaliter concurrere, non solum conseruando potentias, sed etiam intimè influendo in actum, in physicis diximus, & 1. part. quæst. 8. & eisdem rationibus à fortiori ostenditur, & probatur concurrere ad omnem actum supernaturalem.

¶Sed istud auxilium, duobus modis explicatur. Primò, quòd sit ipse Deus, quasi vnitus potentiæ, vt cooperetur cum illa: Quoniam ipsa operatio procedit ex auxilio Dei: ergo auxilium Dei præsupponitur ad operationem: sed præter Deum, & potentiam subordinatam Deo, nihil creatum præsupponitur operationi: ergo est ipse Deus quasi vnitus. Sicut aqua, ex auxilio Dei dicitur producere gratiam. Nam vt subordinata Deo, hic & nunc, assumitur; at verò ante ipsam productionem gratiæ nihil præsupponitur, nisi ipse Deus cum subordinatione ista instrumenti, & voluntate Dei volente hic, per illud instrumentum gratiam producere. Secundò explicatur hoc auxilium & meliùs, quòd formaliter loquendo sit aliquid creatum, scilicet, ipse concursus, & motio Dei actiua. Itaque, sicut calor dicitur procedere à calefactione, & motione, ita effectus ab auxilio Dei. Et probatur: Quoniam auxilia sunt inæqualia, & motiones supernaturales sunt inæquales: dicimus namq; Deum aliquibus tribuere maius auxilium, aliquibus minus; & cùm operationes proueniant ex diuino auxilio, vt ex causa, perfectior operatio proueniet ex perfectiori auxilio: sed hæc omnia non possunt verificari, si ipse Deus dicitur auxilium, cùm semper sit in se æqualis, & æquè perfectus: ergo. Rursus etiam, concursus, & auxiliũ sunt idem: sed concursus est ipse actus eleuatus, & supernaturalis, vt in fieri à Deo: ergo.

¶Aliqui Theologi dicunt, quòd hi duo modi rectè explicati, non sibi contradicunt: Quia licèt nomine auxilij communiter intelligamus concursum Dei, atque adeò auxilium in actu secundo; qua ratione actus fidei, quatenùs formaliter à Deo procedens, est auxilium Dei; quatenùs verò qualitas est, est effectus procedens ab illo auxilio, & concursu Dei; Nihilominus, nomine auxilij possumus intelligere concursum in actu primo. Nam sicut est verum, calorem, & calefactionem procedere ab igne, & à causa prima; ita est verum, quidquid est supernaturale in creaturis, siue sit qualitas, siue ipsa actio identificata cum qualitate, procedere ex auxilio supernaturali Dei; & tunc non potest dici istud auxilium esse aliquid creatum, sed est ipse Deus. Dicitur autem maius, & minus auxilium denominatiuè ex effectu; vel quia Deus efficaciter intendit in hoc perfectiorem effectum, quam in alio. Verumtamen, existimo, quòd duo isti modi explicati non rectè cohærent; & existimo, quòd auxilium istud ad extra à Deo proueniens, causatur in subiecto extrinseco, cùm sit aliquid transiens, & ita est aliquid creatum, & per modum transeuntis in subiecto. Nam causa secunda non mouet, nisi vt mota. Siue hoc actuale auxilium, seu motio distinguatur ab actu supernaturali, siue non; quidquid illud sit, certum est, quòd est aliquid in causa, seu instrumento transeunter receptum; alioqui non intelligitur quomodo actualiter eleuantur sacramenta, & instrumenta productiua gratiæ; Imò verò, cùm ex ordinatione instrumentorum naturalium separatorum possit colligi suauitas concursus Dei, respectu effectuum supernaturalium; necesse est dicere, quòd si instrumẽtum artificis recipit motionem artificiosam, ex qua deriuatur effectus artificiosus; pari ratione instrumentum supernaturale, quod est sacramentum, habet motionem supernaturalem ad effectum sacramenti, secundum quã actualiter subordinatur Deo agenti, per ipsum instrumẽtum ad effectum sacramenti.



*Ad arg. initio factum.* Ad argumentũ, quod initio huius dubij est propositum, cum sua confirmatione, Sunt qui dicant, q̃ auxilium diuinum, quod dicitur gratia operans, nõ est aliqua operatio, vel motio voluntatis, sed est qualitas per modum transeuntis illi impressa; Sicut lapidi imprimitur impetus, quo mouetur in absentia proijcientis. Cæterùm, hic modus dicendi, est contra S. Thom. 1.2.q.110.art.2.vbi ait, quòd gratia auxilij non est qualitas vel habitus, sed motio. Et arguitur contra præfatum modum dicendi: Nam ob id ponitur impetus impressus lapidi, vt sit aliqua vis mouens ipsum, in absentia proijcientis. Cùm ergo Deus non sit absens, sed immediatè præsens menti nostræ, non est necesse ponere qualitatem mediam, qua moueat. Vndè dicimus, quòd gratia operans, per modum auxilij, est ipsa motio voluntatis, in qua est aliquid supernaturalitatis ad extra.

### *Maior explicatio ad præcedentia.*

POstquam præcedentem controuersiam, de gratia operante, & cooperãte sumus prosecuti, plures nobis occurrerũt difficultates, de eadem gratia operãte & cooperãte; Quid sint? De qua re D. Aug. lib. de gratia & lib. arbit. c. 17. affirmat: Quod vt velimus operatur incipiens Deus ipse, cum autem volumus, & sic volumus, vt faciamus, nobiscum operatur. Ex quo testimonio, permotus videtur fuisse Durand. in 2. d. 26. q. 3. n. 4. dicens gratiam operantẽ esse diuinum beneplacitum, quo Deus mouet volũtatem, ad suũ actum internum, qui est velle: Et gratiam cooperantem docuit esse auxiliũ, quo Deus in ordine ad actum externũ, qui subiacet imperio voluntatis, nos adiuuat. Et nonnulli ex Theologis volunt hanc esse sententiam D. Thom. in hoc artic. in quo ait; Quod, quia ad actum interiorem volũtatis, voluntas ipsa habet se, vt mota, & Deus vt mouens, præcipuè quando voluntas incipit velle bonum, recedendo à volitione præcedente, mali & peccati; id circò, quatenus Deus mouet humanam naturam, ad hunc actum, dicitur gratia operans; Et quia ad actũ exteriorem concurrit voluntas ipsum imperando, & simul Deus nos adiuuat ad ipsum, interius cõfortando voluntatem, & exterius facultatem agendi præbendo; Ob id respectu huiusmodi actus, dicitur gratia cooperans. Sed profecto modus iste dicendi, nec est Sanctissimi Præceptoris, nec D. Aug. Quoniam illis verbis D. Aug. non tantum dicit pertinere ad gratiam cooperãtem, quod faciamus, sed etiã ipsum actum internum volũtatis, quo ita volumus, vt faciamus, Vnde August. paulò superius, loco citato, sic ait. Vt velimus operatur incipiens, (scilicet Deus) qui volentibus cooperatur perficiens. Et S. Thom. hic ad. 3. palàm docet, quod supposita volitione finis, gratia nobis cooperatur ad reliquos actus. Et constat quod non solum possumus, ex volitione finis moueri, ad actus externos, sed ad internos etiam. Est etiam modus iste dicendi & explicandi (qui à Durand. traditur) falsus; Nam ad actus voluntatis liberos, qui procedunt ex certa deliberatione, non minus perfectè se mouet homo, aut cum minus perfecto dominio, quam ad actus exteriores; Imò verò Sanctissimus Præceptor dicit, pertinere ad gratiam cooperantem actus illos, in quibus sic voluntas adiuuatur à Deo, vt etiam se moueat. ¶ Præterea arguitur; Quia cum opus bonum exterius factum, debeat ex actu interiori liberi arbitrij procedere, non aliter cooperatur Deus, operi externo, quam cooperando interno. Quomodo autem intelligenda sint verba D. Thomæ hic, postea dicemus. *D. Augustī.* *Durand.*

Sotus. 1. de natura & gratia, capit. 6. docuit, vt dubio primo, retulimus, gratiam operantem vocari eam, quæ in nobis est causa intentionis, seu volitionis ipsius finis: Cooperantem verò, esse illam, quæ est causa electionis mediorum, non quia vterque actus non procedat efficienter à voluntate nostra; sed quia prior, qui est intentio, & volitio finis, non procedit ex perfecta deliberatione humana, & ex præsupposita hac intentione finis sequitur posterior, &c. Propter hanc rationem Sanct. Thom. 1. 2. quæstio. 9. artic. 3. & 4. ait. voluntatem nostram mouere se ipsam, ad electionem mediorum; Et moueri quidem ab authore naturæ, ad intentionem finis. Nec huic expositioni obstat, quod Sanct. Thomas in hoc artic. dixerit, gratiam cooperantem dari ad actus externos: quia plerumque Sanct. Thom. ipsam electionem voluntatis, vocat actum externum, comparando eam, ad intentionem, à qua procedit, vt liquet ex Sanct. Thom. supra quæst. 15. art. 4. & quæst. 18. art. 6. *Mag. Sota.*

¶ Hunc modum dicendi, quem Sotus sequitur fusè, Theologi nõ approbant; Et impugnatur à Vega loco superius citato super Trident. Et quidem mihi non probatur; quia primus ille motus, quo Deus incipit ad se peccatorem conuertere, sine dubio pertinet ad gratiam cooperantem, & tamen motus iste non semper est intentio finis: Sed plerumque est timor diuinæ iustitiæ, vel spes consequendi veniam à diuina misericordia. Aliam etiam impugnationem attulimus contra Sotum dubio. 1. præcedente, quæ illo loco videnda est.

¶ Vega lib. 6. in Trident. cap. 6. credit, Gratiam operantem esse adiutorium diuinum, quo Deus facit, vt interius, vel exterius bene operemur, siue circa finẽ, siue circa media: Cooperantẽ verò dicit esse ipsum cõcursum Dei speciale, ad bonas operationes: Qui modus dicendi mihi nõ probatur. Primò: Quoniam actualis Dei concursus, ad operationes nostras, non intelligitur nomine auxilij, seu gratiæ actualis, vt hic loquimur de ista gratia, & vt inferius amplius explicabitur: sed eleuatio nostrarum potentiarum, ad agendum supernaturaliter. Secundò etiam: Quia speciale illud auxilium, quo Deus nos adiuuat ad rectè agendum, siue interius, siue exterius, siue circa finem, siue circa media, cooperatur simul nostro libero arbitrio, quãdo cum deliberatione plena rectè agimus & operamur: ergo similiter auxiliũ illud est gratia cooperãs. Alias etiam impugnationes attulimus contra Vegã dub. 1.

dub.1.cit.quæ eodem loco pariter videndæ sunt.

Pro explicatione huius rei,& vt explicemus,quid nomine actualis gratiæ intelligatur, & pariter quid sit gratia operans,& gratia cooperans,Dico primò, quòd sicut in naturalibus secundæ causæ pendent, vt operẽtur à prima,quantũ ad duo,scilicet,quantũ ad vim operatiuam,quã à prima acceperunt,& quã prima eis conseruat suo continuo influxu; Et etiam quantum ad cõcursum actualẽ,quo prima causa immediatè concurrit,ad earũ operationes, ita vt nihil omnino secundæ causæ efficiãt, nisi dependenter ab isto cõcursu primæ:Sic etiã in supernaturalibus,nos dependemus à Deo,vt ab agẽte supernaturali,& authore gratiæ,& bonorũ supernaturaliũ in omnibus actibus,& operationibus supernaturalibus, quantũ ad alia duo,scilicet,quãtũ ad supernaturalẽ vim proportionatam supernaturalitati actuũ,quæ per modũ actus primi requiritur,ex parte nostrarũ potentiarũ operatiuarũ:Et quantũ ad actualem cõcursum, qui similiter supernaturalis esse debet,si in nostris actibus aliquid efficitur,siue sit eorũ substãtia, siue modus.¶Et quod sit quid supernaturale ,& quod pariter cõcedẽda sit hæc dependẽtia,quantũ ad ista duo quæ diximus:Probatur primo ex proportione , quã esse diximus inter naturalia,& supernaturalia.Secũdò:Quia quod potentiæ nostræ indigeãt virtute supernaturali,qua subleuẽtur, & constituãtur in actu primo,ad supernaturaliter operandũ , quidquid sit huiusmodi virtus , seu modus (de quo infrà dicemus) id quidẽ negari non potest vllo modo. Quoniam nostræ potentiæ naturales, secundũ earum naturalem virtutem, non habent proportionem causæ actiuæ cum effectu supernaturali , in quantum supernaturalis est : ergo vt possint eum efficere requiritur, quod eis addatur virtus actiua supernaturalis,qua reddantur proportionatæ tali actui. Probatur antecedens:Quoniã cum naturalis virtus sit inferioris ordinis,ad actus supernaturales, non potest habere proportionem causæ actiuæ respectu eorũ: Nam causa actiua agit,prout est in actu respectu effectuum:sed respectu effectuũ pertinentiũ ad ordinem superiorem,nec est in actu virtuali,nec in actu formali,aut immediatè:ergo,&c.Et probatur consequentia ; Quoniã actus non excedit proportionem causæ actiuæ, cum hæc proportio fundetur in actualitate causæ respectu effectus.¶Quod autem nostræ potentiæ indigeant supernaturali Dei cõcursu, probatur:Quia vniuersæ causæ creatæ indigent actuali Dei concursu,ad agendũ , & pendent ab ipso Deo: sed iste cõcursus est eiusdem ordinis, cũ effectibus, ita vt sit naturalis respectu effectuum naturaliũ , & supernaturalis respectu effectuum supernaturaliũ: ergo,&c.Probatur minor.Primo:quia aliàs non erit proportio inter actualem concursum causæ efficientis,& suum effectũ. Secundò:Quia concursus actualis causæ efficientis,ad aliquem effectum, non videtur esse alius , quam effectus, vt procedens ab ipsa, siue sit substantia eius,siue modus ipsius effectus:ergo vbi effectus est supernaturalis,necesse est, quòd etiam concursus sit supernaturalis.

*Dico.1.*

*Dico.2.* Dico secundò,Deus aliquando tribuit nostris potentijs supernaturalem virtutem requisitam per modum actus primi,ad actus supernaturales,infundendo illis supernaturales habitus;aliquando vero confert hanc supernaturalem virtutem,sine huiusmodi habitibus,siue id faciat infundendo alias qualitates habentes modum motionum , vel passionum transeuntium,& non habituum permanentium, siue id faciat per immutationem,& spiritualem motionem intrinsecam , vt plures dicunt , siue immediatè per se ipsum,propter intimam vnionem , & immediatã actionem,qua coniunctus est ipse Deus nostris potẽtijs,sine vlla informatione,aut inhærentia, vel alia imperfectione,vt plures alij sentiunt Theologi, de quo postea dicemus. Et licet huiusmodi vis actiua, quomodocumq; conferatur nostris potẽtijs,habeat rationem gratiæ,& auxilij supernaturalis,tamen peculiariter quando confertur posteriori modo,vocatur gratia actualis,& auxiliũ supernaturale: Nã dicitur gratia actualis,ad distinctionẽ habituũ,scilicet, quia non habet modũ habitus:Et dicitur auxiliũ,tã ad distinctionem eorundem habituũ,quã cõcursus actualis supernaturalis.Quoniã habitus,quãuis dẽt potẽtijs virtutem,ad operandũ supernaturaliter,nõ solent vocari auxilia; quia cõparantur formis & potentijs,quæ sunt principia actionũ naturaliũ,vt docuit Sãctissimus Præceptor supra.q.110.art.2.in corpore.Et licet concursus actualis appellari soleat auxilium,vtendo hac voce, in significatione quadam lata,quæ comprehendit omnia quibus indigent nostræ potentiæ,adhoc vt operentur: In qua significatione Sanctissimus Præceptor vocauit etiã concursum generalẽ naturalẽ,auxiliũ diuinũ,supra.q.109.art.2.3.4.&.8.tamen propriè,& in rigore non est auxiliũ,quia non ita confert virtutẽ potentijs ad operandũ,vt suppleat in eis defectũ viriũ, quod est proprium munus auxilij , sed est influxus Dei in ipsam operationẽ,sicut in reliquos alios effectus.¶Ex quibus omnibus colligitur,quòd nomine gratiæ actualis non intelligimus habitus supernaturales,nec cõcursum Dei actualẽ supernaturalẽ,quãuis de eo etiã aliquid dicemus postea, sed virtutẽ ad operandũ supernaturaliter, quã Deus præter habitibus , tribuit nostris potẽtijs,quatenus per modũ actus primi præsupponũtur, saltẽ ordine naturæ proprijs operationibus, tanquam earum principia. Quæ res infrà fusius examinabitur.

*Dico.3.* Dico tertiò,Omnia ea bona,quibus homo perducitur in finẽ supernaturalẽ, ad tria genera , seu tria capita reduci.Vt Theologi aduertũt Dried.lib.1.de grat.& libe.arbi.c.6.& lib.2.tract.1.c.2.&.3.& lib.de concordia liberi arbit.& prædestinationis. part.2.c.3.in fine solutionis primi argum. contra liberũ arbitriũ.Et Staplet.lib.4.de iustitia.c.7.Scot.etiã, & Vega locis cita.Primi generis bona sunt illa, quæ antecedunt,seu antecedũt omnẽ nostrã deliberationẽ, & nullo modo pẽdẽt ex libertate nostra.Et hæc quãdoq; sunt extrinseca potẽtijs, quibus in Deũ cõuertimur,cuiusmodi sunt,exterior admonitio,prædicatio verbi diuini,& pleræq; occasiones , quæ ex speciali Dei prouidentia nobis occurrunt,vt faciamus bona & vitemus mala:Quandoq; vero sunt intrinseca ipsis potentijs,hoc est,intra eas recepta,cuiusmodi sunt inspirationes,& illustrationes,quas Deus nobis immittit,nihil de eis cogitãtibus. Quæ quidem in nostro intellectu recipiũtur , & etiã in volũtate: Nam inspirationes sunt imperfecti quidam, & non absoluti actus, quibus subito amamus diuinam bonitatem,

*Dried.* *Staplet.* *Scotus.* *Vega.*



nitatem,aut bonum virtutis, vel desideramus bona æterna , aut etiam odio habemus fœditatẽ peccati, vel timemus damnationẽ æternam , aut alij similes affectus in volũtate.Et illustrationes illæ nihil aliud sunt,quam subitæ quædam cogitationes, quibus nobis repræsentatur malitia peccati,aut periculũ æternæ damnationis, in quo versamur,vel diuina bonitas,& alia id genus. Et quod isti actus sint subiti,& indeliberati,ac proinde necessarij,facile ostenditur exemplo affectuum , quos vnusquisq; in se ipso experitur,circa obiecta bona subito,etiam quando de eis nihil cogitauerat,aut deliberauerat, & pari modo potest facile intelligi, exẽplo motũ circa obiecta mala,quos appellare cõsueuimus primo primos, & id ipsum liquet ex communi sententia scholasticorum,& Sanctorum etiam de actibus volũtatis,& non solius appetitus. ¶ Secundi generis dicuntur esse bona illa, quæ in anima, & potentijs recipiuntur,sine efficientia aliqua nostra in ipsa, non tamen sine libera dispositione,cuiusmodi sunt supernaturales habitus,gratia gratum faciens,& virtutes infusę morales,& Theologicæ.¶Tandem in tertio genere sunt alia bona , quæ ex libertate nostri arbitrij pendent efficienter,quoniã procedunt ab ipsa,vt ab efficienti causa , cuiusmodi sunt actus liberi, quibus vel disponimur ad suscipiendam gratiam, & supernaturales habitus,vel post eos iam susceptos vitam æternam meremur.

*Dico.4.* Dico quarto,Omnes hos effectus , seu bona procedere à diuina gratia,tanquã ab eorũ causa,quãuis non eodẽ modo:Quia bona primi,& secundi generis,procedũt ab ea,vt operante,sine nobis liberè efficientibus ipsa ; Quoniã procedunt sine efficiẽtia, vel concursu,in genere causæ efficientis nostri liberi arbitrij,siquidem nos in quantum libere agimus, & ex deliberatione,ad nullũ istorũ efficiẽter cõcurrimus, quamuis ad bona secũdi generis dispositiue concurramus; Et ob id,huiusmodi effectus dicũtur procedere à gratia,vt operante præcisè : Cæterũ ea bona, quæ sunt tertij generis,nõ procedũt à gratia, sine nobis cõcurrentibus ad ea, libertate nostra efficienter,sed ita à gratia dicũtur procedere, vt simul etiã efficiẽter procedãt à libero arbitrio: Et idcirco dicuntur procedere à gratia, vt cooperãte nobis,& vt concurrẽte nobiscũ ad ea. ¶Ex quibus sequitur, gratiã operantẽ esse id, quo Deus est causa bonorũ primi, & secundi generis,& gratiam cooperantem esse id,quo est causa bonorum tertij generis,licèt à quibusdam etiam effectus ipsi appellentur gratiæ operantes,& cooperantes : Quia interdum nomina causarum suis effectibus tribui solent.

*Dico.5.* Dico quintò , Omnes eos effectus , quos à gratia operante diximus procedere,nõ vno & eodẽ modo nobis à Deo cõmunicari: Quoniã effectus,qui sunt in secundo genere,fiunt à Deo sine efficiẽtia nostrarũ potentiarũ,recipiuntur tamen in ipsis. Et ex effectibus qui in primo genere cõtinentur, quidam nõ recipiuntur in eis,& alij sunt actus procedẽtes efficienter ab ipsis potentijs.Et hæc est causa cur nõ potest vno,& eodẽ modo explicari,quid sit gratia operans respectu omniũ istorũ effectuũ: Nã certe respectu illorũ effectuũ,qui non procedũt effectiuè à potentijs,gratia operans,non est aliquod auxilium eis concessum ad huiusmodi effectus, sed est voluntas diuina efficiendi,aut ordinãdi hos effectus,ad vtilitatẽ illorũ,quibus cõmunicantur: Vel si effectus isti tribuũt aliquod esse animæ,& potẽtijs, vt euenit in effectibus secundi generis, erit forma, aut habitus, qui est formale principiũ istius esse,vt plures Theologi dicũt in explicatione huius articuli.Quãnis vt alijs placet,priori modo magis propriè explicetur, vis nominis,gratiæ operantis: At vero respectu eorũ effectuũ,qui effectiuè à potẽtijs procedũt, dicendũ est,esse auxiliũ aliquod illis collatũ,vt valeãt, & possint ad eos effectiue cõcurrere. Et de gratia operante in ordine ad istos effectus agendũ est modo in particulari: Nam de ea quatenus cõparatur ad reliquos effectus,satis sunt ea,quæ diximus.

*Dico. 6.* Dico sexto. Operantẽ gratiã,acceptã hoc modo, esse speciale auxiliũ,quo potẽtiæ nostræ subleuãtur ad eliciẽdũ actus illos subitos,& indeliberatos,qui vocãtur inspirationes,& illustrationes nobis immissæ à Deo,& gratiã cooperantẽ esse supernaturale auxiliũ,quo liberũ arbitriũ nostrũ , in quantũ antecedit saltẽ ordine naturæ suas operationes, per modũ actus primi , subleuatur ad eliciendũ actus liberos, quibus libere cõsentimus Dei inspirationibus & vocationib⁹. ¶Quod si interroges,quid sit vnusquodq; istorũ auxiliorũ in particulari? Respondetur,nõ esse vnã,& eandẽ Theologorũ sententiã,& solutionem de hac re.Nam nonnulli censent auxiliũ primũ cõsistere in subordinatione nostrarũ potentiarum, ad Deũ,sibi immediate vnitũ in ratione mouentis , & applicãtis ipsas efficaciter, ad eliciendũ illos actus, ad quod necesse non est Deũ efficienter producere in ipsis potentijs aliquid in eis inhærens , distinctũ ab illis actibus,quo moueantur & applicẽtur ad eliciendũ eos , siue hoc sit aliqua forma , siue qualitas habens modũ transeũtis,siue vera passio, vel mutatio,aut motio:Nec per se ipsum inhærere potentijs, aut eas informare: Quia satis est velle absolutè , & efficaciter,quod potẽtię eliciãt actus illos; Nã quod Deus sola absoluta, seu efficaci volũtate eius possit mouere,& applicare potentias hominis ad agendũ, negari nõ potest vllo pacto:Quia sicut nos per motum corporalẽ applicamus physicè agentia corporea,ad agendũ,vt calamum ad scribendũ:Et per imperium mouemus moraliter agentia libera,ad agendũ;ita & multo melius Deus sola volũtate,aut efficaci imperio potest physicè applicare & mouere creaturas omnes,ac proinde nostras potẽtias ad eliciendum suas operationes. ¶Et quod ratione huius vnionis,& subordinationis,nostrarũ potentiarũ ad Deũ, potẽtiæ ipsæ subleuẽtur,ad agendũ,licet neq; Deus , neq; aliquid ab ipso productũ illis inhæreat, aut eas informet, id sanè duobus exemplis explicatur, ab authoribus huius sententiæ : Nam in primis iuxta sententiam D.Tho.aientis accidentia non virtute propria,sed virtute substantiæ,posse producere efficienter substantiam; Sentiendum est , quòd calor naturalis, vt subordinatus, & vnitus formæ substantiali viuentis , producit substantiam , & tamen forma substantialis, nec per se ipsam informat calorem, aut inhæret ei, vt de se patet , nec per aliquid à se productum: Quoniam hoc , nec est aliquid antecedens actionem productiuam substãtiæ; quia hoc deberet produci immediatè à forma substantiali,& tamen (iuxta sententiam S.Tho.) forma

*Dubium. Responsio.*

substantialis non est proximum principium operãdi, aut agendi: Nec est ipsa actio productiua substantiæ; Nam hęc est posterior saltem ordine naturę sub leuatione caloris, ad concurrẽdum ad eam, & eius effectus; Tum etiam, quia est actio transiens, & non recipitur in ipso calore. Et rursus intellectus beati, non constituitur in actu primo, per aliquam speciẽ accidentalem sibi inhærentem, sed per essentiam diuinam sibi vnitam, in ratione speciei intelligibilis, sine imperfectione inhęsionis, aut informationis; At vero auxilium secũdum, quod Deus tribuit nostris potentijs ad actus liberos, cõsistit in actibus subitis, & necessarijs, ita vt per eos, potentiæ nostræ intelligantur subleuatæ, & cõstitutæ in actu primo, ad eliciendos actus liberos supernaturales. Quod tamen intelligi debet in casu, quo potentiæ nostræ nõ habent habitus proportionatos, actibus liberis: Nam quando habent huiusmodi habitus, non est necesse, quòd procedant illi actus indeliberati, vt potentiæ constituantur in actu primo, ad eliciendũ actus liberos, propter proportionatos habitus; Quia per ipsos sunt sufficienter constitutæ in actu: Quãuis propter alias rationes, aliquando possit esse necessarium, vt postea dicemus differentes de necessitate gratiæ excitantis. Neq; est peculiare in hac materia, quòd potentiæ per vnũ actum à se elicitum, constituantur in actu primo, ad eliciendũ alium; Quia hoc in multis alijs contingit; Nam intellectus per assensum principiorum, constituitur in actu, ad assentiendũ conclusioni, ita vt etiam assensus principiorũ efficiẽter cõcurrat, ad assensum conclusionis, & voluntas per intentionem finis constituatur eodem modo in actu, ad eliciendũ electionem mediorum, sequitur enim electio ex fine intento à voluntate, qui prout in ea est, ipsam constituit in actu, ad agendum moraliter.

*Argumenta contra ea, quæ paulo antea dicta sunt.*

Verum, contra ea quæ nũc diximus, sunt duo argumenta, quorũ alterum est: Primũ auxilium, quod supra commemorauimus, adiuuat potentias, ad eliciendũ actus illos indeliberatos, ergo appellari debet gratia cooperans, sicut secundum auxiliũ. Ostẽdo consequentiã; Quoniam gratia cooperans, dicitur diuinum auxilium, quatenus adiuuat nos, & cooperatur nobis, ad operandum, & agendũ. Alterum verò, seu secundum argumentum est: Quod actus illi indeliberati, nõ minus sunt supernaturales, quã actus deliberati, ergo sicut ad deliberatos, requiritur aliquod auxilium, inhærens potentijs, ita etiam requiritur ad indeliberatos, aut si ad ipsos nõ requiritur, nec ad illos erit necessarium. Patet consequentia: Quia tota ratio propter quam est necessariũ auxilium, est supernaturalitas actuum: ergo cum sit eadem supernaturalitas in omnibus istis actibus, pari ratione, etiam auxilium debet esse idem omnino.

*Responsio.*

His argumentis, seu obiectionibus statim respondere oportet. Ad primum, negatur consequentia, cõcesso antecedenti, & ad probationem respondetur, quòd gratia non dicitur cooperans, quia quomodocunq; nos adiuuat, sed quia adiuuat, & dat virtutem ad actum, respectu cuius operamur, vt mouẽtes nos ipsos, & non præcisè vt moti à Deo: Sed quoniã ad actus subitos, & indeliberatos, concurrimus, vt moti, & non vt mouentes nos ipsos; idcirco actus isti soli Deo tribuuntur, licet efficienter producantur à nostris potentijs: Et auxilium quod datur à Deo, dicitur gratia operans, & non cooperans. Quoniam verò adiuuamur & mouemur á Deo, ad actus liberos, ita vt etiam nos ipsos moueamus, idcirco auxilium, quod ab eo datur, dicitur gratia cooperans: Neq; quando dicimus, quòd ad actus indeliberatos concurrimus, præcisè, vt moti à Deo, & non vt mouẽtes nos ipsos, loquimur de motione physica, qua dicuntur se mouere omnia viuentia, sed de motione morali, qua specialiter agentia libera, dicuntur se ipsa mouere, & agere propter finem quatenus, scilicet, agunt, ex propria deliberatione, & perfecta cognitione. Et iuxta hanc solutionem possunt interpretari verba Sanctissimi Præceptoris, supra citata pro sententia Durandi, ita vt dicamus S. Thom. per actum externum intellexisse omnem actum, ad quẽ nos concurrimus, mouendo nos ipsos, virtute propriæ deliberationis, & non præcisè, vt moti à Deo, siue huiusmodi actus, sit ipsum velle volũtatis, siue sit actus elicitus ab alia potentia, & imperatus à voluntate ipsa. ¶ Ad secundum argumentum dico, tantum probare, quòd etiam requiratur supernaturale auxilium, ad actus illos indeliberatos, & pari ratione hoc tantum conuinci ex supernaturalitate ipsorum, non tamen, quòd auxilium hoc debeat esse aliquid inhærens nostris potentijs, sicut est auxilium, quod Deus nobis tribuit, ad actus deliberatos: Et ratio discriminis est, quòd Deus tribuit hæc auxilia supernaturalia, seruata proportione ad naturalia; & ob id, sicut in naturalibus, cum operamur, præcisè vt moti, non agimus propter finem, ex intrinseca directione, sed ex directione authoris naturæ: Quãdo vero operamur mouendo nos ipsos, virtute propriæ, & intrinsecæ directionis, agimus propter finẽ; Ita etiam, ad actus supernaturales, ad quos concurrimus, præcisè vt moti à Deo, donat nobis Deus, supernaturale auxilium; quod consistat in motione, & applicatione, supra explicata, & nõ inhæreat nostris potentijs; At vero ad actus supernaturales, ad quos concurrimus mouendo nos ipsos, dat auxiliũ nobis inhærẽs. ¶ Et hoc esse certum liquet; Quia in rebus omnibus, præter subordinationem secundarum causarum ad primam, constituuntur vlterius in ipsis secundis causis, virtutes agendi, & omne illud, ratione cuius, dicuntur constitui in actu primo, respectu actus secundi, seu in ordine ad operationes, & actus exercitos; Ergo pari ratione in proposito, præter subordinationẽ voluntatis nostræ, ad Deum, requiritur, in ordine ad actus supernaturales liberos, & deliberatos, intrinsecum auxilium inhærens voluntati, per quod constituatur ipsa, quasi in actu primo, ad supernaturales actiones; quasi antecedenter prius natura, ad illos: Siue supernaturale illud auxilium inhærens, sit modus, siue motio diuina spiritualis innominata, quæ reductiue sit alteratio perfectiua, siue aliquid per modum transeuntis, seu qualitas (vt aliqui volunt) per modum passionis cito transeuntis, siue quidpiam aliud. Rursus etiam liquet; Quia adhoc vt potentia voluntatis, eliciat actus omnino supernaturales, requiritur, quòd ipsa prius sit intrinsecè (hoc est) per aliquid intrinsecũ, supernaturalis: Ergo illud auxilium, quod datur, ad actus supernaturales liberos, debet esse illi inhærens. Præcipue hoc est verũ; Quia cũ auxiliũ, quod est in voluntate nostra, supernaturaliter agente, sit aliquid

*S. Thom.*

*Quid sit illud auxilium inhærens intrinsecũ potentiæ, quando libere operatur bonum in ordine ad supernaturalium.*

*Appendix.*

aliquid pertinens, ad actionem transeuntem, & supponat in Deo voluntatem auxiliandi, necesse est, quòd ponat aliquid ad extra, in ipsa voluntate, & ex consequenti, quòd auxilium transiens (præter immanens quod est in Deo) sit aliquid aliud in voluntate; Nam certe subordinatio secundarũ causarum, siue naturalium, siue supernaturalium, respectu primæ, communis est, & essentialis, in omnibus causis, vt sic, & consistit in intrinseca, & necessaria, seu essentiali dependentia, quam secundæ causæ habent, ad primam omnino independentem, ac proinde præter hanc communem subordinationẽ præambulam, & communem causis omnibus, requiritur actus virtualis, seu actus primus vel id quo intrinsecè, quasi per modum inhærentiæ constituatur voluntas, vt supernaturale principium, actionis supernaturalis deliberatæ.

*Argumẽta recentiorũ.*

Ex supra dictis colligitur, quòd non solum sunt effectus gratiæ cooperantis, illi actus, qui procedũt à gratia habituali, sed etiam omnes actus supernaturales, ad quos concurrit cooperatio nostri liberi arbitrij, ita quòd libere fiant à nobis, siue subsequãtur iustificationem, siue antecedant illam, non solum natura, sed etiam tempore: In quo valde deceptus est Caiet. qui dixit, solum illos actus esse effectus gratiæ cooperantis, qui secundum suam entitatem, procedunt à gratia habituali, tanquam effectus ei proportionati: Non tamẽ dicit hoc Caiet. Quia sentiat cum hæreticis, reliquos actus esse à Deo, sine cooperatione nostri liberi arbitrij: Sicut solet dici de effectibus gratiæ actualis operantis; sed quia existimat, quòd solum operamur, mouendo nos ipsos, quando habemus formam, cuius virtute operemur & agamus.

*D. Augst.*

Sed contra hæc, quæ diximus recentes Theologi obijciunt D. Augustinum pleriſque in locis, in quibus videtur insinuare, ad gratiam operantem pertinere, ipsam gratiam habitualem, cum omnibus actibus supernaturalibus præcedentibus eam; Et ad cooperationem, reliqua auxilia gratiæ, quæ tribuit nobis Deus, vt vitam æternam mereamur, seruando & implendo legem, & superãdo omnes difficultates, post acceptam gratiam iustificantem: Et pro hac parte citatur D. Aug. lib. de gratia & libero arbit. cap. 17. Tomo. 7. vbi ait. Vt velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens, propter quod Apostolus ait, Certus sum quoniã qui operatur in vobis opus bonum perficiet, vsque in diem Iesu Christi; Vbi cum per diem Christi significetur dies, quo vita cuiuscumq; consummanda est, quia tunc Christus vnumquemque nostrum iudicaturus est, speciali iudicio, & redditurus vnicuiq; pro meritis; videtur sequi quòd cum Aug. dicit, quod Deus cooperatur perficiẽs significetur, quod cooperatur adiuuãdo, ad operãdũ meritoriè, quòd sit post acceptã gratiã iustificantẽ: Nã Paul. in isto sensu videtur accipere verbũ, perficiet. Præterea idem Aug. sic ait eodẽ loco: Vt ergo velimus, sine nobis operatur Deus; Cũ autẽ volumus, & sic volumus, vt facimus, nobiscũ cooperatur. Quibus verbis D. Aug. per velle, quod dicit fieri à Deo sine nobis, nõ intelligit illud velle, quo disponimur ad iustificationẽ; Quia hoc non est à Deo sine nobis libere cooperantibus. Neque rursus intelligit omne velle pure internum, ita vt affirmet; omne velle esse à Deo, sine nobis, & tantum actum exteriorem, qui à volũtate imperatur, esse à Deo cooperante nobis. Quare restat quòd Aug. intelligat, potestatem volendi bonum, quam accipimus, cum per gratiam iustificantem sanatur nostra voluntas, seu conuersionem & ordinationem ad Deum, vt ad vltimum finem, quã per gratiam ipsam habitualem, voluntas nostra participat; Nam ista ordinatio appellari potest velle, quatenus per eam subijcitur voluntas Deo, vt vltimo fini, sic enim continet quoddam virtuale propositum, placendi Deo in omnibus, & super omnia, atque ita sensus illorum verborum erit; Quod bonũ illius potentiæ & sanitatis, vel illius propositi virtualis, est à solo Deo per gratiam operantẽ: tamen quòd postea re ipsa & de facto exequamur ea, quæ tunc statuimus, quod est perficere id, quod Deus in nobis incipit per iustificationẽ, est simul à nobis, & à Deo; per cooperantem gratiam. ¶ Hoc confirmari potest, ex Concil. Prouinciali Colonien. in tractatu de sacramentis noui testamenti. cap. de Sacramento pœnitentiæ. §. Sed interim; Quo loco videtur sic intelligere diuisionem hanc: Nam inquit, Operans gratia est quæ præuenit & præparat voluntatem, non vt faciat voluntas, quia & ante hanc gratiam voluntas erat, sed vt voluntas bona faciat, & quæ prius erat serua peccati liberetur: Cooperans vero gratia volũtatem iam bonam factam subsequitur, vt quod iam vult bonum perficere possit. Et ibidem. §. Superest Inquit; Quod postquam per gratiam iustificantem, voluntas hominis sanata, & à peccato liberata est, indiget Dei gratia, ad concupiscentias, passionesque vitandas, & ad operandum bonum. Et hanc gratiam prius vocauerat Colonien. Concil. subsequentem & cooperantem. Et §. Dicitur autem, ídẽ Conc. dicit: Dicitur autem hæc gratia subsequens, seu cooperans comitari voluntatem nostram, quod voluntas nostra sanata per gratiam iustificantem iã nacta sit aliquam libertatem repugnandi infirmitati suæ, & bene operandi, nõ quidem iam timore pœnæ, sed amore Dei, & iustitiæ: cum iam adiuuetur à Spiritu sancto, quem in iustificatione Deus nobis impertit, & per eundem, charitatem in cordibus nostris diffundit, &c.

*Concil. Colonien.*

*Solutio.*

Huic Argumento & obiectioni respondere possumus, quòd quamuis recens quidam Theologus in sua concordia, crediderit, tam Aug. quam Prouinciale Concil. fuisse illius sententiæ, tamen oppositũ rationabilius est; Nec obstant testimonia allata; Nam in primis, priora verba D. Aug. potius fauent nostræ sententiæ: Quoniam in eis D. Aug. solum tribuit gratiæ operãti inchoationẽ, seu præparationẽ vt velimus, quæ non est aliud; quam illi actus indeliberati, quos explicuimus superius, tamen quod velimus, dicimus esse effectũ gratiæ cooperantis, quod magis explicuit Aug. paulo inferius, quãdo in hæc verba prorupit: Sine illo operante, vt velimus, hoc est, per gratiã operantẽ dantẽ nobis dispositionem & præparationẽ, qua possimus velle, vel cooperante cum volumus, hoc est, per gratiam cooperantem, concurrente nobiscum, & cooperante nobis ad actum, quo volumus ad bona pietatis opera, nihil valemus; hoc est, non habemus vires, ad exercẽdum actus accommodatos, & proportionatos ad iustifica-

ſtificationem, & ad finem ſupernaturalem. Et pari modo interpretanda, & exponenda ſunt poſteriora verba Aug.ſupra citata; Nam per velle, quod dicit operari Deum in nobis ſine nobis, nec intelligit vltimã diſpoſitionem ad gratiam, nec omne velle pure interius, nec ſanitatem illam, aut ſubiectionem voluntatis ad Deum, vt ad vltimum finem, quæ eſt effectus gratiæ iuſtificantis: ſed illud velle indeliberatum & neceſſarium, quod diximus eſſe effectum gratię operantis: Et per velle, ita vt faciamus, intelligit velle liberum, & procedens ex noſtra deliberatione, quod diximus eſſe effectum gratiæ cooperantis, vt fuſè cõtra Duran. ſuperius explicuimus. ¶ Ad

*Ad cõfirm.* confirmationẽ reſpõdetur verum eſſe, quod Prouinciale Cõcil. locis allegatis explicuit diſtinctionem inter gratiam operantem, & cooperantem per ordinem ad effectus gratiæ habitualis, & appellauit gratiam operantem ipſam gratiam habitualem, quatenus cauſa eſt ſanitatis in volũtate; Et cooperantem appellauit eãdem gratiam, quatenus cooperatur nobis ad operandum meritoriè, & ad reſiſtendum tentationibus, & paſsionibus. Cæterum ex hoc non ſequitur, quòd ſenſerit omnes actus præcedentes gratiam habitualem, eſſe effectus gratiæ habitualis: Quia in iſtis diſtinctio inter gratiam operãtem, & cooperantem, explicatur per ordinem ad gratiam actualem, & ita idem Colonienſe Concil. eodem. cap. de Pænitentia. §. Hanc autem gratiam, expreſſe dicit, Quod à Deo præuenimur, & excitamur; vbi explicat effectum gratiæ operantis, & quod Deo excitanti & præuenienti liberè conſentimus, & tunc cooperamur ipſi; Vbi explicat effectum gratiæ cooperantis, & ad hoc adducit teſtimonia Aug. Ambroſ. & Bernardi. Et eſt omnibus notum, quòd verba Concil. non habentur inter canones ipſius, ſed tantum in Enchiridio inſtitutionis Chriſtianæ eiuſdem Concil. Prouincialis Colonienſ. & ex conſequenti minorem multo authoritatem habent, & efficaciam. Et hæc hoc loco dixiſſe ſufficiant.

# DISPVTATIO. II.

*Quid ſit gratia excitans, & adiuuans?*

VT explicemus quid ſit gratia excitans & quid adiuuans, ſuppono diuiſionẽ illam gratiæ actualis, in excitantem, & adiuuanten, neceſſario eſſe conſtituendam, licet S. Thom. non meminerit illius inter diuiſiones gratiæ actualis; Nam certe colligitur ex ſacris literis & ex cõcilijs. Quoniã *Conc.Trid.* in Conc. Trident. ſeſsione. 6. in decreto de iuſtificatione. cap. 5. ſic habetur: Vt qui per peccata à Deo auerſi erant, per eius excitantem, atque adiuuantem gratiam, ad conuertendum ſe, ad ſuam ipſorum iuſtificationem, eidem gratiæ libere aſſentiendo, & cooperando diſponantur. Et cap, 6. ſequenti, loquẽs de conuerſione peccatorum ad iuſtitiam, & præparatione dicitur: Diſponuntur autem ad ipſam iuſtitiam, dum excitati diuina gratia, & adiuti fidem ex auditu concipientes, libere mouentur in Deum, &c. Et canon. 3. Siquis dixerit ſine præueniẽte Spiritusſancti inſpiratione, atque eius adiutorio, hominem credere, ſperare, diligere, aut pænitere poſſe ſicut oportet, vt ei iuſtificationis gratia conferatur: anathema ſit. Idem habetur in Concil. Arauſ. *Cõc. Arauſ.* 2. cap. 25. vbi dicitur, Quod Deus prius nobis inſpirat fidem & amorem ſuum, vt baptiſmi ſacramentũ fideliter requiramus, & vt poſt baptiſmum cum ipſius adiutorio, ea quæ ſibi ſunt placita implere poſſimus. ¶ Hoc idem teſtantur ſacræ literæ. pſal. 54. *Pſal. 54.* Iſaiæ. 50. *Iſaiæ. 50.* Actuũ. 9. *Actuum. 9.* Vnde Ioãnis. 6. *Ioan. 6.* extat inſigne teſtimoniũ, quo loco audire, diſcere, & venire, tribuuntur gratiæ. Et tandem aperire aurem, loqui, & vocare pertinent ad excitantem gratiã, quæ omnia Deo tribuuntur apud Iſaiam, & Regium Vatem. Extat etiam luculentum teſtimonium Apocal. 3. *Apocal. 3.* vbi dicitur; Ego ſto ad oſtium, & pulſo, & hoc eſt munus gratiæ excitantis: Siquis audierit vocem meam, & aperuerit mihi Ianuam; Nempe libere conſentiendo meis pulſationibus, & vocationibus, quod eſt munus, & effectus gratiæ adiuuantis, intrabo ad illum, & cænabo cum illo, & ipſe mecum, ſcilicet, per iuſtificantem gratiam. ¶ Vnde Eccleſia orat dicens, actiones noſtras, quæſumus Domine, aſpirando præueni, & adiuuando proſequere, Quare Cæleſtinus *Cæleſtin.* Primus, vtriuſque meminit auxilij epiſtola prima ad Epiſcopos Galliæ cap. 8. & 9. D. Aug. *D. Auguſt.* in Enchirid. c. 32. Tom. 3 ſic ait. Cuius hominis Deus voluntatem bonam, & præparat adiuuandam, & adiuuat præparatam. Et lib. 2. contra duas epiſtolas Pelagianorum. cap. 9. tom. 7. ſic ait, Hominis propoſitum bonum adiuuat quidem ſubſequens gratia, ſed nec ipſum eſſet, niſi præcederet gratia. Studiũ quoque hominis, quod dicitur bonum, quanuis cum eſſe cœperit adiuuetur gratia, non tamen incipit ſine gratia, ſed ab illo inſpiratur, de quo ait Apoſtolus. Gratia autem Deo, &c. Et lib. de prædeſtinatione, *D. Paul.* & gratia cap. 10. inquit, Homines nullis exiſtentibus meritis à Deo vocari, & vocatos, vt boni aliquid operẽtur, Dei adminiculis indigere. Tandẽ lib. 2. de peccatorum meritis, & remiſsione cap. 18. ait, quod ad Deum nos conuertere, niſi ipſo excitante, & adiuuante non poſſumus. Expreſſè etiam & palam lib. de gratia & libero arbitrio D. Bernard. *D. Bernar.* in hæc verba prorũpit. Conatus noſtri caſsi ſunt, ſi nõ adiuuentur, & nulli ſi non excitentur. Denique hęc ſetentia eſt Sanctorum Patrum. *D. Ambr.* Ambroſ. lib. 1. & 2. de vocatione gentiũ. Anſelmi, *D. Anſel.* Gregorij, *D. Gregor.* Baſilij, &c. *D. Baſil.*

*Prima Concluſio.* His prælibatis eſt Prima concluſio. Gratia excitans dicitur omne illud, quo à Deo miſericorditer excitamur, & inducimur ad proſecutionem boni & fugam mali; veruntamen hoc, quo ſic excitamur, duo bonorum genera continet, alterum eorũ, quæ ſunt extrinſeca nobis, ad quod genus boni pertinent occaſiones omnes exteriores, quę ex ſpeciali Dei prouidentia ordinantur ad hoc, vt eis moueamur, ad proſequutionem boni; & fugam mali: tales ſunt externæ prædicationes, & admonitiones, & talis etiam eſt perfectio diuinæ prouidentiæ ſplendẽs in conditione Mundi, & manifeſtata in gubernatione, & conſeruatione totius vniuerſi. Et ad hoc genus reducuntur ea, quæ vnuſquiſque cernit, euenire, in ſe ipſo, quã in alijs, ſiue illa aduerſa, ſiue proſpera ſint; Nam his omnibus excitari poſſumus miſericorditer à Deo, &c. Alterum ſane genus aliorum bonorum eſt de bonis, quæ nobis intrinſeca ſunt, id eſt, in nobis recepta; Et in hoc genere continentur ſubitæ



ſubitæ illuſtrationes, & illuminationes intellectus, & ſimiles inſpirationes voluntatis indeliberatæ, de quibus ſupra actum eſt. Nam certe Deus his inſpirationibus, & illuſtrationibus nos excitat, ad proſecutionem boni, & fugam mali. Et vtrumque genus iſtorum bonorum palam docuit, & explicuit D. Aug. lib. de ſpiritu & litera. cap. 34. Tom. *D. Auguſt.* 3. dicens. Viſorum ſuaſionibus agit Deus, vt velimus, & vt credamus, ſiue extrinſecus, per euangelicas exhortationes, vbi & mãdata legis aliquid agũt, ſi ad hoc admonent hominem infirmitatis ſuæ, vt ad gratiam iuſtificantem credendo confugiat: ſiue intrinſecus, vbi nemo habet in poteſtate, quid ei veniat in mentem, ſed conſentire, vel diſſentire, propriæ voluntatis eſt. His ergo modis quando Deus agit cũ anima rationali, vt ei credat, nec enim credere poteſt quodlibet libero arbitrio, ſi nulla ſit ſuaſio vel vocatio, cui credat: Profecto & ipſum velle credere, Deus operatur in homine, & in omnibus miſericordia eius præuenit nos: conſentire autem vocationi Dei, vel ab ea diſſentire, ſicut dixi, propriæ voluntatis eſt. ¶ Inter hæc autem duo bonorum genera, ſecundum eſt principalius, & præcipuum in gratia excitante, de quo nunc peculiariter agendum erit.

*Secunda. concluſ.* Secunda concluſio. Si ſit ſermo de gratia adiuuãte, illa quidẽ eſt omne id, quo Deus nos adiuuat, vt libere efficiamus actualem conuerſionem in ipſum vel aliquid aliud operemur, quod non poſſemus naturæ viribus præſtare. Id autem quo Deus nos ſic adiuuat duo continet, ex quibus vnum habet rationem principij, per modum actus primi; quod eſt ipſa inſpiratio interior, & illuminatio etiam interna, quatenus informat noſtras potentias & eas conſtituit in actu ſupernaturali, & proportionato, ad eliciendum ſupernaturales operationes liberas: Alterum autem, habet etiam rationem principij, per modum actualis concurſus ſupernaturalis, quò Deus ad eaſdem concurrit operationes, & ſine quo non poſſent produci à noſtris potentijs, quantumcumque haberent virtutem per modum actus primi. Et quod iſta duo ad effectum gratiæ adiuuantis requirantur, probatur. Quia iſte actus eſt ſupernaturalis, & quoniam talis eſt, requiritur quod potentiæ à quibus procedit, conſtituantur in actu primo ſupernaturali ad agendum, vt ita ſeruetur proportio inter cauſam efficientem, & ſuum effectum. Rurſus, quia noſtræ potentiæ non concurrunt ad hunc effectum, vt præciſè motæ, ſed mouent ſe ipſas ex propria deliberatione; Nam ſupponimus concurrere libere, & ideo non conſtituuntur in actu primo, per ſolã, & præciſam ſubordinationem ad Deum, vt paratum concurrere cum ipſis, ad operationem: Excitat enim eas; Sed per aliquid receptum in eis, & inhærens eis; Cuius rei rationem ſupra retulimus, explicantes differentiam inter gratiam operantem, & cooperantẽ. Tandẽ probatur: Quia nulla virtus, aut cauſa creata poteſt agere, aut operari, ſine concurſu cauſę primæ, & iſte cõcurſus eſt naturalis, aut ſupernaturalis, iuxta naturã ipſius effectus. Nã licet cõcurſus Dei actiue ſumptus, ſit actio Dei, in ipſo manẽs, iuxta ſententiam D. Thomæ, tamen ſi paſsiuè ſumatur non eſt aliud, quam ipſe effectus, vt procedẽs à Deo ſimul cum aliquo modo voluntatis ſupernaturaliter agentis, idcirco, etiam ad effectum huius gratiæ, requiritur actualis Dei concurſus, & quod ille ſit ſupernaturalis; Quoniam iſte effectus eſt operatio aliqua ſupernaturalis.

*Tertia concluſ.* Tertia concluſio. Id quo potentiæ noſtræ in actu primo conſtituuntur, ſeu quo vim habent, ad eliciẽdum operationes, de quibus loquimur, conſiſtit in internis inſpirationibus, & illuminationibus Dei erga nos. Et quòd hoc ita ſit, perſuaderi poteſt. Primo: Quia hoc eſt conſonum rerum naturis; Nam in naturalibus, per amorem boni voluntas accipit vires, ad eligendum media, quibus tale bonum conſequatur, & intellectus per cognitionem principiorũ accipit vires, ad colligendum ex eis concluſiones per diſcurſum: ergo pari ratione per illuminationes, & inſpirationes prædictas, vires accipimus ad vlterius progrediendum, ad alios bonos motus ſupernaturales. Secundo. Quia non poteſt facile explicari, quid aliud recipiatur in noſtris potentijs, quando carent habitibus, cui poſsit hoc tribui. Tertio. Quia D. Aug. *D. Auguſt.* vt explicet, quo pacto licèt conſentire Deo vocanti, & ad ipſum conuerti, ſit nobis liberum, non ſit ſolis viribus noſtris, ſed cum auxilio gratiæ, inquit, quòd præcedit vocatio Dei, quæ vt omnes dicunt, conſiſtit in prædictis inſpirationibus, & illuminationibus; & tamen hoc minime ſufficeret, ad explicandum difficultatem hanc, niſi ita pręcederet vocatio, vt etiam adiuuaret nos, ad conſentiendum; & ita videtur concedere expreſſe, lib. de ſpiritu, & litera, cap. 34. tom. 7. & lib. 83. quæſt. q. 68. & lib. de gratia Chriſti. cap. 3. & lib. de eccleſiaſticis dogmatibus. cap. 21. Hanc etiam ſententiam ſequitur Ruard. Tapper. *Ruar. Tap.* art. 7. vbi adducit D. Aug. antequam aſſertiones proponat. ¶ Sed dubitare poſſet aliquis vtrum illuminationes, & inſpirationes iſtæ, de quibus dictum eſt, eſſe ipſam gratiam excitãtem producantur efficienter à noſtris potentijs? De qua dubitatione ſi attendantur ea, quæ ſupra diximus, de prædictis illuminationibus, & motibus, vbi affirmatiuam partem ſumus ſequuti, explicantes etiam qua ratione noſtræ potentiæ ſupernaturaliter ſubleuentur, ad producendum eas, nihil dubitationis remanebit; Nam certe motus iſti ſunt actus vitales intellectus, & voluntatis noſtræ: ergo neceſſe eſt efficienter producantur, ab eiſdem potentijs; Patet conſequentia. Quia implicat actum vitalem nõ procedere, à principio intrinſeco vitali: Et probatur antecedens: Tum; Quia intellectum illuminari actu, circa aliquam veritatem, non videtur aliud eſſe, quam habere cognitionem eiuſdem veritatis: Tum etiam ſecundo. Quia alias illuminationes iſtæ, & inſpirationes non poſſent à nobis ſentiri, aut percipi, quod quidem eſt contra rationem excitantis: Nã nemo excitari poteſt per id, quod nullo modo percipit, & ita affirmant Sot. Dried. Ruar. Tapper. Stapletonius, locis citatis. *Sotus. Driedo. Ruar. Tap. Stapletonius.*

*Obiectio ex Conc. Arauſ.* Sed contra hoc eſt obiectio ex Concil. Arauſ. ſecundo, cap. 20. vbi ſic habetur. Multa in homine bona fiunt, quæ non facit homo, nulla verò facit homo bona, quæ non Deus præſtet, vt faciat homo. Et videtur Conc. in priori parte huius definitionis loqui de ſupernaturalibus actibus, ſicut in poſteriori, & non de alijs, quam de iſtis inſpirationibus, & illuſtrationibus diuinis. Quo argumento permotus eſt

*Vega.* est Vega super Tridēt. lib.6.cap.8. putās immutationes istas, quibus Deus nos ad bonum excitat; efficienter ab ipso produci,& intellectum nostrum, & voluntatem tantum concurrere passiue,eas in se recipiendo: In qua re valde deceptus est, & turpiter, vt supra ostensum fuit à nobis. ¶Vnde ad obiectionem respondetur, primam partem illius definitionis posse intelligi de virtutibus supernaturalibus infusis, ad quas solus Deus efficienter concurrit, & licet intelligatur etiam de illis illustrationibus, & inspirationibus,nihil tamen colligitur inde contra nostram sententiam;Nam Concil.dicit, eas non fieri ab homine,non quidem quia nullo modo ab ipso fiant, sed quia nō fiunt libere,sunt enim quidam repentini motus, ad modum naturalium coruscationum, & antecedunt omnem nostram deliberationem,& omnem consensum libertatis nostræ, sicut motus,qui dicuntur primo primi;Et non est irrationabile,quòd propter hanc causam Concil. dicat non fieri à nobis;Quia actus qui non sunt liberi non dicūtur humani, nec tribui solent homini,nec propriè in genere moris homo dicitur facere id, quod non ex libertate facit. Et propter hāc causam dictum est supra, auxilium quod ad istos actus donatur,appellari gratiam operantem, & non cooperantem. ¶Quod autem immutationes istæ non sint nobis liberæ,liquet aperte;tum proptio experimento;Nam vnusquisque in se ipso experitur,se eas subito habere, & sine vlla omnino deliberatione circa eas,aut circa earum obiecta,nec formali,nec virtuali; tum etiā testimonio Aug. lib. de spiritu & litera cap.34.dicentis, quod Deus agit vt velimus, etiam intrinsecus,& subiungit: Vbi nemo habet in potestate,quid ei veniat in mentem, sed consentire vel dissentire propriæ voluntatis est: Quibus verbis D. Aug.palam docet non esse in potestate nostra habere vel nō habere illuminationes istas, quibus Deus intrinsecus agit, vt velimus, sed solum consentire vel dissentire eis.Et si interroges. Vnde proueniat quòd immutationes istæ non sint liberæ,sed necessariæ?Respondetur prouenire ex eo quòd sunt veluti motus primo primi à Deo immissæ, anteuertendo omnem deliberationem omnino;sic enim Deus mouet, & applicat intellectum & voluntatem ad sanctas cogitationes: Nam etiam in naturalibus, quid simile accidit,appetitus enim sensitiuus media cognitione intellectus mouet volūtatem, ad actus omnino naturales, quos vocamus primo primos; Imò vero ex eo quod intellectu apprehendimus rem aliquam, vt valde amabilem à nobis, statim insurgit in voluntate motus quidam,quo ad eam afficimur: Ita hoc explicat D. Aug. lib.3. de lib.arbit.cap. 25. tom,1.vbi sic ait. Voluntatem non allicit ad faciendū quodlibet, nisi aliquod visum:quod autem quisque vel sumat,vel respuat,est in potestate,sed quod viso tangatur,nulla potestas est,&c.Ille autem motus,quo sic afficitur vel tangitur voluntas,est volitio,vel nolitio eius, licet aliqui nolint eum vocare volitionem;quia non procedit ex propria deliberatione hominis; Vnde,Ruard. Tapper. loco citato,eum vocat complacentiā rei suaſæ,& alij appellāt ipsum affectionē ad rē cognitā;Sed quidquid sit de hoc,certū est nullū esse actū, & motū volūtatis, qui non habeat rationem volitionis,aut nolitionis.

*Respōdetur ad obiectionem.*

*D. August. tom.1.*

*Ruard.Tap.*

Sed contra hæc quæ diximus obijcit Pater Vega loco citato, Quod vbicumque fit sermo de inspirationibus, & vocationibus istis in sacris literis,tribuuntur soli Deo, vt præcipue constat ex testimonio Apocalyp.3.Ecce sto ad ostium & pulso,si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam introabo,& cœnabo cum illo;quo loco Deus & sibi soli ascribit pulsationem,seu cordis excitationem, & ob id eam comparat pulsationi ostij, ad quam constat solum pulsantem actiue concurrere, ostio ipso pulsato semiere passiue habente; Imo & habitatore domus,qui solū habet libertatē,& efficientiā,ad audiendū pulsationē,vel ad occludendū aures,ne percipiant eā,& ad aperiendū, vel nō aperiendū ostiū. ¶Respondetur quod ex his non recte colligitur cordis pulsationem non fieri, per actus à nostris potentijs elicitos, ex hoc (inquam) quod pulsatio tribuatur soli Deo in sacris literis; Quoniam potest hoc fieri, aut propter rationē assignatam in solutione præcedentis obiectionis, aut quia licet actus isti procedant à nostris potentijs,scilicet, à voluntate, & intellectu,tamen non videntur habere rationem excitationis vel pulsationis, quatenus ab eis procedunt,sed quatenus sunt à Deo, nō enim intellectus aut voluntas se ipsa pulsant, sed potius pulsantur à Deo,per huiusmodi actus, quos eliciunt Deo excitante:Nec etiam colligitur idem ex eo,quod pulsatio cordis comparetur pulsationi ostij materialis, quia ex similitudine non sumitur argumentum efficax,quantū ad omnia, sed quantum ad id,quod per eam Deus voluit significare:Per hanc autem similitudinem voluit Deus significare,quod non deserit nos, sed quod ita excitat & vocat nos, vt non vi vlla,aut coactione,sed nobis liberis consentientibus ingrediatur ad inhabitandum corda nostra per gratiam. Quod autem noluerit verbis illis significare cordis pulsationem fieri,sine nostra efficētia,sicut fit pulsatio ostij materialis,sine efficientia, tā ipsius ostij,quā habitatoris dom', ex eo plane colligitur, quod aliud postulāt naturæ rerum. Nā certe pulsatio ex natura sua ad id ordinatur, vt is qui pulsatur percipiat eam,& inde moueatur ad faciendum id,ad quod inuitatur,nempe,ad aperiendum, vel respondendum.Est enim quantum ad hoc insignis differentia inter materiale ostium,& cor nostrū; Nam vt percipiatur pulsatio ostij materialis,non requiritur quod fiat efficienter ab ostio ipso,aut à domus habitatore,vt vere percipiatur; at vero cordis nostri pulsatio necesse est,quod fiat per actus efficienter productos ab ipso corde,hoc est, ab intellectu & voluntate, quoniam potentiæ istæ suos experiuntur actus eos eliciendo, ac proinde homo, hoc experimento deprehendit eos in se, sicut etiam deprehendit operationes vitales reliquarum potentiarum.Si autem pulsatio hæc fieret per aliquid aliud, ad quod potentiæ istæ passiue tantum concurrerēt recipiendo,non posset ita percipi, aut deprehendi ab homine, sicut quando fit per actus à corde ipso efficienter productos,scilicet,à voluntate & intellectu.

*Obiectio.*

*Apocalyp.*

*Respōsio.*

Sed contra hoc est: Nam ex dictis videtur sequi gratiam excitantem, & adiuuantem non distingui interse, siquidem vtraque consistit in illis inspirationibus,atque illustrationibus mētis nostræ, quod sanè

*Replica*



sane videtur esse contra testimonia citata, tum ex Trident. tum etiam ex Oratione Sanctæ Ecclesiæ, & ex D.August.in quibus plane videtur significari præter totam gratiam excitantem requiri nouum genus gratiæ,vt perficiamus actus nostros supernaturales, quod vocatur gratia adiuuans. Vt obiectio hæc dissoluatur aliam subiungo assertionem.

*Quarta conclus.*

Quarta conclusio,Si fiat sermo de gratia adiuuante,quantum ad totum id,quod includit,dicendum est,quod non tantum includit excitantem gratiam, sed aliquid amplius, nempe, supernaturalem Dei concursum ad eosdem actus supernaturales, quo etiam adiuuantur nostræ potentiæ, quia pendent ab eo in operando, sicut omnes causæ secundæ intra naturæ ordinem pendent à concursu naturali primæ causæ.Si autem fiat sermo de gratia adiuuante, quantum ad id præcisè quod inhæret nostris potentijs,prout antecedunt suos actus,tanquam eorū principia,& quatenus dat ipsis virtutem,vt efficienter concurrant ad eos: Dicendum est, gratiam adiuuantem esse idem realiter cum gratia excitante, & tantum ab ea distingui, penes modū diuersum causandi:Et quod sit eadem res, seu idem realiter cum gratia excitāte, aperte colligitur ex Sāctissimo Præceptore in hac quæstione art.2. ad.4. vbi sic scribit. Gratia operans,& cooperans est eadem gratia, sed distinguuntur secundum diuersos effectus.Vbi per gratiam operantem intelligit eius effectum,qui cōsistit in huiusmodi inspirationibus,seu illuminationibus, quibus Deus excitat & tangit cor hominis.

*D.Thom.*

Et per gratiam cooperantem intelligit etiam adiuuantem: Quoniam S.Thom.hoc loco non meminit expressè huius diuisionis gratiæ, in excitantē & adiuuantem,vt supra diximus,sed eam comprehendit sub diuisione in operantem, & cooperantem. Imò verò colligi videtur ex Tridēt.sessione.6. cap. 5.decreto de iustificatione: Quia in verbis illis Hieremiæ Threnorū.5.Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur,non est dubium quin à Deo petamus auxilium quod requiritur, & sufficiat ad actualem conuersionem,& tamen Concil. affirmat quod quādo respondemus;Conuerte nos Domine & conuertemur,Dei nos gratia præueniri confitemur: Quare videtur supponere, quod est idem realiter gratia ista qua præuenimur, seu excitamur ad conuersionem, cum gratia qua ad eandem conuersionem adiuuamur. Quod vero gratia adiuuans verè distinguatur ab excitante,penes diuersum modum causandi,facile cognoscemus si prius explicuerimus respectu cuius effectus sit constituenda ista diuersitas in modo causandi.¶Pro qua re obseruandum est,quòd licet ad actus istos in quibus consistit gratia excitans detur nobis auxilium supernaturale, tamen huiusmodi auxilium,non appellatur gratia excitās, quia non excitat nos,imo nec potest excitare proprie loquendo,quia non potest percipi à nobis:Nec etiam appellatur gratia adiuuans; quia adiuuare dicitur, qui aliquid cooperatur,& nos non dicimur operari respectu illorum actuum,vt ex Conc.Arausic.retulimus;quia non concurrimus libere ad eos; sed ipsi actus dicuntur gratia excitans & adiuuans,non quidem respectu sui; quia nec excitatio intuitat,aut mouet ad se ipsam,nec auxiliū adiuuat ad se ipsum,sed quatenus ordinantur ad aliquid aliud, scilicet, ad

*Conc. Trid. Threnor. 5.*

*Nota.*

alios actus liberos,quibus perficiatur libera conuersio in Deum: Quare respectu istorū actuū debet explicari propria causalitas gratiæ excitantis & adiuuantis,& ex consequenti etiam respectu ipsorum est constituenda diuersitas in modo causalitatis. Et hoc supposito sentiendum est potissimum, duplex discrimen esse in modo causalitatis inter gratiam excitantem,& adiuuantem; Primum est,quod gratia excitans concurrit ad illos actus liberos, causalitate quadam morali,scilicet,per modum consulentis,& proponentis obiectum,atque allicientis & trahentis,tamen gratia adiuuans concurrit causalitate physica,hoc est, constituendo nostras potentias in actu primo physico ad operandum, atque adeo per modum virtutis efficientis physicè. Alterum & secundum discrimen est,vt aduertit Vega super Trident. quod gratia excitans propter libertatem nostram potest separari re ipsa ab effectu ad quem mouet, ità vt talis effectus non sequatur: at verò gratia adiuuans semper est cū effectu ad quem datur & tribuitur à Deo,vt si Deus nos adiuuat ad credendum, credimus, si ad diligendum, diligimus, &c:Ex quo discrimine Vega colligit alterum,nempe,quòd non semper qui præueniuntur maiori gratia excitante, vt excitans est, conuertuntur melius in Deum, tamen semper illi conuertuntur melius, quibus Deus magis fauet gratia adiuuante.

*Vega.*

Verum contra hoc secundum discrimen est difficilis valde obiectio; Nam ex isto secundo discrimine sequitur, quod non liberè cooperemur gratiæ adiuuanti,ita vt ei possimus resistere;Siquidem hęc gratia non potest à suo effectu separari, quod sane videtur contra Trident.Nam in decreto de iustificatione sessione.6.cap.5.sic dicitur.Vt qui per peccata à Deo auersi erant,per eius excitantē, atque adiuuantem gratiam, ad conuertendum se, ad suam ipsorū iustificationem,eidem gratiæ libere assentiendo, & cooperando,disponantur.Et.cap.6.sequenti. Disponuntur autem ad ipsam iustitiam,dum excitati diuina gratia,& adiuti, fidem ex auditu concipientes libere mouentur in Deum.Et canone.4. Siquis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum,& excitatum,nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti, quo ad obtinendam iustificationis gratiam se disponat,ac præparet, nec posse dissentire si velit,sed velut inanime quoddam, nihil omnino agere, mereque passiue se habere;anathema sit, ergo,&c.¶Huic obiectioni conatur respondere Vega,quasi tacite locis superius citatis,dicens libertatem nostram respectu gratiæ adiuuantis in hoc consistere,quòd cum gratia adiuuans ordinetur ad omnes dispositiones, quæ præcedunt iustificationem, ex quibus nonnullæ sunt præuiæ ad alias, possumus habere priores,& relinquere posteriores; & ita partim hoc est quantum ad vnum effectum,consentire gratiæ adiuuanti,&partim hoc est quantum ad aliū effectū dissentire ipsi, vt si quis habitis per gratiam adiuuantem fide,& spe, relinquat pœnitentiam, & charitatem,& alia,&c. ¶Verum solutio hæc nec satisfacit,nec est sufficiens:Nam Concil. Trident.loquitur absolute de gratia adiuuante, & non magis respectu vnius effectus,quam alterius, & nihilominus affirmat,quod liberè cooperamur, & consentimus ipsi. Et potest hoc confirmari: quia gratia ad-

*Difficilis obiectio.*

*Conc. Trid.*

*Respondet Vega obiectioni.*

*Impugnatio*

quod

iuuans eundem habet modum concurrendi respectu omnium suorum effectuum, quantum ad hoc, quod est, vel inferre nobis quasi necessitatem adconsentiendum ipsi, vel relinquere nos liberos ad consentiendum,& dissentiendum: Ergo dicendum est quod respectu omnium effectuũ gratiæ adiuuãtis sumus liberi ad resistendum ipsi gratiæ, vel non sumus liberi sed necessario consentimus.

*Solutio prima Staplezonij.* Stapletonius lib.4. de iustificatione cap.8. plures huius difficultatis solutiones assignat,quarũ prima est, non conuenire cuicumque gratiæ adiuuanti, quòd infallibiliter cõiungatur cum effectu ad quẽ datur, sed magnæ tantum, & valde efficaci. Secunda est,quam iam retulimus ex Vega vbi supra. Tertia est, quòd infallibilitas distinguitur à necessitate & quod ad gratiam adiuuantem sequitur noster cõsensus infallibiliter, non tamen necessario, nisi ex suppositione, sicut quæ Deus præsciuit futura, & quæ nos cernimus fieri,infallibiliter quidem fiunt, non tamen necessario, nisi ex suppositione: Sed de istis solutionibus inferius agemus dubitatione sequenti: Nam nunc cõsequenter ad ea quæ diximus dicendum est quod gratia adiuuans potest duobus modis considerari, scilicet, in actu primo, hoc est quatenus constituit nostras potẽtias in actu primo; aut in actu secundo, hoc est quatenus concurrit actu cum eisdem potentijs ad operationes ipsarum. Si primo modo consideretur gratia adiuuans, sentiendum est,quod potest separari à suo effectu propter nostram resistentiam, vel propter defectum nostræ cooperationis, quia prout ita considerata est idem realiter cum excitante gratia, cui iuxta communem sententiam possumus resistere,& sæpe resistimus,iuxta illud Actorum.17. Vos semper Spiritui sancto restitistis,sicut & patres vestri. Si autem secũdo modo consideretur, affirmandum est, quòd in nobis est potentia,vt separetur à suo effectu; Quoniam suus effectus est nostra cooperatio,& ad hanc nos libere concurrimus & cùm potentia ad oppositum: Cæterum re ipsa nunquam separatur, quia hæc gratia dicitur adiuuans in actu secundo,quatenus actu & in exercitio adiuuat ad operandum,& ex consequenti non est sic adiuuans sine suo effectu præsenti: Nec hoc derogat libertati nostræ,quia hæc gratia sic considerata, quòd non separetur à suo effectu,non prouenit ex eo, quod à nobis auferatur potentia ad non consentiendum ipsi, sed ex efficacia ipsius gratiæ,tanquam ex ratione per se,& expræsentia sui effectus,qui est noster consensus, tãquam ex conditione sine qua non esset adiuuans in actu secundo. Atque ita ex hoc non sequitur maior necessitas in nostro consensu,quam sit illa,quæ consistit in hoc,quod est ipsum consensum esse præsentem De qua Arist. dixit, Omne quod est,quando est necesse est esse, & huiusmodi necessitas est solum necessitas secundum quid,aut ex quadam suppositione, respectu cuius est in nobis potentia ad oppositum, & ideo non repugnat libertati simpliciter. ¶An vero præter hanc adiuuantem, & excitantem gratiã requiratur alia quasi media inter eas, qua volũtas nostra,quatenꝰ in actu primo præcedit suã operationẽ,determinetur ad eliciẽdũ eã,id quidẽ inferiꝰ explicabitur luculẽter. Imò verò statim paulo inferius aliqua dicemus, & alia diximꝰ. 1.p.q.23.art.3.

*Actorũ.17.* *Arist.ot.*

# DISPVTATIO III.

## *Vtrum actus gratiæ operantis sint actus nostræ voluntatis.*

HÆc disputatio sub alio titulo inquiritur ab alijs, nempe, Vtrum ad motus gratiæ præuenientis,intellectus & voluntas efficienter concurrant? Sunt autem motus gratiæ præuenientis inspirationes,illuminationes,vocationes,excitationes affectiones, concussiones & etiam desiderium,aut cogitatio impressa nobis subitò à Deo,& alia huius generis,quæ propriè gratiæ operanti,& præuenienti tribuuntur. Et in hac re, quidam dixerunt hos motus,illamque gratiam operantẽ,neque esse actionem voluntatis,neque intellectus, sed esse qualitatem impressam per modum transeuntis, sicut imprimitur lapidi impetus à proijciente. Manifestant hoc exemplo, Cùm homo intelligit,procedit aliquid intra ipsum quod est verbum mentis, & cùm voluntas amat, procedit quidam impetus, & impulsus, qui iuuat ad magis amandum,& cùm lapis descendit præter impetum resultantem ex motu,& ex generante, potest à proijciante imprimi impetus. Ita dicunt, Deum ponere impetũ,& impulsum in voluntate, qui non est volitio, neque intellectio, sed qualitas causatiua volitionis. Imò naturaliter quandoque experimur nos sentire, hos impetus & motus ex repræsentatione obiectorum, & sic causare motus primo primos in volũtate,& deinceps actus liberos. Verùm hæc sententia, præterquam quòd non est vera,vt postea dicemus, expresse est contra D.Thom.qui supra.q.110.art.2.dixit, quod quando Deus mouet animam,tunc effectus gratuitus in ipsa,est quidam motus ipsius animæ, scilicet, actiue. Rursus,desiderium,vel cogitatio cùm subitò à Deo nobis imprimuntur, quod sanè prouenit ex gratia operante, quis dicat non esse effectiuè à nostra potentia? seu non concurrere effectiuè nostram potentiam ad cogitationẽ illam subitam,vel desiderium?

*Sententia Vega.*

Secunda sententia est, quam tenet Pater Vega lib.6.in Trident. cap.8. Vbi voluit, illos actus non esse veras actiones à nobis procedentes, sed passiones tantum receptas à Deo, ad eum modum, quo quidam dixerunt, primos motus voluntatis consistere in passione tantum. Fundamentum primum huius sententiæ,est imaginatio quædam,contra omnem rationem excogitata. Putat enim Pater Vega, quod vt intellectus intelligat,& voluntas velit, nó est necessarium, vt intellectio, qua intellectus formaliter intelligit, efficiatur ab illo: sed per intellectionem à solo Deo,vel angelo productam, & in eo receptam,posse intelligere formaliter. Et pari ratione dicit,non esse necessarium,vt volitio qua voluntas formaliter vult,sit ab ea tanquam à causa efficiẽte;sed posse velle, & desiderare per volitionem à solo Deo productam. Et hinc colligit, illustrationes, inspirationes,cogitationes,& desideria,alioſq; motus gratiæ præuenientis, quibus peccatores vocantur, esse à solo Deo efficienter, interueniente aliquando ministerio alicuius angeli inspirationes immittentis; Intellectum verò & voluntatem, nullo modo



modo efficienter concurrere; sed solum eos motus in se suscipere passiuè. Probat hanc sententiam,assumens aliud fundamentum,& argumentum ex Concil.Arausi.2.cano.20. Vbi sic habetur: Multa in homine bona fiunt,quæ non facit homo; nulla verò facit homo bona,quæ non Deus præstet,vt faciat homo: sed quæ ita fiunt in homine,vt homo illa nõ faciat, nõ videntur alia esse, quam hi motus gratiæ præuenientis, quibus à Deo vocatur attrahitur & inuitatur. Rursus,Deo tribuitur pulsare,ad os loqui,aperire aurem: homini autem audire,consentire, vt patet Apocal.3.Sto ad ostium & pulso. Actor.9. Domine,quid me vis facere? Actor.16. de muliere Lydia purpuraria dicitur,Cuius Dominus aperuit cor,intendere his quæ dicebantur à Paulo: ergo signum est,quòd illæ inspirationes,non sunt effectiuè à nobis. Imò verbis illis Apocal.3.Sto ad ostium & pulso, docet Christus se habere instar pulsantis ad ostium,dùm peccatores vocat. Cùm ergo vocatio fiat solùm à pulsante,neque sit libertas in habitatore domus,nisi solùm ad audiendum, vel ad occludendum aures, ne sonum percipiant;sequitur motus gratiæ præuenientis,ita esse à solo Deo, vt non concurrat intellectus, neque voluntas ad ipsos; & peccatoris solùm esse, illis ita factis & productis, consentire vel dissentire,& cordis ianuam aperire, vel non aperire. Quibus fundamentis & argumentis, videtur Vega sibi satisfeciſſe, & disputationis nodum ac difficultatem soluisse.

*Apocal.3. Actor.9. & 16.*

*Sententia.3.* Tertia opinio est,quòd tũc nostræ potentiæ concurrunt instrumentaliter & effectiuè, & non tanquam influentes causæ per efficientiam. Denique, omnes istæ opiniones volunt sumere fundamentũ ex Scriptura,quæ hos motus tribuit soli Deo,vt patet ex locis citatis,de quibus videtur loquutum cõcil.Arausi.verbis citatis cano.20. Quæ verba desumpta sunt ex August.lib.2.contra duas epistol. Pelagian.cap.8.

*Vera sententia. 1. Proposit.*

Explosis ergo præfatis opinionibus, vera sententia est,motus gratiæ præuenientis,& excitantis, seu operantis, non tantum à Deo efficienter procedere,sed etiam ab intellectu & voluntate. Hanc tenent & supponunt tanquam veram omnes Theologi,quãuis subhis terminis disputatio hæc non tractetur ab illis. Sed iam hodierna die reperio Theologos,qui sub hac verborum serie proponunt tactã difficultatẽ;vtrum desideriũ, vel cogitatio impressa nobis subitò à Deo ex gratia operante, sit effectiuè à voluntate & intellectu? Pater Soto lib,1.de natura,& gratia.cap.16.aperte dicit,motus illos simul esse efficienter ab intellectu & voluntate & à Deo. Nam licet verum esset quod putat Vega, de potentia absoluta posse dari hos actus vitales productos à solo Deo;tamẽ nõ est vlla ratio cur diceremus ita fieri de facto: Quoniam hoc esset inuertere naturas rerum,& naturã harum potentiarum, quæ sine speciali miraculo non possent habere istos actus,sine proprio concursu. Præterea, de natura actus immanentis est,quòd procedat à vi propria potentiæ, in qua recipitur, quod etiam habet verum in actibus supernaturalibus,& in motibus primo primis: ergo dicere quod istæ potentiæ solum concurrunt instrumentaliter,est ponere miraculum frustra: Igitur dicendum est, quòd etiam intellectus & voluntas

*Pater Soto.*

sunt potentiæ vere influentes in istos actus; non tamen liberè, & ob id potius tribuuntur Deo, quam nobis; quia non sumus agentia moralia, sed potius agimur in illis. Item probatur. Nam illuminationes illæ subito factæ, nihil aliud sunt,quam cognitiones alicuius rei à Deo interius excitatæ, quibus homo conspicit id, quod sub tali illuminatione & cognitione cadit, ex supernaturali Dei motione, & impulsu: ergo Deus ita illuminat & vocat, vt voluntas concurrat efficienter ad motus, qui excitantur. Potissimè,quia cognitio,vel desiderium non solum sunt actiones,sed actiones vitales; at vitalis actio, suapte natura postulat, vt sit à principio interno actiuo eius in quo est: ergo. Quocircà, nulla actio etiam non vitalis, denominare potest nisi id, à quo efficienter emanat. Nam calefactio quæ non fieret ab igne, sed à solo Deo in aqua, non posset vlla ratione denominare ignem calefacientem: ergo necessariò ad prædictos motus, cognitiones, illuminationes, & desideria supernaturalia, intellectus & voluntas efficienter concurrunt, licet non intellectum ipsum, sed Deum à quo est peculiaris ille supernaturalis influxus, denominent illuminantem & vocantem; intellectum verò à quo habent, vt sint cognitiones, vel desideria, denominent cognoscentem & desiderantem,& simul etiam illuminatum, quatenus cognitiones ipsæ atque influxus Dei in eo recipiuntur.

*2. Proposit.* Secundò tanquam certum statuere oportet, hos motus gratiæ præuenientis intellectus, & voluntatis, verè esse actus vitæ; & non tantum procedere efficienter ab intellectu & voluntate, sed etiam esse actus vitales. Probatur. Quoniam alias, neque Deum vocantem sentiremus, neque illo tangente commoueremur, neque quicquam cogitaremus, aut cognosceremus, neque desiderium aliquod excitaretur, cùm tales sint actus vitæ. Hoc est quod Theologi in hac parte dicere solent, de huiusmodi actibus subito ortis, quòd sunt vitales. Nam profectò, ex contemplatione rei valde diligibilis & amabilis, continuò consurgit, vel desiderium, vel motus quidam in voluntate, quo voluntas illi rei plurimum afficitur, qui sane motus affectio voluntatis vocatur ad rem illam, à cuius bonitate & excellentia & pulchritudine, quasi tangitur & allicitur voluntas ad desiderandum, & volendum eam rem. Et hi motus vitales antecedunt intentionem, electionem, & consensum voluntatis. Prius namque fuit Euã tangi,& affici,& quasi allici ad pomũ illud pulchrum oculis,& aspectu delectabile, quam illud comedere vellet, saltem priùs natura. Vnde Augustin. 3. de libero arbitrio capit.25. inquit, voluntatem non allici ad faciendum quodlibet, nisi aliquod visum sit: ergo necessario dicere oportet, motus gratiæ operantis, seu præuenientis actiones esse vitales.

*D. August.*

*3. Proposit.* Tertiò tanquam verum definire oportet, hos actus quatenus propriè & præcisè ad excitantem gratiam pertinent, non esse liberos. Hæc est sententia Diui Augustin. 3. de libero arbit. capit.25. Vbi inquit; Voluntatem non allicit ad faciendum quodlibet, nisi aliquod visum: Quòd autem quisque sumat, vel respuat, est in potestate, sed

quo

quo viso tangatur, nulla est potestas. Et subiungit idem etiam cerni in angelis. Quod si existente affectu ad aliquam rem pulchram, & excellentem, mẽti occurrat via,& aditus,quo consequi posse creditur; statim consurgit in voluntate motus quidam, quasi erectionis illius ad sperandum, qui natura saltem antecedit actum liberum spei.Quocircà, motus ille à notitia bonitatis obiecti, & à notitia viæ, qua creditur posse obtineri, aut non impossibile iudicatur cooperante voluntate, non vt libera, sed vt natura quædam est, efficitur & consurgit naturaliter in voluntate, eò sane maior, quò notitia bonitatis obiecti & viæ, qua obtineri posse creditur, maior ac verisimilior est. Rursus probatur, hos actus, vt propriè & præcise ad excitantem gratiam pertinent, non esse liberos: Quia hoc aperte colligitur ex locis sacræ Scripturæ suprà citatis. Nam vocari, non est positum in nostra voluntate, sed audire; illuminari etiam, & pulsari, non est positum in nostro arbitrio, vt August. dicit, sed consentire in nobis
*Conc.Trid.* positum est. Vndè, Concil. Trident. sessio. 6. libertatem nostram in operibus gratiæ,ponit in consensu, ante quem præcedit gratia operans & excitans. Et ratio est; quia isti actus anteuertunt nostram deliberationem, & consensum atque considerationem; vndè verè sunt tanquam motus primo primi. Et propterea in Scriptura non tribuuntur nobis, videlicet, humano modo operantibus.
*D.August.* Quare,August. iterum lib. de Spiritu & litera cap. 34. ait, Sentire diuinam motionem in nobis necessario fit; consentire, liberè: ergo licet hi motus gratiæ præuenientis, sint actiones vitales, & motus liberi arbitrij; non tamen, qua liberum arbitrium est, ideſt, non liberè & modo agendi humano producti.

Firma igitur tibi sit sententia, hos actus effectiuè procedere à nobis, & à libero arbitrio. Quod patet, quia sunt vitales, & vitam continent, vt vidimus; & repugnat, actum vitalem non esse à principio intrinseco. Imò verò, licèt id non repugnaret, sicut verè repugnat; nihilominus esset omnino præter naturalẽ modum istorum actuum, quòd non procederent efficienter, & vitaliter à voluntate, & intellectu, fingendo miraculum sine causa & sine mente. Præterea; motus primò primi ad malum, quamuis non sint liberi, sed necessarij; nihilominus sunt motus vitales, & efficiuntur à nobis, licet non libere. An verò istæ motiones gratiæ præuenientis & operantis sint in substantia, supernaturales, vel naturales, modò non disputamus. Sed crediderim esse supernaturales,vt proportionentur gratiæ, ad quam disponunt & ordinantur. ¶ Cùm ergo præfatæ motiones sint vitales & effectiuè à voluntate & intellectu, & non sint liberæ in sensu explicato; idcircò Theologi huius ætatis nonnulli dixerunt, tales motiones effectiuè esse à voluntate, & intellectu, vt ab instrumentis Dei. Quia sunt volitiones & intellectiones imperfectæ, non libere aut humano modo productæ,licet sint actus vitales immanentes.Sicut de prima volitione finis dicitur, quòd est effectiuè à voluntate, licèt secundum illam non dicatur voluntas se mouere in hoc sensu; quia non liberè concurrit ad illam, sed naturaliter & necessariò.

*Ad fundamenta sententiæ*
Ad fundamenta aduersariorum,quæ pro secunda sententia sunt allata, & quæ adducit Pater Vega. Ad primum iam vidimus, inanem & absurdam esse illius imaginationem, qua putat intellectionem, aut cogitationem, & desiderium posse ita produci à Deo in intellectu & voluntate, vt illis intelligat intellectus,& eisdem voluntas operetur vitaliter, quod est inintelligibile. Nam omnis actus vitalis dicit ordinem intrinsecum, imò verò etiam formalem, ad potentiam formalem elicitiuam. ¶ Ad probationem & fundamentum, quod desumit ex Concil. Arausc. dicendum est, ea quæ Concil. dicit fieri in homine, quæ homo non efficit, esse, tum habitus supernaturales infusos, quos solus Deus efficienter producit, tum etiam motus gratiæ præuenientis, qui licèt efficienter ab intellectu & voluntate prodeant; non tamen liberè, quia non sunt actus liberi. Et ob id, iuxta explicatum sensum, non sunt ab homine cooperante per intellectum & voluntatem, quatenùs rationem liberi arbitrij sortiuntur. Rursus, in illo loco Concilij, illa solum censetur homo facere,quæ per liberum arbitrium qua liberũ arbitriũ est, efficit. Nã est ibi sermo aduersus Pelagianos de bonis,quæ ad vitam æternam spectant.Quia cùm contenderent illi, hominem per suum liberum arbitrium, absque auxilio gratiæ posse, imò re ipsa efficere aliqua eiusmodi bona, quibus auxilia gratiæ sibi deinceps conferenda promereretur, definiunt Patres, Deum sine homine cooperante per suum liberum arbitrium, efficere in homine aliqua de numero eorum bonorum; hominem vero per suum liberum arbitrium nullum eorum posse efficere, nisi Deus illi per suam gratiam præstet, vt illud efficiat. Quocircà, non negant Patres Concilij intellectum, & voluntatem concurrere ad motus gratiæ præuenientis, aut operantis; neque negant, posse intellectum, & voluntatem considerari,vel quatenus habent rationem liberi arbitrij humano modo operantis, vel quatenus habent solum rationem intellectus & voluntatis præcisè,vt sunt potentiæ vitales & cognoscitiuæ,aut quatenus habent rationẽ naturæ.Et idcir co corruit sentẽtia,quam Pater Vega sibi persuasit.

*Ad sect.*
Ad aliud,quod Deo tribuitur pulsare,& ad os loqui, &c.dicendum est, Christum cùm peccatores vocat,non pulsare ostiũ,quod vita careat,aut quod pulsationem non percipiat. Quocircà, pulsare ostium cordis, est pulsare intellectum & voluntatem, quæ vocationem & motum, quo vocantur & mouentur, in se ipsis percipiunt & experiuntur, non aliter,quam eliciendo simul operationes vitales. Imò verò, si ostium quod pulsatur esset viuens apud nos; tunc ipsa pulsatio includeret motum vitæ:ergo pari ratione, si pulsatur cor nostrum, fieri non posset,vt in pulsatione ipsa, non intelligamus motum vitæ. Imò verò vlterius, qui ostium pulsat, ea ratione pulsat, vt qui intus est & viuit, sonum percipiat; Et sic vitaliter moueatur ad aperiendum ostium. Et motio illa pulsationis,minime deprehenderetur, nisi ad eam vitaliter influerent potentiæ in quibus recipitur. Est tamen disidium inter pulsationem ostij & cordis, quòd licet vtraque ea ex



ea ex parte,qua pulsatio præcisè est,sit solùm efficiẽter à pulsante; nam Deus est qui pulsat; nihilominus ad actionem pulsandi nullo modo cõcurrit efficienter ostium,sed solus is,qui pulsat efficit sonũ interuentu illius actionis, ita vt,qui est intra domũ, possit libere aperire,vel non aperire ostium.Cæterũ in proposito,ad rem quæ est pulsatio cordis necesse est,vt efficienter concurrat cor ipsum, vt & percipi valeat,& inde pro sua libertate ad aperiendum cor Christo,homo moueri possit.

Legenda sunt de hac re, quæ nos optime diximus supra Disputatione.2.pagina.267.& 268. ab illis verbis,Sed dubitare posset aliquis.

## ARTICVLVS III.

*Vtrùm gratia conuenienter diuidatur in gratiã præuenientem,& subsequentem?*

Conclusio.S. Tho.est affirmatiua.Et hæc distinctio gratiæ in præuenientẽ & subsequentẽ desumitur ex D.Aug.in Enchirid.cap. 32. & refertur à Magist.in 2.d.26.vbi recipitur ab omnibus scholastici s & explicatur,imò verò recipitur in Trid. sessi.6. plerisq; in locis,& cap.5.& cano.3.& cap.16. Vbi dicitur,quòd virtus diuinæ gratiæ semper antecedit, concomitatur, & subsequitur bona opera.

*Discursus articuli.*

Gratia præueniens & subsequẽs, secundũ vnam considerationẽ sunt idẽ quòd gratia operãs,& cooperans:gratia enim operans dicitur præueniens simpliciter & absolutè;quoniã antecedit vsum nostri liberi arbitrij:gratia autẽ cooperãs dicitur subsequens,quia præsupponit gratiã operantẽ seu præuenientẽ,& in virtute illius subsequitur.Cæterũ,secũdũ aliam considerationẽ, loquendo de gratia prẽueniẽte & subsequẽte nõ absolute,sed cõparatiuè,gratia quæ respectu vnius effectus est cooperans & subsequens,respectu alterius effectus,erit præueniens. Quocircà,conuersio peccatoris,si cõparetur ad gratiãvocationis,qua prẽuenitur homo,pertinet ad gratiã subsequentẽ,quia subsequitur vocationẽ; si autẽ cõparetur ad augmentũ gratiæ,& ad perseuerantiã, dicetur pertinere ad gratiã prẽuenientẽ, quia conuersio prẽuenit augmentũ gratiẽ & perseuerantiam in illa,simpliciter tamen & absolutè loquendo;sicut est de fide,quòd homo non potest naturæ viribus se præparare sufficiẽter ad gratiã:ita etiã est de fide necessariã esse gratiã prẽuenientẽ ad hoc, vt iustificemur,vt patet in Conc.Trid.sess.6.cano.3.vbi dicitur exordiũ iustificationis nostræ fieri nõ posse sine prẽueniẽte Spiritus sancti inspiratione,atq; eius adiutorio vt verũ sit,quòd iustificatio nostra non est quòd nos prẽueniamus Deũ,sed quia ipse misericorditer prẽuenit nos,iuxta illud Prophetæ Psa.58.Misericordia eius prẽueniet me,Et iuxta illud Concil.Arausc. cap.14.Nullus miser de quãtacũq; miseria liberatur, nisi qui Dei misericordia prẽuenitur,sicut dicit Psa. Citò anticipent nos misericordiæ tuæ Dñe. Psal.78.

*Conci.Trid.* *Psalm. 58.* *Conc.Arau.* *Psalm. 78.*

Sed contra arguitur ex illo Psal. 87. Manè oratio mea prẽueniet te,& psal.118.Prẽueni in maturitate & clamaui.Et confirmatur ex Chrysost.homi.12.super epist.ad Hebr.vbi ait; Non antecedit nostras voluntates Deus,ne lędatur liberum arbitrium; Cùm autem nos elegerimus,tunc multam nobis affert auxiliationem.Respondetur,quòd secũdum varios & diuersos effectus gratiæ & prẽuenimur à Deo, & nos prẽuenimus ipsum.Nam ex suppositione quòd sumus prẽuenti diuina gratia vocante nos & auxiliante,possumus in virtute eiusdem gratiæ per liberum arbitrium operari bonum, & ex eiusmodi operatione subsequitur,vt Deus ampliora & maiora nobis dona concedat;atque adeò bonus ille vsus super naturalis gratiæ acceptæ,censetur quasi quædã prẽuentio ad vlteriorem gratiam recipiendam. Neque aliud voluit Chrysost.Et pari ratione explicãdus est Casianus collat.13.cap.12.vbi ait,quòd nos aliquando prẽuenimus Deum.

## DISPVTATIO I.

*Vtrùm rectè diuidatur gratia,seu auxiliũ Dei in prẽuenientem & subsequentem,& in plura alia membra?*

Hæc cõtrouersia exactè explicabit materiam præcedentis articuli,nam hi ambo se iuuant. Imò verò D.Tho.discipuli,& ex ipsius familia orti dicunt, gratiã operantem secundũ rem eandẽ esse cũ gratia prẽueniẽte,& gratiã cooperantẽ,similiter esse eandẽ cum gratia subsequente; & differre solũ ratione.Quæ doctrina inferius examinabitur & aperietur.Illud tamen principio supponamus vt certũ, actiones nostras atq; studia,quibus ad gratiã tendimus & præparamur,non solũ proficisci à gratia, sed etiã à libero arbitrio.Quo circà,hæretico fallitur spiritu,qui dicit actiones illas non procedere à libero arbitrio.Quoniã,vt suprà retulimus,prædictæ actiones sunt operationes vitales,vt credere,sperare,amare;ergo necesse est vt à principio vitali, & à libera voluntate procedant.¶ Secundò supponamus,quòd vt res aliqua se se moueat,non est satis vt efficiẽter concurrat ad actionẽ aliquam & eam producat; Nã ignis efficienter cõcurrit ad calefactionẽ, & non se mouet;Imò verò lapis si mouetur actiuè ad centrũ, actiuè concurrit,& non dicitur se mouere; sed magis mouetur à generante,qui dedit illi talem inclinationem.Imò verò rursus, intellectus in prima sui intellectione non se mouet;alias esset processus infinitus in actionibus intellectus,& ob id oportet deuenire ad primã intellectionẽ,ab authore naturæ inditã, ad quã licet concurrat actiuè intellectus;tamẽ nõ dicitur se mouere ad illã.Et voluntas in appetitione vltimi finis,& beatitudinis in cõmuni,non se mouet,sed à natura trahitur.Quapropter,tũc res aliqua dicitur se mouere(v.g. voluntas tunc dicitur se mouere ad amandum) quando ex appetitione finis ad quem ex natura inclinatur,determinat se per deliberationem & consilium ad eligenda media,ad illum finẽ ducentia, verùm in ipsa appetitione finis in communi,& beatitudinis in communi, potiùs à natura mouetur.Nã si petas ab aliquo homine, quis eum persuasit,vt vellet bonum in communi, & rectè valere,& benè se habere in omnibus suis?Respõdebit sanè,ad id nulla persuasione aut deliberatione indigere. Quia à natura inclinatur & impellitur

ad hoc bonum sibi. Si verò interroges vlteriùs, eũdem hominem, quis eum mouit aut excitauit, vt miles efficeretur, vel vt monachatum susciperet? Respondebit sane, quia iudicauit & deliberauit illud medium esse sibi consentaneum ad beatitudinem, aut gloriam consequendam. Pari igitur ratióne, cùm præuenitur voluntas hominis, cùm excitatur, cùm mouetur, vt malum detestetur, cùm vocatur à bonum, licet concurrat efficienter in motibus istis iuxta sensum superiùs explicatum in articulo secundo, tamen in his potiùs mouetur, quàm se moueat voluntas. Cùm verò libere consentit, cùm operatur ex gratia cooperante; iam licet ab ea moueatur, & à Deo à quo præuenitur; nihilominus iam se mouet.

¶Supponamus tertiò, quòd gratia operans non necessitat voluntatem, neque ob id dicitur operans, quia non requirit sæpiùs assensum voluntatis; sed dicitur quidem operans, quia ab ea est initium motus; & quia subsequitur voluntas nostra, quasi pedisequa. *Magister Soto.* Ita Soto. 1. de nat. & gratia capit. 16. vbi explicat fusè, quo pacto gratia operans eliciat actum internum, & gratia cooperans actum externum, id est, actum imperatum à voluntate sanata, & per gratiam rectificata.

*Concl. 1.* His ita suppositis, sit prima propositio. Gratia actualis, conuenienter satis diuiditur in præuenientem, subsequentem, & concomitantem. Quæ diuisio desumpta est ex *Psal. 58.* Psalm. 58. Misericordia eius præueniet me, & subsequetur me, & ex *Conci. Trid.* Tridenti. in sessione 6. citata, & ex *D. August.* D. Augustin. de natu. & gratia capite 32. & 33. vt in discursu articul. retulimus, & in Enchirid. capite 32. & ex *D. Gregor.* Diuo Gregor. homilia 5. in Ezechiel. Quam diuisionem S. Thom. non solum actuali, sed etiam habituali gratiæ accommodat: Seruant enim interse ordinem istæ gratiæ, ita vt vnum ex alio oriatur, iuxta illud ad *Rom. 8.* Roman. 8. Quos præsciuit & prædestinauit, hos & vocauit, & quos vocauit, hos & iustificauit. Omne igitur donum gratiæ, quod alterum antecedit, dicitur à D. Thom. preueniens, & illud quod sequitur, dicitur subsequens. Quo modo sola prima vocatio est præueniens gratia, & nullo modo subsequens; Cætera præter glorificantem, sunt præuenientia & subsequentia, respectu diuersorum; tamen propriè vt Augustin. & Tridenti. vtuntur illis nominibus, gratia præueniens est illa motio Dei, qua ad bene operandum excitamur; Concomitans verò est illa, qua adiuuamur, & hæc eadem est subsequens: Nam hæc duo membra nunquam reperiuntur distincta, vel in Scriptura, vel in Patribus; sed eadem gratia comparata ad nostram voluntatem, dicitur concomitans; comparata verò ad præuenientem gratiam, dicitur subsequens. Quòd si dicas, Deum aliquando præueniri ab homine in actibus bonis, & quòd ob id non præuenitur à Deo, Respondetur, quòd homo ex auxilio Dei & gratia, quasi præuenit ipsum Deum, vt conferat augmentum gratiæ, & alia dona. Vndè, neganda est consequentia.

*Conclu. 2.* Secunda propositio. Gratia actualis vel auxilium Dei, rectè diuiditur in operantem, & coopetantem. Et certè, hæc diuisio potest reuocari ad *D. Thomas.* eam, quam in præcedenti articu. fecit Diuus Thom. & habetur ex Scriptura. *1. Corinth. & 15.* 1. Corinthio 3. Coadiutores sumus Dei, vel vt Græcè habetur, cooperatores sumus Dei; cooperari verò dicit mutuam relationem. Vndè, capite 15. Plus omnibus laboraui, non ego sed gratia Dei mecum. D. Augustin. ita interpretatur hunc locum, de gratia & libero arbitrio capite. 15. *Marci vlt.* Marci vltimo, Domino cooperante & sermonem confirmante. Primum dicit quantùm ad bona opera, secundum quantum ad miracula. *Rom. 8.* Roma. 8. Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. *D. August.* D. Augustin. de correctio. & gratia capite. 9. & *Theodoret.* Theodoret. ibi legunt, cooperatur & tribuit Spiritui sancto. Idem Augustin. de libero arbitrio capite. 17. colligit hanc diuisionem, ex illo *Ad Phili.* ad Philip. 2. Qui operatur in nobis, & velle, & perficere. Et *Ambros.* Ambrosi. libro. 2. in Lucam capite. 12. Virtus (inquit) Dei, studijs cooperatur humanis. *Prosper.* Prosper lib. 2. de vocat. gent. capite 5. *Bernard.* D. Bernar. de gratia & libero arbitrio in principio, & *Cælest. 1.* Cœlestin. 1. epistola. 1. ad Episcop. Galliæ, capite 12. nos vocant cooperatores gratiæ Dei. De qua re legendus est D. Augustin. tract. 72. In Ioannem.

¶Sed hæc diuisio quæ potissimè habetur ex *August.* D. Augustin. diuersimodè exponitur & explicatur. Cuius explicationes attulimus *Suprà art. dubio. 1.* suprà articulo. 2. in principio. Sed expositio, quæ mihi magis probatur, est, vt gratia operans dicatur ipsa gratia excitans, cum qua humano modo non concurrimus; Et ideò dicitur omnino operans; seu ad quam nos humano modo non concurrimus, vt vocatio, illuminatio, excitatio, prædestinatio. Cooperans verò dicitur ipsa adiuuans, Quia re vera illa nobiscum cooperatur ad perfectum consensum, vt ipsa contritio, & iustificatio, & quilibet bonus vsus liberi arbitrij supernaturalis. Ita exponit Augusti. libro de Gratia, & libero arbitrio capite. 16. & 17. Ipse vt velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens. Et infrà, vt velimus, sine nobis operatur. Dicitur autem operari vt velimus, quando nos excitat; Non quia per solam excitationem perfectè velimus, sed quià tota illa excitatio ad hoc refertur, vt velimus. Vndè subiungit Augustin. Cum autem volumus, & sic volumus vt faciamus, nobiscum cooperatur. Et fortè Diuus Thomas eundem habuit sensum in tota hac quæstione, & in artic. 2. præcedente: Quia per actum exteriorem non intelligit solam motionem manus. Quia ad hanc per se loquendo, non requiritur specialis gratia, de qua loquimur. Quoniam istæ actiones extrinsecæ, vt sic, non sunt supernaturales. Vndè D. August. vbi suprà ait, petendum esse à Deo, vt velimus quantum sufficit, vt volendo faciamus, præbendò vires efficacissimas voluntati. Hanc ergo voluntatem, quæ vsque ad opus externum progreditur, vocauit S. Thom. exteriorem actum; interiorem verò illum, qui in desiderio quodam & in voluntate perfecta, consistit. Idem intendit *D. Bern.* D. Bernardus locis citatis.

¶Ex quibus omnibus verè intelligitur, posse esse eundem actum à gratia operante, & cooperante: Sicut esse potest ab excitante & adiuuante. Rursus etiam constat, vtramque istam gratiam non solum iustis, sed etiam peccatoribus esse communem, *Conci. Tri.* vt dicit Tridentin. sessione. 6. capite. 5. & per totam sessio-



sessionem. & D. Augustin. de correct. & grat. capite 12. & libro secundo de peccatorum meritis capite quinto & de perfect. iustitiæ in fine. Patet tandẽ, hanc diuisionem gratię, posse applicari gratiæ habituali, vt D. Thom. in hac quæstione. 111. supponit & dicit. Dicitur operans, quatenus est initium nostræ iustitiæ; cooperans verò quatenus ad actus meritorios concurrit.

*Concl. 3.* Tertia propositio. Gratia actualis, conuenienter diuiditur in sufficientem & efficacem. Et sane, vtrũque distinctionis membrum aperte ex sacris literis colligitur. De sufficienti legitur *Ierem. 22.* Ierem. 22. Loquutus sum ad te in abundantia tua, dixisti, non audiã. *Isaiæ. 4. & 65.* Et Isaiæ. 4. Quid debui vltra facere & non feci &c. Et capite. 65. Tota die expandi manus meas, ad populum non credentem, & contradicentem mihi. *Matth. 23.* Matthę. 23. Quoties volui congregare filios tuos, sicut cõgregat gallina pullos suos, & noluisti &c. De *Ioan. 6.* efficaci extat in primis illud Ioannis. 6. Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum. Et iterùm; Omne quod dat mihi Pater, ad me venit. Et rursus, Omnis qui audit & didicit, venit ad me. *Isaiæ. 50. & 63.* Isai. 50. Dominus meus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico. Et capite. 63. Inuentus sum à non quærentibus me, palam apparui his, qui nõ interrogabant me. *Ad Phil. 2* Ad Philip. 2. Deus operatur in nobis velle & perficere. *Ad Rom. 8.* Ad Roman. 8. Non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis. *D. August.* Eadem distinctione vtuntur Sancti Patres. D. Augusti. de prædestin. Sancto. capite octauo, & exponens illud; vos Spiritui sancto restitistis; Quomodo ergo, inquit, restitissent, nisi auxilium sufficiens habuissent; vel si efficax habuissent, quomodo restiterunt?

¶In explicanda hac distinctione, est maxima varietas sententiarum. Hæretici dicunt, sufficientem gratiam esse prædicationem euangelij, & externam vocationem; efficacem verò, esse motionem internam, qua Deus necessitatem voluntati infert, vt faciat quod ipse vult; Sine qua motione, dicunt, nullum posse consentire. *Ezech. 37.* Probant ex illo Ezechiel. 37. Auferam à vobis cor lapideum, & faciam vt ambuletis in præceptis meis. *Psal. 50.* Et psalm. 50. Cor mundum crea in me Deus. *1. Corin. 12.* Et 1. Corinth. 12. Deus operatur omnia in nobis.

¶Sed profectò, hoc est hæreticum. Quoniam nulla datur gratia efficax, quæ tollat libertatem: Nam sæpius in Scriptura dicitur, in hominis potestate esse conuerti & consentire, *Deutero. 30* vt Deuteronomio. 30. *Ecclesia. 41.* Ecclesiastic. 14. *Ezech. 18.* Ezechiel. 18. Facite vobis cor nouum. *Philip. 2.* Ad Philip. 2. Cum metu & tremore vestram salutem operamini. Et probatur. Quoniam Scriptura non vocat nos pura instrumenta, sed cooperatores Dei. Rursus, auxilium Dei in eo magis cernitur, quòd sit efficax, quod simul compatitur libertatem nostram, & eam non repellit; alioqui non mereremur in actibus meritorijs, & conuersionis ad Deum, in quibus adest efficax Dei gratia. *Conci. Mileuitanum. Conc. Arau. Conc. Tolet. Conci. Trid.* Definita est hæc veritas in Concilio. Mileuit. Arausi. Toletan. 4. canon. 55. & in Tridentino sessione 6. plerisque locis. *Cyprianus.* Cyprianus idem docet. 3. ad Quirinum cap. 52. *D. Hilarius* D. Hilarius. 1. de Trinit. filios Dei non necessitatis esse voluit, sed potestatis. *Hieronym.* Idem fere docet Hieron. Matth. 5. & *Chrysosto.* Chryst. eo antiquior homil. 15. & 32. in Genes. *Theodoret.* Theodor. supra psal. 52. & 77. circa illud, Pluuiam voluntariam &c. Quam dicit esse gratiam, & appellari voluntariam, propter voluntatem arbitrij. *Prosper.* Prosper 2. de vocat. gent. capite 9. *Bernardus.* Bernardus de grat. & libero arbitrio D. Augusti. epistol. 46. & 47. & 1. retracta. capite quinto & 9. de gratia Christi capite 14. & de verbis Apostol. explicans illud Roman. 8. Qui spiritu Dei aguntur, filij Dei sunt. *Augustin.* Inquit August. Dicet mihi aliquis, ergo agimus & nõ agimus. Respõdeo (ait) imò agis & ageris: Spiritus enim qui te agit, agentibus adiutor est. Et infrà; Prorsus quia vultis agitis: non enim adiutor est ille, si non agitis, sed operator. Tandem. Quia Deus non destruit, sed perficit naturam, & ob id relicta libertate; potest suauiter mouere voluntatem, vt 1. parte plerisque in locis diximus, & inferius etiam à nobis explicabitur. Vndè, testimonia pro hæreticis adducta; nihil prorsus ostendunt: solùm enim dicunt, Deum concurrere in actibus nostris, etiam supernaturalibus. Habemus igitur, gratiam efficacem Dei non inducere necessitatem; sed quomodo stet cum libertate, & vtrùm voluntatem omninò determinet? hoc habet ingentem difficultatem, quæ in sequentibus disputationibus huius art. dissoluetur. Interim sufficiat statuere sufficiens gratiæ auxilium dici, quo possumus operari si volumus; efficax verò quo de facto operamur. Sed quomodo sit efficax? An, vt præintelligitur ad nostram operationem, vel simul cum illa? Id aperietur à nobis in sequentibus controuersijs huius art.

¶Sunt Theologi qui hac ætate nullam constituant differentiam auxilij sufficientis, & efficacis; & qui nullam supernaturalitatem agnoscant maiorem in auxilio efficaci, neque secundũ rem, neque secundum modũ, quam in sufficiente. Contra quos scripsimus suprà. q. 109. art. 10. disp. 2. Quo loco impugnauimus nouorum Theologorum deprauatũ sensum, qui postquàm dixerũt, totam efficaciam auxilij supernaturalis prouenire ex libero arbitrio, & non ex Deo; dixerunt consequẽter, ex duobus æqualiter adiutis, quorum vnus conuertitur, & alter nõ, vnum eorũ in se habere ex suo libero arbitrio, quo se discerneret. Quia dicunt, efficaciam auxilij supernaturalis, non ex Deo, sed ex libero arbitrio procedere. Et non contenti sua sententia, oppositum censent errorem in fide: Quia non intelligunt, quo pacto posita efficacia auxilij, ex parte Dei, libertas arbitrij salua possit consistere. Et ob id censent, liberum arbitrium ex innata sua libertate, efficere, & reddere efficax Dei auxilium; idque prouenire non ex Deo, sed ex libero arbitrio. Contra quos sequentem subijcio assertionem.

*Conclus. 4.* Quarta propositio. Efficacia auxilij supernaturalis, seu actualis gratiæ, per quam secernitur efficax auxilium, vt sic, à sufficiente præcisè; illa quidem ex Deo est, & includit aliquid supernaturalitatis, quo secernitur à solo sufficienti auxilio. Itaque, efficacia supernaturalis auxilij, qua fit vera conuersio in Deum, & peccatorum contritio, & vera dilectio Dei super omnia efficax; ex Deo est, & non habet supernaturalitatis efficaciam ex libero arbitrio; alioqui salutis nostræ efficax initium, in nos refunderetur. Et quamuis nunquam auxilium sit efficax, nisi libero ipso arbitrio consen-

consentiente & cooperante; Quia ex ipso consensu liberi arbitrij in conuersione ad Deum, in bona consequentia colligitur, simul ibi adesse efficax auxilium; quia non stat esse efficax auxilium, & non adesse liberum consensum: Quoniam quoties adest auxilium illud, simul adest consensus absolutus, & liber nostræ voluntatis: Tamen efficacia illius auxilij, vt sic, non refunditur veluti in primam causam, in liberum arbitrium; alioqui nos saluaremus nos ipsos ex nobis. Quippe qui nos dedimus efficaciam auxilio Dei. Et aliud quidem est, quòd ex libertate nostri arbitrij procedit libere consentire; aliud verò ex libertate nostri arbitrij, dare efficaciam auxilio Dei, quo permouemur; Quia libertas, nostra est, efficacia vero gratiæ, ex Deo. Ita sensit expresse Diuus Augustinus locis citatis, & citandis infra in 1. dubitatione appendice, propositione 2. & 1. Retractationum capite 23. vbi expresse dicit, quòd cum post Dei vocationem voluerimus, non sufficit voluntas nostra, & cursus noster, nisi Deus, & vires currentibus præbeat, & perducat quo vocat. Hæc conclusio est catholica, & opposita censetur esse Pelagiana. Quòd si efficacia auxilij supernaturalis, non proueniret ex Deo, sed ex libero arbitrio, & nihil supernaturalitatis magis includeret efficax, quam sufficiens auxilium, ex parte sui, neque in substantia, neque in modo supernaturalitatis, frustrà distinguerent Sancti patres auxilium secundum se, insufficiens & efficax; siquidem, nihil speciale haberet efficax, quod non habeat sufficiens, ex parte sui, & suæ supernaturalitatis. Nam aduersarij, solùm agnoscunt distinctionem istorum auxiliorum, ex parte liberi arbitrij, quasi quòd sit efficax procedat ex libero arbitrio, & ab eo habeat, quòd sit efficax, & reddatur efficax. Nam licèt cùm liberum arbitrium consentit, aut non consentit, nos facilè cognoscamus, quando auxilium est efficax, vel non; cæterùm quòd sit efficax, non id præstatur ex libero arbitrio; ita vt efficacia ipsa, ex viribus liberi arbitrij fiat. Nam profectò, si ex viribus liberi arbitrij procedit, & redundat in auxilium, hæc efficacia, sequitur quòd homo ex suis viribus, se discernit ab alio, qui non conuertitur, quod est contra Paulum 1.Corinthio. quarto. Imò verò, efficacia auxilij, & ipsa conuersio peccatoris in Deum, & contritio, sunt dona Dei. Imò verò vlteriùs, sequeretur, quòd efficax ratio veræ actualis conuersionis in Deum, non solùm penderet à nobis, & libertate nostra; sed etiam esset ex nobis, & à nostris viribus, quibus deberetur conuersio ipsa, & peccatorum contritio, & dilectio Dei super omnia. Huic obiectioni respondent aduersarij, quòd cùm huiusmodi influxum & consensum liberi arbitrij antecedant dona gratiæ præuenientis & excitantis, non rectè ex doctrina eorum infertur, initium nostræ salutis esse à nobis; Cùm ante conuersionem & influxum illum, multa antecedant, quæ ad gratiam & salutem nostram spectant. Veruntamen hæc non est responsio, sed fuga: Nam licèt verum sit, quòd antecedant, quæ pertinent ad præuenientem & excitantem gratiam; cæterum cùm omnia hæc ordinentur ad peccatoris conuersionem, & in ipsa conuersione, seu in puncto contritionis, efficacia cur auxilium suum sortiatur effectum, & vlterius cur verè sit efficax illius conuersionis, reducatur in vires liberi arbitrij, sequitur aperte quòd ille homo ex se habet, quo se discernat ab alio, & quo glorietur coram Deo. Nam ille dedit vires auxilio Dei, & dedit efficaciam ex suis viribus, suæ conuersioni in puncto quo fit: ergo in ipsum reducitur causa vera cur discernatur, quod est contra Paulū. Et confirmatur. Nam quamuis Deus de lege per præuenientem & excitantem gratiam procedat ad conuersionem peccatoris; tamen de potentia eius absoluta potest immutare hunc ordinem, & subitò sine præueniente & excitante efficere hanc conuersionem, per auxilium efficax; In quo casu si solùm mutaretur iste ordo; non tamen modus conuersionis; tunc verè initium salutis nostræ sine vlla tergiuersatione esset ex nobis (si vera esset istorum aduersariorum sententia): ergo quòd præcedat gratia excitans, nihil interest ad sequelam argumenti, si vera censetur eorum sententia, quòd tota efficacia auxilij in conuersione peccatoris, procedit ex libero arbitrio, & redditur ex viribus liberi arbitrij.

¶ Nam ipsa efficacia auxilij Dei pro conuersione actuali & exercitio influxus ad conuersionem, est ex libero arbitrio, in quem refunditur secundum aduersariorum sententiam: ergo ille homo ita iustificatus, verè haberet in se in instanti iustificationis ex suis viribus, & non ex Deo, veram rationem cur efficaciter se discerneret, quod est contra fidem & contra Pau.1.Corinthio.4. dicentem, Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? & anteà præmiserat; Quis enim te discernit? &c. 1.Corinth.

¶ Huic inconuenienti ex Paulo adducto aduersarij respondent, quòd in iustificatis datur aliquid supernaturale, quod non simpliciter, sed vt præcisè emanat à libero arbitrio, tanquam à causa partiali, est in eodem iustificato, veluti ratio cur discernatur iustificatus à non iustificato. Sed hoc est hærere in eadem salebra. Nam licet in potestate liberi arbitrij sit consentire, vel non consentire; cæterùm quòd auxilium supernaturale habeat supernaturalem efficaciam; id ex viribus nostris præcisè non procedit. Rursus, si illa efficacia auxilij supernaturalis ad conuersionem, non procedit à Deo, sed pendet ex viribus liberi arbitrij & ex nobis, sequitur quòd liberum arbitrium respectu illius efficaciæ non se habet, vt causa partialis, neque vt pars integræ causæ, sed habet se vt causa totalis, quod est contra aduersarios. Nam sunt in ea detestabili sententia, quòd liberum arbitrium habet se vt causa partialis, in actionibus prædictis.

¶ Præterea. Perfectio & consummatio nostræ conuersionis & iustificationis, consistit in illo consensu liberi arbitrij, & in bono vsu gratiæ procedente ex efficacia auxilij: ergo si hæc efficacia est à nobis, & non ex Deo, ad nos ipsos referri debet, & non ad Deum id, quod potissimum est in nostra conuersione; atque adeò poterimus gloriari de nostra conuersione, quod est contra Scripturam, oppositum dicentem. Nam rogo,

Quo

*Aduersario rū responsio*

*Refutatio.*

*Respondet aduersarij.*

*Replica.*



Quo pacto vera esset sententia Pauli, si efficacia auxilij in conuersione peccatoris, procedit ex libero arbitrio? Quod operatur Deus in nobis velle & perficere? ad Philip. 2. Rursus, In effectu aliquid supernaturale maius reperitur in vltimo instanti vitæ in electis, quos efficaciter Deus conuertit, cùm sunt discessuri, quam in non electis: sed his dat sufficientia auxilia, & sæpiùs eos mouet, per excitantem & præuenientem gratiam in illo instanti: ergo præter sufficiens auxilium, & præuenientem gratiam, debet constitui aliud maius & speciale auxilium, in prædestinato quod in se habeat aliquid maius in genere supernaturalitatis: ergò ista efficacia maior in auxilio, non redditur ex viribus liberi arbitrij. Quia aliud quidem est in conuersione libera esse efficaciam, & aliud est illam prouenire ex viribus liberi arbitrij, & non ex Deo. Et confirmatur. Quia alias mysterium diuinæ prædestinationis nullam haberet difficultatem, si tota diuersitas & discretio bonorum & malorum, quæ prouenit ex eo quòd vnus conuertitur & alter non, reduceretur in efficaciam ex viribus liberi arbitrij procedentem, & non ex Deo, neque ex auxilio Dei. Nam profectò, sufficientia auxilia communia sunt bonis & malis, & in illis non discernuntur: ergo ex parte ipsius auxilij oportet aliquid supernaturalitatis constituere secundum substantiam, vel secundum modum, ita vt quoties sit efficax motio, ex modo diuinæ motionis & ex ipso Deo, sequatur illa efficacia, quæ qualiter stet cum libertate arbitrij nos catholicè, & cum obedientia interpretati sumus 1.part. plerisque in locis. Et quamuis non possimus aperte & cum euidenti cognitione percipere, quo pacto cum hac efficacia simul concordet libertas liberi arbitrij; non tamen ob id deserēda est veritas. Nam profectò, si efficacia auxilij accipitur à viribus liberi arbitrij, non est cur Sancti Patres valdè se torqueant, in explicanda concordia gratię & liberi arbitrij. Quoniam si aduersariorum sententia vera esset, facilis esset, peruia & clara satis, solutio & concordia hæc, in qua explicanda tantopere laborauit Ecclesia.

*D.August.* Hæc præfata assertio, videtur esse aperta sententia D. Augustin. contra duas epistolas Pelagian. capite octauo & lib. de correcti. & gratia capite. 11. & 12. & lib. de Spiritu & litera capite. 34. & de bono perseue. capite octauo & libro de gratia, & libero arbitrio capite. 16. & 17. & libro primo retract. capite. 33. & Concilium Tridentinum semper supponit hanc veritatem, tanquam certissimam, & habetur in Concilio Arausi. capite. 20. Idem sensit Driedo. libro de captiuitate, & redemption. generis humani tract. 6. capite secundo part. 2. & Ruardus Tapper articulo septimo contra Caluinum. Idem Pater Soto. 1. de natur. & gratia capite. 16. Ægydius in 2. distin. 28. quæstion. 1. arti. 4. Gregor. in 1. distin. 41.

*Conci. Trid.* *Conc. Aran.* *Driedo.* *Ruardus.* *Tapper.* *Magi. Soto.* *Ægydius.* *Gregorius.*

Sed contra præfatam catholicam doctrinam argumentantur aduersarij, ex Concilio Tridentino sessione sexta capite quinto, & canon. 4. Quibus in locis dicunt, quòd apertè definitur, ab arbitrio nostro pendere quòd auxilia diuina reddantur efficacia ad nostram iustificationem & conuersionem. ¶ Sed profectò mirabile est, quòd apertum mendacium isti imponant Concilio. Nam Concilij. Tridentin. *in canon.* 4. citato non dicit, quòd efficacia auxilij Dei prouenit à libero arbitrio, sicut aduersarij prætendunt; sed solum dicit, quòd liberum arbitrium non se habet mere passiuè, neque veluti inanime quoddā, respectu iustificationis; sed quòd verè cooperatur Deo excitanti, atque vocanti, quo ad obtinendam iustificationis gratiam, se disponat ac præparet. Sed aduertat Catholicus Theologus, quòd priùs dicitur in eodem canone, quòd liberum hominis arbitrium motum à Deo, & excitatum à Deo, habet cooperari assentiendo Deo excitanti & vocanti. Motio autem hæc diuina, & supernaturalis est, & à Deo, vt Concilij dicit, quæ cùm coniuncta est cum cooperatione, & consequutione iustificationis, efficax motio est, sed à Deo, vt dicit Concilij. Rursus, Quod Concilium eo loci intendit diffinire est, nos cooperatores liberos esse, & libere præstare consensum, & non mere passiuè nos habere. Quia licèt liberum arbitrium recipiendo efficax auxilium, dùm à Deo mouetur efficaciter, passiuè se habeat recipiendo, sed non merè passiuè, aut nihil omnino agendo, quia vere cooperatur & libere consentit. Et in capite quinto vbi traditur doctrina de iustificatione impij, nusquam reperitur quòd efficacia auxilij supernaturalis proficiscatur ex libero arbitrio, aut ex viribus eius, sed solùm reperitur, quòd homo libere assentitur & cooperatur gratiæ Dei. Nam in conuersione peccatoris vere cernimus, & nos experimur libertatem nostram. Et non sunt idem libere concurrere ad conuersionem seu liberè consentire; & efficaciam auxilij, & motionis diuinæ supernaturalis prouenire ex libero arbitrio, seu ex viribus liberi arbitrij. Vndè, quòd hæc sit mens Concilij, apertè deprehenditur ex vltimis verbis huius capitis, vbi sic habetur: Neque tamen sine gratia Dei mouere se ad iustitiam coram illo libera sua voluntate possit. Vndè, in sacris literis cùm dicitur, Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos, *libertatis nostræ* admonemur. Cùm respondemus; Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur, Dei nos gratia præueni ri confitemur.

*Conci. Trid.*

*Argumēta aduersariorum.*

*Responsio.*

Secundò obijciunt aduersarij, Vel auxiliū sufficiens tale est, vt arbitrium nostrum sine alio auxilio & diuina motione possit consentire Deo vocanti, & cooperari ad salutem, & perseuerare in gratia; vel non est sufficiens? Si illud auxilium est sufficiens: ergo liberum arbitrium libere cooperando sua innata libertate potest reddere efficax illud auxilium. Si verò dicas, quòd non est sufficiens: ergo perperam dicitur sufficiens. Imò verò, nulla ratione posset vitio verti arbitrio nostro, quòd Deo vocanti nō consentiat, & non cooperetur. ¶ Huic obiectioni respondetur, quòd sufficiens auxilium dat posse conuerti, quantum est exparte principij operatiui; efficax autem dat actualiter operari reducendo illud principium ad actum secundum & exercitum. Et idcirco, stat habere sufficiens auxilium, ad se conuertendum in Deum, & quòd actualiter non conuertatur. Quia auxilium illud est sufficiens ex parte principij, quia dat posse; sed indiget reductione ad actum secūdū respectu actualis conuersionis & iustificationis. Et ob id, stat (vt

*Argumen. aduersariorum.*

*Responsio.*

dictum est) habere sufficiens auxilium ad se conuertendum in Deum, & quòd actualiter nō conuertatur; non tamen stat quod quis habeat efficax auxilium, & quòd non se conuertat in effectu. Quoniā efficacia auxilij continet illam reductionem illius posse, & illius sufficientiæ de potentia ad actum, & consequenter includit aliquid supernaturalitatis, quod non continetur in solo auxilio sufficiente. Et per hoc dissoluitur aduersariorum obiectio & calumnia: Nam certè mediocriter philosophiam cognoscenti peruium est, plures esse vel formas vel qualitates de se sufficientes ad posse; & tamen indigere multis ad actum exercitum & secundum: Indiget ergo speciali concursu, aut speciali aliquo modo supernaturali, vt sequatur conuersionis executio, & exercitium, quæ veluti erat in semine, in sufficienti illo auxilio. ¶ De materia huius disputationis legenda sunt quæ diximus 1.p.quæstio.23.articul.3. disputat.7. & 8. & etiam disputatio.5.

*Conclus. 5.* Quinta propositio. Gratia præueniens, res est distincta ab actibus, ad quos liberum arbitrium à Deo per eam excitatur. Et licet non defuerint qui oppositum dixerint; tamen res hæc certa & perspicua est. Quoniam actus ad quos liberum arbitrium excitatur, à libero arbitrio fiunt & procedunt vitaliter: sed gratia præueniens minimè emanat à libero arbitrio: ergo. Rursus: Illa gratia præueniens, vna cum libero arbitrio causa efficiens est illorum actuum: sed causa efficiens res est distincta à suo effectu. Item etiam. Nam adhuc posita gratia illa præueniente hominem ad conuersionem, potest homo dissentire si vult, & non conuerti: ergo. ¶ Cæterùm, cùm tam liberum arbitrium, quam gratia Dei sint causæ secundæ actuum, credendi, sperandi & pœnitendi, vt oportet ad salutem, & sint causæ secundæ subordinatæ Deo, etiam vt primo motori supernaturalium, & ad effectum & actus supernaturales, suprà omnem naturam eleuatos, & nulla causa secunda, etiam si supernaturalis sit, efficere quicquam possit, nisi à Deo influente, per concursum & motionem suam immediate; idcircò in huiusmodi actibus, in quibus subordinantur intellectus & voluntas, tanquam secundæ causæ in ordine ad effectus supernaturales, requiritur motio supernaturalis Dei, & auxilium gratiæ proficiscens à Deo, vt primo motore supernaturalium, ad commemoratos effectus. Quocircà, Pater Soto. 1. de natu. & grat. capite. 16. & Andræas à Vega libro sexto in Tridentinū capite. 6. 7. 8. & 9. dicunt, liberum arbitrium ad eliciendum quemcumque prædictorum actuum præter auxilium particulare gratiæ præuenientis, indigere auxilio, quo Deus cum libero arbitrio immediatè concurrat, illudque moueat ad eosdem actus peragendos in actu secundo. Et quidem primum auxilium est gratiæ excitantis; secundum verò gratiæ coadiuuantis. Et fieri potest, vt per gratiam excitantem inuitetur liberum arbitrium ad conuersionem, & quòd liberum arbitrium non conuertatur & renuat. Quæ doctrina, cùm catholica sit, mirabile est, quòd non defuerint hac ætate qui eam conculcant & repellant, dicentes discrepare à dictis Concilij Tridentini locis citatis. Dicunt enim quòd asserere, auxilium efficax & gratiam coadiuuantem respectu conuersionis & contritionis, esse distinctam ab excitante & vocante gratia; id quidem est discrepare à dictis Patrum & Concilij Tridentini. Quia vna & eadem gratia est excitans seu vocans, cum gratia auxilij efficacis & coadiuuantis. Et probant ex Tridentino sessione sexta capite quinto citato, cùm ait; Exordium iustificationis in adultis, Dei per Christum Iesum præueniente gratia, sumendum esse, hoc est, ab eius vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis vocantur, vt qui per peccata à Deo auersi erant, per eius excitantem, atque adiuuantem gratiam ad conuertendum se ad suam ipsorum iustificationem, eidem gratiæ libere assentiendo & cooperando, disponantur, &c. En, Concilium Tridentinum eādem appellat excitantem & adiuuantem gratiam. Quia dicit, eidem gratiæ assentiendo & cooperando.

*Satus. Vega.*

Sed profectò, mirabile est quod isti obijciunt. Primò; Quia Concilium, antequam dixisset, Eidem gratiæ libere assentiendo & cooperando, dixerat; Per eius excitantem, atque adiuuantem gratiam; vbi loquitur copulatiuè, & non dixit, Per eius excitantem, seu adiuuantem gratiam. Secundò. Quia Concilij nunquam dixit tale, sicut isti imponunt illi, nempe, gratiam coadiuuantem & excitantem non habere distinctionem vllam; Neque dixit Concilium liberum arbitrium libere assentiendo & cooperando gratiæ excitanti & adiuuanti, carere auxilio efficaci, aut excludere in hac cooperatione specialem gratiam coadiuuantem, aut efficax illud auxilium supernaturale. Imò verò, efficax illud auxilium, & gratia cooperans includuntur & præsupponuntur, tantum abest quòd excludantur à Concilio. Vndè, aduersarij pressi vi veritatis fatentur, Deum multiplicatione & variatione auxiliorum efficere sæpè vt liberum arbitrium id velit, quod vel minore, vel alio auxilio pro sua libertate non vellet, cùm tamen velle illud posset. Ex quo apertè deducitur maius auxilium esse ex parte sui efficax, quam sufficiens, & quòd maioribus fiunt multa, quæ minoribus non item. In his tamen omnibus aduerte, quàm parùm tuta doctrina sit dicere, quòd auxilium inefficax sine aliqua supernaturalitate de nouo illi data, neque secundum substantiam, neque secundum modum: fiat efficax à libero arbitrio ex suis viribus, quod aduersarij volunt; Nam credunt, quòd tota efficacia diuini auxilij, referenda est in liberum arbitrium; & ob id dicunt, omnes homines positos esse in manu Consilij sui, vt ad quod voluerint, porrigant manum suam.

*Conclus.* Sexta conclusio. Vna & eadem gratia numero quatenus excitat, allicit, & inuitat arbitrium nostrum ad actus credendi, diligendi, aut pœnitendi, & sperandi, appellatur præueniens vocans, & excitans gratia; Cæterùm, quando efficaciter homo mouetur, iam arbitrio nostro consentiente, & cooperante actus illos, ad quos antea inuitabatur & alliciebatur, necessariò habet nouum influxum, & gratia auxilians actualis; vel in modo, vel in



*Conci.Trid.* in substantia habet aliquid supernaturalitatis, quod antea non habebat. Et hæc est vna catholicorum sententia, quæ ex superioribus & ante dictis satis liquet, & supponitur à Tridentino Concilio sessione sexta capite quinto in verbis illis supra relatis, vbi sic habetur: Declarat Sancta Synodus iustificationis exordium in adultis, à præueniente gratia per Christum sumendam esse, hoc est, ab eius vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis, vocantur; vt qui per peccata à Deo auersi erāt, per eius excitantem, atque adiuuantem gratiam ad conuertendum se ad suam ipsorum iustificationem; eidem gratiæ libere assentiendo & cooperando, disponantur. Ecce, gratiam à qua dixit Concilium, sumendum esse iustificationis exordium, appellauit vocantem, præuenientem, & excitantem. Et cùm vlteriùs Concilium sermonem instituit de ipsa conuersione & iustificatione, quæ fit cooperando & assentiendo libere gratiæ Dei, dicit Concilium vt qui per peccata auersi erant, per eius excitantem, atque adiuuantem gratiam ad conuertendum se ad suam ipsorum iustificationem, eidem gratiæ liberè assentiendo & cooperando, disponantur &c. In quibus verbis aduerte, quòd cùm Concilium parabat instituere sermonem de conuersione & iustificatione; tunc non solum retulit gratiam excitantem, sed etiam adiuuantem, in qua comprehendit gratiam cooperantem, & supernaturalia efficacia auxilia, quæ sane semper includi necesse est & non excludi. Quocirca, suprà articulo secundo diximus, quòd gratia actualis, seu auxilium Dei, rectè diuiditur in excitantem & adiuuantem; & hoc esse de fide, & colligi ex Concilio Tridentino, & ex Diuo Augu-

*Conci.Trid. D.August. Apocalyp.3* stino libro 2. de baptis. paruulorum capi. 28. vbi ait, quòd cùm dicitur Apocalip. 3. Ego sto ad ostium & pulso, id intelligitur per excitantem gratiam. Et cū subiungitur, Si quis aperuerit, intrabo & cœnabo cum illo; id intelligitur per adiuuantem fieri. Et ad

*Ad Phili.5.* Philip. 5. Seminauit bonum desiderium, per excitantem; Ipse perficiet, per adiuuantem. Vndè, ecclesia orat, Actiones nostras aspirando præueni: & subiungit; & adiuuando prosequere. Vndè, præter totam gratiā excitantem explicatam, est necessarium nouum genus gratiæ adiuuantis, ad perficiendos illos actus, vt patet apertè ex Trident. & testimonijs allatis, & ex natura istorum actuum. Nam cùm sint supernaturales in se, præter motionem antecedentem, requiritur vlterius actualis Dei influxus, & gratia adiuuans, quæ tribuat efficaciam, vt satis in superioribus aperuimus.

¶ Sed dicunt aduersarij, concilium dicere, eidem gratiæ liberè assentiendo & cooperando, & non dixisse, alteri numero gratiæ consentiendo. ¶ Mirabilis profectò obiectio, quam ego nunquam esse obiectionem dicam. Nam cùm dicūt, eidem gratiæ, præmiserat gratiam non solùm excitantem aut præuenientem, sed adiuuantem etiam, in qua gratia adiuuante intelligit Concilium includi eam, quæ est necessaria ad conuersionem & cooperationem. Secundò tamen respondetur, quòd gratia illa excitans & mouens ad conuersionem, si eadem numero perseuerat, tunc vt efficax sit illius conuersionis, accipit à Deo vel nouum influxum supernaturalem, vel aliquem modum nobis occultū supernaturalem ratione cuius eadem gratia, quæ solùm erat sufficiens, fit efficax, & ob id appellatur eadem gratia à Concilio. Certè, hanc esse legitimam interpretationem concilij, apertè docet catholica doctrina, quæ tenet efficaciam diuini auxilij in supernaturalibus prouenire ex Deo, & non ex viribus nostris. Quo fit, vt si eadem gratia appellatur; tunc in ipsa continuatione, & in exercitio conuersionis, habeat nouum influxum Dei, vel modum nouum supernaturalitatis ratione cuius sortiatur efficaciam illam.

Ex quibus omnibus colligo, consensum arbitrij nostri Deo vocanti & inuitanti per auxilium gratiæ præuenientis, non esse aliud, quam liberam cooperationem, liberumque influxum nostri arbitrij cum auxilio gratiæ efficaci ad supernaturales actus sperandi, diligendi, ac pœnitendi, ad quos libere exercendos inuitabamur à Deo, per eius gratiam vocantem. Seu (vt alij dicunt) consensum nostri arbitrij Deo vocanti & allicienti, per auxilium gratiæ præuenientis & excitantis, non esse aliud, quam liberum nostri arbitrij influxum, seu cooperationem cum eodem gratiæ auxilio ad supernaturales actus pœnitendi & diligendi: Intellige cum eodem gratiæ auxilio, eodem inquā, secundum substantiam, sed non eodem secundum modum: Quia tale auxilium cum quo est, vel contritio, vel pœnitentia, habet efficaciam & modum supernaturalem, quem antea non habebat. Vel est sermo de eodem auxilio gratiæ in genere, aut in specie. Quia tàm auxilium præueniens, quam sufficiens & efficax, ordinantur ad eundem terminum iustificationis, & ad eandem conuersionem, licèt in indiuiduo aliquid maius ex Deo habeat efficax auxilium & cooperans gratia, quam sola alliciens aut præueniens. Itaque licèt idem numero auxiliū continuaretur; nihilominus in conuersione haberet nouum modum supernaturalitatis à Deo. Nam cùm tunc sit efficax, & antea solum sufficiens; sequitur quòd tunc, id est, in conuersione habet efficaciam respectu conuersionis, & hanc necesse est à Deo procedere, & non ex viribus liberi arbitrij. Imò verò, ipsa efficacia auxilij est donum Dei, sicut & ipsa conuersio, & dilectio Dei super omnia, est donum Dei. Quibus omnibus caret ille, qui quāuis habeat auxilium præueniens & excitans; tamen non conuertitur.

Secūdò colligo, quòd Deus nulli denegat auxilia necessaria & sufficientia ad salutem; imò verò Deus offert omnibus hominibus supernaturale auxiliū ad salutem sufficiens. Quæ sanè veritas est de fide & catholica, de qua fusè & luculenter egimus. 1. p. q. 23. art. 3. disputa. 3. 4. & 5. vbi aperuimus quo pacto Deus sit paratus dare omnia auxilia, aut quo pacto homo habeat auxilia in actu primo, vel in actu secūdo. De qua re lege quæ diximus in eadē 1.p.q.23.art.3.disp.5. dub.1.2.3.4.& 5. & disputatio.7.principali sequenti.

### *Dubitatio appendix ad præcedentia grauis.*

GRauis est controuersia præcedens, & ob id eam exactè aperire cupimus omni ex parte. Et vt exactè explicetur, occurrit dubium non dissimulādum, quod paucis nunc absoluetur à nobis, fusè tamen disputabitur in sequentibus, nempe disputatio

*Vtrũ Deus prius natura concurrat cũ libero arbitrio, ad opera supernaturalia? Decanus. Louaniẽsis.*

ne 2.3.4.& 5.huius articuli.& aduertenda sunt, quæ in disputatione quinta specialiter dicuntur. Vtrùm Deus priùs saltem natura concurrat cum libero arbitrio ad hæc opera supernaturalia, an omnino simul? In quare, Decanus Louanien. Ruardus Tapper, in artic. de libero arbit. apertè tenet, Dei concursum circa actus supernaturales non esse influxũ in causam secundã, & in liberum arbitrium, sed esse concursum in operationem & actionem ad effectũ supernaturalem liberi arbitrij: Putat ergo quòd sicut generalis Dei concursus ad actus naturales, nõ est concursus in liberum arbitrium, vt est causa illorum actuum, quasi priùs suscipiat in se eum motum, quo potens reddatur ad influendum in actum: sed est influxus immediatus vna cum libero arbitrio in actum; Sic credit, Dei auxilium non esse concursum Dei in liberum arbitrium, tanquam in causam secundam illorum actuum supernaturaliũ, quasi priùs suscipiat in se arbitrium nostrum eum motum supernaturalem, quo applicetur & potens reddatur ad influẽdũ in actum: sed esse tantũ immediatũ influxũ in actum & in actionem vna cum libero arbitrio; & consequenter dicit talem cõcursum Dei per auxiliũ gratiæ, neque tempore, neque natura antecedere concursum nostri arbitrij, ad eosdem actus supernaturales. Imò verò dicit, influxum liberi arbitrij & influxum auxilij gratuiti, ad supernaturales actiones, á se mutuò pendere, simulque omnino esse in rerum natura, & quòd in eandem numero actionem & effectum vniuntur. Pro hac sententia citat Ruardus quendam Andræam à Castro nouo & Greg. in.1.d.45.quæstio.1. conclu. 5. & Gabrie. in 2.d.1.quæstio.2. Itaque, Decanus dicit, idem de hac difficultate esse dicendum, quod de concursu generali & naturali Dei, cum causis secundis, ad actiones naturales. Et quamuis hæc dixerit Ruard. Tapper; tamen pro contraria parte citat Caieta. & Scotum, nempe, quòd priùs natura cõcurrat Deus, & quòd concursus ille supernaturalis, sit influxus immediate in causam, & quasi mediatè in actionem & effectum. Et tandem relinquit quæstionem tactã interminatam, quasi neutra illius pars sit improbabilis, & quasi vtraq; probabilis sit, & tuta. ¶ Alij Theologi dixerunt, gratiam præuenientem, vt sic, id est, qua præueniens est, tempore vel natura antecedere influxum liberi arbitrij: Quia si sumatur gratia hæc, quatenus sortitur rationem gratiæ cooperantis, videlicet, cũ consentiente iam libero arbitrio, influẽteque in suum actum, ipsa quoque in eundem actũ influit, cooperaturque simul cum libero arbitrio; tunc influxus ille, per quem sortitur rationem gratiæ cooperantis, neque tempore, neque natura antecedit influxum liberi arbitrij; quin potius dicunt, perinde hos duos influxus se habere vna cum concursu naturali & vniuersali, sicut duæ partes vnius causæ integræ, & quòd illi duo à se mutuo pendent, & vniuntur in eandem actionem & effectum supernaturalem, ab vtraque causa partiali productum.

*Propositio.1*

Pro explicatione huius difficultatis est 1.Propositio. Si sit sermo de illo influxu, quo Deus in liberum arbitrium immittit gratiam excitantem, præuenientem, & vocantem, per quam mouet ipsum, & inuitat ad actum supernaturalem, talis influxus & motus Dei, qui est gratiæ præuenientis, vt sic, non solùm priùs natura, sed interdum tempore antecedit concursum liberi arbitrij; atque adeò ista motio Dei, est motio eius in liberum arbitrium, qua priùs natura, vt minimum, mouet ipsum; ac per hoc prius natura concurrit Deus, ad huiusmodi opera supernaturalia excitantis, præuenientis, & vocantis gratiæ, Hæc assertio adeò est certa, vt contrarium dicere sit error in fide; & patet ex definitione Concilij Tridentini session.6.capit.5,& cano.4. Nam cùm influxus gratiæ præuenientis, antecedat cooperationem liberi arbitrij, ad actum supernaturalem conuersionis; idcircò dicitur gratia præueniens excitãs arbitrium nostrum, ad actum conuersionis, à qua gratia & gratuita motione Dei, dicit Concil. sumendum esse primum iustificationis exordium: ergo necessariò præcedit vel tempore, vel natura. Et ob id in conc. Arausi.2.cano.14, habetur, Nullus miser libe ratur à miseria, nisi qui Dei misericordia præuenitur; Sicut dicit Propheta, Citò anticipent nos misericordiæ tuæ Domine. D. Augu. expressis verbis tenet hanc eandem assertionem lib.3. Hypognost. vbi ait vniuersaliter, In omni opere Sancto, prior est voluntas Dei, posterior liberi arbitrij. Et idem docet, de bono viduitatis capit.17. Idem D. Gregorius 16. moral.capit.10.&.11. In expositione cap.22. Iob. vbi ait. Superna pietas priùs agit in nobis aliquid sine nobis &c. Vndè, Paul. Gratia autẽ Dei sum id quod sum. Et subiungit; Et gratia eius in me vacua non fuit, sed abundantius omnibus laboraui. Idem habetur lib.24.moral.capit.6.& capit.12. exponens verba illa Iob.33. Liberauit animam suam, ne pergeret in infernum. Idem Anselmus explicans illud Pauli. 1. Corint.15. Gratia Dei sum id quod sum. Et ratio traditæ doctrinæ, est manifesta. Nam cùm primum initium & exordium iustificationis nostræ sit supernaturale; requiritur, vt fiat vel ex aliquo supernaturali, vel ex aliqua forma supernaturali, vel ex aliquo motu. Quia liberum arbitrium secundum se sumptum secluſa omni supernaturalitate, pertinet ad ordinem naturæ: igitur vt ex eo sequatur supernaturalis operatio, necesse est vt prius sit in eo aliquid supernaturale.

*Conc. Tri.*

*Conc. Aurasticanum.*

*D. Augu.*

*D. Gregor.*

*Anselmus. 1. Corint.*

*Propositio.2*

Secũda propositio. Etiam auxilium efficax, quod est conuersioni peccatoris coniunctum, quo actualiter permouetur peccator à Deo in conuersione, & ad conuersionem, est priùs natura, quam ipsa conuersio, & consequenter, priùs natura Deus concurrit ad opera supernaturalia, & priùs natura dicitur mouere liberũ arbitrium. Hanc constituo assertionẽ contra nouos Theologos, tanquam certissimam; & oppositam existimo parum tutam in fide. Et hanc eãdem assertionem fusius sumus prosequuti. 1. p. quæstione 22. ferè per totam quæstionem, & quæstio. 19. artic.8. disputat. 1. & præsertim. quæstio. 23. de diuina prædestinat. artic.3. disputa.7. Potissimè conclu. 2. & deinceps; vbi diximus; auxilium illud efficax, & gratiam adiuuantem, se habere antecedenter, saltem secundum ordinem naturæ. Et hanc supponit D. Thomas vt verissimam 1.p. quæstione 105. articul. 5. vbi affirmat, Deum duplici ratione dici operari cum causis secundis. Primò, quia virtutes illis tribuit ad operandum, easque actu conseruat, Et præterea secundò; Quia ita eas ad agendum mouet, vt quodam modo formas & virtutes earum applicet ad operationem: non secus atque artifex securim applicat ad scindendum. Huius rei rationem assignat sanctissimus Præceptor: Quia semper quando sunt multa agentia interse ordinata, secundum ita agit virtute primi, vt ab eo ad agendum moueatur: ergo id multo magis est verum in supernaturalibus. Rursus, Idem sanctissimus Præceptor 1.2. quæstione. 9. articul.6.ad.3. inquit, quòd Deus determinat specialiter aliquos, ad aliquid determinate volendum, quos specialiter mouet, per gratiam: ergo hæc determinatio, quæ fit per motionem gratiæ, non potest non esse priùs à Deo. ¶ Sed dicunt aliqui, quòd Deus priùs mouet liberum arbitrium per auxilium gratiæ efficacis, prius quidẽ ratione, sed nõ natura. Cæterùm hæc est fuga voluntaria: Nam Deus priùs causalitate concurrit mouendo liberum arbitrium, ad opus illud conuersionis: ergo prius natura: Nam prioritas causalitatis est prioritas naturæ, apud omnes Theologos & Philosophos. Imò verò, Aristoteles in postprædicamentis, id quod est prius causalitate, dicit esse priùs natura. ¶ Et profectò, testimonia scripturæ & Sanctorum à nobis citata, tam in discursu huius materiæ, quam 1.part. quæstione. 23. & 22.& 19. saluari non possunt si dicamus, efficax auxilium Dei solùm se habere concomitanter, & non antecedenter saltem secundum ordinem naturæ: Nam si Deus non prius mouet Physice respectu illius operationis, & conuersionis ad Deum; sequitur quòd Deus non est prima causa respectu illius operis; & rursus sequitur quòd homo se discernit cùm conuertitur & iustificatur, ab eo, qui non conuertitur, neque iustificatur, quod est contra Paul. 1. Corinthio. 4. Quis enim te discernit? Quid habes quod non accepisti? Si accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? ergo &c. Patet consequentia. Quoniam ille qui conuertitur, & ille alter qui non conuertitur, non discernuntur ex sola gratia præueniente, aut auxilio sufficiente. Quia vterque (vt supponimus) habuit auxilium præueniens & sufficiens æquale: ergo tota discretio inter hos est, ex conuersione & bono vsu gratiæ: ergo si talis determinatio non est ex auxilio gratiæ efficaci antecedente, & priùs saltem natura à Deo; sequitur quòd Deus non discernit inter hos homines, sed ipsi se discernunt. Vndè, Cæleſt: Papa epistol. 1. capit. 4. & 7. dixit, Neminem bene vti libero arbitrio, nisi per gratiam: ergo ista efficacia & vsus debet tribui gratiæ Dei, vt Cœlestinus affirmat. Diuus Augustinus lib. 1. ad Simplician. quæstione secunda ait, quòd gratia Dei & eius vocatio, non solum dat posse bene velle, sed etiam esse effectricem bonæ voluntatis: igitur prius natura & antecedenter se habet auxilium gratiæ. Et 1. Retractat. capite. 23. expresè dicit, quod cùm post Dei vocationem voluerimus, non sufficit voluntas nostra, & cursus noster, nisi Deus & vires currentibus præbeat, & perducat quò vocat. Et libro tertio Hypognost. ait Augustin. In omni opere sancto prior est voluntas Dei, posterior liberi arbitrij; ac subinde prior est concursus Dei, posterior liberi arbitrij. En apertissimis verbis sequitur ex Sanctis Patribus, & ex diuina Theologia veritas nostræ assertionis. ¶ Sed Respondent aduersarij, quòd discretio inter eum, qui conuertitur & eum, qui non conuertitur, non est ex libero arbitrio secundum se, sed ex gratia Dei præueniente & concomitante, sine qua is, qui conuertitur non poterat se discernere ab alio; ac proinde, ista discretio ex parte eius, qui conuertitur, est ex gratia, & ex libero arbitrio simul. Ex parte autem eius qui non conuertitur, est ex solo libero arbitrio deficiente per culpam suam. Sed certè, hæc responsio non satisfacit. Quia vterque eorum, de quibus est sermo in nostro casu, habet gratiam præuenientem. Quod verò vnus habeat gratiam concomitantem, iuxta aduersariorum sententiam, non est ex alia specialiori gratia, sed ex solo libero arbitrio, vt dicunt: ergo si hoc est verum, tota discretio & distinctio inter hos prouenit, ex solo libero arbitrio. ¶ Præterea persuadetur nostra assertio. Nam si Deus, solùm concomitanter se haberet in conuersione, & bono illo vsu gratiæ; tunc non magis concurreret Deus ad bonum, quam ad malum. Patet sequela. Nam ad actum malum quatenùs importat actionem, etiam concurrit concomitanter, & simultaneè. ¶ Tandem. Si proptet aliquam causam hæc prioritas naturæ & causalitatis esset neganda, maximè quia derogat libertati voluntatis, & quia eam videtur infringere: sed hoc est apertè falsum. Nam negari non potest, quin sint prædeterminati aliqui effectus pendentes ex nostra libertate, vt patet de omnibus operibus supernaturalibus confirmatorum in gratia, & Beatæ Virginis, & Christi Domini ex parte liberi arbitrij creati, vt fusiùs 1.part. loco citato diximus: sed tali prædefinitione non obstante, saluatur nostra libertas in huiusmodi effectibus: ergo. Et quidem est mirabile argumentum, quod aduersarij conficiunt hoc modo. Non possumus intelligere, quo pacto saluetur concordia liberi arbitrij cum gratia Dei, nisi tollendo hanc prioritatem auxilij efficacis, antecedenter se habentis, saltem secundum ordinem naturæ, & tollendo hanc prædefinitionem: ergo sententia hæc est vera. Sanè, vt dixi, mirabile argumentum est. Quia si ipsi non intelligunt quomodo saluatur libertas; fides ipsa & Ecclesia intelligit verè, quòd saluatur. Quòd si ego nõ intelligo hoc, non ob id deserenda est veritas catholica. Etenim, si tàm clara & aperta esset concordia liberi arbitrij cum gratia efficaci Dei, sicut isti dicunt, aientes, quòd tota efficacia gratiæ, & auxilij supernaturalis, procedit ex viribus liberi arbitrij, non est cur tantoperè laboraret August. & laboraret Ecclesia. Valeant ergo isti aduersarij, qui ob id, quòd non intelligunt euidenter hanc concordiam, negant tutam Ecclesiæ doctrinam.

*Aristot.*

*1.p.q.19.& 22.& 23.in nostris cõmentarijs.*

*1.Corinth.4*

*Cœlestin. Papa. D. August.*

*Argumentũ Iuniorum.*

*Solutio.*

Ad sententiam aduersariorum, quam retulit Ruardus, patet ex dictis, quid sit dicendum: Dicendum est enim concursum illum supernaturalem Dei, circa actum conuersionis & contritionis, non solùm esse concursum in operationem & actionem, sed etiam esse concursum in liberum arbitrium. Rursus dicendum, quòd non solùm non est par ratio de concursu supernaturali gratiæ Dei, & de concursu generali naturali, ad actus naturales; verùm etiam forte, etiam in naturalibus causæ secundæ, ita mouentur à Deo, vt formæ & virtutes earum applicentur ad operationes suas à

Deo, tanquam à prima causa mouente eas, cui in tali motione subordinantur. Sed de hac re legenda sunt quæ diximus in nouis additionibus,1. part. in secunda additione q.8.

### *Altera dubitatio appendix ad præcedentia.*

*Appendix dubitatio.* OCcurrit non dissimulandum dubium ex ante dictis; Vtrùm gratia adiuuans & excitãs, sint æquè necessariæ, ad opera supernaturalia? Nam videtur magis necessaria gratia adiuuans, sicut concursus Dei est magis necessarius ad operandum, quam motio per inspirationem. In hac dubitatione supponenda est fides, nempe, quòd quilibet homo in hac vita habet auxilium gratiæ necessarium & sufficiens, ad salutem consequendam; vt Sacræ literæ passim clamant dicentes, Deum esse paratissimum ad vniuersos peccatores indiscriminatim conuertendos, & recipiendos. Nam Deus non vult mortem peccatoris, sed vt magis conuertatur, & viuat Ezechiel.18.& 33. Cui consonat illud. 2.Canonica Petri, capite.3. Nolens aliquos perire: Et fauet illud Isaiæ.49. adhibita similitudine quadam, qua ostenditur Deum esse paratissimum; Nunquid potest mulier obliuisci infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui? Et si illa oblita fuerit; ego tamen non obliuiscar tui. Et in capite. Firmiter. de summa Trinitate, & fide Catholica definitum est, quòd omnibus hominibus semper patet aditus, ad veram pœnitentiam. Vndè, omnes homines viatores possunt saluari, & conuerti ad Deũ de lege, & habere auxilia omnia, quæ necessaria sunt nè pereant; licèt sua culpa re ipsa, qui pereunt non habeant efficacia auxilia in vltimo decursu vitæ. Et ob id dicere viatorem non posse conuerti de lege, est dogma temerarium & hæreticum. Quòd si potest conuerti de lege, potest etiam habere omnia auxilia conuersionis. De qua re, legendus est sanctissimus Præceptor.3.part.quæstion. 86. & legenda sunt etiam, quæ nos diximus suprà.quæstione 109.articul.8.disputat. 3. & 1.part. quæstione 23.disputatio.3.4.& 5. ¶ Secundò supponendum est, quòd inspirationes, vocationes, & illustrationes gratiæ operantis, & vocantis, de lege sunt necessariæ vt peccator conuertatur ad fidem, vel ad gratiam. Hoc ita docent Sancti Patres & Concilia, cùm dicunt; nihil nos posse boni agere, neque conuerti, nisi excitati simus & præuenti à Deo; Ita Tridentinũ sessione. 6. capite. 5. vbi ait, Exordium institutionis nostræ, à Dei præueniente gratia sumendum esse, & ab eius vocatione, per quam homines excitantur. Et ibi, hæc gratia dicitur illuminatio Spiritus sancti, & inspiratio, qua Deus tangit cor hominis. Similia dicit capite sexto, & capite.16. vbi ait, Virtus diuinæ gratiæ, bona iustificatorum semper antecedit, comitatur, & subsequitur. Et cano.3. Si quis dixerit, sine præueniente Spiritus sancti inspiratione, atque eius adiutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse sicut oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur; anathema sit. Et Conciliũ Arausi. capite septimo definit, neminem posse credere, nisi illuminatione, & inspiratione Spiritus sancti, qui dat omnibus &c. Et capite.14. Nullus miser de quantacumque miseria liberatur, nisi qui Dei misericordia præuenitur, Sicut ait Psalmista, Citò anticipent nos misericordiæ tuæ Domine. Et alibi, Misericordia eius præueniet me. Et cano. 18. eiusdem Concilij, Gratia quæ non debetur, præcedit vt fiant, scilicet, bona opera. Et cano. 23. & 25. apertè dicitur, quòd nemo sine præueniente gratia facit bonum. Hæc dixi contra nouos Theologos, & contra Vegam libro sexto in Tridenti. capite.7. qui dicunt, quòd ista gratia operans, vocans, & præueniens, non est de lege necessaria, aut quòd non est semper necessaria, vt peccator conuertatur aut conteratur. Et argumenta, quæ ab eis adducuntur, intendunt gratiam præuenientem & excitantem, non esse necessariam ad conuersionem. Vndè, sic argumentantur. Ista gratia excitans & præueniens, non est in nostra libertate & potestate: ergo nobis nõ est liberũ conuerti: sed hoc est hæreticũ: ergo illa gratia præueniens & excitans non est necessaria, ad conuersionem. Et confirmant. Quia proposito obiecto voluntati per fidem, absque eo quòd Deus immittat talem actum indeliberatum, potest voluntas amare, sperare, pœnitere per solùm concursum generalem gratuitum: ergo non est necessaria immissio talium inspirationum, & impulsuum. Vndè, Pater Vega loco citato, ad concilia in contrarium adducta dicit, quòd sunt intelligenda secundum tritam viam conuersionis, in qua solent præcedere tales inspirationes. Sed profecto; quamuis Deus de potentia absoluta possit aliter hominem iustificare; tamen de lege istæ vocationes, & inspirationes sunt necessariæ, vt prædicta Concilia fatentur locis citatis. Et ad argumentum aduersariorum, negatur sequela. Nam Deus de lege paratus est, ad conuersionem peccatoris, & stat ad ostium, & pulsat; cùm velit omnes homines saluos facere, & nolit mortem peccatoris, sed magis conuersionem. Vndè, cùm subitò aliquis mouetur ad conuersionem, & subito conuertitur, procul dubio tunc tangitur, inspiratur, vocatur, & conuertitur. Et inspiratio intelligitur, vt præcedens, iuxta ea quæ dicta sunt in superioribus. Imò verò, habitus charitatis potest habere rationem gratiæ præuenientis & cooperantis, comparatione actuum, qui ab ea emanant secundum diuersas rationes. Nam idem dicendum est de motibus donorum Spiritus sancti. Ita ergo præsto est Deus cũ necessarijs, & sufficientibus ad conuersionem, vt non solùm liberũ sit homini conuerti, sed etiam posse conuerti.

*Ezech.18. & 33. 2.Petri.3. Isai.49.*

*Conci. Trid.*

*Concilium Arausica.*

Tertiò tanquam certum statuendum est, quòd si sit sermo in genere, & in confuso de toto hoc opere supernaturali conuersionis & iustificationis, vtra que gratia est simpliciter necessaria, sine qua non possumus operari supernaturaliter. Ita colligitur ex Tridentino sessione.6.capite.sexto & ex locis superius in discursu disputationis citatis. Et ratio est: Quia initium nostræ salutis omninò est à Deo, vt minimum per gratiam excitantem, in omnium sententia & opinione: ergo. Præterea: Quia in supernaturalibus nihil possemus operari aut agere, nisi à superiori agẽte aliquo modo excitaremur & moueremur; Cùm illorum operum nullum sit in nobis principium sufficiens; Cuius signum est; quia ille, qui nihil audiuit, de mysterijs fidei, neque interiorem inspirationem à Deo recepit, nihil supernaturale operari potest. Si verò sit sermo de singulis operibus supernaturalibus, magis necessaria videtur gratia adiuuans, quam excitans: Quia ad singula opera supernaturalia potissimè ad opus conuersionis, requiritur singularis gratia adiuuans; Vnumquodque namque opus requirit proprium concursum Dei sibi accõmodatum; non tamen ad singula opera requiritur distincta gratia excitans: Quia vna sufficere potest ob plures actus. Nam quæ excitat ad intentionem finis, sufficit ad electionem mediorum, vt placet Diuo Augustino de Spiritu & litera, &. 3. Hypognost. & fauet Vega. 6.in Tridentin. capite septimo. Et Ruardus Tapper articulo septimo. Pater Soto. 2.de natura & gratia capite quarto. Et ratio est aperta: Quia cùm vnus actus hominis excitet ad alium consequentem, & veluti terminum eius, quando excitat, ad primum, virtute excitat ad alios. Hinc est, quòd homo iam iustus, non indiget alia gratia, ad singula opera excitante, quamuis plerumque habeat excitationes, vt rectè adnotauit Ruardus Tapper articulo septimo: Quia iam habet notitiam rerum supernaturalium, & facultates intrinsecas, quibus supernaturale bonum operetur. Et idcircò, tantum indiget gratia auxiliante, & efficaci concursu ad singula opera, licèt etiam valdè vtilis sit excitans illi eidem. Imò verò, ad quædam opera mirabilia, aut extraordinaria requiritur excitans. Et hoc modo intelligendus est Diuus Augustinus epistola. 106. cùm dicit ex decreto cuiusdam concilij Africani, etiam iustum ad singula opera pietatis indigere gratia Dei; sermo est de gratia simpliciter; & intelligitur de adiuuante, vt satis liquet ex dictis.

*D.August. Vega. Ruardus. Tapper. Pater Soto.*

### *Dubitatio appendix tertia, Vtrum excitans & adiuuans gratia sit omnino necessaria ad singulos actus supernaturales?*

SEd explicare omnino oportet, vtrum tam gratia excitans, quam adiuuans sit ad singulos actus supernaturales necessaria? In qua re, Catholici Theologi sentiunt, ad singulos actus supernaturales necessariam esse gratiam adiuuantem, idque sine vlla controuersia ab vniuersis admittitur: Quoniam certum est, nos indigere supernaturali virtute, ad huiusmodi actus supernaturales, qua potentiæ ipsæ subleuentur, ad id efficiendum, & rursus indigemus actuali Dei concursu, ad id ipsum, & hæc duo continentur in gratia adiuuante: ergo, &c.

¶ De gratia autem excitante non eodem modo loquuntur Theologi: Nam solent distingui tres status hominum; Primus est fidelium, qui sunt in gratia, & amicitia Dei. Secundus fidelium, qui sunt in mortali. Tertius est infidelium. Et sane de hominibus primi status, omnes affirmant, quòd si iustificati sunt, per baptismum, & deinceps ita educati, vt nullam prorsus habeant notitiam veritatum fidei, indigent excitante gratia; Quia indigent propositione istarum veritatum, & huiusmodi propositio est illustratio intellectus, quam pertinere diximus, ad excitantem gratiam. Cæterum si non careant doctrina fidei, non indigent gratia excitante, ad singulos actus supernaturales proportionatos suis habitibus, sed solum ad opera excellentia, & ad ea, quæ excedunt vim actiuam istorum habituum. Et hæc doctrina planè colligitur ex ijs, quæ dicta sunt, de gratia excitante. Nam certè talis gratia tribuitur nobis, vt per eam inuitemur, & excitemur, ad operandum, & vt nostræ potentiæ subleuentur, ad supernaturaliter agendum: ergo non videtur cur sit ad singulos actus habitibus proportionatos necessaria: sed tantum ad impro portionatos; Nam ad hos non sunt sufficienter subleuatæ potentiæ nostræ, per ipsos habitus præcisè.

*Obiectio.* Dices, iustum quandoque incipere de nouo, supernaturaliter operari, vt cum à somno excitatur, vel cum nihil omnino cogitabat de supernaturalibus, atque adeò tunc indigere gratia excitante, vt ad supernaturaliter agendum excitetur & applicetur. Respondetur, posse iustum hominem excitari, vel à Deo tantum mittente cogitationes pertinentes, ad honestatem, vel ab alijs hominibus, aut plerisque alijs occasionibus, licet non habeat actus illos supernaturales, in quibus diximus consistere gratiam excitantem. Verum tamen est, quòd habere motiua, & occasiones supernaturaliter agendi, est specialis Dei gratia, seu particularis, quæ ad excitantem reduci potest. ¶ Sed obijcies iterum, multa esse testimonia, in quibus palam videtur significari nullum omnino esse opus supernaturale, quòd à gratia excitante non proueniat; Nam Conciliũ Tridentinũ. Decreto de iustificatione sessione sexta capite. 16. affirmat, Christum Dominum in ipsos iustificatos iugiter influere virtutem, quæ virtus, bona eorum opera semper antecedit, comitatur & subsequitur. Et Conciliũ Arausic. secundum capite. 18. 20. & 23. ait, Ad omne pietatis opus præueniri à Deo voluntatem nostram, & Diuus Augustinus libro de gratia, & libero arbitrio capite.16. Tomo.7. ita scribit. Certum est nos velle cum volumus, sed ille facit, vt velimus bonum, de quo dictum est. Præparatur voluntas à Domino &c. Et statim capite. 17. Sine illo, scilicet Deo, vel operante, vt velimus, vel cooperante cum volumus, ad bona pietatis opera, nihil valemus. ¶ Respondetur, testimonia Conciliorum, & D. Augustin. intelligenda esse de operibus eorum, qui nondum sunt per gratiam sanati: Et præterea quamuis etiam intelligantur de operibus iustorum, dici potest, quòd etiam opera istorũ prouenium ab excitante gratia, ex hoc quòd, vel quantum ad suum initium, hoc est, primam cõuersionem ad Deum, præsupponit huiusmodi gratiam, vel quia Deus multa illis motiua offert, ad bene operandum, quæ vt dictum est, reduci possunt ad excitantem gratiam. Quare testimonium Concil. Tridentin. potest exponi hoc posteriori modo, vel debet intelligi de gratia adiuuante, quæ dicitur antecedere opera iustorum, non solum quia est causa eorum, sed etiam, quia Dei concursus, ad huiusmodi opera est prior ordine naturæ, quam noster; quidquid pessimè nonnulli aduersarij male sentiẽtes putent.

*Respõdetur. Replica. Conci. Trid. Conc. Arau. D. Augst. Respõdetur.*

¶ Quod

*Obiectio.* ¶Quod si pariter obijcias;iustum similiter indige re gratia adiuuanre, ad singulos actus supernaturales,& gratiam adiuuantem quantum ad id,quod in ea habet rationem actus primi, & distinguitur à concursu actuali, non esse aliud, quam gratiam excitantem, vt superius est dictum. Respondetur, quòd ibi loquebamur de gratia adiuuante, in eo, qui non habet habitum proportionatum, quia in habente habitum, ita proportionatum, habitus ipse cum supernaturali Dei concursu, est gratia adiuuans, & in his conueniunt Driedo libro secundo de gratia, & libero arbitrio. tractatu.2. capite primo parte.2. Sotus & Ruardus Tapper. locis superius citatis.

*Respõdetur.*

*Driedo. Sotus. Ruardus Tapper.*

*Assertio secunda.* ¶Restat dicere de Hominibus secundi status, hoc est, de fidelibus qui sunt in mortali peccato, de quibus sentiendum est; Quod ad singulos actus fidei, suo habitui proportionatos, non indigent gratia excitante proprie sumpta, hoc est, interna & supernaturali, quæ antecedat omnino libertatem nostram, tamen ad reliquos actus, qui requiruntur, vt disponantur, ad iustificationem indigent huiusmodi excitante gratia, etiam quantum ad singulos actus. Prima huius assertionis pars est, in qua conuenit Ruardus Tapper.articulo sexto conclusione septima cum alijs: Nam Cunerus in tract. de gratia Christi capite.11.& 12. conuenit cũ Decano. Et probatur; Quoniam lumen fidei, tam proportionatum principium est, ad credendum illa, quæ sunt fidei, sicut est lumen naturale rationis, ad naturales veritates cognoscendas: ergo sicut lumen rationis naturalis, non indiget aliqua excitatione, ad hoc, ita etiam nec lumen fidei ad illud. Rursus etiam; quia ita se habet fidelis, ad actus fidei tantum, sicut iustus ad actus iustitiæ:sed iustus non indiget excitante gratia, ad singulos actus supernaturales virtutum: ergo nec fidelis,ad singulos actus fidei. Nam certe quamuis in peccatore fides sit informis & mortua, id est, carens vita gratiæ, & charitatis; tamen est vera fides,& sufficiens, ad eliciendum actus credendi proportionatos sibi: Item etiam probatur; Quoniam si necessaria esset omnino gratia excitans, maxime si peccator inuitetur, & applicetur, ad considerandas veritates fidei, & ad assentiendum illis; Nam non est necessaria, vt subleuentur potentiæ; siquidem ad hoc sufficit virtus habitualis;sed experimento constat, quòd postquam iam audiuimus has veritates, & præbuimus assensum illis, possumus ad hoc applicari, & moueri alijs occasionibus: ergo non est necessaria omnino excitans gratia, quantum ad hoc.

*Cunerus. Decanus.*

*Driedo.* Oppositum huius sensit Driedo,quantum videtur lib. de captiuitate & redemptione generis humani. tract.5.capite.2.part.2. vbi docet, in fideli & Christiano viro lapso in mortale, requiri tractum & pulsum Dei,qui dormientem fidem excitet.Sed profectò quamuis hoc Deus sæpe faciat, tamen re vera, vt dictum est, multis, & plerisque alijs occasionibus,potest excitari fidelis, ad considerationem veritatum fidei, licet non adsint necessario tractus illi, & pulsus interni. Nec oppositum potest conuinci ob id, quod fides in peccatore, non solum sit dormiens, sed etiam mortua, ideſt, carens vita gratiæ, quia non dicitur mortua, in ordine ad proprios actus absolute sumptos, sed in ordine ad actus meritorios,& dignos vita æterna,sicut opera, moraliter bona, quæ fiunt ab existente in mortali peccato, dicuntur mortua;quia carent vita gratiæ, & non sunt vitæ æternæ meritoria. ¶Sed contra hoc est obiectio difficilis. Nam in Tridentino in decreto de iustificatione sessione sexta capite sexto sic decernitur, Disponuntur autem, ad ipsam iustitiam, dum excitati diuina gratia,& adiuti, fidem ex auditu concipientes,libere mouentur in Deum,credentes vera esse, quæ diuinitus reuelata, & promissa sunt: Quibus verbis palam insinuatur, quòd gratia excitans præsupponitur,ad actum credendi; Et canone.5.Siquis dixerit,sine præueniente Spiritus sancti inspiratione, atque eius adiutorio hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur: anathema sit; Vbi, per inspirationem non intelligitur habitus ipse,sed ista interior inspiratio,de qua nunc est sermo. Idem videtur sancitum in Concilio Arausi. secundo,capite sexto vbi dicitur per inspirationem Sancti spiritus fieri,vt credamus sicut oportet. Respondetur quòd Concilium Tridentinum capite sexto citato specialiter loquitur, & peculiariter de conuersione hominis infidelis,& de primo actu credendi,vt patet apertè, ex verbis illis, Fidem ex auditu concipientes;Nam certe verba hæc non solent dici de ijs, qui iam antea fidem habebant, & receperant. Et Rursus quia Conciliũ loquitur de illis,qui nondum receperunt baptismum, & obid inter dispositiones ad conuersionem requisitas refert eam pœnitentiam, quam ante baptismum agi oportet,& propositum suscipiendi baptismum, & non meminit propositi suscipiendi sacramentum pœnitentiæ, & idcirco non est necesse extendere omnia, quæ Concilium ibi dicit,ad omnes, qui ad iustitiam disponuntur, sed tantum ad eos,in quibus est eadem ratio. Quocirca,sicut non intelligitur de illis,qui antea fidem receperunt, q̃ fidem ex auditu concipientes credunt, nisi habito respectu ad priorem fidei susceptionem:nec de iam baptizatis, quòd disponuntur,per eam pœnitentiam,quæ præcedit baptismum, & per propositum, ad suscipiendum baptismum:ita nec intelligitur de illis,qui iam habent fidei habitum,& aliquando habuerunt assensum fidei, & sufficientem doctrinam, quòd indigeant necessariò excitatione illa interna, de qua est sermo,vt habeant actum credendi proportionatum suo habitui; Nam habitus confert eis hanc potentiam credendi,nec requiritur omnino necessario, vt actu applicentur ad credendum, & excitentur: Quia hoc fieri potest pluribus alijs modis, vt dictum est supra. Hoc idem est asseuerandum,& dicendum ad id, quod in canone citato eiusdem Concilij habetur,cuius doctrina, sine dubio respondet doctrinæ illius capitis sexti: Et idem similiter respondetur ad testimonium Arausi. Concilij: ex quo sane Concilio potest clarius etiam colligi, quòd quando dicitur requiri, ad credendum,quòd præcedat interna inspiratio, id intelligitur de initio credendi: Nam capite præcedenti, vbi definit necessariam esse illustrationem internam, & inspirationem, ad credendum, expressè loquitur de his, qui ab infidelitate, ad fidem conuertuntur.

*Obiectio difficilis. Concil.Trid.*

*Concilium Arausica. Respõdetur*



Rursus iam secunda pars eiusdem asserti, in qua cõueniunt authores citati,pro prima parte, nempe, Ruardus Tapper, Sotus, & Driedo probanda est à nobis:Nempe,quòd ad reliquos actus,qui requiruntur vt disponamur ad iustificationem, indigemus huiusmodi gratia excitante, etiam quantum ad singulos actus,& probatur facile: Quoniam actus illi sunt supernaturales:ergo vt possimus eos elicere,requiritur,quòd potentiæ nostræ,quatenus eos præcedunt in actu primo,subleuentur,per aliquam virtutem actiuam supernaturalem; quia alias non erunt in actu,qui sit eiusdem ordinis,cum ipsis actibus,& ex consequenti non habebunt respectu eorum,proportionem causæ efficientis:sed huiusmodi supernaturalis virtus,in casu isto,non potest aliud esse, quã inspirationes istæ,& illuminationes, de quibus loquimur;quia nihil aliud recipitur in ipsis potentijs, quatenus præcedunt illos actus,quod possit esse efficiens causa eorum,aut virtus causæ efficientis, vt ex superius dictis constat aperte: ergo omnino necesse est,quòd in casu isto præcedant inspirationes istæ,quæ intelliguntur nomine gratiæ excitantis, vt homo eliciat actus illos. Probari etiam hoc potest, testimonio Concilij Tridentini sessione sexta de iustificatione capite. 5. Vbi habetur, exordium iustificationis in adultis,sumi à præueniẽte gratia Dei, per Christum,& ab eius vocatione,per eius excitantem gratiam; Vbi explicans modum conuersionis, dicit hunc fieri per excitantem,& adiuuantem gratiam: Et tandem dicit Conciliũ hanc gratiam excitantem esse interiorem inspirationem, & illuminationem, qua Deus tangit cor hominis. Ad hoc faciunt verba Pauli superius citata, ex capite sexto eiusdem Concilij, & verba, quæ habentur in canone.3.allegato.Et licet in prædictis locis peculiariter fiat sermo de conuersione infidelium, tamen quantum ad actus,de quibus loquimur, videtur esse eadem ratio indigentiæ, gratiæ excitantis, saltem quantum ad munus subleuandi potentiam, etiam in his,qui fidem habent. Et capite.14. Vbi expresse fit sermo de conuersione fidelium peccatorum,ita decernitur: Qui vero ab accepta iustificationis gratia per peccatum,exciderunt,rursus iustificari possunt, cùm excitante Deo,per Pœnitentiæ sacramentum merito Christi,amissam gratiam recuperari procurauerint.

*Conci.Trid.*

*Vega.* ¶Vega super Tridentin.libro sexto vbi supra dissentit ab hac sententia, ab eaque recedit, ait enim quòd in his,qui sunt fideles,vel aliquando beneficio gratiæ excitantis, ad fidem, aut conuersionem suam sunt excitati,sufficit gratia adiuuans, sine excitante, vt perfectè se præparent, ad suam iustificationem. Et sequuntur Vegam, aliqui ex recentioribus Theologis,saltem quantum ad fideles. Vndè Vega ad testimonia Concilij respondens, dicit esse intelligenda, de trita & communi via conuersionis peccatorum; & de illis qui, vel non sunt fide iam illuminati; vel aliqua excitante gratia præuenti. Et alij respondent, quòd etiam si homo in isto casu, non habeat excitantem gratiam, de qua nunc est sermo, nihilominus tamen est verum, quòd conuertitur ad Deum, & disponit se ad iustitiam, excitatus ab ipso Deo; tum quia per actum credendi excitatur homo, ad actus voluntatis, qui postea sequuntur, & actus credendi est à Deo, & ab eius gratia, ac proinde homo elicit actus illos voluntatis, vt à Deo excitatus: Tum etiam, quia licet in casu isto, non procedat actus credendi, ab aliqua excitatione præsenti,tamen præsupponit eam, saltem præteritam,& in ea fundatur: ergo tota motio voluntatis,quæ procedit ex actu credendi, fundatur in excitatione Dei.

¶Sed profecto sententia hæc potest impugnari. *Impugnatur Vega.*
Primo. Quia in illo casu, non potest homo elicere actum supernaturalem, nisi potentia quæ est proximum principium talis actus, constituatur in actu primo, per virtutem aliquam actiuam supernaturalem, & in isto casu voluntas, quæ est proximum principium illorum actuum supernaturalium, nihil habet supernaturale, quo constituatur in actu primo, respectu eorum, si repellamus, vel secludamus gratiam excitantem, vt dictum est suprà. *Primo.*
Secundo: Quia Tridentinũ Conciliũ loquitur de excitante præsenti; quia illa quæ præcessit, & cuius peccator iam est oblitus, parum poterit conducere, ad conuersionem præsentem: Et tamen vniuersaliter Concilium definit, & determinat, necessariam esse diuinam excitationem, ad actus, quibus ad iustificationem homo disponitur: ergo plane sentiendum est, esse omnino necessariam, ad singulos actus, sine exceptione, aut limitatione aliqua Tertio probatur, & est confirmatio præcedentium: Nam vel Conciliũ intellexit esse necessariam gratiam excitantem, solum vt nos excitet, ita vt non tribuat nobis vires, ad efficiendum id, ad quod excitat, sed ad id sufficiant vires nostræ naturales, ad eum modum, quo cum quis excitat dormientem ad actiones humanas, solum tollit impedimentum somni, & non tribuit vires ad agendum,sed vires, quæ dormienti ex natiuitate inerant, inchoant & efficiunt operationes: vel intellexit Conciliũ esse necessariam gratiam excitantem, non tantum vt nos excitet, ad actus supernaturales, sed etiam vt simul tribuat nobis vires, ad exercendum huiusmodi actus; quia vires nostræ naturales ad id non sufficiunt. Si dicatur primum, sequitur quòd iuxta sententiam Concilij per facultatem naturæ nostrę, inchoentur, & perficiantur actus supernaturales; quia excitatio, non tribuit vires ad agendum, vt liquet in exemplo excitationis hominis dormientis:& ita objciebat Kemnitius hæreticus Concilio Tridentino.Quoniam definit liberum arbitrium gratiæ excitanti libere assentiri,& cooperari,& ipse hęreticus intelligebat,hoc modo,hanc definitionẽ, vt refert Tiletanus, Epistola prima apologiæ pro Tridentino contra Kemnitium. Si verò dicatur secundum, sequitur apertè, quòd iuxta sententiam Concil.Trident.sit necessaria gratia excitans, pro eo tempore,quo eliciuntur actus, de quibus loquimur, sicut tunc est necessarium,quòd liberum arbitrium habeat vires supernaturales. Nec satisfacit dicere quòd habebit has vires per actualem Dei concursum,ad eosdem actus; quoniam concursus iste non est aliud in nobis re omnino distinctum, quã entitas ipsorum actuum,vt procedit à Deo, vel aliquis modus simul cum tali entitate:ergo nõ potest

*Secundo. Conci.Trid.*

*Tertio.*

*Kemnitius.*

*Tiletanus.*

dare

dare vires,ad agendum nostris potentijs, quatenus in actu primo præcedunt eandem entitatem,& substantiam ipsorum actuum.

*Arguit Vega*

Sed argumentatur Vega loco citato: Quia possumus subito odio habere,quos amamus, & è contra amare,quos odimus,ex libito voluntatis nostræ solum, nulla suborta occasione: ergo pari modo peccator non vocatus , nec excitatus à Deo aliquibus nouis inspirationibus , potest subito per gratiam ipsam adiuuantem dolere de peccatis,quæ ipsi antea placebant,& habere propositum nouæ vitæ.

*Cõfirmatur primo.*

¶Et confirmatur hoc primo:Quia per actum fidei possunt sufficienter excitari,atque moneri peccatores,ad habendum dolorem,de suis peccatis,& propositum emendæ,& ad habendam dilectionẽ Dei: ergo minime requiritur ad hoc alia excitatio specialis.Probatur antecedens.Primò;quia Trident.videtur tribuere illud fidei:Quia cap.6.inquit: Disponũtur autem,ad ipsam iustitiam , dum excitati diuina gratia,& adiuti,fidem ex auditu concipientes liberè mouentur in Deum &c.Secundo;quia per fidem considerari possunt omnia, quæ solent homines mouere,ad huiusmodi actus,nempe,maiestas, & bonitas Dei offensi,periculum inferni,& turpitudo,atq; fœditas peccati.

*Cõfirmatur secundo.*

¶Et confirmatur iterum:Quia alias defendi non potest,quo pacto semper,& in quocũque statu peccator potest in Deũ conuerti; quia nec semper datur homini ista gratia excitans,nec est positum immediate in potestate hominis eam habere; quia antecedit libertatem nostram.

*Cõfirmatur tertio.*

¶Tandem, Tertio confirmari potest: Quia plerumque homines subito conuertuntur,nulla diuina inspiratione immissa eis:ergo &c.

Has confirmationes cum suo argumento dissolure,non est valde difficile , si perpendantur ea, quæ diximus.Vnde ad Argumentum dicendũ est, quòd si per gratiam adiuuantem intelligatur in consequẽti,non solum ipse concursus Dei actualis , ad illos actus;sed etiam id,quod voluntatẽ adiuuat per modum actus primi,tunc consequentia est concedenda,ex quo tamen nihil sequitur contra nos: Quoniã id,quòd sic adiuuat nostrã voluntatem,est ipsa excitans gratia,vt explicuimus antea. Si vero intelligatur ipse solus concursus actualis,vt à Patre Vega intelligitur,tunc est neganda consequentia. Nec obstat exemplũ,quod in antecedenti adducitur : Nam ad illos actus,quia sunt naturales,voluntas habet ex natura sua vires proportionatas,& sufficientes.

*Ad argumẽtum. Respõdetur.*

*Ad primam Cõfirmat.*

¶Ad primam cõfirmationem dicendũ,quòd licet per solum fidei actum,possint peccatores,vt cumq; excitari,non tamen ita,vt simul ipsis tribuãtur vires supernaturales requisitæ ex parte voluntatis,ad eliciendũ actus illos:Nam solus actus fidei cũ sit in intellectu, non potest tribuere voluntati vires istas, sed eã mouet,quo ad specificationẽ,ex parte obiecti. Nec obstat testimoniũ Concilij adducti;Quia in eo nõ dicitur quòd cũ solo actu fidei,moueantur peccatores ad conuersionẽ in Deum,sed potius quòd excitati, & credentes mouẽtur. Nec rursus obstat,quòd per fidẽ ipsam perpendi & cõsiderari possint ea,quibus homines induci solent ad conuersionẽ, quia præter hoc requiritur,quòd potentia,quæ est principiũ cõuersionis actualis,hoc est,volũtas,habeat vires proportionatas ipsi conuersioni,atque adeò supernaturales;sicut etiam per externam prædicationem,possunt proponi veritates fidei,cũ motiuis, quibus homines induci solent,ad credendum,& nihilominus dicimus non sufficere prædicationem externam, vt homines credant actu supernaturali , sed requiri vlterius motionem internam , & supernaturalem inspirationem Dei.

*Ad Confirmationem Secundam.*

¶ Ad secundam Confirmationem respondetur negando sequelam:Quia vel nunquam deficiunt homini inspirationes aliquæ sufficientes, ad conuersionem eius , nisi ipse antes aggraueт, vt Theologi dicunt: vel saltem nunquam Deus denegat eas inspirationes , sed quantum est ex se , paratus est ad dandum & tribuendum , si remoueatur impedimentum ex parte nostra, de quo infra est agendum.

*Ad Confirmationem Tertiam.*

¶ Ad Tertiam confirmationem Respondetur , quòd subitò etiam,& eodem temporis momento,potest concurrere simul auxilium gratiæ excitantis,& adiuuãtis, vt insinuauimus supra.

Hoc etiam loco disputari solet,quomodo se habeat hæc diuisio gratiæ excitantis,& adiuuantis,ad illam diuisionem gratiæ actualis in operantem , & cooperantem : De qua re in superioribus abunde diximus. Sed nihilominus nunc paucis respondetur , quòd si per gratiam operantem intelligamus subleuationem potentiæ ; per modum actus primi, ad eliciendum actus gratiæ operantis, absque dubio distinguitur à gratia excitante ; sicut causa à suo effectu : Quia ( vt dictum est ) ipse actus gratiæ operantis , nempe , inspiratio interior , est gratia excitans , & est effectus illius subleuationis ; ac proinde saltem ex hac parte illa diuisio habet membra realiter distincta à membris istius. Cæterum si intelligamus ipsum actum gratiæ operantis,non erit distinctio realis inter membra istius diuisionis & illius, sed considerationis solum , in ordine ad diuersa : Quia pertinent ad primam diuisionem , quatenus considerantur, & expenduntur in ordine ad modum , quo Deus nobis confert hanc gratiam , nempe , sine libertate nostra , aut cum ea: Et etiam ad secundam diuisionem pertinent, quatenus considerantur , in ordine ad causalitatem ipsius gratiæ scilicet,excitandi,vel adiuuandi? Plura alia de hac re diximus in discursu huius quæstionis centesimæ vndecimæ.articulo 2.& 3.quæ attente sunt perpendenda,& iuxta hæc,quæ modo diximus intelligenda.

## DISPVTATIO II.

### *Vtrum efficax auxilium, prædeterminare possit omnino actum liberum?*

DE hac difficultate nos egimus. 1. parte quæstione 23. articulo tertio disputatio. septima & plerisq; alijs in locis , nempe quæstione.19. articulo octauo disputatio. 1.& quæstione.22.articulo tertio disputatio. vnica.Et ex dictis paulò antea disputatio.1. præcedente , valde aperitur difficultas & intelligentia huius controuersiæ. De qua multi Theologi , inter quos est Ruardus Tapper arti.7. contra Lutherum, & Ga-

*Ruardus Tapper.*



*Gabriel.*

& Gabrie.in 2.d.37.art.1.& in.3.d.38.quæstio.1.art.1. dicunt,non esse possibile etiam de potentia absoluta Dei,quòd detur auxilium vllum efficax,quod habeat se antecedenter, ad determinationem nostri arbitrij,aut quòd omninò prædeterminet actum liberum.Quia putant,non posse stare talem determinationem, & infallibilitatẽ cum libertate arbitrij nostri.Et vt saluent,& concordẽt libertatem arbitrij, cum efficacia diuini auxilij,negant efficaciam diuini auxilij prouenire ex Deo, aut saltem antecedenter se habere,ad cõuersionem peccatoris in Deum, sed solùm concomitanter. Fauet Dried. lib. de Captiuit.& redempt.generis human.tracta . de præparat.ad gratiam,circà finem. Quod etiam colligitur ex S.Tho.de Verit.q.6.art.3.in corpore,& ad finem. Nam interrogãs quò pacto infallibilitas diuina stet, cum libertate arbitrij,in electis & prædestinatis; respondet,ob id stare,quia media non sunt in particulari prædefinita electis infallibiliter.

*Dried.*

Vt tamen sententia hæc intelligatur,& totius materiæ campus aperiatur,aduerte,auxilium Dei duobus modis efficax dici posse.Primò quidem,quia ita antecedit & præuenit voluntatem nostram, vt eam prædeterminet ad actum infallibiliter : Quòd sanè aptius explicatur in ordine ad Deum,si dicamus, q̃ Deus antequam vllo modo videret voluntatem inclinatam ad actum , statuit & prædefiniuit efficaciter,vt voluntas tali tempore efficeret talem actum. Et hac ratione,voluntas illa Dei,nostram prædeterminans & antecedens,potest dici auxilium Dei efficax in actu primo;Atverò ipsa exterior illuminatio, excitatio, vocatio,& inspiratio , cùm Deus efficaciter mouet volũtatem,vt infallibiliter exequatur talem actum,dicitur efficax auxilium in actu secundo.Secundo modo potest dici auxilium efficax , nõ quia prædeterminet infallibiliter voluntatem hominis,sed quia simul concurrat cum illa,ad hoc, vt efficaciter consentiat , eam concomitando & adiuuãdo.Quod pariter explicari potest in ordine ad Deũ, si dicamus quòd Deus antequam vllo modo videret voluntatem hominis inclinatam ad actum , decreuit illi dare sufficiens auxilium,cui si vellet cooperari,in virtute eius posset efficere actum , Deo simul etiam cooperante;ita tamen vt etiam suppositione facta huius auxilij sufficientis , voluntas resiliat aliquando,& non operetur; si tamen operetur, hoc sit in virtute Dei,cuius volũtas decreuit,& statuit illuminare & vocare,& vere concurrere ad cõsensum arbitrij;si tamen homo voluerit illum elicere.Et tunc,hoc dicetur auxilium sufficiens,seu meliùs ista voluntas Dei,quæ ita statuit concurrere,potest dici sufficiens auxilium.Cæterum , actualis ipse concursus Dei ad consensum,dicetur efficax auxilium in actu secundo.Restat igitur pro huius disputationis titulo,vt inquiramus,Vtrum auxilium efficax primo modo,sit possibile in ordine ad actus supernaturales:Supposito enim quòd huiusmodi auxilium non tollit libertatem,iure quæritur,An sic possit prædeterminare actum liberum nostri arbitrij in fallibiliter,vt ex suppositione talis auxilij, non possit non fieri ille actus , quamuis absolute libere fiat? Neque disputo modo,vtrum omnes actus sint prævenienti & prædeterminati,quia de hoc egimus. 1.p.locis citatis , & infrà etiam dicemus nonnihil , sed solum contendo nunc disputare,vtrum ita efficax possit esse auxilium,vt omninò prædeterminet actũ liberum.Et profectò,penes hoc eadem ratio est,& par ratio in ordine ad actus naturales,quæ est in ordine ad actus supernaturales.Quòd si saluatur libertas arbitrij in ordine ad actus supernaturales , & sit vera concordia libertatis cum auxilio illo efficaci antecedente;non videtur cur non possit saluari hæc eadem libertas in ordine ad actus naturales morales liberi arbitrij.¶Argumẽta aduersariorũ, multa & varia sunt;inferius tamẽ à nobis apponẽtur,& dissoluẽtur,& partim sũt posita in cõmẽtarijs.1.p.loco citato.

*Assertio catholica*

His ita prælibatis,vera sententia est,quòd auxiliũ efficax potest sic antecedere actum liberum,& præuenire illum,ipsumque arbitriũ præmouere,seu prædeterminare,vt sequatur infallibiliter,sed libere.Id quę nos ex D.Aug.& plerisq; Patribus , sapientissimisq; Theologis catholicis tàm.1. p. quam disputat. 1.præcedẽte,diximus esse certum. Quam veritatẽ aperte S.Tho.insinuat.1.2.q.9.art.6.ad 3.& q. 10.art.4. ad.3.vbi iterum ait,quòd si Deus mouet voluntatẽ ad aliquid;stante illa suppositione , impossibile est non obedire illi,aut quòd voluntas ad illud nõ moueatur;non tamen est impossibile simpliciter , quia non necessariò,sed libere mouet.Vndè , non sequitur quòd voluntas à Deo ex necessitate moueatur. Et 1.2.q.112.art.10.ait,quòd si ex intentione mouentis est,quòd homo,cuius cor mouet,gratiam consequatur,infallibiliter illam consequatur. Idem sensit 3.p.q.36.art.1.Idem Marsil.in 1.q.45.art.2.& Gregor. in 1.d.39.q.2.artic.2.& Caiet.1.p.q.22.de diuina prouidentia,art.4.vbi tandem dicit , se nescire solutionem, sed adorare mysteriũ,quod etiã fatetur Greg.

*Marsilius Gregorius Caietanus*

Hæc assertio ita explicata,persuadetur, & ostenditur sequentibus rationibus & argumentis. Primum est.Nã confirmati in gratia,infallibiliter peccare nõ possunt mortaliter:si ergo hic & nunc vrgeat adimpletio præcepti affirmatiui,& applicatio liberi arbitrij,ad agendũ,quod præcipitur,infallibilẽ est,quòd confirmatus in gratia nõ peccabit:ergo pariter est infallibile,q̃ operabitur actũ,quo ad impleat præceptũ illud:ergo potest efficaciter moueri à Deo; imò verò opus est,vt moueatur efficaciter , ad hoc vt liberè & infallibiliter habeat actũ illum.Si dicas,cõfirmatos in gratia non habere libertatem ad peccãdum mortaliter.Contrà.Quia licèt non possint peccare,pro vt confirmati sunt ; nihilominus hoc non tollit ab eis,quin habeant libertatem ad meredum, vt patet in Christo Domino.Rursus, cũ de lege ordinaria homines viatores sint liberi ad peccandum, & ita habeatur in sacris literis,non deberẽt aliqui particulares excipi ab hac regula,nisi cum fundamento ipsius Scripturæ, quod hic non apparet; imò potius contrariũ ponitur in eo,quòd cùm potuit transgredi non est transgressus,& facere malum , & non fecit,vt habetur Eccles.31.Et Paulus etiam, postquam fuit confirmatus in gratia,timebat lapsum in peccata:ergo non iudicabat sibi esse impossibile peccare, licet illi certum esset se esse confirmatum & nõ esse peccaturũ mortaliter cũ ea,de facto.Vndè,Paul.1.Corint.9.cũ dixerit,Ego sic curro , nõ quasi in incertũ, sic pugno,nõ quasi aerem verberans;subiungit;Sed castigo corpus meũ,& in seruitutẽ redigo,ne forte cũ alijs prædicauerim,ipse reprobus efficiar ; Quod certe

*Obiectio.*

*Responsio.*

*Eccles.21.*

*1.Corinth.9*

certe nó diceret,si esset omnino sibi impossibile pec care:Nã deposita confirmatione,peccare poterat.Et hac ratione,nõ diceret beatus Pau.Exequor Dei pręceptũ,ne forte reprobus efficiar,quia hoc est impossibile:ergo &c.Tandẽ.Quia eadẽ ratione esset dicẽdũ de quolibet prædestinato,cui in fine vitæ occurrit præceptũ cõuertẽdi se in Deũ,quod nõ habet libertatẽ ad peccãdũ,qui est omnino prædestinatus, vt tũc nõ peccet,& omninò prędeterminatus,vt tũc nõ peccet,qđ plusquã falsum est:ergo tũc libertatẽ habet;& esse tũc omnino prædeterminatũ & prædestinatũ,ad hoc,vt se cõuertat in Deũ,& sic discedat in gratia Dei,nõ tollit libertatẽ ab eo,liberè cõcurrẽdi ad cõuersionẽ.Quòd si prędeterminatio hęc nõ aufert à cõfirmatis liberũ cõcursum sui arbitrij, nulla est causa cur denegetur antecedẽs auxiliũ.Nemo nãq; negat,prænẽtos esse antecedẽter saltẽ prioritate naturæ ab auxilio efficaci confirmatos in gratia. Neq; negat, eos liberè implere diuina præcepta:ergo nullus potest tutò negare concordiã liberi arbitrij, cũ auxilio efficaci antecedẽte,aut efficax auxiliã ita præuenire actũ arbitrij nostri,vt licèt antecedat,nihilomin' actus ille liberè,& infallibiliter sequatur. ¶Secũdò ostẽditur eadẽ assertio.Nã liberũ arbitriũ, etiã quatenùs liberum, est subditũ Deo:ergo potest Deus illud mouere, & ita efficaciter ordinare, vt exeat in talẽ actũ liberũ conformẽ suæ naturæ,sicut causę naturali,quia sibi subijcitur& subditur,potest Deus præcipere vt exeat in actũ suũ naturalẽ:igitur cũ Deus sit causa libera efficacissimæ, & inimpedibilis;sequitur qꝺ potest mediãte causa secũda, nõ solũ facere effectũ,sed etiã eo modo quo voluerit;atq; ita efficaciter facere,qꝺ causa secũda actũ liberũ producat,inclinãdo & mouẽdo voluntatẽ illius: Deus nãq; perfectissimè cognoscit naturã volũtatis & arbitrij nostri,& omnia quæ determinare illã possunt, vel mouere,vel impedire:ergo potest cognoscere,qꝺ homo in tali dispositione existens, si applicetur ei obiectũ tali modo,& si auferãtur omnia impedimẽta,& tẽtationes adhuc se libere determinabit, Deo suauiter mouẽte volũtatem iuxta modũ suæ naturæ.

*D.Augusti.* Quocirca.D.Augu.lib.1.ad Simplician.q.2.dicit,qꝺ Deus vnumquẽq;vocare nouit prout nouit eius affectibus cõuenire.Idẽ dicit de grat.& libero arbi.c.

*D.Chrysost.* 14.& lib.83.qq.quæst.68.& D.Chry.locis superiùs citatis,dicit,qꝺ Deus quosdã vocat manè ; alios, hora tertia;alios,hora sexta, quia tũc obtẽperaturi erant. ¶Hoc argumentũ nõnulli Theologi cõfirmant hoc discursu. Rex certò cognoscit tot medijs & modis se posse vti,ad hoc,vt vir plebeius libere iniuriã remittat,vt moraliter sit impossibile qꝺ nõ remittat:potest nãq; vel maxima præmia polliceri , vel maxima tormẽta minari,& alia applicare, quæ infallibiliter moueant voluntatẽ illius:Cũ ergo hæc industria regis & notitia,quã habet cõditionis , & inclinationis istius,possint in rege causare moralẽ certitudinem, qꝺ ille homo efficiet actũ,si talibus medijs ad id inuitetur;sequitur qꝺ maior notitia,quã Deus habet circa inclinationẽ hominis,& maior vis suorũ auxiliorũ,ad voluntatẽ alliciendã, poterunt in Deo causare omninò infallibilẽ certitudinẽ.Quòd si talia auxilia hic & nunc applicet,efficaciter, & infallibiliter fiet actus. ¶Cęterũ,discursus hic nõ eò adducitur,vt similitudo par sit in modo illo, quo rex dicitur per mouere volũtatem ciuis,& in modo illo, quo Deus dicitur mouere arbitrium nostrum;sed solùm adducitur,vt aliqua ratione explicet difficultatem huius controuersiæ.

Veruntamen,aduertat catholicus lector,quòd nõ *Aduerti.* satis sit difficultati propositæ,si quis dicat,Deũ non prædeterminare efficienter physicè arbitrium nostrum,sed solum moraliter ostendendo in obiecto diuersam rationem appetibilitatis;aut maiorem,vel minorem bonitatem,vel aliquid ratione cuius arbitrium moueatur,& determinetur magis ad hoc,quã ad illud.Quia tunc non cognosceret Deus effectus liberos in determinatione suæ voluntatis,& in prædefinitione eorum;sed solũ cognosceret eos coniecturaliter in arbitrio nostro,quod non prædeterminatur efficienter physicè,sed solũ mouetur moraliter:vel cognosceret eos solũ,quia cõtinentur in æternitate,sicut alia omnia. ¶Rursus Deus est prima causa etiã respectu liberi arbitrij,& effectuũ liberorum. *Aduerti.* Nam etiam liberum arbitrium,vt liberum est,operatur dependenter à Deo,tanquã à prima causa : ergo Deus prius causalitate concurrit , in genere causæ efficientis,quã liberum arbitrium illi subordinatũ: ergo prius natura.Nam cùm incipiat priùs in genere causalitatis efficientis, necessariò oportet dicere quód incipit prius natura.Nam inter ea, quæ ordinata sunt,necessariò debet esse ordo:ergo cũ Deus & creatura,seu liberũ arbitriũ concurrant efficienter ad actũ liberũ,& Deus concurrat,vt motor primus, & causa prima liberi cõsensus,& supernaturalis;sequitur,quòd ordine quodã causant liberũ illũ consensum,& cõsequẽter Deus priùs natura & causalitate:Tunc vltra,Deus concurrit priùs natura : ergo priùs efficiẽter mouet liberũ arbitriũ, ad cõsensum. Nam aliàs,si liberũ arbitrium,non primò efficienter à Deo mouetur,in genere causæ efficientis physicę, respectu cõuersionis supernaturalis: sequitur quòd primus motor efficiens, est arbitriũ nostrũ , & non Deus. ¶Tertiò ostenditur eadẽ assertio. Quoniã negari nõ potest etiam ab aduersarijs,quòd sint multa opera quæ Deus decreuit facere , & prædeterminauit,per efficax auxiliũ ad ea concurrere,vt patet in conuersione D.Pauli mirifica,& patet in conuersione angelorũ cum primùm creati sunt : Nam angeli creati in gratia,in primo instanti suæ creationis se cõuerterunt in Deũ liberè,& tamẽ non poterãt nõ se cõuertere,ex suppositione auxilij , quo tũc Deus cõcurrebat in primo instanti.In quo casu nõ habet locum illa sola prædeterminatio moralis,quã aliqui tantũ concedunt:ergo. ¶Quartò persuadetur: Quoniã Deus efficaciter prælegit omnes saluandos, ante præuisionem operũ , vt 1.p.fusè satis ostẽsum est: sed nõ potuit hoc fieri,sine eo,qꝺ Deus statuerit dare illis,præsertim in vltimo vitæ instãti,aut in effectibus prædestinationis,ita efficax auxiliũ, vt infallibiliter operarentur: ergo &c. Probatur minor : Quia aliàs non esset efficax illa prælectio Dei, imò verò esset fallibilis,si esset fallibile,ipsosoperari.Quod patet:Nã si prædestinatus proximus vltimo instãti in fine vitæ , sit in peccato mortali ; tunc infallibile est, quòd iste conuertetur,sed non potest sequi hæc infallibilitas,nisi ex auxilio tunc infallibiliter determinante: ergo datur tale auxilium antecedẽs & determinans:ergo.Et confir.de B. Virgine, quæ sanè fuit electa



electa ad specialissimũ gradũ gloriæ; Nam hoc etiã aduersarij concedunt,& consequenter Deus prædefiniuit omnes actus,& omnia media,per quæ consequutura erat gloriã:sed illa media erant actus liberi & meritorij : ergo auxilium potest esse ita efficax, vt omnino determinet infallibiliter actum liberũ. Et quod non repugnet ei infallibilitas cũ libertate, patet in Christo Domino:Nam habuit aliqua præcepta,quæ liberè adimplebat;infallibiliter tamẽ, cùm non posit non adimplere,suppositio præcepto. ¶In cõfirmationẽ huius assertionis plura alia dicta sunt à nobis.1.p.locis citatis in principio huius cõtrouersiæ,præsertim.q.23.de diuina prædest.art.3. disput.7. & supra in hoc art.disput.1.propositi.4. & deinceps, & dubita.1. quæ est appendix ad præcedentia. Quo loco plures alias attulimus rationes in confirmationem huius sententiæ,& veritatis.

Sed quoniam hoc loco aduersarij quasdam prætẽdunt euasiones, vt possint eludere argumenta proposita,idcircò, vt ea quæ ipsi obijciunt retundãtur, aduertendum est argumentum illud de confirmatis in gratia;qui sanè quando occurrit hic,& nunc pręceptum affirmatiuum , etiam si occurreret cũ tanta intensione,& cum his circunstantijs,liberè illud adimplent; & nihilominus prædeterminantur confirmati,ad illud implendum.Rursùs,si præuia determinatio induceret necessitatem ; tunc eo modo , quo actus est præuiè determinatus, esset necessarius , & non liber:ergo actus,qui secundum substantiam est prædeterminatus, est necessarius,secundũ substantiam,licèt non secundum circunstantias:Quod patet ex prædicta ratione, & etiam;quia respectu substantiæ actus,militat idem fundamentum aduersariorum: Tũc enim ex suppositione diuinæ prædeterminationis,respectu illius actus,quantũ ad substantiam, non potest homo non facere substãtiam illius actus,& illa suppositio nõ est in eius potestate: ergo argumenta aduersariorũ , quæ pro eorum sententia militare solent,& confutationes & solutiones, quæ ab illis adducuntur,non habent vim,neq; ostendũt quicquã:Nam profectò, eodem modo possemus argumentari cõtra solutionem aduersariorum : dicũt enim,qꝺ licèt Deus determinauerit aliquos actus in particulari.v.g.in anima Christi, aut in Beata Virgine,aut in D.Paulo;non tamen prædeterminauit omnes circunstantias,vt quòd fiant tali tempore, & cũ tanta intensione, & quòd qualicunq; circunstantia manente libera,sine prędeterminatione,totus actus erit liber,etiam si substantia actus sit efficaciter prædeterminata;Quia tunc voluntas ad totam entitatẽ actus, applicatur liberè,vt hic,& nunc sit,eo modo, quo S.Tho.dicit,voluntatem nostram pro hoc statu nõ esse liberã,quo ad specificationẽ , respectu boni in communi;sed tantũ quoad exercitium,& nihilominus quando exercetur actus circa bonũ in cõmuni,tota substantia actus exercetur liberè.Non inquã satisfacit ista respõsio;tùm propter ea,quę paulò antea dicebamus:tum etiam,quia eodem modo posse mus argumentari contra aduersarios , sicut anteà argumentabamur : Quoniam si Deus vellet necessitare ad substantiã actus,relinquendo circunstãtias liberas, nõ alio modo necesitaret,quã prædeterminando isto modo , & mouendo efficaciter ad talem substantiam actus:ergo si talis determinatio nõ sufficit,ad tollendam libertatem in substantia actus,vt aduersatij dicunt;nec quidẽ sufficeret, quãuis omnes circunstantiæ essent prædeterminatæ in particulari. ¶Et confirmatur: Quia implicat,actũ exercere necessario secundũ exercitiũ in indiuiduo,& liberè secundũ intensionẽ,per alias circunstantias, cũ circunstantiæ eodẽ voluntario sint volitæ, & cum eodem voluntario moueatur voluntas,quo ipsa substãtia actus,ad quã sequuntur. ¶Tandem præfata veritas nostrę assertionis persuadetur.Quia si aduersariorum responsiones aliquid valerent, tũc sequeretur, Christum Dominum non meruisse in substantia passionis,& aliorum actuum , qui erant sub præcepto, sed tantum in circunstantijs ; sicut qui alteri reddit debitum,non facit gratum, ex eo;quòd reddat , sed ex aliqua circunstantia,nempe, anticipatæ solutionis,vel quia reddit hilari,& grato animo, atque beneuolo.Consequens autem illud, quod infertur de Christo,est apertè falsum,nempe, quòd non meruerit in substantia passionis & aliorum actuum , qui erant sub præcepto,sed solum ex circunstantijs:ergo illud,ex quo sequitur.

Sed obijciunt aduersarij pleraq; argumenta con- *Argumẽta aduersariorum.* tra nos,quæ sunt dissoluenda.Primum est ex Tridẽ. sess.6.cano.4. vbi vniuersaliter , & sine restrictione decernitur,liberum arbitriũ à Deo motũ, & excitatum , posse dissentire si velit ; Et profectò loquitur Cõcil.facta suppositione, nempe,suppositò,qꝺ Deus moueat & excitet, quod adhuc manet in voluntate potestas & libertas, vt dissentiat. Idẽ videtur fuisse definitum in quodam Concilio prouinciali Senno nensi,quod habetur in.3.tom.in decretis fidei decr. 17.vbi cũ de auxilio sufficiente & requisito egisset, expressè subdit, non esse tale Dei trahentis auxiliũ, cui resisti non possit.Et adducit adhoc illud Actor. 10.Vos semper Spiritui sancto restitistis.Vndè,Chrysost.hom.12.super Epist.ad Hebr.expressè hoc tenet dicens, qꝺ libertas læderetur arbitrij , si gratia illud præueniret,quod sæpiùs repetit homil.42. ad populũ,& hom.12.in Ioan.& lib.1.de compunct. cordis. Et D.Hier.super Ierem. c.25.interpretãs illud, Noli subtrahere sermonem,si forte audiant,&c.Verbum inquit,fortè, dicit, vt liberũ hominis seruetur arbitriũ:non enim ex eo quòd Deus scit futurũ aliquid, est futurum;sed quia futurũ est Deus nouit.Et super Eccles.c.7.ait,Non ex præscientia liberũ tollitur arbitrium,sed causæ antè præcedunt , quare vtrumq; fit factum.Et D.Ansel.in lib.de concord.prædestin. & liberi arbit. idem.Et Damasc.2. fidei orthodoxæ, cap.30.ait,Deum omnia præscire;non autem omnia prædefinire,atq; prędestinare.Quia ea quæ in nobis sunt , vt virtutem amplecti , & prauitatem fugere, non prædefinit;prædefinit autem ea,quæ nõ sunt in nostra potestate. Ecce , ex eo quòd aliquid prædefiniat,colligitur non esse in nostra potestate.Et idem videtur dicere Abulẽs.c.11.super Iosue.fol.31.col.1.

*Argumẽtum Conc. Trid.*

*Cõc. Senno.*

*Actor.10.*

¶Secundò arguitur. Sensus cõpositus tollit liber- *Secundum.* tatem,quando suppositio ita præuenit voluntatem, vt non sit in potestate eius illam ponere , aut nõ ponere; sed in casu quæstionis non est in potestate voluntatis ponere , aut non ponere tale auxilium , quo supposito non potest non operari : ergo. Patet maior: Nam si ex suppositione,quòd Petrus loquatur , ego deberẽ necessariò loqui;tunc certũ est me nõ esse li

berum ad loquendum, suppositio inquam, quòd non pendet ex mea libertate Petrũ loqui, vel nõ loqui: sed ita est, quòd non pendet ex mea volũtate, quòd sit, vel non sit tale auxiliũ, & illo posito non possum non operari: ergo nõ liberè operor; Nam rogo, tunc in quo esset libertas, aut in quo cerneretur? non in hoc quòd ponatur suppositio, quia hoc nõ est in potestate voluntatis, vt supponitur: Neq; in hoc quòd ex suppositione sequatur actus volũtate cõsentiẽte. Nam ita sequitur quòd est impossibile non sequi: ergo sicut necessariò, ego amarẽ Deum, si haberem in me talem qualitatem, ex cuius suppositione nõ possem non amare; ita in proposito, &c. ¶ Tertiò arguitur. Deus potest necessitare voluntatẽ ad actũ aliàs liberum: sed non apparet, quo pacto possit aliter necessitare illam, nisi efficaciter & infallibiliter determinando eã, ad illum actũ: ergo. Neq; dici potest, q̃ necessitaretur proponendo obiectũ sub ratione necessarij diligibilis: Quia talis suppositio esset falsum iudicium, quod Deus non potest infundere: ergo tãtum proponeret obiectũ, sub ea ratione boni, quam in re habet, & in se; & ad illud, vt sic, necessitaretur: ergo nõ aliter, quã efficaciter mouendo, & tollẽdo omnia impedimenta, quæ impedire possent. ¶ Quartò arguitur. Volũtas respectu beatitudinis in cõmuni, seu respectu boni in cõmuni, & vltimi finis, idcirco nõ est libera, quoad specificationẽ, quia ad illud, id est, ad bonũ in cõmuni, est determinata efficaciter secundũ naturã: ergo pari ratione, si est efficaciter determinata à Deo, quoad aliquẽ actũ, eo modo non erit libera ad illũ: parũ enim refert quòd sit prę determinata à natura, vel à principio extrinseco, quod est Deus, &c. Et cõfirmatur. Nam membra externa, ob id non liberè operantur, quia determinantur à voluntate, cui non valent, neq; possunt resistere: ergo si voluntas ita prædeterminatur à Deo non operabitur liberè; quia similiter non potest Deo resistere. ¶ Quintò arguitur. Voluntas humana Christi, quamuis ex se libera esset ad peccandũ, quatenus est voluntas creata; tamen facta vnione ad verbum, nõ mãsit libera ad peccandũ. Quia in sensu compositio non poterat peccare: ergo sicut illa suppositio tollit libertatẽ ad malũ, quia determinat ad bonũ; ita hęc suppositio auxilij determinantis actum, tollet & auferet libertatem ad actum; quoniam sicut illa suppositio vnionis fuit facta independenter à voluntate animæ Christi, ita & alia. Et confirmatur. Quoniã stante obiecto & absoluta, & efficaci intentione finis, voluntas necessitatur, ad electionem medij necessarij: ergo si volũtas ita necessitaretur ad intẽtionem finis, vt non esset in manu eius non intendere illũ, absolutè necessitaretur ad electionẽ medij necessarij, secundũ D. Tho. de verit. q. 22. art. 3. & 8. Et patet apertè, quia intentio finis est causa necessaria medij necessarij. Et si causa necessaria necessariò ponitur, effectus est simpliciter necessarius, vt de se patet. ¶ Sextò arguitur, & est argumentum apud aduersarios difficile, quod hoc pacto se habet. Implicat actũ omnino esse determinatũ & esse liberum: ergo implicat dari auxilium efficax, quod possit omninò prædeterminare actum liberũ. Probatur antecedẽs: Nam indifferentia est de essentia libertatis: ergo vbi nulla est indifferentia, nulla potest esse libertas: sed post factam suppositionem talis auxilij efficacis ominò prædeterminantis, nulla est indifferentia: ergo neq; libertas: Libertas namq; nihil aliud est, quã potentia ad vtrumlibet: sed quod est determinatũ ad vnũ, non remanet in potẽtia ad vtrumlibet: ergo in tentũ. Et confirmatur: Quia ad libertatẽ requiritur, quòd positis omnibus, quæ præcedunt actũ voluntatis, possimus velle, aut nolle: sed si Deus prędefiniat efficaciter operationẽ nostrã, hoc nõ habet locũ: ergo. Minor patet; quia posita efficaci determinatione diuinæ voluntatis, ad hoc, vt non loquar, Deus non concurrit mecũ ad loquendũ: igitur non est in mea potestate loqui, vel non loqui: ergo eo ipso, q̃ determinat efficaciter aliquẽ actũ, determinat non dare auxiliũ ad oppositũ; alias determinatio illa nõ esset efficax, & infallibilis, vt liquet. Hęc sunt argumenta aduersariorũ, quibus tutã doctrinã euertere cõnantur, quæ sanè confutanda sunt à nobis. Et quamuis rẽs sit difficilis, nõ tamẽ ob id veritas est deserẽda.

Tertium. Quartum. Confirm. Quintum. Confirm. Sextum.

Adhæc igitur aduersariorũ argumenta respondetur. Ad primũ quod adducunt aduersarij ex definitione Concilij Trid. mirabile est, quã intrepidè post quã sententiam suã valdè suspectã tradiderunt, adducãt definitionẽ Cõcilij ad eã confirmandã. Quia dicunt, se non posse intelligere, quo pacto homo liberè diligat Deum ex toto corde, & conteratur de peccatis, si auxiliũ Dei sit ita efficax, vt proficiscatur ex diuina prædiffinitione, ita vt non stent simul hæc duo, nempe, quòd Paulus. v.g. recipiat tale auxiliũ, & quòd defacto non conuertatur. Nã si non possunt hoc intelligere, credant id priùs, & fortassis deinceps intelligent, qua ratione simul actio nostra sit libera, & à Deo prædefinita. Quoniã si actus nostri arbitrij, vt liber sit, necessè est vt nõ à Deo prædefiniatur, neq; præueniatur per efficax auxiliũ antecedenter, sed tantũ à solo homine debet prædefiniri, vt liber permaneat; palã sequitur, quòd homo, nẽpe Paulus, est primũ deliberans, & primũ prædefiniens respectu illius actionis liberæ, & consequenter liberũ arbitrium Dei, nempe, ipsius intellectus & voluntas, nõ deliberasset ab æterno omnia bona, quæ fiũt, neque quomodo fiunt, sed solũ haberet Deus prouidentiã quandã confusam, qua prouidit de causis cũ virtutibus, & facultatibus agendi; atq; ita fieret, vt perfectior esset prouidentia Pauli circà suas operationes liberas, & in indiuiduo quantum ad singularia omnia, quæ in eis continentur, quã prouidentia Dei, quæ est confusa & generica. Sed de hoc aliàs multa diximus. 1. p. q. 23. art. 3. disp. 2. concl. 3. & q. 22. de diuina prouident. art. 4. ¶ Vndè, vt Concilij Tridentini intelligentiam percipiamus, obserua, quòd cooperatio illa liberi arbitrij, est effectus gratiæ prę parantis, & etiam ipsius Dei efficaciter adiuuantis. Nam est effectus, qui cõsequitur infallibiliter ex tali auxilio gratiæ; & hoc non derogat libertati nostri arbitrij; sed potius perficit libertatẽ. Quòd verò nõ deroget, primò declaratur; Quia quidquid antecedit, vel superuenit actui volũtatis, si id nõ tollit iudiciũ illud, quod est necessariũ circa media respectu finis, ad libertatẽ, nõ destruet, neq; auferet libertatẽ operationis. Sed obserua, quòd cũ dicimus, libertatẽ volũtatis oriri ex iudicio intellectus, tũc indifferẽtiam necessariam ad libertatẽ constituimus in obiecto iudicato, & non est opus, vt constituamus indifferentiam, aut in intellectu, aut in actu intellectus.

Ad arg. aduersariorũ. Ad primũ.

Secundò



Secundò declaratur, quòd auxilia efficacia diuinæ gratiæ; & diuina præcepta, quæ instant tempore cõuersionis, cùm quis cernit se mori, non aduersentur libertati nostri arbitrij; sed magis fauent: Quoniam tàm gratia Dei, quàm diuina præcepta, non solùm non perturbant, neque ligant iudicium rationis, vt possit iudicare indifferentiam obiecti, quod potiùs illuminant & perficiunt rationem. Vndè, Propheta Psalm. 18. postquam dixit, Præceptum Domini lucidum illuminans oculos; statim subiungit, Perfice gressus meos in semitis tuis, vt non moueantur vestigia mea; & tamen non petit Propheta auferri à se libertatẽ, ex diuino auxilio, sed potiùs efflagitat perfici in obseruantia mandatorum. Et cùm sponsa petit, Trahe me post te curremus; non precatur auxilium efficax, vt liberis affectibus non ambulet; imò verò illud desiderat, & optat, vt velociùs, & liberiùs currat. Quod sanè apertè cernitur in anima Christi Domini, quæ fuit perfectissimè libera, & diuinæ libertati maximè assimilata; & tamen illius libertas propter vnionem hypostaticam erat impeccabilis; cùm tamen Christus circa se suasque operationes, prædefinitiones apertè cerneret intuendo Deum.

Confirm. Psalm. 18.

¶ Secundò obserua valdè, quòd hæc propositio. Liberum arbitrium à Deo motũ & excitatum, potest dissentire si velit, est vera simpliciter loquendo. Primò quidem si sit sermo de motione vocationis, & inspirationis, atque excitationis diuinæ, apertè constat, quòd potest homo resistere, imò verò aliquãdo resistit Deo vocanti, & excitanti. Et quãuis per hæc auxilia inuitetur à Deo ad conuersionem: nihilominus sæpè renuit & dissentit, iuxta illud Prouerb. 1. Vocaui & renuistis. Et Rom. 2. Ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit, tu autem secundũ duritiã tuam & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram. Secundò, est vera propositio illa Concilij absolutè loquendo, etiam si sit sermo de vocatione efficaci, ad quam infallibiliter, & necessariò necessitate consequentiæ sequitur, quòd homo consentiat Deo vocanti & excitanti: Quia absolutè loquendo est verum, quòd homo liberè consentit, & quòd habet potestatem dissentiendi si velit. Nã per efficaciam auxilij non aufertur libertas. Simul tamẽ cum hoc stant duo. Primum est, quòd homo non potest vanum reddere efficacem concursum Dei, aut inanem facere efficacem voluntatem beneplaciti Dei. Nam omnia quæcunq; voluit fecit, in cælo, & in terra. Et Esther. 13. Nõ est qui possit resistere voluntati tuæ; aliàs, quo pacto Deus esset omnipotens, si vellet aliquid efficaciter facere, quod nõ faceret? vt dicit Aug. in Enchirid. ad Laurentium. c. 95. Dicitur tamen peccator resistere Deo vocanti & inuitãti, quia renuit propria libertate facere id, ad quod inuitatur, & ad quod excitatur. Secundò stat cũ prędicta veritate Concilij, quòd hæc copulatiua faciẽs sensum compositum, est impossibilis; Nempe, Deus efficaciter vult; efficaci auxilio & concursu mouẽs liberum hominis arbitrium; & liberum arbitriũ de facto non consentit Deo sic mouẽti: hoc namq; implicat. Sicut, simpliciter est verum, quòd præscitus potest saluari; & tamen implicat; q̃ sit præscitus & saluetur de facto. Quocircà, distinctio illa de sensu diuiso & composito, veneranda est & amplectẽda. ¶ Ex quibus omnibus satis liquet qualiter sit intelligendum Concilium, & qualiter intelligenda eius propositio. Nam dicendum est, non esse sermonem, nisi in sensu absoluto, & simpliciter. Quia suppositio motione Dei, est homo liber ad assentiendum. Vel etiam est sermo de communibus auxilijs tantũ præuenientibus, inuitantibus, atq; excitantibus, quibus etiam ex suppositione homo potest resistere, vt patet in his, qui resiliunt, & renuunt facere id, ad quod vocantur. Et sic etiam intelligendum est alterũ Cõcilium. Sancti verò tantum volunt, Deum non ita prædeterminare voluntatem, vt libertatem auferat, vel necessitatẽ inferat simpliciter. Ad illud Damasceni dicendum, quòd Damascenus non dicit, quòd non prædiffiniuit, sed quòd non omnia prædeterminat: Quia prædeterminationẽ vocat impositionẽ necessitatis, & determinationem ad vnũ secluſa libertate. Secundò respondetur, q̃ Damasc. dicit, Deũ nõ omnia prædiffinire, quia non prædiffinit prauitatẽ fieri, neq; etiam ponit necessitatem virtuti, & hoc appellat prædiffinitionem, vt patet intuenti cap. 30.

Declaratur Concil. suppositio præcedentibus. Prouerb. 1. Rom. 2. D. August.

Ad secundũ

Ad quamuis suppositio non sit in potestate mea simpliciter, quantum adhoc, quòd me præuenit; est tamen aliqua ratione in mea potestate, quantum adhoc, q̃ talis suppositio nõ habet effectum in me, nisi me ipso consentiente, & me liberè concurrente. Nam suppono, quòd suppositio illa non necessitet me ad cõsentiendum repellendo libertatem, & modum agẽdi voluntatis; quanuis ita moueat, & inducat, vt sequatur infallibiliter consensus liber. Neq; mouet arbitrium meũ extrahendo illud à propria natura, sed magis habita attentione ad modum agendi ipsius. Neq; rursùs proponit obiectũ, vt necessariũ, sed tantum vt conueniens; & consequenter in illud merè voluntariè feror, ac si non essem præuentus, quod Deus ita facere nouit. Nam cum sit author nostri arbitrij, nostræq; volũtatis, intimè cognoscit eius vim omnem, & inclinationem; & idcircò potest & scit taliter disponere & præsentare obiectũ, quòd volũtas certò & infallibiliter velit illud; sponte tamẽ & ex libertate. Et quamuis hoc sit mirabile, neq; possit omni ex parte creatus intellectus cernere hanc concordiam gratiæ & libertatis; cæterũ, quid simile, sed non omninò neq; ita propriè in hominibus intuemur nonnunquã: Videmus namq; aliquando homines prudentes, & insigni solertia præditos, qui sic demulcent simplicium voluntates, & eorum conditiones sic penetrant, & perueſtigant, vt certò moraliter cognoscant, quod illi liberè sint voliturí id, ad quod inducuntur. Si ergo cernimus hos homines, ita industrios, Cur Deus non habebit modum quo inducat voluntatem in id, quod prædiffinit, liberè mouendo per influxũ in ipsam? Neq; est par ratio de alijs suppositionibus: Quoniã si ex suppositione illa q̃ Petrus loquitur, vel ex eo q̃ habeo aliquã qualitatẽ, non possem, nõ loqui; tũc sanè nõ liberè sed necessario loquerer: Nã nulla creatura habet potestatẽ suprà nostram voluntatem, sed solus Deus immediatè, qui potest ea vti sese attẽperando libertati eius, & conditioni, atque modo suæ naturæ insito.

¶ Ad tertium respondetur, quòd si Deus posset necessitare, vel necessitaret ad actũ alias liberũ. v. g. ad amandũ amicum; tunc quidẽ, id non proueniret ex parte obiecti, cùm sit bonũ particulare; Neque satis

Ad tertium

erit Deum occultare mihi, omnem rationem mali, quæ posset esse; & inueniri in tali obiecto. Quia circà bonum in communi non necessitatur homo, quoad exercitium; quamuis in bono in communi, nullam inueniat homo rationem mali. Quocircà, licèt hæc occultatio mali requireretur; sed tamen necessitas proueniret ex concursu Dei, & diuina motione & ex modo auxiliandi, Quia ita Deus vellet concurrere ad actum illum, vt prorsus induceret necessitatem ad vnum, repellēdo libertatem ad illū actum: Quia Deus ita vellet concurrere, sicut ad calefactionem ignis, taliter etiam suspendendo discursum illius hominis, vt nusquam inueniret rationem mali in amando amico, aut in cessando ab illo actu. Neq; rursùs reperiret vllam boni rationē, in distractione ad aliud obiectum diuersum. Vndè, non est par ratio de hoc, & de modo concurrendi suauissimo, quo Deus voluntatem attingit, non extrahēdo eam à conditione liberè agendi. *Ad quartū.* ¶ Ad quartum dicendum, Deum solùm immediatè ita prædeterminare ad actum, vt eum liberum relinquat, quod non potest prouenire, aut ab vlla creatura, neq; immediatè ab ipsa natura, vt suprà diximus, & paulò inferiùs magis aperiemus. Vndè, neganda est consequētia argumenti. Nam efficacia diuini cōcursus, est mirifica efficacia continens in se omnem modum concurrendi imaginabilē, & omnem modum concurrendi respectu liberi, & necessarij, & omnē modum mouendi. *Ad confir.* Ad confirmationem dico, membra ipsa non habere vllo modo rationem voluntarij, & quamuis valdè difficile sit dissoluere omni ex parte argumenta; nihilominus non ob id deserēda est veritas, quæ quamuis cōcutiatur; non tamen frangitur. *Ad quintū.* ¶ Ad quintum dicendum, Christum Dominum, & quemcunq; beatum, etiam ab intrinseco, & ex natura tàlis status, non posse peccare; Imò Christus quia Deus, erat impeccabilis. Nam etiam in quantū homo propter hypostaticam vnionem est filius Dei naturalis. Cæterū, vndè proueniet in beatis talis impossibilitas ad peccandum, id nos diximus in Commentarijs. 1. p. tàm in primo tomo, quam etiam in secundo. q. 62. art. 8. disput. 1. 2. & 3. Et licèt beatus non sit liber ad peccandum; tamen non sequitur nō esse liberum ad actum ex cuius omissione, si per impossibile fieret, vt omitteret præceptum, & non aliūdè excusaretur, peccaret. Nam si descendere in terram erat beatis de se liberum, quòd id à Deo sub præcepto iubeatur, non inducit necessitatem absolutā; sed tantum ex suppositione, quia non possunt peccare beati. Nam idem esset de viatore, cui Deus statuisset non dare auxilium, neq; cōcurrere cum eo ad actionem, seu ad actum aliquem aliàs malum; sed solùm concurrere ad actus bonos. Qui sanè, quamuis propter hoc tunc non esset liber ad malè agendum, & operandum; benè tamen ad merendum, vt superiùs dictum est. Sed absolutè concedendum est, beatum habere auxilium sufficiens ad faciendum, vel non faciendum quemcunq; actum bonum, etiam si sit in præcepto: Quia licèt non faciendo (per impossibile) peccaret; tamen non valet hæc consequētia, Non habet auxilium, nec potest absolutè peccare: ergo non potest omittere id, quod si ex suppositione omittat, peccabit. Non inquam valet hæc consequentia, sicut non valet in simili; Reprobus non habet defacto auxilium Dei, nec potest vllo modo falsificare scientiā Dei: ergo non potest facere id, quod si fecerit, falsificabit. Neutra inquàm consequentia tenet: Quia cum falsificare, semper inuoluat sensum compositum; non habet ad id vllam potentiam. Et idem proportionabiliter est de alio. *Ad confir.* Ad confirmationem patet solutio ex dictis ad. 2. argum. *Ad sextū.* ¶ Ad sextū dico, actum illum absolutè, & in sensu diuiso indifferentem, quamuis ex suppositione sit determinatus. Sed dices. *Obiectio.* Ex suppositione est omninò determinatus: ergo ex suppositione nullo modo est indifferens: ergo nullo modo liber. Nam indifferentia est de essentia libertatis, vt dictum est. *Responsio.* Respondetur tamen, quòd etiam ex suppositione manet illa indifferentia, & indeterminatio, quæ est de essentia libertatis, scilicet absoluta: nō enim est de essentia illius indeterminatio in sensu composito. *Ad confir.* Et ad confirmationem respondeo similiter, quòd positis omnibus, quæ præcedunt actum voluntatis, possumus absolutè velle & nolle, licèt non ex suppositione. Ad probationem minoris dico, quòd licèt Deus infallibiliter determinet aliquem actum; non tamen ob id negat auxilium sufficiens, ad oppositum; aliàs confirmati in gratia non possent absolutè peccare mortaliter, quòd supra refutauimus, sicut ex suppositione non possunt peccare mortaliter. Quocirca, licèt ex suppositione, quòd Deus statuit infallibiliter, vt homo liberè nō loquatur; sequitur infallibiliter, quòd nunquam defacto Deus concurret cum illo ad loquendum, sed tantum ex prouidentia generali, qua est paratus concurrere cum causis liberis, etiam est paratus hic & nunc cōcurrere: Quia cùm determinatio actus oppositi non auferat libertatem in ordine ad illum; non etiam tollit concursum sufficientē in ordine ad actum oppositum; sed cùm liberè efficiat hunc actum, licèt infallibiliter, posset efficere oppositum liberè. Quia in hoc consistit hæc libertas. Verumtamē, hæc difficultas multò ampliùs aperietur disput. 3. sequenti.

# DISPVTATIO III.

*Num ad omnes omninò actus supernaturales, semper requiratur auxilium efficax antecedens, seu prædeterminās, quod sit præmouēs?*

QVibusdam placuit magis esse consonum suaui prouidentię Dei, quòd non omnes actus supernaturales prædefiniantur, vel saltem non secundum omnes circunstantias. Quia id dicunt expressè esse sententiam D. Thom. de verit. quæst. 6. artic. 3. Imò verò dicunt, quòd licèt necessarium foret Deum prædeterminare omnem actum supernaturalem ex auxilio efficaci; non tamen id esset necessarium, quòd proueniret ex intrinseca natura actus supernaturalis, vt simpliciter fieret talis actus, sed vt fieret infallibiliter. ¶ Alij tenent, non esse necessarium ad omnes actus supernaturales auxiliū efficax prædeterminans, sed supposita gratia excitante, præueniente & vocante, sufficere auxilium efficax concomitans actū ipsum: Nā dicunt, quòd nō prouenit ex



ex intrinseca natura actus supernaturalis per se loquendo, quòd sit necessarium efficax auxilium prædeterminans: quia sufficit concomitans, & non requiritur antecedens efficax. ¶ Hanc sententiam tenent omnes illi, qui putant dari ex parte nostra causam, vel conditionem sine quā nō, prædestinationis & omnes illi, qui putant prædestinationem fuisse factam ex præuisione operum: Nam, qui hoc opinantur; dicunt, Deum exceptis paucis quibusdam particularibus, vt Paulo, Magdalena, & Apostolis, &c. circà reliquam hominum multitudinē, ita se gessisse, quòd dedit eis sufficientia auxilia; quibus nonnulli cooperantes, tandem in gratia migrarunt è vita; & hos esse prædestinatos; reliquos autem reprobos. Et defendunt hanc sententiam, Quoniam si non ponunt ad finem esse efficaciter prælectos: ergo neq; ad media solum. Quæ sanè sententia in materia de prædestinatione; habet necessariam connexionem cùm sententia istorum, qui dicunt, non esse necessarium efficax auxilium antecedens, ad omnes actus supernaturales; sed sufficere concomitans. Quocircà, illi qui putant dari causam aliquomodo prædestinationis, ex parte nostra, repellunt & auferunt auxilium efficax antecedens, & prædeterminans actus supernaturales. Et idcircò fauent huic sententiæ *Alensis. Bonauent. Gabriel. Henric. Pigius. Catherinus. Vualdensis. Vega. Almaynus Decanus. Marsilius.* Alens. Bonauent. Gabr. Henric. quodlib. 8. q. 5. Pigius lib. 8. de libero arb. cap. 8. & Catherin. opusc. de præscientia. Imò verò, independenter à sentētia de prædestinatione fauet præfatæ sentētiæ. Vualdensis lib. 1. doctrinalis fidei art. 1. cap. 25. Vbi omninò impossibile iudicat auxilium efficax prædeterminans actū liberum, & vocat illam necessitatem antecedentē. Fauet Almaynus in moralib, & Vega lib. 15. in Trident. capit. 13. & idem tenet Decanus auic. 7. citato pagin. 207. & 224. & sequentibus. Et huius sentētiæ sunt etiam Marsil. & alij relati in disputat. præcedente. Nam dicunt ex quibusdam testimonijs D. Thom. permoti, ad rationem prouidentiæ & concursus requisiti ad actum supernaturalem, non esse necessarium auxilium efficax antecedenter se habens ad consensum liberum, efficaciter inquā prædeterminans. Sed tantum dicunt esse necessarium efficax auxilium antecedens, ad aliquos actus supernaturales, sed non ad omnes.

*Argum. 1.* Hæc sententia persuadetur plerisque argumētis. Primum sumitur ex sacris literis Matth. 11. & Lucæ 10. Vbi Christus Dominus exprobrans quibusdam ciuitatibus ait, Væ tibi Corozaim, Væ tibi Bethsaida, *Lucæ 1.* quia si in Tyro & Sidone factæ fuissent virtutes, quæ in te factæ sunt, olim in cinere, & cilicio pœnitentiam egissent: ergo illis positis auxilijs, quibus Corozaim, & Bethsaida non consentiebant, cōsentirent quidem habitatores, qui erant in Tyro & Sidone, & quibus illi non conuertebantur, hi, idest, Sidones, & Tyri conuerterentur: ergo sine auxilio efficaci prædeterminante, de facto conuerterentur. *Responsio.* Si dicas, hoc loco solùm fieri mentionem de auxilijs extrinsecis, & non de intrinsecis, vt videtur significare August. de bono perseueran. capit. 8. *Obiectio.* Contrà. Nam impossibile est, quód aliquis, signis externis tantum positis, conuertatur, nisi internis tāgatur auxilio speciali Dei: Sed Christus inquit, quòd positis in Tyro & Sidone, quæ posita sunt in Corozaim & Betsaida, re vera conuerterentur: igitur nōn solum posita sunt signa externa, sed etiam auxilia interna: Tunc vltrà. Istud auxilium, quod donatum est Bethsaidæ, non erat efficax auxilium prædeterminans; aliàs si tale esset, cum illo de facto conuerteretur; & tamen ait Christus, quòd si illud applicaretur Tyro & Sidoni, re vera, & de facto cōuerterentur: igitur non est necessarium auxilium efficaciter prædeterminans. Si dicas, quòd sicut ista *Responsio.* conditionalis est vera, Si Iudas egisset pœnitentiā in fine vitæ, saluaretur; & tamen si antecedens ponatur inesse, debet etiam poni diuina prædestinatio; Pari etiam modo ista conditionalis est vera, Si ea quæ facta sunt in Bethsaida, fierent in Tyro & Sidone, conuerterentur: sed antecedente posito inesse, etiam debet poni auxilium efficax prædeterminans. Sed falsum hoc est, *Refutatio.* Nam Christus ait, quòd si id, quod applicatum est Bethsaidæ applicaretur Tyro & Sidoni, conuerterentur: sed non est applicatum Bethsaidæ auxilium efficax: ergo sine illo conuerterentur ciues Tyri & Sidonis. Neque est simile, aut ad rem illud de Iuda. Quoniam prædestinatio non dicit infallibilem ordinationem hominis ad finem antè præuisionem operum. Et sic non est intrinsecè, & in nostra vi necessarium, vt quis saluetur, licèt nullus de facto saluetur, qui illam non habeat. Hic autem inquirimus de auxilio intrinsecè & ex natura rei necessario, vt fiat actus. ¶ Extat præterea alter insignis locus Ezech. 3. *Ezech. 3.* Vbi sic legimus, Fili hominis, vade ad domum Israel, & loqueris verba mea ad eos. Non enim ad populum profundi sermonis, & ignotæ linguæ tu mitteris ad domum Israel. Neque ad populos multos profundi sermonis, & ignotæ linguæ, quorum non possis audire sermones, & si ad illos mittereris, ipsi audirēt te; domus autem Israel, nolunt audire te, quia nolunt audire me: omnis quippe domus Israel, attrita fronte est, & duro corde. Ex quo testimonio eadem consequentia colligitur quæ ex præcedente; & idem probant alia testimonia, quibus significatur, Deum omnibus cōferre quidquid necessarium est, vt conuertantur.

*Confirm. Conc. Tridē.* Confirmatur etiam præfatum argumentum ex Concil. Trident. sess. 6. cano. 4. & 5. Vbi in hoc constituitur cōcordia liberi arbitrij cum gratia, quòd posita gratia excitante & mouente, potest homo non consentire: ergo saltem regulariter loquendo non requiritur gratia infallibiliter prædeterminans, & non videtur habere locum hic, sensus diuisus & cōpositus, cùm apertè loquatur Concil. facta suppositione gratiæ mouentis. Patet rursùs hoc idem ex Sāctis. *Chrysost. Hieronym. Anselm.* Nam id expressè videntur defendere Chrysost. Hieronym. & Anselm. in 2. disputat. citati. Iudicant enim tale auxilium prædeterminans actum liberū, vel non esse liberum; vel saltem non de lege ordinaria dari quotiescunque fit supernaturalis cōuersio. *Damasc. Origenes. Clemens Alexand. Osorius. D. Dionys.* Idem videtur dicere Damasc. lib. 2. fidei orthodoxæ capit. 30. Origenes, Clemens Alexand. & antiqui alij, quos refert Osorius lib. de iustitia. Et idem sentiunt omnes illi, qui putant Deum communiter æqualia auxilia præuenientia conferre, tam ijs, qui conuertuntur, quam alijs. Ita Dionys. videtur sentire libr. secundo. Cælest. Hierarch. vbi ait, quòd diuina voluntas æqualiter se habet ad omnia, sicut Sol ad omnium oculos; tametsi non omnes æqualiter luminis eius influxum recipiāt. Et D.

*Cyprian.* Cyprian. Epist. ad Magnum ait, Dies si per omnes nascitur, & Sol super omnes pari & æquali lumine diffunditur, quantò magis Christus Sol & dies, verum in Ecclesia sua lumen vitæ æternæ, pari æqualitate largitur: Cuius æqualitatis sacramentum videmus in Exodo capit. 16. celebratum esse cùm de *Exod.16.* cælo manna deplueret: Illic enim sine discrimine, vel sexus, vel ætatis Gomor à singulis colligebatur Et D. Hieron. ad Hedibiam. quæst. 10. quærens cur *Hieronym.* aliqui conuertantur, alij verò non? dicit, quòd quia alij receperũt filiũ Dei sua sponte; alij verò minimè: Sicut vnus est Solis calor; & tamen sunt varij effectus in re. Nam ex subiacentibus rebus, aliam liquefacit, aliam indurat, aliam dissoluit, aliam constringit; nam liquatur cera & induratur lutum; & tamen caloris non est vlla naturæ diuersitas. Et fauet Augustinus lib. de prædestinatione *August.* & gratia. capit. 15. Vbi duos constituit ante oculos peccatores æquales Pharaonem, & Nabuchodonosor, æqualiter admonitos & vocatos, quorum ingemuit alter; alter verò induratus est. Et de hoc casu quasi de possibili loquitur. 11. de Ciuit. Dei. capit. 6. Vbi petit rationem, cur ex duobus æqualiter affectis animo, & corpore, & æqualiter tentatis à Dæmone, vnus peccat contra castitatem, alius verò castus permanet? Respondet, quòd nihil aliud appareat, nisi vnum voluisse, alterum noluisse à castitate deficere. Quocirca, D. August. licèt videatur oppositum sentire quotiescunque loquitur contra Pelagianos. Sed tamen plerisque alijs locis explicat quid sentiat, vt patet libr. 1. retractat. capit. 2. & 13. & libr. de Ecclesiasticis dogmatib. capit. vigesimo primo.

*2. Argum.* Secundum argumentum, quod militat pro eadem aduersariorum sententia, tale est. Si datur auxilium efficax prædeterminans, & illud est necessarium ad conuersionem, & non datur omnibus, sed solum illis, quibus decreuit Deus ante præuisionem operum dare; sequitur, quòd non datur omnibus auxilium requisitum, & sufficiens ad salutem cùm sint in via. Imò verò sequitur, quòd non omnes quandiù sunt in via possunt conuerti; quia non omnes habent illud auxilium efficax ad conuersionẽ. Vndè, sic argumentor. Auxilium antecedens, seu efficax prædeterminans, est intrinsecè requisitum ad actum conuersionis. Sed hoc non habent omnes: ergo non habent auxilium requisitum vt conuertantur: ergo absolutè non habent auxilium sufficiens.

*Responsio.* Dices adhoc, sua culpa carere viatores omnes tali auxilio; atque adeò illis imputari, quòd illud non habeant. Contra. Nam antequam Deus videret voluntatem istius inclinatam ad actum bonum, vel malum, decreuit apud se non dare illi efficax auxilium: ergo non est sua culpa, quòd careat tali auxilio.

*Obiectio.*

*Confirm.* Et confirmatur. Nam licèt propter præcedentem culpam Deus denegaret auxilium requisitum ad actum conuersionis; tunc sanè imputaretur illi culpa præcedens, sed non imputaretur de nouo illi defectus conuersionis. Quia iam non potest conuerti, Sicut is, qui proijcit orarium in mare, postea nõ peccat de nouo non recitando: ergo licèt per illum staret propter culpam præcedentem, quo minùs haberet hoc auxilium; sequitur, quòd pro sua libertate potest facere vt non stet. Si dicas, quòd si ipse voluerit habebit efficax auxilium. Contra. Nam hoc implicat, cùm sit ei antea voluntate absoluta denegatum, ante præuisionem omnium operum, & ante præuisionem finalis impœnitentiæ. Hoc argumentum habet varias solutiones & replicas, quas omnes, Deo annuente, infrà in solutione ad argumenta adducemus. ¶ Tertiò arguitur. Potest quis cum auxilio sufficiẽte sine præuio efficaci, agere & operari aliquid supernaturale; quia id conuenit illi auxilio ex natura rei, & ex eo quòd est supernaturale: sed Deus nihil abstulit ab auxilio sufficiente ex virtute, & efficacia; quam ex se, & ex sua natura aptum natum est habere: ergo. Probatur maior: Nam posset Deus optimè sese habere in ordine ad omnes homines eo modo, quo aliqui putãt Deũ se habuisse de facto, ponentes causam prædestinationis ex præuisione operũ, & ex bono vsu liberi arbitrij post acceptam gratiam; Tunc namque nullum Deus efficaciter prædestinaret ad finem aliquem infallibiliter consequendum; atq; ita nec media efficaciter prædeterminaret, sed omnibus cõferret auxiliũ sufficiens, cui qui cooperaretur, saluaretur; alij verò minimè: Tunc sanè cũ tali auxilio sufficiente, aliqui de facto benè operarentur: igitur ex natura rei nihil aliud est necessariũ per se; alias si necessarium est auxilium efficax antecedens, & Deus antè præuisionem operum decreuit non dare huiusmodi auxiliũ; sequitur quod non est paratus dare illud, & consequenter falsum est dicere, quòd Deus est paratus dare omnibus requisita auxilia. Quia statuit firmiter apud se quibusdã non dare: ergo non est paratus dare. Imò verò sequitur, quòd si Deus decreuit non dare, quòd non est culpa ipsorum, quòd non conuertantur. Adhoc argumẽtum aliqui concedunt, ex natura rei non requiri tale auxilium efficax præueniens, sed dicunt, quòd de facto nullus credit, aut operatur opera supernaturalia, qui non habeat illud; sicut quamuis ex natura rei ad consequendam vltimam salutem non requireretur modus prædestinationis, qui de facto est in Deo sancitus; tamen nullus saluatur, qui non sit prædestinatus illo modo. Sed contra. Quia est maxima disparitas: Nam dicere, quòd in hoc instanti quando prædestinatus peccat non habet auxilium efficax præuium, & quòd in alio instanti habet; hoc non videtur satis intelligibile, neq; illud, quod inde sequitur, nempe, Deum efficaciter ab æterno determinasse, vt Petrus prædestinatus euitet hoc peccatum in hoc die, & in hac hora; in alio autẽ die, & in alio tempore, id non efficaciter voluisse, aut determinasse, & pari modo de reprobis. Rursus, etiam arguitur. Nam actus supernaturales, qui necessariò supponunt peccata, vt contritio, non poterunt infallibiliter prædeterminari, nisi sub conditione, si laberetur homo in peccata; ac proinde in multis occasionibus, in quibus homo tantum habet auxilium sufficiens, non cooperabitur. Imò verò, efficax aliud auxilium ex natura rei non erit necessarium, nisi sub conditione. ¶ Quartò arguitur. Quia sine tali auxilio prædeterminante, potest sufficienter saluari prouidentia, seu concursus Dei in ordine ad actus liberos naturales, & moraliter bonos: ergo etiã in ordine ad supernaturales; nã penes hoc, par ratio est vtrobique: sed in ordine ad reprobos nõ videtur specialis prouidẽtia in eorũ actibus super-

*Respons. Obiectio.*

*Obiectio.*

*Quartum.*



supernaturalibus, distincta ab ea, quæ est in actibus naturalibus, nisi quòd vna est prouidentia ordinis naturalis; alia verò ordinis supernaturalis: ergo pari ratione in omnibus etiam prædestinatis dicendũ est. ¶ Quintò arguitur. Auxilium prædeterminans actum liberum, tollit libertatem, vel saltem difficillimè saluatur libertas cum illo auxilio: igitur non est ponendum, secundum legem ordinariam, nisi vbi nos cogat maxima necessitas, qua pressi oporteat confugere ad auxilium prædeterminans, & antecedens. ¶ Sextò arguitur. Si ita est, quòd Deus ab æterno decreuit non dare quibusdam hominibus illud auxilium efficax, quod est præuiè necessarium, vt conuertantur, & sine quo infallibiliter peccabunt, Quomodo possunt verificari omnia loca Scripturæ, in quibus Deus se pulsare ad ostium dicit, & paratissimum se esse ad omnes iuuandos, & conuertendos, & maximè dolere de eorum lapsu? Aut quomodo stat illud. 2. Petri. 3. Patienter agit propter vos nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti: Nam interrogo, Quo pacto vult omnes ad pœnitentiam reuerti, si efficaciter decreuit non dare id, quod est necessarium, vt ad pœnitentiam reuertantur? Sunt etiam pleraque alia testimonia, in quibus Deus dicit, se non velle animam hominis perire, & quòd expectat Deus peccatorem, vt misereatur illius, vt patet ex Isaia Propheta; Sed quid expectat, si iam decreuit non misereri? & scit se non daturum auxilium illud efficax, sine quo verè cognoscit, quòd non cooperabuntur. Postremò, Cur Deus hortatur homines vt conuertantur, & petant ab illo necessaria ad conuersionem, si ipse statuit non dare, & prædiffiniuit non dare, quod est contra regulam, quam infallibilem docet D. Augustin. dicens, quòd non dehortaretur ad peccandum, nisi dare vellet auxilium.

*Quintum.*

*Sextum.*

*2. Petri. 3.*

*mum.* ¶ Septimò arguitur ex Concil. Trident. Sessio. 6. cap. 11. vbi dicitur, Deus nunquam semel iustificatos deserit, nisi ab eis priùs deseratur. Ex qua doctrina Concilij, colligo argumentum. Quia si tale auxilium præuium antecedens, & prædeterminans esset necessarium; sequitur vel semel iustificatum non posse iterum mortaliter, vel saltem quòd nunquam peccet mortaliter, vel quòd si postea peccaret mortaliter, priùs desereretur à Deo, quam ipse Deum desereret; vtrumq; est hæreticum: ergo. Patet sequela: Nam vel habet auxilium efficax ad perseuerandum in gratia; & sic nunquam de facto mortaliter peccabit, neque in sensu compositio poterit: Vel non habet, & tunc priùs deseritur à Deo, quàm ipse deserat. Quod patet: Quia vt ipse non deserat Deum, requiritur præuium auxilium prædeterminans ad actum: sed hoc denegauit Deus, antequam desereretur ab illo homine: ergo priùs denegauit Deus tale auxilium, & deseruit hominem, quam homo desereret Deum per peccatum. Neque satisfacit dicere, hominem se indisposuisse ad tale auxilium prædeterminans, propter aliqua mala opera, licèt non mortalia: Quia per opera non mortalia, non deserit homo Deum; at Concilium dicit, Deum priùs deseri ab homine: ergo. Item, Quia ad vitanda venialia propter quæ indisponitur, etiam præexigit contraria opinio auxilium prædeterminans: ergo cùm Deus denegauerit ante quodcunq; opus malum istius, quantùmeunq; sit leue malum opus; sequitur, quòd illa desertio habuit ortum à Deo. Imò verò sequitur vlterius, lapsum peccatoris ortum habere à Deo. Quoniam ex negatione talis auxilij, homo manet determinatus ad malum; neq; habet omnia præuiè requisita ad bonum. Imò etiam deest illi aliquid ex parte potentiæ, sine quo implicat operari: ergo ex denegatione talis auxilij ortum habet, quòd non operetur.

¶ Profectò, simile argumentum colligi potest ex eodem Concil. Trident. Sess. 6. capit. 13. Vbi sic habetur: Deus nisi nos illius gratiæ defuerimus, sicut cæpit opus bonum, ita perficiet, operans velle, & perficere. Ex quo planè deducitur, non esse necessarium illud auxilium prædeterminans, sed satis esse auxilium excitans, & sufficiẽs cum eo concomitante, quando de facto conuertitur: Quod satis expressit Concilium capit. 14. dicens, Qui verò ab accepta iustificationis gratia per peccatum exciderunt, rursus iustificari poterunt cum excitante Deo, per pœnitentiæ sacramentum, merito Christi, amissam gratiam recuperare procurauerint, &c. Quo loco Concil. docet modum necessarium ad iustificationem lapsi post peccatum: sed ibi tantum ponit Concil. gratiam excitantem sufficientem, & cooperationem hominis: ergo videtur, quòd intendat definire, nihil aliud esse necessarium. Et capit. 5. sic habetur, Vt qui per peccata à Deo auersi erant, per eius excitantem, atque adiuuantem gratiam ad conuertendum se ad suam ipsorum iustificationem eidem gratiæ liberè assentiendo, & cooperando, disponantur. En, præter excitantem & adiuuantem gratiam, & præter cooperationem hominis, nullius alterius gratiæ prædeterminantis meminit. Et quòd nomine excitantis gratiæ non intelligat aliquam gratiam infallibiliter præmouentem, ostendo; Tũ, quia nomine excitantis gratiæ non intelligitur, vt supra disputatio. 1. ex Scriptura & Sanctis retulimus; Tum etiam, quia ipsum Concilium ante hoc expresserat dicens, Ipsius iustificationis exordium, à præueniente gratia sumendum, hoc est, ab eius vocatione. Et postea subdidit, Ita vt tangente Deo cor hominis, per Spiritus sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omninò agat inspirationem illam recipiens, quippe qui & illam abijcere potest. Ecce manifestè Concilij præter gratiam adiuuantem, quæ simul est cum operatione excitante, gratiam prærequirit, quæ non in efficaci auxilio prædeterminante consistit; sed tantum in illuminatione, quam efficaciter recipere potest.

*Octauum. Conc. Tridẽ.*

¶ Hactenus retuli aduersariorum argumenta, quibus suam muniunt sententiam, quibus etiam adiungi possunt argumenta illa, quæ in secunda disputatione præcedente huius articuli, pro eisdem aduersarijs retulimus.

### *Prima conclusio.*

*Conclus. xi* His argumentis non obstantibus, est prima conclusio. Nullus est actus supernaturalis, siue in prædestinato siue in reprobo, qui non procedat à gratia præueniente, & etiam ab auxilio supernaturali efficaci Dei; ita vt bonus consensus & ipse bonus vsus liberi arbitrij, sit specialis gratia

tia Dei, & speciale auxilium distinctum ab eo, quo poterant consentire, & ab ipsa gratia præueniente. Et idcirco, talis concursus simpliciter est reducendus in gratiam Dei, & in ipsius auxilium, à quo procedit. Et in hoc, minùs benè quàm debuissent, & non satis tutè loquuti sunt Ruard. & plerique alij, qui videntur reducere determinationem auxilij sufficientis in vsum liberi arbitrij, quòd est contra determinationem suprà factam ex Sanctis Patribus, & ex Concilijs, & expressè contra illud Cælestini Papæ in Epist. 1. cap. 4. & 7. Nemo nisi per gratiam Dei benè vtitur libero arbitrio. Quocirca, nos supra disputatio. 1. diximus, gratiam, seu auxilium præueniens non esse idem, quod auxilium efficax prædeterminans. Nam gratia excitans & præueniens, sunt illuminationes & inspirationes Dei, quæ semper præcedunt iustificationem; sed non semper iustificatio sequitur ad illas, cùm aliquando plures resistant vocationi Dei. Dicendum est ergo, quòd in omni consensu supernaturali, reperitur auxilium efficax supernaturale, ad minùs concomitans ipsum actum: & præcedere gratiam excitantem & præuenientem, & negare ad minùs huiusmodi auxilium efficax concomitans distinctum ab eo, quo poterat homo consentire, est contra fidem. An verò hoc efficax auxilium, quod est concomitans, simul sit antecedens, statim dicemus.

*Cæleſt. Pap.*

*Secunda concluſio.*

*Concluſ. 2.* SEcunda concluſio. Ad omnem consensum supernaturalem bonum, non tantùm auxilium efficax concomitans concurrit, sed etiam auxilium efficax supernaturale antecedens. Vnde, ad actum liberum supernaturalem bonum, de quo loquimur, prærequiritur intrinsecè, & per se auxilium efficax præmouens ipsam voluntatem. Quod sanè auxilium à plerisq; dicitur prædeterminans actum voluntatis liberum. Sed quoniam prædeterminatio videtur opponi libertati, idcireò auxilium illud efficax antecedens, & præmouens voluntatem multò meliùs appellabitur antecedens, & præmouens efficaciter ad consensum & cõuersionem, quam prædeterminans, si per prædeterminantem concursum intelligas necessitantem, & auferentem libertatem, vt intellexit D. Damasc. lib. 2. fidei orthodoxæ, cap. 30. cùm dixit, Deum omnia præscire, sed non omnia prædeterminare. Itaque asseueramus, priùs natura antecedere efficax auxilium ad consensum, & actum bonum supernaturalem, & ad conuersionem peccatoris. Et quamuis antecedat efficacia huius auxilij, non ob id tollitur libertas consensus voluntatis. Nam, vt suprà diximus, efficacia huius concursus est mirifica continens in se omnem modum concurrendi imaginabilem, & omnem modum concurrendi respectu liberi & necessarij, & omnem etiam modum mouendi.

Hanc concluſionem tenent omnes illi, qui dicũt dari auxilium efficax, non solùm concomitans, sed antecedens, seu prædeterminans, ad quosdam actus supernaturales, & ad aliquos actus conuersionis. Nam profectò, ego non videò cur si absque præiudicio libertatis saluatur antecedentia efficaciæ auxilij supernaturalis in aliquibus actibus supernaturalibus, cur non possit eadem antecedentia auxilij efficacis, præcedere consensum, & conuersionem liberam nostri arbitrij in actibus supernaturalibus, vniuersaliter loquendo? aut cur saluatur in quibusdam consensibus, & conuersionibus (præcedente efficaci auxilio) vera libertas, & non in omnibus, & in omni conuersione & consensu nostri arbitrij? Ex parte enim supernaturalitatis nõ est cur repellamus huiusmodi præmotionem efficacem ad actum conuersionis, & ad consensum supernaturalem liberũ. Nam cum liberum arbitrium in se ipso, & ex sibi proprijs non habeat formam supernaturalem, maximè rationi consonum est, vt ad supernaturalem cõsensum, & conuersionem præintelligatur forma efficax supernaturalis. Ex parte etiam infallibilitatis ipsius consensus, etiam requiritur huiusmodi efficax auxilium antecedens, vt superius diximus, & infra etiam ostendemus. Hanc concluſionem nos plerisque in locis, tam in hoc artic. dispu. 1. & 2. quã q. 109. suprà artic. 8. interpretati sumus, & 1. p. plerisque in locis. Quam tenent meo iudicio Catholici omnes benè sentientes, & oppositam reijciunt, vt Pelagianam. ¶Et mirabile est, quòd aduersarij dicunt, hanc concluſionem non habere Patronos, & authores pro se. Nam in primis omnes, qui tenent prædestinationẽ hominum & angelorum fuisse factam ante præuisionem operum, necessariò constituunt auxilium efficax antecedens, seu prædeterminans ad omnem conuersionem peccatoris, & consensum supernaturalem, etiam liberum: Quoniam prædestinatio facta ante præuisionem operum, includit prædeterminationem mediorum ad salutem. Quò fit, vt prædefinita sint opera supernaturalia in vniuersis prædestinatis. Imò verò pleraque naturalia & libera, quæ sunt effectus prædestinationis in prædestinatis. Nam velint nolint, qui dicunt prædestinationem hominum, & angelorum factam fuisse ante præuisionem operum, necessariò fatentur nostram assertionem. Quot verò & quanti sint authores, & quantæ authoritatis, qui defendunt prædestinationem fuisse factam ante præuisionem operum, nos retulimus. 1. part. quæst. 23. art. 4. disputat. 1. inter quos retulimus D. Augustinum, cuius tempore à Patribus suæ ætatis id fuit receptum, licèt in principio ei contradicerent. Et eandem insinuant Gregor. in moralib. vbi suprà, & Bernard. sermo. 55. in Canti. Anselm. ad Rom. 9. Prosper. Hilar. & Augustinus de bono perseueran. cap. 3. 11. & 12. & inter Scholasticos, Durand. Capreol. Ægyd. & Driedo. Legenda etiam sunt quæ diximus in eadem. 1. part. quæst. 19. artic. 8. disputat. 1. & quæst. 22. artic. 4. disput. 1. & quæst. 23. art. 4. disput. 4. & art. 5. disput. 1. D. Ambros. lib. 1. de vocatione gentium, capit. 1. expressis verbis, positam assertionem defendit, loquens enim de gratia Dei, & libertate nostra quomodo cohæreant, ait, Inter quam & gratiam Dei, quorundam non sana discretio est, existimantium, quòd prædicatione gratiæ, liberum negetur arbitrium, nec aduertentium, eadem regula posse obijci sibi, quòd gratiam negent; Cum eam humanæ voluntatis non ducem volunt esse, sed comitem. Quo sanè quid clarius dici potuit, ad ostendendam præfatam assertionem, & doctrinam? Legendus est etiam idem Ambrosius toto libro. 1. & 2. de vocatione gentium.

*D. Aug.* *D. Greg.* *Bernard.* *Anſelm.* *Proſper.* *Hilar.* *Durand.* *Capreol.* *Ægydius.* *Driedo.* *D. Ambr.*

S.Thom.



*S. Thom.* *Marsil.* *Gregor.* *Caietan.* *Gregor. Arimin.* *Adrianus.*

S. Thom. 1. 2. q. 9. art. 6. ad. 3. insinuat aperte, quo pacto detur antecedens auxilium efficax ad actum liberum voluntatis, &. q. 10. art. 4. ad. 3. & q. 112. art. 10. Et idem insinuat. 3. p. q. 36. art. 1. Idẽ sensit Marsil. in. 1. q. 45. art. 2. & Gregor. in. 1. d. 39. q. 2. art. 2. Caiet. 1. p. q. 22. de diuina prouidentia art. 4. Vbi tandem dicit, se nescire solutionem, sed adorare mysterium; quod fatetur etiam Gregor. Arimin. Idem tenet Adrianus in. 4. q. de Sacramento pœnitentiæ, ad finem in versiculo; ex his respondeo. Alij etiam plures sunt authores, quos supra retulimus pro nobis in hoc art. disput. 1. & 3.

Probatur tamen nostra assertio. Primò ex Scriptura. Secundò ex Sanctis. Tertiò ex Concilijs. Quartò rationibus & discursibus Theologicis. Ex sacris literis probatur primò, in quibus plerumque significatur, Deum multis conferre tale auxilium, vt infallibiliter efficiant opus supernaturale, & quibusdam denegare hanc efficaciam; & ob id non efficere, ipsis etiam culpabiliter & peruersè agentibus: sed hoc non potest intelligi, nisi illud auxilium efficax antecedens sit simpliciter requisitum ad opus; alias ex defectu & absentia eius, sequeretur infallibiliter quod non fiat opus, & pariter ex defectu eius non sequeretur infallibiliter, quòd non fiat opus; ergo. Maior patet ex. 1. Canonica Ioan. cap. 1. vbi legimus, Non erant ex nobis, quoniã si ex nobis fuissent, permansissent vtique nobiscum. Et. 2. ad. Timoth. 2. Ne quando det illis Deus pœnitentiam ad cognoscendum veritatem, & resipiscant à Diaboli laqueis, Et actor. 5. & 11. simile quid habetur: igitur Deus dedit gentibus pœnitentiam & vitam, & antea non dederat. Ad hæc, Deus non denegat auxilium sufficiens, neque illud efficax quod concomitatur actum illum liberum: sed aliquando dicitur negare auxilium, & propter huiusmodi negationem dicuntur homines indurati, & non posse efficere aliqua opera bona: ergo signum est huiusmodi auxilium, quod negat, esse illud speciale antecedens, quod vocatur à quibusdam prædeterminans, & istud est requisitum ad exercitium, & actum conuersionis exercitum. Patet antecedẽs ex illo Ioan. 12. Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias, Excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum, vt non videant oculis, & non intelligant corde, & conuertantur & sanem eos: igitur cùm Sancti Patres per indurare, & excæcare intelligant hoc, quòd est negare auxilium; sequitur quòd si Deus non negat auxilium sufficiens, neque concomitans, quod est operi sociatum & coniunctum: quod denegat efficax antecedens, quod appellatur prædeterminans, ob id, quòd est priùs & infallibilis efficaciæ, & consequenter, cum adhuc posito sufficienti auxilio dicantur, quod non poterant credere, quia nunquam id reduceretur ad actum, signum est, auxilium efficax antecedens antecedenter requiri ad credendũ. ¶Hæc veritas fortius ostenditur ex illo Ioan. 6. Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me traxerit eum: ergo priùs intelligitur, quòd Deus aliquem infallibiliter per auxilium efficax antecedẽs præmoueat, quam quòd ipse consentiat. Nam hæc verba dicit Christus discipulis suis, reddens rationem cur Iudæis tam durus ille sermo videretur. Et ideo non credebant, quasi diceret, Non credũt, quia non trahuntur. Vnde subiungit, Omnis qui audit à Patre, & didicit, venit ad me: ergo illos nõ trahebat per auxilium, quod si de facto haberent, & eos antecederet, de facto venirent; habebant tamen verum & sufficiens auxilium, quod nulli negatur. Et infra dicitur, Sunt quidam ex vobis, qui non credunt; & ideo dixi vobis, quod nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum à Patre. Super quem locũ Augustinus ait: Ideò credere non erat datum, quia vn- *D. Auguſt.* de crederent est negatum? sed auxilium sufficiens non negatur: ergo negatur illud, quòd est antecedens efficax. Extat etiam efficax testimonium apud Ezechielem Prophetam cap. 36. Faciam vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis, & operemini. Ex quo testimonio colligo argumentum: Promissio Dei impletur, per operationem diuinam: sed Deus promittit se conuersurum esse ad se homines: ergo hanc conuersionem efficaciter efficiet: ergo adhibendo media efficacia ad illam conuersionem, vt infallibiliter sequatur: ergo cùm priùs intelligenter præmouendo efficaciter: ergo cùm homo vult conuerti & diligere, ita libere hæc vult, quod nihilominus stante concursu efficaci diuino, non possit simul verificari, quod homo de facto nõ vult; aliàs inanis redderetur promissio & efficax Dei motio, & voluntas beneplaciti. Quo argumento vsus *Auguſt.* est Augustinus lib. de prædestinat. Sanctorum. cap. 10. Et iterùm idem Augustinus cap. 11. sequenti ait, loquens de quibusdam præceptis à Deo datis hominibus, Idcirco hæc nobis præcipiuntur, & dona Dei esse mõstrantur, vt intelligatur, quòd & nos ea facimus, & Deus facit vt illa faciamus; sicut per Prophetam Ezechielem dicit, Ego faciam vt faciatis. Hæc Aug. Ergo apertè cõstat, quòd si priùs facit vt faciamus, quòd antecedit nos efficax cõcursus ipsius, & quòd influxus Dei, est influxus in arbitrium nostrum, & non in solum effectum & actionem. Valdè namque decipiuntur aduersarij putantes, quòd Dei concursus & auxilium potissimè in supernaturalibus, non est concursus in causam, sed solum in effectum & in actionem; quæ iam est extra causam. Denique, passim Scriptura clamat, & ob id ad præfatam concluſionem ostendẽdã adducũt Catholici Theologi illud Paul. ad Philip. 2. Qui operatur in nobis & *Philip. 2.* velle & perficere. Et illud. 1. Corinth. 12. Qui operatur omnia in omnibus. Et illud. 2. Corinth. 3. Non *1. Corinth. 12.* quòd simus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, tanquam ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est: ergo multo magis efficacia. Et cùm priùs intelligatur Dei causalitas, quam nostra, prius intelligitur antecedere efficaciter. Et ob id inquit Paulus, quòd elegit nos Deus ante mundi constitutionem vt essemus Sancti, & immaculati in cõspectu eius in charitate; ergo prædefiniuit auxilia efficacia, &c. Extat etiam elegans testimonium Paul. ad Ephes. 2. *Epheſ. 2.* Ipsius factura sumus creati in Christo Iesu in operibus bonis, quæ præparauit, vt in ipsis ambulemus. Præparat ergo efficacia auxilia, vt in operibus bonis liberè exercitis ambulemus.

Secundò probatur præfata assertio ex Concilijs & adduco Concil. Arausi. cano. 14. Vbi habetur, Nul- *Cõc. Arauſ.* lus miser de quantacumque miseria liberatur, nisi qui Dei misericordia præuenitur, iuxta illud psal. 78. Cito anticipent nos misericordiæ tuæ Domine. *Pſal. 78.*

Et cano.23.Suam voluntatem homines faciunt, nõ Dei,quando id agunt,quod Deo displicet:Quando verò ita faciunt,quod volunt,vt diuinæ seruiant voluntati,quamuis volentes agant,quod agũt; illorũ tamen voluntas est à quo præparatur, & obitur quod volunt.Profectò,nihil clarius,aut aptius dici potuit ad assertionem nostram cõfirmandam. Idem definitur in eodem Concil.cap.25.sequenti,& prope finem capitis ait, Hoc etiam salubriter profitemur & credimus, quòd in omni opere bono nos non incipimus, & postea per Dei misericordiam adiuuamur,sed ipse nobis nullis præcedentibus bonis meritis, & fidem & amorem sui prius inspirat. Aduerte Concilium dicere,prius, & loquitur iam de fide & dilectione Dei: Ergo secundum concil. requiritur antecedens efficax cõcursus. Idem dicit Concil.Cano.4.6.&.7.& cap.20. Multa in homine bona fiunt,quæ non facit homo;nulla vero facit homo bona, quæ non Deus præstet, vt faciat homo. Vbi obserua,quòd in prædictis locis non tantum loquitur Concil. de actibus perfectis iustificationis, sed etiã de imperfectis,qui sunt initia,&c. Et in epist. Cælestini ad episcopos Galliæ cap.11. definitur à Summo Pontifice, quòd ex omnibus hominibus plures Deus trahit; alios verò non trahit, neque id efficit in alijs,quod in istis. Et profecto, quantum iudico veritas nostræ assertionis semper supponitur vt certa, & traditur in Concil Trident.sessio.6.sæpius citata.

*Cælest.Pap.*

*Conc.Trid.*

*D.Auguſt.* Tertiò constat hæc veritas ex D.Auguſt.vt deduximus in primo argumento in explicatione Sanctarum literarum.Nam lib.de prædestinat. Sanctorum cap.10.&.11. apertè, & sine circuitu verborum tradit assertionem nostram, & inquit,loquens de præceptis supernaturalibus, Ideò etiim hæc & nobis præcipiuntur,& dona Dei esse monstrantur,vt intelligatur quòd & nos ea facimus,& Deus facit, vt illa faciamus. Sicut per Prophetam Ezechielem dicit Deus, Ego faciam vt faciatis.Hæc Aug. Idem expresse docet lib.4.contra Iulian.Pelagianum,& lib. de prædesti. Sanct.cap.5.&.6. &.8. quibus locis ait, Subuentum est humanæ infirmitati, vt indeclinabiliter & inseparabiliter à Deo ageretur. Idem habetur de Correct.& grat.cap.11.12.& in Enchirid.cap. 82.& de Spiritu & liter.c.24.Vbi sic ait,Profectò,& ipsum velle credere, Deus operatur in nobis, & in omnibus misericordia eius præuenit nos. Si in omnibus: ergo cùm conuertimur, efficax eius misericordia præuenit:ergo antecedens ipsius concursus. Et iterum subiungit Auguſt. loco citato de prædestinat.Sanctorum.cap.5.Iam si ad illam profunditatem sectandam quisque nos coarctet,cur ita ille sua detur vt persuadeatur, ille autem non ita,Deo solo reseruatur?Interimq; respondere mihi placet,O altitudo diuitiarum,&c.Et, Nunquid iniquitas apud Deum? Cui respõsio ista displicet,quærat Doctores, sed caueat ne inueniat præsumptores. Idem tradit Auguſt.explicans illud Ioan.6. Nemo potest venire ad me,nisi Pater meus traxerit eum.Et sanè,si assertio hæc nostra vera non esset, nullum haberet locũ hæc Auguſt. admiratio, neque etiam illud Proloquium eiusdem Auguſt. Cur hunc trahat & illum non trahat? noli iudicare, si non vis errare. Facile enim possemus respondere, quia iste reddidit efficax auxilium Dei,per arbitrium suum,& consequẽter,quia hic vult,& alius non vult. Et epist. 107. ad Bonifac.inquit,quòd voluntas nostra pedisequa est gratiæ Dei,secundum illud Cantic.1.quod de auxilio efficaci intelligitur.Imò verò ait, Gratiam efficacem non respui, & quod cum non respuitur, idcirco est,quia gratia Dei facit,vt nõ respuatur, quo nihil clarius dici potuit,nisi velimus cæci manere. Possemus etiam adducere pleraque alia testimonia Sanctorum, sed quoniam præter vnum Augustinũ, rem hanc in suis terminis non tractauerunt, quamuis eam semper supponant, vt certissimam & indubitatam;idcirco quæ adduximus sufficiant.

*Ioan.6.*

Rationibus etiam persuadetur præfata veritas: Quarum prima sit. Si Deus non prædefiniuit infallibiliter dare antecedenter auxilium efficax,ad cõsensum & conuersionem supernaturalem,pariratione non prædefiniuit omnes prædestinatos, & salté sequitur, quod non prædefiniuit Deus media per quæ consequuturi essent vltimam salutem: Nam si Deus non prædiffiniuit infallibiliter media,quibus vltima salus esset consequenda statuendo concurre re sic;vt talis consensus fieret infallibiliter, vt minimum in vltimo vitæ instanti, tunc non posset esse certus numerus saluandorum;Imò verò, si non statuit Deus infallibiliter facere media,salutis in prædestinatis, ipsis ad ea liberè concurrentibus, sed solũ decreuit concomitanter se habere præcisè,vt si voluerint(relinquendo hanc rem in ancipiti)sequitur quòd præter prædestinatos, aliqui alij saluarentur. Quod ostendo. Nam dato quòd aliquis non prædestinatus sit in vltimo vitæ instanti, tunc ille habet auxilium sufficiens,vt conuertatur, & per suum liberum arbitrium potest facere, vt sit efficax: ergo ex tanta multitudine hominum,si nulla sunt prædefinita media, rationabile est, quòd aliqui saluarentur, & sic non posset esse certus numerus saluandorum.Imò si media nõ sunt prædefinita,non est ratio vlla,vnde colligatur cur ex tot hominibus non sint aliqui facturi suam conuersionem, & quòd efficax reddatur auxilium Dei:Nam,sicut dixi, si ex solo arbitrio pendet facere efficax illud auxilium,incredibile est ex tot millibus hominum,nullum fecisse efficax esse auxilium illud in vltimo vitæ instanti, & consequenter se discerneret à reliquis pereuntibus, ¶Secunda ratio sit. Quia si non cõstituatur auxiliũ efficax antecedens,quod vocatur prædeterminans, tunc non saluatur perfecta Dei prouidentia,sed solum confusa,& imperfecta, qualis est illa,quæ reperitur in Patre familias;Imò verò non saluatur perfecte concursus Dei: Quia nemo conuertitur nisi is, quem Deus absoluta, & efficaci voluntate, voluit vt conuertereturr: ergo priùs Deus voluit ac efficaciter prædiffiniuit.Probatur antecedẽs:Quia Deus priùs incipit mouere ad iustificationem, quam homo,vt ex fide patet:ergo cùm Deus incipit mouere, talis motio in illo priori naturæ cùm est cum intentione absoluta,vt qui mouetur conficiat,sine dubio id tunc faciet; Cæterum si Deus non mouet cũ hac intentione, non res fit; quoniam nihil boni præter intentionem eius euenit,aut euenire potest. Et confirmatur. Quia si Deus non præuenit nos, sed tantum concomitatur nostros actus,sequitur quòd nõ aliter concurrit ad bonum, quam ad malum. ¶Pro confirma-



confirmatione huius assertionis positæ,militant omniaargumenta, quæ nos proposuimus disputat.1. huius art.conclus.4.& disput.2. in explicatione veræ sententiæ; & militant etiam omnia argumenta, quæ nos adducemus ostẽdentes, quòd cum æquali auxilio, omnino inquam æquali, fieri non potest vt de facto vnus conuertatur, & alter non conuertatur. ¶Quo circà,testimonium illud allatum ex. 1. Canonica Ioan. cap. 1. Si ex nobis fuissent permanssent vtique nobiscum, confirmat optime quod dictum est: Nam confirmat, eos, qui sunt specialiter ex Deo,habere auxilium efficax præuium,vt infallibiliter permaneant. Et ita videtur hoc explicare S. Tho.1.2.q.112.art.3.interpretans illud Ioan.6. Omnis, qui audit à Patre & didicit, venit ad me.

*1.Ioan.1.*

*Ioan.6.*

*Tertia conclusio.*

*Conclus.3.* TErtia conclusio.Stante omnino æquali auxilio ex parte Dei, quo adiuuantur Petrus & Paulus,& non stat,quod vnus conuertatur, & alter nõ.

*Auguſt.* Hæc est sententia expressa D. Aug. locis citatis, & lib.de prædestinat.Sanctorum.cap.5. Nunquid(ait) per hæc dona,quæ omnibus communia sunt hominibus,discernuntur homines ab hominibus? Quasi dicat,non. Et subiungit; Dixit namque Apostolus, Quis enim te discernit? & quoniam posset inflatus homo dicere, dicernit me mea iustitia, fides mea, vel si quid aliud; talibus occurrens cogitationibus bonus Doctor addidit,Quid autem habes quod nõ accepisti?A quo nisi ab illo, qui te discernit ab alio, Cui nõ donauit, quod donauit tibi.Et c.6.ait.Multi audiunt verbum veritatis, sed alij credunt,alij contradicunt. Volunt ergo isti credere, volunt autem illi.Quis hoc ignoret?Quis hoc neget?sed cùm alijs præparetur, alijs non præparetur voluntas à Domino,discernendum est vtique,quid veniat de misericordia eius,quid de iudicio.Hæc Auguſt.Intelligit autem de præparatione voluntatis per auxilium efficax conuersionis.Vnde,in Enchirid.cap.32.interpretans illud Rom.9.Non est volentis, neque currentis,sed Dei miserentis, mouet quæstionem, quo pacto Paul.dicat, non esse volentis, neque currentis, sed Dei miserentis, cùm absque dubio si homo eius ætatis est,vt iam ratione vtatur,non possit credere, sperare & diligere, nisi velit, neque peruenire ad palmam supernæ vocationis Dei,nisi voluntate cucurrerit?Respondetque Auguſt.huic interrogationi,quòd ob id est dictum à Paulo non esse volentis,neque currentis, quoniam & ipsa voluntas à Deo præparatur.Et vt amplius explicet hanc respõsionem repellit falsam quãdam solutionem quorundam aientium, ob id dictum esse à Paulo non esse volentis,neque currentis, sed miserentis Dei, quia ex vtroque fit,id est,ex voluntate hominis & misericordia Dei; ita vt sensus sit,Non est volentis, neque currentis,id est,non sufficit sola voluntas hominis, nisi sit etiam misericordia Dei. Contra hanc igitur solutionem obijcit Auguſt. Si ob id, dictum est,non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei,quia id voluntas hominis sola non implet,Cur non & è contrario rectè dicitur, non miserentis est Dei,sed volentis est hominis, quia id misericordia Dei sola non implet.Quare,Auguſt.cõcludit quòd sicut nullus Catholicus dicere audebit, non miserentis est Dei, sed volentis est hominis; ita necesse est, vt rectè dictum intelligatur esse à Paulo, Non volentis neque currentis,sed miserentis est Dei, vt totum Deo detur, qui hominibus voluntatem bonam,& præparat adiuuandam, & adiuuat præparatam; ita sanè vt bona volũtas annumeretur inter dona Dei miserentis,iuxta illud Prophetæ, Misericordia eius præueniet me. Vocat autem Auguſt. bonã voluntatem ipsum actum bonum voluntatis, quo benè vtitur auxilio Dei.

*Rom.9.*

*D.Auguſt.*

Rationibus etiam persuadere & ostendere volumus,catholicam esse doctrinam, quòd quotiescunque quis conuertitur,maius auxilium habet, quam ille,qui non conuertitur; & quod habet efficax auxilium antecedens, & quòd ipsum velle conuerti, & velle benè vti gratia Dei, donum Dei est, quod non recipit neque habet ille, qui non conuertitur, Et quòd ob id D.Auguſt.epist. 106. ad Bonifac. voluntatem nostram pedisequam appellat in bonis operibus & actionibus ad salutem pertinentibus. Appellare autem pedisequam, est dicere illam non esse præuiam, sed potiùs præuiam esse Dei voluntatem, iuxta dictum in Arausic. Concilio cano. vltimo, In omni opere bono nos non incipimus: ergo in executione conuersionis nos nõ incipimus:ergo Deus incipit. Et fauet etiam illud sæpiùs citatum ex eodem Concilio, Multa in homine bona fiunt, quæ non facit homo, nulla verò bona facit homo, quæ non Deus præstet,vt faciat homo:igitur ipsum velle conuerti, Donum Dei est. Nam si Deus ita se habet,quod non decreuit dare auxilium efficax antecedens, seu auxilium infallibiliter habens effectum,& incipiens, sed solum voluit dare auxilium sufficiens ad hoc, vt isti homines conuertantur, & tunc vnus operans tali auxilio,conuertitur,& alius non:ergo qui de facto conuertitur, facit per suum arbitrium ex auxilio sufficienti, efficax: ergo licet sit gratia Dei quòd possit conuerti,quia hoc præuenit ex auxilio sufficienti;tamen quòd de facto conuertatur,non erit gratia Dei,cùm hoc proueniat ex suo libero arbitrio,à quo habet,quòd fiat efficax auxilium Dei. Quòd patet; Nam ex parte Dei æquale auxilium vtrique datum est:ergo qui conuertitur non habet maius auxilium, quam is qui non cõuertitur,sed solum habet cooperationem liberam arbitrij, quam alius non habet: consequens est falsum, imò verò Pelagianum,& sequelã probatur.Quoniã si est in potestate hominis ex auxilio sufficienti facere efficax,sicut est in potestate artificis facere, vt instrumentum sit efficax alicuius imagĩtis;tunc ille postquam est conuersus potest Deo dicere; Non dedisti mihi maius auxilium, quam alteri, qui non est conuersus,nec fuit mecum maior misericordia, quam cũ eo,qui perijt: sed ego benè vsus sum mea libertate; quod tamen abhorret à Christiana & Catholica doctrina,& est contra illud Pauli, Qui gloriatur,in Domino glorietur.

*Cõc.Arauſ.*

*D. Paulus.*

Rursus,adducor ad prædictam doctrinam defendendam, Quia ex duobus hominibus barbaris, audientibus ab eodem euangeliũ Christi,& pari inspiratione tactis à Deo, si alter credat & alter non,sequitur illum qui credidit,credidisse sine maiori auxilio Dei, quam is, qui non credidit.Ex quo rursus infertur,ipsum credere, non fuisse Donum Dei;atque

que adeò in tali conuersione tribui diuinæ misericordiæ id, quod minùs est, scilicet, potentiam ad credendum, homini vero tribui secundum liberũ arbitrium id, quod maius est, nempe, bonus vsus diuini auxilij, & efficacia proueniens ex libero arbitrio, quod tamen est aperte contra August. sæpè dicentem contra Pelagium, bonum vsum liberi arbitrij, benè inquam vtentis diuinis auxilijs, ita fieri concurrente libere ipso hominis arbitrio, vt nihilominus sit Donum Dei. Imò & contra Paul. ad Philip.2. vobis donatum est pro Christo, non solum vt in eum credatis, verum vt pro illo patiamini: igitur ipsum credere, donum Dei est distinctum ab eo, quod est posse credere. Et confirmatur. Quoniam pari ratione dici posset, ex duobus æqualem gratiã habentibus, posse vnum de facto perseuerare sine auxilio, & alium non; consequens est falsum: ergo.

Adhæc. Si existente æquali auxilio ex parte Dei, vnus credit, quia vult, & alter non, quia non vult; sequitur, quòd in voluntatem hominis reducendum est, quòd velit credere: igitur ipse qui credit per solam suam voluntatem discernit se ab eo, qui non credit, Contra Paul. 1. Corinth. 4. Quis enim te discernit. Et Roman. 4. Ergo non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis. Patet sequela. Nam si cum eodem auxilio præueniente, vnus se disponit ad gratiam, & non alius: ergo vnus potest se disponere ad maiorem gratiam, quam alius: ergo cùm auxilium Dei sit æquale in vtroque, non est referenda inæqualitas ad inæqualitatem auxilij, sed ad inæqualitatẽ liberi arbitrij. ¶ Dices, vnũ habere maius auxilium, quam alterum, quia habet maius auxilium concomitans, quoniam magis cooperatur per suum liberum arbitrium. Contra. Ergo tandem reducitur ad voluntatem: Non enim quis dicet, vnum hominem loqui & non aliũ, quia vnus habet auxilium concomitans, & non alius, sed quia vnus vult, & alius non vult. Et confirmatur. Quoniam auxilium concomitans non ponit in numero cum operatione, sed est ipsa operatio: ergo non idcircò vnus vel operatur, vel intensius operatur, quia habet maius auxilium cõcomitans, sed potiùs dicendum esset ob id habere maius auxilium concomitans, quoniam intensius operatur. Rursus etiã, quia concomitans auxilium, est in nostra potestate; sicut ipsa operatio: ergo tandem esset reducendum in nostram potestatem, quòd habeamus tantam gratiam. Et confirmatur vltimò. Quoniam gratia datur secundum mensuram donationis Christi, vt docet Paul. ad Ephes. vltimo: Igitur Deus determinauit vt iste haberet tantam, ille vero minorem gratiam: ergo non id ex libero arbitrio, sed ex maiori auxilio præueniẽte eum, quem voluit maiorem gratiam habere, procedit.

His argumentis aduersarij respondent, illum qui conuertitur non facere per vires liberi arbitrij ex auxilio sufficienti efficax, sed ex virtute gratiæ præuenientis, & ipsius auxilij concomitantis, ponere conditionem sine qua non, vt auxilium sit efficax. Et ita, causam per se, & propriam quare vnus conuertatur, & non alter, & quare vnus habeat maiorem gratiam, quam alter esse ipsum auxilium Dei. Causam verò per accidens, & quasi conditionem sine qua non, sumi ex parte voluntatis, à qua ratione inæqualitatis, cur vnus cõuertatur, vel recipiat perfectiorem gratiam quam alius, dicunt accipi debere. ¶ Cæterum, hæc solutio non satisfacit, Primò: Quia cùm gratia præueniens vtrobiq; sit sufficiens, & æqualis secundum se in illis; sequitur quòd si auxilium sufficiens ex sufficienti sit efficax, quod per vires liberi arbitrij, ex sufficienti redditur efficax, postquã nihil supernaturalitatis accrescit de nouo in ipso auxilio. Imò verò, cum præueniens gratia par sit in vtrisque, non videtur à quo fiat efficax, nisi à viribus liberi arbitrij, Neque satisfacit dicere, causam sine qua non, esse arbitrium nostrum: Nam licèt tota supernaturalitas conuersionis procedat ex Deo, & ex influxu ipsius; tamen arbitrium nostrum vere concurrit ad actum conuersionis, & nõ est causa per accidens, aut causa sine qua non: nam istæ possunt suppleri à Deo; & consequenter fieri posset conuersio & contritio sine arbitrio, aut voluntate nostra. Et inæqualitas illa maioris & intensioris conuersionis, aut minoris, ad quam concurrit liberum arbitrium, & ad quam magis vel minus conatur, illa quidem veluti in veram causam per se reducitur, in ipsum auxilium Dei. Nam si causa per se est ipsum auxilium, sequitur quòd causa perfectioris effectus, erit perfectius auxilium. Quod significatur Ioan. 3. Spiritus vbi vult Spirat. Et 1. Corinth. 12. Hæc operatur vnus & idem Spiritus diuidens singulis pro vt vult. Et Rom. 12. Vnicuique sicut diuisit Deus mensuram. Et ad Ephes. vltimo: gratia datur ad mesurã donationis Christi. Quocirca, voluntas cooperãs ex eleuatione Dei mouẽtis ante cedẽter concurrit ad inæqualitatem prædictam maioris, aut minoris cõuersionis, & hinc habet cur homo in Domino glorietur, & non in se. ¶ Secundò; Quia quando ex duobus æqualiter vocatis, vnus credit, & alter non; tunc ipsum credere, est speciale Dei auxilium, quod non habet is, qui non credit. Quòd si auxilium concomitans nihil supernaturalitatis habet in se ipso, neque in modo, neque in substantia eius, quod antea non haberet cùm erat sufficiens præter exercitiũ illud ab ipso arbitrio proueniens; sequitur quòd ipsum credere non est speciale Dei donum. Imò verò sequitur quòd in sensu cõposito, stante efficaci concursu concomitãte, posset simul stare non conuerti: Nam concomitans concursus, nihil maius habet ex parte supernaturalitatis, aut efficaciæ in se ipso, quam habebat sufficiens: ergo si stante sufficiente auxilio, potest homo non cõuerti, neque facere id, ad quod inuitatur & vocatur; pari ratione de illo, quod isti vocant efficax, cuius efficaciam illi dixerunt, pendère à libero arbitrio. Et aliud quidem est (vt obiter dicam) efficaciam Diuini concursus pendère à libero arbitrio, & aliud est esse necessariò coniunctam cum operatione libera & conuersione liberi arbitrij. Quoniam efficacia diuini concursus, est supernaturalis secundum se: ergo secundum se pendet à Deo. Nam est influxus in causam, & in liberum arbitrium. Hoc enim secundum est verum, imò verò est fides catholica, quòd efficacia diuini concursus, simul est coniũcta cum actuali nostri arbitrij cooperatione libera, ipsiusque libero consensu. ¶ Tertio. Quia in conuersione peccatoris, duo cõcurrunt, nempe, & gratia Dei, & liberum arbitrium; sed gratia est æqualis apud

*1. Corint. 4.* *Rom. 4.*

*Aduersarium responsio.*

*Refutatio.*

*Refutatio.*

*Ioan. 3.* *1. Corinth. 12.* *Rom. 12.* *Ephes. vltimo.*

*Ephes. vlt.*

*Respondent aduersarij.*



apud aduersarios quãtùm ad supernaturalitatem & influxum ante conuersionem, & in conuersione in illis duobus. Imò verò (vt aduersarij dicunt) nihil magis aut maius habet, quam sufficiens auxilium, concomitans: ergo tota inæqualitas reducenda est in liberum arbitrium. Potissimè cùm ijdem aduersarij dicant, concursum gratiæ, & liberum arbitriũ se habere vt partiales causas, quod est inimaginabile. ¶ Quarto, Quia ipsi antea dixerunt, pendère ex libero arbitrio efficaciam ipsius auxilij, in hoc sensu, quòd ex inefficaci reddebatur efficax ab ipso arbitrio, & cum non ponant supernaturalitatem aliquam ex Deo prouenientem; sequitur ex viribus liberi arbitrij oriri efficaciam diuinæ gratiæ. Non ergo satisfacit præfata responsio aduersariorum; Neque illa alia (propter easdẽ rationes) quam alij subijciunt, aientes, quòd stando in eorum sententia, non sequeretur, quod vnus se discerneret ab alio per suum arbitrium, sed quòd gratia Dei eos discerneret, quia in vno talis gratia est cooperans & efficax, in alio verò non. Sed hoc vt palam cernimus, est hærere in eadem salebra. Quia talis efficacia reducitur in vires liberi arbitrij, si modus dicendi aduersariorum verus esset, vt ipsi putant.

Tandem, Cùm æquale auxilium (vt aduersarij dicunt) recipiatur in eo, qui non conuertitur (in casu nostræ quæstionis) sequitur, quòd nulla potest assignari ratio efficaciæ conuersionis alterius, potius, quam istius, nisi quia hic voluit vti diuino auxilio, qui vsus, non est effectus infallibiliter consequens ex diuino auxilio. Quia aliàs, qui haberet æquale auxilium, similem effectum haberet: igitur aliquid ex viribus liberi arbitrij, & ex proprijs viribus apponit homo, quod non est effectus ipsius auxilij, sed potius condistinctè concausans cum ipso auxilio, vt efficaciter sequatur conuersionis effectus. Imò verò, sequitur, quod ratio differentiæ vltima, cur Petrus discernitur à Paulo, si vterque habet æquale auxilium; nõ potest assignari ex parte Dei, sed ex parte liberi arbitrij. Patet sequela: Quia auxilium vtrobique est æquale: ergo tota differentia ex libero arbitrio sumitur: ergo liberum arbitrium discernit vnũ ab alio, quod est contra Paul. 1. Corinth. 1. Quis te discernit? Quid habes quod non accepisti; Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Profectò, si æqualitate auxilij existente vtrobique, quia Deus æqualiter adiuuit vtrumque, nihilominus vnus conuertitur & alter non; sequitur quod ille, qui conuertitur, iure posset gloriari coram Deo dicens, Tu Domine misericorditer contulisti mihi supernaturale auxilium, & simile atque æquale contulisti Petro, sed ego superaddidi id, quod tu mihi supernaturaliter non dedisti, & cùm nihil magis receperim, quam ille alter; tamen ego amplius egi cùm me conuerterim, & iustificatus euaserim; Petrus autem in peccato suo permansit: Ergo nihil amplius tuæ gratiæ debeo, quam ille, qui non est conuersus; Quod sane dicere, blasphemia est, & insignis superbia. Nam exclamat Paul. Apostolus, Quid habes quod non accepisti? Si accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? Rursus. Is qui conuertitur diceret, Deus non me discernit ab altero, qui non cõuertitur, cùm æquales nos fecerit, æqualia dona cõferens: sed ego me discerno; quia ex proprijs mei arbitrij superaddidi velle vti benè diuino auxilio: Ergo cùm hæc admittenda nõ sint, sequitur quòd is qui conuertitur, maius auxilium & magis efficax accepit ex dono Dei, quam ille, qui non conuertitur. Nam certe, ipsum velle cõuerti, & bene vti gratia Dei, donum Dei est, quod non recepit ille, qui non conuertitur, iuxta Paul. ad Philip. 2. Cum metu & tremore salutem vestram operamini: ipse enim est, qui operatur in vobis, & velle & perficere pro bona voluntate; ac si diceret Apostolus; Considera cum quanta reuerentia vos oporteat Deo humiliari ex cuius liberali voluntate & misericordia prouenit, quòd operetur in vobis, nõ solum vt possitis velle bonum, sed etiam vt operetur ipsum velle & perficere. Et hæc est causa cur August. epist. 106. ad Bonifacium appellat voluntatem nostram in operibus & actionibus supernaturalibus, pedisequam & non præuiam.

*D. Paulus.*

*Philip. 2.*

*August.*

### *Quarta conclusio.*

QVarta conclusio. Quòd sit constituendum efficax auxilium antecedens præuium in omni conuersione supernaturali, hoc sane procedit; primo ex ratione supernaturalitatis actus efficiendi: secundò ratione infallibilitatis; Tertiò, ratione prædestinationis in electis; Quartò, ratione prouidentiæ supernaturalis in omnibus; Quintò, ex ratione primi mouentis efficaciter; & ex ratione subordinationis secundæ causæ libere agẽtis ad primam causam à qua pendet in causando; Nam Deus est causa prima in causando à nulla dependens; causa autẽ secũda pendet in causando à prima, cui subordinatur. Sextò, ex ratione Pauli, quia aliàs se discerneret homo. Septimò ex collectione istorum omniũ simul. Hæc assertio ex his quæ diximus in superioribus, & ex his etiam; quæ in. 1. p. dedimus, aperta debet esse rectè sentientibus. Nam primò ratione supernaturalitatis actus efficiendi requiritur præuium hoc auxilium. Nam cùm incipit operis & conuersionis executio per actualem contritionem, & dilectionem Dei super omnia; tunc adest efficax Dei auxilium: Cùm ergo hic duo considerentur; nempe efficax Dei concursus, & concursus liberi arbitrij; & hæc duo non sint inordinata inter se, interrogo, quod eorum prius incipit conuersionem illam in ipso exercitio operis? Nam si incipit homo prius, sequuntur omnia in conuenientia allata; Si Deus? habeo intentum. Et certum est, quòd in omni opere bono supernaturali nos non incipimus, sed Deus, vt dicit Concil. Arausic. ergo in executione conuersionis prius incipit Deus. Vnde, cùm à prima vocatione, vsque ad actualem conuersionem & contritionem inclusiuè, duo considerentur, nempe, & auxilium gratiæ præuenientis præcisè, vt sunt vocatio, excitatio, &c, & rursus auxilium efficax coniunctum eidem conuersioni & contritioni: possumus hunc processum supernaturalem diuidere in duos status, & in statum procedentem à sola præueniẽte gratia, & inuitante antè actualem conuersionem; & etiam in statum cõuersionis & contritionis integrum. Et hic secundus progressus & status, est ille ad quem inuitabat gratia præcedens veluti ad terminum. Vnde, duo considerantur initia, nempe, initium conuersionis ex parte vocationis & excitationis, & rursus cõsidera-

tur

tur ex parte conuersionis primum illud instans exe cutionis, & actualis conuersionis & contritionis. Et non solum est opus bonum illud primum, quod præcessit, sed etiam est maximè bonum hoc secundum, quod importat primam conuersionem & cõtritionem. Si ergo dicente Concilio, in omni opere bono nos nõ incipimus, sed Deus est, qui incipit: ergo etiam in executione conuersionis priùs incipit Deus: ergo efficax illud auxilium, quo Deus concurrit in actuali illa conuersione, est prævium & priùs natura, & est concursus in causam. Et quòd hoc ita sit, ostendõ planè. Nam si Deus vellet aliquẽ conuertere subito sine præuijs dispositionibus, tũc negari non potest quin gratia esset prævia, & quòd esset influxus efficax in arbitrium eius, qui conuerti tur, & nihilominus in eo saluatur liberũ arbitriũ; sicut saluatur in confirmatis in gratia, & in Beata Virgine, & in Christo Domino: ergo pari ratione saluatur arbitrium liberum in eo, qui modo actuali ter & efficaciter conuertitur, etiam si intelligamus prævium illud & efficax auxilium. Vndè; decipiun tur aduersarij credentes, efficax auxilium, & efficacem influxum, atque concursum Dei, non esse concursum efficacem, & eminentissimum in arbitrium ipsum, sed in effectum & in actionem, sicut in naturalibus dicunt euenire. Est enim dispar ratio prorsus; quia licet in naturalibus concursus Dei non esset concursus in causam, vt illi dicunt; sed in actionem & in effectum; tamen in supernaturalibus conuersionibus arbitrij nostri, talis concursus efficax debet esse concursus, & influxus in causam & in ar bitrium nostrum, & non tantum in actionem & in effectũ. Quia in naturalibus præintelligitur in causis agentibus prævia forma, quæ est principium agẽ di in eadem causa, & est insita causæ & commensu rata, atque proportionata actioni. At verò, liberum arbitrium secundũ se spectatum, est quid naturale, & non habens proportionatam formã ad supernatu ralem actionem: ergo vt exequatur & in exercitio compleat efficaciter conuersionem, indiget intra semetipsum forma efficaci supernaturali, ad execu tionem efficacem conuersionis. Et consequenter, il le concursus erit concursus prævius in causam & in arbitrium nostrum; ac proinde ex ratione super naturalitatis actus efficiendi, & ratione efficaciæ eius, requiritur, quod sit prævium & antecedens auxilium. Quo circà Sancti infirmitatem nostram & necessitatem supernaturalis auxilij cognoscentes, sæpius affirmant, ex nostris viribus nihil supernatu rale posse, sed à Deo recipere omnem virtutem & influxum, quia ipse dat velle & perficere, & facit nos eligere tale bonum. Vnde, Augustinus vocauit vo luntatem nostram pedisequã, potissimè in conuer sione ipsa, & Philo antiquissimus lib. 4. allegoriarũ legis, explicans illud Deutero. 30. Considera quòd hodie proposuerim in conspectu tuo vitam & bo num, & è contrario mortem & malum, elige ergo vitam vt viuas: Sic ait Philo Iudæus, Res est, quòd cùm vtrumque Author proposuerit, quod melius est anima potest suscipere: beatius ergo est, quod non ipsa ex se eligat, sed Author eam adducat, & meliorem faciat: non enim ex se humana mens eligit bonum, sed secundum prospicientiam Dei do nantis optima. Ad quod adducit illud Numero. 16.

*D. August.*

*Phil. Iudæ⁹.*

*Num. 16.*

Nouit Deus suos, & sanctos suos adduxit ad se. Alia multa dicit his similia, quæ ibi cernenda sunt.

*Aduersarij iterum ver ponderem.*

Aduersarij nostri presi hac difficultate, nonnul li inter eos excogitarunt quòd priùs ratione, quam intelligamus ipsum actum conuersionis vnitum po tentiæ, & quasi in actu primo præstantem auxilium efficax in ordine ad hunc actum conuersionis; verè auxiliatur Deus ad hunc actum in hoc homine, & non in alio. Sed certe non bene intelligitur priori tas auxilij, & prioritas cõcursus in causam, aut quòd Deus concurrat causando, & quod illa non sit prio ritas naturæ cùm sit prioritas causalitatis, quod non aduertunt aduersarij: Et non saluatur sufficienter prioritas causalitatis per solam prioritatem ratio nis, imò verò concessa hac prioritate rationis in cau sando, latenter conceditur prioritas naturæ vera. Item: Quia priusquam intelligatur actus ille primò existens, & potentiæ vnitus vitaliter, verè intelligi mus arbitrium nostrum habere vim causandi & eli ciendi actum illum supernaturalem: ergo verè etiã intelligimus habere vim supernaturalẽ per influxũ Dei in ipsum arbitrium, & per efficaciam auxilij ad hunc hominem, & non ad illum, & ad hanc volun tatem & hunc actum in hoc homine, & nõ in alio. Et hoc est, quod non aduertunt oppositum opinan tes. Itaque, licèt in eodem omnino instanti, quo arbitrium nostrum elicit actũ, Deus auxilietur vt eli ciat; cæterùm cũ in virtute auxilij eliciat, prius in telligitur vt prævium auxilium & concursus Dei. Quia liberum arbitrium causat dependenter à Deo, vt secũda causa subordinata in ratione mouẽdi. Et ita necesse est auxilium prævè antecedens: Nõ qui dem, quod intelligatur arbitrium nostrum priùs in aliquo instanti motum; sed in vno & eodem instan ti, solùm priùs natura. ¶ Sed dicunt aduersarij, quòd vt quis operetur in virtute alicuius, non est neces se, quod prævè moueatur ab altero, sed quòd simul cooperetur cum illo, accipiendo virtutem simulta neam. Sed dico ego, hoc esse verum in causis partia libus: non tamen in causis totalibus subordinatis, in quibus vna est prior altera in agendo prioritate na turæ. Sed replicant aduersarij, quòd sicut species si mul natura cooperatur cum potẽtia; tamet in virtu te speciei elicit potentia actum; ita dicunt fieri in conuersione peccatoris respectu auxilij & concur sus diuini. Cæterum, hæc replica non est ad propo situm. Primò, quia nos loquimur de causis totalibus subordinatis. Secundò; quia est dispar ratio in exem plo adducto. Nam cùm potentia habeat ex se & ex suis viribus actiuitatẽ partialem in ordine ad actũ, sicut species, neque totaliter tribuitur ille actus speciei, neque etiam potentiæ; at verò ad actum su pernaturalem, vt sic, non habet potentia naturalis actiuitatem partialem ex sibi proprijs; sed actiuitas est ab auxilio supernaturali, & idcirco priùs natura intelligitur ille concursus & influxus Dei in ar bitrium nostrum, tãquam in causam libere elicien tem actum conuersionis & contritionis.

*Refutatio.*

*Dicunt iterum aduersarij.*

*Impugnat author.*

*Replicant aduersarij.*

*Iterum im pugnatur aduersarij.*

Rursus, prævium auxilium efficax esse constituẽ dum ratione infallibilitatis, etiam est certum; Quia cum actus conuersionis sit liber, & à potentia libera, & de se non determinata procedens; necesse est ad infallibilitatem euentus, quòd præcedat auxiliũ antecedens efficax prævium; aliàs quo pacto erit infalli-



infallibilis euentus? Et ex eadem radice, & maiori necesse est prævium efficax auxilium, ratione prædestinationis in electis. Nam cùm prædestinati sint electi antè præuisionem operum, vt fusè r.p. deduximus, pari ratione sunt prædefinita media determi nata ad cõsequutionem suæ salutis, vt infallibiliter reddantur certa media electorum, & ipsa consecutio salutis, & numerus prædestinatorum. Nam aduersarij hac sua opinione edocti & instructi, negãt, certum esse numerum saluandorum, quod esse im pium & absurdum, non tutum, & malè consonum cum fide, in comment. r.p. deduximus. Adde etiam, quòd ex ratione diuinæ prouidentiæ supernaturalis, vt sic, & ex ratione primi mouentis, necessè est constituere prævium efficax auxilium; aliàs primũ mouens liberũ, esset liberũ arbitriũ, & non haberet prouidẽtiam perfectam Deus, vt supra diximus. Tãdẽ, si non cõstituatur prævius concursus efficax, se discerneret homo, qui cõuertitur, ab eo, qui nõ con uertitur, quod satis impugnauimus.

Qua propter, cum de fide habeamus quòd datur auxilium prævenies, sequitur quòd si istud idem in continuatione ipsa redditur efficax ab arbitrio nostro, sine noua supernaturalitate, vt aduersarij fa tentur; quòd istud idem auxilium secundum se erat efficax auxilium in principio, & erat prævium: ergo antecedenter efficax prævium: ergo velint nolint, concedunt nostram sententiam. Igitur vt infallibi liter & sine defectu fiant, quæ à Deo præordinata & prædiffinita sunt, vt ita eueniant per actiones libe ras hominum, necesse est constituere prævium auxi lium efficax eminenter in se continens omnem mo dum liberi & contingentis. Et hoc probant omnes rationes supra tactæ, & omnia testimonia Scripturę, Conciliorũ, & Sanctorũ. Itaq; non tantũ ex intrinse ca ratione actus supernaturalis requiritur tale auxi liũ efficax; sed tũ ex illa, tũ etiã ex ratione infallibi litatis, & prædestinationis in electis & ex ratione primi mouentis, & ex ratione subordinationis libe ri arbitrij ad Deum in ratione agendi & causandi, & quia aliàs se discerneret homo. Et profectò, quo tiescunque homo excitatur supernaturaliter à Deo, ipse homo inuitatur ad conuersionem, & ad auxi lium illud prævium, quod illi offert inuitando ip sum. Cæterum, peccator resistit & renuit, & aliquan do addit peccata. Et ob id nullo modo negare opor tet, homines non posse conuerti in Deum, aut quòd non habet homo omnia requisita, vt possit conuer ti. Nam quòd non conuertatur, prouenit quia ante cedenter ad conuersionem renuit & resistit homo uæ conuersioni.

### *Quinta conclusio.*

*Conclus.* QVinta conclusio. In actionibus prauis & culpa bilibus, quales sunt fornicatio, homicidiũ, quæ libere proueniunt à libero arbitrio, non datur auxilium efficax prævium antecedens, quod deduc at liberum arbitrium ad opus priùs natura, aut priùs tempore; Sicut contingit in bonis operibus. Nam cum Deus non sit causa peccati, sed solum liberũ arbitriũ, neque velit fieri iniquitatẽ, neq; adul terium aut homicidium, vt in materia de peccatis diximus: sequitur, quod nõ mouet prævè & antece denter ad peccatum & in hoc habet verum, quod concursus Dei in peccatis, seu in actionibus ipso rum peccatorum est concursus, non in causam præ uiè mouendo ad peccatum, arbitrium ipsum, sed quod est concursus in actionem ipsius causæ, & quòd concursus generalis Dei in ordine ad actio nes illas peccaminosas, cùm non sit concursus in causam, & in arbitrium nostrum, sed solum in actio nem, cùm sit generalis concursus, habet indifferen tiam quandam à Deo volitam, vt pro diuersitate in fluxus causæ secundæ, sequatur potiùs actio huius speciei, quam alterius: Quia cùm Deus non prædefi niat actus malos, neque iniquitatem, non determi nat liberum arbitrium, neque mouet prævè efficaciter ad actiones malas. Et satis est; quòd ad actionẽ, verbi gratia, occidendi, concurrat Deus concomitanter per influxum in actionem, & nõ in arbitriũ, vel satis est, quòd concurrat concomitanter cum ar bitrio eliciente actũ vitalem. Et nihilominus, Deus prędefinit permissiones peccatorũ, & vult permitte re peccata. Nã certa res est, q; Deus permittit pecca re plures subtrahendo ab illis auxilium efficax: Nã Propheta dicit, dimittere Deum quosdam secũdum desideria cordis eorum, & quòd ibunt sic in adin uentionibus suis. Et Isai. Propheta cap. 57. Percussi eum, & auerti faciem meam, & abijt vagus in vijs cordis sui. In quibus locis indicatur infirmitas no stra, & difficultas ingens resurgendi à peccato, & carentia efficacis auxilij prævij. Et profecto; suaui prouidentiæ Dei conuenit, quòd cùm arbitrium no strum deficere possit plerumq;, decernat velle per mittere defectum, & quòd sæpius deficiat homo. Quod autem homo se subtrahat ab auxilio Dei, id in eundem hominem reducitur. Vnde, ad negatio nem auxiliorum, & ad prauam voluntatẽ hominum, voluntariè agentium voluptuosa, & quæ alliciunt ad delectationes prauas, reducunt Sancti indu rationem & excæcationem. Nam August. dicit, quòd Deus dicitur indurare, non impartiendo malitiam, sed non impartiendo gratiam. Et quamuis Deus ve lit permittere peccata, & prædefiniat permissiones in hominibus; non tamen sequitur iniquitas aut pec catũ, ex illo actu, quo Deus vult permittere pecca tum: Quia ille actus Dei est bonus, & de bono obie cto, quamuis consequentia valeat, quantùm ad illa tionem logicam, non physicam, neque efficientem: Deus permittit & vult permittere peccata in his ho minibus, & non prædefinit bona opera ab ipsis effi cienda, & non vult dare efficax auxilium: ergo ex eorum praua & renuente voluntate, sequetur pec catum permissum: Quia si Deus vellet permittere grauissimam & ingentem tentationem vel carnis, vel detrimenti in honore illati ab inimicis; tunc non posset resistere, nisi ex auxilio efficaci prævio: ergo si Deus quamuis inuitaret hominem ad bonũ per gratiam prævenientem, nollet de facto dare prævium efficax auxilium; tunc ex illa tali permis sione posita benè colligitur, vel peccatum carnis, vel iræ. ¶ Sed objciunt aduersarij, quòd licèt mala quæ consistunt in omissione possent infallibiliter sequi ex eo, quod non sunt determinata bona mora lia positiua, vt ex eo quòd non est determinata à Deo, quod audiat quis Missam, neq; ad id præmoue tur à Deo, infertur quòd non audiet missam; at ve rò alia peccata positiua adulterij & furti, quo pacto sequi

*Isai. 57.*

*D. August.*

*Adhuc obij ciunt aduer sarij.*

sequi possunt infallibiliter ex negatione auxilij determinatis ad bonum propositum. Nam ex eo quòd non diligam,non sequitur, quòd odio habeam. Nã aliàs talia peccata possent cognosci à Deo ante eo existentiam in æternitate. ¶Profectò, difficilis est obiectio hæc; cæterum habet difficultatem commu nem cum cæteris, quæ in hac materia difficultatem pariunt.Et in primis aduertendum est, nos nunquã dicere,quòd sequuntur peccata per illationem physicam,ex vi illius voluntatis diuinæ permissiuæ,sed quòd solum sequitur Dialectice,Deus vult permittere peccatum, & tentationem ingentem carnis,& non vult dare antecedenter & præuiè efficax auxilium ad resistendum: ergo sequetur peccatum intẽperantiæ & incontinentiæ.Et sane,cũ Deus cognoscat futura conditionata libera,& contingentia; & infallibiliter ea cognoscat: & non cognoscat ea, prout in æternitate existentia; Siquidem illa nunquam erant futura,nonvideo ego cur Deus volens permittere peccata cum rationibus, & circunstantijs quas aperiemus,non cognoscat illa peccata futura suppositia sua permissione;& voluntate permittendi illa peccata;præter coexistentiam in æternitate.Supponimus secundo, Deum neque prædefinire peccata, neque influere auxilio præuio, & antecedente ad actionem illam, aliàs peccaminosam, vt paulò antea deduximus.Suppono tertio,Deum posse velle,& de facto velle permittere peccata in cõmuni,quæcumque illa sint; & hanc voluntatem volendi permittere peccata quantùmcumque grauia sint,& pessima,esse bonam voluntatem,cùm sit voluntas permissionis culparum & peccatorum, & non sit voluntas peccatorum, sed solius permissionis cum negatione auxilij præuij efficacis, & alijs annexis, quæ iure & merito Deus potest non dare homini peccatori; Atq; adeò, sicut Deus potest velle permittere peccata in communi; ita potest velle permittere hæc peccata in hac specie, & hæc peccata, hic & nunc, postquam permissio peccati est bona.Neque video cur Deus possit velle permittere peccata in communi,& non possit velle hæc peccata in hoc tempore aut in illo, non dando vberrima auxilia,aut efficacia suppositis circunstantijs occurrentibus, & pessimis moribus quorundam hominum,aut tentationibus & impedimentis oblatis. Ita insinuat Damasc.2.lib.fidei Orthodoxæ. cap.29. de diuina prouidentia. Et quidem priùs est Deum voluisse permittere peccata in hoc homine,quã vel le permittere hæc,aut illa peccata; & ex suppositione prioris permissionis in communi in hoc homine, & circũstantiarum occurrentium, & aliorum, quæ diximus,sequitur quasi secunda permissio,qua Deus voluit permittere hæc peccata. Vnde, quamuis permissio peccatorum in communi in hoc, aut in illo homine fiat ante præuisionem operum,tamẽ permissio indiuidualis in hoc homine respectu talium peccatorum, supponit præuisionem multorũ, vt dictum est.Et ob id, non eueniunt peccata, aut sequuntur in virtute talis permissionis per physicã illationem: hoc enim semper negandum est; quia solùm assueramus validam esse consequentiam dialecticam, Deus permittit & permisit hunc hominem peccare suppositis tentationibus,& occasionibus oblatis, non dando efficax auxilium præuiũ, neque repellendo,quæ eum perturbare possunt:ergo ille homo de facto peccabit.Imò verò interdum ex praua inclinatione acquisita,& prauis atque corruptis moribus, & excommunicatione cum prauis hominibus,nẽpe hæreticis,aut Saracenis, vel alijs, si Deus non dat de facto, & antecedenter præter communia auxilia sufficientia minora,auxilium illud antecedens efficax & præuium,& vult permittere illum hominem labi;optima & certa est consequentia dialectica: Ergò ille peccabit tali tempore determinato,suppositis talibus circunstantijs & tali educatione, talibusq; impedimentis, &c. Vndè, non tantum inferuntur peccata omissionis, sed etiam colligitur futura esse peccata commissionis in bona consequentia,in sensu explicato. Per hæc quæ diximus dissoluitur obiectio aduersariorum & explicatur qualiter ex permissione in bona consequentia sequatur certò,futura esse peccata. Et sicut sequitur futura esse peccata in communi,ita & peccata in particulari propter rationes tactas. Et quia aperte cernimus in plerisque hominibus,suppositis circunstantijs occurrentibus, prauisque moribus eorum cum quibus conuersantur, & ingentissimis interdum tentationibus;talia peccata nunquam vitari,nisi per efficax auxilium,quod Deus(vt supponimus) de facto non dat,cùm statuerit apud se velle permittere hæc aut illa peccata in hoc homine; in voluntate hac permissiua, includitur voluntas, qua de facto non dat efficax auxilium præuium.

*Dissoluitur contrariorũ obiectio.*

*Damas.*

### *Argumenta initio facta soluuntur.*

*Ad argu ta Ad.*

AD argumenta initio huius disputationis posita. Ad primum respondetur negando consequentiam, & negando quòd sine auxilio efficaci præuio & antecedente conuerterentur. Et pariter etiam negando, quòd æquali auxilio ex parte Dei existente,Iudęi non conuertebantur,& Tyrij & Sidonij conuerterentur. Vnde,cùm dicit Scriptura, pœnitentiam egissent,id refertur ad id,quod de facto futurum esset,quod idem est, atque dicere,Pœnitentiam egissent,ideſt, de facto Deus dedisset illis pœnitentiam, & hoc est indubitatum. Quia pœnitentiam agere, donum Dei est, & hoc non donatur illi, qui non agit pœnitentiam. Quòd si dicas, Cùr Christus dicat, quòd positis illis virtutibus & miraculis, daret pœnitentiam Tyrijs & Sidonijs, quam de facto non dabat Iudæis, efficaciter corda illorum emolliendo, vt conuerterẽtur & resipiscerent?Respõdetur,Christum Dominum in hac reinstituarè voluisse,Iudæos peiores esse Tyrijs & Sidonijs, siquidem magis resistebant Deo, & maiora peccata cumulabant, & peiores erant etiam visis miraculis & receptis virtutibus, quas illi populo dederat Christus:Et ob id, denegari illis merito & iure efficax pœnitentiæ auxilium, cuius sane auxilij minus indigni erant Tyrij & Sidonij, & minus restitissentChristo,minoraque peccata addidissent, ad quos si Christus venisset,virtutes illas faciens insignes,& prædicans,misericorditer Deus emolliret corda eorum,quæ minus indigna erant, & minnùs restitissent:& ob id remissius erit illis in die iudicij, quam perfidis Hebræis. Et in hac re simile est illud quod Dominus adducit de Niniuitis Matth.12. dicens,quòd Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione

*Matth.*



ratione hac,& condemnabunt eam; quia ipsi pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ,& ecce plus quam Ionas hic. Vndè, non vult Christus significare, Niniuitas egisse pœnitentiam cum minoribus auxilijs internis,sed quòd Iudæi maioribus auxilijs externis sibi oblatis,magis restiterunt,magisque indigni erant, vt ipsos Deus efficacioribus inspiratio nibus prosequeretur, interius excitando ad pœnitentiam.Quarum inquam inspirationum minùs indigni fuerunt Niniuitæ,& minùs restiterunt;ac proinde misericorditer illis contulit Deus pœnitentiã in prædicatione Ionæ. Quocircà, intentio & mens Christi est,maiora peccata,grauioremq; cordis duritiam obiecisse,magisq; restitisse Iudæos suprà Tyros & Sidonios,& suprà Niniuitas, Threnor. 4. Et maior est iniquitas populi mei peccato Sodomorum; remissiùs enim erit terræ Sodomorum in iudicio,quam perfidis illis Iudæis, qui Christum repulerunt. ¶Sed dices, Tyrij & Sidonij non erant prædestinati:ergo licèt Christus prædicaret illis,& miracula faceret apud eos, non crederent, & ita non impleretur dictum Christi. Adhoc dico primò, negando consequentiam. Nam licèt crederent, non perseuerarent, & consequenter non adimpleretur prædestinatio in illis.Solutio hæc est D.August.lib. de bono perseuerant. cap.10. quam ille refert nõ vt propriam, sed cuiusdam Catholici disputatoris. Nã August.multò altiùs putat,quæstionem esse reducẽdam ad diuinam prædestinationem: Ait enim August.Quoniam,vt crederent,non erat eis datum,& vndè crederent est negatum, neq; illis fiebat iniuria in hoc, qui iustè pro peccatis suis deserebantur à Deo.¶Dico secundò,quòd ad veritatem illius cõditionalis,non requiritur quòd in diuina prouidentia,ita dispositum esset,quòd illi,nempe,Tyrij & Sidones,essent prædestinati,si Christus illis prædicasset.Imò verò, ita defacto erat dispositum in diuina prouidentia, quòd neque Christus prædicaret illis, & quòd relinquerentur in peccatis suis.Si verò ponatur casus,quòd illi egissent pœnitentiam,si Christus illis prædicasset, statim etiam poni oporteret iuxtà regulas Dialecticæ,quòd in diuina prouidentia aliter fuisset dispositum. Vndè,ad locum Matth. & ad argumentum dici posset, quòd sicut est vera ista conditionalis, Si Iudas egisset pœnitentiam in fine vitæ, saluaretur; & tamen si antecedens ponatur inesse,debet etiam poni diuina prædestinatio:& auxilium efficax conuersionis Iudæ. Eodem igitur modo,vera est ista cõditionalis,Si ea quæ facta sunt in Bethsaida,fierent in Tyro,conuerteretur:sed posito antecedente inesse, etiam poni debet auxilium efficax præuium,seu prædeterminans.¶Sed hæc responsio non videtur sufficiens:Quia Christus dicit, quòd si id, quod applicatum est Bethsaidæ applicaretur Tyro, conuerteretur:.sed non est applicatum Bethsaidæ efficax auxilium: ergo sine illo conuerteretur Tyr⁹.Verũ hęc impugnatio nõ est efficax,neq; concludit. Quia Christus non dicit, q̃ si id, quod applicatum est Bethsaidæ præcisè, applicaretur Tyro cõuerteretur. Nã cũ non sit applicatũ Bethsaidæ præuiũ efficax auxiliũ antecedens, seu prædeterminans, sine illo,neq; Tyrus ageret pœnitentiã.Sed si Tyro & Sidoni applicarẽtur auxilia,dona, & virtutes, quæ Christus in Bethsaida fecit,dùm inuitabantur ad pœnitentiã & conuersionem, non cumulassent peccata Tyrij & Sidones, sicut fecerunt ciues Corozain & Bethsaidæ, dùm Deo resistiterunt vocãti,& inuitanti ad conuersionem,ne vlteriùs reciperent ipsum auxilium efficax conuersionis. Atq; ita, si Tyrij & Sidones,cùm inuitarentur ad conuersionem per virtutes,& sufficientia auxilia,non restitissent,addendo peccata ex suis viribus, tunc reciperent illud auxilium conuersionis, ad quam inuitabantur & vocabantur à Deo. Et hoc voluit dicere Christus. Nam si vtrique inuitarentur ad pœnitentiam & conuersionem à Deo, & alteri eorum dùm inuitantur,resisterent vocationi, ex sui arbitrij voluntate,peccata agendo & multiplicando;alij verò non multiplicarent peccata,neque resisterent vocationi per commissionem nouorum peccatorum; ex quo vltèriùs fieret Deo liberaliter donante,vt reciperent illud ad quod inuitabantur; optimè & prudèntèr diceremus, quod si virtutes, quæ in prioribus factæ sunt,fierent in posterioribus,in cinere & cilicio pœnitentiam egissent.Quia non peccantes, neq; resistentes Deo positiuè per culpas proprias, reciperent id,ad quod inuitabantur,& ita conuerterentur.Quod sanè nõ receperunt priores,quia restiterunt, & peccãuerunt. ¶Et ad replicam negatur, quòd non sit simile illud de Iuda,& negatur etiam, quòd prædestinatio non fiat ante prænisionem operum,vt dictum est à nobis in.1.part.

*Thren. 4.*

*Obiectio.*

*Responsio.*

*D.August.*

Sed obijciũt aduersarij cõtra hæc quæ dicta sunt. Si Tyrij & Sidones agerent pœnitẽtiam inuitati & excitati à Deo,quia non restitissent peccatis suis, Deo vocanti & inuitanti ad conuersionem:signum ergo est,effectum talis gratiæ excitantis pendere ab arbitrio nostro, & ratione illius posse eãdem gratiã præuenientem habere in vno effectũ & non in alio. Respondetur, q̃ efficacia effectus gratiæ non ita pẽdet ab arbitrio nostro,tanquam à causa,à cuius viribus auxilium gratiæ Dei efficaciam sumat,aut recipiat;pẽdet tamẽ ab arbitrio nostro executiuè:Quia concurrit liberè consentiendo,& liberè agendo cõuersionem, liberè pœnitendo, & liberè diligendo Deũ,in hoc sensu,quòd nõ sortitur effectũ conuersionis,neq; conuersionem ipsam,sine libero consensu,& actu elicito ab ipso arbitrio,vt suprà explicuimus.Vndè aduerte valde,q̃ cùm dicimus liberũ cõsensum,cũ auxilio efficaci diuinæ misericordiæ,ad conuersionem concurrere, hæc duo non esse distinguenda,quasi sint duo partialia agentia;sicut quando Petrus & Paulus portant lapidem,quorum alter sine altero suam influit vim,ex suis viribus; sed distinguenda sunt illa duo,sicut distinguitur agens inferius subordinatum agenti superiori,ab ipso superiori agente;veluti cum dicimus cælũ & ignẽ generare ignem;non tamẽ hæc subordinatio in naturalibus similis est per omnia,subordinationi agentis supernaturalis in ordine ad Deũ,respectu iustificationis,vt suprà diximus& latius explicabimus disput.4. seq.¶Quòd verò ex dictis sufficienter interpretetur locus Matth. citatus.c.11. liquet ex contextu literæ eiusdẽ capitis. Nam cũ populus ille Iudæorũ,murmiter resiliret,& ageret,veniẽs Ioãnes,neq; mãducãs, neq; bibens,dicebat,Dæmonium habet,& veniens Christus mãducãs & bibẽs dicebat,Ecce homo vorax,& potator vini,Publicanorũ & peccatorũ ami-

*Altera aduersariorum obiectio.*

*Responsio.*

cus; Tũc cæpit exprobrare ciuitatibus, in quibus factæ sunt plurimæ virtutes, &c. Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent. Et est appositissimus modus loquendi apud prudentes, Si quæ facta sunt cum Petro, verbi gratia, fierent cum Paulo, proculdubio non ita viueret, neque ita egisset, sicut Petrus egit ingratè se gerens, & turpiter ad beneficia recepta. Quod sanè ita dici consueuit ad exprobrationem & confusionem illius, qui beneficia accepit & malè, atque ingratè se gessit. ¶ Sed omissa etiam hac interpretatione, illa quæ à nobis relata est dissoluendo aduersariorum argumentum sufficiens est, Et legendæ sunt aliæ plures quas nos retulimus. 1. part. quæst. 23. artic. 3. disputat. 8. in responsione ad. 5. argumentum. ¶ Denique, non dixit Christus, quòd si id, quod applicatum est Bethsaidæ præcisè, applicaretur Tyro, conuerteretur. Quia cùm non sit applicatum Bethsaidæ auxilium illud efficax antecedens præuium, sine illo, neque Tyrus ageret pœnitentiam; sed solũ dixit absolutè, quòd si virtutes illæ factę in Bethsaida, applicarẽtur Tyro, agerẽt pœnitẽtiam; sed non dixit, quòd præcisè ex illis solùm; sed quia illis positis virtutibus & auxilijs, quibus inuitarẽtur & excitarentur ad pœnitentiam, non adderent, neque cumularent peccata, & consequenter Christus non interrumperet auxilia; imò addidisset efficaciam suæ conuersionis; idcircò verè & propriè dixit, quia si in Tyro & Sidone, &c. Et id non est factum cum Iudæis, quoniam restiterunt peccando. Nam veniente Ioanne & prædicante, & non mãducante, neque bibente, dicebant; Dæmonium habet; & veniente Christo manducante & bibente apud eos, dicebant, Ecce homo vorax & potator vini, Publicanorum & peccatorum amicus. En, quomodò restiterunt, & quomodo cumulabant peccata & renuebant; & ob id tunc cæpit exprobrare ciuitatibus illis, &c. Et ex dictis patet ad alia testimonia Scripturæ.

*Ad confir.* Ad confirmationem ex Concil. Trident. respondetur negando consequentiã, & aduertendo, quòd concordia liberi arbitrij, non solùm fit cum gratia excitante & vocante, sed etiam cum gratia efficaci antecedente. Nam in ipsa actuali conuersione peccatoris, vbi adest efficax auxilium, homo liberè operatur, & liberè conuertitur: Nam auxilium illud efficax, mouet arbitrium nostrum, non extrahens ipsum à propria natura. Imò verò, auxilium illud cùm sit à diuina sapientia, suauiter disponit arbitrium nostrum, & attemperat illud Deus nobis, nostræque libertati. Vndè tale auxilium eminenter continet omnem modum liberi & contingentis, &c. Quòd si aduersarij fatentur, efficax auxilium concordiam habere cum libertate nostri arbitrij in plerisque actibus supernaturalibus; Cùr Deus eandem libertatẽ concordare non poterit cum omnibus actibus conuersionis supernaturalis? & ea salua asserere auxiliũ antecedens præuium & efficax, & non tantum concomitans? ¶ Altera solutio huius confirmationis simul cum explicatione Concilij, & cum defensione circa sensum diuisum & compositum, tradita est à nobis disputatio. 2. præcedente in solutione ad primum argumentum aduersariorum. ¶ Ad Sanctos verò in eadem confirmatione citatos respondetur, non voluisse excludere hæc Dei auxilia efficacia præuia; sed solùm voluisse, Deum esse paratum omnibus, velleque omnes saluos facere, & pro omnibus meruisse Christum, & pro omnibus mortuum esse, & ad salutem vniuersalem instituisse sacramenta, & homines liberè se gerere & agere in suis actibus, consensibus & conuersionibus. Neque D. Augustinus contradicit. Nam quando inter duos vnus vult in castitate manere, alter non; sicut ponitur resistentia & peccatum in eo, qui voluit à castitate deficere, voluptuosè agendo, ita in altero liberè volente & consentiente, ponitur gratia auxilij præuij Dei permouentis, quam non excludit liber consensus voluntatis, Sicut neque efficacia auxilij excludit libertatem, aut vnũ voluisse, & alterũ noluisse.

### *Ad secundum argumentum principale respondetur.*

*Huius argumenti solutio plures dissoluit difficultates.*

AD secundum argumentum respondetur, quòd absolutè loquendo potest conuerti quilibet peccator, quandiù viator est, & hoc non potest negari, sine præiudicio fidei ab aduersarijs: Cùm ergo possit conuerti quandiù est viator, dicunt vlteriùs plerique Theologi, quòd cùm Deus excitet peccatorem, vocet, & inuitet ad conuersionem, & stet ad ostium & pulset, si ipse cooperetur his prioribus auxilijs, Deus dabit ei vberiora auxilia; atque adeò efficax auxilium antecedens: Et quoniam Deus quantum est ex se, paratus est dare omnibus, si cooperentur prioribus, quibus à Deo inuitantur, imputatur illis, & non Deo, quòd in re, & de facto non habeant efficacia auxilia. ¶ Sed contra responsionem hanc *Obijcit author.* obijcio. Nam Deus statuit efficaciter apud se non da rẽ hæc efficacia auxilia, etiam antequam videret bonum, vel malum vsum voluntatis istius: ergo non est paratus dare. Rursùs, Si Deus est paratus dare, quid expectat? Cur nõ dat? Nam si expectat vt homo cooperetur suo auxilio per vsum liberi arbitrij: ergo iam in liberũ arbitrium reducitur. Nam ad istũ vsum, & cooperationem requiritur auxilium efficax: ergo fustrà & illusoriè permittitur auxiliũ esse efficax, si fecerit id, quod sine ipso auxilio efficaci facere non potest; Vt si Deus ita polliceretur alicui, Aperi oculos, & si eos aperueris, dabo tibi auxilium requisitum, vt illos aperias. Vel si cæco præciperet, vt videret, promittens se daturum illi potentiam ad videndum, si id fecerit. Si dicas, In ordine gratiæ esse diuersos actus, & ille qui priores fecerit, disponitur, vt Deus tribuat ei auxilium efficax ad perfectiores, Contra, Nam de primo & imperfectissimo, qui requirit nostrum consensum, de isto etiam militat posita difficultas. Quoniam si ad illum non prærequiritur auxilium efficax prædeterminans, par ratio erit de alijs. Iam enim ad consensum prioris referuntur subsequentes. Quia ille ordo actuum, licèt communiter & regulariter reperiatur; tamen non est per se absolutè necessarius, vt patet in eo, qui subitò in instanti iustificatur; & in eo, qui in vltimo vitæ instanti potest iustificari; & tamen non potest in illo præciso nunc, habere successionem talium actuum. Quòd si semel admittas, ad aliquem actum quantumuis imperfectum, nõ prærequiri efficax auxilium prædeterminãs; tũc facilè



facilè ruunt omnia fundamenta nostræ sententiæ.

*Solutio obiectionis.* Hanc obiectionem quam modò retulimus, magnificant aduersarij. Sed mirabile est, quo pacto non videant eandem obiectionem militare contra eos. Quoniam, quid mea interest ad difficultatem huius obiectionis, quòd auxilium efficax, sit præuium antecedens, vel sit tantum concomitans, vt illi dicũt: Nam concomitans etiam est efficax, vt ipsi fatentur. Et hoc concomitans est intrinsecè requisitũ ad actũ conuersionis; sed hoc non habent omnes, nempe; illi, qui de facto non conuertuntur: ergo non habẽt requisitum auxilium vt cõuertantur: ergo absolutè non habent auxilium sufficiens. Nam si haberent efficax concomitans, de facto conuerterentur, vt aduersarij fatentur & tenentur fateri. En quomodo militat eadem difficultas contra ipsos. Rursus, Deus quibus non dat conuersionem, pariter non dat concomitans auxilium, & cùm hoc contingat in tempore, sequitur, quòd statuit ab æterno apud se ipsum non dare huiusmodi auxilium: ergo non est paratus dare. Vide ergo quo pacto militat eadem difficultas constituendo efficax auxilium concomitans, quæ militat constituendo efficax præuium. Vndè, aduersarij tenentur soluere eandem obiectionem.

*Hæreticis S. Tho. 3. p. q. 86. art. 2.* Dicendum est ergo, nullum esse peccatum, de quo homo in hac vita non possit habere veram pœnitentiam; & consequenter erroneum est asseuerare, quòd homo in hac vita quandiu est viator, non possit conuerti in Deum de quauis multitudine peccatorum. Et idcircò Deus vocat omnes, vt conuertantur, & dicit se nolle mortem peccatoris, sed *Ezech. 18. & 33.* vt magis cõuertatur & viuat, Ezech. 18. & 33. Quod duplici similitudine expressit Scriptura, Prima habetur Isai. 49. *Isai. 49.* Nunquid obliuisci potest mulier infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui? & si illa oblita fuerit; ego tamen non obliuiscar tui: Ecce in manibus meis descripsi te, muri tui coram oculis meis semper. Secunda similitudo habetur Ie- *Ierem. 3.* rem. 3. Tu fornicata es cum amatoribus multis; tamen reuertere ad me dicit Dominus. Vndè. 2. Pe- *2. Petri 3.* tri. 3. Patienter Deus agit propter vos, nolens aliquem perire, sed omnes ad pœnitentiam reuocare. Cùm ergo hæc sit fides, ex ea optimè sequitur, Deum tribuere requisita auxilia, & sufficientia ad salutem, id est, nemini denegare auxilia gratiæ ad conuersionem necessaria. Nam definitum est in *Con. Milenitanum. Arausican. Tridentinũ. Lateranen. Gelas. Papa* Concilijs Mileuit. Arausic. Trident. Neminem hominum posse salutem consequi, sine auxilio diuinæ gratiæ. Cùm ergo (vt definitur in Concilio Lateranense) omnibus hominibus pateat aditus ad pœnitentiam, & nullus sit omninò destitutus diuino auxilio, vt Gelasius Papa definit, in libello de vinculo anathematis; sequitur, quòd omnibus patet aditus ad habendum auxilium, quo possint pœnitere, & conuerti in Deum. Nam si homo destitueretur omni prorsus auxilio, & denegaretur homini, non posset conuerti; & consequenter non peccaret non se conuertendo, quamuis peccaret si malè operaretur: Sicut non peccaret non videndo, qui non haberet oculos, vel si neque haberet concursum Dei, neque Deus esset paratus ad ei tribuendũ talem concursum.

¶ Iam ergo dicamus ad argumentum, quòd Deus ab æterno statuit non deesse hominibus, quantùm est ex se, & idcircò statuit inuitare omnes, & proponere ea auxilia, quibus ad conuersionem & suam salutem inuitantur, eisque hæc offerre; & ob id sedulò & diuculo pulsat ad ostium. Et cùm hæc voluntas positiua & præambula sit in Deo, simul cernit quosdam deficere, resistere, & resilire dum eis offeruntur hæc auxilia, & dum inuitantur ad salutem suam. Vndè, cùm hæc Deus præuideat, decernit secundum occultum eius iudicium, non dare illud ad quod inuitabat, nempe; efficax auxilium conuersionis. Itaque, priùs est, quòd Deus statuerit apud se nulli hominum deesse, sed omnibus offerre sua auxilia, omnesque inuitare ad nuptias suæ conuersionis & salutis, & hac supposita voluntate generali & communi, deinceps cùm viderit plures resilire, & peccata cumulare, tunc intelligitur decreuisse plerisque eorum, qui restiterunt & resistebant, non dare de facto efficacia conuersionis auxilia, quòd sanè non est sequutum ex voluntate illa communi & benefica Dei, sed magis ex resiliente voluntate peccantium & pereuntium, qui restiterunt. Vndè, non statuit Deus efficaciter non dare hæc auxilia voluntate illa generali & communi, sed potiùs decreuit in illa sua voluntate communi, inuitare omnes ad omnia auxilia. Et ob id non est dicendum, quòd Deus non est paratus dare, aut quòd denegat requisita omnia auxilia. Et quando arguitur. Statuit efficaciter non dare: ergo non est paratus dare: Distinguo antecedens, Statuit non dare, quantùm est ex se, aut in voluntate illa benefica, qua omnes inuitat ad conuersionem, nego antecedens: Sic enim antequam bonum, vel malum vsum videret, potiùs è conuerso omnes inuitabat, & vocabat ad conuersionem, & ad omnia sua auxilia. Statuit non dare, id est, cernens plures restitisse sibi inuitanti, & offerenti, decreuit non dare illis efficacia auxilia conuersionis in plerisque euentibus; concedo antecedens. Cæterùm hoc non est Deum absolutè non esse paratum dare, aut efficaciter statuisse non dare; sed solùm est supposito, quòd omnes inuitabat, & omnibus offerebat omnia auxilia conuersionis, cùm viderit plures debuisse resistere, decreuisse illis nolentibus conuerti, relinquere sine conuersione; & hoc includebatur rationabiliter etiam in illa voluntate communi & antecedenti per modum cuiusdam illationis. Nam cùm primum Deus statuit omnes inuitare, & omnibus offerre auxilia conuersionis, ex hoc sequitur, quòd si contigerit inuitatos renuere, & resilire conuiuium Dei offerentis, relinquere aliquos secundum desideria cordis eorum, cùm ipsi hæc dùm restiterunt, voluerunt & desiderarunt. Neganda igitur est consequentia cum dicitur, Ergo non est paratus dare. Quia non est, non esse paratum dare aliquid alicui, si cum ego sum verè paratus dare, alteri deinceps contradicenti & renuenti, ego annuens voluntati eius, qui contradicit, & non vult recipere, decernam non dare. Cum ergo omnis contradictio & resistẽtia à nobis incipiat, & ex nobis sit, dicẽte Domino; Perditio tua ex te Israel; tantummodò ex me auxiliũ tuum; apertè sequitur, quòd illud decretũ nõ dãdi, sequutũ est, nõ ex volũ-

*Solutio arg. quæ ab aduersarijs pro ponuntur.*

tate ipsa Dei præcisè, cùm ex se Deus oppositum voluerit, imò cùm quantùm est ex se inuitauerit ad gratiam conuersionis; sed sequutum est ex repugnãtia, contradictione, & resilentia, atque à praua voluntate peccantium. Et quando dicitur, Si Deus paratus est dare, quid expectat? cur non dat? Dico, quòd non dat, quia restitit homo, & renuit malè agendo. Fateor, quòd potuit Deus voluntate beneplaciti & efficaci, dare hæc efficacia auxilia de facto omnibus; Verumtamen, cùm decreuisset Deus omnes inuitare ad se ipsum, suique conuersionem, cernens homines esse arbitrio liberos, decreuit eos etiam relinquere in manu consilij sui; Et ita decreuit, vt si qui illorum restitissent Deo, aliqui eorum ex Dei iusto iudicio (vt inquit Augustinus) non recipe rent efficacia auxilia conuersionis, ad quæ recipienda inuitabantur à Deo. Et in hoc maximè cernitur suauitas diuinæ prouidentiæ, quæ ita se agit cum libero arbitrio deficiente.

*Solutio quorundã Theologorum.*

Alij Theologi dicunt, eos omnes, qui de facto nõ conuertuntur, habere auxilium sufficiens ad hoc, vt possint conuerti, & habere requisitum, quo ad conuersionem de facto inuitantur, sed non habere auxilium efficax præuium, quo de facto conuertantur. Quia cùm possint habere illud, imò cùm inuitentur ad illud, re ipsa non habent ob culpam suam.

## *Argumenta & obiectiones contra præfatam solutionem, & contra decisionem quæstionis supra factam.*

HVnc modum dicendi, quem antiquiores Theologi ante nos tradiderunt, dicunt nonnulli hac ætate, nullibi reperiri apud Sanctos, & esse contra rationem. Quoniam non est sufficiens potentia, quæ aliam vlteriùs in ordine ad actum requirit; sed potentia, quam ille homo habet adhoc, vt conuertatur, requirit auxilium efficax præueniens, quod nõ habet: ergo non habet sufficientem potentiam; atq; adeò neque sufficiens auxiliũ vt conuertatur. Quod patet. Nam si Deus statueret non concurrere ad loquendum cum Petro; tunc Petrus non habet auxilium sufficiens ad loquendum, neque imputaretur ei, quòd non loquatur. Quia adhoc vt loquatur, requiritur concursus Dei, quem non habet: sed ita per te requiritur hoc auxilium efficax adhoc, vt conuertatur: ergo qui illud non habet, non habet auxilium sufficiens adhoc, vt conuertatur, neque illi imputabitur. Nam magis necessarium est hoc auxilium ad conuersionem, quàm lux ad visionem: sed si Deus alicui denegaret lucem, non dedisset auxilium sufficiens ad videndum, licèt dedisset ipsam potentiam, quia præter potentiam requiritur lux, vt possit videre; sed præter omnia, quæ habet ille homo requiritur auxilium efficax, vt possit conuerti: ergo si illud non habet, non habet sufficiens auxilium. Nam similiter diceremus, eum qui est in tenebris habentem potentiam visiuam, habere auxilium sufficiens, vt possit videre; non tamen vt de facto videat. ¶ Et confirmant. Quia ideò tunc ille homo non posset videre, quoniam non habet in sua potentia omnia requisita ad visionem: sed ille cui est denegatum auxilium efficax præueniens, non habet in sua potestate id, quod est requisitum ad conuersionem: ergo non potest conuerti.

*Confirm.*

*Argum.*

¶ Item etiam; quia si auxilium illud non est sufficiens ad operandum: ergo neque ad salutem. Quia salus non consistit in posse, sed in operari. Rursùs, Si est auxilium sufficiens vt possit: ergo sufficiens vt operetur. Nam potentia in tantùm dicitur posse, in quantùm habet sufficientiam ad operandum: Ignis enim in fornace Babylonis, absolutè non poterat comburere; & si esset agens liberum, non ei imputaretur, quòd non combureret. Similiter ergo in proposito. Et confirmatur. Quia potentia est in ordine ad actum: ergo illa est sufficiens potentia, quæ est sufficiens ad eliciendum actum: ergo si auxilium non est sufficiens, vt voluntas cum illo eliciat actum, neque erit sufficiens, vt possit elicere. Et confirmatur iterum. Quia Deus non tantum vult homines posse saluari, sed saluos fieri: ergo non tantum debet dare sufficientia auxilia ad posse, sed etiam ad salutem de facto; aliàs non prouidisset omnibus, omnia requisita ad finem, ad quem eos eleuauit; Sicut non dedisset homini omnia requisita ad videndum, si dedisset tantum potentiam visiuam, & esset determinatus non dare lucem, vel non præstare suum concursum generalem.

*Confirm.*

*Confirm.*

Hæc argumenta, suprà diximus habere eandem difficultatem in omni sententia, & fere militare in omni opinione. Quoniam etiam auxilium efficax concomitans, est requisitum ad concursum, & ad conuersionem; sed non omnes habent tale auxilium: ergo non omnes habent requisita ad conuersionem: ergo non omnes possunt conuerti.

*Respondet aduersarij.*

¶ Sed respondẽt aduersarij adhoc, quòd hoc nullo modo est ad rem, quia est ignorare id, in quo consistat difficultas quæstionis. Quoniam si auxilium efficax est præueniens, præintelligitur ante actum; atque adeo computatur inter ea, quæ se tenent ex parte potentiæ. Et ob id, qui illud non habet, non habet sufficientem potentiam ad actum; at verò auxilium concomitans, est ipse actus; & ideò, qui illud non habet, non caret potentia, sed caret actu, quia non vult habere illud cùm possit.

*Refutatur.*

¶ Sed profectò est mirabile, quàm pertinaciter adhæreant isti suæ sententiæ, & quàm valdè decipiantur. Nam falsum est dicere, quòd efficax auxilium supernaturale à Deo procedens, siue sit præuium antecedens, siue simul concomitans liberum arbitrium, non se teneat ex parte potentiæ; ita vt non sit concursus in potentiam ipsam. Imo tota potentia ad actum conuersionis, fundatur in ipso auxilio. Quia cùm actus conuersionis sit supernaturalis, potentia ad ipsum actum, debet esse supernaturalis formaliter loquendo; Fit autem supernaturalis ipsa potentia per auxilium illud, & per concursum illum supernaturalẽ. Falsum est etiam, quòd auxilium concomitans non recipiatur in potentia, aut quòd ipsum & potentia concurrant, vt duæ causæ partiales, vt suprà diximus. Et quando dicitur, quòd auxilium concomitans est ipse actus, & quòd ob id, qui illud non habet, non caret potentia, sed caret actu; Si intelligas esse ipsum actum, id est, non esse influxum supernaturalem in potentiam, quo ipsa eleuatur cùm efficaciter agit, falsum dicitur.



dicitur. Nam concomitans auxilium, cùm dicat supernaturalitatem secundum se, & potentia non nisi vt eleuata producat actum supernaturalem, non potest intelligi, quo eleuetur de facto, nisi per receptionem illius concursus in se ipsa, quo in ratione principij proportionetur actui, vt sic producat ipsum actum conuersionis. Vndè, tentabimus respondere ad obiectiones istorum, circa quas lege quæ nos diximus in 1. part. quæst. 23. artic. 3. disputat. 4. & 5. & 7. & 8.

## *Solutio obiectionum.*

*Ad obiectiones aduersariorum.*

*Ad primã.*

AD obiectiones ergo seu argumenta cum suis cõfirmationibus, quæ paulò antea proponebãtur ex aduersariorũ sententia: ad primam respondetur, quòd quilibet adultus habet sufficiens auxiliũ ad suam salutem per modum actus primi. Vndè, potentia quam habet homo ad hoc vt conuertatur, cũ vocatur à Deo, cùm inuitatur ad conuersionem, cũ excitatur, sufficiens est per modum actus primi ad hoc, vt possit conuerti, quamuis non habeat auxiliũ efficax per modum actus secundi. Vndè, licèt homo non semper in actu secundo, & in actu exercito accipiat permotionem actualem conuersionis; tamen hoc non tollit potestatem, vt conuerti possit: Quoniam in actu primo habet omnia necessaria ad conuersionem. Imò verò, Deus paratus est dare motionem illam actualem ad conuersionem, nisi homo re filiat. Hæc doctrina fundatur in sententia D. Augustini. lib. de correct. & grat. cap. 12. & in D. Damasc. lib. 2. fidei ortho. cap. 29. & in S. Tho. 1. 2. q. 109. art. 10. ad. 3. Quo loco ait, quòd homo in primo statu accepit donum per quod perseuerare posset; non autem accepit donum, quo perseueraret de facto. Et idem repetit Augustinus de natu. & grat. cap. 48. Et ob id, Theologi dicunt, quod donum perseuerãtiæ dupliciter datur alicui; Vno modo, vt possit perseuerare quomodo datum fuit Adæ; altero modo, vt perseueret, & hoc pacto datum fuit Paulo & Apostolis. Sic ergo dicimus, omnes habere in actu primo auxiliũ, quo possint conuerti, & sic non deesse illis potentiã vt conuerti possint; non tamẽ habere de facto in actu secundo efficax auxilium, quo in actu secundo, & in actu exercito conuertantur; inuitari tamen à Deo vt conuersionem efficiant & recipiant. Vndè; Catholici Theologi respondentes difficultati de homine reprobo, cui non datur efficax auxilium vt conuertatur, dicunt, quòd reprobus non habet de facto efficax auxilium, quo efficaciter conuertatur. Et quamuis hoc non habeat in actu exercito, & in actu secundo; dicunt tamen Deum esse paratum conferre auxilium efficax quantum est ex se, si ipse non refiliat, aut si non contradicat & resistat. Et dicunt vlteriùs Deum non statuisse non dare, nisi post præuisam contradictionem, & postquam restiterunt. Nam etsi præuiderit Deus peccati contradictionem, multaq; mala, quę post permissionem Dei sequebantur; noluit tamen ex liberali eius misericordia omnibus negare auxilium efficax, aut actum secundum conuersionis; sed quibusdam negauit, quibusdam verò non; sicut sibi placuit. Quocircà, hic discursus non est efficax, reprobus sine efficaci auxilio non potest conuerti in vltimo vitæ instanti: sed reprobus non habet auxilium efficax: ergo non potest saluari: ergo caret requisita potentia ad conuersionem & salutem. Hic inquam discursus non est validus. Nam distinguenda est maior: Si enim faciat hunc sensum, quòd reprobus antequam in actu secundo recipiat efficax auxilium conuersionis non possit conuerti, id est, non habeat veram potentiam ad conuersionem, id quidem falsum est. Nam (vt retulimus ex sententia D. Thom.) quilibet viator quandiu est in hac vita, potest conuerti in Deum, & hæc potentia fundatur in gratia Dei; & meritis Christi; quia verè potest saluari. Si verò faciat hunc sensum; quòd reprobus actu carens efficaci auxilio Dei, potest actu conteri & conuerti in actu secundo, & in actu exercito; sic verè dicitur, reprobum sine tali efficaci auxilio non posse conuerti, ita vt fiat reductio ad actũ conuersionis, sine efficaci auxilio Dei. Et ad minorem, cùm dicitur: Sed reprobus non habet auxiliũ efficax. Dico, quòd quamuis nõ habeat in actu exercito, & in actu secundo; tamen Deus paratus est cõferre auxilium efficax, si ipse non contradicat, & resistat Deo inuitanti ad conuersionem. Fauet huic sententiæ inter iuniores, Bartholom. Medina. 1. 2. q. 109. art. 10. in responsione ad quoddam argumentum. ¶ Si dicas, Deus statuit efficaciter non dare: ergo non est paratus dare. Dico, Deum non statuisse non dare, nisi illis renuentibus, vel impedimentum præstantibus, aut peccatum habentibus: & ob id diximus, quòd non statuit Deus efficaciter non dare hæc auxilia volũtate illa generali & communi, sed potiùs in illa decreuit inuitare omnes ad omnia auxilia. Quare, distinguo antecedens; statuit non dare quantum est ex se, aut in voluntate illa benefica, qua omnes inuitat ad conuersionem, nego antecedens: statuit non dare, id est, cernens plures restitisse sibi inuitanti & conuersionem offerenti, decreuit plerisq; eorum non dare efficacia auxilia conuersionis; concedo antecedẽs; Cæterùm hoc non est Deũ absolutè non esse paratum dare, vt supra ostẽdimus dissoluentes obiectionem quãdam aduersariorum, in discursu huius secundi argumenti principalis.

*D. August.*

*D. Damas.*

*Medina.*

*Obiectio.*

*Responsio.*

¶ De hac re plures dedimus interpretationes & solutiones. 1. part. quæst. 23. art. 3. disputat. 4. & præsertim disputat. 5. in dub. 1. & 2. Vbi ferè eadem argumenta, quæ ab aduersarijs hic adducũtur, sunt à nobis proposita & soluta. ¶ Et quãdo replicatur, quòd si Deus statueret non concurrere ad loquendum cum Petro; tunc Petrus neq; haberet sufficiens auxilium ad loquendum, neque imputaretur ei quòd non loqueretur, &c. Respondetur, quòd non est simile. Quia (vt vidimus) Deus non statuit non dare auxilium absolutè; imò verò inuitat ad illud auxilium, & dat sufficientia auxilia per quæ constituitur veluti in actu primo ordinato ad actum secundum. Cùm verò negat, est supposita contradictione, quia cùm inuitatur renuit, contradicit, resistit, & id præuisum est à Deo. Et ideò non dat efficax, vt sequatur determinata conuersio. In Petro verò, si Deus statueret non concurrere cum illo ad loquendum; nihil horum reperitur; Si verò Deus inuitaret illum ad loquendum, & promisisset illi suum auxilium; si tunc ipso contradicente & renuente, Deo ita permittente, relinqueretur in manu cõsilij sui, & relinqueretur mutus, sicut ipse vult, Deo decernente nõ dare auxiliũ efficax, aut

*Replicã.*

*Responsio.*

præuium;tunc culpa ipsius esset nõ loqui,sicut culpa hominis est non recitare horas, quo tempore tenebatur,licèt tunc dormiens in vtramq; aurem,profundissimo corripiatur somno, & careat concursu generali ad recitandum;Imò verò decreuerit Deus ab æterno, & permittere carentiam illam actus debiti, & defacto non concurrere cum illo ad actum oppositum carentiæ,& omissioni.¶Quocircà, sicut in opinione probabili omisio proueniens ex causa auferente potestatem exercendi actum,eo tempore quo obligat præceptũ affirmatiuum, habet rationẽ peccati,nõ solum eo tempore, quo causa est volita, sed etiam illo,pro quo præceptum obligat; etiam si tunc desit facultas ad exercendum actum:Quia ipsa carentia actus est mala tunc; non quidem secundum se,sed quatenus subordinatur causæ liberæ, & voluntariæ à qua procedit. Ita videtur rationabiliter esse dicendum in casu argumenti. ¶Per hæc patet quid dicendum sit ad confirmationem.Nam negandum est, quòd homo quandiù est viator nõ habeat potestatem,& sufficiens auxilium,& requisitũ ad suam salutẽm,vt minimum per modum actus primi.Imò verò dicunt Theologi, quòd nullum est auxilium sufficiens ad posse,quod in suo ordine, & in suo genere non sit sufficiens ad operari, si vel continuetur, vel si ex actu primo deducatur ad actum secundum. Cæterùm, tàm huiusmodi continuatio, quam huiusmodi deductio ex actu primo in secundum, est ex speciali Dei dono, & habet aliquid supernaturale & diuinum,vt continuatio & reductio fiant. Nam certè, quamuis quis non recipiat auxilium,vt conuertatur in actu exercito; nihilominùs potest conuerti,quia potest recipere illud auxilium ad quod inuitatur.

*Ad confir.*

*Ad.2.obiectionem.*

Ad secundam obiectionem seu argumentum isto rum respondetur, quòd auxilium illud est sufficiẽs ad operandum ex parte actus primi. Et cùm actus primus ordinetur ad secundum, & Deus inuitet ad secundum per primum illud auxilium; non potest dici, quòd deficiat aliquid homini,aut quòd stet per Deum,quin minus possit conuersionem agere.Imò verò Deus semper est paratus cõferre auxilia,quibus deducatur actus primus ad secũdum,nisi homo resiliat & resistat,vt dictum est. ¶Ad primam cõfirmationem respondetur per distinctionem illam de actu primo & secundo.Imò verò,posse agere, nõ solum verificatur de potentia, vt est in actu secundo, sed etiam,vt est in actu primo,quamuis potentia,vt in actu secundo, habeat influxum actualem causæ primæ in se ipsam,quo carebat cùm erat tantum in actu primo, & cum nihil operabatur. ¶Ad secundã confirmationem; imò verò ad omnes obiectiones, patet etiam quid sit dicendum ex dictis. Nam etiam aduersarij nostri fatentur, quòd omnes habent in actu primo auxilium efficax concomitans ex subordinatione ad Deum inuitantem nos ad conuersionem.Quoniam habent auxilium sufficiens præuiũ, quãuis careant in actu secundo tali auxilio efficaci.

*Ad.1.cõfir.*

*Ad.2.cõfir.*

*Ad cõfir. posita in. 2. arg. quæstionis principalis, in initio quæstionis.*

Ad confirmationem positam initio quæstionis in secundo argumento principali respondetur, quòd verè imputaretur defectus cõuersionis illi homini, qui resisteret Deo vocanti. Secũdò respondetur,nõ esse simile de eo,qui proijcit orarium in mare. Nam ille cùm primò non excusetur, deinceps excusatur; quia ille caret prorsus potentia.Neq; in eo valet aliquid liberum arbitrium, vt possit vel habere orarium, vel scire quæ necessaria sunt ad orandum. At verò is,qui nõ conuertitur,semper est liber, & actu liber respectu conuersionis, & potest non resilire, aut renuere,& potest non resistere; quòd si non resistat,vel sibi complacendo in peccato,vel cumulando noua peccata; tunc liberaliter à Deo mouebitur efficaci concursu. Alia quæ in eadem confirmatione obijciuntur,soluta sunt ex dictis.Et hactenus dictum sit de hoc secundo argumento.

### *Ad tertium principale argumentum.*

*Ad.3.principale.*

AD tertium argumentum principale, dicendũ, quòd auxilium sufficiens, est diuina motio & inspiratio,qua quisque vocatur,excitatur,& inspiratur,vt rectè vitam instituat;& Deus non solum vult vt omnes homines salui fiant; sed etiam ab æterno voluit dare illis opportuna media ad salutem,&suo tẽpore efficaciter conferre,quòd apertè dixit Paul. 1.Corinth.7.dicens,Vnusquisque, proprium donũ habet à Deo,alius sic,alius verò sic. Quocircà, hoc auxilium & donum sufficiens, licèt ipsum præcisè non dicat efficaciam conuersionis;tamen aliquid supernaturale agit.Imò verò,ad id,ad quod mittitur à Deo,efficax est: Quia non reddit auxilium hoc vacuum ad Deum: Nam dum permouetur homo, vocatur,& excitatur;suam efficaciam habet circà arbitrium nostrum.Id docet Isai. cap. 55. asserens, Verbum meum,quod egredietur de ore meo,nõ reuertetur ad me vacuum, sed faciet quæcùmque volui. De hoc auxilio sufficiente solent dicere Theologi, quòd est sufficiens ad salutem, si homo vtatur eo, & non contradicat; verumtamen in ipso vsu inuoluitur deductio de actu primo ad secundum, & de potentia ad actum, & consequenter inuoluitur speciale donum efficaciæ,quod à Deo donatur specialiter. Nam sicut vt possim esse albus non requiritur albedo in actu secundo,vel satis est,quòd possim habere albedinem;tamen vt sim actu albus, requiritur albedo in actu:Ita,vt possim conuerti,non requiritur efficacia auxilij in actu secundo,sed sufficit quòd possim in actu primo. Et id quidem est verum in omni viatore, quòd quotiescunq; est viator,potest conuerti, quamuis vt de facto conuertatur, requiritur vt actualiter habeat auxilium efficax; Sicut vt Petrus sit actualiter albus, requiritur vt actualiter habeat albedinem. Et quamuis nemo efficaciter saluetur, nisi vtatur auxilio Dei; tamen hoc non est ex insufficientia auxilij, sed ex culpa nostra, vt abundè explicatum est. Vndè, ad minorem huius tertij argumenti dico, quòd licèt Deus non abstulerit aliquid ab auxilio sufficiẽte de virtute,aut efficacia sibi & in suo ordine debita;tamen non dedit illi modum supernaturalem, vt cõiungeretur cum efficacia cõuersionis, vel nõ dedit illi donum supernaturale, quo reduceretur de actu primo ad secundũ. Ad probationẽ autẽ maioris dico,q̃ non est ad propositũ disputare modò,quo pacto Deus posset se habere,aut quo pacto potuisset se habere respectu prædestinatorum.Quia certum est, Deũ neminẽ prædestinasse ex præuisione operũ suorũ, neq; tanquam ex ratione prædestinandi & causa,ne-

*Isai.55.*



sa, neque tanquam ex præscientia boni vsus liberi arbitrij, neque tanquam eius, à quo pendebat sua prædestinatio & electio. Quia hoc fine præiudicio fidei sustineri non potest. Vndè, Deus omnes quos prædestinauit, efficaciter elegit & prædestinauit, & media etiam prædefiniuit: Non enim reliquit prædestinationem: A sus auenturas. Quocircà, de materia huius argumenti, & quo pacto sit confutandum,quia multa inuoluit pertinentia ad prædestinationis arcanum, lege quæ scripsimus. 1. part. quæst.23.art.4.disputat.1.& deinceps,& artic. 5. disputatio.1.

¶Ad illud quod vltimo loco obijcitur in eodem tertio argumento,dicendum,quòd actus supernaturales,qui supponunt peccata, vt contritio & pœnitentia, infallibiliter prædeterminãtur,etiam à Deo. Quoniam & infallibiliter præuidit Deus casum, & lapsum hominis peccantis. Et rursus, ex infallibili permissione peccati cum alijs,certò infertur,& colligitur futuritio peccati. Et ita optimè & infallibiliter prædefinitur contritio, & ita auxilium contritionis prædefinitur ex suppositione peccati, quod præcessit, vel quod præintelligitur vt prius, & vt antecedens conuersionem.

*Ad quartũ.*

Ad quartum principale,patet quid sit dicendum ex conclusione.4.& etiam ex conclusione.2. & quo pacto non saluaretur prouidentia distincta & omni nõ perfecta, nisi constituatur auxilium præuium antecedens efficax: & negatur quòd in actibus supernaturalibus in ordine ad reprobos, prouidentia in supernaturalibus illis actibus vt sic,nõ sit distincta ab ea, quæ est in actibus naturalibus præcisè, etiam ex parte auxiliorum.

*Ad quintũ.*

¶Ad quintum,Negatur antecedens, vt fusè satis interpretatum est à nobis. Imò verò est mirabile, quòd aduersarij sciant saluare libertatem in quibusdam actibus supernaturalibus, quamuis ex præuio auxilio efficaci antecedenter proueniant, vt patet de confirmatis in gratia,& de conuersione Pauli,& de alijs casibus, qui ab ipsis citantur; & quod non sciant concordare hanc libertatem cum auxilio antecedente efficaci in omnibus actibus & conuersionibus supernaturalibus. Nam qua ratione in quibusdam non infertur præiudicium libertati, potest saluari libertas,etiam in alijs omnibus.

*Ad sextũ.*

¶Ad sextum liquet ex dictis, quòd Deus ab æterno primò ex benefica sua voluntate potius voluit omnes saluos fieri,& ob id remedia, quæ statuit in Ecclesia,vniuersaliter voluit,ea habere virtutem ad salutem omnium, & esse remedia sufficientia pro omnibus.Nam ipse extendit manus, etiam ad populum non credentem, & contradicentem sibi. Cum verò statuit aliquibus non dare efficacia auxilia in tempore,id facit ex præuisione culparum, vel resistentiæ;Cum quo optimè saluatur, Deum ex se paratissimum esse,& pulsare ad ostium:Neminem enim vult perire,nisi ex suppositã culpa illius, qui perijt. Quæ culpa ab homine incipit,& non à Deo. Ad illud verò, quod postremo loco dicitur, dicendum est,quòd Deus hortatur omnes homines, vt petant à Deo conuersionem: Quoniam ipse omnes inuitat ad conuersionem. Et quidem non statuit non dare auxilia efficacia conuersionis, nisi ex suppositione culpæ, aut ex resistentia eorum,qui non conuertun tur. Quia quòd ex se est, paratus est dare omnibus, vt suprà aperuimus.

*Ad septimũ*

¶Ad septimum principale, quod desumitur ex Concil. Trident. respondetur, negando antecedẽs argumenti: Et ad probationem sequelæ,dico,quòd non omnes habent in actu secundo efficax auxiliũ perseuerantiæ in gratia ad permanendum in ea, aut semper aut longo tempore; & tamen ex hoc non infertur, quòd homo deseratur à Deo. Quia quotiescunque peccat homo,ab ipso incipit peccatum, & consequenter ab ipso incipit, quòd ipse deserat Deum. Non enim ex eo, quòd Deus non dat auxilium efficax,sequitur,quòd sit causa peccati, & consequenter non sequitur, quòd ipse priùs deserat hominem. Quia cùm desertio ista ex peccato oriatur, & ipsum incipiat ab homine, priùs homo deserit Deum, quam deseratur ab eo. Et negatur, quòd ex negatione talis auxilij, homo determinetur ad malum, aut quòd homo ante conuersionem careat necessarijs,vt benè agere possit.

*Ad octauũ.*

¶Ad octauum,patet similiter ex his, quid respondere oporteat: Negandum est enim, quòd non sit necessarium illud auxilium præuium. Imò verò, colligo ego argumentum ex eisdem verbis Concilij,expendendo eius verba pro nostra sententia.Ait enim Concil. Deus nisi nos illius gratiæ defuerimus,sicut cæpit opus bonum, ita perficiet operans velle & perficere. Sed cæpit opus bonum præueniẽdo,excitando,vocando,& inspirando: ergo ita perficiet operando velle,& perficere,præueniendo efficaciter velle, & perficere; Quia sicut cæpit præueniendo;ita perficiet præueniendo. Imò rursus,colligo vlteriùs,Auxilium præueniens & sufficiens, est concursus præuius in liberum arbitrium, vt etiam aduersarij fatentur; & hic concursus continuatur, vsque ad conuersionem, & in conuersione: Nam aduersarij dicunt, non distingui hoc auxilium sufficiens continuatum ab efficaci: ergo talis efficax concursus est concursus in causam, siquidem est idem, quòd præueniens & sufficiens, & ille erat concursus in causam, seu in liberum arbitrium: ergo auxilium efficax est concursus in arbitrium nostrum. Quare,ex doctrina aduersariorum probatur nostra assertio, & impugnatur eorum sententia. Quod verò dicunt, sufficiens & efficax auxilium solùm differre ex parte continuationis; Si per hoc intelligant, nihil supernaturalitatis esse in efficaci, quod non sit in sufficiente, decipiuntur valdè, vt ostensum est à nobis suprà in plerisque disputationibus & locis. ¶Ad illud verò, quod adducitur ex Concil. capit. 14. non valet argumentum. Quia quando ait Concil. quòd qui per peccatum excidunt,rursus iustificari poterunt,cùm excitante Deo per pœnitentiæ sacramentum merito Christi; amissam gratiam recuperare procurauerint. Nam pariter etiam ibi non dixit Concilium cum excitante Deo & adiuuante; & tamen aduersarij non dicent; iustificari hominem sine adiuuante & concomitante gratiæ auxilio. Rursus, dispar ratio est de iustificatione, quæ fit per sacramentum pœnitentiæ,quod est sacramentum mortuorum, & de iustificatione, quæ fit extra sacramentum per actum contritionis, & dilectionis Dei.

¶Ad illud verò, quod citatur ex cap.5.eiusdẽ Cõ

cilij;diximus suprà, per adiuuantem gratiam intelligi etiam præuiam gratiam, quæ simul in eodem instanti est adiuuans,& cooperãs cum libero arbitrio liberè consentiente, & cooperante. Nam profectò, si Concilium eo loco diceret, per eius excitantem, atque adiuuantem gratiam,& præuium efficax auxilium; tunc nostra sententia esset apertè definita de fide, & opposita esset hæretica.Cæterùm Conciliũ, illis verbis sufficienter expresit omnem gratiam, neque indiguit omni alia additione verborũ. Quia profectò Concil.potissimè in supernaturalibus sem per supponit, quòd concursus Dei supernaturalis, est, concursus in causam, & in arbitrium nostrum ad actũ cõuersionis & contritionis, & effectũ illius.

## DISPVTATIO IIII.

### *Vtrùm ad actus liberos naturales & morales, sit necessarium efficax auxilium præuium?*

QVæstio hæc,vt spero, magnam lucem allatura est præcedentibus controuersijs. In qua sanè, Theologi nonnulli hac nostra ætate, vt sibi persuadeant concordiam libertatis nostræ cum cõcursu Dei, dicunt, quòd vt producatur quicunque actus in rebus,etiam liber & moralis ab arbitrio nostro elicitus; sufficit vniuersalis voluntas Dei, qua vult concurrere ad aliquem actum ex posibilibus, prout voluntas creata determinauerit ex iudicio rationis. Et ex hac doctrina colligunt, volitionem illam vniuersalem Dei, quæ est applicatio in actu primo ipsius concursus Dei,seu potentiæ executiuę ipsius, non præuiè mouere in particulari voluntatem nostram, sed concomitari, & ei coexistere, adhoc, vt ponatur concursus Dei in actu secundo, quando ponitur effectus in re.Nam tunc incipit cõcursus Dei in actu secundo, quando incipit effectus.Rursùs colligunt secundò,Deum non concurrere, verbi gratia,ad meam locutionem per hãc voluntatem præuiam, Volo vt Petrus loquatur hic & nunc in particulari;Sed solum concurrere per volitionem illam vniuersalem, qua Deus voluit concurrere cum Petro,si ipse vtens Dei concursu, voluerit se determinare ad loquendum: Vndè, cùm quæritur, vtrùm concursus Dei sit prior natura, quàm operatio?Respondent,quòd si sit sermo de cõcursu in actu primo, id est,de illa voluntate Dei in vniuersali,est prior natura & duratione, cùm sit ab æterno. Si verò sit sermo de concursu in actu secundo,id est,de ipso actuali influxu Dei; talis est simul natura, nec potest intelligi quomodò sit prior natura: Quia ille concursus,non est aliud, quam ipsa operatio & volitio creaturæ,vt est à Deo. Quare,sicut operatio illa non est priùs natura ens, quàm sit à creatura (cùm etiam creatura concurrat ad totam rationem entis illius actionis) ita non est priùs natura à Deo; quia Deus non concurrit ad illam, nisi vt ens est.Cùm ergo authores isti dicant,quòd concursus Dei nihil aliud est, quam volitio nostri arbitrij, vt à Deo procedens; consequenter dicunt implicare,volitionem intelligi elicitam à voluntate,& arbitrio nostro,priùs natura esse à Deo, quam ab ipsa voluntate;Quia aliàs priùs natura Deus effecisset illam volitionem sine voluntate, quod implicat.Et quando arguitur contra ipsos, illa operatio procedit ab illo concursu Dei transeunte:ergo concursus est prior.Respondent,quòd non procedit à concursu Dei,tanquam à causa efficiente, sed tanquam ab actione; actio autem non est ab agente, vt id quod agit,sed vt id,quod aliquid agit. Quare, sicut actio creaturæ non est ab illa mediante alio influxu, sed ipsa essentialiter est influxus; ita ipsa non est à Deo mediante alio influxu,sed in illam & per illam intimè influit Deus. Ex quo vltimo loco deducunt aduersarij,quòd cùm actio creaturæ non sit à Deò mediante alio influxu ab ipsa actione; ideo non est ordo naturæ inter illam,& concursum Dei;sed solùm est ordo rationis, secundum quòd eadem actio tribuitur diuersis principijs.

*Caiet. sentit oppositum.*

Ex quibus omnibus,noui Theologi concludunt, Deum non concurrere ad omnem actum naturalẽ, & moralem liberum præuiè efficacitèr influendo, seu antecedenter; & consequenter affirmant non esse necessarium auxilium efficax prædeterminans ad omnes actus liberos morales & naturales. Hanc dicunt esse sententiam D.Thomæ. 1.part. quæst.23. artic.7. Vbi ait, quòd numerus prædestinatorum non est certus Deo, ex hoc solùm quòd viderit tales homines saluari. Nam sic, Deo etiam est certus numerus guttarum pluuiæ: sed ratione cuiusdam diffinitionis: ergo intendit D. Thom. quòd Deus non prædefiniuit quot futuræ essent guttæ aquæ: ergo non putat de ratione prouidentiæ esse hanc prædefinitionem,neque requiri adhoc,vt Deus cõcurrat ad actum, quòd illum efficaciter prædefiniat. Vndè, expresse eodem articulo dicit, numerum boum; vel pullicum,vel aliorum huiusmodi, non esse per se præordinatum à Deo. Et Caieta. ibi docet,numerum indiuiduorum corruptibilium,extra speciem humanam esse Deo certum, non prædefinitiuè, sed præcognoscitiuè. Et apertiùs idem Sanctissimus Præceptor.1.2.quæst.9.artic.6.quærẽs, vtrùm Deus moueat voluntatem hominis ad malum,in argumento.3.Respondet,quòd Deus mouet volũtatem hominis,sicut vniuersalis motor ad vniuersale obiectum voluntatis,quod est bonum; & sine hac vniuersali motione homo nõ potest aliquid velle, sed homo per rationem determinat se ad volendum hoc,vel illud,quod est verè bonum,vel apparens bonum, sed tamen interdum specialiter Deus mouet aliquos ad aliquid determinatè volendum, quod est bonum; sicut in his quos mouet per gratiam. Et de veritate quæstione. 6. articulo.6. constituit differentiam inter prædestinationem & prouidentiam, in hoc quòd prouidentia non est certa respectu euentus finis particularis in materia contingenti; prædestinatio autem sic: Igitur planè vult Sanct. Thom. prædestinationem esse certam; quia efficaciter prædeterminat suos effectus necessarios ad talem finem, non autem aliam prouidentiam in ordine ad actus naturales, quia non prædeterminat illos alia quam præscientia. Vndè, ibi, & articulo. 4. constituit duplicem certitudinem; aliam, quæ correspondet communi prouidentiæ; & aliam prædefinitionis,quæ correspondet prædestinationi.

Quòd



*Argum.1.*

Quòd vero non sit necessarium efficax auxilium prædeterminans ad omnes actus liberos naturales probatur.Primò, Quia optimè saluatur Dei prouidentia,& concursus, quem ipse habet in ordine ad actus liberos moraliter malos, absque eo quòd eos efficaciter prædeterminet, vt partim disputat.3. diximus, vt infra etiam extendemus in conclusionibus: ergo pari ratione optime potest saluari Dei prouidentia in ordine ad actus bonos naturales & liberos, sine huiusmodi prædeterminatione. Patet consequentia: Quia sicut vèrè Deus concurrit ad actus bonos: ita verè concurrit ad entitatem actus mali: Quoniam vt sic illa entitas,nèpe, vt est actus liber & elicitus ad quem Deus concurrit, est entitas naturalis bona: ergo sicut Deus potest ad hanc concurrere sine eo quod eam prædeterminet; ita etiam ad entitatem moralem bonam & liberam;

*Argum.2.*

¶Secundò arguitur. Deus in nostro arbitrio non causat aliquid præuium volitioni, quo determinemur ad vnum:igitur non disposuit prædefinire,aut determinare voluntates nostras ad vnum. Ostendo consequentiam: Quoniam sicut disposuit Deus facere in sua prouidentia, ita fecit in executione in tempore.Et aperitur efficacia seu vis huius argumenti:Nam ob id quòd efficaciter Deus præelegit prædestinatos, vt infallibiliter consequerentur gloriã; idcirco efficacibus auxilijs præuenit ipsorum voluntates,vt exequantur media necessaria suæ prędestinationis,& si sint in peccato, vt finaliter conuertantur;& vt hæc conuersio sit infallibilis, intelligimus præcedere in voluntate, vel perfectissimam inspirationem,aut excitationem, & illuminationẽ, vel motionem ita efficacem,vt ipse non deficiat ab illo quod Deus prædeterminauit antè quemlibet actum nostrum:sed non præcedit aliquid, quod ita nos moueat ad infallibiliter agendum,vel loquendum: igitur non requiritur prædeterminans auxilium, sed tantum concomitans. Quod patet: Nam cum ego loquor, auxilium efficax Dei non est nisi ipsa locutio, vt exit à Dec:sed istud non est aliquid præuium ad nostram locutionem: Neque potest fingi aliud, quod sit in me præmouens ad habendum talem actum: ergo. Neque rursus potest intelligi quo pacto præuiè concurrat Deus,si nihil præuium efficiat. Nam Deum concurrere mecum est aliquid in me operari:sed nihil operatur Deus præuium ad meam operationem seu locutionem, per quod determinetillam:ergo non præuiè concurrit:ergo nõ datur auxilium prædeterminans in illis actibus.

*Tertium.*

¶ Tertiò arguitur. Si priùs natura, quam liberum arbitrium operetur,mouetur à Deo & applicatur ad operandum,& quasi ducitur in suis operationibus: ergo vel semper mouetur & applicatur ad illud idem,quod posterius natura operatur liberum arbitrium,vel aliquando mouetur & applicatur ad vnũ, & liberum arbitrium se applicat ad aliud longe diuersum contra diuinam applicationẽ:Vel mouetur semper & applicatur à Deo solum motione indifferenti ad hoc,vel ad illud; liberum autem arbitrium per se ipsum sese applicat ad operandum potiùs hoc quam illud.Primum dici non potest, quia tolleretur libertas nostri arbitrij;Secundò,quia concedendum esset,quotiescumque homo eligit fornicationem aut homicidium, prius natura moueri à Deo,& applicari,atque inclinari liberum eorum arbitrium, vt talia peccata & crimina eligat in particulari,quod quidem apertum continet errorem.Secundum etiam dici non potest; tùm quia quando arbitrium eligit fornicationem, non sentit se moueri & applicari à Deo ad volendum castitatem, aut ad fugiendam fornicationem.Potissimè,cum homines vitio luxuriæ dediti,quando fornicationem appetunt aut volunt,neque de castitate,neque de nolenda fornicatione cogitant; Tùm etiam,quia applicatio illa ad aliud, (cùm tamen sit quid reale) iam non esset à Deo per concursum generalem. Qui ad aliud longè diuersum mouebat;sed à solo libero arbitrio;neq; in ea operatione duceretur liberũ arbitrium à Deo per concursum generalem. Tertium pariter dici non potest,maximè ab eis,qui affirmãt, Deum esse efficacem causam per generalem concursum cuiuscumque effectus:Neque rursus,qui dicunt non esse efficacem causam: Quia illa applicatio ad hoc potiùs particulare,quam ad aliud, quæ à solo esset libero arbitrio,esset quid reale, & non ex motu & applicatione per Dei concursum generalẽ; atque adeò,aliquid secundum aliquid reale sui,non esset à Deo per concursum vniuersalem, eo modo quo affirmant, Deum causam esse effectuum omniũ causarum secundarum, per concursum vniuersalẽ. *Quartum.*

¶ Quartò arguitur. Quia absurdũ videtur, pari modo loquide sensu cõposito&diuiso,in hoc quod est me modo loqui,vel nõ loqui;sicut in eximio prędestinationis mysterio; in quo sanè maximè opprimemur difficultate:igitur non est dicendum,quòd sicut soli illi saluantur, qui prædeterminati sunt à Deo; aut quòd quemadmodum ad hoc datum est auxilium efficax prædeterminãs,ita soli illi loquuntur;quia ad hoc præordinati sunt à Deo.Nam, quis rogo dicet, Deũ ab æterno præordinasse, quod tali pũcto mouerem digitum,& tali puncto non mouerem? atque adeò quòd ex suppositione talis præordinationis,non possum mouere digitum? Vndè maximè errant,qui non distinguunt inter præuisionem & præordinationem efficacem. Nam quamuis nunquam homo loquatur,nisi id quod est à Deo præuisum,cui futura locutio præsens est in æternitate;nõ tamen antè præuisionẽ fuit præordinata, sed simul Deus per voluntatem suam efficaciter concurrit ad illam,ita vt nihil fiat absque voluntate eius. *Quintum.*

¶ Quintò arguitur. Si Deus prædeterminauit omnia isto modo antè præuisionem operum:ergo ex ista prędeterminatione potuit omnia futura contingentia cognoscere. Nam ex eo quòd efficaciter prædeterminauit,vt ego tali tempore loquerer, etiam antequam videat talem locutionẽ positam in executione,infallibiliter sciet esse ponendam: ergo non est cur tanto labore premamur, sicut pressus fuit S. Thom. in assignandis modis, quibus Deus futura contingentia cognoscat.Imò verò,non erit necessarium recurrere ad præsentialitatem in æternitate, quam ipse necessariã putat ad huiusmodi cognitionem,vt ex ipsius doctrina Caiet.tradit.1. p.q.14.art. 13. & nos super illum locum. *Sextum.*

¶ Sextò arguitur.Quãdo occurrit præceptum dandi eleemosynam, Deus non prædeterminat nolitionem dãdi, quia est actus malus,vt diximus:ergo nec volitionem. Patet consequentia: Quia si non prædeterminauit nolitionẽ:

ergo neque ipsa volitio est determinata. Nam si hęc esset determinata, non maneret homo indetermina tus ad habendam, vel non habendam nolitionem: Nomine enim nolitionis, etiam omissionem intelli go; Implicat namque manere indeterminatum ad aliquem actum, & non manere indeterminatum ad contradictorium actus illius. Quoniã indeterminatio in hoc consistit, quòd possit se ad hoc vel ad suum oppositum determinare. Et confirmatur. Nam tu dicis, Deum etiam prædeterminare actum materialẽ furti; non tamen quòd sit malus formaliter. Tunc sic argumentor. Ergo quo ad esse malum, vel non esse malum, manet indifferens, & non determinatus: ergo potest esse malus formaliter: sed si non sit formaliter malus, erit formaliter bonus: Quia implicat dari actum liberum in individuo indifferentẽ: ergo potest esse aliquis actus bonus formaliter, sine eo quod sit efficaciter prædeterminatus à Deo: ergo ad illam bonitatem formalem non concurrit Deus per auxilium efficax prædeterminans. ¶ Septimò arguitur. Nam secundum sententiam sanctissimi Præceptoris, ad diuinam prouidentiam spectat finere causas secundas agere & operari, iuxta exigentiam suæ naturæ; necessarias quidem, cum determinatione ad vnum: liberas verò & contingentes, cum indeterminatione: ergo cum Deus sine efficaci illa prædeterminatione possit concurrere cum causis liberis, & hoc sit magis consonum naturæ ipsarum, & suaui prouidentiæ Dei, qua se illis attẽperat; manifestè sequitur nõ esse constituendam illam efficacẽ præmotionem, in his actibus necessariã. Nam voluntas suæ naturæ relicta præciso ordine gratiæ, æquè indifferens est ad bonum & ad malum: ergo cùm Deus concurrat cum illa secundum modum naturæ suæ debitum, seu secundum suam naturam, finit illam indifferentem, neque vllo modo eam prę determinat. Et confirmatur. Quoniam cœlum est causa vniuersalis, & concurrit cum omni operatione: sed non concurrit per aliquid præuium, neque per auxilium efficax præmouens causam secundã; sed tantum per hoc, quòd eius influxus determinatur à causa secunda ad hunc effectum, vel ad illum: Et hoc est sufficiens, vt saluetur concursus causæ vniuersalis: ergo hoc etiam sufficit in Deo, vt sit causa prima vniuersalissima; quamuis id Deo conueniat eminentiori & vniuersaliori modo.

*Confirm.* *Septimum.* *Confirm.* *Conclus. 1.*

### *Prima conclusio.*

IN hac difficultate, vt separemus certa ab incertis, sit prima conclusio. Non est dubium quin homo possit, ita efficaciter moueri à Deo ad aliquos act' liberos naturales, vt infallibiliter sit illos operaturus. Hæc conclusio non potest negari, sine præiudicio fidei. Nam D. Paulus conuersus est à Deo cũ persequebatur Ecclesiam Christi, quæ conuersio non sperabatur tunc: ergo facta fuit ex admirabili prædefinitione Dei in particulari; & tamẽ libere fuit conuersus ad Christum, & libere exercuit actum conuersionis: ergo scit Deus hunc, atque alios modos, quibus ita efficaciter moueat arbitrium hominis, vt sit infallibile eum operaturum, salua ipsius libertate: Quòd si saluatur libertas in actibus liberis supernaturalibus, pariter etiam in actibus liberis moralibus & naturalibus. Nam cur in illis saluatur & non in istis? Rursus, in confirmatis in gratia, & in Beata Virgine, certum est quòd plures habuerunt actus liberos naturales & supernaturales, in quibus ità efficaciter moti sunt à Deo, vt esset infallibile eos sic esse operaturos. Hanc cõclusionẽ fusè sumus prosequuti in Commentarijs primæ partis. q. 19, art. 8. disputat. 1. &. q. 22. artic. 4. &. q. 23. art. 3. disputat. 2. concus. 3. & disput. 7. &. 8. Et sanè S. Thom. 1. p. q. 19. art. 8. supponit hanc assertionem tanquam maximè possibilẽ. Quia diuina volũtas est infinitæ efficaciæ & virtutis: ergo nõ solum potest ponere in esse aliquid, quod vult, sed etiam eo modo, quo vult: ergo absolute & indepẽdẽter ab omni præuisione, potest velle, quòd hoc fiat libere, & quòd infallibiliter ita eueniat: ergo potest Deus ita efficaciter mouere voluntatem ad hunc actum, vt infallibiliter efficiat eã libere consentire & operari. Hæc est doctrina D. Paul. ad Ephes. 2. vbi ait, Ipsius factura sumus, creati in operibus bonis, quæ præparauit Deus, id est, ante parauit volendo determinando, & prædefiniendo vt in illis ambulemus. Non opus est, vt fusè in ostensione huius assertionis pedem sistamus hoc loco. Nam conceditur ab aduersarijs, & nos ostendimus eam; tùm locis citatis in. 1. p. tum etiam in disputat. 1. 2. &. 3. huius articuli. Quod vero difficultatem facit est, An supposito quòd potest dari auxilium efficax infallibiliter præmouens ad actum liberum, quod dubitari non debet de multis actibus liberis & naturalibus, quod sint efficaciter prædeterminati à Deo? vt quòd Ioseph, esset Prorex Ægypti, & Dauid Rex Israel? Nam hæc non potuerunt impediri vllo hominum conatu, quamuis ad id multa adhibuerunt opera. Rursus etiam videntur præditi alij actus naturales, exquibus pendent aliqui effectus prædestinationis, vel aliqua mysteria ordinis gratiæ à Deo præordinata. Non ergo dubitatur vtrũ homo possit ita efficaciter moueri ad aliquos actus liberos naturales, vt certũ & infallibile sit ipsũ, esse illos operaturũ? Sed solum inquiritur, vtrũ id sit necessarium in omnibus actibus, ita vt nullum de facto eliciat actum liberum, ad quem non prærequiratur tale auxilium efficax prædeterminans seu præmouens? Et in hac re subijciam sequentes assertiones post primam.

*Ephes.*

### *Secunda conclusio.*

*Conclus. 2.*

SEcunda conclusio. Quamuis Deus immediatè concurrat ad entitatem & substantiam actus mali & peccati, & id sit verissimum; dicere tamen esse requisitum auxilium efficax Dei prædeterminans, & præmouens efficaciter voluntatem hominis ad aliquem actum peccati, & mali moralis, etiam promateriali, non videtur mihi verum, imò verò falsum. Et id quod dixi. 1. p. q. 22. art. 4. dictum esse volo iuxta intellectum huius assertionis. Nam certè, quãuis Deus voluerit permisionem peccatorum; tamen non prædefiniuit efficax auxilium præmouens voluntatem hominis ad actum peccati, etiam promateriali. Nam si respectu actus peccati Deus præmoueret efficaciter liberum arbitrium; tunc esset concursus Dei in arbitrium nostrum præmouẽs & incipiens; ac proinde esset causa peccati. Vnde, hæc assertio statuitur peculiariter contra eos hæreticos, qui aiebant, Deum ab æterno antequam videret voluntatem hominis determinantem se in actum peccati, ita statuisse, Volo vt Petrus tali die mentiatur, & tali adulteretur, & quod ex vi huius efficacis voluntatis Dei, Petrus de facto mentitur & fornicatur postea in tempore; ita vt Deus ad entitatem mẽ dacij præmouerit efficaciter voluntatem Petri, antequam cerneret talem voluntatem ad mentiendũ inclinari. Ita senserunt plures ex hæreticis Lutheranis. Ita Philippus Melancton super epist. ad Rom. impudenter asseuerat dicens, Deum esse causam peccatorum; & quod non minùs perditio Iudæ, quam conuersio Pauli, fuerit ex voluntate Dei. Quẽ errorem postea retractauit in Apologia confessionis art. 15. Caluinus etiam in sua institutione lib. 1. cap. 18. §. 1. dixit furore correptus, non tantum permissu, sed etiam voluntate Dei homines peccare, ita vt nihil ipsi deliberando agitent; nisi quod Deus iã apud se decreuit, & arcana directione constituit. Idẽ dicit lib. 3. cap. 23. §. 2. &. 4. Vbi dicit, quòd Deus vt suam potentiam & suam veritatem ostendat, reprobos in peccata & in mala opera coniecit. Cõtra quos omnes probatur conclusio ex Concil. Arausic. cano. 25. vbi anathematizantur dicentes, aliquem diuina potestate prædestinatum esse ad malum. Idẽ definitur in Trident. sessio. 6. cano. 6. & cano. 17. vbi sic habetur: Si quis dixerit, mala opera & bona Deũ operari non permissiuè tantum, sed propriè & per se; anathema sit. Dices, in his locis solum damnari eos, qui dicunt peccatum esse à Deo secundum formale peccati; non vero eos, qui dicunt, ipsam entitatem materialem esse à Deo. Cæterum, ego probo hoc loco damnari eos, qui dicunt Deum prædeterminare actum peccati, & entitatem peccati, & præmouere efficaciter ad actum, seu ad entitatem peccati. Primò. Quoniam implicat prædeterminare entitatem malam, & mouere ad illam, quin moueat ad formale peccati, quod ex illa sequitur. Et ex altera parte repugnat bonitati Dei efficaciter & præuiè mouere ad actum, ex quo necessariò & intrinsece sequitur malitia, vt ostendemus infra. Rursus, Deus nõ concurrit eodẽ modo ad mala opera sicut ad bona, iuxta doctrinã concilij, sed ad mala permissiuè tantum, ad bona autem propriè & per se: ergo non efficaciter præmouet ad mala opera, nec efficaciter prædeterminat mala opera. Nam alias hoc non esset permittere, sed esset propriè & per se velle. Quia Deus id quod prædefinit, & id ad quod efficaciter præmouet, propriè & per se vult. Adde etiã quòd permittere non est determinare aut prædefinire, vt patet ex vi nominis, sed est relinquere voluntatem, non dando efficax auxilium cum cæteris suprà enumeratis disput. 3. Ergo. Quòcirca, prudenter & consultò valde addita sunt nonnulla verba in Concilio, quæ potius intelliguntur de ipsa entitate materiali, quam de malitia formali: dicuntur enim opera mala, non malitia. Præterea, Cum dicitur quòd Deus non operatur illa opera mala propriè & per se, de entitate materiali est intelligendũ, q; Deus nõ præmoueat efficaciter ad illam per antecedens auxilium. Nam de malitia formali, quæ est priuatio, non potest intelligi; cum neque homo sit causa per se priuationis, aut eam intendẽs, quæ per accidens tantum sequitur ad id, quod per se intendit. Neque homo per se vult malum, sed bonum naturale, ex quo nollet sequi malitiam moralem & deformitatem. Et confirmatur: Nam malitia formalis est quid positiuũ in opinione Caieta. & pluriũ Thomistarũ: ergo si Deus propriè & per se determinaret omne positiuum, etiam determinaret malum formaliter; atque adeò non tantum permissiuè, sed etiam propriè & per se, se haberet circà illud, quod est cõtra Concilium. Dices, quod Deus non per se mouet ad malum formaliter, quia non peccat in tali concursu Deus. Sed contra. Nam aliud est inquirere, Nùm Deus peccet mouendo ad illud; aliud verò, Nùm propriè & per se Deus moueat ad illud? Hæretici enim contra quos procedit Concilium, nunquam dixerunt, Deum peccare penes hoc, quòd eo dem modo moueat ad mala opera, sicut ad bona. Imò verò nullus Hæreticorum, qui huic sententiæ fauent, dixit Deum concurrere ad formale peccati; sed tantum ad materiale, præmouendo & prædeterminando arbitrium nostrum; & nihilominus Damnantur. Profecto, oppositum nostræ assertionis maximè execrantur Sancti, vt Augustinus. lib. ad articulos sibi falsò impositos tomo. 7. in responsione ad. 17. articulum ait, nefas esse Deo ascribere causam talium ruinarum. Et subiungit, nemini delinquenti, aut necessitatem, aut voluntatem intulisse. Et. 6. Hypognost. tomo. 7. in principio ait: Non enim omne, quod præscit, prædestinat: mala enim præscit tantum, & non prædestinat; bona verò & præscit & prædestinat: Quod ergo bonum est, præscientia prædestinat. Et. 5. de Ciuit. cap. 5. Idem docet D. Damasc. lib. 2 fidei Orthodoxæ cap. 30. Vbi dicit, Deum non prædiffinire omnia, quia non prædiffinit peccata. Idem D. Fulgent, qui lib. 2. de Prædestinat. ex professo ostendit, impossibile esse Deum prædeterminare mala opera. Et certe, hæc est sententia D. Tho. plerisque in locis, quam etiam insinuauit. 1. 2. quæst. 9. artic. 6. ad. 3.

*Philippus Melancton.* *Caluinus.* *Cõc. Arausic.* *Conc. Trid.* *Responsio.* *Refutatio.* *Responsio.* *Impugnatio* *D. Augustin.* *D. Damasc.* *D. Fulgent.* *D. Thom.*

Adducor etiam ad citatam assertionem defendẽdam rationibus ex Diuina Theologia desumptis, ¶ Primò. Nam certè, si Deus prædeterminat infallibiliter, & præmouet efficaciter suo auxilio antecedente, & efficaci ad actum mentiẽdi; sequitur quod vt quis mentiatur indiget auxilio efficaci præuio, & præuenienti: ergo is qui mentitur habet maius auxilium Dei præuium, seu præueniens, quam is qui non mentitur: ergo sicut in auxilium Dei tanquam in potissimam causam reducitur, quòd vnus conuertatur & non alius; ita & quòd vnus mentiatur & non alius: consequens est erroneũ, & contra illud Prophetæ, „Perditio tua ex te Israel, tantummodò ex me auxilium tuum; Sequela autem probatur. Nam ob id reducitur in Dei auxilium, quòd vnus conuertatur & non alius; quia vnus habet auxilium præuium efficax prædeterminans vt conuertatur, quo caret alter: sed pari ratione ille, qui mentitur habet auxilium efficax præmouens & prædeterminans: ergo in auxilium Dei reduci debet, quod vnus mentiatur & non alter. Imò verò sequeretur aperte, quòd induratio tunc non solum consisteret ex parte Dei in eo quod non impartitur auxilium, vt communiter Sancti & Doctores intelligunt, sed etiam consistere in potissimo actu positiuo, & efficaci auxilio Dei, quo præmouet & inclinat arbitrium nostrum & voluntatem ad illud malum materialiter,

ter,quod vt est ab homine,est malum formale.Quæ doctrina, præterquam quòd est absurda, etiam est contra D.Thom.de verit.q.22.art.2. ¶Secundò persuadetur. Deus ab æterno voluit & sua lege præcepit,vt nullus cõmitteret peccatum, aut malum contra rationem: quomodo ergo stat cum voluntate hac vt non peccem,efficax voluntas,vt faciam actũ, quem necesse est esse peccatum, & malum contra rationẽ? Nam hoc vt minimũ esset inducere ad malum, & præbere proximam occasionem peccandi; Veluti si pater præciperet filio aliquid, quod posset non præcipere;cùm tamen sciat infallibiliter quòd filius exequendo illud peccabit: Tunc interrogo, quo pacto hæc omnia stare possint cum benignissimo Patre, qui vult omnes saluos fieri, & neminem perire, & qui summo odio peccatum detestatur?Aut quomodo erit verum illud Iacobi apostoli, Nemo cum tentatur, dicat quoniam à Deo tentatur. *Iacobus apostolus.*

¶Tertiò probatur. Nam si Deus prædeliberaret, & præmoueret efficaciter ad peccatum mortale materialiter,seu ad materiale peccati ex diuina prædefinitione,seu prædeterminatione, vt dictum est, etiã moueret ad peccatum formaliter, consequens est contra fidem: ergo. Sequela patet. Nam licet ex eo quòd modò Deus de facto concurrat ad materiale peccati mortalis;seu ad peccatum materialiter, pro actione eius,non sequatur, quòd concurrat ad illud formaliter; Quia prius ratione incipit creatura in peccatò deficere,& per peccatum deserere Deũ, & priùs ratione auerti ab vltimo fine, & determinari ad obiectum indebitũ; Deus namque ipse cõcurrit, vt causa vniuersalis, & non vt præmouens ad peccatum.Et quod concurrat vt vniuersalis causa,hoc est,quasi debitum in natura; & idcirco non imputatur illi: Nam neque imputatur homini, qui consulit minus malum vt euitetur maius: Quoniã sicut iste intẽdit hoc bonum,quod est vitare maius malum;ita Deus intendit hoc bonum,quod est fine re causas seu relinquere, vt operentur secundum suam naturam & conditionem; Sed si Deus prius determinaret voluntatem & præmoueret efficaciter ad actum mentiendi,& ad actum fornicandi,ex cuius natura necessariò sequitur priuatio; procul dubio etiam imputaretur Deo illa priuatio:Sicut in casu,quod quis consulat malũ non intendẽdo vitationem maioris mali;ille quidem non consulit, nisi entitatem actus materialiter; Imò & vellet inde nõ sequi malitiam:Cæterum, quia sequitur talis malitia ex natura rei ad actum, quem consulit; idcirco censetur causa malitiæ: ergo idem esset de Deo. Nã antecedenter efficaciter præmouere voluntatem liberam ad actum liberum,quem ex intrinseca rei natura implicat fieri sine peccato formaliter; nihil aliud est, quam mouere ad peccatum formaliter, quod, in ea opinione, quæ dicit quòd malitia est quid positiuum reale,non potest vlla ratione negari:Itaque, quamuis Deus concurrat ad substantiam actionis peccati simul cum causa per influxum in actionem; non tamen prius præmouendo antecedenter ad peccatum materialiter. Quia ex hoc colligeretur, quod consequenter præmoueret ad peccatum formaliter,quod est contra fidem.

*Obiectio.* Sed dices;Deus non peccat ex eò quòd efficaciter concurrat ad entitatem,ex qua sequitur malitia; ergo licet prædeterminet entitatem, & actionem peccati, non est causa peccati. Nam si ipse actualis concursus non est malus; determinatio ipsius non erit mala.Ad hanc obiectionem respondetur,quòd *Responsio.* non est par ratio: Quia si Deus se solo efficeret illam actionem mendacij, seu illam entitatem mendacij, ad quam cum creatura simul concurrit, & quam simul efficit cum creatura; Tunc Deus mentiretur;atque adeò peccaret, non quidem contra legem,cùm respectu Dei nulla sit lex, sed contra suãmet bonitatem & veritatem, cui dissonus est talis actus. At verò, concurrendo cum homine,& non præmouendo antecedenter efficaciter;tunc homini tribuitur malitia, quæ sequitur ad talem entitatẽ & actionem;non autem Deo, qui vt causa vniuersalis iuxta determinationem causæ deficientis, concurrit ad actum & entitatem actionis.At verò,si ipse solus efficeret illam actionem & entitatem, ipsi tribueretur malitia,quæ ex natura talis actus sequitur: Igitur ob eandem rationem non potest Deus prædeterminare in voluntate hominis actum mendacij:Quia iam prius natura, quam voluntas hominis se determinaret in malum,intelligeretur voluntas Dei tendens in tale obiectum præmouens & inclinans voluntatem hominis ad illud, & consulens illud. Quod sane idem est ac si ipse solus Deus talẽ actum efficeret. Quoniã ipse solus illũ prædeterminat priusquam cognoscat, aut videat voluntatem hominis ad illud inclinatam; atque adeò iam Deus peccaret. Dicendum est ergo Deum velle permittere peccata,& de facto concurrere ad materiale, & ad actionem peccati; non tamen præmouere antecedenter voluntatem ad peccatum;Quia nullo modo est concedendum, quòd Deus sit causa peccati. Quocircà,longè diuersa ratio est,quando Deus prædeterminat aliquid independenter à voluntate hominis, vel quando simul cum illa concurrit per vniuersalem concursum, & quasi ab ea determinatus.Certè,si Deus se solo efficeret actionem mendacij,& entitatem mendacij, peccaret: ergo si talem entitatem prædeterminaret, multo magis id sequeretur,licèt non intelligamus per se prędeterminare malitiam; sicut neque homo per se vult malitiam quando peccat.Nam profectò,prædeterminare actũ liberum mendacij in voluntate aliqua, quid aliud est,quam prædeterminare peccatum?Quod ex exẽplo supra posito declaratur:Nam quando quis cõsulit alteri, qui est determinatus ad perpetrandum duo mala,vt faciat minus malum;tunc non peccat, licet quodammodo concurrat ad illam entitatem minus malam:Cæterum,si ipse homo absolute præmoueret illum hominem ad illam entitatem, antequam ille alter haberet voluntatem ad alterum illorum malorum; tunc sanè peccaret: igitur longe diuersa ratio est, cõcomitanter,seu simul cõcurrere cum actione voluntatis, quæ simul determinatur ad malum;& antecedenter præmouere voluntatem seu prædeterminare illam ad actionem peccati mortalis. ¶Quarto probatur, adducto exemplo de eo, qui oblata aliena vxore pulchra, consentit in concubitum cum ea,& peccat mortaliter; Tunc interrogo, vtrum prius natura, quam homo consentiat, recipiat concursum Dei,quo inclinetur, dirigatur, atque moueatur ad bonum, & ad nolitionem talis actionis.



actionis? Ipse autem homo retorquendo concursum & influxum Dei ita acceptum,declinet in consensum & in appetitionem & volitionem; atque adeò peccet, eo modo quo manus discipuli dùm magistri motum,ac directionem ad bonos characteres recipit,suo peculiari influxu retorquet illum ad malos characteres? Vel vtrum non recipiat generalem illum concursum? sed vel nullum prorsus, vel alium dirigentem, ac præmouentem in particulari ad volitionem concubitus, quæ est actus moraliter malus ac peccatum? Si dicas primum, cum volitio illa sit actus realiter & formaliter distinctus, tam in genere naturæ, quam in genere moris à nolitione eiusdem obiecti.Imò verò sunt cõtrariæ volitiones, quia vna est volitio obiecti;& altera est nolitio seu fuga; mirabile est profecto, quòd motio in particulari,& inclinatio Dei per generalem concursum, ad nolitionem tantum illius obiecti, sit cooperatio & generalis concursus,eiusdem Dei ad contrarium actum,scilicet, volitionem moraliter malam & peccatum: Inclinatio namque & motio ad vnum contrariorum in particulari,esse nequit cooperatio,per motio,& adiutorium ad alterum contrarium, quin potius necesse est vt sit impedimentum illius,nempe,alterius contrarij.Rursus,cum Deus inclinatione,directione,& cooperatione illa, solum intenderet nolitionem concubitus moraliter bonam, ex particulari vero influxu liberi arbitrij deflectente ab ea cooperatione ac directione, sequatur contraria volitio moraliter mala, retorquendo influxum; perperam ex cooperatione illa colligitur,Deum intendere ac velle præmouere efficaciter volitionem illam prędicti actus mali,quę est materiale peccati. Quam volitionem Deus sua lege sub comminatione æterni interitus, prohibet. Si dicas secundum, nempe,non habere vllum concursum:Id stare non potest;quia tunc daretur actio realis causæ secũdæ, nempe, volitio illa concubitus cum vxore aliena, quæ volitio produceretur sine concursu generali Dei,quod non potest dici sine præiudicio & periculo fidei.Si dicas, quod recipit nouum concursum præmouentem in particulari, & dirigentem ad volitionem concubitus,quæ est actus moraliter malus & peccatum, Tunc sequitur quòd Deus impendit duos concursus illi homini, vnum quo inclinet eum, moueat, & dirigat ad nolendum huiusmodi concubitum cum non sua; ac proinde ad eliciendũ actum moraliter bonum;& alterum,quo contrario modo inclinet,dirigat,& præmoueat ad illud idem obiectum volendum & peccandum; quod est ridiculum.Tunc enim homo consentiens in actum peccati, simul moueretur à Deo duobus concursibus, vno,quo inclinaretur & dirigeretur ad nolendum; & altero, quo dirigeretur & præmoueretur, atque adiuuaretur ad volendum idem obiectum. Imò verò,in tali casu daretur in rerum natura actio & generalis Dei concursus,sine effectu & actione causæ secundæ, ad quam est adiutorium & cooperatio: quòd sane est contra communem omnium sententiam. ¶Quinto probatur: Quoniam in ipsis actibus moraliter bonis,non est facile intelligere,quòd prędeterminẽtur à Deo,& quod ad eos concurrat,non solum per efficax auxilium concomitans, sed etiam per auxilium antecedens præmouens efficaciter. Nam potest diuersis modis Deus voluntatem mouere,eamque allicere,vt illum actum efficiat, efficaciter & suauiter mouendo, & interdum spe præmij, vel timore gehennæ alliciendo: sed dicere, Deum maxima cura & industria intendere quòd homo habeat actum odij Dei, seu odium pro materiali, aut actionem adulterij,& quod ad id præmouet, & omnibus vijs conatur ad illum actum odij præmouere;hoc sane,absurdum,impium, & plane erroneum videtur. Nam hoc quid aliud esset, quam excitare & impellere ad malum? & tunc incideremus in errorem Lutheri,& Buzeri asserentiũ, Deum habere specialem curam vt reprobi apponant media necessaria suę condẽnationis,idest,peccata, Rursus prædicta doctrina aperte contradicit Paulo, qui loquens de reprobis ad Rom.9. cùm dixisset,quod sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum; postea de prædestinatis loquens, ait, vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ,quæ præparauit in gloriam.En, de electis inquit, Præparauit in gloriam;de reprobis verò solum sustinuit, Quomodo autem solum sustineret,& non præpararet, si efficaciter prædeterminaret,& auxilio præuio infallibiliter,præmoueret ad medium condemnationis. Vnde,S.Thom.de Verit.q.6.art.3. eleganter inquit, Deum non præordinare homines reprobos ad peccandum, sicut prædestinatos ordinat ad merẽdum. *Rom.9.*

*Tertia conclusio.*

TErtia cõclusio.In omnibus actibus liberis naturalibus,& moraliter bonis,Deus concurrit;nõ solum concomitanter per influxum in actionem & in effectum; sed etiam per concursum in arbitrium nostrum, præmouendo efficaciter ipsum ad omnẽ actum liberum naturalem moraliter bonum. Itaque Deus, quanuis non prædeterminauerit ante præscientiam & cognitionem operum possibilium vt sic;prædeterminauit tamen omnes actus liberos naturales moraliter bonos, ante præuisionem operum futurorum contingentium. Et idcirco,auxiliũ efficax antecedens præmouens, reperitur in omnibus actibus liberis naturalibus bonis moraliter, & consequenter eos prædeterminauit & prædefiniuit. Vnde, primum deliberans est Deus; Imò verò primum prædeliberans, & prædefiniens in huiusmodi actibus.Quare vocabulum illud(prædeterminans) sumendum est in bono sensu, si inuidiam aliquam habere videtur,aut præiudiciũ liberi arbitrij. Quia eo solum intendimus significare,Deum concurrere ad actiones moraliter bonas, præmouendo, ita vt prius causalitate, & prius natura concurrat per influxum in arbitrium nostrum & in actiones, fortiter pro se agendo, & suauiter pro libero arbitrio operando,non tamen auferendo libertatem,aut liberum concursum nostri arbitrij,Et quod id Deus ab æterno prædefiniuit & prædeliberauit. *Concluſ.3.*

Hanc assertionem tenent omnes illi, qui negant, res futuras contingentes nunc coexistere Deo in æternitate secundum proprias realitates & existentias,antequam in tempore fiant.Nam certè ante tempora D.Thom.qui hanc excogitauit sententiam,de præsentialitate rerum, antequam in tempore fiant; omnes antiquiores eò solum tribuebant Deo modum cognoscendi futura omnia contingentia in

prædeterminatione suæ voluntatis, & in infinitate suæ scientiæ comprehensiua diuinitatis, & omniũ Idearum. Rursus, velint nolint, hanc etiam tenentur defendere sententiam omnes illi, qui dicunt posse hominem ita efficaciter moueri à Deo ad aliquos actus liberos naturales, vt sit infallibile illos operaturum. Nam si hoc potest Deus facere salua libertate arbitrij, certè hoc ipsum de facto facit, imò id est necesse vt fiat, vt infallibiliter & certo actus illi eueniant, & vt seruetur optimus & exactus modus prouidentiæ in actibus liberi arbitrij, Nam certè, quòd Deus attingat fortiter omnia, efficaciter præmouendo, seruata tamen libertate arbitrij; hæc est maximè decens & suauis prouidentia in actionibus humanis, iuxta illud Sap.8. quòd diuina Sapientia attingit à fine vsque ad finem fortiter & disponit omnia suauiter. Imò verò, hæc est sapientissima prouidentia secundum quam inquit D.Bernard. quòd Deus operatur efficaciter pro se, & suauiter pro nobis. Et hæc duo cohærere interse, optimè dicit & declarat. Eandem assertionem defendit Augustin. 5. de Ciuit. cap. 9. 10. & 11. & 3. de libero arbitrio à cap. 1. vsque ad. 4. Quibus locis Dei prædiffinitionem componit cum libero arbit. Hoc aperte Scriptura protulit Prouerb. 21. *Cor regis in manu Domini*, quocumque voluerit vertet illud. Et quamuis antiquissimi Theologi quæstionem hanc sub hoc titulo non versauerint; tamen semper suppohunt illam, vt verissimam. Et S.Thom. in fine. 1. p. opusculo de Præscientia & prædestinat. cap. 4. apertè insinuat hanc tertiam assertionem; Imò oppositum illius, erroneum esse dicit. Et Ferrar. 3. contra Gentes, cap. 94. idem sensit. Et Caiet. 1. p. q. 22. art. 4. Itaque, auxilium præuium efficax antecedens, intelligitur adesse in omnibus actibus liberis naturalibus, & non tantum concomitans, vt aduersarij putant. De hac assertione nos diximus multa in Commentarijs. 1. p. vbi plures attulimus rationes, & authores, & plura etiam testimonia Sanctarum literarum ad eam ostendendam. Præsertim q. 19. art. 8. disputat. 1. conclusio. 4. &. q. 22. de diuina prouidentia, art. 4. disputat. 1. conclusio. 3. &. q. 23. de Prædestinat. disputa. 2. conc. 3. cõtra Ruard. Tapper, & alios. Imò verò Arist. concessit, influxum Dei circà ea, quæ de facto fiunt, esse influxum in causam. Dixitque, quòd Deus præmouet phantasiam formicæ ad nidulos, & domos quasdam faciendas, & non dicit solùm concomitanter se habere. Quòd si hoc est optimum in diuina prouidentia rerum naturalium, multo magis erit in prouidentia rerum moralium.

*Sap.8.* *D.Bernar.* *August.* *Prouerb.21.* *S.Thom.* *Ferrara.* *Caietan.* *Aristoteles.*

Persuadetur assertio tertia tanquam vera & certissima, rationibus. Prima sit: Quoniam id, quod est in potentia ad aliquid, oportet quòd reducatur in actum: Cùm ergo voluntas sit in potentia ad agere & non agere, & ad agere hoc, vel illud, necessariò indiget mouente quantum ad duo, nempe, & quantum ad exercitium, seu vsum actus, & quantũ ad determinationẽ actus: ergo mouetur ab aliquo: ergo concursus, quo concurrit ad actum & ad exercitium, seu vsum operis, est cõcursus in volũtatem, & non solum concursus in actionem, aut in effectũ solum. Nam profecto, non potest intelligi quo pacto reducatur ipsa voluntas de potentia ad actum, quantum ad exercitium & vsum operis, nisi reducatur à causa efficiente extrinseca, quæ est Deus: ergo necessariò reducitur per influxum Dei in ipsam voluntatem: ergo per auxilium præmouens. Hæc ratio desumitur ex S. Thom. 1. 2. q. 9. art. 1. & de inceps, & ar. 4. Imò verò S. Thom. 1. 2. q. 9. art. 6. dicit, voluntatẽ moueri à solo Deo. Vnde, supponit quòd influxus Dei in voluntatem, est influxus in ipsam veluti in causam suarum operationum, &. 1. p. q. 105. art. 4. in corpore dicit, quòd proprium est Dei mouere voluntatem potissimè interius, eam agendo & inclinando. Imò verò, in solutionibus argumentorum dicit, quod voluntas licet moueatur ex se; tamen non repugnat ei, quòd moueatur ab alio. Et in de infert in solutione ad. 3. quod si voluntas, ita moueretur ab alio, quod ex se nullatenus moueretur; tunc actiones voluntatis non imputarentur ad meritum, vel demeritum: Cæterum, quoniam per hoc quòd vere mouetur ab alio, non excluditur quin moueatur ex se; idcirco non aufertur ab ea ratio meriti vel demeriti. En, quo pacto sententia est D.Thom. quòd cùm mouetur voluntas ad exercitium operis, concursus & influxus Dei, est influxus in causam, seu in voluntatem, quatenus est principium actus, quoad vsum & exercitium. Hãc ego rationem attuli, vt ostenderem quòd concursus Dei respectu actionum voluntatis, non est concursus solum in effectum, aut in actionem, sed quòd est concursus in arbitrium nostrum, & in voluntatem nostram, quòd aduersarij negant. Nam si semel sibi persuadeant, concursum Dei & influxum seu auxilium, esse concursum in arbitrium nostrum, fatentur auxilium Dei esse præmouens, seu præuium, & antecedens. ¶ Secundo, Probatur. Deus vere concurrit cum homine ad omnem actum liberum: sed hoc non potest intelligi, nisi dicamus, Deum efficaciter & fortiter concurrere per præuium concursum, & influxum: ergo. Probatur minor. Nam arbitrium nostrum subordinatur Deo in agendo, & nó concurrit vt causa partialis, sed concurrit vt causa secunda subordinata primæ: ergo in se recipit influxum Dei, cui subordinatur in vsu illo & exercitio operis. Nam profecto, non potest negari, quòd quãdo duo agentia concurrunt, & vnum subordinatur alteri in operando, & dependenter ab eo, quòd est ordo in agendo, & quòd vnũ illorum incipit priùs: ergo Deus est, qui primò incipit causare & agere. Et cũ influxus eius, sit influxus in arbitriũ nostrũ, & incipiat prius causare; sequitur quod priùs natura causat, & præmouet arbitrium nostrum, quia primò incipit. Vndè, addidit S. Thom. illud verbum, quod proprium est Dei mouere voluntatem interiùs, eam inclinando, & mouendo. Et confirmatur: Quoniam Deus non concurrit ad meum actum, verbi gratia, ad meam loquutionem, nisi per hanc volitionem, volo vt homo loquatur: ergo priusquã homo loqueretur, Deus voluit vt loqueretur. Patet consequentia: Quoniam illa volitio Dei, qua Deus vult vt homo loquatur, est causa volitionis, qua homo vult loqui, & causa est prior suo effectu: ergo prior est prædeterminatio Dei, & volitio Dei vt homo loquatur, quam volitio libera loquendi, quam homo habet, sed stante illa volitione Dei, quòd homo loquatur, infallibile est hominem loquuturũ; alias



alias posset frustrare voluntatem beneplaciti ipsius Dei: igitur illa volitio Dei efficaciter concurrit per *præuium* auxilium antecedens ad actum liberum moraliter bonum, quem operatur. Et confirmatur iterum. Quoniam, vt dictum est, volitio illa Dei est causa volitionis hominis: sed causa est prior natura suo effectu: non enim quia homo vult loqui, ideò Deus vult, vt ipse habeat talem actum loquendi: ergo prior est volitio Dei. Rursus, Deus concurrit, vt prima causa, homo vero vt secunda; sed causa prima priùs natura operatur, & incipit operari, quam causa secunda, quia quod incipit priùs natura agere, incipit priùs causalitate, & esse priùs causalitate, est esse priùs natura: ergo cum causa prima moueat secundam ad operandum, sequitur, quod vt prima causa est, priùs concurrit; alias non esset prima: ergo. ¶ Tertio probatur: Nam Deus & homo cùm conueniunt in ordine ad efficiendum eundem effectũ, vel à casu & fortuito conueniunt, vel simul concurrunt & conueniunt per se, & quasi ex naturali quadam coniunctione; propter subordinationem, quam habet arbitrium hominis, ad Deum in agendo. Primum dici non potest: Nam alias Dei concursus esset per accidens. Si dicas quòd per se conueniunt, & ex certa scientia & cognitione. Tunc vel causa secunda excitat primam vt secum cooperetur; & hoc non; Quia alias prius natura intelligeretur operatio, & vsus causæ secundæ, quam concursus Dei, & consequenter prius intelligeretur effectus, quam causa prima agens: ergo dicendum est, prius intelligi causam primam mouentem efficaciter causam secundã ad hoc vt operetur: ergo prius omnino intelligitur volitio, & motio efficax Dei.

*Responsio.* ¶ Dices ad hæc, quòd præintelligitur quidem Dei voluntas, vt homo loquatur, sed non præintelligitur nisi solum voluntas Dei in communi, vt loquatur, si velit, & hanc voluntatem in communi dicunt aduersarij sufficere, neque vltra prærequiri aliam efficacem absolutam, & infallibiliter prædeterminantem. Contra sic argumentor. Nam sine Dei voluntate & prouidentia, nihil vnquam fit: ergo cùm homo efficaciter loquitur, Deus vult efficaciter vt loquatur: ergo illa voluntas non est quasi vel leitas, & conditionata voluntas in communi, qua Deus vult, vt homo loquatur, si ipse velit: igitur est voluntas absoluta. Quod ostendo: Quoniam Deus eadem voluntate generali, qua voluit & vult causas libere relinquere suæ naturæ, vt libere operentur; voluit etiam, vt Petrus loqueretur si vellet: sed hoc non sufficit, vt de facto concurrat cum Petro loquente: ergo. Probatur minor: Quia alias non magis Deus concurreret cum eo, qui loquitur, quam cum eo, qui non loquitur, quod est incidere in sententiam erroneam Durandi. Quod si non dat loquenti præmouens auxilium efficax & influxum in causam: neque dat magis, quam non loquenti; sequitur quod ipsum loqui non procedet à Deo, nisi tanquam à dante potentiam ad loquendum: ergo si vtrique homini dat Deus æquale commune & sufficiens, & non præmouens & antecedens, sequitur quod si quid est inæquale in vsu & in exercitio, aut respectu effectus in vno, quod non sit in alio, quod id non procedit à Deo. ¶ Quarto probatur. Nam si Deus tantum prædefiniret in cõmuni actiones liberas morales bonas, sequitur quòd Deus non habet perfectissimam prouidentiã, quã habere potuit rerũ omnium in particulari: Nam si Deus prædefiniuit solum in communi causas liberas fore, & quòd si ipsæ voluerint agere libere, Deus concurrat cũ illis in cõmuni; sequitur quòd Deus tãtum habet prouidentiã confusam hominũ & actionũ liberarũ. Imò verò sequeretur, quòd daretur casus & fortuna in Deo, si non prædefinit, & præmouet efficaciter: Patet sequela. Quia, iuxta aduersariorum opinionem, actus boni in moralibus, non sunt à Deo prædefiniti, & prædeterminati in particulari: & sicut causa produxit hunc effectum liberum, ità de facto potuit esse alter & non iste, etiam supposita eadem Dei prouidentia, & eodem Dei concursu. Dices, non esse à casu quidquam, quia Deus iam prædeterminauit, & præsciuit in cõmuni, vt causa secunda libera libere operaretur; atque adeò, vt se ad quod maluerit inclinaret; & ob id non esse à casu aut præter intentionem eius quidquid euenit: Quia Deus voluit in communi ita euenire, sicut causa secunda se indifferenter determinat. Sed contra, Quia licèt non sit à casu quòd sint operationes liberæ, & effectus liberi isti, vel illi in communi; tamen quod isti eueniant in particulari, & cum his circunstantijs in indiuiduo, illud quidem est à casu: Quia illud, vt sic, non est præordinatum & prædefinitum à Deo, sed solum in confuso, vt aduersarij dicunt: ergo non sufficit illa voluntas in communi & in vniuersali. Si dicas, sufficere ad hoc; vt effectus non sit casualis respectu Dei, quòd nouerit eum in propria mensura æternitatis, non expectando, quòd fiat in tempore in actu exercito. Contra, Nam ita vidit Deus locutionem Petri ab æterno, sicut ego modò video eam in hoc tempore, in quo fit: sed ob id, quòd ego modò audiam, aut videam locutionem Petri, non sequitur, quòd talis locutio respectu mei non sit casualis: ergo nec respectu Dei. Rursus, adhuc non satisfacit responsio istorum. Quia per accidens se habet respectu prædefinitionis diuinæ, & prouidentiæ, quòd locutio Petri, vt est iam extra suam causam, contineatur in æternitate, & videatur à Deo: hoc enim non tollit, quin respectu prouidentiæ, & prædefinitionis sit casualis. ¶ Quintò probatur. Nam si Deus non præmouet efficaciter arbitrium nostrum ad actiones liberas moraliter bonas, neque eas prædefinit in sua prouidentia; aperte sequitur, quòd posit homo per suam voluntatem ex voluntate Dei antecedente, facere consequentem, & ex conditionata, absolutam: consequens est falsum: ergo. Probatur sequela: Nam in contraria opinione, antequam Deus me videret determinatum ad loquendum, tantum habuit voluntatem antecedentem, vt loquerer; quando autem loquor, habet voluntatem consequentem, & voluntatem bene placiti, quia actu & de facto tunc concurrit mecum ad locutionem, iam id absolute volens, vt fiat locutio, & hoc est ipsum concurrere. Falsitas autem consequẽtis probatur; Quoniam absoluta volũtas Dei, vt fiat aliquid de facto, præintelligitur ante ipsum factum: ergo præintelligitur ante meam locutionem: ergo post locutionem nõ facio absolutam voluntatem. Antecedens patet: Nam si post voluntatem conse-

*Impugnatio.*

*Altera responsio.*

*Alia refutatio.*

*Iterum respondent aduersarij.*

*Aduersarij impugnãtur*

consequentem, & absolutam, non est locutio, sed ante: ergo illa non est voluntas, vt fiat res, sed solum est approbatio rei factæ. ¶ Ad hoc argumentum respondent aduersarij, quòd Deus prius ratione habuit voluntatem consequentem, ad quodcumque per arbitrium nostrum nos determinaremus, verbi gratia, ad loquendum, vel non loquendum: Quæ sane voluntas, cum dicatur consequens obiecti indeterminati, quia Deus efficaciter determinauit dare auxilium ad quodcumque nos determinaremus; potest tamen dici voluntas antecedens huius, vel illius obiecti determinati. Sed profecto hoc non satisfacit; imò verò ex ipsa solutione sequitur euidens argumentum contra ipsos. Nam si illa voluntas Dei dicitur antecedens, respectu huius obiecti determinati, & non est magis antecedens respectu huius obiecti, quam respectu alterius determinati obiecti; sequitur, quod quando fit hoc, & non illud determinatè, quòd ex antecedente fit consequens. ¶ Rursus, dicunt aduersarij, quòd cùm Deus voluit concurrere cum libero arbitrio ad actum bonum, si voluerit, per voluntatem illam præuiam in communi, & quasi conditionatam, nihil prædefiniendo in particulari, & nihil decernendo de præuia præmotione respectu huius actus boni in particulari, aut illius; tunc in vi & virtute illius præuiæ, & indeterminatæ volitionis, includitur virtualiter volitio efficax determinata omnium actuum, quos homo vult. Sed profecto hoc est ignorare propriam vocem: Quia si voluntas illa vniuersalis & communis, qua Deus vult efficaciter concurrere in communi, quam illi appellant præuiam in communi, est voluntas indeterminata, vt ipsi etiam fatentur, & est voluntas in communi, & quasi confusa respectu particularium; sequitur; quod non est efficax volitio, respectu huius actus determinati: Nam quomodo potest voluntas efficax determinata, includi in indeterminata, vt sic? Nam indifferens, seu indeterminatum, & determinatum, sunt conditiones oppositæ: ergo volitio efficax determinata, vt sic, non includitur in voluntate indeterminata, neque in vi & virtute eius fit determinata. Imò verò, ijdem aduersarij dicunt, quòd talis volitio Dei in communi, est confusa voluntas respectu particularium, quia est voluntas conditionata, & quasi velleitas, volo te loqui, si tu volueris, conditionatè inquam: Quia Deus in voluntate illa generali, non habet magis velleitatem quòd ego loquar, quam quod non loquar. Vndè sequitur, quòd in casu argumenti non per nostram determinationem faceremus voluntatem Dei consequentem; quod si concedant aduersarij, turpiter concedunt. Nam profecto, quando Deus concurrit de facto, habet voluntatem efficacem concurrendi ad illum actum, qui fit: sed hanc habuit ab æterno præuiè ad ipsum actum. Sextò. Si ego habeo auxiliũ sufficies Dei, vt loquar, vel nõ loquar, & istud auxilium ego determino ad loquendum, interrogo, vel ad istam determinationẽ Deus concurrit, vel non? Si non: ergo non concurrit ad aliquam operationem. Quoniam determinatio ista, operatio est. Si concurrit: ergo iste concursus est auxilium efficax in causam, præmouens voluntatem, quæ antea non præmouebatur; ergo qui loquitur actu, habet efficax auxilium antecedens, seu præmotionem Dei antecedentem: quæ omnia non habet ille, qui potest loqui, sed non loquitur. Et confirmatur; Quia alias, sequeretur, quod Deus eodem modo concurreret, sicut cœlum indeterminate, & per indifferentiam quandam, cuius influxus determinatur à causa secunda: consequens est falsum. Dicendum est ergo quòd concursus causarum naturalium, vt concursus cœli, est concursus indifferens, & eius indifferentia determinatur à causa secunda, nempe, ab igne, equo, & homine. In actionibus supernaturalibus & moralibus, Deus est qui determinat causam secundam, & non determinatur ab ea, & Deus est, qui determinat dare auxilium efficax præuium.

¶ Ad hoc argumentum aduersarij dicunt, quod sicut cœlum concurrit indeterminate ad hos, vel illos motus corporales; ita Deus ad hos vel illos actus liberos naturales & supernaturales, de quibus est quæstio. Sed hoc profecto est voluntarium: imò verò est petitio principij, quia hoc est quod impugnatur, nempe, quòd Deus non habet indeterminationem, sed prædefinitionem, & præuium efficacem concursum.

Sed vlterius aduersarij respondent presi efficacia veritatis & argumentorum, quòd Deus concurrit priùs in genere causæ efficientis propter illam vniuersalem voluntatem, quæ est prior; Tum etiam; quia Deus est independens, & est initium motus, applicans naturales virtutes ad operandum. Rursus dicunt, quòd quando dicitur, causas secundas non agere, nisi inquantum mouentur à prima; id non intelligitur de motione præuia actioni aliquo modo, sed de motione cooperante intrinsecè ad propriam actionem causæ secundæ: quod dicunt de concursu, non solum cum nostro arbitrio; sed etiam cum alijs causis pure naturalibus, & non liberis. Cæterum, adhuc hæc responsio non satisfacit omninò. Quia quamuis sit verum, quod Deus prius concurrat in genere causæ efficientis, & tanquam initium motus, & tanquam mouens arbitrium nostrum, & libere deducens, & applicans, ad actum secundum agendi; tamen non concurrit solum per voluntatem illam vniuersalem, aut sine præuia motione ad actum bonum. Vndè, ipsi etiam permoti eisdem argumentis fatentur actionem Dei esse prius natura, quam actum voluntatis in esse qualitatis, si sermo sit de influxu & concursu transeunte. Et quando infertur à nobis: Ergo priùs natura vult Deus, & concurrit præuiè, & prius determinat; Dicunt aduersarij, quòd priùs natura vult Deus, & determinat non in particulari, sed in vniuersali, quod dicunt sufficere, ad concursum Dei. Sed certe hoc non sufficit, vt dicatur Deus prius natura absolutè concurrere in actu secundo. Nam ad perfectam prioritatem naturæ requiritur, vt respectu eius actionis, quæ fit in particulari, intelligamus præuiam voluntatem & prædefinitionem in particulari, cum præuio auxilio influente, vt sic deducatur arbitrium nostrum ad actionem ipsam.

Ex dictis constat, auxilium efficax etiam esse ipsum

*Respondent aduersarij.* *Impugnantur cõtrarij.* *Dicunt rursus aduersarij.* *Confutatur iterum aduersarij.* *Respondent aduersarij.* *Ratio contra aduersarios.* *Respondent insuper aduersarij.* *Impugnatur responsio.* *Ostenditur imbecillis responsio contraria.* *Sap.11. Sap.8. Sap.14.*



ipsum Dei influxum, quo Deus influit in arbitrium vt operantem, & consequentèr in operationem; An verò hæc motio recepta in arbitrio nostro, & simul imbibita in operatione elicita ab eodem arbitrio, distinguatur ab ipsa operatione, & an distingua tur realitèr, vel sola ratione? ex parte diximus suprà, & nihil modò interest disputare ex professo.

Præterea; Prudentissimus dux vel Pater familias, si posset prouidere domui, vel exercitui, præordinando omnes & singulas res, & particularia media ad consecutionem victoriæ, vel rectam domus gubernationẽ; certè id faceret, & in hoc splenderet maxima ipsius sapientia & prouidentia. Quòd si non facit, idcircò est, quia nõ potest: sed Deus facillimè potest prouidere isto modo in particulari, de rebus omnibus, etiam prædefiniendo singula; & ob id non tollitur liberum arbitrium: ergo id Deus facit: Nam alias si id non faceret, vel haberet Deus prouidentiam quandã confusam, vel hoc esset signum, quòd Deus non esset infinitus in sua sapientia, & prouidẽtia. Sed respondent aduersarij ad hoc, Deum posse efficaciter mouere arbitrium nostrum ad actus bonos morales, nempe, ad hos in particulari, ita vt infallibile sit, eos operaturum, cæterum id non faceret de facto: Quia, vt dicunt, suauiùs Deus prouidet, nihil, aut pauca prædefiniendo in particulari. Sed certè hæc responsio videtur mihi iniuriosa Deo & irrationabilis; Tùm, quia in enuentibus, ac futuris contingentibus, si Deus scit & potest fortitèr agere pro se, & efficaciter, prædefiniendo & præuiè mouendo arbitrium nostrum, & suauitèr mouendo pro libertate ipsius arbitrij, & pro nobis; multò meliùs prouidet: & magis ostenditur eius sapientia; imò tunc suauior est eius prouidentia: Quia seruata libertate arbitrij, sicut prudentissimus dux & prouisor, non solùm prouidet in communi, sed in particulari, & non solùm prædefinit in communi, sed in particulari: Tùm etiã, quia si non ita prouideret, non ostenderet in hoc speciali tèr eximiam eius sapientiam, neque ostenderet, quo pacto ipse scit copulare hæc duo, nempe, præuium efficacem concursum, simul cum libertate arbitrij nostri. Imò verò, si alitèr Deus ageret, non deficeret qui iudicarent Deum id non posse facere, & ex defectu potentiæ id fieri non posse, saltem dicerent, Dei potentiam non se posse extendere ad hoc, quia iudicarent rem esse factu impossibilem: ergo cũ id non sit impossibile Deo, necessariò id dandũ est Deo de facto. Tùm tertio; Quia si possibile est Deo ita prouidere in omnibus prædefiniendo omnia in particulari, vt aduersarij etiam fatentur, non video cur nõ ita de facto factũ sit ab ipso Deo. Nã certè sap. 11. legimus, Deum omnia in mensura, numero & pondere disposuisse; & ob id dicit diuina sapientia cap. 8. quòd ipse attingit à fine, vsque ad finem fortitèr, & disponit omnia suauitèr. Et Sap. 14. quòd Deus ab initio sua prouidentia cunctagubernat; nõ autẽ cuncta gubernaret, neque omnia in mensura, & numero, & pondere disposuisset, neque attingeret à fine, vsque adfinẽ fortitèr, si solũ prædefiniret actiones hominum in confuso & in communi, & non in particulari: ergo.

Tandem, Deus infinita sua scientia & sapientia, perfectissimè nouit naturam voluntatis nostræ, & omnia, quę determinare illam possunt, vel mouere suauitèr ad suos actus; vel quæ possunt impedire: & ita cognoscit, quòd homo in tali dispositione existens, si applicetur illi tale obiectum tali modo, & cum tali efficacia, suauitèr ducendo ipsum, si tollantur impedimenta, tentationes, & reliqua, quæ contradicere, & impedire possunt; tunc voluntas liberè determinabitur ad prosequendum, & amandum illud obiectum. Imò verò Deus tunc sua protectione & custodia, efficit; vt nihil tunc proponatur voluntati, quòd eam retardare, aut impedire posset, & idcircò suauitèr & efficacitèr à Deo præmouetur. Extant etiam de hac re pleræque aliquæ rationes, & multa argumenta, quæ rem hanc à nobis propositam ostendunt, in nostris Commentarijs. 1. parte. quæst. 19. articulo. 8. &. quæst. 22. articulo. 4. & q. 23. articulo. 3. disputatio. 2. vbi etiam plurima adduximus testimonia Sanctorum & Diui Augustini præcipuè.

*Argumenta facta in initio quæstionis soluuntur.*

*Ad argum. Ad.1.*

AD argumenta initio huius disputationis facta. Ad primum respondetur, negando consequentiam, & est dispar ratio de actibus liberis moralitèr bonis, aut supernaturalitèr bonis & de peccatis, seu de actibus peccatorum., vel de actibus moralibus malis. Quoniam actus moraliter malus, seu peccatum, incipit à nobis, iuxta illud Prophetæ. Perditio tua ex te Israel, tantummodò ex me auxilium tuum. At verò actus moraliter bonus, ita est ab arbitrio nostro, vt intelligatur esse priùs natura à Deo præmouente. Secundò respondetur, quòd si Deus præmoueret ad actum peccati, verbi gratia, ad actionem mentiendi, seu ad mendacium; tunc diceretur, quasi deducere hominem ad peccatum, & eum allicere, & præmouere; & sic diceretur causa peccati: Sicut cùm mouet prædeliberando efficacitèr, seu præmouendo liberum arbitrium ad bonum, dicitur vera causa ipsius boni operis. Et idcircò nõ est par ratio vtriusque. Vndè verè saluatur prouidentia in actibus malis moralitèr, seu concursus circà substantiam actus, per concursum Dei in actionem ipsam, & per influxũ in substãtiã actus. At verò in actibus bonis, cùm omnia sint bona, & à Deo producibilia, etiam secũdũ rationẽ formalẽ, & vltimã differentiã nõ saluaretur optimè Dei perfecta sapientia, aut prouidẽtia, si Deus prædefiniret illa opera bona in confuso & in communi, & non in particulari: Neq; saluaretur perfecta Dei causalitas; si Deus non priùs moueret saltem prioritate naturæ, aut si non præmoueret arbitrium nostrum, & influeret in ipsum ad rectam & bonam operationẽ. Rursus, optimè saluatur prouidẽtia in permissione peccatorũ: Nã voluit permittere peccata, & ex permissione eorũ, magna elicere bona, quæ omnia cooperantur in bonũ, his qui secũdũ propositũ Dei vocati sunt Sancti. In bonis autẽ operibus moralitèr bonis, nõ Deus se habet permissiuè, vt aduersarij ferè dicũt; Quia solũ dicũt, Deum voluisse esse opera bona moralia in cõmuni, & ex suppositione quòd velit liberum arbitrium, hæc vel illa concurrere cum illo, sine vlla præmotione, aut causalitate præuia, & sine vlla prædefinitione: sed habet se causalitèr in omnibus, præuiè

definiendo;Quod non ita contingit in actibus peccatorum,sed solum vt dictum est concl.2. & deinceps. ¶ Ad secundum respondetur, distinguendo antecedens. Nam si sit sensus, quòd Deus non causat qualitatem aliquam præuiam volitioni priùs immanentem, vt sequatur actio libera moralitèr bona per determinationem ad vnum;concedo antecedens. Si verò sit sensus, quòd Deus non influit præuiè in ipsum arbitrium ad actum moralitèr bonum ab eo elicitum,vt certò & infallibiliter sequatur liberè,posito præuio efficaci illo auxilio; nego antecedens: Nam Deus priùs natura & causalitate præmouet,ad volitionem illam arbitrium nostrum, non quòd in aliquo instanti priùs moueatur: Quia in eodem instanti, in quo arbitrium nostrum incipit actionem elicere, incipit Deus præuiè efficaciter mouere arbitrium nostrum ad operationem bonam, quæ ab ipso elicitur. Quia Deus priùs natura,& priùs causalitate concurrit. Nam arbitrium nostrum in agendo & eliciendo, pendet sicut à priori mouente, à Deo, quamuis ambo simul sint in tempore. Sed dicunt aduersarij, se non intelligere posse,quid sit illud præuium.Sed certè est mirabile,quòd ipsi negent hoc, quia non possunt intelligere quid sit, quasi regula veritatis sit, ipsos non posse intelligere quid sit.Et rogo ab eis, cùm ipsi dicant, quòd liberum arbitrium in actionibus supernaturalibus se habet, vt instrumentum Dei, Quomodo intelligunt se habere quasi instrumentum, & non præmoueri à Deo ? Quia implicat esse instrumentum, & non habere influxum præmouentem.Præsertim cùm Deus immediatus sit libero arbitrio.Item interrogo, Quo pacto concurrit Deus ad actiones & operationes moralitèr bonas, à nostro arbitrio elicitas?Concurrit ne antequam actiones illæ sint extra causam,vel postquam sunt extra causam? Si ante, ille est concursus in causam, & in arbitrium nostrum.Si post, hoc non est intelligibile: Quia iam operatio est producta; vel concurrit ad actionem,veluti causa partialis concomitantèr, in puncto in quo elicitur; & tunc non est intelligibile,quo pacto Deus sit causa partialis, & similitèr liberum arbitrium sit causa partialis: Quia cùm influit Deus in actionem,vel creat illam: & hoc non; vel extrahit illam de potentia nostri arbitrij: & ita arbitrium nostrum recipit vim & influxum Dei præuiè & antecedentèr ad actionem illam liberam: Vel tribuit aliquam virtutem & qualitatem arbitrio vt operetur. Quia certè non est intelligibile, quo alio modo concurrat; & tunc etiam præuiè concurrit:ergo.Tandem, Dicere quòd concurrant Deus & liberum arbitrium, veluti duæ causæ partiales, est tollere subordinationem causarum secundarum in agendo,& destruere omnem modum dicendi Theologorum & antiquorum. Nam certè liberum arbitrium habet se,vt causa secũda subordinata Deo, & vtraque causa concurrit immediatè ad actionem illam liberam moralitèr bonam; Deus quidem, vt causa prima præmouens & influens in arbitrium nostrum;voluntas autem nostra,vt causa secunda subordinata Deo,& dependens in operando ab ipso. Imò verò, cùm causæ partiales non sint subordinatæ, quamuis effectus habeat dependentiam ab vtrisque causis partialibus; tamen non dicuntur propriè dependere à se ipsis,nempe, vna ab alia:ergo idem eueniret in Deo, & in causa secunda,si solùm concurrerent,vt causæ partiales. Nam hac ratione,non propriè dependeret causa secunda à Deo in causando,quod esset incidere in opinionẽ Durandi.Imò verò vlteriùs, aduersariorum sententia,non plurimum distat à sententia Durandi.Quia Durandus non negat concursum Dei ad effectum. Quocircà dicendum est, quòd Deus influit in arbitrium nostrum, & quòd influxus ille est præmotio quædam efficax,suauis, continens omnem modum concurrendi,& non est qualitas,sed motio;Et quãtumcùnque interroges,quid est? Respõdetur, quòd est concursus Dei & præmotio diuina, qua actualitèr mouetur arbitrium nostrum simul in eodem instanti temporis,in quo ipsum suam elicit operationem liberam.Sed præmotio hæc, priùs natura intelligitur, vt à Deo fluens, vt suprà satis aperuimus. Hac igitur distinctione antecedentis secundi argumenti iam posita, negatur Deum non disposuisse prædefinire actus nostros liberos moralitèr bonos. ¶ Ad illud verò, quod ibidem dicitur de prædestinatis,concedendum est vt verum, & negãdum est, quòd non antecedat in actibus liberis moralitèr bonis præuia Dei motio. Et in hoc sensu neganda est minor & consequentia. Vndè,paritèr etiam negari oportet,quòd auxilium Dei efficax, non sit aliquid aliud,quã ipsa locutio.Nã est præuius concursus & præuia motio in arbitriũ nostrũ,qua in eodẽ instãti simul voluntas nostra operatur. Neque requiritur vt præuiè Deus concurrat, quòd aliqua entitas per modum qualitatis producatur priùs,sed solũ quòd ille concursus sit præuius prioritate naturæ,& prioritate causalitatis,in vno & eodem instanti.

*Ad secundũ*

*Aduersariorum dictũ Authoris responsa.*

*Ad tertiũ*

Ad tertium respondetur, quòd liberum arbitriũ creatũ,in bonis actionibus liberis à Deo prædefinitis,si actiones illæ sint supernaturales,de lege priùs excitatur,vocatur, inspiratur; deindè verò præuiè mouetur;in qua præmotione,Deus,vt prima causa, ducit liberũ arbitriũ,& applicat suauiter efficaciter ad illud opus,ad quod vocabatur.Aliquãdò verò vocatur,& inspiratur liberũ arbitriũ peccatoris ad cõuersionẽ,alioqui nõ prædefinitam à Deo; & tũc vel peccator resistit Deo vocãti,vel addit peccata, quibus additis,Deus nõ præmouet eũ efficaciter,sed relinquit illũ ita resistentẽ & cõtradicentem. Si verò actiones illę sint bonæ moraliter ex omnibus circũstãtijs;tũc Deus cõcurrit suo concursu, actionibus moralibus & naturalibus bonis & liberis accõmodato;Ita tamẽ quòd cùm prędefinierit has actiones bonas moralitèr,& nõ illas, præuiè efficaciter moueat ad easdẽ,& nõ ad alias. Et Cùm præuiè mouetur,iuxta cõditionẽ suæ libertatis, liberũ arbitrium etiam se ipsum applicat ad operandũ potiùs hoc, quã illud. Itaq;, præuia illa motio efficax ex diuina prædefinitione procedẽs,nõ est motio indifferens, qualis est motio solis,aut cœli. Quoniã liberũ arbitriũ nõ modificat Deũ, sed potius efficiẽter modificatur ab eo prædefiniente & statuente, licèt in ipso exercitio, cũ influxus Dei recipitur in libero arbitrio,qã pręmouetur,ad modũ eius recipiatur, vt in 1.p.fusiùs aperuimus.q.14.ar.13.disputat.6.præsertim concl.2.&.3.&.4.sed est motio efficaciter ducẽs ad id,quod determinatè à Deo est prædefinitum. Sed de hac



*Ad quartũ* de hac re penè infinita dicta sunt à nobis. ¶ Ad quartum respondetur,sensum compositum,& diuisum esse necessariam doctrinam in hac materia, & communem in mysterio prædestinationis,& in mysterio cõcordiæ liberi arbitrij, & diuinæ motionis, & influxus. Et profectò, cùm Deus sit infinitus, & infinitè sapiens,non video cur non expediat, quòd actiones liberæ moralitèr bonæ, legi Dei & rationi conformes, prædefiniantur à Deo, quantumcumque paruæ videantur. Nam duo passeres asse venundantur,dicit Christus seruator noster; & tamen nul lus illorum in particulari cadit sine Patris voluntate. Quocircà, benè distinguimus inter præuisionem, & præordinationem efficacem Dei. Sed quod asseueramus est,prædiffinitionem, seu præordinationem antecedere præuisionem bonorum operum liberorum, quamuis talis prædefinitio, aut prædeterminatio; non fiat ante præuisionem operum possibilium, Quę propriè non est præuisio, sed potius cognitio rerum possibilium,vt sic. Ex quibus possibilibus ita præcognitis, quædam eorum prædefiniuntur à Deo futura;quædam verò non item. ¶ Ad

*Ad quintũ.* quintum respondetur, concedo sequelam, nempe, quòd Deus prædefiniendo futura, in sua voluntate & prædefinitione, ea cognouit. Cæterum, hoc penetrare difficile est;Quia difficile est,imò verò difficillimum,sed de numero verissimorum, concordare hanc prædefinitionem cum vsu libero nostri arbitrij.Alia quæ pertinent ad materiam huius argu-

*Ad sextum.* menti,dicta sunt à nobis in.1.p.¶ Ad sextum,dicendum, Deum vel prædefiniuisse ab æterno volitionem implendi præceptum, & volitionem dandi eleemosynam,vel prædiffiniuisse permissionem nolitionis; non tamen prædefiniuisse nolitionem implendi præceptum. Quia non prædeterminat actũ peccati, quamuis concurrat ad substantiam actus; non tamen præmouet ad actum mentiendi, vel ad actum peccandi, alliciendo,aut præmouendo, vt dictum est.Vndè,homo semper manet liber, vt se determinet ad nolitionem, vel volitionem. Quòd si præmoueretur à Deo efficaciter homo ad volitionem dandi eleemosynam, ex eo quòd talis bona actio moralis à Deo esset prædefinita; tunc in sensu composito ipsa volitio liberè exercita, esset infallibilis & certa.Quia quamuis præmoueretur à Deo liberũ arbitrium ad talem actionem;nihilominùs id esset iuxta conditionem ipsius arbitrij moti; Ita tamen, vt non frustraretur Dei prædefinitio, & præmotio efficax;quia illa stante, inuoluitur sensus cõpositus,& actuale exercitium voluntarium, & liberum ipsius arbitrij. Indeterminatio autem quæ libertatẽ facit, non est indeterminatio ex parte actus, sed ex parte obiectorũ. Et sanè,nõ video cur maior sit difficultas in hoc argumento respectu actuũ liberorum in moralibus,quam respectu actuum liberorum in supernaturalibus. Quod si nouerunt aduersarij inuenire modum,quo saluari potest libertas arbitrij,cum prædefinitione quorundam actuum supernaturalium,& cum præmotione auxilij antecedentis,& prædeterminantis, cur non cum actibus liberis moraliter bonis? ¶ Ad confirmationẽ iam diximus in secunda conclusione,quòd quamuis Deus concurrat ad entitatem & substantiam actus mali; tamen non præmouet efficaciter ad actum peccati & mali moralis, prædefiniendo, aut præmouendo, & alliciendo arbitrium, iuxta ea quæ diximus in præfata conclusione secunda. Quocircà, relinquitur voluntas libera,& non prædeterminata, neque præmota; Cæterum Deus vult permittere peccatum illud, & de facto tunc non dat efficacia auxilia. Quæ, cur non det, aut quo pacto sit paratus, suprà diximus disputat.2.&.3.Vndè, neganda est illa consequentia, quæ infert, posse esse aliquem actum bonum formaliter, & moraliter, ex obiecto & circunstantijs, vel absque eo, quòd sit efficacitèr prædefinitus à Deo, vel absque eo, quòd Deus concurrat ad bonitatem illam formalem per

*Ad confir.* auxilium efficax præuium. ¶ Ad septimum dicendum, quòd Deus scit pro infinita eius sapientia, & prouidentia, opem ferre causis secundis in suis actionibus, & operibus, non extrahendo eas à sua natura; & in hoc splendet maximè efficacia sui cõcursus.Scit præterea,& nouit Deus, vt infallibilitèr sequatur,quod prædefiniuit pro bono vniuersi, necessarium esse præuium influxum; Imò verò, cùm is influxus, & auxilium efficax præuium sequatur ex Dei prædefinitione, quam necesse est Deum habere, ne eius prouidentia sit confusa & inefficax, ràm in vniuersali, quam in particulari; idcircò necessè est, vt impleatur voluntas beneplaciti, & prouidentia in communi, & in particulari, quòd moueatur liberum arbitrium efficacitèr à Deo, vt is effectus infallibilitèr sequatur, qui ex voluntate beneplaciti statutus est. ¶ Ad cõfirmationẽ respondetur,quòd non est par ratio de concursu cœli, & de concursu Dei. Nam Deus est prouisor,& vniuersalis prouisor omnium,quæ fiunt: & idcircò debet statuere,quæ agenda sunt,quantùm fieri potest;cœlum autem est causa naturalis solùm,& idcircò eius cõcursus est indifferens,& determinatur à causis secundis inferioribus.Itaque non tantũ modificatur concursus cœli,sed etiam determinatur ad hunc effectum,& ad illum,& ad hunc modum,& ad illum. Cæterùm, quia Deus non tantum habet concurrere,vt causa vniuersalis,sed vt causa prima indepen dens,& prouidens secundum consilium voluntatis suæ, omnia prædefiniens;idcircò, longè diuersa ratio est de cœlo influente,& de Deo influente etiam, cuius influxus,auxilium,& concursus, ex eius prædefinitione,& sapientia prouenit, secundum quam diximus iuxtà euangelium, quòd licèt duo passeres asse venundentur; nullus tamen eorum cadit, sine Patris voluntate,qui in cœlis est.

*Ad septimũ*

## DISPVTATIO V.

*Num requiratur auxilium prædeterminans ex parte solius prouidentiæ, extrinsecæ Dei,*

Rauis materia est, quam parua ingenia non sustinent, explicare vtrũ ad actum pœnitentiæ, vel ad omnes supernaturales actus, & liberos, requiratur auxilium præmouens, ex natura rei requisitũ;vel solũ requiratur ex vi prouidẽtię extrinsecæ Dei;seu ex vi prouidentiæ perfectæ ? Et quamuis in omnibus cõtrouersijs paulò antea discussis, ex natura rei requisitum esse dixerimus, ad

prædictos actus, auxilium præmouens, quod plures vocant prædeterminans, tamen eo ventum est, vt sinistre, & audacter hodierna die, plures loquantur recentes Theologi. Vnde qui sentiunt prædestinationem factam esse, post præuisionem operum, & quosdam saluari, qui nec ad finem, nec ad medium, sunt efficaciter prædeterminati, consequenter affirmant, quòd in ordine ad aliquos actus supernaturales, & in ordine ad actum pœnitentiæ & conuersionis ad Deum, non requiritur auxilium præmouens, seu, quod alij vocant, prædeterminans. Huius sententiæ esse dicunt Sedulium, Chrysostom. OEcumenium, Faustum, Prosperum, Origenem: Quorum verba citat Sixtus Senens. libro secundo. Biblioth. annotat. 250. 251. & 52. & Osorium Pyghium, Alensem, Gabrielem, & alios quos retulimus præcedentibus disputationibus, nempe, secunda, tertia, & quarta. ¶ Idem videntur sentire omnes illi, qui independenter ab hac sententia de prædestinatione, putant Deum non prædefiniuisse, nec prædeterminasse vllum actum liberum; quia prædefinirio (vt dicunt) repugnat cum libertate. ¶ Alij tamen sunt recentiores, qui mitius loquuntur, dicentes, quòd in ordine ad singulos actus supernaturales, & ad conuersionẽ peccatoris in Deũ, & ad actum pœnitentiæ, licet non requiratur auxilium efficax præmouens, ex natura rei, seu (vt illi dicunt) efficax prædeterminans, dicunt tamen requiri, ex vi solius prouidentiæ Dei, omnia in certos fines dirigentis: Quia dicunt, aliud esse considerare concursum Dei, secundum quòd requiritur, ad perfectionem causarum secundarum, & vt libere, & contingenter operentur; aliud vero secundum quòd requiritur ad perfectionem ipsius prouidentiæ Dei; Nam ad primum, sufficit Deum concurrere concomitanter, cum secundis causis, licèt Deus necessario concurreret; quia Deo etiam necessario operante, secundæ causæ liberæ possent contingenter, & liberè operari, vt dixit Sanctissimus Præceptor. primo contra gentes. capitulo. 67. & Ferrara eodem loco, & de veritate. quæstio. 2. articulo. 14. ad primum. & quæst. 5. articulo 9. ad decimum. & Caietan. 1. part. quæstio. 14. articul. 13. Cum ergo ad Dei perfectionem pertineat libere agere, & operari ad extra; quamuis hoc per se non requiratur ad hoc, vt secundæ causæ liberè operentur, sequitur quòd saltem ex vi prouidentiæ Dei, omnia incertos fines dirigentis, requiritur auxilium prædefinitionis, respectu istorum actuum. ¶ Quod ergo in præsenti inquirimus est, num requiratur ex natura rei, seu ad intrinsecam naturam actus liberi, auxilium efficaciter præmouens, vel potius licèt ad naturam intrinsecam actus liberi, sit satis auxilium concomitans, tamen ad perfectionem Dei, & ad completam ipsius prouidentiam, requiratur vlterius aliud? ¶ Et sane qui ex parte solius prouidentiæ, & ob Dei perfectionem, & completam prouidentiam, dicunt, requiri auxilium efficax prædeterminans, & non ex natura rei, quia ex parte actus, & conuersionis in Deum, seu pœnitentiæ, dicunt sufficere efficax concomitans, cum excitante, & præueniente; ob id hoc affirmant; quia putant, ex hoc auferri libertatem nostram, cum tamen potius confirmetur, & astruatur. Quo fit, vt consequenter negent Deum prius natura, & causalitate concurrere ad actum contritionis, & pœnitentiæ; Quia similiter censent, quòd si Deus prius natura concurrit, simul cum libero arbitrio ad actum pœnitentiæ, ex hoc auferetur libertas.

*Sedulius. Chrysostom. OEcumen. Faustus. Prosper. Origen. Sixtus Senens. Osorius Pyghius. Alensis. Gabriel.*

*D. Thom. Ferrara. Caietan.*

Vt res hæc à nobis explicetur, Dico primo, requisitum esse efficax Dei auxilium, infallibiliter prædeterminans, ad omnes actus bonos, & ad omnes conuersiones & pœnitentias hominum peccatorum, per specialem voluntatem Dei, omnino præuiam, qua Deus singulos actus in particulari, prius intendit, & prædiffinit, quòd requiritur, absque dubio, ex vi prouidentiæ Dei, quam de facto Deus habet erga hos actus, idque requiritur ad perfectionem Dei, & completam ipsius prouidentiam, quam ex Scriptura, & Sanctis Patribus, colligimus, de facto Deum habere. Hæc assertio certa debet esse viro catholico, quæ sine præiudicio catholicæ doctrinæ negari non potest, quæ manifestè constat, ex dictis supra disputatione secunda, tertia, & quarta, & ex dictis. 1. part. quæstione 22. articulo quarto, disputatione vnica. & quæstione 23. disputat. 2. & disputat. 7. & 8. Et constat ex testimonijs Sanctarum literarum, quæ significant aperte, Deum speciali voluntate singula prædeterminauisse, & prædefiniuisse; Nam Matth. 10. dicitur, quòd nec passer cadit sine voluntate Patris. Et à Diuo Paulo dicitur, quòd creati sumus in operibus bonis quę præparauit Deus, & Sapientię 8. legimus, quòd Diuina Sapientia attingit à fine, vsque ad finem, fortiter & disponit omnia suauiter: si ergo omnia suauiter disponit: ergo præordinat, & prædefinit prædictos actus. Et Actorum. 17. Paulus loquens Athenien sibus, dicit de Deo, quòd definit statuta tempora, & terminos habitationis eorum, &c.

*Dico. 1.*

*Matth. 10.*

*D. Paul. Sapien. 8.*

*Actu. 17.*

Quare catholici, qui prædestinationem dicunt esse factam, ante præuisionem operum; quia ex Scriptura & Patribus colligitur, neminem saluari, qui non fuerit à Deo prius efficaciter prælectus ad gloriam; hanc omnes isti assertionem iam positam suscipiunt & venerantur. ¶ Potest etiam colligi posita assertio ex Trident. sessione. 6. canon. 6. quo loco damnantur, qui dixerint mala opera, ita vt bona, Deum operari, non permissiue solum, sed etiam propriè & per se, &c. ergo secundum Concilium, ad mala opera, & peccata Deus cõcurrit permissiue, & non propriè & per se, sicut ad bona opera; Concil. vero, non solum loquitur de formali peccati, sed etiã de materiali: Nam licet Deus concurrat ad substantiam actionis, seu ad materiale peccati generali concursu, tamen non præmouet ad ipsum; nec inuitat, vt superius dictũ est: ergo quamuis ad materiale peccati, fit satis prouidẽtia illa, quæ in superioribus explicata est, & etiam. 1. p. q. 22. de Diuina Prouidentia. artic. 4. tamen in ordine ad actus bonos, vltra illam requiritur alia, nempe, vt omnes actus bonos absolute prædefiniat, & prædeterminet. Hæc est D. Augustt. expressa sententia. 6. Hypognost. in principio, vbi inquit. Mala autem tantum præscit, & non prædestinat; bona vero & præscit, & prædestinat. Hoc idem docuit Sanctissimus Præceptor. in. 3. dist. 9. vbi supra. & Capreol. in. 2. dist. 28. ar. 3. ad. 12. contra secundam

*Concil. Trident.*

*D. Aug.*

*D. Thom. Capreol.*



*Ruard. Tapper.*

secundam conclusionem. ¶ Ruardus Tapper licet in plerisque à nobis recedat, tamen hanc assertionem susc ipit locis supra citatis, fol. 222. artic. 7. de libero arbitrio: Imo vero Decanus loquendo de hoc auxilio, semper fatetur, quòd is, qui conuertitur, habet maius auxilium, efficaciter pręueniens, quam ille, qui non conuertitur. Vbi in hæc verba prorumpit, dicens. Huius autem propositi & diuinæ gubernationis habita consideratione, & non solum principij diuinitus immissi, quo agimus nostram salutem, impossibile est, quòd omnes similiter vocentur, & vnus vocationem sequatur, & non alter, qui enim sequitur, vocatur, & dirigitur, secundum æternum Dei propositum, & directionem, alius vero nõ sic vocatur. Et statim id magis explicat, & licet ibi loqui videatur solum de prædestinatis, tamen immediatè antea præmiserat, se loqui de omni actu bono, dicens sic: In omni enim materia ita pietatis & gratiæ, sicut morali, & ciuili, ad voluntatem pertinet ad vnam, vel aliam partem se determinare, & quamuis sub Dei determinatione, non tamen minus libere se determinat, quam si non concurreret, nec determinaret Deus: Et subiungit de priori tate concursus Dei, non magis habere locum in operibus gratiæ, quàm moris, & naturæ. ¶ Hanc eandem

*Scot.*

assertionem sequutus est Scot. in primo. distinct. 39. quæst. vnica, vbi statuit Deum cognoscere futura, in sua prædefinitione, hoc est, in sua voluntate determinante tales effectus; Et apud Scot. hoc non intelligitur de illa volitione, aut prædefinitione, qua Deus physicè concurrit ad actionem creatam: Quia ista, vt ipse putat Scot. tantum est simul natura, cum actione creata, & non prius natura; & cognoscere effectus in tali concursu, est cognoscere illos, vt præsentes in æternitate, quod non admittit Scot. ergo loquitur Scot. de prædefinitione diuinæ prouidentiæ independenti à voluntate humana, sed quæ efficaciter causauit effectum in illa, vt superius diximus, & infra etiam explicabitur. ¶ Hæc eadem assertio est de mente Caietan. & aliorum, qui licet aliquando dixerint primam causam simul natura concurrere cum secunda, tamen nunquam negarunt, quin Deus, per suam perfectam prouidentiam omnia prædeterminauerit, antequam cerneret voluntatem creatam, ad aliquid determinari: Si enim Caietan. hoc non fateretur, non ita difficilem iudicaret concordiam liberi arbitrij, cum voluntate efficaci Dei. ¶ Rationes autem cur necesse sit constituere hanc prædefinitionem ex parte prouidentiæ Dei, à nobis sunt propositæ, in hoc articulo in disputationibus præcedentibus; sed præcipuè. 1. p. quæst. 22. artic. 4. disput. vnica. & quæst. 23. de diuina prædestinatione. disput. 2. conclu. 3. & disput. 7. & 8. sequentibus eiusdem articuli. Diximus etiam nonnulla in eadem prima parte. quæst. 14. artic. 13. disput. 7. & 8. & quæstio. 19. de diuina voluntate articu. 8. disputat. 1. ¶ Vnde non est necesse modo repetere easdem omnino rationes ad ostendendum, cur requiratur constituere hanc prædeterminationem, iuxta perfectionem diuinæ prouidentiæ, quam etiam prædeterminationem, & prædefinitionem, omnes vocant auxilium efficax, prouenies ex perfectione diuinæ prouidentiæ.

*Caietan.*

*Dico 2.*

Dico secundo. Non tantum constituendum est hoc auxilium prædeterminans ex parte diuinæ prouidentiæ, & ad completam ipsius Dei prouidentiam; sed præterea etiam ita requiritur auxilium præmouens vt ad singulos actus supernaturales, & ad conuersionẽ peccatoris in Deũ, & ad actum pœnitentię, requiratur tale efficax auxilium præmouẽs ex natura rei, & non ex vi solius prouidentiæ Dei: Volo dicere, quòd in ipso concursu Dei ad conuersionem, & pœnitentiam, non tantum concomitanter concurrit, simul cum libero arbitrio, eliciente actum pœnitentiæ, & conuersionis, Deus ipse: sed etiam concurrit præmouendo ad eundem actum, non quidem prius in aliquo instanti, aut in aliqua duratione, ita vt sit aliquod prius, in quo sit efficax Dei concursus, ante concursum, & actionem, aut operationem eiusdem liberi arbitrij: quia ex parte durationis, hæc concomitanter se habent: Sed etiam intelligimus vere Deum prius natura concurrere, & prius causalitate, ita vt liberum arbitrium, pœnitentiam & conuersionem eliciens, pendeat, vt sic, à Deo, similiter concurrente, & coefficiente eandem conuersionem cum ipso, sed prius causalitate, & prius natura tantum. Hæc est expressa sententia D. Ambros. libro primo, de vocatione gentium. capit. 1. expresis verbis. Fuit enim tempore D. Ambros. quorundam improbata sententia, credentium, Deum in ipso concursu conuersionis, & pœnitentiæ tantum vt comitem se habere, & non præmouere ad ipsam actualem conuersionem; nec prius natura concurrere per suam gratiam; Cuius oppositum D. Ambros. loco citato defendit, dicens, ex hoc nõ auferri libertatem nostram; Quare, loquens ibidem de gratia Dei, & libertate nostra quomodo cohæreant, ait: Interquam, hoc est, inter libertatem ad opus concurrentem, & gratiam Dei, quorundam non sana discretio est, existimantium, quòd prædicatione gratiæ, liberum negetur arbitrium, nec aduertentium, eadem regula posse obijci sibi, quòd gratiam negent; cum eam humanæ voluntatis non ducem volunt esse, sed comitem. Quo sanè, quid clarius dici potuit, ad ostendendam præfatam assertionem, & doctrinam? Legendus est etiam idem Ambros. toto libro primo, & secundo, de vocatione gentium. ¶ Hæc etiam est expressa sententia Diui Augustin. lib. de prædestinatione sanctorum. capit. 10. & 11. vbi loquens de conuersione peccatoris ad Deum, & de quibusdam præceptis à Deo nobis datis, & impositis, inquit, Idcirco hæc nobis præcipiuntur, & dona Dei esse monstrantur, vt intelligatur, quòd & nos ea facimus, & Deus facit, vt illa faciamus, sicut per Prophetam Ezechielem dicit: Ego faciam, vt faciatis, & vt in præceptis meis ambuletis. Quocirca D. Augustt. epistola. 106. ad Bonifacium, appellat voluntatem nostram in operibus & actionibus supernaturalibus pedisequam, & non præuiam. Et lib. 1. de prædestinatione sanctorum, capit. 3. dicit: Quod licet credere, & bene agere, vtrũque sit nostrum; quia non fit, nisi volentibus nobis, propter arbitrium voluntatis; tamen vtrumque est datum à Deo: Quia nec velle possumus, nisi vocemur, & cum post vocationem voluerimus, non sufficit voluntas nostra, & cursus noster, nisi Deus & vires currentibus præbeat, & perducat, quo vocat. Et in eodem capit. 3. & in sequenti. 4. D. Augustin.

*Pro hac conclusione legenda sunt, ea quæ lucu lenter diximus supra q. 109. ar. 6. dispur. vnic. conclu. 6.*

*D. Ambros.*

*D. Augustt.*

*Ezechiel.*

magnificat tanquam diuinum oraculum Beatissimi Cypriani sententiam, dicentis, in nullo gloriandum, quando nostrum nihil est. Quibus locis Augustin.semper insinuat, & supponit præmotionem efficacem,ad actum conuersionis liberum, prærequiri antecedenter.

Rursus ex Sacris literis constat veritas nostræ as-
*1.Corin.12.* sertionis,& præcipuè ex Paulo. 1. Corinth. 12. & 2.
*2.Corint.3.* Corinthio.3.dicente, quòd operatur Deus omnia in omnibus,& quòd operatur in nobis velle & perficere,quod potissime est verũ de promotione Dei; Quod satis explicuit Diuina Sapientia Prouerb. 21.
*Prouer. 21.* dicens,Cor Regis in manu Domini, quocumq; voluerit vertet illud. Hoc etiam maxime ostendunt
*Ad Ephe.2.* verba Paul. ad Ephes. 2. Ipsius factura sumus, creati in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus. Quæ veritas fortius ostenditur ex illo
*Ioan.6.* Ioannis 6. Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me traxerit eum; ergo prius intelligitur, quòd Deus aliquem infallibiliter per auxilium efficax antecedens præmoueat, quam quòd ipse consentiat: Quod testimonium fusè sumus prosecuti.1.par.locis citatis. ¶Rursus in sacris literis non solum habetur, quòd Deus præuenit,aut vocat nos, vel excitat; sed etiam habetur, quòd ipse facit, vt nos velimus efficaciter,& quòd deducit nos per viam salutis in omni bono opere, vt constat ex testimonijs citatis ex Paulo, & D.Ioanne: Ergo constituendum est tale auxilium,quale in assertione à nobis asseritur. Nam
*Conci. Arausic.* hoc idem apertè definitur in Concil. Arausic. cum ait:Quòd multa bona,in homine fiunt, quæ nõ facit homo: nulla vero facit homo bona, quæ non Deus præstet,vt faciat homo. Sanè hæc semper fuit communis Catholicorum doctrina, vt deduximus. 1. p. quæst.23.art.3.disput.7.& 8. quamuis recentes Theologi, paucis abhinc annis, voluerint rem hanc apud Catholicos satis receptam,euertere, aut in dubium reuocare.

Rationes quibus ostenditur auxilium hoc,esse requisitum ex natura rei,plures sunt,& efficaces,quas attulimus supra.disput.2.3.&.4. &.1.par.loco citato: Nam certè actus ille liber, verbi gratia, pœnitentiæ & conuersionis in Deum,habet necessariam, & intrinsecam dependentiam,à causalitate primę causæ, vt prima causa est, vt fiat: sed ex hoc sequitur, Deum prius natura concurrere suo auxilio: ergo ex natura rei requiritur concursus ille; Consequentia euidens est, maior negari non potest, sine præiudicio fidei:Nam secunda causa pendet à prima,in causando, & non potest subterfugere hanc dependentiam, & secunda causa supernaturalis in agendo & operando, pendet à prima causa supernaturali causante: imo vero hoc est de ratione causæ primæ, vt sic, quòd omnes causæ secundæ,& actiones earum, habeant ex natura rei dependentiam, à causalitate primæ causæ, vt sic; quia omnes secundæ causæ, vt sic,subordinantur primæ causæ in causando, ex natura sua, quam subordinationem subterfugere non possunt.Minor autem probatur; Nam Deus non solum dicitur causa prima;quia est prior dignitate,sed quia est prior in causando;hoc enim importat causa prima in causando,quatenus subordinat sibi omnes secundas causas inferiores: sed prioritas in causando,quamuis nõ dicat prius in quo,tamen dicit prioritatem naturæ: ergo cum hæc sit prioritas causalitatis in causando,est prioritas naturæ. Et non saluatur sufficienter prioritas causalitatis in causando, nisi per hanc prioritatem naturæ:Quia si semel quis concedat, Deum esse causam primam in causando, seu priorem causalitate, reliquas vero inferiores, à prima causa pendere,in earum causalitate,cum subordinatione quadam necessaria in agendo, & causando, latenter conceditur vera prioritas naturæ, de qua loquimur: Et Aristot. nullam aliam prioritatem naturæ cognouit melius, quam prioritatem in causando, vt sic, vt constat ex postprædicamentis: Ergo cum liberum arbitrium causet dependenter à Deo, vt secunda causa subordinata in ratione agendi & operandi,necesse est, intelligatur vt præuius Dei concursus, & auxilium præmouens ex natura rei, non quidem quòd intelligatur arbitrium nostrum prius in aliquo instanti motum, sed in vno & eodem instanti, solum prius natura: ergo non tantum concomitanter, vt aduersarij prætendunt, Deus concurrit, & est prima causa in causando. ¶ Sane D.Paul.conuersus à Deo, cum persequebatur Christi Ecclesiam, ex peculiari præmotione supernaturali,fuit conuersus,& tamen libere exercuit actum conuersionis, & idem argumentum fit de conuersione Latronis,in cruce: ergo ista præmotio nõ tollit libertatem arbitrij,sed solum tribuit Deo, quod suum est,ac proinde non est cur denegetur in actibus liberis.

Hæc videtur esse mihi sententia D. Thom. in hac *D.Thom.*
1.2.quæst.9.art.6.ad.3.vbi præcipuè dicit,quòd Deus specialiter mouet aliquos, ad aliquid determinatè volẽdum,quod est bonum,sicut in his,quos mouet per gratiam:sicut ergo non possumus perfectè intelligere actionem,quin etiam intelligamus actionem in fieri; ita non possumus perfectè intelligere actionem,vt à Deo procedentem, tanquam à prima causa in causando,& ab eo pendere vt sic; quin intelligamus causam primam,& secundam simul concurrere, sed cum vero ordine causalitatis, ita vt prius secundum rationem, & prius natura in causando in genere causæ efficientis intelligamus Deum concurrere,& intelligamus etiam Deum efficaciter volentem & absolutè volentem, vt fiat talis actio; atq; adeò eum intelligimus, vt applicantem potentiam ad illum actum, eo modo, quo prius natura intelligimus effectum, vt à causa principali, quam, vt ab instrumento determinante, suauiter Deo agente, & concurrente iuxta modum, & conditionem liberi arbitrij, non quod prius intelligatur effectus à Deo factus, quam à creatura, in aliquo priori, quod sit prius in quo, aut in aliquo instanti; sed quia in vno genere intelligitur Deus, vt prius mouens creaturas, ad agendum, vt causa actionis earum, sed creaturæ ipsæ quasi materialiter præintelliguntur modificare,aut quasi determinare Dei concursum. Et hoc volunt omnes illi recte sentientes, qui absolute dicunt Deum prius natura concurrere: Quod sanè optimè expresit Sotus in simili,se- *Sotus.*
cundo Physicorum, quæstione quarta, ante secundam conclus. quo loco proponit hoc argumentum contra seipsum. Deus prius natura agit,quam causæ secũdæ:ergo si hoc est verum,sequitur, quòd quando secundę causæ agunt,iam est productus effectus.



Respondet tamen, quòd hæc prioritas naturæ,non est prioritas instantis,in quo verum sit dicere:Deus agit, quando creaturæ non agunt: Nam non prius isto modo Deus agit, quam creatura; sed omnino simul. Quod autem prius natura Deus agat, nihil aliud est, quam quod Deus moueat creaturas ad agendum; non tamen prius mouet, quam causa particularis determinet in genere causæ materialis, causas vniuersales, ad agendum. Et hoc dicit Sotus esse memorię commendandum. Vnde cum plures rationes sint, propter quas concursus Dei, sit prius natura, quam actus noster,absolute hoc poterit affirmari, & ex consequenti, quòd auxilium efficaciter, & suauiter præmouens ad actum pœnitentiæ,& conuersionis,sit constituendum, nõ ex sola vi diuinæ prouidentiæ, sed etiam ex natura rei,iuxta sensum assertionis nostræ.

¶Rursus probatur conclusio: Quia non minus cõ comitanter se habet Deus cum potentia, vt est ipsa in actu.1.ad agendum, quam cum operatione ad quam Deus concurrit: sed potentia, vt est in actu. 1.ad agendum, est prius natura sua operatione:ergo Deus etiam vt cõcurrens cum potentia in actu 1.est prius natura, & concurrit prius natura ad actionem,& operationem à potẽtia elicitam:ergo in ipso concursu causatiuo, similiter prius natura concurrit: & secunda causa dependenter in agendo à prima,& posterius natura cum omnimoda subordinatione ad Deum.

*Obiectio Aduersariorum* Verum contra ea quæ diximus,& contra primam conclusionem obijciunt aduersarij: Quia si est constituendum auxilium efficax prædeterminans, ex parte diuinæ prædefinitionis, & prouidentiæ,sequitur falso dicere Theologos,quòd causa secunda modificat,& quasi determinat causam primam: Quia causam primam determinari à secunda, in genere causæ materialis, non potest intelligi, nisi per hoc, quòd causa prima de se sit indeterminata ad hunc effectum, & fiat determinata per cooperationem causæ secundæ; sicut hoc modo causæ inferiores dicuntur determinare concursum causarum, vniuersalium, scilicet, cælorum: Nam si prima causa iam est absolute determinata de se, quomodo determinatur à secunda causa? Quia vel Deus cernit,seu videt prius determinationem causæ secundæ, & inde determinat vt concurrat. Et hoc non; Quoniam videre determinationem causæ secundæ, est etiam videre suum concursum in actu secundo: Vel prius Deus determinat actum ab homine eliciendum, & homo dicitur determinare concursum Dei, quia elicit actum, quem Deus determinauerat. Et hoc non: Quia pari ratione prædestinatus, diceretur, determinare electionem suã, atque adeò prædestinatio penderet in genere causæ materialis, à nostra voluntate, quod est omnino falsum: ergo non est constituendum efficax auxilium prædeterminans,ex parte diuinæ prædefinitionis,& prouidentiæ.

*Solutio obiectionis.* Solutio huius argumenti seu obiectionis, data est à nobis in superioribus disputationibus,& præcipue 1.parte quæstione,14.artic.13.disput.6. Dicendum est enim,causam secundam non determinare diuinam prædefinitionem,quæ se tenet ex parte diuinæ prouidentiæ, sed potius è conuerso, Deus sua prædefinitione, omnia disponit, modificat, & prædeterminat. Modificat namque Deus omnes causas, & omnem earum concursum,tanquam prima & efficacissima efficiens omnium causa; Quia attingit à fine, vsque ad finem fortiter; & disponit omnia suauiter. Vnde quòd hæc actio proueniat, & hic effectus sequatur, supponit vt primam causam Deum prædefinientem, ex parte diuinæ prouidentiæ, & in hoc sensu, non dicunt Theologi, secundam causam determinare, & modificare causam primam, quasi Deus prædefiniat id, quod prius cernit, & præuidet, determinari à creatura; non enim prius Deus videt determinationem secundæ causæ, respectu actionum; aut quia videt illud futurum, inde determinat, & prædefinit fore, & seipsum concurrere: Quia videre determinationem secundæ causæ, & operationem creaturæ futuram, est videre suum concursum in actu secundo, quem cernere implicat, ante eius prædefinitionem; Nulla enim res potest cerni, aut præuideri futura à libero arbitrio fienda, nisi intelligatur antecedenter, eius prædefinitio ex parte diuinæ prouidentiæ. Rursus etiam negandum est, prædestinatum determinare electionem suam, quamuis eliciat actum, quem Deus determinauerat.

¶Si autem semo sit de auxilio efficaci diuinæ gratiæ,non prout dicit auxilium quasi in actu primo diuinæ, scilicet, prædefinitionis & prouidentiæ, sed prout dicit aliquid ad extra supernaturale, in libero hominis arbitrio receptum,siue illud sit motio eiusdem liberi arbitrij,siue modus aliquis in ipso, quid quid illud sit in ipso libero arbitrio existens, & receptum:tunc sanè quamuis totum illud sit à Deo, & à Deo modificante; tamen quia omne, quod est in aliquo, in eo receptum, ad modum recipientis recipitur; idcirco Deo id ita determinante, seu prius prædefiniente: quasi in genere causæ materialis ipsum liberum arbitrium modificat, quod in eo recipitur secundum modum, quem in se habet; sed hoc ipsum etiam est à Deo, sic ordinatum:Nam licet modus proprius cuiuscumque causæ in causando,& operãdo sit à Deo prædefinitus, & dispositus, nihilominus modus causandi; formaliter & actualiter in ipsa causa repertus,iuxta modum eius in ea reperitur.Mouet enim Deus causas omnes ad agendum,secundum modos illarum,& ex consequenti, ita aguntur sicut aptæ natæ sunt agi,Deo hoc ita disponente,& prædefiniente,& hoc non est Deum dependere, sed potius è conuerso: Modificare enim in genere causę materialis;si totum hoc prius à Deo id ita efficiente, disponente & prædefiniente prouenit,non est Deum determinari à creatura, aut dependentem eum facere,sed potius è conuerso,modificationem hanc dependere à Deo,eam prædefiniẽte,& prouidente,seu disponente.Verũ est,quòd hęc modificatio materialiter exercetur in ipso libero arbitrio,Deo prius hoc prædeterminãte,secũdum suã prouidẽtiã;Itaq;cum liberũ arbitriũ ad suã actionẽ productiue concurrat,& libere, & in se habeat auxilium,motionem Dei,eam quidẽ à Deo suauiter & efficaciter factam,habet secundũ modũ,& conditionẽ liberi arbitrij:Quia omne quod inse habet,ad suũ modum habet, vt sic illi necessitas,aut violẽtia nõ

inferatur. Quare si sit sermo de ipsa prædefinitione, & prędeterminatione Dei, quę se tenet ex parte diuinæ prouidentiæ, hæc non prædeterminatur & modificatur à creatura: si vero sit sermo de ipso cōcursu, & auxilio, qui est motio Dei, vel aliquis modus à Deo procedens, ad extra in ipso libero arbitrio, sic non est inconueniens, quòd quasi in genere causæ materialis, ad modum recipientis, recipiatur, & modificetur ab eodem libero arbitrio, ex electione tamen Dei, sic id disponentis & prædeterminantis. Et in hoc sensu dicunt Theologi, quòd secunda causa, quæ est liberum arbitrium, modificat primā, in suo concursu recepto in ipso, quamuis per se primo totum hoc pendeat à Deo prædefiniente, & prædeliberante. ¶Plura alia diximus accōmodata solutioni huius argumenti. 1. p. q. 14. art. 13. disputat. 6. quæ necessario sunt legenda pro præsenti instituto. Modo vero satis est dicere, Deū prius modificare causam secundam, & dare illi rationem materialiter modificandi, ac proinde non dicitur Deus dependere, quāuis liberum arbitrium eliciat actum, quē Deus prædeterminauerat, penderet autem Deus, si non dedisset secundæ causæ istum modum modificandi materialiter, quòd in se habet formaliter secunda causa, & ob id, non est par ratio de concursu cœli, respectu secundarum causarum, & de concursu Dei, respectu liberi arbitrij: Nam cælum omnino pendet, quantum ad eius concursum à modificatione secūdarum causarum; quia cælum non modificat secundam causam, nec modificatio quæ reperitur in ipsa, cadit sub electione cæli, sicut cadit sub electione artificis modificatio instrumēti. Plura alia diximus loco citato huic instituto accommodata, sed hæc modo sufficiant.

*Argumentū aduersariorum.* Sed contra ea, quæ superius diximus argumentantur aduersarij. Deus prius ratione, quam determinet vllum actum liberum creaturæ, vel ad illum concurrat, præcognoscit, quid sit factura hæc voluntas creaturæ cum tali auxilio, & quid cum alio vlteriori: Horum igitur præscius elegit, & prædeterminauit omnia, quæ de facto contingunt, atque adeò voluit, tale auxilium conferri ijs, qui de facto conuertuntur, cum quo sciebat illos efficaciter conuertendos, & ideo tale vberius auxilium efficax dicitur. Et alijs tantum voluit auxilium sufficiens applicare, cum quo sciebat illos posse quidem operari, sed de facto non operaturos; Et hoc non ex defectu auxilij, sed ex defectu voluntatis libere nolentis ei cooperari. Et hæc distributio libera fuit in Deo, potuit enim manus commutare, illis quidem, quibus auxilium tantum sufficiens contulit, conferendo aliud vberius, & è conuerso alijs &c. ita vt nullus fiat effectus liber, quem Deus non prædeterminauerit, nec vllus conuertatur, quem Deus non præmouerit suo efficaci auxilio; inspirationes enim & motiones, quæ à tali efficaci voluntate procedunt, auxilium efficax, & præuium merito dicuntur.

*Impugnatio contra aduersarios.* Hoc argumento vsi sunt Recentiores Theologi, vt ostendant certum quendam modum prædefinitionis, post præuisionem operum, & non antea. Putant enim, quòd Deus priusquam prædefiniat, aut prædeterminet vllum actum liberum creaturæ, seu ad illum concurrat, pręuidet, & præcognoscit, quid sit factura hæc voluntas creaturæ, cum tali auxilio, & quid cum alio, & ex consequenti, quòd Deus prę scius istorum, eligit & prædeterminat omnia, quæ de facto fiunt. Sed profecto Deus antecedenter ad suam prædefinitionem, & prædeterminationem, nihil cognoscit, aut pręuidet futurum, sed solum illud cognoscit, vt posibile, vel posibile futurum, vel sub hac cōditione, quòd si prædefiniatur iste, vel ille ordo rerum, ille talis erit futurus, & eueniet. ¶Vnde si in aliquo ordine rerum ex posibilibus Deus diceret; si ego decernerem, dare huic hoc auxilium præmouens, ad hoc, vel ad illud opus, tale quidem opus vere fieret, & eueniret. Profecto totum hoc nō excedit ordinem posibilium, ac proinde hæc non est præscientia futurorum, verè, & propriè loquendo; nihil enim futurum est, nisi prius prædefiniatur à Deo. Vnde quod est posibile futurum; seu quod posibile est futurum esse, id quidem non est determinatè futurum; sed solum est posibile, quòd eueniat, & quòd sit futurum, si Deus id ita velit, aut id prædeterminauerit, aut prædefinierit: Quæ conditionalis nihil ponit in esse, ad præuisionem verè futurorum; sed ad præscientiam posibilium futurorum, id est, quæ posibiliter futura esse possunt. Et hoc commune est omnibus posibilibus creaturis, quod si Deus velit eas prædefinire, vt sint, quod sub hac conditione prædefiniente verè erunt; Verumtamen (vt dixi) hoc non est Deum prædefinire ex præuisione operum, si id recte & sapienter inspiciatur: Quia hoc nō excedit ordinem posibilium. Omnes enim creaturæ, ex eo sunt posibiles, quia possunt à Deo fieri, & Deo id volente & decernente erunt, in quo includitur, quòd si Deus velit aliquas esse, illæ quidem erunt; Et hoc totum (vt dixi) non excedit ordinem posibilium: Nam cum hoc totum antecedat absolute Dei prædefinitionem & decretum, sæque prouidentiæ prædeterminationem, & voluntatem, non potest antecedenter ad hæc esse præuisio futurorum, sed solum præuisio posibiliter futurorū; & ita nunquam Deus ex præuisione futurorum dicitur prædefinire: Sed potius è conuerso, ex prædefinitione & decreto futurorum, sequitur præuisio ipsorum futurorum; tam contingentium; quam necessariorū. ¶Rursus mihi valde displicet quod Theologi isti recentiores credunt, dicentes, Deum cognoscere actiones liberas antecedenter ad existentiā in æternitate, & non in sua prædefinitione (quā multi eorum male negant) sed in ipso libero arbitrio in differenti; ex eo quod penetrat ipsum liberum hominis arbitrium. Nam rogo, vtrum sit essentia liberi arbitrij, quod sit indifferens? & quod positis omnibus requisitis ad agēdū, posit agere, & nō agere? Quod si hoc fatearis esse verum, vt necesse est fateri; tunc sequitur quòd in ipso libero arbitrio, actiones liberæ antecedenter, seu ante quam fiant, non possunt cognosci; Quia si futura libera & contingentia comparantur cum causa prorsus indifferenti, in illa non habent determinate magis rationem futuri, quam non futuri, respectu infallibilis cognitionis: Nam implicat in indifferētia libertatis, infallibiliter cognoscere determinationem futuritionis rei contingentis, aut actionis liberæ, futuræ de facto. De qua re nos plura diximus supra in hoc articul. &. 1. part. quæstione 14. articul. 13. disputatio 1. & disputatio. 8.

*Aduerte.*

¶Vnde



*Cōtra nostros Theologos.* ¶Vnde colligo quòd Deus in ipsa indifferentia liberi arbitrij, nō potest videre aut cognoscere aliquid, quod sit futurum: Quia hoc implicat ex parte indifferentiæ propriæ, ipsius liberi arbitrij. Cęterum supposita conditione, seu ex suppositione, quòd Deus vellet, aut prædefiniret aliquam actionem liberam fore, prædefiniendo auxilium, tunc præsciret illam fore sub conditione, quod de ea prouideret, & prædefiniret, sed non præuideret fore, donec prædefiniret absolutè fiendam, & venturam. Non ergo Deus prius quam prædefiniat actum liberum præuidet, quid sit factura voluntas, sed quid factura esset, si Deus prædefiniret, tam de actione, quam de auxilio ad eam concurrente. Et hoc totum non est rem esse futuram, sed posibiliter futuram, aut futuram sub conditione; quòd Deus ita vellet, quod quidem non excedit futuritionem posibilem, antecedenter ad prædefinitionem absolutam Dei.

*Ad argum. aduersariorum respōdetur.* ¶Vnde ad argumētum negatur, quòd Deus prius quam prædefiniat actus bonos liberos creaturæ, præuideat, quid sit factura voluntas creaturæ, sed solum præcognoscit, quid sit (supposita cōditione) posibiliter futurum; seu ex conditione futurum. Postquā vero sua absoluta voluntate prædefinit aliquid fore, tunc præuidet, & præcognoscit, illud vere esse futurum in sua prædefinitione, & prædeterminatione. ¶Quidam censent, quòd Deus omnia nouit, non in prædefinitione, sed in ipso libero arbitrio creaturæ: Quia & ipsum, Deus comprehendit, & etiam quid faceret, si tali auxilio iuuaretur; ob id, quòd Deus cognoscit, quantum potest suum auxilium. Vnde ex hoc, & ex comprehensione liberi arbitrij, scit quid facturum esset, & ita per hunc modum dicunt, quòd cognoscit contingentia conditionata. ¶Sed profecto cognoscere quid sit aliquando futurum, non video quomodo sit posibile, nisi ratione prædefinitionis, aut per ordinem ad illam: Nam quòd Deus cognoscat infinitos rerū ordines posibiles: Et quòd si vellet huic, vel illi ordini rerum tribuere tale, aut tale auxilium, cum tali, vel tali directione, sic, vel sic ordinando, sequerentur tales, vel tales effectus: Cum hoc totum non dicat, nec includat voluntatē, aut determinationem rerum fiendarū; sed solum quòd si hoc fieret, illud sequeretur, & tantū includat quādam conditionē, quę non extrahit rem à sua posibilitate, vel posibili futuritione: sequitur quòd non prædefinit, nec prædeterminat Deus, ex præuisione operū futurorū, sed posibiliū futurorum tantū. Et hoc est euidentissimū, nisi sit cæcus, qui hæc perpenderit: Et hoc satis apertè constat ex implicatione, quæ est in dictis aduersariorum: Dicūt enim, quòd Deus prædefinit ex præuisione operum antecedente. Certè præuisio, sicut & visio ipsa, non potest esse nisi respectu eorū, quæ cognoscuntur scientia visionis, sed ante prædefinitionem, nihil verè intelligitur esse futurū; cum omnis futuritio rei, per se primo pendeat, ex voluntate absoluta Dei, volente vt fiat & sit, & ex intellectu ordinante, & statuente: ergo, &c.

*Ex dictis colligitur.* Ex dictis palā colligitur, qualiter sit necessarium auxiliū prędeterminans ex natura rei, & ex parte diuinæ prouidentiæ, & ex parte cōuersionis ipsius pec catoris, & pœnitentiæ. Vnde ex perfectione ipsius Dei, & suæ prouidētiæ, suæq; prædefinitionis, suique auxilij, ita prædeterminatur actus, & ita Deus prędeliberat, & præmouet voluntatē, attēperando se eius libertati, ac si id nō oporteret ex natura rei ita fieri. Et ex consequēti homines ita libere operantur, ac si Deus eorū actus non prædefiniuisset in particulari; sicut in omni sententia, Deus prædefiniendo confirmationē Virginis in gratia, prędeterminauit, vt nūquā peccaret, & nihilominus adhuc stante prædeterminatione ista, libere meruit, & libere operabatur: Et consequenter pari modo philosophandum est, de Apostolis confirmatis in gratia.

*Colligo secundo.* Secundo colligo, quòd Dei ordinatio & voluntas prædeliberans, in ordine ad actus bonos, quos Deus speciali intentione propter homines intēdit, dicitur prædeterminatio, sed in ordine ad actus malos, quos Deus perse non potest intendere, dicitur permissio: Quamuis etiam per imperium efficax & absolutum, quo vult permittere materiale peccati, vere & immediate concurrat ad illud, non intendē do malitiam, sicut intendit homo; sed actus bonos prædeterminando, malos vero permittendo. Vnde ad Roma. 9. de his dicitur. Sustinuit in multa patientia vasa iræ, aptain interitum, de illis vero, vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam. *Ad Rom. 9.*

*Colligo tertio.* Tertio colligitur, quòd Dei prædefinitio absoluta, & prædestinatio, efficax est, etiam secundum effectum, & quòd efficacia gratiæ & prædestinationis non derogat libertati: Nam certè prædestinatio Dei pertinet ad voluntatem absolutam, & executio prædestinationis in prædestinatis, pertinet ad voluntatem consequentem, & absolutam Dei. Quare cum Paulus ad Rom. 9. dixit. Voluntati eius, quis resistit? loquebatur de voluntate absoluta, & consequenti. Quod ex eo dixit Paulus: Quia voluntas consequens, & absoluta Dei, efficax est, & penetrabilior omni gladio ancipiti: Et hæc efficacia diuinæ gratiæ non repellit libertatem, sed magis eam astruit, vt sæpe sæpius interpretati sumus. Quo autem pacto simul sit verum, quòd homo etiam quando conuertitur, & pœnitentiam agit, verè posit resistere, & qualiter, illa, de posibili sit vera, id quidem fusè à nobis dictum est, tam 1. parte, quam supra, in præcedentibus disputationibus. ¶Quod vero efficax sit Dei prædestinatio, negari non potest, sine præiudicio fidei, efficacia enim gratiæ, non aufert liberum arbitrium, vt docet Diuus Augustin. libro de spiritu & litera. capite. 30. vbi ait: Gratia diuina, seu etiam ipsa prædestinatio diuina, nec impedit liberū hominis arbitrium, sed potius in libertate confirmat hominis prædestinati volūtatem; nec cogit, sed præparat, excitat, inclinat, & intus docet hominum viuificandorum animas, vt consentiant ipsi Deo, peccata remittenti, & iustificare volenti. Atque ita Deus operatur in nobis velle, & operari ex bona voluntate: non quòd nos nihil agamus, sed quia facit nos, libere velle bene, & liberè operari ex bona voluntate. Hoc etiam docet Driedo libro de concordia liberi arbitrij & prędestinationis capite tertio, folio. 47. & deinceps. Quo loco affirmat ex Sanctis Patribus, & ex Sacris literis, efficacem esse prędestinationem Dei, non tamen auferre libertatem. Loquens enim de prędestinato. folio. 57. propos. 3. prope principium ait, quod *D. Augustī.* *Driedo.*

quando dicitur subuentum esse infirmitati humanæ voluntatis hominis prædestinati, vt indeclinabiliter agatur à Diuina gratia, non hoc dicitur, quòd humana voluntas hominis prædestinati, sit in bono confirmata, & immutabilis, seu indeclinabilis ad vitia, sed quòd voluntas Dei intendentis sua gratia, sic iuuare electos, vt eant, & fructum afferant, qui maneat; sit efficax, certa, & immutabilis &c. Et inferius. Atque ita in statu lapso, ita dirigitur humana voluntas, vt velit perseuerare in bono, quod cæpit, & inter tot, tantasque tentationes fortiter pugnare, Deo suis auxilijs peculiariter quodammodo intus faciente, vt homo libere & spō-

*Psalm. 67.* taneè hæc velit, & faciat, iuxta illud Prophetæ Psal. 67. Mirabilis Deus in Sanctis suis. Deus Israel ipse dabit virtutem, & fortitudinem plebi suæ. Omnia enim, inquit Paulus, possum in eo qui me confor-

*Ad phili. 4* tat. ad Philip. 4. Vnde Iob. capite. 17. Poneme Do-

*Iob. 17.* mine iuxta te, & cuiusuis manus pugnet contra me. Rursus Driedo eodem lib. de concordia liberi arbitrij, & prædestinationis, hanc efficaciam diuinæ prædestinationis, & motionis, cum libertate arbitrij nostri cōfirmat, dicens, atque ita fit, vt Deus sit ipsis prædestinatis turris fortitudinis, à facie inimicorum, dum inter medios hostium cuneos, tam intus, quam foris auocantes à bono incepto, animas multis modis adiuuat, vt, ex fide & charitate, cæterisque virtutibus semel coeptis, rectè viuant. Et statim ait; quod Deus opem fert, vt homines vigilent, assiduèque postulent sibi dari vincendi, & pugnandi virtutem: Hoc est enim quod scriptura

*Ad Rom. 8.* dicit ad Roman. 8. Spiritus adiuuat infirmitatem nostram, Spiritus postulat pro nobis, idest, postulare nos facit. Et paulo inferius. Ipse autem Christus, & Spiritus sanctus sic per fidem, spem & charitatem inhabitans, quamuis voluntatem hominis ex se inualidam, atque infirmam, faciat efficaciter velle, indeclinabiliter, ac inseperabiliter agi; hanc tamen facit libere, atque spontaneè velle & operari, &c. vbi aduertenda sunt verba illa, voluntas Dei efficax; Et illa etiam, faciat efficaciter velle.

Quocirca sicut efficacia diuinæ gratiæ, in conuersione peccatoris, non aufert ab eo liberum arbitrium, ita nec efficacia diuinæ prædestinationis, etiam quantum ad effectum & executionem. Efficacia enim gratiæ Dei, non abstulit liberum arbitrium in conuersione Diui Pauli, aut in conuersione latronis pendentis in cruce, quamuis ad eorum conuersionem efficaciter Deus concurrerit. Et sane hanc efficaciam diuinæ prædestinationis, videtur apertè expressisse Paulus enumerans effectus ipsius, eosque explicans ad Romanos. 8. dicens, Quos præsciuit & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui, &c. & statim. Quos autem prædestinauit, hos & vocauit, & quos vocauit, hos & iustificauit, quos autem iustificauit, illos & glorificauit.

*Colligo quarto. Cognitio cō iecturalis in certa est & repugnat Deo.* Quarto & vltimo colligo, Deum omnino, certò, & infallibiliter, & non coniecturaliter, cognoscere ea, quæ cognoscit, per quamcumque cognitionem & scientiam id sciat, non solum illa, quæ de facto fore prædefiniuit, sed etiam illa, quæ dicuntur futura conditionata; quæ vel positis talibus conditionibus, aut si Deus aliam directionem, & ordinationem decreuisset, aut permissionem in eodem decreto, aut præordinatione, adimpleta conditione, talia conditionata forent; & ita certo à Deo hæc etiam cognoscuntur, non quòd futura sint, sed quòd essent adimpletis conditionibus, positaque Dei ordinatione, directione, aut permissione, alijsque similibus, quæ in diuina prædefinitione, vt res sint futuræ, constituuntur. Vnde de futuris conditionatis dicunt Theologi, quòd Deus illa cognoscit in prædefinitione conditionata: Qualis hæc est, si ego hoc decernerem, aut hoc ita permitterem, res hæc ita eueniret.

Argumenta, quæ contra nos militant soluta sunt, tam hic in discursu huius controuersiæ, quam in superioribus disputationibus, in quibus fusius multo respondetur, tam ad ipsa argumenta, quam ad nōnulla testimonia ex citatis authoribus.

¶ In articulo quarto, & quinto nihil occurrit de nouo dicendum, præter ea, quæ in litera eleganter Sanctissimus Præceptor docet.

# QVÆSTIO CXII.

## De causa gratiæ.

### ARTICVLVS I.

*Vtrùm solus Deus sit causa gratiæ?*

PRima conclusio. Solus Deus est causa principalis gratiæ. ¶ Secunda conclusio. Impossibile est, quòd aliqua creatura causet gratiam, vt principalis causa; quia hoc est proprium Dei. ¶ Tertia conclusio. Humanitas Christi, & sacramenta nouæ legis causant gratiam instrumentaliter. ¶ Quarta conclusio. Humanitas Christi, non causat gratiam propria virtute, sed virtute diuinitatis adiunctæ.

### DISPVTATIO I.

*Vtrùm Deus sit principalis causa gratiæ, & quo pacto id sit verum?*

SIcut sacrum Tridentinum Conciliū sessione. 6. capite. 7. enumerat iustificationis causas, pari ratione suo ordine dicimus, easdem esse causas respectu gratiæ. Nā finalis causa, est gloria Dei, & Christi, ac vita eterna; efficiens verò, est ipse Deus qui gratuitò abluit, & sanctificat; meritoria autem, est. Christus Dominus vnigenitus Dei filius, qui nobis iustificationem, & gratiam meruit: instru- *Concil. Trident.*



strumentalis tamen causa, est baptismus, quod est sacramentum fidei, per quod gratia renouationis, & regenerationis nobis in eodem baptismo datur. Iustificationis verò vnica formalis causa est, ipsa Dei iustitia, & gratia. Quòd si roges, cur Concilium non meminerit causæ materialis inter cæteras causas gratiæ? Huic interrogationi respondetur, materialem causam colligi, ex his, quæ capitulo septimo, tradit idem Concilium. Nam ait; Vnumquemque eorum, qui iustificantur habere suam propriam iustitiam: & in cano. 11. repellit negantes, nobis inhærere gratiam. Cùm igitur gratia non inhæreat toti composito, quia non est accidens corporeum; sequitur, quòd est sicut in subiecto, & in materia, in ipsa anima. An verò sit immediatè in illa, vel media aliqua eius potentia, id non definit Concilium: Et idcircò Scholasticorum opiniones, suæ probabilitati relinquuntur. ¶ In hac igitur controuersia non est disputatio potissima, de causa meritoria, aut finali ipsius gratiæ; sed solùm de causa efficiente præcipua, quæ veram & propriam habet rationem causæ.

*Argum. 1.* Sanè, quòd non solus Deus sit causa principalis gratiæ, arguitur. Nam non implicat vt id, quod iam est in actu per aliquam formam, efficiat aliam sibi similem: igitur creatura iam constituta in gratia, poterit esse causa efficiens gratificationis alterius creaturæ, assimilando sibi illam. Quod potest simili argumento deduci ex Philosophia: Aqua enim etsi propria virtute naturali non possit esse causa calefactionis; calefacta tamen ab igne, id habet, vt sit vera causa calefactionis, & non tantum instrumentum: ergo pari ratione iam homo

*Secundum.* actu gratus, poterit alium gratificare. ¶ Secundò arguitur. Christus inquantum homo, non solùm est causa instrumentalis, sed principalis, & secundaria nostræ gratiæ: ergo. Ostendo antecedens: Nam homines, qui iustificantur à Christo, & per Christum, ei assimilantur in gratia habituali, quam & ipse habet, & de cuius plenitudine nos omnes accepimus: ergo non est tantum causa instrumentalis. Patet consequentia; quia hoc est proprium causæ

*Tertium.* principalis, quòd ei assimiletur effectus. ¶ Tertiò arguitur, ex Scriptura, in qua homo dicitur se sanctificare, & efficere in se suam iustitiam, per suos

*1. Corint. 6.* actus, vt patet. 2. Corinth. 6. & ad Roman. 8. & 1.

*Roman. 8.* Ioan. 3. Qui habet hanc spem, sanctificat se. Et Ec-

*1. Ioan. 3.* clesiast. 2. Qui timent Deum, sanctificabunt animas

*Eccles. 2.* suas. Et Ierem. 4. Laua à malitia cor tuum. Vnde

*Ierem. 4.* Diuus Hieronym. super illud Abachuch. 2. Iustus

*D. Hieron.* meus, ex fide viuit, ait: Is, qui ex sua fide viuit, cau-

*Quartum.* sa est suæ iustificationis; ergo. ¶ Quartò arguitur. Homo est causa principalis contritionis: ergo & ipsius gratiæ. Sanè, alibi ostendimus hominem non esse purum instrumentum, sed potiùs cum auxilio Dei, esse causam principalem actuum supernaturalium. Et probatur consequentia: Nam contritio est vltima dispositio ad gratiam: sed qui causat vltimam dispositionem ad formam, causat formam: ergo qui est causa principalis vltimæ dispositionis ad gratiam, erit causa principalis gratiæ, vt constat inductiuè in omnibus alijs rebus: Imò verò, si ex vi vltimæ dispositionis, quasi naturali influxu sequitur forma; is, qui dispositionem vltimam ponit, tanquam causa eius, pari ratione est causa principalis formæ: sed homo per liberum arbitrium adiutum à Deo, causat vltimam dispositionem ad gratiam: ergo est causa principalis gratiæ. ¶ Quintò *Quintum.* arguitur. Aliqua accidentia sunt ordinis supernaturalis, vt fides, spes, charitas, gratia, lumen gloriæ: ergo pari ratione aliqua substantia poterit esse ordinis supernaturalis: Imò verò, apud plerosque, non est improbabile, posse dari aliquam substantiam creatam ordinis supernaturalis: sed huic non erit inconueniens, quòd sit connaturale causare gratiam, cùm sit eiusdem ordinis cum gratia: ergo. Probatur minor; quia cùm illa substantia sit intrinsecè supernaturalis, & sit operatiua, non erit vllum inconueniens, quòd habeat actionem supernaturalem, circà accidentia supernaturalia gratiæ, & charitatis. Saltem de potentia absoluta potest dari substantia, cui sit connaturale causare gratiam. Nam si homo potest effectiuè destruere gratiam, tanquam causa principalis; sequitur quòd poterit etiam illam causare tanquam causa principalis. Et confirmat. *Confirm.* Nam intellectus cum lumine gloriæ causat visionem Dei, & non tanquam instrumentum: ergo pari ratione liberum arbitrium auxilio Dei suffultum, poterit gratiam causare, tanquam præcipua causa eius: Non enim est minùs supernaturalis visio Dei, quàm ipsa gratia: Cur ergo potest intellectus creatus esse causa principalis visionis, & non gratiæ. ¶ Sexto arguitur. Homo per actus superna- *Sextum.* turales, producit habitus supernaturales physicè, & propriè: ergo est causa principalis eorundem habituum: ergo & gratiæ. Patet prima consequentia: Quoniam ob id est causa principalis scientiæ naturalis; & aliorum habituum, qui physicè fiunt ab actibus, quoniam est causa principalis ipsorum actuum: ergo. Secunda autem consequentia. Probatur. Quia tam difficile est esse causam principalem charitatis, vel fidei, quàm gratiæ. Et confirma- *Confirm.* tur: Quoniam gratia intrinsecè concomitatur huiusmodi habitus: ergo qui est causa principalis illorum habituum, est causa principalis gratiæ. Sed probatur quòd per actus supernaturales producantur habitus supernaturales. Nam actus naturalis, effectiuè producit habitum: ergo & supernaturalis. Patet consequentia ex paritate rationis, & ex proportione. Rursùs etiam, quia ex eo quòd fiant supernaturales habitus à suis actibus, non tollitur, quin sint infusi ex auxilio Dei habito. Si dicas, Actus supernaturales non producere habitum supernaturalem, quia subiectum est improportionatum, & non subditum eorum actiuitati. Contra hoc sunt plures obiectiones, & difficultates. Quia omni actiuo correspondet passiuum proportionatum, quod illi subdatur in actione sua: sed actus supernaturalis est actiuus: ergo correspondet illi proportionatum passiuum. Rursùs etiam; Nam hac ratione, neque habitus supernaturales poterunt elicere actus, nam etiam actus supernaturalis, est qualitas supernaturalis, respectu cuius tam improportionatum est subiectum naturale, sicut respectu habitus: ergo. Et confirmatur vltimo, Quoniam actus supernaturales habēt ordinem sibi naturalem ad subiectum, & sua naturali vi informant, quamuis ipsum subiectum solùm sit in potentia obedientiali: ergo

pari

*Septimum.* pari ratione poſſunt efficere, &c. ¶ Septimò arguitur. Nam actus Theologiæ, ſaltem ille, qui procedit ex duabus de fide, eſt ſupernaturalis; & tamen producit habitum Theologiæ ſimilitèr ſupernaturalem: igitur non inconuenit, neque eſt abſurdum, habitum ſupernaturalem fieri ab actibus ſupernaturalibus. Probatur maior; quoniam actus ille habet certitudinem ſupernaturalem, vt Theologi probãt. 1.par.quæſt.1.ar.5.& alibi: ſed certitudo eſt de eſſentia actus: ergo ſi certitudo eſt ſupernaturalis, actus erit ſupernaturalis. Minor autem patet; Quia habitus Theologiæ, non infunditur immediatè á Deo, ſed fit per actus, vt omnes concedunt: ergo. Quòd verò talis habitus ſit ſupernaturalis, oſtendo; quia actus & eius certitudo, eſt ſupernaturalis: ergo etiã habitus ab illo productus. Oſtendo conſequentiam: Quia eiuſdem rationis ſunt actus & habitus, & inclinant ad obiectum ſub eadem ratione formali: ergo ſi ratio formalis actus, vel eius certitudo eſt ſupernaturalis, etiam ratio formalis habitus erit ſupernaturalis. Hæc ratio fortiùs concludit & clariùs de habitu, quàm de actu. Nam etiam, qui tenent, actus quoſcumque ſupernaturales, non dici tales propter intrinſecam entitatem, ſed propter modum; iſti nihilominùs concedunt, habitus eſſe intrinſecè ſupernaturales ſecundum propriam entitatem; quia licèt vnus actus poſsit tranſire, ſecundum illos, de naturali in ſupernaturalem, non tamen habitus; ac proinde quamuis ſecundùm ipſos, idem numero actus, modò poſsit eſſe ſupernaturalis elicitus ex duabus de fide, & poſtea naturalis elicitus ex opinione; nunquam tamen concedunt, eũdem numero habitum modò eſſe Theologicum; poſtea verò opinionem, & in omni ſententia eſt certum, habitum produci ab actu ſecundum vltimam rationem formalem, ſiue accidentalem, ſiue eſſentialem, vt actus verus producit habitum verum: ſed in noſtro caſu actus ille eſt ſecundum ſubſtantiam ſupernaturalis, vt probatum eſt: ergo & habitus. Rurſùs etiam; Quia licèt actus & habitus tantum eſſent ſupernaturales ſecundum modum, hoc ſufficit; quoniam ſi modus ille ſupernaturalis in habitu fieri poteſt ab actu ſupernaturali, cur non entitas ſupernaturalis? Tandem probatur; Quia ſimili ratione diceremus, fidem & charitatem non eſſe ſupernaturales habitus ſecundum ſubſtantiam, ſed ſecundum modum.

*Conclu.1.* Pro explicatione difficultatis propoſitæ, eſt prima concluſio. Solus Deus tanquam principale agens, interpos gratiæ effectus operatur. Hanc tenet Sanctus Thomas, hic &.3.part. quæſt.64. artic.1. Cuius fundamentum eſt; Quia ratio cauſæ principalis per ſe loquendo, conſiſtit in hoc, quòd ſit naturalis illi talis cauſalitas: Cùm ergo ſoli Deo ſit naturale cauſare gratiam; ſequitur, quòd ſolus ille eſt cauſa principalis. Nam profectò, Deo conuenit cauſare gratiam, ſicut Soli conuenit lucere, & igni calefacere; quia conuenit Deo, vt cauſæ principali, & de ratione cauſæ principalis gratiæ eſt, vt poſſit cauſare gratiam, ſine vlla dependentia. Vndè, poteſtas principalis cauſatiua gratiæ, eſt naturalis, & debet eſſe naturalis cauſæ principali; hæc autem nihil aliud eſt, quàm diuina authoritas, quæ in hoc conſiſtit, quòd ſit Deo naturalis à nulla alia cauſa pendens, vt gratiam poſsit conferre, & efficere. Et ob id ſicut Sol illuminat, & ignis calefacit, ſic ipſe poteſt facere quemcumque voluerit ſibi gratum. Sanctus Thomas, vt oſtendat præfatam aſſertionem adducit illud Prophetæ Pſalm. 83. Gratiam, & gloriam dabit Dominus; & illud Pauli ad Romanos. 8. Deus eſt, qui iuſtificat. & 3.part.quæſt. 64. articulo primo. adducit hanc rationem, Solus Deus per eſſentiam adeſt vbique, & intus in anima: ergo cùm nihil operetur vbi non eſt, & ſolus ipſe ſit intus in anima, & illic per eſſentiam ſuam adſit, homo autem, & angelus non item; ſequitur, quòd ſolus ipſe Deus operatur, vt cauſa principalis gratiam intra animam, hoc eſt tanquam cauſa, quæ non dependet ab alia. *Pſalm.83.* *Roman.8.*

Secunda concluſio. Nulla creatura eſt cauſa principalis gratiæ. Hæc ſequitur ex prima & eſt proxima fidei, & conſtat ex illo Iſaiæ. 43. Non eſt abſque me ſaluator. Vndè, eſſe ſaluatorem, eſt nomen proprium Dei, & conſtat ex articulo fidei. Et ob id Auguſtin. ſermon. ſuper Pſalm. 148. ait; Quis facit in homine iuſtitiam, niſi Deus. Quotirca in Tridentino Concilio ſeſſione ſexta, capitulo ſeptimo, efficiens cauſa iuſtitiæ dicitur Deus, & eſt ſermo de cauſa principali: Nam cauſæ inſtrumentales plures poſſunt eſſe. Vnde Paulus. 1.Corinth. 3.ait: Ego plantaui, Apollo rigauit, Deus autem incrementum dedit. Et ad Roman. 4. Credenti in eum, qui iuſtificat impium reputatur fides ad iuſtitiam: igitur homo non ſe iuſtificat, vt cauſa principalis, ſed iuſtificatur à Deo. Probatur præterea. Nam ſolus Deus eſt cauſa effectiua augmenti, & productionis virtutum, iuxta id, quod Diuus Auguſtin. in definitione virtutis ab omnibus probata docet, Virtus eſt bona qualitas mentis, quam Deus in nobis ſine nobis operatur; Et iuxta id, quod orat Eccleſia cùm inquit, Da nobis fidei, ſpei, & charitatis augmentum; & iuxta Diuum Thomam, reliquoſque Theologos, & Theologiæ proceres, qui dicunt habitus infuſos non augeri effectiuè per noſtros actus: ergo gratiæ, quæ eſt radix omnium virtutum, ſolus Deus eſt cauſa principalis, & non creatura. Rurſùs etiam, ſupra attulimus pleraque efficacia argumenta oſtendentia, gratiam non poſſe eſſe connaturalem alicui creaturæ: ergo nulla creatura ex proprijs poterit gratiam producere. Tandem probatur. Gratia non eſt immediatè operatiua; cùm igitur operatiua non ſit, ſequitur eam non habere actum vllum eiuſdem ordinis; & cùm aliæ virtutes ſint imperfectiores gratia, conſequenter actus illarum erunt imperfectiores ipſa gratia; ac ſubinde non poterunt illam producere, neque virtute propria vt conſtat, neque etiam virtute actus à quo elicitur, quia eſt imperfectior, quàm ipſa gratia; neque in virtute auxilij Dei, quod tantum eſt proportionatum perfectioni habitus in ordine ad ſuos actus: Quòd ſi vlterius extenderetur tale auxilium ad dandam actiuitatem actui, vt produceret habitum ſupernaturalem præſertim ipſius gratiæ, quæ multò perfectior eſt, & in alio ſubiecto; tunciam non actus vt ſic, ſed vt inſtrumentum Dei id efficeret, quo pacto contritio modò producit gratiam. ¶ Ex his colligo eſſe impoſsibile; creaturam aliquam ſecundum propriam virtutem naturalem eſſe principalem cauſam gratiæ, ſiue per modum cauſæ phyſicæ, ſiue per modum cauſæ moralis; & hoc intendit Sanctus Thomas in litera cùm ait, quòd nulla res poteſt agere vltra ſuam ſpeciem, quia cauſa ſemper eſt potior effectu: ſed gratia excedit omnem facultatem naturæ creatæ, cùm ſit participatio naturæ diuinæ, quæ excedit omnem aliam naturam: ergo impoſsibile eſt, quòd aliqua creatura cauſet gratiam, tanquam principalis cauſa. Quapropter, quantumlibet ſit ornata gratia Dei, non poterit creatura eſſe cauſa principalis ad modum cauſæ phyſicæ. Nam certè, per gratiam ſumus filij adoptiui, & hæredes regni cælorum: ſed adoptare filios, & conferre illis talem hæreditatem, ſolùm poteſt pertinere, tanquam ad cauſam principalem, ad illum, qui habet rationem Patris in hac adoptione, quemadmodum in humanis, nemo poteſt adoptare filium alteri, vt cauſa principalis, ſed ſibi: ergo. Profectò, optimum fundamentum aſſertionis propoſitæ eſt, quòd gratia, & virtutes infuſæ ex propria ratione non ſunt qualitates actiuæ in alterum ſubiectum, ſicut neque albedo. Et ob id, ſi aliqua via concurrerent actiuè ad ſanctificandum aliud ſubiectum, haberent hoc tanquam inſtrumentum diuinæ virtutis; Quia effectus ille excedit virtutem formæ, vt diximus. Quemadmodum ſi albedo concurreret actiuè ad dealbandum aliud ſubiectum extrinſecum. *Ioan.1.* *Iſaiæ.43.* *Auguſtin. Concil.Trident.* *1.Corinth.3.* *Roman.4.*

*3.Concluſ.* Tertia concluſio. Quando Sanctus Thom. dicit, quòd eſt impoſsibile creaturam aliquam eſſe cauſam gratiæ, loquitur de cauſa principali gratiæ, & intellecta eius doctrina hoc modo, & loquẽdo ſecundum legem ordinariam eſt certa de fide. Quòd ſanctiſsimus præceptor ita ſit intelligendus, conſtat ex ſolutionibus argumentorum hic; in quibus palàm affirmat Chriſti Domini humanitatem, & ſacramenta ab eo inſtituta eſſe cauſas inſtrumentales gratiæ, & tamen titulus articuli interrogabat de cauſa principali. Quòd verò doctrina hæc ſit inconcuſſe tenẽda, ſacræ literæ docent, in quibus refertur tanquam proprium Dei eſſe cauſam gratiæ, & effectuum, qui eis tribuuntur, vt ſupra vidimus Iob.14. & Marci. 2. vbi dicitur eſſe proprium Dei mũdare à peccato & remittere peccatum. Nam quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine, nõ ne tu qui ſolus es? Extat etiam teſtimonium illud Oſeæ.13. Saluator non eſt præter me. & idem habetur Iſaiæ. 43. Quibus verbis inſtructi Hebræi dixerunt Marci. 2. Quis poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus. Certè in Scriptura peculiariter tribuitur Deo eſſe ſaluatorem ad Rom.3. Quoniã vnus eſt, qui iuſtificat, & c. Iſaiæ.43. Ego ſum, qui deleo iniquitates tuas, &c. Et in Triden. ſeſſ.6. dicitur quòd efficiens cauſa noſtræ iuſtificationis eſt miſericors Deus, qui gratuitò habuit & ſanctificat ſignans, & vngens ſpiritu promiſſionis ſancto, quod intelligitur de cauſa principali, quia paulo inferiùs dicit cum filio, baptiſmum eſſe cauſam inſtrumentalem, & tamen hoc dici non poſſet ita abſolutè de Deo, ſi quidquam aliud præter ipſum eſſet cauſa propria efficiens, & principalis iſtorum effectuum. Mirabile eſt de hac re Auguſtini teſtimonium lib.1. de peccatorum meritis cap. 14. vbi ait: Quiſquis ergo auſus fuerit dicere, iuſtificare, conſequens eſt, vt dicat etiam, credere in me, vbi loquitur Auguſtin. de iuſtificante per modum cauſæ propriæ, & non miniſterialiter aut inſtrumentaliter. Quare cum iuxta Auguſtin. ſententiam dici non poſsit, quòd credimus in aliquem præter Deũ, vt S.Tho.2.2.q.2.art.1.explicat, egregiè, ſequitur ſimiliter dicendum non eſſe, aliquem alium eſſe cauſam propriam, aut principalem gratiæ. Idem docet Pſalm.118. exponens illa verba. Feci iudicium & iuſtitiam, vbi ait: Quis facit in homine iuſtitiam, niſi qui iuſtificat impium, hoc eſt per ſuam gratiam ex impio facit iuſtum. *Iob.14.* *Oſeæ.* *Iſaiæ.* *Concil.Trident.* *Auguſt.tom.7.*

Dices hæc teſtimonia eſſe intelligenda de cauſa prima, quæ nõ pendet à ſuperioris concurſu; & non de principali ſecundaria. Sed contra primo, quia reſpectu cuiuſcunque effectus, eſt proprium Dei eſſe cauſam primam & independentem ab alia ſuperiori, & tamen in teſtimonijs citatis ſpecialiter, & ſingulariter hæc dicuntur de Deo; quaſi ipſe ſolus ſit cauſa principalis gratiæ. Secũdo, quia ratio. D.Tho. in articulo apertè oſtendit teſtimonia citata intelligenda eſſe de ſolo Deo per excluſionẽ alterius cauſæ principalis, etiam ſecundariæ. Eſt enim ratio Sanctiſsimi Præceptoris hæc. Gratia excedit omnem facultatem naturæ creatæ: ergo non poteſt eſſe effectus alicuius creaturæ, tanquam cauſæ principalis. Oſtendo conſequentiam, quia nulla res poteſt agere, vt cauſa propria, & principalis vltra propriam ſpeciem. Antecedens autem probatur, quia gratia ſecundum ſe nihil eſt aliud, quam participatio quædam naturæ diuinæ, quæ omnem aliam naturam, & facultatem excedit. ¶ Sunt aliqui qui hanc D.Tho. rationem calumniantur. Quia in illo antecedente D.Tho. per facultatem naturæ creatæ, vel intelligitur virtus actiua, & ſic eſt petitio principij, quia ſupponitur vt certum id, quod inquiritur, cum ſit idem gratiam excedere virtutem actiuam cuiuſcunque naturæ creatæ, & non poſſe ab aliqua creatura produci tãquam à cauſa principali. Vel intelligitur per facultatem naturæ creatæ, perfectio naturæ creatæ, & ſic antecedens falſum apparet, quoniam ſubſtantia perfectior eſt, quam accidens: ergo etiam ſubſtantia creata perfectior eſt quam gratia, quæ eſt accidens. Idem argumentum militat contra probationem antecedentis, Nam cum dicitur, quod gratia eſt participatio quædam naturæ diuinæ, quæ ob id excedit omnem aliam naturam, illa verba (quæ excedit omnem aliam naturam) non referuntur ad diuinam naturam, quia ſimiliter cæteræ naturæ creatæ ſunt participationes quædam naturæ diuinæ; & bonitatis, ſi verò referatur ad participationem, quæ eſt gratia, poteſt inquiri, an huiuſmodi participatio excedat omnem aliam naturam, quantum ad virtutem actiuam ipſius naturæ, vel quantũ ad perfectionem, & ſic poſſunt fieri obiectiones factæ contra antecedens. ¶ Reſpondetur, quòd per facultatẽ naturæ creatæ intellexit ſanctiſsimus præceptor perfectionem, vt patet ex probatione illius antecedentis. Vnde ad obiectionem factam contra hoc negatur, quòd antecedens ita intellectum ſit falſum. Et ad probationem, quòd gratia eſt accidens, & plures naturæ creatæ ſunt ſubſtantia, reſpondetur hoc argumento ſolùm oſtendi, quòd gratia non excedit perfectionem ſubſtantiæ creatæ, quantum ad modum eſſendi, quia gratia ſuppoſito quòd ſit accidens, inhæret;

hæret;substantia vero est per se,& perfectius est,esse per se, quam inhærere;non tamen quòd non excedat eam quantum ad naturam & essentiam. Hac doctrina vsus est. S. Thom. ad soluendum similem difficultatem suprà q.110.art.2.ad.2.&.2.2.q.23.artic. 3.ad.3.in simili de charitate. Quòd verò gratia excedat omnem substantiam creatam;hoc modo probat egregiè S. Thom.tam hic,quam loco citato. Quia licèt substantia creata, & similiter gratia sint participatio bonitatis diuinæ, tamen participatio, quæ est gratia perfectior,superior & maior est. Neque valet, quòd participatio quæ est gratia, sit accidens; quia ex hoc tantum colligitur, quòd sit minùs perfecta, quantum ad modum essendi, vt dictum est. Quòd autem sit magis perfecta, quantum ad essentiam & naturam; id quidem supponit. D. Thom.in hoc articulo ex dictis.q.110. vbi dixit gratiam non tantùm donare nobis, quòd simus Deo grati & ab ipso dilecti, sed etiã dare essentiæ animæ quoddam esse superexcellens & diuinum; ratione cuius sint nobis debitæ supernaturales virtutes, veluti potentiæ quædam ad exercendum operationes diuinas, hoc est attingentes ipsum Deum vt obiectum secũdùm quandam rationem excedentem omnem modum cognoscendi,& amandi,connaturalem creaturis. Et ex hoc benè sequitur id quod diximus, nempè, gratiam quantum ad naturam & essentiam esse participationem bonitatis diuinæmagis perfectam, quam substantiam creatam. Quia ex eo quòd natura aliqua perfectiores habeat potentias & operationes,benè sequitur à posteriori, quòd in ratione naturæ,& essentiæ sit maior & melior parcipatio bonitatis diuinæ. ¶ Et confirmatur. Quoniam gratia vocatur simpliciter, & sine addito participatio naturæ diuinæ,& ipsius consortium: ergo est participatio ipsius secundùm ea, quæ sunt ipsi propria, & non communicata aliis naturis, ac proindè est maior & perfectior participatio, quam reliquæ naturæ creatæ. Patet consequentia; quia nulla natura creata, licèt sit participatio bonitatis diuinæ, vocatur simpliciter,& sine addito participatio & consortium diuinæ naturæ. Et antecedens probatur:tum ex communi vsu sanctorum patrum & theologorum,tum etiã ex illo 2.Petri.1. Maxima & preciosa nobis promissa donauit, vt per hæc efficiamur diuinæ consortes naturæ. Tandem patet ex eo, quòd quatenùs gratiã accipimus, dicimur regenerari in filios Dei: ergo gratia est quoddam modo ipsa natura diuina,scilicèt per participationem. Patet consequentia. Quia non dicimur regenerari aut nasci, nisi quatenùs naturã patris accipimus.

*D.Thom.*

*Petri.1.*

Sed contra responsionem hanc & solutionem arguitur primo. Quoniam esse, vel existentia sequitur perfectionẽ essentiæ, cuius est terminus, ità vt perfectioris essentiæ perfectior sit existentia, & è conuerso: ergo si gratia quantum ad essentiam est perfectior, quam substantia creata, similitèr erit perfectior quantum ad modum essendi, siuè quantum ad existentiam, vel si secundum existentiam est imperfectior, secundum essentiam erit imperfectior. ¶ Secundo arguitur. Quanto species est perfectioris generis, tanto ipsa est perfectior secundum essentiam, quam species imperfectioris generis; sed substantia creata, quæ pertinet ad genus substantiæ, pertinet ad genus magis perfectum, quam gratia, quæ pertinet ad genus qualitatis: ergo substantia creata est perfectior secundum essentiam, quam gratia ipsa. Et confirmatur, quia præstantissimæ substantiæ creatæ, vt Angeli & animæ rationales saltèm sunt præstantiores, & perfectiores secundum essentiam, quam gratia, quia id quod sub genere perfectiori est præstantissimum, est perfectius, quã id, quod sub genere minùs perfecto, est etiam præstantissimum.

Caietanus.2.2.q.23.articulo.3. respondet ad primum, quòd quando.S.Thom.dicit gratiam, aut charitatem secundùm rationem speciei esse perfectiorem animæ, non est sensus, quòd sit perfectior simpliciter, hoc est, quantum ad specificam differentiam, consideratam secũdum quod est ipsi propriũ, sed quod est perfectior secundum quid, hoc est, quantum ad differentiam specificam consideratam non secundum quod est ipsi proprium, sed tantum secundum id, quod ipsi conuenit quatenus pertinet ad altiorem ordinem, scilicèt, supernaturalem & diuinum. Et quando dicitur, quòd existentia sequitur perfectionem essentiæ, intelligitur de perfectione quæ conuenit essentiæ simpliciter, & non de ea, quæ solam conuenit ipsi secundum quid. Verùm hæc solutio non mihi probatur, quia.S.Thom. non præfert gratiam, animæ, quia præcisè est ordinis supernaturalis; sed quia est maior & perfectior participatio diuinæ naturæ. Rursùs.S. Thom. infra. q.103.art.9.dicit,quòd iustificatio impij ex parte termini est maius opus, quam creatio cœli & terræ. Neque dici potest, quòd nomine cœli & terræ non comprehendat. S. Thom. Angelos & animam rationalem, quibus conuenit immutabilitas, quoad substantiam, quoniam in illa comparatione solùm excepit gloriam. Postremo gratia non solum excedit perfectionem substantiæ creatæ, quia pertinet ad altiorem ordinem,sed etiam quia est maior participatio diuinæ naturæ,in quantum est principium radicale virtutum supernaturalium, & operationum diuinarum, & hoc conuenit ipsi secundum suam differentiam specificam consideratam secundùm ea, quæ sunt ipsi propria. ¶ Quocirca aliter respondetur ad argumentum negando maiorem, si vniuersaliter intelligatur. Nam quando ea quæ sunt propria ordinis superioris, communicantur naturæ pertinenti ad ordinem inferiorem; necesse est quòd communicentur medijs accidentibus; & ex consequenti quòd huiusmodi accidentia licèt habeant perfectiorem essentiam, quàm aliquæ substantiæ; tamen modum essendi habeant imperfectiorem. Et in casu nostro, necessariò hoc est dicendum: Quia nullus est, qui neget gratiam esse perfectiorem secundum speciem aliquibus substantijs, saltem corruptibilibus & imperfectis;& tamen omnes dicunt ipsam habere imperfectiorem modum existendi quacumque substantia propter rationem assignatam. Quare,illa maior intelligenda est potissimè in existentijs substantialibus, aut quantum ad gradus communes substantiæ & accidentibus; quia existentia substantiæ,est existentia per se; existentia autem accidentis est inhærentia. ¶ Ad secundũ respondetur negando maiorem: habet enim plures instantias: Nam in primis opinio cùm sit habitus

*Caietanus*



habitus intellectualis, habet præstantius genus, quam iustitia quæ est habitus voluntatis; & nihilominus iustitia secundum speciem est perfectior, quam opinio:& charitas est perfectior fide, quæ est virtus intellectualis,& cœlum (secundum multorum sententiam) est perfectius plerisque viuentibus. ¶ Ad confirmationem respondetur, gratiam perfectiorem esse anima rationali, & angelo secundum rationem explicatam. Et hoc ita expressè fatetur de anima rationali.S.Thom. locis citatis. Et ad id quo probatur oppositum respondetur,maximam illam veram non esse,quando genus minus perfectum potest contrahi per differentiam superioris ordinis,vt in isto casu contrahitur genus qualitatis, aut habitus per differentiam gratiæ. Aut dici potest, præstantissimam substantiam esse Deum,qui est causa gratiæ,cum illa sit secundum suam essentiam participatio diuinæ naturæ,quæ efficit filios Dei & cõsortes illius.

*Conclusio.4* Quarta cõclusio. Nulla creatura est efficiens causa principalis habituum supernaturalium,& consequentèr habitus omnes supernaturales, sunt immediatè à Deo,& nõ ab actibus nostris effectiuè. Hæc

*D.Augus.* expressè habetur ex D. Aug.lib. 2. de libero arbit. cap.18.&.19.definiens virtutem infusam, quã Deus

*Concil. Arausicam.* in nobis operatur,& Concil. Arausi.cano. 20. dixit; Multa bona supernaturalia facere Deum in homine,quæ non facit homo;quod maximè est verum ra-

*Concil. Trid.* tione habituum. Imò verò Concil. Trid. loco citato, solum Deum facit causam efficientem iustitiæ infusæ,& aperiens quid sit illa iustitia ait,comprehendere fidem,spem & charitatem. Hanc eandem assertionẽ tenet D. Th. plerisque in locis. 1.2.q.51.ar.4.&.63. art.2.&.2.2.q.22.& quodlib.6.art.1.& plerisque in locis, & est communis sententia Theologorum in.4. d.1.&.14. ¶ Sed quamuis præfata conclusio certissima sit, difficilè tamen assignatur ratio & fundamentum eius. Aliqui Theologi ob id dicunt, habitum supernaturalem non produci ab actibus supernaturalibus sui ordinis; quia omnis actus supernaturalis efficitur ab habitu; & ideo non potest efficere suum principium. Sed hoc fundamentum non satisfacit; Quia saltem sequitur, istum actum efficientèr physicè augere habitum; imò verò sequitur, quòd si daretur priùs natura actus, quam habitus, ille posset ex vi, & natura sua producere habitum. Et quidẽ cùm negari non possit dari aliquos actus supernaturales imperfectos in peccatore; qui non producunt ab habitu, de illis erit quæstio; Cur non producunt habitus supernaturales proportionatos sibi, suæque perfectioni? Imò verò vlterius, plerique Theologi ostẽdunt, actum vltimò disponentem ad gratiam, fieri ab auxilio, & non ab ipso habitu, & primum actum antecedentem cuiuscumque habitus, fieri ab auxilio, & non ab ipso habitu. ¶ Quocircà, alij Theologi aliud adducunt fundamentum prædictæ assertionis: dicunt enim actum ipsum non esse tam supernaturalem, sicut habitum; Quia ille fit à potentia, hic à solo Deo. Verùm hoc fundamentum supponit vnum falsum, quod est repellendum prorsus. Quia actus est supernaturalis, etiam secundum substantiam, vsque adeò, vt sit eiusdem ordinis & dignitatis cũ ipso habitu. Potissimè, quia tam in actu, quam in habitu, differentia specifica est supernaturalis; & in vtraque, genus de se abstrahit ab habitibus, & actibus supernaturalibus, & naturalibus, quamuis in vtraque etiam contractum sit, & eleuatum ad esse supernaturale, ratione differentiæ, sicut in alijs generibus cõtingit. Rursùs etiam, nihil refert actum fieri à potentia. Quia quidquid est supernaturale in actu, etiam ipsa differentia vltima, fit à potentia; Quoniam totum illud est quid vitale; fit autem à potentia, non ex vi propria, sed ex auxilio Dei eleuante ipsam. Et sanè, in ratione & fundamento adductis, habitum fieri à solo Deo, petit principium. Nam qualis sit actus ipse, efficiet habitum sibi accommodatum, & non oportebit ponere alium, quem solus Deus efficiat. ¶ Prima ergo ratio, seu fundamentum assertionis propositæ est; Quia istæ virtutes comparantur ad gratiam, sicut passiones ad essentiam; vel formam principalem, vt dicit.S.Tho.q.110.ergo;sicut nihil potest esse causa principalis passionum,quod nõ sit causa principalis essentiæ ad quam consequuntur: ita pari modo nihil potest esse causa principalis istarum virtutum,quod non sit causa principalis gratiæ. Quocircà si nulla creatura potest esse causa efficiens principalis gratiæ,optimè colligitur,quòd neque possit esse eodem modo causa istarum virtutum. Rursùs si aliquid esset causa efficiens principalis istarum virtutum, maximè actus supernaturales, qui procedunt à potentijs cum auxilio supernaturali, & sine habitu: At hoc dici nõ potest; quia omnes theologi recipiunt ex D.August.definitionem virtutis infusæ,quod est bona qualitas mentis,qua rectè viuitur qua nullus malè vtitur, quam Deus in nobis, sinè nobis operatur: Et quidem non diceretur fieri sine nobis id, ad quod actus nostri efficienter concurrunt,vt causæ principales. ¶ Secunda ratio seu fundamentum, quo assertio proposita defenditur à grauissimis Theologis,illud est,nempe; Quia nulla potentia potest facere,aut agere in subiectum,nisi iuxta capacitatem,& potentiam naturalem talis subiecti:sed neque anima, neque potentiæ ipsius habent potentiam naturalem ad habitus supernaturales: ergo nulla res creata poterit ex vi propria efficere in tali subiecto aliquam formam supernaturalem. Nam potentia, quam habet in ordine ad tales formas,& habitus supernaturales, est tantum obedientialis;hæc autem solum est respectu infiniti agentis, & authoris naturæ, in quo distinguitur à potentia naturali:ergo &c. Hoc fundamentum insinuat Sanctissimus Præceptor de verit.q.27.art.3. Et est simile ad rem hanc explicandam. Nam si calor,verbi gratia,applicaretur cœlo, non efficeret calorem:Quia illud subiectum non subditur illi agẽti in receptione talis formæ, quamuis per potentiam obedientialem,respectu agentis infiniti cui subditur, posset eam recipere, vel ab instrumento creato ipsius. Et confirmatur prædictum fundamentum. Quia isti habitus,non tantum dant faciliùs posse, sed quodammodo posse;actus verò secũdũ suã naturã supponũt integram facultatem agendi, & tantum efficiunt habitus,quibus faciliùs operatur potentia, & qui facilliùs debeant operari. Et confirmatur secundò. Quoniam si isti habitus effectiuè efficerẽtur ab actibus;tunc,sicut plures actus requiruntur ad generationem habitus,sic & ad illum corrumpendum. Et

ita

ita per vnũ actũ non destrueretur fides,neq; charitas,sed maneret fides in hæreticis, & charitas in peccatoribus,quod est hæreticũ.Tãdẽ confirmatur;Nã alias non oporteret in iustificatione virtutes ipsas infundi,si possent habere propriã causam in nobis, per quã efficerẽtur,nẽpe,si possent produci ab actibus.Hæc etiã concl.insinuatur in Tridẽt.sessio.6.c.7

*Cõcil. Trid.*

*Ad argum.*

Ad argumẽta initio facta.Ad primũ respõdetur, implicare quòd effectus sit potior sua causa, & implicare etiã,q̃ forma,quę assimilat immediatè subiectũ superiori agẽti, sit effectus inferioris causæ, tãquã principalis.Imò verò, implicare cõtradictionẽ q̃ forma,quæ assimilat effectũ superiori agenti, quæ secundũ se nõ est actiua ad extra,formã aliquã efficiat sibi similẽ in alio subiecto,tãquã causa principalis;sed solũ poterit concurrere vt instrumentũ. Et ad simile,qđ ex Philosophia deducitur, respõdetur,quòd aqua calida,est vniuocus effectus ignis calidi;atq; ita potest calefacere,veluti principalis causa: Quamuis nõ possit generare ignẽ;quia nõ habet formã substantialẽ ignis, nisi fortè assumeretur instrumẽtaliter aqua etiã frigida ab ipso Deo,ad generandũ ignẽ;sicut assumitur ad producendã rẽ alterius ordinis,nẽpe,ad producendã gratiã & iustitiã in anima.¶ Ad secundũ quod tãgit difficultatẽ specialẽ de Christo, vtrũ Christus in quantũ homo sit causa principalis nostrę iustificationis & sanctitatis, vel solũ instrumentalis,aut meritoria? Dicemus in speciali cõtrouersia de hac re paulò inferiùs in hoc articulo.Interim tamẽ respõdetur negando antecedẽs;& ad probationẽ,iterũ negari potest antecedẽs si intelligatur de assimilatione formali & immediata. Imò verò ipsa gratia nos efficit formaliter consortes diuinæ naturæ,& similes Deo,iuxta illud Pauli ad Rom.8.Conformes fieri imagini filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus: sed Christus nõ est primogenitus per gratiã habitualẽ,neq; est filius adoptiuus,sed est primogenitus Patris,eo quòd per æternã generationẽ ab eo accepit diuinã naturã,cui nosp habitualẽ gratiã assimilamur;atq; ita assimilamur Christo in quãtũ est filius Dei;non tamẽ assimilamur immediatè per gratiã habitualem ipsi Christo,in quantũ homo est; benè tamẽ cõsequentèr sumus Christo cõsimiles ratione gratiæ habitualis,quã etiam ipse habet. Sed de hac re fusius infrà.

*Ad secundũ*

*Rom.8.*

*Ad tertiũ.* ¶ Ad tertiũ dicendũ, nõ haberi ex illis testimonijs, q̃ creatura sit principalis causa gratiæ,sed quòd est aliqualis causa.Secũdò dico, quòd homo dicitur in scriptura se sanctificare, quia ex auxilio Dei se disponit ad Sanctitatẽ. Quomodo autẽ creatura possit esse aliqualis causa gratię,variæ sunt opiniones. Nã Ruard.Tapper in art.de iustificat.pag.5.& Cano.12. de locis cap.13.ad.7.dicũt,q̃ homo adiutus à Deo, causat effectiuè gratiam in se, quamuis nõ sit causa principalis,cùm agat aliena virtute. Sed hæc sentẽtia cõmunitèr reijcitur.Quia ea quæ superiùs adduximus,nõ solũ ostendũt solũ Deũ esse principalem causam,& principale efficiẽs gratiæ,sed quòd solus efficiat eã.Nã profectò,si homo produceret effectiuè gratiã,tũc,vel virtus actiua ipsius esset ipsa potẽtia nuda cũ virtute Dei extrinseca,vel esset potẽtia informata per actũ liberi arbitrij disponẽtẽ ad gratiã:neutrũ horũ dici potest:ergo.Minor patet: Nam habitus purè supernaturalis, debet esse à principio purè supernaturali: Vbi autẽ admiscetur vis naturalis,non est pura supernaturalitas:ergo nõ erit principiũ effectiuũ gratiæ,quæ est habitus purè supernaturalis.Et hæc est ratio,quæ à quibusdã assignatur, cur per actus virtutũ infusarũ non possunt produci, neq; augeri ipsæ virtutes, nẽpe, quia ipsi actus habent admixtam naturalitatem, quatenus procedunt à potentijs nostris naturalibus;& consequentèr quòd multò minùs tales actus poterunt causare effectiuè gratiam, cùm sint illi minùs consoni, & proportionati,quam ipsis virtutibus. Sed quamuis hæc ratio assignetur à plerisque ad rem hanc propositã ostendẽdam;mihi tamen non satis probatur,neque satisfacit;&idcirco in assignatione rationis,cur homo non producat habitum supernaturalem,recurrẽdum est ad veram rationem, quam nos suprà attulimus in.3.conclusione huius disputationis.

*Ruadus Tapper. Cano.*

### *Solutio quarti argumenti, quo pacto contritio sit dispositio ad gratiam.*

*Ad quart.*

AD quartum, Variæ sunt solutiones, & varij modi dicendi. Nam quidam dicunt, quòd contritio non disponit ad gratiam, vt est à libero arbitrio,sed vt est à Deo; & ob id solus Deus causat gratiam. Nam cùm homo sua virtute non ponat vltimam dispositionem, sed excitatus diuina gratia;sequitur,quòd contritio non disponit ad gratiam.Et Pater Medina hic solutione ad.1.dicit, quòd conuersio in Deum, & præparatio ad gratiã, est opus gratiæ operantis & non gratiæ cooperãtis: quia in eo opere potiùs homo mouetur,quã se mouet,& agat.Sed pace eius dicam,hoc nõ mihi probari.Nã ex natura rei ad reconciliationẽ alicuius,requiritur,vt aliquid faciat,& liberè quidẽ ad placandũ amicũ.Rursus,cõuersio illa in Deũ, & præparatio ad gratiã,& dolor ille volũtarius,non potest nõ proficisci à peccatore; Quia non se habet peccator vt instrumentum emortuum, sed se mouet à Deo præmotus. Imò verò, si contritio non fuerit ab illo liberè,non erit dispositio ad gratiam:exigitur ergo vt proficiscatur, & fiat à peccatore ex Dei auxilio, vt disponatur homo ad diuinam amicitiã & gratiã fic.¶ Alij Theologi respõdent, quòd quando dispositio est eiusdẽ ordinis cũ forma,quidquid est causa vltimæ dispositionis, est causa formæ, vel vnionis formæ cum subiecto. Cæterùm, si dispositio est ordinis inferioris respectu formæ, vt accidit in proposito, non sequitur quòd id quod est causa dispositionis, sit causa formæ. Explicant isti suam sententiam afferentes,quòd dispositio sit etiam virtute voluntatis nostræ, idest actione voluntatis, & quòd ob id habet aliquid naturalitatis admixtum; forma autem,nempe,gratia, cùm sit purè supernaturalis, non attingitur à voluntate, licet attingatur dispositio eius.Verùm hæc explicatio aliqua inuoluit falsa,& ob id nõ mihi probatur.Vndè, suprà in discussu cõclusionis tertiæ ostẽdimus,falsum esse dicere, quòd actus non est tã supernaturalis, sicut habitus; quia actus fit à potentia.Nã actus contritionis,est supernaturalis,etiam secundũ substantiam; Imò eiusdem dignitatis & ordinis cum habitu pœnitentiæ. Rursùs,nihil refert quòd actus fiat à potentia.Quia tam in actu cõtritionis,quã in habitu, verbi gratia, pœnitentiæ,differẽtia specifica est supernaturalis. Quòd si differentia specifica est supernaturalis in dispositione ad gratiam, tota substãtia actus dispositiui,dicitur supernaturalis.Rursus etiam, dispositio debet esse proportionata formæ:ergo debet esse eiusdem ordinis,sicut causa effectiua debet esse eiusdẽ ordinis cũ effectu. Sed his argumentis respondẽt aduersarij, quòd causalitas dispositiua,est causalitas imperfecta, & quòd ob id nõ requiritur quòd dispositio sit eiusdem ordinis omninò cum forma,ad quam disponit.Quia(vt dicunt)satis est, quòd aliquo modo attingat ordinẽ,in quo est forma.Quoniam forma debet esse perfectior,quã dispositio:& sic non est inconueniens,quòd aliqualiter sit in superiori ordine. Cùm igitur contritio attingat ordinem supernaturalem, licèt nõ sit plenè in illo propter admixtam naturalitatem; quam isti fingũt, poterit ad gratiam disponere. Cæterũ,hæc responsio nõ satisfacit.Primò,quia licèt causalitas dispositiua materialis,sit imperfecta,tamen causalitas dispositiua effectiua, non est imperfecta causalitas,in suo ordine;& ob id requiritur,quòd talis dispositio inductiua, & effectiua, sit eiusdem ordinis omnino cum forma ad quã disponit:est enim causalitas effectiua perfecta: & ob id non requirit minorem perfectionem in ea, quam in effectu. Item etiam est falsum,quòd actus, verbi gratia, cõtritionis,aut fidei supernaturalis,aut charitatis, sit actus mixtus ex naturalitate, & supernaturalitate. Imò verò,cũ ex parte suę differentiæ substantialis,sit supernaturalis,secundum substantiam dicitur supernaturalis;& quidquid est supernaturale in actu, & in ipsa vltima differentia, est quid virtute,& sic à potentia,non ex vi propria,sed ex auxilio Dei supernaturali eleuata,vt suprà diximus.

*Ad quart.*

*Medina.*

*Respondent aduersarij.*

*Rationes cõtra aduersariorum respõsionem.*

¶ Tertia solutio esse solet,quòd qui efficit dispositionem ad formam,efficit formam, vel compositũ ex illa,quando talis dispositio est naturalis, & physicè requisita ad vnionem formæ:& ideò homo dicitur generare hominem,licèt non efficiat formã. At dispositio ad gratiã,est moraliter requisita,non ad efficiendam gratiam, sed ad disponẽdum moraliter subiectum; & ob id cõseruatur post ea gratia, sine illis dispositionibus.Et in parunlis nõ requiritur talis dispositio;quod quidem indicat satis, non esse physicam,sed moralem dispositionem tantum.

*Obiectio.*

Quòd si obijcias; Contritio est eiusdem ordinis supernaturalis cũ gratia: ergo est physica dispositio saltem in fieri.Respondetur,ab his, qui præfatã solutionem defendunt,non sufficere,quòd sit eiusdẽ rationis in effendo,nisi etiam sit in causando;ita vt passum,quod disponitur, subdatur actiuitati disponentis,& sit connaturale formæ introducendæ,saltem quantum ad receptionẽ,& vnionem, licèt nõ quãtum ad eductionem, vt patet in anima rationali. Quomodo autem non sufficiat efficere physicã dispositionem ad formã, vt dicatur causare formã vel compositum, nisi saltem vniat formã cum subiecto,fusè egimus in.2.de anima,& in.1.de generatione. Pater Medina loco citato,approbat hãc solutionem.Nam eã adducit primo loco, vbi ait, quòd axioma illud, Qui ponit vltimam dispositionẽ ad formam,ponit formam,& generat formam,& qui ponit vltimam dispositionem ad hominẽ, generat hominem,& facit hominem; debet intelligi tantũ in formis naturalibus,quæ ex ordine naturæ habẽt necessariam connexionem,& consequutionem cũ vltima dispositione inducta ab agente,nõ tamẽ habet verũ in formis supernaturalibus. Et mirabile est profectò,cur ipse non assignat rationem huius discriminis. Potest tamen assignari à nobis ex ante dictis,nempe,non esse eandem rationẽ de formis educibilibus de potentia subiecti naturalibus, & de supernaturalibus. Quia illæ ex suo ordine naturæ habent necessariam consequutionem, & connexionem cum vltima dispositione ab agẽte introducta. Quia ipsum subiectũ, respectu formæ ab eo educibilis,subditur potestati agentis naturalis, & habet potentiã passiuam illi dispositioni,& actiuitati correspondentẽ eiusdẽ ordinis. At verò, respectu formæ supernaturalis,nempe gratiæ,non est in anima potentia passiua naturalis, respectu cuiuslibet agẽtis,sed solũ est in anima potentia obedientialis respectu infiniti agentis.Et ob id,ad eductionẽ gratiæ de potẽtia animæ,nõ subditur anima cuilibet agenti,sed solùm agenti infinito, cùm gratia sit semen Dei,& participatio quædam naturæ diuinæ,per quam fit iustus consors illius, & filius Dei.

*Respõsio.*

¶ Quarta solutio,& valde affinis præcedenti est, quòd istæ operationes, & præparationes ad gratiã, non sunt ex natura sua dispositiones ad illã,sed solùm ex diuina ordinatione. Et ratio huius est;quia cùm gratia ad quam ordinantur, educatur de potentia subiecti, & nihilominus illæ dispositiones non attingant productionem gratiæ, quæ aliàs est educibilis de potentia animæ;inde fit consequens, vt præparationes illæ ex natura sua, non sint dispositiones ad gratiam, sed ex diuina ordinatione. Et hoc est, quod à quibusdam etiam dicitur quando affirmant,contritionem in genere naturæ non esse dispositionem ad gratiam;esse tamẽ in genere moris: Quia Deus sic statuit, posita contritione, dare gratiam.Quod totum fundatur in ordinatione diuina. Huic solutioni fauet Pater Medina:ait enim, quòd præparatio contritionis de se,& ex suis meritis, non habet, quòd sit vltima dispositio ad gratiam; quia non habet ex natura sua connexionem cum gratia: sed hoc habet ex acceptatione diuina, vt colligitur ex Paul. ad Rom. 4. cùm ait; Ei qui non operatur, credẽti autem in eum, qui iustificat impium,fides reputatur ad iustitiam.Et dixit Paulus,quòd hæc fides,ex Dei misericordia reputatur, & acceptatur ad iustitiam coram Deo. Quòd autem contritio non habeat ex natura sua connexionem cum gratia;sed ex diuina acceptatione,probatur. Quia quando reperitur talis connexio, forma non potest naturaliter conseruari, sine dispositione, quam exigit ad sui introductionem: sed gratia potest conseruari sine actu liberi arbitrij: ergo talis actus non requiritur ex natura rei ad introductionem gratiæ, sed solùm ex diuina ordinatione & acceptatione. Sed respondent aduersarij his argumentis, quòd Deus acceptat dispositionẽ hominis,ad dandam gratiam;hoc tamen est,quia natura rei exigit,vt habẽti talem dispositionẽ, detur gratia.Sed hoc non satisfacit; Quia licèt hoc esset verum;tamen nunquam forma gratiæ posset cõseruari naturaliter, sine dispositione illa, quam exigit

*Rom.4.*

*Respondent iterum aduersarij.*

*Ratio cõtra aduersarios.*

ad ſuſ introductionē, & quæ eſt vera diſpoſitio ex natura rei, habens connexionem cum gratia. Quia forma non poteſt cōſeruari naturaliter, ſine diſpoſitione ex natura rei ad hoc requiſita; at gratia poteſt conſeruari ſine actu liberi arbitrij, vt dictū eſt: ergo talis actus non requiritur ex natura rei ad introductionem gratiæ; quod ſatis etiam patet in infantibus, & paruulis, in quibus introducitur gratia ſine actu liberi arbitrij: igitur talis actus non exigitur à gratia, tanquam propria diſpoſitio ex natura rei: quia forma nunquam inducitur ſine propria diſpoſitione, quā exigit ex natura ſua. Et quidem, gratia eſt qualitas quædam poſitiua, & ſemen Dei, quo efficimur filij Dei, & conſortes naturæ diuinæ, & non eſt amicitia propriè, ſed eſt forma dans eſſe ſupernaturale, & participationem diuinæ naturæ.

*Obijciunt in ſuper aduerſarij.*

¶ Sed obijciunt aduerſarij cōtra ſuperiorem doctrinam, & ſolutionem. Primò, quòd lumen gloriæ ex ſe eſt vltima diſpoſitio ad vnionē eſſentiæ diuinæ, in ratione ſpeciei intelligibilis cum intellectu: ergo etiam actus liberi arbitrij ex natura ſua, & non tantum ex acceptatione diuina, eſt vltima diſpoſitio ad vnionem gratiæ cum anima. Reſpondetur tamen, negando conſequentiam, & nō eſt ſimile de lumine gloriæ, & de cōtritione ad gratiam. Nam lumen gloriæ, vt habetur in Clemētina, præcipuè ponitur ad eleuandum intellectum, vt videat Deum. Rurſus, lumen gloriæ concurrit, vt principium viſionis, & vt confortans intellectum, vt habeat vires, & vt illius actio ſit proportionata obiecto. Præterea, lumen gloriæ totaliter eſt ab extrinſeco, ex parte cauſæ efficientis, & eſt participatio luminis gloriæ Dei: actus autē contritionis, ſubditur agēti creato & finito, ex auxilio Dei, cū procedat à libero arbitrio, à quo eſt vitaliter: gratia verò non ſubditur agenti creato principali, in ſui productione, ſed ſolùm agenti infinito, & agenti ſupernaturali per eſſentiam, cùm gratia educatur nō de potentia naturali paſſiua, ſed de potentia obedientiali, quæ obedientia ſumitur per ordinem ad agēs infinitū. Vndè, ſemper eſt neganda conſequētia.

*Diſſoluitur contrariorū obiectio.*

*Inſurgunt rurſus aduerſarij.*

¶ Sed obijciunt iterum aduerſarij. In puris naturalibus, poſitis quibuſdam actibus liberi arbitrij, naturaliter ſequeretur amicitia Dei naturalis: ergo in ordine gratiæ poſitis certis actibus ſupernaturalibus, naturaliter ſequitur diuina amicitia, atque adeo gratia, per quā fit ipſa diuina amicitia. Et cōfirmant hoc: Quia ratio exigit, vt Deus acceptet ad ſuam amicitiam ſupernaturalem, eum, qui facit quantum poteſt ex ſupernaturalibus: ergo ex natura rei eſt connexio neceſſaria, inter diſpoſitionē ſupernaturalē & gratiam. Ad hanc obiectionem cum ſua confirmatione reſpondetur, eſſe mirabile, quā leui argumento permoueantur aduerſarij. Nā in puris naturalibus, ſi ſemel homo peccat, & ponat actus liberi arbitrij, dolorem naturalē, & pœnitudinem peccati, ad conſequendam Dei amicitiam; certè, niſi ex diuina ordinatione fieret, nunquam naturaliter cō ſequeretur amicitiam Dei. Et quānis valdè ſit rationabile, iuxta Dei miſericordiam, quod Deus acceptet ad ſupernaturalem amicitiam, eū qui facit quantum poteſt ex ſupernaturalibus; tamen totū hoc non tranſcendit rationem acceptationis, & diuini beneplaciti, aut genus moris, & non facit, ꝙ

*Reſpondetur aduerſarijs.*

ex natura rei ſit neceſſaria connexio inter diſpoſitionem ſupernaturalē, & gratiam; ſed ſolum ex ordinatione diuina, & diuino beneplacito, iuxta eius diuinam miſericordiam. Si dicas; Gratia eſt veluti forma ſubſtantialis, vt liquet ex ſuperioribus: ergo exigit diſpoſitionem, cum qua habeat naturalē connexionem, Reſpondetur, negando conſequentiam propter rationes ſuperius tactas; & ſufficit, ꝙ habeat diſpoſitionem, cum qua habeat connexionem ex diuina ordinatione. Adde etiam, quòd gratia non eſt veluti forma ſubſtantialis, quæ quidem ſubditur non ſolùm agenti increato, ſed etiam agēti creato principali; gratia verò in ſui productione ſolùm ſubditur agenti increato, & non habet potentiam paſſiuam naturalem in ſubiecto, ſed ſolùm potentiam paſſiuam obedientialem.

*Replica.*

*Reſpon.*

*Ad quintū*

Ad quintum initio quæſtionis factum reſpondetur, negando conſequētiam, iuxta ea quæ diximus in ſuperioribus, quæſt. 110. artic. 4. diſputat. 5. in qua longiſſimè actum eſt, Cur licèt dentur accidentia ſupernaturalia, non detur, neque poſsit dari ſubſtantia creata ſupernaturalis, & iuxta ea quæ diximus. 1. part. quæſt. 12. artic. 4. diſputatione vnica, vbi quæritur, cur lumen gloriæ non poſsit eſſe cōnaturale alicui creaturæ? & cur implicet dari ſubſtantiam creatam ſupernaturalem? Aliqui tamen dicunt, quòd accidens, vel modus ſubſtantialis poſſunt eſſe ordinis ſupernaturalis, & de facto erūt talis ordinis, quando nulli ſubſtantiæ creatæ fuerint connaturalia; cæterùm ſubſtantia creata, nunquam poterit eſſe ordinis ſupernaturalis; quia ſupernaturale eſt, quod eſt ſupra omnem ſubſtantiā creatam, & nulla ſubſtantia creata eſt ſupra omnem ſubſtantiam creatam, cùm non ſit ſupra ſe ipſam. Sed quid veritatis hoc contineat, examinatur à nobis locis citatis, præſertim. 1. 2. Ad confirmationem reſpondetur, negando conſequentiam. Quia viſio Dei eſt actus vitalis, qui ſubditur cauſalitati luminis gloriæ, gratia verò non ſubditur cauſalitati agentis finiti principalis, cùm educatur de potētia obedientiali, quæ obediētia eſt reſpectu creatoris, & non reſpectu alicuius alterius.

*Ad confir.*

*Ad ſextum*

Ad ſextum reſpondetur negando antecedēs. Et ad probationem dico, quòd licèt actus, & habitus ſeruent inter ſe iſtam proportionem, ſubiectū non eſt de ſe ſatis proportionatum illis, & hæc ſanè portio maximè eſt neceſſaria ad actionem. Nam quamuis proportionentur in eſſendo; non tamen in cauſando. Ad confirmationem reſpondetur negando conſequentiam. Rurſùs reſpondetur, quòd actus ſupernaturales, non ſunt propriè & abſolutè infuſi, ſicut habitus gratię, & charitatis, & fidei, &c. Et ad probationem, quòd per actus ſupernaturales producātur habitus ſupernaturales, præter ea, quæ diximus in concluſ. 3. reſpondetur, quòd ſicut iſti actus ſupernaturales nō poſsūt eſſe cōnaturales alicui ſubiecto creato, ita neq; eorū habitus poſſunt aliquādo educi de naturali potētia alicuius ſubiecti creati. Et ob id tales actus carēt actiuitate. Sicut anima rationalis nō eſt actiua alterius ſimilis, licèt ſit perfectior alijs rebus; quia nō eſt educibilis de potentia materiæ. Ad aliud reſpondeo, non eſſe parem rationem: Quoniā potentiæ animæ, ſunt ſimul actiuæ & paſſiuæ, & quoad vtramque rationē eleuantur

*Ad ſext.*



ꝙantur per habitus infuſos, ad ordinem ſupernaturalem. Vndè fit, vt potentiæ informatæ habitu, ſicut habent in ſe aliquod naturale principium effectiuū ſeu actiuum iſtorum actuum, ita & paſsiuum connaturale. Nam ſicut intelligimus potentiam agere in ſe ipſam, ita & habitus infuſos in ſe ipſos. Ad alteram probationem dicendum, quòd ſi habitus ſuper naturales fierent à ſuis actibus, tanquam à vera cauſa connaturali; tunc verè tolleretur, quòd eſſent infuſi propriè loquendo, cùm fierent ab illis, non tanquam ab inſtrumentis Dei, ſed tanquam à cauſa proportionata ipſis. ¶ Ad vltimam confirmationem negatur conſequētia: Quoniam informare, nihil aliud eſt, quam ineſſe ſubiecto, & quaſi dare illi ſuam naturam & entitatem, quod ſanè cauſare poſſunt eo ipſo, quòd ibi efficiuntur à Deo, cui eſt ſubdita potentia obedientialis: efficientia enim dicit ordinem ad aliam formam, & idcircò oportet, quòd habeat vim ad tranſmutandum ſubiectum in ordine ad illam, quam non habet reſpectu potentiæ obedientialis, niſi infinitum agens ſit. ¶ Ad ſeptimum dico, quòd habitus Theologiæ acquiſitus ex duabus præmiſſis quibuſcunque, non eſt ſupernaturalis ſecundū ſubſtantiam, ſicut eſt habitus per ſe infuſus, aut ſicut fides. Dico ſecundò, talem actum Theologiæ, vt ſic, habere certitudinem ſupernaturalem, quaſi extrinſecam innitentem certitudini præmiſſarum, & non propriè intrinſecam. Vndè, ille actus Theologiæ nō educitur ex potentia obediential, ſed ex naturali, nēpe, ex intellectu aliàs informato per fidē; & ita nō eſt entitatiuè ſupernaturalis, ſicut habitus infuſus.

*Ad ſeptimū*

## DISPVTATIO II.

*Vtrùm Chriſtus in quantū homo, ſit cauſa principalis noſtræ iuſtificationis, & gratiæ, & an ſit cauſa efficiens, quaſi phyſica, vel potiùs ſolum moralis?*

IN hac controuerſia primò ſupponē da eſt fides, & certò affirmandum, Chriſtum Dominum, mediante anima, & humanitate eius, cauſare in nobis gratiam & reliqua ſupernatu

*Ioan. 1.*

ralia bona, iuxta illud Ioa. 1. Et de plenitudine eius nos omnes accepimus. Et iuxta illud: Gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt. Quocircà, id quod præſenti diſputatione inquiritur eſt, vtrū Chriſtus ſit cauſa principalis ſecūda, gratiæ & iuſtificationis noſtræ, ſicut homo eſt cauſa ſecunda principalis hominis, quāuis etiam Deus concurrat, vt cauſa principalis, ad eandem generationem hominis; Vel potiùs Chriſtus in quantum homo, ſit ſolùm inſtrumētalis cauſa, & non principalis? Nam certè, ſi ſolus Deus, vt ſic, eſt principalis cauſa; ſequitur, ꝙ Chriſtus in quantum homo, reduplicatiuè accepta propoſitione, nō eſt cauſa principalis gratiæ, ſed inſtrumentalis ſolùm. ¶ Arguitur tamen quòd ſit principalis cauſa, ex Paul. 1. Corint. 4. dicēte: Nam, etſi millia pædagogorum habeatis in Chriſto; non tamen multos Patres: per Euangelium enim ego vos genui in Chriſto Ieſu: ſed is, qui ſe habet, vt pater & vt generans, non ſolùm eſt cauſa inſtrumentalis, ſed principalis: ergo Paulus fuit cauſa principalis iuſtificationis, & conuerſionis Corinthiorum in Chriſto Ieſu: ergo multò magis Chriſtus ¶ Secūdò arguitur. Cauſa inſtrumentalis non operatur per intellectū & voluntatem; imò verò inſtrumentū vt ſic, videtur organum ſine vita, ſicut pennicillus; at Chriſtus etiam in quantum homo operatur per intellectū & volūtatem, & per propriam virtutem: ergo non eſt tantū cauſa inſtrumentalis, ſed etiam principalis. ¶ Tertiò arguitur, & oſtendo eſſe D. Tho. placitum, quòd ſit Chriſtus in quātum homo cauſa principalis noſtræ iuſtificationis & gratiæ. Nam. 3. p. q. 13. art. 2. ait, quòd ſecundum propriam virtutem Chriſtus Dominus habuit potentiam ad illuminandū omnes creaturas rationales, per gratiæ & ſcientiæ plenitudinem. Vbi aduerte, quòd hanc cauſalitatem animæ Chriſti, diſtinguit Sanctiſsimus Præceptor à ratione inſtrumētali, quæ erat in anima Chriſti reſpectu aliorū effectuū. Et in. 4. ſent. d. 5. q. 2. art. 2. ait, duplex eſſe agēs, vnum principale, & aliud inſtrumētale; principale quidem, oportet quòd habeat in ſe formam, quam inducit in agētibus vniuocis, vt agat ſibi ſimile, vel aliquam eminentiorem formā in agentibus æquiuocis; agens verò inſtrumentale, non oportet quòd habeat formam, quā inducit. Et ſubiungit S. Th. quòd agens principale authoritatiuè operās in Baptiſmo, eſt ipſe Deus, & Chriſtus ſecundū quòd homo, cuius meritū operatur in Baptiſmo. Et ex plenitudine diuinæ bonitatis, & gratiæ Chriſti prouenit gratia, ad baptizatum, ſed baptizans eſt tantū agens inſtrumētale. Hæc Sanctiſsimus Præceptor. In quibus verbis videtur ſenſiſſe, Chriſtum Dominum in quantū homo, eſſe cauſam principalem noſtræ gratiæ. Et in ſolutione ad. 1. ait, quòd actio non attribuitur inſtrumento propriè, ſecundum Philoſophum, ſed principali agenti; & ob id propriè & per ſe loquendo magiſter minister nō eſt qui mūdat, ſed Chriſtus, de quo dictum eſt Ioan. 1. Hic eſt qui baptizat. ¶ Quartò arguitur. Nullum inſtrumentum operatur per virtutē & formam ſibi propriam; aliàs non eſſet inſtrumentum, ſed cauſa, aut principium quo principale: ſed Chriſtus, in quantùm homo, operatur per formam ſibi propriam; nam operatur iuſtificationem noſtrā efficienter per gratiam habitualem, & per gratiā capitis exiſtentem in eius anima: gratia enim capitis quæ erat in anima eius, ſanctificat efficienter noſter go Chriſtus, in quantum homo, agit per formam ſibi propriam: ergo non operatur Chriſtus, in quantū homo, ſolùm vt inſtrumentum; ſed etiam vt cauſa principalis. ¶ Plura & maiora alia argumenta adducemus pro hac parte infrà, explicantes. Quo pacto non ſit abſolutè temerarium, quòd Chriſtus ſit cauſa principalis efficiens ſecunda phyſica gratiæ in quantum homo.

*Secundum.*

*Tertium.*

*S. Thomas.*

*Quartum.*

*Argum. 1.*

*Nota. 1.*

Pro explicatione difficultatis propoſitæ aduertè, diſtinguendum eſſe duplex genus cauſæ efficiētis; nam aliud eſt genus cauſæ moralis; aliud verò cauſæ phyſicæ. Cauſa igitur efficiens phyſica eſt, quæ re vera influit in effectum in eſſe rei; moralis verò influit in eſſe moris. Exemplum cauſæ phyſicæ, eſt ignis generans ignem. Exemplum cauſæ moralis, eſt homo, vel conſilians & exhortans ad aliquid efficiēdum, vel merens bonis operibus, vt aliquid efficiatur ab alio, aut eiſdem impetrans

illud. ¶Rursus aduerte, quòd non omne principium quo, habet rationem instrumenti respectu alicuius actionis, etiã si respectu eiusdẽ actionis detur aliud principium quod, magis principale. Nam ignis est principium quod, magis principale; forma verò ignis, qua mediante generatur alius ignis, est principium quo, minùs principale; & tamen forma ignis propriè loquendo, non est instrumentũ illius actionis. Quoniam effectus quicunq;, non assimilatur instrumento, nec correspondet illi, sed causæ principali. Cùm ergo ignis genitus correspondeat formæ generantis, & sit eiusdẽ speciei cũ illa; sequitur, quòd forma generantis non est instrumentũ, & consequẽter ignis, & illius forma nó distinguntur, sicuti causa principalis & instrumentalis; quia vtraq; est causa principalis, altera tanquam quod; altera verò tanquam quo. Verùm est, quòd in ista principalitate est latitudo, quia principium quod, est magis principale. ¶Præterea aduerte, quòd instrumentum propriè loquendo, dicitur illud, quod ita concurrit ad actionem, vt in se ipso non habeat virtutem, & formam sufficientem, cui effectus correspondeat, & assimilatur: & ob id pennicillus respectu imaginis, habet propriè rationem instrumenti, & est præcisè instrumentum; quia ita concurrit ad productionem imaginis, vt in se non habeat formam, & virtutem, cui correspondeat imago; sed tãtum correspondet arti, & ideæ ipsius artificis. ¶Tandem aduerte, quòd anima Christi, duplices habet operationes, quędã sunt, ad quas in ipsa anima Christi secundum se erat virtus, & forma sufficiens ad earum productionẽ, siue essent naturales, siue supernaturales; & istæ dicũtur conuenire Christo, in quantum homo, ratione humanitatis. v.g. comedere, ambulare, moderari humores corporis, & actus humanos, ad has inquam actiones, Christi anima, sufficiens habebat principium in se. Similiter in supernaturalibus, ad illuminandũ homines de veritatibus supernaturalibus, habebat anima Christi sufficiens principium, nempe, scientiam infusam. Rursus ad diligendum Deũ super omnia, habebat in se charitatem, &c. Et istæ actiones sunt quas S. Thom. 3. part. q. 13. art. 2. appellat conuenientes animæ Christi, hoc est proportionatas principijs & formis, quas in se habebat Christi anima. Aliæ verò actiones sunt in alio ordine, ad quas anima Christi, non habebat in se sufficiens principiũ, nec formam, verbi gratia, ad suscitandum mortuos, & ad dandum visum cæcis, &c. Quoniam adhoc nó ordinabatur gratia Christi, nec eius scientia. Itaque est differentia inter istas operationes, & principia illarum, quòd operationes primi membri, habent in humanitate Christi principium habituale verum & formale earum. Quia si Christus videt, per oculos videt. Rursus, si diligit Deum dilectione supernaturali, habet charitatem, sicut alij iusti. Si scit, habet scientiam, sicut alij homines. Aliæ tamen operationes secundi membri, nó habent in humanitate principium formale, & productiuum illarum operationum. Quocircà, cùm Christus suscitat mortuos suo tactu, non debemus intelligere, quòd in humanitate Christi sit aliqua potentia creata, & virtus, ad producendam vitam in re emortua. Respectu ergo primarum actionum, anima Christi propriè loquẽdo, non erat instrumentum Verbi diuini, sed concurrebat ad illas, tanquam agens principale quo; suppositum verò, tanquam agens quod: at verò respectu secundarum actionum, anima Christi concurrebat, tanquam instrumentum Verbi diuini. Quia ad eas non habebat in se sufficiens principium, sed solum operabatur eas, quatenus humanitas mouebatur à Verbo; & ita indigebat speciali motione ipsius Verbi diuini.

Nota. 2. Nota. 3. Nota. 4.

### *Prima conclusio.*

Conclus. HIs ita prælibatis est prima cõclusio. Certum est, quòd Deus solus est causa prima principalis efficiens nostræ iustificationis, & gratiæ. Quocircà, Iob. 14. cap. aiebat; Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine, nonne tu qui solus es? Et Isaiæ. 43. legitur; Non est absq; me saluator. Et Oseæ. 13. Saluator nõ est præter me. Quibus testimonijs instructi Hebræi dixerunt Marci. 2. Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus? Et Paul. Rom. 8. Quis accusabit aduersus electos Dei? Deus qui iustificat? Solus ergò Deus est, qui vt principalis causa potest peccatorem sibi reconciliare, & in gratiam reducere, & consortem diuinæ naturæ facere, adoptareq; in filium, & offensam contra se cõmissam remittere. Non opus est multis in hac assertione, quoniam non habet contradictores, & eãnos disputatione præcedenti latiùs fumus prosequuti.

Iob. 14. Isaiæ. 43. Oseæ. 13. Marci. 2. Rom. 8.

Sicut ergo Deus solus est prima principalis causa efficiens, ita pari ratione, solus ipse est finalis causa vltima nostræ iustificationis. Quod D. Dionysiũ rè dixit affirmans, omnia in se Deum cõuertere, & Paul. sæpiùs, repetens illud; Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia: Deus namq; est Alpha & Omega, principium & finis omnium creaturarũ, & vt omnia per eum, ita & omnia sunt propter eũ, & ipsius gloriæ seruiunt, iuxta illud Eccles. 42. Gloria Domini plenum est opus eius. Et Prouerb. 16. Omnia propter semetipsum operatus est Dominus. Et sanè, hãc veritatem latè prosequutus est D. Paul. ad Ephes. 1. dicens; Prædestinauit nos in adoptionẽ filiorum per Iesum Christũ, in ipso in laudẽ gloriæ gratię sue. Et statim, in quo nos sorte vocati sumus, prædestinati secundum propositum eius, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ, vt simus in laudem gloriæ eius nos, qui ante speraũimus in Christo.

D. Dion. D. Paul. Eccles. 42. Prouerb. Ephes. 1.

### *Secunda conclusio.*

Concl. SEcunda conclusio. In genere causæ moralis, Christus Dominus in quantũ homo, est causa principalis nostræ gratiæ & gloriæ, & omniũ quæ nobis donantur à Deo, in ordine ad supernaturalem finẽ. Sed aduerte, q̃ ly, in quantũ, nó debet accipi reduplicatiuè; aliàs esset falsa propositio. Quia Christo Dño in quãtũ homo præcisè, nihil ampliùs conuenit, quã cæteris hominibus, si ly, in quantũ, reduplicatiuè sumatur. Quocircà, in quantũ, debet accipi specificatiuè, ita sanè, vt determinet naturã, in qua inuenitur ratio causalitatis moralis respectu nostræ gratiæ. Vndè, Christi anima, certò fuit causa meritoria principalis nostræ iustificationis, & sanctitatis; imò verò prima causa meritoria. Nam solus ipse Christus meruit nobis gratiam, adoptionem, & gloriam Dei Patris, de condigno. Quia Pater, aut Spiritus sanctus, non meruerunt; quia mereri est inferioris, vel habentis naturam aliquam inferiorem, & pura creatura non potuit mereri de omni rigore iustitiæ: igitur solus Christus est causa præcipua nostræ iustificationis, per modum meriti. Vndè, Paul. ad Hebræos. 5. & 10. ait, Christum exauditum esse à Patre pro sua pietate, & reuerentia, cùm in diebus carnis suæ preces & supplicationes pro nobis Patri offerret. Vndè Paulus, authorem eum appellat nostræ salutis, & sanctificare nos asserit, & per passionẽ consummare, & obtemperãtibus sibi, esse causam salutis æternæ, & per proprium sanguinẽ, æternam redemptionem inueniſſe, vnaque sui corporis oblatione, cõsummãsse in sempiternũ sanctificatos. ¶Ex quibus colligo argumentum. Christus Dominus, in quantum homo, meruit nobis gratiam, & reliqua bona supernaturalia, & solus ipse meruit nobis hæc bona; & inter causas morales principales, enumeratur causa consilians, exhortãs, & merens: ergo Christus est causa moralis principalis. Vbi obserua, quòd non dicimus modo, Christum meruisse, in quantum homo, de rigore iustitiæ gratiam nostram: hoc enim non est verum; nam eam mereri de rigore iustitiæ competit illi, in quantum Deus homo. Duo namque considerantur in merito Christi Domini; alterum est, quòd habet propriè rationem meriti apud Deum; quod sane est inferioris naturæ; alterum verò, quòd habet infinitũ valorem; & hoc non competit illi merito ex parte humanitatis, neque ex parte alicuius gratiæ, quæ hæreat in humanitate; sed competit illi ex parte diuinæ personæ vnitæ humanitati, quæ sanè persona est suppositũ operans per humanitatem, & per habitus gratiæ receptos in illa. Quocircà, quantùm ad priorem considerationem, dicendum est, Christum Dominum, in quantum homo, esse causam principalem gratiæ nostræ, & omnium hominum; at verò quantum ad posteriorem considerationem, nullo modo est causa principalis, in quantum homo, neque ad modum causæ physicæ, aut moralis; sed tantum est causa instrumentalis. Et ratio huius rei est efficax. Quoniam ille effectus, scilicet, quòd de rigore iustitiæ conferatur gratia, excedit omnem proportionem gratiæ habitualis secundum se consideratæ. Quod liquet apertè; Quia si eadem gratia habitualis collocaretur in puro homine, non haberet talem effectum: igitur non competit sibi secundum se, dum est in Christo Domino, nisi ratione suppositi, cuius instrumentũ est ipsa humanitas vnita Verbo Dei.

### *Tertia conclusio.*

Concl. 3. TErtia conclusio. Non est facile temeritatis notã inurenda sententia illa, quæ dicit, Christum quatenus homo, esse principalem causam nostræ iustificationis; secundariam tamen. Dixi non esse statim omnino inurendam, quia habet authores pro se, & nonnulla testimonia D. Tho. à nobis citata suprà in. 3. argum. & eam tenet Barthol. Medina. 3. p. q. 13. art. 2. Et sanè, authores huius sententiæ putant, q̃ Christus secundum humanitatem, seu in quantum homo, neq; est simpliciter causa principalis gratiæ, nec simpliciter instrumentalis, sed medio quodam modo, qui reductiuè pertinet ad causam principalem. Quemadmodum aër illuminatus illuminat, nec vt causa purè instrumentalis, eo quòd illuminat per formam sibi inhærentem, nempe lucem; causa autem instrumentalis, non operatur per propriã formam, sed prout mouetur ab agente principali; neque etiam illuminat, vt causa principalis simpliciter loquendo, eo quòd hoc nó conuenit per se aëri, sed participatiuè ex luce Solis; illuminat ergo medio quodam modo inter purum instrumentum, & causam principalem simpliciter, quatenus illuminat per lucem sibi inhærentem, à Sole participatã, qui modus reduci potest ad operationẽ causæ principalis. Ita ergo dicunt authores huius cõclusionis, quòd Christus, vt homo, operatur medio quodam modo nostram iustitiam & gratiam, quatenus operatur per gratiam inhærentem habitualiter in humanitate Christi; quæ tamen non est illi propria, & cõnaturalis, sed participata à natura diuinã. ¶Rursus, authores huius sententiæ possunt dicere, quòd illa gratia Christi secundum quòd erat gratia capitis, & secundum quòd Christus est caput, erat actiuè productiua, secundum propriã virtutem, charitatis & gratiæ. Nam cùm proprium sit capitis influere actiuè; sequitur, quòd illa gratia quatenus erat gratia capitis, potest dici causatiua. Vndè, talis gratia non est eiusdem speciei cum particulari gratia iustificãte. Quia differunt ex modo essendi secundum speciem. Cũ igitur gratia Christi hærẽs animæ eius, etiã sit gratia capitis, potest illi tribui quòd esset operatiua respectu gratiæ membrorum; & consequenter nõ temere dicetur, quòd Christus in quantum homo, secundũ illam gratiam capitis, potest dici causa principalis secundaria efficiens nostræ iustificationis, & gratię. Hoc videtur dicere D. Ioan. cap. 1. cùm inquit; Vidimus eum plenum gratiæ & veritatis, & de plenitudine eius omnes accepimus. Et hac gratia voluit Deus honorare humanitatem Christi, vt per Christũ & in Christo, omnia instauraret & viuificaret. Et ob id Damascen. dixit, humanitatem Christi esse organum quoddã coniũctum diuinitatis: Et idcircò, in Scripturis sanctis, nunc brachium Domini, nũc dextera, nunc manus absolutè nominatur. Et quidẽ nõ est organum emortuum & inanime, sicut pennicillus, aut calamus; sed est organum viuum, operãs per proprium intellectum & volũtatem, atq; etiam per propriam virtutem.

1. Ratio. Ioan. 1. Damascen

Adducor etiam ad præfatam assertionem ostendẽdam. Quia si Christus, in quantũ homo, solum esset causa instrumentalis; sequeretur nõ esse necessariũ, quòd Christus sit gratus, vt gratos efficiat homines. Nam adhoc, vt aliqua causa sit solum instrumentalis, non requiritur, quòd effectus præexistat formaliter in causa instrumẽtali, vt sic. Quocircà, Sacerdos qui est causa instrumentalis gratiæ, non est necesse, vt sit in gratia, adhoc, vt alios gratos efficiat. Quod argumentum insinuatur, & colligitur ex D. Tho. in 4. d. 5. q. 2. art. 2. quæstiunc. Imò verò, sequeretur gratiam causatam à Christo in homine iusto, excellentiorem esse, & maioris dignitatis, quam sit virtus iustificatiua, quæ est in Christo. Et patet sequela. Quia instrumentum, vt sic, nunquam operatur effectũ ex virtute sua, sed ex virtute principalis agentis; atque ita effectus semper euadit perfectior, quam sit virtus purè instrumentalis, licèt non quam sit virtus principalis agentis, & principalis causæ.

2. Ratio. D. Thomas

3. *Ratio.* Adducor præterea ad præfatam assertionẽ. Quia Christus habet gratiam, & sanctitatem ex proprijs; aliàs non satisfeciſſet ex proprijs, ſed ex alienis, & conſequenter eius satisfactio non eſſet de rigore iuſtitiæ: Si ergo gratiam habuit ex proprijs, & cauſat illam in nobis; ſequitur, quòd eſt præcipua cauſa Chriſtus, in quantum homo, & non tantum inſtrumentalis. Nam profectò, ſi agens aliquod ex ſe habe ret calorem, & cauſaret eum circa alia obiecta; tunc ſanè non eſſet inſtrumentum tãtum, ſed eſſet cauſa principalis caloris. ¶Et confirmatur: Quia ſacerdotes, qui abſoluunt à peccatis in ſacramento pœnitentiæ, ſunt cauſæ inſtrumentales efficientes gratiæ, & remiſsionis peccatorum: ergo cùm Chriſtus ſit principalis ſacerdos, cuius miniſtri inferiores ſunt homines; ſequitur, quòd Chriſtus, in quantum homo, & ſacerdos, altiori modo eſt cauſa, quam miniſtri eius. Et hoc videtur inſinuare Scriptura. 1. Co
1. *Corint. 1.* rinth. 1. Chriſtus factus eſt nobis ſapientia, iuſtitia, ſanctificatio, & redẽptio, id eſt fons, author, & cauſa iuſtitiæ noſtræ: Igitur aliquid maius habet, quam inſtrumentum: eſt ergo cauſa principalis ſecũdaria.

*Quarta concluſio.*

*Concluſ. 4.* QVarta concluſio. Multò certius & tutius eſt, q̃ Chriſtus, in quantum homo, non eſt cauſa principalis efficiens ſecundaria per modum cauſæ efficientis, ſeu phyſicæ. Hanc aſſertionem tenent cõ muniter omnes Theologi. Quocircà nõ recedamus à communi ſententia, & aſſeueremus, Chriſti huma nitatem non eſſe principalem cauſam iuſtificationis, & gratiæ noſtræ, ſed inſtrumentalem. Ita ſentit Pater Vega lib. 7. in Concil. Trident. cap. 10, 11. vſq;
*Vega.* ad. 18. Et à fortiori hoc tenent D. Bonauent. & Du-
*D. Bonauẽ.* rand. in. 3. diſt. 14. q. 5. & in. 4. diſt. 2. Scot. eadem diſt.
*Durand.* 2. q. 1. & in. 2. diſt. 37. & Pater Cano in relect. de ſacra-
*Scotus.* mentis in genere. 4. part. circa finẽ; cùm dicat, Chri-
*Cano.* ſti humanitatem, nullam phyſicam efficientiam habere, aut in miraculis, aut in iuſtificatione animarum; ſed ſolam efficientiam moralem. Vndè, omnes Theologi, qui tenent gratiam creari à Deo, & creaturam nõ poſſe concurrere ad creandum, id ipſum docent, de humanitate Chriſti, reſpectu iuſtificationis, & quòd Chriſtus in quantum homo, reduplicatiuè accepta hac propoſitione, non eſt cauſa principalis ſecunda reſpectu gratiæ, ſed ſolum inſtrumen talis cauſa.

Moueor etiam ad defendendam hanc aſſertionẽ, ex hoc fundamento, nempe, quòd gratia habitualis Chriſti, non eſt forma operatiua: eſt enim eiuſdem rationis in Chriſto & in nobis; in nobis autem nullam habet virtutem effectiuam: ergo Chriſti humanitas per gratiam non operatur, vt cauſa effectiua principalis ſecũdaria, noſtram iuſtificationẽ. Quod ſanè cõfirmari poteſt. Quoniam virtutes infuſæ animæ Chriſti, licèt ſint operatiuæ; tamen non operantur operationes tranſeuntes, ſed ſolum operantur immanentes: charitas enim tantum habet efficere dilectionem Dei, lumen gloriæ, viſionem diuinam, &c. ergo Chriſti humanitas per has virtutes non efficitur cauſa principalis noſtræ iuſtitiæ. ¶Et ex his aperte liquet, exemplum illud aduerſariorũ, concluſione præcedente allatum de aëre illuminato, non eſſe ſatis aptum, neq; ad propoſitum. Quia lux, quam à Sole participat aër, eſt illuminatiua; gratia verò & virtutes infuſæ in anima Chriſti, nõ ſunt formæ effectrices in exteram materiam: & ob id, ſi operantur noſtram iuſtitiam, neceſſe eſt, vt aſſumantur, vt inſtrumenta diuinæ virtutis. ¶Adducor ſecũ dò ad defenſionem concluſionis præfatæ. Quia ſi Chriſti humanitas relinqueretur à verbo ornata omnibus virtutibus, quibus nunc prædita eſt, non cauſaret gratiam & iuſtitiam in nobis, vt cauſa principalis: ergo apertum eſt ſignum, quòd neq; modò cauſat illam, vt principalis cauſa ſecunda efficiens, niſi quatenus aſſumitur à verbo, vt inſtrumentũ diuinæ virtutis. Patet conſequentia. Quia præter hoc, quòd eſt aſſumi à verbo, vt eius inſtrumentũ, nihil deeſſet humanitati relictæ, vt ſupponimus ex ijs om nibus perfectionibus, quas modò habet aſſumpta à verbo. ¶Adducor tertiò. Quia gratia immediatè aſ-
*D. Aug.* ſimilat animam diuinæ naturæ: igitur quantumcun
*D. Thom.* que homo ſit gratus, non eſt principalis cauſa, ſed inſtrumentalis gratiæ. Patet conſequentia: Quoniã principalis cauſa particularis, aſſimilat ſibi immediatè effectum, vt ignis ignem, homo hominem. Cũ igitur etiam illa gratia Chriſti, & charitas, ſecundũ quòd eſt caput, non ſit actiuè productiua ſecundũ natiuam & propriam virtutem charitatis & gratiæ; ſequitur, quòd non pertinet ad animam Chriſti, per eam tanquam per cauſam principalem ſecundã, effi cienter iuſtificare: eſt enim gratia ſpecialiſsimũ donum Dei, quæ ſecundũ natiuam virtutem haberaſſi milare animam diuinæ naturæ, & non habet efficere, neq; agere. ¶Et confirmatur: Quoniam ſecundũ veram ſententiã S. Tho. actus charitatis non auget gratiam effectiuè, ſed meritoriè: ergo ſignũ eſt, charitatem non eſſe productam effectiuè ab alia charita te, ſed à ſolo Deo authoritatiuè & principaliter; & inſtrumentaliter ab alio. ¶Moueor etiã quartò. Quia cùm, eſſe, ſit de eſſentia ſolius Dei, non poteſt cõmu nicari creaturæ, ita vt ipſa rurſus ſit cauſa eſſendi: ſed omnia immediatè pẽdẽt à Deo in eſſe: igitur pa ri ratione, cùm diuina eſſentia ſolùm ſit eſſentialiter in tribus perſonis, nulla creatura poterit eſſe cauſa præcipua illius eſſe ſupernaturalis, quòd cõfert gratia, quod eſt aſsimilari diuinę naturę. ¶Profectò, per gratiã voluntas hominis immutatur, & ipſa eſt, quæ præparat hominis voluntatem, vt velit bonum, iuxta Auguſt. de natu. & gra. cap. 23. & de gratia & libe ro arbitrio. cap. 17. ſed voluntatẽ immutare, vt principalis cauſa, eſt ſolius Dei, vt dicunt Theologi cũ S. Tho. 1. 2. q. 9. ergo ſolus Deus cauſat gratiam, tanquam cauſa principalis: ergo cùm hæc gratia nõ ſit qualitas actiua, ſed ſolùm diuinitùs per ſe infuſa, & qua homo efficitur deiformis, & conſors diuinæ na turæ; ſequitur, quòd per illam tanquam per cauſam efficientem, humanitas Chriſti non agit aſsimilando ſibi paſſum: ergo non concurrit tanquam cauſa principalis. ¶Quocircà, Sãctiſsimus Præceptor ſolũ cõcedit Chriſto, in quantũ eſt homo, quòd ſit cauſa miniſterialis gratiæ, & quòd habeat miniſteriũ excellentiæ per poteſtatẽ, quæ in Chriſto, vt homine, tanquam in ſupremo noui teſtamenti miniſtro, reſi-
*Damaſc.* det. Ita aſſeuerat S. Th. in hoc art. & de veri. q. 27. art. 3. & 2. p. q. 64. art. 3. & 4. & Damaſc. lib. 3. fidei. c. 5. do-
*Damaſc.* cet, Chriſti humanitatem eſſe inſtrumentum coniũctum diuinitatis.

Ad



*Ad rationes poſitas pro defenſione tertiæ concluſionis.*

*Ad 1. rationem poſitã pro defenſione 3. concluſionis.* SEd quoniam qui tenent oppoſitam ſententiam explicatam tertia concluſione præcedente eam tenent, propter argumenta ibi facta, neceſſe eſt ea diſſoluere. Ad primam enim eorum rationem negã dum eſt, gratiam illam habitualẽ capitis, eſſe actiuè productiuam gratię, ſecundum propriam virtutem, & natiuam ipſius gratiæ. Imò verò eſt eiuſdem ſpeciei cum gratia habituali iuſtorum ſecundum propriam virtutem & natiuam eius. Et teſtimonium D. Ioann. ſatis optimè interpretatur conſtituendo in Chriſto, vt homine, poteſtatem ſupremam miniſterialem, reſpectu effectuum gratiæ, & præterea aſſeuerando, Chriſtum ratione vnionis hypoſtaticæ, & ratione perſonalitatis verbi, eſſe verum Deum, & verum hominem, propter vnionem humanæ naturæ; atq; ita de plenitudine eius nos omnes accepiſſe, & in quantũ Deus eſt, & in quantum Deus, & homo, quia vt Deus & homo, meruit de rigore iuſtitiæ; cæterum in quantum homo tantum, hoc eſt ratione humanitatis, per poteſtatem ſupremam miniſterialem, & excellentiæ, di citur cauſare gratiã in nobis. Quod ſi adhuc inſtes gratiam illam habitualem capitis eſſe operatiuam, Reſpondetur id non habere ſecundũ natiuã & pro priam virtutem ſui præciſè, ſed vt inſtrumentũ verbi & ex coniunctione ad vnionem hypoſtaticã perſonæ diuinæ. Vnde ex hoc non ſequitur, q̃ Chriſtus ratione ſuæ humanitatis & ſuæ gratiæ creatæ illi hærentis, ſit cauſa principalis efficiens phyſica gratiæ: ſed ſufficit, quòd ſit cauſa miniſterialis per ſupremã
*Ad 2. ratio.* poteſtatem huius miniſterij. ¶Secunda etiam ratio contrarium opinantium, diſſoluitur: quia, vt Deus nos efficiat gratos per inſtrumentum aliquod, aut per inſtrumentalẽ cauſam efficiẽter phyſicè, nõ eſt neceſſè, quòd ſubiectũ ſit gratũ per gratiã habitualem; cæterùm vt efficiat nos gratos per cauſam aliquam in genere moris, nempe, per eius merita, neceſſe eſt vt cauſa ipſa grata ſit; Imò verò, vt efficiat nos gratos ex merito alicuius de rigore iuſtitiæ, requiritur, quòd perſona merens ſit grata, per hypoſtaticam vnionem, ſeu per gratiam vnionis. Ad ſeque lam dico, Chriſtum habere poteſtatem excellentiæ miniſterialem, quæ eſt maximæ dignitatis in ordine ad effectum gratiæ, quem cauſat in hominibus.

*Ad tertiam* ¶Tertia rurſus ratio diſſoluitur, ſi dicamus, quòd perſona Chriſti habebat gratiã ex proprijs; Verum tamen humanitas, habebat illam communicatam à perſona Verbi. Itaque gratia habitualis Chriſti, erat illi propria; & ita habebat ex proprijs; cæterum, non erat illi propria ratione humanitatis, quaſi ab huma nitate illi conueniens proprietas illa. Nam etſi gratia habitualis fuerit verè in anima Chriſti, & huma nitate eius, cæterùm gratia illa erat effectus reſultãs ex vnione hypoſtatica. Dico ſecundò, quòd gratia illa habitualis non eſt actiua, aut operatiua ad extra, potiſsimè actione tranſeunte. Ad confirmationem dicendum, quòd Chriſtus habuit poteſtatem miniſterialem excellentiæ, illi donatam, in quantũ homo propter, eximiam eius dignitatem, & excellentiam. Et ita altiori modo eſt cauſa miniſterialis, nempe per poteſtatem illam excellentiæ.
*Ad confir.*

*Quinta concluſio.*

*Concluſ. 5.* QVinta concluſio. Chriſtus ſecundum quòd homo eſt, reduplicatiuè, eſt cauſa efficiens noſtræ iuſtificationis inſtrumentalis, & miniſterialis. Vndè Chriſtus, quatenus homo, habet poteſtatem miniſterialem excellentiæ. Itaque Chriſtus, in quantum homo, non ſolum eſt cauſa meritoria noſtræ iuſtificationis; & renouationis totius mundi: ſed etiam eſt cauſa efficiens; inſtrumentalis tamen. Hanc aſſertionem defendunt omnes diſcipuli D. Thom. 3. part. quæſtione. 13. articulo. 2 & in diſputatione de ſacramentis in genere; Contrarium tamen huius tenent Scot. in. 4. diſtinctione. 2. quæſtione. 1. & Durand. diſtinctione. 5. quæſtione. 3. Sentiunt enim, quòd Chriſtus Dominus tantum eſt cauſa meritoria noſtræ ſalutis. Imo verò, Durand. in. 3. diſtinctione. 14. quæſtione. 5. putat, humanitatem Chriſti ſolum meritoriè concurriſſe ad facienda miracula, quæ aliàs diuina virtute agebantur. Pa-
*Scotus. Durandus.* ter Cano, relectio. de ſacramentis in communi,
*Cano.* pariter putauit, humanitatem Chriſti, & eius paſſionem, ſolum eſſe cauſam moralem noſtræ iuſtificationis: non verò efficientem. Sed profectò hoc eſt contra Diuum Thomam locis citatis, & expreſſè in hoc articulo.

Expendere oportet pro hac concluſione teſtimonium illud Ioannis. 1. Gratia & veritas per Ieſum
*Ioan. 1.* Chriſtum facta eſt, Vbi illud Verbum, facta eſt, apertè denotat phyſicam efficientiam. Præterea, in Concilio primo Epheſino, cano. 11. definitur, carnem Chriſti Domini, eſſe viuificatricem propter vnionem ad Verbum, quod vitam habet diuinam. Et hoc ipſum definitur in epiſtola eiuſdem Concilij ad Neſtorium: At caro Chriſti Domini, non eſt viuificatrix ſecundum eſſe morale. Nam to ta moralitas, ad animam pertinet: ergo in eſſe phyſico habet viuificatricem virtutem. Imò verò hæc concluſio habet verum de Chriſti humanitate, etiam nunc exiſtente in cælo. Quod ſanè ſic oſtendo. Quoniam hoc aſſerere, cedit in maximam humanitatis Chriſti dignitatem, & ex altera parte nullum habet inconueniens. Nam licet ſecundum leges communes, inſtrumenta cauſarum naturalium non operentur, niſi circa ſubiectum ſibi proximum; tamen inſtrumenta diuinæ virtutis, non alligantur alicui determinatæ diſtantiæ, ſed ad quamcunque poterunt operari: ergo. Perſuadetur etiam hæc veritas ex illo Ioann. 20. Data eſt mi-
*Ioan. 20.* hi omnis poteſtas in cælo & in terra, Accipite Spiritum ſanctum; quorum remiſeritis peccata remittuntur. Et idem habetur Matth. 9. Filius homi-
*Matth. 9.* nis habet poteſtatem in terra remittendi peccata. Quem locum malè interpretatur Durand. de Chriſto, in quantum Deus. Nam certiſsimum eſt, ibi fieri ſermonem de Chriſto, ſecundum quòd homo eſt. Fauet etiam illud Lucæ. 6. Virtus de illo exi-
*Lucæ. 6. & 8.* bat, & ſanabat omnes, & capit. 8. Ego ſenſi de me virtutem exiiſſe; quod dixit, cùm mulier quædam ægrotans, quæ patiebatur fluxum, tetigit fimbriam veſtimenti eius. Quæ verba non poſſunt commodè explicari, neq; aptè, niſi de cauſa inſtrumentali phyſica, ſeu efficiente.

*Maior explicatio quæstionis, & conclusionum præcedentium.*

*Assertio. 1.* SEntentia est Theologorum omnium probata, quòd humanitas Christi ex vi solius vnionis ad verbum, formaliter & præcisè sumpta, non est potentior facta ad agendum, quam esset alias ex natura sua: quod debet intelligi de potestate ad reales, & physicos effectus efficiendos: Nam de effectibus moralibus meriti & satisfactionis egregiè valdè confert ipsa vnio per se, ac præcisè considerata, vt optimè docent Theologi. 3.part.quæst.1.artic.2. Rursùs etiam debet intelligi de vnione præcisè, quia licet ipsa vnio sit ratio propter quam humanitati donatur supernaturalis virtus, seu potestas, tamen non est ipsa præcisè, qua humanitas formaliter efficitur potentior, vt aduertit Durandus in.3. dist. *Durand.* 14.quæst.5. Et hæc est doctrina, quæ apertè colligitur ex S.Thom.3.part.quæst.13.artic.2.&.3. Hoc etiã sufficienter ostenditur ex sententia Catholicorum in disputatione de gratia Christi, præcipuè.3. part. quæst.7. vbi affirmant in actionibus & actibus, gratiæ vnionem non esse principium formale, quòd humanitatem reddat potentem ad ipsos efficiendos per se ipsam præcisè: Et par ratio est de quolibet effectu supernaturali; quia in omni actione principiũ agendi est natura; subsistentia verò tantum est, quasi conditio requisita, humanitas autem vnita eandem omnino retinuit naturam & eandem formam: ergo de se retinuit etiam eandem virtutem, & potentiam agendi. Potestque confirmari hoc, quia verbum vnitum, vt sic, non habet ratione vnionis præcisè, ac formaliter specialem influxum physicum in actiones humanitatis, quia huiusmodi influxus ad extra, est communis tribus personis, & non specialis vni tantum.

*Assertio. 2.* Sentio etiam esse de fide Christũ Dominum per humanitatem suam vera miracula edidisse, ac proindè humanitati eius communicatam fuisse virtutem supernaturalem ad miracula efficienda. Hoc proclamat scriptura diuina: Nam Matthæi.9. dixit Christus *Matth. 9.* de se ipso: Vt autem sciatis, quia filius hominis habet in terra potestatem remittendi peccata, dicit Paralytico, surge, &c. Quo loco ex vno supernaturali effectu potestatem ad alium efficiendum cõfirmat, non quia effectus ille maior esset, sed quia euidentior. *Ioann. 5.* Vndè Ioannis.5. dicit Christus: Opera quæ dedit mihi pater vt faciam, ipsa sunt quæ testimonium perhibent de me. ¶ Et quamuis communicata fuerit humanitati Christi hæc virtus supernaturalis ad miracula facienda, tamen Christi humanitas non fuit principium principale proximum, seu causa principalis ad miracula efficienda, sed tantum organum, seu instrumẽtum verbi diuini; quod probo: Quia si Christi humanitas posset concurrere, vt causa principalis, & principium principale ad has actiones, vel id quidem esset per se ipsam, vel per virtutem illi superadditam & communicatam: Primum non potest dici, quia humanitas cum de se non habeat intrinsecam virtutem sufficientem ad hunc effectum, si nihil ei omninò communicetur aut superaddatur, nullo modo poterit id agere, vt causa principalis eius, de cuius ratione est, vt habeat virtutem intrinsecam, & sufficientem ad effectum illum, vt eum vi sua producere posit cum concursu primæ causæ, sibi debito. Secundum etiam non potest dici, quia virtus illa communicata & superaddita non posset esse, nisi aliqua qualitas, seu forma accidentalis inhærens humanitati Christi, sed neque fingi neque intelligi potest qualitas aliqua, quæ ex sua natura habeat virtutem sufficientem & principalem ad hæc opera efficienda cum solo concursu Dei, sibi connaturali tantum: Nam certè hæc forma accidentalis, seu qualitas non potest excedere modum instrumenti, quia certè si miraculosam transmutationem efficit, illa nunquam fit, iuxta naturalem potẽtiam subiecti, sed iuxta obedientialem: Ex quo planè infertur, quòd non potest fieri miraculosa transmutatio ex connaturali virtute formæ creatæ, quia creatura tantum respectu creatoris & authoris sui, habet hanc obedientialem potentiam, & ob id solum dicit ordinem ad illud agens, quod efficere potest quidquid non repugnat: Quod si hoc sit principale agens necesse est, vt habeat virtutem infinitã. Igitur cum in omni opere miraculoso, naturæ leges minimè seruentur, sequitur quòd nulla virtus creata potest isto modo tanquam principale agens operari, ac proindè virtus illa communicata seu accidẽtalis forma, & consequenter qualitas, quæ sola est principium agendi, tantum debet pertinere ad rationem instrumenti, vt ex dictis constat.

*Assertio. 3. in cuius discursu aperitur cõtrouersia, & probatur vera sententia.* Sentio tertio humanitatem Christi non habere virtutem producendi gratiam & supernaturalem iustitiam tanquam principalem eius causam efficientem physicam, sed solum, vt præcipuum instrumentum Verbo coniũctum. Vndè asseuerandũ est Christum hominem per actiones humanitatis suæ, non tantum modo morali, sed etiam physico iustificasse animas conferendo gratiam, & edidisse miraculosa opera & alia similia. Hæc est communis Theologorum sententia, S.Tho.3.p.q.13.&.q.48.art.6.&. q. 52. *D.Thom.* artic.1.&.2.q.56. art.5.& quæst.62. art. 1. Et etiam in hac.q.112.art.1.ad.2. Et communiter Theologi in.4. dist.1. Sotus.q.3.art.5. Palud.q.1. Capreol. q. 1. artic. *Scotus. Palude. Capreolus. Ferrara. Vega. Driedo. Conc.Trid.* 3.ad argumenta contra quartam conclusionem. Ferrara.3.contra gent. cap.56. Vega. 7. in Tridentinum cap.11. Driedo de captiuitate & redemptione generis humani tractatu.2.cap.1.& 2.p.2.membro.2.& in c.2.p.3.artic. 6. ¶ Hoc etiam colligi potest apertè ex Concil. Trid.sess.6.c.7. vbi Deum tantùm ponit causam efficienté gratiæ; & loquitur de propria, & principali: Quoniam inferius loquitur de instrumẽtali, eam causalitatem tribuens Baptismo. Fauent etiam omnes Scripturæ citatæ, & specialiter testimonium Matth.9. quo loco Christus sic ait. Vt sciatis quia filius hominis habet in terra potestatem remittendi peccata, dicit Paralytico, surge, &c. Et Matth.8. Domine si vis potes me mundare, & statim Dominus: Volo, Mundare. Et eodem capite dicitur, quòd imperauit ventis. Et Ioannis.11. Lazare veni foras. *Ioannis. 11.*

*Quid recentiores dic...* ¶ Hæc testimonia adeò valida visa sunt quibusdã recentioribus, vt censeant Christum, quatenus homo est, esse causam efficiẽtem principalé concursu physico nostræ gratiæ, nõ quidẽ primã, sed secundã post Deum, qui est causa prima. In qua sentẽtia certum est, ꝙ non loquũtur de eo modo causandi, qui Christo in quantũ est homo, specificatiuè sumendo particulã, in quantũ, hoc est subsistẽti in humanitate conuenit ratione diuinitatis, quia isto modo non dicitur causa secũda; sed prima: Nam per hoc, quòd subsistat in humanitate, nihil amisit, ex illis, quæ ratione diuinitatis ipsi conueniunt: Sed loquuntur de eo modo causandi, qui Christo conuenit ratione humanitatis, tanquam naturæ, per quam operatur, atque ita eorum sensus est, quod humanitas in Christo, vt natura qua, siue per quam suppositum operatur, habet virtutem ad efficiendum gratiam per modum causæ principalis: sicut eadem humanitas habet ex natura sua virtutem ad concurrendum ad proprias actiones per modum causę principalis; nõ quidem vt suppositum, sed vt natura: Quòd quidem quantum iudico apertè falsum est; quia vt ostendimus, ita proprium est Dei esse causam efficientem principalem gratiæ, vt nulli puræ creaturæ conueniat, secundum legem ordinariam: ergo neque ipsi humanitati Christi. Ostendo consequentiam, quia, vt diximus, ratione vnionis præcisè ad personalitatem Verbi, non redditur humanitas intrinsece, & formaliter per modum causæ principalis potentior ad operandum ad extra.

Fauẽt doctrinæ modo traditæ argumẽta quæ paulò antea deduximus. Nam certè gratia & iustitia producuntur in anima, non iuxta capacitatem naturalem, sed obedientialem, quæ solum Deo subditur vt principali agenti & non creaturæ; vt dictum est: *Obiectio.* ergo. Dices quod hac ratione etiam probaretur, nõ posse Christi animam efficere proprios effectus supernaturales, vel supernaturaliter illuminare alios per modum principalis agentis, cuius oppositum dicunt Theologi, in materia de incarnatione. Patet sequela, quia etiam isti actus sunt supernaturales qualitates, ac proinde recipiuntur in ipso subiecto iuxta capacitatem obedientialem ipsius. *Responsio.* Respondeturquod quando actus isti fiunt à potentia carente supernaturali habitu: tunc non fiunt ab ea, vt à principali principio, sed tanquam ab instrumẽto moto & eleuato ex auxilio diuino, licèt sit instrumentum vitale liberum, eleuatum, & motum modo sibi proportionato. Veruntamen anima Christi Domini nõ sic operabatur, sed per habitus infusos, qui in suo ordine sunt principalia principia, & proportionata actibus eiusdem ordinis, & eleuant potentiam, vt non solum sit proportionatum principium; sed etiã quasi connaturale subiectum talium actuum, & idcirco de illis est ratio specialis. Vndè ad eundem modum loquendum est de illuminatione, quia vel per eam nihil verè producitur in eum qui illuminatur (vt plerique volunt) Sed tantum illi speciali modo proponitur veritas, circa quam illuminatur per modum obiecti: vel si aliquid producitur, illud est sola species, quæ supponit potentiam habere lumen proportionatum tali speciei, per quod est quasi connaturale subiectum susceptiuum illius: vel si necesse est ipsum etiam lumen produci, oportet vt illud fiat ab humanitate Christi tanquam à Verbi instrumento, & non vt à principali causa & principio, vt dictum est.

Moueor etiam ad præfatam assertionem: Quoniã si humanitas Christi tanquam principalis causa & principale agens posset efficere gratiam circa alios, vel hoc faceret per gratiam, quam habet in anima sua, tanquam per formale principium agendi, vel per aliquam aliam qualitatem. Sed hoc vltimum non potest dici, quia forte non potest qualitas vlla perfectior esse, per quam excellentiùs aut melius participetur natura diuina, quam sit gratia: Imò verò nulla est ratio cur alia qualitas posit natura sua esse effectiua gratiæ, magis quam gratia ipsa, & rationes quibus ostenditur hoc per gratiam fieri non posse, similiter possunt applicari ad qualitatem aliã quamcunque. Neque etiam dici potest primum, quia gratia non est qualitas actiua sui similis, quod à posteriori manifestari potest: Nam alias Angelus aut anima si sint in gratia iustificante, possent sanctificare & similem gratiam producere circa alios. Neque rursus habitus operatiui, qui comitantur hanc gratiam, vt charitas, & virtutes infusæ possunt producere per se sibi similes, vt de se patet; sed eadem ratio est de gratia, & de his habitibus: Nam profectò hæc est communis conditio habitus operatiui, vt non sit productiuus alterius habitus, sed tantum actuum. Quòd si loquamur de gratia, quæ communiter non censetur esse habitus operatiuus, dicendum est eam in hoc esse eiusdem rationis cum alijs habitibus supernaturalibus, quibus accommodatur tanquam forma præcipua. Vel dici potest gratiã esse quandam eminentem participationem naturæ diuinæ, quæ propterea postulat vt solum modo per diuinitatis influxum natura sua participari possit, & idcircò non est qualitas actiua sui similis; sed à Deo solo producibilis, vt à causa principali: sicut quia natura angelica talis est, vt ex se postulet produci per creationem, indè fit vt non sit productiua sui similis, sed à solo Deo creari posit. Rursus si gra- *Aduerte.* tia creata existens in anima Christi Domini, posset esse proprium principium producendi aliam similem gratiam; vel id faceret actione transeunte ad modum formæ naturalis & iste modus operandi imperfectus est, & gratiæ non conuenit, cum ipsa sit quasi quædam natura spiritualis ordinata ad operãdum & agendum per actus vitales, & immanentes: Vel efficeret talem gratiam per actionem immanẽtem, & vitalem, & hoc etiam dici non potest, quia habitus isti infusi non producuntur, neque augentur effectiuè per actus proprios, etiã in proprio subiecto; ergo multo minus poterunt produci in extrinsecis subiectis. Fauet etiam id quod supra diximus, quòd sola vnio præcise; per se non agit, neque confert virtutem agendi tanquã formale principium quo, actiuum & productiuum gratiæ: ergo.

Moueor vlterius: Quia implicat, quòd aliqua natura inferior Deo, posit tanquam principalis causa causare illam eminentisimam & perfectisimam participationem diuini esse, per quam homo fit deificus & filius Dei, sed gratia est ista participatio eminentisima diuini esse per quam homo deificatur, & vere est Dei filius: ergo. Huic argumento ad- *Respondent aduersarij.* uersarij respondent negando maiorem, & adducũt instantiam, quia homo factus est ad imaginem & similitudinem Dei, & nihilominus vnus homo aliũ hominem generat, qui est imago Dei. Vndè à simili dicunt, non esse absurdum, quod creatura aliqua posit esse causa principalis gratiæ, & asimilationis ad Deũ, quæ fit per ipsam gratiã. Sed profecto hæc responsio nõ valet; primo quia illa maior est S.Th. *Impugnatio* hic. Secundo, quia ignire non potest conuenire, vt princi-

principali causæ, nisi igni solum, vel alicui superiori naturæ, vt ex ratione naturali constat: Vnde natura inferior igne, non potest esse causa principalis generandi ignem, neque producendi semen ipsius ignis: Sed per gratiam homines deificantur, & generantur in Dei filios adoptiuos, adoptione etiam intrinseca qua ratione gratia: dicitur semen Dei. 1. canonica Ioannis cap. 3. ergo nulla creatura potest esse causa principalis eius. Exemplum vero, quod aduersarij adducunt, non eis fauet, quia anima est in qua præcipuè posita est ratio imaginis: Nam secundum animam homo dicitur factus ad imaginē Dei, anima verò à solo Deo creatur, neque est producibilis ab vlla creatura. Rursus hæc ratio imaginis non est per quam homo sit filius Dei deificus, & deiformis, sed est in gradu quodam minus perfecto & remoto.

*1. Ioan. 3.*

Adducor etiam, quia per gratiā realiter immutatur & mouetur voluntas: ergo implicat, quod creatura sit principalis causa gratiæ: Nam vt S. Thom. supra. q. 9. docet, solius Dei est immutare, & mouere voluntatem hominis aut Angeli. Cum ergo per gratiam realiter moueatur voluntas, & immutetur, hoc debet à solo Deo fieri, & non à creatura, humanitas autem Christi non est Deus, sed creatura: ergo, &c. Dices Christum esse Deum, & ita non esse inconueniens, quod immutet voluntatem hominis.

*Responsio.*

*Obiectio.*

Sed profectò responsio hæc nihil valet, quia non disputatur de Christo, in quantum est Deus, sed in quantum est homo, ratione humanitatis, cui secundum quòd homo est, non potest conuenire, quòd propria volūtate, vt agens principale immutet voluntatem hominis, sed solum instrumentaliter. Neque rursus valet dicere, quòd voluntas non immutatur à Christo immediatè inquantum est homo, sed mediantibus habitibus charitatis & gratiæ, & aliarum virtutum, quod non est inconueniens. Sed profectò si gratia & virtutes istæ realiter immutant voluntatem, quod certissimum est; qui fuerit causa principalis physica effectiua gratiæ, & charitatis, similiter etiam erit causa immutans voluntatem hominis. Nam certè si Angelus haberet virtutem physicam producendi habitum aliquem in voluntate mea, consequenter ei conueniret virtus immutandi meam voluntatem. Imò verò physica instrumenta causatiua gratiæ & charitatis, physicè & instrumentaliter attingunt ipsam animam, & voluntatē, atque immutationem illius: Et idcirco S. Thom. 3. p. q. 44. articulo. 3. ad. 1. & ad. 3. hanc animarum immutationem tribuit præcisè Christo, inquantum est Deus, & non vt est homo.

*D. Thom.*

Tandem gratia & charitas, atque aliæ virtutes interiores infusæ non sunt formæ actiuæ in exteriorē materiam, quamuis esse possint principia effectiua actuum immanentium: ergo per se non possunt habere actionem circa alios, nisi tantum vt instrumenta Dei. Hinc argumento respondet Bartholomæus Medina, quod Christus non operatur nostram gratiam vt principalis causa per gratiam propriam sibi inhærentem tanquam per formam, sed solum per imperium. Sed profecto responsio hæc destruit fundamentum sententiæ ipsius Medinæ. Est enim fundamentum & præcipua ratio ipsius hæc; Illa est causa principalis, quæ assimilat sibi effectum; sed Christus sibi assimilat iustos in gratia: ergo Christus est causa principalis gratiæ. Certe hæc ratio destruitur, si aduersariorum responsio vera est. Nam si Christus non operatur per gratiam, tanquam per formale principium actiuum, sed solum per imperium, proculdubio corruit tota efficacia fundamenti ipsorum: quia ex vi operationis Christi non assimilabimur ei in esse gratiæ. Nam ex vi operationis, solū assimilatur effectus agenti, secundum formam per quam agit: ergo si Christus non operatur per gratiā non assimilat sibi effectum in gratia ex vi operationis. Adde etiam, quod agens per imperium solum, & nullo modo per formam aliquam physicam, non est causa principalis physica, sed tantum moralis: ergo.

*Responsio.*

*Obiectio.*

Dices. Sacra scriptura vocat Christum fontem & authorem gratiæ, iuxta illud; Gratia & veritas per Iesum Christum facta est. Ioannis. 1. ergo est principalis causa gratiæ. ¶Item, Christus est per se gratus per essentiam, alij per participationem. Nam ipse habet gratiam à se, alij vero ab ipso, & ipse est exēplar cui alij efficiuntur similes per gratiam, sed istæ sunt proprietates causæ principalis: ergo, &c. Respondetur Christū esse fontem, & authorem gratiæ, in genere causæ meritoriæ, & etiam tanquam authorem & consummatorem nostræ salutis, & tanquam habentem potestatem excellentiæ, non tamen dicitur author & fons gratiæ per humanitatem in ratione causæ principalis efficientis physicè si in rigore loquendum est. Verum est tamen, quòd relata humanitate Christi ad alia instrumenta gratiæ, vt ad sacramenta, & sacramentorum ministros, dici aliquo modo potest Christus, agens principale, in quo sensu loquutus est S. Tho. in. 4. d. 5. q. 2. art. 2. quæstiuncule. 2. ad. 1: quia virtus omnium aliorum manat ab ipso, & pendet ab ipso. Vndè, ad Christi humanitatē comparantur reliqua instrumenta, tanquam separata ad coniunctum organum & instrumentum verbi, tamen propriè & in rigore non est principalis causa physica propter assignatas rationes. ¶Ad aliā obiectionem dico, quòd illa omnia, de quibus mentio ibi fit, licet per se loquendo, non sint necessariò requisita ad instrumentalem causalitatem, tamen ad perfectam causam meritoriam, vel necessariò & per se requiri, vel saltem plurimum conferre, & similiter aptissima esse ornamenta illius humanitatis, quæ est coniūctum instrumentum Verbi, quam uis ad instrumentalem causalitatem non essent necessaria simpliciter. Dicitur ergo Christus per se gratus per gratiam vnionis, ratione cuius etiam dicitur à se habere ipsam gratiam accidentalem. Alij verò sanctificantur per gratiā participatam ab alio, quæ tamen physicè loquendo, non est propria participatio gratiæ Christi, sed diuinitatis, quæ sola est principale principium eius, atque adeò primarium etiam exemplar ex parte causæ efficientis sufficientissimum. In genere autem causæ meritoriæ, dicitur gratia nostra participatio iustitiæ Christi, quatenus illa fuit principium merendi nobis iustitiam: Et eodem modo ipsa Christi gatia dici potest exemplar gratiæ nostræ ex parte nostra, quoniam oportet vt illi conformemur in gratia, vt dixit Sanctus Thomas, in simili. 3. parte. quæstione. 56. articulo. 1. ad. 3.

*Ioan. 1.*

Quo



*Qua pacto Christi humanitas efficienter causet iustificationem.*

*De hac difficultate, nō tam hic, quā infra est à nobis agendum disputatione. 3. sequenti.*

VErum, explicare modum, quo Christi humanitas efficienter causat nostram iustificationem, id quidem est valde difficile. Nam Caiet. 3. p. q. 13. art. 2. probans Christi humanitatem concurrere ad effectus gratuitos & miraculosos in genere causæ efficientis physicæ, & vt physicum instrumentum; docet; Christi humanitatem ex eo concurrere physicè ad huiusmodi effectus, quatenus præsentat, & defert imperium Dei practicum ad creaturas, circa quas Deus vt causa principalis operatur hos effectus. Cæterum, hic modus dicendi, non satis explicat quo pacto humanitas Christi deferat diuinum imperium, & præsentet illud creaturis. Et argumentor primo contra hunc modum dicendi. Quia Christi humanitas, per suam operationem non defert ad creaturas ipsum imperium diuini intellectus, quatenus est operatio immanens in ipso diuino intellectu, vt de se est manifestum. Nam imperium sic acceptum, est ipsemet Deus. Neque rursus defert ad creaturas aliquam actionem Dei transeuntem, quæ procedat ab imperio diuino: quia, vt nos fusè ostendimus in. 2. tomo. 1. p. q. 65. art. 3. nulla reperitur propriè operatio transiens diuina: ergo non est explicabile, quo pacto diuinum imperiū deferatur ad creaturas per operationem humanitatis Christi concurrentem physicè.

¶Secundò etiā arguitur. Ad rationem instrumenti prærequiritur actio propria, quæ est secundum formam naturalem ipsius instrumenti, & quæ dispositiuè se habet ad effectum principalis agentis, vt docet S. Thom. 1. p. q. 45. art. 5. Sed humanitas Christi non habuit eiusmodi operationem ad gratiam & iustificationem animarum, neque ad opera miraculosa: ergo, &c. Minor probatur. Quoniam operatio propria humanitatis Christi, vel erat spiritualis, vel corporalis; sed spiritualis operatio cum sit immanens, non poterat disponere subiectum, circa quod operabatur principale agens, tam in miraculis, quā in iustificatione animarum; operatio verò corporea non poterat contingere animas iustificandas, quia corpus est improportionatum spiritui; imò verò, neque potuit contingere animas eorum, quos Christus suscitauit à mortuis: ergo. ¶Quòd si quispiam contendat, sufficere ad rationem instrumenti, quòd attingat subiectum, & concurrat ad effectum principalis agentis per solam actionem sibi communicatam ab agente principali; Contra sic argumentor & ostendo Christi humanitatem secundum portionem corpoream etiam per actionem communicatam ei à Deo agenti principali, non posse attingere animam ad eius iustificationem, vel ad reducēdum ipsam ad corpus. Nam operatio cōmunicata humanitati Christi, secundum partem corpoream, erat vere operatio corporalis: ergo per hanc operationem non poterat contingere spiritum. Patet antecedēs: Quoniam spiritualis operatio, est omnino improportionata subiecto corporeo: non igitur potuit cōmunicari humanitati Christi secundum portionem corpoream. Et confirmatur ex communi proloquio, Omne quod recipitur, ad modum recipientis recipitur: igitur operatio, quæ in subiecto corporeo recipitur, nequit esse spiritualis, sed corporea. ¶Tertiò arguitur. Nam authores qui docent humanitatē Christi physice concurrere ad miracula, & iustificationem animarum, ex eo potissime in hanc sententiam declinant; quia sacra Scriptura sæpè docet, Christum esse authorem gratiæ, iustificare & illuminare animas, fecisseque pleraque miracula: ægrotos sanans, mortuos suscitās; Qui modus loquendi non designat solam causalitatem moralē, sed etiam authoritatiuam & physicam: Sed ex isto modo loquendi Scripturæ, nullo modo colligitur causalitas physica instrumentalis in Christo: ergo. Probatur minor. Christus non est instrumentum physicum diuinitatis, quia Christus denotat diuinum suppositum in humana natura, quod nulla ratione esse potest instrumentum: ergo. Dices, Christum non esse instrumentum diuinitatis; bene tamē humanitatem eius. Contra: Ex eo quòd humanitas Christi sit instrumentum diuinitatis, nullo modo potest colligi quòd Christus vt Christus, sit causa principalis miraculorum, aut iustificationis: ergo nō potest saluari de causalitate physica, ille modus loquendi Scripturæ. Antecedens probatur. Nam causa principalis iustificationis & miraculorum, est Deus vt cōmunis tribus personis: ergo nō est Christus vt Christus. ¶Et confirmatur. Verbum diuinū, non est principalis causa gratiæ, & iustificationis, aut miraculorum, prout est suppositum naturæ humanæ, sed prout est suppositum naturæ diuinæ: igitur Christus vt Christus non est causa principalis horum effectuum: Patet consequentia. Quia Christus significat diuinum verbum, vt suppositum naturæ humanæ. Antecedens probatur; Verbum diuinum operatur hos effectus per diuinam naturā tanquam per formam principalem, & non per naturā humanam, nisi tanquam per instrumentum: igitur operatur hos effectus, vt suppositū naturæ diuinæ, & non vt suppositum naturæ humanæ. ¶Quartò arguitur. Christus, multa miracula gessit & fecit circa materiam omnino à se distantem. Nam Matth. 8. legitur, sanauisse seruum Centurionis absentem. Imò verò Christus modò existens in cælo iustificat animas viatorum, qui degunt in terris: sed non est verosimile, Christi humanitatem operari effectiuè physice circa subiectum distans: nam eiusmodi operatio prærequirit physicum contactum, qui sanè fieri non potest, nisi circa proximum subiectum: ergo. ¶Quintò argumentor in hunc modum. Si Christi humanitas concurrit effectiue physice ad iustificationem animarum; sequitur, quòd passio & resurrectio Christi, similem etiam habent efficientiā in iustificatione animarum. Nam Christus per suam mortem & resurrectionem, etiam operatur nostram salutem: consequens autem est falsum: ergo. Probatur minor: Quia id quod non existit, non potest aliquam physicam efficientiam habere; causa namque efficiens operatur prout est in actu: sed passio & resurrectio Christi non existunt, cum iam olim transierint: ergo intentum. ¶Sexto & postremò hac ratione disputo. Si humanitas Christi concurrebat instrumentaliter effectiuè ad iustificationem hominum, & ad gratiā & miracula; sequitur aperte quòd Christus non operabatur hos effectus ad nutum, & quando illi placebat secundum humanam voluntatem,

*Responsi.*

*Obiectio.*

tem,sed quando eius humanitas mouebatur à Deo ad hos effectus: consequens non est conforme euãgelio, ex quo liquet Christum fecisse miracula, & iustificasse peccatores, quando id ei placebat: ergo. Probatur sequela: quia instrumentum non operatur effectum pro sua volũtate, sed quatenus mouetur à principali agenti, quia non habet virtutem à se ipso, sed receptam ex motione agentis principalis: ergo.

Hæc argumenta difficilia sunt; cæterum non ob id deserenda est veritas: De qua hic nonnulla dicemus, quæ communiter in gymnasijs dicuntur: Sed infra luculenter omnia disputabuntur, vbi mentem nostram aperiemus disputatione .3. immediate sequenti. Semper ergo est asseuerandum, Christi humanitatem concurrere ad iustificationem animarum, & ad omnia miracula, non solum per modum causæ moralis, sed etiam vt instrumentum physicũ verbi, quam causalitatem habet etiam nunc existens in cœlo. Et quod attinet ad gratiæ causalitatẽ, docet aperte Sanctissimus Præceptor in hoc articulo, quem modo interpretamur, & alijs in locis superiùs à me citatis. Et quod attinet ad miracula, etiam docet 3.p.q.13.art.2. & de potentia.q.6.ar.4. & nos supra: quamuis olim iuuenis Præceptor sanctissimus, in 3.d.14.art.3. consenserat illi opinioni, quæ dicebat, Christi humanitatem nullam physicam efficiẽtiam habere, aut in miraculis, aut in iustificatione animarum, sed solam moralem, vt etiam voluerunt Scot. & Durand. & Pater Canus relectione de sacrament. in genere in.4.p. circa finem, & Caiet.2. 2.q.178.art.1. circa solutionem ad primum, qui id ipsum sensit de miraculis. Meritò tamẽ ac iure Caiet. cum suo Præceptore Sanctissimo mutauit sententiam.3,p.q.13.art.2. citato. Vndè, sententia hæc de causalitate physica iam est communis inter discipu los D. Thom. Imò verò, pleriq; eorum sunt, qui præfatam sententiam extendant & amplificent aiẽtes, humanitatem Christi fuisse etiam causam effectricem iustificationis antiquorum Patrum, quatenus apprehẽdebatur per fidem. Dicunt enim quòd humanitas Christi causabat gratiam & iustitiam in antiquis Patribus effectiuè instrumentaliter, antequam existeret in mũdo, quatenus eius apprehẽsio per fidem assumebatur à Deo vt effectiuum instrumentum iustitiæ & gratiæ. Quemadmodum nonnulli dixerunt, quòd apprehensio finis, seu finis pro vt est sub apprehẽsione, mouet effectiue voluntatẽ. Et hunc modum dicendi videntur esse sequuti Capreol. in.4.d.1.q.vnica ad argumenta Durandi contra.1. conclus. & Soto in.4.d.1.q.2.art.3. moti quidẽ ex doctrina S. Thom. de verit.q.29.art.4.ad.9. Vbi dicit, quòd Christus ante suam incarnationem poterat dici caput Ecclesiæ, tanquam influens aliquid in eam; non quidem secundum suam actionem, sed secundum humanam operationem nostram in ipsum, secundum quod, dicuntur fide iustificari. Et idem repetit ad.11.&.12.argumentum. Hunc modum amplificandi Christum, & eius causalitatem circa iustificationem & gratiam, amplectitur etiam Pater Medina loco citato, & reputat Scripturis Sanctis esse conformem. Nam ait, quod sicut serpens æneus in ligno leuatus habebat virtutem sanandi à morsibus serpentium, sic non est improbabile dicere, quòd

*Capreolus.*

*Soto.*

Christus apprehensus per fidem, habebat virtutem sanandi homines ab eorum peccatis; ita sanè, vt ex Christo ita concepto exiret virtus sanans omnes. Philosophi enim qui rerum naturalium vim & virtutem contemplantur, nihil timent affirmare, quòd verbum mentis præconceptum, efficienter parturit amorem, & quòd Phantasma illustratum lumine intellectus agentis, efficienter concurrit ad intellectionem. Non ergo videtur improbabile, quòd supernaturali virtute, Christus præconceptus, efficienter concurrat ad iustificandum & sanandum hominem, & tunc dicetur Christus concurrere per modum efficientis; quoniam applicatur per modũ obiecti operatorij, veluti phantasma illustratum lumine intellectus agentis, quod habet rationem instrumenti obiectiui, dum sic est denudatum ad intellectionem.

Rursus, semper asseuerandum est, Christum per imperium edidisse miracula, & sanauisse ægrotos interius & exterius: Christus namque eum quem sanat, perfectè sanat. Vnde, Lucæ.5. dixit Leproso, Volo, mundare. Et cap.8. dixit Puellæ mortuæ; Tibi dico, surge. Vnde, huiusmodi imperium manifeste declarat virtutem effectiuã miraculi: non enim efficiebat miraculum per orationem, aut per meritum, sed authoritatiuè. Quapropter aduertenda sunt ea miracula, quæ Christus gessit per corporalem contactum, & quo pacto sanauit cæcum à natiuitate, liniens eius oculos Ioan.10. Nam vt aduertit D.Cyril.lib.4.super Ioan.cap.15. Christus aliquando non solum verbo & imperio miracula fecit, sed per contactum carnis suæ, vt vel inde ostenderet efficaciã & virtutẽ, quę inerat carni eius. Et id ipsum insinuauit D. Chrysost.hom.1. in Matth. ¶ Quod verò attinet ad iustificationis & gratiæ causalitatem, eandẽ habet rationem, sicut in miraculis, quantum ad physicam efficientiam eius, sicut fusè ostendimus in discursu quintæ conclusionis.

*Luc.5.*

*D.Cyrillus. Ioan.10.*

*D.Chrysost.*

Veruntamen vt explicemus modum, quo humanitas Christi efficienter causat iustificationem nostram, & miracula, in genere causæ efficientis, & vt physicum instrumentum, quatenus præsentat, & defert imperium practicum Dei ad creaturas, circa quas Deus, vt principalis causa operatur præfatos effectus; dissoluenda sunt argumenta paulò antea tacta, quæ militabant contra sententiam Caietani, in quorum confutatione & solutione, aperietur modus, quo Christi humanitas efficienter instrumentaliter causat iustificationem nostram. ¶ Ad argumenta igitur tacta, Respondetur. Pro solutione primi aduerto, quòd quando Deus operatur per aliquod instrumentum, necesse est constituere aliquam operationem transeuntem ipsius Dei, quæ licet respectu Dei potius sit cẽsenda effectus, quam operatio, eo quòd nõ est actualitas aut cõplemẽtum diuinæ virtutis; tamen respectu ipsius instrumẽti à Deo assumpti, est vera operatio. Quoniam vt Caiet.3. p.q.13. art.2. aduertit, per illam operationem constituitur instrumentum in ratione instrumenti effectiui. Rursus obserua, quod diuinum imperium practicum, licèt formaliter sit actio immanens; eminenter tamen & virtualiter est etiam actio transiens, vt fusè interpretati sumus in.2.tomo.1.p.q.65.art.3. per plures controuersias. Quibus ita prælibatis, iã ad argumentum dico

*Ad obiectiones militantes contra sententiam physicam instrumentalis humanitatis Christi circa gratiã & iustificationem. Caietanus.*



dico, quòd Christi humanitas quatenus attingit subiectum per operationem sibi communicatam à diuino imperio, defert ipsum diuinum imperium ad subiectum, nõ in quantum est ens quoddam infinitum, sed prout est imperium effectiuum cõtinens eminenter virtutem actionis transeuntis. Etenim ipsum Dei imperium sub hac ratione consideratũ, accõmodat se operationi instrumẽtariæ humanitatis Christi, & nõ operatur aliquid circa subiectum, nisi iuxta proportionem virtutis instrumentariæ, quæ ineſt illi operationi. Quocirca, proprius dicitur quòd imperium Dei defert se ipsum quantum ad executionem sui ad subiectum, mediante operatione instrumenti, quam quòd instrumentum defert illud ad subiectum. Quia imperium Dei vtitur instrumento ad Dei executionem. Et quod dixi modo de humanitate Christi, proportionabiliter dici debet de quocunque instrumento virtutis diuinæ.

*Ad secundũ.* ¶ Ad secundum argumentum, eius difficultas solet fusè disputari.1.p.q.45.art.5, & nos de ea re scripsimus.q.65.artic.3. Paucis tamen nunc respondetur, quòd in instrumento, illa duplex operatio exigitur; cæterum operatio, quæ conuenit instrumento ex propria forma, non est necesse quod attingat subiectum circa quod operatur agens principale; sed satis est quòd instrumentum per illam operationem habeat aliquam proportionem ad subiectum; ita vt saltim conueniant in ratione entis creati. Nam hac proportione supposita, quæ se habet veluti dispositio ad effectum agentis principalis, poterit attingere subiectum, & concurrere ad effectum agentis principalis per operationem sibi communicatam ab ipso principali agente. Vnde ad argumentum fateor, Christi humanitatẽ per operationem sibi propriam, non semper attingere subiectum circa quod fit miraculum, neque posse attingere animam iustificandam, sed totum contactum fieri per actionem sibi communicatam à Deo. Quare, ad replicam ibi factam respondetur, quòd operatio communicata corpori Christi à Deo entitatiue & formaliter, materialis est, & secundum hanc rationem certe non attingit animam iustificandam; virtualiter tamen est spiritualis; & ita virtuali contactu tangit animã non per inhærentiam, sed per immediatam proportionem virtutis actiuæ. Quemadmodum Deus contactu virtutis, attingit subiectum, circa quod operatur; & tamen non habet realem inhæsionem, aut informationem cum ipso subiecto; in naturalibus habet exemplum in vltima dispositione ad vnionem animæ rationalis cum corpore, quæ quidem formaliter materialis est, & corporea dispositio; habet tamen spiritualem quandam virtutem, quatenus procedit ab homine rationali, & ab anima rationali, cuius vi attingit vnionem rationalis animæ ad corpus.

*Ad tertiũ.* ¶ Ad tertium, & eius confirmationem respondetur, absque dubio esse concedendum, quod tota trinitas immediate vtebatur humanitate Christi tanquam instrumento diuinæ virtutis, quæ virtus communis est toti trinitati. Sed nihilominus speciali quadam ratione dici solet à Theologis, imo & à Sanctis Patribus præsertim Damasceno lib.3. fidei cap.15. quod humanitas est instrumentum coniunctum verbi, & est quasi organũ verbi diuini. Cuius rei duplex est ratio, altera propter immediatam vnionem verbi ad humanitatem, & altera quidem & potissima, quia operatio illa quę ex parte humanitatis prærequiritur ad operationem instrumentariam, efficitur à verbo diuino, concurrente in ratione suppositi naturæ humanæ: Et ita actio instrumentalis quæ fundatur in hac operatione humanitatis, speciali quadam ratione tribuitur verbo. ¶ Quòd si quis interroget, quæ nam sit illa operatio, quæ ex parte humanitatis præsupponitur; Respondent communiter Thomistæ, quòd est operatio voluntatis animæ Christi, qua vult fieri miraculum, aut animam iustificari. Sed contra hoc arguitur. Quia iuxta hanc doctrinam, facile saluatur animam Christi Domini instrumentaliter concurrere ad gratiam, & ad miracula; non tamen saluatur quòd Christi corpus instrumentaliter efficiat hos effectus; quia non assignatur aliqua operatio ex parte corporis Christi, præsupposita ad actionem illi communicatam ab agente principali, quod sanè est necessarium ad rationem instrumenti, vt supra diximus. ¶ Huic obiectioni respõdetur, quòd supposita veritate nostræ sententiæ, nempe quòd humanitas Christi tam secundum corpus, quam secundum animam instrumentaliter cõcurrit ad hos effectus, certo scimus à posteriori interuenire aliquam operationem corpoream humanitatis Christi præuiam ad operationem, communicatam illi à principali agente. Quæ nam autem sit ista operatio non cognoscimus in particulari, & forte dici potest probabiliter, hanc operationem esse cogitatiuæ aut phantasiæ. Nam D. Thom.3.p.q.11.& 12. fatetur, Christum posse vti scientia infusa & acquisita per conuersionem ad phantasmata. Dicamus igitur probabiliter, quòd cum Christus vult operari aliquod miraculum; aut concurrere ad iustificandam animam, vtitur sua scientia, conuertendo se ad phãtasma, & ita simul operatur operationem spiritualem, & operationem corpoream, & concurrit instrumentaliter humanitas Christi secundum vtramque partem, nempe spiritualem & corporeã.

*Dubitatio.*

*Responsio.*

*Argumentũ contra responsionem.*

*Solutio argumenti.*

*Ad Quartũ.* ¶ Ad quartum respondetur quòd instrumentũ diuinæ virtutis non alligatur determinatæ distantiæ locali, sed ad quamcunque potest operari & agere, potestque contingere subiectum, circa quod operatur per operationem sibi communicatam à virtute diuina, quamuis illud non contingat per operationem præuiam, quam habet secundum formam propriã. Itaque Deus, cum sit agens infinitæ virtutis, potest indifferenter vti quocunque instrumento, siue interno, siue externo; & à simili, quia est infinitæ virtutis, potest indifferenter vti instrumento ad paruam vel magnam distantiam. Nam indigentia approximationis in agentibus, prouenit ex limitatione suę virtutis naturalis; habent tamen quasi illimitatam virtutem agendi ad quamcunque distantiam, vt sunt instrumenta Dei principaliter agentis; vnde quòd ad hanc potius, quam ad illam determinentur distantiã, à concursu & imperio Dei prouenit, eiusque voluntate; & ita potuit vti illa voce Iosue ad agendum in cœlum, licèt esset distantissimum. Vndè, quia Deus qui est causa principalis, est vbique, inde est, quòd eius instrumentum potest ad quamcunque distantiam agere. Exemplum huius rei assignatur à nonnullis Theologis, etiam in naturalibus. Quia intellectus efficienter per imperium

suum

suum, mouet brachium; & tamen intellectus non est in brachio; sed quoniam ibi est causa principalis nempe anima, cuius virtute intellectus agit tanquã instrumentum eius, potest mouere brachium efficienter. Et ad eundem modum affirmant esse dicendum de istis instrumentis respectu Dei. Adde etiam, quod quia existentia animæ Christi est existentia verbi; idcirco potest operari ad quamcunque distantiam; Quia in qualibet distantia reperitur existentia; atque ita per vnam intellectionem tanquam per instrumentum poterat anima illa Christi detinere cœlos à suo cursu, conturbare infernum, & agere in quæcũque loca remotissima. ¶Ad quintum argumentum nonnulli Theologi docent, Christi operationes & passiones non esse instrumenta physica ad causandam gratiam, sed esse causas meritorias, vel satisfactorias, vel exemplares. Inter quos est D.Bonauent.in.3.d.19.q.1.& alij plures supra citati; cæterum Sanctissimus Præceptor, semper docuit non solum esse causas morales & exemplares; sed etiam esse physica instrumenta, vt dictum est. De qua re legendus est S.Thom.3.p.q.47. art.6.Sed quod in hac parte difficultatem facit semper, est illud, quonam pacto passio & resurrectio Christi, possint physicè operari nostram salutem, cùm nullum esse reale habeant, sed totaliter trãsierint. De qua re Pater Medina.3.p.q.58.&.59.affirmat, instrumentũ diuinæ virtutis posse agere, etiã si nõ existat. Quia cùm causa principalis intime attingit effectum per semetipsam, non est necesse neque requiritur vt instrumentum quo vtitur illa causa, contingat passum aut effectum. Et explicat exemplo allato de cogitatiua, quæ effectiue operatur in brachio vt instrumẽtum totius suppositi; cùm tamen non contingat ipsum brachium, quia residet in solo capite. Veruntamen, hic modus dicendi, non placet omni ex parte; Quia non est intelligibile quòd instrumentum aliquod, operetur effectum, quem non attingat, vel operatione participata à principali agente, quoniã ipsum agere est quidam contactus. Exemplum verò de cogitatiua, etiam est difficile. Nam cogitatiua, cum habeat realem connexionem cum cæteris partibus suppositi; sine dubio tangit contactu saltem virtuali quamcunque partem suppositi. ¶Secunda solutio præfati argumenti est, Passiones & operationes Christi realiter attingere animam, vel mediante actu fidei, vel susceptione sacramentorum: Quia passio Christi manet virtualiter in sacramentis, & in fidei confessione; atque adeo per fidem & sacramenta virtualiter passum contingit. Hæc solutio, quamuis aliquale habeat fundamentum in S.Tho. 3.p.q.48. art. 6.tamen videtur difficilis. Et arguitur contra eam. Nam quamuis concedamus, Christi passionem apprehensam per fidem, effectiue causare gratiam; non tamen inde colligitur quod ipsa passio Christi simpliciter sit instrumentum physicum gratiæ: quia passio Christi vt apprehensa, non habet aliquod verum esse reale, sed esse rationis: ergo quamuis apprehensio fidei effectiue concurrat ad gratiam, quod gratis conceditur huic opinioni, non ob id debet concedi, ipsam Christi passionem effectiue concurrere. Item arguitur. Nam Christi passio in sacramentis & in fide, manet virtualiter in esse moris quatenus fuit meritoria, & satisfactoria; applicatur namque nobis meritum & satisfactio Christi per fidem & sacramenta: sed nõ potest fingi quo pacto in esse physico virtualiter perseueret passio Christi in sacramẽtis & fide: igitur ex illa virtuali permanentia passionis Christi, non licet inferre physicam operationem circa iustitiam & gratiam animæ. Ex quibus sequitur, nõ esse certum id quod supra retulimus ex calculo quorundam Theologorum aientium, Christi humanitatem effectiuè in esse physico iustificauisse Patres antiquos veteris legis, quatenus ab illis per fidem apprehendebatur. Imò verò, multò difficilius est creditu, quod Christi humanitas ante incarnationem effectiue attingeret productionem gratiæ, quam modò attingat illã passio Christi. Quia passio, licet modò non existat; extitit tamen aliquando; at vero humanitas ante incarnationem, nullum prorsus habuit esse; Et ita multò minus potuit esse instrumentum diuinę virtutis. ¶Quocircà, vera solutio est, quæ colligitur ex Caiet.3.p.q.56. art.1. nempe quòd passiones & operationes Christi, eatenus effectiue concurrunt ad iustificationẽ & gratiam, & ad cæteros supernaturales effectus, quatenus ipsa humanitas, quę nunc existit in cœlo, operatur effectiue hos effectus, prout determinata fuit per operationes & passiones Christi. Itaque Christi humanitas quatenus fuit realiter immutata, & affecta morte, & passione, operatur vere destructionem peccati, & iustificationem in animabus iustorum; quatenus verò fuit realiter immutata per resurrectionem, operabitur in vltimo die corporum glorificationem & ita proportionabiliter procedendum est in alijs operationibus & passionibus humanitatis Christi, quæ dicuntur modo virtualiter perseuerare in esse physico, quatenus perseuerat Christi humanitas, quæ fuit realiter immutata per ipsas, & assumitur à verbo vt instrumentum iustificationis nostræ, quatenus ita fuit realiter immutata. Et hæc videtur vera solutio præfati argumenti. ¶Ad sextum argumentum. In eo sane petitur difficultas. Num virtus operatiua miraculorum reperiatur in Christo, per modum formæ permanẽtis, vel per modum transeuntis, vt S.Thom. ait reperiri in cæteris Sanctis.2.2.q.178.art.1.ad.1. Quam doctrinam desumpsit ex D.Gregor.lib.2.Dialogorum cap.33. Sed in hac difficultate, Pater Victoria, vt refertur à nonnullis, putauit hanc virtutem non inesse humanitati Christi permanenter, sed transeunter sicut in cæteris Sanctis. Quocirca, Christus non operabatur miracula quoties illi placebat, sed quando verbum vtebatur humanitate, vt instrumento sibi coniuncto. Verum est, ait hæc sententia, quod Deus sæpius vtebatur humanitate Christi ad patrandum miracula, quam vteretur cæteris Sanctis Fundamentum huius sententiæ fuit prefatum sextũ argumentum in cuius solutione nunc versamur. Altera sentẽtia extreme opposita ait, virtutem miraculorum operatiuam, esse qualitatem supernaturalem permanentem hærentem humanitati Christi; quæ sententia tribuitur Palud.in.4.d.1. Cæterum ego nõ reperio in eo, id docuisse. Tertia sententia media est quæ mihi magis probatur, & asseuerat, virtutem miraculorum pertinere quidem ad Christi humanitatem per modum permanentis; non tamen esse superadditam aliquam qualitatem; sed inquit ex eo quòd

*Ad quintũ.* *Ad sextum.*



quòd humanitas coniuncta est verbo, habet sibi infallibiliter assistentem diuinitatem ad operandum miracula, quoties Christus voluerit ea agere. Hic modus dicendi constat ex definitione Concilij Ephesini primi, cano.11. Vbi desinitur, carnẽ Christi Domini esse viuificatricẽ ex viuẽte verbo. Quibus verbis duo insinuãtur. Primũ est, quod virtus viuificatiua inest carni Christi permanenter: hoc enim denotat dictio illa, viuificatricem. Secundũ est, quòd illa virtus non est superaddita qualitas; sed quod cõuenit humanitati ex vnione hypostatica verbi. Præterea, propriũ est instrumenti coniuncti, vt sine qualitate superaddita habeat vim instrumentalem per modum permanẽtis, vt patet de brachio respectu totius suppositi, & de calore naturali respectu formæ viuentis: sed Christi humanitas est instrumentũ verbi coniunctum: ergo, &c. ¶Ex his colligo primo, Christũ potuisse facere miracula quoties volebat, & id non esse donandum cæteris sanctis. Et ratio differẽtiæ est aperta inter Christum & sanctos: Quia ea volitio qua Christus vult edere miraculum, est operatio elicita, nõ à sola humanitate, sed etiam à verbo; & ob id decens & cõsentaneum erat, vt illi assisteret infallibiliter vis operatiua miraculorũ; quæ sanè ratio non militat in cæteris sanctis. ¶Secũdò colligo, quod si Christi humanitas relinqueretur à verbo cũ omnibus donis supernaturalibus, quibus modò vnita verbo exornatur & perficitur, non polleret virtute miraculorũ, per modũ permanentis, sed solum per modum transeuntis. Quod ostẽdo; Quoniam tota ratio cur hæc virtus inest permanenter humanitati Christi, est vnio ad verbum, & non aliquod aliud supernaturale donum creatum: ergo soluta hac vnione, nõ permanebit huiusmodi virtus in humanitate Christi permanenter. Ricard. in.3.d.14.artic.2.q.2. fauet huic sententiæ: ait enim quòd Christi humanitas relicta à verbo, non operaretur miracula quoties vellet, sed quando Deo placuisset vti illa tanquam instrumento diuinæ virtutis. Et ex his soluitur sextũ argumentum supra factum.

*Conc. Ephe.*

### *Ad argumenta initio disputationis facta respõdetur.*

*Ad argum. initio huius disputationis facta.* *Ad primum* *Ad secũdũ.*

AD argumenta vero quæ initio huius disputationis sunt facta, satisfacere oportet. Ad primum dicẽdum, quòd etiam Paulus suo modo erat causa moralis consulens, exhortans, faciensque fidem esse rationabilem, & probabilem, & creditu dignam. ¶Ad secũdum respondetur, negando antecedens: Nam Iosue fuit verum instrumẽtum stationis Solis, illiusque miraculi; operabatur tamen per intellectum & volũtatem, præcipiẽdo Soli vt staret. Imò verò, ministri sacramentorũ operantur in suo ministerio ex intentione & volũtate; & tamen nõ sunt principales causæ, sed instrumentales. Tandem non contradicit instrumẽto assumpto quòd viuat. ¶Ad tertiũ respondetur, quòd in illis locis satis se explicat D.Tho. loquitur enim de ea potestate, quæ in Christo vt homine, tanquã in supremo noui testamenti ministro residet, quæ est excellentiæ potestas, & suprema ministerialis. Rursus, loquuntur de causalitate morali, in quo genere Christus Dominus, in quãtum homo, est causa moralis nostræ iustificationis, cuius meritũ operatur in baptismo, vt S.Thom. sæpissime repetit & docet etiam locis citatis. Rursus dico, quod nõ est eadem ratio de illuminatione & iustificatione. Nã ad illum qui scit, pertinet posse docere, illuminare & illustrare; posse tamen producere gratiam iustificantem non item: est enim prorsus vtrobiq; diuersa ratio, vti diximus: nõ enim gratia est operatiua. Vnde, creatura nõ potest eã producere, nisi instrumentaliter. ¶Ad quartũ respondetur, negando, quod gratia habitualis sit actiua & operatiua efficiẽter, vt satis explicatum est in discursu quæstionis.

*Ad tertiũ.* *Ad quartũ.*

Verum est, quod qui volũt esse probabile, Christum, inquantũ homo, posse dici causam principalem secundariam, aperte dicunt, quòd licet gratia sit similitudo diuinæ naturę, nihilominus nõ sequitur solum Deum efficienter agere hanc diuinam similitudinẽ. Primò, quia homo est conditus ad Dei imaginem, & nihilominus homo generat hominẽ. Secundò, quia gratia habitualis in Christo, est gratia capitis, & ita debet habere influxum in genere causæ efficiẽtis. Tertiò, quia licet gratia sit similitudo ordinis diuini, & assimilet animam naturæ diuinæ; non ob id sequitur, quòd nõ possit produci ab aliqua secũda causa principali; quia licet gratia sit, vt dictum est, similitudo ordinis diuini, & pulchritudo Dei simillima; efficitur tamen à filio Dei incarnato, & infinitè Deo grato, non solũ simili Deo, sed etiam Dei filio vero. Accedit etiam, quòd etiã Christus in quantum homo, est filius Dei naturalis & nunquam dicitur adoptiuus: ergo nihil mirum dicunt Pater Medina & alij, si dicatur Christus, in quantum homo, causa principalis efficiens secũdaria. Imò verò, citati authores dicũt, quòd quemadmodum in intellectu diuino reperiuntur ideæ, & exemplaria rerum omnium factibiliũ; ita in intellectu animæ Christi, reperiuntur ideæ & rationes exemplares omnium rerum, quæ pertinent ad mũdi renouationem & reparationem, per quas Christus non solùm vt Deus, sed etiam vt homo, operatur tanquam per instrumẽta. Quod sanè difficultatem habet in eo, quod ait, in intellectu Christi reperiri ideas & exẽplaria: hoc enim quid sibi velit nõ explicant; quoniam idea & exemplar rei faciendę, non pertinet ad causam instrumẽtalem, sed ad causam principalem, cuius interest disponere de re facienda. At humanitas Christi, non est principalis, sed instrumentalis causa miraculorum. Rursus habet difficultatem præfata doctrina in eo quod dicit, Christum secundum quòd est homo, operari opera miraculosa per has ideas, tãquam per instrumenta. Quia licet ponantur ideæ eiusmodi in intellectu Christi, falsum esset asserere quòd Christus vt homo, vtebatur illis tanquam instrumẽtis suis; quia Christus vt homo, non operatur miracula vt causa principalis: igitur illæ ideæ, non essent instrumenta humanitatis Christi, sed dumtaxat diuinitatis. Et hæc de hac disputatione.2.

## DISPVTATIO III.

### *De modo causandi instrumentorum & humanitatis Christi: Vbi explicantur melius quæ dicta sunt prius.*

Verum,

VErum, quia ortæ sunt nouæ opiniones de virtute instrumētali in Christi humanitate ad causandam gratiā & de virtute instrumentali sacramētorum, idcirco res hæc examinanda est ad amussim. Sūt igitur recētes Theologi, qui dicant, virtutem instrumentalem in sacramentis, & in Christi humanitate ad iustificandū homines, & ad causandam gratiam, & ad efficienda miracula, neque esse entitatem aut qualitatē aliquam, aut intrinsecum modum humanitati superadditum, illique inhærentem, sed esse potentiam obedientialē actiuam in rebus ipsis omnibus existentem, per quam, supernaturalia opera possunt efficere, vt instrumenta Dei, ipso concurrente per auxilium, seu proportionatum concursum effectui, & excedens concursum debitum naturali virtuti creaturæ. Hic modus dicendi fundamentum habet in S.Tho. in 4.d.8.q.2.ar.3.ad.4. cuius hæc sunt verba: Sicut creaturæ inest obedientiæ potentia, vt in ea fiat, quidquid creator disposuerit, ita etiam vt ea mediante fiat; quod est ratio instrumenti. Idem insinuat Alexand. Alens.4.p.q.34.memb.5.art.2. & clarius Caietanus.3.p.q.78.art.4.

*S.Thom.* *Alex. Alēs.* *Caietanus.*

Hunc ego dicendi modū cum essem iuuenis excogitaueram, & amplificaueram, sed quoniā à doctissimis viris, eo tempore vt minus verus fuit semper repulsus, idcirco me tunc debito silentio cōtinui à defensione ipsius, de quo plura calamo dictaueram. Hodie tamen plures reperio recētes Theologos, quibus is placuit modus de potentia actiua obediētiali causatiua gratiæ, & iustificationis, quā dicunt esse virtutem instrumentalem in rebus omnibus illis insitam & innatam; & non esse aliquid à rebus distinctū, sed in vnaquaq; re creata, ipsammet entitatē per se ipsam, esse hanc potentiā actiuā obedientialem productiuam gratiæ, & causatiuam miraculorū vt instrumentū Dei; ita quod sicut calor ignis per se est virtus naturalis ad calefaciendū sic etiam per se est virtus innata & obedientialis actiua agendi in spiritum, & producendi gratiā & effectus supernaturales. Hancq; potentiam innatā obedientialem actiuam effectuum supernaturaliū, dicunt includi in conceptu essentiali entis creati, & nihil addere entitati ipsius rei: sed esse ipsam entitatem rei, & esse potentiam secundum se innatā rebus omnibus (vt dictum est) ad supernaturales effectus causandos, &c. ¶Sed vt ostendamus probabilitatem huius sententiæ, si quam habet, aduerte valde, triplicem esse subiectionē creaturæ ad Deū: Prima subiectio creaturæ est, secundū quam Deo subijcitur in fieri & in cōseruari. Et hæc subiectio creaturæ ad Deū est de essentia cuiuslibet creaturę vt sic, & trāscendēs in omnibus trāscendētia essentialis, dicitq; intrinsecā dependentiā à Deo. Secūda subiectio creaturæ in ordine ad Deū est, ad actiones & passiones naturales, ita vt neq; agere; neq; sustentare aliquid naturale possit, nisi Deo actiue cōcurrente cū causa agēte: cū recipiēte vero conseruādo eius entitatē, & cōcurrente cū causa vniēte illi formā. Tertia subiectio est in ordine ad actiones & passiones obediētiales, secūdū quas creatura potest deseruire Deo ad quęcunq; effectū possibilē secundū potentiā actiuā, vel passiuā obedientialē; Et hæc subiectio extrahit creaturā ab ordine naturali, & eā ordinat ad supernaturalē, per potentiā obediētialē respicientē terminos supernaturales; & egentē supernaturali Dei cōcursu, & sic subijcitur creatura Deo authori supernaturali: Sicut enim ratio creaturæ natura sua abstrahit à substātia & accidēte, & vt cōtrahitur per esse per se, spectat ad substantiam, & vt per esse in alio ad accidēs: sic similiter ab esse naturali & supernaturali & modis explicatis abstrahit, & determinatur ad naturale & supernaturale. Hac igitur doctrina supposita, dicūt huius ætatis nonnulli Theologi, quod sicut in rebus creatis reperitur potētia obediētialis passiua, vt in eis, & ex eis faciat Deus quidquid contradictionem non implicat: sic etiam in eisdem rebus creatis est potentia actiua obedientialis, vt efficiāt Deo volente ipsa potentia obedientiali instrumentaliter concurrente, quidquid non repugnat fieri. Per hanc actiuam potentiam à diuina voluntate applicatam, specialique Dei concursu suffultam, dicunt, quòd humanitas Christi causat gratiam & sanctitatem in animabus nostris. ¶Quòd si interroges vlterius quid sit in rebus ista potentia actiua obedientialis, & quod sit illius obiectum, quasque actiones efficere possit? Respondent aduersarij, quod non est aliquid distinctum à rebus ipsis; putant enim quòd in qualibet re creata ipsamet entitas rei per se ipsam est hæc potentia obedientialis actiua, seu obedientialis virtus ad agendum vt Dei instrumentum. Dicunt enim, quod sicut calor per se est virtus naturalis ad calefaciendum, ita etiam idem calor per se, est virtus obedientialis actiua ad agendum, verbi gratia, in animam aut in spiritum: Quæ ratio potentiæ obedientialis actiuæ nihil addit entitati rei, sed includitur in conceptu intrinseco & quasi essentiali entis creati vt sic. Et quoniam talis potentia actiua obedientialis extenditur ad omne illud quod minime contradictionem implicat vt fiat, hoc est veluti adæquatum obiectum ipsius. Nam cum hæc virtus, seu potentia actiua non operetur, nisi in virtute principalis agentis, pro obiecto habet eundem effectum principalis agentis, ex cuius virtute atque perfectione mensuranda est perfectio talis effectus, seu obiecti, & non ex perfectione instrumenti: actio autem huius potentiæ obedientialis actiuæ, est ipsamet productio effectus supernaturalis, quæ est eadem cum actione agentis principalis.

¶Rursus dicunt, hanc potentiam actiuam obedientialem, se sola non esse sufficientem constituere simpliciter potentem ad operandum supernaturales effectus, creaturam aliquam, aut humanitatem Christi. Sed dumtaxat constituere creaturam in potentia proxima eleuabilem ad operandum huiusmodi effectus: Quæ sanè eleuatio non fit per superadditam aliquam formam aut qualitatem, sed per solam diuinæ voluntatis applicationem, & per Dei concursum specialissimum. Vnde, huiusmodi potentia obedientialis quatenus coniungitur cum speciali concursu & applicatione Dei, est supernaturalis virtus, quæ sufficit cōstituere in actu primo ipsam humanitatem Christi ad gratiam efficiendam, & alios effectus supernaturales aut miraculosos. Sanè, huiusmodi potentia obedientialis



auxilio speciali Dei adiuta, vt aduersarij putant, vocatur à S.Tho. virtus spiritualis & supernaturalis, & aliquando dicitur virtus intentionalis; ex eo quòd est imperfecta in genere supernaturali.

*Argum.1.* Argumenta quibus iste dicendi modus stabiliri potest, hæc sunt. Primū sit: Potentia obediētialis passiua, verè reperitur in rebus creatis, respectu creatoris, vt ex eis & in eis Deus faciat quidquid non habet repugnantiam aut implicationē: ergo pari ratione reperitur potentia actiua obedientialis in eis, vt efficiant Deo volēte, seu Deus per eas quidquid non implicat, aut non repugnat sic fieri per ipsas à Deo; Nā certè in hoc nulla inuoluitur cōtradictio. Certè, nulla videtur posse dari causa & ratio cur Deus nō potuerit instituere creaturas hoc modo & cū hac potētia obediētiali actiua: Quia hæc est multò maior perfectio, cū hac ratione multò perfectiùs & magis subijciatur omnis creatura Deo, nō solùm ad recipiendū, sed etiā ad agendū & operadū. *Secundum.* ¶Secundū argumentū sit. Intellectus ex natura sua est determinatus ad naturalem cognitionem, respectu obiecti naturalis; Nam viribus suis non potest altiorem cognitionē habere: sed nihilominus est in potentia obedientiali actiua, ratione cuius eleuari potest per auxiliū speciale Dei, absq; superaddita qualitate ad cognoscendū obiectū supernaturale, & ad eliciendam supernaturalē cognitionē: ergo simili modo in nostro casu philosophandū est. Vndè, per hanc obedientialē potentiā, intellectus & voluntas eliciunt supernaturales actus, quoad substātiam ex diuino auxilio, vt in disputatione de gratia dicitur. Et iuxta hūc dicendi modū facilè intelligitur quo pacto non detur actio sine virtute agendi: Quoniā in casu de quo est sermo noster, virtus agendi est hæc potentia actiua obedientialis applicata ad agēdum cū concursu sibi proportionato: ergo potestas ista actiua obedientialis habet se vt virtus in Dei instrumēto ad efficienda opera diuina, quatenus creatura subordinatur Deo, & eleuatur simul per proportionatū concursum ad actiones mirificas, aut supernaturales. *Tertium.* ¶Tertium argumentū sit: Humanitas Christi cū sit creatura, est participatio primi entis, & illi subordinata & subiecta in ordine ad actiones & passiones secundū quas potest deseruire Deo: ergo non est impossibile, ꝙ sit in potentia obediētiali actiua ad agendum omne id, ad quod fuerit per diuinam voluntatē applicata, & quòd illud efficiat eleuata ad agendū, & adiuta per specialē & supernaturalē concursum accōmodatū huic actiuæ potētiæ obedientiali; quæ applicatio cū tali cōcursu speciali Dei, nūcupari potest eleuatio, seu motio primi agentis. ¶Ex his argumentis & fundamentis colligunt recentes isti Theologi hanc sententiā verissimam esse, quia nullam repugnantiam inuoluit; & quia posito isto modo dicendi, facilè dissoluuntur nodi & difficultates omnes occurrentes.

*Impugnatio primæ opinionis.* Hęc tamen sentētia cū suo modo dicēdi & explicādi eā, iam hodie nō mihi probatur: inuoluit enim plura difficilia, & nō habet stabile & firmū fundamētū: Nā eius authores liberè affirmāt; in vniuersis creaturis inueniri potētiā istā actiuā obedientialē, seu virtutē actiuā inatā, p quā creatura agere potest supernaturales actiones, & pducere supernaturales effectus: Et adhoc eā excogitarūt, vt videlicè, t creatura per hāc potentiā actiuā obedientialē, innatā ad supernaturales actus & effectus constituatur in actu primo adiūcto Dei speciali auxilio, seu specialissimo, vt possit se explicare in actū secundū exercitū supernaturalē, & pariter cū Deo cōcurrere instrumētaliter ad productionē effectus supernaturalis. ¶Dices, plures Thomist. ex D.Th. familia cōcedere, obediētialē potētiā reperiri in qualibet creatura, vt possit virtute diuina eleuari ad effectus supernaturales & miraculosos efficiendos, ad modū physici instrumēti. Sed profectò, discipuli D.Tho. nō vocāt huiusmodi obediētialē potentiā actiuā, neq; illā stabiliūt, vt mēbrū condistinctū à potētia obediētiali passiua: Quia nō eā cōstituūt, vt sit virtus effectiua & actiua, sed solū vt ratione ipsi⁹, creatura possit eleuari per diuinā potētiā & virtutē, ad operandū supernaturales effectus & actiones. Et quidquid sit de istis Thomist. seu discipulis D.Th. aduersariorū sentētia vera esse nō pōt vllo pacto.

Adducor enim primò: Quia si cōstituamus hāc potentiā actiuā in omni creatura, vel hęc actiuitas est supernaturalis, vel naturalis; si naturalis: ergo omnino improportionata ad actiones & effectus supernaturales, & ex cōsequēti malè & impertinēter asseritur. Si verò dicas, ꝙ est supernaturalis: ergò cogimur dicere, ꝙ ab authore naturæ & à principijs naturalibus creaturæ; oritur virtus supernaturalis actiua, productiua supernaturaliū actionū & effectuū; imò verò effectiua miraculorū, quæ totū superāt naturæ ordinē; & ex cōsequenti ipsa natura cōtulisset virtutē supra se ipsam. ¶Dices, quòd ista potētia obedientialis nihil potest operari, nisi accedēte speciali adiutorio supernaturali Dei. Sed contra: Quia vel illud Dei speciale auxiliū tribuit creaturæ totā vim actiuā ad supernaturalē effectū producēndū, vel tantū tribuit partē, & partē præsupponit in eadē potentia actiua obedientiali creaturæ; vel nullā tribuit virtutē omnino, sed solùm præsuppositā in potentia obedientiali complet & actuat, deducens eā de actu primo ad secundū, vt Dei cōcursus generalis authoris naturæ se habet ad omnes causas ordinis naturalis, & vt cōcursus generalis Dei authoris gratiæ se habet ad omnes formas & habitus operatiuos ordinis supernaturalis: Sed si speciale Dei auxiliū & adiutoriū tribuit totā vim actiuā, sine ratione & sine mēte dicitur, ꝙ potētia illa obediētialis, quæ supponitur in creatura, est actiua, cū nullā habeat vim actiuā ex se ipsa, nullāq; actiuitatē cōferat ad efficiēdos supernaturales effectus: sed oportebit dicere in eo solū sensu esse actiuā huiusmodi potentiā obedientialē, quia constituit creaturā capacē virtutis supernaturalis suscipiēdæ ad supernaturales actiones & effectus operandū. ¶Ex quo sanè, modus dicēdi allatus omnino corruit: Nā nō habet locū quod aduersarij affirmāt dicentes, potentiā obedientialē, esse virtutē illā supernaturalē, quā Sanctissimus Præceptor cōstituit in instrumēto assumpto à Deo ad effectū supernaturalē, & per quā cōstituitur instrumentū in actu primo ad agendū. Si autē Dei auxilium, seu adiutorium non tribuit totam virtutem omnino, sed partem eius solum, quia supponit partem præhabitam per potentiam obedientialem actiuā, ita vt Deus & creatura concurrant quasi duo agentia

partialia ad supernaturalem effectum: sequitur in conueniens illud suprà allatum,quòd scilicet, ex naturalibus principijs oriatur virtus supernaturalis actiua effectiua actionis & effectus supernaturalis.Probatur hoc apertè:Quia virtus illa partialis, quæ ex parte creaturæ præsupponitur, ex solis naturalibus principijs creaturæ potest nasci & oriri, nam procedit à Deo,non vt ab authore gratiæ,sed vt authore naturæ.Et esset sanè inauditum, & inexcogitabile,quòd ex naturæ principijs emanaret virtus, quæ suprà totum ordinem gratiæ,& suprà omnia miraculosa & prodigiosa opera se ipsam extenderet; & multò minus improbabile esset affirmare,talem virtutem esse quandam qualitatem naturæ superadditam infusam à Deo authore gratię, vt Capreol.& Palude crediderunt. Si tandem dicas, tale speciale adiutorium nullam tribuere virtutem, sed tantum virtutem præsuppositam in potentia obedientiali complere,actuare,& ad actum secundum reducere,&c.hoc est difficilius:Quia si hoc concedas semel, necessariò etiam est concedendum sic se habere potentiam istam actiuã obedientialem ad producendum gratiam & omnes effectus supernaturales,sicut habet se habitus charitatis ad dilectionem Dei super omnia eliciendã. Ità,vt ex se habeat sufficientem virtutem,egeat tamen auxilio & concursu generali primæ causæ,à qua pendet omnis causa inferior vnaquæq; in suo ordine, & in suo genere.Sed profectò qui hæc cõcederet, necessariò confunderet ordinem naturæ cum ordine gratiæ, & ordinem supernaturalem cum ordine naturæ;Nam existimo tutum non esse ponere virtutem istam partialem supernaturalem congenitam,& à natura inditam in potentia obedientiali naturæ. Imò verò quibusdã placet,quòd siquis ita diceret, non distaret plurimũ à Pelagio, qui ordinem supernaturalem gratiæ ad naturæ vim,bona ex parte reducit.Quocirca relinquenda est præfata sententia.

Moueor secundò. Quia si virtus instrumentalis ad supernaturales actiones est in rebus ipsis hæc potentia obedientialis actiua innata; sequitur, quòd vnaquæque res creata habet huiusmodi potentiam innatam & congenitam ad efficiendas supernaturales actiones & miraculosas.Hoc argumentum efficax est, & paulò antea insinuatum à nobis. Quod sanè ab aduersarijs non benè dissoluitur.Respondent enim huiusmodi potentiam esse quidem innatam secundum se: Quia nihil est aliud quam ipsa entitas rei;tamẽ quia modus agẽdi per illam,& concursus necessarius adhoc,neq; est naturalis,nec debitus rei; idcircò potentia illa assumpta secundum se,tantum est remota, & non constituit rem ex natura sua simpliciter potentem ad sic operandum,sed capacem, vt possit eleuari à Deo ad huiusmodi modum operandi;vt applicata tamen à primo agente,& vt habens paratum concursum proportionatum, est veluti potentia proxima habens necessaria omnia ad agendum.¶Sed certè hæc responsio nihil valet, & impugnata est in præcedente argumento : Nam authores huius solutionis & opinionis præfatæ aliquid ampliùs in re docent, quam debuissent : Quia certè velint nolint præfati authores,necessariò constituũt virtutem actiuam ex principijs naturalibus ortã, quæ gratiæ productionem,& effectuum supernaturaliũ attingit,quam ego virtutem admittere non audeo, neque volo.Rursùs, mirabile est potentiam actiuã, & effectiuam gratiæ, appellare ipsam entitatem naturalem cuiuslibet rei:Nam hanc entitatem dicunt esse potentiam obedientialem actiuam,& hanc eãdem entitatem cuiuslibet rei dicunt esse virtutem instrumentalem actiuam,per quam opera supernaturalia possunt à Deo effici ipso concurrẽte per auxilium suum. Certè, si huic potentiæ actiuæ nihil deest ad agendum supernaturaliter, nisi solus concursus Dei specialis; sequitur, quòd ipsa est ad tales effectus supernaturales ordinata,& facta à Deo; ac proinde non erit tam remota potentia, vt isti in responsione sua dicunt: Quia vt ex doctrina eorum colligitur, tunc se habebit sicut habitus fidei, aut charitatis, in quibus etiam est necessarius concursus supernaturalis Dei ad supernaturales actiones & effectus. ¶Imò verò, si potentia obedientialis actiua, qualem authores oppositæ sententiæ constituunt, inueniretur in qualibet creatura; similiter etiam hæc esset in carne Christi,& tunc hæc esset materialis & corporea, sicut & ipsa caro humanitatis; & ex consequenti nulla virtus actiua in ea inueniretur, quæ attingere posset subiectum spirituale, & productionem effectus spiritualis qualis est gratia. Sed de efficacia huius rationis infra fortiùs agemus.

Moueor tertiò vehementer:Quia si ista potentia obedientialis reperitur in creatura habens vim actiuam ad supernaturales effectus causandos;sequitur quòd sit virtus actiua principalis, & non tantum purè instrumentalis. Probatur sequela : Nam quid illi deficit, vt possit constituere causam secundam principalẽ,& vt sit virtus principalis actiua? Quia cùm talis obedientialis potentia actiua habeat ex natura sua vim actiuam ad supernaturales effectus causandos ex subiectione intrinseca, quam habet creatura ad Deum, vt suprà diximus, & sit virtus permanens in creatura,ita vt ex diuina applicatione & concursu Dei illi virtuti proportionato producat effectum supernaturalem;sequitur, quòd nihil illi deficit,vt sit virtus actiua principalis, & nõ purè instrumentalis : Nam quid,rogo, ampliùs habet ignis, quàm virtutem actiuam ad alium ignem causandum essentialiter dependentem ex Deo, & applicatione,atque concursu eius?solùm enim differunt in opinione istorum, quòd vna est potentia naturalis orta ex substantia ignis; altera verò est obedientialis, quod quidem nihil obstat. Primò, quia, iuxta opinionem aduersariorum, huiusmodi potentia est innata, & est ipsa entitas & substantia rei habens vim actiuam ad supernaturales effectus causandos.Vndè,cùm virtus illa actiua præexistens in potentia obedientiali creaturæ cuiuslibet, non procedat à Deo,vt authore supernaturali,quia antè uertit omnẽ actionẽ Dei authoris supernaturalis,& oritur ex solis naturæ principijs;sequitur, q̃ nõ est dũtaxat virtus instrumẽtalis respectu Dei authoris supernaturalis. Rursùs etiã nõ potest esse virtus instrumentalis respectu Dei authoris naturæ : Deus nanq; quatenus est author naturæ,nõ est principale agẽs supernaturaliũ effectuũ,neq; illi subordinatur virtus illa, quatenus est productiua supernaturaliũ effectuum:ergò.



Tandem adducor:Quoniam potentia obedientialis passiua,nihil aliud est,quã non repugnantia creaturæ ad Deum,vt ex ipsa & in ipsa creatura Deus faciat quidquid contradictionem non implicat; & esset figmentum manifestum affirmare, talem potentiam obedientialem passiuam,esse aliquam entitatẽ positiuam supernaturalem creaturæ congenitam & innatam. Igitur si ex proportione ad potentiam passiuam obedientialem colligitur obedientialis potẽtia actiua in ipsis creaturis,minimè etiam licebit fingere potentiam obedientialem, quæ sit vera virtus actiua supernaturalis,per quã creatura constituatur in actu primo ad actiones supernaturales:sed solùm erit nõ repugnantia ad actiones supernaturales agẽdas ex virtute & eleuatione diuina. Sicuti potentia obedientialis passiua,est non repugnantia ad suscipiendum actus supernaturales.Non est cur hic multiplicemus plura alia argumenta:nam omnia illa quibus Theologi ostendunt non dari potentiã obedientialem, quæ sit aliqua vera entitas supernaturalis;probant à fortiori non dari hanc potentiam obedientialem actiuam, quæ habeat veram actiuitatem circa actiones & effectus supernaturales.

### *Secunda opinio.*

*Opinio 2.* SEcunda opinio est,quæ dicit,humanitati Christi tributam fuisse qualitatem quandam supernaturalem, virtute cuius ipsa etiam caro Christi potest gratiam & sanctitatem efficere in animabus nostris.Et pari ratione philosophantur de sacramentis,quòd rebus ipsis sensibilibus:ex quibus cõstant sacramẽta, tributa est supernaturalis qualitas, cuius virtute sacramenta gratiam efficiunt in animam, vt physica Dei instrumenta; non aliter quàm à plerisque Philosophis dicitur calor esse tributus igni, vt sit ei instrumentum ad formam substantialem producendam. Hæc est expressa sententia Ferrar.4.contra gent.cap.56.idem docuit Palude in.1. distinct.1.& distinct.36.&.50.& Capreol. in. 1. dist. 1.quæst.1. Scotus quamuis neget hanc efficientiam sacramentorum;tamen si semel admittatur putat necessariò sentiendum esse fieri mediante aliqua qualitate.Ita insinuat in.4.dist.1.quæst.4.&.5.& distin.6. quæst.5. & Ricard.dist.1.art4.quæst.3.Fundamentũ verò huius opinionis iam in superioribus sancitum fuit:Quia humanitas non potest potentior fieri,nisi addatur ei virtus aliqua;sed hæc non potest addi,nisi per qualitatem aliquam ordinis diuini:ergò.

*Arguitur vt cõtra 2. opinionem.* ¶Hic modus dicendi repellitur à plerisq; D.Tho. discipulis, vt à Caietano, & Soto, & alijs. Primò: Quia vel illa qualitas potest natura sua hæc facere opera,vel non;si non potest:ergo non est virtus miraculorum, & ex consequenti sine causa ponitur: Quia adhuc difficultas manet inuoluta satis & insoluta, quia de eadem qualitate necesse erit interrogare, quonam pacto eleuetur ad agendum vltra terminos naturæ suæ.Quòd si dicas hoc posse ex natura sua. Contra hoc militant ferè omnes rationes superiùs factæ, quibus ostenditur superare perfectionem naturalem qualitatis finitæ, habere vim naturalem ad efficienda opera supra totam naturæ legem.

¶ Secundò arguitur contra eandem opinionem: Quia licèt qualitas ista fingatur esse in carne humanitatis Christi,siue suscipiatur modo diuisibili, seu indiuisibili; tamen omnino est impertinens adhoc, vt caro Christi gratiam efficiat & sanctitatem in animabus nostris : ergo sine causa fingitur illa qualitas : Nam certè, talis qualitas est multò imperfectior, quam gratia iustificans,& sanctificans : ergò huiusmodi qualitas non potest vlla ratione conferre carni humanitatis Christi virtutem, vt efficiat gratiam efficienter physicè. Quòd gratia sit longè perfectior; quam illa qualitas, etiam ab aduersarijs conceditur.Quod verò non conferat virtutem carni Christi ad causandam gratiam physicè, patet ex communi doctrina Philosophorum, quæ docet effectum perfectiori modo esse in sua causa, quam in se ipso. Dices, hanc doctrinam esse veram solum in causis principalibus; non tamen in causis merè instrumentalibus.Qualitas autem hæc, quamuis esset spiritualis non est forma, quæ constituat causam principalem productionis gratiæ, sed tantum est virtus instrumentalis. Contra sic arguitur: Quia virtus instrumentalis, quæ est qualitas permanens & operatur per modum talis qualitatis, non attingit immediatè effectum principalis agentis, sed alium immediatiorem sibi proportionatum, quo mediante attingit ipsum effectum principalem agẽtis : sed non est assignabilis aliquis effectus, quem immediatè attingat hæc qualitas supernaturalis; quia certè id quod nonnulli voluerunt, dicentes causare præuiam dispositionem ad gratiam, fictitium est & inexplicabile. Nam præter motus liberi arbitrij, qui vocantur dispositiones ad gratiam in Concilio Tridentino, sessione sexta, capite septimo, non potest fingi alia dispositio præuia ad gratiam; vt Caietan. aduertit. 3. parte, quæstione 62. articulo primo : ergò intentum. Maior probatur primò exemplo, deinde ratione : Exemplum est de calore, qui est instrumentum, quo vtitur ignis ad substantiam ignis producendam; sed terminus, quem actio ipsius caloris immediatè attingit, non est ipsa substantia ignis, sed qualitas, seu calor in subiecto productus, quo mediante ad ignis substantiam peruenitur, veluti ad terminum præcipuum. Ratione etiam probatur : Quia huiusmodi qualitas permanenter se habens, est forma actiua : ergò illi correspondet aliquis effectus proprius, qui est terminus primarius, quem attingit qualitas hæc per actionem suam.

¶ Hoc argumentum, quod attulimus non est adeò efficax,vt rem hanc necessariò ostendat:Quia character sacerdotalis est qualitas actiua permanens concurrens ad consecrationem,& tamen nullam efficit præuiam dispositionem : sed ipsam conuersionem panis in corpus Christi immediatè contingit; & hoc, ex eo, quòd est forma instrumentalis; actio autem quam Sanct. Thom. postulat ex parte instrumenti præsuppositam ad principalem actionem, non est pensanda ex ista virtute instrumentali, sed ex toto instrumento, scilicet, ex sacerdote consecrante. Vnde argumentum factum redditur infirmum.

Quocircà,aliud occurrit efficacius argumentum contra propositam sententiam.Quia,si daretur talis *3. Arguitur*

qualitas,sequeretur,quòd illa haberet quãdam vim superiorem,licèt instrumentalem supra totum ordinem gratiæ,nam esset productiua gratiæ, & omniũ supernaturalium habituum, quod gratia ipsa ex se efficere non potest; imò verò talis qualitas esset superior ad omnia opera miraculosa, quod est incredibile. ¶ Et confirmatur: Quia vel ista qualitas est corporalis,vel spiritualis:sed neutrum istorum: ergo.Quòd non sit materialis patet: Quia si hæc qualitas corporea est, non potest constituere proportionem satis aptam, aut sufficientem inter carnem Christi, verbi gratia, & gratiam spiritualem, quæ est effectus producendus, & animam,quæ similiter spiritus est, & subiectum in quo gratia producitur; atque adeo sine ratione fingitur hæc qualitas supernaturalis, de qua est sermo. Quòd verò non sit qualitas spiritualis,etiam patet: Quia talis qualitas est accidens, & non potest inhærere corpori, ac proinde non erit in carne Christi, aut inhæsiuè in qualibet alia creatura corporea,& fieri non potest, si est accidens, quòd non sit in aliquo subiecto inhæsiuè,vt operetur:ergo,&c.

*Arguitur.4* Prætereà: Omnis qualitas quæ operatur per modum instrumenti, ad agendum, seu efficiendum opus perfectius ipsa, semper facit illud media actione aliqua magis proportionata, cuius ipsa sit, quasi proprium principium & principale; vt si calor est instrumentum producendi substantiam, aut formã substantialem,hoc agit calefactione præuia,quæ est actio sibi accommodata tanquam proprio principio,& quasi principali,vt S. Thom. affirmat. 1.part. quæst.45. art. 5. Et ratio huius doctrinæ est: Quia si hæc instrumenta connaturalia non agerent aliquid proprium, quo attingerent effectum agentis principalis, nulla omnino esset ratio assignandi instrumenta determinata ad determinatas actiones:sed in huiusmodi qualitate:de qua est controuersia, non potest intelligi qualis sit talis actio connaturalis, quæ natura sua tendat, & quasi præparet viam ad actionem principalis agentis:ergò. Dices cum Capreolo, qualitatem hanc efficere quandam dispositionem præuiam, per quam attingit effectum agentis principalis. Sed certè hoc nihil valet,quia nequit intelligi,quæ sit ista dispositio,quæ paret viam, verbi gratia, ad consecrationem & conuersionem panis in corpus Christi,vel restitutionem visus,vel alias actiones similes. Rursus interrogo, vtrùm dispositio illa sit aliqua qualitas naturalis,vel supernaturalis?Si naturalis, res est sine controuersia, quòd non potest ex sua natura disponere ad supernaturalem effectum;Si supernaturalis,ipsa non poterit fieri,aut procedere à qualitate alia, tanquam à principali principio:ergo fiet instrumentaliter:ergò pariter fieri debet alia actione prævia, & sic in infinitum. ¶ Et confirmatur: Quia si qualitas ista productiua miraculorum, haberet aliquam propriam operationem prævia,cuius esset veluti proprium principium & principale, certè dependeret in illa à distantia loci,à dispositione,seu resistentia medij, aut subiecti, quod est contra modum operandi talis virtutis.

*Arguitur.5* Adducor etiam: Quia si, verbi gratia, in carne Christi esset ista qualitas,quam isti fingunt ad patrãda miracula,& alios effectus supernaturales; sequitur,quòd sicut ab alijs corporibus repellebat quodcunq; malum,& quamcunq; ægritudinem;ita etiam posset in Christi corpore impedire omnem vulnerum passionem, & omnem alterationem contrariã; & ita fieret intrinsecè esse impassibilem Christi carnem. Neque valet dicere,quòd Christus noluit vti qualitate illa ad effectum istum: Quia si talis effectus est illi qualitati connaturalis, non poterit per solam voluntatem Christi, vt operantem per suas vires naturales impediri,sed vt instrumentum Verbi. Igitur,vel hoc efficiebat per ipsammet qualitatem, quod apertè repugnat; vel quærenda erit qualitas alia,per quam effectus iste fiat,quod est similiter nõ satis probabile,quia sic poterit fieri processus in infinitum, & illud inconueniens nunquam vitabitur: Quoniam,iuxta hunc modum dicendi, necessariò videtur colligi,Christi Domini carnẽ,iuxta intrinsecam eius dispositionem, fuisse impassibilem;miraculosè verò, & quasi ex virtute diuina potuisse pati. ¶ Et confirmatur: Quia Christus miracula operabatur aliquando vnctione luti,aliquando voce,aliquãdo sputo, aliquando solo tactu:sed non videtur verosimile, quo nam pacto corporea illa qualitas possit se diffundere in omnia ista, aut quomodo possit virtute sua naturali formas efficere spirituales & supernaturales,& effectus miraculosos:ergò. ¶ Et confirmatur iterum:Quia Christi caro erat effectiua miraculorum,& per materialem vocem gratiam & iustitiam producebat in anima: ergò necesse erat qualitatem illã esse, vel in ipsa carne,vel in voce Christi:Hoc autem nõ est intelligibile: Quia, vt dictum est, non potest qualitas spiritualis esse in subiecto corporeo;quia vel effet extensa in eo,quod est contra rationem suæ spiritualitatis; vel tota esset in toto, & tota in qualibet parte, quod repugnat formæ dependenti à subiecto in esse, & in fieri, qualis est omnis forma accidentalis. Præcipuè, quia spiritualis qualitas,cùm neq; habeat proportionem cũ corpore, neq; habitudinem ad corpus;sequitur, quòd non potest illud informare;nã forma nõ potest subiectum aliquod informare,nisi sit proportionatũ naturæ suæ:ergo neq; potest in illo recipi, quia forma solùm recipitur in subiecto illo quod informat.Dices,qualitatem spiritualem non posse recipi in corpore permanenter;posse tamen transeũter.Sed profectò hæc responsio non satisfacit, quia argumenta proposita de vtroq; modo procedunt;& quòd qualitas illa recipiatur permanenter,vel transeunter, nihil facit ad minuendã,vel augendã hãc repugnãtiã.

Dices cum Ferrariense,hanc virtutem,seu qualitatem modo quodam indiuisibili subiectari in corpore. Sed proculdubio hoc similiter nihil valet, quia accidens non potest non esse in subiecto inhærenter, & ex consequenti debet esse extensiuo modo, iuxta conditionem ipsius subiecti.Neq; valet dicere, hãc qualitatem spiritualem esse intentionalẽ, seu habere intentionalem modum, quem habẽt species visibiles in diaphano; & ex consequenti indiuisibiliter existere in corporeo subiecto; Quia falsum est, species illas visibiles indiuisibiliter existere in subiecto corporeo cui hærent, Imò verò suam habent extensionem cùm educantur de potentia diaphani,& de subiecto quanto & extenso.

Tandem, nequit intelligi, quo pacto qualitas aliqua inhærens corpori ex natura sua potens sit ad dæmones pellendos, ad morbos curandos subitò & momento temporis sine resistentia, & nõ per aliquam alterationem, sed per modum imperij, & ad nutum voluntatis humanæ.



### *Tertia opinio.*

*Opinio.3. Caietani.* TErtia opinio putat,quòd cùm creatura eleuatur ad efficiendum aliquid diuinum, vt Dei instrumentum, non id operatur per qualitatem istam suprà tactam, vel per motum physicum, qui humanitati Christi, vel instrumento assumpto superaddatur: sed tantum, quia ita subordinatur voluntati diuinæ,vt vel per se ipsam, vel per actionem suam intimet diuinum imperium, per quod omnis effectus fieri potest. Hæc est Caietani sententia. 3. parte, quæstione. 13. articulo. 2. Vbi ait, Christi humanitatem eatenus,physicè concurrere ad iustificationem hominum, & ad miraculosa opera, & similes supernaturales effectus, quatenus præsentat & defert diuinum imperium practicum ad creaturas, circa quas Deus, vt principalis causa hos effectus supernaturales operatur.Nos hanc Caietani sententiam suprà retulimus:. Sed profectò difficilis sententia est: Quia Caietanus non sufficienter explicat modum, quo Christi humanitas, aut creatura aliqua defert diuinum imperium, aut illud præsentat creaturis, in quibus efficiuntur isti effectus supernaturales. Nam, inquiro, quid sit imperium diuinum intimare & deferre, præcipuè circa res quæ carent cognitione, aut circa effectus de nouo producendos? Nam certè, vel hoc dumtaxat est ad præsentiam alicuius rei, vel alicuius actionis naturalis Deum suo imperio rem producere, & hunc ordinem esse infallibilem ex pacto Dei, vel promissione, & sic negatur his instrumentis vera efficientia & vera actio; imò verò inciditur in eam opinionem,quæ dicit esse conditiones, sine quibus non sit ipse effectus, & ad quarum præsentiam statim fit, Deo ita ordinante: Quod perperam concessit Ferrara libro tertio contra gent. capit. 102. Vel intimare imperium propriè & verè est, efficere opus supernaturale, iuxta imperium Dei illud exequendo. Sed profectò in hoc sensu non explicatur res de qua agitur, sed solùm petitur principium, quia hoc est, quod quæritur quo pacto efficiant absque virtute superaddita.

### *Quarta opinio.*

*Opinio.4.* HIs ergò explosis opinionibus & sententijs, quartus modus dicendi affirmat, quòd humanitas Christi, & quælibet alia creatura potest assumi, vt instrumentum virtutis diuinæ ad iustificationem animarum, & ad quælibet alia opera supernaturalia,quatenus priùs, saltè natura, præmouetur aliquo motu, qui vt procedit à Deo, est virtus quædam supernaturalis instrumentalis constituens creaturam in actu primo ad actualem productionem gratiæ, vel alterius effectus supernaturalis. Verbi gratia, absolutio à Sacerdote facta ex motione speciali Dei procedens,habet quòd sit virtus instrumentalis productiua gratiæ remissionis peccatorum. Et idem videtur dicendum in omnibus instrumentis à Deo assumptis ad aliquem supernaturalem effectum. Est simile ad rem hanc explicandam in instrumento artis, quod ejectatur per artificiosum motum ab artifice ad effectum proprium peragendum & perficiendum. Quòd si instrumenta artis per artificiosum motum eleuantur ad quosdam effectus peragendos, cur repugnabit Deo simili modo agere? aut cur hoc erit implicatorium? cùm quid simile in instrumentis artium reperiatur. Hunc modum dicendi videtur sequutus Sotus, & cum eo plures alij ex familia Diui Thomæ.

¶ Sed profectò, adhuc est difficilis opinio hæc, & non quietat omnino intellectum. Primò; Quia motus iste in instrumento & subiecto materiali spiritualis esse nequit; sed corporeus & materialis:ergo omnino impertinenter se habet ad productionem gratiæ,quæ est actio omnino spiritualis,& simpliciter spiritualis,sicut & ipsa gratia,quæ producitur in anima. ¶ Et confirmatur: Quia quidquid fingatur esse hic motus, est quid imperfectius, quam quælibet qualitas, & quàm res ipsa quæ mouetur: ergò natura sua non potest esse virtus agendi supernaturalem effectum: ergò neque per illum potest eleuari humanitas ad hos effectus supernaturales producendos,neque illi motui est tribuenda virtus supernaturalis instrumentalis respectu gratiæ, & effectuum excedentium totum naturæ ordinem. ¶ Illud autem exemplum de instrumentis rerum artificialium allatum, nihil iuuat omnino ad rem hãc explicandam: Quoniam hæc instrumenta artis ab artifice mota, propriè & per se, nihil quod eorum formas & virtutem superet efficiunt: Nam per se primò per huiusmodi instrumenta tantum fit applicatio,vel expulsio alicuius corporis ab hoc, vel illo loco, & motus instrumenti directus seu gubernatus ab arte, tantum adhoc deseruit, vt introductio hæc,vel expulsio corporis in loco;ordinatè fiat, vt inde diuersæ figuræ resultent, per quas constituuntur res artificiosæ. Ex quo fit, vt motus hic propriè non sit ratio, & principium agendi,sed tantum applicatio & requisita conditio, vt per instrumentum possit aliud corpus isto,vel illo modo mouere;& id circò ex instrumentis istis, & ex eorum modo non potest argumentum sumi ad supernaturalia instrumenta,& eorum virtutem explicandam. *Argum. contra hanc. 4. opinionem.*

Secundò est difficilis hæc sententia: Quia talis motus, vel est alteratio, vel est motus localis: sed non est motus alterationis, alias oporteret per ipsum produci aliquam qualitatem, quod iam impugnatum est.Neque etiam est motus localis: Quia anima Christi per voluntatem suam, aut per vocem absque locali motu,aut alio artificioso motu præter eum, qui necessarius est ex natura rei,ad formandam vocem,potest operari miraculosum effectum: ergò ille motus non potest esse virtus instrumentalis; Alioqui etiam sequitur, quòd humanitas Christi existens modò in cælo,non causet efficienter sanctitatem,iustitiam, & gratiam in nobis;quia nullo motu locali ad effectum hunc inducendũ mouetur. Dices nõ esse necessariũ motũ localem,sed sufficere quẽcunq; motũ;si tamen præordinetur specialiter à Deo ad supernaturalẽ effectũ agendũ;& ita humanitas Christi per actũ humanæ voluntatis,& practici intellect', quẽ erga hominẽ iustificãdũ in cælo habet *Argum.2.*

instrumentaliter physicè concurrit ad iustificationem eius, & ad ipsam gratiæ productionem. Sed contra. Hic motus spiritualis est, & à Christi anima immediatè effectus: ergo ratione ipsius caro humanitatis Christi non operatur iustitiam & gratiam instrumentaliter in animabus nostris, cùm talis motus minimè pertineat ad ipsam carnem Christi, sed solum ad eius animam: Sed Concilia & Sancti Patres, vt ex plerisque testimonijs adductis constat, virtutem iustificandi & sanctificandi, non soli animæ Christi, sed eius Sanctissimæ carni tribuunt, quam sanctificatricem, & viuificatricem non rarò appellant: ergò intentum, &c. ¶ Et confirmatur: Quoniam corpus Christi in Sacrosancto Eucharistiæ sacramento nullo motu omnino mouetur, quia ibi est modo indiuisibili, & quasi purè spirituali, & tamen, vt ibi est, gratiã & sanctitatem in animã suscipientis sacramentum mirificum Eucharistiæ, instrumentaliter confert: ergò virtus instrumentalis non est ad motum ipsius instrumenti reducenda. ¶ Sanè, mutatio loci non est necessaria instrumentis, neque sacramentis ad productionem sanctitatis, aut gratiæ, vt constat in verbis consecrationis, & aliarum formarum sacramentalium: Quia sufficit sola prolatio verborum, quæ à Sacerdote fit, sicut aliæ locutiones fiunt propria virtute. Imò verò potest Deus per aquam immotam producere gratiam, sicut per aquam motam & per actum intellectus veluti per instrumentum, potest Deus gratiam producere, in quo nullus est localis motus. Imò verò etiam, licèt constituatur localis iste motus adhuc ille est valde improportionatus ad gratiam cùm sit corporeus & naturalis. Præterea, localis motus non est ratio agendi etiam in ipsis rebus artificialibus, sed solum est conditio, per quam virtus instrumenti applicatur, & quia applicatio est artificiosa, consurgit effectus artificiosus. Fauet etiam, quòd quantumcunque motus localis fiat à Deo, non potest excedere suam spheram constituendi rem in hoc, vel illo vbi, nisi aliunde ei donetur noua potentia ad nouum gratiæ effectum.

Tertiò etiam est difficilis iste quartus modus dicendi allatus: Quia ex eo sequitur humanitatem Christi non concurrere instrumentaliter ad ipsam sanctificationem & productionem gratiæ, per modum physici instrumenti, sed solùm ille motus ipsius humanitatis Christi, in quo reposita est hæc ipsa virtus Dei mouentis, & principaliter iustificantis: Sed hoc asseuerare videtur apertè falsum. Quia Sancti Patres non motui, neque operationi humanitatis Christi, sed ipsimet humanitati & carni Christi hanc sanctificandi & iustificandi dignitatem tribuunt, & ipsam viuificatricem vocant, hoc est viuificandi vim habentem: ergò virtus viuificatiua & productiua gratiæ, quæ est virtus instrumentalis non consistit in aliquo motu humanitatis Christi, sed in ipsamet humanitate. Probatur sequela: Quia illud solùm est instrumentum ad principalem effectum concurrens, quod per virtutem agentis principalis in se susceptam, attingit effectum ipsum: sed iuxta huiusmodi sententiam humanitas Christi non habet in se susceptam virtutem sanctitatis & gratiæ productiuam, sed tantum in eius motu suscipitur virtus hæc: ergo. Hoc sanè argumentum efficacius est, si supponamus motum non esse in agente, sed in passo subiectiuè: Nam certè hoc supposito planè deducitur, quòd quando Christus Dominus oculos cæci delinuit, tota virtus operatiua illius miraculi non fuerit in humanitate Christi, sed in oculis cæci delinitis, in quibus susceptus fuit motus ille delinitionis & vnctionis.

¶ Et confirmatur: Quia virtus sacramentalis productiua gratiæ, potiùs tribuitur sacramento, quàm ministro, quoniam talis virtus per se primò residet in sacramento ipso instituto à Christo, ad causandam & efficiendam gratiam: igitur si virtus spiritualis instrumentalis per se primò & omnino residet in illo motu humanitatis Christi; sequitur, quòd sanctificatio animarum tribuenda est ipsi motui, & non humanitati. ¶ Sanè, si hæc virtus sanctificationis & miraculorum, solùm est iste motus & concursus Dei; sic neque explicatur, neque dissoluitur difficultas proposita, quia per motum illum iam dictum intelligi potest Deum effectum producere tanquam per actionem, vel concursum suum; non tamen potest intelligi quid humanitas efficiat per illum, siquidem ipsa, neque est actio, neque aliquid illius. Si verò per motum istum artificiosum intelligat hæc opinio aliquid impressum, & inhærens humanitati; sic redeunt omnia incommoda allata.

### *Quinta opinio.*

5. Opinio.

PRopter argumenta facta nonnulli viri docti censent non esse constituendum præuium motum instrumenti ad actionem instrumentalem; & ex consequenti putant humanitatem Christi immotam, & omnino quiescentem assumi posse à Deo, vt instrumentum physicum causatiuum gratiæ erga animam, vel causatiuum alicuius effectus ordinis supernaturalis: Nam iuxta modum istum fortè caro Christi mortui in sepulchro, fuit assumpta à Deo, vt Diuus Thomas significat. 3. parte, quæstione. 55. articulo. 1. ad. 2. Et idem omnino censendum est de qualibet alia re creata, siue illa corporea, siue spiritualis sit, seu de quolibet instrumento à Deo assumpto. Dices: Si caro Christi esset quiescens & immota à Deo, nulla in ea præintelligeretur virtus spiritualis permanens, aut transiens, habitualis, aut actualis, qua posset constitui in actu primo ad causandam gratiam actione instrumentali in actu exercito & secundo: ergo videtur implicare, quòd caro, aut instrumentum quiescens, gratiam efficiat, & producat instrumentaliter. Probatur consequentia: Quia actus secundus necessariò & essentialiter supponit actum primum in causa efficiente siue principali, siue instrumentali. Huic obiectioni respondent authores huius sententiæ, quòd ad hoc, quòd quælibet creatura assumatur, vt instrumentum physicum ad productionem gratiæ, vel cuiusuis alterius effectus supernaturalis, non requiritur, quòd ante ipsam productionem actualem gratiæ, seu alterius effectus, præhabeat formaliter in se supernaturalem aliquam virtutem creatam, cui attribuatur ipsa actio instrumentalis, hoc est productio gratiæ: Sed satis erit, quòd agat quatenus subest virtuti increatæ Dei, & illi imperio diuino, per quod Deus, & efficit gratiam,



gratiam; & quo etiam concurrit cum ipsa creatura ad actionem illam instrumentalem. Itaque, virtus illa diuina creata, & supernaturalis non communicatur instrumento formaliter, nisi solùm in ipsa actuali productione gratiæ, seu alterius effectus supernaturalis & diuini.

Authores ergò huius quintæ opinionis iudicant, non oportere ad actionem instrumentalem, quòd præmoueatur instrumentum à Deo principali agente motione aliqua corporea aut spirituali; sed satis esse quòd Deus habeat illi quasi virtualiter applicatam, siue præapplicatam sui ipsius increatam virtutem, ita vt creatura quæ assumitur vt instrumentũ, induat in ratione agendi quendammodum vnius causæ cum Deo principali agente, illi subseruiens instrumentaliter ad effectum ab eo volitum & intentum. Et adhoc sufficit illa subordinatio ad increatam Dei virtutem, & ad illud Dei imperium efficacissimum, quod deducit se ipsum ad exequutionem media instrumentali actione creaturæ.

¶ Ex his colligunt etiam authores huius sententiæ, quòd instrumentum Dei non constituitur in actu primo per virtutem aliquam creatam, sed dumtaxat per increatam Dei virtutem, vel vt rectiùs loquamur, per subordinationem ad ipsam increatam virtutem Dei, & ad practicum Dei imperium, quod vtitur eadem creatura ad sui ipsius executionem, seu ad actum secundum.

Hic modus dicendi potest habere fundamentum & probabilitatem in illa doctrina communiter recepta secundum quam dicitur, quòd causa inferior ex subordinatione & coniunctione ad superiorem perficitur in semetipsa in ratione causæ absque vlla qualitate superaddita, aut virtute. Et communiter adducitur in hac re exemplum de colore. Color enim ex coniunctione ad lucem perficitur verè & realiter in ratione causæ immutatiuæ visus sine entitate vlla, quæ ipsi colori inhæreat realiter. Nam per coniunctionem ad lucem, quæ colori non inhæret; sed coasistit tantum, potest color visibiles species emittere & producere; & sic visuam potentiam realiter immutare; Quòd antea non poterat efficere in potentia proxima. Et pari ratione, phantasma ipsum in phantasia existens ex coniunctione reali ad intellectum agentem absque qualitate ab ipso intellectu recepta, aut participata, verè constituitur in actu primo, vt intellectum possibilem immutare possit, & in eo producere species intelligibiles. Quod sanè non ob aliam rationem euenit, nisi propter subordinationem immediatam, & coniunctionem phantasiæ ad agentem intellectum: Igitur cum quælibet creatura habeat immediatam & proximam subordinationem ad Deum, quatenus habet esse ab ipso Deo participatum, & res sic se habeat ad operari, sicut se habet ad esse; conuenienter potest intelligi, quòd constituatur in actu primo ex subordinatione ad Dei virtutem, & ex immediata coniunctione ad ipsam, absque superaddita aliqua qualitate, in ordine ad operationem iustificationis efficiendam. Rursus potest probabile fundamentum esse huius opinionis illa doctrina, quæ à plerisque traditur quando asseritur, intellectum hominis absque habitu, vel qualitate superaddita posse per auxilium speciale Dei tantum, quod non præcedit ipsam operationem intellectus, in actum secundum supernaturalem prodire. Et similiter philosophantur de voluntate, quòd absque præuio aliquo habitu, aut forma, per quam in actu primo constituatur, ad actualem actionem potest supernaturaliter agere, seu operari. Quæ sanè doctrina, quæ multorum est, non potest alia ratione fulciri, nisi asserendo intellectum per subordinationem ad Dei increatam virtutem constitui in actu primo, vt exire possit in actualem assensum fidei; & pariter per similem subordinationem constituitur in actu primo voluntas, vt possit exire in operationem ordinis supernaturalis, hoc est in actum dilectionis Dei super omnia, vel in actum contritionis.

Rursùs etiam potest esse fundamentum huius sententiæ, si affirmemus, quòd imperium practicum diuini intellectus, licèt sit formaliter actio immanens; tamen est virtualiter transiens, seu eminenter transiens. Cùm ergò virtus diuina suauis sit valde, & actiuitatis infinitæ, hinc est, quòd etiam sit valde creaturis accommodabilis, & ex consequenti talis Dei virtus creaturæ applicata per imperium Dei eam constituit in actu primo ad agendum per modum instrumenti supernaturalem operationem, diuino imperio & diuinæ virtuti proportionatam, sine vlla omnino creata virtute, quæ intercedat, aut interueniat. Neque hoc est intellectu difficillimum, aut impossibile omnino. Nam cùm instrumentum non agat propria virtute, sed solum virtute principalis agentis, satis erit, vt instrumentum constituatur in actu primo, quòd habeat hanc coniunctionem immediatam ad virtutem causæ principalis, quamuis non eleuetur ex vlla alia virtute inferiori intercedente. Et in hac re valde obserua, quòd quando Deus mediante instrumento iustificat, & producit gratiam, ibi non interuenit duplex actio, sed vna solum quæ appellatur productio gratiæ; hæc tamen duplicem induit rationem: Quia quatenus ad Deum refertur, est actio principalis; cæterùm quatenus ad creaturam comparatur & est relata, dicitur instrumentalis actio. Verùm, cùm sit dumtaxat vnica & simplex actio, non duas postulat, aut exposcit virtutes, sed vnam & eandem Dei principalis agentis virtutem, quæ quatenus à Deo exit, constituit principalem actionem; quatenus verò effectum attingit mediante creatura, & vt communicata creaturæ, actionem constituit instrumentalem.

Addunt tamen authores huius sententiæ, ea quæ diximus rationabilia esse comparatione ad instrumentum creatum, quodcunque sit, sed multò veriora & rationabiliora esse, si accommodentur ad Christi humanitatem, quæ quidem saltem radicaliter ex ipsa coniunctione reali ad verbum est veluti in actu primo constituta, ita vt absque virtute vlla creata superaddita possit exire in actum secundum. Quare, Christi corpus exanime in Cruce pendens, & in sepultura iacens absque motu aliquo actuali, & absque qualitate superaddita, efficere potuit, vt instrumentum virtutis diuinæ aliquem effectum.

Addo etiam alterum fundamentum, quod regulariter Deus non assumit creaturam quiescentem &

non operantem, vt instrumentum suæ virtutis, sed assumit creaturam in actuali operatione positam. Vndè, ipse actualis motus creaturæ, quatenus ex actione Dei procedit & intentione eius, dicitur à S. Thom. virtus Dei supernaturalis; & hanc interdum vocat spiritualem; interdum verò intentionalem. Instrumentalem autem appellat in quantum mediã te illa, ipsa virtus Dei & ipsum efficax imperium diuini intellectus ad effectum peruenit & pertingit; ita vt Deus premouendo creaturam, practicum atque efficax intellectus imperium ad executionẽ deducit. In quo sensu Caieta. docuit, instrumentum præsentare & deferre diuinum imperium ad creaturam, & nihil aliud voluit. Cùm verò virtus illa appellatur intentionalis; idcircò est, quoniam recipitur modo quodam imperfecto in ipsa creatura, non quidem per modum permanentis, sed per modum cuiusdam fluxus & tendentiæ ad principalem terminum, scilicet, ad effectum principalis agẽtis. Tandem, ob id appellatur virtus illa spiritualis, quia est virtus spiritualis agentis, & ad spiritualem effectum applicatur & destinatur.

¶Sed obserua valdè, quòd nomine motus, aut mutationis absque vlla differentia comprehendimus actionem & passionem. Nam motus qui ex parte instrumenti prærequisitus est ad actionem principalis agentis, non est necessarius formaliter in ratione actionis, & prout est actio instrumenti, sed vt in eo quasi determinetur, & coarctetur virtus principalis agentis, & non aliter ad effectum attingat, nisi vt in tali instrumento determinata, vel vt meliùs explicem, tali instrumento accommodata. Et hanc fuisse Sanctissimi Præceptoris mentem, & sentẽtiam colligo ex his, quæ affirmat. 2.2. quæst. 178. artic. 1. ad. 1. Vbi ait, quòd Deus vtitur instrumentaliter interiori actu hominis, vel locutione eius, vel contactu alicuius corporis etiam emortui. Ex quibus verbis sequuntur duo illa quæ diximus. Primum est, quòd regulariter Deus non vtitur creatura quiescente, vt instrumento virtutis suæ; sed quatenus constituta est in actuali aliquo motu spirituali, aut corporali. Secundum verò est, non esse necessarium quod talis motus sit vera actio instrumenti; sed sufficere quamcunque mutationem in ipso instrumẽto, siue illa sit actio, siue passio. Idque apertè constat ex verbis vltimis Sanct. Thom. citatis, vel contactu alicuius corporis etiam emortui. Qui quidem contactus ex parte corporis emortui, quod in instrumentum virtutis diuinæ assumitur, dumtaxat habet rationem passionis.

Ex dictis colligitur, quòd virtus illa quæ reperitur in motu instrumenti corporei, nõ est res aliqua ab ipso motu distincta, & ex consequenti non potest non esse corporea formaliter, quamuis sit virtualiter spiritualis, ex eo quód est à Deo tanquam à principali agente & mouente, qui summè spiritualis est: quòd sanè satis est, vt efficere possit effectum spiritualem, hoc est gratiam, & attingere subiectũ spirituale nempe animam. Huius doctrinæ & veritatis exemplum esse potest, de motu cæli, qui de mẽte D. Thom. 1. part. quæst. 70. artic. 3. ad. 3. Formaliter quidem non est motus vitalis, quia non procedit à principio intrinseco coniuncto viuente; est tamen virtualiter vitalis, nam habet imbibitam vitam in sua virtute, in quantum procedit ab intelligentia mouente extrinsecus ipsum orbem cælestem: Nam hac ratione potest causare vitam in his inferioribus. Sic ergo proportione quadam sentiendum est, motum creaturæ corporalis, formaliter esse materialem & corporeum; virtualiter verò immaterialem, seu spiritualem, in quantum est à Deo mouente & destinante motum illum in effectum spiritualem & immaterialem. Desumi etiam potest exemplum alterum de phantasmatibus. Est namque phantasma, corporeum & materiale; tamen ex subordinatione & coniunctione ad intellectum agentem, virtutem habet spiritualem & intelligibilem, propter quam intelligibiles species efficere potest, sicque intellectum possibilem immutare.

### *Authoris calculus in tanto opinionum discrimine.*

TAnta est sententiarum varietas in re proposita, vt difficilè portum inueniamus, præsertim cùm omnes, aut plures sua habeant fundamenta probabilitatis. Vndè, de hac re stabiliemus non quidem in omnibus certa omninò, sed interdum probabilia, & quæ minus difficilia sunt.

¶Est ergo prima propositio. Quòd creatura eleuetur, vt instrumentum gratiæ per qualitatem, quæ sit potentia completè productiua eiusdem gratiæ, sicut calor est potentia completa respectu caloris; id quidem verè repugnat, atque implicat. Hæc conclusio est certa quantum iudico, & probatur: Quia implicat esse qualitatem quæ sit potentia completè productiua gratiæ: ergò implicat, eam ad instrumenta & sacramenta infundi & diffundi. Consequentia aperta est, antecedens autem probatur: Quia implicat esse qualitatem perfectiorem gratia: sed illa potentia completè productiua gratiæ necessariò deberet perfectior illa esse: ergo, &c. Ostendo minorem: Quia non potest concipi aliquid tanquam completum principium & principale alterius, nisi sit perfectius eo, vel æquale: at æquale esse non potest, quia aliàs esset omnino eiusdem speciei cum gratia; & sic vna gratia foret productiua alterius, & iustus per suam gratiam, tunc posset in alio similem gratiam efficere, quod est falsum: Et item patet: Quoniam qualitates omnes quæ sunt per modum actus primi natura sua non sunt effectiuæ alterius actus primi, sed actus secundi, vt potentia intellectiua non efficit alium intellectum, sed intellectionem, & habitus charitatis, non efficit aliam habitum, sed actum ad quem vltimatè refertur: ergò cùm gratia sit per modum actus primi tribuens primum esse supernaturale, vna gratia non erit effectiua alterius gratiæ; & ex consequenti completum principium effectiuum gratiæ, necessariò erit perfectior illa, quæ fuit minor; Maior autem persuadetur efficaciter: Quia vt qualitas aliqua sit perfectior ipsa gratia, debet necessariò esse perfectior participatio naturæ diuinæ, quam ipsa gratia, quód sanè est impossibile: Primò, quia gratia est primum esse supernaturale, & radix cuiuscumque esse supernaturalis creati infusi potentijs. Vnde, si charitate supernaturali, quę ex ipsa gratia oritur, nõ potest dari alia perfectior charitas essentialiter, eò quòd attingit suum obiectum sub perfectissima ratione; eodem modo neque dari poterit alia perfectior gratia. Secundo, quia non potest dari perfectior qualitas visione beatifica ad quam eleuat gratia; eo quòd sit in supremo gradu diuinæ participationis, qui esse potest in pura creatura, siquidem detur illi supremus finis: ergò neq; gratia ipsa quæ immediatam habet connexionem cum visione beatifica. Sed profectò, quamuis ratio hæc probabiliter valde probet intentum animaduersis principijs Theologicis; tamen non demonstrat euidenter quod intendit: Quia in primis non ostendit aperte qualitates, quæ sunt per modum actus primi, non posse productiuas esse de potentia absoluta: Nam in quiro, cur implicabit quod intellectus possit producere aliũ intellectũ, & ex cõsequenti nõ ostendit ex hac parte implicare gatiã quę sit productiua gratię? Rursus, quamuis beatificã visio sit vna specie specialissima, neque possit esse alia operatio perfectior ea; alioqui non consisteret beatitudo in illa; sed in operatione perfectiori; tamen non ob id efficitur, esse non posse aliud perfectius gratia, eo quod habeat connexionem necessariam cum visione. Nam certe, vnio hypostatica defacto est diuersę speciei à gratia; & tamen est principium, cui debetur beatifica visio, & cum ea habet connexionem necessariã: Igitur ex isto capite non probatur implicare & repugnare quòd detur res aliqua creata habens necessariam connexionem cum visione; & tamen quòd aliunde differat specie à gratia ipsa. ¶Fauet etiam: quia eo ipso quòd daretur gratia productiua alterius gratiæ, differret specie, ab ea; sicut si lumen Solis esset productiuum luminis, non vero lumen aëris, differrent specie: Neque ex eo fit, vt debeatur altior finis, quam sit visio beatifica gratię productiua: Quia satis est vt gratia productiua conueniat cum non productiua in effectu formali gratiæ, & in connexione cum fine beatificæ visionis, & præterea differat ab ea eo, quòd sit alterius gratiæ productiua, atque ita propter naturæ diuinæ participationem, qua conuenit cum alia gratia, maiorem habebit participationem potentiæ diuinæ, ratione, esse, productiui gratiæ. Et est exemplum in sententia quæ dicit, supernaturales actus ex se, neque esse productiuos habituum supernaturalium, & ex consequenti neque posse illos augere & intendere efficienter physicè. In qua sententia non implicat de potentia absoluta Dei dari actus supernaturales, qui possint intendere habitus supernaturales, vt causę principalis secundæ, qui in eo casu differrent essentialiter ab alijs ex eo tantũ quòd essent productiui intensionis & augmenti. Et cõfirmatur: Quoniam hypostatica vnio de facto est perfectior gratia, & causa illius & habituum supernaturalium: ergo falso supponit ratio non esse perfectiorem participationem naturæ diuinæ, quam sit gratia, nec posse esse rẽ diuersæ speciei, quæ connexionem habeat cum visione, quam gratia habet.

1. Propos.

Adducor tamen efficaciter ad propositam assertionem ostendendam, nempe, quòd repugnet sacramenta eleuari vt instrumenta gratiæ producendę per qualitatem, quæ sit potentia complete productiua gratiæ, sicut calor est respectu caloris. Quia repugnat & implicat dari creaturam, quæ sit principalis causa remissionis peccatorum: sed si daretur qualitas complete productiua gratiæ, illa vel subiectũ habens illam, esset causa remissionis peccatorum: ergo id repugnat & implicat. Probatur maior: Quoniam cùm peccata mortalia sint immediata offensio ipsius Dei, implicare videtur, quod remissio fiat tanquam á principali causa, nisi ab immediate & principaliter offenso, qui est Deus ipse. Idem dicendum est de principaliter ordinante ad beatitudinem pænam æternam remittente, &c. Minor autem probatur: Nam cum peccata ipsa remittantur per infusionem gratiæ, creatura illa quæ haberet completam potentiam productiuam gratiæ, ex consequenti haberet completam potentiam & principalem remissiuam peccatorum. ¶Et confirmatur: Quia si posset illis esset illa qualitas, necessariò, hoc est reuera, dimanaret ab hypostatica vnione, quæ est in vertice & in summo ordine supernaturali creato, sicut de facto dimanant ab ea gratia, & habitus supernaturales, & beatifica visio, quæ præstantior est illa qualitate: constat tamen non ita esse de facto, ex his quæ à Theologis. 3. p. q. 13. adducuntur & in Trident. sess. 6. cap. 7. solum refertur Deus vt principalis causa gratiæ; Christus vero vt meritoria. Et D. Damascenus lib. 3. Fidei Orthodo. tantum dicit humanitatem esse instrumentum & organum Verbi.

Sed quidquid sit de his, ratio efficacissime ostendens assertionem positam, est: Quia si qualitas infusa, verbi gratia, sacramentis esset completa potentia productiua gratiæ, improprie diceretur quod eleuarentur sacramenta vt instrumenta ad productionẽ gratiæ, imò verò hæc esset aperta implicatio & contradictio: ergo, &c. Probatur antecedens: Quia in casu, de quo loquimur, qualitas illa natura sua habet producere gratiã cum concursu generali Dei, sicut calor calorem; alias non esset completa & eam habens, ageret in virtute propriæ formæ, ac proinde vt principalis causa: ergo aperta implicatio est, quod sacramentis infusa, ipsa eleuaret tanquam instrumenta Dei, cum instrumenta necessario operentur & agant virtute alterius, & non propria, & sub speciali concursu agentis principalis.

### *Secunda propositio.*

SEcunda propositio. Quamuis repugnet dari qualitatem quæ sit potentia completa productiua gratiæ; & effectuum supernaturalium, tamen non implicat qualitas, quæ sit potentia incõplete productiua illius, vt est character, respectu cõsecrationis: neque implicat infundi parti permanenti sacramentorum: Quoniam si id implicaret, vel esset ratione ipsius qualitatis? Et hoc non, quia si non implicat qualitas, quæ sit potentia incompleta ad transsubstantiationem, vt character, neque etiam implicat dari habitus supernaturales, qui sunt potentia quædam incompletę, cùm necessario exigantur & requirantur ad esse simpliciter actus, & soli non sufficiant: Idem est de lumine gloriæ: ergo neque implicabit qualitas incomplete productiua gratiæ. Rursus, in opinione eorum, qui constituunt potentiam obedientialem actiuam, verè datur illa potentia incomplete productiua, quæ dicitur esse obedientialis potentia gratiæ, in sacramentis incõplete productiua eiusdem gratiæ: ergo pari ratione

Conclus. 2.

non implicabit qualitas re distincta, quæ sit eiusdē rationis cum illa. Fauet etiam huic assertioni, quòd implicationes quæ in oppositum solent adduci, nihil valent: Quia vel implicabit ratione subiecti quod est incorporeum: & hoc impugnatum est superius, & infra etiam impugnabitur: Aut quia est successiuum; & de hoc non agimus, sed de permanenti; agetur tamen propositione sequenti: ergo, &c. ¶ Et confirmatur: Quoniam cùm possit Deus sine fidei habitu concurrere, cum intellectu ad actum fidei supplendo vices ipsius habitus, & posit ita temperare suum concursum, vt sit necessarius concursus qualitatis superadditæ, vt de facto contingit; ita similiter in concursu sacramentorum ad gratiam, temperare poterit suum concursum vt instrumenta & sacramenta egeant qualitate supplēte id quod tēperauit Deus in concursu suo. ¶ Dices, sacramenta habere virtutem obedientialem actiuā sufficientem cum concursu speciali Dei ad producendum gratiam per modum agentis necessarij naturalis: ergo superflua erit superaddita illa qualitas. Respondetur quòd quanuis ea potentia obedientialis agat quantū potest, & sit sufficiens cum concursu Dei verbi gratia vt quatuor, ad gratiam; tamen superaddita illi qualitate ista, solùm egebit cōcursu Dei vt tria. Nam quod adimitur ex diuino concursu speciali, suppletur per qualitatem superadditam, quod etiam procedit in intellectu cùm recipit lumen gloriæ vel habitum fidei, &c. ¶ Sed profecto responsio hæc non satisfacit: Quia si qualitas illa supplet concursum modo iā dicto; sequeretur quòd superaddita maiori qualitate & intensiori, tandem venietur ad eum statum, in quo non sit necessarius cōcursus, quod dici & affirmari non potest: & ob id plura hic difficilia importantur.

*Tertia propositio.*

*Conclus.3.* TErtia propositio. Probabile est satis, quod implicat, qualitatem spiritualem inesse partibus successiuis sacramentorum ad eorum eleuationem, etiam si ipsa sit potentia incompleta. Fundamentum huius assertionis est, quòd duplex reperitur successio in partibus essentialibus sacramentorum, quædam discreta, vt informis eorundē sacramentorum; alia vero cōtinua, vt in ablutione, vnctione, &c. Et quidem, in verbis formatum ipsorum sacramentorum vel constituitur vna qualitas in quolibet verbo, vel vnica in omnibus verbis. Hoc secundum dici non potest; nam cum verba illa sibi inuicem succedant, corrupta prima syllaba, illa tota corrumpetur cùm sit indiuisibilis. Quod si fingas migrare de syllaba in syllabam per diuinam potentiam; adhuc posita fictione ista, sustineri non potest, quia qualitas illa non efficit quousque iam sit in vltima syllaba. Nam quousque totalis significatio formæ compleatur, non producitur neque fit gratia: ergo aperta est implicatio quod eleuet ad agendum syllabas quæ iam præterierunt. Et huius fundamenti seu argumenti efficacia statim magis manifestabitur. Neque etiam possunt constitui plures qualitates, in qualibet syllaba sua qualitas: Nam, cum verba minime agant nisi in fine prolationis, omnes qualitates quæ erant in syllabis præcedentibus vltimam, iam erunt corruptæ: ergo vel sola qualitas quæ erat in vltima syllaba eleuat totam formā ad productionē gratiæ, vel aliæ cū non sunt, eleuātur: Non primū, quia qualitas illa solū eleuat subiectum cui inhæret: sed illa non inhæret syllabis præcedentibus, cū iam non sint: ergo eas non eleuat, & ex consequenti sola vltima syllaba eleuabitur per qualitatem illā quæ est quid permanens. Ex quo sequitur aperte & euidenter, omnes alias qualitates esse superfluas. Neque potest dici secundum: Quia qualitates illæ non sunt in instanti quo est concursus ad gratiam: ergo neque eleuant partes quæ non sunt. Patet antecedens: Quia in solo vltimo instanti producitur gratia, & tunc non sunt. Similiter etiam patet consequentia. Quia est implicatio vtid quod non est eleuet aliud quod etiam non est: præcipuè quia ea qualitas non eleuat nisi dando se ipsam, se autem dare non potest cum non est, nec si esset dare se posset cui non est. Ex vtraq; ergo parte repugnat qualitates illas quæ in vltimo instanti non sunt, eleuare partes quæ non sunt. ¶ Dices, in instantibus in quibus fuerunt eleuauerunt syllabas vt nunc agerent. Sed contra hoc est, quòd qualitates ipsæ quando non sunt non possunt ad gratiā concurrere: ergo quando fuerunt, non potuerunt eleuare præcedentes syllabas, vt quando nō essent, concurrerent: est enim euidens se ipsis non potuisse eleuari nisi ad id quod ipsæ poterant. Dices, posse Deum qualitates illas eleuare, vt concurrant cùm nō sunt ex vi præcedentis existentiæ, qua data eleuatione, consequenter erunt eleuatæ syllabæ illæ, vt agant cùm non sunt. Sed contra: Quia quanuis id posisibile esset; tamen euidenter constat & sequitur quòd iam ex vi illarum qualitatum non eleuantur syllabæ, vt in vltimo instanti prolationis cùm non sunt, concurrere possint ad gratiam, quod est intentum nostrum: sed ex vi diuinæ eleuationis; quæ eleuatio adeò optimè poterat versari circa syllabas ipsas secundum se, quā circa qualitates superadditas. Quo circa, semper concluditur, nunquam eleuari aliquid successiuū ex vi alicuius qualitatis, seu aliquarum qualitatum ad productionem gratiæ.

Sed forsan aliquis dicet: Si Deus potest qualitates illas eleuare vt agant quando non sunt, cur non posset producere qualitatem diuersi ordinis cui cō naturale sit vt sequatur effectus ex vi illius quando non est, scilicet, ex vi præcedentis, seu præteritæ existentiæ. Nam certè, si talis qualitas tribueretur sacramentis etiam si verba effluxissent, in vltimo instanti prolationis operarentur licèt eleuatum esset successiuum. Neque valet dicere, quòd tunc sequeretur sacramenta non esse instrumenta, sed causas principales gratiæ, cùm habeant qualitatem cui connaturalis est cōcursus ad talem effectum. Nā licèt huius quod est agere cum non sunt sequeretur esse causas principales; non tamen gratiæ, quia qualitas illa licèt haberet connaturalem virtutem agendi cùm non est, non tamen ob id esset potentia completa gratiæ, sed incompleta; ac proinde sacramentum nō esset causa principalis. Vnde Respondetur implicare quòd creatura habeat virtutem connaturalem agendi & operandi quando non est; Eleuari enim adhoc (si id est posibile) videtur pertinere ad illimitationem & infinitatem potentiæ diuinæ; hoc namque videtur propriū creaturæ, vt extincto suo esse, extinguatur similiter suum efficere, & per eleuationem vix potest intelligi creaturam agere cùm non est, quantomagis ex natura sua. Et est ridiculum argumētari ex eo quòd res per eleuationē potest, vt id ipsum possit connaturale esse alicui creaturæ. Et instatur hoc in eleuatione intellectus ad beatificam visionem & similibus. Solùm enim ostenditur id esse Deo connaturale, cui est connaturale eleuare: nō vero creaturæ.

Verū contra huiusmodi rationem plures possunt esse calumniæ. Prima est, potuisse Deum syllabas illas conseruare cum qualitatibus suis, vsque ad instans vltimum, quo simul omnes concurrerent, & sic omnes essent eleuatæ. Secunda calumnia est, nō repugnare, quod prima syllaba producat primū gradum gratiæ, per suam qualitatem, & secunda secundum, & sic de cæteris, quando datur eleuatio successiui per plures qualitates. Tertia est, non requiri necessario ad hoc vt res aliqua eleuetur, quòd insit qualitas eleuans rei eleuatæ: Quia diuina eleuatio non ineſt sacramentis; & tamen illa eleuat: ergo per qualitatem non existentem in syllabis existētibus, poterunt illæ eleuari. Postrema calumnia est: Quia potentia obedientialis sacramentorum de facto habet virtutem, tanquam instrumentum Dei, ad producendum effectum cùm non est; aliàs non posset à Deo eleuari: ergo id potest communicare alicui qualitati dictinctæ re: tunc enim per illam, syllabæ ipsæ haberent agere, cùm non sunt partialiter cum concursu Dei; & tunc videtur ratio non concludere. ¶ Sed profecto calumniæ istæ non obstant: Nam ad primam & secundam respōdetur, nos procedere in præsenti suppositā institutione sacramentorum, quæ modò est de facto, & sacramenta sic instituta, dicimus non posse eleuari per qualitates dictas. Vnde, prima calumnia deficit; ex eo quòd constituit syllabas permanentes, si eo modo conseruentur à Deo, & nō successiuas, de quibus loquitur conclusio posita. Similiter etiam deficit secūda calumnia: quia destruit institutionem sacramentorum, quæ nō producit gratiam, nisi completa significatione, scilicet in vltimo instanti. Tertia etiam calumnia repellitur si dicamus quòd diuina eleuatio fortè solum est per modum complentis actiuitatem, quę deest potentiæ obedientiali sacramentorum; non verò per modum constituentis in esse actiui: igitur cū qualitas tribueretur instrumento aut sacramento, id esset, vt intrinsece constitueretur actiuum per illam, ad quod necesse est vt inhæreat illi, quia in genere causæ formalis dat illud esse actiuum. Quare, non alio modo eleuat, quam illi inhærens, & sic cōcurrens ad gratiam. Alia verò eleuatio quæ poni posset per qualitatem non inhærentem, solum esset per modum complentis potentiam actiuam, non verò dantis esse actiuum, de qua procedit conclusio posita. Ad postremā calumniam respōdēt Theologi in speciali quæstione. Vtrum Deus eleuet partes instrumenti & sacramenti præexistentes, vt cùm non sunt, physicè agant? Nunc vero satis est scire quòd non est noua potentia obedientialis vt syllabæ vel qualitates agant cùm non sunt, præter eam quæ est ad gratiam: Quia cùm nō fit nouus effectus, non exigitur noua potentia; sed ad præexistentem potentiam efficit Deus, sequi effectum cùm ipsa nō est, immutando naturalem ordinem coexistentiæ effectus cum causa, cuius immutationis Deus est totalis causa.

Adducor præterea ad præfatam doctrinam, Quia vel qualitates illæ sunt diuersæ speciei, & hoc non: Quoniam actus formalis earum, ad quem totaliter ordinantur, est productio gratiæ habitualis, quæ est vna species athoma. Quare, sicut dari non possunt plura lumina glorię distincta specie: ex eo quòd visio beatifica est vna specie specialissima, ita neque plures potentiæ productiuæ gratiæ, quæ specie distinguantur: & hoc libenter fatentur aduersarij. Vel sunt eiusdem specificæ rationis; & tunc non potest intelligi quo pacto omnes simul plus possint, quā quælibet, nisi in instanti actionis & concursus ad gratiam aliquo modo vniantur inter se; vniri autem non possunt cùm in successione consistāt, & vltima existente in instanti actionis, reliquæ iam effluxerint: ergo vel sola vltima sufficit, & sic ratio concludit, tantum eleuari subiectum permanens; ac proinde aliæ inaniter ponentur, cùm non iuuent ad productionem gratiæ. ¶ Capreolus cum Palude in. 4. d.1.q.1.art.3.ad.2. Scoti contra.3.conclus.ad.3. Durā di contra.4.conclus. respondet, virtutem actiuam sacramenti tantum esse in vltima syllaba: in ea verò concurrere ad gratiam in ordine ad præcedentes, & virtute illarum. ¶ Sed contra hoc est, quia ordo ad syllabas præcedentes, nihil iuuat ad actionem, cum non sit potentia actiua. Secundó, quia partes præcedentes nihil reliquerunt in vltima syllaba; vt virtute illarum agat. Exemplum verò, quod adduci solet de vltima gutta cauante lapidem virtute præcedentium, non valet: Quia guttæ præcedentes per humiditatem, & mollitiem dispoſuerūt materiam vt motus vltimæ guttæ sufficiens esset ad excauandum: In præsenti verò, præcedentes syllabæ nec attigerunt gratiam in se, cùm iam non essent quando producitur, neque impresserunt animæ, dispositionem aliquam, quæ disponeret ad gratiam, neque etiam ipsi syllabæ vltimæ contulerunt virtutē agendi, nec si contulissent ageret, nisi in virtute formæ inhærentis: ergo nihil iuuarunt ad actionem. Tertiò, quoniā virtus agendi apud authores citatos, est qualitas supernaturalis; illa vero tantum est in vltima syllaba, nec fuit in præcedentibus secundum eosdem: ergo non in virtute syllabarum præcedentium, quæ nullam supernaturalem virtutem habuerunt, dicetur agere syllaba vltima; sed in virtute qualitatis supernaturalis, quam in se retinet; & tunc argumenta concludunt, successiuum non eleuari, sed syllabam permanentem. ¶ Dices, præcedentes partes iuuasse ad significationem, quæ in vltima syllaba completur: ergo similiter ad efficientiam. Respondetur omisso antecedente, quòd aliud est sacramentum significare, & aliud physicè efficere: Nam quamuis hoc secundum supponat primum; tamen omnino distincta est vis significatiua sacramenti à vi efficiēte physica. Quare, difficultas tantum est in modo, quo adiuuent syllabæ præcedentes ad vim physicam, quòd non apparet, non verò ad significationē cui minimè obesse potest successio, vt Theologi dicunt in controuersia de sacramentis.

Secūda cōclusionis pars, quę in fundamento eius explicitè continetur, docet de successiuis cōtinuis

non poſſe informari inhærente qualitate; & hæc clarior, & facilior eſt, faciliuſque oſtenditur. Primò, quia vel eſſet in toto ſucceſsiuo vna qualitas, ita quòd totum tranſcurreret, vel plures, imò infinitæ qualitates eſſent in infinitis partibus eius; Vel ſaltē vna qualitas in aliqua parte, vel mutato eſſe ipſius in ordine ad præcedentes; Non primum, quia cùm nulla pars motus ſit determinata, quin includat ſucceſsionem infinitarum partium, nulli poterit determinate inhærere, imò verò neque determinata, aut indeterminata nulla eſt ſimul, vt illi ſimul poſsit inhærere. Quocirca, niſi proceſſu quodam infinito adæquante ſucceſsionem infinitarum partium ſuccedentium, ſubiectari non poterit in tempore, qui ſanè infinitus proceſſus non eſt intelligibilis propter plura, quæ ſequuntur abſurda contra naturam continui, nec, ſi poſſet intelligi eſt ad rem, cum concurſus ad gratiam debeat eſſe ad finem motus, cui concurſui inanis eſt totus tranſcurſus præcedens. Neque infinitæ qualitates eadem ratione, cùm præcedentes non iuuent illam ad quam ſequitur gratia; nec in aliqua vna parte poterit eſſe qualitas: Quoniam cùm illa ſit eſſentialiter ſucceſsiua, eadem eſt omnino ratio. Nec in mutato eſſe, quia tunc non eleuatur ſucceſsiuum, cùm ordo ad partes præcedētes nihil conferat, vt oſtenſum eſt contra Capreolum. Poſſunt etiam deſumi rationes aliæ ex natura continui, quod numerari non poteſt ſecundum omnes partes, &c. quas ſilentio præterire volo, eo quòd pleriſque calculationibus nos implicarent.

Rurſus perſuadetur eadem pars efficaciter: Nam, cum motus, verbi gratia, abluendi & vngendi non differant realiter ab aqua & oleo, non poteſt intelligi, quo pacto ſubiectari poſsit in illis præciſè qualitas, quia aliud eſt qualitatem illam inhærere aquæ & aquā habentē in ſe qualitatē illā infuſam moueri, aliud verò illam qualitatem infundi motui, & in illo ſubiectari. Primum enim eſt poſsibile, neque eſt contra nos; Secundum verò impoſsibile eſt, neque eget à priori alia probatione, quam cognitione naturæ ipſius motus. Nā aquā moueri motu ablutionis, nihil eſt aliud, quam coexiſtere diuerſis partibus pueri, qui abluitur, in qua ſucceſsiua coexiſtētia non poteſt ſubiectari qualitas, ſed in ipſa aqua quæ coexiſtit, & quidquid aliud dicatur, eſt imaginarium. Secundo licet hoc daremus, adhuc contra hanc partem procedunt rationes ſuperiùs factę pro prima parte huius aſſertionis tertiæ. Quia cum gratia non producatur vſque ad finem motus, etiam ſi qualitas illa ſubiectetur in aliqua parte motus, vel mutato eſſe, non poſſet eleuare præcedentes partes, quæ iam non ſunt, vt tunc concurrerent ad gratiam, vt ſupra oſtenſum eſt.

Moueor etiam: Quoniam vel in tota ablutione eſt vna qualitas, vel ſunt plures; non vna, quia vel ea eſt ſucceſsiua, vt reſpōdeat ſucceſsioni ſubiecti; & hoc eſt impoſsibile in qualitate ſpirituali. Nam quod eſt ſucceſsiuum continuè, debet neceſſariò habere plures partes, vt vna corrupta, altera ſuccedat: implicat autē ſpirituālē qualitatē habere partes aut ſucceſsionem in ſuo eſſe, alias eſſet diuiſibilis; aut non eſt ſucceſsiua ſed permanens; & tunc vel permanet in aliqua parte ſucceſsiua ablutionis, vel in mutato eſſe; non in parte ſucceſsiua, quoniam cùm illa non permaneat, ſed ſemper ſucceſsionem habeat, impoſsibile eſt aliquid in ea permanenter inhærere, quia hoc eſt inhærere partibus permanentibus: Si in mutato eſſe, ſequitur primò non eleuari aliquid ſucceſsiuum, quod eſt pro nobis; Secundò ſequitur non eleuari partem ſacramenti, ſed continuatiuum illius. Quare, illud dabit gratiam, non ſacramentū. Tertiò, ſi illud eſt continuatiuū, iā non dabitur gratia cōſummato ſacramēto, quod eſt falſum; Si terminatiuū, cùm illud ſit primum nō eſſe, ſequitur non poſſe ſubiectare qualitatem; Nam non eſſe motus, non poteſt eſſe ſubiectum. Si dicas, qualitatem illam ſucceſsiuam poſſe eſſe, & ſic ſucceſsione quadam eleuare partes ſacramenti ſucceſsiuas: Cōtra eſt, eo ipſo eſſe debere corpoream, & ex conſequenti adeò improportionatam ad gratiam ſpiritualem atque ipſa ſacramenta; ac proinde egere noua eleuatione, & ſe ipſam eleuare non poſſe; & tandē tunc etiam procedunt rationes pro prima parte aſſertionis factæ. Nam cùm gratia foret conferenda ad finem illius, partes præteritæ non concurrerent, vt ſupra argumentabamur.

### *Quarta propoſitio.*

Conclſ. 4.

QVarta propoſitio. Sacramenta, & inſtrumenta à Deo aſſumpta ad productionem gratiæ, indigent eleuatione Dei, & ratione eleuationis diuinæ poſſunt gratiam producere, & ſupernaturales effectus agere. Hæc eſt expreſſa ſententia D. Thom. præſertim. 3. part. quęſt. 62. art. 1. Vbi in corpore hanc eleuationē vocat ordinationem diuinam, & ſolutione ad. 2. eā vocat diuinam virtutē, & idē repetit art. 4. ſequenti. Et hæc eſt virtus diuina, quam ſancti Patres à Deo eſſe clamāt. Vnde Auguſt. tractatu. 80. in Ioan. ſuper illud Ioan. 15. Mundi eſtis propter ſermonem; &c. Quæ (ait) eſt iſta virtus aquæ, quæ corpus tangit & cor abluit. Et lib. de Cathachiſmo cap. 3. inquit, Virtus verbi per aquam mundauit nos. Chryſoſt. hom. 24. in Ioan. 3. Aqua baptiſmi voluntate Chriſti virtutem accepit ad producendam in anima gratiam D. Cyril. lib. 2. in Ioan. cap. 42. Ad diuinam virtutem aquæ reformantur, &c. Hæc rurſus diuina eleuatio vocatur à D. Auguſt. lib. 19. contra Fauſt. cap. 11. ſacramentorum vis inenarrabilis. Idem dicit ſermo. de Epiphan. ſubtilitas aquæ penetrantis ad conſcientiæ latibula, &c. Idem ſenſit Ambroſ. lib. de ſacrament. capit. 5. & refertur de conſecrat. d. 4. c. Per aquam. Rurſus, hæc virtus ſeu eleuatio dicitur etiā gratia Chriſti in aqua à D. Chryſoſt. homil. 35. ſuper Ioā. Dicitur etiā maxima poteſtas, & gratia à D. Grego. Nazian. Orat. 3. in ſanctū launcrū. Gratia & vis à Beda Luc. 3. Vis regenerātiua ab Epiphanio lib. contra Hæreſes. Tandē dicitur vis purgatiua. Et ſimili bus appellatur nominibus. Vnde, non niſi impudenter negari poteſt à quoquam. ¶ Probatur hoc ipſum ratione: Quia ſacramenta non poſſunt ſine virtute intrinſeca gratiam producere phyſicè: Implicat enim aliquid agere ſine virtute agendi, quia agere ſupponit eſſentialiter principium actiuum, ſicut actus ſecundus ſupponit actum primum: ſed hanc virtutem agendi reſpectu gratiæ non habent ſacramenta naturalem, nec recipiunt eam per qualitatem impreſſam: ergo à ſufficienti diuiſione ſolum



ſolum ſupereſt modus eleuationis quo gratiam attingant: Non enim inſtrumenta hæc naturalia ex ſe habent actiuum principium gratiæ; alias illud eſſet naturale, & ex conſequenti improportionatum, ſicut ipſa natura inſtrumentorum & ſacramentorum corporea. Quare, in explicatione huius eleuationis ingens labor nos manet: Quia eleuatio hæc videtur eſſe quidam actus diuinus; implicat autem vt actus diuinus vniatur ſacramentis tanquam principium quo efficiant. Nam certe maior diſtantia eſt inter obiectum naturale & ſupernaturale, quàm inter duo obiecta naturalia: ſed nō poteſt Deus ſua eleuatione vt potentia naturalis attingat obiectum alterius potentiæ naturalis: ergo neque quòd tranſcendat ad ſupernaturalia obiecta. Et præcipuè hoc eſt difficile: Quia hæc eleuatio nihil ponit in re eleuata, quo poſsit conſtitui inſtrumentum. Et augetur difficultas: Quia de ratione inſtrumenti phyſici eſt, vt habeat proportionem cum effectu; at inſtrumenta corporea, qualia ſunt ſacramenta, nullam habent proportionem cum gratia: alias non eſſet ratio quare vnum inſtrumentum deſeruiret vni effectui, & non alteri, niſi præexigat proportionem cum illo. ¶ D. Auguſt. lib. 22. de Ciui. cap. 9. attingens ſimilem modum difficultatis, nihil audet diffinire. Vnde, ſi inſtrumenta gratiæ productiua non habent virtutē inſtrumentalem, ratione eleuationis, ſequitur, quòd ratione illius non erunt inſtrumenta phyſica. Et S. Tho. 3. p. q. 62. art. 4. pro virtute inſtrumentali interdum aſſignat motum à principali agēte, interdum coniunctionem & ſimilia. Quòd ſi hæc eleuatio eſt extrinſeca; res hæc multo difficilior eſt.

### *Quinta propoſitio.*

Conclſ. 5.

QVinta propoſitio. Eleuatio nihil aliud eſſe videtur, quam actio qua res ex aliquo eſſe ad aliud eleuatur, & ex conſequenti inuoluit tria. Primum illud, eſſe, quod ſupponit, tanquam terminum à quo. Secundum, illud aliud ad quod terminatur, vt ad terminum ad quē. Tertium eſt ipſe proceſſus & progreſſus ab vno termino in alium. Vt ergò percipiamus quid ſupponat eleuatio in re eleuanda, triplex eleuationis modus diſtingui debet, vt ad propoſitum ſpectat. Primus modus eleuationis eſt rei in ſe; non in ordine ad operationem; & hoc pacto ſecundum plures eleuatur anima per gratiam præciſē, quia affirmant illam non eſſe effectiuam: tunc enim in ſe anima fit illuſtrior; & altioris ordinis, & fit filia Dei. Secundus modus eſt, quando res eleuatur ad aliquod poſſe ſupra vires ſuas; vt quando confertur ei potentia ad nouum actum; & hoc dupliciter, vel cùm confertur potentia rei ad illum actum, & ad quem nullam antea habebat, vt cùm aqua per receptionē caloris eleuatur vt calefaciat; vel cùm confertur potentia inadæquata, complens tamen aliquid quod deerat. Tertius modus eleuationis eſt, immediatè ad operationem ipſam, ſine aliquo impreſſo, vt cùm res præhabet potentiam incompletam ad actum, requirit tamen coniunctionem cum alio agente; tunc ex coniunctione cum illo eleuatur ad producendum actum, quem antea non poterat. Quo pacto ſecundum plurimos eleuatur calor ex coniūctione cum anima ad productionem carnis & ſanguinis.

¶ In his omnibus modis eleuationis ſupponitur primò, eſſe, & natura rei eleuandæ: eleuatio enim vt ipſum nomen indicat, nunquam dat primum eſſe rei, ſed illud prouehit & eleuat vltra naturales limites. Secundò ſupponitur actualis exiſtentia rei eleuandæ: eleuari enim non poteſt res cùm non eſt: Quia eleuare, eſt prouehere in melius: implicat autem vt id, quod nullū habet eſſe, in melius prouehatur: ergo ſimiliter implicat, quòd ſacramenta ad gratiam eleuentur quando non ſunt. Idq; conſtat aperte ex triplici modo eleuationis explicato: Nam in primo & ſecundo imprimitur aliquid rei eleuandæ. Quare, vt illud ſubiectet in ſe ipſa, euidēs eſt, quòd requiritur ipſam eſſe. In tertio autem modo eleuationis, licēt nihil imprimatur, requiritur tamen actualis coniunctio cum alio agente, ideſt, ſimultaneus concurſus, quem res eleuanda niſi exiſtat, habere non poteſt. Tertiò ſupponitur ad primum modū potētia receptiua illius quod imprimitur: niſi enim illud ſubiectare poſſet, per illud eleuari non poſſet. Et hoc modo ſupponitur in anima potentia ſubiectiua gratiæ, quæ dicitur obedientialis paſsiua. *Obiectio.* ¶ Dices, poſſe rem aliquam eleuari hoc primo modo, ſine aliquo impreſſo, vt ſi Deus non infundat animæ gratiam, ſed illam diligat, & ordinet ad vitā æternam; tunc enim erit eleuata & filia Dei, ac proinde hæres beatitudinis. *Reſponſio.* Reſpondetur tamen, quòd quamuis id concedatur; tamen tunc non erit intrinſecè eleuata in ſe, ſed denominatione extrinſeca à diuina dilectione. De qua re nihil ad præſens, ſed reduci poteſt ad primum modum. Quārtò ſupponitur ad ſecūdū modū eleuationis præter potentiā ſubiectiuam, quòd ſubiectum ſit actiuum media potentia ſuperaddita ad modum, quo anima agit medio intellectu; aliàs non eleuabitur ad agendum, ſed ſolum ad ſuſtentandum potentiam agentem, vt cùm aqua recipit calorem, quæ propriè non agit medio calore, ſed ſolum denominatur agere, quia illum ſuſtentat, & actiones ſunt ſuppoſitorum, &c. Vel ſupponit potentiam, quaſi partialem ad actum, iuxta ſecundum modum ſupra explicatum, cùm confertur de nouo potentia inadæquata complens inadæquatam præexiſtentem; ac proinde illam ſupponit. Verum hæc quarta ſuppoſitio tantum ponitur ab illis, qui putant, conſtituendam eſſe potentiam obedientialem actiuam in creaturis, etiam in ordine ad effectus ſupernaturales. De qua re iterum redibit ſermo inferius. Quocirca, ad tertium modum ſupponitur potentia actiua in re, quæ eleuatur; eius tamen conditionis, vt ſine aliquo impreſſo ex coniunctione ſola cum alio agente non compleatur. Et hæc, vt dixi, vocatur à pleriſque potentia obedientialis actiua in ordine ad actus præternaturales, vel ſuper naturalis actiua; & hæc eget ſpeciali Dei concurſu & imperio vt exeat in actum ſecundum; & ob id dicitur operari per obedientiam; Quoniam iuncta imperio Dei operatur. ¶ Secundum, quod eleuatio exigit eſt terminus ad quem eleuat: Nam eo ipſo, quòd rem per eleuationem attingit, euidens eſt illū natura ſua attingere non poſſe, aut ſaltem illo modo; alias non egeret eleuatione. Terminus autem hic aliquando erit præternaturalis, vt ſi aqua eleuetur ad calefaciendum, ſine calore impreſſo, vel ignis ad frigefaciēdum, &c. Imò, quicūque terminus,

qui

qui non sit naturalis vel connaturalis rei eleuatæ; ille omnis,est præternaturalis:aliquando verò supernaturalis,vt cùm eleuantur instrumenta & sacramẽta ad productionem gratiæ,& intellectus ad beatificam visionem. Quid autem sit terminum esse supernaturalem,vel præternaturalem,non est huius loci. Suppone tamen,res quasdam esse alicui naturæ connaturales,hoc est sibi debitas,iuxta suam naturam; alias verò supernaturales & altioris ordinis; alias tandem præternaturales non altioris ordinis, sed sui;non tamen sibi debitas, sed alteri naturæ eiusdẽ ordinis,illo vel diuerso modo. Tertium,quod eleuatio importat,est actio, qua res habens ea,quæ ostẽdimus præsupponi,constituitur in termino explicato,quæ vt ad præsens attinet,est diuina volitio efficax producendi gratiam medijs sacramentis,aut instrumentis; ita vt ex vi vtriusque concursus, simul gratia producatur tertio modo eleuationis explicato iam.

*Sexta propositio.*

*Conclus.6.* SExta propositio. Ex vniuersis modis eleuationis, quibus eleuari potest instrumentum ad causandam gratiam,vel ad supernaturalem effectum aut præternaturalem; primus non est sufficiens in sacramentis, neque quadrat eleuationi sacramentorum.Nam, cùm primus modus eleuationis non sit ad operationem, sed ad ornatum rei in se,non potest quadrare in præsenti;quia nunc inquiritur eleuatio operatiua gratiæ per sacramenta; & non illustratiua ipsius sacramenti præcisè.Quapropter,secundus & tertius modus eleuationis multò magis conueniunt præsenti instituto, licet secũdus modus non sit ita aptus,sicut tertius,ex eo quòd requirit potentiam aliquam nouè infusam,quam non imprimi,neque infundi sacramentis, rationabilius est.Superest ergò eleuationis tertius modus,in quo duo videntur necessaria. Primò ipsa potentia in reeleuanda ad effectum mirificum: Secundo coniunctio eius cum alio agente,ex cuius motione moueatur, vt ex vi vtriusque fiat effectus, vt S.Thom.significat.3.p.q.62. vbi supra. Et quod hæc duo requirantur, id ostendendum est à nobis. Et in primis id ostenditur de potentia actiua : Quoniam tripliciter potest constitui res eleuanda.Primò essentialiter limitata ad has operationes, ita vt extendi non possit ad alias, quomodo potentiæ non vitales constituuntur,in quibus nulla eleuatione fieri potest, vt attingere possint vitales actus. Vel secundò non limitata essentialiter, sed capax concurrendi ad actũ per potentiam receptam, eam tamen à natura non habens,aut denique tertiò habens potentiam sufficientem vt cum concursu speciali causæ superioris attingat effectum; præcipuè quando potentia ex eo quod ascendit ad alium ordinẽ,efficitur sufficiens; quod euenit ex eleuatione & concursu,atque motione Dei. Neque potest esse quartus modus, quo sufficientem habeat potentiam, vt per se ipsam attingat effectum:tunc enim non egeret eleuatione, sed foret causa principalis. Primo modo res illa eleuari non potest: Quia implicat, vt res quæ essentialiter est limitata ad aliquas actiones, ita vt non ad alias,eleuetur ad illas; alioqui non esset essentialiter limitata. Vtrum autem sit,vel esse possit aliqua res huiusmodi respectu aliquarum, vel omniũ operationum, dicemus postea. Secundo autem modo res illa necessariò eget qualitate superaddita, vt media illa agat. Tertio tãdem modo requiritur præhabere potentiam vt ex vi eius & coniunctionis cum alia causa concurrente & mouente, sequatur effectus;& hæc erat pars probanda. Et confirmatur: Quia potentia ad effectum est necessaria, vt dictum est:ergo vel infundẽda est totaliter de nouo ipsis sacramentis,vel præhabenda,iuxta hunc tertium modum, in hoc sensu, quòd potentia præexistens non censeatur potentia respectu gratiæ & miraculorum ad mirificos effectus,nisi illa ascendat ad alium ordinem,tùm ex diuina eleuatione, tum secundò ex coniunctione cum causa eleuante, tum tertiò ex diuino concursu & motione. ¶ Quod autem præter potentiam,quæ in re quæ debet assumi vt instrumẽtum agendi,requiratur coniunctio cum causa eleuãte : facilè patet & constat : Quia hæc potentia, quæ præhabetur,iuxta tertium modum, neque est adæquata, neque propriè potentia, vt supponimus in tertio modo eleuationis;imò verò implicat talis potentia respectu gratiæ, vt ostensum fuit à nobis:ergò, quod deest tali potentiæ præter capacitatem adhoc vt exeat in actum, speciali concursu causæ eleuantis, suppleri debet:nam hoc requiritur ad actum primum adæquatum ipsius potentiæ.

Quòd verò duo hæc iam dicta sufficiant,ostenditur: Quia modus hic possibilis est, vt efficaciter ex dictis constat. Et reperitur similis constitutio in naturalibus:Nam potentiæ vitales intellectus,& voluntatis,&c.quamuis sint potentiæ obedientialiter subditæ Deo,vt Deus vti possit eis instrumentaliter ad effectum aliquem diuinum vltra naturæ latitudiné: tamen secundum se præcisè non sunt in actu primo respectu effectuum supernaturalium,neque adequatè neque inadæquatè, si propriè loquamur : sed ex coniunctione cum concursu causæ eleuantis,& motione eius;sicut ascendunt ad alium ordinem,sic efficiunt adequatũ & sufficiens principium ad actũ. Imò verò, intellectus & voluntas in naturalibus præcisè, sunt potentiæ vitales inadæquatæ ad effectum,tamen ex coniunctione cum concursu animę efficiunt sufficiens & adæquatum principium ad actum.Et hoc idem similiter euenit in supernaturalibus in lumine gloriæ, charactere, habitibus fidei, spei,& charitatis,indigentibus etiam speciali concursu Dei ad actus:ergò in his quæ eleuantur; proportionabilis constitutio est possibilis.Tandem, si implicaret, eò esset, quia dari non potest potentia inadæquata,aut quia eius inadequatio suppleri non potest ex coniunctione causæ eleuantis per coniunctionem & concursum, &c. Vel quia non potest transmitti illa potentia Deo obediens, ad alium ordinem ex eleuatione & concursu Dei,&c.Sed non propter primum, vt multi dicunt, & in adductis exemplis de facto constat in naturalibus.Nec propter secundum aut tertium:Quia sicutDeus in genere causæ efficientis potest supplere quancumque causam,ita similiter potest transferre potẽtiam obedientialiter subditam Deo,ad ordinem excellentiorem, vel sicut potest supplere quamlibet causam, sic pariter complere cuiuslibet potentiæ inadæquationem.Vnde,supplendo lumen gloriæ de potentia absoluta



absoluta, potest cõcurrere cum intellectu beati ad visionem, & sine specie parietis de plenitudine potestatis supplendo speciem, potest concurrere cum potentia visiua ad visionem,complendo inadæquationem potentiæ:ergò.

*Septima propositio.*

*Conclus.7.* SEptima propositio. Omnis potẽtia actiua,siue sit actiua respectu suæ actionis, siue talis potẽtia sit contactus, siue quidpiam aliud, est in obediẽtia & subiectione ad Deum, vt per eam Deo eleuante ipsam, faciat Deus quidquid non repugnat. Verùm talis potentia non est sicut illa, quam recentiores Theologi modò constituunt dicentes, eam esse innatam actiuam obedientialem, vt infra ostendemus; Nam hæc innata potentia, sicut à quibusdam garrulis Theologis constituitur,impugnata est à nobis suprà opinione. 1. in exordio huius cõtrouersiæ.Solum enim nos volumus donare obedientialem potentiam, scilicet, cum obedientia & subiectione ad Deum, vt possit ratione ipsius creaturæ,vel instrumentum eleuari per diuinam potentiam & virtutem ad operandum supernaturales effectus & actiones;non tamen volumus stabilire potentiam obedientialem actiuam,quæ sit virtus effectiua & actiua innata creaturis respectu effectuum supernaturalium & diuinorum,sed solùm volumus cum S.Thom.in.4.d.8.q.2.art.3.ad.4.quòd sicut creaturæ ineſt obedientiæ potentia,vt in ea fiat quidquid creator dispoſuerit; ſic etiam vt ea mediante fiat quidquid ipſe diſpoſuerit, vt ſic poſsit habere rationem inſtrumenti, & hæc non vocatur propriè potentia obedientialis actiua innata creaturæ, ita vt ſit membrum condiſtinctum à potentia obedientiali paſsiua; Imò verò ipſa potentia actiua eſt in potentia obedientiali paſsiua, vt ea vtatur Deus eleuando ipſam, & deducendo ad altiorem ordinem reſpectu effectuum diuinorum, de quibus loquimur. ¶ Hæc videtur mihi eſſe ſententia Diui Auguſt. libro. 9. de Geneſi ad literam, qui dicitur imperfectus,capit. 17. Quo loco, explicando limites naturales creaturarum ſecundum naturæ curſum communem, in hæc verba prorumpit; Vnde ſit,vt de grano tritici non naſcatur faba,vel de faba triticum, vel de pecore homo, vel de homine pecus? Super hunc autem motum, curſumque rerum naturalem, poteſtas creatoris habet apud ſe poſſe de his omnibus facere aliud, quam eorum quaſi ſeminales rationes habent : non tamen id quod in eis poſuit, vt de his fieri vel abſque ipſo poſsit. Neque enim potentia temeraria, ſed ſapientiæ virtute omnipotens eſt, & hoc de vna quaque in ſuo tẽpore facit, quod ante in ea fecit vt poſsit. Alius ergo eſt rerum modus, quòd illa herba ſic germinat, illa ſic, illa ætas parit, illa non parit, homo loquipoteſt, pecus non poteſt. Horum & talium modorum rationes non tantum in Deo ſunt, ſed ab illo etiam rebus creatis inditæ atq; concreatæ. Vt autem lignũ de terra exciſum aridum, perpolitum, ſine radice vlla, ſine terra & aqua repente floreat, & fructum gignat, vt per iuuẽtam ſterilis fœmina in ſenectute pariat, vt aſina loquatur : & ſi quid eiuſmodi eſt, dedit quidem naturis quas creauit, vt ex eis & hæc fieri poſſent. Neque enim ex eis vel ille faceret, quod ex eis fieri non poſſe, ipſe præfigeret; quoniam ſe ipſo non eſt, neque ipſe potentior. Verumtamen, alio modo dedit, vt non hoc haberent in motu naturali, ſed in eo quo ita creata eſſent, vt eorum natura voluntati potentiori amplius ſubiaceret.Et, vbi apertiſsime D. Auguſt. loquitur non de potentia naturali,quam in principio excluſit,neque de potentia innata, quam iuuenes Theologi dicunt eſſe potẽtiam actiuam obedientialem ad actiones miraculoſas efficiendas, & ad iuſtificationem & productionem gratiæ, de qua ipſi fatentur, non eſſe aliud ab entitate naturali rei, ſed includi in conceptu eſſentiali cuiuſlibet entis creati naturalis: ſed loquitur de potentia obedientiali, quæ in eſt creaturæ vt in ea fiat, vel per eam fiat quidquid creator diſpoſuerit. Et hæc eſt ipſiſsima D. Thom. ſentẽtia in.4.d.8.loco citato,Vbi q.2.artic.3.ad. 4.in quit; Sicut creaturæ ineſt obedientiæ potentia vt in ea fiat quidquid creator diſpoſuerit, ita etiam vt ea mediante fiat, quæ eſt ratio inſtrumenti. Quaſi diceret, creaturam non ſolum eſſe in potentia paſsiua obedientiali, vt in ea fiat quod Deus ipſe diſpoſuerit, ſed etiam eſt in potentia obedientiali, vt per eam Deus faciat, ſeu mediante ea,quod ſibi placuerit, in quo conſiſtit ratio inſtrumenti. Non ergò conſtituenda eſt potentia obedientialis, quæ ſit virtus effectiua & actiua, ſed ſolum eſt conſtituenda potentia obedientialis, ratione cuius creatura eleuari poſsit per diuinam potentiam & virtutem ad operandum ſupernaturales effectus & actiones.Vnde, non eſt concedendum, eſſe potentiam actiuam innatam naturalem imbibitam in eſſentiali conceptu cuiuſlibet creaturæ, ad iuſtificandum aut producendum ſupernaturales effectus, neque proximam neque remotam, vt ſupra à nobis efficaciter oſtenſum eſt opinione prima, in eius impugnatione. Et hoc vltimo loco in poſtremis verbis illius capitis aperte D.Aug.tradit dicens; Nõ hoc habere res in motu naturali, ſed ex eo quòd ita creatæ ſunt, vt natura earum voluntati potentiori amplius ſubiaceat.Non ergò vult Aug.eſſe potentiam innatam actiuam creaturis,reſpectu ſupernaturalium,ſed ſolùm eſſe obedientiam in creaturis,vt ex eis & per eas Deus faciat quod ſibi placuerit.In quo ſenſu fatemur eſſe potẽtiam hanc in creaturis, quod eſt dicere, omnem potentiam actiuam cuiuſlibet creaturæ,eſſe in potẽtia obediẽtiali,vt ex diuina eleuatione & concurſu,Deus faciat per eã quod voluerit. Et q̃ hoc ſit de mẽte Aug. in ſenſu explicato,conſtat ex his quæ D.Aug.tadit cap.18. ſequenti:Vbi aſſerit, Deum in ſe ipſo habere abſconditas quorundam factorum cauſas, quas rebus conditis non inſeruit;ac proinde non eſſe ad omnes effectus in creaturis hanc potentiam actiuam.Et hic modus dicendi etiam traditur à Caietano, quantum intelligere poſſum.3.p.q.78.art. 4. Quem etiam inſinuat Alenſ.4.p.q.34.memb.5.artic.2.

*Aduerte.*

*D.Auguſt.*

*Lib.9. de Geneſi ad literam. Auguſtin.*

*Caietanus.*

*Alenſis.*

Quòd verò in creatura ſit potentia obedientialis paſsiua reſpectu creatoris, non ſolum vt in ea fiat quod Deus diſpoſuerit, ſed etiam vt per eam fiat à Deo quod Deus ipſe diſpoſuerit, tanquam per inſtrumentum à ſe ſumptum; probatur : Quoniam creatura ſubijcienda eſt ſuo creatori omni ſubiectione poſsibili: ergo omnis potentia etiam actiua

cuius

cuiuslibet creaturæ est in obedientia & subiectione ad creatorem, vt per eam Deus ipsam eleuando, faciat quidquid non repugnat. Quæ sanè obediẽtia & subiectio creaturæ respectu creatoris, prouenit ex omnimoda dependentia, quam ab eo habet in fieri, conseruari, & agere, &c. Quare, tota creatura illi obedientialiter est deseruiens ad omne possibile, & ex consequenti ratione huius subiectionis potest creatura deseruire Deo ex eleuatione eius ad diuinos & mirificos effectus.

Sed, vt hæc intelligas aduerte, quòd quamuis in ordine ad effectus insolitos præter naturæ cursum, qui ex parte termini secundum substantiam sunt naturales, posset non improbabiliter omnino concedi ~~insolitos, omnino concedi~~ ista potentia actiua obedientialis; tamen in ordine ad effectus supernaturales omnino, vt ad iustificationem & gratiam efficiendam, non potest constitui ista potentia obedientialis actiua innata inclusa in conceptu essentiali naturali cuiuslibet creaturæ. Nam certè, potentia naturalis actiua innata creaturis, quam aduersarij dicunt obedientialem actiuam, non est in actu primo etiam inadæquato ad causandam iustificationem & gratiam: Quia certè vis & potentia quæ imbibitur in conceptu essentiali naturæ entis creati, est intra ordinem naturæ: sed ordo iste naturæ non potest esse sufficiens ad hoc, vt creatura dicatur esse in actu primo, etiam inadæquato respectu effectuum supernaturalium, scilicet, gratiæ & iustificationis. Quod præcipuè est verum: Quia esse in actu primo inadæquato in ordine ad causalitatem gratiæ & iustificationis, est esse in actu primo supernaturali inadæquato: sed hoc non potest conuenire vllo pacto creaturis intra solum naturæ essentialem conceptum: ignis enim aut calor eius, nõ possunt esse in actu primo supernaturali, etiam inadęquato ex proprijs naturæ principijs, in ordine ad causalitatem gratiæ aut iustificationis. Sanè cùm potentia ex actu specificetur, ex termino quoque & obiecto, si actus supernaturalis est, & terminus atque obiectum, sequitur, quod ipsa potentia supernaturalis erit; & hanc supernaturalitatem habere non potest neque in actu primo inadæquato, aut adæquato, nisi ex vi eleuationis & coniunctionis ad Deũ, & diuini motus, ex quibus habet vt possit esse in actu primo & secundo respectu diuinorum effectuum. Et confirmatur: Quia sicut stat in naturalibus esse in actu primo inadęquato, & in actu primo adæquato respectu effectuum naturalium, ita intra ordinem effectuum supernaturalium producendorũ stat, rem aliquã esse in actu primo supernaturali inadæquato, & in actu primo adæquato, respectu effectuum supernaturalium producendorum: ergò si vnaquæque res creata habet potentiam innatam actiuam ad supernaturales actiones, quæ non est aliquid distinctum ab entitate naturali ipsius rei; sequitur, quòd ex naturæ principijs est in actu primo supernaturali, quamuis inadæquato respectu causalitatis gratiæ & iustificationis, & effectuũ supernaturalium. Quod mihi tutum nõ videtur, vt diximus fusius *in impugnatione primæ opinionis* nõ longè à principio huius cõtrouersiæ.

Moueor etiam: Quia illa potentia actiua innata, quam in omni creatura aduersarij constituunt ad iustificationem & opera miraculosa, vel est naturalis vel supernaturalis; si naturalis, ergo omnino improportionata ad actiones & effectus supernaturales. Imò verò si naturalis est, sequitur, quod ex principijs naturæ emanat potentia effectiua gratiæ & iustificationis, siue illa sit potentia remota, siue quippiam aliud, aut entitas rei creatæ in ordine naturali. Si dicas, quòd est potentia supernaturalis; tunc sequitur quòd à principijs naturalibus creaturæ oritur supernaturalis virtus, seu potentia actiua & productiua supernaturalium actionum & effectuum: imò verò effectiua miraculorũ, quæ sanè omnia superant totum naturæ ordinem: ex quo etiam sequeretur, quòd natura ipsa contulisset virtutem suprà se ipsam. ¶ Et confirmatur: Quia si est constituenda potentia actiua in creaturis quibuslibet miraculorum productiua & gratiæ, quam isti vocant potentiam innatam obedientialem actiuã; sequitur, quòd illa est aliquid superaddirum naturæ; nam si est supernaturalis & actiua ad operationes mirificas, implicat quòd non sit aliquid superadditum naturæ, & tunc sequitur, quòd in omnibus creaturis viuentibus & nõ viuẽtibus à principio suæ generationis indita est illis potentia actiua, supernaturalis superaddita naturæ: Vel si non est superaddita naturæ, sequitur, quòd est ipsa entitas rei; & in quauis responsione istarũ sunt mille absurda. Vnũ admonere volo, quòd authores huius potentiæ actiuæ nõ loquuntur consequenter. Nam quidã dicunt, talem potentiam esse ipsam entitatem naturalem rei; ac proinde esse potentiam remotã, sed inclusam essentialiter in conceptu entitatis cuiuslibet rei creatæ. Alij verò dicunt esse potentiam supernaturalẽ superadditã creaturæ, & vtrique authores sunt eiusdem familię. Sed profecto hoc malè dicitur, vt ex dictis constat: quia vt sit potentia obedientialis passiua in creaturis, solùm requiritur, quòd respectu creatoris & suæ potentiæ actiuæ dicatur esse obedientialis passiua: Nam creatura non dicitur esse in potentia obediẽtiali; nisi respectu creatoris; ac proinde potentia actiua, in creatore solum debet constitui, respectu illius obedientialis, quæ est in creatura. Et hæc est sententia D. Thom. in 3. d. 2. q. 1. art. 1. in corpore; vbi ait quòd nulla potentia passiua naturalis, est in natura, cui non respondeat potentia actiua naturalis agẽtis; potẽtia vero obediẽtiæ, respõdet diuinæ potẽtiæ: nõ potẽtiæ creaturæ sed creatoris; Quare, &c.

Moueor vlterius ad nostrã sententiã: Quia fundamentum & ratio aduersariorum est huiusmodi: Datur potẽtia obedientialis passiua in creaturis, respectu omnium actuum etiam supernaturalium: ergo pari ratione admittenda est ista potẽtia obediẽtialis actiua miraculorũ & iustificationis factiua. Nã certe, non est infirmior potentia actiua Dei, vt non possit medijs creaturis, tanquã instrumentis operari, & vti potentia actiua earundẽ creaturarum. Sed profecto hæc ratio nõ militat pro ipsis, sed potius pro nobis, qui fatemur quòd potest Deus operari medijs creaturis & actionibus earum, veluti instrumentis ab ipso assumptis & eleuatis; sed ex hoc non sequitur, quòd ipsæ habeant hanc actiuam potentiam. Præcipue hoc est verum, quia intellectus humanus & angelicus, licèt efficienter concurrant ad actus supernaturales; tamen non concurrunt nisi



nisi quatenus prius ascendunt, & iam sunt potentiæ eleuatæ, ad ordinem superiorem intra latitudinem supernaturalium ex Dei supernaturali virtute, vel supernaturalibus habitibus, aut lumine gloriæ in patria. Nam intellectus humanus ex se ipso, & ex suis naturæ principijs non confert vim & actiuitatem ad beatam visionem, aut ad supernaturalẽ actionem omnino. Vnde, tota actiuitas quæ ad visionem beatificam extenditur, ex quantitate luminis gloriæ procedit. Item etiam, quia cum potentia obediẽtialis passiua solũ sit respectu creatoris constituenda; ex hoc solum colligitur, quòd potentia actiua circa ipsam, in solo creatore ipso, est ponenda & nõ in ipsa creatura, vt autores oppositę sentẽtię faciũt. ¶ Dices; creaturã deseruire Deo in ordine ad actionem, est simul concurrere cum Deo: ergo in creatura reperitur huiusmodi potentia. Respondetur, cõcedo quòd est simul concurrere, sed ex diuina eleuatione assumente eam vt instrumentum. Nam certe, quælibet potentia creaturæ, est in potentia obedientiali vt ex ea aut per eam Deus faciat veluti instrumẽto quod voluerit, & vt ea vtatur instrumẽtaliter ad id, quod non repugnat. Et hoc non est cõstituere potentiam actiuam miraculorum, ad modũ quo aduersarij eam constituunt. Mirabile est, quo nam pacto authores huius potentiæ actiuæ impugnent qualitatem superadditam instrumẽtis ad productionem gratiæ; cùm tamen eisdem argumentis, quibus hoc impugnant, si illa sunt efficacia, similiter impugnetur ista potentia obedientialis actiua innata in creaturis, quæ est vera qualitas. Cęci enim sunt: Nam proprijs ipsorum argumẽtis, quibus præfatam sententiam reijciunt, suam repellunt. Quocirca, legere oportet secundam opinionem in exordio positam, & argumẽta, quibus impugnatur; quia ferè illa omnia tenentur dissoluere authores huius potentiæ actiuæ innatæ.

Adducor tamen ad nostrum modum dicendi: Quia *non est positum in opinione*, an Deus possit assumere actionem creaturæ, vel quemlibet eius contactum aut potentiam actiuam creaturæ vt instrumentum agendi; quia hoc est certum in omni opinione. Imò verò, quælibet potẽtia creaturæ, etiã actiua, est in quadam obedientia seu potentia obediẽtiali passiua instrumentali, vt ea veluti instrumento vtatur Deus ad supernaturales effectus: ergò hoc sufficit ad constituenda vera instrumenta cum diuina eleuatione, & virtute, atque concursu Dei, respectu effectuum diuinorum, & non requiritur ista potentia actiua innata, qualem aduersarij cõstituunt. ¶ Dices; Non implicat potentia incompletè productiua trãssubstãtiationis, vt character: ergò non implicat qualitas incomplete productiua gratiæ, qualis est ista potentia actiua obedientialis ad omnes effectus possibiles sub diuersis Dei imperijs. Respondetur, non implicare superadditam qualitatem ordinis supernaturalis, qualis est character; implicare verò quòd detur ista potentia actiua innata, seu qualitas operatiua, & causatiua gratiæ: Quia hęc non est superaddita qualitas supernaturalis, sed est ipsa entitas creaturæ in conceptu intrinseco entitatis rerum inclusa, & innata creaturis, vt authores eius fatentur; implicat verò talem potentiam constituere, sed solum decet priùs quamlibet entitatẽ ascendere ad supernaturalem ordinem, vt sic fiat instrumentum diuinorum effectuum.

### *Octaua propositio.*

*Concluſ. 8.*

Octaua propositio. Intelligi non potest quo pacto sacramenta ex sola coniunctione præcisè cũ Deo, vt causa principali, secluso omni alio, hoc est, concursu supernaturali speciali, & Dei motione, habeãt potentiã & vim instrumentalitèr productiuam gratiæ. Probatur: Nã ante coniunctionem cum Deo, sacramenta non poterant gratiã producere, & ex coniunctione præcisa cũ Deo nihil habent, quo producere possunt: ergo neque vt cõiũcta Deo illã valẽt producere. Maior est necessaria, & verissima: Quia alias ex cõiũctione ipsa cũ Deo non haberent concurrere ad nobiliorem effectum, quod est contra eos, qui putant, ex sola coniũctione præcisa cũ Deo, vt causa principali, sacramẽta habere potentiam instrumentalitèr productiuã gratiæ. Minor probatur, tùm quia ratio agendi debet esse intrinseca; tum etiam quia diuina voluntas quæ est principium productiuum gratiæ in Deo, est extrinseca omnino sacramentis: ergò sacramẽta ex sola coniunctione cum Deo, non habent principiũ quo possint agere, sed requiritur quòd in ipsis sit vis causæ principalis. Coniũctio namque sola cùm non addat vim sacramento, non efficit vt vi illius sequatur gratia, sed vi diuina & cõcursu eius. Et cõfirmatur: Quoniã vel tota actiuitas gratiæ prouenit à diuina virtute, vel partim & principaliùs à diuina virtute, partim verò à virtute creata sacramẽtorũ; si solũ à diuina virtute: ergò solus Deus qui illã habet erit causa gratiæ, sicut calidũ solũ est causa caloris, quia calidũ solũ habet virtutẽ calefactiuã. Si partim à diuina virtute creata: ergò est virtus creata in sacramẽtis productiua gratiæ. Tũc vltra, Vel hãc virtutẽ accepit sacramẽtũ à coniunctione cum Deo, & sic erit distincta realitèr, cũ denouo adueniat; vel eã antea habebat sacramentũ; & sic non tantũ ex coniunctione cũ Deo fit productiuũ gratiæ; vel deniq; ipsa cõiũctio est virtus productiua; & hoc nõ: Quoniã coniungi cum Deo, nihil aliud est, quã relatio si mutanei concursus ad effectũ; relatio verò illa esse non potest vis productiua gratię, imo potiùs fundatur super vim concurrentem, ac proinde ptius natura eam supponit in sacramento.

Rursus ostenditur præfata assertio: Quia si sacramentũ haberet producere gratiã ex sola coniũctione ipsa cũ velle diuino, sine alia proportione instrumenti, aut speciali concursu & motione intrinsecè recepta, pari ratione posset etiã esse instrumentum ad creationẽ ex hac sola cõiunctione cũ Deo creãte, seu cũ diuino velle. Patet sequela: Quia si nulla alia aptitudo inest instrumento vt coniungatur agẽti principali ad agendũ, eadẽ facilitate qua Deo cõiungitur ad gratiæ productionẽ, poterit etiã coniũgi ad creationẽ. Neq; sumi potest aliunde implicatio hęc, quòd proportionalitèr non sumatur in ordine ad gratiæ productionem. ¶ Confirmatur: Quia in *omni instrumento* requiritur prætèr coniunctionẽ & vnionẽ, motio & virtus agentis impressa, vt actiuè agat & concurrat ad effectũ principalis agentis: ergo non sufficit sola illa coniunctio & vnio. Simile est in instrumẽtis naturalibus & artificialibus in-

tra naturæ ordinem præcisè, inquibus præter actũ coniũctionis ipsius instrumẽti cũ ipso agente principali, intelligitur quædã aptitudo aut potentia in ipso ad instrumentaliter agendum; aliàs non esset ratio cur magis calor esset instrumentũ ignis, quam humiditas in ordine ad productionẽ ignis; in chordis etiam ante actuale mvsum, & coniunctionẽ cũ pulsante easreperituraptitudo, vt edant concentũ. Idem euenit in calamo, in quo præter coniunctionem, oportet ipsum esse paratum: ergo similitèr in instrumentis à Deo assumptis præter vnionem, requiritur motio, & virtus agentis impressa in ipsis, vt operentur effectum principalis agentis.

Ad hæc: Quia Deus vel imperat sacramentis, vt accipiant vim, motionem, & virtutem productiuã gratiæ, vel vt producant gratiam, sine vlla receptione istorum. Si dicas primum, habetur intentũ, quòd sacramenta non ex sola vnione, & coniunctione; sed ex receptione illius virtutis & motionis, & eleuatione & concursu Dei speciali, concurrunt ad effectum principalis agentis. Si dicas secundũ, id quidem implicat; sicut implicat effectum produci, sine virtute productiua in producẽte, ex vi cuius fit: sic implicat Deum velle, & imperare vt sacramenta producant gratiam, quin illis det vim, virtutẽ, seu potentiam productiuam: esset enim ineptum imponere seruo imperium, vt efficiat quod illi est impossibile: ergo, &c.

*Responsio. contrariorũ*

Quartò persuadetur: Nã inquiro, quid sit illa vnio seu coniunctio sacramentorum cum Deo, præcisè sumpta? Non localis: Quia omnibus rebus Deus est intimè præsens; Neque hypostatica, aut per inhæsionem, vt de se patet. Respondent authores oppositæ sententiæ, quòd sicut Dominus vnitur seruo per imperium, quo illi præcipit, ita Deus cum sacramẽtis per imperium, vt producant gratiam. Et si objcias, dominum non conferre seruo virtutem physicam agẽdi, quantumuis illi vniatur per imperiũ; & quòd pari ratione, neque Deus quantumcunque imperet sacramentis, Respondent, esse differẽtiam: Quia imperium hominum non est physicè effectiuum rerũ, quæ præcipit; sicut est imperium diuinum, iuxta illud Prophetæ. Ipse dixit & facta sunt, &c. Sed ad huc responsio hæc non satisfacit: Quia vnio per imperium præcisè solum est dominum esse imperantem, & seruum esse exequentem: ergo vt dominus vniatur seruo per imperium, necessaria est in seruo virtus, & vis executiua, vel illi danda est simul cum ipsa vnione, vel priùs natura: ergò si ex vi imperij præcisè non tribuatur vis sacramentis, cùm ipsum non inhæreat illis, sequitur, quòd ex sola cõiunctione cum imperio non poterunt ipsa instrumenta & sacramenta gratiam producere; nisi in ipsa coniunctione ad imperium recipiant vim & virtutem ad effectum principalis agentis, & ad concurrendum cum imperio.

*Obiectio.*

*Altera contrariorum. responsio.*

*Impugnat.*

Quocirca, dicendum est, quòd sacramenta ex eo quòd subordinantur Deo specialitèr, & eleuantur, concurrunt, Deo ipsa mouente, ac proinde donante eis virtutem. Vnde cùm Deus vtitur instrumẽtis ad productionem gratiæ, præter vnionem & subordinationem eleuantur & suscipiunt virtutem agendi, & concurrendi ad effectum principalem, respectu cuius instrumentaliter agunt. Et ob eandem causam sacramenta eo ipso, quòd subordinantur Deo, coniunguntur, atque vniuntur illi vt causæ principali, cum non habeant ante subordinationẽ & vnionẽ vim productiuã gratiæ, postea eã recipiũt, vt sic valeãt producere gratiã: requiritur enim quòd vim recipiant sufficienter. Quia cum Deus cum sacramentis concurrit ad gratiæ productionẽ, causa adæquata eius non tantum est Deus, sed Deus cum sacramentis; & ob id requiritur vt sacramenta constituantur in actu primo supernaturali adæquato, & completo, vt in actum secundum exeant, qui est ipsa productio gratiæ: Et ita necessariò requiritur vis illa, quæ tribuitur sacramentis simul cũ ipsa subordinatione, & coniunctione ad Deum.

*Nona propositio.* *Concl.9.*

NOna conclusio. Sacramenta Deo subordinata & vnita ad agendum, recipiunt à Deo vim, vt valeant attingere effectum principalem gratiæ; ex eo quòd assumuntur & mouentur; qui motus, vt à Deo procedit supernaturalis virtus est instrumentum constituens in actu primo adæquato ad productionẽ actualem gratiæ, vel alterius effectus supernaturalis. Itaque, præter hoc, quòd in creaturis est potentia obedientialis vt Deus illis vtatur, suisque actionibus, & virtutibus vt instrumẽtis, requiritur vis supernaturalis in ipsis quibus proportionentur ad effectum supernaturalem instrumentalitèr: Quia & hoc est necessarium in agẽtibus naturalibus: requiritur enim in illis, vt sit aptitudo, vis, aut virtus vt attingant effectũ principalis agentis. Cũ ergo in supernaturalibus vim hanc nõ habeãt ex principijs naturæ creaturæ, requiritur vt eam accipiant denuò ad effectum principalis agentis. Et in hoc fauent nobis tertia & quarta opinio, quas supra retulimus non longè ab exordio huius disputationis. Hæc est sententia D.Thom. sine vlla tergiuersatione .3.p.quæst.62.art.1. Vbi ait, instrumentum non operari per virtutem suæ formæ, sed per solum motum, quo mouetur à principali agente, & sic sacramenta causare gratiam. Idem dicit art.4.in corpore ibidem, & in solutionibus argumẽtorum. Idem etiam docet de veritate .q.22.art.4. vbi distinguit motum simplicem ab artificioso. Idem sentit Caiet.super Diuum Thom.tam hic, quã locis citatis, quem sequũtur Sotus in.4.dist.1.q.3. articulo.4. Ferrar.4.contra gent.cap.56. Martinus Ledesma.prima quarti quæst.3.articulo.4. Hanc ergo vim supernaturalem, & Dei motionem, constituũt citati authores, vt constituant sacramentum esse instrumentum in genere efficientis physici, respectu gratiæ. Et id explicãt ex his quæ in quolibet instrumento inueniuntur: Primò enim est natura ipsius instrumenti; & virtus illius propria: Secundò motus quidam simplex ipsius instrumenti, respondẽs naturali virtuti illius, ad quem satis est moueri à quocumque agente etiam non artificioso. Tertiò est motus artificiosus ipsius, ad quem non sufficit vis naturalis; sed requiritur vis artis; & effectus respondens motui artificioso, transcendit virtutem instrumenti propriam; Vt verbi gratia, in serra, primò est eius natura, & virtus apta ad scindendum: est enim dura, dentata, & acuminata. Secundò est motus simplex, qui est scindere, ad quem sufficit, quod

*D.Thom.*

*Caietan. Scotus. Ferrara. Martinus Ledesma.*



quodlibet mouens. Tertiò est scissio artificiosa in triangulum vel quadrangulum cũ quadam rectitudine & regulatione, ad quam requiritur directio artis. Similitèr in quocumque instrumento artificioso hoc reperitur. Ex his duobus motibus, ad primũ concurrit instrumentum per suam propriam formam, quamuis indigeat applicatione, vel impulsu mouente. Ad secundum verò non concurrit principalitèr per propriam formam, sed virtute agentis principalis, cuius est instrumentum; & motus ille receptus in instrumento, est virtus instrumentalis illius. In præsenti ergo, verbi gratia, in baptizato, est natura aquæ, & virtus naturalis ipsius ad abluẽdum. Secundò motus simplex aquæ, qui est ablutio, & fieri potest à quocumque agente naturali. Tertiò est motus quidam diuinus, & quasi artificiosus, nẽpe, motio qua aqua mouetur à Deo, tanquam ab agente principali & ab homine, tanquam à ministro eius & ex vi huius motionis, gratia producitur per ablutionem. Quæ diuina motio & artificiosa, non est à propria forma aquæ, sed ex vi agẽtis principalis; ac proinde est vis instrumentalis aquæ. ¶ Ex quibus deducitur, quòd sicut fides non edunt concentum, nisi vt pulsatæ ab artifice, ita neque sacramenta producunt gratiam, nisi vt mota à Deo. Secũdò deducitur, quòd sicut in fidibus virtus instrumentalis effectiua concentus, non est nisi motus ille, vt subest artifici, sic in sacramentis virtus instrumentalis erit motus aquæ, qui est ablutio, quatenus subest concursui diuino. Et hoc videtur velle Sanctissimus Præceptor.3.p.q.62.art.4. cùm ait, instrumentalem virtutem habere esse transiens, & incompletum, sicut motus; quia est ipse motus vt à Deo. Tertiò deducitur, quòd sicut in fidibus motus simplex sonandi non differt re à motu sonandi artificioso & armonico, sed idem realitèr motus vt procedit à non musico & terminatur in sonum, est simplex; vt verò procedit à musico & terminatur in cõcentum, est artificiosus; Sic in sacramentis eadem ablutio realiter vt ab aqua in corpus terminatur, est motus simplex; vt verò est à Deo in hominem & in animam per sacramenta, est artificiosa & diuina. Quartò deducitur, quòd sacramenta & instrumenta causatiua gratiæ, etiam in genere instrumẽti subordinantur Deo, ab ipsoque eleuãtur, & ita vniuntur illi, & rursus vim quandam à Deo accipiunt, cui sunt subordinata, & artificioso, seu composito motu aguntur & mouentur; sicque fit, vt per talia instrumenta assumpta à Deo, producatur effectus, quem principale agens prætendit. ¶ Hæc est expressa sententia D.Chrysost.homil.25.super Ioan. & D. Thom.3.p.q.62.art.1.&.art.4. Vbi dicit, instrumentum non agere per virtutem suæ formæ, sed per solum motum, quo mouetur à principali agente; & sic sacramenta causare gratiam. ¶ Sanè, in instrumentis artificiosè motis, vt eleuentur ad altiorem effectum non reperitur virtus, seu potentia superadicta, sed idemmet motus, vt artificiosè directus: Pennicillo enim nulla inest vis distincta, sed solum motus productus à pictore, & sic effigiem & figuram delineat: ergo in sacramentis, vt eleuentur ad effectum gratiæ, satis videtur esse idem motus naturalis, vt eleuatus, & artificiosè, atque diuinè ad id directus, à Deo principali agente.

*D.Chrysost.*

Dices, esse impossibile sacramenta posse esse instrumenta physica gratiæ ex eo præcisè, quòd à Deo moueantur, nisi habeant aliam potentiam innatam: Quoniam si satis est moueri à Deo vt attingant effectum altioris ordinis, vel ille motus est motus alterationis? Et hoc non: Quia motus alterationis ordinatur essentialitèr ad qualitatem aliquam; nulla tamen censetur necessaria, vt sacramenta operentur & agant. Vel est motus localis? Et hoc non, tùm quia mutatio loci, non est necessaria sacramentis, vt patet in verbis consecrationis, & aliarum formarum sacramentalium, nisi sola prolatio verborum, quæ fit à sacerdote propria virtute, sicut aliæ locutiones. Adde etiam, posse Deum per aquã immotam producere gratiam, sicut per aquam motam; imò per actum intellectus, vt instrumentum, eam posset producere, vbi nullus esset motus localis; & humanitas Christi de facto est physicum instrumentum ad productionem gratiæ, quæ in omnibus sacramentis confertur; & tamen sine vllo motu locali. Tum etiam, quia licèt daretur talis motus localis, adhuc nihilominus esset tam improportionatus ad gratiam, sicut ipsa sacramentorum natura, cum sit corporeus & naturalis, & multò imperfectior, quam sacramenta ipsa. Rursus, motus localis non est ratio agendi, etiam in ipsis artificialibus, sed tantum conditio per quam applicatur virtus instrumenti. Et quoniam applicatio est artificiosa, sequitur artificiosus effectus. Tandem; Quantumcunque motus localis fiat à Deo, non potest excedere suam spheram, constituendi, scilicet, rem in hoc, aut illo vbi, nisi tribuatur aliunde ei noua potentia ad nouum gratiæ effectum. Si autem dicas, motum illum esse intentionalem, hoc est diuina intentione directum ad gratiam. Contra: Quia videtur implicatorium dicere, quòd Deus habeat efficacem intentionem producendi aliquem effectum mediante re, quæ ad illum non habet potentiam, nisi eam illi communicet: Quia alias frustraretur diuina intentio: Sed motus sacramentorum non habebant aut ea potentiam productiuam gratiæ, quia sunt simplices, neque de nouo eam recipiunt: ergò non possunt eam producere.

*Argumẽta contra hanc sententiam.*

Sed profectò hæc argumenta non sunt adeò efficacia, vt nos veritatem deserere compellant, vel saltem probabilitatem huius sententiæ: Dissolui enim facilè possunt si dicamus, primò, hanc virtutem instrumentorum & sacramentorum esse corpoream in essendo, cùm identificetur cum ipso motu corporali; in causando verò esse spiritualem, cùm habeat effectum spiritualem, & sit ab agente spirituali. Solet adduci ad rem hanc explicandam, exemplum de voce. Quod exemplum adducit. S. Thom. 3.p.q.62.art.4. Nam vox in essendo est quid corporeum; tamen vt mouetur à conceptu mentis, & ordinatur ad effectum spiritualem, habet virtutem spiritualem incitantem intellectum audientium, & ipsa etiam vox magistri habet nescio quid latentis energiæ. Vnde, motus sacramenti vt ordinatus ex diuina institutione ad spiritualem effectum, est quædam virtus, & spiritualis energia in causando. ¶ Possunt etiam dissolui præfata argumenta si dicamus, virtutem illam, quæ reperitur in motu instrumenti corporei, non esse rem distinctam à motu ipso in-

*Solutio.*

strumenti & ob id nõ posse non esse corpoream formaliter; esse tamen, vt dictum, vestirtualiter spiritualẽ, ob id quòd est à Deo vt à principali mouente, & agente; Quod quidem sufficit, vt possit edere effectum spiritualem, hoc est gratiam, & attingere subiectum spirituale, nempe, animam. De motu cæli docet S. Tho. non esse motum vitalẽ formaliter; esse tamen virtualiter vitalem, & habere vitam imbibitam in sua vi, atq; virtute, prout procedit ab intelligẽtia mouente orbem. Et hac ratione posse vitam causare in his inferioribus. Sic proportionabiliter pleriq; asseuerant, creaturæ corporalis motum, esse quidem materialem formaliter; virtualiter verò spiritualem, & immaterialem, quatenus est à Deo mouente & destinante motum illũ in effectum spiritualem, & immaterialem. Solet etiam in hac parte adduci exemplum de phantasmatibus: Phantasma namque materiale est, & corporeum; ex coniunctione tamen & subordinatione ad agentem intellectum, virtutem habet spiritualem, & intelligibilem, propter quam efficere potest intelligibiles species, & ex consequenti possibilem valet immutare intellectum. ¶ Adde etiam, quòd motus ille non requiritur quòd sit localis, aut alterationis, sed in communi sufficit quicumque motus ille sit, siue sit localis, siue sit alterius rationis, dummodo subordinetur Deo, & eleuetur, & specialitèr præordinetur & referatur à Deo ipso, in supernaturalem effectum efficiendum; Et ita Christi Domini humanitas per actum voluntatis humanæ vel intellectus practici, quẽ habet in cœlo erga hominem iustificandum, instrumentalitèr physicè concurrit ad iustificationem eius, & ad ipsam gratiæ productionem. ¶ Ad illud verò de verbis consecrationis, & aliarum formarum sacramentalium, similitèr dicendum est, Deum assumere motum illum, & eleuare specialiter præordinando ad supernaturalem effectum efficiendum simul cum sua significatione practica: Nam verba ista efficiunt quod significant, vt dicunt Theologi, & veritas habet catholica. ¶ Rursus, motus iste, qui instrumentalitèr assumitur à Deo, quamuis in ratione entis longè imperfectior sit re ipsa, quæ mouetur; tamen in ratione virtutis supernaturalis, & vt procedit à superiori mouente Deo, multo perfectior est ipsa; veluti semen decisum ab homine in ratione entis formalitèr imperfectius est equo, cæterùm in esse virtuali longè perfectius est, hoc est, inquantum ab homine deciditur, & est productiuum hominis. Consequenter ergo motus, qui antea non erat gratiæ productiuus, modò ex eo quòd à Deo eleuatur & assumitur, ex eo quòd sit à Deo, vt à principali causa, cui subordinatur, sequitur fieri productiuum gratiæ.

*Dices*; Implicat aliquid esse instrumentum agens, & non habere in se rationem agendi: sed talis motus nullam habet rationem agendi in se: ergò implicat vt physicè agat. Maior est euidens: Quia implicat aliquid agere sine potentia actiua, quæ sit illi ratio agendi: actus enim secundus, qui est agere, supponit essentialitèr actum primum in ipso agente, qui est posse agere. Minor probatur: Quia vel sacramenta agunt per potentiam aliquam naturalem productiuam gratiæ? Et hoc non; quia iam tunc motus illi essent simplices & naturales, & ita inanis esset difficultas hæc de efficientia sacramentorum, si sacramenta ad illam haberent potentiam naturalem; præter quam, quòd ostensum est, respectu effectus supernaturalis quoad substantiam, implicare, posse dari naturalem potentiam, cùm supernaturalitas potentiæ sumatur ex actu, qui in præsenti sine dubio omnino est supernaturalis. Et tandem: Quia cùm Deus concurrit ad productionem gratiæ, concurrit per potentiam supernaturalem, eo quòd concurrit ad supernaturalem effectum: ergo est repugnantia & implicatio, sacramentum concurrere per naturalem potentiam.

Respondetur tamen, quòd ratio agendi in motu sumitur ex eo quòd talis motus non solùm subordinatur Deo, sed eleuatur, & specialiter dirigitur à Deo, & præordinatur ad effectum gratiæ; sicque accipit vim diuinam, secundum quam proportionatur effectui in ratione instrumenti: potentia verò actiua, qualem authores oppositę sententiæ fingunt, esset necessaria si sacramenta essent causæ secundæ principales. Verum, cùm non sint nisi præcisè instrumenta, nihil ampliùs requiritur. Et quamuis ordinatio actiua diuina circa sacramentum sit extrinseca, prout est in Deo, passiua verò intrinseca est sacramento, quæ ordinatio passiua est illatio & effectus ordinationis actiuæ habens omnia, quæ diximus suprà. ¶ Sunt qui putent, illam motionem, quam habent sacramenta, vt à Deo præordinantur ad effectum gratiæ, posse dici in genere, motionem alterationis perfectiuæ, non per se, sed reductiuè, ita vt motio illa reductiuè dicatur esse alteratio perfectiua, ex eo quòd terminatur in iustificatione ad gratiam, quæ est perfectiua qualitas; & illa motio importat instrumentum qualitatis perfectiuæ, non secus atque illuminatio, vel melius intellectio dicitur alteratio perfectiua productiua verbi: Sed quidquid sit de hoc, quia potius nobis fauet quam contradicat, semper est persistendum in proposita sententia & opinione. ¶ Vnde, sacramenta non agunt per potentiam innatam, quæ nihil aliud est quam entitas substantialis rei, vt aduersarij contendunt; sed agunt ex diuina virtute & motione, secundum quam verè eleuantur; & ita non agunt per naturalem potentiam, neque constituuntur in actu primo per aliquid naturale, sed per aliquid supernaturale & diuinum.

### *Decima propositio.*

*Conclus.*

EX dictis colligitur decima propositio asseuerans, quartam opinionem superius allatam post exordium huius controuersiæ, esse probabiliorem; reliquas verò non ita probabiles: Quintam verò opinionem non esse omnino improbabilem. Hæc assertio quantum ad omnes suas partes, constat ex his quæ diximus; tam hic conclusione nona, quam in alijs assertionibus & discursibus. Vnde, necesse non est modò repetere, quæ fusè satis à nobis dicta sunt, sed tantum dissoluere argumenta, seu difficultates, quas suprà obiecimus commemorantes eandem quartam opinionem, quam diximus adhuc esse difficilem, & non omnino quietare intellectum.

Ad



*Ad argum. contra quartam opinionem. Ad.1.* Ad primum contra quartam opinionem iam diximus, motum istum esse virtualiter immaterialem; non tamen formaliter & in essendo, sed in causando, quatenus præordinatur à Deo ad spiritualem & supernaturalem effectum. Quod, qua ratione fieri possit, explicuimus doctrina, & exemplis paulo antea, dissoluentes argumenta & obiectiones, quas attulimus contra nonam conclusionem, vt patet in fine eiusdem nonæ assertionis, & in discursu illius. ¶ Ad confirmationem diximus, quòd quamuis in ratione entis, motus ille possit esse imperfectior; tamen in ratione virtutis supernaturalis, & quatenus procedit à superiori mouente, sic potest esse virtus proportionata effectui, & *Ad confir.* per eam eleuari humanitas. ¶ Ad illud quod obijcitur, quod non valet exemplum allatum de instrumentis rerum artificialium; certè mirabile est, quam mordicus aduersarij suam debilem sententiam defendant: est enim exemplum accommodatum valde, & satis aptum, licèt non in omnibus sit idem. Vnde, cum sacramenta, eorumque motiones subordinentur Deo, suscipiantque ex diuina præordinatione eleuationem, vim, & virtutem, necessario sunt in actu primo, & proportionantur ad effectum. Neque valet dicere, quòd per huiusmodi instrumenta artis solùm fit applicatio: est enim hoc falsissimum: Nam non solùm edunt sonos artificialia illa instrumenta, sed etiam edunt instrumentaliter concentum ex artificioso motu, quo mouentur. Vnde, non fit sola applicatio, sed fit concentus ex motione & applicatione artificiosa, qua eleuantur fides vnitę artifici, artificioſę agenti, & ita instrumentaliter edunt principalem effectum. *Obiectio.* Dices, res ipsæ naturales habent intrinsecam radicem vt hoc ordine & proportione constitutæ, sint ipsum artificium, ac proinde vt ita constituantur non indigent noua potentia ad nouum actum, sed eisdem actibus naturalibus constitutis sub ea proportione, efficiunt, esse artificiale: Vt pennicillus ordinatè motus delineat imaginem, vt egregiè aduertit *Durandus* in.4.dist.1.quæst.4. numero. 18. Sed in motibus sacramentorum, omnino est dispar ratio. Quoniam in quacumque constituantur proportione, semper manent improportionati gratiæ supernaturalis, neque habẽt aptitudinem ex se ad productionem gratiæ, sicut habent motus naturales ad artificia. *Responsio.* Respondetur, quòd similiter in creaturis est potentia obedientialis respectu creatoris, vt Deus eis vtatur ad effectum sibi placitum, & sunt aptæ vt eleuentur ad id ipsum, quod Deus disposuerit, & vt diuina eleuatione & virtute proportionẽtur, & constituantur in actu primo respectu effectus, quem Deus intendit. Et hoc etiam conuenit artificialibus instrumentis, in quibus est quædam potentia obedientiæ, vt artificioſę moueantur ab artifice, vt artificium producant instrumentaliter. Quocirca non actibus naturalibus præcisè, sed actibus ab arte eleuatis producunt ex artificioso motu concentum, vel artificium. Rursus neganda est minor, in qua dicitur, quòd in quacumque proportione considerentur & constituantur sacramentorum motus, semper illi manent improportionati. Nam certè, postquam sacramenta & eorum motus Deo subordinantur, & ab ipso eleuantur, vi, & virtute diuina, sufficientem habent proportionem instrumentalem ad effectus diuinos producendos, iuxta sensum in conclusionibus explicatum. ¶ Ad de etiam, apertè falsum esse, quod authores oppositæ sententiæ dicunt de instrumentis artificiosis, scilicet, quòd non attingunt effectum principalis agentis: Nam certe, si ratio, qua id probant esset alicuius momenti, aut efficax, pati ratione ostenderet quòd neque artifex ipse per suam artem attingeret ipsum artificiosum effectum. Et quamuis ex artificiosis instrumentis non sumeretur sufficiens exemplum ad nostram aperiendam sententiam & adumbrandam, sicut re vera sumitur, tamen alia exempla sunt à nobis allata in discursu nonæ conclusionis, quæ rem hanc valde illustrant & aperiunt. ¶ Rursus etiam negandum est, quòd cùm actu eleuantur instrumenta à Deo, & sumuntur ab ipso infinito creatore, ex motione, & vi diuina, quòd hoc non sit aliquid supernaturale in ipso instrumento assumpto, cum ex tali assumptione constituantur in actu primo supernaturali ad effectum principalem. Sed de hac re fusius plura dicemus solutione ad tertium.

*Ad secundũ* Ad secundum constat solutio eius ex dictis: Stabiliuimus enim, sufficere quemcunque motum, siue ille sit localis siue alterius rationis, vt explicatum est fusè in discursu nonæ assertionis non longè à fine. Ad replicam ibi constitutam dico, quòd licet intellectus humanus animæ Christi, ex eo quòd beatificus est, non egeat conuersione ad phantasmata, vt cognoscat hæc inferiora, tam practica, quam speculatiua cognitione; tamen potest se ipsum conuertere pro sua ipsius libertate cum agit, vt Sanct. Thom. affirmat; 3. par. quæst. 11. articulo. 2. ad. 3. Quare, vere est credibile, quòd cùm humanitas Christi existens in cœlo, instrumentaliter concurrit ad iustificationem nostram & gratiam efficiendam, intellectus Christi se ipsum ad phantasmata conuertit; ac proinde Deus simul vtitur actu intellectus Christi, & eius singulari phantasmate, seu actione ipsius phantasiæ, quasi vnico instrumento ad iustificationem nostram causandam, vt tam Christi humanitas secundum animam, quam corpus ipsum sint totale & verum instrumentum iustificationis nostræ. Nam certè, Christi humanitas secundum animam & secundum carnem verum habet influxum realem, & physicum vitæ spiritualis in ipsa corporis membra, quamuis modus quo id fiat per instrumenta, non possit à nobis omnino exacta ratione cognosci. *S. Thom.* *Ad confir.* ¶ Ad confirmationem respondetur, proportionabilitèr dici posse de Christo existente in Eucharistia, ad eum modum, quo dictum est ipsum existentem in cœlo sanctitatem & iustitiam nostram agere, & operari, videlicet, per operationem vtriq; parti, superiori & inferiori communem. Nam Christus quatenus in Eucharistia existit, non solum potest intellectualem edere actionem, sed etiam materialem & sensibilem à sensitiuis potentijs inferioribus elicitam exercere. Possumus etiam secundò dicere, quòd illa vnio sacramentalis corporis Christi ad species visibiles tanta est, & tam

ineffabili modo facta, tamque intimo, vt motio quæ contingit in speciebus ipsis, non debeat iudicari omnino aliena & extranea ab ipso corpore Christi, vt egregiè Caiet. aduertit. 3. par. quæst. 76. articulo. 6. Quare, ipsa motio specierum, quæ reperitur in Eucharistiæ sumptione, erit sufficiens ad verificandum quòd Christi caro suscipit actualem virtutem à Deo, qua gratiam & vitam spiritualem efficiat in anima suscipientis, efficientia physica. ¶ Tandem respondetur, posse rationabiliter affirmari, neque esse implicatorium omnino, iuxta ea quæ dicta sunt suprà opinione. 5. quòd Christi caro etiam absque vllo eius motu interueniente assumi potest, & ꝙ re vera assumitur de facto per modum instrumenti physici, vt spiritualem vitam efficiat circa animam suscipientis hoc sacramentum. Sed quoniam hoc difficilius est, idcirco priores solutiones sufficiãt. ¶ Ad aliam replicam de mutatione loci, iam patet solutio ex dictis conclusione. 9. in discursu eius, & ex dictis paulo antea in solutione primi argumenti.

*Caiet.*

*Ad tertium* Ad tertium respondentur, negando sequelam. Et ad probationem dico, quòd illa virtus diuina, quæ motu humanitatis Christi à nobis constituitur, non conuenit ipsi motui vtcunque, seu absolutè, prout quidam motus est, sed quatenus est talis motus, & talis subiecti, hoc est humanitatis Christi. Vnde, illa instrumentalis virtus non tam ad motum ipsum, quam ad eius subiectum referenda est, licèt formaliter reperiatur in motu ipso. ¶ Ad id verò quod obijcitur de motu & actione transeunte in passo suscepta; dico, quòd ille motus in quo constituimus instrumentalem virtutem productiuam gratiæ, non tam debet expendi vt actio humanitatis Christi, quam vt motio à Deo in ipsa humanitate suscepta. Vbi aduerte, quòd motio hæc, de qua nunc loquimur, non est ipsa actualis productio gratiæ: Quoniam productio gratiæ est actio spiritualis, quæ identificatur cum ipsa gratia, & suscipitur in anima, quæ est gratiæ subiectum, & est operatio illa, quam nos dicimus actionem instrumentalem communicatam instrumento ex principali agente; estque ipsemet actus secundus, atque vltimus causæ instrumentalis. Nos ergo in proposito dumtaxat loquimur, de illa motione instrumẽtali, quæ ordine naturæ est præuia ad ipsam actualem productionem gratiæ, & per quam instrumentum constituitur in actu primo in ratione formali instrumenti. Quia tamen instrumentum non constituitur à semetipso in actu primo, sed ab agente principali, ob id motio ista, de qua nunc sermo fit, non est expendenda, aut consideranda, vt actio humanitatis Christi, sed magis vt motio quædam suscepta in humanitate ipsa à Deo. Et licet contingat quòd actio humanitatis sit realiter immutatiua subiecti extrinseci; tamen non ei competit virtus spiritualis instrumentalis, ea ratione, qua actio est; sed solum prout est motio, qua Deus immutat & mouet humanitatem ipsam. Et sanè, quamuis actio transiens recipiatur in subiecto extrinseco; tamen semper intercedit aliquis corporeus contactus, qui in agente suscipitur; quia omne agens in agendo repatitur; Cuius ratione inesse potest humanitati Christi virtus instrumentalis. Omitto modò non improbabilem omnino sententiam Caietani, Alberti Magni, & aliorum dicentium, in omni actione siue transeunte siue immanente recipi aliquid in ipso agente, quo denominatur formaliter agens, & quo intrinsecè perficitur. Imò verò, sunt qui dicant, quòd agens quando denuò incipit operari, tunc excitat se vel excitatur: Nam cum tunc reducatur de potentia ad actum, & de actu primo ad secundum, non potest non suscipi in ipso agente excitatio quædam. Idque non ignobiles Theologi dixerunt. ¶ Secundò respondetur, quòd quamuis actio transiens non sit in agente, neque aliquaim. mutatio realis resultet in ipsum agens ex contactu corporeo; nihilominus tamen ipsa motio suscepta in passo, vim habet instrumentalem ad supernaturalem effectum efficiendum, non quatenus in passo suscipitur, sed quatenus procedit ab agente naturali eleuante, & non qualitercunque considerato; sed quatenus præmouetur à Deo & præapplicatur ad talẽ actionẽ. Quo fit, vt tota virtus instrumẽtalis tunc radicetur in ipsa applicatione passiua instrumẽti facta à Deo principali agente, & ratione illius constituitur in actu primo respectu actionis instrumentariæ, quæ est ipsa actualis productio effectus, quem intendit actio & virtus principalis agentis. Vnde, quando Christus Dñs oculos cæci liniuit luto à se facto, ipsa actualis linitio suscepta in oculis cæci, fuit virtus instrumentalis ad visum miraculose conferendum, quæ tamen virtus instrumentalis ab applicatione dimanauit, qua humanitas Christi fuit à Deo mota & præapplicata ad efficiendam hanc actualem linitionem. ¶ Ad confirmationem dico, quòd virtus sacramentalis, fuit à Christo concessa, non tam ministris, quam ipsis sacramentis. Vnde virtus, quæ ad ministros pertinet, tota est ad sacramentales actiones reducenda, vt. 3. p. explicant Theologi; at verò in præsenti, res è conuerso se habet: Quia hæc virtus spiritualis, non est principaliter concessa humanis actionibus Christi, sed potius ipsimet humanitati, & ab ipsa ad eius operationes refũditur, & deriuabatur, atq; refundebatur.

*Caiet. Alberti. Magnus.*

*Primus appendix.* Ex dictis, doctissimi Theologi colligunt, quòd S. Thom. quando. 3. p. q. 62. art. 1. ad. 2. expostcit in instrumento actionem quandam, quæ præuia est, & antecedens ad ipsam instrumentalem actionem, quæ ei competit ex virtute principalis agentis, intelligendus est de actione pro quacunque instrumenti motione, siue illa sit actio siue passio, siue quippiam aliud, in quo virtus ipsa principalis agentis ponit, quasi determinari. ¶ Sunt tamen Theologi, qui sequentes quintam opinionem, quam in superioribus attulimus, putent, quòd S. Thom. nomine actionis præuiæ prærequisitæ ex parte instrumenti, non ita strictè & in rigore loquatur, vt necessariò præcedere debeat motio instrumenti, licèt regulariter ita præcedat; & ob id Sanctissimus Præceptor hanc motionẽ vocat etiã actionem, quia videlicet ita regulariter contingit: Sed quòd nomine actionis præuiæ loquatur S. Thom, fusè satis, ita vt sit satis, quòd ex parte instrumenti præsupponatur aliqua habitudo ad subiectum, in quo, vel ex quo effectus est producendus, quem agens principale intendit, cui subiecto instrumentum deferat virtutem agentis principalis, seu vt Caietanus voluit, ipsum efficax Dei impe-

*Caietan.*



imperium. Nam certè, nisi huiusmodi habitudo præsupponatur ex parte instrumenti ad subiectũ operationis & effectus producendi, productio effectus solum erit actio principalis agentis, & non operatio ipsius instrumenti creati, eò quòd creatura ex propria ratione sui habet, & exposcit quendam determinatũ modũ & contactũ operandi circa subiectũ, ad quod habeat proportionem aliquam, saltẽ in ratione entis. Neque potest quis negare determinationem hanc esse propriam, & connaturalẽ creaturã.

*Responsio.* ¶ Sed respondent aliqui, hãc determinationem & cõtractionẽ tãtũ habere locũ in his operationibus, quæ fiũt virtute creata, & ꝓpria ipsius creaturæ; nõ tamẽ in illis, quæ efficiũtur diuina & increata virtute: Quia per hanc virtutẽ creatura eleuatur supra totum modum operandi creaturarum, & induit modum diuinæ operationis, quæ abstahit ab omni materia, & suprà omne subiectum eleuatur. Sed cõtra

*Impugnatio* hanc responsionem obijcio commune illud dictũ, Omne quod recipitur, ad modum recipientis recipitur: Ex quo infertur, ꝙ virtus diuina cõmunicata creaturæ tanquã instrumento physico, & quasi recepta in ipsa creatura, debet recipi ad modũ eiusdẽ creaturæ, id est, requiritur, quòd proportionetur & accommodetur aliquo modo; & ex consequenti nõ est intelligibile ꝙ virtꝰ diuina sic adeo eleuet creaturã ad modũ operandi diuinũ, vt totaliter omnino eius actionẽ extrahat ab omni materia & subiecto, cũ quo ipsa creatura ex propria forma aliquam proportionẽ habeat, saltẽ secundum rationẽ cõmunem entis creati & participati à Deo. ¶ Fauet etiam huic; Quia si virtus Diuina nullo modo accommodatur creaturæ, & ad eius naturalẽ modũ agendi, sequitur apertè, ꝙ sola ipsa virtus diuina se ipsa immediatèef fectum producit, & non prout recepta in creatura, & ei communicata: consequens est inopinabile, præsertim Theologis, qui sentiunt creaturã concurrere vt instrumentum physicum Dei ad eũdem effectũ. Nam certè, creatura non aliter potest vt physicum Dei instrumentũ concurrere, quã operando per Dei virtutẽ vt sibi accõmodatã, & quasi participatam in ipsamet creatura. Sequela autem patet; Quia videtur impossibile, quòd virtus Dei recipiatur in creatura, aut quòd ei accõmodetur, quin in ordine ad effectũ producẽdũ, aliquã subeat determanationẽ, & quasi contractionẽ, desumptã ex ipsa creatura cui accõmodatur: Nã alias in quo accõmodatur creaturæ: Esset enim inexplicabilis illa talis accõmodatio si hoc non esset verũ. Vnde, hoc est, quod Sanctiss. Præceptor dixit. 1. p. q. 45. ar. 5. affirmãs, quòd si creatura nihil ibi ageret, secundum illud quod est sibi propriũ, frustra adhiberetur ad agendũ, id est, nihil ibi ageret; sed Deꝰ solus operaretur immediatè effectũ, absq; vllo instrumento. Et sanè, ratio hæc funda ta in doctrina & sententia. S. Tho. est euidẽtissima demõstratio pro eius doctrina, & sententia. Quare, qui contrariũ affirmãt, non satis penetrant rationẽ instrumenti: neq; valent explicare, quo nam modo de medio sublata prædicta determinatione, creatura verè exequatur officium physici instrumenti.

*S. Thom.*

*Secundus appendix.* Secundò colligunt, quòd motus est duplex, quidã simplex; quidã verò virtuosus & compositus, vel artificiosus. Ad motũ primo modo sufficit esse virtutẽ in operante ad mouẽdũ, & sic sequitur effectus simpliciter, & informis aliquo modo. Ad motũ secũdo modo, qui est motus virtuosus, compositus, & artificiosus, requiritur aliqua ars, seu virtus & industria in mouẽte, vnde sequatur effectus artificiosus, & formatus vel virtuosus. Hoc patet in eo, qui pulsat lyrã, & non scit artificiosè pulsare: tũc enim motus ille simplex & informis, solũ exigit in mouente potentiã ad mouẽdũ: Cæterũ si musicus artifex pulset lyrã, tũc motus ille dicitur & vocatur artificiosus: nõ enim fit sonus informis, aut sonus simpliter, sed sonus harmonicus & artificiosus. Idẽ euenit in alijs artibus respectu eius, qui est peritus in arte, & respectu illius qui non est peritus. Vnde aduerte, ꝙ in hoc motu virtuoso & cõposito, tria sunt considerãda, primò motus, secũdò virtus, quæ est in ipso ad causandũ effectũ artificiosũ; & tertio totũ ex vtroq; scilicet, motus artificiosus. Hęc tamẽ virtus, quę est in motu causans rẽ virtuosam & cõpositã, nõ est alia res distincta realiter ab ipso motu, sed solũ vna res tũ diuerso modo se habẽdi; & quoniã virtus illa est superadita tali motui; idcirco est formalis distinctio inter ipsa. Potest etiã dici, quòd talis virtus est modus diuersus rei. Igitur in proposito, lotio baptismi potest cõsiderari; primò, vt fit naturaliter ab homine propria authoritate & volũtate; & sic est motus simplex informis, & simplex, & informis lotio. Secũdo potest cõsiderari illa lotio quatenus fit cũ intẽtione faciendi, quod Christus instituit & fecit; & sic qui exercet lotionẽ, exhibet se ministrũ Christi, & ob id Deus per sacramẽtũ illud operatur speciali auxilio, & talis motus præcedẽs, est motus virtuosus & artificiosus, qui est à Deo habẽte artẽ, & modũ iustificãdi per talẽ motũ, & sub tali modo. Dicendũ est ergo virtutẽ illã non realiter, sed formaliter distingui solum ab ipso motu, sicut id cernimus in alijs rebus. Hæc est explicatio. S. Tho. de verit. q. 27. art. 4. Vbi adducit ad propositũ exẽplũ de serra. Hoc idẽ dicit de Baptismo D. Chrysost. hom. 35. super Ioan. circa illud Ioan. 5. Angelus descẽdebat secundũ tẽpus, & mouebatur aqua; Inquit Chrysost. quòd sicut huiusmodi aqua secundũ naturã non per se sanat, alioqui sẽper sanasset, sed dũtaxat, quãdo ab angelo mouetur, ita & in nobis nõ simplex aqua operatur in baptismo, sed cũ spiritus acceperit eam, tũc omnia abluit peccata. ¶ Hoc supposito, pposita doctrina ostẽditur Nã secũdũ D. Th. & veritatẽ, idẽ iudiciũ est de actione instrumẽtali sacramentorũ, & de alijs instrumentis: sed in alijs instrumentis, seu actionibus, nulla est ponenda virtus realiter distincta: ergo. Consequentia nota est. Maior est D. Tho. 3. p. q. 62. ar. 4. Minor autẽ probatur: Quia frequenter. S. Tho. & sui dicunt, quòd instrumentũ agit prout mouetur à principali agente: Imo verò aliquando dicit, quòd instrumentalis causa nõ agit per virtutem suæ formæ, sed solũ per motum &. Dicit, solum, quia realiter idem est motus, & virtus. Hoc apertiùs insinuat. S. Tho. 3. p. q. 62. art. 4. ad. 1. & 4. Quod sane hac ratione confirmari potest: Nam manus est instrumentum instrumentorum: sed quando manus operatur, non recipit aliquam qualitatem distinctam, vt quãdo ego scribo: nõ enim manus habet aliquid ꝓter motũ, quo medio efficit aliquid &c. ergo idẽ est de alijs instrumẽtis separatis: ergo cum non sint multiplicandæ entitates, sine necessitate, inaniter poneretur illa

*Chrysost.*

multiplicatio & distinctio rerũ. Vnde, si intelligamus artificẽ mouentẽ pennicillũ per artẽ, secludendo omnẽ aliã entitatẽ in manu, intelligimus effectũ artificiosum: ergo non est ponenda entitas alia præter artificiosum & virtuosum modũ. Vnde Beda dixit, quòd Christus tactu suæ mundissimæ carnis vim regenerativã contulit aquis. Hæc virtus nihil aliud est, quã quòd aqua maneat idonea ad baptismum, non autem quòd sit aliqua entitas producta supernaturalis in omnibus aquis mundi: ergo quãdo actu applicatur aqua ad baptizandum, lotio illa non acquirit nouam aliam entitatem realem præter diuinum motum, quo simul cum aqua vtitur Deus, tanquam instrumento ad lauandũ internas animæ partes. Vnde, quãdo Sanctissimus Præceptor affimat quòd in sacramento est gratia secundũ esse fluens, & quòd est aliquid creatũ, semper loquitur. S. Tho. de motu illo artificioso & virtuoso Dei, sicut quando dicimus quòd imago est in pennicillo, secundũ esse fluens; est enim artificiatũ in instrumento incõplete, ad hunc sensum, quòd in tali instrumẽto moto ab artifice, est virtuosus motus sufficiens ad imaginẽ depingendã. Quapropter, ex eo quòd motus instrumentorum sit virtuosus, nõ licet colligere entitatem realem distinctam, sed solũ, quòd Deus speciali auxilio concurrit ad mouendum aquam, vt si Deus meam moueat manum, &c.

*Tertius appendix.*

Tertio colligunt, quòd vniuersaliter loquẽdo in telligẽda sit eleuatio instrumentorũ in genere causæ efficientis ad operationẽ miraculorũ, & productionẽ gratiæ, & omniũ effectuũ, qui innitũtur potẽtiæ Dei absolutæ, medijs creaturis; & in eodẽ genere causæ efficientis intelligenda est eleuatio ad actũ fidei charitatis, contrionis & visionis beatificæ. Vnde, virtus instrumentalis in sacramentis & instrumentis, quatenus à Deo procedit, & ab ipso præordinatur in effectũ, quẽ intendit, est virtus instrumẽtalis actiua. Rursus, virtus quã S. Tho. dicit esse principalis agentis, etiã est diuina eleuatio & concursus, quibus completur instrumentum supernaturale, quòd est in potentia obedientiali, vt assumatur à Deo ad agendum quidquid ipse disposuerit, vt S. Tho. in 4. loco citato dixit.

*Ad argumẽta primæopinion.*

*Ad primũ.*

Ad tria argumenta, quæ militant pro prima opinione in initio huius controuersiæ iam patet eorũ solutio ex dictis. Ad primum respondetur, negãdo consequentiã. Quia cum potentia obedientialis passiua, solũ sit respectu creatoris constituenda, ex hoc tantũ colligitur, quòd potentia actiua circa ipsam in solo creatore ipso est constituenda, & non in ipsa creatura, vt authores oppositæ sententiæ faciunt, dicentes, in creaturis omnibus constituendã esse potentiã, quæ sit virtus effectiua, & actiua miraculorũ, & effectuũ supernaturaliũ, quã dicũt esse innatã & imbibitã in conceptu essentiali entitatis cuiuslibet rei; atque adeo innatã, imo verò supernaturalẽ. Nos tamen solũ dicimus, creaturam sic esse in potentia obedientiali, vt ratione ipsius, creatura eleuari possit, per diuinã potentiã & virtutem ad operandum supernaturales effectus & actiones. Quare, authores illius potentiæ actiuæ innatæ aliquid amplius docere contendunt, quã nos, qui solum dicimus, in creaturis reperiri obedientialem potentiã, vt diuina virtute eleuari possint ad effectus supernaturales operandũ ad modũ physici instrumẽti.

*Ad secundũ*

¶ Ad secundũ ico, quòd intellectus creatus ex se ipso, vt sic nõ confert vim ad actionem supernaturalem eliciendam ea ratione, qua supernaturalis est: Quia tota actiuitas ad actum contritionis, & ad actum credendi supernaturaliter, & ad actum visionis beatificæ, ex supernaturali Dei adiutorio, vel ex fide, & ex quantitate luminis gloriæ, pensanda est prouenire.

*Ad tertium*

¶ Ad tertium respondetur, concesso antecedente, & negando quòd sit ista potentia actiua innata in humanitate Christi: Quia licet sit humanitas Christi in potẽtia obedientiali, vt Deus per eam faciat id omne ad quod fuerit applicata per diuinam voluntatem, & illud efficiat eleuata ad agendũ, & adiuta per specialem & supernaturalem concursum accõmodatum; tamen nunquã est tribuenda illi potentia ista actiua obedientialis innata; quam isti authores fingunt esse in omnibus creaturis. Nã certe aliud est, quòd Deus vtatur creatura, & motu creaturæ, aut potentia cuiuslibet creaturæ, vt instrumento ad agendũ supposita eleuatione, vi, & virtute Dei communicata, seu modo agendi; aliud verò quòd in ipsa creatura sit potentia actiua innata, quæ sit virtus effectiua & actiua effectuum supernaturalium, quam isti appellare volunt potentiam actiuam obedientialem.

## DISPVTATIO. IIII.

### *Vtrùm fieri possit creatura, quæ possit esse causa principalis gratiæ?*

*Primũ est*

*Secundus*

*Tertium*

DIsputatio hæc, sensum habet duplicẽ. Primo potest intelligi, vtrum possit aliqua substantia à Deo creari, quæ ex sibi proprijs valeat gratiã producere. Secundo autem modo potest intelligi, creaturam esse principalem causam gratiæ quia habeat in se accidens supernaturale, cui sit cõnaturalis talis effectus gratiæ. Et quidem, de primo sensu satis dictum est; de secundo verò est tota controuersia, Num dari possit aliquod accidens supernaturale productiuum gratiæ? Quia si istud detur, tunc homo habens tale accidens, erit causa principalis gratiæ, sicut aqua habens calorẽ, est causa principalis caloris, & homo habens fidẽ, est causa principalis actus supernaturalis fidei. Et sanè, pro affirmatiua parte sic obijcio primo. Omnes qualitates naturales, habent causas creatas sibi connaturales: ergo idem dicendum est de qualitatibus supernaturalibus: cùm sit par ratio proportionalis, ne supernaturalis ordo sit defectuosus, sed omnino completus: igitur sicut albedo, verbi gratia licet de se non sit actiua & vitalis; habet tamen in natura aliquam causam creatam & connaturalem, eodem modo videtur esse dicendum de gratia.

*Tertium*

¶ Secundò sic obijcio. Character sacerdotalis, est qualitas actiua ad consecrationem Eucharistiæ, & ad iustificationẽ atque adeo ad productionem gratiæ: ergo &c, Imo verò non repugnat dari qualitatem factiuam miraculorum. Nam hanc fuisse de facto in Christo, significant nonulli Theologi, inter quos citatur Palude loco supra citato.

*Tertium*

¶ Tertiò arguitur. Non implicat accidens supernaturale productiuum gratiæ: ergo homo



homo illud habẽs erit causa principalis gratiæ. Ostẽdo antecedens, Quoniam omnes habitus supernaturales charitatis & fidei, &c. sũt qualitates supernaturales, & tamen dicuntur accidẽtia supernaturalia quę ex sua natura sunt causæ actuũ illorũ: ergo pari ratione in proposito. Neq; interest, talẽ qualitatem esse supernaturalẽ & vitalẽ, cũ hoc potius addat difficultatẽ; vix namq; intelligimus quo pacto potentia vitalis & habitus, coefficiant actũ supernaturalẽ. Et confirmatur; quia non implicat esse aliquã dispositionẽ, quæ effectiuè producat gratiã cum de facto dari, fuerit olim sententia aliquorũ.

*Confir.*

*Quartum.*

¶ Quartò arguitur. Quia qui ponit dispositionẽ vltimã ad gratiam, facit hominẽ gratũ: sed homo qui per fidẽ & charitatẽ & pœnitẽtiã se conuertit in Deũ, ponit vltimã dispositionẽ ad gratiã: ergo facit hominẽ gratũ. Probatur maior: Quia is, qui ponit vltimã dispositionem ad hominẽ, generat hominẽ, & simili modo ijs alijs rebus naturæ. Minor verò satis aperta est, nempe quòd vltima dispositio ad gratiã sit pœnitẽtia, & vera cõuersio ad Deũ, & q; hanc præparationẽ faciat homo diuinæ gratiæ auxilio prævẽtus.

*Quintum.*

¶ Quinto arguitur. Homo cũ crescit in charitate, & in bonis operibus meritorijs, est causa augmenti gratiæ: ergo pari ratione videtur rationabile cõcedere q; sit causa gratiæ, nã res ab eodẽ augetur & producitur.

*Sextum.*

¶ Sexto arguitur. Actus supernaturales ex diuino auxilio, pdeũtes, maiorẽ habẽt proportionẽ cũ gratia, quæ est forma supernaturalis & spiritualis, quam sacramenta quæ sunt corporea, & sensibilia: sed sacramenta causant gratiam: igitur actus nostri ex supernaturali auxilio orti, gratiam efficient.

*Conclus.*

Pro explicatione huius controuersiæ sit prima cõclusio. Nulla creatura, etiã de potẽtia absoluta Dei potest esse causa principalis gratiæ. Hæc conclusio est adeò certa, vt nõ liceat ab ea recedere; quoniam hoc quod est gratiam producere, & sanctificare, tribuitur in scriptura Deo tanquam proprium ipsius: sed ea quæ sunt propria Dei, non possunt communicari creaturæ, saltem vt causæ principali: ergo. Et hoc est sanè id, quod intendit. S. Thom. in præsenti dicens, tantum Deum esse causam principalem gratiæ, quæ gratia excedit omnem facultatem, id est, omnem potentiam productiuam creaturæ. Profectò, vt Theologi dicunt in 4. d. 1. potestatem principalẽ causatiuam gratiæ, seu potestatem authoritatis, quã Christus habuit in quantũ Deus, nemini potuit cõmunicare, sicut neq; suã essentiã, quæ eadem res est. Nã diuina authoritas in hoc consistit quòd sit naturalis Deo, à nulla alia causa depẽdens, vt gratiã possit conferre, non solũ merendo, aut satisfaciẽdo sed prorsus id efficiendo pro suo libito; Nã sicut sol illuminat, & ignis calefacit; sic ipse potest facere quemcunque voluerit sibi gratũ. Quare hoc implicat contradictionẽ creaturæ cõmunicari. Præterea persuadetur eadẽ veritas: Nã causa principalis, debet esse substantia agens propria virtute; quia si sit accidẽs, vel si agat virtute aliena, nõ erit causa principalis: Sicut cũ aqua calefit, calore recepto ab igne, non est propriè causa principalis: sed nulla substantia creata potest dari, quæ virtute propria, & sibi connaturali producat gratiã: ergo nulla creatura potest esse causa principalis gratię. Probatur minor. Quoniã gratia est ordinis supernaturalis: ergo vis productiua ipsius, debet esse ordinis supernaturalis, & consequentèr non potest talis vis esse propria, & connaturalis alicui substantiæ creatæ, & hæc erat minor: ergo. Confirmatur: Quia impeccabilitas nulli creaturæ potest esse connaturalis, vt fusè diximus in secundo tomo, prima par. in materia de Angelis. Rursus, lumen gloriæ nulli creaturæ potest esse connaturale, vt etiam diximus, 1. par. quæst. ergo neque vis effectiua gratiæ. Et confirmatur. Quia implicat dari substantiam ordinis supernaturalis, vt supra diximus; alias posset dari substantia, cui esset connaturale videre Deum. Imo verò daretur defacto talis substantia ordinis supernaturalis, si daretur creatura, quæ esset causa principalis gratiæ: Quia non potest esse causa principalis gratiæ, nisi sit ordinis supernaturalis. Quòd verò daretur de facto talis substantia supernaturalis (si illa esset possibilis) patet; quia vero simile est asseuerare, Deum creasse omnes gradus substantiarum, quòd si iste esset possibilis, de facto quidem fuisset creatus. Quòd verò implicet dari accidens supernatturale, quod ex sua natura sit productiuum gratiæ, ostendo: Nam vel est distinctum à gratia, vel eiusdem speciei cum illa, si est distinctum, debet esse participatio perfectionis diuinæ naturæ, maior quam sit gratia: omnis enim causa eminenter continet suum effectum, & est ipso nobilior; at non potest diuina natura perfectiori modo participari, quam per gratiam, sicut non potest perfectius videri, quam per visionem beatam: ergo. Minor probatur; quia istæ sunt formales participationes finis supernaturalis, in quo non potest esse diuersitas specifica; visio namque Dei, semper est vnius rationis, & similiter actus charitatis, quia est in supremo ordine & attingit Deum sub perfectissima ratione: ergo etiam gratia, quæ est illorum radix, erit tantum vnius rationis vltimæ; quia est in supremo gradu participationis diuinæ naturæ, quæ esse potest in pura creatura. Si autem dicas quòd est eiusdem rationis; tunc videtur per se notum, vnam gratiam non esse productiuam alterius; sicut neque vna charitas, aut vna scientia non est productiua alterius. Nam istæ qualitates, quæ sunt per modum habitus & actus primi, non sunt effectiuæ aliorum primorum actuum, sed tantum efficiunt actus secundarios, ad quos vltimatè referuntur. Et confirmatur hoc. Quoniam subiectum non potest dici receptiuum talis formæ; nisi per potentiam obedientialem: sed hæc non est, nisi respectu creatoris, & non respectu alicuius causæ creatæ: ergo &c. Tandem; si consideremus productionem gratiæ ex parte termini à quo, nempe, peccati, est etiam alia ratio pro conclusione nostra: Quia fieri non potest, vt creatura vlla habeat authoritatem principalem remittendi offensam Deo factam: ergo nulla creatura etiam de potentia absoluta Dei, potest esse causa principalis gratiæ.

*Secunda conclusio.*

Secunda conclusio. Falsum est affirmare, quòd possit Deus creare substantiã, cui per se ipsam & cũ ijs, quæ ei sũt cõnaturalia præcisè, & sine additione alicuius qualitatis extraneæ, cõueniat habere virtutẽ sufficientem ad producendum gratiam, tanquam

causæ principali secũdæ post Deũ, sicut ignis habet virtutem ad calefaciendũ, & ad producendũ alterũ ignem. Imò verò, si Deus superadderet alicui naturæ creatæ aliquã qualitatẽ ipsi extraneam, & nõ cõnaturalẽ, per eã nõ haberet virtutẽ sufficientẽ tãquã causa principalis ad producendum gratiam. ¶ Pro intelligentia huius assertionis aduerte, q̃ duobus modis potest intelligi quòd conueniat alicui creaturæ esse causam efficientẽ principalẽ gratiæ. Vno modo creando substantiã, cui per se ipsam & cũ ijs præcisè quæ sunt sibi connaturalia, habeat virtutẽ sufficientẽ principalẽ ad producendũ gratiam: sicut reliquæ causæ secundæ principales, habent virtutẽ ad productionẽ effectuũ, sibi cõnaturaliũ. Secũdo modo donando alicui creaturæ qualitatem aliquã illi extraneã, & non connaturalẽ per quã haberet virtutẽ sufficientẽ ad producendũ gratiã: sicut aqua per calorem, qui ipsi non est connaturalis, habet virtutem ad calefaciendum. Sed neutro istorũ modorũ fieri potest, vt creatura aliqua sit causa efficiẽs principalis gratiæ. Primo, quia gratia propter suã excellentiã non potest esse connaturalis alicui substantiæ creatæ: ergo neq; virtus productiua gratiæ per modũ causæ principalis. Ostẽdo consequentiã: quia virtus productiua per modũ causæ principalis, vel est tã perfecta sicut suus effectus? vel magis perfecta? Quia nihil producitur vt à causa principali, nisi ab eo quod est tale formaliter, aut eminẽter. Et probatur antecedẽs, quoniã gratia dat nobis formaliter esse Dei amicos, & dilectos ab ipso, vel vt alij volunt, esse obiecta proportionata vt ab ipso amore amicitiæ diligamur, sed implicat, quòd hoc sit connaturale alicui substãtiæ creatæ: ergo etiam repugnat, quòd gratia sit ei connaturalis. Probatur minor, quia ea quæ sunt alicui connaturalia, sunt ipsi debita, vt proprietates naturales, & ea quæ pertinent ad integritatẽ alicuius naturæ, vel substantiæ, & quia sunt connaturalia, dicuntur esse debita; sed amicitia cum Deo, non potest esse debita alicui puræ creaturæ. Nam quantumcunque sit perfecta, est seruus Dei in summo gradu seruitutis, & seruo nõ est debita amicitia cum domino suo, sed solũ admittitur ad eã, per gratiã Domini, & summã beneuolẽtiã. Quòd colligitur planè ex multis, quæ ad amicitiã requiruntur, & ex illo Ioannis. 15. Iã non dicam vos seruos, sed amicos, &c. Et non est sensus, quod Apostoli non forent serui, aut quòd desinerent esse serui, sed quòd cũ natura sua serui essent; tamẽ per gratiã facti erant amici: ergo amicitia cũ Deo, nõ potest esse alicui puræ creaturæ connaturalis. ¶ Huic rationi & argumento aduersarij respondent nõ esse coniunctã diuinã amicitiã cum gratia vinculo necessitatis, quia potest Deus de potentia absoluta conseruare gratiã in eo, qui est in peccato mortali, vt nonnulli probabile hoc esse putant, & ita non sequitur, quòd amicitia cũ Deo, est debita illi substantiæ, ex eo quòd gratia debita esset ei. Sed profecto hæc responsio facile impugnatur; quia licet de potentia absoluta Dei posset gratia reperiri in aliquo, sine isto effectu, qui est esse amicum & gratũ Deo, tamen ex natura rei habet necessariã connexionem cũ eo, tanquã cũ effectu formali saltẽ secundario: ergo cui est debita gratia, pariter etiã est debitũ ex natura rei, quòd sit amicus & gratus Deo: sicut licet possit quantitas reperiri sine effectu, qui est extẽsio partiũ in ordine ad locũ, vt constat in sacramento altaris de quantitate corporis Christi, tamen cui est debita quantitas, similiter est debitus iste effectus ex natura rei: Quia ex eadẽ rei natura habet connexionẽ necessariã cũ quantitate, & idẽ est in passionibus respectu essentiæ, quibus effectus isti formales secundarij assimilari solent. ¶ Sunt tamen alij aduersarij, qui volunt aliter respondere. Dicũt enim non esse absurdũ, quòd amicitia cũ Deo, sit debita alicui puræ creaturæ, ex suppositione quod ab ipso Deo producitur in tali ordine rerũ, scilicet, in ordine rerũ supernaturaliũ, veluti ex suppositione, quod Deus alicui tribuit esse naturale, debetur ipsi naturalis amicitia cum Deo. Et ex suppositione, quod tribuit gratiã, debetur amicitia supernaturalis. Sed neque responsio ista placet, & potest impugnari; quia id, quod est debitum vt connaturale simpliciter, nõ vocatur debitũ ex suppositione, sed simpliciter vt constat in exẽplis adductis, & in alijs similibus. Itẽ etiã: quia nulla suppositio præter gratiã, sufficit vt sit debita seruo amicitia cũ domino. Et tamen quòd substantia illa produceretur in illo rerum ordine, cui esset connaturalis gratia cũ suis effectibus, non esset gratia, quia licet creari sit gratia, id est, non debitũ, tamen suppositio quòd illa substantia crearetur, non esset hoc modo gratia, quòd pertineret ad ordinẽ supernaturaliũ, cui esset connaturalis gratia cum suis effectibus: sicut suppositio quòd homo creetur, non est gratia, quòd pertineat ad gradũ intellectiuũ, cui debentur intellectus & voluntas. Rursus exẽpla citata pro hac solutione, non fauent ipsi, quia in primo supponitur vnum falsum, scilicet, esse debitam amicitiã diuinam naturalẽ ei, cui Deus confert esse naturale. Nã Deus secundum legẽ ordinariã, conseruat hoc esse, imo & dona supernaturalia fidei, & spei, existenti in mortali peccato, cũ quo nullã habet amicitiã, neque supernaturalẽ, neq; naturalẽ. Neque requiritur, quòd dilectio ex quaprocedit donũ, alicui collatũ à Deo, sit semper amor amicitiæ, quia satis est quòd sit quædam beneuolentia limitata, quantum ad illud donum. Et in secũdo exẽplo suppositio includit gratiam Dei, non debitam, aut connaturalem, sed gratis collatam.

Moueor præterea secundo ad veritatẽ propositæ assertionis, quia substantia cui esset cõnaturalis virtus causatiua gratiæ, deberet esse supernaturalis substantia: Nã huiusmodi virtus est supernaturalis, & rei inferioris ordinis non potest esse connaturale id, quod pertinet ad superiorẽ ordinẽ: Sed non est possibilis substantia creata supernaturalis, seu ordinis supernaturalis secundum essentiam: Quod primo ostendo, quia re vera si esset possibilis talis substantia supernaturalis iam esset facta; Quoniam est credibile Deum produxisse omnes gradus substantiarum possibiles, vt sanctissimus præceptor argumentatur. 1.p.q.50.&.51.ar.1. ad probãdũ esse Angelos qui sint substãtiæ intellectuales separatæ omnino à materia. Secũdò, quia cũ supernaturalitas dicatur, quia excedit naturã & cõnaturalia; Vel id dicetur, quia excedit naturã omnẽ, tã creatã, quã creabilem, vel solam, quia excedit naturam creatã? Si dicatur primũ sequitur, quòd contradictionẽ inuoluat, creari substantiam aliquam supernaturalem, quia ex suppositione

*Ioãnis. 15.*

*Respondẽt aduersarij.*

*Impugnantur aduersarij.*

*Alij aduersarij aliter respondẽt.*

*Impugnãtur etiã alij aduersarij.*



sitione talis substantia erit supernaturalis, & rursus iuxta definitionem supernaturalitatis, sequitur, quòd nõ sit supernaturalis, quia licet perfectio eius excedat omnẽ naturã, quæ nunc est creata, tamẽ nõ excedit omnẽ naturã creabilẽ, quia non excedit ipsam, aut aliã similẽ substantiã. Secundũ verò etiã dici non potest, quoniã apertè sequeretur, quòd super naturalitas nõ excederet simpliciter naturalitatem, esset solùm secũdũ quid, hoc est per respectũ ad naturas creatas, quia si Deus crearet substantiã supernaturalẽ: tunc id ratione cuius formaliter & intrinsecè esset supernaturalis, id quidẽ eidẽipsi substãtiæ esset naturale, & tantũ diceretur supernaturale, per respectũ ad reliquas substantias creatas. Itẽ etiam: quia cũ esse creatas has, vel illas naturas, pẽdeat in vniuersum ex libera Dei volũtate, sequeretur, similiter ex ea pendere, quòd res sint supernaturales, & non conuenire hoc ipsis, secundũ suã essentiã inuariabilẽ. Quoniã productis paucioribus naturis, quã nunc sunt in vniuerso, essent supernaturales aliquæ quæ nunc sunt naturales, quia excederẽt omnes naturas creatas, & productis pluribus, illæ essent naturales, quæ alias dicerentur supernaturales, quia non excederent omnes naturas creatas. De hac re plura diximus. 1.p.q.12.art.5. cum Caietano ibi.

Moueor tertio contra secundũ modũ, quẽ aduersarij fingũt, p defẽsione suæ sententię, quia vel qualitas illa, quã isti fingũt donari creaturæ, & superaddi ad sufficiẽter producẽdũ gratiã, esset eiusdẽ speciei cũ ipsa gratia, vel esset ab ea distincta secundũ speciẽ. Primũ dici non potest, quia vna gratia non est factiua alterius gratiæ, quod duplici signo ostenditur, primũ est, quòd vnus Angelus, aut homo, qui gratiã habet non potest gratiã similẽ in alio producere, secundũ signũ est, quòd virtutes, quæ comitantur gratiam, vt charitas & aliæ virtutes infusæ, licet sint proxima principia operandi, nõ possunt efficere alias similes qualitates in alijs subiectis; quia habitus operatiui ex propria ratione habent, quòd nõ sint productiui aliorũ similiũ habituũ, sed actuũ & quantũ ad hoc par videtur esse ratio de gratia, quæ non est principiũ agendi, aut operãdi; saltem proximũ, sed vt plurimũ radicale, & medijs ipsis virtutibus. Neq; etiã potest dici secundũ; quia ad hoc vt illa qualitas sufficiens esset ad producendũ gratiã, necessario deberet esse perfectior participatio naturę diuinę quã sit ipsa gratia; sed nõ est possibilis maior participatio naturæ diuinæ, aut perfectior secũdũ speciẽ quã sit gratia: ergo neq; est possibilis qualitas distincta secũdũ speciẽ à gratia, quæ sit productiua ipsius per modũ causæ principalis. Maior patet, quia gratia secũdũ speciẽ suã, est participatio diuinæ naturæ, & omnis causa efficiens principalis si sit vniuoca, est formaliter talis, qualis est suus effectus, si verò sit æquiuoca, qualis esset illa virtus, si quidem ex suppositione distingueretur specie ab ipsa gratia est eminenter talis. Et minor probatur, quoniã nõ potest esse perfectior participatio secundũ speciẽ operationũ diuinarũ, hoc est cognitionis, qua Deus se ipsum cognoscit, & dilectionis, qua se amat, quã per cognitionẽ, cuius principiũ proximũ est lumẽ gloriæ, & per dilectionẽ, cuius principiũ est charitas. Nã Deus nõ potest esse obiectũ istorũ actuũ in creaturis, secundũ aliquã rationẽ perfectiorẽ, secundũ speciẽ in genere obiecti, quã prout est obiectũ luminis gloriæ & charitatis: ergo neq; potest esse perfectior participatio naturæ diuinæ, secundũ speciẽ quã illa, quæ est gratia. Ostendo consequentiã hanc; quia gradus perfectionis, quæ conuenit participationi alicuius naturæ, optimè colligitur ex gradu perfectionis, quæ conuenit participationi operationum eiusdem naturæ.

Sed contra assertionẽ traditã, & eius doctrinam argumentantur aduersarij, ostendentes esse possibile de potentia absoluta Dei, quòd creatura aliqua sit causa efficiens principalis gratiæ. Primo, quia nõ implicat fieri à Deo aliquã qualitatẽ, siue formã supernaturalẽ, quæ per modũ principij quo, siue formalis, sit sufficiens ad producendum gratiã & hãc qualitatẽ cõmunicari alicui substantiæ ordinis naturalis tanquã subiecto aut supposito, quod per eam agat: ergo neque implicat reperiri creaturã quæ secundo modo supra assignato, sit causa principalis gratiæ. Probatur antecedens quoad eius primã partẽ; primo, quia de facto reperitur habitus, qui illo modo sit causa principalis actuum supernaturaliũ, & in sacerdote character est causa effectiuè concurrens ad consecrationem Eucharistiæ, & ad sanctificationem peccatoris, atque adeò ad productionem gratiæ. Item secundo, quia non repugnat dari qualitatem, quæ illo modo sit factiua miraculorũ: Item tertio; quia tota perfectio gratiæ, est finita, & infinitè distans à perfectione diuina: ergo non repugnat produci à Deo aliam qualitatem perfectiorem gratia, & productiuam ipsius. Et quantum ad secũdam partem, similiter probatur idem antecedẽs; quoniam quod hæc forma communicetur alicui substantiæ creatæ, supposito quod ipsa sit possibilis, nec repugnabit ratione ipsius formæ, hoc est, propter eius supernaturalitatem, nec ratione substantiæ hoc est, quia substantia erit naturalis, atque adeo inferioris ordinis, quam talis forma, quia vt seruetur debita proportio inter subiectum & formam supernaturalem, non requiritur quod subiectum etiam sit supernaturale, sed satis est, quòd habeat potentiã obedientialẽ ad recipiendũ talem formã; vt apertè cõstat in essentia animæ rationalis, respectu gratiæ & in potentijs, respectu virtutum infusarum.

*Argũmenta aduersariorum contra Cõclusionẽ.*

Respondetur huic aduersariorum argumento, negando antecedens, quantum ad primam eius partem, & ad primam probationem, dicendum est, nõ idcirco repugnare, quòd detur virtus creata, quæ sit sufficiens ad producẽdam gratiam, per modum causæ principalis: quia gratia sit quomodocunque supernaturalis; sed quia ita est supernaturalis, vt nõ possit dari perfectior alia participatio diuinæ naturæ, non ex hoc benè sequitur, quòd non sit possibilis talis virtus productiua ipsius, vt patet ex vltima probatione nostræ assertionis & doctrinæ, non tamen habet locum hoc in supernaturalibus actibus. Ad alteram probationem respondetur, quòsdam voluisse characterem minimè concurrere efficiẽter ad illos effectus, quorum responsio mihi non probatur. Vnde sentio, quòd character concurrit, sed nõ vt causa principalis, sed solũ vt virtus instrumentalis constituens vnum integrum & totale instrumẽtum cum ministro, & verbis aut sacramento, vt. S. Thom. docet. 3.p.q.63.art.2.&.q.64.art.1. & Caietan: eum

*Respõdetur argumento aduersariorum.*

*S. Thom. Caietanus.*

*D.Thom.*

cum eo. Ad alteram probationē similiter negandum est esse possibilē qualitatē, quę permodū causę principalis sit factiua miraculorū, vt suprà diximus disputatione. 2. huius articuli ex. S. Th. 2. 2. q. 178. art. 1. ad. 1. Ad vltimam probationem respondetur negando consequentiam, quia quamuis gratia sit finita, tamen non potest fieri alia qualitas, quæ sit participatio naturæ diuinæ melior, aut perfectior ipsa, secūdū speciem: sicut requiritur vt sit causa principalis ipsius, vt supra insinuauimus.

*Obijciunt rursus aduersarij.*

Secundo argumentātur & obijciūt aduersarij ad idem. Deus potest facere substantiam, cui sit connaturalis virtus ad producendam gratiam sufficiens & principalis: ergo possibile est reperiri creaturam quæ primo modo, supra assignato in principio huius secundę cōclusionis, sit causa principalis gratię. Probatur antecedens; quia vt virtus aliqua sit sufficiens ad producendum gratiam, satis est quòd sit supernaturalis & magis perfecta, quā gratia, quamuis sit finita: Quoniam ipsa gratia est supernaturalis, & neque est infinitæ perfectionis, neque ex parte modi quo producitur, exigit infinitatē in sua causa: ergo potest Deus facere substantiā, cui hæc virtus sit connaturalis. Probatur hæc consequentia, quia quacunque substantia signata, Deus potest aliā & aliam facere magis perfectam: ergo poterit tandem producere aliquā substantiam, quæ habeat perfectionē requisitā, & proportionatā vt sit ei connaturalis hęc virtus productiua gratiæ. Dices esse requisitū, quòd substantia ipsa sit supernaturalis, vt illi sit connaturalis hæc virtus, quæ etiā est supernaturalis, & quòd Deus non potest producere substantiā supernaturalem. Sed contra hoc arguitur, quia Deus non minus est participabilis in substantia, quam in accidente secundū eam rationē, secundū quam est author effectuū supernaturaliū: ergo sicut potest producere accidentia supernaturalia, ita & substantias. Rursus nullū est accidens, quod non sit connaturale alicui substantiæ, saltē ex suo genere vel specie; quia cum nō sit ppter se, sed ppter substantiā, habebit pro fine & subiecto connaturali, eam substantiā propter quā est, sed accidentia supernaturalia non sunt connaturalia substantiæ increatæ, quæ est incapax accidentium: ergo sunt connaturalia substātiæ creatæ, & ex consequenti dari potest talis substantia, quæ sit eiusdem ordinis cū illis, atque adeo supernaturalis. Tādem obijciunt; quia quòd aliquod accidens supernaturale sit, est perfectio finita, sed creata qualibet substantia, Deus potest facere aliam meliorem: ergo potest facere aliquam, quæ adæquet perfectionem illius accidentis supernaturalis.

*Respōdetur. obiectioni aduersariorum.*

Huic argumento & obiectioni similiter respōdetur negando antecedens. Vnde ad probationem dico, quòd siue virtus productiua gratiæ debeat esse infinita siue non, nulli tamen substantiæ creatæ potest esse connaturalis, quantūcunque talis substantia sit perfecta, & est aperta instantia argumenti; quia in simili forma non valet. Intellectus & volūtas habent finitam perfectionē, & quacunque signata substantia omnino materiali, Deus potest facere aliā perfectiorē: ergo potest facere substātiā aliquā materialē omnino, cui sint cōnaturales intellectus & voluntas. Dico secundo, quòd omnino repugnat fieri substantiā supernaturalē. Et ad primā probatio nē respondetur negando antecedens. Nā esse proximū principiū agēdi, & repræsentare alia à se per modū speciei intelligibilis, participatur in accidētib⁹, & nō in substātia creata, & ratio in omnibus istis est eadē, scilicet, q⁹ substātiæ sunt factæ, primo, & per se vt sint, accidētia verò sunt propter substantiā facta, hoc est, ad supplendū defectū, quē substantia secundū se potest habere intra propriū genus. Et etiā ad hoc vt cōmunicetur substantiæ inferioris ordinis, perfectio superioris ordinis. Et ex hoc prouenit etiā quòd accidētia dici possint supernaturalia; licet nō excedant omnē naturam creatā & creabilē, tā substantialē, quā accidentalē. Et tamēn quod substantia non dicatur supernaturalis, nisi simpliciter excedat omnē naturam. Quia accidentia sicut sunt propter substantiā, ita in ordine ad eā dicuntur naturalia, vel supernaturalia: Nam si nulli substantiæ creatæ vel creabili possunt esse connaturalia, dicuntur supernaturalia: secus verò naturalia: at substantia cum habeat esse absolutè, & non propter aliud, non dicitur supernaturalis, nisi excedat omnem naturā, tam creatā, quā creabilē. ¶ Ad secundā probationē negatur maior; quia, vt diximus, accidentia supernaturalia nulli substantiæ creatæ, aut creabili possunt esse connaturalia. Neque valet, quòd etiam ista accidentia, sint facta propter substantiam creatam, quia ad hoc satis est, quòd sint facta vt ipsis mediantibus tanquā principijs formalibus, substantia creata participet perfectionē ordinis supernaturalis. ¶ Ad tertiā probationē negāda est consequentia, etiam si admittantur maior & minor, quia fit transitus de perfectione inferioris ordinis ad perfectionem superioris ordinis: Nam minor intelligitur de augmento perfectionis, intra ordinē naturæ, & consequēscū maiori, de perfectione supernaturali: Quod genus argumentandi vitiosum est, vt hoc exemplo constare potest: Perfectio angeli est finita: sed data quacunque specie animalis, potest Deus producere aliā & aliam perfectiorē: ergo potest producere tandē aliquā speciē animalis, quę adęquet; imò superet perfectionē angeli. Alia exępla pleraque poterāt adduci, sed hęc sufficiant.

*Concl.3.*

Tertia cōclusio. Pura creatura posset de potentia absoluta esse causa moralis, & meritoria decōdigno, nō quidē gratiæ propriæ, sed alienæ, nimirum, si Deus aliquē hominē, vel angelū fecisset caput & redēptorē hominū, vt influeret gratiam in reliquos homines per sua opera, & mereretur illis gratiā de condigno; Veruntamē aduerte, quòd adhuc nō esset principalis causa gratiæ, etiā in genere moris & meriti: quia non mereretur ex proprijs, sed virtute aliūde sibi cōmunicata. Et confirmatur Quoniā nō mereretur de rigore iustitię, sed adhuc posset Deus non acceptare eius meritа: ergo non esset principalis causa gratiæ, etiam in genere meriti, & moris; nam esset valde imperfecta causa.

*Ad argm. Ad primū*

Ad argumenta. Ad primū respondetur, negando cōsequētiam: Quia sicut ad excellentiam actuum supernaturalium pertinet, vt non sit in nostra potestate aliqua proportionata causa illorum, quæ sit nobis connaturalis; ita ad excellentiam habitum supernaturalium, vt non sit in ordine creaturarum creatura aliqua, quæ possit esse connaturalis eorū causa; Quia vel esset eiusdem perfectionis? Et hoc non



non, quoniam inter actus primos, vnus non est productiuus alterius; vel maioris perfectionis; & tunc si sit accidentalis illa perfectio, & illis connaturalis, tunc etiam esset difficultas de causa illius, & sic in infinitum: Si substantialis, illa implicat, vt dictū est suprà. ¶ Ad secundum dico, quod Character sacramentalis non habet virtutem propriam producendi illos effectus, sicut calor producit calorem: quia solum est virtus non propria; & ob id dico, quòd non habet virtutem propriam producēdi illos effectus, sicut calor virtutem habet propriam producendi calorem. Vndè, illa virtus characteris, est virtus instrumentalis in instrumento separato, scilicet, in sacerdote, qui recipit virtutem superioris agentis ad operandum. Vndè, sacerdos mediante charactere conficit Eucharistiam, & absoluit à peccatis, sed motus à Deo virtute diuina. Quocirca sacerdos accipit characterem, vt sit instrumentum Dei ad producendos effectus sacramentales. Et licèt character maneat; nihilominus non est productiuus gratiæ naturaliter, sicut calor producit calorem. Vndè, est permanens ille character; quia quācumque sacerdos vult consecrare, Deus vtitur illo sacerdote tanquam instrumento ad producendum illum effectum. Itaque, character sacerdotalis ad consecrandum & absoluendum à peccatis, non est aliqua qualitas actiua, efficienter concurrens ad istas actiones, sed vt inquit S. Thom. est signaculum quoddam, & figura supernaturalis permanens, qua mediante sacerdos deputatur ad ista officia. Vndè, sacerdos quidem efficienter instrumentaliter consecrat, & absoluit; at character non est principium efficiens huius actionis, sed tantum est signum, quo sacerdos deputatur ad efficienter producendas istas actiones. Et aliqui Theologi dicunt, quòd habet se character sicuti figura in calamo, quòd calamus ipse, efficienter instrumentaliter exarat literas; at figura calami, non est principium efficiens, sed tantum est modus quidam adaptans, & quasi applicans calamum, reddens ipsum proportionatū, vt possit literas exarare. Quare, neque ad faciendum miracula, neque ad consecrandum, nec ad absoluendum concurrit aliqua qualitas actiua creata efficienter per propriam virtutem. Sed dices: Character secundum Theologos distinguitur in actiuum, & passiuum, passiuus est character baptismalis, qui tantum datur ad recipiendum alia sacramenta; actiuus verò est character confirmationis, qui datur ad profitendam fidem viriliter; & pari ratione character sacerdotalis, qui datur ad consecrandum: ergo character sacerdotalis est qualitas actiua. Respondetur, quòd isti characteres dicūtur actiui, non quia secundum se sint qualitates efficiēter concurrentes ad opus, sed quia per illos homo deputatur ad specialiter agendum; sicuti etiā character baptismalis, dicitur passiuus; quia per illū homo deputatur ad patiendum, scilicet, ad recipiendum alia sacramenta, quamuis ipsa sacramenta non recipiantur in ipso charactere. ¶ Ad tertium iam dictū est hic & suprà disputat. 1. quo pacto habitus possit producere actum supernaturalem; non tamē actus habituū, neque vnus habitus alium habitum quia actus primus, per se primò ordinatur ad actum secundum; non verò ad alium actum primum. Ad

*Ad confir.*

confirmationem negatur esse aliquam dispositionē in genere rei, quę ex virtute sibi connaturali & proportionata, effectiuē producat gratiam. Vndè, rationes adductæ disputatione. 1. huius articuli ostendūt id nulla ratione esse possibile, & legenda est ibi solutio ad. 4. illius disputationis. ¶ Ad quartum dico, non esse concedendum quòd homo iustus, etiam cū pœnitet, se iustificet, aut causet gratiam, vel dona infusa diuinitus, & hoc est conforme sententiæ Theologorum communi, & sententiæ D. August. qui de habitibus infusis, hanc statuit sententiam. Habitus, nempe, infusus, est bona qualitas mentis, qua rectè viuitur, qua nullus malè vtitur, quam Deus in nobis, sine nobis operatur. Quocirca, opera bona quæ agimus diuina gratia præventi, sunt dispositiones & præparationes etiam diuinitùs datæ, quibus anima apta redditur, vt gratiam iustificantem recipiat, diuinitùs infusam ex dono Dei, quam Deus in nobis, sine nobis eam efficientibus; non tamen sine nobis consentientibus, operatur. Vndè, recentes Theologi ad præfatam doctrinam aperiendam, hoc vtuntur exemplo: dicunt enim quòd sicut lutum in manu figuli se se habet ad formationem vasis, ita quidem se habet impius & peccator ad Deum iustificatorē, in ipso iustificationis opere: Lutū enim quantumcunque sit præparatum; tamen formam artificiosam, quam recipit, non accipit à se, neque ex se, sed ex voluntate figuli. Ita igitur interpretantur de peccatore, qui quantumcunque ex Dei auxilio se se præparauerit ad gratiam, pœnitēdo, & diligendo &c. Tamen nō accipit gratiam ex se, aut propria virtute; sed ex virtute Dei intus abluentis animam, & infundentis gratiam, quam peccator pœnitens, nō magis efficit, aut creat in anima suis operibus, quam homo, qui præparans & molliens lutum, ignorans artem, non inducit formam, sed aptat materiam vasis formandis: inducitur autem forma à figulo & artifice, nihilominus homo ille lutum præparans, & emolliens, inscius artis, dicitur cooperari in opere artis: Simili igitur & pari modo quia homo pœnitens dolore pœnitentiæ, & dilectione se præparat ad suscipiendam iustitiam; idcir co dicitur cooperari ad sui iustificationē, nō quidē efficienter gratiam producendo, sed præparando & disponendo ad illam. Hoc est quod Paul. explicare voluit. 1. Corinth. 3. dicens; Ego plantaui, Apollo rigauit, sed Deus incrementum dedit; quasi diceret non Paulus plantans, neque Apollo rigans, dedit vobis incrementum iustitię, & gratiam iustificantē, sed Deus. Vnde, ad argumentum dicēdum est, quòd istę operationes, & præparationes ad gratiam, non sunt ex natura sua, & in genere rei dispositiones ad illam, sed solum ex diuina ordinatione, vt fuse diximus suprà in hoc art. disputat. 1. in solutione ad quartum principalē, quæ solutio attentè pensanda est.

*1. Corinth. 3*

*Ad quintū.*

¶ Ad quintum dicendum, quòd cum iustus crescit in charitate & iustitia, non est causa illius augmenti efficienter per sua opera bona, quia habitus infusi non augentur efficienter à nostris actibus, sed solum meritoriè. Itaque augmentum gratię, solum fit meritoriè, & idcirco, quòdo iustus crescit in bonis operibus meretur, vt Deus augeat gratiā & dona sua; sed non est causa gratiæ.

*Ad Sextum*

¶ Ad sextum respondetur, quòd actus supernaturales ex diuino auxilio eliciti,

&

& producti,maioré habet proportioné cũ gratia in essendo,cæterũ in causando longè maioré proportioné obtinét sacraméta,ob id quod sunt instrumẽta à Deo accepta,deferẽtia diuinũ imperiũ.Quocirca,actus nostri vt cõtritio & dilectio,sunt præparationes quædã liberi arbitrij, ad gratiã suscipiendã, à Deo infusam, sacramenta verò sunt instrumenta viuifica à Deo instituta ad causandam gratiam, in quibus defertur diuina virtus & motio.

## DISPVTATIO IIII.

### *De formali ratione productionis gratiæ, vtrùm fiat per creationem à Deo, vel educatur de potentia obedientiali animæ?*

Rauis & sinuosa est cõtrouersia hęc, in qua id aduertere oportet,quæstionem hanc non esse de potentia absoluta Dei; Nã satis liquet posse à Deo gratiam produci de potentia absoluta,sine dependentia actuali à subiecto, tanquam à causa materiali.Vnde,cõtrouersia procedit de modo productionis, quem postulat gratia secundum exigentiam naturæ suæ:credibile namq; est, modo de facto gratiam à Deo produci, iuxta hunc modũ, quem postulat natura ipsius gratiæ,cùm Deus in rebus ipsis producendis, de facto suauẽ dispositionẽ earum seruet iuxta suas naturas.Adde etiam, quod neque ad ostendendũ quòd gratia creetur, neq; ad ostendendum quòd educatur de potentia materiæ, sunt efficacia aliqua Scripturę testimonia.Quia in Scriptura neutrũ est expressum in particulari.Vnde sicut sunt nonnulla loca,quę insinuant creationem gratiæ, Psalm. 50. Cor mundum crea in me Deus. *Psal.50.* Ad Ephes. 2. Iusti dicuntur creati in Christo, imo verò vocantur noua creatura. 2. Corinth. 5. & ad *Ephes.2.* Galatas .6. pari ratione reperiuntur alia testimonia,quæ insinuare videntur, gratiam educi de po- *2.Corinth.5.* tẽtia animæ.1.Corinth.4. In Christo per euangeliũ *Galat.6* ego vos genui. Iacobi.1. Voluntariè enim genuit nos verbo veritatis.Et.1.Petri.2. Quasi modo geniti infantes. ¶ Quo supposito vt titulus quæstionis intelligatur,perpẽdere oportet,quòd quãdo Theologi affirmant creari, esse rem ex nihilo produci, particula illa (ex nihilo) non solum excludit in re quæ producitur, entitatẽ aliquã, quæ priùs præcesserit,quia neq; forma,neq; materia,neq; entitas vlla, præcesserit eius productionẽ, sed etiam excludit cõcursum subiecti ad esse illius, quod producitur, ita vt neq; subiectũ in quo producitur, concurrat, tãquã propria causa materialis illius. Qua propter, anima rationalis, licèt in subiecto producatur, nempe,in corpore,verè tamen creatur,quia subiectũ eã recipiẽs,non habet rationẽ causæ materialis respectu esse substãtialis ipsius animæ. E conuerso autẽ, quamuis ita producatur calor in subiecto, vt nulla illius entitas præcesserit,tamẽ non creatur, sed educitur de potẽtia subiecti,quia in productione eius, subiectũ veram habuit rationẽ causæ materialis respectu illius.Quò fit,vt produci & creari aliquid ex nihilo,sit quando nulla entitas eius,quod producitur, præsupponitur. Imo verò neq; subiectum aliquod,quod sit materialis causa illius. ¶ Educi autẽ aliquid de potentia materiæ, quod est propriũ formarum,tunc euenit,quando esse formæ quæ producitur,pendet à subiecto, tanquã à vera causa materiali in ipsa productione sui. Quò fit,vt sicut forma multipliciter cõtinetur in subiecto,tanquã in causa materiali;ita multipliciter educatur de potẽtia subiecti.Ex quo infero, quòd si potẽtia subiecti in qua cõtinetur,sit naturalis;tunc ab agente naturali, inde naturaliter educitur, siue potẽtia ipsius subiecti sit naturalis,ex parte vtriusq; principij,qualis est potẽtia,quã habet ignis ad caloré, siue solum sit naturalis ex parte principij materialis,vt est potẽtia quã aqua habet in ordine ad eundẽ caloré.Si verò potẽtia in qua cõtinetur forma, cõuenit subiecto in ordine ad artem,tunc talis forma accidẽtalis,dicitur educi de potẽtia subiecti ab artifice, per artẽ.Cùm igitur gratia,neq; sit forma naturalis,neq; artificialis,certum est nullã esse controuersiã,vtrũ illa educatur de potẽtia naturali subiecti, neq; de potẽtia, quã subiectũ habet in ordine ad artem; ac proinde, si est aliqua forma, quæ contineatur in ea potentia, quam subiectum tantum habet in ordine ad agens supernaturale,quam vocant Theologi obedientialem,volentes eam distinguere à naturali, & ab ea, quæ sumitur in ordine ad artẽ;talis quidẽ forma dicitur supernaturaliter educi de potẽtia obediẽtiali subiecti, de qua procedit difficultas quæstionis, vtrùm Deus educat gratiam ab hac potẽtia animæ?

*1.Opinio.* De hac igitur difficultate,prima opinio dicit gratiã creari,vel concreari: quia *non* creatur eo modo quo res subsistentes creãtur,quarũ productio ex nihilo,dicitur,ꝓprijssimè creatio,sed eo modo creationis,quo accidẽtia possunt creari in subiecto,ita videlicet vt habeãt esse à solo Deo,sine hoc ꝙ ad illorũ esse,vllo pacto tãquam materialis causa cõcurrat subiectũ, sed solũ habeat gratia respectu illius, relationẽ actualis inhęrentiæ. Hanc sententiã insinuat Caiet.in hoc art.& inf.q.113.art.vlt.& 3.p.q.8. *Caietan.* ar.1.ad.1.& q.13.ar.2.§.Euidentissime,& q.62.art.1. Quibus locis dicit, quòd gratia propriè non creatur,quia propriè creari est subsistentiũ,neq; educitur de potentia subiecti. Quia quãdo gratia infunditur animæ,miscetur ibi quodãmodo creatio,quia fit ibi mutatio quædã hominis à nõ grato ad gratũ. Et ad hanc productionẽ, effectiuè instrumentaliter concurrũt,humanitas Christi, & sacraméta. Vnde, hanc productionẽ gratiæ dicit Caiet.quòd est creatio, impropriè tamen : quia gratia vnitur subiecto per inhærentiã.Hanc vnionẽ putat Caietanus, effectiue attingi instrumentaliter ab humanitate Christi,& à sacramentis nouæ legis.Idẽ docet Capreol. *Capreol.* in 4.d.1.q.1.in solut.ad 1.Scoti cõtra 3.concl. & idẽ *Paludan* Palud.in 4.d.1.q.1.Durãd.in 2.d.26.q.2.nu.13. & 14. *Durand.* Scot.in 2.d.37.q.vnica.§.eadem argumẽta,& §. Su- *Scotus.* persunt. D.Bonauent. in 2. d.18.q 4. & in 4.d.1.q.5. *D. Bon.* Gabriel.d.1.q.1.ar.3.dub.3.Ricard.ibidem art.2.q.1. *Gabriel.* Henric.quodlib.4.q.37. & Pater Vega super Tridẽ. *Ricardus.* lib.7.ca.13,Ferrar.3.contra gent.ca.57.Pater Soto in *Henricus* 4.d.1.q.3.art.1.dicit, gratiam concreari ad creationem hominis grati. *Vega.* *Ferrara.* *Soto.*

Hæc igitur opinio & sententia,quæ ferè ab omnibus Theologis probata fuit olim, persuadetur sequentibus argumentis. Primum sumitur ex modo loquendi scripturæ, ad Ephesios.2. Creati in Christo Iesu in operibus bonis, Ad Galat.5. gratia dici- *Argum.* *Ephes.* *Galat.5.*



*Psalm.50.* *Iacobi.5.* *Secundum,* dicitur noua creatura.2. Corinth.5. &.Psal.50. Cor mundum crea in me Deus. Iacobi.5.Vt simus initiũ aliquod creaturæ eius.Imo verò S.Tho.1.2.q.110.ar culo.2.ad.3.dicit,gratiam creari,ex eo quòd homines secundum illam creantur in nouo esse, in quo constituuntur ex nihilo ¶ Secundò suadetur. Quoniã gratia nullo modo est in potentia naturali animæ:ergo nullo modo educitur ex anima:ergo creatur.Ostendo antecedens, quia no est potentia naturalis passiua,nisi in ordine ad naturalem actiuam: sed non datur potentia naturalis productiua gratiæ ergo neque receptiua illius.Dices, animam habere potentiam obedientialem.Contra;Nam vel ista potentia est entitas animæ, & cùm hæc sit entitas naturalis,potentia receptiua erit naturalis;vel est aliquid superadditum animæ, & hoc non potest fingi quid sit.Vndè,vel anima est causa materialis gratiæ per suam entitatem naturalem,& hoc nõ; quia nõ potest aliquid naturale ex suis viribus causare aliquid supernaturale; Vel est causa illius per aliquid superadditum supernaturale : sed neque istud dici potest;quia istud superadditum, vel est aliquid creatum & sic de illo iterum erit dubium, quid supponatur in anima ad illud recipiendum:Vel est aliquid increatum,& sic implicat communicari in genere causæ materialis.Quoniam cum hoc dicat im- *Confirm.* perfectionem,repugnat Deo.Et confirmatur: Quia si gratia educitur de subiecto,necessariò dicit positiuum & naturalem ordinem ad illud:igitur est sibi connaturale tale subiectum, & eiusdem ordinis. *Tertium.* ¶ Tertiò suadetur.Si gratia non crearetur, potissimè esset quia pendet in conseruari ab anima cui in hæret:sed hæc dependentia non est sufficiens,vt di camus ipsam non creari:ergo.Probatur minor: Nã etiam gratia illa,in qua creatus est Adam,pendebat eodem modo ab eius anima;& tamen concreata est illa gratia cum tali anima:ergo. Qua etiam ratione S.Thom.ait, species concreatas esse cum angelis. Rursus, intellectus hominis pendet ab anima, in qua subiectatur;& tamen creatus est simul cum anima.Imo verò cœlum est creatum, & consequentèr eius materia & forma sunt creatæ : sed forma cœli ita pendet à materia, sicut gratia ab anima : igitur hæc dependentia non sufficit,vt gratia non dicatur creari.Et confirmatur.Quia si gratia fuisset creata independentèr à subiecto, & priùs tempore quã illud,si postea poneretur in subiecto, eodem modo illi inhæreret, & ab eo penderet, sicut modò: sed tũc verè esset creata non obstante dependentia: igitur hæc non obstat creationi . ¶ Quartò arguitur. Quia anima quæ est subiectum gratiæ, non potest esse causa materialis illius : ergo neque gratia potest educi de potentia ipsius:ergo creatur.Patet consequentia ex supradictis;quia educi de potentia subiecti,nihil aliud est,quam quòd subiectum concurrat vt causa materialis,ita vt in productione rei quę educitur,sit dependẽtia à subiecto vt à vera causa. Quòd si homo secundum animam per obedientialem potentiam,quæ illi natura sua hæret,esset causa materialis gratiæ, apertè sequeretur hominem esse veram & propriam causam gratiæ,quod est apertè falsum,& cõtra eaquæ diximus. ¶ Quintò arguitur: Ex duabus formis,nempe gratia& anima rationali, illi magis repugnat educi de potentia materiæ,quę: plus distat & elongatur à consortio naturæ: sed si inter se conferãtur rationalis anima & gratia, plus distat & elongatur gratia à consortio naturæ,quam anima,& plus à consortio materiæ:ergo illi repugnat magis vt educatur de potentia naturæ,quã ipsi animæ,vt educatur de potentia materiæ. Probatur minor;quoniã anima rationalis,verè dat esse corporeũ sensitiuum humanũ,& naturale;gratia verò dat esse spirituale supernaturale,& diuinum,& consortium Dei:constat autem hoc esse multò plus elongari à consortio naturæ,quam aliud. ¶ Sexto arguitur,ex fundamento quod assumit præfata sententia. *Sextum.* Quia cuicumque potentiæ passiuæ,debet respõdere in eodem genere actiua potentia, quæ sit causa productiua illius formæ,quę educitur de potentia passiua:sed illa receptiua potentia, quam habet anima respectu gratiæ,nullam habet potentiam actiuã creatam,sibi in proprio genere correspondentem: ergo illa non est ratio,secundum quam anima possit esse causa materialis gratiæ,& consequentèr gratia nõ educitur de potẽtia animæ. Maior patet;quia omnispotentia passiua naturalis,habet intra genus suũ potentiã actiuã naturalẽ sibi correspondentem ergo pari ratione, sicut potẽtiæ passiuæ naturali respondet intra propriũ genus naturalis actiua;sic etiã potẽtiæ passiuæ creatæ,secũdũ quã subiectũ est materialis causa,debet intra propriũ genus respõdere actiuapotẽtia etiã creata:Vndè cernimus,ꝙ rationalis anima , quia nullã habet potentiã actiuã creatã, quę illã effectiuè causet secũdũ suã substãtiã, idcir cò materia nullã habet potentiã passiuã creatã,secũdũ quã vt causa materialis concurrat ad esse ipsius animæ,& ex consequenti , rationalis anima neque educitur , neq; est educibilis de potentia materiæ. Probatur minor:Nã si potentia quã habet anima ad recipiendã gratiã,haberet aliquã virtutẽ actiuam sibi respondentẽ , ea esset aliqua dispositio ad ipsam gratiã;quod tamen est apertè falsum:nulla enim est dispositio ad quã efficientèr sequatur gratia , sicut ad calorem vt octo sequitur forma ignis,quam effectiuè causat,cùm potiùs è conuerso dispositio ipsa effectiuè causetur à gratia.Rursus, neque dispositio illa informis,quæ tẽpore præcedit gratiã;causat illã efficiẽtèr.Nã cùm talis dispositio secũ patiatur peccatũ in anima,nõ est effectiua iustificationis, ac proinde,neque gratiæ;Imo verò,nulla dispositio , quæ tẽpore præcedit formã,est efficiẽs causa formæ.Nã calor vt quatuor existens in ligno , non causat effectiuã formã ignis,sicut neq; caloré vt octo,qui cõsequitur ad ipsam formã.Imò verò vlterius,neq; cõtritio,nõ ea ratione, qua est à gratia , sed quatenus est ab auxilio speciali ,causat effectiue gratiã:Quia cũ causa efficiẽs debeat præexistere effectui,ipsa cõtritio esset ante gratiã;ac proinde simul cũ peccato, *Septimum.* quod est absurdũ. ¶ Septimò arguitur.Omnis forma quæ educitur de potẽtia subiecti, donatur illi secũdũ mẽsurã dispositionis ipsius subiecti,quoniã actus actiuorum , sunt in patiẽte dispositio:sed gratia non datur animæ secũdũ mẽsuram dispositionis,quã habet respectu illius:ergo nõ educitur de potẽtia animæ.Probatur minor; quoniã gratiæ sępè datur sine vlla dispositione,vt cõstat in infãtibus recẽter baptizatis;imò verò,hoc posset fieri in adultis,quia Deo posset homini in puris naturalibus infũdere gratiã sine

*Octauum.*

sine vlla disp ositione ; imouerò , homini existenti in peccato,contrarias dispositiones habenti,id posset de potentia eius.¶ Octauò arguitur.Gratia producitur in instanti : ergo non educitur ex vi sacramentorum,de potentia animæ : ergo de facto creatur à Deo.Probatur prima consequentia. Quia operatio sacramenti,est successiua,& in tempore, & requirit tempus in quo existat : ergo non potest ex vi huius operationis,gratia produci in instante : ergo neque educi de potentia animæ, ex vi effectiua sacramenti,quæ in tempore operatur , & successiuè. ¶ Quo argumento nonnulli permoti sunt,vt tollerent efficientiam causalitatis à sacramentis. Nam argumentantur in hunc modum . Gratia producitur in instanti: ergo sacramentum non potest produce re gratiam.Patet consequentia. Nam gratia non potest produci,nisi in vltimo instanti verborum , quãdo iam forma est completa:sed non datur vltimum instans intrinsecum ; cùm prolatio illa verborum consistat in motu, &in successione:ergo debet produci in vltimo instanti extrinseco , quod est primũ non esse sacramentati . Ex quo sequitur, quòd si quis moriatur in illo primo nõ esse, quod erit extra viã, & quòd damnabitur,si erat tantum attritus , etiam si receperit sacramentum . Quia quando est extra viam,iam non est in statu recipiendi gratiam sacramenti.Rursùs etiam sequitur , quòd sacramentum operatur quando non est,nempe, in primo nõ esse, & consequenter non operabitur in genere causæ physicæ efficientis;quia talis causa postulat existentiam: ergo vt hæc omnia vitentur , dicendum est quòd gratia creatur à Deo, & quòd sacramenta solùm sunt causæ morales,quæ non educunt gratiam de potentia animæ.

*Opinio.2. Ferrara. Medina.*

Secunda opinio docet , gratiã educi de potentia animæ obedientiali;non tamen de potentia naturali.Quæ sententia,in familia D.Tho.celebris est. Sic Ferra.3. contra gent.cap.101. §. Sed tunc remanet dubium,&Pater Medina.1.2.q.112.in hoc art.1.&.3. p.q.13.art.2.Qui eam duobus fundamentis , suo iudicio efficacibus, defendit.3.p.loco citato;ait enim quòd creatio est rerum per se subsistẽtium ; & cùm accidentia non subsistant;sed inexistant,neque prius fiũt,neque creatur: Quarè,cùm gratia sit quoddam accidens,illa non producitur , neque creatur; ac proinde non habet esse per creationem ; sed per eductionem de potentia animæ.Sed hoc fundamentum non est efficax,vt ipse putat.Nam tantum probat,gratiam non creari,vt quod,sicut res subsistentes creantur,quod fatentur authores contrariæ opinionis. Nam in hoc sensu dicunt gratiam creari, quòd sicut formæ substantiales sunt ea, quibus suppositа generantur,& dicuntur produci, & sic habere esse per generationẽ;quia sunt quibus aliqua generantur;sic gratia dicitur creari,quia est id,quo aliquid creatur secundum quid,id est, secundum esse accidentale grati,producitur per creationem ; non quidem simpliciter per creationem,qualis est creatio rei subsistentis , sed secundum quid , qualis est creatio formæ accidẽtalis in subiecto. Quòd si hoc satis nõ est vt gratia verè dicatur per creationem fieri;pari ratione non erit satis ad hoc vt calor dicatur produci per alterationẽ, qđ sit terminus formalis ipsius alterationis, quæ secũdũ Arist.& omnes Philosophos,est generatio secundum quid.Nã certè,formæ accidentales,quia sunt quibus aliqua generantur secundum quid ; idcircò dicuntur produci, & habere esse per alterationem , quæ est generatio secundum quid.Vndè,quia gratia est id , quo aliquid creatur secundum quid , idcirco illa dicitur creari creatione secundum quid sibi debita . ¶ Alterum fundamentum,quo Pater Medina præfatam defendit sententiam est:Quia omnis forma,quę pendet à subiecto in sui productione,educitur de pontentia subiecti:sed gratia in sui productione pẽdet ab anima,cùm sit accidens,&accidentis esse sit inesse subiecto:ergo non potest produci, nisi educatur de põtentia subiecti.Veruntamen,hoc fundamentum nõ est firmum,neque verum absolutè loquẽdo,& probat plusquam oportet,nempe,quòd Deus etiam de potentia absoluta,non possit vllam formam substãtialem,vel accidentalem creare in subiecto ; Quod sanè neque est credibile,neque rationabile . Quòd autem hoc sequatur,ex ipsius ratione & fundamento,ostendo: Nam cùm tam forma substantialis, excepta rationali,quam accidentalis,habeant essentialem dependentiam à subiecto , non possunt à Deo produci vlla ratione , sine hac dependentia; quòd si hoc satis est,vt dicantur educi de potentia subiecti , non poterunt à Deo produci in subiecto, nisi educantur ab illo.Imò verò,quod magis est , Deus nullam harum formarum poterit creare extra subiectum : Quia has formas non potest absolue re à dependentia essentiali , quam habent ad subiectum;quod sanè consequens, non est concedendũ. Nã quãdo subiectum nusquã est,nulla ratione potest concurrere vt materialis causa , ad esse accidentis,vt educatur de potentia eius.Quocircà soluitur fundamentum Medinæ,si dicamus veram esse maiorem,quando forma in productione eius actuali, pẽdet à subiecto tanquam à vera causa materiali; non autem quando pendet ab illo solum quantum ad relationem vnionis. Et ob id, cùm in minori dicitur,gratiam ex eo quòd est accidens pẽdere ab anima,vt à causa materiali;hoc facile negatur.Si dicas, q accidentis esse , est inesse;tunc dico,q si per particulam, inesse,intelligatur actualitèr inhærere; falsum est.Quia accidentia habent suam existentiam, seu inexistentiam,quæ non est ipsa actualis inhærentia in subiecto.Si verò sit sensus,quòd existentia accidentis,est actus ipsius essentiæ accidentalis,secũdum quem ipsum accidens est aptum inhærere;hoc verum est:sed nihil contra nos.

### *Prima conclusio.*

*Conclus.*

HIs ergo sic prælibatis, est prima conclusio. Gratia , siue fiat à Deo immediatè , siue à creatura instrumentalitèr,nõ creatur. Hæc est.S.Thom.1.2.q.112.&.113. Vbi ait,opus creationis in modo,excedere opus iustificationis.Idem docet.3.p.q.61.& in.q.de virtutib.art. 10. ad. 13.& est certissima assertio in doctrina D.Tho.1.p.q.45.vbi negat,creaturam posse esse instrumentum ad creandum,cùm tamen defendat , sacramenta producere gratiam:Igitur in schola D.Thom. gratia non creatur.Sed dices tu,gratiam non creari,sed concreari. Contra : quia hoc vel solùm fingit nouum nomen, vel falsum est dicere quòd concreatur.Quia forma dicitur concreari , quando producitur ad productionem rei , quæ creatur : ergo gratia non concreatur,cùm non creetur ad creationem alterius in esse entis. Nàm profectò, in re nõ est dare medium inter creari , & educi de potentia subiecti : si ergo creatur:ergo fit ex nihilo ; si non creatur : ergo fit ex aliquo,ex cuius potentia educitur. ¶ Sed in omni opinione probatur conclusio. Quoniã gratia est forma accidentalis:igitur ex natura sua producitur ad modum accidentis:sed alia accidentia educũtur ex subiecto:ergo etiam gratia.¶ Item secundò;quia certum est gratiam à Deo posse creari,sicut aliæ formæ possent creari,quas sanè non esse creatas, colligimus ex eo,quòd pendẽt inesse,& fieri à subiecto; quia hoc est educi de potentia subiecti ; Sed idem posse colligi de gratia,ostẽdo.Nam inhæret animæ cui est affixa,&à qua sustentatur & cõseruatur, ita vt esset miraculum,annihilata anima, gratiam non destrui : igitur gratia in suo esse pendet ab anima: sed ista dependentia pertinet ad aliquod genus causæ,& non nisi materialis:ergo gratia in esse pendet ab anima,tãquam à materiali causa.Sed ex eo quod forma aliqua pendeat in suo esse à materia,colligimus pendere in fieri,quod est proportionatum ipsi esse:ergo etiam pendet ab illa in fieri ; fit namq; ad modum formæ accidentalis,cum inhærentia in subiecto,& cum dependentia ab illo.¶ Item tertiò probatur. Quoniam forma quæ in ipso fieri non habet causam materialem,priùs natura habet esse,quã inhæreat,vt patet in anima rationali : hoc autem dici non potest de gratia,quia illud est proprium formę subsistentis:ergo.¶ Quartò probatur argumento desumpto ex visione beatifica,& ex actibus supernaturalibus.Nam visio beatifica,& actus supernaturales vere educuntur de potentia subiecti:ergo etiã gratia.Patet consequentia, quia eodem modo pendent à suo subiecto , sicut gratia. Antecedens probatur: Quia aliàs, cùm homo per auxilium supernaturale fit causa principalis illorum actuum;diceretur pari ter tanquã causa principalis creare , quod sanè omninò creaturæ repugnat:E præterea,quia sunt actus vitales & immanentes , de quorum ratione est , vt fiant ex eo ; à quo producuntur : ergo gratia non creatur.Verùm,quòd educatur de potentia animæ, statim aperiemus fusiùs in secunda assertione.

### *Secunda conclusio.*

*2. Conclus.*

SEcunda conclusio. Gratia , quæ in nobis producitur à Deo per Christum; eiusque humanitatem,& sacramenta,verè educitur de potentia obedientiali animæ; ac sobinde non creatur,sed efficienter physicè producitur in eductione illa de potentia obedientiali, quam exercent instrumenta Christi erga animam. Imò verò, cùm Deus sine sacramentis gratiam producit in nobis, eam pariter educit de potentia subiecti. Hanc assertionem tenent hodie omnes discipuli Diui Thomæ , & authores suprà citati, Ferrara,Pater Medina , & plerique alij. Et probatur: Quoniam omnis forma, quæ non solum quando producitur fit in subiecto , sed etiam ex subiecto , educitur de potentia subiecti. Nam quod creatur , cùm debeat necessariò fieri ex nihilo, licet possit fieri in subiecto ; non tamen ex subiecto : sed gratia cum à Deo producitur , non tãtũ fit in subiecto,sed etiam ex subiecto: ergo educitur de illius potentia.Probatur minor : Quia fieri aliquid ex subiecto, nihil aliud est,quam quòd subiectum , quod priùs erat in potentia respectu illius formæ, quæ de nouo fit, ex vi actiua , & virtute agentis , reducatur ad actum ipsiusmet formæ: sed anima quæ priùs erat in potentia respectu gratiæ, virtute Dei supernaturaliter agentis,est reducta ad actum ipsius gratiæ: igitur gratia cùm producitur,non solùm fit in anima,vt in subiecto,sed etiam ex illa,vt ex subiecto.

*Rationibus probatur. 2. conclus.*

¶ Hanc rationem , authores oppositum opinantes labefactare contendunt, aientes , quòd potentia quam habet anima ad gratiam priusquam iustificetur,non est ad fieri & esse ipsius gratiæ,& quòd ob id in ipsa productione gratiæ , anima non concurrit vt causa materialis illius, quod tamen est necessarium, vt gratia verè dicatur fieri ex anima , vt ex subiecto ; & consequenter educi de potentia illius : sed potentia passiua animæ ad gratiam , solum est ad illius receptionem, & actualem vnionẽ, & inhærentiam ; & hoc non est satis vt gratia dicatur fieri ex anima , sed vt fiat in anima , cum quo non pugnat gratiam creari. Vndè , quando Sanctus Thomas de virtutib.quæstio. decima, ad decimum tertium dixit, animam rationalem habere potentiam obedientialem respectu gratiæ, non loquebatur de potentia , quæ sufficiat ad hoc vt anima sit causa materialis gratiæ , sed de capacitate quadam , quam habet ad gratiam suscipiendam , quæ proportionabiliter debet intelligi , sicut potentia, quam habet materia , non vt ex ea fiat forma rationalis,sed vt fiat in ea.

*Aduersarij contendunt eludere rationem factam.*

*Impugnantur aduersarij.*

¶ Verùm hæc solutio,& est contra Diuum Thomam,, & contra rationem ; contra Diuum Thom. quia de potentia. quæst.8. artic. 8. ad tertium dicit, gratiam non habere causam in subiecto,neque efficientem, neque materialem per quam possit reduci ad actum virtute agentis naturalis , licèt anima sit in potentia ad gratiam . Quibus verbis apertè Sanctissimus Præceptor insinuauit , animam habere potentiam , quæ sit causa materialis gratiæ respectu agentis supernaturalis : secus autem esset si cùm absolutè dixerit , gratiam non habere causam efficientem , ita absolutè dixisset eam non habere causam materialem . Et ad quartum non dicit, quòd gratia non educitur de potentia subiecti , sed de potentia naturali illius. Et statim apertiùs enumerans potentias passiuas ex actiuis , loquitur de potentijs , *non in quibus*, sed ex quibus : ait enim , quòd *sicut ex aqua* potest aliquid fieri virtute cæli, *quod non* potest fieri virtute ignis , ita sanè fieri potest aliquid, virtute Dei, quod non virtute alicuius agentis naturalis. Vbi in anima rationali ponit potentiam obedientialem respectu Dei , non solùm in qua , sed ex qua, & eandem eo loco videtur concedere satis apertè in anima respectu gratiæ. ¶ Est rursus prædicta solutio contra rationem . Nam si potentia animæ ad gratiam, solùm esset receptiua ad terminandam inhærentiam actualem gratiæ , & illius vnionem,& non esset potentia ad fieri,& ad esse gratię, vt anima esset vera materia ex qua gratia fieret , ie-

quitur, potentiam illam tantum esse capacitatem animæ ad gratiam, Vnde fieret consequens, vt eadem virtute diceretur anima habere potentiam naturalem ad gratiam, qua dicitur habere naturalem capacitatem, quod sanè est apertè falsum. Quia Theologi omnes fatentur, animam habere naturalem capacitatem gratiæ, potentiam verò naturalem, non item; sed tantum concedunt obedientialem. Præterea; Si ob id anima in productione gratiæ non habet potentiam ex qua, quæ fit vera materia eius, quia Deus nulla media virtute creata efficienti producit gratiam. (Hæc enim est causa quã reddunt authores oppositæ sententiæ) sequitur, quòd Deus etiam de potentia absoluta, nullam formam substantialem, aut accidentalem, posset educere de potentia subiecti, absque aliqua virtute creata effectiuè, atque ita non posset educere calorem de potentia ligni; quod patet esse valde absurdum. Sed respondent adhoc, id non sequi; quia est alia ratio formarum naturalium, quam gratiæ. Quia quando naturalis forma producitur, iuxta modum quem exigit sua natura, hoc habet per causam efficientem creatam; & ob id fit, vt quando Deus ipse educit talem formam, quoniam supplet vicem agentis creati; tunc, sicut agens creatum si operaretur, non crearet; ita neque Deus creat tunc. Gratia verò, ita ex natura sua exigit produci, vt nullum efficiens creatum, ad id concurrat. Et ita Deus, qui gratiam producit, nullius agentis creati vicem in eius productione supplet, & ideo creat.

*Respondent insuper aduersarij.*

*Impugnatur rursus aduersarij.*

¶Sed hæc solutio est insufficiens: Nam saltem sequitur, Deum non posse educere de potentia subiecti formam vllam substãtialem, aut accidentalem, præter eas, quas secundæ causæ naturales educunt, quod sanè non est probabile, sicut quòd neque Deus non possit producere & generare aliam speciem rei naturalis, præter eas, quæ à causis naturalibus genitæ sunt.

Adducor etiam ad defendendam eductionem gratiæ de potentia obedientiali animæ. Quia pleraque sunt accidentia, quæ quamuis sint eiusdem ordinis cum gratia; tamen non creantur, sed potiùs educuntur de potentia animæ: ergo par ratio est de ipsa gratia. Antecedens apertè constat de actibus supernaturalibus fidei, & spei, qui cùm sint operationes vitales & immanentes, non est rationabile quòd creentur, sed necessariò dicendum est, eos educi de potentia animæ. Neque satisfacit dicere, ob id huiusmodi actus educi de potentia animæ, quia potentiæ passiuæ, quàm habet anima respectu eorum, correspondet potentia actiua supernaturalis creata, vt, verbi gratia, actui credendi respondet habitus fidei, & habitus spei, actui sperandi. At verò potentiæ passiuæ, quam habet anima respectu gratiæ, nulla actiua respondet, & idcircò gratia non educitur ex anima: Non inquam satisfacit hoc; Quia plures sunt actus supernaturales, qui sunt verè operationes nostræ immanentes; & vitales, qui sanè non præexigunt aliquem habitum, aut potentiam actiuam supernaturalem in nobis, vt constat de actu vocationis, & inspirationis primæ, qua excitamur à Deo, cuius meminit Conc. Trident. sess. 6. cap. 5. & etiam de attritione, quam idem Concil. sess. 14. c. 4. vocat motionem Dei, & impulsum Spiritus sancti, quæ non procedit ab habitu pœnitẽtiæ, cùm attritio reperiatur in peccatore, in quo nõ est virtus infusa pœnitentiæ.

*Conc. Trid.*

Adducor tertiò ad eandem assertionem ostendendam, hoc discursu; Gratia cùm desinit esse, non destruitur, neque dissipatur per annihilationem: ergo quando incipit, non accipit esse per creationem: ergo per eductionem de potentia animæ. Patet prima consequentia. Quoniam illa quæ incipiunt per creationem, desinunt per annihilationẽ, quæ nõ secus opponitur creationi, quã corruptio generationi: igitur sicut ea, quæ incipiunt esse per generationẽ, desinunt per corruptionẽ & interitũ; ita sanè, quæ incipiunt per creationem, desinunt per annihilationem. Antecedens autem constat ex consensu omnium Theologorum; quia Deus nihil omnino redigit in nihilum. Caietanus. 3. part. loco citato asseuerat, consequentiam huius discursus seu rationis, apertam esse atque certam. Et sanè, cùm ipse putat, in productione gratiæ reperiri & immisceri creationem, mirabile est, quòd nunquã dixerit in desitione gratiæ inueniri, aut immisceri annihilationem. Ex quo recentiores Theologi sumpsere occasionem affirmandi, quòd quamuis gratia creetur quando primò incipit; non tamen annihilatur quando desinit, quia solum desinit esse in subiecto. Sed hæc ratio apertè est nulla. Nam si rationalis anima, quando desinit esse in corpore, simul desineret esse omnino in rerum natura; tũc sine dubio annihilaretur, eo quòd producta est per creationem. Nam si non maneret in potentia subiecti, neq; esset deducta ex illa, tunc esset annihilata. Ita igitur pari ratione dicere oportet de gratia, quæ si quãdo desinit esse in anima, simul desinit esse in rerum natura, necessariò finitur per annihilationem, sicut isti volunt productam esse per creationem; aliàs manebit gratia in potẽtia obediẽtiali animæ, ex qua fuit producta, quod nos intẽdimus verũ esse atq; certũ.

*Caietanus.*

### *Explicatio maior ad præcedentia, circa eductionem gratiæ de potentia animæ.*

QVãuis ea quæ diximus, sufficiẽter explicẽt tactã difficultatẽ; sunt tamen hodierna die plerique, qui plures inquirũt rationes, vt planè cognoscant quo pacto humanitas Christi, passio, & sacramenta eius, possint esse instrumenta efficientia seu physica, ad educendam gratiam de potẽtia animæ. In qua re obserua, quòd in causa efficiente physica duo reperiuntur, nẽpe, ratio formalis agendi, & conditio sine qua nõ agit ipsa causa. Et quamuis fieri non possit, vt causa operetur absq; ratione formali agendi; tamen de potentia absoluta Dei fieri potest, vt efficiens causa operetur absq; cõditione sine qua non, quoniã Deus potest illam supplere. v.g. quia agens calidum est causa vniuoca calefaciẽdi per calorem, implicat, quòd vt talis causa absque calore operetur. Rursus, nihil potest agere, vt causa æquiuoca, nisi habeat rationem agẽdi, quæ sit forma quædã præstantior ea forma, quæ est in effectu. Imò verò, nihil põt vitaliter operari, nisi habeat rationẽ agẽdi, quæ sit anima. Ratio istorũ omniũ est, quoniã eiusmodi causæ efficiẽtes, ea ratione, qua sunt à nobis assignatæ, essentialiter præsupponunt causam formalem, quam constat à Deo



à Deo suppleri non posse, vt patet in exemplo de operatione vitali. Similiter ergo implicat, (& ob id non potest à Deo fieri) quod aliquod instrumentum vt tale operetur, absque eo quòd est ratio agendi ipsi instrumento. Vndè, quoniam tota hæc ratio est vsus & motio à præcipuo agẽte, implicat quodpiam vt instrumentum operari, nisi principale, & præcipuum agens, illud moueat, & illo vtatur ad agendum.

¶Rursus obserua, quasdam esse conditiones, sine quibus causæ efficientes non operantur modò de facto, & has posse à Deo suppleri, ita quidem vt causæ ipsæ operentur sine illis; Nam, verbi gratia, vt calidum calefaciat, necessaria conditio est, quòd calor sustentetur à substantia; at verò sine hac sustentatione in Eucharistia, species si calidæ sint, verè calefaciunt, & immutant sensum. Item etiam, approximatio & applicatio agentis ad agendum, est conditio, sine qua non causa efficiens agit; potest tamen ignis per diuinam potentiam & virtutem calefacere ad quamcunque distantiam. Imò verò, secundum veriorem sententiam, corporea vox, qua Christus mortuos vocabat, vt ad vitam redirent, operata est circa animas, quæ longissimè distabant, ad quas vox ipsa secundum se peruenire non poterat. ¶Attende tamen, me consultò dixisse, Deum supplere posse conditiones quasdam, quia non puto, posse omnes supplere; Nam singularitas causæ, non est ratio formalis illius, sed tantum cõditio, quam tamen Deus supplere non potest, quia implicat contradictionem dari vniuersale à singularibus realiter separatum. Rursus etiam, quòd causa efficiens existat, vel saltem extiterit in rerum natura extra suas causas, est talis conditio, quam repugnat suppleri: non enim potest aliquid agere quòd vel non habeat, vel non habuerit existentiam propriam, vel alienam. Quia licèt possit vtrũque intelligi, & quòd id quod modo non existit, moueat & operetur, ob id, quòd aliquando habuit existentiam, vt patet de graui quòd mouetur deorsum; cùm tamen moueatur à generante, quod iam olim corruptum est; tamen id quod non habet, neque vnquam habuit existentiam, quòd operetur, aut moueat, est prorsus inintelligibile; quoniam actio & motus, supponunt agens & mouens, & operari præsupponit esse, vt patet ex Philosophia, & ex antè dictis.

Secundò, vt proposita difficultas magis aperiatur, nota quòd vt instrumentum operetur quatenus tale est, non semper requiritur, vt habeat propriam operationem præambulam, ante actionem agentis principalis, realiter ab illa distinctam, vt doctè Scotus insinuat in. 4. distinctione. 1. quæstione. 1. sed fieri potest vt operatio principalis agentis, & instrumenti, sit vna & eadem, quæ procedat ab illo per propriam virtutem; ab instrumento verò virtute & motione alterius. Nam secundum probabilem sententiam, phantasma est instrumentum intellectus agentis ad producendam speciem intelligibilem; tamen non habet actionem præuiam distinctam ab actione intellectus agẽtis, & intellectus & voluntas plerumque sine habitibus supernaturalibus producunt supernaturales actus, in quantùm sunt instrumenta Dei; non tamen habent operationem præuiam ipsis actibus, & non tantum hoc est verum in supernaturalibus, & spiritualibus (vt aliqui putant) sed etiã in rebus corporeis: serra enim quæ est instrumentum ad opus artificiosum, non habet operationem propriam præuiam quæ præcedat formam artis: quia secare, quod maximè propriè videtur conuenire serræ, non conuenit illi, nisi vt mouetur ab artifice, neque rursus oportet, operationem instrumenti esse realiter priorẽ actione principalis, & præcipui agentis, vt patet in eodem exemplo serræ allato, & apertius in sigillatione, quæ ab agente principali fit, vt instrumento. Vndè aduerte, quod actio instrumenti non se habet antecedenter ad diuinam voluntatem, vt executiuam ipsius gratiæ; sicut oratio D. Stephani præcessit quodammodo diuinam voluntatem, vt executiuam conuersionis B. Pauli, sed semper subsequitur motionem agentis principalis. Et quãdo Sanct. Thom. 1. p. q. 45. art. 5. dixit, instrumenta habere operationes proprias & præuias, quæ præcedant operationes agentium principalium; non voluit docere oppositum huius, quod diximus. Quia Sãctissimus Præceptor eo loco tantum meminit eorum instrumentorum, quæ operantur per formam aliquã propriam, qua disponunt ad actionẽ agentis præcipui, quia recipiũt ab agente principali qualitatẽ actiuã, aut dispositiuam, vt patet & constat satis in exẽplo quod S. Th. adducit de aere, qui virtute ignis cuius est instrumentum, per priorem calefactionem, potest ignire, vel generare ignem. Et quamuis concederemus, necessariam esse in omni instrumẽto propriam actionem præuiam, quæ præcedat cum, quæ est à principali agente; hæc tamen necessitas nõ est tanta, vt nõ possit diuina virtute suppleri; ita sanè, vt quamuis calor ignis generantis, vt educat de potentia materiæ formam ignis geniti, tanquam instrumentum illius, debeat naturaliter habere priuiam calefactionem; Deus tamen potest facere, vt idem ignis generans eodem calore, vt instrumento, producat ignem genitum, nulla præcedente præuia calefactione. Et ratio est, quia præcedẽs illa actio respectu instrumenti à quo est, non se habet, vt ratio agendi; tum, quia ratio agendi semper est in agente; huiusmodi autem actio cùm sit transiens, non est in agente, sed in passo: tum etiam, quia agẽs applicat rationem agẽdi, cùm primum incipit esse effectus: sed eiusmodi actionem non applicat calor ignis, cùm primum incipit forma ignis geniti; quia potiùs primum esse formæ, est primum non esse actionis propriæ caloris: igitur illa actio non se habet ad instrumentum vt ratio agendi, sed potiùs ipsa actio, nempe, calefactio, & eius terminus, scilicet, calor, disponunt illud subiectum, circa quod principale agens & instrumentum operantur, ad hoc, vt fit idoneum & aptum ad recipiendam formam ignis, qui generandus est. Vndè fit, quòd calor, qui virtute generantis ignis, prius tempore recipitur in passo, quam producatur ignis genitus, non est (vt quidam falsò putant) instrumentum ad generandum ignem, sed solùm dispositio materialis; calor verò qui habet rationem instrumenti, est ille, qui subiectatur in igne generante, vt optimè adnotauit Sanct. Thom. in. 4. distinctione. 2. quæstio. 2. artic. 5. quæstiunc. 1. in fine corporis.

*S. Thomas*

corporis. Et ratio est, quia non potest effectiuè etiã vt instrumentum producere formam, nisi id, quod potest producere vltimam dispositionem ad illam: sed calor, verbi gratia, existens in aqua, non potest producere calorem vt octo, qui est vltima dispositio ad formam ignis, cùm calor aquæ multum deficiat ab hac summa latitudine: ergo neque actio, quæ in materia præcedit tempore formam, neque eius terminus, possunt esse instrumenta ad generationem præcipui agentis. Cùm ergo sine vlla controuersia Deus possit supplere omnem dispositionem, quæ se tenet ex parte materiæ, ita vt in materiam aquæ summè frigidæ possit per instrumentum inducere formam ignis ferentem secum summum calorem, non repugnat, vt per calorem existentem in igne generante, tanquam per instrumentum, producat ignem genitum, sine vlla præuia dispositione, quæ priùs existat in materia ex qua generatur ignis. Et hinc fit similiter, quòd cùm idem sit habere præuium contactum, quòd habere præuiam actionem, quia agens physicum, neque tangit sine actione, neque agit sine tactu; posse Deũ supplere in instrumento actionem illius præuiam actioni agentis præcipui; & pari omnino ratione ostenditur, posse Deum supplere præuium contactum instrumenti.

His igitur ita prælibatis, iam aperire oportet rationem, qua Christi humanitas, passio, & sacramenta eius, sint effectiua instrumenta physica Dei, ad educendam gratiam de potentia animæ, eius qui iustificatur. Et profectò, cùm difficultates omnes, quibus in hac materia premimur, reducantur ad tria, nempe, ad absentiam secundum locum, vt in humanitate; ad præteritionem secundum tempus, vt in passione, & aliquando in sacramentis; & ad defectum præuiæ actionis, siue præuij contactus; duo quidem priora, non sunt impedimento, quo minùs humanitas, passio, & sacramenta tanquam Dei instrumenta, causent gratiam, eo quòd tantum important defectum conditionis sine qua non; quam (vt paulò antea adnotauimus in hac fusiore explicatione) Deus potest supplere, & consequenter per humanitatem etiam absentem secundum locum, & per passionem & sacramenta, licèt duratione præterierint, tanquam per instrumenta, iustificare omnes homines quotquot extiterunt post passionem.

¶ Adde etiam, quòd non obstat tertium, nempe, defectus actionis præuiæ, seu præcedentis, neq; defectus contactus: quoniam talis contactus, non semper est necessarius vt quodpiam operetur vt instrumentum, & idem est de actione. Imo verò, licèt necessarius sit; potest tamen suppleri à Deo, quorum vtrumque ostendimus paulò antea in secundo notabili. Quocircà, fieri poterit vt sine hac actione & contactu, Deus producat humanitate, passione, & sacramentis tanquam instrumentis, supernaturales effectus in animam. ¶ Quòd siquis objiciat, *Obiectio.* Sanctissimum Præceptorem. 3. parte, quæstione. 48. articulo. 6. argumento. 2. qui cùm sibi obiecisset, quòd agens corporeum, quale est passio Christi, non potest operari sine contactu, quem quia passio ipsa habere non potest respectu omnium hominũ, ob id non potest effectiuè concurrere ad eorum iustificationem; Respondet Sanct. Thom. quòd passio Christi ex dignitate vnionis, seu ex diuinitate vnita, habet specialem virtutem, & ideo habet etiam specialem contactum per fidem & fidei sacramenta, respectu eorum, qui iustificantur. Vbi planè asserit, passionem operari ad iustificationem per contactum, quod nos videmur negare. ¶ Huic obiectioni respondetur, eam quidem non esse contra nos, *Solutio.* quia non negamus instruméta supernaturalia, qualis est passio Christi, plerumque operari per contactum præuium, sed solùm asseueramus id non semper esse necessarium, solum namque dicendum est, quòd ex natura instrumenti, virtute diuina, potest fieri actio sine præuio contactu. Quòd si Sanct. Thomas eo loco illum expostulat in iustificatione; ideo est, quia gratia quæ est iustificationis terminus, iuxta naturæ suæ exigentiam, & modum suauem operandi Dei, postulat vt producatur, aut dispositionibus præuijs, vt in adultis sine sacramentis, aut contactu sacramentorum, vt in paruulis & adultis simul.

### *Conclusio ex præcedentibus deducta.*

*Conclusio.* Conclusio ergo deducta ex præcedentibus, est, quòd his supernaturalibus instrumentis sæpe operatur Deus sine præuio contactu. Probatur: Quia multæ sunt actiones supernaturales, vt primæ vocationes & inspirationes, quas negari non potest fieri in hominibus humanitate & passione Christi, vt instrumentis; tamen respectu earum non potest assignari aliqua actio, aut cõtactus præuius, eo quòd illæ sunt primæ actiones supernaturales, quæ reperiuntur in homine; ac proinde primus contactus ante quem nõ potest assignari alius prior. Probatur secundò, ex Sanct. Thom. 3. parte, quæstione. 56. articulo. 1. Vbi cùm in tertio argumẽto probare contenderet, resurrectionem Christi nõ esse causam resurrectionis corporum, quia non habet contactum respectu mortuorum, aut corporum propter distantiam temporis & loci, neque etiam spiritualem per fidem, aut sacramenta; quia etiam resurgent infideles, qui nihil horum habuerũt; Respondet S. Thom. quòd adhoc vt resurrectio Christi habeat efficientiam, satis est diuina virtus, quæ semper & vbique præsens est. Sensit igitur Sanctissimus Præceptor, passionem Christi, & præteritas actiones eius, aliquando operari absque speciali cõtactu fidei, aut sacramentorum.

### *Obiectiones contra decisionem totius quæstionis.*

Latissimus aperietur campus, si proposuerimus obiectiones aduersariorum militantes contra decisionem propositæ controuersiæ, quibus interdum aduersarij ostendere conantur, gratiam non educi de potentia animæ, ab humanitate Christi, & eius instrumentis; interdum verò, creari; & interdum, nullam esse vim effectricem in instrumentis Christi, sed solum moralem eductionis gratiæ de potentia animæ. Quapropter, authores qui putant, humanitatem Christi & eius passionem, solùm fuisse causam meritoriam, impetratiuam & exemplarem iustificationis nostræ; non autem alia ratione efficientem; nulla difficultate premuntur circa solutionem huius controuersiæ. *Scotus in 4. d. 2. q. 1. ex his dubus. Dur. d. 5. q. 3. Gabr. d. 2. q. 1. art. 3. dub. 2. Bonauen. 3. d. 19. q. 1. & In cardinalis.* Quoniam cùm humanitati & passioni Christi solum tribuant rationem meriti, & impetrationis, facilè respondent, Christum illis meruisse, & impetrasse nobis gratiam & iustificationem. Cæterùm, cùm non dicant eas fuisse efficientes & physicas causas gratiæ & iustificationis, consequenter philosophantur negantes, humanitatem & passionem Christi attingere effectiuè esse gratiæ in nobis; sed solùm dicunt, Deum producere in nobis gratiam, siue creando illam in anima, vt illi volunt, siue educendo illam de potentia ipsius animæ, vt nos dicimus; propter meritum & impetrationem operum, quę Christus sua humanitate exhibuit sine vlla physica efficientia. Verumtamen, si in humanitate & passione Christi respectu gratiæ & iustificationis, non solum afferatur ratio causæ meritoriæ & impetrantis, sed etiam ratio causæ efficientis, vt dictum est, sic sanè non est facilè aperire quo pacto Christi humanitas & eius passio, educant gratiam de potentia animæ, propter sequentes obiectiones & argumenta.

*Obiectio. 1.* ¶ Primum igitur argumentum est. Quia forma quæ educitur de potentia subiecti, non potest esse essentialiter perfectior causa efficiente, quæ educit illam ex tali subiecto: neque enim effectus potest esse præstantior sua causa efficiẽti; & ita fit vt solus ignis, vel aliquid igne præstantius, possit educere ex materia formam ignis: sed gratia est essentialiter perfectior humanitate Christi, & eius passione: igitur non potest ab humanitate & passione tanquam à causis efficientibus, educi de potentia animæ. Probatur minor. Primò, quia gratia est accidẽs spirituale; humanitas verò & passio, sunt agentia corporea; spirituale autem, est præstantius corporeo, & ob id non potest contineri in eo, sicut effectus in causa. Secundò; quia gratia est supernaturalis, cùm sit participatio quædam naturæ diuinæ, & ita suo genere & gradu excellit vniuersas res naturales; etiam præstantissimũ angelorum genus, nedum humanitatem & passionem, quæ cùm sint corporeæ vt sic, sunt inferioris naturæ quam angeli: ergo.

*Obiectio. 2.* ¶ Secundum argumẽtum est. Quoniam vt agẽs possit educere formam de potentia alicuius subiecti; necesse est, vt habeat debitam & competentem distantiam respectu subiecti illius circa quod operatur; alioqui virtus agentis quæ finita est, non poterit peruenire ad subiectum, potissimè si agens sit corporeum, vt sunt agentia illa & instrumenta, de quibus nunc est sermo: non enim potest agẽs creatum agere, nisi intra spheram & latitudinem suæ actiuitatis; Imò verò, quando agens & subiectum inter se distant, agens prius agit in medium, quam in subiectum; fieri namque non potest vt actio attingat distans, nisi prius attigerit propinquum. Imò rursus, agentis ad passum, seu ad subiectum, necesse est vt sit aliquis contactus, vt Aristot. docuit. 1. *Aristoteles.* lib. de generat. cap. 6. & 9. Vndè Sol agit in hæc inferiora tanquam in subiecta, quia respectu eorum habet suum contactum per virtutem luminis, aut influxus; Sed humanitas & passio Christi nihil horum habent respectu animarum, quæ sunt subiecta, ex quibus educitur gratia: igitur talis eductio non fit ab eis, tanquam ab efficientibus. Minor probatur: Nam humanitas respectu animarum eorum, qui iustificantur, non habet competentem & debitam distantiam in ordine ad nos, cùm inter vtrumque extremum iaceant immensi tractus & spatia cælorum, & elementorum. Rursùs; ridiculum esset affirmare, humanitatem Christi, nullum iustificare hominem apud nos, nisi priùs habuerit actionem aliquam in corporibus cælestibus & elementalibus intermedijs. Quia non intelligitur, neq; potest intelligi, qua qualitate immutarentur, & qualis esset ille contactus, & an esset mathematicus, vel physicus.

¶ Tertiò arguitur. Passio Christi & humanitas *Obiectio. 3.* illius, non educunt gratiam de potentia subiecti, tã quam principales causæ eductionis. Nam hanc omnes dicunt esse solum Deum, qui vt causa principalis gratiam producit; igitur solùm educunt gratiã, vt instrumenta ad id assumpta à Deo: sed omne instrumentum habere debet operationẽ, quæ sit præuia ad productionem illius effectus, cuius est instrumentum; ita sanè vt operatio illa, sit propria ipsi instrumento, vt S. Tho. apertè docet. 1. part. quæst. 45. artic. 5. sed neque passio, neque humanitas Christi possunt habere operationem præuiam antecedentẽ productionem gratiæ, ita vt talis operatio sit eis propria: ergo nulla ratione assumi possunt à Deo, vt instrumenta, ad eductionem gratiæ, quæ est illius productio. Quod verò hanc operationem habere non possint, ostendo; tum, quia illa operatio non est dispositio; tum etiam, quia frequenter, vt vidimus, gratia datur & producitur per humanitatem & passionem, absq; dispositione vlla; tum denique, quia dispositiones, licèt aliqua ratione præcedant productionem gratiæ; non tamen sunt propriè humanitatis aut passionis, vt constat.

De operationibus quas Christus gessit viuens in terris, & de passione eius, sunt non minores difficultates & obiectiones. Quia operationes illæ, iam non sunt; id verò quod non est in rerum natura, nõ potest assumi ab aliquo, vt instrumentum ad efficiẽdã operationẽ; quia quod non est, non potest agere quia: & operari præsupponit esse: sed passio Christi, & aliæ eius operationes, de quibus nunc est sermo, iam non sunt in rerum natura, neque vnquam erunt: ergo non possunt à Deo assumi, tanquam instrumenta ad iustificationem hominum, ita quidẽ vt gratiam educant ex animabus eorum, quamuis possint meritoriè concurrere adhoc, vt Deus in illis causet gratiam. Quoniam adhoc satis est has operationes manere in acceptatione Dei, neque ad causalitatem meritoriam quidpiam aliud requiritur. *Obiectio. 4. vbi plures difficultates recensentur.*

¶ Est rursùs altera obiectio. Quia eodem modo iustificantur homines, qui nunc sunt, per passionem Christi, quo in veteri lege, & in lege naturæ Sancti Patres iustificati sunt: sed Patres illi non potuerunt per passionem, tanquam per efficientem causam iustificari, quoniam eo tempore passio nondum erat exhibita, sed futura solùm: igitur neque nos possumus iustificari modò per illam, in genere causæ efficientis. Patet consequentia, quia vtrobique est eadem difficultas, & repugnantia, quo pacto Christi passio operetur vt instrumentum, quando iam non est, & fuit omnino præterita, & quando est futura. Nam in vtroque casu, & vtroque modo caret omninò existentia ad agendum requisita, vt suprà diximus.

¶Tandem objiciunt. Humanitas Christi modò potest sine his præteritis instrumentis, educere gratiam ex animabus eorum, qui iustificantur: igitur nulla ratio est, cur ad ipsius gratiæ eductionem vtatur ipsis, potissimè cùm assumere instrumenta illa, sit impossibile; aut enim Christus vtitur tanquam instrumento vnica tantum operatione ex his, quas habuit; Et hoc non, quia non est maior ratio vnius operationis, quam alterius, aut vtitur omnibus simul? Et hoc etiam est difficile: quia quando agens habet plura instrumenta, quorum quodlibet per se sufficit ad producendum effectum, quem intendit, frustrà assumit omnia aut plura: sed quælibet passio aut operatio Christi sufficiens erat, vt à Deo assumpta tanquam instrumẽtum, verè educeret gratiam de potentia omnium animarum: ergo frustra asseritur, omnes eius actiones esse instrumẽta huius eductionis gratiæ.

*Durandus. Scotus. Gabriel.*

*Conc. Florẽ. Conc. Tridẽ.*

*B. Thomas.*

### *Solutio difficultatum præcedentium, & diuersa authorum placita.*

QVæ suprà diximus in maiori explicatione huius difficultatis, & controuersiæ, satis erant, vt reor, ad defensionem S. Thom. & veritatis: sed importuni interrogatores; imò verò intellectus, qui difficiliter sedãtur in hac parte, non sinũt nos paucis esse contentos; & id circò, propositæ obiectiones & difficultates sunt dissoluendæ. ¶In quibus sanè authores illi, qui à sacramentis repellunt veram rationem causæ efficiẽtis respectu gratiæ, facilè se expediunt ab his difficultatibus; aientes, sacramentum solum esse causam sine qua non Deus in anima gratiam produceret, vt Durand. Scotus, & suus Gabriel dixerunt. ¶Hæc tamen sententia iam olim exposa est, & iure abolita. Nam, quòd sacramenta nouæ legis, quæ sunt instrumenta Christi, concurrant vt veræ causæ efficientes instrumentales gratiæ, explicatur in Conc. Floren. sess. vltima sub Eugenio. 4. in literis vnionis, & idem definitum est in Conc. Trident. sesio. 6. capit. 7. vbi asseritur baptismus causa instrumentalis gratiæ. Imò verò, sesio. 7. cap. 6. anathematizantur asserentes, quòd sacramenta nouæ legis non contineant gratiam, aut quòd eam dignè suscipientibus non conferant, sed tantum sint signa externa gratiæ. Quę sanè sententia, humanitatem & passionem Christi sublimiorem & excellentiorem reddit; & cõformior est testimonijs Scripturæ diuinæ. Quam etiam sententiam sequutus est S. Tho. 3. p. q. 62. art. 1. & de verit. q. 27. art. 4. Et profectò, hæc sententia est in qua inuoluuntur omnes difficultates, quas fecimus & retulimus de humanitate, & passione Christi: reddenda enim est ratio à nobis, cur sacramenta cùm sint res & actiones corporeæ, & naturales, educant gratiam formam supernaturalem & spiritualẽ de potentia animæ. Insuper etiam, quo pacto in sacramento matrimonij, quando per procuratores absoluitur & perficitur, consensus vnius coniugis existentis in Hispania, educit gratiam de potentia alterius existentis in India: constat namque hanc non esse debitam & competentem distantiam. Rursus, non est intelligibile, quòd consensus hic præstitus, agat in omnia corpora intermedia. Tandem, exeogitari nõ potest, qualis contractus sit ille, quem habet consensus huius contrahentis, vt ex anima alterius educat gratiam. Rursus etiam, cùm omne instrumentum præuiam habeat actionem ante productionem præcipui agentis, talis actio inueniri non potest in omnibus nouę legis sacramentis, respectu gratiæ. Quocircà, non erunt instrumenta ad illam; Nam licèt in baptismo reperiatur ablutio, & in cõfirmatione vnctio; in matrimonio tamen, de quo modò agebamus, nulla est actio consensus vnius coniugis, in alterius animam ante productionem gratiæ. In sacramentis etiam, quæ præterierũt, sunt eędem difficultates, quæ in passione: non enim potest facilè percipi, quo pacto sacramentum, quod iam præterijt, modò sumatur à Deo, vt instrumentum ad causandam gratiam; & tamen fatẽtur Theologi, baptismum iam præteritum, recedente fictione, causare gratiam in anima, quod etiam nonnulli concedunt de pœnitentia, & concedendum videtur de consensu matrimonij, quando vnus contrahentium consensit priùs tempore, quam alter; neque enim est maior ratio, cur causetur gratia à consensu vnius, quam alterius. Postremò etiam non est facilè intelligere, quo pacto si sacramenta iam præterita, possunt esse instrumenta ad eductionem gratiæ ex anima, cur non etiam futura, siquidem in vtrisque æqualis est absentia; & tamen nullus est Theologorum qui dicat, sacramenta prius quam applicentur causare gratiam, & efficere illam.

Ab his difficultatibus soluendis, non faciliùs se liberant illi, qui putant gratiam creari, quam qui dicunt, eam educi de potentia animæ. Imò verò, multò difficilius est explicare, quo pacto res creatæ præsertim illæ, quæ iam præcesserunt, assumantur à Deo ad producendam gratiam ex nihilo, quam explicare quo pacto possint assumi, vt instrumenta ad educendam gratiam de potentia animæ; Quia hoc secundo modo, ipsum subiectum gratiæ concurrit, vt materia cum his instrumentis ad gratiæ productionem, quod sanè minimè reperitur in primo modo.

### *Assertio certa contra aduersarios.*

*Assertio contra aduersarios.*

QVocirca, statuenda est certa assertio, nempe, non posse etiam diuina virtute communicari creaturæ, vt sit instrumẽtũ creationis gratiæ, neque id vnquam cõmunicatum fuit humanitati Christi; & idcirco, non mihi probatur id, quod asserit Pater Vega lib. 7. super Concil. Trident. capit. 14. quod ipse credidit esse probabile, & Ruardus Tapper articulo. 3. contra Lutherum, pagina. 98. quamuis in oppositam sententiam, quam inferiùs adducemus, magis declinet: non, inquam, mihi probatur id, quod asseuerant, scilicet, quòd diuina virtute communicari potest creaturæ, vt sit instrumẽtũ creationis, & quòd id de facto communicatum est humanitati Christi, quando illa assumpta est, vt instrumentum ad tot miracula edenda. Nam licèt hoc priùs asseruerit Magister in. 2. tamen in hac re, nullus Scholasticorum illum sequitur: quidquid enim de recentioribus dicat Vega, antiqui & graues contrarium affirmant, scilicet, creaturam non posse esse instrumentum ad creandum. Ita sensit Sanctissimus Præceptor.



*Ricardus. Gabriel. Durandus.*

*Scotus.*

*Aristoteles.*

céptor. 1. part. quæst. 45. art. 5. Ricard. in. 2. dist. 1. artic. 4. quæst. 4. Gabr. ibidem, quæst. 4. artic. 2. conclus. 2. Imò verò, Durand. in. 2. distinct. 1. quæst. 4. quamuis putet, creaturam de potentia Dei posse esse veram causam secundam creandi; asserit tamen nunquam hoc de facto illi communicatum esse à Deo. Et addit, neque vlla ratione posse communicari illi, vt sit instrumẽtum creationis. Et idem dicit de instrumento creationis effectiuo Scot. in. 4. dist. 1. quæst. 1. licèt constituat aliud instrumentum non effectiuũ in genere physico; quòd si ipse velit cõstituere morale instrumentum, illud quidem in suo etiam genere habet efficientiam.

Quòd verò gratia non creetur, & consequenter quòd nullum possit esse instrumentum creationis gratiæ, imò verò neq; creationis absolute; diximus in comment. 1. part. in. 2. tom. q. 65. art. 3. dispur. 4. & 5. quo loco differitur, Vtrũ creatura possit esse causa vel instrumentum creationis. Quod ergo nunc asseueramus est, quòd quamuis gratia sit creabilis à Deo; tamen de facto non creatur cùm iustificantur homines, sed educitur de potentia animæ eorum. Rursùs asseueramus, nullam creaturam posse esse instrumentum creationis gratiæ. Nam certè, si creatura posset esse instrumentum creationis gratiæ, pariter posset esse instrumentum creationis, cuius oppositũ nos multis & veris argumentis deduximus. 1. part. loco citato. ¶Ratio tamen qua efficaciter probari potest, creaturam non posse creare, vt instrumentum; vna est & potissima, quam vt aperiamus aduerte, nihil posse habere rationem instrumenti actiui respectu alicuius effectus, nisi ad illum effectum habeat ordinem efficientis. Et ob id Aristo. 2. Physic. cap. 3. inter causas efficientes enumerat instrumenta. Et profectò, cùm constet, si propriè est sermo de instrumento, illud non reduci ad causam formalem, vel materialem, restat debere reduci ad causam efficientem vel finalem, & non reducitur propriè ad causam finalem, quia respectu finis non dicuntur proprie instrumenta, sed media quæ eandem proportionem habent ad finem, quam habent instrumenta ad efficiens. Nam sicut medium non mouet metaphoricè bonitate propria, sed ea solum quã habet, quia conducit ad finẽ; ita instrumentũ non agit per propriam formam, sed vt motũ à præcipuo agente, per formam quæ est in ipso. Vndè, palam colligitur instrumentum reducendum esse ad causam efficientem. Et instantiæ, quas Scotus addu cit de merito, nihil probant; quoniam meritum respectu præmij, non habet rationem instrumenti saltem physici; sed si quam rationem habet, solum est instrumenti moralis, & nihilominùs etiam in gene re moris debet assignari efficientia moralis ipsi merito in ordine ad præmium. Item etiam motus respectu termini, non habet rationem instrumenti: nõ enim terminus acquiritur per motum tanquam per instrumentum, sed tanquam per viam & successionem. Vndè, quòd motus, vt sic, nullo modo sit efficiens termini, nihil ad nos. Supposito ergo, quòd vt aliquid sit verum instrumentum productiuum, necessariò debet esse actiuũ; siue actio instrumenti sit distincta ab ea, quæ intrinsecè terminatur ad effectũ, siue sit eadẽ re cũ illa, de qua re alibi diximus, probatur efficaciter id quod diximus & promisimus, nempe, creaturã non posse esse instrumentum ad creandum, & consequenter sacramenta & humanitatem Christi non esse instrumenta efficiẽtia physica creationis gratiæ. Nã non potest intelligi, quòd aliquid sit instrumentũ productiuũ & actiuum respectu alicuius effectus producendi, nisi operatio eius sit actio, quæ vel disponat ad illum effectũ, vel intrinsecè terminetur ad illum; Nam profectò, nisi operatio instrumenti sit actio, instrumentũ non erit actiuum, neq; productiuum, & nisi operatio instrumenti disponat, vel terminetur ad ipsum effectum, instrumentum non attinget illũ; Sed operatio creaturæ non potest aliquo istorum modorũ se habere, respectu rei quæ creatur: igitur creatura non valet esse instrumentum adhoc, vt aliquid creetur: ergo neq; creationis gratiæ. Probatur minor: Quoniam actio quæ disponit vel terminatur ad aliquem effectum productũ, debet esse prior natura illo; & profectò, de ea actione quæ disponit, satis apertè cõstat in calefactione ligni respectu ignis, qui producitur in ligno; de ea vero actione quæ intrinsecè terminatur ad effectum, qui producitur ab ea, id etiã patet; quia effectus producitur per actionẽ ipsam; ac proinde actio debet esse prior effectu natura: productio enim prior natura est, re, quæ producitur: Sed operatio creaturæ, cùm sit essentialiter accidens, nõ potest esse prior natura re, quæ creatur, eo quòd accidens debet præcedere & supponere subiectum in quo recipiatur, quod sit prius ipso accidente, & termino per illum producto; res autem quę creatur, cũ producatur ex nihilo, nullũ omnino præsupponit subiectum, in quo operatio, quæ est accidẽs reperiatur: ergo creatura, media sua actione, aut operatione, non potest esse instrumentũ ad creandã rem aliquam, & consequenter, neq; ad creandam gratiam. Quo fit, vt humanitas Christi & sacramenta nõ sint instrumenta effectiua creationis gratię. ¶Sed dices, verum esse actionem creaturæ non posse esse priorẽ natura, re, quæ creatur, quando illa est substantia; quia tunc nullum omnino subiectum præsupponitur; posse tamen esse priorem natura, quãdo res quę creatur est accidens; quod nõ producitur per se, sed in subiecto; & ita dicunt authores contrariæ opinionis de gratia, quòd cũ creetur in subiecto, præsupponit illud; ita vt ei possit inesse operatio instrumẽti assumpti ad creandum. Respondetur tamen, hanc euasionem nullam esse; quoniã Deus, vt agens præcipuum, & creatura vt instrumentũ, eodẽ omnino concursu creãt gratiam in anima; quo crearent illã absq; vllo prorsus subiecto, vt fatẽtur authores illi, qui asserunt gratiam creari; Sed si gratia crearetur extra subiectum, creatura sua operatione nõ posset disponere aut attingere ad gratiã, vt argumentum ostendit: ergo neque id potest, si gratia crearetur in subiecto.

*Obiectio.*

*Solutio.*

Alij Theologi, vt dissoluant implexos nodos & difficultates supra allatas, aliam viam sunt ingressi, aientes, Christi humanitatẽ & passionem, atq; sacramenta, esse quidẽ causas efficiẽtes gratiæ, nõ quidẽ physicas, sed tantũ morales, & in hoc genere moris, non præcipuas causas, sed solũ instrumentales. Quã rẽ, vt intelligamus, aduertere oportet, hoc interesse inter præcipuã causam & instrumentũ, q̃ causæ præcipuæ operantur per proprias formas, quæ sunt illis

*Alius modus dicendi Theologorũ ad dissoluẽdũ obiectiones propositas.*

rationes & principia agendi & operandi; instrumẽta verò non habent proprias formas, quibus vt rationibus agendi operentur, sed solum operantur & agunt vsu & motione agentis præcipui. Diuiditur autem instrumenta eo modo, quo causæ. Nam sicut inter causas, quædam sunt naturales, vt ignis generans; aliæ verò sunt liberæ, in quarum potestate situm est agere, & non agere, vt homo, qui qua ratione est causa libera, est causa earum actionum & effectuum, quorum est dominus. Ita etiam instrumenta sunt duplicia; quædam naturalia, vt est calor respectu ignis agentis, & influentia respectu cæli; quædam verò libera, vt est voluntas hominis, nullo habitu, aut forma supernaturali affecta, respectu actus supernaturalis, quem elicit, sed solùm mota à Deo supernaturali quodam auxilio. Rursùs, causæ liberę duplices sunt, seu in duplici differentia. Nam quædam sunt liberæ; quæ tamen physicè attingunt suos effectus; quædam verò sunt causæ liberæ morales tãtum: Causæ liberæ physicæ, sunt illæ, quæ quamuis in potestate sua habeant agere, & non agere, operari, & non operari; posito tamen obiecto, & omnibus requisitis ad agendum, & ablatis etiam omnibus impedimentis, si agere volunt, non possunt nõ habere suum effectum. Et ratio huius est; quia licèt huiusmodi causa libera sit; tamen producit effectũ quantum ad exercitium, nullo expectato aliquo extrinseco respectu, vel cõsensu; talis causa fuit Deus, cùm liberè produxit mundum, & talis est artifex, cùm efficit opus artificiosum, & talis est homo respectu propriorum actuum & operum, quę ab illo liberè fiunt; Causa verò libera moralis tantum, est illa, quæ cùm liberè operetur; ipsa tamen posita, & obiecto etiam proposito, ablatis impedimentis, adhuc potest effectus esse & non esse. Et ratio huius est; quoniam eiusmodi causa non causat effectum, quantùm ad exercitiũ, sed solum proponendo obiectum, expectat consensum alterius, vt effectus fiat. Quocircà, talis causa mouet solũ ad effectum, quo ad specificationem, & huiusmodi causæ sunt consulens, & exhortans, præcipiens, & deprecans, redimẽs, & etiam ille qui meretur quidpiam ab aliquo. Vndè fit, vt vna & eadem causa respectu diuersorum effectuum, possit esse physica, & moralis, vt apertè liquet in eo, qui consulit; qui respectu consilij, quod est proprius actus illius, est physica; at verò respectu eius, quod alteri consulit, est causa moralis. Pari ergo ratione, instrumenta sunt duplicia, quædam libera physica, vt constat ex adductis exẽplis; & hæc sunt illa quæ operantur solo vsu & motione causæ præcipuæ liberæ & physicæ: Alia verò sunt instrumenta libera & moralia, nempe, illa quæ vsu & motione præcipuè causæ moralis, operãtur; sicut oratio qua quis suadet, & dictum quo imperat & præcipit, & pecunia qua redimit captiuum. ¶ Et quidem, recentiores Theologi propter obiectiones & difficultates supra tactas affirmant, humanitatẽ Christi, passionem & sacramenta eius, esse efficientes causas instrumentales gratiæ, non quidem physicas, sed morales, non aliter quam pecunia pro captiuo oblata, est morale instrumentum suæ redemptionis. Nam sicut is, qui captiuum iure belli possidet, mouetur à pecunia sibi oblata, vt eum è captiuitate extrahat. Ita sanè Deus propter humanitatem Christi, eius passionem & sacramenta, quæ à passione virtutem accipiunt, mouetur ad producendam gratiam in anima, siue illa creetur, vt authores huius opinionis putant, siue educatur de potentia animæ, vt nos credimus: nihil enim interest, aut refert adhoc vtrumuis dicatur. Nam si hoc modo morali, & his instrumentis ita explicatis, gratia causatur, nulla requiritur præsentia distincta, aut contactus instrumentorum, neque vlla virtus, aut vlla noua operatio illorum; sed illis manentibus solum in diuina acceptatione, nihil repugnat quòd Deus motus propter illa, solus ipse causet gratiam in anima, aut eam ex nihilo creando, aut educendo de potentia animæ. Hanc sententiam defendit Driedo libr. de captiuit. & redempt. generis humani, tractatu. 2. cap. 1. 3. part. illius cap. memb. 2. propos. 3. & cap. 2. in. 3. part. cap. art. 5. propos. 4. Quo loco, licèt sub expressis verbis causæ moralis, nõ fuerit loquutus, tamen re vera hanc docet sententiam. Nam in primo loco explicat, quo pacto Christus per humanitatẽ & passionem nobis conferat salutem, & dona supernaturalia. Idem tuetur Ruard. Tapper Decanus Louan. tom. 1. artic. 3. pag. 98. & nouissimè Pater Cano in. 2. part. relectionis de sacramentis in genere, & Vega. 7. super Conc. Trid. cap. 18. *Driedo.* *Ruard. Tap.* *Cano.* *Vega.*

¶ Hanc sententiam reijciunt & impugnant plerique; ratione tamen quadam vniuersali & generali, nempe, quia Deus, nec potest esse causa moralis alicuius rei, quæ fiat à creatura; neque potest creatura ipsa esse causa moralis respectu Dei, aut respectu alicuius effectus producti à solo Deo. Primum ostendunt; Quoniam Deus, omnes effectus qui à creaturis fiunt, causat quantum ad exercitium, & non tantum quo ad specificationẽ: igitur cùm moralis causa nõ sit causa effectus quantum ad exercitiũ, Deus nullius rei creatæ potest esse causa moralis tantum, sed omnium est causa physica. Secundum etiam ostendunt: Quoniam, vt aliquid sit causa moralis alterius, debet alterum mouere ad productionem & causationem, quoad exercitiũ effectus illius, cuius est causa moralis: sed Deus non mouetur à creatura ad aliquid causandum, sed à sola sua bonitate: igitur creatura respectu Dei, non potest esse causa moralis. Imò verò, si satis esset, vtcunque mouere Deũ adhoc, vt creatura respectu illius esset causa moralis, illa posset esse causa moralis præcipua creandi, quod est inconueniens; Quoniam esse præcipuam causam creationis, est proprium Dei. Probatur sequela; Quia posset creatura impetrare à Deo, vt aliquid crearet.

¶ Verùm hæc ratio & probatio, non solum est in efficax, sed etiam assumit duo apertè falsa. Primum est, Deum non posse esse causam moralem eorum quæ fiunt à creatura. Nam profectò contra hoc est, quòd Deus respectu creaturæ, est præcipiens & exhortans: igitur est causa moralis. Antecedens patet, & similiter consequentia, quæ colligit & tenet ab inferiori ad superius affirmatiuè. Neque obstat dicere, Deum nihil causare quoad specificationem præcipiendo & exhortando, quod etiam non causet quoad exercitium, vt causa physica vniuersalis. Nam hoc non tollit quominùs ea ratione, qua præcipit & hortatur, sit causa moralis, quandoquidem, vt sit, expectat consensum alterius;



alterius; sed solum ex illa probatione sequitur, quòd nihil causat moraliter, quod non causet etiam physicè, quod non est contra nos. Alterum verò, quod est etiam aperte falsum, illud est, nempe, creaturam non posse esse causam moralem eorum, quæ fiunt à solo Deo. Quoniam creaturæ rationales, pleraque obtinent precibus à Deo, & Christus Dominus, in quantum homo, meruit nobis vitam æternam, & alia bona spiritualia; & iusti etiam verè & propriè merentur gloriam: constat autem ex supra dictis, eum qui precatur & qui meretur, esse veram & propriam causam moralẽ. Vndè, sicut satis est quòd creatura solum metaphoricè & impropriè moueat Deum precibus & meritis; adhoc vt verè & propriè dicatur respectu illius deprecans & merens; ita etiam satis est hoc vt respectu Dei, & eorũ quæ ab ipso fiunt, sit verè & propriè causa moralis; Neque est vllum inconueniens quòd creaturæ concedatur esse causam moralem creationis: potest namque iustus aliquis precibus obtinere à Deo, vt aliquid creet, & id non inuoluit repugnãtiam vllam: Nam Christus potuit mereri, in quantùm homo, quòd Deus crearet aliquam rationalem animam, quam aliàs non creauit modo. Neque ex hoc donatur aliquid creaturæ, quod sit proprium Dei. Nam ob id quòd precibus & meritis obtineat creationẽ alicuius rei, à quo haberet quòd esset causa moralis creandi, non sequitur, quòd sicut Deus est creator, ita etiam illa sit creatrix, sicut ob id quòd quis deprecetur artificem vt imaginem depingat: non sequitur quòd ipse sit pictor, quamuis sit causa moralis pingendi.

*1. Ratio.* Sunt etiã Theologi, qui rationes adducũt aliquas quibus probare cõtendũt, humanitatẽ Christi, eius passionẽ, & sacramenta, nõ esse morales causas instrumẽtales gratiæ, loquendo de causa morali, vt distinguitur cõtra meritũ & satisfactionẽ, siue cõtra causam meritoriam, & satisfactoriam. Prima ratio est. Quia si sit sermo de causalitate morali, vt distinguitur contra meritum & satisfactionem, de qua in præsenti est sermo, humanitas passio, & sacramẽta, non possunt esse causæ morales præcipuæ, neq; etiã moralia instrumenta respectu gratiæ: igitur nullo modo possunt illam causare moraliter. Quòd non sint causæ præcipuæ seu principales; de passione & sacramentis ab omnibus conceditur; de humanitate verò etiam videtur concedendum. Quoniam S. Thom. qui hanc peculiarem efficientiam distinctã à merito & satisfactione, inter alios Scholasticos solus tribuit humanitati Christi; expressè affirmat, eandem humanitatẽ non per propriam virtutem, quod quidem conuenit causæ principali, sed in quã tum est instrumentum diuinitatis, esse causam efficientem gratiæ & iustificationis; & ita docet in hoc art. 1. quem modo interpretamur, ad. 1. & 3. p. q. 7. ar. 1. ad. 3. & q. 8. art. 1. ad 3. Vbi inquit, quòd Christo, in quantum homo, conuenit instrumentaliter causare gratiam, in quantum humanitas eius est instrumentũ diuinitatis. Et id sæpe docet S. Th. in. 3. p. & est desumptum ex Damasc. lib. 2. fidei, cap. 5. Neque rursus humanitas, passio, & sacramenta, possunt esse causæ instrumentales morales gratiæ. Quia non potest intelligi quòd aliquid sit instrumentum morale, nisi respectu alicuius causæ præcipuæ, etiam moralis, cuius vsu & motione ipsum instrumentum operetur: sed nulla talis causa potest assignari respectu humanitatis & passionis: ergo illa non possunt esse moralia instrumenta: Probatur minor: Quoniã Christus, vt homo, non potest esse causa præcipua moralis, eo q; humanitas per quã habet quòd sit homo, est instrumentũ in ipsa causatione gratiæ, vt paulò ante vidimus ex Sanctissimo Præceptore. ¶ Neq; etiam Christus, in quantum Deus, præcisè, habet vt sit præcipua causa moralis. Nam cum hac ratione non minus ille, quam Pater, & Spiritus sanctus habeant producere gratiam, nulla ex rationibus præcipuæ causæ moralis potest illi quadrare, vt inductione constat, & est sermo de causa purè morali, quæ non habet simul coniunctam causalitatem efficientem physicam: Neque enim potest esse consulens, exhortans, præcipiens, deprecans, redimens, aut merens. Rursus, causa moralis de qua loquimur, vt assequatur effectum expectat consensum alterius, vt supra diximus: sed constat. Christum Dominum, in quantum Deus, nullius consensum expectare si vult, ad producendam gratiam, cùm solus Deus producat gratiam. Tandem, nihil potest esse morale instrumentum, nisi comparetur vt ad causam præcipuam, ad eum qui aliquid ab alio est impertraturus: hic enim est qui respectu illius à quo aliquid impetratur, vtitur instrumento morali, vt constat in exẽplo eius, qui media pecunia redimit à Rege captiuum: sed Christus, vt Deus, humanitate, passione, & sacramentis, non impetrat ab aliquo productionem gratiæ, vt constat: ergo hæc non sunt moralia instrumenta respectu Christi, vt est Deus præcisè. Vnde, S. Thom. cùm dixit locis citatis, hæc esse instrumenta diuinitatis, insinuauit & significauit, ea non esse moralia instrumenta Dei, vt sic; sed esse instrumenta efficientia physica eius.

Secunda ratio qua etiam ijdem Theologi probat suam sententiam, est huiusmodi. In alijs operibus, quibus Christus operatus est efficienter salutem nostram, dici non potest quòd eius modi efficientia fuerit moralis: ergo neq; etiam in passione, neq; in sacramentis nouæ legis, quæ ab illa accepere virtutem, neque etiam in humanitate, per quam talia opera eliciebantur. Patet consequentia. Quia idem genus efficientiæ, vt distinguitur à merito & satisfactione, assignatum est à D. Thom in omnibus operibus. Probatur antecedens: Quia. 3. p. q. 50. art. 6. docet Sanctissimus Præceptor, quòd mors Christi in facto esse; id est corpus Christi iam mortuum, non fuit causa meritoria, sed efficiens nostræ iustificationis. Et idem docet de sepultura. q. 51. art. 1. ad. 3. & de descensu ad inferos docet, quòd non fuit satisfactorius, sed efficiens. q. 52. art. 2. ad. 3. & de resurrectione. q. 56. art. 1. ait, quòd in ea verbum diuinum primò viuificauit corpus sibi naturaliter vhitum, deinde causauit resurrectionem nostram, & quòd causauerit efficienter, ibidem docet ad. 3. Quòd verò per ipsam resurrectionem causet in nobis resurrectionem à peccato per gratiam, docet art. sequenti; & hoc ipsum docet de ascensione. q. 57. Quòd verò omnium horum operum efficientia non sit moralis, probatur: Quia illa non fuêre instrumenta redemptionis, vel satisfactionis pro nobis à Christo factæ; quia hæc in ipsius morte fuit consummata; ne

*2. Ratio.* *S. Thom.*

que etiam meriti: Quia cùm hæc opera Christus præstitit atque gesit, iam erat extra statum merendi: Quæ omnia, non solum D. Thom. sed omnes alij Theologi concedunt & fatentur. Quòd si quis confugiat ad causam exemplarem, nihil valet solutio: quoniam in his operibus, S. Thom. planè distinguit efficientem causam ab exemplari. Tandem, cùm hæc opera non fuerint instrumenta exhortationis, deprecationis, aut præcepti, vel consilij, aut alicuius alterius causationis moralis earum, quas assignauimus, non possunt dici instrumenta moralia, in sensu, inquam, ante dicto.

3. Ratio. Tertia ratio, qua etiam adducuntur, est quæ sequitur: Nam si in humanitate, passione, & sacramentis assignaretur huiusmodi efficientia moralis, sequitur, passionem & sacramenta eodem modo causare in nobis gratiam, quo eam olim in antiquis Patribus causabat passio, & quo eam causabant sacramenta veteris legis, & etiam è conuerso, quod est contra D. Thom. & contra omnes Theologos. Probatur sequela. Quoniam si efficientia passionis & sacramentorum ita nunc ponitur moralis, vt tantum Deus motus ipsa passione, & sacramentis quæ ab illa habent virtutem, producat in anima gratiam; hoc etiã modo potuit moueri in veteri lege à passione Christi futura, & sacramentis antiquis quæ illam præfigurabant. Nam vt quis donet & concedat aliquid, quod ab eo alius impetrare contendit, non minus mouetur rebus futuris, quam præteritis; Quia vt cõstat exemplo quorundam Theologorum, Rex à quo impetranda est redemptio captiui, ita mouetur pecunia, quam certò credit sibi cõferendam, ac moueretur si de præsenti numeraretur: Igitur pari modo dici poterit, Christi Domini passionem exhibendã, fuisse antiquitus moralem causam iustificationis, sicut modo est eadem passio exhibita. Et quemadmodum literæ, quibus promittitur pecunia, non minus sunt morales causæ redẽptionis, quam illæ quibus significatur pecuniam iam esse solutam; ita etiam vetera sacramenta, quæ passionem Christi figurabant, perinde fuissent causæ morales iustificandi, sicut noua; in quibus virtus passionis Christi iam exhibitæ continetur. Præsertim, cùm ipsi authores huius causæ moralis, dicant quòd fides in veteri lege, moraliter causabat gratiam, quasi ex opere operato. ¶Quòd verò dici non possit, passionem & sacramenta eodem modo effectiue causare gratiam in veteri lege, quo illam causant in noua; expressè docet S. Thom. 3.p.q.62. Vbi ait, quòd passio Christi nisi exhibita sit, non potest esse causa efficiens. Sensit ergo S. Thom. passionem Christi antiquo tempore, non potuisse esse causam efficientem, quod consequenter asserit de sacramentis, quæ ab ipsa passione habent virtutem efficiendi. Quòd etiam consequens sit contra Theologos omnes nostri temporis, constat: Quia propter definitiones Conciliorũ Florentini & Trident. supra citatas, consentiunt sacramenta nouæ legis longè alia ratione causare gratiam in nobis, quam sacramenta veteris legis. Cùm igitur, vt supra dictum est, affirmandum sit passionem, humanitatem, & sacramenta nouæ legis efficienter causare gratiam; & satis sit ostensum, hanc efficientiam non esse moralem, iuxta sensum superius explicatum; necessariò est dicendum, illam esse physicam ac proindè hæc tria, humanitatem, passionem, & sacramenta, esse instrumenta efficientia physica, quibus Deus quantum ad exercitium producit gratiam, eam educendo de potentia obediẽtiali animæ.

*Responsio ad rationes factas pro parte antea.* Propter has rationes, plerique Theologi dicunt, humanitatem, passionem, & sacramenta, neque esse causas morales præcipuas, neque etiam moralia instrumenta respectu gratiæ, si sit sermo de causalitate morali, pro vt distinguitur contra meritum & satisfactionem. Mihi tamen semper videtur sentiendum esse iuxta ea quæ diximus supra in hoc art. disputat. 2. conclus. 2. 4. & 5. Quocirca sentiendum est, Christum Dominum, inquantum homo, etiam in genere causæ moralis, fuisse principalem causam gratiæ, & donorum supernaturalium, quæ nobis à Deo dãtur. Et ly, inquantum homo, debet accipi specificatiuè, vt loco citato animaduertimus. Vndè Christi anima semper fuit causa meritoria principalis nostræ iustificationis & sanctitatis: Imò verò solus Christus, vt prima causa meritoria, meruit nobis gratiam, & adoptionem. Ex quo colligo, sacramenta vt instrumenta huius causæ principalis moralis, esse instrumenta non tantum efficienter physicè, sed etiam instrumentaliter moraliter operantia, atque ita esse instrumenta moralia huius præcipuæ causæ moralis, & continere instrumentaliter meritum & pretium sanguinis Christi. Vnde, quamuis sacramenta & merita Christi, eiusque voluntaria passio, non sint causæ præcipuæ morales, tamen non repellenda est ab illis causalitas moralis instrumentalis. Rursus sentiendum est, etiam Deum posse esse causam moralem, eorum quæ fiunt à creatura. Nam Deus potest esse respectu creaturæ præcipiens & exhortans: igitur est causa moralis. Et hoc ipsum etiã conuenit Christo præcipere & exhortari ad pœnitentiam & iustificationem. *Obiectio.* Quòd si dicas, Deum nihil causare quoad specificationem, præcipiendo & exhortando, quod non causet etiam quoad exercitium, vt causa physica vniuersalis, *Responsio.* Respondetur, quòd hoc non tollit quominùs ea ratione, qua præcipit & hortatur, sit causa moralis; quia vt sic expectat alterius consensum. Vndè, ex probatione allata solùm sequitur quòd nihil causat Deus moraliter, quod non causet etiam physicè. Et hoc etiam donãdum est sacramentis, quòd non solum causant moraliter, sed etiam efficienter physicè simul, vt omnibus modis exaltentur instrumenta gratiæ, quibus Christus operatur. Et nego quòd Christus humanitate & passione non impetret productionem gratiæ. Dico vlterius, etiam sentiendum esse, quòd licèt corpus Christi iam mortuum, sepultura, & descensus ad inferos, & resurrectio Christi, non fuerint causa meritoria, aut moralis neque præcipua nec instrumentalis nostræ iustificationis; fuerunt tamen causæ efficientes physicæ instrumentales nostræ iustificationis. Sanè, illa non fuerunt instrumenta moralia redemptionis, vel satisfactionis. Quoniã redemptio in morte Christi fuit consummata; neque hæc tunc erant instrumenta meriti: quia cùm hæc opera Christus gesit, iam erat extra statum merendi. Et hoc est vnanimis confessio Theologorũ. Imò verò, cùm hæc opera non fuerint instrumenta exhortationis, deprecationis, aut præcepti, vel consilij, aut alicuius alterius causationis moralis; non possunt dici instrumenta moralia. ¶Et per hæc quæ diximus, respondetur ad duas rationes ex placito quorundam Theologorum allatas. ¶Ad tertiam verò rationem respondetur, nos affirmare, passionem & sacramenta, & humanitatem habere etiam efficientiam physicam simul coniunctam cum causalitate morali, & ob id argumentum non habet vim contra nos. Rursus, passio Christi voluntariè à Christo oblata Patri, eiusq; meritum iam exhibitũ, sicut & passio ipsa exhibita, longè excellentiorem modum habet causandi, quam eadem passio antequam exhiberetur: iustificabantur enim patres per ordinẽ ad Christum tanquam per ordinem ad causam finalem; at verò in nouo testamento, per Christum & eius passionem, tanquam per efficientem causam; & per sacramenta & meritum in sacramentis contentum, etiam efficienter moraliter: efficiens verò causa, verè postulat existentiam, quam vel modò habeat, vel habuerit, & hæc non fuit respectu passionis & meritorum Christi in veteri testamento: Quia tunc non erant exhibita merita Christi, neque eius passio, quæ futura erat, & solum significabatur.

*Obiectio aduersarij.* ¶Sed adhuc obijciunt aduersarij, quod si in sacramentis nouæ legis reperitur non sola causalitas moralis, sed etiam physica, quòd etiam in veteri lege si militer passio Christi causaret gratiam per modum causæ physicæ. Nam passio Christi in re exhibita, in eodem genere causat nostram salutem per modum præsentialitatis, in quo in veteri lege causabat salutem Patrum per modum finis expectati: sed salutem Patrum nullo modo causabat habito respectu ad causalitatem physicam futuram per modum finis, sed ad causalitatem tantum moralem: ergo. Probatur minor: quia passio Christi ea tantum ratione causabat salutem Patrum, quatenus sperabatur futura in ratione pretij redemptionis humanæ: hæc autem ratio, ad solam causalitatem moralem pertinet. Nam quòd passio Christi effectiuè per modum causæ physicæ causet in nobis gratiam, impertinenter se habet ad rationem pretij nostræ redemptionis: *Dissimilitudo obiecto.* ergo. ¶Respondetur quòd licet antiqua sacramenta principaliter & per se primò præfigurarent Christi passionem, prout futura erat causa moralis nostræ redemptionis per modum pretij; tamen secundariò & completiuè præfigurabant ipsam passionẽ, prout erat futura causa instrumentalis physica nostræ iustificationis. Quia hæc physica causalitas pertinet ad complemẽtũ & perfectionẽ nostræ reparationis vt facta est per Christum: expostulabat enim dignitas Christi vt eius passio non solum esset morale instrumentum nostræ reparationis; verum etiam & physicum.

*Quid sentiendum sit, circa præcedentia & authoris explicatio consentiens alteri explicationi superiori.*

HOc loco aduertẽda est explicatio illa maior à nobis facta in superioribus, vbi interpretati sumus, quo pacto Christi humanitas, passio, & sacramenta, possint esse instrumenta physica deductionis gratiæ ex potentia obediẽtiali animæ. Qua suppositа, duas statuo vel tres hoc loco propositiones, quas colligo ex præcedentibus, & expaulo antedictis, quarum prima est. *Conclus. 1.* Sacramenta respectu gratiæ quam producunt, dicuntur & sunt moralia instrumenta productiua ipsius, tam respectu Christi & passionis eius, quam respectu Dei iustificantis nos per gratiam. Propositio hæc, ex communi consensu Theologorum constat, & in primis error est, vel errori proximum, asseuerare, sacramenta nouæ legis non esse vere & propriè causas instrumẽtales gratiæ, siue causalitate physica, siue morali, vt supra definitum est à nobis, vbi retulimus Concilij Florentini testimonia statim in initio solutionis difficultatum præcedentium, vbi diuersa authorũ placita modum causandi sacramẽtorum, passionis, & humanitatis Christi, recensuimus. *Conc. Flor.* Quod verò sacramenta nouæ legis causent gratiam vt physica instrumenta, non pertinet ad fidem, quidquid Caietanus dicat. 3.p.q.62. art.1. putans, definitionem Concilij Florentini, qua definitur sacramenta nouæ legis causare gratiam, intelligendam esse de causalitate physica. Nam quamuis egò id credam esse verum quòd sacramenta nouæ legis sunt instrumenta physica; tamen id non est de fide, neque definitum in Concilijs: Quoniam hæc disputatio ad speculatiuã potius disputationem pertinet, magis quam ad definitionem fidei. Quoniam physica ista causalitas, nõ est necessaria ad nostram iustificationem & salutẽ; quia sola & vera moralis causalitas sufficiebat ad iustificationem nostram. Quocircà, causalitas physica magis statuitur propter excellentiam, & maiestatẽ & dignitatem sacramentorum nouæ legis, & Christi, quàm propter necessitatẽ nostræ salutis. ¶Quòd autem sacramenta sint moralia instrumenta productiua gratiæ, & quòd sint instrumenta Christi, tanquam causæ principalis moralis, probatur. Nam Christus Dominus, in quantum Redemptor, fuit causa principalis moralis nostræ salutis: operatus est enim nostram salutem per modum meriti, & per modum satisfactionis, qui modus operandi competit Christo, vt homini, tanquam causæ principali: sed sacramenta sunt instrumenta Christi, quatenus fuit redemptor noster; ergo sunt instrumenta moralia Christi. Patet consequentia. Quia principalis causa moralis, vtitur moralibus instrumentis. Secũdò probatur: Christus, in quantum homo, habuit potestatem excellentiæ ad instituenda sacramenta, quibus applicaretur nobis virtus sanguinis & passionis ipsius Christi: sed Christus, in quantum homo præcisè, non potuit instituere vt sacramenta essent physica instrumenta gratiæ: ergo necesse est quòd illa instituerit in ratione moralium instrumẽtorum. Probatur minor. Quoniam instituere sacramenta, vt instrumenta physica gratiæ, solum pertinebat ad Christum, in quantum causa principalis physica ipsius gratiæ: sed Christus, in quantum homo, non est causa principalis physica gratiæ; nam humanitas Christi solum instrumentaliter concurrit in genere physico ad causandam gratiam, vt instrumentum verbi conuulsum: ergo. ¶Secũda pars propositionis, nempe, quòd sacramenta sint instrumenta moralia Dei iustificantis nos, probatur. Quoniam Deus, vt Deus, nõ solùm operatur nostram iustitiam, vt causa physica principalis, sed etiam per modum causæ moralis: iustificat enim nos libere & voluntariè, & per imperium suum: & imperium

vtrumq;

vtumque habet, nempe, aliquid morale, & aliquid naturale. Nam ſi fingamus iudicem per prolationẽ ſui imperij occidere reum; tunc illa vox eſſet inſtrumentum, tum morale, tùm etiam naturale & phyſicum, quo modo Petrus occidit Ananiam & Saphiram actorum. 5. Quæ vox Petri increpans, erat moralis & naturalis cauſa Dei. Et ſanè, imperium practicum, & electiò ſunt cauſæ morales; & in quantum imperium & electio producunt habitum & actum, ſunt naturales cauſæ eorum: ergo qua ratione Deus conſideratur vt cauſa moralis noſtræ iuſtificationis, & Chriſtus ſacramentorum author & inſtitutor, optimè intelligitur, quod ſacramenta ſint moralia inſtrumenta ipſius Dei & Chriſti. Et confirmatur: Nam quòd paruulo applicetur ſacramentũ baptiſmi ad eius ſpiritualem regenerationem, non ſolum prouenit ex voluntate humana Chriſti, verũ principaliter ex ipſa Diuina voluntate Dei, cui conformatur voluntas humana Chriſti: igitur ſacramẽta non tantum ſunt inſtrumenta moralia voluntatis humanæ Chriſti, ſed etiã diuinæ voluntatis Dei iuſtificantis nos. ¶ Caietanus & Soto oppoſitũ huius quod dicimus in ſecunda parte propoſitionis, crediderunt: ſed ſanè ſine cauſa. Nam non ſolum Deus eſt cauſa phyſica noſtræ iuſtificationis, ſed etiã moralis, etiam vt Deus: & hac de cauſa, ſacramenta poſſunt eſſe moralia inſtrumenta eius.

Sed contra. Nam in ea ſententia, quæ probabilis eſt, & docet quòd ſacramenta nouæ legis ſolũ ſunt cauſæ morales reſpectu gratiæ, ſequitur, quòd ſi ſola cauſalitas moralis competit ſacramentis nouæ legis, probabiliter etiam dici poterit, quòd eadem ſacramenta noui teſtamenti, non differant à ſacramẽtis antiquæ legis, quod aduerſatur definitioni Concilij Florentini ſupra citati. Et probatur ſequela. Quia in ſacramentis veteris legis, verè reperiebatur moralis cauſalitas gratiæ, tùm quia ex Dei intẽtione inſtituta fuerunt, vt ad eorum præſentiam daretur gratia: tum præcipuè, quia præfigurabãt, imo promittebant merita Chriſti futura, & futurum pretium noſtræ redemptionis: ergo. Et non ſatisfacit dicere quòd ſacramenta antiqua non cenſebantur cauſæ morales gratiæ, quia nondum poſita erant in re merita Chriſti, neque adhuc erat exhibitum pretium noſtræ redemptionis; Quoniam cauſalitas moralis, etiam conſiſtit in fide pretij futuri. Nam qui facit chirographum ſoluendi pretium anno futuro pro redemptione captiui, vera cauſa moralis eſt redemptionis captiui: ergo id ipſum eſt dicendum de ſacramentis veteris legis, in quibus continebatur chirographum redemptionis. ¶ Reſpondetur negando ſequelam. Et ad probationem negatur antecedens, & ad huius antecedentis priorem probationem, dico, quod ex ea ſolum ſequitur, quòd ſacramenta antiqua eſſent cauſa, ſine qua non in genere morali: cauſa autem ſine qua non, minime habet rationem cauſæ in eo genere, in quo eſt cauſa ſine qua non. Et vt hanc rem intelligas aduerte, quòd ſicut in genere phyſico, cauſa ſine qua non, dicitur reſpectu alicuius effectus, illa quæ nihil influit in effectum, neque aliquam habet phyſicam virtutem, in qua cõtineatur virtualiter ipſe effectus, vt patet de eo qui applicat ignem reſpectu combuſtionis, qui non habet influxum in effectum; ſic in genere morali poteſt aliqua cauſa inueniri, quæ ſit tantum ſine qua non; ita quòd ad eius poſitionem ſequatur infallibiliter effectus, qui aliàs non ſequeretur; & tamen in illa nulla reperiatur virtus moralis, cui reſpondeat effectus in eſſe morali, & eiuſmodi fuerunt antiqua ſacramenta, quæ ex diuina inſtitutione applicabantur, vt ad eorum præſentiam infallibiliter daretur gratia, remoto omni impedimento ſuſcipientis; & tamen nulla moralis virtus ipſis inerat, cui reſponderet gratia, vt effectus moralis ipſorum. Ad ſecundam probationem eiuſdem antecedentis dicendum eſt, ſolutionem ibi inſinuatam, ſcilicet, quòd tunc non erant in actu poſita merita Chriſti, neque pretium noſtræ redemptionis, eſſe valde rationabilem & probabilem. Et ad impugnationem eius, aliqui Theologi reſpondent, quòd ſacramenta veteris legis non promittebant aliquid, neque gratiam, neque Chriſti paſſionem futuram: ſed tantum præfigurabãt: fides autem erat quæ hæc omnia promittebat futura. Cæterùm, non ſatis veroſimiliter dicitur, quòd promiſsio incarnationis & paſſionis Chriſti futuræ, pertinebat formaliter ad fidem vt ſic; Quoniam fides eadem fuit in ſtatu legis naturæ, & in ſtatu legis ſcriptæ; at in ſtatu legis naturæ non promittebat Chriſti incarnationẽ & paſſionem futuram: Nam hæc promiſsio ad ſolũ populum Iſraeliticum pertinebat, & non ad eos qui legis naturæ ſtatum colebant: igitur Chriſti vẽturi, & paſſionis eius promiſsio, non ad fidem, ſed ad legem ſcriptam, & ad Patres, quibus hæc lex data fuit, pertinebat, & ex conſequenti pariter pertinebat ad ſacramenta illius legis, quæ præcipuum locum in illa lege tenebant. Prætermiſſa ergo ſolutione illa, reſpondetur; quòd in caſu argumenti, ille qui poſtea ſoluturus eſt pretium promittit data fide, ſe in poſterum ſoluturum; atque adeo eius promiſsio, fide & ſcriptura confirmata, eſt vera cauſa moralis effectus, exempli gratia, redemptionis captiui. Cæterùm, antequam Verbũ fieret homo, Chriſtus vt homo nihil promiſit, quia tunc non erat homo; atque adeo nullo modo applicuit ſacramentis in veteri lege inſtitutis, valorem ſuorum meritorum, & ex conſequenti, ſacramenta illa non fuerũt inſtrumenta moralia Chriſti & paſſionis eius, neque per modum cauſæ efficientis, neque per modũ cauſæ finalis. Hæc ſolutio verè aſsignat differentiã inter ſacramenta vetera & noua. Nam ex ea verè colligitur quòd cùm ſacramenta noui teſtamenti ſint verè & propriè inſtrumenta moralia Chriſti & paſſionis eius, hoc non potuit competere ſacramẽtis antiquis. ¶ Veruntamen, hæc ſolutio non ſatis excludit cauſalitatem moralẽ gratiæ à veteribus ſacramentis. Quoniam licèt ſacramenta illa non fuerint inſtrumenta moralia Chriſti vt hominis; erant tamen inſtrumenta moralia Dei vt Dei. Quia continebant promiſsionem factam à Deo de paſſione Chriſti futura in pretium vniuerſale redemptionis humanæ. Promiſsio autem præſertim illa quæ habet infallibilitatem in ſui complemento, qualis eſt promiſsio Dei, verè & propriè eſt cauſa moralis: ¶ Ad hanc obiectionem & ſolutionis impugnationem, dicendum eſt primò, quòd promiſsio diuina, nullã inducit propriè loquendo obligationem debiti in Deo promittente: Deus enim nulli obligari poteſt, & conſequenter promiſsio facta à Deo de incarnatione Chriſti futura, non fuit propriè moralis cauſa ipſius incarnationis. Nam promiſsio nõ ob aliud cenſetur cauſa moralis rei promiſſæ niſi quatenus inducit obligationem in promittente reſpectu executionis rei promiſſæ. Secundò dicendum eſt, quòd ſacramenta veteris legis dicuntur fuiſſe promiſſoria, non quia re vera aliquid promitterent, ſed quia fuerunt ſigna proteſtatiua diuinæ promiſsionis factæ Patribus, de incarnatione Chriſti futura, in quo valde diſtinguebantur à ſacramentis legis naturæ, quòd hæc ſacramenta proteſtabantur exterius id quod fides interius docebat; non tamen proteſtabantur promiſsionem aliquam factam à Deo Patribus legis naturæ: Quia illis non fuerat Chriſtus promiſſus. Et ex his palam ſequitur, quòd ſacramenta veteris legis non tranſcendebant rationem ſigni, neque attingebant cauſalitatem moralem, quia nõ propriè promittebant, ſed erant ſigna promiſsionis diuinæ.

*Concluſ. 2.* Secunda propoſitio. Non ſolùm nouæ legis ſacramenta ſunt moralia inſtrumenta gratiæ, ſed etiam phyſica inſtrumenta. Vnde, ſicut Deus in iuſtificatione noſtra, eſt cauſa principalis gratiæ in vtroque genere morali & phyſico; ita ſacramenta in vtroque genere ſunt inſtrumenta Dei cauſantis gratiã. Hæc eſt expreſſa ſententia D. Tho. vt ſupra vidimus multis in locis, & de Verit. q. 27. art. 4. in corpore, & in ſolutionib. argumentor. multis conatur explicare hanc ſententiam, de cauſalitate efficienti, & phyſica ſacramentorum. Et. 3. p. q. 8. art. 1. ad. 1. docet, humanitatem Chriſti cauſare gratiam per meritum, & per efficientiam. En, vbi diſtinguit efficientiam à merito, quæ efficientia, vt à merito diſtincta, non poteſt non eſſe phyſica. Nam moralis efficientia quam habet Chriſti humanitas reſpectu gratiæ, tota pertinet ad meritum & ſatisfactionem: illa ergo quæ diſtinguitur à merito & ſatisfactione, debet eſſe phyſica. Et profecto, par ratio eſt de ſacramentis, & de Chriſti humanitate, quòd attinet ad cauſalitatem gratiæ. Quocirca, S. Thom. 3. p. q. 78. art. 1. aperte docet hanc ſententiam de ſacramẽto euchariſtiæ, & de cæteris ſacramentis. Nam certè, ſi Sanctiſsimus Præceptor non intenderet ſtatuere in ſacramentis phyſicam cauſalitatem, ſed tantum moralẽ; ſine cauſa tantopere laboraret in pleriſque articulis & quæſtionibus, vt explicaret virtutem productiuam gratiæ in ſacramentis. Rurſus probatur hæc phyſica cauſalitas inſtrumentalis. Sacramentum euchariſtiæ ſecundum fidem eſt cibus ſpiritualis animæ Ioan. 6. Caro mea verè eſt cibus: ſed ſi ſolam & præciſam cauſalitatem moralem conſtituimus in hoc ſacramento, vix explicabitur qua proprietate euchariſtia appelletur cibus ſpiritualis animæ: ergo. *Ioan. 6.* Et confirmatur: Quoniã in verbis cõſecrationis neceſſe eſt ponere virtutem ſpiritualem phyſicam ad trãſſubſtantiãdum ſubſtãtiam panis in corpus Chriſti, & ſubſtantiã vini in eius ſanguinem: ergo pariter ſtatuenda eſt virtus ſpiritualis phyſica in eodẽ ſacramento euchariſtiæ, ad cauſandam gratiam cibantem animam. Probatur antecedens. Quia non poteſt fingi quòd verba illa concurrant ad tranſſubſtantiationẽ, per ſolam cauſalitatem moralem. Item etiam, quia cùm Chriſtus in vltima cœna iſtud ſacramentum inſtituit, non ſolum ipſius verba operata ſunt moraliter tranſſubſtantiationem, ſed etiam phyſicè virtute diuina, qua Chriſtus operabatur vniuerſa opera miraculoſa & ſupernaturalia: igitur illa verba eandem retinent modo virtutem phyſicam & efficientem. Et confirmatur iterum. Quia in ſacramento euchariſtiæ reperitur phyſica virtus cauſatiua gratiæ, quoniam ipſa Chriſti humanitas ſub ſpecibus contenta, eſt virtus ipſius ſacramenti: ergo eadem ratione, in cæteris ſacramentis aſsignare debemus virtutem phyſicam productiuam gratiæ: omnia enim ſacramenta debent conuenire in eodem genere cauſalitatis reſpectu gratiæ. ¶ Sanè, conſtituendo hanc phyſicam cauſalitatem, magis propriè explicantur verba Scripturæ, diffinitiones Conciliorum, & Patrum teſtimonia, in quibus fit ſermo de cauſalitate ſacramentorum. Nam Ioan. 3. ait Chriſtus; Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, &c. Vbi certum eſt, Spiritum ſanctũ in noſtra regeneratione, concurrere phyſica cauſalitate. Vndè, vt ſaluetur omnimoda proprietas ſermonis Chriſti, oportet dicere, ſacramentum baptiſmi; quod eſt ſacramentum regenerationis, eadem cauſalitate phyſica concurrere ad ipſam regenerationem; alias minùs propriè diceretur regeneratio ex aqua & Spiritu ſancto. Rurſus, cùm Scripturæ dicunt Chriſtum nos lauare & mundare & regenerare per ſacramenta, & Concilia abſolutè definiunt ſacramenta nouæ legis efficere & cauſare gratiam, multo propriùs loquuntur, ſi de phyſica cauſalitate intelligantur, quàm ſi de ſola cauſalitate morali: quia moralis cauſalitas, eſt minus perfecta & minus propria cauſalitas in ratione cauſalitatis, quam cauſalitas efficiens phyſica. Dico in ratione cauſalitatis. Quia ſecundũ alias rationes, benè poteſt eſſe ea moralis cauſalitas ſit perfectior, phyſica cauſalitate. Quia cauſa libera, quatenus libertate pollet, conſultatione, & deliberatione, perfectior eſt cauſa naturali & phyſica, ſi ipſa ſit expers libertatis; ſed tamen quantum ad hoc, quòd eſt effectum producere, præſtat quidem cauſa phyſica attingens ipſum. Aduerte tamen, quòd in ſacramentis nouæ legis, moralis cauſalitas eſt prior ſecundum rationem cauſalitate phyſica; imò verò cauſalitas moralis, quodammodo eſt ratio cauſalitatis phyſicæ. Nam idcirco aſſumit Deus ſacramenta, vt phyſica inſtrumenta gratiæ; quoniam per ſacramenta applicatur moraliter meritum & virtus paſſionis Chriſti ſuſcipientibus eadem ſacramenta.

Sed contra hanc ſecundam propoſitionem eſt argumentum difficile. Omne agens phyſicum, etiam inſtrumentale, prærequirit contactum circa paſſum vt in ipſum operetur: ſed ſacramenta nequeunt habere phyſicum contactum circa animam, cùm ipſa ſit ſpiritualis, & ſacramenta ſint corporea: igitur non poſſunt phyſicè operari circà animam. Huic argumento ſolet aſsignari ſolutio, quòd licèt ſacramenta non poſsint habere contactum circa animã, contingunt tamen illam mediatè, quatenus phyſicè attingunt corpus, cui anima vnitur intimè, qui contactus eſt ſufficiens vt ſacramenta producant gratiam in anima virtute diuina, iuxta illud Aug. proloquium. Quæ eſt iſta tanta virtus aquæ vt corpus tangat & cor abluat? ¶ Contra hanc ſolutionem *Argum. cõtra 2. cõcluſ.*

arguitur

arguitur. Quia aliqua ſunt ſacramenta nouæ legis, quæ non habent huiuſmodi contactum circa corpus, vel ſaltem neque requiritur, neque eſt neceſſarium, quòd illum habeãt, vt cauſent gratiam in anima: igitur hæc ſolutio non eſt vniuerſalis ad omnia ſacramenta, & conſequenter eſt inſufficiens. Probatur antecedens de ſacramento pœnitentiæ, in quo verba abſolutionis à Sacerdote prolata, non neceſſe eſt vt phyſico & reali contactu pœnitentem attingant; poteſt namque pœnitens tanto interuallo diſtare à ſacerdote, vt verba ſacerdotis non attingant phyſicè pœnitentem. Similiter in ſacramento matrimonij, verba vnius contrahentis, non requiritur, vt in ea diſtantia proferantur, quòd poſſint realiter contingere alterum contrahentem. Et ſimile eſt in ſacramento Euchariſtiæ reſpectu conſecrationis: nõ enim oportet quòd verba conſecrationis realiter attingant ſubſtantiam panis & vini. Neque ſatisfacit dicere, quod verba in his ſacramentis deſignant materiam, aut ſubiectum, quæ deſignatio cenſetur quidam contactus. Quia huiuſmodi deſignatio, cùm tantùm fiat ratione ſignificationis, potius eſt intentionalis contactus, quam phyſicus. ¶ Caietanus, 3. p. q. 13. art. 3. & alij ſuæ familiæ cum eo, ſecundam aſsignant ſolutionem, nẽpe, quòd ſacramenta ex eo ſunt inſtrumenta phyſica Dei, quatenus deferunt diuinum imperium ad animam, quo imperio efficit Deus gratiam in anima. Vnde ſacramenta, quatenus deferunt iſtud imperium, concurrunt phyſicè ad eius executionem. Hæc Caietani ſolutio forte eſt vera, ſed tantiſper diminuta & inſufficiens. Quare, facile impugnatur, ex eo quòd non explicat in quo conſiſtat hæc diuini imperij delatio ad animam, & quid efficiant ſacramenta phyſicè ad huiuſmodi delationem imperij. ¶ Tertia ſolutio eſt rationabilior & verior, quòd cùm contactus præuius & prærequiſitus ad actionem phyſicam, ſit tantum conditio neceſſaria, & non ratio formalis agendi, poteſt à Deo ſuppleri, & ita contingit in ſacramentis, quòd efficiunt gratiam in anima abſque huiuſmodi præuio contactu phyſico, Deo illum ſua poteſtate ſupplẽte. Quam ſolutionem latiùs ſumus proſequuti in hoc art. in titulo qui incipit, Explicatio maior ad præcedentia, &c. & in eum locum remitto lectorem. ¶ Contra hanc ſolutionem arguitur ſecundum doctrinam D. Thom. 1. p. q. 45. art. 5. probatam à grauiſsimis Theologis. Quoniam de ratione intrinſeca, & eſſentiali inſtrumenti phyſici, eſt, quòd ſua virtute producat in paſſo aliquam actionem prærequiſitam, imo & diſpoſitiuam ad effectum, quem ipſum inſtrumentũ producit virtute principalis agẽtis: ergo de intrinſeca ratione phyſici inſtrumẽti eſt, quod phyſico contactu præuio attingat ſubiectum. Nam illa actio præuia, quam ſua virtute producit, eſt realis & phyſicus contactus: igitur ſi ſacramenta ſunt inſtrumenta phyſica, non poterit ſeparari ab eorum efficientia iſte contactus præuius. Reſpondetur tamen, quòd quãdo S. Tho. dixit, eſſe de ratione inſtrumenti quòd habeat ex ſe actionem præuiam, & quaſi diſpoſitiuam ad actionem, quam habet virtute principalis agentis, non voluit Sanctiſsimus Præceptor dicere, eſſe neceſſarium quòd inſtrumentum aliquid operetur ſua virtute in eodem ſubiecto, in quo producitur effectus principalis agentis, ſed tantum poſtulat D. Thom. quòd habeat aliquam operationem proportionatam ſuæ formæ, in quocumque ſubiecto illa fiat, per quam operationem poſsit quaſi determinare virtutem agentis principalis, quæ communicatur effectui principali, medio inſtrumento. Et ſane, omnia ſacramenta habent ex ſe ipſis huiuſmodi operationem, licèt non fiat in ipſo homine ſuſcipiente ſacramentum, ſed in aëre, qui verborum ſacramẽtalium prolatione verberatur. Sed de hac ſolutione, & de exacta explicatione eius, diximus loco ſuperius citato in hoc art. & 1. p. q. 65. art. 3. in 2. tomo. Quòd ſi petas quo pacto illa actio præuia ſacramentorum, quæ non ſuſcipitur in anima, nec in toto homine, ſed in ſubiecto extrinſeco, poſsit concurrere ad producendam gratiam in anima? Reſpondetur quòd ſicut poteſt fieri diuina virtute, vt ignis exiſtens Romæ calefaciat corpus exiſtens Salmanticæ, quod communiter admittitur poſsibile eſſe; quia virtus diuina non eſt alligata loco, aut tempore, ita ſanè fieri poteſt diuina virtute, vt ſacramentum, mediante illa actione præuia ſuſcepta in ſubiecto extrinſeco, virtualiter animam contingat, & in eam producat gratiam. Et ad hanc ſolutionem reducitur id, quod Caietan. dicebat, & per eam explicatur ſolutio ſecunda ſupra tacta, quæ aiebat ſacramentum ob id concurrere inſtrumentaliter ad productionem gratiæ, quatenus defert diuinum imperium ad animã. Pro qua re aduerte, quòd Deus operatur omnia diuino imperio, iuxta illud Prophetæ; Ipſe dixit & facta ſunt. Rurſus obſerua, quòd creatura concurrens inſtrumentaliter ad effectum diuinæ virtutis, non ex eo dicitur deferre diuinum imperium, quia libera voluntate illum deferat, ſicut ſeruus poteſt imperium domini ſua voluntate ad conſeruum deferre, per intimationem quandam moralem: ſed quatenus ipſe Deus vtitur creatura ad applicandam virtutem ſui imperij diuini ad effectum, ita vt virtus imperij diuini non attingat effectum, niſi prout modificatur in inſtrumento; Et iſto modo ſacramenta dicũtur deferre imperium Dei ad animam, quæ delatio non moralis eſt, ſed phyſica. Et ex hoc ſequitur, non licere colligere aut inferre, creaturam poſſe eſſe inſtrumentum diuinæ virtutis ad creandũ. Quoniam cum delatio diuini imperij, phyſica eſſe debeat, & nulla creatura poſsit phyſicè attingere nihil, manifeſtum eſt nullam creaturam poſſe eſſe inſtrumentum ad deferendum diuinum imperium circa nihil, & conſequenter non poteſt inſtrumentaliter concurrere ad creandum.

*An ſacramentum quando non eſt, recedente fictione, operetur inſtrumentaliter ingere phyſicè.*

Reſtat tamen inſignis difficultas de ſacramentis, quando non exiſtunt, an eo tempore phyſicè concurrant ad gratiam? Nam mirabile eſt, quòd inſtrumentum quando non exiſtit, tunc operetur phyſicè, & concurrat phyſicè ad gratiam. Imò verò cauſa phyſica efficiens, omnino requirit exiſtẽtiam ad ſuam cauſalitatem, & nihilominus communis eſt Theologorum ſententia, quòd Baptiſmus, qui non contulit gratiam in puncto ſuæ ſuſceptionis propter impedimentum ſuſcipientis, poſtea recedente fictione cauſat & confert gratiam. Neque ſatisfacit dicere, baptiſmum reliquiſſe characterẽ impreſſum in anima, quæ eſt virtus ipſius baptiſmi, aut quòd licèt baptiſmus nõ maneat in ſe; permanet tamen in ſua



ſua virtute. Iſta inquã ſolutio non ſufficit. Quoniã probabiliſsima ſententia eſt illa, quæ docet ſacramentum pœnitentiæ conferre gratiam recedente fictione, ſicut dictum eſt de baptiſmo; & tamen ſacramentum pœnitẽtiæ, neque characterem, neque qualitatem aliquam impreſſam in anima relinquit: igitur illa ſolutio non ſufficit. Et augetur vlterius difficultas de paſsione Chriſti, quæ modo non exiſtit, quo pacto ſi non exiſtit, operatur phyſica actione? Certè, paſsio Chriſti in re exhibita, in eodem genere cauſat ſalutem noſtram, per modum præſentialitatis, quo in veteri lege cauſabat ſalutem Patrum per modum finis expectati: ſed ſalutem Patrum nullo modo cauſabat habito reſpectu ad cauſalitatem phyſicam futuram per modum finis, ſed ad cauſalitatem tantum moralem: ergo. Probatur minor: quia paſsio Chriſti, ea tantum ratione cauſabat ſalutem Patrum, quatenus ſperabatur futura in ratione pretij redemptionis humanæ: hæc autẽ ratio ad ſolam cauſalitatem moralem, pertinet. Nam quòd paſſio Chriſti effectiuè phyſicè cauſet in nobis gratiã, impertinenter ſe habet ad rationem pretij noſtræ redemptionis: ergo. Et confirmatur. Nã paſsio Chriſti, tantum cauſat gratiam per modum cauſæ moralis: ergo ſacramenta, quæ ſunt inſtrumenta ipſius, non ſunt phyſica inſtrumenta, neque operantur per modum cauſæ phyſicæ. Patet conſequentia. Quia ſacramenta ſunt inſtrumenta paſsionis Chriſti, inſtrumenta verò in eodem genere cauſæ concurrunt ad effectum, in quo concurrit cauſa principalis, Antecedens probatur, tum ex dictis ſtatim: tũ etiam ex S. Thom. 3. p. q. 48. art. 6. ad. 2. dicente, quòd paſsio Chriſti cauſat in nobis gratiam & iuſtitiam per contactum ſpiritualem, quo per fidem attingit animam: hic autẽ cõtactus per fidem factus qua nos credimus Chriſtum paſſum, eſt contactus moralis & non phyſicus: ergo.

Huic difficultati, quæ non eſt parui momẽti, non nulli Theologi etiam ex numero eorum, qui docẽt ſacramenta cauſare gratiam modo phyſico, putant in caſu difficultatis, quòd cùm ſacramenta conferunt gratiam recedente fictione, non concurrunt vt inſtrumenta phyſica ad eius productionem, ſed tantum vt inſtrumenta moralia: Quæ ſane ſententia ſine dubio eſt valde probabilis. Cæterum ſententia oppoſita pleriſque doctiſsimis Theologis huius ætatis, non ſolum videtur probabilis; verum etiam probabilior. Quia omnibus ſacramentis debet concedi idem modus operandi; aliàs æquiuocè conueniret ſacramentis ratio cauſandi gratiam. Reſpondetur ergo difficultati propoſitæ, quòd ille actus per quem tollitur fictio, aſſumitur à Deo vt phyſicum inſtrumentum ad cauſandam gratiam, quæ correſpondet ſacramento præcedenti, qui actus concurrit ad cauſandam iſtam gratiam virtute ipſius ſacramenti præcedentis. Nam ſacramentum cenſetur manere virtualiter, quamuis actu tranſierit, quatenus manet in applicato eſſe ſacramentali applicatione reali & phyſica, per quam applicationem ſuſcipiẽs ſacramẽtum fuit realiter & phyſicè immutatũ, quæ mutatio perſeuerat in facto eſſe, & ratione illius, actus per quem tollitur fictio, aſſumitur à Deo vt inſtrumentum phyſicum cauſatiuum gratiæ, & hoc ſufficit vt ſacramẽtum præcedens abſolutè dicatur phyſicè producere gratiam, ad eum modum, quo Caiet. 3. p. q. 56. art. 1. dicit paſsionem Chriſti modò concurrere phyſicè ad remittendum peccata, quatenus ipſa Chriſti humanitas actu exiſtens, efficit ipſam remiſsionem peccatorum, pro vt fuit modificata & affecta per paſsionem & mortem, quæ quidem modificatio permanet in facto eſſe, quod ſufficit vt ipſa paſsio verè dicatur permanere virtualiter, & ſimiliter reſurrectio Chriſti operatur phyſicè reſurrectionem hominum, quatenus ipſa Chriſti humanitas, prout fuit modificata per ſuam reſurrectionem, operatur phyſicè, & operabitur hominum reſurrectionem. ¶ Hæc ſolutio non eſt improbabilis. Sed nihilominus arguitur contra illam. Sacramentum informe quando applicabatur, non habuit actu virtutem ſacramentalem productiuam gratiæ: ergo tranſacta eius applicatione, non manet virtus productiua gratiæ, & conſequenter non verè dicitur quòd ſacramentum permanet virtualiter in eſſe ſacramentali. Probatur anteceděs. Virtus ſacramentalis, non eſt aliud quam motio, qua Deus mouet ſacramentum ad producendam gratiam in anima: ſed quando ſacramentũ eſt informe, non interuenit in eius applicatione iſta motio diuina: ergo. Probatur minor. Anima ſuſcipientis ſacramentum informe, non mouetur ad recipiendam gratiam, quia re vera non recipit illam: ergo neque Deus mouet efficaci motione ſacramentali ipſum ſacramentum, ad cauſandam gratiam in anima: non enim ſtat efficax motio actiua agentis abſque motione paſsiua ſuſcipientis. ¶ Sed reſpondetur, quòd ſicut in generatione naturali reperitur duplex mutatio, altera inſtantanea, quæ eſt ipſa actualis productio formæ ſubſtantialis, quæ communiter vocatur generatio ſubſtantialis, altera præuia, per quam diſponitur materia ad ſuſcipiendam formam; ita in ſacramentali ſuſceptione reperitur duplex motio diuina, vna quidem inſtantanea, qua in primo non eſſe ſacramenti, vt dicemus infra, producitur gratia ſacramentalis in anima, virtute præcedentis applicationis materiæ & formæ ſacramenti; altera verò tempore præcedens infuſionem gratiæ, quá mouet Deus materiam & formam ſacramenti, motione ordinata ad inſtans productionis gratiæ, quæ motio conſtituit in actu primo ipſum ſacramentum, ad producendam gratiam in vltimo inſtanti, quam etiam de facto producet, niſi ex parte ſuſcipientis fuerit obex, aut impedimentum. Quocircà, cùm miniſter lauat aqua baptiſmali, & cum profert verba, in quibus cõſiſtit forma, ablutio illa & prolatio verborum, non fit ſolùm à miniſtro, ſed principaliter à Deo vtente eius miniſterio. In quo ſenſu poteſt aptè explicari quod ait Pater Soto, nempe, quòd gratia ſacramentalis priùs tempore producitur, quam ſit producta in anima. *Soto.* Quia applicatio illa materiæ & formæ ſacramentalis, quæ tempore præcedit inſtans productionis gratiæ, poteſt appellari productio gratiæ, quatenus ordinatur ad productionem gratiæ, quæ fit in vltimo inſtanti, & gratia quidem, non producitur, niſi in virtute ipſius applicationis præcedentis. Quo ſuppoſito dicendum eſt ad obiectionem, quòd quando applicatur ſacramentum informe, interuenit diuina motio, quæ tẽpore præcedit infuſionẽ & productionem gratiæ, quæ motio non attingit animam, vel

vel producendo gratiam in illa, aut aliquam dispositionem præuiã ad ipsam gratiam; sed solùm attingit materiam & formam sacramenti, constituendo ipsum sacramentum in actu primo, ad causandam gratiam in actu secundo, nisi fuerit obex ex parte suscipientis; hæc autem motio, est verè sacramentalis virtus; aliàs non constitueret sacramentum in actu primo, ad producendam gratiam in anima. Et ex hoc sequitur, quòd in sacramento informi non solum reperitur essentialis ratio constitutiua sacramenti, quæ consistit in significatione, sed etiam ratio causæ efficientis gratiam, non quidem in actu secundo, sed in actu primo, vt dictum est.

Secundò dissolui potest difficultas proposita superius de sacramento informi, & de sacramento nõ existente iã transacto, quomodo videlicet causet per modum causæ physicæ gratiam & iustificationem. Dicendum est enim quòd quamuis sacramentum informe nihil reale reliquerit in suscipiente, ratione cuius possit effectiue concurrere ad productionem gratiæ; optimè tamen intelligitur quòd concurrat physicè instrumentaliter ad productionem gratiæ. Quia in ordine ad diuinam virtutem, satis fuerit quòd aliqua causa, seu creatura aliquãdo extiterit in rerum natura, vt assumatur à Deo in ratione instrumenti physici, ad aliquem effectum, licèt tunc non existat, quando assumitur à Deo, neque aliquam virtutem reliquerit impressam in aliquo subiecto creato. Quod ostendo. Primò quidem ex D. Thom. sententia & doctrina, qui. 3. p. q. 48. art. 6. ad. 3. & q. 50. art. 6. & q. 51. art. 1. ad. 2. plane docet, passionem Christi, quæ modò non existit, efficienter concurrere ad nostram iustificationem, tãquam instrumentum physicum diuinæ virtutis: & id ipsum docet de resurrectione Christi. q. 56. art. 1. & 2. ergo pari ratione dicendum est de sacramento informi, & de sacramento quando non existit. Rursus ostendo hoc non implicare. Quia existentia non est ratio formalis agendi & operandi, sed tantum est conditio requisita: ergo potest à Deo suppleri, & multo magis in causa instrumentali: igitur res quæ nõ existit, potest assumi à Deo vt physicũ instrumentũ. Et manifestatur hoc magis. Quia virtus diuina non est determinata ad operandũ per instrumentum aliquod ad certam distantiam loci. Nam constat, Deũ posse assumere ignem existentem Romæ ad calefaciendum lignum Salmanticæ: ergo sicut diuina virtus non determinatur per instrumentum ad certam distantiam loci, pari ratione non est determinata, neque determinatur ad certam temporis differentiam, ac proinde rem, quæ olim extitit, licet modò non existat, potest assumere vt physicum instrumentum ad producendum modo aliquem effectum; sicut eadem ratione posset hanc meam locutionem assumere crastina die, vt physicum instrumentum ad suscitandum mortuum. ¶ His probationibus & ostensionibus, plerique Theologi non infimæ notæ, ita acquiescunt, vt putent eas concludere, & esse efficaces; me tamen non vehementer mouent, neque premunt. Primò; quia fortè est falsum id, quod plerique docent, cùm dicunt existentiam causæ nõ pertinere ad rationem formalem agendi: Operatur enim omne agens inquantum est in actu: prima autem actualitas rei, est esse. Secundo; quia quamuis formalitas hominis non sit esse, vt sic; tamen fieri non potest homo de potentia Dei, sine hoc esse entis, cùm id intimè includatur in qualibet re, quæ est extra nihil. Tertiò; quia si esset verum existentiam non pertinere ad rationem formalem agendi, & consequenter posse suppleri à Deo; pari ratione ostenderetur, quòd potest Deus assumere vt physicum instrumentum, rem aliquam, quæ neque modò existit neque exstitit aliquando; Imò verò quæ neque vnquam est futura; consequens non admittitur à Theologis: ergo. Et patet, sequela. Quia si existentia est tantum conditio agendi, quæ proinde suppleri potest à Deo, omnis existentia instrumenti tam præteriti quàm futura, poterit à Deo suppleri. ¶ Exposita igitur probatione & declaratione superiùs tacta, aliter ostendenda est nostra sententia. Nam profectò, intentio finis etiam postquam desinit esse causa effectiua physica electionis mediorum, vère relinquit ipsam voluntatem determinatam ad talé finẽ, & ad talia media virtualiter: sed applicatio sacramenti informis, relinquit voluntatem diuinam, & eius virtutem realiter determinatam ad productionem gratiæ sacramentalis, postquam recesserit fictio, quæ impediebat effectum sacramenti; ergo propriè dici poterit, cõcurrere effectiue physicè ad productionem gratiæ. Hæc ratio difficilis est, sed attingit nodum & punctum difficultatis; & ob id aperienda est & explicanda à nobis. Vnde aduerte vt eam intelligas, quòd sacramentum informe, physica præsertim determinatione, nequit determinare diuinam voluntatem, aut eius virtutem: sed nihilominus, ad sacramentalem applicationem sacramenti informis, diuina voluntas accommodat se, & quasi determinat propriam virtutem ad producendum effectum proprium talis sacramenti, quando ex parte subiecti non fuerit impedimẽtum. Qua propter, quando recedente fictione diuina virtus operatur gratiam sacramentalem in anima, illa productio gratiæ non solum tribuitur virtuti diuinæ, sed etiã sacramento præcedenti, exquo ortum habuit diuinæ virtutis determinatio. Et hoc videtur satis vt sacramentum informe postquam præteriit actu, censeatur virtualiter permanere, quamuis nullam realẽ modificationem in suscipiente reliquerit. Rursus aduerte vt supra dicta intelligas, quòd duplex conditio reperitur in instrumento. Prima est, quòd in ipso determinetur & quasi modificetur virtus principalis agentis, non quidem quòd instrumentum habeat ex se virtutem modificatiuam & determinatiuam respectu virtutis agẽtis principalis: hoc enim est proprium causæ particularis respectu vniuersalioris causæ: sed quòd ipsummet agens principale accommodat & determinat suam virtutem ad instrumentum, quatenus ipsum mouet, ipsoque vtitur ad suum effectum. Secunda conditio est, quòd virtus principalis agentis non applicetur effectui, neque subiecto, in quo effectus producitur, nisi mediante instrumento: Quemadmodum virtus artis pingendi, non pertingit imaginem depingendam, nisi medio penicillo. Prima quidem conditio, est intrinsece necessaria ad rationem instrumenti. Nam si virtus principalis agentis absque vlla determinatione & modificatione facta in instrumento produceret effectum, effectus non posset tribui ipsi instrumento,

*D. Thom.*



mento, sed solum agenti principali; Quia tunc ex tali instrumento, neque aliqua virtus productiua effectus desumeretur, neque aliqua modificatio virtutis, & consequenter tota virtus productiua effectus, secundum omnem eius modum, tribueretur soli principali agenti. Secunda autem conditio, nõ est necessaria simpliciter. Nam quando principale agens per se ipsum potest immediatè effectum attingere, non est necesse quòd actio instrumenti deferat virtutem ipsius principalis agentis ad effectum. Exemplum huius rei habetur in cogitatiua; quæ est instrumentum totius suppositi ad mouendum brachium aut pedem; cùm tamen cogitatiua non attingat brachium, aut pedem secundùm se ipsam: residet namque in parte determinata, scilicet; capite; atque adeo eius actio non defert actionem totius suppositi ad brachium, aut pedem. Et ratio ea est, quoniam suppositum quod est agens principale in huiusmodi motu immediatè contingit sua virtute omnes corporis partes. Ex quo sequitur, quòd cùm Deus immediatè & per se ipsum attingat omnem effectum, & omnem creaturam vt sacramentũ informe sit instrumentum Dei ad producendam gratiam, non est necesse quòd interueniat ibi hæc secunda conditio, sed satis erit, quòd ibi reperiatur prima conditio, quam diximus esse simpliciter necessariam ad rationem instrumenti. ¶ Sed dices, esse sententiam sapientissimorum Theologorum, nõ esse sufficiens ad hoc quòd sacramentum sit instrumentum physicũ productiuum gratiæ, quòd Deus suam virtutem accommodet, & determinet ad producendum effectum correspondentem significationi sacramentali: ergo falsum est quod diximus nunc, sufficere vt sacramentum informe dicatur physicè causare gratiam recedente fictione, quòd diuina virtus permanserit determinata ad talem effectum producendum. Respondetur tamen, negando consequentiam. Quia plerique Theologi idcirco dicunt, ad efficientiam sacramentorum physicã nõ sufficere determinationem diuinæ virtutis; quia illa sola, si excludatur physica motio diuina ordinata ad effectum sacramentalem, & non constituatur in materia, aut in forma sacramenti; non sufficit: Quia tunc tota determinatio diuinæ virtutis reducitur ad solam diuinam voluntatem; & ita ex parte sacramenti, nihil est physicum & reale, quod pertineat ad productionem gratiæ; At verò nos in casu nostræ difficultatis, ponimus ex parte materiæ & formæ sacramenti diuinam quandam motionẽ realem, per quam diximus constitui sacramentum in actu primo ad causandam gratiam. Quapropter, quia determinatio diuinæ virtutis fit iuxta proportionem huius motionis diuinæ, quæ physica fuit & realis in sacramento informi, merito credimus sufficere eiusmodi determinationem diuinæ virtutis, vt sacramentum informe sit instrumentum physicum Dei ad causandam gratiam recedente fictione. ¶ Ad illud verò de passione Christi, quæ non existit actu, & videtur solum causare gratiam per modum causæ moralis, respondetur, quòd passio Christi, quamuis actu non existat; causat tamẽ physicè instrumẽtaliter nostram iustificationem, quod sanè explicandum est prorsus ad eum modum quo dicebamus, sacramentum informe quando non existit, causare gratiam. De qua re fusiùs alio loco dicemus. Rursus dicendum est ad præfatam obiectionẽ, & confirmationem eius, quòd licèt antiqua sacramenta principaliter & per se primò præfigurarent Christi passionem, prout futura erat causa moralis nostræ redemptionis per modum pretij; tamen secundariò & completiuè præfigurabant ipsam passionem, prout erat futura causa instrumentalis physica nostræ iustificationis. Quia hæc physica causalitas pertinet ad complementum & perfectionem nostræ reparationis, vt facta est per Christum. Nam dignitas & maiestas Christi postulabat, vt eius passio non solum esset, morale instrumentum nostræ reparationis, verumetiam & physicum, vt superiùs est dictum.

*Obiectio.*

*Respõsio.*

*Conclus. 3.*

Tertia propositio. Causalitas physica sacramentorum, explicanda est iuxta eum modum, quem nos fusè fuimus interpretati; cùm definiuimus, eductionem gratiæ de potentia animæ fieri per sacramenta, vt habetur in explicatione maioris, supra tacta, & etiam est explicanda iuxta duas præcedentes propositiones, & iuxta discursum earum, quæ omnia suis locis videnda sunt, & non sunt iterum repetenda. Quocirca, propter hanc physicam causalitatem asserendam, non sunt plura mirabilia aut miracula, quam res postulat constituenda, aut concedenda, sicut concessit Pater Medina. 3. parte, quæstione. 13. articulo. 2. Vbi, vt doceat quo pacto humanitas Christi causat gratiam physicè, ait, quòd Christus modò in cælo quatenus homo, tot habet volitiones creatas, quot sunt hominum iustificationes, & quot sunt actus supernaturales & miracula. Nam præterquam quòd hoc est humanitatẽ Christi, mutationibus ferè infinitis subijcere, cùm quælibet volitio & mutatio humana sit vera mutatio; impertinens etiam est ad ea, propter quæ Pater Medina multiplicat huiusmodi volitiones. Nam fortè non est necessaria ista multiplicatio ad delationem diuini imperij. Primò, quia imperium Dei sicut & ipse Deus, intimius est in vnaquaque re, quam possit esse aliqua creatura. Secundò, quia etiam si concedamus hanc delationem imperij; tamen ad illam impertinentes sunt creatæ volitiones humanitatis Christi. Quia illæ non magis transeunt in inferiores creaturas quæ iustificantur, vel in quibus miracula fiunt, quam ipsa humanitas. Imò verò, cùm sint actiones immanentes, manent intra humanitatem, & ob id non magis defertur imperium per illas, quam per solam humanitatem; & quamuis per illas deferatur imperium, nulla est ratio cur tot multiplicarentur. Neque satisfacit exemplum, quod adducit de Rege gubernante per Petrum, qui ad remotas regni partes defert imperium Regis; quia constat, tam Regem, quam Petrum deferentem imperium eius, non esse causas physicas eorum, quæ per imperium fiunt, de quibus in præsenti est sermo; Vndè, melius foret si tacuisset exemplum illud. ¶ Rursus etiam, non probatur mihi Pater Metina loco citato, cùm asserit, in humanitate Christi esse quasdam ideas, per quas vt per instrumenta, producit in animabus gratiã, & in creaturis miracula: hoc enim qua facilitate asseritur ab eo, eadẽ negatur à nobis: quia nõ fulcitur authoritate, neq; ratione efficaci. Rursus,

*Medina.*

quia ideæ, quibus medijs agens aliquod operatur, nunquam habent rationē instrumenti respectu effectus, sed potiùs pertinent ad præcipuam rationē causandi, vt constat de ideis, quibus intelligimus Deum creaturas ad extra produxisse, & de illis quibus pictores, vel alij artifices conficiunt res artificiales. Si ergo humanitas Christi operatur iustificationē & miracula per ideas creatas, sequitur, quòd non est instrumentum, sed præcipua causa efficiēs gratiæ & miraculorum, quod non est verum. Item etiam, quia ideæ in quocunque agente, non tam spectant ad efficientem, quàm ad exemplarem causam, vt liquet ex Sanct. Thom. 1. part. quæst. 15. artic. 3. ad. 2. & in præsenti sermo est de causa efficiente, vt contra exemplarem distinguitur. ¶ Præterea, non mihi satisfacit quod postremo loco dicit, asserens quòd per contactum, quem nos habemus ad Christum per fidem & sacramenta nouæ legis, diffunditur ab eius humanitate in nos mirabilis quædam & spiritualis virtus, per quam nos sanat à peccatis, & trahit ad se, non secus quam magnes trahit ad se ferrum, per virtutem emissam ab ipso magnete; si intelligatur de *contactu* physico, quem nos habeamus respectu humanitatis Christi, est planè falsum. Quia nec intellectus noster; nec habitus fidei, aut eius actus, habet aliquem physicum contactum ad humanitatem Christi, sicut nec illum habet respectu sui obiecti potentia aliqua, aut actus cognoscentis; sed potius ipsa Christi humanitas physicè tangit intellectum nostrum, producendo in eo actum & habitum fidei supernaturalis: illud enim ab aliquo tangitur physicè, in quo producitur effectus per tactum illum; & eodem modo iudicandum est de sacramentis nouæ legis: potiùs enim Christus per illa tangit nos, quam nos tangamus physicè Christum. Quia Christus per illa producit in nobis effectū gratiæ; nos autē illis medijs, nihil producimus in Christo. Si tandē per virtutem, quam post contactum à nobis impugnatum, dicit procedere ab humanitate Christi in animas eorum, qui iustificantur, intelligat, permanentem aliquam qualitatem priorem ipsa gratia, quod videtur significari exemplo quod adducitur in magnete; hoc etiam est falsum, & valde simile ornatui, quem ante gratiam Palud. & Capreol. asseruere, per sacramenta ipsa produci in anima, quod ab scholis communi omnium consensu iam explosum est. Si verò per virtutem qua Christi humanitas & sacramenta operantur in productione gratiæ, intelligit vsum & motionem, quam hæc habent à Deo, quæ vocatur à Sanct. Thom. 3. parte, quæstione. 62. articulo. 4. virtus habens esse transiens & incompletum; verum quidem dicit: sed difficultates propositæ de præsentia, contactu, actione præuia, & existentia, quæ cum hoc pugnare videntur, relinquuntur insolutæ ab huiusmodi authore; & idcirco standum est explicationi & modo dicendi suprà à nobis tacto satis fusè.

### *Solutio obiectionum, quæ militabant contra decisionem quæstionis.*

*Ad. 1. obiectionem.* AD primam obiectionem seu argumentum respondetur, quòd licèt forma quæ ab agēte educitur de potentia subiecti, non possit esse præstantior causa efficienti præcipua, quæ eam educit; ex quo apertè ostenditur, nec humanitatem nec passionem eius, esse efficientem causam præcipuam gratiæ; tamen nihil prohibet, quòd instrumentum quale est humanitas, aut passio Christi respectu gratiæ, quæ ex anima educitur, possit virtute Dei præstantissimi agentis producere aliquid nobilius se. Imò verò, necesse est hoc dicere de instrumentis. Nam accidens vt instrumentum substantiæ, producit substantiam, ipso accidente præstantiorem. Imò verò vlteriùs, vnum & idem instrumentum si comparetur ad agentia præstantiora, præstantiores edit effectus: Quoniam calor vt instrumentum ignis, producit ignem; cæterùm vt instrumentum animæ, producit carnem; igitur quamuis gratia ex eo quòd est spiritualis & supernaturalis, pertineat ad præstantius genus entis, quam humanitas & passio, quæ sunt res corporeæ, & naturales; tamen potest ab illis vt instrumentis produci, præsertim virtute principalis agentis infiniti, quale est Deus.

*Ad secundum.* ¶ Ad secundum respondetur, quòd cùm distantia loci debita & competens, quæ vocari solet approximatio, seu applicatio agentis ad passum, vt vidimus suprà in explicatione maiori circa eductionem gratiæ de potentia animæ, sit conditio necessaria in agēte ad hoc vt producat effectum, & hāc, vt ibi ostendimus, possit Deus supplere; poterit etiam facere vt humanitas absque ea distantia, quā natura sua exigebat ad operandum, tanquam instrumentum Dei, producat in hominibus gratiam. Vndè fit etiam consequens, quòd potest operari in animas iustorum à se longissimè distantes, absque eo quòd priùs operetur in corpora intermedia sibi propinquiora. Contactus autem præuius, & qui præcedit operationem, quam habet instrumentum ab agente principali, vel non semper est necessarius, vel si sit, cùm solùm disponat subiectum, potest suppleri à Deo potente operari absq; præcedentibus dispositionibus in subiecto. Testimoniū autē Arist. cùm loquatur de operationibus factis ab agētibus naturæ, sola naturali lege & virtute, non pugnat nobiscum, qui affirmamus, Deum qui est supernaturale agens, supernaturali etiam modo & ordine posse operari per humanitatem Christi in animabus absque præuio contactu.

*Ad tertium.* ¶ Ad tertium liquet solutio ex dictis. Quia cùm idem sit instrumentum habere præuiam actionem, & habere præuium contactum, vt suprà explicuimus, sicut Deus potest agere per instrumentum absque contactu præuio; sic etiam absque præuia actione.

*Ad quartam.* ¶ Ad quartam obiectionem, vbi plures difficultates recensentur, ad primam earum, in qua ostendebatur, passionem Christi & eius præteritas actiones non posse effectiuè educere gratiā ab anima; respondetur, quòd sicut diximus de distantia secundū locum; ita nunc est dicendū de distātia tēporis præteriti, quòd est defectus conditionis naturaliter necessariæ ad agendum, quam non implicat suppleri à Deo, & ita credendum est, Deum illam supplere in passione ad hoc vt causet gratiam. Quocircà negandum est, quòd id, quod non existit modò: si tamen extitit in tempore præterito, nō possit operari saltem



saltem vt instrumentum ad id assumptum à Deo. Quoniam sicut intelligimus vtcumque, quòd generans iam olim corruptum, vtcumque nunc, mouendo graue deorsum, ita etiam intelligere possumus, passionem iam olim præteritam, vt instrumentum Dei, educere gratiam modò de potentia animæ eius, qui iustificatur. Et quamuis hæc dicta sint; cerno tamen hanc esse differentiam, quòd generans reliquit in graui virtutem grauitatis; passio autem quando exhibita est, nullam impressit virtutem animabus, quæ nondum erant, sed tamen cùm multo plus debeamus tribuere Deo infinito agenti supernaturali, quam naturæ; dicendum est, quòd id quod natura facit per derelictam virtutē, potest Deus facere sine illa. Et quando obijcitur, quòd operari præsupponit esse, si hoc intelligatur de existentia præsenti, constat ex dictis negandum esse; si verò de existentia, qua modò agens est, vel aliquando fuit extra suas causas, quam diximus non posse suppleri à Deo, illud est verum: sed passio Christi, iam habuit hanc existentiam. De hac re lege quę diximus paulò antea propositione secūda, in solutione cuiusdam argumenti propositi in discursu illius conclusionis.

*Capreolus. Soto.* ¶ Propter alteram obiectionem & difficultatem ibi tactam, Capreol. in. 4. distinct. 13. quæstio. 1. artic. 3. ad argumenta Durandi contra. 1. conclus. & Soto distinct. 1. quæst. 2. artic. 3. dicunt, passionem Christi iustificauisse homines, qui illam in lege naturæ præcesserunt, effectiuè vt instrumentum Dei, sicut modò iustificat homines in noua lege. Quam sententiam non repulit Pater Medina. 3. part. quæst. 13. articulo. 2. Primò, quia Sanct. Thom. de veritate, quæstione. 29. articulo. 4. ad. 9. 11. &. 12. asserit Christum ante incarnationem non fuisse caput Ecclesiæ, vt aliquid influeus in illam per suam actionem, sed potius secundum actionem nostram in ipsum, secundum humanam naturam consideratum, qua ratione dicimur fide iustificari. Secundò, quoniam sicut Serpens æneus effectiuè sanabat omnes; & verbum mentale rei non existentis, effectiuè producit amorem illius; & phantasma vt instrumentum intellectus agentis, effectiuè producit etiam intellectionem rei futuræ; ita etiam fieri potuit, vt humanitas Christi antequam existeret per sui imaginem, vel per verbum mentale, quo Christus concipiebatur futurus, produceret gratiam in animabus iustorum veteris legis.

*Medina.* ¶ Sed certè, hæc sententia visa est ferè improbabilis à cæteris omnibus Thomistis. Quia non est intelligibile, quòd res aliqua quæ nunquam extitit extra suas causas, effectiuè habeat aliquam actionem, aut operationem, cùm actio effectiuè procedens, seu operatio ab agente effectiuè illata, vt liquet ex diffinitionibus actionis & operationis, & ex omnium Philosophorum consensu, essentialiter præsupponant agens, aut operans. Et profectò, Sanctissimus Præceptor loco ab ipsis citato, potius docet quod nos intendimus, quam quòd illi. Nam dicens, Christum vt hominem non potuisse influere in Ecclesiam ante incarnationem, apertè sensit, illum per humanitatem non potuisse operari in Ecclesiam efficienter, quòd est influere: ex eo verò quòd fuerit caput Ecclesiæ per operationem hominum in ipsum, quæ antiqui iustificabantur per fidem, solùm colligitur quòd Christus, vt homo, fuerit obiectum & terminus humanarum operationū, & hoc non est esse efficiens reale, sed potius finem earum; Quòd verò Serpens æneus, vt instrumentum Dei sanaret homines, non arguit aliquod futurum esse instrumentum. Neque rursus Serpens erat futurus, sed præsens; Et qui opinantur, verbum effectiuè causare amorem, & etiam phantasma, vt instrumentum intellectus agētis, producere effectiuè speciem intelligibilem, non ponunt vt causam efficientem aliquid futurum, sed potiùs præsens. Vndè, nulla est comparatio istorum ad humanitatem Christi, & eius passionem, quæ tunc non erat. Quoniam respectu iustificationis antiquorum Patrum, longo post tempore erat futura. Quòd si fiat comparatio inter rem futuram repræsentatam per verbum, & Christum futurum repræsentatum per Serpentem æneum ad eundem Christum etiam futurum expressum per imaginem exteriorem, aut per interiorem conceptum; dicendum est, quòd sicut id quod repræsentabatur per Serpentem, & quod exprimitur per verbum, habet rationem obiecti, & finis; sic etiam Christus apprehēsus vt futurus, erat finis & obiectum. Ex quo non licèt colligere, quòd esset instrumentum: quia ratio finis & obiecti potest conuenire bono tantum apparenti; imo etiam rei impossibili; quibus tamen repugnat ratio causæ efficientis realis, qualis est instrumentum. Vndè, in forma ad obiectionem & difficultatem argumenti, negatur eodem modo iustificatos esse olim per passionem & humanitatem antiquos Patres, quo nos iustificamur in lege gratiæ, per ipsam passionem & humanitatem: sed illi iustificabantur passione & humanitate finaliter & obiectiuè; nos autem effectiuè instrumentaliter. ¶ Ad vltimam obiectionem ibidem allatam respondetur, quòd licèt Deus potuerit iustificare omnes homines, qui post incarnationem fuerunt, sola humanitate Christi, vt instrumento, absque vllis præteritis eius operationibus de potentia absoluta; nihilominùs dicendum & sentiendum est, eos omnes qui iustificati sunt de facto, accepisse gratiam ex operationibus præteritis Christi vt instrumētis, tum, quia id significare videntur testimonia Scripturæ & Sanctorum, quibus dicitur, nos sanasse & lauisse à peccatis, passione & sanguine suo: quibus verbis importatur efficientia; tum etiam, quia operationes Christi, quas constat nobis esse salutiferas, hac ratione multò plus exaltantur, & excellentiores ostenduntur. Ad id verò quod vlteriùs ibi quæritur, respondetur, Deum omnibus operationibus Christi tanquam instrumentis, operari & efficere hominum iustificationem. Nam licèt posset vna tantum operatione vti; assumpsit tamen plures vt instrumenta effectiua; quia id erat conueniēs ad exprimendam rationem causæ exemplaris, secūdum quam in iustificatione Christo assimilamur. Vndè Sanct. Tho. 3. part. quæst. 56. artic. 2. dicit, quòd in iustificatione hominis sunt duo, nempe, remissio peccati, & nouitas vitę supernaturalis per gratiā, & quòd tā passio quā resurrectio Christi, habēt efficiētiam respectu iustificationis, quantum ad vtrumq;; Cæterùm, rationem causæ exemplaris habent per

passionem, & mortem respectu remissionis peccati, per quam morimur culpæ; resurrectio verò est causa exemplaris iustificationis, quatenus per acquisitionem illam gratiæ, resurgimus ad nouam vitam. ¶Ex dictis ergo patet solutio difficultatum, quæ ab aduersarijs adducuntur. Nam cùm distantia secundum locum dicat defectum conditionis sine qua non, quam ostendimus Deum supplere, optimè fieri poterit à Deo, quòd sumat consensum vnius coniugis existentis in Hispania; ad educendam gratiam de potentia animæ alterius, qui existit in India; neque opus est respectu infinitæ virtutis Dei, vt corpora intermedia, reali aliqua actione, mutatione, aut contactu, immutentur. Rursùs sentiendum est, quòd non est semper necessaria actio præuia in instrumento; & quando requiritur, potest diuina potentia suppleri, nedum quòd in matrimonio consensus habet se, vt actio præuia, quam statim consequitur gratia, si ille qui consentit aliàs sit rectè dispositus ad hoc, vt iustificetur per sacramentum. Neque est verum quòd consensus, qui in vno contrahentium tempore præcedit, non possit esse instrumentum, ad causandam gratiam in altero. Quoniam supra ostẽdimus, Deum supplere posse præteritionem temporis, non minus quam absentiam, vel distantiam secundum locum.

*Solutio ad argumenta quæ in exordio quæstionis principalis posita sunt.*

AD octo argumenta, quę in exordio quæstionis præcipuè sunt posita, satisfacere oportet: adeo enim fusè progressi sumus, vt videamur obliti eorum. *Ad. 1. arg.* Ad primum ergo respondetur, quòd nomine creationis intelligit Scriptura nouum esse, in quo constituuntur primò homines qui iustificantur. Et ob id, Sanct. Thom. 1. 2. quæst. 110. arti. 2. ad 3. ait, quòd secundum hoc dicitur gratia creari, ex eo quòd homines secundum ipsam creantur, id est, in nouo esse constituuntur ex nihilo, id est, non ex meritis, iuxta illud Paul. ad Ephes. *D. Paulus.* 2. Creati in Christo Iesu in operibus bonis. Alij respondent, quòd nomine creationis intelligitur prima productio rei, iuxta vsitatum modum loquendi hominum. Et adducunt illud Genes. 2. Masculum & fœminam creauit Deus; cùm constet, corpus Adæ de limo terræ formatum esse; Euam verò de costa Adæ fuisse eductã. Tandem alij dicunt, quòd in prædictis testimonijs potest esse sermo de creatione, non physicè, sed moraliter. Et hoc modo explicat gratiam creari, Sanct. Tho. loco citato: Quia secundum illam homines creantur, id est, ex nullis meritis præcedentibus grati fiunt. Vndè, Sanctissimus Præceptor in quæst. 110. citata, in. 1. 2. per particulam illam ex nihilo, non repulit à subiecto rationem causæ materialis, sed tantum rationem causæ meritoriæ, vt constat ex particula, quam statim apposuit, id est, non ex meritis. Gratia igitur cùm primum producitur in anima iusti, dici potest creari per negationem præcedentium meritorum. Nam ob id quòd est prima gratia, non supponit personam acceptam & amicam Deo, quæ gratiam ipsam possit mereri; quod tamen præsupponit secundus & tertius gradus ipsius gratiæ adueniẽs in augmento: Et ideò, augmentum gratiæ datur ex meritis: vterque tamen gradus, tam primus, quam ille secundus, educitur de potentia obediẽtiali animæ. *Ad secun.* ¶Ad secundum respondetur, gratiam educi de potentia obedientiali animæ, quæ à potentia naturali differt per habitudinem & respectum ad diuersum actiuum, & ad diuersum agens: res enim quatenus subdita actiuitati agentis naturalis, dicitur habere potentiam passiuam naturalem; at verò quatenus subdita & appropriata agenti supernaturali, & agenti infinito, cui subordinatur, vt etiam præter cursum, & ordinem rerum in ea fiat quidquid voluerit & non implicat; dicitur habere potentiam obedientialem. Est simile de ligno, quod est in potentia naturali ad formam ignis; ad formam autem statuæ potest dici in potentia quasi obedientiali. Quomodo autem concurrat anima ad esse gratiæ quasi materialiter, sine aliquo supernaturali dono eleuante potentiam eius passiuam, satis sumus interpretati in superioribus, & etiam in commentarijs, quæstione. 109. *Ad confir.* ¶Ad confirmationem dictum est etiam suprà. Gratia enim ex eo quòd est accidens, dicit ordinem ad subiectum, quo sustentetur: sed cùm non sit possibile in natura subiectum sibi connaturale, dicit ordinem ad subiectum indeterminatum. *Ad tertium.* ¶Ad tertium. Nonnulli Theologi dicunt, gratiam & alias formas infusas tunc educi de potentia subiecti, quando propria productione fiunt, sed quando comproducuntur ad productionem rei, quæ creatur, tunc etiam ipsæ concreantur, sicut calor cùm propria productione fit, tunc producitur per alterationem successiuam; at verò quando generatur simul cum igne, per mutationem instanraneam resultat, & congenerari dicitur. Sed quamuis vera sit hæc doctrina quantum ad modum loquendi; tamen in re non satisfacit difficultati. Cùm enim productio rei sit res ipsa in fieri, atque adeò identificetur cum re producta, tot sunt productiones, quot res productæ, siue sint formæ substantiales, siue accidentales. Vndè, ad instantias argumenti dico, gratiam Adæ & angelorum, sicut etiam potentias ipsorum naturales, non esse creatas, sed eductas ex potentia subiecti prius natura suppositi per creationem, quod ad hoc propositum sufficit ac si prius tempore esset. Dicuntur autem hæc concreari, quia simul fiunt cum subiecto, quod creatur, licèt distincta actione; sicut accidentia congenerantur cum substantia; sed non actione substantiali, sicut illa. De cælo autẽ quomodo eius forma dicatur creata, diximus in. 2. tomo. 1. part. & in. 2. de cælo. Quomodo verò gratia educatur de potentia animæ, diximus in discursu quæstionis, & conclusione secunda principali, & in discursu secundæ opinionis initio quæstionis, vbi dicitur, quòd gratia educitur de potentia obedientiali animæ, & non de naturali. *Ad conf.* ¶Ad confirmationem negatur consequentia. Quia eo ipso quod gratia poneretur in subiecto, inciperet eodẽ modo pendere ab illo, nõ secus atq; si ex potentia eius esset producta. Ex illa tamẽ suppositione colligimus, quod gratia quæ ex natura rei est educibilis de potẽtia obedientiali animæ, etiã est creabilis à Deo, sed cùm ipsa adhuc creata, si ponatur in subiecto ex natura rei, statim pẽdeat ab illo; sequitur, quòd est educibilis ab eodẽ subiecto,



subiecto, cùm ab illo postea etiam pendeat. *Ad quartum.* ¶Ad quartum respondetur, distinguendo antecedẽs: Nã verum est hominem non posse esse veram & propriam causam gratiæ, nõ solum si loquamur de causa efficiente naturali, sed etiam de causa materiali naturali: quia homo secundum animam non habet potentiam passiuam naturalem, quæ necessaria est vt possit esse causa materialis naturalis gratiæ. Ratio verò cur illam non habet est, quia potentia passiua naturalis essentialiter respicit naturale agens, quod nullum est respectu gratiæ. Falsum tamen est, quòd homo secundum animam non sit vera causa materialis gratiæ, non quidem per potentiam passiuam naturalem, sed per passiuam obedientialem, quam habet respectu solius Dei, vt agentis supernaturalis: Et ita in hoc sensu negatur antecedens. Ad probationem respondetur, nullum esse inconueniens, animam hominis concurrere ad gratiam, & esse causam, si sermo sit de causalitate materiali per potentiam obedientialem respectu Dei agentis supernaturalis vt sic. Quando verò Theologi negant, hominem esse veram causam gratiæ, loquuntur de causa efficiente, & de materiali naturali; non autem de ea, quæ est materialis & passiua, & per solã obedientialem potentiam in ordine ad supernaturale agens vt sic. *Ad quintũ.* ¶Ad quintum respondetur, quòd si sit sermo, quo pacto anima rationalis & gratia compatentur ad materiam; id est, ad illam materiam quæ est altera pars essentialis physica corporis naturalis; argumentum non est ad propositum: Quia nemo est qui dicat gratiam educi de potentia eiusmodi materiæ, sicut neque informat illam. Si verò sermo sit ita vt vtraque forma referatur ad materiam in qua recipitur, & quam informat; ita vt anima rationalis comparetur ad corpus humanum, gratia verò ad essentiam animæ, vel ad essentiam angeli; tunc dicendum est, rationalem animam magis eleuari à consortio materiæ, quàm gratiam, si huiusmodi eleuatio consistit in eo, quòd forma non dependeat à materia; quia constat, rationalem animam minus depẽdere à corpore humano, cùm sine illo possit esse & conseruari naturaliter, quam pendeat gratia ab essentia animæ vel angeli, quæ non potest esse absque altera illarum, saltem naturaliter, seu ex natura ipsius. Neque obstat, quòd esse à gratia procedens, sit spirituale & intelligibile; Quia vtrumque esse reperitur in eius subiecto & materia, scilicet, essentia animæ, vel angeli. Neque rursus obstat, quòd gratia conferat esse supernaturale & diuinum. Quia tam forma gratiæ, quam esse collatum ab ea, habent duas rationes formales supernaturales & diuinas, per ordinem ad causam efficientem, quæ supernaturalis est, & diuina per essentiam: & hoc habet gratia sicut cæteri habitus supernaturales, per ordinem ad causam efficientem, scilicet, Deum. Nam postquam hęc à Deo sunt producta, nõ minùs naturale est illis quòd insint tanquam subiectis animæ & angelo, quam lumini quod à Sole est productum, quòd insit diaphano. Neque tandẽ gratia potest naturaliter inesse alicui subiecto præter hæc, neque potest seruari sine vllo subiecto. *Ad sextum.* ¶Ad sextum respondetur, negando maiorem: non enim necesse est, vt cuiuis potentiæ passiuæ secundum quam subiectum est vera causa materialis formæ, respondeat potentia actiua eiusdem generis: ostendimus enim supra, priores vocationes & inspirationes, quæ fiunt ante iustificationem, & non sunt minus supernaturales, quam sit gratia, habere potentiam passiuam, per quam subiectum sit eorum materia. Quare, ad probationem maioris respondetur, aliam esse rationem de potentia passiua naturali, & obedientiali: passiua enim naturalis, ob id intra proprium genus habet naturalem actiuam; quia essentialiter respicit naturale agens, quod intra proprium genus & ambitum continetur. Passiua autem obedientialis, ideo intra genus rerum creatarum non habet actiuam sibi correspondentem; quia essentialiter respicit supernaturale agens, quod necessariò est increatum; ac proinde non contentum intra genus rerum creatarum. Ex eo autem quòd materia non respiciat aliquod efficiens creatum, quod sit productiuum animæ rationalis secundum suam substantiam, & suum esse, non probatur adæquatè quòd anima rationalis non educatur de potentia materiæ, sed adæquata causa est, quòd forma rationalis habet suapte natura per se subsistere, sine dependentia à materia; quòd ex eo efficaciter colligitur, quia habet operationes sibi proprias: nisi enim has haberet, & substantiam suapte natura per se subsistentem, quamuis à solo Deo posset produci; non implicaret eam educi de potentia materiæ, sicut verè implicat & repugnat. An verò dispositiones ad gratiam, de quibus loquitur probatio minoris, concurrant efficienter ad productionem gratiæ, vel solùm in genere causæ materialis, disputabitur inferiùs. *Ad septimũ.* ¶Ad septimum respondetur, distinguendam esse maiorem: vera enim est si loquatur de forma naturali, quæ educitur ex materia ab agente finitæ virtutis: tunc namque est in materia secundum mensuram dispositionum: & hoc modo intelligi debet proloquium illud in argumento citatum. Nam quando materia non habet dispositiones conformes ipsi formæ, habet contrarias, quæ impedimento sunt, ne forma ab agente finitæ virtutis ex illa educatur. Si verò agens sit infinitum, quamcunque formam, siue naturalem, siue supernaturalem potest educere ex materia, absque vlla prorsus dispositione, si illi non repugnat ex sua natura educi. Quoniam virtute sua infinita, subitò potest expellere contrarias dispositiones. Cùm ergo gratia sit forma supernaturalis, & Deus qui est efficiens illius, sit agens infinitum, siue nulla sit in anima dispositio, siue sint dispositiones contrariæ, potest educere gratiam de illius potentia, nulla habita ratione ad mensuram dispositionum. Verumtamen est, quòd quoniam Deus operatur suauiter secundum rerum exigentiam, quando anima potest habere operationes ex supernaturali motione Dei, quæ sint dispositiones proportionatæ ad gratiam confert eam secundum mensuram dispositionum ipsarum, quod euenit in adultis, qui iustificantur absque sacramento in re suscepto. Quando verò anima non potest habere huiusmodi operationes, absque aliqua operatione, gratiam confert Deus, vt euenit in pueris recenter baptizatis: nam in baptismo non confertur gratia paruulo per operationem propriæ voluntatis, sed merito & opera-

operatione aliena, scilicet, Christi; sicut nec originale, quod puero remittitur in baptismo, contractũ est ab illo operatione propria, sed aliena A dę; A dultis etiam, qui sacramento in re susceptо iustificantur, licèt non detur aliquando gratia secundũ mensurã dispositionis, quia vel tota gratia ex opere operato datur per sacramentum, aut saltem aliquis illius gradus; semper tamen datur, præcedẽte in adulto aliquo actu supernaturali, quo se disponat ad sa-
*Ad octauũ.* cramenti susceptionem. ¶Ad octauum respõdetur, negando primam & secundam consequẽtiam: iam enim diximus, gratiam neque creari, neq, concreari, sed verè educi de potentia obedientiali animæ: dependet enim in fieri & in conseruari ab animæ essentia. Vndè, quando esse formæ quæ producitur, in ipsa sui productione actualiter pendet à subiecto tanquam à vera causa materiali; tunc verè educitur de potentia materiæ. Quare, sicut forma multipliciter continetur in subiecto tanquam in causa materiali, ita multipliciter educitur de potentia subiecti. Quam rem fusè satis interpretati sumus statim in exordio huius quæstionis principalis, antequam primam sententiam & opinionem statuissemus.

*Soto.* ¶Quo constituto, ad argumentum Pater Soto loco suprà citato putat, posse probabiliter dici gratiam produci in vltimo instanti prolationis verborum sacramentaliũ, vel produci toto tempore prolationis verborum, & applicationis sacramenti; Dicit tamen secundò, probabilius esse, quòd producatur toto tempore prolationis verborum. Ex quo colligitur esse dicendum, gratiam priùs tempore causari & produci, quam sit in anima: quod patet, quia gratia in vnico instanti est primò existens in anima, videlicet, in instanti terminatiuo prolationis verborum: Et hoc esse verum liquet, tùm, quia gratia cùm sit forma indiuisibilis, primum suum esse necesse est habeat in instanti: tum etiam, quia gratia quæ in anima producitur per sacramentum, præsupponit in suo primo esse totum sacramentum applicatum: igitur si toto tempore prolationis verborum producitur gratia, fatendum est, gratiam priùs tempore produci, quam existat in anima. ¶Hæc sententia, difficilis valde est, neque benè percipitur quo pacto toto tempore prolationis, verè producatur gratia, & quòd toto illo tempore nõ suscipiatur in anima vel ipsa gratia, vel saltẽ dispositio aliqua ad illam. Etenim, ad actiuam productionem, necessè est respõdeat ex parte subiecti aliqua productio passiua, vel formæ principalis, quæ producitur, vel alicuius dispositionis ad ipsam. ¶Alia assignatur solutio huius argumenti à viris doctissimis: dicunt enim, quòd sicut in generatione substantiali contingit, quòd in illo instanti in quo introducitur forma substantialis in materia, non est in ipsa materia dispositio producta à generante, qua mediante generans attingit introductionem formæ substantialis in materia (supponimus enim, quòd in generatione substantiali fit resolutio omnium formarum vsque ad materiam primam) ita similiter gratia introducitur in illo primo instanti, in quo iam nõ est sacramentum; & satis est, quòd applicatio sacramenti immediatè præcesserit illud instans, sicut in generatione substantiali est satis, quòd dispositio à generante producta, præcedat immediatè introductionem formæ substantialis in materia. Hæc solutio est valde rationabilis: Sed obijciunt plerique Theologi contra hanc solutionem. Quia sequitur ex illa, posse euenire & contingere, quòd sacramentum conferat gratiam animæ in illo instanti, quo est separata à corpore: consequens non est admittendum; quia tunc posset dici, quòd anima quæ toto tempore vitæ fuit in peccato mortali, tandem post vitam consequitur gratiam, & saluatur; quod non fatis consentit fidei: ergo. Sequela probatur: Quia potest euenire, quòd prolatio verborum sacramentalium terminetur ad idem instans, in quo terminatur vita eius cui applicatur sacramentum, ita vt primum non esse hominis, sit etiam primum non esse prolationis verborum: ergo si gratia sacramentalis confertur in primo non esse prolationis verborum, aperta res est, quòd in illo casu anima suscipiet gratiam in primo non esse hominis, quando verum est dicere animam esse extra corpus, & consequenter extra viam. Huic obiectioni & replicæ respondetur primò, quòd iste casus non est moralis, sed metaphysicus: vix enim poterit vnquam euenire tanta adæquatio inter prolationem verborum, & consummationem vitæ suscipientis ipsum sacramentum, & fortasis pertinebit ad Dei prouidentiam quòd non eueniat ista adæquatio. Secundò respondetur, quòd si casus ille admittatur, consequenter censendum est, quòd tunc sacramentum non dabit gratiam suscipienti, quia anima in instanti quo est separata à corpore, non est subiectum de lege capax gratiæ sacramentalis causandæ & recipiendæ: Nam sacramentum, cùm constet ex re corporea, & spirituali virtute, non operatur in animam à corpore separata, sed tantum quandiu est coniuncta corpori: potissimè, quia anima in primo instanti separationis, non pertinet ad statum viæ, sed ad statum termini; sacramenta verò solùm pertinent ad viatores, & non ad eos, qui sunt extra viam.

*Obiectio contra Thologorum.*

*Obiectionis solutionem.*

¶Hæc tamen solutio secunda, quæ à plerisque viris & Theologis probatur, nunquam mihi arrisit, neque placuit. Quia si esset vera, aperte sequitur ex positione eius, quòd daretur sacramentum perfectum, & consummatum, receptum in homine viatore, in quo non est obex gratiæ recipiendæ, & quòd non causaret gratiam. Patet sequela de sacramento baptismi recepto in paruulo si moriatur in primo non esse prolationis verborum: tunc enim in illo primo non esse, est verum dicere, nunc non est sacramentum baptismi, & immediatè ante hoc fuit: præcesserit ergo sacramentum baptismi: ergo præcesserit motio Dei, qua concurrit cum sacramento ad causandam gratiam, & eo tempore quo sacramentum verè fuit consummatum vixit paruulus, quia non est mortuus per vltimum sui esse, sed per primũ non esse: ergo verè recepit paruulus integrum sacramentum, eo tempore quo erat in via, & non recepit gratiam; & ita dabitur de lege sacramentum completũ, quod non confert gratiã viatori non ponenti obicẽ, vt patet de paruulo nõ ponente obicẽ ad receptionẽ baptismi. Rursus sequeretur, Christum meruisse non solum pro omnibus secundum sufficientiam, sed etiã meruisse applicationẽ in particulari huius sacramẽti respectu huius paruuli,



paruuli, vel applicationem sacramenti pœnitentiæ respectu huius hominis, in quibus nõ est obex, & ita meruisse Christum secundũ efficaciam applicationem sacramẽti completi, & abolitionem obicis seu impedimenti, & quòd non haberet efficaciam eius applicatio, seu meritum suæ efficaciæ in particulari. Potissimè, cùm recipientes illa sacramenta toto tẽpore quo recipiunt illa completè, sint viatores. ¶Quapropter, sentiendum est in casu argumenti, paruulum illum, seu hominem, recipere gratiam ex vi illius sacramenti applicati etiam si moriatur in illo primo non esse sacramenti, & consequenter non damnabitur. Ita tenet Pater Medina. 1.2.q.112.art.1. ad.2. vbi ait, quòd in vltimo instanti, quo definunt verba prolata à ministro, quæ semper habent vicem formæ, & infunditur, & causatur gratia. Nam cum in generatione substantiali, in eo instanti quo forma introducitur, generans attingat formæ substantialis introductionem in materia, & attingat quidẽ media dispositione antecedente, quæ in illo instanti introductionis formæ substantialis iam nõ est in materia; sequitur esse valde rationabile idẽ dicere de gratia illa sacramẽtali, q̃ introducitur in illo instãti in quo dicitur, immediatè ante hoc fuit sacramentũ, & nũc est primũ nõ esse illius, & satis erit q̃ applicatio sacramenti immediatè præcederet illud instans; sicut in eductione formæ de potentia materiæ, satis est etiam quòd dispositio producta à generante, præcedat immediatè introductionem formæ substantialis in materia. Dico secundò, quòd tunc paruulus, verbi gratia, non recipit in primo non esse, gratiam illam sacramentalem, vt est primum nõ esse eius, sed quatenus est primum non esse immediatè coniunctum tempori & durationi, in qua verè erat, & præcesserit sacramẽtum completum, & via illius paruuli. Vndè, non recepit ille sacramentum in primo non esse, sed eo tempore quo verè erat viuens, & erat viator; recepit tamen effectum eius, nẽpe, gratiam in termino eius immediatè coniuncto tempori, in quo præcesserit sacramentum: Nam quando assumitur res successiua, vt instrumentum causandi gratiam, operatur quidem secundum conditionem rei successiuæ, & cùm res successiua operetur vltimum effectum in termino eius, non potest non resultare terminus in primo nõ esse, quatenus illud immediatè copulatur durationi præcedenti. Fortè est verum, quòd datur instans positiuum terminatiuum durationis finitæ & interciſæ illius successionis sacramentalis, & sic in instanti illo producetur gratia sacramentalis; Quia in illo terminatur intrinsecè actio successiua sacramenti & completur sacramentum. ¶Si dicas, quòd anima iam in illo instanti non informat corpus, & ita quòd nõ est subiectum capax gratiæ sacramentalis, Respondetur, ridiculam esse obiectionem in casu nostri argumenti. Quia anima recepit totum sacramentum toto tẽpore quo erat in corpore, & informabat corpus, vt ipsum argumentum supponit: & ob id recipit gratiam; quia verè recepit sacramentum sine vllo obice. Recipit autem gratiam in instanti saltem immediato durationi in cuius mensura sacramentũ præcesserit; Quia hæc est conditio agentium successiuorum, quando effectus & terminus productionis resultat in instanti. Vndè, ille paruulus non recipit gratiam, quatenus est extra viam, quia vt sic nõ potest eam de lege recipere respectu sacramenti: sed recipit gratiam quatenus in illo primo non esse terminatur actio sacramenti, & quatenus illud primũ non esse, est instans immediatè coniunctum tempori præcedenti, & causalitati ipsius sacramẽti, & terminatiuum prolationis verborum, & successionis ipsius sacramenti. ¶Si vera esset solutio, quã Ægyd. Roman. 1. lib. de generatio. excogitauit in generatione rerum naturalium, non esset à simili improbabilis solutio huius argumenti ex Philosophia desumpti, à qua suam habet vim, & efficaciam. Putat enim Ægidius, quòd sicut in quantitate continua duorum corporum, vel duarum linearum, quando sunt diuisæ & interciſæ, puncta terminantia possunt esse simul, & immediatè coniuncta, vt euenit si corpus perfectè sphericum, tangeret perfectè planum in puncto, in quo casu punctum puncto esset immediatum; sic credit, non quidem de duratione temporis, quæ est in primo mobili, sed de duratione intrinseca cuiuslibet rei, quæ duratio imbibitur intra esse rei, & ait quòd duæ durationes interciſæ, quarum vna ab altera non pendet, terminantur per instantia aut mutata esse intrinseca: sicut quando mundus incepit, motus primi mobilis cœpit fluere, non quidem in instanti, sed ab instanti in quo fuit mundus: Ita dicit, quòd duratio intrinseca rei, definit in vltimo instanti intrinseco, vt patet in corruptione rei, & rursus incipit in instãti immediato res generari, seu res genita, per primũ sui esse: in quo casu nõ sunt duo instantia tẽporis immediata, sed solũ duo instantia illarũ durationũ, nẽpe, rei quæ corrũpitur, & rei quæ generatur, quæ sunt durationes intrinsecæ; & illis duobus instantibus durationum interciſarum, cùm sint immediata, sicut duo puncta, de quibus supra, non correspondet in tempore, nisi vnicum instans. Quia duratio mille instantium temporis, non est maior duratio quã vnius; quamuis sint plura instantia. Imò verò plura instantia durationum interciſarum possunt simul esse in vnico instanti temporis. Quia plura instantia durationum partitarum, seu interciſarum ipsarum rerum creatarum, possunt esse immediata, licet plura temporis instantia non possint esse immediata: quia inter quæcunq; duo instantia mediat tempus. Neque hoc reputatur inconueniẽs; quia licèt inter duo instantia temporis semper mediet tempus, id quidem intelligitur de duratione continua temporis, vel de duratione quæ sumitur inter duo instantia terminantia durationem temporis. At verò si sit sermo de duabus durationibus diuisis & interciſis, non quidem temporis; sed rerum inferiorum; sic duratio vna interciſa ab alia, poterit esse alteri immediata per instantia vltima intrinsecè terminantia. Neque propter hoc dabitur prima pars motus, aut vltima: quia in linea datur punctum intrinsecum initiatiuum, & nunquam datur prima pars lineæ proportionalis, quia adhuc illa pars lineæ est diuisibilis: Et similiter erit dicendum in duratione, aut in successione alicuius motus interciſi ab alio, quòd nunquam dabitur prima pars motus: Quia adhuc illa data, dabitur alia minor, quamuis detur primum instans, à quo fluit duratio & successio motus.

*Ægidius.*

*Obiectio.*

*Responsio.*

¶Si ergo præfata doctrina non est improbabilis, facilè dissoluetur argumentum suprà tactum, si dicamus, successionem illã sacramenti, terminari per instans intrinsecum, in quo verè cõfertur gratia, & quòd illud instans est coniunctum primo esse cadueris, quod est primum non esse extrinsecum respectu successionis sacramentalis; & primum esse initiatiuum durationis rei corruptæ, quæ est duratio intercisa & diuisa à duratione successionis sacramentalis præcedente; Et ita cessant inconuenientia suprà allata. Doctissimus & ingeniosus Theologus, iudicem se constituat, & iudicet an hoc sit probabile. Nam nos præcedentem solutionem, vt veriorem, & magis rationi cõsonam probamus. Et hæc dicta sint de tota hac controuersia longissima.

## Dubium annexum præcedentibus.

*Vtrùm creatura possit esse instrumentum annihilationis?*

IAm sinuosa est præcedens controuersia, vt adhuc reliquerit sinum hunc euoluendum & aperiẽdum, de annihilatione, an possit fieri ab aliqua creatura? Hoc est, Vtrũ creatura possit esse instrumentum Dei respectu annihilationis, & eadem difficultas est de humanitate & anima Christi. Et pars affirmatiua videtur vera. Quia ratio qua S. Thom. 3. part. quæst. 13. artic. 2. ostendit, creaturã non posse instrumentaliter concurrere ad creandum, est quia creatura non potest agere circa nihil; hæc autẽm ratio cessat & deficit in annihilãtione; quoniam annihilatio est alicuius entis: ergo creatura circa tale ens potest aliquam habere actionem, & ea mediante poterit eleuari à Deo ad annihilandum. ¶Propter hoc argumentum aliqui Thomistæ crediderunt, quòd licèt creatura nõ possit instrumentaliter concurrere ad creãdum; potest tamen ad annihilandũ. Et ratio differentiæ est, quã in argumento tetigimus. ¶ At verò, Sanctissimus Præceptor vbicunq; loquitur de hac re, vtrumque expressè negat. Vndè. 3. part. loco citato asseuerat, q̃ sicut solius Dei est creare, ita etiam solius Dei est annihilare. Et profectò, reuera ita dicendum est, & probari potest ex ratione D. Thom. in artic. citato. Quoniam solus Deus producit res in esse simpliciter: Dico simpliciter, id est, non tantum in esse hominis & in esse tali, &c. sed in esse absolutè & simpliciter. Quoniã solus Deus creat, & creatio est productio entis in quantum ens absolutè. ¶Ex hoc sequitur primò, quòd solus Deus conseruat res in esse simpliciter, id est, nõ tantum in tali esse, sed in esse absolutè. Nam sicut esse in fieri correspondet vniuersalissimæ causæ, nempe Deo, quia est vniuersalissimus effectus; ita etiam in conseruari. ¶Secundò sequitur, quòd rem annihilari, nihil aliud est quã nõ conseruari à causa vniuersalissima, & consequẽter nõ manu teneri, ne ruat & pereat, & à Deo relinqui. ¶Tertiò sequitur, quòd creatura non potest cõcurrere ad annihilationem. Probatur: quia id esset concurrere ad hoc, vt res non cõseruetur in esse à diuina virtute: hoc autem est impossibile, quia sicut ad hoc quòd conseruetur in esse, nulla creatura potest concurrere, ita etiam neq; adhoc vt non conseruetur: sed sola ablatio diuinæ virtutis est causa non conseruationis, & annihilationis. Rursus persuadetur alia ratione. Quia sicut ad creandum necesse est vt creatura operetur & agat circa nihil ex parte termini à quo, ita etiam ad annihilandum necessarium videtur, vt creatura agat circa nihil ex parte termini ad quem, quod est impossibile. ¶Quamuis præfata doctrina vera sit; tamen quibusdam Theologis ob id placet, creaturam posse instrumentaliter annihilare; quia ad annihilationem supponitur creatura, circa quam potest esse contactus: igitur potest creatura instrumentaliter concurrere ad annihilationem. Vndè, in sacramento altaris, quando sacerdos profert verba consecrationis, desinit esse substantia panis, quòd si non succederet corpus Christi, neque alia forma, tunc esset annihilatio, & illud subiectum substantificum, esset à creatura instrumentaliter annihilatum. His ergò argumentis probabiliter putant aliqui se defendere, disparem atq; diuersam esse rationem de annihilatione & creatione, & defendunt, quòd quamuis creatura non possit concurrere ad creationem; potest tamen cõcurrere ad annihilationem, quia in annihilatione supponitur subiectum, circa quod creatura potest operari, quòd sanè non fit in creatione, vt dictum est. ¶Sed profectò, semper standum est superiori sententiæ; quia propriè loquendo non est intelligibile, quo pacto creatura concurrat instrumentaliter ad annihilandum. Quia vt patet ex ratione superiùs tacta, annihilare nihil aliud est, quam quòd Deus nõ conseruet rem, creatura verò non potest instrumentaliter concurrere, vt Deus non conseruet rem. Sanè, ad annihilandum necesse est creaturam attingere de esse ad non esse, seu de esse ad nihil; ac proinde creatura attingeret ad nihil, quod est apertè falsum; quia nihil, non tangitur. Sentiẽdum est igitur, creaturam non posse cõcurrere ad annihilandum. ¶Ad argumentum ergo initio dubitationis propositũ, respõdetur facilè ex suprà dictis, quòd ad annihilandum non satis est, quòd creatura agat circa aliquod subiectum, sed requiritur, quòd agat perducẽdo illud vsq; ad nihil, & attingendo ipsum nihil, quod est impossibile; Et sic minimè ad annihilandum potest concurrere.

## ARTICVLVS II.

*Vtrùm requiratur aliqua præparatio & dispositio ad gratiam, ex parte hominis, & liberi arbitrij?*

PRima conclusio. Si sermo sit de gratia habituali, necessaria est præparatio, seu dispositio ad ipsam, quæ sit motus liberi arbitrij ex auxilio Dei. Quoniam formæ non introducitur, nisi in materia disposita. ¶Secunda conclusio. Si sermo fiat de gratia quæ non est habitus, sed auxilium Dei mouentis, nulla præparatio requiritur ex parte hominis, quasi præueniens ipsum auxilium Dei; imò verò quæcunque præparatio esse potest, est ex auxilio Dei mouentis.

DIS-



## DISPVTATIO I.

*Vtrum requiratur causa dispositiua ad gratiam?*

HAec controuersia, tota pertinet ad quæstionem, an est, de dispositione ad gratiam. Et sanè, productio gratiæ fieri potest vel in eo qui nullum habet, neque habuit peccatum, vt fuit in angelis, & in Christo Domino, & in Adam cùm primum creatus est à Deo: de quibus omnibus agitur in proprijs locis. Vel productio gratiæ fit in eo qui peccauit, & aliquod peccatum habet, & tales sunt omnes qui nunc iustificantur; & rursus isti vel sunt adulti, qui possunt vti ratione, vel carent vsu rationis, sicut sunt infantes, de quibus dicemus statim. Hæretici Lutherani, inter quos perfidus Luther est præcipuus, dixerunt liberum arbitrium post peccatum, rem esse de solo titulo, & quòd homo peccat mortaliter faciendo quod in se est vt se præparet ad gratiam: & ob id, Luther damnat contritionem, timorem gehennæ, & alias dispositiones; & adeò despiuit, vt in sermone de piscatione Petri dixerit, Quanto scelestior es, tanto celeriùs Deus tibi gratiam infundet. De qua re legendus est Martyr Rossens. artic. 36. & alibi non semel.

*Argum. 1.* ¶Et arguitur primò. Omnia opera facta ante infusionem gratiæ sunt peccata: ergo per nullum illorũ potest homo se præparare & disponere ad gratiam.

*Genes. 6. & 8.* Patet antecedens Genes. 6. videns Deus quòd cuncta cogitatio hominis intentã esset ad malum in omni tempore. Et cap. 8: Sensus & cogitatio humani cordis, in malum prona sunt ab adolescentia sua

*Ioan. 15.* Ioan. 15. Sine me nihil potestis facere: & statim. Si quis in me non manserit mittetur foras sicut palmes, & arescet, &c. Ex quibus locis colligit Luther hæreticus, quòd omnia opera existentis extra gratiã Christi, sunt digna damnationis, & nihil valere ad obtinendam gratiam. Et confirmatur. Ex illo Isaiæ.

*Isaiæ. 40.* 40. Suscepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis, Quasi dicat, datam esse copiosam gratiam, non pro bonis operibus, sed pro peccatis.

*Secundum.* ¶Secundò arguitur. Quoniam si requiritur dispositio ex parte liberi arbitrij, non iustificamur gratis: consequens est contra Paul. Rom. 3. ergo. Imò verò sequitur, quòd homo iustificat se.

*Tertium.* ¶Tertiò. In sacra Scriptura, totum negotium nostræ iustificationis tribuitur Deo: ergo non requiritur ista præparatio ex parte liberi arbitrij. Patet antecedens ex Paulo

*Rom. 9.* Roman. 9. Non est volentis neque currentis, sed Dei miserentis. Ad Titum. 3. Non ex operibus iustitiæ

*Ad Tit. 3.* quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiã

*Ezech. 36.* saluos nos fecit. Ezech. 36. Auferam à vobis cor lapideum:

*Psal. 50.* Psalm. 50. Cor mundum crea in me Deus. Et confirmatur. Quia homo in sua iustificatione, habet se veluti lutum in manu figuli, vt constat exemplo

*Isaiæ. 64.* Isaiæ. 64. Ieremiæ. 18. & Pauli Rom. 9. lutum autem merè passiuè se habet in sui formatione.

*Quartum.* ¶Quartò arguitur. Forma quæ ad eius introductionem requirit dispositionem, sine illa conseruari nequit, vt patet in naturalibus: sed gratia conseruatur in anima sine motu liberi arbitrij: ergo non requiritur aliqua dispositio ad introductionem eius, alias sine ea conseruari non posset. ¶Quintò. Si quem motum habet voluntas in iustificatione, gerit se in illo vt purum instrumentũ Dei: ergo non liberè se disponit. Antecedens patet ex illo Isaiæ. 10. Vbi Dominus carpens

*Isaiæ. 10.* quosdam, qui dicebant: In fortitudine manus meæ feci, & in sapientia mea intellectus intellexi, subiungit: Nunquid gloriabitur securis contra eũ, qui secat in ea? aut exaltabitur serra contra eum, à quo trahitur? Quasi diceret, nostrum liberum arbitrium in operibus gratiæ, se habere, vt serra vel securis se habent merè instrumentaliter. ¶Sextò arguitur.

*Sextum.* Prius est quòd Deus efficaciter moueat voluntatẽ ad sui conuersionem, quam quòd ipsa velit se conuertere: sed stante efficaci motione diuina, non potest voluntas non se conuertere: ergo necessariò conuertitur, & non per actum liberum: ergo. Et cõfirmatur. Quia ad hoc vt actus sit liber, requiritur

*Confir.* quòd voluntas determinet se ipsam ad vnam partẽ contradictionis: sed non potest se determinare in ordine ad gratiam, nisi ante prædeterminetur auxilio efficaci Dei: ergo non libere se determinat. ¶Tandem obijcitur illud Ioan. 3. Nemo potest venire ad

*Septimum. Ioan. 3.* me, nisi Pater meus traxerit illum: ista namque tractio videtur insinuare vim quãdam & coactionem.

*Conclus. 1.* Pro explicatione huius controuersiæ, est prima conclusio. Nullus adultus iustificatur sine propria dispositione: decet enim vt qui propria voluntate actuali, & proprio actu peccauerunt; pariter etiam habeant præparationem ad gratiam, à Deo moti & excitati. Hæc est de fide, vt habetur in Conc. Trid. sessio. 6. c. 5. & Canone. 4. & in Concil. Arausic. cap. 9. & 16. 20. 23. & 25. Vbi docemur, quòd possumus & debemus cooperari diuino adiutorio in his quæ ad nostram salutem spectant, per liberum arbitrium.

*Conc. Trid. Conc. Arausic.* Idem decernit Cælestinus. 1. epist. 1. cap. 7. &, 12. Vndè, lib. de Ecclesiasticis dogmatibus, cap. 21. & deinceps, hæc veritas recensetur inter alia ecclesiastica & catholica dogmata. Et probatur etiam ex plerisque scripturæ locis, in quibus sæpius petit Deus à peccatoribus vt se conuertant dicendo, Conuertimini ad me; & id petitur à Deo tanquam necessarium ad remissionem peccati. Vndè, Cantic. 5. &

*Cælestinus.* Apocal. 3. petit Deus vt aperiamus sibi pulsanti. Et 1. Reg. 8. petit, vt præparemus ei corda nostra dicens, Præparate corda vestra Domino. Et Amos. 4. Idem habetur Isaiæ. 31. Ierem. 15. Ezech. 18. Matth. vltim. Optimum testimonium est illud Isaiæ. 50. Dominus Deus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico, retrorsum non abij, &c. & illud Ezech. 18. Cùm auerterit se impius ab impietate sua, ipse animam suam viuificabit. Ex quibus locis & alijs similibus constat, taliter pertinere ad Deum nostram iustificationẽ, quod etiam pertinet ad nos cooperari per liberum arbitrium, consentiendo diuinæ gratiæ. Et debet intelligi conclusio de lege, & secundum potentiam Dei ordinariam. Nam de potentia absoluta, bene posset Deus infundere gratiam homini adulto, sine propria dispositione, vt Caiet. & Soto admonent. Cæterum regula generalis est, quòd nullus adultus iustificatur sine dispositione & præparatione proprij arbitrij libere consentientis diuinæ gratiæ. Et profectò, si Deus necessitate quadam aut coactione conuerteret homines ad se, non esset in ipsorum potestate resistere: consequens est contra

*Caietanus. Soto.*

*Prouer.1. Isai.65. Lucæ.13. Rom.9.*

sacram Scripturam, Prouerb.1.Vocaui & renuistis. Isaiæ.65.Lucæ.13. Rom.9. ergo. ¶Rationibus etiam persuadetur potissime ex discursu D. Thom. Quia forma non recipitur nisi in materia disposita. Quæ ratio conuincens est, præcipuè quando subiectum est affectum forma repugnante, & in moralibus quando forma contraria, est voluntaria, conuenienter requiritur voluntaria dispositio ad expulsioné eius. Et hoc intendit S.Tho. 1.2.q.113.art.3. Vbi ait, Deum mouere vnumquemque secundum modum suæ naturæ:& idcircò, hominem adultum vtentem intellectu & voluntate, non mouet ad gratiam recipiendam & iustitiam, nisi ipso consentiente, & voluntate sua acceptante illam gratiam. Et confirmatur. Quia cùm Deus omnes vocet ad se, & sit paratus omnes iustificare, nisi esset necessaria ex parte nostra ista dispositio, non esset ratio cur vnus iustificaretur, & non alter: ergo differentia est; quia quidā disponuntur ex motione diuina, & non alij. Secūdo persuadetur. Quia tota Ecclesia, & omnes Sancti id vnū exposcūt à peccatoribus frequētibus cōcionibus & exhortationibus, nēpe, vt amore & timore, fide & spe, & vera pœnitētia, atq; dolore peccatorū se conuertant in Deum; quæ omnia vana essent, nisi liberè cooperaremur gratiæ Dei mouenti ad nostrā iustificationem. Hæc est sententia communis Sanctorum Patrum, præsertim D. Dionys. de cœlesti Hierarch.cap.9. Vbi ait; Neque enim coactam habemus vitam, nec liberi arbitrij gratia diuinitus induta, mortalibus prouidentiæ diuinæ luce & splendore obtunditur, &c. Idem D. Bernard. lib. de libero arbit.& gratia, vbi ait; Tolle liberum arbitrium, & nō erit quod saluetur, tolle gratiam, & non erit vnde saluetur. Idem tenet D. August. in lib. de gratia & libero arb. Idem sentiunt omnes alij Sancti, quorum testimonia refert Vega lib.6. super Concil. cap.2.5.&.41. Soto, lib.1. de nat.& gratia cap.15.&.16. & lib.2.cap.1. &.2. Legendus est Roffens. artic.36. contra Lutherum. Driedo lib. de captiuit. & redempt. tractatu.4.cap.2.& tractatu.6.cap.2.& lib. de concordia prædestinationis & liberi arbitrij part.2. & lib.2. de gratia & libero arbit. per totum. Ruard. Tapper art. 7. Et profectò, non est infimum argumētum pro hac sentētia catholica, testimoniū propriæ conscientiæ vniuscuiusque: experitur namque & sentit vnusquisque remorsum, & reprehensionem conscientiæ, quando non cooperatur gratiæ Dei; atque adeo conscientia dictat se male fecisse, & quòd habuit libertatem ad aliter faciendum & cooperandum. Profectò, si non libere, sed necessario & coactè cōuertimur, non est cur laudemur, si conuertamur, neque cur vituperemur, si non conuertamur: sed sicut conuersio, ita & obduratio totaliter tribueretur Deo, vt quidam hæreticorum concedunt: consequens est absurdissimum & impium: ergo. Maior patet. Quia si non sumus liberi in conuersione, non erimus liberi in non conuersione; pro eo autem quòd non est in nostra potestate, nec sumus laude, nec vituperatione digni. Tandem, si Deus necessitate & coactione quadam conuerteret homines ad se, non esset in potestate eorum resistere: consequens est contra sacram Scripturam Prouerb.1. Vocaui & renuistis. Isaiæ.65. Lucæ.13. Roman.2. ergo. inuerecunde loquuntur hæretici,

*D.Dionys. D.Bernard. D.August. Vega. Soto. Roffensis. Driedo. Ruar.Tap.*

Secunda conclusio. Hæc dispositio adultorum ad gratiam, vt in plurimum & communiter incipità dispositionibus remotis, & sic paulatim peruenitur ad vltimam, sed interdum non seruatur hic ordo, sed sumitur initiū ab vltima. Prima pars huius conclusionis habetur in Concil. Trident. sessio.6.& ex locis Scripturæ supra citatis, in quibus excitamur ad timorem, & ad similia opera. Et ratio propositæ assertionis est, Quia Deus in supernaturalibus sese accommodat & insinuat naturæ hominis, quæ paulatim ab imperfecto ad perfectum procedit. Secunda pars liquet in conuersione Pauli & similibus quæ miraculosæ dicuntur. Et probatur; quia potentia Dei non est alligata illi ordini: Ergo vltima dispositio solum est illa, sine qua nullus iustificatur. Hic autem loquimur de iustificatione per se extra sacramentum, quamuis illa quæ sacramento fit, suā vltimam requirat dispositionem & aliquando minorem, & quæ extra sacramentum non sufficeret.

*Conclusio.3.*

Tertia conclusio. Productio gratiæ sicut ipsa gratia, non requirit vltimam illam præparationem & dispositionem supra tactam in subiecto, quando illud non habet iudicium, neque rationis vsum. Hæc est de fide, quia paruuli vere iustificantur in baptismo sine aliqua præparatione & dispositione illorū, & est etiam contra Lutherum & Caluinum, qui dixerunt paruulos qui baptizantur, iustificari per motum fidei excitatum à Deo, quo credunt dimissa sibi peccata per Christum. Sed adeò portentosa est hæc sentētia, vt eam postea Caluinus retractauerit, vt refert Decanus art.1. Pag.11.& impugnatur verissime. Quia si paruuli acciperent ad hoc vsum rationis, contingeret postea recordari. Imò verò, in vtero signa darent tam latæ cognitionis, vt Ioannes dedit in vtero cognito Saluatore: hoc tamen à sæculo non est auditum: ergo. Et sane, miracula non sunt ponenda sine fundamento & necessitate. Rursus, in lege veteri, & in lege naturæ per circuncisionem & sacrificia iustificabantur paruuli absque vsu rationis, similiter innocentes Martyres, &c. ergo. Item etiam: Quia si paruuli iustificantur vsu rationis, & præparatione ad gratiam: ergo liberè: ergo fieri posset & contingeret, aliquem baptizari eorū: & non iustificari. Certè, quando subiectum neque habet iudicium, neque rationis vsum; tunc non est capax talis dispositionis. Quocirca, hæc dispositio requiritur moraliter, & non in genere naturæ; omnis autem ratio moralis cessat in huiusmodi subiecto de quo loquimur. Hanc eandem essertionem tenet D. August. epist.23. ad Bonifac. &.27.&.57. ad Dardanum, &.1. de Peccatorum meritis c.20.&.35. & lib.3. de libero arbitr. cap.23.&.26.&.21. de Ciuitate cap.16.&. lib.22. cap.14. de fide ad Petrum cap.30. Sermo.10. de Verbis Apostoli, & lib.3. confession. cap.2.&.3. Idem docet D. Bernardus epist.77.& sermo.66.&.68. super Cantica: Et idem supponit Concil Trident. sessio.6. canone.13.&.14. Legendus est Pater Vega lib.7.cap.29. Soto.2. de nat.& gratia. cap.10. Et quod dictum est de pueris vt ait S. Thom. 1.2.q.113.art.3. ad.1. sentiendum est de adultis, qui nunquam habuerunt vsum rationis, scilicet, de amētibus, & eo loci, cùm dixerit Sanctus Præceptor quòd pueri non sunt capaces motus liberi arbitrij, subiungit; Et ideò mouentur à Deo ad iustitiam per

solam

*D. August. Bernad. Vega. Soto.*



solam informationem animæ ipsorum. Illud vero Matth. vltimo, Qui vero non crediderit condemnabitur, primò quidem intelligitur de adultis, vt explicat cap. Maiores. de baptismo & eius effectu. Vel paruuli dicuntur credere per fidem habitualem, seu credere, id est, profiteri religionem Christi in baptismo, non proprio consensu actuali, sed Ecclesiæ. Ita D. August. lib.1. de Peccator. meritis cap.25.&.26. quo loco ait, etiam quòd dicuntur credere habitu, nō actu. ¶Stat ergo firma sententia, quòd iustificantur paruuli, sine propria dispositione, & ita docet S. Thom. de verit. q.28.art.3. & in.4. d.6.q.1.art.1. quæstiunc.2. quibus locis dicit, quòd quia dispositio quæ ad gratiam pertinet, est actus liberi arbitrij, in illis qui non sunt capaces, non exigit illam præparationem Deus. Hinc colligit D. Antonin.4.p. titulo.9.cap.4.§.2. quòd secundum legem ordinariam, omnibus paruulis datur æqualis gratia, quia est æqualis dispositio in passo, & vis in agente. Sic exponit Cyprianum de consecrat, d.4. dicentem, gratiam dari æqualiter omnibus, si non sint inæqualiter dispositi. Addit tamen D. Antonin. quòd ex priuilegio maior gratia data est in baptismo quibusdam sanctorum, scilicet, Beato Nicolao, & alijs similibus, qui mirifica gesserunt opera in pueritia, hoc tamen nō est certum, neque verum, aut quòd hæc excellentia operum processerit ex ampliori gratia baptismali. Est tamen persuasione dignum, quòd paruulis datur copiosior gratia per baptismum, quàm per alia media legis naturæ & scriptæ, quæ erant maioris nobilitatis. Rupertus abbas libr.7. de diuinis officijs cap.1. voluit excipere martyrium; in quo putat copiosiorem gratiam dari, quam in baptismo paruulis. Sed non vacat modo disputare de hac re, alibi dicetur commodiùs.

*S.Thom. Antoninus. Rupertus. Abbas.*

*Conclus.4.*

Quarta conclusio Martyribus Innocentibus ab Herode occisis pro Christo, licèt data fuerit gratia; non tamen per propriam dispositionem & vsum liberi arbitrij. Hæc est contra antiquos quosdam viros, quos refert Vega loco citato, qui crediderunt, vsum rationis anticipatum fuisse in paruulis innocentibus pro Christo occisis, & consequenter accepisse gratiā per propriā præparationem & liberi arbitrij vsum. Cuius oppositum decernit Euseb. Emisen. homil.4. Epiphaniæ D. Bernard. sermo.1. in natali Sanctorum Innocentium, Vbi ait, sicut cæteris infantibus olim quidem circuncisio; nunc vero baptismus sine vllo propriæ voluntatis vsu sufficit ad salutem, sic pro Christo susceptum martyrium, istis profuit ad sanctitatem. Idem docuit S. Thom.2.2.q.124.art.1.ad.1. Nam non est constituendum miraculum sine necessitate, neque est testimoniū aliquod Scripturæ, in quo fundetur citata sententia. Sed de D. Ioanne Baptista; Nū fuerit per propriā dispositionem & præparationē sanctificatus in vtero, sub dubio relinquit D. Aug.2. de cōsensu euangelist.c.15. & lib.3. de mirabilib. scripturæ, & oratione cōtra Iudæos, & epist.57. ad Dardan. q.2. Sub dubio inquam relinquit, Vtrum in vtero habuerit fidem & vsum rationis, &, An illa exultatio fuerit solum in parte sensitiua? & vtrumq; ponit vt probabile. Et S.Tho.3.p.q.27.art.6.& Caiet. ibi, D. Bonauent. in.4. d.6. de illo & de Ieremia, hoc relinquunt indecisum, licèt ipse Sanctissimus Præceptor.3.p.q.27.art.3, in corpore, neget virgini vsum rationis in vtero, & vsum liberi arbitrij; Quia docet, hoc fuisse speciale priuilegium Christi. ¶Siluester tamen in Rosa aurea, sermo.3. post.3. Dominicam Aduentus, dicit; Ioannem habuisse vsum rationis in vtero, & citat authorem quendam Græcum. Et tanquam rem indubitatam hoc docet Iustinus.q.13. ad orthodoxos. Cyril.2. in Ioannem, cap.2. Chryst. homil.27. in cap.11. Matth. Hieronym. ad Algasiam. q.1. Ambros. lib.2. in Lucā. Beda, Maximus, Glosa ordin. Lyran. & Caiet. Lucæ.1. Origen. homil.9.10.&.11. in Lucam. Nicephorus.1. Historię, cap.8. Conc. Basiliens. sessio.43. D. Bernard. sermo. de D. Ioanne Baptista. Ioannes Theodor. Antipater, & Chrysost. apud Laurentium Surium, in festiuitate Ioan. Baptistæ. D. Ansel. & alij quos sequitur Canisius.1. de Ioan. Baptista cap.1. S. Tho. lectio.14. in Ioan.& recentiores.3.p.q.27.art.6. Et videtur colligi ex illo, quod Ecclesia canit de Ioanne Baptista. Ventris abstruso recubans cubili, Senseras regem, thalamo manētem, &c. Et præterea: Quia exultare in gaudio propriè pertinet ad partem intellectiuam. Et licet Caietan.3.p.q.27.art.3.& Lucæ.1. sentiat, non durasse Ioanni vsum rationis in vtero, sed statim ablatum illi fuisse vsque ad ætatem adultam; tamen plerique 3.p.q.17. art.6. putant, perseuerasse in Ioanne. Ita Iāsen. in Concordia euangelica cap.5.& D. Ambros. de institut. virg. cap.7.& in id Lucę.1. Tu puer, Propheta altissimi vocaberis. Theophil. Lucæ.1. Origen. homil.9.10.&.11. in Lucam. Et huic consonat quod dicit Lucas, quòd, antequam ad desertum iret, scilicet, in infantia, crescebat & confortabatur spiritu. Et fauet illud ex Nicephoro desumptum, lib.1.cap.14. dicente, quòd ad duos annos cum dimidio perrexit in desertum. Vnde, videtur acceleratum fuisse ei vsum rationis permanenter. Nā certe sine pœnitentia sunt dona Dei, Rom.11. ergo non auferuntur ab aliquo sine eius culpa. ¶Ex his quæ superiùs dicta sunt, colligunt nōnulli Theologi, D. Ioannem sanctificatum fuisse in vtero per propriam dispositionem. Quia si vsus rationis fuit anticipatus in eo adhuc in vtero existens, cur si vtebatur libero arbitrio, alter sanctificabatur. Imò verò vsus ille videtur etiam datus vt per eum se ad gratiam disponeret sicut teste Origene, per illum pòstea in gratia proficiebat. Præsertim, quòd Ioannis sanctificatio fuit valde copiosa; vt colligitur ex illo Lucæ; Replebitur Spiritu sancto adhuc ex vtero. Imò verò, Rabanus tractatu de laudib. Ioannis miratur quòd Apostoli vsque ad diem Pentecostes, non dicuntur repleti Spiritu sancto; & tamen Ioannes in prima Sanctificatione, dicente Luca, replebatur Spiritu sancto: sed non decebat dare copiosam illam sanctitatem, præsertim cùm vsus rationis fuerit acceleratus in Ioanne sine vlla dispositione: ergo. Et licet S. Thom. loco citato dicat, Diuam Virginem non habuisse vsum rationis in vtero, quia hoc fuit priuilegium Christi; tamen plerique Theologi sunt, qui illud affirment, vt D. Bernard. epist.174. D. Ansel. Vigerius, cap.5.§.3. Imò verò, quòd priuilegia omnia cōcessa alijs Sanctis debeant concedi Beatæ Virgini, fatetur S. Thom.3.p.q.27.art.1.&.D. Bernard.& Ansel. locis citatis. Profectò, Sāctissima Virgo tam copiosam gratiam in prima sanctificatione accepit, vt excederet quemlibet Sanctorum

& anges

*Eusebius Emisen. Caietanus. D.Bonauē.*

*Siluester. Iustinus. Cyrillus. Chrysost. Ambrosius. Beda. Maximus. Glos.ordin. Lyran. Origenes. Nicephor. Bernard. Ioan. Theo. Antipater. D.Ansel. Caietan. Iansen. D.Ambros. Theophilat. Origenes. Nicephor. Roman.11. Lucæ.1. Rabanus. D.Bernar. D.Ansel. Vigerius.*

*D.Thom. D. Vincen.* & angelorum, secundum D.Thom.3.p.q.27.artic.5. & D. Vincent.sermo.de Natiuit. Virginis: sed non decuit tãtam gratiã cũ vsu liberi arbitrij dare sine dispositione. Potissime, cũ Adã ex dispositione gratiam acceperit. Et confirmari potest hoc: Quia perfectissimus modus sanctificationis debet concedi Mariæ: ergo per propriam dispositionem. ¶ Hæc omnia retuli fideliter: sed in his priuilegijs nihil definio modò propter verba D.Thom. dicentis de Beatissima Virgine, quòd non statim habuit vsum liberi arbitrij, adhuc in vtero matris existens. Quia hoc fuit speciale priuilegium Christi, licèt in vtero acceperit abundantiam gratiæ.

*Ad argum. Ad primum.* Ad argumenta. Ad primum respondetur, negando antecedens. Et ad testimonia Scripturæ respondetur, ex illis solum haberi, in homine esse pravam inclinationem ad malum, & quod sibi relictus, non potest facere aliquid meritorium vitæ æternæ: hoc tamen non tollit quin homo peccator possit agere aliqua bona opera, in quibus nulla sit culpa, præsertim ex auxilio & diuina motione, vt dictum est supra q.109.art.8.&9. *Ad confir.* Ad confirmationem respondetur, quòd Propheta in illis verbis, non loquitur de gratia collata hominibus, sed de pœnis & flagellis, quibus Deus punierat ciuitatem Hierusalẽm, & cõsulendo illi populo, dicit punitionem fuisse in duplo, quam meruerint peccata, & quòd ideo nõ sunt vltra puniendi. *Ad secundũ* ¶ Ad secundum respõdetur, negando sequelam: dicitur enim quòd motus liberi arbitrij non habet rationem meriti: sed dispositionis, & ideo non tollitur quin gratis iustificemur. *Ad confir.* Ad confirmationem seu secundam sequelam, respondetur, quòd iustificare importat efficientiam; dispositio autem nostra, non concurrit effectiuè ad gratiam & iustitiam producendam, sed materialiter tantum; Et licèt concurramus dispositiue ad iustificationem, non dicimur propriè iustificare nos. Hæc solutio, quibusdam non satisfacit Theologis. Quoniam qui producit vltimam dispositionem, licèt illa concurrat materialiter ad formam, attingit tamẽ effectiue vnionem formæ cum materia; Vt quia homo producit vltimam dispositionem ad animam, dicitur cõcurrere effectiuè ad vnionem animæ cum materia: ergo pariter dicetur homo concurrere effectiuè ad vnionem gratiæ cum anima. Sed respondetur, quòd dispositio ad gratiam non est dispositio ex natura sua in esse rei, & in genere naturæ, sed solum in genere moris, & ex diuina ordinatione: Et idcircò nõ est simile de dispositionibus naturalibus respectu animæ rationalis, quæ ex natura sua disponunt ad vnionem animæ cum corpore. De qua solutione in superioribus multa diximus. Sed sunt Theologi qui dicant, posse fortasse concedi in bono sensu, liberum arbitrium vt motum à Deo, concurrere efficienter per modum instrumenti ad productionem gratiæ, in quantum efficit dispositionem, ad quam sequitur gratia; & quòd sicut homo dicitur generare hominem, quia causat dispositionem in materia ad quam sequitur infusio animæ rationalis; ita potest dici quod se iustificat, Quod quidem insinuatur *Ezech.18.* ab Ezechiele Propheta cap.18.cùm inquit; Ipse animam suam viuificabit. Cæterum, absolutè & iuxta proprietatem sermonis, non debet concedi quòd nostri actus extra sacramentum attingant effectiuè gratiæ productionẽ; quoniã gratia est forma supernaturalis & diuina, & participatio diuinæ naturæ ab ipso soloDeo dependẽs, & beneplacito eius, & cõsequenter non sequitur necessariò ex vi alicuius actionis creatæ. Sed Contra: Quia etiam anima rationalis, ex solo beneplacito Dei dependet; & tamen homo attingit vnionem, quia sequitur à dispositione, quam attingit homo: ergo. Sed respondetur, quòd dependet à solo beneplacito Dei; quia cùm gratia sit participatio diuinæ naturæ, & educatur de potentia obedientiali animæ, solum respicit agens infinitum: & idcirco, actus nostri non attingunt effectiue vnionem, quia non sunt dispositiones ex natura rei, sed solum ex diuina ordinatione, vt dictũ est. Sunt etiam nonnulli qui dicant, concedi posse, liberum arbitrium attingere vnionem gratiæ; sed motum à Deo, & ideo instrumentaliter & in virtute Dei, sed non sicut homo attingit vnionem animæ; quia ille propria virtute causat vltimam dispositionem, & quia hoc quodest liberum arbitrium disponere ad gratiam, non est ex natura rei, sed totaliter ex diuina ordinatione; idcirco est valde dispar ratio vtrobique: sed hoc magna ex parte redit in idem. *Ad tertiũ* ¶ Ad tertium respondetur, quòd eadem Scriptura diuina, quæ aliquando videtur tribuere totum negotium iustificationis Deo, alijs in locis aliquando videtur totum tribuere homini, vt patet ex testimonijs adductis pro conclusione primã. Quia reuerà totum pendet à Deo, & totum pendet ab homine secundum diuersas rationes: sed longe præstantius & fere totaliter ab ipso Deo. Quia liberum arbitriũ quidquid agit, est quidem virtute motionis gratiæ Dei. *Ad cõfir.* Ad confirmationem dicendum, quòd similitudo illa, non est accipienda in toto rigore, sed solũ in hoc sensu, quòd sicut lutum sibi relictum non potest se ipsum formare secundum formam artificialem, ita neq; peccator sibi relictus, potest consequi formam gratiæ. ¶ Ad quartum respondetur, quòd *Ad quartũ* quando dispositio formæ ex natura sua & secundũ rem est dispositio in genere naturæ, illa quidem est necessaria ad introductionem, & conseruationem formæ; quando verò est dispositio in genere moris, & ex sola diuina ordinatione, id non requiritur; & in hoc genere continetur actus liberi arbitrij, qui est dipositio ad gratiã. Vnde, non est par ratio in naturalibus, & in dispositione liberi arbitrij ad gratiã. ¶ Ad quintũ respõdetur, q; si sit sermo de *Ad quintũ* volũtate quãtum ad effectũ gratiæ præuenientis & operantis, non se agit libere, sed concurrit vt instrumentum, non quidem mortuum, sed viuum, vti diximus q.111.art.2. & deinceps. Si verò sit sermo de voluntate quantum ad effectum gratiæ cooperantis, non se habet vt purum instrumentum. Quia instrumentum non se mouet, sed mouetur; voluntas verò in eo effectu & affectu mouet se consilio & deliberatione. Verum est tamen, quòd etiam in ordine ad hunc effectum se habet voluntas quodammodo vt instrumentum, quia non agit in virtute propria, sed in virtute extrinseci mouentis, nempe Dei. ¶ Ad *Ad sextum* sextum quod plures excitat tragœdias & contentiones, arbitror fuse satis & copiosè fuisse solutum supra q.111.&.1.p.q.14.art.13. disputat.2.&.3. & disputat.6.&.7.& q.19.art.8.disputat.1. & q.22.de diuina prouidentia, art.4. & q.23. de prædestinat.art.3. disputat.



disputat.7.&.8. Sed nunc respõdetur breuiter, quòd stante auxilio efficaci Dei ad conuertendum hominem, non potest non sequi conuersio, loquendo in sensu composito, & ex suppositione; simpliciter tamen & in sensu diuiso, homo potest non se conuertere, & hoc sufficit vt libere conuertatur. Sicut stante concursu actuali quo Deus efficaciter concurrit cum voluntate in ordine naturæ, non potest voluntas non velle in sensu composito; & tamen liberè vult, vt dicebamus q.109.art.1. An verò auxilium efficax Dei sit aliquid præcedens consensum & determinationem nostræ voluntatis, vel tantum se habeat concomitanter, dicemus infra. *Ad vltimũ* ¶ Ad vltimum argumentum respondetur ex doctrina D. Aug. super eundem locum, quod non solum dicitur trahi ille qui cogitur, sed etiam ille qui amore alicuius rei allicitur, iuxta illud elogium Poetæ, Trahit sua quemque voluptas. Deus autem dicitur trahere homines ad se inspirando morem, vel timorem suauiter, & non cogendo, aut violenter necessitando.

## Dubitatio appendix ad precedentia.

### *Vtrum Adam & angeli sint iustificati per propriam dispositionem.*

HÆc dubitatio appendix est ad præcedentem, sed fusius à me disputatur.2.tomo commentariorum.1.p.q.62.art.2.disp.vni.& art.3.disp.3. & id circo eò remitto lectorem, quia nũc paucis agẽdum est. Soto,1.de nat. & gratia cap.5. docet, Adam & angelos non recepisse gratiam per propriam dispositionem, sed veluti naturæ proprietatem. Et id probat in celebri testimonio August. Vbi loquens de angelis ait, quòd simul erat Deus condens naturam, & largiens gratiam, scilicet, quasi per modum naturæ. ¶ Et arguitur pro *Argum.1.* hac parte. Quia si primus homo gratiam accepit per propriam dispositionem, sequitur quòd similiter esset illam transfusurus in posteros per propriam dispositionem, ita vt Deus transfunderet gratiã in paruulos media dispositione liberi arbitrij; consequẽs autem est absurdũ, quia si non peccaret Adam, infantuli in gratia nascerentur, & sine liberi arbitrij vsu: ergo, &c. Probatur maior. Quia idem modus recipiendi gratiam videbatur concedendus posteris, qui concessus est Adamo: sed Adamo fuit data gratia per propriam dispositionem: ergo, &c. *Secundam.* ¶ Secũdò arguitur. Deus voluit Adam & angelos perfectos egredi à se, & quòd infallibiliter fierent perfecti secundum gratiam, & in supernaturalibus: ergo non reliquit arbitrio eorum, quòd gratiam reciperent. *Confirm.* Et confirmatur. Quoniam si per propriam dispositionem gratiã accepissent Adam & angeli; tunc pariter accepissent à Deo præceptum de præparando se ad gratiam, & tunc possent in illo primo instanti peccare, vel saltem non recepissent tunc gratiam, *Tertiam.* quæ omnia inuoluunt inconuenientia. ¶ Tertio arguitur. Nam si Angeli & Adamus debebant se disponere ad gratiam per proprium actum liberum sequitur quòd erat eis liberum se disponere ad talem vel talem gradum gratiæ: igitur non esset eis infallibile, quòd cuilibet illorum daretur gratia secundum proportionem naturalium. Imò verò, in tanta multitudine angelorum & hominum, aliquis deficeret à gradu sibi conueniente, & consequenter tolleretur ista proportio, quod est contra S.Thom.1.p.q.62.art.3. ¶ Quartò arguitur. Quoniam si in primo *Quartum.* instanti suæ creationis angeli, verbi gratia, se disposuerunt per proprium actum, valet consequentia. Ergo per conuersionem supernaturalem & meritoriam gloriæ: sed hoc est falsum, vt contendit Capreol.in.2.d.4.q.1.art.3.ad.1.contra.5. conclus. Nam S.Thom de malo.q.16.art.4.ad.14.15.&.22. argumentum &.1.p.q.63.art.6. ait. conuersionem angeli in primo instanti fuisse naturalem. Et confirmatur. Nã *Confirm.* si angeli omnes sunt conuersi ad Deum supernaturaliter in primo instanti suæ conditionis, sequitur quòd postea nunquam sunt auersi à Deo sine supernaturali, quod est planè falsum. Sequela patet: Quia liberum arbitrium angeli, est inflexibile post primã electionem, vt loco citato docet S.Thom. ¶ Durandus,in.2.d.5.q.2. dicit hanc sententiam de angelis esse probabilem & rationabilem propter præfatam confirmationem, à qua ille fuit conuictus.

His tamen nihil obstantibus, dicendum est, Adã & angelos per propriam dispositionem gratiam recepisse, Ita docet Alensis.2.p.q.96.Scot.& Bonauent. in.2.d.29.S.Tho.1. p.q.95.art.1.& ad.5. Altisiodorẽs. Hugo Victorinus.1. de sacramentis.p.7. Et ita affirmat Pater Medina in hoc art. Vndè, omnes qui docent, Adam & angelos non fuisse creatos in gratia, hac ratione permouentur inter alias, nẽpe, vt haberent tempus in quo per liberum arbitrium se ad gratiam præpararẽt. Quæ ratio, licet firma non sit: quia instantaneè potuerunt se disponere; tamen ex illa habetur quòd receperunt gratiam per propriam dispositionẽ, iuxta placitum istorum authorum. Ita tenet Caietan.1.p.loco citato. Et probatur: Quia Deus *Caietanus.* mouet vnũquemq, secundũ modũ suæ naturæ: sed Adam & angeli non se habebant sicut pueruli, sed erant sui compotes, & habebant vsum rationis & liberi arbitrij, & in eo gradu sunt conditi à Deo: igitur collata est illis gratia per dispositionem liberi arbitrij. Vnde, S.Thom.1.p.q.62.&.63.art.5. aperte dicit, quòd angeli in primo instanti potuerũt mereri, sed nõ peccare. Imò verò dicit solutione ad.4. quòd in primo instanti de facto omnes angeli meruerũt, hoc autem videtur effectum per vltimam dispositionem ad gratiam, & non per aliquẽm motum, qui consequeretur ipsam gratiam: sicut S.Thom.in hoc art. docet de vltima dispositione ad gratiam, quam dicit esse meritoriam gloriæ. Et quòd illud meritũ debuit esse per motum antecedentem gratiam, probatur: quia alias gloria angelorum & Adæ, non responderet operibus, sed soli gratiæ, quamuis augmẽtum gloriæ operibus responderet: consequens autẽ est falsum. Quoniam adulto non confertur gloria sine meritis, nisi quando per sacramentum accipit primam gratiam. De hac conclusione & materia hic non sunt maiora pertractanda, quia quæ hoc loco poterant adduci, sunt à me discussa in.2.tomo commentariorum ad.1.p.loco citato in materia de angelis.

*Alensis. Scotus. D.Bonauẽ. Altisiodor. Hugo Vict. Medina.*

Sed contra ea quæ hic diximus, & paulo antea dis- *Obiectio.1.*
putatione.

putatione.1.obijciunt nonnulli.Gratia est forma accidentalis:ergo nullam postulat dispositionem neque in paruulis, neque in adultis; ac proinde non debuit donari Primo Parenti, & Angelis secundũ dispositionem & præparationem liberi arbitrij eorum.Patet consequentia.Quoniam formæ accidentales, non omnes requirunt aliam dispositionem, imò verò ipsæ solent esse dispositiones subiecti. Et ex hoc argumento videtur infringi ratio D.Thom. in art.& quod non sit vniuersalis,cũ dicit, ꝙ nulla forma potest esse nisi in materia disposita,quod videtur intelligendum de sola forma substantiali.

*Obiectio.2.* ¶Secundo obijciunt.Gratia est immediate in essentia animæ tanquam in subiecto; at motus liberi arbitrij sunt in ipsa potentia : ergo non possunt esse dispositiones ad gratiam; ostendo consequentiam. Quoniam dispositio debet esse in eodem subiecto, in quo recipitur forma ad quam est dispositio. Ex quo liquet, nullam esse efficacem rationem, cur etiam in adultis requiratur etiam ista actualis dispositio.

*Capreolus. Pallude. Hispalens.* His argumentis Capreo. in.4. loco supra citato, Palude & Hispalens. & nonnulli ex antiquis Thomistis crediderunt, sic adeò vniuersaliter requiri hanc dispositionem etiam in paruulis, vt dicerent, characterem baptismalem esse dispositionem ad gratiam in infantibus; in sanctificatis autem in vtero esse quẽdam ornatum impressum à Deo, & similem ornatum ponunt per omnia sacramenta imprimentia characterẽ. Quæ sententia iure reijcitur ab omnibus Theologis. Primo; quia in omni casu in quo ponitur ab istis ornatus, ponitur gratis & sine fundamento.Secundo: quia gratia non indiget dispositione per modum habitus· Quoniam dispositio ad gratiam debet esse aliquid, quo placeamus Deo: & in humanis non recipitur aliquis ad amicitiam, nisi per actus,quibus placamus amicum offensum. Tertio,quia in lege naturæ,& in lege veteri nũquã fuit iste ornatus in paruulis:ergo neq; modo vbi magis viget efficacia sacramentorũ & Christi.¶Caiet. putat in hoc art. nũquam dari gratiã sine dispositione vel propria per proprium actum , vel per alienũ actum,& ob id dicit paruulis dari gratiam per meritum Christi tanquam per dispositionem alienam. Sed profecto,quamuis actiones Christi fuerint meritoriæ gratiæ paruulorum; tamen paruuli qui libero arbitrio carent, gratiam recipiunt absque actuali dispositione, quia habitualis gratia in eis, non eam postulat.Et quamuis actiones Christi sint meritoriæ illius gratiæ quæ donatur paruulis;tamẽ quia dispositio propriè loquendo debet esse in eodem mobili in quo recipienda est forma, incongrue dicuntur actiones alienæ, dispositiones formæ receptæ in alieno subiecto. ¶Quo circa respondere oportet ad præfatas obiectiones.

*Ad.1.obiectionem.* Ad primam obiectionem respondetur,quod gratia est forma supernaturalis & diuina,& dat primũ esse supernaturale,facitque filium Dei, participem & consortem diuinæ naturæ. Vndè, licet gratia sit forma accidentalis; tamen habet modum formæ substantialis in esse supernaturali, quod communicat,per quam regeneramur vt filij in Deo. *Ad secũdã.* ¶Ad secundam obiectionem,negatur consequentia: & est simile in physicis,vbi dispositiones immediate recipiuntur in quantitate,& mediante quantitate; forma vero substantialis, immediate in prima materia. Quocirca, sufficit quòd dispositio recipiatur in eodem subiecto, vel in aliqua parte & potentia ipsius subiecti.

*Ad argum. A.1.* Ad argumenta. Ad primum respondetur, quòd non est simile de Adam & de paruulis, qui ab ipso procederent. Quoniam ille creatus est adultus, & cum vsu liberi arbitrij, & ob id decuit vt per ipsum se disponeret ad gratiam: at paruuli, cum non haberent vsum rationis, neque illis deberetur in tali statu, nempe cum nascuntur, non debuerunt per propriam dispositionem habere gratiam. *Ad secũd.* ¶Ad secundum dicendum, quòd illa Dei voluntas nihil præiudicabat libertati eorum, prædefiniendo & præmouendo arbitrium eorum ad conuersionem supernaturalem in ipsum Deum, vt supra fuse disputatum est. Quocircà, stante diuina præmotione respectu conuersionis, infallibiliter erant conuertendi, & habituri dispositionem illam ad gratiam per actum liberum ex Deo. An verò tunc habuerint in illo primo instanti præceptum, vel potuerint habere de præparatione ad gratiam, vel an potuerint peccare in illo primo instanti saltem per omissionem; plerisque & fundamentis, & rationibus discussimus in.2.Tom. commen.ad.1.part.in materia de angelis. *Ad tertium.* ¶Ad tertium respondetur,negando consequentiam ,sed se disposuissent iuxta diuinam præmotionem & conatum supernaturalem. Alij respondent negando consequentiam. Quia natura angeli est vt quidquid velit, velit summo conatu , & secundum vltimum potentiæ. Nam eadem ratione peccauerunt liberè secundum proportionem naturalium. *Ad quartũ.* ¶Ad quartum respondetur, concedendo sequelam, & negando minorem. Vndè, testimonia D. Thomæ adducta ex disputatis,non concludunt: Quia ea iuuenis docuit,& aliter multoque meliùs sensit.1.part. Alij respondent, quod cùm posuit solum actum naturalem in primo instanti, conuersionem supernaturalem vocauit naturalem; quia erat necessaria quo ad specificationem secundum Sanctum Thomam. Quia si in illo instanti angelus erat operaturus circa obiectum supernaturale, necessario erat conuertendus ad illum, & non auertendus ab illo. *Ad confir.* ¶Ad confirmationem Durandus in. 2.distin. 4. quæstione.1. putat, non esse certum quòd arbitrium angeli sit inflexibile. Sentiendũ tamen est cum S.Thoma, & cum Caietano eius interprete.1.part.quæst. 62.&.quæstione. 63.articulo. 5. quod sane tantum est verum, quando plena deliberatione aliquid eligit: hoc est quando angelus contemplatur omnia motiua in vtramque partem adducibilia:tunc enim electio angeli plenè deliberata, est inflexibilis: Cæterum hoc non habuerunt angeli in primo instanti. Et rursus tunc Deus creauit angelum cum contemplatione rationum inducentium eam ad amorem Dei, & non ad superbiendum contra Deum. Et hæc hoc loco sufficiant de hac difficultate.

DIS-



# DISPVTATIO II.

*Vtrùm supposito auxilio gratiæ præuenientis vel operantis, quod dicitur auxilium sufficiens, possit homo solis naturæ viribus, sine vlteriori auxilio, se disponere ad gratiam, per consensum liberi arbitrij?*

HÆc disputatio celebris est & sinuosa satis, habetque contradictores plures: sed luculenter & fuse à nobis est tacta & discussa.1.p.in materia de diuina prædestinat. q.23. art. 3.disputat.7. cuius titulus est, An sit constituendum auxilium efficax præter sufficiens, vt homo actualiter conuertatur?&c.In qua disputatione,nouissime ex postrema eiusdẽ primæ partis recognitione addidimus quartam aliam conclusionem,& alia noue inserta eidem disputationi.¶Similiter eodem citato loco.1.p. addita est noua disputatio.8.cuius titulus est, Vtrum Deus præmoueat voluntatem,seu prædeterminet solùm moraliter, proponendo obiectum , & rationes eius, quibus liberum arbitrium excitari potest; vel præmoueat in genere causæ physicæ seu efficientis? Et quoniam quæ ibi diximus in secunda nostri operis recognitione erant hic transcribenda;idcirco decuit remittere lectorem in eum locum,ne volumen hoc crescat plus iusto,& ne eadem bis & sæpius repetamus.¶Rursus etiam de hac eadem disputatione & controuersia, nõnulla diximus supra.q.110.&.q.111.quæ non parum lucem allatura sunt ad definitionem huius disputationis;& hæc omnia sunt videnda suis locis

# DISPVTATIO III.

*Quæ dispositio requiratur ad infusionem gratiæ?*

DE hac quæstione & controuersia, legenda sunt in primis ea, quæ scripsimus supra quęst.109.artic.6. Vbi decreuimus, neminem ex naturæ viribus disponi ad gratiam propriè & verè;ac proinde, dispositionem ad gratiam tam proximam quam remotam, esse supernaturalem. Quocirca, sit omnis dispositio ad gratiam à potentia vitali eleuata per auxilium Dei supernaturale,cuius autem potentiæ actus requiratur, est controuersia propter hæreticos Lutheranos, qui non fidem quæ se tenet ex parte intellectus, sed solum fiduciam, quæ ad voluntatem pertinet, requiri existimabat. Nam putant, ex parte intellectus tantum esse necessarium actum quo credat homo in ipso adimpleri promissiones Dei. Et probant. Quia hanc tantum fidem credunt petijsse Christum ab eis quibus remittebat peccata, vt constat ex illo Matth.9. vbi Christus dixit,Confide fili,remittuntur tibi peccata. *Matth.9.*

*Conclus.1.* Pro explicatione catholicæ veritatis, est prima propositio. Dispositio ad gratiam , necessario includit actum fidei supernaturalis. Hæc est de fide, vt habetur ex Paulo ad Hebræ.11. Sine fide impossibile est placere Deo: Et loquitur Paulus de fide quæ consistit in actu intellectus, quia statim addidit,illam consistere in credendo,& idcirco enumerat Patres antiquos, qui varia crediderunt per eam fidem.Et profecto, conclusio hæc habetur in conc. Trid.sessio.6.cap.6.in decreto de iustificatione. Rursus persuadetur; Quoniam hæc fides ab spe distinguitur.1.Corinth.12.at vero illa fiducia non distinguitur ab spe. Præterea;Hæc fides,est fundamẽtum iustitiæ nostræ, vt dicemus paulo post, de qua D. Aug.lib.de prędestinat.Sanctor.cap.17.inquit quòd fides primum datur vt per eam cætera fundentur; illa autem fiducia, non est fundamentum, sed ipsa fundatur in fide, vt patet ad Ephes.3. ex verbis Pauli dicentis;In quo habemus fiduciam per fidem: & 2.ad Timo. 3. Multam fiduciam habentes in fide. Quibus locis Hieronymus aduertit, fiduciæ ad Deum,principium & originem esse credere.Ratione etiam probatur conclusio.Quoniam intellectus est prima potentia animæ: igitur illa est quæ primo debet tendere in Deum actu supernaturali,vt possit deinceps voluntas circa idem obiectum versari & tendere in negotio dispositionis ad gratiam. *Hebræ.11. Corinth.12. D. August. Ephes.3. 2. Timo.3.*

Secunda propositio. Fides quæ necessaria est ad iustificationem, consistit in credendis rebus fidei, & non in credẽdo esse iustum, vel in me fieri adimpletionem promissionum; Ita definitur in concil. Trid. loco citato, & constat ex diuina Scriptura, quæ à nobis petit fidem Christi & Dei,& non hanc fiduciam, quam Lutherani dicunt, vt patet Ioan. 6.11.14.&.20.& Actor.8. Vbi Eunucho petenti baptismum dixit Philippus; Si credis ex toto corde tuo, licet; & respondens ait, Credo filium Dei esse Iesum Christum. Et id ipsum patet ex vniuersa Apostolorum prædicatione & ex Paulo ad Romanos.4.&.10.&.1. Corinth.15. Vbi semper exigitur fides Dei, non illa fiducia de propria iustitia, qua credit aliquis in ipso adimpleri promissiones Dei,quam quidem non solùm nõ esse necessariam, sed neque debere haberi, probant illa loca Scripturæ.De qua re legendus est Hiero. Daniel.4. Ioan.3. & Ioan.2.&.D.August.Psal.50.& lib.de fide & Symbolo, & libr. de Spiritu & litera capitul.29. Et Leo Papa,sermo.4.de Epiphania Domini.Rursus probatur. Quia illa fides, quam Lutherani expostulant, est impossibilis, præsertim in initio iustificationis, quia non est de re à Deo reuelata; & licèt esset possibilis; non est tamen possibile illam esse principium iustitiæ. Nam fides necessaria ad iustitiam, præcedit ipsam iustitiam; illa autem fides supponit illam: ergo, &c.¶Vndè, ad id quod obijciunt hæretici, Christum solùm exigere hanc fiduciam, Matth. 9. Confide fili, remittuntur tibi peccata. &c. Respondetur; quod Christus verè petebat & exigebat ab hominibus fidem suæ diuinitatis, & potestatis quæ fundare posset spem & fiduciam in ipsum,quæ rectè explicatur verbis illis leprosi Marci.20.cap.dicentis, Domine si vis potes me mũdare. Quare, Christus Matth.9. dicit, Creditis quia hoc possum facere vobis? Ex ista autem fide non sequitur vt quis certò credat se fore iustum, sed tantum vt speret & credat,remedia Christi esse sufficientia, si ipse non ponat impedimentum aut obicem.Res- *Conclus.2. Ioan.6.11. & .20. Actor. 8.*

pon de-

pondetur secundo, Christum Dominum potuisse quidem obligare eos homines, quibus ille dicebat sua peccata remissa esse illis; ad credēdum in quam verè tunc esse illis remissa, aut vere tunc iustos esse. Quia vox illa Christi, erat reuelatio Dei: Non est tamen par ratio de voce Sacerdotis, vel de alijs. &c.

*Conclus. 3.* Tertia propositio. Sola fides non sufficit ad hanc dispositionem gratiæ & iustificationis. Hęc patet ex Concil. Trident. & etiam ex diuina Scriptura, in qua ab eis, qui iam credunt, exigitur & petitur *Oseæ vltim.* alia dispositio, vt patet ex illo Oseæ prophetæ cap. vltimo: Conuertere Israel ad Dominum Deum *Amos. 4.* tuum, quoniam corruisti in iniquitate tua. Et Amos. 4. Præparare in occursum Dei tui. Probatur etiam ex plerisque alijs locis sacræ Scripturæ, in quibus sermo est ad populum iam credentem. Legendus est August. de fide & operibus capit. 14. & Eusebius. 12. de præparatione cap. 1. Ratio autem propositæ assertionis hæc est. Quia cùm homo resurgit à peccato, non tantum sanatur in intellectu, sed maximè in voluntate. Nam cum resurgit à peccato, remittitur peccatum quod voluntate fuerat commissum, & recipitur ad amicitiam Dei: quæ sane postulat natura sua, vt sit voluntaria ex vtraque parte. ¶ Fidei verò tribuitur iustificatio, vt dicit Concil. Trident. sessio. 6. citata, tanquam fundamento salutis, & quia viam ostendit; De qua re legendus est Clemens Alexandrinus lib. 2. Stromatum propè medium, & Gregor. Nisenus, homil. 2. de Symbolo. Cyrillus catechesi. 9. Diuus August. libr. 83. qq. q. 76. Potest etiam esse interpretatio, vt intelligatur de fide viua, iuxta August. de fide & operibus capit. 14. & de Spiritu & litera capit. 32. Quo loco etiam capit. 11. interpretatur illud, Iustus ex fide viuit. Idem dicunt Diuus Bernard. epistol. 4. & Diuus. Gregor. 4. moral. capit. 14. & Chrysost. homil. 11. ad populum Antiochenum.

*Conclus. 4.* Quarta propositio. Ad iustificationem & gratiam requiritur in voluntate motus spei Christianæ; In quo sensu est necessaria fiducia, vt patet ex loco Matthæi. 9. citato, Confide fili, remittuntur tibi peccata: Et. 1. Ioan. 3. Qui habet hanc spem, sanctificat se, & psal. 62. Liberauit eos quia sperauerunt in eum. Idem habetur psal. 90. Prouerb. 18. Eccles. vlt. Quam veritatem optimè Ambros. docuit. 1. de pœnitentia capit. 1. affirmans, quòd nemo rectè pœnitentiam agit, nisi is qui sperat à Domino indulgentiam. Idem Augustin. de Catechizandis rudibus capit. 4. & sermo. 22. de Verbis Apostoli, qui sic ait; Domus Dei credendo fundatur, sperando erigitur. Ratio autem propositæ assertionis hæc esse potest. Quoniam nullus potest conuenienter dolere de peccatis, nisi speret se veniam consequuturum, & speret media ad eandem veniam & iustificationem assequendam à Christo instituta, secundum se efficacia esse. ¶ Posset tamen hoc loco quis interrogare, Vtrum requiratur semper iste actus spei formaliter, an sufficiat virtualiter? Vega. 6. in Trident. cap. 2. dicit, sufficere virtualiter. Sed Pater Soto lib. 2. de natura & gratia capit. 12 insinuat, actum formalem spei esse requisitum in actu conuersionis & dispositionis ad gratiam. Quocirca, Theologi dicunt, eum qui nunquam habuit actum spei, neque habitum infusum, non posse peruenire ad iustitiam, nisi prius habeat formalem actum spei. Quoniam istæ tres virtutes, æquè dicuntur remedia necessaria ad iustitiam in Scriptura & Concilijs: ergo sicut absq; actu fidei nemo iustificari potest, ita etiam neque sine actu spei. Et hoc est ita catholicè sentiendum: Cuius rei congruentia hæc esse potest. Quia nemo propriè dicitur sperare, aut potest propriè sperare etiam virtualiter, nisi habuerit actum spei aliquem formalem. Videnda sunt de hac re alia multa, quæ Sanct. Thom. scripsit. 1. 2. quæst. 62. artic. 4. Vnde subijciunt Theologi, quòd ille qui iam habet spem, & eam est assequutus ad sperandum, non videtur indigere necessario actu formali spei, & similiter dicunt, quòd qui iam habet spem & assequutus est gratiam & iustitiam, similiter ad sperandum non videtur necessario indigere actu formali spei, cùm iam habeat eam partem iustitiæ, quæ per se per actum spei potest obtineri. Sed quis actus spei requiratur ad iustificationem, dicemus infra quæstione 113. in materia de iustificatione. Quo autem pacto homo obligetur ad sperandum, & quando, & in quibus actibus, id pertinet ad materiam spei.

Quinta propositio. Præter actum fidei & spei, *Conclus. 5.* necessaria est ea conuersio in Deum, per quam homo tendat in ipsum super omnia dilectum, & auertat voluntatem suam ab omni mortali peccato. Quæ omnia includūtur in conuersione in Deum super omnia dilectum. Hæc assertio colligitur ex Trident. sessio. 6. supra citata capit. 6. Vbi præter fidem & spem dicit requiri quinque actus ad istam præparationem gratiæ & iustificationis, nempe timorem, amorem Dei super omnia, dolorem de peccatis, propositum seruandi præcepta, & propositum suscipiendi sacramentum. Quia omnes isti colliguntur ex Scriptura, vt patet in materia de pœnitentia. De qua re legendus est August. lib. de fide & operib. cap. 10. & lib. de vera & falsa pœnitentia cap. 8. Cyprian. in sermo. de lapsis. Veruntamen, non sunt isti actus eodem modo necessarij: timor enim seruilis, de quo ibi est sermo, non est per se requisitus, sed est dispositio remota ad paulatim introducendum vltimum. Quapropter. Trid. Conc. non tantum describit vltimam dispositionem simpliciter necessariam, sed etiam regularem & communem viam, quæ communiter incipit à timore. Quocirca, D. Aug. de Catechizandis rudibus, cap. 5. rarissimè aut fere nunquam dicit, aliquem conuerti, nisi diuino timore correptum. Et vt hoc insinuaret Sancta Synodus Trid. dixit, homines vtiliter conuerti hoc timore. Postea verò enumerans actus simpliciter necessarios ad iustitiam, ponit fidem, spem, & charitatem, & pœnitentiam cum proposito suscipiendi sacramentum. ¶ Communis tamen sententia dixit, satis esse implicitum hunc timorem. De alijs verò tribus actibus per se loquendo dicendum est, esse formaliter necessarios, cùm Scriptura & Concilia dicant, & ponāt illos vt necessarios simpliciter: Et sumitur ex Sanctissimo Præceptore congruentia in præsenti. Nam cùm homo peccando, se auertat à vero fine vltimo, & se conuertat ad falsum, oportet vt cùm iustificatur, proprio etiam actu se auertat à creatura, vt recipiatur in Dei amicitiam, & vt recipiatur in amicitiam Dei, oportet vt eum ipse homo amet; & cum rursus remittatur illi summa iniuria, oportet vt qui satisfacere non potest, saltem quòd est in se faciat, habendo dolorem de iniuria facta, & voluntatem satisfaciendi. Hæc dicta sint de dispositione ad gratiam quasi in genere & in communi.



## DISPVTATIO. IIII.

*Vtrùm cum æquali auxilio præueniente, aliquādo sequatur vltima dispositio ad gratiam, conuersionem, & iustificationem; aliquando vero non?*

HÆc disputatio longissime differitur à nobis. 1. p. q. 23. art. 3. disputat. 8. & 9. Vbi quæritur, vtrū cū æquali auxilio vnus cōuertatur alius nō cōuertatur? Et nouissimè in additionibus nouæ recognitionis recenter multa diximus huic instituto accōmodata. ¶ Rursus contra nouos Theologos iterū de hac disputatione sermonē feci supra. q. 111. ar. 3. disput. 3 præsertim cōclusi. 2. & 3. & de inceps, vbi examinantur quorundam rationes. Præterea lege in eadem q. 111. art. 3, disput. 1. & potissime lege conclus. 4. & sextam, & aduerte quę ibi diximus de diuisione gratiæ. Imo vero quatuor disputationes integræ in illo art. contentæ, sufficienter explicant hanc materiam. ¶ Quo loco aperte dixi, quòd si sermo sit de auxilijs qualia sunt admonere, pulsare, inspirare, excitare, quæ præueniētia auxilia etiam dicuntur, de his fieri potest quòd maiora auxilia tribuantur ei, qui minus promouetur, & non conuertitur, & hæc sæpe non solum natura, sed tempore antecedunt conuersionem, & sunt influxus in arbitrium ipsum, quibus allicitur, inuitatur, pulsatur, & excitatur ad conuersionem, & appellantur auxilia gratiæ præueniētis. Et profectò; si loquamur præcisè de his, quatenus sunt gratiæ præuenientis auxilia, fieri potest vt peccator qui pulsatur, inuitatur, & allicitur, consentiat & conuertatur; simul tamen concurrente cooperante auxilio per influxum distinctum, & tunc ratione noui influxus, & illius nouæ supernaturalitatis, erit auxilium illud gratiæ cooperantis; Et fieri potest vt etiam si pulsetur, & inuitetur, & excitetur, non consentiat, sed dissentiat & resistat Deo pulsanti, & excitanti. In quo casu fieri potest vt cum æquali, eiusdem gratiæ præuenientis auxilio, quis non conuertatur, alter vero conuertatur: Hac tamē adiecta determinatione quòd quāuis sit æquale auxilium pulsans aut inuitans; tamē in eo qui conuertitur in quo sortitur effectum conuersionis, simul cooperatur distinctus influxus, ita vt ex nouo influxu sortiatur auxilium illud rationem gratiæ cooperantis. Et ob id, si benè memini, dixi quòd in sequētibus eandem vocationem, eiusdem vocationis est aliquis modus, vel aliqua ablatio impedimenti, vel aliquis influxus, quòd non est in eo, qui non sequitur vocationē eiusdē generis, quatenus est præueniens præcisè; excludēdo distinctum illud & nouū influxū, à quo potest habere rationē auxilij gratiæ cooperantis. ¶ Hæc quæ diximus certa sunt, & habētur in Concil. Tridentin. sess. 6. cap. 5. & cano. 4. Quapropter, præfatū auxiliū cum sortitur rationē auxilij gratiæ cooperantis, homine se conuertente & consentiente, iam habet distinctū influxū, & dicitur efficax: Quia habet rationē gratiæ cooperantis, & sic ex illo sequitur cōuersio. Si vero nō sequatur conuersio, neque habeat influxū illū, inefficax dicitur respectu conuersionis. *Conc. Trid.*

Diximus præterea, quòd si sermo sit de auxilio efficaci præmouente, & de auxilio concomitāte, quo Deus concurrit ad conuersionē supernaturalem, eo posito, non stat hominē non conuerti, & quòd quāto maius est tale auxiliū, tanto maior est conuersio. Vnde, in sensu composito fieri nō potest vt adsit influxus ille gratiæ cooperantis, quatenus est auxiliū cooperans conuersionē, quin peccator per arbitriū suum conuertatur, licet in sensu diuiso, & simpliciter, in eo instanti in quo peccator conuertitur, sit in facultate sui arbitrij posse nō conuerti; quia potest dissentiri si vult. Quia licet Deus præmoueat prius ratione liberum arbitriū; tamen mouet semper suauiter efficaciter, scitque riimulas ipsius libertatis, & scit modū liberæ motionis & præmotionis. Et quānuis diuisio illa auxilij efficacis & inefficacis à posteriori sumatur ex euentu, & effectu; tamen efficacia auxilij semper refunditur in causā, & in influxū supernaturalem distinctum. Quam rem late sumus prosequuti locis omnibus supra citatis.

Diximus etiam, quòd si sit sermo de omnibus auxilijs, seu de integro auxilio gratiæ necessario ad cōuersionē peccatoris, quod cōplectitur præueniens, & cooperans, temerariū esse, imo erroneum dicere, quòd cum æquali auxilio isto, vnus conuertitur & alter nō conuertitur; repugnat enim adesse vtrūq; auxiliū præueniens, & cooperans, distinctūque illū influxū, quod paulo anteā diximus, & peccatorem nō conuerti, & oppositū dici non potest saltē fide. Nā præsente integro auxilio gratiæ ad conuersionē, sicut semper adest conuersio, ita sēper adest efficax.

Diximus etiam quarto, quòd si fiat sermo de auxilijs illis præueniētibus, qualia sunt bonæ cogitationes beneficiorū Dei, & iudicij diuini, & propriæ infirmitatis, aut peccatorū nostrorū; tūc positis his auxilijs, fieri potest vt adhuc non cōuertatur homo; & fieri potest vt aliquando cōuertatur feruide, & aliquādo tepide; si tamē addas influxū illū distinctū sortientē ea rationē auxilij gratiæ cooperātis. Quocirca, tota inæqualitas conuersionis, non reducitur in auxilia gratiæ præuenientis præcisè sumpta, sed in auxilia gratiæ, quæ per distinctū influxū sortiuntur rationē auxilij gratiæ cooperantis, & gratiæ efficacis ad conuersionē. ¶ Quod vero liberū sit illi cōuerti, aut non conuerti, liquet ex Conc. Trid. sessio. 6. cano. 4. definiente, quòd liberū arbitriū potest gratiæ excitanti & vocāti assentiri, vel dissentiri si velit, & ex. c. 5. dicente, quòd liberū arbitrium potest abijcere inspirationem Dei, & ex D. Bernardo de gratia, & libero arbitrio circa principium docente, voluntatem posse resistere, vel consentiri inspirationibus Dei pro suo arbitrio. Imo vero D. Ambros. lib. de vocatione gentium ait, quòd quidam Saluatoris gratiam & vocationem, qua conuerti possunt, repellunt & negligunt. & D. Prosper. 2. de Vocatione gentium cap. 26. inquit: Gratia qui- *D. Bernar.* *D. Ambros.* *D. prosper. 2.*

dem Dei,in omnibus iustificationibus principaliter præeminet suadendo exhortationibus, monendo exemplis,terrendo periculis,incitando miraculis,dando intellectum,inspirando consilium, corque ipsum illuminando, & fidei affectionibus imbuendo;sed & voluntas hominis subiungitur ei atque coniungitur, quæ prædictis est excitata præsidijs,vt diuino in se cooperetur opere, & incipiat exercere quod de superno semine concipit. Tandem dicit,quòd à multis refutatur, ipsorum est nequitia,quod autem à multis suscipitur, & gratiæ di

*D. Augusti.* uinæ,& voluntatis humanæ est. Vnde Augusti. lib. 83.qq.q.68.dixit,neminem ad Deum venire,nisi vocatum exterius vel interius;& ideo aduentum ipsorum esse ab ipso Deo. Et subiungit; Ad illam enim cœnam quam Dominus dicit in euangelio præparatam, nec omnes qui vocati sunt venire voluerunt, nec illi qui venerunt, venire possent nisi vocarentur. Itaque nec illi debent sibi tribuere quòd venerunt,quia vocati venerunt, nec illi qui noluerunt venire,id debent alteri tribuere, sed tantum sibi: quoniam vt venirent vocati, erat in libera voluntate.Ex quibus omnibus liquet,semper suppositā vocatione & inspiratione sufficiente ad conuersionem,esse in potestate hominis conuerti, & non conuerti: & idcirco in Scriptura reprehenduntur illi,qui cum sint sufficienter vocati,tamen resistentes vocationi,conuerti noluerunt, iuxta illud Pau-

*Rom.2.* li Rom.2. Benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit,tu autem secundum duritiam tuam & impœnitens cor thesaurizas tibi iram. Et actor. 7. Vos sem-

*Actorum.7* *Prouerb. 1.* per Spiritui Sancto restitistis. Et Prouerb.1.Vocaui

*Isaiæ.65.* & renuistis:Et Isaiæ.65. Expandi manus meas tota

*Lucæ.13.* die ad populum incredulum.Et Lucæ.13. Quoties volui congregare filios tuos sub alas,& noluisti.

Adducor etiam ad præfatam doctrinam ostendendam.Quia voluntas viatoris, non necessitatur ad exercitium,& solum necessitatur à Deo clare viso,& idcirco libere sequitur conuersio, aut non cōuersio, & liberè resistit, aut non resistit peccator. Vndè,cum resistit,illi imputatur ad culpam. Quarè Nabuchodonosor mitius à Deo punitus, ad minora flagella depositi suam amentiam; Pharao vero,nec maioribus flagellis diuulsus est à sua duri-

*Matth. 11.* tie;Bethsaidæ & Corozaim dixit Christus Matth.11 Si in Tyro & Sidone factæ fuissent virtutes,quæ factæ sunt in te,olim in cilicio & cinere pœnitentiā egissent.Profecto sunt pleraque loca Scripturæ, & Sanctorum,& D.Augusti. de Prædestinat. & gra.& lib.1.ad.Simplician.& D.Clement.1.epist.1. In quibus præfata veritas astruitur.

Ex his colligo,illa auxilia tempore antecedentia conuersionem & iustificationem, vt sunt exterior vocatio,prædicatio euangelij, miracula, pulsationes,& inspirationes internæ, & id genus alia, non æqualiter omnibus dari.Imo vero,maiora aliquando his qui illis abutuntur,vt maiora Pharaoni, quā Nabuchodonosori, & maiora Bethsaidæ & Corozaim,quam Tyro & Sidoni, & ad huiusmodi auxilia,non semper sequitur conuersio peccatoris.

Colligo etiam secundo, quòd etiam si pares extitissent hi peccatores in prioribus auxilijs,scilicet, in miraculis,inspirationibus,& pulsationibus; non tamen pares extiterunt in auxilijs secundi generis pertinentibus ad gratiam adiuuantem seu cooperātem,quæ fuerunt in Nabuchodonosor, & non in Pharaone;&his posterioribus caruit Pharao ob culpam suam, vt nos alibi fusius aperuimus.

Omnibus tamen animaduersis & pensatis, si loquutio fiat secundum proprietatem sermonis &formaliter,semper est dicendum,quòd cum æquali auxilio non stat vnum conuerti, & alterum non conuerti, & debet intelligi de æqualitate auxilij cum præcisione negatiua, quòd non sit vtrobique maius auxilium:tunc enim certum est quòd cum solo præueniente auxilio æquali,nullus conuertitur,nisi accedat distinctus influxus, nouaque efficacia, quæ sortiatur rationem auxilij gratiæ cooperantis. Si autem sermo sit de auxilio gratiæ cooperantis, seu efficaciter mouentis ad conuersionem; tunc cum æquali auxilio gratiæ cooperantis & concōmitantis, non stat vnum conuerti,& alterum non conuerti de facto;sed vterque conuerteretur: & idcirco dictum est,merito esse affirmandum, in sensu compositō ideri non posse,vt adsit influxus gratiæ cooperantis,seu quod idem est,auxilium cooperātis gratiæ, quatenus est cooperans conuersionem, quin peccator conuertatur,quamuis simpliciter sit liber,& rursus simpliciter & in sensu diuiso in eo instanti quo peccator conuertitur; habet potestatem arbitrij non se conuertendi,quia non aufertur ab eo libertas,imo liberum adhiber consensum & cooperationem conuersionis.Non enim stat, quòd quis habeat gratiam cooperantem,& auxilium gratiæ cooperantis,nouumque illum influxum efficacem gratiæ Dei,& quòd de facto non conuertatur, quamuis simul stet propositio de possibili,quòd possit non conuerti,quia liberè conuertitur.

Sed dicunt aduersarij,quòd causa cur potest tūc continere gratiam Dei,& non conuerti, & dissentire gratiæ Dei cooperanti,est; Quoniam licet gratia præueniens qua præueniens est, antecedat consensum nostri arbitrij,& cooperationē ipsius ad actus credendi,sperandi,& pœnitendi,quibus ad Deum conuertitur peccator;influxus tamen efficax& cooperatio eiusdem gratiæ Dei cum nostro arbitrio ad eosdem actus cum nostro arbitrio,à quo gratia prę ueniens fortitur rationem gratiæ cooperantis, non antecedit liberū nostrum consensum,& cooperationem ad nostram conuersionem.Sed profecto difficilis est hæc responsio & doctrina aduersariorū.Quia difficile est intelligere,quòd gratia præueniens fortiatur rationē gratiæ cooperantis à nostro arbitrio. Nam,vel gratia cooperās ex parte supernaturalitatis non includit distinctum aliquem influxum,aut efficaciā vllā respectu conuersionis vt sic,maiorem quā gratia præueniens,qua præcise præueniens est, quæ referatur in Deū,& non in ipsum arbitriū; vel includit maiorē illū influxū supernaturalem Dei,à quo sortitur rationē gratiæ & auxilij cooperātis.Si dicas primū,iam refundis cōuersionem in arbitriū nostrum,hoc est,in vim eius.Et non satisfacit dicere,quòd tunc dicitur gratia cooperās, quia tūc operatur liberū arbitrium:Quia certū est, de quo nunquam fuit dubitatum, quòd quando arbitrium nostrum operatur conuersionem, gratia qua concurrit,& est principium eiusdem conuersionis,est cooperans,simuloperans & coefficiens eandem cōuersionem

*Quid aduersarij dicunt & respondeant.*



uersionem:& hoc,non congrue dicitur esse dependentia à libero arbitrio.Quia potius liberum arbitrium subordinatum gratiæ Dei,pendet à gratia illa & ab auxilio,& nouo influxu, cum influxus ille sit influxus in arbitrium ipsum. Imo vero, cum liberum arbitrium ad supernaturalem conuersionē,debeat esse supernaturale, ratione gratiæ superadditæ,aut auxilij & influxus supernaturalis, ipsum peccatoris arbitrium, pendet à gratia Dei,cui subordinatur.Per hoc tamen non optimè infertur, quòd cum liberum arbitrium necesse sit vt concurrat,& vt libere concurrat sua cooperatione ad conuersionem illam in Deum, quòd ob id pendet à libero arbitrio, ita vt ab eo gratia præueniens fortiatur rationem gratiæ cooperantis. Quia licet hoc sit verum in sensu identico, non in sensu formali: quia hoc non est gratiam præuenientem fortiri rationē gratię cooperantis à libero arbitrio,sed quòd tunc dicatur gratia cooperans, quia simul operatur & coefficit eandem conuersionem cum ipso libero arbitrio,sed nihilominus gratia illa cooperans habet nouum influxum superadditum ad præuenientem,nouamque efficaciam;& ob id redditur cooperans,non quidem solum sumpta denominatione ex coniunctione ad arbitrium nostrū,quod simul conuersionem operatur, sed sumpta etiam denominatione à nouo influxu Dei, nouaque efficacia & supernaturalitate aliqua.An vero sit vna & eadem numero gratia præueniens & cooperans,quatenus habet re ipsa duos distinctos effectus;nempe,allicere, inuitare,pulsare liberum arbitrium,& vlterius per distinctum realiter influxum immediate cum eodē libero arbitrio conuersionem efficere, id quidem supra explicatum & definitū est q.111.art.1.2.3.&4.

Secundò etiam est difficile id,quod ijdē aduersarij dicunt,nempe,quod influxus ille,à quo gratia præueniens fortitur rationem gratiæ cooperantis, & efficacis respectu conuersionis, non antecedit conuersionem,aut liberum nostrum consensum & cooperationem ad conuersionem. Nam procul dubio nos ostendimus supra.q.111.illum influxum supernaturalē,esse quidē influxū in ipsum liberū arbitrium,& habere se antecedenter ad actum conuersionis.Nam prius Deus dicitur mouere ad actualem conuersionem,& tanquam causa prima independens,prius causalitate concurrit, ac proinde antecedenter se habet præmouendo:Et profecto,quando duo concurrunt ad aliquem actum,si sunt subordinata,vnum concurrit prius altero saltim natura, aut ratione.Cum ergo liberum arbitrium concurrat vt subordinatum Deo mouenti & influenti, sequitur quòd Deus prius causalitate concurrit; illa autem prioritas,cum sit prioritas causalitatis, antecedenter se habet ad actum exercitum conuersionis liberi arbitrij. De qua re fuse satis egimus hoc ipsum ostendentes supra.quæst.111.artic.3.disputa. 1.2.3.&.4.&.1.par.quæst.23.arti. 3.disputat.7.&.8.

Verum est tamen,quòd æquali existente auxilio præueniente in Petro & Paulo,fiet & sequetur aliquando vt vnus illorum conuertatur deinceps, alius vero non conuertatur,sed resistat: Cæterum tunc is,qui proficit & conuertitur,maius accipit de nuo auxilium, maioremque gratiam seu influxum Dei:& ita,quamuis dici possit,quòd existente æqua li auxilio præueniēte in duobus,in vno sequitur de inceps conuersio,& nō in altero,ob id quòd in vno illorum crescit influxus & auxilium, & consequenter sequitur cooperatio & conuersio ipsius; non tamen est verum quòd cum æquali auxilio præueniē te vnus conuertitur,& alter non: quia in rigore cū solo præueniente nemo conuertitur.

Aduersarij citati,in omne latus se vertunt, vt destruant & euertant propositionem illam à Theologis valde receptam;Nempe,quando ex duobus hominibus vnus conuertitur,& alter non, culpam esse eius qui non conuertitur, & ex eius peccato aut culpa prouenire quòd non habeat efficax auxilium conuersionis,aut quòd ei non concedatur influxus ille nouus,à quo gratia operans potest fortiri rationem gratiæ cooperantis.Et alij dicunt,culpam esse eius qui non conuertitur,ex eius voluntate & peccato proueniens,quòd ei non donetur vlterius auxilium efficax,& nouus ille influxus gratiæ cooperātis ad conuersionem,eo quòd non progrediatur vl terius vtendo auxilijs gratiæ acceptis. ¶ Contra hoc ergo aduersarij obijciunt. Illę progressus vlterior ad vsum gratiæ præuenientis, est bonus vsus liberi arbitrij ad iustificationem conducens; & ille vel potest esse fine prævio alio auxilio Dei efficaci ad talem actum liberum, & sine prævia motione; vel requiritur prævia illa motio.Si dicas, posse esse vsum illum gratiæ sine efficaci auxilio & prævia motione Dei,iam conceditur influxus liberi arbitrij ad actum bonum,conducentem ad iustificationem.Si vero dicas secundum,quòd non potest bonus ille vsus esse sine illo efficaci auxilio & sine prę uia motione;tunc non verificabitur propositio allata,nempe,eum qui prævenientis gratiæ accipit motus,& non conuertitur,quia ei non confertur auxilium efficax,eum inquam in culpa esse, quòd vlterius auxilium efficax non accipiat, quia non bene vtitur auxilijs gratiæ acceptis.

*Obijciunt aduersarij.*

Respondetur, eum nos appellare vt minimum benè vti auxilijs prævenientibus,qui eis non resistit.Nam si resistat,ob id in culpa est,quòd vlteriora & vberiora nō recipiat;Nā benè vtitur eis,si non resistēdo sinit se ducere.Nā si non peccat;neq;Deo parato ad danda vberiora auxilia resistit, recipiet ea;siquidem est paratus Deus ad illa conferendum, nisi per eū steterit.Si ergo is nō resistat,recipiet quidem vlteriora auxilia & vberiora.Vndè,non conceditur ille bonus vsus,vt positiua causa vltimo ad iustificationē disponens;sed solū dicimus,quòd si nō resistat per malū vsum,ex diuina misericordia recipiet maius & copiosius auxiliū; sicque fiet vt recipiat id quod maximè conducit ad iustificationē. Et profectò,nemo inficias ibit, si dixerimus necessariam esse non repugnantiam, vt vlterius auxilium recipiat,quo postea recepto, actualis conuersio in ipsum refunditur,quamuis concurrat liberum arbitrium cooperans & libere agens, iuxta illud

*Isaiæ.50.* Isaiæ. 50. Dominus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico, retrorsum non abij. Omitto modò,quòd prævenientis auxilium respectu sui effectus adæquati,& respectu eius ad quod mittitur, secludendo finem vltimum conuersionis, est effectiuum illius,quia respectu sui effectus, non redit vacuum ad Dominum.Vndè,si non interrumpat illud

*Dissolvitur contrariorū obiectio.*

lud peccator,resistendo,peccando,& male vtendo, recipiet maiora illa auxilia, de quibus est sermo. Sed de hac re multa diximus quæst.111.articulo.3. in quatuor disputationibus illius, Vbi huius argumenti materia,eiusque responsio amplius aperitur.

Post compositum opus hoc , perlegi recentes Theologos,qui putant,Deum solum prædeterminare moraliter liberum arbitrium ad omnem actum supernaturalem elicitum à voluntate libera;non tamen præcedere efficax auxilium supernaturale, quod physice præmoueat idem liberum arbitrium, cuius oppositum ostendimus supra. q. 111. art.3. & etiã in hac q.112.ar.2.disput.7.infra &.1.p.q.23.art.3. plerisque in locis.Vbi etiã ostẽdimus, longe diuersam esse rationem de operibus malis , ad quæ non prædeterminatur neque præmouetur à Deo , & de supernaturalibus actionibus , in quibus non valet homo ex suis viribus se reducere de actu primo ad secundum:& ita indiget auxilio præmouente physice iuxta conditionem & suauitatem,quam postulat voluntatis & hominis libertas. Cum ergo putẽt non esse constituendam physicam præmotionem, sed solum moralem,contendunt eam ostendere de mente Augustini lib.1.ad Simplician.q.2. Vbi luculenter suam mentem explicuit , vt ipse refert.lib.1. de prædestinat . Sanctorum:ait enim, quòd diuina vocatio ex eo est efficax in vno & non in alio, quoniam vocat Deus vnum,eo modo,quo ipse est dispositus,aptus & affectus, vt vocationem sequatur: alium verò vocat quidem , sed suam vocationem non accommodat ad dispositionem eius qui vocatur.Ex quo loco,& ex quibusdam alijs verbis,quæ ibi adducuntur à D.August.præsertim interpretando locum Matth.20. Multi sunt vocati pauci vero electi;colligunt aduersarij , non esse de mente Augustini constituere efficacem præmotionem physicam,sed solum prædeterminationem moralem.

*Autoris iudiciũ de sententia. D. August.*

¶ Cæterum,oppositum videtur mihi esse de mente August.quid quid isti dicant, vt ostendimus.1.p. q.23.art.3.disput.8.quo loco attulimus verba D.August.ex prefata.q.2.ad Simplician.Imo vero,mihi videtur D.August.id sensisse lib.2. de bono perseuer. cap.8.Ex duobus(inquit ille)ætate iam grãdęquis impijs,cur iste ita vocetur vt vocantem sequatur; ille autem non vocetur,aut non ita vocetur, vt vocantem sequatur; inscrutabilia sunt iudicia Dei. Si autem aduersariorum sententia vera esset , non esset cur diceret Augustinus , Inscrutabilia sunt iudicia Dei, sed responderet plane causam huius differentiæ esse,quòd non omnes qui vocantur, vno modo affecti sunt,& quòd diuina vocatio ex eo est efficax in vno & non in alio,quia Deus vocat vnum eo modo,quo ipse est dispositus,aptus, & affectus,vt vocationem sequatur;alium vero non ita vocat,quia vocationem non accommodat ad dispositionem eius, qui vocatur.Sed August.quæstionem hanc excitãs & mouens, id quærit . Cur ita vocetur vnus ex impijs vt sequatur vocantem,alius verò non ita vocetur?Idest,cur vni dederit ita efficacem vocationẽ; vt sequatur vocantem,alteri vero non dederit? Et huius diuersitatis & differentiæ rationem retulit in inscrutabilia Dei iudicia,& non in affectum & dispositionem eius,qui vocatur.¶ Quocirca, non ego reperio apud Diuum Augustinum , diuinam vocationem ex eo esse efficacé in vno & nõ in alio,quia Deus respiciat ad dispositionem, aptitudinem & affectum,quem in sua natura habet hic, & non alter: Reperio tamen in D.Augustino , Deum ita vocare efficaciter , aut non ita vocare efficaciter , vt hoc ex inscrutabili iudicio,eiusque liberalitate & voluntate sic disponente proueniat . Et pariter reperio apud Diuum Augustinum in huiusmodi vocatione Deum sic suauiter se gerere præmouendo&vocãdo, vt in his omnibus seruet modum & conditionem operandi liberi arbitrij , ne lædatur libertas hominis.Et ob id interdum expédit affectum eius qui vocatur.Nam qui totus est deditus peccatis, & qui inueterato malitiæ habitu semper agit, & obijcit impedimenta diuinæ gratiæ,maiori indiget recordatione,de quo certum est quòd indiget prẽmotione physica . Nam præmotio moralis non est maior quam ea,quæ à nobis explicata est fusè supra locis citatis;& potissime.1.p.q.23.art.3.disputat.8.

His prælibatis, dicunt nonnulli , ex duobus impijs eadem vocatione materialiter , vocatis ad pœnitentiam,alterum conuerti,alterum vero nõ item; ita vt is qui conuertitur nõ sustipiat maius auxiliũ præueniens materialiter,quam is qui non conuertitur.Dicitur tamen quòd est eadem vocatio materialiter, & idem auxilium præueniens materialiter: quia hæc formaliter debent esse distincta.Sed hanc formalem distinctionem dicunt aduersarij consistere in hoc,quòd vocatio sit proportionata,& accommodata,affectioni & ingenio & dispositioni naturali eius qui conuertitur;Iuxta id quod Matth.11.legimus,ex testimonio illo sæpius citato: Si in Tyro & Sidone fierent virtutes,quæ in te factæ sunt,idest in Corozain & Bethsaida , olim in cinere & cilicio pœnitentiam egissent.Et videtur mihi istorum authorum sententia ita explicata , referre salutem & cõuersionem,tractumque ad pœnitentiam in hoc, quòd Deus accommodat suam vocationem,affectioni,& ingenio,& dispositioni naturali eius, qui conuertitur & vocatur.

Quare sentiendum est,Deum præmouere efficaciter liberum arbitrium , sed præmouere suauiter, & non tantum moraliter,sed etiam physice , & hãc insinuauisse sententiam Diuum Augustinum,vt satis ostensum est in superioribus,præsertim locis citatis.Et pariter sentiendum est , eum qui conuertitur,maius habere auxilium supernaturale,eo, qui non conuertitur;Et auxilia Dei esse duplicia, quædam externa vt sunt miracula,salubria consilia,conciones;& ex internis,illustrationes intellectus , & ea quibus iuuatur homo solum quo ad specificationẽ,quia videlicet eis proponũtur sibi obiecta super naturalia,& ex internis etiã, inspirationes & motiones,quibus plerũque excitatur volũtas ad sequẽdũ Deũ.Alia vero esse auxilia efficacia respectu ipsius conuersionis , qualia sunt ipsimet actus dilectionis Dei & pœnitẽtiæ,ea ratione qua à Deo procedũt. Quod si sit sermo de auxilijs primi generis, euenit aliquando vt ex duobus habentibus æqualia omnino auxilia,vnus qui maiora habuit cõsilia & plura miracula , & plures inspirationes , non conuertatur;imo vero resistat obijciendo peccata & scelera: alter vero cõuertatur,quia dũ nõ constituit obicẽ, neq; resistit peccãdo,sic vocatus à Deo obtinet diuinæ misericordiæ vocationis efficaciam,gratuito illi donatam & donandam.Quod constat in Pharaone & Nabuchodonosore, quorum primus maximis signis & portentis sibi à Deo vt conuerteretur factis, induratus est; alter vero minoribus flagellis castigatus,egit pœnitentiam.Et huc pertinet quod Bethsaidæ,& Corozain dixit Christus Matth.11.& Lucæ.10.quòd si in Tyro & Sidone facta fuissent signa & virtutes quæ ibi facta sunt,in cinere & cilicio egissent pœnitentiam.Si vero sermo sit de auxilijs secundi generis & de efficacibus,de quibus reuera est controuersia , nunquam contingit duos homines habere auxilia efficacia ad sui conuersionem, & efficaciter in sua vocatione moueri ad conuersionem & pœnitentiam , & vnum conuerti , alterum vero in peccato manere.Nam profecto,si è duobus quantum ad auxilia efficacia æqualiter omnino se habentibus,vnus conuerteretur & alter non;sequitur quòd adæquata ratio conuersionis in eo qui cõuertitur , nascitur ex operatione voluntatis , ita vt nõ procedat ex diuino auxilio,& consequenter cõuersionis liberæ non esset causa Deus , sed sola voluntas hominis,quod quam falsum sit,ostendimus supra,& ostendemus etiam infra disput.7.Rursus, si ex duobus ita æqualiter adiutis vnus conuertatur,& alter in peccato maneat; tunc sane in eo qui conuertitur est quædam realis operatio seu assensus quæ non est in alio qui non conuertitur. Quia ille qui conuertitur,assentitur vocationi, cui alter non assentitur: Vel ergo hæc operatio est ab aliquo auxilio quod est in assentiente,& non in alio ; & ita habeo intentum:vel est à propria voluntate assentientis,ita quòd non ab auxilio Dei;& hoc dici non potest absque nota erroris Pelagiani ; sequitur namque ex eo,vt supra vidimus , quòd ille qui conuertitur posset gloriari nõ in Deo,sed in se ipso,eo quòd habens omnino æquale auxilium cum altero , sua propria voluntate conuersus sit ; quod tamen non fecit alter:Imo verò,sequitur,quòd is qui conuertitur,se discernat ab altero qui non conuertitur,propriis viribus.Et tandem sequitur,quòd id quod est potissimum in ipsa conuersione ad Deum , nempe ipse liber consensus,ita fiat & causetur à propria facultate voluntatis,quòd non à Deo; cuius oppositum dixit Paul.1.Corinth.4.sic loquens:Quis enim te discernit?Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti , quid gloriaris quasi non acceperis? Quę verba iuxta hũc sensum explicat D.Aug.lib.de Prędestinat. Sanctor. cap. 5. 6. &. 7. Facit etiam ad hoc.quòd cum in omni operatione naturali sit semper in operante aliquis naturalis concursus,qui nõ est in eo qui non operatur neque agit , nulla ratio est cur idem negetur in supernaturalibus.An vero in eo qui conuertitur,auxilium ipsum sit alia res distincta ab ipso consensu per quẽm homo conuertitur,vel sit vna & eadem res quæ prout egreditur à Deo sit efficax auxilium;vt verò egreditur à voluntate sit liber consensus,diximus supra.quæst.111.de diuisione gratiæ.

*Hoc egimus fusè supra q.111. art.3.*

Sed dices.Concilium Tridentinũ sessione.6.Cano.4.asseuerare , liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum ita Deo in sua iustificatione cooperari , vt possit dissentire si velit:ergo potest euenire vt cum æquali auxilio vnus conuertatur,& alter resistat & non conuertatur , siquidem potest dissentire si vult.

*Responsio.*

¶ Huic obiectioni dedimus responsum supra.q. 111.art.3.plerisque in locis , & infra specialiter redibit sermo in hoc art.disputat.7.cum disputauerimus,Vtrum vt seruetur libertas arbitrij cum efficacia diuini auxilij,sit necessariò dicendum , hominẽ se ipsum determinare ex solo sufficienti auxilio,antequam recipiat efficax auxilium.Interim tamen & pro nunc dicendum est , Tridentinum Concilium idcirco dicere hominem motum & excitatum posse dissentire si velit:quia ita liberè mouetur & excitatur,vt cum ipsa excitatione & motione etiam efficaci,absolute possit dissentire si vult, quamuis non possint simul stare & poni in esse,motio ipsa & dissensus,propter infallibilitatem motionis. Sicut , licet is,qui prædestinatus est in sensu absoluto possit damnari,tamen damnatio non potest simul poni in esse cum prædestinatione,propter eius infallibilitatem,quod est loqui in sensu composito.

*Obijciũtur ius aduersarij.*

Rursus obijciũt aduersarij.Si ex duobus peccatoribus,quorum vnus conuertitur & alter non , hic secundus habet minus auxilium quam primus; sequitur , quòd auxilium quod habet iste secundus, non est sufficiens ad sui conuersionem,aut si est sufficiens , perinde potuit conuerti cum eo, sicut alter.Huic etiam argumento & obiectioni, ex dictis & ex dicendis infra disputat.7.liquet solutio. Nam dicemus, auxilia primi ordinis non idcirco vocari sufficientia,quia præter illa ad actualem conuersionem & iustificationem non requirantur alia , sed quia ipsa in suo ordine & quantum ex se est , sunt sufficientia,quòd si homo recte illis vtatur,Deus paratus est conferre,imo donabit efficacia auxilia cõuersionis , & iustificationis quod infra loco citato explicabitur à nobis exẽplo cibi,qui sufficiẽs est ad nutriẽdũ& sustentandũ animal.Et hæc dicta sint de hac difficultate;Nam , cætera huic instituto & quæstioni accõmodata,dicta sunt quasi per partes à.q. 111.vsque ad hunc articulum,& etiam.1.p.q.23. art. 3.disput.9.

*Dissolutio obiectio.*

Hæc satis sint pro nunc ; nam reliqua omnia tam argumenta,quam solutiones & conclusiones tradita sunt à nobis fusè & luculenter in omnibus locis supra citatis. Quo autem pacto Deus in omnibus actibus supernaturalibus non solum concurrat concomitanter per influxum in actionem, & in effectum,sed etiam per concursum in arbitrium nostrũ;id quidẽ videre debes.2.p.q.23.art.3.disput.8.& similiter disputat.7.& in vniuersis locis à me supra allatis in.q.111.huius partis art.3.

## DISPVTATIO. V.

### *Vtrùm de potentia absoluta requiratur dispositio ad gratiam?*

*Soto. Caietanus. Ferrara.*

IN hac controuersia , Pater Soto.1.de nat.& grat.cap.5.putat, affirmatiuam partem esse veriorem, & id tenuit in 4.d.13. q.1.art.1. Caietanus vero.1.2. quæst.113.de iustificat.articulo.2.&.Ferrara. 3. contra Gentes . capit. 157. dicunt, etiam de potentia absoluta requiri dispositionem hanc, nempe,

actum vel habitum,& idem tenuit Gerson in tracta tu de pœnitentia.Sed inquit Caiet. quòd illa conclusio D.Thom.qua asserit in hoc art.necessariam esse præparationem seu dispositionem, quæ est motus liberi arbitrij ad gratiam habitualem; quia forma non introducitur,nisi in materia dispositа; debet intelligi secundum potentiamDei ordinariam. Quoniam de potentia absoluta,optimè posset Deus infundere gratiam homini adulto,sine propria dispositione.Imo verò de facto nonnulli theologi dixerunt,primum hominem & angelos consequutos fuisse gratiam sine propria dispositione & præparatione.¶ Persuaderi autem potest hæc sententia, primo.Quia peccatum actuale, dicit maculam voluntariam : ergo non potest repelli, nisi per iustitiam etiam voluntariam.Et confirmatur.Quia habituale peccatum magis consistit in auersione morali:ergo repellendum est per contrariam conuersionem moralem:hæc autem nequit intelligi sine actu eius qui conuertitur.Nam profectо videtur inintelligibile quòd posit tolli auersio vlla sine aliqua conuersione contraria:non enim fieri potest vt ex peccatore, quis fiat iustus sine mutatione vlla: ergo etiam de potentia absoluta necessaria est dispositio.¶ Secundo persuadetur. Quia si Deus posset iustificare hominem peccatorem sine hac dispositione & præparatione,pariter etiam posset iustificare hominem peccatorem,quandiu est in actuali voluntate peccandi,quod est absurdum & aperte falsum. Et probatur sequela. Nam is qui est in virtuali voluntate & affectu peccandi,censetur esse moraliter in voluntate actuali peccandi. Quia non minus repugnat habitualis conuersio ad creaturam cum ipsa gratia,quam actualis conuersio;sicut non magis repugnat actus opinionis cum scientia, quam ipse habitus opinionis:ergo. Quod verò sit aperte falsum posse hominem iustificari quandiu est in actuali voluntate peccandi; ostendo. Quia voluntas actualis peccandi,est ipsum peccatum:ergo implicat quandiù perseuerat voluntas illa actualis peccandi auferri peccatum:Nam alias si posset tunc iustificari, eadem voluntate permanente, simul esset peccatum & gratia,imo vero esset & nō esset peccatum: igitur dispositio aliqua,& præparatio aliqua necessario requiritur ad iustificationem,etiam de potentia absoluta.

*Secundum.*

*Supra q.110 art.4. disputat.3 & 4.*

De hac disputatione,quæ multa secum inuoluit, partim diximus supra q.110.art.4. in quo fusè disputatur,an possit peccator iustificari sine gratia,& partim diximus in materia de pœnitentia,& iterum redibit sermo infrà.q.113.de iustificatione impij. Et sanè,in hac re primo est certum, quòd regulariter, & ex lege communi, nunquam mortale peccatum remittitur sine displicentia & pœnitentia actuali peccatorum.Imo vero Scotus non contradicit, si recte intelligatur.Secundo etiam est certum, quòd siquis subito rapiatur ad Martyrium,quando nimis intentus dilectioni Dei,aut non datur locus recogitandi peccata,vel eidem dilectioni Dei rationabiliter intendens,non recordatur peccatorum, consequetur remissionem peccatorum per oblationem vitæ pro Christo,& per dilectionem quam gerit vehementem,licet non formaliter detestetur peccata præterita.Idem etiam potest euenire in casu quòd quis oblitus est totaliter alicuius peccati commissi quando facta sufficienti discussione, non recordatur illius:tunc enim iste talis poterit iustificari sine pœnitentia formali,per dilectionem Dei super omnia,quæ includit virtualiter pœnitentiam. Tertio etiam est certū,impossibile omnino esse, offensam mortalem remitti absque immutatione voluntatis, nisi adsit donum aliquod supernaturale ex suo genere,vt diximus in materia de pœnitentia.

Quibus prælibatis, est prima propositio. Peccatum potest remitti,& homo iustificari, & voluntas peccatoris immutari de potentia Dei absoluta,sine omni actu elicito peccatoris. Hæc patet in casu quo quis attritus occideretur dormiens,proChristo.Sed nihilominus probatur conclusio. Quia ad remissionem peccati sufficit quòd voluntas peccatoris immutetur per gratiam:Sed ista immutatio sufficienter fieri potest à Deo sine actu elicito peccatoris habitualiter:ergo potest iustificare hominem,& remittere peccatum Deus, sine actu elicito peccatoris. Minor constat:quia paruulus in originali,habet voluntatem vere auersam à Deo,& tamen per baptismum illa voluntas conuertitur ad Deum, & immutatur habitualiter per gratiam sine actu pueri: ergo si hoc fit de lege,optime etiam fieri poterit à Deo idem,sine sacramento.Dices, hoc fieri posse in paruulo , quia paruulus est auersus non per proprium actum suæ voluntatis,sed solum habitualiter & per alienam voluntatem ; adultus vero per proprium actum auersus est à Deo , & idcirco non est par ratio de puero & adulto;quoniam adultus debet per proprium actum conuerti.Respondetur tamen,hoc dissidium esse optimum,si sit sermo de lege ordinaria;imo vero est suauissima dispositio Dei, quòd ita fiat de lege:nos vero loquimur de potentia Dei absoluta,in quo sensu non apparet implicatio,quòd sicut puerum conuertit Deus sine actu illius, ita pariter adultum;Quod non infimè probatur de attrito accedente ad baptismum vel pœnitentiam, qui potest iustificari per sacramētum de lege ordinaria sine proprio actu contritionis in ipso instanti infusionis gratiæ, & nihilominus quando accessit ad sacramentum,erat Deo inimicus;& posset iustificari dormiens,si attritus petijt baptismū, & iam amens iustificatur.In quo casu arguitur. Iste habet voluntatem auersam per proprium actum , & nihilominus de lege potest iustificari, eiusque voluntas immutari sine proprio actu:ergo quemcunque potest Deus de potentia absoluta iustificare sine proprio actu eius.Sed dices;Iam ille cæpit pœnitere,& erat attritus.Sed dico ego,quòd nihilominus erat Deo inimicus,& auersus à Deo,& in ipsa culpa.Imo verò,grauissimi Theologi dicunt, posse Deum de potentia absoluta supplere se solo attritionis effectū, qui effectus est dispositio causata ab attritione,& postea iustificari.Nā potest facere effectū cōtritionis sine cōtritione & sine proprio actu,vt facit in sacramēto:igitur poterit etiā facere se solo effectū attritionis.Nā profectо Deus suā potentiā non limitauit, vt quod efficit sine actu proprio per sacramentum, non possit se solo facere.Rursus, Deus potest immutare intellectum , & tollere errorem eius sine proprio actu intellectus, vt si habitualiter mutetur intellectus ab errore ad scientiā infundēdo homini dormienti scientiam:ergo potest voluntas habitualiter immutari à malo in bonum,sine proprio actu. Ostendo consequentiam.Quia sicut se habet intellectus ad verum & falsum,ita volūtas ad bonum & malum,& sicut voluntas auertitur *in* peccato per actum vitalem & proprium,à bono ad malum , ita intellectus à scientia ad errorem conuertitur suo actu vitali.Antecedens autem probatur : quia non videtur vlla repugnantia, quòd Deus homini dormienti & erranti,infundat habitum scientiæ,& corrumpat errorem intellectus, habitualiter inclinando intellectum ad verum secundum habitus scientificos, quos infundit,ordinando phātasmata & species intelligibiles : ergo pari ratione poterit Deus immutare voluntatem peccatoris dormientis habitualiter sine proprio actu eius.

*Con:inf.1.*

*Conclus.2.*

*D.Bonauē. Scotus. Gabriel. Durandus.*

Secunda propositio.Sine vlla dispositione actuali vel habituali,Deus potest iustificare peccatorem. Ita sentiunt.D.Bonauent.Scotus, Gabriel in.2.d.28 & alij in.4.d.14.Durand.d.1.q.7.&.d.8.&.9. Vbi probat præfatam assertionem,supponendo, Deum iustificare potuisse angelos sine vlla dispositione,quia voluntas eorum non erat auersa, sicut iustificantur infantes per baptismum.Potissimè,cum hæc dispositio nō sit physice requisita, sed tantum moraliter: & in hoc omnes conueniunt . Quòd verò possit Deus etiam iustificare peccatorem sine ista dispositione,quæ modo secundum legem requiritur; videtur etiam certum.Quoniam posset Deus accepta re quamcunque detestationem peccati ; sicut videmus de facto feciſſe in sacramento baptismi,in quo sufficit minor dispositio , quam quæ ex natura rei erat necessaria extra sacramentum;& idem patet in sacramēto pœnitentiæ. Quòd autem peccatori,vere habenti gratiā,dormienti Deus possit infundere habitum gratiæ,& remittere illi peccatum absque eo quòd in tali homine præcesserit vltima dispositio, probatur:Quia habitus gratiæ, & amor Dei non pendet essentialiter ex actu hominis,vt etiam authores secundæ opinionis fatentur:ergo. Quòd tandem etiā sine actu & habitu possit id fieri, ostendimus supra quæst.110.articulo.4.disput.3.&.4 Nam Deus posset absolute aliquem tanquam amicum diligere sine isto habitu.Item persuadetur:Quia illa auersio quæ manet transacto actu peccati,non est aliquid physicè inhærens,sed est moralis macula manens secundum moralem rationem & existimationem fundatām actu præterito:adhibitis enim duabus conditionibus, altera quidem , quod aliquid postuletur à peccatore ad satisfaciendum iniuriæ illatæ,quod ipse non præstitit:altera vero quòd persona offensa non condonauerit iniuriam.Ex hoc fit vt homo ita manens , merito existimetur dignus odio Dei ; & auersus ab ipso Deo:Hoc autem posse auferri & deleri sine actu vel habitu ipsius peccatoris , patet. Quia posset Deus nihil aliud petere aut exigere à peccatore ad satisfactionem pro iniuria;nisi, quòd solum cessaret à peccato,& statim condonare illi iniuriam sibi illatam.Et confirmatur:Quia aliàs sequeretur quòd is qui dum erat in peccato incidit in amentiam, non posset de potentia Dei absoluta iustificari,nisi restituendo ei sanam mentem.Et tandē maximè confirmatur.Quia per dispositionem illam attritionis , quæ cum sacramento aliàs sufficiebat, manet homo simpliciter auersus à Deo , & nihilominus Deus iustificat illum per sacramentum:ergo.

Tertiò persuadetur conclusio. Quia si Deus alicui remisisset peccatum infundēdo habitum sine actu eius,posset Deus postea auferre habitum ab illo subiecto:ergo in eo casu maneret homo ille sine culpa.Patet consequentia. Quia iam illa fuerat ablata, & Deus non potuit culpam illam reproducere,sed tunc maneret etiam sine vllo habitu supernaturali, vel actu,vt supponimus: Quòd autem etiam maneret in gratia Dei,probatur,Quoniam iste nihil fecit contrarium dilectioni Dei , neque Deus hanc aufert necessario ex eo quòd auferat habitum , vt supra ostensum est:ergo,&c.Igitur quòd nos intelligimus , Deum vere facere potuisse media illa infusione & corruptione habituum; intelligendum est, facere potuisse sine illa,Quia potentia Dei non pēdet ab illis trāsmutationibus:stat ergo firmitas propositæ assertionis. Vnde, inter rationes propositas, quibus secunda assertio ostenditur,illa videtur esse propria,quæ secūdo loco adducta est à nobis.Quia videlicet,auersio illa quæ manet transacto actu nō est aliquid physicè inhærens,sed est moralis macula,&c.Et ob id expendenda est hæc ratio.

*Ad argumēta initio Ad.1.*

Ad argumenta initio disputationis posita . Ad primum respondetur , negandō consequentiam si sit sermo de potētia absoluta Dei,vt supra vidimus, ex quo manifestum erit quæ sit ratio cur homo possit esse conuersus ad Deum sine proprio actu;nō tamen ad creaturam. Peccatum enim habituale , dicit essentialiter ordinem ad actū voluntatis deficiētis,quia non potest ab alio fieri , neque alio modo; iustitia vero cōtraria culpæ à solo Deo effici potest, vt patet in iustificatione paruulorū.Neque interest quidquam affirmare , eos non peccauisse propria voluntate,quoniam eorum peccatum dicit essentialem ordinem ad actum voluntatis creatæ;vt apertè constat,alias esset dicendum Deum non posse tollere originale peccatum , nisi in ordine ad aliquem mediatorem,in cuius voluntate esset voluntaria iustitia ipsa paruulis,quod est impossibile. Ad confirmationem dicendum , negandam esse consequentiam. Primò , quia conuersio ipsa realis & physica quæ fit per habitus,adiūcta Dei benevolentia & cō donatione,est alterius ordinis,& potentior sanè ad tollendam auersionem illam voluntariam,quam sit omnis actus voluntatis creatæ.Secundò , quoniam non est necesse auersionem tolli per contrariam cōuersionem,sed potest per se ipsam destrui & repelli.Quare,confirmationis consequentia negatur,Nā potest tolli & destrui per meram, quasi destructionem ipsius auersionis , absque positione contrariæ formæ. Etenim , cū ipsa auersio sit formaliter quid morale , potest etiam moraliter destrui per solam moralem benevolentiam , & condonationem.Ad id vero quod postremo loco objicitur in eodem argumento , diximus iam sufficere mutationem moralem , neque requiri physicam. De qua re fusè satis diximus supra quæstione. 110. artic. 4. disputatio.3. &. 4.

*Ad Confir.*

¶ Ad secundum dicendum,iustificari non posse eum qui est in actuali voluntate peccandi,quandiu est in illa,vt argumentū probat.Esse autē in voluntate virtuali peccādi,bifariā potest intelligi. Primò

*Ad secūdū*

quidem quòd velit actu aliquid quod eſt cauſa peccati, vel quod complaceat in præterito peccato; & ſane iſtud etiam eſt iam actualiter peccare. Secundò poteſt intelligi, quòd de peccato commiſſo nullam habeat diſplicentiam; quia vel fortè illius ſit oblitus, vel quia de illo nihil curat, licet prorſus non tradiderit peccatũ obliuioni: Et hũc affirmamus poſſe iuſtificari; quia eo ipſo quòd Deus illum diligit tanquam amicum, remittit ei peccatum. ¶ Sed dices contra. Iſte erat conuerſus ad creaturam habitualiter, & non fecit actum vllum, quo ſe auertat ab illa: igitur ſemper manet ad illam cõuerſus: ergo eſt ſimul ad Deum & ad creaturam cõuerſus. Reſpondetur, quòd cõuerſio habitualis eius ad creaturã, duplex eſſe poteſt, nempe phyſica per habitum poſitiuum productum ex actibus amoris circa creaturas; vel poteſt eſſe moralis, per hoc inquam quòd culpa, quam in ordine ad illas commiſit, non eſt remiſſa; & in hoc tantùm conſiſtit ratio habitualis peccati, quòd adhuc illi imputatur quæ iam per gratiam aufertur: Prima enim quæ eſt habitus ipſe ex actibus amoris circa creaturas acquiſitus, compoſsibilis eſt cum gratia. Ex quibus omnibus ſatis liquet, homini dormienti poſſe infundi gratiam, etiam ſi ante dormitionem, illam retulit in malum finem. Quòd verò ſine vllo actu ſola ipſa gratia ſufficiat conuertere hominis voluntatem in Deum; planè conſtat in infantibus, qui per baptiſmum iuſtificantur. Plura quæ dici poterant in hac controuerſia, iam ſunt à nobis luculenter diſerta ſupra q. 110. citata

## DISPVTATIO. VI.

*Vtrùm auxilium ſufficiens ita conferatur omnibus à Deo, vt neminem excipiat à collatione eius?*

HÆc diſputatio tractatur à nobis per plures controuerſias, eaſque difficiles. 1. p. q. 23. ar. 3. diſputat. 3. 4. & 5. in quibus locis ita diſertè omnia tacta ſunt, vt poſsim iure lectorem in eum remittere locum, in quo polliceor plenariam huius materiæ interpretationem & explicationem eſſe tactam. Sed nihilominus aptius de hac re diſputabo, in art. 3. immediate ſequenti diſput. 5.

## DISPVTATIO. VII.

*Vtrum vt ſeruetur libertas arbitrij cum efficacia diuini auxilij, ſit neceſſariò dicendum, hominem adiutũ ſolo ſufficienti Dei auxilio, ſe ipſum determinare ad eos actus, quibus vltimo diſponitur ad gratiam, antequam recipiat inſe ipſo ad hanc determinationẽ efficax auxilium.*

HÆc controuerſia tacta eſt à nobis pleriſque in locis, tam in 1. p. q. 23. art. 3. diſputat. 7. & 8. quam hic, ſupra q. 111. art. 3. Sed importuni Theologi ſunt pleriq; qui nunquam quieſcunt, & querelis ſemper implẽtur circa explicationem & intellectum huius difficultatis. ¶ Sanè, titulus huius diſputationis is eſt, Vtrùm homo ſolis auxilijs præuenientibus adiutus, poſsit per liberam voluntatem ſe ipſum primò determinare ad eos actus, quibus diſponitur libere ad iuſtificationem, vel potius Deus determinet voluntatem per auxilium eius efficax ad eoſdem actus ante concurſum ipſius voluntatis, & liberi arbitrij? Quod eſt quærere, Vtrum prius ſecundum rationẽ decreuerit & præordinauerit efficaci voluntate Deus, determinare omnes actus humanarum volũtatum ad hanc vel ad illam partem, quam nouerit determinationem ipſarum voluntatum ad eandem partem; vel potius è contra, prius Deus nouerit voluntatem hominis auxilijs ſufficientibus munitam, ſe ad vnam partem determinare, vt hos vel illos actus liberè eliciat, quam Deus concurrat efficaci auxilio cum ipſa voluntate, & quam illi auxilietur ad hanc determinationem.

De hac igitur controuerſia duas ego reperio ſententias inter catholicos Theologos. Prima affirmat, voluntatem hominis prius ſe determinare ex viſolius ſufficientis auxilij, ſuæque libertatis, quã Deus concurrat per efficax auxilium. Itaque Deus, volũtatem iam determinatam adiuuat, vt talem actum perficiat; & conſequenter cõcurrit cõcomitanter cum voluntate, & non antecedenter præmouendo aut determinando ipſam. Vult ergo hæc ſententia, quòd cum conſtituatur ad actum conuerſionis voluntas quaſi in actu primo, per ſufficiens auxilium, reducitur ad actum ſecundum ſe ſola & per ſe ipſam, ad quam reductionem, neque indiget præmouente, neque indiget prædeterminante; ſed ad eam reductionem concomitanter concurrit efficax auxilium. Quocirca, aſſeuerat hæc opinio, hanc propoſitionem eſſe veram; Quia voluntas ſe determinat ad hunc actum conuerſionis, idcircò Deus illi efficaciter auxiliatur ad eam; & contrariam eſſe falſam. Et pari modo philoſophatur de diuino decreto & prædefinitione Dei in æternitate, quòd quia Deus præuidit voluntatem ſe determinaturam ad talem actum; idcirco decreuit conferri illi efficax auxiliũ ad illum; non tamen è conuerſo. Hanc ſententiam tenent nonnulli ex iunioribus Theologis, & eam inſinuauit Ocham, in 1. d. 30. q. 1. Cordubenſis lib. 1. q. 55. dub. 10. in ſolutione ad. 6. ſui quæſtionarij. Et hi authores contemplantur voluntatem liberam reſpectu ſui actus, in triplici ſigno rationis: In primo confert illi Deus vires & auxilia ſufficiẽtia, quibus poſsit ſe determinare ad quemcunque actum liberum, etiam ad actum conuerſionis, & paratus eſt cõferre illi auxilium efficax poſtquam voluntas ipſa ſe determinauerit. In ſecundo ſigno voluntas per ſufficientia auxilia ſe determinat ad hunc vel illum actum contritionis, vel meriti, & modificat auxilia: quibus medijs fit potens agere, non ſolum eo modo quo ſecũdæ cauſæ naturales limitant & modificant motionem, & concurſum primæ cauſæ, ſcilicet, quãtum ad modum operandi neceſſariò vel naturaliter: ſed ita vt voluntas priuſquã intelligatur moueri efficaciter à Deo, ſe determinet quantum ad hũc vel illum actum, & circa hoc vel illud obiectum. In tertio ſigno voluntate iam determinata per ſe ipſam, intelligitur moueri à Deo efficaci auxilio, vt

*Ocham. Corduben.*



vt completè eliciat ipſum actum: Et iſto modo dicunt nonnulli recentes Theologi, philoſophandũ eſſe, non ſolum in bonis operibus naturæ, ſed etiã gratiæ. Pro hac ſententia citatur Pater Soto lib. 1. de nat. & grat. cap. 16. ſed certè immerito & ſine ratione, & citatur Vega. q. 11. de iuſtificat. ad. 3. & lib. 12. ſuper concil. cap. 22. ſed ſine cauſa quidem. Nam eo loco potius affirmat, auxilium efficax Dei eſſe cauſam liberæ operationis, ac proinde eſſe illa prioremque; quod aperte deducitur ex eodem Vega lib. 6. ſuper Concil. Trident. cap. 3. Vbi ait, aliquando voluntatem noſtram moueri ſolo efficaci auxilio, ſine eo quòd præceſſerit auxilium ſufficiens: & ſic motam ſolo auxilio illo efficaci, ſine alio ſufficienti, poſſe cõuerti ad Deũ. Ex quo aperte deducitur, efficax auxiliũ eſſe cauſã liberæ cõuerſionis; ac proinde determinationis volũtatis ad illã; & ex cõſequẽti, auxilium hoc eſſe prius determinatione & cõuerſione: Quia ſi ſecus foret, voluntas nullo ſupernaturali auxilio mota, ſe ipſam determinaret ad conuerſionem, & ita fieret vt ab illa eſſet initium conuerſionis ad Deũ, quod Pelagianũ eſt. ¶ Gregorius Arimin. in. 2. d. 34. & 35. q. vnica ar. 3. & 8. voluit, volũtatẽ ſeſe determinare circa cõuerſionẽ, neq; priusha bere auxiliũ quo ſe determinet efficaciter: ait enim quòd voluntas Dei ſequitur determinationem humanæ voluntatis, quod ſane non ita eſt intelligendum, vt determinatio ſit aliqua realitas diſtincta ab ipſo actu voluntatis, vt videtur imaginari Gregorius; neque ita vt voluntas concurrat ad hanc determinationem prius prioritate aliqua reali, quam Deus; quia alias poſſet voluntas cauſare illum actũ abſque Deo: ſed in hoc ſenſu id putant authores huius ſententiæ, quòd quia voluntas agit illum actum, idcirco eundem Deus agit; non autẽ è contra; Quia Deus agit, ideo agit voluntas. Quoniam in actu libero potius Deus dicitur coagere voluntati, quam voluntas Deo. Et id ipſum tenuerat Greg. in. 1. d. 38. q. 2. ar. 2. prope mediũ. Vbi impugnat oppoſitam ſententiam Scoti; & in hac re Gregor. ſequitur Ocham loco ſupra citato. ¶ Hanc eandem ſententiam inſinuat Alexand. Alenſ. 1. p. q. 26. memb. 4. art. 3. dicit enim quòd circa naturalia, quæ reſpectu Dei nullã habent reſiſtentiam, habet Deus prouidentiam conceſsionis & cõmiſsionis; reſpectu verò liberi arbitrij, quòd à Deo agere permittitur omne quòd vult; habet ſuidẽtiã permiſsionis. Idẽ tenuit Valdẽſ. to mo. 1. doctrinalis fidei antiquæ ca. 23. & 25. & Decan. Louanienſ. art. 7. de libero arb. Catherinus opuſculo de Prouidẽtia ca. vltimo. Oſorius lib. 9. de Iuſtitia, & alij recentiores, qui de prouidentia & prædeſtinatione Dei ſcripſerunt.

*Scot. Vega.* *Gregorius.* *Alexander.* *Valdenſ. Decanus. Catherinus. Oſorius.*

Hanc ſententiam inuentur nonnulli ex Sanctis Patribus videntur inſinuare, Damaſc. lib. 2. cap. 30. ait, oportet dicere, quòd omnia præſcit Deus, ſed non omnia prædefinit, præſcit quidem ea quæ ſunt in noſtra poteſtate, & tamen non prædefinit. D. Chryſoſt. homil. 12. ſuper epiſt. ad Hebræos in exordio expoſitionis moralis, interpretans illud Prophetæ Pſal. 126. Ne des in commotionem pedem meum. Poſtquam dixit quòd operari & ſtare eſt à Deo, & à libero noſtro arbitrio, ait; quòd aportet vt nos prius eligamus bona, vt deinde Deus adijciat quod ſuum eſt: Neque enim (inquit ipſe) præuenit voluntates noſtras (ſcilicet efficaci auxilio) nè lædatur liberũ arbitrium, ſed cum nos prius elegerimus; tunc ipſe nobis offert auxiliationem plurimam; Et quòd ſciẽtia quam Deus habet de actibus liberis humanis, potius ortum habeat à rebus ipſis, quã ipſa ſimul cum voluntate diuina, ſit cauſa futuritionis ipſarũ rerum, ita vt hæc ſit vera, Quia res futuræ ſunt, ideo præſciuntur à Deo, non autem vice verſa. Docet Chryſoſt. homil. 30. ſuper Matth. circa illud Lucæ. 17 Neceſſe eſt vt veniant ſcandala, Origenes ad Rom. 8. Iuſtinus q. 58. ad orthodoxos, Hieronymus Ieremi. 26. & Ezechiel. 2. Beda, tomo. 8. lib. Variarum. qq. q. 13. circa finem. Auguſt. 5. de Ciuit. Dei cap. 10. ad finem. Hanc determinationem voluntatis humanæ ad actus liberos, conſequitur in hac ſententia auxilium efficax; quo poſito, neceſſario debet ſequi actus ad quem eſt auxilium: Sed quoniam neceſsitas hæc ſequitur determinationem voluntatis noſtræ, vocatur à D. Anſelmo neceſsitas ſequens, quæ non aufert voluntatis libertatem; auferret tamen ſecundum Anſel. ſi eſſet neceſsitas antecedens, quia præueniret deliberationem voluntatis.

*Chryſoſt. Origenes. Iuſtinus. Hieronym. Auguſt. D. Anſel.*

Hanc ſententiam videntur eſſe ſequuti authores omnes, & Sancti citati; vt defenderent libertatem humani arbitrij contra Hæreticos, quam ſ. ſatis explicare non poſſe credebant, niſi diceretur humanę voluntatis deliberationem, aliqua ſaltem ratione, eſſe priorem auxilio efficaci Dei. ¶ Aduerte tamen, quòd plurimi hæreticorum licet negauerint liberũ arbitrium propter æternam prædeſtinationem, qua Deus ab æterno prædefiniuit & determinauit omnes actus voluntatis humanæ; non tamen dicebant, ſubſtãtiam & rationem formalem humani arbitrij, ſuapte natura non eſſe liberam, ſed quòd licet ex ſe libera eſſet; extrinſeca tamen neceſsitate à Dei prædefinitione & prædeſtinatione proueniente, impellebatur voluntas in quocunque actu ad vnam partem, ita vt non poſſet ad oppoſitam: hunc tamen impulſum non dicebant eſſe coactum aut violentum ſed ſpontaneum & voluntarium, ſicut nos dicimus actus brutorum ſpontaneos eſſe, hoc ſolo diſsidio conſtituto, quòd motus brutorum habent vt ſint neceſſarij, & omnino determinati ad vnam partem ab intrinſeco, ex vi & natura ipſius appetitus irrationalis; actus verò humanæ voluntatis, natura ſua liberi ſunt, ſed neceſsitate quadam extrinſeca proueniente à decreto & prædefinitione Dei, fiunt prorſus determinati ad vnam partem.

Hæc igitur ſententia, ſua habet argumenta, & rationes quibus à ſuis authoribus ſuadetur. Prima ratio eſt. Si efficax auxilium præcedit deliberationem & determinationem voluntatis in ſuis actibus, ſequitur nullam habere libertatem in eis, quod eſt incidere in errorem Manichæi & Hæreticorum. Probatur ſequela: quia poſito efficaci auxilio, quod omnino præcedat determinationem voluntatis, iam voluntas non manet potens ad non eliciendum actum illum, neque ad eliciendũ oppoſitum: ergo non manet libera. Quòd autem poſito efficaci auxilio priori, non maneat potẽs, omnes fatentur. Quia ſi Deus mouet efficaciter voluntatem ad hunc actũ non poteſt voluntas non operari ſecundum hanc motionem; alias poſſet reſiſtere efficaci volũtati & operationi omnipotentis Dei: Et pari modo conſtat,

*Argum. 1.*

stat,quòd non posit elicere actum oppositum, & hoc idem ostêdit efficax ratio. Quia mouere & moueri sunt relatiua: ergo cum talia sint, implicat quòd Deus moueat efficaciter voluntatem ad aliquem actum,& quòd ipsa nõ moueatur efficaciter ad eundem,quod est elicere actum illum.Quòd vero ex eo quod nõ sit potens sequatur q̃ non sit libera,ostendo: Quia causa libera est illa, quæ positis omnibus necessarijs & prærequisitis ad agendum, potest agere,& non agere:sed motio & auxilium efficax est vnum ex necessariò prærequisitis in voluntate ad agendum,vt tenentur concedere authores oppositæ opinionis:igitur si posito hoc auxilio voluntas non manet potens ad oppositam partem, sequitur quòd non manet libera. ¶ Et confirmatur: Quia nisi voluntas antequam moueretur efficaci auxilio à Deo,se ipsam determinaret ad actum liberum,frustra proponetur ei operatio & electio interdiuersa obiecta & cõtraria·sed in eo casu Deus mouendo voluntatem per efficax illud auxilium quod præcedit eius determinationem, esset qui eligeret; quod tamen est apertè falsum, vt constat ex illo Eccles.15.Deus ab initio fecit hominem liberum, & reliquit eum in manu consilij sui, posuit ante eũ bonum & malum,vitam & mortem,aquam & ignẽ ad quod voluerit extendet manum suam.

*Confir.*

*Eccles.15.*

*Secundum.*

¶ Secunda ratio est. Quoniam si vellet Deus necessitare voluntatem nostram,nulla alia ratione id melius faceret,quam efficaciter illam mouendo in eam partem,versus quam vellet ipsam necessitare; sed in omnibus suis operibus voluntas efficaciter mouetur à Deo in vnam partem,antequam se liberè determinet,vt opposita sententia habet: ergo in omnibus suis actibus necessitatur voluntas.Ostendo maiorem. Nam hac solum ratione intelligimus Deum necessitare intellectum ad beatificam visionem,& voluntatem ad dilectionem Patriæ, & corpora naturalia vt in sua loca moueantur. Quia efficaciter vult Deus hæc omnia fieri,& ita efficaciter mouet ad illa;ex quo fit vt illa non possint nõ esse.

*Tertium.*

Tertia ratio est.Nam,cum eo modo quo res fiunt in tempore,decreuerit & definierit Deus ab æterno vt fierent in eodem tempore;sequitur quòd si prius Deus efficaciter mouet voluntatẽ ad aliquod opus, quam ipsa se determinet ad illud;necessario est dicendum,prius Deũ ab æterno determinare vt fiant omnes actus voluntatis creatæ, quam quòd ab æterno cognoscat determinationem voluntatis ad eosdem actus.Quòd si hoc ab authoribus oppositæ sententiæ conceditur;sequitur primo, frustra proponi voluntati creatæ liberè, vt ex diuersis rebus eligat quam maluerit.Probatur sequela: Quia frustra conabitur homo eligere vnam ex illis in tempore,si ab æterno Deus decreuit ante voluntatis determinationem præcognitam, quòd ipsa eligeret aliam.¶ Secundo sequitur magnum illud inconueniens quod inferebat Faustus acerrimus propugnator huius sententiæ,nempe, quòd homo non nascitur iudicandus, sed iam iudicatus.Nam si antequam Deus præuideret determinationem humanarum voluntatum ex duobus æqualiter excitatis,decreuit vni donare efficacia auxilia,cum quibus de facto conuertetur & perseuerabit,alteri verò decreuit non conferre,& inde fiet vt hic in peccato moriatur & damnetur:Sanè horum primus,iam nascitur iudicatus ad gloriam,secundus vero ad gehennam.¶ Tertio sequitur,Christum non esse mortuũ pro salute istorum hominum,cuius contrarium dixit Paul. 1. ad Timoth. 4. Christus est saluator omnium hominum,maxime fidelium.Et.1.Ioan.2.Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non tãtum nostris,sed etiam totius mundi.Probatur sequela.Quoniam si nulla prægnita determinatione voluntatis,decreuit Deus ab æterno propter Christi merita mouere efficaciter ad iustificationem & salutem hos potius quam illos,cum non voluerit Deus cõferre salutem propter Christum illis, quos non voluerit propter eundem efficaciter mouere; sequitur quòd non dedit Deus Christum redemptorem õnibus, sed illis tantum qui ab eo erant efficaciter mouendi in salutem. Neque valet recurrere ad auxilia sufficientia:Quia licet hi omnes excitentur & præueniantur;tamen,vt docet contraria sententia; non possunt libere determinari ad actus,quibus ad iustificationem disponimur,nisi prius quam eorum voluntates operentur,auxilijs efficacibus moueantur.Vt ergo dicamus,Christum esse vniuersalem redemptorem,videtur esse dicendum,omnes eos qui propter Christum auxilijs sufficientibus excitantur,& præueniũtur posse determinare suas voluntates,sine præmouẽte alio auxilio,& cõsequẽter quòd Deus ab æterno decreuit,eos quos præuidit volũtates suas determinaturos,efficaciter mouere ad actus fidei,dilectionis,& pœnitentiæ.Et quòd similiter in tempore eos efficaciter mouet,quos vidit prius ex sufficientibus auxilijs ad eosdẽ actus suas volũtates determinare.Hac enim ratione videtur esse explicandum, passionem Christi omnibus profuisse quantum ad sufficientiam. Quia virtute illius omnes accipiunt sufficientia auxilia, quibus possint benè vti si velint;Quantum ad efficaciam vero prodest tantum quibusdam, nempe illis, qui determinando suas voluntates consentiunt auxilijs sufficientibus,vt iuuentur efficacibus; cæteris verò nõ prodest,eo quòd suas voluntates non ita determinarunt.¶ Quarto sequitur hoc absurdum, nempe, voluntatem Dei esse irrationabilem:Quia quibusdã prætermissis & spretis ex hominibus, alios efficaciter vocat.Sequela probatur: Quoniam si ex duobus æqualiter excitatis per sufficientia auxilia, nulla ex parte suæ voluntatis diuersitate conspecta, vnum efficaciter mouet,& non alterum; tunc sine vlla ratione mouet potius hunc,quam illum; atque adeo irrationabiliter.Dices,sufficientem rationem huius esse,Deum voluisse pro beneplacito suæ voluntatis id ita facere.Sed cõtra obijcit D. Bonauẽt. in primo.d.41.art.1.q.2.quòd hoc est facere iudicia Dei non occulta,sed manifesta contra Paulum.Nullus enim quantumcunque simplex & ignarus sit, erit qui assignare non possit rationem hanc. Imo verò est facere iudicia Dei non quidem mirabilia, sed voluntaria solum.

*Quartum.*

Quarta ratio qua præfata sententia suadetur,hæc est.Deus efficaci auxilio adiuuat liberum arbitrium in actibus,quibus ad salutem disponitur:igitur præsupponit ipsum arbitrium operatione sua se determinans ad recipiendum auxilium efficax. Antecedens constat ex plerisque locis scripturæ, vbi Prophetæ & sancti precantur Deum, non vt solus ipse bona opera faciat in illis, sed vt eos adiuuet ad illa facienda; quod potissimum fit efficacibus auxilijs.Quocirca,Trident. concil. tota illa sessio.6.auxilium efficax vocat gratiam adiuuantem;& ita debere vocari,nos ostendimus supra. Cõsequentia autem probatur:Nam quando ex duobus causis concurrentibus ad eundem effectum, vna iuuat alteram,potiusquam è contra, illa quæ dicitur iuuare,præsupponit alteram prius saltem secundũ rationem operantem: igitur cum in scriptura non legatur quòd voluntas creata iuuet Deum,sed potius è contra;Deus est qui præsupponit voluntatis operationem,saltem vt ratione priorem efficaci auxilio,quo Deus illam iuuat.Vnde etiam fit, vt in ipsa supernaturali actione,quam libere voluntas elicit,debeat assignari aliqua ratio ad quam ita concurrit voluntas,quòd non Deus; & altera ad quam ita Deus quòd non voluntas, cuius oppositum dicit & ostendit contraria sententia.

*Trid.*

*Sententia.2*

Secunda sententia verior quidem est, & hæc asserit,voluntatem humanam auxilijs sufficientibus præuentam & excitatam, non se se primò determinare ad supernaturalia opera,quibus libere ad gratiam disponitur,ita vt hæc causalis semper sit vera; Quia voluntatem sufficientibus auxilijs excitatam Deus mouet ad vnam partem per auxilium efficax; ideo voluntatis actus ad illam partem determinatur:Hæc autem causalis sit falsa;Quia voluntas excitata sufficientibus auxilijs vult se ad vnam partem determinare;idcirco Deus cum illa ad eam partem efficaciter concurrit;& proportionali modo dicendum est in æternitate,quòd Deus absoluta & efficaci voluntate seu volitione,voluit omnes actus liberos prius secundum rationem, quam cognosceret voluntatem se ad eos determinare; non autem è cõuerso.¶ Hæc sententia est D.Th.1.p.q.19.ar.8.ad. 1.& ad.2.Vbi ait,quòd quia voluntati Dei nihil potest resistere,ideò non solũ fiunt omnia quæ Deus vult, sed etiam omnibus eis modis,quibus ea fieri vult, &.q.83.articulo.1.ad.3.loquens de motione efficaci Dei, inquit, quòd Deus mouendo voluntates liberas,facit eas libere operari,Et.1.2.q.9.art.6.ad.3. dicit, quòd Deus specialiter mouet aliquos ad aliquid determinate volendum, quod est bonum, sicut in his quos mouet per gratiam.Et.q.10.sequenti,art.4.ad.3. dicit, impossibile esse Deum mouere voluntatem,& quòd illa non moueatur; tamẽ quia hoc quod est voluntatem non moueri,est impossibile,non simpliciter, sed ex suppositione, idcirco non est verum quòd voluntas necessario moueatur &.q.112.art.4.ait, quòd præparatio ad gratiam quatenus est à Deo mouente,habet necessitatem infallibilitatis ad id,ad quod ordinatur à Deo.

*D.Thom.*

¶ Hoc idem sensit Scotus,in.1.d.39.q.vnica.§.Ex isto secundo.Durand.d.46.q.1.ad.2.Capreol.d.45.q. vnica art.2.in.2.parte.5.conclusionis.Ferrar.1. contra Gent.cap.85.§.Sed est dub. difficillimum. Eandem sententiam tenet Driedo lib. de concordia gratiæ & liberi arb.p.2.cap.3.in fine solutionis ad.3. Et sane,omnes hi citati authores defendunt hanc sententiam,vt pariter etiam defendant gratiam Dei cõtra Pelagianos,à quorum errore putant nõ esse ominino liberum afarmare,voluntatem nostram quamuis auxilijs sufficientibus præuentam, se ipsam ad bonos actus ante motionem efficacis auxilij diuini aliqua ratione determinare. Plures etiam sunt authores huius ætatis,qui eandem sententiam tuentur,quos supra citauimus.

*Scot. Durandus. Capreolus.*



Hæc sententia persuadetur primò.Quia Deus nõ solum sufficientibus & excitantibus auxilij,sed etiã per efficacem motionem causat actus liberos volũtatis nostræ:Hoc autem fieri non potest, nisi ipsum auxilium efficax determinet voluntatem ad opus liberum:ergo omnis determinatio primo est ab auxilio;à voluntate vero solum quatenus per ipsum auxilium mouetur.Probatur antecedens ex Paulo ad Philip.2. Deus est qui operatur in nobis velle & perficere pro bona voluntate.Et.2.Corinth.3.Nõ sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis quasi ex nobis,sed sufficientia nostra ex Deo est. Ezech.16. Faciam vt in præceptis meis ambuletis,& iustitiam ideſt iudicia mea custodiatis & operemini. Isaiæ.26. Omnia opera nostra operatus est in nobis Dominus Probatur etiam hoc ex Arausic. concilio.2. cano.4. Vbi dicitur,quòd Deus non expectat voluntatem nostram ad nostram iustificationem; quod sane non apparet quo pacto verificetur,si volũtas postquam habet auxilium sufficiens, posset ipsa sine efficaci auxilio aut ante illud, se ad iustificationem & conuersionem determinare.¶ Hæc sententia proculdubio est D.August.qui epist.106.ad Bonifac.volutantem nostram pedisequam appellat in bonis operibus & actionibus ad salutem pertinentibus;appellare autem pedisequam,est dicere illam non esse præuiã sed potius præuiã esse Dei volũtatẽ,iuxta dictũ in Arausic.cõcilio cano.vltimo:In omni opere bono nos nõ incipimus:ergo in executione cõuersionis, Deus est qui incipit.Et lib. de Prædestinat. Sanctor.ca.8.idẽ Aug.loquẽs de efficaci auxilio & motione Dei ait;Si volẽtes ex nolentibus nõ facit Deus ad quid ergo Ecclesia orat pro persecutoribus suis? Sensit igitur August. efficax auxilium causare ipsum actum voluntatis; ac proinde illum præcedere Et lib.de Gratia Christi cap.14.in idem etiam auxilium vt in causam,reuocat actum liberum voluntatis,dicens, quòd audire & discere,quod proculdubio est efficax auxilium,est causa veniendi ad Christum,& non audire & discere,est causa non veniendi ad Christum.Et lib.de Grat.& libero arb.cap.14. ait,quòd Deus potest voluntates rebelles & nolentes credere,ad se conuertere. Et cap.16. dicit quòd Deus facit vt nos velimus bonum. Plura testimonia citat Driedo lib. de concordia gratiæ & liberi arb.p.2.cap.1.in 1.&.3.argumento. Nos etiam plura argumenta fecimus, & plura retulimus testimonia supra.q.111.art.3.disput.1.2.3.&.4.&.1.p.q.23. arti. 3. disputat.7.8.&.9.

*Argumenta 2. sententiæ Primum.*

*Ad Philip. 2.*

*1.Corinth.3*

*Ezech.16.*

*Isaiæ.26.*

*D. Aug ust*

*Driedo.*

Rationes quæ pro hac sententia militant efficacissimæ sunt:Quarum prima est.Omne illud quod reperitur in actu libero voluntatis humanæ,ptius saltem secundum causalitatem & secũdum rationem causatur in ipso actu ab auxilio Dei,quam à concursu ipsius volũtatis:quia Deus quidquid in ipso actu causat sine dependentia ab ipsa voluntate causat: Voluntas vero quidquid causat, causat dependenter à Deo:sed Deus causat in actu libero voluntatis omnes determinationes ipsius actus,vt, verbi gratia,

*Prima ratio*

tia,quòd sit necessarius aut contingens, naturalis, aut liber,intensus,vel remissus, cum hac conditione,vel cum illa:ergo omnem determinationē actus priùs eā causat in eo Deus, quā volūtas. Probatur minor. Quia cum effectus habet assimilari causæ, præsertim efficienti,quāto causa efficacior est,tāto magis assimilatur illi effectus, vt patet in semine, quòd quāto efficaciorem virtutem participat à præcipuo agente à quo decisum est,eò similiorem illi reddit effectum.Et ita,ob hanc efficaciam filius nō solum assimilatur Patri secundum speciem,sed etiā secundum accidentia, quibus Pater præditus erat. Cum ergo voluntas Dei sit causa infinitè efficax, actus liber qui est illius effectus, debet esse illi omnino similis,non solum ita vt quando operatur voluntas humana operetur illud quod Deus vult; nā hoc est quasi assimilari effectum causæ secundum speciem;sed etiam vt actus fiat omnibus illis modis & determinationibus,quibus Deus vult eum fieri, quòd est quasi assimilari effectum causæ secundum accidentia.

¶ Aduerte tamen, quòd cum dicitur quòd quid quid Deus causat in ipso actu volūtatis,causat absque vlla dependentia à voluntate ipsa, per hoc non iumus dicere, voluntatem non concurrere suo actu libero,quia hoc est certissimum: sed hoc non est Deum dependere à voluntate:quia potius è cōuerso voluntas quidquid causat, causat dependenter à Deo eam mouente,pulsante,vocante, & præmouente sufficienter & efficaciter. Et ob id pōtius voluntas dicitur dependere à Deo, & id constat in causis subordinatis, vbi propriè loquendo causa secunda pendet à prima,& quanto superior est causa vniuersalis,tanto minus dependens est. Quocirca, non probatur mihi ea sententia quæ asseuerat, tribuendum esse libero arbitrio quòd auxilium Dei sit efficax,aut inefficax, ob id quòd cum liberum arbitrium pro sua libertate possit consentire, & nō consentire, cooperari cum illo,& non cooperari, si consentiat & cooperetur vt potest, efficiet illud efficax;si vero non consentiat, neque cooperetur, reddet illud inefficax.Itaque, male audit hæc sentētia in eo quod dicit, ipsum liberum arbitrium efficere & reddere efficax auxilium Dei: Imo vero è diuerso euenit quòd efficax præmotio, concursus, & influxus Dei,reddit & efficit voluntatem efficacem ad agendum.Sed de hac re non vacat modò fusius disputare; egimus tamen nos supra mille in locis de hac re;q.110.& .111.art.3.per plures cōtrouersias.

*Secūda ratio* Secunda ratio est. Quoniam ex opposita sententia sequuntur plurima inconuenientia, quæ derogant diuinæ prouidētiæ supernaturali, eiusque causalitati infinitæ,quatenus contraria sententia dicit, voluntatem se ipsam sic determinare ad actum liberum, vt id fiat priusquam à Deo ad illum efficaciter moueatur. Quod si hoc verum esset, sequitur, Deum non habere prouidentiam in particulari respectu actuum liberorum voluntatis humanæ,quod est contra Scripturam Sapient.14. Tua autem Pater prouidentia,cuncta gubernas; & contra Aug.5.de Genes.ad literam cap.21.Et contra D.Thom. & omnes Theologos in materia de prouidentia. Et probatur sequela:Quoniam prouidentia circa actus liberos,consistit in determinatione eorundē actuū, quòd,scilicet,sint,aut non sint, siue quòd sint circa hoc aut illud obiectum: sed quamuis Deus conferat voluntati humanę auxilia præuenientia,quibus illa possit actus suos his aut illis modis elicere;non tamen determinat exercitium,aut specificationem ipsius actus; sed secundum oppositam sententiam hoc primo fit ab ipsa voluntate:ergo Deus non habet prouidentiam actuum humanorum in particulari,sed solum in vniuersali, nempe, quia suggerit voluntati vires & auxilia quibus operetur vt sibi placuerit.

¶ Secundo sequitur, quòd quamuis concedatur Deo prouidētia respectu actuum humanorū in particulari; non tamen conceditur in Deo ita perfecta respectu cuiusque actus, sicut in ipso eodem homine qui elicit actum,& se determinat prius quam moueatur ad actum efficaciter à Deo.Quoniam Deus, licet præcognoscat quemcunque actum liberum humanæ voluntatis; tamen vt contraria sententia putat,non prædeterminat illum, neque prædefinit antequam videat voluntatem se ipsam determinare ad illum eliciendum: ergo primum agens intellectuale & liberum,quod efficaciter prouidet hūc actum,est ipse homo;& consequenter, respectu illius habet præstantiorem prouidētiam quam Deus. Quocirca autores oppositæ sententiæ,non aliter docent Deum prouidere actus liberos medijs voluntatibus hominum, quam prouideant Principes & Reges ea quæ pertinent ad populos sibi subditos, cum ita creant Magistratus, vt eis conferant facultatem sufficientem ad iudicādum de omnibus causis;singulares vero causarum decisiones,eorum arbitrio relinquant. Quapropter, sententia quæ hoc affirmat,plane videtur Ciceronis error ab Augustino damnatus.5.de Ciuit. cap. 9. & ab omnibus catholicis,qui propter asserendam libertatem nostrorum actuum, negabat Deum habere præscientiam humanarum actionum. Quod enim Cicero negabat de præscientia,negat opposita sententia de prouidentia.

¶ Tertium inconueniēs quod sequitur ex aduersariorum opinione, est;quòd si vera esset,subtraherētur omnes actiones hominis liberæ,tā naturales, quā supernaturales à diuini arbitrij deliberatione & prędefinitione.Quòd autē subtrahātur,liquet ex supra dictis.Quia Deus primo confert voluntati humanæ naturales vires & auxilia sufficientia,quibus voluntas deinde se determinat ad operationem cuiusuis operis liberi, & post illam adiuuatur à Deo medio auxilio efficaci, vt opere compleat actum quem deliberauit: igitur sola voluntas hominis est quæ deliberat hos actus,& consequenter illi eximūtur à deliberatione Dei,& à prouidentia eius in particulari.

Tertia ratio. Auxilium efficax quo permouetur peccator ad conuersionem, est prius natura quam conuersio: Nam Deus prius causalitate concurrit ad conuersionem,quòd si prius causalitate concurrit,prius natura dicetur mouere liberum arbitriū: ergo in illa determinatione, qua se determinat voluntas,prius natura intelligimus Deum præmouere & concurrere efficaciter ad conuersionem,& voluntatis determinationem.Hanc rationem latè posequuti sumus.1.p.q.23.art.3,disputat.8.concl. 1. & supra.q.111.ar.3. per plures controuersias; & est D. Tho.1.2.q.9.art.6.ad.3.Vbi dicit,Deū determinare specialiter aliquos ad aliquid determinate volēdū, sicut mouet eos, quos per gratiam mouet. Sanè, si propter aliquam causam hæc prioritas naturæ & causalitatis esset neganda,maxime quia derogat libertati voluntatis, & quia eam videtur infringere: sed hoc est aperte falsum,quia negari nō potest quin sint prędeterminati aliqui effectus pendentes ex nostra libertate, vt patet de omnibus operibus supernaturalibus.B.Virginis,& cōfirmatorū in gratia, & de conuersione D.Pauli & Latronis, & de operibus liberis & meritorijs Christi:sed tali prædefinitione non obstante,saluatur libertas in huiusmodi effectibus,vt multi ex aduersarijs de prædictis casibus cōcedunt:ergo,&c.

¶ Rursus:Quia si Deus solum concomitanter se haberet in conuersione & bono illo vsu gratiæ;tūc non magisconcurreret Deus ad bonum, quam ad malum.Patet sequela.Nam ad actum malum quatenus importat actionem,etiam concurrit concomitanter & simultaneè.

*Quarta ratio* Quarta ratio est.Quoniam si voluntas solis auxilijs sufficientibus munita, se ipsam ad actum conuersionis liberum determinat antequam à Deo determinetur per auxilium efficax;tūc sequitur quòd daretur in hominibus causa primi effectus suæ prædestinationis,& ratio ex parte voluntatis humanæ cur illum Deus prædestinaret, cuius contrariū docent Theologi omnes huius ætatis. Quòd vero idsequatur,ostendo.Nam cum reprobi & prædestinati conueniant in auxilijs sufficientibus,primus effectus prædestinationis in prædestinato,est motio efficax auxilij diuini. Si ergo determinatio voluntatis humanæ auxilijs sufficientibus præuentæ,est causa huius efficacis motionis,erit etiam causa primi effectus prædestinationis,ac proinde hæc humanæ voluntatis determinatio, vt præuisa à Deo, erit ratio cur Deus prædestinauerit hominem hunc.¶ Plures aliæ rationes & efficaciſsimæ sunt à nobis adductæ locis supra citatis,tam in commentarijs. 1. p. quam supra.q.111.art.3.

De his duabus sententijs cēsere, plerisque visum est difficile,& ob id contentiosæ versantur rixæ inter Theologos.Sed profecto,quæ mihi sententia arridet,& quam amplector secure,quoniam certa est, hæc secunda videtur.Nam & rationabilior est,& cōformior maiestati diuinæ prouidentiæ, & quæ saluat libertatem arbitrij, & idcirco verior. Et vt res hæc plane percipiatur, valde aduertere oportet, q in eo instanti in quo incipit opus conuersionis supernaturale & liberum,& executio eius per contritionem actualem,& dilectionem Dei super omnia; tunc duo debemus ibi considerare,nempe,concursum efficacem Dei, & præterea concursum liberi arbitrij:Cum ergo hæc duo non sint inordinata interse,interrogo,Quod eorum in ipso exercitio conuersionis,prius incipit conuersionem agere? Quia si prius incipit homo,iam ipse se discerneret, quod est contra Paulum,& sequerentur omnia inconuenientia à nobis allata mille in locis citatis tam hic, quam in.1.p.Si dicas,quòd Deus prius incipit, habeo intentum, & certum est, quòd in omni opere bono supernaturali nos non incipimus, sed Deus vt dicit Concil.Arausc.ergo in executione conuersionis prius incipit Deus.

¶ Vndè colligo,quòd quando Deus & voluntas eodem temporis momento concurrunt ad causandum actum liberum voluntatis, non ita est intelligēdum,vt aliquid reale sit in ipso actu, quod prius prioritate reali causetur à Deo, quam à voluntate, aut è conuerso; Quia idem omnino actus realiter, reali quadam simultate causatur à Deo vt à causa prima,& à voluntate,vt à secunda,licet prius secūdum rationem,vel prius secundum naturam causetur actus ille voluntatis ab vna,quā ab altera, propter ordinem quem habēt ipsę causæ inter se, & respectu ipsius actus.An vero quando dicitur, voluntatem nostram ex Dei auxilio causare suum actum, vel operationem,ipsum auxilium seu motio Dei,ex qua voluntas causat actum,sit aliquod accidens,seu forma distincta ab ipso actu,seu ab ipsa operatione; dictum est in superioribus: non enim disputamus modo de hac re;Certum tamen est, voluntatem ex auxilio aut efficaci Dei motione operantem, à Deo moueri,Deumque ipsam mouere,& idcirco operari,quia concurrit cum illa,imo præmouet illi auxiliando,vt satis aperuimus in superioribus. Sanctus Thom.de Verit.q.6.art.6.aduertit, quòd in concursu primæ & secundæ causæ ad aliquem effectum,cōsiderandus est ordo primæ causæ ad effectum,& secundæ etiam ad illum,& primæ ad secundam, & secundæ ad primam; quæ omnia eo loci sunt videnda.

Prima parte loco citato dixi,valde esse aduertendam doctrinam sequentem, nempe, quòd cum à prima vocatione vsque ad actualem conuersionem & contritionem inoluisse,duo considerentur,nempe & auxilium gratię præuenientis præcisè,vt vocatio,excitatio,inspiratio,impulsus, &c.& rursus cōsideretur auxilium efficax coniunctum eidem conuersioni & contritioni; Possumus hunc processum supernaturalē diuidere quasi in duos status,scilicet in statum procedentem à sola præueniente gratia in vitante,& alliciente ante actualem contritionē & conuersionem liberam, & in statum conuersionis,& contritionis integrum. Et hic secundus progressus & status, est ille, ad quem inuitabat gratia præueniens & præcedens,veluti ad terminū.¶ Vndè,duo considerantur initia, nempe initium conuersionis ex parte vocationis,& excitationis,& præterea consideratur ex parte ipsius conuersionis, illud primum instans executionis,seu actualis contritionis & conuersionis liberæ. Et sane, non solum est opus bonum,illud primum quod præcesit, sed etiam est maxime bonum hoc secundum,quod importat ipsam contritionem & conuersionem exercitam.Si ergo dicente Concilio,in omni opere bono nos non incipimus, sed Deus est qui incipit: ergo etiam in executione cōuersionis,prius incipit Deus ergo efficax auxilium quo Deus concurrit in actuali illa conuersione,est præuium,& est concursus in causam prius natura præmouens. Et quòd hoc ita sit,plane ostendo:Nam si Deus vellet aliquem conuertere subito,sine præuijs dispositionibus;tunc negari non potest,quin gratia sit præuia, & quòd talis influxus efficax, esset concursus in arbitrium

eius

eius qui conuertitur;sed nihilominus in eo saluatur libertas arbitrij,sicut saluatur in confirmatis in gratia,in Paulo,in D.Virgine, & in Christo Domino: ergo pari ratione saluatur arbitrium liberum in eo, qui modo actualiter præmouetur à Deo, & efficaciter conuertitur, licet intelligamus præuium illud efficax auxium. Vnde,decipiuntur aduersarij credẽtes,efficax auxilium,& efficacem concursum Dei, non esse concursum in arbitrium ipsum,sed in effectum & in actionem,sicut in naturalibus dicũt euenire;Quod nos impugnauimus supra q.111.art.3.& 1.p.q.8.art.1.disputat.2.&.q.23. articulo.3. disputat. 7.8.&.9.

*Conclus.1.* Vt autem quæ diximus tanquam veriora & rationabiliora recipiantur,duas cõstituo propositiones.

Prima propositio est.Tam Deus suo auxilio efficaci,quam etiam voluntas sua cooperatione, sunt efficientes causæ actus liberi,ita tamen vt Deus in hoc genere efficientis causæ voluntatem determinet,non solum ad substantiam ipsius actus, sed etiã ad vltimam eius rationem formalem, vel modum, hoc est,quatenus est actus humanus aut liber. Hæc assertio defenditur ab authoribus secundæ sententiæ,quam veriorem esse ostendimus, & est contra Gregor.& alios, quos pro priori sententia citauimus. Nam proculdubio falso putant, voluntatem liberam hominis in genere causæ efficientis, prius se ipsam determinare ad actum liberum, quã Deus concurrat ad illum per auxilium efficax.Prior pars huius assertionis certa est & de fide, nempe Deum esse causam efficientem actus liberi immanentis & vitalis. Secunda vero pars asserit, quòd Deus efficaci suo auxilio in genere causæ efficientis, determinat voluntatem ad substantiam actus, & secundum esse reale quod habet, imo verò determinat quantum ad vltimam rationem & modum ipsius actus,ita vt in hoc genere causæ efficientis, prius Deus,quam voluntas causet actum humanum & liberum,etiam prout liber est & humanus. Et hoc probant argumenta omnia, rationes,& testimonia supra tacta pro secunda sententia.

Sed inter recentiores Theologos, non desunt qui negent secundam hanc assertionis partem. Putant enim quòd quamuis Deus causet actum liberum secundum substantiam,tamen secundum modum aut rationem formalem libertatis, Deus non causat illum actum,sed sola voluntas, idque hac ratione ostendunt.Si Deus causaret actum voluntatis vt liberum & humanum;tunc vel esset causa illius naturalis, vel moralis: sed non est causa naturalis, quia si talis esset,aut causaret illam rationẽ in actu voluntatis per se;& hoc dici non potest. Quoniam ratio formalis liberi aut humani in ipso actu,vel est extrinseca denominatio ab ipsa libera voluntate, vel à ratione quæ est in intellectu, vel est relatio quædam actus ad ipsam voluntatem aut rationem, quorum vtrumque nulla ratione potest per se causari: Vel Deus causat hanc rationem in actu solum per accidens,& hoc etiam est falsum.Nam nihil potest causare relationem per accidens, neque denominationem extrinsecam actus, nisi quia sua efficientia attingit eam rationem,ex qua relatio vel denominatio per accidens resultat;Sicut,verbi gratia,nihil potest causare similitudinem inter duo albedo,ob id solum quòd sua efficientia attingat albedinem secundum rationem genericam coloris tantum:quia ex hoc similitudo non resultat, sed debet attingere secundum rationem specificam ex qua resultat; sed Deus sua efficientia non attingit actum voluntatis quatenus fundat extrinsecam illam denominationem aut relationem : ergo neque causat per accidens rationem liberi aut humani in actu. Probatur minor, Quoniam denominatio aut relatio,præcisè & adæquatè,fundatur in actu quatenus procedit à voluntate creata:ergo actus vt procedit à Deo,non fundat aut causat relationem, aut denominationem illam; implicat namque hanc præcisè causam esse fundamentum huius relationis,&quòd præter illam sit alia causa fundamentum;Quòd verò relatio vel denominatio fundetur præcisè in actu quatenus procedit à libera voluntate creata, probatur.Quia posito actu pro vt procedit à libera voluntate,necessario ponitur relatio, aut denominatio libertatis, & eo remoto, necessariò remouetur.Nam quamuis actus voluntatis humanæ liberæ procedat à Deo;non tamen est liber aut humanus, nisi quatenus egreditur à voluntate libere operante,quod constat de actibus hominis stulti & amentis,& de primo actu voluntatis humanæ, qui apud plerosque omnino necessarius est;Hi nãque actus, licet libere à voluntate Dei causentur,sicut cætera omnia;non tamen in se sunt liberi & humani, quia non eliciuntur à voluntate creata,vt libera est:igitur relatio vel denominatio,in qua libertas consistit,fundatur in actu,ea præcisè ratione qua egreditur & elicitur à voluntate humana libera.Nam quãdo affirmatio est ratio affimationis in effectu,negatio est causa negationis adæquata & præcisa.

Si dicas, quòd Deus est causa moralis illius actus liberi;Contra:Nam hoc solum duobus modis potest intelligi,vel primò;quia Deus consulit,præcipit,vel suadet eiusmodi actus vitales; & hoc dici non potest: Quoniam non solum in actibus malis, quales sunt peccata, sed etiam in indifferentibus reperitur vera ratio actus liberi; & tamen nullum horum actuum Deus præcipit,consulit, aut suadet: Vel secundo hoc esset, quia Deus est prima causa libera talium actuum,& hoc etiam non est satis, vt quatenus liberi moraliter, causentur à Deo: Quòd sane liquet ex eo quod statim dicebamus, Quia primus actus voluntatis,qui secundum aliquos non est liber,& omnes actus voluntatis hominis amentis,qui sunt necessarij, procedunt à Deo vt à causa libera;neque tamen sunt liberi aut morales.

¶ Hic modus dicendi sumpsit occasionem ex Magistro Cano lib.2.de locis ca.4.ad.8.Vbi ait, peccatum reuocari non posse in Deum vt in causam, quia pertinet ad genus moris, cuius Deus non est causa,neque naturalis. Quia moralia vt talia sunt, non possunt reuocari in causam naturalem:Neque etiam moralis propter rationem, quam nos modo attulimus.Veruntamen,hanc sententiam ex professo ostendit Ruard. Tapper Decanus Louan.ar.7.propositione.10.&.11. Pro hac sententia citatur Pater Soto.1. de natura & gratia cap. 18. sed fine causa quidem. *Ruardus Tapper.*

Hæc tamen sententia nunquam mihi arrisit, & eam vt falsam repellendam puto;Et iudico sentiendum esse,non solum Deum causare actum liberum secundum suam substantiam, sed etiam secundum modum,& secundum rationem formalem libertatis,& consequenter Deum efficaci suo auxilio,non tantum determinare voluntatem ad substantiam actus,sed etiam determinare & causare actum,quantum ad vltimam rationem & modum ipsius, etiam prout est humanus & liber. Hoc probant rationes omnes allatæ pro secunda sententia,potissime.1.&. 2.de efficacia diuinæ voluntatis.Et quidem, absurda quæ ibi colligebantur contra Dei prouidentiã, vix euitari possunt cum hoc modo dicendi.Pugnat rursus cum hac sententia ratio. S. Tho.6. metaphy. lectio.3.Vbi ait,quòd si aliquà causa facit effectum aliquem simpliciter in quantum talem, etiam est causa eorum omnium,quæ illi effectui, qua ratione talis est,conueniunt;sed Deus causat actum liberum voluntatis humanæ absolutè in quantum est ens: ergo causat in eo quidquid habet rationem formalem entis : Sed quòd actus sit liber, cum sit ratio intrinseca realis ipsius actus, vel saltem modus realis illius,claudit intrinsece rationem entis: igitur hęc ratio,& consequenter actus liber causatur à Deo.

Adducor etiam in hanc sententiam : Quoniam omnis perfectio simpliciter simplex,quæ inuenitur in creatura,causatur à Deo.Vndè,cum sapientia in nobis etiam sit simplex perfectio,ab omnibus conceditur,quòd vt talis causatur à Deo,& quòd sapiẽtia humana vt talis est, dicit ordinem ad diuinam: sed libertas in actu voluntatis est perfectio simplex: quia reperitur formaliter in Deo, quem de fide est habere liberum arbitrium,& omnia quæ producit extra se, libero actu voluntatis causare : ergo actus voluntatis creatæ quatenus liber est, causatur à Deo:Esset namque ridiculum & absurdum excipere à causalitate Dei eam rationem, quæ in actibus nostris est initium,& radix totius laudis & meriti, qualis est libertas.

Adducor rursus in eandem sententiam nostræ assertionis: Quia fundamentum aduersariorum circa modum dicendi illorum,quod paulo antea retulimus, licet ingeniosum & acutum sit; tamen sine dubio est falsum.Inquit enim præfata sentẽtia,ideo actus voluntatis vt liberos,à Deo non causari,quia præcisè & adæquate habent quòd sint liberi,prout egrediuntur à voluntate creata liberè imperante, & eliciente illos, ex eo quòd posita tali voluntate, ponitur actus liber;ea vero remota,remouetur:Hoc enim fundamentum si semel admittatur,necessario est concedendum,omnes actus immanentes, & vitales quatenus tales sunt,non causari à Deo, quod est omnino falsum.Nam actus præcisè & adæquate habet quòd sit immanens,ex eo quòd procedit vt à principio eliciente ab eodem subiecto, cui hæret, & habet quòd sit vitalis præcisè & adæquatè, eo quòd egreditur à principio quo agens viuit, constat autem Deum neque esse subiectum illius actus immanentis, neque esse principium quo formaliter viuit agens,quod elicit operationem illam vitalem:Sic ergo fieret, vt exciperentur ab efficientia Dei præstantissimæ operationes secundum perfectissimam rationem quam habent, vt sunt omnes actus animæ vegetatiuæ,omnes operationes sensus, intellectus,& voluntatis; Imo vero,omnes etiam effectus vniuoci, qui quatenus tales,non possunt procedere nisi à causa efficiente,quæ secum habeat eãdem rationem,quam constat non posse esse Deum, cum ipse sit causa æquiuoca.

Possem plura alia argumenta recitare, vt nostrã sententiam ab iniuria vindicaremus, sed ea legat Theologus locis supra citatis tam hic,quam.1. par.

*Solutio ad argumentũ & fundamẽtum aduersariorũquod hic plene dissoluitur.*

Non est tamen infimum argumentum nostræ assertionis si dicamus ad obiectionem & argumentum aduersariorum, Deum esse causam physicam & naturalem actus voluntatis etiam quatenus est liber & humanus, & hac etiam ratione illum per se causare;Neque est verum id,quod contra hoc obijcitur,nempe rationem liberi in actu volũtatis, non esse aliud quam denominationem extrinsecã. Nam sicut ratio vitalis in operationibus animæ est illis interna, qua ratione egrediuntur à principio viuente,sic etiam ratio liberi,est intrinseca actibus à voluntate procedentibus cum indifferentia,& cũ iudicio rationis.Neque rursus probatur mihi, illam rationem liberi consistere in relatione quæ sit extra essentiam actus, sed esse rationem formalem contentam intra essentiam ipsius actus: Sicut ratio immanentis & vitalis,est interna,intrinseca, & essentialis illis actibus,iis quibus reperitur. Nam sicut actio vitalis differt specie à non vitali, & immanens à trascunte;ita libera à naturali.

Et quamuis concederemus esse relationem,non sequitur rationem liberi in actu non causari à Deo saltem per accidens. Quoniam falsum est id quod assumunt aduersarij ad id probandum,nempe, actũ quatenus ex illo resultat relatio,non causari à Deo: Neque rursus hoc efficaciter probatur, ex eo quòd relatio fundetur in actu præcise,vt egreditur à voluntate creata : Sicut enim cõsultio & deambulatio,licet non habeant vltimas rationes formales talium actionum, nisi quatenus egrediuntur à peculiaribus principijs creatis,causantur nihilominus à Deo secundum vltimum gradum,qui in illis reperitur essentialiter;ita etiam ; licet actus non habeat quòd sit vitalis aut liber,nisi vt procedit à potentia & voluntate creata libera; causatur nihilominus à Deo secundum illas rationes longè melius & excellentius,quam ab ipsa voluntate. Neque tandem vlla ratione dici potest, filiationem quę reperitur in quacumque creatura genita, quatenus genita est,non causari à Deo, eo quòd ipsa relatio filiationis non fundetur in actu generationis prout est à Deo;sed prout est ab animali generante. Cur autem cum Deus sit causa actus humani vt liberi, non causet rationem peccati, quæ ipsum actum liberum consequitur, diximus in materia de peccatis.

*Conclusio.2.* Secunda conclusio. Quamuis Deus modificet omnem causam & omnem voluntatem,omnemque ipsius influxum in genere efficientis causæ suauiter & fortiter,quia attingit, vt ait Scriptura,à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter; tamen modificare in genere causę materialis,potest conuenire secundis causis secundum modum quę in se habent,hoc etiam Deo ita disponente.Ex quo etiam vlterius colligo,quòd quamuis voluntas per auxilium efficax à Deo mota,fit causa efficiẽs actus liberi;

liberi; tamen si operatio libera comparetur ad auxilium Dei, modificat & quasi determinat illud in genere causæ materialis ad hoc vt secum libere concurrat secundum exigentiam suæ naturæ; Et hoc ipsum prouenit etiam à Deo ita disponente & volente, vt operatio voluntatis libera in genere illo materialis causæ, modificet concursum, vt secum libere cõcurrat suauiter iuxta suæ naturæ modum.

Hæc conclusio partim traditur à nobis in commentarijs ad. 1. par. D. Thom. quæst. 14. articulo. 13. disputatio. 6. & hoc loco aperietur amplius. Est autem sensus ipsius, quòd auxilium efficax Dei, quatenus dicit motionem & influxum, & voluntas ipsa sua operatione libera saltem secundum rationem se inuicem modificant ex diuina ordinatione: Deus enim per auxilium, & motionem suam seu influxum effectiue determinat ad operationem; voluntas vero operatione sua libera quasi materialiter modificat atque determinat influxum illum diuini auxilij. Quocirca, si particula illa, Quia, dicat efficientiam, hæc est vera, Quia Deus efficaciter mouet voluntatem, ideo ipsa determinatur ad hoc opus. Si vero particula, Quia, dicat rationem causæ materialis, hæc etiam videtur vera, Quia voluntas elicit hunc actum liberum; idcirco Deus illam suauiter efficaciter mouet ad illum actum.

Quod dicitur de præmotione, & quasi determinatione voluntatis ab auxilio diuino in genere causæ efficientis, constat ex dictis in hac controuersia, & ex his quæ diximus supra quæst. 111. articulo. 3. disputatio. 1. 2. 3. & 4. & ex dictis etiam. 1. par. quæst. 23. articulo. 3. disputatio. 7. & 8. Id autem quòd modo asseritur de modificatione & quasi determinatione diuini influxus seu auxilij in voluntate recepti, per actum voluntatis in genere causæ materialis; est sententia D. Thom. qui postquam in locis initio primæ opinionis adductis dixit, Deum determinare voluntatem creatam ad omnes eius actus in genere causæ efficientis per efficax auxilium, docuit ipsum auxilium seu motionem Dei efficacem & influxum, modificari secundum rationem causæ materialis in secundis causis. Quocirca. 1. par. quæst. 14. articulo. 13. ad. 1. dicit, quòd si causa prima operaretur necessario, & secunda contingenter, effectus contingenter, & non necessario euenirent: Cuius rei ratio nulla alia esse potest, nisi quia motio primæ causæ modificatur, & quasi determinatur materialiter in secunda causa, eo quòd recipitur in illa Deo ita disponente, secundum proprium modum & naturam eius. Et quod hic dicitur de contingentia à D. Thom. dicendum est etiam de libertate. Imo vero, propria contingentia in voluntate, & in actibus eius liberis reperitur. Et. 1. 2. quæst. 9. articulo. 6. ad. 3. postquam explicuit, voluntatem ad suos actus effectiuè determinari à Deo, dicens, quòd nisi voluntas moueatur à Deo vniuersali motore, non potest aliquid velle; explicat, motionem, & influxum Dei materialiter modificari in voluntate, dicens, quòd voluntas per rationem se ipsam determinat ad volendum hoc vel illud. Et. 3. par. quæst. 1. articulo. 3. ad. 4. dicit, quòd prædestinatio supponit præscientiam futurorum, & quòd Deus prædestinat homines ad salutem implendam aliquando per orationes aliorum, quæ sane præsuppositio, necessario est explicanda secundum genus causæ materialis; cum tamen aliàs prædestinatio ipsa sit causa efficiens omnium futurorum, de quibus loquitur Sanctus Thomas hic: Et huius sententiæ est Caietanus. 1. par. quæst. 14. articulo. 13. §. Nec sustinendum, & quæst. 19. articulo. 8. vbi per similitudinem ad artificem, qui vtitur malo instrumento, docet, Deum per secundas causas non impediri, sed motionem & influxum eius modificari. Soto. 1. de natura & gratia capit. 15. ad finem, & toto cap. 16. & Pater Vega, de iustificat. q. 1. citata ad vltimum, idem sentiunt. *Soto. Vega.*

Huius etiam assertionis plures rationes à me adducuntur. 1. par. quæst. 14. articulo. 13. disputatio. 6. conclusio. 3. quas modo non libet iterum recitare. Ibi tamen attuli exemplum vt adumbrarem hanc difficultatem, quod modo adducam. Nã quando pictor eligit pennicillum, & disponit atque modificat ipsum pro sua voluntate ad pingendam imaginem, licet efficienter modificet omnia quæ sunt in illo; nihilominus tamen ipso pennicillo iam modificato, in se habet talem aptitudinem formaliter, ob id quòd est taliter dispositus à pictore, vt quando actualiter mouetur & artificiosè à pictore secundum modum quem habet, sequatur effectus: igitur iste modus qui intimè est in qualibet causa, quamuis à Deo sit electus; & determinatus; nihilominus in genere causæ materialis modificat concursum, & influxum in se receptum. Nam profecto, ego hunc modificaui calamum ad has literas taliter exarandas; & licet modus ipsius calami fuerit sub electione mea, & à me processerit efficienter; nihilominus cum actu scribo, concursus meus materialiter modificatur à calamo secundum modum; quem ego perfixi & elegi: igitur quamuis omnia fiant sicut Deus voluit & disposuit, omnia modificando; nihilominus quoniam secundæ causæ in se ipsis habent formaliter, & actualiter diuersos modos causandi; recipiũt quidem influxum, & motum secundum modos sibi proprios, & ita passiuè dicuntur modificare; quia nè modificandi modus etiam est à Deo, ita disponente & eligente.

Tandem probatur conclusio. Nam cùm Dei concursus ea præcise ratione qua egreditur à Deo, sit à causa extrinseca, quam operari vel non operari, non est in potestate nostra, certe, si concursus iste non modificaretur, vt infra explicabitur, & aliqua ratione determinaretur à nostra voluntate saltem secundum rationem causæ materialis, vix aut nullo modo posset saluari arbitrij nostri libertas, & vix dissolui possent argumenta aduersariorum, vt patebit cum ea inferius soluerimus.

Ex quibus omnibus constat, quonam pacto cũ efficacia concursus diuini possit saluari libertas arbitrij, & voluntatis humanæ. Dicendum est enim Deum suo concursu efficaci, effectiuè determinare voluntatem creatam ad omnem eius actum liberũ prius secundum rationem in illo genere, quam voluntas se ipsam determinet; hoc tamen ab ipsa volũtate respectu propriarum operationũ, non aufert libertatem, propter duo: Alterum est ex parte voluntatis diuinæ, cuius tanta est efficacia vt non solum velit voluntatẽ operari, sed etiã hoc modo operari, scilicet



scilicet, liberè. Vndè, necessariò sequitur vtrumq; in ipsa operatione volũtatis. Alterum autem est ex parte ipsius voluntatis creatæ, quæ recipiendo in se ipsum concursum diuinum secundum propriã naturam, & modum operandi, ita illud modificat secũdum rationem causæ materialis, & quasi determinat, vt non nisi liberè recipiatur.

*Obiectio. 1. aduersariorum.* Obijciũt nihilominùs aduersarij calumnias quasdam, in contra hanc modificationem, quæ à voluntate liberè operante fit. Prima calumnia est. Dei volũtas per suum efficax auxiliũ, efficacior est respectu eorum omnium quæ sibi subijciũtur, quam sit liberũ arbitrium hominis respectu membrorũ externorũ, & omniũ instrumentorũ, quæ subiecta habet: sed liberum arbitriũ propter efficaciã quã habet in operando, à nullo istorum modificatur: ergo multò minùs voluntas Dei efficax; cùm voluntatem creatam mouet ad actus liberos. Minor probatur. Quoniam pictor. v. g. cùm per arbitrium suum, & artem operatur, ipse est qui modificat membra, & instrumenta, dum adaptat pennicillum, præparat colores, mouet manum, & determinat ideam quam habet in mẽte ad depingendam imaginem: Volũtas autem, & ars pictoris, à nullo istorum vlla ratione modificatur: ergo, &c. ¶ Secundò obijciunt. Causa quæ ab alia modificatur, non determinat se ipsam ad productionẽ effectus: sed voluntas diuina medio suo concursu, & medio auxilio efficaci, determinat se ipsam ad omnes actus, quos in volũtatibus creatis producit: ergo non modificatur ab ipsis creatis voluntatibus liberè operantibus, & agentibus. Et confirmatur: Quia ridiculum & absurdum est dicere, cõcursum & motionem Dei, indifferenter se habere ad varios effectus, præsertim ad diuersos actus voluntatis, nõ secus quã influxus Solis indifferenter se habeat ad varios effectus productos incorporibus inferioribus. Cùm enim hoc in Sole sit imperfectio, non est Deo tribuendũ. ¶ Tertiò aliam calũniam obijciunt: Quando aliquid modificatur ab alio in aliquo genere, eius operatio pendet à modificante in eodẽ genere: sed operatio & causalitas Dei à nulla secunda causa vlla ratione dependet: ergo motio Dei, & cõcursus efficax, nulla ratione ab agente aliquo creato modificatur; imò verò cùm sit independens, neque modificari potest. *Obiectio. 2.* *Obiectio. 3.*

Authores aduersarij, qui has obijciunt calũnias, fortè propriam vocem ignorant: Quid enim aliud est superiorem causam modificari in inferiori, seu ab inferiori, quam concursum superioris recipi in inferiori, non alia ratione quã secundũ naturã, modum, & exigentiã ipsius causæ inferioris? Et hinc est quòd quia ignis non est agens liberum, Dei cõcursus non recipitur liberè in igne, sicut quando agẽs non est vitale, concursus Dei non potest in ipso recipi vitaliter; Cùm igitur natura & modus operandi in voluntate creata, habeat libertatẽ, concursum Dei recipi in voluntate ipsa, secundum naturam & modum operandi quem habet, nihil erit aliud, quã concursum ipsum in voluntate creata tanquã in libero agẽte modificari, quod sanè à nullo negari potest; Alias quomodo erit verum dictũ S. Tho. suprà citatũ ex. 1. p. quòd si causa prima operaretur necessariò, & secunda contingenter, aut liberè, effectus ab vtraq; productus non esset necessarius, sed liber, vel contingens: cùm igitur verũ sit, ob id verificari debet, quia causa prima, ita attemperatur & modificatur cum secunda, vt operatio primæ sequatur modum operandi secundæ. Quapropter, quotiescunq; Sanctissimus Præceptor, tradit modum, quo cũ præscientia, prouidentia, & prædestinatione, & efficaci voluntate Dei saluatur libertas & contingentia in operationibus creatis, hoc idcirco esse affirmat, quoniam Deus effectibus contingentibus, parauit secũdas causas contingẽres, sicut effectibus liberis liberas, in quibus secundis causis Dei influxus & cõcursus, ipso ita disponente, in modo operãdi conformaretur & aptaretur. Et ita, quãnis primã radicẽ cõtingentiæ collocauerit S. Th. in efficacia diuinæ volũtatis; modus tamẽ secundũ quẽ effectus habet quòd sit liber, vel contingens, secundũ eundẽ D. Th. desumitur ex causa secunda, à qua contingenter, vel liberè effectus ipse producitur. De qua re fusiorẽ interpretationẽ, & maiorẽ sermonẽ habuimus. 1. p. q. 14. ar. 13. & q. 19. ar. 8. & q. 22. ar. 4. & q. 23. art. 3. 4. & 5.

*Ad obiectiones aduersariorum.* His ergo præiactis, nõ erit difficile dissoluere aduersariorũ calumnias. Ad primã respondetur, quòd illa maior efficacia quæ est in diuina volũtate, respectu omniũ quæ sibi subdũtur, quã in libero arbitrio respectu externorũ mẽbrorũ, & instrumentorũ, & etiã in arte; in hoc consistit, q̃ cõcursus, influxus, & motio diuinæ voluntatis efficacis, licèt modificari possit; tamẽ impediri nõ item, iuxta illud Pauli, Volũtati eius quis resistet? quod qua ratione sit intelligendũ in sensu cõposito, sæpiùs diximus in superioribus; At verò motio liberi arbitrij & artis, non solũ modificatur, cuius oppositũ falsò dicitur in argumẽto; sed etiã plerũq; impeditur propter ineptitudinẽ & improportionẽ membrorũ, aut instrumẽtorũ. Et ad probationẽ dicendũ, q̃ solũ ostendit, artificẽ per liberum arbitriũ & artẽ, modificare & præparare instrumenta in genere causæ efficiẽtis, quod nõ tollit quominus voluntas & ars semper modificentur in genere causæ materialis ab ipsis instrumẽtis, & plerumq; ab eisdẽ impediãtur, vt patet in exẽplo à nobis suprà tacto, & in exẽplis à Caiet. adductis. 1. p. q. 19. art. 8. Id etiã aduerte, quòd talis modificatio quæ est in instrumẽtis, procedit ex electione artificis, & ita cõtingit in creaturis, q̃ modificatio illa materialis, procedit ex electione Dei: & ob id propriè loquẽdo, Deus est qui dicitur modificare secundã causam, & liberũ arbitriũ. *D. Paulus.*

*Ad secundã* ¶ Ad secũdã calũniã seu obiectionẽ respõdetur, nullũ esse incõueniens, q̃ causa quæ nõ solũ determinat se, sed etiã omnes alias inferiores sibi subditas in genere causæ efficiẽtis, modificetur à causa inferiori, secundũ rationẽ causæ materialis, ex ipsius superioris causæ ordinatione, electione, & dispositione, vt in exẽplo à nobis allato liquet. Dico nõ esse inconueniens, quòd modificetur materialiter, per hoc soluth; quòd ipsius motio & influxus recipiatur in ipsa causa inferiori secundũ naturam, modum, & exigentiam illius, quod ostendimus fieri, in concursu & influxu Dei recepto in volũtate. *Ad confir.*

¶ Ad confirmationẽ dicendũ, quòd concursus & influxus Dei impẽditur à Deo, secũdũ modũ quẽ præfixit ipse in causis secũdis, & quẽ voluit esse. Vndè, ipse cõcursus vt abstrahit à necessario, cõtingẽti, & libero, eminẽter cõtinet vim omniũ: & ita respectu causarũ & effectuũ variè se habet. Nam

ad necessarios effectus naturales cum causis necessarijs simpliciter, per modum necessitatis impenditur; cùm verò concurrit cum liberis & contingentibus, secundùm rationem liberi, tribuitur & donatur. *Ad tertiam* ¶ Ad tertiam calumniam respondetur, non esse absurdum dicere, quòd ipsum auxilium seu cõcursus Dei quatenùs concurrit ad causandam operationem, quæ etiam egreditur à secunda causa, pendeat ab eadem causa in qua recipitur, materialiter quidem seu in genere causæ materialis: Imò verò hoc est necessariò affirmandum, sicut asseritur de concursu Dei ad actum vitalem, qui necessariò recipitur in potentia vitali, & solus Deus non posset has operationes vitales, vt sic producere sine potentia viuente & vitali. Huius argumenti solutio & vis, traditur à me. 1. part. quæst. 14. art. 13. disput. 6. in discursu tertiæ conclusionis, vbi plures alias dedimus solutiones. Certè, si sermo sit de actione Dei quæ est ipsius substantia, hæc à nullo pendet nec dependere potest, nec modificari: Si verò sit sermo de actione ad extra, prout est ipse influxus, concursus, & motio Dei recepta in causa secunda, cùm hæc sit aliquid extra Deum & eius effectus, non est inconueniens quòd modificetur à secunda causa passiuè materialiter, ex Dei electione id ita disponentis.

*Obiectio.* ¶ Quòd si obijcias, Omnis causa cuius actio modificatur ab aliquo, pẽdet ab illo in aliquo genere causæ in sua operatione: sed Dei voluntas in sua operatione non pendet ab aliqua causa: ergo eius actio non modificatur ab aliquo. *Solutio.* Ad hoc argumentum quod redit in idem, eadem solutione responderi potest. Vel responderi potest secundò, distinguendo maiorem. Nam si illa modificatio non est prius à causa prima volita, vera est maior; si verò modificatio illa est prius facta, volita, & electa à prima causa, neganda est maior. In proposito autẽ, Deus prius modificat causam, & dat illi rationem materialiter modificandi, & ita non dicitur pendere ab illa propriè, penderet autem si illi non dedisset hunc modum materialiter modificandi, quem in se habet.

*Ad argum.* Ad argumenta quæ statim post exordium quæstionis sunt posita. Quoniam hoc loco adducuntur aliquando ex diuina Scriptura nõnulla testimonia, quæ inter arguẽdũ sunt citata, & adducta à Sãctis, *Ad testimonia sacræ Scripturæ.* respondetur ad illa, quòd vt Deus ex pluribus & diuersis rebus proponat volũtati creatæ, vt eligat quã ipsa maluerit, satis est tum efficacia diuinæ voluntatis auxiliantis, quæ nõ solum causat & præmouet ipsam electionem voluntatis: sed etiam omnẽ illius modum, acproinde eius libertatem; Tum etiam, quia concursus & auxilium Dei, ita suauiter in voluntate recipitur, vt ipsam non moueat, nisi secundùm quòd apta est moueri, scilicet, cum libertate. *Ad testimonia Sanctorum.* ¶ Ad Sanctorum testimonia dico, quòd Damascenus, vt eum explicat Sanctissimus Præceptor. 1. p. q. 23. artic. 1. ad. 1. cùm dicit, Deum non prædefinire, aut prædeterminare ea, quæ sunt in nostra potestate, loquitur de prædiffinitione aut prædeterminatione imponente necessitatem, vt patet ex eo quod paulò inferius subdit dicens: Non enim impellit ad malitiam, neque cogit ad virtutem. Chrysosto. verò, in priori loco quem ex eo citauimus apertè videtur esse oppositæ sententiæ. Quocircà, potiùs sentiendum est nobis cum D. August. in hac re. Cùm autem ipse & reliqui suprà citati dicunt, ideo actus liberos voluntatis creatæ à Deo cognosci, quia illi futuri sunt; si particula, Quia, dicat prioritatem realem secundum esse cognitum & obiectiuum, aut prioritatem secundum genus causæ efficientis, negari debet id quod ab illis asseritur. Nam cùm Deus per intellectum & voluntatem causet illos actus, etiam vt liberos, est inintelligibile eos cognosci vt futuros, priùs quam cognoscatur, quòd Deus illos intelligit & vult. Si verò sensus sit, quòd Deus non cognoscit tales actus habere plenam rationẽ libertatis ea præcise ratione qua egrediuntur à Deo, vt à prima causa, sed quatenus & ab illo, & à voluntate eliciente procedunt, in qua concursus Dei modificatur, vt dictum est; hoc est verum: sed non est contrarium nobis, vt constat ex dictis, & consequenter neque illud quod ex Sanctis citatur ad hoc propositum. ¶ Augustinus, Chrysostomus, & Iustinus, solùm loquuntur de peccatis, quæ nulla ratione causantur à Deo, & de quibus hic nulla est quæstio prorsus. Hieronymus, Origẽnes, & Beda, videntur loqui de omnibus actibus liberis sine differentia vlla, & idcirco in illis potiùs habet locum distinctio tacta; De qua etiam re legenda sunt quæ diximus. 1. par. quæst. 14. artic. 1. disputa. vnica, propè finem. ¶ Dico secundò, quòd ad hoc vt isti actus etiã vt liberi ita causentur à Deo, vt ipse per præscientiam, voluntatem, & prouidentiam non auferat libertatem, sed magis cum his actibus Dei solùm sit in operibus humanæ voluntatis, illa necessitas qua dicitur, quòd res quãdo est necessè est esse; satis est efficacia diuinæ voluntatis, qua non solum vult actum secundum substantiam, sed eius libertatem, & etiam modificationem diuini concursus in voluntate ipsa, iuxta modum antea dictum.

Ad primam rationẽ, quæ potissima est in opinione aduersariorum, vt ei satisfaciamus aduertendũ est, duo nos posse considerare in concursu, seu efficaci auxilio Dei respectu actionis liberæ. *Ad 1. ra.* Primum est infallibilitas illius, & hæc necessariò est concedenda, nam eam aperte concedit D. August. quem maximè sequimur, vt Patronum in hac parte lib. de correctio. & gratia, cap. 14. Quo loco dicit, voluntatem humanam non posse resistere diuinæ, quia magis Deus habet in sua potestate voluntates hominum, quam ipsi suas. Et lib. 2. de peccator. meritis & remissione, capit. 5. & de prædestinatione Sanctorum, capit. 5. & 6. & de spiritu & litera, cap. 34. loquens de causa conuersionis ad Deum, quam infallibiliter sequitur effectus, ait, quòd idcirco quidam conuertuntur ad Deum, & alij non, quia Deus quibusdam confert gratiam, scilicet, efficacis auxilij; quibusdam verò non confert: & hanc infallibilitatem docet Diuus Thomas. 1. 2. quæstione. 112. articulo. 3. Cæterùm, infallibilitas hæc non imponit necessitatem ipsis actibus, neque pugnat cum libertate eorum, vt statim aperiemus & ostendemus. Secundò potest considerari in auxilio respectu ipsius actus, necessitas pugnans cum libertate ipsius actus, quæ sanè necessitas nulla ratione inuenitur in ipso auxilio; quod planè liquet ex eodẽ August. 12. de Ciuit. capit. 6. Vbi petit, si duo aliqui æquali affectu in anima & corpore, & æquali tentatio-



tentatione videant alicuius fœminæ pulchritudinẽ, & ea visa vnus moueatur ad illicitè cõcupiscẽdum, & non alter, Cur hæc motio in vnò sit, & non in altero? Respondet Aug. quòd inuestigatis omnibus causis, nulla alia apparet ratio, quã quòd vnus vult & non alter. Itaque ratio est, hunc in castitate voluisse permanere; illum verò minimè. Et lib. 2. de peccator. meritis. c. 17. quærens, Cur homo non diu viuat sine peccato, cũ possit? Respondet, quòd quia ipse non vult, & tamen sine efficaci Dei auxilio nõ potest id: ergo non reperitur necessitas respectu actus cum libertate pugnãs: ergo vtrumq;, scilicet, auxilium, & libera voluntas, sunt causa boni actus liberi. Et quando D. Aug. reuocat actum in auxiliũ, assignat illius causam primam efficacem & præcipuam; non tamen negat voluntatem creatam vt motam à Deo per auxilium, esse etiam eiusdem actus causam inferiorem, minùs efficacem, & minus præcipuam: & hoc idẽ docet S. Tho. 1. 2. q. 10. art. 4. ad 3. ¶ Ad rationem igitur aduersariorum respõdetur, quòd licèt ex efficacia & prioritate quam assignauimus in auxilio Dei respectu actus prout egreditur à voluntate, sequatur infallibilitas ipsius actus, quæ cũ eius libertate cohæret; non tamen sequitur necessitas quæ cum hac libertate pugnat. Et quãdo probatur oppositum, quia posito auxilio efficaci, volũtas non manet potens ad non operandum, vel operandum in oppositam partem; respondetur, quòd volũtas solùm in hoc sensu dicitur non manere potẽs, quòd videlicèt posito auxilio quo mouetur ad operandum, possit poni in actu ipsam non operari, aut operari in partem cõtrariam ei ad quã mouetur per ipsum auxilium. Et in hoc sensu est verum id quod communiter conceditur, illam non posse in oppositum operari supposita motione efficaci, Quod est dicere, in sensu composito. Et hoc etiam ostendit id quod dicitur in ratione, nempe, quòd pugnat Deũ mouere efficaciter voluntatẽ, & ipsam non moueri efficaciter à Deo; Nam mouere & moueri sunt relatiua. Et hoc etiam est id quod Sanctissimus Præceptor dixit loco citato in argumento; non tamen est impossibile simpliciter quòd voluntas non operetur, aut operetur in oppositam partem; Quod est dicere. Hæc copulatiua est impossibilis, Deus mouet efficaciter voluntatem, & voluntas nõ operatur id ad quod Deus illam mouet: Hæc autem non est impossibilis, sed vera, Deus mouet voluntatem efficaciter ad operandum, & voluntas potest nõ operari. Et huius rei ratio est efficacia diuinæ voluntatis, & suauitas Dei in operando, qua auxilium ita accommodatur & attemperatur causis secundis, vt cũ necessarijs necessariò, cũ liberis liberè concurrat. Sensum primæ copulatiuæ significauit S. Tho. loco citato hoc verbo, poni; Sensum verò secũdæ, hac particula, simpliciter. Et hoc etiam est id quod communiter dicitur, nẽpe, quòd posito efficaci auxilio voluntas non potest non agere, vel in oppositum agere in sensu composito; manet tamen potens simpliciter & in sensu diuiso. ¶ Et ad replicam contra hãc solutionem factam respondetur, illam nulla ex parte inclinare in errorem hæreticorum. Nam ex prioritate quam habet auxilium efficax, in nostra sentẽtia, vt egreditur à Deo, respectu operationis vt procedit à voluntate, non sequitur illa necessitas, quã hæretici fatentur & ponunt propter prædefinitionẽ & decretum Dei in operibus voluntatis creatæ: Ponunt namq; hæretici necessitatem auferentẽ libertatem, quam nos negamus. Vndè, hæretici non solũ dicunt, quòd Deo mouente efficaciter voluntatẽ, non stat quòd ipsa non moueatur & operetur; quia hoc inuoluit sensum compositũ, vti diximus: Sed etiam dicunt, hanc propositionẽ esse impossibilẽ; Deus mouet voluntatem ad operandum, & ipsa potest non operari, quod nos cum eodẽ D. Tho. negamus esse impossibile; Imò, cum illa de inesse stat illa de possibili, quòd potest non operari. Vndè, libertas voluntatis non solùm cõsistit in hoc quòd ante receptionem auxilij efficacis, volũtas sit indifferẽs ad operandũ vel non operandũ, & ad operandum hoc vel illud ex natura sua, sed potissimè consistit in hoc quòd etiã mota à Deo efficaci motione propter efficaciam causæ mouentis, & propter naturã & modũ operandi ipsius voluntatis, licèt de facto operetur; possit tamen non operari; & propter has duas rationes, licèt moueatur voluntas à causa efficienti extrinseca; tamen quòd illa motio habeat efficaciã, positum est in suauitate diuini concursus, & in cooperatione voluntatis motæ, iuxta libertatẽ & modũ suæ naturæ. ¶ Quòd verò posito efficaci auxilio vt procedit à Deo, possit voluntas non operari simpliciter & in sensu diuiso, vt explicatũ est, licèt sit obscurũ; explicari tamen potest exemplis. Nam confirmati in gratia, in eo statu sunt vt simul cũ confirmatione ipsa non possit admitti, quòd peccet mortaliter de facto. Dicendũ tamen est, quòd absolutè possunt peccare; aliàs non vitabunt liberè peccatũ. Rursùs, posito imperio efficaci intellectus quo mouet voluntatẽ ad opus, non potest admitti quòd voluntas nõ eliciat illud opus; cũ tamen possit nõ elicere; aliàs non operabitur liberè. Tandẽ, supposito quòd Christus habuerit præceptũ moriendi pro nobis à Patre, non potest simul cõcedi cũ hoc, quòd de facto nõ acceptauerit mortẽ stante præcepto: Cæterũ, quia liberè acceptauit dicendũ est, quòd in sensu diuiso potuit velle nõ mori. Sic ergo cũ efficaci motione Dei non est admittendũ quòd volũtas nõ operatur; Admitti tamen debet quòd potest nõ operari, & idcirco Conc. Trid. sess. 6. c. 5. loquens de homine qui *Conc. Trid.* iustificatur per gratiã adiuuantẽ, quæ est auxiliũ efficax, prudentissimè & consultò nõ dixit, quòd dissentit aliquando, sed quòd potest dissentire si vult. Et hæc etiã est ratio cur volũtas positis omnibus requisitis ad agendum, quorũ vnũ est efficax auxiliũ, potest operari & nõ operari; ac proinde est libera. Quoniã libertas in hoc consistit, vt rectè dicitur in argumento. ¶ Et non est audiendus Almayn, qui in moralibus. c. 1. & 2. dixit, efficacẽ Dei motionẽ nõ esse de prærequisitis ad hoc vt volũtas operetur, sed potiùs comitari, aut sequi eius operationem. Nam contra hoc est, quòd eiusmodi auxilium est causa operationis prout egreditur à voluntate, vt supra ostendimus, & ex cõsequenti est prius, quod est idẽ quòd prærequisitũ. Quòd si secus esset, nunquã perueniremus ad sufficientẽ numerũ prærequisitorũ, ad hoc vt volũtas posset operari & non operari. Nã ante auxiliũ efficax, voluntas nõ operatur illud opus, neq; operatur à se ipsa, neq; sine auxilio illo potest operari; post illud verò, vt etiam fatetur Almaynus,

non potest non agere: ergo nunquam habet prære quisita quibus possit operari & non operari; ac proinde nunquã est libera. ¶Ad secundam rationẽ respondetur, falsam esse maiorẽ. Nam quando Deus mouet causam inferiorem vt operetur necessariò, non tantum per efficaciam sui concursus determinat operationem secundum rem, sed etiam modum ipsius operationis, quòd scilicet sit necessaria, cõtingens, vel libera. Quòd si Deus per imposibile tantum determinaret actionem, & non modum illius, voluntas non ageret, quia nõ esset maior ratio quare potiùs ageret hoc, quam illo modo. Secundò respondetur, quòd si Deus vellet necessitare voluntatem nostram, non solùm moueret illam efficaciter in vnam partem, sed etiam moueret ita impellẽdo, vt non suauiter iuxta modum suæ naturæ, neq; permittendo materialem illam modificationem, quam diximus fieri in voluntate libera vt sic. ¶Ad tertiã rationem aduersariorum respondetur, quòd ex eo quòd Deus ab æterno prædefiniat & prædeterminet quid agendum sit à libero arbitrio, vel ex eo quòd Deus determinet & decernat priùs aliquid ad hoc vt voluntas creata se ipsam in hanc vel illã partem determinet; priùs inquam quã volũtas creata se determinet ad hunc vel illum actum, nõ sequitur aliquod absurdum ex his quæ inferuntur in argumento. Primum enim inconueniens solutum relinquitur ex supra dictis ad primum, quod desumebatur ex testimonijs Scripturæ. Secundum verò quod colligebat Faustus, nempe, hominem nõ nasci iudicandum, sed etiam iudicatum, etiam non sequitur. Quia Deus æterno illo suo decreto non solum definit operationem volũtatis creatæ, sed etiã illius modum, scilicet, libertatem. Imò verò, cùm decernit Deus se collaturum auxilium efficax voluntati, pariter determinat hoc ipsum auxilium modificandum esse in voluntate. Quoniam recipitur in illa secundum illius naturam & exigẽtiam. Quare, iudicandus est homo à Deo secundũ bona opera, quæ sanè licèt ea fecerit vt motus ab ipso; tamen fecit ea libere propter duas causas suprà tactas, nẽpe efficaciam diuini concursus, & modificationem eius in voluntate, & propter mala quæ homo ex se ipso facit in tẽpore, & præuidetur facturus in æternitate. ¶Neq; rursus sequitur tertium inconueniẽs. Quoniam vt in priori difficultate huius quæstionis, vt in secunda conclusione interpretatum est à nobis, Deus quantum est ex se paratus est conferre omnibus auxilia efficacia, & hoc propter merita Christi. Vndè fit, vt quantum ad sufficientiã voluerit, Christum esse omnium redemptorem. Diuersitas autem, cur quidam à Deo moueãtur efficacibus auxilijs; alij verò non item, id non accipi debet ex parte voluntatum humanarum, quarum nonnullæ ante motionem ipsam efficacem Dei solis auxilijs sufficientibus excitatæ ad benè operandum, se determinent vt iam ostensum est; sed illæ quæ ad iustificationem disponuntur, hoc quidem habent ex efficaci motione priore suis operationibus; ita vt in illis priùs saltem secũdum rationem sit, quòd Deus eas efficaciter moueat, quam quòd illæ operentur; in illis verò quæ non disponuntur, priùs sit quòd ipsæ deficiant, quam quòd Deus, qui erat aliàs paratus concurrere, non concurrat. ¶Sed dices: Priùs est, quòd Deus permittat hunc deficere, quam quòd ipse deficiat. Respondetur, verum esse permissionẽ Dei esse priorem, illa tamen Deus non immittit aliquid voluntati deficienti, sicut immittit ei quã efficaciter ad benè operandum mouet; sed solum dicitur permittere, quia voluntatem deficiẽtem, in sua potestate & facultate ita relinquit, vt non conferat ei copiosum & abundantius auxilium, quod si contulisset, cognoscit eam voluntatem benè esse operaturam, & ad se ipsum esse conuertendam. Vndè, cũ hoc non conferat, dicitur permittere vt liberè operetur defectuosè pro suo arbitrio. ¶Et hoc eodẽ pacto philosophandum & cẽsendum est quod omnes Theologi & Patres docent, omnibus quidẽ quantũ ad sufficientiam & salutem profuisse; non tamẽ omnibus quo ad efficaciam & executionem salutis & æternæ vitæ. ¶Rursùs non sequitur quartum absurdum, nempe, quòd voluntas Dei conuertens hunc & non illum, sit irrationabilis: Si enim irrationabile sumatur contrariè vt communiter accipitur pro eo quod est contra rationem; satis constat, Deum in hoc non irrationabiliter agere; quia conuertendo vnum, & relinquendo alium, contra nullam legem rationis aut iustitiæ facit, siquidem neutri debet cõuersionem; Si verò irrationabile accipiatur priuatiuè pro eo quod caret ratione cùm eam habere debeat; etiam in hoc sensu est falsum, voluntatẽ Dei esse irrationabilem. Quoniã falsum est quòd ex parte ipsorum hominum debeat habere Deus rationẽ ad conuertendum vnum, potiùs quã alterum, neq; oppositum huius probat argumentum. Si tandẽ irrationabile sumatur præcisè negatiuè, pro eo quod nullã omnino habet rationem, etiam est negandũ, quòd sine vlla ratione omnino, temerè & inconsultò Deus voluerit hunc potiùs quã illũ conuertere. Quoniã D. Aug. cùm super caput. 6. Ioan. dixit, Quare hunc trahat, & illum non trahat, noli iudicare si non vis errare; non negauit Deum vlla ratione hoc facere: Quia id fecit sicut sibi placuit, & ex ratione suæ diuinæ prouidentiæ: sed solũ negauit huius rei esse rationem, quæ vel sit à nobis, vel quæ à nobis possit cognosci. Et lib. de bono perseuerã. c. 8. & de prædestina. Sanct. etiã. c. 8. quòd ex duobus peccatoribus conuertat Deus potiùs vnum quam alterum, retulit ad inscrutabilia iudicia Dei. Quamuis ergo ex parte ipsorũ hominum nulla sit omnino inæqualitas, & quòd amplius est, licèt ab æterno Deus nouerit, vnũ multò pluribus & grauioribus peccatis fore implicandũ, quã alterum, nõ facit sine ratione si conuertat alterũ ex ęqualibus, aut etiã magis peccatorem. Nam cùm diuina voluntas sit causa bonitatis quæ est in creaturis, hinc habet aliquid vt sit melius alio, quia Deus illi vult maius bonum, vt docet D. Thom. 1. part. quæst. 20. art. 4. Neque intelligendum est, dilectionem aut electionem Dei præsupponere bonitatem in creaturis ad hoc, vt diligantur, vel eligantur; sed potiùs sua dilectione, aut electione Deus in illis bonitatem causat. Et ex his cõstat solutio ad reliquas omnes obiectiones in eodem argumento contentas.

¶Ad quartam obiectionẽ eorundẽ aduersariorũ dicẽdum, quòd ob id quòd dicatur Deus adiũuare nos in conuersione nostra, nõ rectè satis colligitur, quòd voluntas nostra ante illius efficax auxiliũ se effectiuè determinet ad conuersionem ipsam. Et ad probationem oppositi respondet S. Thom. 1. p. q. 23. art. vlt. ad. 2. quòd in Scripturis nos dicimur adiuuari à Deo sicut iuuantur impotentes & infirmi: Quia scilicet, & accipiunt vires, & mouentur ab ipso adiuuante: Et hac ratione nunquam dicitur in Scriptura, quòd Deus adiuuetur à nobis; in alio tamen sensu dicitur à nobis adiuuari, quatenus, scilicet, vt primũ agens & prima causa vtitur nobis tãquam secũdis agentibus & causis, & etiam vt ministris & instrumentis ad actiones nostras exercendas. Quo sensu dictum est à Paulo. 1. Corinth. 3. Dei enim adiutores sumus: & ita verum est, quòd in diuersis generibus causarum, vt explicuimus, efficax auxilium Dei, & voluntas creata, se mutuò modificẽt, & quasi determinent in sensu superius explicato.

De difficultate huius septimæ disputationis hæc dicta esse sufficiant; plura tamẽ alia nos diximus suprà q. 111. art. 3. & 1. p. q. 23. art. 3. disp. 7. 8. & 9.

*Ad secundã* · *Ad tertiam* · *D. Augu.* · *Ad quarta[m]*



## ARTICVLVS III.

*Vtrùm necessariò detur gratia præparãti se ad illam, vel facienti quod in se est?*

PRima conclusio. Si sit sermo de præparatione secundum quòd est à libero arbitrio, non datur illi necessariò nec infallibiliter gratia. ¶Secunda conclusio. Loquẽdo de præparatione ad gratiam secundum quòd est à Deo mouente per auxilium suum speciale, necessariò cõsequitur gratiam ad quam ordinatur ex intentione Dei, nõ quidẽ necessitate coactionis, sed necessitate infallibilitatis.

## DISPVTATIO I.

*Vtrùm disponenti se ex naturalibus, detur gratia infallibiliter?*

HÆc controuersia mouetur propter priorem assertionem D. Th. & propter axioma commune, quod in ore omnium Theologorũ versatur, Facienti quod in se est, Deus nõ denegat gratiam. Ex quo plerique Theologi colligunt, quòd siquis nutriatur in siluis, aut in remotissimis locis vbi nunquam fuit prædicatum Euangelium, & seruet legem naturæ, vt meliùs potuerit per vires quas habet naturales, ille inspirabitur infallibiliter à Deo per illustrationem internam, vel per prędicationem externam, vt gratiam iustificationis cõsequatur. Ità expressè dicit Sanct. Thom. de verita. quæst. 14. art. 11. ad. 1. & Altisiodor. lib. 3. suæ summæ tract. 2. cap. 5. Alens. 2. part. quæst. 129. membr. 8. & 3. part. quæst. 69. membr. 5. artic. 3. Gabr. in. 2. distinct. 22. quæst. 2. dub. 1. & distinct. 27. quæst. vnica, concl. 4. & dub. 4. Quo loco citatur pro eadem sententia Alens. ¶Sanè, in actibus Apostolorum, cap. 10. & 16. habetur, quòd cũ Cornelius & Macedones se exercerent in operibus moraliter bonis prout poterant viribus naturæ, Deus statim ad eos misit fidei prædicatores, ad quorum prædicationem sunt conuersi & iustificati: ergo ita infallibiliter fiet cum omnibus, qui rectè vsi fuerint libero arbitrio prout potuerint per vires naturæ. ¶Secundò arguitur. Nam qui facit quantum potest per vires naturæ, non ponit obicem gratiæ: sed Deus infallibiliter dat gratiam non ponentibus obicem, vt Sancti omnes & Scripturæ videntur clamare; Quod etiam apertè docet Sanct. Thom. 1. 2. quæstione. 79. articulo. 3. & quæstione. 109. articulo. 8. ad. 1. & 3. contra gent. capit. 160. ¶Tertiò arguitur ex doctrina D. Thom. 1. 2. quæst. 89. artic. 6. Vbi dicit, esse præceptum naturale, seu iuris naturæ quòd cùm primum aliquis accedit ad vsum rationis, debet se in Deum conuertere, quòd si conuertatur, statim iustificatur; si verò non conuertatur peccat mortaliter contra præceptum naturale: Sint ergo duo homines qui perueniant denuò ad vsum rationis, & vnus impleat præceptum illud, alius verò negligenter se habens, non impleat; Tunc sic argumentor. Ille qui conuertitur & statim iustificatur non habuit in illa conuersione aliquod obiectum supernaturale, sed solùm naturale: ergo illius præparatio ex viribus liberi arbitrij, est sufficiens dispositio, vt secundum legem ordinariam iustificatio sequatur statim & gratia. Consequentia patet ex ipsa sententia D. Thom. Antecedens ostendo. Quia præceptum illud quod pro tunc tenetur adimplere, est merè naturale, scilicet, conuertendi se ad bonum cognitum lumine naturæ. Et confirmatur: Quia si non se conuertit, solum peccat contra obiectum & præceptum naturale, neque propter aliam rationem condemnabitur si moriatur in illo peccato: non igitur habuit supernaturale aliud obiectum sibi propositum; aliàs esset infidelis positiuè, & peccaret speciale peccatum infidelitatis. ¶Quartò arguitur. Nam si præparatio gratuita efficax Dei, necessaria esset vt homo conuerteretur, & non sufficerent vires naturæ; sequeretur, quòd omnes qui non conuertuntur, excusarentur à peccato. Probatur sequela; Quia Deus decreuit ab æterno non dare præparationem illam gratuitã eis, quibus de facto non datur: ergo illi nõ possunt conuerti. Patet consequentia: Quia ad impossibile nemo obligatur. Antecedens probatur: Quoniam quidquid Deus facit vel non facit in tempore, iam ab æterno statuit facere vel non facere, aliàs eius prouidentia esset imperfecta si non determinaret omne bonum etiam in singulari faciendum vel nõ faciendum. ¶Quintò arguitur. Gratia non destruit sed perficit naturam: ergo si tota efficacia dispositionis proueniret ab auxilio Dei, & à dispositione mouentis, & nihil ex naturalibus seu ex libero arbitrio, non videtur posse intelligi quo pacto sit actus liber dispositio illa ad gratiam: igitur vt dispositio ad gratiam sit actus liber, requiritur, quòd efficacia dispositionis sit ex naturalibus seu à libero arbitrio licèt principaliter sit ex Deo. Probatur minor: Quoniã si stante Dei auxilio, & stãte præparatione & dispositione cuius est infallibilis efficacia, non potest homo non conuerti; sequitur, quòd non cõuertitur liberè. ¶Sextò arguitur. Si tota efficacia præparationis ad gratiã est ex parte diuini auxilij, & nõ datur gratia disponenti se ex naturalibus; sequitur, quòd causa defectus gratiæ sit ipse Deus. Ostẽdo sequelã ex vulgari proloquio, Si affirmatio est causa affirmationis opposita negatio est causa negationis.

*S. Thomas.* · *Altisiodor.* · *Alensis.* · *Gabriel.* · *[Act]. 10.* · *[Act]. 16.* · *Secundum.* · *Tertium.* · *Confirm.* · *Quartum.* · *Quintum.* · *Sextum.*

Nam certè, si tota ratio generādi ignē esset Sol, pari ratione negatio concursus ipsius Solis, esset ratio negandi generationem ignis: ergo simili etiam ex causa, si adæquata causa & ratio præparationis ad gratiam in genere causæ physicæ & efficientis est ipse Deus; sequitur, quòd negatio concursus diuinæ voluntatis, est ratio defectus gratiæ in hoc homine. ¶Septimò arguitur ex testimonio Matth. 11. in illis verbis, Vę tibi Corozaim, væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro & Sidone factæ fuissent virtutes, quæ in te factæ sunt, olim in cinere & cilicio pœnitentiam egissent. Ex quo sic argumentor: Si nō sufficerent virtutes factæ à Christo, nempe miracula & prædicatio eius, vt homines illi ex naturalibus, & per vires sui arbitrij conuerterentur, sed opus esset alia præparatione gratuita & intrinseca ex parte ipsius Dei, vel saltem esset necessaria maior, quam Hebræis fuerat collata; sequeretur, quòd Tyrij & Sidones, non magis egissent pœnitentiam, quam ciuitates illæ, quibus Christus exprobrabat: igitur cū vera sit illa conditionalis, quam Christus protulit; sequitur, quòd gentiles illi fuissent conuertendi sine aliquo maiori auxilio, quam ciuitates illæ receperunt. Ostendo consequētiam: Quia aliàs possent Hebræi respondere Christo, sese ipsos excusantes; Si Tyro & Sidoni non maius contulisses quàm nobis auxilium, non magis egissent pœnitentiam quam nos, etiam si apud eos prædicares, & miracula faceres.

*Septimum. Matth.11.*

Hac nostra ætate disputatur à plerisque, Vtrùm facienti ex suis naturalibus quod in se est, semper Deus conferat sufficientia auxilia ad fidem & iustificationem? Et est quorundam sententia, quotiescúque liberum arbitrium ex viribus naturæ conatur, præstò ve est ad conandum, totum id quod ex sese potest, tàm circa ea quæ fides habet addiscenda, quam circa dolorem de peccatis, à Deo conferri gratiam præuenientem, auxiliaque quibus hæc faciat, vt ad salutem oportet. ¶Secundò dicit hæc sententia, quòd inter leges quas Pater æternus & Christus statuerunt de auxilijs & donis quæ nobis Christus promeruit, vna fuit eaque maximè rationabilis, vt quoties ex viribus nostris naturalibus conaremur facere quod in nobis est, statim adessent nobis auxilia gratiæ, quibus ea vt oportet ad salutem efficeremus. ¶Tertiò dicit hæc sententia, quòd sicut Deus semper est præstò libero arbitrio per generalem concursum, vt naturaliter velit aut nolit id quod sibi placuerit; ita sanè præstò est illi eidem arbitrio per auxilium gratiæ sufficiens, vt quoties ex naturæ viribus aggredi voluerit opus aliquod de pertinentibus ad iustificationem, illud exequatur prout ad salutem oportet. Quod probatur. Quia si conantibus hominibus ex suis naturalibus, faciētibusque quod in se est, vel vt amplectantur fidem, vel vt de peccatis doleant, Deus non est semper præstò per auxilia & per suam gratiam præuenientem, vt actus sint quales ad salutem oportent; sequitur, quòd non est vera illa sententia Pauli: Deus vult omnes homines saluos fieri.

In hac disputatione suppono ex fide, esse in nobis liberum arbitrium non solùm ad opera moralia secundum rationem naturalem, sed contra rationē naturalem, & etiā ad supernaturalia opera, quibus disponimur ad gratiam & eius augmentum, & ad meritum gloriæ. ¶Secundò suppono, neminē posse iustificari sine auxilio gratiæ Dei adiuuantis & præuenientis nos. Quod fundamentum sæpiùs Scriptura sacra docet, nunc sufficiāt verba Christi Ioan. 6. Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum. Cuius testimonij interpretationem tradit D. Aug. super eundem locum, & contra duas epist. Pelagianor. cap. 9. Et idem testimonium confirmat Ioannes cap. 15. dicens, Sine me nihil potestis facere: Et hoc idem fundamentum adducunt & confirmant antiqua Concilia Carthaginense 1. & Mileui. & Arausi. 2. ¶Verumtamen, nostris diebus propter magnam difficultatem intelligendi, vel componēdi efficaciam gratiæ cum libertate arbitrij, diuisi sunt Theologi. Nam quidam putant, auxilium Dei supernaturale ita concurrere vt non præmoueat liberum hominis arbitrium, sed solum se habeat concomitanter: & consequenter negant hi authores, Deum prædeliberasse, & prædefiniuisse ipsum actū liberi arbitrij; quia aliter dicunt se non posse intelligere quomodo homo liberè operetur ad iustificationem, si ab æterno Deus iam prædefiniuit actum illum quo homo disponitur ad iustificationē. Adducunt pro sua sententia Conc. Trid. sess. 6. cano. 4. Quod testimonium nos suprà attulimus. ¶Tertiò suppono ex dictis. q. 109. quòd homo ex suis naturalibus, præciso omni auxilio supernaturali, potest facere aliqua opera moraliter bona, & seruare aliqua præcepta legis naturæ, sed non potest diu seruare totam legem naturalem, & vitare omnia peccata; imò verò, postquam incidit in peccatum non potest ab illo resurgere, neque totaliter se ad Deum conuertere.

*Concil. Carthagin.1. Milenitan. Arausic.*

*Conc. Trid.*

His ita prælibatis, est prima conclusio. Quantumcunq; homo conetur & operetur per vires naturæ præcisè sumptas, non est aliqua necessitas vel infallibilitas consequendi gratiam Dei, aut lex. Hæc propositio est contra eam sententiam, quam suprà retulimus, quæ statuit legem à natura ad gratiam, & cōsequenter infallibilitatem à viribus naturalibus ad ea opera, quæ ad iustificationē spectant, prout ad salutem oportet. Vndè in simili hæc sententia impugnatur à nobis. q. 109. art. 6. Nam si peccatori facienti quod in se est ex suis viribus naturalibus præcisè, de lege dātur auxilia circa dolorem de peccatis & iustificationem, quibus faciat id, quod oportet ad iustificationem & salutem, initium & bona iustificationis pars esset ex nobis ita conantibus ex nostris viribus naturalibus, & haberemus quid responderemus Paulo interroganti, Quis te discernit? Nam posset homo respondere, Discernit me iste conatus ex viribus mei liberi arbitrij, qui facit id quod ex sese potest. Haberemus rursus quid responderemus Paulo interroganti, Quis prior dedit illi? Nam posset homo dicere, se ex suis viribus naturalibus aggressum fuisse opus quoddam ex his quæ ad iustificationem spectant. Imo verò, facilè solui posset quæstio illa, quam Paulus insolutam reliquit in Epistola ad Romanos, nempe, Quid est, quòd hunc trahat, & illum non trahat? Posset namque homo, si aduersariorum doctrina esset vera, respondere; Hūc trahit, quia fecit quod in se est ex viribus naturæ; alium verò minimè, quia non fecit quod in se est

*Conclus.*



se est ex eisdem viribus. Item etiam: Si est lex infallibilis; Quo pacto Scripturæ & Concilia dicunt, hominem ex facultate naturæ non posse aliquid facere, quod ad vitam æternam sit vtile, sine gratia Dei speciali? Profectò, vtilissimum est ponere conatum ex viribus naturalibus liberi arbitrij: Quia eo posito, de lege dantur auxilia, quibus faciat id quod oportet ad salutem tam circa ea, quæ fides habet ad discenda & amplectenda, quam circa dolorem de peccatis, ac iustificationem, vt aduersarij fatentur in sua sententia.

Adducor ad præfatam assertionem defendendā; Quia opera ex viribus naturæ facta, sunt longè inferioris ordinis, & valde improportionata diuinæ gratiæ: ergo, &c. Rursus, non potest homo tollere obicem peccati præteriti per solas vires naturæ, neque etiam potest diù vitare peccata futura: sed stante obice peccati semper homo est positiuè indignus diuinæ gratiæ: ergo nullam potest habere infallibilitatem de illius consequutione. Et confirmatur; Quia quantumcunque homo conetur, non potest homo per solas vires naturæ facere omnia ad quæ secundum suam naturam ordinatur, & ipso iure naturæ tenetur. Tandem, si ad opera viribus naturæ facta infallibiliter sequeretur gratia, vel auxilium speciale Dei, vt isti dicunt, non esset necessaria gratia præueniens: potius enim præueniremus Deum, quam ipse præueniret nos: hoc autē est plusquam falsum, vt suprà dictum est. quæst. 109. artic. 6. Et profectò hæc sententia est magis consentanea Sanctis Patribus, præcipuèq; D. Augustino non esse in quam hanc legem infallibilem quòd peccatori facienti quod in se est, &c.

*Conclus. 2.*

Secunda conclusio. Nullus est qui amplius minusue conetur, vel disponatur sicut oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur, siue vt maior, vel minor gratia in ipsa iustificatione infundatur, vel etiam postea augeatur, quam sit proportio diuini auxilij supernaturalis. Probatur primò ex illo Ioannis. 6. Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me traxerit eum. Quo loco D. Augustinus lib. de prædestinatione Sancto. & de bono perseuerān. & alijs suprà citatis, apertè defendit nostram sententiā, præsertim lib. de natu. & grat. cap. 2. 7. 8. &. 9. Vnde est argumētum. Per hoc quod dicitur, Nisi Pater meus traxerit eum, significatur efficacia diuini auxilij; quo posito, de facto nullus resistit, imo efficaciter & infallibiliter venit per liberum arbitrium à Deo motum, vt notat D. Augustin. vbi suprà. Et confirmatur; Quia eodem loco referens Christus quod dixerat, Nisi Pater meus traxerit eum, subiungit alia verba; Propterea dixi vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum à Patre meo. Eadem sunt, trahi à Patre, & donari motionem illam liberi arbitrij venientis ad Christum: ergo Deus non solum dat nobis auxilium quo valeamus venire, imò verò ipse bonus vsus liberi arbitrij, quo quis benè vtitur auxilio Dei cooperante liberè eodem arbitrio, est donum Dei, & donatur à Deo. Hoc videtur dixisse sponsa Cant. 1. dicens, Trahe me, post te curremus in odorem vnguentorum tuorum. Quo loco sponsa vnum petit, Trahe me, & alterum promittit, nempe, post te curremus in odorem vnguentorum tuorum, illud quidem pertinet ad actionem

*Ioan. 6. D. August.*

*Cant.*

Dei & gratiam præuenientem & operantem; istud verò pertinet ad dilectionem animæ respectu excellentissimi obiecti; In eo quod dicit, Curremus in odorem vnguentorum tuorum, ita se geritur, ac si diceret humilis sponsa ex vera cognitione sui, & ipsius Dei quantumcunque magna & excellens sit Vnguentorum tuorum fragrantia, & quia tam excellens est non potero ad illam tendere, nisi tu me trahas dono gratiæ tuæ præuenientis & adiuuantis me, quod si feceris, audacter promitto & certò, me post te curſuram.

¶Hoc idem confirmat illud Ioan. 15. Sine me nihil potestis facere, & illud, sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite, ita & vos nisi in me manseritis. Est ergo argumentum. Si præter virtutem & efficaciam diuini auxilij nos ex viribus nostris paramus viam ad rationem dispositionis, seu ad opus aliquod ex his quæ ad iustificationem spectant, vt illud exequamur prout ad salutem oportet; sequitur, quod sine Christo illud facimus. Ostendo consequentiam: Quia vis naturalis liberi arbitrij non datur nobis ex merito Christi; ac proinde sine Christo aliquid facimus eorum quæ pertinent circa iustificationem. Et confirmatur exēplo palmitis, cuius tota vis fructificandi procedit ex ipsa vite: ergo. Fauet etiam illud Pauli Roman. 9. Igitur non est volentis neq; currentis, sed Dei miserentis: esset autem falsa hæc sententia si vera esset doctrina aduersariorum supra citata.

*Ioan. 15.*

*Rom. 9.*

Ratione etiam persuadetur. Nam gratia est totaliter supernaturalis forma: ergo dispositio ad eā, formaliter loquendo de dispositione vt sic, debet esse totaliter supernaturalis: ergo totaliter est ab agente supernaturali: ergo liberum arbitrium, non ex conatu à suis viribus naturalibus procedente, neque ex naturæ viribus, neque partialiter quidem, neque initiatiuè se disponit ad gratiam & iustificationem: sed tantum se disponit, quantùm habet de motione supernaturali Dei. Prima consequentia patet: Quia forma totaliter supernaturalis, respicit agens supernaturale: ergo omnis dispositio ad gratiam taliter est à Deo vt liberum arbitrium ex suis viribus non se disponat.

Tertia conclusio. Multum conducit ad gratiam Dei & ad auxilium speciale ipsius, facere quod potest homo ex viribus naturæ; cessando ab omni effectu peccati, & exercendo se in bonis operibus. Probatur. Quia quò magis homo hæc facit, eò pauciora impedimenta opponit diuinæ gratiæ; Imò verò aufert impedimentum inclinationis, & habitus ad peccandum; Deus autem libenter se infinuare solet vbi impedimenta nō videt, & homo etiam melius operatur, cùm minus est impeditus. Secundò probatur. Quia decet diuinam misericordiam, vt si magis se communicet, qui magis cognoscit suam miseriam, & vehementius conatur illam euadere, & eam detestatur: ergo. Et confirmatur ex modo loquendi Sanctorum Patrum: dicit enim D. Dionys. c. 9. Cæleſt. Hierarch. Ipsa lucis participatio pro suscipientium meritis varia fit, parua scilicet vel magna, obscura vel lucida; cū tamen radius ille diuinus vnus ac simplex sit, eodemque modo se habeat super omnia semper explicitus. D. Chrysost. frequēter dicit, Afferamus & offeramus quod est nostrum, &

*Conclus. 3.*

*D. Dionys.*

*D. Chrysost.*

Deus reliqua ſupplebit. Lege eum Homil.12. ſuper Epiſt. ad Hebræos, & circa illud Ioan. 1. Illuminat omnem hominem,& Homil.18.&. 52. ſuper Geneſ. & Homil. 24. &. 46. ſuper Matth. Idem habet Damaſc. *Damaſc.* lib.2.capit.vltimo,& lib.4.cap. 20. & Auguſt. *D.Auguſt.* lib. 83. qq. ait, aliquid procedere in peccatoribus, quo quamuis nondùm ſint iuſtificati, quodammodo iuſtificatione redduntur apti. Dicit præterea, quòd iuſtificatio prouenit ex occultiſsimis meritis aliquando.

*Concluſ.4.* Quarta concluſio. Facienti quod in ſe eſt ex viribus naturæ tantum,non datur gratia infallibiliter. Hæc ſequitur ex dictis,Et probatur ex Concilio Mileuit.capit.4.&.5.Arauſic.cap.7.Trident.ſeſſ. 6. cap. 1.& cap.5.&.6.& cano. 1. &. 3. Quibus locis definitur, gratiam non dari ex operibus quæ fiunt per li- *D.Auguſt.* berum arbitrium tantum.Idem docet D.Auguſtin. lib.de natu.& gra.cap.2.8 &.9.Et patet etiam: Quia ſi ex ſolis naturæ viribus habetur ſufficiens præparatio infallibilis ad gratiam: ergo gratis Chriſtus mortuus eſt.Itē:Nullibi habetur hæc lex quam aduerſarij fingunt,nempe,quòd facienti quantum poteſt viribus naturæ,dentur infallibiliter,vel gratia, vel auxilia,quibus poſitis infallibiliter ſequatur diſpoſitio ſupernaturalis ad gratiam:Neque eſſet conueniens lex quæ tantum tribueret tam imperfectis operibus:ergo, &c. Fauet etiam, Quia ex eo quòd quis faciat opera bona etiam ſupernaturaliter poſt acceptam gratiam,non ſequitur quòd infallibiliter in ea perſeueret: ergo neque ex operibus naturalibus factis ante gratiam,ſequitur infallibiliter quòd quis deueniat ad gratiam, cùm hæc opera adhunc effectum ſint minus proportionata, quam alia ad *Ioan. 6.* alium. Et confirmatur ex citato teſtimonio Ioan. 6. Nemo poteſt venire ad me, niſi ei datum fuerit deſuper.Et infrà, Niſi Pater meus traxerit eum. Et Sa- *Sapien.12.* pient.12.dicitur;Quis tibi imputabit,ſi perierint nationes quas feciſti,quaſi dicat, Quantumcunq; faciant gentes ex naturalibus; meritò tamen poſſunt puniri,quia adhuc manet in eis peccatū.Tandē hæc aſſertio probari poteſt ex omnibus rationibus & teſtimonijs,quibus probatur prima concluſio poſita.

*Concluſ.5.* Quinta concluſio. Non ſemper dat Deus æquale auxilium præueniens æqualiter diſpoſitis per vires naturæ, aut æqualiter indiſpoſitis per peccatum. *D. Auguſt.* Hęc eſt D.Auguſt.lib.4.contra Iulian.cap.8.& lib.2. contra duas epiſtolas Pelagianorum.cap.7.& epiſt. 107.ad Vitalem,& lib.de prædeſtinat. Sanctor. cap. 8. Et perſuadetur: Quoniam ex ſacris libris apertè conſtat, maximos quoſdam peccatores conuerſos eſſe vehementer; cùm tamen minores peccatores non conuerterentur, vel tepidè aut ſegniter conuerterentur, quod ſanè eueniſſe videmus atque cernimus,quia vbi abundauit delictum ſuperabundauit & gratia copioſioris auxilij. Et confirmatur in paruulis,qui quamuis ſint æqualiter indiſpoſiti; tamen quidam eorum ſanctificati ſunt in vtero,vt patet de Ieremia & Baptiſta, &c. alij verò non: ergo Deus non ſemper æqualiter facit æqualiter diſpoſitis per vires naturæ.Et Luc.13.de quibuſdam, quibus non eſt datus pœnitentiæ locus, ſicut alijs, ait *Luc.13.* Chriſtus, quòd minora peccata habebant quā alij. *Luc.10.* Idē habetur Luc. 10. & Matth.11.Væ tibi Corozaim *Matth. 11.* væ tibi Bethſaida, quia ſi in Tyro, & Sidone factæ fuiſſent virtutes quæ in te factæ ſunt,iam olim in cinere,& cilicio pœnitentiam egiſſent: ergo maiora auxilia aliquādo fūt data minùs diſpoſitis per vires naturæ.Et confirmatur ex D.Aug. de bon. perſeue. *D. Aug.* c.14.dicente, Tyrijs &Sidonijs nō eſſe datum, ſcilicet,abūdantius auxiliū vnde crederent,ideo nō credidiſſe.Et fauet illud Pauli,Non omniū eſt fides,nō omnes obediunt Euangelio,minoribus peccatoribus ſubtrahuntur ſæpè auxilia,quæ maioribus dantur. ¶Sed obijciet aliquis,D.Dionyſ.& alios Sāctos *Obiectio.* quos in tertia concluſione citauimus, & D.Aug.ſu- *D. Dion.* per illud Pſalmi, Deus in medio eius non commo- *D.Aug.* uebitur.Chryſoſt.in Parabola de operarijs, Ambr. *D.Chryſ.* Theophil.& Euthimiū ſuper illud.1. ad Tim.2.Qui *D.Ambr.* vult omnes homines ſaluos fieri, aſſerentes q Deus æqualiter illuminat & adiuuat eos, qui æqualiter ſunt diſpoſiti. Vndè,in Parabola de talētis dicitur, dediſſe vnicuiq; talēta ſecundū propriā virtutem. Et cōfirmatur ex illo Sapien. Æqualiter eſt illi cura de omnibus,ſiue magni,ſiue puſilli ſint.Rurſus cōfirmatur: Quia angelis data ſunt auxilia inæqualia ſecundū proportionē naturalis perfectionis: ergo & omnibus ſecundū proportionē naturalis bonita- *Solutio.* tis.Reſpōdetur tamen, quòd Sācti antiqui, vt Aug. ait de prædeſti.Sanct.c.14. non agebant ex profeſſo contra Pelagium negantē gratiam, ſed contra Manichæos negantes liberum arbitriū:Et ob id, illud conabantur ſtatuere facientes Deū aliquando veluti Solem, qui pro cuiuſlibet diſpoſitione illuminaret;Quòd ſi hoc intelligatur de vltima diſpoſitione liberi arbitrij ſupernaturaliter adiuti à Deo,& de lumine gratiæ iuſtificantis, eſt omnino verum: Si verò de lumine gratiæ præuenientis præciſē,& de arbitrio cū ſolis naturæ viribus, piè exponendū eſt quod à citatis Sanctis dicitur;ſic quòd non ex lege,aut quòd non ſemper eueniat, ſed quòd ſæpiùs contingat ex diuina miſericordia.Vndè ad primam confirmationē reſpondetur peridem; Vel dicendū, quòd æqualitas cuiæ cōſiſtit,nō in hoc quòd æqualia auxilia omnibus prouideat, ſed in hoc q̄ æquali ſolicitudine prouidet auxilia, quibuſdā magna,qui buſdā parua, vel quòd magnis & paruis corā hominibus,ſi cætera paria ſint, non diſpenſat inæqualia auxilia, ita vt habeat reſpectū in hac diſpenſatione ad paruitatē vel magnitudinē, quæ eſt talis in oculis hominum,& æſtimatione eorū. Ad poſteriorem cōfirmationē dicēdū, quòd ſi homines cerneret ſe iuuari à Deo ſecundū proportionē operum naturaliū,ſuperbirent de proprijs operibus:& idcirco,nō dat illis Deus auxilia ſemper ſecundū proportionē operum naturaliū, ſicut dedit angelis ſecundū proportionē perfectionis naturalis,& ſecūdū diuerſos gradus,quos habuerunt in exordio ſuæ creationis: Et in angelis,inæqualitas hæc erat ſpecifica & ſubſtantialis;fuit autem prudentiſsimum,vt naturæ ſpecificæ & ſubſtantialiter perfectiori tribueretur maior gratia,cū creabatur à Deo in ſui initio. At verò inæqualitas hominum,eſt accidentalis; & ideo non eſt per ſe requiſitū aut infallibile, quòd ſecūdū illā dentur inæqualia auxilia. Adde etiam, quòd fortè auxilia præuenientia non ſunt data angelis inæqualia,ſed quo ſuperiores erant & magis cooperati ſunt ſupernaturalibus auxilijs prævenientibus,maiora auxilia cōcomitātia obtinuerūt, & cōſequēter

maiorem



maiorem gratiam.Eſt præterea diſsimilis prorſus ratio de hominibus & angelis; quia nos loquimur de hominibus, qui poſtquam ſunt in peccato reſurgunt,quod angelis euenire non poteſt.Eſt præterea diuerſa ratio de ipſa prima rerum conditione, & de progreſſu & ſucceſsione durationis, in qua homines amiſerunt gratiam, & deinceps reſurgunt.

*Ad argum. Ad primū.* Ad argumenta initio diſputationis poſita dicendum,quòd axioma illud tritum ſatis,Facienti quod in ſe eſt Deus nos denegat gratiam, habet varias interpretationes & intelligentias.Et primo poteſt intelligi de faciente quod in ſe eſt ex viribus naturæ ſolum, vt videntur intelligere Altiſiodorenſ. Alexander, & Gabr.ſupra citati, & ſic non habet verū ſecundum legem infallibilem & ordinariam,quidquid illi dicant.Falſum eſt enim dicere, quod facienti ex viribus naturæ præciſē bonum, Deus det gratiam,vel ex merito,vel ex diſpoſitione, vel ex lege ordinaria; Et qui ſic loqueretur, erraret cum Pelagio,vt patet ex cano.4.Concilij Arauſ.& ex teſtimonijs Scripturæ ſupra citatis concluſ. 1.& potiſsimè ſecunda,& etiam quarta. ¶Secunda intelligentia eſt de faciente quod in ſe eſt ex diuino auxilio. Quia non ſolum eſt in poteſtate hominis bene operari ex viribus naturæ,ſed etiam ex diuino auxilio, quod ſemper eſt prōto: Et ſic dicunt, quòd habet verum illud axioma, etiam, de lege infallibili. Vnde dicunt, quòd ſi homo cùm præuenitur & adiuuatur à Deo,bene vtatur auxilio illo,ſtatim iuſtificatur:Sed ſi iſti intelligant,quod ille bonus vſus ſit ex viribus naturæ,iā ſatis diximus de cenſura huius ſententiæ,quæ habet Pelagianam quandam reliquiam.¶Quocirca, hoc quod eſt facere quod in ſe eſt ex diuino auxilio, variè etiam poteſt interpretari.Vndè,tertia explicatio ſit,quòd ſi homo qui recipit auxilia quædam antecedentia ipſam iuſtificationem, prius tempore bene vtatur illis, Deus poſtea proſequitur & iuſtificat illum.Sed etiam in hoc modo dicendi poſſent eſſe techniæ aduerſariorum. Nā ſi ſit ſenſus,quòd viribus naturæ adijciat homo conatum vltra vim quam ſecum adducit auxilium,incidunt qui ita loquuntur in idem barathrum,& volunt Deum noſtræ voluntatis naturalem conatū expectare, vt iuſtificemur; Cum tamen ſit verum quòd ad hoc vt Deus gratiam infundat,nulla præparatio exigitur, quam Deus non faciat efficaciter & infallibiliter,vt dicit S.Thom. ſupra artic.2.ad.3. & non loquitur D.Thom.de præparatione quam Deus facit vt author naturæ,ſed vt ſupra naturam operās ſupernaturalem effectum,vt talis ſit præparatio qualis eſt effectus intentus à Deo. ¶Quarta igitur interpretatio & intelligentia illius ſententiæ. Facienti quod in ſe eſt Deus non denegat gratiam, hæc eſt, & vera ſane; Facienti quod in ſe eſt ex auxilio Dei mouentis,& efficaciter trahentis, Deus non denegat,imò confert gratiam, ad quam ipſe diſponit vt homo faciat quod in ſe eſt. Hæc explicatio colligitur ex Sanctiſsimo præceptore. q. 109.art.6.ad.4.Et adhuc poteſt intelligi dupliciter hoc,ſicut gratia ipſa dupliciter dicitur,nempe,ipſe habitus gratiæ, & diuina motio. Si enim accipiatur gratia pro ipſo habitu; tunc id quod dicitur. Facienti quod in ſe eſt ex auxilio efficaci, &c. importat cauſam gratiæ,non quidem efficientem,quia ſolus Deus eſt cauſa gratiæ,ſed diſpoſitiue,quæ reducitur ad materialem. At verò,ſi gratia accipiatur pro diuina motione & auxilio Dei;tunc cū dicitur, Facienti quod in ſe eſt,habet rationem effectus reſpectu eius quod ſequitur,Deus non denegat gratiam,id eſt, confert gratiam, auxilium ſuum, & motionem ſuam, quæ eſt cauſa vt faciat quod in ſe eſt,ſicut oportet, vt recipiat gratiam habitualem .Ad hunc modum explicat D.Auguſt.illud quod dicitur Roma.Factores legis iuſtificabuntur,Et lib.de Spiritu & litera,cap.26. Vbi Auguſt.ait,Si dixiſſet,factores legis honorabūtur,intelligeremus aliquid ſuperadditum factoribus legis;Cum autem dicat iuſtificabuntur, & nemo poſsit eſſe factor totius legis,niſi iuſtificatus fuerit;ſenſus erit, quòd ipſa iuſtificatione efficitur homo potēs factor legis,ac ſi diceretur,homines creabuntur,quia ipſa eadem creatione homines incipe- rent eſſe.¶Dices; Fruſtra eſſe proloquium hoc, Facienti quod in ſe eſt Deus non denegat gratiam, ſi ex viribus noſtris naturalibus dum conaremur facere quod in nobis eſt, non adeſſet nobis gratia ad faciendum quodlibet opus de pertinentibus ad iuſtificationem, aut ipſa gratia iuſtificans. Reſpondetur, quòd non fruſtra dicitur, Facienti quod in ſe eſt Deus non denegat gratiam.Primò, quia ſic admonentur homines ſuæ libertatis, non quidem vt ſuperbiant de viribus naturæ, aut vt putent per illas ſe aliquam acceſsionem poſſe facere ſupra diuinū auxilium, ſed vt humilientur & orent, Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur. Quam rem vt intelligas aduerte,quod omne auxilium Dei eſt efficax illius effectus,ad quem mittitur ex intentione Dei,quapropter, cùm diuiditur auxilium diuinum in efficax & ſufficiens, non ita intelligendum eſt, quòd illud quod dicitur ſufficiens, nullius effectus ſit efficax;ſed dicitur quidem ſufficiens, quia illud ſufficit vt homo cognoſcat, quòd eſt ſibi poſsibile ſecundum legem ordinariam Dei conuerti ad Dominum,& obtinere auxilium efficax conuerſionis. Cæterùm ex viribus naturæ,ſtante illo auxilio ſufficiente,poteſt homo renuere, & nolle conuerſionē ſuam,& auxilium illud efficax quod ſibi proponebatur vt poſsibile,nolle;Sic intelligitur illud Rom. *Rom.2.* 2.An ignoras quia benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Tu autem ſecundum duritiam tuam & impœnitens cor,theſaurizas tibi iram in die iræ, &c.¶Secundò, non fruſtra dicitur, Facienti quod in ſe eſt;Quia multum conducit ad Dei ſpeciale auxilium & gratiam ipſius,bene operando ceſſare ab omni effectu peccati,& ſe exercendo in bonis operibus,quò magis hæc facit homo,pauciora impedimenta opponere diuinæ gratiæ,& Deo pulſanti;qui ſtat ad oſtium & pulſat, vt ſuperius fuſius dictum eſt.¶Ad poſteriorem partem eiuſdem primi argumenti deſumptam ex actibus Apoſtolicis, reſpondetur, quòd Cornelius antequam ad eum mitteretur Petrus,faciebat bona opera ex auxilio ſupernaturali,non ex ſolis viribus naturæ, teſte Auguſtino *D. Auguſt.* lib.de prædeſtinat.Sanctorum capit.7.Proſpe. epiſt. *D. Proſper.* ad Ruffinum de libero arbitrio. Idem dico de Macedonibus & alijs huiuſmodi. Dico ſecundo,quòd ſi illi operabantur ex ſolis naturalibus; nihilominus miſit Deus ad illos prædicatores ſecundum diuitias ſuæ liberalitatis & miſericordiæ, & non

ex aliqua lege infallibili, vt volunt aduersarij. *Ad secundũ* Ad secundum, negatur quòd homo faciens quod in se est per solas naturæ vires præcisè, tollat obicẽ gratiæ: semper enim remanet cum macula culpæ, & cum conuersione ad se ipsum, magis quàm ad Deũ, quousque accedat auxilium diuinæ gratiæ. ¶ Dico secundo, quòd ad habendam diuinam gratiam, non est satis non habere obicem, sed etiam requiritur habere dispositionem requisitam. *Ad tertiũ.* ¶ Ad tertium multa diximus in materia de peccatis de puero perueniente ad vsum rationis, præsertim q. 89. art. 6. Nunc autem, si sententia D. Thom. vera est, quia non omnes eam sequuntur, non sic est intelligenda vt sit regula certa, quòd qui ex viribus naturæ se conuertit ad Deum, statim iustificetur: sed quòd, qui veniens ad vsum rationis non se conuertit, peccat contra bonum naturæ ex proprijs viribus; at verò si efficaciter se conuertit ad totum naturæ rationalis bonum implendum, non hoc facit ex solis naturæ viribus, sed auxilio supernaturali Dei disponentis & iustificantis eum, ita vt velit efficaciter totam naturæ legem implere. *Ad confir.* ¶ Ad confirmationem respondetur, quod magis requiritur ad conuersionem efficacem ad bonum, quam omittendum bonum illud; ad hoc enim sufficit habere notitiam legis naturæ, & nolle conuerti; ad illud autem requiritur speciale auxiliũ Dei miserentis, vt talis fiat conuersio, quod non omnes recipiunt. De qua re alibi plura dicta sunt. *Ad quartũ.* ¶ Ad quartum respondetur, quòd idem argumentum fieri posset in materia de diuina prædestinatione. Nam etiam vt quis saluetur, requiritur vt sit prædestinatus & tamen constat nobis ex Scriptura, quod non omnes sunt prædestinati; & tamen ex hoc non infertur quòd non sit possibile absolute loquendo hominem saluari. Sic ergo pari modo est respondẽdum, cùm proponitur ista difficultas, Cur iste homo possit conuerti, cùm vt conuertatur sit necessarium auxilium Dei efficax, quod Deus ab æterno decreuit non omnibus conferre? Vnde respõdetur ad argumentum negando sequelam. Et ad probationem, concedo antecedens, & negamus consequentiam. Et quando infertur, Ergo illi non possunt conuerti, & sic excusabuntur à peccato, quia simpliciter & absolute consequens est falsum. Imò verò, secundum legem communem Dei proponitur illis vt possibilis sufficienter conuersio ex Dei auxilio per pœnitentiam, & hæc absolute est possibilis, quę quidem possibilitas fundatur in potentia & misericordia Dei secundum legem ordinariam, & in merito Christi, quo satisfecit quantum ad sufficiẽtiam, & in natura liberi arbitrij nondum obstinati in malum. Quocircà, illi quibus ita prædicatur & proponitur hæc veritas, non excusantur à peccato, vel infidelitatis si nolunt credere, vel à peccato impœnitentiæ, quia ad peccandum non requiritur auxiliũ illud efficax actualiter collatum; alias nemo peccaret si illud reciperet. Vnde sufficit quòd illud auxilium proponatur homini vt possibile haberi secundum legem ordinariam, & quod viribus suis, suique liberi arbitrij renuat & contradicat Deo vocãti & inspiranti. ¶ Sed interrogabit aliquis, Vtrum in casu quo Deus certo reuelaret huic homini quòd ab æterno statuit non dare illi auxilium illud efficax, quo conuertatur efficaciter, Vtrum inquam ille homo peccaret si non conuerteretur? Respondetur, quòd in eo casu non peccaret homo ille si de facto non conuerteretur. Et ratio est: Quoniam facta hypothesi, homo ille nullo modo poterat habere spem quòd Deus misericorditer illi esset opitulaturus, requiritur autem actus spei ad iustificationem, & idcirco non erat possibile illi homini conuerti, sicut neque habere spem. Hæc doctrina communiter traditur à Theologis. 2.2. q. 22. art. 1. Vbi disputant, Vtrum si fieret homini certa reuelatio de sua damnatione, posset sperare in diuina misericordia vitam æternam? Et communiter dicunt, quòd stante illa hypothesi non potest sperare. Et ratio est; quia licèt ad actum spei non requiratur quòd aliquis sit certus quòd est prædestinatus; tamen requiritur quòd sit certus id esse possibile secundum legem ordinariam, & conditionem liberi arbitrij, & quòd non sit certus de contrario, scilicet, quòd non est prædestinatus. Huius ratio rursus est: Quia ista certitudo suæ damnationis, suæque reprobationis, non sinit applicare rationem formalem spei ad obiectum spei respectu istius hominis, & idcirco non sperando non peccat, quia non potest in tali casu; peccaret autem si contra desperaret de omnipotenti misericordia Dei, tanquam de impotenti secundum se ad saluandũ. Et hæc satis de solutione huius argumenti. *Ad quin.* ¶ Ad quintum, multa essent à nobis dicenda, nisi ea olim dixissemus. 1. p. q. 19. art. 10. præsertim in additione nouè facta, & in 2. tomo in materia de angelis. q. 59. art. 3. disputat. vnica; Vbi actum est de libero arbitrio angeli; quibus in locis ostendimus, in quo consistat essentialiter ratio actionis liberæ. Sed nihilominùs, vt rem hanc intelligas obserua, quòd libertas arbitrij non consistit in hoc quòd quis possit peccare; quia alias Christus Dominus & cõfirmati in gratia libertate carerẽt, vt ad implerent præcepta. Rursus aduerte, quod non repugnat libertati arbitrij quam habet circa media, quòd voluntas ipsa necessitetur ad finem, siue naturaliter, siue per gratiam. Quod patet; quia alias Deus non haberet liberum arbitrium circa media, quia necessariò naturaliter diligit se ipsum tanquam finem, & beati etiam carerent libertate circa media omnia: Quia per gratiam consummatam necessitãtur ad dilectionem Dei clare visi, quidquid murmuret Scotus. Adde etiam, quòd libertas actus voluntatis, quamuis sit formaliter in actu eius; tamen consistit radicaliter in actu intellectus iudicantis & proponentis voluntati aliquod obiectum de se indifferens, ordinabile tamen ad obiectum, seu finem adæquatum voluntatis, quod quidem respectu voluntatis humanæ, est bonum in communi, ad quod naturaliter determinata est, & simul tunc intellectus iudicat deliberans & dictans ex motione volũtatis, quòd hic & nunc illud medium est faciendũ; & tunc necessario sequitur electio necessitate consequentiæ, non consequentis absolutè loquendo. ¶ Ex qua doctrina sequitur, quòd ponere indifferentiam illam, quæ necessaria est ad actum liberum in ipso obiecto eligibili, nullam dicit imperfectionẽ in eligente, & ita inuenitur libertas in actibus Dei respectu mediorum, non sanè quòd in ipso Deo sit aliqua indifferentia: Quoniam hoc esset maxima imperfectio. Nam diuina voluntas in se ipsa non potest



potest aliter se habere quam se habet modò in se ipsa, siue statuisset ab æterno mũdum creare, siue non creare. ¶ Rursus sequitur, quòd quando actus hominis caret illis imperfectionibus per virtutem vel gratiam; si tamen iudicet per intellectum indifferentiam quam habet obiectum respectu finis, etiam si stante diuino auxilio & motione infallibili, velit illud medium ad finem, quia intentio Dei deficere non potest; tunc quidem actus est maxime liber, habetque perfecto modo id, quod pertinet ad perfectam rationẽ libertatis. Et ratio est; Quia sicut gratia est participatio diuinæ naturæ, ita illa deliberatio est participatio diuinæ deliberationis. Lege etiã quæ diximus de libertate operũ. 1. p. q. 14. art. 13. disputat. 2. ¶ Quibus ita prælibatis ad argumentum respondetur, quòd supposita prædicta doctrina, nos bene intelligimus quo pacto actus conuersionis in Deum sit liber, & infallibiliter necessitate consequentiæ sequatur ex ęterna definitione, prædeliberationeq;, & illius motione intendentis hominem iustificare. Et ratio huius est: Quia Deus suo auxilio non delet iudicium requisitum ad actionem liberam, sed potius illuminat & firmat in bono, intime attingendo ad omnem actionem nostram bonam, non solum vt moralis causa proponens obiectum, nam hoc modo angeli illuminãt, vt S. Tho. docet in hac. q. 112. art. 1. ad. 3. Nam sicut concedunt Theologi, quòd ad actum peccati cõcurrit Deus per modum causæ physicæ attingendo ad efficientiam illius naturalitatis in esse rei, quem habet ille actus, quæ bona est; ita etiam & multo magis debemus concedere, quòd Deus concurrit ad actum virtutis non solum vt causa moralis; sed etiam ad modum causæ physicæ, attingendo ipsam substantiam prædeliberationis nostræ. Ex quibus etiam sequitur, quo pacto sit intelligendus quartus Canon Tridentini Concil. sessio. 6, Vbi definitur, quòd Deo excitanti & vocanti potest homo resistere si vult; Intelligitur namque illa propositio simpliciter & absolute loquendo, sicut ista, pręscitus potest saluari; non tamen fuit mens Concilij, nec potuit esse, decernere, quod in sensu composito esset cõpossibile quòd stante diuino illo auxilio ex intentione Dei intendente iustificare de facto hominem, homo ipse nõ conuertatur. Propterquam causam merito affirmandum est, in sensu composito fieri non posse vt adsit influxus gratiæ cooperantis, quatenus est cooperãs conuersionem, quin peccator per suum arbitrium conuertatur; nihilominus tamen in sensu diuiso, atque simpliciter in eo ipso instanti in quo homo cõuertitur, est in facultate sui arbitrij non conuerti; atque adeo ita libere exhibere consensum & cooperationem ad credendum, sperandum, & pœnitendum, vt possit tunc eam continere, & non conuerti, & dissentiri si velit. *Ad sextum.* ¶ Ad sextum respondetur, negando sequelam. Et ad probationem dico, quòd illa maxima, Si affirmatio est causa affirmationis, &c. est vera, sed intelligenda est de causa adæquata in suo genere, siue sit formalis, siue efficiens, siue materialis, siue finalis; Dicũt ergo nonnulli, quòd Deus non est causa adæquata conuersionis peccatoris; imò verò quòd est causa partialis, quia etiam concurrit liberum arbitrium. Sed hic modus dicendi nobis non probatur, neque satisfacit, vt diximus. 1. p. q. 12. art. 5. disputat. 3. Nam Deus in genere causæ efficientis, est totalis causa dispositionis ad gratiam, mouens liberum arbitrium efficaciter vt cõsentiat: Quemadmodum solus Deus dicitur causa efficiens gratiæ. Quapropter respõdetur, quòd negatio cõuersionis peccatoris, bifariam potest contemplari, primo modo absolute; quatenus est negatio cuiusdam actionis supernaturalis. Secundo modo, vt est negatio formæ debitæ in esse moraliter in subiecto tali, quæ non est in illo. Dicendum est ergo quòd primo modo Deus est causa negationis illius actus, sicut est causa subtractionis auxilij specialis, & gratiæ habitualis; at verò secundo modo, sola creatura est causa omissionis credendi, sperandi, & pœnitendi, &c. Nam talis omissio non est pura negatio, sed est priuatio boni debiti inesse, & eo tempore quo debebat inesse. Et iuxta hanc explicationem intelligi debet dictum celebre Augustini, Nunquam à te facit Deus occasum, nisi tu ab illo feceris casum, hoc est, Deus nunquam aufert gratiam habitualem, nisi prius saltem natura homo peccet, sed tamen nõ potest intelligi de auxilio, & dono perseuerantiæ. Quia multi sunt in gratia, quibus non datur auxilium hoc, & tamen non negatur propter peccatum.

*Ad septimũ* ¶ Ad septimum quod ex illo Matth. 11. sumitur, plura essent dicenda, nisi iam dicta forent à nobis supra quæstione. 111. artic. 3. Imò verò, data occasione luculenter satis testimonium citatum interpretatur à nobis fere in toto discursu dictæ quæstionis centesimæ vndecimæ. Et idcirco, nunc existimo negandas esse sequelas & consequentias argumenti cùm infertur, Ergò æquali auxilio existente ex parte Dei tàm extrinseco quam intrinseco, quo Iudæi non conuertebantur, Tyrij & Sidones conuerterẽtur. Et ratio est aperta: Quia cõditionalis illa, Si in Tyro & Sidone factę fuissent virtutes quæ in te factæ sunt, iam olim in cinere & cilicio pœnitentiam egissent; æquiualet huic, Deus dedisset illis pœnitentiam; & ideo, ad veritatem illius conditionalis, non requiritur quòd illi egissent pœnitentiam non recipiendo maius auxilium intrinsecum gratiæ Dei.

¶ Si dicas; Quid ergo voluit Christus significare cùm dixit, quòd propositis illis miraculis, suaque doctrina, Deus dedisset Pœnitentiam Tyrijs & Sidonijs; quam non dabat Iudæis? Respondetur, quòd hæc fuit magna Iudæorum reprehensio; voluit namque Dominus significare Hebræis, eos esse peiores quam Tyrij & Sidones, & ideo magis indignos gratia Dei, suoque auxilio, cùm tot multiplicarent peccata, & obijcerent impedimenta diuinæ gratiæ, & quòd si Christus efficeret tot miracula, totque virtutes apud Tyros & Sidones, non inueniret in eis tantam cordis duritiam, neque obijcerent tot impedimenta gratiæ Dei, quo minus Deus corda eorum emolliret. *D. August.* Legendus est D. August. lib. de bono perseueran. cap. 10. Itaque, cũ Hebręi multiplicarẽt impedimenta & peccata quibus se opponebant gratiæ Dei, & magis indignos reddebant, & tot impedimenta & mala non essent multiplicaturi Tyrij & Sidones; idcirco dicit, Væ tibi Corozaim. Et pro nunc hęc sint satis de hoc testimonio.

# DISPVTATIO II.

*Vtrùm ad dispositionem secundum quòd est à Deo mouente, sequatur infallibiliter gratia? Et an contritio possit elici ex solis naturalibus?*

QVòd gratia non donetur adultis dùm ex solis naturæ viribus operantur, & quòd nemo se disponat ad gratiam ex sui arbitrij viribus, fusè satis dictũ est à nobis q.109.art.6.præcipuè contra Pelagianos & Hæreticos; Vbi etiam contra quosdã ex catholicis ostendimus, dispositiones ad gratiã quæ sunt eiusdẽ ordinis cũ illa, nõ posse haberi per solas vires naturæ, cũ dispositiones omnes debeant esse proportionatæ gratiæ, quæ est ipsa forma. Vnde, disputatio hæc tota est, Vtrum positis dispositionibus ad gratiã, ipsa forma gratię statim sequatur & infundatur infallibiliter & necessariò? Et supponit hæc controuersia, quod vniuersis hominibus adultis, qui iustificantur confertur gratia medijs quibusdam dispositionibus.

Et vt separemus certa ab incertis, de dispositione remota certum est, non sequi ad eam infallibiliter gratiam, vt patet ex Trid. sessio.6. capit.5. & 6. & ex Arausi.cano.vltimo. Vnde, plures sunt dispositiones quæ pertinẽt ad ordinem supernaturalem, quæ quãuis in eo collocentur; non tamen sequitur gratia iustificãs statim ad eas, vt sunt illæ omnes, quas Theologi vocant remotas, vt actus fidei & spei informis & attritio, & vocationes quibus nos tangit Deus. Quòd enim hi actus qui vere sunt supernaturales, sæpè præcedant tempore gratiam, ostendimus supra.q.109.art.6. Est ergo difficultas de dispositione proxima, quæ appellatur à Theologis non solum proportionata, sed perfecta, Vtrum homini habenti contritionem, & dilectionem Dei super omnia, statim infallibiliter & necessario conferatur gratia? In qua re, nonnulli Theologi dixerunt, quòd non statim infunditur gratia homini, cum elicit perfectum actum, quo se ad gratiam disponit: putant enim dispositionem illam debere durare per morulam aliquam temporis breuem. Ita videtur sensisse Scotus in.4.d.14.q.2. Fauet Caietan. tractatu.4. de contritione.q.2. qui vult, non esse infallibile posito illo actu perfecto, consequi iustificationem, nisi Deus illum accepter deinceps, & aliquo modo eleuet. Adrian. in.4. tractatu de pœnitent.q.2. cùm putet contritionem quæ est dolor de peccatis propter Deum summe dilectum; imò verò dilectionem ipsam Dei super omnia, non esse satis ad iustificationem, nisi sint summè intensæ & elicitæ ex toto conatu; consequenter putat, posse dari de lege, & de facto actum contritionis & dilectionis Dei super omnia, sine gratia iustificante, & ex consequenti censet, gratiã non sequi ad huiusmodi actus infallibiliter. ¶ Probatur hæc sententia Quoniam Deutero.4. filijs Israel, qui per peccatum à Deo recesserant dicitur, ad Deũ esse reuersuros, si confugiant ad ipsum ex toto corde, & ex tota contritione & tribulatione animæ. Imò verò in sacro eloquio sæpius monemur vt conuertamur ad Deũ toto corde. Et fauet illud Ierem. 48. Vbi maledicitur qui operatur opus Dei negligẽter. D. Hieron. in epist. quadam obiurgatoria ad eũ qui se falsò pœnitentem iactabat dicit, Miserebitur tibi Deus, si ex toto corde pœnitentiã egeris, & in eum omnem tuam solicitudinem miseris. ¶ Præterea, Si lege aliqua infallibili sequitur gratia ad actũ contritionis & dilectionis Dei super omnia; sequitur posse hominem esse certum sine dubitatione vlla, de sua gratia, quod est contra veritatem fidei. Et quòd id sequatur, ostendo. Nam cum vnusquisque experiatur in se ipso actus quos ipse elicit, clare & aperte potest cognoscere, quòd detestatur peccatũ per cõtritionem & per ingentem dolorem, & quòd diligit Deum super omnia, sicut est certus quòd diligit vxorem & filios super omnia; & cùm hos actus necessario sequatur gratia, aperte & sine dubio cognoscet se habere gratiam: ergo. ¶ Tertiò in fauorem huius sententiæ arguitur. Gratia iustificãs, semper datur sine vllo debito & merè gratis, etiam habenti contritionem & dilectionem: ergo poterit non conferre illam ei Deus. Nam cùm eam non debeat alicui, nullam facit homini iniuriam, si eam illi non conferat: Stat ergo sententia Adriani. ¶ Quarto arguitur. Auxilium Dei semper est efficax ad id ad quod mittitur: sed quanquam Deus conferat auxilium præueniens, non intendit semper conferre auxilium efficax, neque donare gratiam iustificantem: igitur possibile est quod homo ex diuino auxilio recte operetur supernaturaliter; & quòd non habeat gratiam iustificantem.

Quod petius est hodie cerno recẽtes Theologos, qui multò peiora dicant quam Adrianus. Dicunt enim liberum arbitrium cum solo concursu generali Dei, posse elicere non solum actum attritionis naturalem, ideſt, dolorem de peccatis ex Dei timore, cum proposito amplius non peccandi lęthaliter; sed etiam actum verum contritionis naturalem, qui idem propositũ non peccandi amplius mortaliter includat; ex Dei amore. Et hanc dicunt defendere Sotum in.4.d.17.q.2.artic.5. & Canum, relect. de pœnitentia in editione Salmanticensi. 1550. fol.121. Quam sententiam Caietanus apertius. q.1. de contritione docuit. Scotus in.4.d.14.q.2. Gabriel in.3.d.27.q.1. & in.4.d.14.q.1.art.2.conclusio.5. & ar.3.dub.2. Cui fauẽt Aliacus & Ochamus, Ricardus in.4.art.4.q.1. & Palude in.4.d.14.q.2. Huius sententiæ videtur fuisse S. Thom. in.4.d.17.q.2.art.1.quæstiunc.1.ad.6. Vbi aperte dicit, quòd contritio est à solo Deo quantum ad formam, qua informatur, sed quantum ad substantiam actus est ex libero arbitrio, & à Deo qui operatur in omnibus operibus & naturæ & voluntatis. En, non aliter putat S. Thom. Deum concurrere cum libero arbitrio ad contritionem elicié dam quoad substantiam actus, quam concurrat cũ agentibus naturalibus ad opera naturalia: Constat autem tam in sententia D. Thomæ, quam in communi omnium, Deum solo concursu generali cum agẽtibus naturalibus, ad opera naturalia concurrere.

Ex quibus locis D. Thom. & alijs, quos adducunt ex.1.2.q.113.art.8. & ex eodem.4.senten. colligũt isti aduersarij, esse manifestum. D. Thom. sensisse cum Soto. Caietan. Gabr. & alijs, neque.3.p. aliquid scripsisse, quod refragetur huic doctrinæ supra traditæ, nempe, existentem in peccato mortali posse habere ex suis viribus naturalibus quemcunque actum, quem

*Scotus. Caietanus. Adrianus. Argum.primæ sententiæ. Argum.1. Deutero.4. Ierem.48. D.Hiero. Secundò. Tertiùm. Quartùm. Sotus. Cano. Caietan. Scotus. Gabriel. Aliacus. Ochamus. Ricardus. Palude.*



quem valet elicere, qui in gratia est constitutus; ac proinde non solum posse elicere actum attritionis naturalem, id est, dolorem de peccatis ex timore Dei, cum proposito non peccandi amplius mortaliter; sed etiam posse elicere ex solis viribus naturalibus actum contritionis naturalem, qui includat ex amore Dei propositum non peccandi amplius mortaliter. Et huius sententiæ commemorant D. Bonauent. in.4.d.17.art.2.quæstiunc.3. & Vegã lib.6. in Trident cap.53. ¶ Partiti tamen sunt & diuisi suprà citati authores, quòd quidam eorum putant, contritionem illam & dolorem illum ex solis naturalibus elicitum sufficientem esse dispositionem ad gratiæ infusionem. Alij vero contrarium putant, nempe non esse sufficientem dispositionem ad infusionem gratiæ; Cum talis contritio naturalis, sit dolor ex solis naturalibus elicitus.

*Argumenta huius sententiæ.*

Ratio quę adducitur ab authoribus citatis ad cõsti tuẽdã non solum attritionem naturalẽ, ideſt, dolorem de peccatis ex Dei timore, cum proposito amplius non peccandi mortaliter: sed etiam contritionem naturalem includentem propositum amplius non peccandi mortaliter, hæc est. Peccator lumine fidei cognoscit Deum esse conditorem nostrum, & pleraque beneficia, atque ingentia bona naturæ & gratiæ nobis contulisse vsque ad proprij sanguinis effusionem: item cognoscit, iustis sempiternam fœlicitatem, impijs verò ignẽ & extremam miseriam esse propositã; Et eadem fide cognoscit peccatum mortale tantum ac tale esse malum vt Deum offendat, ita vt vnum sit satis vt qui illud commiserit, ni si de eo doleat, & statuat nihil tale deinceps committere, supremam amittat fœlicitatem, & in extremam incidat miseriam: sed hæc consideratio & cogitatio tam potens est vt possit excitare & permouere voluntatem, vt cùm hæc sibi persuaserit, vel ex proprio acumine, vel ex suggestione & admonitione alterius, si rem attentè consideret, cum solo concursu generali Dei possit elicere liberum arbitrium ipsius, intuitu quidem extremorum malorum, in quæ alias incidet, dolorem seu detestationem suorum scelerum, cum proposito cauendi in posterum omnia peccata mortalia, in quo cõsistit attritio quo ad substantiam actus; intuitu verò bonitatis ac beneficiorum Dei, similem detestationem ac propositũ, in quibus posita est ratio contritionis quoad substãtiam actus, quæ neque est effecta neque excitata peculiari impulsu Spiritus sancti: ergo.

*Primum.*

*Secundum.*

Adducunt rursus alteram rationem, seu fundamentum pro sua sententia. Quoniam in absentia saltem obiectorũ atq; occasionũ peccandi, non est valde difficile, imò verò facile elicere quo ad solam actus substantiam propositum absolutum non peccãdi amplius mortaliter, tale quale ad contritionẽ & attritionem sufficit. Quia vnusquisque experitur in seipso, cùm concipit lumine fidei mala & incommoda quæ sequuntur nisi statuat amplius non peccare mortaliter, in facultate & potestate sui arbitrij positum esse cum solo generali Dei concursu, elicere in genere absolutum propositum non peccandi amplius mortaliter, vt tãtum malum effugiat: ergo videtur proposita sententia vera. Patet consequentia. Quia naturale est cuique propositis duabus molestijs subeundis, saltem in vtriusque absentia, eligere potius minorẽ, vt maiorẽ euitet: ergo saltẽ is qui fuerit lumine fidei illustratus cũ solo cõcursu Dei generali poterit elicere quoad substãtiã actus soli, propositum seu cõtritionem, de qua est disputatio.

*Tertium.*

Tertiò argumentantur ijdem aduersarij. Hæc contritio, de qua est controuersia, est extra totam latitudinem ordinis gratiæ, nihil proinde conducens ad finem supernaturalem; imò verò est vnicus actus in se mere naturalis, propriusque libero arbitrio: ergo non debet denegari viribus naturalibus humani arbitrij, Deo concurrente solum tanquã causa vniuersali per generalem concursum, eo pacto quo cum reliquis causis secundis naturalibus cooperatur. Patet consequentia: Quia si quis eam neget, tenetur contrarium legitimis rationibus probare. Rursus patet antecedens: Quia lumen naturale intellectus, & vtraque Philosophia moralis & naturalis aperte docent, denegari hoc non debere viribus naturalibus nostri arbitrij.

*Quartum.*

Quartò argumentantur. Non est minus difficile assentiri mysterio Trinitatis, Incarnationis, Eucharistiæ, & cæteris reuelatis, quæ lumen naturale transcendunt, quam in absentia obiectorum & occasionũ omnium statuere continere se ab omni mortali peccato: sed illud primum potest homo quoad substantiam actus absque speciali auxilio, non quidem assensu Christiano, sed merè naturali: ergo, eo præsertim intuitu, vt pœnas æternas euadat, sempiternã que consequatur fœlicitatem, & Deo, cui tot rationibus est deuinctus, obsequatur, poterit hoc similiter, nempe contritionem habere, cum id sit rationi, luminique naturali adeo consentaneum.

*Quintum.*

Quintò obijciunt, argumento ab experientia deducto, Dicunt enim sæpe euenire, aliquos ad confessionem accedere cum voluntate perseuerandi in vno aliquo peccato, siue illud sit concubinatus, siue odium proximi, & propositum vindictæ, siue voluntas non restituendi alienũ, aut quoduis aliud; tamen cum proposito vitandi simul reliqua omnia peccata mortalia: sed nemo dicet propositũ vitandi cætera peccata præter illud vnum, esse elicitum ex auxilio speciali Dei; Cum non sit integrum propositum abstinendi à mortalibus, adiunctumque habeat propositum perseuerandi in vno: Cum ergo abstinere ab illo vno peccato non addat multum difficultatis super reliqua omnia, sequitur vt si quis viribus naturalibus potest absolute statuere abstinere à reliquis præter vnum, possit etiam statuere eadem facilitate ab omnibus peccatis simul in genere, semper abstinere in posterum.

*Opinio aduersariorum qualis.*

Hæc dicunt aduersarij, & his argumentis probãt suam sententiam. Sed quod dolendum est, peiora fundamenta cumulant vt persuadeant quod vere aures audire perhorrescunt. Nam reliquias Pelagianorum introducere contendunt. Verùm tàm fundamenta quàm rationes eorum euertentur à nobis in conclusionibus, & præsertim in probationibus earundem, in quibus expendentur eorundem aduersariorum fundamenta & solutiones. ¶ Ex hac tamen doctrina colligũt, quòd non ad omnem contritionem sequitur infallibiliter gratia. Quia potest fieri, quod detur vera naturalis contritio, imò vera absoluraque dilectio Dei super omnia, quæ nequaquam sufficiant ad iustificationem.

Prima

*Prima conclusio.*

*Conclus.1.* PRo explicatione huius difficultatis, est prima conclusio. Homini habenti actum contritionis & dilectionis Dei super omnia, qui actus non possunt haberi nisi ex auxilio supernaturali Dei, statim confertur gratia iustificans, non quidē necessitate coactionis, sed infallibilitatis, & oppositum dicere est omnino falsum, & nullo modo ferendum, imò verò non est tutum in fide. Hæc est sententia S. Thom in hoc articulo, & in 4. sequenti, quem in hac re sequitur omnis consensus Theologorum, & iure quidem. Quoniam hæc sententia nō obscure deducitur ex diuinis literis. Nam Ezech. 18. & 33. promittitur; Inquacumque hora ingemuerit peccator, iniquitatum eius amplius non recordabor. Psal. 50. Cor contritum & humiliatum Deus nō despicies. Ecclesiast. 2. Quis vnquam vocauit Deum & despexit illum? quasi dicat, nullus. Et Zachar. 1. Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos: constat autem conuerti hominem per detestationem peccati & dilectionem Dei super omnia. Nam teste Ezechiele vbi supra, Si impius egerit pœnitētiam, omnium iniquitatū eius non recordabor. Et Christus. Ioan. 14. clamat, Qui diligit me, diligetur à Patre meo. Quæ sane omnia & similia testimonia certas promissiones, & infallibiles leges à Deo latas existimabat Aug. cum in commentarijs super epist. ad Rom. dicebat, quod si Deus confugientes ad se non reciperet, esset in eo infidelitas & iniquitas, nō quia faceret iniustitiam aliquam, sed eoquòd sua promissa non impleret. ¶ Hāc assertionem defendit Alexan. Alensis 3. p. q. 69. & communiter Doctores in 2. d. 28. & in 4. d. 14. Soto in 4. d. 17. q. 2. art. 5. & in d. 14. q. 2. art. 5. quidquid aduersarij dicāt. Et colligitur ex Concilio Trident. sessi. 6. potissime. cap. 7. Vbi dicitur, Hanc dispositionem seu præparationē, iustificatio ipsa consequitur, quæ non est sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio, & renouatio, interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum, vnde homo ex iniusto fit iustus, & ex inimico amicus, vt sit hæres secundum spem vitæ æternæ. Vnde, cum Ezechiel Propheta cap. 18. dixisset, Cū auerterit se iustus à iustitia sua morietur, statim, subiungit; Et cum auerterit se impius ab impietate sua, ipse animam suam viuificabit: Ergo sicut in eo instanti in quo auertit se à Deo, amittit gratiam, ita in eo instanti in quo se conuertit, recuperat illam. Et hunc esse sensum, tradunt cōmuniter Sancti, D. Greg. lib. 7. epistolar. epist. 52. Leo primus epistola Decretali. 69. ad Theodorum. Et habetur in primo tomo Conciliorum, & de pœnitentia. d. 1. capite, Multiplex D. Chrysost. lib. de reparatione lapsi; & habetur de pœnitentia. d. 3. capite. Talis. Et patet etiam Deutero. 4. Si quæsieris Deum ex toto corde tuo, inuenies eum. Idem habetur Ierem. 8. Et profecto, cum hæc dispositio de qua loquimur, potissimè in amore Dei consistat, non est cur negetur infallibilitas gratiæ Dei, per quam efficimur obiectum diuini amoris, & diuinę dilectionis. Quod quidem confirmari potest aptissimo Dauidis exemplo. 2. Reg. 12. de quo ipse psal. 31. ait, Confitebor aduersum me iniustitiam meam, & tu remisisti iniquitatem peccati mei. Quod optime adnotauit Ambros. in Apolog. Dauid capit. 7. Et D. August. super eundem psalmum.

*Ezech.18. & 33. Psal.50. Eccles.2. Zachar.1.* *Ioan.14.* *D.August.* *Alensis.* *D.Gregor. Leo Primus* *D.Chrysost. Deutero.4. Ierem.8.* *2.Reg.12. Psal.31. D.Ambros.* *D.Aug.*

Adducor etiam ad præfatæ conclusionis veritatem defendendam. Quoniam si positis actibus contritionis & dilectionis Dei super omnia, non iustificaretur statim homo per gratiam, fieret primo vt homo eodem prorsus tempore quo detestatur peccatum super omnia mala, & diligit Deum super omnia bona, ac proinde fugit peccatum quantum in se est, maneret in peccato. Probatur: Quia eo tempore non habet gratiam, vt aduersarij dicunt. Secundò fieret, quòd si in his actibus dilectionis Dei super omnia, & detestationis peccati moreretur homo, perpetuo dānaretur. Patet; quia recedit ab hac vita sine gratia. Imò verò fieret amplius quòd aliquando homo peccaret in eliciendis his actibus: Quod liquet, si eos eliceret eo tempore quo tenetur se disponere ad gratiam. Nam cùm his actibus per tenon se disponat vltimo ad illam vt ex præcepto tenetur, peccat saltem peccato omissionis, quando illis actibus intendit. Imò verò sequitur vlterius, hominem per aliquod temporis spatium esse extra statum salutis, & non habere remedium, nempe eo temporis curriculo, quo facit quod in se est etiam ex diuino auxilio, & non confertur ei gratia iustificans. Et pariter sequeretur, martyrem qui vere oppetit mortē pro Christo, & tunc dolet de commissis sceleribus, nempe, tempore immediato primo nō esse mortis, in inferno damnari. Profecto, nefas est de Deo qui multò propensior est ad misericordiam quam ad vindictam, credere quòd cum quolibet actu etiam si habeat paruam intensionem, quo homo ad creaturam conuertitur vt finem vltimum quem summè diligit, excludet illum à sua gratia, neque admittat eum ad suam amicitiam, & quòd quando habet actū etiam non summē intensum, quo Deum super omnia diligat, & propter illum ita dilectum, peccatum detestetur super omne detestabile, non admittat eum ad suam gratiam & amicitiam. Nam certè hāc dilectionem super omnia, & detestationem peccati propter Deum summè dilectum, homo non potest habere, nisi ex dono supernaturali eius.

Adducor vlterius. Quia cum facit homo quod potest ex ipsius dono, & quod debet & tenetur, nihil aliud potest Deus ab eo conuenienter expectare, vt illi suam gratiam communicet; neque Deus indiget tempore: Nam vt habetur Prouerb. 4. Potēs est subitò ditare pauperem. Et confirmatur efficacissime. Quoniam in omni agente naturali, cui Deus inordine supernaturali se attemperat posita vltima dispositione, statim sequitur forma: ergo idem dicēdum est in supernaturalibus. Dices cum Scoto, illum actum quandiù non durauit tanto tempore determinato, esse dispositionem imperfectam, & non vltimam. Sed contra, Primò: Quia sola duratio non addit perfectionem actus. Secundo: Quia Trident. Concilium non ponit vltimæ dispositionis perfectionē in duratione, sed in modo amandi Deum super omnia, & in detestatione peccati propter Deū summè dilectum; aliàs dici posset, ex nulla dispositione vltima sequi formam donec tanto tempore duret; quia non vocabitur vltima, donec habeat illam durationem. Vnde, D. August. in Enchiridio capit. 65. Vera (inquit) pœnitentia, non est mensuranda tempore, sed magnitudine doloris: cor enim contritum & humiliatum Deus non despicit. Lege Chrysost. hom. 27. in Genes. & D. Bernard. sermo. de Magdalena.

*Prouerb.* *D.Hieron. D.August. D.Bernard.* *D.Aug.* *D.Chrysost. D.Bernar.*

Tandem sequitur ex aduersariorum opinione, dari aliquod tempus in fine vitæ, in quo non potest homo iam habere dispositionem ad iustitiam quando, scilicet, iam non potest efficere actum, qui tanto tempore duret. Dices, illud certum tempus non esse præfixum hominibus. Sed certe etiam hoc sine fundamento dicitur, & nō sine incōuenienter: tunc enim ex duobus hominibus habentibus æqualem dispositionem, alter prius tempore iustificaretur, quam alius; Quæ rationes etiam procedunt contra Caietanum potissime ex Tridentino, quod non ponit perfectionem dispositionis in acceptatione ex trinseca, sed in intrinseca perfectione actus.

Vnde autem oriatur hæc infallibilis consecutio inter gratiam & eius dispositionem. Ad hoc respondet D. Thom. hic, non prouenire ex nostro libero arbitrio, sed ex motione Dei sic mouentis hominem vt illum iustificet: sed intelligendum est, non fundari in sola natura actus vel meriti ipsius hominis, sed in diuina voluntate, quæ voluit condonare peccatum homini sic operanti ex auxilio Dei, & sic facienti ex præparatione illa, quæ sane voluntas constat ex Scriptura diuina vt vidimus, habet autē fundamentum in actu, qui est eiusdem ordinis cum habitu infundendo, & est naturis rerum congruum, vt posito actu perfecto, detur habitus & forma. Lege Vegam lib. 6. in Trident. cap. 24.

*Vega.*

*Secunda conclusio.*

*Conclus.2.* SEcunda cōclusio. Contritio quæ includit propositum absolutū nūquam amplius peccandi mortaliter, & dolorē seu detestationē scelerū propter Deum, eiusque eximiam bonitatem, summe dilectum super omne diligibile, non potest haberi ex viribus liberi arbitrij, cum solo concursu generali Dei, & contrarium dicere neque est tutum in fide, neque caret temeritate aut reliquijs Pelagianorum. Hæc assertio est contra nouos Theologos qui Caietani sententiam, quam supra plerisque in locis impugnauimus, iterum ab Orco reuocare cōtendunt. Hanc tenent communiter omnes Theologi Catholici huius ætatis, & est expressè D. Hieron. & D. August. Bernard. & aliorum Sanctorum, quos infra citabimus. Imò verò Soto in 4. d. 17. q. 2. artic. 5. quem aduersarij citant, nihil eo loco contra nos dicit, vt in fine huius disputationis latius aperiemus. Et sane, si talis contritio esset ex viribus liberi arbitrij cum solo concursu generali naturali, non esset difficile dicere, quòd ea posita haberet homo dispositionem ad gratiam, quidquid Caiet. & noui Theologi dicant de hac cōsecutione. Nam certe contritio est vltima dispositio ad gratiam; & ob id non potest esse naturalis. Probatur. Nam ad contritionem vt sic, non satis est dolere quòd offenderit Deum, sed requiritur dolere de peccato propter Deum summe dilectum; sed hoc nequit haberi ex puris naturalibus: ergo, &c. ¶ Huic argumento respondent aduersarij, quòd præter dilectionem efficacem Dei, & præter velleitatem, ponenda est dilectio quędam absoluta Dei, quæ appellatur dilectio media. Et dicunt quòd Dilectio efficax, siue sumatur per ordiné ad finem supernaturalem, siue ad solum naturalem, non est posita in solo actu simplici, quo quis ex Dei affectu & amore statuit seruare omnia mandata: sed quòd pendet tanquam à conditione sine qua non, ab actuali obseruatione & exercitio, & impletione mandatorum, sine qua impletione & mandatorū exercitio, actus ille dilectionis nō habet rationem efficacis dilectionis Dei super omnia. Dilectio autem absoluta, est qua quis ex eodem affectu absolute vult idem, vt si statuat ex Dei affectu & amore absolute, semperque seruare vniuersa Dei mandata, eáque implere; licèt opere postea non compleat. Quo posito respondent, quòd dilectio efficax, quæ non solum includit actum absolutum dilectionis, sed etiam impletionem & actualem obseruationē mandatorum, illa quidem non potest esse sine auxilio Dei, & hæc non requiritur ad contritionem quā isti ponunt, nēpe, vt doleat peccator quòd offenderit Deum propter eundem Deum summe dilectum. Quia vt dicunt, sufficit ad contritionem naturalem illa dilectio absoluta, quæ includit absolutum propositum ex affectu diuini amoris seruandi mandata, licèt postea in exercitio & discursu temporis, opere non impleantur neque seruentur. Et hanc dicunt esse dilectionem naturalem, quæ sufficit vt includatur in contritione. ¶ Verùm hæc solutio ex eodem doctrinæ fonte orta, neque satisfacit, neque mihi probatur aut probari debet Theologo recte sentienti, & catholico: Quoniam fieri potest, & de facto ita fit, quòd quis conteratur de peccatis in momento, & proponat absolute & simpliciter apud se, seruare mandata semper, & in omni euentu, ita vt vehementer lachrymis perfusus, Dei misericordiam consequatur, & gratiam; ita vt iustus fiat; & nihilominus quòd postea id quod promisit de obseruatione mandatorum, opere non compleat; Tunc, certum est quòd ille habuit veram dilectionem efficacem Dei, quam isti appellant absolutam; & tamen opere non complēuit præcepta neque obseruauit: ergo dilectio efficax, qualis ad contritionem & iustificationem requiritur, non est dependens ex ipsa actuali mandatorum impletione & obseruatione, quæ opere postea & exercitio complentur. Sufficit ergo ex affectu diuini amoris, & ex proposito firmo & absoluto, simpliciter velle obseruare omnia mandata. Vndè, vt quis conteratur de peccatis per verum dolorem peccatorum vt sunt offensa Dei, & propter eundem Deum dilectū super omnia, requiritur & sufficit quòd in quacumque hora ingemuerit peccator, habeat actum internum, & absolutum actum detestationis, cum proposito efficaci satisfaciendi Deo, & cum alijs ad rationem veræ contritionis requisitis, & cum hac dilectione absoluta; licèt postea transacto illo simplici actu dilectionis & contritionis, propter varia huius sæculi scandala & pericula & occasiones, homo sui oblitus, opere non impleat quod proposuit firmo & absoluto proposito. ¶ Rursus arguitur contra hanc sententiam. Nam de fide est, quòd homo in quolibet momento temporis quo est viator, potest habere veram cōtritionem de peccatis, & in ea obtinere remissionem suorum scelerum, & consequenter habere dilectionem Dei necessariam ad actum contritionis: sed præter efficax

propo

propositum illud, quod includitur in dilectione Dei super omnia, seruandi mandata quandocumque se obtulerint; tunc non potest actu implere omnia præcepta, quæ tractu temporis sese offerunt & offerre possunt: ergo sufficit absoluta voluntas implendi mandata quotiescunque se obtulerint, cum firmo & efficaci proposito: Quoniã alias, nemo posset habere contritionem suorum peccatorum propter Deum summe dilectum, & iustificari in quolibet momento temporis, in quo vere ingemisceret sicut oportet de peccatis suis, proponendo firmiter omnia quæ facere oportet, & tenetur semper obseruare. Imò verò sequeretur quòd in vltimo vitæ momẽto non posset quis saluari; siquidem apud aduersarios illa dilectio Dei, quæ est efficax, non potest esse nisi dependens ab actuali impletione & obseruatione mandatorum, quæ opere postea debet compleri. ¶ Vnde, licèt talis dilectio, quæ in simplici actu amoris Dei super omnia consistit, includat firmum & efficax propositum obseruandi mandata omnia quotiescunque se obtulerint; tamen vt talis dilectio sufficiat ad iustificationem, & vt sit inclusa in actu cõtritionis, non requiritur quòd simul sit coniuncta, aut quòd actualiter pendeat, ab actuali executione, & adimpletione mandatorum Dei, sed sufficit quòd pendeat à proposito firmo & absoluto, & efficaci obseruandi mandata quotiescunque se obtulerint, & non à prædicto actuali exercitio.

*Obiectio aduersariorũ.*

Sed obijciunt aduersarij, quòd illa dilectio, qua primi parentes dilexerunt Deum super omnia dilectione absoluta, cũ proposito seruandi tum alia præcepta, tum illud positiuum, ne comederent de ligno scientiæ boni & mali, non fuit efficax dilectio, ob id quòd in transgressione præcepti, in peccatum mortale corruerunt. Cæterum hoc non est verum: Quia licèt ex obseruatione mandatorum Dei continuata in exercitio, colligatur optimè à posteriori, dilectionem præcedentem fuisse efficacem, & propositum illud, quo Adam statuit seruare mandata Dei, fuisse efficax & firmum; tamen ex eo quòd Adam postea discursu temporis, in exercitio non impleuit quod promiserat, & apud se firmiter statuerat; non sequitur primum illud propositum non fuisse in initio firmum & efficax, aut dilectionem præcedentem non fuisse prius efficacem & firmam; sed solum sequitur, Adam mutasse sententiam, & non perseuerauisse. Nam in opinione probabili dicente, quòd receperunt primi parentes gratiam per propriam dispositionem, certum est quòd illa dispositio ad gratiam continebat veram dilectionem Dei super omnia, & verum, absolutum, firmum, & efficax propositum adimplendi omnia præcepta Dei; & tamen postea corruerunt, non continuantes dilectionem illam, & propositum illud, sed intercipientes: ergo, &c.

*Dissoluitur contrariorũ obiectio.*

*Dicunt vlterius aduersarij.*

Dicunt vlterius ijdem aduersarij vt probent suã sententiam & fundamentum, quòd nunc de facto quotquot adulti cum contritionis actu iustificantur, diligunt Deum super omnia dilectione absoluta (quod nos libenter concedimus) & quòd nihilominus illa talis dilectio est inefficax, corruentibus hominibus ita iustificatis in lethale peccatũ, nec implentibus quod affectu supernaturalis dilectionis, tempore iustificationis statuerunt. Ex quo inferunt, quòd de facto in hoc statu naturæ lapsæ, datur dilectio Dei super omnia supernaturalis absoluta & inefficax, inefficacia prouenient ex sola libertate iustificati. ¶ Sed profectò, mirabilis doctrina est hæc, quam nemo mediocriter doctus intelliget non esse falsam; imò verò falsissimam. Nam quo fieri potest, quòd iustificetur homo actu contritionis & dilectionis Dei super omnia; & quod talis dilectio sit absoluta & supernaturalis: & quòd sit inefficax? Nã si talis contritio & dilectio, actu efficiunt & efficaciter, remissionem peccatorum, & iustificationem adulti, Cur talis contritio aut dilectio supernaturalis & absoluta, erit inefficax? Quoniam in tali dilectione & contritione, includitur efficax Dei auxilium, & efficax motio Dei: ergo actus contritionis & dilectionis supernaturalis inde procedens, efficax est. Per accidens igitur est quòd post dilectionẽ illam firmam & efficacem, & post propositum illud firmum seruandi mandata Dei, homo ex fragilitate naturæ, & ex impedimentis & occasionibus occurrentibus, non perseueret in actuali illa impletione mandatorum, quominus præcedens illa contritio & dilectio dicatur efficax & firma pro tunc. Nam si non est efficax, quomodo procedit ab auxilio efficaci Dei? aut quomodo per illam fit remissio peccatorum? aut quomodo per illam actu iustificantur adulti? Neque ob id quòd homo postea incidat in lethale peccatum; ob id sequitur quòd naturalis vel supernaturalis dilectio quæ præcesserunt, fuerunt inefficaces, sed solum sequitur interruptas fuisse & intercisas, & non permansisse, neque perseuerasse in continuatione & exercitio mandatorum Dei, quod sese postea offerebat. ¶ Qua propter, aliud est dilectionem illam fuisse inefficacem; aliud verò nõ fuisse perseuerantem. Nam hoc est verum; illud autem primum est falsum, vt luculenter explicatũ est, & idcirco efficacia illius cõtritionis & dilectionis, ex modo & qualitate actus, ex proposito & firmitate eius, & ex concursu Dei efficaci, qui, vt etiam aduersarij fatentur, non distinguitur ab ipso opere dilectionis & contritionis, sumitur per se loquẽdo.

*Alexan. Alber. S. Thom.*

*Iam probatur secunda conclusio contra aduersarios.*

Explosis igitur aduersariorum fundamentis, probatur vlterius secunda conclusio à nobis posita, nẽpe, non posse esse veram contritionem ex naturalibus; ac proinde non posse esse contritionem, quam Caietanus acquisitam appellat, quem impugnauimus luculenter supra. q. 109. art. 3. disputat. 2. & 3. qui locus specialiter est videndus contra Caietanum & alios. Putat enim sicut & aduersarij, recentesque Theologi, quòd ex solis naturalibus potest haberi vera contritio, etiam vt distinguitur ab attritione, quam proinde illi appellant contritionem naturalem. Nam ad contritionem, non sufficit dolere quòd offenderit Deum homo, sed requiritur dolere de peccato propter Deum summe dilectum: hoc autẽ nequit haberi ex puris naturalibus; quoniam ad contritionem, de necessitate requiritur explicitum & formale propositum cauendi firmiter à peccatis in futurũ; Quia non satis est detestari præcedẽtia delicta, sed requiritur & necesse est formaliter & explicite, velle firmiter cauere omnia in futurum, vt docet Alexander. 4. p. q. 69. memb. 4. artic. 2. Albertus magnus in. 4. d. 14. art. 11. S. Thom. 3. p. q. 85. art. 3. & q. 86. artic. 2. & lib. 3. contra Gent. cap. 158. & 4. contra Gent.



*Adriannus. Caietanus. Soto. Cano.*

gent. cap. 72. Imò verò idem fatentur Adrian. quodlibet. 5. artic. 3. Caietan. in additionibus ad. 3. part. quæsito. 1. Soto, lib. 2. de natura & gratia, capit. 14. & in. 4. sententia. distinct. 15. quæst. 1. artic. 2. & distinct. 17. quæst. 2. artic. 1. & Cano in relectio. de pœnitentia. 1. part. Ergo cùm tam ista dilectio summa, quam firmum illud propositum explicitum & formale cauendi à peccatis in futurum, & detestatio præcedentium delictorum, quæ ad contritionis essentiam requiruntur, non possint haberi ex naturalibus, sequitur aduersariorum sententiam plusquam falsam esse.

*Com. Trident.*

Adducor etiam ad præfatam sententiam defendendam contra aduersarios ex definitione Concilij Tridentini, quam timent aduersarij. Nam profectò, in Concilio Tridentino, sessio. 14. cap. 4. ita habetur: Illam verò contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ, declarat, non solum non facere hominem hypocritam & magis peccatorem; verùm etiam donum Dei esse & Spiritus sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum mouentis, quo pœnitens adiutus, viam sibi ad iustitiam parat. Et quamuis sine sacramento pœnitentiæ, per se ad iustificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in sacramento pœnitentiæ impetrandam disponit. Hoc enim timore vtiliter concussi Niniuitæ, ad Ionæ prædicationem plenam terroribus pœnitentiam egerunt, & misericordiam à Domino impetrarunt. Quamobrem falsò quidam calumniantur Catholicos scriptores, quasi tradiderint sacramentum pœnitentiæ absque bono motu suscipientium, gratiam conferre, quod nunquam Ecclesia Dei docuit, neque sensit, &c. Hæc ait Concil. Ex cuius decreto & doctrina conficio argumentum. Concilium definit attritionem, quæ, ex consideratione turpitudinis peccatorum, vel ex gehennæ pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat, esse donum Dei, & Spiritus sancti impulsum: ergo Concilium censet, voluntatem & propositum illud firmum deinceps non peccandi, nulla ratione posse esse, etiam quoad substantiam actus, nisi ex impulsu, & auxilio particulari Spiritus sancti.

¶ Rursùs idem Concilium de contritione loquẽs dicit, contritionem esse animi dolorem & detestationem de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero, & hanc non solùm esse cessationem à peccato, & vitæ nouæ propositum, & inchoationem, sed veteris vitæ odium: Sed aduersarij dicunt, attritionem, quam illi volunt esse naturalem, esse actum, id est, dolorem de peccatis ex Dei timore, cum proposito ampliùs non peccandi lethaliter; contritionem verò esse actum ex Dei amore super omnia elicitum, qui idem propositum absolutum nunquam peccandi ampliùs mortaliter, includit: hoc autem sine Dei impulsu & gratia haberi non potest ab homine: ergo non datur contritio naturalis, quam isti volunt. Nam profectò firmum propositum nunquam peccandi, & absoluta detestatio peccati propter Deum summè dilectum, quæ ostenduntur à fide vt necessaria homini peccatori, non possunt haberi ex solis naturalibus cum solo concursu naturali & generali Dei: indiget ergo homo supernaturali gratia & auxilio.

*Quid aduersarij respondeant.*

Aduersarij, vt præfatum argumẽtum eludant, dicunt, quòd si prædictum argumentum ex Concilio productum efficax esset, eodem modo posset colligi liberum arbitrium supposita fide supernaturali, sperare nõ posse, ex suis naturalibus, veniam à Deo, quoad substantiam actus, quandoquidem Concilio attritioni, quam dixit esse donum Dei, & Spiritus sancti impulsum, vtramque conditionem adiunxit, nempe, quòd voluntatem peccandi excluderet, & quòd esset cum spe veniæ. Sed profectò, hæc responsio non satisfacit. Primò; Quia Concilium apertis verbis definit, attritionem esse donum Dei. Secundò: Quia spes veniæ firma & quę innititur fidei ostẽdenti eius obiectum, & quæ collocatur in Deo simul cum dilectione Dei super omnia, ex qua summa dilectione simul cum firmo proposito ampliùs non peccandi, peccator sperat se consequuturum veniam à Deo, ea inquam spes indiget dono Dei, sicut & propositum ipsum firmum nunquam ampliùs peccandi. Tertiò; Quia in homine peccatore præsente habitu spei cùm sperat veniam à Deo, liberum eius arbitrium elicit actum supernaturalem propter concursum habitus, & concursum Dei supernaturalem. Pari ergo ratione, vt eliciat idem homo firmam contritionem, & firmum propositum ex amore Dei super omnia nunquam ampliùs prorsus peccandi, requiritur Dei adiutorium. Vndè, licèt homo habeat vires, vt possit habere hoc propositum cum aliqua spe veniæ; tamen secluso Dei adiutorio, tale propositum est imbecillum & infirmum, & talis spes non erit qualis oportet ex solis naturalibus: Igitur firma stat sententia Concilij aduersus eos.

*Impugnatur aduersarij.*

*Obijciũt, & respondent aduersarij.*

Sed dicunt & respondent aduersarij, quòd cùm nunquam fuerit vlla controuersia, aut cum hæreticis, aut inter Doctores Theologos & Catholicos, Vtrùm peccator possit & valeat ex suis viribus naturalibus præcisè, elicere contritionem quoad substantiam actus, & propositum absolutum nunquam amplius peccandi, cum detestatione peccati ex dilectione Dei absoluta super omnia, communisque sententia Scholasticorum sit, propositum illud absolutum nunquam amplius peccandi, aut offendendi Deum; sed potius diligendi super omne diligibile, & detestandi antiquam male actam vitam, posse elici à peccatore; neque sit testimonium aliquod Scripturæ, aut Concil. vllum ante Tridentinum vnde oppositum colligatur; quòd nõ est persuasibile, Ecclesiam in prædicto capite Concilij voluisse definire attritionem ex ea parte esse donũ Dei, & impulsum Spiritus sancti, quod propositum non peccandi, quale supra descripsimus, includat; Aut quod contritio vel tale propositum absolutum nunquam amplius peccandi, ortum ex Dei amore & dilectione Dei super omnia, aut ex detestatione diuinæ offensæ, aut ex turpitudinis peccati cõsideratione, aut ex gehennæ & pœnarum metu, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ, non possit quoad substantiã actus elici sine speciali auxilio Dei. Idque probant: Quia non est credi-

bile Concilium intendisse condemnare quorũdam Scholasticorum sententiam. Secundò: Quia Concilium innuit sessione. 6. capite. 1. &. 3. esse posse bona opera, quæ vel per solam vim naturæ, vel etiam adiuuante simul doctrina legis fiant, sed illa sine Iesu Christi gratia non satis esse ad iustificandum. Et nos posse credere sperare, diligere, ac pœnitere quoad substantiam actus sine speciali auxilio Dei; non tamen sicut oportet, vt iustificationis gratiam consequamur.

*Repellitur aduersarij.*

Profectò responsio hæc & obiectio, nescio quo colore introducta fit à suis authoribus. Primò: Quia certum est, hæreticos cum Pelagio errauisse cùm diceret, hominem sufficienter disponi per actus liberi arbitrij naturales secundum substantiam, sine vllo speciali supernaturali auxilio elicitos, ad iustificationem & gratiam Dei. Et ob id etiam errauisse quòd diceret, ex viribus naturalibus posse hominem habere contritionem absolutam, quæ voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ. Nam hanc voluntatem peccandi excludit propositum illud absolutum nunquam ampliùs peccandi lethaliter, & hoc includitur in actu contritionis naturali, & sic ad gratiam disponi ex suis viribus naturalibus. Negabatque ille omnem gratiam diuinitus infusam, tollebatque omne supernaturale auxilium. Imò verò dicebat, sine gratia Christi posse hominem implere omnia Dei præcepta, & suis naturæ meritis vitam æternam consequi: Quòd si affirmabat, posse omnia præcepta implere ex solis naturæ viribus, necessariò etiam affirmabat, posse hominem ex solis naturæ viribus implere præceptum illud de contritione habenda, sicut oportet ad consequutionem veniæ, & cum spe veniæ, & cum proposito ampliùs non peccandi, & posse disponi ad gratiam & iustificationem consequendam, per eandem contritionem & detestationem peccati cum spe veniæ ex solis naturalibus. Nam cùm increpareturPelagius ob id, quòd negaret gratiam Dei, concesit non esse abijciendam velut prorsus inutilem, sed esse amplectendam quatenùs illa accedente, faciliùs posset haberi gloria æterna. Quibus verbis insinuabat, sine gratia beatitudinem posse acquiri, licèt difficiliùs quam cum ipsa gratia, & omne opus perfici quantumcunque difficile sine vlla prorsus Dei gratia. Et sanè, licèt Scholastici sese opposuerint Pelagio, qui omnia tribuebat libero arbitrio, etiam dispositionem ad gratiam, & meritum æternæ vitæ, præsertim ob id, quòd negabat Dei gratiam esse necessariam; nonnulli tamen inter eos, ne viderentur negare liberum arbitrium cùm declinabant in gratiam Dei, concesserunt posse hominem ex suis viribus habere contritionem & dilectionem Dei absolutam super omnia, & propositum illud absolutum nunquam ampliùs peccandi cum spe veniæ, quod voluntatem peccati excludit, & hos actus posse elicere ex suis viribus naturalibus quo ad substantiam. Quæ sententia multum fauet Pelagio. Idcircò, Concilium Tridentinum volens in hac parte sanam doctrinam tradere in omnibus, & rescindere contentiones, quæ vlteriùs circa hanc doctrinam oriri possent, plenè & adæquatè voluit omnia definire, & ita de facto fecit, tum in doctrina suorum decretorum; tum etiam in Canonibus.

¶Fateor quidem, hominem ex suis viribus, cùm non fuerint extinctæ, sed attenuatæ, & ex libero arbitrio eius, posse facere liberè multa opera moraliter bona, vt suprà definitum est à nobis, neque ad ea requiri speciale gratiæ auxilium, vt credidit Gregor. Ariminens. qui contrarium putabat esse Pelagianum; & similiter fateor suppositafidei illustratione, posse hominem ex naturalibus habere aliquem dolorem de peccatis, & aliquod propositum vitandi illa. Cæterum nego posse hominem ex suis viribus habere contritionem naturalem cum proposito absoluto nunquã peccãdi, & similiter habere cõtritionẽ propter Deũ summè dilectũ. Nam profectò, contritio vt ab attritione distinguitur, in conceptu suo includit summam & absolutam dilectionem Dei super omnia, & includit propositum nunquam peccandi, & excludit voluntatem peccandi; Quod adeò difficile est, vt si vera contritio est & absoluta, & non imbecillis & infirma, non possit impleri, & haberi sine speciali Dei gratia & adiutorio.

¶Et mirabile est, aduersarios authores dixisse, nullam vnquam fuisse controuersiam, aut contra hæreticos, aut inter ipsos doctores catholicos, Vtrũ homo in natura lapsa potuerit habere veram contritionem & absolutam suorum peccatorum, ex solis naturalibus elicitam, & propter Deum summè dilectum, quæ si ita eliceretur, naturalis esset contritio quoad substantiam, & acquisita; cum tamen libri Scholasticorum plerumque de hac re mentionem faciant, & Gregor. Ariminens. in. 2. distinct. 26. 27. &. 28. disputatio. 1. &. 2. dicat, fuisse errorem Pelagij, posse hominem ex suis viribus agere actum moraliter bonum. Nam quamuis Gregorius fuerit deceptus, eo quòd existimauerit non posse hominem sine speciali auxilio agere opus moraliter bonum, & hunc fuisse errorem Pelagij; tamen ex hoc deducitur apertè, quòd inter Scholasticos fuerunt graues contentiones de hac re eo tempore & ætate, & quòd saltem ex reliquijs Pelagianorum putabant esse introductum vt minimum, quòd homo posset habere veram contritionem, qualem isti ponunt, cum proposito absoluto, vt distinctam ab attritione ex puris, merisque naturalibus sine vllo Dei auxilio prorsus, eò præsertim quòd ex hoc videbatur sequi, quòd homo per illam contritionem naturalem se disponebat ad gratiam, per quam homo efficiebat ex suis naturalibus, quod in se erat. Vndè, introductum est inter Scholasticos vulgare illud proloquium sæpius citatum, Facienti quod in se est Deus non denegat gratiam, quod suprà diximus egere animaduersione, & explicatione debita & catholica, vt vidimus.

*Gregor.*

Inter Scholasticos huius ætatis, Pater Mancius &si fuerit magno beneuolentiæ fœdere Caietano coniunctus, suæq; doctrinæ deditissimus; tamen in materia de contritione in additionib. ad. 3. part. dicit, quòd licèt possit homo dolere ex puris naturalibus quòd Deum offenderit, sicut potest dolere ex naturalibus, quòd offenderit amicũ; negat tamẽ ob id posse hominẽ habere contritionẽ ex naturalibus, seu contritionẽ veram & naturalem aut acquisitam, qualem isti cum Caietano affirmant ab

*Mancius*



ab attritione distinctam. Quoniam ad contritionem non sufficit dolere quòd offenderit Deum, sed requiritur dolere de peccato propter Deum summè dilectum, & hoc nequit haberi ex puris naturalibus sine vllo auxilio gratiæ. Vndè colligit ille, iam nunc non esse tutum tueri partem affirmatiuam, aut dicere, quòd est possibilis contritio naturalis acquisita ab attritione distincta; qualem præfati authores aduersarij ponunt.

¶Probatur hoc, præter argumẽta superiùs facta, quæ ex Concilio & rationibus construximus. Primò: Quoniam pœnitentia est virtus infusa, & hæc ponitur ad actus supernaturales. Nã ad actus quos potest habere homo cum solo concursu Dei generali, non opus est habitu infuso; quia per actus nostros potest acquiri habitus sufficiẽs ad tales actus; sed virtus pœnitentiæ ponitur ad contritionem: ergo contritio est actus supernaturalis: ergo non potest haberi ex naturalibus: figmentum ergo est dicere, quòd potest dari contritio naturalis acquisita ab attritione distincta.

¶Secundò; Contritio non potest esse sine actu supernaturali fidei, vt patet ex D. August. lib. de vera & falsa pœnitentia, capit. 2. Vbi ait, Si fides fundamentum est pœnitentiæ, constat pœnitentiam quæ ex fide non procedit inutilem esse, dicẽte Apostolo, sine fide impossibile est placere Deo. Sed quamuis hoc argumentum non probet quin voluntas supposita fide possit habere dolorem de peccatis cum concursu Dei generali; cæterùm nos cõtendimus probare & ostendere, quòd contritio nõ potest elici à voluntate cum solo concursu Dei generali, sed quòd egeat auxilio supernaturali; Idque docet D. Bernard. sermo. 1. Pentecostes, Vbi affirmat, quòd hoc ipsum non solum certa ratio docet, sed & confirmat authoritas: Ait enim, quòd ad declinandum à malo tria operatur in nobis Spiritus sanctus, compunctionem, supplicationem, remissionem: initium enim reuertendi ad Deum, pœnitentia est, quam sine dubio spiritus operatur, non noster sed Dei, idque & certa ratio docet, & confirmat authoritas. Quis enim cùm ad ignem venerit algens, & fuerit calefactus, dubitabit ei ab igne venisse calorem, quem habere non poterat sine illo? Sic ergo qui priùs in iniquitate erat frigidus, si post modum feruore quodam pœnitentiæ accendatur, alium sibi spiritum, qui suum arguit & diiudicat, non dubitet aduenisse. Et postea, Vtique dùm habes, ille Spiritus sanctus, tale aliquid in tuo spiritu non inuenies; nam ipse est in quo clamamus Abba pater, & hæc quidem in corde nostro. Et paulò infe riùs, Multi monentur vt benè faciant, sed minimè sciunt quid agendum sit, nisi adsit denùb gratia Spiritus sancti, vt quam inspirat cogitationem, doceat in opus proferre. Propterea, non solum moneri & doceri; verùm etiam moueri & affici ad bonum, ne cesse est ab eo vtique spiritu, qui adiuuat infirmitatem nostram, procedere.

*D. Augus.*

*D. Bernard.*

D. August. de fide ad Petrum cap. 31. inquit, Firmissimè tene, & nullatenus dubites, neminem posse pœnitentiam agere, nisi quem Deus illuminauerit, & gratuita sui miseratione conuerterit. Legendus est etiam D. August. lib. 5. contra Iulian. capit. 3. quo loco addacit illud Rom. 2. An ignoras, quia benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Lege etiam Sanctum Thomam libr. 4. contra gent. capit. 72.

*D. August.*

Sanè, ex significatione verborum attritionis, & contritionis, res hæc manifesta est contra aduersarios. Nam nomina attritionis & cõtritionis, à corporalibus ad spiritualia significanda sunt translata: & quidem in corporalibus attritio significat imperfectam diuisionem alicuius in aliquas partes; contritio verò importat exactam comminutionem, & reductionem in pulueres. Ex quo colligo, quòd contritio in spiritualibus, importat perfectam displicentiam; attritio verò imperfectam. Hæc doctrina colligitur expressè ex Diuo August. lib. de vera & falsa pœnitentia, capit. 17. Imò verò Sanct. Thom. apertè docet, contritionem importare perfectam displicentiam, & perfectum dolorem; vt distinguitur ab attritione. Ita habet in. 4. distinctione. 17. quæstione. 2. articulo. 1. quæstiunc. 2. ad. 3. Vbi dicit, quòd contritio importat displicentiam perfectam, attritio verò imperfectam. Vndè, illa dicuntur attrita, quæ aliquo modo sunt comminuta; illa autem dicuntur contrita, quando omnes partes simul tritæ sunt per diuisionem ad minima. Et hoc idem docet Sanctissimus Præceptor in additionibus ad. 1. parte, quæstione prima, articulo secundo, ad. 2.

¶Adde etiam, quòd cùm cõtritio sit perfecta displicentia, necessariò debet habere ea omnia quæ ad finem displicentiæ consequendum, sunt necessaria. Quia perfecta displicentia est, cui nihil deest eorum quæ ad finem displicentiæ consequendum sunt necessaria; finis autem displicentiæ completæ seu perfectæ de peccatis, in genere displicentiæ, qualis est contritio absoluta, triplex est. Primus est, compensare iniuriam illatam Deo. Secundus est, eius amicitiam conciliare. Tertius est delere peccatum, & expellere, quod est animo contrarium; qui fines inter se sunt connexi, vt Theologi dicunt in materia de contritione: ergo cùm peccator in natura lapsa vulneratus sit ex parte voluntatis & imbecillus, non potest ex puris naturalibus habere hanc contritionem; quam ipsi aduersarij vocant naturalem & acquisitam. Perpendat rogo Christianus & doctus lector hæc, quæ modò dicebamus, & videbit apertè quàm certa & vera sit secunda conclusio superiùs posita, quam aduersarij euertere conantur.

Adducor etiam in assensum nostræ sententiæ. Quia cõtritio procedit à timore filiali Dei, & quia importat propositum illud absolutum ampliùs nũquam peccandi mortaliter propter Deum summè dilectum, simul cum his, quæ à nobis suprà sunt relata: ergo contritio non potest haberi nisi cum speciali Dei auxilio. Nam profectò, modò in homine lapso & peccatore non est intelligibile quid sit esse contritionem merè naturalem & acquisitam, vt distinguitur ab attritione.

Rursùs adducor. Quia vnum genus imperfectæ displicentiæ, quod Theologi vocant attritionẽ, est, quando quis dolet de peccatis propter pœnas, quæ sola fide cognoscũtur, vt sunt pœnæ æternæ & spirituales, & hæc displicentia importat dolorem de peccatis ex Dei timore, cum proposito ampliùs nõ

peccandi lethaliter:sed hæc displicentia attritionis non potest haberi ex solis & nudis viribus naturæ; quia sicut ex parte intellectus requiritur supernaturale lumen fidei ad pœnas illas cognoscendas vt oportet; ita ex parte affectus & voluntatis requiritur speciale auxilium ad illas pœnas sic timendas, vt illarum timore,à culpis homo statuat & decernat absolutè abstinere, & hac ratione ponitur timor iste pœnarum, donum Spiritus sancti. Et hoc
*Conc.Tridē.* decernitur in Concil.Trident.sessio. 14. capit. 4. in doctrina de sanctissimo Sacramento Pœnitentiæ; quam nos ad literam supra retulimus. Vbi definitur, huiusmodi attritionem;si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ,esse donum Dei,& Spiritus sancti impulsum; si tamen attritio hæc posset haberi ex solis naturalibus, non diceretur impulsus Spiritus sancti.

Sed respondent aduersarij;quòd quando Concilium dixit, attritionem esse donum Dei & Spiritus sancti impulsum, vtramq; conditionem copulauit, nempe, quòd voluntatem peccandi excluderet, & quòd esset cum spe veniæ,& quòd incertum est propter quam illarum conditionum definierit Concilium attritionem esse donum Dei. Quia potius censendum est, id voluisse definire ratione spei veniæ, quam ratione voluntatis, ac propositi non peccandi. ¶ Sed profectò,hæc responsio non satisfacit. Primò; quia non potest habere locum in contritione, quæ procedit à timore filiali, & quæ habet pro fine compensare iniuriam illatam Deo, & eius amicitiam conciliare, qui fines sunt connexi; & spes veniæ, necessariò includitur in his, sicut & in contritione; sicut etiam includitur quòd sit propter Deũ summè dilectum; ac proinde,non remanet quid dicant aduersarij de contritione.Secundò;quia Concilium loquitur de homine fideli, qui credit posse peccata remitti,& qui credit spem veniæ, quam is fidelis qui atteritur, nisi desperet,non potest nõ habere. Et aduersarij, vt vidimus in secundo argumẽto eorum in exordio quæstionis relato,vt probent, tam contritionem, quam attritionem ex solis viribus naturæ posse dari, adducunt argumentum de homine peccatore fideli,& affirmant, quòd quiuis homo experietur in se ipso si proponat ante mentis oculos lumine fidei se esse à sempiterna beatitudine excludendum,& sempiterno igne cruciandũ, nisi statuat nunquam peccare mortaliter, in arbitrij facultate cum solo concursu generali Dei, esse elicere hanc contritionem seu propositum nunquam ampliùs peccandi ex Dei amore, quoad solã actus substantiam:ergo palam affirmant, posse esse contritionem in homine catholico, etiam à fide directam & cognitam, sine speciali vllo auxilio Dei, quod manifestè implicat. Tertiò; quia non est vera contritio,neque ex timore inferni vera attritio sine spe veniæ. Quartò; quia propositum illud,quod in contritione includitur ex Dei amore, & propter Deum summè dilectum absolutè sine vlla tergiuersatione, definitur egere Spiritus sancti impulsu, & ex illo esse. Quintò; quia contritio vt contritio est formaliter, ex amore Dei super omnia habet ortũ: ergo ex motione Spiritus sancti. Nam qui diligit Deum super omnia,diligitur à Patre.

¶ Verum est,quòd quamuis nouitij aduersarij putent, posse dari hanc contritionem naturalem & ac quisitam,quam hactenus impugnauimus; tamen iudicant & verè quidem, nullum adultum vel extra sacramentum, vel in sacramento iustificari, nisi præuio bono motu liberi arbitrij eleuato ad supernaturale esse per gratiam, seu auxilium Dei speciale. Sed profectò, si posset dari contritio ex viribus naturalibus,cum illa importet perfectam displicentiam ex Dei amore super omnia ortam, & perfecta displicentia sit,cui nihil deest,eorum,quæ ad finem displicentiæ consequendum sunt necessaria, inter quæ recensentur ea quæ pertinent ad finem displicentiæ de peccatis, nempe; compensatio iniuriæ illatæ Deo, & conciliatio amicitiæ eius, & deletio peccati, quod contrariatur animo eius,qui conteritur; sequitur, quòd latenter aduersarij videantur concessisse quod negant, nempe,ex solis naturalibus præparari ad gratiam & amicitiam Dei, & ad repulsam peccati & remissionẽ eius, quidquid illi reclament & dicant.

Multa diximus ad probationem nostræ sententiæ, quæ efficaciter eam ostendunt, sed extat testimonium Christi Ioann. 14. Qui diligit me, diligetur à Patre meo: & Sapient. Ego diligentes me diligo: Ergò non stat hominem detestari peccatum super omne detestabile, & diligere Deum super omne diligibile per actum contritionis, & quòd non verè diligatur à Deo, ac proinde sit eius amicus, eique dilectus: non ergo potest dari contritio ex viribus naturalibus, vt malè Caietanus docuit, & qui eum sequuntur.Nam profectò, si vera est illius sententia,quomodo stare potest, quòd Deus stat ad ostium & pulsat, vt cœnet nobiscum,si homo Deũ super omnia diligit ex detestatione & contritione de peccatis, & non diligitur à Deo supernaturaliter, cùm hæc fiant aut fieri possint,ex aduersariorũ placito, ex puris naturalibus,sine Dei adiutorio? Nam certè,illud de pulsare & cœnare, intelligitur de supernaturalibus.

*Ioannis.*

Præterea; Hoc est determinatum contra Pelagium, vt patet in Epistolis Aurelij Episcopi Carthaginensis, Epistola de erroribus & condemnatione Pelagij.72. in ordine Epistolarum Leonis Papæ in editione Parisiensi, Vbi contritio & pœnitentia donum Dei esse dicitur. Rursùs probatur Epistola. 69. Leonis Papæ ad Theodorum dicentis, Pœnitentiam ex Dei credimus inspiratione conceptam, dicente Apostolo, Ne fortè det illis Deus pœnitentiam. Idem habetur ex definitione Cælestini Papæ in Epistola ad omnes Episcopos Galliæ capit.4.

*Aurelius contra Pelag. Leo Papa. Cælest.P.*

¶ Nouissimè probatur ex Concilio Tridentino, sessione. 14. capit. 4. & etiam cano. 5. Vbi habetur Siquis dixerit, Eam contritionem, quæ paratur per discussionem, collectionem, & detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ,ponderando peccatorum suorum grauitatem,multitudinem,fœditatem, amissionem æternæ beatitudinis, & æternæ damnationis incursum, cum proposito melioris vitæ,nõ esse verum,& vtilem dolorem,nec præparare ad gratiam, sed facere hominem hypocritam,& magis peccatorem,demum illam esse doloré coactum, & non liberum ac voluntarium; anathema sit. In quo canone

*Conc.Trid.*



none aduerte, ea omnia quæ in argumentis quibus aduersarij suam probant sententiam,è conuerso & contra eos ibi contineri & definiri. Legatur prima ratio seu primum argumentum secundo loco positum,quo nituntur probare opinionem Caietani & aliorum.Rursus aduerte,in eodem Canone reliquis se verum manifestam, donum Dei esse talem contritionem; & ex impulsu Spiritus sancti fieri; ac proinde in capit.4.dixit Concil. contritionem esse animi dolorem & detestationem de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero, & hanc præparare ad remissionem peccatorum,si fiat cum fiducia diuinæ misericordiæ, & cum proposito & voto præstandi ea,quæ Deus statuit ad ritè suscipiendum sacramentum pœnitentiæ. Et hæc quæ vltimo dicit loco,ob id tradit Concil.quia instituit Christus pœnitentiæ sacramentum ad mirabiliter reparandum peccatorem, & ob id etiam obligauit eum ad ea,quæ requiruntur ad ritè suscipiendum sacramentum pœnitentiæ, quæ si omitteret homo, non esset verè contritus; quia nõ vere proponeret, aut haberet in voto, facere ea quæ requiruntur ad rectam susceptionem pœnitentiæ;Quod si Christus nunquam statuisset hoc tribunal pœnitentiæ, non tamen idcirco non esset contritio,iste animi dolor, & detestatio de peccato cõmisso cum proposito nõ peccandi de cætero,ad impetrandam remissionem peccatorum.Quoniam idem Concil. aperte in eodem cap.4.statim post initium dicit, hanc contritionem seu contritionis motum,fuisse necessarium ad impetrandam peccatorum veniam quouis tempore.In quibus verbis aperte satis docuit Concil. motum contritionis importantem dolorem animi & detestationem de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero, non posse haberi ex solis naturalibus,aut ex solo concursu Dei generali naturali,sed ex ipsius Dei dono & gratia. Expẽ de obsecro optime Lector omnia quæ dixi, vt aperte veritatem cognoscas. ¶ Tandem, à doctissimis Theologis etiam huius ætatis contra hanc sententiam adducitur idem Concil. Trid. sessio. 6.cano.3. Vbi sic habetur; Si quis dixerit, sine præueniente Spiritus sancti inspiratione, atque eius adiutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse sicut oportet,vt ei iustificationis gratia conferatur; anathema sit. Quod testimoniũ adducit cõtra Caietanum Magister Mancius in disputatione de contritione in additionibus ad.3.p.q.6.post mediũ.

*Gabriel. Ochamus. Aliacens.*

*Concluſ.3ª*

*Tertia concluſio.*

TErtia conclusio. Dicere quòd contritio qualis ad iustificationem sine sacramento requiritur, quæ supernaturalis est, non includit dilectionem Dei super omnia efficacem, neque exigit illam; plane error est. Nam cùm contritio supernaturalis, qualis ad iustificationem requiritur; procedat ex auxilio Dei efficaci & ex amore Dei; & sit circa Deum summè dilectum super omne amabile & diligibile, firmiter eum præponendo omnibus diligibilibus, non potest talis dilectio non esse firma & efficax. Imò verò illa talis dilectio inclusa in contritione supernaturali, cum ex aduersariorum calculo sit actus voluntatis, & idem quod auxilium ipsum efficax Dei; sequitur quòd non potest talis dilectio non esse efficax; Siquidem identificatur cum ipso auxilio efficaci Dei; vt etiam ipsi aduersarij fatentur. Nam rogo, Quid est dicere contritionem supernaturalem non includere dilectionem efficacem super omnia;cùm contritio sit dolor de peccatis propter Deum summè dilectum? ¶ Sed respondent aduersarij, quòd dilectio quæ includitur in contritione supernaturali,est dilectio Dei absoluta super omnia,& absolutum propositum seruandi in posterum mandata; non tamen est efficax; quia eam re ipsa non consequitur ad extra mandatorum obseruatio in posterum, seu in discursu temporis. Mirabile tamen est profecto quod isti dicunt.Quia aliud est dicere, q̃ non includit perseuerantiam & continuationem; & aliud est dicere quòd non includit dilectionem efficacem: Quia primum est verum, hoc autem secundum aperte est falsum. Vnde, Concil.Trident. sessio. 6. cano. 22. primum dixit esse verum, non secundum, cùm ait; Si quis dixerit, iustificatum posse fine speciali auxilio Dei perseuerare in accepta iustitia; anathema sit; Non tamen dixit, Si quis dixerit, dilectionem Dei super omnia in contritione supernaturali inclusam, non esse veram & efficacem dilectionem, nisi habuerit coniunctam in discursu temporis obseruationem, & impletionem actualem omnium mandatorum & præceptorum; anathema sit. Quapropter definiuimus in superioribus, neminem quantumcunque iustum & amatorem Dei efficacissimum, posse diù, aut per totam vitam perseuerare sine speciali auxilio Dei.Quòd verò dilectio illa,quæ iustificat hominem,& est supernaturalis in contritione supernaturali inclusa, procedens ex efficaci Dei cõcursu, imò ex charitate,sit firma,absoluta,& efficax dilectio secundũ se,patet; Quia quantum de se est, efficaciter remittit peccata, & efficaciter causat iustitiam,& de facto id facit; & quantum de se est,est efficax principium omnis operis meritorij,& de facto reponit hominem in gratia, & facit eũ dilectorem Dei;aliàs si nõ est efficax dilectio,sequitur,sanctos qui non erant in gratia confirmati, nunquam efficaciter amauisse Deum, quia nonnunquam sese obtulerunt occasiones offendendi Deum. Itaqu iustificatus homo sicut perseuerare potest in accepta iustitia per speciale Dei auxilium, ita quidem

*Mancius.*

*Ieremias.21.*

*D.Hieron.*

*Pſal. 79. D.Auguſt. ſerm.84. D.Thom. Caietanus.*

libero arbitrio. Male etiam loquitur Gabr. Ochamus,& Aliacens.

sine speciali auxilio Dei id non potest præstare.

Ex quibus omnibus suprà dictis colligo, veram contritionem includere dilectionem Dei super omnia absolutam & firmam, neque requiri ad eius perfectionem veram & essentialem simpliciter, vt eam consequatur mandatorum obseruatio & executio, quæ temporis tractu fit. Quia si hæc esset necessaria, sequeretur, eum qui post contritionẽ de peccatis, relaberetur, non fuisse antea contritum, neque repositum in gratia, quod asserere est error. Imò verò colligo, contritionem supernaturalem propter Deum summè dilectum, ita esse efficacem, vt efficiat & reddat de facto hominem iustum, & cum voluntate promptissima satisfaciendi Deo.

¶ Rursùs secundò colligo, ad contritionem veram, necessariam quidem esse efficacem dilectionem Dei super omnia, & efficax propositum non peccandi, non quidem in eo sensu quo aduersarij putant, efficaciam esse necessariam. Quia putant esse necessariam actualem adimpletionem mandatorum, & obseruationem tractu & discursu temporis factam, ad hoc vt contritio quæ iustificat hominem verè, cum dilectione Dei super omnia, quæ in ea includitur, dicatur efficax. Nam profectò, si necessaria esset ista actualis obseruatio mandatorum, ita vt sine ea contritio supernaturalis, qua homo iustificatur, non esset efficax, sequeretur, quòd essent rarissimi aut nulli; qui talem contritionem de suis peccatis haberent, & consequenter hoc esset angustam nimis reddere viam salutis, adducereque homines in desperationem, & non leuibus scrupulis perturbare Dei Ecclesiam. Vndè, videretur necessarium, quòd quilibet homo dum conteritur, tentaret per temporis discursum, & per grauissimas tentationes & occasiones, quas vincere curare deberet, Vtrùm eius propositum, seu contritio efficax esset, ne si ad eum gradum efficaciæ non pertingeret, credens se habere legitimam contritionem, & legitimum propositum, maneret in mortali peccato, & sempiternæ pœnæ addictus. Quæ incommoda cernentes aduersarij dixerunt, posse esse contritionem veram, & dilectionem Dei super omnia in ea inclusam, à quibus homo redderetur iustus & contritus coram Deo, & à quibus reponeretur in via salutis antequam in exercitio & discursu temporis sequeretur obseruatio actualis mandatorum. Neque ausi sunt aduersarij dicere oppositum, cùm hoc doceant Sancti Patres, & communis Theologorum sententia, quæ ait, satis esse contritionem & propositum firmum, seu absolutum nunquam amplius peccandi mortaliter, &c. licèt Deus cernat, quòd si tentationes graues & occasiones occurrerent, fore vt is, qui eiusmodi contritionem, & propositum animo concepit, victus succumberet, & ab illa priori institutione desisteret.

### *Quarta, quinta, & sexta conclusio.*

*Conclus. 4.* QVarta conclusio. Dolor ille qui præparat & disponit ad gratiam, seu qui est essentialis contritio & displicentia peccatorum, seu detestatio in genere displicentiæ perfecta essentialiter, debet esse dolor maximus omnium appreciatiuè, quod est dicere, peccatorem sic debere detestari peccata, vt firmiter proponat pro nulla re mundi, illa amplius committere. Hæc assertio de fide est, & tanquam Catholica veritas ex Euangelio colligitur Matthæi. 10. Qui diligit Patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus, & qui amat animam suam perdet eam. Cuius sensus literalis est, ob nullam rem mundi, nec propter vitam, fas esse anteponere creaturam Deo. Et hoc est quod legitur Deutero. Deutero. 6. nomij. 6. & Matthæi. 22. nempe, Deum diligendum esse ex toto corde, ex tota anima, & ex tota mente, non quidem intensiuè; vt sit maxima dilectio intensiua, sed vt sit maxima dilectio appreciatiua, ita vt nihil in corde hominis anteponatur Deo, & quod habetur in Scriptura de dilectione Dei ex toto corde, habetur etiam de contritione Ioelis. 2. Conuertimini ad me ex toto corde vestro. Sanè, contritio nascitur ex timore filiali, & omnis dolor rei amissæ, in illius amore fundatur, vt dicit Augustinus: ergo dolor peccati, cùm per peccatum Deum amiserimus, debet esse de offensa Dei propter ipsum, & ad eius amicitiam reconciliandam: ergo eadem est mensura actus pœnitentiæ & charitatis: sed charitas Dei cùm Deus sit supremus finis omnium bonorum, debet esse appreciatiuè maximus amor omnium, vt, scilicet, nullam rem Deo præferamus, sed ipsum vniuersis. Et confirmatur hoc: Quia sicut Deus est primum bonum inter omnia diligibilia, ita peccatum mortale est summum malum inter odibilia: ergo qua ratione Deus est summè diligendus, & super omnia, peccatum est summo odio habendum. Quare, idem est dolorem peccatorum, qui est contritio essentialis, summum esse debere appreciatiuè, & peccatum odio esse habendum super omne odibile & detestabile.

Matth. 10.

Ioelis. 2.

*Conclus. 5.* Quinta conclusio. Non semper confertur gratia iustificans homini facienti illud, ad quod Deus donat & immitrit præueniens auxilium, quo pulsatur & excitatur, vt iustificetur. Hæc est de fide, quia certum est plerosque vocari à Deo, & non venire: igitur non omnibus qui vocantur, datur gratia iustificans; quibus tamen datur præueniens auxilium. ¶ Verum est tamen, quòd quando Deus ordinat tale auxilium ex absoluta voluntate efficaci, & intentione ad gratiam iustificantem de facto assequendam, semper ea auxilia quæ nos præueniunt, consequuntur gratiam iustificantem: quia absoluta Dei voluntas, neque frustratur, neque deficere potest.

*Conclus. 6.* Sexta conclusio. Licèt non omne auxilium præueniens gratiæ Dei, attingat iustificationem hominis; nihilominus tamen, quantum est ex voluntate Dei, seu quod idem est, voluntate conditionata, ordinatur ad iustificationem peccatoris. Hæc aperta est: quia auxilium illud est ordinis supernaturalis; imò eiusdem ordinis cum gratia, & vocat atque pulsat hominem ad contritionem & ad pœnitentiam antiquæ vitæ malè actæ: ergo.

Ad ar-



### *Ad argumenta in exordio quæstionis facta respondetur.*

*Ad argumẽ ta primo loco facta.* AD argumenta priori loco facta in exordio quæstionis. Ad primum dicendum, quòd quando in Scriptura dicitur Deũ esse quærendum, & diligendum ex toto corde, non præcipi

*Ad primum* mur eum diligere cum summa intensione, & maximo conatu. Vnde sensus est, illum esse diligendũ ex toto corde, id est, corde non diuiso, aut dimidiato corde, quia necesse est præponere Deum omni creaturæ. Quapropter, corde diuiso diceretur quis amare Deum, si simul cum Deo, quem dicit se amare, creaturam aliquam propter se ipsam diligeret: Inde proloquium illud Augustini ita loquẽtis cum Deo, verum habet; Minus te amat qui aliquid tecum amat, quod non propter te amat. Ille autem maledicitur, eò quòd negligenter operatur, qui in his ad quæ tenetur ex præcepto, non adhibet omnẽ diligentiam, sed quædam, eorum socordia & negligentia prætermittit. Vndè; in Apocalypsi, tepidus vocatur, qui neque calore amoris, neque frigore timoris mouetur ad operãdum, quæ ei imposita sunt, vt impleat per præcepta. D. autem Hieronymus eo

*D. Hieron.* dem modo explicandus est. ¶ Ad secundum dicen-

*Ad secundũ* dum, neminem posse de lege esse certũ de sua gratia & iustificatione, aut de sua contritione. De qua re inferiùs dicemus articulo quinto, poterit tamen

*Ad tertium* homo habere coniecturas de sua gratia. ¶ Ad tertium respondetur, quòd non repugnat aliquid dari gratis & absque merito, & quòd pariter donetur in fallibiliter & certò, ex Dei videlicèt promissione. Nam ex suo decreto, diuinaque prædefinitione & voluntate, quæ violari nõ potest, prædestinatus certò & infallibiliter creabitur, sed non ex meritis, quia gratuito creat. Vndè, quamuis ei, qui haberet vltimam dispositionem ad gratiam, nullam faceret Deus iniuriam, si eam illi non donaret; nihilominus faceret contra suum decretum, & promissionem, quam ipse tulit de conferenda gratia vltimo dispositis, per actum contritionis & dilectionis, quod sanè pugnaret cum fidelitate, & veracitate

*Ad quartũ.* Dei. ¶ Ad quartum patet ex dictis, in quinta, & sexta conclusione, & præterea est dicendum, quòd non semper confertur gratia iustificans ei, qui pulsatur ex diuino auxilio præueniente, sed ei, qui dùm ita præuenitur, & facit quod in se est ex diuino auxilio, permouetur ex eadem gratia Dei, vt cõteratur & conuertatur à via sua mala, ex efficaci & præmouente auxilio. Et ob id diximus in superioribus, duplicem esse præparationem gratiæ, alteram remotam, quæ non est simul cum infusione gratiæ, vt sunt bonæ inspirationes, & cogitationes; & habenti hanc, non semper confertur gratia; confertur tamen habenti immediatam & proximam, vt ei qui conteritur & pœnitet, &c.

*Ad argumẽ ta secundo loco posita.* Ad alia argumẽta quæ secundo loco posita sunt, quibus nonnulli ostendere conantur, hominem posse conteri vera contritione, cum proposito nunquam ampliùs peccandi ex amore Dei, ex solis viribus naturæ, & consequenter dari contritionem naturalem elicitam quoad substantiam actus, ex viribus eiusdem arbitrij præcisè naturalibus; satisfaciamus oportet, quæ quidẽ argumẽta sunt numero quinque. ¶ Ad primũ cõcedo, lumine fidei pec- *Ad primum*

catorẽ ea omnia cognoscere, quæ in argumento cõmemorantur; nego tamen quòd hæc sola cogitatio sine auxilio gratiæ sufficiat, vt liberum arbitrium ex solis naturalibus posit elicere dolorem perfectum, seu contritionem de peccatis, cum proposito nunquam ampliùs peccandi. Nam talis dolor seu contritio indiget auxilio gratiæ, vt vidimus in discursu quæstionis, in quo ostendimus non dari contritionem naturalem acquisitam in homine peccatore ex solis naturalibus; importat namque contritio ex sua natura, quòd sit perfecta displicentia, & consequenter cùm sit perfecta displicentia & detestatio, debet esse talis, quòd habeat ea quæ ad essentiam perfectæ displicentiæ pertinent, & in ordine ad suum finem; perfecta autem displicentia est, cui nihil deest eorum quæ ad finem displicentiæ consequendum, sunt necessaria; ad compensandam iniuriam Deo illatam, conciliandamque eius amicitiam, & repellendum peccatum, quod animo eius qui conteritur contrariatur, & vt fiat ex amore Dei summi dilecti appreciatiuè: Nam hæc omnia includit contritio ex suo iure & essentia, quatenus contritio ex sua essentia, est perfecta displicentia, cui nihil deest eorum, quæ ad finem displicentiæ consequendum, sunt necessaria. Est præterea tanta innata humanæ voluntati infirmitas, vt licèt quis fide cognoscat bonitatem & beneficia Dei ex vna parte, & ex altera similiter cognoscat paratam esse summam miseriam & calamitatem cum æternis flammis, nisi homo pœniteat & conteratur, & statuat nunquam ampliùs peccare; non possit ex solis viribus naturæ habere contritionem illam naturalem; & firmum propositum & absolutum nunquam ampliùs peccandi ex timore filiali, & amore Dei. Nam profecto is actus absolutus, & verus contritionis talis est, vt sine Dei gratia haberi non possit, & de contritione multò clariùs est; Nam de attritione, quæ voluntatem peccati excludit cum spe veniæ, orta & concepta, vel ex consideratione turpitudinis peccati, vel ex pœnarum metu; definitur à Concilio Tridentino, sess. 14. cap. 4. sæpiùs citato.

Ad secundum dico, semper esse valdè difficile *Ad secundũ* conteri, & difficillimum habere propositum illud absolutum, seu firmum nunquam peccãdi ampliùs; quale ad contritionem & attritionem requiritur: tale enim propositum, voluntatem peccandi excludit. Vndè, negatur antecedens argumenti, & pariter negatur consequentia. Fatcor tamen duo: Primum est, quòd homo liberè se habet semper, quia nõ adimitur ab eo libertas quandiu est in via, siue moueatur, siue non moueatur ad contritionem à Deo. Secundum est, posse hominem præcedente illa consideratione & cogitatione fidei, excitare dolorem de peccatis, & aliquam displicentiam; nunquam tamen talis displicentia attinget rationem contritionis & perfectæ displicentiæ, cui nihil deest eorum, quæ ad finem displicentiæ consequendum sunt necessaria, & propositum illud firmum & absolutum nunquam ampliùs peccandi, quod voluntatem peccati excludit, &c.

¶ Ad tertium respondetur, quòd contritio si *Ad tertium* propriè & verè est contritio, necessario debet

esse perfectus dolor, & perfecta displicentia propter Deum, quæ excludat voluntatem peccandi, & includat firmum, & absolutum propositum nunquam ampliùs peccandi, hoc autem haberi non potest ab homine peccatore lapso extra totam latitudinẽ ordinis gratiæ: Imò verò requirit speciale auxilium; alioqui non erit absolutum, & firmum propositum nunquam ampliùs peccãdi, & perfecta displicentia & detestatio peccatorum propter Deũ orta, & ex timore filiali, & ex amore ipsius Dei veluti ex fine prouenieus. Vndè, negatur etiam consequẽtia. Et ad probationem dico, quòd legitimis testimonijs Scripturæ & Sanctorum, & Conciliorum rationibus, & fundamentis ostendimus, non posse esse contritionem veram, qualem supra descripsimus, & qualem aduersarij voluerunt, ex solis viribus naturæ, cum solo generali concursu naturali Dei. Lumen autem intellectus, & vtraque Philosophia moralis & naturalis, non possunt docere oppositum huius. Nam cognita veritate fidei, & imbecillitate liberi arbitrij in homine peccatore & lapso, facilè intelligitur, quo pacto licèt possit homo habere detestationem peccati, & dolorem, non tamen contritionem ex viribus naturalibus præcisè, præsertim quatenus hæc distinguitur ab attritione. Vbi aduertenda est diffinitio Concilij Trident. sess. 14. cap. 4. definientis, etiã attritionẽ de peccato conceptã ex metu pœnarum, vel ex cõsideratione turpitudinis peccati, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ, esse donum Dei, & impulsum Spiritus sancti.

*Ad quartũ.* ¶Ad quartum respondetur, quòd habere firmum assensum credulitatis, & absolutum circa doctrinã fidei, & quia prima veritas dixit, eget speciali auxilio supernaturali Dei. Quòd si quis haberet assensum circa nonnulla credibilia, & nõ circa omnia; tunc ille non esset firmus assensus, sed solùm esset assensus formidolosus, vel esset assensus solum fidei acquisitæ, & non quia prima veritas dixit, & reuelauit. Vndè, sicut iste assensus credendi omnem fidei doctrinam, assensu certo & indubitato, & quia prima veritas dixit, non potest esse sine speciali auxilio, quia contrarium dicere est Pelagianum, ita neq; habere contritionem sine speciali gratia Dei, potissimè quando peccator instruitur à fide, & ex consideratione eius permouetur ad perfectè detestandum peccatum (quia contritio perfecta detestatio est propter Deum) indiget auxilio gratiæ. ¶Ad

*Ad quintũ.* quintum, quod ab experientia procedit, respondetur, quòd si quis accedat ad confessionem cum voluntate perseuerandi in vno peccato, licèt accedat cum proposito vitandi reliqua omnia peccata mortalia; tale propositum vitandi alia peccata, non est absolutum aut firmum. Quia, siquis, verbi gratia, detestetur omnia peccata præter concubinam, quam valde amat, proculdubio si se offerat occasio inferẽdi iniuriam proximo, quia ab eo aufertur illi concubina; paratus est ex vi reseruationis illius peccati, iniuriam inferre, quia animo proposuit non relinquere concubinam, quam valde amabat: Negandũ est ergo, quòd omnia detestauerit peccata vno excepto. Imò verò, ex eo quòd non detestauit vnum, paratus est omnia alia committere, ne hoc vnum relinquat.

Ad authores, quos recentes Theologi citant pro defensione contritionis acquisitæ & naturalis, mirabile est quàm intrepidè citent plerosque eorum, nisi fortè mutati sint libri inter nos, & eorum authores. Et in primis Gabriel in. 4. distinct. 14. quæstione. 1. artic. 2. conclus. 5. & artic. 3. dub. 2. non tenet eam sententiam, quam isti fingunt. Nam solùm affirmat, quòd ad deletionem peccati, sufficit detestatio peccati debitè circunstantionata. Et ad hoc adducit Prophetam Ezechielem capit. 18. & quamuis in discursu conclusionis, in qua longissimè diuagatur, multa dicat de detestatione peccati, quòd potest ipsum detestari homo, vt est offensa Dei, & auersiuum à Deo, & impeditiuum præmij, & inductiuum æterni supplicij, quia dùm considerat hæc, potest voluntas huic dictamini detestationis se cõformare ex suis naturalibus; nunquam tamen dicit quòd potest habere contritionem ex puris naturalibus, sed quòd potest habere detestationem: & certum est, quòd detestatio est nomen genericum, & comprehendit quamlibet detestationem etiam imperfectam, maiorem & minorem; contritio verò ex sua specie & intrinseca conditione, dicit perfectam displicentiam & detestationem ex amore filiali ortam propter Deum, quem omnibus præponit, cum absoluto & firmo proposito vitandi omnia prorsus peccata, &c. In tertio autem sententiarum, distinct. 27. quæst. vnica, nunquam Gabriel scripsit, peccatorem lapsum ex naturalibus præcisè posse habere contritionem, qualem diximus, & illi dicunt. *Ezech.18.*

Citant etiam præfati Theologi Ricardum in. 4. distinct. 14. artic. 4. quæst. 1. quo loco Ricardus interrogat, Vtrùm aliquis habitus moralis pœnitentiæ sit in nobis ex acquisitione. Et suppositа distinctione dicit, quòd in ordine ad finem naturalem non transcendentem facultatem nostram, potest generari habitus; Tamen in ordine ad finem supernaturalem non potest generari habitus pœnitentiæ virtute naturalium principiorum, sed supernaturaliũ; præsertim suppositа cognitione finis supernaturalis. Vbi non examinauit Ricardus, Vtrùm possit dari vera contritio acquisita, & quid sit? Et, an sit perfecta displicentia? Et, quas habeat intrinsecas conditiones & proprietates? Et, quo pacto secernatur à quolibet dolore peccatorum & ab attritione; neq; dixit, contritionem ex viribus naturæ posse dari, si rectè inspiciatur. Imò verò, in eodem. 4. distinct. 17. si attentè legatur, contrarium insinuat, in cuius lectione aduerte, quòd plerumque contritionem pro attritione accipit, & eam in plures partes diuidit; nos autem loquimur de vera contritione orta ex amore Dei super omnia & ex timore filiali, nempe, de illa quæ est propter Deum tanquam propter finem vltimum intentum, &c.

Citant etiam Sotum in. 4. distinctione. 17. quæstione. 2. articulo. 5. idem dicentem cum Caietano, quæstione. 1. de contritione, apud quem ego nihil tale reperio: Imò verò in eodem articulo quinto, non longè à principio dicit de opinione Caietani, quòd est opinio vsq; ad Caietanum nunquam audita, & quòd nescit cui sit vnquã credenda. Et statim dicit esse annotandũ, quòd nomine attritionis, sola illa detestatio peccatũ intelligitur, quæ per se nõ sufficit ad delendũ peccatũ; sufficit tamen cũ sacramento: Nomine autem simpliciter contritionis, illam quæ per se sufficit sine sacramento, quæ quidem est simpliciter conuersio in Deum. Et iterum subiungit paulo post. Contritio verò nasci nequit, nisi ex auxilio speciali Dei supernaturali præueniente liberum arbitrium, & simul infundente habitum pœnitentiæ, ex quo actus contritionis elicitur, vt loco citato expositum reliquimus, nẽpe in. 4. d. 14. q. 2. art. 5. Vbi firmissimis testimonijs sacris ostendimus, legitimũ actum pœnitẽtię ex timore filiali ortum, haberi nõ posse per naturam, sed per gratiam. Et non longe ante finem articuli agens de contritione acquisita, quam tulerat Caietanus, colligit; Quocirca, opinio S. Thomæ expresse est contra Caietanum in. 4. d. 17. q. 2. art. 1. quæstiunc. 3. vbi reprehendit eos qui affirmant, attritionem fieri posse contritionem, eò quòd ex diuersis principijs dimanant: attritio, scilicet, ex viribus naturalibus, & contritio ex virtute infusa. En, in his omnibus nihil tale suspicatur Pater Soto de contritione ex viribus naturæ elicita, sine Dei auxilio. ¶Quod verò dixit Pater Soto. 1. &. 2. de natura & gratia, mutauit in melius in. 4. sententiarum.

Alij authores citãtur obscuri nominis, vt Ochã, Aliaco, qui non sunt tantæ authoritatis vt nos opprimant; imò verò sicut errauerunt in plerisque alijs, etiam in hac parte. ¶Vnum tamen admonere volo, quòd nunquam debuissent aduersarij citare Gabrielem, & Sotum in. 4. & Ricardum, nisi expressis verbis & apertis rem pro qua citantur, defenderent, præsertim in re tanti momenti, & ob id puto Sotũ & Gabrielem potius sensisse nobiscum; & quando id non senserint, non ob id deserenda est veritas Catholica.

Sanctus Thomas, qui citatur in. 4. iuuenis dixit aliqua, quæ ab aduersarijs recitantur, cæterum in partibus nihil tale dixit, neque vnquam aliquid simile apud eum reperietur; cum tamen plerumque ei fuerit oblata occasio de hac re dicẽdi. Imò verò. 3. p. q. 85 &. 86. in quibus multa dixit de pœnitẽtia in quãtũ est virtus, nihil tale inuenietur, & fortè reperietur oppositũ, præsertim. q. 86. ar. 2. Vbi dicit: impossibile esse quod peccatũ alicui remittatur sine pœnitentia secundũ quòd est virtus. Vbi insinuat, actum pœnitẽtiæ, qui potissimè cõtritio est, esse remissiuũ peccatorũ, & consequẽter necessariò procedere ex grat. Dei, & auxilio eius. Et in solutione ad. 3. inquit, quòd misericordia Dei immutat volũtatẽ hominis ad pœnitendũ, seu conterendũ de peccatis: nõ ergo ex puris naturalibus potest elicere cõtritionẽ verã & absolutã. Et ob id S. Th. in titulo articuli interrogauit, Vtrũ sine pœnitentia peccatũ remitti possit? Et cõcludit, impossibile esse quòd peccatũ alicui remittatur sine pœnitẽtia, secũdũ quòd est virtus. Vnde, in art. 1. præcedente eiusdẽ. q. 86. adducit illud Ezech. 18. Inquacumque hora ingemuerit peccator omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor amplius.

## DISPVTATIO III.

*Vtrùm dispositio ad gratiam procedat necessario ex gratia, & charitate? Vel ex solo auxilio Dei?*



Dictum est in superioribus, dispositionem ad gratiam, ex auxilio Dei gratuito procedere; nunc verò vlterius quæritur, Vtrũ procedat ex gratia excitante, & quæ gratia excitans sit ad hoc necessaria. Et in primis certum est de fide, eũ qui nihil de fide audiuit, non posse sine excitante Dei gratia sese ad gratiam disponere, vt patet ex Trid. sessio. 6. & ex illo Ioan. 6. Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum. An verò ista gratia excitans simpliciter necessaria, fit sola prædicatio exterior; vel requiratur vlterius interna inspiratio; id posset ab aliquo interrogari. Sed profecto requiritur interna hæc inspiratio, vt colligitur ex Trident. sessio. 6. cap. 5. Vbi iusti ficationis exordium in adultis, dicit esse sumẽdum à præueniente gratia, ideſt, ab eius vocatione, ita vt tangente Deo cor hominis per Sancti spiritus illuminationem, & inspirationem, &c. Vbi hanc gratiã vocat Concilium, Spiritus sancti illuminationem, & tactum cordis. Et cano. 3. eam vocat inspirationẽ Spiritus sancti. Quæ omnia significant actus interiores. Extat etiam illud Isaiæ. 50. Dominus meus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico. Et Ioan. 6. Qui audit à Patre, & didicit, venit ad me. Et actor. 16. Dominus aperuit cor Lydiæ vt intenderet his, quæ dicebantur à Paulo. Imò verò, D. Augustin. lib. 3. de doctrina Christiana cap. 16. dicit, neminem licèt à ministris, angelis, vel hominibus doceatur, posse dicere ea, quæ ad recte viuendum pertinent, nisi à Deo fiat docilis, dicente Propheta; Doce me facere voluntatem tuam Psal. 142. Et. 1. ad Timoth. 3. Tu autem perseuera, &c. sciens à quo didiceris. Idẽ docet D. Augustin. 3. de libero arb. cap. 19. & Prosper libro de vocatione gentium, & lib. contra Collat.

*Conc. Trid.* *Ioan. 6.* *Isaiæ. 50.* *Ioan. 6.* *Act. 16.* *D. August.* *Psal. 142.* *1. Timo. 3.* *D. Prosper.*

¶Aduerte tamen, quòd posita sufficiente prædicatione euãgelij, sicut oportet vt homo conuertatur; tunc ei imputabitur si non credat & conuertatur, iuxta illud Ioan. 15. Si non venissem & locutus eis non fuissem, peccatũ non haberent; nunc autem excusationem non habent de peccato suo. Et Lucæ. 8. Iacto semine, quædam terra restitit, quædam verò tulit fructum. Vbi per semen intelligitur prædicatio euangelij. ¶Rursus obserua, esse necessariam inspirationem internam, quæ dirigat hominem in apprehensione istarum rerum, quæ ei proponuntur per vocationem externam, vt impedimenta tollat, & hominem inclinet, idque maxime propter difficultatem & excellentiam istarum rerum diuinarũ, tàm in se, quam si comparentur in ordine ad hominis imbecillitatem. Vnde, ista gratia excitans, necessaria est etiam ex parte voluntatis; Et ob id Mileuit. concil. cano. 4. ad vtramque potentiam refert istam gratiam: Et Tridentinum requirit inspirationem, quæ sanè ad voluntatem pertinet. Vnde, ad Philip. 2. Deus dat velle. Et Prouerb. 14. Præparatur voluntas à Domino. Et D. Augustin. locis supra citatis, & alias non semel, eodem modo videtur loqui de vtraque ratione huius gratiæ ex parte intellectus & voluntatis.

*Conc. Mil.* *Trident.* *Philip. 2.* *Prouerb. 14.* *D. August.*

His ita cõstitutis, est prima propositio. Peccator fidelis non potest se conuertere ad Deum, aut iustificari sine gratia excitante. Imò verò, licèt initium iustificationis & conuersionis sit à gratia excitante; nihilominus

*Conclus. 1.*

hilominus in toto hoc negotio conuersionis, præter primam illam excitantem gratiam, requiritur etiam gratia adiuuans, quæ dirigat hominem, & perducat ad perfectam conuersionem, quod sanè satis liquet, quia tota hæc conuersio est supernaturalis. Quod verò non possit cõuerti peccator ad Deũ, neque iustificari sine gratia excitante, probatur ex

*Conc. Trid.* Trident. sessio. 6. cap. 5. & cano. 3. Si quis dixerit, sine præueniente Spiritus sancti inspiratione, atque eius adiutorio, hominem credere, sperare, diligere,

*Cõc. Arausi.* aut pœnitere posse sicut oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur; anathema sit. Patet etiã ex Arausi. Cano. 14. Nullus miser de quacumque miseria liberatur; nisi quia misericordia Dei præuenitur, Et eo-

*D. August.* dem modo loquitur D. August. lib. de peccator. meritis cap. 1. Et potest colligi ex testimonijs Scripturæ sacræ, in quibus Deo tribuitur conuersio peccatoris, vt Ierem. 31. Postquã conuertisti me, egi pœnitẽtiã, & postquã ostẽdisti mihi percussi fœmur meũ.

*Ierem. 31.*

*Driedo.* ¶Sed interrogabit aliquis, Quæ gratia excitans requiratur? Nam Driedo lib. de Captiuit. & redemptione generis humani tract. 5. cap. 2. p. 2. illam gratiã excitantem videtur requirere, quæ consistit in actu imperfecto præueniente concursum liberum. Nam inquit, quòd peccatoris fides, est ita sopita, vt necessarius sit Dei impulsus peculiaris, quo excitetur. At

*Vega.* verò Pater Vega. 6. in Trident. cap. 7. negat, hanc esse necessariam, idque colligit ex plerisque locis D.

*D. August.* August. in quibus dicit, initium salutis sumi ex fide, & eum qui iam credit, posse ex hoc initio cooperari suæ saluti. Vnde. 3. Hypognost. & lib. de prædestinat. Sanctor. concludit initium fidei non posse esse ex nobis, quia alias initium nostræ salutis esset ex nobis: habita enim fide, possumus prosequi alia ad fidem necessaria cum adiutorio Dei. Et epist.

*D. Hilarius Psal. 143.* 105. dicit, aliter Deum iuuare credentem, aliter non credentem. Idem videtur sensisse Hilarius super illud Psal. 143. Domine, quid est homo quia innotuisti ei? Ex quibus sumitur hæc ratio, Fidelis potest per fidem quam habet excitari ad actus fidei, sine illa gratia excitante supra dicto modo, & per actus fidei potest excitari ad actus spei & charitatis, &c. ergo. Maior patet; Quia potest quis vti habitu naturali, sine proportionali excitatione naturali: ergo similiter dicendum est sua proportione de habitu supernaturali: Secùndo arguitur. Licet illa fides sit mortua, ita vt non possit exercere actus dignos vita æterna; tamẽ est vera & sufficiẽs fides ad actus fidei eliciẽdos. Tertio, experiẽtia id patet. Nam ita applicamus nos ad supernaturaliũ rerũ cõsiderationẽ & assensum, postquam iam res illas credidimus, vt ad alias res: ergo. Quarto arguit Vega. Nam illa gratia excitans, non subest nostræ voluntati, exercere autem actum fidei, est in libertate peccatoris: ergo. Quintò. Scriptura reprehendit peccatores, quòd non applicant suam fidem ad operandum, neque re

*Isaiæ. 54. Ieremiæ. 12.* cogitant in cordibus suis. Isaiæ. 54. & Ierem. 12. Imò verò, sæpius & frequenter monemus peccatores, vt excitent suam fidem: ergo iam est in potestate illorum. ¶Ad hæc, posset aliquis dicere, peccatorem posse exercere actum fidei, sed non modo quo necessarium est vt perueniat ad vltimam dispositionẽ iustitiæ, & hoc requirere illam gratiam excitantem. ¶Sed contra arguitur ex Conc. Trid. sessio. 6. capit. 6. dicente; Disponuntur autem ad ipsam iustitiam, dùm excitati diuina gratia, & adiuti, fidem ex auditu concipientes libere mouentur in Deum, credentes vera esse quæ diuinitus reuelata & promissa sunt: ergo ex parte intellectus non est necessaria maior dispositio quam fidei, vt voluntas excitetur. Rursus, per fidem potest considerare maiestatem Dei offensi, & turpitudinem peccati: ergo neque ex parte intellectus, neque ex parte voluntatis est simpliciter necessaria specialis gratia excitans, licèt secundum se ipsam sit vtilissima, & sæpius detur peccatoribus, & moraliter sit aliquando necessaria aliquibus, & maxime induratis. Quare licet ipsa consideratio fidei sit libera ex parte ipsius hominis; tamẽ illamet est donum Dei, & gratia eius ordinata ad donum & conuersionem peccatoris. Vnde, licèt ille actus respectu habitus fidei sit gratia subsequens; tamen respectu voluntatis, est excitans: præcipuus enim author illius actus est Deus: ergo si per illum actum excitamur, à Deo excitamur. Patet ex Trid. loco citato, & ex Arausi. cano. 25. Confitemur enim quod in omni opere bono nos nõ incipimus. Et subiungit; Nam Deus, nullis præcedentibus meritis, fidem inspirat. Præterea patet; Quoniam tota hæc motio, quæ per fidem fit in peccatore, fundatur in aliqua gratia excitante, & ab illa habet vim hæc præsens motio, Imò verò, hæc tota excitatio prouenit etiam, saltem ex illis generalibus auxilijs, principijs, & occasionibus, quæ Deus præbuit fidelibus, vt ad considerandas res fidei mouerentur, vt sunt prædicationes, &c. quæ omnia, vt diximus, ad gratiã excitantem spectant. Postremo: Quoniam ante conuersionem præcedit iudicium in intellectu, vel motio in voluntate, de quo supra diximus. ¶Sentio tamen, necessariam esse in peccatore fideli gratiam excitantem præuenientem concursum liberum; & id puto contineri in Trident. sessio. 6. cap. 5. & 6. Vbi dicitur, quòd disponuntur ad iustitiam peccatores, dum fidem ex auditu concipientes, excitati diuina gratia & adiuti, libere mouentur in Deum. Item: Quia voluntas facile rapitur: ergo non sufficit sola illa cognitio fidei mortuæ, sed requiritur motus Dei erga ipsam, quo excitetur. Et sanè, excitans illa gratia, prẽsto est nobis, quia Deus stat ad ostium & pulsat: ergo vt voluntas excitetur, maior dispositio est necessaria. Imo verò, voluntas dùm excitatur à Deo, ipsa excitat intellectum, applicando ipsum ad considerationes optimas: ergo. Et ex his facile soluuntur contrariæ obiectiones seu argumenta.

Secunda propositio. Opera supernaturalia hominis iam iustificati, procedunt ex gratia excitante. *Conclus. 2.*
Hanc sensit D. August. varijs locis cum dicat, nullũ esse opus in nobis, quod non proueniat ab excitante & adiuuante gratia. Et id expresse docet de grat. & libero arbit. cap. 10. &. 20. &. 2. contra duas epist. Pelagian. cap. 2. Vbi sunt verba illa magnifica: Nullum est in homine opus bonum, quod non præstet Deus vt faciat homo. Quæ verba assumpsit Concil. Arausi. cap. 18. &. 23. dicens, omnem actum pietatis esse ex præueniente gratia, & Concil. Trident. sessio. 6. cap. 16. in decreto de iustificatione loquens de operibus iustorum inquit, ea fieri ex virtute quam Christus influit, quæ sanè semper antecedit iustorũ opera. ¶Sed interrogabit aliquis, quæ gratia excitãs sit

*D. Aug.*



sit necessaria in hominibus iã iustificatis, an sit necessaria alia diuersa? Ad hoc Soto, Vega, & Decan. concedunt, non requiri distinctã gratiã excitantem ad singula opera semper & in vniuersum. Et ratio est, quia homo iustus postquam est in gratia, & in ea permanet, ita est constitutus ad operandũ supernaturaliter, sicut homo rationalis ad operandũ naturaliter: ergo sicut non indiget specialiori excitatione naturali interiori, ita, &c. in supernaturalibus dicẽdum videtur. Sed nihilominus, ad actũ supernaturalem meritorium, ad actũ contritionis, ad dilectionẽ supernaturalem Dei, &c. requiritur efficax Dei motio, & cõcursus in ordine supernaturalium, iuxta ea quæ diximus de auxilio præmouente Dei supra. q. 111. art. 3. disput. 1. 2. 3. &. 4. ¶Quod si obijcias, Gratiã excitantem distinctam requiri ad singula opera, quia videlicet homo iustus, cũ nihil cogitat de supernaturalibus, eo casu quo nihil cogitet, nõ potest operari aut agere, nisi ab aliquo excitetur: ergo debet excitari à Deo, Huic obiectioni aliqui respõdẽt, quòd æque procedit in naturalibus. Sed dicendum est, hominem specialiter excitari à Deo ad cogitationem bonam, & hoc aliquando fieri medijs obiectis quæ occurrunt, & alijs rebus, sicut Deus ipse disponit. Quocirca semper dicitur homo excitatus à Deo: Quoniã ad generalẽ prouidentiam gratiæ pertinet, vt sint illæ occasiones, quibus homo ad operã dũ mouetur. Rursus, Quia præcedit actus supernaturalis intellectus, quo mediãte (vt liquet ex dictis) excitat Deus voluntatẽ, atque ita habet rationem gratiæ excitantis in ordine ad volũtatẽ; quia eo mediãte excitat eã Deus peculiari ratione. Certe, sunt opera quædam supernaturalia excellẽtia, in quibus certũ est, de quibus dubitari non debet, neque potest, requiri singularẽ quandam gratiam excitantẽ; imò verò, si homo iustificatus per baptismũ educeretur sine vlla doctrina fidei, indigeret proculdubio noua gratia excitante, non minus atque si non esset iustus. Quapropter, præter supernaturalẽ concursum Dei, cũ opus bonum supernaturale sit alterius ordinis à natura hominis, & homo rapiatur à plerisque obiectis huius vitæ, & circunstantijs, & occasionibus, & voluntas sit imbecilla, & habeat magnã coniunctionem cum corpore, & intellectus habeat vulnera per peccatum illata, excitatione indigent vt altiora petant, & vt ingrediantur supernaturalis exercitij campum, sic enim habẽt id, quo reduci possint quasi de actu primo ad secundum in ordine supernaturalium.

*Soto. Vega. Decanus.*

## DISPVTATIO IIII.

### *Vtrùm homo possit se disponere ad excitantem gratiam?*

E fide esse diximus contra Pelagium & suos, hominem non posse ex suis viribus se disponere ad habitualem Dei gratiam, sed solũ ex speciali Dei dono, auxilio, & gratia. Vnde, tota hæc controuersia solum versatur circa gratiam excitantem omnino primam, quæ se habet antecedenter ad omnem gratiam, & ad omne auxilium gratiæ. Nam ad illud Dei auxilium speciale, quo proximè disponitur homo ad gratiam, An possit homo se præparare aliquo modo per actus imperfectiores, etiam ex gratia Dei procedentes, sic adeò vt post primam omnino gratiam excitantem, possit se præparare homo ad subsequentes; dicetur alibi inferius.

In hac difficultate sunt Theologi qui dicant, hominem posse se præparare & disponere ad gratiam excitantem omnino primam. Et in hoc sensu dicũt, esse verum tritum illud proloquium, Facienti quod in se est Deus non denegat gratiam. Quia si per vires naturæ faciat homo quod potest, infallibiliter assequetur gratiam illam excitantẽ. Hanc sententiã videntur docere Albertus Magnus in. 2. d. 28. q. 1. & Alensis. 3. p. q. 69. art. 6. Imò verò, Durandus, Scotus, & alij supra citati, idem videntur sentire, cùm non tantum de hac gratia excitante loquantur, sed etiã de vltima dispositione ad gratiam, ad quam dicunt hominẽ sese posse disponere & præparare. Imò verò S. Th. supra in materia de peccatis. q. 89. art. 6. ait, paruulum venientem ad vsum rationis, & facientẽ quod in se est, iustificari. Et omnes discipuli D. Thomæ adducentes casum de paruulo educato apud infideles, dicunt; quod si is faciat quod in se est per lumen naturæ, infallibiliter illuminabitur à Deo. Idem clarius insinuat D. Thom. de veritate. q. 14. art. 11. ad. 2. &. q. 24. artic. 2. & Gabriel in. d. 28. q. 1. Casianus collat. 13. fauet plurimum D. Chrysost. homil. 42. in Genesim dicit de Abraham, tanta bona à Deo accepisse, quia prius quod in se erat præstiterat, & pari modo loquitur super Ioan. homi. 46. & Eusebius. 3. de Præparatio. cuãgelica cap. 3. Epiphanius de Hæresibus hæresi. 69.

*Albertus. Alensis. S. Thom. Gabriel. Casianus. D. Chrysost. Eusebius. Epiphan.*

His tamen nihil obstantibus, est prima propositio de fide. Vt homo recipiat hanc gratiam excitantẽ, omnino primam, quæ necessaria est ad salutem, nulla dispositio est simpliciter necessaria ex parte ipsius hominis. Hanc dixi esse de fide: quia certum est, Deum vocare homines omnino indispositos, imò vero indignos tali vocatione, vt patet ex illo Isaiæ. 65. Inuentus sum à non quærentibus me. Et in initio capitis: Quæsierunt me, qui ante non interrogabant, inuenerunt, qui non quæsierunt me, dixi ecce ego, ecce ego ad gentem, quæ non inuocabat nomen meum, expandi manus meas tota die ad populum incredulum, qui graditur in via non bona post cogitationes suas. Et Ezech. 3. Non propter eos faciam, sed propter nomen meum. Et Propheta psal. 75. Dixi, nunc cœpi, hæc mutatio dexteræ excelsi est. Quem locum perpendit D. August. lib. 2. contra duas epist. Pelagianorum cap. 10. Propter quem, in Arausi. cano. 4. dicitur Deum non expectare voluntatem nostram vt à peccato purgemur, quod sanè solum intelligi potest ratione gratiæ excitantis, & dicitur non expectare, quia saltem non est necesse illi expectare. Hæc omnia cõfirmari possunt ex his, quæ dicta sunt in superioribus: Quoniam Deus aliquando pro sua voluntate maiorem gratiam excitantem confert minus dispositio secundum naturam, & minus bene operanti. De qua etiam re legenda sunt quę diximus. 1. p. quæst. 23. artic. 3. disputat. 9. & etiam plerisque alijs disputationibus eiusdem articuli.

*Isaiæ. 65. Ezech. 3. Psal. 75. D. August. Conclus. 1.*

Secunda propositio. Per vires naturæ non valet homo *Conclus. 2.*

homo ad gratiam excitantem se disponere; & lo-
quor etiam de gratia excitante omnino prima. Hæc
assertio videtur mihi de fide, & opposita est erro-
nea, & vt talis damnatur lib. de ecclesiasticis dog-
matibus.c.4.vt liquet ex locis Scripturæ & Conci-
liorum, quibus ostendimus supra, hominem per se
sine gratia Dei, nihil posse efficere quod ad æternã
salutem conducat, scilicet, quo se etiam remote
disponat ad gratiam. Et hæc est causa cur Paulus.1.
*1.Corint.4.* Corinth.4.dixit; Quid habes quod non accepisti? Si
accepisti, quid gloriaris quasi nõ acceperis? &.2.Co
*2.Corint.3.* rinth.3.Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex
*D.August.* nobis, &c.D.August.lib.de gratia Christi cap.14. &
lib.2.contra duas epist.Pelag. cap.8.&.10. & ibi lib.
1.cap.vltimo dicit, præcipuum errorem Pelagij fuis
se, per liberũ arbitrium peruenire ad gratiam Dei.
Et lib.de prædestinat.Sanctorum. & epist.107.& de
Spiritu & litera, cap.34.aperte dicit, non esse in no-
stra potestate, quòd Deus nobis inspiret. Ita Prosper
*D.Fulgent.* lib.contra Collat.Fulgent.etiam lib.de gratia Chri-
sti. Et hi omnes Sancti Patres communiter appellãt
vocationem simpliciter opus Dei, Quia nullo mo-
do potest esse ab homine. Et hinc etiam dicunt &
colligunt, totum negotium prædestinationis & iu-
stitiæ, non posse habere initium ex homine, quia in
*Rom.8.* cipit ex vocatione; & ita colligitur ex Paulo ad
*D.August.* Rom.8.Quocirca D.August.lib.1.ad Simplician.q.2.
*Ioan.3.* ait, Vocare est solius Dei, respondere autem etiam
nostri; quo modo intelligit illud Ioã.3.Hoc est opus
Dei, &c.Et lib.83.qq.q.68.dicit, quòd si quis sibi tri
buat, quòd vocatus veniat; tamen non potest sibi
tribuere quòd vocatus sit. Fauent huic assertioni te
stimonia Scripturæ, in quibus iustificatio compara
tur creationi, quia non habet initium ex homine.
*Cõc. Arauf.* Rursus, Concil. Arausi.cano.25.generaliter decer-
nit, in omni opere bono nos non incipere, quod vt
minimum verificari debet ratione primi initij iusti
tiæ. Et cap.7.Si quis sine inspiratione Spiritus sancti
putat posse fieri aliquid, quod ad salutem pertinear,
*Conc. Afric.* hæretico fallitur spiritu. Idem habetur in Concil.
*D.Prosper.* Africano, cuius meminit Prosper, vbi supra cap.8.
in resposione ad obiectiones Gallicas: Et idem col
*D.Ambros.* ligitur ex Trident.vt satis aperte constat. Qua prop
ter, D.Ambros.super Lucam cap.12.dixit, quòd ne-
mo potest incipere quicquam sine Deo, & idem re
*D.August.* petit sæpissimè D. August. de prædestinat. Sanct.
cap.2. ¶Ratione etiam ostenditur nostra assertio:
Quoniam ordinari in finem supernaturalem, con-
uenit homini ex sola Dei gratia, & non ex sua natu
ra: igitur nihil potest ex sua natura & viribus face-
re, quo se satis disponat ad inchoandum illum ordi
nem gratiæ: Quod sane sic patet. Nam si se dispone-
ret, vel illa dispositio esset talis ex natura sua, & hoc
non, cum sit inferioris ordinis: vel esset talis ob dig
nitatem & relationem operantis, & hoc etiam nõ,
quia operans maxime in hoc statu naturæ lapsæ an
tequam præueniatur gratia, cum sit in peccato, est
indignus & inimicus Dei: ergo. Rursus etiam, homo
sine gratia vlla Dei, non potest cognoscere finem su
pernaturalem vt oportet, vt in illum referat suam
actionem: ergo. Hanc etiam conclusionem tenet Sã
*S.Thom.* ctissimus præceptor supra.q.109.artic.6.& in hac.q.
*Driedo.* 112.art.2.Idem tenet Driedo lib. de gratia & libero
*D.Bonauẽ.* arbitrio vbi supra, Diuus Bonauentura. in.2.di-
stin.28. articulo.2.quæst.1.Vega lib.6.in Trid.cap.10. *Vega.*
*Conclus.3.* Tertia propositio. Quando homo ex viribus na-
turæ facit totum quod in se est bene operando, sta-
tim de facto à Deo illuminatur, non quidem ita vt
hæc cõsequutio fundetur in operibus, quæ nõ sunt
propriæ dispositiones, nec proximæ nec remotæ, vt
supra vidimus: sed in sola misericordia Dei, qui illu
minat statim eos, qui non ponunt obicem, & bene
operantur facientes totum quod in se est. Hæc asser
tio constare potest etiam ex illis locis in quibus di-
citur Deus stare ad ostium & pulsare, vt si quis ape
ruerit intret ad eum, nempe statim atque aperuerit
remouens impedimentum. Et ob id, à D.Dionysio *D.Dionys.*
comparatur Soli, qui adest fenestræ, cuius apertio
est tantum remotio impedimenti, non verò disposi
tio propria vt sol illuminet, Deus ergo simpliciter
est paratus si homo non ponat impedimentum, &
non resistat: At verò ex eo, quòd homo non resistat,
non datur initium suæ iustitiæ. Quoniam per se non
disponit ad illam: imò vero neque dicitur Deum
præuenire, sed non præstare impedimẽtum vocatio
ni & præuentioni ipsius Dei. Vnde, nũquam preue-
nit Deum, sed preuenitur à Deo. Et profecto, hoc
tantum videtur intendere & dicere authores supra
citati in exordio disputationis, vt amplius fiet mani
festum disputatione sequenti. Nam alias quo pacto
esset verum, in quolibet instanti posse hominem iu
stificari si velit, neque homo haberet præceptum
conuertendi se in Deum.&c. Quid autem teneatur
facere homo, vt sic dicatur fecisse totum quod in se
est, dicemus alibi præter ea quæ superius dicta sunt,
& interim legendus est Pater Vega de iustificatio-
ne.q.14. Et quidem certissimum est, quòd tenetur
non præstare impedimentum & obicem peccati,
male agendo; imò verò tenetur facere id, quod iudi
cat necessarium ad rectitudinem naturalem, & ve-
ram rationis regulam.

## DISPVTATIO V.

### *Vtrum Deus conferat gratiam excitantem sufficienter omnibus?*

SVpposito quòd homo per vires na-
turæ non potest facere ea quæ sunt
necessaria ad salutem sine speciali
Dei auxilio, quæritur, Vtrum om-
nes homines habeant auxilia requi-
sita & necessaria, ad salutem conse-
quendam? & Vtrum Deus sufficienter donet omni
bus excitantem gratiam? De qua re nos multa egi-
mus.1.p.q.23.art.3.per plures controuersias: & idcir
co breuius rem hanc perstringemus hoc loco, sed
quædam addemus quæ necessaria videntur. Et in
*Sententia Cosmæ Philiarchi.* hac parte prima sententia est negatiua, quam tenet
Cosmas Philiar. in.q. singulari de diuina prædesti-
nat.cap.15. vbi dicit, quòd Deus denegat reprobis
auxilium speciale & sufficiẽs, quod esset necessariũ
ad ipsorũ finalem cõuersionẽ. Et huic videtur faue-
re D.Tho.3.contra Gent.cap.161. Alij verò nõ ita ge
neraliter definiũt de omnibus reprobis, sed tãtũ de
quibusdã insignibus peccatoribus, qui in sacris lite
ris dicũtur indurati & excæcati, de quibus affirmãt,
ꝙ propter ingẽtia ipsorũ scelera, denegat illis Deus
auxilia



auxilia specialia, quæ essent necessaria ad ipsorũ cõ-
*Roffens.* uersionẽ. Hoc videtur sentire Roff.ar.36.cõtra Luth.
*Driedo.* & Driedo lib. de Captiuit. & redempt. generis hu-
*Ruar.Tap.* mani tractatu.5.cap.3.& Ruard.Tapper art.7.contra
*Armacan.* Caluinum, & eadem sententia tribuitur Armacano
lib.1.de erroribus Armenorum cap.27.tamen re ve
ra ille non audet id affirmare, vt constat ex fine il-
lius capitis. Idem etiam videtur sentire Abulens.
*Abulensis.* super cap.4. Exodi.q.12. Alij verò Theologi, suffi-
cienter putant Deum omnibus prouidisse genera-
lem modum, quo eius doctrina & prædicatio ad
omnes peruenire posset, licèt postea ex defectu cau
sarum secundarum, ad multos non perueniat. Ita
*Greg. Ari.* Gregor.Arim.in.1.d.46.q.1.ad.3.Et præter argumen
ta quæ ille congerit ex Scriptura & Sanctis, probat
exemplo paruulorum, quibus Deus sufficienter
prouidit instituendo generalia remedia, quæ tamen
in particulari aliquando applicari nequeunt: ergo
hoc etiam videtur sufficere in adultis. Rursus etiã,
Quia vix videtur posse intelligi quo pacto Deus in
particulari tribuat omnibus semper gratiã excitan-
tem. Quia, vel dicitur eam semper tribuere, quia pa
ratus est dare illam: & hoc non, quia si est paratus:
ergo non tribuit in actu, quid ergo expectat? non
opera naturalia, vt supra dicebamus, cum illa non
disponãt ad gratiam excitantem: ergo, &c. Si autem
dicas Deum semper conferre hanc gratiam omni-
bus in actu secundo, hoc manifeste falsum videtur:
quia talis gratia in actu, consistit in motione actua-
li hominis, atque adeo in aliqua cognitione, vel de
siderio; constat autem non semper habere homines
etiam fideles & iustos nedum infideles, hanc mo-
tionem naturalem circa obiecta supernaturalia: er-
go, &c. Dices, dari hominibus in primo instãti vsus
rationis. Sed & hoc etiam videtur falsum, cùm nul-
lus talem motionem tunc experiatur, & plures eo-
rum post multos annos vsus rationis, ad fidem con
uertãtur, qui de rebus fidei nihil vnquam cogitaue
rant. Neque id quidem euacuat difficultatem: Quo-
niam si in illo instanti homo non respondeat illu-
minationi, non ob id manet iam extra statum salu-
tis: Redibit ergo quæstio, quo modo possit iterum
habere illam excitationẽ. ¶Aliqui Theologi dicũt
Deum tribuere istam gratiam non ponenti obicem
per peccata; tempus autem & modum, non esse eun
dem in omnibus, sed pendere à diuino arbitrio. Sed
neque iste modus dicendi satisfacit. Quoniam non
omnes infideles quotquot præcesserunt & sunt, ha-
bent in actu antequam migrent ab hac luce, illumi
nationem hanc supernaturalem sufficientem ad fi-
dem, charitatem, &c. Præterea: Quia si in tempore
intermedio quo Deus suspendit gratiam, non habet
homo auxilium quo se conuertat: ergo pro tunc
erit illi impossibilis salus. ¶Tandem sunt Theologi
qui dicant, Deum non conferre omnibus gratiam
excitantem, quod dicunt & intelligunt solùm in or
dine ad induratos. Veruntamen de hac induratorũ
cõtrouersia, nos diximus multa. 1.p.q.23.ar.3.disp.3.
&.4.& disput.5.dub.3.& etiam disputat.10.&.11.
*Conclusio.* Vt controuersiam hanc definiamus, dicendum
est, Deum sufficienter præbere auxilium omnibus
adultis, ita sane vt quolibet momento & instanti
possint disponi ad gratiam, & iustificari, si velint.
Probatur: Quia certissimum est, quòd Deus quan-
tum est in se, dat auxilia necessaria ad salutem omni
bus hominibus quantumcunque reprobis & indu
ratis, quandiu sunt in hac vita, taliter quòd per ip-
sum non stat quin omnes saluentur, quod aperte ex
D.Paulo colligitur.1.ad Timo.2. Deus vult omnes *1.Timo.2.*
homines saluos fieri. Et quidem, frustra & delusoriẽ
diceretur velle omnium hominum salutem, nisi da-
ret omnibus quęcumque necessaria sunt ad salutem
ipsam. Et hoc videtur asseuerare Ezechiel Prophe- *Ezech.18.*
ta cap.18.& 33. Nolo mortem peccatoris, sed vt ma- *&.33.*
gis conuertatur & viuat. 2. Petri. 3. Patienter Deus *2.Petri.3.*
agit, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœniten-
tiam reuerti. ¶Hanc eandem sententiam, quam nos
asseueramus, Sancti Patres colligunt etiam ex testi-
monio illo Ioan.1.Illuminat omnem hominem ve-
nientem in hunc mundum. Vnde, D. August.lib.3. *D. August.*
de libero arbit.cap.13.& de nat.& gra.cap.67.ex eo-
dem capite D.Ioannis, nempe ex illis verbis, Dedit
eis potestatem filios Dei fieri, probat assertam à no-
bis sententiam. Quia licèt idem August.lib.1.con-
tra duas epist.Pelagianor.cap.3.videatur dicere, nõ
omnibus dari hanc potestatem, sed his qui fidem re
cipiunt; tamen hoc est verum de potestate proxi-
ma, quam habent iusti per fidem formatam in ordi-
ne ad consummatam filiationem per gloriam, de-
qua ibi est sermo, vt Theophil.& Caietan.ibi expli-
cant. Sed tamen, omnes habere absolutam potesta-
tem vt iustificentur & salui fiant, certum est omni-
no: Quia alias non imputaretur homini. Hinc est,
quòd in cap. firmiter, de summa Trinitate & fide
catholica definitur, semper posse hominem quan-
tumuis peccatorem conuerti ad pœnitentiam dũ
est in hac vita. Et idem definierat Gelasius Papa in *Gelas. PP.*
epistola de vinculo anathematis. Vnde, quòd dixi-
mus est communis sententia Sanctorum Patrum,
Dionysij, Hirænei, Ambrosij, Chrysostomi, Augusti
ni, & aliorum quos.1.p.citauimus. ¶Ratio autẽ præ-
cipua huius veritatis, sumitur ex libera Dei volun-
tate, quæ in Scriptura manifestata est; & congruen-
tia reddi potest ex differẽtia inter paruulos & adul-
tos: paruulis enim nocet peccatum in primo paren
te commissum, & ad eos origine trãsfusum. Et quo
niam in proprijs actibus sibi subuenire nõ possunt,
sufficienter illis prouidetur per proprios parentes.
Imò verò, in prothoparẽte Adamo tanquã in capite
totius naturæ, receperunt originalẽ iustitiam, & in
eodem prothoparente prouidit omnibus de reme-
dio. Imò verò vlterius, paruuli omnes quantum
est ex parte Dei habent sufficiens remedium con-
tra peccatum: Quoniam quantum est ex parte Dei
pro omnibus mortuus est Christus, & pro omnibus
instituit sacramenta in remedium peccati. Adulti
verò qui iam vtuntur ratione, viatores sunt per suã
propriam & actualem voluntatem, atque adeo pos-
sunt se ipsos perdere suis proprijs actibus. Vnde,
fuit conueniens vt possent suis propijs actibus sal-
uari, atque adeo vt gratia excitans quæ est initium
salutis, prẹsto esset semper illis, vt semper si vellent
eam habere in actu secundo, possent. Et per hoc pa-
tet ad quasdam obiectiones superius positas contra
nostram sententiam. Et præterea, est dicendum ad
eas, Deum ex se paratum esse ad dandam talem gra
tiam, si homo non ponat illi obicem, quem nonnul
li apponentes de facto non sunt illuminati in actu
secundo

secundo. Nam licet homo non possit per vires naturæ se disponere ad gratiam; potest tamen per easdē impedire talem gratiam, vt dese patet, & aduertit S.Thom.3.lib.contra Gent.capit.59. & liquet ex illo Iob.21. Recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus, & cap.24. Ipsi fuerunt rebelles lumini. Vnde, Chrysost. super illud Ioan.1. Illuminat omnem hominem, &c. ait, Quomodo ergo, tot sine lumine permanserunt? Respondet, Illuminat quidem omnes quantum ad ipsum Deum pertinet; sunt autem qui oculos mentis clauserunt. Idem asseuerat S. Thom.2.2.q.2.artic.5.ad.1. Idem Cirillus libr.4.in Ioan.cap.25.

*S.Thom. Iob.21. & 24.*

*Ioan.1.*

*Cirillus.*

Ex his liquet, quo pacto sit verum id, quod Theologi nonnulli dicunt, quòd hæc gratia est in potestate nostra, & quod aliquo modo pēdet à nostra voluntate. Est namque in voluntate nostra, quia Deus paratus est semper ad dandum hanc gratiam. Rursus pendet aliquo modo à nostra voluntate, quia potest à nobis impediri, non quia tale sit impedimentum, quod Deus non posset vincere & superare, sed quod de se sufficiens est ad impediendum, nisi Deus sua benignitate ipsum superare velit. Ita docuit S.Thom.supra, & de Verit.q.14.art.11. & Henric. quodlib.4.q.19. & Ruard. Tapper art.7. sæpius citato. ¶Sed nihilominus duplex difficultas insurgit. Prima est: Quia si homo peccando ponit impedimētum, non illuminatur communiter à Deo, sed hoc ipsum quod est non peccare, & nō ponere impedimentum, non potest homo sine gratia Dei: ergo si Deus id expectat, vt talem gratiam conferat, procul dubio expectat id, quod homo præstare non potest, atque adeo plane denegat consequenter. Respondetur tamen huic difficultati, Deum hos infideles antequam illuminentur non omnino destituere ea prouidentia, quæ necessaria est ad non peccandum, ita vt hoc sit in potestate eorum, vel immediate per auxilia intra ordinem naturalem prouidentiæ Dei; vel mediate per ea ad quę possunt eleuari. Nam eos partim per externos effectus creaturarū, partim per conscientiæ remorsum, & interiores instinctus, qui naturalia & moralia obiecta non excedant, sæpe mouet ad bona honesta, nam hoc etiam pertinet ad prouidentiam, Dei & ad eam quæ necessaria est in ordine gratiæ, quatenus gratia supponit naturam, & perficit illam. Qua ratione credendum est, abundantiori modo hæc omnia fieri à Deo, & pulsari hominem in ordine gratiæ. Quæ sane omnia colligi videntur ex Paulo actor.14.&.17. Vbi cum dixisset Deum permisisse gētes ingredi vias suas, subiungit, non se sine testimonio reliquisse, & incepit ab eis, quæ naturalia sunt dicens, omnibus hominibus Deum statuisse tempora ad se quærendum; si quomodo inquit attrectent eum, aut inueniant: non lōge enim est ab vnoquoq; nostrū; in ipso enim viuimus, mouemur, & sumus, sicut & quidam vestrorū Poëtarum dixerunt, &c. Et ad Rom.1. Inexcusabiles dicit esse gentes naturaliter cognoscentes Deū, & non glorificantes, non quia illa cognitio esset sufficiens ad salutem; sed quia male vtendo & agendo, posuerunt obicem & impedimentum alteri illuminationi. Prosper lib.2. de vocatione Gentium, cap.5. explicat hæc loca citata ad hoc propositum. Et licet non possit homo longo tempore sine peccato viuere; potest tamen in quolibet momento de suis peccatis dolere propter Deum, quem ratione naturali cognoscit offendi à nostris prauis & pessimis operibus, licet dolor iste imperfectus sit, nisi diuino numine foueatur. ¶Secunda difficultas est, An quando quis naturæ viribus facit totum quod in se est, statim à Deo illuminetur in eodem momēto aut instanti? In qua re nonnulli dicunt, eos qui iā habent fidem & gratiam excitantem, pro quocumque tempore posse conuerti, quia iam habent auxilium sufficiens præueniens, & adiuuans non denegabitur, si ipsi voluerint; qui vero non sunt vocati, licet diù viuant, semper possunt conuerti; non tamē pro singulis instantibus. Ita tenent Roffens. artic.36. contra Lutherum, & Ruardus Tapper art.7. Et eorū ratio est: Quia non pro singulis instantibus habent vocationem: sed Deus conuenienti tempori hoc reseruat. Quocirca, ob id in Psalmis dici putant, Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra. Nam vox illa, non semper & continuo auditur. ¶Sed nihilominus his non obstantibus sentio, absolute esse dicendum, quemlibet etiam fidelem in quolibet instanti posse conuerti; quia alias in aliquo instanti & momento esset extra statum salutis, aut non posset absolutè agere pœnitentiam, quod aperte est falsum. Et licet de solis fidelibus hoc videatur esse diffinitum, nempe hominem posse conuerti in quolibet momento, vt habetur in capit. Firmiter; tamen eandem, & parem esse rationem de omnibus fidelibus colligitur ex illo Ezech.18. In quacumque hora peccator ingemuerit, amplius non recordabor, &c. Nam profecto, plurimi adulti alias fuissent de facto damnati, quibus nulla ratione esset imputandum quòd non fuerint conuersi, sed tantum Deo id esset adscribendum, qui eo tempore, quo illi nullum apponebant obicem, sed potius præstabant totum quod viribus naturæ poterant; non illis adfuit, quod est aperte contra illud Isaiæ.65. Ecce ego, Ecce ego, ad gentem quæ nō *Isaiæ.65.* inuocabat nomen meum, expandi manus meas tota die ad populum incredulum, qui graditur in via non bona potest cogitationes suas, &c. ¶Sed dices; Si in eodem momento, quo facit homo totū quod potest ex natura sua, illuminaretur à Deo, & correspōderet tali illuminationi, non resistendo aut ponendo obicem; sequitur quòd in eodem instanti haberet homo plures & diuersos actus, alios quidē naturales; alios vero supernaturales qui citra ingens miraculū, repugnare videntur simul. Respondetur quod regulariter nō sunt simul. Quoniā cū Deus illuminat per gratiā excitantē, cùm hic actus necessarius sit in homine, nō est cōpossibilis cū alijs omnibus, & potest quidē tali illuminationi resistere, vel assentiri, vel nihil de illa curare, q; si assentiatur ei, nō repugnabit talis actus cū alijs: Possum enim simul cognoscere, Deum esse finem naturalem & supernaturalem, & Deum vt sic diligere. ¶Sed obijcies tu. Ergo de facto apud gentiles, plures sunt, qui habeant fidem, licet nunquam audierint à prædicatore. Nam aliqui eorum fecerunt quod erat in se, & aliqui non restiterunt. Respondetur, quòd immediate mouentur à Deo ad detestanda idola, & ad legem naturalem implendam, & statim ad faciendam diligentiam vt veritatem inquirant mox ad aliud

*S.Thom. Henricus. Ruard. Tapper.*

*Actor.14. & 17.*

*Aratus. Rom.1.*

*Prosper.*

*Rofens. Ruardus.*

*Exech.18.*



aliud perfectius. Vnde, licet plures primam vocationem forte sentiant; non tamen ei consentiunt, vel saltem vlteriori resistunt. De qua re fusius diximus in materia de fide, & in materia de diuina prædestinatione in.1.p.

### *Argumentum difficile de auxilijs, in cuius solutione aperitur magis hæc materia.*

*Argumētū.* SEd est difficile argumentum cōtra determinationem de auxilijs, propter ea quæ superius dicta sunt de auxilio efficaci; Diximus pluries in hac disputatione de gratia, præter sufficiens auxilium, ad actualem cōuersionem, necessarium esse efficax auxilium, & ad diù perseuerandum; necessarium esse donum perseuerantiæ: sed certum est quòd nōn dat Deus omnibus hominibus auxilium efficax, neque donum perseuerantiæ: ergo non est certum quòd Deus det omnibus hominibus omnia necessaria ad salutē. ¶Ad hoc nonnulli respondent, quòd licèt Deus nōn det hæc auxilia illis; tamen est paratus dare quantum est ex se. Sed cōtra: Quoniam videtur hæc aperta implicatio. Nam qui decernit firmiter nō dare, non est paratus dare: ergo si Deus decreuit nō dare auxiliū efficax, non est paratus dare.

*Henricus.* Henric. quolibet.4.q.19. putat, non conferri omnibus, neque efficax, neque sufficiens auxilium. Et ait, quod quando Deus vocat hominem sæpius, si ille negligit vocationem & inspirationem, subtrahit ab eo huiusmodi auxilia sufficiētia, & ipsum absque auxilio derelinquit. Idem docuit Greg. in.2. d.40. & 41.q. vnica artic.2. conclus.4. Vbi ait, quòd ijs quos Deus reprobat, statuit apud se non conferre auxilia efficacia & sufficientia ad iustificationem saltem finalem. Et de obstinatis & induratis idem docet Abulens.q.12. super Exodū. Driedo, lib. de captiuit. & redemptione generis humani tractatu.5. capi.3. à propositione.4. vsque ad.8. & Roffens. art.36. contra Lutherum. Itaque, negant isti authores, Deum conferre omnibus sufficientia auxilia, & consequenter dicūt à Deo relinqui in solis naturæ viribus. Quod probant ex testimonijs Scripturæ, in quibus videtur affirmari, Deum propter peccata hominum eos relinquere in solis naturæ viribus. Psal.73. Dimisi eos secundum desideria cordis eorum, & idem dicit Paul. Rom.1. de his qui cum Deum cognouissent, non sicut Deum glorificauerunt, quòd dimissi sunt secundum desideria cordis. Et Matth. 23. postquam Christus conqueritur quòd voluit cōgregare filios Hierusalem sicut gallina pullos suos, & ipsi noluerunt, subiungit; Ecce relinquetur domus vestra deserta; & apertius significatur hæc subtractio auxilij sufficientis Isaiæ.5. vbi de vinea, quam cum expectaret vt faceret vuas fecit labruscas, asserit Deus, quòd ablaturus est sepem illius: & daturus est eam in destructionem & conculcationem, & mādaturus est nubibus cœli, ne pluāt super eam, quo loco D.Hieronym. per vineam hanc intelligit animam peccatricem, &c. Et Prouerb.1. Quia vocaui & renuistis, & despexistis omne consilium meum, ego quoque in interitu vestro ridebo. Et quod est mirabile magis, est quod legimus, Deū induraturum esse & excęcaturum homines; & traditurum in reprobum sensum, & in adinuentionē erroris, Exodi.4. Ego indurabo cor Pharaonis. Et Isaiæ.6. Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua. Psal.78. precatur Propheta nomine Christi Deum, vt apponat iniquitatem super iniquitatem Iudæorum.

*Ahulensis. Driedo. Rofens.*

*Pſalm.73.*

*Rom.1.*

*Matth.23.*

*Iſaiæ.5.*

*Hieron. Prouer.1.*

*Exod.4. Iſaiæ.6. Pſalm.78.*

Hanc sententiam videtur sequutus Isidorus lib. de summo bono, cap.15. Vbi ait, quod nonnulli ita deseruntur à Deo vt sua peccata deplorare nō possint, etiam si velint: & D. Augustinus super epistol. ad Rom. cap.62. affirmat, Pharaoni post obdurationem non datum esse auxilium, quo posset conuerti. Idē dicit de bono perseuerant. cap.14. de Tyrijs & Sidonijs, quòd negatum est illis vnde crederent, quia illis non datum est vt crederent. Idem in cap.8. Idē, in Enchirid. cap.101. & de prædestinat. Sanctorum cap.6. & 8. & epist.107. ad Vitalem, quibus locis dicit Deum non velle dare gratiam multis: ergo non confert sufficientia auxilia omnibus.

*Iſidor.*

*D. Auguſt.*

Rationibus etiam arguitur pro hac sententia. Quia nullus potest habere sufficiens auxilium ad iustificationem, nisi posit etiam habere fidem, iuxta illud Pauli ad Hebræ.11, sine fide impossibile est placere Deo: sed plerique sunt qui fidem habere nō possunt: ergo etiam sunt plerique qui habere non possunt sufficiens auxilium ad iustificationem. Minor probatur ex D. Augustin. lib. de nat. & grat. cap.4. & 8. dicente, suo tempore multos extitisse, qui non poterant habere fidem, quorum (inquit) damnatio non erit ob id quòd fidem non habuerunt, sed in pœnam aliorum peccatorum, quę contra naturæ legem ab illis sunt commissa. Et Sanctissimus Præceptor.2.2.q.10.artic.1. docet, quod infidelitas negativa non est peccatum: sed qui absque culpa sua (ait) fidem non habet, non propter hoc damnabitur, sed propter alia peccata quæ commisit sciens & volēs. Neq; valet solutio, quæ adhiberi solet ab his qui tenent, huiusmodi homines, per lumen naturale rationis, posse se præparare ad habendam fidē, quia prę-stò est Deus ad infundendū eam, si illi se prę-parent; Nam contra hoc est, quòd vis & lumen rationis naturalis est insufficiens ad hoc vt homo se præparet ad habendam fidem. Rursus: Quia fides non potest haberi sine auxilio supernaturali. Et præterea; Quia cùm fides sit initium nostræ iustificationis; si quis per vires naturæ posset se disponere ad habendam fidem, sequeretur quòd per easdem naturæ vires haberet primum iustificationis initium, quod contra Pelagium est definitum in concil. Arausi.2.

*Prim. ratiō.*

*Hebræ.11.*

*D. Auguſt.*

*D. Thomas.*

Adducuntur secundo præfati authores. Quoniā euangelium Christi, nō solum non est prædicatum inter barbaros, sed inter Christianos sunt multi, qui bus non donatur sufficiens auxilium ad iustificationem, quod in primis constat de infantibus genitis inter Christianos, qui in maternis vteris decedunt, quibus neq; applicatur, neq; vlla ratione applicari potest sacramentum baptismi, quod infantibus est vnicum remedium & auxilium ad salutem eorum. Constat etiam in adultis, qui in amentiam & furorē inciderunt absque intētione vlla suscipiendi sacramentum pœnitētiæ, cum priùs essent in mortali, & idem est de dormientibus, qui subito moriuntur, aut ab alijs sunt occisi; his namque omnibus in eo

*2. Ratiō.*

statu

statu nullum auxilium sufficiens communicatum est ad eorum iustificationem. Tandem constat de omnibus illis, qui ab æterno à Deo reprobantur, de quibus postquam inciderunt saltem in vltimum peccatum finale, in quo decedunt, eis non ampliùs sufficienter auxiliatus est Deus, vt iustificarentur, sed eos reliquit in solis naturæ viribus, quibus vt liquet iustificari non poterant. Hoc etiam insinuat Paulus loquens de Esau Rom. 9. qui antequam natus esset, aut quicquam maliè gisset, reprobatus est à Deo, vt insinuaret, hoc odium non à prauis operibus, sed à mera voluntate Dei, qua noluit conferre auxilia sufficientia Esau, natum esse, & idcirco subiungit Paulus, Nunquid figulus non potest ex eadem massa facere aliud vas in honorem, & aliud in contumeliam?

*Rom.9.*

*Tertiarat.* Adducuntur tertio. Quia si Deus confert omnibus auxilium sufficiens ad iustificationem, id esset quia vult omnes homines saluos fieri, & ita tribuit illis medium, quo si recte vtantur, perueniant ad salutem, quod sane est hoc auxilium sufficiens, sed hoc non satis esse ex eo probatur; Quia etiã cõtulit omnibus hominibus ea, quæ necessario requiruntur, & sufficiunt ad hoc, vt si velint vti illis in suam condemnationem, etiam possint, qualia sunt vires naturales, & libertas arbitrij, ignis, & aqua: ergo. Rursus sequitur, quòd cum in auxilio sufficiente, quod omnibus confertur omnes conueniant, discernitur homo qui iustificatur, ab illis, qui manent in peccato, solum per actum proprium liberi arbitrij, quod est contra Paulum 1.Corin.4. dicentẽ, Quis enim te discernit? Quid habes quod non accepisti: Si accepisti, quid gloriaris?

*S.Thom.* Sanctus Thomas 3. p. q. 86. art. 1. oppositam sententiam insinuat. Nam eo loci affirmat, quòd dicere esse aliquem hominem, qui dum est in via, non possit pœnitere de omnibus suis peccatis quantumuis grauissimis, est derogare virtuti gratiæ, & auferre liberum arbitrium. Quam sententiam magis aperit. 3. contra Gent. cap. 149. Vbi ait, quòd Deus quantum est ex se, paratus est omnibus dare gratiam. Et idem sensit Ferrat. in Commentar. illius loci, dicens, diuinam motionem, qua præparatur homo ad iustificationem, Deum omnibus impẽdere, & quantum ad eam omnibus esse præsentem. Idẽ sensit D. Bonau. in 2. d. 28. q. 1. Nã dicit supernaturale auxilium dari omnibus. Scotus in. 1. d. 46. q. vnica ad. 1. affirmat, omnibus Deum conferre adiutoria communia, & sufficientia ad salutem. Idẽ Gabr. in. 2. d. 22. q. 2. art. 3. dubit. 1. Vbi adducit proloquium illud, quòd Deus nulli deficit in necessarijs ad salutem. Soto. 1. de nat. & gratia. cap. 15. & Driedo licet fuerit sequutus contrariam sententiam; tamen iudicat hanc valde probabilem. & idem sensit Ruard. Tapper art. 7. de libero arbitrio. ¶ Quocirca vere, rationabilior, & Dei benignitati lõge cõformior sententia est, dicere, Deum conferre auxilium sufficiẽs ad salutem omnibus hominibus, præsertim adultis habentibus vsum rationis, quantumuis reprobis, flagitiosis, & obduratis, & huius sententiæ sunt omnes authores citati cum Sancto Thoma. Et idem sensit Lyranus super illud Iacobi. 4. Appropinquate Deo, & ipse appropinquabit vobis, & super illud Apoc. 3. Ego sto ad ostium & pulso. Quam sane sententiam non solum S. Thom. defendit, sed etiam Scotus & sui.

*Ferrara.*

*D.Bonau.*

*Scotus.*

*Gabriel.*

*Soto.*

*Driedo.*

*Ruardus.*

*Lyra.*

His ita præmissis, est prima propositio. Quamuis certum sit nullum esse hominem, cui Deus non conferat sufficiens auxilium ad salutem; tamen hæc auxilia non sunt respectu omnium hominum æqualia, sed quibusdam pauciora & minora donantur; alijs vero plura & cumulatiora: Quod sane est verum, non solum in paruulis, quorum alij in vteris maternis sanctificati sunt, vt Ieremias & Ioannes Baptista; alij verò è conuerso permissi sunt decedere in originali peccato in eisdem vteris maternis; sed etiam est verum in adultis. Nam Hebræis Deus contulit signa & virtutes, & interiora alia auxilia; quæ tamen non sunt collata Tyrijs & Sidonijs. ¶ Sed vt hæc quæ modo dicimus cognoscas, aduerte, auxilia quibus homo indiget esse multiplicia. Nam quædam sunt, quæ præueniunt actum liberum hominis, & hæc alia sunt extrinseca, vt prædicatio euangelica, sacræ conciones, consilia de emendatione vitæ, obiurgationes de peccatis, minæ de futuris supplicijs, & etiam miracula conspecta, de quibus non est difficultas maior huius controuersiæ; alia verò sunt auxilia interna, vt illustrationes & inspirationes intellectus, motiones, & impulsus, quibus excitatur supernaturaliter voluntas, quæ quidem auxilia nomine gratiæ mouentis, excitantis, & operantis intelliguntur à Concilio Tridentino locis citatis, & hæc communiter à Theologis vocantur auxilia sufficientia. Et quamuis præter huiusmodi auxilia, ad salutem & iustificationem hominis, requiratur necessario auxilium aliud, quod vocatur efficax, de quo supra diximus; hoc tamen, de quo nunc potissimè agimus, recte vocatur sufficiens. Nam si homo illius ductum sequatur, neque illi repugnet aut contradicat, proculdubio vlterius proficiet in sua salute. Et licet solo auxilio sufficiente nullus vnquam fuerit iustificatus; ex hoc tamẽ nõ recte deducitur insufficientia auxilij, sicut ex eo quòd existente diaphano perfectè illuminato, quis non videat colores, quos iuxta se habet, non recte probatur insufficientia luminis, sed aut imbecillitas oculorum, aut voluntas hominis nolentis oculos aperire. Tandem, quædam auxilia sunt, quæ in iustificatione reperiuntur, quæ quidem concomitantur aut consequuntur vltimas dispositiones ipsius iustificationis, & hæc omnia sunt interiora, vt sunt ea, quibus Deus cõcurrit cum voluntate hominis, vt eum super omnia diligat, & propter ipsum summe dilectum, peccatum super omnia mala detestetur; Quæ auxilia, capite illo. 5. sextæ sessionis, intelliguntur à Concilio Tridentino, nomine gratiæ adiuuantis & cooperantis, & communiter à Theologis vocantur auxilia efficacia, quia nunquam recipiuntur, nisi simul cum eis anima efficaciter moueatur ad conuersionem, ad contritionem, & dilectionem Dei super omnia. Quod quidem ita est intelligendum, quòd auxilium quod est efficax respectu vnius effectus, non sit efficax respectu alterius plerumque; Nam quod est efficax respectu iustificationis, non est efficax respectu perseuerantiæ: quia perseuerantia est donum speciale Dei; posset tamen dici sufficiens, quamuis

*Concil.*



quamuis cum eo solũ non reperiatur diuturna perseuerantia, & pari modo auxilia sufficiẽtia interiora, dicuntur sufficientia respectu iustificationis, sed non efficacia, & nihilominùs respectu effectus, quẽ tunc causant de facto in subiecto, dicũtur efficacia, quamuis respectu iustificationis talia non sint.

*Concil.* Secunda propositio. Si adulto non conferatur illud auxilium supernaturale, quod necessariũ & sufficiens est ad præstandum aliquẽ actum supernaturalem, de quo extat aliquod præceptũ, adultus in eo casu non est reus peccati, quo tale præceptum non impletur, neq; potest illi imputari culpa aliqua, eò quòd non habuerit illum actum, etiã currente præcepto. Hanc assertionem fusiùs protuli. 1. p. q. 23. art. 3. disputat. 4. & ob id nunc paucis agam. Ratio verò huius propositionis, euidens est. Quia in eo, quod non est in potestate hominis, non potest homo habere electionẽ, aut iudicium, aut vllam libertatem, & consequenter, neq; vllam culpam: ergo si homo neq; habet, neq; habere potest supernaturale auxilium, quo iuuetur eius intellectus ad credẽdum, & quo iuuetur voluntas ad sperãdum, aut diligendũ, vel eliciendum quemcumq; alium actũ supernaturalem, nõ magis poterit homo ille adultus præstare huiusmodi actus, quã possit homo videre sine oculis, aut ambulare sine pedibus; ergo, &c. Imo vero hoc Christus insinuauit apertè Ioan. 15. dicens, Si opera nõ fecissem, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent, explicat August. in commentario, id est, non haberent illud magnum peccatum infidelitatis, quo in eum loquentem & operantem non crediderunt. Requiritur ergo motio Dei, aut quòd Deus præsto sit ad illustrandum intellectum, & mouendum voluntatem supernaturaliter.

*Ioann.5.*

*Concil.3.* Tertia propositio. Deus omnibus in vniuersum hominibus viatoribus quandiu in via sunt, donat quantũ ex se est, sufficientia auxilia ad eorũ iustificationẽ, ita vt nullus sit, cui hæc auxilia sint impossibilia. Et iuxta hanc conclusionẽ intelligo ea quæ de hac materia scripsi. 1. p. q. 23. art. 3. dispu. 3. 4. & 5. Quæ conclusio defenditur à S. Thoma, Scoto, Gabriele, Bonauent. Driedone, Lyrano, Soto, & alijs suprà citatis. Et probatur Psal. 76. Nũquid obliuiscetur misereri Deus, vel continebit in ira misericordias suas? quasi dicat, minimè. Et Isa. 49. cũ conquereretur Israel se à Domino derelictũ fuisse, respondit Deus id non ita esse, pulchra similitudine, dicẽs, Nũquid potest obliuisci mulier infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui, & si illa oblita fuerit, ego tamen nõ obliuiscar tui. Idem habetur Sapien. 12. & Ioan. 1. de Christo dicitur, quòd erat lux vera; quę illuminat omnem hominem venientẽ in hunc mundum. Vbi August. ait, Omnium oculis præsens est Sol, quasi dicat, Christus Iesus; quãtum est ex se omniũ oculis seu intellectibus infundit lumen spe ciale. Vnde. 2. Petri. 3. dicitur, quòd Deus patienter sustinet, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitẽtiam reuerti. Hoc sonat communis illa vox Pauli scripta Timotheo, Deus vult omnes homines saluos fieri. Ex qua sententia sequitur, Deum quantum est ex se, omnibus conferre sufficientia auxilia; Nam omnes vult Deus saluare si velint, & suæ saluti non contradicant. Ita dicunt D. Ambro. & D. Hieronymus. Nam qui legem omnibus dedit (ait Ambrosius) neminem excepit à salute. Nam medicus ideo publicè stat, quia vult sanare omnes; si tamen omnes accedant. Quarè, idem Ambros. 1. ad Timoth. 4. inquit, Nulli pereuntium excusatio suppetit denegato lumine, quoniam siue occultè siue manifestè Christus (vt ait Apostolus) est saluator omnium hominum maximè fidelium, & libro. 2. de vocat. gentium iterum Ambros. ait, quòd nulli nationi subtraxit Deus dona suæ gratiæ. Idem docet D. Basil. in regula capit. 7. D. Hieronym. super illud ad Galat. 1. Cum autem placuit ei, qui me segregauit. Et apertiùs D. Chrysostom. super epistol. ad Hebræos homil. 16. versus finem. Idem docet Anselm. libro de casu Diaboli capite secũdo. Vbi dicit de prauis angelis, quòd Deus contulisset eis auxilia, quibus stetissent, si ipsi voluissent. Est igitur præfata conclusio vera ex calculo Sanctorum Patrum.

*Psal.76.*

*Isa.49.*

*Sapient.12.*

*Ioan.1.*

*D.August.*

*2.Petri.3.*

*D.Ambro.*

*D.Hieron.*

*D.Basilius.*

*D.Hieron.*

*D.Chryso.*

*D.Anselm.*

*Euſebius.*

Rursùs, efficacissimis rationibus persuadetur conclusio: Quarum prima est. Homo quandiu in hac vita viuit potest saluari, vt definitur in Concilio Nicæno capit. 8. & in Romano quod congregatum est à Cornelio Papa contra Nouatum, vt refert Euseb. libro. 6. Historiæ ecclesiasticæ capit. 8. & in Lateranensi sub Innocentio. III. & habetur in capit. Firmiter, ad finem. Vbi dicitur, omnibus in hac vita semper patere aditum ad veram pœnitentiam. Et Sanctus Thomas tertia parte, quæstione octaua, articulo tertio, dixit, Christum esse caput vniuersorum hominum quandiù hic viuunt; saltem in potentia, quæ fundatur & in virtute ipsius capitis, & in libertate arbitrij: Constat autem, pœtentiam hanc non posse fundari in virtute capitis, nisi caput ipsum paratum esset influere omnibus hominibus virtutem supernaturalium auxiliorum, quibus possint fieri membra illius capitis in actu: sed nisi habeant sufficientia auxilia supernaturalia, nullã ratione possunt peruenire ad hanc salutem, & hæc auxilia ipse homo non potest habere per solas naturæ vires: igitur illis quandiù hic viuunt ob id salus semper est eis possibilis, quia Deus aut illis de facto confert eiusmodi auxilia, aut paratus est semper ad conferendum. Nam si è contrario aliquibus statuisset hæc auxilia denegare, & non esset paratus dare ea illis; tunc salus conferetur eis omnino impossibilis.

*Matth.11.*

*2.Pet.vlt.*

*Genes.4.*

Secunda ratio ad ostensionem præfatæ assertionis sumitur ab inconuenienti. Quia si Deus, quantum est ex se, hæc auxilia sufficientia non conferat aliquibus; sequitur, quòd frustra illis præcipit vt agant pœnitentiam, & quòd frustra illos inuitat ad remissionem peccatorum; cùm tamen dicat Matth. 11. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & quòd frustra illos expectat vt pœnitẽtiam agant. 2. Petri vltimo. Patienter agit Deus propter vos nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti. Et quòd hæc absurda sequantur, ostendo: Quia si aliqui homines neque recipiunt auxilia suæ salutis, neq; possunt recipere; quia Deus non est paratus ea illis dare, quidquid agant; sequitur quòd frustra eis præcipitur vt agant pœnitentiam; & tamen certũ est quòd possunt pœnitere: ergo possunt habere illa auxilia: ergo Deus paratus est illis ea conferre. Optimum exemplum est illud Genes. 4. quando dixit Dominus ad Cain,

subter te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius, quod constat fieri nõ posse sine supernaturalibus auxilijs, de quibus etiam constat non profuisse Cain ad eius iustificationẽ. Rursus, cùm Christus dixit: Quoties volui congregare filios tuos, &c. Certum est quòd hoc fieri nõ potuit sine supernaturalibus auxilijs, quæ paratus erat Christus cõferre. Quòd verò non profuerint illis hæc auxilia, quę Deus donauit, patet ex eo quod subiũgit Christus, & noluisti. ¶ Tertiò probatur: Quoniam peccator cui Deus nollet conferre hæc auxilia sufficientia, perinde se haberet, atque homo si constitueretur in puris naturalibus, imo verò licèt essent eiusdẽ impotentiæ; tamen peccator haberet deteriorem conditionem, vt à nobis in initio huius materiæ de gratia explicatum est: sed homo in puris naturalibus constitutus nõ posset credere, sperare, diligere, aut aliquem actum supernaturalem habere: ergo neq; id posset homo iste qui existeret in peccato, cuius contrarium paulò antea ostẽdebamus. ¶ Sanè, cùm Deus hominem peccatorem ordinauerit ad se vt in supernaturalem finem, & non posit habere media ad hunc finem assequendum, quorum primum est auxilium sufficiẽs, nisi à Deo eum adiuuante supernaturaliter; stultum & durissimum est asseuerare, esse aliquem cui Deus non sit paratus dare hæc auxilia sufficientia, seu quòd decreuerit nunquam in hac vita conferre; & cùm multò maiorẽ curam habeat supernaturalium, quàm naturalium, si Solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos, & omnibus auxiliatur ad opera naturalia, sine ratione dicitur quòd lumẽ & pluuia supernaturalium illustrationum & inspirationum, & reliqua auxilia sufficientia supernaturalia, omnibus hominibus non donet & diffundat.

*Argumentum.* Sed contra hanc assertionem est argumentũ difficile de auxilio efficaci. Nam auxilium efficax, etiã est necessarium ad iustificationẽ hominis: sed hoc paratus est Deus omnibus conferre quantum est ex parte sua, aliàs non esset verum, quòd vult omnes saluos facere, quod est apertè contra Paulũ. Rursus, non priùs saluantur homines, quàm iustificentur, imo verò priùs iustificantur: ergo si Deus vult omnes saluos facere, priùs, quantum est ex parte sua, paratus est donare omnibus auxiliũ efficax: igitur nulla est differentia inter sufficiens, & efficax auxilium quantum ad hoc. Vt argumentum hoc diluatur, & veritas magis aperiatur, alteram subijcio assertionem.

*Conclu.4.* Quarta propositio. Quamuis hæc duo auxilia sufficiens & efficax in eo conueniant, quòd eorum vtrumque Deus paratus est vniuersis hominibus cõferre, quantum est ex parte sua; differunt tamẽ in eo, quòd sufficiens auxilium, omnibus saltem adultis & ratione vtentibus ita donat Deus ipse, vt in omnibus recipiatur, & id nõ habet efficax auxiliũ. Dixi in conclusione, Deum quantum est ex se paratum esse ad conferendum, tàm sufficiens, quàm efficax auxilium, de sufficienti dictum est suprà; de efficaci verò probatur. Quia si Deus non esset paratus conferre efficax, non omnes vocaret ad pœnitentiam, neque vellet omnes ad eam reuerti, quod est contra locum citatum Petri, & contra Scripturam, vt supra vidimus, neque vellet omnes saluos fieri, quod est cõtra Paulum; imo verò frustra Deus præciperet omnibus facere actus necessarios ad iustificationem, & frustra ad illã inuitaret, & frustra expectaret, quæ omnia absurda sunt, vt superiùs ostendimus. ¶ De auxilio efficaci, quod non ita de facto conferatur, vt in omnibus recipiatur, ostensum est suprà. Nam si cõferatur de facto, & recipiatur in omnibus efficax auxilium ad iustificationẽ, omnes proculdubio conuerterentur, & iustificarentur, iuxta illud Ioan.6. Omnis qui audit à Patre & didicit, venit ad me, quod cõmuniter interpretantur de auxilio efficaci ad conuersionẽ & iustificationẽ: At non omnes iustificãtur, vt patet ex illo Matth.11. Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethsaida, &c. ergo. ¶ De auxilio autem sufficiente, quòd ita omnibus adultis donetur, vt in omnibus recipiatur, docent D.Bonauent. Ferrar. Vega, Soto, quos suprà citauimus; cæteri autem authores licèt id non expressè dicant; non tamen docẽt oppositum. Verùm vt assertio hæc aperiatur, & ostendatur à nobis in quo sensu defenditur, aduerte, præuenientia & sufficientia auxilia ad conuersionẽ, esse duplicia, quædam quæ non habẽtur sine libero hominis consensu, & hæc sunt actus fidei, spei, timoris, & attritionis; & de his sanè minimè asseueramus quòd ita vniuersaliter cõferantur à Deo, vt in omnibus nullo excepto recipiantur: constat namq; plurimos esse Barbaros, perditos, & infideles homines, qui nõ habent huiusmodi actus, & cõsequenter nõ recipiunt de facto talia auxilia. Alia verò sunt sufficientia auxilia, quę antecedunt & pręueniunt hominis libertatem & cõsensum, vt sunt illa de quibus nos diximus suprà.q.111.art.1. &.2. de quibus diximus cum S.Tho.art.2. ibi, quòd quando anima illis à Deo iuuatur, non se habet vt mouens, sed vt mota, quod qua ratione verũ sit, eo loco aperuimus. Hæc autem auxilia sunt in intellectu primæ cogitationes, & subitæ illustrationes, & in volũtate sunt impulsus, & primæ quædam motiones, quæ à Deo supernaturaliter inspirantur; & hæc auxilia vocantur à Theologis sufficientia: quia si homo eis non resistat aut resiliat, aut ponat obicem, sed sinat eorum ductum, & assentiatur, perueniet ad maiora alia auxilia, quæ respectu iustificationis sunt efficacia, quamuis illa antecedentia & præuenientia libertatem & consensum, præcise sint solum sufficientia. ¶ De his ergo sufficientibus auxilijs secundo loco commemoratis, in quibus homo se habet, vt motus, diximus in hac quarta assertione ita à Deo donari omnibus adultis, qui ratione vtuntur, vt in omnibus recipiantur. Et in hoc sensu volo debere intelligi id, quod scripsimus.1.p.q.23.art.3.disputat.4. conclu.7. & id etiam quod diximus disputatione.5. dub.1. & deinceps. ¶ Quòd autem hoc verum sit, probatur: Quoniam omnes adulti ratione vtentes, vel habẽt notitiam legis Euangelicæ, & supernaturalium pręceptorum, ita vt non excusentur per ignorantiã ab obligatione implẽdi pręcepta supernaturalia fidei, & aliarũ virtutum Theologicarũ: vel ita laborant ignorantia inuincibili legis Euãgelicæ, vt propter eã ignorantiã excusentur ab impletione supernaturaliũ pręceptorum, & ab omni culpa, quę de hac re posset illis imputari, eò quòd illa non impleuerint: sed omnes isti recipiunt sufficiens auxiliũ supernaturale

*Ioan.6.*

*Quo pa- sint intel- genda q- 1.par.di- mus.*

*Probatur assertio.4. efficacibus argumentis.*



turale à Deo, de quo loquimur, iuxta distinctionem supra factam: ergo nullus adultus, qui ratione vtatur est, qui non recipiat prædictum sufficiens auxilium. Probatur minor: Nam primi qui ita habent notitiã, & cognitionem supernaturalium præceptorum, vt ab eorum impletione nullo modo excusentur, necessario habent intellectum supernaturali aliqua illustratione respersum, & affectum, cui si non consentiant credendo, incidunt in reatum trãsgressionis præcepti fidei. Nam hoc est quod Christus dixit Ioan.15. Si non venissem, & loquutus eis nõ fuissem, peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habent de peccato suo. Et ex hoc manifestatur, & ostenditur quòd præter propositionem doctrinæ euangelicæ, accipiunt homines sufficientia auxilia, quibus excitetur, & inspiretur, intellectus, & voluntas, vt possint elicere supernaturales actus, ad quos diuinis præceptis obligãtur. Nam cũ sine his auxilijs fidei propositæ, etiam miraculis cõfirmatæ, non valeant assentiri, neque alios actus liberos supernaturales habere, ab impletione præceptorum excusarentur, ex impotentia; Cuius contrarium de fide asseruit Christus, & asserunt omnes catholici de pœnitentia, spe, & charitate. ¶ Illi verò adulti, qui euangelicam legem ignorant inuincibiliter, & ob id excusantur ab impletione præceptorum supernaturalium, quòd habeant sufficientia auxilia secundi ordinis, probatur ex doctrina D.Tho. 1.2.q.89.art.6. in corpore, & ad.3. Nam homo cũ primum venit ad vsum rationis, tenetur se conuertere in debitum finem, & in eum se ordinare; quòd si id faciat, statim iustificabitur: sed hanc ordinationem in debitum vltimum finem, quam sequitur iustificatio, non potest homo habere per solas naturæ vires, per quas non potest disponi ad iustificationem, vt constat ex supra dictis: igitur habet eam ex auxilio supernaturali præueniente, & sufficiente, quod in se recipit. ¶ Verum, quoniam hæc ratio procedit in opinone D.Tho. de puero perueniente ad vsum rationis, quæ à pluribus iudicatur rigida; idcirco probatur absolute id, quod asseueramus. Nam omnes Theologi, & Catholici fatentur, actum fidei supernaturalis in adultis, omni loco, & tempore esse necessarium ad iustificationem; sed hũc actum nulla ratione potest homo habere, nisi præueniatur ad illum habendum ab auxilio supernaturali sufficiente gratiæ excitantis, quod, vt diximus, præcedit omnem suam libertatem: ergo necesse est illud ita sibi donari à Deo, vt in ipso adulto de facto recipiatur. Probatur minor ex Tridentino sesio.6.cap.6. Vbi sancitur, quòd homines excitati diuina gratia, fidẽ ex auditu concipientes, libere mouentur in Deum credentes ea, quæ vera sunt: Docet ergo Conciliũ, ad habendum actum fidei necessariam esse gratiam excitantem. Et hoc argumentum fieri etiam potest de actu contritionis, & dilectionis, alijsque actibus supernaturalibus, qui necessarij sunt ad iustificationem. ¶ Quibus ita prelibatis sentio, quòd quamuis. 1.p. dixerim, quòd si sit sermo de verbo, dare, in significatione correlatiua ad recipere, Deus non tribuit omnibus adultis supernaturale auxilium præparans, & disponens ad credendum, vel agendum pœnitentiam, id quidem intelligendum est, primò de auxilio efficaci, secundò etiam est intelligendũ de auxilijs sufficientibus, quæ non habentur sine libero hominis consensu, vt sunt actus fidei, spei, timoris, & attritionis, de quibus asseueramus, quòd nõ ita vniuersaliter donantur à Deo, vt in omnibus adultis recipiantur, vt supra ostensum est. Sed non debet intelligi de auxilijs sufficientibus secundi ordinis, quæ prorsus præueniunt hominis libertatem, & consensum, & hæc sunt impulsus, inspirationes, illustrationes, & primæ motiones in voluntate, quæ à Deo supernaturaliter inspirantur, de quibus dixit D.Tho. quòd quando illis iuuatur anima à Deo, nõ se habet vt mouẽs, sed vt mota. Et in hac receptione auxilij sufficientis, maxime inuitantur homines ad conuersionem, & ad sequendam bonum, & hæc auxilia adultis omnibus ratione vtentibus donantur.

*Obiectio.1.* Sed obijciet aliquis contra hoc: Quia si hæc auxilia sufficientia secundi ordinis recipiuntur in omnibus etiam in his, qui inuincibiliter ignorant euãgelium; sequitur, quòd omnes qui talia habent auxilia, & tamen non illis bene vtũtur vt conuertantur, resistunt illis, & consequenter peccant contra fidem, charitatem, & pœnitentiam, quod ab omnibus Theologis reijcitur tamquam falsum. Sequela ꝓbatur. Quia si habẽt in se sufficiẽtia auxilia ad eliciẽdos actus fidei, dilectionis, & pœnitẽtię, ad quos obligãtur supernaturalibus præceptis, cum ratione istorum auxiliorum careant omni excusatione ignorantiæ, aut impotentiæ, si non eliciant hos actus, incident in peccata illis opposita, nempe, in infidelitatem, & impœnitentiam.

*Obiectio.2.* ¶ Secundo obijciet etiã aliquis contra nos, ex Sanctissimo Præceptore, qui cũ.2.2.q.2.art.5.in.1.argumento sibi obiecisset, non teneri ad credendũ explicite eũ hominẽ, qui non habet aliquem, qui sibi reuelet mysteria fidei, quia nullus tenetur ad id, quod non est in sua potestate; Respondet D.Tho. quòd si per id, quod est in potestate hominis, intelligatur quòd potest homo seclu so auxilio gratiæ, ad multa tenetur, quæ non potest præstare sine gratia præueniente, hæc tamen potest homo cum ipso auxilio gratiæ, quòd auxilium, quibus datur, misericorditer datur; quibus verò nõ datur, ex iustitia non datur in pœnam alicuius peccati saltem originalis: ergo secũdum D. Tho. non omnibus datur præueniens, & sufficiens auxilium.

His argumentis persuasus fui olim vt putarẽ, ꝙ nõ omnes recipiant hoc auxiliũ sufficiẽs secundi ordinis, de quo loquimur, quamuis omnes inuitentur, & omnibus offeratur, & Deus sit quãtũ est ex se paratus, illud omnibus donare. Vnde, ad argumẽtũ illud, quo ex D.Tho. oppositũ ostendebatur de puero perueniẽte ad vsũ rationis, qui tenetur se cõuertere, & ordinare in vltimũ finẽ debitũ, quam ordinationẽ, & cõuersionẽ, ad quã sequitur iustificatio, nõ potest homo habere per solas naturæ vires, & ex cõsequenti inferebatur ꝙ eã conuersionẽ habet puer ex supernaturali auxilio sufficiẽte, & præueniente, quod in se recipit de facto eo tempore, quo peruenit ad vsum rationis, vt se conuertat in debitum finem, &c. respondebam, quòd tribus modis aliquid dicitur posibile. Primò, secundum potentiam absolutam Dei, de quo non est sermo in præsenti. Secũdo aliquid dicitur posibile de potẽtia Dei ordinaria, qđ sanè nõ limitatur solũ ad ea, quæ fiũt de facto secũdũ voluntatẽ Dei: sic nãq; nõ possẽt res fieri

*Ioan.15.*

*Probatur cõclu.4.in secundo sensu*

*Concil.Trid.*

aliter, quam eo modo quo fiunt de facto de potentia ordinaria. Quia supposita diuina prouidentia, diuinaq; prædefinitione in sensu cōposito, nō possūt effectus aliter euenire; quare, possibile, secundum hanc potentiam est, quod potest fieri secundum legem latam à Deo in cōmuni, secundū quā possibile est aliquid fieri, vel non fieri. Tertio modo dicitur possibile, id quod res aliqua potest, eo quòd habet in se principium intrinsecum, & proportionatum ad hoc, vt illud fiat. Et hoc pacto, si quis ex obliuione mere naturali omittat facere quod tenebatur alias de lege, excusatur à peccato, quia licet verbi gratia teneretur recitare diuinū officiū, nō potuit illud recitare; quia nō habuit principiū illud memoriæ, quod necessarium erat ad recitandum; & tamē certum est quòd ille potuit recitare, non solum primo modo, sed etiam secundo, quia secundum communem cursum potuit non obliuisci, verum quia de facto non fuit in potestate eius memorari, idcirco excusatur ab omissione, quia caruit principio illo inculpabiliter. Quo posito fundamēto, seu distinctione dicebā, quòd quando quis accedit primo ad vsum rationis, tunc in illo puncto potest se ordinare in debitum finē, non quidē possibilitate tertio modo sumpta, quæ fundatur in intrinseco principio illius ordinationis, sed possibilitate sumpta secūdo modo, quæ fundatur in eodē principio, non quidē actualiter in homine recepto, sed quod recipi posit; & ita dicebā quòd licet homo iste obligetur ad conuertendū se in Deū, & ad habendū cæteros actus, qui requiruntur ad iustificationē, nihilominus excusabitur ab impletione obligationis, ob id quòd non est sibi datū auxiliū necessarium, quod est principiū intrinsecū ad eliciēdos hos actus. Vnde in eo casu, sicut iste non peccat, pari ratione nō damnatur, eo quòd nō habeat huiusmodi actus cū sine auxilio quod sibi non est datū, eos habere non posit; damnabitur tamen eo quòd aliūde violat naturæ legē, quā poterat non violare. ¶ Et pari ratione respondebā ad probationē, qua ostendebatur, de facto recipi sufficientia auxilia secūdi ordinis in omni adulto. Nā cū dicitur, actus fidei omni loco, & tēpore est necessarius ad iustificationē: sed hunc actū non potest homo habere, nisi præueniatur ab auxilio supernaturali sufficiente gratiæ excitantis, quod vt diximus, prçcedit omnē libertatē: ergo necesse est illud ita sibi donari à Deo, vt in ipso adulto de facto recipiatur. Dici potest similiter, ꝙ iste actus fidei, qui ad iustificationē est mediū necessariū, non est homini possibilis tertio modo per principiū intrinsecū, & proportionatū, quod habeat ad illū, & hoc probant tantū loca Concilij, sed possibilis est iste actus secundo modo, quia iuxta potentiā ordinariā, & de lege cōmuni, homo potest habere à Deo auxiliū sufficiens ad eliciendū illū actū. Et idē dici poterat de actu cōtritionis, & dilectionis, & de alijs supernaturalibus necessario requisitis ad iustificationē. Ex quibus omnibus deduxi, quòd quādo homo sine culpa sua non potest elicere hos actus ad iustificationē, & salutē necessarios, possibilitate tertio modo accepta, quia caret intrinseco principio illorū actuū, licet excusetur à culpa non eliciendi eos, non tamen excusabitur ab æterna damnatione propter alia peccata. Sicut si quis incidat in lethalē ægritudinē, cuius tantū est vnicū remediū, quòd sine culpa illius ignoratur, licet nullū sit peccatū ob id, quòd non applicatur remediū; tamē homo infallibiliter, & ineuitabiliter morietur de facto.

Sed profecto, quamuis hæc quæ olim diximus, suā habeāt probabilitatē; re tamen melius inspecta sentiendum est, iuxta ea quæ diximus conclusione tertia, & quarta. Vnde, obiectiones seu argumēta quæ attulimus paulo antea, quæ sunt numero duo, non efficaciter probant, hoc auxilium sufficiēs, non ita omnibus à Deo donari, vt recipiatur in omnibus ratione vtentibus; imo vero non exacte dissoluuntur rationes, quæ militant pro quarta assertione supra tacta. ¶ Et idcirco, vt respōdeamus ad duas obiectiones, quibus olim ego fui persuasus, & quas paulo antea attulimus, aduertēdum est, quòd hoc auxiliū sufficiens, de quo diximus in omnibus recipi, nihil quidem aliud est in intellectu, quam illustratio quędam præueniens omnem libertatem, ac proinde ordinationem, qua homo se se libere dirigit in finem debitum, & cæteros actus liberos, qui disponunt ad iustificationem, qua illustratione proponitur homini finis in quem se debet ordinare, siue ille sit Deus vt iustificator, aut vt finis supernaturalis, siue quacūque alia ratione explicite, vel implicite cognitus, siue tantum sit bonum honestum, seu bonum rationis. Auxilium vero quod in voluntate omnium recipitur, est supernaturalis quidā impulsus, seu actualis inclinatio, quo voluntas ipsa propenditur aliqualiter in hunc finem sibi ab intellectu propositū, quod auxilium etiam præuenit omnem libertatem voluntatis, ac proinde actum, quo libere se homo ordinat in eum finem eliciendo illum, & reliquos actus, quibus libere disponitur ad iustificationem; Quæ sane auxilia sūt inspirationes, & instigationes quædam Dei, ita reconditæ, & accultæ, vt plerumque ipsum hominem, qui excitatur lateant, prçsertim quantum ad rationem obiecti, an scilicet, illud naturale sit, vel supernaturale, & hoc est auxilium, ex quo si faciat homo totum quod potest, perueniet vlterius subsequentibus alijs auxilijs, ad iustificationem ipsam.

*Ad.1.obiectionem.* Ad obiectionem ergo priorem, quam quis posset obijcere contra quartam assertionem, respondetur, quòd si nomine resistentiæ intelligatur quodcumque impedimentum, quòd apponit homo huiusmodi auxilijs, verissimum est, omnem eum qui illis non respondet aut acquiescit, illis resistere; sed ex hoc male colligitur eos omnes, qui ita resistunt, reos esse peccati infidelitatis; Nam, cùm his primis auxilijs non vocetur homo immediatè, aut directè ad fidem, charitatem aut pœnitentiam, & in eo qui inuincibiliter ignorat legem euangelicam, & præcepta istorum actuum, tantum sint vocationes, & inspirationes ad hoc vt homo se conuertat in debitum finem, si homo hac conuersione spreta, & neglecta, conuertatur ad bonum delectabile; tunc incidit in peccatum, quod sumit speciem ab illo obiecto in quod conuertitur homo; habet tamen adiunctā circunstantiam omissionis illius conuersionis, qua ad debitum finem tenebatur se ordinare. Et tūc sanè ob id non est reus infidelitatis, quia illustratione illa, quæ est auxilium intellectus, nihil proponebatur sibi à Deo vt fide diuina credendū, sed tantum



tantum bonum honestum, vt efficaciter consequendum. Et rursus etiam, quia hæc auxilia sunt instigationes quædā occultæ, in quibus ab his hominibus, qui inter barbaros educantur saltem in actu signato nihil cognoscitur supernaturale in obiecto; Quòd si his hominibus per hæc auxilia excitatis proponeretur à Deo, vel ab angelo, aut homine supernaturale obiectū vt credendum, & tunc non vellet credere; tunc absque dubio esset reus infidelitatis; sed hoc non contingit in omnibus. Et idem dicēdum est de cæteris actibus contrionis, & dilectionis, & peccatis illis contrarijs.

*Ad.2.obiectionem.* Ad secundā obiectionē ex Sanctissimi Præceptoris doctrina desumptā, respondetur, quòd illo loco solū agit de auxilio, quod diuinitus datur ad credēdū explicite articulis fidei, & ad diligendū Deum explicite cognitū super omnia, vt aperte constat ex ipsa disputatione articuli, & ex ipsa solutione ad.3. Hoc autē auxiliū fatemur non recipi ab omnibus, vt ibi dicitur, probabile nāque est etiā in sententia D.Tho. quòd ille qui nihil omnino aut per exteriorē prædicantē, aut quacūque alia ratione explicitè nouit de euangelica lege, iustificari potest per fidē supernaturalē implicitā articulorū fidei. Concludamus igitur, nullū posse conuerti ad Deū ita vt se ordinet in debitū finē, nisi habeat in se sufficiens auxiliū ad hanc ordinationē: Neq; enim vt verè quis dicatur posse se ordinare, satis est possibilitas secūdo modo sumpta, quæ fundatur in auxilio non actu recepto, sed quod recipi posit, quā sufficientem olim asserebā; sed requiritur possibilitas tertio modo, quæ fundetur in auxilio, quod est actu receptū. Quod ostendo: Quoniā vt homo dicatur se ipsum posse ordinare, non satis est quòd hoc sit possibile ex parte primi agentis, nempe Dei, qui potest dare aut non dare auxilium ad hoc; sed etiam requiritur possibilitas in ipso homine se ordinante. Quod quidem constat aperto exemplo, in eo qui naturaliter oblitus est recitare horas, qui supposita obliuione non potest recitare, quia caret principio illo possibilitatis.

Sed dicet aliquis: Sicut ille qui naturaliter est oblitus, potest habere principiū memoriæ, & ita potest recitare; ita sanè, qui primo accedit ad vsum rationis, potest habere à Deo auxiliū sufficiens, & ita se ipsum ordinare in debitū finē. Certè nulla est hęc responsio aut solutio. Quia in neutro casu habet homo internā, & liberā potentiam exercendi illū actū ad quē in se non habet internū, & intrinsecum, seu proportionatū principiū. Et hæc est ratio cur ille, qui absq; culpa sua oblitus est excusatur à peccato non recitandi. Sed dicunt ad hoc authores oppositę sententiæ, excusari etiā eū à peccato, in quod incidisset si habens tale auxilium, non se ordinaret in debitum finem; ob id quòd cum primū perueniret ad vsum rationis, Deus illi non cōmunicaret hoc auxiliū. ¶ Sed profecto, hoc videtur esse cōtra sententiā Sanctissimi Præceptoris, qui.1.2.q.89.ar.6. in corpore affirmat, quòd si homo cū primū venit ad vsum rationis, non se conuertat in finē debitum iuxta id quod potest in illa ætate, peccabit mortaliter; Quòd autē hoc sit omissio mortalis, seu peccatū mortale, quia est omissio huius ordinationis in finē debitū, & non alia legis naturæ violatio, vt authores oppositæ sententiæ putāt; docuit Sāctissimus Præceptor loco citato ad.3. dicens, quòd puer in primo articulo seu puncto vsus rationis, ab alijs peccatis mortalibus potest abstinere per aliquod tēpus: sed à peccato omissionis nō liberatur, nisi quā cito potest, se cōuertat ad Deū. Vnde, vel se cōuertit in finē debitū, vel nō liberatur à peccato omissionis, eo ꝙ in illū finē non se ordinauit. ¶ Sed quamuis nō sequeremur D.Th. & negaremus hominē obligari in illo puncto vsus rationis ad hanc ordinationem, nihilominus negari nō debet vlla ratione quòd possit homo in illo primo articulo, & pūcto vsus rationis se ipsum in illū finē ordinare, & in Deū conuerti, vt ostensum est in discursu tertiæ assertionis. Neque potest se ordinare vt cūque, sed libere: quia nō est dicendū quòd homo in suū finē agatur, & ducatur ab alio extrinseco, more brutorū, sed quòd se ipsum agat, & ordinet, vt omnes Theologi, & Philosophi fatētur; quod sanè sine deliberatione est inintelligibile. Et hæc est ratio cur Deus petit ab homine hāc ordinationē, & illū ad eā hortatur, & cur improperet illi, si eā nō habuerit. Nā quid absurdius dici potest, quā Deū petere, & exigere ab homine aliquē actū, & illi improperare, si eū non habeat; quē tamen homo non posset liberè elicere, seu ad quem actū eliciendū homo non esset liber: sed si homo nō prius recipiat in se auxiliū sufficiens supernaturale, non est liber ad eliciendū hunc actū ordinationis, & conuersionis: ergo necessario dicere oportet, quòd sicut omnis homo est liber ad habendū hunc actū, pari etiā ratione habet in se auxiliū sufficiens: Quia alias facile homo se liberaret ab exhortationibus, & increpationibus Dei, dicēs ac respondēs, eas omnes frustra esse, quia ille actus haberi, & elici nō potest ab homine, sine supernaturali auxilio, quod sane sibi non est datū à Deo, nec positū in eiusdē hominis potestate vt illud sibi Deus cōferat de facto.

His ergo stabilitis, posset aliquis iure interrogare quādo Deus conferat hæc auxilia sufficiētia, & an ea omni tempore conferat, cōtinuo, & incessanter, ita vt in hominibus sēper recipiantur? In qua re sit quinta propositio. *Conclus.5.* Auxilia sufficientia secundi ordinis, de quibus loquuti sumus in assertione.4. præcedente, nō ita continuò, & incessanter confert Deus omnibus hominibus, vt perpetuo in omnibus recipiantur. Ita sensit Ruard. Tapper Decanus Louaniēs. *Ruardus. Soto.* ar.7. citato, & pro contraria sententia citatur Soto lib.1. de nat. & grat. ca.15. ad.4. & ca.18. ad.2. sed sine causa quidē, quia illis locis solū docuit Soto, Deū semper, & incessanter paratū esse ad conferendum hominibus sufficiētia auxilia, vt nos supra diximus propositione.3. non tamē quòd ita de facto semper cōferat, vt homo etiā in se semper recipiat. Neq; est necesse hæc auxilia sufficientia in omnibus continuo, & incessanter recipi ex parte ipsorum hominum, qui illa recipiunt. Nam cum ipsi plerumque ingentissimis peccatis, & sceleribus se se inuoluāt, & implicent, his auxilijs indignissimos faciunt, & merito sæpius carent illis. Vndē, misericorditer valde agit Deus cum illis, si paratus sit ad conferendum illis auxilia sufficientia, si ipsi se præstent Deo obsequentes, & non præstent obicem, & impedimentum. Neque id est necessarium ex parte eorūdem auxiliorum; Quia dictamen conscientiæ, & ip-

sius intellectus practici, intra naturæ ordinem, naturales etiam naturæ impulsus, quibus proponitur voluntati bonum rationis, & debitus finis rationis honestæ, non semper aut perpetuò reperiuntur in homine; cum tamẽ hæc sint auxilia, quæ supra naturalem legem non eleuantur, acproinde sunt ipsi homini aptata, & quodammodo debita: ergo multo maiori cum ratione dicendum est, supernaturales illustrationes, & impulsus non continuo, & incessãter reperiri, seu recipi in vniuersis hominibus, cum hæc sint auxilia supra naturæ limites longissimè eleuata, neq; vlla ratione debita, sed omnino gratuita. Neq; rursus hoc est necessariũ ex parte ipsorũ præceptorum, quæ his auxilijs tamquam principijs sunt adimplenda, qualia sunt præcepta fidei, spei, pœnitẽtiæ, & charitatis, & alia supernaturalia. Quia cum hæc omnia præcepta sint affirmatiua, & consequenter tempore, & loco determinato obligantia, ad eorum plenam obseruationẽ satis est, si determinatis tẽporibus ea auxilia sufficientia conferantur.

¶ Quòd si petas, quæ sint hæc determinata tẽpora, quibus de facto recipiũtur hæc sufficiẽtia auxilia in hominib⁹, Respõdetur, esse omnia illa tẽpora quibus homines ita obligantur supernaturalibus præceptis (quæ sine his auxilijs impleri non possunt) vt homines à preceptorũ impletione non excusentur, iuxta ea quæ diximus in discursu quartę assertionis. Et quamuis his omnibus tẽporibus hæc auxilia recipiantur; non tamen solis illis, sed etiam pluribus alijs nobis incognitis; quia determinare hæc tẽpora, solum ad diuinam pertinet prouidentiam, vt dicit D. Thom. de verit. q.14. art.11. ad.1. ad quam prouidentiam spectat prouidere hominibus de his omnibus, quæ ad salutem illis sunt necessaria

*Soluitur argumentum, quod supra difficile esse diximus, & alia soluuntur, quæ pro contraria sententia militabant.*

ARgumentum quod difficile esse diximus supra, iam tempus est dissoluatur: Tale namq; est; Præter sufficiens auxilium ad salutem, necessarium est etiam aliud efficax auxilium gratiæ: sed certum est, quòd hoc efficax non dat Deus omnibus hominibus: ergo non dantur omnia necessaria ad salutem eisdem hominibus. Ad hoc argumentum nonnulli respondent, quòd licet non det illis hæc auxilia; est tamen paratus dare illa quantũ est ex se, vt supra suse aperuimus. Sed contra obijcio: Quia hæc videtur manifesta implicatio; Nam qui firmiter decernit non dare, non est paratus dare: sed Deus decreuit non dare hoc auxilium efficax multis, ergo non est paratus illud dare. Huic obiectioni, & replicæ, communis solutio respõdet, quòd quãdo dicimus dari omnibus omnia, quæ necessaria sunt ad salutem, intelligitur quòd donãtur ipsis omnia auxilia requisita, ad hoc vt ipsi possint operari salutis opera, & à peccato exire. Auxilium autem efficax, & donum perseuerantiæ, non tã dantur ad hoc, quod est posse, quam ad hoc, quòd est in actu exercito operari, & hoc non datur omnibus, sed solum ijs, quos Deus eligit secundum beneplacitũ suũ. Quocirca, efficax auxiliũ per se loquẽdo, non dicit nouũ principiũ operandi distinctũ ab auxilio sufficiẽte, sed dicit modum specialẽ, quo Deus auxiliatur fortiter secundũ illã voluntatẽ efficacẽ, & prouidentiã specialẽ, quã habet de electis. Respõdetur secundo, quòd Deus donando auxilia sufficiẽtia, dat quantum est ex parte sua, auxiliũ efficax, & donũ perseuerantiæ; Quia nisi obstaret praua voluntas hominis ponentis obicẽ, & non vtentis auxilijs acceptis, Deus procul dubio efficaciter illũ conuerteret. Vnde, quòd homo non habeat auxiliũ efficax, potiùs est quia ipse non voluit accipere, quam quia Deus non det, vt mirabiliter, & elegãter valde prosequitur D. Anselmus lib. de casu Diaboli cap.2.&.3 *D. Anse…*

Sed dices, hoc quod est accipere auxiliũ, quod dat Deus, etiã est donũ ipsius Dei: ergo ille qui non accipit non habet omnia requisita, & necessaria ex parte Dei. Respõdetur, quòd etiã Deus dat quãtũ est ex se, quòd ego accipiã, sed ex propria prauitate est, si de facto nõ accipio. Itaque, in eo qui cõuertitur, & benè vtitur auxilijs sufficientibus, causa boni vsus, & cõuersionis, est auxiliũ efficax, quod Deus ex sua liberalitate, & pura misericordia largitur: In eo vero qui non conuertitur, causa non conuersionis, & permanentiæ in peccato, est propria malitia, cui tenaciter adhæret, & Deus respectu illius se habet permissiuè, vt verum sit semper illud Oseæ.13. Perditio tua ex te Israel, tantũmodo in me auxilium tuũ. *Oseæ.13.* De hac re contra Abulensem, Roffensẽ, & alios, lege Adrianũ in.4. tractatu de pœnitentia q.1. *Adrian…* Sotum.1. de natura & gratia. cap.18. *Soto.* Medinam codice de pœnitentia tractatu.1.q.11. *Medina.*

Ad opinionẽ Henrici, Gregorij, & aliorũ, quos citauimus, & ad testimonia Scripturæ, & Sanctorũ, quæ attulimus pro ea, etiã satisfacere oportet. Et vt explicentur testimonia Sanctorũ, quæ pro sententia Hẽrici, & Gregorij, & Driedonis adducũtur, aduerte, esse quandã amicabilẽ protectionẽ, qua Deus peculiariter fouet iustos, cuius meminit Cõcil. Trid. *Cõcil. Tr…* sessio.6. ca.16. dicens, quòd Christus Iesus, tãquã caput in mẽbra, & tãquã vitis in palmites in ipsos iustificatos iugiter virtutẽ influit, quæ virtus bona eorũ opera sẽper antecedit, comitatur, & subsequitur; hac protectione deseritur homo, quando ipse prius per peccatũ deserit Deũ, vt ca.11. eiusdẽ sessionis habetur, quod sanè ita intelligendũ est, vt quãto magis homo cõtra Deũ peccata multiplicat, tanto magis ab hac Dei protectione decedat. Gradus autẽ, quibus homo hac protectione deseritur, explicuit optimè D. Damasc. lib.1. fidei cap.29. *D. Dam…* dicens, in homine esse triplicẽ permissionẽ, qua De⁹ illũ sinit cadere in peccatũ. Primã vocat dispẽsatiuã, eo quòd solũ habet pro fine suauẽ dispensationẽ diuinæ prouidentiæ. Secundam vocat correctiuam, quia ea intendit Deus correctionẽ, & emendationẽ eius, qui peccauit, & etiã aliorũ in eo, & hæc vocari solet pœnalis; quia est in pœnam præcedentium delictorũ. Tertiã permissionẽ appellat desperatiuã, nõ quia in ea homo prorsus careat supernaturalibus auxilijs ad resipiscendũ, sed quia si cõsideretur ex parte sui propositi, & secũdũ euentũ, quẽ eiusmodi homines habere solẽt, meritò iudicatur incorrigibilis, & insanabilis. De hac igitur tertia permissione, loquebatur D. Isidorus cũ dixit, eiusmodi homines etiã si velint; *D. Isid…* nõ posse deflere mala sua; Quæ verba quamuis in sentẽtiã oppositã nostræ, vehemẽter inclinẽtur; explicari tamen possunt vtcumque, ita vt particula illa, nõ possint, solũ significet quòd summa cum difficultate possint. *D. August.* D. August. quamuis loco citato ad Romanos, videatur fauere oppositæ sententiæ: tamen aperte tenuit nostram sententiam lib. de prædestinat. Sanctor. cap.13.&.14. dicens, obduratos nullam habere excusationem, licet non habuerint misericordiã, qua ad Deũ conuerterentur. Et loquens de Pharaone subiungit, quòd si piè sentiamus de Deo, vt decet, etiam Pharaoni misericordiam datã esse reperiemus: patientia enim illi valere debuit ad salutem, numquid sicut flagellis cædens Dei populum extulit, non potuit etiam miraculis credens conuerti ad Deũ? Et postquam comparauit Pharaonem Nabuchodonosori subiungit, Quid ergo fecit fines eorum esse diuersos, nisi quòd vnus recordatione propriæ iniquitatis ingemuit; alter vero contra diuinam misericordiam libero pugnauit arbitrio? Quod vero dicit Aug. hominibus illis non esse datum vnde crederent, explicandum est de auxilio, quo si illud accepissent non erat Deus, eos esse de facto credituros; non autem de illo, quo si rectè vt poterant vterẽtur, credere etiã potuissent. Quod autem ait, quibusdam hominibus Deum non voluisse dare gratiam, explicandum est de voluntate absoluta, & consequẽti: hac enim nõ voluit, voluit tamen voluntate antecedente, qua omnibus confert auxilia, quibus si non resistant aut obicem ponant, & sic benè vtantur, possint iustificari, & saluari. Quod tandem dicitur de Antiocho, & Esau, quòd in peccatis, & miserijs constituti cum lacrymis orabant; cum tamen à Deo veniam non essent consequuturi, facile secundum communem solutionem respondetur: Non enim orabant aut flebant ex dolore peccatorum, aut propter eorum remissionem; sed alter, nempe Antiochus, vt liberaretur à grauissima ægritudine in quã deuenerat; alter vero, scilicet Esau, eo quòd perdiderat primogenituram tẽporalem, & paternam.

Ad testimonia illa, quibus dicuntur homines derelinqui, aut deseri à Deo, non ita sunt intelligenda vt deserantur omnino, ita vt negentur illis auxilia sufficientia, sed dicuntur deseri, quia aut non auxiliatur illis Deus ad peculiares effectus supernaturales, ad quos præbebat antea illis adiutoriũ, aut quia non cõfert ea peculiaria auxilia, quæ contulisset, nisi tot grauissimis peccatis esset ad iracundiam prouocatus. Et hoc modo explicari debẽt loca ex psal. *Matth. 23.* 75. & ad Rom.1. Locus verò Matth.23. Quoties volui congregare, &c. ad literam explicatur de tẽplo Hierosolymitano, quod propter peccata Iudæorum non solum desertum, sed euersum est; nunquam tamen est dicendum, peccatoribus quantumuis grauissimis, omnino negari auxilium sufficiens. Nam si percontanti Petro, quoties dimittenda esset proximo offensa, & iniuria nobis illata, respondit Christus, quòd non solum septies, sed septuagies septies, idest, non toties quin pluries; maiori multo cum ratione hoc asserendũ est de Deo, cui⁹ miserationes erga nos sunt super omnia opera eius. Ea vero testimonia, quibus dicitur, non conferenda esse hominibus auxilia, non ita intelligi debent, vt prorsus eis necessaria conferantur. Vnde, ad illud Isaiæ de vinea respondetur, quòd nomine sepis non intelligitur qualiscumque angelorum custodia: nec enim homines etiam obstinatissimi carent angelis custodibus; sed solum dicitur, auferendam esse ab anima vigilantissimam angelorum curam, & etiam auxilia peculiaria, quibus à Dæmonum tentationibus, & incursibus defendi solebat, & remouẽdos etiam esse prædicatores, & Prophetas, qui animam à peccatis retrahant, & ad virtutem exhortentur: Ex nullo autem istorum colligitur, auferenda esse ab illa auxilia præuenientia, & sufficientia, quibus possit liberari à peccato. Locus autem prouerbiorum, solum significat, Deum in morte impij habiturum se more subsannãtis, eo quòd illi postquam iam ex hac vita decessit, non prosint ea auxilia, quibus dũ viueret male vsus est; quæ tamen bono eorum vsu tantopere profuissent. Ea autem loca, quibus Deus dicitur excæcare, indurare, tradere in adinuentionem erroris, & in reprobum sensum, non ita explicanda sunt, vt Deus sit aliquo modo causa, aut inferendo cæcitatem, infidelitatem, vel obdurationem, aut pertinaciam in peccatis: hoc enim est error Lutheranorum asserentium, Deum causare, & peccata; & excæcationem in illis; quod damnatur in Concilio Tridentino sessione.6. cano.6. *Cõcil. Trid.* Neque etiam ideo solum dicitur Deus indurare, quia permittit cadere in peccatum, aut quia non confert ea auxilia, quæ si haberet homo non peccaret. Nam omnem hominem qui peccat, Deus peccare permittit, & fortè si cuicumque peccanti contulisset hæc auxilia, quæ dedit Deus ijs, qui liberati sunt à peccato; etiam liberarentur: Nec tamen ideo omnis qui peccat dicitur indurari: ergo non ideo indurat Deus, quia permittit peccare, aut quia non confert auxilium, quo peccatum euaderet homo. Indurare igitur dicitur Deus; quia & hominem peccatorem, in pœnam præcedentis peccati permittit cadere in peccata sequentia; & illi non confert ea auxilia peculiaria, quæ si haberet, à peccatis in quæ postea incidit, aut de facto liberaretur, aut liberari posset. Locus vero Prophetæ in psalmis; quo Christus precatur Deum, vt apponat iniquitatem super iniquitatem Iudæorum, & alia his similia, vt docet August. in commentarijs illius psalmi, non ita sunt explicanda, vt sint verba exoptantis, & deprecantis, sed prophetantis, & prænunciantis id, quod Iudæis propter eorum scelera erat euenturum. Secundò hæc loca optimè explicantur ita, vt in illis significetur affectus quidam complacentiæ, ita vt Christus complaceat, eò quòd iustitia vindicatiua Dei exerceatur in Iudæis, ea, quæ illi pro peccatis commissis meruerunt. Et ita sensus est, placere Christo, quòd Deus obscuret oculos Iudæorum, & eos in peccatis obduret eo modo, quo diximus hæc cõuenire Deo. Apponere autẽ iniquitatẽ super iniquitatẽ dicitur Deus, ea proprietate, qua mater valde desiderat emẽdationẽ filij scelerati, cõfert illi plurima beneficia, vt corrigatur, quibus tamẽ ille abutens fit peior; vulgo autẽ dici solet quòd mater, collatione tot beneficiorũ fecerit filiũ deteriorẽ; cũ tamẽ ipsa, peccatorũ filij nulla sit causa. ¶ Loca autem plurima, Pauli, ad Rom.11. & Marci euangelistæ capit.4. quæ communiter hoc loco adducuntur, non ita interpretari debent, vt Deus auferat beneficia, & auxilia sufficientia, ea intentione, vt homines damnentur. Nã, vt in-

vt inquit Aug. Deus adeò pius est, & bonus, vt nũquam permittat euenire mala, nisi illa ordinentur in bonum, aut eius in quo malum permittitur, aut cuiusquam alterius. Vnde, Paulus eodem capite asserit cæcitatem Iudæorum fuisse in vtilitatem gentium: permisit ergo Deus eorum excæcationem, vt ex peccatis in quæ illi culpa sua inciderunt, ostenderetur iustitia vindicatiua Dei, & etiam veluti ex occasione deduceretur salus gentium, ad quas, relicta Iudæorum perfidia, Apostolorum prædicatio cõuersa est. ¶ Tandem, locus ille Ioan. 12. quo permouetur aduersarij ad asseuerandum, Deum non cõferre hominibus auxilia, quibus credere possint, vbi Christus dicebat, quòd non poterãt credere Iudæi, quia de illis dixit Isaias, Excæca cor populi huius; non ita intelligendus est, vt Iudæi absolutè nõ possent credere Christo prædicanti: habebant enim auxilium sufficiens ad credendum; secus non illis imputaretur infidelitas ad peccatum, sed solum ibi dicitur, quòd facta suppositione quadam, & quod vulgo dicunt Theologi in sensu compositionis, nõ poterant credere, supposito, scilicet, quòd hæc de illis prænunciauerit Isaias. Vndè, ibi non tam dicitur quòd non potuerint credere Iudæi, quam quòd nõ poterat esse fallum, quod à Propheta de illis vaticinatum erat: & ideo consulto non dixit Ioannes, Propterea non poterant credere, quia Deus excæcauit oculos illorum, sed propterea non poterant credere, quia de illis dixit Isaias, &c. Hac enim ratione dicũt omnes Theologi, quòd supposito quòd Petrus est prædestinatus, non potest damnari, & quòd oportebat Christum venundari à Iuda, cum id à Prophetis Spiritu Sancto afflatis, prænuntiatum esset.

*Ioan. 12.*

*Ad argumẽta, seu rationes.*

*Ad primum*

Ad argumenta ex rationibus petita tempus est, vt respondeamus. Ad primam ergo aduersariorum rationem respondetur, negando esse aliquos, quibus Deus non conferat auxilia sufficientia, saltem secundi ordinis, quibus si ipsi non resistant, neque obicem peccati opponant, sicque rectè vtãtur, possint venire ad habendam fidem. Quocirca, illi quos D. August. suo tempore extitisse dicit, & qui re vera etiam extitere nostro, ad quos euangelicæ doctrinæ prædicatio non peruenit, habent, & in intellectu, & in voluntate auxilia supernaturalia sufficientia, quibus possent se in bonum rationis, & in Deũ, secundum modum quo ab illis cognoscitur, se conuertere, & vitam rectè secundum rationem instituere. Vnde, si isti ex his auxilijs supernaturalibus facerent id quod in se est, Deus adesset illis secundum vias, & modos sibi cognitos, & illis conferret supernaturalem fidem, cum qua, & cæteris dispositionibus ad iustificationem requisitis, à peccato liberarentur, siue fides illa esset explicita Dei & Christi, siue tãtum implicita; De qua re inferius fusius agemus. ¶ Sed dices tu: Si isti homines rectè vterentur auxilijs sufficientibus, possent habere fidem supernaturalem: ergò si eam non habent ob id quòd non rectè vtuntur his auxilijs; sequitur, quòd sua culpa carent fide, & consequenter incidunt in peccatum infidelitatis, cuius oppositum docuit Sanctissimus Præceptor ex D. Aug. & ex communi sentẽtia scholasticorum. Respondetur, quòd licet ex peccato illo omissionis si non se conuertat in debitum finem homo perueniens ad vsum rationis, & alijs postea ab eo factis, non respondeat auxilijs sufficientibus, quibus à Deo vocatur, cũ teneatur respondere; colligatur quòd non habeat fidẽ; non tamen ex hoc sequitur, quòd sit infidelis positiuè. Quoniam hæc prima auxilia secundi ordinis, de quibus est sermo, non donantur hominibus ignorantibus inuincibiliter euangelium immediate, vt credant mysterijs reuelatis, neque illis vocatur homo per se primo, & immediatè ad fidem, sed dãtur immediate ad hoc, vt homo se in bonum rationis, & in finem debitum conuertat. Vnde, cum his auxilijs potest manere, & plerumque manet ignorantia inuincibilis fidei; eo quòd auxilia hæc non dantur immediate ad vincẽdam hanc ignorantiam, aut immediate ad repellendam nescientiam illam, & habendam cognitionem illi oppositam: Quia certum est, quòd ad repellendam hanc ignorantiam inuincibilem euangelij, nõ tenetur homo se conuertere in bonum rationis, & in finem debitum: Sicut neque is, qui habet erroré aliquem aut ignorantiam modo inter nos, ad vincendum hunc errorem, non tenetur perse, in Deum per iustificationem se conuertere, sed solum assentiri reuelatis à Deo, & ab Ecclesia propositis. Ad illud autem, quod postremo loco in argumento dicitur non est cur respondeamus; Quia nos non asseueramus, posse hominem habere fidem per lumen rationis naturalis, vt falsò supponitur in obiectione argumenti.

*Ad 2. argumentum.*

Ad secundam rationem dicendum, nullum esse statum hominum, cui Deus non prouiderit sufficiẽtia auxilia ad salutem, seruata tamen rerum suaui dispositione, & nulla facta violentia, regulari cursui naturæ; Neque enim Deus ad dispensanda super naturalia, debuit naturæ ordinem euertere. Quocirca, ex hoc patet apertè, pueris ante vsum rationis, & adultis somno aut amentia vsu rationis priuatis, non debere conferri supernaturalia auxilia, quæ sint vel illustrationes intellectus, aut inspirationes voluntatis. Quoniam cum istæ dẽtur propter actus humanos liberi arbitrij eliciendos, qui illis in his statibus non conueniunt, neque conuenire possunt non est cur illis conferantur. Prouidit igitur Deus vnicuique istorum, secundum exigentiam sui status, paruulis quidem nondum natis, eoquòd nullius curæ commissi sunt, nisi solius Adæ, in illo dedit illis Deus auxilia sufficientia ad salutem eorum, quibus, quia ipse Adamus non bene vsus est illis, amisit gratiam, qua saluari possent, nisi à peccato illo mundarentur per remedia quæ Deus Ecclesiæ suæ dedit, quæ infantibus in vtero materno moriẽtibus, minime applicari possunt. Postquam vero paruuli in lucem prodierunt, sicut cura parentum gubernantur, ita eidem curæ committitur vt auxilia sufficientia paruulis applicentur, non quidem ita vt meritis, aut peccatis parentum, paruuli mereantur vitam, aut damnationem; Nam aliquando paruulus à Sanctis parentibus genitus, decedit sine baptismo, & ille qui ex damnato cõcubitu procreatur, baptizatur: sed quia auxilia, quibus Deus inspirat parentibus, vt eis curent baptismum applicare, si eis rectè vtantur, in puerorum vtilitatem cedunt, sin minus pueri damnantur, non ex demerito negligentiæ paternæ, sed ratione culpæ originalis, in qua erant.



erant. Peccatores autem dormientes, vel ex amentia vsu rationis priuati, habuerunt quidem auxilia in voluntate, quibus prius quam in amentiam aut in somnum inciderent, sua voluntate libera potuerunt à peccato cum diuino adiutorio liberari. Et præterea potest euenire (vt sæpius euenit) quòd dormientes excitentur à somno, & fatui liberentur ab amentia, vt sic excitati habeant auxilia illa, de quibus est sermo. De reprobis autem, siue detur causa reprobationis ex parte eorũ, siue nulla detur, quod est probabilius, dicendum est eos non esse derelictos sine sufficientibus auxilijs, vt. 1. p. deduximus; cum constet plures eorum fuisse iustificatos. Quod vero Paulus ait de Esau, quòd ante quam quicquã boni, aut mali egisset, odio est à Deo habitus, non ita intelligendum est, vt nomine odij significetur actus, quo Deus voluerit aliquod malum Esau: neque enim in eo signo considerationis potuit illi Deus velle malum culpæ; quia hoc nulli Deus vnquam potest velle: Neque etiam malum pœnæ; quia volitio huius præsupponit culpam cognitam, quã tunc non præcognouerat Deus, vt cõstat ex verbis Apostoli: Sed nomine odij intelligitur minus copiosa beneuolentia, quæ hoc vocabulo significari solet in scripturis, iuxta illud Lucæ. 14. Qui nõ odit patrem suum, aut matrem suam, non potest meus esse discipulus, vbi nomine odij intelligitur minor dilectio. Quod explicuit aperte Matth. ca. 10. dicẽs, Qui amat patrem aut matrem plusquam me, nõ est me dignus. Et hoc ostendit aperta ratio: Quia Deus nequè præcipit, neque consulit vt velimus malum parentibus, cum alias iusserit, eos honore nos affice re propter ipsius Dei amorem. Et idem quod diximus docuit Matth. cap. 6. illis verbis, Nemo potest duobus dominis seruire, aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget, &c. Tandẽ dico, hoc odiũ quod intelligitur esse reprobatio ipsius Esau, non abstuliisse ab eo auxilia sufficientia, de quibus est sermo, sicut diximus in simili de reprobis. 1. p. q. 23. art. 3. qui locus videndus est. ¶ Quo autem pacto dicatur Deus quosdam ex reprobis obdurare, superius aperuimus, & etiam. 1. p. q. 23. art. 3. dispur. vltima. Similitudo autem qua Deus comparat hominẽ respectu Dei ad lutum figuli, non ita debet intelligi, vt homo saltem prout est à Deo excitatus supernaturaliter, careat omni ratione agendi respectu formæ, qua fit vas in honorem, sicut lutum caret omni actiuitate respectu formæ vasis: oppositum enim constat ex Paulo eodem cap. 9. dicente, An ignoras quòd benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? & quòd Deus sustinuit vasa iræ, &c. Quòd si peccatores expectati sunt à Deo vt ad eum mouerentur, habebant auxilia sufficiẽtia, quibus possent conuerti si vellent. Et tandem in fine capitis dicit, ob id Israel perire, quia noluit acceptare Dei iustitiam per fidem, &c. Nunquam ergo Deus defuit in his auxilijs. ¶ Sed dices, Deum nullam homini facere iniustitiam, si ei non conferat sufficiẽtia auxilia. Primò, quia illa sunt supernaturalia, ac proinde nulli debita. Secundò, quia paruulis solum originale habentibus non conferuntur: ergo multo minus conferri debent adultis, qui etiam proprio actu peccauerunt. Respondetur, verum esse sine iniustitia aliqua hæc auxilia posse negari peccatoribus, vt obiectio ostendit, & vt dicitur sapient. 12. Quis stabit contra iudicium tuum, aut quis tibi imputabit si perierint omnes nationes, quas fecisti? Dicimus tamen, ita pie iudicandum esse, de Dei misericordia, vt nũquam destituat hominem viatorem, remedijs necessarijs ad salutem, qualia sunt hæc auxilia. Sed etiam de hac re lege quæ scripsimus loco citato primæ partis per plures controuersias.

*Luc. 14.*

*Matth. 10.*

*Matth. 6.*

*Sapient. 12.*

*Ad tertiam rationem.*

Ad tertiam aduersariorum rationem, negandum est, eadem ratione posse dici, Deum velle omnes homines perire, qua dicitur quòd velit omnes homines saluos fieri. Nam licet tribuat homini vires, quibus homo plerumque malè vtitur ad peccandũ, vt sunt potentiæ ad liberum arbitrium pertinẽtes, quibus homo potest benè & malè vti; tamen non eas Deus confert hac intentione, vt illis homo vtatur ad perditionem, sed intendit vt illis diuinitus adiutus benè vtens, salutem consequatur. Tãdem, ad id quod assumitur, nempe, quòd iustus homo se ipsum ab impio discernat, satis diximus supra art. 2. præcedente, disput. 7. per totam.

Obserua tamen, ad ea quæ hac disputatione dixi mus, quòd Dei auxilium ad iustificationem mouẽs hominem, dupliciter potest ordinari ex intentione, & voluntate Dei ad gratiã. Primò, secundũ voluntatẽ antecedentẽ, vel signi. Secundò autẽ secundũ voluntatẽ beneplaciti, & cõsequentẽ. Si primo modo loquamur, sẽper ordinatur auxiliũ Dei ad cõsequendã gratiã, sed non semper consequitur, quoniã volũtas signi non semper impletur. Si verò loquamur secundo modo non semper ordinat Deus auxiliũ huiusmodi ad collationẽ gratiæ de facto, sed quotiescũque ille ordinat per efficacẽ voluntatem beneplaciti, semper eam consequuntur, quia voluntas beneplaciti, & efficax, semper implentur.

## DVBITATIO. appendix ad præcedentes controuersias.

### *Vtrùm homo aliquando in hac vita se disponat ad gratiam recipiendam in alia vita?*

*D. Thom.*

*Vega.*

HÆc dubitatio difficilem habet exitum apud plures, in duplici casu: Primus est in martyrio; Nam secundũ D. Tho. de ratione martyrij est pati non vtcũque, sed vsque ad mortem. Ita docet. 2. 2. q. 124. art. 4. & idem sensit Vega super Trid. lib. 9. cap. 41. cũ alijs: ergo si quis per martyrium esset primò iustificãdus, & recepturus primam gratiam, apertè sequitur eã esse suscipiendam in instanti mortis, & non in aliquo instanti præcedente, cum in quocũque præcedente vitæ, nondum sit martyrium completum. Ex altera tamen parte insurgit magnum quoddã absurdum. Nam videtur inconueniens quòd is, qui toto vitæ tempore permansit in peccato vsque ad mortẽ exclusiuè, saluetur per martyrium, quod in morte ipsa cõpletur, & consummatur; cũ tamen vnusquisque sit iudicãdus ex his, quæ viuens in corpore gessit. ¶ Secundus casus est, cum homo attritus recipit sacramentũ baptismi, aut pœnitẽtiæ, vel aliud sacra

mentum,& primum nõ esse hominis,pariter est primũ non esse prolationis formæ sacramentalis: tunc enim sequitur,quòd talis homo vel nó recipiat gratiã,vel si recipit,quòd recipiat eã post hanc vitam, nẽpe,in primo sui nõ esse: Quòd si ita eueniat,similiter cõtinget,& eueniet,eũ qui per totam vitã fuit malus,gloria potiri, & quòd fiat Dei amicus post hanc vitã,scilicet,in illo primo non esse,quod videtur contra Scripturã & sacros canones. ¶ Potissimè, quia sacramenta non habent vim agendi in animã separatam:sed in illo primo non esse, iam anima est à corpore separata:ergo non dat illi gratiam post hanc vitam in illo primo instanti separationis. ¶ In contrarium etiam militat graue argumentum,quòd tunc conferatur gratia. Quoniam iste homo attritus ex motione Spiritus Sancti accipit sacramentum mortuorũ,nempe,pœnitentiam aut baptismum sinè vllo prorsus obice,& cum debita, & sufficienti dispositione cum sacramento ad gratiam: ergo recipit illam. Patet consequentia. Quia sacramentũ verè fuit peractum,vt supponimus,toto illo tempore ante illud primum non esse, & cum sit operatiuum gratiæ,non est cur in subiecto sine obice, eam non causauerit,& produxerit.

Difficultas hæc non est quando dispositio est vera contritio,aut dilectio Dei super omnia. Nam tũc si dispositio est in hac vita, gratia confertur in hac vita,vt in præcedentibus satis ostendimus: Sed solùm est difficultas quando dispositio non est contritio,sed attritio cum sacramento, in duplici casu iã commemorato. Et sanè in hac parte duo sunt errores vitandi. Primus est Marcionis,qui putauit, defũctum consequi gratiam,si pro illo quis baptizetur, deceptus ex testimonio Pauli malè intellecto. 1. Corinth.15. Si Christus non resurrexit,& omnino mortui non resurgunt,quid facient qui baptizãtur pro mortuis? Deceptus est Marcio,& perperam colligit hunc errorem ex testimonio Pauli. Nam cum dicit, pro mortuis baptizari, intelligit Paulus pro peccatis,quæ sunt opera mortua,cum careant vita gratiæ & ducant ad mortem,Hebræ.9. sanguis Christi emũ dabit conscientiam nostram ab operibus mortuis. Et secundum hanc explicationem facile intelligitur litera Pauli; Quid facient illi, qui baptizantur pro mortuis,idest,pro peccatis abluendis,si nõ sint vitam gratiæ habituri, si Christus non resurrexit, aut si inanis est fides nostra. Theophilatus dicit, q; Marcionistæ hæretici, si quis non baptizatus apud eos moreretur,sub defuncti vita lecto viuentẽ,quẽ piam occultantes,accedunt ad lectum interrogantes mortuum,Num velit baptismate tingi,atque eo respondente sub grabato quòd velit,baptizant eum pro defuncto,& in iudicium vocati dicunt,se se dicisse hoc ex testimonio Apostoli, hæc verba producentes stolidi illi homines. Qua propter, loci huius interpretationem synceram, & veram adducit, ex eo,quod in symbolo dicitur, credo resurrectionem mortuorum. Vndè ait Theophilatus per hæc verba: Dicit igitur Sanctus Paulus, quòd qui crediderunt futuram esse resurrectionem mortuorũ corporum,& qui baptizati sunt in talem spem,quid facient decepti? Quid autem omnino, & baptizantur homines super resurrectione,hoc est, in expectatione resurrectionis,si mortui non excitantur. Vel intelligit Paulus quòd baptizentur pro mortuis,quasi sint mortui, & consepeliantur cum Christo in baptismo,vt resurgant cum gratia. ¶ Secundus error fuit eorum,qui dixerunt,paruulis infundendã esse Eucharistiam in ore si morerentur, quasi illis tunc conduceret ad salutem, De quo errore egit Iuo Carnot.in suis decretis,titulo de Eucharistia.

Explosis igitur erroribus,& accedentes ad scholasticam controuersiam, arbitror me eam luculenter,& apertè definiuisse in hac.q.112.art.1. disput. 4.præsertim solutione ad.8. & vltimum argumentum in fine illius disputationis. Vbi retuli recentiorum Theologorum sententias, & quod eo loco dixi nunc ita sentiendum esse affirmo,ne iterum chartas impleamus. Dico igitur,quòd in duobus illis casibus non est inconueniens dari gratiam in instanti extrinseco terminatiuo vitæ, & sacramenti, vel martyrij. Et sane,in casu de martyrio, quòd detur gratia in primo non esse hominis,docent Caiet. & Victoria cum.S.Thom.2.2.q.124.art.4.ad.4. Idem docet Magister Vega.9.in Trident.cap.43.quamuis putet,probabile esse quòd homo definit per vltimum sui esse,& quòd ob id tunc datur ei gratia martyrij, & nõ quãdo est à corpore separata anima, nẽpe,in primo illo nõ esse: & ait,hoc placuisse plerisque Patribus Trident. Et idem recensent aliqui Sotum putauisse,quia in.4.d.19.q.3.art.3. ponit vt probabile, quòd homo definit esse per vltimum sui esse. ¶ Qui verò tenent contrarium,seu oppositam sententiam contrario ducuntur fundamento. Quia cum deberet operari sacramentum,& martyrium,aufertur ab eis accommodatum subiectum,nempe, anima corpori coniuncta. ¶ Sed nihilominus,quamuis istica sus sint metaphysici,& non morales: vix enim vnquam poterit euenire tanta adæquatio inter prolationem verborum,& consummationem vitæ suscipientis sacramentum, & forte pertinet ad Dei prouidentiam de facto,quòd non eueniat ista adæquatio. Quòd si eueniat,censendum est paruulum illũ, seu hominem recipere gratiam ex vi illius sacramẽti applicati,etiam si moriatur in illo primo non esse sacramenti,& consequenter non damnabitur. Ita tenet Medina.1.2.q.112.art.1.ad 2. Vbi ait, quòd in vltimo instanti quo definunt verba prolata à ministro,quæ semper habent vicem formæ, & infunditur,& causatur gratia. Probari,& persuaderi potest hęc nostra responsio. Nam cum in generatione substantiali,in eo instanti,quo forma introducitur,generans attingat formæ substantialis introductionẽ in materia; & attingat quidem media dispositione antecedente,quæ in illo instanti introductionis formæ substantialis iam non est in materia; sequitur est sevalde rationabile idem dicere de gratia illa sacramentali,quòd introducitur in illo instanti, in quo dicitur immediate ante hoc fuit sacramentũ,& nũc est primum non esse illius. & satis erit quòd applicatio sacramenti immediatè præcederet illud instans: Sicut in eductione formæ de potentia materiæ, satis est etiam,quòd dispositio producta à generante præcedat immediatè introductionem formæ substãtialis in materia. ¶ Dici etiam secundo potest,quòd in eo casu paruulus ille,verbi gratia, non recipit quomodocumque in primo non esse,gratiã illam sacramentalem,vt est primum non esse eius,sed quatenus

*1. Corint.15.*

*Hebræ.9.*

*Theophilatus.*

*Iuo Carnot.*

*S.Tho.2.2. q.124.art.4. ad.4.*

*Vega.*

*Soto.*

*Medina.*



tenus est primũ nõ esse immediatè cõiunctũ tẽpori, & durationi,in qua verè erat, & præcesit sacramentũ cõpletũ,& via illius paruuli. Vndè,nõ recipit ille sacramẽtũ in primo nõ esse, sed eo tẽpore,quo verè viuens erat, & viator: recepit tamen effectũ eius,nẽpe,gratiam,in termino eius immediate coniuncto tempori,in quo præcesit sacramentum: Quoniam cum assumitur res succesiua,vt instrumentum caudi gratiam,operatur quidem secundum conditionem rei succesiuæ,& cũ res ipsa succesiua operetur vltimum effectum in termino eius,non potest resultare terminus in primo non esse,quatenus illi immediatè copulatur durationi præcedenti.

Si dicas,quòd anima iam in illo instanti non informat corpus, & ita quòd non est subiectum capax gratiæ sacramentalis; respondetur,ridiculam esse obiectionem,in casu nostri argumenti. Quia anima recipit totum sacramentum toto tempore, quo erat in corpore,& informabat corpus, vt ipsum argumentũ supponit,& ob id recipit gratiam,quia verè recipit sacramentum sine vllo obice. Recipit autem gratiam in instãti saltem immediato durationi, in cuius mensura sacramentum præcesit. Quia hæc est conditio agentium succesiuorum,quando effectus,& terminus productionis resultat in instanti. Vndè,ille paruulus non recipit gratiam, quatenus est extra viam, quia vt sic non potest eam de lege recipere respectu sacramenti: sed recipit gratiam quatenus in illo primo non esse terminatur actio sacramenti, & quatenus illud primum non esse, est instans immediatè coniunctum tempori præcedenti, & causalitati ipsius sacramenti, & quatenus est terminatiuum prolationis verborum.

*Lyr.S.Th. in.4.d.14. qu.unic.5. ad 5.*

Fortè est verum quòd datur instans positiuum terminatiuum durationis finitæ, & intercisæ illius succesionis sacramentalis, & sic in illo instãti producetur gratia sacramentalis; quoniam in illo terminatur intrinsecè actio succesiua sacramenti, & completur sacramentum. Et hæc sufficiant de hac dubitatione.

*Ad argum. dic.*

Ad argumenta,quibus suadetur quòd non detur gratia. Ad primum dicendum,nõ esse incõueniens quòd sacramentum operetur physicè in instanti separationis,si receptum fuit quando fuit coniuncta anima cum corpore,Martyrium verò,neque in hoc casu,neque in alijs operatur physicè,sed tantũ moraliter ex opere operato. ¶ Ad secundum respõdetur,quòd quando Scriptura,& Sancti dicunt, non dari gloriam,nisi ei,qui fuerit bonus in hac vita,intelligunt,nisi per sacramentum vel martyrium sufficienter se disposuerit in hac vita,vt ex vi sacramẽti gratiam recipiat,& ad eum transfundatur, & sic gloriam obtineat in alia,&c.

*Assecundũ dic.*

## DISPVTATIO. VI.

*Vtrùm vltimæ dispositiones ad gratiam sint causa eius,& in quo genere causæ præcedant,Et an contritio sit effectus gratiæ, vel procedat ex auxilio speciali solùm?*

Disputatio hæc,magna,& ingens est, & sinuosa valdè: de qua fusè agemus infra.quæst.113 art.8.in materia de iustificatione, & idcirco decreui eam illo loco disputare: tùm quia ad materiam de iustificatione pertinet,sicut ad hanc de præparatione ad gratiam: tùm etiam, quia in hac quæstione.112. plurimum immorati sumus.

## ARTICVLVS. IIII.

*Vtrùm gratia sit maior in vno,quam in alio?*

Prima conclusio. Gratia gratum faciens, quantum est ex parte obiecti,& ex parte finis, non potest esse maior in vno,quam in altero. Nam secundum propriam rationem,coniungit hominem summo bono,quod est Deus. ¶ Secunda conclusio. Intensiue ex parte subiecti,non est æqualis gratia in omnibus. ¶ Tertia conclusio. Hæc diuersitas prouenit ex parte Dei, qui diuersimodè dispensat dona suæ gratiæ,vt Ecclesiæ pulchritudo ex diuersis gradibus consurgat. Vndè Paul.ad Ephes.4.ait: Vnicuique data est gratia secundum mensuram donationis Christi. Quare, sicut in mundi creatione diuersos gradus perfectionis rerum instituit, vt vniuersum ipsum perfectum esset,sic pariter id expediebat in institutione gratiæ.

*Ephes.4.*

## DISPVTATIO. I.

*Vtrùm sit de fide, quòd vnus habeat maiorem gratiam,quam alter*

Luther, & sui dixerunt, iustos omnes esse æqualiter iustos, & gratos Deo,& in sermone quodam de natiuitate Virginis, blasphemo ore ille dixit publice, Christianos omnes esse æquè magnos, & Sanctos, sicut Beatissimã Virginẽ matrem Dei. Cuius erroris, & impietatis fundamentum fuit, existimare quòd nos omnes iustificamur extrinseca iustitia Christi,& vnica iustitia Christi,absque propria dispositione, & gratia inhærente. Sequutus est Luther magna ex parte in hoc errore, Iouinianum; qui asserit iustos omnes in futura vita habituros esse æqualem gloriam, & consequenter eos omnes habere modo in hac vita æqualẽ gratiam. Quem errorem impugnauit S. Hieronymus tribus libris contra illum editis,& D. Augustinus lib de hæresib,ad Quoduultdeum,hæres.28. Et alij etiam Sãcti Patres hanc hæresim magnis argumentis confutant.

*D. Hieron.*

*D. August.*

Cùm gratia,alia sit præueniens, & excitans,alia subsequens,& concomitans,alia tandem iustificans licet S.Thom. videatur loqui de iustificante; nos tamen de omnibus agemus. ¶ Quocirca sit Prima cõclusio. Gratia excitans & primò disponens, nõ æquè datur,aut confertur omnibus,sed quibusdam maior quibusdam verò minor,idque ex sola voluntate diuina,& non pro ratione dispositionis naturalis. D. Fulgent.lib.de incarnat.cap.21.28.& 29. dicit, oppositum huius assertionis esse Pelagianum, & sequitur profecto ex dictis in superioribus in discursu huius materiæ. Et probatur. Quoniam ante aduentũ Christi, maiora dona gratiæ fuerũt collata populo Iudai

*Conclus.1.*

*D.Fulgent.*

co, quam Gentilico, idque non ex meritis eorum, sed ex diuina electione, liberalitate, & dilectione, *Deutero. 4.* *Rom. 3.* vt patet Deutero. 4. & ad Rom. 3. Idemque testatus est Christus *Matth. 11.* Matth. 11. dicens de Corozaim, & Bethsaida, Si in Tyro, & Sidone factæ fuissẽt virtutes, quæ in te factæ sunt, &c. Vbi constat, de facto, inæqualem gratiam excitantem collatam fuisse illis populis, non quidem ob eorum dispositiones; Quia illi, cui donabatur maior gratia, peiorem habebãt dispositionem. Similiter etiam in lege gratiæ apertè constat, prædicationem ipsam euangelij, non esse æqualiter omnibus communicatã; Et hanc esse Dei *D. August.* specialem prouidentiam, fuse explicat D. Aug. lib de bono perseuerant. ca. 8. & epistola. 107. vbi aduertit egregium illud Scripturæ testimonium: Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius, aut fictio deciperet animam illius, quòd hoc non omnibus conceditur, & donatur. Patet rursus conclusio in miraculosis conuersionibus D. Pauli, & Magdalenæ, &c. Rationem huius conclusionis videtur reddere, & insinuare S. Tho. hic in art. Quoniam sicut ad perfectionem vniuersi pertinet varietas graduũ, ita sane ad pulchritudinem Ecclesiæ spectat, vt varia dona varijs communicentur. Quæ ratio indicatur *Rom. 2* *Ephes. 4.* à Paulo Rom. 2. & ad Ephes. 4. Verum hanc rationem commodius adducemus in explicatione tertiæ conclusionis. ¶ Adducor etiam in hanc assertionem: Quia Deus intendit se manifestare, communicando liberaliter omnino suam gratiam per varios modos, & rationes. Et sane, rationes omnes allatæ procedunt de inæqualitate in genere, & in communi. Nam de inæqualitate applicata ad has personas, aut illas nulla potest reddi ratio, nisi sola voluntas diuina. *Obiectio.* ¶ Sed contra objiciet aliquis. Deus non accipit *Actor. 10.* personas actor. 10. ergo si non est acceptor personarum, sequitur, quòd nõ tribuit inæqualia dona *Solutio.* nisi inæqualiter dispositis. Respondetur, quòd in his quæ liberalitatis sunt, & gratiæ, non habet locũ acceptio personarum, iuxta illud Matth. 20. An non licet mihi de meo quod volo facere? Ita docet Aug. epist. 105. In his verò quæ sunt aliquo modo iustitię & præmij, Deus seruat æqualitatẽ distributiuæ iusti*Sapient. 6.*tię. In quo sensu exponi potest illud Sapiẽt. 6. Æqualiter est illi cura de omnibus. Et in hoc modo lo*D. Chrysost.*quendi sæpius dicunt multa sancti, & sæpius Chrysostomus: imo vero D. Petrus actor. 10.

*Conclus. 2.* Secunda conclusio. Perfectiores aliæ gratiæ, quæ immediatius, & proximius disponũt ad vltimam iustitiæ introductionem, etiam sunt inæquales, & regulariter conferuntur secũdum gradum præcedentis, quæ cum etiam supernaturalis sit, potest etiã ad subsequentem disponere, vt apertè colligitur ex di*Actor. 8.*uina Scriptura Actor. 8. in illo Eunucho Reginę Candacis, & cap. 10. in Cornelio, & cap. 16. in Macedonibus, Nam illi omnes, maiores gratias disponentes receperunt, quia prioribus benè vsi fuerunt, vt ipsa *D. August.* Scriptura dicit; & est sententia D. Aug. lib. 1. ad Simplician. q. 2. Et colligitur ex Tridentino, & ex his, quibus supra ostendimus dari dispositiones remotas supernaturales, quibus paulatim tendimus ad proximas. Illa enim dispositio remota incipit ab eo opere, quod fit cum prima gratia excitante, quæ ad supernaturalẽ ordinẽ pertinet. Et sanè, ratio sumitur ex ordine prouidentiæ diuinæ. Vnde D. Aug. aduertit, de nat. & grat. cap. 17. non satis esse, quomodocũque cooperari primæ gratiæ, sed oportere orare, & petere humiliter, & debito modo. Quia alias sequẽtes excitationes nõ habent infallibilẽ cõnexionẽ, aut vnionem cũ prioribus, & idcirco dixi regulariter: Quoniã aliquando Deus ei, qui minus dispositus est, tribuit maius auxiliũ, sicut supra vidimus, & etiã in cõmentarijs ad primã partẽ probauimus.

*Conclus. 3.* Tertia conclusio. Hominibus, qui per propriã dispositionem gratiam recipiũt, inæqualis infunditur gratia, & pro modo, & ratione supernaturalis dispositionis. Hæc assertio est definita in Cõcilio Tridẽt. *Conc. Trid.* sessio. 6. cap. 7. Vbi habetur, quòd verè sumus iusti per iustitiam in nobis receptam, & quòd vnusquisque suã habet iustitiã secundũ mensuram, quã Spiritus Sanctus partitur singulis prout vult, & secundũ propriam cuiusque dispositionem, & cooperationem. Ex quibus patet, hãc assertionem esse de fide. Quod vero in eodem homine diuersis temporibus, modo sit maior gratia, & iustitia, modo minor, non solum definitur in eodem Concilio cap. 10. Vbi habetur, quòd iusti in sua iustitia cooperante fide bonis operibus, crescunt, & magis iustificantur: Sed etiam idẽ aperte ostenditur ex illo Apocal. vltimo; *Apocal. vltimo.* Qui iustus est, iustificetur adhuc, & Ecclesiast. 18. Ne *Ecclesiast.* verearis vsq; ad mortem iustificari. In quibus testimonijs intelligendis aduerte, quòd non solum proprie dicitur iustificari, qui ex iniusto fit iustus, sed qui ex iusto fit magis iustus: Sicut non solum dicitur fieri diues, qui ex paupere fit diues; sed qui ex diuite fit ditior, & mundari, qui ex immundo fit mundus: sed qui ex minus mundo fit mundior: & sicut dicatur quis acquisitione nouarum diuitiarum, & mundatur comparatione nouæ puritatis; ita sanè quando quis iustus est, iustificatur adhuc acquisitione noui gradus iustitiæ, & gratiæ, & contrarium asserentes anathematizantur à Concilio Tridenti*Conc. Trid.*no sessione. 6. cano. 24. & 32.

Persuadetur etiam præfata assertio ex illo. 1. Co*1. Corinth. 7. & 12.*rinth. 7. Vnusquisque propriũ donum habet ex Deo vnus quidem sic, alius autem sic, & infra. Qui matrimonio iungit virginem suam bene facit, & qui nõ iungit meliùs facit: ergo non omnes sunt æquè boni. Et. 1. Corint. 12. Æmulamini charismata meliora: & ibidem; Hæc omnia operatur vnus, & idem Spiritus diuidens singulis pro vt vult. Et 2. Corinth. 9. *2. Corinth. 9.* Augebit incrementa frugum iustitiæ vestræ. Et ad Ephes. 4. Vnicuique data est gratia secundũ mensu*Ephes. 4.*rã donationis Christi. Et. 2. ad Timoth. 2. In magna *2. Timoth.* domo, non solum sunt vasa aurea, & argentea, sed, & lignea, quasi diceret, quòd in Ecclesia Dei quidã sunt perfectiores alijs, sicut aurum est perfectius argento. Et pari similitudine vsus fuit Paulus. 2. Co*2. Corinth.*rinth. 3. dicens, quosdam ædificare super Christum argentum, alios vero aurum, alios autẽ lapides pretiosos. Vnde, in diuina Scriptura passim dicitur, quòd quidam habent modicam fidẽ, alij magnam; quidã diligunt plus, alij minus. Et rursus, quidam vocantur paruuli; alij vero perfecti viri in Christo: ergo non omnes sunt æqualiter in gratia. Quocirca *Lucæ. 7.* Lucæ. 7. Magdalenæ dicitur, Remittuntur ei peccata multa, quoniã dilexit multũ: Et subiungitur, Cui autem minus dimittitur, minus diligit. Et Matth. *Matth. 11.* 22. Christus dixit de D. Ioanne Baptista, quòd nullus



eo maior surrexit inter natos mulierũ. Et Iob. 1 *Iob 1.* Deus dixit, quòd nullus in terra erat similis ipsi Iob. Et Matth. 21. Talenta dantur vnicuique secun*Matth. 21.*dum propriam virtutem, idest gratia secundum dispositionem, vt interpretantur Chrysost. Hieron. & Theophilat. & D. Tho. 2. 2. q. 24. art. 3. ad. 1. Videndus *D. August.* est August. de Vera relig. cap. 34.

Hocidẽ confirmant Parabolæ Lucæ. 4. &. Matth. *Lucæ. 4.* 3. Vbi dispositio terræ confert ad quantitatem fru*Matth. 3.*ctus. Quod ponderauit Origenes, homil. 1. in Exod. *Origenes* Ita etiam docent cõmuniter omnes Sãcti. D. Hier. 3. *D. Hieron.* contra Pelag. & lib. 1. contra Iouinian. Prosper de *D. Prosper.* Vocatione gentium cap. 4. & 9. D. Ambros. 2. de fide *D. Ambro.* ca. 3. D. Cyprian. lib. 2. epistolarũ. D. Aug. tractatu. *D. Cyprian.* 74. in Ioãnem. D. Chrysost. hom. 62. in Genes. & 60. *D. August.* ad Populum. ¶ Quam veritatem pulchrè expressit *D. Chrysost.* Paulus duabus illis similitudinibus, prima de vasis aureis, & argenteis, quæ sunt in magna domo; alte*Rom. 12.*ra vero de mẽbris in corpore naturali vnitis Rom. 11. Ait namque Paulus, quòd in corpore mystico Ecclesiæ sic se habent diuersi homines, sicut diuersa membra in corpore naturali: constat autem in naturali corpore, membra non esse paria secundũ perfectionem & dignitatem: ergo pari ratione in Ecclesia, homines sunt inæquales in gratia, & iustitia, & in dignitatibus.

Ratio autem: & fundamentum propositæ veritatis est; Quoniam posita dispositione põitur forma: ergo rationi, & bonitati Dei consentaneum est, vt quo dispositio fuerit perfectior, eo etiam sit gratia, & forma. Et confirmatur. Nam ob id Deus non iustificat hominem adultum sine dispositione eius, quia cum homo sit liber, suauis dispositio postulat, vt libere acceptet iustitiam: ergo quò homo se promptiorẽ ostendit, & maiori conatu supernaturali in Deum conuertitur, eò ad maiorem amicitiã recipitur. Vndè autem oriatur inæqualitas dispositionis in varijs hominibus, certum est quòd principaliter oritur ex voluntate Dei, eiusque beneplacito, qui non solum dat gratiam, sed etiam dispositiones per auxilium suum efficax: Sed tamen minus principaliter prouenit ista inæqualitas ex cooperatione nostra. Ita docet. S. Thom. in præsenti, de qua re fusius diximus supra, & dicemus etiam infra. q. 113. &. 114.

*Conclus. 4.* Quarta conclusio. Illi, qui sine cooperatione liberi arbitrij, seu sine dispositione propria iustificantur, regulariter æqualem gratiam recipiunt proportionatam tali statui. Hæc assertio certissima est, & aperte explicatur in paruulis. Nã paruuli in veteri lege per circuncisionem, æqualem gratiam recipiebant, sed modo per baptismum, maiorem gratiam recipiunt infantes, & paruuli, quam illi; sed æqualẽ respectu ipsorum inter se. Diximus in conclusione, regulariter, vt excluderemus priuilegia. Nã D. Ioãnes Baptista maiorem gratiam in vtero recepit, quã Ieremias, & Beatissima Virgo, maiorem omnibus.

*Obiectio.* Sed dices: Angeli inæqualiter sunt iustificati; & tamen sine propria dispositione, sed solum propter inæqualitatem excellentię in natura: ergo similiter *Responsio.* erit in hominibus. Respondetur etiam; angelis data est inæqualis gratia, propter inæqualem dispositionem habitam ex Dei auxilio: differentia tamen solũ est, quòd angeli quò perfectiores erant in natura receperunt ex Deo maius auxilium, quo meliùs se disponerent: Et quoniam angelus operatur iuxta modum suæ naturæ, secundum totum conatum; idcirco meliores in natura, qui quò meliores erant, ex Deo maius auxilium receperunt, meliorẽ habuerunt dispositionem ex auxilio Dei. Quæ proportio non est seruanda cum hominibus: imo verò aliquãdo ijs, qui sunt perfectiores in naturalibus, tribuit *Matth. 11.* Deus minora dona gratiæ, iuxta illud Matth. 11. Cõfiteor tibi Pater cœli, & terræ, quia abscondisti hęc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis: Et. 1. Corinth. 1. Quæ stulta sunt mundi elegit *1. Corinth. 1.* Deus, vt confundat sapientes, & infirma mundi elegit, vt confundat fortia, & contemptibilia elegit Deus, & ea, quæ non sunt, vt ea quæ sunt destrueret, vt non glorietur omnis caro in cõspectu eius. Cuius ratio tota quidẽ posita est in eius voluntate.

## DISPVTATIO. II.

*Vtrum gratia semper possit esse maior?*

*Argumentũ* MAgister in. 3. d. 13. & Scotus ibi q. 1. & 4. Durand q. 1. putant, gratiam habere terminum, vltra quem de potentia absoluta ipsa non potest augeri, & idem docet de charitate Durand. in. 1. d. 17. q. 9. & idem sensit Caiet. 3. p. q. 7. art. 9. 10. & 12. & 2. 2. q. 24. art. 7. Et persuadetur: Quoniam si posset gratia semper in infinitum esse maior, sequeretur quòd posset tandem absolute esse infinita; consequens est falsum. Sequela patet: Quoniam in permanentibus quidquid Deus potest facere successiue, potest etiã *Secundum.* simul facere. ¶ Secundo arguitur. Nam quantum latitudine generica datur suprema species, qua nulla potest esse perfectior, sicut homo, verbi gratia, in genere animalis, pari ratione sequitur, quòd in latitudine specifica, dabitur etiã supremum indiuiduũ, *Tertium.* quo non possit esse perfectius. ¶ Præterea. Capacitas cuiuscumque creaturæ est finita; quoniam est entitas creata, & est entitas ipsius creaturæ finitę: ergo *Confirmat.* gratia, quæ tali capacitati est adęquata, debet esse finita. Et confirmatur. Quoniã gratię receptio arguit perfectionẽ in potentia receptiua, & maior gratia, maiorẽ perfectionẽ: ergo in subiecto finitę perfectionis, nõ potest maior, & maior gratia recipi in infinitũ. Dices, quod cũ inter creaturas intellectuales Deus possit semper perfectiorem producere in infinitũ, quòd gratia secundum se, neque habet terminum, neque potest habere terminum. Respõdetur tamen quòd ex eo quòd Deus possit in infinitum perfectiorem substantiam creare, solum sequitur, quòd gratia in illis creaturis potest semper esse perfectior syncathegorematice; non tamẽ quòd possit esse infinita vnquam. Imo vero, saltẽ ex parte diuinæ prædestinationis, & prouidentiæ, gratia habet terminũ *Ricardus.* in singulis indiuiduis: ergo in illis non potest esse *D. Bonau.* maior. Vndè, Ricardus in. 1. d. 17. q. 2. D. Bonauent. & *Ægidius.* Ægidius ibi. q. vltima, Dionys. Richel. q. 8. & S. Tho. *Dionys. Richel.* in. 3. d. 3. q. 1. art. 2. quæst. 2. non longe distant à præcedente sententia, cum dicant, gratiam non posse in *S. Thomas.* infinitum crescere in eodem subiecto; bene tamen in diuersis, vt si Deus conderet creaturam vnam altera

tera perfectiorem ſucceſsiue, ita vt ſemper daretur maior,& maior creatura in perfectione;pari ratione quamuis nũquã daretur gratia infinita;nihilominus poſſet creſcere in infinitũ in diuerſis creaturis ſucceſſiuè à Deo productis.¶ Sotus. 1.Phyſic.q.4.& Capreol.in.3.d.13.q.1.art.2.putant,gratiam ex ſua natura habere terminum, ſicut calor, & aliæ qualitates naturales,& conſequenter dicunt, quòd ſicut iſtæ qualitates poſſunt in infinitum augeri de potentia abſoluta,ita etiam gratia. Probant.Quoniam gratia eſt quid creatum: igitur ex natura ſua petit terminum augmenti,vt Ariſt.1.de anima inſinuat, vt patet de calore,& luce,&c. Et confirmatur:Quoniam alias,tam gratia,quam aliæ ſupernaturales qualitates, nunquam eſſe poſſent perfectæ in natura ſua, quia nunquam habere poſſunt eam perfectionem, quam poſtulant ex natura ſua.¶ Alij Theologi cernentes plura inconuenientia,& difficultatem huius rei putant,gratiã poſſe fieri à Deo infinite intẽſam, & ita ſenſit Gabri.in.3.d.13.& Greg.in.1.d.17. Quæ opinio duo habet fundamẽta.Primũ quidẽ ſumitur ex poſsibilitate infiniti in actu. Secundũ vero ſumitur ex eo q̃ gratia Chriſti,in eſſe gratiæ,eſt infinita: ergo pari ratione poſſet eſſe infinita in eſſe qualitatis.Vndè,hæc ſententia inſinuat duo,nẽpe,gratiam omnem ſecundum intrinſecam rationem,atque eſſentialem,eſſe ſimpliciter finitam; at vero gratiam Chriſti,non quidem ex intrinſeca ratione, ſed ab extrinſeco ex vnione humanitatis ad Verbũ, eſſe ſimpliciter infinitam in eſſe gratiæ.

*Soto. Capleolus.*

*Ariſtot.*

*Gregorius Arim.*

*Nota.1.* Pro explicatione huius difficultatis,ſupponendũ eſt tamquam certiſsimum,gratiam Chriſti non eſſe infinitam in ratione entis,aut in ratione qualitatis; Quia neque continet totam rationem entis, neque totam rationem qualitatis.Quocirca,quamuis concedatur à pleriſque Theologis,gratiam Chriſti eſſe infinitam;non tamen indè poteſt colligi, eam eſſe infinitam in ratione entis,aut in ratione qualitatis; quemadmodum ſi daretur linea infinita, concedẽdum eſſet eam eſſe infinitam longitudinẽ; nõ tamẽ eſſe infinitam in ratione entis. Nam eſſe aliquid infinitum in ratione entis, eſt in ſe concipere vniuerſam rationem,& latitudinem totius entis.¶ Aduerte ſecundo,tribus modis poſſe intelligi quòd forma aliqua habeat terminum magnitudinis,intenſiue,aut extenſiuè.Primo quidem;ex propria, & intrinſeca ratione ipſius formæ, ſicut formæ omnes viuentium vendicant ſibi ex propria ratione certũ terminum magnitudinis,& paruitatis, & quælibet forma naturalis intenſibilis, & remiſsibilis ſecundũ veriorẽ ſententiã,ſibi vẽdicat ex propria natura certũ terminũ intẽſionis,& extenſionis,ſiue intrinſecũ,ſiue extrinſecũ. Secũdo poteſt terminari aliqua forma ex parte efficientis: Quoniã ex determinata virtute agẽtis,determinantur etiã gradus formę producẽ.Nã calidũ vt quatuor,nõ poteſt producere calorẽ perfectiorẽ,quã vt quatuor,& ignis determinatę magnitudinis non poteſt habere calorem, niſi ſecũdum certam,& determinatam diſtantiam,& extenſionem ipſius ſpatij intra ſpheram ſuæ actiuitatis. Tertio etiam euenit formam aliquam determinari ex parte materiæ,vel ſubiecti in quo recipitur, vt forma ignis,licet quantum eſt ex propria ratione,& ex virtute agentis,ſi apponantur ei infinita combuſtibilia,poſsit creſcere in infinitum;tamen ex defectu materiæ,non poteſt eſſe maior, quam ſit materia generabilium,& corruptibilium; ſicut calor licet quantum eſt ex ſua natura,& ex virtute ignis illum cauſantis,poſsit intendi vſque ad octo gradus; tamen aliquando euenit ex indiſpoſitione ſubiecti, quòd non poſsit pertingere, niſi ad quatuor, vel quinque gradus.¶ Tandem aduerte,quòd ex tribus poſſumus inueſtigare perfectionẽ alicuius formæ. Primo,ex vltima differentia formæ;Secundo ex intenſione,& augmento;Tertio ex virtute, & efficacia in ordine ad effectum,ſi poteſt aliquid producere. Dixi ex intenſione,& augmento,propter nõnullas formas accidentales,quæ ſunt relatiua ſecundũ dici,ſicut ſcientia. Nam ſcientia perficitur duobus modis,& per ordinem ad ſubiectum, ſcilicet, per maiorem radicationem in illo circa eandem concluſionem ſcitam;& præterea perficitur,& intenditur ſcientia extenſiue,quando extenditur ad nouã concluſionem,& ad aliam,& aliam concluſionem. Quod ſane dico propter formas quaſdam abſolutas,vt propter albedinem,& calorem,quæ vno tantum modo intenduntur,nempe,per maiorem radicationem in ſubiecto.

*Nota.2.*

*Nota.3.*

### *Prima Concluſio.*

*Concluſ.1.* HIs ergo ita prælibatis,eſt prima concluſio.Sicut gratia non habet terminum augmenti, vel intenſionis,ex propria, & intrinſeca ratione ſua ſpecifica,ita poteſt in infinitũ creſcere in vno,& eodem ſubiecto, de potentia abſoluta. Hæc aſſertio communis eſt inter Doctores Theologos, & eã defendit.S.Th.3.p.q.7.art.11.&.12.&.q.10.ar.4.ad.3.&.2.2.q.27.ar.7.& in.4.d.4.q.2.ar.2.quæſtiũc.1 ad.2.Et probatur. Nam potentia Dei eſt infinita, & ex parte Dei non eſt implicatio:poteſt namque calorem,& lucem in infinitum intendere,& qualibet data creatura,perfectiorem producere,etiam in natura ſpecifica;vt patet in angelis:ergo etiam in natura indiuiduali. Et confirmatur. Nam non implicat perfectiſsimum beatum perfectius videre Deum,& intenſius amare illum: ergo neque perfectiorem gratiam habere. Secundo probatur efficaci fundamento. Quoniam anima non eſt capax gratiæ per potentiam naturalem,ſed per potentiã obediencialem:Hæc autem non eſt maior in perfectiori ſubiecto:ergo ex parte ſubiecti nõ eſt repugnãtia imo vero eo ipſo, quòd intenditur qualitas ſuper naturalis,ſubiectum minus repugnat ad recipiendum perfectioré:ergo &c.¶ Quòd vero gratia, charitas,& aliæ virtutes ſupernaturales, non habeant terminum augmenti,vel intenſionis ex propria, & intrinſeca ratione ſua ſpecifica,probatur: Quoniã charitas,verbi gratia,ſecundum ſe,& ex propria ratione ſpecifica, eſt quædam partitipatio infinitæ charitatis,quæ eſt ipſe Deus,& pari modo gratia eſt participatio diuinæ naturæ:ergo non vendicat ſibi charitas terminum augmenti, vel intenſionis, ſed poteſt creſcere in infinitum, quantum eſt ex ſua ratione formali,& ſpecifica.Patet cõſequentia: Quia cum eſſe diuinum,infinitum ſit, ſemper poteſt magis,ac magis participari:Nam ſicut ex infinito lapide poſſet ſemper maior, ac maior lapis excidi, ita etiam in propoſito.Hæc ratio eſt.S.Thom.2.2.q.24. art.7.



art.7. ¶Sed contra illam inſurgunt aduerſarij,inter quos eſt Scotus loco citato.Nã potius videtur probare contrarium, quam id quod intendit:Quia charitas ex eo quòd eſt participatio infinitæ charitatis Dei,potiùs colligitur ipſam eſſe finitã,& limitatam ex propria ratione,quàm eſſe intenſibilem, aut augmẽtabilem in infinitum. Nam profecto hoc quod eſt eſſe participationem,intrinſecè importat limitationem quandam ad certum gradũ perfectionis intenſiuè. Et confirmatur. Quoniam quælibet forma creata, eſt participatio entitatis, & formæ infinitæ, quæ eſt Deus;& tamen hoc nõ obſtante;omnes formæ naturales habent ex propria ratione terminum augmenti:ergo ſimiliter licèt gratia ſit participatio naturæ diuinæ, & charitas ſit participatio infinitæ charitatis diuinæ,nihilominus habebit certum terminũ intenſionis ex propria ratione charitatis creatæ.Reſpondetur,quòd in præſenti loquimur de participatione ſecũdum gradum & modum ſupremũ talis participationis,quę eſt per conuenientiã quaſi formalẽ,& eiuſdem ordinis cum illo: Cùm igitur gratia,& charitas in ſua ratione formali,cõueniant in eodẽ ordine cum natura & charitate Dei,& non adęquent talem conuenientiã,poſſunt in infinitum ad illum proximiùs accedere. Quocircà, ſi noſtra charitas haberet terminum, etiã charitas Dei, cùm habeant idem obiectum,& quaſi cõueniant aliquo modo in eadem ratione formali. Itaque,lõgè aliter conuenit charitati eſſe participationẽ infinitæ charitatis Dei, quàm cõueniat alijs formis naturalibus eſſe participationem infinitæ perfectionis diuinæ: charitas enim eſt participatio eiuſdem ordinis cum charitate,quę formaliter eſt Deus,quatenus ordinatur ad idẽ obiectũ diligibile,quod eſt Deus, prout in ſeipſo eſt. Neq; poteſt eſſe cõnaturalis perfectio alterius ſubſtantiæ pręter ipſum Deum;at verò formæ naturales,licèt ſint participationes entitatis diuinæ; non tamen ſunt eiuſdẽ ordinis cum infinita perfectione Dei,ſed lõgè inferioris;& idcircò optimè colligitur ex eo quòd gratia eſt participatio diuini eſſe eiuſdẽ ordinis, & ex eo etiã quòd charitas eſt participatio eiuſdem ordinis cum charitate infinita Dei,quòd non habeant terminum augmẽti ex propria & intrinſeca ratione,ſicut illum habẽt aliæ formæ naturales, licèt ſint participationes infinitæ entitatis Dei.Rurſus,non eſt eadem ratio de qualitatibus naturalibus,quæ cõſequuntur ad formas finitas,quibus ſunt connaturales,& ob id diſponunt ad ſimiles formas, & habent limitatã perfectionem à formis,quibus coaptantur; & de qualitatibus ſupernaturalibus:qualitates namque ſupernaturales, ſunt diuini ordinis,vt diximus,& nulli formę creatę poſſunt eſſe connaturales,niſi Deo,& idcirco ſequuntur naturam ſuæ formæ: Et ſicut participant à Deo ſuum eſſe,ita & ſuam infinitatẽ;& quãuis limitentur de facto; poſſunt tamen in infinitum augeri per approximationẽ ad perfectionem, quam habẽt in proprio ſubiecto; & ita gratia,quanto magis augetur,reddit ſubiectum magis capax infinitæ perfectionis, quæ eſt in Deo. Vndè, ex præfata doctrina perſuadetur cõcluſio.Nam perfectiones ſimpliciter ſimplices, quæ ſunt participationes diuinæ perfectionis, nullum habent terminum, ſed poſſunt eſſe excellentiores in infinitum,ex eo quòd participant diuinam perfectionẽ ſecundum aliquam rationem formaliter exiſtentẽ in Deo,vt patet de bonitate,& ſapientia,& alijs huiuſmodi:quacumq; enim bonitate,vel ſapientia creata, poteſt creari ſapientia, & bonitas perfectior,& perfectior in infinitũ:ſed charitas ex propria ratione formali eſt perfectio ſimpliciter,& reperitur formaliſsimè in Deo: ergo nullũ habet terminum in ſua ratione formali: ſed poteſt creſcere in infinitum,quantũ eſt ex propria ratione ipſius.¶ Ex hoc etiã patet ſolutio ad eam obiectionem,quam aduerſarij cõmemorant,cùm inferunt: Ergò nulla perfectio ſimpliciter ſimplex habet terminum in ſua ratione formali,cùm formaliter reperiatur in Deo, ſicut charitas. Reſpondetur enim q̃ abſolutè ita eſt;Nam ſcientiæ non repugnat in infinitum creſcere.Sed nihilominus ſunt aliquę perfectiones ſimpliciter, quæ poſſunt eſſe connaturales creaturis,vt intelligere,& ſcire,quæ vt ſic;id eſt,vt connaturales creaturis,habent terminũ in illis,vel ex parte ſubiecti,vel ex parte principij,à quo fluũt, quamuis hoc non ſit de ratione, & cõceptu vltimo illarum abſolutè loquendo. At vero, quæ ſupernaturales ſunt, vt gratia, vel lumen gloriæ, ex nulla parte limitantur. Tandem probatur. Charitas ſecundum ſuam rationẽ ſpecificã tendit in Deum, prout eſt in ſe infinitè amabilis,& diligibilis:ſi ergo Deus eſt infinitè amabilis, magis ac magis poteſt amari in infinitum:ergo charitas ex natura ſua eſt infinitè augmentabilis:ergo quãtum eſt ex parte ſuæ rationis ſpecificæ, nullum habet terminum intenſionis, ſed quacumque charitate data, poteſt dari perfectior. Et idem argumẽtum fit de gratia,quę eſt participatio quædam diuini eſſe. Imo verò gratia per ſe,etiam eſt acceptatio ad gloriam,& ordinatur ad viſionem Dei: ſed viſio Dei poteſt creſcere in infinitum, cùm Deus ſit infinitè viſibilis: ergo gratia ex natura ſua creſcet in infinitum. Hæc inſinuat S. Tho.3.p.q.7.art.12.ad.2.¶ Sed reſpondẽt Durandus, repugnantiam eſſe ex parte creaturæ, quæ non poteſt magis,ac magis diligere,aut videre Deum. Reſpondetur tamen, quòd non operatur creatura per vires ſuas naturales, ſed per auxilium Dei, quod poteſt eſſe maius in infinitum,atque ita ſemper poteſt magis,ac magis diligere Deum.

*S.Thom.*

### *Secunda concluſio.*

*Conclu.2.* SEcunda concluſio. Homo, toto tempore,quo viator eſt in hac vita degens, poteſt creſcere ſemper in gratia Dei & charitate. Hæc aſſertio eſt de fide. Primò propter teſtimonia Scripturæ.Secundò propter definitionem Eccleſiæ.Nam primò, Prouerb.17.legimus;Non verearis iuſtificari vſque ad mortem. Apocal.vltimo:Qui iuſtus eſt,iuſtificetur ampliùs:& ad Philip.2. Hæc oro vt æquitas veſtra magis,ac magis abundet;Ad Epheſ.4. In charitate creſcentes,donec occurramus ei in virum perfectum. Et Pſalm. 83. Aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit. Eſt etiam de fide propter definitionem Eccleſię in Concilio Vienẽſi; vt habetur in Clementina, Ad noſtrum,de hæreticis, in qua damnantur Begardi, & Beguini aſſerentes, eò poſſe peruenire iuſtitiam hominis, vt amplius creſcere non poſsit; quia aliàs,poſſet viator pertingere ad gratiam Chriſti. Ratio aſſertionis à priori eſt. Quia vita hominis eſt via

*Prouer.17. Apoc.vlt. Philip.2. Epheſ.4. Pſal.83.*

est via ad Deum. Vnde Scriptura dicit de hominibus, quòd posuit terminos habitationis eorum, quærere Deum: sed de ratione viæ est posse progredi: ergo de ratione gratiæ, vt est in via, est posse augeri. Quocircà, D. Augustin. Psal. 63. sic ait: Nemo fidelis dicat, sufficit mihi: qui enim hoc dicit, à via exit ante finem, & vbi dixisti sufficit mihi, defecisti. Idem insinuat libro de perfectione virtutum, & epist. 19. Idem D. Hieronym. contra Iouinian. & Sancti communiter. Rursùs. Gratia augetur meritoriè per actus huius vitæ: sed in hac vita semper potest quis efficere actus bonos: ergo semper potest mereri augmentum gratiæ. ¶ Certè, fundamentum huius sententiæ esse potest: Quia charitas secundum se sumpta, simpliciter & absolutè loquendo, nullum habet terminum, sed potest crescere magis, ac magis in infinitum absque termino; & hoc docuit S. Thom. 2.2. quæst. 24. artic. 7. & idem sensit Gabriel in 1. distin. 17. quæst. 8. & Gregor. q. 6. Dixi, charitas secundum se & præcisè sumpta, abstrahendo ab statu viæ, & patriæ: sic enim nullum habet terminum intensionis, sed potest crescere in infinitum. Quoniam vt aliqua forma necessariò terminetur ad certum gradum intensionis, id prouenire debet ex specifica ratione eius, vel ex parte causæ efficientis, vel ex parte dispositionis, aut ex capacitate subiecti: sed ex nullo istorum limitatur charitas necessariò ad certum hunc gradum intensionis: igitur simpliciter, & absolutè loquendo nullum postulat terminum. Nam profectò, si gratia, aut charitas de se haberet terminum intensionis secundum aliquem certum, & limitarum gradum, vix posset intelligi, quòd in via posset crescere in infinitum absque aliquo termino, quòd si perueniret ad illum gradum vltimum, non posset vlterius crescere quantumcumque aliquis operaretur feruentissimè ex charitate: ergo cùm certum sit de fide, charitatem in via posse semper magis, ac magis crescere, necessariò dicendum est, quòd simpliciter, & absolutè loquendo, nullum habet terminum intensionis charitas secundum se sumpta.

*D. Augus.* *D. Hieron.* *S. Thomas.* *Gabriel.* *Gregorius*

### *Tertia conclusio.*

*Conclus. 3.* TErtia conclusio. Gratia & charitas non habent terminum intensionis, neque ex parte suæ causæ efficientis, neque ex parte subiecti, in quo recipiuntur, per se loquendo. Probatur. Quoniam, per se loquendo, gratia à solo Deo producitur immediatè, tanquam ab agente principali: sed Deus est infinitæ virtutis: ergo ex hac parte non potest assignari aliquis terminus intensionis. Et confirmatur: Nam calor, & aliæ formæ, seu qualitates naturales, ex eo habent suapte natura certum terminum intensionis, quia per se loquendo procedùt ex aliqua substantia creata virtutis limitatæ, atque finitæ: sed charitas non potest procedere etiam de potentia absoluta ex aliqua substantia creata, & finita, tanquam proprietas naturalis eius: ergo ex parte causæ efficientis non habet terminum intensionis. Sed obijcies: Contra. Nam Deus est immediatum principium efficiens angeli & animæ rationalis; & tamen angelus, & anima habèt terminum intrinsecum suæ perfectionis: ergo ob id, quòd charitas immediatè à Deo producatur, tanquam à causa efficiente principali, non rectè colligitur, quòd creat termino intensionis. Respondetur tamen, quòd angelus & anima & aliæ creaturæ immediatè à Deo productæ, non habent terminum suæ perfectionis formaliter, & per se loquendo, ex parte ipsius efficientis, sed habèt illum ex propria & intrinseca ratione specifica, quæ postulat certum modũ essendi limitatum ad talem & talem gradum entis. ¶ Quòd autem non habeant terminum intensionis ex parte subiecti in quo recipiũtur, probatur ex dictis: Quia gratia non educitur ex aliqua potentia naturali, sed ex potentia obedientiali: sed potentia obediẽtialis creaturæ non habet terminum: respicit enim infinitam potentiam actiuam Dei: ergo quantum est ex parte subiecti, non habet charitas aliquem terminũ intensionis. Et sanè, capacitas voluntatis creatæ in ordine ad charitatem, & habilitas ad diligendum Deum, semper crescit quantũ crescit charitas: ergo ex parte capacitatis subiecti nõ terminatur ad certũ gradũ ipsa charitas. Sed obijciet quis, Contra: Nam capacitas creaturæ rationalis respectu charitatis, & gratiæ est naturalis, iuxta sententiam illam D. Aug. 1. de prædestinat. Sanctor. cap. 4. Posse habere fidem & gratiam, naturæ est hominum: sed id, quod est naturale, inuariabiliter conuenit, & nõ augetur, neq; minuitur per formam superuenientem: forma enim non dat materiæ propriam causalitatẽ materialem: ergo non rectè dicitur, quòd quantò magis crescit charitas, tantò magis crescit capacitas, & habilitas ad ipsam charitatem. Respondetur, quòd capacitas remota & radicalis in ordine ad charitatem, connenit intrinsecè naturæ rationali, & vt sic nõ augetur per charitatẽ, sed est eadem prorsus respectu totius latitudinis charitatis, & omnium graduum ipsius; capacitas autem proxima, siue habilitas, augetur per charitatem; quia quantò perfectius quis diligit Deum, tantò magis disponitur, & redditur habilior ad diligẽdum magis, ac magis perfectè Deum mediante gratia ipsius. Et hoc voluit solum significare D. Tho. 2.2. quæst. 24. art. 7. dicens, quòd capacitas subiecti in ordine ad charitatem crescit semper crescente ipsa charitate.

*Obiectio.* *Respon.* *Altera obiectio.* *Respon.*

### *Quarta conclusio.*

QVartà conclusio. Gratia de facto habet terminum secundum ordinem diuinæ prouidentiæ, & prædestinationis. Hanc defendit & intendit Sanctissimus Præceptor in hoc art. & 2. 2. q. 24. ar. 7. Idem Marsil. in 3. d. 10. Gabr. d. 13. q. vnic. Probatur ex Cõcilio Vienensi suprà citato, vbi definitur, posse iustitiã crescere, & non posse peruenire ad gratiam Christi: ergo secũdum ordinem diuinæ prouidẽtiæ, ita est distributa gratia secundũ mensuram donationis Dei, vt in nullo pertingat ad gratiã Christi, cui non est datus spiritus ad mensurã, vt habetur Ioan. 1. Et ob id de facto potest assignari aliquis terminus finitæ gratiæ, ad quẽ nullus viatorũ potest attingere secundum potentiã ordinariam, & huiusmodi est gratia Christi, & Beatissimæ Virginis, quibus tã excellens gratia est communicata ex priuilegio specialissimo: igitur cũ de lege ordinaria tale priuilegium non fiat viatoribus, non poterunt ad tantam gratiam de facto peruenire. Probatur etiam eadem assertio ex Paulo ad Philippen. 4.

*Conclus.* *S. Thom.* *Marsil.* *Gabriel.* *Concil. nense.* *Ad Philip.*

Vnicuique



Vnicuique data est gratia secundum mensuram donationis Christi, &c. Et profectò, vt eruditè Sanct. Thom. id interpretatur, hoc ad pulchritudinem Ecclesiæ pertinebat, & idcircò subiungit Paulus, Ad cõsummationem Sanctorum in ædificationem corporis Christi: igitur vnicuique est determinatus certus gradus gratiæ, quem de facto nemo excedet. Tandem vnusquisque est prædestinatus ad talem gradum gratiæ: ergo, &c. Vndè in Euangelio legitur, In domo Patris mei mansiones multæ sunt, & Paulus, Sicut stella differt ab stella in claritate, ita in resurrectione, &c. Et idem docet Diuus Bernardus cum alijs. ¶ Sed dices: Ergo non est in mea potestate peruenire ad eam sanctitatem quam habet alius: igitur per Deum stat quominus sanctior non sim. Respondetur, quòd semper Deus dat auxilium, quo possit quis in sanctitate crescere, & ita defectus est hominis priori gratiæ non cooperantis. Ita docet Diuus Hieronymus, Epist. ad Theopho. & Concil. Arausic. ¶ Sed contra: Quia si potest homo crescere in gratia, poterit absolutè ad gratiam Christi peruenire. Respondetur, quòd ex vi naturæ ipsius gratiæ posset crescere, vsque ad gratiam Christi: sed hoc non sufficit, vt homo absolutè, & de lege ordinaria id possit. Quia etiam ignis, quantum est ex se, posset totum orbem complere, quod tamen non potest de lege ordinaria. Et quamuis de lege ordinaria posset vnus homo in sensu diuiso peruenire ad gratiam alterius prædestinati, vel ad maiorem gloriam; ex suppositione tamen id non potest. ¶ Sed dices tandem: Ille qui iam de facto peruenit ad vltimum gradum gratiæ sibi destinatum, potest adhuc maiorem comparare absolutè loquendo: ergo potest illum gradum excedere. Respondetur, quòd statim atque ex ordinatione Dei ad illum gradum peruenerit, finietur via. An verò ista distributio sit ex voluntate Dei prædefinientis, patet ex superius dictis, & maximè hoc est verum in prædestinatis, qui ante præuisionem operum prædestinati sunt à Deo, & non sufficit in eis, aut in alijs solum statuisse in confuso & in communi, de his auxilijs conferendis, sed in particulari; ita tamen vt non excedant talem terminum extrinsecum.

*D. Bernar.* *D. Hieron.*

### *Quinta conclusio.*

*Conclus. 5.* QVinta conclusio. Gratia Christi secundum essentialem rationem sui, simpliciter est finita. Hanc tenet Sanct. Thom. 3. parte, quæstione. 7. articulo. 12. ad. 1. Vbi ait, quòd gratia Christi secundum suam essentiam est finita. Probatur. Quia essentia gratiæ Christi est creatura. Rursus, consistit in hoc quòd est participatio diuinæ naturæ, & acceptatio ad gloriam: igitur primarius effectus formalis gratiæ Christi, est constituere Christi animam participem, & consortem naturæ diuinæ; effectus verò secundarius, est constituere animam acceptam ad vitam æternam: sed hæc omnia sunt finita simpliciter in gratia Christi: ergo. Rursus probatur. Quoniam charitas Christi est essentialiter finita in esse charitatis, imo verò lumen gloriæ animæ Christi finitum est in esse luminis gloriæ, vt tertia parte dicunt Theologi: ergo pari ratione gratia intrinsecè & essentialiter est finita in esse gratiæ. Probatur consequentia. Primò, quia istæ virtutes dimanant à gratia, in esse gratiæ. Secundò, quia omnes istæ virtutes proportionantur, charitas, gratia, & lumen gloriæ. Tertiò probatur. Gratia Christi est simpliciter finita in esse qualitatis, non solùm quia non continet omnem rationem possibilem qualitatis, sed etiam, quia non habet infinitam intensionem qualificatiuam, neque aliquem modum infinitum qualitatis: sed gratia in ratione gratiæ est essentialiter qualitas: ergo non est essentialiter & intrinsecè infinita. Neque valet aut satisfacit dicere, gratiam ex eo infinitam esse in esse gratiæ, quia per extrinsecam acceptationem, gratia Christi acceptatur à Deo, vt sit principium meriti, & satisfactionis infinitæ. Quia hæc acceptatio extrinseca, extrinsecè se habet, & per accidens ad rationem gratiæ.

*Concl. 5.* *S. Thom.* *Marsil.* *Gabriel.* *Concil. nense.*

### *Sexta Conclusio.*

SExta conclusio. Illa sententia, quæ asseuerat gratiam Christi secundum id, quòd illi conuenit ab extrinseco, nempe, ex vnione humanitatis ad Verbum, esse simpliciter infinitam in esse gratiæ, est valde difficilis, imò verò perplexa & dubia: quatenus authores eius, sic eã interpretantur, nempe, quòd ex ipsa vnione ad Verbum resultat in ipsa gratia Christi quidam modus realis, ipsi intrinsecus, qui eam reddit intrinsecè infinitam, illamque in alia specie, imò & meliori genere constituit à gratia nostra. Imo verò authores huius sententiæ addunt vlterius, quòd ex vi huius infinitatis prouenientis ab vnione, pertinebat ad gratiam Christi, quòd esset infinitè intensa, si possibilis esset talis intensio: & inde colligebant, per accidens illi conuenire, quòd habeat finitam intensionem, & quòd sit finita in esse qualitatis: Quia per se loquendo (dicunt) infinitas illi conuenit etiam qualificatiua. Hæc tamen omnia, mihi sunt valdè difficilia. Nam primò non facilè explicari potest quid sit iste modus realis infinitatis, qui ex vnione ad Verbum, refunditur in gratiam Christi. Imo verò, adeò difficilis, & inexplicabilis est hic modus, vt difficultate pressi plerique Theologi, etiam doctissimi dixerint, infinitatem gratiæ Christi secundum eum nihil aliud esse, quam ipsum Verbum diuinum, quæ sententia est impertinens. Quia non rationabiliter dicitur, Verbum diuinum esse modificatiuum gratiæ Christi. Secundò falsum apparet id, quòd affirmant authores huius sententiæ, nempe, quòd ex infinitate gratiæ Christi, prouenit, vt debeatur illi gratiæ infinita intensio, si ex parte rei factæ non repugnaret. Nam, vt communiter Theologi docent, ad infinitatem gratiæ Christi per accidens est, quòd gratia habeat magnam, aut minimam intensionem. Quia profectò non minus esset infinita Christi gratia, si haberet intensionem vt vnum, quam est modo habens summam intensionem, quæ de lege potest haberi. Sed de hac re latiùs diximus, tertia parte loco citato.

*Septima conclusio.*

*Concluſ. 7.* SEptima concluſio. Habitualis gratia Chriſti, eius animæ inhærens, non ſolum eſt finita in ſua entitate, ſed etiam intenſiuè, hoc eſt, in intenſione, quam habet in ſubiecto, ſeu in gradibus intenſionis. Hæc aſſertio certa eſt in familia Diui Thomæ, quam ſequuntur Albertus Magnus in. 3. diſtinctione. 13. articulo. 7. Scot. & Durand. in eodem. 3. diſtinctione. 13. quæſtione. 1. Palude, quæſtione. 1. articulo. 2. & articulo. 4. concluſione. 2. D. Bonauentura, & Ricardus, articulo. 1. quæſtione 2. Almayn. quæſtione. 1. Capreol. quæſtione. 1. concluſione. 1. in ſolutione ad argumenta contra ſecundam concluſionem, in eodem. 3. ſententiarum, diſtinctione. 13. citati. Probatur ex communi ratione, qua probari ſolet, repugnare creaturæ, quòd ſit actu infinita, tam eſſentialiter, & entitatiuè phyſicè, quam intenſiuè & quantitatiuè: Quæ ſanè ratio, præcipuè accipi ſolet ex abſurdis, atque incommodis, & repugnantijs, quæ ſequuntur poſito infinito. Rurſus probari poteſt aſſertio hæc, ex ipſa ratione infiniti, quod quidem, cum ſit quid confuſum, & indeterminatum, non apparet quo pacto cadere poſſit ſub certa, & determinata intenſione entis, vt Sanct. Thomas. deducit. 1. parte, quæſtione. 7. Fundamentum ergo huius aſſertionis eſſe poteſt illud commune, quod impoſsibile ſit, fieri gratiam actu infinitam: Nam ſi hæc poſsibilis eſſet, procul dubio non poſſet oſtendi, hanc non eſſe conceſſam de facto animæ Chriſti: Imò vero plures exiſtimant, data illa hypotheſi, rationabilius eſſe, & probabilius, gratiam infinitam in intenſione entitatiua, datam fuiſſe animæ Chriſti: Quia certè ſi non implicat contradictionem fieri gratiam intenſiuè infinitam, in eſſe qualitatis, non eſt cur illa denegetur animæ Chriſti: Quoniam Chriſto debetur gratia habitualis perfectiſsima propter vnionem, & non debetur in aliquo gradu finito. Nam cum gratia vnionis ſit infinita, & altioris ordinis, excedit quemcunque gradum finitum habitualis gratiæ, & idcirco ex parte illius non poteſt ſignari terminus in gratia habituali; ergo ſi hæc infinita gratia eſt poſsibilis, nulla ratione poteſt negari, conceſſam, & datam eſſe Chriſto Domino.

*Alber. Ma. Scotus. Durand. Palud. D. Bonauē. Ricardus. Almayn. Capreol.*

*S. Thomas.*

Verum quod huiuſmodi habitualis gratia non poſsit eſſe actu infinita, primo oſtendi poteſt ex incapacitate ſubiecti. Quia anima cum ſit creatura, non eſt capax infinitæ perfectionis: ergo cum gratia habitualis Chriſti ſit in anima ipſius, ſequitur, quòd eſt finita intenſiuè & entitatiuè phyſicè. Nam cum anima Chriſti ſit creatura, ſolum eſt capax finitæ perfectionis. ¶Sed profectò hæc ratio D. Thom. nec eſt euidens, nec facilis: Quoniam capacitas animæ ad recipiendam intenſionem gratiæ, videtur eſſe infinita; cum poſsit intenſiorem gratiam in infinitum ſuſcipere. Rurſus ratio hæc D. Thom. per ſe eſt difficilis, & ſupponit alias rationes, propter quas repugnat creaturæ infinita perfectio intenſiua. Quare quà putant gratiam ſeparatam & ſecundum ſe, non vero inhærentem ſubiecto, poſſe eſſe infinitam, ſine probabilitate vlla loquuntur, vt egregiè adnotauit Gregor. in

*Gregor.*

1. diſtinctione. 17. quæſtione. 6. concluſione. 3. in fine, & Gabriel, quæſtione octaua, concluſione tertia, & quarta. Quia fieri non poteſt vlla ratione, vt accidens ſeparatum à ſubiecto, ſit capax maioris intenſionis, quam inhærens, cum dicat eſſentialiter ordinem ad ſubiectum ſecundum omnes ſuos gradus: ergo ſi eſt infinitè intenſum ſecundum ſe totum, eſt aptum inhærere ſubiecto. Item etiam, quia ſi gratia actu infinita, eſt poſsibilis, cum gradus eius inter ſe formaliter minimè repugnent, pari ratione, nec in eodem ſubiecto ſimul eſſe repugnabunt. ¶Dicendum tamen eſt probabiliter Sanctum Thomam vocauiſſe capacitatem hanc ipſius animæ ſimpliciter finitam; quia non poteſt recipere perfectionem actu infinitam quacumque ratione, quod quidem ſupponit oſtenſum fuiſſe, prima parte, quæſtione ſeptima.

*Gabriel.*

Quod autem gratia non poſsit eſſe actu infinita, probari etiam poteſt ex propria ratione ipſius gratiæ, quæ eſt facere gratum, ſeu ſanctum: creatura vero nunquam poteſt, ita eſſe grata & ſancta, quin per opera fieri poſsit gratior, & ſanctior: ergo optimum ſignum eſt, non eſſe capacem infinitæ gratiæ. Hoc argumẽtum non eò me adducitur, vt iudicetur euidens, & demonſtratiuum: Quia ad illud aliqui reſpondent negando minorem, ex eo quod anima Chriſti Domini per gratiam vnionis, ita eſt grata, vt gratior eſſe non poſsit: ergo pari modo idem poſſet affirmari in ſuo genere, de anima infinitè grata per gratiam infinitam actu. Nec ſatisfacit, aut valet dicere, quòd talis anima poſſet multiplicare opera ſanctitatis: Quoniam per ea non fieret ſanctior, vt etiam patet in anima Chriſti, & ſuo modo in Beatis, qui quamuis varia opera virtutis exerceant, non fiunt ſanctiores: ſicut enim illi ratione ſui ſtatus non ſunt capaces augmenti; ita ſiquis gratiam actu infinitam haberet, eſſet etiam illius incapax, ratione infinitæ perfectionis, talis formæ. ¶Quapropter à poſteriori poteſt adduci ratio Theologica: Quoniam ſi gratia Chriſti eſſet actu infinita, pari ratione lumen gloriæ, & viſio beata eius eſſent actu infinita: ac proinde ſequeretur, animam Chriſti Domini cernere Deum, quantum viſibilis eſt ex parte obiecti, videndo in eo quidquid ab ipſo fieri poteſt. Et probatur ſequela: Quia gratiæ reſpondet gloria. Sanè ſi habitui gratiæ, aut lumini gloriæ, non repugnat intenſio actu infinita, pari ratione non repugnabit actui videndi, quantum eſt ex parte illius: ergo ſimiliter non repugnabit potentiam humanam eleuari ad eliciendum illum actum per habitum illum, ſeu principium infinitè intenſum cum auxilio proportionato: Potiſsimè, quia intellectus creatus non concurrit ad viſionem Dei ſecundum menſuram perfectionis naturalis, ſed iuxta menſuram auxilij, & formæ per quam eleuatur: ergo.

Ex dictis colligo, quòd quamuis gratia Chriſti Domini, ſecundum quandam rationem, & dignitatem gratiæ, dici poſsit infinita, vt Sanctus Thomas, de veritate, quæſtione vigeſima nona, articulo tertio, & tertia parte quæſtione. 7. docuit

*S. Thom.*



*Altiſiodor.*

cuit cum Altiſiodor. libr. 3. tractatu. 1. capite quinto, in fine, tamen ex ſola, & præciſa acceptatione extrinſeca vt ſic, non confertur gratiæ propria aliqua dignitas phyſica, ratione cuius dici poſsit infinita. Verum eſt tamen, quòd ſi hæc acceptatio, vel ordinatio non conſideretur vt mere extrinſeca, ſed quatenus per eam fit, vt gratia illa ſit coniuncta diuinæ perſonæ, dici poteſt, gratiam iſtam habere quendam infinitum valorem, ſeu dignitatem ex hac coniunctione, non ſanè quia illi addatur aliquid phyſicum, vel reale diſtinctum ab ipſa, & à perſona diuina, ſeu ab vnione humanitatis ad ipſam: nihil enim tale excogitari, aut fingi poteſt, ſed quia ſecundum moralem æſtimationem, quandam excellentiam & dignitatem habet ex hac coniunctione; ſicut ipſa humanitas habet infinitam dignitatem ex vnione, vt Sanctus Thomas docuit & inſinuauit, prima parte, quæſtione vigeſima quinta, articulo ſexto, ad quartum. Sicut etiam operationes Chriſti Domini ex eadem radice, ſeu coniunctione, habent infinitum valorem in eſſe meriti: Quia vnio illa ad Verbum quaſi eleuat, & nobilitat quidquid ei coniungitur, ſecundum capacitatem & modum vniuſcuiuſque. Ac proinde, cum opus bonum morale ſit meritorium, tribuit ei valorem infinitum in illo ordine: Et quoniam opus pœnale eſt ſatisfactorium, idcirco dat illi in genere ſatisfactionis infinitatem quandam. Vnde cum gratia ex propria eius ratione, habeat facere gratum & dilectum, ideo per vnionem hanc, quendam accipit valorem & dignitatem, ratione cuius cenſetur facere infinitè gratum, & hoc eſt habere quandam infinitatem in eſſe gratiæ in ordine ad vnionem.

*Aduerſarij obiectio.* Sed obijciunt aduerſarij contra concluſionem. Deus poteſt facere gratiam intenſiorem in infinitum: ergo tota latitudo gratiæ, quam Deus comprehendit vt poſsibilem, continet infinitos gradus gratiæ, alias ſi eſſent finiti, ad eos poſſet terminari gratiæ augmentum: igitur illa gratia infinita, eſt poſsibilis: ergo non repugnat, quòd Deus illam conferat creaturæ, ac proinde animæ Chriſti: Nam Chriſto propter vnionem, debetur gratia habitualis, & non debetur illi in aliquo gradu finito: quia cum gratia vnionis ſit infinita, & altioris ordinis, excedit quemcunque gradum finitum gratiæ habitualis, & ob id ex parte illius non poteſt aſsignari terminus in gratia habituali, & conſequenter fit, vt ſi gratia hæc infinita eſt poſsibilis, nulla ratione poſsit negari, quin de facto data ſit animæ Chriſti.

*Reſpon.* Reſpondetur negando poſſe fieri gratiam actu infinitam: Nam quamuis gratia poſsit in infinitum augeri, tamen tota latitudo gratiæ, quam Deus vt poſsibilem cognoſcit, & comprehendit, non eſt vna aliqua certa gratia, ſed ſunt gratiæ in infinitum multiplicabiles, quarum vna poteſt eſſe intenſior alia, nulla tamen earum cognoſcitur, quæ poſsit eſſe actu infinita. Et pari modo quamuis cognoſcatur, poſſe fieri additionem cuicumque gratiæ in infinitum, non tamen cognoſcitur, poſſe illi fieri additionem ſimpliciter infinitam, ſicut in phyſicis diximus de quantitate continua, vel diſcreta. ¶Quod ſi interroges de tota illa latitudine ſimul ſumpta, reſpectu eiuſdem numero gratiæ, quia tunc ſi producatur, efficiat gratiam actu infinitam, Reſpondetur illam non eſſe cathegorematicè, ſeu actu infinitam, ſed ſyncathegorematicè, ſeu in potentia, vt alibi fuſius diximus: Atque ita fit, vt tota ſimul actu, non poſsit in re ipſa conuenire alicui gratiæ: Quia, videlicet, hoc repugnat rationi infiniti in potentia, & etiam quia illa tota latitudo ſimul ſumpta, eſt veluti quid indeterminatum, vt ſupra diximus, quod non poteſt cadere vt ſic ſub actione, & intentione agentis.

*Octaua concluſio.*

*Concluſ. 8.* OCtaua concluſio. Gratia Chriſti, eſt ſimpliciter infinita in genere gratiæ, & ſecundum ordinem moralem; at verò phyſicè, & ſecundum ordinem naturæ ipſius gratiæ, nullam habet infinitatem. Hæc aſſertio præcedentibus coniuncta, fugat dubia, & diſſoluit pleraſque argumenta, habetque duas partes, prior eſt, quòd eſt infinita in genere gratiæ ſecundum ordinem moralem; poſterior eſt, quòd non eſt infinita phyſicè. Prima autem pars perſuadetur, & declaratur: Quia gratia Chriſti eſt principium infiniti meriti, & infinitæ ſatisfactionis, imò verò eſt principium gratificatiuum infinitorum hominum, ſi infiniti poſſent eſſe: igitur habet infinitam virtutem moralem: ergo talis gratia Chriſti eſt infinita in ordine morali. Antecedens eſt D. Thom. 3. parte, quæſtione. 7. articulo. 11. ad. 2. & recipitur communiter à Theologis. Conſequentia autem probatur. Quia omnes iſti effectus habent infinitatem in eſſe morali: ergo gratia quæ eſt cauſa, & principium illorum, conſimilem habet infinitatem; Imò, cùm effectus perfectiori modo ſit in ſua cauſa, quam in ſe ipſo, neceſſe eſt dicere, hanc infinitatem moralem eminẽtiori modo reperiri in gratia Chriſti, quam in ſuis effectibus. Dixi notanter, gratiam Chriſti habere hanc infinitatem moralem in genere gratiæ: Quoniam hæc infinitas moralis, non eſt extra propriam rationem gratiæ, quia gratia non ſolum habet, quòd ſit forma tribuens participium diuinæ naturæ modo phyſico, & entitatiuo, ſed etiam eſt moralis forma, quæ ex ſua natura eſt principium primum meriti & ſatisfactionis, conſtituitque dignitatem quandam moralem in ipſo operante, vt vidimus.

¶Secunda autem pars concluſionis patet. Primò ex his quæ dicebamus concluſione præcedente. Secundò patet: Quia ſuppoſitum, vt ſic, nihil reale effiecit in natura ipſa quã ſuſtentat, præter hoc, quòd eſt terminare, & complere ipſam naturam, quod quidem non eſt aliqua efficientia: igitur Verbum diuinum, quatenus ſuſtentat naturam humanam vt ſuppoſitum eius, nihil reale efficit in ipſa natura, & ex conſequenti neque in illis habitibus, quibus natura exornatur. Rurſus, ex diuino ſuppoſito nulla intrinſeca realitas phyſica prouenit in gratia Chriſti, per quã poſsit eſſe infinita intrinſecè, & entitatiuè: ergo. Præterea perſuadetur. Si Verbum diuinum relinqueret humanitatem, gratia quæ tunc perſeueraret in anima, nullam retineret infinitatem, vt omnes fatentur: ſed in tali

casu gratia nullam entitatem sibi intrinsecam amit teret: ergo neque modò habet eiusmodi entitatem intrinsecam, per quam sit physicè & entitatiuè infinita. Tandem confirmatur conclusio, ex his quæ Theologi docent, tertia parte, quæstione septima, articulo. 9. 10. 11. &. 12. de plenitudine gratiæ Christi: dicunt enim omnes, quòd gratia ex vnione ad verbum, nullam aliam entitatem, aut perfectionem accipit, nisi dignitatem quandam, quæam reddit infiniti valoris, & quæ illam constituit in ratione principij infiniti meriti, & in ratione principij gratificatiui infinitorum hominum: sed huiusmodi dignitas moralis est, & non physica, vt apertè constat: ergo, &c. Quòd verò ex vnione ad verbum non alia perfectio accrescat gratiæ, nisi hæc dignitas, de qua loquimur, docet re vera Pater Medina, tertia parte, quæstione septima, loco citato.

### *Obiectiones contra hanc assertionem octauam.*

*Argum. 1.* SVnt tamen grauissima argumenta contra præfatam assertionem octauâ suprà positam, quæ necessè est vt à nobis dissoluantur. Primum est. Infinitum simpliciter est illud, extra quod non est aliud accipere: ergo si gratia Christi est infinita simpliciter in esse gratiæ, non erit accipere aliam gratiam extra Christum, & consequenter incidimus in errorem Lutheri asserentis, neminem iustificari per iustitiam & gratiam inhærentem, sed per extrinsecam imputationem.

¶ Dices, quòd vt gratia Christi sit simpliciter infinita in esse gratiæ, satis est, quòd extra eam non possit sumi aliqua gratia, quæ non contineatur eminenter, & virtualiter in ipsa; sicut Deus simpliciter est infinitus, in ratione entis, & vt talis sit, sufficit quòd nullum ens reperiatur, aut sit extra Deum, quod in ipso Deo non contineatur eminenter; & pari ratione gratia, quæ reperitur in omnibus hominibus, continetur eminenter in ipsa gratia Christi, sicut est quædam participatio gratiæ Christi. ¶ Sed contra, sic argumentor. Nam sequitur ex hac solutione, primò, gratiam Christi esse simpliciter alterius rationis, & speciei à gratia nostra: consequens non videtur admittendum. Probatur sequela: Quia gratia nostra per se loquendo est participatio gratiæ Christi, & continetur in illa tanquam in forma eminentiori: ergo est alterius speciei à gratia Christi. Secundò sequitur, gratiam angelorum, & gratiam collatam Adæ in statu innocentiæ, non fuisse participatam à gratia Christi, & consequenter non contineri eminenter in illa: Nam illa gratia non fuit collata angelis, & primo Parenti ex meritis Christi: ergo non continetur eminenter in illa: ergo extra gratiam Christi possumus accipere aliquam aliam gratiam: ergo gratia Christi non est infinita. Et confirmatur. Nam si alia persona diuina assumeret naturam creatam humanam, vel angelicam, tunc gratia reperta in natura illa ita assumpta, nec esset participata, neque participabilis à gratia Christi: ergo extra gratiam Christi possumus accipere aliam gratiam, quæ in ipsa non contineatur, aut formaliter, aut eminenter.

Secundò principaliter arguitur. Gratia Christi ob id à Sanctissimo Præceptore dicitur infinita, quia disponit naturam humanam ad vnionem hypostaticam Verbi: sed hæc ratio non est sufficiens, vt gratia sit infinita simpliciter in esse gratiæ: ergo. Probatur minor: Quia ex hac ratione tantum colligitur gratiam esse infinitam denominatione quadam extrinseca, scilicet, ratione diuini esse personalis, ad quod disponit: ergo. Et confirmatur. Quoniam Sanct. Thom. 3. parte, quæstione. 10. articulo. 4. ad. 3. docet, quòd visio beatifica Christi non potest esse maior, & in hac parte æquiparat Sanct. Thom. visionem beatificam gratiæ, de qua dicit, quòd non potest esse maior gratia, quam gratia Christi per respectum ad vnionem: Sed certum est, visionem beatificam animæ Christi non esse simpliciter infinitam in ratione visionis, sed secundum quid solum: igitur gratia non est simpliciter infinita, in esse gratiæ, ex eo quòd disponat ad vnionem hypostaticam. *Secund.* *Confirm.*

Tertiò arguitur. Gratia Christi non est principium meriti infiniti, aut infinitæ satisfactionis: ergo gratia Christi non est infinita. Consequentia est aperta: Quia ex eo dicitur à Theologis gratiam esse infinitam, in esse gratiæ, quia est principium infiniti meriti, aut infinitæ satisfactionis, vt Sanct. Thom. insinuat. 3. part. quæstione. 7. articulo. 11. in solutionibus argumentorum. Probatur antecedés: Quia tota infinitas meriti, aut satisfactionis Christi, reducenda est ad infinitatem diuini suppositi: ex eo namque meritum Christi est infinitum, quia procedit à supposito infinito: ergo gratia non confert infinitatem merito, aut satisfactioni Christi, sed talis infinitas procedit à supposito infinito Christi, vt sic. *Tertium.*

Quarto arguitur. Charitas Christi non est infinita in esse charitatis: ergo neque gratia in esse gratiæ. Patet consequentia: Quia charitas oritur à gratia, tanquam propria passio eius: igitur si gratia in esse gratiæ esset infinita, refunderet suam infinitatem ad charitatem, quia passio proportionatur essentiæ. Probatur antecedens: Quia charitas Christi finitè diligit Deum: ergo in esse charitatis finita est. Patet hæc consequentia: Quia tota ratio charitatis consistit in hoc quòd est diligere Deum super omnia. Et confirmatur: Quia visio beatifica animæ Christi, ex eo est simpliciter finita, in esse visionis, quia anima Christi finitè videt Deum: ergo cùm etiam finitè diligat Deum, eius charitas simpliciter est finita in esse charitatis. Patet consequentia: Quia ita se habet diligere ad charitatem, sicut videre ad visionem beatam, & ad lumen gloriæ. *Quartum.* *Confirm.*

Quintò. Gratia Christi non dimanat ab vnione hypostatica per modum propriæ passionis: ergo gratia non est in Christo, tanquam in proprio, & adæquato subiecto, & consequenter falsò dicunt plerique Theologi doctissimi, quòd gratia Christi habet infinitatem in esse gratiæ, quatenus in proprio & adæquato subiecto, sicuti lux dicitur habere totam lucis plenitudinem in Sole, quia *ibi* est in suo proprio subiecto, à cuius essentia dimanat. *Quintum.*

Antecedens infra ostendetur à nobis, cùm peruenerimus ad solutionem argumenti.

Solutio



### *Solutio argumentorum, & obiectionum præcedentium.*

DIfficilis est solutio ad proposita argumenta, difficilis etiam est, & recondita doctrina Sanctissimi Præceptoris de infinitate gratiæ Christi. Quia, tertia parte, quæstione. 7. articulo. 11. fine distinctione vlla docet, gratiam Christi in esse gratiæ posse dici infinitam. Vnde iuxta ipsius mentem, non solùm gratia in esse morali, verum etiam in esse physico & entitatiuo, videtur esse infinita, cuius oppositum de infinitate physica, & entitatiua, diximus conclusione septima. Imò verò, idem Sanctissimus Præceptor, tertia parte, loco citato, articulo. 9. 10. 11. &. 12. videtur affirmare, gratiam Christi esse infinitam, prout est dispositio ad esse personale Verbi in natura humana; gratia autem Christi est dispositio ad esse personale Verbi in natura humana, secundum esse physicum & entitatiuum. Ex quo videtur in sententia Diui Thomæ, quòd gratia Christi non solum sit infinita moraliter; sed etiam physicè, & entitatiuè. Nam profectò, gratia ex eo est dispositio ad esse personale Verbi, quia constituit animam Christi in esse supernaturali, & diuino eiusdem ordinis cum esse personali Verbi; & ita videtur, quòd disponat secundum proprium esse physicum & entitatiuum.

Verùm vt hanc D. Thom. doctrinam aperiamus, simulque eius mentem, & vt paremus viam ad dissoluenda facta argumenta, aduerte, gratiam Christi in sententia Diui Thomæ, duplici ratione esse infinitam. Primò sanè quatenus in Christo habet omnem effectum, ad quem se potest extendere virtus gratiæ, sicut lux Solis dicitur infinita in ratione lucis, quia se extendit ad omnes effectus possibiles lucis, & quia habet totam illam intensionem, & extensionem, ad quam potest lux pertingere. Verum tamen est, quòd inter lucem Solis, & Christi gratiam, magna versatur differentia, quantum attinet ad hanc infinitatem. Nam lux Solis habet terminum intensionis, & extensionis & virtutis, determinatum, & præfixum secundum naturæ ordinem, & secundum propriam essentiam lucis, eò quòd dimanat ab essentia Solis; quæ est finitæ & limitatæ virtutis; Cæterùm gratia ex propria sui ratione nullam habet limitationem, vt communiter docent doctissimi Theologi contra Scotum, Durandum, & Caietanum; Quia cùm gratia sit participatio infinitæ naturæ diuinæ, non potest assignari ratio, ex qua accipiatur & desumatur limitatio ipsius gratiæ ad certum, & determinatum, seu limitatum terminum. Quapropter, limitatio gratiæ ad certum gradum intensionis, extensionis, & virtutis, ad solam legem Dei positiuam, & ad determinatum ordinem gratiæ referenda est: Igitur Sanctissimus Præceptor, idcirco vocat gratiam Christi infinitam in esse gratiæ, quia continet supremum illum gradum intensionis, & virtutis, ad quem potest pertingere gratia secundum ordinem præscriptum à lege diuina, quem ordinem appellamus ordinariam potentiam. Et hæc infinitas, quamuis vtrumque esse gratiæ comprehendat, nempe, & physicum, & morale, tamen non est infinitas simpliciter, quia ad hanc infinitatem per accidens est, quòd gratia habeat simpliciter intensionem infinitam, aut virtutem infinitam, sed satis erit, quòd habeat omnem illam, quæ haberi potest secundum ordinem gratiæ à Deo statutum, & prædefinitum. Et quoniam Sanctus Thomas, tertia parte, quæstione septima, articulo vndecimo, loquebatur de hac infinitate, non dixit absolutè, gratiam in ratione gratiæ esse simpliciter infinitam, sed quòd dici potest infinita. Quibus verbis insinuat, & designat, non esse simpliciter infinitam.

¶ Secundò quidem in eadem sententia D. Thomæ, gratia Christi dicitur infinita, & est infinita, propter coniunctionem ad Verbum, ex qua coniunctione participat infinitam quandam dignitatem & virtutem, ita vt possit esse principium infinitatis in satisfactione, & merito. Imò verò, quantum est ex parte ipsius gratiæ Christi, poterat esse causa infinitæ gratiæ in hominibus, si possibilis esset in illis tanta gratia. Hæc tamen infinitas gratiæ Christi, est simpliciter infinitas moralis; non tamen physica. Sed aduerte, hanc infinitatem esse realem perfectionem gratiæ, & illi intrinsecam iuxta modum, quem Theologi explicant infinitatem satisfactionis Christi Domini: infinitas enim in operibus Christi, desumitur à Verbo diuino, non quidem prout erat causa physica, & naturalis operationum, sed prout in ratione suppositi eliciebat moraliter operationem satisfactoriam, & quia valor ille infinitus desumitur per ordinem ad infinitam Dei acceptationem, qua acceptabat omnem Christi operationem, æstimans illam æstimatione infinita. Quòd autem moralis illa entitas infinita desumatur ex infinitate Verbi in ipsa operatione, quatenus procedebat ab illo, tanquam à supposito, id certum est: quia commune est omni operationi morali, vt eius dignitas & æstimatio moralis à dignitate suppositi desumatur, quemadmodum reuerentia exhibita à Rege suam æstimationem non desumit à principio formali, à quo procedit, sed ab authoritate personæ regiæ. Quòd si regalis illa authoritas esset perfectio realis suppositi Regis, proculdubio dignitas, & valor qui refunderetur in reuerentiam à Rege exhibitam, etiam esset dignitas, & perfectio realis. Sic ergo in proposito, infinitas realis diuini suppositi operantis per naturam humanam, refundit infinitam dignitatem in opera Christi satisfactoria, & meritoria, in ratione satisfactionis & meriti; & pari modo in sua proportione dicendum est de gratia Christi, & de infinitate eius secundum ordinem moralem. Quocirca, infinitas in satisfactione & merito, non ab humanitate, sed à suppositi infinitate desumitur. Et quidem moralis infinitas gratiæ & satisfactionis Christi, non est entitas realiter distincta ab ipsa substantia satisfactionis & gratiæ, sed tantum formaliter, habetque modum relationis, in hoc, quòd ipsa non per se primò sit, sed consequitur ad substantiam satisfactionis, prout progreditur à Verbo operante per naturam humanam in ratione sup-

positi eius. Vndè, proportio requisita ex parte gratiæ ad infinitatem, in hoc sita est, quòd gratia habet coniunctionem ad Verbum, & in hoc, quòd humanitas eadem gratia affecta, sit vnita hypostaticè Verbo, ita vt verbum, tanquam suppositum per illam operetur; Ex qua proportione proueniente ex vnione illa, resultat moralitas infinita, quæ ab ipso supposito desumitur immediatè. Et hoc insinuauit Caietanus cùm dixit, satisfactionem Christi fuisse infinitam personaliter, & suppositaliter; id est, esse infinitam infinitate immediatè à supposito desumpta.

¶ Ex dictis duo colligo: Primum est, quòd gratia Christi, ex eo quòd est ordinis infiniti, & eiusdem ordinis cum Verbo diuino, apta nata est ex propria ratione sui, vt participet eiusmodi infinitatem moralem realem, & sibi intrinsecam, ac proinde eiusmodi infinitam dignitatem moralem realem. Secundò colligo, iure optimo Sanctissimum Præceptorem gratiam Christi appellauisse infinitam in ratione gratiæ, cùm ipsa sit simpliciter infinita, in genere gratiæ, secundum ordinem moralem. ¶ Sunt tamen nonnulli Theologi, qui putant ex sententia Diui Thomæ, esse satis verosimile, quòd gratia Christi dicatur infinita simpliciter in esse gratiæ, non quia complectatur omnem possibilem rationem, gratiæ, aut infinitos gradus perfectionis, sed quia intra genus gratiæ habet aliquam infinitatem, illam videlicet, quam hactenus dicebamus esse moralem, quæ est simpliciter infinitas.

*Ad primũ.* His ergo ita præmissis, oportet factas obiectiones & argumenta dissoluere. Ad primum respondetur, quòd in infinito, quod est simpliciter infinitum in aliquo genere, secundum omnem rationem illius generis, vera est illa propositio, nempe, quòd extra infinitum non est aliud accipere, verbi gratia; si daretur quantitas, quæ esset infinita secundum omnem dimensionem latitudinis, longitudinis, & profunditatis; tunc extra illam non esset accipere quantitatem aliam: Cæterùm in infinito, quod est infinitum in aliquo genere secundum limitatam, & peculiarem rationem, illa propositio non habet verum; Vt si, verbi gratia, daretur per impossibile linea infinita, non esset aliquod inconueniens, quòd extra illam daretur alia linea finita, imò verò infinita. Quocircà, cùm Christi gratia non sit simpliciter infinita omnibus modis in genere gratiæ, sed secundum peculiarem rationem moralem, vt dictum est, non est inconueniens, quòd extra gratiam Christi possit dari alia gratia, siue finita, qualis est gratia angelorum, siue infinita, qualis esset gratia illa, quam haberet persona Patris si fieret homo, vel si fieret angelus.

¶ Secundò dicere possumus ad præfatum primum argumentum, quòd solutio ibi assignata inter arguendum, est valde rationabilis & legitima. Vndè ad priorem replicam, dico, quòd gratia Christi in genere morali, in quo diximus esse infinitam, alterius rationis est & alterius speciei à gratia nostra: At verò in esse physico & entitatiuo est omnino eiusdem rationis. Magister Medina, *Medina.* tertia parte, quæstione septima, articulo vndecimo, & duodecimo, dicit ad hanc eandem replicam, quòd sicut calor ignis, & calor aquæ simpliciter sunt eiusdem speciei, sed nihilominus calor, prout est in igne, quia est in proprio, & adæquato subiecto, induit quendam modum perfectionis, ad quem non valet attingere calor aquæ, & ita differunt specie secundum quid isti duo calores, scilicet, ratione cuiusdam modi participati ex subiecto: Sic ergo in proposito dici potest, quòd gratia Christi, & nostra sunt simpliciter eiusdem speciei; differunt tamen specie secundum quid, ex eo quòd Christi gratia induit quendam modum perfectionis moralis, eò quòd sit in proprio, & adæquato subiecto, & quatenus est quædam proprietas Christi, ad quem modum attingere non potest gratia cæterorum hominum, aut angelorum. ¶ Et ad secundam replicam eiusdem argumenti dicendum, quòd gratia Christi, quantum est ex se, poterat esse causa gratiæ angelorum, & primi parentis, quòd autem de facto collata fuerit angelis gratia independenter à Christo, & ab eius gratia, fuit dispositum ex diuino beneplacito, & fuit peraccidens in ordine ad gratiam Christi, quòd non assumeretur à Deo, vt causa totius gratiæ hominum & angelorum.

*Ad confir.* ¶ Ad confirmationem eiusdem primi argumenti dicendum, quòd gratia illa, quam Pater haberet si fieret homo, non haberet aliam infinitatem formaliter distinctam ab infinitate, quam habet gratia Christi, quia eius infinitas desumeretur ab infinita dignitate suppositi Patris; dignitas autem ipsius suppositi paterni, par est, & omnino eadem cum dignitate suppositi filij, à quo desumitur infinitas gratiæ Christi, & ita formaliter gratia Christi, & gratia Patris in illo casu reputarentur eadem gratia secundum esse morale, in quo habent infinitatem, & essent vnicum, & idem principium cuiuscumque alterius gratiæ in esse morali. Sed obserua, quòd gratia Patris in illo casu, materialiter, & entitatiuè considerata, & non prout esset in tali supposito, re vera contineretur virtualiter in infinitate morali gratiæ Christi; Quod sic explicatur: Christus enim potuit mereri, vt si Pater relinqueret illam naturam assumptam, nihilominus perseueraret, & permaneret in illamet natura eadem gratia, quam antea habebat Pater secundum eandem intensionem, & secundum omnem perfectionem physicam, quam priùs habebat. Imo verò, ipsamet gratia Christi, physicè & entitatiuè considerata, virtualiter continetur in infinitate morali ipsiusmet gratiæ; quia Christi meritum potuit se extendere ad hoc, si Christus voluisset, vt eademmet gratia cum omni sua perfectione physica, quam modo habet in Christo, permaneret in humanitate Christi à Verbo relicta: Et hoc est satis, vt Christi gratia censeatur simpliciter infinita in esse morali, & quòd non sit accipere extra illam, aliquam aliam gratiam.

¶ Tertiò possumus respondere ad idē primũ argumentũ, quòd extra infinitum nó est accipere aliud, quod sit eiusdē rationis cũ ipso infinito, quatenus infinitum est; cæterùm optimè possumus accipere aliud, quod sit alterius rationis ab ipso infinito formaliter



sumpto, vt autem ex dictis constat, gratia Christi secundum quòd est infinita in esse morali, est alterius rationis à gratia nostra, & angelorum, & ita non repugnat infinitati gratiæ Christi, quòd extra illam accipiamus gratiam angelorum & nostram, vt satis aperuimus suprà.

*Ad secundũ.* Ad secundam obiectionem, seu argumentum respondetur, Christi gratiam non esse dispositionem antecedentem vnionem, sed concomitantem, vt Theologi docent. 3. part. quæst. 7. artic. 13. & quatenus concomitatur hypostaticam illam vnionem, competit illi duplex illa infinitas à nobis explicata in gratiam, & fauorem Diui Thomæ, statim in exordio responsionis ad argumenta; si qua autem alia infinitas tribuatur gratiæ, prout est dispositio concomitans vnionem, non poterit esse intrinseca gratiæ, sed per denominationem ab extrinseco, scilicet, ab infinitate Verbi diuini; quemadmodum docet Sanctissimus Præceptor, prima parte, quæstione. 25. articulo. 6. ad 4. Vbi ait, Christi humanitatem ex vnione ad Verbum induere infinitam dignitatem, qua maior excogitari non potest, quæ sanè infinitas nihil reale intrinsecum ponit in Christi humanitate. Rursus aduerte, quòd licet gratia secundum suam entitatem sit proportionata & conueniens dispositio ad vnionem Verbi cum humanitate, eò quòd est eiusdem ordinis cum ipso Verbo; tamen non est dispositio adæquata secundum suam entitatem præcisè sumptam, & idcircò in ratione dispositionis non habet infinitatem simpliciter physicè & entitatiuè. *Ad confir.* ¶ Per hoc patet solutio ad confirmationem. Concedimus namque intentum, nempe, gratiam intrinsecè & entitatiuè non esse simpliciter infinitam.

*Ad tertium* Ad tertium argumentum respondetur, negando antecedens: & ad probationem dico, quòd infinitas meriti & satisfactionis Christi reducitur quidē ad suppositum diuinum, tanquam ad primam radicem; cæterùm tanquam ad proximam & immediatam causam, reducitur ad gratiam habitualem Christi, per quam anima Christi induit infinitam dignitatem moralem; ita sanè vt hæc propositio, Christus in quantum homo, est infinitè gratus gratia habituali, à Catholicis Theologis plerisque fine formidine concedatur, licèt Pater Medina oppositum sentiat. 3. parte, quæstione. 7. articulo. 11. vel. 12. Sed sanè multi Theologi dicunt, eum absque ratione id dicere. Quia effectus formalis formæ alicuius, debet esse proportionatus ipsi formæ. Quocircà, si gratia habitualis Christi est forma infinita in esse gratiæ, iuxta modum superiùs positum, negari non debet, neque potest, quin Christus dici possit infinitè gratus in quantum homo, per habitualem illam gratiam, quam diximus esse simpliciter infinitam in genere gratiæ, secundum ordinem moralem.

*Ad quartũ.* Ad quartum, non est vna & eadem sententia inter discipulos D. Thom. Nam plerisque placet dicere, charitatem Christi esse infinitam in ratione charitatis, ad eum modum quo gratia Christi est infinita in esse gratiæ. Quæ doctrina desumitur ex Alti- *Altisiodor.* siodor. lib. 3. tractat. 1. cap. 5. Et probatur: Quia charitas oritur à gratia, vt propria passio eius: ergo proportionatur gratiæ in sua infinitate. Rursus secundò: Charitas vt sic, est principium meriti, vt Theologi dicunt in quæst. 114. de merito: sed Christi meritum est infinitũ: ergo charitas Christi fuit infinita in ratione principij meriti infiniti, & ex cõsequenti in ratione charitatis. De qua re aliquid dicemus paulò inferiùs hic. ¶ Alij tamen Theologi ex familia D. Thom. oppositum docent, idque non leuiter probant ex quarto argumento cum sua confirmatione. Et præterea, Omnes virtutes tam infusæ, quam acquisitæ, quæ sunt in anima Christi, sunt finitæ simpliciter loquendo, secundum proprias & formales rationes: ergo id ipsum est dicendum de charitate secundum propriam rationem charitatis. Patet antecedens: Nam nullus hactenus dixit, quòd temperantia Christi sit infinita in ratione temperātiæ, & idem est in alijs virtutibus. Ratio autem à priori, cur gratia in esse gratiæ est infinita, charitas verò in esse charitatis non est infinita, imò verò cur nulla virtus Christi est infinita in suo esse formali virtutis; est huiusmodi. Nam charitas, & quæcumque alia virtus, per se primò est principium proximum operatiuum; ac proinde eius infinitas si aliqua est, pensari debet secundum propriam rationem formalem principij operatiui: sed charitas non est infinita in ratione principij operatiui, quia finitè diligit Deum, & non quantum diligibilis est; poterat namque Deus producere charitatem aliam, quæ magis & intensiùs Deum diligeret, quam diligitur à charitate creata Christi, & simile iudicium est de alijs virtutibus. Nam quæcumque virtus animæ Christi, finitè attingit proprium obiectum; cæterùm gratia per se primò non est principium operatiuum, sed est forma dans esse supernaturale, ad quam proinde per se pertinet dignitas supernaturalis. Quapropter, cùm humanitas Christi per gratiam eleuetur ad infinitam dignitatem, simpliciter oportet dicere, gratiam Christi infinitam esse in ratione gratiæ. Sed aduertendum est, quòd Christi humanitas nudè considerata, denominatione quadam extrinseca, dicitur habere infinitam dignitatem per coniunctionem ad Verbum, vt ex Sancto Thoma suprà retulimus: Eadem tamen humanitas quatenus exornatur gratia, habet hanc eandem infinitam dignitatem, per intrinsecam & formalem inhærentiam; & ita gratia ex coniunctione ad Verbum habet, quòd eleuet naturam humanam ad infinitam dignitatem, vt dictum est. ¶ Tandem potest confirmari hæc Thomistarum sententia: Quia charitas, seu virtus ordinatur ad operationem, & non ad ipsum esse personale, sicut gratia habitualis: Operatio autem est finita, esse vero personale est infinitum: ergo, &c.

Quocircà, argumentum quod desumitur ex Altisiodor. non concludit. Quoniam charitas oritur, & dimanat à gratia secundum essentialem & physicam rationem ipsius gratiæ, secundum quam suprà diximus, gratiam Christi esse simpliciter finitam. Verum tamen est, quòd sicut gratia Christi physicè considerata habet hanc infinitatem, quòd obtinet in Christo omnem intensionem & virtutem, quæ possibilis est secundum legem ordinariam Dei. Pari etiam ratione charitas in ratione charitatis habet proportionatam, & similem infinitatem, quæ tamen infinitas est secundum quid; & idem iudicium est

de cæteris virtutibus animæ Christi. Ad id verò, quod secundo loco objicitur de charitate Christi, quæ est principium sui meriti infiniti, & consequenter, quòd debet esse infinita; respondetur, quòd charitas in Christo fuit principium meriti quantum ad substantiam meriti; cæterùm infinitas meriti, & satisfactionis Christi, non est pensanda ex perfectione charitatis, sed ex dignitate personæ merentis, & ex infinitate gratiæ, quæ constituit humanitatem Christi infinitè gratam. Ex his dissolui tur quartum argumentum suprà tactum, & de hac solutione legendus est Sanct. Thom. de verit. q. 29. artic. 3. ad. 4.

Recentiores tamen Theologi de hac re non aliter loquuntur de charitate, quam de gratia: Sentiunt enim, quòd sicut gratia, ex eo quòd est coniuncta diuinæ personæ, habet quãdam infinitatem; quendamque infinitum valorem, seu dignitatem, ex ipsa coniunctione, & vnione ad diuinam personam; quia vnio ad Verbum, quasi eleuat, & nobilitat quidquid illi coniungitur, iuxta vniuscuiusque modum, & capacitatem: Sic censent de charitate & virtutibus moralibus animæ Christi, de quibus affirmant habere quandam infinitatem in suo genere ex vnione ad Verbum: Quia ex tali vnione etiã habent infinitam quandam dignitatem; quoniam re vera etiam ordinantur ad vnionem ipsam, vt videlicet sint ornamenta quædam, & bonæ dispositiones Verbi incarnati. Rursus etiam sunt principia meriti infiniti: Nam iustitia, vel religio in Christo, propter vnionem ad Verbum, habet vt sit perfecta iustitia respectu Dei, & perfecta gratitudo, seu gratiarum actio æqualis beneficijs acceptis: Hæc autem est infinita quædam dignitas talis virtutis. Et pari modo obedientia Christi, & humilitas eo quod sunt Verbi Dei, recipiunt quandam inæstimabilem dignitatem; nam quod intelligimus in operationibus ipsis, proportionabiliter ipsis virtutibus seu habitibus accommodari debet, & par ratio est de alijs omnibus iuxta capacitatem eorum.

¶Sed dices, ex hoc sequi, pari modo omnia accidentia humanitatis Christi, habere aliquam infinitatem ratione vnionis ad personam Verbi, propter vnitam ei humanitatem. Respondetur, non eodem modo esse loquendum de quibuslibet accidentibus, & naturis: Nam si Verbum assumeret naturam irrationalem, illa quidem ratione vnionis, haberet quandam excellentiam, quatenus verè esset natura Verbi illi vnita, licèt dignitas illa non pertineret ad moralem, & propriam sanctificationem talis naturæ: Quia non est capax illius; sicut est natura rationalis: Simili ergo modo in proposito accidentia omnia, quatenus sunt aliquo modo Verbo coniuncta, inde habent dignitatem quandam singularem, ratione cuius singulari reuerentia, & veneratione sunt tractanda, quæ quidem dignitas dicitur suo modo infinita: cæterum hæc non pertinet in omnibus accidentibus ad dignitatem moralem, quæ conducit ad meritum, & ad moralem valorem honestarum operationum, quoniam non omnia sunt capacia huius valoris, sed tantum operationes ipsæ liberæ, aut earum principia, quatenus talia sunt. Ex quibus colligo hunc modum dicendi recentiorum, non esse improbabilem, & quòd per doctrinam hic traditam dissolui possunt obiectiones Thomistarum.

Ad quintum quod est difficile, in quo, ea insinuatur difficultas, Vtrùm gratia habitualis Christi sequatur ad gratiam vnionis veluti propria passio eius, per simplicem quandam emanationem, aut resultantiam; plerique Theologi grauissimi putant, gratiam Christi dimanare ab vnione hypostatica per simplicem resultantiam, vt proprietatem naturalem, & propriam eius passionem. Idque probant ex illo Ioan. 1. Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre plenum gratiæ; Quibus verbis insinuatur, gratiam, & gloriam animæ Christi consequi ad esse personale filij Dei in humana natura assumpta. Secundò probant ex Sanct. Thom. 3. part. quæst. 7. artic. 13. ad. 2. dicente, quòd gratia habitualis consequitur gratiam vnionis, tanquam naturalis eius proprietas, & inducit D. August. in Enchiridio, capit. 40. affirmantem, quòd gratia est quodammodo naturalis homini Christo: sed id quod consequitur rem, vt eius proprietas, consequitur per simplicem resultantiam, vt in omnibus proprijs passionibus liquet: ergo. Tertiò probant. Quia Verbum diuinum, est gratum per essentiam: ergo gratia participata per se resultat ex Verbo diuino humanæ naturæ vnito. Patet consequentia: Nam ex eo, quòd Sol est lucidus per essentiam, naturaliter resultat ad præsentiam Solis lux in diaphano per simplicem emanationem: igitur cùm Deus sit gratus per essentiam, & gratia nihil aliud sit, quam diuina quædã lux; sequitur, quòd ad præsentiam Verbi in humana natura, naturaliter, & per simplicem effluxum, dimanat gratia habitualis, quæ est lux quædam diuina participata; Hac Solis & lucis vtitur similitudine Sanctissimus Præceptor. 3. parte, quæstione. 7. articulo. 13. Vbi ait, quòd sicut splendor resultat ex luce Solis, ita etiam resultauit gratia in anima Christi ad præsentiam Verbi: sed splendor simplici emanatione resultat ex luce Solis: ergo. ¶Modò antequam commentaria tertiæ partis in medium proferam, de hac re paucis subijciam quid rationabiliter dici possit. Ad propositam ergo difficultatem ortam ex occasione quinti argumẽti. Primò sentio, gratiã Christi meritò, & iure posse appellari eius proprietatem naturalem. Nam secundum connaturalem ordinẽ gratiæ, debebatur gratia habitualis humanitati assumptæ à Verbo: sicuti motus circularis debetur secundum ordinem naturæ corpori cælesti, & ob id quandoq; appellatur talis motus proprietas naturalis corporis cœlestis, licet vt docet S. Th. de potent. q. 5. art. 5. nõ dimanet per simplicem resultantiam à corpore cœlesti. Rursus etiã, gratia Christi potest appellari eius proprietas naturalis, ob id quòd Christus accepit gratiam habitualem in ipso instanti generationis simul cum ipsa humana natura. Imò verò, in hoc duplici sensu Theologi doctissimi docent, species intelligibiles angelorum, esse proprietates connaturales ipsis angelis. Ita sensit Ferrar. lib. 2. cõtra Gent. cap. 98. & nos. 1. p. q. 55. art. 2. disp. 2. conclus. 2. tom. 2. ¶Sentio secundo, gratiam habitualem reuera non esse propriam passionem dimanantem per simplicem resultantiam ex gratia vnionis. Nam si Christi gratia dimanaret ab vnione hypostatica per simplicem resultantiam;

*Ad quin.*

*Ioan. 1.*

*D. Thom.*

*D. Aug.*

*Ferrar.*

*1. Propos.*



tiã; sequeretur quòd ex vi suæ emanationis haberet certum & determinatum gradum intensionis, iuxta proportionem à qua dimanat: consequens est falsum: ergo, &c. Min. or est manifesta apud omnes eos authores, qui docent, gratiam habitualem secundum se & ex propria natura nullum habere determinatum intensionis gradum, sed posse in infinitum magis ac magis crescere & intendi, & totam determinationem ad certum gradum, desumendã esse ex positiua lege Dei & ex diuina volũtate disponente summum gradum, vltra quem habitualis gratia progredi non potest: Maior autem probatur: Quia natura est ad vnum determinata: ergo illa dimanatio naturalis, quæ est per simplicem resultantiam determinatur ad certum & limitatum gradum; atque adeo si gratia Christi ita dimanauit ab vnione hypostatica, necesse est, quòd ex vi suæ propriæ dimanationis habeat certum gradum intensionis. Et confirmatur: Quoniam propria passio oritur ab essentia, iuxta virtutem, & quantitatem essentiæ: igitur si gratia Christi oritur ex vnione hypostatica, vt propria passio eius, necesse est quòd oriatur in gradu intensionis infinitæ. Quoniam hypostatica vnio à qua dimanat, habet virtutem infinitam. Rursus probatur. Quia omnis propria passio seu proprietas alicuius subiecti, dimanat ab aliqua forma, & non à supposito: sed gratia Christi non dimanat ab aliqua forma per simplicem resultãtiam: ergo non dimanat vt naturalis proprietas Christi. Patet maior: Quoniam suppositum in quantum suppositum nihil efficit, aut producit circa substantiam naturæ, aut circa passiones, sed solum habet complere & terminare naturam quam supposit at. Minor autem probatur: Nam gratia Christi nõ dimanat à forma humana, vt de se patet, neque etiam à forma diuina; Quia si à forma diuina dimanaret immediate, pertineret proculdubio ad totam Trinitatem immediate, & nõ ad solum Verbũ quod non est admittendum: ergo, &c. ¶Sed respondent aduersarij, quòd sicut ex essentia animæ eleuatæ per gratiam, resultant in voluntate charitas, & cæteræ virtutes morales infusæ per modum simplicis emanationis; ita sanè ex natura humana eleuata ad esse personale Verbi resultat gratia simplici emanatione. ¶Verum hæc solutio, neque est efficax, neque satisfacit, quia charitas, & virtutes morales infusæ, non dimanant proprie loquendo ab essentia animæ, sed ab ipsa gratia, quæ est forma eleuans animam ad esse diuinum. Quapropter, vt præfata solutio procederet, oportebat quòd Verbum diuinũ vniretur naturę humanę per modum formæ, ex qua dimanaret gratia; Cæterum hoc est aperte falsum; Quia verbum diuinum vnitur naturæ humanæ, nõ per modum formæ, sed solum per modum suppositi. ¶Profecto, si gratia naturali emanatione oritur à Verbo diuino in natura humana Christi; sequitur quòd diuinum verbum operatur aliquid ad extra per modum naturæ, & non per modum libertatis, quod non consonat fidei: ergo. Sequela probatur: Nam naturalis emanatio alicuius formæ non fit per modum libertatis, sed per modum naturæ. ¶Tandem persuadetur. Quoniam productio gratiæ habitualis in anima Christi, non tribuitur in sacris literis Verbo diuino, sed spiritui sancto; at si dimanaret gratia à Verbo humanitati vnito ex simplici resultantia, potius tribuenda esset Verbo diuino, quã Spiritui sancto: ergo. Minor aperta est; Nam omnia, quæ conueniunt verbo, vt est suppositum humanæ naturæ, ipsi tribuuntur, tanquam proprio principio, & non Patri, aut Spiritui sancto. Maior etiam probatur ex illo Lucæ. 1. Vbi dixit angelus: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi; & subiũgit statim. Ideo, quod nascetur ex te sanctum, vocabitur, &c. Quasi diceret; Quia Spiritus Sanctus interueniet in generatione Christi, idcirco eius humanitas ex vi suæ generationis sanctificabitur per gratiam, & sanctitatem habitualem, quod docet aperte S. Thom. 3. p. q. 7. artic. 13. ¶Et per hoc dissoluũtur duæ primæ obiectiones, quibus aduersarij conantur ostendere, gratiam habitualem esse propriam passionem emanãtem ex gratia vnionis. Vnde, ad tertiam obiectionem eorundem aduersariorum concesso antecedente, negatur consequẽtia. Et ad probationem respondetur, quòd Sol est causa naturalis luminis, & operatur per modum naturæ, per formam effectui proportionatam: lumen namque diaphani oritur ex luce, quæ est in ipso Sole; at vero in nostro proposito vtrumque deficit; Quia verbum non producit gratiam per modum naturæ, sed vt causa libera. Rursus, non vnitur humanitati vt forma, sed in ratione suppositi. Omitto modò, quòd lumen diaphani non dimanat à Sole per simplicem emanationem, seu resultantiam, sed per veram, & propriam actionem physicam. Quia, omnis forma, quæ procedit per simplicem emanationem ab essentia alicuius subiecti, recipitur in eodem subiecto, quia est terminus completiuus generationis, seu productionis illius subiecti. Illud verò quod S. Tho. dicit, vt habetur in eodem argumento, nempe, gratiam Christi ita se habere ad Verbum diuinum, sicut se habet splendor ad lucem Solis, hunc habet sensum, quòd sicut splendor est effectus proportionatus, & eiusdem ordinis cum luce Solis, ab ipsaque deriuatus; ita gratia est effectus proportionatus, & eiusdem ordinis cum Verbo diuino; Nam est participium quoddam diuinitatis. Quocirca, non intelligit Sanctissimus Præceptor, gratiam dimanare à Verbo naturali resultãtia, sicut splendor procedit à luce. Quia alter est effectus liber, alter verò naturalis, & ob id non habent eundem modum procedendi, neque eandem processionem.

*Respondent aduersarij.*

*Impugnatio*

*Lucæ. 1.*

Tandem sentio, quòd quamuis habitualis gratia Christi, dicatur connaturalis Christo, tamen ordine naturæ est posterior gratia vnionis, licet simul tempore cum eadem vnionis gratia, non quòd hæc habitualis gratia dimanet ab hypostatica vnione, per modum physicæ proprietatis necessario dimanantis ab ea; hoc enim esset difficile: Quoniam subsistentia ipsa, Verbi vt sic, non est proprium, & formale principium agendi, ac proinde per se ipsam & immediate, quatenus subsistentia est precise, non habet efficientem influxum in hanc gratiam habitualem, sed solum ratione voluntatis, & omnipotentiæ communis Patri & Spiritui sancto: Nam diuina voluntas, libere cõfert gratiam istam animæ Christi, etiam supposita vnione, quod vt per se, nõ iudico: Quia nihil est, quod diuinæ voluntati tadem

*3. Propos.*

imponat necessitatem. Cuius rei apertum signum est, quòd Deus ex sola sua sapientia, atque libertate, illi contulit tantam gratiam, & non minorem, nec maiorem, vt Theologi omnes fatentur in materia de incarnatione. Quo fit vt gratia hæc non dicatur cónaturalis, quia profluat physice; sed quia ex natura rei, & ex dignitate talis vnionis debetur; ita sane, vt eam non cõferre, sit præter connaturalem ordinem illi vnioni proportionatum.

Quod verò hæc habitualis gratia, fuerit simul tempore cum gratia vnionis, quamuis ordine naturæ sit posterior, quasi ad modum proprietatis connaturalis, id quidem sentit D. Thom. 3. p. q. 7. cum Caiet. eius interprete. Sotus etiam in 4. dist. 19. q. 1. art. 2. Alexand. Alens. 3. p. q. 8. membro 3. art. 4. §. vltimo, D. August. in Enchirid. cap. 40. idem sentit; Quoniam eo loci affirmat, gratiam quodammodo factã esse Christo naturalem ratione vnionis: quæ verba S. Thom. 3. p. q. 7. art. 13. ad 2. intelligit de gratia habituali, & bene quidem: Nam licet possent interpretari de gratia vnionis, tamen Aug. ipse videtur distinguere hãc gratiã, ab ipsa susceptione humanæ naturæ, ratione cuius gratia illa facta est naturalis. Idé docuit D. Cyril. explicans locũ Isaiæ. 11. Et repleuit eum dominus spiritu sapientiæ, &c. Vbi ait Christum habuisse charismata Spiritus sancti, non ad modum aliorum hominum, quasi aduentitia, sed vt sua, & propria. Idé docuit D. Basil. supra illud Psal. 44. Propterea vnxit te Deus oleo lętitiæ. Et idé docuit Dionys. Alexand. in epist. contra Paulum Samosat. Et huc pertinent pleraque testimonia Scripturæ, præcipue illud Ioannis. 1. Vidimus gloriam eius, gloriam quasi Vnigeniti à Patre plenum gratiæ, & veritatis; Quibus verbis videtur insinuari, dona hæc manasse ex susceptione humanitatis, & Christum habere hanc gratiam, quia est vnigenitus. ¶ Sane cum per vnionem hypostaticã humana natura sit coniũcta filio Dei naturali, & facta sit sine cõmixtione vlla naturæ huius personæ & filij Dei, ex hoc titulo debetur illi maxima & ingens perfectio, & participatio optimorum donorum Dei, qualia sunt gratia & gloria. Imò verò debentur illi optimæ operationes proportionatæ diuinæ personæ subsistenti; ergo & accommodata principia agẽdi & operandi; igitur collata sunt illi ratione vnionis; & ex consequenti ordine naturæ posteriora sunt, quam vnio ipsa.

*D. Thom. Caietan. Sotus. Alensis. D. August.*

*D. Cyrilus.*

*D. Basil.*

*Dionys. Alexand. Ioannis. 1.*

### *Nona conclusio.*

*Conclus. 9.* NOna conclusio. Gratia vere habet extrinsecum terminum, ita vt infinita actu nunquam esse possit, etiam de potentia Dei absoluta: gratia autem Christi, esto non habeat actu infinitos gradus intensionis; habet tamen tantam, ac talem intensionem, quantam habebit omnis gratia, tam hominum, quam angelorum in vltimo illo die iudicij, quando gratia erit in sua consummatione. Hæc assertio duas habet partes, prior est, quod gratia habet terminum extrinsecum, & quòd nunquã est actu infinita, neque esse potest, & hæc est communis Theologorũ in. 3. d. 13. & patet illis argumentis, quibus nos. 1. p. q. 7. ostendimus, non posse dari infinitũ in actu. Et præterea persuadetur. Quia alias tali gratiæ actu infinitæ corresponderet infinitũ lumen gloriæ, & infinita charitas, quibus Deus omninò comprehenderetur. Imò verò per illam gratiã creatura mereretur infinitè Deum videre, & participaret infinitè diuinam essentiam, quæ omnia apertam implicationem habent. ¶ Secunda verò assertionis pars, rationabilis valde & probabilis est, & pia: Primo, quia si ita dicamus, nulla ibi est implicatio, & cedit in dignitatem & honorem Christi, imò consentit quam plurimum modo loquendi Scripturæ & Sanctorum Patrum. Nam tam Scriptura, quam Sancti Patres aperte dicunt, Christo gratiam non fuisse datam ad mensuram, & in eo esse gratiæ plenitudinem, & inhabitare in eo immensitatem quandam, &c. Rursus etiam, gratia in Christo est vniuersalissimum principium totius gratiæ: ergo gratia Christi tantam habet intensionem & forte maiorem, quanta est intensio totius gratiæ hominũ & angelorum. Et confirmari potest hæc pars ex doctrina Sanctissimi Præceptoris. 1. p. q. 20. art. vltimo ad. 1. & 2. Vbi ait; Deum multo plus diligere Christum, quam vniuersitatem omnium creaturarum, & quòd Christus est melior omnibus angelis & hominibus, maximè ratione vnionis. Vnde, illa dictio (maxime) denotat quòd Christus non solùm est melior ratione vnionis, sed etiam ratione gratiæ habitualis, & donorum supernaturalium. Et obserua, quòd Sanctissimus Præceptor ibi aperte loquitur de tota collectione hominum, & agelorum: ergo rationabiliter dicitur, quòd gratia Christi adæquat vniuersos gradus gratiæ, qui diuisim reperiuntur in vniuersis hominibus & angelis, sicut plenitudo aquarum in mari, adæquat, & superat omnem quantitatem aquarum, quæ diuisim reperiuntur in omnibus fontibus, fluminibus, & riuulis, &c.

*D. Cyrilus.*

### *Ad argumenta initio disputationis facta respondetur.*

*Ad argumenta initio posita.*

AD argumenta quæ in exordio quæstionis proposita fuere respondetur. Ad. 1. quod militabat pro opinione Durandi & Scoti & aliorum, patet quidem solutio ex disputatione de infinito. 1. p. q. 7. Vnde, neganda est sequela, quoniã neque simul, neque successiue, potest fieri infinitũ actu; bene tamen qualibet creatura essentialiter perfecta, potest Deus perfectioré producere; nõ tamen absolute actu infinitam in essentia; alias esset Deus. Qua propter, ex eo quòd aliqua forma est creata & finita, sequitur, quòd est determinata ad certum genus & differentiam, & quòd in actu nunquam est infinita, sed non sequitur simul cum hoc, quòd non possit esse infinita syncathegorematicè, tam secundum extensionem, quam secundum intensionem, vt patet in forma ignis, quę licet semper sit actu finita; potest tamen in infinitum augeri quantum est ex se, si infinita applicentur ei cõbustibilia. ¶ Ad. 2. negatur consequentia. Quia gradus specificus addit perfectionem essentialem, & ita non mirum est sub genere finito non posse contineri infinitos gradus specificos, at gradus indiuiduales tantum addunt perfectionem accidentalem. Et sicut non est difficile intelligere quòd sub igne possunt indiuidua multiplicari in infinitum syncathegorematicè, ita in proposito, &c. Quia ex parte subiecti non est vlla repugnantia. Secundo respondetur negando antecedẽs. Quia sicut sub genere angeli sunt multiplicabiles

*Ad obiecta.*



*Aliquis.*

les species infinitæ, ita sub genere animalis, neque ob id daretur aliqua infinitè perfecta, vel quæ ab alijs infinite distaret. ¶ Ad tertiũ dicendũ, capacitatem creaturæ crescere cum ipsa gratia, quod intelligendum est de capacitate proxima, quæ fit mediante ipso habitu vel actu, de qua etiam loquitur S. Thom. 2. 2. q. 24. art. 7. & 1. p. q. 48. art. 4. ad. 3. Loquendo tamen de capacitate remota, scilicet, de potentia obedientiali quæ immediate est in anima, ista nunquam augetur, quia est ipsa entitas rei, sed est finita positiue; infinita tamen negatiue, id est non ad tantum quin ad maius. Vnde, licet efficacia, & cõnatus naturalis voluntatis creatæ secundum se sint finitæ; tamen vt subsunt diuino auxilio & virtuti infinitæ Dei mouentis voluntatem per gratiam & charitatem, semper potest operari magis ac magis intẽ se in infinitum. ¶ Ad confirmationem respondetur, maioris gratiæ receptionem arguere perfectionem in causa efficiente: non tamen formaliter loquendo in subiecto, quod passiue & per potentiam obediẽtialem concurrit. Secundo dico, negandam esse vltimam consequentiam.

*Aliquis.*

*Obiect.*

## ARTICVLVS V.

### *Vtrùm homo possit scire se habere gratiam?*

PRima cõclusio. Ex priuilegio, & per diuinam reuelationem potest certo, & infallibiliter hoc cognosci. ¶ Secunda conclusio. Nemo potest per se ipsum certo scire se habere gratiam. ¶ Tertia conclusio. Coniecturaliter & per signa potest quis cognoscere, quòd habet gratiam.

## DISPVTATIO I.

### *Vtrùm homo possit scire se habere gratiam?*

COntrouersia hæc præcipue non est de gratia specialis auxilij, nẽpe, de gratia præueniente, excitante, pullante, inspirante, sed præcipuè est de gratia iustificante, siue talis gratia iustificationis sit habitus, siue nõ sit habitus. Titulus ergo quæstionis est, Vtrum homo possit scire se esse iustum & amicum Dei, per veram iustitiam iustificãtem, & per veram charitatem & amicitiam supernaturalem Dei. Rursus, Verbum (scire) non accipitur hic præcisè pro actu scientifico, sed etiam communiter pro cognitione intellectus habente integram & exactam certitudinem. Et quoniam certitudo est firmitas assensus, quam intellectus habet de aliquo obiecto vero, cui sic adhæret, vt non facile ab eo moueatur, tribus modis euenire potest quòd aliqua dicãtur esse certa. Primò sane, quo ad nos, id est ex parte subiecti, nempe, ipsius intellectus, qui est ipsum certitudinis subiectum: & hoc euenit quando intellectus ipse vel ex imperio, vel ex affectione voluntatis pia, vel propter rationem aliquam, siue illa vrgens sit, siue leuis, ita adhæret obiecto vt vero, vt ab huiusmodi adhæsione non nisi difficillime moueatur. Secundo aliqua dicuntur esse certa secundum se, seu ex parte rei, & ex parte obiecti, quando ita in se ipsis veræ sunt, vt si cognoscerẽtur sicut sunt in se ipsis, intellectus non posset habere dissensum circa illa. Tertio dicuntur aliqua esse certa vtroque modo, nempe, quo ad nos, & secundum se: & hoc euenit quando illa non solum habent veritatem in se ipsis, sed etiam ab intellectu nostro cognoscuntur ea certitudine & firmitate cognitionis, quam supra explicuimus. ¶ Deinde aduerte; quod possunt hæc ita inter se separari, vt licet ea quæ tertio modo certa sunt, non possint esse certa sine certitudine primi & secundi modi, vt de se patet; nihilominus tamen primus modus certitudinis potest esse sine secundo. Cuius rei exemplum habetur in Trident. sessio. 6. cano. 14. Vbi decernitur, non esse latis quòd quis credat certo se esse iustificatum ad hoc vt re vera iustificatus sit. Secundus etiam modus certitudinis, sine primo inueniri potest, vt patet Lucæ. 1. Quo loco, ea quæ prædixit Gabriel Zachariæ de ortu & excellentia Baptistæ, certa erant secundum se, quia erant promissa à Deo; non tamen erant certa ex parte intellectus Zachariæ, si quidem fuit incredulus, & ob incredulitatem mutus factus est. ¶ Adde etiam, quòd ea quæ sunt certa secundum se, alia sunt aperte & euidenter cognita, alia verò sunt in euidentia & obscura; Et profecto, illa sunt euidentia, quæ habent apertam & manifestam rationem suæ veritatis, inter quæ, primum gradum obtinent prima principia: Secundum, conclusiones deductæ ex principijs per euidentem consequentiam. Tertium gradum tenẽt ea obiecta, quæ sensibilibus experimentis cognoscuntur. Rursus, ea dicuntur certa, sed obscura & ineuidentia, in quibus causa præsertim immediata suæ veritatis non aperte, sed obscure cognoscitur: & inter hæc, primum locum obtinent ea quæ à nobis diuina fide creduntur & cognoscuntur, quibus vt constat ex diuina Theologia, multo minus potest subesse falsum, quam illis quæ euidenti demonstratione sunt cognita; inter quæ licet ea, quæ Ecclesia omnibus credenda proponit, sint cognita per fidem catholicam, id est, vniuersalem; alia tamen cognoscuntur per fidem particularem, qualia sunt, quæ Deus alicui homini particulari speciali reuelatione, vt credenda proponit in aliquem particularem finem, vtraque tamen creduntur fide diuina, & supernaturali, quia assensus in vtrisque innititur testimonio Dei reuelantis, & resoluitur in primam veritatem, tanquam in rationẽ formalem credendi. Secundum autem locum obtinent ea quæ sunt certa, licet obscura, quæ deducuntur per euidentem consequentiam ex duabus præmissis, quarum altera est euidens; altera verò de fide: hæc enim habent infallibilem certitudinem, licet obscuram, siue illa sit certitudo fidei, siue potius scientiæ, vt multi credunt. Cuius exemplum est de conclusione illa, quod Christus habet duas voluntates, nempe, diuinam, & humanam, quæ conclusio aperte deducitur ex eo, quòd Christus habet duas naturas intellectuales, Dei, & hominis, quod est de fide, & ex eo, quòd quamcumque naturam intellectualem sequitur sua propria voluntas, tanquam eius proprietas, quod lumine naturali euidens est. Tertium locum habent aliqua certa & obscura, & sunt illa, de quibus habetur fides humana, an tu vehemens opinio, siue hæc duo distinguantur specie, siue

siue non,quæ licet non infallibiliter,ita tamen certo cognoscuntur, vt de opposito nulla maneat formido, vel dubitatio. Et hæc sane etiam sunt triplicia, quædam quæ licet humana fide cognoscantur solum, ita tamen sunt recepta ab omnibus passim, vt de illis,neque dubitare possimus, vt quòd Indiæ sunt,quod Roma est, &c. Alia vero, quæ licet non tãta authoritate firmẽtur, tamẽ ita ab omnibus recipiuntur,vt stultus iudicetur, qui de illis dubitet,vt quòd Episcopus cuius vita est probatissima, cum confert alicui sacros ordines,habeat legitimam intentionem illum ordinãdi,aut quòd sacerdos,cuius sanctitas ab omnibus probatur,habeat veram intentionem consecrandi cum facit sacrum: Vltima sunt, quæ licet nõ sint ab omni ambiguitate ita remota, vt qui de illis dubitaret haberetur stultus; communiter tamen iudicantur ita certa,vt de illis dubitare sit hominis increduli, aut aliqua ratione maligni,vt quod ille qui ab amico lõgo tempore magna amicitiæ accepit beneficia, in quo nunquam vllam in contrarium inuenit suspicionem, ab eo diligatur,aut quòd ea quæ testantur se vidisse homines qui ab omnibus fide digni iudicantur, & in omnibus experti sunt semper eos veraces esse, vera sint. Tandem aliqua sunt,quæ aliqua ratione certa dicũtur,licet obscura: & hæc sunt, quæ cognoscuntur humana fide, vel opinione probabili, vel pluribus coniecturis, in quibus tamen non ita firmatur assensus,vt de opposito non habeat merito formidinem, aut aliquam dubitationem.

His ergo sic prælibatis,circa propositã controuersiam; Primo est certum,quòd absque diuina reuelatione nullus potest in hac vita habere certitudinem euidentiæ,quòd sit iustus,& amicus Dei.Hanc assertionem ego colligo ex sacris literis *Iob,cap.9.*Si venerit ad me non videbo eum, & si abierit non intelligam.Et iterum; Si fuero simplex hoc ipsum ignorabit anima mea. Prouerb. 20. Quis potest dicere, mundum est cor meum?Ratio autem huius veritatis,est aperta. Quoniam cognitio euidens nisi sit eius rei,quæ sensibili experimẽto cognoscitur, qualis non est,vt constat, cognitio gratiæ, non potest haberi,nisi per cognitionem propriæ causæ,vel proprij etiam,& adęquati effectus, neutro autem modo cognosci potest, quòd homo sit in gratia; Nam causa propria cur homo est iustus,& gratus Deo,est ipse Deus diligens hominẽ, & in eo producens gratiam; Hæc autem dilectio Dei, non est à nobis euidenter cognoscibilis: quia Deus pro suo beneplacito,& secundum consilium occultum voluntatis suæ,diligit hunc, vel illum hominem, & consequenter eius dilectio à nostra sciẽtia infinito interuallo distat. Imò verò, si non potest esse alicui euidens, quòd diligatur ab homine sibi familiari,multo minus erit illi euidens,quòd diligatur à Deo dilectione spirituali,& supernaturali.Rursus,effectus gratiæ,quatenus tales,sunt nobis obscuri; nam maximè essent noti euidenter actus contritionis, & dilectionis Dei super omnia, quos diximus esse effectus gratiæ conuertibiles cum illa; de his autem ostendimus, & probauimus non posse à nobis euidenter cognosci;Præsertim,quòd procedant ab homine ea ratione,qua est in gratia iustificante: ergo. Item persuadetur ex illo Ecclesiastici.5.De propitiato peccato noli esse sine metu,quod idcirco dicitur, quia nemo potest certo sancire, vtrum acceperit remissionem peccatorum. Paul. 1. Corinth.4. Nihil mihi conscius sum, sed neque in hoc iustificatus sum.Sancti Patres idem sentiunt, quos citat Pater Soto & Vega lib.9. super Triden. per totum.Et diffinitur hæc veritas in Concil Trident. sessio.6. cap.9. 13.14.Rursus etiam persuadetur:Quia nostra iustificatio, non tantum pendet ex promissione Dei; & reuelatione; sed ex conuersione nostra & præparatione,qua ex Dei adiutorio præparamur ad gratiam iuxta illud. Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos:sed nemo potest certo statuere se veram conuersionem habere,tum quia licet appareat cõuersio vera secundum substantiam: tamen ignoramus ex qua radice procedat,num procedat ex amore proprio, vel ex firmo proposito & vero, an ex gratia. Nam profecto, D.Gregor.1.p. Pastoral. capit.9. ait. Mens humana sæpe sibi mentitur,& fingit de bono amare,quod non amat.Adde etiam,quòd diuina,& infallibilis certitudo haberi non potest, nisi ex diuinis reuelationibus quas Ecclesia proponit: sed diuinæ reuelationes non pronunciant te,aut illum, aut me habere gratiam:ergo non est certitudo infallibilis ipsius gratiæ.Et ob id Propheta clamabat ad Dominum dicens, Ab occultis meis munda me Domine:nullus ergo potest scire absque diuina reuelatione,quòd est iustus, & amicus Dei, Imò verò, sæpe numero ex ignorantia peccamus: ergo hoc ipsum potest esse homini occultum,vt Paulus docuit.1.ad Timoth.1.dicens,Misericordiam consequutus sum, quia ignorans feci. Tandem, certitudo infallibilis de aliqua re potest haberi,vel ex causis, vel ex effectibus, & successibus rerum adiunctis: sed neutro istorum modorum potest homo certificari de sua gratia.Quod sic ostendo:Quoniam præcipua causa gratiæ Deus est,diuinaque ipsius beneuolentia,quę citra reuelationem diuinam est nobis prorsus incognita, causa vero secundaria, sunt diuina sacramenta,quæ conferunt gratiam homini bene disposito:sed ex hac non possumus certificari, quia intentio ministri semper est nobis occulta. Et præterea, omnino nescimus,& ignoramus an habeamus legitimam dispositionem, & ex qua radice procedant opera,quæ recta videntur: ergo.

*Iob.9.* *Prouer.20.* *Eccles.5.* *1.Corint.4.* *Soto.3.de nat.& grat. cap.10.vsque ad finem & in Apolog.contra Cather.cap.2.* *1.Ad Tim.1.*

Secundo etiam certum est,quòd potest homo ex speciali reuelatione à Deo sibi facta, per fidem non quidem catholicam,idest vniuersalem, & Theologicam,sed particularem,cognoscere certitudine infallibili,quòd sit in gratia,vt Paulus cognouit, cui dictum est, Sufficit tibi gratia mea. Hæc assertio insinuatur in Conc.Triden.sessio.6. cano.16.& patet in facto Magdalenæ Lucæ.7.cui dictum est, Dimissa sunt ei peccata multa,quoniam dilexit multum.Similiter Apostoli de sua gratia fuerunt certi,vt colligit D.Aug.ex illo Ioa.4. aliũ Paracletũ dabo vobis. Idẽ S.Th.de verit.q.24.art.9.Cano.6. de locis cap.3.

¶Sed dicunt aduersarij, quòd illis verbis à Paulo relatis.1.Corinh.12.quibus illi dictum est,Sufficit tibi gratia mea; nõ fuit reuelata Paulo eius gratia:Nã Sedulius ibi exponit præfatum testimonium de gratia Apostolatus,& Chrysost.de gratia miraculorum. Cæterum Primasi. Theodoret.Lyran.& S. Thom.exponunt de gratia iustificante : igitur ex Verbo Dei cogno-

cogno-

*1.Corint.12.* *Luca.7.* *Ioan.4.* *Cano.* *1.Corint.12.* *Sedulius.* *Chrysost.* *Primasius.* *Theodoret.* *Lyranus.*



cognouit se habere gratiam. Et id confirmat idem Paulus.1.ad Timoth.4.cum ait, sibi esse repositã coronam iustitiæ;&.1.Corinth.15. dicens, Gratia Dei sum id quod sum, & gratia eius in me vacua non fuit: & Actor.23.In omni cõscientia bona conuersatus sum ante Deum vsque in hodiernum diem. Rursus extat dictum Christi,vas electionis est mihi iste: Extat etiam illud dictum Pauli: Certus sum, quòd neque mors,neque vita,neque tribulatio,neque angustia; &c.poterunt nos separare à charitate Dei. Verum est, quòd Tiletanus in Apolog. pro Tridentino interpretatur hoc vltimum testimonium de omnibus prædestinatis,qui non possunt separari finaliter à dilectione erga Deum.Cæterum,hunc locum intelligi posse de vtraque dilectione, docent August.& Chrysost.& Adamus super hunc locum. Et forte hanc certitudinem habuit Paulus de sua gratia,& de confirmatione in ea,eiusque diuina prędestinatione in illo mirabili raptu,in quo Deum vidit & arcana eius. Quòd si tot Patribus etiam in veteri testamento reuelata fuit eorum iustitia,non dubium est,quin & Beatæ Virgini fuerit reuelata,cui dictum est ab angelo; Aue gratia plena Dominus tecum.Tandem, ex quatuor illis modis cognoscendi gratiam, quos in exordio disputationis explicuimus,hoc etiam plane constat:nam nihil prohibet Deũ hoc, cui voluerit reuelare.Rationes vero propter quas Deus aliquando hoc reuelat suis sanctis,adducuntur à S.Thom.in hoc art.nempe, vt Sancti in hac vita incipiant habere gaudium securitatis,& vt fortiter magnifica opera prosequantur, & vt labores huius vitæ tolerent & sustineant.

Tertio est certum,neminem posse scire, sine speciali Dei reuelatione, se habere & habiturum esse magnum illud vsque in finem perseuerantiæ donũ, infallibili certitudine,& absoluta.Hæc assertio diffinitur expresse in Concil Trident.sessio.6.cano.16.& oppositum dicere,est hæresis manifesta.Imò verò,si quis infallibiliter sciret se habiturum magnum illud perseuerantiæ donum vsque in finem, sine speciali reuelatione Dei; sequitur aperte,se certo,& infallibiliter scire sine vlla Dei reuelatione,se esse prædestinatum, quia si vsque ad finem perseuerat quis in gratia,vere saluatur, quòd si saluatur vere est ex numero prædestinatorum, & saluãdorum,quod est expresse contra illud Eccles. 9. Nemo scit vtrum odio,vel amore dignus sit,sed omnia in futurum seruantur incerta. Accedit etiam testimonium Pauli, qui loquens de diuina prædestinatione ait; O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius.Et.1.Corinth.4. Nolite ante tempus iudicare, donec veniat Dominus, qui manifestabit abscondita tenebrarum,& occulta cordis,&c. &.2. ad Timoth.2.Firmum fundamentum Dei stat habẽs signaculum hoc:cognouit enim Dominus,qui sunt eius, quibus verbis significatur prædestinationis mysterium signaculo clausum esse.

*1.Timo.4.* *1.Corint.15.* *Actor.23.* *Tiletanus.* *Conc.Trid.* *Eccles.9.* *2.Timo.2.*

### *Difficultas huius controuersiæ maior, aperitur, & explicatur.*

POtissima tamen difficultas huius materiæ ea est, Vtrum stando in communi lege citra speciale priuilegium,possit quis habere certitudinem, quæ omnem [illegible] certi de sua gratia?In qua difficultate, hæretici Lutherani aperte dicunt, posse hominem certo scire se esse in gratia.Imo putant, iustos omnes fide diuina teneri ad id credendum.Vnde dicunt,quòd per eandem fidẽ catholicam, qua credimus Deum esse trinum & vnum,iustificatorem,& saluatorem hominum,tenemur etiam credere in particulari quòd nunc nos iustificat de facto, & actualiter. Imo vlterius dicunt, quòd per istam credulitatem iustificamur, & quòd nullus est iustus,nisi credat certò,& infallibiliter se esse iustificatum,& absolutum à peccatis.Ita refert Roffens.contra Luther.artic.10.11.&.12.& Vega lib. 9.in Trident.cap.7. Ruardus Tapper art.8. &.9. Vbi addit ille, Caluinum & Buzerum hæreticos dixisse, eandem certitudinem esse necessariam de nostra prædestinatione.Verum hæc sententia aperte est hęretica,vt infra ostendemus.

*Roffensis.* *Vega.* *Ruardus.*

Rursus est alia sententia quorundam catholicorũ credentium,posse hominem iustum esse certum de sua gratia,stando in lege communi, repulsa etiam omni dubitatione, non quidem per fidem catholicam & diuinam, quæ est fides vniuersalis totius Ecclesiæ,sed per fidem particularem, qua quis credit, quæ sibi in particulari reuelantur testimonio Spiritus sancti.Hanc sententiam tutati sunt nonnulli catholici in Concilio Tridentino præsertim Ambros. Catherin: qui de hac re plura scripsit contra Dominicum Soto,& in lib. de expositione decreti Tridentini Concilij de certitudine gratiæ, quibus locis citat pro se Claudium Guillardum super.2.ad Timoth,vltimo,vbi ait,Christianum quemcumque si Christianismum calleat, certum esse per fidem, suam salutem esse ratam & firmam,infallibilem, & depositam in manu Dei. Citat pro se Alensem, & Scotum, sed immerito, vt recte ostendit Magister Vega lib.9.in Trident cap.15.&.36.

*Catherinus.* *Claudius Guillardus.* *Vega.*

Argumenta quibus adducuntur citati omnes authores,& hæretici, sunt quæ sequuntur.Et primum sumitur ex Sacris literis, & illo Ioan. 14. Vos autẽ cognoscetis eum,scilicet, Spiritum sanctum, quia apud vos manebit,& in vobis erit,& Rom.5. Iustificati ex fide pacem habemus ad Deum per Iesum Christum:Sic enim legit Ambros.Per pacem videtur Paulus intelligere fidem certam, & securam de sua gratia.Et Rom.8. Spiritus sanctus testimonium reddit spiritui nostro,quòd filij Dei sumus:Ergo cõsequens est, quod ex fide tenetur vnusquisque credere infallibiliter se esse filium Dei, cum habeat in se testimonium Spiritus sancti.Et.1.Corinth.2.Nos autem non Spiritum huius mundi accepimus, sed Spiritum Christi, qui ex Deo est, vt sciamus,quæ à Deo donata sunt nobis &.2.Corinth.vltimo:An nõ cognoscitis vosmetipsos, quia Christus in vobis est,nisi forte reprobi sitis? Et.1. Ioan.2. Qui seruat Verbum eius,vere in hoc charitas Dei perfecta est, in hoc scimus,quoniam in ipso sumus, quia de Spiritu suo dedit nobis.Et cap.3.Scimus quoniam trãslati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres: Et cap.5. Scimus quoniam ex Deo sumus, & totus mundus in maligno positus est, & in hoc scimus,quoniam manet in nobis,ex Spiritu, quem dedit nobis;& deinceps: Vt sciatis quoniam vitam habetis æternam, qui creditis in nomine filij Dei.

*Argum.1.* *Ioan.14.* *Rom.5.& 8.* *1.Corint.2.* *2.Corinth. vltimo.* *1.Ioan.2.3.& 5.*

Et

2 Corint. 1. & vltim. Et 2. Co... 1. Gi... ...iæc est, testimonium conscientiæ nostræ fec... ...esset magna gloria si ex suspecto testimonio originé traheret: ergo. Et cap. vltimo in eadem secunda ad Corinth. Vosmetipsos tentate si estis in fide, ipsi vos probate, An non cognoscitis vos metipsos, quia Christus Iesus habitat in vobis, nisi forte reprobi sitis? Ergo infidelis, & reprobus est, qui non cognoscit Christum in se habitare per gratiam.

*Secundum*

Secundo arguitur ratione. Nam certa, & infallibili fide tenemus, quod ille, qui facit quantum debet & totũ quantum est in se, consequitur gratiã à Deo: sed potest quis certo scire, se fecisse totum quod debet & potest: ergo. Minor probatur ex verbis Christi Lucæ. 17. Cum feceritis hæc omnia, dicite, serui inutiles sumus, quod debuimus facere fecimus. Vbi Christus supponit & insinuat; posse nos cognoscere, nos ipsos fecisse totũ quod debemus. ¶ Tertiò. Baptismus confert gratiã non ponenti obicẽ, & certũ est de fide sacramenta nouæ legis conferre gratiam his, qui non ponunt obicem: sed ego experior euidenter in me ipso, quòd non pono obicem, & quòd bono animo suscipio baptismum: ergo sum certus sine vlla hæsitatione, quòd habeo gratiam, & iustitiam Dei. Rursus. Ille qui confitetur peccata sua, certò cognoscit se non posuisse obicem cum accessit ad sacramentum pœnitentiæ: Nam experitur in se ipso se dolere de peccatis, saltem attritione quadam imperfecta, aut attritione propter pœnas inferni, & per huiusmodi attritionem tollitur obex gratiæ: ergo post absolutionem poterit, aut ipse, aut sacerdos certò iudicare, quòd iste talis homo sit in gratia & quòd fuerit consequutus remissionem peccatorum. Idem argumentum fieri potest de martyrio. Nam per martyrium remittuntur peccata, quia maiorem charitatem nemo habet, quam vt animam ponat quis pro amicis suis; sed vnusquisque experitur in se ipso cum moritur pro Christo, quòd vult mori pro eo, & cernit re ipsa se mortem oppetere pro Christo: ergo habet certitudinem infallibilẽ quòd habet charitatem. Et confirmatur: Quia Ecclesia nõ potest esse magis certa de martyrio istius hominis, quã ipse, qui mortẽ oppetit: sed Ecclesia fide indubitata illum adscribit cathalogo sanctorum: ergo ipse indubitata fide nouit se habere gratiam, & sanctitatem. Nam vnusquisque martyr melius cernit se mori pro Christo secundum amorem Dei, quam Ecclesia, & alij testes, qui solum possunt de exterioribus iudicare. Et confirmatur iterum: Quia ego possum esse certus de aliquo, quòd est in gratia: ergo etiam de me ipso. Ostendo antecedens: Quia Sacerdos baptizans puerum, & applicans veram formam baptismi, certus est certitudine infallibili, quod puer ille consequutus est gratiam, & remissionem peccati, quod colligit hoc discursu: Fides docet, baptismum conferre gratiam, & remissionem peccatorũ non ponẽti obicem: sed ego certò cognosco me habere intentionem, & applicare formam baptismi à Christo traditam: Rursus etiam certò cognosco, puerum, & infantem non ponere obicem: ergo certò cognosco eum habere gratiam. ¶ Quartò arguitur. Quia ego possum esse certus, quòd diligo Deũ: sed is, qui Deum diligit est in gratia, iuxta illud, Ego diligentes me diligo, & Ioan. 14. Qui diligit me dilige-

*Luc. 17.*

*Tertium.*

*Confir. 1.*

*Confir. 2.*

*Quartum.*

*Ioan. 14.*

tur à Patre meo: ergo certo cognosco me esse in gratia. Probatur maior: Quia homo Christianus vel potest certò cognoscere quando implet præceptũ dilectionis Dei, vel non potest illud cognoscere? Si dicas quòd nunquam potest illud cognoscere, sequitur, quòd nunquam habebit securitatem conscientiæ. Si verò dicas, quòd potest cognoscere quãdo implet illud præceptum; sequitur, quòd tunc habet certam cognitionem de sua gratia, & charitate. Dices, quòd cognosco me diligere Deum, non tamen qua specie dilectionis, scilicet naturali, an supernaturali, & quod ob id non cognosco me habere gratiam. Cõtra: Nam possum esse certus, & quòd credo fide diuina & supernaturali: ergo etiã quòd diligo dilectione diuina & supernaturali. Nam certe homo fidelis habet certitudinem infallibilem, quòd habet fidem supernaturalem & diuinam: ergo pari ratione poterit habere certitudinem, quòd habet charitatem supernaturalem, & diuinam. Ostẽdo consequentiam. Quia tàm gratia, quam fides sunt dona supernaturalia, quorum principium est nobis occultum, & ignotum. Nam sicut iustificatio nostra non tantum pendet ex diuina promissione, sed etiam ex præparatione, & dispositione nostra, veraque conuersione in Deum, de qua examinari debet mẽs humana, quæ sæpius mẽtitur; ita quidẽ fi dei assensus non tantum pendet ex reuelatione Dei; sed etiam ex assensu nostro firmo, & stabili, in quo mens humana fallitur, vt patet in hæretico, qui putat se habere fidem supernaturalem, & putat se mortem oppetere pro vera fide. Quod vero fidelis habeat certitudinem infallibilem de sua fide supernaturali, id concedit S. Thom. in hoc art. solutione ad. 2. Et ratione persuadetur; Quia fidelis credit omnia quæ Ecclesia catholica docet: sed nemo potest credere omnia, quæ Ecclesia docet, nisi habeat supernaturalem fidem: ergo talis homo habet certitudinem infallibilem de sua fide supernaturali. Quod si persistas in solutione supra data, nempe, quòd cognosco me diligere Deum, non tamen qua specie dilectionis, scilicet, naturali, an supernaturali, & quòd ob id non cognosco me habere gratiam, Contra arguitur. Quia si actus in genere statim cognoscitur euidenter; quoniam vel ipse habet rationem speciei ad sui cognitionem, vel emittit speciem sui ex se, vel modificat & extendit speciem obiecti ad se ipsum, vt dicitur à philosophis in libris de anima: ergo pari ratione, sicut cognoscitur euidenter actus ingenere, etiam poterit statim cognosci secũdum suam rationem specificam, cum non sit maior ratio cur statim repræsentetur & cognoscatur secundum rationem genericam, quam secundum rationem specificam. ¶ Quinto arguitur. Nam puer primò perueniens ad vsum rationis, tenetur se in Deũ & in bonum honestum conuertere; & tunc, vel potest cognoscere peccatum & omissionem huius præcepti, seu primum peccatum, quod potest cõmittere, vel non potest? Si non potest: ergo non peccat; nemo namque peccat in eo, quod cauere non potest. Si verò potest cognoscere quando peccat primo peccato; sequitur, quòd potest cognoscere se habere sanctitatem. ¶ Sextò arguitur. Angeli erant certi de sua gratia, cum erant viatores: ergo eandem certitudinem possunt habere homines quandiu sunt

*Sextum.*



sunt in via. Patet antecedens: Nam illi euidenter cognoscebant, quòd illa dilectio Dei, quam habebant, non erat naturalis: comprehendunt namque angeli totum naturæ ordinem: ergo euidenter cognoscebant angeli, quòd illa dilectio erat supernaturalis; atque adeo sufficiens ad gratiam. ¶ Septimò arguitur. Nam hæc sententia videtur esse D. Dionysij. 7. capit. de diuinis nominibus, D. Leonis. PP. sermo. 2. Paschatis, & D. August. lib. de bono perseuerantiæ, & D. Gregor. lib. 1. Dialogorum, cap. 1. dicentis, Mens quę diuino spiritu impletur, habet euidentissima signa suæ virtutis & humilitatis, quæ si in vna mente conueniant, liquet quòd de præsentia sancti Spiritus testimonium ferant. Eiusdem sententiæ videtur esse D. Bernard. sermo. 19. in Cantica, &. 39. &. 53. &. 74. & præsertim sermo. 68. &. 69. Vbi quærit, Vtrum possint aliqui viri spirituales, sibi arrogare vocem illam cum fiducia, Dilectus meus mihi, & ego illi, & re diligenter & accuratè examinata, quòd id possint aperte asseuerat. Vnde, epist. 107. diligenter enumerat signa, quibus certissime possimus cognoscere peccata esse remissa, & ad Dei gratiam redijsse. Idem videntur dicere D. Hieronym. Origenes, & August. & Ambros. Quorum verba refert Vega libr. 9. in Trident. capit. 22. & deinceps.

*Septimum.*

*D. Dionys. D. Lev. PP. D. August. D. Gregor.*

*D. Bern.*

*Nota.* Pro explicatione huius difficultatis aduerte primo, quòd certitudo infallibilis gratiæ ponitur dupliciter, primò ab hæreticis dicẽtibus, quòd homo eadem certitudine, qua credit Deum esse trinum & vnum, credere debet se esse in gratia, & remissa esse sibi peccata per Christum, & quòd per hanc fidem iustificatur: Imò verò, vt dicunt Decanus, art. 8. &. 9. contra Caluinum, & Tiletanus in apolog. pro Trident. eandem certitudinem ponebat Buzerus respectu perseuerantiæ. Secundo modo ponitur infallibilis certitudo à quibusdam aientibus, quòd potest quis esse certus de sua gratia, certitudine infallibili excludente omnem dubitationem, & formidinẽ; non tamen certitudine infallibili fidei Catholicæ, vniuersalis Ecclesiæ, sed certitudine infallibili fidei particularis, qua quis credit his quæ sibi in particulari reuelantur ad particularem finem, ex speciali testimonio Spiritus sancti; quæ fides etiam est certa, & infallibilis, cum innitatur Deo reuelanti. Et hanc sententiam defendunt nonnulli catholici, & eam propugnarunt in Tridentino Concilio, inter quos recensetur Ambros. Catherin, qui citat pro se quendam Claudium Guillardum, super. 2. epist. ad Timo. cap. vltimo. Citat etiam pro se Bachonem, Alensem, & Scotũ, sed immerito citatur procul dubio Alens. & Scotus, vt ait Pater Vega lib. 9. in Trident. cap. 15. quia oppositum senserunt, vt etiam refert Castro in Verbo Gratia, hæresi. 3.

*Decanus. Tiletanus.*

*Caluinus.*

*Vega.*

*Quintum.*

*Nota.* Secundo aduerte, quòd in ipsa certitudine est non parua latitudo, cum certitudo quædam sit moralis & humana, qualis est ea, quam habemus de hac propositione, Roma est. Alia verò sit diuina, & supernaturalis certitudo, quæ innititur diuinæ reuelationi, & hæc potest multipliciter haberi. Primò quidem ex reuelatione vniuersali facta toti Ecclesiæ. Secundò ex reuelatione particulari facta huic, vel illi personæ, vt paulo antea dicebamus. Tertiò non ex aliqua reuelatione immediatè facta à Deo, sed mediate & intercedẽte discursu; Sicut dicimus conclusiones Theologicas participare certitudinẽ reuelationis diuinæ. Quia licet non sint reuelatæ in se ipsis; inferuntur tamen ex reuelatis mediante alia propositione cognita naturaliter, siue per euidentiam, siue per rationes probabiles, aut fidem humanam.

*Sextum.*

Tertiò aduerte, rem esse valde diuersam loqui de certitudine tenente se ex parte obiecti, vel de certitudine tenẽte se ex parte subiecti. Nam stat obiectũ esse certissimum in se, & à Deo reuelatum, & tamẽ hominẽ non certificari de illo, sed hæsitare; vt patet quando angelus ex parte Dei reuelauit Zachariæ natiuitatem Ioannis Baptistæ; & alia quæ continentur in Scriptura, de quibus illi, quibus dicebantur, dubitabant & erant tardi corde ad credendum, vt etiam habetur Iudicum. 13. de natiuitate Sampsonis. Et è conuerso euenit, aliquem ex leuitate, aut malitia firmissime assentiri obiecto de se incertissimo, imo & falsissimo, vt patet in hæreticis. Cæterũ illa firmitas assensus in eis, non est vocanda certitudo, sed pertinacia. Quocirca, vt aliquis certificetur de obiecto reuelato à Deo, non satis est, quòd obiectum reueletur illi à Deo, sed oportet vt videat clarè ipsum reuelari à Deo, aut quòd de hoc certificetur per lumen ipsius reuelationis diuinæ.

*Nota. 3.*

*Iudic. 13.*

Postremo aduerte, rem etiam esse diuersam dicere, quòd teneantur omnes iusti credere fide catholica se esse in gratia, & quòd per hanc fidem iustificantur, & dicere quod possit iustus habere certitudinem de hoc secundum legem communem, non per fidem catholicam, & vniuersalem, quæ pertinet ad totam Ecclesiam, sed per fidem particularem, quæ habetur ex testimonio interno Spiritus sancti, mediantibus certis signis, vt ex supra dictis satis liquet. Nam primum est error hæreticorũ, secundum vero fuit sententia Catherini. Quocirca, longe distat sententia Catherini à Lutherana hæresi. Quoniam Lutherus omnes obligat fideles ad habendam hanc certitudinem; Catherinus verò non item. Rursus Luther nullum assignat discrimen inter certitudinem, quam iustus debet habere de hac, Deus est trinus & vnus, & certitudinem, quam dicit ipsum posse habere de illa, Ego sum in gratia, Et quamuis Catherinus dicat, vtramque propositionem ex parte obiecti habere certitudinem tantam, vt ei falsum subesse nõ possit, quia vtraq; est reuelata à Deo; asserit tamen ex parte subiecti longe minorem certitudinem esse in hac propositione, Ego sum in gratia, quam in illa, Deus est trinus & vnus. Quia hæc proponitur ab Ecclesia, quæ habet infallibilem authoritatẽ, ista vero proponitur interiori suggestione, in qua potest accidere deceptio.

*Nota. 4.*

*Concluſ. 1.* His ergo ita præmissis, est prima conclusio. Hæreticum est asseuerare, teneri omnes iustos certò & infallibiliter credere absque hæsitatione, vlla, se esse in gratia, & pariter est hæreticum dicere, quod omnes qui sic credunt, sunt verè iusti, aut quòd possit iustus de lege ordinaria esse certus immediatè per fidem catholicam, se esse in gratia. Hæc assertio aperte definitur in Bulla Leonis decimi contra Lutherũ & in Trident. sessio. 6. cap. 9. & cano. 13. &. 14. Vnde, contra hanc hæresim scripserunt Decanus, Louaniensis, tomo. 2. art. 9. &. 10. & Roffens. art. 11. &. 12. contra Lutherum, & Soto lib. 3. de nat. & grat. Vega. 9. super

*Decanus. Roffensis. Soto. Vega.*

*Caſtro. Stapleton.* ſuper Concil. cap. 6. & 7. Caſtro Verbo, Gratia, hæreſi 3. Stapleton toto lib. de iuſtificatione. Et probatur ex ſacris literis Iob. 9. Si non reprehenderit me cor meum, os meum condemnabit me, & ſi ſimplex fuero, hoc ipſum ignorabit anima mea. Quem locũ, ad incertitudinem noſtræ iuſtitiæ aſſerendam, magni momenti docet eſſe D. Gregor. lib. 9. moral. cap. 10. & etiam. 17. moral. cap. 19. Vbi expenduntur illa verba, eodem. 9. capite Iob contenta: Si iuſtificare me voluero, os meum condemnabit me, ſi innocenter me oſtendero, prauè me comprobabit: Et ibidem, Si venerit ad me non videbo eum, Si abierit non intelligam. Et Prouerb. 20. Quis poteſt dicere, mundum eſt cor meum, purus ſum à peccato? quaſi dicat, nullus. Et. 1. Corinth. 4. extat locus in ſignis Pauli: Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum, quaſi dicat, etiam ſi nullius culpæ, aut negligentiæ reprehendat me coſcientia mea; ex hac tamen conſcientiæ integritate non poteſt deſumi omnino iudicium certum meæ iuſtificationis; & ita, certam huius rei cognitionem, in Deum tandem retulit Paulus illis verbis, Qui autem iudicat me, dominus eſt. Eccleſiaſti. 5. De propitiato peccato noli eſſe ſine metu. Ioan. 3. Spiritus vbi vult ſpirat, & neſcis vnde venit, aut quo vadat. Et ſane omnes ſancti, vt referunt authores citati, colligunt ex prædictis locis Scripturæ, ſemper eſſe timendũ, & non habendam ſecuritatem, quod homo ſit in gratia, vt Innocentius tertius, de purgatione canonica cap. vltimo dicit, magnæ temeritatis eſſe iurare aliquem quòd ſibi fuerint dimiſſa peccata, cum Iob dicat, Si ſimplex fuero hoc ipſũ ignorabit anima mea. D. Cyrillus, Iſaiæ. 43. iuxta tranſlationem Septuaginta, Peccatorum tuorum nõ recordabor: tu autem memento, &c. explicans hunc locum inter alia multa dicit, eos quiconſequuti ſunt miſericordem gratiam Dei, nunquam ſcire ſe eſſe in gratia, & quòd id ad vtilitatem Sanctorum ſtudioſe factum eſſe reperietur. D. Baſilius idem dicit in regulis breuioribus interrogatione. 301. & oratione. 17. de humilitate & vana gloria, vbi dicit, nihil eſſe difficilius, quam noſſe ſe ipſum. Idem docent Diodorus, & D. Theodoret. lib. de humilitate, qui etiam narrat de Agathone Abbate, quòd rogatus in articulo mortis cur timeret, reſpondit ſe neſcire vtrum hoc quod feciſſet, Deo placuiſſet; aliud namque eſt iudicium Dei, & aliud hominis. Lege Auguſt. 10. Confeſſ. capit. 32. & lib. de perfectione iuſtitiæ capit. 19. & Pſalm. 18. &. 50. & q. 57 & 58. in Geneſ. Quæ omnia loca habentur in confeſsione Auguſtiniana lib. 2. cap. 5. §. 19.

*D. Gregor.* *Prouer. 20.* *1. Corint. 4.* *Eccleſ. 5.* *Ioan. 3.* *Innocent. 3.* *D. Cyrillus.* *D. Baſilius.* *Diodorus.* *Theodoret.* *D. Auguſt.*

Ratione etiam probatur concluſio. Nam quòd homo ſit in gratia, pendet ex proprijs diſpoſitionibus: ſed impoſsibile eſt aliquem eſſe omnino certum quòd ſit conuenienter diſpoſitus, ſeu quòd habeat conuenientes diſpoſitiones: ergo. Minor probatur: Quia ad hoc quòd aliquis conuenienter diſponatur ad gratiam, requiritur, quòd exuat totaliter affectum cuiuſcumque peccati, ita quod non peccet ex malitia, neque ex infirmitate, neque ex ignorantia culpabili, hoc autẽ eſt impoſsibile q certò cognoſcatur. Quia vt habetur Ieremiæ. 17. Prauum eſt cor hominis, & inſcrutabile. Et profecto, omnes fere actus, qui ſunt neceſſarij ad iuſtificationem, ſunt valde ſimiles alijs actibus, quos interdum exercemus, quantum ad ſubſtantiam operis, viribus naturæ, qui non ſunt ſufficientes diſpoſitiones. Imo verò, cùm quis amat Deum, non poteſt quis eſſe certus omnino, quòd amat Deum propter ipſum Deum, & ſupernaturaliter. Vnde, D. Gregorius. 1. Paſtoral. cap. 9. dicit, quod mens humana ſæpe ſibi mentitur, & fingit de bono opere amare, quod non amat: ergo non poteſt quis eſſe certus an exuerit omnino affectum peccati mortalis. Et confirmatur ratione tacta à D. Thoma hic. Deus vt author ſupernaturalis non poteſt certo cognoſci, niſi per reuelationem diuinam: ergo nec præſentia eius in anima per gratiam; de hac autem nulla eſt reuelatio: ergo. Et confirmatur iterum ex dictis, quia diſpoſitio ad gratiam debet eſſe ſupernaturalis, vt habet proportionem cum ipſa gratia, actus autem naturales, ſunt aliquando tam ſimiles ſupernaturalibus, vt non poſsint certò ab illis diſcerni: igitur non poteſt homo eſſe ita omnino certus de ſua diſpoſitione, vt conſequenter ſit certus de ſua gratia. Tandem confirmatur. Quia vt erudite aduertunt Caſtro, verbo Gratia, hæreſi. 3. & Roſſenſ. art. 10. Lutherus ſibi contradicit. Quoniã art. 35. dicit, neminem poſſe eſſe certum quòd non ſæpe peccat mortaliter; ſed cum peccato mortali nõ ſtat Dei gratia, & amicitia, quia odio ſunt Deo impius, & impietas eius: ergo perperam dicit, poſſe homines eſſe certos de ſua gratia. ¶ Quocirca, hæc hæreticorum ſententia originem ducit ex alia eorum, qui putant ſolam fidem, quam ipſi vocant catholicam, abſque vllis operibus iuſtificare, & ex hoc errore inferunt ipſi alium; Nam ſi ex hoc ſolo iuſtificatur homo, quòd certò & infallibiliter credit ſibi à Deo eſſe peccata remiſſa per Chriſtum, aperte ſequitur, quòd qui hoc ita putat & credit, iuſtus eſt, & vice verſa, qui de hoc habet dubitationem, eſt infidelis, & conſequenter iniuſtus. ¶ Hæc igitur ſententia, apertiſsima hæreſis eſt, & damnata in Concilio Tridentino ſeſsio. 6. cap. 9. Cuius titulus eſt, Contra inanem hæreticorum fiduciã. Rurſus, ex hac infallibili gratiæ certitudine, quam ſibi vaniſsime pollicentur hæretici, aperte ſequitur id, quod ipſi impudenter fatentur, nempe non eſſe neceſſariam obſeruationẽ diuinorum mandatorum, neque etiam diuinos externos cultus, aut oblationes pro peccatis, inuocationes Sanctorum, peregrinationes, & vota. Purgatorium, indulgentias, aut denique nullam ſatisfactionẽ pro pœnis, peccatis noſtris debitis. Et quòd ſequatur, patet: Quia ſi ſola fide & confidentia, quaquis putat ſe eſſe iuſtificatum per Chriſtum, reuerà iuſtificatur, non eſt cur tanto ſtudio, & diligentia hæc omnia præſtentur, vt ſecuritatem aliquam ſequamur, & vt diuinam amicitiam conciliemus. Præterea arguitur contra hæreticos. Quia quòd huic homini, aut illi ſint remiſſa peccata in particulari, & quòd ei conferatur gratia, non eſt obiectum fidei diuinæ, cùm neque id ſit nobis à Deo reuelatum: ergo illud non eſt credendum diuina fide. Antecedens huius conſequentiæ, ſi illud negant hæretici, oſtendant ſcripturas, quibus hoc ſit reuelatum in particulari. Nam teſtimonia, quibus promittitur hominibus remiſsio peccatorum per Chriſtum ſub certis conditionibus, continent quidem promiſsiones nõ particulares de hoc, aut illo, ſed vniuerſales; & conſtat, has diuinas promiſsiones non eſſe abſolutas, ſed cum quibuſdam conditionibus, nempe, ſi homines ingemuerint, pœnitentiã egerint, ſperauerint, crediderint, & dilexerint ſuper omnia Deũ, & nullum apponant obicem: ergo, &c.

*Ieremi. 17.* *Conc. Trid.* *D. Greg.*

Secunda concluſio. Hæreticum etiam eſt, valdeque abſurdum dicere, nos abſq; diuina reuelatione poſſe eſſe certos de noſtra perſeuerantia, & prædeſtinatione. Probatur primò ex Trident. ſeſſ. 10. cano. 12. & 13. & cano. 15. & 16. Vbi hoc expreſsè definitur, & oppoſitum damnatur vt hæreticum. Item probatur ex Capitulo Corripiantur. 24. quæſt. 3. vbi idẽ tradit D. Auguſt. & lib. de correctio. & grat. cap. 13. ad articulos ſibi falsò impoſitos reſponſione. 12. Et lib. 6. Hypognoſt. in fine, & 5. de Ciui. cap. 20. & lib. 11. cap. 12. & Epiſt. 107. ad Vitalem, & de bono perſeuerant. cap. 8. 13. & 22. & Epiſt. 121. & lib. de Sancta Virgin. cap. 38. Quæ omnia teſtimonia adducit Torrenſis in confeſsione Auguſt. lib. 2. cap. 5. §. 20. & 21. Idem docet Euſebius Emiſenus, homil. de Latrone beato, & homil. 5. ad Monachos. D. Hieron. 2. contra Pelagianos. D. Chryſoſt. homil. 11. ſuper Epiſtol. ad Philippenſ. ſuper caput 3. Pauli. D. Bernard. ſermo. 2. in octaua Paſchæ, & in ſermone Septuageſimæ. 1. & ſuper Pſalm. Qui habitat, ſermo. 10. D. Gregor. Homil. 8. & 33. in Euangelia. ¶ Probatur etiam præfata concluſio ex diuina Scriptura, Eccleſiaſt. 8. Multa hominis afflictio, quia ignorat præterita, & futura nullo poteſt ſcire nuncio, & cap. 9. Neſcit vtrùm odio, vel amore dignus ſit, ſed omnia in futurum reſeruantur incerta. Et cap. 10. Ignorat homo quid antẽ ſe fuerit, & quid poſtea futurum ſit; quis enim ei poterit indicare? Et. 1. Corinth. 4. Nolite ante tempus iudicare quoad vſque veniat Dominus, &c. Rom. 11. O altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, quam incomprehẽſibilia ſunt iudicia eius, &c. & ſtatim: Tu autem ſtas, noli altum ſapere, ſed time. 2. ad Timot. 2. Firmum fundamentum Dei ſtat habens ſignaculum hoc, nouit Dominus, qui ſunt eius; quaſi dicat, negotium electorum ſolum Deo eſſe notum. Vndè, Daniel. 7. dicitur, quòd in die iudicij libri aperientur: nunc enim liber vitæ, id eſt, prædeſtinationis, clauſus eſt vt nemo ſuam, vel alterius prædeſtinationem poſsit agnoſcere. Rurſus certum eſt ex diuina Scriptura, pleroſque fuiſſe iuſtos, qui poſtea iuſtitiam amiſerunt: ergo licèt quis ſciret aliquando ſe eſſe iuſtum; non tamen poſſet eſſe certus ſecundum communem legem, quòd nunquam amittet iuſtitiam, & conſequenter, quòd ſit prædeſtinatus. ¶ Si obijcias illud Pauli Rom. 8. Certus ſum quòd neque mors, neq; vita, neq; profundum, neq; creatura, &c. poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro. Reſpondeo, Paulum habuiſſe ſpecialem reuelationem; vel certus ſum, idem eſt, quòd confido. Ita Ambroſ. & Chryſoſt. Auguſt. de correct. & grat. cap. 7. D. Hiero. Epiſt. ad Algaſiam quæſt. 9. legit confidot. Et quadrat cum litera eiuſdem capitis. Quia dixerat Paulus, Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti, tribulatio, an anguſtia, an fames, an nuditas? Et ſtatim, Sed in his omnibus ſuperamus propter eum, qui dilexit nos.

*Conclu. 2.* *Conci. Trid.* *D. Auguſt.* *Torrenſis.* *Euſe. Emi.* *D. Hieron.* *D. Chryſoſt.* *D. Bernard.* *D. Gregor.* *Eccleſ. 8. 9. & 10.* *1. Cain. 4.* *Rom. 11.* *2. Tim. 2.* *Daniel. 7.* *Rom. 8.* *D. Auguſt.* *D. Hieron.*

Tertia concluſio. Nemo poteſt citra ſpeciale priuilegium eſſe certus de ſua gratia, certitudine fidei, cui non poteſt ſubeſſe falſum, qualis eſt fides diuina, ſiue Catholica, & vniuerſalis, ſiue particularis, & priuata; & oppoſitum dicere, non ſolum eſt temerarium, ſed etiam erroneum, ne dicam planè hæreticum. Hæc eſt contra Catherinum, & hanc cenſuram Soto recenſet in Apologia contra Catherinũ; Imo verò, abſolutè plerique dicunt eſſe hæreticam. Quia Tridentinum Concilium, ſeſſ. 6. cap. 9. ait: Sicut nemo pius de Dei miſericordia, de Chriſti merito, deque ſacramentorum virtute, & efficacia, dubitare debet; ſic quilibet, dùm ſe ipſum, ſuamque propriam infirmitatem & indiſpoſitionem reſpicit, de ſua gratia formidare, & timere poteſt, cùm nullus ſcire valeat certitudine fidei, cui non poteſt ſubeſſe falſum, ſe gratiam Dei eſſe conſequutum. Ex quibus verbis apertiſsimè conſtat, mentem Cõcilij fuiſſe, eos damnare, qui dicunt, poſſe nos habere certitudinem fidei diuinæ, cui non poteſt ſubeſſe falſum, quòd ſumus in gratia citra ſpecialem reuelationem. Et licet potiſsima intentio Concilij fuerit damnare hæreticos, dicentes, quòd tenemur omnes habere prædictam fidem; tamen doctrina eius etiam ſe extendit contra eos, qui dicunt, poſſe ab aliquo iuſto haberi prædictam certitudinem. Rurſus probatur ex omnibus adductis pro prima concluſione, in quibus non ſolum impugnatur hæreticorum ſententia, ſed etiam iſta Catherini, quæ ſecũdum ipſum repellit omnem dubitationem, & certificat infallibiliter. Et confirmatur ex communi ſententia Sanctorum Patrum, qui ſemper nos admonent, vt timeamus, & ſuſpecti ſimus de nobis ipſis, quia non poſſimus eſſe certi infallibiliter, quòd ſimus in gratia. Ita D. Cyprian. ſermo. de elœmoſyna ait, ſtultum & ſuperbum eſſe eum, qui dixerit ſe mundum habere cor. Idem docet Diuus Auguſtinus ſuper illud Pſalmi. 50. Incerta & occulta ſapientiæ tuæ: Cùm etiam Propheta ibi dicat, Ab occultis meis munda me Domine. Idem dicit. 1. de peccatorum meritis. capit. 9. &. 10. & ſermo. 16. de Verbis Apoſtoli, & ſermo. 23. de Verbis Domini, & tractatu. 50. homiliarum, & in id Pſalm. 41. Abyſſus abyſſum inuocat. D. Chryſoſt. homil. 77. ſuper Ioan. & homil. 11. ſuper. 1. ad Corinth. exponens illud. Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum. Vbi Anſelm. & Diuus Thomas idem docent. Legendus eſt D. Thom. 2. Corinth. 13. in id, Voſmetipſos tentate ſi eſtis in fide. Et eiſdem verbis vtuntur D. Hieronym. lib. 2. contra Pelagian. & D. Bernard. ſermo. 82. in Cantica. D. Gregor. lib. 10. moral. cap. 38. & lib. 6. Epiſtolarum epiſtol. 8. & 22. Quocircà, Theologi Scholaſtici communiter negant omnem infallibilem cognitionem circa certitudinem noſtræ gratiæ. Ita D. Bonauentura in. 1. diſtinctione. 17. parte. 1. quæſtione. 3. Ricard. articulo. 1. quæſtione. 5. Durand. quæſtione. 4. Scotus, quæſtione. 1. Gabriel in. 2. diſtinctione. 27. dubio vltimo. Alenſis. 3. parte, quæſtione. 71. membr. 3. artic. 1. Altiſiodor. lib. 3. ſuæ ſummæ. Omnes hi cum noſtro Sanctiſsimo Præceptore docent, non poſſe haberi certitudinem infallibilem de propria gratia, citra ſpeciale priuilegium. Legendus eſt Petrus de Soto in Paſtorali, lectione. 13. de pœnitent. in fine. Gerſon, Alphabet. 97. litera. X. ſeu prima parte Cant. conſider. 2. & Alphabet. 19.

*Conclu. 3.* *Conc. Trid.* *D. Cyprian.* *D. Auguſt.* *D. Chryſoſt.* *D. Anſelm.* *D. Thom.* *D. Hieron.* *D. Bernard.* *D. Gregor.* *D. Bonauẽ.* *Ricardus.* *Durandus.* *Scotus.* *Gabriel.* *Alenſis.* *Altiſiodor.* *Petrus de Soto.* *Gerſon.*

in fine, seu tracta. de distinct. verarum reuelationum à falsis signo.7.& Alphab.63.in fine, seu tract. de impulsibus.

Ratione etiam probatur. Quia, vt quis possit esse certus certitudine fidei infallibilis & diuinæ, cui falsum non possit subesse, quòd habet gratiam; requiritur quidem, quòd sibi hoc à Deo reueletur, taliter, vt sibi constet hanc esse diuinam reuelationẽ: sed hoc non potest constare secũdum communem legem: ergo. Minor patet: Quia quòd aliquid sit reuelatum à Deo secundum communem legem, non constat, nisi ex eo quòd proponitur ab Ecclesia vniuersali, Ecclesia autem vniuersalis nunquam propè fuit, quòd ego vel ille in particulari simus in gratia. Et confirmatur: Quoniam signa ex quibus aliquis potest colligere, se, vel aliũ esse in gratia, sunt valde fallibilia & incerta. Nam angelus Sathanæ, sæpè se transfigurat in angelum lucis: igitur ex illis non causatur hæc infallibilis cognitio. Sed aduerte, quòd nõ negamus Spiritũ sanctum testificari interius: hoc enim est certũ ex Paulo Rom.8. neq; negamus, hoc testimonium Spiritus sancti esse infallibile, quantum est ex se, & ex parte obiecti: sed dicimus, non posse constare iustis certò, & infallibiliter tale testimonium esse ab Spiritu sancto; atque adeo iustos non habere certitudinem infallibilem ex parte subiecti, qua id planè cognoscant & iudicent.

*Conclus. 4.* Quarta conclusio. Iustus potest habere aliquam cognitionem de sua gratia, quæ æquiualeat opinioni. Hanc assertionem ostendunt argumenta à prin-

*D. August.* cipio facta. Et confirmatur ex D. August. lib. de Pastorib. cap.12. qui sic scribit; Temerarijs iudicijs plena sunt omnia, nec timor certus est, nec amor, quid sit hodie homo, vix nouit ipse homo; tamen vtcumque nouit quid hodie, quid autem cras, nec ipse.

*D. Bernard.* D. Bernard. varijs in locis plurima adducit signa, quibus coniecturari potest præsentia spõsi in anima per gratiam: sermo.17.59.69.74. super Cant. & serm. 3. de Aduentu, & sermo.2. de Octaua Paschæ, & in dedicatione Ecclesiæ sermo.3. & sermo. de quatuor

*Alensis.* modis orandi Deum, & Epist.107. Alexander Alensis.3.part. quæst.71. membro.2.&.3. ponit tria signa præsentis gratiæ, nempe, lucem, lætitiam, & pacem spiritualem, & feruorem spiritus. Et fundat ea in verbis Prophetæ Psalm.4. Vbi quærente Propheta, Quis ostendet nobis bona? respondet; Signatum est super nos lumen vultus tui Domine, dedisti lætitiam in corde meo: Et statim; In pace in id ipsum dormiam, & requiescam. Alia etiam signa ponit Ve-

*Vega.* ga lib.9. in Trident. cap.45. nempe, contemptum rerum temporalium, desiderium cælestium, feruorẽ in executione diuinorũ mandatorũ, carentiã remorsus conscientiæ, & præterea vehemẽtem dolorẽ de peccatis præteritis, & firmissimũ propositum cauẽdi ea in futurum. Ex quibus signis & similibus potest iustus concipere opinionem de se ipso. Vndè, Trident. Concil. sessio.14. cap.3. dicit, quòd per pœnitentiæ sacramentum datur conscientiæ pax, & serenitas cum vehementi spiritus consolatione; quæ signa licèt non certò cognoscantur ab anima, sed tãtum probabiliter; tamen in se sunt certa signa; Et sic

*D. Gregor.* intelligitur quod dixit Gregor. 1. Dialogorum, cap. 1. Mens quæ diuinò spiritu impletur, habet euidentissima signa suæ virtutis, & humilitatis, quæ si in vnam mentem conueniant, liquet, quòd de præsentia Spiritus sancti testimonium ferant. Et pariter intelliguntur verba Anselmi locis supra citatis.

## DISPVTATVR AMPLIVS.

*Vtrùm possit quis esse certus de sua gratia, certitudine morali, seu certitudine excludente omnem dubitationem, & formidinem?*

HÆc disputatio, annexa est præcedenti, eamque complet, & militat de lege communi, An possit iustus secundum legem communem habere certitudinẽ moralem de sua gratia? Inqua sanè controuersia, prima sententia est, quòd iustus de lege ordinaria aliquando est certus de sua gratia, certitudine morali excludente omnem hæsitationem, dubitationem, & metum. Ita sensit Vega lib.9. in Tridentinũ, capit.46.&.47. & *Vega.* Ruardus Tapper articulo.8.&.9. & idem videtur *Ruardus.* etiam sensisse Soto in Apologia contra Catherin. *Soto.* capit.3. Vbi ait, posse haberi certitudinem moralem de propria gratia similem illi, quæ habetur de hac propositione, Roma est. Et capit.4. dicit, tantam posse aliquem habere certitudinem de sua gratia, vt nullam, aut tenuissimam dubitationem compatiatur. Imò verò sunt qui dicant, non aliud quam hoc voluisse Catherinum, qui sanè licèt à principio visus fuerit dicere, posse haberi certitudinem fidei infallibilis; postea tamen in Apologia dicit, quòd fidei particulari, quam quis habet de propria gratia, potest subesse falsum, & assertione vltima in expositione Concilij, citat Vegam pro sua sententia.

*Argum.1.* ¶ Hoc placitum persuaderi potest sequentibus argumentis. Primum est. Signa gratiæ, quæ in se cernit, & videt iustus, aliquando sunt æquè, aut magis fortia, quam illa, quibus credimus nos esse baptizatos, vel esse sacerdotes, vel sub hac numero hostia esse corpus Christi: sed hæc posteriora faciunt certitudinem moralem: ergo. Vndè, In-

*Innocen.3.* nocentius. III. in capit. Veniens. de presbytero non baptizato ait, quòd præsumptio baptismi, quæ apud nos est, pro certitudine habenda est; Et omnes censent esse culpabile, vel tantillum dubitare de aliquo istorum, nisi grauissimis de causis. ¶ Se-

*Secundum.* cundò arguitur. Illud censetur esse moraliter certum, & absque vlla hæsitatione credibile, cui rarissimè & difficillimè potest subesse falsum, & de quo sunt fortia aut fortissima argumenta, & nulla adest in eo ratio dubitandi: sed hoc aliquando accidit iusto: ergo. ¶ Tertiò. Possum habere signa, quibus fio moraliter certus, quòd aliquis est mihi amicus, & sine vlla dubitatione id ita credo: ergo pari ratione id possum iudicare certò de Deo, quẽ scio esse propensiorem ad amicitiam. ¶ Quartò arguitur. *Quartum.* Possumus esse certi, quòd ponimus dispositiones ad gratiam, quas Theologi dicunt esse ponendas cum sacramento, aut sine illo: ergo etiam possumus esse certi, quod habemus gratiam. ¶ Quinto rursus, *Quintum.* Certo potest constare de impletione aliorum mandatorum



datorum: ergo etiam de impletione præcepti contritionis, & dignæ participationis sacramentorum, quibus impletis certum est, cùm sacramenta conferant gratiam, hominem fidelem certò cognoscere moraliter se gratiam habere. Probatur antecedens: Quia si non constaret certò mihi de impletione diuinorum mandatorum, tunc ex probabili dubio redderentur homines anxij, soliciti, & scrupulosi sine culpa sua, quod est inconueniens. Et confirmatur: Nam quis est verus amicus alicuius, qui aliquando non reddat amicum moraliter certum de sua in eum amicitia? ergo pari ratione accidit in hominibus iustis respectu Dei. Quocircà, in Canticis ratione spiritualium virorũ introducitur Christus, suum amorem explicans sponsæ, quòd nunquam sic exultarent Sancti in morte & tormentis, neque eam tantopere desiderarent, nisi essent moraliter certi de suo statu. Quare Ambros. super illud

*D. Ambros.* psalm. 118. Memor fui iudiciorum tuorum à sæculo Domine, & delectatus sum, inquit Ambros. quòd cæleste iudicium lætus expectat iustus: scit enim sibi regnum cælorum, angelorumque consortium, coronam quoque bonorum meritorum repositam esse. Et ad hoc conducunt exempla Hilarij, Martini, & Pauli, quæ à Catherino adducuntur, & illud Ezechiæ, quod habetur.4. Reg. Nã Rege Ezechia orante prope mortem, hæc verba fertur dixisse, Memento quæso quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto, & qualiter quod est bonum in oculis tuis feci: ergo videtur fuisse certus de sua gratia. ¶ Sextò arguitur. Nam quod vi

*Sextum.* ri perfecti sine formidine sint de peccato, apparet ex illo.1.Ioan.4. Perfecta charitas foras mittit timo-

*1.Ioann.4.* rem, &.1. Ioan. 2. Si cor nostrum non reprehendat nos, fiduciam habemus. Et Isaiæ.12. Deus meus sal-

*Isaiæ.12.* uator meus fiducialiter agam, & non timebo. Vnde, D. August. lib. de bono perseuerant. inquit,

*D. August.* quòd Sancti petunt, vt in eis perseuerent bonis, quæ se accepisse nouerunt. Et D. Gregor. citatus à

*D. Gregor.* Vega, vbi suprà, docet iustos habere aliquando securitatem, & certitudinem diuinæ indulgentiæ &

*D. Bernard.* gratiæ. Et D. Bernard. sermo. 68.&.69. dicit, Vides quomodo de amore suo certum te reddat? & sermo. 2. in octaua Paschæ, Ideo spes non confundit, quia charitas certitudinem infundit: Et iterum, Spiritũ nouum aduenisse certissime, noua conuersatio testatur. Similia dicuntur in Epistol. 107. Et idem vi-

*D. Anselm.* detur dicere Anselmus Rom.8. Nam, inquit, Spiritum sanctum euidentissimo testimonio declarare spiritui nostro, quòd sumus filij Dei. Idem D. Gre-

*D. Gregor.* gor. 1. Dialogor. capit. 1.& plerique alij Sancti citati à Vega lib.9. in Trident. capit. 32.33.34.&.35.

*Septimum.* ¶ Septimò arguitur. Nam qui accedit ad Eucharistiam dubius an sit in peccato mortali nec ne, peccat mortaliter: ergo debet habere certitudinem moralem de sua gratia: ergo non est impossibile.

*Alensis, Altisiodor. Gerson. Roffens.* Pro hac sententia citatur Alexander Alens. 3. p. q.71. membro.3. artic.1.& Altisiodor. lib.3. summæ, Gerson Alphabeto.4. litera. P. titulo de signis bonis & malis, & Roffens. artic. 10.11.&.14. & Castro in verbo gratia: imo verò D. Bonauent. in. 1. distinct. 17.& Ricardus, Scotus, & Gabr. in.2. distinct.27. Verùm, quia certitudo moralis habet latitudinem; idcircò isti authores discrepant in explicatione suæ sententiæ, & permouentur nihilominus ad eam, primò. Quia fidelis habet certitudinem infallibi- *Argum pro Altisiodor.*
lem de sua fide: ergo pari ratione iustus potest habere certitudinem, quæ excludat omnem hæsitationem & formidinem, de sua gratia. Patet consequentia. Quia vtrumque est donum Dei, cuius principium æquè est nobis ignotum, & vtrumque pendet ex nostra dispositione, & sicut falli potest homo in examinatione propriæ dispositionis ad gratiam, ita & ad fidem; vt patet in hæretico, qui putat se credere propter testimonium diuinum; cùm tamen fidei humanæ, vel opinioni tantum innitatur. Antecedens autem probatur, tùm, quia id videtur concedere Sanct. Thom. hic ad.2. tùm etiam, quia fidelis credit omnia, quæ docet Ecclesia; sed est certum de fide, eum, qui hæc omnia credit, esse fidelem: ergo, &c. ¶ Rursùs secundò permouen- *Secundum.*
tur citati authores. Quia fidelis tenetur habere spem de consequenda beatitudine ex gratia, & meritis: sed non possumus certò sperare beatitudinem, nisi sciamus certò nos esse in gratia: ergo.

¶ Rursus tertiò, id ipsum probant ex argumento *Tertium.*
communi. Nam potest quis certò cognoscere se facere, vel recipere id, ad quod secundum fidem sequitur gratia: ergo. Probatur antecedens: Quoniam is, qui baptizatur scit se habere dispositionem, cùm minima sufficiat: sed huic Deus infallibiliter præstat auxilium, quo conuertatur; aliàs Deo & non homini imputaretur: ergo. Et pariter qui ducitur ad martyrium habet eam certitudinem se mori in gratia, quam postea de illo habebit Ecclesia, si eum Cathalogo Sanctorum adscribat: ergo, sicut postea Ecclesia est omnino certa, ita & ipse: quia maiorem charitatem nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis. ¶ Ad-

*Ioan.14.* ducunt etiam pro hac certitudine morali testimonia scripturæ Ioan. 14. Vos cognoscetis eum, quia in vobis manebit, & in vobis erit. Et.1. Ioan. 2. In

*1.Ioan.2.* hoc cognoscimus, quia in ipso sumus. Et. 2. Corint.

*2.Cor.vlt.* vltimò: Vos metipsos tentate, si estis in fide, an cognoscitis vosmetipsos, quia Christus Iesus in vobis est, nisi estis reprobi. Et potissimè adducunt illud Roman. 4. Ipse Spiritus testimonium reddit

*Roma.4.* spiritui nostro, quòd filij Dei sumus; sed testimonium Dei est certum omnino, imò verò infallibile: ergo.

Ex his argumentis Decanus, & Vega locis ci- *Vega lib.9. in Trid. cap. 46.&. 47.*
tatis fatentur, tot signa posse reperiri in homine iusto, vt sine nota temeritatis posset iustus absque dubitatione vlla, & hæsitatione, seu formidine credere se esse in gratia, sicut credimus Romam esse, & nos verè esse baptizatos, & verè & legitimè esse sacerdotes consecratos, & sicut in particulari credimus in hac hostia esse corpus Christi; Quod ostendit Vega plerisque argumentis, & ex Diuo Bernard. locis suprà citatis. Sed potissimum argumentum illius est. Quia potest iustus habere argumenta adeo fortia, & efficacia ad credendum se esse in gratia, sicut ad credendum se esse baptizatum, aut Romam esse: sed hæc credimus sine vlla hæsitatione, aut formidine: ergo & illud potest ita credi. Maior patet: Quia potest quis cernere se esse firmum in his, quæ ad fidem Catholicam spectant, & quòd

examinauit propriam conscientiam, consulendo viros sapientes,& spirituales,& quòd dirigit vitam secundum sanctum eorum consilium, & quòd post aliquod tempus non sensit conscientiam peccati mortalis; imo verò sensit se promptum ad omnia mandata Dei, & paratum ad facienda quæcumque sunt necessaria ad salutem: hæc autem videntur fortiora argumenta ad concludendam præsentiam gratiæ, quam sint testimonia hominum ad credendum Indiam esse, aut Romam esse, aut quòd ego sim baptizatus, & quòd ille, qui baptizauit me habuit legitimam intentionem. ¶ Quòd siquis obijciat: Quia hæc sententia videtur repugnare decreto Concilij citato; Respondet Vega, minimè repugnare; quia Concilium solùm negat certitudinem fidei, cui non posit subesse falsum; certitudo tamen moralis, licèt excludat omnem dubitationem; non tamen est omnino infallibilis, quia ei potest subesse falsum. Itaque, stat me esse certum, nec dubitare, quòd sim in gratia, & cum hoc credere, quòd possum falli in hoc assensu. Quòd si rursus petas, Vtrùm ista certitudo causetur ex fide diuina? respondet, quòd non causatur immediatè ex illa; consequitur tamen mediatè ex ipsa fide: quia hæc propositio, Ego sum in gratia, infertur ex vna de fide, & altera certa certitudine morali excludente omnem dubitationem, nempe, ex hoc syllogismo: Quicumque reuerenter, & debitè suscipit sacramentum, recipit gratiam à Deo: Ego suscipio reuerenter, deuotè, & cum debita dispositione sacramentum: ergo accipio gratiam. Maior est certa secundum fidem, cui non potest subesse falsum, & minor potest esse certa certitudine morali excludente omnem dubitationem: ergo conclusio similiter erit certa. Est simile in hoc syllogismo; In hostia ritè consecrata à legitimo sacerdote, continetur verum corpus Christi: sed hæc est ritè consecrata, & à legitimo sacerdote: ergo in ea continetur verum corpus Christi. Hæc conclusio est certa, vt Caietan. docet. 2. 2. quæstione. 1. articulo. 3. & tamen eius certitudo pendet ex minori, quæ non potest esse tam certa, sicut illa minor alterius syllogismi; quoniam certitudo huius dependet ex pluribus longè amplius, quam certitudo illius. Nam quod ego sim rectè dispositus ad suscipiendum sacramentum, pendet ex meo actu interiori, & ex motione diuini spiritus solum: Quòd autem hæc hostia sit ritè consecrata, pendet ex eo, quòd sacerdos habuerit legitimam intentionem, & quòd fuerit legitimè baptizatus, & quòd ille, qui eum ordinauit, habuerit legitimam intentionem ordinandi; imò verò, quòd ipse Episcopus fuerit legitime ordinatus, & baptizatus, & hoc pendet ex alijs pluribus in infinitum: Cùm igitur hæc non tollant quominùs certò credamus in hac hostia esse verum corpus Christi, similiter poterimus credere absque hæsitatione vlla, quòd aliquis est in gratia, & ipse de se id poterit credere. Hæc sententia ita exposita censetur à quibusdam Theologis huius ætatis satis probabilis: Cui fauet Soto in cap. 4. Apologiæ contra Catherin. vbi ait, quòd potest aliquis tantam certitudinem habere de sua gratia, vt nullam, aut certe tenuissimam dubitationem compatiatur. Et in cap. 3. præcedente dixerat, posse haberi certitudinem moralem de propria gratia, similem ei, quæ habetur de hac propositione, Roma est.

Aliqui recentes Theologi, de hac difficultate dicunt, quòd auxilia gratiæ præuenientis, illustrationes etiam supernaturales, experientia ipsa deprehẽduntur, non solum ab ijs, qui in virtute multũ profecerũt, & Deo sunt familiares; sed etiam ab ijs, qui ad fidem vocantur, aut à peccatis illustri aliqua cõtritione resurgunt. Secundò dicunt, quòd cùm Sathanas sæpè transfiguret se in angelum lucis, variasque cogitationes & affectus, tum corporis, tum spirituum commotione, excitare posit, quæ tantam iucunditatem sensibus afferant, vt in admirationem hominem rapiant, & cùm rursus illustrationes aliquæ & affectus, ita à Deo immittantur, vt ab anima deprehendantur, & verisimiliter à Deo immitti credantur, & certum non sit hæc pertinere solùm ad gratias gratis datas, nec vtrùm Deo per gratiã suã vocanti, & excitanti respondeamus per nostrũ liberum arbitrium, quantum sit satis, vt donum iustificationis consequamur, an potiùs aliquid in nobis metipsis existat, quod nos lateat, & diuinæ maiestati displiceat; idcircò planè fit, vt quamuis iusti sæpè in se ipsis experiantur illustrationes, & motus gratiæ, quos verosimiliter, & meritò credũt esse à Deo, imo quibus in fide roborantur, adeoq; charitate inflãmantur, vt perfecta charitas foras mittat timorẽ; ac proinde, hæc non leuia spiritus sint testimonia, quòd sint filij Dei, per gratiam gratum facientẽ adoptati; nihilominus regulariter nunquam ita certi omnino sunt, vel motus illos esse immissos à Deo, vel se esse in gratia gratũ faciente constitutos, quin falli interdum posint.

Pro explicatione huius difficultatis, quæ non leuis est, obseruare oportet, quòd cùm in quæstione fiat sermo de certitudine gratiæ, & cognitione eius in homine iusto & fideli; quatuor possunt distingui gradus illius certitudinis. Primus namque gradus potest esse eius certitudinis, quæ necessaria est ad firmitatem spei Christianæ; & hæc non tantũ in iustis, sed in quocunque fidele esse potest: quia hæc non est existimatio propriæ iustitiæ, sed diuinæ fidelitatis, de quo vide Chrysost. Homi. 14. ad Rom. & D. August. sermo. 20. de Verbis Domini. Secundus gradus est cuiusdam persuasionis de propria iustitia, quæ licet excludat dubitationem; non tamen formidinem, dubitationem hic appellamus, quando intellectus est ita anceps, vt nullo modo audeat iudicare; & hic gradus non tantum esse potest, sed esse oportet, nec deberet aliquis quiescere, donec ad istam perfectionem perueniret. Ratio est: Quia præcipuus fructus iustitiæ est pax cordis, ad Rom. 5. & Trident. sesione. 14. capit. 13. numerat hanc inter effectus sacramenti pœnitentiæ, non potest autem quis habere interiorem pacem ad Deũ, nisi determinatè, quamuis probabiliter, & cum formidine iudicet se esse gratum Deo ex bono testimonio conscientiæ. Quoniam sæpè oportet, vt homo determinatè iudicet se fecisse sine aliquo scrupulo manente in eius conscientia, quod ad gratiam consequendam prudẽter iudicabit esse necessariũ, atq; adeo vt non sit anceps, & vt deponat dubitationem; quia aliàs non posset ad sacramentum tutè accedere. Tertius gradus distinguitur à quibusdam postquam iustus multo tempore seruit Deo, in quo dicunt, quòd peruenit ad statum, in quo habet assensum certum iustitiæ, & hunc gradum dicunt esse posibilem, quia id Sancti supra citati insinuant, præcipuè D. Bernard. & Gregor. 1. Dialogorum, capit. 1. in illis verbis citatis, cùm ait: Mens quæ diuino spiritu impletur, habet euidentissima signa, &c. & Diuus Cyrillus, lib. 10. in Ioan. capit. 3. D. Basil. in breuioribus regul. 292. Cyprianus. sermo. de Cœna Domini. Sed sanè aliud est hominem iustum constitutum in hoc gradu sanctitatis, iudicare absolutè nihil formidando, sicut iudicat aliquis se esse sacerdotem, aut hanc hostiam esse consecratam, aut Romam esse. Quia hic modus non compatitur secum prudenter hæsitationem, dubitationem, aut formidinem: & ob id non potest pertinere ad certitudinem gratiæ in iustis hominibus, cùm constet eos prudenter formidare de sua gratia & iustitia, & posse etiam prudenter id ita formidare, imò verò semper oportet iustos coram Deo humiliari; & sub occultis Dei iudicijs vereri, ne fortè etiam existentibus tam verisimilibus iudicijs, iustitiam Dei non sint assequuti. Et aliud est ita iudicare, vt determinatè credat iustus se habere gratiam, sine vlla conscientiæ inquietudine, imò cum interiori pace, & testimonio conscientiæ bono, quamuis prudenter posit formidare de ea re. Vndè quartus gradus certitudinis videtur esse ille, qui ita determinatus est, & determinatum habet iudicium eius, qui iudicat se esse in gratia, vt non posit prudenter formidare oppositum, etiam si velit, sicut nunc iudico Romam esse; nõ enim possum prudenter formidare non esse Indiam, aut non esse Romam; & hunc gradum insinuat Pater Vega; & nonnulli alij supra citati, & hunc videntur admittere circa iudicium certitudinis gratiæ aliquando in homine iusto, secundum legem communem, quod ego non puto esse verum, aut tutum, vt deinceps dicemus.

Nota. D. Chrys. D. Aug. Conc. Tri. D. Gregor. D. Cyrill. D. Basil. D. Cyprian.



*Prima conclusio.*

Conclus. 1.

His ita prælibatis & constitutis, est prima cõclusio. Nemo in hac vita potest habere certitudinem infallibilem suæ gratiæ, non solũ ita, vt habeatur immediatè ex fide, de qua re superiùs diximus, sed neque ita, vt ex illo discursu euidenti comparari posit. Hæc assertio debet intelligi citra speciale priuilegium, & reuelationem Dei, & est adeò vera, vt opposita non solùm sit singularis, & temeraria, sed ad errorem proximè accedens: est enim contra eam communis consensus Scholasticorum. Quare, hanc assertionem tuetur Sanct. Thom. in hoc artic. 5. & 1. Corinth. 4. in illa verba, Nihil mihi conscius sum, &c. Et quamuis nõ defuerint, qui falsò Scoto tribuant tenuisse periculosam sententiam in 4. distinct. 5. quest. 1. §. Veritas, Vbi ait, quòd quasi nullus potest esse certus de propria bonitate; Tamen, Scotus adiecit particulam, quasi, vt exciperet confirmatos in gratia, & eos, qui illius reuelationem habuerunt, vt liquet de Sanctissima Virgine, & de Magdalena, cui dictum est à Christo, Remittuntur tibi peccata multa; & fides tua te saluam fecit, & de Diuo Paulo, atque Apostolis, qui sanè respectu cæterorum iustorum sunt paucissimi. Vndè Scotus distinct. 9. quæst. vnica. §. Dicendum, loquens de certitudine infallibili gratiæ, inquit, illam non conuenire viatori. Hanc etiam assertionem tenet Durand. in. 1. distinct. 17. quæst. 4. numero. 7. 8. &. 9. D. Bonauent. in. 1. distinct. 17. artic. 1. quæst. 3. Alexand. Alens. 3. part. quæstione. 61. membro. 7. articulo. 2. §. 1. Vbi dicit, tantum posse aliquem esse certum de sua gratia fallibilibus signis. Idem docet Lyran. Iob. 9. cap. Et Prouerb. 8. Et Ecclesiast. 9. & 2. Corinth. 13. Ricard. etiam in. 1. distinctione. 17. articulo 1. quæstione. 5. & Gabr. in. 2. distinct. 27. quæst. vnica. artic. 3. dubio vltimo, & omnes etiam recentiores, quos suprà citauimus contra Lutheranos, tenent etiam hanc assertionem. Itaque, citra Dei reuelationem nemo potest habere in hac vita certitudinem infallibilem de sua gratia, cui non posit subesse falsum, quæ deducatur ex duobus principijs, quorum vnum sit propositio de fide, alterum verò sit propositio euidens lumine naturali, ita vt etiam discursus euidens sit, in quo casu, quia conclusio sequitur debiliorem partem, non potest habere euidentiam, cùm alterum principium; nempe, illud, quod est de fide, sit obscurum; neque etiam habere potest tantam certitudinem, quantam habet fides; eò quòd assensus conclusionis innititur discursui humano, qui non habet tantam certitudinem, quantam habet fides.

Scotus. Durand. D. Bonauẽ. Alensis. Lyranus. Ricardus. Gabriel.

Probatur asserta conclusio. Primò quidem ex vniuersis locis sacræ Scripturæ & testimonijs, quæ contra hæreticos superius adducta sunt à nobis, quæ magnam etiam habent vim in proposito. Vndè, cum ex loco illo Ecclesiast. 9. Sunt iusti atque sapientes, & opera eorum in manu Dei; & tamen nescit homo, vtrum odio vel amore dignus sit, sed omnia in futurum seruantur incerta; ferè omnes authores probent prædictam assertionem; nihilominus aduersarij obijciunt, quòd debet explicari is locus de amore prædestinationis, & de odio reprobationis; non autem de amore, quo Deus nos diligit, vel de odio, quo peccatores prosequitur secundum præsentem statum. Quia plures, quibus euidenter notum est se peccasse mortaliter, infallibili certitudine cognoscunt se odio haberi à Deo, iuxta præsentem iustitiam. Et ob id aduertere oportet, Salomonem non loqui ibi in prædicto testimonio allato, vniuersaliter de omnibus hominibus quantumcunque sceleratis: hos enim, vt obiectio probat, constat certissimè cognoscere se ipsos esse in peccato, ac proinde esse inimicos Dei. Sed loquitur prædictus locus de his, qui re vera sunt iusti, secũdum quem sensum fortius exaggeratur, & probatur nostra sententia, vt liquet ex verbis illis. Quare, cum sint plerique iusti, & sapientes, de his solum ait, quòd nemo eorum scit, id est, certò cognoscit, an sit dignus amore propter bona opera in obsequium Dei facta, an potius propter aliquod mortale peccatum, quod ignoratur, & non est sibi remissum, sit dignus odio. Nam ob id Propheta aiebat, Ab occultis meis munda me Domine. ¶ Plurima etiam testimonia Sanctorum adducit Vega, non solum, vt illis ostendat positam assertionem, sed etiam, vt illis probet testimonia Scripturæ, quæ à Sanctis

Ecclesiast. 9.

Patribus adducuntur, ab eis explicari iuxta noſtram doctrinam. Nobis tamen ſatis ſit in præſenti ad huius ſententiæ exactam probationem adducere duas definitiones Eccleſiæ. Prima habetur in Tridēt. ſeſsio. 6. cap. 9. Vbi poſt confutatam hæreſim huius temporis, de certitudine gratiæ, habētur hæc verba: Sicut nemo pius de Dei miſericordia, de Chriſti merito, deque ſacramentorum virtute, & efficacia dubitare debet; ſic quilibet dum ſe ipſum, ſuamque propriam infirmitatem, & indiſpoſitionē reſpicit, de ſua gratia formidare, & timere poteſt; cùm nullus ſcire valeat certitudine fidei, cui nō poteſt ſubeſſe falſum, ſe gratiam Dei eſſe conſequutum. Quibus ſanè verbis, non tantum repellitur ipſa certitudo fidei circa cognitionē gratiæ, ſed etiā quæuis alia, quæ infallibilis ſit, vt dicatur iuſtus poſſe formidare, aut timere. Secunda definitio eſt Innocentij. III. in cap. vltim. de purgatione canonica; vbi refertur, quòd cùm Archiepiſcopus Biſuntinus nollet iurare ſe à die, quo ad Archiepiſcopatū euectus eſt, non commiſiſſe ea crimina, quæ illi obijcie bantur, & de quibus infamatus erat, ſed diceret ſe iuraturum, quòd erat immunis ab omnibus criminibus, quæ illi imputabantur; quam formam iurandi eligebat reiecta prima, quia exiſtimabat, peccata illa iam ſibi eſſe remiſſa per pœnitētiam; Definiuit Pontifex, illam formam iurandi eſſe temerariam, indiſcretam, & ineptam; Quod oſtendit ex illo teſtimonio Iob: Si ſimplex fuero, hoc ipſum ignorabit anima mea: Definitur ergo ibi à Pontifice, quòd nullus poteſt iurare abſque temeritate ſibi per pœnitentiam poſt baptiſmum factam, remiſſa eſſe peccata, aut collatā gratiam de facto: Sed ea, quæ quis infallibili certitudine cognoſcit, poteſt abſque dubio, & vlla temeritate iurare: ergo ex hac definitione apertè colligitur nullam habere infallibilem certitudinem, quòd ſibi de facto fuerint remiſſa peccata per pœnitentiam illam factam poſt baptiſmum. Quod ſanè multò fortiùs probatur de ea, quæ facta eſt ante baptiſmum, cùm ante illum non poſſit ſuſcipi ſacramentum pœnitentiæ.

*Conc.Tridē.*

*Innoc.III. tit. de purgatione canonica.c. accepimus. 16.*

Ratione etiam efficaci vnica probari poteſt prædicta aſſertio, quæ omnes vias, & aditus aduerſariorum occludat. Nam ſi aliquis poſſet habere certitudinem infallibilem de ſua gratia; tunc vel hoc poſſet infallibiliter cognoſcere ex ipſa cauſa gratiæ, aut ex eius effectibus, aut ex eo quòd infallibiliter intelligit, & cognoſcit ſe eſſe abſque vllo peccato: ſed ex nullo iſtorum certitudo capi poteſt: ergo illa eſt impoſsibilis de lege. Probatur minor. Nam in primis cauſa gratiæ duplex eſt; altera prima & præcipua, nempe, Deus; & hæc vt docet S. Thom. à nobis infallibiliter cognoſci non poteſt, nempe, quando cauſet, vel non cauſet. Quia Deus eſt principium gratiæ per ſuam dilectionem, qua nos amat in ordine ad beatitudinem ſupernaturalem; actus verò diuinæ dilectionis, non eſt nobis certus, ſed occultus: Quod ita eſſe fuit conuenientiſsimum, nè ſi homo cognoſceret infallibiliter ſe hac ratione diligi à Deo, de ſe ipſo præſumeret, & ſuperbiret, iuxta illud Gregorij. 9. Moral. cap. 17. Si ſcimus nos eſſe in gratia, ſuperbimus; Et nè, ſi imperfecti ſcirent ſe infallibiliter amari à Deo, in vita ſpirituali torperent, & vlteriùs proficere negligerent, &

*D.Gregor.*

propter alias cauſas, quas Vega adducit libr. 9. in Tridentin. cap. 17. Altera cauſa gratiæ eſt inſtrumentalis, vt ſacramenta nouæ legis, inter quæ baptiſmus, & pœnitentia ſunt, quibus homo maiorem habet certitudinem aſſecutionis gratiæ, ſed neque iſta certitudo tanta eſt, vt vocari poſsit infallibilis. Nam in primis de intentione miniſtri conferentis ſacramentum, non poteſt nobis infallibiliter conſtare, imò inuenti ſunt aliquando ſceleratiſsimi miniſtri, qui non habuerunt veram intentionem conferendi ſacramenta. Rurſùs, diſpoſitio, quæ ex parte ſuſcipientis eſt neceſſaria, vt ſacramentum de facto conferat gratiam, non eſt ei, qui ſuſcipit, infallibiliter certa. Nam quamuis ad ſuſcipiendum baptiſmum videatur eſſe de fide, neceſſariam eſſe aliqualem pœnitentiam præteritorum peccatorum, ſecundum illud Diui Petri Actor. 2. Pœnitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum; Tamen, qualis, & quanta debeat eſſe hæc pœnitentia, neque per ſcripturam, neque per Eccleſiam definitum eſt, ſed eſt in opinione Theologorum poſitum. Et quamuis certò conſtaret qualis neceſſariò debeat eſſe diſpoſitio, non inde inferretur infallibilis gratiæ certitudo. Quia non cognoſcit infallibiliter homo, qui accedit ad baptiſmum, an eius effectui, ſcilicet, gratiæ, apponat aliquod impedimentum, ex aliqua ignorantia culpabili, quod impedimentum ſi adſit, non iuſtificabitur per baptiſmum. Et quæ de baptiſmo dicta ſunt, potiori iure dici poſſunt de ſacramento pœnitentiæ. ¶ Ex cauſa denique diſpoſitiua, qua quis abſque ſacramento re ſuſcepto iuſtificatur, non poteſt infallibiliter deduci certitudo ipſius gratiæ in ſe ipſo: neque enim infallibiliter certum eſt qualis ſit diſpoſitio ad gratiam, vt illam ipſa gratia infallibiliter conſequatur, neque cognoſcitur certò, & infallibiliter an ſit ſupernaturalis, & diuina, quamuis de hoc ſint vehementes coniecturæ. Nam profectò, vt quis proprijs actibus ſine ſacramento iuſtificetur, debet proponere vitare peccatum ſuper omne vitabile firmiter cùm ſpe veniæ, & deteſtari præterita peccata ſupra omne deteſtabile, & diligere Deum ſuper omne diligibile firmiter & efficaciter. An verò homo peragat, & impleat omnia hæc efficaciter, & vt oportet, non infallibiliter cognoſcit homo in ſe ipſo, vt ſuprà latiùs deduximus: ergò non poteſt habere de lege infallibilem hanc certitudinem, quòd eſt in gratia, citra reuelationem.

*Vega.*

### *Secunda concluſio.*

*Concluſ.2.*

SEcunda concluſio. Certum eſt, & ita abſolutè ſentiendum, quòd ſecundum communem legem non poteſt quis habere tantam certitudinem propriæ gratiæ, vt excludat omnem formidinem & dubitationem. Probatur primò: Quia hoc eſt magis conſonum ſacræ Scripturæ, & teſtimonijs Sanctorum Patrum adductis: non enim poteſt ſtare ille timor & pauor, quem ſecundum ſcripturam & Sanctos quiſque habere debet, an fuerint ei remiſſa peccata, ſi iudicet abſque omni dubio, aut formidine ſe eſſe in gratia. Et confirmatur: Nam quando Scriptura dicit, neminem ſcire an ſit in gratia, ſed id omnes ignorare, non



re, non tam loquitur Scriptura de ſcientia euidenti, quæ eſt propria ſcientia, quam de cognitione certiſsima, & abſque formidine, & hæſitatione. Nam profectò, certitudo ſcientiæ hic non habet locum, cùm per nullam demonſtrationem id cognoſcamus. Rurſus probatur ex Trident. ſeſsio. 6. capit. 9. Vbi dicitur, quòd quilibet debet formidare, & timere de ſua gratia: ergo ſupponit Cōcilium, quòd in quolibet eſt ratio dubitandi, & formidandi an ſit in gratia; aliàs enim formidare non poſſet. Sed ſtante ratione dubitandi, & formidandi, temerarium eſſet non formidare, & dubitare: ergo nemo poteſt citra temeritatem, ita eſſe certus de propria gratia, vt nullatenus dubitet aut formidet. Et confirmatur. Quoniam de hac propoſitione, Roma eſt, non poſſumus nos dubitare ſuppoſitis teſtimonijs, quæ habentur de illa: ergo ſi aliquis haberet tantam certitudinem ſe eſſe in gratia, ſicut habet de hac, Roma eſt, non poſſet dubitare, aut formidare de ſua gratia, quod eſt contra Concilium. Et confirmatur iterum. Quia ſequeretur, quòd poſſet quis mortem oppetere pro hac veritate, Ego ſum in gratia, ſicut poſſet mortem oppetere pro hac veritate, In hac hoſtia eſt corpus Chriſti: conſequens eſt falſum: ergo. Item etiam ſequeretur, quòd poſſet aliquis habere tantam certitudinem de hac propoſitione, Ego ſum in gratia, quantam habemus de hac Concilium Tridentinum eſt legitimum & ſacrum: conſequens autem nullus audebit concedere: ergo, &c. Sequela patet: Quia ſicut hæc propoſitio, Concilium Tridentinum eſt legitimum & ſacrum, infertur ex vna propoſitione de fide, ſcilicet, Omne Concilium congregatum legitimè, & confirmatum per verum, & legitimum Pontificem, eſt ſacrū & infallibile, & ex altera certa certitudine morali excludente omne dubium, ſcilicet, Hoc Conciliū Tridentinum fuit ita congregatum & confirmatū: Similiter illa propoſitio, Ego ſum in gratia, infertur, ſecundum Vegam, ex vna propoſitione de fide, Quicunque debitè, & vt oportet & reuerenter ſuſcipit ſacramentum, verè recipit gratiam, & eſt in gratia, & etiam infertur ex altera certa certitudine excludente omne dubium, ſcilicet, Ego debitè, & vt oportet, & reuerenter ſuſcepi ſacramentum: Ergò æqualis erit certitudo in vtraque propoſitione, quod neque ipſe Vega auderet concedere. Verum eſt, quòd illa propoſitio minor, nempe, Hoc Concilium Tridentinum ita congregatum, & confirmatum hic & nunc, eſt legitimum, habet etiam certitudinem ſupernaturalem, & de fide, quòd à poſteriori colligimus, ex eo quòd Eccleſia recipit hoc Concilium ſingulare, & illud veneratur, eiuſque ſuſcipit decreta, & definitiones. Vndè, talis minor non tantum eſt certa certitudine morali, ſed etiam certitudine diuina. ¶ Quapropter, fundamenta quæ adducebat Pater Vega, non ſunt efficacia: Dicendum eſt enim, quòd quantumcunq; ſint optima argumenta præſentis gratiæ, ſemper tamen eſt aliqua ratio formidandi ex parte ipſius hominis, & propter prauas hominis inclinationes, multiplicesque cogitationes, & inuolutam ignorantiam. Et rurſus, quia ad eandem gratiam pertinet efficere, vt homo de ſe humiliter ſentiat, & formidet de propria iuſtitia. Quod patet experientia, & teſtimonio Sactorum, de quibus certi ſumus, quod habebant gratiam, & tamen ipſi de ſe ipſis ſemper formidabant: nūquam enim Deus vult, vt habeamus omnimodam certitudinem, ſine formidine, aut omnimodam ſecuritatē, ſine hæſitatione vlla: ſed vt progrediamur inter ſpem, & timorem, iuxta illud Pſalm. 2. Exultate ei cum tremore. Et quoniam iſtæ rationes formidandi, aut hæſitandi non ſunt reſpectu illius propoſitionis, Roma eſt, neq; reſpectu illius, Ego ſum baptizatus, aut ſimilium (non enim eſt ratio dubitandi prudenter, quòd ſacerdos non habuerit rectam intentionem conſecrandi) idcircò, rationabiliter certi ſumus de his abſque hæſitatione & formidine; non tamen de propria gratia.

*Conc.Trid.*

*Pſalm.2.*

Profectò, ſi verum eſſet quòd iuſtus poteſt habere certitudinē infallibilem, vel certitudinem, quæ excludat omnem formidinem, & dubitationē prorſus, fortè quantum adhoc nihil aliud voluiſſet Catherinus: Quoniam licèt à principio viſus fuerit dicere, poſſe haberi certitudinem fidei de ſua gratia, cui non poſsit ſubeſſe falſum; poſtea tamen in Apologia expreſſè dicit, quòd fidei particulari, quā habeo de propria gratia, quāuis ſine formidine, aſſentior, me eſſe in gratia. Vndè, ipſe Catherinus aſſertione vltima citat Vegam pro ſua ſententia.

### *Tertia concluſio.*

*Concluſ.3.*

TErtia concluſio. Nullus poteſt habere certitudinem moralem de ſua gratia, quæ omnē repellat formidinem, metum, & hæſitationem. Hanc aſſertionem ego puto ita eſſe certam, vt contraria non careat periculo. Vnde, ex communi decreto facultatis Theologicæ vidi quōdam in publicis certaminibus Scholaſticæ Theologiæ recantare palinodiam, cùm antea contenderet, poſſe iuſtum habere moralem certitudinem de ſua gratia, certitudine inquam excludēte omnem formidinē, metum & hæſitationē. Sanè, omnia teſtimonia Scripturæ ſacræ, vel pleraq; eorum, etiam oſtendunt hāc aſſertionē. Extat enim efficax teſtimonium Iob. 9. c. Si venerit ad me, nō videbo eū, Si abierit nō intelligam: Et ſtatim. Etiam ſi ſimplex fuero, hoc ipſum ignorabit anima mea: ſed qui certò ſcit certitudine morali excludente omnē formidinem, & hæſitationem, ſe eſſe in gratia & amicitia Dei, nō dicitur priùs ignorare illud: ergo non eſt conſtituenda iſta certitudo moralis, quæ excludat omnem hæſitationē, & formidinē. Et Prouerb. 20. Quis poteſt dicere, mundum eſt cor meum, purus ſum à peccato? Sed qui certus eſt vera certitudine morali excludente omnem hæſitationem, & formidinem quòd eſt in gratia, & quòd habet remiſsionem peccatorū; verè poteſt dicere, mundū eſt cor meum à culpa lethali: ergo illa ſententia, quæ conſtituit certitudinem moralem excludentem omnem formidinem, metum, & hæſitationem, aperte eſt contra Scripturam. Vnde Paulus optimè dicebat. 1. Corinth. 4. Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum. In quo teſtimonio loquitur Paulus, vel ante reuelationem ſuæ gratiæ, vel in perſona iuſti. Rurſus perſuadetur. Quia certitudo moralis, qualis eſt illa, quæ excludit hæſitationem, formidinem, & metum, includit euidentiam moralem; at nulla poteſt eſſe euidentia moralis in

*Iob.9.*

*Prouer.20.*

*1.Corinth.4.*

homine iuſto viatore ſecluſo omni teſtimonio Dei reuelantis: ergo. Probatur minor, primò; Quia certitudo ſcientiæ, aut eius euidentia hic non habet locum, cùm per nullam demonſtrationem id cognoſcamus, neque etiam certitudo euidentiæ moralis, vt huius, India eſt, & iſtius, Roma eſt. Quia neque commune omnium teſtimonium; neque vlla experientia id perſuadere poteſt, cùm non ſit omnino certum, me feciſſe omnia, quæ requiruntur ad conſequendam gratiam, & remiſsionem peccatorum. Nam ſi id eſſet certum, & moraliter euidens ſine vlla hæſitatione, aut formidine, vel metu; ſequitur, quòd non poſſem prudẽter dubitare, vel formidare vtrũ ſim in gratia, necne. Patet ſequela: Quia cùm ſit mihi moraliter certum, & moraliter euidẽs abſque formidine & dubio, Indiam eſſe, non prudẽter agerem, ſi dubitarem, Indiam eſſe nec ne; At poſtquam ego feci omnia, quæ potui, vt me diſponerem ad gratiam, poſſum prudenter timere, & prudenter dubitare, & formidare de mea gratia, quod non eueniret ſi haberem certitudinem moralem, & euidentiam moralem de illa: ergo. Imò verò, cùm quis baptizat, vel abſoluit, non eſt mihi certum, quam habeat intentionem, & an ſit ſacerdos. Vndè, licèt iudicem eũ eſſe ſacerdotem, & habuiſſe rectam intentionem, quia non apparet ratio in contrarium, & quia teneor ſemper habere optimũ iudicium, & æſtimationem, & quia ita toleratur & admittitur ille miniſter; hoc tamen ſolum facit me non agitari ſpiritu dubietatis, aut ſcrupuloſis cogitatibus; non tamen quòd habeam re vera euidentiã moralem de mea gratia. Quia ſufficit quòd ego iudicem me prudenter, & ſine fraude, aut dolo, & ex zelo Chriſtiano feciſſe ea, quæ putaui ſufficere ad conſequendam remiſsionem peccatorum, & ſufficit hoc iudicium probabile, & rationabile vt pace quadam fruatur conſcientia, & vt pacata maneat: Et non requiritur illa certitudo & euidentia moralis, quæ excludat omnem prorſus hæſitationem, metum, & formidinem. Imò verò, cùm plures homines decipiantur à Dæmone, qui ſe transfigurat in angelum lucis, & cùm inſcrutabile ſit cor hominis, non ſatis à ſe ipſo dignoſcitur iſta certitudo moralis ſuprà tacta, vt Gregor. dicit. 1. par. paſtoral. cap. 9. Mens humana ſæpè ſibi mentitur, & fingit de malo opere, non amare quod amat, & de bono, amare, quod non amat. Vndè, quando diligit Deum ſuper omnia, non eſt omnino homo certus an ille actus ſit propter motiuum ſupernaturale, vel propter naturale, neq; an illa dilectio ſit ſuper omnia. Nam D. Paulus ait: Si tradidero corpus meum, ita vt ardeat, charitatem autem non habuero, &c. Vbi inſinuat, poſſe aliquem tradere corpus ſuum igni, putans ſe illud facere propter Deum, & tamen verè non facere. Nam plures effectus eueniunt aliquando, & fiunt in homine, & in eo, qui eſt in peccato, cùm tamen exiſtimet ſe eſſe in gratia, quia ſimiles aliquando reperiuntur in peccatore. Fauet etiam illud Prophetæ, Ab occultis meis munda me Domine. Imò Virgines fatuæ putauerunt ſe ſumpſiſſe ſufficiens oleum, quo poſtea caruerunt. Ex quibus liquet, nec poſſe haberi certitudinem de gratia alicuius, quanta eſt vera certitudo cõcluſionis Theologicæ. Quia, nec ſequitur ex duabus de fide, vt patet, nec ex altera euidenti, quòd vt minimum requirebatur: nulla igitur certitudo eſt in iuſtis hominibus, cui non poſsit ſubeſſe falſitas, formido, & metus. Et ſanè, id ita expediebat ad humilitatem iuſtorum, vt docet Gregor. 9. Moral. capit. 17. & Auguſt. de correctione & gratia, capit. 13. Quòd verò nulla ſit certitudo iuſto de ſua gratia, cui non poſſit ſubeſſe falſitas, & formido, docet D. Gregor. libr. 6. Epiſtolarum, Epiſt. 22. D. Bernard. Epiſto. 42. & 107. Diuus Auguſtinus, ſermo. 16. de verbis Apoſtoli. *D.Greg. D.Aug. D.Bern.*

Hanc aſſertionem tertiam conſtituo etiam contra Vegam lib. 9. in Trident. cap. 46. & 47. & contra Sotum, qui in Apolog. contra Catherin. dixit, poſſe aliquem ſic eſſe certum de ſua gratia, certitudine quadam morali, atque certus eſt Romam eſſe, quod tamen pugnat cum teſtimonijs Sanctarum literarum, quæ pronuntiant apertè, iuſtum ſemper debere eſſe pauidum, & cum metu & tremore agere. Profectò, certitudo iſta moralis, ſi excludit omnem formidinem, omnem hæſitationem, dubium etiam, & metum, non poteſt non conuincere, & neceſsitare intellectum. Nam nemo ſanæ mẽtis poteſt negare, quòd Roma ſit: ſed iuſtus, neque neceſsitatur, neque conuincitur, vt putet ſe eſſe iuſtum: ergo. Imò verò, homo iuſtus non ſolùm logicè, ſed etiam moraliter, poteſt decipi, & ſæpiùs decipitur; putans ſe eſſe iuſtum: ergo non habet certitudinem, quæ repellat omnem formidinem, hæſitationem, & metum. Et confirmatur: Nam vir iuſtus poteſt prudenter timere, & dubitare an ſit iuſtus, & ſemper habet rationabilem cauſam dubitandi de hoc: ergo nunquam ita redditur ſecurus, vt excludatur formido, hæſitatio, & metus. Tandem, Siquis habeat hanc certitudinem, quam aduerſarij dicunt, ſequitur, quòd iuſtus poteſt iurare ſe eſſe in gratia. Præſertim, quia id, quod eſt certum moraliter, moraliter euidens cenſetur, vt quòd ſit Roma, quòd ſint Indiæ; at nemo poteſt euidenter cognoſcere ſe eſſe iuſtum: ergo.

Quidam Theologi recentes preſsi difficultate argumentorum, & veritate huius aſſertionis, dicunt media via incedendum eſſe, & concedendam eſſe certitudinem moralem, quam argumenta ſuperius tacta probant; tamen certitudinem hanc dicunt non repellere formidinem, metum, & dubitationem, & eſſe falſum ſimpliciter loquendo, quod certitudo moralis excludat omnem formidinem, hæſitationem, & metum. Nam cùm hæc certitudo ſit ſimpliciter fallibilis, meritò poteſt intellectus dicere, fortè non ita eſt, & hoc eſt dubitare, & formidare. Vndè, ex hoc, quòd certitudo hæc non excludit hanc dubitationem; ſequitur, non excludere metum, quia metus eſt de malo poſſibili arduo: igitur ſi carere gratia iudicatur poſsibile, & euitatu arduum, poterit de eo eſſe metus. Verùm hæc ſententia habet apertam implicationem. Nam certitudo moralis, in proprio eius conceptu includit determinationem ad alteram partẽ, imo vero firmam determinationem; aliàs non eſſet vera certitudo: ergo repellit dubium & formidinẽ. Fauet etiam quod certitudo moralis habet in ſuo genere morali, moralem euidentiam; at moralis





euidentia repellit dubitationem moralem & formidinem: ergo hæc ſententia ſibi implicat.

*Quarta concluſio.*

*Concluſ. 4.* QVarta concluſio. Iuſtus probabilibus, & vehementiſsimis coniecturis, atque rationabilibus, poteſt iudicare & aliquando cognoſcere ſe eſſe in gratia. Hęc aſſertio cõmunis eſt inter Catholicos, & eã defendunt à fortiori Decan. Roffenſ. & Catherin. & Gerſon, locis ſupra citatis, & præſertim quarta parte in opuſculo de ſignis bonis & malis. Idem docet S. Thom. in hoc art. & D. Bonauent. in. 1. d. 17. in. 2. p. q. 3. Durand. q. 4. Ricard. q. 5. Scot. q. 1. *Decanus. Roffenſis. Catherinus. Gerſon. D.Thom. D.Bonau. Durandus. Ricardus. Scotus.* Et profectò, ſemper iuſtus habet rationabilem cauſam formidandi an ſit iuſtus nec ne, & an placeat Deo: & idcircò, nunquam eſt tam certus de ſua gratia, ſicut de eo, quòd eſt baptizatus, & quòd eſt verus ſacerdos. Nam, vt de hoc ſecundo ſit certus, ſufficit ſcire quòd recepit ſacramẽta à miniſtro Eccleſiæ, & ſufficit intentio miniſtri conferentis illa, de qua intentione, nulla eſt rationabilis cauſa ſecundũ prudentiam dubitandi, aut formidandi; At vero de ſua gratia iure poteſt, & debet quis timere, & formidare, an fecerit omnia neceſſaria, & requiſita, & requiritur, ꝙ certò quis iudicet ſe non habere peccata etiam occulta, & incognita, & quòd diligit Deum ſuper omnia, & quòd implet omnia mandata occurrentia, ſi certò debet cognoſcere ſe eſſe in gratia: ergo cùm hæc nemini ſint aperta, & cognita citra diuinam reuelationem, ſequitur, quod ſolum probabiliter, & per coniecturas aliquando maiores, & aliquando minores, & aliquãdo fortiores, poteſt quis iudicare de ſua gratia: & hoc remanſit ſolatium peregrinationis noſtræ, vt Spiritus ſanctus cor noſtrum tangat, & in eo teſtificetur, quod filij Dei ſumus. Fauet etiam, quia potiſsimum argumentum, quo quis poſſet iudicare ſe eſſe iuſtum, eſt velle mori pro Chriſto: ſed hoc argumentum non oſtendit plenam, aut infallibilem cognitionem, vt patet de hæretico, qui moritur pro Chriſto quantum ipſe putat, & de exemplo Pauli. 1. *1.Corint.13.* Corinth. 13. Si tradidero corpus meum, ita vt ardeã charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt. Quibus verbis inſinuat, poſſe aliquem mori pro fide cum affectu peccati mortalis: ergo. Rurſus, teſtimonium optimum ad perſuaſionem certitudinis gratiæ, poſſet eſſe teſtimonium bonæ conſcientiæ, & pax; & trãquillitas, quæ in ea cernitur, & nullius criminis eſſe conſcium: ſed hoc teſtimonium, vt do- *1.Corint.4.* cet Pau. 1. Corinth. 4. non tribuit certitudinem omnimodam, aut moralem euidentiam, aut infallibilẽ certitudinem moralem, cum dicat Paulus: Nihil mihi cõſcius ſum, ſed nõ in hoc iuſtificatus ſum: ergo. Et augetur efficacia argumenti. Quia præter opera interna & externa, quæ reperiuntur in homine iuſto, pari ratione nonnunquam in homine peccatore apparent proportionata & ſimilia quædam opera; quæ tamen non ſunt opera dilectionis ſupernaturalis, neque contritionis, neque charitatis, aut gratiæ: Sufficit ergo probabiliter coniecturare, & rationabiliter ſecundum prudentiam de ſua gratia. Vnde mirabile eſt quod aliqui dicunt, hominem habere certitudinem coniecturalem de ſua gratia. Quia dicere eſſe certitudinẽ, & dicere eſſe coniecturalẽ, non recte conueniunt, aut cohærent: Quia certitudo excludit omnem formidinem & metum, & ob id ſolis cõiecturis non habetur certitudo. Quapropter, ſemper negandum eſt, hominem, de lege habere hanc certitudinem, ſed ſolum habere probabile iudicium, & coniecturalem cognitionem, ſicut explicatum eſt à nobis.

*Ad argum.* Ad argumẽta, quæ pro certitudine morali in hoc dubio militabant. *Ad primum* Ad primũ dicendum, quòd in illis caſibus, imprudenter faceret homo ſi eſſet anxius, aut dubius an ſit baptizatus vel ſacerdos. Quia cum homo etiam ſi ſit in peccato, recipiat ſacros ordines, & audiat proprijs auribus, cernatque proprijs oculis ea, quæ in collatione ſacrorum ordinum exercentur & cùm audierit verba expreſſiua conceptuum, & intentionum, quibus conferũtur ſacri ordines, imprudens eſſet, & ſtolidus ſi dubitaret, niſi ex altera parte haberet morales, & probabiliſsimas rationes in contrariũ, & quandiu eas non habet, nulla ratione debet formidare; at vero in iuſtificatione & remiſsione peccatorum, cum tremore, & timore debet ſtare, & humiliari coram Domino: non enim expedit ei certò ſcire ſe eſſe in gratia, ſicut expedit eſſe moraliter certum, quod eſt ſacerdos, & quod eſt baptizatus. Vnde, non mihi probatur ſententia quorundam recentiorum, qui putant dici poſſe, quod poteſt rationabiliter, is, qui eſt baptizatus, vel qui ordines ſuſcepit, dubitare an ſit ſacerdos vel an ſit baptizatus. Ego enim credo hoc eſſe delirium. Nam ſi quis dubitaret de ſuo baptiſmo, & de ſuo ſacerdotio, niſi haberet rationes in contrarium, quæ ad id ſuſpicandum & opinandum rationabiliter, aut probabiliter mouerent, certe ſtultus eſſet; imò verò non poſſet ex conſcientia illa dubia ſe committere periculo faciendi ſacrum. At vero ex eo quòd quis timeat an fecerit omnia requiſita ad contritionem, & iuſtificationem, neque aufertur ab eo gratia, neque ſequitur inconueniens aliquod, imò verò poteſt id prudenter formidare, in quo bene agit, quia creſcit humilitas, & deſiderium placendi Deo. Vnde, non eſt ſimile, id quod adducitur in argumento. ¶ *Ad ſecundũ* Ad ſecundum reſpondetur, negando minorem, ſi ſit ſermo de lege cõmuni. ¶ *Ad tertiũ.* Ad tertium reſpondetur, negando conſequentiam. Nã quamuis ſciam Deum eſſe propenſiorem ad amicitiam; tamen ignoro ego an ex parte mea ego diligã Deum ſuper omnia, & odio habeam peccatum ſuper omne odibile, & an hoc odium peccatorum procedat ex amore ſupernaturali Dei. ¶ *Ad quartũ.* Ad quartũ reſpodetur, negando antecedens. Nam cum diſpoſitiones ad gratiã ortũ habeant ex ſupernaturali principio, & ex ordine gratiæ, & ad eas concurrat actus ſupernaturalis fidei, & ſpei, & multa etiam occulte lateant in homine; non poteſt ille vnquam de lege eſſe certus ſine formidine vlla, licet poſsit aliquando vehementer permoueri ex probabili iudicio, & ex fortiſsimis coniecturis ad cognoſcendum ſe eſſe in gratia. Vnde, Propheta dixit. Ab occultis meis munda me Domine: *Pſalm. 50.* Nunquam ergo de lege poteſt quis eſſe certus de ſe ipſo. Et ita ſenſit Paul. cum dixit: Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum. ¶ *Ad quintũ.* Ad quintum reſpondetur, quòd non poteſt ſemper certo conſtare de impletione aliorum mandatorum: ſæpè enim poſſumus deficere in aliquo,

quo, & id latere nos, esseque nobis occultum. Et quamuis daremus constare de impletione aliorum mandatorum: tamen non potest nobis certò certitudine omnimoda, aut morali euidentia, constare, de impletione contritionis, & dignæ participationis sacramentorum, propter rationes supra tactas, tam hic, quã in discursu totius quæstionis: & ob id etiã neganda est consequentia. Vnde ad probationem antecedentis negari etiam debet, quòd homines debeant esse anxij, & scrupulosi sine culpa sua, cum secerunt, quod ipsi iudicauerunt esse satis ad impletionem diuinorum mandatorum. ¶ Quapropter, secundo dicendum est ad argumentum, quòd non est simile in omnibus de mandatis pure naturalibus & exterioribus, & de mandatis internis & supernaturalibus, quoad substãtiam. Ad confirmationem respondetur, quod id quidem expedit in amicitia humana, quæ est inter homines. Quia quanto magis euidens est amicitia, tanto magis crescit, & firmatur animus amici; at vero in amicitia in ordine ad Deum, non est par ratio. Quia expedit hominem humiliari, & cũ tremore, & timore accedere ad Deũ, sine confidentia de sua iustitia, & ne etiam homines superbiant de sua gratia. Hæc etiam occultatio, de lege est valde expediens, vt dum homo non habet certitudinem, aut euidentiam suæ gratiæ, ardentiùs eam concupiscat, & vt videat ne cadat, & solicitus sit, & magis proficiat quotidie in amore Dei. Alias etiam attulimus rationes in discursu quæstionis, quæ huic loco, & solutioni accommodari possunt. Et ad testimonia, quæ in eadem probatione adducũtur. Ad primum dicendum, quod in Canticis quamuis sic introducatur Christus; tamen nunquam asseritur, quòd iusti sunt certi moraliter de sua gratia in particulari, quamuis cognoscant, quod status vitæ Christianæ, & adimpletio mandatorũ Dei, certò sit status, quo perueniunt ad salutem, de quo pleraq; indicia iusti habent, & interdũ vehemẽtia, quòd habẽt remissionẽ peccatorũ, & quod amantur, & diligũtur ab sponso suo Christo. Ad illud Ambrosij respondetur, iustum sperare cum lætitia: quia scit, bene operantibus promissum esse regnum cœleste, & sperat se benè vixisse, vel saltem feciſſe ea, quæ requiruntur ad obtinendam remissionem peccatorũ. Rursus, aliquando verbum illud (scire) non accipitur pro cognitione euidenti in modo communi loquendi, sed pro ea cognitione, quæ possibilis est pro eo statu, in quo quis reperitur. Et per hoc patet ad exempla, quæ ibi citantur, & quæ à Catherino adducuntur. Ad illud autem Ezechiæ respondetur, negando consequentiam. Nam ex verbis illis solũ sequitur, quòd prudenter iudicabat rationabiliter, & probabiliter satis, quòd fecerat sæpius, quæ Deus suis mandatis præceperat, & quod sincere corde suo ambulauerit in lege Domini; non tamen id, aut certò infallibiliter, aut certo sine vlla hæsitatione, aut timore, aut formidine prorsus. ¶ Ad sextum dicendum, quòd charitas non mittit foras timorem filialem, sed seruilem, vt eruditè explicat D. Tho. super hunc locum, vbi adducit D. Augustinum. Et ex dictis patet quid dicendum sit ad similia loca, & testimonia quorundam sanctorum: solum enim probant moralem quandam cognitionem, & morale iudicium, probabilemque sententiam, quam iustus potest habere de sua gratia rationabiliter, per quam cognitionem excluditur suspensio assensus, sed nõ timor, neque formido. ¶ Ad septimũ respondetur, quòd ad Eucharistiam non requiritur omnino certitudo moralis de propria gratia; aliàs nunquam dignè quis accederet de lege: quia nunquam de lege habet omnino certitudinem moralem, cùm accedit ad Eucharistiam, neque Deus obligat absolutè ad talem certitudinem, sed solum obligat, vt prudenter debitam diligentiam faciat, vt pœniteat, & Deũ diligat, & ob id satis est probabilitas, & bona fides de bona conscientia. Cæterum, si quis dubius esset, suspensumque haberet iudicium, ita vt non declinaret in partem affirmatiuam, probabiliter & ex iudicio prudentiali, quo putet se feciſſe ea, ad quæ tenetur, vt recipiat digne sacramentum; tunc non debite accederet, neque digne: Quia non habet iudiciũ illud, sed manet simpliciter in ancipiti, & æqualiter iudicat se indigne accedere, siquidem dubius est totaliter, vt supponimus vtrinque.

Ad alia argumenta quæ pro Alexandro, Altisiodorensi, Rossense, & Gersone, & alijs videtur militare, respondetur. Ad primum Deo volente dabimus solutionem in disputatione speciali huius articuli; quam tamen prius solutionem argumentorum huius controuersiæ proponemus, in qua disputabitur an possit quis certò cognoscere se habere fidem supernaturalem. ¶ Ad secũdum respondetur negando minorem. Nam positis promissionibus Dei, cumiustus vehementissimis signis putet se feciſſe id, ad quod tenebatur, optime sperat innitendo diuinæ promissioni; Imò verò, habet certitudinem de firmitate spei, & diuinæ promissionis, quòd si fecit quod in se erat, coronabitur à Deo; & hanc diximus supra esse certitudinem necessariam ad firmitatem spei Christianæ. Quia hæc non tantum est in iustis, sed in quocumque fideli esse potest; quia non est existimatio propriæ iustitiæ, sed diuinæ fidelitatis; De quo lege Chrysost. homil. 14. ad Romanos. Augustin. sermo. 20. de Verbis Domini. ¶ Ad tertium respõdetur, esse latitudinem in ea cognitione. Nam qui baptizatur, magis cognoscit, & facilius iudicat se esse in gratia, & obtinuisse diuinam misericordiam per lauacrum illud regenerationis, quam qui per sacramentum pœnitentiæ absoluitur, & is quam alius, qui per contritionem iustificatur. Quia ad primum minus requiritur, quàm ad secundum, & ad secundum, quam ad tertium, cùm difficillimè habeatur contritio; sed nullus eorum habet certitudinem, cum nulli constet de intentione ministri, & an ipse habeat dispositionem supernaturalem, & an illa quam habet sit sufficiens. Rursus euenit, vt is, qui putat facere quod in se est, longe sit à certitudine gratiæ, tum quia forte non facit, licet ipse existimet. Præterea, quia mediant rationes supernaturales, de quo supra diximus. Qui vero ad martyrium ducitur, nescit omnino an ex vero amore Dei mortem sustineat, nec est euidens & certum signum, quòd tradat corpus suum, ita vt ardeat, vt Paulus dixit; neq; est eadem, aut par ratio de Ecclesia, quæ assistentiæ Dei innitens, cõsummato agone omnia diiudicat. Et ex dictis satis patet ad alia, quæ ibi habẽtur, & soluũtur hæc argumenta, quæ etiam pro Decano, & pro Vega militabant.

Soluu



*Soluuntur alia argumenta, quæ in exordio huius difficultatis sunt posita.*

Restat postremo loco dissoluere septem argumenta, quæ in exordio difficultatis huius cõtrouersiæ à nobis sunt proposita, vbi maior controuersiæ nodus explicatur, & aperitur. Ad primum quod sumitur ex testimonijs sanctarum literarum respondetur, quòd omnia illa testimonia intelliguntur in genere, & in communi per ordinem ad totam Ecclesiam, & non ad hunc, vel ad illum in particulari, vt sit sensus, quòd per fidem diuinam sumus certi in hac Ecclesia fidelium cõmorari spiritũ vitæ, & veritatis, perquem multi iustificantur, & sunt iusti, & salui fiunt. Ita exponit S. Thom. in id. 1. Corinth. 2. non spiritum huius mundi accipimus, sed spiritum, qui ex Deo est, vt sciamus, quæ à Deo donata sunt nobis. Sic etiam interpretantur Lyra & Vega. Vnde, sensus illius loci ad Rom. 8. est, testimonio Spiritus sancti constare, filios Dei, qui sunt in mundo, esse in hac congregatione. Ita intelligunt Chrysost. & alij Græci. Et quidẽ similia loca Scripturæ primo referri debent ad Ecclesiam, non ad singulas personas. Sic etiam intelligitur illud ad Galat. 4. Quoniam autem estis filij Dei, misit Spiritum suum in corda vestra, &c. Eundem sensum suscipit, & prosequitur D. Aug. sermo. 13. de Verbis Apostoli, ex illo. 1. Corinth. 2. Accepimus Spiritum, qui ex Deo est, vt sciamus, &c. Et idem dicit Chrysost. hom. 7. super. 1. ad Corinth. Quòd si voluerimus applicare prædicta testimonia ad particulares homines, debent quidem intelligi de scientia coniecturali, quæ non est scientia, sed vt plurimum æquiualet opinioni probabili, aut vehementi. Quo circa, sensus est, Spiritum sanctum efficiendo, vt iusti sancte viuant, præbere illis testimonium fœlicitatis diuinæ, quod non est aliud; quam ipsa vita bona, & ideo non præbet infallibilem, sed coniecturalem cognitionem: Ita Ambros. Rom. 8. Vnde. 1. Ioan. 3. dicitur, Si cor nostrum non reprehenderit nos; & infra, Scimus quia manet in nobis, quia mandata eius seruamus. Vide Augustin. Simile est illud. 2. Corinth. 1. Hæc est gloria nostra, testimonium conscientiæ nostræ; Quia licet det testimonium probabile; magnam tamen affert consolationem, vt Gregor. homi. 3. & D. Bernard. de interiori domo cap. 31. dicũt. Rursus potest esse tertius sensus, quòd Spiritus sanctus interdum mouet iustos ad bene existimandum de beneuolentia erga illos. Ita exponit D. Ansel. illud citatum ad Rom. 8. Sed hæc motio Spiritus sancti, non facit certitudinem fidei; quia non constat iustis, quando, & quomodo moueantur ab Spiritu sancto, neque mouentur ad id credendum, quia Deus dicit, & reuelat, sed ad id existimandum ex bonis coniecturis. Nam licet motio illa Spiritus sancti semper sit vera; non tamen est homini certa, neque habet modum assensus fidei, quia nec innititur formali obiecto eius, nec testimonium illud Spiritus sancti est homini applicatum, aut per Ecclesiam, aut per reuelationem, &c. ¶ Alia autem testimonia, & loca, vel de notitia, quæ erit in cœlo, intelliguntur, vt illud Ioan. 14. In illo die vos cognoscetis, &c. Vel de notitia per coniecturas, vel conditionaliter, vt. 1. Ioan. 2. Qui seruat verbum Dei, in hoc charitas perfecta est, sed nescit homo certo an omnino seruet verbum Dei; & illud, Scimus quoniã translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres, ideſt, si diligimus. Et non solum possunt explicari plurima testimonia conditionaliter, sed etiam sunt nonnulla testimonia, quæ loquuntur de certitudine, quam ex priuilegio habuit Paulus, & alij Apostoli de sua gratia, per specialem reuelationem, inter quos Pater Medina recenset Magdalenam, & Nathanael, de quo dixit Christus, Ecce vere Israelita, in quo dolus non est; & bonus Latro postquam dixit illi Iesus pendens in cruce, Hodie mecum eris in paradiso, habuit testimonium reuelationis à Christo. ¶ Quod si ad singulas personas referantur aliqua testimonia Scripturæ citata, debent intelligi de notitia probabili, & coniecturali, vt supra diximus.

Ad secundũ respondetur, quod ille, qui facit quantum debet, & quantum est in se ex auxilio gratiæ, & ex auxilio supernaturali Dei, consequitur gratiam, sed tunc neganda est minor, quia non est certũ & exploratum, quod iste facit quod in se est. Quia sæpe numero mens humana mentitur sibi, & fingit se amare, quod non amat. Et ad probationem respondetur, quòd Christus ibi non loquitur vniuersaliter de omni eo, quod debemus facere, sed indefinite de aliquibus mandatis, præsertim exterioribus. ¶ Secundò respondetur, quòd illa verba debẽt intelligi conditionaliter, vt sit sensus, etsi constaret vobis feciſſe omnia, quæ præcepta sunt; nihilominus deberetis vos reputare seruos inutiles. Quare ex illo loco, potius confirmatur nostra sententia, quam impugnatur. Quia inde habetur, quòd homo semper debet esse pauidus, & timens, etiam si suo iudicio existimet se feciſſe omnia necessaria, quia fortassis fallitur: incertæ namque sunt prouidentiæ nostræ, & cogitationes. ¶ Ad tertium respondetur, certum esse, quòd dispositis, & non ponentibus obicem Deus confert gratiam, sed nemo potest de lege scire an sit dispositus; quia secũdum veram sententiam, ad minus requiritur cum sacramento attritio supernaturalis: nemo autem scit an sua attritio sit supernaturalis. Quapropter neganda est minor. Quoniam attritio, quæ cum sacramento sufficit vt habetur ex Trident. sessio. 14. debet esse ex instinctu Spiritus sancti, & debet excludere omnem effectum peccati, non solum putatiue secundum meam existimationem, sed vere & realiter: de tali autem attritione, nemo potest esse omnino certus. Vnde, explicandum & limitandum est dictum Prouincialis Concilij Colonien sis cap. de Pœnitentia exteriori, aientis, quod pœnitens postquam audierit verba Sacerdotis, nimis certus esse debet de sua salute & gratia acsi Christus ei diuisset, Ego te absoluo. Hoc intelligendum est non absolute, sed quantum est ex parte sacramenti. ¶ Secundò respondetur, quod licet aliquis esset certus de huiusmodi attritione; non tamen potest esse certus de intentione legitima ministri, & an ille, qui contulit sacramentũ, ritè cõtulerit, neque potest esse certus an habuerit, legitimã dispositionem ad sacramentum, imò non constat certò vtrum ex ignorantia culpabili impedimentum aliquod præsterit gratiæ suscipiendæ, & an propositum vitandi peccata in futurum, sit firmũ

&

& ſtabile,quale requiritur, vt ſuſcipiatur debitè ſacramentum.Ad illud de martyrio reſpondetur, nõ certò nobis conſtare,quòd vere & ex animo moriamur pro Chriſto,vt patet in hæretico, qui putat ſe mori pro Chriſto,& tamen moritur pro ſuo errore. In Canonizatione autem Martyris, certa eſt Eccleſia de ipſius gratia, & iuſtitia, quia ad id mouetur Spiritu ſancto reuelante;ipſe tamen martyr, id non cognoſcit.Et pro hoc patet ad primam confirmationem.Nam Eccleſia in Canonizatione Sanctorum, habet aſsiſtentiam Spiritus ſancti,vt nunquam deciptur.Ad ſecundam confirmationem, Pater Medina hic dicit,quòd in ſolo caſu argumenti,cùm quis baptizat infantem, poteſt certò cognoſcere, quòd puer ille eſt in gratia;cęterùm infans etiam ſi haberet pro tunc vſum rationis, non poſſet eſſe certus de hoc;quia non potuit eſſe certus de intentione legitima miniſtri, neque rurſus quando adultus baptizatur poteſt eſſe certus abſque formidine, an poſuerit impedimentum & obicem ſacramento. ¶Reſpondetur ſecundo, quòd licet poſſem eſſe certus,quod puer à me baptizatus habet gratiam, non tamen poſſum eſſe certus de me ipſo, aut de alio adulto.Quia in puero ſolum requiritur, quòd ego baptizauerim ſecundum ritum,& intentionem Eccleſiæ, in adulto autem requiritur propria diſpoſitio,de qua non poſſum eſſe ita certus.¶Ad quartum negandum eſt, quod ſim, aut poſsim eſſe certus de legè, quòd diligo Deum dilectione ſupernaturali, & vt præceptum dilectionis impleuerim; & ad pacem,& tranquillitatẽ animi,ſufficit notitia probabilis de hoc,nempe,quòd impleuerim præceptum dilectionis Dei. Ad illud autem de cognitione fidei dicemus infra, & ſolutiones etiam ibi datæ non ſunt ſpernendæ omnino. Et ad ſecundam probationem dicendum, quod actus cognoſcuntur per ſpeciem obiecti,quam ipſi in ordine ad ſe ipſos mo dificant. Quia igitur talis ſpecies non eſt propria actus, ſed obiecti, non repræſentat diſtinctè actum ſecundum differentiam vltimam, ſed ſecundum quaſdam rationes generales pertinentes ad ipſum obiectum, ſcilicet, quòd eſt cognitio, vel dilectio talis obiecti. ¶ Ad quintum dico, quod puer cum primum peruenit ad vſum rationis, non certo cognoſcit an ſit baptizatus: Imò verò non certò cognoſcit quando peruenit ad vſum rationis. Rurſus, in illo primo puncto, non poteſt certò cognoſcere vtrum habeat aliquod peccatum occultum, aut ex culpabili ignorantia procedens, &c. ¶ Ad ſextum quidquid ſit de antecedente, & an habuerint reuelationem ſuæ gratiæ angeli, de qua re egimus in materia de angelis; negatur tamen conſequentia: Homines namque non poſſunt eſſe certi an ſua diſpoſitio ſit ſupernaturalis, neque rurſus homo penetrat omnia naturalia, & omnem naturæ ordinem. ¶ Ad ſeptimum patet ſolutio ex dictis ad primum ſupra. Vnde, omnia teſtimonia ſanctorum exponẽda ſunt de notitia coniecturali, & de notitia probabili, qua rationabiliter ita iudicant ad modum ſupra explicatum.

*Ad.i. cõfir.* *Ad ſecũdã. Medina.* *Ad quintũ.* *Ad ſextum.* *Ad ſeptimũ*

# DISPVTATIO III.

## *Vtrùm poſsit aliquis eſſe omnino certus, quòd habet fidem ſupernaturalem?*

IAm diſputatio etiã eſt de lege, Vtrũ aliquis poſsit euidenter,& certò ſcire, quòd habeat fidem actualem ſupernaturalem de myſterijs fidei Catholicæ? In qua re, aliqui dicunt ipſam fidem ſupernaturalem certificare de ſe ipſa, ita vt quilibet fidelis,ſide teneat ſe eſſe talem. Ita Scotus in.3.d.27.q.vnica Soto.3.de nat.& grat.cap.13.& in Apologia contra Catherinum, Caiet.hic,&.2.2. q.6.art.1. Nam ſi quis dubitaret an habeat fidem ſupernaturalem,eſſet dubius in fide, atque adeo infidelis:Et hanc putãt eſſe ſententiam D.Thom.in hoc artic.&.1.p.q.8.art.2.ad.1.¶ Sed hoc falſum videtur mihi.Quia aliud eſt dubitare de obiecto fidei,aliud verò de actu vel habitu fidei,quem ego habeo:omnes enim tenemur credere hunc actum, Deus eſt trinus & vnus, continere veritatem fidei infallibilem,à quocumque dicatur; non tamen credere illũ eſſe actum fidei ſupernaturalis in quocumque,cum infidelis poſsit illum habere, imò verò cùm etiam in homine fideli & Chriſtiano, præter fidem ipſam infuſam generetur in eo fides quædam acquiſita, non eſſet infidelis, qui dubitaret,an actus ille,quo hic modo credit Deum eſſe trinum, ſit ex parte ſua actus fidei ſupernaturalis. Quocirca actus quo credo me habere fidem,nõ apparet quo pacto ſit actus fidei catholicæ,& ſupernaturalis, cum nullo modo ſit reuelatus,aut Eccleſię,aut mihi,illum eſſe actum ſupernaturalem.Potiſsime,quia nullus habitus illuminat ſe,ſed ſuum obiectũ: actus enim quo cognoſco, & iudico me habere ſcientiam vel opinionem, non eſt actus ſcientiæ,vel opinionis,de quo latè alibi diximus; alias etiam dona intellectualia Spiritus Sancti illuminarent ſe ipſa,quorum ſi habemus certitudinem, etiam gratiæ, quæ illa neceſſario comitatur. Neque prætereà ille actus habet certitudinẽ concluſionis Theologicæ. Quia licet ſequatur ex vna de fide,ſcilicet,Quicumque credit omnia,quæ dicit Eccleſia eo modo, quo dictat eſſe credenda, eſt fidelis;ſed tamen alia propoſitio, Ego credo tali modo,non eſt euidens.Quod patet: Nam ſi Deus mihi modo denegaret auxilium ſupernaturale me inſcio, tunc elicerem actum, quo crederem omnia, quæ proponit Eccleſia, & tamen non propter teſtimonium diuinum, licet propter illud me credere putarem:ergo non eſt mihi euidens, quòd credã modo actu ſupernaturali proportionato tali obiecto:Alias hæreticus iudicaret facile,ſe iam non habere fidem:non ergo experimur in actu illo,niſi id, quòd habent commune actus naturalis,& ſupernaturalis,non verò id,in quo diſtinguntur.Et nihilominus concedo, maiorem certitudinem poſſe nos habere fidei,quam gratiæ, & charitatis, & aliarum virtutum,quę ſunt ſupernaturales.Quia ex pluribus pendet gratia,quam fides,cum gratia deſtruatur per quodlibet peccatum mortale, & plura requirat ad ſui conſeruationem:continet enim in virtute difficultatem omnium mandatorum,notiores etiã ſunt nobis actus intellectus,quam voluntatis.

*Scotus. Soto.*

Medina



*Medina.* Medina.1.2.q.112.art.5.tenent, quod homo fidelis, licèt non ſit certus certitudine infallibili fidei, ſe credere per habitũ infuſum fidei; nihilominus ſtamen cognoſcit certo infallibili certitudine fidei, cui falſum ſubeſſe non poteſt,ſe habere ſupernaturalem fidem,& aſſenſum fidei ſupernaturalis,& diuinæ.Citat pro ſe Scotum in.3.d.23.q.vnica,Sotum in Apolog.contra Cather.capit.5.Vegam.lib.9.in Trident. cap.37. Alij etiam citant Decan. art.9. Ayalã de traditionib.p.2.aſſert.2.Caiet.hic &.2.2.q.6.art.1. &.q.171.art.5. Cæterum hi authores non loquuntur adeo aperte, & clare de hac re, & Scotus loquitur de habitu;& tantum vult, quòd eſt de fide Chriſtianos habere habitum infuſum, vt dicit Vega loco citato. ¶Pro hac opinione ſunt argumenta. Primum

*Argum.1. 2.Corint.13.* ſumitur ex Paulo.2.Corinth.13. Voſmetipſos tentate,vtrùm ſitis in fide,ipſi vos probate.Vbi S.Thom. ait, nos poſſe certò cognoſcere,quòd habemus fidẽ informem. Et idem inſinuat in hoc artic.ad.2. &.1.

*1.Ioan.5. ſecundum.* Ioan.5.Qui credit in filium Dei,habet teſtimonium Dei in ſe. ¶ Secundò probatur. Nam Chriſtianus paratus eſt negare omnem ſcientiam,& euidẽtiam, potiùs quàm à fidei perſuaſione diſcedere, & hoc quia ſcit fidem ſuam eſſe infallibilem: ergo ſcit ſe habere fidem diuinam:ergo habet certitudinem ſupra omnem certitudinem, quod habet fidem verã, & diuinam. ¶ Tertiò. Si fidelis non eſſet certus hac

*Tertium.* certitudine infallibili de ſua fide, ſequitur, quòd poſſet petere à Deo fidem ſupernaturalem, ſicut poteſt petere gratiam:ſed fidelis ſolum petit augmentum fidei;imò verò non petit à Deo, vt illuminetur an habeat veram fidem diuinam, ſed petit,vt confir

*Quartum.* metur in fide,quam habet.¶ Quarto probatur. Nam qui habet ſcientiam, euidenter ſcit ſe habere ſcientiam, quoniam ſcientia more luminis non ſolum alia,ſed ſe ipſam manifeſtat,& pariter qui habet opi

*Quintum.* nionem, ſcit ſe habere opinionem: ergo qui habet fidem,per eandẽ cognoſcit ſe habere fidem.¶ Quinto.De fide eſt,quòd quicumque credit firmiter omnia,quæ ab Eccleſia Romana traduntur, eſt vere fidelis:ſed iſte cernit ſic ſe credere: ergo eſt omnino

*Coſtum.* certus ſe eſſe fidelem.Et confirmatur. Quia certum eſt,quod ſi quis non eſt Chriſtianus,habet aliam ſectam diuerſam à Chriſtianiſmo:ſed Chriſtianus ſcit

*Sextum.* ſe nullam aliam habere ſectam:ergo ſcit ſe eſſe verè Chriſtianum per fidem diuinam.¶Sexto.Propheta, nõ ſolũ eſt certus de ſibi reuelatis, ſed etiam de ſua

*Coſtum.* reuelatione,vt dicit D.Thom.& Caiet.2.2.q.171. art. 5.ergo ſimiliter fidelis.Et confirmatur: Quia lumen fidei ad hoc nobis tribuitur,vt præſtet certitudinẽ, qua certiſsime diuinis reuelationibus aſſentiamur: Deus namque præcipit nobis, vt aſſentiamur diuinis reuelationibus,& non deficit in neceſſarijs:igitur præſtat nobis lumen fidei,quo de hac re certiſsimi efficiamur.¶Septimo arguitur. Quia ſicut de ratione ſcientiæ eſt, quòd ſciens habeat certitudinẽ de his,quorum ſcientiam habet,ita de ratione fidei eſt, quod fidelis habeat certitudinem de his,quorũ

*Octauum.* habet fidem: ergo qui habet ſcientiam, vel fidem, certus eſt ſe habere illam.¶Octauò. Quia ſi non eſt certus certitudine infallibili, quòd habet aſſenſum fidei ſupernaturalis; ſequitur, quod poteſt dubitare de hoc,an videlicet,ſuus aſſenſus ſit ſupernaturalis & conſequenter an ſit fallibilis, & conſequenter an ipſe ſit fidelis per fidem ſupernaturalem & diuinã.

*Nonum.* ¶Nonò. Fidelis eſt certus certitudine fidei, quòd Deus eſt trinus & vnus:ergo eadem certitudine eſt certus,quod habet teſtimonium Dei in ſe ipſo. Patet conſequentia.Quia ſicut vltima reſolutio ſcientię fit in prima principia, ita vltima reſolutio fidei fit in teſtimonium primæ veritatis,iuxta illud Chriſti:Qui credit in me, habet teſtimonium Dei in ſe:

*Decimum.* ergo,&c.¶Decimò.Fidelis credit certitudine fidei, quod Deus eſt trinus,& vnus:ergo pari certitudine certus eſt, quòd habet teſtimonium Dei in ſe:Imò verò, vnuſquiſque fidelis experitur in ſe ipſo,ſe credere indubitanter omnibus,quæ Eccleſia proponit: ergo eſt certus quod habet teſtimonium Spiritus ſancti. ¶Ad hoc aliqui reſpondent, quòd fidelis eſt certus ex parte obiecti,Deum eſſe trinum & vnum, & myſteria religionis eſſe veriſsima, & ſimiliter eſt certus,quod eius aſſenſus eſt verus, veritate etiam infallibili,quia eſt de obiecto infallibiliter vero;Cęterum,non eſt certum credenti, quòd actus ille credulitatis ſit ſupernaturalis, & à principio ſupernaturali elicitus.Sed contra:Quia fidelis, certitudine infallibili eſt certus Deum eſſe trinum,& vnum à parte rei, & religionis noſtræ myſteria eſſe veriſsima: ſed hanc certitudinem infallibilem ſola reuelatio diuina præſtare poteſt,& teſtimonium Spiritus ſancti:igitur,&c.

*Senten.2ª* Secunda ſententia eſt, ¶quod non ſumus certi certitudine fidei ſupernaturalis, quod habemus actum ſupernaturalem fidei, ſed ſolum certitudine morali.Hanc inſinuat Roſſenſ. art.14. contra Lutherum, *Roſſenſ.* Durand.in.1.p.d.17.q.4. ad.2.Soto.3. de nat. & grat. *Durandus.* cap.13.& in Apolog.capit.5. Vega lib.9. in Trident *Soto.* cap.37. Imò verò Caiet.ſi recte inſpiciatur. 2.2.q.6. *Vega.* art.1.Tribuitur etiam Victoriæ & alijs. ¶Et perſuadetur ſequentibus argumentis.Nam de ratione fidei *Caietan.* infuſæ actualis, vel habitualis, eſt, quòd innitatur *Victoria.* diuinæ reuelationi: ſed nemo eſt certus, quod habeat fidem innitentem diuinæ reuelationi, & non *Argum.2. ſententiæ.* motiuis humanis: ergo nemo eſt omnino certus, *Primum.* quòd habeat fidem diuinam.¶Rurſus ſecundò.Si eſ- *Secundum.* ſet omnino infallibiliter certum, nos habere aſſenſum ſupernaturalẽ, tũc vel certitudo iſta erit euidẽriæ,vel fidei diuinæ. Non primum,vt patet; neque etiam ſecundum: Quia fides diuina non inclinat niſi in ea,quæ à Deo reuelata ſunt toti Eccleſiæ,loquẽdo de lege ordinaria:ſed me habere aſſenſum credulitatis ſupernaturalem, non eſt reuelatum toti Eccleſiæ,imò verò neque mihi:ergo,&c.Certe id creditur fide diuina,quod Eccleſia proponit: ſed nulli in particulari proponit Eccleſia ſe habere fidem ſupernaturalem:igitur nemo credit fide ſupernaturali,ſe in particulari habere fidem diuinam. ¶Tertio *Tertium.* arguitur ex illo Ioan.3. Spiritus vbi vult ſpirat, & *Ioan.3.* vocem eius audis, ſed neſcis vnde veniat, aut quo vadat:ergo nemo poteſt ſcire,aut euidenter, aut infallibili certitudine fidei,quando aliquid ei inſpiratur,an inſpiretur ſibi à Deo.¶Quartò. Ille qui diſcredit rebus fidei,vel de illis deliberate dubitat, eſt hæreticus:ſed qui aliqua coniectura,aut dubitaret,aut ſuſpicaretur ſe non habere fidem ſupernaturalem, non eſſet hæreticus:ergo,&c.Sed dices:Maiorem ſolum eſſe veram de propoſitis ſufficienter ab Eccleſia,& non de alijs,quamuis credantur ab aliquibus *Quartum.*

de fide

de fide.Nam cū sint opiniones an aliquid sit de fide vel non,qui de illo dubitat, vel tenet contrarium, antequam ab Ecclesia decernatur, non est hæreticus. Et pari ratione, fidei mysteria non recte, & cum conuenientibus motiuis proponantur alicui infideli,qui nihil audiuit de euangelio,non erit infidelis positiue,etiam si dissentiat,vel dubitet: ergo similiter in proposito.Sed contra.Nam quando sunt motiua sufficientia externa, vel interna, quæ obligent ad præstandum assensum circa aliquid fidei,est infidelis positiue ille,qui discredit, vel dubitat: sed fidelis habet sufficientia motiua ad assentiendum huic, Ego sum fidelis: ergo si hæc propositio est illi de fide,si illi dissentiat erit hæreticus.¶Quintò.Nullus est actus supernaturalis interior in homine Christiano, vel iusto,cui similem apparenter non posit homo habere viribus naturæ, & tanta similitudine, vt dissimilitudo nō sit euidenter perceptibilis.Imò verò à multis negatur esse assensum omnino supernaturalem,quoad substantiam,sed quantum ad modum,& ex parte principij excitantis, aut gratiæ informantis: igitur nemo potest esse certus omnino, vtrum habeat assensum supernaturalem. Et confirmatur:Nam homo non potest certo cognoscere omnino actus charitatis, spei, pœnitentiæ, &c.an sint modo hic,& nunc supernaturales, neque secundū id,in quo differunt modò à naturalibus:ergo neque actus fidei. Neque valet dicere, esse disparitatem: Quoniam cum certitudo pertineat ad intellectum, actus proprij sunt sibi certiores, quam actus voluntatis. Nam contra arguitur:Actus donorum intellectualium Spiritus sancti,quando hic, & nunc à me exercentur, non possunt omnino infallibiliter, aut euidenter, sufficienter à me distingui à naturalibus:ergo neque actus fidei,licet ad intellectum pertineant.Rursus;Nihil videtur referre,quòd actus sit intellectus,vel voluntatis. Nam quamuis certitudo solum sit formaliter in intellectu; tamen obiectum certificabile non minus est actus appetitus sensitiui,& voluntatis, & imaginatiuæ, quā intellectus. Et ratio est: Quia isti actus non minus modificant, & determinant speciem obiecti, vel aliam nouam producunt ad sui cognitionem, quam actus intellectus.Quare, experientia nobis constat, æquè bene nos cognoscere,quòd irascimur, & quod amamus, &c.sicut quòd intelligimus: & idcirco D. Paul.dicit,hominem nosse,quæ sunt spiritus hominis.1.Corinth.2. & D. Gregor. homil. 34. in euangelia ait; quod vnusquisque nostrum cognoscit plerumque flagrantem charitatem in corde. Imò verò D.Aug. 10.de Trinit.cap.8. ait magis notam esse nobis dilectionem,qua diligimus fratrem,quam sit ipse.Similia dicit in id.1.Ioan.3.Scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam,quoniam diligimus fratres: ergo si actus voluntatis & appetitus sensitiui, qui non sunt minus cognoscibiles,quam actus intellectus, non possunt omnino certò, aut infallibiliter discerni à naturalibus, sequitur, quod neque actus supernaturales intellectus posimus certo, & sufficienter valde,in nobis cum fiunt discernere à naturalibus. ¶Sextò probatur. Si fides per se concurrit ad istum assensum, Ego habeo fidem actualem supernaturalem; maxime quia cum sit lumē,est etiam sui manifestatiua:sed hæc ratio nō est efficax:Quod ostendo.Quia id,quod habet rationem luminis,est ipse habitus fidei, hic autem non illuminat se, neque se manifestat,ita vt eliciat assensum de sua præsentia: igitur ratio illa non est efficax.Et confirmatur: Quia nunc contendimus de actu; ratio autem non procedit de actu; quia cum actus non sit lumē, non debet se manifestare:ergo. Rursus cōfirmatur: Quia neque scientia habitualis, neque opinio se manifestant eliciendo assensum de sua, aut suorum actuum præsentia: ergo neque fides. Ostendo antecedens: Quia scientia non elicit actum, nisi per discursum: sed non facit discursum de sua, vel sui actus præsentia:Nam actus cognoscitur per experiētiam, & inde probabiliter ducitur argumentum, quòd præcesit,vel sequetur aliquis habitus.Similiter opinio non se manifestat immediate, sed actus ipsi sunt per experientiam manifesti, & inde argumentamur ad habitum: ergo pariter habitus fidei, nec manifestat se,neque suos actus immediate, sed ipsi per experientiam sunt manifesti, secundum rationem communem cognitionis talium mysteriorum,manente occulta ratione specifica, quæ postea per aliquas coniecturas probabiliter indagatur. Et confirmatur vltimo: Quoniam actus opinionis seu opinatiuus, quamuis sit obscurus manifestat se clare. Nam qui opinatur,euidenter cognoscit,& scit se opinari: ergo si actus fidei se manifestat secundum rationem specificam;sequitur,quod facit euidentiā sui:hoc autem nullus concedet:ergo proportio adducta nulla est,neq;efficaciā habet.¶Septimò arguitur.Quia si actus fidei diuinæ statim per fidem habitualem cognosceretur, sequitur, quòd non esset necessaria probatio,discusio,aut tentatio,vt quis cognosceret se credere fide supernaturali diuina,quod videtur esse contra Paulum.2.Corinth.vltimò. Vos metipsos tentate si estis in fide,ipsi vos probate.

*quintum.* *Confirm.* *1.Corint.2.* *D.Gregor.* *Sextum.* *Confir.1.* *Confir.2.* *Confir.3.* *Septimum* *2.Corinth. vltim.*

Vnde argumentum illud supra tactum, quòd id credimus fide diuina & supernaturali tantū, quòd Ecclesia proponit: sed neque Ecclesia,neque diuina reuelatio proponunt, istum, aut illum habere fidem supernaturalem: ergo nemo credit fide supernaturali,se habere fidem diuinam: ergo non habemus infallibilem certitudinem,quod habemus fidē supernaturalem;efficax argumentum est. Neque satisfacit ei respōdere, Deū reuelasse quod qui certo, & infallibiliter, & sicut oportet credit ea, quæ credit Ecclesia, habet in se fidem diuinam, diuinamque reuelationem, & testimonium Spiritus sancti. Quia,quamuis hoc Deus reuelauerit,& id sit verissimum;tamen non reuelauit me modo credere sicut oportet,& infallibiliter,& ex motione Spiritus sancti hic & nunc:non enim reuelat Deus, me aut illū habere fidem supernaturalem, neque hoc proponit Ecclesia. Nam solum reuelauit in communi quòd is,qui credit certo & infallibiliter, & sicut oportet mysteria fidei nostræ, in se habet testimonium Spiritus sancti,& fidem diuinam. An verò in hoc particulari subiecto hic homo credat sicut oportet, & ex motiuo supernaturali certo, & infallibiliter hic & nunc,id non proponit Ecclesia.

*Conclus.1.* Vt difficultatem hanc explicemus & aperiamus, est prima propositio.Si sit sermo de fide & actu credendi,prout scilicet,abstrahit à fide diuina, & humana indifferēter,euidens est nobis,quòd habemus fidem,



fidem,& credimus, cum id à nobis euidenti experimento cognoscatur:omnis nāque qui credit,cernit se credere, & ita est omnino certus, quod habet fidem non curando an illa fides sit actualis, vel habitualis,infusa vel acquisita, & in hoc omnes conueniunt. Hoc est, quod dixit August. 13. de Trinit. cap.1.& epist.112. quòd quicumque habet fidem in corde,cernit se illam habere si credit: Et eodem pacto explicandus est S.Thom.1.p.q.87.art.2.ad.1.Non tamen idcirco asserendum est id, quod Caietanus dixit.2.2.q.6.art.1.nempe, quòd potest aliquis euidēter cognoscere, & experiri in se ipso actū fidei supernaturalis, seu quod habet actum fidei eleuantis naturam supra se ipsam,quam constat esse fidem supernaturalem & diuinam.Nam cōtra hoc est, quòd vt actus sit fidei supernaturalis, non solum requiritur quod obiectum cognitum per talem actum sit in se ipso res quædam supernaturalis.Quoniam hæreticus credit Deum esse trinum & vnum, sed non actu fidei diuinæ, sed humanæ: Sed requiritur vlterius,quòd actus credendi innitatur diuinæ reuelationi, & quòd procedat ex auxilio supernaturali Dei;neutrum autem istorum experitur in se ipso aliquis:igitur nec experitur se habere actum fidei diuinæ,& supernaturalis.¶Sane,id quod hac conclusione asseritur, proportionabiliter dici debet de actu amandi,& sperandi, & de quocumque alio actu interiori: euidenter namque scimus nos habere hos actus.

*D.August.*

*Conclus.2.* Secunda propositio.Fidelis, non est certus certitudine infallibili fidei, se credere per habitum infusum fidei.Quia non est certum de fide,quòd sint habitus infusi,quamuis sit temerarium, & forte erroneum; negare huiusmodi habitus infusos. Rursus: Quia licet esset de fide constituendos esse huiusmodi habitus infusos in fidelibus; tamen quòd debeat poni habitus infusus in hoc,vel in illo homine, neque est de fide, neque aliqua ratione id apertius cognosci potest,quam per actum,quo mysterijs supernaturalibus credit: & ita tota difficultas huius dubij deuoluitur ad hoc,vtrum de ipso actu credēdi fide supernaturali,& diuina,posit haberi à fidelibus certitudo fidei, vel certitudo aliqua ratione infallibilis?Et in hac re antequam vlterius procedam id suppono,vt certisimum,quòd fides catholica directe, & immediate solum est de obiectis ab Ecclesia propositis. Nam ob id Catholica dicitur, quia vniuersaliter inclinat ad credendum id, quod tota Ecclesia credit. Ex qua doctrina infero, quòd fides Catholica non inclinat directe ad credendum, me habere,aut illum habere in particulari hunc actum supernaturalem fidei,quia solum inclinat ad ea,quę reuelantur à Deo,& ab Ecclesia proponuntur, & tamen Ecclesia non proponit hunc,aut illum fidelem habere actum supernaturalem fidei.

*Aduerte.*

*Conclus.3.* Tertia prositio.Probabile est,quòd potest aliquis euidenter cognoscere,quòd actus credendi, quem habet,est ille,quem Ecclesia catholica prædicat omnes fideles esse habituros,& esse actum credendi supernaturalem.Et est sermo de euidentia,quæ sequitur in bona consequentia,sicut conclusiones Theologicæ dicuntur euidētes,ex suppositione fidei.Probatur. Quia potest aliquis facere hunc discursum, Quicumque credit omnia, quæ tradit credenda Ecclesia Romana prout ab illa proponuntur,& tradūtur,vere est Christianus,& fidelis per fidē infusam, seu supernaturalē: sed ego credo illa omnia modo prædicto:ergo habeo fidē supernaturalem seu infusam.Maior est de fide,minor verò potest esse illi euidens:ergo & conclusio erit euidens, non absolute, & secundum se, sed ex suppositione maioris de fide, sicut conclusiones Theologicæ sunt euidentes, ex suppositione fidei.

*Conclus.4.* Quarta propositio.Rationabilius,& verius est,neminē posse euidenter cognoscere,quòd fides,quam habet est infusa,& diuina.Ita docet Durand.in.1.d.17.q.4.ad.2.Scot.in.2.d.23.Soto lib.3. de nat.& grat. cap.13.& in Apolog.cap.5.Vega lib.9.cap.37.Caiet. 2.2.q.6.art.1.Et probatur. Quia de ratione fidei infusæ, aut supernaturalis est, quòd innitatur diuinæ reuelationi: ergo non potest euidenter cognosci fidem esse infusam,nisi euidenter etiam cognoscatur diuina reuelatio: sed imposibile est pro hoc statu euidenter cognoscere reuelationē Dei secundū cōmunem legē;alias enim habere possemus pro hoc statu euidentiā in attestāte de articulis fidei. Dices, solū probari hoc argumento, nō posse videri fidem infusam in se ipsa,& secundū se sumptā; bene tamē posse videri à posteriori in suo actu, vt patet formādo syllogismū,seu discursum prædictum.Respondetur tamen,illū syllogismū,seu discursum nihil concludere euidenter: Quia minor non est euidens:licet enim posset aliquis euidenter experiri quòd credit omnia,quæ Ecclesia Romana tradit; non tamen posset euidenter cognoscere an in tali assensu innitatur diuinę reuelationi,quod est credere prout Ecclesia docet esse credendū,aut vtrum innitatur solū motiuis humanis.Imò verò, non est mihi certum infallibili iudicio, quòd ita credo omnia, quæ tenet Ecclesia firmiter, vt re vera sim paratus negare omnem aliā certitudinem, ne deseram fidem,quamuis ego iudicem me esse paratum.

*Durandus.* *Scotus.* *Soto.* *Vega.* *Caietanus.*

*Conclus.5.* Quinta propositio. Licet non cognoscamus euidenter,quòd fides,quā iste habet in particulari, est infusa & diuina; id tamen potest vnusquisque cognoscere certo, infallibilique certitudine eiusdem fidei infusæ.Probatur:Quia per scientiā, qua cognoscimus certo & euidēter aliquam veritatem,scimus in actu exercito nos euidenter scire illā veritatē, & habere talem scientiam:ergo per fidem diuinā,qua credimus certo, & infallibiliter articulos fidei esse veros,& reuelatos à Deo,credimus etiam nos credere certò, & infallibiliter.Et confirmatur: Quia hoc est de natura luminis,vt manifestando aliud manifestet etiam se ipsum, vt patet in lumine corporali: ergo lumen fidei,& diuinæ reuelationis manifestando mihi articulos,manifestat etiam se ipsum esse in me.Et confirmatur secundò: Quoniam si non sum certus fide diuina, assensum, quo credo articulos, esse ex fide infusa, & diuina, & inniti diuinæ reuelationi,sequitur,quòd possum dubitare an iste meus assensus sit falsus,vel saltem sit fallibilis: consequēs est falsum, Nam qui hoc dubitaret nō censeretur firmus in fide catholica: ergo. Sed dices, Si præfata conclusio vera est; sequitur, quòd esset hæreticus, qui negaret,aut dubitaret de se ipso, an haberet fidem infusam & supernaturalem.Respondetur, negando sequelam:Quia non censetur hæreticus, vel infide-

infidelis, nisi ille, qui negat veritates vniuersaliter propositas ab Ecclesia, & ad quas directe inclinat fides. ¶ Sane, iste modus dicendi, est subtilis & ingeniosus, & valde probabilis; sed non caret difficultate. Quocirca, si cui non placet, dicat cum Caietan. & Vega locis citatis, quod nemo potest in particulari cognoscere suam fidem esse infusam cognitione euidenti; sed potest cognoscere multo maiori cognitione, quam sit ea, quæ habetur de propria gratia; & ob id Paul. dixit. 2. Corinth. vlti mo. Vos metipsos tentate si estis in fide, ipsi vos probate. Certe, scientia certificat hominem, se habere demonstrationem, & scientiã de obiecto: ergo fides poterit etiam certitudinem causare, quòd homo habet fidem infallibilem, & hæc est ratio D. Thom. hic ad 2. ¶ Hanc eandem assertionem ostendunt omnia argumenta superiùs allata, quæ sunt numero decẽ, & militant pro Medina, & alijs authoribus citatis. Ex quibus argumentis redditur probabilis hæc sententia.

*2. Corinth. vltim.*

Sexta propositio. Probabilior mihi videtur secunda sententia, quæ dicit, nos non cognoscere certitudine infallibili fidei supernaturalis Theologicę, præsentiam nostræ fidei supernaturalis, sed id vere & certo cognoscere, sine vlla hæsitatione, & trepidatione. Hæc assertio probatur eisdem argumentis, & fundamentis, quibus in discursu quæstionis, & in secunda opinione citata sumus progressi, & eam ostendimus. Sed nihilominus prior sententia non caret sua probabilitate, vt vidimus.

Veruntamen sunt plerique Theologi, qui dicant, duas sententias supra relatas; nullam inter se contrarietatem habere, sed solum esse diuersas, & ambas simul veras esse si recte intelligantur, & ideirco, horum Theologorum placitum, & concordiam aperire volo, forte placebit alicui. Vnde aduerto, tribus modis posse aliquid cognosci per actum intellectus. Primo quidem directe, quando actus intelligendi fertur per se in rem cognitam, tanquam in proprium, & immediatum obiectum: vt si quis hominem, vel rem aliam materialem, cuius habet speciem propriam intelligat. Secundò indirecte, vt si intellectus intelligat aliquid, non sane tanquam proprium, & immediatum obiectum eiusdem actus intelligendi, sed quia ex eo, quòd intellectus fertur directe in obiectum per actum illum, quasi consequenter cognoscit illum, hoc enim est cognoscere indirecte. Et hac ratione docuit Aristotel. 3 de anima capit. 2. quòd sensus percipit suam operationem, vt visus verbi gratia videt se videre, non quidem ita, quòd percipiat se videre alia visione distincta ab ea, qua videt colorem terminata ad priorem visionem, tanquam ad obiectum, quia visio non est obiectum ipsius visus, aut visionis; & sic non est per se, & directe visibilis. Nam si hoc haberet, cognosceret oculus in ipsa visione quantitatem, figuram, numerum, & locum, sicut etiam cognoscit hæc omnia in coloribus, qui sunt per se visibiles; quod tamen esse falsum, de se patet. Ratio verò huius cognitionis indirectæ, qua cognoscuntur actus intellectus, & sensuum, est; quoniam cum huiusmodi actus sint lumina quædam, non solum manifestant directe obiecta, sed etiam indirecte se ipsos: & hoc pacto explicat. S. Thom. Aristotelem loco citato: Imo vero hoc q; est actus animæ intellectiuæ, & sensitiuæ non solum ferri directe in obiecta, sed etiam indirecte in se ipsos, reperitur etiam in actibus appetitus intellectiui, & sensitiui. Nam eodem actu, quo quis vult aliquid, indirecte vult se velle illud, & eodem, quo eligit medium, eligit etiam ipsam electionem. Tertio cognoscitur aliquid per intellectum reflexe, quando postquam intellectus habuit cognitionem, & intellectionem alicuius obiecti, elicit rursus alteram, siue per discursum, siue sine illo, quæ ad priorem tanquam ad obiectum terminatur.

*Nota.*

*Aristoteles.*

Quibus stabilitis, dicendum est primò, quòd quotiescumque fidelis exercet actum fidei diuinæ, & supernaturalis, illo actu directe credit obiectum supernaturale, ad quod terminatur ipse actus credendi; & eodem actu indirecte, credit se habere eundem actum. Quapropter, eandem certitudinem fidei, quam directe habet de obiecto supernaturali, habet indirecte de ipso actu credendi, quem elicit, & hoc est; quod volunt authores prioris sententiæ cum dicunt, nos habere certitudinem fidei, quòd habemus fidem, vt constat exemplo scientiæ adducto à S. Tho. hic ad 2. Vbi habetur, quòd quicumque habet scientiam, certus est se habere illam: constat tamen quod non habet hanc certitudinem per nouam demonstrationem, qua colligat se habere scientiam; sed per eam demonstrationem, qua intulit conclusionem scitam. Et quod hoc sit verum, non alia ratione ostenditur, nisi quia actus credendi est quoddam lumen, licet obscurum; ac proinde ea dem certitudine, qua hominem in quo est, reddit certum de obiecto directe credito, reddit etiam certum indirecte de se ipso, vt explicuimus.

*Dicendum.*

Secundo dicẽdum est, fidelem, neq; directè, neq; reflexe posse cognoscere actum illum fidei diuinæ, & supernaturalis, ita vt habeat certitudinem fidei, aut aliqua ratione infallibilem, quòd illa fides, quã habet, sit supernaturalis & diuina, & hoc est quod sentiunt authores secundæ sententiæ, quando negant posse Christianum, seu fidelem habere certitudinem fidei, quòd ipsa fides, qua credit, sit diuina, & supernaturalis. Et ex his liquet, duas has sententias supra tactas, non esse inter se aperte contrarias. Prima nãque putat, posse fidelem esse indirecte certum de sua fide per eundem actum fidei. Secunda vero negat, posse esse certum directe, aut etiam reflexe certitudine infallibili. Quod autem non possit Christianus per actũ fidei esse certus directe, quod sua fides sit supernaturalis & diuina, est manifestum. Quia nullus credit directè per actum fidei, nisi ea, quæ sunt à Deo reuelata, siue sint ab Ecclesia catholica proposita, siue peculiaribus personis peculiari reuelatione, & illustratione inspirata: Sed quod ego, vel quicumque alius habeat fidem supernaturalem & diuinam, non est ab Ecclesia catholica propositum, neque peculiari reuelatione reuelatum: ergo per actum fidei non potest directè cognosci, quòd fides, quã quis habet, sit diuina, & supernaturalis. Et hinc apertè colligo, quod huius, quod est me habere fidem diuinam, non possum esse tam certus, quam sum eorum, quæ Deus reuelauit, siue per Ecclesiam, siue quacumque alia reuelatione. Rursus proba-



probatur: Quia eorum omnium, quæ directè creduntur, habet homo præceptum, quo tenetur illa credere; sed non adstringitur præcepto aliquo, quo credere teneatur se habere fidem supernaturalem, & diuinam: ergo id non directè credit. Imo verò, absq; eo quòd vlla ex parte violetur, aut minuatur fides, potest homo ignorare an fides, quam habet sit diuina. Imò verò vlteriùs (vt multi dicunt) potest ignorare fidelis vtrùm ille actus credendi, quem exercet sit diuinus, & supernaturalis, & dubitare etiam de hoc an sit supernaturalis necne, & an procedat ex sua fide acquisita. Contingit etiã in hominibus scrupulosis, qui concutiuntur fidei motibus primò primis, & habent veram fidem supernaturalẽ, & infusam, quòd timidi sint an cõmiserint hæresim, ex quo patet apertè neminem esse certũ certitudine fidei, se habere fidem: & hoc ostẽdunt argumenta adducta pro secunda sentẽtia: Igitur infallibili iudicio nõ potest homo discernere, quãtumuis discurrat, an ille actus credẽdi, quem habet, sit fidei supernaturalis infusæ, vel acquisitæ. Nã potest fidelis habere similem alium actum fidei secundũ apparentiam cum fide supernaturali. Nam ex hac etiam similitudine ortum habet, quòd hæreticus credens Deum esse hominẽ, iudicet suũ assensum esse diuinum, & supernaturalem, licèt falsò iudicet suum assensum esse supernaturalem. Imo verò hæreticus, perinde atq; Catholicus, est paratus ad sustinẽdam mortem, & negandam omnem scientiam & omnem sensum, priusquam recedat ab illo assensu. Tandem probatur hoc: Quia fieri potest, vt ex ignorãtia vincibili, & culpabili habuerit homo assensum formalem vel virtualẽ, qui pugnet cum vera fide, & quòd huius peccati fuerit oblitus, & quòd nunquam postea illud fuerit remissum sibi: sed quòd hoc nunquam sibi contigerit, nõ potest quis infallibili omnino iudicio discernere, & cognoscere: ergo pari ratione non potest infallibiliter iudicare, quòd ea fides, qua credit, sit supernaturalis & diuina. Neque satisfacit dicere, huiusmodi peccatũ iam fuisse homini remissum, vel per baptismũ, quem recepit, vel per sacramentum pœnitentiæ, vel saltem his sacramẽtis infusam fuisse ei fidẽ informẽ. Quia licèt defectu dispositionis posuerit obicem gratiæ; non tamen fidei. Nam contra hoc est, quòd non potest homo esse infallibiliter certus de intentione ministri baptizantis, aut absoluentis, neque etiam an ipse habeat dispositionem, quæ necessariò requiritur ad hoc, quòd per sacramẽtum homo iustificetur: ergo non potest esse infallibiliter certus, quòd per hoc sacramẽtum remissum fuerit illi hoc peccatum. An autem in susceptione horum sacramentorum aliquando detur suscipienti fides sine gratia, id quidẽ cõtrouertitur inter Catholicos Doctores, ac proinde non est infallibiliter omnino certũ. Hanc cõcordiã nonnulli adducũt, quę ob id adducitur à me, vt si cui placuerit, eã sequatur: Nos tamẽ asseueramus, probabilẽ esse vtramq; sententiam, & sine periculo fidei vtrãq; posse defendi. Sed nihilominus dissoluemus argumenta, quæ pro prima sentẽtia militãt.

*Argum. pro sen. 2.*

Ad argumenta ergo principio disputationis posita, quæ pro prima sententia militant, vt vidimus, dicendum est ad omnia simul, non tantam habere efficaciam, vt ostendant posse hominem habere in particulari infallibilem cognitionẽ omninò, quòd ipse habeat fidem diuinam & supernaturalem, licèt ostendant sæpè sæpiùs Christianum, & fidelem id cognoscere absque vlla dubitatione. ¶ Vnde ad primum argumentum respondetur, illa loca tantum significare filium Dei dedisse nobis veram doctrinam, vt cognosceremus Deum. Rursus, solũ ostendũt, quòd possumus esse certi certitudine excludẽte dubitationem omnẽ, quòd sumus in fide, & quòd habemus testimoniũ supernaturale. ¶ Ad secũdum respondetur, negando consequentiã cõcesso antecedente; Quia satis est, quòd sit certus de mysterijs fidei reuelatis, & ab Ecclesia propositis, vt sit paratus negare omnẽ scientiã, & euidentiã potiùs, quã à persuasione huius credulitatis discedat. Sed ex hoc nõ sequitur, quòd infallibili cognitione cognoscat se habere actum supernaturalem fidei diuinæ hic & nũc; neq; quòd sit certus certitudine fidei supernaturalis de sua fide supernaturali: Imò verò cũ præter supernaturalem fidem homini fideli à Deo datã, vlteriùs fideles cõmuniter habeãt fidem quandam acquisitam, per quam interdum assentiantur articulis fidei, nõ potest esse infallibiliter omninò certus an iste actus credendi, quem habet, sit ex supernaturali principio & supernaturalis. ¶ Ad tertium dicendum, quòd de gratia non habent homines certitudinem moralem excludentem omnem dubitationem, hæsitationem, aut timorem, sicut habent de fide, & idcirco petunt gratiam, & non fidem. Et hac ratione potest intelligi S. Thom. in hoc artic. solut. ad. 2. & 2. 2. quæst. 18. artic. 4. cùm ponit discrimen inter gratiam & fidem, quo ad ipsarum cognitionẽ. Et ratio est; Quoniã fides faciliùs cognoscitur, eò quòd statim fidelis Catholicus dũ credit, cernit se credere omnibus diuinis mysterijs, siue in cõmuni, siue in particulari proponantur, & inde colligit quòd credit fide diuina. Nam habet Ecclesiã vt regulam exteriorem proponentem omnia credibilia fidei diuinæ: Gratia verò pendet ex actibus internis, nempe, ex amore Dei super omnia, contritione, & dolore peccatorum, & proposito firmiter omnia vitandi: Et non facilè dignoscit homo an cùm animus eius sit plurimum affectus ad proprium bonum, an ita detestetur bonum illud sibi proprium, & aliàs charum, vt illud verè, & ex animo, & propter Christum contemnat. Vndè, nõ potest habere moralem hanc certitudinem de amore sufficiente ad iustificationẽ. Rursùs, charitas tollitur per quodlibet peccatũ mortale, & peccata mortalia aliquando sunt occultissima, præsertim omissionis, & ita non facile quis cognoscit an charitatem amiserit nec ne; fides autem solum dissipatur ob peccatum mortale infidelitatis, & ideo maiorem habet cognitionem, & vehementiorem notitiam de sua fide.

*Ad primũ.*

*Ad secũdũ.*

*Ad tertiũ.*

¶ Ad quartum patet solutio ex sexto argumento, & eius discursu, quod propositum est suprà pro secunda sententia. Nam certè, actus credendi non habet rationem luminis respectu suæ præsentiæ, ita vt eliciat assensum de sua præsentia supernaturali. Cùm ergo actus vt sic non sit lumen, non debet se manifestare, sed solum facit experientiam sui, quòd est actus credendi. ¶ Ad quintum multi ex familia Diui Thomæ dicunt, non esse errorem in fide negare illum discursum esse bonum, &

*Ad quartũ.*

*Ad quintũ.*

demonstratiuum: Imò verò dicunt, posse aliquem per fidem acquisitam credere omnia, quæ credit Ecclesia, licèt non sic, vt ei iustificationis gratia conferatur, sed iudicio suo ita firmiter, vt paratus sit negare omnem aliam certitudinem.

Sed ego nolo hac incedere via. Quocircà puto esse dicendum aliter, & ita concessa maiore, quòd omnis qui credit omnia, quæ tenet Ecclesia Romana ita firmiter, vt re vera paratus sit omnem aliam certitudinem negare, &c. Respondetur negando minorem: minor enim non est infallibili experimento cognita, & qui de se ipsis iudicant potiùs se mortem subituros, quàm discessuros à fide, si immineret mors, plerumque à fide deficerent. Rursus, nemo cernit se credere fide supernaturali & diuina; & ita rationabiliter debet negari minor. ¶ Ad confirmationem dicendum, quòd qui non credit fide Christiana & Catholica, moraliter loquendo habet aliam sectam, sed ex hoc non sequitur, quòd euidenter, aut infallibiliter cognoscat, actum suæ credulitatis esse supernaturalem, sed sufficit quòd id cognoscat certò, & sine hæsitatione vlla, vt dictum est. ¶ Ad sextum respondetur, negando consequentiam: Quoniam Propheta habet reuelationem claram, vt Caietan. ibi ex Sancto Thoma docet. Vndè, quando actus est euidens, euidenter se manifestat, & in eo videt homo se necessitari ad assensum, quod sanè sine euidentia fieri non potest. ¶ Ad confirmationem dicendum, quòd lumen fidei ad hoc nobis tribuitur, vt supernaturalia quæ superant captum nostrum, certò & infallibiliter credamus, & ad hoc, vt per eandem fidē eliciamus assensum ordinis supernaturalis, sine qua fide supernaturali, impossibile est placere Deo; nō tamen datur, vt per eandem fidem infallibiliter cognoscamus, & iudicemus præsentiam eiusdem fidei in nobis: stant enim hæc duo, quòd fidelis actu supernaturali, & diuino credat mysteria omnia fidei; & tamen quòd non videat, aut iudicet infallibili iudicio vtrùm talis actus, quem nunc habet de mysterijs fidei, sit supernaturalis nec ne, quamuis id certo cognoscat certitudine excludente omnem dubitationem, & hæsitationem. Imò verò, licèt argumentatiuè, & per bonam consequentiam colligat fidelis se habere fidem supernaturalem; tamen Theologicus discursus non est tam certus, sicut assensus principiorum: & ob id, nemo potest esse tam certus se habere fidem supernaturalem in particulari hic & nunc, atque certus est Deum esse hominem. Quocirca, hæc certitudo, quòd ego habeam fidem supernaturalem, nunquam est tanta, quanta est ipsius fidei circa obiectum directè reuelatum à Deo, & ab Ecclesia propositum. Nam profectò, ego non possum esse magis certus de meipso, quòd habeam fidem supernaturalem, quàm sim certus, quòd paruulus à me baptizatus, sit iustificatus: sed quoniam hoc pendet ex hoc, quòd ego verba protulerim, & ex recta intentione mea hic & nunc, non est tam certum, & infallibile, sicut est certum id, quod pertinet ad fidem, aut tanta certitudine, quanta est ipsius fidei circa obiectum directè à Deo reuelatum, & ab Ecclesia propositum. Et ex hoc colligo cum plerisque Theologis, quòd nullus fidelium habet præceptum, vt iudicet certò & infallibiliter se credere fide supernaturali; quia fidei præceptum, est de propositis ab Ecclesia. Imo verò, potest Catholicus ignorare se habere fidem infusam. ¶ Ad septimum respondetur, quòd licèt sit de ratione fidei, quòd fidelis habeat certitudinem de his, quorum habet fidem; non tamen est de ratione fidei, quòd infallibiliter iudicet, aut cognoscat se habere fidem supernaturalem, aut præsentiam suæ fidei diuinæ ex parte actus, aut habitus supernaturalis. ¶ Ad octauum respondetur, quòd plerisque rebus assentimur, ita quidem, vt de illius assensus oppositio nullam omnino possimus habere dubitationem; quibus tamen non assentimur infallibiliter, vt an India sit, & Roma sit: Cùm igitur fidelis postquam fecit sufficientissimam diligentiam vtrùm de his, quæ credit maneat in eo aliqua dubitatio, & non inuenit vnde suspicetur se habere, vel minimum dubium, poterit quidem esse tam certus, quòd fides quam habet sit diuina, vt neque de hoc vlla ratione dubitet, nec de his dubijs, nec de aliquo dubio teneatur se accusare vel pœnitere, neque obligatur ad petendam à Deo fidem, vt ex Augustin. diximus. Et ad argumentum in forma negatur sequela. Imò verò dicunt aliqui Theologi, quòd sunt aliqui scrupulosi Catholici & ignorantes, qui dum motibus, aut primò primis, aut secundò primis infidelitatis concutiuntur, falsò dubitant an ipsi sint infideles. Quia huiusmodi dubitationes, & falsa iudicia non sunt voluntaria, & ita non refunduntur in assensum circa obiectum fidei, & consequenter non sunt infideles, aut hæretici. ¶ Ad nonum & decimum respondetur, quòd solutio ibi assignata, est vera: non enim oportet, vt fidelis habeat tantam certitudinem sui assensus, quòd sit supernaturalis, & diuinus, quantam habet obiectum, circa quod ille assensus versatur: nullus enim tàm certus est quòd ipse credit fide diuina Deum esse hominem, sicut est de obiecto ipsius assensus, scilicet, quòd Deus sit homo. Et ratio est: Quoniā ratio assentiendi obiecto, est diuina reuelatio, cui non potest subesse falsum. Ratio autem iudicandi de suo actu, est discursus humanus, cuius minori potest subesse falsum; & ita fieri potest, vt quamuis non dubitet de obiecto credito; dubitet tamen de actu qualis sit. Quare, licèt assensus circa obiectū fidei sit certus & infallibilis respectu obiecti; tamen stat cū hoc, quòd falli possimus an assentiamur illi obiecto propter testimoniū Dei, & propter diuinam reuelationem, vel an assentiamur propter fidem humanam, aut persuasiones alias. Nam licèt dato, quòd in se sit infallibile, & necessarium, quòd quantitas realiter distinguitur à substantia; simul tamen stat, quòd licet iudicium, quod ego habeo sit verum ex parte obiecti, & certum ex parte termini; tamen non sit necessarium, & infallibile ex parte medij, vt si sit assensus opinatiuus rationibus tantum probabilibus acquisitus, & illis innitens; & pariter quamuis ita sit in re, quòd ego habeo fidem diuinam; tamen iudicium, quod formo de hoc, quod est me habere fidem diuinam, non est omnino infallibiliter certum, quia innititur humano discursui, vel non euidenti, vel si est euidens; minor tamen ex parte materiæ non est infallibiliter certa, vt vidimus. Vndè Aristotel. 1. Posterior.

*Ad confir.* *Ad sextū.* *Ad confir.* *Ad septimū.* *Ad octauū.* *Ad nonum & decimū.*



Posterior. cap.26. dixit, quòd vt aliquis assensus sit scientificus, non satis est, quòd sit de re, quæ nō potest aliter se habere, sed vltra hoc requiritur, vt qui habet assensum, cognoscat rem illam per medium infallibile, quo iudicet, & existimet rem non posse aliter se habere. ¶ Tandem dico, quòd licèt fidelis nō possit esse certus certitudine infallibili, nisi per fidem, aut diuinam reuelationem, quòd Deus est trinus, & vnus ex propositione Ecclesię; tamē quòd cùm modò credit, credat fide supernaturali eliciēte actum supernaturalem, & diuinum, & quòd credat ex interiori testimonio Spiritus Sancti, aut sub diuina reuelatione interna, id quidem, neq; euidenter cognoscit, neq; semper iudicat iudicio omnino infallibili eiusdē fidei supernaturalis: non enim est certum, quòd ipse credat iudicio fidei infallibili se habere fidem supernaturalem, & diuinam, neq; est certum se habere assensum infallibilē de præsentia suæ fidei; & licèt fortè aliquando quis eadem fide credat se habere supernaturalem fidem indirectè; tamen non videt is, qui credit, se fide supernaturali habere iudicium infallibile de præsentia suæ fidei. ¶ Postremò dicendum est, neminem fidelium esse tam certum, quòd habeat fidē supernaturalē, sicut certus est, quòd Deus est trinus & vnus. Quare, dubitare de certitudine alicuius assensus, potest accidere, vel quātum ad subſtantiā ipsius certitudinis, vel quantum ad medium, & rationē assentiendi, an quis assentiatur propter reuelationem Dei, vel propter motiua, & persuasiones humanas, vel propter medium, & discursum fallibilem ex aliqua præmissarum. Et sanè, fidelis non dubitat vtrùm assensus, quo iudicat Deum esse trinum & vnum, sit infallibilis, sed posset dubitare an is assensus sit supernaturalis secūdum se, & procedens ex principio supernaturali, & an procedat ex pia affectione, & ex instinctu Spiritus Sācti, & ex authoritate Ecclesię, vel ex authoritate maiorum, aut ex quadam animi firmitate & adhæsione, sicut euenit in scientijs, quod licèt qui habet demonstrationem sit certus de conclusione ipsa; dubitat tamē vtrùm assentiatur sub ratione formali physica, aut metaphysica, vel Theologica. Sūt etiam agrestes homines fideles simplices, & rustici, qui credunt, quòd credit Ecclesia Romana, & id sanè certissimè, sed nō certò iudicant, aut cognoscunt qua ratione credant, vtrùm quia hæc fuit maiorum fides, vel vtrùm quia Deus hæc reuelauit. Et forte, pleriq; credunt fidei articulos esse veros, & non propter rationem formalem fidei, nimirum, quia Deus reuelauit. ¶ Et quamuis, si quis haberet reuelationem palam sibi factam à Deo dicente, & proponente ei singula fidei mysteria, non posset non esse certus se habere diuinam reuelationem, sub qua credit; tamen homo fidelis, qui communiter de lege credit mysteria fidei, quæ ab Ecclesia ei proponuntur, licèt interiùs moueatur ab Spiritu Sancto circa credibilia; tamen si nō moueatur circa præsentiam suæ fidei supernaturalis, tanquam circà obiectum, vt cognoscat actum illum esse supernaturalem fidei infusæ; non tamen ob id est infallibiliter certus certitudine fidei de presentia suę fidei supernaturalis, quamuis sit certus de sua fide certitudine à nobis superiùs descripta, & explicata; Et hæc dicta sint de hac controuersia.

DE spe autem, & eius certitudine, & cui innitatur, & an possimus certò cognoscere, & iudicare præsentiam eius in nobis, nosque sperare supernaturali, & diuina spe, diximus in 2.2. quæst.18. de spe, præsertim art.4. non est enim huius loci hæc disputare.

## DISPVTATIO IIII.

*Vtrùm cùm alicui reuelatur se habere gratiam, vel fidem supernaturalem, teneatur assentiri, & assentiatur per fidem Catholicam?*

HÆC disputatio eò nos ducit, & ad id inuitat, vt discutiamus pariter, Num fides infusa inclinet ad assentiendum omnibus, quæ sunt reuelata à Deo, quomodocumq; sint, aut quatercumq; sint reuelata à Deo, vel potius inclinet solùm ad assentiendum illis reuelatis, quæ ad beatitudinem, & communem statum Ecclesiæ pertinent? In hac difficultate, Soto. 3 de natura & gratia, capit. 11. & in Apolog. contra Catherin. capit. 5. ait, quòd si alicui Deus reuelaret futuram victoriam, vel suam propriam gratiam, aut fidem, &c. assensus ille non eliceretur ab habitu fidei Catholicæ, sed ab alio distincto habitu fidei. Quia obiectum fidei Catholicæ solùm est Deus, & ea, quæ ad spem nostram pertinent reuelata, & quæ sunt in Scriptura, & traditionibus, vel inde deducuntur, aut ex expressa Ecclesiæ authoritate definiuntur: Et ob id Sanctus Thomas. 2.2. quæstio. 1. artic. 1. docet apertè, fidem esse tantum de reuelatis à Deo in ordine ad beatitudinem, & D. Paul. vocat fidem, substantiam rerum sperandarum: sed huiusmodi reuelata, de quibus est titulus nostræ controuersiæ, non sunt pertinentia ad beatitudinem, vel non sunt in communi omnibus proposita: ergo non pertinent ad habitum fidei Catholicæ: ergo quando alicui particulari fideli fit reuelatio de aliqua veritate particulari, & supernaturali, ille non assentitur per habitum fidei Catholicæ, sed per alium habitum fidei distinctum. *Soto. Argum.*

Secundò arguitur pro hac sententia. Si is, cui reuelatur sua gratia, id crederet fide Catholica; sequitur, quòd pariter ille, cui ipse detegeret suam reuelationem, id etiam crederet fide Catholica: consequens est falsum: ergo. Sequela probatur: Quoniam cùm Apostoli alijs detegebant, quæ noverant per fidem Catholicam, alij assentiebantur per eandem: ergo similiter, &c. ¶ Tertiò arguitur. Quia aliàs sequeretur, quòd in hæretico, vel in alio infideli posset saluari actus & habitus fidei, nimirum, si credat aliqua specialiter sibi reuelata. Et confirmatur: Quia aliàs etiam sequeretur, quòd qui non assentiretur priuatis reuelationibus, esset hæreticus, quod est falsum. ¶ Quartò arguitur. Fides supernaturalis, quæ est in homine fideli, dicitur Catholica, id est, vniuersalis; quia non est priuata, sed communis, & publica: ergo non inclinat ad priuatas reuelationes. Et confirmatur: Quoniam hæc fides nostra est virtus Theologica cum *Secundum. Tertium. Confirm. Quartum. Confirm.*

Christiana religione coniuncta,& eius fundamento: ergo non latius patet, quam expoſcat Chriſtiana religio. ¶ Quintò arguitur ex Paulo ad Epheſ. 2.dicit,quòd fideles ſunt ædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, & Pſalm. 86. dicitur: Fundamenta eius in montibus ſanctis, id eſt, in Apoſtolis & Prophetis, & ſacris ſcriptoribus. Vnde ſubiungit; Dominus narrabit in Scripturis populorum, quaſi dicat quòd Eccleſia innititur publicis reuelationibus,non priuatis: & Magiſt.in.3.diſtin.23.ex D.Auguſt. in Enchirid. capit. 9.ait,quòd fides eſt virtus, qua credimus, quæ non videntur, non omnia, ſed ea tantum, quæ ad religionem pertinent: Et alibi ait Auguſtin. Euangelio non crederem,niſi me Eccleſię authoritas commoneret.Et Sanctus Thomas.1.par.quæſt.1. artic.8. ad.2. & 2.2. quæſt.5.artic.3.dicit, quòd fides noſtra non innititur reuelationibus priuatis, ſed ſcriptorum Canonicorum. Et. 1.par. quæſt.95. artic.3. ait, obiectum formale fidei eſſe veritatem primam, ſecundum quòd manifeſtatur in Scriptura,& doctrina Eccleſiæ: & inde colligit in hæretico non manere fidem, quia eius aſſenſus non ſubijcitur regulæ Eccleſiæ. Quare, idem Sanctiſsimus Præceptor, de virtutibus.quæſt.2.artic.13.ad.6.ait, quòd qui aſſentitur veritatibus fidei, & non propter authoritatem Eccleſiæ,non habet habitum fidei,quia caret ratione formali ipſius.Vndè, Durandus in.3.diſtinctione. 24. quæſtione. 1. dixit, quòd ratio propter quam fide aſſentimur omnibus credibilibus, eſt authoritas diuina gubernans Eccleſiam, & reuelans ſcripturas. Caietan.2.2. quæſt.1.artic.1. apertè dicit, fidem ſolùm aſſentiri reuelatis pertinentibus ad religionem Chriſtianam. Idem docuit Canus. 12.de locis cap.2.& 3.& Gabriel. in.3.diſt.25.quæſt. 2.ergo priuatis reuelationibus non ſpectantibus ad beatitudinem,vel non propoſitis ab Eccleſia, non aſſentimur per fidem Catholicam: ergo fides infuſa fidelium, & Chriſtianorum non inclinat ad aſſentiendum omnibus reuelatis à Deo, ſed ſolùm illis, quæ ad communem ſtatum Eccleſiæ pertinent. Et confirmatur: Quia cùm fides ſit Catholica, & vniuerſalis, neceſſariò debet eſſe de vniuerſali obiecto: ergo priuatæ reuelationes ad illam non pertinent. Cuius non leue argumentum eſt, quòd ea quæ non proponuntur per Eccleſiam, & eius publicos miniſtros, Catholica Eccleſia non credit: ergo ſignum eſt, quòd illa ad fidem Catholicam, & Theologicam non attinent. Et confirmatur iterum: Quia quæ ad rempublicam pertinent, æquum eſt vt publicis ſcripturis cõtineantur,iuxta illud citatum Pſal.86.Dominus narrabit in Scripturis populorum,& ſtatim;Et principum horum,&c. ergo quæ continentur in Scripturis principum Eccleſiæ,tantùm ad fidem Catholicam pertinent.

Alij Theologi, inter quos eſt Gerſon Alphab.14. & Vega lib.9.in Tridentin.capit.5.8.&.30.cum quibuſdam alijs iunionibus, apertè dicunt, quòd fides, quæ eſt virtus Theologica, inclinat ad aſſentiendum omnibus reuelatis à Deo, etiam ſi illa ſint priuatim reuelata.Perſuadetur hæc ſententia. Quia illi homines,quibus Chriſtus reuelauit,quòd erant in gratia, vt Paralytico, & Magdalenæ,per fidem infuſam id crediderunt, ſicut etiam per eandem fidem crediderunt alia dicta Chriſti: ergo pari ratione, ſi Deus modò alicui reuelaret, quòd eſt in gratia, id crederet per infuſam fidem. ¶ Secundò. Si Eccleſia proponeret fidelibus tamquam aliquid reuelatum à Deo, quòd Paulus, verbi gratia; vel Franciſcus eſt in gratia, tunc id crederemus per fidem infuſam: ergo pari modo,ſi Deus idem priuatim reuelet alicui, id ſanè crederet per fidem infuſam. Oſtendo conſequentiam: Quia, quòd reuelatum à Deo proponatur ab Eccleſia, vel à Deo immediatè reuelante,accidit obiecto fidei,quę autem per accidens ſunt, non variant rationem formalem obiecti,& conſequenter per eundem habitum cognoſcuntur. ¶ Tertiò probatur.Nam ratio aſſentiendi formalis, & ſpecifica, qua quis aſſentitur per fidem infuſam, eſt eadem in ordine ad reuelationes priuatas, nempe, authoritas Dei dicentis: ergo in caſu quæſtionis ille fidelis aſſentitur per fidem diuinam, & Theologicam. Nam profectò, quæ parem habent certitudinem,& ſub eadem ratione creduntur, eodem habitu creduntur: ſed omnia reuelata à Deo habent æqualem certitudinem, quia omnia habent certitudinem infallibilem, & diuinam, & eadem ratione creduntur, ſcilicet,quatenus à Deo ſunt reuelata: ergo. ¶ Quartò perſuadetur.Quia fides & hæreſis ſunt eiuſdem ambitus; quoniam reſpectu quorumcumque poteſt eſſe fides, poteſt eſſe hæreſis: ſed reſpectu priuatæ reuelationis poteſt eſſe hæreſis:ergo reſpectu illius poteſt eſſe fides. Probatur minor. Quia ſi alicui Deus reuelaret, quòd eſt in gratia, & ille non crederet, ſine dubio eſſet hæreticus, quia recedit à ratione formali fidei, quæ prima veritas eſt: igitur ſi illi reuelationi particulari aſſentiretur, neceſſe eſt dicere eum per fidem ſupernaturalem,& diuinam aſſentiri. ¶ Ex his argumentis colligit Vega loco citato, quòd prædictis reuelationibus particularibus aſſentimur per fidem Catholicam, quamuis non dicatur Catholica,niſi prout inclinat ad aſſentiendũ reuelatis pertinentibus ad religionem Chriſtianam,& ad totam Eccleſiam.

Pro explicatione huius difficultatis ſuppono, quòd fides infuſa & fides Catholica, ſi ſermo ſit de fide ſupernaturali & diuina, ſiue ſit actus, ſiue ſit habitus, quia hic non eſt ſermo de fide ſumpta pro credibilibus ipſis, non ſunt duo habitus fidei ſupernaturales realiter diſtincti, ſed tantum vnus. Quoniam alia ratione fides dicitur infuſa, & alia dicitur Catholica;infuſa namque dicitur quatenus eſt à Deo ſupernaturaliter infundente, Catholica verò dicitur ratione obiecti vniuerſalis quod habet: Catholicum enim Græcè idem eſt quòd vniuerſale Latinè, & ob id illa ſola cenſenda ſunt ſpectare ad fidem Catholicam vt ſic,quę reuelata ſunt à Deo ad ſalutem communem omnium & totius Eccleſiæ. Quò fit,vt quãdo aliquis aſſentitur alicui articulo fidei, ille actus aſſentiendi ſit fidei Catholicæ; ſi autem aſſentiretur alicui reuelationi particulari factæ alicui, quæ non eſſet de credibilibus Eccleſiæ,tunc ille aſſenſus,non diceretur fidei Catholicæ, quia non eſt de obiecto omnibus propoſito ad credendum; diceretur tamen actus fidei infuſæ & ſupernaturalis, quia eſt reſpectu obiecti ſupernaturaliter reuelati.

His

*Quintum. D.Paulus.* *Magiſter. D.Auguſt.* *S.Thom.* *Durandus.* *Caietanus.* *Canus. Gabriel.* *Confirm.1.* *Confirm.2.* *Gerſon. Vega.* *Argum. 2. ſententiæ.* *Primum.* *Secundum.* *Tertium.* *Quartum.*



His ita conſtitutis,eſt prima propoſitio. Quando reuelatio aliqua eſt euidens omni ex parte; tunc aſſenſus reducendus eſt in habitum euidentem,ſcilicet,lumẽ Propheticum clarum.Hanc propoſitionem tenet Caieta.& tribuitur Victoriæ,& eſt communis inter Theologos.2.2. q.171.art.5. Et ratio eſt euidens: Quia fides intrinſecè eſt habitus obſcurus:igitur vbi omnia ſunt clara & euidentia, in habitum euidentem debent reduci. Vndè, D. Paulus ablato lumine gloriæ, retinuit euidentiam multorum, quæ vidit in eſſentia diuina, quia recordabatur ſe ea clarè vidiſſe. Imo verò, qui oblitus eſt demonſtrationis,aliquando per memoriam,qua certò cognoſcit ſe demonſtraſſe concluſionem, aſſentitur euidenter concluſioni.

Secunda propoſitio. Per fidem Catholicam vt ſic, ſolùm creduntur, quæ ad communem ſtatum Eccleſiæ ſunt diuinitùs reuelata; & hæc ſunt illa quæ continentur in traditionibus Patrum,& in ſacris literis,& quę ex illis per Eccleſiam deducũtur. Hanc aſſertionem intendit Sanctiſsimus Præceptor locis citatis: & idem ſenſit Caietan.2.2. quæſt.1.art. 1.in ſolut.ad.2.dubium,& quæſt.5.art.3. Idem ſenſit Magiſt.in 3.diſtin.23. Vbi ait, quòd fides eſt de his, quæ non videntur; quòd tamen non eſt intelligendum de omnibus quæ non videntur,ſed de his tantum, quæ ad religionẽ & ſtatum Eccleſiæ pertinẽt. Quod deſumpſit ex D. Auguſt. in Enchirid. cap. 8. & 16. Rurſùs, ex ipſo nomine Catholicæ fidei convincitur hæc propoſitio. Quoniam cùm Catholica fides idem ſit quod vniuerſalis,ſolùm ad illam pertinent,quę ſunt vniuerſis propoſita ad credendum. Vndè, illæ veritates per ſe ſpectant ad fidem, quæ attinẽt ad religionem Chriſtianam, & communem Eccleſię vtilitatem, iuxta illud Paul.ad Ephe.4.Ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos,alios Euangeliſtas,&c.in opus miniſterij,in ædificationem corporis Chriſti; & ad Titũ.1. idem Paul. fidem dicit eſſe cognitionem veritatis,quę eſt ſecundum pietatem in ſpem vitæ æternæ, id eſt, ſecundum religionem Chriſtianam,ad conſequendam vitam æternam. Et hoc apertè docuit D.Tho.2.2.q.5.ar.3.dicens,quòd ratio formalis obiecti fidei, eſt prima veritas, quatenus manifeſtatur in ſcripturis ſacris & doctrina Eccleſiæ.

Tertia propoſitio.Quamuis prima opinio ſit valde probabilis; ſecunda tamen videtur mihi rationabilior & probabilior. Vndè ſentio, ad fidẽ infuſam pertinere quidquid eſt à Deo reuelatum alicui, ita vt ſi Deus reuelaret alicui, quòd ex merito Chriſti angeli conſequuti ſunt gloriam,aut ſi reuelaret futuram victoriam,aut ſe eſſe in gratia iuſtificante,habitus fidei infuſæ ſupernaturalis inclinaret ad aſſenſum horum reuelatorum. Hanc aſſertionem conſtituo contra Sotum loco ſuperiùs citato, & contra iuniores quoſdam alios.Quia licèt Sotus dicat,hũc aſſenſum minimè pertinere ad fidem Catholicam; nihilominus tamẽ,vt ex ipſo colligitur,pro eodem habitu ſumitur fides Catholica & infuſa, & conſequenter apertè vult, quòd aſſentitur his reuelationibus per aliam fidem peculiarem diſtinctam.Probatur hæc aſſertio.Primò: Quoniam priuatis reuelationibus Dei non aſſentimur per opinionem, vt patet,quia habemus certum aſſenſum, neque per lumen Propheticum, quia non habemus aſſenſum euidentem; neque per dona Spiritus Sancti; quia vt diximus, hæc ſolùm ſunt in hominibus iuſtis, & non eliciunt immediatè aſſenſus; Neque etiam (vt ait Soto) per aliam fidem à Catholica, & per aliam habitum:Quia tantum eſt vna fides,vt inquit Paulus: ergo per fidem ipſam infuſam & ſupernaturalem fit ille aſſenſus. Sed dices, quòd ad aſſentiendum huiuſmodi reuelatis,ſufficit lumen illud particulare inditum à Deo per modum impreſſionis tranſeuntis.Sed contra: Quia quando reuelatio eſt omnino euidens,aſſenſus non pertinet ad obſcuritatem fidei, ſed reducitur in habitum euidentem, ſcilicet,lumen Propheticum clarum,vt ſuprà diximus. Si verò reuelatio eſt de re credibili,quæ in ſe manet obſcura; tunc per eandem fidem qua credimus alia reuelata, etiam oportet credere hoc, quod in particulari nobis reuelatur.Quoniam manet eadem ratio formalis & ſpecifica aſſentiendi, per quam aſſentitur fides ſupernaturalis & diuina, nempe authoritas primæ veritatis reuelantis. Nam profectò in ſimili per eãdem fidem humanam, qua aſſentimur quibuſdam dictis Petri, aſſentimur omnibus quæ ſub eadem ratione, & eiſdem teſtimonijs dicit,ſeu eodem modo: ergo pari ratione, per eãdem fidem diuinam aſſentimur omnibus obſcurè reuelatis à Deo dicente & reuelante. Item perſuadetur. Nam fidelis homo, cui facta eſt reuelatio illa particularis à Deo, tenetur firmiſsimè illi credere: ergo per fidem infuſam. Patet antecedens: Quia ſi non credere Deo reuelanti illud, eſſet, vel quia iudicaret Deum eſſe mendacem, vel quia putaret ſe non teneri ad credẽdum;ſed neutrum iſtorum:ergo.Patet conſequentia.Quoniam per fidem acquiſitam & humanam *non* poteſt certò & infallibiliter credere. Nam fidei acquiſitæ & humanæ vt ſic,poteſt ſubeſſe falſum: credit ergo fide infuſa & diuina.Rurſus perſuadetur:Nam idcirco credimus per infuſam fidem his quæ ab Eccleſia proponũtur tanquam reuelatis à Deo, quia ſumus certi Deum illa reuelaſſe: ſed ille,cui ſi fieret reuelatio priuata, eſſet certus quòd Deus aliquam veritatem ſibi reuelauit, verè cognoſcit, & certò Deum ſibi reuelare talem veritatem particularem: ergo etiam aſſentiretur illi per fidem infuſam. Et confirmatur: Quia aſſenſus, qui ex eadem ratione formali prouenit,& ſub eadem ratione ſub qua tendit, ad eundem habitum pertinet: ſed aſſenſus quo aſſentimur credibilibus, ab Eccleſia propoſitis, & aſſenſus quo ille aſſentitur priuatæ veritati à Deo reuelatæ, procedunt ſub eadem reuelatione: Nam ei aſſentimur quatenùs à Deo reuelatur: ergo vterq; aſſenſus procedit ab eodem habitu fidei:ergo,&c.Maior liquet: Quia habitus diſtinguuntur penes rationes formales obiectorum: Minor probatur: Quia vterque aſſenſus innititur diuinæ reuelationi tanquam rationi ſub qua: ergo. Et ſanè, obiectum formale fidei,non debet excedere ipſam fidem: ergo permanente reuelatione,quę eſt eiuſdẽ ordinis,permanet eadẽ fides in ordine ad quodcumq; credibile reuelatum. ¶ Huic argumento Caietanus reſpondet.2.2. q.1.art.1.& dicit,nihil valere conſequentiam.Quia non putat eſſe inconueniens, quòd obiectum fidei excedat fidem, ſicut obiectum charitatis excedit

*Concluſ.1.* *Ephe.4.* *Ad Tim.* *Concluſ.2.*

charitatem: sunt enim (ait ille) pleræque rationes bonitatis amabiles in Deo; quas tamen charitas ipsa non amat. Verùm hæc responsio non mihi probatur. Quia non est intelligibile quòd obiectum specificatiuum habitus excedat habitum saltem in potentia, quod sanè dico, quia euenit aliquando plures veritates latere, verbi gratia, in obiecto formali Arithmeticæ, ad quas habitus scientiæ non se extêdit in actu ob imperfectionem nostri intellectus; cæterum quòd illæ perfectiones aut veritates, sub eadem ratione formali ad alterum habitum pertineant, id quidem est impossibile. Neq; exemplum de obiecto charitatis satis aptè adducitur à Caietano. Quia nulla ratio bonitatis est in Deo, ad quam diligendam non se extendat minima charitas, saltim in potentia proxima, quâtum est ex parte ipsius charitatis, vt liquet in beatis, qui nullum attributum Dei cognoscunt, quod non ament, & cùm omnia attributa cognoscant, omnia amant. ¶ Alij dicunt ad propositum argumentum, quòd non est obiectum formale fidei veritas prima vtcumque, sed solùm vt reuelans ea quæ per se pertinent ad Christianam religionem. Verùm hæc solutio licèt vera sit, loquendo de fide supernaturali infusa, & Theologica quatenus est Catholica fides; tamen si sit sermo de hac eadem fide infusa & Catholica, non quatenus Catholica, sed quatenus supernaturalis est, & infusa à Deo, & quatenus innititur primæ veritati reuelanti; sic hæc vt infusa, & vt innitens Deo reuelanti, etiam inclinat ad quodcumque credibile reuelatum à Deo prima veritate. Nam profectò, ille assensus fidei, qui præstatur alicui credibili reuelato à Deo, etiam in particulari, eodem modo procedit sicut assensus fidei Catholicæ, & eandem certitudinem & obscuritatem habet simul cũ diuina reuelatione quæ est ratio sub qua, & solùm est discrimen ex parte obiecti materialis, aut ex parte applicantium: ergo ad eundem habitum pertinet.

Tandem. Fides Adæ & angelorum, est eiusdem rationis cum fide nostra Catholica; tamen non respiciebat Ecclesiam vt proponentem, vel regulantem: ergo reuelationes priuatę ad eam spectare possunt, quamuis per Ecclesiam non proponantur, nec regulentur. Neque valet dicere, quòd regula fidei angelicæ, erat Ecclesia angelica: Omnes enim immediatè sunt à Deo illuminati, nec erat inter eos aliquis Summus Pontifex, aut aliqua congregatio, cuius definitioni aliorum fides stare teneretur. Sanè, sicut modò angeli nullum habent caput præter Deum, Christumque Dominum eius vnigenitum, cui subdantur, ita neque dum viatores erant. Imò verò, secundum Basilium in constitut. Monasti. cap. 10. & secundum alios, peccatum Luciferi fuit superbè velle esse caput omnium, quod quidem Deus sibi reseruarat; & idcircò Michael dixit, Quis sicut Deus? ¶ Et confirmatur: Quoniam Beatissima Virgo, Apostoli, & Scriptores librorum canonicorum, ex immediata reuelatione Spiritus Sancti, absq; eo quòd Ecclesia proponeret, vel regularet talem fidem, cognouerunt multa per fidem supernaturalem, & diuinam, & per eandem etiam, vt Catholica est, & inter ea cognouerunt aliqua, quæ non erant Ecclesiæ vniuersaliter vulganda: igitur non est de ratione fidei supernaturalis propositio, vel regulatio Ecclesiæ. Sed respondent quidam de Apostolis, & Prophetis, quòd in illis, quæ per fidem cognoscebant, assensus eorum habebat ordinem immediatum ad regulam Ecclesiæ, & illi subijciebantur. Sed contra: Quia fides non regulatur ab Ecclesia, nisi quatenus eius propositio, est conditio sine qua non reuelat communiter: ergo in illis, quibus Deus reuelauit, Ecclesia non proponente, non erat ordo actualis ad regulam Ecclesiæ, maximè cùm non solùm credere possent, sed tenerentur absque regula Ecclesiæ.

Dicere rursus, quod Caietan. ait. 2.2. quæstio. 171. artic. 5. quòd primi Ecclesiæ magistri habuerunt notitiam euidentem omnium, quæ tradiderunt Ecclesiæ, est absurdum: ergo nulla via est argumentum fugiẽdi difficultatem. Et quamuis dicas, quòd saltem reuelationes de bonis priuatis, vt priuata sunt, non spectant ad fidem Catholicam; tamen nihilominùs negari non debet, quin in istis reuelationibus priuatis aliquando reuelentur ea, quæ vtilia sunt toti religioni Christianæ, licèt non sint absolutè necessaria: ergo eo titulo non possunt excludi, neque à ratione fidei supernaturalis, neque à ratione fidei Catholicæ, sicut neque alia contenta in Scriptura diuina. ¶ Et confirmatur: Quia omnia, quæ Christus dixit in hac vita, vel continentur in Scriptura, pertinent ad fidem Catholicam, etiam si sint de bono priuato Magdalenæ, Pauli, Dauidis, & aliorum: ergo licèt id, quod reuelatur sit priuatum, vt quòd Tobias habuit canem, non excluditur à fide Catholica Theologica, præsertim cùm bono publico possit deseruire in eo, cui reuelatur, & in alijs, quibus publicatur. ¶ Et confirmatur iterum. Nam quòd Tobias habuerit canem, & similia, minùs referunt ad beatitudinem, quàm quòd ego habeam gratiam: sed quia reuelata sunt à Deo spectant ad fidem: ergo, &c.

Quarta propositio. Si Deus reuelaret alicui propositionem aliquam, ex qua euidenter deduceretur, me esse in fide, & in gratia iustificante, vt si reuelaret me esse sufficienter dispositum ad gratiam per veram pœnitentiam; tunc assensus conclusionis non eliceretur immediatè à fide Catholica, seu infusa & supernaturali, quia fides nõ est discursiua, & illa deductio pertineret ad Theologiam. Hæc dixi, quia perperam Vega opinatur oppositum lib. 9. in Trident. locis citatis contra quem agemus. 2.2. quæst. 4. artic. 8. & egimus etiam. 1. par. quæst. 1. in primo tomo. *Concl. 4.* *Vega.*

Quinta conclusio. Si reuelationes particulares factæ fidelibus narrentur alijs; tunc respectu eorum, quibus narrantur sufficit humana fides simul cum prudentia, & fides Catholica non inclinat ad huiusmodi assensum eorum, quæ solum narrantur à peculiaribus hominibus, quæ neque proponuntur ab Ecclesia, neque reuelantur illis, quibus narrantur ab alijs. Itaque, si ille, cui est facta illa priuata reuelatio, proponeret illud fidelibus, tamquam reuelatum à Deo, fides infusa illorum non inclinaret ad assensum illius, quia sicut naturale agens non producit effectum in passo, nisi sit debitè dispositum & applicatum, ita nec habitus elicit actum circa proprium obiectum, *Concl. 5.*



nisi sit debitè, & cònuenienter propositum, sed obiectum illud priuatè reuelatum non est propositum sufficienter, & debitè sicut expoſcit fides supernaturalis respectu aliorum, quibus narratur particulariter: igitur fides aliorum nó elicit actum, neque assensum circa illud obiectum. Probatur minor: Quoniam cùm fides sit certissima, & infallibilis, debet inniti regulæ canonicæ, & infallibili, etiam in proponendo: sed ille priuatus homo, qui proponit alijs priuatam illam reuelationem, non est canonica regula, & infallibilis: ergo non proponitur, vt oportet obiectũ fidei ipsi, & consequenter fides non tendit in illud. Et confirmatur: Quoniam ob id diximus, eum, cui fit ipsa reuelatio assentiri per fidem infusam eidem reuelationi, quia per eam sit certus, quòd talis reuelatio est à Deo, sed per hoc; quod ille proponit nobis illam reuelationem, non efficimur certi, quòd illa fit à Deo, per certam, canonicam, & infallibilem propositionem, qualis est propositio Ecclesiæ: igitur neque assentimur illi per fidem infusam, & experientia constat hoc; quia non tenemur credere his reuelationibus particularibus, quę dicuntur nobis ab his, vel illis hominibus; Imo grauiter erraret, qui his reuelationibus particularibus, quæ à peculiaribus hominibus dicerentur, eam fidem adhiberet, quam tenetur adhibere his, quæ ab Ecclesia proponuntur tanquam à Deo reuelatis.

*Ad argumenta.* *Ad primũ.* Ad argumenta initio disputationis facta. Ad primum dico, quòd fides Catholica vt Catholica est, de facto & de lege ordinaria adstricta est solùm ad ea, quæ sunt reuelata, & ab Ecclesia proposita, quæ vel sunt in scriptura & traditionibus, vel inde deducuntur, aut expressa Ecclesiæ authoritate definiuntur. Cæterùm, fides Catholica de se, & secluſa lege ordinaria, vt supernaturalis & diuina est, etiã se extendit ad omnia credibilia à Deo ipso reuelata. Quia sic saluatur eius obiectum, cùm innitatur primæ veritati dicenti, & reuelanti, licèt de facto præsertim quatenus est Catholica, solùm se extendat ad ea, quæ pertinent ad communem statum Ecclesiæ, & quæ sunt pertinentia ad beatitudinem, & hac ratione debent intelligi testimonia D. Thom. adducta. ¶ Ad secundum respondetur, negando sequelam. Quoniam fides Catholica, vt sic, secũdum legem ordinariam adstricta est propositioni Ecclesiæ à Deo. Vndè Augustinus Euangelio non crederem, nisi Ecclesia diceret, nempe, illud esse Euãgelium, & id ita proponeret. Vnde Paulus contulit cum Petro euangelium sibi reuelatum, quamuis illud aliàs erat infallibile, & dignum omni credulitate diuina. Quod aduertit Gerson Alphab. 4. litera. C. & idcircò, licèt reuelatio mihi priuatè facta, à me credatur per fidem; non tamen ab eo, cui ego eam prędico, vti explicuimus; Præsertim cùm dixerit Augustinus citata verba; Euangelio nõ crederem, nisi me authoritas Ecclesiæ admoneret. *Ad secundũ.* *D. Augustin.*

¶ Ad tertium dicendum, quòd si Deus reuelaret alicui hæretico, vel infideli aliquam veritatem in particulari: Vel eum sanaret ab infidelitate & hæresi, & mutaret intellectum eius, vt haberet fidem qua crederet, vel si non mutaretur à sua infidelitate, & solum reuelaretur illi aliquod credibile particulare; tunc ex vi illius reuelationis à solo auxilio haberet vnde posset assentiri illi credibili reuelato. *Ad tertiũ.* ¶ Ad confirmationem dico, quòd si quis cerneret aliquid sibi reuelari priuatè à Deo, peccaret mortaliter non assentiendo; Cæterùm, non diceretur formaliter hæreticus, quia non negat vllam veritatem Catholicam, seu de pertinentibus ad communem statum Ecclesiæ, &c. Quare, ille homo esset incredulus, aut in proxima dispositione ad hæresim virtualiter, & consequenter. Alij dicũt, quòd ille talis esset hæreticus, quia cernens Deum aliquid sibi reuelare, negat id esse verum; quoniam ex consequenti dicit Deum mentiri, quod est contra fidem Catholicam, & hoc redit in idem. Aduerte tamen, quòd quando reuelatio aliqua fit Prophetæ, qui est minister datus à Deo Ecclesiæ; tunc ipse tenetur credere per fidem Catholicam id, quod sibi per lumen Propheticum reuelatum est, licèt sub alia ratione credat illam veritatem reuelatam, & sub alia videat, vt Theologi dicunt. 2.2. q. 1. art. 1. *Ad confir.* ¶ Ad quartum patet solutio ex dictis, cõsiderando habitum supernaturalem fidei, vel in quantum est fides Catholica, vt sic; vel in quantùm est fides supernaturalis à Deo data; & infusa. Et per hanc eandem distinctionem fidei Catholicæ vt sic, vel eiusdem fidei, vt est infusa & supernaturalis, quæ vt sic inititur primæ veritati reuelanti, patet ad quintum & ad testimonia ibi adducta, & ad primam, & secundam confirmationem. Vnde, satis est, quòd de lege solùm inclinet fides ad veritates Christianæ religionis, & beatitudinis communes toti Ecclesiæ. Vndè negãdum est, quòd ad plura se extendat ratio formalis obiecti fidei, quàm ipsa fides. Quia sicut illa ratio se extendit ad omnia, quæ sunt diuinitus reuelata, ita etiam fides infusa, iuxta ea quæ diximus, se extendit ad omnia, quæ sunt reuelata diuinitus; si tamen conuenienter ipsi fidei proponantur. Rursùs dicunt Theologi, quòd si sit sermo de fide solùm, vt Catholica est, etiam isto pacto non se extendit ad plura ratio formalis fidei, quàm ipsa fides. Quia sicut fides Catholica vt sic, solum se extendit ad ea, quæ sunt diuinitus reuelata ad communem statum Ecclesiæ pertinentia, ita etiam ratio formalis fidei Catholicæ vt sic, est veritas prima, non quomodocumque, sed quatenus reuelat ea, quæ ad communem statum Ecclesiæ pertinent. Vndè, diuina reuelatio habet se, vt pars obiecti formalis fidei. *Ad quintũ.*

Omnia subijcio correctioni Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ.

# QVAESTIO CENTESIMA DECIMA-TERTIA.

## De effectibus gratiæ, seu potiùs de iustificatione impij.

### ARTICVLVS I.

*Vtrùm iustificatio impij sit remissio peccatorum?*

PRima conclusio. Quando iustificatio sit per modum simplicis generationis seu productionis, vt in Angelis & in Adam, non est ibi remissio peccatorum. ¶ Secunda conclusio. Quando iustificatio fit per modum motus è cõtrario in contrarium, dicitur iustificatio impij, & est idem realiter, quòd remissio peccatorum.

### DISPVTATIO I.

*De discursu articuli. Quid sit iustificatio?*

VARIÆ sunt iustificationis acceptiones. Nam primô sumitur pro acquisitione iustitiæ, & sic videtur loqui. S. Tho. in præsenti art. Secundo sumitur iustificatio pro augmento iustitiæ, siue gratiæ, iuxta illud Eccles. 18. Non verearis vsque ad mortem iustificari, & Apocal. 4. Qui iustus est, iustificetur adhuc. In quo etiam sensu exponitur in Trident. sessio. 6. cap. 10. illud Iacobi. 2. Videtis quoniam ex operibus iustificatur homo, & non ex fide tantum. Tertiò accipitur pro eo, quod est reum absolui in iudicio, iuxta illud Prouerb. 17. Qui iustificat impium, & qui condemnat iustum, abominabilis est vterque apud Deum. Et pariter potest accipi illud Prophetæ Psal. 50. Vt iustificeris in sermonibus tuis. Sunt etiam pleræque aliæ acceptiones, quas nolo recensere modò. Imò verò prætermissis alijs eiusdé vocabuli acceptionibus, nec non ea iustificatione, qua quis nullo in se præcedente peccato iustus fit, quo pacto tam angeli omnes, quã primi nostri parentes, in quo instanti conditi sunt vnà cum natura iustitiam, gratiamvè acceperunt; & prætermissa ea iustificatione, qua iustus incrementum iustitiæ accipit, frequentior vsus iustificationis in Scriptura, est pro eo motu, quo quis recedit à peccato per veram pœnitentiam, & accedit ad veram iustitiam. Quocircà, iustificatio potest sic definiri iuxta ea, quę ex verbis Concilij Triden. sessio. 6. cap. 4. habemus. Est translatio ab statu culpæ mortalis in statũ gratiæ, & adoptionis filiorum Dei, per Iesum Christum Saluatorem nostrum. *Definitio iustificationis qualis sit.*

Ecclesi. 18.
Apocal. 4.
Iacobi. 2.
Prouer. 17.
Psalm. 50.

Non adduco eandem prorsus definitionem Concilij loco citato, sed eam, quæ ex verbis Concilij elici poterat, & debet. Quia cùm Concilium iustificationem ita definit. Est translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adæ, in statum gratiæ, & adoptionis filiorum Dei, per secundũ Adam Iesum Christum Saluatorem nostrum; eam solùm definit iustificationem, qua non dum fidelis, nec originali labe mundatus, in gratiæ statum transfertur, & non definitur vniuersaliter impij iustificatio. A capite enim. 14. eiusdem sessionis, incipit Concil. agere de illa alia impij iustificatione, qua vir fidelis post iustificationem primam, in mortalem culpam prolapsus, iterum iustificatur. Quapropter, Trident. Concil. vsque ad caput. 14. citatum, eam tãtum iustificationem adulti infidelis, modumque quo fiat, potissimè explicat, qua, dùm cum solo eo dolore de peccatis accedit, qui cum baptismo sufficit, & attritio dicitur, iustificatur, vt ex cap. 6. eiusque progressu est manifestum. Progressu verò illius iustificationis explicato, atque perspecto, facilè est omnem aliam iustificationem cognoscere & percipere. Et vt conficeremus definitionem, quæ vniuersaliter omnem impij iustificationem comprehenderet, loco illorum verborum, Est trãslatio ab statu in quo homo nascitur filius primi Adæ; diximus, Est translatio ab statu lethalis culpæ, in statum gratiæ, & adoptionis filiorum per Christum.



Hanc igitur iustificationem cap. 7. eiusdem sessionis dicit Concilium, nõ esse solam remissionem peccatorum, sed etiam sanctificationem, & renouationem per gratiam & dona, eaque ratione hominem per eam ex iniusto fieri iustum, & ex inimico amicum, & hæredem vitæ æternæ: & eiusdem iustificationis causam efficientem dicit esse misericordem Deum, qui gratuitò iustificat, & sanctificat, signans & vngens Spiritu promissionis Sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ; meritoriam verò dicit esse Christum redemptorem nostrum, qui passione sua sanctissima, nobis sanctificationem promeruit, & pro nobis satisfecit æterno Patri. Formalem autem ait, esse iustitiam Dei, nõ qua ipse iustus est, sed qua nos iustos facit, qua videlicet, ab eo donati renouamur Spiritu mentis nostræ, & nõ modò reputamur, sed verè iusti sumus, iustitiam in nobis recipientes, vnusquisque suam. Nam, licèt nemo possit esse iustus, nisi cui merita passionis Christi communicantur; id tamen in impij iustificatione fit, dùm merito eiusdem sanctissimæ passionis charitas Dei diffunditur per Spiritum sanctum in cordibus eorum, qui iustificantur, atque illis inhæret. Ex quibus verbis Cõcilij, & alijs, quæ in progressu totius sessionis habentur, apertè liquet iustitiam, qua formaliter iusti sumus, & qua Deus nos iustos facit misericorditer, esse habitualem gratiam, & charitatem, quam Christi meritis nobis infundit.

De hac igitur iustificatione dicit Sanctissimus Præceptor, esse idem realiter cum remissione peccatorum, sicut generaliter loquẽdo accessus ad terminum ad quem, & recessus à termino à quo, est idem motus realiter; non tamen intelligas, iustificationem impij propriè esse motum, qui succesiuè fiat, sed esse mutationem instantaneam, vt fusius infrà aperiemus. Aduerte tamen, verbum, facio interdùm sumi ad significandum solum influxum, & causalitatem efficientis causæ; atq; adeò actionem, qua effectum attingit, & à qua formaliter efficere dicitur. Interdùm verò sumi ad significandam causalitatem aliarum causarum; Nam ly facere, communiter adaptatur omnibus causis: Dicimus enim albedinem efficere album non efficienter, sed formaliter; & gratiam, quæ est terminus formalis iustificationis, efficere gratum, ab eoque formali effectu nomen gratiæ gratum facientis accepit. ¶ Vndè, si nomen verbale, iustificatio, sumatur vt significat actionem, qua Deus nos efficienter iustos facit, & transfert de statu lethalis culpę in statum gratię, & adoptionis filiorum Dei, sic sanè iustificatio nihil aliud est, quã infusio gratiæ & charitatis, qua Deus tanquã actione iustificationis effectum dicitur perficere, & attingere. Si verò accipiatur iustificatio, vt significat causalitatem causæ formalis, tunc non est aliud, quàm actuatio seu informatio, qua habitualis gratia, & charitas à Deo infusa, actuat & informat animam eius, qui iustificatur. Nam ea actuatione formaliter expellitur peccatum, non secùs ac lumine recepto in aere formaliter pelluntur tenebræ, quæ in ipso erant: sic ergo ea actuatione gratię iustus efficitur homo ille, quem gratia actuat, & informat, ac proinde in genere causæ formalis, ab statu peccati in statum iustitiæ, & adoptionis filiorum Dei, hominem transfert, atque conuertit. Et quidem, iustificatione accepta hoc modo, dicimus gratiam & charitatem iustificare, & Deum eadem gratia & charitate tanquam formali causa iustificare, quamuis infusione ipsa eiusdem gratiæ, tãquam actione, dicatur iustificare nos Deus.

Vndè ex dictis colligo, quòd ratio iustificationis, vt à nobis est definita, & explicata, est vniuoca, & conuenit omni iustificationi impij, quæ post peccatum Adæ fit, siue illa fit parulorum, siue amentium, interueniente sacramento, siue fit adultorum attritorum duntaxat, pariter interueniente sacramento, siue contritorum habentium supernaturalem dolorem de peccatis propter Deum summè dilectum, qui etiam ante receptionem sacramenti iustificantur.

Posset tamẽ aliquis interrogare hoc loco, vtrùm iustificatio impij possit sumi pro prequijs dispositionibus actuum supernaturalium credendi, sperandi, diligendi, ac pœnitendi, quos de lege ordinaria exigit totius sanctitatis & iustitiæ parens Deus, vt iustitiam habitualem infundat, quæ formaliter iustificet; eo pacto quo præuia dispositio & alteratio ad formæ substantialis introductionem necessaria, generatio substãtialis dicitur, denominatione quidem sumpta ab introductione substantiali formæ, ad quam alteratio illa ordinatur, & ad quam est via. Adde etiam, ad iustificationem adulti hoc modo sumptam, efficienter concurrere habitum gratię & charitatis in eo ipso temporis instanti, in quo infunditur; non verò solùm influxum auxilij supernaturalis transeuntis; atque influxu habitus charitatis, & gratiæ euehi ad esse supernaturale dispositionis vltimæ ad eundem charitatis, & gratię habitum requisitæ. ¶ Sanè, si quis ita loqueretur, non temerè aut sine fundamento Theologizaret; sed si quis hæc ita dixerit, attendat magnum esse discrimen inter præuiam alterationem, comparatione introductionis formæ substantialis, in cuius introductione posita est proprijssima, ac formalis ratio generationis substantialis; & inter præuias dispositiones adulti ad iustificationem necessarias. Præuia namque illa alteratio attingit efficienter vnionem formæ cum materia, & consequenter is, qui ita alterando disponit materiam, verè dicitur generare substantialiter; ac proinde non est mirabile si alteratio illa, denominatione sumpta à termino, quem introducit & efficit, dicatur generatio tãquam via ad illam: At verò, prænię supernaturales dispositiones, neque meritorię, nedum efficienter physicè attingunt introductionem charitatis, & gratiæ, sed solùm sunt dispositiones morales, ex lege Dei, & conditiones, sine quibus Deus meritis Christi, ex suaque misericordia non vult eam infundere; Neq; qui Deo cooperante se ipsum eo pacto disponit, dicitur seipsum iustificare, sed solus Deus est, qui illũ iustificat. Quarè, quidquid dicant Canus lib. 12. de locis cap. 13. ad. 7. & Ruard. Tapper. art. de iustificat. pag. 5. non est cur introductio illarum dispositionum, iustificatio appelletur, sed solùm appellari

debet dispositio ad iustificationem. Vndè, solùm debet concedi, talem adultum Deo cooperante, seipsum disponere ad iustificationem; non autem seipsum iustificare, sed tantum se disponere, & præparare. Quocircà, licèt concederetur habitum gratiæ, & charitatis efficienter concurrere ad vltimam dispositionem ad eundem habitum; non tamen ob id esset dicendum concurrere efficienter, ad iustificationem eò quòd vltima illa dispositio, neque est iustificatio, neque pars iustificationis, sed dispositio ad iustificationem, quæ in sola infusione habitus gratiæ, & charitatis posita est.

Rursus aduerte, saltem in ea iustificatione adulti, quæ fit accedente sacramento cum sola attritione, affirmari non posse, habitum charitatis, & gratiæ efficienter concurrere ad vltimam dispositionem ad eundem habitum. Quia tunc, neque actus liberi arbitrij est vltima dispositio ad gratiam, sed sacramentum vnà cum illo complet vltimam dispositionem; ad sacramentum verò nemo dicet concurrere efficienter habitum gratiæ & charitatis: Neque in eo instanti est vllus actus dilectionis, vel elicitus vel imperatus, ad cuius proinde productionè possit efficienter concurrere ipse habitus charitatis, & gratiæ, sed solũ est dolor de peccatis, ex solo timore seruili, per longè diuersum influxum cuectus ad esse supernaturalis timoris. Et profectò, licèt admittamus actum supernaturalem contritionis, qui est vltima dispositio ad gratiam, posse appellari iustificationem impropriè, quia videlicet, est dispositio, & via ad iustitiam, tamen non apparet posse satis probabiliter defendi, ad illum actum contritionis quatenus est vltima dispositio ad gratiam, efficiẽter concurrere habitum ipsum charitatis, & gratiæ, ad quem vltimò disponit, vt ea ratione consequenter dici posset, habitum gratiæ, & charitatis cõcurrere efficienter ad impij iustificationem. Veruntamen, hæc difficultas ampliùs aperietur cùm disputauerimus, vtrum actus contritionis, & dispositionis vltimæ ad gratiam sit efficienter ab habitu gratiæ, vel solum ab auxilio speciali Dei, quod sit ordinis supernaturalis.

## DISPVTATIO II.

### *Vtrum iustificatio impij sit mutatio realiter distincta à remissione peccatorum?*

*Matth.5.*

*D. Auguſt.*
*D. Paul.*
*S. Thomas.*
*Tiletanus.*
*Vega.*

CVM iustificationis nomen sumatur à iustitia, certè non sumitur iustitia pro speciali aliqua virtute, sed pro vniuersali rectitudine hominis, de qua dixit Christus Matt. 5. Nisi abundauerit iustitia vestra, plusquam Scribarum & Pharisęorum, non intrabitis in regnum cœlorum. Et sanè, iustificatio in Scriptura & apud Sanctos Patres, accipitur pro infusione, & acquisitione iustitiæ. Sic docet D. Auguſt. 2. retractation. cap. 33. de Spiritu & litera cap. 9. 19. 36. & 37. & super Psal. 31. & D. Paul. sæpe sæpius in suis epistolis, & S. Tho. in hoc artic. & Tiletan. Apolog. Trident. sessio. 6. capit. 2. Decan. art. 8. Vega lib. 5. in Trident. cap. 3. De hac igitur iustificatione quæ per infusionem diuinæ iustitiæ fit, est cõtrouersia, vtrũ includat intrinsecè remissionẽ peccatorum, ita vt identificetur illis? ¶ Sanè, ratio dubitandi est: Quia accessus ad terminũ ad quem, semper est idem realiter cũ recessu à termino à quo; sed iustificatio est accessus ad terminũ ad quem: ergo, &c. ¶ Secunda etiam ratio dubitandi est desumpta ex D. Tho. hic, & de verit. q. 28. art. 1. ad. 6. Vbi ait, quòd quando iustificatio fit à contrario in contrarium per modum motus, est idẽ quòd remissio peccatorum. Et Caiet. inf. à art. 6. dicit, quòd iustificatio passiua, seu receptio gratiæ, est idem realiter cũ passiua remissione peccati, sicut generatio & corruptio passiua, vel illuminatio, & expulsio tenebrarũ. Et Petrus à Soto, de pœnitẽtia lect. 10. & ante illum Antonin. 4. p. tit. 9. cap. 6. in principio dicunt, quòd iustificatio includit remissionem peccatorum, & pariter dicit idem Vega lib. 5. in Triden. c. 2. Quod sanè desumitur ex Triden. sess. 6. cap. 4. Vbi definitur iustificatio, quòd est trãslatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adæ, in statum gratiæ, & adoptionis filiorum Dei per secundum Adam, scilicet, Christum Saluatorem, & cap. 7. dicitur, quòd iustificatio nõ est sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio, & renouatio interioris hominis per volũtariam susceptionẽ gratiæ, & donorũ. Vndè, homo ex iniusto fit iustus, & ex inimico amicus, & ad Coloss. en. 1. Dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine, qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum, &c. & ad Ephes. 1. Gratificauit nos in dilecto filio suo, in quo habemus remissionem peccatorum, &. 1. Corinth. 6. Abluti estis, sanctificati estis, iustificati estis. Ex quibus locis patet, quòd in iustificatione includitur remissio peccatorum.

*Primaria.*
*Secunda.*
*Caietanus.*
*Petrus à Soto.*
*Antonin.*
*Vega.*
*Coloſ. 1.*
*Epheſ. 1.*
*1. Corin. 6.*

Vt difficultas hæc aperiatur, suppono tam ex materia de Eucharistia, quàm ex primo de Generatione, quòd quando res aliqua transit ab vno contrario in aliud, seu à priuatione ad habitum, ibi sunt duæ mutationes distinctæ entitatiuè. Altera quidem à non esse termini ad quem, ad esse termini ad quem; altera verò ab esse termini à quo, ad non esse termini à quo, & quælibet istarum mutationum habet pro suo termino secũdario ad quem, terminum primarium alterius. Verbi gratia, illuminatio habet pro termino primario lumen; pro termino verò secundario ad quem, habet non esse tenebrarum; destructio autem tenebrarum è contra habet pro suo termino primario ad quem, non esse tenebrarum; pro secundario verò ipsum esse luminis & lucis.

*Authoris ſententia.*

Quibus ita stabilitis, dicendum est, quòd si peccatum habituale esset priuatio gratiæ, sicut tenebræ sunt priuatio luminis, vt nonnulli tenent, tunc duæ mutationes entitatiuæ distinctæ hic essent constituendæ & ponendæ, prima ab esse peccati ad esse gratiæ, quæ haberet pro termino secũdario ad quẽ, ipsum non esse peccati; secunda autem ab esse peccati ad negationem peccati, & hæc haberet pro termino secundario ad quem, ipsam gratiã, quæ sequitur ex non esse peccati; & quælibet istarũ actionum posset sumere nomẽ alterius, eò quòd terminus primarius vnius, est terminus secũdarius alterius; atq; ita productio gratię esset destructio peccati, & è cõuerso: Sicut in hoc sensu generatio est corruptio, & è contra. ¶ Verùm, quia hæc doctrina, scilicet, quòd peccatum sit formaliter priuatio gratiæ, à plerisque repellitur,



repellitur, & impugnata fuit suprà à nobis, vbi diximus, peccatum habituale esse formaliter dignitatem ad odium Dei, & punitionem; idcircò probabiliter nunc dicere possumus, quòd cùm hæc dignitas sit relatio, & ad relationem ponendã, vel tollendam nullus est per se motus vel mutatio; ideo ad nõ esse peccati nulla est per se mutatio, quæ dicatur destructio, vel remissio illius, sed non esse peccati cõsequitur secundariò ad esse gratiæ: Vt enim gratia ponit dignitatem ad amorẽ Dei, ita excludit dignitatem ad odium, veluti calor inducit similitudinem cum alio calido, & expellit dissimilitudinem, quæ præcesserat antea.

*Prim colligitur.*

Ex dictis colligo primò, deceptum fuisse Gabrielem in 4. d. 14. q. 1. art. 1. notabili. 4. & Scotum in 4. d. 16. q. 2. & Cassalium lib. 3. de iustitia dicentes, quòd infusio gratiæ, & remissio peccati sunt duæ mutationes. Imo verò, vehementer fuit deceptus Soto. 2. de nat. & grat. cap. 18. dicens, duas esse mutationes, & vnum tantum motum: impossibile namq; videtur esse quòd multiplicentur genera mutationis, & quòd non multiplicentur species, scilicet, motus, aut mutationis.

*Soto.*

*Secundo colligitur.*

Secundò colligo, iustificationem posse optimè dici remissionem peccatorum; quia secundariò terminatur ad non esse peccati, sicut calefactio potest dici assimilatio ad aliud calidum, quia secundarius eius termin⁹, est similitudo cũ alio calido: & in hoc sensu verum habent ea, quæ in rationibus dubitãdi in exordio disputationis dicuntur. Et probatur hæc doctrina ex definitione iustificationis, quæ desumpta fuit à nobis ex Concilio, quæ sic habet, Iustificatio est trãslatio ab eo statu lethalis culpę, vel in quo homo nascitur filius primi Adæ, in statum gratiæ & adoptionis filiorum Dei, per secundũ Adam Iesum Christum Saluatorẽ nostrum. Medina etiam tenet hoc idẽ hic cũ dicat, quòd iustificatio impij semper habet adiũctam remissionem peccatorũ. Quoniam iustificatio, est impij recessus à peccato, & accessus

*D. Auguſt.*

ad iustitiã, vt optimè explicat D. Auguſt. super cap. 8. epist. ad Romanos. Et sanè, hoc ipsum habetur in Paulo ad Coloss. 1. ex quo loco manifestè deducitur definitio iustificationis tradita: sic enim ait Paulus; Qui fecit nos dignos in partem sortis sanctorum in lumine, & eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnũ filij dilectionis suæ. Rursus, eadẽ definitio deducitur ex eodẽ Paulo. 1. Corin. 6. Hæc aliquando eratis, sed abluti estis, sanctificati estis, iustificati estis. In ablutione significatur peccatorũ remissio, & ablatio sordium, quas peccatum intulerat. In sanctificatione, & iustificatione insinuatur adeptio iustitiæ & sanctitatis. Quocircà, iustitia, à qua deducitur nomen, iustificatio, significat iustitiam integram, & rectitudinem, quæ hominem facit iustum, & rectum omni ex parte, intùs & foris.

*Tertiò colligitur.*

Tertiò colligo, quòd non est valde probabile, quod plerique; aiunt, priùs natura in genere causę materialis expelli peccatum, quàm infundatur gratia, sicut priùs in genere causæ materialis expelluntur tenebræ, quã inducatur lux; nituntur enim isti falso fundamento. Quia putant, gratiã, & peccatũ se habere sicut habẽt se habitus, & priuatio; Cæterũ, nos qui vsq; adhuc probabiliter diximus, peccatũ transacto actu peccati, quod dicitur peccatũ habituale, esse indignitatem quandã diuini amoris, seu esse relationẽ dignitatis ad odiũ Dei, probabiliter asseueramus, quòd sicut dissimilitudo ad calidũ in nullo genere repellitur priùs natura, quã fiat calor in subiecto, sed priùs omnino ponitur calor, & inde sequitur repulsa illi⁹ dissimilitudinis; pari ratione, priùs omnino gratia infunditur, quàm sequatur dignitas diuini amoris, & dignitas ad gloriam, & quã excludatur dignitas ad odiũ, seu indignitas, quæ est peccatum ipsum relictum transacto actu peccati. ¶ Sed nihilominus est verum, quòd sicut in genere causæ materialis prior est ablatio dissimilitudinis in frigiditate, quã similitudo in calore; sic etiam priùs natura in genere causæ materialis tollitur dignitas ad odium, quã inducatur dignitas ad amorẽ; quoniam dignitates istæ sunt contrariæ relationes, & idcirco priùs natura in diuerso genere causæ vna ponitur, quã alia excludatur, & è cõuerso; ac proinde, si fiat sermo de gratia secundũ quod dignificat ad amorẽ Dei, & ad gloriam, benè potest dici, quòd remissio peccati, quæ est repulsa, & exclusio dignitatis oppositæ, est prior in genere causæ materialis, quã gratia quatenus sic dignificat. Hoc intẽllige, siue loquamur de iustificatione actiua, siue de passiua. Quod dico contra Caiet. inf. ar. 6. Vbi ait, quòd iustificatio actiua, est prior, quã remissio actiua peccati; prior tamen est remissio passiua peccati, quàm iustificatio passiua. Et adducit S. Tho. ar. 8. ad. 1. dicentem, quòd ex parte agentis posterior est expulsio contrarij; ex parte verò passi ipsa expulsio cõtrarij est prior. Sed profectò fallitur Caietanus; Quoniã actio, & passio sunt idem motus, & ambo sunt in passo, licèt Caietanus ipse actionem cõstituat in agente, & siue hoc ita sit, siue non, tamen proportionabiliter sibi correspondent: igitur si actio productiua, verbi gratia, caloris, est prior natura, quã actio expulsiua frigiditatis, pari etiam ratione passio susceptiua caloris erit prior natura, quã passio expulsiua frigiditatis. Quia sicut se habet actio ad actionẽ, ita passio ad passionem. Neq; tamen Sanctissimus Præceptor docuit, aut voluit oppositũ loco citato ar. 8. ad. 1. Nam quod ait, inductio formæ est prior ex parte agẽtis, quàm expulsio contrarij, & è conuerso ex parte mobilis, nõ est sensus quòd actio inductiua sit omnino prior actione expulsiua, & quòd passio expulsiua sit prior omnino passione inductiua: Sed est sensus, quòd actio, vel passio inductiua est prior in genere causę formalis, quę est veluti efficiens; actio verò, siue passio expulsiua, est prior in genere causæ materialis, quæ maiorẽ similitudinẽ cum mobili, & suscipiẽri habet, quã cũ agẽte, & idcirco causalitas illa appellata est ex parte agentis, hæc verò ex parte mobilis.

*Quarto colligitur.*

Quartò colligo, falsum esse quod Caietan. dixit eodem artic. Iustificationem actiuam specificari à remissione peccati; quia vltimus terminus huius actionis est remissio peccati, sicut vltimus terminus calefactionis, est non esse frigiditatis; ab vltimo autẽ termino in quo consummatur actio, sumit speciem ipsa actio. Et ex hoc Caietanus rursus infert, nostram iustificationem differre specie à iustificatione angelorum, & Adæ in sua prima conditione, vbi nulla culpa fuit expulsa. Adducit exemplum de illuminatione aëris tenebrosi, quem dicit differre specie ab illuminatione partium cœli, quæ nunquam

quam fuerunt sub tenet is. ¶ Cæterùm, liquet falsum esse, quod Caietanus dicit, tùm ex supra tactis & dictis, tùm etiam, quia communiter reprobatur. Nam expulsio termini à quo, non est primarius terminus ad quem actionis, sed solum secundarius: ergo non specificat actionem: ergo quamuis daremus, quòd peccatum esset terminus à quo iustificationis; tamen expulsio peccati non esset terminus primarius iustificationis ad quem, & sic non specificaret eam. Et confirmatur efficaciter: Quia eiusdé speciei est generatio ignis, siue habeat pro termino secundario ad quem, non esse aquæ, siue non esse aeris, siue non esse ligni; & dealbatio, eiusdem speciei est, siue terminetur secundarió ad non esse nigredinis, siue palliditatis, aut ruboris: ergo pariter in proposito. Rursus; Peccatum, vt supra diximus, non opponitur gratiæ secundum se, sed dignitati ad amorem, & dilectionem, quæ consequitur ipsam gratiam, & expulsio peccati est terminus secundarius consequens per accidens ipsam iustificationem: ergo non dat illi speciem, dato quòd aliquando motus specificentur, & distinguantur essentialiter per terminos, ex quibus per se procedunt, quorum exclusiones habent pro terminis secundarijs, vt motus aeris ad locum suum, alterius speciei est quando est ab igne, & alterius quando est ab aqua; Quia prior motus est descensus, secundus verò ascensus; positio autem dignitatis ad amorem Dei, per accidens habet adiunctam exclusionem peccati, & idem ab illa non specificatur: ergo, &c.

*Medina.* ¶ His argumentis respondet Medina infra art. 6. cũ alijs, quòd licèt in naturalibus, expulsio termini à quo non specificet actionem; quia non est per se intenta, sed per accidens, secundarió, & minùs principaliter; tamen in iustificatione expulsio peccati est per se, & principaliter intenta, quia cùm peccatum sit contra Deum, maximè intenditur eius expulsio, & ad hoc ordinantur omnes dispositiones, & ipsa

*Isai. 27.* infusio gratiæ. Vndè Isaiæ. 27. Hic est fructus, vt auferatur peccatum; & idcircò S. Tho. loco citato dicit, quòd per remissionem culpæ importatur consummatio iustificationis, & peructio ad terminum huius motus; & idem sensit Petrus à Soto in Pasto-

*D. August.* rali lect. 10. de pœnitentia. Vnde August. lib. 2. Confession. cap. 5. ait, quòd gratia delet peccata: ergo expulsio peccati est vltimus terminus. ¶ Sed contra Medinam arguitur. Quoniam terminus primarius in intentione, si nõ est primarius in executione, nõ specificat actionem; quia actio identificatur cum termino immediato: ergo ab illo specificatur: sed primarius terminus in iustificatione, ordine executionis est gratia, & non ipsum non esse peccati: igitur gratia specificatur, & non à non esse peccati, cũ gratia sit primarius terminus executionis. Et confirmatur efficaciter: Quoniam aliàs iustificatio non esset essentialiter actio realis, & positiua, sed negatiua, quia identificatur cum ente rationis, nempe, cum non esse peccati. Et confirmatur iterùm; Quia licèt terminus primarius in intentione, quando augetur homo, fit maior substantia, quæ cum maiori quantitate aduenit; tamen quia terminus primarius in executione est maior quantitas, quæ priùs natura vnitur auctо, quàm ipsa noua substantia; idcirco specificatur à quantitate, & non à substantia: ergo pari ratione, licèt exclusio peccati sit terminus primarius in intentione; tamẽ quia est secundarius in executione, non specificat actionem, neque tribuit illi formaliter loquẽdo speciem. Præterea, eiusdem rationis esset infusio gratiæ, si de potentia absoluta Dei maneret cum ea peccatum habituale & actuale: igitur ista actio non sumit speciem ab exclusione peccati; quando verò Sanctissimus Præceptor loco citato videtur dicere, quòd motus iustificationis sumit speciem à remissione culpæ, intelligitur de specie accidentali, quæ sumitur à termino secundario; non verò de essentiali, quæ sumitur à solo termino primario, qui est terminus per se.

*Ad primam rationem dubitandi.* Ad duas rationes dubitandi in exordio disputationis factas. Ad primam respõdetur, quòd nunquã præterquam in motu locali, est idẽ realiter accessus & recessus, quoniã in alijs motibus accessus ad aliquem terminũ, identificatur cũ illo termino; recessus verò identificatur cum priuatione ipsius formę oppositæ; & cũ hæc sint diuersa, motus erũt diuersi, quãuis vnum capiat nomen alterius, quia infert secundarió terminũ primarium alterius; & sic iustificatio potest dici remissio peccati, quia secundarió infert non esse peccati, & sic dissoluitur prima ratio dubitandi. *Ad secundam.* ¶ Ad secundam rationem dubitandi primò desumptam ex S. Tho. respondetur, quòd cùm Concilia, Sancti, ac Doctores dicũt iustificationem includere remissionem peccatorũ, non loquuntur præcisè formaliter de iustificatione secũdum suam essentiam, vt sic tantum, sed secũdum ea etiam, quæ illam antecedunt, concomitantur, & cõsequuntur, cùm pariter dicant etiam includere infusionem virtutum, dispositiones antecedentes, vt patet in Trident. sess. 6. c. 7. Et Pater Vega inquit, quòd quando dicitur, quòd iustificatio includit remissionem peccatorum, intelligitur de facto, & intelligitur de iustificatione non quidem absolutè, sed vt est impij, vt sic; & hæc sufficiant pro nunc de hac difficultate, quia circa eam maiora nos manent certamina infra aperienda.

## DISPVTATIO III.

### *Vtrùm remissio peccati sit vera destructio ipsius, an sola tectio?*

HÆC disputatio hoc loco pertractatur à plerisque Theologis, & à Medina & alijs; eius tamen cõpleta cognitio pertinet ad art. 2. sequentem, & idcirco paucis nos expediemus. Tota igitur controuersia est, vtrùm cũ remittuntur peccata hominibus, ita eradicentur, vt homo facta remissione illa maneat intrinsecè purus & renouatus, vel potiùs in hoc sit posita remissio peccatorũ, quòd peccata nõ imputentur homini, licèt maculę eorum in ipso sint? Et in hac hæretici, Lutherani negant peccata tolli, & ex animo pelli, & aiunt tegi, & non imputari, quia per Christi fidem induimur iustitia Christi, qua fit, vt nobis non imputentur. *Argum.* Probatur primò: Quia semper manet in nobis concupiscentia, & fomes peccati, sed vt inquit Paul. *Rom. 7.* Rom. 7. loquens de concupiscentia, ipsa est peccatum: sic enim ait, Concupiscentiam nesciebam, nisi



lex diceret, non concupisces, & subiungit, Iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatũ. Cum ergo concupiscentia carnis maneat in renatis, & iustificatis per baptismum, sequitur, quòd in iustificatione non eradicantur peccata. Et confirmatur: Quoniam Propheta loquens de remissione

*Psalm. 31.* peccatorum Psal. 31. ait; Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata, Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum. Quo

*Rom. 4.* testimonio vsus est Paulus Roma. 4. Vbi concludit, Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam. Citant etiam hæretici illud, Charitas operit multitudinem peccatorum: igitur peccata non tolluntur, sed operiuntur. Rursus, D. August. lib. de perfectione iustitię, & de Spiritu & litera in fine ait, præceptum illud maximum diuinæ dilectionis, non posse à nobis impleri in hac vita mortali: ergo

*Isai. 64.* semper sumus illius transgressores: igitur in iustificatione impij, non repelluntur peccata omnia, sed solùm non imputantur. ¶ Secundò arguitur, ex illo Isaiæ. 64. Vniuersæ iustitiæ nostræ, quasi pannus menstruatæ, & Apocal. vltimo. Qui iustus est iustificetur adhuc, quasi dicat, nunquam esse vndequaque iustum, sed semper manere peccatum: &

*Eccles. 7.* Eccles. 7. Non est iustus, qui faciat bonum, & non peccet; &. 1. Ioan. 1. Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Et fauet illud Psalm. Non intres in iudicio cum seruo tuo Domine, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Extat

*D. August.* etiam testimonium illud Dini Augustin. libro. 9. confess. capit. 13. Væ etiam vitæ laudabili, si remota

*D. Gregor.* misericordia discutias eam. Et Diuus Gregor. lib. 9. Moral. capit. 14. inquit: Omnis humana iustitia, iniustitia esse conuincitur, si districto iudicio iudicetur. Adducunt rursus hæretici, pleraque alia testimonia; quæ tamen vel ad hæc reducuntur, vel eodem modo soluuntur sicut hæc citata. ¶ Et quidem

*Roffens. Soto.* de hac re legendus est Roffens. art. 2. contra Lutherum in fine, & Soto. 1. de nat. & grat. cap. 11. & lib. 3. cap. 4. & 5.

*Catholica.* Vt rem hanc absoluamus, Catholica assertio est, remissionem peccati esse veram destructionem ipsius: Peccatum enim ita remittitur in iustificatione impij, vt omnino repellatur, & intimè euellatur omnis culpa, siue mortalis, siue originalis. Quò fit, vt peccata lethalia omnino tollantur per gratiam. Hæc assertio, quantùm ad Catholicos attẽditur ex Concilio Tridentin. sessione. 6. capit. 4. Vbi

*Concilium Trident.* legimus, quòd iustificati transferuntur à morte in vitam. Et Cano. 11. Si quis dixerit, hominem iustificari per solam imputationem iustitię Christi; anathema sit. Et Cano. 25. Si quis dixerit, in quolibet bono opere, iustum mortaliter, vel venialiter peccare, & mereri æternas pœnas, tantumque ob id non damnari, quia Deus illa opera non imputat ad damnationem; anathema sit. Ex quibus liquet, assertionem hanc esse de fide; imo verò est traditio Ecclesiæ.

Sed quoniam hæretici proteruè non conuincuntur ex definitionibus Conciliorum, quia repellunt Concilia; idcirco ratione, & testimonijs Scripturæ agendum est contra eos. Probatur ergo Catholica nostrę assertionis veritas. Quoniam gratia repugnat peccato, sicut forma priuationi, vel sicut id, quod significat ad amorem Dei, excludit dignitatem ad odium Dei: ergo. Et confirmatur: Quia per gratiam fit homo filius adoptiuus: ergo obiectum dilectum à Deo: ergo implicat simul cum hoc, quòd odio habeatur; at si simul esset in peccato, odio haberetur à Deo: ergo implicat Lutheranorum error. ¶ Fauent etiam Scripturæ Sacræ loca, & primò illud. 1. Corinth. 6. Vbi cùm *1. Corin. 6.* Paulus carperet fornicarios Idolis seruientes, subiungit statim, Hæc aliquando eratis, sed abluti estis, sanctificati, & iustificati estis, & ad Colossen. *Colossens. 1.* 1. Qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum, & transtulit de potestate tenebrarum in lumine, & transtulit in regnum filij dilectionis suæ. Ad idem est illud; Proieci in profundum omnia peccata vestra: & Isaiæ. 43. Ego sum, qui deleo ini- *Isaiæ. 44.* quitates vestras; & cap. 44. Deleui vt nubem iniquitates tuas, & quasi nebulam peccata tua: Et Actor. 3. Vt deleantur peccata vestra. Hebræor. 1. *Hebræi. 1.* Purgationem peccatorum faciens. Et D. Ioan. in Apocalyp. ait, quòd lauit nos Christus à peccatis nostris in sanguine suo. Ezechiel. 36. Effundam *Ezech. 36.* super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris. Et ad Tit. 3. se- *Ad Tit. 3.* cundum misericordiam suam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus Sancti, &. 2. Corinth. 5. Paulus vocat iustos nouas *2. Corint. 5.* creaturas, & Ephes. 5. Eratis aliquando tenebræ, *Ephes. 5.* nunc autem lux in Domino. Et. 1. ad Thessalon. 5. Non sumus filij noctis, & tenebrarum: omnes enim vos estis filij lucis, & quomodo si essemus immundi, Spiritus Sanctus habitaret in nobis, cuius domum decet sanctitudo; si filij Dei sumus, & nati ex Deo. Ioan. 1. Dedit eis potestatẽ filios Dei fieri, &c. *Ioan 1.* Et. 1. Ioan. 3. Vt filij Dei nominemur & simus. Quòd *1. Ioan. 3.* si per peccatum sumus filij Diaboli, quo pacto fieri potest, vt per gratiam simul simus filij Dei. Nam vt inquit Paulus. 2. Corinth. 6. Quæ participatio iusti- *2. Corin. 6.* tiæ cum iniquitate, aut quæ societas lucis ad tenebras? aut quæ coniunctio Christi ad Belial? Diuus August. lib. 1. contra duas epist. Pelagianor. cap. 13. *D. August.* & 1. de peccatorum merit. cap. 33. ostendit, quòd in paruulis post baptismum, neque manet originale, neque actuale peccatum. Et Concil. Trident. damnat sententiam Lutheri locis citatis, dicens; Si quis asserat, quòd peccatum originis non omninò tollitur, sed raditur; anathema sit: in renatis enim nihil odit Deus secundum illud Rom. 8. Nihil damnatio- *Rom. 4.* nis est his, qui sunt in Christo Iesu: & sessio. 6. cap. 7. Iustificatio non est sola peccatorum remissio, sed sanctificatio, & renouatio interioris hominis per gratiam, per quam homo ex impio fit iustus. Legendus est etiam Canon. 10. 11. & 12. eiusdem Concilij.

Profectò, si homo dicitur iustus eo instanti, quo habet peccatum, cùm peccatũ intrinsecè includat priuationem iustitiæ, pari ratione possemus dicere, quòd aliquis est fidelis etiam si sit hæreticus, quia potuisset Deus non imputare illi hęresim ad pœnã. Imò verò, ista sententia Lutheri implicat contradictionem. Nam si peccatum re vera manet in iustificatis, necesse est, quòd homo sit formaliter iniustus, ac proinde odibilis Deo. Nam odio sunt Deo impius, & impietas eius, vt diuina sapiẽtia clamat.

Certè

Certè Ioannes Baptista aiebat, vt habetur Ioan.1. Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mũdi. Non dixit, Ecce qui tegit peccata mundi, sed qui tollit: *Apocal.1.* ergo verè tolluntur, & non teguntur. Et Apocal.1. Qui lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo. Quæ testimonia cum alijs citatis nullatenus verificari queunt, si manerét in nobis macul ę peccatorũ.

Hanc iustificationem, quæ non est sola tectio, sed vera remissio, & repulsio peccatorum, dicit Concil. sessio.6. cap.7. non esse solam remissionem peccatorum, sed sanctificationem, ac renouationem per gratiam & dona, eaque ratione hominem per eam ex iniusto fieri iustum, & ex inimico amicum, & hæredem vitæ æternæ. Ex quibus liquet, remissionem & destructionem peccati non esse solam tectionem eius.

*Ad argum.* Ad argumenta in exordio disputationis facta. *Ad primũ. D.August.* Ad primum respondetur cum D. August. lib.1. ad Valer. & de nuptijs & concupiscent. cap.23. aiente, quòd concupiscentia vocatur peccatũ, quia ex peccato facta est. Rursus, supposita veritate, quòd concupiscẽtia carnis, quę est in parte sensitiua, propriè, & verè nõ est peccatum: liquet enim quòd cùm in regeneratis, atq; iustis maneat, non est peccatũ, sed appellatur peccatum, quia fomes est, & incitamentum peccati ex primo Adæ peccato derelicta, sicut vocatur lingua, locutio, quã facit lingua, & manus vocatur, scriptura, quam facit manus, vt Aug. loco citato dicit. Et hoc ita explicat Concil. Trid. sess.5. *Ad confir.* cap.vlt. ¶ Ad confirmationem dicendum, quòd nõ imputari peccatum, magis est, quàm tegi. Vndè, per nõ imputari peccatum Scriptura intelligit tolli, & remitti, vt aduertit D. Hieron. super eundem Psal. *D. Hieron. Euthimius. Origenes.* Euthimius, & Origenes lib.4. super epi. ad Rom. Et certè, si cùm Deus hominem iustificat, non eum restitueret ad dignitatem antiquam, à qua ceciderat per peccatum, quodammodo imputaret illi peccatum. Vndè, Deus non solùm dicitur non imputare peccata homini, sicut iudices sæculares non imputant scelera hominibus, illos liberos dimittẽdo; sed ob id dicitur non imputare, quia renouat interiùs eorum animos, mundat, & lauat, ita vt fiat homo noua creatura; & ob id Propheta dixit primo loco, Beati quorum remissæ sunt iniquitates: Et hanc remissionem etiam appellauit tectionẽ peccatorum. Et cùm dixerit Propheta, Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum, subiungit, Neque est in spiritu eius dolus: ergo peccatorũ remissio importat destructionem culparum, & eradicationẽ etiam ab spiritu factam, ita vt non remaneat peccatum in corde. Quod autem in diuinis literis habetur, quòd charitas operit multitudinẽ peccatorum, aut quòd tecta sunt peccata, loquutionẽ habet similitudinariam, & metaphoricã. Nam charitas dicitur operire multitudinẽ peccatorum; quoniam qui charitatem habet in semetipso, iam est charus Deo, neq; modò displicet Deo propter peccata, quæ aliàs commiserat, & ei sunt remissa. Et pari ratione dicitur Deus obliuisci nostrorum scelerum propter pœnitentiã, similitudinaria etiam locutione, quia licèt cognoscat peccata hominum, quæ gesserunt, & memoria retineat; nihilominus post factã pœnitentiam eorum, habet se ad modum obliuioni tradentis; & ob id canit Ecclesia, quòd dissimulat peccata hominũ propter pœnitentiam. ¶ Ad illud August. respondetur, quòd præceptum illud charitatis, nõ ita perfectè impletur hic, sicut in vita beata. Nam tũc perfectè impletur, quando homo totaliter fertur in ipsum Deum, quæ totalitas tendentiæ, solis beatis donatur. Quarè, hæc perfectio non pertinet ad substantiam, & obligationem præcepti in viatoribus, qui neq; possũt totaliter ferri in Deum: sæpius enim incidunt in venialia, & nõ possunt continuare sem per actũ dilectionis & charitatis, sicut beati. Quocirca respondetur, quòd verè implet præceptum charitatis, qui nihil habet contrarium dilectioni Dei, & qui tempore, quo obligat præceptum diligit Deum per actum charitatis: cum enim sit præceptum affirmatiuum, non obligat pro semper, sed pro loco & tempore. ¶ Ad secundum respondetur *Ad sec.* ad illud Isaiæ, ex D. Hieronymo super eundem locum, Prophetam ibi loqui de iustitijs ex operibus veteris legis, quæ collatione, & comparatione ad statum nouæ legis, erant sicut pannus menstruatæ: non ergo emundabant conscientiã, quia neminem ad perfectum adduxit lex illa. Dico secundò; Prophetam eo loco minimè loqui de se, aut alijs iustis, sed nomine totius populi, qui generaliter Deum offendebat, vt constat ex verbis immediatè sequentibus; Cecidimus quasi folium vniuersi: & statim, Non est, qui inuocet nomen tuum; & tamen verè Propheta inuocabat nomen Domini: est enim consuetum sanctis viris peccata Reipublicæ, & communitatis etiam appellare propria, attribuendo illa omnibus, vt Esther. 14. Peccauimus in conspectu *Esther.14.* tuo, coluimus enim Deos alios; Dicuntur autẽ iustitiæ peccatorum, quasi pannus menstruatæ; quia licèt efficiant interdum nonnulla opera bona moralia ex obiecto, & circunstantijs; tamen quia peccatores adhuc in peccatis suis permanentes, simpliciter sunt Dei inimici; neque prosunt sibi ad finem supernaturalem talia opera in mortali facta, iuxta Paul.1.Corint.13. Si charitatem non habuero nihil sum: Idcircò operationes peccatorum dicuntur, quasi pannus menstruatæ. Aliqui Theologi explicantes præfatum locum, dicunt, magis ad mentem Prophetæ respondeti, quòd ibi significat defectum eximiæ alicuius sanctitatis, qualis solebat esse in antiquis patribus, qui orationibus suis valebant apud Deum, eum detinendo ne seuerè puniret populum graniter peccantem & offendentem. Ad illud ex Apocalyp. respondetur, quòd ille locus, Qui iustus est iustificetur adhuc, intelligitur de augmẽto gratiæ. Illud autem; Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, intelligitur de venialibus, etiam in hominibus iustis. Reliqua autem loca Scripturæ & sanctorum, explicata sunt à nobis supra q.18. Cũ ostendebamus, falsum esse dictum Lutheri, & impudicum, quòd omnia opera iustorum sunt peccata, cuius oppositum sentit Ecclesia.

Colligamus ergo veram, & Catholicam doctrinam, quòd in iustificatione verè renouatur homo interiùs, & quòd non solùm non imputantur illi peccata, sed etiam verè sanctificatur interiùs, quod manifestissimè expressit Propheta Psalm.50. Lauabis me & super niuem dealbabor; & Isaiæ.1. Quasi nix dealbabuntur; dealbatio verò, & pulchritudo niuis, intelligi non potest per solam non imputationem



tionem peccati. Vndè, vocatur in Scriptura iustificatio, sanitas animæ, iuxta illud Prophetæ. Sana animam meam, quia peccaui tibi. Valeant ergo hæretici, qui proculdubio in hac re sibi contradicunt. Nam, si manet peccatum in homine iusto, vel Deus odio habet illud, vel non; si non: ergo non est peccatum, nam odio est Deo impius, & impietas eius. Si autem dicas, quòd odio habet illud: ergo neque condonat, neque remittit peccatum; cùm tamen tunc peccatum verè remittatur, quando animus offensi verè reconciliatur offendenti, & quando vere ex corde pellitur peccatum, & dolus.

## ARTICVLVS II.

*Vtrùm ad remissionem culpæ, quæ est iustificatio impij, requiratur gratiæ infusio?*

Conclusio Sancti Thomæ. Non potest intelligi remissio culpæ sine infusione gratiæ. Nam remissio culpæ est effectus specialis beneuolentiæ Dei, cuius effectus etiam est infusio gratiæ.

## DISPVTATIO I.

*Vtrùm interior renouatio animæ fiat per aliquam iustitiam internam, vel per solam imputationem iustitiæ Christi?*

IÆC controuersia etiam proponitur à Catholicis sub alio titulo, vtrũ de lege ordinaria possit contingere remissio culpæ, absque infusione gratiæ? vel, an remissio culpæ fiat per externam iustitiam, qua Christus iustus est? In qua re, nonnulli Theologi olim crediderunt, quòd licèt paruulis in baptismo remittatur peccatum; non tamen illis confertur gratia. Ita refertur in Clementina de Summa Trinit. & in cap. Maiores, de Baptismo & eius effectu. Verùm, alij Theologi non ausi hoc concedere de baptismo, id concedebant saltem de circuncisione: Putabant enim quòd per eam remittebatur peccatum, sed non infundebatur gratia in ea. Et ita sensit olim Magist. in.4.dist.1.propè finem, & in Commentar. super Paul. ad Roman.4. Quæ sententiæ repelluntur ab omnibus tanquam erroneę. Quoniam culpa non remittitur, nisi per gratiam, iuxta Pauli sententiam: Iustificati gratis per gratiam ipsius. Imò verò, in capit. Maiores, & in Clementina citata dicitur, conformius esse Scripturæ, & Sanctis, quòd in Baptismo non solùm remittitur peccatum, sed etiam confertur gratia: & quãtum ad hoc, idem est de circuncisione: Quia quod nunc præstat baptismus, olim præstabat circuncisio, vt habetur in capit. Quod autem; & in cap. Ex quo, de consecrat. dist.4. & est doctrina Diui Gregorij. lib.4. Moral. & Diui Augustini libro. 2. de nuptijs, & concupiscentijs. capit.11. De qua re legendus est Sanctus Thomas. 3.par.quæst.70. artic.4. Soto in.4.dist. 2.quæst.1. artic.4.

Hæretici dixerunt, iustificationẽ nihil aliud esse, quam remissionem peccatorum. Nam Pelagiani putarunt, gratiam in sola peccatorum remissione consistere, de quo sunt damnati in Concil. Mileuit. c.3. Quem errorem impugnat August. lib.6. contra Iulian. cap.11. & lib. de eccleiast. dogmatib. cap.28. & epist.105. & 106. Lege confessionem August. lib.2. c.5.§.2. *D. August.* ¶ Aduerte tamen, hos hæreticos non dixisse, præter remissionem peccatorum non esse in nobis veram iustitiam, aut inhærentem; sed aiebant, quòd ex parte Dei solum requiritur relaxatio peccati, aut remissio; iustitiã verò prædictam putabãt nõ esse Dei donum, sed ex sola natura haberi posse. Quorum error fuse à nobis supra impugnatus est.

Lutherus & sui dicunt, non esse in homine cùm *Lutherus.* transit de statu culpæ ad statum iustitię, aliquam interiorem renouationem per internam iustitiã, aut interiorem sanitatem, à qua dicatur formaliter, & intrinsecè iustus, & sanus. Putãt enim remissionem peccati non esse ablationem delictorum, sed solùm non imputationem ad damnationem propter Christum. Quocirca, turpissimè credunt, quòd manentibus nobis peccatoribus, ipsisq; peccatis in nobis perdurantibus re vera, per hoc solùm sumus, & dicimur iusti, quia Deus propter Christum non imputat nobis illa ad pœnam. Ex quo colligunt, quòd peccata non tam dicuntur destructa, & ablata, quã cooperta, & tecta, vt in superiori articulo retulimus. Ita docuit Caluinus cum alijs hæreticis, vt re- *Caluinus.* fert Ricard. Tapper. ar.8. contra ipsum. De quo erro re suspectus fuit Pigius vir aliàs Catholicus, cõtrouers.2. ¶ Præcipuum fundamentum hæreticorũ est, *Pigius.* ex illo Rom.4. Credidit Abrahã Deo, & reputatum *Fundamẽtum hæreticorum.* est illi ad iustitiam; & subiungit Apostolus; Sicut & *Rom.4.* Dauid dicit, Beatitudinem hominis, cui Dominus accepto fert iustitiam sine operibus; Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata; Beatus vir cui non imputauit Dominus peccatum. Et hinc pessimè colligunt, quòd vera iustitia, & beatitudo nostra nõ cõsistit in aliqua sanctitate, & munditia interiori, aut in operibus nostris; sed in eo solũ, quòd Deus remittat nobis peccata, hoc est, quòd habeat illa cooperta, & tecta, & quòd non imputet nobis illa propter fidẽ in Christũ, qua apprehendunt, & habent certam fiduciam sibi applicari iustitiam Christi extrinsecam. Et confirmant ex illo 2.Corin.5. Quoniam quidem Deus erat in Christo, *2.Corint.5.* mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum. Vbi tota reconciliatio nostra in eo solũ videtur constitui, vt non imputentur nobis delicta. Vndè subdit Paulus; Eum qui nõ nouerat peccatũ, pro nobis peccatum fecit, vt nos efficeremur iustitia Dei in ipso. Ex quo loco argumentũ conficiunt: Non aliter conuenit nobis iustitia, quàm Christo peccatum, vt hic dicit Apostolus: sed Christo non conuenit peccatum, nisi per imputationem, vt scilicet, pro eo solueret debitam pœnam: ergo neq; iustitia conuenit nobis, nisi per imputationem prout sumus liberi à debita pœna propter iustam solutionem, quam Christus exhibuit. Vndè. 1.Cor.2. dicit *1.Corint.2.* Paul. quòd Christus factus est nobis iustitia, sanctificatio, & redẽptio. Et tandẽ dicunt, quòd cũ iustitia Christi sit infinita, & sufficiens pro infinitis peccatis, nos non indigemus alia iustitia distincta in nobis. ¶ Offert etiam se argumentum, quo difficultas *Secundum.* vrgetur. Nam attritio cũ sacramento in re susceptо, sufficit ad impij iustificationem: sed sola attritio nõ renouat interiorem animum coram Deo, neq; facit animum

animum rectum,& iustificatum coram ipso: igitur fieri potest ista remissio peccatorum de lege, sine iustitia interiori, aut animi rectitudine.

*Confirr.* ¶Et confirmatur. Quoniam de fide est paruulum iustificari per baptismum; sed non est de fide, quòd iustificetur per proprium actum, quem non habet, neque per habitum infusum, quia non est de fide quòd sint habitus infusi: ergo iustificatur paruulus per extrinsecam Christi iustitiam sibi imputatam.

*Not. 1.* Pro explicatione huius controuersiæ obseruare oportet, quòd hoc verbum, imputare, bifariã accipi potest, vno modo, vt significet idem, quod communicare, vel participem facere; altero modo, vt dicat tãtum respectum quẽdam extrinsecum. Vnde, cùm apud Catholicos aliquando reperitur verbũ illud, imputare, cùm loquuntur de iustitia Christi, intelligendi sunt in primo sensu. Quoniam virtus, & redemptio Christi cõmunicatur nobis, & per intrinsecam iustitiam nobis cõmunicatam, participes efficimur. Et hac de causa frequẽter D.Paul. dicit, nos esse sanctificatos in Christo Iesu. De qua re legẽdus est Osius Cardin. in confessione fidei c.71.& Vega lib.15. in Triden.cap.2. *Osius.* Hæretici tamen vtuntur hac voce, imputare, in secũda acceptione, quatenus dicit tantum respectum quẽdam extrinsecum.

*Not. 2.* ¶Rursus aduerte, quòd in præsenti non est controuersia de habitibus infusis, vtrùm sint constituendi habitus infusi per quos interiùs sanctificetur homo, sed sermo est de iustitia interiori quomodocumq; fiat.

*Conclu. 1.* His ita prælibatis, est prima propositio. Iustificatio impij non est, nec potest esse secundum ordinariam legem per solam remissionem peccatorũ, aut per solam imputationẽ iustitiæ Christi, aut per non imputationem delictorum nostrorum; sed vlteriùs requiritur necessariò vera, & realis infusio gratiæ, & renouatio Spiritus, & interioris hominis. Sic definitur expresse in Trid.sess.6.c.7. *Concilium Tridentinũ.* Vbi habetur, formalem causam iustificationis nostræ esse iustitiam, qua renouamur spiritu mentis nostrę, & non modo reputamur, sed verè iusti nominamur, & sumus, iustitiam in nobis recipientes vnusquisque suam. Et Cano.11. Si quis dixerit, homines iustificari, vel sola imputatione iustitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione exclusa gratia, & charitate, quę in cordibus eorũ per Spiritum Sãctum diffundatur, ac illis inhæreat; anathema sit. Rursùs probatur. Quia 2. Corin.5. *2.Corint.5.* præter remissionem peccatorum, vel non imputationem, exigitur reconciliatio cũ Deo: sed hęc reconciliatio, vt ibi interpretatur Chrysost. importat amicitiam resarcitam. Vnde D.Augu.lib.de fide & symbolo.cap.9.ait; Non reconciliamur Deo, nisi per dilectionẽ, qua etiam filij Dei appellamur. Præterea, Actor.13. *Actor.13.* apertè D.Paul. distinguit remissionem peccatorum à iustificatione, dicens, Notum sit vobis, quòd per hunc remissio peccatorum annunciatur, & per hunc omnis, qui credit iustificatur. Et cõfirmatur ex illo Prophetæ Psal.50. *Psalm.50.* Vbi postquam dixerat, Auerte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele, quod pertinet ad remissionem peccatorum, subiungit Propheta; Cor mundum crea in me Deus, & Spiritum rectum innoua in visceribus meis. Rursus Paul. Roman.6. *Rom.6.* destructionem, seu remissionem peccati tribuit morti, seu sepulturæ Christi; resurrectionem verò tribuit resurrectioni eiusdem. Vndè cap.4. dixerat, Traditus est propter iniquitates nostras; resurrexit autẽ propter resurrectionem nostram. Itaque, sicut Christus mortuus est, & vltra hoc resurrexit in nouam vitam; sic etiam nos nõ tantum debemus mori peccato per remissionem, & destructionem ipsius; sed etiam transire debemus ad nouam vitam interioris hominis, & hoc ipsum sibi voluit D. Paul. vt suprà retulimus ex 1.Corin.6. Vbi connumeratis plerisq; peccatorum generibus, subiungit; Hęc quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine Domini Iesu Christi. Quo loco vltrà hoc, quod est non esse in peccato, additur iustificatio, & sanctificatio. Hanc etiam assertionem Sancti Patres prædicant, D.Dionys.de diuin.nominibus.cap.12. *D.Dion.* Origen.in Leuit.homil.11. *Origen.* Chrysost. & OEchumen. super Paul.Rom.4.Et.1.Corint.6.& *D.Chry.* ibidem Theophilact & Theodoret. D.August.lib. *D.Aug.* 6.contra Iulian.cap.5.

*Conclu.* Secunda propositio. Iustitia Dei, qua sumus iusti, formaliter non est illa iustitia, qua Christus iustus est in seipso, licèt iustitia Christi nos iustos efficiat, & tribuat nobis iustitiam, quam interiùs suscipimus secundum mensuram donationis Christi. Hæc assertio definitur in Tridentin. sessio.6.canon.7. quam eleganter explicat Diuus Augustinus *D.Aug.* libro de Spiritu, & litera, capit.9.11.18.&.21.præsertim explicans illud Pauli Roman.3. *Roman.* Iustitia Dei manifestata est, &c. ait Augustinus; Iustitia Dei, *D.Aug.* non qua Deus iustus est, sed qua induit hominem, *D.Hier.* cùm iustificat impium. Fauet D.Hieronym. in dialogo contra Pelagian. *D.Bern.* D. Bernard.epist.190. Chrysostom. *D.Chry.* Theophilact. *Theoph.* Origen. *Origen.* super illud Paul.Roman.1. Iustitia Dei in eo reuelatur.

Ratione etiam persuadetur præfata assertio. Nam cùm iustitia Christi sit vna, & inuariabilis, si omnes essent iusti formaliter ea iustitia, qua Christus iustus est in seipso, sequeretur nos omnes esse æqualiter iustos, quod est hæreticum; imò sequeretur quemlibet iustum esse æqualiter iustum cum Christo. Nam si est iustus eadem numero iustitia, & sanctitate formaliter, apertè conuincitur, quòd est æqualitas iustitiæ in Christo, & in hominibus iustificatis. Adde etiam, quòd Deus exigit à nobis fidem, spem, & charitatem, vt iuxta dispositionem istarum virtutum, Deus nobis infundat gratiam, & iustitiam, qua simus iusti, vt vniuersa Scriptura planè testatur: ergo non sumus iusti formaliter in nobis, iustitia qua Christus iustus est in se ipso: ergo sumus iusti iustitia, quam Deus ipse nobis impartitur per Christum. Et fauet illud elegantissimum argumentum Pauli. 1. Corinth. 15. *1.Corin.* quòd licèt stellæ omnes ab eodem Sole splẽdorem suum accipiant; tamen vnaquæque illarum ab alia in claritate differt. ¶Et confirmari potest hæc veritas ex hoc discursu; Nihil denominat subiectum denominatione absoluta, & reali, nisi inhæreat subiecto: albedo enim non facit album, nec sapientia sapientem, nec vita viuentem, nisi intimè hæreat subiecto, quod denominatur: ergo iustus homo non valet denominari à iustitia, quæ est in altero extrinseco subiecto. Vnde Ezechielis.11. *Ezechie.* Dominus pollicetur, Dabo eis cor nouum, & spiritum nouum, tribuam in visceribus eorum. Vnde. 2. Petri. 1. *2.Petri.* dicitur, quòd sumus consortes diuinæ naturæ.

¶Tandem persuadetur. Nam quod est tale per extrinsecam imputationem, non est verè, & simpliciter tale: sed homo est verè & simpliciter iustus, & realiter filius Dei post remissionem peccatorum: ergo non per extrinsecam tantum imputationem, sed per aliquid reale intrinsecum sumus verè filij. Vndè, de filijs Dei dicitur, quòd semen Dei manet in ipsis. Vndè, Paulus Roman. 5. *Rom.5.* Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. En hoc loco simul explicat rationem intrinsecæ iustitiæ, & authorem illius, scilicet, Spiritum sanctum. Et confirmatur: Quoniam Deus inhabitat mentem hominis iusti intrinsecè speciali quadam ratione distincta ab ea, secundum quam est in rebus omnibus per essentiam, potentiam, & præsentiam: sed hæc inhabitatio interna, & intrinseca Dei non valet cognosci qualiter sit, nisi per interiorem aliquam sanctificationem à Deo intrinsecè causatam, dùm animam inhabitat, vt D. Bernard. *D.Bernar.* Homil.3. super Missus est, & sermo.70. super Cant. docet. Idem nobis prædicat Leo Magnus, *Leo Magn.* sermo. de Sancto Laurentio, Diuus Cyrillus, *D.Cyrillus* libr. 10. in Ioan. cap.14. D.Ambrosius, libr.2. de vocatione gentium, capit 19.

*Ad fundamentum hæreticorũ pa[...] post initiũ disputationis positũ* Ad fundamentum Lutheri & hæreticorum dicendum, quòd D. Paul. illo loco solùm contendit gratiam dari gratis, & non vt debitam operibus, taliter, quòd nisi Deus voluisset liberaliter, & misericorditer condonare delicta, nullus coram ipso iustificaretur. Rursùs dicendum, quòd Paul. illis verbis non excludit veram iustitiam nostris animis inhærentem, sed solùm eorum hominum opinionem, qui ex merito obseruantiæ legis putabant se venisse in Euangelij gratiam.

*Ad confir.* ¶Ad confirmationem similiter respondetur, quòd peccatum ibi sumitur pro hostia oblata in sanctificationem, iuxta illud Prophetæ. Peccata populi manducans, &c. Esse autem peccatum in hoc sensu, id est, hostiam & oblationem pro culpa, non conuenit Christo imputatiuè tantum, sed verè, & propriè. Rursus dicendum, quòd licèt peccatum solum tribueretur Christo imputatiuè; non tamen ob id statim sequitur, quòd iustitia nobis imputatiuè solùm sit tribuenda, quia longè diuersa ratio est de iustitia, quæ est bonum diuinum, & de peccato, quod est culpa, & Deo conuenire non potest. Lege de hac re Ruardum Tapper *Ruar. Tap.* loco supra citato, vbi alias etiam adducit huius rei explicationes. ¶Ad illud verò quod sumitur ex Paulo. 1. Corinth. 2. *1.Corint.2.* quòd Christus factus est nobis iustitia, sanctificatio, & redemptio; respondetur, sensum illorum verborum esse reducendum in causam efficientem: Et sensus est, quòd Christus nos efficit iustos, & sanctos. Rursus, vt significaret Paulus exuberantiam bonorum, quæ nobis dedit Christus; idcircò ait, quòd factus est nobis iustitia, sanctificatio, & redemptio; Quasi diceret, totus datus est nobis, vt sit fons viuus sanctitatis, & iustitiæ nostræ. Vndè, simili modo dicendi vsus est Paul. ad Ephes. 2. *Ephes.2.* dicens; Ipse est pax nostra, qui fecit vtraque vnum. Quod explicat in Epistol. ad Colossenses, cùm ait; Pacificans per sanguinem ipsius, quæ in cælo, & quæ in terra sunt. Ex quibus liquet, quòd dicitur Christus pax nostra, id est, pacificator noster. Et per hanc solutionem dissoluuntur pleraque alia testimonia.

*Ad secundũ* ¶Ad secundum dicendum, quòd sacramentum facit ex attrito contritum, & producit gratiam in homine attrito; & ita attritio simul cum sacramento renouant animum interiùs: & ita negatur consequentia.

*Ad confir.* ¶Ad confirmationem respondetur, quòd est de fide, quòd paruulus iustificatur per baptismum, & consequenter est de fide, quòd immutatur interiùs supernaturali quadam immutatione: & ita pariter negatur consequentia.

## DISPVTATIO II.

### *Vtrùm de potentia Dei absoluta possit remitti peccatum absque infusione gratiæ?*

*De hac disp. lege quæ supra diximus q.110.ar.4. disput.3. & 4. vbi res hæc optimè aperitur.*

MAgna ex parte explicata est à nobis controuersia hæc suprà quæstione 110.articulo. 4. disputatione.3. &.4. & etiam quæstione.111. quo loco diximus, peccatum remitti posse impio, & eum verè iustificari de potentia absoluta sine gratia habituali, quæ sit verus habitus. Nunc autem quæritur, Vtrùm peccatum possit remitti sine vlla infusione gratiæ? Sotus *Soto.* in.4.distinctione.15. quæstione. 1. articulo. 2. concedit, posse hominem iustificari sine habituali gratia; non tamen sine gratia increata, id est, sine diuina amicitia supernaturali, neque sine infusione alicuius realis entitatis ordinis gratuiti; & idem iterum insinuat. 2. de natura & gratia, capite decimo octauo. Idem sentit Pater Medina *Medina.* in hoc articulo, & plerique alij iuniores cum eo. Imò verò Sotus, cùm concedat posse hominem iustificari sine gratia habituali postquam peccauit, de homine in puris naturalibus, id videtur supponere tanquam euidens; quia aliàs si hoc non esset verum de homine in puris naturalibus, sequeretur, quòd non posset restitui ad naturalem rectitudinem, nisi per hoc, quòd eleuaretur ad ordinem supernaturalem medijs habitibus supernaturalibus. Quare, nos loquimur formaliter de gratia in esse gratiæ, quatenus dicit hominem dilectum à Deo. Vndè, quod quæritur est, Vtrùm vt remittatur peccatum, sit omnino necessarium, quòd Deus diligat hominem, tanquam amicum, an verò peccatum possit ita deleri, vt homo simul permaneat absque peccato, & absque amicitia Dei? ¶In qua re plerique Theologi tanquam rem certam docent, quòd in puris naturalibus posset remitti peccatum, & quod de facto secundum communem, & suauem prouidentiam illi statui debitam remitteretur; sine infusione alicuius doni naturalis, quamuis non sine gratia supernaturali in esse gratiæ; aliàs non esset sufficienter prouisum illi statui ab authore naturæ, si intra illum ordinem naturalem non posset ei remitti peccatum. Quia ea prouidentia, quæ necessaria est ad remissionem peccati, est valde conueniẽs naturæ hominis, quoniam sine illa nunquam fieri posset, vt beatitudinẽ naturalẽ cõsequeretur homo.

Rursùs, ille homo in puris naturalibus non peccaret contra Deum finem supernaturalem, sed naturæ tantum: igitur postea posset talis homo facere quod in se est, vt sese conuerteret ad eundem finẽ naturæ. Posset ergo Deus sua benignitate acceptare conuersionem illam, & sic remittere offensam; & tunc homo ille non maneret auersus, sed conuersus physicè quidem, per naturalem propensionem suæ voluntatis; moraliter verò per proprium actum acceptatum à Deo. ¶ Quocircà, controuersia, & disputatio hæc in eo potissimè sita est, Vtrum in natura lapsa possit remitti peccatum homini, sine supernaturali gratia, in esse gratiæ, vel in puris naturalibus sine eo, quòd admitteretur ad gratiam specialem, & amicitiam Dei naturalem.

*Medina.* Medina in hoc artic. tenet, deleri non posse peccatum de potentia absoluta Dei, sine gratia increata, hoc est, sine diuina amicitia supernaturali, neq; sine infusione alicuius entis realis ordinis gratuiti.

*Soto.* Et idem sensit Sotus. 2. de natura, & gratia, capit. 18. citato. Si roges, Quid est illud reale, quod sufficit ad remissionem peccati, sine infusione gratiæ habitualis? Respondent, esse contritionem, vel dilectionem Dei. Et addit Medina, quòd etiam posset Deus sine vlla infusione qualitatis delere peccatum, ponendo motum aliquem, vel rectitudinem in anima; sicut patet in exemplo virgæ, quæ cùm tortuosa est, potest fieri recta, sine vlla entitate reali distincta: Et ita rectitudo illa de potentia absoluta non est necesse, quòd sit entitas realis superaddita potentijs ordinatis. Sicut neque peccatum originale propter quod anima manet praua, & inimica Deo, non est aliqua qualitas superaddita, sed est ipsæ potentiæ animæ nostræ deordinatæ, & incompositæ: igitur pari ratione (ait ille) rectitudo nostræ animæ non necesse est, quòd sit qualitas superaddita, sed sufficit, quòd sit debitus ordo potentiarum inter se, & cum Deo. Et hoc dicit fieri posse, & sufficere de potentia absoluta, vt Deus sine qualitate superaddita remittat peccatum. ¶ Sed addit vlteriùs, quòd quamuis Victoria dixerit, quòd in puris naturalibus sufficit rectitudo naturalis; non tamen in hoc statu naturæ lapsæ, in quo requiritur tam naturalis, quam supernaturalis rectitudo, tamen licèt hoc sibi aliquando placuerit, tamen nũc multò magis illi placet, & probatur Caietani opinio, quòd etiam in puris naturalibus vtraque rectitudo requiritur ad deletionem peccati. Quia si homo positus in puris naturalibus peccaret, simul haberet priuationem vtriusque rectitudinis, & esset indignus amicitia supernaturali, & consequenter esset dignificandus in ordine ad illam, per rectitudinem supernaturalem. ¶ Verumtamen, Medina sui oblitus non loquitur consequenter ad ea, quæ suprà dixerat. Quia in commentarijs ad. 1-2. D. Thom. quæst. 2. artic. 8. & quæst. 109. artic. 2. apertè docet, quòd si homo in puris naturalibus peccaret, deleretur peccatum sine auxilio gratiæ, per solam rectitudinem naturalem, & dilectionem naturalem. Neque oppositum huius docuit vnquam Caietanus; Imo verò, id ipsum Caieta. docet, & insinuat in hoc artic.

*Caietanus. Victoria.* Victoria etiam, vt nonnulli ipsius discipuli referunt, non tenuit quòd in hoc statu requiritur vtraque rectitudo ad deletionem peccati, sed tantum docuit, quòd vt deleretur perfectè quantum ad omnia damna, quæ modò infert, requiritur infusio gratiæ, & rectitudo supernaturalis. Cæterùm, præcisè ad remissionem solam culpæ dixit sufficere modò rectitudinem naturalem de potentia absoluta.

*2. Opinio.* Secunda opinio de hac difficultate est, quòd Deus potest remittere peccatum non solum sine gratia habituali, sed etiam sine amicitia supernaturali. Hanc tenet Bonauent. in 4. dist. 17. quæst. 1. Scotus in 2. dist. 28. & in 4. distinct. 1. quæst. 6. & distinct. 14. quæst. 1. & distinct. 16. quæst. 2. Gabriel in 4. dist. 14. quæst. 1. & Gerson videtur esse huius sententiæ lect. 1. de Vita spirituali, Alphab. 61. litera. D. Vbi ait, quòd licèt peccatum non possit dimitti, nisi ex libera liberalitate Dei; tamen dicit posse tolli per extrinsecũ amorem Dei, sine vlla gratia, aut charitate inhærente. Verùm non explicat Gerson, vtrum ille amor extrinsecus debeat esse naturalis, vel supernaturalis.

*D. Bonau. Scotus. Gabriel. Gerson.*

*Medina Complut. Fundant. Scoti.* Idem docet Ioannes Medina Complut. C. de pœnitent. quæst. 12. Vbi partem hanc affirmatiuam docet esse communem sententiam. Fundamentum Scoti, & Gabrielis est: Quia peccatum transacto actu peccati; solùm est obligatio ad pœnam orta ex Dei voluntate punitiua; talis autem obligatio potest tolli sine gratia habituali, & sine amicitia supernaturali Dei, vt si Deus condonaret omnem pœnam liberaliter sine vlla infusione gratiæ, quod sine dubio facere potest. Hoc tamen fundamentum communiter impugnatur à discipulis D. Thom. Quoniam ad huc remissa tota pœna potest manere culpa: igitur culpa non consistit in illo reatu pœnæ. Sed fortè Scotus non intendit culpam consistere in illa obligatione ad pœnam, sed in eo, quòd sit radix, & condignitas pœnæ, vt vult D. August. 1. de Nuptijs, capit. 26. vbi dicit, peccatum transire actu; manere tamen reatu. Quoniam manere in peccato, est formaliter manere condignum pœna propter culpã præteritam, quæ adhuc illi moraliter imputatur: sed Deus non tantum potest remittere pœnam præcisè, in quo non consistit remissio culpæ, sed etiam potest auferre illam condignitatem, quam Scotus dicit reatum pœnæ: ergo, &c.

*D. Aug.*

*Secundò.* Secundò arguitur pro hac parte, quòd possit auferri, sine vlla prorsus gratia. Nam paruuli sunt in peccato habituali, & digni pœna, atque indigni beatitudine supernaturali, non propter actum proprium, sed propter causam extrinsecam, nẽpe, peccatum Adæ: ergo pari ratione potest homo in se suscipere rectitudinem aduersam peccato, & dignitatem ad beatitudinem propter causam extrinsecam, nempe, voluntatem Dei, vel propter obsequia, & merita Christi, sine infusione gratiæ, vel alicuius entitatis.

*Confirm.* Et confirmatur. Nam peccatum veniale, licèt sit macula, & dignitas quædam ad pœnam; nihilominùs tamen deletur, sine alicuius rei infusione per extrinsecam voluntatem Dei: ergo quamuis peccatum mortale sit macula, & indignitas, deleri potest, &c.

*Confirm.* Et confirmatur secundò: Quoniam reatus pœnæ, est suo modo macula, & ob id dicitur suo modo ablui, & purgari in hac vita, vel in purgatorio, & secundum aliquos reatus pœnæ, etiam est dignitas ad pœnam; tamen omnes fatentur posse deleri, sine alicuius infusione: igitur etiam si peccatum sit dignitas ad pœnam,



nam, vt supra ostendimus, poterit deleri sine gratia

*Tertium.* ¶ Tertiò arguitur. Nam peccatum mortale idem est cũ peccato etiam cõmisso in puris naturalibus, vt suprà ostendimus: sed in puris naturalibus poterat deleri sine gratia, videlicèt, homine diligente Deum, vt authorem naturæ, & per hoc se disponere ad reparandam beatitudinem naturalem, & amicitiam naturalem Dei: ergo etiam modò. Et confir-

*Confirm.* matur primò: Quoniam si postquam homo peccauit in hoc statu, Deus illum deordinaret à supernaturali fine, & redderet incapacem illius finis, fieret tunc homo quasi esset in puris naturalibus positus; & tunc posset ei remitti peccatum, sine gratia: ergo saltem hoc pacto est remissibile peccatum de potentia Dei absoluta. Ostendo antecedẽs: Quia tunc ille homo eodem modo se haberet cum alio existente in puris naturalibus, & quantum ad peccatum, & quantùm ad deordinationem à fine supernaturali. Et confirmatur secundò. Nam saltem apertè sequitur, quòd si Deus annihilaret modò hominem, qui peccauit, & postea illum reproduceret, posset illum reproducere sine peccato, & sine gratia, cum sola rectitudine naturali: ergo vt minimum in hoc casu remittitur peccatũ sine gratia. Sed de hac confirmatione agemus infrà, & expendemus eius vim.

*Confirma.*

*Quartum.* Quartò arguitur. Peccatum & gratia non sunt immediatè oppositæ, sed datur medium inter illa, nempe, rectitudo naturalis: ergo potest Deus delere peccatum sine gratia per solam naturalem rectitudinem: Ostendo consequentiam: Quia quando datur medium inter aliqua opposita, potest à subiecto tolli vnum, non ponendo aliud, sed solùm ponendo medium, vt patet de albedine, quæ potest tolli non ponẽdo nigredinem, sed solum medium alium colorem. Probatur antecedens: Quia status in puris naturalibus, est medium inter peccatum, & gratiam, vt patet in homine, qui conderetur sine ordine ad finem supernaturalem. Et confirma-

*Confirm.* tur: Quia potest de facto sine peccato auferri ab aliquo gratia habitualis, & amicitia supernaturalis, & relinqui in illo statu medio naturalis rectitudinis: ergo etiam potest tolli ab eo peccatum sine gratia, & amicitia supernaturali, & relinqui in sola naturali rectitudine: quia par ratio videtur esse de ablatione vnius extremi, & alterius. ¶ Si dicas, quòd gratia & peccatum quamuis absolutè non sint immediatè opposita, eò quòd nec omne peccatum est priuatio gratiæ, neque omnis priuatio gratiæ est peccatum, sed tantum ea, quæ est orta ex peruersa voluntate, & quòd idcircò posset homo esse cum rectitudine naturali sine peccato, & sine gratia; tamen peccatum commissum in homine eleuato ad finem supernaturalem, opponitur gratiæ immediatè, quia est eius priuatio, & ideo implicat tolli sine gratia. Contrà. Nam peccatum non est priuatio gratiæ habitualis, vt in superioribus ostensum est, quia aliàs malè dicerent aduersarij, quòd sine gratia habituali posset tolli peccatum per amicitiam supernaturalem. Si verò intelligas quòd peccatum sit priuatio gratiæ, id est, amicitiæ supernaturalis, hoc etiã dici non potest; quia sicut priuatio visionis non est in pariete, sed in visu, ita priuatio amicitiæ, seu amoris supernaturalis Dei ad hominem, non est in homine, sed in Deo, & à Deo: igitur talis priuatio non est peccatum, &c.

*Argumenta secundi ordinis.* Alij Theologi, alia argumenta adducunt, vt hãc eandem partem persuadeant & defendant. Primum est. Stat esse peccatum contra Deum finem supernaturalem, & tamen quòd nullo modo priuet gratia: ergo, &c. Patet antecedens: Quia posset Deus relicta fide obligare hominem ad eum actum supernaturalem, ad quem modò obligat, & non illum eleuare ad sui amicitiam & gratiam, neque ad id vllo modo esse paratum; & tunc, qui haberet actum infidelitatis, eodem modo peccaret contra Deum finem supernaturalem, sine eo, quòd priuet gratia: sed tunc illud peccatum posset remitti sine gratia, quia non est priuatio eius: ergo etiam modò, cùm omnino eiusdem rationis formalis sint. Si assignes disparitatem, & dicas modò hominem iam esse eleuatum ad statum, in quo potest habere amicitiam Dei, & quòd ob id si eam non habeat, illi imputatur. Sed hoc tantum probat, esse aliqualem circunstantiam aggrauantem. Quia per peccatum fit incapax maioris boni; sed tamen sicut ponit Deus illum hominem antequam peccaret non obligari ad sui amicitiam, ita postquam peccauit potest obligationem auferre, & in illum statum medium deducere: Quia qualem Deus potest condere, talem potest reparare; imo verò in statum omnino naturalem redigere.

*Primum.*

*Secundum.* ¶ Quòd sanè secundò probatur. Quia inter gratiam, & culpam datur medius status, vt patet in homine condito in puris naturalibus: ergo potest Deus remittere peccatum sine gratia, restituendo hominem in illum statum medium. Quia qualem potest condere, talem potest reparare: sed potuit condere hominem sine peccato, & gratia: ergo. Et confirmatur: Quia certa res est, vt suprà diximus, Deum posse annihilare illum hominem, & postea eum reproducere cum rectitudine naturali, & sine gratia: ergo idem potest immediatè facere sine illa duplici transmutatione; Quòd si Deus, peccatorem, quem annihilaret, iterum reproduceret; tunc apertè constat, quòd non reproduceretur à Deo cum peccato, quod videtur euidens. Nam ille homo iam erat nihil: ergo quidquid postea est in illo, est à solo Deo: sed implicat esse peccatũ à Deo: ergo, &c.

*Confirm.*

*Tertium.* ¶ Tertiò arguitur. Gratia potest destrui sine peccato: ergo è conuerso peccatum potest destrui sine gratia. Patet antecedens: Quia Deus de potentia absoluta potest auferre gratiam à iusto sine vlla eius culpa: ergo etiam in hoc statu potest homo esse sine peccato, & sine gratia. Patet consequentia. Quia vt supponimus, ille homo non commisit peccatum, neque Deus potuit illud causare: ergo non habet peccatum. Rursus non habet gratiam: ergo, &c. Præterea patet antecedens: Quia Deus liberè, & gratuitò confert homini suam gratiam: ergo potest absque eius culpa pro mera sua voluntate, illam ab eo auferre. Item, quia non potest intelligi homo gratus, vt supra diximus, quin intelligatur ordinatus ad aliquod bonum supernaturale: ergo potest ab illo auferre gratiam, & ordinationẽ adhoc bonum supernaturale.

*Confirm.* Et confirmatur. Quia sicut est proprium Dei amare bonum, ita & odio habere malũ: sed potest auferre

à peccatore, sine vllo actu ipsius, peccatum, per quod illum odio habebat, & sic postea non odio habere: ergo etiam poterit à iusto auferre gratiam sine actu ipsius, & sic postea non amare illum, sicut posset Verbum relinquere naturam humanam, & sicut posset auferre gloriam à beato, vt omnes concedunt: ergo etiam ab homine grato poterit auferre gratiam, sed in eo casu ille manet eodem modo, atque ille, cui Deus remisisset peccatum sine eleuatione ad gratiam: ergo. Sed dices, quòd vni imputatur sua culpa amisisse gratiam; alteri verò non ité; Contrà: Nam eiusdem essentiæ est priuatio formæ, causata per meam culpam, ac sine illa, vt patet in cæcitate, &c. Præterea, in peccatore annihilato, & reproducto manet illa priuatio, & non peccatum: ergo, &c. Quare, responsio illa optimè conuincit, carentiam gratiæ esse in vno effectum culpæ, & nõ in altero.

*Quartum.* Quartò arguitur. Priuatio gratiæ est effectus peccati: ergo non est peccatum formaliter. Patet antecedens: Quoniam ita se habet modo priuatio gratiæ in homine, atque se habebat in Adam post peccatum priuatio iustitiæ originalis: sed peccatũ Adę non consistebat formaliter in priuatione talis iustitiæ; aliàs homines iusti essent in peccato originali propter talem priuationem: ergo sicut dicimus imputari Adæ carentiam talis iustitiæ originalis, quæ non imputaretur, si Deus illam auferret sine eius culpa; eodem modo imputatur homini carentia gratiæ nunc: ergo sicut illud peccatum non consistebat formaliter in priuatione iustitiæ originalis, & ob id remittitur sine infusione illius; ita peccatum non consistit modò in priuatione gratiæ, & ob id poterit remitti sine recuperatione gratiæ. Præterea, Peccatum priùs natura intelligitur in voluntate, quam destruatur gratia in anima: ergo ablatio gratiæ est effectus peccati: ex eo namque Deus aufert suam gratiam, quia videt, & odit peccatum. Si dicas, hoc esse verum de peccato actuali, non de habituali; contra: Peccatum habituale non est aliud, quam imputatio peccati actualis, quod moraliter censetur remanere: ergo si peccatum actuale formaliter non erat priuatio gratiæ, sed causa priuationis, eodem modo peccatum habituale tantum erit causa priuationis habitualis; & ita S. Thom. supra. q. 86. dicit, maculam, quæ est priuatio gratiæ, non poni tanquam essentiam peccati, sed vt effectum; & q. 76. art. 2. argumento. 2. & in eius solutione ait, priuationem gratiæ secundum se nõ esse peccatum, sed pœnam peccati. *Confirm.* ¶ Et confirmatur: Quoniam nec de facto habet modo homo præceptum conseruandi gratiam: ergo non consistit peccatum in deperditione illius; Et quamuis haberet tale præceptum, non idcirco sequitur non posse remitti peccatum sine gratia; tum, quia potest Deus auferre talem obligationem; tũ etiã, quia si homini condito in puris naturalibus Deus donet originalẽ iustitiam, eam præscindendo à gratia, ita vt per quodcumque mortale amittatur, tunc si peccaret homo ille, posset ei remitti peccatum sine infusione talis iustitiæ: ergo. *Quintum.* ¶ Quintò arguitur. Peccatum veniale, vt veniale est, non est magis positiuum; vel priuatiuum, quam mortale, licet diuerso modo, & diuersæ rectitudinis carentiam includat: sed potest remitti veniale non tantum secundum pœnam, sed etiam, secundum culpam, sine eo, quòd subiectum acquirat nouam gratiam, vel nouam rectitudinem, vt patet quando ex opere operato remittitur per aliquod remedium Ecclesiæ: igitur nullum est fundamentum contrariæ sententiæ. Patet consequentia. Nam etiam post peccatum veniale manet sua macula, vt dixit S. Thom. supra. q. 86. art. 1. & 3. p. q. 87. art. 2. ad. 3. Et confirmatur. Nam etiam in puris naturalibus peccatum mortale, vt supra diximus, *Confirm.* esset priuatio rectitudinis: sed posset tunc remitti sine infusione gratiæ, vt initio quæstionis decebamus: ergo. *Sextum.* ¶ Sextò arguitur. Quia culpa habitualis nõ est formaliter priuatio gratiæ: ergo potest deleri sine gratia. Probatur antecedens: Quia eiusdem rationis formalis est illa culpa, verbi gratia, furti, modo, ac in puris naturalibus: sed tunc non esset priuatio gratiæ: ergo neque modò. Ad hoc dici posset, semper culpam esse priuationem gratiæ, atque adeò in puris naturalibus esse priuationem Dei finis naturalis, & etiam supernaturalis, quantum est de se. Sed contra; Eiusdem speciei est illud furtum modò & tunc: ergo quòd priuet amicitia Dei finis naturalis vel supernaturalis, per accidens & materialiter se habet. Et confirmatur. Nam si peccatum consisteret *Confirm.* in priuatione amicitiæ Dei secundum peccatum mortale non esset actualiter peccatum, quia actualiter non priuat amicitia Dei, cuius antea subiectum erat priuatum per primum peccatum. Dices, saltem actualiter, & de nouo est offensiuum Dei. Sed hæc responsio non satisfacit difficultati argumenti. Nam hoc tantum probat, peccatum, vt sic, esse contra Deum. Et si dicas, quod peccatum modo est contra Deum finem naturalem, & supernaturalem, tũc autem contra naturalem tantum. Hoc etiam non satisfacit; Quia solum conuincit, non posse remitti peccatum modò, nisi à Deo authore supernaturali, quem offendit; non tamen probat requiri, vt eleuetur in eius amicitiam, vt in primo argumento ostendebamus.

### *Quod sit probabilis sententia D. Bonauenturæ, & Scoti, ostenditur his argumentis, & fundamentis.*

SVnt etiam alia argumenta seu fundamenta, quibus Theologi, vt D. Bonauent. & Scotum defendant, permouentur. Primum argumentum seu fundamentum eorum est. Quando aliquid habet duo contraria, per quodlibet eorum expellitur à subiecto, vt patet de liberalitate, quæ expellitur per auaritiam, & per prodigalitatem: sed peccato contrariatur gratia, & etiam rectitudo naturalis actus virtutis oppositæ peccato: ergo per quodlibet horum expellitur peccatum, & ex consequenti non requiritur gratia, vt homini remittatur peccatum: ergo per hoc, quod homo deducatur ad naturalem rectitudinem absque infusione gratiæ remittetur eius peccatum. Quia peccatum, vt diximus, duo habet contraria, nempe, rectitudinem naturalem, & supernaturalem. *Secundum.* ¶ Secundum argumentũ, seu fundamentũ est. Peccatũ est causa expulsiua gratiæ: ergo priùs natura intelligitur expulsum peccatũ, quã intelligatur gratia in anima: non ergo dependet ex infusione gratiæ remisio peccati, & cõsequenter potest esse sine illa. *Tertium.* ¶ Tertiũ argumentũ, seu fundamentum est. Quia potest Deus (vt sæpius diximus) peccatorem restituere rectitudini naturali sine infusione gratiæ, cùm naturalis rectitudo nõ pendeat ex aliquo dono supernaturali, sed tunc verè remittetur peccatum; Quia etiam est incomposibile cum naturali rectitudine: ergo in eo casu iam fiet remissio sine gratia. *Quartum.* ¶ Quartum. Si ita immediatè sunt oppositæ gratia, & peccatum, vt non possit tolli peccatum sine gratia, sequitur apertè, quòd è conuerso pariter non possit gratia tolli sine peccato, vt patet in cæcitate & visu, vbi propter immediatam oppositionem vtriusq;, non potest tolli cæcitas sine visu, neq; è conuerso manẽte eodem subiecto: ergo pariter in proposito: Consequẽs autem est falsum, quia constat Deũ posse tollere gratiam ab eo, qui eam habet. *Quintum.* ¶ Quintum. Oppositio inter gratiam & peccatum, non est ex natura rei, sed tãtum ex ordinatione extrinseca Dei: ergo benè potest remitti peccatum sine infusione gratiæ: Consequentia liquet, antecedens probatur: Quia si non sunt contraria ex natura rei, non est cur limitetur à nobis diuina potentia, vt non possit tollere vnum sine altero. Et profectò, si ex natura rei essent contraria, & oppositа gratia, & peccatũ, idem esset auferre gratiã, & facere peccatorem, cùm tamen possit Deus auferre gratiam, & non facere peccatorem. *Sextum.* ¶ Sextum. Tota malitia peccati, siue sit illa, quæ est in actu, siue illa, quæ manet habitualiter post actum peccati ex voluntaria auersione à Deo, debet tolli per contrariam conuersionem; sed hanc conuersionem potest homo habere sine gratia: Potest namque homo sine habitibus supernaturalibus habere actũ supernaturalem, ex solo auxilio speciali Dei: ergo potest *Septimum.* remitti peccatum sine gratia. ¶ Septimũ. Sæpiùs euenit, vt homo remittat offensam inimico, absque eo, quòd velit illũ habere amicũ: ergo similiter Deus. *Octauum.* ¶ Octauum. Peccatum & gratia non sunt contraria immediata, sed datur medium inter illa, nempe, rectitudo naturalis: ergo poterit Deus restituere peccatorem ad rectitudinem naturalem sine collatione gratiæ, iam ergo remittetur illi peccatũ sine infusione gratiæ. Antecedens probatur: Quia si crearetur homo in puris naturalibus, vel cũ iustitia originali præcisè, talis, neque esset in peccato, neq; in gratia, sed in quodam statu medio rectitudinis naturalis. Et confirmatur: Quia hæc naturalis rectitudo differt essentialiter à gratia, & est quædã forma absoluta: ergo nihil restat quominus Deus possit illam communicare peccatori absque infusione gratiæ supernaturalis. *Nonum.* ¶ Nonum. Quia licèt inter priuatiuè oppositа respectu proprij & immediati subiecti non detur medium; datur tamen in subiecto extraneo; Quia lapis, neque est cæcus, neque videns, cùm non sit proprium & immediatum subiectum visus: sed peccator ex natura sua non est proprium & immediatum subiectum gratiæ: ergo poterit fieri, vt neque sit peccator, neque gratus. Minor patet: Quoniam homo non ordinatur intrinsecè, & ex natura sua ad finem supernaturalem, sed ab extrinseco ex diuino beneplacito. Dices, quòd ex suppositione, quòd creauit Deus hominem cum isto ordine ad finem supernaturalem, iam nõ est subiectum extrinsecum gratiæ, sed proprium, & immediatum. Contra: Quia potest Deus auferre à peccatore hũc ordinem, quem habet ad finem supernaturalem, & tunc, neque erit in gratia, neque in peccato. ¶ Et cõfirmatur: Quia existens in gratia, potest illa carere, absque culpa sua, per hoc solùm, quòd Deus nolit eam conseruare: ergo è contrario existens in peccato poterit carere illo, absque eo, quòd sibi infundatur gratia.

### *Quòd sit probabilis sententia D. Bonauent. & Scoti, ostenditur his fundamentis.*

HÆc argumenta, quæ pro D. Bonauent. & Scoto, & plerisq; alijs attulimus, sunt magna fundamenta ostendentia probabilitatẽ huius sententiæ: Est enim potentia Dei absoluta adeò ingens, vt mille modis ostendatur, quo pacto ei sit possibile, quod hæc opinio asseuerat, esse valde rationabile. Nam profectò, licèt inter priuatiuè oppositа, respectu proprij & immediati subiecti, nõ detur medium; datur tamen in subiecto extrinseco, vt lapis neque est cæcus, nec videns, quia non est proprium & immediatum subiectum visus, sed peccator ex natura sua non est proprium, & immediatum subiectum gratiæ; ac proinde fieri poterit, vt neque sit peccator, neque gratus. Quia certè homo non ordinatur intrinsecè, & ex natura sua ad finem supernaturalem, sed ab extrinseco, & solùm ex diuino beneplacito. Neque obstat dicere, quòd ex suppositione, quòd Deus creauit hominem cum isto ordine ad finem supernaturalem, iam non est subiectũ extrinsecum gratiæ, sed proprium & immediatum. Quoniam potest Deus auferre à peccatore hunc ordinem, quem habet ad finem supernaturalem, & tunc, neque erit in gratia, neque in peccato. ¶ Et cõfirmatur: Quia existens in gratia, potest illa carere, absque culpa sua, per hoc solùm, quòd Deus nolit eam conseruare: ergo è contrario existens in peccato poterit carere illo, absque eo, quòd sibi infundatur gratia. Nam certè, peccatum, & gratia non sunt immediatè oppositа, quia datur medium inter illa, nempe, rectitudo naturalis, & ita poterit Deus restituere peccatorem ad rectitudinem naturalem, sine eo, quòd conferat ei gratiam, & per hoc tali homini remittetur peccatũ sine infusione gratiæ. Equidem, si crearetur homo in puris naturalibus, aut cum sola iustitia originali præcisè, tunc talis homo, neque esset in peccato, neque in gratia, sed in medio quodam statu rectitudinis naturalis; ex quo palam deducitur gratiam, & peccatum non esse immediatè oppositа, sed dari medium inter illa, nempe, naturalem rectitudinẽ, quæ essentialiter differt à gratia, & est quædã forma absoluta, quæ cum possit cõmunicari peccatori absq; infusione gratiæ supernaturalis, satis aperte constat probabilitas huius sententiæ. Nam si peccatum habet duo contraria, nempe, rectitudinem naturalem, & supernaturalem, vt aperte constat; sequitur, quòd posita quacumque rectitudine istarum, delebitur peccatum, ac proinde remittetur peccatum per hoc solum, quòd deducatur homo ad rectitudinem naturalem sine infusione gratiæ. ¶ Quare, sæpe contingit, vt homo remittat offensam inimico, absque eo, quod velit illum habere amicum, vt seciſſe videtur Dauid cum Absalon filio eius. 2. Reg. 14. & pari

*Hoc fundamentum dissoluitur in fine controuersiæ.*

*2. Reg. 14.*

ratione non videtur inintelligibile, quòd Deus remittat offensam peccatori & peccatum, absq; eo, quòd velit illum admittere ad gratiam supernaturalem. Et vt rem hanc illustremus, constituamus hominé in puris naturalibus sine gratia & charitate, & sine ordinatione vlla ad supernaturalem finem; tunc si ille homo peccaret, neq; priuaretur gratia, neq; charitate supernaturali, & consequenter sufficienter reduceretur in pristinum statum per naturalem rectitudinem, quamuis illi gratia nunquá donetur. Nam aliàs, si non sufficienter restitueretur in antiquum statum, sequeretur esse necessariũ, quòd Deus diligeret illum hominem dilectione supernaturali in ordine ad supernaturalem finem, quòdq; cùm homo ille solũ sit in puris naturalibus, cui statui naturali præcisè, non conuenit ordinatio in supernaturalem finem; aliàs non esset in puris naturalibus; sequitur, quòd homo *in eo* statu peccans mortaliter, nõ posset habere remedium; & patet hæc sequela: Quia secundum oppositam sententiam, peccatum non habet remediũ etiam de potentia absoluta, nisi per infusionem gratiæ. Cùm ergo homo in puris naturalibus conditus, non sit destinatus ad gratiam supernaturalem, sequitur, quòd non haberet remedium in tali statu, si non posset ei remitti peccatum per rectitudinem naturalem. Et nõ satisfacit dicere, quòd si homo existens in puris naturalibus peccaret, licèt non amitteret gratiam; tamen poneret obicem diuinæ amicitiæ, essetq; indignus diuina amicitia, quæ indignitas, nisi per rectitudinem supernaturalem tolli non potest. Non inquam satisfacit hoc; Quia quãuis sine rectitudine naturali nemo admittatur ad supernaturalem amicitiam; tamen sicut homo in puris naturalibus per solã amissionem rectitudinis naturalis posuit huiusmodi obicẽ, ita pari ratione per positionẽ rectitudinis naturalis *in tali statu* deletur, & repellitur *omnis* obex, qui *antea erat*, & *omnis* indignitas, quæ antea præcesserat. Omitto modò dicere, quòd si homo ille nõ est relatus ad finem supernaturalem, vt verè nõ est in solis & puris naturalibus, quòd verè peccãdo nõ habet priuationem illius finis supernaturalis, sed solùm habet negationem, quia priuatio supponit aptitudinem, & ordinationem, qua priuat. ¶ Ex his fundamentis, & ex argumentis superiùs allatis liquet, secundam opinionem D. Bonauenturæ & Scoti esse probabilem.

### *Sententia S. Thom. explicatur & defenditur.*

VT tamen veritas huius difficultatis aperiatur, & sententia D. Tho. in hoc art. explicetur in fine huius articuli, quãdo dicit, quòd non potest intelligi remissio culpæ, sine infusione gratiæ, oportet supponere primò, quòd si gratia accipiatur quatenus significat gratuitum Dei beneficium, repugnantia est aperta, quòd Deus remittat peccatum sine gratuito Dei beneficio, & beneuolẽtia. Nam remittere peccatum homini, est gratuitum Dei beneficium, & insignis Dei beneuolentia; An verò ista remissio ex beneuolentia Dei facta, fiat necessariò per infusionem gratiæ, aut sine illa, vel quo modo possit fieri de potentia Dei absoluta; id quidẽ est, quod controuertitur: loquimur enim de gratia quatenus dicit interiorem renouationem, per quã verè homo desinit esse peccator. ¶ Suppono etiam, quòd remissio peccati potest esse duplex, altera quidem perfecta, per quã homo restituitur ad omnia, quæ per peccatum mortale amiserat, qualis modò de facto est in omni homine, qui iustificatur per gratiam Dei supernaturalem & habitualem. Altera verò est remissio imperfecta, per quam expellitur peccatum, ita quòd verè nõ manet homo peccator, neque abominabilis coram Deo; non tamẽ restituitur ad omnia, quibus priuabat peccatum ex sua natura. ¶ Sed aduerte, & de remissione peccati loqui possumus, vel præcisè in ordine ad naturalia, si homo esset conditus in illis, sine aliquo ordine ad gratiam, vel loqui possumus sicut modò de facto natura hominis est eleuata ad supernaturalẽ finẽ. ¶ Suppono tertiò tanquam certum, Deum posse remittere omnem pœnam homini constituto in mortali, permanente peccato in eodem homine. Quia licèt ille homo in peccato à se cõmisso permanens, semper sit dignus supplicio, & dignitate ad pœnã; tamẽ Deus potest de facto non sumere vindictam de peccatoribus, & potest nolle suppliciũ capere de illis; quia ad id nulla necessitate cogitur, aut compellitur. Et pariter suppono tanquam rem certam, de qua nõ est controuersia, quòd potest Deus remittere peccatũ de potentia absoluta sine qualitate habituali gratię, vel efficiendo hominẽ dilectorẽ supernaturalẽ Dei sine vllo habitu infuso, vel per inspirationẽ aliquã supernaturalem, aut speciale auxilium Dei.

*Suppo.1.* *Suppo.2.* *Suppo.3.*

QVibus ita prælibatis est prima conclusio. Si sit sermo de perfecta peccatorum remissione, implicat perfectè peccatum remitti, quoad ea quæ intrinsecè claudit, sine gratia Dei; non tamen implicat aliquo modo remitti quoad principalem rationem formalem, in qua peccatum saluari potest. Hæc assertio conciliat vtramque opinionem superiùs allatam, & hoc modo plerique Thomistæ, inter quos est Ferrara. 3. contra gent. capit. 157. intelligunt D. Thom. in hoc artic. vt videlicèt loquatur de remissione peccati, quatenus importat reparationem omnium bonorum, quæ quis amisit & perdidit peccando. Quod declaratur: Quia gratia de facto dicit qualitatem inhærentem, & consequenter peccatum de facto dicit priuationem talis gratiæ ad eum modum, quo vtramque interpretati sumus superius, quæst. 110. artic. 4. Hæc autem priuatio talis gratiæ habitualis, & qualitatis, deleri non potest per reparationem perfectam illius gratiæ habitualis sine qualitate gratiæ; & de hac remissione videtur fuisse loquutus Sanctissimus Præceptor, cùm de infusione gratiæ, id est, de inhærentia illius qualitatis loquatur; Sed sicut gratia potest formaliter saluari sine qualitate, ita & peccatum sine priuatione qualitatis. Verumtamen, peccatum habet vlteriùs intrinsecè, & de facto, quòd sit priuatio gratiæ in esse gratiæ, id est, quòd sit inimicitia contra Deum, & auersio ab ipso, & prout hæc includit, etiam non potest auferri sine gratia in esse gratiæ, & hoc potissimè videtur intendere Sanctissimus Præceptor in præsenti articulo. Quia tunc sanè est perfecta remissio peccati, quando ab inimicitia per peccatum contracta, in Dei amicitiam reconciliamur. Et quòd hoc tantum intendat Sanctus Thomas ex eo patet:

*Concluſ.1.*

Quia



Quia in solutione ad primum penes hoc iudicat esse eandem rationem in Deo, & in homine; ait enim, sicut homo non potest alteri, qui ipsum offendit, remittere offensam absq; speciali beneuolentia, ita & Deus, loquitur ergo S. Th. de perfecta remissione, vt patet ex titulo articuli, vbi quarit, Vtrũ ad remissionem culpæ, quæ est iustificatio impij, requiratur gratiæ infusio? Et in hoc sensu optimè respondetur, peccatum non posse remitti sine infusione gratiæ. ¶ Quare dicendum est, peccatum, quod incurrit homo post acceptam gratiam, non posse tolli quantùm ad omnia damna ex illo procedentia, sine infusione gratiæ. Et profectò, vnum malum, & damnum fuit destructio gratiæ, ad quod reparandum requiritur reductio gratiæ; & pariter damnum amicitiæ supernaturalis amissæ reparari nequit, nisi homo redeat ad illam, & hoc non potest negari; & ob id diximus suprà, eandem sententiam esse discipulorum Diui Thomæ, quam tenent Victoria, & Ferrara, vbi suprà. *Victoria. Ferrara.*

Sed posse nihilominus culpam quoad formalem rationem remitti de potentia absoluta Dei, sine eo quòd eleuetur in perfectam amicitiam; patet ex eodem simili, quod adducit Sanct. Thom. Potest namque homo ita remittere offensam alteri, vt neque maneat amicus, neque inimicus: ergo pariter Deus id potest facere. Quare, sicut priuatio qualitatis gratiæ, quæ manet in illo homine, non ei imputatur ad culpam, sed quasi materialiter se habet, eodem modo priuatio gratiæ in esse gratiæ. Vel tandem D. Thom. loquitur de lege ordinaria, sicut etiam loquitur D. Chrysost. homil. 10. de pœnitentia, dicens; Malitia autem sine gratia deleri non potest. Et quòd hoc modo rectè explicetur S. Thom. patet manifestè; tùm, quia absolutè loquitur de infusione gratiæ, id est, de qualitate, sine qua tamen posse hominem iustificari de potentia Dei absoluta, omnes Thomistæ fatentur. Tum etiam, quia eodem modo loquitur D. Thom. in materia de pœnitentia, 3. part. quæst. 86. artic. 2. dicens, esse impossibile quòd peccatum sine pœnitentia remittatur; & tamen Caietanus, & alij discipuli D. Thom. intelligunt illud de potẽtia ordinaria: ergo similiter hic. Tandem, quia S. Thom. expressè tenet, supra in disputatione de peccatis, priuationem gratiæ esse effectum peccati: ergo non potest S. Tho. dicere, formaliter peccatum consistere in tali priuatione, quod est fundamentum oppositæ sententiæ. *D. Chrysost.* *Concluſ.2.*

SEcunda conclusio. In statu puræ naturæ, qui vocatur status in puris naturalibus, poterat perfectè remitti peccatum sine infusione gratiæ, aut aliquo supernaturali dono, nempe, ex naturali misericordia, & liberalitate Dei, sine gratia habituali, & sine amicitia supernaturali. Hæc assertio est communis, & eam tenet Caietanus hic, & est contra Medinam, qui cùm antea hanc veram esse dixerit, hoc loco sine causa iterum cõtrarium eius, quod statuerat affirmat, vt suprà vidimus. Et probatur. Peccatum in illo statu non auertit de facto hominem à fine supernaturali: ergo reparatio illius non exposcit aliquid supernaturale. Et confirmatur: Quia in illo statu non esset transgressio præcepti supernaturalis charitatis: ergo pari ratione non esset necessarium, quòd homo in remissione illius peccati ordinaretur ad Deum finem charitatis. Rursus, macula peccati in illo statu tantum esset priuatio coniunctionis ad Deum authorem naturæ, & nitoris naturalis luminis, etiam secundum doctrinam D. Thom. ergo per coniunctionem ad authorem naturæ, perfectè reparatur peccatum illud. Ostendo consequentiam. Quia tunc perfectè remittitur peccatum, quãdo restituitur homo ad statum, in quo erat ante peccatum. Ex quibus ruit Caietani fundamentum existimantis, quòd eo ipso, quòd homo deordinatur à naturali fine, deordinatur consequenter à fine supernaturali, ita vt non possit restitui ad ordinem finis supernaturalis sine gratia. Quę sanè doctrina facile labefactari potest, si negemus hominem illum, per se loquendo formaliter, vel virtualiter peccare contra præceptum supernaturale: Quia nullum tale habetur: Neque auerteretur à fine supernaturali, nisi fortè consequenter quasi per accidens secundum quod est idem Deus author naturæ, & supernaturalium. Per hoc tamen quòd rectificaretur cum Deo authore naturæ, etiam consequenter non deordinaretur priuatiue à Deo authore gratiæ, & est sermo de homine in puris naturalibus. Rursùs intelligimus, quòd iste homo in illo statu rectificaretur, seu iustificaretur sine gratia, vel aliquo dono supernaturali pertinente ad ordinem gratiæ; non tamen sine aliquo dono gratuito concesso ex speciali beneuolentia Dei, per quod interiùs renouatur homo ille, vt infrà magis aperiemus. Tandem probatur. Quia si peccatum in puris naturalibus non posset deleri, iuxta diuinam prouidentiam ex naturali misericordia, & liberalitate Dei, sine gratia habituali, & sine amicitia supernaturali; sequeretur, quòd si homo in eo statu semel peccasset mortaliter, quòd nullum haberet remedium ad obtinendam beatitudinem naturalem; Certè, Deus naturaliter est misericors, clemens, & placabilis: igitur si homo in puris naturalibus faceret, quod in se esset, acciperet à Deo liberaliter peccati veniam. Nam profectò ad diuinam prouidentiam pertineret prouidere de remedio.

TErtia conclusio. Impossibile est in quocumque statu, quòd verè fiat remissio peccatorum, & vera repulsio culpæ ex animis peccãtium, sine renouatione aliqua interna, seu intrinseca animi. Hanc renouationem internam vocat Sanctissimus Præceptor infusionem diuinæ gratiæ, per quam vera transmutatione reali peccator transit à prauitate ad rectitudinem. Ita sensit S. Thom. de Veritat. q. 28. art. 2. ad. 4. Capreol. in. 4. dist. 1. q. 2. Soto. 2. de natura & gratia, cap. 18. & Caieta. hic. Et probatur. Nam si verè remittitur peccatum, sequitur, quòd homo aliter se habet re vera interiùs, quam antea se habebat, cùm erat habitualiter in peccato; igitur necessariò interuenit aliqua realis mutatio, & renouatio, sed hæc mutatio non in Deo: ergo necessario est in homine illo habitualiter peccatore, qui interiùs realiter se habet alio modo, quam antea se habebat. Antecedens huius discursus probatur. Quoniam homo existens in peccato, realiter & intrinsecè est abominabilis coram Deo. Nã Deo odio est impius & impietas eius, & quando desinit esse peccator, nõ est intrinsecè abominabilis coram ipso; Rursus, quando est in peccato, re vera *Concluſ.3.* *S. Thom.* *Capreolus.* *Soto.* *Caietanus.*

est inordinatè conuersus ad bonum commutabile, & quando remittitur peccatum, iam non est conuersus inordinatè: ergo renouatus est eius interior animus. Præterea, reatus peccati etiam in opinione Scoti, vt explicatur à discipulis eius, non consistit in obligatione ad pœnam, sed in intrinseca indignitate subiecti, quæ est radix obligationis ad pœnam: sed hæc intrinseca indignitas non potest intelligi, quòd auferatur per solam extrinsecam voluntatem Dei, sine interiori renouatione creaturæ, quia hæc indignitas non consistit in sola imputatione peccati ex parte Dei; aliàs vera remissio peccati de facto, esset per non imputationem, & renouatio interior tantum per accidens coniungeretur cum illa, cuius oppositum suprà ostendimus. Et confirmatur: Nam peccatum post actum iam transactum, habitualiter permanet in quadam priuatione ordinis & rectitudinis debitæ in esse, quæ priuatio interdum vocatur à Theologis macula, à qua peccator formaliter dicitur peccator, iniquus, & immundus, vt docuit Sanctissimus Præceptor in disputatione de peccatis, quæstio. 86. artic. 1. & 2. Sed hæc priuatio rectitudinis & obliquitas tolli non potest ab aliquo, nisi per positionem eius formæ, cuius est priuatio, vt ex Philosophia patet: igitur peccatum deleri, & remitti, nihil aliud est, quam animum peccatoris reduci, & restitui ad rectitudinem, cuius peccatum est priuatio. Et confirmatur iterū: Quia si ipsum peccatum solùm esset offensa Dei, aut reatus ad pœnam; benè quidem intelligi posset eius remissio & condonatio, per extrinsecam donationem, seu per non imputationem: Cæterùm peccatum importat deordinationem, obliquitatem, deformitatem, languorem, & maculam animæ hærentem: implicat ergo peccatum deleri ab anima, nisi per rectitudinem & pulchritudinem, & renouationem intùs hærentem. Potissimè cùm peccatum sit auersio à Deo, & à regula rationis, & implicet auersionem tolli, nisi per conuersionem: ergo videtur repugnans, peccatum posse tolli aliter, quam per rectitudinem, & renouationem internā.

*Conclus.4.* QVarta conclusio. Facta naturæ rationalis eleuatione ad supernaturalem finem, & ea suppositā, non potest peccatum remitti, sine dono aliquo supernaturali gratiæ, per quod homo in ordine ad Deum finem supernaturalem interiùs renouetur. Hanc assertionem tenet D.Thom. hic, & hoc sibi vult quando dicit, non posse intelligi remissionem culpæ, sine infusione gratiæ, & idem habet in. 4. distinct. 17. quæst. 1. artic. 3. quæstiunc. 1. ad. 2. & de Verit. quæst. 28. artic. 2. Capreol. in. 4. distinct. 1. quæst. 2. ad argumenta Scoti contra. 2. conclus. Ricard. in. 4. distinct. 1. quæst. 6. art. 6. & distinct. 17. artic. 4. quæst. 7. in fine. Soto. 2. de natur. & grat. cap. 18. & in. 4. distinct. 15. artic. 2. quæst. 1. Caiet. hic, & Ferrara. 3. contra Gent. cap. 157. Et vt veritas huius assertionis manifestetur suppono, q̄ in homine potest considerari duplex rectitudo, altera quidem naturalis, qua rectificatur, & disponitur rectè in ordine ad regulam rationis, & ad bonum rationis; altera verò supernaturalis, qua homo benè disponitur in ordine ad supernaturalem finē, & diuinum, quæ rectitudo habetur per gratiam & charitatem. Rursus suppono, peccatum mortale priuare hominem rectitudine supernaturali, non solum consequutiuè, & indirectè, sicut priuatio animalis consequutiuè est priuatio hominis; sed directè, & formaliter. Nam cùm peccatum sit non solum contra legem naturæ, sed etiam contra legem gratiæ, & charitatis, inde est, quòd formaliter priuat rectitudine vtriusque legis, vt fusè. 2. 2. quæstione. 24. articulo vltimo, ostenditur. Et quamuis gratia, & culpa respectu hominis considerati absolutè, & secundum se, non sint opposita immediata; cæterum respectu hominis iam lapsi, & in peccato existentis, verè sunt immediatè opposita; quod sanè apertè liquet; Quia absolutè loquendo posset dari medium per abnegationem inter gratiam, & culpam, vt si homo crearetur in puris naturalibus: tunc enim homo ille, neque esset in culpa, neque in gratia; verumtamen ex suppositione, quòd homo lapsus fuit in peccatum, non potest dari tale medium propter habitudinem extremorum ad tale subiectum in ratione priuationis, & habitus. Quoniam non habere gratiam in isto homine peccatore naturæ lapsæ, non est pura negatio, sicut esset in puris naturalibus. Imò verò propriè & strictè est priuatio, quia est carentia formę debitæ in subiecto apto nato pro eo tempore, quo ineſſe debebat. Tandem suppono, quòd sicut homo peccans actualiter, est malus actu per actualem auersionem à Deo charitatis obiecto, ita quidem trāsacto actu peccati manet homo malus, & peccator, per auersionem relictam ex peccato præcedente, quasi habitualiter, vt fusiùs suprà explicuimus.

Quibus sic prælibatis, præter argumenta facta superiùs in fauorem huius sententiæ, & præter ea, quæ diximus conclusione tertia præcedente, probatur. Quoniam peccatum formaliter non tantum est priuatio rectitudinis naturalis, sed etiam supernaturalis, quæ est per gratiam: sed implicat manente subiecto priuationem tolli, nisi per habitum oppositum: ergo. Et confirmatur: Quia secundum communem modum loquendi Scripturæ, & Sanctorum, peccatum, & gratia habent se, vt lux & tenebræ, iuxta illud Paul. 2. Corinth. 6. Quæ compa- 2.Corint.6
ratio iustitiæ cū iniquitate, aut quæ societas lucis ad tenebras, quæ conuentio Christi ad Belial? Sed implicat tenebras expelli, nisi per aduentum lucis: ergo. Præterea. Remissio culpæ, vt suprà dicebamus, non potest esse sine aliqua mutatione tenente se ex parte Dei, vel ex parte creaturæ: sed implicat contradictionem, quòd mutatio se teneat ex parte Dei: ergo necessariò ponēda est ex parte creaturæ, per aliquid repugnans peccato, quidquid illud sit, vel per aduentum ipsius formæ repugnantis peccato. Probatur maior: Quia remissio culpæ consistit in hoc, vt homo de inimico fiat non inimicus, ita vt Deus, qui antea erat offensus, iam non sit offensus: sed nequit hoc intelligi cum veritate, & proprietate, sine renouatione, & mutatione aliqua interna. Et confirmatur: Quia Deum remittere peccatum, est quòd reconcilietur ipsi homini; hæc autem reconciliatio intelligi non potest, nisi per hoc, q̄ Deus diligit ipsum, quē antea nō diligebat: sed de ratione dilectionis diuinæ in ordine ad creaturam est, quòd ponat aliquid in ipsa, ratione cuius fiat obiectum diuini amoris. Nam si non renouatur

*D.Thomas.*

*Capreolus.*

*Ricardus.*
*Soto.*
*Caietanus.*
*Ferrara.*



nouatur & immutatur animus peccatoris à prauitate & iniquitate ad rectitudinem, & iustificationem, semper odio habetur à Deo, quia odio est Deo impius, & impietas eius. Vnde obserua valde, quod in proposito solum intendimus, implicare cōtradictionem, quòd remittatur peccatum, absque eo, quod ille, cui remittitur sit gratus, & acceptus Deo, non curando an implicet, esse aliquem gratum, & acceptū sine qualitate illa, & habitu, qui modo dicitur gratia. Iam enim suprà. q. 110. art. 2. vidimus qualiter licet non possit homo esse gratus intrinsece, & quasi connaturaliter sine illo habitu gratiæ; non tamen implicat esse gratum extrinsece sine illo, & idcirco non est negandum quòd de potentia absoluta possit remitti peccatum sine infusione habitus gratiæ, per hoc solum, quod peccator ex supernaturali Dei auxilio conuertatur in ipsum, siue id sit per actum contritionis, & dilectionis supernaturalis, siue quocumque alio modo possibili. Cæterum in tali casu, homo ille non dicetur gratus intrinsece, & quasi connaturaliter, vt modo; maneret tamē gratus propter ordinem rectum ad vltimum finem supernaturalem relictum ex dilectione gratuita, & amicabili, quæ præcesit, sicut ille, qui peccauit manet in peccato ratione maculæ relictæ ex peccato præcedente sine aliquo habitu positiuo superaddito.

Persuaderi etiam potest præfata conclusio. Quoniam suppositā eleuatione naturæ rationalis ad finē supernaturalem, rectitudo naturalis subordinatur rectitudini supernaturali, & ita illi subijcitur, vt nō possit sine illa subsistere: ergo nō potest restitui homo, qui peccauit ad rectitudinem naturalem, sine dono supernaturali rectificante ipsum ad finem supernaturalem. Probatur antecedens: Quoniam ratio naturalis dictat obediendum esse Deo quomodocumque cognito, & præcipienti: igitur implicat peccare contra Deum cognitum, & præcipientem etiā supernaturaliter, quin auferatur naturalis rectitudo. Quocirca, rationabiliter valde colligitur, non posse simul coexistere rectitudinem naturalem cū auersione à fine supernaturali, propter intrinsecam subordinationem vnius ad alterum; quod sane efficaciter ostenditur: Quoniam homo per quodcumque peccatum cōuertitur inordinate ad bonum cō mutabile, & constituit vltimum finem in ipso: igitur non potest habere vltimum finem in Deo authore naturæ, cum implicet, quod simul habeat duos vltimos fines: sed non potest esse rectitudo naturalis, nisi Deus sit finis vltimus habentis ipsam: ergo. Et confirmatur: Quoniam is, qui habet rectitudinem naturalem, est coniunctus Deo authori naturę, cum speciali beneuolentia Dei ad ipsum: sed hanc non potest habere ad illum, qui est aliquo modo in peccato: ergo. Probatur minor: Quia Deus author naturæ, est tam infinite bonus, sicut author gratiæ: ergo dicit intrinsecam repugnantiam, quam haberet, vt author gratiæ: sed vt author gratiæ repugnat intrinsece tali peccato, & peccatori habenti ipsum, quia odio est Deo impius, & impietas eius: ergo, &c. Et ex hoc colligitur, valde rationabilē, & probabilē esse illam sententiam, quæ negat in paruulis, qui decesserunt in peccato originali, manere in limbo rectitudinem naturalem, vel etiam in Dæmonibus.

Sane, homo voluntate propria, per peccatum est auersus à Deo fine supernaturali, & saltem virtualiter est per se trāsgressor præcepti supernaturalis charitatis: ergo non potest peccatum remitti sine conuersione ad eundem finem: hæc autem haberi non potest sine supernaturali dono: ergo. Et confirmari potest: Quia peccatum modo causat veram maculā in anima, qualem supra descripsimus, quæ est priuatio coniunctionis ad Deum finem supernaturalem, & ipsius nitoris, qui ex illa consequitur: ergo quousque homo coniungatur eidem fini supernaturali, non tollitur macula peccati; at hæc coniunctio nō fit nisi per donū supernaturale. ergo, &c. Quocirca, si homo, qui peccauit restitueretur ad naturalia præcisè, illa restitutio non esset, proprie loquendo, remissio, sed solū restitutio ad naturalia; & in hoc verè dicit Caietanus contra Scotum, quod non potest alicui remitti peccatum sine gratia; Quia postquam homo peccauit, dato casu quòd restitueretur ad naturalia, & rectitudinem naturalem; tamen si non esset Deo gratus & acceptus, non esset illi remissum peccatum. Quoniam remitti peccatum propriè loquendo, non solum est resarcire obliquitatem naturalem, quam peccatum causauit, sed est tollere obicem, & impedimentum gratiæ. Quoniam cum peccatum sit offensa, & sit obex, & impedimentum gratiæ, tollere peccatum, erit etiam tollere obicem gratiæ & dignitatis supernaturalis: sed quantūcunque quis post peccatum restituatur ad naturalia, ita vt Deus se habeat cum illo mere negatiue, vel non admittendo hominem ad finem supernaturalem, vel addignitatem supernaturalem, aut nolendo dare gloriam, aut pœnam; adhuc non aufertur obex, & impedimentum gratiæ, & illius dignitatis supernaturalis. Vnde, ille qui sic restitueretur ad naturalia modo, nō omnino se haberet, sicut ille, qui crearetur in puris naturalibus. Nam creatus in puris naturalibus, nullum dicit obicem gratiæ; Sed tamen is, qui modo peccauit, licet restituatur ad naturalia; tamen eo ipso quòd peccauit, habet obicem gratiæ; & idcirco non remittitur illi proprie peccatum, sed solum quadam tenus ratione, quatenus peccatum est contra rectitudinem naturalem. Oportet ergo, si peccatum proprie & simpliciter remittitur, quod id sit per dilectionem, qua Deus diligit eum, qui est sibi offensus, ac per consequens per hoc recipiat eū in suam gratiam. Quoniam per solam gratiam potest tolli ab homine peccatum, quatenus est offensa Dei, & obex gratiæ. Quare, simpliciter est concedēdum quòd peccatum non potest remitti simpliciter, nisi per gratiam, quod si hoc vult Scotus negare, male negat.

*Conclus.5.* QVinta conclusio. Optime potest in sententia D.Thom. intelligi remissio peccati, sine infusione qualitatis gratiæ habitualis, & est sermo de potentia absoluta Dei. Probatur: Quoniam per charitatem, & dona supernaturalia ordinantur potentiæ ad Deum authorem gratiæ: sed Deus potest infundere charitatem, & supernaturalia dona intellectui, & voluntati sine infusione illius qualitatis gratiæ habitualis: ergo, &c. Minor probatur: Quia charitas realiter distinguitur à gratia; & præterea non apparet necessaria aliqua connexio inter vtramque, ratione cuius Deus non possit vnam sine altera producere. Rursus

sus, Deus per speciale eius auxiliū, & diuinam quādam inspirationem potest animum peccatoris ad se conuertere, & à prauitate, & malitia auertere. Imò verò, Deus potest hominem diligere, & efficere sui dilectorem, vt supra diximus, & etiam in materia de habitibus & virtutibus. Fauet etiā huic veritati, q̄ homo diligit Deū super omnia authorem gratiæ per charitatem; Vnde habet, quod sit amicus illius: igitur per hoc expellitur omnis inimicitia cū Deo. Itaq; licet ille homo non haberet consortiū naturæ diuinæ per aliquod principium formale animæ intrinsecum, exquo efficerentur quasi connaturales actus aliarum virtutum, quia hoc consortium est donum proprium gratiæ habitualis, & eius effectus formalis, vt supra diximus q. 110. potissime. artic. 4. Haberet tamen homo ille consortium diuinæ naturæ quantum ad virtutem imitatiuam Dei per opera supernaturalia, quod consortium est sufficiens ad rationem amicitiæ. ¶ Sed dices, Contra: Macula peccati est in ipsa essentia animæ: ergo non potest tolli sine aliquo dono intrinseco essentiæ animæ. Respondetur, quòd macula peccati non dicit aliquid realiter superadditum animæ, sed causatur in anima ex ordinatione potentiarum per actum malum. Vnde pariter per ordinationem potentiarum etiam tollitur macula ab ipsa anima, & sicut in statu naturæ integræ, hoc est, rectitudinis naturalis, anima ipsa esset recta in se, non per aliquid superadditum ipsi essentiæ animæ, sed per rectitudinem naturalem potentiarum: sic etiam potest optime intelligi, quod anima sit supernaturaliter rectificata per supernaturalē rectitudinem potentiarum, licet non sit ita perfecte & ab intrinseco rectificata, sicut per habitum gratiæ. Quod si rursus quis obijciat, quòd peccatum est priuatio gratiæ habitualis: ergo non potest remitti sine illa, sicut neque cæcitas potest tolli sine visu. Respondetur, esse quasdam priuationes, quæ non respiciunt determinate aliquam formam in particulari, aut secundum rationem specificam, sed secundum rationem communem, quæ possunt reperiri in formis diuersarum specierum, & tales priuationes per quamcunque illarum formarum possunt expelli. Verbi gratia, incertitudo circa aliquod obiectum fidei, non opponitur determinate certitudini fidei præcisæ, sed certitudini supernaturali in communi. Vnde, talis incertitudo, & potest tolli per fidem, & per scientiam infusam, qualis fuit in Christo Domino, & per visionem beatificam. Sic ergo peccatum non opponitur adæquatè gratiæ habituali, sed rectitudini supernaturali, aut naturali; neque per se dicit priuationem illius consortij diuinæ naturæ, quod est proprium gratiæ, sed priuationem consortij diuinæ naturæ quomodocumque habeatur. Et cum sit rectitudo supernaturalis, & consortium diuinum per habitum charitatis, vt paulo antea explicuimus per illud tollitur macula peccati; cæcitas verò respicit determinatè formam vnicam secundum speciē, nempe, potentiam visiuam, sine qua non potest tolli. ¶ Ex quibus etiam liquet & colligitur, quod sine aliquo habitu per solam operationem supernaturalem potest remitti peccatum, quia operatio supernaturalis perfectius coniungit hominem cum Deo, quam habitus supernaturales potentiarum: sed per habitus potest remitti peccatum, vt modo diximus; ergo melius per actum illum, ad quem tanquam ad finem ipse habitus operatiuus ordinatur. Nam certè, actus charitatis est actus vnitiuus hominis cum Deo; quoniam per amorem vniuntur ea, quæ sunt diuisa: ergo ille solus sufficit ad rectificandum hominem, cum rectitudo consistat in vnione ad Deū. Et tandem, macula peccati solum dicit priuationē nitoris prouenientis ex coniunctione ad Deum: sed per actum supernaturalem charitatis coniungitur rursus Deus ipsi homini: ergo diffunditur ad ipsam animam splendor supernaturalis, & id sufficit.

*Concluſ.* SExta cōclusio. De potentia absoluta Dei absque pœnitentia formali per solam Dei dilectionem potest peccatum deleri, & quodcumque sit remitti. Nam voluntas potest immutari per dilectionem Dei super omnia ex charitate, sine tali pœnitentia formali ex sola virtuali. Hæc conclusio est certa: Quia de potentia ordinaria hoc fit in duobus casibus: ergo multo magis fieri poterit in omnibus casibus, si Deus voluerit de potentia absoluta. Probatur antecedens: Quia casu, quo quis subitò rapiatur ad martyriū, licet non formaliter detestetur peccata præterita, poterit consequi salutem, & remissionem peccatorum per oblationem vitæ pro Christo, & per solicitam illam dilectionem, quam gerit erga Deum, qui casus celebris est apud Theologos, & Scotum in. 1. d. 14. prope finem. Dixi, si subito rapiatur ad martyrium; Quia si darentur illi inducīæ, & tempus, teneretur discutere propriam cōsciētiam, & pœnitere de peccatis: Imo verò tenetur si adest copia Sacerdotis confieri, sicut cùm est in alio periculo mortis. Quia martyrium non aufert præceptum: Si tamen ita subito rapiatur ad martyrium, vt non adsit tempus discutiendi propriam conscientiam, quia pressura concitatus, tota eius cura est se offerre pro Christo, tūc sane, ille saluari poterit, sine pœnitentia formali. Quoniam vt dicit D. Ioan. cap. 14. & 15. Maiorem hac dilectionem nemo habet, quam vt animam suā ponat quis pro amicis suis. Vnde Christus absolute, & sine addito dixit: Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo. Et profecto durū est dicere, quod iste, qui moritur pro Christo, quòd quia non meminit peccatorum, idcirco condemnetur. ¶ Secundò etiam potest remitti peccatum de potentia absoluta Dei, absque formali pœnitentia, per solam dilectionem Dei, vt patet in eo casu, quod homo peccauit mortaliter, & est prorsus oblitus illius peccati commissi, sic adeo, quòd sufficiente facta discussione, non recordatur ipsius peccati: Tunc sane iste homo poterit iustificari sine formali pœnitentia per dilectionem Dei super omnia, quæ includit virtualiter pœnitētiam. Sic tenent Sanctus Thom. 3. p. q. 87. art. 1. & Gabri. in. 4. d. 14. q. 1. Sotus, & Scotus vbi supra. Et probatur hoc: Quia posito isto casu, iste non tenetur ex lege aliqua speciali habere contritionem durante ignorantia inuincibili, & tenetur adimplere omnia alia præcepta, & præceptum dilectionis Dei super omnia: Si ergo hoc præceptum adimpleat ex charitate; sequitur quòd potest iustificari sine pœnitentia formali. Si dicas, quòd ille tenebitur habere contritionem saltem in communi, & sub conditione; Si forsan peccaui doleo; Dico, quod hoc videtur voluntarium: quia ferme omnes post

*Ioannis. 14. & 15.*

*S. Thom. Gabriel. Soto. Scotus.*



post confessionem legitimam, & absolutionem, tenerentur specialiter ad illam contritionē conditionalem, quod est falsum: ergo. Item etiam, quia ille homo sicut tenetur præcepto diuino ad contritionem, ita etiam tenetur ad confessionem omnium peccatorum: sed in isto casu, de quo nobis est sermo, ille non tenetur confiteri, quia non habet de quo, nec tenetur ad confessionem in re, nec in voto formali, quia non cognoscit se habere materiam vllam pœnitentiæ: ergo pariter non tenetur habere contritionem formalem. Probatur antecedens: Quia si ille accederet ad confessarium, & diceret se non reperire mortale vllum intra propriam conscientiam, aut materiam aliquam pœnitentiæ, ille quidem etiam si se accuset sub conditione præfata non potest absolui, quia non adest materia: ergo nō tenebatur confiteri, neque habere propositum illius confessionis: ergo pariter non tenebatur habere contritionem illam conditionalem.

Rursus persuadetur conclusio. Quia ad remissionem peccati sufficit mutatio voluntatis per gratiā & charitatem: sed hæc immutatio, & conuersio voluntatis optime fieri potest per actum dilectionis Dei super omnia: ergo, &c. Maior patet: Quia in dilectione Dei super omnia includitur displicentia, & pœnitentia peccati virtualiter, & ista est auersio à malo, & conuersio ad creatorem. Constat rursus manifestè hoc de peccato originali, vbi puer veniens ad vsum rationis, si conuertatur, & iustificetur, tunc per solam dilectionem Dei super omnia, peccatum deletur.

Adducor etiam ad præfatam assertionem credendam: Quoniam in ipso instanti iustificationis, quando id fit per pœnitentiam formalem, & per veram contritionem, ibi simul adest ipsa dilectio Dei super omnia, quæ prior est ordine naturæ, quam pœnitentia, & contritio, vt dicit S. Thom. 3. p. q. 85. art. 6. sicut intentio est prior electione: ergo de potentia absoluta non est repugnantia, quòd Deus posita dilectione supernaturali possit suspendere actum contritionis, & sic ille maneret iustificatus, sine contritione & pœnitentia formali. Dixi, quòd non est repugnantia, quod possit suspendere actum contritionis, sicut suspendit actum subsistendi in humanitate Christi per incarnationem, & sicut posset absolute suspendere amorem in beatis manēte visione, & suspendere delectationem, quæ sequitur ex amore, etiam eodem amore manente in eisdem beatis.

Moueor rursus ad veritatem huius sextæ assertionis. Quia vel actus pœnitentiæ concurrit ad expulsionem peccati dispositiue duntaxat, aut effectiue, vt S. Thom. 3. p. q. 85. ar. 2. ad. 3. concedit: sed vtroque modo Deus potest supplere cōcursum illius actus, vt patet in alijs dispositionibus, & causis efficientibus: igitur sine illo potest Deus de potentia absoluta remittere peccatum. Imo verò Deus per sacramētum pœnitentiæ suppositā attritione remittit peccatum, & supplet vicem contritionis. Quoniam attritio præcisè sine sacramento, non est sufficiens dispositio ad remissionem peccati: ergo idem poterit Deus facere sine sacramento, & sine attritione, & remittere illud. Ostendo consequentiam. Quoniam quod Deus operatur per instrumentum, bene potest efficere se solo, & cum attritio sit minus sufficiens ad remissionem peccati, quam contritio, minus repugnabit illam suppleri in ordine ad istum effectum, quam suppleri contritionem.

Profectò, non implicat contradictionem, quod postquam quis cessauit à peccato, admittatur in Dei amicitiam, & acceptetur ad gloriam sine formali pœnitentia, & sine detestatione peccati: ergo non implicat, quòd sine pœnitentia remittatur alicui peccatum de potentia absoluta, & ex consequenti fieri potest à Deo, cum potentia eius absoluta se extendat ad omne id, quod non implicat contradictionem. Patet consequentia. Quia non stat quod aliquis sit amicus Dei, & acceptus ad gloriā, & quod simul maneat in peccato: Igitur non magis repugnat peccatori remitti peccatum sine pœnitentia, quam illum admitti ad diuinam amicitiam. Antecedens probatur: Quia ad hoc vt Deus aliquem diligat, non requiritur, quòd faciat illum bonum actualiter, id est, quòd ponat in eo actum moraliter bonū, sed satis est, quod fiat bonus habitualiter, infundendo illi gratiam, & virtutes supernaturales: sed non implicat huiusmodi virtutes dari ei, qui prius peccauerat, non solum sine pœnitentia formali, sed etiā sine vlla ipsius dispositione: ergo neque implicat eum, qui iam desijt peccare, admitti ad amicitiam Dei, sine formali pœnitentia. Dices, quod si infunderetur alicui gratia cum virtutibus supernaturalibus, quibus perficitur iustificatio impij, expelleretur sine dubio peccatum, quia non stat iustitia cum statu peccati; repugnat tamen gratiam ita infundi illi, qui peccauit, nisi habeat actum pœnitentiæ. Contra: Nam cum repugnat aliquam formam produci in subiecto aliquo, aut illud oritur ob id, quod forma alia præexistens in subiecto, nulla ratione expelli potest, quia est inseparabilis omnino ab eo, & ita resistit productioni oppositæ formæ, aut quia forma illa cōseruatur in subiecto à fortiori agente: sed in hoc casu neque isto modo impeditur gratiæ productio: Quoniam status peccati, est forma quædam amissibilis, & non conseruatur à potentiori agente quam sit Deus, qui introducit formam gratiæ habitualis: igitur nō repugnat, quòd Deus sua potentia introducat hanc formam, & expellat peccatum. ¶ Et confirmatur: Quia gratia secundum se absque vlla præuia pœnitentia, ita opponitur statui peccati, vt non possit simul esse cum illo: sed non repugnat gratiam infundi sine pœnitentia formali: ergo neque repugnat expelli peccatum. Minor liquet ex dictis, & maior probatur: Quoniam gratia aut ex natura sua facit hominem iustum apud Deū, aut saltem id facit ex ordinatione diuina: ergo potest Deus facere hominem iustum per gratiam habitualem, aut ex natura ipsius qualitatis, aut ex ordinatione sua: sed repugnat quod idem homo apud Deum sit iustus, & iniustus: ergo pariter repugnat, quod homo sit in statu peccati, & quòd simul habeat gratiam aliquo modo iustificantem. Et confirmatur secundo: Quia pueris per gratiam, quæ in baptismo confertur, sine vlla illorum detestatione, remittitur de facto peccatum; cum tamen re vera essent in peccato, & in odio Dei: igitur pari modo poterunt adultis remitti peccata actualia de potentia absoluta, per infusionem gratiæ, sine ipsorum detestatione transacto actu peccati. Dices, esse magnum discrimen,

quia

quia in pueris solùm reperitur originale peccatum, quod non consistit in actuali deordinatione, sed solum in quadam deordinatione habituali naturæ, & quod idcirco remittitur paruulis peccatum cum sola immutatione, & conuersione habituali in Deum, quæ fit per infusionẽ gratiæ. At verò, peccata actualia adultorum consistunt in deordinatione, & auersione actuali voluntatis, & ideo remitti non posse sine immutatione, & conuersione actuali voluntatis, quæ per pœnitentiam fit. Contra: Quia licet hæc doctrina vera sit ad reddendam causam cur de lege ordinaria non remittatur peccatum actuale sine pœnitentia, quamuis remittatur originale paruulis in baptismo sine vllo actu proprio; tamen non est sufficiens ad ostendendum id implicare contradictionem in actuali, quod non implicat in originali. Quod sic ostendo: Quia ita proprie, & simpliciter puer est auersus à Deo per originale peccatum, sicut adultus per personale postquam cessauit actu peccare: ergo non magis implicat auersionem habitualem auferri, & repelli ab adulto sine formali pœnitentia, quam à puero auersionem originalis peccati. Sed dices, adultum esse auersum per actum proprium, & idcirco necessarium esse, quod per actum proprium conuertatur. Contra: Quia ista differentia non est intrinseca ipsi auersioni, sed extrinseca, & tenet se ex parte causæ efficientis: ergo non sufficit ad hoc, quòd tollatur sine actu pœnitentiæ, quod vni auersioni repugnet magis, quam alteri. Patet consequentia: Quia si repugnaret, deberet hoc prouenire ex intrinsecis ipsius auersionis. Rursus, Si differentia illa esset admittenda tanquam ratio prædictæ implicationis, sequeretur necessarium esse puerum conuerti per actum alienum, sicut necessarium est, adultum conuerti per proprium. Patet sequela; Quia ita pendet auersio peccati originalis in puero ab auersione actuali aliena, sicut auersio habitualis in adulto, qui iam cessauit peccare, ab auersione actuali propria. Quod si dicas, hoc esse concedendum, & consequenter dicas puerum conuerti per actum Christi saluatoris sui: Contra; Nam sequitur, quod si Verbum non assumpsisset carnem, aut saltè aliquis nõ pœniteret pro tota natura humana; non posset Deus etiam de potentia absoluta remittere peccatum naturę, quod tamẽ falsum esse constat ex his, quæ dicunt Catholici Theologi. 3.p.q.1.art.2.

Dicendum igitur est, quòd in eo, qui non habet actualem detestationem peccati, posset esse conuersio libera in Deum per actum dilectionis. Nã quòd modo ad cõuersionem illius, qui peccauit mortaliter, necessaria sit actualis detestatio peccati, non prouenit ex ipsa natura rei, sed ex institutione Dei.

*Arg. contra 6.conclus. quo ad oppositum mouẽtur Dominicus à Soto., & Petrus à Soto.*

Sed contra præfatam sextam cõclusionem arguit Sotus in.4.dist.15.q.1.artic.2. Imo verò Petrus à Soto in tractatu de institut. Sacerdotum, lect.4. de necessitate pœnitentiæ ad remissionem peccatorum. Nam auersio à Deo, quæ fit per peccatum mortale, est quædam priuatio libera: ergo repugnat hanc tolli nisi per positiuum, cui opponitur. Quoniam inter priuationem, & positiuum, cui opponitur circa proprium receptiuum, est immediata oppositio: sed liberæ auersioni nullum positiuum potest esse contrarium, nisi libera conuersio: ergo implicat auersionẽ peccati tolli, nisi per hanc conuersionem liberam: sed libera conuersio in Deum constat detestatione peccati: ergo implicat peccatum tolli, sine illius detestatione. ¶Huic argumento possumus respondere, quod status peccati, à quo quis dicitur peccator postquam cessauit peccare actualiter, est quidem auersio libera à Deo; non tamen est intrinsece libera per modum actus secundi, licet non haberet rationem culpæ, nisi supponeret hoc genus libertatis, sed est libera intrinsece per modum actus primi, & hoc pacto pariter habitualis conuersio, quæ fit per habitum gratiæ potest dici libera. Vel aliter dici potest, quòd fundamentum, quod in illo argumento supponitur, est falsum; nempe, auersionem à Deo, quam importat status peccati esse formaliter priuationem solius conuersionis liberæ in Deum, & illi dumtaxat opponi priuatiue. Quia licet status peccati, de quo loquimur, sit libera priuatio conuersionis in Deum, ideſt, proueniens ex actu libero deordinato; non tamen est essentialiter priuatio liberæ conuersionis actualis duntaxat, sed est libera priuatio cuiuscumque conuersionis; & ita non opponitur priuatiue soli conuersioni liberæ, sed conuersioni cuiuscumque; ac proinde ex natura sua non postulat expelli per liberam conuersionem actualem, sed expelli potest etiam per conuersionem absque libertate factam, dummodo talis conuersio vel ex Dei institutione, vel ex natura rei sit incompossibilis cum statu peccati, qualis est illa, quæ fit per gratiam, vt supra ostensum est. Quod autem prædicta auersio non opponatur tantum liberæ conuersioni, probo: Quoniam alias non repugnaret simul esse liberam auersionem à Deo cum conuersione, absque libertate facta per habitum gratiæ, qualis est illa, quæ fit in pueris. Antecedẽs verò quòd absq; conuersione facta per habitum gratiæ possit de potentia absoluta Dei remitti peccatum; explicatum est à nobis in superioribus satis, & explicabitur amplius infra, & in solutionibus argumentorum. ¶Alij Theologi, aliter soluunt prædictum argumentum: dicunt enim quòd in eo, qui non habet actualem detestationem peccati, in illo quidẽ posset fieri conuersio libera in Deum per actum dilectionis. Quoniam quod nunc necessaria sit actualis detestatio peccati ad cõuersionem eius, qui peccauit mortaliter, non prouenit ex ipsa rei natura, sed ex Dei institutione, vt dicunt Theologi. 3.p. in materia de pœnitentia. Quod si ali quis velit defendere, per solam infusionẽ gratiæ sine omni actu libero, siue dilectionis, siue pœnitẽtię deleri posse de potentia Dei absoluta, recurrat ad solutiones datas.

*Solutio.*

*Conclus.*

SEptima conclusio. Potest peccatum remitti; & quicumque iustificari, & voluntas immutari de potentia Dei absoluta, sine omni actu elicito peccatoris, vt patet in casu communi Theologorum de illo, qui iustificatur dormiens à Deo. Et probatur conclusio. Quia ad remissionem peccati sufficit, quod voluntas peccatoris immutetur per gratiam: sed ista immutatio sufficienter fieri potest à Deo habitualiter, sine actu elicito peccatoris: ergo potest remitti peccatum, sine actu elicito peccatoris, & sic iustificari. Consequentia aperta est cum maiori; minor probatur: Quia paruulus in originali habet voluntatem vere auersam à Deo, & nihilominus illa voluntas conuertitur & immutatur habitualiter per gratiam baptismalem sine actu pueri: ergo si hoc fit de lege, pariter Deus sine sacramento poterit idem facere. Dices, quòd in paruulo hoc fieri potest, quia est auersus per alienam voluntatem, & nõ per propriũ actum, & ita fuit auersus habitualiter; adultus verò per proprium actum voluntatis suæ auersus est; & idcirco, licet hoc fiat in puero; nõ tamen in adulto, quia adultus per actum proprium conuerti debet etiam cum baptizatur, vt S. Thom. dixit. 3.p.q.86.art.2.ad.1. ¶Sed hoc discrimen, vt supra diximus, optimum est de lege ordinaria, & est suauissima Dei dispositio vt ita fiat de lege ordinaria, quod is, qui proprio actu peccauit, proprio actu cõuertatur. Verũtamẽ hic loquimur de tota Dei potẽtia absoluta, in quo non apparet implicatio, vt sicut conuertit puerũ sine suo actu, ita adultũ, &c. Itẽ persuadetur de attrito. Nã qui attritus accedit ad baptismũ, & pœnitentiam, de lege ordinaria sine proprio actu contritionis iustificari potest per sacramẽtum, scilicet, in ipso instanti infusionis gratiæ, & tamen quando accessit ad sacramentum erat Deo inimicus, & posset iustificari dormiens, vel si erat attritus, & petijt baptismũ, cũ sit amens etiã iustificatur. Tunc arguitur: Iste habet voluntatem auersam per proprium actum; & tamen de lege potest iustificari, & voluntas eius immutari sine proprio actu suo: ergo quemcunque potest Deus de potentia absoluta iustificare sine suo actu. Sed dices, iam illum cæpisse pœnitere, & habuisse actum attritionis. Sed dico, quòd nihilominus transacto actu attritionis antequam reciperet sacramentum, erat Deo inimicus, & à Deo auersus, & erat in culpa, & peccato. Imo verò dico, quòd de potentia absoluta potest Deus supplere se solo attritionis effectum, qui est dispositio causata ab attritione, & postea iustificare. Nam potest facere effectum contritionis Deus se solo sine contritione per proprium actum, vt facit in sacramento: ergo poterit facere effectum attritionis se solo. Rursus probatur: Quia Deus suam potentiam non alligauit, neque limitauit ad hoc, vt id quod facit sine actu proprio per sacramentum, non possit se solo facere: Sed facit per sacramentum sine actu proprio peccatoris effectum contritionis: ergo. Item, Deus potest immutare intellectum, & tollere errorem eius sine proprio actu intellectus, per solum actum Dei, ita vt habitualiter commutetur intellectus ab errore ad scientiam: ergo pariter potest voluntas habitualiter immutari à malo in bonum, sine proprio actu. Ostendo consequentiam. Quia sicut se habet intellectus ad verum, & falsum, ita voluntas ad bonum, vel malum, & sicut voluntas auertitur per actum vitalem proprium à bono ad malum in peccato, ita intellectus à scientia ad errorem conuertitur suo actu vitali. Antecedens probo: Quia non est repugnantia vlla, quod Deus homini dormienti & erranti infundat habitum scientiæ, & corrumpat errorem intellectus, inclinando habitualiter intellectum ad verum, & ordinando species intelligibiles, & phantasiam: ergo pariter poterit Deus immutare voluntatem peccatoris dormientis habitualiter, sine proprio actu. Cur ergo simili proportione id non poterit fieri à Deo in voluntate.



*Quod Dini Bonauent. & Scoti sententia non sit improbabilis prorsus.*

HActenus diximus quam sit rationabilis, & valde efficax Sanctissimi præceptoris sententia, circa disputationem supra tactam. Et quamuis existimem D. Thomæ doctrinam esse veram, & certam; nihilominus opposita Bonauenturæ, & Scoti, & aliorum sententia non est improbabilis, tum, quia argumenta, & fundamenta pro secũda sententia affirmatiua, sunt efficacia; tum etiam, quia illustres habet authores pro se. Et idcirco, præter ea, quæ diximus in fauorem Scoti, & D. Bonauent. duas constituo propositiones, vt si quis velit hanc defendere sententiam, illam defendat.

Prima propositio. Loquendo de potentia Dei absoluta, peccatum quod incurrit homo eleuatus ad finem supernaturalem, posset tolli, quantum ad ipsam culpam, sine gratia habituali, & sine amicitia supernaturali Dei, per hoc, quod homo se conuerteret ad illum, vt ad finem naturalem, si deordinaretur à fine supernaturali. Imo verò, nulla dispositione prærequisita ex parte hominis. Probatur: Quoniam malitia peccati illius hominis, esset eiusdem speciei & intensionis cum malitia alterius, qui peccauit in puris naturalibus; quia suppono, quòd peccauerint eadem intensione circa idem obiectum, & cum eisdem circunstantijs; Et ex alia parte non posset homo ille magis se disponere ad remissionem peccati, quam homo in puris naturalibus, Deus etiam eodem modo se haberet ad vtrumque: ergo sicut vni posset remitti prorsus peccatum sine gratia, aut amicitia supernaturali, ita & alteri. Imo verò, tũc ex naturali prouidentia Dei esset naturale, quod Deus illi (pro sua misericordia) sic disposito, in puris naturalibus dimitteret peccatum. Quòd verò etiam sine vlla dispositione posset ei peccatum condonare, & remittere, persuadetur: Quia quamcunque formam potest Deus de potentia absoluta inducere sine dispositione: ergo posset inducere naturalem amicitiam, & remissionem peccati, sine vlla dispositione ex parte hominis. Et cõfirmatur. Quia falsum videtur (vt supra ostendimus) quod dicit Soto, & alij cum eo, Deum non posse in hoc statu etiam de potentia absoluta delere peccatum, sine dispositione liberi arbitrij: ergo pariter est falsum, q̃ homini deordinato à fine supernaturali non possit remitti peccatum, sine dispositione ex parte illius. Quòd si dicas, quòd Deũ sua liberalitate supplere istã dispositionem, est supra naturam: ergo est amicitia Dei supernaturalis, & consequenter non deletur tunc peccatum sine amicitia supernaturali; Respondetur, amicitiam illam non esse supernaturalem, quantum ad substantiam, cum in ea non amet Deus hominem in ordine ad aliquod supernaturale sed solum est supernaturalis quoad modum, quia non datur modo naturali illa amicitia; nos autem loquebamur de amicitia supernaturali quoad substantiam, qua Deus nobis vellet supernaturale bonum non quodcumque, sed amicitiam supernaturalem & diuinam. Tandem probatur assertio hæc ex omnibus argumentis, & fundamentis supra tactis pro secunda opinione.

*Conclus.*

Secunda propositio. Si sermo etiã est de potentia Dei

*Conclus. 2.*

Dei absoluta, peccatum hominis eleuati ad finem supernaturalem, potest ipsi in eadem eleuatione manenti dimitti, non tantum sine habituali gratia, sed etiam sine amicitia supernaturali. Et hæc est Scoti, Gabrielis, Victoriæ, & Gersonis sententia, locis supra citatis, quorum argumenta superiùs retulimus circa exordium secundæ opinionis, & in discursu eius. Et probatur: Quia eleuatio ad finem supernaturalem, neque variat rationem peccati, neque minuit potentiam Dei absolutam, neque capacitatem hominis, aut potentiam obedientialem in ordine ad talé absolutam Dei potestatem, seu potentiam: ergo sicut remota ista eleuatione poterat Deus remittere peccatum homini per solam rectitudinem naturalem, quæ peccato aduersatur; ita etiam stante tali eleuatione. Sed dices, quæ est ista rectitudo naturalis? Respondetur, quod sicut peccatum habituale est dignitas ad pœnam æternã orta ex ipsa culpa actuali & offensa, & resultans in homine ex suo actu malo, quatenus propter illum est secundum rectam rationem punibilis; ita hæc dignitas est relatio quedã rationis habens fundamentum, & rationem fundãdi immediatè in rerum natura; Et ita, rectitudo naturalis est quædam dignitas personæ, quæ oritur ex naturali amore; qui enim amatur à Deo naturali amore, ideſt, in ordine ad beatitudinẽ naturalé, eo ipso est in se dignus naturali beatitudine, & nõ est dignus priuari beatitudine naturali nec supernaturali, quãuis simul posset esse, q; nõ maneat dignus supnaturali beatitudine, sed neq; dignus illa, neq; dignus priuatione illius. Rursus, rectitudo naturalis importat debitum ordinem rationis, & potentiarum ad legem & ad Deum; & sicut sanitas corporis non est qualitas distincta realiter ab humoribus proportionatis, & pulchritudo non est qualitas distincta à recta positione membrorum; ita rectitudo illa naturalis, non est qualitas distincta à potentijs recte ordinatis, & compositis respectu legis naturalis, & Dei authoris naturæ; Et pariter huic rectitudini naturali animi opponitur obliquitas, & deordinatio respectu legis naturalis, & authoris naturæ, secundum quam in homine peccatore est indignitas quædam personæ. Quare, sicut virga tortuosa fit recta, sine entitate reali superaddita & distincta; sic de potentia absoluta non est necesse, quod rectitudo illa naturalis sit entitas realis superaddita potentijs ordinatis. ¶Sed contra id, quod diximus de amore naturali, quòd importat dignitatem personæ ortam ex naturali amore Dei; obijcitur primo. Quia ex hoc sequitur, quod si Deus vellet alicui dare beatitudinẽ naturalem, quòd non posset homo manere in peccato, & consequenter non posset Deus remittere pœnam, quin tolleret culpam. Probatur sequela: Quoniã si vult dare beatitudinem naturalem: ergo amat hominem in ordine ad illam: amare enim est velle alicui bonum: sed per te ex naturali Dei amore ad hominẽ, resultat in ipso homine dignitas destruẽs peccatum: ergo eo ipso manet homo sine peccato. ¶Secundò obijcitur. Qui est in solo originali habet rectitudinem naturalem, quia est dignus beatitudine naturali, & illam obtinebit, secundum probabilẽ sententiam, si sine vllo alio peccato decedat; Dæmones etiam sunt digni beatitudine naturali, & illa potiũtur: sed isti sunt in peccato: ergo rectitudo naturalis non tollit peccatum, & ita licèt modo restituere tur peccatori talis rectitudo; si tamen non reponeretur in gratia, adhuc maneret in peccato. ¶Ad primam obiectionem respondetur, negando sequelã. Quoniam dupliciter potest Deus velle alicui beatitudinem naturalem, vno modo ex amore hominis, quia vult illam homini propter ipsum hominem; & quatenus est bona homini, & hoc est amare hominem, & sufficit ad delendam culpam; at si solum ad ostensionem suæ potentiæ, vel ob aliam causam velit homini peccatori dare beatitudinem, tollitur reatus pœnæ, & non culpa, quia non amat Deus hominem in ordine ad beatitudinem naturalem amore amicitiæ, & eadem distinctione optime vtuntur Sotus, & sui in ordine ad beatitudinem supernaturalẽ. Quòd si Deus ex amore amicitiæ velit eam dare homini, per hoc deletur culpa; Si verò velit ob aliam causam, per hoc deletur solum reatus, & obligatio ad pœnam. ¶Ad secundam obiectionem respondent aliqui, quòd originale peccatum est vera dignitas ad pœnam contracta ex alieno actu, scilicet Adæ, & idcirco debet respicere pœnam, qua priuetur homo, eo quod sibi debebatur in Adam, & non ex natura sua. Quare, illius pœna consistit in priuatione rectitudinis supernaturalis, ad quam habebat ius in Adam, & non consistit in priuatione beatitudinis naturalis, quæ debebatur sibi, ratione prioris naturæ, & ob id non tollitur originalis culpa per naturalem rectitudinem, sed per gratiam, vel amicitiam Dei supernaturalem, qua tollitur dignitas ad carentiam talis beatitudinis. Similiter, quia Dæmones non possunt peccare, nisi in ordine ad supernaturalia, & quia beatitudo naturalis est coniuncta intimè ipsis, idcircò peccando, licèt sint, & fiant digni priuatione beatitudinis supernaturalis, & alijs pœnis, quę supernaturale bonum respiciunt; tamen non priuantur naturali beatitudine, quia non possunt peccare, nisi in ordine ab supernaturalia; & idcirco, ipsorum peccatum non deletur per rectitudinem, seu dignitatem naturalem, secus verò peccatum, quòd homines contrahunt suis actibus. ¶Veruntamen nos superius diximus qualiter, secundum probabiliorem sententiam, simul in Dæmonibus peccatoribus, sicut non manet rectitudo supernaturalis, ita neque naturalis, quia ex peruersa eorum voluntate, & peccato superbiæ, omnia perturbantur. De qua re legẽda sunt, quæ diximus in disputatione de Angelis.

*Scotus. Gabriel. Victoria. Gerson.*

Vt autem melius ostendatur probabilitas præfatæ sententiæ D. Bonauent. & Scoti, aduerte, quod peccatum duo habet contraria, nempe, rectitudinem naturalem, & supernaturalem. Vnde, si peccatum consideretur quoad ea, quæ dicit secundum rationem formalem, in qua potest saluari peccatum, quę cumque istarum rectitudinum ponatur, delebitur peccatum, ac proinde poterit remitti per hoc, quòd homo deducatur ad rectitudinem naturalem absque infusione gratiæ. Propter quam causam negandum est nihil aliud opponi peccato, nisi gratiam; Nam opponitur ei etiam naturalis rectitudo, & dignitas ad naturalem beatitudinem orta ex amore naturali Dei, per quam tollitur etiam dignitas ad priuationem beatitudinis supernaturalis, licet talis rectitudo non dignificet ad supernaturalem beatitudinem.



tudinẽ. ¶Pro quare valde aduerte, aliud esse mereri, seu esse dignum beatitudine supernaturali; aliud verò nó demereri eã, neq; esse dignũ priuatione illius, nec esse in dispositũ, & impeditũ ad illã; sed tantũ negatiue se habere, nec merendo, nec demerẽdo illã. Primũ fieri nequit sine gratia habituali, vel amicitia Dei: secũdum verò fit per rectitudinem naturalem, & ita per illam deletur peccatum, quod est quędam indispositio veluti positiua impediens beatitudinem supernaturalem, & est indignitas & demeritum illius, & hæc rectitudo prouenit ex amore naturali Dei ad hominẽ sine aliqua entitate causata in homine, vt patet si quis post peccatũ conuerteretur ad Deum in puris naturalibus: tunc enim Deus illum diligeret in ordine ad beatitudinem naturalẽ; & per hoc non solum maneret dignus naturali beatitudine, sed etiam tolleretur indignitas positiua, quam habebat ex peccato ad supernaturalẽ beatitudinem. Et forte quando S. Thom. hic in articulo dicit, non posse intelligi remissionem peccati sine infusione gratiæ, intelligendus est iuxta primam conclusionem, etiam pro sua sententia superius allatam de remissione reparatiua omnium damnorum, vt Victoria explicuit.

### *Argumenta, quæ vrgent contra præcedentem sententiam.*

QVoniam probabile esse diximus D. Bonau. & Scoti placitum, idcirco argumenta, quæ contra eosdem militant proponere decreui breuiter, & pariter dissoluere, licet etiam in gratiam ipsorum in exordio huius disputationis pleraque alia fuerint à me proposita. Primum ergo argumentum pro S. Thoma, Caietano, Ferrar. & alijs authoribus, quod contra Scotum, & D. Bonauent. militat, tale est. Peccatum formaliter expellitur per gratiam, sicut tenebræ lumine pellũtur, vt ex Trident. Concilio habetur: sed implicat tenebras auferri sine lumine: ergo & peccatum sine gratia: Peccatum enim est vera priuatio, vel priuationem in omni sententia includit: sed non est priuatio, nisi gratiæ: ergo non potest auferri, nisi per gratiam. Et confirmatur: Quia si gratia, & peccatum nõ haberent istam oppositionem priuatiuam, possent de potentia absoluta esse simul, quia omnia alio modo opposita non repugnãt simul: consequens est falsum; quia alias homo manens in peccato posset esse gratus Deo. ¶Secundum argumentum tale est. Si potest peccatum sine gratia deleri: ergo per solam non imputationem delebitur in eo casu, quia non est intelligibilis alius modus. Si autẽ per non imputationem aufertur: ergo consistebat peccatum in sola imputatione, cùm sola illa ablata, ipsum auferatur: consequens est falsum, & contra Trident. Concil. sessio. 6. cano. 11. Vbi damnãtur homines dicentes, iustificari hominem sola imputatione iustitiæ Christi. Et confirmatur: Peccatum est macula, & deformitas: sed hæc non potest tolli, nisi per pulchritudinem, quæ est gratia: ergo. ¶Tertio. Saltem peccatũ originale non videtur posse remitti sine gratia: est enim formaliter priuatio, cum sit species peccati in communi, quod tantum in priuatione consistit, secundum communem sententiam: sed non est priuatio alterius rectitudinis, cuius est omnino incapax tale subiectum, nempe, infans: ergo est tãtum priuatio gratiæ: ergo non potest auferri sine gratia. ¶Quartò. Alias sequeretur posse deleri vnum mortale manentibus alijs: consequens est falsum: ergo. Patet sequela: Quia si per non imputationem, vel simplicem remissionem deletur peccatum sine infusione gratiæ, vel eleuatione in amicitiam Dei, nulla posset assignari ratio cur implicet remitti vnum peccatum sine alio; hoc autem esse falsum, liquet ex S. Thom. 3. p. q. 86. art. 3. & ex eius ratione: ergo. Cõfirmatur: Quia eadem ratione posset remitti peccatum veniale sine mortali: consequens etiam est contra eundem S. Thomam. 3. p. q. 87. artic. 4. ergo. ¶Quintò. Peccatum formaliter dicit auersionem à Deo, & conuersionẽ ad creaturas: sed implicat auferre auersionem à Deo sine conuersione ad ipsum, sicut implicat auersionem à Sole auferri, nisi ex conuersione ad ipsum; conuersio autem ad Deum nequit intelligi sine gratia; Nam qui est conuersus ad Deum, est amicus eius: ergo. Et confirmatur: Nam modo de facto peccatum est priuatio rectitudinis supernaturalis: sed hæc rectitudo in gratia principaliter consistit: ergo principaliter est priuatio gratiæ. Et confirmatur iterum: Quia ille, qui peccat mortaliter, est subiectus priuationi gratiæ, & rectitudinis supernaturalis: igitur donec talis rectitudo supernaturalis ei restituatur, non obtinebit remissionem sui peccati vllo modo. Patet cõsequentia: Quia ille, cui remittitur peccatum sine rectitudine supernaturali, adhuc est auersus à supernaturali fine: ergo adhuc illi remissum non est peccatum. Imo verò, qui peccat mortaliter, etiam in puris naturalibus existẽs, ponit obicem diuinæ amicitiæ, & efficitur indignus illa: ergo non potest deleri peccatũ hoc, nisi tollatur hæc indignitas: sed hæc tolli non potest, nisi per dignitatem supernaturalẽ: ergo. Et augetur difficultas. Quoniam ex sententia quorundam Theologorum, quicumque peccat cõtra legem naturæ, simul peccat contra legem supernaturalem: ergo vtramque rectitudinẽ amittit. Probatur antecedens: Quoniã is, qui adulterium facit, non solum transgreditur legem de non adulterãdo, sed etiam præceptum supernaturale, vt nullam creaturam diuinæ amicitiæ præponamus. ¶Sextò arguitur. Quia alias nunc de facto habentibus ignorantiam inuincibilem Dei finis supernaturalis, remitteretur peccatum sine gratia: consequens est contra Trid. loco citato: ergo, &c. Patet sequela: Quia eorũ peccatum non priuat rectitudine supernaturali: nõ enim offendunt Deum finem supernaturalem, quẽ inculpabiliter ignorant, sed eodem modo se habẽt, ac si essent in puris naturalibus. Et cõfirmatur: Quia sufficiẽter aufertur priuatio per formã, qua priuat: sed peccatum istorum solum priuat rectitudine naturali: ergo sufficienter aufertur per rectitudinem naturalem, siue supernaturalem. Hæc & pleraque alia sunt argumenta in fauorem S. Thom. facta.

*Argum. 1.* *Confirm.* *Secundum.* *Confirm.* *Tertium.* *Quartum.* *Confirm.* *Quintum.* *Confirm.* *Confirm. 2.* *Sextum.* *Confirm.*

### *Solutio ad hæc argumenta modo facta contra D. Bonauenturam & Scotum.*

HÆc argumenta probabiliter soluenda sunt à nobis, vt ostendatur qualiter non sit improbabilis Scoti, atque D. Bonauent. opinio. ¶Ad primum respondetur, peccatum quo ad ea,

*Ad argum.*

ea, quæ de facto includit tam pro formali, quam pro materiali esse priuationem gratiæ, & hac ratione implicat auferri peccatum nisi per gratiam, nempe, quantum ad omnia damna, quæ peccatum intulit, & ita loquitur Concilium. Vel certe de facto tantum est sermo, sicut cum dicit neminem posse esse gratum, nisi per aliquid inhærens, at vero secundū præcisam rationem, inqua potest saluari ratio peccati, non dicit priuationem gratiæ, vt satis superius explicatum est plerisque in locis huius controuersiæ.

*Ad confir.* ¶Ad confirmationem dicemus, si Deus dederit in hoc art. disputat. 3. vel. 4. cum disputauerimus, vtrum peccatum & gratia opponantur.

*Secundum.* ¶Ad secundum respondetur, quod peccatum secundum omnia, quę includit de facto, est priuatio gratiæ, & condignitas pœnæ, &c. Cæterum pro formali peccatū actuale dicit priuationem rectitudinis contra legem Dei, peccatum autem habituale dicit hanc eandem priuationem habitualiter, ita vt censeatur manere virtualiter illa eadem culpa actualis, ratione cuius homo manet obiectum diuinæ indignationis, & quantum est in se conseruat inimicitias cum Deo, & per hoc est homo culpabilis formaliter, potiusquam per hoc, quod amiserit amicitiam Dei. Imo, proprie non consistit culpa in eo, quod illam amiserit; tum, quia non habebat speciale præceptum conseruandi illam; tum etiam, quia negatio illius nō est propriè priuatio in homine: priuatio enim dicit carentiam formæ inhærentis subiecto, & amor Dei tenet se ex parte ipsius Dei, & denominatiue ex parte hominis, sicut paries non dicitur priuatus quando actualiter non videtur. Concilium vero loquitur de facto secundum omnia, quæ includit peccatum, imò verò fauet nostræ sententiæ, distinguēs remissionem peccati à iustificatione; & ob id ait, non iustificari homines sola peccatorum remissione excluſa gratia, id est, licet de potentia absoluta possent peccata deleri sine gratia; de facto tamen non delentur, nisi per gratiam, & hoc significat nomen iustificationis, quod non tantum corruptionē, sed generationem iustitiæ significat; bene tamen posset vnum esse sine alio, sicut de facto nulla datur in mixto corruptio caloris, cui non sit coniuncta productio frigiditatis, posset tamen corrumpi calor sine productione frigiditatis, vt de se patet.

*Ad confir.* ¶Ad cō firmationem dico, peccatum esse formaliter maculam, ideſt, illam moralem deformitatem, quæ consistit in eo, quòd virtualiter maneat culpa, & hæc tollitur per solam remissionem peccati. Est etiam macula causaliter, quatenus causat priuationem gratiæ solùm, & ista macula de potentia Dei potest manere sine peccato, quia solum est effectus peccati.

*Ad tertium* ¶Ad tertium respondetur, quod peccatum originale de facto est priuatio gratiæ, & ita non aufertur, nisi per gratiam; Cæterum, sicut habituale peccatum potest de potentia absoluta reperiri sine eo, quod sit priuatio gratiæ, & ita potest auferri sine gratia; eodem modo est dicendum de originali, quod fere est eiusdem rationis cum habituali peccato primi parentis. Posset ergo Deus non tribuere gratiam habitualem Adæ, sed illum extrinsece diligere, ordinando ad bonum supernaturale; & tunc neque peccatum habituale in ipso, nec originale in nobis esset priuatio habitualis gratiæ, sed tātum illius intrinsecæ amicitiæ, quæ non esset proprie priuatio, vt dictum est. Rursus posset nec ad istā amicitiam eleuare, sed tantum ei aliqua dona naturalia, vel supernaturalia conferre, vt si illi iustitiam tantum originalem cum supernaturalibus habitibus donaret, præcisa tamen gratia, & in esse qualitalitatis, & in esse gratiæ; tunc peccatum habituale Adæ non consisteret in priuatione gratiæ Dei, neque in esse qualitatis, neque in esse gratiæ, sed in auersione à Deo, scilicet, in priuatione rectitudinis causata per actum, quæ postea moraliter illi imputatur, & tunc peccatum originale in nobis non consisteret in priuatione gratiæ, sed in auersione à Deo, nempe, in priuatione rectitudinis causata per actum patris, quæ moraliter imputatur filio, sicut defectus capitis imputatur etiam membris. Sed diceretur pro materiali peccatum originale consistere in priuatione iustitiæ originalis, vel illius doni, quod sane ex pacto Dei in posteros transfunderetur.

¶Sed contra: Peccatum est priuatio in puero: ergo rectitudo, qua priuat debet esse in puero, &c. Respondetur, quòd tunc priuaret ea rectitudine, quæ sibi imputaretur si Adam rectus permaneret, priuaret etiam ea rectitudine, & puritate, quam alias puer haberet sine vlla auersione à Deo; Indignatio enim quam Deus, tam vt author supernaturalis, quam vt naturalis haberet contra Adam, tunc etiam extenderetur ad filios eius, qui hac ratione essent auersi à Deo, & non conseruarent amicitiam naturalem, quam alias contraxissent cum Deo.

*Ad quartum* ¶Ad quartum respondetur negando sequelam. Alij dicunt, quòd forte de potentia absoluta etiam posset vnum mortale sine alio remitti, ad modum, quo intelligimus in iusto vnum veniale sine alio perfecte remitti, & ita tenent authores, qui sequuntur Scotū, & Gabrielem circa partem affirmatiuam supra tactam. Nam de lege, vnum mortale sine alio non potest remitti, vt fides docet. Sed D. Thomas loquitur de potentia ordinaria, quod patet: Quoniam id probat ex eo, quod peccatum non potest sine pœnitentia remitti: sed hoc explicant communiter Thomistæ de potentia ordinaria, vt supra vidimus: ergo & illud. Postremo dico, q; si remittatur, & repellatur peccatum per rectitudinem naturalem, cum illa importet quandam renouationem animæ; sic non potest vnum mortale sine alio remitti.

*Ad confirmationem.* ¶Ad confirmationem. Scotus & Gabriel vbi supra, Durand. in. 4. d. 16. q. 2. Nauarrus, de pœnitent. d. 6. cap. 1. §. Sacerdos num. 78. Palude in. 4. d. 16. q. 1. dicunt, peccatum veniale de potentia absoluta posse remitti sine mortali. Nam putant, puero morienti cum originali, & veniali, remitti tantum veniale, ne in æternum crucietur. Sed quod aliqui horum addunt, etiam de potentia ordinaria aliquando remitti veniale sine mortali, nullo modo placet; Si quæ autem inter hæc sit disparitas, assignabitur in Commentarijs ad. 3. p. in materia de pœnitentia.

*Ad quintum* ¶Ad quintum iam supra diximus, conuersionem illam non esse physicam, sed moralē, quæ per se ipsam potest auferri per destructionem moralem, scilicet, per remissionem, & condonationem, vt patet inter homines.

*Ad contra.* ¶Ad confirmationem fusè satis respōsum est supra. q. 110. artic. 4. per duas integras disputationes. Et rursus aduertenda sunt, quæ diximus paulo antea in discursu secūdæ propositionis in fauorem huius



huius sententiæ, vbi protulimus quòd esse positiuè dignum supernaturali beatitudine, fieri nequit sine gratia supernaturali, vel amicitia Dei supernaturali; at verò non esse dignum priuatione illius beatitudinis supernaturalis, neque merendo, neque demerendo, sed tantum negatiuè se habendo ad illam, id quidem fit per rectitudinem naturalem, per quam deletur peccatum, quod est quædam indispositio veluti positiua, impediens beatitudinem supernaturalem, quia est indignitas, & demeritum illius; Hæc autem naturalis rectitudo prouenit ex naturali amore Dei erga hominem, sine aliqua entitate causata in homine, sicut euenit in homine, qui post peccatum in puris naturalibus conuerteretur ad Deum, vt suprà in discursu

*Minor. 2.* prædictæ secundæ propositionis explicuimus. ¶Et per hoc patet responsio ad vltimam confirmationem. Nam in primis, ille, qui post peccatum restituitur ad naturalem rectitudinem, iam habet deletum peccatum, & licèt non sit ei restituta supernaturalis dignitas; tamen non est positiuè indignus, sed tantum negatiuè se habet ad supernaturalem illam dignitatem, quia neque est dignus, neque indignus, sed non dignus. Vndè, confirmatio solum probat, quòd non potest vlli remitti peccatum quantùm ad omnia damna causata per illud, sine infusione gratiæ; non tamen quòd non possit remitti peccatum, si præcisè consideretur, quantùm ad principalem rationem formalem præcisè, in qua peccatum saluari potest; & per hoc patet ad reliqua omnia, quæ in eodem argumento contine-

*Sextum.* nentur. ¶Ad sextum dicendum, peccatum illud etiam ignorantibus inuincibiliter finem supernaturalem, priuare etiam de facto rectitudine supernaturali, ad quam homo est in hoc statu eleuatus, vel supponere priuationem illius, per aliud peccatum actuale, vel originale. Sed dices; Illud peccatum solùm est contra finem naturalem: non enim offendit homo Deum, vt finem supernaturalem, quem omnino vt sic ignorat: ergo sufficit ad eius remissionem, id, quod sufficit ad diligendum finem naturalem super omnia: Sed hoc fieri potest per vires naturæ sine gratia: ergo, &c. Respondetur, licèt hæc dispositio sufficeret in puris naturalibus, sed tamen cùm Deus eleuauerit hominem ad statum perfectiorem, in ordine ad quem tribuit sufficiens auxilium, meritò exigit perfectiorem dispositionem, ad hoc, vt peccata remittat, quæ de facto non remittit sine gratia supernaturali; nec vlla dispositio hominis, quantumuis fiat ex auxilio supernaturali, est sufficiens, vt reddat æquialens Deo pro culpa contra Deum finem naturalem commissa, neque vt satisfaciat Deo pro culpa. Sed quid de homine, qui peccat contra finem supernaturalem, non verò contra naturalem? Vtrùm iste maneat in amicitia cum Deo sine naturali, cùm erga illum, vt sic, conseruet adhuc naturalem rectitudinem? Respondetur, neminem peccare cōtra Deum finem supernaturalem, qui etiam non delinquat contra rationem naturalem: non enim peccat quis contra præcepta supernaturalia, nisi quatenus simul peccat contra rationem naturalem, per quam simul ei proponuntur. Nam cùm mihi proponitur fides, sufficienti propositione facta, & rationabili, etiam ratio ipsa persuadet id, quod proponitur esse verè credibile, meque teneri ad illud credendum, & quòd aliàs malè facio & pecco. Sed quid de puero habente originale, ratione cuius est auersus tantum à fine supernaturali, vt pleriq́ue docent, & patet in materia de peccatis: Tunc enim videtur puer iste conseruare amicitiam Dei finis naturalis? Respondetur, nullam posse conseruare absolutè amicitiam cum Deo, si aliqua ratione est auersus ab ipso: Quod verò dicitur ab aliquibus, conseruare rectitudinem naturalem, id debet intelligi quantum est ex se, sicut modò in natura lapsa, is, qui ignoraret inuincibiliter finem supernaturalem peccando, vel occidendo, vel fornicando, non dicitur, quantum est ex se formaliter, offendere supernaturalem finem, quamuis re vera, & de facto priuetur rectitudine supernaturali, quatenus priuatio rectitudinis naturalis, quæ de facto erat illius fundamentum, deperdita fuit. Quòd si iste postea doleat de peccato propter Deum finem naturalem summè dilectum, licèt quodammodo ex parte actus restitueretur actualiter naturalis rectitudo illi; non tamen restitueretur habitualiter, quia de facto modò nulla culpa deletur, nisi per gratiam, & nulla amicitia contrahitur cum Deo, nisi simul supernaturaliter contrahatur de facto.

### *Solutio ad argumēta in exordio quæstionis facta, quæ militabant pro secunda sententia.*

*Ad argum. primi ordinis.* AD primum, quod est fundamentum Scoti, satis patet ex dictis solutio: negamus enim, quòd transacto actu peccati solùm maneat obligatio ad pœnam. Nam præter reatū pœnæ manet habitualiter culpa, & deordinatio, & manet macula, seu priuatio gratiæ, etiam respectu amicitiæ supernaturalis.

*Ad primū.* ¶Ad secundum respondetur, quòd paruuli propriè dicuntur habere peccatum originale in se ipsis, & propriè dicūtur deordinati, & habere priuationem illius rectitudinis, quam debuissent habere si Adam non peccaret; & cùm in se habeant huiusmodi carentiam, pari ratione in se ipsis debēt suscipere rectitudinem oppositam, & infusionem gratiæ, siue illa sit qualitas, siue non, aliàs semper manebunt cum indignitate, & priuatione rectitudinis supernaturalis, & beatitudinis supernaturalis, ad quam conditi erant.

*Ad secundū.* *Ad confir. 1.* ¶Ad primam confirmationem respondetur, quòd nó est par ratio de veniali, & mortali, quia mortale dicit auersionē ab vltimo fine, & priuationem illius, quod non conuenit veniali.

*Ad confir. 2.* ¶Ad secundam confirmationem patet ex dictis.

*Ad tertium* ¶Ad tertium argumentum respondetur, quòd licèt secundum essentiam moralem, & formalitatē ex specificatiuo obiecto sumptam, idem sit homicidium nunc, & in puris naturalibus; cæterùm modò in hoc statu, in quo homo est ordinatus ad finem supernaturalem, peccatum mortale de facto destruit vtramq́ue rectitudinem, naturalem, & supernaturalem. Vnde neganda est consequentia. Quia ad tollendam priuationem rectitudinis supernaturalis suppositō peccato, requiritur inductio formæ oppositæ, quæ est rectitudo supernaturalis.

*Ad cōfir.* ¶Ad primam confirmationem respondetur, quòd si sit sermo de potentia Dei absoluta, & de

gratia formaliter, non videtur repugnantia, quòd Deus hominem existétem in peccato, ita restituat, vt fiat quasi in puris naturalibus, ita vt, neque ille sit dignus fine supernaturali, & gloria Dei, neque indignus, sed ex vi illius restitutionis, præsertim si Deus deordinaret illum à fine supernaturali, maneat in puris naturalibus positus, neque hoc negat Diuus Thomas. Quare, licèt sit verum, quòd homo postquam peccauit non potuerit non peccauisse, quia ad præteritum non est potentia; tamen nulla videtur implicatio, quòd postquam Deus se habet merè negatiuè circa illum, neque volendo ei dare gloriam, neque pœnam, quòd tunc restituatur, & reponatur in tali statu in puris naturalibus, si illum deordinet Deus à supernaturali fine. Verumtamen, quamuis restituatur ad naturalia in casu argumenti; illa tamen restitutio non esset propriè loquendo remissio peccati, sed potiùs solùm restitutio ad naturalia; & ita verè dicunt discipuli D. Thomæ, quòd non potest alicui peccatum remitti, sine gratia; quia postquam homo peccauit, dato restituatur ad naturalia, ita quòd habeat omnem rectitudinem naturalem; tamen si non est Deo gratus, & acceptus, non est illi remissum peccatum. Nam remitti peccatum, propriè loquendo, non solum est resarcire obliquitatem naturalem, quam peccatum causauit, sed est tollere obicem, & impedimentum gratiæ. Quia cùm peccatum sit offensa, & sit obex, & impedimentum gratiæ, tollere peccatum, erit tollere obicem gratiæ. Et quantumcunque quis post peccatum restituatur ad naturalia, ita vt Deus se habeat merè negatiuè cum illo, adhuc non tollitur obex, neque impedimentum gratiæ. Quare, is, qui sic restitueretur ad naturalia, non omnino se haberet sicuti ille, qui crearetur in puris naturalibus; Quia homo conditus in puris naturalibus nullum habet obicem; sed postquam peccauit homo, etsi restituatur ad naturalia; tamen eo ipso quòd peccauit, habet obicem gratiæ, & idcirco non remittitur illi propriè peccatum; sed solùm quadamtenùs ratione, quatenus peccatum est contra rectitudinem naturalem. Vndè, si propriè, & simpliciter debet remitti, requiritur, quòd id fiat per receptionem eius ad suam gratiam, vt in conclusionibus pro sententia Diui Thomæ fusiùs deduximus. Et ita negatur, quòd illa esset simpliciter remissio peccati, *Ad confir.2.* sine gratia. ¶Ad secundam confirmationem aliqui dicunt, quòd in illo casu, non est inconueniens peccatum remitti sine gratia; quia Sanctus Thomas tantum loquitur ex suppositione, quòd maneat ille homo, qui peccauit non annihilatus, neque mutatur. Alij dicunt, quòd ille homo reproductus, reproduceretur auersus à Deo, & inimicus Dei: Vndè, consequutione quadam, ex parte rei productæ, quia est idem subiectum, quod antea erat, adhuc esset auersus à Deo, quia per talem annihilationem, vel reproductionem non essent ordinatæ potentiæ eius, aut rectificatæ, neque remissum peccatum illius. Quòd si quis petat, à quo reproducitur illa macula peccati? Dico, quòd non producitur à Deo, sed sequitur ad identitatem subiecti reproducti, quia nunquam peccator adhibuerat remedium sui peccati, aut fuerat consequutus veniam, & remissionem illius. Est aliquale exemplum de anima paruuli, & de paruulo in instanti, in quo producitur, in cuius anima, in eodem instanti intelligitur esse originale peccatum, quod neque producitur à Deo, neque sequitur ex vi productionis, & creationis diuinæ, quatenus est à Deo; sed ob id, quia humana natura vitio primi parentis est maculata, & ex eo, quod hoc subiectum concipitur filius Adæ. Pari ergo ratione, cùm Deus hunc hominem, qui peccauerat iterum reproducit, non producit maculam peccati, sed illa consequitur ex anteriori voluntate eiusdem hominis, cùm nunquam fuerit illi remissa illa culpa, neque rectificatæ eius potentiæ.

¶Ad quartum fatemur gratiam, & peccatum absolutè, & secundum se non esse immediatè opposita; secus tamen respectu hominis lapsi, qui fuerat ordinatus ad vitam æternam, & finem supernaturalem; Sicut cæcum, & videns, non sunt immediatè opposita respectu canis ante nonum diem; secus tamen postea. Quòd si Deus huic homini restituisset naturalem rectitudinem, vel originalem iustitiam; adhuc tamen ille maneret auersus à fine supernaturali, & ab obiecto charitatis; atque adeò esset maculatus, & infectus macula peccati. Dico secundò, quòd licèt gratia, & peccatum non sint immediatè contraria, vt argumentum ostendit, nam postquam quis peccauit, potest à statu peccati restitui ad medium inter ista contraria, sine eo, quòd donetur illi gratia, vt multi probabiliter dicunt: cæterùm, quia talis restitutio non est propriè remissio peccati, idcirco si fiat vis in verbo remissionis, neganda est consequentia argumenti. Caietanus soluit hoc argumentum iuxta priorem solutionem, & adducit exemplum allatum à nobis de catulo ante nonum diem; cuius tamen solutio ferè in idem reddit. ¶Ad confirmationem posset negari antecedens, nempe, quòd ab homine iusto, sine libero eius consensu, posset tolli amicitia supernaturalis, quam habet cum Deo, & ab ea repelli, siue talis amicitia fiat per qualitatem, siue non. Sed respondetur secundò, & melius negando consequentiam: Quia in homine gratio potest intelligi mutatio, ratione cuius fiat non gratus, nempe, per hoc solùm, quòd annihiletur illa qualitas, quæ est gratia, absque eo, quòd ponatur aliqua mutatio in Deo; at verò in homine peccatore non potest intelligi mutatio, qua fiat non peccator sine Dei mutatione, nisi ponatur in ipso gratia desuper infusa. Rursus respondetur, quòd solutio ibidem data ad argumentum est sufficiens. Et ad replicam, fateor, quòd peccatum non est priuatio illius habitualis qualitatis, sed est priuatio illius dignitatis ad finem supernaturalem, & amicitiæ Dei. Vndè, illa indignitas, seu priuatio dignitatis, in homine est, & non in Deo, quæ indignitas, & priuatio relinquitur in homine transacto actu peccati.

Ad alia argumenta secundi ordinis. Ad primum respondetur, negando antecedens, & consequentiam. Nam licèt Deus relicta fide obligaret hominem ad actum supernaturalem, ad quē modò obligat, & non eleuaret illum ad sui amicitiam, & gratiam; tamen ex hoc ipso, quòd non adimpleret præceptum



ceptum supernaturale, haberet indignitatem quandam ad illum finem, & incurreret odium, auersionem, & priuationem illius; imò verò apponeret obicem directè contra illum finem; quia fuit trangressus præceptum de actu supernaturali, quod non potest nō habere ordinem ad illum finem; hæc autem indignitas, ad hoc vt tollatur per veram remissionē peccati, non potest repelli absque supernaturali rectitudine. Et ad replicam dico, quòd etiam si auferret Deus obligationem; tamen, quia per peccatum homo se fecit indignum, semper indiget infusione *Ad quartū* gratiæ. ¶Ad secundum respondetur, quòd licèt detur ille status medius, nihilominus debet negari consequentia, vt sæpiùs diximus, quia gratia, & peccatum licèt non immediatè opponantur respectu hominis, vt sic; tamen immediatè opponuntur respectu hominis lapsi in peccatum; in quo non datur medium. Et ratio differentiæ est, quia homo in puris naturalibus habet negationem rectitudinis supernaturalis; tamen negatio hæc non constituit illum in peccato, aut culpa, cùm non sit priuatio rectitudinis debitæ; at verò postquam peccauit homo, vel habet priuationem rectitudinis supernaturalis debitæ inesse, vel saltem habet indignitatem, & impedimentum ad diuinam amicitiam; & idcirco non remittitur illi propriè peccatum, nisi restituatur ei supernaturalis rectitudo. Profectò, postquam homo peccauit, non restituitur naturalis rectitudo illi, sine supernaturali; quia tunc reducitur homo ad rectitudinem naturalem, quando neq; est dignus, neq; indignus diuina amicitia; & hæc indignitas, quam habet homo per peccatum, tolli non potest, nisi Deus animum conuertat hominis ad se, & eum efficiat diuina amicitia dignum. Dico secundò, quòd peccatum vtrique rectitudini contrariatur, nempe, naturali, & supernaturali, & vtriusq; inuoluit priuationem, & idcirco non potest deleri vna earum supposito peccato, sed vtraq; debet restitui. ¶Et ad probationem, quòd Deus potest reducere, & restituere hominem ad eum statum, in quo primum Deus eum potuit condere cum sola naturali rectitudine; respondetur, quòd nō est par ratio; quia post peccatum gratia, & peccatum sunt immediatè opposita. Rursùs dicēdum, quòd licèt restitueretur ad rectitudinem naturalem homo, si tamē maneret indignus respectu finis supernaturalis, & non tolleretur auersio à rectitudine supernaturali, non verè maneret simpliciter remissum peccatū. ¶Caietanus hic putat esse falsum, quòd peccato contrariatur gratia, & rectitudo naturalis. Quia rectitudo naturalis non contrariatur cuicumque mortali, sed solum illi, qui est contra legem naturalem. Quocirca, peccatum solum priuat rectitudine naturali, & ex consequenti priuat rectitudine supernaturali; & ob id S. Tho. q. 109. art. 7. ait, quòd maius bonum aufert peccatum, quam ponat rectitudo naturalis. Ex qua doctrina intulit Caietanus, rectitudinem naturalē posse esse simul cum gratia, & cum peccato, & hoc secundum ostendit de angelis, in quibus naturales perfectiones in sua integritate manserunt, & solū peccauerunt contra legem supernaturalem. Ostendit etiam de pueris, in quibus manet beatitudo naturalis, cùm recedunt in solo originali; & tamen sunt auersi à Deo, vt est finis supernaturalis. Cæterùm, hæc doctrina habet plures calumnias, & obiectiones contra se, vt suprà vidimus, & idcircò recurrendum est ad solutiones datas. ¶Hoc tamen sit certissimum, quòd argumenta omnia, quæ pro Scoto militant, licet probent, Deum posse facere, vt ille, qui nunc est in peccato, fit sine peccato, & sine gratia, non ostendunt, quòd hoc sit propriè remittere peccatum, vt supra vidimus. ¶Ad confirmationem iam suprà dedimus solutionem in responsione ad tertium argumentum primi ordinis, cùm solueremus secundam confirmationem eius. ¶Ad tertium patet solutio ex responsione ad confirmationem quarti argumenti primi ordinis præcedentis paulò antea. Secundò respondetur, quòd hoc argumentum probat, quòd si sit sermo de potentia Dei absoluta, & de gratia formaliter, non videtur repugnantia, quòd Deus hominem existentem in peccato restituat ad statum in puris naturalibus, ita vt, neque sit dignus fine supernaturali, sed maneat in puris naturalibus. Vndè, Deus potest tollere gratiam, & gloriam sine peccato, & sicut hoc potest tollere sine peccato, pari ratione potest tollere peccatum sine gratia; Sed tamen tunc non erit ablatio perfecta peccati, sed quantum ad aliquid solùm. Nam quandiù est sine gratia, semper manet peccatum quatenus est offensa Dei; & ob id talis ablatio peccati non est vera peccati remissio. Dico secundò, quòd gratia non potest tolli, nisi per priuationem, priuatio autem gratiæ non tantum est peccatum, sed etiam voluntaria Dei ablatio; ex hoc tamen non sequitur, quòd remittatur peccatum, sine gratia formaliter loquendo de gratia. Quia quandiù est homo post peccatum commissum sine gratia, semper manet peccatum quatenus est offensa Dei. *Ad confir.* Et per hoc patet ad confirmationem. ¶Ad quartum *Ad quartū.* respondetur, negando vltimam consequentiam. Imo verò cùm peccatum non solùm dicat contrarietatem ad rectitudinem, & ad legem, sed etiam efficiat hominem indignum diuino amore, & diuina amicitia, & includat offensam Dei, apertè sequitur, quòd non potest remitti sine gratia, propriè loquendo de remissione. Dico secundò, quòd licèt priùs natura in genere causæ materialis intelligatur expulsio formæ contrariæ; tamen simpliciter, neque est, neque intelligitur expelli, nisi per formam, quæ introducitur. Et quamuis formale peccati non sit priuatio illa gratiæ, sed magis sit effectus illius; tamen quia peccatum est offensa Dei, & ponit in subiecto indignitatem ad finem supernaturalem, non potest remitti sine infusione gratiæ. ¶Ad *Ad confir.* confirmationem patet ex his, & ex supra dictis. ¶Ad quintum respondetur, negando consequentiam. ¶Ad confirmationem respondetur, quòd in *Ad quintū. Ad confir.* puris naturalibus peccatū mortale non diceret indignitatem respectu finis supernaturalis, neq; priuationem rectitudinis supernaturalis, neq; offensam respectu authoris supernaturalis, sed solū respectu authoris naturæ, & idcirco posset tunc remitti tale peccatum sine infusione gratiæ, & ideo non est simile. ¶Ad sextum respondetur, quòd licèt culpa habitualis non sit formaliter priuatio gratiæ; tamen includit, & inuoluit illam intrinsecè supposito peccato, & ponit indignitatem ad diuinam gratiam & amicitiam, potissimè in homine pec- *Ad sextum.*

catore in natura lapsa, & solutio ibi data optima est. Nam peccatum, quantùm est de se, etiam inuoluit illam priuationem in ordine ad supernaturalé finem. Et ad replicam respondetur negando consequentiam. Quia sufficit, quòd quãtum est de se peccatum ponat obicem ad diuinam amicitiam, & indignitatem, quę indignitas non potest tolli, nisi per dignitatem ad rectitudinem supernaturalem. ¶ Ad confirmationem dicendum, quòd secundum, & tertium peccatum secundum se contrariatur diuinæ amicitiæ, & semper actualiter, & de nouo est offensiuum Dei; & hoc sufficit, sufficiunt etiam solutiones ibi datæ. *Adconfir.*

*Alia argumenta & fundamenta pro Scoto hic cõstituũtur & simul soluuntur.*

Ad fundamenta, quæ militabant pro sententia Scoti, quorum vnum erat, quòd quando aliquid habet duo contraria, per quodlibet illorum expellitur à subiecto: sed peccato contrariatur gratia, & etiam rectitudo naturalis actus virtutis oppositæ peccato: ergo per quodlibet horum expellitur peccatum, & per consequens non exigitur gratia, vt homini remittatur peccatum. Ad hoc argumentum & fundamentum Caiet. dicit, falsum esse, quòd propriè loquendo peccato mortali opponantur tàm rectitudo naturalis, quam gratia. Sed nos faciliùs dicimus, quòd peccatũ habet, quòd sit actus positiuus talis vitij, & ex hac parte opponitur contrariè actui virtutis, quæ habet rectitudinẽ oppositam obliquitati, quam habet actus vitij; Habet etiam peccatum, quòd sit offensa Dei, & inimicitia illius, & impedimentum gratiæ, atq; indignitas eius; & ex hac parte opponitur illi gratia. Dico ergo; quòd quãdo in qualitatibus naturalibus vna qualitas, v.g. albedo habet duo contraria, nempe, nigredinem, & rubedinem, per quodlibet illorum totaliter expellitur. Quia albedo non habet nisi dare esse album, & hoc esse ita aufertur per rubedinem, sicut per nigredinem. Verumtamen in peccatis nõ est ita: Quoniam licèt dato ita sit, quòd peccato opponatur rectitudo virtutis oppositæ, & etiam gratia; non tamen oportet, aut sequitur, quòd per quodlibet illorum verè, & propriè excludatur peccatum. Nam dato, quòd homini restituatur rectitudo virtutis oppositæ naturalis, licèt hoc esset verũ, adhuc maneret in peccato, quia non est illi propriè loquẽdo remissum quandiù manet in eo, in quantum est offensa Dei, & indignitas, impedimẽtum, atq; obex gratiæ, quod est vnum ex præcipuis, quæ sunt in peccato. ¶ Alterum fundamẽtum est, quòd cùm prius natura intelligatur expulsum esse peccatum, quam intelligatur gratia in anima; sequitur, quòd non dependet remissio peccati ex infusione gratiæ, & quòd consequenter potest fieri remissio sine illa. ¶ Ad hoc iam diximus, quòd licèt priùs natura in genere causæ materialis intelligatur expulsio formæ contrariæ; tamen simpliciter, neq; est, neq; intelligitur expelli, nisi per formã, quæ introducitur. Et rursus, in eodem instanti, in quo expellitur priuatio, introducitur forma contraria, sicut in eodem instanti, in quo expelluntur tenebræ, introducitur lux. Quia in instantaneis simul est vnum expelli, & alterum introduci; imo verò simul est rem fieri; & factam esse. Et ita, licèt forma, quæ expellitur esset positiua, adhuc in eodem instãti est expulsio vnius, & ingressus alterius, vt etiam liquet in errore & scientia. ¶ Ad tertium argumen-

*2. Argumẽtum & fundamentum pro Scoto.*

*Ad tertium*

tum seu fundamentum respondetur, potuisse Deũ creare hominem cum sola rectitudine naturali, & tunc carentia gratiæ non esset priuatio in ipso, sed tantum vera negatio; Cæterùm supposita eleuatione ad finem supernaturalem, carentia gratiæ iam est vera priuatio, quia est carẽtia formæ debitæ inesse: hæc tamen priuatio est per aliquam offensam, & iniuriam contra Deum authorem gratiæ; & idcircò, tantum debet remitti ab ipso Deo authore gratiæ vt sic; Sed Deus, vt author gratiæ, nõ remittit offensam per solam rectitudinem naturalem, quia per rectitudinem naturalem solam, vt sic, remittit præcisè offensam, & iniuriam, vt est author naturæ: ergo supposita eleuatione naturæ ad ordinem gratiæ, necessariò Deus, vt author gratiæ, remittit peccatum per aliquam interiorem renouationem supernaturalẽ procedentem ex supernaturali beneuolentia Dei pertinente ad ordinem gratiæ. Negatur ergo standō in opinione D.Tho. quòd sit factibile modò remitti peccatum per solam restitutionem hominis ad rectitudinem naturalem. Posset tamen esse dubium modò de his, qui laborant ignorantia inuincibili circa ordinem gratiæ. Vtrùm possit illis remitti peccatum per solam rectitudinem naturalem? Quia isti nullo modo sunt auersi à fine supernaturali, quẽ inuincibiliter ignorant, & idcircò videntur eodẽ modo se habere, atq; si essent conditi in puris naturalibus. Respondetur tamen, quòd etiam istis nõ potest remitti peccatum sine supernaturali dono. Primò, quia per peccatum originale sunt auersi à Deo fine supernaturali, & sunt indigni illo fine. Secũdò, quia iam de facto natura est eleuata ad finem supernaturalem etiam in illis, & conceduntur auxilia supernaturalia sufficientia saltem in communi. Quare, peccatum illorum etiam dicit modo repugnantiam ad Deum finem supernaturalem, licèt nõ cognoscatur ab eis huiusmodi repugnantia. ¶ Ad quartum dico, quòd ea, quæ sunt mediatè opposita ex parte subiecti, licèt mediatè opponantur in aliquo statu; tamen quamuis possit tolli absolutè à subiecto forma positiua sine priuatione; tamen non è cõtrario priuatio sine forma positiua, v.g. infidelitas opponitur fidei non absolutè, & immediatè ex parte subiecti, cùm possit esse homo, neq; fidelis, neq; infidelis; opponitur tamẽ immediatè in aliquo statu; & ita infidelitas nõ tollitur, nisi per fidẽ, fides tamen tollitur sine infidelitate per claram visionem. Sic ergo pari modo peccatum non tollitur sine gratia; benè tamen potest tolli gratia sine peccato. ¶ Ad quintum dico, quòd petit disputationem illã; Vtrũ gratia, & peccatum opponantur ex natura rei, vel solũ ex ordinatione diuina? De qua difficultate agẽdum est infra. ¶ Ad sextum patet ex dictis. Nam probat, quòd sine aliquo habitu per solam operationẽ supernaturalem potest remitti peccatum: & hoc est verum. Nam operatio supernaturalis perfectius cõiungit hominem cum Deo, quam solus habitus. Imo verò, actus charitatis est actus vnitiuus hominis cũ Deo. Nam per amorem vniũtur ea, quæ sunt diuisa, igitur ille solus sufficit ad rectificãdum hominem, cùm rectitudo consistat in vnione ad Deum. Sed per actum supernaturalem charitatis coniungitur homo Deo, & Deus homini: ergo per hoc refunditur ad animam splendor supernaturalis.

*Ad quartum.*

*Ad quintum.*

*Ad sextum.*

¶ Ad



*Adseptimũ* ¶ Ad septimum respondetur negando consequentiam. Quia homo potest verè remittere offensam cum mutatione suæ voluntatis, absque eo, quòd fiat mutatio ex parte eius, qui offendit; Deus autem cùm sit immutabilis non potest sic remittere. ¶ Ad

*Adoctauũ.* octauum, fatemur gratiam, & peccatum absolutè, & secundum se non esse immediatè contraria; secus tamen respectu hominis lapsi, qui fuerat ordinatus ad finem supernaturalem, sicut cæcum, & videns non sunt immediatè opposita respectu canis

*Adconfir.* ante nonum diem, secùs postea. ¶ Ad confirmationem dico, quòd licèt Deus restitueret homini naturalem rectitudinem, vel solam originalem iustitiam, adhuc ille in peccato maneret secundum Diuum Thomam, quia esset auersus ab obiecto charitatis; atque adeò esset maculatus, & infectus macula peccati. ¶ Ad

*Adnonum.* nonum respondetur, argumentum ostendere, quòd potuerit Deus non ordinare hominem ad finem supernaturalem, & ita, quòd tunc posset esse sine peccato, & sine gratia; Sed tamen supposito, quòd fuit semel ordinatus in illum finem, & quòd per peccatum fuit priuatus gratia, & auersus à Deo, implicat, quòd peccatum intrinsecè non fit auersio ab obiecto charitatis, & priuatio gratiæ; atque adeo implicat auferri sine gratia. Sed hoc adhuc est difficile; Quia sequitur peccatum, & gratiam esse opposita ex ordinatione diuina, & non ex natura rei, & quòd intrinsecè peccatum non est priuatio gratiæ. Sed de hac re dicemus in speciali disputatione, quam discutiemus

*Admsfr.* infra in hoc articulo. ¶ Ad confirmationem iam patet solutio ex dictis, & præterea negatur consequentia.

# DISPVTATIO III.

## *Vtrum gratia, & peccatum opponantur?*

Titulus huius disputationis est, vtrũ oppositio inter gratiam, & peccatum sit oppositio ex natura rei, vel solùm ex ordinatione extrinseca Dei? In quo etiam pariter quæritur, quam oppositionem habeat peccatum habituale cum gratia, & vtrum peccatũ actuale, & gratia opponantur contrariè? ¶ Pro parte tamen negatiua arguitur primò. Deus potest conseruare gratiam simul cum peccato: ergo non opponuntur ex natura rei. Rursùs: Peccatum non corrumpit efficienter charitatem, aut gratiam: ergo neque opponuntur ex natura rei. Ostendo antecedens: Quia nullum agens corrumpit efficienter formam aliquam, nisi ponendo aliam positiuam in subiecto: sed peccator nullam formam positiuam ponit in anima per peccatum: ergo. ¶ Secundò. Cõtraria sunt, quæ ab eodem subiecto mutuò se expellunt: sed actus peccati, & gratia non sunt in eodem subiecto: ergo. Probatur minor: Quia gratia est in essentia animæ; actus verò peccati est in aliqua potẽtia: ergo. ¶ Tertiò arguitur. Peccatum omissionis non contrariatur gratiæ, quia contraria sunt formæ positiuæ, sed solùm est in dispositio quædam ad gratiam, sicut calor summus ad formam aquæ: at non maiorem oppositionem habet cum gratia peccatũ

*Argum.1.*

*Secundum.*

*Tertium.*

commissionis, quam omissionis: ergo non contrariatur gratiæ. ¶ Quartò. Si cui aliquid magis videtur ineſſe; nõ inest, nec inerit ei, quòd minùs inesse videtur: sed habitui vitioso, cui magis videtur inesse contrarietas cum gratia non inest cõtrarietas, quia stant simul in homine vitioso nuper conuerso: ergo nec inerit actui peccati, cui videtur minùs inesse, eò quòd habitui gratiæ magis videtur cõtrarius habitus peccati, quam actus. ¶ Quintò. Vni vnum tantum est cõtrarium, teste Aristotele: sed actui peccati contrariatur actus studiosus: ergo non gratia. ¶ Et confirmatur: Quia contraria debent esse eiusdem generis, & eiusdem ordinis, sic adeò; vt Arist. 1. Cæli dicat, quòd si vnum contrarium est in rerũ natura, debet etiam aliud esse; sed actus peccati, & gratia non sunt eiusdem generis, & ordinis, cùm vnus sit actus, & naturalis, & aliquando corporeus; gratia verò sit habitus supernaturalis, & spiritualis: ergo. ¶ Sextò. Contraria possunt esse simul in gradibus remissis: sed actus peccati, & gratia ita pugnant, vt neque in gradibus remissis possint esse simul: ergo, &c. ¶ Septimò. Actus peccati venialis ex paruitate materiæ, vel ex indeliberatione, aut surreptione, est eiusdem speciei cum actu peccati mortalis deliberati circa materiam grauem; sed ille non contrariatur gratiæ, quia neque eam destruit, nec minuit: ergo nec secundus. ¶ Et confirmatur: Quia furtum omninò indeliberatum, est eiusdem rationis in esse naturæ, imò in esse moris cum furto deliberato: sed primum nõ contrariatur gratiæ: ergo neque secundum. Ostendo consequentiam. Quia contrarietas attenditur secundum speciem, & essentiam, imò non quamcunque, sed naturalem.

*Quartum.*

*Quintum. Aristot. Confirm.*

*Sextum.*

*Septimum.*

*Confirm.*

Scotus, in.2.distinct.28.quæst.vnica in responsione ad quæstionem tenet, quòd actus peccati, & gratia opponuntur, non ex natura rei, sed ex lege, & ordinatione diuina solum, qua Deus sanciuit, vt qui peccaret, statim amitteret gratiam. Sed profectò, quamuis hæc sententia tribuatur Scoto, *non iure* ei tribuitur, sed malè. Quoniam tantum dicit, quòd peccatum habituale, & gratia non opponuntur immediatè, cùm possit dari homo sine peccato, & gratia, conditus in puris naturalibus. Verum est, quòd in.4.distinctione.16.propè finem insinuat, quòd peccatum, & gratia non ita repugnant, vt non possint esse simul de potentia Dei absoluta. Et probat; Quia homo offensus, potest non repellere offendentem à sua gratia: ergo multò magis Deus. Gabriel in.4.distinctione. 4. quæstione. 1. articulo. 1. notabili. 3. & Aliacensis in prima quæstione nona, articulo. 3. putant, gratiam, & peccatum ex sola ordinatione diuina opponi.

*Scotus.*

*Gabriel.*

*Aliacens.*

¶ Pro explicatione huius controuersiæ, est prima conclusio. Ita pugnant inter se peccatum, & gratia in esse gratiæ, vt implicet contradictionem esse simul. Hæc assertio videtur esse contra Scotum in 4. loco citato, vbi oppositum videtur insinuare per motus leui ratione, nempe, quia homo offensus potest non repellere offendentem à sua gratia: ergo multò magis Deus. Vndè, hanc assertionem tenet Diuus Thomas in hoc articulo, & Caieta. qui vt simul impugnet rationem Scoti, hanc reddit suam: Deus à peccatore non solùm est offensus, sed ita offensus, vt habeat se per modum offensi: ergo re-

*Conclus.1.*

pugnat habere se per modum offensi, & non excludere offendentem à sua gratia, & dilectione: homo verò, quia non est ita bonus, sicut Deus, potest esse offensus, & nó habere se per modum offensi, &c. Et quantò melior est, tantò id perfectiùs habet: ergo multo magis Deus, qui est summè bonus.

*Matth. 5.* *Luc. 6.* Imo verò Matth. 5. & Luc. 6. quoad hoc iusti excitantur ad Patris cælestis imitationem, vt adnotat Alensis super illud ad Rom. 8. Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, &c. Ratio ergo est: Quia sicut ad summum bonum spectat diligere, & amare id, quod est bonum: nihil enim odit Deus eorum, quæ fecit; ita & quòd malum est implicat non detestari. Vndè, odio est Deo impius, & impietas eius: igitur ad summum bonum, quod est Deus, pertinet detestari id, quod est malũ: ergo repugnat Deo summè bono respicere tanquam amicum, eum, qui est peccator, iniquus, & detestabilis. Rursùs implicat peccatum non esse contra diuinam voluntatem: ergo implicat peccatorem esse gratum Deo: gratus enim est mihi, qui absolutè placet meæ voluntati: sed per hoc, quòd peccator sit in peccato, summè displicet

*Eccles. 12.* Deo: ergo. Vndè, Ecclesiast. 12. Altissimus odio habet peccatores, & Abachuch. 5. Mũdi sunt oculi tui vt non videas malum, & respicere ad iniquitatem non potes. Ex quibus liquet, quòd ista repugnantia potissimè prouenit ex summa perfectione Dei; quia sicut repugnat Deo posse peccare, ita etiã posse amare peccatorem.

*Concluſ. 2.* Secunda conclusio. Non est improbabilis sententia dicere, peccatum, & gratiam tãtum opponi moraliter, ita vt peccatum mortale non physicè, sed demeritoriè expellat gratiam. Hanc assertionem te

*D. Bonauẽ. Scotus. Durandus. Ricardus. Caietanus. Sotus. Conradus.* net D. Bonauent. in. 3. distinct. 39. quæst. 1. & 2. & distinct. 29. quæst. 3. Scotus distinct. 23. & in. 2. distinct. 37. Durand. in. 1. distinct. 17. quæst. 10. & ibi Palude, Alens. Gabriel, & alij. Ricardus in. 1. distinct. 17. art. 2. quæst. 1. & in. 3. distinct. 39. art. 1. quæst. 1. Caiet. 3. p. quæst. 86. art. 2. quamuis alibi teneat oppositum de charitate, Sotus in. 4. distinct. 15. quæst. 1. art. 2. propè finẽ, & Conrad. hic & art. 4. Et probatur, quòd peccator non efficiat formam incompossibilem cum gratia, & consequenter, quòd gratia, & peccatum moraliter tantum opponantur. Primò; quia inter actum, & habitum non est directa, & formalis oppositio, quia vnumquodque habet contrarium sui generis, nam contraria sunt sub eodem genere. Secundò; quia contraria ab eodem subiecto mutuò se expellunt: sed peccatum primò & per se est in voluntate, gratia autem in anima: ergo non sunt primò, & per se in eodem subiecto: ergo tantum habẽt moralem oppositionem. Tertiò; quia peccatum repugnat cum gratia ratione priuationis, vt offensa est, & contra Deum: sed totum hoc pertinet ad genus moris: ergo. Quartò; Si hæc efficientia esset physica, requireret aliquam proportionem inter principium agendi, & effectum: sed hic nulla certa requiritur, quia quodcumque mortale quantumcunque minimum corrumpit gratiam quantumuis perfectam; ergo, &c. Quintò; quia aliàs sequeretur, quòd peccatum veniale remitteret ipsam gratiam in eo gradu, in quo illi contrariatur, sicut actus intemperantiæ, qui est malus venialiter, remittit aliquo modo habitum temperantiæ; hoc autem est pluſquam falſum: ergo, &c. Sextò: Nullum agens, physicè corrumpit formam aliquam, nisi quia producit aliam ei incõpossibilem: sed peccator, & peccatum eius, non efficiũt formam incompossibilem gratiæ: ergo. Maior aperta est, minor persuadetur: Quia peccatum, cùm sit priuatio, non potest esse ratio agendi, vt notat Sanctissimus Præceptor. 1. 2. quæst. 85. artic. 1. ad. 4. Si verò consideretur vt actus positiuus, non potest efficere, nisi habitum positiuum vitij, qui non est formaliter incompossibilis cum gratia. Quòd verò peccator non efficiat formam incompossibilem cũ gratia, patet ex argumentis factis. Nam ipsum peccatum nõ potest formaliter, & directè opponi ipsi gratiæ, vt ostensum est.

*Concluſ.* Tertia conclusio. Gratia, & peccatum opponuntur, & contrariantur ex natura sua dupliciter, primò secundum effectus, quia gratia facit dignũ amore Dei, & vita æterna, actus verò peccati facit dignum odio Dei, & morte æterna. Quare, esto esset verum, quòd non contrariantur peccatum & gratia secundum se; nihilominùs negari non potest in omni opinione, quin inferant contrarios effectus, sicut, verbi gratia, nõ est difficile intelligere, quòd luna, vt habens lucem sit effectiua caloris, & quòd habeat aliam propriam vim, quæ sit effectiua frigiditatis, & pari ratione in aliquo virtualiter calido, vel ratione lucis, vel ratione motus, aut alterius qualitatis, non repugnat, quòd possit esse simul formalis frigiditas, vel virtualis, vt satis apertè constat: ergo non implicat, quòd formæ, quæ non sunt physicè formaliter contrariæ, & ex natura sua, nihilominùs inferant contrarios effectus, & quòd contrarientur secundum illos. Rursùs, actus peccati, & gratia opponuntur, & contrariantur secundo modo, tanquam indispositio, & forma, cui indisponit, sicut opacitas opponitur luci, & summus calor formæ aquæ; & sicut indispositio ad formam aquæ non in quolibet gradu excludit illam, neq; partem illius, & ob id propriè non illi contrariatur, sed solum excludit eam, cùm est notabilis, ita quidem nõ quodlibet peccatum excludit gratiam, quamuis sit eiusdem rationis cum alio excludente ipsam, sed mortale, quod habet sufficientem, & notabilem deformitatem. Præterea, sicut forma naturalis quadam emanatione repellit dispositionem contrariam, vt forma aquæ, calorem, ita gratia eo ipso, quòd alicui infunderetur, interrumperet peccatum actuale mortale, in quo quis se exerceret, & naturali emanatione inferret non esse talis peccati, nisi Deus miraculosè vellet illam conseruare cum illo peccato. Neque mirum, quòd aliquid existens in potentia animæ disponat ex natura sua ad exclusionem gratiæ, quæ est in essentia, siquidem contritio; quæ disponit ad gratiam, non tantum ex diuina ordinatione, sed etiam vt plerique dicunt, ex natura sua, est in potentia, & gratia in essentia animæ; & vtriusque eadem est ratio, nempe, quia hæc forma est veluti humana amicitia, ad quam tollendam, vel ponendam, disponunt actus humani, non verò habitus: nihil enim refert ad amicum, vel inimicum, quos habitus habeas, sed quos actus exerceas.

*Concluſ. 4.* Quarta cõclusio. Actus peccati, & gratia opponũ tur contrariè ex natura rei. Itaque, gratia, & peccatum



*Caietanus. Medina. Sotus. D. Thom.* catum non tantum opponuntur ex sola ordinatione diuina, sed etiam opponuntur ex natura rei. Hãc assertionem tenet Caietanus in hoc artic. Medina hic. Sotus. 2. de natura & gratia, cap. 18. & S. Thomas 2. 2. quæst. 24. artic. 10. & 12. ¶ Aliqui dicunt, quòd gratia, & peccatum si considerentur secundum præcisas rationes, in quibus saluari possunt, sic non opponuntur priuatiuè, quamuis secũdum omnia, quæ tam pro formali, quam pro materiali continent, priuatiuè opponantur. Et probatur, quòd ex natura rei sit oppositio inter gratiam, & peccatum. Primò: Quia aliàs si solùm opponerentur ex diuina ordinatione, eandem oppositionem Deus posset instituere inter gratiam, & nigredinem, aut inter gratiam, & frigiditatem. Secundò: Peccatum ex propria ratione secundum affectum peccantis est destructiuum Dei, & amicitiæ diuinæ: sed gratia, & charitas ex propria ratione, etiam secundum affectum operantis per illas, sunt reparatiua, & restitutiua volũtatis, & diuinæ bonitatis: ergo opponũtur ex natura rei. Item, amor, & odium eiusdem obiecti, intrinsecè repugnãt ex natura rei: sed peccatum est odium Dei, charitas verò est amicitia, & amor Dei: ergo intrinsecè pugnant peccatum & charitas.

Adducor etiam ad hanc defendendam assertionem: Quia gratia ex natura sua habet reddere hominem gratum, & amabilem Deo cum quadam dignitate diuinæ amicitiæ, actus verò peccati facit oppositum, & facit eum odibilem: igitur ex natura rei contrariantur. Et confirmatur: Quia peccatum est offensa Dei, qua homo est infensus, & inuisus Deo, gratia autem est, qua homo est particeps, & cõsors diuinæ naturæ, & consequenter est acceptus, & gratus Deo, & obiectum diuinę dilectionis: igitur apertè pugnant ex natura rei offensa Dei & gratia eius. Vndè implicat, quòd in eodem instanti homo sit gratus, & dilectus Deo, & quòd pariter sit odio habitus, & inuisus: Est ergo euidens repugnantia inter gratiam, & offensam Dei. Præterea, Constituamus, & fingamus gratiam non esse qualitatem inhęrentem animæ; esse tamen id, quo homo est Deo acceptus, & gratus; tunc in eo casu facilè intelligitur, quo pacto offensa Dei, & gratia suaptè natura opponantur: Ergò quando Theologi disputant vtrum peccatum, & gratia ex natura sua sibi aduersentur, non interrogant de his qualitatibus animæ inhærẽtibus, sed de peccato formaliter, & vt est offensa Dei, & de gratia pro eo, quod est facere hominem gratum Deo, & illi dilectum. ¶ Addunt etiam Theologi nonnulli, quòd illa qualitas, quæ est gratia, ex sua natura opponitur peccato; quia illa qualitas supernaturalis gratiæ, suaptè natura facit hominem gratum, quia aliàs non magis faceret hominem gratum, & participem diuinæ naturæ, quam calor, vel albedo. Similiter etiam peccatum, quod est offensa Dei, suaptè natura facit hominem Deo inuisum & odibilem: igitur ex natura sua aduersantur sibi. ¶ Ex

*2. Corint. 6.* quibus colligo, quòd gratiæ est connaturale, quòd amittatur per peccatum, vt dicemus disputatione sequenti, sic adeo, vt esset miraculum cum illo manere. Nam quæ participatio est iustitiæ cum iniquitate, aut quæ societas lucis ad tenebras? 1. Corint. 6. Et similiter, eo ipso, quòd Deus infunderet gratiã, tolleret actuale peccatum ab anima: ergo constat, quòd ex natura rei est aliqua oppositio inter has formas. Imo verò, ad conuersionem peccatoris in Deũ finem supernaturalem, connaturaliter sequitur gratia, & ad auersionem, carentia gratiæ: ergo negari non potest quin auersio actualis, & gratia aliquo modo opponantur ex natura rei. Sed obijciet aliquis, Contra: De potentia absoluta Dei potest conseruari gratia, vt est qualitas quædam in peccatore: ergo non opponuntur suapte natura. Hãc obiectionem proposuimus & dissoluimus suprà quæst. 110. art. 4. Nunc breuiter Medina dicit, quòd licet illa qualitas gratiæ ex natura sua efficiat hominem gratum, & participem diuinæ naturæ; nihilominus tamen Deus pro sua voluntate, & omnipotentia potest impedire hunc effectum. Quia etiam ignis suapte natura calefacit, & nihilominus Deus potest impedire hunc effectum pro volũtate sua. Verùm hæc solutio, neque satisfacit difficultati, neque quietat intellectum; & idcirco alia adducetur à nobis, & simul examinabitur hæc paulo inferiùs in solutione ad. 1. ¶ Sed adhuc obijcies iterum: Deus potest acceptare peccatorem ad gloriam, & ad vitam æternã: ergo potest efficere, quòd peccator simul sit Deo gratus, cum gratia nihil aliud sit, quam quædam acceptatio ad gloriam: ergo fiet consequenter, quòd gratia, & peccatum non pugnent ex natura sua. Respondetur, quòd gratia formaliter loquendo est dignitas ad vitam beatam, quæ facit hominem filium Dei, & amabilem Deo, & hoc pugnat cum peccato. Vndè, quod est intrinsecum gratiæ, non est illa acceptatio ad gloriam. Dico secundò, quòd licèt Deus acceptaret hominem peccatorem ad gloriã; nihilominus ille non esset dignus gloria, neque acceptus secundum se, neque amabilis si adhuc perseueraret peccatum in eo. ¶ Tandem obijcio communem obiectionem: Comedere carnes in diebus prohibitis ab Ecclesia ante prohibitionem, non cõtrariatur gratiæ; benè tamen suppositа prohibitione: ergo peccatum, & gratia sunt oppositа solum ex prohibitione, & positione legis. Respondetur, quòd lex potest efficere vt id, quod non erat antea peccatũ, modò sit peccatum; Verumtamẽ, postquam iam est peccatum, suaptè natura aduersatur gratiæ. Et est simile, quòd Ecclesia ex institutione sua habet conserare calices: sed suppositа consecratione, de iure diuino est simonia eos vendere, ratione consecrationis.

*Obiectio.* *Solutio.* *Obiectio.* *Solutio.* *Obiectio.*

*Concluſ. 5.* Quinta conclusio. Omne peccatum mortale includit in se ipso veram cõtrarietatem ad charitatẽ. Hanc tenet S. Thom. 2. 2. q. 24. artic. vltimo, & eã supponit hic, vt verissimam; & eandem tenet Caietan. expresse hic, & in. 2. 2. quæst. 24. art. 12. Probatur ex argumento Caietani: Quia omne peccatum est trãsgressio illius præcepti charitatis, negatiui, scilicet, Nihil est præferendum diuinæ amicitiæ: ergo cum in omni peccato præferamus aliquid diuinæ amicitiæ, & charitati; sequitur, quòd includit in se cõtrarietatem ad charitatem. Hæc conclusio est præambula ad disputationem quartam sequentem, Quomodo peccatum destruat gratiam, physice, vel moraliter, formaliter, vel effectiue, vel dispositiue tantum? Ex hac etiam assertione colligitur, quod omne peccatum mortale priuans rectitudine naturali, priuat etiã rectitudine gratiæ, ita sane, vt nõ priuet

rectitudine gratiæ ex consequenti, sicut priuatio animalis, est priuatio hominis; sed etiam priuet ea formaliter, non quidem, quòd priuatio rectitudinis naturalis, sit formaliter priuatio rectitudinis supernaturalis, quia priuationes distinguntur penes habitus: sed quia ambæ priuationes vtriusque rectitudinis simul reperiuntur in peccato mortali, ob id, quòd contra vtramque legem naturæ, & charitatis, eadem transgressione operamur. Potissimè cùm sit præceptum negatiuum, & prohibitiuum illud ad charitatem etiam pertinens, Nihil est præferendum amicitiæ diuinæ. Quò fit, vt adulter fornicando, vtramque legem dicatur transilire: & sic repellit gratiam, si inuenit eam, aut ponit illi obicem si non inuenit. ¶ Ex his etiam colligitur, quòd si quis peccauit mortaliter modò, quòd per solam restitutionem naturalis rectitudinis non fit reparatio illius hominis peccantis, vt patet ex modò dictis.

*Ad argum. Ad primũ.* Ad argumenta. Ad primum, Medina in commentar. huius articuli concesso antecedente negat consequentiam. Et ratio illius est: Quia per diuinam potentiam fieri potest, vt gratia existens in anima, non faciat gratum, sicut potest facere, quòd ignis non calefaciat. Cæterùm hæc responsio non satisfacit; Quia ignis respectu calefactionis habet se tãtum, vt causa efficiens, & idcirco potest à Deo impediri, ne operetur; Gratia verò respectu animæ habet se tanquam forma intrinseca illi. Quare, implicat, quòd non habeat suum effectum formalem in illa, sicut, quòd calor sit in ipso igne, & quod non faciat formaliter calidum. Neque etiam satisfacit alio rum solutio, quòd sicut Deus potest ponere visionem in lapide absque eo, quòd denominet lapidem videntem; sic etiam potest ponere gratiam in essentia animæ, sine eo, quòd faciat eam formaliter gratam, aut denominet formaliter gratã. Sed quidquid sit de visione constituta in lapide, si fieri potest, vel non; dicendum tamen est, quòd tunc non ponitur in subiecto capaci talis formæ, aut denominationis, neque ponitur in subiecto sibi proprio; Gratia tamen posita in essentia animæ, est in subiecto sibi proprio, & adæquato; & cùm illi inhæret, non potest intelligi, quin afficiat ipsam formaliter, & denominet illam. Quapropter, aliter respondetur ab alijs Theologis, negando antecedens: implicat enim quòd maneat gratia in peccatore. Quod probatur, primùm, ex parte causæ ipsius gratiæ. Nã gratia necessariò procedit ex parte causæ agentis ipsius ex speciali beneuolentia Dei authoris supernaturalium: sed repugnat Deum habere hanc beneuolentiam erga peccatorem manẽtem in peccato propter infinitam eius bonitatem: ergo implicat, quòd maneat in peccatore. Secundò etiam probari potest, quia gratia formaliter facit hominem dignum vitæ æternæ, & consortem naturæ diuinæ, & per tale consortium, proportionatum vitæ æternæ; imò facit similitudinem quandam diuinam, & hoc non est separabile à gratia: sed peccatum facit formaliter hominem ex sua ratione indignum, & improportionatum vitæ æternæ, & dissimilem Deo: ergo non potest esse simul cum peccato. Tandem: Per gratiam coniungitur homo cum Deo, ex qua coniunctione & vnione, consequitur, splendor, nitor, & pulchritudo in anima: sed peccatum cùm sit contra voluntatem Dei, habet ex intrinseca sui ratione, quòd sit auersiuum à Deo: ergo & priuatiuum nitoris, & splendoris dimanantis ex coniunctione ad Deum. Igitur, sicut implicat aërem simul esse tenebrosum, & lucidum, sic & animam simul esse nitidam, & maculatam. Ad illud verò, quòd peccatum non corrumpit efficienter charitatem, & gratiam, dicemus disputatione quarta, sequenti. Interim tamen multi Theologi dicunt, quòd tantum moraliter excludit gratiam; ita tamen quod moraliter habet ex se vndè possit effectiuè repellere gratiam, etiam secluſa ratione demeriti; ita tamen, vt peccatum & gratia in esse gratiæ per nullam potentiam possint esse simul. Et profectò, hoc postremum dictum, est expressa sententia Caietani in hoc artic. cõtra Scotũ, qui putauit, quod sicut homo offensus ab altero potest conseruare beneuolentiam, & amorem ad ipsum, sic etiam Deus ad peccatorem; quam quidem doctrinam Caietanus impugnat hic: Quoniam Deus à creatura offensus, necessariò se habet per modum offensi ad ipsam, propter infinitam bonitatem eius repugnantem peccato; implicat tamẽ quòd Deus se habeat per modum offensi, & quòd maneat gratia in esse gratiæ; homo verò cùm non sit infinitè bonus, non se habet necessario per modum offensi; & hæc est legitima interpretatio sententiæ ipsius Caietani, vt supra etiam fusius aperuimus. Id autẽ, quod dicitur ab istis Theologis, quòd moraliter effectiuè repellit gratiam, ita vt moraliter habeat ex se vndè effectiuè possit expellere gratiam, etiam secluſa ratione demeriti; id quidem vix potest intelligi, Vndè, id examinabitur & aperietur meliùs disputatio. 4. sequenti, in quem locum remitto lectorem. *Ad secundũ.* ¶ Ad secundum respondetur, quòd sufficit quòd sint in eadem anima actus peccati, & gratia. Rursùs, sicut gratia est in essentia animæ, ita macula peccati, & indignitas ad consortium Dei, & alia multa; & hoc sufficit: Nam hæc omnia destruit peccatum. *Ad tertium.* ¶ Ad tertium respondetur, negando maiorem; & fortassè, formale peccati est aliquid positiuum, & non pura priuatio. Dico secundò, quòd quamuis peccatum omissionis essentialiter, & intrinsecè non importet aliquem actum, sed potiùs negationem actus; tamen ex parte causæ, regulariter loquendo, præsupponit aliquem actum, taliter, quòd non potest moraliter loquẽdo dari pura omissio sine omni actu, & ratione actus præsuppositi est voluntaria ipsa omissio saltem virtualiter, & indirectè, quod sufficit, vt per illam maneat voluntas verè, & realiter conuersa ad bonum commutabile, & auersa à Deo. *Ad quartum.* ¶ Ad quartum aliqui negant, quòd in homine nuper iustificato, & conuerso maneant aliquando habitus vitiosi, qui contrariantur virtutibus moralibus: sed falsò quidem: Nam existimo, quòd pro aliquo tempore manent illi habitus vitiosi, qui cùm sint acquisiti, & firmiter radicati, non possunt vnico instanti repelli, sed manent materialiter, & physicè, non tamen moraliter. Vndè respondetur negando consequentiam. Et ratio est: Quia per actum peccati mortalis liberè conuertitur homo ad obiectum repugnans charitati in quãtùm conuertitur ad aliquid, quod est contrarium



medijs necessarijs ad tẽdendum in vltimum finem ipsius charitatis; per habitus autem vitiosos non cõuertitur homo libere ad tale obiectum, imo secundum liberam electionem voluntatis inclinatur in Deum finem vltimum super omnia dilectum mediante gratia, & charitate, & repugnat inclinationi vitiosæ illorum habituum; sicut etiam repugnat sinistris inclinationibus naturalibus. *Aliquis.* ¶ Ad quintũ respõdetur negando consequentiam, imo verò bono contrariantur multa; quia bonum debet esse ex integra causa, & malum ex quocumque defectu. Rursus, diuersa ratione contrariatur actus studiosus, actui peccati, & diuersa ratione gratia, & charitas, vt explicatum est in præcedentibus, & fusius explicabitur disputatione sequenti. *Ad sext.* ¶ Ad confirmationem respondetur, quòd peccatum mortale est priuatio illius perfectionis, quam in ordine supernaturalium tribuit gratia, & idcirco sicut priuatiuum illius perfectionis, ad eundem ordinem reducitur, sicut priuatio formæ alicuius in eodem genere, & prædicamento est, vbi est sua forma. Dico secundo, quod confirmatio ista solum ostendit, quòd peccatum mortale non corrumpit charitatem, & gratiam per se primo, & directe, attingendo istas qualitates supernaturales, sed solum ex parte subiecti apponendo dispositionem repugnantem illarum consequationi. *Ad sextum.* ¶ Ad sextum dico, quod maior est vera de contrarijs physicis precisè; non tamen de contrarijs physicis, & moralibus. Rursus maior est vera de contrarijs mediatis; non tamen de immediatis. Vnde negando est consequentia. *Ad septimum.* ¶ Ad septimum respondetur, quòd non est par ratio de mortali, & veniali respectu charitatis: Nam mortale contrariatur fini charitatis, & contrariatur gratiæ: quia facit hominem indignum Deo, & consortio ipsius, & auertit hominem à Deo; hæc autem non conueniunt peccato veniali. Vnde veniale non est contra finem charitatis, sed præter; & idcirco neganda est consequentia. *Ad octau.* ¶ Ad confirmationem respondetur similiter negando consequentiam propter eandem causam assignatam. Sed de materia huius argumenti plura dicemus disputatione sequenti.

## DISPVTATIO IIII.

### *Vtrùm gratia, & charitas destruantur formaliter, vel effectiue per actum peccati, vel solum moraliter?*

LÆc controuersia differta est à nobis supra in materia de habitibus. q. 53. artic. 1. quo loco inquiritur, vtrum actus per se corrumpat habitum contrarium, & oppositum? & 2. 2. q. 24. artic. 10. Et in ea re Ariminen. *Ariminen.* in. 1. d. 17. q. 3. quem sequutus est Gabriel in. 3. d. 23. quæst. 1. dub. 6. dixit, quod actus per se non destruit habitũ oppositum, sed solum producit habitum, quo producto expellitur formaliter alter habitus oppositus, & contrarius. *Gabriel.* Et consequenter tenent, quòd actus intemperantiæ non corrumpit per se, neque efficienter habitum temperantiæ, quia actus intemperantiæ non contrariatur habitui temperantiæ, sed actui temperantiæ. Nam possunt esse simul habitus temperantiæ, & actus intemperantiæ, vt patet in peccatore recenter conuerso ad Deum, vel in homine studioso, & temperato, qui incipit esse vitiosus, & intẽperatus: tunc enim ille habet habitum temperantiæ, & simul actum intemperantiæ.

Sed ex hoc nascitur maius, & difficilius dubium, vtrum actus peccati, siue peccatum destruat gratiam, & charitatem quasi efficienter, & quasi physice, vel solum destruat demeritorie, & non efficienter? Durand. in. 1. d. 17. quæst. 10. Henric. quodlib. 5. quæst. 23. Ricard. Bonauent. & Gabri. supra citati, imo vero Scot. in. 2. d. 28. quæst. vnica, & in. 4. d. 14. quæst. 1. & d. 16. quæst. 2. putant, quòd peccatum solum demeritoriè corrumpit charitatem & gratiam, & non efficienter, quæ sententia est quorundam Neothericorum. Et persuaderi potest his argumentis. Primum est. Peccatum non opponitur neque contrariatur charitati: ergo non corrumpit per se gratiam, aut charitatem in genere causæ efficientis. Probatur antecedens: Quoniã gratia & charitas sunt formæ ordinis diuini, & supernaturalis; peccatum verò est actus ordinis naturalis pertinẽs ad ordinem naturæ; ergo peccatum non potest attingere effectiue gratiam, & charitatem. Patet consequentia: Quia istæ sunt formæ ordinis supernaturalis; res vero inferioris ordinis non potest agere physicè in rem superioris ordinis, vt corpus non potest agere in spiritum. *Secundum.* ¶ Secundò arguitur. Nam charitas non producitur effectiue per nostros actus, sed à Solo Deo infunditur: ergo pari ratione non destruitur effectiue nostris actibus. Patet consequentia: Quia secundum Arist. 2. Ethicor. cap. 1. Virtus ex eisdem generatur, & corrumpitur. *Aristoteles.* *Tertium.* ¶ Tertio. Si peccatum destruit gratiam efficienter physicè: ergo debet destruere gratiã ex sibi proprijs, & per id, per quod constituitur peccatum in esse peccati: sed peccatum in esse peccati constituitur per priuationem, & auersionem à Deo: hoc enim est proprium peccati, & sibi intrinsecum: sed hæc priuatio, & auersio non est actiua: ergo peccatum non destruit gratiam physicè efficienter ex sibi proprijs. Patet cõsequentia: Quia priuatio, & auersio non possunt habere rationem causæ efficientis, & quia nihil agit, nisi secundum propriam formam, seu rationem formalem. Si dicas, quòd peccatum corrumpit charitatem efficienter ratione coniuncti, hoc est ratione actus positiui adiuncti. Cõtra: Pura omissio est verum peccatum destruẽs charitatem, & gratiam, & tamen secundũ se non habet actum, neque dicit actum: ergo peccatũ vt sic, non destruit per se efficienter gratiam, sed tãtum demeritoriè. *Quartum.* ¶ Quartò arguitur. Deus potest cõseruare charitatem, & gratiam simul cum peccato, nam potest permanere charitas quatenus est qualitas quædam supernaturalis perseuerante peccato in homine peccatore: ergo nõ se expellũt efficiẽter ex natura rei peccatum & gratia, seu quasi physicè. *Confirm.* Et confirmatur: Nã habitus peccatorũ mortalium non expellunt charitatem, sed possunt esse simul cũ illa, vt patet in homine vitioso, qui iustificatur per sacramentũ cum sola attritione: ergo multo minus actus peccati mortalis poterit expellere effectiue habitum charitatis. Patet consequentia; Quia actus nõ cõtrariantur directe habitui, sed indirecte in quantũ causat actum contrarium illi. *Quintum.* ¶ Quinto arguitur.

Peccatum mortale non efficit in anima aliquid incomposibile charitati: ergo nõ corrumpit illã effectiue. Antecedens constat satis aperte: Nam assignetur quid sit illud, quod efficit; Consequentia probatur: Quia nullum agens tendit per se in corruptionem, sed per accidens in quantum causat formam incõposibilem formæ præexistenti. *Sextum.* ¶Sextò arguitur. Peccatum mortale, quale est homicidium, vel adulterium solum contrariatur iustitiæ, vel temperantiæ: ergo non potest effectiue corrumpere charitatem. Ostendo consequentiam. Quia nihil corrumpitur effectiue physicè, nisi à suo contrario. *Septimum.* ¶Septimò arguitur. Vnus & idem actus inuariatus in sua entitate, & natura, antea non erat peccatum, & postea est peccatum mortale: sed quando non est mortale non destruit charitatem effectiue: ergo neque quando est mortale. Ostendo consequentiam: Quia efficientia physica consequitur entitatem & naturã rei efficiẽtis; Maior autem probatur: Quia si aliquis feria quinta hora vndecima noctis vescatur carnibus, & continuet eundem actum ex ignorantia culpabili mortaliter vsque ad feriam sextam; certe idẽ prorsus actus est in esse rei, & tamen à principio est bonus, & postea est malus mortaliter; & pariter volitio comedendi carnes feria sexta in homine sano est peccatum mortale; in homine autem ægroto, nõ est peccatum, & tamen quoad entitatem, & naturã intrinsecam eadem prorsus est volitio in vtroque: ergo quod in vno corrumpat gratiam & charitatẽ, & non in alio, tantũ prouenit demeritoriè ex peccato, & non efficienter physicè ex natura ipsius actus. Patet consequentia: Nam illa actio comedendi carnes feria quinta hora vndecima, erat bona & honesta: sed post mediam noctẽ fuit mala, & peccatum: & tamen post mediam noctem actio illa non acquisiuit aliquam efficaciam, aut efficientiam, neque vim, quam antea non habebat: Suppono enim quòd illa actio comedendi continuatur ab hora vndecima, vsque post mediam noctem; Si ergo est vna numero actio, rogo, quam entitatem acquisiuit actio illa, ratione cuius post duodecimam horam expellat & corrumpat efficienter physicè gratiam, & charitatem? quam quidem entitatem & vim physicam nõ habebat hora vndecima, quando actio illa erat honesta & bona. *Octauum.* ¶Octauò. Nullum agens physicè corrumpit formam, nisi quia efficit aliam ei incomposibilem: sed peccator, aut peccatum non efficiunt formam incomposibilem gratię: ergo. Maior patet, & Minor probatur: Quia si peccatum consideretur, vt est priuatio, non potest esse ratio agendi, vt eruditissime aduertit Sanctissimus præceptor supra. q. 85. art. 1. ad. 4. Si vero cõsideretur, vt actus positiuus, non potest efficere nisi habitum positiuum vitij, qui non est formaliter incomposibilis cum gratia: ergo. *Nonum.* ¶Nonò. Inter actum, & habitum non est formalis, & directa oppositio, sed vnusquisque habet contrarium sui generis: contraria enim sunt sub eodem genere. Rursus contraria ab eodem subiecto mutuo se expellunt: sed peccatum primo, & per se est in voluntate, gratia autem in essentia animæ: ergo non sunt primò, & per se in eodem subiecto. Et *Confirm.* confirmatur: Quia ratio cur peccatum repugnat cũ gratia, est ratione offensæ, & ratione contrarietatis ad rationem: sed totum hoc pertinet ad genus moris: ergo. *Decimum.* ¶Decimò arguitur. Si hæc efficientia esset physica, requireret aliquam proportionem inter principium agendi, & effectum: sed hic nulla certa requiritur, quia minimum, mortale corrumpit gratiam, quantumuis perfectam: ergo.

His argumentis persuasi authores supra citati, & præterea Gregor. in. 1. d. 17. q. 3. &. 5. Aliacensis. q. 9. art. 3. dixerunt, quòd peccatum non destruit effectiue gratiam, sed tantum demeritoriè, & quòd solus Deus destruit illam effectiue, quia si creatura posset ipsam gratiam, vel eius aliquem gradum destruere, iam creatura annihilaret ipsam, vel aliquem eius gradũ. Et Durand. non solum loco citato, sed apertius in. 3. d. 31. q. 1. dixit, quod quia gratia à solo Deo producitur effectiue, ab eo solum effectiue corrumpitur, & sicut à solo Deo augetur effectiue, à solo ipso destruitur effectiuè. Vnde, quia solus Deus est causa efficiens ipsius esse; idcirco solus ipse potest destruere, & annihilare ipsum esse, quia, esse, à solo Deo dependet. Caietan. 3. p. q. 86. art. 2. solum ponit, quòd peccatum opponitur gratiæ demeritoriè: ergo videtur sentire, quòd solum eam destruit demeritoriè.

*Gregorius, Aliacensis.* *Caietanus.*

Vt difficultas hæc à nobis aperiatur, primò supponenda est fides, nempe, per quodlibet mortale de facto gratiam in nobis sic peccantibus disipari. Ita habetur in Concil. Trident. sessio. 6. cane. 27. Hæc est contra eos, qui gratiam semel habitam, non posse amitti putauerunt, aut per quodlibet mortale nõ amitti. Hoc est contra Iouian. contra quem late Hieron. scripsit. Quare, Florent. Concilium dixit in definitione fidei, eorum animas, qui *in* mortali discedunt, mox ad infernum descendere. Vnde Iacobi. 3. legimus; Qui offenderit in vno, factus est omnium reus. Rursus angeli, & Adam ob vnũ mortale amiserũt gratiam; Neque mirum, quia vna culpa grauis & mortalis, est sufficiens causa dissoluendi amicitiã cum Deo, cui tot, & tantis titulis debemus obsequium præstare; Imo verò hac ratione peccatum dicitur mortale, quia tollit vitam gratiæ, & infert æternam mortem; Alias non distingueretur, aut differret à veniali; cum tamen hæc differentia semper fuerit in Ecclesia Christi constituta, vt dicit Vega. 14. in Trident. cap. 5. Canisius. 3. p. Catechismi in fine. Hoc suppositum est contra Lutherum lib. de Captiuit. Babylonica, dicentem, non quolibet peccato mortali gratiam amitti, sed tantum infidelitate. Lege Vegam lib. 14. in. Trident. cap. 1. Torrensem, in confess. Aug. lib. 2. capit. 6. §. 3. &. D. Thomam. 2. 2. q. 24. art. 10. &. 12.

*Conc. Trid.* *Conc. Flo.* *Iacobi. 3.*

Rursus supponendum est, peccatum veniale nullo modo destruere gratiam, neque illam remittere, aut minuere; alias per plura venialia tandem corrũperetur, quod est hæreticum. De quare legendus est S. Thom. in. 1. d. 16. &. 12. loco citato.

Tertio suppono ex materia de habitibus, quòd actus oppositæ virtutis corrumpit habitum vitij ac quisitum efficienter, quia attingit essentiam ipsius habitus, quem corrumpit. Nam certa res est, quòd actus nostri morales efficienter producunt, verbi gratia, habitum iustitiæ acquisitæ, aut temperantiæ, acproinde efficienter corrumpunt, & disipant habitus contrarios & oppositos, quia causa, quæ efficienter producit aliquam formam, efficienter expellit,



pellit, & corrũpit contrariam, vt patet de igne, qui cum producat calorem efficienter, destruit etiam efficienter frigiditatem passi. Et hæc doctrina confirmari potest; quia habitus operatur per actum in genere causæ efficientis; & homo agens virtutem, vel destruens vitium non agit, nisi mẽdijs actibus studiosis, ac vitiosis: igitur actus id quod agit, in genere causæ efficientis agit; sed destruit habitum: ergo in genere causæ efficientis destruit. Si verò habitus ad habitum comparetur præcisè, sic habitus expellit alterum habitum oppositum, non quidem efficienter, sed formaliter, verbi gratia, habitus iustitiæ iam genitus, expellit habitum iniustitiæ formaliter. Nam quando forma aliqua est in aliquo subiecto, in eo genere, in quo causat forma, in eodem causat subiectum vbi est forma: sed si calor, verbi gratia, in aqua existens, efficienter pelleret frigiditatẽ, & non tantum formaliter, tunc aqua esset, quæ expelleret à se ipsa efficienter, & physicè frigiditatẽ, quod est incredibile, & mirabile: ergo tantum expellit frigiditatem formaliter: ergo pari ratione philosophandum est in habitibus moralibus cõtrarijs, sicut in naturalibus.

Quartò suppono, dupliciter posse intelligi, quod peccatum mortale corrumpat effectiue gratiam, & charitatem; Primò per modum causæ physicæ ex natura rei independenter à pacto aliquo extrinseco, vel à determinatione agentis liberi. Secundò, per modum causæ moralis efficientis, ad eum modum, quo præcipiens, consulens, vel orans dicitur causa efficiens alicuius effectus: licet non attingat illum physicè, & ex natura rei, vt qui præcipit comburere domum, est causa efficiens moralis ipsius combustionis, quamuis non attingat physicè comburẽdo, vel applicando ignem. ¶Adde etiam, quòd tribus modis intelligi potest aliquid effectiue corrumpere aliud physicè, & ex natura rei; Primo quidem directe attingendo formam, & essentiam rei, quæ corrũpitur efficienter, vt ignis efficienter physicè corrumpit frigiditatem in quantum inducit calorem, qui immediatè repugnat frigiditati ex natura rei. Secundò, efficiendo dispositionem aliquam repugnantem dispositioni formæ, quæ corrumpitur, vt si quis corrumperet diaphaneitatem aëris per condẽsationem maximam, consequenter corrumperet effectiue physicè lucem, quæ præexistebat *in* aëre *in* quantum abstulit diaphaneitatem, quæ erat dispositio per se, & ex natura rei requisita ad esse lucis. Tertiò, apponendo impedimentum, vel obstaculum formæ, seu potius actiuitati agentis conseruantis formam, vt qui claudit fenestram, effectiue destruit lucem domus, in quantum opponit impedimentum, quod ex natura rei, & physicè repugnat conseruationi lucis.

Tandem aduerte, charitatem esse formam quandam supernaturalem, quæ ex sibi proprijs, & intrinsece inclinat in summum bonum sub ratione vltimi finis, & in omnia media necessaria ad consequutionem illius finis, atque adeo importat formaliter, & intrinsece conuersionem voluntatis in Deum, & auersionem à creatura tanquam ab vltimo fine: Peccatum vero mortale importare formaliter & intrinsece deordinationem quandam voluntatis, secundum quam manet voluntas formaliter auersa à Deo, & conuersa ad creaturam tanquam ad vltimum finem.

His ita stabilitis, est prima cõclusio. Peccatũ habet vim moralem ad expellendam gratiã effectiue, etiam secluſa causalitate demeritoria. Probatur: Nam Deus potest considerari vt amicus offensus, & vt iudex peccatoris: ergo peccatum ratione suæ turpitudinis est dignum tali pœna, quę includit priuationem iustitiæ, & ad Deum vt iudicem pertinet illam tribuere. Si verò ab ipso Deo præscindamus rationem iudicis, peccatum per se ratione offensionis contra amicum, habet moraliter vim ad dissoluẽdam amicitiam à Deo, vt licet Deus non esset iudex illius peccati, posset priuare hominem sua amicitia propter talem iniuriam illatam, ad eũ modum, quo inter homines fit. Dices; hoc argumentum tantum probare peccatum corrumpere gratiam in esse amicitiæ; non tamen in esse qualitatis. Respondetur, quòd id, quod est sufficiens ratio moralis, vt Deus auertat ab homine amorem amici, pariter sufficit ad destruendum effectum, seu proprium obiectum illius amoris; Et hoc insinuauit S. Thom. locis citatis, & in. 2. 2. exemplo luminis, quo vtitur. *Conclus. 1.*

Secunda conclusio. Peccatum destruit gratiam demeritorie. Hanc assertionem nos proposuimus in materia de habitibus. q. 53. ar. 1. vbi diximus, peccatum excludere efficienter gratiam, & charitatem in genere causæ moralis, & esse causam moralẽ effectiuã corrũpentẽ charitatẽ & gratiã, loquendo de gratia formaliter, etiam abstrahendo à qualitate materiali, quæ est gratia. Nam cum peccatum mortale sit grauis offensa Dei, reddit hominem iniquum, & indignum. Quia is, qui offendit amicũ, & læsit meretur abijci; atque ita fit vt moraliter effectiue fiat ex peccato, vt homo ille non diligatur à Deo dilectione spirituali, neque sit illi acceptus, & gratus, & consequenter destruit moraliter gratiam. Rursus: Peccatum est causa motiua, & inductiua cur Deus repellit hominem à sua gratia: ergo est causa moralis efficiens demeritoria. Ostendo cõsequentiam: Quoniam hæc causalis est vera, Quia homo peccat, & offendit Deum, idcirco meretur, vt à sua beneuolentia, & à sua gratia repellatur: nam & ob id repellit illum ab ea. Et confirmatur: Quia si Petrus est gratus Regi, ab illoque dilectus; si tamen illum grauiter offendat, tunc offensa illa, quamuis non possit efficienter physicè corrumpere dilectionem illam, & beneuolentiam, quæ est in voluntate Regis; destruit tamen illam moraliter: Quoniam moraliter loquẽdo, qui est grauiter offensus ab aliquo, definit illum habere gratum, quem antea habebat. Hanc assertionem defendunt Gregor. Duran. Gabr. Aliacens. D. Bonauent. Ricard. Caietan. & omnes authores supra citati, in qua quidem omnes conueniunt. *Conclus. 2.*

Tertia conclusio. Peccatum mortale destruit gratiam & charitatem effectiue physicè. Itaque, quolibet mortali non solum corrumpitur gratia, vel charitas demeritoriè, sed etiam efficienter, neque solum efficientia morali, sed etiam physica, & ex natura rei. Hanc tenet S. Tho. 2. 2. q. 24. art. 10. Vbi inquit, quod peccatum mortale contrariatur per se, & directe charitati, & quod illam corrumpit *Conclus. 3.*

rumpit non solũ demeritoriè, sed etiam efficienter. Neque satisfacit dicere, quòd loquitur S. Thom. de efficientia morali, & non physica. Quia cum peccatum mortale non concurrat per modum præcipientis, consulentis, aut deprecantis, sed per modum demeriti; sequitur apertè, quod quando S. Thom. dicit, peccatum mortale corrumpere charitatem, non solum demeritoriè, sed etiam efficienter, necessario debet intelligi etiam de efficientia physica: Et ita eum interpretantur recentiores Thomistæ in hoc art. & Victoria. Eandem sententiam tenet D. Thom. in hoc art. & in disputatis. q. de charit. art. 6. & 13. & 2.2.q.24.art.vlt. Caietanus etiam sensit idem hic, & 2.2.q.24.art.10. Soto. 2. de natura, & gratia, c. 18. Martinus à Ledesma, in prima parte quarti. q. 27. art. 1. ¶ Rationibus persuadetur hæc assertio. Nam peccatum mortale effectiue per modum actionis conuertit animam vere, & realiter ad creaturam tanquam ad vltimum finem, & auertit illam à creatore, vt patet ex communi doctrina Theologorum dicentium, peccatum esse conuersionem ad commutabile bonum, & auersionem à bono incommutabili: sed huiusmodi conuersio, & auersio, repugnant charitati physice, & ex natura rei, & non tantum ex aliquo pacto, vel lege positiua: ergo. Probatur minor: Quia conuerti ad Deum, est per charitatem adhærere ipsi, ac proinde charitas per quam conuertimur ad Deum, & auertimur à bono commutabili, est incõpossibilis cum peccato mortali physice & ex natura rei. Sane, peccatum efficienter corrumpit conuersionem ad Deum per conuersionem ad creaturam: sed hæc conuersio ad Deum, est dispositio necessaria ad conseruationem gratiæ, & charitatis: ergo efficienter destruit charitatem, & gratiam. Ostẽdo cõsequentiam: Quoniam agẽs, quod per se, & directè ponit dispositiones necessarias ad generationem, & introductionem formæ substantialis, vere generat physicè, & efficienter: ergo agens oppositum, & contrarium, corrumpens dispositiones necessarias ad conuersationem formæ, vere efficienter, & quasi physicè corrumpit formam, & id est, quod efficit peccatum corrumpendo conuersionem ad Deum, quæ est dispositio necessaria ad conseruationem gratiæ, & charitatis. Et confirmatur: Quia quanuis ignis non possit corrumpere animam rationalem; dicitur tamen illam expellere efficienter à corpore, quia introducit dispositiones contrarias suæ conseruationis in corpore, & corrumpit proprias positiuè, quibus permanebat in corpore. Secundo persuadetur. Nam quamuis anima rationalis à solo Deo producatur, & creetur in corpore; nunquam tamen producitur, aut creatur à Deo, nisi in corpore disposito, neque permanet, nisi pariter in corpore disposito: ergo agens naturale, quod corrumperet dispositionem necessario requisitam ad hoc, quod anima informaret corpus, & permaneret in corpore, effectiue expelleret animam illam à corpore, & physicè. Quod si anima non esset immortalis, & in illa expulsione potuisset desinere esse, tũc agens naturale illam effectiue corrumperet, corrumpendo dispositiones contrarias suæ conseruationi: ergo licet charitas à solo Deo infundatur; cæterum quia non infunditur, neque conseruatur, nisi in subiecto disposito; sequitur, quòd qui tollit dispositionem illam necessariò requisitam ad conseruationem charitatis in illo subiecto, effectiue expelleret illam; Et quia in tali expulsione effectiuè facta, charitas definit esse; idcirco effectiue illam corrumpit, & hoc totum agit peccatum mortale, quia est dispositio contraria ipsius charitatis. ¶ Præfatum argumentum fundatur in ea doctrina, quæ docet, quòd agens, quod potest agere in subiectum effectiue dispositionem contrariam formæ, illud dicitur effectiue formam corrumpere, vel expellere, vt patet de igne, qui comburendo hominem, effectiuè expellit animam à corpore, etiam si anima à solo Deo pendeat in fieri, & conseruari: Et ob id, si anima non posset esse sine subiecto, ignis diceretur corrumpere animam. Tertiò probatur. Nam si per impossibile non esset meritum, neque demeritum, neque præmium, aut supplicium; nihilominus peccatum destrueret gratiam, & charitatem, efficeretque hominem ingratum, & inimicũ Deo; & non demeritorie, quia supponimus nullum esse meritum, aut demeritum: ergo efficienter, & ex natura rei. Neque obstat dicere, multa esse peccata, quæ talia non sunt ex natura rei, sed solum, quia prohibita. Nam licet conuerti ad obiectum illorum peccatorum secundum se non sit malum auersiuũ à Deo; tamen ex suppositione, quòd tale obiectum est prohibitum sub mortali, volitio illius libera, stante prohibitione, intrinsecè importat deordinationem repugnantem vltimo fini, qui est Deus, & auersionem ab illo. Et confirmatur hoc: Quoniã malitia, & peruersitas peccati mortalis non consistit in sola denominatione extrinseca, aut in solo respectu rationis, sed in modo reali se ferendi voluntatis, secundum quem libere fertur in obiectum dissonũ rationi, & legi diuinæ, ex quo resultat priuatio debitæ rectitudinis, & auersio ab vltimo fine, in qua formalissime completur ratio peccati, & malitia peccati: ergo ex propria, & intrinseca entitate habet peccatum mortale repugnare charitati, & eam expellere, ac proinde non solum moraliter, sed etiam physicè illam corrumpit. Item; In naturalibus cernimus, quòd per hoc, quod aliquis auertat oculos à Sole, destruit efficienter physice splendorem vultus sui, quem causabat Sol in ipso, cum erat conuersus ad ipsum Solem: ergo pariter in supernaturalibus, per hoc, quòd aliquis conuertatur ad creaturam, & auertat voluntatem suam à Deo, destruet efficienter physicè splendorem gratiæ, & charitatis, quem participabat mediante conuersione ad ipsum.

Moueor etiam ad hanc assertionem. Quia si tantum moraliter, & demeritoriè peccatum expellit gratiam, etiam expelleret fidem, & spem: Quia sicut peccator est indignus diuina gratia, ita & cuiuscũque virtutis. Huic obiectioni respondent aduersarij dicentes, peccatorem id meruisse: sed ex Scriptura constare, non destitui peccatorem fide & spe, iuxta maximam Dei misericordiam, ne homo destituatur omnino intrinsecis principijs ad salutem. Cæterum hæc responsio non satisfacit: quia licèt verum sit de facto in peccatore fideli manere fidem, & spẽ infusas; nihilominus, si ratio aduersariorum esset efficax, etiam ostenderet, quòd expellitur fides & spes. Nam peccatum mortale est grauis offensa contra Deum commissa, & supponamus hoc peccatum esse



esse odium Dei grauissimum; Tunc si tantum moraliter & demeritoriè peccatum expellit gratiam, sequeretur, quòd pariter expellit fidem, & spem. Nã peccator cum totaliter repellatur à diuina amicitia, nulla videtur causa cur admittatur ad ingentissima & magnifica dona supernaturalia fidei, & spei: ergo cum fides, & spes maneãt in peccatore fideli; sequitur, quòd non tantum moraliter & demeritoriè expellitur gratia, sed etiam effectiue physicè.

Sunt nonnulli Theologi, qui eandem assertionẽ hac ratione ostendant: Si peccatum excludit gratiã tãtum moraliter: ergo non idcirco definit gratia; ni si quia Deus destruit illam: Tunc vltra, Deus non destruit illam, nisi quia cognoscit peccatum; sed prius cognoscit peccatum, quam excludat illam: ergo in aliquo priori sunt simul gratia, & peccatum. Patet consequentia: Quia peccatum est prius natura in anima, quam cognoscatur à Deo: sed gratia nõ excluditur, nisi per cognitum peccatum: ergo ante cognitionem peccati erat peccatum, & gratia simul. Si dicas, in eodem instanti includi. Contra; Implicat in eodem instanti aliquid esse, & non esse: sed in hoc instanti est qualitas gratiæ: ergo. Minor patet: quia cognitio peccati supponit esse: sed cognitio peccati est in hoc instanti: ergo & ipsa gratia est in hoc instanti. Rursus: Peccatum est prius natura, quã cognitio peccati, & gratia est prius natura, quam cognitio peccati: ergo gratia, & peccatum pro aliquo instanti essent simul. Ergo, vt hæc difficilia euitentur, dicendum est peccatum effectiue physicè destruere gratiam & charitatem.

Conclus. 4. QVarta conclusio. Peccator dum committit peccatum, & se proprio actu ad creaturam conuertit, destruit effectiue gratiam. Hanc tenent etiam nonnulli ex aduersarijs, & euidenter sequitur ex præcedentibus assertionibus. Nam ponens dispositionem vltimam ad exclusionem formæ, excludit effectiue formam, vt qui ponit summum calorem, destruit formam aquæ, & qui ponit condensationem, & opacitatem, destruit lucem, & species visibiles: sed homo effectiuè ponit peccatum, quod est vltima dispositio ad exclusionẽ gratiæ: ergo. Sed obijcies. Is qui ponit vltimam dispositionem ad introductionem gratiæ, non producit gratiam, eò quòd est inferioris ordinis: ergo qui ponit dispositionem ad exclusionẽ gratiæ, eo quod est inferioris ordinis, nõ destruit effectiue gratiam. Respondetur, quod non est par ratio, sed diuersa corruptionis, & generationis, quia producere est perfectionis alicuius, & de genere bonorum, & idcirco id, quod producit aliquid, vt causa principalis, & non in ratione instrumenti, non debet esse inferioris ordinis: at verò destruere, & corrumpere aliquid est de genere malorum, & non est perfectionis; idcirco effici potest à rebus inferioris ordinis. Vnde, lumen, homo, species à vilissimis rebus destruuntur & corrumpuntur interdum. ¶ Confirmari etiam potest conclusio hæc: Nam, qui ponit impedimentum causæ efficienti, ne influat, vel conseruet formam, physicè destruit formam, vt qui ponit obstaculum lumini, effectiue corrumpit lumen, vt qui claudit fenestram corrumpit lucem effectiuè, quamuis per accidens, seu per aliud: ergo qui ponit peccatum, quod non solum est obstaculum, ne Deus conferat gratiam, aut conseruet illam, sed etiam est indispositio ad gratiam, destruit ipsam effectiuè, & perse. Et confirmatur iterum ex fundamento, & argumento allato. Quia licet ignis non prodùcat animam in corpore; expellit tamen illam efficienter à corpore introducendo contrarias dispositiones: sed hoc facit peccator peccando: ergo, &c.

Ex dictis colligitur, quòd vt minimum dubitari non potest in omni opinione, quin actuale peccatũ destruat gratiam dispositiue, sicut condensatio, & opacitas diaphani destruit lucem: qui enim offendit amicum, disponit se ad dissolutionem amicitiæ; & licet hæc dispositio in hominibus non semper inferat effectum, vt Caietan. 3. p. loco citato dicit, vt patet ex his, quæ solent euenire inter Patrem, & filium ingratum, & inter virum, & vxorem adulterã; cæterum in Deo, qui ex natura rei est vniuersalis iudex, & odio habet impium, & impietatem eius, & qui nihil debet relinquere irremuneratum, aut sine ordine ad punitionem, semper ille effectus sequitur.

### *Opinio S. Thomæ amplius explicatur.*

QVo autem pacto explicari debeat, quòd peccatum destruat gratiam effectiuè physicè, & non tantum moraliter, & demeritoriè, id quidem est difficile, & forsan ex dictis in superioribus res hæc benè consideranti fiet manifesta; cæterum adhuc duobus modis explicare possumus, quo modo peccatum physicè effectiue destruat gratiam, & charitatem. Primus modus est supponendo cum D. Aug. lib. 8. de Gen. ad literam cap. 12. quod sicut lumen dependet à Sole in fieri, & in conseruari, ita gratia pendet à Deo nõ solum in fieri, sed incõseruari. Quare, sicut qui efficiẽter constitueret impedimentum inter Solem, & sacellum, esset causa effectiua, quod lumen destrueretur in Gymnasio, aut in sacello, non quidem attingẽdo directe, & immediate ipsum lumen, quod corrũpitur, sicut ignis attingit aquam per contactum physicum, aut sicut frigus attingit, & corrumpit calorem: quia lumen non habet contrarium; sed impediendo nè lumen illud à Sole defluat in Gymnasiũ: Pari ratione, seu ad eundem modum, qui mortaliter peccat, impedit gratiæ influxum à Deo in animam, iuxta illud Isaiæ. 59. Peccata nostra diuiserunt inter nos, & Deum nostrum, & peccata vestra abscõderunt faciem eius à vobis. Secundus modus explicandi est, scilicet, quòd quando aliqua forma dependet in cõseruari ab aliqua dispositione subiecti, qui destruit, & corrumpit dispositionem illam, tãquam causa physica efficiens, destruit etiam & corrumpit formam, quæ pendebat à tali dispositione in conseruari; Sicut rationalis anima, vt perseueret in corpore, & in eo cõseruetur informando corpus, pendet à certa aliqua dispositione. Quapropter, qui corrumperet illam dispositionem effectiue, expelleret animam à corpore; quòd si, vt diximus in illa expulsione, per impossibile fuisset anima corruptibilis, corrumperetur quidem, & sic talis expulsio esset causa corruptionis illius. Ad eundem ergo modum, cum gratia non infundatur nisi animæ disposita per conuersionem ipsius animæ in Deum, & non permaneant gratia, aut charitas, nisi quandiu manserit illa

*D. August.*

talis

talis dispositio, scilicet, conuersio in Deum; sequitur, quòd cum per quodcumque mortale tollatur illa conuersio, sic pariter efficienter gratia corrumpatur. Quia sicut actualis conuersio proueniens ex auxilio Dei supernaturali, est dispositio necessariò requisita in adultis ad hoc, vt peccatori infundatur gratia, vt definitur in Concil. Trident. sessio. 6. cap. 5. Ita etiam conuersio manens per modum habitus, quod est hominem esse habitualiter conuersum, est dispositio necessario requisita, vt gratia conseruetur in anima; Et cum quòdcumque mortale sit auersio à Deo, ipsum est, quod tollit huiusmodi conuersionem, ac proinde tollit, & corrumpit etiam efficiẽter gratiam, quæ ab illa conuersione pendebat in conseruari, & hoc vocamus gratiam efficienter corrumpi quasi physicè per peccatum.

*Conc. Trid.*

Ex his colligo, quòd mortale peccatum non corrumpit charitatem, vel gratiam immediate & directe attingendo ipsam, sicut ignis per calorem corrumpit & destruit frigiditatem aquæ; sed mediate, & quasi indirecte in quãtum apponit impedimentũ influentiæ diuinæ, à qua intrinsece dependet gratia & charitas, & in quantum aufert dispositionem per se, & necessario requisitam ex parte voluntatis ad recipiendam gratiam, & charitatem à Deo, ad eum forte modum, quo claudẽs fenestram, destruit efficienter lumen, quod mediante illa refundebatur, & deriuabatur in sacellum ex ipso Sole; & sicut ille, qui efficienter destruit dispositiones requisitas ad vnionem animæ rationalis cum corpore, est vera causa efficiens physica exclusionis animæ rationalis à corpore; licet non attingat immediate ipsam entitatem, & substantiam animæ rationalis: Sic etiã vt dictum est, qui per peccatum mortale conuertitur ad creaturam, & auertitur à Deo vltimo fine, efficienter destruit dispositionem necessariam ad conseruationem gratiæ, & charitatis, quæ intrinsece dependent ex debita conuersione voluntatis in Deum, tanquam ex dispositione, atque adeo efficiẽter physice excludit charitatem ipsam & gratiam, & eam totaliter destruit, & dissipat. ¶ Verum tamen est, quod licet peccata omnia mortalia efficienter corrumpãt charitatem, modo superius tacto; tamen magis per se, & directe conuenit hoc peccato odij Dei; cæteris autem peccatis conuenit in quantum aliquo modo participant rationem odij Dei. Quare, peccata ex malitia, & contemptu, magis directe cõtrariantur charitati, & ordini ad vltimum finem, quam peccata ex passione, vel ignorantia, vt erudite valde docet S. Thom. 2. 2. q. 24. artic. 12. ad. 2. sed ex parte inordinationis, quæ in quolibet peccato mortali includitur, nullum est mortale, quod charitati directe non contrarietur, vt S. Thom. loco nunc citato ad. 4. dicit, & Caiet. ibidem.

*Argument.* Sed contra propositas explicationes, & doctrinam, est difficile argumentum. Homo per contritionem, & per actualem in Deum conuersionem, se disponit ad gratiam ex auxilio Dei, & quamuis efficienter concurrat ad contritionem, & conuersionem, siue ad dispositionem ad gratiam; non tamen ob id dicitur producere efficienter physice gratiam, aut charitatem, siquidem gratia est habitus à Deo nobis infusus, sine nobis, non quidem sine nobis consentientibus, sed sine nobis producẽtibus ipsam gratiam: ergo si producere efficienter dispositionem ad gratiam, & charitatem, non satis est ad hoc, vt dicamur producere efficienter gratiã, & charitatem; pari ratione sequitur, quòd quamuis per peccatum efficienter corrumpatur dispositio ad gratiam, & introducãtur oppositæ dispositiones, non ob id sequitur, quod peccatum efficienter, & quasi physice corrumpat, & repellat gratiam, & charitatem. ¶ Huic argumento respondetur, quòd licet actus nostri non sint causa effectiua charitatis, aut gratiæ; sunt tamen dispositiua ad introductionem gratiæ, & charitatis, & ex consequenti pari ratione actus nostri possunt esse causa dispositiua ad expulsionem charitatis, & gratiæ: & hoc est satis, vt dicantur illam effectiue corrumpere. Ad productionem vero multò amplius requiritur, quam ad expulsionem, aut corruptionem. Nam ad productionem requiritur, quod agens attingat essentiam rei, quæ producitur; ad expulsionem verò sufficit attingere dispositionem conseruantem formam, & sufficit efficere physice illud, vnde sequitur vera corruptio formæ. Dico secundo, quòd contritio non producit gratiam efficienter, cum illa sit qualitas infusa, quã Deus in nobis sine nobis operatur; at vero peccatũ, quod est ex nobis, inuenit iam gratiam productam cum sua dispositione conseruante, quam dispositionem conseruatricem attingit peccatum, & destruit, vt dictum est. Et sane, peccatum non tam efficienter physicè destruit charitatem, sicut aqua extinguit ignem, sed efficienter, & quasi physicè modo superius explicato.

*Solutio.*

*Obiectio.* Rursus obijciunt contra explicationem datam nonnulli Theologi, & vt putant, efficaciter, & difficiliter. Peccatum mortale iniustitiæ, vel intemperãtiæ non supponit, neque tollit rectitudinem supernaturalem in anima, quæ est à gratia, & charitate, sed tantum rectitudinem naturalem, quæ est à temperantia, vel à iustitia: ergo non quodlibet mortale destruit efficienter gratiam. Consequentia aperta est, & Antecedens probatur: Quia si homo in puris naturalibus committeret peccatum intemperãtię, vel iniustitiæ, solum expelleretur, & corrũperetur naturalis rectitudo, quæ erat à temperantia, vel à iustitia. Et confirmatur: Quia priuatio non tollit amplius, quã ponat habitus, seu forma qua priuat: sed temperantia non ponit rectitudinem supernaturalem gratiæ, sed solum rectitudinem naturalem ipsius temperantiæ: ergo peccatum intemperantiæ, quod est contra temperantiã, non tollit rectitudinẽ supernaturalem gratiæ, sed rectitudinem naturalem temperantiæ. Quo fit vt non quodlibet mortale efficienter physice corrumpat gratiam, aut destruat charitatem. ¶ Huic argumento rationabiliter valdè plerique Theologi respondent, negando, quod peccatum intemperantiæ solum tollat rectitudinẽ naturalem, quæ est à virtute temperantiæ. Quia pariter etiam tollit rectitudinem supernaturalem, si illa erat in subiecto, vt si quis habens rectitudinem supernaturalem, quia est in gratia, committat mortale peccatum iniustitiæ, aut intemperantiæ; tunc sane per peccatum illud vtraq; rectitudo destruitur, naturalis, & supernaturalis. Si autem contingat, in eo, qui peccat non esse rectitudinem supernaturalem, vt contingit in homine in puris naturalibus; tunc

*Obiectio. Confirm.*

*Solutio.*



tunc dicere oportet, quod per tale peccatum intemperãtiæ, non tollitur de facto rectitudo supernaturalis gratiæ, quia non inuenit eam in subiecto; Sed nihilominus ponitur obex, siue impedimentum rectitudinis supernaturalis, & gratiæ suscipiendæ. Et fundamentum huius est: quoniã is, qui mortaliter peccat per iniustitiam, etiam peccat cõtra charitatem, qua tenetur Deum super omnia diligere, præferendo creaturam creatori. Quoniam per quodcumque mortale constituitur vltimus finis in aliquo bono creato, siue in creatura. ¶ Ad confirmationẽ aliqui Theologi dicunt, peccatum mortale iniustitiæ vel intemperantiæ, directè tãtum tollere rectitudinẽ temperãtiæ, vel iustitiæ; indirecte tamen, & ex consequenti etiam tollere rectitudinem supernaturalem gratiæ, & charitatis, sicut ablato animali aufertur homo, quia ex negatione animalis, sequitur negatio hominis; sed sicut posito animali non statim ponitur homo, ita etiam posita rectitudine naturali, quæ cõueniebat antea per virtutẽ tẽperãtiæ, nõ est necesse, vt ponatur rectitudo supernaturalis, quæ est per gratiam. Vndè ad confirmationem dicunt, quòd licet priuatio nõ auferat directè, & per se plus quam ponit habitus contrarius; tamen nihil prohibet, quòd indirectè, & consequenter tollat plus, quam ponit habitus contrarius. Sed licet hoc verum sit, nihilominus non plene dissoluitur argumentum iuxta doctrinã Sancti Thomæ. Quia licet ita sit, quòd ex negatione animalis sequitur negatio hominis; tamen restituto, seu reparato animali, totum illud est reparatum, quod fuerat sublatum per negationẽ animalis: ergo pariter secundũ hunc modum dicendi reparata rectitudine naturali, quæ erat per peccatum intemperantiæ amissa, similiter esset etiam reparatum totum, quod fuerat sublatũ, & perditum per peccatũ intẽperantiæ, aut iniustitiæ; hoc autem est falsum, & aperte contra Sanctũ Thomã in hoc articulo. vbi dicit, quòd non potest intelligi remissio peccati mortalis, sine infusione gratiæ, aut sine rectitudine supernaturali, qua homo fiat gratus Deo. Imoverò solutione ad primũ ait, quod peccatum, & gratia sunt contraria immediata in eo, qui peccauit mortaliter: igitur fieri nõ potest, vt auferatur peccatum illud intemperantiæ, aut iniustitiæ, per solã reparationẽ rectitudinis naturalis, sine reparatione rectitudinis supernaturalis, quæ est à gratia, & charitate, ita vt talis reparatio sit vera remissio peccati. ¶ Quare, ad argum. respondetur, q; mortale illud peccatum iniustitiæ, vel intẽperantiæ, non solũ tollit directe, & formaliter rectitudinẽ temperantiæ, sed etiã tollit directe, & formaliter rectitudinem gratiæ. Quia mortale illud nõ tantũ est cõtra tẽperantiã, sed etiã cõtra charitatẽ. Nã per mortale illud cõstituitur vltimus finis in bono creato, quod est expresse cõtra charitatẽ præferentẽ Deũ omnibus: & idcirco peccatũ illud nõ potest remitti, nisi parata vtraq; rectitudine naturali, & supernaturali, vt supra fusius diximus. Quoniã vtraq; fuerat per peccatũ illud deperdita. Neque sequitur ex hac doctrina, quòd priuatio auferat, vel tollat amplius, quã ponat habitus oppositus, neque etiam sequitur, quod sit eadẽ priuatio rectitudinis naturalis, & supernaturalis; sed solũ infertur, quòd in illo peccato intẽperãtiæ, & iniustitiæ est duplex priuatio, vna quidem rectitudinis naturalis, quatenus peccatũ illud est contra legẽ rationis; altera verò rectitudinis supernaturalis, inquantũ peccatum illud est contra charitatem, & amorẽ Dei præcipiẽtem præferre Deũ omnibus. Et idcirco non potest remitti illud peccatũ, nisi restituta vtraque rectitudine. De qua re fusiorẽ habuimus controuersiam in hoc art. disputat. 2.

*Alij solut.*

*Sententia aduersariorum amplius explicatur.*

Quãuis D. Thomæ sententia probabilis valde, & rationabilis sit, & nobis maxime probata, qui eiusdem lacte educati sumus: tamẽ ne videamur contrariã dãnare, & vt exerceantur ingenia, hanc statuo propositionẽ. Non est improbabile dicere, quòd peccatũ non destruit effectiue physicè gratiã; ac proinde demeritoriè, & moraliter tantũ expellit, & corrũpit gratiã. Hanc conclusionẽ tenent authores supra citati pro hac parte; Et potest persuaderi ex omnibus argumẽtis supra tactis in exordio huius cõtrouersiæ; & præterea probatur. Quia, vt ex Philosophia probabiliter colligitur, vltima dispositio existens in passo, nõ attingit effectiue introductionem formæ, aut expulsionẽ contrariæ: ergo pari ratione peccatum nõ attingit effectiue expulsionẽ gratiæ, & consequenter ruit fundamentũ positũ supra pro sententia D. Tho. Declaratur hoc: Nã quod nõ attingit effectiue dispositionẽ vltimam, non attingit effectiue formam: sed peccatum non attingit effectiue vltimã dispositionẽ ad expulsionẽ gratiæ: ergo. Minor ostẽditur: Quia dispositio vltima est ipsummet peccatũ, quod non attingit effectiue se ipsum: ergo, &c. ¶ Secũdo: efficientia physica non potest cõuenire peccato ratione priuationis, cũ priuatio non sit actiua, neq; potest cõuenire ratione sui esse moralis, quia operatio sequitur naturam, & non moralitatem; neq; ratione naturalis entitatis, quia eiusdẽ speciei, & entitatis naturalis est actus peccati mortalis, & actus peccati venialis in eadẽ materia, imo & actus naturalis circa eãdẽ; sed posteriores actus nõ destruũt effectiue physice gratiã: ergo. Et confir. hoc: Quia certa res est, q; velle comedere carnes feria quinta, vel sexta sanũ, vel infirmũ, ex ignorantia vincibili, vel invincibili, non variat actus in esse naturæ, seu in esse physico: ergo si cũ vna harũ circunstantiarũ actus isti non sunt expulsiui gratiæ efficienter, quia sunt boni, neq; cum alijs circunstantijs id efficient, etiã si sint mali. Quod argum. fusius, & efficacius à nobis proponitur supra in exordio quæstionis, & est septimũ in ordine. Et sanè, idẽ potest argui de homicidio libero, vel vincibiliter, aut invincibiliter ignorato. Huic argumento posset respondere quis; quòd actus internus nunquã transit de bono in malũ, sed semper quando ex circũstantia aliqua actus exterior malus redditur, debet dari actus interior nouus, numero, & specie diuersus; & idcirco licet prior non fuerit destructiuus gratiæ; bene tamẽ posterior. Veruntamẽ, per solutionẽ hanc nõ dissoluitur argum. quod conficiebatur de peccato veniali, quod quidẽ non destruit gratiã, licet sit eiusdẽ speciei etiã moralis; Imo vero aliquando idẽ numero cũ peccato mortali ex parte actus physici, non solũ loquendo de actu exteriori, sed etiam interno. Qua propter

*Assertio Aduersariorum.*

*Responsio.*

*Replica.*

propter,exactior videtur esse solutio, quod actiuitas in actibus humanis,non tantū procedit ex naturali specie,sed etiam ex morali,& ex grauitatę ipsorū;sicut etiam causalitas dispositiua ad exclusionē gratiæ,ex hoc duplici capite procedit. Et profecto, ad causandum habitum temperantiæ.v.g.non attēditur species naturalis alicuius actus,sed tantū species moralis,quia tātū producitur per actū,vt moraliter bonū.Omisso igitur hoc argumento,probatur iterū præfata propositio.Nam probabile est dari puram omisionē,licet ab alijs negetur: sed peccatū omisionis,seu pura illa omisio,stando in hac sententia,nō minus destruit gratiam,quam peccatum commisionis, & omisio nō destruit effectiue physicè gratiā:ergo intentū. Sed quā habeat hoc argumentū solutionē,stando in sententia D. Thomæ,explicaturi sumus paulo inferius in solutionibus argumētorū. ¶Sed nihilominus tertio ostendi potest asserta cōclusio. Si peccatū destrueret effectiue physicè gratiā,maxime ratione cōtrarietatis, vt plerique discipuli D.Thomæ dicūt: sed hæc ratio efficax nō est:ergo. Probatur minor: Quoniā disputatione tertia præcedente insinuabatur,gratiā,& peccatū non contrariari verè,& dato quod contrarietur, tamen non sunt contraria actiua ad inuicem: ergo non se excludunt effectiue physice, sed tantum formaliter, sicut albedo, & nigredo, aut sicut scientia & error actualis, vel habitualis. Fauet etiam; Quia si vnum contrarium est actiuum, aliud etiam est actiuum: sed gratia secundum se non est actiua, & operatiua in peccatū:ergo. ¶Tandem probatur. Quoniā actus non expellit effectiue habitū nisi producendo habitum contrariū:sed actus peccati non producit effectiue habitū oppositum gratiæ: ergo. Probatur minor: Quia habitus vitiosus productus per actū peccati, non contrariatur gratiæ; Nā fieri potest,vt in gradu intenso se cōpatiatur cū illa,vt patet in homine nuper conuerso ad Deū. ¶His argumentis aduersarij suā muniunt sententiā,quæ tamen à nobis dissoluētur in responsionibus ad argumenta,quæ militabant contra sententiā.D.Th.¶Ex dictis colligunt isti authores,quòd peccatū actuale non expellit formaliter gratiam secundū se,quia vt dicunt,nō opponitur gratiæ secundū se contrariè, nec priuatiuè.Nā quāuis dicant nonnulli quòd excludit formaliter gratiā,per maculā, quam infert, quæ est priuatio gratiæ;tamen macula non tā videtur esse priuatio gratiæ, quā dignitas ad odiū Dei. Quare,licet verū sit,ꝙ peccatū actuale per priuationē gratiæ,quam inducit demeritoriè,& dispositiue excludat formaliter gratiā ipsam secundū se;nō tamē per eā,quæ proprijssime dicitur macula.¶Hæc dicunt aduersarij, vt defendant hanc sententiam contra D.Thomam;nos tamen,qui in disciplina D. Thom.nutriti sumus, eiusque interpretationem veram agere contendimus, iudicamus veriorem esse eius sententiam,& certius eius iudicium.

*Solutio ad argumenta aduersariorum.*

*Ad argum.*
*Ad primū.*

AD argumēta in exordio quæst.facta. Ad primū,respondetur, quod charitas vere cōtrariatur peccato,& ita peccatū vere expellit charitatē efficienter. Quare, negatur antecedens, & consequētia Et ad probationē dicendū, quod si consideretur peccatū ex parte principij à quo procedit,sic pertinet ad ordinē naturæ, quoniā procedit peccatū ex viribus nostris,& ita dixit Propheta: Perditio tua ex te Israel, tantūmodo ex me auxiliū tuū.Si autē consideretur peccatū ex parte illius,cui opponitur,scilicet,charitatis,& gratiæ,sic pertinet ad eundē ordinē,ad quē pertinet gratia.Quoniā si opponitur priuatiue, cū priuatio reducatur ad idē genus,in quo continētur forma & habitus, quorū est ipsa priuatio;sequitur,quōd peccatū est in eodē genere,in quo est gratia.Si autē opponātur contrariè,idē etiā sequitur:Quoniā duorū contrariorum, quod est minus perfectū,habet rationē priuationis, seu negationis respectu magis perfecti;negatio verò reductiue cōtinetur vbi affirmatio constituitur. Secundò respōdetur,ꝙ argumentū solū probat peccatū mortale nō corrūpere charitatē, & gratiā per se,& directe attingēdo istas qualitates supernaturales,sed solum ex parte subiecti apponēdo dispositionē repugnantē illarū conseruationi.

*Ad secūdū.*

¶Ad secūdum respōdetur, ꝙ licet actus nostri nō producāt efficiēter gratiā,& charitatē;tamen ex auxilio Dei disponūt ad introductionē gratiæ infundēdæ, & consequēter est dicendū,quòd licet actus nostri nō attingāt efficiēter essentiā charitatis,& gratiæ, quando corrūpunt charitatē,sicut aqua attingit ignē;nihilominus actus nostri cōstituūt dispositionē contrariā,& homo peccādo corrūpit dispositionē conseruantē gratiā,& charitatē,& hoc sufficit,vt dicatur efficienter physice expellere gratiā,& charitatē,vt patet in exēplo allato de anima rationali,quæ licet à solo Deo creetur in corpore; ex hoc tamē non sequitur, ꝙ solus Deus posit illā à corpore expellere,quia expellit illā quodcūq; aliud agēs aduersarium, quod tollit dispositiones necessario requisitas ad permanentiā ipsius animæ in corpore;nō tamē attingit efficiēter immediate ipsam animā. Sic ergo mortale peccatū corrumpit gratiā,non quidē attingēdo eā immediatè secūdū suā essentiā, sicut frigiditas corrūpit calorē;sed tollēdo dispositiones necessario requisitas ad hoc,vt gratia cōseruetur in anima,& apponēdo ex parte subiecti dispositionē repugnantē cōseruationi gratiæ,& charitatis.

*Ad tertiū.*

¶Ad tertiū respōdetur,ꝙ peccatū dicit positiue cōtrarietatē ad rationē, & nō solam priuationē,& fortassis hoc est verū.Quare,actus iniustitiæ per cōtrarietatē positiuā ad rationē,expellit,& dissipat rectitudinē;& ita positiuè,& efficienter dissipat gratiam,& charitatē.Secūdò respondetur, ꝙ licet peccatū formaliter cōsistat in sola priuatione, præsupponit tamē intrinsece aliquid positiuū,nēpe, aliquā operationē liberā,ratione cuius effectiue conuertit se homo ad obiectū cōtrariū charitati,modo superius explicato à nobis. ¶Ad replicā de peccato omissionis dico, ꝙ moraliter nūquam datur pura omissio, sed ex parte causæ regulariter semper omissio est cōiuncta cū aliquo actu,& ratione huius actus præsuppositi, voluntaria est ipsa omissio saltē virtualiter,& indirecte,& id sufficit,vt per eā maneat volūtas vere,& realiter cōuersa ad bonū cōmutabile,& auersa à Deo.Vnde,actus ille omissione culpabili vestitus,destruit efficiēter gratiam: & charitatem. Quod si per impossibile daretur aliquod peccatū,sine aliquo prorsus actu, etiā adiūcto:tūc, vel ratione sui voluntarij destrueret charitatem,& gratiam, vel de tali peccato puræ omissionis esset ratio specialis, atque de alijs peccatis commissionis, & sufficeret, quòd talē peccatum omissionis esset causa moralis effectiua.Dico secundò,quòd omissio cùm non possit esse peccatum,nisi vt volūtaria in se,vel in aliquo; necessario simul cum priuatione habet cōuersionem,& hæc corrumpit effectiuè charitatē.

*Ad quartū.*

¶Ad quartum respondetur, quòd secundum opinionem probabilem Deus non potest conseruare simul in eodem,gratiam cum peccato,etiam considerata gratia, quatenus est qualitas quædam supernaturalis, & diuina; quia ista qualitas diuina, si semel est in anima habet effectum formalem,nempe, facere hominem consortem diuinę naturę,& obiectum diuinæ dilectionis; & ita tenent plures Thomistæ,vt Aureolus, & Capreol.in.1.d.17.q.1. in solutionib.ad argumenta Gregorij contra.1.&.2.conclus.

*Aureolus.*
*Capreolus.*

Alij tamen Theologi dicunt,quòd sicut Deus potest conseruare summum calorem cum summa frigiditate in eodem subiecto de potentia Dei absoluta,ita tamen vt subiectum illud,neque denominetur calidum, neque frigidum, sed simul vtrumque:quia qualitates illæ se impedirent,quantum ad denominationem; Ita quidem dicunt, quòd Deus potest cōseruare qualitatem illam, quæ est charitas in esse materiali simul cum peccato; at verò nō potest Deus conseruare charitatem,& gratiam in esse amicitiæ, & in esse gratiæ formaliter simul cum peccato: Quia si manet charitas in esse amicitiæ, iam ille est amicus Dei, & consequenter non est peccatum,sed est illi remissum.Vndè,solùm de potentia absoluta, potest qualitas illa materialis, quæ est gratia, seu charitas, conseruari à Deo. Nam potest Deus peccante Petro, quamuis illum odio habeat, & non admittat ad suam amicitiam, conseruare qualitatem illam, quæ est gratia, & charitas materialiter, non subtrahendo auxilium suæ conseruationis, à qualitate illa. Quia Deus à nemine cogitur, nec necessitatur, vt si velit non subtrahere auxilium, seu concursum suæ conseruationis, à qualitate illa, subtrahat: & loquor quidem de potentia absoluta. Et nihilominus gratia, & peccatum, si considerentur quatenus dicunt ordinationem,& non ordinationem,dignitatem ad vltimum finem, & indignitatem ad illum, implicat esse simul in eodem, sicut implicat, quòd idem sit simul sanum,& infirmum,ordinatum, & non ordinatum. ¶Ad confirmationem,aliqui negant antecedens,falso tamen,quia certum est,quòd in homine iustificato manent aliquanto tempore habitus vitiosi,& contrarij virtutibus moralibus.Quare respondetur meliùs negando consequentiam. Quoniam per actum peccati mortalis,liberè cōuertitur homo ad obiectum repugnans charitati,in quantū conuertitur ad aliquid, quod est cōtrarium medijs necessarijs ad tendendum in vltimum finem ipsius charitatis.Per habitus autem vitiosos non conuertitur homo libere ad tale obiectum;imo secundum liberam electionem voluntatis inclinatur in Deum finem vltimum super omnia dilectū mediante gratia,& charitate,& repugnat vitiosæ inclinationi illorum habituum, sicut etiam repugnat sinistris inclinationibus naturalibus.

*Ad quintū.*

¶Ad quintum respondetur,negando antecedens:Quia quodlibet peccatum mortale efficit in anima conuersionem ad bonum commutabile veram,& realem,cum qua non possunt stare simul gratia,& charitas.Quoniam talis conuersio repugnat ex natura rei conuersioni ad Deum,quæ est dispositio per se,& intrinsecè requisita ad conseruationem charitatis, & gratiæ. Nam cùm gratia, & charitas intrinsecè pendeant in fieri,& in conseruari,ex influxu Dei conuertentis animam ad se, tanquam ad finem vltimum, eo ipso, quòd homo per actum liberum conuertit se ad obiectum repugnans Deo,tanquam vltimo fini, interrumpitur influxus Dei conseruantis gratiam, & charitatem; ac proinde statim destruitur charitas, & gratia, & manet voluntas verè, & realiter auersa à Deo, & conuersa ad bonum commutabile,non per aliquem habitum superadditum, & realiter distinctum, sed per hoc solùm, quòd destruitur influentia diuinæ gratiæ, & virtualiter saltem, & interpretatiuè est propensa ad commutabile bonum absque ordine debito ad finem vltimum charitatis.

*Ad sextum.*

¶Ad sextum respondetur, quòd licèt homicidium,& fornicatio,& similia peccata per se primò solùm contrarientur virtutibus moralibus; tamen secundariò contrariantur etiam charitati, inquantum destruunt ordinem debitum ad vltimum finem charitatis, qui participatur in obiectis illarum virtutum, quatenùs cadunt sub præcepto obligante sub mortali. Nam eo ipso,quòd sic præcipiuntur, habent rationem medij necessarij ad vltimum finem, ac proinde,qui repugnat huic medio, repugnat etiam ordini debito ad vltimum finem.

*Medina.*

Medina hic solutione ad vltimum dicit, peccatum contrariari gratiæ remotè,& mediatè: Quia contrariatur charitati,vel virtuti,sine qua gratia consistere non potest. Rursus dicit, quòd si peccatum consideretur, vt actus quidam,aduersatur virtutibus; si verò consideretur, vt est offensa Dei, aduersatur gratiæ, & respicit personam offendentem. Lege Caietanum.3.par.quæst.86.art.2.Sotum.2.de natura & grat. capit.18.

*Ad septimū.*

¶Ad septimum respondetur,negando antecedens:Nam quamuis idem actus exterior continuatus, possit à principio esse bonus moraliter, & postea malus; hoc tamen non habet locum in actu interiori; quia volitio non potest esse mala,nisi quatenus fertur in obiectum dissonum rationi;hoc autem,quod est ferri in obiectum,importat modum intrinsecum essendi ipsius voluntatis; ac proinde velle comedere carnes prohibitas, non potest esse idē omnino actus.¶Alij Theologi aliter respondent, quòd actus ille comedēdi carnes feria quinta ante horā duodecimā,est actus bonus moraliter,& rationi consentaneus; transacta autem horā duodecima,ille actus est malus, & pessimus, & rationi cōtrarius. Nam est peccatum,& non est idem actus in genere moris cū præcedente,& acquisiuit de nouo contrarietatē ad rationem,& ad legem; ratione cuius potest expellere charitatē, & gratiā ad modum explicatum.Imo verò,actus ille,vt imperatus ab actu interiori,iam habet aliud obiectū; sicut & in actu interiori est vera mutatio ex parte noui obiecti,& noui consensus, vt paulò antea insinuabatur.

*Ad octauū.*

¶Ad octauum iam diximus,quòd peccator inducit dispositionem contrariam per peccatum,

& ita corrumpit charitatem,& gratiam.Nam actus voluntatis,qui est peccatum, attingit ipsum subiectum charitatis, inducēdo contrariam dispositionē repugnantem fini charitatis, atq; ita effectiuè dicitur corrumpere charitatem: calor enim agit in subiectum frigidum inducendo contrariā qualitatem, & hoc sufficit, vt expellat frigiditatem efficienter physicè,quamuis fortè calor non attingat frigiditatem immediatè. ¶ Fauet etiam,quòd peccatum directè,vt diximus, non corrumpit charitatē agendo in ipsam, aut in essentiam eius, sed in subiectum, quod per liberum arbitrij cōsensum acceptat contrariam dispositionem, quæ dicitur semen Diaboli. ¶ Negandum est ergo, quòd sit necessarium, quòd agens physicum introducat formā contrariam præexistentē, sed sufficit,quòd ponat efficienter dispositionem expulsiuam formæ contrariæ; quod sanè potissimè verificatur in actionibus, quibus homo priuatur aliqua forma,verbi gratia, qui facit cæcū, efficienter expellit visum; cùm tamen nihil reale ponat. Et huius rei ratio est;quia actio physica non versatur circa formam, sed circa subiectum, quod realiter mutatur,per solam ablationē formæ. Sicut enim foma absoluta, aut denominatio, non est sine reali mutatione subiecti, sic neque potest auferri, quin subiectum realiter mutetur,etiam si nō ponatur alia forma contraria. *Ad nonum.* ¶ Ad nonum patet solutio, tùm ex vltima suppositione,& animaduersione posita ante primam cōclusionem,tùm etiam ex dictis, vbi amplius explicatur sententia S.Thomæ:vbi diximus,quòd ex parte inordinationis, quæ in quolibet peccato mortali includitur, nullum est mortale, quod charitati directè non contrarietur, vt author est S.Tho.2.2.q.24.art.10.&.12. Et cùm dicitur quòd contraria sunt sub eodē genere,& quòd mutuò se expellunt;dicendū,quòd quamuis inter peccatum,& charitatē non sit tanta contrarietas,quanta requiritur ad hoc, vt sit propriè motus, & propriè successio,ita vt sit trāsitus successiuus à gratia in peccatum,sicut fit in qualitatibus successiuis;tamen iste transitus à peccato ad gratiam,fieri potest in instanti.Quare,reperitur tanta cōtrarietas,quāta sufficit ad hoc, quòd peccatum expellat charitatē. Vndè S.Thom.2.de cœlo lect.10.ait,quòd vtaliqua sint contraria, duo sufficiunt; Primum est, quòd possint esse in eodem subiecto propinquo, vel remoto. Secundum est, quòd ab illo subiecto vnum expellat alterum,& hæc duo inueniuntur inter charitatem, & peccatum. Nam peccatum, & charitas possunt esse in voluntate,tanquam in subiecto,non quidem simul; quia peccatum expellit charitatem, & idcirco contraria sunt. Rursus, peccatum causat maculam in essentia animæ; gratia verò in eadem *Ad confir.* essentia causat nitorem. ¶ Ad confirmationem iam diximus, quòd sicut gratia est semen Dei, ita contraria dispositio, & inordinatio, conuersioque ad creaturam, tanquam ad vltimum finem, est semen Diaboli. Illa autem contrarietas, & conuersio ad creaturam tanquam ad finem vltimum, & intrinseca deordinatio voluntatis non tantum pertinent ad genus moris, sed etiam habent physicam enti*Ad decimū.* tatem. ¶ Ad decimum dicendum, quòd est sufficiens proportio inter principium agendi, & effectum: quia quodlibet mortale est grauis offensa Dei:solum enim venialia dicuntur leues offensæ, & ob id compatiuntur amicitiam. ¶ Ex dictis sequitur, gratiam, & charitatem, saluis naturis rerū, non posse simul manere cum mortali peccato,sicut rationalis anima non potest simul esse cum vltima dispositione cadaueris.Vtrùm verò de potētia Dei absoluta possint manere cum peccato mortali, suprà vidimus,vbi retulimus varias sententias,& mihi visa est probabilior pars negatiua.Quoniam malitia peccati mortalis importat rationem diuinæ offensæ,atq; adeo priuationem gratiæ. Quare, sicut implicat lumen, & tenebras esse simul in eadem parte aeris, ita etiam implicat peccatum mortale, & gratiam in eadē anima esse simul. Legenda sunt, quæ diximus de hac re sæpiùs in superioribus,tàm in hoc artic. quàm quæst. 110. & in discursu huius materiæ plerisque locis oblata occasione.

## ARTICVLVS III.

*Vtrùm ad iustificationem impij requiratur motus liberi arbitrij?*

COnclusio Sanct.Thom.est affirmatiua.Quia in iustificatione mouetur mens hominis à Deo ad iustitiam; Deus autem mouet omnia secundum conditionem suæ naturæ:Cùm ergo homo sit liberi arbitrij,non fit talis motio iustificationis, sine motu liberi arbitrij; ac proinde Deus ita infundit gratiam, vt cum ipso donò gratiæ simul moueat hominem ad acceptandum donum gratiæ.

## Discursus articuli.

DE fide est conclusio S.Thom.in artic. & intelligitur de adultis, constatque ex definitione Concilij Tridentin. sessio.6. cap.5.& cano.4. Vndè, in sacris literis exigitur noster consensus ad iustificationem nostram, & nihil est nobis magis euidens,aut euidentiori experientia manifestum,quàm,quòd liberè assentimur,liberè credimus, & liberè amamus. Et ob id Propheta Isaias *Isaias.45.* capit.45. dicit,Conuertimini ad me, & salui eritis, & Ioan.2. Conuertimini ad me: & Prouerb.16.Ho- *Ioan.2.* minis est præparare animam. Hinc creuit Augusti- *Prouer.16.* ni proloquium Psalm. 144. Qui creauit te sine te, *D.Aug.* non iustificabit te sine te. Ex quibus liquet, secundum fidem Deum nos ad se trahere, non vt pecudes, sed illuminando, & dirigendo, & excitando nos, vt habeamus liberum motum, quo cooperemur illi.Rursus,doctrina S.Thom.in litera,non est intelligenda de quacumq; motione, per quam homo disponitur ad gratiam. Nam sunt aliquæ dispositiones remotæ, quæ totaliter tribuuntur ipsi Deo, quales sunt non solùm exterior vocatio,aut prædicatio Euangelij,sed etiā interiores illuminationes, & inspirationes, quibus necessariò immutatur aliquando homo:sicut enim sunt nonnullæ tētationes ad malum ex motibus primò primis,quæ tamē nulla ratione sunt culpabiles;sic etiam ad bonum sunt aliquæ subitæ immutationes, quæ non sunt liberæ, de quibus etiā maximè verificari potest illud Apostoli:Non est volentis,neque currentis, sed Dei miserentis.Nam vt D.August. lib.3. de libero arbit.in fine docet,non est in potestate hominis, quòd non tangatur



tangatur eius cor rebus visis,siue in bonum siue in malum: Loquitur ergo Sanctissimus Præceptor de motione Dei ad iustitiam,per dispositionem proximè se habentem ad ipsam,in qua dispositione saluatur vis rationis S.Thomæ.

## DISPVTATIO I.

*Vtrùm motus liberi arbitrij sit simpliciter requisitus ad iustificationem?*

*Argum.1.* RO parte negatiua arguitur primò.Puer in primo instanti vsus rationis initiatiuo potest iustificari, & nō per motū liberi arbitrij:quia in primo instanti initiatiuo vsus rationis,non est actio libera:igitur non requiritur motus liberi arbitrij in hoc casu. Probatur maior: Quia si in illo instanti initiatiuo non posit iustificari puer, necessariò daretur aliquod tempus, in quo esset extra statum salutis, ita vt, si moreretur in illo, non posset saluari. Quod ostendo:Quoniam cùm iustificatio fiat in instāti,& repugnet dari duo instantia immediata, necessariò inter primum instans initiatiuum rationis, & inter instās iustificationis,deberet mediare aliquod tem*Secundum.* pus,in quo ille non posset saluari.¶ Secundò arguitur.Angelus, & Adam in sua creatione acceperunt gratiā,& non per dispositionem liberi arbitrij:igitur ratio S.Thomę in litera est insufficiēs.Probatur minor:Quoniam prima operatio angeli, & Adami in sua creatione non fuit libera, sed tribuitur Deo authori gratiæ,vel authori naturæ, iuxta sentētiam D.Thom.1.par.quæst.63.artic.5. Ergò talis operatio *Tertium.* non potuit esse dispositio ad gratiam. ¶ Tertiò arguitur.Si adultus per actum liberum disponitur ad iustificationem, sequitur, quòd tunc ipse adultus verè iustificat se ipsum: Cōsequens est falsum,quia solus Deus est causa gratiæ.Sequela probatur:Nam homo verè dicitur causa illius effectus,ad quem liberè se mouet,neque potest esse verum instrumentum respectu illius: ergo si homo liberè mouet se ad propriam sanctificationem, erit vera causa propriæ sanctificationis & iustificabit se, si quidem se præparat ad iustitiam præstando consensum libe*Confirm.1.* rum, Deo mouenti. ¶ Et confirmatur sequela. Homo propriè,& verè per actum liberum se disponit, & præparat ad gratiam: ergo propriè, & verè est causa suæ iustificationis. Nam qui disponit ad aliquam formam, verè est causa introductionis formæ,saltem in genere causæ materialis:Sed adultus se disponit per actum liberum fidei,spei,& charitatis ad gratiam, & iustificationem, adiutus gratia *Confirm.2.* præueniente:ergo se iustificat. ¶Et confirmatur secundò:Nam quamuis homo non producat animam rationalem, nihilominùs verè, & propriè generat hominem; quia causat vltimam dispositionem ad introductionem animæ rationalis: sed homo adiutus à Deo,causat vltimam dispositionem ad gratiā, & iustitiam: igitur homo se iustificat, & se efficit *Quartum.* gratum,& iustum. ¶ Quartò. Dispositio ad gratiam, & iustificatio impij,est à gratia præueniente,& operante: ergo non se mouet homo liberè ad illam. Ostendo consequentiam.Quia respectu gratiæ operantis voluntas habet se tantum vt mota à Deo, & non vt mouens se ipsam, vt dixit S.Thom. suprà.q. 111.ar.2. ¶ Quintò arguitur.Deus efficaciter mouet *Quintum.* hominem ad iustitiam:ergo homo non mouetur liberè ad illam.Ostendo consequentiam. Quia stante efficaci Dei motione, voluntas non potest non operari: ergo non operatur liberè. ¶ Et confirma- *Confirm.3.* tur:Nam quando Deus mouet animum hominis ad iustitiam,non potest non operari,neque potest non consentire:igitur cùm Deus in iustificatione adulti,illius moueat animum efficaciter;sequitur,quòd tunc illum necessitat; quia non valet quando iustificatur actu,resistere diuinæ motioni: ergo non liberè iustificatur. Ostendo consequentiam: Quia mouere, & moueri sunt relatiua, & mutuò se consequuntur: ergo cùm adultus mouetur à Deo efficaciter ad suam iustificationem, non manet liber, quia non potest non moueri, cùm adsit efficax mo- *Confirm.2.* tio diuinæ gratiæ.Et confirmatur iterum: Quia causa libera est,quæ positis omnibus requisitis ad operandum,potest agere, & non agere: sed posita efficaci motione gratiæ Dei, qua iustificat hominem, non potest voluntas non operari,& nō consentire: igitur nō liberè consentit suæ iustificationi. Minor probatur: Quia aliàs motio Dei non esset efficax, si posset voluntas dissentire,vel non operari.

Hæc disputatio plures habet sinus, & difficultates annexas,est enim inuolucris valde:sed quia controuersiam hanc nos fusè per plures controuersias sumus prosequuti suprà. q.111.art.3. & q.109. artic. vlt.&.1.p.q.23.art.3.& alibi non semel; idcirco rem hanc paucis absoluemus.

Caietanus in hoc artic.affirmat, hominem adul- *Caietanus.* tum habentem vsum liberi arbitrij, non suscipere gratiam, nisi eo tempore, quo suscipit sacramentum simul habeat motum liberi arbitrij, & actualem intentionem,Et consequenter colligit ex conclusione S.Thom. in artic. quòd qui recipit sacramentum, non consequitur eius effectum, qui est gratia, vel eius augmentum, nisi habeat actualem deuotionem simultaneam, vt latiùs ipse Caietan. exponit.3.par.quæst.34.art.3.& q.79.art.1. Vnde,qui distractus communicat,non recipit fructum sacramenti. Quæ omnia colligit Caietanus,ex eo, quod S.Thom.dixit in artic. quòd in iustificatione impij requitur motus liberi arbitrij. Huic sententiæ videtur fauere Duran. in.4.d.12.q.4.ad.3. D.Bonaven. *Durandus. D.Bonau.* eadem d.q.vlt.art.1. Imo verò S.Thom.ibidem q.2. ar.1.quæstiunc.3.& Syluest.verbo Eucharistia.4.§. finali. Tandem Caiet.intelligit doctrinā D.Tho.in *Sylnester.* articulo vniuersaliter de omni iustificatione adulti,etiam de ea,quæ fit per sacramentum;& ob id putat,quòd si in instanti susceptionis sacramenti, non habeat homo actum liberum circa talem susceptionem, seu actualem deuotionem, non iustificatur. Hanc putat Caietanus esse sententiam D. Thomæ, de veritat.quæst.28.artic.3. vbi vniuersaliter docet, quòd adultus nunquam iustificatur, nisi per actum liberi arbitrij, qui sit in ipso instanti iustificationis. Et potest suaderi ex doctrina Diui Thomæ ibidem. Nam quando agens, & patiens mutuò possunt se tangere, nunquam sequitur actio, sine mutuo contactu:sed Deus,& adultus, etiam quando iustificatur per sacramentum, possunt se mutuò

tangere per actus adulti ad ipſum Deum: ergo non ſequetur talis iuſtificatio, ſeu actio, niſi fiat talis contactus per actum liberi arbitrij. Poteſt rurſus ſuaderi. Quia Deus cùm iuſtificat impium per gratiam, mouet liberum arbitrium hominis liberè ſecundum conditionem, & naturam eius: ergo ſi non mouet actualiter, ſignum eſt, quòd non confertur gratia.

*Concluſ. 1.* PRO explicatione huius difficultatis, eſt prima propoſitio. Quando Deus mouet voluntatem adulti ad iuſtificationem, tunc vt iuſtitiam efficaciter conſequatur, voluntas illius mouetur à Deo ad acceptandum proprio cõſenſu donum gratiæ ſibi oblatum, & hoc eſt, quod inter alia S. Tho. voluit inſinuare, quando in articulo dixit, voluntatem noſtram non moueri à Deo ad iuſtitiam, niſi conſentiente libero arbitrio. Vt tamen aſſertionem propoſitã oſtendamus ſuppono, vniuerſa bona opera operari in nobis Deum; ita tamen vt quamuis Deus faciat, nos tamẽ faciamus, & cooperemur, & liberè conſentiamus. Quia quamuis Deus faciat præbendo vires, & efficaciam voluntati; nõ tamen ſic nos agi ſpiritu Dei, & moueri dicimur, ſicut ſecuris, aut ſerra mouetur, & agitur ab artifice: ſed mouemur cooperantes etiam, & aſſentientes Deo liberè, cui nos poſſe diſſentire ſi volumus, dicit Tri*Concilium Tridentin.* den. ſeſsio. 6. cano. 4. Quia cùm mouetur adultus ad iuſtificationem, & præparatur, non ſe habet, velut inanime quoddam merè paſsiuè, aut nihil omnino agens. Quare, cùm legimus in ſacris literis, quòd vniuerſa opera noſtra, operatur in nobis Dominus, & quòd operatur, & velle, & perficere, & quòd operatur omnia in omnibus, & quòd facit in nobis id, quod ſibi placet; non ita ſunt hæc teſtimonia accipienda, quaſi nos nihil liberè operemur, aut conſentientes, aut illi cooperantes liberè; ſed quia ſine ipſo nihil agimus, & quia ipſe præſtat vires efficaciſsimas voluntati, vt hæc faciamus, iuxta illud Pro*Ezech. 36.* phetæ Ezechiel. 36. Faciam, vt in iuſtificationibus meis ambuletis, & iudicia mea obſeruetis. Quem*D. Auguſt.* locum interpretans D. Auguſtin. lib. de Grat. & libero arbit. cap. 16. dicit; Faciam, vt faciatis, quid dixit aliud his verbis, niſi auferam à vobis cor lapideum, vnde non faciebatis, & dabo vobis cor carneum vnde faciatis? Vndè, operatur quidem in nobis Deus, verùm non otioſis nobis, ſed voluntatis conſenſum, & conatum adhibentibus, quanquam, vt velimus (ait Auguſtin. eodem lib. capit. 12.) ſine nobis operatur Deus, quia ab ipſo præparatur voluntas noſtra. Sed cùm volumus, & ſic volumus, vt faciamus, nobiſcum cooperatur; ſine illo tamen, vel operante, vt velimus, vel cooperante cùm volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus. Et lib. 1. de Gratia Chriſti contra Pelag. & Cæleſt. cap. 25. inquit, Non ſolùm Deus, poſſe noſtrum donauit, atque adiuuat, ſed etiam velle, & operari. Operatur in nobis, non quia nos non volumus, aut nos non agimus; ſed quia ſine ipſius adiutorio, nec volumus aliquid boni, neque agimus. Igitur, ſicut à D. Paulo dicitur, Viuo ego iam non ego, viuit verò in me Chriſtus; ſic omnis, qui in Chriſto iuſtificatur dicere poteſt, Viuo ego iam non ego, viuit vero in me Chriſtus, laboro autem iam non ego, laborat verò in me Chriſtus. Quæ omnia expendens D. Auguſt. lib. 4. contra duas epiſtol. Pelag. capit. 6. inquit; Nos quidem ambulamus, verum eſt, nos obſeruamus, nos facimus, ſed ille facit, vt ambulemus, vt obſeruemus, vt faciamus, hæc eſt gratia Dei, bonos faciens nos, hæc miſericordia eius prævenions nos. Et lib. de bono perſeuerantiæ cap. 13. Nos ergo volumus, ſed Deus operatur in nobis & velle, nos operamur, ſed Deus operatur in nobis & operari, pro bona ſua voluntate, hoc nobis expedit credere & dicere, hoc eſt pium, hoc verum, vt ſit humilis, & ſubmiſſa confeſsio.

Conſtat ergo fideliter, & verè loquutum eſſe Sanctiſsimum Præceptorem, veriſsimamque eſſe aſſertionem noſtram, quòd cùm Deus ex adultis aliquem iuſtificat, ita mouet ad iuſtitiam, vt moueat etiam ad aſſenſum liberum voluntatis, ad acceptandum, ad amplectendum donum gratiæ. Vndè, operatur in nobis Deus omnia opera noſtra, non nobis nihil agentibus, verùm conſentientibus, & cooperantibus nobis. Doctrina igitur Sanctiſsimi Præceptoris certa eſt, & de fide ex definitione Tridentin. ſeſsio. 6. cap. 5. & cano. 4. & eſt magis conformis naturali rationi, vt ex doctrina articuli ſatis conſtat. Nam quando Deus diſponit hominem ad gratiam, non ſolùm diſponit ſecundum ſupernaturalitatem formæ infundendæ, ſed etiam cùm ſuauiter omnia diſponat, ſeruat integram, & illæſam libertatem, & naturam perficit. Quare, angelis collata eſt gratia ſecũdum diſpoſitionem liberam, cùm fuerint creati adulti, & iuxta capacitatem naturalem, quòd perfectiori angelo maior gratia eſt collata. Primo etiã parenti in creatione ſua data fuit gratia per actum liberi arbitrij, vt S. Thom. eleganter docuit. 1. par. q. 95. art. 1. & nos ibi. Sanè, cùm in ipſa infuſione gratiæ contrahatur amicitia inter Deum, & hominem, & ratio amicitiæ poſtulet mutuum amorem, non infunditur adulto gratia, ſine actu proprio amoris formalis, vel virtualis.

*Concilium Tridentin.* SEcunda concluſio. Quando quis iuſtificatur ſine ſacramento per contritionem, vel dilectionem Dei ſuper omnia, certum eſt, quòd poſita hac diſpoſitione protinus confertur gratia, ac proinde motus liberi arbitrij eſt ſimultaneus gratiæ. Nam ipſa contritio, & dilectio Dei ſunt motus liberi arbitrij noſtri. Et cùm hoc certum ſit, maior difficultas in eo ſita eſt; Vtrùm cùm quis iuſtificatur per ſacramẽtum Baptiſmi, & Euchariſtiæ, &c. recipiat gratiam, ſine vllo actu liberi arbitrij? & eſt ſermo de adultis habentibus vſum rationis, non de infantibus, neque de amentibus à natiuitate, qui ſanè ſine vllo actu liberi arbitrij recipiunt gratiam per baptiſmum. De his ergo adultis, qui per ſacramentum gratiam recipiunt; ſentiendum eſt, quòd licèt extra ſacramentum, quando Deus iuſtificat adultum, ſimul ſit infuſio gratia, & actualis motus liberi arbitrij; tamen quando adultus iuſtificatur per ſacramentum, non requiritur neceſſariò, quòd in ipſa ſuſceptione ſacramentali ſimul ſit infuſio gratiæ, & actualis liberi arbitrij motio per actualem intẽtionem, attẽtionem, aut deuotionem, & ſufficit quòd præceſſerit deuotio, attentio, aut intentio. Hæc dico contra Caietan. hic & 3. part. quæſtione. 34. articulo. 3. & quæſtio. 79. artic. 1. & 8. & contra Viguerium, qui idem docet de Euchari-

*Alter ſuæ concluſionis.*

ſtia &



ſtia & cum eo Palude, Antonin. Sylueſt. Cano, Imo verò Petrus de Soto tribuit hoc Diuo Thomę in. 4. diſtinct. 12. quæſtio. 2. artic. 1. quæſtiunc. 3. ¶ Itaque, falſum eſt dicere, quòd homo adultus habens vſum liberi arbitrij quando ſuſcipit ſacramentum, ſi ſaltem acceſsit attritus, non ſuſcipit gratiam, niſi habeat actualem liberi arbitrij motionem; & actualem deuotionem in Euchariſtia, & actualem attentionem in alijs ſacramentis, vt gratiam conferant. Hoc tenet Sotus in. 4. diſtinctione. 12. quæſtione. 2. artic. 8. Alenſ. Albertus, Scotus, Gabriel, Adrian. Medina hic, & Pater Victoria. Et probatur: Quia non eſt magis neceſſaria ad effectum ſacramenti deuotio, quàm intentio ſuſcipientis: ſed non neceſſariò requiritur; neceſsitate ſine qua non, actualis intentio ad effectum ſacramenti, neque in ſuſcipiente, neque in miniſtro, ſed ſufficit virtualis: ergo neque actualis deuotio, & motio liberi arbitrij neceſſariò requiritur: ergo ſufficit virtualis. Item; Si poſt præcedentem motum liberi arbitrij, & actualem intentionem, ſeu deuotionem homo diſtractus ſine culpa ſua ſuſcipiat ſacramentum, verè ſuſcipiet gratiam, vel augmentum gratiæ; ſi quidem ſacramenta nouæ legis conferunt gratiam non ponentibus obicem; ſed qui priùs habuit deuotionem ad recipiendam gratiam, & ad recipiendum ſacramentum, ſi poſtea ſit diſtractus ex humana fragilitate, quia ſæpenumerò hæc euagatio mentis in ſuſceptione ſacramenti eſt naturalis, & inculpabilis, in puncto receptionis non ponit obicem, vt etiam ipſe Caietanus fatetur. 3. part. quæſtio. 79. artic. 8. Ergò, &c. Et idem erit etiam ſi illa diſtractio ſit peccatum veniale. Vndè, argumentum hoc eſt ad hominem contra Caietanum. Quia ſacramentum confert gratiam non ponenti obicem: ſed vt Caietan. concedit, qui accedit diſtractus non ponit obicem: ergo recipit gratiam.

*Concilium Tridentin.* Maior eſt definita in Concil. Tridentin. ſeſsion. 7. cano. 6. & Minor conceditur à Caietano, quæ etiam ſuaderi poteſt: Quia vt idem Caietan. dicit, qui accedit ad ſacramentum cum dolore imperfecto, iuſtificatur; quia licèt habeat obicem, non ponit illum: ergo non ponere obicem ſufficit ad ſuſcipiendam gratiam: Cùm ergo minorem obicem habeat is, qui accedit diſtractus, quàm qui accedit in mortali cum dolore imperfecto, ſequitur, quòd ſic iuſtificatur etiam ille. Tertiò contra Caietanum arguitur. Nam ſequeretur, quòd ſi quis ſuſcipiens ſacramentum diſtraheretur, vt memoraretur alicuius peccati mortalis, vt illud deteſtaretur, quòd in eo caſu ille peccaret mortaliter, quod ſanè duriſsimum eſt. Probatur ſequela: Quia ille videns & ſciens ponit obicem gratiæ. Imo verò, ſi hæc vagatio mentis impediret effectum ſacramenti; conſequenter colligitur, quòd eſſet peccatum mortale. Patet ſequela: Quia ille homo ponit obicem ſacramento, quod eſt peccatum mortale. Quartò probatur: Martyrium, vt eſt in opinione probabili, confert gratiam, & eam confert ſine actu ſimultaneo liberi arbitrij, nempe, in primo eſſe ſeparationis animæ à corpore, quamuis multò ante amiſerit vſum rationis: ergo par ratio erit de ſacramento. Imo verò, ſi in primo non eſſe terminationis verborum ſacramentalium moreretur is, qui ſacramentum ſuſcipiebat, ita vt primum non eſſe ſacramenti, eſſet primum inſtans ſeparationis animæ, tunc reciperet gratiam ſacramentalem, vt eſt in opinione probabili: ergo non neceſſariò requiritur ſimultaneus ille actualis vſus liberi arbitrij. Quintò: Amens, vel dormiens ſi priùs ſine affectu peccandi, & intentione, habuit vſum liberi arbitrij, & petijt baptiſmum, ſi recipiat baptiſmum, recipit gratiam, ſicut dicit Diuus Thomas, hic ad primum, & Caietanus, & alij cum Diuo Auguſtino. 1. de adulterinis cõiugijs capit. vltim. & Concil. Arauſic. 1. ſub Leone. I. capit. 12. ergo non requiritur neceſſariò actualis illa attentio & deuotio, ſeu motus actualis liberi arbitrij, & idem erit cùm homo naturaliter eſt diſtractus. ¶ Quare, licèt hæc mentis euagatio ſit in cauſa quòd non ſit actu motio liberi arbitrij ex parte noſtra; tamen non tollit, quin permaneat conſenſus voluntatis virtualiter, & hoc ſatis fuerit in omnibus negotijs, tàm diuinis, quàm humanis. ¶ Tandem: Aliqui Theologi argumentantur contra Caietanum hoc pacto, Si abſolutio non iuſtificat diſtractum actualiter, ſequitur, quòd abſolutio eſſet repetenda ſuper eadem omninò peccata, quod eſt falſum. Patet ſequela: Quia euidenter cognoſcit homo ille, ſe fuiſſe diſtractum, & ille cognoſcit ſe ita diſtractum non fuiſſe iuſtificatum: ergo neque recepiſſe ſacramentum: ergo non eſt abſolutus: ergo debet iterum confiteri, & abſolui. Patet conſequentia: Quia qui eſt in mortali, quando abſoluitur debet iterum confiteri, & abſolui, quia non eſt abſolutus, & iuſtificatus: ergo. ¶ Sed profectò, hoc argumentum non eſt adeò difficile, quia ſi acceſsiſſet attritus ad ſacramentum pœnitentiæ, & abſolueretur à peccatis quãdo eſt actualiter diſtractus, etiam ſi eſſet vera Caietani ſententia, non teneretur iterũ confiteri peccata; Quia in tali caſu verè abſolueretur, & daretur ſacramentum informe. ¶ Alij vnuntur hoc diſcurſu; Non minùs requiritur intentio ſacerdotis ad Euchariſtiam, quàm deuotio ad ſuſcipienda ſacramenta, & actualis motio liberi arbitrij: ſed omnes concedunt, quòd licèt ſacerdos non ſit attentus quando conſecrat, ſufficit intentio præcedens: ergo idem eſt dicendum de intentione, attentione, & deuotione ad ſuſcipienda ſacramenta.

*Difficultas* AN verò cùm iuſtificatur homo ſine ſacramento cum actuali motione liberi arbitrij per contritionem, & dilectionem Dei ſuper omnia, dicendum ſit quòd homo ſe ſanctificat, & iuſtificat ſe, cum præparetur ad iuſtitiam vltima diſpoſitione contritionis, & an poſsit concedi, quòd cùm conteritur eſt cauſa ſuæ iuſtificationis? id quidem tetigimus, & aperuimus ſuprà quæſtio. 112. articulo. 1. diſputatione. 3. vbi inquiritur, vtrùm fieri poſsit creatura, quæ poſsit eſſe cauſa principalis gratiæ; & idcirco rem hanc paucis abſoluemus. *Canus.* Canus. 12. de locis capit. 13. ad ſeptimum, ſequitus Ruardum Tapper articulo de Iuſtificatione, dicit, quòd adultus cùm conteritur, licèt cauſa gratiæ non ſit; cauſa tamen ſibi eſt, vt per gratiam viuat, & conſequenter hanc loquutionem, Homo ſanctificat ſe, iuſtificat ſe, animam ſuam lauat, mundat ſeipſum, eſſe veram, ſi tamen ad bonum

sensum accipiatur. Nam in sacris literis sæpè dicitur, quòd homo sanctificat se, iustificat se, &c. sed præfatæ locutiones non essent cum proprietate veræ, si homo propriè non esset causa suæ iustificationis, & sanctificationis: igitur adultus propriè
1. *Ioan.*3. est causa suæ iustificationis. Vnde.1.Ioan.3.Omnis,
*Ierem.*4. qui habet hanc spem sanctificat se. Ierem.4. Laua à
2.*Timo.*2. malitia cor tuum.2.ad Timot.2. Si quis emundauerit se ab istis, erit vas in honorem sanctificatum, &
1.*Petri.*1. 1. Petri. 1. Animas vestras castificantes. Quare, D.
*D. Hieron.* Hieronym. explicans illud Abachuch. 2. Iustus ex
*Abachuch.* fide viuit, ait; Is qui ex sua fide viuit, causa est suæ
*D. Chrysost.* viuificationis. Idem apertè affirmat Chrysostom. epist.42.ad populum Antiochenum.

Rursùs, idem Canus suam ostendens sententiam dicit, quòd non solum vitales operationes, quæ suprà naturam sunt, in se edit mortalis homo per gratiæ formam, & virtutes, sed ad vitam ipsam capiendam sua se actione parat, & viuendi sibi causa est. Nam quemadmodum si materia, dispositiones, quibus ad suscipiendam formam ignis præparatur, ipsa in se faceret, eadem sibi causa esset effectrix, vt à forma illa informaretur; sic quoniam præparationes viuificantis gratiæ, homo in se efficit, ipse in sui generatione Dei adiutor existit: In qua re suauior, & effusior est gratia, quam natura; Quoniam vitam à natura datam curare, tueri vales, interdum morbos pellere aduersos. At verò vitæ causa tibi esse non poteris, sed aliunde eam accipis nulla interueniente operatione tua, nullaque dispositione tua. Quia omnis dispositio, qua ad animam corpus aptatur, à Patre generante editur, à filio genito nullo modo. In natiuitate verò spirituali, is ipse adultus, qui nascitur, non solùm principium est, vt post ægritudinem sanus sit, verùm etiam, vt postquam fuerit mortuus vitam habeat. Quare, cùm Diuus Hieronymus dixit, hominem esse sibi suæ viuificationis causam, intelligit actus fidei, pœnitentiæ, spei, charitatis, quibus Deus vtitur ad viuificandam animam, hominem adultum in seipso facere, permotum tamen gratuito & supernaturali auxilio Dei. Neque ex hoc sequitur actus nostros esse causam efficientem gratiæ, remissionisve peccatorum: Quia nihil aliud habent, quam ex Dei motione, & auxilio disponere animam, vt gratiam Dei, iustitiamque recipiat. Quemadmodum calor præparatio est, quæ materiam afficit, vt formam ignis capiat, & sicut homo, alteri homini non est causa animæ rationalis, sed est causa, vt per rationalem animam viuat; sic homo licèt causa gratiæ non sit, causa tamen sibi est, vt per gratiam viuat.

Hunc modum philosophandi dicit Canus non esse alienum ab his, quæ in natura contingunt: dedit enim Deus rebus vniuersis vim quandam ingenitam, vt ad suum finem mouerentur, sic igni dedit leuitatem, vt ad locum naturæ suæ congruentem ascenderet, dedit etiam calorem, vt calefaceret; quoniam hæc actio naturæ ignis maximè conuenientes est. In reliquis etiam id ipsum cernitur, quæ sic à principio, & forma interiori mouentur, vt agi sponte videantur. Animalia rursùs, non tantùm hanc inclinationem, & formam à natura habent, verùm etiam ipsa se mouent actionibus quibusdam suis, tùm ad quærendum sibi bonum conueniens; tùm etiam ad propulsanda auersantia mala. Hoc autem præcipuè apparet in hominibus, qui quoniam non aguntur, vt serui, sed liberè potius agunt, vt domini; ratione eligunt media, & se ipsos mouent, vt per talia media fines propositos consequantur. Neque idcirco virtus primæ causæ, aut potentia minor, aut infirmior est, imo verò in hoc vberior, & major quòd attingit à fine, vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter. Nam quæ vis fortior esse potuit, quam quæ sic impetus in rerum natura posuit, vt res omnes nulla illata vi moueret, & nihilominùs vehementissimè secundum naturam earum moueret? Hæc insignis virtus & suauitas, multò vberiùs, & latiùs, quàm in naturalibus, in gratuitis effectibus se effundit. Quia non solum vitales operationes, quæ suprà naturam sunt in se edit, & efficit mortalis homo per gratiæ formam, & virtutes, sed ad vitam ipsam capiendam sua se actione parat, & viuendi sibi causa est. Ex quibus Canus colligit, parum esse Theologos eos, qui putant, actus nostros nullo modo esse causas nostræ redemptionis, sanctificationis, & ablutionis, quod esse contra testimonia citata dicit.

Adducuntur ad præfatam sententiam asserendam nonnulli Theologi. Quia hæc propositio. Fides iustificat, censetur esse vera; quoniam non excludit charitatem, per quam præcipuè animi iustificatio fit: ergo pari ratione dici potest, hominem se præparare ad gratiam, & iustitiam, quia hæc locutio non excludit virtutem diuinam, per quam homo disponitur. Ex quibus colligitur argumentum: Homo diuina virtute adiutus, & permotus, producit dilectionem supernaturalem, quæ est immediata dispositio ad gratiam: ergo adultus propriè se disponit ad gratiam. Hic discursus videtur colligi ex Tridentin. sessio.6.capit.5. vbi dicitur de adultis peccatoribus, quòd cùm per peccatum à Deo auersi sint, per eius excitantem, atque adiuuantem gratiam ad conuertendum se ad suam ipsorum iustificationem, eidem gratiæ liberè assentiendo, & cooperando, disponuntur. *Concilium Tridentin.* Et infra dicit, quòd adultus gratia Dei mouere se ad iustitiam coram illo libera sua voluntate, potest: Et ob id in Sacris literis, cùm dicitur, Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos; libertatis nostræ admonemur. Et tandem dicit Concil. quòd nos respondemus, Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur: in quo nos Dei gratia præueniri confitemur. En, quo pacto dùm homo conteritur, & præstat liberum consensum Deo mouenti, dicitur se conuertere ad Deum, quæ conuersio est vera dispositio, & præparatio ad iustitiam. Et confirmatur: Nam sacramenta nouæ legis causant gratiam, & efficiunt hominem gratum: sed in hac loquutione non excluditur virtus diuina sacramentis assistens: ergo pari modo concedi potest, adultum se præparare ad gratiam, & efficere se gratum, & iustum coram Deo; quia hæc loquutio non repellit adiutorium gratiæ Dei, qua homo ad gratiam se præparat.

Mouentur rursùs. Quia homo, licèt non producat animam rationalem, tamen propriè generat hominem, quia causat vltimam dispositionem ad introductionem animæ rationalis: sed homo à Deo motus, & adiutus causat vltimam dispositionem ad gratiam, & iustitiam: ergo ob eandem rationem videtur concedendum, quòd homo efficit se gratum, & iustum. Et confirmatur: Quia is qui disponit ad aliquam formam, verè est causa introductionis formæ saltem in genere causæ materialis: sed homo propriè se disponit ad gratiam per contritionem, & pœnitentiam, & ad iustificationem: ergo.



*Conclus.3.* VTrem hanc definiamus; Tertia conclusio est. Adultus cùm ad Deum conuertitur per actus liberi arbitrij pœnitentiæ, & dilectionis Dei super omnia, fidei etiam ac spei, licèt hæc non agat, nisi adiutus specialiter à Deo; nihilominùs est verum agens, & verè actiuè & efficienter concurrit ad actum contritionis, & ad actualem dilectionem Dei super omnia, & ad actum fidei, & spei. Hæc assertio negari non potest ab vllo Catholico, quoniam verè definitur in Trident. sessio. 6. canon. 4. sub his verbis; Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quo ad obtinendam iustificationis gratiam se disponat, ac præparet, neque posse dissentire, si velit, sed velut inanime quoddam nihil omnino agere, mereque passiuè se habere; anathema sit. In quo canone luce clariùs constat veritatem nostræ assertionis esse definitã. Rursùs etiam constat: Quoniam conteri, diligere, sperare, credere, & ad Deum conuerti actualiter vt ad finem supernaturalem per actum, & motionem liberam; sunt actiones vitales, ad quas adultus non potest non concurrere, vt agens vitale, & vt viuum efficiens; imo verò, illæ actiones dicunt intrinsecum ordinem ad principium actiuum viuens; ergo.

*Concilium Tridentin.*

*Conclus.4.* QVarta conclusio. Adultus ex diuina gratia motus à Deo, & excitatus assentiendo, & cooperando Deo mouenti, absolutè se disponit, & præparat ad obtinendam iustificationis gratiam. Nam actus liberi arbitrij fidei, pœnitentiæ, & dilectionis Dei super omnia, sunt verè dispositiones ad gratiam, & iustificationem: sed homo per liberum arbitrium, vt dictum est, verè actiuè producit has dispositiones, & hæc opera: ergo verè dici debet, quòd se disponit, ac præparat ad iustificationem. Dices, quòd licèt homo concurrat ad has operationes, & non se habeat veluti inanime instrumentum, sed se moueat tamquam verum viuens in illis; nihilominus quòd non dicitur verè, & propriè se disponere, & præparare ad iustificationem. Quia tales operationes liberi arbitrij, vt sunt actus contritionis, & dilectionis Dei, non sunt dispositiones ad iustificationem, & gratiam ex natura rei, sed solum ex lege, & ordinatione diuina, & quòd ob id non est par ratio de gratia, quæ est forma supernaturalis, & extrinsecus accedens ex sola infusione Dei, ad quam non disponunt ex natura rei, sed ex libera Dei ordinatione & lege, & de formis naturalibus, quæ ex ordine naturæ habent necessariam connexionem & consequutionem cum vltimis dispositionibus ab agente introductis. Potissimè, quia adultus cùm conuertitur, & pœnitet, non sua virtute ponat vltimam dispositionem, sed per motus gratia Dei. Respondetur tamen, quòd cùm ex diuina ordinatione factum sit vt illis positis dispositionibus homo iustificetur, id sufficit, vt verè, & propriè dicatur adultus se disponere ad iustificationis gratiam; sicut ex diuina ordinatione & lege per opera ex gratia procedentia adultus dicitur mereri beatitudinem, & visionem Dei propriè, & verè. Rursùs etiam, cùm Trident. Concil. sess. 6. cano. 4. absolutè dicat, adultum se disponere, ac præparare ad obtinendam iustificationis gratiam; sequitur apertè satis esse, & nihil aliud requiri ad hoc, vt absolutè verum sit, adultum se disponere, ac præparare ad iustificationem, quòd ex diuina ordinatione & lege; motus & excitatus à Deo, conteratur, pœniteat, ac doleat, & diligat Deum super omnia. Tandem, præfata assertio videtur mihi tradita expresse in eodem Tridentin. Concil. eadem sessione. 6. canon. 4. citato. Vbi expresse dicitur, quòd cùm liberum hominis arbitrium mouetur à Deo, & excitatur assentiendo Deo, & cooperando, se disponit, ac præparat ad obtinendam iustificationis gratiam. Lege quæ de hac re diximus supra. quæst. 112. artic. 1. disputat. 1. & 2. & præsertim disputat. 3. Vbi diximus, vtrùm fieri possit creatura, quæ possit esse causa principalis gratiæ: & lege quæ modo attulimus pro Ruardo, & Cano.

*Concilium Tridentin.*

*Conclus.5.* QVinta conclusio. Hæc loquutio, Adultus homo se iustificat, nonnullam habet inuidiam in modo loquendi. Quia prima fronte videtur dicere, quòd iustificatio sit ab ipso homine, & quòd sit propria ipsius, & idcirco dixi eam inuidiam habere, possetque ex modo loquendi aliquis decipi. Et probatur ex D. Augustin. qui hoc ipsum sensit sermo. 15. de verbis Apostoli, quo loco pro eodem reputat quòd homo se faciat iustum, aut se iustificet, vel faciat gratum coram Deo, & quòd iustitia sit ab ipso homine; & propria ipsius. Quocirca, propter hunc sensum difficilem, quem primò videtur præ se ferre præfata propositio, eam dixi inuidiam habere; & hoc probant argumenta, quæ à quibusdam aduersarijs de hac re adducuntur, & nihil ampliùs probant, vt sunt ea, quæ adducit Medina. 1.2. quæstione. 112. artic. 1. & quæstio. 113. in hoc artic. 3. ¶ Vndè, omnia argumenta, quæ adducit Canus sequutus Ruardum Tapper, solùm ostendunt tertiam, & quartam conclusionem positam.

*Ad argum.* *Ad primũ.* Ad argumenta. Ad primum respondetur, quòd in illo primo instanti initiatiuo vsus rationis, non iustificatur puer vsque ad instans plenæ deliberationis, in quo est libertas. Et ad probationem dico, nullum esse signabile tempus, vel instans, in quo homo ille non possit iustificari; imò & ante ipsum. Quia quodcumque instans signetur post primum initiatiuum rationis, ante illud præcesit tempus quantumcumque paruum, & in eo multa instantia, in quorum quolibet potuit terminare deliberationem primam, & iustificari. Neque verò potest mori post primum instans vsus rationis, quin etiam potuerit antea deliberare, & se conuertere in Deum. Quia cùm mors sit per instans extrinsecum primi non esse, inter illud instans extrinsecum non esse, & primum initiatiuum rationis, mediant innume-

ra instantia, in quibus potuit conuerti. Verum tamen est, quòd in confuso datur aliquod tempus, illud scilicet, quod est continuatiuum ad primum instans initiatiuum vsus rationis, in quo ille homo non potest conuerti. Neque hoc est particulare in instanti initiatiuo vsus rationis, sed necessario admittendum in iustificatione adulti. Nam cùm peccatum fiat, & committatur in instanti, neque simul in eodem possit iustificari, sed in alio distincto, inter quæ duo instantia mediat tempus; necesse est, quòd in confuso mediet tempus inter peccatum, & iustificationem, non quidem determinatum, aut signabile, quia quocumq; signato, in priori potuit conuerti, sed in confuso, vt dictum est. ¶ Ad secundum. Capreol. in. 2. dist. 4. quæst. 1. ad. 1. contra. 5. conclu. putat, Angelis non fuisse gratiam collatam per supernaturalem dispositionem, & licèt hæc sententia probabilis iudicetur à plerisque; tamẽ in Schola D. Thom. non potest sustineri. Nam licèt actio illa non esset plenè libera; cæterùm quia erat supernaturalis, potuit esse dispositio ad gratiam, ita vt simul Deus infunderet gratiam, & disponeret ad illam per actum supernaturalem, qui est simul cum productione naturæ. Veruntamen, in illo actu dispositionis admittẽda est vera, & aliqua libertas, nõ ita plena & consummata, sicut cõceditur ab Soto in. 2. dist. 5. quæst. 2. vt in illo primo instanti peccare potuisset, sicut malè putauit Scotus: sed ea tantum libertas, quę ad meritum sufficiat. Quare, cùm in doctrina Sãctissimi Præceptoris, omnes angeli, etiam mali, in primo instanti suæ conditionis meruerint, vt docet. 1. par. quæst. 63. art. 5. ad. 4. & idem etiam dicat de Christo, quòd in primo instanti suæ conceptionis fuit sanctificatus per actum liberum, per quem etiam meruit in eodem primo instanti, vt habetur. 3. par. quæst. 34. ar. 2. & 3. & meritum non possit intelligi sine libertate vlla, oportet necessariò in doctrina Sanctissimi Præceptoris, libertatem aliquam concedere in illo primo actu, & consequenter potuit esse actus ille ex supernaturali gratiæ auxilio, sufficiens dispositio ad gratiam; sicut nos fuse ostendimus Tomo. 2. primæ partis. quæst. 62. artic. 2. disputat. vnica, & artic. 3. disput. 3. Quæ tamen, aut qualis sit hæc libertas huius dispositionis, eo loco à nobis interpretatur, & sine dubio non fuit libertas specificationis; fuit tamen libertas exercitij, & hæc non exacta, & completa: Quia solùm talis libertas fundatur in sola indifferentia intellectus, & iudicij ipsius circa connexionem non necessariam ex natura rei inter talem actum, & vltimum finem, quod iudicium verè habebat angelus in primo illo instanti; atque ita cùm sola libertas exercitij sufficiat ad actum plenè deliberatum, & perfectè meritorium, & angelus in illo primo instanti non habuit actum omnino deliberatum, neque perfectè meritorium; aliàs omnes angeli beatitudinem fuissent consequuti; quia ex sententia D. Thom. angeli constituũtur in termino per vnum actum perfectè deliberatum, & meritorium, tanquam per integram viam eorum. Sed de hoc aliàs. ¶ Ad tertium, satis arbitror me dixisse in speciali difficultate, quam ex Ruardo, & Cano attulimus in hac controuersia. Quidam absolutè concedunt, hominem sanctificare se, & esse causam suæ iustificationis, quamuis

*Ad secũdũ.* *Ad tertiũ.*

propriùs concedatur Deum sanctificare hominem, & disponere ipsum ad gratiam. Alij tamen putant, hominem cum proprietate esse causam suæ iustificationis, & sanctificationis; non tamẽ facere se gratum Deo, quia in formis, quæ educuntur de potentia subiecti, solus ille causat totum compositum, qui causat ipsam formam; quia non aliter producitur forma, quam ad productionem compositi: Cùm ergo solus Deus causet gratiam, solus Deus facit hominem gratum. Alij Theologi dicũt, quòd cùm eiusdem agentis sit formã introducere, & ad illam disponere, fit vt sicut solus Deus causat gratiam, ita solus disponat hominem ad ipsam, neque potest intelligi (dicunt) quo pacto homo sit causa suæ iustificationis, & non faciat se iustum, neq; causet gratiam, cùm iustificatio formaliter fiat per gratiam. Sic ergo ad argumentum respondent, quòd licèt homo liberè credat, & pœniteat; tamen totum hoc est per virtutem diuinam, & per gratiam operantem. Deus namque præueniente gratia, mouet hominem, vt liberè operetur operationes supernaturales, quæ præcise habent rationem dispositionis, non secundum quòd sunt à libero arbitrio, sed secundum quòd sunt ex diuino auxilio per gratiam præuenientem, atque ita tota ratio dispositionis tribuitur Deo, ad quem ratio libertatis habet se præsuppositiuè, & quasi materialiter: Verumtamen, quia sacrum Tridentin. Concil. dicit, liberum arbitrium à Deo motum cooperari, & quòd se disponit, ac pręparat ad obtinendam iustificationis gratiam; idcirco aduertenda, & attendẽda sunt ea, quæ diximus in speciali difficultate de hac re in discursu huius primæ disputationis. Et per hoc, & per ea, quæ ibi diximus, patet solutio ad primam, & secundam confirmationem. ¶ Ad quartum dicendum, quòd gratia operans non semper excludit libertatem operantis arbitrij; aliàs tantum respectu motuum, qui sunt primò primi diceretur gratia operans. Supponit ergo talis gratia conditionem naturæ liberè operantis aliquando, & licèt quantum ad substantiam actus liberè se moueat voluntas tunc; tamen quantùm ad rationem formalem, secundum quam attenditur dispositio ad gratiam, habet se vt mota à Deo. Quia ex sola gratia præueniente, cùm antea non esset constituta in aliquo actu supernaturali, excitatur ad actum supernaturalem, & habet illum, vt suprà aperuimus. quæst. 111. præsertim art. 2. in quem locum remitto lectorem. ¶ Ad quintum cum suis confirmationibus, satis arbitror me dixisse 1. par. quæst. 14. artic. 13. & quæst. 22. de diuina prouident. artic. 4. & 23. de diuina prædestinat. artic. 3. & in hac. 1. 2. suprà quæst. 111. artic. 3. & etiam quæst. præcedente. 112. Sed nihilominus nõnulla dicemus hoc loco, quæ paucis absoluentur, quatenus sunt huic instituto necessaria. In qua re, aliqui Theologi non admittunt in Deo prædeterminationẽ actuum liberorum ipsius hominis in particulari ante præuisam liberam determinationem voluntatis creatæ, sed tantum putant in communi prædeterminasse Deum, quòd Petrus benè operetur, aut quòd saluetur; non tamen efficaciter esse prædeterminatum aliquem actum pœnitẽtiæ in particulari, per quem saluetur ante præuisam determinationem liberam voluntatis Petri ad pœnitentiam. Itaque dicunt, quòd

*Ad confir.* *Ad quartũ.* *Ad quintũ.*



quòd efficacia diuini auxilij non est, vt voluntas Petri determinetur ad actum pœnitentiæ, sed vt liberè per se ipsam iam determinata, efficaciter pœniteat. Hic modus dicendi derogat diuinæ prædestinationi, & prouidentiæ, quæ cùm sit actus perfectissimæ prudentiæ, versatur circa agibilia in particulari, & dicit infallibilem dispositionem ipsorum. Rursùs, præfata sententia tenetur soluere omnia argumenta, quæ fiunt etiam contra doctrinam Sanct. Tho. Quia etiam supposita illa determinatione Dei in communi, quòd homo benè operetur, & saluetur, manet libertas in illo, vt possit velle non saluari, & vt possit velle nunquam operari benè in ordine ad finem supernaturalem. Secundò, Demus quòd actus vltimus, per quem debet saluari homo, sit actus pœnitentiæ, qui est contritio; tunc, vel iste homo in tali contritione liberè se determinat ad illam, vel non? si non se determinat: ergo iam non est infallibilis illa determinatio communis, qua voluit Deus hominem istum saluare, quod tamen absurdissimum est: ergo sicut stante illa determinatione communi, saluatur omnimoda libertas circa actum in particulari, per quem determinatè consequitur effectum communis determinatio Dei, ita tamen vt esset incompossibile esse circa salutem istius talem determinationem in Deo, & quòd iste non pœniteret in vltimo actu: Sic etiam potest intelligi prædeterminatio diuinæ voluntatis circa actũ istum in particulari; & quòd saluetur libertas hominis in illo, licèt sit incõpossibile, quòd Deus efficaciter prædeterminauerit, & quòd homo non operetur.

Sunt tamen Theologi iuniores, quos hac ætate cernimus, qui putant Deum efficaciter mouere voluntatem; non tamen in genere causæ physicæ, sed moralis tantum, proponendo efficaciter obiectum, & amore, ac blanditijs alliciendo volũtatem, & inclinando eam. Cui sententiæ fauet S. Thom. super Ioan. lect. 5. circa illa verba, Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui me misit traxerit eum. Sed profectò hic modus dicendi non satis explicat difficultatem huius rei, vt vidimus. 1. par. quæst. 23. artic. 3. disputat. 8. & etiam disputatione septima, & supra quęst. 111. artic. 3. per plures controuersias, & quęst. 112. artic. 2. disputat. 4. in fine. Nam etiam subiungit B. Thom. quòd Deus mouet aliquos per interiorem instinctum impellendo, & immutando volũtatem; & 1. 2. quæst. 9. artic. 6. ad. 3. inquit, quòd interdum specialiter Deus mouet aliquos, ad aliquid determinatè volendum, quod est bonum, sicut in his, quos mouet per gratiam. Rursus, quòd præfata doctrina non explicet difficultatem huius rei, ostẽdo. Quoniam efficaciter determinare voluntatem in genere causæ moralis, etiam potest competere creaturæ: sic enim explicatur illud Lucæ. 14. Et compelle eos intrare, & Lucæ. 24. Et coegerunt eum: Igitur cùm S. Thomas in præfato art. 6. citato dicat, quòd solus Deus potest mouere voluntatem hominis, & de facto moueat ipsam in omni operatione, & hæc doctrina non possit intelligi de motione morali solùm, cùm talis motio possit etiam conuenire creaturæ, vt de se patet: igitur intelligitur de motione physica, vt locis citatis alibi diximus.

*Ioan. 6.* *Lucæ. 14.* *Lucæ. 24.* *S. Tho. 1. 2. q. 9. artic. 6.*

Explosis ergo commemoratis sententijs, aduerte valde ex doctrina S. Thom. 1 par. quæst. 83. art. 1. ad 3. non esse de ratione libertatis, quòd operans liberè, sit prima causa sui actus, aut etiam determinationis ad actum: id namque solius Dei est; creaturæ verò omnes mouẽtur ab ipso, veluti à prima causa. Rursùs, determinatio libera voluntatis, licèt non sit effectus naturalis, sed moralis; est tamen realis effectus dicens intrinsecam dependentiam à prima causa, & ex consequenti necessariò præintelligitur in eodem instanti concursus primæ causæ, antequã concipiatur concursus causæ secundæ, & efficacia eius. Quoniam hæc efficacia, etiam dependet intrinsecè à Deo, tamquam à causa prima. Aduerte præterea, quòd ratio libertatis in hoc consistit, vt ex modo operandi potentiæ, secundum statum, quem habet, possit operari, vel non operari, aut habere actum contrarium, qui modus agendi conuenit potentiæ, etiam quando liberè se determinat ad vnam partem: taliter namque operatur, & agit, quòd ex modo agendi poterat ab operatione cessare, sicut etiam causa contingens quando non impeditur, etiam contingenter operatur, ob id, quòd ex modo operandi, & agendi impedibilis erat; atq; ita quando fit sensus compositus, talis compositio non est accipienda inter actum modò exercitum, & potentiam, quasi non possit simul esse talis actus, & potentia ad oppositum, sed solum accipienda est compositio in ordine ad actum contrarium, & oppositum, vel cessationem ab operatione, quia illa sunt, quæ repugnant simul: sunt enim actus contrarij, quòd potentia operetur, & non operetur. Cum determinatione igitur libera potentiæ, & cùm determinatione diuini auxilij ad talem operationem liberam, non stat simul, quòd potentia non se determinet de facto; stat nihilominus, quòd potẽtia possit non se determinare, vel determinare ad opposita: & ita in Tridentin. sessio. 6. cano. 4. decernitur, quòd si quis dixerit, liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti; quo ad obtinendam iustificationis gratiam se disponat, ac præparet, neque posse dissentire, si velit, sed velut inanime quoddam nihil omnino agere, mereq; passiuè se habere; anathema sit. En quo pacto Concilium etiam supposita actuali motione Dei asserit, posse hominem dissentire si vult: ait namque, quòd etiam Deo excitante quando actualiter excitat potest homo dissentire; cùm tamen non possit stare simul, quòd Deus excitet, & efficaciter actu moueat, & quòd voluntas actu dissentiat. Rursùs, pro eodem etiam reputat Concilium, voluntatem se habere merè passiuè, & veluti inanime quoddã, & non posse dissentire si velit. Itaque idem est, voluntatem non posse dissentire, & voluntatem habere se merè passiuè; sed quacumque suppositione facta, in nullo sensu, etiam composito, dici potest, voluntatem habere se merè passiuè in sua operatione: ergo neque etiam potest admitti, quòd non possit dissentire si velit. Quapropter, prædestinatio Dei, & infallibilitas suæ scientiæ, non facit compositionem cum potentia, sed solùm cùm actu, ita vt cùm præscientia æterna Dei, verbi gratia, huius prælectionis, non sit incompossibilis potentia ad non legendum, sed solus actus, vel cessatio à legendo:

gendo: non enim redditur fallibilis aliqua scientia circa actum particularem per potentiam ad oppositum, sed solùm per oppositum actum. Quod verò communiter dicitur, quòd in sensu composito, & supposito quòd homo operetur, vel moueatur à Deo, non posset homo non operari, non sic est intelligendum, quasi tollatur aliquid de libertate, quia semper manet homo absolutè liber, etiam facta tali suppositione ad actum oppositum, vel ad cessationem ab actu, quamuis non possit simul ponere vtrumque actum contrarium, vel actum & cessationem illius; Quoniam ad duo opposita simul, nulla datur potentia. Solùm ergo habet verum communis modus dicendi in hoc sensu, quòd supposito quòd potentia operetur, & quòd perseueret talis suppositio, implicat q simul ponatur actus oppositus, & contrarius; hoc tamen non tollit libertatem, quia solùm inducit necessitatem secundum quid, quæ etiam in Deo secundum istum modum necessariò reperitur. Nam supposito quòd velit creare mundum, & de facto creet, non est possibile, quòd simul non creet, neque ad hoc est potentia in illo, aut libertas, quia illa duo simul repugnant, vt vidimus.

*Ad argum.* His igitur ita stabilitis, ad præfatum quintum argumentum in exordio disputationis factum dico, quòd etiam supposita motione efficaci Dei, voluntas liberè operatur, iuxta doctrinam Concilij explicatam. Quia ipsa efficacia diuinæ motionis in hoc consistit, quòd per eam liberè se determinet ipsa voluntas. Solùm ergo in sensu composito insinuatur aliqua necessitas respectu actus. Quia non stant simul, quòd Deus efficaciter me moueat, & quòd ego non operer, neque mouear. Quòd si obijcias, Illa suppositio, quæ fit ex parte diuinæ motionis non potest à me libere operante tolli, aut repelli: ergo inde fit vt destruatur in me libertas. Respondetur, non esse necessarium vllo pacto ad hoc, vt homo simpliciter, & absolutè liberè operetur, quòd possit tollere suppositionem illam; Quia etiam modò Deus supposito, quòd ab æterno voluit conseruare me, non potest supposita tali determinatione suæ voluntatis tollere modò talem voluntatem; Nam aliàs esset mutabilis; & tamen simpliciter, & absolutè liberè me conseruat. Sicut ergo determinatio diuinæ voluntatis in ipso Deo, etiam facta suppositione, non aufert, neque tollit absolutam libertatem eius, pari ratione Dei motio non tollit libertatem creaturæ. Hæc autem distinctio de sensu composito, & diuiso, in omni opinione necessariò est admittenda. Quia in quacumque opinione necessariò oportet admittere Deum ab æterno voluisse absoluta voluntate mecum concurrere ad hanc scripturam, siue præuiderit priùs determinationem liberam meæ voluntatis, vt aduersarij dicunt, siue non; qua tamen voluntate supposita implicat, quòd ego non operer. Solùm ergo hæc necessitas est in sensu composito; & necessariò admittenda ab omnibus. ¶ Ex his patet ad primam, & secundam confirmationem.

*Ad argum. Caietani.* Ad argumenta, quæ Caietanus adducebat pro sua sententia, quæ nimis rigida, & scrupulosa est, quia durum est dicere, quòd quando homo iustificatur per sacramentum, necessariò requiritur in ipsa susceptione sacramentali actualis attentio & deuotio, quia aliàs non infunditur gratia; dicendum est, quòd sufficit, quòd præcesserit deuotio, & attentio, ac proinde, si post præcedentem deuotionem, & attentionem homo naturaliter distractus suscipiat sacramentum, suscipiet gratiam, vel augmentum gratiæ. Quia sacramentum confert gratiam non ponenti obicem; & ipse Caietanus concedit, quòd qui accedit naturaliter distractus non ponit obicem. Vndè ad primum argumentum Caietani ex verbis Diui Thomæ desumptum respondetur, Sanctum Thomam solùm loqui de iustificatione, quæ fit extra sacramentum. Secundò respondetur, quòd etiam si loquatur de his, qui accedunt ad sacramentum, adhuc ex verbis Sancti Thomæ non probatur sententia Caietani, tùm quia Sanctus Thomas non dicit, quòd infusio gratiæ requirit simul motum liberi arbitrij, sed solum dicit, quòd ita infundit donum gratiæ, quòd simul cum hoc mouet liberum arbitrium, hoc autem est verum regulariter; non autem oportet, quòd semper fiat: Tum etiam, quia si Sanctus Thomas diceret, requiritur, id intelligendum esset, tamquam maximè conueniens, & congruum, non tanquam simpliciter, & omnino necessarium. Quia si id omnino esset necessarium, vt Caietanus dicit, tunc dicendum esset, quòd vr aliquis iustificaretur per sacramentum, si in ipsa susceptione non habet actualem deuotionem, quòd satis esset postea habere illam. Sed profectò, si actualis deuotio subsequens, est dispositio sufficiens, vt ille per sacramentum iustificetur, pari ratione erit sufficiens actualis præcedens. Vndè, verbum illud Sancti Thomæ non est exponendum in materia morali de simultate physica, sed satis est, quòd exponatur de simultate morali; illa verò dicuntur esse simul moraliter, quæ parum inter se distant. Quare, si Sanctus Thomas intelligit esse simul, tamquam necessarium sine quo non, intelligendum est moraliter, ad quod verificandum sufficit, quòd paulò ante infusionem gratiæ præcesserit motus liberi arbitrij, seu actualis deuotio, & attentio. Quocirca, ratio Sancti Thomæ potiùs est contra Caietanum. Quia cùm conditio humanæ naturæ sit, non posse per plurimum tempus persistere in eodem actu, inde sequitur, quòd ad suauem Dei dispositionem pertinet, quòd non simpliciter, & necessariò requiratur illa actualis attentio, & deuotio, quæ fit simul tempore metaphysicè loquendo cum infusione gratiæ, sed sufficit, quòd paulò antea illam habuerit, potissimè, quia merè naturaliter, & sine vlla culpa potest homo distrahi, & cessare ab eo actu, tempore quo suscepit sacramentum. Et id confirmatur argumento ad hominem ex eodem Caietano: Quia si amens ante amentiam voluit baptizari, si baptizetur deobligatur ab actuali deuotione, ex naturali infirmitate: ergo pari ratione, sicut ille excusatur ex infirmitate naturali, etiam ille, qui est naturaliter distractus excusabitur ex humana fragilitate. ¶ Tertiò respondetur ad idem argumentum Caietani, quòd etiam in iustificatione adulti, quæ fit per sacramentum, in ipso instanti iustificationis est aliquis motus liberi arbitrij, siue actualis & formalis, siue virtualis; quia in sua



*Ad secundū.* in sua virtute permanet virtus deuotionis, & intentionis primæ circa sacramentum, & effectum illius, manet inquam in ipsa actuali susceptione sacramentali. ¶ Ad secundum argumentum Caietani respondetur, quòd per actum formalem præcedentem sacramentum, fuit factus contactus animæ ad Deum, cuius virtus manet in actuali susceptione sacramenti, neque maior contactus requiritur ad iustificationem, quæ fit ex opere operato virtute sacramenti.

*Ad primū.*

## DISPVTATIO II.

### *Vtrùm de potentia absoluta possit iustificari adultus, sine vllo motu liberi arbitrij, seu actu, & consensione?*

*Caietan. Vega. Gabriel. Scotus. Gregorius. Ioan. Medina. Lusitan. Gerson.*

IAnc disputationem mouent hoc loco aliqui ex Theologis iunioribus, quamuis eam ex professo non definiant. De qua, si benè memini, art. 2. præcedente diximus fusiùs aliqua huic rei satis accommodata. Caietanus suprà q. 112. art. 2. partem tuetur affirmatiuam, & idem sentiunt Scotus & fuit à fortiori. Vega lib. 6. in Tridentin. cap. 5. Gabriel in 4. distin. 14. quæst. 1. artic. 2. conclu. 1. & Scotus, quem ille sequitur ibidem. quæst. 1. artic. 2. Gregor. in 1. distin. 17. quæst. 1. & Ioan. Medina Complutens. Codice de pœniten. quæst. 7. & Martinus Ledesma in 1. par. quarti. quæstio. 27. artic. 2. concl. 4. Gerson Alphab. 61. litera. D. & idem tenent plerique alij iuniores; non tamen eodem modo proceduntin explicatione huius sententiæ. Quia Caietanus dicit, non posse fieri, quòd peccatum tollatur sine gratia habituali. Cæterùm plures alij, & Bartholom. Medina hic, & art. 2. præcedente sentiunt, requiri, quòd imprimatur aliquid à Deo, per quod reuocetur animus, & tollatur auersio, siue illud sit gratiæ habitus, vel motus, in quo voluntas non se habeat liberè. Cæterùm alij eiusdem conclusionis defensores putant, quòd sine impressione alicuius entitatis in anima posit Deus remittere peccatum. ¶ Hoc iudicatur à plerisque probabile, non quidem propter rationem Gabrielis, & Gregorij, & Scoti, atque aliorum, nempe, quia peccatum habituale sit ordinatio hominis ad pœnam, quæ tolli potest per solam voluntatem Dei extrinsecam, qua velit non punire; Nam quòd ratio peccati non sit posita, neque consistat in hac ordinatione hominis ad pœnam, ostendimus suprà artic. 2. Quare, fundamentum huius opinionis debet esse, quòd peccatum non remittitur formaliter per actum liberi arbitrij, sed tantum dispositiuè; aliàs posito actu liberi arbitrij, remitteretur peccatum priùs omnino, quã gratia infunderetur, quod sanè est apertè falsum. Nam Trident. sessio. 6. cap. 7. decernit, gratiam esse formalem causam in iustificatione impij: & idcircò Sanctissimus Præceptor infrà artic 8. ad primum, mirabiliter docet, infusionem gratiæ in genere causæ formalis priorem esse remissione peccati: sed quemcumque effectum Deus facit cum dispositione aliqua, eundem Deus facere potest sine illa: igitur posset Deus iustificare sine actu liberi arbitrij. Probatur minor: Quia Deus posset producere ignem, & quamlibet aliam rem sine dispositione vlla præuia. ¶ Hoc confirmant præfati Authores, primò. Quoniam auersio relicta ex actu proprio, secundum communem sententiam, est eiusdem rationis cum relicta ex actu Adæ in puero: sed hæc auersio pueri tollitur sine dispositione vlla ex parte ipsius: ergo idipsum posset fieri in adulto: igitur sine dispositione propria tolli posset peccatum in adulto. Dices, Saltem sicut puero tollitur per infusionem gratię, ita debet tolli adulto. Contra: Quia communis opinio etiam concedit, quòd puero tolli potest sine infusione gratiæ habitualis, per solum amorem Dei extrinsecum, & gratuitam acceptationem, & ita sensit Magist. in 4. distinct. 1. prope finem, vbi dixit, quòd in circuncisione de facto remittebatur peccatum originale sine infusione gratiæ: ergo pariter in adultis posset de potentia absoluta tolli auersio, quę est in eorum peccato, sine conuersione actuali propria, & sine infusione gratiæ, dignificando adultum extrinsecè ad beatitudinem per amicitiam Dei. Et Soto etiam concedit cum communi opinione, quòd potest tolli originale per solùm amorem Dei extrinsecum, & extrinsecam acceptationem gratuitam. *Magister.*

Et confirmant iterum hoc ipsum. Quia posset Deus imprimere dilectionem, cui non cooperaretur voluntas saltem liberè, vt iuniores videntur concessisse: ergo pariter sine tali dilectione posset Deus delere peccatum, sicut tollit per illam. Ostendunt consequentiam. Quia in casu posito, si dilectio illa non esset à libero arbitrio vt sic: ergo non magis faceret ad iustificationem, quàm si non esset: ergo sicut per te cum illa sola posset Deus iustificare, ita sine illa. Et quòd nihil faciat ad iustificationem magis, quam si non esset, patet: Quia auersio voluntaria, & libera minimè tollitur per actus non liberos: igitur non deseruiret ad tollendam auersionem peccati: Rursùs; Actus qui non sunt liberi, non placant amicum offensum: ergo nihil deseruiunt, vt amicus remittat offensam. Tandem probatur: Quoniam sacramenta præsertim mortuorum, nempe, pœnitentia, & baptismus, delent peccatum sola attritione supposita: Imo verò putauit Caietan. ad iustificationem per baptismum in adulto non esse requisitam attritionem, sed solum, quòd careat affectu peccandi: igitur posset Deus peccatum delere adulto sine dispositione vlla. Patet consequentia: Quoniam attritio non est deletiua peccati ex natura sua, neque conuersiua in Deum, vt finem supernaturalem, & idcirco adhuc posita ista attritione manet peccatum, & auersio donec accedat sacramentum: ergo quod fit cum dispositione illa, posset sine ea fieri de potentia absoluta Dei. Imo verò Deus pari ratione posset per suum amorem extrinsecum supplere id, quod facit per habitualem gratiam, vt explicuimus artic. 2. præcedente disputatione. 2. cùm diximus non esse improbabilem sententiam Scoti & suorum, nempe, quòd posset Deus peccatum delere per absolutam potentiam, tàm sine habituali gratia, quàm sine dispositione vlla.

Alij sunt discipuli Diui Thomæ, qui censent partem negatiuam, & non posse deleri peccatum sine formali pœnitentia, & sine actu liberi arbitrij expresso.

*Petrus à Soto. Dominicus à Soto.*

presso. Hoc tenuit olim Petrus à Soto lect.4. de necessitate pœnitentiæ ad remissionem peccatorum, & Dominicus à Soto in.4.distinct.15. quæst.1.artic. 2.& 2.de natura & gratia.capit.16.& alij ex familia D.Thom.3.part.quæst.86.artic.2. quos omnes supra citauimus, & eorum attulimus argumenta, eaque dissoluimus artic.2. præcedente disputat.2.præsertim conclu.6.&.7. Fundamentum istorum potissimum erat, quòd peccatum est quædam auersio libera. Nam auersio à Deo, fit per peccatum mortale, ex quo sequitur, quòd sit priuatio libera: ergo implicat hanc auersionem tolli sine conuersione libera:ergo pariter implicat tolli sine actuali motu liberi arbitrij. Nam Deus non potest amare, nisi eum, qui bonus est, & nemo est bonus postquam peccauit,nisi pœniteat: ergo non diligetur à Deo, neque dimittetur ei peccatum, nisi pœniteat per actum liberi arbitrij.Et contendunt prædicti authores hanc fuisse D. Thom. sententiam suprà art.2. & 3.par.quæst.86.art.2.Quia in illo articulo inquit Sanctissimus Præceptor,impossibile esse peccatum remitti, sine virtute pœnitentiæ, licèt possit remitti sine sacramento pœnitentiæ: sed secundum est impossibile de potentia ordinaria: ergo primum intellexit esse impossibile de potentia absoluta.

Hæc omnia argumenta nos non mouent, vt recedamus à vera sententia, secundum quam disputatione.2.articuli.2.præcedentis diximus, de potentia absoluta Dei posse remitti peccata sine formali pœnitentia; non tamen sine interna renouatione.

*Medina.*

Medina in hoc articu. apertè dicit, non esse repugnantiam Deum peccatorem dormientem posse iustificare, & eius animum ad se conuertere, & rectum efficere sine actuali motu vitali liberi arbitrij. Quia si aliquis actus liberi arbitrij efficienter, vel dispositiuè concurrit ad *iustificationem*, omnem hanc eius causalitatem potest Deus supplere, & *consequenter* poterit iustificare adultum sine

*Caietanus.*

actu liberi arbitrij,& hoc sensit etiam Caieta.suprà quæstio.112.artic.2. ¶ Sed quoniam disputatio hæc fuse satis tacta est à me paulò antea loco citato; idcirò silere modò placet. Legat Theologus ea,quæ diximus ibidem, vbi plura argumenta & difficultates dissoluimus.

## DISPVTATIO III.

### *Vtrùm dispositio ad gratiam,debeat esse motus plenè liber?*

HÆC controuersia ferè à nullo proponitur, aut differitur. Vndè,satis erit eam attingere,& quid certius sit paucis explicare,donec Deus nobis suam gratiam, ne à veritatis scopo aberremus. Quæritur ergo vtrùm dispositio ad gratiam debeat esse motus plenè liber, vel vtrùm sufficiat libertas non consummata,seu actus non plenè deliberatus? Et, an sufficiat libertas,quæ sufficit ad peccatum veniale? Quòd verò sufficiat ad talem dispositionem ad gratiam actio, non plenè deliberata,

*Argumentũ primum.*

seu motus non plenè liber, arguitur primò. Quoniam pronior est Deus ad miserendum, quàm ad puniendum: sed punit malum motum, qui tantum haber libertatem ad veniale, & non ad mortale: ergo etiam præmio afficiet bonum motum, qui habeat eandem libertatem:Sed non requiritur maior libertas ad receptionem gratiæ,quam ad merendũ, vel demerẽdum:ergo sufficiet libertas,quæ sufficit ad peccatum veniale. ¶ Secũdò arguitur,quòd suf- *Secundo.*
ficiat libertas,quæ sufficit ad veniale peccatũ.Quoniam potest dari actus fidei,spei, & pœnitentiæ cũ libertate, quæ non sufficit ad peccatum mortale: sed quotiescumque dantur isti actus,habetur sufficiens dispositio ad gratiam: ergo. Patet minor: Quia omnes isti actus sunt supernaturales, & proportionati gratiæ: ergo illam inducunt. Rursùs, sunt eiusdem speciei cum habentibus libertatem sufficientem ad mortale: ergo si illi disponunt, etiam isti. Nam disponere,prouenit ex ratione specifica talium qualitatum. ¶ Et confirmatur: Quia *Confirm.1.*
Scriptura absolutè docet, quòd qui diligit Deum diligetur à Deo, & qui pœnitet, &c. ¶ Et confir- *Confirm.2.*
matur secundò: Quia tunc actus boni supernaturales causant meritoriè dispositiuè habitum supernaturalem,quando actus naturales effectiuè causarent habitum naturalem:sed actus naturales habentes solam libertatem requisitam ad veniale peccatum, causant effectiuè habitum studiosum, vel vitiosum:ergo pari ratione supernaturales actus cum eadem libertate causabunt meritoriè, & dispositiuè habitum supernaturalem gratiæ, & charitatis. ¶ Tandem confirmatur: Quia habitus vitiosi, & *Confirm.3.*
studiosi naturales,habent suos actus indeliberatos, in quos promptè, & facilè exeunt, & à quibus generantur: ergo & supernaturales etiam. ¶ Tertiò *Tertium.*
arguitur.Intentio libera libertate sufficienti ad veniale peccatum, sufficit quidem ad recipiendum baptismum, & si sit adiuncta attritioni, sufficiet ad recipiendam gratiam baptismi:ergo contritio libera libertate sufficienti ad veniale peccatum, sufficiet ad recipiendam gratiam. ¶ Quartò arguitur. *Quartum.*
Quælibet contritio sufficit ad gratiam quantumcumque sit paruè intensa;quia intensio non variat speciem ipsius:ergo etiam quantumcumque,sit modicæ libertatis.Nam maior,vel minor libertas,non mutat ipsius speciem,etiam in esse moris.

*Conclu.2.*

Vt difficultatem hanc explicemus, est prima propositio.Dispositio ad gratiam ex suo genere abstrahendo à diuina ordinatione,& ab statu,in quo sumus, non postulat vt sit motus plenè liber, seu deliberatus.Dixi,ex suo genere;quia ratione status fieri potest,vt necessariò debeat esse plenè liber, vt infra dicemus. Hãc assertionem ego statuo propter Angelum, & primos Parentes; & suppono omnes illos creatos fuisse in gratia, & eam accepisse per propriam dispositionem, & per actum liberum,vt Theologi dicunt cum Sancto Thoma. 1.par. quæstione.62.artic.2.& 3. Quo supposito probatur conclusio: Angeli in primo instanti, quo creati sunt, se disposuerunt ad gratiam recipiendam per actum dilectionis supernaturalis Dei: sed ille actus licèt habuerit libertatem sufficientem ad meritum, & libertatem exercitij; tamen ille actus non erat plenariè deliberatus, neque completiuè liber, quia aliàs nullus angelus peccaret in secundo instanti; quia angelus per vnum actum plenè deliberatum, & plenè liberum est in termino, vt Theologi omnes



nes fatentur: ergo talis actus in primo instanti factus,quo se disposuerunt ad gratiam,licèt fuerit liber; non tamen plenè deliberatus, aut plenè liber. Quocirca, in primo esse rei,seu in primo instanti, in quo incipit esse liberum arbitrium cum sua operatione,non requiritur,quòd dispositio ad gratiam in eodem instanti primo datam, sit deliberata omnino, aut plenè, aut completiuè libera, sed sufficit quòd habeat veram libertatem. Verum est tamen, quòd dispositio, & forma ad quam sufficienter disponit, debent esse eiusdem ordinis, & cùm nulla operatio naturalis creaturæ, sit eiusdẽ ordinis cum gratia, nulla talis operatio naturalis est dispositio ad gratiam.Imo verò,actus supernaturales, qui dicuntur disponere ad gratiam, non sunt dispositiones ad gratiam,prout sunt à nobis; sed prout sunt à Deo, & quatenus ab eo ad gratiam ordinantur. Quia nos non habemus formam aliquam,seu essentiam, per quam possimus tribuere nostris actibus, vt vel attingant ipsam gratiam, vel vnionem eius ad animam; quia tàm gratia, quàm vnio eius ad animam, sunt quid excellentius, quam quæcumque alia forma, aut vis nostra, quæ in nobis præintelligatur existere. Neque est simile de homine attingente per generationem vnionem animæ ad corpus. Quia homo generãs,est actuatus per rationalẽ animam, cuius vi, atq; virtute producit dispositiones sufficientes ad vnionem animæ ad corpus: ac proinde homo hominem generat. Sic ergo in generatione supernaturali, & spirituali, solus Deus est,à quo generatur homo supernaturalis. Nam in ipsa natura non est vis, neque efficacia ad producendum gratiam, neque ad dispositiones supernaturales illi gratiæ proportionatas. Tandem, cùm actus liberi arbitrij non sit dispositio ad gratiam ex natura rei,sed solùm ex diuina ordinatione, vt suprà diximus; sequitur, quòd ex suo genere non requiritur, quòd sit motus omnino deliberatus, aut plenè liber, sicut patet de prima operatione angeli dispositiua ad gratiam. Lege nonnulla, quæ de hac rediximus in materia de Angelis.q.62.art.3.disput. 3.in discursu conclusionis primæ.

Secunda propositio. Post illud primum instans, & postquam peccauit homo, & iterum reparatur, & iustificatur,non sufficit de facto ad recipiendam gratiam sola illa libertas, quæ sufficit ad veniale peccatum,sed requiritur,quòd dispositio illa adulti,seu motus liberi arbitrij,sit plenè liber, & perfectè deliberatus in homine. Probatur: Quia homo recessit à Deo per peccatum mortale, quod habet plenam libertatẽ,& cõsummatam deliberationem; Quia peccatum cùm consummatũ fuerit, generat mortem:ergo accessus ad Deum,debet esse deliberatus & consummatus, cùm sit actus oppositus, & contrarius illi: Sed accedimus per actum contritionis & dilectionis,quibus disponimur, detestando peccatum, & diligendo Deum super omnia: ergo talis actus debet esse deliberatus,& plenè liber. Et confirmatur: Quia contritio est detestatio de peccatis propter Deum summè dilectum: sed ista detestatio est destructio peccati, vt est offensa Dei, per quam compensamus iniuriam illatam Deo: ergo sicut per peccatum plenè deliberatum intulimus iniuriam, ita ad reconciliationem requiritur perfecta deliberatio,& libertas.Fauet huic veritati id, quod in humanis contingit. Nam si quis læsit leges amicitiæ videns, & sciens, & deliberans, & ex deliberatione offendit amicum, non videtur resarcire iniuriam, & amicitiam imperfectè volens, & deliberans,sed perfectè volens, & perfectè, & efficaciter deliberans: non enim obtinebit amicitiam,nisi plenè liberè volens, velit resarcire offensam, quàm intulit amico: ergo pari ratione, & proportione dicendum est de contritione, vt est dispositio ad gratiam: ac proinde libertas sufficiens ad veniale peccatum,non sufficit ad recipiendam gratiam,sed requiritur, vt motus liberi arbitrij sit omnino deliberatus, seu plenè liber. Præsertim cùm bonum sit ex integra, & perfecta causa, & malum ex singularibus defectibus. Omitto, quod Deus ex sua ordinatione ita voluit, vt homo cum se disponit ad gratiam per proprium actum haberet dispositionem in hoc statu, plenè liberam, & deliberatam.

Moueor etiam.Quia dispositio ad gratiam postulat magnam perfectionem ex parte obiecti,nempe, quòd sit dilectio Dei super omnia appreciatiuè efficax, & ex se impletiua omnium mandatorum, omniumque peccatorum detestatiua: ergo pari ratione ex parte modi,requiritur magna,& ingens perfectio,nempe,plena libertas,& deliberatio.Persuadetur etiam: Quia ad exclusionem liberam, & voluntariam gratiæ,non sufficit illa libertas imperfecta, quæ sufficit ad veniale peccatum ex surreptione:ergo neque etiam sufficit ad dispositionem,quę est ad infusionem gratiæ.Et confirmatur: Quia destruere,& tollere amicitiam, est res grauis,& ob id requiritur grauis offensa,& plenè libera.Nam certum est, quòd leues offensæ compatiuntur amicitiam,& non destruunt simpliciter illam: ergo cùm recipere ad amicitiam, præsertim ad amicitiam supernaturalem,& boni infiniti, & dignissimæ naturæ,qualis est amicitia Dei,sit res grauis,& respectu Dei sit omnium grauissima;requiritur dispositio,& obsequium notabiliter omni ex parte perfectum,& bonum,scilicet,plenè liberũ, & verè deliberatum.

Alias huius assertionis congruentias adducunt nonnulli Theologi iuniores. Quarum vna est, quòd consensus sufficiens ad votum, & ad matrimonium, & ad omnes contractus,debet esse plenè liber, quoniam obligatio sub peccato, etiam sub veniali, res est grauis, & requirit plenam libertatem: ergo & ad recipiendam gratiam, vbi Deus quodammodo obligatur nobis dare gloriam ex sua promissione, requirit plenam libertatem nostri obsequij. Et confirmant hoc nouitij Theologi: Quoniam si quis non liberè baptizaretur, seu sine libertate plena, quæ sit qualis est illa, imperfecta libertas,quæ est in peccato veniali,ex surreptione, nihil gratiæ reciperet: ergo intentum. ¶ Tandem aliam adducunt rationem ad idem. Nam dispositio sufficiens ad gratiam, est meritoria vitæ æternæ, vt Theologi dicunt in materia de merito: sed dispositio, quæ non habet sufficientem libertatem, seu indeliberata, non est meritoria vitæ æternæ: ergo illa non sufficit ad infusionem gratiæ in adulto peccatore. Probatur minor: Quia peccatum veniale ex surreptione, cùm non sit plenè liberum, & deliberatum,

liberatum,etiam si sit circa grauem materiam, non meretur æternam pœnam : ergo motus bonus indeliberatus, & non plenè liber, non meretur æternam gloriam. Imo verò Durand.in.2. distinct. 40. quæstio.2. pro communi, & certo supponit, quòd actus, qui non est deliberatus, non est meritorius vitæ æternæ. Quia res tam magna, non debet tam imperfecti operis,& inaduertenter facti, præmium esse. *Durandus.*

*Ad argum. Ad primũ.* Ad argumenta. Ad primum supposito Deum ordinauisse,vt quoties adultus vult mutare statum,& se in Deum conuertere relicta priori vita, non est dubium, nisi quòd de lege, talis dispositio debet esse deliberata,plenè libera, & cum attentione debita,imò hoc exigit ratio prudentiæ, & suauis Dei prouidentia, & gubernatio, præsertim in supernaturalibus. Respondetur,quòd etiam si detur Deum ex sua misericordia velle afficere præmio bonum motum,qui eandem tãtum habet libertatem,quantam habet peccatũ veniale ex surreptione; ex hoc tamen non sequitur,quòd in conuersione peccatoris, & adulti, non requiratur vera deliberatio, & plena libertas propter causas,& rationes assignatas in discursu, & probatione secundæ conclusionis, quæ verè vrgent. ¶ Aliqui aliter respondent,& dicunt,quòd sicut Deus non punit pœna æterna, sed temporali per se loquendo,actum malum indeliberatum,pariter non afficit æterno præmio actum bonum indeliberatum adulti, sed tantum temporali, & quòd idcirco talis indeliberatio, & defectus libertatis,& attentionis,est sufficiens causa,cur non sufficienter disponat ad gratiam. Quoniam dispositio ad gratiam,debet esse meritoria æternæ vitæ. Si roges, An sicut veniale peccatum ex indeliberatione punitur æterna pœna,quando adiungitur mortale secundum S.Thom.& alios, ita quando motus bonus supernaturalis,fuerit indeliberatus,& adiũgitur gratiæ,detur illi æternum præmium, nempe, augmentum gloriæ essentialis? Respondetur,quòd quando motus ille bonus indeliberatus, tempore præcessit gratiam,sine dubio nõ meretur augmentum gloriæ;quia meritum fundatur in gratia:quando verò est simul cum ipsa gratia secundum durationem,licèt sit prior natura;tũc meretur augmentum gloriæ.Probatur: Quia facere rem leuissimam cum plena libertate,est opus meritorium augmenti gloriæ: ergo facere rem ingentem, & magnam cum non ita plena libertate,& deliberatione,etiam erit meritorium opus augmenti gloriæ:æquiualent namque hæc duo, vt patet in peccatis venialibus. Nam æquè demeretur, qui facit rem paruam cum deliberatione, & magnam sine illa. ¶ Ad secundum respondetur, quòd etiam si dentur illi actus indeliberati, non inferunt gratiam : Et ad primam probationem dicendum, quòd sicut peccatum veniale ex indeliberatione,est improportionatum ad exclusionem gratiæ, ita actus quantumcumque supernaturalis, erit improportionatus in adulto peccatore se conuertente, ad infusionem gratiæ, nisi talis actus sit deliberatus,& plenè liber,vt patet ex rationibus adductis. Ad secundam probationem, seu confirmationem respondetur, quòd disponere sufficienter ad aliquam formam,nõ nascitur ex sola ratione specifica dispositionis,vt calor remissus nõ disponit sufficienter ad formam ignis,sed intensissimus,nec furtum leue ad exclusionem gratiæ, sed graue. Sic licèt contritio deliberata, & indeliberata,sint eiusdem speciei,quia indeliberata reducitur ad illam speciem;tamen deliberata disponit ad gratiam; indeliberata verò non item:& id postulat ratio prudentiæ,& diuina ordinatio facta pro adultis peccatoribus se conuertentibus. ¶ Dici posset etiam secundum quosdam Theologos, quòd in naturalibus dispositionibus attenditur ratio specifica cum certa intensione;cęterùm in moralibus non tam attenditur intensio, de qua non est tantum, aut tam enixè curãdum,quàm aliæ perfectiones,quę conueniũt actui,de quibus perfectionibus actus, habẽda est ratio,sed attẽditur,quòd actus sit simpliciter, & perfectè humanus,seu liber. Nã qui nõ est perfectè liber,nõ est perfectè ipsius facientis;nec gratiæ illi sunt absolutè agendæ propter illum; Cõtritio autẽ est dispositio ex diuina ordinatione. Imo verò alij dicunt,quòd est dispositio moralis;ideo nõ requiritur certa intensio,sed supernaturalitas, & plena libertas. Et quamuis non dicamus,cõtritionem esse dispositionem moralem ad gratiam;tamen,quia habet se veluti dispositio moralis in quãtum disponit ad gratiam, quæ est veluti humana amicitia, non attenditur in ea intensio, sed plena libertas. ¶ Ad tertiam confirmationem, seu impugnationem respondetur, quòd actus naturales indeliberati,fortè non generant habitus, sed quasdam imperfectas dispositiones inclinantes ad actus non plenè liberos, sicut actus, qui nullam habent libertatem, nullum habitũ generant. Respondetur secundò,quòd sicut non quotiescumque actus naturales minuunt, vel destruunt habitus acquisitos, toties tolluntur, vel minuuntur infusi per similes actus, vt patet in peccatis venialibus,quæ neque tollunt, neq; minuunt infusos;benè tamen acquisitos; ita licèt actus indeliberati generent habitus acquisitos;non tamen infusos. Quia ad tantum effectum,imperfecta dispositio est actus indeliberatus,præterquam,quòd habitus infusus solùm producitur effectiuè à Deo, & nõ à creatura, de quibus habitibus infusis dixit D.August.quòd habitus est bona qualitas mentis,qua rectè viuitur, qua nullus malè vtitur, quam Deus in nobis sine nobis operatur. ¶ Ad tertium iam diximus qualis libertas esset necessaria ad baptismum, & idcirco negatur, quòd sufficiat intentio imperfecta,& indeliberata,seu non plenè libera. Quare negatur antecedens,loquẽdo de libertate imperfecta, & indeliberata,quæ sufficit ad veniale ex surreptione. Quod dico;Quia potest esse aliquod veniale cũ plenaria deliberatione factum,vt leue mendacium iocosum,& tunc hæc libertas proculdubio sufficeret ad susceptionem baptismi. ¶ Ad quartum dicendum,quòd intensio est accidentalis perfectio actus humani in esse moris, & est respectu libertatis, & deliberationis modica perfectio; libertas autẽ cum deliberatione, est magna, & essentialis perfectio. Quia essentia actus moralis, vt sic, consistit formaliter in hoc, quòd est actum aliquem procedere à voluntate libera, vt subordinata rationi, quatenus habet rationem regulæ dirigentis ipsam in genere moris,vt fuse diximus.1.p. q.14.art.13. disputat.2.& idcirco Deus ad conferendam gratiam non postulat, quòd actus habeat plenam intensionem, sed quòd habeat debitam deliberationem, & plenam libertatem, qua remota actus maneret secundum quid moralis & humanus, & non tàm tribueretur libero arbitrio,quàm naturæ.

*Ad secũdũ. Ad confir.1. Ad cõfir.2. Ad cõfir.3. Ad tertium. Ad quartum.*



## ARTICVLVS IIII.

*Vtrùm ad iustificationem impij requiratur motus fidei?*

CONclusio Sancti Thomæ est affirmatiua,& de fide.

## DISPVTATIO I.

*Vtrùm actus fidei requiratur per se ad iustificationem, vel solùm ratione actus charitatis,aut pœnitentiæ?*

*Argu.1.* QVòd fides non requiratur ad iustificationem per se ratione sui, sed ratione actus charitatis, & pœnitentiæ, suaderi potest primò. Quia si quis posset habere actum pœnitentiæ, & contritionis, & actum dilectionis Dei super omnia sine fide, pariter posset sine fide iustificari. Nam posita dispositione vltima, necessariò sequitur forma, & ipse effectus : ergo actus fidei non requitur propter se,aut ratione sui, sed tantum propter huiusmodi actus contritionis, & dilectionis Dei super omnia. ¶ Et confirmatur: Quoniam Christus Dominus accepit gratiam per propriam dispositionem sine actu fidei, quoniã habuit aliam supernaturalem cognitionem, nempe, scientiam supernaturalem infusam:ergo actus fidei nõ requiritur per se ad iustificationem,sed tantum, quia est causatiuus dilectionis,& pœnitẽtiæ,ostendendo obiectum supernaturale, & ea, quæ oportet credere,& facere propter Deum summè dilectum, detestãdo peccatum. ¶ Vrget etiam difficultas hæc secundò. Quoniam dispositiones antecedentes, solùm requiruntur propter vltimam : sed vltima dispositio ad iustificationem est contritio, & detestatio peccatorum propter Deum summè dilectum: igitur actus fidei,qui est dispositio antecedens, solùm requiritur ratione actus charitatis, vel pœnitentiæ: ergo non per se. *Confirm. Secundum.*

*Argumenta pro altera parte. Primum.* Sunt tamen ex altera parte argumenta. Nam si solùm requiritur actus fidei propter actus illarum virtutum;sequitur, quòd tantum erit necessarius in quantum est causatiuus illorum actuum, nempe, contritionis,& dilectionis Dei super omnia:consequens est falsum : ergo,&c. Probatur minor : Nam ad diligendum Deum,& detestãdum peccata,quatenus sunt contra Deum, satis est credere Deum esse summum bonum, summè diligibile, & peccatum esse summè detestabile,absq; eo,quòd cognoscamus explicitè Deum esse remuneratorẽ naturalium,& supernaturalium: ergo non esset necessaria cognitio explicita Dei, vt remunerator est, cuius cõtrarium traditur in materia de fide à Theologis. Et confirmatur: Quoniam ad iustificationem requiritur saltem fides implicita mediatoris,& Dei vt iustificantis;hæc autem non est omnino necessaria ad amandum Deum, vel ad dolendum de peccatis: igitur fides non est tantum necessaria ratione amoris Dei, & pœnitentiæ. Maior quantùm attinet ad fidem mediatoris, est communis; quantùm attinet ad fidem iustificatoris,patet ex S.Thom.hic ad.3.dicente,quòd qui iustificatur,tenetur credere Deum esse iustificatorem hominum per mysterium Christi. Et Concil.Trident.sessio.6.cap.6. inquit,homines disponi ad iustitiam, dùm excitati diuina gratia, & adiuti, fidem ex auditu concipientes, liberè mouentur in Deum,credentes vera esse,quę diuinitus reuelata,& promissa sunt;atque illud in primis, à Deo iustificari impium per gratiam eius, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu. ¶ Item secundò arguitur: Nam fuit opinio quorũdam,posse ad iustificationem cum sacramento sufficere solam attritionem naturalem: igitur fides,in eo casu,non esset requisita propter dispositionem illam tenentem se ex parte voluntatis, sed propter se ipsam, si quidem talis dispositio posset haberi per solam cognitionem naturalem. *Confirm. Concilium Tridentin. Secundum.*

Nodus iste explicandus est à nobis, & vt soluatur, & pariter aperiatur difficultas proposita, suppono hominem non tantum conditum esse in ordine ad finem naturalem,sed etiam in ordine ad finem supernaturalem; ac proinde pertinere etiam ad Rempublicam supernaturalem Ecclesiæ Catholicæ, & ordinari ad fruitionem Dei, etiam vt est finis supernaturalis. Ex quo apertè liquet,ad consequutionem sui finis, in quem destinatus est à Deo, necessariam esse cognitionem huius finis supernaturalis,sine qua,neque voluntas,quæ potentia cęca est, potest tendere in ipsum; & idcirco necessitas huius cognitionis fidei, orta est ex vltimo fine supernaturali,ad quem homo destinatus est. Est namque homo conditus à Deo propter eundem Deum tamquam propter vltimum finem, & conditus vt Deum cognosceret, & cognoscendo diligeret, & amaret propter seipsum. Vndè, ex hoc vltimo fine supernaturali in quem est relatus, sumitur necessitas fidei,ad consequutionem eius, quæ fit per certa media,inter quæ sunt merita,detestatio peccati,dilectio ipsius super omnia,& susceptio charitatis, & gratiæ,quibus itur ad beatitudinem.

*Conclus.1.* His ita suppositis, est prima propositio. Fides est necessaria dispositio ad iustificationem. Probatur: Quoniam intellectus est prima potentia,per quam dirigitur voluntas : ergo nisi perficiatur intellectus per fidem circa Deum authorem gratiæ, voluntas non poterit operari erga ipsum, cùm sit potentia cæca. Secundo : Quia etiam in errore Lutheri, necessariò est dicendum requiri ex parte intellectus cognitionem supernaturalem Dei iustificatoris, & iustitiæ Christi. Quoniam aliàs non posset peccator intendere propriam iustificationem, sed hæc cognitio supernaturalis non requiritur, vt efficiens iustificationem, neque vt meritum, aut forma illius : ergo requiritur, vt dispositio ad illam. Qua ratione appellatur fides ab Apostolo, substantia rerum sperandarum, id est; radix & fundamentum vitæ spiritualis. Neque sufficit cognitio naturalis, siue sit ex parte principij, siue ex parte obiecti, quoniam requiritur cognitio supernaturalis,tàm ex parte principij, quàm ex parte obiecti; Et idcirco quando Paulus ait, Accedentem ad

tem ad Deum oportet credere quòd est, & quòd remunerator est; debet intelligi, quòd oportet vt supernaturaliter Deum cognoscat authorem gratiæ,& iustificatorem impij, & supernaturalem remuneratorem.

*Conclus.2.* Secunda propositio. De fide est, quòd ad iustificationẽ adulti requiritur actus fidei,& quòd actus charitatis,aut pœnitentiæ,sine actu fidei haberi nõ potest. Hæc assertio ex Concilijs,& diuina Scriptura, & ex Sanctis Patribus ostenditur ab omnibus Theologis,præsertim.2.2.q.1.in plerisque articulis, *Concilium Trident.* & decernitur in Concil.Triden.sessio.6.cap.6. Vbi agitur de modo præparationis ad gratiam,& iustificationẽ: Sic enim,inquit Concil. Disponũtur autem ad ipsam iustificationem, dum excitati diuina gratia, & adiuti, fidem ex auditu concipientes, liberè mouentur in Deum, credentes vera esse, quæ diuinitus reuelata, & promissa sunt, atque illud in primis à Deo iustificari impium per gratiam eius, per redemptionem,quæ est in Christo Iesu,& dum peccatores se esse intelligentes,à diuinæ iustitiæ timore,quo vtiliter concutiuntur, ad cõsiderandam Dei misericordiã se conuertendo, in spem eriguntur fidẽtes Deum sibi propter Christum propitium fore,illumq; tanquam omnis iustitię fontem diligere incipient,&c.Et paulò inferiùs; De hac dispositione scriptum est; Accedentem ad Deum oportet credere quia est,& quòd inquirentibus se remunerator sit. *Hebræ.11.* Et D.Paul.ad Hebræos.11.docens requiri fidem ad iustificationem ait; Sine fide impossibile est placere Deo. Quod testimonium fusiùs aperietur disput.2.sequenti. Vndè,in eodem capite paulò antea dixerat Paulus definiens fidem;Fides est substantia rerum sperandarum,argumentum nõ apparentium. Ex his liquet, quòd actus charitatis, aut pœnitentiæ,sine actu fidei haberi non potest; quoniam aliàs cùm sit de fide,quòd qui habet hos actus charitatis,aut pœnitentiæ,& contritionis iustificatur,posset quis sine fide iustificari, quod est hæreticum.Quarè,id,quod legitur apud D.Augustin.lib. suarum sententiarum capit.8. sine fide posse haberi charitatem; vel intelligitur de charitate acquisita; vel dicendum est librum illum non esse D. Augustini,& esse modicæ authoritatis, vt liquet ex censura Erasmi eo loco.

*Conclus.3.* Tertia propositio. Fides potissimè requiritur ad iustificationem propter actum dilectionis Dei, & propter actum pœnitentiæ,& contritionis: & hoc insinuat Tridentin.in prædicta sessio.6.cap.6. Cùm agens de dispositione ad iustificationẽ, exordium sumit ex motione Dei & fide, credente vera esse, quæ diuinitus sunt reuelata; & inde vlteriùs procedit iustificationis discursum adumbrans vsque in finem.Insinuat ergo fidem maximè propter actum dilectionis, pœnitentiæ, & contritionis vsque ad iustificationem ipsam, requiri. Hæc assertio procedit de facto,& secundum ea,quæ re vera eueniunt in iustificatione adulti.Nam de possibili per aliam cognitionem supernaturalium potest Deus iustificare hominem,& mouere illum ad dilectionem & pœnitentiam. Imò verò, Christus accepit gratiam per propriam dispositionem sine actu fidei. Nam in Christo non fuit fides; habuit tamen cognitionem supernaturalem per scientiam infusam.¶Quocircà, non mihi probatur ea sententia, quæ dicit, quòd de facto fides propter seipsam est necessaria dispositio ad iustificationem, & non propter amorem,& dilectionem Dei,aut propter contritionem & pœnitentiam peccatorum;cùm Tridentin.Concil.loco citato dicat, quòd adulti fidem ex auditu concipientes, credentes vera esse, quæ diuinitùs reuelata, & promissa sunt, &c. ad considerandam Dei misericordiam se conuertendo, in spem eriguntur, illumque tanquam omnis iustitiæ fontem diligere incipiunt, ac propterea mouẽtur aduersus peccata per odium aliquod, & detestationem; in quibus verbis apertè insinuatur quod asseueramus. Rursus,nõ mihi probatur, quod aduersarij dicunt, quòd si per impossibile quis haberet actum charitatis supernaturalem,& actum pœnitentiæ & contritionis,sine cognitione supernaturali non iustificaretur. Nam profectò,licèt sit de fide, quòd nemo adultus iustificatur sine cognitione supernaturali fidei; tamen si per impossibile de potentia absoluta Dei fieret, vt quis haberet veram Dei dilectionem super omnia supernaturalẽ,& efficacẽ,& perfectissimam contritionem, & detestationem peccatorum super omne detestabile; is profectò esset Deo dilectus,& amatus, & dignus diuina amicitia. Verum tamen est, quòd si in eo casu ille homo non haberet cognitionem supernaturalem,non esset ita connaturaliter iustificatus,aut in ordine supernaturali, sicut ille, qui haberet cognitionem supernaturalẽ, & diuinam ex parte intellectus. ¶Cùm ergò ex cognitione fidei ad Deum, & ad eius amorem, quo nostram desiderat conuersionem, & salutem,excitetur voluntas spe erecta fidens Deum propicium fore sibi propter Christum;sequitur,maximè fidem esse necessariá ratione actus charitatis,& pœnitentiæ,& pariter propter iustificationem ipsam.

*Conclu.4.* Quarta propositio.Nõ sufficit ad iustificationem solus actus fidei etiam perfectissimus, nisi sit charitate formatus.Quocirca,errant Lutherani putantes solam fidem iustificare, excludentes pœnitentiam cordis,charitatem,bonum propositum,& sacramẽta. Nam Lucæ.7. legimus de Magdalena, Dimissa *Lucæ.7.* sunt ei peccata multa,quoniam dilexit multum. Et 1.Ioan.3.legimus,Scimus quoniam translati sumus *1.Ioan.3.* de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres; & Christus Matth.19.nos docuit; Si vis ad vitã ingre- *Matth.19.* di,serua mandata,Et Ioan.13.Si hęc scitis,beati eri- *Ioan.13.* tis si feceritis ea,& Ioan.14. Qui diligit me, sermo- *14.* nem meum seruabit.Hanc eandem veritatem fidei Paul.conuincit Rom.2. Non auditores tantum,sed *Roman.2. & 8.* factores legis iusti sunt apud Deum, & capit.8. sequenti, Si secũdum carnem vixeritis,moriemini,si autẽ spiritu facta carnis mortificaueritis,viuetis; & rursus iterum, Ipse Spiritus testimonium perhibet spiritui nostro,quòd filij Dei sumus;si tamen cõpatimur vt conregnemus.In quibus testimonijs Scriptura non admittit solam fidẽ iustificare, excludendo dilectionem,& pœnitentiam cordis. De qua re legendus est D.August. lib. de Gratia & libero ar- *D.Aug.* bit.cap.7.& lib.de fide,& operibus cap.18.Roffens. *Roffens.* ar.1.contra Lutherum, Sotus.2.de natura & gratia. *Sotus.* cap.5.& Bartholom.Medina hic,qui contra hęreti- *Medina.* cos multa dicit,& benè. ¶Tandem probatur:Quoniam magis homo auertitur à Deo per volũtatem,

quam



quam per intellectum:ergo vt conuertatur ad Deũ non sufficit actus intellectus solùm.Ostendo consequentiam. Quoniam ratio virtutis, & boni, præcipuè pertinet ad voluntatem,& ex ipsa deriuatur in intellectum: ergo quousque voluntas sit ad Deum conuersa, non dicitur homo simpliciter bonus, & *Ioan.1.* iustificatus.Quocircà, D.Ioan.cap.1.nõ dixit,quòd dedit esse filios Dei,his, qui credunt in ipsum, sed quòd dedit potestatem filios Dei fieri,quia per fidẽ incipit homo disponi ad filiationem diuinam per gratiam.Quapropter,sæpè in Scriptura tribuitur iustificatio,fidei,quia ab illa incipit operatio superna- *Aristoteles.* turalis, in quo sensu Arist.2. de anima. cap.4.dixit, quòd viuentibus inest vita per animam vegetatiuam,quia inde incipiunt operationes vitæ. ¶Denique hic disputant nonnulli Theologi fusè satis cõtra hæreticos, an sufficiat solus actus fidei ad iustificationem? Quam sanè quæstionem optimè tractat *Medina. Cassalius. Turrianus. Sotus,* hic Medina,& Cassalius,lib.2.de iustitia per totum, Turrianus opusculo de iustificatione,capit. 1. 2. & 3.Sotus.2.de natu. & grat.cap. 19. Legendus est etiã Decanus,Roffens. Vega, Tiletanus, Osius, Francisc. Somnius, cum alijs,quos suprà citauimus. Nos etiã hic aliqua diximus huic instituto accommodata,& maiora,& plura dicemus infra art.5.

*Ad argum. Ad primum* Ad argumenta. Ad primum patet solutio ex dictis in secunda,& tertia propositione. ¶*Ad secũdũ.* Ad secundum respondetur,quòd in dispositionibus subordinatis respectu vltimæ formæ, aut vltimi effectus, vna est propter aliam,& antecedentes propter subsequentes,& omnes propter vltimam,& propter effectum,& formam ad quam ordinantur,à qua sumpta est necessitas præcedentium dispositionum, & ita euenit in iustificatione, qua communiter adul- *Ad argum. pro altera part. Ad primum* tus iustificatur. ¶Ad illa verò argumenta, quæ pro altera parte insinuantur respondetur,ad primum, quòd actus fidei requiritur,vt dictum est, tanquam exordium iustificationis. Nam à fide incipit operatio supernaturalis,& mouetur voluntas, & inuitatur ad pœnitentiam; Quæ omnia sunt requisita propter iustificationem,& vnum propter aliud, vt dictum est. Et ad probationem minoris dicẽdum est, quòd ad iustificationem necessaria est cognitio supernaturalis,& de obiecto supernaturali.Quod qualiter requiratur,dicemus statim disputatio.2.sequẽti.Nam sine cognitione supernaturali, & de supernaturali obiecto nemo valet iustificari, vnde requiritur fides implicita mediatoris, & hæc est necessaria ad actum charitatis,& contritionis, vt statim di- *Ad secundũ* cemus. ¶Ad secundum,& vltimum respõdetur,dãnandam esse illam opinionem;nam ex illa sequitur, posse aliquem sine fide iustificari per attritionem, quæ sequeretur naturalem cognitionem. Nos verò dicimus, quòd cum sacramento requiritur cognitio,& fides supernaturalis etiam de pœnis inferni, vt possimus supernaturaliter dolere de peccatis propter illas,vt peccata sunt offensæ Dei inductiuę talium pœnarum,& requiritur, vt minimum, fides implicita mediatoris.

## DISPVTATIO II.

*Vtrùm hæc fides, quæ requiritur ad iustificationem,sit supernaturalis?*

NON leuis est controuersia hæc, sed difficilis propter varios casus,& diuersos adulti status, & ingentia argumenta, quæ à Theologis in hac re adducuntur.In qua quęritur, An sufficiens cognitio ad iustificationem, sit sola supernaturalis cognitio fidei, vel aliquo casu,aut tempore sufficiat naturalis cognitio, fidesq; acquisita?Et pro intelligentia tituli aduerte, quòd in præsenti non est disputatio de habitu fidei: Quia certum est; quòd in iustificatione ipsa simul cum gratia infunditur habitus supernaturalis fidei, spei, & charitatis; sed solum est quæstio de actuali cognitione, Vtrùm ea,quæ in adultis requiritur ad iustificationẽ,sit semper supernaturalis?Rursus suppono pro eodem titulo,quòd hæc controuersia disputari potest in duplici sensu. Primus est de salute æterna,& finali, Vtrũ ad salutẽ æternam adquirendam, necessariũ sit credere aliquid supra rationem naturalẽ? In quo sensu non est præsens disputatio, sed Deo volente,de hac cõtrouersia in hoc sensu disputabimus in.2.2.q.2.art.8. Secundus sensus est de salute inchoata, quæ est iustificatio adulti per verã iustitiã,& gratiã Dei, Vtrum,scilicet,possit quis iustificari sola cognitione naturali? Et in hoc sensu modò aperiemus difficultatẽ hãc.Neq; is sensus est idẽ cũ primo,vt aliqui ignorãter putant.Quia dato sit verum, ad salutẽ æternam,& finalẽ consequendam,sit necessarius actus fidei supernaturalis; tamẽ adhuc aliqui perperam dubitant,vtrum saltem possit quis consequi gratiam sola cognitione naturali?

Quo supposito, Victoria, & Sotus olim putauerunt, posse adultum iustificari, & sanari à peccato tam actuali, quam originali,sine vllo actu supernaturali fidei, sola cognitione naturali. Vnde credebant, quòd licèt ad iustificationẽ consequẽdam, quæ est salus inchoata, requiratur auxiliũ speciale Dei ad mouendũ hominis affectum, & volũtatem, iuxta illud Ioan.6. Nemo potest venire ad me, nisi *Ioan.6.* Pater meus traxerit eum.Nam cũ iustificatio sit donum Dei, & opus supernaturale, necessariò dicere oportet,vltimam dispositionem,nempe, ipsam conuersionem voluntatis, esse ex Dei speciali auxilio; Tamen aiebant, non requiri speciale auxiliũ ad mouendum intellectum, sed per solam cognitionem naturalem,Deo supernaturaliter mouente affectum posse hominem consequi gratiam, & sanari à peccato.Neq; hoc dicebant esse incidere in errorem Pelagij.Quoniam asseuerando,requiri auxilium speciale ad mouendum voluntatem,non tribuitur iustificatio nostris viribus, sicut eam tribuebat Pelagius.

*Argum.1.* Hæc sententia suaderi potest his argumentis.Primum est. Vt aliquis iustificetur, satis est, quòd cognoscat de Deo, quòd est, & quòd inquirentium eum remunerator est: sed ista possunt naturaliter cognosci: ergo cognitio supernaturalis non requi- *Hebræ.11.* ritur. Maior patet Hebræ. 11. vbi Paul. inquit, Accedentem ad Deũ oportet credere,quia est,& quòd inquirentium se remunerator est.Quæ verba adducuntur ad propositum in Trident. sessio. 6. cap. 6. Minor etiam patet: Quia Philosophi naturales illa duo cognouerunt naturaliter, nempe, Deum esse, & remuneratorem esse secundum prouidentiam meritorum: sed neutrum eorum est res super-

naturalis superans captum humanum: Nam Deum
*Aristoteles.* esse, Aristoteles cognouit per demonstrationem; esse autem remuneratorem bonorũ operum, & meritorum, plerisq; fuit notum Philosophis, scilicet, Socrati, & Platoni, & Heraclito, sic adeò, vt Heraclitus diceret, Deum esse pœnam & beneficium. ¶ *Secundum.* Secundò arguitur. In lege naturæ nullũ fuit promulgatum præceptum de fide supernaturali: ergo non fuit in ea lege necessarius actus fidei supernaturalis ad iustificationem, & gratiam. Probatur antecedẽs: Quia idcirco dicebatur ille status legis naturæ, quia nullum erat tunc præceptum, quod non pertineret ad legem naturalem. Consequẽtia probatur: Quia non est credibile, Deum exigere, & postulare à singulis hominibus aliam cognitionẽ sui, ab ea, quam ipse publicè promulgauit iuxta statum legis naturæ: Quapropter videtur, quòd tunc saltem minores populi possent iustificari sine cognitione naturali. ¶ *Tertium.* Tertiò arguitur, ex Sanctissimo Præceptore, qui hanc videtur sequutus sententiã super illud ad Rom. 2. Gentes, quæ legem non habent, naturaliter, quæ legis sunt faciunt, Vbi illud verbum, naturaliter, sic interpretatur, id est, per legem naturalem ostendentem eis, quid sit agendum; & tamen nõ excludit gratiam ad mouendum affectũ. Et fauet quidem idem testimoniũ Pauli, quia loquitur ibi Apostolus de gentibus iustificatis, & ait, quòd factores legis iustificantur: igitur cum cognitione naturali Dei iustificabuntur. Vndè Christus Matth. 19. dicit; Si vis ad vitam ingredi, serua mandata, & loquitur de mandatis cognitis naturali lumine: Igitur sufficit cognitio naturalis cum obseruatione mandatorum. ¶ *Quartum.* Quartò arguitur. Infidelis, qui nihil audiuit de fide, & ignorat illam inuincibiliter, si seruat legem naturæ, & faciat, quod in se est, iustificabitur; & tamen non habet cognitionem aliquam supernaturalẽ: ergo. Probatur minor: Quia regulariter nullus instruitur de fide, *nisi* per prædicatores, iuxta illud Pauli Rom. 10. *Rom. 10.* Fides ex auditu, auditus verò nõ est sine prædicante: sed vt supponimus ille infidelis nullo prædicante est iustus, neque illi præsto adest, qui illum possit docere: ergo. Dices, quòd ille statim illuminabitur à Deo de rebus fidei. Certè hoc non satisfacit. Quia iam Deus sufficienter prouidit Ecclesiæ suæ, vt, scilicet, per Doctores, & Pastores illuminaret homines de rebus fidei: ergo nullum est constituendum miraculum, vt aliquis instruatur; esset autem miraculum, deficiente prædicatore, quòd Deus per se ipsum, vel per angelum illuminaret illum infidelem: ergo. Et cõfirmatur: Quia *Confirm.* etiam tempore reuelatæ gratiæ, potest adultus sine expressa cognitione Christi, aut baptismi consequi salutem, iuxta sententiam quorundam Theologorum, nempe, quando non est alicui prædicatum Euangelium. Rursùs, peccator potest salutem consequi, sine pœnitentia expressa, & formali in aliquo casu, vt est in opinione probabili, & communi; Cur ergo pari ratione in aliquo casu non poterit iustificari sine expressa cognitione supernaturali Dei? Nã sicut ad Hebræ. 11. dicitur, Sine fide impossibile est *Hebr. 11.* placere Deo, & Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei, & Lucę. 13. Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis; & non obstante hac generali regula, fatemur, in aliquo casu aliquem sine pœnitentia expressa saluari, & sine Baptismo in re, vel in voto expresso: ergo pari ratione dici potest, aliquem saluari sine fide explicita in aliquo casu. ¶ *Quintò.* Quintò arguitur. Nam Sanct. Thom. suprà quæst. 89. art. vlt. loquens de puero primò perueniente ad vsum rationis, ait, quòd cùm primum puer venit ad vsum rationis, si se ordinat in debitum finem honestum, consequetur remissionem peccatorum: sed ordinare se in debitum finem, non est semper credere fide supernaturali. Nam fieri potest, quòd puer ille in primo instãti vsus rationis, siue tempore vsus rationis non modò non cognoscat Christum, sed neque etiam Deum, vt si siteducatus in nemore, aut in syluis vbi nihil vnquam audiuit de Deo, aut de mysterijs supernaturalibus: tunc ergo, vt puer ille sese ordinet in debitum finem, & faciat, quod in se est, satis est si se conuertat in bonum honestum ratione naturali comprehensum, amans, & volens sequi vitam honestam, & fugere turpem absque vlla fide supernaturaliper solam cognitionem naturalem, & sic iustificabitur, & consequetur gratiam. Et confirmatur: Quia puer inter barbaros nutritus, cùm per- *Confirm.* uenit ad vsum rationis, potest naturali lumine seconuertere in Deum tanquam in authorem naturæ, & finem vltimum ipsius, in quo casu puer ille iustificabitur, vt patet ex Sanct. Thom. quæst. 89. citata, artic. 6. ad. 3. Ergò sufficit ad iustificationem illa cognitio luminis naturalis. ¶ Huic argumento aduersarij respondent, quòd si ille puer conuertatur in bonum honestum naturaliter cognitum, statim illuminabitur à Deo de supernaturali fide. Sed hæc responsio impugnata est argumento præcedẽte quarto: Quia illud esset miraculum, & miracula non est cur constituantur in hoc casu, cùm possit homo iustificari per cursum communem, & non per Angelum, aut immediatè per Deum. ¶ Alij Theologi secundò respondent, quòd quantumcunque ille puer conuertatur in bonum honestum cognitum lumine naturali; nihilominus adhuc mortaliter peccaret: Quia secundum opinionem plurium Doctorum puer ille in primo instanti vsus rationis tenetur explicitè se conuertere in Deum, & quoniam tunc ille id non facit, peccat; neque excusabitur ignorantia. Quia circa aliqualem cognitionem Dei, nulla videtur posse esse ignorantia. Sed profectò hæc solutio, & responsio non videtur vera, neque satisfacere. Primò: Quia nimis rigidum est dicere, quòd puer ille se conuertens in bonum honestum, peccet mortaliter, eo quòd non conuertat se explicitè in Deũ; Quia secundum S. Thom. vt puer ille non peccet mortaliter, satis est vt benè faciat secundum quòd in illa ætate est capax discretionis: sed hoc ita facit, conuertendo se in bonum honestum: ergo: &c. Imo verò, Sanctissimus Præceptor. 2. 2. quæstione. 10. articulo. 1. inquit, quòd infidelitas negatiua, nullum peccatum est in his, qui de rebus fidei nihil penitus audierunt: ergo cùm puer ille nihil audierit de fide Dei, nullum peccatũ erit in illo nõ cognoscere Deum, neque conuertere se explicitè in illum. Rursùs sic obijcio contra præfatam solutionem: Nã in quocunque temporis momento potest homo vbicunque sit iustificari, sed non in quocunque puncto potest cognoscere Deum, neque vt est obiectum supernaturale; quia adhoc indiget Doctore, aut reuelatione, neq; etiam vt est prima causa, & obiectum naturale; Quia adhoc indiget homo longa inuestigatione; ergo sine vlla cognitione supernaturali Dei potest consequi remissionem peccatorum: Et hoc argumentum faciunt aduersarij contra partem affirmatiuam huius quæstionis.



*Sextum.* Sextò arguitur. Quia saltem sequitur, quòd posset quis per sacramenta iustificari sola naturali cognitione præcedente in intellectu. Nam fit casus, quòd Catechumenus incipiat credere fide acquisita & cum hac fide accedat ad baptismum; tunc ille recipiet gratiam, postquam non ponit obicem; & tamen non habuit cognitionem supernaturalem: ergo. Dices, quòd sufficit, quòd habeat cognitionem supernaturalem ex parte obiecti, quoniam credit mysteria supernaturalia, dato illa cognoscat cognitione naturali. Contra; Nam pariter posset quis dicere, quòd in lege naturæ sufficiebat minoribus ex populo illo audire ea mysteria, quæ à maioribus eis prædicabantur, & illa naturali cognitione credere. ¶ Et confirmatur: Quia immediatior dispositio ad gratiam, est actus voluntatis, quam sit actus intellectus: sed vt iustificetur quis per sacramentum, non requiritur actus supernaturalis volũtatis: cùm attritione enim naturali potest quis iustificari: ergo etiam potest quis iustificari per sacramẽtum, etiam si non habeat actum fidei infusæ, sola scilicet, cognitione naturali. ¶ Quòd si quis cõtra hoc obijciat: Quia Paulus eam fidem, quam dicit necessariam esse ad iustificationem, dicit etiam esse donũ Dei, & S. Tho. hic ad. 2. dicit, quòd per cognitionem naturalem homo non conuertitur in Deum, in quã tum est obiectũ beatitudinis, & iustificationis causa, & quòd ob id talis cognitio non sufficit ad iustificationem; Respõdent aduersarij suprà citati, quòd S. Thom. & D. Paulus, loquuntur de fide, quæ in lege naturæ erat necessaria quibusdam viris illustribus, & præcellentibus: In illis enim quia peculiari terfacta erat eis reuelatio; requirebatur cognitio supernaturalis; secùs autem est in minoribus. Quòd si loquantur Paulus & S. Thom. de tempore legis veteris, dicunt aduersarij, non requiri cognitionem supernaturalem in ignorantibus illam inuincibiliter. Vndè, aduersariorum responsio consistit in hoc, quòd quamuis sit regula generalis, quòd requiritur fides supernaturalis ad iustificationem; tamen hæc regula patitur exceptionem in minoribus, qui erãt in lege naturæ, vel in his, qui modò, aut tempore legis veteris ignorant illam, aut euangelium inuincibiliter. Et eodem modo credo, quòd dicerent hanc regulam pati exceptionem quando quis iustificatur per sacramentum.

*Cõcl. 1.* His tamen argumentis nihil obstantibus, sit prima conclusio. Certissimè sentiendũ est, nunc & in omni tempore, & ætate fuisse singulis hominibus ad iustificationem, fidem supernaturalem necessariam, sic adeò, vt nõ sufficiat specialeauxilium ad mouendum affectum, sed etiã requiratur ad mouendum intellectum, & oppositum dicere, fortè est erroneum. Nam hæc assertio proxima est fidei Catholicæ; & quamuis Sotus olim oppositum senserit; tamen deinceps mutauit sententiam, vt apertè liquet lib. 2. de nat. & grat. cap. 11. in Sal- manticensi, & Parisiensi impressione, & ad Rom. 1. explicans illud verbum, Ita vt sint inexcusabiles, & in. 4. dist. 1. q. 2. art. 3. Et persuadetur primò, ex sacra Scriptura, quæ non solum dicit fidem esse necessariam, sed eam esse supernaturalẽ. Rursus, Paul. ad Hebræ. 11. ait; Sine fide impossibile est placere *Hebræ. 11.* Deo, & loquitur de fide infusa, & supernaturali: Quoniam ea est, quã definierat in principio illius capituli, dicens; Fides est substantia sperandarum rerum, argumentum non apparentium; Cognitio namq; naturalis præcisè, non est fundamentum rerum sperãdarum, sed sola cognitio supernaturalis. Et confirmatur: Quia toto illo capite dicit Paulus, fidem esse necessariam: sed cognitio naturalis non appellatur in sacris literis fides: nomine enim fidei, non intelligimus, nisi assensum diuinum, & diuina authoritate susceptum: ergo, &c. Imo verò, fides in sacris literis dicitur donum Dei, Ad Ephes. 2. Gratia *Ephes. 2.* saluati estis per fidem, & hoc non ex vobis: donum enim Dei est: Igitur non potest scientia, & cognitio naturalis intelligi nomine huius fidei. Nã profectò, cùm Paulus definiens fidem dixerit, fidem esse argumentũ non apparentium, & sine hac fide non posse nos placere Deo; & cùm cognitio, & scientia naturalis, sit argumentũ euidens rerũ clarè cognitarũ; sequitur, quòd nomine fidei non potest intelligi cognitio naturalis rei, quæ per naturam haberi potest. ¶ Sed dicunt aduersarij, verissimum esse, fidem supernaturalem esse necessariam ad salutem vltimã, & ad gratiam consummatam; nõ tamen ad iustificationem. Sed contra: Quia Paulus nõ dixit, sine fide impossibile est assequi beatitudinem; sed impossibile est placere Deo: sed qui iustificatur, Deo placet: ergo non tantũ est necessarius actus fidei ad salutem, sed etiam ad iustificationem. Fauet etiã illud Pauli. 1. Corint. 3. Fundamentum aliud nemo potest *1. Corint. 3.* ponere præter id, quod positũ est, quod est Christus Iesus, hoc est fides Christi, seu Christus creditus per fidem, & ad Rom. 8. Quos præscijt, & prædestinauit, hos & vocauit, & quos vocauit, hos & iustificauit, vocatio, quæ præcedit iustificationem, est per fidem, & illam dicit esse Paulus à Deo: ergo nõ sufficit naturalis cognitio: Si enim cognitio naturalis aliquando sufficeret, iã iustificatio esset ex nobis; & tamen Paulus loquens de conditionibus conducẽtibus ad iustificationem, eas dicit nõ esse ex nobis, sed ex Deo: & ob id. 2. Corin. 3. ait, Non sumus suffi- *2. Corint. 3.* cientes cogitare aliquid ex nobis tanquã ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Et idcircò, postquã Ioan. Euangelista scripsit verba illa Christi, Nemo *Ioan. 6.* potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum, Vbi loquitur Christus de speciali, & supernaturali auxilio, statim subiungit; Omnis qui audiuit à Patre, & didicit venit ad me, discere autem significat fidẽ, & illã dicit esse à Deo: ergo. Et Sap. 9. postquã *Sapient. 9.* Salomon postulauerat sapientiam à Deo, dicens, Da mihi sedium tuarum assistricem sapientiã, & mitte illam de cælis sanctis tuis; subdit statim: Nam per istam sapientiam Sancti sunt quicunq; placuerunt tibi Domine à principio.

Extat etiam pro præfata assertione id, quod habetur in Concil. Trident. sess. 6. cap. 8. Vbi decernitur, *Concilium Trident.* fidem supernaturalem esse humanæ salutis initium, & fundamentum iustificationis; sed id, quod ædifi-

catur super hoc fundamentum est ordinis supernaturalis: ergo & fundamentum ipsum est supernaturale; alioqui debiliori fundamento inniteretur machina ædificij spiritualis: sed ad sapientem Architectum pertinet firmam facere domum, & super firmam petram stabilire, quæ firmitas debita & commensurata tali ædificio, in cognitione naturali non reperitur. Nam quo pacto firmiter quis sperabit Deum se ostensurum facie ad faciem per intuitiuã eius cognitionem, nisi Deus reuelando id promiserit, iuxta illud Prophetæ, Memor esto verbi tui serno tuo, in quo mihi spem dedisti. *Psalm.* 118.

Sancti Patres, hanc etiam veritatem cognouerũt, & confirmant: Extat enim testimonium D. Ambrosij in Epist. ad Demetriadem, vbi ex multis testimonijs Sanctarum literarum ostendit, scientiam naturali ingenio, & industria comparatam, non sufficere ad animæ salutem: & idem docet lib. 1. de vocatione gent. præsertim cap. vltim. & lib. 2. capit. 2. dicit, neminem, nisi gratia Dei iustificatum fuisse per spiritum fidei. Idem docet. 1. ad Titum. 2. in Commentarijs. ¶ Rursus D. August. lib. 3. Hypognost. inquit, Fide non alia, nisi quæ nunc est, saluati sunt omnes Sancti, qui ab exordio vsque ad finem salui facti, & faciendi sunt: sed fides, quæ nunc est, est supernaturalis, & licèt August. hic loquatur de salute æterna; tamen idem dicit de prima iustificatione epist. 157. ad Optatum. Idem docent omnes Sancti Patres quando apertè docent, neminem posse iustificari sine fide Christi, quod, vt minimum, est verum de fide supernaturali, siue illa fit implicita, siue explicita Christi. ¶ Hoc idem confirmat D. Chrysost. homilia de fide, & lege naturæ, & hom. 3. super Epist. ad Rom. Et idem dixit Cælestin. PP. Epist. ad Episcopos Galliæ cap. 8. 9. 10. & 11. Legendus est iterùm D. August. lib. de Spiritu, & litera. cap. 29. & 30. & de grat. & libero arbit. cap. 7. & lib. 83. qq. quæstione. 67.

*D. Ambros.* *D. August.* *Chrysost.* *Cælest PP.* *D. August.*

Hanc assertionem confirmant apertè pleraque Concilia, & primò Concilium Mileuit. capit. 4. Vbi definitur vtrumque esse donum Dei, & scire quid facere debeamus, & diligere, vt faciamus. Concil. Arausic. capit. 5. 6. 7. & 8. ait, quòd fides, qua iusti sumus, & distinguimur ab infidelibus, non est ex nobis sed à Deo. Concil. Trident. sessio. 6. cano. 3. inquit, Si quis dixerit, sine Spiritus sancti adiutorio hominẽ credere, sperare, diligere, & pœnitere posse, vt oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur; anathema sit. *Conc. Mile.* *Arausic.* *Trident.*

Sanctus Thomas est expressè huius sententiæ in hoc articulo. Nam cùm iustificatio sit opus supernaturale, in tota hac quæstione non loquitur, nisi de motibus supernaturalibus requisitis ad illam: Cùm ergo in hoc artic. dicat, esse necessarium motum fidei, certum est, quòd loquitur de motu fidei supernaturali, & id planè insinuat ad. 2. & 2. 2. quæstione. 10. art. 1.

Sed respondent aduersarij, omnia hæc scripturæ testimonia, & Sanctorum, intelligenda esse regulariter; non tamen in vniuersis euentibus, & idcirco excipiunt actus quosdam supra tactos in argumentis. Sed profectò hæc responsio tuta non est: Quia cùm lex diuina sit communis, scilicet, quòd nullus iustificatur sine fide supernaturali & infusa, excipere aliquem ab hac lege, qui sine fide supernaturali iustificetur, est profectò valde periculosum, & errori proximum; Nam sine causa fit talis exceptio.

Colligamus ergo, ad iustificationem adulti necessarium esse ex parte intellectus præter naturale lumen, aliud lumen supernaturale, & specialem ali quam illustrationem atque diuinam inspirationem, fidemq; supernaturalem, & oppositum asseuerare, est grauis error, & planè Pelagiana sententia.

Rationibus persuadetur hoc ipsum, præter testimonia allata ex Scriptura, & ex Sanctis, atque ex Concilijs, Quarum prima sit. Ad iustificationem necessaria est efficax conuersio in Deum, efficax dilectio, & detestatio peccati: sed homo disponitur ad hanc iustificationem, & gratiam per cognitionem, & volitionem: ergo cùm hæc forma gratiæ sit supernaturalis, necesse est, quòd tàm cognitio, quam volitio sit actus supernaturalis. Imo verò, inter actum intellectus, & voluntatis est mutua proportio, ita vt si volitio est supernaturalis, cognitio est supernaturalis: sed apud omnes constat, ad iustificationem requiri volitionem supernaturalem: ergo etiam requiritur cognitio supernaturalis. Maior patet ex Sanct. Thom. 3. contra gent: cap. 152. & quia voluntas non fertur in incognitũ; sequitur, quòd si intellectus nõ dirigit voluntatem actu supernaturali, non poterit voluntas ferri in illud. Et confirmatur: Quia necessaria est ad iustitiam conuersio voluntatis ad Deum maior & efficacior, quam sit naturalis cõuersio: sed voluntas sequitur intellectum in suis actionibus: ergo necesse est, vt intellectus priùs iudicet, & habeat actum certiùs, & eleuatiùs, quam sit illud, quod ex naturali cognitione procedit: Hoc non potest haberi sine supernaturali lumine: ergo tale lumen est necessarium.

Secundò persuadetur altera ratione. Nam si sufficeret naturalis cognitio in aliquo casu, pari ratione possemus asseuerare, quòd sufficit etiam actus naturalis voluntatis, & consequenter daretur, quòd in aliquo casu homo ex puris naturalibus iustificatur, quod est erroneum. Sequela patet: Quia si tu dicis, quòd puer perueniẽs ad vsum rationis, aut infidelis ignoratis inuincibiliter fidem, propter talem ignorantiam potest cum sola cognitione naturali iustificari; similiter dicam ego, quòd propter talem ignorantiam facit totum, quod in se est, conuertendo se per voluntatem actu naturali in Deum, quem naturaliter cognoscit; & ita talis cognitio erit sufficiens, vt iustificetur. Et confirmatur: Quoniam si naturalis cognitio potest esse primum exordium iustificationis, iam diceremus, primum initium salutis, & iustificationis ex nobis esse, quod sane asseuerare est apertè Pelagiana sententia.

Secunda conclusio. Non tantum requiritur ad iustificationem supernaturalis cognitio fidei in adultis ex modo credendi, & ex parte principij supernaturalis, sed etiam ex parte alicuius obiecti supernaturalis. Hæc assertio ita certa est, sicut prior, & de qua dubitari non potest à viro Catholico. Quapropter, non tantum damnanda est illa sententia, quæ dicit, naturalem cognitionẽ sufficere ad iustificationem; sed etiam illa, quæ dicit, quòd tantum requiritur fides supernaturalis ex parte actus, & ex modo tendendi in obiectum, quãuis *Conclus.*

obiectum



obiectum cognitum, sit naturale, & naturaliter cognoscibile. Quod dico propter recentiores quosdam Theologos, qui defendere voluerunt, cognitionẽ supernaturalem esse adultis necessariam ad iustificationem; non tamen de obiecto supernaturali. Quia putant, quòd in casibus argumẽtorum supra tactis, sufficiat præcisè cognoscere obiecta naturalia; cognitione supernaturali: Quia supernaturalia mysteria Deus regulariter non reuelat, nisi per prædicatores, & doctores: & ob id hanc tuentur sententiam de puero perueniente ad vsum rationis, & de infidelibus inuincibiliter ignorantibus mysteria fidei, & euangelium. Cùm ergo isti prædicatores non habeant, qui eos docere possint, colligunt aduersarij non esse necessarium ad iustificationem suam, quòd cognoscant supernaturalia obiecta, sed satis esse, quòd cognoscant naturalia, Deo specialiter adiuuãte eos ad cognoscendũ, vt, scilicet, eo adiutorio diuino, ita firmiter, & cõstanter stabiliantur in bono, sicut est necessarium ei, qui adoptatur in filiũ Dei.

Verumtamen, neq; hic modus dicendi mihi probatur. Quia sentiendum est, fidem supernaturalẽ nõ solùm ex parte actus, sed etiam ex parte obiecti supernaturalis esse necessariam, & non sufficere adulto ad iustificationem, cognoscere obiecta, quæ naturaliter cognosci possunt, vt naturalia sunt præcisè, sed requiri cognitionem alicuius obiecti supernaturalis; ac proinde, ad remissionẽ peccati necessaria semper fuit fides in Christum, siue sit implicita, siue explicita, de qua distinctione non disputamus modo, quia pertinet ad materiam de fide. 2. 2. q. 2. Et profectò hoc negare, nõ est tutum in fide, sed periculosum, & temerarium. Ita insinuat S. Thom. ad Hebr. in lect. 2. Vbi ait, Post peccatum primi parentis nemo potuit saluari à reatu culpæ originalis, nisi per fidem mediatoris explicitam, vel implicitam. *Dimens.*

Hæc est etiam sententia D. August. plerisque in locis, præsertim Epist. 157. ad Optatum, vbi in hæc verba prorumpit, Illa sit fides salua, qua credimus nullum hominum, siue maioris, siue paruulæ quamlibet, & recentis ætatis, liberari à contagione mortis antiquæ, & obligatione peccati, quod prima natiuitate contraxit, nisi per vnum mediatorem Dei, & hominum Christum Iesum. Cuius hominis, eiusdemq; Dei saluberrima fide, etiam illi iusti salui facti sunt, qui priùs quam veniret in carnẽ, in carnẽ crediderunt esse venturum; eadem namq; fides est, & nostra, & illorum. Quoniam hoc crediderũt illi futurum, quod nos credimus factum, & sacramenta quidem potuerunt esse pro temporum diuersitate diuersa, sed ad vnitatem tamen eiusdem fidei cõcordissimè recurrentia. Proinde, cùm omnes iusti, siue ante incarnationem, siue post incarnationem Christi, nec vixerint, nec viuant, nisi ex fide incarnationis Christi: Profectò quod scriptum est, non esse aliud nomen sub cælo, in quo nos oporteat saluos fieri, ex illo tempore valet ad saluandum genus humanum, ex quo in Adam vitiatum est. Hactenus D. August. In quibus verbis apertè satis ostendit, iustificationis vitam, & peccatorum remissionem, nemini contingere, sine fide alicuius obiecti supernaturalis. Legendus est D. Gregor. homil. 16. in Ezech. qui sensit idem cum D. August. Imo verò, D. Hiero. quidquid aduersarij dicant, id ipsum sensit in. 2. capit. Epistolæ ad Galat. super illa verba, Scientes, quòd non iustificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Iesu Christi. *D. August.*

Id etiam ostendo testimonijs Sanctarum literarũ, ad Colossens. 1. Dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine, & eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij dilectionis sui, in quo habemus redemptionem, & remissionẽ peccatorum. Et statim; Placuit per eum reconciliare omnia, pacificãs per sanguinem crucis eius, siue quæ in cælis, &c. Sed sanguis Christi non communicatur hominibus, nisi per fidem, vel sacramenta fidei: ergo, &c. Rursus fauet plurimum illud Pauli ad Galat. 3. Omnes filij Dei estis per fidem, quæ est in Christo Iesu; & cap. 2. Scientes, quòd non iustificatur homo ex operibus legis, sed per fidem Iesu Christi, & nos in Christo Iesu credimus, vt iustificemur ex fide Christi. Et ad Rom. 5. Iustificati ergo ex fide pacem habeamus ad Deum per Christum, per quem habemus accessum per fidem in gratiam istam, in qua stamus; & cap. 4. Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam: non est autẽ scriptum tantum propter ipsum, sed propter nos etiam, quibus reputabitur credentibus *in* eum, qui suscitauit Iesum Christum Dominum nostrum à mortuis, qui traditus est, &c. Et apertiùs cap. 3. Iustitiam Dei per fidem, inquit, Iesu Christi in omnes, & super omnes, qui credunt in eum: non enim est distinctio, Omnes enim peccauerunt, & egent gratia Dei, iustificati gratis per gratiam ipsius per redemptionem, quæ est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiatorem per fidẽ in sanguine ipsius propter remissionem præcedentium delictorum. Et ratio est aperta: Quia sicut est mediator Dei, & hominum, Deus & homo Christus Iesus ad glorificationem, ita quoq; mediator est ad iustificationem. Quare, sicut per fidem in Christum glorificamur, ita per eandem oportet iustificari. Et Ioan. 8. Si non crediderit is, quia ego sum, *in peccato vestro moriemini*: semper ergo requiritur fides supernaturalis, & de obiecto supernaturali. *Colossens. 1.* *Galat. 3.* *Rom. 5.* *Ioan. 8.*

Profectò, fauent huic nostræ assertioni verba Cõcil. Trid. sess. 6. cap. 4. in decreto de iustificatione, vbi sic decernitur; Translatio à statu in quo homo nascitur filius primi Adæ, in statum gratiæ & adoptionis filiorũ Dei; per secundũ Adam Iesum Christum Saluatorem nostrũ, post euangeliũ promulgatum, sine lauacro regenerationis, aut eius voto fieri non potest, sicut scriptum est; Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto; non potest introire in regnum Dei. Et id apertissimis verbis declaratur. c. 6. sequenti, vbi sic habetur, Disponuntur autem ad ipsam iustitiam dùm excitati diuina gratia, & adiuti, fidem ex auditu concipientes, liberè mouentur in Deum, credentes vera esse, quæ diuinitus reuelata, & promissa sunt. Et subiungit Concilium, impium iustificari dùm se peccatorẽ cognoscendo, à timore iustitiæ vtiliter concussus, ad considerandam Dei misericordiam se conuertendo, in spem erigitur, fidens Deum sibi propter Christum propitium fore. Et postquam multa dicuntur ibidem, colligit Concilium; De hac dispositione scriptum est, Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & quòd inquirentibus se remunerator sit. *Conc. Trid.*

Moueor etiam ad præfatam assertionem: Quia Scriptura, & Sancti, non appellant fidem donum Dei, cognitionem ipsam naturalem, quæ sit de obiectis naturalibus, sed potiùs cognitionem supernaturalem, quæ sit de obiectis supernaturalibus: ex obiecto namque metitur aliqua cognitio an sit donum Dei, quando obiectum supernaturale est, & ex diuina reuelatione pendens. Cum ergo ex Scriptura, & Sanctis habeamus, cognitionem supernaturalem esse necessariam ad iustificationem; id profecto videtur dicendum, & intelligendum etiam de cognitione supernaturali ex obiecto. Et confirmatur: Quia fides, de qua loquitur Paulus, est necessaria ad iustificationem, cùm dicat; Impossibile est sine fide placere Deo: sed hæc fides, de qua loquitur, est supernaturalis ex obiecto: ergo. Probatur minor: Quia illam appellat Paulus substantiam rerum sperandarum, & cognitionem æternorum, supernaturaliumque bonorum. Imò verò. 2. Corinth. 4. dicit Paulus, quòd omnes habemus eundem spiritum fidei: ergo fides, quæ exigitur à nobis, est supernaturalis ex obiecto, & in omni statu, & ætate requiritur eadem fides, quamuis pro diuersitate temporum debeat esse implicita, vel explicita, vel magis, aut minùs explicita. Vndè, quamuis ita sit, quòd cognitio Christi explicita regulariter non reueletur hominibus, nisi per prædicatores, secundum illud Pauli, Fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei; tamen cognitio illorum bonorum supernaturalium, quorum necesse erat habere cognitionem ad iustificationem, non erat simpliciter necessaria, quòd traderetur ab aliquo extrinseco Doctore, sed Deus interius, vel exterius per angelos illuminabit illos, qui ex toto corde conuertũtur ad illum, & non habent prædicatorem, & docẽtem: & fortè hoc non est ponere miraculum; Quia hoc potius spectat ad prouidentiam Dei, qui non deficit in necessarijs. De qua re vide Sanctum Thomam in. 3. distinct. 2. quæst. 2. artic. 1. quæstiunc. 1. ad. 1. & 2.

Vt conclusionem nostram ostendant nonnulli ex Theologis, eam probant ducti argumento ex testimonio Paul. 1. Corinth. 2. Vbi Sapiens? vbi Scriba? Nonne stultam fecit Deus sapientiam huius sæculi? Ex quo sic argumentantur, Paulus volens cõfirmare, Sapientum, & Scribarum scientiam, id est, cognitionem humanam, & naturalem, nihil valere ad salutem, addit pro causa huius; Quoniam hæc scientia fuit à Deo in stultitiam conuersa, id autem fecit Deus maiorum, & altiorum rerum, & supernaturalium traditione & doctrina, ad quas res humana sapientia comparata, mera stultitia est: Ergò earum rerum cognitio, scilicet, supernaturalium, est necessaria ad salutem ex sententia Pauli; Nam & ob id appellauit fidem substantiam rerum sperandarum argumentum non apparentium, hoc est, rerum, quæ non apparent, id est, supernaturalium: Igitur credere obiectum supernaturale, est necessarium simpliciter ad salutem. Et confirmatur iterum ex eodem loco, & capite, in quo Paulus ostendit, fidem esse necessariam ad salutem, & iustificationem, & vt illud probet docet, neminem fuisse illorum quos ibi enumerat, qui non crediderint aliquid de supernaturali obiecto: ergo manifestum est Paulum docere, ad salutem, eam fidem esse necessariam, quæ credit res supernaturales. Nam in Noe Paulus eam fidem laudat, qua responso accepto de ijs, quæ adhuc non videbantur, metuens aptauit arcam in salutem domui suæ, per quam damnauit mũdum, & iustitiæ, quæ per fidem est, hæres est institutus. Vnde laudat fidem, qua credidit diluuium futurum, quòd ratione naturali cognosci non potuit, per fidem admonitus, per quã credidit, quæ adhuc non videbantur: ergo, &c.

### *Maior explicatio authoris circa præcedentia, & variæ opiniones de statu, & casu pueri primò venientis ad vsum rationis.*

Difficultas implexa sententiæ.

DIfficilis est posita controuersia, in qua sanctum est, fidem supernaturalem de supernaturali obiecto, esse necessariam ad iustificationem adulti. Est autem difficilis potissimè propter duos casus, qui à Theologis recensentur, quorum alter est, de puero perueniente primùm ad vsum rationis; Alter verò de adulto ignorante inuincibiliter euangelium, & viuente apud eos, ad quos nũquam peruenit euangelij notitia. Profectò, abstrusa res est, censere quo pacto regulariter, aut de lege, iustificari possit puer ille, primùm perueniens ad vsum rationis, educatus in Syluis, sine mẽtione deitatis, & religionis, & sine speciali aliquo miraculo nouiter à Deo facto, ad iustificationem eius: Et quo pacto in eo instanti, possit habere supernaturalem cognitionem de supernaturali obiecto. ¶ Et in hac re censent nonnulli, quòd in primo instanti vsus rationis, sicut tenetur puer facere totum, quod in se est, ita statim illuminabitur à Deo, vt cognoscat hoc principium, nempe, Deum esse. Nam si in primo illo instanti Deum cognoscere nõ posset, iam puer ille esset extra statum salutis toto illo tempore, quo Deum non cognosceret. Et certè, nemini potest cõtingere salus sine cognitione Dei, quia, vt ait Paulus, Sine fide impossibile est placere Deo, & accedẽtem ad Deum oportet credere, quia est, &c. Vndè S. Thom. 1. 2. quæst. 89. artic. 6. docet, quòd puer implens præceptum illud se conuertendi in Deum, iustificatur, & obtinet remissionẽ peccati; & ex consequenti insinuat, quòd puer ille se cõuertit in Deum distinctè, & quòd habet cognitionẽ supernaturalem in Deum.

1. Sententia.

ALij dicunt, quòd puer ille, si se conuertat in honestum finem, & proponat sequi bonum, & fugere malum, posset iustificari, & saluari sine cognitione Dei, & sine fide Christi. Quia dicunt, fieri posse, quòd primo illo instanti, & primo tempore vsus rationis, puer ille educatus inter Barbaros sine religione, & notitia vlla Dei, non solùm Christum, sed neque Deum cognoscat. Quod etiam videtur conforme sententiæ Sancti Thomæ loco citato, vbi apertè docet, quòd si puer ille se conuertat in debitum finem, consequetur gratiam & remissionem peccati originalis. Nã cùm puer ille habeat pro tunc ignorãtiam inuincibilem de Deo, non tenetur se in Deũ conuertere distinctè, & explicitè, sed solùm in finẽ honestũ, proponẽdo sequi bonũ, & fugere malũ. Quòd verò hic puer in illo primo instanti, aut tẽpore vsus rationis posset



posset iustificari, & consequi remissionem peccati, ostendunt authores huius sententiæ: Quia ille puer iam adultus, est viator, & est in statu peccandi; quòd si non posset saluari, & iustificari, iniquissima conditio esset, præsertim cùm Deus sit paratior, magisque propensus ad miserendum, quam ad puniendum. Imò verò sequitur bene, Puer ille iam adultus, qui peruenit ad statum vsus rationis, verè est viator: ergo est in statu salutis, quia damnatorum conditio, cùm sint in termino, est, quòd nõ possint saluari. Præterea, puer ille eo temporis momento, non relinquitur à Deo sine remedio. Nam si eo temporis momento Deus relinqueret hominem sine vllo remedio, non esset prouisor vniuersalis, & sufficiens; imò verò si esset sine vllo remedio, Christus non esset Redemptor vniuersorum hominum: ergo per solam illam cognitionem, & conuersionem ad bonum honestum, & finem, proponendo se qui bonum, & fugere malum, poterit iste iustificari. Nam iste perueniens ad vsum rationis, cùm non obligetur ad impossibile, & possit seruare mandata, sequitur, quòd poterit iustificari, & ad vitam ingredi, iuxta dictum Christi, Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. ¶ Hic tamen modus dicendi, quem excogitarunt olim viri non infimæ notæ, presi difficultate argumentorum; non satisfacit, neque est verus; & idcirco explosus est etiam postea ab eisdem authoribus in materia de fide. 2. 2. quæst. 2. Potissimè id falsum est, & contra fidem, quòd vnquam aliquis iustificari possit, sine fide Christi, & sine cognitione Dei, vt in Concil. Trident. habetur, sess. 6. cap. 4. & 6. & plerisque locis suprà à me citatis, & etiam cap. 7.

2. Sententia.

ALij censent, quòd quoniam fides Christi implicitè continetur in hoc, quod est credere Deum esse, & remuneratorẽ esse, & in quocumque alio obiecto fidei supernaturalis; idcirco adultus ignorans inuincibiliter Christum, potest iustificari per fidem Christi implicitam, in qua est votum baptismi implicitũ; & sic verificatur id omne, quod habetur in Trident. sess. 6. cap. 4. citato. Ex quibus colligũt, quòd sufficit fides implicita Christi adhoc, vt aliquis iustificetur, quod sanè certum est. Et addunt vlteriùs, quòd ex consequenti puer primò veniens ad vsum rationis, quamuis nihil audierit de Christo expressè; poterit tamen eo instanti iustificari. ¶ Quòd si roges, Quid nam igitur est id, quòd puer iste tenetur explicitè credere? Adhoc

S. Thomas, Scotus.

Sanct. Thom. de verit. quæst. 14. art. 11. & Sotus suprà citatus dicunt, quòd ad minus debet credere Deũ explicitè in quantum est finis supernaturalis. Et alij dicunt sufficere fidem implicitam Dei: Sed qui tuẽtur priorem sententiam dicentes, ad minus puerũ debere Deum explicitè credere, prout est supernaturalis finis, partiti sunt. Nam quidam eorum dicũt, posse dari ignorantiam inuincibilem Dei pro aliquo tempore; & putant, quòd si puer ille cùm primum venit ad vsum rationis, conuertatur in Deum finem naturalem ex viribus naturæ, faciens quod in se est, Deus sua prouidentia ordinabit mittere ad illum prædicatorem, à quo audiat fidem supernaturalem, quæ requiritur ad iustitiam; ita tamẽ, quòd tempore illo medio, ex quo peruenit ad vsum rationis, & fecit quod in se erat, vsque ad prædicationem fidei externam, seu internam, puer ille non sit iustificatus, & maneat in originali, nisi antea aliàs fuerit baptizatus. Hæc insinuat Sanctissimus Præceptor de veritate loco citato.

Hæc sententia, licèt vera, & facilis visa fuerit quibusdam; tamen neq; est facilis, neq; dissoluit difficultates occurrentes, imo verò iudicatur à plerisq; falsa. Primò, quia sequitur ex ea, quòd viatores nõnulli in hac vita non possunt absque miraculo iustificari, vt patet de illis, qui educantur in Syluis, aut in Insulis, ad quos nondùm peruenit exterior aliquis prædicator fidei. Dices, quòd Deus per se, vel per angelum reuelabit eis, quid oporteat eos credere; si tamen faciant priùs quod in se est. Contra: Nã hoc est maius miraculum, cùm sit opus supernaturale extra communem, & ordinarium modum agẽdi ipsius Dei: Sicut re vera esset miraculum, si alicui homini laboranti morbo lethali, Deus prouideret medicinam, & non per causas secundas. ¶ Rursùs: Illi, qui hunc habent dicendi modum, incidũt in inconuenientia omnia supra allata contra eos, qui dicebant in primo instanti vsus rationis posse esse peccatum veniale cum solo originali. Nam certè secundum sententiam istorum, non videtur esse aliqua ratio cur non possit puer peccare venialiter antequam iustificetur, & peccet mortaliter, nempe, in tempore illo medio, quod est inter primum instans vsus rationis, & prædicationis fidei. ¶ Sequitur præterea ex dictis in sententia istorum, quòd siue puer ille peccet venialiter in tempore illo medio, sicut aliqui existimant, siue non peccet, non poterit mori puer ille tempore illo medio, aut si moriatur, quòd non sit aliquod receptaculum illius animæ: Quia in lymbo esse non potest, quia iam erat adultus, neque in purgatorio, aut in cælo, quia nondum est remissum originale, neque in inferno, quia iam fecit quod in se est: ergo.

Sed præter hæc inconuenientia, alia maiora sequuntur ex præfata sententia. Nam primò sequitur, iustificationem *nostram incipere à nobis*. Nam priùs nos debemus facere, *quod in nobis est* ex viribus naturæ, quam detur fides, & gratia. Imo verò sequitur vlterius, dari causam totius prædestinationis nostræ ex parte nostra. Quoniam ille actus, quo quis facit, quod in se est ex viribus naturæ, causa est saltem dispositiua, & sine qua non totius motionis supernaturalis, tam in intellectu, quam in voluntate, ac per consequens est causa sine qua non omnium effectuum supernaturalium, qui sunt in nobis. ¶ Quòd verò præfata sententia non sit vera, probatur: Quoniam impossibile est, quòd aliquis impleat præceptum illud, quod obligat in primo instanti vsus rationis, & faciat quod in se est ex viribus naturæ. Nam hoc præceptum obligat ad hoc, vt quicumque ponat suum vltimum finem positiuè, in quem omnia refert, in aliquo alio à creatura, scilicet, in Deo, formaliter, vel virtualiter: sed qui est in peccato mortali, vel originali habet creaturam pro vltimo fine hoc modo: ergo impossibile est, vt quis impleat hoc præceptum manens in statu peccati mortalis, aut originalis. Quoniã impossibile est simul habere duos vltimos fines positiuè: sed ad hoc, vt resurgat à peccato mortali, aut originali, necessaria est, & requiritur

motio supernaturalis: ergo non potest facere tunc, quod in se est ex viribus naturæ, sed aut de nouo peccat mortaliter in illo primo instanti vsus rationis, violando præceptum illud affirmatiuum, aut si adimplet præceptum, habet actū ex motione supernaturali, qui incompossibilis est cum peccato mortali, aut originali. Quocirca crediderim, Sanctissimum Præceptorem mutauisse sententiam, quam tenuerat loco citato de veritat.q.14.art.11. in partibus 1.2.q.89.art.6. Nam dicit, quòd si homo in hoc instāti ordinauerit se ad debitum finem; per gratiam cōsequetur remissionem originalis peccati.

*4.Sententia* ALius est in hac parte dicendi modus, quem alij probabiliorem esse putant; dicunt enim necessarium esse credere Deum finem supernaturalem explicitè, adhoc, vt quis iustificetur; dicunt tamen, quòd huiusmodi fides explicita tribuitur omnibus non ponentibus impedimentum in illo primo instanti vsus rationis. Quod sic ostendo. Nam quemadmodum in naturalibus sunt quædam principia per se nota, quæ lumine naturali cognoscimus absq; aliquo Magistro proponente, vel docente, sic etiam in credibilibus supernaturalibus sunt aliqua principia credibilia, quibus possumus credere absq; aliquo prædicatore externo, ex eo quòd illuminantur lumine fidei; & huiusmodi sunt, Deum esse, remuneratorem esse, quæ solo lumine interno fidei proponuntur. Dicit ergo hæc sententia, quòd si puer veniens ad vsum rationis habuit habitum fidei per susceptionem baptismi, ille habitus proponit Deum esse, & remuneratorem esse vt credendū, sicut naturale lumē proponit quodlibet est, vel nō est, vt euidenter iudicandum; si autem puer ille nō fuerit baptizatus, eo ipso, quòd in illo instanti non apponat impedimentum, violando præceptum affirmatiuum conuertēdi se in Deum, infunditur sibi lumen fidei, & per illud proponitur illi hoc primū credibile. ¶ Si roges, Quid est priùs, infundi lumen fidei pueris in ipso primo instanti, aut ipsos non apponere impedimentum? Respondetur, vtrumq; esse simul duratione; vnum tamen esse prius altero in diuersis generibus causarum. Nam in genere causæ materialis, priùs est non apponere impedimentum, seu adimplere præceptum; in genere tamen causæ efficientis, prius est infundi lumen fidei, & gratiā. Quoniam actus adimplendi præceptum, sicut etiā vltima dispositio ad gratiam (secundum sententiā eorum, qui dicunt procedere à gratia) prior est ipsa gratia in genere causæ materialis, quāuis posterior gratia in genere causæ efficiētis. ¶ Si autem quæras vlteriùs ab istis, quòd non potest aliquis credere Deum explicitè, nisi habeat speciem intelligibilē abstractam à phantasmatibus: sed non omnes cùm primùm veniunt ad vsum rationis, habēt hanc speciem: ergo neq; possunt illo instanti credere. Respōdent, quòd ex quibuscumq; phantasmatibus potest abstrahi species ad cognoscendum Deum, vel vnū primum principium, siue hoc fiat absq; aliquo actu supernaturali, siue Deo id mirabiliter operante; absque miraculo tamen. Propterea, quòd miraculum dicit operationem supernaturalem, & quæ non regulariter fit; hoc autem quamuis fiat per actum supernaturalem, cum omnibus fit, & ideo non est miraculum. Et hoc pacto defenditur sententia eorum, qui dicunt, necessarium esse in illo primo instanti, credere Deum explicitè, ad remissionem originalis peccati, tamen secundum sententiam istorum, non potest dari ignorantia inuincibilis Dei, vt liquet ex eorum dictis.

### *Quinta opinio recentiorum.*

*5.Sententia* QVinta sententia, quam recentiores Theologi nonnulli publicè docuerunt, est, posse esse ignorantiam inuincibilem Dei, in illo primo instanti vsus rationis, & nihilominus adultum iustificari posse. Quod vt intelligas aduerte primo, quòd in obiecto fidei duo possumus considerare, alterum est materiale obiectum, alterum verò formale; materiale est id, quod creditur, formale verò ratio credendi, scilicet, prima veritas reuelans; hoc autem obiectum materiale, non solùm comprehendit res supernaturales, sed etiam naturales; Quia non solùm est obiectum materiale fidei, Deum esse trinum & vnum, & Christum esse Deum, & hominem, quæ sunt supernaturalia obiecta, sed etiam, quòd Deus sit, & quòd vnus sit, quæ lumine naturali cognoscuntur, vt Gentiles Philosophi cognouerunt, & hac ratione vocantur à D. Paulo, nota Dei. ¶ Aduerte secundò, quòd quando *Nota.2.* lumine naturali cognoscimus huiusmodi obiecta naturalia; tunc vel non infallibiliter, & certò iudicamus, & cognoscimus ea, vel saltem non tanta infallibilitate, & certitudine, quanta cognoscimus ea lumine fidei. Et ratio est; Quia veritas prima reuelans, quæ est ratio credendi, est multo magis certa, & infallibilis, quam quæcumq; ratio naturalis; & hinc est, q; qui credit huiusmodi obiecta naturalia lumine fidei, debet esse in præparatione animi, vt priùs moriatur, quam neget veritatem illorum obiectorum; non tamen est in eadem animi præparatione pro defensione eorum, quæ naturaliter scimus. ¶ Tertiò aduerte, quòd Deus offert omnibus auxi- *Nota.3.* lium supernaturale, tam ex parte intellectus, quā ex parte voluntatis, eò ipso quòd incipiūt vti ratione, vt Apocal.3. Ego sto ad ostiū, & pulso, &.1.ad Tim. 2. Deus vult omnes homines saluos fieri; Et potest addi illud Ioan. 1. Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.

His ergo ita prælibatis dicit hæc sententia, quòd si puer veniens ad vsum rationis, per intellectū auxilio supernaturali illuminatum, iudicet certò, & infallibiliter vitam honestam esse sequendam, debitum finem, aut bonum rationis esse eligendum, & per voluntatem eodem auxilio supernaturali motā, in illum finem se, & omnia sua conuertat, statim iustificabitur: Quia re vera illud iudicium est actus fidei, si procedat ex auxilio supernaturali speciali, vt supponimus. ¶ Quæ sententia videtur esse Diui *D. Hier.* Hieronymi super Epistol. ad Galat. capit. 3. Vbi cùm dixisset de Cornelio, quòd iustificatus fuit ante Petri prædicationem, Quomodo (inquit Hieronymus) accepit Spiritum sanctum sine auditu fidei; nos respondemus (dicit ipse Hieronymus) accepisse eum Spiritum sanctum ex auditu fidei, & ex lege naturali, quæ loquitur in nobis bona quæq; esse facienda, & mala vitanda. Quibus verbis nihil ad propositum meliùs potuit adduci, nec clariùs, in quibus apertè dicitur, quòd iudicare bonum esse



*D.Augus.* esse faciendum, est actus fidei sufficiens ad iustificationem. Idem colligitur ex D. August. lib. 1. ad Simplician. quæst. 2. Vbi loquens de eodem Cornelio dicit, Non crederet, nisi manifestioribus per sensus admonitionibus vocaretur, Quasi dicat, obiectum, quod credebat Cornelius ante prædicationem Petri, proponebatur absque aliquo externo prędicatore. Idem videtur colligi ex Ambrosio lib. 2. de vocat. Gentium cap. 2. in fine, qui sic dicit, Quis ambigat eos, qui de quibuscumque nationibus, quibuslibetuè temporibus Deo placere voluerunt, gratia Dei discretos esse, quæ nullis vnquam sæculis negauit, quamuis virtute vna quantitate diuersa, consilio incommutabili opere multiformi. Ex hoc namque, quòd gratia Dei nunquam alicui se negauit, sequitur, quòd cum pluribus nationibus, & per multum tempus negatum sit Deum cognoscere, vt patet in Insulis, quod non est necessarium, Deum explicite credere ad iustificationem; Hoc autem, quod est cognoscere vitam honestam, & debitum finem esse eligendum, nullis vnquam temporibus adultis negatum est, & hoc obiectum sufficit credere ad iustificationem, vt putat hæc sententia. De qua re citant D. ambros. cap. 6. 7. & 8. eiusdem libri, in quibus capitibus nihil reperio, quod huic sententiæ faueat. ¶ Hanc sententiam, vt putant, insinuat Caietanus. 1. 2. q. 89 art. 6. Quam S. Thom apertius videtur amplecti. Quia dicit, quòd si adultus perueniens ad vsum rationis, se ordinauerit ad debitum finem, per gratiam consequetur remissionē originalis peccati. Hanc etiam sententiam Canus reputat probabilem. 2. p. relectionis de sacramentis in genere.

*D.Ambro.*

Rationibus etiam suaderi potest hæc sententia, in quibus putant præfati authores, satis ostendi veritatem suæ sententiæ. Prima ratio desumitur ex proloquio communi, Facienti quod in se est ex auxilio supernaturali, Deus non denegat gratiam: sed qui sic credit, & sic conuertitur in debitum finem ex auxilio supernaturali, facit quod in se est: ergo Deus illi non denegat gratiā ¶ Secunda ratio est; Qui conuertitur in debitum finem, hoc modo, quem diximus, per auxilium supernaturale, habet actum incō possibilem peccato, quia habet vltimum finem, in quem ordinat omnia alia: ergo ille verè consequitur gratiam, & remissionem peccati originalis. ¶ Tertia ratio; Quia si aliquid obstaret quominus iste iustificaretur, maxime quia obiectum illud materiale, quod credit, est naturale: sed hoc nō obstat. Primo, quia ratio credendi est supernaturalis; & fides, sicut alij habitus ex obiecto formali, & non ex materiali sortitur speciem. Secundo, quia si aliquis Gentilis catechizetur ad fidem, primum quod illi proponi debet, est Deum esse, & esse vnum; Tunc quæro, Si aliquis Catechumenus credat istud obiectum fide supernaturali, & per voluntatem in ipsum conuertatur, vt in vltimum finem, antequam alij articuli proponantur iustificatus erit, quod si tunc temporis moriatur, saluatur; & tamē hoc obiectum est materiale, & naturale: ergo si ratio credendi sit supernaturalis, hoc non obstat. Imo verò addit hæc sententia, quòd si aliquis infidelis audita religione Dei, quæ colitur apud Hispanos, inflāmaretur Deo id operante, & amore huius religionis egrederetur de terra sua, vt sciret, quid sibi faciendum ad habendam hanc religionem; ita tamen, quòd ipse iam persuasus, crederet illam esse verā, & in Deum etiam implicite cognitum crederet, & conuerteretur, certe si iste moriatur antequam sibi prædicetur fides, dubiū est dicere, quòd damnetur, & tamen nondum habet fidem explicitam, sed implicitam; sequitur ergo, quòd hæc sufficit, vt dictū est. ¶ Quarta ratio ostensiua eiusdem sententiæ est. Quia hoc modo melius saluatur quomodo sit in potestate cuiuscumque hominis, in eo instanti iustificari, si velit. Nam omnibus hominibus, eo ipso quòd perueniunt ad vsum rationis, debitus finis, & vita honesta proponitur sequenda per rationem, & omnibus etiam non tantum proponitur per rationē debitus finis, & vita honesta sequenda; sed etiā offertur omnibus supernaturale auxilium, & lumē, tam in intellectu, quam in voluntate, si ipso vti velint; erit ergo in potestate cuiuscumque se disponere ad gratiam. Verum est, quòd postquam aliquis est iustificatus hoc modo, indiget explicatiori fide ad perseuerandum in fide, & gratia, vt diximus de Cornelio, & Deus per modos sibi placitos ordinauit, vt illi proponatur fides; ita tamen, vt si interim moriatur saluetur, quia iam est iustificatus.

Si autem obijciat aliquis, quòd, secundum hunc modum dicendi necessarius est aliquis prædicator exterior, non vt proponat nobis obiectum materiale quod credimus: hoc enim ratio dictat, sed vt proponat rationem credendi, quæ est supernaturalis; Respondetur, quod ratio credendi non est necesse, quòd proponatur, sed eo ipso, quòd aliquis auxilio supernaturali ductus credit, habet fidem supernaturalem, & credit quia Deus dicit; obiectum autem materiale, necesse est proponi: & ratio differentiæ est, quòd obiectum materiale, apprehenditur prius quā iudicetur; ratio verò credendi, non est prius apprehēsa, neque cognita, sed simul est. ¶ Quòd si iterum obijcias, Ad iustificationem est necessarium habere actum spei: sed iste, qui Deum non cognoscit explicite, non potest habere actum spei, quæ est circa Deum immediate: ergo non potest iustificari. Respondetur, quòd sufficit ad iustificationem actus spei implicitæ, quem habet iste, de quo loquimur. Nam eo ipso, quòd se conuertit in debitum finem, sperat retributionem, quamuis explicite non cognoscat à quo debeat fieri ista retribuere. ¶ Et ex hoc patet apud Authores præfatæ sententiæ, quid dicendum sit ad locum Pauli Hebræ. 11. Accedentem ad Deum oportet credere, quia est; & quòd inquirentibus se remunerator est. Nam debet intelligi de illo, cui hoc obiectum propositum est; & quoniam regulariter omni tempore, tam legis naturæ, quam scripturæ, & gratiæ omnibus proponebatur hoc obiectum; idcirco dixit Paulus, Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & quòd inquirentibus se remunerator est. Et pari modo intelligendus est S. Thom. 1. 2. q. 100. art. 4. ad. 1. Vbi affirmat, hoc quod est Deum esse, primum esse credibile, quod omnibus proponitur: debet enim intelligi regulariter, & vt in plurimum. ¶ Quod si vlterius obijciat aliquis, quòd in hoc, quod est vita honesta, aut debitus finis, non potest contineri implicite fides Christi. Quia id, quod est superioris ordinis, non

continetur implicite in eo,quòd est inferioris.Respondetur,quod vita honesta, & debitus finis secúdum se non continent implicite Christum, & alia mysteria supernaturalia; si autem consideretur secundum rationem credendi,scilicet,quia Deus dicit, & quia Deus reuelat, hæc est eiusdem ordinis cum alijs mysterijs fidei; & ita actus iste credendi, continet implicite fidem Christi,& aliorum mysteriorum,non ratione obiecti materialis, sed ratione obiecti formalis. Vnde dicunt fautores huius opinionis, quòd si hoc modo intelligatur sententia, quam tenuit Vega loco citato,vera est, & Catholica;si autem ipse velit dicere,quòd naturalis cognitio,tam ex parte obiecti materialis, quam formalis sufficit ad salutem; eius sententia non est tolerabilis.

*Quam sit difficilis quinta opinio,ostenditur.*

VEruntamen, adhuc hæc sententia, vt infra fusius aperuimus,non satisfacit difficultati propositæ, neque videtur vera. Nam certe semper requiritur saltem fides implicita Christi ex parte obiecti ad iustificationem, neque est datum aliud nomen sub cœlo,sub quo oporteat nos saluos fieri,& hoc aperte insinuatur in Trident. locis citatis,& ad,expressius S.Thom.in hoc.4. art. definiuit. Nã loquẽs de adultis inquit, quod requiritur ad iustificationem impij motus liberi arbitrij factus à Deo, secúdũ quẽ Deus moueat animã hominis,cõuertendo eam ad ipsum. Vnde Propheta Psal.84.ait, Deus tu conuertens viuificabis nos:ergo ad iustificationem impij necessario requiritur motus mentis,quo conuertatur in Deum:sed prima conuersio in Deum fit per fidem,iuxta Paul.ad Hebræ.11. Accedentem ad Deum oportet credere,quia est: ergo non tantum requiritur cognitio Dei ex parte rationis credendi,sed ex parte obiecti crediti.Et solutione ad secundum dicit idem Sanctissimus Præceptor, quòd per naturalem cognitionem homo non conuertitur in Deum, in quantum est obiectum beatitudinis,& iustificationis causa, & quòd idcirco talis cognitio non sufficit ad iustificationem. Et solutione ad tertium asseuerat,quòd in iustificatione impij requiritur actus fidei, quantum ad hoc, quòd homo credat Deum esse iustificatorem hominum per mysterium Christi.In quibus verbis satis aperte insinuat,se loqui etiam de ipso obiecto credibili. Nam certe iustificatio hominis peruenientis primo ad vsũ rationis,est vera iustificatio impij.

*Psal.84.*

*Hebræ.11.*

Præterea, citata sententia non recte explicat quo modo paruulus ille peruenies ad vsum rationis per solam cognitionem boni honesti,habeat fidem implicitam Christi. Nam illud obiectum, bonum honestum est à me sequendum, & malum est fugiẽdum,& finis debitus est amplectendus, proponitur immediate puero illi,in primo illo instanti à lumine naturali per synderesim, & sub lumine euidẽti in discursu prudentiali,& hæc euidentia tenet se ex parte intellectus: non ergo cognoscit hoc obiectum per actum obscurum fidei, qualis est actus fidei.Nam pugnant,quòd ille habeat euidentem, & claram cognitionem naturalem huius obiecti ex parte intellectus, & quod simul habeat actum obscurum fidei.Et præterea,mirabile esset, quòd Deus reuelaret,bonum honestum esse sequendum, & debitum finem esse prosequendum ex parte intellectus;& quòd hoc obiectum habeat proprium lumẽ sibi connaturale,sub quo potest cognosci,& manifestari puero peruenienti ad vsum rationis,nempe, naturale lumen,quod Deus signauit super nos, & synderesim, & quòd Deus nõ manifestet illud sub illo lumine proprio,& connaturali,& quod manifestet sub alio lumine obscuro,nempe,sub actu fidei, quæ obscure manifestat,& reuelat solum.Fauet etiã contra præfatam sententiam. Quia obiectum naturale,quod præcisè naturæ ordinem ingreditur,cùm non sit obiectum credibile proprium fidei, non est illud,ad quod fides per se inclinat. Nam in homine in puris naturalibus stat eadem cognitio circa debitum finem,& bonum honestum,quam aperte, & clare cognoscit adultus in puris naturalibus per lumen naturale intellectus, & sub illo lumine: ergo cum ex parte obiecti non constituatur obiectũ aliquod credibile supernaturale necessarium ad iustificationem illam pueri in primo instanti vsus rationis,videtur re vera præfata opinio,factis, licet non verbis ponere iustificationem ex sola cognitione actuali naturali.

Rursus; Non concludunt rationes ab aduersarijs allatæ.Nam,cum sit lex à Deo sancita,neminem iustificari nisi saltem ex fide implicita Christi,duo in hac lege includuntur, primum est,necessariam esse fidem supernaturalem;Secundò,talem fidem debere esse Christi,in quo importatur obiectum credibile:sed hoc obiectum non includitur in obiecto naturali,quale est illud,bonum honestum, & debitus finis est sequendus.Quia,vt postea ostendemus,in obiecto mere naturali, non includitur obiectum credibile supernaturale,neque explicite,neque implicite, sicut neque cognitio ipsa naturalis includit cognitionem supernaturalem,neque implicite, neque explicite. Nam naturalis cognitio est alterius ordinis à supernaturali cognitione fidei. Neque satisfacit dicere,quòd vita honesta, & debitus finis secundum se non continent implicitè Christum, & alia mysteria supernaturalia; benè tamen continent si considerentur secundum rationem credendi, nempe, quia Deus dicit hæc. Quia hoc est eiusdem ordinis cum alijs mysterijs fidei; ac proinde iste actus credendi continet implicite fidem Christi,& aliorum mysteriorum,non ratione obiecti materialis, sed ratione obiecti formalis. Primo; Quia hoc obiectum, nempe, bonum honestum,& debitum finem esse sequenda,& malum esse fugiendum, puer ille cognoscit sub lumine naturali, & per synderesim;& ita cognoscit illud obiectum sibi propositum sub lumine euidenti, & hæc euidentia tenet se ex parte intellectus.Vndè,cum habeat actũ euidentem, & clarum circa illud obiectum, carebit actu obscuro fidei incomposibili cum claritate, & euidentia procedente à lumine naturali & à Synderesi.Secũdo; Quia si ille cognoscit illud obiectum per fidem,& quia Deus dixit, iam tunc habebit explicitam cognitionem Dei. Nam non potest assentiri illi obiecto,quia Deus dixit, & quia Deus reuelauit, nisi pariter cognoscat vtrumque extremum, nempe, Deum & reuelationem, quam cum illi paruulo nutrito in syluis sine mentione religionis



nis, & Ecclesiæ, non proposuerit Ecclesia, neque aliquis externus prædicator,vt supponimus; sequitur, eam propositam fuisse à Deo interius reuelando,& ex consequenti tunc puer ille habebit explicitam cognitionem Dei id dicentis, & reuelantis; quod tamen isti negant.Nam,cum paruulus ille assentiatur illi principio, vita honesta, & finis debitus sequenda sunt, & assentiatur sub fide, nempe, quia Deus dixit, non potest non apprehẽdere vtrũque extremum,nempe,Deum & reuelationem; ac proinde non tantum habebit rationem credendi sub qua,sed etiam habebit obiectum supernaturale credibile.Profecto,cum non sit nobis datum aliud nomẽ sub cœlo,in quo oporteat nos saluos fieri, ni si Christus Iesus;nemo poterit saluari, nisi saltem in obiecto credibili implicite sit nomen Christi Iesu.

Fauet etiam:Quia si aliquis habet fidem supernaturalem à Deo datam,& concessam, Deo ipso actua liter mouente,& reuelante interius, circa aliquod obiectum; si assentitur illi obiecto credibili sub ratione formali fidei,quia Deus dixit; tunc talis ratio credendi,sub qua credens fertur in obiectum,non debet esse ignota credentiergo facienti quod in se est ex auxilio,& fide supernaturali,Deus non denegat gratiam : Sed paruulus in illo primo instanti vsus rationis credit ex fide supernaturali, & credit obid quia Deus dixit, & reuelat, & consequenter necessario habet cognitionem explicitam Dei dicentis, & reuelantis, cum illa sit ratio sub qua, & propter quam iste credit: ergo illi Deus non denegabit gratiam.Sed aduerte,quòd iam præcessit cognitio Dei reuelantis, & dicentis, quæ est multo altius obiectum,quam bonum honestum, & debitus finis, & consequenter in illo obiecto Dei reuelãtis, & dicentis, includetur veluti in ratione eiusdem ordinis Christus,& spes erga ipsum,& votum baptismi implicitum,vt hic iustificari possit.

Adducuntur etiam authores citatæ sententiæ ad modum dicendi quinto loco propositum, ex quibusdam testimonijs D.Hieronymi,& D.Ambrosij. Et profecto,in D.Ambrosi.libro.2.de vocat. Gentiũ cap.2.ab eis citato,nihil tale reperitur; Imo vero in discursu totius libri, oppositum sensit Ambrosius. Citatur etiam Hieronymus lib.1. in epist. ad Galat. cap.3.super illud verbum. Hoc solum à vobis volo discere,ex operibus legis spiritum accepistis, an ex auditu fidei? inquit Hierony. Consideremus autem diligenter, quare non dixerit,volo à vobis discere vtrum ex operibus spiritum accepistis, sed adiecerit, ex operibus legis. Sciebat enim & Cornelium Centurionem spiritum ex operibus accepisse, sed non ex operibus legis,quam nesciebat. Si autem è contrario dicitur; ergo & sine auditione fidei accipi spiritus potest.Nos respondebimus accepisse quidem eum spiritum,sed ex auditu fidei,& naturali lege,quæ loquitur in cordibus nostris, bona quæque facienda, & vitanda mala, per quam dudum quoque Abraham,Moysem,& cæteros sanctos iustificatos retulimus, quam augere deinceps potest operũ obseruatio,legis quoque iustitia:non tamen carnalis legis,quæ præterijt,sed spiritualis,quia lex spiritualis est. Hæc Hieronymus.In quibus verbis nihil Hieron.pronunciat,quo possint aduersarij suam cõfirmare sententiam. Nam trũcate verba Hieronymi referuntur.Et in primis Hieronymus dicit, Cornelium accepisse spiritum ex auditu fidei: Si ergo habuit fidei auditum:ergo audibile aliquod fidei, & supernaturale credibile. Patet consequentia. Nam Hieronymus loquitur,vt explicet sententiam Pauli de auditu fidei,& de actu credendi,& fidei superna turalis erga Christum; Et cum loquitur Hieronymus de lege naturali,non excludit obiecta credibilia supernaturalia. Nam loquitur de naturali lege, per quam (vt ipse dicit) Abrahã, Moysem quoque, & cæteri Sancti iustificati fuerunt:Quia, videlicet, obseruantes naturæ legem, quæ nõ excludit fidem, neque excludebat obiecta credibilia supernaturalia etiam explicita,imo verò multa alia ad religionem pertinentia includebat,iustificabantur.Vnde, nihil dixit Hieronymus, quod prædictis citatis authoribus fauere posit.Imo verò supra in discursu secundæ conclusionis citauimus Hieronymum in secundo capite epistolæ ad Galat.super illa verba, Scientes,quòd non iustificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Iesu Christi; qui dicit, Sanctos antiquos fuisse iustificatos ex fide Christi, siquidem Abraham vidit diem Christi;& lætatus est,& Moyses maiores diuitias æstimauit, thesauro Ægyptiorum,improperium Christi:aspiciebat enim in remuneratione; Et Esaias vidit gloriam Christi;vt Ioan. Euangelista commemorat,& Iudas de omnibus generaliter.

*Authoris calculus de proposita controuersia.*

INter tot opiniones, verum tenere portum est difficile.Verum,vt nostram proponamus sententiam,sit prima propositio. Cognitio Dei naturalis præcisè,non est implicita fides alicuius mysterij supernaturalis:Itaque non est implicita fides, iustificatoris, aut remuneratoris supernaturalis. Probatur: Quia vt aliquid in alio implicite contineatur, necesse est,vt cognoscatur per lumẽ eiusdẽ ordinis vel per lumen acquisitũ ex lumine priori:sed lumẽ fidei non potest esse eiusdem ordinis cum naturali lumine,neque acquiritur virtute luminis naturalis: igitur fidei mysteria nullo modo continentur implicite in cognitione alicuius principij naturalis: Sed bonum esse sequendum,& debitum finem esse amplectendum,& malum, & inhonestum esse fugiendum,pertinet ad rationem naturalis principij:ergo in eo non continentur implicite mysteria supernaturalia fidei.Et confirmatur:Quia si in principio lumine naturæ cognito continetur implicite cognitio fidei, talis cognitio esset dicenda scientia fidei, saltem implicite.Imo verò,ex hoc sequeretur aperte, quod Philosophi, qui naturaliter cognouerunt Deum esse,& remuneratorem esse, habuerũt fidem Christi implicitam.Et vlterius sequeretur,quòd dilectio Dei naturalis,esset implicite dilectio supernaturalis fidei implicitæ, quod est Pelagianum. Patet sequela : Quia eodem pacto se habet supernaturalis dilectio ad naturalem,sicut cognitio supernaturalis ad naturalem:ergo si cognitio supernaturalis continetur implicite in cognitione naturali,etiam dilectio supernaturalis continebitur in naturali. *Conclus.1.*

Moueor rursus ad veritatem præfatæ propositionis. Quia fides explicita, & implicita, non distingũtur specie, sed solum sicut quid inuolutum,& id ipsum

ipsum explicatum, & expressum: sed naturalis cognitio est alterius ordinis, & inferioris, quam supernaturalis fidei cognitio: ergo cognitio supernaturalis minimè contineri potest in naturali cognitione. Nam homo non potest implicite contineri in semine plantæ, neque in semine leonis, etiam si hæc pertineant ad eundem ordinem naturæ cum homine: ergo multo minus fides supernaturalis implicita, quæ est diuersæ speciei, & diuersi ordinis cum cognitione naturali. Quòd vero fides explicita, & implicita non differant specie, sed sicut aliquid inuolutũ, & id ipsum iam explicatum, probatur ex Paulo, ad Galat. 3. Vbi inquit, Priusquam veniret fides, detinebamur inclusi in eam fidem, quæ reuelanda erat, id est, priusquam veniret fides euangelica, in qua fidei mysteria expressè explicantur, detinebamur inclusi in eam fidem, quæ reuelanda erat. Quibus verbis Paulus ostendit disidium inter fidem antiqui illius populi, & nos, quod in noua lege fides est explicata; in antiqua verò erat implicita. Imo verò Paul. ad Galat. 4 dicit, Fidem noui testamenti relatã ad fidem antiquorum, esse quasi viri iam perfecti, fidem vero veteris legis, esse veluti fidẽ paruuli, qui adhuc est sub pædagogo. Cæterum, nihilominus ille idem, qui est homo, est puer & vir: igitur eadẽ fides est implicita, & explicita. Idem etiam docet D. Paul. 2. Corinth. 3. Idem D. Hieron. lib. 2. super epist. ad Gal. c. 4. D. Aug. epist. citata. 157. ad Optatũ, & 19. contra Faustũ cap. 14. Idem etiã sensit Sanctissimus Præceptor. 2. 2. q. 1. artic. 7. & q. 2. art. 7. & 8. Et profecto Ecclesia semper fuit vna ab exordio mundi: ergo fides eius semper est vna vnitate specifica & formali: ergo siue fides sit implicita, siue explicita; non tamen distinguatur specie.

*Galat. 4.*

*2. Coriut. 3.*
*D. Hieron.*
*D. Auguſt.*

*Obiectio.* Dices; In cognitione Dei, qua naturaliter cognoscimus Deũ esse, continentur ea omnia, quæ pertinent ad Deum ab æterno. Rursus, in cognitione naturali diuinæ prouidentiæ, continentur tanquam in genere omnia, quæ Deus temporaliter disponit ad perducendum hominem in beatitudinem: ergo huiusmodi cognitio est implicita fides. Ostendo cõsequentiam: Quoniam obiectum illius cognitionis naturalis, habet se vt genus respectu specierum, seu vt totum quoddam cõfusum respectu partium: sed totum continet partes, & genus continet species implicite: ergo cognitio generis continet implicite cognitionem specierum. Et confirmatur: Quia fidelis rusticus dicitur credere implicite omnia, quæ sunt in sacra Scriptura, ob id, quod paratus est credere illa omnia, si sibi proponantur: sed fieri potest vt ille, qui habet solam cognitionem Dei naturalẽ, similiter sit paratus: ergo habebit implicitam fidẽ.

*Confirm.*

*Solutio.* ¶ Respondetur, negando primum antecedens: Quia in illa naturali cognitione præcisè continentur ea, quæ ex naturæ lumine inuestigari possunt. Et ad probationem, quòd obiectum illius cognitionis naturalis continet obiectum fidei implicite, sicut totũ partes, aut sicut genus species; Respondetur, quod illud obiectum, pro vt in se est, vere continet omnia, quæ sunt cognoscibilia de Deo; Veruntamen si illud obiectum consideretur præcisè respectu luminis naturalis, sic tantum continet ea, quæ per naturale lumen de Deo cognosci possunt. Nam nos non cognoscimus Deum sicuti est in se ipso. Quare, S. Thom. 2. 2. q. 1. ar. 7. quando dicit, quòd in illis duobus principijs, Deus est, & remunerator est, cõtinẽtur omnia, quæ de Deo cognosci possunt; intelligit si illa duo principia referantur ad lumen supernaturale. ¶ Ad confirmationem dicendum, quòd agrestis homo fidelis, cum habeat supernaturale lumen fidei, est paratus in potentia proxima credere omnia, quæ in Sacris literis continentur, imo credit ea implicite; Gentilis autem, qui tantum cognitione naturali est præditus, non est paratus illa credere; imo verò aliquando si proponantur resilit, vel si est paratus, vt aliqui dicunt, si obseruat legem naturæ, illud quidem est in potentia remota, aut remotissima.

*Ad Confir.*

### *Secunda conclusio.*

*Conclus. 2.* SEcunda propositio. Ad iustificationem adulti primo peruenientis ad vsum rationis, sufficit fides implicita Christi, & requiritur talis implicita fides Christi, sine qua non iustificabitur. Hæc assertio supponenda est modo ex materia de fide tã quam certa, & ex S. Thom. 3. p. q. 69. art. 4. ad. 2. vbi dicit, Remissionem peccatorum aliquis consequitur ante baptismum secundum quod habet baptismum in voto explicite, vel implicitè; & adducit exemplum de Cornelio, & de alijs, qui consequuti sunt gratiam per fidem Christi, & desiderium baptismi implicite: Cornelius namque iustificatus est antequam haberet fidem Christi explicitam: Quod patet, quia eius opera erant grata Deo, illique placebant; missus autem est ad Petrum, vt eruditetur: ergo pari ratione potest aliquis iustificari modo per fidem implicitam, & id quidem minori persuasione indiget in adulto primum perueniente ad vsum rationis. Sane, de Cornelio Actor. 10. dicitur, quod erat vir religiosus, ac timens Deum, & idcirco intulit Petrus eodem capite, in omni gente, quæ timet Deum acceptus est illi, quod quidem dicit propter Cornelium Gentilem: ergo aperte sequitur sufficere fidem implicitam ad iustificationem. Legendus est de hac re Canus in relect. de Sacramentis in communi. p. 2. q. 2. conclusio. 3.

### *Tertia conclusio.*

*Conclus. 3.* TErtia propositio. Ad iustificationem pueri primo venientis ad vsum rationis requiritur explicita fides Dei, & implicita Christi, vt dictum est, vel mediatoris. Itaque non satis est cognoscere bonum honestum, & finem debitum esse sequendum, sed requiritur supernaturalis cognitio explicita Dei principij vniuersalis omnium, & non sufficit naturalis illa cognitio de bono honesto sequendo; & oppositum asseuerare, non solum est temerarium, sed etiam suspectum de hæresi. ¶ Et quòd hæc fides explicita Dei, eiusque cognitio supernaturalis, & Christi saltem fides implicita, sit necessaria simpliciter ad iustificationem in omnibus adultis peruenientibus ad vsum rationis, patet ex Sanctis Patribus, ex D. Augustin. epist. citata. 157. ad Optatum, cuius verba supra retulimus in discursu secundæ conclusionis in exordio positæ, & contra duas epist. Pelagianor. cap. 21. & tractatu. 25. 26. & 45. super Ioannẽ, & psal. 13. & 51. & 67. & super illa verba Psalmi, *Dixit insipiens in corde suo non est Deus*, & lib.

*D. Aug.*



lib. 83. qq. quæst. 68. & plerisque in locis adducit D. Augustin. illud Actor. 4. Non est datum aliud nomẽ sub cœlo, in quo oporteat nos saluos fieri. Idem docet D. Hieron. ad Galat. 2. super illa verba. Scientes, quod non iustificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Christi, cuius verba retulimus supra impugnantes quintam sententiam. Legendus est etiã super epist. ad Galat. cap. 4. quo loco aperte insinuat, quòd sicut hæres idem est paruulus, & adultus, sic populus ille antiquus, & hic nouus, eadem fide, & religione contentus, eadem quoque Ecclesia est; & sicut in paruulo implicite, & virtualiter continetur, quod postea explicatur in adulto, ita fides illa antiquorum, paruula fuit, & vi sua implicite continebat, quod deinde crescens habuit explicite in nouo populo legis gratiæ, sicut & fructus in semine, aut in radice continetur implicite, qui postea explicite apparet in fruge. Hoc idem docuit D. Ambros. 1. ad Timoth. 2. explicans illud, Deus vult omnes homines saluos fieri, & epist. 84. ad Demetriadem. Idem Chrysost. homil. de fide, & lege naturæ.

*Obiectio.*

*D. Ambr.*

*Concil.* Sanè in Concil. Trident. sessio. 6. capit. 5. 6. 7. & 8. præsertim in. 7. habetur, Sine fide nulli vnquam iustificationem contigisse: sed fides est quoddam lumen: ergo illuminat aliquod obiectum eiusdem ordinis cum fide: ergo saltem aliquod, in quo implicite Christus contineatur: ergo non sufficit ex parte credibilis bonum honestum, quod naturali cognitione euidenter cernitur.

Præterea, Cum primum homo peruenit ad vsum rationis, vel deliberat de fine naturali, nempe, de bono honesto sequendo, vel deliberat de fine supernaturali: Si primum, sicut ille finis est naturalis, ita est proportionatus intellectui, & voluntati: ergo si puer ille natura duce velit sequi, quod ab eadem natura præscribitur, non peccabit, & facit, quod in se est: ergo iuxta aduersariorum sententiam iustificabitur: ergo ex naturalibus consequetur gratiam, quod est Pelagianum, & erroneum. Si vero deliberatio illius pueri adulti sit de fine supernaturali, id quidem fieri non potest, sine supernaturali cognitione à Deo data ex parte intellectus, quam nos, vt minimum, ex parte obiecti fidem Dei explicitam vocamus. Et hæc ratio magis explicabitur infra in discursu quartæ propositionis. ¶ S. Thom. 2. 2. quæst. 2. articulo. 7. solut. ad. 3. explicans quo pacto plerisque gentilibus facta fuerit reuelatio de Christo, vt patet per ea, quæ prædixerunt, dicit, neminem fuisse saluatum, aut nulli vnquam contigisse salutem, sine fide mediatoris. Quia etsi non habuerunt fidem explicitam, habuerunt tamen implicitam credentes Deum esse liberatorem hominum secundum modos sibi placitos: semper ergo necessaria fuit cognitio Dei, & non sufficit sola illa cognitio boni honesti. ¶ Et profecto, mirabile esset, quòd aliquis adultus iustificaretur ab aliquo, à quo obtineret veniam, & remissionem peccati, & à quo adoptaretur in filium, & participem suæ naturæ faceret; imo verò hæredem vitæ æternæ, & quod non cognosceret, sed ignoraret illum, pro eo tempore, pro quo hæc recipit beneficia: ergo satis certum est esse legem, quòd sine cognitione Dei explicita nemo potest iustificari, & quod non sufficit ex parte obiecti cognoscere solum bonum honestum, & debitũ finem esse sequendum. Quod verò non sufficiat ex parte obiecti ista cognitio præcisa boni honesti, sed quòd requiratur implicita mediatoris fides, id constat ex materia de fide, & ex communi cõsensu Ecclesiæ, & ex Concilijs, & Sanctis Patribus supra citatis, idque nos in materia de fide, & de sacramentis in genere luculenter ostendimus Deo fauente.

*Concil.*

### *Quarta conclusio.*

*Conclus. 4.* QVarta propositio. Si puer veniens ad vsum rationis, per intellectũ auxilio supernaturali illuminatũ, cognoscat supernaturali cognitione fidei, iudicetque certo, nõ solum vitam honestam esse sequendam, debitum finem, & bonum rationis esse eligendum; sed etiam Deum esse remuneratorem inquirentium se, & per voluntatem eodem auxilio supernaturali motam, in illum finem, & in Deum explicite, se, & omnia bona sua conuertat efficaciter; statim iustificabitur. Quia re vera illud iudicium est actus fidei supernaturalis, procedens ex auxilio supernaturali speciali, vt supponimus. Quam assertionem vt intelligas aduerte ex S. Thom. 2. 2. q. 1. art. 7. quòd in illis duobus principijs, Deus est, & remunerator est, continentur omnia, quæ de Deo cognosci possunt, quod tamen intelligi debet quatenus illa duo principia cognoscuntur lumine supernaturali fidei. Vnde, illud obiectum, & principium, Deus est, si consideretur secundum quòd in se est, sine vllo ordine ad cognitionem creaturæ, omnia continet, quæ quomodolibet de Deo cognosci possunt; & ita continet implicite obiectum fidei, sicut totum continet partes, aut genus species: Si vero consideretur vt obiectum respectu luminis naturalis præcise; sic ea tantum continet, quæ inuestigatione luminis naturalis possunt cognosci de Deo, cuius aperta ratio est; Quia nos non cognoscimus Deum sicuti est. Veruntamen, si consideretur illud principium, Deus est, & remunerator est, vt obiectum luminis supernaturalis fidei, & vt obiectum cognitionis supernaturalis, sic in illo principio, & obiecto continentur omnia, quæ de Deo cognosci possunt, quatenus videlicet illud principium cognoscitur supernaturali lumine; & ita debet intelligi Sanctissimus Præceptor loco citato, cum dicit, quòd in illis duobus principijs, Deus est, & remunerator est, continentur omnia, quæ de Deo cognosci possunt, intelligit secundum quod illa duo principia cognoscuntur lumine supernaturali. Quo fit, vt omnis, qui ex fide cognoscit hæc duo principia, cum primum peruenit ad vsum rationis, proxime & in potentia proxima paratus sit explicite credere omnia, quæ in Sacra Scriptura continentur; non tamen ille, qui tantum habet cognitionem naturalem.

*Hebr. 11.*

Hæc conclusio ita explicata, sicut à me proponitur, tollit omnia dubia, & saluat fidem implicitam Christi, & actum spei circa Deum in eo, qui iustificatur, explicat etiam D. Paul. ad Hebræ. 11. Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & quòd inquirentibus se remunerator est, & D. Thomam. 1. 2. q. 100. art. 4. ad. 1. dicentem, quòd Deum esse, est primum credibile, quod omnibus proponitur; explicat etiam, quo pacto vita honesta, & debitus finis

non

non continent implicite Christum;at verò Deum esse, & remuneratorem esse,cum in se contineant omnia,quæ de Deo cognosci possunt,si referantur ad lumen supernaturale, & ad cognitionem fidei, sic talis actus credendi continet implicite fidem Christi,imo in obiecto credibili,etiam,vt relato ad talem cognitionem supernaturalem, continentur mysteria fidei,quia continentur,vt dictum est,omnia,quæ de Deo cognosci possunt.Dissoluit præterea argumenta, quę obiecimus cõtra quintam sententiam,& ostendit quo pacto melius multo sit, ad iustificationem requiri explicitam fidem Dei, & quo pacto sit verum fidem implicitam Christi contineri, quæ necessaria est ad talem iustificationem.

Probatur etiam hæc sententia.Nam faciẽti,quod in se est ex auxilio supernaturali, si se conuertat ad obiectum debitum,habeatque saltem implicitam fidem Christi, Deus non denegat gratiam; sed qui sic credit,vt dictum est,& sic conuertitur in Deum explicite,& in debitum finem ex supernaturali auxilio,facit quod in se est:ergo Deus illi non denegat gratiam.Vnde S.Tho.1.2.q.89.art.6.dicit, quod si cum primum homo perueniens ad vsum rationis & deliberans de se ipso, seipsum ordinauerit ad debitum finem per gratiam,consequetur remissionem originalis peccati.Et S.Thom. loquens de iustificatione impij,dicit, quòd in illa iustificatione, Deus mouet animam hominis conuertendo eam ad se ipsum.Et vt explicet, primam conuersionem in Deum esse per fidem, adducit illud Pauli ad Hebræ.11. Accedentem ad Deum oportet credere, quia est:Igitur explicita Dei cognitio ex sententia D.Thom.requiritur, quod si eam non habeat puer in illo primo instanti, per solam conuersionem ad bonum honestum,non iustificabitur.

Adducor etiam ad præfatam assertionem:quia si aliquid obstaret,quominus puer iste iustificaretur, maxime,quia obiectum illud materiale, quod credit,nempe, Deum esse, & prouisorem esse,aut remuneratorẽ,est naturale:sed hoc non obstat; Quia hoc principium, Deus est, in se continet omnia, quæ quomodolibet de Deo cognosci possunt; & si hoc obiectum,Deus est,& remunerator est, referatur ad lumen supernaturale,& ad cognitionem supernaturalem fidei, dicitur vere continere omnia credibilia,quæ de Deo cognosci possunt: ergo implicite Christum. Rursus; ratio credendi tendens in illud obiectum,Deus est,est supernaturalis,& est cognitio fidei, & terminatur ad obiectum illud, Deus est, remunerator est, quod obiectũ continet omnia, quæ quomodolibet de Deo cognosci possunt:ergo habet obiectum supernaturale: ergo potest iustificari.Et confirmatur:Quia si aliquis genti lium instruatur in fide, primum quod ei proponi debet,est Deum esse,& vnum esse;tunc interrogo, Si aliquis Catechumenus credat istud obiectum supernaturali fide, & conuertatur in ipsum, vt in finem vltimum, antequam alij articuli proponantur,iustificabitur; & tamen hoc obiectum non est aliud ab eo,ad quod cõuertitur puer cum peruenit ad vsum rationis: igitur si ratio credendi sit supernaturalis,& terminetur ad hoc obiectum,id quidẽ sufficiet ad iustificationem. ¶Tertio.Si puer conuertatur explicite in Deum, proponatque sequi ipsum,& bonum honestum efficaciter, conuertatur que per auxilium supernaturale, ex parte intellectus cognoscendo supernaturali cognitione Deũ explicite, habet quidem actum incomposibilem peccato,quoniam habet vltimum finem, in quem ordinat omnia alia:ergo consequetur gratiam,& remissionem peccati originalis.

Moueor præterea ad veritatem huius assertionis: Quia si ita dicamus, multo melius saluatur quomodo sit in potestate cuiuscumque hominis iustificari si velit,cum peruenerit primum ad vsum rationis. Nam omnibus hominibus;eo ipso, quod perueniũt ad vsum rationis,proponitur per rationem debitus finis, & vita honesta sequenda, & in illo instanti vsus rationis, offertur huic paruulo iam adulto supernaturale auxiliũ,tã in intellectu,quã in voluntate,si velit vti ipso:igitur in potestate cuiuscũq; erit libere statim tẽdere ad gratiam, & se disponere ad gratiã:Existimo enim de lege diuinę misericordię, & diuinę prouidẽtiæ,ad quã pertinet prouidere de remedio illi puero peruenienti advsum rationis,q; Deus illuminat intellectum eius illustratione fidei qua posita, si puer ille motus supernaturali auxilio,per voluntatem amet bonum honestum,proponatque sequi illud in instanti terminatiuo huius deliberationis,seu in tempore immediato conuersioni præcedenti,non in hoc, aut in illo determinate, sed in quolibet tempore, aut parte temporis immediata instanti terminatiuo deliberationis antecedentis, habebit cognitionem explicitam Dei, in quem terminabitur conuersio illa simul cum supernaturali cognitione, atque ita iustificabitur. Volo dicere, quod quamuis in primo instanti deliberationis intrinseco,cum adultus iste deliberat de bono honesto, & se conuertit ad illud, vt ad finem suum,careat cognitione explicita Dei, & pro illo instanti habeat ignorantiam inuincibilem de Deo; tamen in tempore immediato huic instanti intrinseco,habebit cognitionem explicitam Dei, & consequenter implicitam Christi. Nam supernaturalis cognitio, quam habet, non tantum terminabitur ad vitam honestam, sed ad Deum secundum se, & consequenter si cõuersio illa terminetur ad Deum ita cognitum per fidem,vt ad finem vltimum, quę sequi efficaciter proponit,iustificatur à Deo.¶Hoc videtur mihi sensisse Sanctissimum Præceptorem 1.2.q.89.art.6.cum dixit,quòd si adultus cum primũ peruenit ad vsum rationis si se ipsum ordinauerit ad debitum finem per gratiam, consequetur remissionem originalis peccati. Vnde, intelligit S.Tho. quòd licet in primo instanti vsus rationis homo se conuertat ad bonum honestum,& habeat tunc implicitam cognitionem Dei; quia in illo principio boni honesti sequendi,cognoscit ille adultus se dependere ab aliquo principio;tamen caret cognitione explicita Dei,& habet ignorantiam inuincibilẽ cognitionis explicitæ ipsius Dei,& quod in tempore immediato huic cognitioni boni honesti, habebit cognitionem explicitam Dei,ad quem terminabitur supernaturalis cognitio fidei, & pariter terminabitur conuersio,sicque iustificabitur. Caietanus non abhorret hunc modum dicendi.Nam inquodlibeto speciali de contritione dicit,non oportere statim vt puer sequitur dictamem naturalis rationis, iustificari



iustificari per gratiam, sed satis esse si proxime,vel post aliquam moram temporis, iuxta præscriptum diuinæ prouidentiæ, habita sufficiente dispositione,iustificetur.

Dixi quòd non abhorret hunc modum dicendi. Quia,vt minimum, hæc nostra sententia continetur in sua; nos tamen non ponimus illud interuallum,aut moram temporis, sed solum asseueramus, quòd postquam deliberauit homo ille perueniens ad vsum rationis de bono honesto,& de conuersione,& sequela finis illius,determinata voluntate & efficaci,in instãti terminatiuo huius esse Deus insinuat explicite, & terminat supernaturalem fidei cognitionem, & pariter conuersionem illam; ac proinde hac existente dispositione, tũc iustificabitur de lege, & sic habebit implicitã fidem Christi, quatenus per rationem supernaturalem credendi terminatur eius cognitio ad Deum explicite,inquẽ credit,& in quem conuertitur,& tunc fiet,vt Deus ita explicite cognitus & insinuatus à fide,terminet cognitionem illam supernaturalem, quatenus in Deo ipso sunt, & includuntur quæcumque per talem fidem supernaturalem cognosci possunt, & quæcumque cognoscibilia in ipso Deo,vt sic,continentur in ordine ad supernaturale illud lumen fidei.Et pariter verificabitur, quòd non tantum requiritur fides ex parte principij, & ex modo credẽdi,sed etiam ex parte alicuius obiecti supernaturalis.Et pariter verificabitur,quod in illa cognitione supernaturali terminata ad Deum explicite,quatenus in Deo remuneratore sunt,& continentur omnia,quæ de ipso sunt cognoscibilia, respectu huius luminis,quo supernaturaliter cognoscitur,includitur fides implicita Christi, & implicitum votum Baptismi. Itaque, non mihi probatur ea sententia, quæ dicit, quod sistendo in obiecto credibili pure naturali,nempe, in solo bono honesto, & debito fine honesto,fine explicita cognitione Dei,iustificabitur adultus.Existimo enim quòd requiritur explicita cognitio Dei, quã pono in instãti terminatiuo deliberationis,& in tempore immediato, & proximo illi,simul cum iustificatione illius adulti, ex auxilio speciali Dei,& fide supernaturali, vt explicatum est.

*Dicens. Primo dicendi.*

Siroges, Quo pacto fieri potest,vt sine prædicatore exteriori,cognoscatur Deus explicite in instãti immediate terminatiuo deliberationis? Ad hoc sunt duo modi dicendi, & primus quidem desumitur ex quarta sententia supra tacta,nempe, quòd si des explicita Dei, tribuitur omnibus in instanti illo terminatiuo vsus rationis, omnibus inquam,nõ ponentibus impedimentum.Nam sicut in naturalibus sunt quædam principia per se nota,quæ naturalilumine cognoscimus, absque aliquo exteriori magistro docente; sic etiam in credibilibus supernaturalibus sunt aliqua principia credibilia, quibus possumus credere, absque aliquo prædicatore externo,ex eo quod illuminantur ab ipso lumine fidei infuso,& huiusmodi sunt Deum esse,& remuneratorem esse,quæ à solo lumine interno fidei proponuntur,& ostenduntur.Dico ergo quòd si puer veniens ad vsum rationis,accepit fidem supernaturalem in baptismo,illa proponit Deum esse,& remuneratorem esse credendum in illo instanti terminatiuo deliberationis, non aliter, quam lumen naturale proponit quodlibet est,vel non est,vt euidenter iudicandum.Si vero puer ille non fuerit baptizatus,eo ipso quod in instanti vsus rationis decernit se conuertere in finem,quem cognoscit, & non apponit impedimentum violando præceptum affirmatiuum conuertendi se in Deum,infunditur sibi lumen fidei, & per illud proponitur illi hoc primum credibile,Deum esse, & remuneratorem esse in instanti terminatiuo deliberationis.

Quòd si vlterius interroges. Quid est prius, infundi lumen fidei pueris in instanti deliberationis, aut ipsos non apponere impedimentum?Respondetur, vtrumque esse simul duratione, vnum tamen esse prius altero in diuersis generibus causarum. Quia in genere causæ materialis prius est non apponere impedimentum,seu adimplere præceptum; tamen in genere causæ efficientis prius est infundi lumen fidei,& actus adimplendi præceptum,quatenus terminatur in instanti terminatiuo deliberationis præcedentis ad Deum explicite cognitum per fidem,vt ad finem vltimum conuersionis, se habet vt dispositio vltima ad gratiam in genere causæ materialis, quamuis sit posterior gratia in genere causæ efficientis.Alia etiam conducentia huic proposito,sunt in illa quarta sententia supra tacta.

*Secundus modus dicendi.*

Secũdus modus dicendi est,q; Deus in instãti terminatiuo deliberationis se manifestat per lumen illud internum, non aliter, quam si gessisset vicem prædicatoris,& hoc pertinet ad Dei prouidentiam supernaturalem respectu paruulorum, cum teneantur illo præcepto se conuertendi in Deum,& in bonum honestum peruenientes ad vsum rationis. Nã cum homo perueniens ad vsum rationis toto illo tempore,quo deliberat de se ipso,& tenetur deliberare vsque ad illud instans terminatiuum, de quo diximus,non sit extra statum salutis, necessario pertinet ad Deum prouidere de remedio ad salutem, & iustificationem eius,& cum non debeat hoc fieri per miraculum, sequitur, quod regulariter fiet hoc per manifestationem Dei,& internam insinuationem Dei per fidem,quam vel habet, vel infundit Deus illi adulto, vt supernaturaliter cognoscat explicite Deum esse,& remuneratorem esse.Et hoc forte insinuatur à D.Ioan.1. cap. sui euangelij cum dicit, quod illuminat omnem hominem venientẽ in hunc mundum,vt fusius explicaturi sumus concluſ.5. sequenti.Et sic vitantur miracula, & conceditur ignorantia explicita Dei intra durationem deliberationis pueri perueni entis ad vsum rationis ante illud instans, quod est terminatiuum ipsius deliberationis, quanta fuerit ipsius deliberationis duratio. *Ioan.1.*

## *Quinta conclusio.*

*Conclus.5.*

QVinta propositio. Sicut in vltimo instanti terminatiuo verborum consecrationis corporis Christi, fatemur adesse corpus Christi sub speciebus panis;sic philosophandum est de vltimo illo instanti terminatiuo deliberationis pueri iam adulti perueni entis ad vsum rationis. Et sentiendum est, quòd si moueatur intellectus paruuli ex auxilio supernaturali, & similiter voluntas moueatur ex auxilio supernaturali

turali Dei ad deliberandum de se ipso, cognoscendo bonum honestum,& amando illud, seseque conuertendo in illum debitum finem, in quem tendit sub cognitione supernaturali, quam habet,& ex auxilio speciali mouente voluntatem, in instanti terminatiuo huius deliberationis cognoscet Deum explicite, vno ex duobus modis supra tactis, & consequenter, tam actus intellectus, quam voluntatis, & actus conuersionis illius paruuli, terminabuntur ad Deum explicite cognitum in instanti terminatiuo; sicque fiet, vt paruulus ille habens fidem supernaturalem,& Deum explicite cognitum, iustificetur. Hoc est, quod insinuat S.Thom.in.q.89.art.6. in hac prima secundæ, vbi non est intelligendum, eũ voluisse, paruulum illũ iustificari cum illa ordinatione, quæ per naturam tantum fit circa finem naturalem præcisè, sed per illam, quæ fit per gratiam, idest, per gratuitum Dei auxilium, & fidei motum, qui vltimo terminatur ad Deum explicite cognitũ in instanti terminatiuo deliberationis; & ob id dixit notanter Sanctissimus Præceptor, si ordinauerit se ad debitum finem per gratiam, & indiget punctuatione litera D. Thom.

Ioan.1. Hoc etiam videtur sensisse Euangelista Ioannes. c.1.sui Euangelij, qui cum exordium sumpsisset ab explicatione diuinitatis ipsius Dei, dixit; In principio erat Verbum,& Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, hoc erat in principio apud Deum. Et paulo inferius subiungit; Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Quo loco S.Thom.dicit, quod hęc illuminatio non solum intelligitur de lumine naturalis cognitionis, sed etiam de lumine gratiæ per fidem, & est distributio accõmoda iuxta D. August. non quòd omnis homo illuminetur per fidem. Nã plures sunt,& fuerunt, qui caruerunt illa, imo verò plures ex paruulis venientibus ad vsum rationis non adimplentes præceptum de deliberatione, & conuersione sui ad finem honestum, & ad Deum, præstant impedimentum huic illuminationi diuinæ: Sed, quod omnes, qui illuminantur, non, nisi à Verbo illuminantur. Et potissime homo dicitur venire in mundum, cum habet primum actum humanum, & incipit de se ipso deliberare, & primum principium mundi cognoscere. Nam tunc euidenter cernit se dependere ab alio, & se non esse Deũ. Quod si hæc in se foueat supernaturali cognitione affectus, à Deoque motus, tandem in instanti terminatiuo, illi Deus affulget, in quem terminauit, & cognitionem illam,& conuersionem sui, vt dictum est. ¶ Rursus; Cum ex vera Pauli sententia, Deus velit omnes homines saluos fieri: ergo & hunc paruulum: ergo in primo instanti, quo deliberare potest, præsto est illi Deus, & cum non possit iustificari sine Dei gratia, sequitur, quòd ad minus si ille non præstet impedimentum, quod in instanti terminatiuo illius deliberationis, & conuersionis factæ ex Dei motione,& auxilio, Deus illi manifestabitur, & in ipsum terminabitur obiectiue,& finaliter conuersio ipsa.

Aduerte tamen, quòd licet per se loquendo lumen fidei detur propter supernaturalia, quæ non videntur; tamen etiam est necessarium propter nonnulla, quæ naturali lumine sunt cognoscibilia, vt ea firmitate teneantur, quæ ad rectam vitam confirmandam requiritur, iuxta illud Prophetæ Psal.118. Da mihi intellectum, vt discam mandata tua. Quocirca, puer ille etiam ex fide incipit agere,& operari ante instans illud terminatiuum, quam cognitionem supernaturalis illustrationis, vltimate terminat Deus explicite cognitus in instanti illo terminatiuo deliberationis, vt explicatum est, idque pertinet ad prouidentiam Dei. Psal.118.

Hanc nostram sententiam à fortiori tenentur defendere omnes, qui dicunt, quòd puero rectè deliberanti de salute sua in primo instanti vsus rationis, statim infundetur lumen supernaturale fidei, per quod cognoscat primum illud religionis principium, nempe Deum esse, & remuneratorem esse, & quòd hæc illuminatio non erit tunc miraculosa, sed regularis diuinæ prouidentiæ, ad quam pertinet neminem relinquere sine sufficienti remedio, & auxilio necessario ad salutem. Quare, Medina.1.2.q.89.art.6. magna ex parte fauet huic nostro placito,& aliquando illud insinuat. Nam inquit, quòd si quis obijciat, cognitionem Dei hominibus aduenire post longum tempus,& diutinam inquisitioné; Respondẽdum est, illud esse verum, si fiat sermo de cognitione adquisita, viribus nostris comparata, non tamen si fiat sermo de cognitione supernaturali; quam Deus ipse hominem docet. Quapropter, non est necessarium interuallum illud, neque tempus, quod Caietanus,& alij fingunt, præsertim cum molitur Deus hominem iustificare. Quia nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia; Subito namque potest omnes homines docere scientiam,& doctrinã ad salutẽ necessariã. Quòd si paruulus ille iustificari potest in illo instanti terminatiuo, & pariter illuminari de illo obiecto explicite cognito, cur non tunc? aut quare differetur in aliud tempus? Cũ ille motus fuerit ex speciali auxilio à Deo, & antecedenter supernaturali illustratione motũ, & nesciat tarda molimina Spiritus sancti gratia.

Mouet me etiam ad sententiam tactam credendam; quòd si ita ponatur, cessant angustiæ illæ de peccato originali cum veniali tantum in adulto; Cessat etiam illud, quod non est locus, qui respondeat homini habenti originale cum veniali tãtum; & cessant plura alia inconuenientia, quæ conturbare solent Theologos in hac parte. Nam si homo perueniens ad vsum rationis non rectè agat, neque deliberet, sed omittat præceptum illud, quo tenebatur, iam peccat mortaliter, & ei respondebit locus inferni. Si vero ex Dei auxilio, vt dictum est, rectè agat, & deliberet, in instanti terminatiuo deliberationis habebit explicitam cognitionem Dei; & sic conuertetur in Deum remuneratorem, quem vt sic prosequitur, atque adeo per gratiam obtinebit remissionem originalis peccati, vt S.Thom.dixit locis citatis.

Hanc quintam assertionem, & quartam etiam propositionem præcedentem cum suis fundamentis, ostendunt ad minus, omnia argumenta, quæ conficiunt authores quintæ sententiæ. Et profectò eam mihi videtur defendere,& insinuare S.Thom. locis supra à me citatis,& in hoc art.4. Vnde, posito hoc modo dicendi, cessat illud, quod plerique recentiores dicunt, nempe, quòd in interuallo, seu mora tempo-



temporis, antequam puer ille erudiatur de supernaturalibus per fidem, ad prouidentiam Dei specialem pertinet tueri, & conseruare illum hominem, ne cõmittat veniale peccatũ, aut ne moriatur.

### *Solutio ad argumenta in exordio quæstionis facta.*

*Ad argum. initio facta. Ad primum*

AD argumenta, quæ in exordio quæstionis facta fuerunt, tempus est, vt redeamus,& illis satisfaciamus. Ad primum, illi qui tenẽt cognitionem supernaturalem de obiecto naturali, esse sufficientem ad iustificationem, vt sunt illi, qui tenent quintam sententiam suprà tactam, respondent, consequentiam argumenti non valere. Quia dato, quòd illa duo possent cognosci naturaliter; tamen talem cognitionem dicunt non sufficere; sed esse necessarium, quòd tale obiectum cognoscatur cognitione supernaturali. ¶ Verumtamen, nos qui censemus, necessariam esse cognitionem supernaturalem de obiecto supernaturali, respõdemus, quòd si cognoscatur Deus esse, & remunerator esse explicitè cognitione supernaturali fidei, iam tunc consideratur illud principium, Deus est, & remunerator est, respectu luminis supernaturalis, quatenus cõtinet omnia illa, quæ sunt credibilia,& cognosci possunt de Deo in ordine ad tale lumen supernaturale, & ex consequenti consideratur illud obiectum, vt supernaturale, respectu illius luminis, & respectu eorum, quæ de Deo cognosci possunt, & de ipso sunt credibilia, & in ipso continentur, ac proinde in tali cognitione supernaturali fidei, continetur implicita cognitio Christi, & prouidentiæ supernaturalis. Quare, non satis est, quòd cognoscatur de Deo, quòd est, & quòd remunerator est, nisi hæc cognoscantur cognitione supernaturali, & vt obiectum supernaturale ad modum explicatum; & ita negatur etiam consequentia. Quapropter aduerte, Paulum non dixisse, sufficere cognitionem illorum duorum, sed dixisse quòd oportet cognoscere accedentem ad Deum, quòd est,& quòd inquirentium se remunerator est; & licèt illa duo sufficiant; negatur tamen, quòd illa duo, de quibus Paulus loquitur, sint obiecta, quæ sola ratione naturali cognosci possint, aut quòd præcisè sint supernaturalia obiecta. Et sanè, quòd Paulus non loquatur de quacumque remuneratione; de supernaturali, fatetur Caieta. super illum locum, & plures alij cum eo: Quoniam ibi loquebatur Paul. de remunerationibus, quas sperabant Abel, & Noe, & alij Sancti Patres, quos ibi Paulus enumerat, istæ erant supernaturales; Quòd Deus aliqua sui societate, aut contemplatione deberet suam beatificare familiam, erat omninò supernaturale, quod nullus Philosophorum cognouit. Quod confirmatur; quia illud verbum, Inquirentibus se remunerator est, non potest intelligi de peccatoribus inquirentibus Deum naturali inquisitione solùm, quia istis nihil debetur à Deo, sed loquitur Paulus de inquirentibus Deum supernaturali inquisitione, quibus remuneratio supernaturalis, & cælestis respondit. Sed in illo verbo, Oportet credere quia est, Caietanus illo loco, fatetur, quòd non est tam certum Paulum loqui de obiecto supernaturali, & non naturali, sicut in verbo illo, Inquirentium se remunerator est. Sed profectò, verosimilius est, quòd etiam in hoc verbo loquatur Paul. de obiecto supernaturali, ita vt non solùm velit Paulus dicere, Oportet credere quòd sit Deus, aut quòd sit prima causa, sed quòd est Deus absolutè excedens totam nostram naturam. Et quòd sic intelligendus sit Paulus, id sane videtur colligi ex Sanct.Thom. 2.2.quæstione.1. articulo.8.ad.1.&.2.& potissimè quæstione 2.articulo.2.ad.3. Et idem insinuat articulo septimo ad.3. Et patet; Quoniam Paulus cùm dicit, Accedentem ad Deum oportet credere, non loquitur de accessu ad Deum, vt est obiectum naturale, sed vt est finis noster supernaturalis: ergo cùm postea dicit, Oportet credere, quia est, non solum loquitur de cognitione supernaturali; quæ habet obiectum naturale, sed etiam de ea, quæ est supernaturalis, & circa supernaturale obiectum. ¶ Ad secundum respondetur, quòd si illud aliquid probaret, etiam ostẽderet, quòd in lege naturæ non erat necessaria contritio supernaturalis ad iustificationem, quia de illa tunc lex publicè promulgata erat. Quapropter, ad argumentum negatur consequentia. Quia licèt tũc homines non habuissent aliquam legem specialem de promulgatione, per quam illis promulgaretur necessitas fidei supernaturalis; tamen verè cognoscebant ad id teneri, esseque id necessarium ad salutem ex inspiratione diuina, sicut etiam ex diuina inspiratione cognoscebant contritionem supernaturalem esse necessariam ad reconciliandum diuinam amicitiam. Vndè, status ille non appellabatur status legis naturæ, quia tunc nullum fuisset prorsus præceptum supernaturale in illa lege, sed quia nondum erat exteriùs positum, & promulgatum, sicut interius: esse autem præceptum interius verè obligans, quale erat fidei, & contritionis supernaturalis, non derogat statui legis naturæ. ¶ Ad tertium quod est ex S.Thom.desumptum, dico, quòd locus Pauli, gentes quæ legem non habent, &c. dupliciter potest intelligi; Primò quidem de obseruatione legis, vt potest naturaliter seruari per voluntatem, & intellectum,& tunc sensus est, quòd gentes absque peculiari Dei motione, nempe gratiæ, possunt seruare singula præcepta naturalia, non omnia, & ita explicat Caietanus,& alij cum eo. Sed ex hac expositione nihil habetur contra nostram sententiam. Secũdò verò potest intelligi de obseruatione legis completa, aut meritoria; & quoniam hæc sine gratia fieri non potest, consequens est, vt Paulus loquatur de gentibus iam conuersis. Et in hoc sensu, dupiciter intelligitur hic locus: Primò, vt intelligit August.de spiritu,& litera, cap.27. quòd naturaliter faciunt ea, quæ sunt legis, id est, per naturam gratia sanatam. Nam, quia peccatum est contra naturam, & gratia sanat, & perficit naturam; idcirco quod fit ex gratia sanante naturam, dicitur naturaliter fieri; Et hanc interpretationem sequutus est S. Thom. suprà quæstio.109.artic 4. ad. 1. Sed ex hoc nihil sequitur contra nostram assertionem. Altero modo potest exponi sicut D. Thom. exponit in ordine ad intellectum; Nam cùm intellectu duce exequatur omnia voluntas, inde fit vt id, quod homo operatur intellectu naturaliter dictãte, dicatur homo naturaliter facere, dato ad id exequendum, requiratur auxilium speciale ex parte volũtatis: & ita sensus est, Ad secundũ. Ad tertiũ.

naturaliter ea,quæ legis sunt,faciunt, id est,intellectu naturaliter dictãte de illis. Quoniã naturalia præcepta homines naturaliter cognoscunt, iuxta illud Prophetæ, signatum est super nos lumen vultus tui Domine. Et ex hac acceptione potest sumi aliquale argumentum contra nostram conclusionem. Nam si naturali cognitione potest homo opera legis agere, inde videtur colligi, quòd non requiritur supernaturalis cognitio. Sed profectò hæc collectio, nullius efficaciæ est. Quia iam diximus, Diuũ Paulum, & Sanctum Thomam loquutum fuisse de gentibus iam conuersis. Quare, sicut de me dici potest, quòd operor opera legis, quia scilicet, intellectu naturaliter dictante de illis, operor illa, dato ad illorum operationem requiratur auxilium speciale gratiæ mouentis affectum; tamen per hoc, quod dicimus, quòd naturaliter operor opera legis, non excluditur cognitio supernaturalis, quæ requiritur ad iustificationem; & ita dicit Diuus Thomas in expositione Pauli, quòd hac dispositione loquitur de gẽtibus. Cæterùm per hoc non excluditur à Sanct. Thom. quòd requiratur cognitio supernaturalis ad iustificationem, cùm plerisque in locis id teneat expressè. ¶ Respondetur secundò, quòd id quod dicit Paulus, naturaliter, non significat proculdubio sine gratia, & ope diuina illud fecisse homines illos, sed significat eos fecisse ea, quæ legis sunt, sine eo, quòd haberent legem aliquam scriptam, vel præceptum exterius. Quoniam Paulus confert gentes cum Iudæis, quibus lex, & præcepta diuina data sunt, & docet, meliores fuisse illos, quibus nulla lex exterior data fuit, quam fuerunt Iudæi tot legibus muneratis; & hanc etiam expositionem sequitur August. de spiritu, & litera cap. 26. Dixit ergo Paulus citata verba, ad Iudæorum desidiam confundendam, nempe, quòd Gentiles, quamuis tot beneficijs diuinis non fuissent amplificati sicut Hebræi; tamen bonitate naturæ, & virtutis moralis excoluisse virtutem meliùs, & præstantiùs aliqua ex parte, quam ipsi Iudæi. Quem modum dicendi Caietanus etiam insinuat illo loco. ¶ Ad quartum patet solutio ex discursu quæstionis. Et quidem non iustificabitur, nisi faciat quod in se est, ex supernaturali auxilio, & gratia Dei, vt supra vidimus. Rursus diximus, quòd adultus cum primum accedit ad vsum rationis, præsto habet auxilium Dei, si velit conuerti, deliberando de se ipso, & se conuertendo ad bonum honestum. Quòd si ex supernaturali motione, & cognitione id faciat, Deus sese illi infinuabit explicitè, terminando cognitionem, & conuersionem illam, vt suprà vidimus propositione quarta, & quinta. Præterea, si ignorat fidem inuincibiliter, nunquam iustificabitur, donec illam habeat. Quare, nihil concludit, neque colligit argumentum. ¶ Ad confirmationem aduerto, præcepta fidei posse ignorari ab aliquo ignorantia inculpabili, ita vt ipsum non credere non sit nouum peccatum infidelitatis. Cæterùm hoc speciale est in actu fidei in Deum iustificatorem, quòd talis actus est necessarius necessitate finis, vt medium sine quo homo non iustificabitur, quamuis non peccet, quia non credit: excusatur enim ignorantia inuincibili non credendo. At verò, actus fidei in Christum, aut in trinitatem explicitè, non sunt ita necessarij ad iustificationem, vel salutem æternam, vt sine illis prout dicunt explicitam fidem Christi, & Trinitatis, non possit homo iustificari. Imò verò est opinio probabilis, quòd cum fide implicita supernaturali istorum, potest aliquando iustificari adultus. Simul tamen est verum, & citra omnem opinionem, quòd isti actus fidei explicitæ in Christum, aut in mysterium Trinitatis, sunt necessarij ad salutem pro loco, & tempore, quo homo habet sufficientem notitiam euangelij, vel eam habere potest, & repugnat ipse homo. Id tamen obserua, quòd ea, quæ sunt necessaria solum necessitate præcepti, si nobis deficiant, sine noua nostra culpa, non solùm excusabunt à nouo peccato nos ipsos, sed etiam sine illis possumus iustificari, vt patet siquis ignoret proximum esse in extrema necessitate, vel non possit subuenire illi. Illa autem, quæ necessaria sunt necessitate finis, si desint nobis etiam sine vlla nostra culpa, non excusabunt à morte æterna, licèt non fuerit in potestate nostra assequi illa. Nam si non esset, nisi vnicum remedium ad euasionem mortis corporalis, si illud sit incognitum ab ægroto & à Medico, sine dubio morietur homo ille, licèt non peccet, ex eo, quòd non quæsierit tale remedium aliàs incognitum. Pari modo dicunt plerique Theologi de dilectione supernaturali Dei, quòd qui habet ignorantiam inuincibilem fidei, necesse est habeat ignorantiam inuincibilem dilectionis supernaturalis; sed nihilominus ille peribit: Quoniam vt dicit D. Ioan. Qui non diligit manet in morte. Verum est, quòd ille non peccabit speciale peccatum contra præceptum supernaturale charitatis. Ad illud verò de pœnitentia, multa diximus articulo. 2. &. 3. & plura dicemus artic. 5. sequenti.

¶ Ad quintum aliqui Theologi, vt vidimus in discursu huius controuersiæ, putant, quòd quando Sanct. Thom. dicit, quòd ille puer si se ordinauerit in debitum finem consequetur remissionem originalis peccati, non intelligit, quòd eodem momento, quo ille se ordinat, consequitur gratiam, per quam iustificabitur. Quia cùm contingat illum tunc ordinari ordinatione merè naturali, quæ non est sufficiens dispositio ad gratiam, inde fit, non esse necessarium, quòd eodem puncto puer ille se ordinans in debitum finem consequatur gratiam. Et hoc sensit Durandus in quarto distinctione quarta, quæstione septima, nempe, quòd non oportet, quòd ille puer statim, atque sequitur dictamen rationis naturalis, iustificetur per gratiam Dei. Vndè, intelligitur Diuus Thomas, quòd paruo tempore post, consequetur remissionem peccati. Et ita, id, quod adducit Sanctus Thomas eo loco, Facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam, intelligendum non est de solis viribus naturalibus, sed debet in hoc sensu intelligi, quòd præsto aderit illi paruo post tempore, iuxta dispositionem diuinæ prouidentiæ, & mouebit intellectum, & affectum illius, vt disponatur ad gratiam. Quoniam in illo medio tempore poterit illi prouideri de necessarijs ad iustificationem. Hoc insinuant Canus in relectione de sacramentis in genere, & Pater Victoria, in relectione de perueniente ad vsum rationis. Quòd siquis obiciat; Quia tunc sequeretur, quòd in illo medio tempore

*Ad quartũ. Longissimã & accuratã dedimus solutionẽ propositione quarta, & quinta de puero perueniente ad vsum rationis.*

*Ad confir.*

*Ad quintũ.*

*Durandus.*



pore, aut in illa mora durationis antequam puer iustificetur, & erudiatur de supernaturalibus, poterit peccare venialiter, quod est contra Sanctum Thomam loco citato. Adhoc dicunt primò, quòd ad prouidentiam Dei spectat tueri, & conseruare hominem illum, ne venialiter peccet intra moram illam durationis, sicut ad prouidentiam Dei pertinebat, vt primus homo in statu innocentiæ non priùs peccaret venialiter, quam mortaliter; Vel si peccaret venialiter, conseruare eius vitam, ne moreretur, aut decederet priùs quam iustificaretur, aut peccaret mortaliter, ne daretur veniale cum solo originali. Alij respondent, quòd logicè non repugnat peccare venialiter; secus autem est moraliter loquendo. ¶ Verùm, quia nos hunc dicendi modum minimè sequimur; idcirco censemus, Sanctũ Thomam esse interpretandum de illo instanti, & momento terminatiuo rectæ deliberationis illius pueri in debitum finem, in quo, & habebit explicitam Dei cognitionem, & consequetur gratiam. Vndè, non loquitur D. Thom. de ordinatione merè naturali, sed de supernaturali, tam secundum intellectum, quam secundum affectum. Vndè, vult dicere D. Thom. quòd si puer ille, auxilio speciali Dei mouente illius intellectum, & affectum, ordinauerit se in debitum finem, ille puer in instanti terminatiuo deliberationis consequetur gratiam; habebit tamen tunc in prædicto instanti termino explicitam cognitionem Dei, & præterea toto tempore deliberationis habebit auxilium speciale gratiæ Dei, tam ad actum intellectus, quam ad actum voluntatis. Quoniam Deus nulli deficit in necessarijs. Nam Sap. 7. dicitur, quòd diuina sapientia omnia potest, & in se permanens, omnia innouat, & per nationes in animas sanctas se transfert, amicos Dei & Prophetas constituit. Itaque sentiendum est, quòd ad iustificationem illius pueri, non sufficit, quòd ille cognitione supernaturali cognoscat bonum honestum, & proponat viuere secundum honestãm, & rectam rationem, sed requiritur vlterius explicita fides Dei, vt nos explicuimus in discursu quæstionis. Et hoc insinuat apertè D. Thom. in hoc artic. & Concil. Trident. sessio. 6. cap. 6. Vbi adducitur illud, Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, &c. Et sanè, fides Christi saltem implicita, est necessaria illi ad iustificationem: sed hanc non potest habere nisi habeat fidem explicitam Dei, vt est obiectum supernaturale: ergo. Tandem, etiam in adulto ignorante inuincibiliter euangelium, peccatum mortale non remittitur, nisi per contritionem: sed contritio cùm sit propter Deum summè dilectum, non potest esse sine cognitione Dei: ergo saltem ad remissionem mortalis requiritur fides explicita Dei. Vnde ad argumentum dico, quòd puer ille nutritus in syluis sine religione vlla, si efficiat, quæ diximus ex auxilio Dei, ille iustificabitur in instanti terminatiuo deliberationis, in quo habebit explicitam cognitionem Dei, quæ requiritur ad iustificationem ex regulari Dei prouidentia; ac proinde, licèt naturalis cognitio Dei, quam philosophi habuerunt, indigeat longo tempore; tamen cognitio supernaturalis illius in momento potest haberi: habet enim illa Deum magistrum, hominem ipsum interius docentem, etiam si eueniat ali quando, quòd ille, qui accipit cognitionem, & eruditur, non sciat illum adeò clarè explicare verbis, & in ea cognitione etiam cognoscit se dependere ab illo principio & à Deo. De alia verò difficultate, quæ ibi tangitur, Vtrùm puer perueniens ad primum instans vsus rationis teneatur se conuertere in Deum explicitè, & si id non faciat, vtrùm excusetur ignorantia inuincibili, quia caret cognitione explicita Dei, in quem debeat conuerti, egimus fusè satis suprà quæstione. 89. articulo sexto. ¶ Ad illud quod posiremo loco in eodem argumento dicitur, quòd non in quocumque puncto potest cognoscere Deum, neque vt obiectum est supernaturale, quia, &c. respondetur ex dictis, & præterea negando antecedens: Quia supernaturalis Dei cognitio, quæ necessaria est ad iustificationem, in momento haberi potest. ¶ Ad sextum aliqui putant, dici posse apparenter, quòd quando affirmamus fidem supernaturalem esse necessariam ad iustificationem, hoc solum debere intelligi de iustificatione, quæ fit extra sacramenta. Quia tunc homo iustificatur per actus proprios; secùs tamen esse quando quis iustificatur per sacramentum; quia tunc putant, quòd sicut sufficit in voluntate contritio naturalis, ita pariter dicunt sufficere cognitionem naturalem, præsertim si sit de obiecto supernaturali. ¶ Sed profectò hic modus dicendi, neque est verus, neque tutus in fide. Quoniam plerique Sancti Patres dixerunt, initium iustificationis esse fidem, & non ex nobis, & nihil meminerunt an hoc non esset verum in sacramento? Quocirca, liquet, quòd tam extra sacramentum, quam in sacramento requiritur fides supernaturalis ad iustificationem. Vnde ad argumentum dico, quòd Catechumenus ille vel ante susceptionem baptismi, vel in susceptione ipsa, adiuuabitur à Deo specialiter, vt credat fide supernaturali ea, quæ capit credere fide acquisita. Et pari modo respondetur ad casum, quem ponit Adrianus, quæstione. 1. de Baptismo artic. 3. scilicet, quòd si puer perueniens ad vsum rationis non habeat alium actum, nisi velle suscipere baptismum, quia cernit alios pueros baptizari, si solo hoc actu accedat ad baptismum, non iustificabitur. Vel si dicas, quòd iustificabitur, quia non ponit obicem gratiæ, dicendum est, quòd in ipsa susceptione baptismi Deus illuminabit illum de requisitis ad iustificationem. ¶ Ad confirmationem dico, illud esse bonum argumentum ad probandum, quòd quotiescumque quis accedit attritus ad sacramentum, quòd tunc ante susceptionem, vel in ipsa susceptione Deus mouet voluntatem hominis speciali suo auxilio, vt detestetur actu supernaturali peccatum, quod cæperat detestari attritione naturali. Quòd si alicui non placuerit hæc solutio, assignet, rogo, discrimen inter fidem, & contritionem, cur scilicet, ad suscipiendum sacramentum sufficiat naturalis, & nõ requiratur contritio, & non sufficiat cognitio naturalis, sed requiratur supernaturalis: in qua re non cerno esse aliud, nisi quòd cùm fides sit iustificationis initium, oportet quòd initium illud sit supernaturale: non enim videtur, quòd possit suppleri per sacramentum; secus autem videtur esse de actu pœnitentiæ. Quapropter, vt minimum requiritur

*Ad sextum*

*Ad confir.*

attritio supernaturalis, qualem Trident. Concil. adumbrat.

HOc loco disputari solet, Vtrum ad iustificationem requiratur necessariò actus spei, & timoris? Sed de hac difficultate disputabitur artic.5.sequenti.

Altera etiam controuersia moueri solet, Vtrùm omni tempore fuerit necessaria singulis hominibus fides explicita mediatoris, & Christi, vel an sufficiat implicita? Verumtamen hæc disputatio non est huius loci, sed pertinet ad materiam de fide. 2.2. quæstione.2.quo loco disputatur ab vniuersis Theologis. Et sanè, ea, quæ conducunt huic instituto de hac difficultate, à nobis dicta sunt in præcedente disputatione.

## ARTICVLVS V.

*Vtrùm ad iustificationem impij requiratur motus liberi arbitrij in peccatum?*

COnclusio Sanct. Thom. est affirmatiua, & de fide ex Trident. sessio. 6. capit. 6. &. 14. & sessio.14.cano.1.& cano.4.

## Discursus articuli.

QVòd iustificatio impij sit motus inter duo extrema, quo mens ab statu peccati mouetur à Deo in statum iustitiæ; id quidem decernit Sanct. Thom. in hoc artic. & ex hoc colligit, mentem hominis in ipsa iustificatione se habere ad vtrumque extremum secundum motum liberi arbitrij, sicut habet se corpus localiter motum ab aliquo mouente, ad duos terminos motus. Ex quo vlteriùs colligitur, quòd sicut in motu locali, mobile recedit à termino à quo, & accedit ad terminum ad quem, ita quidem mens adulti dùm iustificatur per motum liberi arbitrij, recedit à peccato veluti à termino à quo, & accedit ad iustitiam veluti ad terminum ad quem. Recessus tamen à peccato, & accessus ad iustitiam in ipso motu iustificationis, sumitur secundum detestationem, & desiderium, hoc est, secundum quòd adultus per motum liberi arbitrij detestatur peccatum, & per desiderium tendit in Dei iustitiam, vt aptè satis explicuit Diuus Augustinus, tractatu 46. super Ioan. explicans illud, Mercenarius autem fugit.

Rursus obserua, conclusionem Sanctissimi Præceptoris, non tantum intelligendam esse de detestatione peccati, prout peccatum est offensiuum Dei, qua ratione detestatio peccati pertinet ad charitatem; sed etiam esse intelligendam de peccati detestatione, quatenus pertinet ad virtutem pœnitentiæ; talis namque detestatio, & contritio, siue dolor de peccato, potest ferri in peccatum ipsum, vel secundum quòd est contrarium Deo præcisè, & sic pertinet ad charitatem. Nam hac ratione ponitur à Theologis in Christo hæc detestatio peccati pertinens ad charitatem, & sub hac eadem ratione etiam ponitur in beatis; non tamen ponitur secundum rationem doloris, aut tristitiæ, sed secundum rationem odij: Nam sic, Deus etiam dicitur odio habere peccatum. Altero modo sumitur hæc detestatio, & contritio, seu dolor de peccato, quatenus homo per illam intendit destructionem peccati in se ipso, & satisfactionem pro illo facere, secundum quam rationem pertinet ad virtutem specialem pœnitentiæ; Neque solùm dicit cessationem à peccato, aut propositum nouæ vitæ, sed verum odium, & detestationem peccati, vt explicat Trident. sessio. 14. cap. 4. Et sic accepta detestatione peccati, est quidem necessaria dispositio ad gratiam, vt explicat idem Trident. sessio. 6. cap. 6. & cano.3. *Conc. Trid.*

Adde etiam, quòd detestatio peccati, quæ fit per actum liberi arbitrij, siue consideretur secundum quòd est contra Deum, & pertinet ad charitatem, siue secundum quòd ordinatur ad destructionem peccati, & pertinet ad pœnitentiam, potest esse idem numero actus cum actu dilectionis Dei. Et sanè, si consideretur detestatio ipsa peccati secundum priorem rationem, certum est in doctrina D. Thom.1.2.quæst.8.artic.3.quòd eodem actu possum ego amare Deum, & detestari malum oppositum Deo, quia verè detestor peccatum propter dilectionem Dei; sicut eodem actu cerno lumen, & colorem propter lumen; Itaque, dictio, propter, non dicit ibi causalitatem alicuius actionis distinctæ, sed tantum dicit causam voliti, siue detestati peccati: talis enim nolitio peccati, non dicit meram negationem actus circa peccatum, quę explicatur, per non velle peccatum; sed dicit actum realem circa non esse peccati. Quia positiuè vult voluntas destruere peccatum, & non esse illius; Talis autem actus voluntatis, qui à plerisque appellatur negatiuus, & à Caietano, nunquam est nisi sub aliqua ratione formali bonitatis positiuæ amatæ à voluntate; Quare, semper est volitio vnius, & volitio alterius, vt eleganter explicat Caieta. supra quæstione 8. citata. Vndè, quando Sanctissimus Præceptor dicit in artic. duplicem esse motum voluntatis, alterum quo fit detestatio peccati; alterum verò, quo Deus diligitur, non est intelligendus de realitate actus, quasi sit duplex actus realiter distinctus, sed solum est intelligendus de ratione formali, quia formaliter loquendo detestatio peccati tendit ad non esse peccati; dilectio autem, ad bonitatem Dei. Hæc tamen duplex formalitas reperitur in eodem actu materiali, vt Sanct. Thom. explicat artic. 6. sequenti ad.2.& etiam artic.7.Si verò actus ille consideretur quatenus est à virtute pœnitentiæ, adhuc potest esse idem numero actus cum actu charitatis, iuxta D.Thom. sententiam supra artic. 4. ad. 1. vbi inquit, eundem actum numero posse esse à pluribus virtutibus, ab vna sicut ab imperãte, & ab altera sicut ab eliciẽte: Sic ergo actus ille poterit esse à charitate, & à pœnitẽtia, ab vna quidem elicitus; ab altera verò imperatus, sicut furtum propter mœchiá, est idem numero actus interior voluntatis, pertinens tamen ad diuersa vitia formaliter, vt vidimus suprà quæstione. 1. de vltimo fine.

(?)

DISPV-



## DISPVTATIO I.

*Vtrùm præter motum fidei requiratur motus spei, & pœnitentiæ in iustificatione impij?*

*Argum. 1.* QVòd nõ requiratur motus spei, sed sufficiat solus motus fidei ad iustificationem impij, arguitur. Quoniam plerisque in locis Scripturæ sacræ, promittitur iustitia, & gratia Dei omnibus credentibus: si autẽ aliquid aliud præter actum fidei requireretur, non promitteretur omnibus credentibus, sed omnibus credentibus, & sperantibus, aut diligentibus, &c. ergo sola fides, & eius actus sufficiunt ad iustificationem. Maior patet ex Paulo Rom. 8. Virtus enim Dei est in salutem omni credenti; & alibi, Iustitia Dei per fidem, scilicèt, Christi in omnes, & super omnes, qui credunt. ¶ Secundò arguitur. Quia in sacris literis dicitur, quòd fide iustificamur, & non ex operibus: ergo non est necessarius actus spei, aut pœnitentiæ: ergo sola fide iusti efficimur. Patet antecedens ad Rom.3. Arbitramur hominem iustificari per fidem, & non ex operibus legis, & ad Galat.2. Non iustificatur homo ex operibus, sed per fidem Iesu Christi. ¶ Tertiò. In iustificatione impij, vna sola re opus est, scilicet, verbo Dei, vel promissione Christi: sed verbum, & promissio solo intellectu percipiuntur: ergo. Maiorem probant hæretici ex illo, Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo; & ex illo Psalm. Misit Verbum suum, & sanauit eos. ¶ Et confirmatur ex illo Actor.11. Huic scilicet Christo, perhibent testimonium remissionis peccatorum accipere per nomen eius, qui credunt in eum; sed nomen sola fide apprehenditur: ergo. ¶ Quartò arguitur. Sola visio beatifica facit hominem essentialiter beatum, quia per solam illam apprehendimus summum bonum, & fit homo bonus, & participatiuè Deus. Vndè, ex illa visione nascitur charitas in voluntate, & ardens desiderium seruandi quidquid Deo placuerit: ergo pari ratione intelligendum est in via de fide, quòd ex fide, qua credit adultus, primò fit iustus, & ex illa sequitur spes, & charitas. Et sic dicunt aduersarij, quòd sicut videre Deum non est aliud, quam apprehendere, & consequi Deum, ita credere non est aliud, quam apprehendere, & consequi promissionem, & gratiam Christi, & ita dicunt, esse impossibile fidem esse sine gratia. Quoniam credere secũdum aduersarios hæreticos, nihil aliud est, quam cõsequi gratiam.

*(margin: Rom.8. Secundum. Rom.3. Galat.2. Tertium. Confirm. Actor.11. Quartum.)*

*Arg. quòd non requiratur actus spei ad iustificationem. Primum. Secundum.* Quòd verò non requiratur motus spei, arguitur. Primò. Quia neque Scriptura, neque Sancti, neque ratio fauet magis spei, quam timori: sed ad iustificationem non requiritur timor seruilis, neque implicitus, neque explicitus: non enim iste timor est necessarius sine quo non: ergo. ¶ Secundò. Si est necessarius actus spei, sufficit spes implicita, vt plerique Theologi dicunt: sed non benè intelligitur quid sit ista spes implicita, nisi fortè actus fidei, charitatis, vel pœnitentiæ dicatur spes implicita: sed huiusmodi actus pari ratione potest dici timor implicitus: ergo. ¶ Tertiò. Voluntas cum auxilio generali & supernaturali, si ei præsentetur obiectum per fidem, potest habere actum amoris, vel pœnitentiæ, quamuis non exerceat actum spei, vel timoris, siue sit spes beatitudinis, siue veniæ: ergo iustificabitur homo sine vllo timore, & spe. Antecedens patet ex similitudine ad naturalia: amicum enim aliquando diligimus propter se, nihil ab eo sperantes, vel timentes: Imò verò experimur nos amare Deum sine vlla memoria gloriæ, inferni, aut veniæ. ¶ Quartò arguitur. Quia vix possunt simul haberi omnes isti actus, nempe fidei, spei, timoris, charitatis, pœnitentiæ, propositum emendandi vitam, &c. ergo aliqui istorum non sunt necessarij: Sed non potest dici non esse necessarium actum fidei, & charitatis, aut pœnitentiæ, &c. ergo potissimè non sunt necessarij actus spei, & timoris. ¶ Et confirmatur: Quia, vt videbimus, non requiritur pœnitentia formalis, neque propositum formale: ergo multò minus requiritur timor, vel spes formalis, &c. *Tertium. Quartum. Confirm.*

Quòd verò non sit necessarius actus pœnitentiæ, seu detestatio libera peccati, aut motus liberi arbitrij in peccatum, arguitur primò. Nam iustificatio, & peccatorum remissio, plerisque alijs rebus tribuitur in Scriptura, primò quidem fidei, ad Roman.3. Iustitia Dei per fidem Iesu Christi in omnes, & super omnes, qui credunt in eum; Secundò charitati, & dilectioni Dei. 1. Petri. 4. Charitas operit multitudinem peccatorum, & Lucæ. 7. Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum. Tertiò spei, ad Roman. 8. Spe enim salui facti sumus. Quartò, conuersioni peccatoris, Iacobi. 5. Qui conuerti fecit peccatorem ab errore vitæ suæ, saluauit animam eius à morte, & operit multitudinem peccatorum. Quinto, dilectioni proximi. 1. Ioan. 3. Scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres; & de hac dilectione interpretantur nonnulli verba Diui Petri pro charitate citata. 1. Petri. 4. Charitas operit multitudinem peccatorum. Quoniam in his verbis est sermo de charitate erga proximos. Sexto, eleemosynæ, Tobiæ. 4. Eleemosyna ab omni peccato, & à morte liberat; & Lucæ. 11. Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. Septimò, remissioni iniuriarum, Matthæi. 6. Si dimiseritis hominibus peccata eorum, & Pater vester cælestis dimittet vobis peccata vestra.

*(margin: Arg. quòd non sit necessarius actus pœnitentiæ. Primum. Ad Rom.3. 1. Petri.4. Lucæ.7. Rom.8. Iacobi.5. 1. Ioan.3. 1. Petri.4. Tobiæ.4. Lucæ.11. Math.6.)*

¶ Secundò arguitur. Si quis subitò deueniat in cognitionem diuinæ bonitatis, poterit ab hac cognitione promoueri, & excitari ad diligendum Deum super omnia: sed cum huiusmodi dilectione Dei super omnia non potest simul stare peccatum mortale, iuxta testimonia pro charitate citata, & iuxta illud Prouerb.8. Ego diligentes me diligo, & Ioan. 14. Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Vnde in sacris literis sæpissimè promittit Deus dilectionem suam diligentibus ipsum: ergo per actum charitatis sine actu pœnitentiæ vllo, potest fieri, & obtineri peccatorũ remissio. Dices, quòd licèt nõ possint simul stare mortale peccatum, & dilectio Dei super omnia; tamen quia huiusmodi dilectio non potest haberi ab adulto, *Secundum. Prouerb. 8.*

absq; ipsa peccatorum pœnitentia. Contra: Cognitio illa diuinæ bonitatis, potest haberi sine vlla recordatione, aut memoria peccatorum: ergo pari ratione dilectio Dei super omnia potest haberi sine detestatione peccatorum, atque adeo sine pœnitentia. ¶ Tertiò arguitur, & est confirmatio præcedētis argumenti. Actus charitatis ex natura sua non habet necessariam connexionem cum actu pœnitentiæ, vt patet in homine iusto, de quo constat, quòd potest Deum diligere sine peccati detestatione: ergo similiter non habet connexionē in homine peccatore. ¶ Quartò arguitur. Dilectio Dei super omnia, præcedit saltem ordine naturæ contritionem: ergo priùs natura intelligitur remitti peccatū per hanc dilectionem, quam habeatur actus pœnitentiæ, ac proinde sequitur, quòd actus pœnitentiæ liberi arbitrij nō est remedium per se necessarium secundum legem ordinariam ad obtinendam peccatorum remissionem; sed vt plurimum erit conditio necessariò concomitans illam remissionem. Patet consequentia: Quia contritio supponit peccatum remissum fuisse priùs ordine naturæ. Antecedens etiam ostenditur: Quoniam contritio est dolor de peccatis propter Deum summè dilectum. Rursùs, displicētia, aut dolor alicuius mali, nascitur ex amore boni, cui opponitur: ergo summus dolor de offensa Dei, & detestatio illius super omne detestabile, qualis est contritio, nascitur ex dilectione Dei super omnia, siue super omne diligibile. ¶ Quintò arguitur. Per Baptismum remittuntur peccata, iuxta illud Pauli ad Titum. 3. Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis & renouationis; Imo verò remittuntur per martyrium, vt constat ex illo Matth. 10. Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor, & ego illum coram Patre meo: ergo ex his liquet, ad obtinēdam remissionem peccatorum, pœnitentiam non esse medium necessarium. ¶ Sexto arguitur. Potest dari casus, in quo adultus nullum peccatum possit reuocare in memoriā: ergo in eo euētu iustificari poterit sine pœnitentia, & consequenter obtinere remissionem peccatorum. Patet antecedens: Quia fieri potest, quòd ex obliuione merè naturali, aut ex morbo aliquo, peccata prorsus à memoria excidant, & aboleantur: Imò verò, instante morte naturali, aut violenta, ita perturbari potest homo, vt nullius prorsus peccati recordetur. Imò vlteriùs potest contingere, vt nulla prorsus veniat in mentem peccatorum consideratio. Probatur consequentia: Quia in casu posito deest, & deficit obiectum, de quo necessarium sit pœnitere. Dices, quòd in hoc casu poterit homo dolere de venialibus, aut de mortalibus in communi, saltem sub cōditione, si fortè illa cōmisit. Contra: Quia de venialibus minimè est necessarium ad iustificationem pœnitere, neq; etiam in casu posito de mortalibus sub conditione. Quod sic ostendo: Nam pœnitentia, ad remissionem peccatorum est necessaria per modum compensationis, quæ Deo offertur pro offensa contra ipsum commissa: sed compensatio non est necessaria, nisi supposito debito; quod per eam est compensandum: ergo illi adulto, qui neque valet, neq; potest cognoscere, aut iudicare se commisisse peccatum vllum contra Deum, etiam si omnia prudenter animaduertat, non erit vllo pacto necessarium Deo offerre compensationem pœnitentiæ.

*Tertium.* *Quartum.* *Quintum.* *Ad Tit. 3.* *Matth. 10.* *Sextum.*

Hæc controuersia, plures habet sinus, est tamen propria huius loci, habetq; commercium cum disputatione de pœnitentia. 3. part. quæst. 86. præsertim art. 2. Vndè, S. Thom. in hoc artic. apertè dicit, ad iustificationem impij requiri motum liberi arbitrij in peccatum, & hunc dicit esse detestationem illius. ¶ Tres ergo difficultates infinuantur in argumentis supra tactis. Prima est de fide, An præter actum fidei requiratur vllus alius actus ad iustificationem? Secunda difficultas est de actu spei, tertia de actu pœnitentiæ, quarta etiam addi potest de actu charitatis, An sufficiat de lege actus charitatis, & dilectionis sine actu pœnitentiæ, aut detestationis liberi arbitrij ad iustificationem impij, & remissionem peccatorum. Vndè, triplicem seriem argumentorū præmisimus, ad singulas difficultates eruendas.

### *Prima difficultas dissoluitur.*

VT priori difficultati satisfaciamus, hanc statuo assertionem. Præter actum fidei oportet in eo, qui iustificari debet, esse alios actus diuinos, per quos cōsequatur iustitiam, & remissionem peccatorum. Errant ergo, qui solam fidem iustificare dicunt, repellentes pœnitentiam cordis, charitatem, bonum & efficax propositum. Hæc assertio est Catholica, & probatur primò: Quoniam si sola fide iustificaremur, falsum esset verbum Pauli dicentis, quòd nostra iustitia est fides, quæ per charitatem operatur. Nam si sola fide consequimur gratiam, ipsa esset nostra iustitia, & non quatenus operatur per charitatem. Dicere autem, vt hæretici audacter dicunt, quòd idcirco solum dicitur fides operari per charitatem, quia consequuta gratia per fidem, statim sequuntur spes, & charitas, profectò est falsissimum. Nam nisi intelligamus, prius natura fidem auxilio Dei speciali operari per charitatem, quam detur gratia, non intelligimus ipsam primam iustitiam, qua ex iniustis efficimur iusti, neque intelligimus fidem operantem per charitatem, sed potius solam fidem. Secundò probatur: Quoniam sola fides dicit solùm actum, & assensum intellectus: sed quicumque actus solius intellectus, quo credimus Deo, potest esse sine gratia iustificante: ergo nunquam sola fide iustificamur. Item tertiò probatur ex definitione Trident. sessio. 6. cano. 9. dicente, Siquis dixerit, sola fide impium iustificari, ita vt intelligat nihil aliud requiri, quo ad iustificationis gratiam consequendam cooperetur, & nulla ex parte necesse esse eum suæ voluntatis motu præparari, atque disponi; anathema sit. En, vbi expressè definitur præfata assertio.

*Concluſ. 1.*

Sentiendum ergo est Catholicè, ad iustificationem impij requiri actus aliarum virtutum, præsertim charitatis, & pœnitentiæ, qui quidem habent se non solum concomitanter; vel tanquam fructus cōsequentes ex iustitia, sed vt veræ dispositiones concurrentes in genere causæ dispositiuæ ad gratiam, & iustitiam, & non sufficere, neque satis esse solam fidem sine operibus. Hæc est sententia Pauli. 1. Corinth. 13. Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum: Non ergo sufficit fides sola sine charitate, & sine pœnitentia ad salutem, & iustificationem.

*1. Corinth. 13.*



cationem. Vbi expendendum est verbum illud, Si habuero omnem fidem, Quia non est sermo de hac vel illa fide, sed de quacumq; fide omnino, de qua dicit, Sine charitate se nihil esse. Ita intelligit D. Augustinus. Psal. 54. & lib. 2. contra literas Petiliani cap. 77. & lib. 1. contra Donatistas. cap. 8. Et cōfirmatur hoc: Quia idem Apostolus in fine illius capitis dicit; Nunc manet fides, spes, & charitas, tria hæc, maior autem horū est charitas, vbi apertè loquitur Paul. de fide, qua fideles, & Christiani sumus, & qua credimus omnes veritates fidei, & promissiones sacras; & tamen huic fidei præfertur ibi charitas, vt magis necessaria ad salutem, & iustificationem. De qua re legendus est Petrus Apostolus in. 2. Cano. cap. 1. & D. Aug. lib. de fide, & operibus, cap. 14. Aduertendū est etiam verbum illud Iacobi. 2. cap. Quid proderit fratres mei, si fidem quis dicat se habere; opera autem non habeat, nunquid poterit fides saluare eū? Et subiungit; Fides si non habeat opera, mortua est in semetipsa. Et deinceps; Vides, inquoniam fides cooperabatur operibus illius, & ex operibus fides consummata est. Et iterum; Videtis quoniam ex operibus iustificatur homo, & non ex fide tantum? Sicut corpus sine spiritu mortuum est, ita fides sine operibus mortua est. Hoc testimonium adeò apertū est contra hæreticos, vt non potuerint aliter subter fugere vim eius, quàm negando authoritatē illius epistolæ, causantes canonicam non esse. Sed profectò hæc est aperta impudentia: Constat namq; antiquissimos Pontifices, & Sanctos ab initio Ecclesiæ vsos fuisse hac epistola, vt Canonica, vt videre est in Epistolis Decretalibus Cornelij, Stephani, Sixti, & Marcelli Summorum Pontificum. Vnde, Vrbanus primus, qui fuit Papa ante hos per mille trecentos annos, vsus fuit præfato testimonio ad probandam, & ostendēdam veritatem catholicam à nobis propositam, & eodem vtitur ad propositum D. Augustinus. lib. de vnico Baptismo. cap. 1. & lib. de fide, & operibus, cap. 14. & lib. 83. qq. q. 76. vbi dicit, Diuum Iacobum in verbis citatis, consultò, & ex professo explicuisse Beatum Petrum, dicentem, nos iustificari per fidem, vt scilicet, intelligatur de fide viua, & perfecta per charitatem, & bona opera. Quocircà, in sacris literis non tantum exigitur fides ad iustificationem, sed passim etiam exiguntur aliæ virtutes. Lucæ. 7. Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum: D. Ioan. Baptista, cæpit suam prædicationē à pœnitentia, Pœnitentiam agite, &c. Et Lucæ. 13. Nisi pœnitētiam egeritis, omnes simul peribitis, & cap. 24. Sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis, & prædicari in nomine eius pœnitētiam, & remissionem peccatorum. Ezech. 28. Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, vita viuet. De humilitate etiam dicitur Matth. 18. Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, nō intrabitis in regnum cælorum. Vndè, regnum cælorum non promittitur, nisi rectè agentibus, & operātibus, iuxta illud Matth. 7. Non omnis, qui dicit mihi Domine Domine, intrabit in regnum cælorum, sed qui facit voluntatem Patris mei. Et Paul. ad Romanos scribens, dicit; Non auditores legis tantum iusti sunt apud Deum, sed factores. Nam profectò, stat aliquem habere rectam fidem, & magnam fiduciam, & tamen irretitum pleriſq; vitijs: sed secundum fidem vitiosi, & peccatores excluduntur à regno cœlorum, etiam si aliàs sint fideles, vt patet ad Galat. 5. ad Ephes. 5. & 1. Corinth. 6. ergo. Vndè, ex antiquissima Ecclesiæ traditione, & omnium Patrū à tempore Apostolorum, constat, eos omnes dixisse, necessaria esse bona opera vltra fidem, & nihil frequentius repetunt. Sic Clemens. 1. Epist. 2. ad Iacobum fratrem Domini, & Innocent. 3. de Baptismo & eius effectu. Lege Aug. locis citatis, & Trident. sessio. 6. cap. 6. & 15. & Cano. 9. & 12. & per totam ferè sessionem, vbi ex professo damnantur hæretici, qui impudicè loquuti sunt contra hanc veritatem.

*D. August.* *D. August. Iacob. 2.* *Luc. 7.* *Luc. 13. & 24.* *Ezech. 18.* *Matth. 18.* *Galat. 5.* *Ephes. 5.* *1. Corinth. 6.* *Concil. Trid.*

Sed rogabit aliquis, Cur in sacris literis sæpiùs tribuatur iustificatio fidei, quam charitati, & pœnitentiæ, si non sola fide iustificamur? Nam quamuis fides sit exordium iustificationis nostræ; tamen iustificatio non sola fide perficitur. Nam in iustificatione impij sanctificatur, & renouatur homo interius, & hæc renouatio, & sanctificatio, præcipuè tribuitur charitati. Rursus, in iustificatione impij, simul cum motu fidei datur motus liberi arbitrij in peccatum, seu detestatio peccati, & hæc oritur ex charitate, vt patet Ieremiæ. 31. Postquam conuertisti me egi pœnitentiam, hoc est, postquam conuertisti me ad nouum vitæ statum, & ad vitæ amorem ex ipso commotus sum ad pœnitentiam: sed præparatio, & dispositio hæc per pœnitentiam, & charitatem talis est, vt ad eam sequatur iustificatio statim, non verò ad motum fidei. Nam in plerisque est verus motus fidei, in quibus non datur iustificatio ipsa.

*Ierem. 31.*

Vt interrogationem hanc dissoluamus, dicendum est, idcirco plerisque in locis sacrarum literarum iustificationem adscribi fidei: quoniam fides, ex sententia D. August. de fide, & operibus, cap. 1. dicitur salutis ianua. Nam teste Augustino, à quibusdam, qui Christianam religionem profiteri volebant, primò, & principaliter exigebatur fides, vt ianua salutis; sed postquam in Christianismum fuerunt recepti, de operibus pœnitentiæ, & charitatis, multus, & assiduus fuit sermo. Vndè, Paulus in Euāgelij exordio, vt homines ad Christū pertraheret, fidem instanter poscebat, fidem prædicabat, fidem spirabat: hæc enim erat salutis ianua; postquam verò Christum suscipiebant, eos edocebat qualiter ambulare debuissent in Christi Ecclesia, & in operibus bonis charitatis, vt peccatorum remissionem obtinerent.

Quapropter, à Theologis dicitur fides, initium, & prima radix iustificationis, & aliorū operū, quæ cum iustificatione cohærent, iuxta illud Pauli ad Hebræ. 11. Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & quòd inquirentium se remunerator est. Et statim; Fides est substantia rerum sperandarum, hoc est, primum fundamentum: igitur prima ianua nostræ salutis, sine qua Deum inuenire non possumus, neque illi placere, aut seruire, fides est, de qua Paul. dicit loco citato; Sine fide impossibile est placere Deo. Vndè, iustificatio impij fidei tribuitur; quia inde iustificatio sumit exordium, à fide dirigitur, à fide ordinatur, & fides ostēdit vnde sit, & proueniat vera iustificatio, & peccatorum remissio. ¶ Medina in comment. ad hunc artic. affirmar,

Paulum adscribere iustificationem fidei,sed non loqui de persuasione intellectus, aut de lumine, quo credimus,quæ à Deo reuelantur; sed loqui de lege fidei;est autem lex fidei, lex spiritus, & charitatis, quæ per Spiritum sanctum diffunditur in cordibus nostris.

Tertiò dicitur fides,iustificationis initium, non solum propter rationes tactas,sed etiam,quia respicit Christum, & iustitiam eius. Nam iustitia nostra pendet ex gratia Dei, & ex iustitia Christi ab eo exercita in passione, per quam, & redemit nos, & pro nobis satisfecit.Ex quo tria deduci possunt;Alterum est, quod non debemus habere fiduciam in operibus nostris,quatenus ex nobis procedũt, quasi vt sic sufficiant ad iustificationem. Secundum quod deduci potest, est,quòd subijcimus nos ipsos iustitiæ Dei nobis communicandæ per Christum & eius merita. Tertium quod deducitur est, quòd ex hoc euacuatur gloriatio liberi arbitrij,& magnificatur,atque amplificatur gloria Dei iustificantis homines sine meritis, per meritũ Christi filij sui. Hæc omnia Paulus explicuit ad Philip.3.& ad Rom. 10. & etiam ad Rom.3.vbi ait;Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei; & subiũgit, Vbi est gloriatio tua? exclusa est; per quam legem?factorum?Non,sed per legem fidei. En, quo pacto in iustificatione impij amplificatur,& magnificatur Dei gloria, quæ omnia fides agnoscit,ac proinde non solum fides dicitur initium iustificationis nostræ,sed etiam respicit Christum,& iustitiam eius,ex quo tria illa resultãt, quæ dicta sunt. *Philip. 3. Rom.10. & 3.*

*Dissoluuntur argum. primi ordinis,& ex eorum solutione ostẽditur veritas conclusionis. Ad primũ.*

Rursus, huius nostræ Catholicæ assertionis veritas magis aperietur,si argumenta,quæ in primo ordine contra eam militabant,confutentur. Quare ad primum,quod hæreticorum est,quo contendũt,per solam fidem adultum iustificari,sentiendum est iuxta ea,quæ diximus,quòd quotiescunq; in Scriptura sacra iustificatio tribuitur fidei, aut promittitur salus omni credenti,nõ ideo est,quia sola fides sit sufficiens ad consequendam iustitiam, sed quia fides est necessaria,tanquam prima radix,& primum fundamentum totius Christiani ædificij. Nam cum fides,qua creditur impium à Deo iustificari per gratiam Christi,eiusque merita,sese in Deum conuertendo per charitatem,& detestationem peccati, cũ inquam hæc fides sit veluti prima dispositio, quam adultus tenetur habere,vt iustificetur,iuxta ea,quæ traduntur in Tridentino sessio. 6.capite. 6. &. 7. Et prima radix contineat virtute sua, quæ consequuntur ad illam; idcirco iustificatio sæpe tribuitur fidei. Ex hoc tamen minimè sequitur non requiri alia opera,Imo verò alia plura necessaria sunt & requiruntur,vt infra ostendemus,quæ cum nonnulla sint potiora, quam actus fidei, illis potest tribui iustificatio:Charitati namq;, & dilectioni Dei, quæ præstat fidei, & est vltima dispositio ad gratiã, potest tribui melius iustificatio,quam fidei. Requiritur etiam odium peccati,& detestatio illius propter Deum,vt infra manifestabitur. Tandẽ,ratio cur fidei tribuitur iustificatio, est, quia ipsa est lumen ostendens nobis,vbi sita sit vera iustitia,& ostendẽs nobis modum inueniendi hanc iustitiam per Christum,qualiterque ad illam peruenire debemus diligendo Deum,& Christum, agendo pœnitentiam. Nam ex lumine,quod est in intellectu solicitatur affectus,& voluntas ad operandum. Vndè,sicut prædicator,qui monet affectum peccatoris,quamuis solus ille non sufficiat ad iustificationem;tamen excitat,monet,ostenditque viam iustificationis; sic etiã inter alios modos,quibus loquimur de fide, potest etiam vnus inter eos esse,quòd fides est sicut prædicator docens nos salutem consequendam. Quare, pluribus titulis supra tactis,& adumbratis,sacræ literæ tribuunt iustificationem fidei.

*Ad secũdũ.*

Secundum argumentum, quod aduersarij obijciũt in primo ordine positum in exordio huius disputationis, hac ratione dissoluitur: Dicendum est enim, quòd quando in sacra Scriptura excludũtur opera,& dicitur,quòd iustificamur,& non ex operibus,vel loquitur scriptura de sacramentis, & cæremonijs veteris legis; vel si loquitur de operibus præceptorum moralium,vt videtur verosimiliùs,solùm loquitur scriptura de operibus nostris,vtà nobis procedentibus sine Dei gratia,& auxilio;nõ autem loquitur de operibus concomitantibus ipsam gratiam,quibus præeunte Dei auxilio,ad illam suscipiendam disponimur.Quare,idem est dicere,sine operibus iustificatur homo, quòd gratis, & nullis præcedentibus meritis iustificatur. Ex his facilè intelligitur illud Rom.3.vbi habetur, hominem iustificari per legem fidei,& non ex operibus legis; Nõ enim vocat legem fidei solum euangelium,sed cognitionem fidei in quacunq; lege, siue naturæ, siue scriptæ,&c. Comparat ergo Paulus fidem in quacũque lege,operibus illius legis,& dicit,quòd opera non iustificant,id est,opera præcedentia fidem.Illa enim sine fide neq; sunt causa,neq; meritũ aliquod iustificationis: sed fides est, quæ iustificat, quia illa est initium vnde præueniente Deo incipit motus nostræ conuersionis: sed per hoc minimè Paulus excludit opera,per quæ disponimur ad gratiam, quin potiùs propriè loquendo omnia hæc includit hoc verbum,lex fidei: Non enim lex fidei significat solũ actus intellectus,quibus credimus,sed significat totum illud, quod ostendit fides,esse necessariũ: hoc autem est credere,sperare,diligere,pœnitere.Quoniam omnia ista fides dicit esse necessaria. Vnde,sicut si diceremus, quòd homines saluantur per legẽ Christi,& non per legem Moysi,aut Agarenorum, per hoc non intelligimus, quòd per solam fidem euangelij homines saluantur, sed potius intelligimus saluari homines per legem fidei Christi,seruãdo totum id,quod ostendit, & præcipit Euangeliũ Christi. Et sic intelligitur illud,quòd lex fidei iustificat,nempe, si seruentur omnia, quæ fides ostendit, quæ præcipit lex fidei necessariò agenda esse. Nam hæc agendo,& operando ex legis,& fidei præscripto,adultus iustificabitur. *Rom.3.*

*Ad tertiũ.*

Tertium argumentum non est difficile soluere. Primò namq; negare oportet maiorem: Quia licèt verbum euangelij sit necessarium ad salutem, iuxta illud Pauli, Virtus Dei est in salutem omni credenti;tamen id non est necessarium tãquam in quo cõsistit nostra salus tota. Quia verbũ Dei est semen salutis,sed non tota salus:& idcirco falsum est, totam salutem esse promissionẽ, & verbũ, sed præter verbum requiruntur etiam opera, vt dictum est. ¶ Secundò, dato q̃ intellectu cognoscamus verbũ, & promissionem Christi, tamen hoc præcisè non sufficit ad consequendam, & habendam iustitiam, quia vt diximus, præter intellectus cognitionem, requiruntur operationes liberi arbitrij. ¶ Ad confirmationem pari modo respõdetur, verum esse quod sola fide cognoscimus nomen eius, sed hoc non sufficit ad consequendam remissionem peccatorũ. Nam ad habendam peccatorum remissionem per nomen Christi, requiritur fides, quæ per charitatem operatur. *Ad confir.*

*Ad quartũ*

Quartum argumentum facile etiam dissoluetur negando consequentiam. Neque est simile in Patria,& in via:Nam in Patria cum visio præstet charitati,visio est, quæ facit essentialiter esse beatum: sed tamen in via, cum charitas præstet fidei, inde est,quòd sola fides nisi operetur per charitatem,nõ sufficit facere hominem iustum. Hinc sequitur, quòd quamuis in Patria videre Deum sit non solũ illum cognoscere,sed etiam sit illum consequi, & participare;nam ideo S.Thom dicit, beatitudinem in visione consistere,quoniam ipsa visio est consequutio Dei:Cæterũ in via,credere Deo, & promissionibus Christi,solum est cognoscere;Et quamuis cognitio ipsa, quadam tenus ratione dici posset cõsequutio;tamen non est propria, & perfecta consequutio,& ob id in ipso solo actu fidei non consistit essentialiter iustificatio,sed essentialiter in actu charitatis,qui est perfectior.Falsum igitur est,quod Lutherani dicunt,nempe,quòd credere non est aliud, quam consequi gratiam, & quod ideo impossibile est fidem esse sine gratia.Nam potius asseueramus è conuerso, nempe, quòd credere præcisè, non est consequi gratiam,cum possit quis firmiter credere sine hoc,quòd habeat gratiam, & iustitiam coram Deo.

*De secunda difficultate, Authoris calculus, & quid alij dicant.*

ALiqui Theologi, de proposita difficultate spei,& timoris sentiunt, quòd licet regulariter,& secundum communem viam,& ordinariam requirantur spes,& timor formalis, quia amicabilia,quæ sunt ad alterũ,communiter procedunt ex amicabilibus,quæ sunt ad se;tamen dicũt, iustificationem aliquando fieri sine his motibus.Ita sensit Vega lib.6.in Trident.cap.12.27.& 41.Ricard. in 4.d.14.art.4.q.2.docet,huiusmodi actus spei,& timoris,non esse semper necessarios,sed vt in plurimum; & subiungit, quod frequentius concurrit actus timoris, quam spei.Scotus in 4. d.14. q.1.ante solutionem ad argumenta dicit,solam dilectionem sufficere ad iustificationem. Gabriel ibidem art. 2. etiam sensit idem cum Scoto.

Vt difficultatem hanc aperiamus,obseruare oportet ex S.Thom.3.p.q.85. duobus, vltimis articulis, quòd primum principium pœnitentiæ, veraque eius origo,est operatio diuinæ gratiæ,cor nostrum ad se conuertentis. Quod sane, certissimum fundamentum est,& catholicum,de quo dubitare non licet.Cæterum,post primam hanc diuinæ gratiæ operationem, Sanctissimus Præceptor quinque actus ponit,quasi quinque gradus,quibus ad veram pœnitentiam peruenitur. Primus est fidei veraciter assentientis diuinis testimonijs. Secundus timoris seruilis,quo pœnarum consideratione à peccato retrahimur. Tertius spei, quo remissionẽ peccatorũ, & veniam consequuturos speramus. Quartus,veræ charitatis,quo peccata displicent propter ipsum Deum summe dilectum. Quintus, & postremus, timoris filialis,quo Deo vltro ob reuerentiam eius emendationem vitæ, & satisfactionis prout possumus offerimus.

*Conclus.1.*

His ergo ita prælibatis,est prima propositio.Ad iustificationem consequendam, præter actum liberũ fidei,requiritur actus spei explicitus regulariter loquendo;& etiam requiritur timor:Imo verò, plerique sunt Theologi,qui dicant, quòd licet spes formalis beatitudinis,non sit necessaria ad iustificationem;tamen spes veniæ consequendæ videtur omnino necessaria. Quia vix potest intelligi actus pœnitentiæ sine formali spe veniæ. Alij dicunt, præter actum fidei requiri actum spei, & charitatis; Quia ex his actibus integratur vltima dispositio, & præparatio,quæ requiritur ad gratiam consequendam: fide enim cognoscimus Deum esse benignum peccatoribus,& misericordem ad iustificandum,& remittẽdum peccata; Spe verò cor erigimus,veniam expectantes,& de ipsius benignitate confidentes; Charitate verò ipsum diligimus, in quo charitatis actu reperitur vltima dispositio,detestantes peccatum,etiam vt est offensiuum Dei.Vnde, omnes isti actus in genere causæ materialis sunt prius natura, quam gratia.

Probatur autem assertio proposita. Quoniam in Sacris literis sæpissime tribuitur iustificatio nunc fidei,nunc spei,nunc charitati: ergo omnes isti motus sunt dispositio ad iustificationem: Antecedens patet: Nam de fide constat ex superioribus; de spe verò liquet ex Paulo Rom.8. Spe salui facti sumus, &.1.Ioan.3.Omnis qui habet hanc spem in eo,sicut ille sanctus est. Quod autem tribuatur charitati patet Ioan.3.Trãslati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres;Et subiungit;Qui non diligit manet in morte.Et Ioã.14.Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ad eum veniemus.¶ Rursus probatur ex Tridentina sessio.6.cap.6.dicente,peccatores dispoui ad iustificationem, dum peccatores se esse intelligentes, à diuinæ iustitiæ timore, quo vtiliter concutiuntur, ad considerandam diuinam misericordiam se conuertendo,in spem eriguntur.Et cap.7.inquit,quòd fides sine spe,& charitate vitam æternam præstare non potest.Et cano.3.dicitur, Neminem sine præueniente Spiritus sancti inspiratione credere,sperare, diligere,& pœnitere posse sicut oportet,vt ei iustificationis gratia conferatur.Et cano.8.dicitur de timore, quod per gehennæ metum ad misericordiam Dei, de peccatis dolendo confugimus.Et Psal.90.habetur de spe;Quoniam in me speranit liberabo eum.¶ D. Ambros. etiam hanc assertionem tenet lib.1.de pœnitentia cap.1 dicens; Nemo potest bene agere pœnitentiam,nisi sperauerit indulgẽtiam; D.Chrysost.homil.de fide,lege,& Christo, Necessarium esse, ait, spem in Christo vitam æternam præcedere.Imo verò de timore legitur Eccles. iast.1. Timor Domini expellit peccatum,& qui sine timore est, non poterit iustificari. Et Isaiæ.26. A timore tuo Domine concepimus, & peperimus spiritum

*Rom.8. 1.Ioan.3. Ioan.3. Ioan.14. Conc. Trid. Pſal.90. D. Ambro. D.Chryſoſt. Eccleſiaſt.1. Iſaiæ.26.*

*D. Auguſt.* ſpiritum ſalutis. Imo verò D. Auguſt. vt habetur de pœnitentia. d. 2. capit. Sicut Seta filum introducit, ita timor charitatem. Idem affirmat iterum D. Aug. Pſal. 127. & ſermo. 3. & 18. de verbis Apoſtoli: ergo timor, & ſpes ſunt neceſſarij ad iuſtificationem, & vitam æternam. Ad idem ſunt alia multa, quæ adducit Pater Vega lib. 6. in Trident. cap. 23. & 24. & 26. & 27.

*Vega.*

*S. Tho. 3. p. q. 85. art. 5.* Hanc eandem aſſertionem defendit Sanctiſsimus Præceptor. 3. p. q. 85. art. 5. vbi abſolute dicit, inter alia, ad iuſtificationem requiri actus ſpei, timoris ſeruilis, & filialis. Sotus etiam id ipſum ſenſit in. 4. d. 14. q. 2. art. 5. in quo quærit, Vtrum initium pœnitentiæ ſit ex timore? Vbi inquit, quòd pœnitentia quantum ad actus, quibus cooperamur Deo, conſiſtit in ſex motibus Dei, & intellectus, & voluntatis, & tertium motum dicit eſſe timoris ſeruilis, quo quis ſuppliciorum timore à peccatis retrahitur, iuxta illud Iſaiæ. 26. citatum, quo loco ſermonē inſtituit Propheta de ijs, qui per pœnitentiam ad mentem redeunt, & dixit, A timore tuo concepimus, & quaſi parturiuimus, & peperimus ſpiritum ſalutis, ideſt, ſalutarem pœnitentiam. Quartum autem motum dicit eſſe motum ſpei, quo quis ſub ſpe veniæ obtinendæ aſſumit propoſitum emendandi ſe. Quia cum fides ſit ſubſtantia rerum ſperandarum, ipſa eſt, quæ gignit ſpem.

*Soto.*

*Iſaiæ. 26.*

Ratione etiam perſuadetur præfata aſſertio; & ſane quòd requiratur fides manifeſtū eſt ex dictis. Nam cùm Deus ſit obiectum noſtrum ſupernaturale, etiam vt iuſtificationis eſt cauſa, oportet, quod illi primum fidem adhibeamus. Quòd verò requiratur ſpes, aperte cōſtat: Quia niſi homo haberet ſpē in Deum, non accederet ad ipſum ad petendam veniam. Imo verò, cum ad iuſtificationem requiratur amor, & amorem præcedat ſpes, inde conſequitur, quòd requiratur actus ſpei, Quod verò requiratur actus charitatis, inferius amplius manifeſtabitur, interim autem probatur. Primo, quia actus fidei, & ſpei poſſunt eſſe informes: ergo niſi illis adiungatur actus charitatis, non dicuntur ſufficiens diſpoſitio ad gratiam conſequendam. Secundò, quia peccator per peccatum ſic auertitur à Deo, vt ſit conuerſus ad creaturam eam diligendo: ergo vt in Deū conuertatur oportet, vt conuerſio fiat diligendo Deum. Et confirmatur: Quoniam in omni generatione naturali oportet, quòd detur diſpoſitio attingens introductionem formæ eius, quod generatur: ſed iuſtificatio eſt ſpiritualis etiam generatio per quam introducitur Deus in nobis ſpecialiter per gratiam, & charitatem: ergo oportet, quòd detur huiuſmodi diſpoſitio dilectionis Dei.

Sancti patres in Conc. Trid. inter diſpoſitiones ad iuſtitiam retulerunt timorem diuinæ iuſtitiæ, vt patet in ſeſſ. 6. cap. 6. & de illo, duo decernuntur in illo capite; primum eſt, timorem hunc inde proficiſci, quòd reçognoſcimus nos eſſe peccatores. Secundum eſt, quod eo timore vtiliter concutiuntur peccatores. Et ſane, quod ratio timoris diuinæ iuſtitiæ ſit recognoſcere, & intelligere nos eſſe peccatores, nullus negat: Innocentes namque, nullique culpæ ſubiacentes, Deus in æternum non punit. Cui rei alludēs dixit Abraham Domino Geneſ. 18. Nunquid perdes iuſtum cum impio? abſit à te, vt rem

*Gen. 18.*

hanc facias, & occidas iuſtū cū impio, fiatq; iuſtus, ſicut impius. Quod autem peccatores timore diuinæ iuſtitiæ vtiliter concutiantur, id ſane decernitur in Concil. contra Lutherum & ſuos. De qua re dam natus eſt Luther à Leone. 10. vt patet in Bulla condemnationis ipſius. Et huic errori aduerſatur Sancta Synodus Trident. ſeſsio. 6. cano. 8. dicens; Si quis dixerit, gehennæ metum, per quem ad miſericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel à peccando abſtinemus, peccatum eſſe, aut peccatores peiores facere; anathema ſit. Imo verò Eccleſiaſti. 1. inſignis vtilitas huius timoris explicatur, & verba Scripturæ à patribus in Concilio adducuntur: Timor domini expellit peccatum: Nam qui ſine timore eſt, non poterit iuſtificari. Timor vero diuinæ iuſtitiæ vocatur hoc loco à Concilio timor gehennæ, quem timorem communiter Theologi vocant ſeruilem, & eum diſtingunt à filiali. Quia ſeruilis eſt fuga pœnarum, quæ ſunt præſcriptæ peccantibus; filialis hic in via, eſt fuga offenſionis Dei, quatenus eſt Pater noſter, & ſponſus animarū. Vnde, primus effectus ſapientiæ, eſt timor Dei filialis, & à ſapientia procedit, & eſt cōſummatio, & perfectio ipſius, & creſcit creſcente charitate, & de illo dicitur; Ecce timor Domini, ipſa eſt Sapientia. De timore verò ſeruili dicitur, quòd radix Sapientiæ eſt timere Deum, & alibi, Timor Dei, initium dilectionis Eccle. 25. Vnde, apud Chryſoſt. & plerosque ex Sanctis Patribus, licet Deus inferni ſuppliciа parauerit, vt perditos homines, & offenſores diuinæ maieſtatis puniret; tamen eo etiam fine hoc fecit, vt inferni timore à delictis omnes arceret, & vt peccatores ad pœnitentiam excitaret. Et hac etiam intentione, pœnæ ciuiles à legiſlatoribus ſunt conſtitutæ. Nam rogo ab hæreticis, quo iure eſt prohibitus timor gehennæ, aut quam habet repugnantiam ad rectam rationem? Nam profecto gehenna de ſe fugienda, & timenda eſt: ergo ſi obiectum eſt proportionatum timori, & nulla extrinſeca circunſtantia vitiatur, nulla erit cauſa cur huiuſmodi timor diuinæ iuſtitiæ malus iudicetur. Eſt namque inſigne argumentum huius veritatis, quòd experiētia cernimus pleroſque peccatores hoc timore trahi ad pœnitentiam, & plures etiam eodem timore à multis peccatis cohiberi. Lege Auguſt. tractatu. 9. in primam Ioan. D. Ambroſ. ſermo. 15. ſuper Pſalm. 118. D. Cyprian. ſermo. 4. de mortalitate; D. Gregor. homil. 34. in Euangel. D. Baſil. pſal. 33. Ricard. de Sancto Victore in Benjamin minore, cap. 8. & 9.

*Leo. P. 10. Conc. Trid.*

*Eccleſ. 1.*

*Eccleſ. 25.*

Secunda propoſitio. Ad veram iuſtificationem, & remiſsionem peccatorum, in adulto ſe ad illam præparante, requiritur omnino ſpes implicita, & ſemper; timor verò gehennæ ſiue implicitus, ſiue explicitus, non eſt omnino neceſſarius, ita vt ſine eo fieri non poſsit iuſtificatio adulti. Hanc aſſertionem tenet lib. de inſtitutione Sacerdotum Petrus à Soto, lect. 8. de origine, ac principio pœnitentiæ, quo loco poſtquam numerauit omnes illos actus, ſeu gradus, quibus ad veram pœnitentiam peruenitur, ex ſententia D. Thom. Dicit, quod non ſemper omnes illi quinque, vel ſex actus concurrunt ad iuſtificationem, & pœnitentiam: quia quandoque nullus eſt pœnarum timor; ſubiungit tamen, quòd quando concurrunt actus illi, non ſemper formaliter

*Concluſ. 2.*

*Petrus à Soto.*



ter, & explicite inueniuntur, ſed nonnulli virtute tantum. Quarè, actus ſpei ſemper requiritur omnino, vel explicitus, vel implicitus; timor verò ſeruilis aliquando non concurrit ad iuſtificationem. Ita ſenſit Dominicus Sotus in. 4. d. 14. q. 2. ar. 5. Vbi, poſt quam dixit timorem inferni eſſe bonum, & incipientibus plurimum conferre, peccatoreſque à peccatis arcere; deinceps interrogat, Vtrum ſemper in conuerſione peccatoris requirantur formaliter ſex illi motus liberi arbitrij, eo ordine, quo recenſentur à S. Thom. 3. p. q. 81. art. 5. Et concludit, non ſemper illos omnes actus eſſe neceſſarios formaliter: Nam aliàs non poſſet homo ſubito conuerti, ſed neceſſario indigeret tempore, ſine quo ſeries hæc actionum perfici non poſſet; conſequens autem eſt falſum, vt idem Sanctiſsimus Præceptor in hac materia de gratia docet. q. 112. art. 2. Vbi affirmat, quòd cùm præparatio hominis ad gratiam ſit opus Dei præuenientis, ſubito poteſt illam diſpoſitionem perficere, iuxta illud Eccleſiaſti. 11 Facile eſt in oculis Dei ſubito honeſtare pauperem; & ſubiungit Sotus, quod motus timoris ſeruilis, accidentarius eſt, & non neceſſarius omnino ad conuerſionem. Probatur: Quia poteſt adultus ex Dei gratia primo motu deteſtari peccata, quatenus ſunt offenſa Dei, cum ingentiſsimo ardore diuinæ dilectionis: ergo motus iſte timoris ſeruilis non eſt omnino neceſſarius. Imo verò, ea quæ ad iuſtificationem adulti concurrunt, ita ſubito fiunt aliquando, & citiſsimis motibus peraguntur, vt non ſeruetur ille ordo qui in imperfectis communiter, & de lege ſeruari ſolet ad iuſtificationem impij. Addit etiam Petrus à Soto loco citato, quod ſicut in moralibus nō ſemper reperiuntur explicitè electio, & conſilium, ſed virtute tantum in aliquo actu voluntario, ita nulla poteſt eſſe vera pœnitentia, vbi non ſint fides, ſpes, & charitas, filialis timor. Cæterum dicit, quod hæc quandoque vnico citiſsimo, & quaſi ſubito actu fiunt, intellige, vnico actu intellectus, & vnico etiam actu voluntatis; ſed hoc raro, vt in Latrone, & Paulo contigiſſe Scriptura commemorat.

*Dominicus Soto.*

*Petrus à Soto.*

*Trid.*

Sane, Chriſtus nos docuit ſpem veniæ, & ſperare in Deo, eſſe diſpoſitionem ad iuſtificationem. Vnde, vt Chriſtus Paralyticum idoneū faceret, qui remiſsionem peccatorum acciperet, quam ex immenſa miſericordia ei donauit, dixit illi; Confide fili, & cùm illius animum ſpe iam erectum ſenſiſſet, iterū dixit, Remittuntur tibi peccata tua. Vnde, pſal. 90. retulit Propheta ex perſona Dei, Quoniam in me ſperauit liberabo eum. ¶ Sumitur etiam optimum argumentum Lucæ. 15. ex Parabola de filio Prodigo. Nam ſpes illum ad pœnitentiam induxit: plena namque ſunt illa verba ſpei, quæ in ſe reuerſus dixit, & quibus ſe ad pœnitentiam erexit, & accendit; dixit enim. Quanti mercenarij in domo Patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo? Surgam, & ibo ad patrem meum, &c.

*Pſal. 9.*

*Luc. 15.*

Profecto, nemo ſe conuertit in Deum ex corde, niſi actu, vel virtute ſperet Deum ſibi fore propitium; & idcirco Trident ſeſsio. 6. cano. 3. ſpem vt neceſſariam videtur ſtatuiſſe. Nam cum definiat, nemi nem poſſe abſque Spiritus ſancti numine ſperare ſi cut oportet, vt iuſtificationis gratiam aſſequatur, ſatis indicat ſpe opus eſſe ad iuſtificationem ipſam aſſequendam. ¶ Fauent pro hac parte Sancti Patres, qui abſolute dicunt, ſpem eſſe neceſſariam diſpoſitionem ad iuſtitiam, & vt minimum debet intelligi de ſpe virtuali. D. Ambroſ. lib. 1. de Pœnitentia cap. 1. Nemo poteſt bene agere pœnitentiam, niſi ſperauerit indulgentiam, quæ verba ſupra à nobis citata ſunt in diſcurſu primæ propoſitionis vbi commemorauimus Chryſoſtomum, Bernardum, Auguſt. & alios Patres.

*D. Ambro.*

Adducor etiam ad præfatam aſſertionem, non ſolum quia ſpes recenſetur hoc loco inter diſpoſitiones iuſtificationis, ſed etiam, quia cum timore ſuppliciorum peccatores concutiantur, maxime conuenit eos ſpe erigere, ne animum deijciant. Vnde Propheta pſal. 5. dixit; Ecce oculi Domini ſuper metuentes eum, & in eis, qui ſperant ſuper miſericordia eius; & alibi; Qui timetis Dominum, ſperare in illum, & in oblectationem veniet vobis miſericordia. ¶ Sacrum Trident. Concil. ſeſsio. 6. cap. 6. affirmat, peccatores tales ſe eſſe intelligentes, à diuinæ iuſtitiæ timore, quo vtiliter concutiuntur, ad conſiderandam Dei miſericordiam ſe conuertendo, in ſpem erigi, fidentes Deum ſibi propter Chriſtum fore propicium. Quibus verbis tria inſinuantur à Concilio, primum eſt, cauſam ſpei noſtræ eſſe conſiderationem diuinæ miſericordiæ; ſecundum eſt, nō qualicumque ratione ab ea conſideratione cauſari ſpem, ſed erigendo animum noſtrum; tertium eſt, ea conſideratione ſic erigi animum noſtrum in ſpem, vt ſperemus, & fidamus eum nobis fore propicium propter Chriſtum. Ex quibus merito colligo, neceſſarium eſſe actum ſpei, ſiue explicitè, ſiue implicite, & virtualem. Et profecto, regulariter, & de lege requiritur ſpes formalis, imo verò timor formalis, qui introducit pœnitentiam, licet omnino neceſſaria videatur ſpes implicita; non item timor ſeruilis eſt ita omnino neceſſarius, iuxta explicationem, & ſenſum ſupra datum. Vnde, Petrus à Soto loco citato de inſtitutione Sacerdotum, ſemper affirmat, requiri omnino ſpem virtualem; timorem vero ſeruilem aliquando non concurrere ad iuſtificationem. Idem ſenſit Soto in. 4. loco citato, & 2. de nat. & grat. cap. 16. Vigerius cap. 10. §. 4. Verſu. 1. Vbi ait, abſolute ſpem eſſe neceſſariam, & cap. 13. §. 8. Verſu. 1. dixit, timorem ſeruilem tantum eſſe neceſſarium communiter. Et hanc etiam ſententiam inſinuat Ricardus in. 4. d. 14. artic. 10. q. 1. Recentiores etiam Theologi. 2. 2. q. 22. artic. 1. & 2. cēſent, quòd licet ſpes formalis beatitudinis non ſit neceſſaria ad iuſtificationem; tamen ſpes de conſequenda venia, videtur omnino neceſſaria, quia vix poteſt intelligi actus pœnitentiæ ſine formali ſpe veniæ.

*Petrus à Soto.*

*Dominicus Soto.*

*Vigerius.*

Ad argumenta in initio diſputationis allata facile reſpondetur, ſi attendatur ea; quæ in diſcurſu duarum propoſitionum à nobis dicta, & explicata ſunt.

*Ad argum. patet ex dictis.*

### *Tertia difficultas eſt de neceſsitate actus pœnitentiæ ad remiſsionem peccatorum*

HÆc difficultas, non ſolum non eſt aliena à præſenti inſtituto, verum etiam videtur mihi valde neceſſaria, præterquam, quòd eam diſputant nōnulli recentiores Theologi: Imò pleri-

plerique in explicatione huius ar. Dedit etiam nobis occaſionem huius controuerſiæ S.Thom. qui in hoc quinto articulo dixit, mentem humanam, cum iuſtificatur, per motum liberi arbitrij, recedere à peccato, & accedere ad iuſtitiam, receſſum vero iſtum per motum liberi arbitrij, accipi ſecundum deteſtationem peccati; & id ipſum fuſius inſinuat ſolut. ad.3. ¶Sunt autem illa, quæ de neceſsitate actus pœnitentiæ ad iuſtificationem, & remiſsionẽ peccatorum diſceptanda occurrunt, multa quidem & difficilia. Primum eſt, An ſit de lege ordinaria neceſſarius actus pœnitentiæ ad remiſsionem peccati? Et, An de lege ſit neceſſaria pœnitentia formalis, vel ſufficiat virtualis? Et, vtrum ſit neceſſarium propoſitum formale emendandi vitã & ſatisfaciendi? Tandem occurrit difficultas de dilectione Dei, Vtrum ad iuſtificationem requiratur, & ſufficiat actus formalis charitatis, & timor filialis.

Argumenta quibus eneruatur neceſsitas pœnitentiæ ad remiſsionem peccatorum inter aduerſarios, ſunt illa, quæ in exordio & initio huius primæ diſputationis, in tertia ſerie, & ordine à nobis ſunt poſita ante ingreſſum primæ difficultatis, & ſunt difficilia, & numero ſex, quæ non ſunt iterum à nobis hoc loco repetenda; diſſoluentur tamen à nobis infra poſt reſolutionem huius controuerſiæ.

**Nota.** Vt autem titulus huius difficultatis explicetur, aduerte, difficultatem hanc ſolum debere intelligi de adultis vſum rationis habentibus, & de adultis habentibus mortale actuale: pœnitentia enim ſeu contritio, vt eſt deletiua peccati, proprie non eſt, niſi de peccatis, quæ propria voluntate commiſimus, & contraximus, & hoc eſt conforme titulo huius articuli, in quo Sanctiſsimus Præceptor interrogat, Vtrum ad iuſtificationem impij requiratur motus liberi arbitrij in peccatum? in quo aperte liquet loqui de adultis, cum in eo fiat mentio de motu liberi arbitrij in peccatum. Rurſus, pœnitentia dicitur neceſſaria duobus modis ad remiſsionem peccatorum, nempe, & ratione præcepti, & ratione finis. Et quidem hoc loco minime diſputatur de ea neceſsitate, quæ oritur ex præcepto; quia hæc pertinet ad materiam de pœnitentia, ſed ſolum agimus de ea neceſsitate, quæ ſumitur ex fine: Et ita quæritur, Vtrum ratione finis ad obtinendam remiſsionem peccatorum, neceſſaria ſit pœnitẽtia, vel an ſolum hoc requiratur de lege ordinaria Dei?

Pro explicatione huius difficultatis eſt prima propoſitio. **Concluſ. 1.** Ad remiſsionem peccatorum, & iuſtificationem illius impij, qui habet peccata actualia mortalia, de lege ordinaria, & regulariter pœnitẽtia, ſeu actus pœnitentiæ, quo deteſtetur peccata, eſt neceſſarius; ac proinde remedium neceſſario requiſitum ad remiſsionem peccati ſecundum legem ordinariam, eſt pœnitentia. Hæc aſſertio non cadit ſub opinione: eſt enim cõmunis omnibus Catholicis, & eſt de fide. **Conc. Trid.** Probatur ex Trident. ſeſsio. 14. capit. 1. de neceſsitate pœnitentiæ, vbi ſic decernitur. Fuit quidem pœnitentia vniuerſis hominibus, qui ſe mortali aliquo peccato inquinaſſent, quouis tempore ad gratiam, & iuſtitiam aſſequendam neceſſaria, & cap. 4. ſequenti de Contritione fere in initio ſic ſancitur; Fuit autem quouis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus neceſſarius. Rurſus in capit. Firmiter definitur, quòd ſi quis poſt baptiſmũ prolapſus fuerit in peccatum, ſemper poteſt reparari per veram pœnitentiam.

Sane, præfata aſſertio conſtat ex ſacris literis, in quibus promittitur remiſsio peccatorum pœnitentibus, & deteſtantibus peccata ſua, & ſicut remiſsio peccatorum tribuitur pœnitentiæ, & deteſtationi peccatorum, ita condemnatio tribuitur impœnitentiæ: ergo, &c. Probatur antecedens. *Ierem. 18.* Ierem. 18. Si impius egerit pœnitentiam à malo ſuo, agam & ego à malo, quod cogitaui facere illi; & *Ezech. 18.* Ezech. 18. Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, vita viuet, & omnium iniquitatum eius, quas operatus eſt nõ recordabor; Subiungitque in fine capitis; Conuertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris & nõ erit vobis in ruinam iniquitas. Similia etiã verba dicit pleriſque in locis. *Matth. 3.* Matth. 3, Pœnitentiam agite, appropinquabit regnum cœlorum. *Actor. 2.* Actor. 2. Pœnitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrũ in remiſsionem peccatorum. *Lucæ. 13.* Lucæ. 13. Niſi pœnitentiam habueritis omnes ſimiliter peribitis. *Apocal. 2.* Apoc. 2. Memor eſto vnde excideris: age penitentiam, & prima opera fac: ſin autẽ, venio tibi, & mouebo candelabrũ tuum de loco ſuo, niſi pœnitentiam egeris. Et iterũ *Actor. 3.* Actor. 3. Pœnitemini igitur, & conuertimini, vt deleantur peccata veſtra: igitur pœnitentia ſecundũ legem ordinariam eſt remedium neceſſario requiſitum ad remiſsionem peccatorum. Vnde, in eodẽ Trident. ſeſsio. 6. cap. 6. inter diſpoſitiones ad remiſsionem peccatorum, connumeratur expreſſe actus pœnitentiæ. Eſt etiam congruentia optima huius rei. Nam iuſtificatio eſt, per quam adultus, & peccator fit noua creatura: ſed eſt impoſsibile adultum fieri nouum hominem, niſi veterem, & antiquum exuerit per pœnitentiam, & deteſtationem peccatorum, iuxta illud Pauli. *1. Corinth. 5.* 1. Corinth. 5. Expurgate vetus fermentum, vt ſitis noua conſperſio: ergo, &c. Imo verò, apud omnes Gentes fuit notum, quòd ſi quis alium offendebat, non reſtituebatur in priſtinam amicitiam, niſi prius eum placaret, ſibi diſplicendo de offenſa, & iniuria commiſſa: fortius ergo hoc habet verum reſpectu Dei.

*Concluſ. 2.* Secunda propoſitio. Si ſit ſermo de pœnitentia, quæ eſt diſpoſitio ſufficiens ad remiſsionem peccatorum, & ad iuſtificationem, & primam gratiam, ſentiendum eſt ad illam, quouis tempore neceſſariã fuiſſe diſplicentiam, & humilem deteſtationem peccatorum coram Deo cum propoſito amplius non peccandi, & ſatisfaciendi. Rurſus, in nouo teſtamento, in homine non baptizato, requiritur votum baptiſmi; in eo vero qui poſt baptiſmum peccauit, & lapſus eſt, requiritur votum ſacramenti pœnitentiæ. Hæc aſſertio de fide eſt quo ad ſingulas partes eius, vt Scholaſtici omnes docent in materia de pœnitentia, vbi etiam de neceſsitate voti horum ſacramentorum in lege euangelica, eſt expreſſa determinatio, præſertim. 3. part. q. 84. artic. 5. ¶Quod vero diſplicentia, & deteſtatio peccatorũ neceſſaria ſit, definitur in Concil. Trident. ſeſsi. 14. cap. 4. & in Bulla Leonis Decimi, contra errores Lutheri, vbi duæ ipſius propoſitiones damnantur, altera quidem, qua dicebat, contritionẽ per deteſtationem peccatorum non ſolum non remittere peccata, ſed facere hominem hypocritam, & magis peccatorem; Altera vero, qua aſſeuerabat, ſummam pœnitentiam eſſe propoſitum nouæ vitæ ſine diſplicentia peccatorum, quod expreſſe damnatur in Concil Florent. in decreto Eugenij. 4. vbi ſancitur, ad contritionem pertinere dolorem de peccato commiſſo, eiuſque diſplicentiam, & humilem peccatorum deteſtationem.



In ſacris literis, à peccatoribus exigitur pœnitentia, & præterea obſeruatio mandatorum: ergo illa pœnitentia, quæ in Scriptura ſacra neceſſaria dicitur ad remiſsionem peccatorum, non eſt ſola nouę vitæ inchoatio, vt Lutherus peſsime dicit, ſed etiã eſt diſplicentia, & deteſtatio anteactæ vitæ. Probatur antecedẽs *Ierem. 31.* Ierem. 31. Statue tibi ſpeculam; pone tibi amaritudines; dirige cor tuum in viam rectam, &c. Et *Iſai. 26.* Iſai. 26. Sicut qui concepit cum appropinquauerit ad partum, dolens clamat in doloribus ſuis; ſic facti ſumus à facie tua Domine, ſcilicet, per pœnitentiam, vt interpretatur S.Tho. 3. p. q. 85. art. 5. ¶Quare, omnia teſtimonia ſupra citata pro prima aſſertione, faciunt ad propoſitum, quia in eis exigitur pœnitentia ad remiſsionem peccatorum, & interpretantur à Sanctis patribus non ſolum de propoſito nouæ vitæ, ſed etiam de diſplicentia, & dolore peccatorum, ita *D. Chryſoſt.* D. Chryſoſt. lib. 1. de compunctione cordis, non longe à fine, & homil. 2. ſuper pſal. 50. *D. Ambro.* D. Ambroſ. ad Virginem lapſam cap. 8. & ſuper Pſal. 37. *D. Auguſt.* D. Auguſt. lib. de pœnitentiæ medicina, capit. 2. & in Inchirid. ad Laurentium, cap. 65. & lib. 5. homiliar. homil. 50. cap. 3. & cap. 15.

Quod autem ad prædictam pœnitentiam, & diſpoſitionem remiſsionis peccatorum neceſſarium ſit propoſitum non peccandi in poſterum, aperte patet ex Concilijs Trident. & Florent. locis ſupra citatis in quibus pariter dicitur requiri ad contritionem diſplicentiam peccatorum, & propoſitum emendandi vitam. Vndè, in Sacris literis quotieſcumque petitur ad iuſtificationem, & remiſsionẽ peccatorum dolor de peccatis ſimul exigitur propoſitum obſeruationis mandatorum Dei, vt liquet ex teſtimonijs ſupra citatis, præſertim pro prima aſſertione. *Epheſ. 4.* Paulus etiam confirmat hoc ipſum ad Epheſ. 4. dicens, Deponite vos veterem hominem; & ſubiungit ſtatim; Et induite nouum; ſed vt ſupra oſtendimus, aperte conſtat, quòd ſicut exuitur vetus homo per deteſtationem, & diſplicentiam peccati, ita ſane nouus induitur per propoſitum ſeruandi Dei mandata. Tandem, neceſſarium eſſe propoſitum ſatisfaciendi, etiam liquet: Quoniam exiguntur à peccatoribus opera ſatisfactoria in pleriſque locis Sacrarum literarum, vt probatur à Theologis in materia de ſatisfactione. Et profecto, hæc omnia eſſe neceſſaria, valde ſunt conſona lumini naturali vt in fine præcedentis concluſionis ex allata congruentia deducebamus, per ea, quæ contingunt inter homines; ſi deducantur; & transferantur ad Deum, & homines reſpectu peccatorum, & offenſarum, quæ committuntur contra ipſum fontem bonifatis.

### *Dubium annexum præcedenti difficultati de pœnitentia.*

SEd hæſitabit aliquis, Vtrum actus formalis pœnitentiæ ſit omnino neceſſarius ad iuſtificationem; Vel an ſufficiat virtualis? Hoc eſt, Vtrum ſit neceſſarium actu, & formaliter habere deteſtationem formalem de peccato, & diſplicentiam, & proponere explicite ea omnia, quæ in ſecũda propoſitione ſupra tacta continentur? Vel, vtrũ ſufficiat habere actum aliquem explicitũ alicuius rei, in quo virtualiter, & tanquam in cauſa ſit incluſa, & imbibita diſplicentia peccatorum cum reliquis alijs actibus?

*Scotus. Gabriel. Ioan. Medina. Henricus. Caietanus. Gregorius. Ledeſma. Vega.*

De hac dubitatione Scotus in. 4. d. 14. q. 1. Gabri. eodem loco artic. 2. concluſ. 2. & 3. & in. 3. d. 27. q. 1. & Ioan. de Medina, de pœnitent. q. 2. Henric. quodlib. 7. q. 4. Caietanus. 3. p. q. 87. art. 10. Gregor. Ariminenſ. in. 1. d. 17. q. 1. Martinus à Ledeſma in prima parte quarti. q. 25. art. 5. dub. 1. & 6. & Vega libr. 6. in Trident. cap. 34. & lib. 9. cap. 24. Omnes iſti putant, quòd ſufficit pœnitentia virtualis, & quod non eſt omnino neceſſaria actualis, & formalis diſplicentia,, & deteſtatio peccatorum. Quia dicunt, quod ſolo actu charitatis, ſine formali pœnitentia remittuntur peccata, non tamen ſine virtuali pœnitentia. Quoniam actus ille charitatis, virtualiter includit actum pœnitentiæ. *Petrus à Soto.* Petrus à Soto tractatu de inſtitut. Sacerdotum lect. 4. de neceſsitate pœnitentiæ ad remiſsionem peccatorum, dicit, poſſe hoc probabiliter affirmari, quamuis ille oppoſitum ſentiat. Et licet probabile ſit (inquit ille) quod fiat remiſsio peccatorum ſolo actu charitatis, ſine pœnitentia formali; tamen non eſt dicendum ſine pœnitentia peccatum remitti. Quia in illo actu charitatis, & dilectionis Dei, virtute continetur pœnitentia, & virtualiter includit actum pœnitentiæ. Vnde, authores huius ſententiæ, teſtimonia Scripturæ, quibus oſtenditur neceſsitas pœnitentiæ ad remiſsionem peccatorum, interpretantur de formali, vel virtuali pœnitentia. Ita Gabriel loco citato. *Canus.* Huius citatur etiam ſententiæ Canus in relectione de pœnitentia. p. 3. & *Ruardus.* Ruard. Tapper art. 4. Pag. 130. Sed profecto immerito citatur Canus pro hac parte; quia tenet oppoſitum. Verum Nauarrus in Manuali cap. 1. numero. 10. & etiam numero. 1. &. 15. id ſenſit expreſſe.

Recentiores etiam nonnulli putant, quòd ſiue extra martyriũ ſiue in martyrio, etiã ſi quis poſsit recordari peccatorũ; ſi tamẽ tunc nõ tenetur pœnitere, aut recordari, eo quòd iudicat ſatis eſſe oſtẽdere fortitudinẽ, vel lætitiã aduerſus tyrannos, & inimicos Chriſti, vel quia nõ poteſt cõmode, licet poſsit abſolute, vel quia eſt extra caſum neceſsitatis, & ob id non tenetur ſpecialiter eo tempore ad pœnitentiam; vere conſequetur gratiam, & remiſsionem peccati, ſi tunc habet veram dilectionem Dei, quæ cenſetur eſſe pœnitentia virtualis. Et hanc dicũt eſſe ſententiam authorum, quos ſupra citauimus, præſertim Gabrielis. Et probant: Quia certum eſt de fide, quòd qui habet veram dilectionem, eſt Deo gratus, iuxta illud, Ego diligentes me diligo, Charitas operit multitudinem peccatorum. *Lucæ. 7.* Idem Lucę. 7. Dimiſſa ſunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Et eadem verba habentur apud *D. Bernard.* D. Bernard. epiſt. 107. & pleroſque ex Sanctis Patribus. *D. Gregor.* Gregor. homil. 33. Vbi affirmat, dilectionem Dei eſſe

*D.Fulgent.* esse ignem repellentem animæ rubiginem. Fulgẽt. epist.7.ad Venantiam de recta pœnitentia, & futura retributione; Vbi ait, dilectionem omnia præterita peccata relaxare: sed dilectio potest haberi sine formali pœnitentia: ergo. Minor patet in B. Virgine, & in Angelis dum erant in via, & in beatis. Imo verò peccatores, qui iam sunt iustificati, dum non recordãtur peccatorum in specie, nec in genere, habent dilectionem sine pœnitentia formali. Similiter, qui peccauerunt, & putant se non peccasse, vel actu non considerant peccatum, neque in genere, neq; in specie: Quia huiusmodi homines habent sufficiens obiectum amoris; non verò doloris: ergo. Rursus probant: Quia certum est, quòd qui detestaretur peccata propter Deum summe dilectum, constitueretur in gratia: sed totum hoc fieri potest sine formali pœnitentia: ergo. Minor patet: Quia pœnitẽtia formalis ad detestationẽ peccati propter Deũ summe dilectũ, addit, quod sit in vindictã, & si hoc nõ addatur, illa detestatio erit à charitate, & nõ à pœnitentia: ergo sine formali pœnitentia possumus detestari peccatum propter Deum summe dilectũ. Dices, non posse haberi vnam detestationem sine altera, & quòd detestatio procedens à charitate nõ iustificat, nisi per detestationem, quæ procedit à pœnitentia, & quam ipsa infert. Contra: Nam si quis recordetur peccati, quatenus est offensa Dei, & non quatenus est recompensabile, vel vindicabile, habet detestationem sub ratione formali charitatis, & non sub ratione formali pœnitentiæ.

*Conclus 3.* Pro explicatione huius difficultatis, sit tertia propositio. De lege ordinaria requiritur displicentia formalis, & detestatio peccatorum, cum formali etiam proposito non peccandi in posterum, & id in quam requiritur ad remissionem peccatorum, explicite, & non sufficit virtualis pœnitentia, nisi adsit naturalis, & inuincibilis obliuio peccatorum; tunc enim vere sufficit ad remissionem peccatorũ actus dilectionis Dei super omnia, in quo pœnitentia ipsa continetur virtute, seu virtualiter. ¶Hanc assertionem defendit S.Thom.3.p.q.85.art.5.&.5.& q.86.art.2.& etiam in hoc art. quem modo explicamus, & art.6. sequenti idem insinuat, & sæpius docet, motum detestationis peccati requiri ad remissionem ipsius. *Palude. S. Thomas. Ioã. Maior. D.Antoni.* Palude in.4.d.14.q.7. conclus.5. sentit cum S.Thoma, & Ioan. Maior ibidem.q.1.D.Antoninus.3.p.titulo.9.cap.6.in principio; Et meo iudicio Scotus immerito citatur pro contraria sentẽtia. Nam, in.4.d.14.q.1.citata §.Ex his ad solutionem quæstionis, expressè affirmat, displicentiam peccati, vt est quid distinctum ab actu charitatis, necessariã esse regulariter ad deletionem peccati, & duntaxat excipit casum, quo quis rapitur subito ad Martyrium, ita vt non possit intendere cogitationi peccatorum, in quo casu putat posse remitti peccatum per ardentem, & feruentem charitatis actum. *Petrus à Soto.* Idem docuit Petrus à Soto loco citato, lect.4. de necessitate pœnitentiæ, vbi affirmat, multo probabilius esse veram dilectionem Dei, aut quemcumque actũ ex illa procedentem in peccatore non esse sine actuali pœnitentia, sed eam statim in ipso excitare. Nam quis nõ videt, veram dilectionem alicuius primò omnium detestari omnem iniuriam in eum prius cõmissam? Quia nihil magis videtur charitas respicere, aut velle repellere, quam id, quod est cõtrarium ei, quem amat. Cuũ ergo grauissima res sit Dei maiestatem offendisse, aperte sequitur, quòd vera charitas Dei, si in aliquo est, primò reddat eũ solicitum, & anxium ad excitandum dolorem peccatorum. Legimus namque, eos, qui diu ante pœnitentiam egerant, cum ad martyrium ducerentur, non fuisse immemores peccatorum suorum, & denuo ea recogitasse: ergo multò magis hoc operabitur charitas ipsa in his, qui conscij sunt peccatorũ, quorum nullam egerunt pœnitentiam. Vnde, Petrus à Soto citata lect.4. affirmat, quòd non desunt, qui putent, quòd illa omnia, quæ de charitate Scriptura dicit, & de alijs bonis operibus quibus remittuntur peccata, intelligenda esse quando coniuncta sunt pœnitentiæ, quod etiam S.Thom. videtur dicere.3.p.locis citatis, explicãs illud, Vniuersa delicta operit charitas.

Quòd autem regulariter ad remissionem peccatorum requiratur displicentia formalis, & quòd nõ sufficiat actus dilectionis, qui est pœnitentia virtualis per se sumptus, probatur ex testimonijs Scripturæ Sacræ supra allatis pro prima, & secunda propositione, in quibus etiam negatiua propositio aperte asseritur, quòd videlicet non aliter remittantur peccata, nisi adsit pœnitentia, Ezech. 33. *Ezech.33.* Si dixero impio morte morieris, & egerit pœnitentiam, &c. Omnia peccata eius, quæ peccauit, nõ imputabũtur ei. Et subiũgitur; Si impius nõ fuerit conuersus à via sua, ipse in iniquitate sua morietur. Sic ergo loquitur ibi Deus, siue annunciatum illi fuerit peccatum, siue non, semper (inquit ipse) in iniquitate sua morietur, si non fuerit conuersus. Et *Lucæ.13.* Lucæ.13. Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis, & D.Petrus Apostolus in prima illa concione post receptum Spiritum sanctum, Quærentibus, quid faciemus viri fratres? statim inquit Actor.2.&.3. *Actor.2. & 3.* Pœnitentiam agite, & in alia concione iterum Petrus; Pœnitemini, & conuertimini, vt deleantur peccata vestra. Et vniuersaliter omnibus adultis, qui actu peccauerunt mortaliter, imponitur pœnitentia, neque vllo tempore, aut in vllo statu sine hac peccatum remittitur. ¶Profecto, cum in testimonijs Sacræ scripturæ citatis dicatur explicite pœnitentiam esse necessariam ad remissionem peccatorum, & ex hoc, quòd nomen pœnitentiæ propriè accipiatur pro ipsa pœnitentia, non sequatur inconueniens aliquod; aperte colligitur, quòd non poterunt rectè explicari citata testimonia de actu charitatis, qui distinctus est ab actibus pœnitentiæ. Præsertim, quia iuxta consuetam charitatis acceptionem, non solet dilectio nomine pœnitentiæ significari. ¶Sane, Sancti Patres ex sacra Scriptura colligunt, necessariam esse pœnitentiam, qua peccator se ipsum torqueat, & affligat propter offensam ab eo commissam contra Deum: sed hoc non fit solo actu charitatis, sed formali displicentia, & detestatione peccati, quæ principium est doloris: ergo, &c.

*Conc. Tri.* Rursus probatur ex Trident. sessio.14.cap.4. Vbi expresse definitur, non sufficere propositum, & inchoationem nouæ vitæ, sed etiam requiri veteris vitæ odium: sed in isto proposito non minus continetur virtualiter ipsa pœnitentia, quam in dilectione

Dei



Dei, de qua est controuersia: ergo iuxta sententiam Concilij non sufficit actus dilectionis. ¶Adducor etiam ad veritatem nostræ assertionis: Quia si sacræ Scripturæ testimonia possent exponi, & interpretari de charitate, quatenus est pœnitentia virtualis, pari ratione hæretici dicentes, sufficere nouitatem vitæ, possent respondere ad præfata testimonia citata, hanc nouitatem vitæ, esse pœnitentiam virtualem, cum per eam homo à peccatis recedat: ergo cum huiusmodi interpretatio extra rationem sit, pariter illa prior non est admittenda, iuxta sensum nostræ conclusionis. ¶Tandem; Si dilectio sine pœnitentia, & extra martyrium sufficit ad iustificationem: ergo non est martyrij speciale priuilegium, vt per illud remittantur peccata, & admittatur homo ad iustitiam, & amicitiam Dei. Huic argumento nonnulli recentiores respondent; sed profecto ridiculas, & friuolas adducunt solutiones. Inter alia dicunt, quod etiam si martyrium non habeat adiunctam dilectionem, quæ sit virtualis pœnitentia; sufficit ad remissionem peccatorum, & iustificationem. Sed profecto, repellere omnino pœnitentiam, tam actualem, quam virtualem in remissione peccatorum præter quam quòd non est tutũ in fide, est contra Concil. Trident. Vnde, si adultus peccator tunc habet dilectionem supernaturalem, qua velit pati propter Deum, & propter Christum illũ præferendo sibi, & omnibus suis bonis, vniuersisque creaturis, in tali dilectione supernaturali, saltẽ est virtualis pœnitẽtia, & displicẽtia peccatorũ.

*Aduertenda explicatio, & intelligẽtia conclusionis.* Diximus in præfata conclusione tertia, non solum non sufficere actum dilectionis, qui est virtualis pœnitentia, per se sumptum; sed etiam quòd quamuis illi actui adiungatur voluntas in posterum non peccandi, & voluntas offerendi Deo compensationem, quam ipse Deus voluit sibi fieri per actus pœnitentiæ supra explicatos; hoc non sufficere de lege ordinaria sine ipsa formali displicentia, & pœnitentia, seu detestatione peccatorum cum proposito illo non peccandi in posterum. Hoc tamen licet verum sit, est aliquantulum difficilius. Quoniam illa voluntas offerendi Deo compensationem, quam ipse sibi fieri voluit actibus pœnitentiæ, est formalis actus pœnitentiæ per modum electionis; & ex consequenti, qui diceret hanc voluntatem sufficere, negaret requiri pœnitentiam formalem, & displicentiam, seu detestationem peccatorum. ¶Et vt hoc intelligas aduerte, quòd sicut aliæ virtutes morales præter intentionẽ, & electionem habent executionem; ita etiam pœnitentia habet duos actus saltem formaliter distinctos, vnum quidem per modum intentionis, & hic est volitio, & intentio obtinendi finem ipsius pœnitentiæ, nẽpe, destructionem peccati in facto esse sub propria ratione obiectiua pœnitentiæ, &c. Alterum vero per modum electionis, & hic actus est efficax, & absoluta volitio apponendi necessaria media ad illum finem; hoc est, offerendi Deo eum modum compensationis, quem ipse petit à nobis, vt remittat peccata, quæ contra ipsum cõmisimus. Habet rursus pœnitentia præter hos actus, qui se habent veluti in actu signato, habet inquam vlterius executionem ab illis actibus distinctam, licet aliquando perficiatur ista executio, & pœnitentia solis actibus voluntatis, vt cum quis iustificatur sine sacramento re ipsa suscepto: Consistitque executio ista in illis actibus, quibus peccator, quantum in se est, compensat offensam contra Deum cõmissam, in sensu, quẽ explicant Theologi in materia de pœnitentia, inter quos actus pœnitentiæ, potissimum locum habet dolor, & displicentia peccatorum. Et de hac executione, siue illa sit vnus actus, siue plures, intelligitur non solum quæstio proposita, quando inquiritur, Vtrum pœnitentia de lege ordinaria sit necessaria ad remissionem peccatorum; sed etiam conclusio, & assertio tertia, in qua diximus, secundum ordinariam Dei legem, ad remissionem peccatorũ requiri formalem displicentiam, & pœnitentiam, & non sufficere voluntatem illam, quæ est formalis actus pœnitentiæ per modum electionis. Quod sane probari potest: Quoniam ista voluntas non sufficit ad verificandam eam difficultatem, quam testimonia citata significant reperiri in actu pœnitentiæ, qui exigitur à peccatore in eisdẽ sacris literis, in quibus exigitur dolor, amaritudo, contritio, & detestatio peccatorum, vt patet in testimonijs supra allatis. ¶Rursus probatur: Quia Trident. sessio. *Conc.Trid.* 14.cap.4. ostendit, contritionem continere odium veteris vitæ; quia clamores illi Sanctorum, Tibi soli peccaui, &c. & alij similes, quos Scriptura recenset, manifeste procedunt ex vehementi quodam ante actæ vitæ odio, & ingenti peccatorum detestatione; constat autem verba hæc dici non posse de sola voluntate, & proposito detestandi peccata: Quoniam hæc sola voluntas, neque immediate prorumpit in huiusmodi clamores, sed adiungitur ipsa actualis detestatio, & displicentia peccati: igitur quod Concilium prius declarauerat, postea probat hoc argumento, scilicet, contritionem continere veteris vitæ odium: sed hoc non potest intelligi de sola voluntate, & proposito detestandi peccata, sed necessario intelligendũ est de ipsa formali detestatione: ergo, &c. Tandẽ, illa voluntas non est cõpensatio, sed volũtas, & propositum compensandi: cum ergo pœnitentia sit per modum compensationis, non sufficiet illa voluntas, & illud propositum; imo verò neque inter homines satis est, quòd quis velit cõpensare offensam, vt redeat in gratiam eius, quem offendit, sed requiritur actualis compensatio exercita, nisi adsit aliquod impedimentum. ¶Neque obstat, quòd apud Deum voluntas pro facto reputatur, & quod propositum, seu voluntas ista, de qua loquimur, sit absoluta, saltem vt præcedit ordine naturæ formalem displicentiam; Quoniã in medijs ad salutem necessarijs, non semper est verum, quod volũtas reputetur pro facto, quando sumuntur quasi in actu signato, vel per modũ intentionis. Nam non sufficit ad iustificationem adulti voluntas, & propositum credendi, sed requiritur formalis fides. ¶Si dicas, baptismũ esse medium necessarium non baptizatis, & confessionẽ lapsis post baptismum, & nihilominus posse obtineri remissionẽ peccatorum cum voto horum sacramentorum: Respondetur, votum istud includi in ipsa contritione. Quocirca, si voluntas habendi contritionem sufficeret, iam tunc efficeretur, vt votum ipsius voti sufficeret; & ita procedendum esset in infinitum, cum non sit maior ratio de voluntate habendi votum

sacra-

sacramenti, quam de voluntate huius voluntatis, seu propositi, de quo est sermo. Habet rursus pœnitentia hoc peculiare inter alia media, quod habet rationem compensationis pro offensa commissa contra Deum; est autem valde consonum rationi, quòd Deus nolit remittere offensam, priusquam re ipsa exhibeatur ipsi Deo à peccatore aliqua compensatio; Voluntas autem illa, non habet rationem actualis compensationis. Et licet cõfessio ipsa, quatenus est actus virtutis pœnitentiæ, habeat rationem compensationis; tamen illa non existente nisi in voto, manet aliqua compensatio actualis, nempe, interna pœnitentia. Quod verò sufficiat votum istorum sacramentorum inclusum in contritione, est ab Ecclesia sancitum, & definitum; nihil tamen tale habetur de proposito, seu voluntate offerendi Deo compensationem illam, quæ habetur per modum intentionis, & electionis: Imo verò, oppositum satis apparenter colligitur ex doctrina Concilij, vt patet, tum ex dictis, tum etiam si attente legatur Concilium.

Altera tertiæ assertionis, & conclusionis pars est, quòd pœnitentia sufficiens, & necessaria ad remissionem peccatorum, includit etiam formale propositum non peccandi in posterum. Ita tenet S. Thom. 3. p. q. 86. artic. 2. & q. 85. artic. 3. Sotus in 4. d. 15. quæst. 1. artic. 2. Caietan. tomo. 1. Opusculorum tractatu. 4. q. 1. de attritione & contritione. Canus. 1. p. relect. de pœnitentia. Et S. Thom. 3. contra Gent. cap. 158. & 4. contra Gent. cap. 72. Adrian. quodlib. 5. art. 3. Albe. in 4. d. 14. artic. 11. Duran. d. 17. q. 2. art. 2. Alexand. 4. p. q. 69. memb. 9. Et probatur: Quoniam in doctrina contritionis tradita in Concilio Florent. & Trident. ita indifferenter, & expresse ponitur hoc propositum, sicut displicentia peccati, & Trident. eisdem verbis expresse dicit, propositum hoc pertinere ad pœnitentiam, quæ necessaria est ad remissionem peccatorum, quibus illud affirmat de odio vitæ anteactæ: sed frustra exprimeretur in Concilijs necessitas huius propositi, nisi esset quid distinctum ab ipsa displicentia. Item etiam patet: Quia tam Scriptura, quam Sancti Patres eodem modo de vtroque loquuntur, vt constat ex testimonijs allatis: ergo pœnitentia necessaria ad remissionem peccatorum, includit etiam illud formale propositum non peccandi amplius. Diuus Paul. ad Ephes. 4. inquit, Deponite vos veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris, renouamini autem spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominem, &c. Hoc autem voluntate fit, non manibus corporis: ergo. Parentes, cum liberos puniunt, emendationem, & propositum melioris vitæ exigunt: ergo hoc Deus à nobis exigit propositum.

*S. Tho. 3. p. q. 36. art. 2.*
*Sotus.*
*Caietan.*
*Canus.*

*Obiecto. 1.*

Sed objiciet Theologus contra hoc. Nam in quocumque instanti datur dolor de peccatis propter Deum summe dilectum, pariter etiam datur gratia; & remissio peccatorũ: sed potest dari huiusmodi dolor sine illo formali proposito cauendi peccata in futurum: igitur ad remissionem peccatorum non requiritur tale propositum formale. Probatur minor: Quoniam dolor de peccatis præteritis, & propositum illud cauendi à futuris, sunt vere duo actus distincti, & vnus non necessitat ad alterum. Quia fieri potest, vt aliquis doleat de præteritis; & tamen quòd non cogitet de futuris. ¶ Secundò objicies. Quia adultus, qui detestatur peccatum propter Deum summe dilectum, est perfecte dispositus, vt illi remittatur peccatum: ergo non requiritur vlterius, quòd habeat illud formale propositum nunquam peccandi in futurum: Consequentia aperta est; Antecedens autem probatur. Primò; Quia Scriptura solum exigit à peccatore, quòd auertatur à peccato, & conuertatur in Deum: sed per detestationem peccati auertitur à peccato, & per dilectionem Dei conuertitur in ipsum Deum: ergo. Secundò etiam patet idem Antecedens: Quia mortale peccatum, tantum includit auersionem à Deo, & conuersionem ad creaturam, & non includit propositum peccandi in posterum. ¶ Tandem objicies. Pœnitentia secundum propriam rationem non respicit futura peccata, sed tantum præterita, ad quorum destructionem ordinatur: ergo non est de ratione pœnitentiæ istud propositum cauendi peccata infuturum, sed tantum dolere de iam commissis peccatis.

*Secunda.*

*Tertia.*

Ad has obiectiones dicendum est, dolorem de peccatis præcisè sumptum, in eo, qui non est omnino peccatorum oblitus, non sufficere simpliciter ad eorum deletionem. Quoniam Deus postulat à peccatore simul cum isto dolore, propositum superius explicatum in modum compensationis pro peccatis: nunquam enim reperitur dolor de peccatis propter Deum summe dilectum, sine iustificatione, & remissione peccatorum. Quia in eo instanti, in quo datur huiusmodi dolor, etiam datur prædictum propositum, non quia isti duo actus non sint suapte natura separabiles, sed quia Deus in eo, qui prius erat in peccato, nunquam concurrit ad primum cum auxilio speciali, sine quo actus ille haberi non potest, quin simul etiam concurrat ad secundum. Et per hoc dissoluitur prima obiectio. De hac re legendus est D. August. lib. de vera, & falsa pœnit. cap. 17. & D. Ambrosi. 2. ad Corinth. capit. 7. super illa verba, Ecce enim hoc ipsum, secundum Deum contristari vos, quantam operatur in vobis solicitudinem, & desiderium: Desiderat enim reformari, ait, qui per peccatum scit se factum esse deformem, &c. ¶ Ad secundam obiectionem respondetur, negando antecedẽs, si intelligatur de dispositione omnino, & totaliter sufficienti, & de illo dolore præcisè sumpto, sine huiusmodi proposito, propter rationẽ supra tactam. Ad primam probationẽ antecedentis respondetur, sacram Scripturam non solum postulare à peccatore conuersionem in Deum, vt in finem, sed etiam ad iustitiam, & obseruationem mandatorum, vt patet ex testimonijs supra citatis, & specialiter ex illo Ezech. 18. Vbi sic habetur; Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium, & iustitiam, vita viuet: Et subiungit statim; Cum auerterit se impius ab impietate sua, quam operatus est, & fecerit iudicium, & iustitiam, ipse animam suam viuificabit; & in fine capitis; Facite vobis cor nouum, & spiritum nouum, &c. Qua propter quãdo dicitur, pœnitentiã, seu cõtritionẽ, quæ

*Ad primam obiectio.*

*Ad secundam.*

*Ezech.*



quæ necessaria est ad remissionem peccatorum, esse auersionem à peccato, & conuersionem ad bonum; si fiat sermo de huiusmodi pœnitentia, quantum ad suam essentiam, non debet exponi de conuersione ad bonum, hoc est, ad Deum, sed de conuersione ad bonum, hoc est ad iustitiam, & ad obedientiam mandatorum propter Deum; Quod sanè manifesta conuincitur ratione. Quia motus, quo anima conuertitur in Deum per dilectionem, non est essentialis pœnitentiæ; sed vt plurimum se habet vt illius principium: Quoniam ex ipsa dilectione homo mouetur ad pœnitentiam: at contritio, seu pœnitentia requisita ad remissionem peccatorum secundum suam essentiam, nõ solùm est auersio à malo, sed etiam est conuersio in bonum: Quia motus perfectus, ex accessu, & recessu constituitur: igitur contritio, seu pœnitentia suprà dicta secundum suam essentiam, non est conuersio in Deum proximè, sed in bonum suprà dictum propter Deũ, & idcirco si præcise cõsideretur adultus, quatenus dolet de peccatis propter Deum, quẽ diligit priùs ordine rationis, quam habeat supra dictum propositum, non consideratur cum conuersione intrinseca, & essentiali pœnitentiæ: hæc enim in illo proposito consistit, quod tamen in eodem instanti con comitatur infallibiliter detestationem peccatorũ, si perfecta sit, & efficax. Ad secundam probationem eiusdem antecedentis dicendum, quòd ad delendã auersionem peccati, necessaria est conuersio modo explicata, quia Deus illam petit, & exigit, tanquam partem compensationis, quam à peccatore ipso postulat. ¶ Ad tertiam obiectionem, concedendum est antecedens, si intelligatur de peccatis, quæ pœnitentia respicit, vt delenda, & negatur consequentia; Quia ad hunc finem assumit propositum vitandi peccata in posterum, quia sine illo Deus non placatur, aut conciliatur.

*Ad tertiam.*

### *Dubium secundum ortum ex præcedente difficultate, & illi annexum.*

*Difficultas [illegible]*

NOn est leuis difficultas aperire, quo pacto intelligamus, formalem pœnitentiam requiri secundum legem ordinariã ad remissionem peccatorum, nisi adsit naturalis, & inuincibilis peccatorum obliuio. Quia in eo casu sufficit actus dilectionis Dei super omnia, in quo virtualiter continetur pœnitentia, vt probarũ est sufficienter in præcedentibus: Sed non est inquã facilè aperire exceptionem illam appositam, nempe, quòd ad obtinendam peccatorum remissionem, si eorum sit naturaliter oblitus, non requiritur formalis pœnitentia, sed sufficit actus dilectionis Dei super omnia, qui in eo casu est virtualis pœnitentia. Quocirca, vt id ampliùs explicemus, obserua, quòd illum dicimus esse naturaliter oblitum peccatorum, qui adhibito diligenti conscientiæ examine, & sufficienti etiam diligentia ad reuocandum peccata in memoriam, nullius peccati recordatur, neque conscius est, & in hoc casu diximus, non requiri pœnitentiam formalem, sed sufficere actum dilectionis Dei super omnia, qui in eo euentu est virtualis pœnitentia. Hoc à fortiori tenentur dicere omnes illi authores, qui putant, semper sufficere actum charitatis, quatenus virtute continet actum pœnitentiæ. Ita etiam dicunt Sotus in 4. distin. 15. quæst. 1. artic. 2. conclus. 2. & lib. 2. de natura, & gratia. capit. 16. & Ruardus Tapper. artic. 4. §. Est autem contritio. Hæc etiam videtur esse Sanctissimi Præceptoris sententia expressa. 3. part. quæstione. 87. artic. 1. Vbi loquens de pœnitentia virtuali, qualis reperitur in actu charitatis, dicit, non sufficere ad remissionem peccati mortalis, nisi quantum ad peccata oblita post diligentem inquisitionem. Hoc probat Sotus loco citato; Quia is, qui non potest recordari peccatorum, non potest illa detestari. Quare, si hoc esset necessarium in casu posito, sequeretur, quòd homo ille naturaliter oblitus, esset extra statum salutis, quod non est concedendum. Sed profectò, hæc probatio, quam adducit Pater Soto, parum efficax est ad ostensionem eius, quod intendit. Quoniam ad Deum ipsum, qui voluit pœnitentiam explicitam esse medium necessarium ad consequendam gratiam, & remissionem peccatorum in adultis, qui mortaliter peccauerunt, pertinet prouidere, vt facienti, quod in se est, non desit omnino recordatio peccatorum requisita ad formalem pœnitentiam: sicut de illo, qui nihil prorsus de Christo audiuit dicere solent illi, qui tenent, fidem explicitam Christi esse medium necessarium ad salutem. ¶ Vndè, aliter probatur prefata exceptio in his, qui naturaliter obliti sunt suorum peccatorum, quòd in illis sufficiat actus dilectionis Dei super omnia, quia in tali casu erit pœnitentia virtualis. Quoniam de omni actu necessario prorsus ad salutem datur diuinum præceptum, vt modo supponimus, sed præceptum diuinum non obligat ad detestandum peccata, eum, qui adhibita sufficienti diligentia ad reducendum sua peccata in memoriam, nullius recordatur, etiam si constitutus sit in articulo mortis: ergo in isto casu non est ad salutem absolutè necessarium formaliter detestari peccata: Minor probatur, tùm quia non magis obligat in illo articulo præceptum contritionis, quàm præceptum confessionis per se loquendo, & seclusis impedimentis, sed is, qui sic oblitus est peccatorum, non tenetur in illo articulo confiteri; imo verò neque potest: ergo similiter, neque tenetur habere formalem pœnitentiam; tùm etiam, quia aliàs præceptum obligans ad dignam susceptionem sacramentorum, obligaret eum, qui sic oblitus esset peccatorum, ad habendum formalem pœnitentiam, si vellet ad Eucharistiam accedere, quoniam sine illa non poterit gratiam consequi; at consequens hoc falsum videtur, quia in illo casu præceptum confitendi, duntaxat, obligat eum, qui sibi conscius est alicuius peccati mortalis, vt patet ex Tridentin. sessione. 13. in decreto de Sacramento Eucharistiæ capite septimo. ergo præceptum pœnitentiæ formalis non obligat eum, qui naturalem habet obliuionem peccatorum, vt supponimus illam habere.

*Sotus.*
*Ruardus.*
*S. Thomas.*

*Conci. Trid.*

Dices, quòd in tali casu, ille, qui caret memoria suorũ peccatorũ post sufficientem diligentiã, excusatur à præcepto habendi pœnitentiã formalẽ, sed non iustificatur propter defectum requisitæ dispositionis. Sed contra: Nam si etiam posita naturali obliuione peccatorum, adhuc est medium necessarium ad salu-

ad salutem,habere formalem detestationem illorũ; sequitur, quòd præceptum habendi illam, etiam obligat in isto casu. Patet sequentia. Quia quando facta aliqua suppositione aliquis actus noster est medium necessarium ad salutem,etiã tenemur pręcepto diuino,manente eadem suppositione,habere illum. Quare, cùm non teneamur in casu prædictæ obliuionis habere formalem peccatorum pœnitentiam, sequitur, quòd nõ sit talis pœnitentia in illo, medium necessarium ad obtinendam remissionem peccatorum. ¶ Dices præterea, peccatorem adultum ita oblitum suorum scelerum,posse habere displicẽtiam saltem generalem suorum criminum,& hãc esse necessariã necessitate finis,imo verò etiam necessitate præcepti. Sed contra obijcio: Quia displicentia requisita ad remissionem peccatorum, non respicit peccata in communi,sed solum peccata,quæ vnusquisq; commisit: sed cùm adultus sufficienti adhibita diligentia,nullũ recognoscit peccatum in se ipso, non potest verè detestari sua peccata: ergo in tali casu non est necessaria formalis detestatio peccatorum.Patet maior:Quia displicẽtia illa ordinatur ad compẽsationem offensæ,quam quisque contra Deum commisit:ergo debet esse,& fieri de proprijs cuiusq; peccatoris,ita sanè,vt cuique pœnitenti sua peccata displiceant.Vnde,dolor qui nascitur ex huiusmodi displicẽtia,respicit propria peccata:non enim dolet pœnitens de peccatis in communi, sed de peccatis, quibus ipse offendit Deum. Minor verò probatur: Quoniam ad hoc,vt terminetur displicentia ad propria peccata, prærequiritur, & præsupponitur illorum cognitio. Quia sicut nihil est volitum, quin præcognitum, ita non possunt displicere peccata, vt propria, nisi cognoscantur,vt talia. Supponimus tamen,tantam esse in isto casu peccatorum obliuionem,vt,neq; homo recordetur alicuius peccati mortalis in specie,neque in genere, vt quòd peccauit mortaliter, quia si de hoc sit certus,poterit habere actũ contritionis,sicut etiam multi censent,quòd si quis illud ita exprimat in confessione, potest sacramentaliter absolui. Verùm,si solum cognosceret se esse fragilẽ,& potuisse incidere in peccata, id quidem non est satis, vt habeat actum pœnitentiæ,aliàs esset necessaria pœnitentia de peccatis possibiliter futuris, seu possibilibus. ¶ Si dicas,posse peccatorem istum sub conditione detestari sua peccata,nempe,si fortè illa commisit. Contra:Quia Deus nunquam obligat peccatorem suo præcepto ad habendũ huiusmodi actum conditionatum: igitur nõ est necessarium medium ad remissionem peccatorum obtinendam.

*Cani sententia & ipsius argumenta.*

Canus locis citatis,& plerique,qui eius sequuntur placitum, sententiam propositam impugnant. Et primò sic argumentantur.Pœnitentia formalis, est necessarium medium in peccatore ad salutem, vt liquet ex citatis testimonijs: ergo in nullo casu poterit adultus peccator salutem consequi sine illa, & ex consequenti,neque obtinere peccatorum remissionem. Ostendo consequentiam. Quia hoc est dissidium inter illa,quæ tantũ sunt necessaria, quia præcepta,& illa,quæ sunt media necessaria ad salutem; quòd illa priora possunt omitti ex iusta causa; hæc verò posteriora ita sunt necessaria,quòd nõ potest homo sine illis saluari. *Confirmat.* Et cõfirmatur: Quia sine fide,& charitate nemo salutem consequi potest,ob id quòd sunt necessaria media:ergo pari ratione,sine formali pœnitentia nemo valet remissionẽ peccatorũ obtinere;quia talis pœnitẽtia,est necessariũ mediũ ad ipsam remissionẽ. *Secundum.* ¶Secundò argumẽtantur.Sine sacramento pœnitentiæ in re,vel in voto, nullus adultus lapsus in mortale post baptismũ saluabitur: sed ad re ipsa suscipiendum sacramentum pœnitentiæ,necessaria est memoria peccatorum,& displicentia eorum, & sine illa nemo habet votum sacramenti pœnitẽtiæ:ergo in nullo casu remittuntur mortalia post baptismum cõmissa, sine formali pœnitentia. *Tertium.* ¶Tertiò argumentantur:Quia testimonia allata ad ostendendum necessariã esse pœnitentiam ad remissionẽ criminum,sunt intelligenda de formali pœnitẽtia:sed neq; in illis testimonijs,neq; in Sacris literis excipitur ab illa vniuersali regula iste casus naturalis obliuionis peccatorum, neque rursus ad id extat Ecclesiæ,aut Sanctorum authoritas vlla:igitur casus iste excipiendus nõ est. *Quartum.* ¶Quartò obijciunt. Quia si excipiẽdus est casus naturalis obliuionis,pari ratione sequitur,quòd est excipiendus alius casus,quo quis non potest in vnico instanti recordari alicuius peccati, poterit tamen postea, adhibita aliquali diligẽtia.Probatur sequela:Quoniam iste homo in illo instanti iustificari potest; & in illo non potest habere formalem pœnitentiam, quia ex suppositione huius casus,nullius peccati recordari potest,& ex consequenti pro vnico illo, & eodem instanti par ratio est de illo, atq; de alio naturaliter, & inuincibiliter oblito peccatorũ suorũ, atq; criminum. *Confirm.* ¶Et confirmatur:Quia homo ille in illo instãti potest habere actũ dilectionis Dei super omnia; & tamen non potest habere pœnitentiã formalem, vt diximus: igitur iustificabitur cum illo actu dilectionis, sine formali pœnitentia. Consequentia patet:Quia non stat,quòd quis Deum diligat super omnia, & quòd simul sit in peccato mortali,& auersus à Deo.Dices,hominem illum in illo instanti nõ diligere Deum super omnia,quia potest recordari peccatorum si adhibeat diligentiã,& sua culpa est si non recordatur. Sed contra: Homo ille pro eo instanti non tenetur agere pœnitentiã:ergo nõ peccat, licet nõ adhibeat diligentiã, vt reducat peccata in memoriam, & ex cõsequenti nulla ratio est cur actus ille non sit vera dilectio,& perfecta.

Hæc argumenta magna visa sunt Cano & suis,& ob id impugnant sententiam à nobis positam, propter quam causam à nobis sunt soluenda. *Ad prim.* Vndè ad primum dicendum, quòd licèt pœnitentia formalis sit medium simpliciter,& absolutè ad salutẽ necessariũ;id tamen intelligitur semper in eo,qui peccauit,& ex suppositione quòd habeat notitiã,& memoriam proprij peccati. Et ex hoc duntaxat potest colligi,necessarium esse adhibere sufficientem diligentiam ad reducenda peccata in memoriam:Neq; obstat,quòd allata testimonia pro necessitate pœnitẽtię,sint intelligẽda de pœnitẽtia formali:Quoniã illa apertè dirigũtur ad peccatores,qui vel actualiter peccãt,vel peccauerunt,& habẽt recognitionẽ, vel memoriam suorum peccatorũ, vel certè facilè possunt eorum recordari, sicut à nobis dictum, & explicatum est. *Ad confir.* ¶ Ad confirmationem negatur consequentia. Et ratio differentiæ est, quia fides, & charitas requiruntur ad consequendam gratiam absolutè,& simpliciter; pœnitentia verò formalis requiritur ex suppositione peccati,& ex suppositione quòd habeat notitiam illius,vel facile illã adhibita diligentia possit habere. *Ad secundũ.* ¶Ad secundum argumentum dicendum,quòd respectu peccatorũ,quorum quis naturaliter est oblitus, sufficit votũ implicitum sacramenti pœnitentiæ,quod in illo casu cõtinetur in dilectione Dei super omnia, vt superiùs diximus art.3.præcedẽte. *Ad tertiũ.* ¶Ad tertium respõdetur, quòd licet allata testimonia intelligantur de pœnitentia formali, non est necessaria aliqua exceptio à doctrina, quæ in illis traditur, ad defensionẽ huius sententiæ. Quia,vt dictũ est in solutione ad primũ, satis apertè cõstat ex ipsis testimonijs, illa duntaxat dirigi ad eos peccatores,qui vel habent,vel habere possunt suorum peccatorum cognitionẽ. Et ex his etiam iterum patet ad pręcedentem confirmationẽ solutio. Quoniã illa necessitas fidei supernaturalis, quæ ex Scriptura colligitur,nullam habet cõditionem adiunctam;necessitas autẽ pœnitentię formalis,verè habet illam,iuxta modũ præscriptum. *Ad quartũ.* ¶Ad vltimum respõdetur negando sequelam:Quoniam ille, qui in vnico instanti nullius peccati recordatur,si maiorem adhibeat diligentiam, potest recordari,& nisi eam præstet, nõ apponit necessaria media ad obtinendam peccatorũ remissionem, & consequenter non obtinebit illam. Si dicas, quòd in quocumq; instanti potest iustificari;iste verò nõ potest in vno instanti illam maiorem diligẽtiam, quæ necessaria est,vt recordetur peccatorum,adhibere, sicut patet in casu posito.Respõdetur,iustificationẽ ipsam cum dispositione perfecta semper fieri in instanti,vt S.Tho.docet in hac quæstione.113.ar.7.regulariter verò præcedere dispositionẽ aliam imperfectam,quæ fit in tempore, vt Sanctissimus Præceptor dixit suprà. quæstione.112.artic.2.ad.3. Et hæc est veluti via, & motus ad iustificationem. Quare, non mirum est si regulariter non perficiantur in vnico instanti ea omnia, quæ ad remissionem peccatorum requiruntur, & sunt necessaria. Rursus dicendum est,quòd si quis in vnico instanti ex gratia Dei motus, faciat, quod in se est ad remissionem peccatorum obtinendam, Deus ipse cuius motione id facit, supplebit pro illo instanti, quod aliunde illi homini defuerit,supplebit inquã Deus per se ipsum,nempe,excitando in homine illo peccatorum memoriam,& mouendo ipsum ad eorum perfectam detestationem; Sicut qui tenent, Christi fidem explicitam post sufficientẽ promulgationem Euangelij requiri ad iustificationem adultorum, dicunt,quòd licet aliquis nihil audiuerit de Christo, poterit in quocumq; instanti, faciendo quod in se est ex gratia Dei,iustificari.Quia tunc Deus adiuuabit,& illuminabit illum,& sic consequenter ad doctrinam istam non improbabiliter respõderi potest ad argumentum. *Ad confir.* ¶Ad confirmationem respõdetur, negando minorem:Quoniam licet relictus ille suis viribus,nõ possit in eo instanti habere eã peccatorum memoriam,quę exigitur ad pœnitentiam formalem; poterit tamen eam habere à Deo supernaturaliter adiutus.Sed dices,hoc etiam posse dici ab aduersarijs,& à Cano, qui tenent, in omni euentu, etiam in casu naturalis obliuionis peccatorum,pœnitentiam formalem esse necessariam. Respondetur tamen,negandum esse hoc: Quia ille,qui habet naturalem, & inuincibilem obliuionem suorum peccatorum, præstitit quod poterat, vt illorum recordaretur; Nam adhibuit diligentiam requisitam ad reuocandum illa in memoriam: & ob id potest rectè iudicare se non peccasse, & cõsequenter non egere pœnitentia formali: Quare videtur quòd Deus non exigat illam in isto casu, & consequenter, quòd nulla relinquatur ratio cur necesse sit, quòd Deus suppleat id,quod illi deest ad habendũ peccatorum notitiam, excitando in illo memoriam eorum;Cæterùm ille,qui talem diligentiam nõ adhibuit, non potest iudicare se non peccauisse, aut non egere pœnitentia formali, & idcirco rationi consentaneum est,quòd Deus etiam tunc eam exigat ab illo. Quia vt suprà diximus, ipsa ratione dictante cognoscimus,eum, qui alterum offendit,nõ esse ad amicitiam admittendum,nisi priùs illum offensæ pœniteat. Quare,cùm Deus ex sua bonitate, & misericordia voluerit peccatorem semper, & in quocumque instanti aditum ad ipsius gratiam habere,faciendo quod in se est ex speciali auxilio, ad ipsum quoque pertinebit eodem auxilio suo supplere id, quod peccatori deest ad habendam pœnitẽtiam formalem,quam iure exigit ab illo, etiam pro illo instanti.



Alij Theologi, aliam adducunt solutionem, qua respondent huic vltimo,& quarto argumento: Dicunt enim quòd si quis adultus in vno instanti faciat, quod in se est, quamuis tunc non recordetur peccatorum, & ex consequenti non habeat formalem pœnitentiam; si tamen eam diligentiam adhibeat,quam pro illo instanti potest adhibere,vt peccata in memoriã reducat,conuertendo mentis oculos ad vitam ante actam, iustificabitur cum sola dilectione Dei super omnia, quæ in illo casu erit virtualis pœnitentia. Hoc probant: Quia in isto casu, obliuio peccatorum potest dici naturalis, & inuincibilis, saltem pro illo instanti: ergo excusabit tunc à necessitate pœnitentiæ formalis.Ex quo patet solutio ad illa testimonia, quibus ista necessitas probatur, & ostenditur. Præterea; Quia sicut in quolibet instanti adultus peccare potest, ita etiam in quolibet potest iustificari, si faciat quod in se est pro illo instanti,quod sanè decet maximè diuinam bonitatem, & clementiam. Et tandem; Quia si requiratur certum tempus, vt homo iste post illud instans recordetur peccatorum, & antea moriatur, aut iustificabitur,aut morietur in peccato; Si dicas primum: ergo sine pœnitentia formali quis potest iustificari; Si autem dicas secundum: ergo facienti, quod in se est, Deus denegat gratiam. Addunt tamen, dilectionem Dei in isto casu esse pœnitentiam virtualem. Quoniam qui ita diligit Deum, etiam doleret de peccatis, si tunc occurrerent memoriæ. Hæc sententia, licet non possit impugnari facilè, quia non habet efficacissima argumenta contra se; nihilominus tamen mihi non probatur: Quia sic poterat paulatim excludi necessitas pœnitentiæ formalis, & rursus, quia licet in vno instanti non recordetur aliquis peccatorum, non poterit iudicare se nõ peccasse;& idcircò rectius,& melius suæ saluti consulet si conetur peccatorũ recordari,

& ad id diligentiam requisitam adhibeat, quàm si eam relinquat, & totum omnino se tradat actui dilectionis Dei super omnia. Argumẽta autem huius sententiæ, ex dictis possunt facile dissolui.

*Argumenta in exordio quæstionis posita in tertio ordine, soluuntur, & explicatur, quo pacto actus dilectionis, vt antecedit ipsam contritionem, solus sine ipsa nõ sufficiat ad remissionem peccatorum.*

*Ad primũ.* AD argumenta, quæ tertio ordine posita sunt in exordio quæstionis principalis, tẽpus est vt satisfaciamus, quæ sanè sunt numero sex. Ad primum respondetur, fidei, charitati, & spei attribui, & appropriari effectum remissionis peccatorum, non sanè quia actus istarum virtutũ sine pœnitentia ad illũ sufficiant, sed quia simul cũ pœnitentia ad eum concurrunt. De quo specialiter quãtum attinet ad charitatẽ dicemus statim in solutione ad 2. & 4. De eleemosyna verò, cũ dicitur, quòd à peccato, & à morte liberat, debet intelligi, vel quia post remissam culpam valet ad remissionẽ pœnæ, *Daniel.4.* iuxta illud Danielis Prophetæ: Peccata tua eleemosynis redime: vel etiam quia ante culpæ remissionem valet ad impetrandam ex Dei gratia, & beneficio, cordis conuersionem, ex qua sequitur remissio peccatorum. In quo etiam sensu, ad eandem remissionem valere dicuntur alia opera, quæ in argumento recensentur; Et sic interpretatur præfata testimonia Canus. 3. par. relect. de pœnitent. qui eò loci videndus est. Rursus etiam, horum testimoniorum nos varias adduximus interpretationes in hac eadẽ disput. suprà paulò post primam difficultatẽ.

*Ad secũdũ.* Ad secundum satis patet solutio eius ex his, quæ dicebamus soluentes quartum argumentũ, seu vltimum, quod militabat pro Magistro Cano. Nam eo loco aperuimus, quo pacto stet necessitas pœnitẽtiæ formalis cũ eo, quòd quis possit iustificari in instanti, & habere actũ dilectionis Dei super omnia.

*Difficultas, Vtrum dilectio, vt antecedit pœnitentiam, & cõtritionem sufficiat ad remissionẽ peccatorum in illo priori?* Verùm tota difficultas huius secũdi argumenti, potissimè sumi debet ex tertio, & quarto argumento, in quibus maximè cõfirmatur efficacia huius secundi argumenti. Nam profectò, dilectio Dei super omnia, præcedit de facto saltem ordine naturę contritionẽ: igitur cùm præcedat, sequitur, quòd priùs natura intelligitur remitti peccatum per hanc dilectionem, quã habeatur actus pœnitẽtiæ: at proinde actus pœnitentiæ non est remediũ per se necessariũ secundũ legem ordinariã, ad remissionẽ peccatorũ obtinendã, sed vt plurimũ erit conditio necessariò concomitans illã remissionem. ¶ Huic difficultati, quę potissimè in quarto argumẽto tacto in exordio quæstionis mouetur, aliqui Theologi facile respondent; dicẽtes motũ amoris, qui iuxta doctrinã Trid. sess. 6. c. 6. præcedit contritionẽ, nõ esse actum charitatis perfectũ, vt insinuat *Vega.* 6. in Trid. c. 24. Vbi ait, non esse necessariũ, quòd illa dilectio Dei, quæ præcedit pœnitentiã, sit super omnia: & hoc apertiùs dicit *Palude* in. 4. d. 14. q. 3. conclu. 2. in fine. Vnde, iuxta istorũ placitũ, & opinionẽ, facilè respõderi posset, motũ illum amoris, cũ non sit actus charitatis perfectus, posse inueniri simul cũ peccato in aliquo subiecto. ¶ Veruntamẽ, supposito quòd amor ille sit super omnia, & quòd sit actus charitatis, respondetur, quòd talis actus seu amor, secundũ Caietani sententiam 3. p. q. 86. ar. vlt. non est proximè sufficiens ad expellendum peccatũ per modum dispositionis, sed originaliter, & radicaliter; quia est causa dispositiæ formalis, quæ est actus proximè concurrens ad istum effectũ, expulsionis peccati. Quocirca, quando in sacris literis promittit Deus suam dilectionem, ijs, qui ipsum dilexerint, aut tribuitur dilectioni, ipsa remissio peccatorũ, dumtaxat expromittit scriptura actus originales, non tamen excludit proximos. Quapropter ad quartũ argumentũ supra tactum in exordio quæstionis, negandum est, quòd pœnitẽtia supponat priùs ordine naturæ expulsum peccatũ per actũ charitatis, qui ipsam pœnitẽtiam præcedit. D. Cyrillus super Leuit. Origenes homil. 2. pariter super Leuit. recensent plura remedia, quibus tribuitur remissio peccatorum, nempe, baptismum, fidẽ, charitatem, spem, eleemosynã, iniuriarũ condonationem; sed quamuis hæc, & alia id genus dicantur esse peccati remedia, tamẽ sic sunt censenda remedia peccatorũ, vt nullum, neq; omnia, sine pœnitentia sufficiant: Nam neq; fides, neq; spes formantur, nisi per charitatem; charitas autem, non est in adulto existẽte in peccato, nisi cum detestatione peccatorum repellente peccatum. ¶ De baptismo verò, quantum est ex primæua eius institutione ad remittendum originale peccatũ, non exigit pœnitentiam; quia sicut sine proprio actu voluntatis contrahitur, ità sine proprio actu voluntatis remittitur in paruulis. Cæterum in adultis, qui præter originale; plerisq; mortalibus sunt irretiti, necessarius est actus, & motus pœnitentiæ; iuxta illud D. Petri, *Actor. 2.* Pœnitẽtiam agite, & baptizetur vnusquisq; vestrum. Quem locum aperiens, & animaduertens *D. Aug.* August. sic ait: Nemo adultorũ potest vitã inchoare nouam, nisi præteritæ pœnituerit. An verò requiratur vera contritio, vel sufficiat attritio per quã tollatur obex respectu baptismi, non est huius loci disputare. Sed Caieta. 3. p. q. 86. art. 2. dicit: quòd baptismus secum affert virtutem pœnitentię, quia est institutus in remissionem peccatorũ. Et idcirco ait: nõ requiri contritionẽ, sed quòd si quis fateatur se peccauisse, & subijciat se baptismo, vt per ipsum remittantur sibi peccata, sine vllo affectu peccandi; tunc illã (inquit Caietanus) subiectio, & submissio, & recognitio peccatorum, & susceptio baptismi ad remissionem peccatorum, videtur esse quędã detestatio prioris vitæ. Et quamuis hãc Caietani sententiam, ego minimè defendam, eò tamen adducitur à me, vt dicam, quo pacto etiam Caietanus putet, sine pœnitentia vlla, nemini contigisse remissionẽ peccatorum: Nam certè, cum D. Augu. dixerit, neminẽ *D. Aug.* suæ voluntatis arbitrum, posse nouam inchoare vitam, nisi præteritę pœnituerit: Colligitur vt formalis pœnitentia præteritorum requiratur. Et ob id D. Petrus loco citato, duo distinguit in allato testimonio, dicens: Pœnitentiam agite, & baptizetur *D. Petr. Actor. 2.* vnusquisq; vestrũ. Certè cum Lucæ. 7. legitur, quòd Magdalenæ remisit peccata, quia dilexit multum. D. Gregorius in Homilia super illud Euangelium, inquit: Quòd tunc, neque illi remisit peccata sine pœnitentię virtute: Per gratiam namque ait D. Gregorius, id est, per pœnitentiam traxit intus, quam per misericordiam susceptit foris.

Fauet



Fauet etiam, quòd peccatũ est Dei offensa, & peccatum actuale proprio actu adulti cõmittitur; ergo pari modo illud peccatũ remittitur à Deo, per formalem detestationem illius, & pœnitentiam. Et id maximè debet exigere diuina prouidẽtia. Sotus in 4. d. 15. q. 1. ar. 2. dicit: quòd cũ apertè in sacris literis exigatur à peccatoribus adultis pœnitentia, tanquã finis necessarius ad salutẽ, interpretari, & glossare testimonia sacra, affirmando, quòd sufficit virtualis pœnitẽtia, manifesta temeritas est: Quia pari modo dicere possent, sufficere fidem virtualem, etiã si scriptura dicat: sine fide impossibile est placere Deo. Et dicere etiam possent aduersarij, quòd dare eleemosynam, & remittere iniurias, & offensas, esset virtualis pœnitentia; quoniã etiam isti actus pertineãt ad charitatem; quod neq; tutum est, neq; fidei consonum. Imò verò inquit Sotus; charitatem de se non esse pœnitentiã virtualẽ: Nam quãuis, is, qui proximum offendit, & iniuria affecit, dicat, & verè dicat, deinceps ex vero corde illum esse dilecturum, & in omnibus proponat ei deinceps obedire, eumq; honorare; non idcirco dilectio illa, virtute cõprehendit pœnitentiã iniuriæ præteritæ: quoniã cum dilectione illa stat, minimè pœnitere de iniuria illata. Imo verò, quia animo suo iam satisfecit, vult deinceps esse amicus eius. Et subiungit Sotus, quod dicere charitatem sine formali detestatione præteritę vitæ, sufficere ad salutem, nõ differt à sententia Lutheri, dicentis, quòd sufficit resipiscentia, & noua vita. Lutherus namq; solum negabat, requiri actum formalem pœnitentiæ; nam quòd charitas illa, in futurum esset pœnitentia virtualis, ipse non renuebat. Vnde damnatus est à Leone. X. in art. 6. & 7. ex eo, quòd minimè ponebat detestationẽ formalem præteritorum scelerum. Vnde D. Augustin. lib. 1. de nuptijs, & concupisc. c. 26. explicans illud Ecclesiastici. 21. Fili peccasti, non adijcias iterum, sed de pristinis deprecare, vt tibi dimittantur. Inquit Augustinus: Si à peccando desistere, hoc esset non habere peccatum, sufficeret, vt nos hoc scriptura moneret: Fili peccasti, non adijcias iterum: sed quia non sufficit addidit: Et de pristinis deprecare, vt tibi dimittantur. Et Trident. sess. 6. cap. 6. & c. 14. expresse sanciit: Pœnitentiam non solùm continere cessationem à peccatis, verùm & eorum detestationem.

Ex quibus omnibus colligo, non esse tutũ dicere: quòd sine formali pœnitẽtia fiat remissio peccatorũ, potissimè cum legitima pœnitẽtia debeat includere votũ cõfessionis, quod sine peccatorũ detestatione haberi non potest. Et qui dicunt actũ charitatis esse pœnitentiã virtualẽ, pari ratione necesse est dicant; quòd si tunc peccata occurrerẽt memoriæ, nõ opus esset formali pœnitentia, aut detestatione peccatorũ; quandoquidẽ iam haberetur sufficiẽs remediũ. Quod sanè pluspuã absurdũ esset cõcedere: Nam profectò cũ peccatũ sit motus auersionis, non expellitur nisi per motũ contrariũ detestationis, & cõuersionis. Vnde licèt Magdalenæ dictum sit: Dimissa tibi fuisse peccata tua, quia dilexit multum; tamen ardentes eius lachrymæ fuerunt pœnitentiæ efficacia signa. Est igitur pœnitentia secundum legem ordinariam, necessaria ad remissionem peccatorum, non solùm necessitate præcepti, sed etiam necessitate finis. Et quamuis concedamus actum charitatis, contrariũ esse peccato, & quòd quicũq; legitimè Deum diligit, reciprocè ab ipso diligitur; nihilominus, is, qui est in mortali, nõ potest habere legitimũ actum dilectionis, nisi detestãdo peccata.

*Argumentum graue, in quo fere tota difficultas quæstionis consistit.*

*Argumentum graue, in quo consistit tota difficultas quæstionis.* SEd obijciunt aduersarij argumentũ, quod putãt palmariũ. Per actũ dilectionis Dei super omnia, conuertitur homo in Deũ, vt in vltimũ finẽ, non enim potest cũ alio fine consistere hoc genus dilectionis: Nã si actus diligendi Deũ est super omnia, iam non habet creaturam pro vltimo fine: igitur etiam per actum illum dilectionis Dei super omnia, sufficienter, & proximè excludit quodcũq; mortale peccatũ, quod est contra solutionẽ datã ad quartũ argumentũ supra, & contra Caiet. Ostendo consequentiã: Quia non stat, quòd aliquis simul sit conuersus in Deũ, vt in vltimũ finem, & auersus ab illo per peccatum mortale; ergo dilectio Dei super omnia, quatenus ordine naturæ præcedit contritionẽ, intelligitur priùs natura remittere peccatũ, quã habeatur actus pœnitentiæ; & ex cõsequenti actus pœnitentiæ, nõ est remediũ per se necessariũ de lege ordinaria, ad obtinendã remissionẽ peccatorũ, sed vt plurimũ erit cõditio necessariò cõcomitans remissionẽ illã. ¶ Et cõfirmatur: Quia actus ille dilectionis Dei super omnia, est incõpossibilis cũ peccato mortali, vt paulò antea dicebamus: ergo non potest actus ille intelligi, quin ex vi illius intelligatur esse destructiuum, & expulsiuum peccati: ac proinde non erit actus pœnitentiæ formalis necessarius ad hoc. Imo verò cùm actus dilectionis præcedat saltem ordine naturæ, actum pœnitentiæ, vt diximus, si Deus moueret liberũ arbitrium in actũ dilectionis, & non in detestationem peccati (quod fieri posse supponimus; quia omne prius absolui, & separari potest à posteriori) expelleret proculdubio peccatum sine actu pœnitentiæ: ergo, &c.

Huic difficultati & argumento, pleriq; Theologi assignant penè infinitas solutiones, & quamuis nõ omnes satisfaciant difficultati, tamen interdũ lucẽ adducunt, vt eis explosis, gradum faciamus ad cognitionem veritatis. Nonnulli primò respondent, nempe, peccatũ duo habere, & esse terminũ à quo iustificationis, quæ est tendentia, seu motus à peccato ad iustitiã; & esse quasi formã quandã, seu intelligi per modum formæ: Et ratione primi habet, quòd ab illo recedatur in motu iustificationis, & consequenter, quòd illo recessu remittatur, seu expellatur; quoniã recessus à peccato, est remissio, seu destructio illius; ratione verò secundi habet id commune cum cæteris formis, vt per formam incompossibilem expelli possit. Et ex hoc fit vlterius, vt dupliciter intelligi possit, fieri remissionem, aut expulsionem peccati, scilicet, vel tantùm per formam incompossibilem, vel per recessum ab ipso peccato: & priori modo, dicũt authores huius sententiæ, intelligi factam esse remissionem peccati sufficiẽter per actum dilectionis Dei super omnia, prout saltem naturæ ordine antecedit actum pœnitentiæ; nam actus ille, est incompossibilis cum peccato, non tamen posteriori modo, quousque accedat formalis displicẽtia, & detestatio illius: quo-

niam à malo recedere,non fit nisi detestando illud. ¶ Si dicas,quòd vna forma nō expellitur per aliam incomposibilem,nisi mediāte motu, aut mutatione, qua subiectum transit, & mutatur ab vna in alteram, hoc est recedendo ab vna vt à termino à quo, & accedendo ad alteram vt ad terminum ad quem:ergo cùm peccatum expellitur priori modo per formam incōposibilem, etiam expellitur per recessum ab illo,vt à termino à quo; ac proinde superfluè ponitur iste secundus modus expulsionis. Respondent ad hoc,antecedens esse verum de motu naturali, non tamen de motu voluntario: non enim expelluntur formæ naturales per motum voluntarium,sed per naturalem.Et in eodē sensu concedunt consequentiam;quia etiam in iustificatione impij intelligitur recessus à peccato, per modum motus naturalis: fit autē iste recessus eo ipso, quòd homo accedit ad Deum per dilectionē ipsius super omnia.Si rursus iterum obijcias: Quod si per huiusmodi actum recedit homo à peccato vt à termino à quo,& accedit ad Deum,vt ad terminum ad quem; sequitur,quòd nō erit necessaria detestatio peccati, ad recedendum ab illo,vt à termino à quo. Respondent,hoc verum esse de illo recessu, qui fit per modum motus naturalis;quia ad illum non requiritur alius actus formaliter in naturalibus:nam eodē motu accedimus ad terminum ad quem,& recedimus à termino à quo. Non tamen est verum de recessu, qui fit per modum motus appetitiui, quoniam ad hunc requiritur peculiaris actus: nam profecto in motu appetitiuo,actus formaliter distinctus est, recedere à malo,& accedere ad bonum;quia recedere à malo,est detestari malum; accedere verò ad bonum,est illud diligere. Atque ita in iustificatione impij,accessus ad Deum per motum formaliter apperitiuum, intelligitur fieri per dilectionem; recessus verò à peccato, eodem genere motus intelligitur fieri per detestationem illius.

Hæc solutio à quibusdam impugnatur:Quia si dilectio Dei super omnia, est sufficiens ad expellendum peccatum, prout antecedit actum pœnitētiæ, tanquam forma incomposibilis cum illo; quomodocumque id efficiat,non erit necessaria pœnitentia ad hunc effectum;quia presupponit omnino expulsum peccatum; non enim potest remitti, quantum ad culpam, quin omnino remittatur. Nisi dicas: Quòd pœnitentiæ tribuitur expulsio peccati nouo titulo.Quod tamen non est satis ad colligendum ipsam esse simpliciter necessariam ad hunc effectum,vt patet ex ante dictis.

Secunda solutio, & responsio, quam plures alij Theologi assignāt est:Quòd licet actus charitatis, sit prior actu pœnitentiæ in genere causæ finalis;tamen in genere causæ materialis est posterior: & ita in isto genere supponit expulsum peccatū per pœnitētiam.Sed neq; ista solutio satisfacit difficultati: Nam supposito quòd actus dilectionis,solū sit prior in genere causæ finalis; inquirendum restat; an vt prior in illo genere expellat peccatum?Et an secundum se,& præcise sumptus,sit sufficiens ad hoc,ita vt eo ipso quod aliquis intelligatur vt diligens Deum super omnia, intelligatur etiam vt liber, & immunis à peccato. Si enim concedatur hoc,quod probari videtur ex argumentis supra tactis & positis: sequitur ad expulsionem peccati, necessarium non esse actum pœnitentiæ.

Tertia solutio,& responsio hodie communis inter recentiores,est, actum dilectionis Dei super omnia præcise sumptū,quatenus naturæ ordine antecedit detestationem peccati,nō esse sufficientem simpliciter ad expellendum peccatum,sed radicaliter tantum:quia continet virtualiter formalem detestationem peccati,vt ex Caietani sententia dictū,& insinuatum est supra.Vndè ad argumentum,seu ad obiectionem factā contra hoc,negandū est,quòd dilectio præcise sumpta cōuertat perfecte,& efficaciter hominem in Deum vt in vltimum finē: Quia non fiat ista cōuersio sine recessu à peccato mortali,qui recessus non intelligitur fieri per illum actum dilectionis præcise sumptū sine detestatione ipsius peccati,eiusq; displicentia. ¶ Si dicas;Quòd ille actus est dilectio Dei super omnia: ergo tendit in ipsum vt in finem vltimum:id enim quod diligitur, super omnia positiuè, habet rationem vltimi finis simpliciter,& absolutè.Respondetur: Ex hoc tātum colligi,quòd Deus sit vltimus finis illius actus,nō tamē, quòd intelligatur vt vltimus finis operantis: quia cum consideratur agens,& operans,quatenus præcise habet illum actum, non intelligitur vt auersus à peccato;quoniam à peccato nō receditur nisi per detestationem,ac displicentiam eius. ¶ Si inquiras, & petas rationem huius rei. Respōdetur præcipuā, & potissimam esse Dei volūtatem,qui exigit ac postulat à peccatore pœnitentiam formalem,propter offensam, quam contra ipsum commisit, vt apertè constat ex testimonijs allatis,& ex Trident.alijsque fundamentis superius positis. Verum est,Deum de potentia absoluta posse,si ipse vellet,remittere peccatum sine hac pœnitentia formali,vt fuse supra diximus art.2.&.3. ¶ Fundamentum autem huius voluntatis diuinæ insinuatū est à nobis supra,nempe, quòd cū homo actu libero,& voluntario fuerit per peccatum ad creaturā conuersus,& auersus à Deo, æquum erat, & est,vt libero etiam motu volūtatis, rursus à peccato cōuertatur in Deum. Et quoniam quicumq; motus cōstat ex recessu à termino à quo, & accessu ad terminū ad quem;idcirco consequenter necesse est,quòd volūtariè recedat à peccato in quo est,& accedat ad Deum.Et ob id solus actus dilectionis non sufficit ad conuertendum peccatorē in Deum perfecte,id est,ea cōuersione,quam Deus postulat,& exigit:Quoniam dilectio sola dumtaxat importat accessum ad Deum,non tamen recessum, qui fit per detestationem peccati, nisi virtualiter tanquam illius causa,aut saltem ratio à priori.¶ Verùm, vt huius solutionis discursum intelligas aduerte:hoc habere speciale motum appetitiuum, vt distinguitur à naturali, quòd in illo non fit accessus,& recessus eodem actu, sicut in motu naturali, sed duobus actibus, quorum alter est detestatio mali, alter verò amor boni; vt Caietanus in hoc artic. docet, & Sanct.Thom.1.2.quæstio.23. artic.4.& Caietanus iterum ibidem.Et idcirco si peccator in Deum conuerti debet, conuersione quæ sit formaliter appetitiua,tàm ex parte accessus,quàm ex parte recessus, necesse est, quòd formaliter detestetur peccatum.Ratio autem cur requiruntur ad motum appetitiuum duo prædicti actus, colligitur ex ipsa natura



natura appetitus: est enim proprium illi ferri in obiectum mediante actu elicito, & supposita obiecti apprehensione; & idcirco si quis debeat à malo in bonum conuerti,motu,qui formaliter sit appetitiuus,necesse est ex vtraque parte,nempe accessus, & etiam ex parte recessus,quòd expresse feratur in vtrumque terminum actu elicito ab appetitu, præsupposita illius apprehensione; Respectu autē mali apprehensi, sub ratione mali, non potest appetitus elicere actum,nisi odij,& detestationis; & similiter respectu boni non potest elicere actum, nisi amoris,& dilectionis. ¶ An verò isti actus semper distinguantur realiter,vel aliquando sint idem,& solum formaliter distinguantur, forsan id inferius aperiemus. ¶ Obserua tamen, quòd licet dilectio Dei super omnia præcise considerata sine actu pœnitentiæ, non sit sufficiens simpliciter ad expellendum peccatum;tamen nō debet concedi,in aliquo instanti etiam naturæ esse huiusmodi dilectionem simul cum peccato mortali. Quia prioritas naturæ, non est prioritas in qua,sed ex qua,& potiùs importat dependentiam vnius ab alio in aliquo genere causæ,quæ stat cum simultate; & idcirco, quamuis ista dilectio sit prior natura,& causalitate actu pœnitentiæ,qui necessarius est ad expulsionē peccati; nunquam tamē est sine illo, neque in re potest ab illo separari secundū legem Dei ordinariam. Quoniam Deus non concurrit in eo, qui est in peccato mortali ad huiusmodi actum dilectionis speciali suo auxilio, quod ad illum habendum est necessarium, quin simul concurrat ad detestationem peccatorum;& ex suppositione quòd quis Deum super omnia diligat,necesse est,quòd velit detestare peccata, si illorum habeat notitiā. Nam detestatio ista, medium est,vt remotiua impedimenti,nempe,peccati ad perfectam vnionem cum fine, quæ fit per charitatem,& efficacem dilectionem, sicut ex suppositione,quòd quis vult efficaciter finem, necesse est, quòd velit medium, quod habet cum illo necessariam connexionem.

Hæc responsio, seu difficultatis propositæ solutio,est, quæ hactenus probabilior visa est apud recentiores. Sed profectò,adhuc habet plures,& insignes difficultates, cur intellectus non quiescat in illa. Prima difficultas est: Quoniam si illa dilectio procedit ex charitate, & auxilio gratiæ Dei, & est vera dilectio Dei super omnia, necessario includit redamationem Dei de lege ordinaria, iuxta illud, Ego diligentes me diligo,& etiam iuxta illud Christi,quod idem est, Qui diligit me, diligetur à Patre meo; quòd si diligitur à Patre,ex vi huius actus dilectionis super omnia,habebit quòd sit dilectus, & amatus à Deo,& cōsequenter habebit quòd sit sine peccato ex vi dilectionis,quod est contra ea,quę dicta sunt.Et confirmatur: Quia ille actus dilectionis efficax super omnia,est actus charitatis,charitas autem est amicitia, & importat redamationē ex parte Dei.Imo verò,cùm iste actus dilectionis super omnia, sit supernaturalis, non potest non fieri ex diuina beneuolentia supernaturali, qua vult huic homini benè,& ita eum diligit dilectione supernaturali,& est obiectum diuini amoris. Dices, quòd in illo priori intelligitur dilectus à Deo, propter legē Dei,Ego diligentes me diligo:sed non intelligitur formaliter expulsum peccatum, quousque intelligatur displicentia, & detestatio peccatorum; & ita radicaliter intelliguntur repelli peccata per dilectionem, sed non intelliguntur repulsa formaliter in facto esse,quousque intelligatur actualis detestatio illorum,& pœnitentia formalis. Contra; Quia adhuc per hoc non dissoluitur argumētum: Et rursus,si hoc est verum,sequitur, quòd saltem in eodē instanti temporis ille homo est amicus Dei,& amicus Diaboli,filius Dei,& filius Diaboli, conuersus in Deum,& cōuersus in creaturam,vt in vltimum finem,amicus Dei,& inimicus illius.Patet:Nam in illo priori diligit Deū super omnia efficaciter:ergo super omnes creaturas: ergo habet pro vltimo fine Deum. Rursus, in eodē instanti temporis ante actū pœnitentiæ non intelligitur peccatum esse repulsum formaliter:ergo intelligitur homo ille sub peccato: ergo conuersus ad creaturam tanquam ad finem suum. ¶ Huic obiectioni respondent recentiores,quòd ex hoc duntaxat colligitur,Deum esse vltimum finem illius actus; non tamen quòd intelligatur esse vltimus finis operantis. Nam cùm consideratur operans,vt præcitè habet actum illum,non concipitur,vt auersus à peccato,cùm à peccato nō recedat,nisi per detestationē,& displicētiam illius. Verumtamen hæc responsio; in qua consistit tota vis suæ sententiæ,aliam habet difficultatem infignē, in eo, quod dicit, Deum esse vltimum finem illius actus dilectionis Dei super omnia; non tamen esse vltimum finem diligentis Deum super omnia, seu vltimum finem operantis.Non profectò,hoc videtur incredile, & impersuasibile in casu de quo loquimur: Quoniam homo ille,nō potest habere nisi vnicum vltimū finem:ergo in actu illo dilectionis, vel habet Deum pro vltimo fine,vel creaturam: nō creaturam:ergo Deum: ergo non tantum Deus est finis operis,sed operantis. Dices,quòd cùm nondū intelligatur actus pœnitentiæ,& remissio peccatorum, similiter non intelligitur, quòd Deus sit finis vltimus operantis, sed solum ipsius actus. Sed profectò,hæc est euasio, & non solutio. Nam illa actio dilectionis,habet Deum pro vltimo fine, quatenus egreditur ab operante intendente finem: ergo non tantum Deus est finis operis,sed operātis.Probatur antecedens:Primò;quia actus agētis propter finem formaliter, est quasi vehiculum intentionis ipsius agētis:ergo si Deus est vltimus finis illius actionis, necessariò est finis ipsius agentis,cuius intentionis actio illa est vehiculum.Secundò.Quia omne agēs vt sic, agit propter finē, maximè angelus,& homo: ergo in illa actione dilectionis Dei super omnia,maximè agit propter finem homo: ergo propter Deū, quem super omnia diligit.Tertiò:Quia omne agēs prius intelligitur esse in actu primo, quàm in actu secundo:sed intētio finis est id,per quod agens propter finem constituitur in actu primo: ergo prius quam intelligatur actus secūdus dilectionis actualis Dei super omnia, intelligitur esse in actu primo per intentionem finis:ergo non tantum Deus est finis illius operis, sed etiam est finis agentis. Imò verò Theologi, vt Ferrara, & alij cum eo, & Philosophi omnes morales, apertè dicunt, quòd intentio finis, & finis ipse est id, quo voluntas constituitur in actu primo ad actiones morales,

& vt prorumpat in actum secundum: ergo non stat quòd Deus sit finis vltimus illius actus secundi, & quòd non sit finis vltimus ipsius operantis. ¶ Tandem aduersarij respondent, quod in casu argumenti homo ille habet Deum pro vltimo fine actualiter, & non habitualiter; quia licet sit conuersus actualiter in Deum; tamen habitualiter est auersus, & non conuersus ad Deum: Et cum peccatũ, transacto actu peccati manserit habitu, requiritur non solum illa actualis conuersio in Deum, sed etiam habitualis. Sed hæc responsio adhuc non est sufficiens omnino; Quia primo illa conuersio actualis in vltimum finem, est perfectior, & maior, quã sola habitualis, imo magis, & actualius vnit cum vltimo fine, quàm sola habitualis. Secundo, quia valet argumentum; homo ille est conuersus actualiter in Deum vt in vltimum finem, & habet actu Deum pro vltimo fine: ergo etiam est conuersus habitualiter; ita vt Deus non solum sit vltimus finis operis, sed etiam operantis; Probatur. Nam ex conuersione actuali ipsius, causatur, & resultat, & relinquitur immediatè habitualis conuersio in operante ipso: ergo ex vi illius actualis conuersionis, non solum ille habet Deum pro vltimo fine operis, sed etiam operantis. Probatur antecedens. Nam ex actuali peccato, relinquitur habituale in voluntate ipsius peccatoris, ratione cuius, censetur habitualiter conuersus ad creaturam: ergo multo magis ex actuali conuersione in Deum, & dilectione, relinquitur, & causatur immediatè habitualis conuersio in Deum; non enim est minus potens ad hoc conuersio illa actualis, quam sit actuale peccatũ, quod relinquit habituale: ergo, &c.

*Medina.* Quarta responsio, & solutio est, quam defendit Bartholom. Medina. 1. 2. quæst. 113. art. 5. ad tertium, non longè à fine, qui satisfaciens difficultati propositæ affirmat, quòd si actus dilectionis, qui interuenit in iustificatione impij, non sit causa detestationis peccati, quod ipse rationabilius esse putat, non erit ab illa distinctus, neque prior illa ordine naturæ; & sic nullam vim habet argumentum; Si tamen sit causa illius, non erit, si præcise sumatur, amicitia neq; perfecta dilectio, sed duntaxat præparatio, & via ad habẽdam diuinã amicitiã: & ob id, si cõsideretur homo in illo priori, quo dilectio præcedit amicitiam, non intelligetur, vt amicus Dei. Itaque putat Medina, actum illum dilectionis, qui interuenit in iustificatione impij, non esse distinctum à detestatione peccati, & consequenter non esse causam illius, neque præfatum argumentum quartum quicquam concludere. Quia si neque est actus distinctus, neq; est causa illius detestationis, nõ est necesse quòd priùs intelligatur dilectio Dei, & amicitia. At verò si quis diceret, illum actum dilectionis esse distinctum ab actu detestationis peccati, tunc argumentum haberet difficilem exitum. Dicendum tamen est nihilominus, quòd ille actus dilectionis, quo præparamur ad amicitiam, & remissionem peccatorum, non intelligitur vt amicitia, neque vt perfecta dilectio, sed vt præparatio, & via ad habendam diuinam amicitiam. Quare, prout in illo priori concipitur homo, non est cur intelligatur homo ipse amicus Dei. Hanc solutionem videtur insinuare Tridentinum Concil. sessio. 6. cap. 6. & 14. & locis citatis, vbi dicit, quòd peccatores incipiunt Deum diligere, & ex hac dilectione mouentur ad detestandum peccatum. ¶ Sunt etiam recentiores Theologi, qui volunt hanc carpere responsionem & solutionem; Quia dicunt, non plenè satisfacere quarto argumento. Quia ex suppositione facta, ille actus amoris, ex quo procedit pœnitentia, est vera dilectio Dei super omnia: ergo per illum conuertitur homo in Deum, vt in vltimum finem, & ex consequenti non manet ab illo auersus. Præterea, vt omittamus modo quæstionem illã, vtrùm dilectio Dei super omnia, & detestatio peccati possint esse vnus actus numero, cuius partem negatiuam sensit Caietan. in hoc artic. 5. quamuis oppositum sit probabile, de qua re disputari solet 1. 2. quæst. 12. artic. 4. & quæst. 23. artic. 4. nihilominus manet adhuc eadẽ difficultas. Quia licèt sint vnus actus numero, adhuc erit necessarium, quòd in illo actu reperiantur duæ distinctæ rationes formales habentes inter se ordinem prioris, & posterioris: ergo vel tantum altera illarum concurrit, aut intelligitur concurrere immediatius ad expulsionẽ peccati. Patet antecedens: Quoniam idem actus secundum eandem rationem formalem non potest esse amor, & odium, neque potest terminari simul ad plura opera, nisi vt habent rationem vnius; Deus autem vt diligibilis, & peccatum vt detestabile, nullam habent rationem vnius, nisi quantum ad ordinem mouendi obiectiuè, & terminandi actum voluntatis: ergo si vnus actus est amor Dei, & detestatio peccati, id quidem habet secundum diuersas rationes formales, secundum quas ordinatè terminatur ad illa obiecta; Consequentia etiam patet: Quia cùm illæ rationes habeant inter se ordinem, illoque posito, sufficienter intelligitur expelli peccatum, concurreret immediatiùs ad huiusmodi expulsionem: at posito quòd ille actus sit dilectio Dei super omnia, intelligitur sufficienter esse expulsum peccatum, vt probatum est: ergo ad hoc non est necessaria pœnitẽtia formalis, quod videtur sequi ex præfata solutione.

Sed profectò, istæ impugnationes non concludunt: Quia si actus dilectionis, qui interuenit in iustificatione impij, est idem actus realiter cum actu detestationis peccati, & ab illo minimè distinctus, licèt ille actus concipiatur secundum distinctam rationem formalem, vt concipitur sub vna ratione formali, nempe, sub ratione actus tendentis in Deum, sic concipitur vt amicitia in via, quæ intelligitur vt perfecta, quando intelligitur simul, vt copulata cum illa ratione formali in eodem actu concepta, vt detestatiua peccati. Vndè nõ sequitur quòd non sit necessaria pœnitentia formalis.

Alteram adducit Medina loco citato solutionẽ, qua putat, non esse absurdum, aut inconueniens aliquod, quòd in illo primo naturæ ordine intelligatur, & concipiatur homo Dei amicus, quod debet intelligi, vt stat homo ille sub illo actu dilectionis Dei super omnia; & quòd adhuc non intelligantur remissa peccata. Nam in alio genere intelliguntur esse iam remissa, scilicet, in genere causæ formalis. Quia præintelligitur in hoc genere gratia, per quam peccata sunt remissa, de qua difficultate maiora dicemus artic. 8. sequenti.

Inter



Inter has solutiones, & sententias, duæ priores non videntur satisfacere, aut plenè dissoluere difficultatem propositam, & idcircò impugnatæ sunt. Tertia autem solutio, licèt suam habeat probabilitatem; nihilominus plena est difficultatibus, vt vidimus, & non quietat intellectum; defendi tamen potest. Vndè, quarta, & postrema solutio rationabilior videtur, quidquid aduersarij putẽt, licèt nullã exhauriat difficultatis abyssum, neque dissoluat adæquatè nodum controuersiæ. Sed in his rebus sufficiat probabiliter aliquid dixisse. ¶ Vndè, per hæc, quæ fusissimè dicta sunt, dissoluuntur tertium, & quartum argumentũ in exordio disputationis, &c. ¶ Et ad tertium neganda est cõsequentia: Diximus enim dilectionem Dei, & actum charitatis respectu adulti peccatoris habere necessariam cõnexionem cum pœnitentia formali ad remissionem peccatorum secundum legem ordinariam Dei.

*Ad 3. & 4. partes dif.*

*Ad quintũ.* Ad quintum argumentum in exordio quæstionis positum in tertia serie argumentorum, Caieta. in hoc art. quantum attinet ad baptismum, respondet non esse necessariam pœnitentiam formalem ad obtinendam remissionem peccatorum per baptismum, sed sufficere, velle suscipere baptismum in remissionem peccatorum. Quia voluntaria ista susceptio baptismi, est quædam pœnitentia virtualis. Et quamuis Sotus in. 4. dist. 6. quæst. 1. artic. 7. & distin. 15. quæst. 1. artic. 2. dicat, hanc sententiam esse probabilem; mihi tamẽ omnino displicet, vt supra vidimus. Quia Actor. 2. dicitur; Pœnitẽtiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum; & in Trident. session. 14. capit. 1. dicitur, Fuit quidem pœnitentia vniuersis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quouis tempore ad gratiã, & iustitiam assequendam necessaria; illis etiam, qui baptismi sacramento ablui petiuissent, &c. Vnde subiungitur in eodem Trident. quòd Petrus Apostolorum princeps, peccatoribus baptismo initiandis pœnitentiam commendans, dicebat; Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisq; vestrum, quod intelligendũ est de illis, qui cõmiserunt peccatum mortale actuale. Qualis autem pœnitentia sufficiat ad baptismũ, scilicet, attritio, vel vtrùm requiratur contritio, pertinet ad materiam de baptismo. ¶ Quocircà, aliter ad argumentum respondetur, quòd quando tribuitur baptismo remissio peccatorum, non excluditur dispositio requisita. Illud vero quod obijcitur de martyrio, peculiarem exigit difficultatem. ¶ Ad sextum patet solutio ex his, quæ diximus in toto dubio secundo superiori.

*Act. 2. Concilium Trident.*

*Dubium tertium, occasione quinti argumenti, ortum de martyrio.*

Qvia plerique putant, iustificationem per martyrium factam, pertinere ad materiam de iustificatione, idcirco decreui paucis agere, Vtrùm martyri sit necessaria ad iustificationem, & remissionem peccatorum pœnitentia formalis? Et ratio dubitandi est; Quia ad iustificationem impij secundum legem ordinariam necessaria est pœnitentia; sic adeò, vt baptismus, qui est sacramentũ mortuorum in adultis, qui mortaliter peccauerunt, non excludat dispositionem pœnitẽtiæ: ergo multo magis id requiritur in martyrio, præcipuè cùm non sit sacramentum, quod ex institutione habeat conferre gratiam ex opere operato: dicere autem, quòd ex priuilegio speciali hoc habet, est eximere hominem à lege ordinaria pœnitentiæ.

Aliqui recentiores Theologi putant, martyrium ita sufficere ad iustificationem, & remissionem peccatorum, quòd etiam si non habeat adiunctam dilectionem, quæ sit pœnitentia virtualis secundum se, dũ modò adsit simul dilectio supernaturalis, qua velit pati propter Christum, per ipsum fit remissio peccatorum. Subiungit tamen hæc sententia, quòd talis dilectio, qua quis vult pati propter Christum, non est virtualis pœnitentia, quia non includit virtualiter displicentiam omnium peccatorum præteritorum, aut propositum vitãdi omnia in futurum. Imò dicunt isti Theologi, quòd fortè non requiritur dilectio formalis Dei, ex qua procedat voluntas patiendi propter Christum, sed vnico actu supernaturali potest velle martyr pati propter Christum, & ille actus erit virtualiter dilectio Dei, licèt non formaliter. ¶ Secundò dicit hæc sententia, quòd quando se offert occasio martyrij, non tenetur homo recogitare peccata, & de ipsis atteri, vel conteri, nisi id commodissimè facere possit. Quia plus refert, & magis interest alacrem se ostendere tyrãnis, & fortitudinem demonstrare, quàm pœnitentiam, aut amorem curare, quoniam martyrium non dicit ordinem ad claues, cùm sit vltimus vitæ actus, neque petit dilectionem, quæ includat virtualiter propositum confitendi: extra martyrium verò requiritur ordo ad claues, & propositum virtuale confitendi. ¶ Tandem dicit hæc sententia, quòd licèt dilectio in martyrio non sit necessariò pœnitentia virtualis; tamen ex ipsa, & actu martyrij, dicitur fieri pœnitentia virtualis, quia sequitur eadem effectus, qui consequeretur ex formali pœnitentia.

*Conclus. 1.* Ad difficultatem hanc explicandam, sit prima propositio. Si quis subitò rapiatur ad martyrium, etiam si non formaliter detestetur peccata præterita, poterit consequi salutem, & remissionem peccatorum per oblationem vitæ pro Christo, & per dilectionem, quam gerit vehementem in hoc. Hic casus celebris est apud Theologos antiquos, & modernos; & est etiam Scoti in. 4. distinct. 14. quæst. 1. Vbi, licèt dixerit regulariter loquendo, & secundum legem communem nunquam peccatum mortale remitti sine pœnitentia formali, & displicentia peccatorum, quamuis in. 2. sentent. vbi non tractabat quæstionem de necessitate pœnitentiæ, sed de dilectione Dei; dixerit quòd homo disponitur per dilectionem Dei, in qua dilectione includitur pœnitentia; tamen in. 4. loco citato expresse excipit martyrium, in quo dicit, quòd si quis subito rapiatur ad martyrium, potest consequi salutem, & remissionem peccatorum per oblationem vitæ pro Christo, & dilectionem, licèt nõ habeat formalem, & actualem detestationem peccatorum. Dixi in conclusione, si subitò rapiatur ad martyrium: Quia si daretur martyri tempus, tenetur discutere conscientiam, & si inuenerit mortale, pœnitere. Imò verò si adest sacerdos tenetur confiteri, sicut quando est in alio periculo mortis; Nam martyrium nõ

tollit præceptum; & consequenter si non esset baptizatus,ex precepto baptismi teneretur baptizari; si commodè potest id facere. ¶ Quando verò sic subitò rapitur ad martyrium, & non datur martyri tempus discutiendi conscientiam, vt possit de peccatis cogitare, quia ad tormentum ita sæuè, & crudeliter subito rapitur, quòd fortè indiget tempore illo, vt animum corroboret, & confirmet ad martyrium fortius subeundum, poterit iustificari sine formali pœnitentia,quoniam tota cura eius est offerre se pro Christo.

Hanc assertionem tenet,non tantum Scotus, sed Gabriel in.4.distin.15. quæst.1.artic.3. Sotus eadem d.quæst.1. artic.2. conclu.3. vbi dicit, quòd martyrium quando subita eius oblatio actum pœnitẽdi impedit, sufficit sine pœnitentia ad salutem, quod debet intelligi iuxta explicationem, & moderationem à nobis datam. ¶ Et probatur: Quia vt dicit D.Ioan. Euangelista cap.14. & 15. Maiorem hac dilectione nemo habet,quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis.Rursus,Christus Dominus absolutè,& sine addito dixit, Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor, & ego eum coram patre meo.Matth.10.ergo: Et certè durum est dicere,quòd iste,qui moritur pro Christo,& cuius tota cura est se offerre viriliter, & fortiter pro Christo, & cui non dantur inducię, aut longum tempus ad alia peragenda, condemnetur: quia non meminit formaliter peccatorum,ea detestando,idcirco condemnetur. ¶ Sanè martyrium, vt dicit Augustin. contra Donatistas, & refertur de consecratione. d. 4.Cano.Baptismi vicem, supplet ipsius baptimi vicem: ergo si homo ille, qui rapitur ad martyrium, non habet complacentiam peccati,aut propositum peccandi, si sustineat martyrium, iuxta modum à nobis præscriptum, illa tolerantia martyrij obtinebit veniam apud Deum suorum peccatorum. Vnde Christus; Qui perdiderit animam suam in hoc mundo propter me, in vita æterna inueniet eam.

*Ioan.14 & 15.*

*Matth.10.*

*D.August.*

*Conclus.2.* Secunda propositio Cùm diximus,martyrem in casu posito iustificari sine pœnitentia formali, hoc intelligitur, vel per actum illum dilectionis, quem habebit ex diuino beneficio ante vitæ terminum, nisi propria malitia obstinatus, velit in peccato manere, vt dicit Caietan. 2.2. quæst.124. artic.2. vel vt alij volunt, per ipsum martyrium, quod, vt est heroicum testimonium pro Christo datum cum effusione sanguinis, & ad defensionem fidei, & honoris Christi, & vt est realis imitatio mortis Christi, habet hoc singulare priuilegium, vt ad modum operis operati purget ab omni culpa mortali,& veniali, & liberet ab omni pœna æterna,& temporali, nisi voluntatem illius hominis actualiter inhærentem peccato inuenerit. Hæc assertio sequitur ex superioribus, & eam tenent omnes authores suprà citati: & quamuis dixerimus,in eo casu,martyrem sine pœnitentia formali iustificari; non tamen sine charitate, quæ saltem in termino martyrij est cum illo coniuncta. Imò verò, qui contemnit se ipsum, præponitque Deum sibi cum effusione sanguinis, is, in dilectione illa exercita habet detestationem virtualem omnium,quæ sunt contra Deum,& fuerunt ab eo perpetrata contra ipsius legem, & voluntatem. Hoc insinuant Thomistæ,& Caieta.cum eis in disputatione de martyrio. Sotus in.4.dist.15. quæst.1.art.2.affirmat, quòd expositus martyrio, in illo articulo habet legitimum actum charitatis, qui virtute includit pœnitentiam,licèt illa non sit formalis. Vndè,hoc est singulare priuilegium martyrij, quòd per se est summa charitas, & confessio Christi: Et ita, cùm Christus dixit, Maiorem charitatem nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis, hanc asserit maiorem omnibus,etiam quam illa,quę est detestatio peccatorum propter Deum summè dilectum; Et idcircò, martyrij charitas in illo articulo quo animus martyris absorbetur, est summum holocaustum, quo se homo ex toto corde Deo tradit.

Hanc assertionem expresse docet D. Chrysosto. *D.Chrysost.* sermo.29.de pœniten. Vbi postquam dixit;Sicut in tenebris non est absque lucerna lumen.sic non potest homo peccatum absque pœnitentia abluere; Et subiungit statim; Item lector intelligat; martyrium pœnitentiæ præteriti non egere. Quia sicut lux diei non quærit lucernã,sic iustitia ante Deum (scilicet martyris) sine pœnitentia lucet. En, quo pacto martyrium tanto fulgore pœnitentię præfertur,quandò lux diei lucerna in tenebris fulgentior est. ¶ Sed dices; Saltem tenetur martyr in agone habere dolorem, & detestationem peccatorum in genere,& petere misericordiam Dei.Respondetur, quòd Deus non obligat eũ ad hoc quando ita subitò rapitur ad martyrium. Secundò respondetur, quòd dolor ille quando homo nullius peccati habet recordationem, neque in particulari, neque in genere, non est necessarius: imo verò Sotus dicit, quòd non est propriè pœnitentia: Quia nemo propriè pœnitere potest eorum, quorum nullam prorsus habet memoriam,nec recordationem,neque in specie, neque in genere; & idcircò talis actus potiùs diceretur charitatis, & amoris filialis, quàm formalis pœnitentia.

Ad rationem dubitandi, dicendum est, quòd in casu martyrij quãdo subitò rapitur homo, ad illud, & non datur illi tempus, neque dantur inducię, non necessario exigitur pœnitentia formalis cùm sit occupatus omnino circa defensionem diuini nominis,& exerceat actum moriendi pro Christo,cui ex priuilegio conuenit,vt est realis imitatio mortis Christi, & specialis defensio fidei,& honoris diuini, quòd purget & liberet ab omni culpa & pœna sine pœnitentia formali,dummodo non detur tempus in quo possit commodè pœnitere, aut discutere propriam conscientiam, vt dictum est. Dico secundò, quòd ille actus martyrij, qui est holocaustum quoddam, quod homo facit de seipso propter Christum,pręponendo ipsum sibi,& omnibus creaturis,importat compensationem quandam pro peccatis virtualẽ.Dico tertiò,quòd licet fiat sine forma li pœnitentia martyrium,in casu posito;non tamen omnino sine charitate.Quia saltem in suo termino, est cum illa coniunctum.Imo verò de actu moriendi pro Christo dictum est ab ipso, quòd maiorem dilectionem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis:& idcirco opinio recitata indiget moderatione,& correctione.

Dubium



## DVBIVM IIII.

*Vtrùm actus charitatis,& pœnitentiæ formalis, sit vnus actus, qui sit pœnitentiæ elicitiuæ, & charitatis imperatiuæ, vel vtrum sint duo actus distincti?*

QVod sint duo actus distincti, & quòd non sufficiat vnus, id videtur sensisse D.Tho.in hoc art.Nam dicit, quòd in iustificatione impij, oportet,quòd sit motus liberi arbitrij duplex, vnus, quo per desiderium tẽdat in Dei iustitiam,& alius quo detestetur peccatum; & ita erũt duo actus distincti charitatis, & pœnitentiæ formalis,& est sermo de his,quæ cõmuniter eueniunt in iustificatione impij, & motu liberi arbitrij in peccatum. Caietan. in Comment. huius articuli putat,esse duos actus,& aduertit differentiam inter motum naturalem, & motum voluntatis,quòd in natura idem numero motus est localis, quo fit accessus ad terminum ad quem, & receditur à termino à quo; in voluntate verò, quia animaliter, & vitaliter oportet vtrumq; fieri, alter actus est cuius obiectum est malum, à quo anima per modum recedentis se habet, & alter actus est cuius obiectum est bonum, ad quod anima per modum accedentis se habet. Ex quibus colligit Caietanus,quòd actus detestationis peccati, & actus dilectionis Dei, qui in iustificatione impij intercedunt, sunt duo actus distincti, quod hic expresse docet Sãctissimus Præceptor, & etiã ar.6.&.7.&.8. sequentibus.Et probari potest: Quia detestatio peccati est fuga, & nolitio;actus verò dilectionis, prosequutio,& volitio: Certum est enim quòd motus, quo recedo à peccato, est detestatio, & fuga illius, cuius obiectum est malum; motus autem,quo accedo ad iustitiam, est prosequutio, & volitio, cuius obiectum est bonum: igitur oportet eos esse actus distinctos.

*Caietan.*

Verùm pro contraria parte videtur non esse necessarium vt isti actus sint distincti, sed, quòd vnus & idem actus,quo quis detestatur peccatũ propter Deum,sit simul actus pœnitentiæ elicitiuæ, & charitatis imperatiuę,& quòd iste vnus actus sufficiat. Nam Sanctissimus Pręceptor solutione ad primum dicit, quòd sicut ad charitatem pertinet diligere Deum,ita detestari peccata, per quæ anima separatur à Deo:igitur ille idem actus, qui est detestatio, est actus charitatis. Et hoc insinuat Sanctissimus Præceptor.3.par.q.85.art.5. vbi dicit, quòd quintus actus pœnitentiæ est motus charitatis, quo alicui peccatum displicet secundum se ipsum,& non iam propter supplicia.Vbi cõstat, detestationem peccatorum propter Deum, vocari à Sancto Tho. actum charitatis. ¶ Sotus,lib.2. de nat.& grat. cap.16.hoc ipsum sensit, & citat verba D.Thom.3.p.q.85.quòd actus pœnitentiæ simul est, & charitatis, quatenus est displicentia offensæ Dei,& species iustitiæ,quatenus est recompensatio iniuriæ.Vndè,loco citato, actum charitatis appellat ipsam contritionem.

*Sotus.*

Bartholom.Medina,in Commentario huius articuli dicit,quòd voluntas duobus modis potest ferri in detestationem peccati, & in dilectionem Dei; Primò, quòd voluntas feratur in vtrumque absolutè,& secundum se; & sic duobus actibus fertur voluntas in detestationem,& odium peccati,& in dilectionem Dei, vt Caietani rationes ostendebant. Secundò autem, quòd voluntas feratur in vtrumque simul, nempe, detestando peccatum propter Deum summe dilectum, & tunc tantum est vnus actus. Quod probat; Quia idem est actus, quo voluntas vult media, & finem, vt eleganter ostendit S.Thom.1.2.q.8.art.3.Vbi dicit,quòd vnus,& idem motus voluntatis, est, quo fertur in finem secundum quòd est ratio volendi ea, quæ sunt ad finem, & in ipsa,quę sunt ad finem,qui actus respectu mediorum est electio; respectu autem finis est intẽtio: ergo idem actus est, quo detestamur peccatum propter Dei amorem, qui respectu peccati est detestatio & fuga,respectu autem Dei,est volitio & amor. Præterea, actus pœnitentiæ sufficit ad iustificationem peccatoris: sed actus pœnitentiæ est detestari peccatum propter Deum summè dilectum: ergo non sunt distincti actus. Rursus, idem Medina dicit, alia de causa ostendi posse, quòd non sit nisi vnus actus: Quia quando voluntas detestatur peccatum propter Dei amorem, non sunt duo obiecta, in quæ voluntas feratur, sed vnum tantum, nempe, peccatum; quod voluntas detestatur; ratio autem detestandi est bonitas diuina: ergo non est nisi vnus actus. Et illustrat hoc apertissimo exemplo. Nam quando videmus coloratum propter lucem, non est nisi vnicum obiectum, quod cernitur; ratio autem videndi est lux; & idcirco non sunt distinctæ visiones. Pari ratione Cãietanus dicit,non esse absurdum eundem numero actum esse volitionem, & nolitionem respectu diuersorum: veluti cùm adultus detestatur peccatum propter Dei amorem, vnus quidem actus est charitatis, vel pœnitentiæ, qui respectu peccati est fuga, & nolitio; respectu autem Dei, est volitio, & amor. Ex hoc tamen non sequitur volitionem esse nolitionem; sicut non sequitur, quòd quamnis actio, & passio sint vnus motus,idcirco actio sit passio.Nam hic fit formalis prædicatio. Tandem aduerte,quòd actus dilectionis,qui in iustificatione impij interuenit, prior est, non tempore, sed ordine naturæ detestatione peccati,quod liquet: Quoniam actus dilectionis est radix, & causa vnde oritur detestatio peccati, quæ delet peccatum: ergo est prior ipsius peccati detestatione.Antecedẽs patet ex illo Lucæ.7. Dimissa sunt ei peccata multa,quoniam dilexit multum,& ex illo; Conuerte me Domine, & conuertar:postquã enim conuertisti me egi pœnitentiam.Vndè,in Trid.sess.6.c.6.assignatur modus conuersionis peccatoris,& decernitur,quòd peccatores Deum tanquam omnis iustitiæ fontem diligere incipiunt, & quòd ob id aduersus peccata mouentur per odium,& detestationem. Et hoc ipsum constat ex definitione pœnitentiæ. Nam pœnitentia est dolor de peccatis propter Deum summe dilectum, in qua sanè definitione apertè ostenditur, quòd ratio, & causa pœnitentiæ est amor Dei. Vnde, actus pœnitentiæ includit Dei amorem, cùm sit dolor de peccatis propter Deum summè dilectum.

*Luc.7.*

*Hier.31.*

His

*Dico. 1.* His ita prælibatis, Dico primò breuiter, necessariò esse concedendum, quòd actus pœnitentiæ, vt possit remittere peccatum, debet procedere ex Deo summè dilecto, quia hoc est de intrinseca ratione contritionis, quæ est sufficiens remittere peccata. De qua re legendus est Canus in relectione de pœnitentia in.1.p. relectionis propositione.1.2.&.3. quo loco dicit, primum actum pœnitētię nunquam esse sine actu charitatis, & quòd actus charitatis est prior natura, quàm pœnitentia tanquam radix eius, iuxta illud Lucæ.7. *Lucæ.7.* Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Nam certè, primus actus voluntatis est circa proprium obiectum, nempe, circa bonum, & deinde sequitur odiū mali oppositi. Prior igitur actus est, quo volumus Deo bonum, quàm actus, quo eius malum detestamur: Nam velle mihi conciliare Deum, est prius, quàm velle emendare iniuriam commissam, cùm illud sit finis huius: sed illud pertinet ad charitatem, hoc autem ad pœnitentiam: ergo. Et confirmatur: Quia in actibus, & motibus animę, primus motus est circa finem. Vnde, prior est natura intentio finis, quàm electio mediorum: sed dolere de peccatis, & illa destruere, medium est ad placandum, & conciliandum Deum, & pertinet ad rectam electionem: ergo. Huius rei extat insigne testimonium *Hierem.31.* Hierem.31. Postquam conuertisti me egi pœnitentiam: Prior igitur est conuersio ad Deum, quam pœnitentia, detestatioque peccati. Hoc etiam est definitum *Conci. Trid.* in Concilio Trident. sessio.6. cap.6. his verbis; Peccatores ad iustificationem se disponunt, incipientes Deum diligere, tanquam omnis iustitiæ fontem; ac propterea mouentur aduersus peccata per odium aliquod, & detestationem, hoc est, per pœnitentiam. ¶ Ex quibus colligitur, quòd de ratione veræ pœnitentiæ est, quòd displiceat peccatum, quia est contra Deum super omnia dilectum. Ita dicit expresse S.Tho.3.par.quæst.86.art.3. idque ex dictis satis constat.

*Dico. 2.* Dico secundò. Vt detestatio peccati procedat ex Deo summè dilecto, & verè remittat peccata, non requiritur, quòd talis detestatio procedat ex alio actu charitatis distincto, ita vt peccatori adulto sit necessarium habere duos actus distinctos, scilicet, charitatis, & pœnitentiæ. Quia certum est in via D.Thomæ, quòd sicut vnico actu possumus assentiri conclusioni propter præmissas, ita vnico actu possumus velle medium propter finem, & possumus detestari peccatum propter Deum summè dilectum: At hoc sufficit ad remissionem peccatorum: ergo non requiruntur duo actus distincti semper. ¶ Vndè, actus detestationis peccati, siue consideretur peccatum secundū quòd est contra Deum, & pertinet ad charitatem, siue secūdum quòd actus detestationis ordinatur ad destructionem peccati, & pertinet ad pœnitentiam, potest esse idem numero actus cum actu dilectionis Dei. Et sanè, si consideretur detestatio peccati secūdum priorem rationem, certum est in doctrina Sanctissimi Præceptoris.1.2. quæst.8. art.3. quòd eodem actu possum ego amare Deum, & detestari malum oppositum Deo; quia verè detestor peccatum propter dilectionem Dei; Sicut eodem actu video lumē, & colores propter lumen; Itaque dictio illa, propter, non dicit ibi causalitatem alicuius actionis distinctæ. Nam duntaxat dictio illa, propter, dicit causam voliti, siue detestati peccati; talis enim nolitio peccati, non dicit meram negationem actus circa peccatum, quæ explicatur per nō velle peccatum, sed dicit actum realem circa non esse peccati: Quia positiuè voluntas vult destruere peccatum, & vult non esse illius: talis autem actus volūtatis, qui à plerisque, & à Caietano interdum appellatur negatiuus, nūquam est nisi sub aliqua ratione formali bonitatis positiuæ amatæ à voluntate. Vndè, semper est volitio vnius, & nolitio alterius, vt Caietan. explicuit.1.2. quæst.8. citata. ¶ Quocirca, quando S.Thom. docet, duplicem esse motum voluntatis, hic & art. sequenti, alterum, quo detestatur peccatum; alterum verò, quo diligit Deum, non de realitate actus intelligendus est, quasi sit duplex actus realiter distinctus, sed solum de ratione formali: Quia formaliter loquendo detestatio peccati tendit ad nō esse peccati; dilectio verò ad bonitatem Dei: Hæc tamen duplex formalitas reperitur in eodem actu materiali, vt explicat S.Tho. art.6. sequenti, & art.7. ad.2. Vbi dicit, quòd per eundem motum, liberum arbitrium potest in duo simul moueri secundum quòd vnum ordinatur in aliud: motus namque liberi arbitrij in peccatum, ordinatur ad motum liberi arbitrij in Deum. Propter hoc enim homo detestatur peccatum, quia est cōtra Deum, cui vult adhærere: & ideo liberum arbitrium in iustificatione impij simul detestatur peccatum, & conuertit se ad Deum; sicut etiam corpus simul recedēdo ab vno loco, accedit ad alium. ¶ Si verò actus ille consideretur quatenus est à virtute pœnitentiæ, adhuc potest esse idem numero actus cum actu charitatis, iuxta ea, quę S.Tho. art.4. præcedente docet solut. ad.1. vbi affirmat, eundem numero actum posse esse à pluribus virtutibus; ab vna, sicut ab imperante; ab altera verò sicut ab eliciente: sic ergo actus ille vnus, poterit esse charitatis, & pœnitentiæ; ab vna elicitus, ab altera imperatus; sicut furtum propter mæchiam est idem numero actus interior voluntatis, pertinens tamen ad diuersa vitia formaliter.

Ad obiectiones, quæ oriri poterant, ex dictis satis patere potest solutio. Vnde, Bartholom. Medina, plurimum fauet huic nostræ sententiæ. Cætera autem, quæ hoc loco adduci poterant de timore filiali, de actu formali charitatis, de proposito illo formali emendandi vitam; dicta sunt à nobis in superioribus, & eorum fusior disputatio pertinet ad.3. par. quæst.85.&.86.

## DISPVTATIO II.

### *Vtrùm pœnitens per actum contritionis satisfaciat ex iustitia imperfecta pro culpa mortali, & pro remissione peccatorum?*

HÆc controuersia, celebris est hodie, præsertim inter recentiores Scholasticos. Et quoniam eam nos plerisq; in locis disputaturos esse polliciti sumus, idcirco promissionem nostram implentes, iam in hoc art. eam aperiemus, faxit Deus, vt lumine suo illustrati, veritatis



scopum pertingamus. Titulus huius controuersiæ est, vtrùm in compensatione, quam pœnitēs offert pro peccato, reperiatur ratio iustitiæ per modum satisfactionis respectu culpæ; ita sanè, vt suis actibus peccator satisfaciat pro peccato, non tantū pro pœna tēporali, sed pro peccato, quatenus offensa Dei est? ¶ In qua re, recentiores Theologi putāt, quòd contritio quatenus ordine naturæ gratiam antecedit, satisfacit pro culpa, non quidem satisfactione perfecta, & æquiualente, sed imperfecta, & non æquiualente, hoc est, secundum acceptationem gratiosam eius, qui læsus est, quæ secundum se nō adæquat offensam, sed tamē acceptatur ab offenso, ac si adęquaret illam; & idcirco cēsetur satisfactio; Quia illi suo modo fit satis, & manet contentus ea, & hęc vocatur imperfecta satisfactio. ¶ Secundò putant, quòd contritio vt subsequitur gratiā, est satisfactio æquiualens pro culpa, seu de condigno, & ad æqualitatem. ¶ Fundamentum huius sententiæ est, quòd contritio, vt præcedit gratiam, non habet valorem æquiualentem cōdignum, & proportionatū grauitati offensæ, licet habeat aliqualem valorem coram Deo; eo quod est ordinis supernaturalis proximè accedens ad gratiam: & ita, quamuis non sit satisfactio æqualis pro offensa, est tamen aliqualis satisfactio. Verùm, quoniā contritio vt subsequitur gratiā procedit ab Spiritu Sancto cor inhabitante, habet æquiualētiam & æqualitatē cum grauitate offensę, & cōsequenter est æquiualens satisfactio pro offensa. Hanc sentētiam Caiet. expresse docet. Nam priorem partem tenet.3.p.q.85.ar.3. Vbi, postquā in pręcedente art.2. dixerat, præcipuum actum pœnitētiæ esse cōpensare peccatum, quatenus offensa Dei est, & hoc esse satisfacere quo ad culpā; in ar.3. sequenti citato dicit, pœnitentiam non cōpensare offensam Dei ad æqualitatem. Posteriorem autē citatæ sententiæ partem docuit Caiet. eadem.3.p.q.2.ar.2. vbi dicit, actū contritionis, & dilectionis, quatenus informatur gratiā, esse æquiualentem recompēsationem ad æqualitatem; non tamen de toto rigore iustitiæ: quoniam illa gratia non conuenit puro homini ex proprijs, sed ex misericordi & liberali donatione Dei. Et subiūgit Caiet. eodē loco, contritionē informatā gratia, si consideretur vt est Christi tanquā capitis, cū quo nos cōstituimus vnū corpus mysticū, esse satisfactoriam pro culpa de toto rigore iustitię.

*Ruard. Tap. par.6. de satisfactione.* Ruardus Tapper Decanus Louaniens. art. de satisfactione putat, probabilem esse sentētiam, quòd contritio licet vt gratiam antecedit, non satisfaciat de iustitia pro culpa; tamē quòd vt subsequitur gratiam satisfacit pro culpa ex iustitia, non quidem rigorosa, vt dictū est, sed imperfecta. Et putat, huius sententiæ esse D.Thom. in.4. d.15. q.1.ar.2.ad.1. Vbi ex professo docet, quòd contritio prout est formata per gratiam, satisfacit pro peccato ex parte auersionis, hoc est, pro peccato, vt est offensiuum Dei. Et.3.p.q.85.ar.3. vbi expresse etiam docet, pœnitentiam esse quandam partem iustitię compensatiuam pro culpa, & offensa. Et.1.p.q.21.ar.4.ad.1. vbi dicit, quòd in iustificatione impij reperitur iustitia dum relaxat Deus culpam propter dilectionem, quam ipse misericorditer infundit. Et adducit illud Lucę *Lucæ.7.* 7. Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Citat etiam pro hac sententia Capreolum in.4. dist.15. & à fortiori Caietan. sensit idem locis superius citatis. *Caiet. in opuscul. de fide & operibus. c.11. & vlt.* ¶ Sub alijs verbis citari solet sententia Ruardi Tapper. artic.6. de satisfactione in respōsione ad argumēta aduersariorum propè finem, & etiam parum ante solutionem, nempe, quòd opera pœnitentis, quæ antecedunt gratiam gratum facientem, & Spiritus Sancti inhabitantis aduentum, nō satisfaciunt ex iustitia pro peccatis, sed dūtaxat inclinant Dei Patris clementiam, vt propter filium misereatur peccatoris, & eum in gratiam recipiat; Quæ verò natura sequuntur gratiam, & Spiritum Christi per eam nos inhabitantem, & simul præcedunt natura peccati remissionem, quo ad culpā, & pœnam æternam, satisfactoria sunt secūdum æqualitatem, & de condigno pro offensa contra Deum commissa; ita quòd si iustè perpendantur grauitas offensæ, & valor illorum operum in ratione satisfactionis, nō reperietur inæqualitas inter ea. ¶ Addūt præterea recentiores authores huius sentētię, quòd satisfaciēti ex iustitia pro culpa, & offensa, debetur etiam illi ex iustitia remissio culpæ: & dicūt, quòd oppositum asseuerare, sine fundamento fit. Et probant: Quia satisfactio pro culpa consistit in hoc, quòd offensor reddat offenso totum, quod illi debet ratione culpæ, & offensæ commissæ: ergo satisfacienti pro culpa, ex iustitia debetur quòd nihil amplius ab illo exigatur propter culpam commissam; hæc autem est remissio culpæ: ergo ex iustitia debetur satisfacienti remissio culpæ.

Sed quoniam pleriq; audacter præcedentem sententiam defendunt; idcircò oportet eorum fundamētum adducere, vt deinceps in discursū quæstionis funditus euertatur eorū dicendi modus. Dicunt ergo, quòd modus, quo cōtritio vt subsequitur gratiam satisfacit ex iustitia pro culpa, triplex est, seu tribus modis potest intelligi, atq; concipi: *Tres modi explicandi præcedētem sententiam.* Primus, quòd in iustificatione, per infusionē ipsam gratiæ, & charitatis, remittantur gratis peccata ex sola Dei misericordia; postea verò in eodem instāti tēporis, pœnitens per ipsam contritionem, vt subsequitur gratiam & charitatem, satisfaciat Deo pro eisdē peccatis, ita vt remissio peccatorū duplici titulo detur pœnitenti in instanti iustificationis, scilicet, titulo misericordię, propter gratiam remittētem peccata, & titulo iustitiæ propter satisfactionem oblatam à pœnitente. Nam licet præcedat gratia, & remissio peccati priùs natura; tamen ipsa contritio est nouus titulus satisfactionis, & remissionis culpæ. Quoniā licet titulo gratiæ fuerit remissa culpa; cæterū titulo iustitiæ, per contritionem fit remissio peccati, & satisfactio. Sicut docent Theologi, glorificationem corporis duplici titulo collatā fuisse Christo Domino; tum quia debebatur illi naturali debito tanquā vero filio Dei; tum etiā propter meritū, quo Christus illum sibi meruit. Pariter etiam docent nōnulli Theologi, quòd primus gradus gloriæ conceditur homini pœnitēti duplici titulo; altero purè gratuito, quatenus efficitur per gratiā viuum Christi mēbrum, & filius adoptiuus Dei; altero verò ex iustitia, quatenus pœnitens per actū contritionis formatum gratia & charitate, meretur eundem gradum gloriæ. ¶ Hic tamen modus dicendi, iure displicuit Caietano locis infra citandis. Quia nullus potest facere sibi debitum nouo titulo, id, quod iam præ-

habet

habet secundum rem:sed peccatorum remissio, ex Dei misericordia præhabetur à pœnitente prius natura,quam contritio sit formata per gratiam : ergo per contritionem pœnitens non facit sibi debitam remissionem peccatorum titulo satisfactionis ; & ex hac ratione apertè colligitur, exempla allata de glorificatione corporis Christi, & de primo gradu gloriæ,non esse satis ad propositũ: Quia cùm Christus meruit gloriam sui corporis, nõ illam habebat in re;primus etiam gradus gloriæ, quando fit debitus per meritum contritionis , nondum habetur in re, sed in spe. ¶ Quocirca, secundus modus explicandi, & dicendi, est, quòd remissio peccatorum detur omnino gratis ex misericordia Dei, sed nihilominus, quòd pœnitens per contritionem formatam gratia, satisfaciat pro peccatis priùs natura remissis, ex eo, quòd offert Deo æquale pro ipsis peccatis; & ex consequenti constituit æqualitatem inter offensorem,& Deum offensum,quę æqualitas non erat adhuc constituta, etiam si peccata misericorditer remissa fuerint.Hic modus dicendi,ex aduersariorum sententia, & calculo, habet aliquam probabilitatem : Quia saluat optimè id quod sacræ literæ docent, scilicet, peccata gratis remitti : Sed nihilominus est difficilis,quia satisfactio præsupponit debitum satisfacientis ad eum, cui fit satisfactio : sed supposita remissione peccatorum à Deo misericorditer facta, pœnitens non debet Deo aliquam satisfactionem pro culpa, seu peccato : Quia iam supposita donatione Dei gratuita, non potest manere ratio debiti:ergo neque potest ibi esse satisfactio pro peccato.Fatentur tamen aduersarij,posse concedi, quòd pœnitens offert Deo operationem, quæ ex natura sua erat sufficiens ad satisfaciendum pro culpa,si priùs natura non fuisset remissa:sed tamen supposita culpæ remissione dicunt, non posse propriè concedi, quòd pœnitens satisfaciat de facto.¶Tertius autem modus dicendi,& vltimus est, quem potissimè nonnulli recentiores sequuntur, quòd in peccato reperitur duplex malum, nempe, ipsius peccantis, quatenus priuatur rectitudine ad finem,& priuatur etiam gratia,& charitate, & plerisque donis supernaturalibus: Rursus reperitur in peccato malum Dei,quatenus est iniuria, & offensa, & contemptus ipsius; ac proinde destructiuum totius boni diuini secundum affectum peccantis. Et sanè,peccatum, non solùm prout est in actu peccantis,dicitur malum diuinum,sed etiam quatenus manet in peccatore transacto actu peccati, in quadam habituali dispositione ipsius peccantis . Nam peccator,transacto actu peccãdi manet in habituali auersione à Deo iniuriosa, & contemptiua ipsius Dei. Itaque totum illud malum, quod inest actui peccati,relinquitur,& permanet per modum habitus in voluntate peccantis, quandiù non pœnitet, aut agit pœnitentiam;Et hoc malum habituale appellatur à Theologis macula peccati, cui secundario annectitur priuatio gratiæ,& luminis diuini,& donorum supernaturalium.Quo supposito dicunt, quòd peccatum quantum ad habitualem deordinationem seu maculam,quæ permanet in anima, gratis remittitur per solam gratiæ,& charitatis infusionem;cæterum quantum ad deordinationem actualem,quæ inhæret actuali peccato,remittitur per satisfactionem factam per contritionem,ita vt gratia remittat peccatum, & secundum quòd est malum habituale, & secundum quòd fuit malum actuale; diuersimodè tamẽ: Quia gratia per se ipsam,& per habitualem charitatem remittit peccatũ, prout est habituale malum;per actum verò charitatis,& contritionis,eadem gratia formatũ, remittit ipsum peccatum prout fuit actuale malum, satisfaciendo pro ipso, ita sanè vt fiat proportio habitus ad habitum, & actus ad actum : Quatenus ergo gratia remittit peccatum, prout est malum habituale & macula, conceditur ab his authoribus peccata gratis remitti; licet ipsa peccatorum remissio, si concipiantur peccata vt sunt mala actualia, fiat ex satisfactione, & ex iustitia.

*Secũdus modus explicandi.*

*Tertius modus explicandi.*

Sanè,cùm veritatem inuenire sit difficile, idcirco nonnulli alij Theologi, aliã excogitauerunt sententiam,quæ tertia est in ordine:dicunt enim quòd cõtritio,vt subsequitur gratiam,& informatur illa, non satisfacit pro culpa, aut pro offensa,quia supponit gratiam , & consequenter supponit culpam remissam,sed solum dicunt esse satisfactoriã pro pœna temporali,& non pro pœna æterna.Secundò dicunt, quòd contritio, vt antecedit gratiam , & est prior prioritate naturæ , est satisfactoria pro culpa; imperfectè tamen ex imperfecta iustitia,& ex diuina acceptatione.Fundamentum horum authorum, est, quòd ad satisfactionem ex iustitia imperfecta, non requiritur (vt ipsi putant) quòd satisfactio secundum se sit sufficiens,& æquiualens offensæ, sed sat fuerit quòd sit sufficiens iuxta legem , & beneplacitum eius,cui fit satisfactio:Nam secundum legem à Deo positam,cor contritum & humiliatum, est sacrificium Deo acceptum, id est satisfactio sufficiens pro peccatis commissis:igitur contritio pœnitentis secundum legem à Deo statutam,satisfacit ex iustitia pro culpa,etiam, prout antecedit gratiã. Patet consequentia:Quia cõtritio vt antecedit gratiam,est verè,& essentialiter cõtritio.Et ex his colligunt authores huius opinionis, quòd contritio quatenus est satisfactio pro culpa, est vltima dispositio ad gratiam,ita vt in ratione vltimæ dispositionis ad gratiam claudatur intrinsecè ratio satisfactionis pro culpa.

*Sententia.3.*

Quarta & postrema sententia est quorundam antiquorum Theologorum , qui aliam ingressi sunt viam,vt refert S.Thom.in.4.dist.15.q.1.ar.1. Dicunt enim quòd etiam quantum ad auersionem,fieri potest satisfactio pro peccato virtute meriti Christi, quod fuit infinitum.Et vt magis aperiant hoc nonnulli ex recentioribus, qui hanc etiam sequuntur viam,dicũt,actum nostrum, quatenus à nobis procedit,non esse satisfactorium pro peccato, vt dicit auersionem à Deo,neque pro pœna æterna, sed solum pro cõuersione ad creaturam, & pro pœna respõdenti illi;quatenus verò est à Christo,satisfactoriũ esse pro auersione à Deo, & pro pœna inferni.

*Sitentia.4.*

Omnes istæ sentẽtiæ commemoratæ, in eo quod affirmãt, posse adultum per contritionẽ satisfacere pro culpa,& offensa Dei ex iustitia,siue sumatur cõtritio prout antecedit, siue prout subsequitur gratiam, sua habent argumenta, quibus ab aduersarijs ostenduntur & probantur.¶Primum argumentum sit.Pœnitens per opera cõtritionis,& charitatis,intendit

*Argum.1.*



tendit placare Deum offensum , & eiusmodi opera quatenus procedunt ab Spiritu Sancto inhabitante cor,habent proportionẽ,imò æqualitatem cum grauitate culpæ:ergo de facto pœnitẽs his operibus satisfacit pro culpa.Ostendo consequentiã:Quia reddit æquale eo fine,vt Deũ placet offensum.¶Secundò arguitur.Si contritio,quatenus informatur gratia,nõ est satisfactoria pro culpa;sequitur,quòd nullus actus pœnitentis est satisfactorius pro peccato mortali.Patet sequela:Quia nulla est specialis ratio in alijs actibus factis in gratia,quę non habeat locũ in contritione quatenus informatur gratia : consequens tamen videtur falsum: Quia cõmuniter dici solet,quòd satisfacimus pro peccatis;Imo verò Trident.sess.14.cap.8.docet,satisfactiones imponendas esse secundum qualitatem peccatorum.¶Tertiò arguitur.Pœnitentia,iuxta probabiliorem sententiã, est pars iustitiæ:sed non alia ratione potest esse pars iustitiæ, nisi quia compensat culpam cõmissam per contritionem:ergo,&c. Si dicas,pœnitẽtiam ob id esse partem iustitiæ,quia satisfacit pro pœnis tẽporalibus,quæ respondent peccato ex parte cõuersionis:Contra arguitur:nã qui conteritur de peccato, nõ pœnitet per se primo de pœnis,sed de culpa, & offensa Dei:ergo contritio per se primò non satisfacit pro pœna,sed pro culpa.¶Et confirmatur: Nam sacrificium non solum offertur pro pœnis tẽporalibus,quę debentur post remissam culpam,sed etiam offertur in expiationem culparum:sed contritio in sacris literis appellatur sacrificium Deo acceptum Psal.50.Ergò contritio nõ tantum habet satisfacere pro pœnis,sed etiam habet expiare culpã,& offensam commissam contra Deum. ¶ Quartò arguitur. Obiectum pœnitentiæ est peccatum , quatenus est offensa Dei,vt destruendum exhibita illius cõpensatione;atq; adeò finis ipsius pœnitẽtiæ,est destruere peccatum offerendo prædictam cõpensationem: sed cõpensatio offensæ alicui irrogatę,est satisfacere pro illa:ergo pœnitentia mediante suo actu contritionis satisfacit pro peccato,quatenus est offensa Dei.Maior constat ex materia de pœnitentia,& minor patet ex terminorum significatione. ¶ Et confirmatur:Quoniã actus pœnitentiæ efficienter concurrunt ad destructionem peccati efficiẽtia morali, vt Theologi dicunt in materia de pœnitentia:ergo ratione alicuius valoris; Quoniam moralis efficientia,semper fundatur in aliquo valore;at non conuenit actibus pœnitentię valor meriti respectu remissionis peccati: ergo saltem illis conueniet valor satisfactionis pro peccato. ¶ Quintò arguitur.Ad satisfactionem ex iustitia imperfecta,non requiritur, quòd satisfactio sit secundum se æquiualẽs offensę, sed satis est,quòd sit æquiualẽs ex gratiosa acceptatione ipsius offensi; sed contritio, vt antecedit gratiam , est sacrificium Deo acceptum pro peccatis: ergo pro vt antecedit gratiã est satisfactoria ex iustitia imperfecta pro peccatis. Minor est nota ex Psal.50.citato;Sacrificium Deo spiritus contribulatus,&c. Et etiam,quia cõtritio,vt antecedit gratiã, est essentialiter contritio.Maior verò de se est nota, & paulo inferiùs declarabitur à nobis. ¶Et confirmatur : Quia si Deus statuisset acceptare contritionem antecedentem gratiã in satisfactionem culpæ; tunc verè cõtritio illa esset satisfactoria pro culpa, quamuis imperfectè;sed de facto ita sanciuit,& statuit, vt patet ex testimonio allato, & ex eo etiam, quòd posita contritione,remittit culpam, quod est signum efficax huius acceptationis,& statuti:ergo. ¶ Sextò arguitur . Quia non est minoris virtutis,& valoris reddere Deo debitum honorem pro susceptis beneficijs,quàm compensare,& satisfacere pro offensis:sed iustus per virtutẽ religionis potest reddere debitum Deo ex imperfecta iustitia pro suscetis beneficijs:ergo poterit per pœnitentiam,quatenus formatur gratia & charitate, satisfacere pro offensis commissis.Hoc argumentum videtur desumptum ex.S.Tho.3.p.q.85.ar.3.ad.3. ¶Et confirmatur: Nam pœnitens per contritionem formatam gratia, & charitate,reddit Deo honorem,& obedientiam, & amorem super omnia, quæ quidẽ per peccatum abstulerat: igitur reddit æquiualẽs pro offensa; atq; adeò pro illa satisfacit.Antecedẽs probatur ex illo Baruch.2.Anima quæ incedit tristis,super magnitudinem mali dat sibi gloriam, & iustitiam Domino; expendendum est verbum illud,iustitiam,quo designatur iusta compensatio pro offensa, seu pro peccato.¶Septimò arguitur ex S.Tho.in.4.d.15.q.1.art. 2.ad.1. Vbi ex professo videtur docere,quòd contritio,quatenus est formata per gratiam,satisfacit pro peccato ex parte auersionis, seu quatenus peccatũ est offensiuum Dei : Et idem videtur docere. 3.p.q. 85.ar.3. Vbi expresse docet,pœnitentiã esse partem quandam iustitiæ,quatenus cõpensatiua pro culpa, & offensa commissa contra Deum. Imo verò dicit, ad pœnitentiam pertinere dolere de peccato, quatenus est offensa Dei,offerendo pro eo cõpensationem , quæ habet locum in offensis contra alterum cõmissis:igitur dolor de peccato,qui est actus pœnitentiæ, est recompensatio per se primò pro offensa commissa contra Deum. ¶ Vndè , ex sententia D. Tho. actus pœnitentiæ habet rationem satisfactionis respectu illius offensæ:Patet cõsequentia: Quoniam aliàs non poterit pœnitentia pertinere ad iustitiam. Et.1.p.q.21.art.4.ad.1.docet, quòd in omnibus operibus Dei reperitur misericordia , & iustitia;Et præsertim in illa solutione affirmat, quòd in iustificatione impij reperitur iustitia, dum relaxat Deus culpam,propter dilectionem,quàm ipse misericorditer infundit.Et adducit illud Lucæ.7.Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum: ergo concedit specialiter.S.Tho.quòd in opere iustificationis reperitur iustitia;at si contritio nõ esset satisfactoria pro culpa, nullo modo inueniretur iustitia in opere iustificationis, sed duntaxat misericordia:ergo. ¶ Octauò arguitur.Nam virtus pœnitentiæ,per contritionem facit,quòd homo, qui debitor erat ante per culpã,iam non sit debitor excludendo omnẽ offensam,& omne peccatum; ¶Nonò arguitur . Nam licèt satisfactio supponat remissam esse culpam priùs natura , quã ipsa habeat valorem aliquem ad aliqualiter satisfaciendũ Deo;cæterum intelligitur remissum esse peccatum , seu remissam esse culpam,solum quatenus est malum ipsius peccatoris; non tamen,vt est malum diuinum, & contra Deum : Quia vt sic,non intelligitur,aut concipitur esse recompensatum à nobis, donec intelligatur ipsa contritio in ratione satisfactionis acceptata à Deo:ergo.Et licèt hęc omnia in eodem instanti fiant,

*Secundum.* *Tertium.* *Confirm.* *Psal.50.* *Quartum.* *Confirm.* *Quintum.* *Confirm.*

*Sextum.* *Confirm.* *Baruch.2.* *Septimum.* *Octauum.* *Nonum.*

fiant, & exerceantur, nihilominus omnes istæ prioritates verè considerantur, & concipiuntur à nobis secundum diuersas rationes, & formalitates, quibus gratia diuina mirificè magnificatur. Et hoc argumentum est vnum ex fundamentis aduersariorum, quo negant consequentiam illam, quæ contra eos communiter fit; dum infertur: Ergo implicat, quòd homo satisfaciat per contritionem pro culpa, & offensa, quæ iam est verè remissa per diuinam misericordiam, & gratiam operantem. Respondent enim remissam esse, vt est malum ipsius peccantis, sed non vt est malum diuinum, seu contra Deum: ergo, &c.

Hæc argumenta adeò efficacia visa sunt plerisque recentioribus, vt putauerint, adultum per contritionem de iustitia satisfacere Deo pro offensa, & pro culpa, ita vt ex vitalis satisfactionis ex iustitia debeatur satisfacienti remissio culpæ. Quia si satisfacit pœnitens pro culpa, & offensa, necessariò sequitur, quòd debetur satisfacienti remissio culpæ. Nam satisfactio pro culpa, consistit in hoc, quòd offensor reddat offenso totum, quod illi debet ratione culpæ, & offensæ commissę: ergo satisfacienti pro culpa ex iustitia debetur, quòd nihil ampliùs ab illo exigatur propter culpam commissam: hæc autem est remissio culpæ: ergo ex iustitia debetur culpæ remissio satisfacienti. Verùm, quid de hoc sentiendum sit, dicemus infrà in discursu nostræ disputationis.

*Not.1.* Vt difficultatem hanc aperiamus aduerte, contritionem pœnitentis adulti, posse à nobis considerari tribus modis, nempe, vt ordine naturæ gratiam præcedit, & vt subsequitur illam, & tandem vtroq; modo, quatenus subordinatur satisfactioni Christi, aut secundum se. Et secundum omnes has rationes, & considerationes aperiendum est à nobis, & interpretandum, vtrum contritio habeat valorem per modum satisfactionis ex iustitia ad tollendum peccatum, quatenus est Dei offensa. Et non loquimur de eo, quod potuisset à Deo institui, & fieri de potentia absoluta, si vellet. Nam hac ratione apertè liquet, Deum potuisse acceptare dolorem pœnitentis in satisfactionem pro offensa commissa contra ipsum. Quocirca, solùm inquiritur quid de facto Deus instituerit, & fecerit in hac re. ¶ Rursus

*Not.2.* aduerte, quòd cùm satisfactio sit iustitiæ opus, & voluntaria quædam redditio æquialentis aliquo modo, ei, quod abstulimus; tribus modis potest dici tale opus, seu talis redditio voluntaria, æquialens satisfactio: Primò quidem simpliciter æquialens, & omni ex parte, & hæc solet vocari à Theologis satisfactio de toto rigore iustitiæ, & talis fuit satisfactio Christi Domini. Secundò potest dici æquialens satisfactio, secundum aliquam rationē duntaxat: Quia, videlicèt, secundum se sumpta talis redditio est æquialens offensæ, licèt non omninò: Quoniam vel est aliàs debita, vel est ex bonis ipsius creditoris; & hæc appellatur satisfactio perfecta in genere satisfactionis, quamuis non sit de toto rigore iustitiæ. Tandem tertiò potest dici satisfactio æquialens secundum acceptationem gratiosam eius, qui læsus est, quæ quidem licèt secundum se non adæquet offensam; nihilominus acceptatur ab offenso, ac si adæquaret illam; & idcirco censetur esse satisfactio, quoniam illi suo modo fit satis, & manet ipse contentus. Vnde, hæc satisfactio appellatur imperfecta, & est in inferiori gradu respectu præcedentium. ¶ Adde etiam, quòd in præsenti non est nobis sermo de satisfactione pro peccato, quātùm ad temporalem pœnam. Quia fides docet, iustum posse satisfacere pro peccato, quantùm ad pœnam temporalem. De qua disputatione agitur in materia de satisfactione; & idcirco tota hæc nostra controuersia solùm est, vtrum pœnitens per actum contritionis satisfaciat pro peccato, quatenus est culpa, & offensa Dei; ita vt in cōpensatione, quam pœnitens pro peccato offert, reperiatur ratio iustitiæ per modum satisfactionis respectu culpæ.

### *Prima Conclusio.*

*Conclu.1.* His prælibatis & statutis, vt nexum disputationis soluamus, est prima conclusio. Contritio pœnitentis, prout antecedit gratiam in ratione dispositionis, non satisfacit pro culpa, & offensa commissa contra Deum. Hanc assertionem S. Thom. & ferè omnes Theologi graues, & antiqui defendunt; Nam asseuerantes nonnulli contritionem pœnitētis satisfacere pro peccato, loquuntur de contritione, prout subsequitur gratiam, & apertissimè insinuant sine hæsitatione vlla, contritionem, vt antecedentem gratiam, non esse sufficientem ad satisfaciendum pro culpa, & id expressissimè dixit Sanctissimus Præceptor locis citatis in argumento septimo. ¶ Verum est, quòd in iustificatione impij, reperitur hæc proportio, quòd Deus talem, & tantam gratiā infundit, qualem, & quantam exigit talis dispositio hominis iustificandi, quæ correspondet dispositioni, & cōtritioni, prout est à Deo disponēte, per quam remittūtur peccata, vt S. Tho. 1.p.q.21.ar.4.ad.1. dixit, quo loco inquit, quòd in iustificatione impij appareat iustitia, dum culpas relaxat propter dilectionem; quā tamen ipse misericorditer infundit. Sicut de Magdalena legitur Lucæ.7. Dimissa sunt ei peccata multa, quoniā dilexit multum. Hæc tamen ratio iustitiæ reperta in iustificatione impij, potiùs est quædam proportio, & æqualitas rerū inter se, quā meritū creaturæ rationalis. Vndè, sicut dispositioni vltimę debetur forma substātialis secundū ordinem naturę, ita proportione quadā, dispositioni supernaturali, quā efficit Deus fini intēto proportionatā, donatur & correspondet gratia, quę est supernaturalis forma, per quā & peccata remittuntur, & efficimur filij Dei, & diuinæ naturæ consortes. Quapropter, Theologi dicunt, quòd illa ratio iustitiæ, quæ reperitur in iustificatione impij, est ratio iustitiæ distributiuæ ex parte Dei distribuentis secundum ordinem diuinæ sapientiæ: Quia tantam gratiam Deus infundit, quātam exigit talis dispositio pœnitentis, & hominis iustificandi, prout est à Deo disponente. Et hoc confirmat Sāctissimus Præceptor. 1.par.q.21.ar.1. Vbi ostendit, hanc rationem iustitiæ reperiri in ordine vniuersi, tàm in rebus naturalibus, quàm in rebus voluntarijs. Quod confirmat ex D. Dionys. cap. 8. de diuinis nominib. *D. Dion.* dicente; Oportet cernere, in hoc Dei esse veram iustitiam, quòd omnibus tribuit propria secundum vniuscuiusq; existētium dignitatē, & vniuscuiusq; naturam in proprio saluat ordine, & virtute.

Quòd



Quòd verò talis cōtritio in ratione dispositionis antecedens gratiam, non satisfaciat pro culpa & offensa, probatur: Nam contritio prout antecedit gratiam, nō est opus amici Dei; sed omnis iustitia, quæ potest esse inter Deum, & hominem, fundatur in amicitia; quoniam omnis iustitia hominis ad Deū, amicabilis est, & non rigorosa: ergo cōtritio, vt dispositio est antecedens gratiam, non est satisfactoria de iustitia. Præterea; Satisfactio pro culpa, est actus gratiæ cooperantis; Nam is, qui satisfacit, operatur vt agens principale, & se mouet, sicut ille, qui meretur: sed cōtritio quatenus est dispositio ad gratiā, non est opus gratiæ cooperantis, nempe, vt sic antecedenter se habens dispositiuè: ergo cōtritio, prout dispositio est, non satisfacit pro culpa, & pro peccato de iustitia. ¶ Et confirmatur: Nam si satisfacit ex iustitia pro culpa quatenus antecedit gratiam in ratione dispositionis, iam sequitur, quòd gratia non confertur, neq; donatur purè gratis, sed ex iustitia: consequens autem admittendum nō est, iuxta Pauli sententiam Rom. 11. Quia si gratia ex operibus, & ex iustitia donatur, iam non est gratia. Sequela probatur: Quia satisfacienti ex iustitia pro culpa, debetur ex iustitia remissio peccatorum: ergo pariter debetur illi gratia. Probatur: Quia peccatorum remissio, est formalis effectus quasi secūdarius gratiæ: sed cuicūq; debetur formalis effectus alicuius formæ, debetur etiam & ipsa forma, prout est causatiua illius effectus: ergo. Et confirmatur secundò: Quia si contritio satisfacit ex iustitia pro culpa, in ratione dispositionis, sequitur, quòd in quantum est actus iustitiæ, est dispositio ad gratiā; ac proinde, sicut gratia proportionatur cōtritioni, prout est dispositio, ita etiam proportionatur, & correspōdet illi, prout est actus iustitiæ; & ex consequenti non purè gratis confertur gratia, sed ex iustitia, & ex debito. ¶ Huic argumento aduersarij respondent, non esse absurdum, aut inconueniens aliquod admittere, primam gratiam correspondere alicui iustitiæ præcedenti ex parte dispositionis; si tamen nō admittamus, gratiam donari ex meritis. Quoniam quando D. Paul. plerisque in locis affirmat, gratiam non conferri ex operibus, sensus Pauli est, nullum meritum præcedere gratiam, ratione cuius gratia ipsa donetur; Qui sensus apertè explicatur in Trident. sess. 6. cap. 8. Sed profectò, adhuc non liberatur hæc sententia ab aliqua nota, licèt hæc solutio quodammodò liberet eam ab errore. Quoniam Paulus idcirco contendit gratiam non dari ex operibus, hoc est ex meritis; quia merita tollerent rationem gratiæ: sed quæcumque iustitia, cui respondeat gratia, vel tollit rationem gratiæ, vel plurimum minuit, quia iustitia opponitur gratiæ: igitur iuxta D. Pauli sententiam non est vllo modo admittenda aliqua iustitia, cui correspondeat prima gratia; ac proinde, aduersariorum sententia non est tuta. ¶ Has omnes rationes supra tactas, fusè expendemus statim in secunda assertione.

### *Secunda conclusio.*

*Conclus.2.* Secunda conclusio. Secundum legem ordinariam Dei, in nullo genere satisfactionis ex tribus suprà commemoratis, aut contritio, aut quicumque actus pœnitentis, prout naturæ ordine gratiam præcedit, si consideretur vt est ab ipso pœnitente, habet valorem ad satisfaciendum pro mortali peccato quantum ad culpam, & offensam contra Deum commissam, neque quantùm ad pœnam æternam vt sic. Itaque, nullus actus pœnitentis habet valorem satisfaciendi pro peccato, & culpa, vt antecedit gratiam, neque de toto rigore iustitiæ, neque de condigno, neque etiam imperfectè, siue ex acceptatione Dei de lege. Hæc assertio est certa, de qua dubitare non licet vllo pacto, & oppositum dicere, neque est tutum in fide, neque potest ab aliqua nota liberari; vnde hæc conclusio est contra primam, & tertiam sententiam, quas supra attulimus. Et profectò, de primo & secundo genere satisfactionis, nulla est difficultas. Nam certum est, pœnitentem per actum contritionis non posse satisfacere de rigore iustitiæ. Quoniam actus pœnitentiæ procedunt ex viribus ab ipso Deo acceptis, & sunt aliàs Deo debiti multis titulis: Neque posse etiam satisfacere pro culpa & offensa de condigno ad æqualitatem; quoniam actus ipsius pœnitentis propter rationes tactas, & vt antecedunt gratiam, non sunt æquales offensæ, quia vt sic non informantur gratia. Dices, quòd actus pœnitentis possunt satisfacere pro culpa & offensa commissa contra Deum tertio genere satisfactionis, quod fundatur in gratiosa acceptatione creditoris, & quòd ita contritio & actus pœnitentis quatenus ordine naturæ præcedunt gratiam, & vt sunt ab ipso pœnitente, habent valorem ad satisfaciendum pro peccato mortali. Contra: Quia inter nos & Deum non est propriè iustitia: ergo vt satisfaciamus apud Deum ex iustitia, necesse est interueniat liberalitas ipsius Dei acceptantis satisfactionem nostram: sed huiusmodi acceptatio fit per gratiam Dei; igitur nostra satisfactio supponit gratiam, & ex consequenti actus pœnitentiæ vt antecedit gratiam, non est satisfactorius pro culpa, aut pro offensa commissa contra Deum: ergo contritio vt antecedit gratiam, non potest esse satisfactoria tertio genere satisfactionis, quod fundatur in gratiosa acceptatione creditoris. De materia huius argumenti, multa dicit Caietan. tomo. 3. opusc. tractatu. 11. de fide & operibus, & fusior atque copiosior intelligentia eius, pertinet ad materiam de satisfactione.

Sanè, hæc veritas videtur esse definita in Concil. Mileuit. Arausic. & præcipuè in Trident. sessio. 6. cap. 9. de iustificat. Vbi decernitur, necessarium esse credere, neque remitti, neque remissa vnquā fuisse peccata, nisi gratis diuina misericordia propter Christum. Et in toto discursu sessionis asseritur, quòd in iustificatione impij includuntur ista quatuor, infusio gratiæ, motus liberi arbitrij in Deum per fidem & charitatem, motus etiam pœnitentiæ in peccatum, & tandem remissio culpæ, quæ omnia dantur gratis sine merito. Ex qua doctrina Catholica efficaciter sequitur, quòd remissio peccatorum datur gratis, & quòd non datur ex meritis, & quòd non debetur pœnitenti de iustitia. *Conc. Mile. Arausic. Tridentinū.*

Profectò, si reconciliatio, & remissio peccati debetur adulto pœnitenti ex iustitia, ratione cōtritionis antecedentis gratiā, sequitur, q̄ debetur homini ex iustitia; quòd redeat in gratiam Dei. Et ex hoc

videtur colligi, quòd prima gratia non datur omnino gratis.

*Fundamentum conclusionis secundæ.* Adducor etiam ad præfatam secundam assertionem defendendam: Quoniam satisfactio, cum sit opus iustitiæ, facit debitum ex iustitia id, pro quo redditur: igitur si pœnitens suis actibus satisfacit pro peccato, quantùm ad auersionem, & offensam Dei, facit sibi debitam remissionem talis offensæ ex iustitia: consequens est contra Scripturam, & contra Diuum Paulum, qui frequenter in epistol. ad Roman. & in epistola ad Galat. asserit, remissionem peccatorum fieri omnino gratis propter merita Christi, vt expressè constat ad Roman. 3. *Rom. 3.* Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiatorem; Et paulò inferius; Propter remissionem præcedentium delictorum. Et. 2. ad Timo. 1. *2.Timo.1.* Qui liberauit nos, & vocauit vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum, & gratiam, quæ data est nobis in Christo Iesu: Et capit. 3. eiusdem epistolæ; Non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit: ergo actus pœnitentis naturæ ordine antecedentes gratiam, nequeunt esse satisfactorij de iustitia pro peccato, quantum ad culpam & auersionem. ¶ Huic argumento aduersarij dicunt, in eo supponi vnum falsum, nempe, pœnitentem satisfacere pro remissione offensæ cōtra Deum commissæ; cùm tamen ipsi dumtaxat dicant, eum non pro remissione offensæ, sed solum pro ipsa offensa satisfacere; ex hoc autem, quòd pœnitens satisfaciat pro offensa, non sequitur, quòd satisfaciat pariter pro remissione illius offensæ, & multò minus sequitur, quòd ratione illius satisfactionis sit ei debita remissio offensæ ex iustitia. Et vt explicent aduersarij, quo pacto possint hæc duo distingui, & separari, aduertunt, maximè distare inter meritum, & satisfactionem: Quia meritum respicit bonum merentis, scilicet, præmium ipsi conferendum propter illud meritum; satisfactio autem respicit bonum eius, cui offertur; ordinatur namque satisfactio ad resarciendum damnum ipsi illatum, quod non cedit in vtilitatem satisfacientis; Imò sæpiùs fit, vt in satisfactionibus iniuriarum euenit, cum detrimento ipsius satisfacientis, & quia peccatum quatenus offensa Dei est, si sumatur passiuè, est quoddam malum diuinum; remissio verò ipsius peccati, est bonum peccatoris, qui actualiter Deum offendit, & habitualiter manet iniurius illi, & offensor ipsius; idcircò stat offerri satisfactionem pro offensa, si fiat id, quod iuxta Dei præscriptum fuerit ad eum finem necessarium, & non pro remissione offensæ: Nam cùm talis remissio sit ipsius pœnitentis bonum, non potest esse finis satisfactionis, quæ per se primò ordinatur in bonum læsi, & offensi.

¶ Verùm hæc responsio, & solutio non euacuat difficultatem tactam. Nam quidquid sit de discrimine illo, semper is, qui satisfacit pro offensa, facit virtute suæ satisfactionis sibi debitam remissionem offensæ: ergo idem dicendum est de pœnitente, si ille verè satisfacit pro offensa contra Deum commissa. Quocircà, cùm satisfactio sit opus iustitiæ, tunc non gratis, aut ex Dei misericordia, (vt Scriptura, & Concilium determinant) fiet remissio peccatorum: sed propter opera nostra exigentia remissionem illam ex iustitia. Antecedens probatur: Quoniam offensa consistit in illa inæqualitate, quæ resultat ex eo, quòd ius suum offenso ablatum est: habet namque offensus minùs quam debuisset habere: sed is, qui satisfacit pro offensa, repellit inæqualitatem hanc, quia sua compensatione reddit offenso aliquid æquiualens ei, quod fuerat per iniuriam detractum & ablatum: ergo qui satisfacit pro offensa, virtute suæ satisfactionis tollit offensam, quod est facere sibi debitam remissionem illius. Et confirmatur: Quoniam eo ipso, quòd aliquis verè satisfacit, & recompensat iniuriam alteri irrogatam, verè soluit quod debet pro illa iniuria: ergo nulla manet in eo obligatio, neque proxima, neque fundamentalis ad soluendum aliquid amplius pro ea, neque in offenso relinquitur ius ad illud exigendum; & ex consequenti, virtute illius satisfactionis, atque adeò ex iustitia, non manet ampliùs offensa: igitur pari ratione, si pœnitens verè satisfacit pro offensa contra Deum commissa, virtute suæ satisfactionis, & ex iustitia, manet ab ea liber. Quoniam implicat, aliquem soluere id, quod debet pro offensa commissa, & quòd eo ipso non maneat solutus ab ea.

Nonnulli ex aduersarijs, qui putant, contritionem, vt subsequitur gratiam, satisfactoriam esse ex iustitia pro culpa, facilè concedunt, quòd satisfacienti ex iustitia pro culpa, & offensa, debetur etiam ex iustitia remissio culpæ; & dicunt, quòd oppositum asseritur sine fundamento. Quoniam satisfactio pro culpa consistit in hoc, quòd offensor reddat offenso totum, quod illi debet ratione culpæ, & offensæ commissæ: ergo satisfacienti pro culpa, ex iustitia debetur, quòd nihil ampliùs ab illo petatur propter culpam commissam; hæc autem est vera remissio culpæ: ergo ex iustitia debetur satisfacienti remissio culpæ. ¶ Sed contra; Nam quòd adultus habeat gratiam Dei, & efficiatur gratus Deo, non debetur homini peccatori ex iustitia; ergo neque remissio peccatorum, & reconciliatio cū Deo. Ostendo consequentiam: Quoniam si homo habet gratiam Dei, & est illi gratus, iam intelliguntur peccata illi esse remissa. Et conficio vlteriùs hoc argumentū. Si debetur de iustitia homini pœnitenti reconciliatio cum Deo ob id, quod satisfacit de iustitia pro culpa; tunc vel præsupponitur homo ille gratus, vel fit gratus denuò per opus pœnitentiæ; si præsupponitur gratus Deo, & id quidem merè gratis: ergo iam intelliguntur peccata esse remissa, & iniuria condonata; aliàs non esset Deo gratus: Si autem dicas, quòd fit tunc gratus Deo per opus pœnitentiæ; tunc sequitur, quòd gratia debeatur pœnitenti ex iustitia, quod sanè dicere malè audit. Et confirmatur: Quoniam si opus pœnitentiæ est tantæ efficaciæ, vt illi debeatur ex iustitia remissio iniuriæ, & offensæ, & reconciliatio cum Deo, necessè est dicere, quòd tale opus procedit ex gratia; aliàs non haberet valorem coram Deo de iustitia. Si autem procedit ex gratia, iam præsupponuntur peccata remissa, & consequenter supponitur iniuria esse remissa: igitur implicat, quòd ex iustitia debeatur pœnitenti remissio iniuriæ, & offensæ.



Moueor præterea ad defendendam assertam conclusionem. Quia non fit remissio peccati de lege ordinaria, nisi per infusionem gratiæ; imò verò remissio ipsa peccatorum, est quasi formalis effectus saltem secundarius gratiæ: igitur si per contritionem satisfacimus pro peccato quo ad culpam, prout gratiam antecedit, atque adeo habemus ius iustitiæ ad remissionem illius, vt ostensum est contra aduersarios; pariter sequitur, quòd habemus idem ius ad gratiam. Patet consequentia. Quoniam implicat esse debitum effectum formalem alicuius formæ, & quòd non sit debita ipsa forma. Antecedens probatum, & ostensum fuit à nobis fusè & copiosè in hac quæstione. 113. articulo. 2. Quoniam peccatorum remissio includitur in iustificatione peccatoris ob id, quòd iustificari impium, nihil aliud est, quam ex peccatore & impio fieri iustum, & in hoc apertè concipitur, & includitur ipsa peccati remissio. Hoc ita expressè sancitum est in Trident. sess. 6. capit. 7. quo loco dicitur, quòd in ipsa iustificatione cum remissione peccatorum, hæc omnia simul infusa accipit homo per Iesum Christum. Dicitur etiam in Mileuit. cano. 3. gratiam valere ad remissionem peccatorum: sed iustificatio fit formaliter per gratiam de lege ordinaria, iuxta illud Pauli Rom. 3. *Rom. 3.* Iustificati gratis per gratiam ipsius: ergo pariter remissio peccati fit gratis simpliciter. Dicere autem, quòd homo satisfacit ex iustitia pro remissione peccatorum, & quòd habet ius iustitiæ ad remissionem peccati, est apertè dicere, quòd habet idem ius iustitiæ ad gratiam, quod est manifestè cōtra Diuum Paulum dicentem Rom. 11. *Rom. 11.* Si autem gratia, iam non ex operibus, alioqui gratia iam non est gratia. Quare conficio hoc argumentum: Iustificatio impij, verè continet remissionem peccati: ergo si hæc debetur pœnitenti ex iustitia, non potest omnino dici absolutè, iustificationē fieri gratis, quod est contra Paulum loco citato. Ostendo consequentiam: Quia quod per contritionem, prout antecedit iustificationem, fit debitum ex iustitia, non potest gratis postea concedi. De hac re lege Caietanum tracta. 11. de fide & operibus, capit. 4. tomo. 3. opusculorum.

Hoc argumentum volunt infringere aduersarij dicentes, quòd gratiam ad iustificationem gratis conferri, & donari, seu non ex operibus, dumtaxat repellit opera præcedentia meritoria illius gratiæ, & iustificationis, vt interpretatur Tridentinū sess. 6. cap. 8. exponens illam particulam, gratis, & verba Pauli Rom. 11. Quia gratis tantum videtur excludere opera præcedentia, quæ sint meritoria gratiæ, & iustificationis. ¶ Sed profectò, hoc non satisfacit argumento: Quia licet Paul. intendat repellere merita respectu iustificationis, & primæ gratiæ propter Hebræos, qui contēdebant se promeruisse gratiam euangelicam ex obseruatione legis; & idcirco non esse dandam gentibus, nisi prius iudaica sacramenta susciperent, vt Augustinus interpretatur libr. 1. ad Simplician. quæstione. 2. nihilominus Pauli discursus pariter est efficax ad repellendum, & excludendum quodcumque ius iustitiæ, respectu primæ gratiæ & iustificationis, quod ipsam faciat debitam ei, qui iustificatur, siue proueniat tale ius iustitiæ ex antecedente merito, siue ex satisfactione pro culpa; Fundatur enim ratio Pauli in eo, quòd gratia idcirco est gratia, & appellatur gratia, quia gratis donatur, vt August. dicit lib. 1. contra Pelagian. *D. August.* & Cœlestium, cap. 31. & lib. de gratia, & libero arbitrio, capit. 21. Et quidem repugnat, gratis dari alicui id, quod est debitum ipsi ex iustitia; & idcirco particula gratis, idem est, quòd sine vllo debito, vt Paul. explicuit ad Roman. 4. dicens, quòd ei, qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum. ¶ Vndè, Trident. cùm dixit, per particulam illam, gratis, excludi merita, non negauit, quòd simul excludatur omne debitum iustitiæ, se[d] tenens ex parte recipientis gratiam. Imò verò videtur illud intellexisse nomine meriti, excludēdo ipsa merita: sic enim pariter exclusit ius iustitiæ respectu primæ gratiæ, & iustificationis impij. Et hoc est vsitatissimum apud Sanctos Patres, quos omnes citat Vega lib. 8. super Trident. cap. 10. *Vega.* qui legendus est cap. 5. in fine, vbi interpretationē Concilij adducit.

Sed non quiescunt nonnulli alij aduersarij in doctrina, & explicatione Pauli. Quia dicunt, posse peccatum duobus modis considerari, nempe, in quantum est Dei offensa, & malum diuinum, & vt est malum ipsius peccatoris, & macula ipsius, morsque spiritualis suæ animæ, & quòd primo modo sufficienter aufertur si homo efficiat id, quod Deus postulat in compensationem suæ offensæ, quod est habere actum contritionis; posteriori autem modo peccatum, vt est malum peccatoris aufertur per gratiam, per quam anima eius, qui iustificatur viuit spiritualiter, & reconciliatur Deo. Et hoc est vnum fundamentum aduersariorum, quod nos in nono argumento retulimus. ¶ Sed etiam responsio hæc, seu solutio aduersariorum, admittenda non est, quia non satisfacit argumento facto; Imò verò, quia ex ea sequitur, gratiam non esse necessariam ad peccati remissionem secundum legem ordinariam, quatenus est culpa, & offensa Dei, sed dumtaxat ad tollendam priuationem gratiæ, quæ priuatio, vt ipsi aduersarij concedunt, magis habet rationem effectus, & pœnæ peccati, quam culpæ, quod sanè impugnatum manet ex supra dictis in argumento. Et confirmatur hoc: Quoniam pari modo gratia concurrit ad remissionem vtriusque peccati, scilicet, actualis, & originalis, vt habetur in Trident. sessione. 5. capit. 5. in decreto de *Conc. Trid.* peccato originali, in quo dicitur, per gratiam baptismi tolli totum id, quod veram, & propriam rationem peccati habet, & reatum peccati originalis: igitur remissio peccati actualis mortalis, prout habet rationem culpæ & offensæ contra Deum, fit formaliter per gratiam.

Tandem: Deus nulla ratione tenetur ex iustitia remittere offensam, aut dare primam gratiam: ergo dum homo iustificatur à peccato, nulla actione sua satisfacit de iustitia Deo pro offensa contra ipsum commissa. Patet antecedens, ex dictis & ex Sanct. Thom. 1. part. quæst. 21. art. 1. ad. 3. Consequentia probatur: Quia merces debetur bonis operibus, si fiant, licèt gratia Dei præcedat, vt fiant, vt habetur in Arausican. 2. canone. 18. Huic argumento respondent

pondent aduersarij, quòd remissio offensæ, non est debita satisfactioni, sicut merces merito. Sed hæc solutio nulla est; Quia licèt non sit præmium meriti; tamen apud ipsos est debitum iustitiæ: Quia dicunt, quòd debetur ex iustitia remissio peccati, & consequenter meo iudicio fatentur latèter, quòd debetur illis iustificatio, & prima gratia, præsertim cùm fiat sermo de contritione, vt antecedit gratiam.

Offerebat se adhuc difficultas; Quia si contritio, vt antecedit gratiam, non potest esse satisfactoria pro culpa, sequitur, quòd homo per talem contritionem non potest Deo satisfacere, etiam pro pœna temporali. Quod probo: Quia homo non potest satisfacere Deo etiam pro temporali pœna, nisi prout est in gratia: igitur si vera est nostra sententia, sequitur, quòd contritio, vt gratiam antecedit, non est satisfactoria pro pœna temporali. Nam si re vera satisfactoria esset pro temporali pœna, priùs natura remitteretur pœna temporalis, quam culpa, & pœna æterna: Quia gratiæ infusio præcedit remissionem vtriusque. Sed huic difficultati occurremus in solutionibus argumentorum, præsertim in solutione ad.4.

### *Tertia conclusio.*

*Conclus. 3.* TErtia conclusio. Si fiat sermo de contritione, quatenus naturæ ordine gratiam subsequitur, nullo pacto cõtritio est satisfactoria pro mortali peccato quo ad culpã, & offensam Dei. Itaque, non tantum contritio, vt antecedens ordine naturæ gratiam; sed etiam vt illam subsequitur, nõ est satisfactoria vllo genere satisfactionis ex tribus allatis, pro mortali peccato quo ad culpam, & offensam Dei. Hanc ego assertionem. 1. part. quæstione. 21. disputatione. 2. in noua editione constitui, & sanciui, vt verisimam, & certissimam; & hãc eandem simul cum præcedente secunda, defendit Bartholom. Medina in materia de gratia, &. 3. parte, quæstione. 1. articulo. 2. & cum eo plures Theologi ex recentioribus. Ita etiam sensit Ricardus in. 4. distinctione. 17. articulo. 2. quæstione. 4. & Caietanus in Opusc. illo citato de fide, & operibus cap. 11. & vltimo. Et certè videtur ipsissima sententia D. Pauli, vt vidimus in discursu secundæ conclusionis. Et probatur: Quoniam ipsa remissio peccati fit gratis sicut & ipsa iustificatio, vt satis constat ex argumentis factis in fauorem secundæ conclusionis: ergo pœnitens per actum contritionis non satisfacit pro culpa ex iustitia. Ostendo consequẽtiam: Quia aliàs faciet sibi debitam ex iustitia remissionem culpæ, & offensæ, & iustificationem, & gratiam primam, vt constat ex suprà dictis. ¶ Aduersarij volunt eludere hoc argumentum, & dicunt, quòd peccatum prout est macula, & dicit deordinationem habitualem manentem in anima peccatoris, remittitur per gratiam, & charitatem; at verò prout dicit deordinationem actualem, quæ conueniebat ipsi actui, remittitur per satisfactionem, quæ est actus contritionis, vt gratia informatus; Et sanè vtraq; ratione, gratis, quamuis non eodem modo. Nam quantum ad deordinationem habitualem, & maculam, remittitur immediatè per charitatẽ, & gratiam, nulla prorsus interueniente ratione iustitiæ; at verò quantum ad actualem deordinationem, remittitur per actum contritionis habentem valorẽ satisfactionis respectu illius, quatenus informatur gratia, & consequẽter interueniente iustitia simul cum gratia, & misericordia Dei. Si dicas, satisfactionem ex iustitia minuere rationem gratiæ respectu remissionis peccatorum; Respõdent, iustitiam istam nihil omnino minuere de ratione gratiæ, secundum quam Paulus docet fieri iustificationem ipsam, asserens nos iustificari gratis, & non ex operibus, in quo dumtaxat excludit Paulus opera antecedentia, & præcedẽtia gratiam vndecumq; proueniant, siue ex virtute naturali, siue ex fide; non tamen excludit opera, quæ fundantur in gratia, & procedunt ab ipsa gratia. Rationem autem huius differentiæ, dicunt esse, quòd iustitia operum antecedentium gratiam, cum non fundetur in gratia, neq; sumatur ex ipsa gratia, aperte minuit rationem gratiæ: Cæterùm iustitia operũ iam procedentium à gratia, & quæ totum habent valorem ab eadem gratia, non minuit rationẽ gratiæ, sed magis eam magnificat, imò verò est signum maioris efficacię ipsius gratiæ. Adde etiam, quòd iustitia illa potest vocari gratia, sicut vita æterna etiã appellatur gratia. Nam profectò multò maior gratia est, quòd iustus mereatur æternam vitam ex iustitia, quam quòd ex sola, & mera liberalitate Dei eam habeat, & obtineat. Sic ergo maior gratia est, quòd per opera pœnitentiæ subsequentia gratiam homo satisfaciat pro peccato. ¶ Hæc solutio insinuata est à nobis tanquam vnum ex fundamentis aduersariorum in nono argumento posito in fauorem eorundem aduersariorum non longè ab exordio controuersiæ. Et quamuis plerisque placuerit, mihi tamen non probatur, quia non dissoluit omnes difficultates occurrentes, vt vidimus. 1. part. quæst. 21. dispu. 2. Nam primò hæc sententia dicit, quòd per gratiam remittitur deordinatio habitualis animæ, seu macula, priùs natura, quam actualis, quæ remittitur ex iustitia ratione satisfactionis factæ per contritionem, vt gratia informatam; quòd sanè non videtur esse verum. Nam si per gratiam, quatenus contritionem antecedit, remittitur illa deordinatio habitualis, pariter etiam per eandem, vt sic, verè remitteretur quid quid habet rationem culpæ, & offensæ, vt apertè cõstat ex his, quæ diximus in discursu secundæ cõclusionis, & in probationibus illius: igitur non relinquitur omnino debitum offensæ soluendum per sequentem satisfactionem. ¶ Rursùs, si Deus gratis remisit pœnitenti habitualem offensam, qua ille dicitur iniurius habitualiter: ergo remisit illi pariter gratis actualem offensam. Probo consequentiam: Quia iste peccator non est offensor habitualis, nisi ratione offensæ actualis, quam gessit, quia idcirco mãsit in eo modo habitualis offensa, quia illa actualis præcessit ab eo facta: ergo si remittitur illi gratis culpa, & habitualis offensa, quæ ratione actualis culpæ est inducta, apertè sequitur, quòd illa actualis, à qua inducitur habitualis tanquã à causa, verè etiã, & absolutè remittitur illi. ¶ Præterea, Si vera est istorũ solutio, & doctrina, nẽpe, ꝙ gratis remittitur macula, & culpa habitualis, nõ ité actualis, quæ habitualem inducit, quia hæc remittitur per satisfactionẽ ex iustitia; tũc sequitur, ꝙ ille homo pro eo signo, quo cõcipitur cũ remissione gratuita culpę habitualis,

*Medina.*

*Ricardus. Caietanus.*

*Probatur cõclusio.*

*Aduersarij eludunt pro hationem cõclusionis.*

*Impugnatur respõsio aduersariorum, & probatur conclusio.*

*Impugnatio.*

*Impugnatio.*



bitualis, verè intelligitur amicus, & inimicus Dei simul. Probatur sequela: Nam antequam satisfaciat pro peccato, & pro culpa, non intelligitur esse facta remissio peccatorum, quæ est terminus illius satisfactionis. Nam, vt isti dicunt, per actum contritionis subsequentem gratiam non solùm satisfacit pœnitens pro peccato, & culpa quantùm ad auersionem, & offensam, sed etiam satisfacienti debetur ex iustitia remissio culpæ; quæ est terminus illius satisfactionis: Sed ante hoc intelligitur peccator obtinuisse merè gratis, & per gratiam Dei veram remissionem culpæ habitualis: ergo. ¶ Et confirmatur hoc. Nam actus contritionis, vt subsequẽs gratiam, supponit gratiam in subiecto: ergo remissionem culpæ habitualis: ergo supponit subiectum habitualiter amicum. Deinde, per actum contritionis, vt gratiam subsequitur, homo satisfacit pro culpa, & offensa: & huic satisfactioni debetur de facto ex iustitia remissio culpæ, vt terminus præcedentis satisfactionis: ergo homo ille intelligitur amicus, & inimicus; imò verò intelligitur obiectũ diuinæ dilectionis, & obiectum odij. Nam cùm intelligitur remissio culpæ habitualis per gratiam habitualem, intelligitur obiectum diuinæ dilectionis, & cùm in eodem signo non intelligatur remissio culpæ actualis, & offensæ actualis, quia hæc est terminus præsupponens actum contritionis satisfactorium ex iustitia, & posteriorem gratia, per quã priùs fuerat remissa culpa habitualis; sequitur palàm, quòd ille homo intelligitur verè offensor Dei, & obiectum odij diuini. ¶ Fauet etiam id, quod dicit Sanct. Thom. 3. part. quæstio. 85. artic. 1. ad. 3. vbi inquit, quòd pœnitens non dolet cum intentione eo nandi ad hoc, quòd factum non fuerit id, quod factum est; Quia hoc stultum esset, sed cum intentione remouendi sequelam ipsam, scilicet, offensam Dei, & reatum pœnæ: ergo iuxta D. Thomæ sententiam, & ipsius rationem, contritio non habet vim satisfactionis respectu deordinationis transactæ, & præteritæ. Ostendo consequentiam: Quia impossibile est illam deordinationem non fuisse, & satisfactio ordinatur ad tollendam deordinationem, aut offensam pro qua offertur. ¶ Tandem, Solutio aduersariorum, qua eludere volunt probationem positam nostræ assertionis, continet inter alia difficilia, vnum alterum, quod modò explicabimus. Nam dicunt, quòd remissio deordinationis actualis, fit gratis, quamuis fiat illa remissio propter satisfactionem oblatam à pœnitẽte. Quia satisfactio illa, vim habet ab ipsa gratia; Hoc inquam insignem habet difficultatem: Nam etiam merita iustorum respectu gloriæ vim habent ex gratia, à qua procedunt, & nihilominùs Paulus vocat gloriam coronam iustitiæ: ergo pari ratione remissio offensæ, quæ fit propter satisfactionem pœnitentis, dicetur debita ex iustitia, quamuis satisfactio illa accipiat vim ab ipsa gratia, quod sanè non esse concedendum, efficaciter ostendimus superiùs. Nam profectò, licèt gratia iustificationis, quæ est principium meriti, gratis à Deo donetur, hoc non tollit, quin merita ab eadem gratia procedentia, faciant præmium vitæ æternæ debitum illis de iustitia: ergo pari ratione, licet aduersarij dicant, gratis fieri remissionem peccatorum; tamen si concedunt per contritionem peccatorem satisfacere de iustitia pro culpa & offensa, & etiam pro remissione culpæ, & offensæ; pari ratione dicere tenentur, quòd per talem contritionem facit homo sibi debitam ex iustitia remissionem peccatorum: quod est expressè contra Paulum. ¶ Dicunt vlteriùs aduersarij, quòd antequam intelligatur recompensatio offensæ, potest intelligi remissum esse peccatum, vt est malum ipsius peccatoris; vt autem est malum diuinum, non intelligitur esse recompensatum à nobis, donec intelligatur contritio exercita in ratione satisfactionis acceptata à Deo. Sed profectò hoc redit in idem, & præterea non dissoluit difficultatem tactam. Nam quid est dicere, remissum esse peccatum, vt est malum ipsius peccatoris, & non vt est malum diuinum? Quia profectò, si est remissum peccatum, vt est malum ipsius peccatoris, etiam vt est malum diuinũ. Quoniam ob id dicitur malum diuinum, quia est offensa Dei, vel quia Deus est offensus, quantum est ex affectu peccantis; sed peccatum remissum, prout fuit perpetratum à peccatore, & mansit in eo habitualiter, ablatum est in quantum erat offensa habitualis Dei: ergo pariter est ablatum, in quantum Deus erat offensus passinè. Nam si tollitur offensa actiua, pariter tollitur offensa passiua correlatiua. Imò verò cùm peccator offendit Deum, nõ solùm est malum illius, quòd sit auersus à Deo, & quòd sit in macula peccati, sed etiam est malum ipsius, quòd offendat, & offenderit suum authorem, ratione cuius offensæ imminet illi supplicium æternum: ergo si pœnitenti remittitur peccatum, vt est malum peccatoris, pariter remittitur secundũ omnes prædictas rationes.

*Impugnatio.*

*Impugnatio.*

*Impugnatio.*

Adducor etiam ad defensionem tertiæ conclusionis, argumento communi. Nam contritio, vt subsequitur gratiam, supponit culpam iam esse remissam: ergo non satisfacit pro culpa. Consequentia aperta est; Quia *satisfactio pro culpa*, ordinatur ad obtinendam *remissionem culpæ*: *implicat* enim quòd satisfactio, quæ fit pro *aliquo*, *non* supponat debitum aliquod, ad cuius compensationem ordinetur: sed culpa iam remissa, nullus intendit quærere remissionem eius: ergo remissa culpa, non potest pro ea offerri satisfactio vlla: Antecedens autem probatur: Quia per infusionem gratiæ remittuntur peccata: gratia enim ex sua natura remittit culpam, facitque hominem filium Dei, & obiectum diuini amoris, & reconciliat animam cum Deo: igitur contritio quatenus præsupponit gratiam, præsupponit etiam hominem reconciliatum Deo, atque adeò præsupponit remissionem peccatorum factam. ¶ Huic argumento respondent aduersarij, quòd licet actus contritionis, vt subsequitur gratiam; supponat remissionem culpæ; potest nihilominus esse satisfactorius pro illa. Quia eiusdem culpæ *remissio*, fieri potest duplici titulo, nempe, & ex Dei misericordia gratis infundentis gratiam, & ex iustitia propter satisfactionem oblatam à pœnitente; sicut primus gradus gloriæ donatur duplici titulo, nempe, gratis ex diuina misericordia ratione gratiæ misericorditer infusæ, quæ est ius ad gloriam, & ex iustitia ratione proprij meriti: Quia vltima dispositio ad gratiam, quatenus informatur illa meritoria

*2. Principaliter probatur concl. 3.*

est gloriæ. Et sicut gloria corporis data est Christo duplici titulo, scilicet, titulo connaturalitatis ratione principij intrinseci, quia erat filius Dei, qui poterat corpus sibi vnitum efficere gloriosum, & ratione gloriæ animæ, quæ naturaliter redundat in corpus, nisi adsit impedimentum, & titulo etiam iustitiæ, ratione proprij meriti, quo Christus illam sibi meruit. Hæc igitur sunt, quæ dicunt recentiores, vt dissoluant probationem, & fundamentum nostræ assertionis. ¶ Sed contra: Nullus facit sibi debitum simpliciter ex iustitia, quod iam præhabet in re: sed pœnitens respectu contritionis, quæ ordine naturæ posterior est gratia, & illam subsequitur, habet remissionem peccatorum priùs natura, quam habeat contritionem gratia informatam, vt supponimus in casu conclusionis: ergo per talem contritionem sic informatam, non facit sibi debitã remissionem peccatorum titulo iustitiæ. Et confirmatur: Quoniam satisfactio verè supponit debitum soluẽdum per ipsam: sed is, cui peccatum est remissum, non habet debitum, quod per eam soluatur, nisi solius pœnæ temporalis: ergo cùm iam sit remissa culpa, & ablata æterna pœna, commutataque in temporalem, sequitur, quòd non potest per contritionẽ illam iam informatam gratia actu satisfacere, nisi prò pœna temporali. De vi, & efficacia huius argumenti, lege Caiet. tracta. de fide, & operibus, capit. 11. & 12. Neque adducta exempla probant oppositũ. Quia in neutro illorum præhabetur in re, seu actu præmium ante titulum iustitiæ, vt patet intuenti. An verò primus ille gloriæ gradus debeatur dupli ci titulo, dicemus, quæst. 114. de merito. ¶ Sed dicũt secundò authores oppositæ sententiæ, quòd quia pœnitens offert actum contritionis habentem valorem satisfactionis respectu culpæ; idcircò pœnitens per actum contritionis gratia informatum satisfacit pro culpa, & quòd est per accidens, quòd non efficiatur remissio peccati per modum satisfactionis: quia iam reperit illam factam ex Dei misericordia. ¶ Hæc responsio mitior est, & fauet nostræ sententiæ, & ex ea conficio argumentum contra aduersarios: Nam admissa hac responsione, & solutione, non verificatur, quòd pœnitens satisfaciat pro culpa, sed solum quòd offerat actum, qui de se satisfactorius esset pro illa, nisi culpa priùs natura remissa fuisset. Et ex hoc vlterius arguitur, & probatur, quòd neq; hoc efficiat. Quoniam actus cõtritionis, vt gratia informãtus, per se loquendo supponit remissionem peccatorum priùs natura factam, saltem ex Dei ordinatione: ergo frustra cõmunicaret Christus membris suis virtutem hanc ad satisfaciẽdum pro culpa, si actus ille contritionis, vt gratia informatus, per se supponit remissionem culpæ factam priùs natura ex Dei ordinatione. Vnde Caiet. tract. de fide & operibus, cap. vlt. docet, Christum cõmunicare suis membris viuis mereri augmentum gratiæ, & beatitudinem; non tamen mereri remissionẽ peccatorũ; & eodem modo dixerat, quòd nemo facit sibi debitum ex iustitia, quod iã præhabet in re, & pœnitens habet remissionem peccati priùs natura, quam habeat cõtritionẽ informatã gratia: ergo.

*Caietanus.*

Arguitur etiam in defensionem tertiæ conclusionis ex Trident. sessio. 6. cap. 14. Vbi de satisfactione, quæ est pars pœnitentiæ sancitum est, quòd offertur non quidem pro pœna æterna, quæ vel sacramẽto, vel sacramenti voto vna cum culpa remittitur, sed pro pœna temporali. Ex quo sanè deduco argumentum. Contritio, vt gratia informata, non est magis satisfactoria, quam opera, quæ imponuntur à sacerdote in pœnitentiam, si fiant in gratia: sed hæc neq; sunt satisfactoria pro culpa, neq; pro pœna æterna: ergo pari ratione, neq; contritio ipsa. Ostendo consequentiam ex ratione desumpta ab eodem Concilio: Nam ob id Concilium decernit opera illa nõ esse satisfactoria pro pœna æterna; quoniam sacramẽto, vel sacramenti voto remittitur simul cum culpa, & peccatis: ergo ob eandem causam, & rationẽ sentiendum est, quòd cõtritio, vt subsequitur gratiam, & informatur illa, non est satisfactoria pro culpa? Ostendo consequentiam. Quia contritio secũdum istam rationem, etiam est posterior sacramento, & sacramenti voto, tanquam illius effectus. Quia gratia, qua informatur, effectus est ipsius sacramenti. Et ex his colligo, quosdam Theologos perperam affirmare, quòd satisfactio, prout est pars integralis sacramenti pœnitentiæ, imponitur pœnitenti à confessario, vt satisfaciat pro culpa, & pro offensa.

Aliqui Theologi, in defensionem nostræ sententiæ conficiunt hoc argumentum. Si pœnitens per contritionem satisfacit pro culpa, & pro remissione culpæ, & pœnæ æternæ, sequitur, quòd per quãcumq; contritionem remittitur tota pœna temporalis: consequens est contra Triden. sess. 14. cap. 8. Et probatur sequela: Nã quælibet cõtritio, quãtumuis remissa, habet latitudinem: ergo si tota illa latitudo habet valorem per modum satisfactionis ad abijciẽdam culpam, & reatũ pœnæ æternæ, pari modo medietas illius latitudinis habebit eundem valorẽ adhoc: igitur residua medietas erit sufficiens per modum satisfactionis ad tollendum reatum pœnæ tẽporalis. Patet prior consequentia: Quoniam illa medietas est intensio veræ contritionis, & informatur gratia. Secunda etiã consequentia persuadetur: Nã si vna medietas habet valorem per modum satisfactionis ad id, quod maius est, nempe, ad remissionẽ culpæ, & peccati, & ad reatum pœnæ æternæ, absq; dubio altera medietas habebit valorem, etiam per modum satisfactionis ad id, quod minus est, nẽpe, ad tollendum reatum pœnæ temporalis. ¶ Sanè hoc argumentum nõ est adeò efficax, vt, vel fortissimè concludat, habet tamen suam probabilitatem. Possent enim dicere aduersarij, quòd sicut quãdo quis iustificatur per actum dilectionis Dei super omnia, vt patet in eo, qui habet omnimodam obliuionem naturalem suorum peccatorum, quamuis illa dilectio sufficiat ad remissionem peccatorum, & ad cõmutationem pœnæ æternæ in temporalem; tamen non quælibet dilectio sufficiet ad tollendam simul omnem pœnam temporalem, sed per subsequentia opera bona Deo grata satisfaciet consequenter, iuxta quantitatem operum, & bonitatem pro residua pœna temporali; aliàs idem argumentũ fieri posset de illa dilectione Dei super omnia, quæ est alicuius intensionis, & habet latitudinẽ, sicut contritio, &c.

Solent etiam ad prædictam tertiã assertionẽ ostẽdendam, adducere hoc argumentũ nonnulli Theologi. Quia si contritio, prout subsequitur gratiam, est satisfactoria de iustitia pro culpa; sequitur, quòd



quòd pœnitens per contritionem meretur de condigno culpæ remissionem, quod est hæreticum. Probatur sequela: Nam contritio, vt subsequitur gratiã, est operatio amici Dei, vtpote, informata gratia & charitate: ergo habet dignitatem, vt possit esse meritum de condigno pro remissione culpæ; sicut acutiores Theologi docent, illam esse meritum de condigno vitæ æternæ. ¶ Sed profectò, non est adeò efficax hoc argumentum, vt putemus fortiter ostendere nostram sententiam. Nam posset quis negare sequelam meritò, & assignare rationem huius. Quia inter satisfactionem & meritum, hoc est dissidium; quòd satisfactio non respicit commodum satisfacientis, sed eius, cui fit satisfactio. Nam per satisfactionem soluitur debitum, & redditur æquiualens pro iniuria, & offensa commissa; meritum verò præcipuè intendit commodum merentis, hoc est, præmium donandum à præmiante. Vndè, remissio peccatorum quamuis pertineat ad satisfactionem; tamen non est obiectum meriti. ¶ Si dicas: Remissio peccatorum, est magnum commodum, & bonũ pœnitentis: ergo est obiectum meriti. Nam profectò remissio pœnæ æternæ est ingens bonum ipsius pœnitentis: igitur pœnitens per contritionem gratia formatã, meretur pœnæ æternæ remissionẽ. ¶ Huic replicæ iure possent respondere aduersarij, quòd contritio, vt est satisfactoria, per se primò respicit bonum diuinum, quia intendit compensare Deo, illique satisfacere pro iniuria, & offensa commissa cõtra illum; at verò secundariò respicit remissionem peccatorum, & remissionẽ pœnæ æternæ, quia vtraque remissio se habet consequenter ad compensationem pro offensa; ratio autem meriti, aut satisfactionis, non est pensanda ex eo, quòd se habet consequenter, sed ex eo, quòd per se primò intenditur. Quocircà, contritio cùm per se primò non intẽdat proprium commodum pœnitẽtis, sed bonum diuinum, licèt secundariò, & consequenter cedat in bonum pœnitentis, nempe, in remissionem culpæ, & pœnæ; non debet censeri opus meritorium, sed satisfactorium. ¶ Sed profectò, quamuis hæc solutio non sit improbabilis; nihilominus posset ordinari à Deo ille actus contritionis, si ipse vellet in ordine ad remissionem peccati, tanquam in ordine ad præmiũ de potentia absoluta. Nam ille actus contritionis, vt subsequitur gratiam, habet dignitatem, vt possit esse meritum de condigno pro remissione culpæ, si Deus id sancire voluisset. Sed adhuc hoc esset difficillimum: Quia semper illa contritio supponeret remissam culpam de facto, & ita non esset meritoria remissionis de facto, & præterea haberet quandam implicationem hoc, quia semper tale meritum contritionis supponeret ipsum principium merendi, & sui ipsius, nempe, gratiam remissionis peccatorum, & hæc omnia etiam apparent in eodem actu contritionis, qui subsequitur gratiam, etiam si consideretur vt satisfactorius pro culpa. Quia semper supponit remissionem culpæ, & destructionem peccati, & gratiam in subiecto, à qua contritio habet valorẽ cùm sit actus pœnitentiæ infusæ elicitus, à charitate imperatus, & à gratia etiam procedens, remissione peccatorum de facto posita. Imò verò, cùm Deus remittit peccatum, & tollit auersionem ipsius pœnitentis, pariter tunc gratis remittit offensam cõtra ipsum à peccatore factam. ¶ Verùm ad hoc respondent adhuc authores oppositæ sententiæ, quòd peccatorum remissio, semper dicenda est fieri gratis propter verba Pauli, quamuis in illa remissione gratuita interueniat aliqua ratio iustitiæ. Sed profectò, si interuenit ratio iustitiæ post remissionem peccatorum omninò gratuitam præcedentem, & iam factam, non apparet quomodo illa ratio iustitiæ habeat pro termino remissionem peccatorum, quia hæc videtur esse implicatio, cùm talis remissio iam præcesserit omnino gratis, & necessario supponatur, vt contritio subsequens, ab homine procedens & elicita, habeat valorem coram Deo. ¶ Fortè aliquis posset dicere, quòd Deus acceptat talem contritionem & satisfactionem tanquam nouum titulum remissionis culpæ. Sed profectò hoc non quietat intellectum, vt suprà diximus. Quoniam semper supponitur gratuita illa remissio peccatorum ex mera liberalitate, & misericordia Dei facta, quæ remissio iam habetur in re, vt supra diximus, imo vero contritio, vt subsequens gratiam, per se, & quasi intrinsecè supponit omnino culpam remissam, & sic non est nouus titulus, cum vt subsequens gratiam per se loquendo supponat culpam omnino remissam; & non concipitur vt futura, considerata contritione, vt subsequitur gratiam remissionis peccatorum.

### *Quarta conclusio.*

*Conclus. 4.*

QVarta conclusio. Sententia Theologorũ, quæ docet pœnitentem per actum contritionis, vt subsequitur gratiam, non satisfacere de iustitia pro culpa, & offensa, non solùm nihil continet periculi, aut inconueniẽtis, vt etiam ipsi oppositæ sententiæ authores fatentur, efficacia argumentorum compulsi; verùmetiã, est Catholica, & omnium probabilissima, & mihi quidem certissima, quã antiqui, & grauissimi Theologi tradiderunt, & recentiores docuerũt, vt supra ostendimus. Habet rursus hæc sententia magnum fundamentum in sacris literis, & in D. Paulo, & in Trident. locis suprà citatis. Vndè aduersarij fatentur, quòd esset magna temeritas eam, vt falsam damnare, quo vno aduersariorum argumento, salutem ex inimicis nostris accipimus, cùm ipsi dicant, eam esse rationabilem, & probabilem, & temerarium esse eam tãquam falsam repellere, aut damnare. Nam profectò magna habet fundamenta, vt suprà vidimus, præsertim in discursu secundæ, & tertiæ assertionis. ¶ Dices, Sanctissimum Præceptorem. 1. parte, quæstione. 21. articulo 4. docuisse, in omnibus operibus Dei inueniri misericordiam, & iustitiam, quod specialiter etiam docet de opere iustificationis; at si contritio satisfactoria non esset de iustitia pro culpa & peccato, nulla ratio iustitiæ inueniretur in opere iustificationis, sed tota erit misericordia. Respondetur primò, quòd in iustificatione impij est ratio iustitiæ ex parte Dei distribuentis, & proportionantis vnum effectũ cum altero secundum ordinem diuinæ sapientiæ in rebus ipsis ab eo stabilitum. Nam Deus talem, & tantam gratiam infundit, qualem, & quantam exigit dispositio supernaturalis hominis iustificandi, ex gratia Dei procedens: Nam dispositioni vltimæ, prout à Deo est,

ex diuina ordinatione, talis gratia donatur, per quam remittuntur peccata. De qua re legenda sunt ea, quæ diximus suprà in discursu primæ conclusionis non longè à principio illius in hac disputatione. ¶ Secundò respondetur, quòd contritio subsequens gratiam in iustificatione impij, est de iustitia satisfactoria pro pœna temporali, quæ remanfit, vt reliquia culpæ & peccati, post remissionẽ illius, & pœnæ æternæ ex diuina ordinatione. ¶ Aliqui recentiores, & periti quidem Theologi, aliam etiam adducunt solutionem: dicunt enim, quòd in opere iustificationis reperitur iustitia Christi, quæ applicatur pœnitenti media contritione, vt insinuat Paul. Rom. 3. Iustificati gratis per gratiam ipsius per redẽptionem, quæ est in Christo Iesu. Eu, quo pacto Paulus in iustificatione gratuita impij constituit redemptionem Christi, & iustitiam & satisfactionem eius, applicatam iustificato. ¶ Alij etiam non infimæ notæ Theologi dicunt, contritionem vocandam esse satisfactionem pro culpa, non quia re vera sit satisfactoria pro culpa, sed quia per illam applicatur pœnitenti, Christi satisfactio. In quo sensu dicunt, posse Sanctissimum Præceptorem explicari quando videtur docere, pœnitentiam satisfacere pro culpa. Sed de his duabus solutionibus fusiùs dicemus infrà.

### *Quinta Conclusio.*

5. *Conclus.* QVinta conclusio. Secundum legem ordinariam nõ est à Deo sancitum, aut statutum, quòd de facto contritio illa subsequens gratiam, sit satisfactoria pro culpa, & offensa; & ita nulla datur lex de tali satisfactione respectu culpæ, & peccati, per quam ordinetur contritio illa vt satisfactoria de iustitia pro culpa, & peccato. Nam si de facto nemo satisfacit per illam de iustitia pro culpa, & offensa Dei: ergo de facto nulla est statuta lex, quòd sit satisfactoria pro culpa, & peccato, & offensa Dei: Sed ostensum est, contritionem non esse satisfactoriam de iustitia pro offensa, & peccato: ergo de facto nulla talis est lex; Aliàs quicumque iustificatur, per illam satisfaceret de iustitia, quod est contra ea, quæ diximus. Et profectò, cùm ex sacris literis, & ex D. Paulo, & ex verbis Cõciliorum ostenderimus, contritionem illam non esse satisfactoriam de iustitia pro culpa, & offensa Dei, consequenter ostensum est, nullam legem sancitam esse de hac re. ¶ Quapropter, licèt Christus Dominus sua passione meruerit nobis omnem benedictionem spiritualem, & omnem dispositionem ad gratiam, & omnem actum pœnitentiæ, & contritionis antecedentem, & subsequentẽ gratiam; nihilominus cùm contritio non sit satisfactoria pro culpa, & offensa commissa contra Deum, vt ostensum est, non habet, vt subordinata meritis Christi, quòd sit satisfactoria pro culpa, aut pro pœna æterna; benè tamen pro temporali pœna. Quoniam, licèt talis contritio sit effectus meritorum Christi, & in illa splendeant Christi merita; cæterùm cùm ipsa respectu culpæ, & offensæ Dei, nõ sit satisfactoria; quia culpa & offensa omnino gratis remittuntur dicente Paulo; idcircò talis actus contritionis de facto, & de lege non ita subordinatur satisfactioni Christi, vt sit satisfactoria pro culpa & offensa contra Deũ commissa de iustitia. Quia cùm ille actus contritionis re vera non sit satisfactorius pro culpa, & offensa, quantùm adhoc non subordinatur satisfactioni Christi, id est in ratione satisfaciendi pro culpa, & offensa. Nam certè, si actus nostri nõ sunt satisfactorij pro culpa, neq; etiam ad talem satisfactionem ordinati; tunc neq; vt subordinati, sunt satisfactorij pro culpa, & offensa contra Deum commissa. Quia nisi vt ita subordinati, participent in se ipsis vim, atque valorem ad satisfaciendum, re vera & de facto non satisfaciunt: sed contritio neutro modo habet valorem ad satisfaciendum pro culpa, vt apertè ex superioribus constat: ergo cùm non sit satisfactoria, sequitur, quòd in ratione satisfaciendi non subordinatur, neq; vt subordinata satisfactioni Christi habet, quòd sit satisfactoria pro culpa, & offensa Dei; benè tamen pro pœna temporali, quæ remanet remissa culpa: sic enim habet vim satisfactoriam, & verè subordinatur satisfactioni Christi. ¶ Et declaratur hoc: Quia profectò, si actus nostri secundum se non habent dignitatem, vt possint esse merita respectu alicuius præmij, neq; habent valorem, aut fortè non procedunt ex gratia Dei; sic non subordinabũtur meritis Christi, vt sint meritorij, id est, non dicẽtur meritorij, vt subordinati meritis Christi, si in ratione meriti non habent vnde debeant subordinari meritis Christi. Nam pari ratione nõ dicimus, quòd equus, vt subordinatus Deo, generat hominem, aut potest generare hominem; quia in se equus non habet valorem, aut vim, & virtutem ad generationem hominis; ac proinde, neq; vt subordinatus Deo de facto generat hominem, aut leonem: igitur pari ratione actus nostri, si neq; sunt satisfactorij, neq; possunt esse in casu nostrarum assertionum secundum legem Dei ordinariam, & de facto, nisi ad id habeant valorem, & vim, nempe, ad satisfaciendũ pro culpa, & offensa contra Deum commissa; sequitur, quòd neq; vt subordinati habent vim ad satisfaciẽdum pro culpa, & offensa contra Deum de facto & de lege; benè tamẽ respectu pœnæ temporalis, quæ permanet remissa culpa.

Sed cõtra hanc doctrinam sese offerunt duo argumenta. Primum est. Christo, nulla fuit facta gratia in peccatoris iustificatione: igitur illam meruit: At adulti iustificatio, mediante contritione fit: igitur merita Christi mediãte contritione peccatoris adulti, efficiunt moraliter effectum suę iustificationis: ergo sicut nobis meruit Christus gratiam, & peccatorum remissionem, ita etiam cõtritio, prout subordinatur Christi meritis, est meritoria gratiæ, & iustificationis, & satisfactoria pro tota culpa, & offensa contra Deum habituali, & actuali. ¶ Huic argumento, supposito quòd Christus meruit nobis contritionem, & actus pœnitentiæ, & omnem dispositionem ad gratiã datam fidelibus, respondetur, quòd iustificatio adulti fit mediante contritione, tanquã dispositione, nõ tanquã merito illius iustificationis, atq; ita, Christi merita applicantur nobis mediante hoc actu contritionis, tanquã dispositione dũtaxat, vel tãquam satisfactione respectu pœnæ rẽporalis; Quare, huic actui, ex meritis Christi communicatur, solùm quòd sit dispositio respectu gratiæ, & remissionis peccatorũ; nõ tamen cõmunicatur illi, q̃ sit meritũ remissionis peccatorũ, aut primæ gratiæ, etiam,



etiam vt subordinatur Christi meritis, neque quod sit satisfactio respectu culpæ, & offensæ commissæ contra Deum, vt dictum est.

Secundum argumentum est: Nam cui applicatur sacramentum pœnitentiæ ex iustitia, donatur illi gratia, & remittuntur peccata virtute huius sacramenti, quatenus respicit Christum, tanquam medium per quod merita eius applicantur, & concurrunt ad eum effectum. Nam profecto per sacramentum pœnitentiæ, quod suscipit adultus, & pœnitens, applicantur merita Christi ad effectum remissionis peccatorum: ergo pari ratione quando aliquis iustificatur per contritionem includentem votum sacramenti, iustificatio, & remissio peccati erit debita ex iustitia illi actui, quatenus est à Christo. Ostendo consequentiam: Quoniam etiam media contritione, & applicantur, & concurrunt merita Christi ad remissionem peccatorũ, & pœnitentis iustificationem. ¶ Huic argumento respondetur negando consequentiam: Et ratio differentiæ est: Quia sacramentum est instrumentum Christi, & physicum, & morale, in quo continetur valor meritorum, & satisfactionis Christi, & virtus passionis Christi, & quatenus est ad hoc institutum ab ipso Christo: & idcirco illi, vt sic, debita est ex iustitia remissio peccatorum & gratia, vt in materia de sacramentis in genere explicatur à Theologis; cæterum contritio non continet merita Christi isto modo, nempe, sicut sacramentum pœnitentiæ, in quo in virtute, & tanquam chirographum ab ipso Christo ad hoc institutum, continetur valor remissionis peccatorum; Et ob id illi, vt sic, debetur remissio peccatorum. Sed contritio respectu illius effectus remissionis peccatorum & gratiæ solum est dispositio, & non continet sicut sacramenta Christi instituta, merita Christi. Omitto modò loqui de contritione, vt est pars sacramenti, quia de hoc alibi fusior erit mentio, & sermo.

### *Sexta conclusio.*

6. *Conclus.* SExta conclusio. Remissio peccati mortalis, ita est speciale beneficium gratiæ, quod Deus homini pœnitentiam agenti confert, vt sit distinctum à gratia contritionis, seu dilectionis, per quam homo disponitur ad ipsam peccati remissionem suscipiendam. Hæc conclusio negari non potest sine præiudicio fidei, aut sine temeritatis nota, estque communis apud omnes Theologos catholicos; quam S. Thom expresse tradit infra ar. 8. & 3. p. q. 86. art. 1. 4. & 6. & in 3. dist. 19. q. 1. art. 1. Et videtur mihi expresse tradita in Concil. Trident. sessione. 14. cap. 4. Vbi definitur, contritionem semper fuisse necessariam ad impetrandam remissionem peccati, & præparare ad obtinendam illam: Qui modus loquendi saluari non posset, si remissio peccati non esset distinctum beneficium ab ipsa contritione. Vnde apertissimis verbis in fine capitis citati Concil. Trident. docet, contritionem imperfectam disponere ad impetrandam remissionem peccati in sacramento, vbi patet, non posse negari, quòd remissio illa etiam sit distinctum beneficium ab attritione, & sacramento ipso: Quo fit vt eodem sensu loquutum sit Concil. in principio. Rursus Trident. Concil. non minus aperte loquitur pro hac veritate, sessione. 6. cap. 6. & 7. & canone. 3. in hæc verba prorumpens. Siquis dixerit sine præueniente Spiritus sancti inspiratione, atque eius adiutorio, hominem credere, sperare, aut diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur; anathema sit. Eu quo pacto Concil. distinguit gratiam iustificationis ab omnibus actibus, quibus homo disponitur ad illam gratiam recipiendam; & in superioribus cap. dixerat, gratiam iustificationis includere etiam remissionem peccati.

Rursus, sacræ literæ ita loquuntur de remissione peccati, vt Deus illam promittat habenti contritionem; qui modus loquutionis, & promissionis locũ non habet, nisi inter gratias, & beneficia diuersa. Egregium est testimonium illud Ezechiel. 18. Si impius egerit pœnitentiam, vita viuet: omnium iniquitatum eius, quas operatus est non recordabor. Ecclesiast. 18 dicitur. Quam magna misericordia Domini, & propitiatio illius, conuertentibus ad se. Et Hierem. 8. Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo, agam & ego pœnitentiam, &c. Qui locus explicari solet, de remissione pœnæ temporalis, & de calamitatibus huius vitæ, quas Deus aliquando propter peccata immittit, & propter pœnitentiam cessare faciet. Sed profecto non tantum de his, sed etiam de malo æternæ damnationis, id habet verum, & sic etiam; ab vniuersis interpretibus intelligitur. Imo verò, de solo illo malo, promissio illa est infallibilis. Extat præterea efficax testimonium Psal. 31. Dixi confitebor aduersum me, iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatẽ peccati mei. Quo loco Sancti Patres intelligunt confessionem illam fieri per interiorem contritionem: à qua Dauid distinguit peccati remissionem: & propter illam dicit fieri ab ipso Deo. Simile est illud Ioelis. 2. Scindite corda vestra, & conuertimini ad Dominum Deum vestrum: quia benignus, & misericors est, patiens, & multæ miserticordiæ, & præstabilis super malitia.

*Ezech. 8.* *Eccles. 18.* *Hierem. 8.* *Psal. 31.* *Ioel. 2.*

Hæc etiam est sententia Sanctorum Patrum D. Hieronymi epist. 46. & 48. Vbi postquam multa artulit ex Sacris literis in confirmationem huius veritatis, præcipuè perpendit illud 2. Reg. cap. 12. De Nathan, & Dauid, vbi Dauid prius dixit, Peccaui Domino, declarans pœnitentiam, & contritionem suam, postea vero dixit Nathan Propheta; Dominus quoque trãstulit peccatum tuum; & infra idem Hieron. ait. Vide quanta sit magnitudo fletuum vt aquarum diluuio comparetur, quos qui habuerit, & dixerit cum Ierem. Non fileat pupilla oculi mei, statim complebitur in illo; Misericordia, & veritas obuiauerunt sibi, D. Augustinus sermo. 11. ad fratres in eremo ait, Suscipite compunctionem, quæ sanitas est animarum, quæ remissio peccatorũ est. Et declarans, quo pacto hoc fit intelligendum, subiungit. O Sancta compunctio, tu stimulus, per quem Deus ad hominem inclinatur. Vnde D. Chrysost. homilia. 5. de pœnitẽtia, inquit. Minatur Deus peccãtibus, pœnitentibus vero propitiationẽ promittit. Eu quo pacto Sancti Patres docent de remissione peccati, Deum eam promittere, habenti contritionem, & pœnitentiam, qui modus loquendi, & promittendi, locum non habet, nisi inter gratias & beneficia diuersa. Extat etiam optimum testimo-

*D. Hieron.* *2. Reg. 12.* *D. Augustin.* *D. Chrysost.*

nium D.August. quod nos adduximus supra.q. 12. art.3.disputat.2. conclus.1. ex commentarijs super epist.ad Rom. vbi adductis quibusdam testimonijs Sanctarum literarum Ezech.18. &.33. Inquacumq; hora ingemuerit peccator, iniquitatum eius amplius non recordabor.Zach.1. Cõuertimini ad me, & ego conuertar advos.Ecclesiast.2.Quis vnquã vocauit Deum & despexit illum? quasi dicat, nullus, colligit Aug.in illis omnibus testimonijs contineri certas Dei promissiones, & infallibiles leges à Deo latas:Vnde subiungit, quòd si Deus confugiẽtes ad se non reciperet,esset in eo infidelitas, & iniquitas,non quia faceret iniustitiam aliquam,sed eo quòd sua promissa non impleret.Et de vera, & falsa pœnitentia cap.3.& cap. 5. totam vim constituit in promissione Dei, vt ostendat pœnitentibus dari remissionem peccatorum.Tertul.lib.de pœnitentia cap.4.dicit, quòd omnibus delictis Deus veniam per pœnitentiam spopondit, dicens ad populum:Pœnitere,& saluum faciam te.D.Ambros.lib. 1.de pœnitentia cap.4.& sequentibus,inquit,Expectat Deus conuersionem nostram, expectat lachrymas,vt profundat pietatem suam.

*Tertul.*

*D.Ambro.*

Hãc etiam assertionem esse sensum verum Theologorum omnium & Catholicorum ostendo:Quia Theologi omnes interrogant; Vtrum possit homo per contritionem,& pœnitentiam mereri remissionem peccatorum?In quo sane,aperte supponunt ipsam peccati remissionem esse quid distinctum ab ipsa contritione; Alias dubitarent Theologi, si id non supponerent vt certissimum;Vtrum contritio possit esse meritoria sui ipsius, vel sui effectus formalis.Qua propter Catholici,qui negant contritionem esse meritoriam respectu remissionis peccati, non fundãtur in hoc,quòd sunt idem, sed in hoc sine dubio,quod remissio peccati tã gratis donetur, etiam post contritionem habitam, vt sub merito ipsius contritionis non cadat etiam de congruo, vt aperte Sotus id explicat.2.de natura & gratia cap. 4.Victoria.q.2.de potestate Ecclesiastica numero.4. ¶Authores etiam,qui volunt esse meritum decongruo in contritione respectu remissionis peccati, palam etiam ponunt,& affirmant remissionem peccati,esse gratiam distinctam à contritione, tantam ac talem, vt quamuis ad illam sit congruitas in contritione, non tamen condignitas. Quod sane docuit Vega.q.6.&.7.de iustificatione,& alij,quos ipse citat,pro qua re citat August.& Ambros. Et quidem quòd remissio peccati sit distincta gratia à cõtritione,verissime affirmat Vega, quòd vero detur ex merito de congruo,id verum esse non potest,vt ostendemus. q.114. de merito. Imo verò Pelagius, qui negabat gratiam esse necessariam ad pœnitentiam,nunquam negauit, nec ausus est negare;remissionem peccati esse gratiam,quæ fit pœnitenti, vt liquet ex libris Aug.contra Pelagium.

*Sotus.*

*Victoria.*

*Vega.*

*A.C.*

Potest etiam assertio præfata ostendi ex communi consensu,& sententia sanctorum Patrum : Nam fuit olim Nouatus hæreticus, qui ita distinguebat remissionem peccatorum à vera pœnitentia, vt negaret dari posse baptismum etiam vere pœnitentibus,cui hæretico respondentes omnes Patres, fatẽtur quidem remissionem peccatorum donari ex gratia, & misericordia Dei vere pœnitentibus, nunquam tamen denegari pœnitentibus ex diuina promissione,& misericordia,vt patet in S.Tho. 3.p.q.86.art.1.& in rationibus, quibus vtitur eo loco contra hanc hæresim,& etiam patet in plerisque testimonijs Sanctorum Patrum, quæ habentur de pœnitentia dist.3.per totam & præcipue in cap.Talis est.Legendus est de hac re Chrysost.epistol.5.ad Theod. lapsum & homil.2.in posteriorem ad Corinth.in fine literæ.

*S.Thom.*

*Chrysost.*

### *Septima conclusio.*

*Conclus.7.*

SEptima conclusio. Quando tribuitur homini contrito, & conuerso ad Deum per actualem dilectionem,remissio peccati mortalis,illa talis remissio,in se & formaliter est gratia,non ob id tantum, quia est donum Dei supernaturale, sed quia gratis etiam datur, & non ex propria & vera iustitia.Hæc assertio videtur esse definita in Concil. Trident.sessio.6.cap.7.&.9. quo loco dicitur,necessarium omnino esse, credere,nec remitti, nec vnquam fuisse remissa peccata, nisi gratis ex diuina misericordia propter Christum. Imo vero sumitur conclusio hæc ex sacris literis in omnibus illis testimonijs,in quibus dicimur gratis iustificari ad Rom.3.iustificati gratis per gratiam ipsius:In iustificatione verò includitur remissio peccati. Dices hanc remissionem dici gratuitam, gratisque donari ex eo solum, quòd ad habendam contritionem, gratis datur auxilium Dei.Sed profecto hoc necsatisfacit,nec est verum: Nam Sancti Patres superius citati,semper referunt ad diuinam misericordiam hunc effectum remissionis peccatorum, etiam respectu hominis iam contriti. Quod quidem Chrysost.homil.27. in Genes.aperte affirmat, & clarius homil. 80. ad populum Antiochenum : Vbi in hæc verba prorumpit. Num pœnitentem licet saluari & maxime. Totam viam in peccatis assumpsi, & si pœnitentiam egero saluabor? & maxime: Vnde cõstat ex Domini clementia, ne tuæ confidas pœnitentiæ: Tua namque pœnitentia tanta nequit peccata delere, si sola foret pœnitentia iure timeres: sed postquam cum pœnitentia commiscetur Dei misericordia, confide. ¶Rursus si ob id remissio peccati diceretur gratis tribui, solum quia gratis datur auxilium,ad habendam contritionem & pœnitentiam,tunc sequeretur quòd in illo sensu non magis daretur gratis remissio peccati homini pœnitentiam agenti,quam ipsa gloria;quod est contra communem sensum Theologorum, & modum loquendi Sanctorum Patrum & sacrarum literarum. Quia gloria dicitur dari,vt merces, & corona iustitiæ:nunquam tamẽ hæc dicuntur, aut dici possunt de remissione peccati. Sequela autem patet, quia gloria etiam in sua radice, & in principio operum & meritorum propter quæ datur,gratis datur: Et sicut peccator prius quam ad Deum conuertatur est indignus gratia, vt conuertatur;sic etiam indignus est prima gratia, qua gloriam mereatur:ergo est vtrobique par ratio. Et confirmatur : Quoniam aliàs nihil omnino gratis remitteretur peccatori formaliter loquendo,nisi solum debitum carẽdi auxilijs,& gratia necessaria ad cõtritionem,imo verò ipsum debitum non proprie gratis remitteretur:quia hoc semper manet culpa manente:sed so-

*S.Thom.*

*Chrysost.*

*Ad Rom.3.*





lum gratis fieret ne pœna hæc,scilicet,carere auxilijs,mandaretur executioni:sicut si meritum peccati attendamus,recte dici potest dignum esse peccatum,vt ob ipsum homo fide priuetur ac spe, licet Deus ex misericordia non exequatur in eo hanc pœnam. Ad hunc igitur modum non exequitur Deus aliam de priuatione auxilij sufficientis,& efficacis ad contritionem cum illud confert. Absurdum autem est valde, concedere Deum tantum pœnam hanc remittere gratis, & non culpam ipsam,nec pœnam æternam: ergo, &c. Alias simili modo posset quis dicere, peccatum remitti gratis peccatori; quia gratis relinquuntur in eo fides & spes,quibus conuerti possit.

Ex dictis in hac assertione plane sequitur,de potentia absoluta posse & potuisse Deum,non remittere peccatum homini contrito,& pœnitenti, si Dei promissionem secludamus:Nam cum sit noua gratia,& nec ex iustitia,nec ex fidelitate promissionis nec ex alia ratione teneatur conferre illam, posset eam sine dubio negare:sicut Rex à subdito suo læsus,& offensus grauissime,potest illi veniam, & beneuolentiam negare,quamuis summo dolore,& precibus efflagitet eam.

### *Octaua conclusio.*

*Concl.8.*

OCtaua conclusio.Homo pro mortali culpa ab ipso commissa,nequit Deo ad æqualitatem satisfacere,nec illius remissionem cõsequi ex vera & propria iustitia eius. Hæc assertio interpretari debet de satisfactione hominis per gratiam operantis,quatenus præcisè est ab homine ipso,& non quatenus illi,Christi meritum & satisfactio alias applicantur; Nam de hoc vltimo nihil modo loquimur. Vnde conclusio prædicto modo intellecta est S.Thom.3.p.q.1.art.2. ad.2. & ibidem q.85.art.3.ad.2.& in.4.dist.14.q.1.art. 1.quæstiunc. 5. ad.1. & dist.15.q.1.art.2.Caiet.vero in comment.ad. 3.p.loco citato, male interpretatur D.Thom.in proposito. Hãc etiam assertionem expresse docuit Alexand.Alens.3.p.q.1.art.2.D.Bonauen.in.3.dist.20.q. 3.ad.2.&.q.4.Ricard.q.4.eodem loco Durand.q.2.& in.4.dist.5.q.1.Capreol.conclusio.1. & ad argumenta contra illam Scot.in.4. dist. 1. q. 6. & dist. 15.q.1. & dist.16.q.2. Gab. dist.14.q.1.artic.1. in fine & art. 2.conclusio.5.Marsil.in.4.q.10.Almay.in.4.dist.5.q. 1.Vega.15.in Trident.cap.4.prope finem. Ioannes à Medina.Codice de pœnitentia tract.3. q.1. Verum tamen est,quòd omnes isti authores quamuis eandem assertionem defendant, non tamẽ eadem via procedunt, nec eisdem fundamentis, aut rationibus,eam tuentur.Quare eo à nobis citantur,vt præcipue ostendamus veritatem nostræ sententiæ, quam hic tuemur.

*S.Thom.*

*Cai.*

*Alex.Alens.*

*D.Bonauen.*

*Ricard.*

*Durand.*

*Capreol.*

*Scot.*

*Gab.*

*Marsil.*

*Almay.*

*Vega.*

*Ioannes à Medina.*

Rationibus etiam ostendi potest præfata assertio: Nam si posset homo satisfacere Deo pro culpa mortali ab ipso commissa, ex vera aut propria iustitia, maxime per contritionem, vel per dilectionem Dei super omnia: sed per hos actus non potest:ergo.Probatur minor:Nam remissio peccati est nouus effectus gratiæ, ab ipsa contritione, & eius effectu formali distinctus, vt concluf. 6. diximus:ergo non expellitur peccatum per ipsam contritionem, præcise inquam per se ipsam, aut suam quasi physicam & connaturalem informationem: Nam totum hoc, non est aliquid ab ipsa contritione distinctum, vt est actus vitalis ab homine, qui conteritur elicitus; Vnde nec cadere potest sub promissione distincta à contritione ipsa. Nam certe, nemo dicet Deum promittere te futurum esse album,si habeas albedinem inhærentem, nec te futurum esse contritum si habeas contritionem:ergo cum remissio peccati,sit distinctum beneficiũ gratiæ,contritioni promissum,sequitur, quod non fit intrinsece & formaliter,per cõtritionem ipsam:ergo non satisfacit homo ille,per contritionem, pro culpa mortali ab ipso commissa,ex vera & propria iustitia ad æqualitatem,per talem actum contritionis; hoc est,faciendo actum quo peccatum expellatur ex præcisa informatione talis actus,seu ex præcisa præsentia eius, sine nouo gratiæ beneficio remissionis peccati, distincto à gratia contritionis, vel dilectionis Dei,vt concluf.6.ostensum est.

*Ratio secunda.*

*Conc. Trid.*

Adducor secundo:Quia tam contritio, quam dilectio,de quibus est sermo, sunt dispositiones, seu causæ dispositiuæ ad nostram iustificationem;causa autem dispositiua non est formalis, cum disponat ad illam.Vnde Concil.Trident.sessione.6.cap.6.&. 7.aperte docet, hos actus contritionis & dilectionis,esse causam dispositiuam iustificationis nostræ: Et idem docet canone.3.&.4. Imo verò Concil.docet, vnicam esse causam formalem nostræ iustificationis, quæ datur secundum dispositionem hominis, per infusionem gratiæ & donorum, & quòd hæc instrumentaliter fit per baptismum:hæc autem non possunt actibus accommodari: ergo. Tandem Concil. non solum decernit hanc iustitiam esse inhærentem, sed etiam significat vere & realiter esse permanentem in homine, quam diu per peccatum non repellitur,& ob id ait,iuberi,renatos,hanc iustitiam, quam veluti stolam primam receperunt, conseruare,vt eam perferant ante tribunal Domini : hoc autem non potest accommodari actibus: ergo.

*Ratio tertia.*

Moueor etiam: Quia actus amoris, vel contritionis,quamuis sit formaliter efficax,vt conuertat animam ad Deum actualiter perfecte, & consequenter vt excludat formaliter actuale peccatum mortale,seu potius vt nõ admittat secum aliquod actuale mortale;tamẽ non ita est efficax ad destruendam moralem iniuriam,& inæqualitatem,quam peccatum reliquerat : quia ex parte operantis non habet actus ille sufficientem valorem ad recompensandam iniuriam,& ob id actus ille,ex sola sua qua si connaturali vi, & informatione,non valet repellere ab homine,omnem veluti habitualem maculã moralem, quam peccatum reliquerat, sed requiritur vlterius infusio habitualis iustitiæ,& Dei remissio,atque condonatio:siue hæc sit omnino necessario coniũcta,etiam de potentia absoluta, cum habituali gratia,siue non,sed tantum ex lege proportionata,aut connaturali ipsi actui.Vnde Trident.Concil.sessione 6.cap.7.non negat, sed potius affirmat, iustificationem non tantum esse peccatorum remissionem,sed etiam sanctificationem,& renouationẽ: Nam cum iniuria & offensa sit quid morale,& post transactum actuale peccatum,non censeatur durare,per solam entitatem,aut priuationem physicam,

quam reliquit,sine respectu morali ad actum præce dentem;vt in sui remissione omnino tollatur, non tantum exigit,inhærentem iustitiam,sed etiam mo ralem condonationem,& remissionem ; siue condonatio hæc dicenda sit pertinere ad formalem causam nostræ iustificationis, simul cum iustitia in hærente; siue tantum se teneat ex parte efficientis, qui est Deus,qui infundendo iustitiam,quæ est vni ca formalis causa nostræ iustificationis,simul remit tit,& condonat delictum;hoc namque ad præsens tem disputationem nihil interest, sed alibi dixi mus supra, & infra etiã aliquid dicemus de hac re.

*Ratio quarta*

Moueor quarto vehementer: Quoniam valor satisfactionis pro culpa & peccato,sumitur ex persona satisfaciente:grauitas autem iniuriæ ex persona offensa,& ob id ad hoc vt vnus actus sufficiat expellere illo modo connaturali obliquitatem,seu offensionem ex peccato relictam,non est attendenda sola natura ipsius actus,sed etiam valor eius,vt à tali persona procedit: hoc autem modo,actus peccatoris quantumuis sit perfectissimus, non habet æqualitatem proportionis cum peccato;vt est auersio à Deo:ergo actus amoris,vel contritionis, non habet vim ad satisfaciendum, ex vera & propria iustitia, ad æqualitatem pro mortali culpa, ab eodem peccatore commissa.

*Confirm.*

Et confirmari hoc potest: Nam peccatum transiens actu, & manens reatu, præter priuationem gratiæ(quæ non expellitur peractum, sed per gratiam ipsam ) non manet inhærens per qualitatem aliquam physicam,sed censetur manere moraliter, secũdum quãdam auersionem à Deo:ergo,vt actus contrarius sit desc efficax ad expellendam formaliter hanc moralitatem, quæ ex peccato relicta fuit & mansit, non est solum considerandũ secundum naturam,aut bonitatem moralem eius,sed secundũ valorẽ moralẽ, quẽ habet,ad recompensandã iniuriam:ergo non potest persona aliqua creata, præcipuè si sit peccatrix, offerre Deo satisfactionem omnino æqualem pro mortali culpa eius, ex vera & propria iustitia.

*Ratio quinta.*

Adducor quinto: quia si in iustificatione peccatoris,ipse satisfaceret ex iustitia pro culpa sua mortali,tunc non posset vere dici talis remissio peccati gratuita remissio,& gratuita condonatio. Rursus: quia si homo ille satisfacit pro peccato condigne, & ex iustitia,vel hoc est quatenus intelligitur iam esse gratus Deo, vel prius natura , quam sit gratus? Hoc secundum dici non potest:quia vt sic, illa persona intelligitur indigna,ad cõferendum actui tãtum ac talem valorem. Et rursus etiam , vt ex his, quæ diximus constat;quia gratia iustificans, & sanctificans , est fundamentum totius iustitiæ apud Deum:nam quamdiu persona intelligitur inimica Dei, est indigna omni bono,& priuari potest iuste quolibet bono: ergo quamdiu intelligitur esse in hoc statu,est omnino inepta , vt ex iustitia aliquid boni apud Deum obtineat:aliàs pari ratione posset talis peccator per contritionem, prius natura elicitam,ex auxilio gratiæ mereri de cõdigno ipsam: quia re vera non est maior ratio de satisfactione de condigno,quam de merito quantũ ad hoc. Primũ etiam dici non potest: quia vel supponitur contritionem ipsam, quatenus est dispositio ad remissionem peccati,procedere effectiue à gratia habituali?Et hoc est difficile valde,vt ar.8.sequenti disput. r.ostendemus,& non satisfacit:quia etiam gratia il la vt sic, non præintelligitur vt formaliter sanctificans hominem,& iam expellens peccatum( etiam ab his,qui ei tribuunt hanc efficaciam)sed tantum vt mouens principium:ergo vt sic,etiam non constituit personam aptam ad merendum , vel satisfaciendum coram Deo de condigno , & ex propria & vera iustitia.Vel tandem intelligitur gratia hæc, vt posterius natura aduenians,quam dispositio, vt formet illam , ac formaliter hominem sanctificet. Et vt sic,ipsa expellit formaliter peccatum,& sicut gratis tribuitur,& non propter iustitiam hominis: sic etiam peccatum gratis remittitur,& non propter satisfactionem condignam hominis ex iustitia. Quod quidem palam ostendo : Quia sicut infusio gratiæ, ita etiam remissio peccati est prior natura, quam omne meritum aut satisfactio de condigno: Nam prius debet necessario supponi personam ipsam esse aptam , & capacem talis meriti; & satisfactionis:at non est capax nisi sit digna, & perfectè sancta;& non est digna , & sancta nisi intelligatur esse sine peccato:ergo.Vnde nihil interest in proposito,siquis distinguere velit, inter infusionem gratiæ,seu informationem eius,& remissionem peccati;vt dicat illam esse natura priorem,& eandem vt sic sufficere,vt actus per illam formatus condignè satisfaciat,ad consequendam remissionem peccati posteriori naturæ:hoc ergo nihil refert; Tum,quia aliàs pari modo dici posset hoc sufficere ad merendum de condigno remissionem peccati, per actum eodem modo gratia formatum , quod sine nullo modo est affirmandum: Tum etiam.Quia ordo ille inter gratiam, & remissionem peccati, magis est secundum rationem,quam reipsa: Vnde aliàs remissio peccati prius ratione concipitur , quam infusio gratiæ:Tum tertio: quia quocumque modo homo concipiatur , prius quam sit illi remissum peccatũ nondum concipitur vt sufficiens principium satisfactionis , vel meriti de condigno : quia nondum concipitur , vt persona vere sancta , & iustificata. ¶Ex dictis colligo negandum esse peccatorem cũ sanctificatur, & iustificatur , reddere Deo æquiualens pro peccato,& ob id negatur satisfacere de iustitia,& de condigno pro culpa, & peccato:Nec satis est quòd interueniat Dei promissio , etiam sub conditione operis,nisi tale opus quatenus ab operante procedit,sit proportionatum,& habeat sufficientem valorem moralem respectu rei promissæ: Alias illa solum habet vim simplicis promissionis; & conditio operis tantum ponitur , & adhibetur, vt is cui fit promissio,sit capax & dispositus ad talẽ rem accipiendam , & recipiendam : Alias eodem omnino argumento ostenderetur posse nos de iustitia mereri primam gratiam sanctificantem , per dispositionem illam vltimam,quatenus illam natura antecedit:Nã similiter illi facta est promissio,vt superius aperuimus.

*Ad argumẽta in exordio quæstionis posita,Ad primum,*

Ad argumẽta in exordio quæstionis posita,Ad primum,relicta disputatione illa pertinente ad materiam de incarnatione.3.p.q.1.art.2.Vtrum operatio minis iustificati , quatenus procedunt à gratia, possint esse satisfactoria ad æqualitatẽ pro peccato mortali?respondetur,contritionem vt subsequitur gratiam ordine naturæ,& informatur illa, non habere valorem per modum satisfactionis respectu culpæ: Quia illam iã supponit remissam,vt supra satis ostensum est in discursu tertiæ conclusionis; & idcirco non est concedendum secundum hanc rationem,contritionem esse æqualem , aut inæqualẽ per modum satisfactionis respectu offensæ. Quia æqualitas, aut inæqualitas cùm in valore fundentur , supponunt valorem. Neque pœnitens dicitur offerre contritionem subsequentem gratiam , aut sic informatam,ad placandum Deũ actu offensum propter peccatum. Quia vt sæpius retulimus , talis contritio supponit iam remissam esse offensam , & deletum esse peccatum. ¶Ad secundum respondetur , quòd si consequens intelligatur de peccato mortali,quo ad culpam, & offensam contra Deum commissam,est quidem verum ; vt constat ex superius dictis ; at vero si intelligatur consequens de peccato,quo ad pœnam temporalem, quæ soluenda reliquitur remissa culpa ; falsum est. Vnde , in hoc sensu verificatur; quòd satisfacimus pro peccatis,sumendo,& accipiendo effectum pro sua causa:Quoniam vere satisfacimus pro pœna temporali debita ratione peccatorum , & ab eis etiam deriuata. Et quoniam huiusmodi temporalis pœna proportionatur , & commensuratur qualitati criminis adhoc,vt sit maior,vel minor; idcirco Tridẽtinum dixit,satisfactiones quæ huic pœnæ correspondent,esse quidem imponendas pro qualitate,& ratione culparum,& peccatorum.¶Ad tertium arbitror esse solutum ex dictis , licet hoc argumentũ censeatur Achiles aduersariorum.Et fateor, contritionem esse actum virtutis cuiusdam specialis iustitiæ,quæ continetur sub iustitia, vt pars potentialis eius,& non sicut perfecta species,vt docuit S.Tho. 3.p.q.35.art.3.Vnde, pœnitentia habet quòd sit specialis virtus ; quia dolet de peccato commisso , in quantum est offensa Dei cum proposito emendationis.Vnde, ex hoc non sequitur , quod contritio subsequens gratiam, & supponens culpam iam remissam,satisfacit pro offensa, & remissione peccatorum,sed solùm quòd satisfacit dolendo de peccato commisso , & offensa Dei pro pœna temporali ex peccato derelicta post remissionem culpæ , & æternæ pœnæ.Et cùm contritio sit dolor de peccatis & de offensa Dei,dum habet pro obiecto culpã, & peccatum ; de quo dolet vt de offensa contra Deum commissa, ob id habet contritio specialiter quòd satisfaciat pro pœna derelicta temporali , vt dictum est in superioribus.Nam respectu culpæ , & offensæ , non est satisfactoria , vt efficaciter supra ostendimus,& hæc causa sufficit, vt dicatur pœnitentia pars iustitiæ. Quo circa , licet pœnitens per se primo pœniteat de culpa,& de offensa Dei, eam detestando cum emendationis proposito;tamen cũ contritio subsequens gratiam,vt sic,supponat culpam remissam gratis à Deo;non sequitur,quòd cõtritio illa sit satisfactoria pro culpa , & pro offensa, sed pro peccato,idest,pro pœna,& effectu peccati, vt à nobis explicatum est.¶Ad confirmationem dicemus infra;Imo verò etiam de solutione huius tertij argumenti iterum redibit sermo, & forte placebit eius solutio.

*Ad secundũ.*

*Ad tertium.*

¶Ad quartum nonnulli Theologi dicunt quòd quando dicitur pœnitentiam respicere peccatum, vt compensabile est , & eius finem esse destruere peccatum, offerendo compensationem pro eo, debet intelligi de peccato,prout est à nobis compensabile ; sed quoniam duntaxat est compensabile, quoad pœnam temporalem, ob id quòd tàm culpa mortalis,quam æterna pœna gratis remittuntur;id circo illa omnia verificantur respectu pœnæ temporalis,& hoc sufficit vt actus pœnitentiæ vere sit compensatio,& verè dicatur compensatio pro peccato, quoniam est compensatio pro effectu illius, nempe,pro pœna temporali, & quòd destruit peccatum compensando illud : Quia dum dispositiue concurrit ad remissionem peccati,quo ad culpam, simul etiam recompensat illud quantum ad pœnã temporalem,quæ pro eo est soluenda.¶Verum,cõtra responsionem hanc nonnulli obijciunt ex recentioribus. Contritio secundum formalem suam rationem,non respicit pœnam,sed culpam,& peccatum prout est Dei offensa;igitur si est compensatio secundum propriam eius formalem rationem, sequitur,quòd non est compensatio pro pœna temporali,sed pro ipsa offensa Dei ; quam per se primò respicit.Probatur antecedens primò : Quia contritio est dolor de peccato propter Deum summe dilectum,& qui hunc habet dolorem,non dolet per se primò de pœna,sed de culpa , & offensa commissa contra Deum.Secundo; Quia dari potest contritio in viro perfecto , qui plene satisfecerit pro pœnis temporalibus; & tamen in eo non respiciet pœnas temporales:igitur aperte ex hoc constat,contritionem per se primò,& secundum suam essentiam, & rationem formalem non respicere pœnas temporales, sed solum quasi per accidens. Ostendo consequentiam: Quia contritio perfectior in prima specie videtur esse illa , quæ est in viris perfectis & iustis.¶Huic argumento satisfaciemus ex distinctione antecedentis.Nam, vel intelligitur de contritione pœnitentis,prout absolute est dolor quidam de obiecto,quod expressè & formaliter primo respicit secundũ istam rationem;& sic verum est,& hoc efficaciter ostendit probatio prima illius antecedẽtis:Quoniam is , qui conteritur , tantum dolet expresse de offensa & peccato , cæterum non est ad propositum : Quoniam actus pœnitentiæ non est qualiscumque dolor , sed dolor compensatiuus: Vel secundo intelligitur antecedens de contritione,quatenus est dolor compensatiuus peccati,quãtum ad id,quod in eo compensabile est;Et sic , falsum est antecedens:Quoniam contritio non est cõpensatiua quatenus præcisè terminatur ad peccatũ, prout est offensa Dei , sed quatenus extenditur ad debitum pœnæ temporalis,prout explicatum est à nobis.¶Neque obstat dicere, eum , qui conteritur solum dolere expresse & formaliter de offensa. Nã dolor ille etiam prout dolor est,terminatur virtualiter ad debitum pœnæ temporalis tanquam ad effectum ex peccato prouenientem , seu relictum. Quo fit,vt dolendo de peccato & culpa,is,qui cõteritur & dolet , ipso eodem recompenset pro illo debito,vt diximus solutione ad.3.¶Neq;rursus etiã obstat, quòd in homine iusto, & in viro perfecto carente prorsus omni debito pœnæ temporalis, de

*Ad quartũ.*

tur

tur contritio. Quoniam de ratione actus pœnitentiæ non est actu recompẽsare, sed esse recompensatiuum. Et profectò, contritio in illo viro perfecto, vere habet valorem fatisfactionis; verum, quoniã ipse est liber à debito pœnæ temporalis, quod talis valor respicit; idcirco secundum hanc rationem satisfactionis pro pœna, de facto & per accidens nõ prodest illi actus iste, sed reponitur in Ecclesiæ thesauro; Et est hoc exemplum in hoc eodem actu satisfactionis optimum in proposito: Quoniam hic actus in hoc viro iusto & perfecto, nullum peccatum destruit, supposito inquam, quòd careat omni peccato, & nihilominus est actus pœnitentiæ: ergo licèt dicamus, proprium esse pœnitentiæ operari ad destructionem peccati; tamen quia non est de ratione actus pœnitentiæ re ipsa tollere & expellere aliquod peccatum, sed esse expulsiuum illius, idcirco id quidem sufficit, scilicet vt de ratione actus pœnitentiæ non sit actu recompensare, sed quòd sit recompensatiuus, & quòd in illo verè sit valor satisfactionis. ¶ Idem dicendum est admisso casu, quòd Deus statuisset non punire animas temporaliter in purgatorio, sed gratis condonare omnem culpam, & omnem pœnam temporalem & æternam; tunc namque pœnitentia nihilominus retineret propriam rationem formalem, & specificam in sensu nunc explicato; sicut etiam maneret iustitia cũ eadem ratione formali, quam habet modò, secundum quam respicit debitum, licet homines gratis sibi condonarent mutuo omne debitum.

Dices; Satisfactio, ac proinde compensatio, per se respicit bonum offensi, & non offendentis: sed remissio pœnæ debitæ est propriũ bonum offendentis: igitur contritio non ordinatur per se primo in ratione compensationis, ad tollendum debitum pœnæ temporalis, sed ad calcãdum, & destruendũ peccatum, quatenus est offensa contra Deum. Respondetur, quod contritio per se primò non ordinatur ad solutionem pœnæ temporalis quatenus ex ea sequitur remitti peccatori debitum soluendi illam, quod est bonum ipsius; sed prout ex ea sequitur cõpleta repulsa, & remotio iniuriæ Deo irrogatæ, saltem quantum ad effectum illius, licet hoc secundario cedat in bonum ipsius peccatoris; Sicut etiam inter homines contingit plerumque. ¶ Sed dices vlterius: Pœna temporalis non respondet auersioni, & offensæ, sed conuersioni: sed actus pœnitentiæ ordinatur ad destructionem peccati, quatenus offensa Dei est per modum compensationis, vt dicitur in materia de pœnitentia: ergo actus pœnitentiæ, quatenus est compensatio, non ordinatur ad solutionem pœnæ temporalis. Respondetur, temporalem pœnam non respondere cuicumque conuersioni, sed inordinatæ, & quoniã in ipso peccato mortali habet, quòd sit inordinata ex auersione à Deo; idcircò temporalis pœna saltem virtualiter, & mediatè respondet auersioni: Et ob id solutio pœnæ temporalis etiam pertinet ad integram, & plenariam destructionem offensæ commissæ contra Deum.

Restat tamen difficultas ex ante dictis: Nam homo non potest satisfacere Deo, etiam pro temporali pœna, nisi prout est in gratia Dei: igitur contritio prout antecedit ipsam gratiam, non potest esse satisfactoria, etiam pro temporali pœna. Nam si vt præcedit gratiam esset satisfactoria pro pæna temporali, prius natura remitteretur pæna temporalis, quam culpa, & pæna æterna: Quoniam infusio gratiæ præcedit remissionem vtriusque. Respondetur, quòd contritio vt gratiam antecedit, neque compensat, neque satisfacit actu pro pæna temporali propter defectum dignitatis personæ operantis; est tamen compensatiua, quia æqualis est pœnæ temporali aut toti, aut secundum partem aliquam, & postulat præterea per modum dispositionis, pro eodem instanti gratiam. Neque negari debet, quod contritio etiam vt gratiam antecedit, sit compensatiua: Quia secundum istam rationem, est vere, & essentialiter actus pænitentiæ, ac proinde habet quid quid pertinet ad rationem specificam actuum pænitentiæ, & quia postulat per modum dispositionis gratiam pro eodem instanti.

*Respondetur secundò ad quartum principale.*

Hactenus diximus multa, vt dissolueremus quartũ argumentũ principale aduersariorum, quod in exordio quæstionis non longè post principium positum erat. Et quamuis ea, quæ diximus sufficienter dissoluant difficultatem illius; tamen aliam secundo adducere possumus solutionem eiusdem argumenti, quæ forte placebit plerisque, quia videtur magis consequenter loqui ad supra dicta: Dicendum est ergo, quòd contritio etiam vt gratiam antecedit, dicitur compensatiua pro culpa in hoc sensu: quod talis contritio, & actus pœnitendi, est totũ id, quod Deus postulat ex parte peccatoris ad remittendum illi offensam, & est proportionata per modum dispositionis remissioni peccati, & gratię conferendæ; & Deus quodammodo illam acceptat quia illa posita, statim remittit culpam; non tamen est satisfactoria etiam imperfectè; quoniam non debetur illi de iustitia remissio culpæ, neque acceptatur à Deo ex iustitia, sed ex pura misericordia: Quod sane facile cognoscetur, si aduertamus ex triplici capite prouenire posse quòd remissio peccati, & diuina acceptatio in ordine ad eam, possit dici debita ex iustitia, scilicet ex condignitate operantis, aut ex æqualitate operis, aut ex quadam conuentione, seu pacto inter Deum & homines, nempe, quia Deus promisisset se acceptaturum actum contritionis in satisfactionem pro offensis commissis contra ipsum: Sed in præsenti nihil horum reperitur; Et sane, de duobus primis satis liquet; de tertio etiam patet ex testimonijs supra allatis, & argumentis adductis ad probandum Deum ipsum gratis omnino remittere peccata. Nam qui ex præuia conuẽtione aliquid acceptat in satisfactionem pro offensa, licèt secundum se non sit æquale, ex iustitia (quamuis imperfecta) & non gratis remittit offensam. Qua propter, contritio, vt gratiam antecedit, solum habet rationem compensationis in sensu ante explicato, iuxta quem debet intelligi, quod diximꝰ de fine, & de obiecto pœnitẽtiæ: Quãdo verò in Sacris literis promittitur remissio peccatorũ peccatoribus se conuertentibus ad opera iustitiæ, & misericordię, & actibus pænitentiæ se affligentibus, vt patet Isaiæ. 1. Ioel. 2. Daniel. 4. & apud Ezechielem plerumque, & ad Hebræ. 13. & in infinitis alijs locis; tunc remissio peccatorum non promittitur tanquam merces reddenda ex iustitia propter valorem illorum operum, aut ex aliqua conuentiõne, qua Deus lege sua statuerit acceptare illa opera per modum meriti, aut satisfactionis, sed ex diuina misericordia, & ex quadam congruitate tenente se non quidem ex parte peccatoris, aut suorũ operum, sed ex parte diuinæ bonitatis, vt quoties peccator ingemuerit, illi Deus adsit ex diuina misericordia. Nam maxime congruit diuinæ bonitati, vt cum peccator facit, quod in se est, Deus etiam vtatur cũ illo sua largitate, & misericordia; Et hoc maximè locum habet quando peccator ex motione Spiritus sancti se disponit vltimo ad gratiæ receptionem, & remissionem peccati. ¶ Ex his, quæ diximus in solutione ad hoc argumentum quartũ patere etiam potest aperta solutio tertij argumenti præcedentis, cuius solutionem ibi diximus aperiendam esse magis in sequentibus,



*Ad confir. lege Caiet. tra. 11. de fide & operibus, cap. 10.*

Ad confirmationem eiusdem quarti argumenti dicendum, contritionem vere conducere ad obtinendam remissionem peccatorum, non tãtum per modum dispositionis, sed etiam per modum impetrationis, & supplicationis. Nam sicut homo orando, diuinam bonitatem flectit ad misericordiam, ita etiam peccator actu contritionis vere flectit diuinam bonitatem ad misericordiam; & idcirco contritio vere concurrit ad destructionem peccatorum causalitate morali, licet non habeat valorẽ meriti, neque satisfactionis respectu culpæ, & remissionis peccatorum; quia habet veram vim impetrationis, & impetrans vt sic, causa est effectus efficientia morali, & non physica. Quo autem pacto differat impetratio à satisfactione & merito, interpretatur Sanctissimus Præceptor infra. q. 114. art. 6. ad. 2. vbi dicit, quòd impetratio innititur misericordiæ Dei; meritum verò condigni, iustitiæ; Et idem est de satisfactione, quamuis si imperfecta sit, duntaxat innititur iũstitiæ imperfectæ. ¶ Secundo respondetur, ad eandem confirmationem; quòd in eo sensu, quo in secunda solutione quarti argumenti præcedentis diximus contritionem, prout gratiam antecedit, esse compensatiuã pro culpa, verificatur etiam, quòd contritio concurrat ad peccati destructionem causalitate morali. ¶ Dici etiam potest ad eandem confirmationem tertiò, quòd vt aliqui volunt, contritio non est dispositio physica ad gratiã, & remissionem peccati, sed moralis; & idcircò, sicut dispositiones physicæ concurrunt secundum aliquam rationem efficienter ad expulsionem formæ oppositæ, quatenus se tenent ex parte agentis, & generantis, ita pariter dici poterit, quòd dispositio moralis concurrit efficientia morali ad destructionem peccati. Quapropter, falsum est, quòd efficientia moralis conueniens nostris actibus, fundetur duntaxat in valore meriti, aut satisfactionis. Et hæc sufficiant ad confirmationem. De qua re legendus est Caietanus tractatu citato de fide, & operibus cap. 10.

*Ad quintum.*

Ad quintum respondetur, contritionem vocari sacrificiũ latè, quatenus talis naturæ est, vt possit offerri Deo, qua ratione quicũque actus virtutis potest appellari sacrificium; non tamen si nomen sacrificij strictè sumatur, vt liquet ex S. Thom. 2. 2. q. 85. art. 3. ad. 3. Nam oratio labijs prolata, qua Deum oramus, appellatur in Scriptura sacrificium, & orationes nostræ dicuntur vitula labiorum nostrorum. Respondetur secundò, quòd contritio, vt antecedit gratiam, dicitur sacrificium acceptum respectu culparum, per modum impetrationis, non per modũ meriti, aut satisfactionis, vel secundum aliquam rationem iustitiæ, vt dictum est.

*Ad confir.*

¶ Ad confirmationẽ negatur minor concessa maiori: non enim Deus acceptat contritionem respectu culpæ, tanquam satisfactionem pro illa, sed per modum dispositionis, aut etiam impetrationis, vt Caiet. dicit tractatu de fide & operibus cap. 10.

*Ad sextum.*

¶ Ad sextum respondetur, negando consequentiam. Imo verò non sequitur ex antecedente: Quia contritio non habet vim satisfaciendi pro remissione peccatorum, seu pro culpa, & peccato, vt est offensa Dei; & idcirco non est ad propositum quod sit maioris, vel minoris virtutis, quia ratio cur non est satisfactoria contritio pro remissione peccatorum, omnino diuersissima est, vt vidimus in discursu totius quæstionis.

*Ad confir.*

¶ Ad confirmationem respondetur, negando consequentiam: Quia non reddit æquiualens satisfaciendo pro culpa, & peccato de iustitia, cùm verè non satisfaciat de iustitia pro remissione peccatorum, aut pro culpa, & offensa contra Deum commissa.

*Ad septimũ.*

¶ Ad septimum respondetur, quòd quando S. Thom dicit, adultum per pœnitentiam satisfacere pro culpa sensus eius est, pœnitentem suis actibus concurrere ad suam iustificationem, non quòd ei de iustitia debeatur, aut quòd mereatur illam. Rursus, ex supra tactis constare potest in quo sensu sit verum pœnitentiam offerre compensationem pro peccatis. Adde etiam, quòd quando Sanctissimus Præceptor ait, in iustificatione impij inueniri quẽdam modũ iustitiæ, id quidẽ D. Tho. affirmat quia Deus statuit, & sanciuit vt nemo ex adultis ratione vtentibus iustificetur, si non operetur ad iustificationẽ. Secundò id dixit D. Tho. quia iustificatur homo ex iustitia non nostra, sed Christi, vt interpretantur Theologi. 3. p. q. 1. art. 2. Et quando S. Tho. ait, quòd quatenus pœnitentia recompensat offensam contra Deum commissam, est pars iustitiæ, loquitur de parte potentiali; ad hoc autem, quod sit pars potentialis iustitiæ, satis est quòd habeat similitudinẽ cum iustitia in hoc, quod est esse ad alterũ aliquid ei reddendo, quamuis actus ipsius non habeat valorem satisfactionis respectu offensæ, sicut de religione, pietate, liberalitate, alijsque virtutibus satis constat, vt Theologi explicant. 3. p. q. 85. præsertim art. 3. ¶ Ad locum D. Thomæ ex. 1. p. desumptum respondetur, in iustificatione impij cerni iustitiam per ordinem ad Christum; illo tamen secluso, non reperiri iustitiam propriè, & simpliciter, sed tantum secũdum quid, non per ordinem ad aliquid præsuppositum ex parte peccatoris, cui iustificatio sit debita, sed per respectum ad diuinam bonitatem & clementiam, quæ petit vt peccatores iustificentur. Quare, licet id non sit debitum peccatoribus, qui iustificantur; est tamen debitum, idest, consonum, & condecens diuinæ bonitati, & clementiæ; quod etiam dicendum est de prima rerum productione facta in esse naturali per creationem: illa enim non est debita ipsis creaturis, sed legi diuinæ sapientiæ, & bonitatis, non quidem ex necessitate simpliciter, sed ex suppositione, quòd Deus ita decreuit facere.

cere.Rursus,splendet iustitia viarum Domini in iustificatione impij,per hoc, quòd sicut auersio iusti à iustitia, terminatur ad opera iniqua, & ad mortem impij; ita sanè impij conuersio ad opera bona propter Deũ,terminatur ad vitam animæ ex misericordia ipsius Dei,vt Caietan.colligit tract.illo de fide,& operibus cap. 10.ex Ezechiele Propheta cap: 18.circa illa verba;Et dixistis,non est æqua via Domini,audite ergo domus Israel, Nunquid via mea nõ est æqua, & non magis viæ vestræ prauæ sunt? Cùm enim auerterit se iustus à iustitia sua,& fecerit iniquitatem,morietur in eis,in iniustitia, quam operatus est morietur,& cũ auerterit se impius ab impietate sua,quam operatus est, & fecerit iudiciũ & iustitiam, ipse animam suam viuificabit. Aliæ etiam sunt interpretationes verborum D.Thomæ, quas ex discursu totius quæstionis oportet aduerte re, & meditari pro defensione sanctissimi Præceptoris. ¶ Ad octauum iam diximus, actum pœnitentiæ, & contritionem conducere ad iustificationem per modum dispositionis, & in genere dispositionis,& etiam per modũ impetrationis; nõ tamen per modum satisfactionis pro culpa & offensa: sic enim iam diximus, quòd neque fit remissio peccatorũ,neque ablatio culpæ,& offensæ ex iustitia per satisfactionem,sed omnino gratis ex diuina misericordia,vt ostensum est conclusione.3. ¶ Ad nonum quod est fundamentũ aduersariorum, late responsum est supra præsertim in discursu tertiæ cõclusionis,cuius solutio ibi expendenda est valde.

*Ezech.* 18.

*Ad octauũ.*

Altera dubitatio se insinuabat, quæ tangitur hic à Caietano, Vtrum ad iustificationem impij requiratur contritio,& detestatio singulorum peccatorũ in speciali? Ad quod dubium communiter dicitur quòd sic.Ita.S.Tho.hic ad.3.&.3.p.q.87.artic.1.& in additionibus.q.2.art.3.Soto in.4.d.17.q.2.art.3.Qualiter autem hoc sit intelligendum,non est huius loci,neque præsentis speculationis,sed explicari debet. 3.p. & in additionibus. Legendus est Caietan. opusc.de contri.q.2.& in hoc art.&.3.p.locis citatis.

## ARTICVLVS VI.

### *Vtrùm remissio peccatorum sit numeranda inter ea, quæ requiruntur ad iustificationem impij?*

COnclusio S.Thom. est affirmatiua:ait enim quòd quatuor sunt, quæ requiruntur ad iustificationem impij, nempe gratiæ infusio, motus liberi arbitrij in Deũ,& in peccatum eũ detestatione eius,& remissio peccatorũ quoad culpã.

## DVBIVM I.

### *Vtrùm remissio peccati, & infusio gratiæ sint duæ mutationes saltẽ formaliter distinctæ?*

RAtio dubitãdi sumitur ex S. Tho. hic ad.2.dicente, infusionem gratiæ,& remissionem culpæ differre sicut in naturalibus differunt generatio,& corruptio:constat nam que quòd generatio, & corruptio quamuis non differant realiter, vt est in opinione probabili; tamen sunt duæ mutationes formaliter distinctæ, quæ reperiuntur inter quatuor terminos formaliter distinctos, vt quando ex aëre fit ignis, corruptio aëris est de aëre ad non aërem; generatio verò ignis est de non igne ad ignẽ:ergo pari ratione in proposito erũt duæ mutationes.Contrariũ huius dixerat & concesserat D. Thom.supra art.1. Vbi asseruit, iustificationem impij esse remissionẽ peccatorum; & ita ex plerisque Theologis multi alij dicunt,iustificationem impij, & remissionem peccatorum esse vnum,& eundem actum; cum tamen S.Thom. hic videatur dicere quòd non sunt idem.Nam ait,quòd sicut motus non est idem cum termino,sed specificatur ab illo, ita iustificatio nõ est idem cum remissione peccatorum, sed specificatur ab illa tanquam à termino in quo terminatur iustificatio.Rursus,cum S.Thom.dicat,iustificationem impij esse ipsam remissionem peccatorum secundum quod omnis motus accipit speciem à termino;hoc non videtur esse verum:Quia plus requiritur ad esse terminum specificatiuum motus, quam ad esse terminum eiusdem motus;& idcirco, quamuis expulsio contrarij habeat rationem vltimi termini;tamen non habet rationem termini specificantis: illuminatio enim non specificatur ab expulsione tenebrarum, sed à lumine : male ergo S. Tho.dicit,quòd iste motus debet dici remissio peccatorum secundum quòd omnis motus speciem accipit à termino tanquam remissio culpæ sit terminus specificans talem motum iustificationis.

De hac dubitatione aliqui recentiores Theologi dicunt,nullam esse contradictionem in D. Tho. Quia aliud est, quòd aliqua duo sint realiter idem motus,& aliud est,quòd sint omnino idem. Nam, vt sint idem motus,sufficit,quòd eadem actione habeantur,& quòd sint idem actus,verbi gratia,calefactio,& expulsio frigiditatis sunt idem motus, & similiter calefactio, & introductio caloris sunt idẽ motus; Nam eadẽ actione habentur.Imo vero realiter illamet actio,quæ est calefactio, est introductio caloris,& expulsio frigiditatis. Et ita loquutus est S.Thom.supra art.1.cum dixit, quod iustificatio est remissio peccatorum, intelligitur quòd realiter est idem motus, quia vnica actione habetur vtrumq;. Imo verò,illa actio,quæ est iustificatio, est expulsio siue remissio peccati;& pariter ob similem causam potuisset dicere S.Tho.quod iustificatio est infusio gratiæ:Quia illa eadem actio, quæ est iustificatio,est infusio gratiæ. ¶ Cæterum,ad hoc, quòd aliqua duo sint omnino idem, requiritur,quòd quidquid exigitur ad vnũ, pariter requiratur ad aliud, verbi gratia,calefactio,& expulsio frigiditatis non sunt omnino idem : Quia licet sit idẽ motus;plura tamen requiruntur ad vnum,puta ad calefactionẽ, quam ad expulsionem frigiditatis:requiritur enim introductio caloris:Similiter,calefactio & introductio caloris non sunt omnino idem : Quoniam ad calefactionem,quæ est motus,plus requiritur; quã introductio caloris:requiritur enim expulsio frigiditatis.Quamuis autem hoc ita sit,quod calefactio est idem motus omnino,quòd expulsio frigiditatis aut introductio caloris; tamen cum hoc possumus dicere,quod calefactio & expulsio frigiditatis,non quidem sunt omnino idem indentice, sed quatenus



nus recessus à termino à quo, dicitur expulsio frigiditatis.Et eodem modo dicunt authores huius sententiæ,quòd calefactio est introductio caloris, non quidem omnino identicè, sed solùm hac ratione quatenus est accessus ad terminum ad quem,& specificatur ab illo, dicitur introductio caloris. Et ad hunc modum loquitur D. Thom. hic; Vult tamen dicere, quòd iustificatio impij & remissio peccati, licèt sint vnus motus; non tamen sunt omnino idẽ, quia plura requiruntur ad iustificationem,quam remissio culpæ. Nam ad iustificationem,præter remissionem peccatorum, requiritur infusio gratiæ, & motus liberi arbitrij in Deum,& in peccatum:& licèt hoc ita sit, dicit D. Thom. quòd iustificatio est remissio peccatorum,non quidem omninò identicè,sed solùm hac ratione,quatenus recipit speciem à remissione peccatorum:ipsa enim iustificatio quatenus est accessus ad hunc finem, qui est expulsio peccati, dicitur remissio peccatorum. Et ex hoc liquet, quòd non superfluè interrogat D. Thom. in hoc artic.Vtrùm remissio peccati debeat numerari inter requisita ad iustificationem impij. Nam ratione primi argumenti, quod D.Thom. posuit in articulo, videbatur hæc conclusio, & quæstio superflua. Quoniam si substantia iustificationis est remissio peccati, videtur, quòd remissio peccati non debeat numerari inter requisita ad iustificationem. Quoniam substantia rei non connumerantur ijs, quæad rem requiruntur. Verumtamen ex his quæ diximus patet,quòd non superflua sit quæstio.Quoniam substantia iustificationis, non est remissio ipsa peccati absolutè, & simpliciter quasi nihil aliud requiratur ad iustificationem,quam remissio peccati:sed dicitur illius substantia,quatenus suscipit speciem à remissione peccati,quæ est finis iustificationis, & ita non superfluè quæritur, Vtrùm inter ea, quæ requiruntur ad iustificationem,debeat connumerari ipse finis iustificationis, qui est remissio peccati. ¶ Et hic modus dicendi à nobis positus, non est improbabilis.

*Caietan.*

Caietanus in hoc artic. dicit, remissionem culpæ,& infusionem gratiæ, eandem omnino esse mutationem,quia ibi non est distinguere quatuor terminos sed duos tantum,scilicet,non esse gratiæ, & ipsam gratiam : peccatum enim quod remittitur nihil aliud est formaliter, quam priuatio, siue non esse ipsius gratiæ in subiecto, quod debebat illam habere; Quod patet apertè in productione formæ, cuius oppositum est priuatio, & in illuminatione. Nam eadem prorsus est mutatio, expulsio tenebrarum, & productio lucis. ¶ Sed obijcit Scotus in. 4. distinctione. 14. quæstione. 1. Quia quando aliquis habet multa peccata, & iustificatur, ibi sunt multæ remissiones peccatorum, sicut sunt multa peccata; & tamen vnica dumtaxat est infusio gratiæ: ergo non est idem remissio & infusio. Confirmatur : Quia contingit esse infusionem gratiæ sine remissione culpæ, vt fuit in angelis,& in Christo Domino:ergo, &c. ¶ Sed respondetur, quòd licèt peccata,quæ remittuntur, sint multa, ex parte conuersionis ad obiecta mutabilia; conueniunt tamen omnia ex parte auersionis: quia ab vno, & eodem bono supernaturali auertunt,& eadem gratia priuant; & quoniam secundum illam rationem opponũtur gratiæ,& remittuntur; idcirco vnica dumtaxat est remissio omnium illorum, sicut vnica illuminatione illuminatur aër, & vnica expulsione expellũtur tenebræ,licèt multa essent impedimenta,ex quibus tenebræ efficiebantur.Et hinc est, quòd non potest vnum peccatum remitti sine altero, sicut nõ potest illuminari aër,nisi totaliter expellãtur tenebræ. Et ad confirmationem Scoti respondetur, quòd licèt infusio gratiæ possit esse sine remissione culpæ; tamen remissio culpæ non potest esse sine infusione gratiæ,vt suprà ostendimus,& hoc sufficit vt cẽsea tur eadem omnino mutatio, vt patet in simili de illuminatione,quæ sine tenebrarum expulsione absolutè fieri potest;& tamen eiusmodi expulsio nõ differt ab illuminatione,quia illam includit in sua ratione formali : De qua re legendus est hic Caietanus. ¶ Sed contra ea,quæ Caietanus dicit, arguitur: Quia similiter sunt quatuor termini in remissione peccatorum & iustificatione, sicut in generatione & corruptione, scilicet,ab esse peccati ad non esse peccati, & à nõ esse gratiæ ad esse gratiæ:ergo sunt duæ mutationes. Respondet Caietanus huic obiectioni,quòd non esse peccati,est gratia; quia non esse priuationis est habitus. Sed contra : Quia etiam non esse aëris,est ignis,&c.ergo eadem videtur ratio.Propter hanc obiectionem quid sit sentiendum de Caietani sententia & responsione, fusè diximus suprà in hac quæstione.113.artic.1.disputatio.2. Vbi quid potissimè de hac difficultate sit sentiendum, latiùs interpretati sumus, & in eum locum modò remitto lectorem.

Sed quoniam S. Tho. hic ad.2. apertè dicit,quòd infusio gratiæ,& remissio culpæ sunt vnus,& idem actus secũdum substantiã, & quòd generatio vnius est corruptio alterius, quia eodem actu Deus largitur gratiam,& remittit culpam;idcirco hoc est difficile, quia generatio & corruptio in naturalibus, sunt duæ mutationes secundum substantiam. Imò verò sunt quatuor termini, inter quos fiunt : ergo idem videtur dicendum de iustificatione,& remissione culpæ.Si dicas, quòd idcirco S. Thom. dixit, infusionẽ gratiæ, & remissionem culpæ esse eundẽ actum secundũ substantiã,quia sunt idem subiecto; tunc sequitur,quòd motus contrarij circa idẽ subiectũ,pariter deberent dici idẽ secundũ substantiam; quod tamen est apertè falsum.Rursus,quãdo aliqua sunt idem realiter, vnũ non separatur ab altero, vt animal & sensibile: sed infusio gratiæ, & remissio culpæ possunt separari,vt patet in Adam,& in angelis,qui fuerunt iustificati sine remissione culpæ:ergo. ¶ Respondetur tamen verissimum esse id, quod S.Tho.solut.ad.2.dicit, si rectè intelligatur. Vndè, vt id percipias aduerte, quòd generatio & corruptio in naturalibus, possunt dupliciter considerari, vno modo vt actiones quædã sunt, & sic generatio vnius, & corruptio alterius non sunt duæ actiones, sed vna actio. Nam si sit sermo de actione generatiua,& corruptiua,eadem actio est secundũ substantiam, qua calidum generat calorem, & corrumpit frigus, scilicet, calefactio, quæ in quantùm terminatur ad expulsionem frigoris,dicitur corruptio actiuè, & in quãtũ terminatur ad calorẽ,dicitur generatio actiue:Altero modo generatio,& corruptio possunt cõsiderari in quantũ sunt mutationes

quædam receptæ in subiecto; & in hac consideratione possunt dici diuersæ mutationes. Nã per vnã & eandem actionem ignis agens, duas efficit mutationes; alteram de esse frigido ad non esse frigidum; alteram verò de non esse calidum ad esse calidum. Sic ergo in proposito dicendum est, quòd tam gratiæ infusio, quam remissio culpæ significat actionem: illa quidem generatiuam, ista verò expulsiuam. Quare, si remissio culpæ, & infusio gratiæ considerentur, vt actiones sunt; sic vnica actione Deus remittit culpam, & infundit gratiam, & quantum adhoc attulit D.Thom. similitudinem de generatione vnius, & corruptione alterius. Si verò considerentur vt mutationes; sic remissio culpæ, & infusio gratiæ, quãuis possint apprehendi, vt duæ mutationes inter quatuor terminos; tamen in toto rigore non sunt duæ mutationes. Et non videtur eadem ratio de generatione, & corruptione in naturalibus: Quia ibi licèt sit vnica actio, est duplex mutatio: at verò in remissione culpæ, sicut est vnica actio, pariter est vnica mutatio; quia culpa non est aliquid positiuum; Sicut in illuminatione est vnica transmutatio de non esse lucidum ad esse lucidum; quia tenebra non est quid positiuum, sed est non habere lumen: Sic ergo in proposito videtur dicendum. Sed nihilominus, cùm gratiæ infusio, & remissio culpæ sint vnica actio, quia inductio gratiæ est expulsio culpæ; hoc quidem sufficit ad verificandũ sensum D. Tho. quòd sunt vnus actus, quia eodem actu Deus, & largitur gratiam, & remittit atque destruit culpam, & non est irrationabile dicere, quòd concipiuntur in ratione mutationis quatuor termini formaliter apprehensi, si modus concipiendi noster se habeat ad modum concipiendi rerum naturalium, & materialium, quibus communiter assuetus est intellectus. ¶ Et per hoc patet ad obiectiones positas solutio. Et ad vltimam, plerique Theologi negant maiorem: Quoniam relatio, & fundamentum sunt idem realiter; & tamen vnum potest esse sine alio, vt patet de relationibus subsistentibus. Alij dicunt, quòd ea, quæ sunt idem realiter & conuertibiliter, illa quidem sunt inseparabilia: sed tamen ea, quæ sunt idem realiter, sæpiùs possunt separari, vt animal & homo: & quia huiusmodi sunt remissio culpæ, & infusio gratiæ: nam non sunt idem realiter conuertibiliter, sicut homo & rationale; idcircò bene possunt separari.

## DVBIVM II.

### *Vtrùm iustificatio sumat speciem à remissione peccatorum?*

*Argum.1.* QVamuis remissio peccati sit vltimum in quo consummatur ipsa iustificatio, vt S.Thom. dicit in artic. tamen ex hoc non sequitur, quòd specificetur à remissione peccati. Et patet per similitudinem in naturalibus: Quoniam illuminatio non specificatur ab expulsione tenebrarum, sed ab introductione lucis, & idem est in calefactione: non enim specificatur ab expulsione frigiditatis: ergo idem videtur esse dicendum de iustificatione. Et confirmatur: Quia nullus motus specificatur à termino à quo, sed à termino ad quem: sed remissio culpæ est terminus à quo: ergo iustificatio non specificatur à remissione culpæ. ¶ Præterea. Falsum videtur id, quod Sanct. Thom. dicit, nempe, expulsionem peccati, seu remissionem, esse consummationem iustificationis & finem illius. Nam in omni mutatione expulsio contrarij non est per se intenta ab agente: ergo non potest esse finis actionis: Rursus, consummatio motus fita est in acquisitione termini ad quem, & non in expulsione termini à quo, vt constat in omni mutatione naturali. Et confirmatur: Quoniam in generatione naturali, priùs quam introducatur forma, expelluntur dispositiones contrariæ: ergo pari ratione, expulsio & remissio peccati, est aliquid priùs & prærequisitum ad infusionem gratiæ: malè ergo Sanct. Thom. dicit, remissionem peccatorum esse vltimum omnium in iustificatione impij. Et confirmatur secundò: Quia in omni motu priùs est recedere à termino à quo, quam accedere ad terminum ad quem, vt apertè constat in naturalibus: ergo similiter in iustificatione impij prius est relinquere peccatum, quam peruenire ad iustitiam, & infusionem gratiæ.

*Secunda.* *Confirm.1.* *Confirm.2.*

*1.Sententia Caietan.* Ad hoc dubium Caietanus dicit, quòd motus siue mutatio potest esse duplex, vnus quidem de cuius ratione est expulsio vnius, & introductio alterius oppositi, vt in calefactione, de ratione illius est, quòd expellatur frigiditas, & introducatur calor: & in huiusmodi motibus, inquit Caietanus, speciem & denominationem sumi à forma, quæ introducitur, & non ab expulsione contrarij: à calore namque sumitur species calefactionis, & ita denominatur ab illo. Alius motus est, de cuius ratione licèt sit introductio formæ; non tamen expulsio oppositi; sed hoc accidit tali motui seu mutationi, verbi gratia, illuminatio est mutatio, de cuius ratione est introductio luminis; tamen non est de ratione illius expulsio tenebrarum: quia hoc accidit illi. Nam fieri potest illuminatio cum expulsione tenebrarum, & sine illa: Vbi enim nunquam fuit vmbra, semper fuit illuminatio sine expulsione tenebræ, vt patet de partibus cœuis, & proximis Soli, & luminoso. Et in huiusmodi motibus inquit Caietanus, quòd quando fiũt sine expulsione oppositi, licèt tunc sumatur species ab introductione formæ; tamen quando fiunt cum expulsione contrarij, seu oppositi, tunc sumitur species ab expulsione oppositi; & ita dicit, quòd quando illuminatio fit cum expulsione tenebræ, species illius sumitur ab expulsione tenebræ illius. ¶ Probat hoc Caietanus: Quia ista illuminatio, per quam expellitur tenebra, differt ab illa illuminatione, per quam non expellitur tenebra. Nam prima illuminatio habet modum motus; secunda verò habet modum simplicis generationis: sed non est aliud vnde sumatur ista distinctio, nisi quia prima illuminatio dicit vltimatè expulsionem tenebræ, & alia non: ergo ab expulsione tenebræ prima illuminatio sumit speciem. ¶ Quòd si quis argumentetur contra Caietanum. Id quod est per accidens non confert speciem: sed huic illuminationi, quæ fit cum expulsione tenebræ, est per accidens,



accidens, quòd fiat culpa: ergo ab illa nõ sumit speciem. Ad hoc aliqui respondent, quòd licèt expulsio tenebræ per accidens conueniat illuminationi; absolutè tamen non conuenit per accidens huic illuminationi, per quã expellitur tenebra. Imò verò, ea expulsio est vltima differentia, per quã hæc illuminatio distinguitur specie ab illa altera illuminatione, quæ non fit cum expulsione tenebræ.

Hoc igitur suppositio Caietanus affirmat, quòd iustificatio est veluti illuminatio: Quia licèt de ratione illius sit introductio iustitiæ; non tamen de ratione illius est expulsio peccati: sed hoc accidit illi; Quod insinuauit Sanctissimus Præceptor, artic. 1. huius quæstionis, cùm dixit, quòd iustificatio potest aliquando fieri per modum simplicis generationis, sine expulsione culpæ, vt fuit in Adam, & in angelis, cùm primùm conditi sunt, quos Deus iustificauit sine expulsione culpæ. Aliquando etiam fieri potest iustificatio per modum motus cum expulsione culpæ, vt quando homo peccator fit iustus; Quia ergo iustificationi accidit expulsio peccati, in dedicit Caietanus, quòd dato, iustificatio, quæ fit sine expulsione peccati, suscipiat speciem ab introductione iustitiæ; tamen iustificatio, quæ fit cum expulsione peccati, suscipit speciem ab illa expulsione peccati: Quoniam per hanc expulsionem peccati tanquam per vltimam differentiam distinguitur hæc iustificatio, quæ fit per modum motus, à iustificatione Adæ, & angelorum, quæ facta est per modum simplicis generationis. Et hac ratione videtur dicere Sanct. Thom. quòd iustificatio accipit speciẽ à remissione culpæ, sicut motus accipit speciem à suo termino. ¶ Et quando obijcitur; Motus non specificatur à termino à quo, sed à termino ad quem; Respondet Caiet. quòd illuminatio seu iustificatio quatenus actio est, non habet pro termino ad quem solam consequutionem lucis, aut iustitiæ, sed etiam expulsionem tenebræ, aut peccati. Imò verò, quia in istis motibus vltima ratio termini ad quem est expulsio peccati, quia si considerentur motus isti quatenus actiones sunt, priùs est in illis consequutio lucis, aut iustitiæ, & vltimò est expulsio tenebræ, aut peccati; idcirco ab expulsione tenebræ, aut peccati ait Caiet. hos motus suscipere speciem tanquam ab vltima ratione termini ad quem.

Hæc tamen Caietani sententia, plerisq; discipulis ex familia D. Thom. non placet: quoniam licèt Caietanus affirmet, iustificationem impij specificari à remissione peccati, vt dicit S. Tho. tamen non assignat rationem huius. Nam dicere, quòd ideo iustificatio impij specificatur à remissione peccati, vt denotetur differentia, quam habet hæc iustificatio à iustificatione, qua iustificati sunt angeli, & Adam ab sq; expulsione peccati; id profectò non est sufficienter dictum; Quia licèt sit verum, quòd istæ iustificationes differant inter se; tamen posset quis dicere quòd differunt accidentaliter; & ita ex ea differentia nõ sequitur, quòd iustificatio impij non sumat speciem ab expulsione peccati, postquam species solum sumitur ab eo per quod pars essentialiter differt. Similiter dicere, quòd iustificatio impij ideo specificatur à remissione peccati, quia remissio peccati est vltima ratio termini ad quem, hoc inquam nõ satisfacit: tùm, quia suprà diximus art. 1. quòd terminus ad quem non est expulsio peccati, sed introductio iustitiæ; tum, quia dato concedatur Caietano, quòd terminus ad quẽ iustificationis quatenus actio est, est introductio iustitiæ & expulsio peccati, & vltimum talis termini ad quem esse expulsionem culpę aut peccati; tamen esse vltimum, non est sufficiens ad specificandum: Nã etiam in calefactione, vt actio est, vltimum ipsius termini ad quem, est expulsio frigiditatis, & tamen (vt etiam fatetur Caietanus) nõ dat illi speciem. Rursus; Exemplum à Caietano alla tum de illuminatione, non videtur esse omnino verum: Quia illuminatio etiam; si fiat cum expulsione tenebræ, non suscipit speciem, nisi ab introductione lucis, à qua etiã denominatur. Et probatur: Quia calefactio, quæ fit cum expulsione frigiditatis, non suscipit speciem ab ea expulsione, nisi forsan accidẽtaliter, sed solùm suscipit speciem ab introductione caloris: ergo idem dicendum est de illuminatione: Antecedens conceditur à Caietano; Consequentia verò probatur: Quia sicut de ratione calefactionis est expulsio frigiditatis, ita etiam de ratione huius illuminationis, quæ fit cum expulsione tenebræ, est illa expulsio: ergo.

*2.Sententia* Alij Theologi aliter opinantur in hac difficultate. Vnde aduertũt; quòd motus siue mutatio potest dupliciter considerari: Vno modo quatenus passio est; & sic nullus motus specificatur, nisi ab introductione formæ, quæ est terminus ad quem. v.g. calefactio passio specificatur ab introductione caloris, & illuminatio ab introductione lucis, & eodẽ modo iustificatio ab acquisitione iustitiæ: neq; hoc modo loquitur D. Tho. hic. Altero modo potest considerari motus, quatenus actio est: & hoc modo non oportet, quòd specificetur motus ab vltimo termino, qui est in illo, quatenus actio, sed specificatur ab illo termino, quem agens principaliter intendit, siue sit vltimus, siue non. v.g. in calefactione, & illuminatione, quatenus actiones sunt, vltimus terminus est expulsio frigiditatis, & tenebrarũ: sed tamen ab illis non specificantur isti motus, sed solũ specificantur ab introductione caloris, aut lucis. Quia hic terminus est, quem principaliter intendit agens in istis actionibus. ¶ Aduertunt præterea, quòd plurimum interest inter agentia naturalia, & voluntaria: Quia agentia naturalia non intendunt principaliter, nisi introductionem formæ; si verò aliquando intendunt expulsionem contrarij, illud est per accidens, & minus principaliter: & inde est, quòd actiones agentium naturalium solùm suscipiunt speciem ab introductione formæ, vt patet de calefactione, & illuminatione: Nam istæ actiones à sola introductione caloris, & lucis suscipiunt speciem. Quare, si ignis intenderet principaliter, & per se expulsionẽ frigiditatis, ab illa expulsione susciperet speciem calefactio: verùm, quia non intendit per se nisi introducere caloré, & adhoc ordinatur expulsio frigiditatis; idcircò à sola introductione caloris suscipit speciem calefactio: Cæterùm agentia voluntaria, nõ est necesse, quòd in suis actionibus intẽdant principaliter introductionẽ formæ, sed possunt principaliter intendere expulsionem contrarij, & tunc actiones illæ suscipiunt speciem ab illa expulsione, quia illa est obiectum, & finis intentus: Et quia Deus in iustificatione impij principaliter intendit

remittere culpam; quia iste est finis ad quem infusio gratiæ ordinatur ex intentione Dei, & ad quem ordinantur alia omnia, quæ requiruntur ad iustificationem impij; idcircò optimè videtur dixisse Sanctissimus Præceptor hic ad.1.quòd iustificatio accipit speciem à remissione peccati, & non ab introductione iustitiæ. Vnde nihil falsitatis continetur in verbis D. Tho. ¶Sed contra hunc modum dicendi est scrupulus: Nam ex eo sequitur, quòd iustificatio Adæ, & iustificatio impij differāt specie. Patet: Quia in prima iustificatione non intendit Deus remittere culpam; in secunda autem sic: ergo. Adhoc respõdent authores huius sententiæ, quòd in quantum passiones sunt, vtraque iustificatio est eiusdem speciei, quia eundem terminum habent ad quem, scilicet, consequutionem iustitiæ; Si autem considerentur in quantum actiones sunt, sic non est inconueniens concedere, quòd distinguntur specie. Quapropter, secundum hanc solutionem videtur dicendum, quòd quamuis illuminatio, quæ fit cum expulsione tenebræ, & illa, quæ fit sine tali expulsione, sint eiusdem speciei etiam prout actiones sunt; tamen iustificatio, quæ fit cum expulsione peccati, & illa quæ fit sine tali expulsione, non sunt eiusdē speciei, vt actiones sunt, & ratio est iam dicta: Quia scilicet, in vtraq; illuminatione agens naturale semper intendit principaliter introductionem lucis; & ob id ratione illius vtraq; illuminatio est eiusdem speciei; Cæterùm in vtraq; iustificatione non est idē finis intentus à Deo: Nam in vna intenditur infusio gratiæ ad remittendum peccata; in alia verò sola infusio gratiæ; & idcirco non sunt eiusdem speciei. Quapropter, licèt in illuminatione quæ fit cum expulsione tenebræ, expulsio ipsa se habeat per accidens, & ob id non suscipiat speciem ab illa; tamen in iustificatione impij, vt actio est expulsio peccati, non se habet per accidens, quia est intenta à Deo, & ab illa suscipit speciem.

*3.Sententia.* Bartholomæus Medina in commentarijs huius articuli respondet, esse disidium inter iustificationem impij, & alias mutationes naturales, quòd in alijs mutationibus expulsio contrarij per se loquendo non habet rationem boni, sed solùm in ordine ad formam introducendam. Nam profectò, forma cõtraria in naturalibus est bonum quoddam, & ob id nulla naturalis inclinatio per se loquendo fertur in destructionem eius, sed si fertur, id quidē est veluti per accidens, quatenus est impedimentum formæ introducendæ. Vndè, expulsio formæ contrariæ in motu naturali, neq; per se appetitur, neq; per se terminat motum: in iustificatione autem impij, cùm peccatum omnibus modis, & absolutè sit malũ, idcirco ipsa expulsio peccati per se habet rationē boni propter malitiam peccati, & repugnantiam, & contrarietatem ad Deum. Quapropter, licèt non esset infusio gratiæ aut iustitiæ, adhuc Deus intenderet expulsionem peccati, non quidem ex eo solùm capite, quia peccatum est impedimẽtum gratiæ, sed quia etiam est malum, & contra Deum, & quia in se habet rationē inimicitiæ respectu Dei. Vndè huiusmodi expulsio, & remissio peccati, non solùm est finis, & consummatio iustificationis; verùm etiam inquit Medina, expulsionem illam peccati esse vltimum, in iustificatione, & à quo specificatur ipsa iustificatio; Cui doctrinæ fauet S. Tho. hic ad.1. dicēs, iustificationem esse ipsam remissionem peccati secundum quòd motus specificatur à termino. Tandem subiungit Medina, quòd terminus ad quem, & finis ipsius iustificationis est gratia, sed non quomodocumque, sed vt remittens, & expellens peccatũ. ¶Sed profectò, licèt multa vera dicãtur in hac opinione; tamen plura alia sunt falsa. Nam primò, non videtur esse verum, quòd expulsio peccati sit vltimum in iustificatione, à quo ipsa specificatur: Quia hoc est expressè contra doctrinam Sanctissimi Præceptoris suprà artic.1. & infra art.8. ad. 1. Vbi planè docet, terminum ad quem iustificationis esse ipsam iustitiam infusam, quę acquiritur per gratiam remittentem peccatum, & iustificantem, & hunc motum à peccato ad iustitiam, potiùs dici iustificationem, quam remissionem peccati, quia motus denominatur à termino ad quem, à quo specificatur. Sentit ergo S. Thom. quòd remissio peccati nõ est terminus ad quem, sed iustitia à qua dicitur iustificatio. Idem præterea docuit S. Tho. cùm dixit, quòd secundum intentionem Dei operantis, & secundum intentionem, & genus causæ formalis, prior est infusio gratiæ, quã remissio peccati, licèt in genere causæ materialis sit prior remissio peccati. Ita habet infra art. 8. ad. 1. Sed vltimum & principale in operatione, est id, quod est secundum intentionem agentis, & rationem causę formalis: ergo per se, & vltimatè in iustificatione impij intenditur à Deo iustitia. Nam licèt verum sit, quòd etiam intendatur per se expulsio peccati, quia est simpliciter malum quoddam ipsum peccatum contra Deum, & contra diuinã amicitiam, & sit quodammodo consummatio, & quasi finis iustificationis; tamen vltimus terminus, & per se principaliter intentus, est ipsa iustitia, à qua sola specificatur motus iustificationis. ¶Secundò etiam non videtur esse verum id, quod secundo loco docet Bartholom. Medina, nempe, terminum ad quem specificatiunm iustificationis, esse quidem gratiam non vtcumque, sed vt expellentem peccatum, hoc inquam, non videtur satisfacere, neque dissoluere difficultatem propositam: Quia aliàs distinctæ speciei essent iustificatio impij, & iustificatio Adæ in primo instanti suæ conditionis; nam habent diuersos terminos formales: iustificatio enim impij habet pro termino formali gratiam, vt expellentem peccatum; iustificatio verò Adæ, gratiam præcisè. Hoc autem non videtur esse verum: Quoniam acquisitio scientiæ in naturalibus, non est alterius speciei, siue acquiratur ab intellectu, in quo præcessit ignorantia puræ negationis, siue ab intellectu in quo præcesit ignorantia pravæ dispositionis, quamuis hæc secunda acquisitio scientiæ non tantum illuminet, & illustret intellectum, sed etiam expellat oppositum errorem; Quia terminus formalis huius acquisitionis scientiæ, non est scientia, vt expellens oppositum errorem, sed scientia absolutè. Vndè, Sanctissimus Præceptor infra artic. 8. ad. 1. terminum ad quem iustificationis, dicit esse iustitiam absolutè, & non reduplicat secundum quòd est remissiua peccati. Et. 1. parte, quæstione. 23. articulo. ad. 2. apertè docet, prædestinationem hominum & angelorum, esse eiusdem speciei, quãuis, homines prædestinẽtur à miseria, & peccato ad beatitudinem; angeli verò nõ prædestinentur à miseria peccati; quia terminus ad quem prædestinationis est eiusdem rationis in angelis & hominibus, licèt ex parte termini à quo sit diuersitas; quæ tamen omnino accidẽtalis est: ergo pari ratione in doctrina D. Thomæ, licèt inter iustificationem impij & iustificationem Adæ sit aliqua diuersitas ex parte termini à quo; tamen quia gratia est eiusdem rationis in vtroque, absolutè sunt eiusdem speciei. ¶Dices, quòd in iustificatione impij, per se intẽditur remissio peccati, vt suprà dictum est; non autem in prima iustificatione Adæ: igitur iam ex parte termini ad quem, & secundum id, quod formaliter intenditur, est aliqua diuersitas inter istas iustificationes: sed diuersitas formalis, & termini per se intẽti variat speciem: ergo. Respondetur, quòd ratio specifica mutationis, ex vltimo termino est accipienda, & non ex aliquo antecedenti, etiam si per se intendatur: Quia cùm non intendatur vt vltimum, semper in ordine ad vltimam formam, quæ est finis vltimus mutationis, sumi debet ratio specificatiua, vt patet in generatione hominis, in qua per se intenditur gradus viuentis, & gradus sensitiuus & rationalis; & tamen illa specificatur ab vltimo gradu rationalitatis, ad quem ordinantur alij: Sic ergo licèt remissio peccati etiam per se intendatur, & sit quodã modò finis, vt suprà explicatum est; tamen quia nõ vltimatè intenditur, neque est vltimus finis, aut plena consummatio iustificationis; idcircò nõ à remissione peccati, sed à iustitia & introductione gratiæ sumitur specificatio iustificationis. Cuius rei exemplum optimũ allatum est in prædestinatione hominum à miseria peccati; quia licèt per se intendatur à Deo eos extrahere à miseria; cum hoc tamen est verum, quòd specificatur iustificatio in illis ab vltimo termino prædestinationis, & ab vltima beatitudine, & non à termino à quo miseriæ, à qua extrahũtur per diuinam prædestinationem.

*4.Sententia* His ita suppositis, quamuis hæc tertia sententia, vtà me exposita est, sit probabilis, imò verò etiam secunda sententia præcedens non careat suo fundamento, & probabilitate; nihilominus quarta sententia probabilior, & rationabilior est, quòd in omni motu vbi est forma, quæ expellitur, & forma quæ introducitur, forma quæ introducitur est terminus per se, & forma quæ expellitur est terminus per accidens; quoniam accidit motui, quòd inueniat formam expellendam: Sic ergo rationabiliter dici potest de iustificatione impij, quòd in illa terminus per se est iustitia; remissio verò culpæ est terminus per accidens. Vndè, quando S. Thom. in artic. primo huius quæstionis dixit, quòd terminus ad quem iustificationis est iustitia, loquutus est de termino per se; quando verò hic appellat remissionem culpæ terminum iustificationis, loquutus est de termino per accidens. ¶Sed objiciet aliquis contra: Quia si hoc est verum, sequitur malè D. Thomam in hoc articulo dicere, quòd iustificatio sumit speciem à remissione peccatorum. Patet sequela: Quia nullus motus suscipit speciem à termino per accidens, sed à termino per se: igitur si remissio culpæ est terminus per accidens, sequitur, quòd iustificatio nõ suscipit ab illo speciem. ¶Pro solutione huius difficultatis oportet aduertere, quòd vnus motus siue vnus actus potest esse in duplici specie, altera quidem intrinseca & principali, altera verò extrinseca & minus principali. Verbi gratia, calefactio habet, q̃ fit productio caloris, & etiam habet, quòd fit productio frigiditatis. Prima sanè species est intrinseca huic motui, & sumitur ab introductione caloris, qui est terminus per se; secunda autem species est extrinseca, & sumitur à frigiditate, quæ expellitur, quæ est terminus per accidens. Est simile de eo, qui furatur bona aliena propter mœchiam, in quo casu iste actus habet duplicem speciem moralem, vna est furti, & altera est adulterij, seu mœchiæ; sed prima est intrinseca; secunda verò extrinseca. Ad hũc igitur modum dicunt authores huius opinionis, quòd in iustificatione impij est duplex species, altera essentialis, & est illa quam habet à iustitia, & ab hac dicitur iustificatio; altera autem accidentalis, & hanc habet à remissione culpæ, quæ est terminus per accidens. Quando ergo dicit Sanctissimus Præceptor hic, quòd iustificatio sumit speciem à remissione culpæ, intelligit de specie accidentali, & extrinseca.

Ex dictis colligo, malè Caietanum dixisse, remissionem culpæ includi in termino ad quem, & specificare ipsum motum iustificationis: Quoniam expulsio contrarij, aut priuationis, potiùs se tenet ex parte termini à quo, quam ex parte termini ad quẽ: nam per accidens se habet, & non variat speciem: dealbatio enim eiusdem speciei est, siue album fiat de nigro, siue de pallido, aut viridi colore; & pari ratione illuminatio est eiusdem speciei, siue præcesserint tenebræ, siue non: Quia lumen quod producitur, est vnius & eiusdem rationis, & idem est dicendũ de iustificatione nostra, & angelorum; quia gratia producta eiusdem rationis est in illis, & in nobis. Ex quo palàm apparet, vt etiam ex dictis in tertia sententia, iustificationem nostram minimè differre specie à iustificatione angelorum, & Adæ in sua prima conditione. Et non obstat, quòd in iustificatione nostra non tantum introducitur gratia, sed etiam expellitur peccatum, quod non fuit factum in iustificatione angelorum, & Adæ, quorum iustificatio facta est per gratiam sine expulsione peccati. Quia non est considerãdus terminus à quo, aut terminus per accidens, sed terminus per se iustificationis. ¶Ex his præterea colligo, quòd quando Sanct. Thom. dixit, cõsummationem & peruentionem ad terminum motus importare remissionem culpæ, à qua motus iustificationis accipit speciem; non loquitur D. Thom. de iustificatione præcisè, vt dicit productionem gratiæ gratum facientis, & expulsionem peccati, sed accepit iustificationem vt includit actus liberi arbitrij, & dispositiones tenentes se ex parte nostra. In quo sensu est verum, quòd dispositio, qua nos iustificamur, est alterius rationis & speciei, quam dispositio secũdum quam iustificati sunt angeli: Quia nostra includit detestationem peccati & ordinatur ad illius remissionem, & hoc in angelis non habet locum; & idcircò, in consummatione & perfectione nostræ iustificationis includitur remissio peccati, vt finis & terminus ad quem ordinantur nostræ dispositiones; secus tamẽ in angelis, vt dictum est.

*Ad argum.*

*Ad primũ.*

Ad argumenta. Ad primum respondetur, quòd

*Ad secundū* probat nostram sententiam.Ad secundum valdè se torquent interpretes D.Thom.explicantes quo pacto in remissione culpæ iustificatio dicatur consummari:Quia motus non terminatur,neque cōsummatur in termino à quo, sed in termino ad quem; & terminus à quo est remissio culpæ; terminus autem ad quē est ipsa iustificatio, & in vniuersis motibus naturalibus inductiuè constat quòd calefactio consummatur in acquisitione caloris, & non dicimus quòd consummatur in expulsione frigiditatis.Caietanus putat, quòd iustificatio verè & propriè habet pro termino ad quem non solum ipsam iustitiā, sed etiam remissionem culpæ. Et quoniam remissio est vltimum in termino ad quem, ideò dicit Diuum Thomā dixisse, iustificationem consummari in remissione culpæ. Sed quidquid sit de hac Caietani sententia, quæ non satis explicat, vt vidimus, mentem D.Thomæ, mihi semper explicandus esse videtur D.Tho.iuxta ea, quæ paulò ante diximus in discursu quartæ sentētię.Et præterea dicere possumus, quòd omnis motus siue mutatio vbi est introductio vnius formæ, & expulsio sui contrarij, potest duobus modis considerari; Vno modo quatenus actio quædam est procedens ab agente;altero modo quatenus passio est, quę recipitur in passo. Vndè, quamuis simul tempore sint iustificatio & remissio peccati; non tamen sunt simul natura, quia vnum antecedit aliud; diuersimodè tamen: Nam si mutatio illa consideretur quatenus est actio, priùs est introductio gratiæ,quam remissio culpæ; si verò consideretur quatenus passio; sic priùs est remissio culpæ, quam introductio gratiæ. Quæ doctrina verissima est apud vniuersos Philosophos.Nam si motus calefactionis consideretur ex parte agentis,&quatenus est actio,priùs est introductio caloris, quam expulsio frigiditatis; Quod sanè apertè constat; quia ignis,qui est agens, non expellit frigiditatem nisi per calorem, quia mediante illo agit, & idem patet in illuminatione, quæ quidē quatenus est actio priùs introducit lumen,quam expellat tenebras. Si verò motus seu mutatio consideretur ex parte mobilis, siue quatenus passio quæ in subiecto recipitur; sic priùs natura est quòd expellatur frigiditas, quam introducatur calor: & idem est de illuminatione. Et fundamētum huius est:Quoniam expulsio vnius oppositi est veluti dispositio ex parte subiecti, ad hoc, quòd in eo introducatur forma opposita. Pari ergo ratione philosophandum videtur de motu iustificationis, qui si consideretur ex parte Dei agentis, priùs est infusio gratiæ; quia per eam remittit Deus peccatum:Si autem consideretur ex parte mobilis, priùs est remissio peccati, & ablatio impedimenti,quam infusio gratiæ.Ex quo liquet,quòd motus quatenus actio, terminatur vtroque termino, quia vterque intenditur ab agente:Nam vterq; terminus ipsius motus,nempè à quo,& ad quem,comparatione ad ipsum agens, in iustificatione impij, putat Caietanus, posse & debere dici vnum terminum ad quem;quia vterque terminus intenditur ab ipso agente in iustificatione impij.¶Sed certè,faciliùs dissoluitur argumentum si dicamus, quòd non loquitur S.Thom. de iustificatione præcisè vt dicit productionem gratiæ gratum facientis,& expulsionem peccati,sed accipit iustificationem vt includit actus liberi arbitrij, & dispositiones tenentes se ex parte formæ,vt liquet ex dictis propè finem quartæ sententiæ. ¶ Ad primam confirmationem patet ex dictis, quo pacto remissio peccati est aliquid priùs ex parte mobilis,seu subiecti; & etiam patet quo pacto si consideretur iustificatio in quantum est actio, seu ex parte agentis,posterior sit peccatorum remissio. Præsertim si consideretur expulsio peccati quatenus tribuit speciem accidētalem,& non essentialem. ¶ Ad secundam confirmationem dico, quòd probat nostram sententiam:Quocirca,motus iustificationis verè accipit speciem à termino ad quem, à quo sumit essentialem speciem, quidquid sit de solutione illa quam Medina assignat,quòd iustitia,vt expellēs culpam,est terminus iustificationis impij, & quòd ob id dixit S.Tho. quòd consummatio iustificationis est in remissione peccatorum,quia terminus iustificationis respectu impij, dicitur gratia vt expellens culpam.

## ARTICVLVS VII.

*Vtrùm iustificatio impij fiat in instanti, vel successiuè?*

PRima conclusio.Iustificatio impij quantum ad gratiæ infusionem,fit in instanti.¶Secunda cōclusio.Quantùm ad dispositiones prærequisitas,aliquādo fit successiuè; aliquādo verò in instāti.

## DISPVTATIO.

*De discursu articuli, & de dispositione instantanea ad iustificationem.*

HOC loco sese offert difficultas, Vtrū iustificatio, seu infusio gratiæ fiat in instanti? In qua re, recentes quidam Theologi dicūt, nō posse negari quin iustificatio aliquando fiat in tempore indeterminato,seu subito,ita vt tempus illud nō sit signabile; & consequenter dicunt,gratiā posse incipere vtroq; modo,nempe,in instāti, & in tempore indeterminato, aut indesignabili. *Argum.* Probant exēplo luminis:Nam dicunt,gratiā produci vt lumen: sed lumen producitur aliquando in tempore: Nā si.v.g. moueatur immediatè post hoc aliquod luminosum tunc sanè immediatè post hoc illuminabitur de nouo aër spheræ cōtiguus:Et idē erit, si immediatè post hoc auferatur impedimentū: ergo. *Secundum.* ¶Secundò. Immediatè post hoc possum peccare, & amittere, seu perdere gratiam:ergo pariter etiam ad illam disponi, eamque acquirere. Ostendo consequentiam, ex paritate rationis, & quia semper sum liber ad vtrumlibet. *Confirm.* ¶Et confirmatur: Quia immediatè post hoc habeo eandem cognitionē in intellectu,& easdem vires in volūtate,& effectus potest esse immediatè post hoc: ergo nō est cur nō possim immediatè post hoc causare vltimam dispositionē ad gratiā. *Confirm.* ¶Et confirmatur secūdò: Quia gratia potest augeri in tēpore:ergo & produci. *Tertium.* ¶Tertiò arguitur.Formæ tā diuisibiles,vt calor,lumē;quā indiuisibiles,vt pūcta,lineæ,possunt produci immediate post hoc,calefaciendo vel diuidēdo aliquod corpus:ergo etiā vltima dispositio ad gratiam,& ipsa gratia. *Quartum.* ¶Quartò arguitur.Quia aliàs,si iustificatio non potest fieri aliquando in instanti,neq; incipere gratia in instanti; sequeretur,quòd is,qui peccat in hoc instāti, necessariò debet manere in peccato per aliquod tēpus, saltem incertum & indesignabile, quod est aperte falsum.

Aliqui Theologi,pessimè dixerūt,quòd necessariò requiritur ad iustificationē peccatoris, quòd cōtritio continuetur per aliquod certū tempus. Quia dicunt,quòd voluntas nō potest habere actū in instanti. Et alij dicunt, quòd ob id iustificatio non fit in instanti, quia dispositio quæ est actus liberi arbitrij,non potest esse in instanti:& ita dicunt,quòd si per modum connaturalem disponeremur ad gratiam,non possemus iustificari in instanti, quia non possumus in instanti disponi per motum.

*Gregorius.* Gregor.Ariminin.1.dist.38.q.vnica.art.3. & in.2.d.4.&.5.q.vnica ad.4.dicit, quòd licèt homo liberè eliciat actum suum in primo instanti,in quo incipit operari; tamen necessariò debet continuare illum per aliquod certum tempus,quia habet certam resistentiam ad sui corruptionem, quæ certo tempore debet vinci:sicut certus calor à certa frigiditate certo tempore superatur.Et alij Theologi,qui non abhorrent placitum Gregorij,dicūt, quòd necessariò continuatur per tempus,sed non per certum, & determinatum tempus;aliàs inciperet,& desineret in eodem instanti. *Argum.1.* ¶Probatur hæc sententia:& primò ostendo quòd iustificatio impij fieri non possit in instanti.Nā supposito,quòd aliquis adultus pro hoc instanti determinato est in mortali peccato,necessariò debet transire aliquod tempus antequā recipiat gratiam:ergo iustificatio impij nō potest fieri in instanti.Et confirmatur:Quoniam ad iustificationem impij requiritur actus fidei,spei,charitatis,& pœnitentiæ,& similes:sed in vnico instanti non possunt haberi tot actus:ergo.¶Secundò arguitur,& ostendo quòd nullus actus & nulla res possit durare solū per instans. *Secundum.* Quoniam vnaquæq; res,sicut naturaliter appetit suum esse, & suam conseruationem, ita etiam naturaliter resistit suæ corruptioni:sed illa resistentia non potest in vno instanti superari ab agēte naturali: igitur necesse est vt omnis res postquā incipit esse,duret per aliquod tēpus. *Tertium.* ¶Tertiò.Actus humanus.v.g.actus peccati, non potest durare tantum per instans, quia non potest desinere esse in eodem instanti,in quo est productus,neq; etiam in instanti immediato,quia non dantur duo instantia immediata: ergo necessè est dicere, quòd mediet aliquod tēpus, & quòd duret per aliquod tempus. Ex quo etiam colligitur,in illo tempore non esse libertatem ad reuocandum talem actum;Imo verò colligitur,hominem nō posse iustificari in instanti; quia actus iustificationis requirit certum tempus ad sui continuationem.Rursùs, dato quòd tempus ad continuandum odium Dei sit dimidia hora, cōsequens est quòd in eo tempore non sit libertas ad deponendum odium Dei. *Quartum.* ¶Quartò arguitur in fauorem Gregorij.Actus voluntatis non desinit esse per vltimū sui esse;Nam non est verum dicere,Nunc est, & immediatè post hoc non erit: ergo desinit esse per primum non esse, ita vt sit verum dicere,nunc nō est, & immediatè ante hoc fuit: igitur requirit tempus, vt desinat esse; ita vt sit verum dicere,nunc nō est, & immediatè antea fuit: igitur exigit tempus vt desinat esse.Patet consequentia:Quia res continuæ & successiuæ,& quæ corrumpūtur per actionem successiuam,desinunt esse per primum nō esse.¶Quintò arguitur.Cùm gratia infunditur nobis in iustificatione nostra,necessè est signare instās,in quo primò gratia insit animæ, & pariter cùm remittitur culpa,necessè est signare illud instans, in quo anima culpæ subiacebat: sed non potest esse idem instans, aliàs anima simul esset in gratia & in peccato:ergo necessè est designare instantia sibi inuicem succedentia:sed inter quæcumq; duo instantia semper mediat tempus:ergo iustificatio non fit in instāti,sed in tempore & successiuè. *Quintum.*

HIs tamen non obstantibus,est prima cōclusio.Vt in plurimum,& moraliter loquendo operationes humanæ durant per tempus,& non tantum per instans.Hæc assertio experientia cōstat,& ratione persuadetur: Nam actus voluntatis, vel rescinditur per alium actum voluntatis contrarium,vel per alium actum, quo diuertimus cogitationem ad aliud:sed iste actus non potest esse in eodem instanti; aliàs duo actus contrarij essent simul in eodem; neque in instanti immediato, quia non dantur duo instantia immediata; ergo necessè est interueniat tempus:ergo pariter est necesse vt actus duret,& continuetur per tempus.Prętereа:Isti duo actus sunt sibi immediati, cùm vnus alterum corrūpat & pellat: sed non dantur duo instantia immediata: ergo necessariò intercedit tempus. Ex qua doctrina non licet colligere, quòd operatio humana postulat certum & determinatum tempus ad sui continuationem; quia aliud est quòd motus requirat tempus,& aliud quod requirat certum & definitum tempus.Nam motus,vt habetur ex.5.&.6.physicorum in sui exordio & inchoatione, requirit tempus;sed non certum tempus; ac proinde est dicendum,quòd quocunque tempore dato in minore potest ab actu suo desistere, & consequenter nō datur certum tempus continuationis. *Conclus.1.*

SEcunda conclusio. Non requiritur necessariò quòd operatio humana duret & continuetur per aliquod spatium temporis, atque ita nihil repugnat quod operatio duret per vnicum instans dumtaxat. *Conclus.2.* Hæc assertio mihi est certissima, quia dato opposito:sequeretur, quòd daretur aliquod tempus,in quo viator non possit saluari. Patet sequela: Quia si quisquam morti vicinus habeat odium proximi, cùm hoc debeat necessario durare per aliquod tempus, sequitur, quòd in eo tempore non posset saluari. Nam si tempus illud esset maius, aut tantum, quantùm debet durare vita illius hominis; tunc in tali casu homo ille non posset deponere odium, neque cessare ab illo, & consequenter non posset saluari; ac proinde daretur tempus, in quo viator saluari non posset de lege. Et confirmatur: Nam si actus humanus necessario debet continuari per tempus; sequitur hominem non posse iustificari in instanti, quod est contra fidem, & contra illud Ezechiel. 18. & 33. In quacunque hora ingemuerit peccator, ampliùs non recordabor, &c. id est, in quocunque momento. *Ezech.18. & 33.* Quòd verò id rectè sequatur, patet: Quoniā authore Gregor. Arimin. homo necessitatur ad continuandum

actum peccati per aliquod spatium temporis.Præterea persuadetur:Quia si sententia Gregorij vera esset,sequeretur, quòd homo viator in illo temporis interstitio esset extra statum salutis, & non posset habere remedium. Patet sequela : Quia per illud tẽpus,quod durat odium Dei, non potest tale odium deponere.Rursus probatur,& fingamus,tempus necessarium ad continuandum odium Dei, esse dimidiam horam; fingamus etiam quòd in dimidia parte illius temporis homo ille faciat totum, quod potest & debet ad deponendum odium Dei ; tunc in eo casu sequitur,quòd Deus denegaret suam gratiã homini facienti quidquid potest,& quidquid debet; ac subinde sequitur, quòd homo faciens quidquid potest condemnatur, siquidem necessariò pro illo tẽporre odij Dei permanet in ipso odio Dei.

*Conclus.3.* TErtia conclusio. Error apertus est dicere, q̃ necessariò requiritur ad iustificationem peccatoris, quòd contritio continuetur per aliquod certum tempus.Hanc assertionem tenet Soto *Soto.* in.4.d.17.q.2.art.4.non longè à fine , &.2.de natu. & grat.cap.14. Vega lib.13.*in* Triden.cap.23. Eandem apertè tenet Chrysost.in libello de reparatione lapsi, & nonnulla ipsius verba referuntur ad propositum,de pœnitentia. d.3. Cano.Talis. Fauent etiam *Vega.* loca citata Ezech.18.&.33.& illud Eccles. 11. Facilè *Ezech.18. & 33.* est in oculis Dei subitò honestare pauperem : ergo *Eccles.11.* nulla requiritur cõtinuatio cõtritionis per aliquod certum tempus ad iustificationem, sed satis est momentanea conuersio.Fauet etiam illud Leonis Papæ Epist.19.ad Theodo. & refertur de.pœnitentia. d.1. *Leo. PP.* cap.Multiplex,vbi Leo PP.inquit: Si periculum vrgeat,cuique petenti est absolutio danda,quia misericordiæ Dei non possumus tempora definire , nec mensuras ponere, apud quem nullas patitur veniæ moras conuersio.Profectò,hæc verba expressè confirmant nostram assertionem. Vndè, in sacris literis solùm exigitur conuersio hominis ad Deum ; conuersio autem non dicit nisi simplicé motum à peccato in Deum : ergo sine fundamento dicitur esse necessaria ista duratio extensiua temporis:Nam substantia conuersionis,ex obiecto attenditur:quòd scilicet contritio, sit detestatio offensæ Dei propter ipsum:non ergo exigitur ista duratio. Præterea: Omnia inconuenientia & argumenta allata in.2.cõclusione similiter militant contra eos , qui dicunt , necessariò requiri ad iustificationem peccatoris,quòd contritio continuetur per aliquod certum tempus. Denique, hanc assertionem probãt Catholici Theologi in materia de pœnitẽtia, plerisque testimonijs Scripturæ,& Sanctorum Patrum.

*Conclus.4.* QVarta cõclusio.Res & actiones spirituales, volitiones , & intellectiones, possunt fieri instantaneè & subitò:& cõsequẽter possunt durare per solùm instans.Hanc assertionem expressè tenet S.Tho.hic in corpore;& eam etiam tenent omnes Theologi Catholici, vno excepto Gregorio,quando dicũt,quòd optimè possunt fieri in instanti plures actus intellectus & voluntatis subordinati, vt actus fidei & charitatis , &c. Ita docent Sotus loco citato,Bartho.Medi.hic,& Caie. *Soto. Medina. Pet. à Soto. Conradus.* de contritione, Petrus de Soto,lect.10.de pœniten. Idem insinuat S.Tho. 2.2.q.18.art.1.ad.3.& 1.2.q.54. art.1.ad. 3. Conrad.expressè in hoc artic. Vbi dicit, loquens de mutationibus instantaneis, quòd istæ multò magis habẽt locum in libero arbitrio hominis; Vndè ait, quòd ex hoc quòd subitò disponitur homo in supernaturalibus,non fit aliquid suprà naturam hominis ex parte modi fiendi: Quia & naturaliter potest habere motum instantaneum , & per consequens Deus potest eum subitò efficere , scilicet,in iustificatione & dispositione ad gratiam. Persuadetur etiam: Quia spirituales volitiones & intellectiones,præcipuè corrumpuntur per solam cessationem ab opere,& per absentiam causæ conseruantis,à qua pendẽt in fieri & in conseruari;sicut patet de lumine,quod cùm pendeat à præsentia Solis,in eodem temporis momento in quo Sol occultatur, lumen dissoluitur & corrumpitur.Et pari modo dicendum est , quòd actus voluntatis dependet à voluntate in esse,& in conseruari;& ob id,si voluntas subtrahit suam actionẽ,statim desinit esse. Quocirca, non est inconueniens vllũ quòd intellectiones & volitiones,sisecundum se præcisè accipiantur,in eodem instanti incipiant intrinsecè,& definant extrinsecè,durando solùm per instans;licèt moraliter loquendo durent amplius.Et quando Grego.dicit, quòd quælibet res naturalis ex natura sua resistit suo corrumpenti per aliquod certum tempus; hoc non habet verum in rebus,quæ depẽdent à suis causis in fieri, esse,& in conseruari.Quoniam huiusmodi res possunt subitò corrumpi per solam absentiã conseruãtis:Et in hoc ordine sunt actus intellectus & voluntatis, qui pendẽt à suis potentijs in esse, in fieri,& in conseruari: & eo ipso quòd illæ potentiæ desistunt à suis actibus,illi actus corrumpuntur: & idcirco,sicut liberè illæ potẽtiæ eliciunt suos actus, pariter eos liberè continuant,& non necessariò per certum aliquod tempus;Quia aliàs iam pro eo tempore non posset homo iustificari;quia nõ posset tollere odium Dei, vel alium actum peccati contrariũ dispositioni ad gratiã. Nam etiam si faciat quod in se est , vt deponat odium,& se disponat; nihilominus,iuxta sententiam Gregorij , debet durare odiũ per illud certum tempus , in quo non consequetur gratiam;imò verò si interim moriatur,dãnabitur.

*Conclus.5.* QVinta conclusio.Certissimè sentiendũ est, iustificationẽ fieri in instanti:Et loquimur de ipsa quantum ad eius essentiã, & quãtum ad eius dispositiones cõcomitantes & intrinsecas, cuiusmodi sunt cõtritio,& actus charitatis;non tamen quantũ ad dispositiones extrinsecas,& remotas:istæ enim paulatim& successiuè habentur in quantũ homo discursu, & ratiocinio quodam deliberat de his, quæ pertinent ad suam cõuersionẽ. Hanc assertionẽ tenẽt omnes authores suprà *Conradus.* citati,& Conrad.in hoc art.qui aduertit,quòd quãdo dicitur aliqua mutatio esse,& fieri in instanti,nõ intelligitur quòd duo termini eius sint in instanti; quoniã hoc est impossibile , cũ termini mutationis sint oppositi per se loquendo;sed intelligitur,q̃ trãsitus de vno termino in aliũ,est subito& in instanti. *S.Thom. Actũ. 12. Glossa.* Hanc etiã eandẽ assertionẽ expressè tenet S.Thom. in hoc art. vbi adducit illud de aduẽtu Spiritus sancti,qui subitò aduenit mẽtibus discipulorũ Actũ. 12. Super quem locum glossa ait; Nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia:& ex hoc intulit Sanctissimus Præceptor, iustificationẽ impij nõ esse successiuam sed instantaneã.Probatur ex ratione D.Tho. Quoniam tota iustificatio impij originaliter consistit in infusione gratiæ:ergo si hæc fit in instanti,iustificatio erit in instanti: sed infusio gratiæ fit in instanti absque successione : ergo. Probatur maior: Quoniam per infusionem gratiæ in adulto vtente vsu rationis , eausantur alia tria requisita ad iustificationem:per eam enim liberum arbitrium mouetur in Deum,& in detestationem peccati,& remittitur culpa:igitur ex mensura infusionis gratiæ habetur mensura aliorum,& per consequens iustificationis.Minor etiam,nempe quod gratiæ infusio fiat in instãti, & absq; successionepatet : quia Deus nõ indiget tempore, vt anima disponatur ad gratiam, & homo potest præstare consensum in instanti iustificationis:ergo.Aduertit tamen Sãctissimus Præceptor, quòd Deus potest dispositionem sufficientem ad gratiam, quãdoque paulatim & successiuè, quandoque verò subito & in instanti facere. Nam certum est,quòd virtus diuina est infinita : ergo sicut potest quamcunque materiam creatam subito disponere ad formam , ita multo magis liberum arbitrium hominis,cuius motus potest esse instãtaneus : igitur si virtus diuina est infinita ; sequitur, quòd cùm Deus iustificare vult peccatorem , nihil est quòd impediat actionem Dei, ne subito disponat animam & cor hominis.Vnde,Conradus(vt supra vidimus) dicit , quod ista subita & instantanea dispositio iustificationis & gratiæ , in eo quòd habet fieri in instanti, præcipuè habet locum in libero arbitrio hominis. Quia ex hoc quòd subito disponitur liberum arbitrium , non fit aliquid supra naturam hominis ex parte modi fiendi: Quia etiam naturaliter potest habere motum instantaneum, & per consequens multò magis potest eum Deus subito efficere. Dices ; Anima aliquando successiuè disponitur:ergo iustificatio non semper fit in instãti.Respondetur;quòd cùm gratia & culpa sint oppositæ immediata circa susceptibile , inter ea non cadit medium ; ac proinde necesse est quòd transitus de culpa ad gratiam fit subitus & in instanti:illa autem successiua dispositio, vt dicit Cõradus,non est dispositio,quæ fit necessitas;aduenientе tamen per diuinam motionem sufficiẽti dispositione vltima, tunc simul infunditur gratia,& fit iustificatio.Quare,S.Thom.in hoc art.cùm dicit , quòd Deus facit dispositionem sufficientem gratiæ, aliquando successiue , & aliquando instantaneè , intelligendum est de successiua dispositione antecedente vltimã; non verò de dispositione concomitante & intrinseca,cuiusmodi est contritio , & actus charitatis.Itaque,cum loquitur de dispositione successiua , non loquitur,de dispositione, quæ necessariò habet gratiam coniunctam:Imo verò aliquando ista dispositio successiua non præcesit, sed sufficiens vltima, fuit subito introducta, præcedente eius contrario, vt patet de Paulo.Ex quibus liquet,quòd quælibet iustificatio fit in instanti , quamuis non quælibet dispositio, vt S.Thom.dicit in litera. Adde etiam, quod consensus liberi arbitrij requiritur in adulto ad iustificationem,in instanti iustificationis ; & hic est in instãti,tàm ad detestandum peccatum, quam ad accedendum ad Deum. ¶Hoc loco oportet aduertere , S.Thomam solut.ad. 1.aperte concedere, posse præcedere deliberationem in homine circa bonum , quæ est via in iustificationem ; sicut motus localis est via ad illuminationem , & alteratio ad generationem.Et hanc deliberationem,dicit nõ esse de substantia iustificationis,sed viam ad illam. Vnde videtur concedere S.Thom.deliberationem esse aliquãdo successiuam,nempe eam,ad quam intelligimus necessariam esse cognitionem, & apprehensionem,& collationem,seu cognitionem collatiuam. Et hanc successiuam deliberationẽm cum collocatione,dicit Conradus,non esse de his , quæ requiruntur pro momento & instanti iustificationis,ad substantiam iustificationis , & eius complementum,& nihilominus iustificatio fit in instanti. Nam causa illuminationis , successiuè accedit per motum,sed ea præsente,subito fit illuminatio.Simile est de alteratione,quæ successiua est;& tamen subito ad ipsam sequitur generatio. ¶Ex his colligũt nonnulli discipuli D.Thom.inter quos est Conradus in Comment.huius art.explicans solutionem ad.1.quòd non opus est electione expressa cum de liberatione & collatione præcedente,vt distinguitur contra consensum & dolorem de peccato,& intentionem circa Deum, pro momento iustificationis;sed sufficit consensus cum dolore , & quòd sibi placeat iustitia;in quo includitur & ipsa electio,& fidei cognitio,& reliqua requisita,quæ sunt dispositiones concomitantes & intrinsecæ.Nam si requiritur ista collatio præcedens cum electione , & discursu,& plerisque alijs antecedentibus , quatenus hæc distinguntur contra consensum, contritionẽ, & actũ charitatis; sic non fieret in instanti iustificatio; cum tamen Paulus in momento , consentiens Deo vocanti,& dolens de persecutione, quam per agebat , Deumque cognoscens, in instanti illo fuerit iustificatus.Sed nihilominus etiam electio fieri potest in instanti, & consequenter etiam iustificatio in instanti , vt patet de anima Christi Domini, quæ in primo instanti cum accepit gratiã per propriam dispositionem,vere quidem elegit , vt habetur ex,S.Thom.3.p.q.35.artic.2.ad.2. ¶Ex his etiam obiter colligo, quòd in puero primum perueniente ad vsum rationis , quamuis ipsa conuersio in Deum explicite cognitum fiat in instanti ; tamen deliberatio antecedens cum electione, & collatione plurium rerum , & discursu earum , non fit in vnico instanti; præsertim , quia tunc est primus actus vsus rationis , & primò incipit homo deliberare,& quasi se habere in via generationis.Et ita videtur quòd illa deliberatio antecedens cum collatione plurium rerum , & electione , & discursu, fiat in tempore aliquo ; tamen in instanti terminatiuo illius deliberationis , si conuersio terminetur ad Deum explicitè cognitum remuneratorem inquirentium ipsum , in instanti iustificabitur ille puer deliberans. Et ob id diximus suprà , quòd sicut in instanti terminatiuo verborum consecrationis , Christus est sub speciebus panis , ita in instanti terminatiuo deliberationis bonæ, aderit & Deus explicitè cognitus,& conuersio in Deũ,& supernaturalis cognitio,& iustificatio illius pueri.

Hæc quinta assertio , certissima debet esse viro Catholico.Nam certe,calor vel lumen productum in hoc instanti , potest immediatè post hoc destrui

per frigiditatem: ergo etiam odium Dei per amorem: ergo immediate post hoc potest omnino destrui per amorem,& displicentiam peccati,seu eiusdem odij; ergo iustificari in instanti;aliàs valde absurdum esset quod viator habens vsum rationis & cognitionem Dei & peccati, sit per aliquod tempus extra statum salutis.Imo verò est hæreticum,& rationi aduersatur;esset autem extra hunc statum si non posset conuerti & iustificari immediatè post hoc in quolibet instanti.¶Sed vt intelligas ea,quæ diximus explicantes D. Thom. in discursu huius quintæ assertionis, aduertendum est, quòd quamuis Deus aliquando disponat nos auxilio speciali successiue, simul cum hoc est verùm quòd iustificatio fit in instanti.Nam dispositio ad gratiam,quæ procedit ex auxilio speciali,duplex est,quædam est simpliciter necessaria ad iustificationem, vt dolor de peccatis perfectus, & dilectio perfecta, & loquor de dispositione extra sacramentum, & ista dispositio est in instanti;Alia autem est dispositio non quidem necessaria, vt sunt multi motus actionis, & dilectionis imperfectæ; & hi motus habentur successiuè.Vult ergo S.Thom.asseuerare,quòd aliquãdo iustificatur homo cum sola dispositione necessaria,sicut iustificatus fuit Paulus; & tunc certum est quod iustificatio fit in instanti;aliquando verò iustificat Deus cum dispositione antecedente non necessaria, & cum necessaria: & tunc certum est, quòd respectu illius dispositionis primæ, & antecedentis,disponit Deus hominem successiuè,quia sic trahitur homo ad habendam veram contritionem, & necessariam dispositionem;sed tamen licet tunc disponatur successiuè; nihilominus etiam tunc iustificatio fit in instanti: Quia iustificatio non fit nisi quando infunditur gratia,& homo habet vltimam dispositionẽ ad gratiam, remissionemque peccatorum: Hoc autem semper fit in instanti. Quocirca, valde est aduertendum, quòd quando fit mutatio de vno termino in alium; tunc aut inter ipsos terminos est medium, aut non? si sic, impossibile est tunc secundum communem cursum quòd fiat mutatio in instanti: Quia alias mobile esset in eodem instanti in pluribus locis, aut sub pluribus formis repugnantibus:verbi gratia, si ex albo fiat nigrum prius mobile debet peruenire ad fuscum,quam ad nigrum;Si vero inter terminos ipsos non est mediũ aliquod,tunc necesse est,quòd fiat mutatio in instãti;loquendo de mutatione absoluta,verbi gratia,inter affirmationem & negationem, vt inter esse & non esse,mutatio fit in instanti.Dixi, loquendo de mutatione absoluta: quia ratione motus agentis vel passi, posset aliquando esse successio aliqua in tali mutatione,vt patet de illuminatione aëris, in qua est successio propter motum Solis illuminantis.Ex quibus colligo rationem pro nostra assertione,& in fauorem D.Tho.Inter iustificationem impij & peccatum non est medium: ergo iustificatio necessario fit in instãti. Nam certe transitus de vno termino in alium, subitò & in instanti fit, quando termini sunt immediati, sic vt nullum intercedat medium.

*Dubium. Scotus. Caietan.*

Sed dubitabit forsan aliquis;Vtrum dispositio instantanea sufficiat ad iustificationem? Scotus in.4.d.14.q.2.art.2.Caiet.q.1.de Contritione affirmant, non sufficere instantaneam dispositionem,sed requiri certam continuationem. At verò D.Bonauent.in.4.d.14.q.1.& Gabriel.q.1.art.2.conclus.5.in fine,Ricard.d.17.art.4.q.6.Alens.4. p.q. 68. memb.2.art.1.Cano relect.de pœnitentia.p.3.Vega in Trident.lib.13.cap.23. Petrus de Soto lectione.7. de pænit.& Dominicus à Soto locis supra citatis, Hosius & alij plures,tenent,quòd instantanea dispositio sufficit ad iustificationem. Nam licet Trid. Concil.sessio.6.cap.6. & sequentibus explicuerit communiorem modum iustificationis hominum: & idcirco sermonem fecerit de dispositionibus tẽpore antecedentibus gratiam; tamen aliquando dispositio ad iustificationem fit in instanti,vt patet de iustificatione Pauli.Veruntamen, siue tempore præcedant dispositiones remotæ,siue non, semper iustificatio fit in instanti.Quo fit, quod licèt indispositionibus ipsis sit aliqua diuersitas,quia aliquando fiunt successiue, aliquando verò in instanti,tamen ex parte iustificationis nulla est diuersitas, quia illa semper fit in instanti,vt explicat S.Thom.

*D.Bonau. Gabriel. Ricardus. Alensis. Cano. Vega. Petrus à Soto. Dominicus Soto.*

Dicere ergo ꝙ dispositio instantanea non sufficiat ad iustificationem & remissionem culpæ, est contra fidem & Sanctos Patres, & contra testimonia Scripturæ allata. Nam certe Deus promittit veniã pœnitenti:sed qui pœnitet instantaneè,verè pœnitet:ergo.Hoc probant omnia argumenta allata pro secunda,tertia,quarta,& quinta assertione. Nã profecto,vt habetur in Capit.Multiplex de pœnitent. d.1. apud Deum nullas patitur moras veniæ conuersio.Et Propheta in Psalmis;Dixi confitebor aduersum me peccatum meum, &c. & tu remisisti, &c.Dicto etiam;Peccaui,statim audiuit à Nathan; Dominus quoque transtulit peccatum tuum. ¶Et de hac re extat efficax ratio in naturalibus: Quia nunquam exigitur, quod vltima dispositio expectet per aliquod tempus aduentum formæ:ergo neque vltima dispositio ad gratiam.Rursus:Protinus atque homo peccat,amittit gratiam: ergo protinus atque conuertitur,restaurat illam,& oppositum voluntariè & gratis dicitur.Et confirmatur.Quia nulla requiritur certa intensio:ergo neque certa mora. Antecedens est omnium authorum, quos supra citauimus pro hac parte,& Nauarro capit. Quando, notab.20.numero.36.qui citat Chrysost.capit.Talis de pœnit.d.3. Idem dicit in manuali cap.1.num.7. &.10. Petrus de Soto lectio.14.&.15.de pœnitentia.

*Nauarrus.*

*Ad argum. Gregorij. Ad primum.*

AD argumenta Gregorij, quę post eius opinionem & sententiam posita sunt, respondetur ad primum, nonnulli recentiores dicunt, quòd licet iustificatio simpliciter & absolute fiat in instanti; ex suppositione tamen quòd aliquis peccauit, prærequiritur quod per aliquod tempus incertum & indeterminatũ extiterit homo in peccato, quia peccatum non desinit esse in homine per vltimum sui esse, sed per primum non esse.Itaque primum esse gratiæ, est primum non esse peccati, vt verum sit dicere, nunc est gratia, & immediatè ante hoc fuit culpa.Ita insinuat S.Thom.in hoc art. solut.ad.4.& ad.5.Et ex hoc sequitur, quod si designetur aliquod instans, in quo homo est in peccato mortali, inter ipsum & instans infusionis gratiæ debet intercedere tempus, non certum & determinatum, sed indeterminatum. Vnde, pro quolibet tempore



pore vel instanti designabili,est verũ dicere quòd in illo potest homo iustificari; & tamen indesignatè & confusè requiritur quòd transeat tempus antequã iustificetur,ex suppositione quòd iam in hoc instanti est in peccato.¶Sed quidquid sit de hac solutione, ego nolo concedere quod prærequiratur tẽpus aliquod, in quo homo existat in peccato, ita vt necessario prærequiratur duratio in illo peccato & duratio peccati,vel odij Dei.Imo verò diximus, non esse inconueniens quod intellectiones & volitiones,si secundum se accipiantur,in eodem instanti incipiant intrinsece,& desinant extrinsece, durãdo solum per instans,quamuis moraliter loquendo magis durent.Vnde,cùm transitus de vno termino in alium,subito & in instanti fiat,neganda est consequentia.Et profecto, si successio gratiæ & remissionis peccatorum ad præcedentem statum culpæ & peccati, non subiaceret tempori nostro continuo,sed tempori discreto; tunc illa successio duorum oppositorum in eodem subiecto,ita fieret, vt daretur vltimum instans,in quo fuit peccatum, & primum instans,in quo est gratia, Quia tunc non oporteret esse tempus medium, cum ibi non esset continuitas temporis,quæ hoc postulabat.Veruntamen, quia subiacet tempori nostro actio animæ, quia intelligit in ordine ad phantasmata, & exercet suas actiones & munera, quandiu immersa est corpori dependenter ab illo;idcirco de mutatione suarum actionum iudicare oportet secundum conditionem motuum temporalium,vt videlicet dicamus, quod non est dare vltimum instans, in quo culpa infuit; quamuis supposito transitu de culpa ad gratiam,& ad statum remissionis peccati, verè detur primum instans,in quo gratia est in subiecto, & tunc in tempore præcedenti immediato instanti inerat culpa,quod fuit quasi vltimum tẽpus culpæ, quod fuit terminatum ad instans gratiæ, vt S. Thom. dicit solut.ad.5.vbi negat, quòd detur vltimum instans esse ipsius culpæ,quamuis detur vltimum tempus esse,& primum instans non esse. Vnde,non est idem instans, in quo quis subiacet culpæ,& habet gratiam;quia sic, opposita essent in eodem,sed est idem instans infusionis gratiæ, & non esse culpæ.¶De hac etiam solutione dicemus paulo inferius ad.3. ¶Ad confirmationem respondetur, non esse inconueniens vllum, quòd actus diuersarum potentiarum sint in eodem instanti, cuiusmodi sunt actus fidei in intellectu, & actus charitatis in voluntate.Neque etiã est inconueniens,quòd eadem potentia habeat simul plures actus formaliter distinctos respectu diuersorum obiectorum formalium.Nam,vt Theologi dicunt.1.2.q.8.ar.3.&.q.12. art.4. in eodem instanti potest voluntas ferri in finem,& in media; Imo verò & per eundem actum. Sic ergo dicendum est,non esse inconueniẽs quòd voluntas in eodem instanti,& per eundem actum, secundum substantiam, diligat Deum,& doleat de peccatis propter ipsum Deum, vt optimè dixit Sotus in.4.d.14.q.2.ar.3.Et ita negãda est minor huius confirmationis.¶Ad secundum respondetur,quod tantum probat omne ens resistere suæ corruptioni quando corrumpitur à suo contrario,inter quod & ipsum est actio & reactio, & vera proportio agentis & passi:Cæterum, si dependet ab aliquo in fieri,& in conseruari,illo subtracto desinet esse in eodem instanti, vt liquet in lumine. De qua re fusius diximus.2. conclusione & deinceps in discursu quæstionis.Itaque,quando res pendet à causa in esse,& in conseruari,in vnico instãti euanescit: neq; est aliqua resistentia durans ablata eius causa conseruatrice, & in hoc genere sunt res spirituales, nempe volitiones & intellectiones,quę optimè durare possunt solum per instans.Nam per solam cessationem ab opere, & absentiam conseruantis, corrumpuntur.Vnde diximus supra, nullam esse resistentiam, & non esse inconueniens quòd intellectiones & volitiones in eodem instanti incipiant intrinsece,& desinant extrinsece, seu quòd solum durent per instans,licet moraliter loquendo durẽt ampliùs.¶Ad tertium respondetur,ex his quæ modo dicebamus,negando quòd actus humanus non possit durare tantum per instans: Quia potest intrinsece incipere in eodem instanti,& desinere extrinsece,ita vt solum duret per instans, vt patet de volitionibus & intellectionibus, quæ possunt durare solùm per instans,in quibus tunc erit verum dicere;In instanti,A,est actus humanus,& immediate post hoc non erit, & immediate ante hoc instãs, A,non fuit:Vnde non dantur duo instantia immediata.Et quamuis humana operatio in sui duratione postularet tempus; non tamen consequens est quòd requirat certum tempus,quemadmodum motus in sui inchoatione & desitione requirit tempus,sed non requirit certum tempus: Motus namque ita incipit,Nunc non est motus, & immediatè post hoc erit motus: Nam quocumque tempore dato post hoc instans,in minori iam est motus,neque datur certum tempus, antequod non est motus. ¶Dico etiam, negandum esse colligi ex dictis non posse iustificari hominem in instanti; aut iustificationem exigere certum tempus vt fiat. Nam diximus,iustificationem fieri in instanti si sit sermo de ipsa,quantum ad *eius essentiam, & quantũ* ad eius dispositiones concomitantes & intrinsecas, cuiusmodi sunt contritio,& actus charitatis,& fidei.Ad alteram vero replicam in eodem tertio argumento contentam,iam diximus quo pacto non requiritur quòd operatio humana duret & continuetur per aliquod temporis spatium; & ita non est necessaria aliqua continuatio odij Dei. Aduertendum tamen est,quòd in operationibus instantaneis, & in his quę possunt durare tantum per instans,vt desinant esse, nihil aliud requiritur nisi quod durent tantũ per illud instans. Sicut pari ratione res quæ durant per aliquod tempus,& desinunt esse,non desinunt esse in tempore,in quo sunt,sed dicuntur desinere esse, quia tantum durant per aliquod tempus, & amplius non cõsistunt.¶Ad quartum respondetur, negando antecedens, quia deficit in multis.Nam primo res spirituales desinunt esse per vltimum sui esse,vt patet in lumine & in angelis, si eos Deus annihilaret; & in hoc ordine continentur volitiones & intellectiones animæ nostræ.Secundò, dato quod actus voluntatis desineret esse per primum non esse,non probatur quòd requirat certum & definitum tempus vt desinat esse,sed tantum quòd requirat tempus.De qua re fusè diximus satis. Sotus. 1.posterior.q.1.ad.6.optimè docet quo pacto intellectio-

*Alensis. Ad secundũ. Ad tertium. Ad quartũ.*

lectiones & volitiones noſtræ incipiunt & deſinunt eſſe. ¶Ad quintum reſpondetur, quòd licet nõ poſsit eſſe idem inſtans illud, in quo anima ſubiacet peccato, & in quo accipit remiſsion ẽ peccati, quia aliàs ſimul eſſet in gratia & peccato; tamen benè intelligitur tranſitus de vno termino in alium, ſubito, & in inſtanti fieri; & ita neganda eſt vltima conſequentia. Nam profectò, quãdo dicitur aliqua mutatio eſſe in inſtanti, non intelligitur quòd duo termini eius ſint in inſtanti, quia hoc eſt impoſsibile, cum termini mutationis ſint oppoſiti, per ſe loquendo: Sed intelligitur (vt ſæpius diximus) quod tranſitus de vno termino in alium, eſt ſubito & in inſtanti. ¶Secundò diſſolui poteſt hoc argumẽtum ex ſolutione ad. 5. quam S. Thom. hoc loco adducit. Quia hoc quintum argumentũ pariter eſt quintũ argumentum in articulo, & ad idem valet ſolutio D. Tho. in litera. ¶Rurſus diſſolui poteſt hoc argumentũ ex dictis in totõ diſcurſu quintæ concluſionis, & ex reſponſione, quã paulò ſuperiùs dedimus ad. 1. argumentum Gregorij, vbi interpretati ſumus ſolutionem D. Tho. ad. 5. ¶Bartholo. Medina diſſoluens hoc argumentum cũ alijs Gregorij Arimin. dicit, quòd nõ poteſt dari vltimum inſtans, in quo culpa præfuit, ſed ſolum vltimum tempus; datur tamen primum inſtans, in quo gratia ineſt animæ, & in tempore præcedente præerat culpa, ac proinde primum eſſe gratiæ, eſt primum non eſſe peccati, ad eum modum, quo in introductione formæ ſubſtantialis datur primum inſtans, in quo forma ſubſtantialis introducitur, & in tempore præcedente præerat oppoſita forma, vt Philoſophi. 6. phyſicor. affirmant.

*Ad quintũ.*

*Medina.*

*Ad argum. initio quæſtionis facta.*

Ad alia argumẽta, quæ in exordio & capite quæſtionis fecimus. Ad primum reſpondetur, quòd infuſio gratiæ, & gratia ipſa incipit eſſe in inſtãti, cũ incipiat per infuſionem: & non producitur per motum, aut per applicationem ſucceſsiuam; & idcircò ſi ſit ſermo de iuſtificatione, quantum ad eius eſſentiam, & quantum ad eius diſpoſitiones concomitãtes & intrinſecas, quales ſunt contritio, actus charitatis & fidei, hæc in inſtanti fit, vt explicatum eſt. Neque eſt ſimile de lumine, quod pendet à motu cõtinuo & ſucceſsiuo luminoſi in fieri ſucceſsiuo.

*Ad primũ.*

*Ad ſecũdũ, & tertium, & quartũ.*

¶Ad ſecundum reſpondetur quod militat pro nobis. Imo verò etiam tertium & quartum, quatenus probant, iuſtificationem poſſe fieri in inſtanti, & non indigere tempore, neque quantùm ad ſe, neque quantum ad intrinſecas & concomitantes diſpoſitiones: omitto modo alias antecedentes minus proximas & remotas.

## ARTICVLVS VIII.

*Vtrùm Gratiæ infuſio ſit prima ordine naturæ inter ea, quæ requiruntur ad iuſtificationem impij?*

CONcluſio S. Thom. eſt, quòd quamuis omnia quæ requiruntur ad iuſtificationem impij ſint ſimul tempore; tamen ordine naturæ primum locum obtinet gratiæ infuſio, ſecundum, motus liberi arbitrij in Deum, tertium, motus liberi arbitrij in peccatum, quartum, ipſa remiſsio peccatorum.

## Diſcurſus Articuli.

SAnctus Thomas, cum interrogat, Vtrum infuſio gratiæ ſit prima ordine naturæ inter ea, quæ requiruntur ad iuſtificationem impij, loquitur non ſolum de gratia habituali iuſtificante, qua formaliter ſumus Deo grati; Sed etiam poteſt intelligi de actione, & motione Dei infundentis gratiam: & non de gratia habituali, ſeu de infuſione gratiæ habitualis. Rurſus, remiſsio peccati non intelligitur, quòd ſit formaliter ipſamet iuſtificatio, neque finis principalis vltimus illius, vt manifeſte conſtat ex Trident. ſeſsio. 6. cap. 7. vbi habetur quòd ad diſpoſitiones, ſeu præparationes, de quibus dixerat cap. 6. præcedente, conſequitur ipſa iuſtificatio, quæ non eſt ſola peccatorum remiſsio, ſed ſanctificatio etiã, & renouatio interioris hominis per voluntariam ſuſceptionem gratiæ & donorum. Quapropter, ipſa ſanctitas & interior renouatio, intrinſece & formaliter pertinet ad iuſtificationem, & præſupponit iam remiſsionem peccati. Neque huius contrarium docet Sanctiſsimus Præceptor: quia recenſet remiſsionem peccati inter ea, quæ requiruntur ad iuſtificationem: igitur peccati remiſsio non eſt ipſa iuſtificatio formaliter loquendo; alias impropriſsima locutio eſſet dicere, remiſsionem peccatorum prærequiri, ſeu eſſe prærequiſitam ad iuſtificationem. Nam vt docuit D. Thom. ſupra art. 6. ſubſtantia rei non requiritur ad ſe ipſam, & ita ſi remiſsio peccati eſt ipſa iuſtificatio, non dicitur prærequiri ad iuſtificationem. Et idem Sanctiſsimus Præceptor hic ad. 1. docet, quòd per gratiam remittitur peccatum, vbi fit receſſus à termino à quo iuſtificationis impij, & acceſſus ad terminum ad quem, quia acquiritur ſanctitas & iuſtitia, quæ eſt terminus ad quem. Vnde, in ſchola D. Tho. terminus ad quem formalis iuſtificationis, non eſt remiſsio peccati, ſed ſanctitas per gratiam formaliter cauſata, vt S. Thom. in poſtremis verbis ad primũ hic affirmat, dicẽs, quòd termini iuſtificationis ſunt culpa, ſicut à quo, & iuſtitia ſicut ad quẽ; gratia verò eſt cauſa remiſsionis culpæ, & adeptionis iuſtitiæ. Et ob id Concil. loco citato ait, quòd cauſa formalis noſtræ iuſtificationis eſt iuſtitia nobis inhærens. Hæc autem iuſtitia inhærens non eſt ipſa remiſsio peccati, vt aperte conſtat: igitur cum à tali iuſtitia dicatur iuſtificatio formaliter, non debet dici formaliter remiſsio peccati, ſed acquiſitio ipſius iuſtitiæ.

## DISPVTATIO I.

*Vtrùm diſpoſitiones vltimæ, ad quas infallibiliter ſequitur gratia, procedant à gratia, vel ſint cauſa gratiæ, & in quo genere?*

QVæſtio hæc difficilis eſt, & hodierna die fuſius, quam tranſacto tempore diſputatur à recentioribus Theologis. Et illi, qui opinantur, gratiam non educi de potẽtia obediẽtiali animæ, ſed creari à Deo ex nihilo non eſt cur interrogent, Vtrum diſpoſitiones



*In Trid.*

nes vltimæ poſsint eſſe cauſa gratiæ, ſecundum eſſe reale ſubſtantiale eius. Nam quod creatur ex nihilo, non pendet vt à cauſa eius ab aliqua diſpoſitione. Poſſent tamen illi Theologi, qui opinantur gratiam creari, diſputare, Vtrum diſpoſitiones illæ vltimæ ſupernaturales, cauſent vnionem gratiæ cũ anima, & inhærentiam actualem, ſicut liquet de generatione hominis; in quo licet anima rationalis ex nihilo, à Deo creata, non pendeat à diſpoſitionibus materialibus vt à cauſa ipſius; tamen homo mediis diſpoſitionibus proportionatis ad vnionẽ, attingit vnionem illam ſubſtantialem corporis & animæ. Qui autem dicunt, gratiam educi de potentia obedientiali animæ, non tantum diſputant de vnione ipſius gratiæ cũ anima, ſed etiam de gratia ſecũdũ ſuam ſubſtantiam, an cauſetur ab illis diſpoſitionibus ſupernaturalibus, ita vt illis interueniẽtibus, anima concurrat ad eſſe reale gratiæ, quatenus gratia educitur de potentia obediẽtiali eius. ¶Et pro expoſitione tituli aduerte, quòd in præſẽti eſt ſermo de vltimis diſpoſitionibus & proximis, quæ ſimul tempore ſunt eodem inſtanti & momento, quo gratia eſt producta, & producitur; ac proinde, huius diſputationis ſermo non eſt de actibus ſupernaturalibus fidei informis, & ſpei informis; ſed de illis, qui eodem momento, quæ ſunt, formantur per gratiam & charitatem, quales ſunt dilectio Dei ſuper omnia, & contritio, & deteſtatio peccatorũ. ¶Rurſus pro eodem titulo aduerte, quod diſpoſitiones omnes ad formam aliquam educibilem de potentia ſubiecti, in aliquo genere dicuntur cauſare: Nam, vel cauſant formam, ad quam diſponunt, vel eius introductionem & vnionem. Vnde, Concil. Trident. ſeſsio. 6. pleriſque in locis cap. 5. & 6. dicit, quod homo per propriã voluntatẽ libere ſe mouet ad iuſtitiam; & cap. 6. de actibus dilectionis & contritionis, & de pleriſque alijs dicitur, quòd ſunt diſpoſitiones ad iuſtitiam: & cap. 7. affirmatur, quòd Spiritus ſanctus diuidit iuſtitiam ſingulis pro vt vult, vnicuique propriam, ſecundum cuiuſque diſpoſitionem. Quare, Canone 4. & 9. eiuſdem ſeſsionis anathematizantur illi, qui negant, hominẽ per liberũ arbitrium cooperari ad ſuam iuſtificationẽ. Vnde, nunc quæritur; Qua ratione, aut in quo genere diſpoſitiones iſtæ ſupernaturales vltimæ concurrant ad gratiam, vel cauſent gratiam? Et profecto, vt certa ab incertis ſeparemus, certiſsimum eſt, has diſpoſitiones non eſſe cauſam finalem gratiæ, neque etiam eſſe cauſas formales: Quia omnes ſuppo nunt gratiam potius eſſe finem, & formam earundem diſpoſitionum. Rurſus, ferè omnes Theologi conueniunt, quòd diſpoſitiones iſtæ ſupernaturales concurrunt in genere cauſæ materialis reſpectu gratiæ, aut receptionis eius in anima: Quia præparant illam vt ſit idoneum ſubiectum & materia, vt in ea gratia recipiatur Nam hoc importatur in nomine diſpoſitionis. ¶Ex quibus colligo, quòd præcipua controuerſia eſt de cauſa efficiente, vtrũ diſpoſitionibus illis conueniat aliqua cauſalitas efficientiæ reſpectu gratiæ, vel magis è cõuerſo hæc cauſalitas conueniat gratiæ in ordine ad diſpoſitiones. ¶Neque eſt nobis diſputatio & controuerſia de actu contritionis, prout eſt pars ſacramenti pœnitentiæ: Quia vt pars ſacramenti eſt, eandem habet rationem cauſandi actus iſte contritionis reſpectu gratiæ, quam habet ſacramentum ipſum pœnitentiæ, cuius eſt pars. ¶Tandem, diſputatio & cõtrouerſia hæc non eſt de eo, quòd Deus facere poteſt de potentia abſoluta, ſecundum quam non eſt difficile intelligere, Deum poſſe effectiue cauſare gratiã per vltimas illius diſpoſitiones; ſicut eandem de facto modo cauſat effectiue per contritionem, vt eſt pars ſacramenti pœnitentiæ. Qua propter, diſputatio noſtra, ſolum procedit de eo, quod fit de lege ſecundum potentiam ordinariam, & ſuauem Dei diſpoſitionem in iuſtificatione impij, quando homini gratia confertur per diſpoſitionem liberi arbitrij extra ſacramentum, ea ratione qua per gratiæ ſpeciale auxilium, à Deo permouetur. ¶Simul etiam diſputabitur in hac controuerſia, vtrum contritio quæ ſimul in eodem inſtanti eſt cum gratia, procedat efficienter ſolum ex ſpeciali auxilio gratiæ Dei, quatenus conſideratur vt antecedens prioritate naturæ ipſam gratiam?

Sanctus Thomas, varius videtur eſſe de hac re in hoc art. Quia licet in concluſione dicat, prius natura eſſe gratiæ infuſionem; tamen ſolutione ad ſecũdum videtur aſſeuerare oppoſitum; quoniam dicit, diſpoſitionem ſubiecti præcedere ſuſceptionem formæ ordine naturæ, & quòd idcirco motus liberi arbitrij præcedit ordine naturæ conſecutionem gratiæ.

### *Opinio D. Thom. quam eius diſcipuli defendunt, aperitur.*

HIs ergo ita ſuppoſitis, Prima ſententia & opinio de propoſita diſputatione dicit, quod vltima diſpoſitio ad gratiam, nempe contritio perfecta, procedit ab ipſa gratia habituali effectiuè, ac proinde ait prius natura gratiam intelligi in genere cauſæ efficientis, & formalis, quãuis diſpoſitio intelligatur prius in genere cauſæ materialis. Et eodem modo philoſophatur hæc opinio, ſicut in naturalibus de forma ſubſtantiali & diſpoſitione vltima, & ſimultanea ſiue intrinſeca, quæ in eodem inſtanti eſt cum forma, & ob id dicit, quòd contritio eſt prior gratia in genere cauſæ materialis; gratia verò eſt prior contritione in genere cauſæ efficiẽtis & formalis. Hæc ſentẽtia docet, vltimas diſpoſitiones ad gratiam, ſolum eſſe materiales cauſas ipſius gratiæ, aut ſuſceptionis illius, & nullo modo effectiue concurrere ad ſuſcipiendam eandẽ gratiam, bene tamen è conuerſo, gratiam eſſe cauſam efficientem diſpoſitionum. Hanc opinionẽ tuetur Caiet. in hoc ar. ad ſecũdũ adiũctis his, quę dixit. 1. p. q. 76. art. 6. de forma & vltima diſpoſitione, quẽ ſequutus eſt Ferrar: eius diſcipulus, libr. 3. contra Gent. cap. 153. Canus. 1. p. relect. de pœnitentia verſus finem ad. 4. argumentum: Sotus, lib. 2. de natura & gratia cap. 18. propoſitione. 3. & in. 4. d. 14. q. 2. art. 6. Martinus Ledeſma, idem dicit in. 4. eadem. d. & Caiet. iterum 3. p. q. 86. art. 6. Petrus Soto, lib. inſtitut. Sacerdotũ lect. 10 de pœnitentia. Henric. quolib. 5. q. 23. Ioan. Maior, in. 4. d. 14. q. 1. Vega lib. 6. in Trident. cap. 35. tribuit hanc opinionem Diuo Thomæ. 1. 2. q. 110. ait. 10. & q. 112. art. 2. Et profecto videtur colligi ex eodem S. Thom. hic in corpore & ad. 2. & in. 4. d. 17. q. 1. ar. 4. quæſti. 1. & de verit. q. 28. ar. 7.

*Sententi. 1.*

*Caietanus.*

*Ferrar.*
*Canus.*
*Sotus.*
*Ledeſ. in. 4. q. 26. art. 6.*
*in. 1 p. quarti.*
*Petrus de Soto.*
*Henricus.*
*Vega.*

Hæc

Hæc sententia, quæ proculdubio videtur esse D. Thom. magna habet argumenta & fundamenta, ostendentia vltimam dispositionem adulti ad gratiam, efficienter procedere à gratia ipsa, in quo instanti gratia primò infunditur. Et primò quidem vi
1. *Probatur.* detur esse sententia D. August. libr. de Prædestinat. Sanctorum, & lib. de correct. & gratia, *in* quibus semper contendit contra Pelagianos, quòd Deus infundit gratiam peccatori, vt detestetur peccata: ergo signum est quòd gratia prior est simpliciter
2. *Probatur* ipsa detestatione peccatorum. ¶ Secundo persuadetur. Actus quo adultus vltimò disponitur ad gratiam, meritorius est vitæ æternæ in eodem instanti in quo infunditur gratia: sed non potest esse meritorius nisi procedat à gratia: ergo in eodem instanti in quo gratia infunditur, emanat à gratia & procedit ab illa. Nam certe, si prima dilectio non procedit à charitate, quæ est principiũ meriti, sequitur, quòd non est meritoria gloriæ, cuius oppositum dixit D. Th. 1.2.q.112.art.2.ad.1. quem in hac re sequũtur fere omnes, & nos etiam inferius veluti eius discipuli sequemur, disputantes de merito. Probatur sequela. Nam ad hoc vt actus sit meritorius glorię, postulat libertatẽ, & acceptabilitatẽ ad præmiũ: Nã si actus ipse in sua productione & effectione nó est acceptabilis ad gloriam, quã agẽs per illum meretur, non erit meritorius gloriæ: sed constat actum non posse esse acceptabilem, nisi eliciatur à persona grata antecedenter ad effectionem actus, seu à persona iam habente gratiam, per quam quis est acceptus Deo, & amicus Dei: igitur nisi vltimæ dispositiones præsupponant gratiam in anima, à qua sint effectiue, non possunt esse meritoriæ gloriæ. Sed dices, quod hoc argumentum pariter militat contra nos: Quia nos etiam affirmamus, has dispositiones antecedere gratiam in genere causæ materialis: ergo pariter argumentum factum militat contra sententiam Diui Thomæ. Nam si dispositiones istæ vltimè antecedunt gratiam in genere causæ materialis, sequitur eas non esse meritorias gloriæ. Sed respondetur id non sequi proculdubio, tum quia causalitas materialis, quæ tribuitur dispositionibus vltimis respectu gratiæ, solum est ratio causæ secundum rationem, & non secundum rem, vt infra explicabitur; meritũ autem præsupponit causam realem præmij; Tum etiam, quia ratio meriti in actu, debet sumi ex principio eliciente effectiuo, & non ex materiali causa; principium vero eliciens, dicitur esse voluntas hominis iam habentis gratiã; & sic optime saluatur ratio meriti in actu. ¶ Et confirmatur:
*Confirm.* Ille actus vltimo disponens ad gratiã & iustificationẽ, est dilectio Dei super omnia vel formaliter vel virtualiter, & est meritorius vitæ æternæ, vt dictum est: ergo procedit à gratia in genere causæ efficientis & formalis. Ostendo cõsequentiam: Quia si causa aut potentia non sit constituta prius in actu primo, non potest elicere actum secundũ: sed actus contritionis & dilectionis Dei super omnia, est verus actus secundus supernaturalis: ergo non potest intelligi quòd homo eliciat actum contritionis, & dilectionis Dei super omnia, nisi prius sit constitutus in actu primo gratiæ Dei & charitatis: igitur gratia, quæ est actus primus, ordine naturæ antecedet omnem actum secundum meritorium & supernaturalẽ, cuiusmodi est actus dilectionis & contritionis. Hæc videtur sententia Gregorij. Homil. 30. super Euangelia, vbi sic ait; Qui mente integra Deum desiderat, profecto iam habet, quem amat; quia non posset Deum diligere, si eum quem diligit non haberet. En, apertis verbis insinuatur à D. Gregorio sententia D. Tho. D. August. tracta. 74. in Ioan. n. idem etiam insinuat dicens; Quomodo diligimus vt Spiritum sanctum accipiamus, quem nisi habeamus, diligere non valemus? Ergo negari non debet, quin, actus contritionis, & dilectionis, & similes: quantumuis sint dispositio ad gratiam, supponant & ordine naturæ & rationis ipsam gratiam, & charitatem in homine ita operante. ¶ Profectò, præfatum argumentum magnas habet vires, & efficax est: Nam dato oppositio, nempe, quod contritio non fiat à gratia, neque emanet ab illa efficienter, potest retorqueri argumentum, & eo ostendi, vel contritionem posse esse meritoriam gratiæ, vel non esse meritoriam gloriæ. Quia si contritio non fit à gratia, & nihilominus est priùs natura quam illa, sequitur, quòd potest esse meritoria gratiæ vt antecedens illam & à Deo procedens, vel si non potest esse meritoria gratiæ, sequitur, quòd neque est meritoria gloriæ. Et cõfirmatur: Quia primus actus fidei, fit ab ipsa fide: ergo similiter primus actus charitatis, fit ab ipsa gratia & charitate.

Tertio. Charitas, & gratia gratum faciens, quatenus operatur per virtutes infusas, & per eandẽ charitatem, sunt habitus, qui quantum ex parte sua est, agunt ex necessitate naturæ: sed agens ex necessitate naturæ, præcipuè si instantanea agat actione, in quo instanti primo est, in eodem operatur, vt Sol in quo instanti est productus illuminat: igitur gratia gratum faciens, in quo instanti infunditur adulto cum charitate, qui per suam operationem contritionis & dilectionis, tunc vltimò ad ipsam gratiam disponitur, cooperabitur ad eundem actum, qui in eo ipso instanti producitur. ¶ Quartò. Ille actus, ver
*Quartò.* bi gratia dilectionis seu pœnitentiæ, est eiusdem speciei cum alijs qui postea eliciuntur à charitate, gratia, & pœnitentia: ergo ille etiam à charitate elicitur in genere causæ efficientis & formalis. Ostendo consequentiam: Quia hoc est possibile, cum in eodem instanti, in quo est talis actus, sit habitus, & magis consentaneum est vt actus præcedat à cõnaturali principio, & quod habitus nõ sit otiosus: quam quod non procedat ab illo: ergo, &c. ¶ Si dicas, hoc non esse verum de actu, qui disponit ad ipsum habitum. Contra: Nam benè possumus intelligere aliquam rem disponentem ad aliquam formã, fieri ab illa: ergo. Probatur antecedens in quatuor causis, quæ sunt sibi inuicem causæ. Nam apertio fenestræ disponit ad ingressum aëris; & tamen caletur efficienter ab ingrediente aëre. Rursus, Creatura quæ per creationem fit, in genere causæ materialis, & respectu actionis transeuntis, dicitur prior natura, quam ipsa actio transiens, cum creatura sit subiectum talis actionis transeuntis; & nihilominus est posterior in genere causæ efficientis, cum efficienter fiat per talem actionem: ergo sicut hic intelligimus, per istam actionem fieri subiectum materiale ipsius actionis: ita possumus intelligere per gratiam fieri ipsam contritionem, quæ est dispositio



positio tenens se ex parte subiecti. ¶ Quintò probatur. Quia nisi gratia secundum rem & in genere causæ efficientis esset prior suis vltimis dispositionibus, sequeretur ipsas dispositiones vltimas gratiæ, nempe, contritionem, & dilectionem Dei super omnia, suapte natura non esse actus formatos gratia, sed informes, quod est contra communem consensum Theologorum. Nam quamuis Deus sua absoluta potentia possit concurrere cum voluntate non habente gratiam gratum facientem ad actus contritionis & dilectionis; tamen iuxta suauem dispositionem, & potentiam, seu legem ordinariam Dei, omnes Catholici Theologi sentiunt, non darihos actus nisi informatos gratia. Probatur sequela. Quia si dilectio & contritio antecedunt gratiam, non solum in genere causæ materialis, & secundum rationem, sed etiam effectiue & secundum rem, & non procedunt à gratia vt à causa efficiente & formali, proculdubio sunt informes, & reperiuntur formaliter sine gratia, & saltem ex natura sua non postulat informari gratia. ¶ Sexto probatur. Si contritio esset in omni genere prior quam gratia, vt authores oppositæ sententiæ putant: ergo etiam remissio peccatorum esset prior, atque adeò de facto non remitterentur peccata per gratiam: consequens est falsum: ergo. Probatur sequela: Nam contritio causat expulsionem peccati: ergo si intelligimus contritionem, & non à gratia, intelligimus expulsionem peccati, & non à gratia: Quod vlterius manifesto: Quia si contritio non procedit à gratia, posset Deus efficere, vt posita contritione, non sequeretur gratia: sed tunc ille homo manet contritus: ergo manent expulsa peccata: aliàs si manet in peccato: ergo est auersus à Deo fine supernaturali, & conuersus ad ipsum vt sic: ergo habet duos vltimos fines. Hoc argumentum fundatur in sententia D. Thomæ dicentis, contritionem causare expulsionem peccati etiam effectiue, vt expressè tenet. 3. parte quæstione. 85. articulo. 2. ad. 3. Vnde, si prius omnibus modis est contritio, quam gratia, tam in genere causæ materialis & dispositiuæ, quam efficientis, aperte sequitur, quòd remissio peccatorum antecederet gratiam: & quòd expellerẽtur peccata ante introductionem gratiæ. Quod apparet aperte falsum, cum effectus formalis, & proprius gratiæ, sit peccata remittere. ¶ Septimò. Si contritio & dilectio Dei super omnia non procedunt à gratia efficienter, sed potius antecedunt illam in omni genere, de facto semper esset verum, & diceretur, quòd contritio procedit ab homine peccatore, & non ab homine grato. Probatur: Quia prius natura in omni genere causæ, quam censeatur gratus, intelligitur esse contritus iam: igitur de facto & secundum legem ordinariam est verum dicere, quod homo in mortali existens, habet perfectissimum actum contritionis & charitatis. Quod ostendo: Quia vel ille actus contritionis & dilectionis Dei super omnia, elicitur ab amico vt sic, & ita priùs natura supponeretur gratia, quam eliceretur contritio: Vel elicitur à non amico, aut ab inimico; & tunc intelligeretur homo contritus in peccato mortali: sed non est dicendum quòd contritio procedit ab homine peccatore: igitur procedit ab homine grato, & consequenter à principio supernaturali, hoc est à gratia: quia hæc sola est, quæ facit hominem gratum, & obiectum diuinæ dilectionis. ¶ Octauò *Octauò.* probatur. Quia remissio peccatorum, est prior materialiter infusione gratiæ, & ea posterior effectiue: ergo idem dicendum est de vltimis dispositionibus respectu gratiæ. Patet consequentia: Quia actus dilectionis & contritionis, sicut sunt vltimæ dispositiones ad gratiam, ita etiam ad remissionem peccatorum: ergo eundem ordinem habent ad gratiam, quem habet ipsa remissio. Ostendo antecedens: Quia si Deus (vt potest de sua potentia absoluta) remitteret peccatum absque vlla infusione qualitatis gratiæ, prius esset in genere causæ efficientis Deum esse placatum, & propicium homini, quam quòd illi remitteret peccata; contra vero in genere causæ materialis priùs esset hominem non habere peccatum, quam Deum esse illi placatum & propicium: Neque enim intelligi potest quòd propitiatio & amicitia Dei, quod idem est, terminaretur ad hominem habentem peccata. Cum ergo modo de facto Deus habeat gratum & amicum hominem, infundendo illi qualitatem gratiæ, sentiendum est, remissionem peccatorum effectiue esse posteriorem infusione gratiæ, & ea priorem materialiter. *Nonò.* ¶ Nonò. Dispositio ad gratiam est actus charitatis, scilicet, amicitiæ erga Deum: igitur supponit amicitiam & amorem Dei: ergo hominem amicum & *D.Ioan.* gratum. Patet consequentia. 1. Ioan. 2. Non quasi nos prius dilexerimus Deum, sed quia ipse prior dilexit nos: ergo prius ipse diligit nos per gratiam, quam nos diligamus ipsum per actum charatatis. Vnde, Lucæ. 15. de filio Prodigo, in quo *Lucæ.15.* significatur status pœnitentis dum conuertitur in Deum, vt omnes Sancti Patres affirmant, legimus quòd Prodigus ille filius antequam diceret, Peccaui, osculum accepit à Patre illi occurrente: ergo prius quam nos habeamus dolorem de *Confir.* peccatis, Deus per suam gratiam amplectitur nos ipsos. Et confirmatur: Quoniam amicitia dicit amorem mutuum ex vtraque parte: sed pro illo priori, quo intelligitur contritio, intelligitur amicitia ex parte hominis: ergo etiam ex parte Dei: ergo etiam gratia.

Decimò probari potest hæc sententia per analo- *Decimò.* giam, quæ est inter vltimas dispositiones supernaturales, & gratiam ex vna parte, & vltimas dispositiones naturales, & formam substantialem ex altera. Nam sicut forma substantialis, dicitur in genere causæ materialis posterior vltimis dispositionibus, quia aliàs non intelligeretur forma aduenire materiæ iam præparatæ & vltimo dispositæ: & ex altera parte eadem forma substantialis in genere causę efficientis sit prior eisdem vltimis dispositionibus, quoniam efficiens causa, quæ sua actione formam induxit in materiam, mediante eadem forma etiam induxit effectiue ipsas dispositiones vltimas; ac proinde illæ in hoc genere sunt posteriores forma. Certè, vltima dispositio ad formam ignis, nempe, calor vt quinque, vel vt sex, prior est in genere causæ materialis, quam forma ignis, ad quam disponit; at vero in genere causæ efficiẽtis & formalis, prior

est

est forma ignis in materia, quâ sit ille calor vt quinque, vel vt sex, vel vt octo, quia nullũ accidens in materia præintelligitur formæ substantiali, sed forma præintelligitur omnibus accidẽtibus. Neq; hoc est singulare in forma substantiali & dispositionibus eius, sed eciã est necessariò dicendũ in plerisq; alijs. Quia causæ in vno & eodẽ instanti possunt esse sibi inuicẽ causæ; atq; adeò possunt se mutuo præcedere in alio, atq; alio genere causæ. Nã quãdo aër impetu suo aperit fenestrã, in genere causæ efficientis prior est aëris ingressus, quam apertio fenestræ, quia ingrediendo aperit fenestrã; at vero in genere causæ dispositiuæ & quasi materialis, apertio fenestræ cẽsetur esse dispositio ad ingressum aëris; & ita in genere causæ dispositiuæ, & quasi materialis, cũ illa apertio fenestræ sit dispositio, seu conditio prærequisita vt aër ingrediatur, prior est, quã aeris ingressus, in genere causę dispositiuę, & quasi materialis. Rursus etiã, expulsio formæ, quæ deperditur in corruptione, est prior in genere causæ materialis introductione nouæ formæ, quæ ex generatione inducitur: Neque enim intelligi potest, q̃ noua forma in materiã inducatur, nisi aliqua ratione expellatur priùs antiqua forma ab eadẽ materia; at verò in genere causæ efficientis, priùs est quod introducatur noua forma, quã q̃ antiqua expellatur. Quoniã generans nõ alia ratione expellit formã præexistẽtẽ, quã effectiue nouã inducẽdo, vt patet in exẽplo allato de ingressu aeris & apertione fenestrę. Eo dẽ igitur modo vltimæ dispositiones ad gratiã, scilicet, dilectio & contritio, & etiã remissio peccatorũ, in genere causæ materialis sunt priores gratia & eius infusione: neq; enim Deus infundit gratiã, nisi homini, qui iam dolet de peccatis, & diligit super omnia Deũ, & ei à quo iã intelliguntur expulsa peccata: Contra vero in genere causæ efficientis, priùs est quòd Deus infundat gratiã, quã q̃ sint vltimæ dispositiones ad illã, & etiam remissio peccatorum. Quoniã gratia, qua formaliter pelluntur peccata, effectiue introducitur à Deo, qui ea mediante, effectiue expellit peccata, mouetq; voluntatẽ ad actum contritionis & dilectionis, qui sunt vltimæ dispositiones consequẽtes gratiã. Simile exẽplum adducit S. Tho. in illuminatione aeris, quæ in genere causæ efficientis antecedit expulsionẽ tenebrarũ; cũ tamẽ in genere causæ materialis prior sit tenebrarum expulsio, quã luminis receptio. Pari ergo modo in genere causæ efficiẽtis prior erit infusio gratiæ, vteriorq; illius influxus in actũ, quo adultus vltimò se disponit ad gratiã, quã sit dispositio illa cũ: tamẽ in genere causæ materialis prior sit ea dispositio quã gratia animã informet, ad eumque actum influat.

Sed obijciet merito aliquis: Id quod est subiectum alicuius formæ, etiam est causa materialis illius: cõstat enim subiectũ respectu formæ, quæ ab eius potẽtia educitur, & quam in se suscipit, habere rationem causæ materialis: sed forma substantialis geniti, cui cõparatur gratia, est subiectum respectu dispositionum vltimarũ: ergo est causa materialis earũ, & ex consequenti ipsæ dispositiones vltimæ, nõ possunt habere rationem causæ materialis respectu formæ substantialis, nisi quis dicat, idem respectu eiusdem posse habere rationem causæ & effectus in eodẽ genere causæ, quod plane absurdũ est. Quod verò sit subiectum vltimarum dispositionũ, patet: Quia ex Philosophia liquet, vniuersis Philosophis id asserentibus, vltimas dispositiones subiectari in ipso genito iam cõposito ex materia & forma; ac proinde forma, quæ dat esse toti composito, est ratio cur illud sit subiectum vltimarum dispositionum, & ob eandem causam illa est subiectum earũ, saltem quo. ¶ Respondetur, hoc argumentum efficaciter ostendere, causalitatem materialem, quam habent dispositiones vltimæ respectu formæ, non esse causalitatem secundum rem, & cõsequenter easdem vltimas dispositiones non habere causalitatem, aut prioritatem aliquam realem respectu formæ; ac proinde, causalitatem & prioritatem materialem, quam illis donant Philosophi respectu formæ, solum esse causalitatem & prioritatem secundum rationẽ, vt acutè explicuit Caiet. 1. p. q. 76. art. 6. & 3. p. q. 86. ar. 6. & Ferrar. 3. cõtra. Gen. cap. 153. quibus locis dicunt, quòd forma substãtialis potest cõsiderari secundũ plures gradus ratione distinctos. Nã si cõsideretur secũdũ cõmunissimũ gradũ, hoc est, quatenus est forma substãtialis, hac ratione nullas prærequirit dispositiones præcedentes, quæ eã etiam in genere causæ materialis antecedant. Quoniã materia se ipsa est determinata ad formã, vt forma est; ac proinde non indiget dispositionibus, quibus ad eam ita cõsideratam, intelligatur terminari, sed qui quamcunq; rationẽ formæ effectiuè consequuntur sua accidentia, eaq; intelliguntur cõsequi gradũ communissimum substantialis formæ, dispo nunt materialiter ad gradum minus communem: verbi gratia, accidentia, quæ consequũtur formam vt dat esse corporeum, materialiter disponũt ad eãdem formam, quatenus dat esse minus commune, nẽpe, lapidis aut ignis, & pari ratione philosophandum est in gratia respectu dispositionis vltimæ. Nam vltimæ dispositiones nullam habent prioritatem realem: actus enim contritionis & dilectionis, subiectantur in anima iam habente gratiam. Vnde, duntaxat dicuntur & sunt priores materialiter ipsa gratia, non quidem causalitate reali, sed secundum rationem, ita sane vt priùs intelligatur gratia esse in anima secundum communem & vniuersalem rationem, hoc est, quatenus est perfectio quædam illius, quia ad gratiam ita consideratam, nulla prærequiritur aut præintelligitur dispositio; deinde vero actus contritionis & dilectionis, ea ratione qua effectiuè consequuntur gratiam, materialiter disponũt ad suscipiendam eandem gratiam secundum gradum minus communem & specificum ea videlicet ratione, qua tribuit homini esse supernaturale & diuinum. Nam Deus infundendo gratiam simul mouet voluntatem ad amorem sui, & detestationem peccati.

Dices, hanc distinctionẽ graduũ, tã in forma quę introducitur, quã in dispositionibus, quæ ipsam cõsequuntur, superfluam esse. Quia sine ista distinctione graduum optimè intelligimus apertionem fenestræ, & expulsionem formæ ipsius corrupti, esse materialiter priores, & effectiue posteriores ingressu venti, & introductione formæ geniti, sine vlla distinctione, aut diuersitate graduum in illis cõsiderata: ergo pari ratione absq; ista distinctione graduũ potest intelligi q̃ dispositiones vltimæ sint materialiter priores, & effectiuè posteriores ipsa forma. ¶ Respondetur, longè disparem esse rationem: Nam, cùm apertio fenestræ minimè recipiatur vt in subiecto in ingressu venti, neque expulsio formæ ipsius corrupti in introductione formæ ipsius geniti; idcirco in illis potest intelligi sine distinctione aliqua graduum, quòd idem respectu eiusdẽ sit priùs, & posterius, in diuersis generibus causarum: Quia duntaxat dispositiones vltimæ subiectantur in forma geniti, vt suprà dictum est; & similiter, quòd actus contritionis & dilectionis in anima iam habente gratiam, ideo necessaria est illa graduum distinctio ad explicandum rationem causæ materialis in vltimis dispositionibus respectu formæ substantialis, & respectu gratiæ.



Fuerunt etiam Theologi, qui cùm dixerint, iustificationem adulti compleri actibus virtutum infusarum, consequenter docuerunt, habitus virtutum Theologicarum fidei, spei, & charitatis, efficienter concurrere ad iustificationem adulti, & ea de causa actum credendi, sperandi, & diligendi, in quo instanti sunt dispositiones vltimæ ad habitus, & in quo etiam ipsi primò infunduntur, efficienter ab eisdem habitibus produci. Itaque dicunt, habitus fidei, spei, & charitatis, efficienter concurrere ad iustificationem, quia concurrunt efficienter ad actus diligendi, credendi, & sperandi in eodem instanti, in quo sunt vltimæ dispositiones. Idque ostendunt ex Triden. sess. 6. cap. 7. vbi dicitur, in iustificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Iesum Christum, cui inseritur per fidem, spem, & charitatẽ. Quia fides, nisi ad eam spes accedat & charitas, neque perfectè vnit cum Christo, neq; corporis eius viuum mẽbrum efficit.

Hinc colligunt discipuli D. Thomæ vndecimum argumentum pro eadem sententia. Vnire & efficere membrum viuum, efficiẽtiam significat: sed hæc efficientia non consistit in informatione habituum infusorum, qua animã & potentias eius informant, sed consistit in influxu eorundẽ habituum ad actus diligendi, sperandi, pœnitendi, & credendi, qui in eodem instanti eliciuntur, Christoque vniunt eum qui iustificatur: ergo apertè constat, quo pacto habitus illi infusi, efficienter cõcurrant ad actus illos, quando in primo iustificationis momento eliciuntur. ¶ Et confirmatur: Quia iustificatio est vita spiritualis eius, qui iustificatur: sed viuere spirituale, neque esse, neque intelligi potest sine operatione spiritualis vitæ: ergo. Hactenus de probabili quidem sententia in schola D. Thomæ.

### *Quorundam Theologorum explicatio ex D. Thomæ familia.*

QVamuis ea quæ diximus in fauorẽ D. Tho. sufficienter dicta sint, & efficaciter valdè ostendant intentum; tamen varia cùm sint hominum ingenia, de proposita difficultate & controuersia, cerno plerosq; alios viros aliter procedere in hac re. Et quidem, supposito, quòd in præsenti articulo non loquitur Sanct. Præceptor de dispositionibus tempore antecedẽtibus infusionem gratiæ, sed de his solum, quas homo simul tempore habet cũ infusione gratię, certũ est quòd eodẽ instãti, quo homo ex auxilio speciali Dei habet veram contritionẽ, ei infunditur gratia, & consequenter tunc simul tempore, quo Deus illi gratiã infundit, mouet etiam liberum arbitrium disponendo & præparando ipsum. De qua dispositione dicunt esse totam hanc cõtrouersiam, vtrum sit prior infusione gratiæ, vel potiùs è conuerso? Et profecto, S. Thom. vt vidimus in art. apertè dicit, quòd naturæ ordine prior est infusio gratiæ, quam iste motus liberi arbitrij. Hoc autem S. Thomæ dictum, dupliciter posse intelligi affirmant, vno modo ad modum illius sententiæ, quæ putat, detestationẽ peccati, & dilectionem Dei elici ab homine suis viribus; & sic consequenter docent, detestationem peccati, & dilectionem Dei, simpliciter priores esse infusione gratiæ. Quia quantũ ad substãtiam actus sunt prius natura, quam gratia in illo instanti; si tamen gratia est prior aliquo modo illis, illud esse, dicunt, quantum ad efficaciam merendi, quoniam à gratia habẽt illi actus quòd sint meritorij. Vnde, hac ratione credũt posse intelligi D. Tho. quòd scilicet, velit in articulo dicere, quòd quamuis contritio, quæ procedit ex speciali Dei auxilio, sit simpliciter prior etiam quantũ ad substantiam actus infusione gratiæ; tamen gratia dicitur esse prior quãtum ad qualitates; quas habet talis contritio. Nam à gratia habet quòd sit meritoria, & quòd sit contritio. Quare, sicut homo absolutè prior est albedine; tamen albedo est prior in genere causæ formalis, quia dat homini esse album: Ita dicunt, quòd contritio simpliciter est prior gratia; cæterùm in genere causæ formalis, gratia est prior, quia gratia informans detestationem peccati, facit illam esse meritoriam, & contritionem. Hoc modo Capreolus in 4. dist. 14. q. 2. intelligit & interpretatur S. Thomam, & ita esse intelligendum probat ex eodem D. Tho. in 4. d. 17. q. 1. art. 4. quæstiunc. 2. vbi ait, quòd dispositio informis præcedit gratiam, & sequitur gratiam in genere causę formalis, quatenus informatur à gratia. Quocirca videtur quòd apud Diuum Thomam dispositiones illæ simpliciter & quantum ad substantiam actus, sint priores; & consequenter non producuntur quantùm ad substantiam à gratia habituali, sed ab hominis potentia cum auxilio speciali Dei. Et hoc etiam videtur iterum dicere Sanctus Thomas eadem distinct. quæst. 1. artic. 4. quæstiunc. 1. & 2. Ibi namque dicit, quòd licèt dispositio, quæ disponit materiam ad recipiendum formam, sit veluti causa materialis, & per consequens non sit simpliciter prior forma; tamen dispositio agentis ad agendum, illa reducitur ad genus causæ efficientis; & per consequens est prior simpliciter forma. Cùm ergo motus nostri liberi arbitrij, qui sunt in ipsa hominis iustificatione, quatenus procedunt ex auxilio diuino, sint dispositio introducta ab agente Deo ad introductionem formæ, quæ est gratia, videtur quòd sint simpliciter priùs quam gratia, & quòd si gratia est illis prior, id solum est in genere causæ formalis.

Ab alijs etiã Thomistis, aliter intelligitur S. Tho. nempe, quòd gratiæ infusio sit priùs natura, quam motus liberi arbitrij etiam quãtum ad substantiam ipsius actus & motus, & quòd velit dicere D. Tho. non solùm infundi priùs gratiam, quam contritio habeat quòd sit meritoria, aut quòd sit cõtritio, sed

etiam quòd priùs infundatur gratia, quam eliciatur ſubſtantia illius actus, quæ eſt contritio; Et ſecundũ hanc explicationem ſentiendũ eſt, gratiam eſſe ſimpliciter priorem contritione, cùm contritio producatur effectiuè à gratia. In quo ſenſu explicat S. Thomam, Marſil. in. 4. q. 12. art. 2. vbi aſſeuerat, gratiã eſſe ſimpliciter priorem contritione, quia in omni genere cauſæ eſt prior. Eſt namq; prior in genere cauſæ formalis: quia à gratia habet cõtritio formaliter quòd ſit meritoria: & rurſus eſt prior in genere cauſæ finalis; quia à gratia & charitate habet contritio quòd ſit propter Deum: & iuxta præfatam explicationem, dicunt, intelligendum eſſe D. Tho. Quod probant primò ex hoc articulo, vbi S. Tho. ait, quòd gratiæ infuſio eſt primum in iuſtificatione, & quòd hæc præcedit motus liberi arbitrij: ſed non poteſt ſatis benè intelligi quòd ſolũ præcedat gratia quantum ad informationem, & nõ quantũ ad hoc, quòd eſt actus illos elicere: Quia ſi ante gratiam intelligimus motus illos eſſe elicitos, iam eſſet falſum, gratiam præcedere illos. Hoc idem ſenſit D. Tho. 3. p. q. 85. ar. 1. vbi recenſens motus, qui concurrunt ad remiſſionem peccati, ait, quòd primus eſt actus charitatis, quo deteſtatur peccatum propter Deum; Vbi patet, deteſtationem peccati procedere à charitate infuſa. Et art. 6. ſequenti ait, quòd motus liberi arbitrij in Deum, eſt actus fidei per charitatẽ formatus: ergo prius eſt charitas & gratia. Et ibidẽ art. 1. ad. 1. videtur dicere, quòd contritio producitur à charitate. Sed expreſsius hoc affirmat in hac. q. 113. ar. 7. vbi ait, quòd tota iuſtificatio impij originaliter cõſiſtit in infuſione gratiæ: per eam enim & liberum arbitrium mouetur, & culpa remittitur: Ergo à gratia producuntur motus iſti liberi arbitrij. Et in. 4. d. 17. q. 2. ar. 1. expreſſe ait, quòd antequam gratia infundatur, benè poteſt eſſe actus laudabilis & informis; ſed tamen ille dolor, qui erat informis, nõ manet charitate adueniente; & ideo ille actus in illa infuſione gratiæ formari nõ poteſt, ſed de nouo tunc elicitur actus cõtritionis, quia tunc infunditur habitus pœnitentiæ infuſæ, à quo talis actus elicitur. Et hæc videtur ſententia D. Augu. contra Pelagian. qui ſemper contendit, Deum infundere gratiã peccatori, vt deteſtetur peccata. Nã ſi gratia non concurreret effectiuè ad cõtritionem medijs habitibus virtutum; ſequitur, quòd ſuperfluè infunderẽtur habitus virtutũ infuſarũ cũ ipſa gratia. Patet cõſequẽtia: Quia Deus infundit tales habitus, vt per illos conuertamur in ipſum: ſi autem actus contritionis ſecũdum ſubſtantiam pręcedit gratiam, & habitus omnes infuſos, iam ad nihilum oporteret infundere tales habitus, atq; ita ſuperfluè infunderentur. ¶ Ex quibus omnibus colligũt iſti diſcipuli D. Tho. affirmandũ eſſe, motus liberi arbitrij, qui ſunt in ipſa infuſione gratiæ, effectiuè produci à gratia mediãtibus virtutibus, quæ tunc infunduntur ſimul cum illa, & per cõſequens prius natura eſſe ſimpliciter gratiam, & virtutes, quam tales motus liberi arbitrij. ¶ Quòd ſi contra hunc modum dicendi obijcias argumẽtum commune: Diſpoſitio eſt prius natura forma, ad quã diſponit: ſed motus liberi arbitrij ſunt diſpoſitio ad gratiam: ergo, &c. Aliqui eorum putant eſſe dicendum, quòd in ipſo puncto iuſtificationis habet homo duplicem cõtritionem, alteram informem productam à ſola hominis potentia cum auxilio ſpeciali Dei, & hãc eſſe prius natura quam gratia, quæ quia diſponit ad gratiam, eſt prior gratia; alteram verò formatam, quæ effectiuè producitur à gratia iuſtificante; & hanc, dicunt, nõ eſſe diſpoſitionem, per quam homo diſponitur ad gratiam: quia eſt poſterior illa. Verùm iſte modus dicendi, multa inuoluit impoſsibilia, quæ modò diſputari non poſſunt. Vnde, omnes Theologi ſentiunt, in ipſo puncto iuſtificationis non eſſe niſi tantum vnicam contritionem, & hanc S. Thom. dicit produci à gratia effectiuè. Vnde, licèt ante infuſionem gratiæ præceſſerint motus imperfecti etiã producti ex auxilio Dei ſpeciali, quibus homo imperfectè deteſtatur peccatum; tamen in ipſa infuſione gratiæ ſolum eſt vnica cõtritio producta effectiuè à gratia mediante virtute pœnitentiæ, quæ ſanè contritio, cùm ſit vera & perfecta deteſtatio peccatorũ, eſt diſſimilis in ſubſtantia ab omnibus deteſtationibus antecedẽtibus gratiam, quia illæ erant attritiones, & iſta eſt cõtritio, quæ quamuis producatur à gratia effectiuè *in* ipſa infuſione, & ſit poſterior gratia in genere cauſæ efficientis; tamen illa eadem contritio & diſpoſitio, per quã Deus infundendo gratiã diſponit hominem ad illius ſuſceptionem, in genere diſpoſitionis ſiue cauſæ materialis, eſt prior quã gratia; Et ob id, licet gratia ſimpliciter loquendo ſit prius natura, quam motus liberi arbitrij; tamen ſecundum quid, ſcilicet, in genere cauſæ materialis, priùs eſt motus liberi arbitrij, quam gratia. Eſt exẽplum appoſitiſsimum in naturalibus in via D. Tho. Quia accidentia non ſubiectãtur in materia, ſed in toto compoſito. Nam certum eſt, quod in ligno ante introductionẽ formæ ignis, ſunt diſpoſitiones introductę ab igne, quę quia imperfectę ſunt, non ſufficiunt ad actualẽ introductionem formæ ignis; deinceps verò in ipſa introductione actuali formę, corrumpuntur diſpoſitiones omnes præcedentes, & forma ignis adducit ſecum diſpoſitiones eã conſeruantes, quæ licèt poſteriores ſint eadem forma, quia ab illa emanant in genere cauſæ efficientis; tamẽ in genere diſpoſitionis & cauſæ materialis, ſunt priores. Sic dicunt pleriq; ex diſcipulis D. Tho. dicendũ eſſe in iuſtificatione impij, quòd licet ante infuſionẽ gratiæ præceſſerint diſpoſitiones productæ ex auxilio ſpeciali Dei; tamen in ipſa infuſione gratiæ, omnes illæ diſpoſitiones euaneſcunt, & deſinunt eſſe; & ſic gratia ipſa ſecum adducit diſpoſitionem ſufficientem ad gratiam, quæ diſpoſitio, eſt contritio; Et hæc, licèt ſit poſterior gratia in genere cauſæ efficientis; tamen eſt prior illa ſecundum quid in genere cauſæ materialis. ¶ Verùm eſt, quòd in hoc ſimili non eſt omnimoda ſimilitudo; Quoniam in naturalibus, diſpoſitiones, quæ ſunt in ligno præcedentes formam ignis, & illæ quas ſecum adducit forma ignis, ſunt eiuſdem ſpeciei, & ſimiles ſecundum ſubſtantiam; Cæterùm in præſenti, diſpoſitiones antecedẽtes infuſionem gratię, & ipſa vltima diſpoſitio, quę ſimul eſt coniuncta in infuſione eiuſdem gratiæ, nõ ſunt ſimiles in ſubſtantia, neque ſunt eiuſdem ſpeciei, quia antecedentes diſpoſitiones erant attritiones; illa verò quæ *in* infuſione gratiæ reperitur, eſt vera contritio. Quare, non eſt verum, extra ſacramentum, illud quod adducit Capreolus ex D. Thom. in. 4.



in. 4. diſtinct. 17. quæſtio. 1. quòd idem actus, qui eſt ante gratiam informis, poteſt continuari in ipſa infuſione gratiæ, & formari per illam. Nam certè D. Thom. in. 4. modò ſequitur vnam opinionem, modo alteram; & idcircò eo loco dixit illud, ſequutus aliorum opinionem.

Bartholom. Medina, in comment. huius articuli dicit eſſe duplicem ordinem naturæ, tùm ex parte agentis, tùm etiam ex parte mobilis, & quòd ſi conſideretur iuſtificatio impij ex parte Dei agentis, priùs eſt infuſio gratiæ, per quam mouet liberum arbitrium ad deteſtationem peccati & dilectionem Dei, & tandem ſequitur remiſsio peccatorum: Ex parte autem mobilis priùs eſt expulſio peccati, quã infuſio gratię. Sed quoniam cauſę ſibi inuicem ſunt cauſæ, & vna eſt prior altera; idcircò dicit, quòd Deus in genere cauſæ efficientis priùs infundit gratiam, per quam mouet liberum arbitrium ad deteſtationem peccati & dilectionem Dei, & tandem ſequitur peccatorum remiſsio; at verò in genere cauſæ materialis priùs eſt expulſio peccati, & priùs etiam ſunt actus noſtri, quibus ad gratiam diſponimur. Nam certè, cùm intellectus concipiat & intelligat hæc omnia, quæ in iuſtificatione impij reperiuntur, debet illa ordinatè concipere, & ita vnum priùs altero ſecundum diuerſam rationem conceptam. Quia ſanitas, quę eſt cauſa finalis, priùs mouet ægrotum in genere cauſæ finalis ad deambulationem, & nihilominus deambulatio eſt prior ſanitate in genere cauſæ efficientis; Et aer ingrediens eſt prior apertione feneſtræ in genere cauſæ efficientis, cùm ſuo ingreſſu aperiat feneſtram; tamen in genere cauſę materialis & diſpoſitiuę, prior eſt apertio feneſtræ; nunquam enim aer ſubintraret niſi aperiretur feneſtra. Et idem confirmat exemplis ſuperiùs allatis in fauorem D. Thomæ de formã ſubſtantiali & diſpoſitionibus eius, & exemplo luminis, & expulſionis tenebrarum.

Omnes ferè diſcipuli D. Thom. omnino conueniunt in hoc, quòd tàm gratia, quàm virtutes ſunt priorès vltima diſpoſitione ſecundum totam ſuam ſubſtantiam in genere cauſæ efficientis; Vltimam verò diſpoſitionem dicunt eſſe priorem in genere cauſæ materialis. Et hic modus dicendi eſt communis inter illos, & quamuis ita ſit apud eos conſtitutum, adhuc in explicatione huius ſententię diuerſa ſentiunt, diuerſoſq; habent modos loquendi Caietan. Sotus, & Canus, quorum ſententiam infrà adducemus, & ſpecialiter impugnabimus.

*Quid Author probabiliter ſentiat de propoſita controuerſia.*

HActenus diximus præcipuè in initio controuerſiæ, qualis fuerit ſententia D. Thom. quæ communiter circunferri ſolebat retro actis diebus, & propoſuimus pleraque argumenta & fundamenta, quibus oſtenditur quòd ſit valde probabilis & rationabilis. Rurſus ſecundo loco propoſuimus quorundam Theologorum ex familia D. Thomæ varias explicationes, quæ neque omnes ſunt veræ, neque ſequendæ; imo verò in eis plura miſcentur interdum falſa, quale eſt illud de contritione informi procedente ex viribus liberi arbitrij, quæ ſententia impugnata eſt à nobis in ſuperioribus, vt non tuta, neque ſecura. ¶ Reſtat igitur iam propriam explicare mentem & ſententiam. Et profectò, vt ſeparemus certa ab incertis, ſupponẽdum eſt, actus contritionis & dilectionis Dei ſuper omnia, quibus homo vltimò diſponitur ad gratiam, nõ eſſe cauſas efficientes gratiæ, aut ſuſceptionis illius, in qua re omnes Theologi Catholicè ſentiẽtes conuenire debent. Nam qui maiorem cauſalitatem ponunt ſuſceptionis gratiæ extra ſacramentum, eam dicunt eſſe diſpoſitiuam & materialem, hoc eſt vltimam diſpoſitionem diſponere in genere cauſæ materialis ad gratiam & ſuſceptionem illius; cùm tamẽ gratia ſit à ſolo Deo per infuſionẽ. Hanc veritatem tenentur fateri etiam omnes authores ſuprà citati pro prima ſententia. Nam ipſi dicunt, actus contritionis & dilectionis oriri ab ipſa gratia in genere cauſæ efficientis; ac proinde eſſe realiter poſteriores gratia: igitur ſi ſunt poſteriores gratia in genere cauſæ efficientis, ſequitur quòd non ſunt cauſæ efficientes aut inſtrumentales ipſius gratiæ. Sequela patet euidenter: Quia vnum & idem reſpectu eiuſdem, & in eodem genere cauſæ non poteſt eſſe prius & poſterius: igitur ſi iſtæ vltimæ diſpoſitiones in genere cauſæ efficientis ſunt effectus poſteriores gratia, nõ poſſunt in eodem genere cauſæ eſſe priores illa. Vnde etiam fit, quòd cũ cauſa efficiens reali prioritate exiſtat ante ſuum effectum, ſi gratia eſt cauſa efficiens diſpoſitionum, neceſſariò exiſtit ante illas, & non illæ ante gratiam.

Declaratur etiam id, quod modò diximus de vltimis diſpoſitionibus ad gratiam, ſi philoſophemur in his actibus ſupernaturalibus & vltimò diſpoſitiuis, ſicut philoſophantur omnes in vltimis diſpoſitionibus ad formas ſubſtantiales, in quibus nullus Philoſophorum naturalium agnoſcit aliquam efficientiam reſpectu earum formarum ſubſtãtialium, ad quas vltimò diſponunt, vt cõſtat in calore diſponente ad formam ignis; Si ergo diſpoſitiones in paſſo ſuſceptæ, quæ ſunt vltimæ, non habent efficientiam reſpectu formæ ſubſtãtialis: ergo pari ratione neque vltimæ diſpoſitiones ſupernaturales habent aliquam efficiẽtiam reſpectu ſupernaturalis formę, ſcilicet gratiæ. ¶ Ad hoc nonnulli aduerſarij reſpondent, diſpoſitiones vltimas ſupernaturales non ita comparandas eſſe in ordine ad gratiam, ſicut comparantur vltimæ diſpoſitiones naturales in ordine ad formam ſubſtantialem, ſed eo modo, quo demõſtratio comparatur ad ſcientiam, quam generat, & quo vltimus actus moralis ad habitum moralis virtutis, quem virtute præcedentium producit. ¶ Sed profecto hæc reſponſio nulla eſt: quia licèt gratia ſit habitus, ratione cuius habet genericã quandam conuenientiam cum ſcientia & virtute, vt ſuprà diximus; tamen in propoſito multo maiorẽ proportionem & cõuenientiam habet cum forma ſubſtãtiali, quam cum ſcientia aut virtute. Primò: Quia gratia eſt immediatè in eſſentia animæ vt in ſubiecto, quod non habet ſcientia aut virtus. Secundò: Quia gratia eſt terminus generationis ſupernaturalis, per quam habet homo quoddam nouum eſſe, & nouam vitam, & regeneratur in filium Dei adoptiuum. Tertiò: Quia ſicut ſubſtantialis forma ſecum adducit naturales potentias veluti proprias paſsiones; ita gratia ſecum fert virtutes infuſas,

quæ illam, non secus quam passiones essentiam, consequuntur.

Potest etiam idem persuaderi: Quoniam actus dilectionis & contritionis non possunt esse causæ efficientes virtutũ charitatis & pœnitentiæ: ergo neq; ipsius gratiæ habitualis, aut infusionis eius. Patet consequentia: Quia cùm hæ virtutes consequantur gratiam habitualem, sicut passiones consequuntur formam, vt ex D. Thomæ doctrina colligitur, nihil potest effectiuè causare formam gratiæ, nisi quod effectiuè causet virtutes: Sicut nihil causat passiones, nisi quod effectiuè causat formam, à qua oriuntur. Antecedens autem probatur ex diffinitione virtutis infusæ desumpta ex D. August. quæ sic habet, virtus est bona qualitas mentis, qua rectè viuitur, qua nullus malè vtitur, quã Deus in nobis sine nobis operatur. Vbi Theologi omnes exponunt vltimam particulã, sine nobis efficientibus; non tamen sine nobis cõsentientibus. In qua particula vltima, Augustinus expressit, quo pacto per actus nostros nõ cõcurramus efficienter ad virtutes infusas, neq; ad infusionem earum efficienter fiendam. Neq; valet aut satisfacit id, quod nõnulli respondent, exponendam esse vltimam particulam, sine nobis principaliter efficientibus; non tamen sine nobis instrumentaliter efficientibus, qua ratione illi putãt concurrere vltimas dispositiones ad gratiam: nõ inquã valet hoc. Nam ad hoc vt aliquid verè dicatur fieri sine nobis, dicendum est nos non concurrere ad id etiam vt instrumenta, cuius signum est, quòd non verè sed falsò dicitur Deum infundere gratiam infanti sine baptismo, licet ad conferendam ei gratiam, baptismus tantum concurrat vt instrumentum. Vnde liquet, vltimas dispositiones non esse efficientes causas gratię, aut susceptiones illius etiam instrumentaliter.

*Conclusio.* His igitur sic prælibatis, hanc constituo assertionem de proposita controuersia. Vltima dispositio ad gratiam seu cõtritio, quæ verè est vltima dispositio ad illam, nõ procedit effectiuè ab ipsa gratia habituali, neq; à charitate vel pœnitentia, sed procedit à libero arbitrio specialiter eleuato per auxilium supernaturale Dei: & consequenter talis contritio, quæ est vltima dispositio ad gratiam, est prior illis etiam in genere causæ efficiẽtis; quia priùs natura efficitur; & nõ procedit effectiuè à gratia, neque à charitate aut pœnitentia, quamuis in eodem instanti simul sit gratia iustificans in subiecto, seu in anima. Hæc assertio multò veriùs quam tum ego puto, est D. Thom. & defenditur ab illo, quam prima sententia superiùs allata, vt infra ostendemus; Nam certè de hac re varius fuit Sanctissimus Præceptor; & nihilominus in Summa suæ Theologiæ, & in prima atque tertia parte magis fauet nostræ assertioni & sententiæ, quam oppositę. *Scotus. Palude. Durandus. Ægidius. Vega. Ricardus. Gregorius. Sotus.* Hęc etiam nostra assertio ferè hodie communis est, quam defendunt Scot. in.4. d.14. q.2. & Palude ibidem.q.3. Gabriel.q.2. Durand.in.4.distin.17.q.2. Capreol.dist.14.q.2.ad argumenta Henrici, Ægidius in 2.distin.28.quæst.1.& dist.5.quæst.2.artic.2. Vega in Trident.lib.6.cap.28.29.&.35. Ricard.in.4. distin.14. citata art.6.q.1.vbi se in alium locum remittit, Gregor.in.1.distin.17.q.5.art.2. ¶ Sotus in.4.loco citato pro prima opinione, non solùm fatetur contrariam sententiam eius esse communem, quam nos hic defendimus; sed etiam dicit, D. Tho. opinionẽ esse difficilem, quę intelligatur, & defendatur. Bartholom. Medina in hoc artic. etiam dicit, nostrã sententiam *Medina.* esse satis probabilem; & affirmari posse, ait, liberum arbitrium, non elicere cum gratia gratum faciente vltimam dispositionem ad eandem gratiam, sed cum motione distincta auxilij gratiæ præuenientis, atque Sanctum Thomam locis citatis, nomine gratiæ non intellexisse gratum facientem, sed eiusmodi particulare auxilium supernaturale. Nam certè negari non potest, D. Tho. præter habitualem gratiam constituere etiam illud aliud particulare auxilium supernaturale, vt suprà dixit.q.109.art.7.8.9.& 10.& quæst.112.artic.2.

Huius etiam sententiæ videtur fuisse D. Thom.& mutauisse priorem.1.p.quæst.62.artic.2.ad 3. Vbi loquens de conuersione contritionis, per quam quis se præparat ad gratiam; ait, Ad hanc, scilicet, conuersionem seu præparationem, non exigitur aliqua habitualis gratia, sed operatio Dei ad se animam conuertentis, id est, auxilium Dei. Quo loco apertissimè nostram tenet sententiam, & loquebatur eò loci de præparatione angeli ad gratiam, vbi in tertio argumento inquirebat, vtrùm angelus indiguerit gratia ad hoc, vt se ad gratiam præpararet; & respondet, quòd ad dispositionem vltimam, qua se angelus disposuit, non requiritur gratia habitualis, sed auxilium quod appellat operationem Dei ad se animam conuertentis. Et.3.part.quæst.89.art.1.ad.2. dicit, quòd actus primus pœnitentis, scilicet contritio, se habet vt vltima dispositio ad gratiam consequendam; alij verò sequentes actus pœnitentiæ procedunt iam ex gratia, & virtutibus: Intendit ergo Sanctissimus Præceptor, quòd prima contritio non procedit ex gratia, & virtutibus, sed disponit ad illam. Nam distinguit inter primam contritionem, & cæteros subsequentes actus pœnitentis; & affirmat quòd isti iam procedunt ex gratia. Vnde insinuat, illum priorem, nempe contritionẽ, non procedere ex gratia iustificante habituali. Et.1.2.q.112.art.2.3.&.4. absolutè docet quòd dispositio ad gratiã est ex libero arbitrio & auxilio Dei prout auxilium condistinguitur gratiæ habituali; Et præterea ait, motum liberi arbitrij ad gratiam, esse à gratia operante. Eandem sententiam tenuit.3.part.quæst.86.artic.6.ad primum, cùm tamen ex doctrina eiusdem D. Thom. habitus gratiæ in ordine ad actus habeat rationem gratiæ cooperantis, & in hoc artic. ad secundum expressè dicit, quòd motus liberi arbitrij, quo disponimur ad gratiam, præsupponitur ad consecutionẽ ipsius gratiæ; producitur autem per actionem Dei nouentis nos, & infundentis gratiam; & suprà etiam. quæstio. 109. artic.6. in corpore distinguit duplicem præparationem voluntatis ad bonum, & in secundo membro distinctionis dicit, quòd vt se præparet homo ad susceptionem gratiæ, non oportet supponere aliquod donum habituale in anima, sed solum auxilium gratuitum Dei interiùs animam mouentis, siue inspirantis bonum propositum, hoc est, actum dispositionis & contritionis.

*1. probatur conclusio.* Rationibus & testimonio Concilij Tridentini, etiam persuaderi potest hæc nostra assertio, & sententia.



*Trid.* tentia. Et primò probatur ex Concil. Trident. sess.6. cap.5.& 6. vbi progressum iustificationis describẽs, dicit, ante iustificationem præcedere excitantem & adiuuantẽ gratiam, & ab his fieri eam dispositionẽ, qua posita infunduntur habitus: igitur nõ sit dispositio efficiẽter ab habitu, sed ab illo speciali auxilio supernaturali, quod est gratia adiuuans. Profectò, Triden. Concil. auxilijs gratiæ prœuenientis distinctis ab habitu charitatis & gratiæ, docet adultos disponi vltimo ad iustificationem, & ad gratiã, & tũc demum habitũ infundi, quando illis auxilijs supernaturalibus positis, liberoq; concursu arbitrij, adest ea dispositio: sic enim dicit sess.6. cano.3. Si quis dixerit, sine præueniente Spiritus Sãcti inspiratione, atq; eius adiutorio, hominẽ credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse sicut oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur, anathema sit. Et, Spiritus Sancti inspiratione & adiutorio speciali, affirmat Concil. hominẽ elicere actus credendi, sperandi, diligendi, & pœnitẽdi sicut oportet, hoc est, ita vt sufficiẽtes dispositiones sint, vt ei iustificationis gratia conferatur; ac proinde affirmat Concil. gratiã iustificationis, quæ nihil aliud est quã habitus gratiæ & charitatis, conferri præexistẽtibus illis actibus tãquam dispositionibus vltimis, quæ à præfatis auxilijs specialibus & supernaturalibus Dei dependẽt. Et cano.4. ita habetur: Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atq; vocanti, quo ad obtinẽdam iustificationis gratiam se disponat ac præparet, neq; posse dissentire si velit; anathema sit. Ecce affirmat Concil. liberum arbitrium à Deo moueri & excitari ad eam supernaturalem dispositionem, quam cùm habuerit, iustificationis gratiã, & charitatis habitũ posteriùs natura obtinebit; & vtique affirmat à Deo moueri per distinctum auxiliũ & influxum. Sanè, nihil apertiùs dici poterat, vt intelligeremus vltimam dispositionem ad iustificationem, & ad habitum gratię & charitatis, nõ fieri efficiẽter ab habitu ipso charitatis & gratiæ, sed à præuijs illis alijs auxilijs. ¶ Aliqui recentes Theologi adducunt nonnulla Scripturę testimonia vt probẽt hanc sententiam; sed certè minus rectè quã debuissent ea proferunt; Vnde, adducunt illud Zachar.2. Conuertimini ad me, & ego cõuertar ad vos: Quod sanè testimonium nõ probat sentẽtiam hanc: Quia sicut apud Zachariam dicitur, Cõuertimini ad me, & ego conuertar ad vos, ita etiam apud Hierem. dicitur, Conuerte nos Domine, & conuertemur. Vnde, in prædictis testimonijs id fit quod dicitur in Concil. Trident. sess.6. cap.5. quòd libertatis nostræ admonemur, & Dei nos gratia præueniri confitemur; ex eo autem quòd pręueniamur à Deo, non sequitur contritionem non esse effectum gratiæ iustificantis, vel solũ esse & procedere ab speciali auxilio, & non ab habitu. Nam pariter etiã legimus Psal. 58. Misericordia eius præueniet me. In quo & similibus testimonijs id apertè asseueratur quòd exordium iustificationis & initium non est à nobis, sed à Deo præueniẽte. ¶ Rursus, quando S. Tho. in hoc art. dicit, gratiæ infusionem esse primam in ordine iustificationis, per gratię infusionem, non intelligit productionẽ habituũ, sed alicuius gratiæ, vel auxilij, à quo talis actus contritionis procedit. Vndè, solutione ad secundũ apertè distinguit consequutionem gratiæ, quæ est forma permanens, ab infusione gratiæ, quæ est sola propria Dei.

Secundò probatur: Nam actus meritorius, quo in nobis augetur gratia, est effectiuè non ab eo gradu gratiæ, qui comparatur per ipsum augmentum, sed ab speciali auxilio supernaturali, quod augmẽtum ipsum realiter præcedit: & ita per illum actũ meritoriè augetur gratia: ergo pari ratione vltima dispositio ad primam gratiam, non erit effectiuè ab ipsa gratia, sed ab auxilio speciali Dei, à quo causata, deinceps erit sufficiens dispositio, qua posita sequitur gratia. Nã posita dispositione vltima, quæ est in eodẽ instanti cum forma, ponitur & intelligitur poni gratia, & pariter ponũtur habitus, qui ex illa gratia sequuntur, in quo deceptus est Cano relect. de pœnit. vt infra ostẽdemus. Nã certè posita dispositione vltima, ponitur iustificatio & gratia, & cõsequenter ponuntur habitus supernaturales, vt patet ex Trid. vbi supra. c.7. vbi, vt significaret causalitatem dispositionis in ordine ad gratiam, & ad alios habitus, sic ait; Hanc dispositionem, iustificatio ipsa consequitur per infusionem gratiæ & donorum. Rursus etiã: Quia qui conuertitur ad fidem, disponit se ad illã: ergo qui conuertitur ad charitatem, disponit se ad illam per actum charitatis; & gratia est prior natura, quam charitas: ergo actus qui disponit ad gratiã, à fortiori disponit ad charitatem. Ex his sumo argumentum. Hæ dispositiones vltimæ sunt ex quibus positis statim sequitur iustificatio, quia verè disponunt ad illam, & ad gratiam, & reliquas virtutes inde sequutas, licet talis dispositio simul sit in eodẽ instanti & tempore cum illis: igitur talis dispositio vltima ad gratiam & reliquos habitus, non elicitur ab illis. Patet consequentia: Quia implicat aliquam rem causare id, ex quo ipsa causa sequitur. Vnde Sotus, errorem cẽset esse negare istam causalem, Quia homo se disponit ex Dei supernaturali auxilio, iustificatur, quod de dispositione vltima, quæ est in eodem instanti cum forma intelligendũ est. ¶ Dices, dispositionem vltimam præcedere in genere causæ materialis; & ita quòd in genere causæ materialis causat, sed in genere causæ efficientis causatur. Sed profectò, hæc responsio non satisfacit: Quia quidquid est requisitum ex parte materiæ, vt sit sufficiẽs subiectum formæ, ante formam supponitur, neque potest causari ab illa: sed contritio causatur ex parte animæ, vt sit disposita: ergo non potest causari ab illa forma gratiæ in illo instanti, in quo ipsa gratia producitur. Maior probatur: Quia actio præsupponit subiectum dispositum, in quo vt sic recipitur: ergo à fortiori forma, quæ est posterior actione. Præterea, forma non potest efficere donec introducta sit in subiecto: ergo implicat formam efficere dispositionem necessariam ad suam introductionem; aliàs priùs natura, quam produceretur, intelligeretur efficere. ¶ His respondent aduersarij, etiam in naturalibus id contingere, sed hoc falsum esse diximus in Physicis disputationibus: Et quamuis daremus ibi fieri simul formam, & dispositionẽ cum mutua & reciproca causalitate; tamen semper oportet intelligere virtutem efficientem, quæ habeat vim ad dandum esse vtriq;: ergo in proposito, necessariũ est intelligere auxiliũ sufficiens ad efficiendam actũ & *2. probatur.*

habitum priùs vtroque. Quo argumento Sotus fuit coactus vbi suprà totũ concedere; inquit tamen nõ repugnare, quin habitus simul influat etiam cùm infunditur. Sed profectò hoc non est verum: Quia si actus habet causam integram & totalem priùs natura influentem, quàm sit habitus, iam habitus nihil poterit producere, cùm supponat actum sufficienter productum: Nisi velis dicere, actum priùs natura productum ab auxilio, postea ab ipso habitu effectiuè conseruari; quod post primum illud instans quibusdam videtur verum; non verò in illo. Et confirmatur: Actus priùs natura disponit ad habitum, quam habitus sit in subiecto; atque adeo priusquam habitus efficiat: ergo priùs natura efficitur actus ab auxilio, quam ipse habitus possit aliquid efficere.

*Tertio probatur.* Tertiò persuadetur. Primus actus, qui disponit ad habitum naturalem, non fit ab habitu: Nam prima actio temperantiæ non elicitur ab habitu temperantiæ: ergo neque contritio vel dilectio prima elicitur à pœnitentia vel charitate, sed à potentia cum auxilio speciali supernaturali. Patet cõsequentia: Quoniam idem iudicium habendum est quantum ad hoc de actibus supernaturalibus respectu suorum habituum, & de naturalibus respectu habituum naturalium, hoc excepto, quòd actus habituum infusorum non causant ipsos effectiuè, sicut naturales, sed solùm concurrunt dispositiuè in genere dispositionum, vt dictum est. Et confirmatur: In naturalibus vltima dispositio ad introductionẽ formę, nũquam procedit à forma, sed illa, quæ procedit, tantum est concomitans ad cõseruationem: ergo simile erit in supernaturalibus. Patet antecedens: Quia vltima dispositio ad introductionem formæ, producit effectiuè formam, vt instrumẽtum generantis & generationis: ergo non potest effectiuè produci à forma. Imo verò, in doctrina D. Tho. qui putat, formam aduenire materiæ nudæ, & omnia accidentia recipi in composito, primum esse formæ ignis, est primum non esse caloris, qui produxit talem ignem, & disposuit ad talem formam: ergo non potuit talis calor produci ab illa forma: Quia quando illa incipit esse, iam ille calor non est, sed immediatè fuit: ergo idem dicendum est in proposito, siquidem Deus in ordine supernaturali se se attemperat ordini naturali. ¶ Et cõfirmatur: Quia vltima dispositio ad formam in naturalibus, producit effectiuè formam tanquam instrumentum generantis: ergo talis dispositio non potest effectiuè esse à forma; aliàs in eodem genere causæ efficientis se adinuicem causarent, quod implicat: ergo dicendum est de vltima dispositione ad gratiam, quòd non poterit esse effectiuè à gratia. Et confirmatur ex supra dictis: Quia toto tempore, quo est vltima dispositio ad formam ignis, non est forma ignis in opinione Thomistarum, cùm dicant fieri resolutionem in generatione rei, vsq; ad materiam primam, etiam ex parte omnium accidentium: sed cùm primò est forma ignis, iam non est vltima illa dispositio, sed præcesserit toto tempore antea: ergo nulla ratione fiet huiusmodi dispositio ab ipsa forma, cùm illa forma tunc non sit. ¶ Huic argumento, & præcedentibus in simili forma respõdent authores oppositæ sententiæ, & dicunt, quòd calor ille, qui est vltima dispositio ad formam ignis, non est ille qui antecedit, sed alius distinctus, qui simul tempore & concomitanter aduenit cum forma ignis; & hic (vt putant) sequitur ex ipsa forma ignis, à qua fit in genere causę efficientis; præcedit tamen eam in genere causæ materialis. ¶ Hæc solutio placuit plerisque olim non infimæ notæ Theologis, vt vidimus in discursu primæ sententiæ, neque est prorsus in intelligibilis, vt multi recentiores putant. Sed nihilominus oppositum modò sentimus, & oppositam sequimur opinionem. Nam difficile valde est, intelligere, quo pacto calor ille, qui simul producitur cum ipsa forma, & ab ipsa forma effectiuè, & nõ tantum à forma vtcumque accepta, sed iam vnita materiæ, disponat ad ipsam vnionem fiendam, & antecedat eam in aliquo genere causæ; cùm tamen præintelligatur vnio facta antequam à forma vnita procedat calor ille.

*Quarto probatur.* Quartò arguitur. Impossibile est formam operatiuam aliquid agere in subiecto in quo recipitur, nisi priùs intelligatur recepta in eodem subiecto; quia esse supponitur ad operari: sed vnaquæq; forma præcipuè accidentalis, qualis etiam est gratia, habet esse per hoc, quòd fit & producitur in subiecto: igitur repugnat formam aliquam præcipuè accidentalem efficere dispositionem necessariam ad sui introductionem; aliàs priùs natura efficeret, quã introduceretur; ac proinde priùs natura efficeret, quam esset: Igitur vel sentiendum est quòd gratia non efficit contritionem, vel quòd contritio seu dilectio Dei, non sunt dispositiones ad introductionem gratiæ: sed hoc secundum tutò dici non potest in fide, quia est contra Concil. Trident. Vbi decernitur, contritionem & dilectionem, &c. veras esse dispositiones ad iustificationem impij: ergo. ¶ Rursus, quamuis gratis daremus, dispositionem vltimam ad formam præcedere formam; verbi gratia, ignis in genere causæ materialis; sequi verò ab illa in genere causæ efficientis; tamen quando talis vltima dispositio est actio, id quidem omnino repugnat. Nam quo pacto actio, quæ à forma procedit efficienter, poterit in aliquo genere causæ præcedere ipsam formam aliàs productiuam sui. Quoniam si visio procedit efficienter à potentia visiua in genere causæ efficientis, & elicitiuæ sui, quo pacto visio poterit in aliquo genere causę antecedere suum principium, nempe ipsam potentiam visiuam. Cùm igitur contritio sit actio quædam elicita, impossibile est omnino quòd si procedit ex gratia, charitate, & pœnitentia, sit prior gratia, charitate, & pœnitentia, quæ sunt principia effectiua ipsius; aliàs effectus esset priùs suo principio efficiente, à quo procedit, & etiam omnino repugnat quòd sit dispositio antecedens gratiam in aliquo genere causæ, aut quòd antecedat introductionem gratiæ, cùm sit posterior gratia introducta. Sanè, cum primum lumen recipitur in diaphano, in primo sui esse intelligitur illuminare spatium; at verò quòd illuminatio illa, quæ à lumine seu luce effectiuè producitur, sit dispositio vel ad productionem lucis in aere, vel ad receptionem eiusdem luminis seu lucis, hoc incredibile est: ergo.

*Quinto probatur.* Quintò probatur. Quia si dispositiones illæ contritionis & dilectionis, quæ sunt actus voluntatis, effectiuè procedunt à gratia habituali, & sunt posteriores



steriores illa, sequitur iustificationem ipsam, & susceptionem gratiæ non esse in nobis voluntariam & liberam, neque nos ad eam libere moueri, cuius oppositum definitur in Tridentin. sessione. 6. capit. 6. & 7. Probatur sequela: Quia tam ex parte Dei infundentis, quam ex parte ipsius gratiæ, quæ infunditur, ipsa habitualis gratia est prior operationibus illis nostri arbitrij; ac proinde illa gratia nõ introducitur in animam per liberas operationes nostræ voluntatis, neque nos voluntariè, aut liberè mouemur ad illam. Imo verò, si priùs natura sunt in anima habitus gratiæ & charitatis, & ab illis fit contritio effectiuè: sequitur, quòd positis illis habitibus in anima, posset anima non efficere talem contritionem: consequens est falsum: Nam tunc esset verum, hominem iustificari extra sacramentum sine dispositione: ergo, &c. Patet sequela: Quia contritio liberè fit ab homine: ergo posset non efficere illam. Nam ita se habet homo in illo primo instanti ad vsum habituum supernaturalium, sicut in quolibet alio instanti: sed in quolibet alio posset non efficere contritionem: ergo etiam tunc.

*Sexto probatur.* Sextò idem ostendo. Quia sicut se habet actus intensus contritionis ad augmentũ habitus in genere dispositionis, secludendo modò rationem meriti, ita simplex contritio ad primam gratiam: sed in iusto, actus contritionis, verbi gratia, vt octo, non procedit à gratia intensa vt quatuor præcisè, sed ab auxilio speciali supernaturali: ergo pari ratione in proposito nostræ sententiæ est sentiendum. ¶ Et confirmatur: Quia contritio intensa antecedens, non potest procedere ab habitu dispositiuè intenso per eandem contritionem: igitur neque contritio absolutè potest procedere ab habitu causato dispositiuè per eandem.

*Septimo probatur.* Septimò persuadetur. Nam multi actus supernaturales videntur elici à potentia cum solo auxilio supernaturali, vt in Patria gaudium de obiectis virtutum non existentium in cælo, elicitur à potentia cum solo auxilio, prima affectio ad fidem non est ab habitu, similiter prima dilectio indeliberata non est ab habitu charitatis, vel dilectio Dei, quæ est in martyre, & non sufficit iustificare ipsum vsq; ad completum martyrium, & dolor de peccatis præteritis, cùm nullum est propositum de futuro: ergo pari ratione dici potest, quòd prima contritio non est ab habitu pœnitentiæ, vel charitatis effectiuè.

*Octauo probatur.* Adducor etiam ad veritatem nostræ sententiæ. Quia valde consentaneum est, ad remissionem peccatorum & iustificationem impij, quòd ipse doleat de peccatis & de offensa Dei; & ob id requiritur contritio, quia Deus sic voluit, & statuit cum causis liberis se se suauiter accommodare; atque ita decreuit, & voluit homini se conterenti, & consentienti, &c. infundere gratiam: ergo talis contritio debet esse prior ipsa gratia absolutè & simpliciter loquendo. Ostendo consequentiam. Nam petitur consensus ab homine vt gratia infundatur: ergo prior est consensus, quàm gratiæ infusio; aliàs sine consensu hominis priùs infunderetur gratia, quia priùs infunditur causa illius consensus: ergo. Et confirmatur: Quia Deus promisit gratiam ei, qui habuerit contritionem & dispositionem ad illam: igitur non est necessaria gratia ad habendam primam illam contritionem, & vltimam dispositionẽ. Patet consequentia: Quia implicat promittere donum pro aliquo opere, quod sine tali dono nequit fieri; sicut si Deus promitteret potentiam visiuam ei, qui videret: ergo.

*Nono probatur.* Nonò. Auersio libera peccati, non tollitur nisi per conuersionem liberam ad Deum, scilicet, per actum contritionis: sed si gratia est prior contritione in genere causæ efficientis, absolutè loquendo priùs tollitur auersio, quàm sit conuersio libera: ergo, &c. Probatur minor: Quoniam tollere & auferre auersionem illam, est formalis effectus gratię, sicut expellere tenebras, est effectus formalis lucis: ergo est prior ipsa conuersione libera, quæ est effectus illius. Ostendo consequentiam: Quia absolutè & simpliciter prior est effectus formalis, quam efficiens. Imo verò est independens ab illo; sicut expulsio tenebrarum ab aëre, priùs est quàm quòd lux aeris ibi existens, efficienter illuminet aliud. ¶ Dices, est prior in genere causę efficientis, sed nõ in genere causæ dispositiuę. Sed contra: Quia ordine executionis, gratia est prior contritione: ergo non potest dependere ab illa tanquam à dispositione. Patet consequentia: Quia dispositio est determinans ipsam materiam ad introductionem formę: introductio enim formę est in materia disposita: sed materia est prior executione forma introducenda: ergo dispositio per quam fit materia proportionata. Vnde, est contradictio quòd sit prior & posterior ordine executionis.

*Decimo probatur.* Mouor etiam. Quia contritio post primum esse gratiæ in subiecto, in quolibet alio instanti est posterior, quam gratia in omni genere, quia fit ab illa: igitur si in primo instanti pariter fit à gratia, & emanat ab ea efficienter, esset in omni genere posterior illa, nec posset intelligi quo pacto sub aliqua ratione disponeret ad introductionem eius; Quod sanè sic explico. Nam si homini habenti priùs tempore attritionem vt quatuor, infundatur gratia vt quatuor per sacramentum; tunc in eodem instanti, in quo infunditur illi gratia sacramentalis, potest elicere contritionem; De qua sic argumentor: Illa contritio procedit à gratia in eodem instanti; & tamen non est dispositio ad gratiam: ergo, &c. Patet minor: Quia procedit iam à gratia vt quatuor causata per sacramentum: ergo non disponit ad illam; aliàs si esset dispositio, multò maior gratia infunderetur, atque adeò non procederet à gratia vt quatuor, vt nunc supponimus, sed procederet à multò maiori, si vera esset opposita sententia. ¶ Et cõfirmatur: Quoniam gratia infunditur ad mẽsuram dispositionis: ergo non fit effectiuè dispositio à gratia. Nã profectò, si priùs natura intelligeremus gratiã fieri, iam nõ donaretur gratia ad mensurã dispositionis, neq; infunderetur ad mensurã dispositionis, sed magis dispositio fieret ad mensurã gratiæ; Et tunc erit insigne dictũ: Cur huic datur maior gratia quã alteri? Cui dubio nõ poterit alia assignari responsio, quã q; huic datur maior gratia propter effectũ maiorem, quem posteriùs natura habuit ipsa gratia: Et tamẽ implicat dicere, quòd datur maior gratia propter maiorẽ effectum, quẽ ipsa habuit; Sicut implicat dicere, Deũ creauisse tam perfectũ solem, quia

vidit ita perfectam lucem à Sole priùs natura effectiuè iam productam: ergo, &c.

*Vndecimo.* Tandem. Plerique Theologi iudicant esse euidentissimum, nullum actum, qui sit vera dispositio ad aliquam formam, posse esse ab illa vt à causa efficiente: sed contritio & dilectio Dei super omnia, etiam apud authores oppositæ sententiæ, sunt dispositiones ad gratiam habitualem & iustificantem: ergo tales dispositiones non possunt procedere ab ipsa gratia vt à causa efficiente earum, neque esse realiter posteriores illa. Probatur maior: Quoniam si actus emanat à forma, & elicitur ab ea vt ab efficiente causa: ergo præsupponit formam, vt realiter præexistentem; tùm quia causa efficiens semper præexistit effectui; tum etiam, quia semper forma, quæ est actus primus, realiter antecedit operationem, quæ est actus secundus. Quòd autem forma realiter præcedat dispositiones ad ipsam, videtur continere apertam contradictionem. Nam sequitur, quòd forma simul sit & non sit: erit enim quia effectiuè causat dispositiones, ad quod necessarium est vt sic; non erit verò, quia dispositiones cùm primùm sunt in subiecto, præparant illud ad hoc, vt forma introducatur, & sit in eo; ac proinde tunc forma non est.

*Ostenditur rursus præfata sententia ex impugnatione aliarum.*

NOn est leue argumentum ad ostensionem, & firmitatem sententiæ nostræ, impugnare varios modos dicendi, & explicandi, fundamentum, difficultatem, & labyrinthum oppositę sententiæ. Suppono tamen priùs, quòd infusio gratiæ potest accipi dupliciter, vno modo passiuè, vt dicit receptionem, seu consequutionẽ habitus gratiæ inhærentis nobis; altero modo vt dicit actionẽ diuinam, qua Deus producit gratiam, & dispositiones ad illam: & secundum hanc acceptionem, infusio gratiæ est prior, quam motus liberi arbitrij, & est causa efficiens ipsius; sicut agens naturale producens formam substantialem, priùs producit requisitas dispositiones; sic etiam Deus producens & infundens gratiam, priùs producit dispositiones ad illam. Et hoc vult S. Tho. hic solutione ad. 2. dicens, quòd motus liberi arbitrij ordine naturæ præcedit cõsequutionem gratiæ, sequitur autem infusionem gratiæ. Vbi apertè per infusionem gratiæ intelligit actionem, vel motionem diuinam, quam intelligit S. Thom. esse priorem gratia habituali, vt eam nos consequimur.

Sed obijciet aliquis. Contra: Prima contritio, quæ est vltima dispositio ad gratiam, est meritoria vitę æternę: ergo procedit effectiuè ex gratia & charitate. Huic obiectioni Gabriel in. 4. dist. 14. quæst. 1. art. 2. non longè ante finem illius articuli in discursu cõclusionis quintæ, dicit, vltimam dispositionem ad gratiam non esse meritoriam quatenus præcedit ipsam gratiam, & disponit ad illam, sed quatenus continuatur in virtute illius gratiæ. Itaque dicit, quòd charitas & gratia præueniunt cõtinuationem contritionis & dilectionis, & illius vltimatæ dispositionis; coexistunt tamen in primo instanti, in quo illi actus eliciuntur, & in secundo, in quo continuantur. Vnde, quatenus in virtute illius gratiæ, & charitatis continuantur vltimatę illę dispositiones, sic dicuntur meritoriæ. ¶ Sed quidquid sit de hac responsione Gabrielis, quam nonnulli Theologi dicunt probabilem; Respondetur secundò, & meliùs, quòd actus primæ contritionis, est verè & propriè meritorius: Quia licet effectiuè non procedat ex habitu gratię & charitatis; informatur tamẽ per ipsam gratiam & charitatem: Quoniam procedit secundum rationem formalem ipsarum; & cõpletur per ipsam gratiam & charitatem, quæ sunt in eodem instanti cum ipsa contritione, quod quidem sufficit vt ille actus verè & propriè sit meritorius, licet præscinderemus continuationem ipsius. Vndè pendet à gratia in genere causæ formalis, & perfectiui in esse meriti.

His ergo sic cõstitutis, prima opinio, quæ defendit sententiam primam in exordio quæstionis positam, in qua asseritur, dispositionem vltimam ad gratiam, scilicet, cõtritionem perfectam, esse effectiuè à gratia, & priorem gratia in genere causæ materialis; non in genere causæ efficientis, aut formalis, quia sic gratia est prior contritione; est quam Caietanus insinuat. 3. p. quæst. 86. art. 6. & Ferrar. 3. contra Gent. cap. 155. Quam vt explicent recentiores quidam Theologi, dicũt, quòd gratia habitualis potest considerari secundum diuersos gradus; Primò, in quantùm dat esse diuinum, & supernaturale; Secundò, in quantùm dat esse acceptum ad gloriam. Dicunt ergo hi Theologi, quòd gratia secundum primam considerationem efficit vltimam dispositionem, ratione cuius homo redditur acceptus & ordinatus ad gloriam; ita quòd, sicut in anima nostra distinguimus diuersos gradus, & secundum quòd dat esse corporeum, disponit ad esse viuentis, & prout dat esse viuentis, efficit dispositionem ad esse sensitiuum, vt Caietan. ipse exponit. 1. p. q. 76. art. 6. ad. 1. & Ferrar. 3. contra Gent. cap. 71. Simili ergo ratione philosophantur hi authores de gratia, asseuerantes, quòd ipsa secundum quòd dat primum esse diuinum & supernaturale, efficit dispositionem ad se ipsam, vt dat esse acceptum ad vitam æternam.

Sed contra hunc modum dicendi, & interpretandi difficultatem huius controuersiæ, arguitur argumento communi, sed efficacissimo: Quia implicat, quòd dispositio, quæ præcedit in genere causæ materialis formam, fit effectiuè ab ipsa forma: sequitur namque, quòd forma fit antequam sit; & rursus sequitur, quòd aliquid sit causa sui ipsius. Patet sequela: Quia causa efficiens præsupponit suum esse: si ergo est causa effectiua dispositionis, quæ præcedit esse ipsius, apertè & euidenter sequitur, quòd ipsa habuit esse antequam esset; Quam cõsequutionem ego etiam iuuenis olim conficiebam contra præfatos authores, & opinionem communem illius temporis, & putabam concludere: sed eludebatur argumentum à maioribus, friuolis quibusdam euasionibus. Secunda autem sequela probatur: Quia id, quod efficit dispositiones in materia, efficit formam consequentem illas dispositiones: Si ergo gratia habitualis efficit dispositionem ex qua ipsa consequitur, pari ratione sequitur consequenter quòd efficiat se ipsam. Quapropter, sine dubitatione vlla sentiendum est, quòd licèt causa materialis & formalis, possint esse sibi inuicem causæ essendi, in diuerso genere, quia idem est esse materiæ & formæ: sed tamen causa efficiens, nullo modo aut ratione potest esse causata à suo effectu: quia non est idem esse vtriusque, sed semper præsupponitur esse efficientis, ad esse effectus simpliciter, & in omni genere. Neque obstat illa distinctio gratiæ secundum diuersos gradus & rationes: Quoniã hic quærimus dispositionem ad gratiam secũdum primum esse ipsius, scilicet, quatenus dat esse diuinum, & supernaturale proportionatum, & cõdignum vitæ æternæ; & de dispositione ad gratiam secundum hanc considerationem, negamus quòd procedat ab ipsa gratia, vt sæpiùs diximus.



Secundò arguitur contra præfatum modum dicendi quatenus dicit, vltimam dispositionem esse priorem in genere causę materialis ipsa gratia; gratiam verò & virtutes esse priores in genere causæ efficientis eadem vltima dispositione secundum totam suam substantiam. Nam profectò, id quod est priùs in genere causæ materialis dispositiuè, est id quod priùs inest subiecto, vt diaphaneitas respectu lucis, & lux respectu specierum visibilium: ergo si contritio est dispositio vltima ad gratiam, priùs intelligitur inesse subiecto, quam gratia: ergo gratia non est causa efficiens illius: iam enim in illo priori intelligitur extra causam, imò extra omnem causam: Quia intelligitur existens in subiecto, vt suprà diximus. ¶ Et confirmatur apertè ex dictis: Quia causa efficiens non agit, nisi supposito quòd actu existat: sed existere gratiæ pendet ex eo quòd inhæreat animæ: ergo si est causa efficiens contritionis, priùs inest, quàm insit ei vltima dispositio, quod est contradictorium eius quod dicitur. ¶ Et confirmatur secundò: Quia si gratia vel quidpiam aliud producit vltimam dispositionẽ ad se ipsum: ergo producit se ipsum: consequens est falsum: ergo. Patet sequela: Quia quod ponit vltimam dispositionem, ponit formam. ¶ Et confirmatur tertiò: Quia esse rei est priùs quàm operari: ergo & dispositio ad esse consequenter est dispositio ad operari: ergo si contritio est operatio gratiæ elicita, cùm sit dispositio ad gratiam, erit dispositio ad se ipsam, quòd implicat.

*Tertium.* Tertiò arguitur contra aduersarios. Quia quod est priùs in genere causæ efficientis, intelligitur in illo priori extra omnes causas, vt paulò antea dicebamus: ergo vt sic supponit iam suam dispositionẽ: ergo vt sic non est priùs illa: ergo gratia nullo modo potest esse causa efficiens propriæ dispositionis.

*Quartum. 1.* ¶ Et confirmatur: Quoniam si gratia intelligitur in nobis ante contritionem tanquam effectiua causa ipsius: ergo ante consensum liberi arbitrij: ergo nõ liberè, sed necessariò suscipitur, quod est contra fidem, vt suprà intulimus in probationibus, quibus

*Quartum. 2.* ostendebamus nostram sententiã. ¶ Imo verò sequitur, quòd idem erit causa & effectus in eodem genere. Nam cùm quis in puncto quo perficitur sacramentum pœnitentiæ, habet contritionem, illa contritio est pars sacramenti: ergo efficit gratiam, & per te efficitur à gratia: ergo est causa & effectus in eodem genere.

*Quartum.* Quartò arguitur contra eosdem. Nam ex positione ipsorum sequitur, quòd possumus mereri remissionem peccati, quo ad culpam per contritionem, quæ iuxta præfatos authores procedit à gratia priùs natura quam intelligatur remissio culpæ. ¶ Sanè, exemplum de forma, & de dispositionibus naturalibus præsertim in via D. Thom. dicentis, accidentia subiectari in toto composito, & non in materia nuda, est apertè falsum: Quia ex eo planè sequitur, quòd non priùs insint materiæ, quàm adueniat forma. Nam aliàs forma substantialis aduenire, enti existenti in actu accidentali, & è conuerso.

Canus relect. de pœnit. p. 1. tenet mirabilem sententiam & opinionem, nempe, quòd contritio, quæ est vltima dispositio ad gratiam, non est effectiuè à gratia habituali, ad quam disponit, sed ab habitu charitatis, & pœnitentiæ. Verùm hæc opinio maiorem habet repugnantiam & implicationem. Quoniam habitus pœnitentiæ & charitatis, sunt veluti naturales potentiæ, quibus mediantibus operatur gratia; & nihil efficiunt, nisi in virtute gratiæ, à qua procedunt: ergo implicat quòd contritio sit effectiuè à charitate & pœnitentia, & non à gratia.

¶ Et confirmatur: Quia contritio, sicut est dispositio ad infusionem gratiæ, ita etiam est dispositio ad infusionem habitus charitatis, & pœnitentiæ, qui consequuntur ex gratia: ergo sicut negat Canus, contritionem esse effectiuè à gratia, quia nihil potest esse causa efficiens dispositionis prærequisitæ, ad suum esse; pari ratione debet ille negare quòd contritio sit effectiuè à charitate, & pœnitentia. Itaque, sicut cõtritio disponit ad gratiam, ita etiam ad virtutem charitatis, & pœnitentiæ: ergo sicut Canus iudicat propter suam rationem implicare, quòd sit posterior gratia secundum se sumpta in genere causæ efficientis, ita implicabit quòd sit posterior charitate vel pœnitentia. Patet antecedens: Quia si istæ virtutes darentur sine propria dispositione liberi arbitrij: ergo etiam sine eius consensu: ergo darentur necessariò & non liberè, quod est contra fidem. Item: ergo possumus illam habere, & postea non operari; quia liberum est vti illis, & consequenter qui neque habet actum charitatis, & pœnitentiæ in illo instanti, habet has virtutes. ¶ Præterea: Id quod disponit ad formam, disponit ad consequentia ad formam: sed istæ virtutes consequuntur gratiam: ergo dispositio ad gratiam est etiam dispositio ad illas. Rursus. Actus fidei disponit ad fidem: ergo actus charitatis ad charitatem. ¶ Et confirmatur: Nam vt actus fidei & spei est à solo auxilio quando disponit, quia non potest esse à virtute, ad quam disponit, ita actus charitatis, &c. ¶ Tandẽ; Gratia est causa virtutum per naturalem emanationem, vt S. Tho. & plerique eius discipuli asseuerãt; & virtutes per te sunt causa efficiens contritionis: ergo de primo ad vltimum gratia est effectiua contritionis, quæ est sua vltima dispositio, quod quidem Canus nitebatur vitare, vt retulimus.

Sotus in. 4. dist. 14. quæst. 2. artic. 6. aliam ingressus est viam: affirmat namque contritionem effectiuè esse ab auxilio speciali, & à gratia habituali, pœnitentia, & charitate, & ab ipso libero arbitrio: sed non habere rationem dispositionis nisi in quantum procedit à libero arbitrio. Vnde dicit, actum contritionis posse considerari dupliciter; primò vt est dispositio præcedens gratiam in genere causæ materialis; & sic nó procedit ex gratia, neq; ex aliquo

habitu, vel auxilio supernaturali, sed ex libero arbitrio. Secundò potest considerari in quantũ est actus meritorius vitæ æternæ; & secundum hanc rationem procedit ex gratia, & ex auxilio supernaturali mediante habitu pœnitentiæ, & charitatis; & in eodem instanti producitur secundum vtramq; considerationem ab omnibus istis causis. ¶ Sed profectò, neque iste modus dicendi omnino satisfacit. Primò, quia cùm actus contritionis essentialiter, & secundum totam suam entitatem, non solùm sit dispositio, sed etiam sit meritorius vitæ æternæ, gratis & sine causa dicitur quòd secundum vnam rationẽ sit ab vna causa, & secundum aliam rationem ab altera. Et confirmatur hoc: Quia contritio in ratione dispositionis est quid supernaturale, & ordinis diuini: ergo nõ potest esse à libero arbitrio secundũ se, neque debet ad illud referri; & hoc insinuat apertè S. Tho. suprà. q. 112. ar. 3. in corpore dicens, quòd si loquamur de dispositione vt est à libero arbitrio, non datur illi necessariò gratia: ergo vt sic non est dispositio ad illam. Patet consequentia: Quia ad dispositionem necessariò sequitur forma. ¶ Præterea argumentor ad idem: Quia implicat quòd ille actus sit priùs natura à voluntate cum auxilio diuino, & postea fiat à virtute infusa: Nam in primo instanti naturæ, quo aliquid producitur ab omnibus suis causis, producitur & ad extra ponitur: ergo postea nõ potest produci seorsum ab aliqua illarum. ¶ Et confirmatur: Quia aliàs bis producitur, nempe semel ab vna causa, & semel ab altera. ¶ Item: Quia si Sotus vera diceret: ergo sequitur, quòd idem procedit à pluribus causis totalibus, scilicet, nunc à voluntate cum auxilio, & rursus à virtute infusa. ¶ Et confirmatur: Quia iuxta oppositam sententiam, voluntas non est potens ad actum, nisi per virtutem infusam: igitur in illo priori, in quo adhuc non intelligitur virtus infusa, non poterit agere cum solo auxilio: & similiter sine voluntate & sine auxilio gratuito, charitas, vel pœnitentia non agit: ergo in alio instanti naturæ non potest actus procedere à virtute, qui priùs processerit à voluntate cum auxilio. ¶ Tandem; Actus ille, vt suprà diximus, secundum totam substantiam, & non secundum partem sui, est dispositio: ergo secundum quòd est dispositio non sit à gratia: ergo secundum nihil sui fit à gratia, vel si fit à gratia, cùm secundum se totum fiat à gratia, secundum nihil erit dispositio. ¶ Et confirmatur: Quia idem secundum diuersas rationes non potest esse priùs & posteriùs realiter: ergo quamuis in actu distinguatur vna ratio vt est à voluntate cum auxilio, & alia vt est à virtute; tamen non poterit secundum vnam esse realiter priùs se ipso, & gratia secundum alias posterius.

Ex quibus omnibus satis constat, nostram conclusionem esse valde rationabilem, & etiam modo agendi rerum satis consentaneam, & Theologiæ sacræ conformem. Nam certè ex opposita sententia sequuntur magna inconuenientia & difficilia. Imò verò sequitur, quòd in iustificatione impij actus pœnitentiæ & contritionis est prior, quàm habitus pœnitentiæ, cùm tamen sit ab habitu pœnitentiæ; & idem prorsus sequitur de actu dilectionis respectu charitatis, quod non est satis intelligibile in quocumque genere causæ. Et quòd hoc rectè sequatur, ostendo: Nam actus pœnitentiæ, est prior natura in genere causæ materialis, quàm infusio gratiæ, vt illi dicunt; & infusio gratiæ est prior, quàm habitus pœnitentiæ, aut charitatis: igitur actus pœnitentiæ ab ea elicitus de facto, est prior natura, quam habitus pœnitentiæ eliciens. Profectò, quòd actio, quæ efficienter producitur ab aliqua forma, sit prior natura illa, hoc non potest concipi ab intellectu, neque habet exemplum in natura, quo explicetur. ¶ Sed respondent aduersarij, quòd calor, qui est vltima dispositio ad formam ignis, disponit ad vnionem & productionem formæ ignis, & præcedit formam ipsam in genere causę materialis; licet ille idem calor, qui est vltima dispositio, in genere causæ efficientis emanet & fluat ab ipsa forma ignis, quasi proprietas illius formæ, & affectio fluens ex principijs essentialibus ignis, & ex vi vnionis formæ cum materia. ¶ Verumtamen, hæc responsio non satisfacit: Quia, vt diximus, non potest intelligi quo pacto calor ille, qui est vltima dispositio ad formã ignis, præcedat eam priùs natura in genere causæ materialis, & nihilominus quòd sit effectus verè fluens & habens esse ex ipsa forma, tanquam ex causa efficiente & formali, vt ex argumentis supra tactis patet. Quia tunc idem simul esset & non esset, & simul esset priùs se ipso. Rursùs; ille calor qui priùs natura, & in genere causæ materialis disponit ad introductionem formæ ignis in materia, est ille alter calor, qui tempore præcessit formam ignis, & antecessit, qui fuit ab agente extrinseco inductus; & iste verè est antecedens, & verè est dispositio inductiua & dispositiua ad formam ignis introducendam. Si dicas, hunc calorem non esse, sed euanuisse in illo instanti temporis, quo est introductio formæ, & quo sit forma in materia; & consequenter quòd non potest esse vltima dispositio ad ignem: Quia quomodo potest esse vltima dispositio, si calor ille iam non est in illo instanti initiatiuo formæ quæ introducitur? Respondetur, satis esse quòd fuerit calor ille toto tempore præcedente proximo & immediato ad illud instans, & sufficit illa immediatio, vt possit dici dispositio, ita vt primũ esse formæ ignis, sit primum non esse illius caloris.

Rursùs colligo, aptè satis assignatum fuisse à nobis ordinem istorum actuum, qui concurrunt ad iustificationem impij: constat enim ex dictis, quòd infusio gratiæ, quæ est motio & actio Dei tendens ad gratiæ productionem, est prior quam motus liberi arbitrij: Quia est vera causa efficiens ipsius, & quia in motu liberi arbitrij secundum ordinem naturæ, primum locum obtinet in ordine ad finem, & ideò priùs natura est motus liberi arbitrij in Deum, quàm in peccatum: Ratio enim & causa detestandi peccatum, est Dei dilectio. Rursus, ex motu liberi arbitrij, tanquam ex conueniente, & legitima dispositione, consequitur habitus gratiæ & remissio peccati. Vnde, priùs natura in genere causæ materialis est motus liberi arbitrij, quam habitus gratiæ; ipsa autem gratia est prior in genere causæ formalis, sed non in genere causæ efficientis; sed causa efficiens tam introductionis gratię, quam remissionis culpæ, est ipse Deus, qui etiam efficit dispositiones. Quare, motus liberi arbitrij, quo

præpa-



præparamur ad gratiam, qualis est motus contritionis & dilectionis, est à libero arbitrio cum auxilio speciali supernaturali Dei eleuante. Et quando S. Thom. dicit, quòd infusio gratiæ est prima ordine naturæ in iustificatione, vocat gratiam gratuitam Dei motionem, vt apertè insinuat in hoc articulo ad. 1. & 2. & in corpore; & non intelligit productionem habituũ, sed alicuius gratiæ vel auxilij, à quo talis actus contritionis procedit. Vndè, solutione ad. 2. apertè distinguit Sanctissimus Præceptor consequutionem gratiæ, quæ est forma permanens ab infusione gratiæ, quæ est actio Dei gratuita, & auxilium eius mouens.

*Solutio argumentorum primæ sententiæ, quæ militant contra nostram conclusionem.*

*Ad argum. ad primũ.* AD argumenta quæ in exordio quæstionis facta sunt. Ad primum desumptum ex D. August. in libris de prædestinat. Sanctorum, & de correctione & gratia, respondetur D. Augu. illis libris contra Pelagium egisse, qui omnia reducebat in vires liberi arbitrij, & nullam aliam cognoscebat gratiam, nisi quòd Deus nos fecisset arbitrio liberos; & idcirco contendit, nos egere gratia Dei; nomine autem gratiæ non solùm intelligitur iustificans habitualis, sed etiam actualis; & specialia auxilia supernaturalia, quibus eleuatur natura ad opera suprà ipsam; & ad detestationem illam peccati, antecedẽtem habitum gratiæ, sufficit speciale auxilium supernaturale, & actualis motio supernaturalis Dei, & hanc Deus gratiam infundit peccatori vt detestetur peccata: & hęc sufficit quòd intelligatur prior natura detestatione peccatorũ: Sed ex hoc non sequitur quòd ipsa prima cõtritio procedat efficienter à gratia habituali. ¶ *Ad secundũ.* Ad secundum respondetur, quòd actus ille (cùm præsertim ex influxu gratię preuenientis procedat, & sit supernaturalis) vt sit meritorius vitæ æternæ; satis est si in eodem instanti posterius natura cõiunctum habeat & vnitum gratiæ, & charitatis habitũ, per quem redditur actus ille elicitus ab eo homine, qui in eodẽ instanti est filius Dei adoptiuus, Deo gratus. Nam sicut adultus ipse, per habitum quem recipit, gratus Deo efficitur, acceptaturq; in vitam æternam; sic etiam actus ille supernaturalis, priùs natura efficiẽter elicitus, aduentu eiusdem habitus gratiæ, acceptatur in vitam æternam, redditurque gratus tanquam dignus per cõiunctionem habitus gratiæ vita æterna. ¶ Dico secundò, quòd actus primę cõtritionis, licèt effectiuè non procedat ex habitu gratiæ & charitatis, est verè meritorius: Quoniam informatur per ipsam gratiam & charitatem. Nam procedit secundum rationem formalem ipsarum, & cõpletur per ipsam gratiam & charitatem, quæ simul sunt in eodem instanti cum ipsa contritione: & id sanè sufficit vt ille actus sit meritorius. Nam certũ est, quòd vt sic pẽdet à gratia in genere causa formalis. *Ad cõfir. 1.* ¶ Ad confirmationem admisso, illũ actum esse dilectionem Dei super omnia, negatur consequentia, quia supponimus, illum actum vt antecedenter se habet ad gratiam & charitatem habitualem, non procedere efficiẽter & elicitiuè à gratia & à charitate, quas antecedit, & nihilominus est meritorius, propter causam tactam in argumento secundo pręcedente.

Ad probationem respondetur, verum esse quòd nisi homo constituatur in actu primo supernaturali, non producet actum secundũ supernaturalem; Cæterum per auxilium illud supernaturale, vt antecedenter se habens ad operationẽ, sufficienter constituitur liberũ arbitrium in actu primo supernaturali. Itaque, actus ille primæ contritionis, de quo loquimur, est meritorius gloriæ, non quia est actus elicitus à gratia aut charitate, sed quia cùm sit elicitus ab auxilio supernaturali gratię Dei, informatur gratia in esse meriti. Quare, non oportet omnem actũ meritoriũ effectiuè aut elicitiuè esse à gratia & charitate: id enim necessarium non est, quamuis sit necessarium quòd pro illo instanti, homo habeat gratiam habitualem, quæ cõstituat eum in amicitia & iustitia Dei, & quæ informet ipsum actum cõtritionis, iuxta ea quæ diximus solutione ad. 2. Et hæc est sententia D. Bonauen. in. 4. d. 17. q. 1. ar. 6. Gabriel. d. 14. q. 1. art. 2. prope finem Soto. 3. de natu. & grat. c. 4. Caietan. 1. 2. q. 21. art. 3. & 4. Et profectò S. Tho. non sensit oppositũ: Quia licet ipse & cõmuniter Theologi exigant ad meritum quòd sit à gratia & charitate, per hoc non intelligunt, quòd ita procedat ab ipsis habitibus gratiæ & charitatis, vt etiam ab illis procedat effectiuè, sed satis est quòd ille actus sit à motione gratuita supernaturali, & auxilio Dei speciali, & ab his referatur in finem ipsum charitatis & gratiæ, & vt informetur ab eisdem habitibus gratiæ & charitatis in esse meriti; ita tamen vt homo ipse ex altera parte iam sit constitutus in gratia & charitate, sitq; Deo gratus & dilectus. Sed de hac re plura dicemus. q. 114. de merito.

*D. Bonau. Gabriel. Soto. Caietanus.*

*Ad cõfir. 2.* ¶ Ad secunãd confirm. dicemus infra in materia de merito; & nihilominus negatur sequela. Et ad confirmationem, quæ est replica præcedẽtis, respondetur, in habitu fidei posse assignari disparitatẽ: Quia efficax voluntas credendi, antecedit natura assensum intellectus, & illa posita, infallibiliter sequitur assẽsus in intellectu. Posset ergo dici, posita hac volũtate proueniẽte à Deo, Deum infundere habitum in intellectu, per quem elicit primum actum fidei. Sed licet non sit tam certum; idem tamen videtur cẽsendum de fide: Primò, quia non datur homini habitus fidei, quia vult credere, sed quia credit; sicut datur habitus spei, quia actu sperat. Et prędictæ rationes suo modo etiã procedunt in alijs: neque oportet hãc exceptionem facere in solo habitu fidei, cũ in reliquis omnibus habitibus hoc sit magis consonum naturæ ipsorum.

*Ad tertium* ¶ Ad tertium aliqui dicunt, negandã esse minorem, cõcessa maiori, quia tunc dicunt solùm esse veram minorem, quando vis ad agẽdum, natura antecedit influxum actionis; non tamen quando vis ad agendum est solum gratia coadiuuans, & ad actionem minimè necessaria, atque aduenit posteriùs natura, quam emanauerit influxus actionis, vt in casu nostræ quæstionis probatum est euenire. ¶ Secundò respondetur, quòd cùm actus ille contritionis sit actus liber, & antecedenter se habens ad gratiam, non sequitur, quòd producat illum efficienter, sed solùm sequitur, quòd in cõtinuatione post primum instans pẽdeat ab efficientia charitatis & pœnitentiæ. Nam quando in illo instanti infunduntur charitas & gratia, iam inueniũt priùs natura productum actum illum; & ita non est cur producat efficienter eum.

eum. ¶ Tertiò respondetur, quòd si hoc argumentũ aliquid probaret, etiam ostenderet, quòd toto tempore, quo homo iustus est in gratia & charitate Dei, semper charitas & aliæ virtutes essent in actu secũ-
*Ad quartũ.* do; cùm tamẽ oppositum sit euidens. ¶ Ad quartum respondetur, negando consequentiam. Nam iam dictum est, repugnare vt actus qui disponit ad habitũ, procedat ab ipso effectiuè. Ad replicã respondetur, ea quæ causant secũdum eundem modum essendi, non esse sibi inuicẽ causas. Vndè, finis causat intentionaliter secundũ esse quod habet tantũ obiectiuè in intellectu; causatur verò secundum existentiam realem; at verò aliæ causæ quæ causant secundũ esse exercitum reale, non sunt sibi inuicem causæ. Nam causa efficiens, nõ efficit suum propriũ subiectum, neq; causa materialis suam causam formalẽ, in quo latet non parua æquiuocatio. Quia forma ignis, nõ est causa formalis materiæ primæ, sed ipsius ignis; materia enim non habet esse materiæ à forma ignis tanquã à formali constitutiuo materiæ: manet enim eadem materia corrupto igne: sed materia est causa formæ, quia forma ex materia fit, & in illa sustentatur; at forma non est causa materiæ, cùm materia nõ educatur ex forma. Et ratio ad omnia hæc est: Quia esse rei, est posterius omnibus suis causis, quæ causant secundum esse reale: sed vt tales causæ causent effectum, supponitur in illis suũ esse reale: ergo hoc esse in omnibus causis, est prius quam in effectu. Dixi, de causis realibus: Nam cùm negatio alicuius formæ supponitur ad introductionem alteriùs, dicitur quodammodo causari ab illa, & etiã præcedere illam in genere causæ dispositiuæ, vt expulsio frigiditatis supponitur ad introductionem caloris, & quodammodo causatur à calore; sed tamen in re, solùm calefaciens extrinsecum est, quod expellit efficienter frigiditatem, efficiẽdo calorem: at ipse calor dicitur expellere, non quia sit formaliter expulsio, sed quia est veluti finis, propter quem materia desistit à conseruanda frigiditate; & idcirco inter illa nõ videtur proprius ordo causalitatis, sed tantũ secũdum rationem, quatenus intelligimus materiã recedẽtem à termino à quo, vt accedat ad terminũ ad quem; Sicut cùm quis mouetur, recessus ab vno termino non est propria causa realis accessus ad alterũ. ¶ Ad illud verò de ingressu aëris respondetur, ingressum illum nõ esse causam effectiuam apertionis fenestræ, sed impulsum aeris violenter mouẽtis per suum contactum, qui impulsus aperit effectiuè fenestram, & disponit atq; parat medium ad ingressum aeris. ¶ Vndè, negatur probatio consequentiæ argumẽti principalis, nempe esse possibile quòd in eo instanti, in quo est aliquis actus, priùs natura antecedenter ad habitũ & disponens ad introductionem habitus, producatur efficienter ab illo habitu, ad cuius introductionem disponit. Et pariter negatur, posse nos rectè intelligere actum disponentem ad introductionem formæ, fieri ab illa effectiuè. Rursus fateor, actum illum esse eiusdem speciei cũ alijs, qui postea ab habitibus emanãt & proficiscuntur: Quia in idem formale obiectum, & sub eadẽ ratione formali tendunt. Quòd verò iste actus procedat ab habitu, & ille à potẽtia cum speciali auxilio supernaturali, hoc non mutat speciem. Nam eodem pacto in virtutibus acquisitis, actus elicitus à temperãtia iam acquisita, eiusdem speciei est cum illo, quem sola potentia elicuit & produxit in exordio acquisitionis ipsius habitus temperantiæ. Nam profectò, si non esset eiusdem speciei iste actus cum illo procedente ab habitu iã acquisito; sequeretur apertè, quòd ex istis actibus multiplicatis non generaretur habitus temperantiæ vnius & eiusdem speciei; Quamuis negari non debeat, quin actus ille sit perfectior, qui procedit simul ab habitu cum potentia.

Quapropter, actus dilectionis, qui postea à charitate elicitur, perfectior est actu illo dilectionis, qui est dispositio ad gratiam & charitatẽ, & à solo auxilio speciali supernaturali effectiuè productus. Quãuis hic actus sit dilectionis Dei super omnia, & per quem homo ille Deum diligit. ¶ Sed obijcies: Si ille diligit Deum super omnia: ergo Deus diligit eum: ergo in illo priori habet gratiã, quæ reddat eũ obiectum congruum diuinæ dilectionis. Respondetur, quòd in illo priori contritionis & dilectionis antecedẽter ad habitum prioritate naturæ solum, Deus etiam diligit hominem illum per modum actus secundi, hoc est, diligit actum illum; non verò intelligitur adhuc homo pro illo priori simpliciter dilectus, sed quasi secundum quid. Quia adhuc pro illo priori intelligitur homo sub peccato per modum actus primi, & non per modum actus secũdi: Et ob id non requiritur vt in illo priori intelligatur vt habẽs gratiam per modũ actus primi. Dices: Ille actus charitatis, est eiusdem speciei cum cæteris actibus charitatis: ergo est actus mutuæ amicitiæ: ergo non stat intelligere hominem illum vt diligentẽ Deum sine eo, quòd etiã Deus illum diligat. Respondetur, verum esse quòd Deus diligit illum eodem pacto, quo ipse Deum; ipse verò non diligit Deum in illo priori perfectè, neq; intelligitur adhuc pro illo ipso priori vt perfectus eius amicus, nisi tantum secundum quid, id est, in actu secundo, remanente inimicitia quasi per modum actus primi; atque ita Deus diligit illum per modum actus secundi.

Ad vltimam replicam eiusdem quarti argumẽti, dici posset, vel creationem non esse actionem transeuntem, vel actionem cum sit ipsa res in fieri non esse causam efficientẽ rei, atq; adeo in nullo genere causæ esse priorẽ ipsa re: implicat enim intelligere actionem, quin intelligatur res quæ fit; igitur nõ est prior natura: Inde namq; Aristoteles probat, vnum relatiuum non esse priùs natura alio, quia vnum nõ potest intelligi sine alio: Solet autẽ actio dici prior quam effectus, & via quam terminus, quia consideratur actio in ordine ad id, quod postea resultat; nõ verò in ordine ad id, quod fit dum ipsa durat, verbi gratia, calefactio & calor indeterminatus, qui simul fit per illam, sunt simul natura, quia nihil aliud est calefactio, quã calor vt ab agente: at verò calefactio est priùs natura quã terminus caloris, qui postea resultat: Et quia hæc ratio cessat in ordine ad creationem, non erit prior natura. Præterea; Non negamus quin aliqua possint esse priùs & posteriùs in diuerso genere causæ; nõ tamen in genere causæ efficientis, de quo procedunt rationes nostræ conclusionis: Quia efficere, non est de cõstitutione rei, sed supponit rem iam cõpletè constitutã; & idcirco, antequã res efficiat, intelligũtur omnia requisita vt fit, quod non eodem modo militat in creatione, de cuius ratione



tione est, vt sit in subiecto, neque in alijs formis, in quorum constitutione intrat ipsum esse materiale vt pars, vel vt subiectum; Imo verò licet modus quem prima opinio fingit, esset possibilis; hic tamen videtur conuenientior, & magis conformis Scripturæ & Concilijs, & modo naturali, quo dispositio supponitur ad formam.

*Ad quintũ.* Ad quintum principale respondetur, quòd actus contritionis & dilectionis, qui sunt vltimæ dispositiones, & procedunt ex speciali auxilio supernaturali, cùm in eodem instanti (licèt posteriùs natura) habeant coniunctum habitum gratiæ & charitatis, hoc sufficit vt actus ille sit formatus, & cõsequenter meritorius, neq; requiritur q̃ sit effectiuè à gratia. Et certũ est, quòd in eodẽ instãti homo ille est filius Dei adoptiuus, & Deo gratus; ac proinde, illi actus per coniunctionẽ ad habitus gratiæ & charitatis, verè dicũtur informari gratia & charitate in esse meriti. Vndè, solutionẽ huius argumenti copiosè dedimus sup. solut. ad. 2. & ad eius primã cõfirmationẽ.

*Dubium.* Occasione huius argumenti, difficultas se se offert de actu contritionis, & dilectionis Dei, elicito à potẽtia ex auxilio Dei speciali, & nõ effectiuè à gratia & charitate: Quo pacto id possit esse verũ? Et vtrum necessariũ sit, vt potentia constituatur in actu primo per habitum, ad hoc vt eliciat actum supernaturalẽ, ita vt oppositũ de potẽtia Dei absoluta fieri non possit? Et est sermo de potẽtia elicitiua in quantũ est causa principalis alicuius actus: vtrum voluntas, verbi gratia, sine habitu possit elicere actum supernaturalẽ cõtritionis & dilectionis: & vtrũ ad id sufficiẽter cõstituatur voluntas in actu primo, per auxiliũ supernaturale? Et sanè ratio dubitãdi sumitur ex occasione quinti argumẽti. Quia si nõ requiritur quòd potentia sit cõstituta in actu primo per pœnitentiã & charitatẽ habituale ad eliciendũ actũ cõtritionis & dilectionis; sequitur primò, quòd darẽtur actus dilectionis & cõtritionis informes. Secũdò sequitur, quòd respectu istarũ operationũ voluntas se haberet non vt causa principalis, sed vt instrumentalis: Quia voluntas vt operetur tanquam principalis causa, necesse est vt agat per virtutẽ intrinsecã, per quam cõstituatur in actu primo: sed ad hoc non sufficit auxiliũ illud, cũ nõ inhæreat: ergo, &c. Probatur minor: Quia instrumenta verè habent motionẽ, & auxiliũ à principali agente; & tamẽ per hoc nõ dicũtur esse principales causæ: ergo. ¶ Secunda ratio dubitandi est. Nã actus eiusdẽ speciei non potest elici nisi à causa, quæ vel formaliter vel eminenter sit eiusdẽ speciei, hoc est, cõtineat in se ipsa totã perfectionẽ specificã, quam debet in effectum transfundere: sed voluntas absq; habitu charitatis nõ habet in se, aut formaliter, aut virtualiter entitatẽ illam, vel perfectionẽ supernaturalem, quã debet transfundere in actum dilectionis Dei super omnia: ergo absq; illo habitu nõ potest elicere voluntas talẽ actum cõtritionis, vel dilectionis. Dices, quòd auxiliũ tribuit volũtati supernaturalitatem quandã, ratione cuius voluntas in se ipsa cõtinet supernaturalitatẽ illius actus contritionis & dilectionis. Sed hoc non satisfacit: Quia ipsi auxilio debet præintelligi causa, & consequenter ante auxiliũ debet causa præhabere in se & cõcipere perfectionẽ sui actus, aut effectus. Rursus secundò: Quia illud auxilium cùm non inhæreat voluntati non potest ei dare, vt sit causa si aliàs voluntas ipsa non sit causa.

Huic dubitationi, in discursu huius materiæ de gratia sufficienter assignauimus responsionem, & etiam. 1. p. quæst. 12. art. 5. disp. 2. & idcirco rem hanc paucis absoluemus. Aliqui recentiores dicũt, quòd voluntas per auxilium illud supernaturale non cõstituitur in actu primo, sed putant, voluntatem constitui in actu primo se ipsa, & de se, in ordine ad actum supernaturalẽ: Sed hoc non solũ est falsum, sed etiam ridiculum & cõtra Philosophiam. Primò, quia actus primus & secundus debent esse eiusdem ordinis. Secundò, quia potentia existens in actu primo respectu actus secundi, est in actu virtuali respectu secundi: at volũtas se ipsa, & ex naturalibus præcisè, non est in actu virtuali supernaturali, vt pariat & producat actum secundum supernaturalẽ; ergo. Tertio, quia actus secũdus supernaturalis, dicit respectum ad actum primum supernaturalem: ergo si voluntas est in actu primo in ordine ad actũ secundum supernaturalem, necessariò debet esse in actu primo supernaturali: ergo non se ipsa tantum: ergo per motionem supernaturalem Dei, quæ mouet potentiam voluntatis per modũ transeuntis, & cuiusdam intentionis, seu vsum passiuum, quo voluntas mouetur à Deo, verè constituitur in actu primo, in ordine ad actum secundũ supernaturalem. Quartò: quia forte etiam est ridiculum dicere, quòd instrumentum artificis non præintelligitur priùs in actu primo, quam in actu secundo per assumptionẽ eius, qua assumitur ab artifice, & tãgitur, & per receptionem motus & modificationis antecedenter ad exercitium eius, & ad actum secundum, seu exercitum: quamuis ad propositum nihil interest, quòd instrumentum sit priùs in actu primo, vel non sit: quia potentia vitalis respectu suæ actionis non est propriè instrumentum, cùm principiũ vitalitatis intrinsece sit in ipsa. Quintò: quia etiam est ridiculum dicere, quòd quia intellectus potest ferri in omne intelligibile, & visus in omne visibile, & volũtas in omne amabile, quòd idcircò respectu obiecti supernaturalis, volũtas & intellectus se ipsis ex naturalibus præcisè, sunt sufficienter constituta in actu primo, & in actu virtuali respectu actus secundi supernaturalis, & respectu obiecti supernaturalis. Quia obiectũ supernaturale & naturale, nõ efficiunt vnũ obiectum vniuocũ, sed analogũ respectu potentiæ. Vndè, obiectum adæquatũ intellectus, licèt cõprehendat ens naturale & supernaturale; tamẽ cùm partitur ens in naturale & supernaturale, explicantur duæ rationes primò diuersæ, non solũ in ratione entis, sed etiã in ratione cognoscibilis. Quia obiectũ propriũ diuinæ intellectus, est ens supernaturale; & idcirco, sicut ens naturale cognoscitur à potentia naturali, ita supernaturale cognoscitur à potẽtia supernaturali. Et pari proportione, sicut cõstituitur in actu primo naturali in ordine ad actum secundũ supernaturalem; ita in ordine ad actum secundum supernaturalem debet constitui in actu primo supernaturali, per aliquid supernaturale. Fateor tamen quòd includitur intra obiectum adæquatum volũtatis & intellectus illud obiectum supernaturale amabile & intelligibile; & idcirco potest habere actionem vitalem supernatu-

pernaturalem circa illud, intellectus & voluntas, si proportionetur per actum virtualem eiusdem ordinis: Alias non esset habiturus eam intellectus.

Quocirca sentiendū est, voluntatē creatam posse elicere & producere actū cōtritionis & dilectionis Dei super omnia sine habitu charitatis, & ad talem actū sufficit ipsam constitui in actu primo, ad quam constitutionē satis est auxiliū supernaturale. Idque apertè cōstat in alijs actibus antecedētibus iustificationē, vt patet de actu attritionis, & de timore gehennæ, quo homo cōcussus displicet de peccatis, & patet etiā de plerisq; alijs actibus supernaturalib⁹, qui eliciūtur ex auxilio speciali Dei, & nō ex habitu supernaturali. Præterea, volūtas habens charitatē minus intēsam, si eliciat dilectionē intensam, vt si habēs charitatē vt duo, eliciat dilectionē intensam vt quinq; per quā augeatur; tūc ille excessus certū est quòd nō prouenit ab habitu, sed à potentia cū auxilio: igitur volūtas nostra potēs est circa aliquid, respectu cuius nō est cōstituta in actu primo per habitū. Vnde, nō sic se habet voluntas cū illo auxilio ad diligendū Deū, sicut se habet aqua ad calefaciendū suscepto calore. Quia aqua suscepto calore ad calefaciendum, habet se vt purū instrumentum. Vnde, actio calefaciēdi, calori impresso ab igne ipsi aquę, tribuitur, & etiā ipsi igni principaliter agēti: at verò tā intellectus, quā voluntas, habēt ab intrinseco quòd sint potētiæ volitiuæ & intellectiuæ, & principiū amoris & dilectionis & intellectionis, & principiū vitalitatis; & idcirco non aufertur ab eis quin sint vera causa, licèt iuuentur speciali auxilio Dei. Vnde, cū Deus non possit producere istum actū dilectionis vitalē, signū est quòd volūtas habet virtutem intimā concurrendi ad actū dilectionis tanquā vera causa; ad actū verò supernaturalē, circa supernaturale obiectū, cùm ille includat modū propriū diuini obiecti, requiritur quòd constituatur in actu virtuali supernaturali. Hoc autē esse verū, constat: præcipuè quòd voluntas cōcurrat vt causa, & vt habens virtutē respectu vitalitatis & actionis, quāuis respectū actus supernaturalis præter propriā virtutē volūtatis, necessariū sit aliquid supernaturale in ea receptū per modū motionis. Quia si nō haberet propriā virtutē, quā in semetipsa habere diximus ipsā volūtatē, posset quidē ita produci dilectio mediāte aqua vel lapide, sicut producitur mediāte volūtate, siquidē nō haberet volūtas vim ex proprijs, aut cōcursum ad volitionē, sicut nō habet aqua. ¶ Quapropter, non satisfacit mihi dicere, quòd pura volūtas naturalis ex sibi proprijs, præscindendo eā ab omni entitate supernaturali, & modo supernaturali, cōtinet in se totā perfectionem actus supernaturalis, & quā debet transfundere in actū supernaturalem, & quòd cōtinet hanc perfectionē supernaturalē radicaliter & inchoatiuè; quod tamen mihi videtur & absurdum & ridiculum; Quia radix supernaturalitatis in actu, debet esse supernaturalis, vel includere respectū ad aliquid supernaturale, vel modum supernaturalē. Nam certè, naturalia vt naturalia sunt præcisè, non sunt radix supernaturalitatis, quamuis verum sit quòd gratia supponat naturam, vt id subiectum quod perficitur ab ea, sed non vt radicem & virtutem commensuratam respectu supernaturalitatis. Sed de hac re, legenda sunt, quę fusiùs dixi mus. 1. p. quæst. 12. artic. 5. disputat. 2.

Ex quibus omnibus colligo, actus cōtritionis & dilectionis Dei super omnia, in illo instanti in quo sunt vltima dispositio, & in quo simul in voluntate reperitur charitas, & in essentia animæ gratia iustificans, verè posse dici actus formatos gratia, & non informes, iuxta solutionem & modum dicendi, quem diximus suprà solutione ad. 2. & ad eius confirmationes, & etiam solutione ad. 4. ¶ Et per hoc patet solutio ad. 5. argumentum principale.

*Ad sextum.* Ad sextum principale negatur sequela: Cōtritio enim non causat expulsionē peccati formaliter, sed dispositiuè, sicut etiā & dispositiuè se habet ad gratiā. Si tamen Deus posita cōtritione de potentia absoluta nollet sequi gratiā, maneret homo cōtritus, & nō intelligeretur esse remissum peccatū: Imo verò dicūt nonnulli, quòd in eo casu maneret homo cōtritus & in peccato mortali, si de potentia absoluta nō infunderetur neq; sequeretur gratia. Imò verò dicūt, quòd esse contritū & in peccato mortali, nō repugnant de potētia absoluta Dei. Neq; tamen ob id propriè habebit homo duos vltimos fines sub eadē ratione, sed actualiter Deū; habitualiter verò creaturā. ¶ Secundò dico, quòd simile argumentum fieri potest contra primam sententiam. Quia si gratia est prior natura prima contritione, & efficit illā: ergo posset Deus, imo verò & homo ipse, posita gratia, facere vt non sequeretur contritio; & tunc maneret homo gratus, & sine conuersione actuali ad Deū, & haberet duos vltimos fines, &c. ¶ Ad illud verò de expulsione peccati, an fiat effectiuè à contritione, &c. suprà longissimam habuimus controuersiam in hac quæst. 113. artic. 2.

*Ad septimum.* Ad septimū patet solutio ex his, quæ paulò antea dicebam⁹: Nā de facto cōtritio semper procedit ab homine grato. Vndè, cū in illo eodē instāti tēporis iā homo ille habeat gratiā, cōtritio & dilectio non procedunt nisi ab homine iusto secundū rē, quāuis ordine rationis & naturæ, si actus illi concipiantur vt antecedenter se habentes, vt sic non ab homine iusto procedere dicūtur, quāuis procedāt ab homine iusto secundū rē. Quia cū rectitudo illorū actuū in illo priori sit trāsiens per modū actus secūdi: obliquitas autē peccati sit per modū habitus, & per modū actus primi in voluntate nō opponūtur istæ duę formæ; atq; ob id, in illo priori cōtritionis primę antecedētis gratiā, intelligitur ille homo per modum actus primi in peccato; Cæterū per modū actus secundi, & in cōpletè, est amicus Dei & iustus. Sed de hac doctrina & solutione redibit sermo infrà in solutione. ad. 9. ¶ Alij Theologi aliā viā sequentes, aliter dissoluūt hoc argumentū: Dicūt enim quòd cū contritio nō expellat peccatū nisi vt dispositio moralis vel effectiuè, vt pars sacramēti, nō repugnat ex vi ipsius vt simul intelligamus hominē contritum, sed quia in instanti, in quo est cōtritio, est primum esse gratię; ideò est etiam primum non esse peccati; & ex hac parte in instanti, in quo intelligimus contritū, intelligimus exclusum peccatum. Sed contra: Gratia supponit hominem cōtritum: ergo supponit hominem in peccato: Quia gratia aduenit peccatori ad tollendum peccatum. Respōdetur, quòd licet gratia aduenit peccatori, & homo contritus vt prior natura quam gratia, censeatur peccator; non tamen



tamen sequitur in eodem instanti esse peccatum & contritionē. Quia licet forma adueniat materię nudæ, sed non ita, vt in illo instanti sit nuda, sed spoliata forma, quæ antea erat. Similiter anima est spoliata peccato, quod ante illud instās erat, & proportione quadā dicemus infra in omni sententia non esse simul habitū gratiæ intensum & remissum in eodē.

*Octauum.* Ad octauum respōdetur negando consequentiā. Rursus dico, quod præcedit ipsa remissio peccatorū, per modum actus secūdi, sed nō per modū actus primi. Et ad probationē respondetur, quòd non est eadem ratio de actu contritionis & dilectionis, quę est de remissione peccatorū. Nam vt vidimus, actus cōtritionis & dilectionis repugnat quòd sint in illo primo instāti effectiuè à gratia & charitate, & quòd sint effectus producti in illo priori à gratia & charitate, cū sint dispositiones vltimæ antecedentes priritate naturę gratiā & charitatē: Et ob id nō habent eundē ordinem ad gratiā, quē habet remissio ipsa. Nam aliàs simul esset & nō esset contritio, &c. ¶ Ad probationē & ad totum discursum argumēti, patet expresse solutio ex respōsione ad. 6. & 7. argumentū allata; & quo pacto remittatur peccatū in illo priori, & quo pacto diligatur à Deo per modū actus secūdi, & nō per modū actus primi. Quocirca, exemplū quod adduci solet à plerisq; in hac parte de expulsione tenebrarū & illuminatione aeris, non probat quidquā: Negandū est enim quòd in aere qui illuminatur, prior sit in genere causæ materialis expulsio, seu non existentia tenebrarum, introductione lucis. Nam cùm tenebræ nihil aliud sint, quam absentia lucis in subiecto apto nato ad lucē; implicat contradictionem cōcipere aerem sine tenebris, & non affectum luce. Vnde, neque in genere causæ materialis est prior in aere nō existentia tenebrarū, quā introductio lucis. Hoc idē videtur posse applicari ad propositum huius argumenti, cuius solutio etiā magis explicabitur statim solutione ad nonū.

*Nonum.* Ad nonum respondetur ex suprà tactis: Omnis nāq; amor supernaturalis, priùs incipit à Deo. Quare, cōtritio vt est prior natura quam gratia, licèt sit eiusdē speciei cū ea, quæ postea elicitur à gratia; tamen vt est prior illa, nō denominatur amicitia, sed quasi amor beneuolentiæ; & etiā amicitia incipit à Deo, quia nō haberemus contritionē, nisi ipse Deus præuenisset nos per auxiliū supernaturale & amorē suū: Neq; amici absolutè denominaremur, nisi ipse per suā gratiā in talē amicitiā nos eleuaret. ¶ Secundo respōdetur, vt plurimum cōcurrere de gratia in esse gratiæ, quā aliquis posset dicere præcedere natura infusionē qualitatis. Rursus, diximus in superiorib⁹ quòd in illo priori cōtritionis, & charitatis, & vltimarū dispositionū, Deus diligit hominē illū per modū actus secundi, & nō cōpletè secundū nostrū modū intelligēdi, sed quasi secundū quid: hoc est, diligit illū actū, nō verò hominē; quia adhuc ille homo intelligitur sub peccato per modū actus primi, & ideò nō requiritur vt pro illo priori concipiatur, vt habēs gratiā. ¶ Dices: Ille est actus charitatis, & eiusdē speciei cū cæteris actibus charitatis: ergo est actus amicitiæ mutuæ: ergo nō stat, cōcipere illū hominē vt diligentē Deū, sine eo q̄ Deus etiā diligat ipsum. Respōdetur, q̄ Deus diligit illū eodē pacto, quo ipse Deū: ipse verò nō diligit Deum in illo priori perfectè, neq; intelligitur adhuc vt perfectus eius amicus: Quia remanet inimicitia per modum actus primi, & solū intelligitur amicus secundum quid, nēpe in ipso actu secundo; & ita Deus diligit illū per modū actus secūdi, hoc est, diligit illū actū, & nō diligit hominē per modū actus primi. Rursus, Cōcedo q̄ ille actus sit eiusdē speciei cum reliquis qui proficiscūtur ab habitu. Quia habēt idē obiectū formale, & tendūt in illud sub eadē ratione. Quòd verò actus proficiscatur ab habitu, vel à potētia cū auxilio, hoc speciē non mutat, vt suprà vidimus. Nā actus elicitus ab habitu tēperātiæ, est eiusdē speciei cū eo, quem sola potētia in principio acquisitionis ipsius tēperantiæ elicuit & produxit. Nā certè, si nō esset eiusdē speciei, tunc ex illo actu, & alijs similibus nō posset generari habitus vnius & eiusdē speciei; cū tamen hoc sit apertè falsum. ¶ Ad illud verò de filio Prodigo respondetur, quòd vt filius Prodigus antequam reduceretur in gratiam Patris, conuersus est ad Patrem, & doluit de eius offensa; ita quidem accidit in nobis respectu Dei, quāuis Deus quodammodo amplexetur nos antequā doleamus, dando nobis verè auxilium, supernaturalemque motionem vt doleamus. Vnde, filius Prodigus dolorem explicuit cùm à Patre osculum accepit.

*Addecimum.* Ad decimū respōdetur, q̄ analogia, quæ est inter vltimas dispositiones supernaturales & gratiam ex vna parte, & vltimas dispositiones naturales & formā substantialē ex altera, tantum abest q̄ cōfirmet id, quod authores oppositæ sententiæ dicūt, quòd potius destruit illud. Nā vltimę dispositiones ad formā substantialē priùs natura antecedētes formam, illæ quidē sunt à generāte effectiuè, & nō à forma substātiali. Nā in instāti in quo introducitur forma substātialis in materiā, emanant aliæ dispositiones efficiēter à forma, quib⁹ cōseruatur in materia; sed istæ quāuis sint in eodē instāti; tamē sunt absolutè posteriores in omni genere causæ ipsa forma; & idcirco neq; sunt prius in materia, etiā in genere causæ materialis & dispositiuę, quā forma ipsa substātialis exīstat. ¶ Quapropter, nō est idē loqui de dispositione requisita in materia, vt ea mediāte, producatur forma: Quia hæc dispositio nō emanat à forma substātiali, quæ introducitur, sed à generāte, antecedit q̄; in genere causæ efficiētis, materialis, & dispositiuæ, formā substantialē ignis geniti, vt omnes admittunt: Nā aliud est loqui de cōditione prærequisita in materia, vt non repugnet introductioni formæ geniti, nēpe de expulsione cōtrariarū dispositionū à materia, quæ secum nō patiuntur formā venturā. Et neq; hæc dispositio seu cōditio prærequisita, fit à forma geniti, sed à generāte, antecedit q̄; introductionem formę geniti tā in genere causę efficiētis, quā materialis. Et aliud est loqui de dispositionib⁹ cōnaturalibus formæ geniti, quæ per accidens emanāt ab ea in instanti, in quo introducitur, quatenus per expulsionē formæ, verbi gratia ligni, fit resolutio vsq; ad primā materiā; atq; ita, sicut desinente subiecto, quo ad actū primū, quo informabatur; per accidens desinūt dispositiones præcedētes; ita per accidēs in materiam ipsam, in qua nihil manet, quod repugnet, à forma ipsa quæ de nouo introducitur, emanat tota latitudo suarū dispositionū, quibus in materia cōseruatur forma. Quoniam huiusmodi dispositiones

non

nō est necesse q̄ præcedāt in materia,sed satis est q̄ cōcomitentur formā substantialem, cōsequanturq; illius introductionē in materiā.omnibus accidentibus præcedētibus denudatā.Vndè,negare debem⁹, has dispositiones præcedere existentiā formę,à qua emanāt, etiā in genere causæ materialis, ac dispositiuę:Et cōsequenter dicendū,dispositiones antecedētes nō emanare à forma de nouo producta. ¶ Ad illud verò exemplū de aere, qui suo impetu aperit fenestrā,negandū est,aeris ingressum priorē esse in genere causæ efficiētis apertione fenestræ.Nā aliud est vis impressa aeri; aliud verò motus ipse aeris; & aliud vis impressa fenestrę,qua aperitur,mouetuŕq; motu apertionis;& aliud ingress⁹ aeris per fenestrā, qui sine dubio est vltimus effectus in genere causę efficiētis. Quocirca,licèt in genere causæ efficiētis prius sit influxus in aerē quā in fenestrā;& mediāte influxu illo in aerē,causæ efficiētes influant in fenestrā;effectus tamen in genere causæ efficientis,vltimus, est aeris ingressus per fenestrā.Quia causæ primatiæ illa omnia efficientes, primò imponunt vim aeri,qua illū mouent versus fenestrā:Aer verò,mediante vi sibi impressa,imprimit fenestræ vim circa partē aulę interiorē;& tandē sequitur vltimus aeris ingressus per fenestrā,quē antecedit motus apertionis fenestræ,superata resistētia illa fenestræ. Quare, aer suo ingressu nō aperit fenestrā, sed vi quadam, quā imprimit fenestræ:Et sic ad motū apertionis fenestræ sequitur motus ingressus aeris, in eodē quidem tempore, sed posterius natura,quatenus prius est per motū illum prænuiū auferri in genere causæ efficiētis impedimentū fenestræ prohibētis ingressus, quā sequi in eodē genere causæ aeris ingressū. ¶ Tandē dicendū est,quòd apertio fenestræ,ab aere procedit efficiēter,sed nō præcedit ipsum in genere causæ materialis, siquidē non disponit ad ipsum. Verū est tamen quòd ad aeris ingressum, qui habet se veluti forma producta per actionē aeris, apertio fenestræ disponit, præcedit́q; ipsum in genere causæ materialis: Cæterū,non efficitur ab ipso ingressu apertio in genere causæ efficientis,sed formalis; In genere autem causæ formalis & materialis, non est inconueniens rem vnam esse priorem & posteriorem alia. Et per hoc dissolui potest decimum argumentum aduersariorum, quod desumunt ex analogia dispositionum rerum naturalium,putantes esse fundamentum efficax suæ sententiæ.

*Ad vndecimum.* Ad vndecimū & vltimū respōdetur,quòd verbū, Facio,& quæ ex illo cōponuntur, cōmuniter adaptātur omnibus causis:aliquādo enim,efficere, significat solū influxū causæ efficientis,aliquādo significat causalitatem causæ formalis;Sicut dicimus albedinem facere album formaliter, & gratiam facere gratum formaliter non efficienter. Vnde,per habitus supernaturales fidei,spei,& charitatis,quos paruuli recipiunt cùm baptizantur,vniuntur Christo, viuaq; illius mēbra efficiuntur;cū tamen non exerceāt tunc vitales operationes,quales sunt operationes fidei,spei,& charitatis;Atq; ita,vnio ad Christū nō est per influxū habituū in genere causæ efficientis in actus fidei,spei,& charitatis, quos iustificatus tunc exerceat;sed potiùs talis vnio est quasi formalis,eo pacto,quo forma vnit se materiæ: Deus tamē Christi meritis, suaq; misericordia nos vnit eidem Christo efficienter.Et ex his colligo,negādum esse quòd vnire & efficere membrū viuū, significet efficientiā habituū, vt patet in paruulis & infantibus. Et cōsequenter ad confirmationē negandū est, esse non posse vitā spiritualē sine operatione vitæ.Nam in paruulis iustificatis,& in iustis dormiētibus,vita est spiritualis per charitatē & gratiā, qua sunt iusti formaliter,sine vlla operatione vitæ spiritualis,quę tunc ab eisdē habitibus proficiscatur. ¶ Neq; potest intelligi,quo nam pacto iuxta oppositā sententiam posit defendi,eum actum qui à iustificato elicitur in instāti in quo primò accipit gratiam, nō esse meritorium gratiæ, si vt ipsi affirmant, à vita gratiæ & charitatis efficienter emanat in illo eodem instāti: Quoniā idem actus continuatus vltra illud instans, aut quicunq; alius post gratiam acceptam de nouo elicitus,ea ratione,non solum gloriæ, sed & gratiæ est meritorius, quia à gratia, vita vè spirituali animę,efficienter emanat:Nemo tamē dicere audebit, actum illum in primo instanti,in quo gratia acquiritur,meritoriū esse gratiæ;quia eo dato,prima gratia caderet sub merito,quod est erroneum. Ex quo palā constat, non esse verā oppositam sententiam.

*Quo pacto possint etiā dissolui argumēta,quæ pnobis militant,si quis velit oppositū defendere,aperitur.*

QVamuis hodie communis sit & recepta satis sententia illa,quam nos defendimus;nihilominus sunt etiam plures inter recētiores, qui putant probabilem esse oppositam sententiam,valdeq; consonam doctrinæ D.Tho. & idcirco dicunt,contritionē illam cum alijs vltimis dispositionibus,procedere à gratia & charitate effectiuè,essęque posteriorem ipsa gratia in genere causæ efficientis;& nihilominus esse priorem in genere causæ materialis & dispositiuæ;atque adeo priùs natura in eodem genere causæ materialis antecedere gratiam & alias virtutes infusas. Hoc dicunt tenuisse D.Tho.de verit.q.28.art.8. vbi asserit, motus liberi arbitrij in Deum & in peccatum secundum rationē causæ materialis esse priores infusione gratiæ; Contra verò in genere causæ formalis esse illa posteriores. Quod probat exemplo in dispositionibus materialibus ad formā substantialem rerum naturaliū.Et solutione ad.7.&.8.docet,vltimas dispositiones ad gratiam non esse illius causas efficientes: Ait enim quòd homo non est adiutor Dei, ita vt simul cum illo effectiuè producat gratiā,quod etiam nos suprà diximus esse verum.Nam docuimus,contritionem non producere gratiam effectiuè extra sacramentum. Et in hoc articulo assignans ordinem inter ea,quæ reperiuntur in iustificatione impij,dicit,primū esse infusionē gratię, deinde motū liberi arbitrij,primò in Deum per fidē & charitatē; secundò cōtra peccatum per actum pœnitētiæ,& vltimū remissionē peccatorū. Quòd verò nomine primi, hoc est infusionis gratiæ,nō intellexerit D.Tho.speciale auxiliū,vt supra in gratiā nostrę sententię diximus, constat ex solutione ad.2. vbi ait, infusionem gratiæ esse priorem actibus liberi arbitrij;susceptionem autem illius,esse ipsis actibus posteriorem:sed constat susceptionē auxilij specialis,non esse posteriorem actibus illis:ergo sicut in susceptione loquitur D.Tho.de gratia habituali,ita etiā in infusione.

Et.3.



Et.3.p.q.86.art.6.ad.1. dicit, quòd motus fidei, qui reperitur in iustificatione, est actus fidei formatæ: constat autem talem actum procedere effectiuè nō solùm à fide,sed etiam à gratia, quæ est eius forma. Et de motu liberi arbitrij in peccatū asserit ibidē, quòd est actus virtutis pœnitentiæ:In doctrina autem D.Tho.virtus pœnitentiæ,sicut etiam aliæ virtutes infusæ, præsupponit gratiā vt formam & efficiens;atq; ita videtur,quòd huiusmodi actus dispositionis vltimæ,sit à gratia vt ab efficiēte.Vnde,hoc loco nomine gratiæ operantis videtur intellexisse D.Thom.habitualem.

Vt autem dissoluantur argumenta, quæ nos contra hanc sententiam retulimus, oportet aduertere ex doctrina D.Tho. pœnitentiam esse necessariam dispositionem ad gratiam,non solum in genere moris,sed etiam ex natura rei,& hoc etiam habetur in Trident.locis citatis. Et quidem,anima per peccatum est realiter indisposita:ergo non tantum in genere moris,sed etiam realiter & ex natura rei debet disponi ad gratiam: & cùm contritio sit eiusdem ordinis,cū gratia & proportionata illi, videtur, quòd nō solum sit moralis dispositio & in genere moris, sed etiam ex natura rei & quasi physicè.Quod verò Caiet.dicit,liberè hominem disponi,hoc nō excludit quin moraliter, & simul ex natura rei disponatur: Quia solùm intendit quòd per liberum consensum realiter disponatur homo ad gratiam. ¶ Rursus aduerte ex eodem S.Thom.supra quæst.111.artic.2. ad.4.quòd eadem gratia secundū essentiam est operans & cooperans in ordine ad diuersos effectus, per diuersum modum operandi & agendi, quod de gratia habituali necessariò videtur intelligendum. Nam gratia actualis semper est gratia operans, & non habet rationem cooperantis; & ita ipsa gratia habitualis, quæ respectu operationum secundum quòd sunt meritoriæ, habet rationem cooperantis, eadem in ordine ad iustificationem & ad dispositiones necessarias ad illam,habet rationem gratiæ operantis,vt benè Caiet.hic explicat. Quando ergo ipsa gratia consideratur vt cooperans,consideratur vt habitualis est, & per quam homo liberè operatur, quasi constitutus in actu respectu talium operationum;quia habitibus vtimur cùm volumus, & liberè mouemus nos ipsos ad vsum eorum. Quando verò eadem gratia consideratur vt operans,adhuc cōsiderantur in illa diuersi effectus respectu quorum voluntas habet se tantum vt mota à Deo, & ita tribuuntur soli Deo,& non homini: Isti effectus sunt iustificatio impij,& ipsamet gratia habitualis,prout est forma intrinsecè inhærens & sanctificans impium. Dispositiones etiam ad ipsam iustificationē, sunt effectus eiusdem gratiæ,vt aperte S.Thom. dicit in introductione huius.q.113.&.3.p.q.86.art.vlt. ad.1.Vnde,qui volunt oppositam defendere sententiam,dicunt,ipsam gratiam respectu dispositionum ad iustificationem, habere rationem diuini auxilij mouentis intrinsecè,& eleuantis potētiam ad actū supernaturalem proportionatum,& connaturalem ipsi gratiæ. ¶ Tertiò aduerte, quòd quādo aliqua forma habet diuersos gradus & perfectiones, non est absurdum dicere, quòd eadem forma secundum vnum gradum,disponat ad se ipsam secundum aliū gradum,vt constat in anima rationali, quæ cùm habeat gradum vegetatiuæ vitæ, sensitiuæ,& rationalis,secundum gradum vegetatiuum, disponit ad se ipsam vt sensitiua est,& secundū gradum sensitiuū, disponit vltimatè ad se ipsam vt rationalis. Pari ergo ratione,quia eadem gratia habet gradum operatis & cooperantis,non est inconueniens quòd vt operans est,disponat ad se ipsam vt cooperans est. Rursus etiam,cùm habeat diuersos effectus,vt habet rationem gratiæ operantis, cuius vltimus est gratia, vt iustificans animam, non est inconueniens quòd ipsa per effectus antecedentes disponat ad se ipsum secundum vltimum gradum siue effectum.

Quibus ita positis, authores huius sententiæ dicunt,quòd contritio secūdum quòd procedit à gratia vt operans est, verè est dispositio ad iustificationem;ac proinde talis contritio procedit à gratia iustificāte,& ab ipsa gratia habituali,charitate, & pœnitētia,quæ simul sunt cum gratia habituali:Quod sanè manifestè ostendit Sanct.Thom.hic ad.4.Quia forma operatiua,in eodem instanti in quo est, operatur, & cùm in illo instanti iustificationis iam sint gratiæ & virtutes in anima, in eodem instanti possunt operari:sicut Sol in primo instanti sui esse illuminat. Vndè, verè procedit illa contritio ab ipsa gratia habituali, & à virtute pœnitentiæ, non quidem secundum quòd habet rationem gratiæ habitualis,aut virtutis,sed secundum quòd habet rationem gratiæ operantis, & auxilij diuini eleuantis,& mouentis intrinsecè potentiam.Sic explicari potest D.Thom.1.part.quæst.62.artic.2.ad.3.vbi dicens, triplicem esse conuersionem hominis ad Deum, asserit, quòd tertia conuersio, per quam creatura se præparat ad gratiam,non est à gratia habituali, sed ab auxilio diuino eleuante, & mouente potentiam ad talem conuersionem. Et hoc esse verum, patet; Quoniam iustificatio tribuitur gratiæ operanti, & soli Deo: ergo etiam dispositio ad iustificationem est solius Dei,& à gratia operante;quia eius est disponere,cuius est formam introducere. Quare,quādo Sanct.Thom.3.p.q.89.artic.1.ad.2.docet, quòd contritio est dispositio ad gratiam;semel tamen homine iustificato, contritio & dilectio procedunt à gratia & virtute; sic debet intelligi, nempe, quòd contritio,quæ sequitur ad iustificationem,procedit à gratia, & virtutibus, vt habent rationem virtutis & habitus: Contritio autem quæ disponit ad gratiam, non procedit ab illa secundum rationem virtutis aut habitus, sed secundum rationem auxilij operantis. Per hoc dissolui possunt plurima argumenta,quæ à nobis fiunt. Et quidem, implicatio esset,formam vnam secundum vnum gradum,disponere ad se ipsam secundum eundem;non tamen implicat, formam aliquam secundum vnum gradum disponere ad se ipsam secundum alterum.Et ita potest applicari in proposito.

Ad testimonia nonnulla ex Triden.allata,putant ita satisfaciendum esse: Dicunt enim quòd cooperatio,quæ sine dubio importat efficientiam, non tribuitur homini,à Concilio,respectu gratiæ habitualis,aut infusionis illius,sed respectu ipsorum actuū, qui sunt dispositiones ad gratiam. Vndè, cum dicitur, quòd homo eidem gratiæ cooperatur, solū significatur hominem simul cum ipsa gratia operari ad suam conuersionem in Deū;nomine autē cōuer-

sionis intelligitur ea, quæ fit per actus ab ipso homine elicitos, nempe, per actum contritionis & dilectionis Dei. Cùm verò dicitur in eodem Concilio, quòd homo cooperatur ad suam iustificationē aut gratiam, non sic intelligendum est, vt ipse actus in quo homo cooperatur, habeat efficientiam, quæ ad gratiam, aut iustificationem terminetur; sed ita vt sensus sit, quòd operatio, quæ effectiuè est ab homine, ea ratione qua mouetur à Deo, concurrat materialiter ad susceptionem gratiæ. Sicut verum est, quòd ignis quando disponit lignum, adhoc vt inflāmetur, operatur quidem producendo calorem, ad quem effectiuè concurrit; tamen non licet inde colligere, quòd calor productus in ligno, concurrat effectiuè ad formam ignis geniti.

Ad secundum verò argumentum, quod est secūda probatio nostræ assertionis, quia videtur efficax, respondeti potest, eandem esse rationem dispositionis ad nouum gradum gratiæ, qui comparatur in augmento, quæ est vltimarum dispositionum ad primam gratiam in illius infusione. Nam sicut vltimæ dispositiones ad primam gratiam sunt effectiuè ab ipsa gratia; ita etiam dici potest, nouum illum gradum gratiæ per eius augmentationem comparatū, esse effectiuam causam dispositionis ad eundēmet gradum. Et sicut vltimæ dispositiones ad primam gratiam, non habent respectu illius nisi rationem causæ materialis; sic etiam dispositiones ad gradum augmenti, tantum sunt materiales causæ respectu ipsius gradus; Et hoc solùm est discrimen, quòd dispositiones ad primam gratiam, neque physicè, neq; moraliter habent vllam aliam causalitatem præter materialem respectu gratiæ, dispositiones autem ad gradum augmenti, licèt tantum physicè sint materiales causæ; tamen moraliter sunt etiam causæ meritoriæ. Ratio ergo discriminis est: Quia dispositiones ad illum gradum, ea ratione, qua intelliguntur à nobis eum materialiter præcedere, sunt in homine iam accepto & amico Dei per gratiā; & ita possunt habere rationem meriti respectu noui gradus gratiæ, quod secus est in dispositionibus, quatenus materialiter præcedunt primam gratiam, antequam nullus potest intelligi gratus, & amicus Dei. Quocirca, iuxta hanc doctrinam, negandum est antecedens argumēti, nempe, quòd actus meritorius, quo in nobis augetur gratia, est effectiuè non ab eo gradu gratiæ, qui comparatur per ipsum augmentum, sed ab speciali auxilio, quod præcedit augmentum, Hoc inquam antecedens negari debet, iuxta traditam doctrinam.

Potest etiam in fauorem huius sententiæ considerari, quòd ad hoc vt agens quod effectiuè causat dispositionem, verè etiam effectiuè introducat formam, necesse est vt efficientia illa terminetur ad dispositiones non quomodocumque consideratas, sed formaliter, ea ratione, qua dispositiones sunt: Et ita, quia homo generans hac ratione causat dispositiones ad introductionem animæ; idcirco verè introducit animam; ac proinde est vera causa efficiens hominis geniti. Homo autem, qui iustificatur, licèt sit aliqua ratione causa vltimarum dispositionum ad gratiam, etiam in genere causæ efficientis; cæterum non est propria causa earum, ea ratione, qua dispositiones sunt: Et consequenter non suffi-

cit, quòd qualicumque ratione causet effectiuè dispositiones, vt dicatur effectiuè etiam introducere formam gratiæ. ¶ Quòd si quis petat rationem, cur homo cùm causet effectiuè per voluntatem eos actus, qui sunt dispositiones vltimæ ad gratiam, nō causet effectiuè illos ea ratione, qua sunt dispositiones ad gratiam, respōdetur rationem huius esse eā, quam S. Thom. 1. 2. quæstione. 98. artic. 2. adducit, nempe, quia nullum agens causat effectiuè dispositiones vltimas ad aliquam formam, vt tales sunt, nisi ipsummet agens in ea forma intendat reddere effectum similem sibi, vt constat in exemplo sæpiùs allato de homine generāte alium hominem: In proposito verò solus Deus est, qui per vltimas dispositiones ad gratiam intendit assimilare sibi hominē, qui iustificatur, generando filium adoptiuum per gratiam; & idcirco solus ille est, qui effectiuè producit actus contritionis & dilectionis sub ea ratione, qua vltimò disponunt ad gratiam; homo autem solùm producit illos actus efficienter, ea ratione qua sunt vitales & immanentes.

Ad illud verò quo nos colligimus, quòd si dispositiones illæ effectiuè procederent à gratia habituali, & essent posteriores illa, sequeretur iustificationem non esse in nobis voluntariam & liberam, neque nos ad eam liberè moueri: respondeti potest, negando sequelam. Nam Concilium Tridentinum quamuis dicat, nos voluntariè & liberè iustificari; nunquam tamen affirmat, iustificationem aut gratiam, esse effectiuè à nobis. Imò verò cap. 6. eiusdem sessionis. 6. solùm docet, nos liberè moueri ad hoc vt iustificemur, per actum liberi arbitrij in Deum, & per eum etiam, qui est contra peccatum. Et capit. 7. solum asserit, dari vnicuique suam iustitiam secundum propriam eius dispositionem; Quamuis autem gratia habitualis tàm ex parte Dei infundentis, quam ex parte ipsius formæ, quod est dicere, tàm in genere causæ efficientis, quam formalis, sit prior actibus contritionis & dilectionis Dei, quibus libere suscipitur; tamen ad hoc vt verificetur, iustificationem nostram esse voluntariam, nosque libere suscipere gratiam, satis est vt illi duo actus in genere causæ materialis, iuxta modum à nobis explicatum, sint priores ipsa gratia. Hinc enim fit vt gratia recipiatur in anima prout exigit natura horum actuum, nempe liberè & voluntariè. Quemadmodum, quāuis auxilium, quo Deus ad quodlibet opus liberum concurrit cum nostra voluntate, sit priùs ipso opere in genere causæ efficientis; ad hoc tamen vt liberè & voluntariè in anima recipiatur, satis est quòd in ipsa voluntate materialiter modificetur secundum quòd exigit ipsius voluntatis natura. De qua re fusiùs egimus prima parte, plerisque in locis. ¶ Per hoc soluitur probatio quinta, quæ pro nostra conclusione militabat.

Ad aliud, quo colligebamus pro nostra assertione, actum procedentem effectiuè à forma non posse disponere ad illam; respondetur, *hoc esse negandum*, quia oppositū euenit in accidentibus, quæ naturaliter consequuntur formam substantialem, vt ex Caietani sententia explicatur in calore summo respectu formæ ignis. Et quidem verum est, formam realiter præcedere eos actus, vel dispositiones, quas effectiuè causat; & etiam est verum, seu valde



valde probabile, quòd dispositiones istæ, ea ratione qua consequuntur formam secundum communissimum eius gradum in genere causæ efficientis, disponunt in genere causæ materialis ad eandem formam, secundum gradum minus communem. Vnde non sequitur, quòd eadem forma sit & non sit simul: concedimus namque quòd quando forma intelligitur causare effectiuè dispositiones, intelligitur etiam esse; quando verò intelligitur materialiter disponere, non rectè probatur quòd tūc forma non sit. Nam cùm secundum Caietani sententiam, dispositiones non præparent materialiter subiectum ad suscipiendam formam, vt forma est, secundum communissimum gradum, sed ad suscipiēdam formam secundum gradum minus communem, quando primò intelliguntur dispositiones in subiecto, iam priùs secundum rationem, & non solum realiter intelligebatur forma in subiecto. Vndè, solum licet colligere, quòd quando dispositiones præparant, non est forma secundum gradum illum, ad quem præparant. Et hoc constat nullum esse inconueniēs: optimè namque intelligitur, quòd quando accidentia quæ consequuntur formam ignis, intelliguntur disponere ad gradum specificum illius, præsupponant iam in materia ipsam formam secundum gradum genericum, & præsupponantur eidem secūdum gradum specificum. Et per hāc doctrinam dissoluuntur etiam plura alia argumenta, quibus nos ostendebamus nostram assertionem.

¶ Sed obijciet aliquis, quòd licèt intelligi possit iste ordo, quem modò explicuimus inter dispositiones ad formam, quando dispositiones procedunt à forma, naturali sequela & resultatione; non tamen quando ipsæ dispositiones sunt operationes elicitæ à composito ex materia & forma. Quare, cùm actus contritionis & dilectionis Dei, sint operationes elicitæ ab homine iam habente formam gratiæ, nō videtur quo pacto assignari possit exemplum, cui assimiletur in hoc, quòd cùm iam præsupponant gratiam secundum vnam rationem vt efficientem, præcedant illam materialiter secundum alteram. Respondetur, quòd cum non sit maior prioritas hominis grati ad actus cōtritionis & dilectionis ex vna parte, quàm formæ substantialis ad vltimas dispositiones, quæ illam effectiuè consequuntur ex altera; siquidem vtrobiq; est prioritas realis naturæ, sicut intelligitur rectè, quod maximus calor qui naturali sequela procedit à forma ignis, secundum vnam rationem consequitur ipsam formam effectiuè, & secundum alteram disponit ad illam materialiter; ita etiam intelligi potest, quòd licèt actus dilectionis & contritionis præsupponant effectiuè gratiā, quatenus eam infundit Deus mouendo per eam liberum arbitrium; materialiter tamen disponant ad eādem gratiam, vt per illam remittantur peccata, & tribuatur homini esse supernaturale & diuinum. Neque huius rei debemus aliud assignare exemplum: Quia hoc est singulare in habitibus qui infundūtur à Deo adulto, qui iustificatur, quibus prius est vt vltimæ dispositiones ad illos sint operationes ab ipsismet habitibus effectiuè procedentes. ¶ Per hoc dissolui potest inconueniens quoddam, quod reputatur magnum apud authores oppositæ sententiæ, nempe, quòd actus sint priores habitibus in supernaturalibus. Nam si contritio est prior gratia ad quam disponit, & gratia etiam est prior habitu pœnitentiæ, qui gratiam consequitur veluti passio, eius subiectum; sequitur de primo ad vltimum, quòd contritio, quæ est actus pœnitentiæ, sit etiam prior ipso habitu pœnitentiæ. Respondetur, nō esse inconueniens quòd contritio secundum vnam rationem, nempe materialiter, sit prior suo habitu pœnitentiæ, & quòd secundum aliam, nempe effectiuè sit eo posterior: Hæc autem aliter fiunt in actibus & habitibus acquisitis; in quibus actus antecedit habitum, non tantum materialiter, sed etiam effectiuè.

Sed dices: Si dispositiones vltimæ, sunt realiter posteriores gratia, & sequūtur illā, vt causam efficiētem, sequitur nō opus esse auxilio aliquo speciali ad eliciēdas has vltimas dispositiones, quod est falsū. Probatur sequela: Quia gratia habitualis præcedit realiter has dispositiones, quæ sane est causa efficiēs supernaturalis, & quæ sufficit ad productionē istorū actuū; ac proinde ad illos nō opus est speciali auxilio, cū nulla deficiat causa, quā supplere debeat ipsum auxiliū. Respōdetur distinguēdo cōsequēs, quo infertur nullo opus esse auxilio speciali ad elicien dos actus cōtritionis & dilectionis, qui effectiuè gratiā cōsequūtur. Nā si nomine auxilij specialis intelligatur auxilium supernaturale, negatur consequentia. Nam vt superiùs ostendimus, ad omne opus supernaturale, necessarium est speciale auxilium, id est supernaturale auxilium: non enim homo licèt sit in gratia, potest habere aliquam supernaturalem operationem absque auxilio, quod sit eiusdem ordinis cum ipso actu. Quare, ad replicam dicendum, quòd licet per hoc quod res aliqua operetur per formam naturalem, non tollitur quòd indigeat auxilio generali naturali; ita etiam ex eo quòd iustus operetur per gratiam, non licet colligere quòd ad eam operationem non indigeat supernaturali auxilio generali, quod sit eiusdem ordinis cum gratia. Si verò nomine auxilij specialis intelligatur, vt intelligi debet, illud, quod Deus supplet vicem alicuius causæ, aut in toto, aut in parte, dicendum est, ad eiusmodi actus satis esse auxilium generale supernaturale, & non requiri alterum speciale. Et ratio est: Quia eiusmodi actus in intensione aut latitudine gradali, non superant formam gratiæ, à qua effectiuè procedunt: & ita auxilium nullam causam secundam supplet, aut totaliter, aut ex parte; ac proinde negatur consequens ita intellectum, esse falsum.

Sed obijcies iterum: Si gratia est causa efficiens vltimarum dispositionum ad illam: ergo non potest saluari id, quod S. Thom. dicit in hoc art. nempe, quòd in iustificatione impij primò est infusio gratiæ, deinde actus dilectionis Dei super omnia, & etiam contritionis; & postremo remissio peccatorum, quod pariter dixit S. Thom. de verit. quæst. 28. artic. 7. ad. 8. Nam certè inter duo, quæ distinguntur sola ratione, non possunt existere plura media ab vtroque medio realiter distincta: sed infusio gratiæ habitualis, quòd est primum, & remissio peccatorum quod est vltimum, distinguntur inter se sola ratione: ergo non possunt esse inter illa actus dilectionis Dei, & detestationis peccati, quæ sine dubio ab vtroque extremo, sunt realiter distincta.

Et ita,cum ea sententia non potest inter hæc saluari ordo assignatus à S. Tho. Ergò sentiendum erit, quòd per primum, nempe per infusionem gratiæ, intellexit S.Tho.auxiliũ speciale, quo Deus primò mouet animam, quod est causa efficiens contritionis & dilectionis, quæ sunt dispositiones vltimæ, quas vltimò sequitur remissio peccatorum, quæ est idem quòd infusio habitualis gratiæ;ac proinde dispositiones vltimæ,erunt effectiuè à Deo per speciale auxilium, & causabunt instrumẽtaliter effectiuè ipsam gratiam. ¶Respondetur,negando,quòd cum hac sententia non possit sustineri ordo ille,quẽ assignauit S.Tho.inter ea,quæ concurrunt in iustificatione,duobus locis citatis ex S. Tho. Rursus negatur,quòd inter duo, quæ distinguntur sola ratione, non possint intelligi plura media ab vtroq; realiter distincta:constat enim inter inferiorem & superiorem gradum eiusdem formæ substantialis intelligi accidentia,quæ sunt passiones superioris gradus,& ab vtroq; gradu realiter distinguntur, vt inter formam lapidis prout dat esse corporeum, & eandem prout dat esse specificum, intelliguntur quãtitas & figura, quæ sequuntur esse corporis, & præcedunt esse lapidis: Sic ergo inter infusionem gratiæ habitualis, qua Deus mouet liberum arbitrium ad actũ contritionis & dilectionis, & inter receptionẽ gratiæ,quatenus dat esse supernaturale diuinum,intelliguntur ipsi actus liberi arbitrij,vt moti à Deo per gratiam, quatenus ad vltimum gradum gratiæ disponunt & præparant; quæ sanè omnia longè aliter se habent in habitibus acquisitis,qui procedunt ex actibus prioribus,vt ex causis efficientibus. Et pari ratione fit vt nomine infusionis gratiæ locis citatis,intellexerit S.Tho. infusionem ipsius gratiæ habitualis, & non motionem per auxilium speciale.

Quando verò Sanctissimus Præceptor.1.p.loquutus est de tertia illa conuersione in Deum, quæ est dispositio ad gratiam,ad quam dicit quòd nõ requiritur habitualis gratia, sed operatio Dei mouentis; ita sanè est interpretandus vt nomine illius tertiæ conuersionis,intellexerit dispositionem ad gratiam proportionatam quidem; non tamen proximam & vltimam,sed mediatam,& tempore antecedentem, aut remotam,& de hac inquit Sanctissimus Præceptor,quòd non procedit ex gratia habituali, sed ex motione Dei. Et quòd ita sit interpretandus S.Tho. patet ex solutione eiusdem argumenti.1.part.quæst. 62.artic.2.ad.3.Vbi ait,quemlibet actum voluntatis procedentem ex diuina motione erga Deum, esse conuersionem in ipsum;cõstat verò esse plures motus voluntatis erga Deum,habitos quidem ex auxilio supernaturali, tempore præcedere iustificationem.Rursus: Quia idem D.Thom.1.2.quæst.112. artic.2.ad.1.dicit,vltimã dispositionem ad gratiam esse meritoriam gloriæ:sed tertia illa conuersio, vt ibidem dicitur in eodem argumento.1.part.non est meritoria gloriæ. Nam in hoc distinguitur à secunda: igitur tertia conuersio non est vltima dispositio, sed solùm mediata, licèt sit proportionata, cùm sit ordinis supernaturalis. Et hæc dicta sint de hac difficultate longissima.

(?)

## DVBIVM I.

*Vtrũ præter infusionẽ gratiæ, sit aliud auxiliũ speciale, quo Deus nos mouet & præparat?*

Offert se breue dubium,quod à discipulis D.Tho.hoc loco tangitur,Vtrum in ipsa infusione gratiæ præter gratiam, quæ infunditur,sit aliud auxilium speciale, quo Deus nos mouet & præparat? Quod est quærere, Vtrùm sint duo motus, infusio gratiæ,& auxilium nobis præstare vt disponamur, vel potiùs sint dumtaxat vnus motus?Ratio dubitandi ex altera parte est. Nam videtur,quòd tantum sit vnus motus,& quod non sit aliud auxilium speciale præter gratiæ infusionem: Quia si,vt est probabile contra Capreolum & alios,quòd motus liberi arbitrij procedit effectiuè à gratia; tunc ipsa infusio gratiæ est sufficiens sine speciali auxilio adhoc,quòd infundãtur aliæ virtutes infusæ, & eliciantur actus earum, quibus mouetur nostrum liberum arbitrium: Sicut in naturalibus, quando introducitur forma ignis, introducuntur dispositiones emanantes à forma in genere causæ efficientis.Militat etiam ex altera parte diuersa ratio dubitandi.Et videtur quòd sint duo motus:Quia,sicut diximus iuxta communem sentẽtiam,motus liberi arbitrij,quibus disponimur ex auxilio Dei speciali,præcedũt gratiam in genere causæ materialis: ergo videtur, quòd auxilio speciali mouet nos Deus,& alio motu infundit gratiã. Quoniã si eodem prorsus auxilio infundit gratiã,& mouet nos,non videtur benè posse intelligi quo pacto isti motus liberi arbitrij sint priùs natura,quam gratia.Et ita D.Tho.suprà.q.109.art.6.dicit,quòd ad susceptionem huius doni, quod est gratia habitualis, oportet præsupponi aliquod auxilium gratuitum Dei interiùs animàm mouẽtis: Vbi videtur affirmare distinctum esse auxilium, quo Deus mouet animam,ab infusione gratiæ.¶In hac re, plerique Theologi dicunt,quòd sunt vnus motus:Nam vnico motu & actione producit agens formam & potentiam illius,quamuis potentię emanent à forma;Et idem, dicunt,dicendum esse in proposito. Quocirca affirmant, non solum esse concedendum quòd cõtritio secundum substantiam producitur effectiuè à gratia iustificante, sed quòd non alio motu & auxilio speciali producitur,quam ipsa infusio gratiæ; Cùm hoc tamen putant,semper esse concedẽdum, quòd in genere causæ materialis semper est prius quam gratia. Vnde aduertunt, quòd sicut in Petro quãdo intelligimus esse animal,& esse hominem, priùs natura intelligimus quòd sit animal, quam quòd sit homo:ita etiam dicunt esse loquẽdum de gratia iustificante, per quam mouetur liberum arbitrium, quòd sunt duo, nempe, iustificare, & mouere nostrum liberum arbitrium, & quòd licèt in re ista duo sint vnus motus; tamen priùs natura est mouere specialiter nostrum liberum arbitrium, quam iustificare, intelligendo in genere causæ materialis: Quia mouere specialiter, est communius. Sic ergo existimant esse dicendũ, quòd gratia quatenus gratia, siue quatenus iustificans,priùs natura est in genere causæ efficientis, quam contritio; sed tamen contritio quatenus procedit ab eadẽ gratia vt



vt solum dicit speciale auxilium, est prior in genere causæ materialis, quam ipsa gratia iustificans.S. Thomas,quando quæst.109.artic.6.dicit, quòd præsupponitur auxilium speciale ad infusionem gratiæ, loquitur de auxilio speciali tempore præcedente infusionem gratiæ,vel si loquitur de auxilio speciali, quod est in primo puncto iustificationis, debet intelligi, sistendo in hac opinione, quòd præsupponitur ad sensum explicatum. Caietanus in Commentar.huius articuli,tenet,quòd actio & motio Dei, qua Deus dispositionem vltimam mouet, est idem cum actione,qua Deus producit ipsum habitum gratiæ.

De hac tamen difficultate, dico primò, certum esse, posse Deum auxilio speciali mouere liberum arbitrium hominis absque infusione gratiæ, vt patet in his qui habent imperfectas dispositiones ad gratiã.Similiter è cõtrario, optimè potest Deus infundere gratiam absq; motione peculiari liberi arbitrij,vt patet de pueris,qui baptizantur,& de adultis qui accedunt ad sacramentum cum sola attritione:& ita videtur,quòd simpliciter sunt duo motus, infusio gratiæ,& motus liberi arbitrij.

Dico secundò, quòd in ipso puncto iustificationis,quando Deus simul infundit gratiam & mouet liberum arbitrium; tunc sunt duo motus, quod sanè est certum stando in ea sententia, quæ docet,vltimam dispositionem ad gratiã procedere effectiuè ab auxilio speciali Dei,& non effectiuè à gratia habituali infusa à Deo. Imò verò alij dicunt, quòd actio & motio Dei, qua Deus dispositionem vltimã efficit,non est idem cũ actione, qua producit Deus ipsum habitum gratiæ. Quia licèt ex parte diuinæ actionis non sit distinctio; est tamen ex parte effectus. Quoniam contritio, qua homo disponitur ad gratiam, est aliquid realiter distinctum ab ipsa gratia; atque adeò ibi sunt duæ actiones ex parte termini, & vna dumtaxat ex parte principalis agentis. Profectò,dispositio ad formam simpliciter est prior quàm ipsa forma:ergo motus liberi arbitrij, quando est dispositio ad gratiam, simpliciter est prior, quam infusio gratiæ.Sed obserua, quòd S. Tho. in hoc artic.per infusionem gratiæ non semper intelligit gratiam habitualem,sed actionem & motionem Dei infundentis gratiam.¶An verò motus liberi arbitrij in Deum & in peccatum,sint duo actus realiter distincti,dicemus quidem dubio secundo seq.

## DVBIVM II.

*Vtrùm actus charitatis sit priùs natura, quam actus pœnitentiæ,qui est contritio?*

Ratio dubitandi est:Quia suprà diximus, motum liberi arbitrij in Deum, & motum liberi arbitrij in peccatum,posse esse vnum & eundem actum secundum rem, vt patet art.7. præcedente, vbi dicebamus,in eodem instanti posse voluntatem ferri in finem & in media, Imò & per eundem actum: Non enim est inconueniens,quòd voluntas in eodem instanti, & per eundem actum secundum substantiã, diligat Deum,& doleat de peccatis propter ipsum, vt rectè annotauit Soto in.4.dist.14.q.2.art.3.ergo si sunt vnus actus non potest vnus esse priùs natura, quam alius.Patet consequentia: Quia prioritas naturæ, est prioritas realis secundum ordinem causæ & causati; atque adeo esse non potest, nisi inter ea, quæ realiter distinguntur. ¶Item secundò. Contritio,vt dictum est,est prior in genere causæ materialis,quam gratia:sed gratia, est prior quam charitas, & actus eius, quandoquidem gratia habet ad virtutes,sicut ad potentias: ergo de primo ad vltimũ, contritio est prior quam actus charitatis, & non è contrario. *Secundum.* ¶Item tertiò.Si remissio culpæ est posterior infusione gratiæ,vt in hoc art.S.Tho.dicit: ergo pro aliquo priori est gratia,in quo non est remissa culpa, & per consequens secundum aliquod instans naturæ erit simul, & in eodem gratia, in quo non est remissa culpa, quod repugnat. ¶In contrarium est D.Tho. qui apertè dicit, quòd in iustificatione impij primum locum obtinet gratiæ infusio; secundum,motus liberi arbitrij in Deum; tertium, motus liberi arbitrij in peccatum;quartum,ipsa remissio culpæ. *Tertium.*

Pro explicatione huius difficultatis aduerte, & hoc loco non quæritur, Vtrum actus charitatis & pœnitentiæ,qui requiruntur ad iustificationẽ, sint duo actus distincti; Quoniã de hac re fusè egimus suprà,præsertim art.5.Sed solùm quæritur, siue sint plures actus siue vnus, Vtrum quando infunditur gratia priùs attingamus motu liberi arbitrij ipsum Deum summè dilectum per charitatem infusam, quam peccatum. Sed quia multò facilior est disputatio supponendo quòd sint actus distincti;idcircò agemus de illis ac si essent semper actus distincti. ¶His ergo suppositis,plerique Theologi in.4.d.14. tenent, quòd actus pœnitẽtiæ,est prior quam actus charitatis infusæ,nisi quòd nominales & Scotus,& Durandus,quia ponunt pœnitẽtiam esse solum virtutem acquisitam, dicunt, quòd actus pœnitentiæ, est prior actu charitatis infusæ, & actu pœnitentiæ acquisitæ.Palude verò,quia D.Tho.tenet hic quòd prior est motus liberi arbitrij in Deũ,quam in peccatum,intelligit S.Thom. de actu charitatis acquisitæ,non autem infusæ.Itaque,secundũ Palud.sentẽtia D.Tho.est,quòd actus pœnitentiæ infusæ est simpliciter prior,quam actus charitatis;si tamen aliquã do actus charitatis est prior actu pœnitentiæ,solum videtur verum de actu charitatis acquisitæ. Et proculdubio S.Thom.iuuenis sequutus est hanc sentẽtiam in.4.d.14.q.1.art.2.quæstiunc.2.De qua re legẽdus est etiam idem Palud.in.4.d.14.q.3.

Vt huius difficultatis nodum dissoluamus, est prima propositio. Conuenientissimè assignatur ordo istorum actuum, qui concurrunt ad iustificationem impij, iuxta præscriptum positum à S. Tho. in litera: Constat enim ex suprà dictis, quòd infusio gratiæ, quæ est motio & actio Dei tendens ad gratiæ productionem, est prior,quam motus liberi arbitrij, quia est vera causa efficiens ipsius: & quia in motu liberi arbitrij secundum ordinem naturæ primum locum obtinet, id quod est in ordine ad finem;idcircò priùs natura est motus liberi arbitrij in Deum,quã in peccatũ.Ratio enim & causa detestandi peccatum, est Dei amor & dilectio. Rursus, *Concluſ.1.*

ex motu liberi arbitrij tanquam ex conuenienti & legitima dispositione consequitur habitus gratię & remissio culpæ. Quapropter, prius natura in genere causæ materialis, est motus liberi arbitrij, quam habitus gratiæ; ipsa verò gratia, est prior in genere causæ formalis, sed causa efficiens tam introductionis gratiæ, quam remissionis culpæ, est ipse Deus qui etiam efficit dispositiones.

*Conclus.2.* Secunda propositio. Simpliciter est dicendum, quòd actus charitatis est prior natura, quam actus pœnitentiæ. Hæc assertio sequitur ex præcedente, & est expressa sententia D.Tho. in hoc art. Et patet ex ratione allata à S.Tho. quam insinuauimus in superiori propositione. Nam certe prior est intentio finis, quam electio medij: sed qui iustificantur dolent de peccatis propter Deum, vbi dilectio Dei est radix, ratio, & causa detestationis peccati. ¶Bartholom.Medina in hoc art. solut. ad vltimũ dicit, quod aliquando dilectio Dei, & detestatio peccati non sunt nisi vnicus actus, vt quando detestamur peccatum propter Deũ summe dilectum. Et tũc ait, quòd dilectio est prior detestatione peccati, non quòd sit actus distinctus, sed quòd sit ratio & causa detestationis peccati: sicut cum volo sumere potionem propter sanitatem, volitio sanitatis est causa volitionis mediorũ, non quòd sit distinctus actus, sed quoniam est ratio volendi media. De qua re legendus est Sotus in.4.d.14.q.2.art.6. Canus relect. de Pœnit. p.1. non longe à fine.

*Conclus.3.* Tertia propositio. Illa dilectio charitatis, quæ est prior actu pœnitentiæ, est actus charitatis infusæ, & non acquisitæ. Vnde, licet verum esse possit quòd ante iustificationem possit homo habere actum charitatis acquisitæ, & ex illo moueri ad actum pœnitentiæ acquisitæ; tamen in ipso pũcto iustificationis actus charitatis, à quo emanat actus pœnitentiæ remittentis peccatum, non est actus charitatis acquisitæ, sed infusæ. Hæc est sententia D.Thom. in hoc ar. quidquid dixerit in.4. Vnde, in hoc art. ait, quòd in iustificatione impij ordine naturæ primum locum obtinet gratiæ infusio. Et quidem per infusionẽ gratiæ primo loco non intelligit gratiam habitualem, sed actionem & motionẽ Dei infundentis gratiam; ac proinde, cum actus liberi arbitrij, qui sunt dispositiones ad gratiam habitualem, sint priores ordine naturæ gratia, ad quã vere disponunt; sequitur quòd per infusionem gratię primo loco non intellexit habitualem, sed actionem & motionem Dei infundentis gratiam. Quare, illa dilectio dispositiua, & subsequens contritio, procedũt ex speciali actione & motione Dei gratuita. Patet etiã ex testimonio Lucæ.7. Remittuntur ei peccata multa, quoniã dilexit multum. En pœnitentia procedebat ex dilectione: prior ergo est actus charitatis, quã actus pœnitentiæ. Vn de Ierem.13. dicitur; Postquam conuertisti me, egi pœnitentiã: sed conuersio, qua Deus homines ad se conuertit, est conuersio per amorẽ & per dilectionem: ergo. Item probatur ex Trid. sessio.6.cap.6. vbi habetur, quod peccatores se disponunt ad iustificationem, cum Deum tanquam omnis iustitiæ fontem diligere incipiunt; ac propterea mouentur aduersus peccata per odium aliquod & detestationem. Et non obstat quòd ibi sit sermo de dilectione, quam habet homo ante baptismum. Quia ante baptismum, potest homo iustificari cum voto illius, si perfectum habeat actum dilectionis & contritionis, &c. Tandem probatur; Quia actus pœnitentiæ non habet remittere peccata, nisi à charitate infusa: ergo actus charitatis, qui est prior actu pœnitentiæ, est actus charitatis infusæ, &c.

*Lucæ.7.* *Ierem.13.* *Conc.Trid.*

Ad obiectiones. Ad primam respondetur primo, *Ad 1.* sæpe numero contingere, quòd motus liberi arbitrij in Deum, & in peccatum, sint duo actus realiter distincti; neque est inconueniens, quòd duo actus subordinati, proficiscantur ab eadem potentia, vt recte S.Thom. annotauit.1.2.q.54.art.1.ad.3. & 2.2.q.18.art.1.ad.3. Et hæc solutio videtur esse Caietani hic & artic.5. superiori. ¶Dico secundo, quòd licet illi motus non sint idem actus, neque realiter distinguantur, distinguntur tamen formaliter, & hoc sufficit ad saluandum inter ipsos ordinem prioris & posterioris, saltem secundum rationem. *Ad 1.*

Ad secundam potest negari illa consequentia de primo ad vltimum: Quia quando aliqua multa sunt simul tempore, vnum non dicitur esse prius natura altero, nisi sit causa illius in aliquo genere causalitatis, vel in aliqua speciali ratione & consideratione. Quia vbi sunt plura, nisi sit confusio, oportet esse ordinem. Et quoniam in prima iustificatione, vbi homini simul infunduntur virtutes & illarum habitus, gratia est veluti causa efficiens charitatis & pœnitentiæ, & actuum earum; & ob id est prior illis in genere causæ efficientis. Similiter, quia contritio est dispositio ad gratiam, ideo est prior gratia in genere causæ materialis. Quia verò contritio nullam causalitatem habet respectu actus charitatis; ideo non est aliquo modo prior illa, sed potiùs actus charitatis est prior. Quare, sicut ista cõsequentia non valet. Qualitates secundæ quando quidem sunt etiam dispositiones ad formam substantialem mixti, sunt priores quam forma substantialis & forma substãtialis est prior natura, quam qualitas secunda: ergo qualitates secundæ sunt aliquo modo priores primis qualitatibus: Ita etiam non valet ista consequentia, Contritio est prior gratia, & gratia est prior charitate, & actu eius: ergo contritio est prior actu charitatis. *Ad 2.*

Ex hac solutione inferunt nonnulli Theologi, quòd etiam non valet ista consequentia, Contritio est prior gratia, & gratia est prior habitu pœnitentiæ: ergo contritio est prior habitu pœnitentiæ. Nam dicunt, quod contritio, cum sit actus productus ab ipso habitu pœnitentiæ, nullo modo est dicendus prior habitu pœnitentiæ. Sed profecto hoc puto esse falsum: Imo verò, ex eadem solutione tradita videtur mihi sequi oppositum. Quoniam cum contritio sit dispositio ad gratiã, etiam est dispositio ad charitatem, & ad omnes virtutes, quæ cum ea simul infunduntur; & ex consequenti prior natura est contritio, quam habitus charitatis, & pœnitentiæ. Quare, sequendo fundamentum supra traditum, quòd in his quæ sunt simul tempore, illud est prius natura alio, quod est causa illius; dicendum est, quòd si comparemus actus inter se, qui bus homo disponitur, actus charitatis est prior actu pœnitentiæ; actus vero pœnitentiæ nullo modo est prior actu charitatis, quia nullo modo est causa illius. Similiter, si comparemus habitus inter se, cùm



cùm illi seruent eundem ordinem, quem seruant actus, sentiendum est, charitatem esse priorem habitu pœnitentiæ, & gratiam esse priorem vtroque habitu. Habitus verò pœnitẽtiæ nullo modo est prior habitu charitatis, nec vterq; habitus est aliquo modo prior gratia. Si tamen comparemus habitus cum actibus, & è diuerso; sic iuxta vnam opinionem dicendum est, quòd gratia & habitus infusi sunt priores actibus illis, nẽpe prima contritione & dilectione in genere causæ efficientis, quia producũt illos effectiuè; actus verò eosdem esse priores habitibus in genere causæ materialis. Vndè, sicut dicimus cõtritionem esse priorem gratia, quia est illius dispositio; ita dicimus contritionem esse priorem habitu charitatis, & habitu pœnitentiæ; & similiter actum charitatis esse priorem gratia & habitu pœnitẽtiæ, & etiam habitu charitatis. ¶Sed quoniam est difficile intellectu, quòd ipsimet actus, qui producũtur ab habitibus gratiæ, charitatis & pœnitentiæ effectiuè, & sunt effectus ipsorum, eodem puncto, quo producuntur disponant ad infusionem habituum, qui sunt principia eorundem actuum; Idcircò sentiendum est, illos actus, nempe vltimam dispositionem ad gratiam & charitatem, qui sunt prima contritio & prima dilectio, procedere effectiuè ex speciali auxilio Dei, & motione supernaturali & diuina. Nam ob id diximus, Sanct.Thom. per infusionem gratiæ non intellexisse gratiam habitualem, sed actionem & motionem Dei infundentis gratiam, quando dixit, quòd in exercitio iustificationis primum locum obtinet gratiæ infusio. ¶Et per hoc multò meliùs dissoluitur.2.argum. *Ad 3.*

Ad tertium respondetur, ex suprà dictis, quòd licèt remissio culpę sit posterior gratia in genere causæ formalis; est tamen prior in genere causæ materialis, vt docet S.Tho. in.4.d.17.q.1.art.4.quæstiun.1. & de verit.q.28.art.7. & hic ad.1. Ex hoc autem non colligitur, quòd gratia & culpa sint simul in eodẽ instanti, sed solùm colligitur, quòd primũ esse gratiæ est primum non esse culpæ, & quando dicit S. Thom. remissionem culpę efficienter procedere ex infusione gratiæ, non intẽdit quòd procedit ex gratia habituali vt inhæret animę nostræ, sed ex diuina actione, qua mouet ad gratiæ productionem. ¶Sed profectò, licèt non sequatur, quòd simul sit in gratia & peccato, saltem videtur sequi, quòd in illo instanti, in quo intelligitur gratus, intelligatur existens in culpa, seu non gratus, quia non intelligitur remissa culpa, quod inuoluit contradictionem. Sed quo pacto hoc sit intelligendum, & qualiter soluatur hæc difficultas, fusè satis diximus in hoc artic. disputatio.1. principali tàm in discursu nostræ sententiæ & conclusionis, quam in solutionibus argumentorum. *Aliquam*

## ARTICVLVS IX.

*Vtrùm iustificatio impij sit maximũ opus Dei?*

PRima conclusio. Ex parte modi agendi, maximum opus Dei est creatio. ¶Secunda conclusio. Ex parte eius, quod fit, maius opus est iustificatio, quam creatio. ¶Tertia conclusio. Comparando iustificationem ad glorificationem, absolutè secundum quantitatem doni, quod cõfertur, maior est glorificatio, quam iustificatio. ¶Quarta conclusio. Comparando hæc duo secundum quantitatem proportionalem; maior est iustificatio, quam glorificatio.

De hac re lege D.Aug.tract.72. in Ioannem. Et aduerte, quòd quamuis S.Tho. non comparet iustificationem cum incarnatione; tamen ex.3.p.q.3.art.2. habetur, quòd incarnatio simpliciter & absolutè fuit maximum opus.

## ARTICVLVS X.

*Vtrùm iustificatio impij sit miraculosa?*

PRima conclusio. Iustificatio impij aliqua ratione potest dici miraculosa, quantùm ad hoc, quòd sola virtute diuina potest fieri. ¶Secunda conclusio. Simpliciter & absolutè secundũ communem ordinem & cursum, non est miraculosa. ¶Tertia conclusio. Aliquando Deus iustificat impios miraculosè simpliciter & absolutè, quando, scilicet, præter communem & consuetũ ordinem subitò conuertit hominem ad perfectam iustitiam, præsertim si adhibeatur exterius aliquod signum mirabile, vt in conuersione Pauli.

### Discursus articuli.

EX plerisq; locis Sanctissimi Præceptoris colligitur, de ratione miraculi, vt minimum, esse duo, Primò quòd opus factum habeat causam occultam, & suprà totum naturæ ordinem. Secũdò, vt id quod fit miraculosè, eueniat præter communẽ ordinem & consuetum, quo solent euenire similes effectus. Vndè, legendus est S.Th.2.2.q.178.&.3.cõtra gent.c.101. & ibi Ferrar. & de poten.q.6.&.1.p.q.105.art.6.&.7. Et.q.110.art.4.&.3.p.q.44.& in.2.d.18. q.1.art.3. & etiam art.1.&.2.

His ergo sic prælibatis, Dubium est circa literam D.Thom. Vtrùm absolutè loquendo iustificatio sit opus miraculosum? & cur illuminatio cæci, & suscitatio mortui sit miraculosa; non verò iustificatio impij? Circa primum, ratio dubitandi est; Quia S. Thom. in art. solùm dicit, iustificationem secundũ vnam cõditionem esse miraculosam; secundũ verò aliam non esse miraculum aliquod in ea. ¶Circa secundum verò etiam se offert altera ratio dubitãdi desumpta ex D.Tho.hic. Quia sicut in materia postquã homo est mortuus, non est potentia naturalis ad vitam recuperãdam; ita sanè in anima nostra nõ est naturalis potentia ad gratiam, sed vtrobiq; solũ est obedientialis: ergo par ratio debet esse de suscitatione mortui, illuminatione cæci, & iustificatione impij. Imo vero S. Th.3. cõtra gent.c.161. apertè dicit, quòd iustificatio impij superat ordinem naturæ, sicut illuminatio cæci, & suscitatio mortui. Fauet etiam: Quia maior est potentia in materia ad vitam naturalem recuperandam, quam in anima ad iustificationem: Quoniam in homine suscitato, vita accepta est illi naturalis, & ea accepta, naturaliter viuit: & forma eius, naturaliter informat materiam: sed homo iustificatus semper habet esse supernaturale, quod superat ordinem naturæ: ergo est opus miraculosum simpliciter.

Pro explicatione huius dubij obseruare oportet, non satis esse ad miraculum, quòd sit opus factum à solo Deo: Quia certum est, quòd creatio cæli, & terræ, & angelorum fuit à solo Deo; & tamen non dicitur fuisse miraculum. Rursus, non satis est ad miraculum, quòd sit opus suprà naturam; nam omnia supernaturalia, vt sunt actus fidei, spei, & charitatis, sunt suprà hominis naturam, & non sunt miracula, neque etiam sufficit ad rationem miraculi, quod opus aliquod sit contra naturam particularem alicuius, vt patet de ascensu grauis sursum, quando proijcitur ab homine; ille namque ascensus est contra naturam grauis, & tamen non est miraculum. Præterea, ad miraculum non sufficit, quòd fiat rarò, aut quòd fiat præter legem: Quia si mortui suscitarentur quotidie, esset miraculum, & non fieret rarò. Et pari ratione resurrectio in die iudicij futura, erit miraculum; & tamen non est præter legem, & ordinationem diuinam. ¶Dicendum est ergo, quòd ad miraculum requiritur, quòd sit opus præter communem ordinem. Intelligitur autem opus aliquod esse præter communem ordinem & consuetudinem ex duabus conditionibus; Prima, quando est opus, quod fit à solo Deo, & non potest fieri à causis naturalibus, propter quam causam omnia facta ab Incantatoribus, & Magis Pharaonis, non fuerunt facta miraculosè, licèt fuerint mira opera; quia causæ illorum erant naturales satis occultæ; de quibus tamen constabat eisdem magis. ¶ Secunda conditio est; Quoniam in ipsa re quando opus miraculosum fit, videtur aliquid, per quod tale opus aliter debet fieri, quam fit, verbi gratia, in mortuo, quia non est in eo naturalis potentia ad vitam, dicimus, quòd non potest viuere; & idcircò si suscitetur, est miraculum. Similiter, si infirmus citius sanetur à Deo, quam per naturam sanari potest, est miraculum, quia ratione infirmitatis, aliter videbatur illud fieri, quam fit. ¶ Hinc colligo, quòd quando opus, quod, fit est eiusmodi, quòd fit à solo Deo, & tamen in ipsa re, in qua fit tale opus, non apparet aliquid, vnde tale opus aliter fieri debuisset; tunc non est miraculum, vt patet de creatione cœli & terræ, & angelorum, & animarum, quæ non dicitur miraculum: Quia licèt sit à solo Deo; tamen in illis non apparet aliquid cur non deberent sic incipere esse per creationem. Imo verò, quia suapte natura nõ possunt aliter incipere esse, quam per creationem, si aliter inciperent esse, esset miraculum, sicut esset miraculum si equus crearetur, quia ex natura sua incipere potest per generationem. Et pari ratione opera supernaturalia, vt actus fidei, spei, & charitatis, non sunt opera miraculosa, quia licèt fiãt ex auxilio Dei supernaturali; tamen in illis operibus nihil apparet cur sic non fieri debeant, sicut fiunt. Quocirca, vniuersaliter dicendum est, miraculum nõ esse, nisi quando aliquid fit præter ordinem causæ, quæ potest talia opera etiam violenter facere. Nam certè, quòd aqua calefiat, est contra naturam aquæ: sed quia hoc fieri potest per naturalem causam, nempe, per ignem, idcirco quòd ipsa calefaciat non est miraculum; si tamen aqua ab alia causa calefieret, quæ non esset formaliter, neq; eminenter calida, esset miraculum. ¶ In summa ergo est dicendum, quòd siue opus sit suprà naturam, siue non, siue sit contra naturam, siue non, siue sit opus, quod à solo Deo producitur, siue non; tunc solum censendum est miraculum, quãdo in re ipsa reperitur aliquid, propter quod tale opus non debet sic fieri.

His ergo ita suppositis, est prima propositio. Iustificatio impij absolutè loquendo nõ est miraculosa. *Conclus.1.* Probatur: Quia de ratione miraculi est, quòd fiat contra id, quod exposcat ordo naturæ, vel aliter, quam exposcat natura effectus, vt colligitur ex S. Tho. 1.p.q.105.art.7. & in 2.d.18.q.1.art.3. & de potẽtia.q.6.art.2. Cùm ergo non sit præter naturam gratiæ, quòd sic producatur, imò est ei connaturale sic produci, non est miraculũ. Ita Ferra. 3. contra gent. cap. 101. 102. & hoc vult S. Tho. hic, quòd quia est cõ naturale animæ, vt si iustificanda est, sic iustificetur; non verò est connaturale materiæ, vt si recipere debet animam, sic illam recipiat cum dispositionibus cadaueris; ideo iustificatio non est miraculosa, sicut suscitatio mortui. ¶ Secundò probatur ex suppositio, quia illud opus est censendum miraculum quando in re in qua fit, reperitur vel apparet aliquid propter quod non deberet sic fieri; sed in communi iustificatione nihil apparet, propter quod non debeat sic fieri: ergo, &c. Minor probatur: Quia si aliquid appareret, vel esset impotentia naturalis, quam habet peccator ad recipiendam gratiam; & hoc non, quia eò ipso quòd homo est factus ad imaginẽ Dei, naturaliter est capax gratiæ, & habet potentiam ad suscipiendum illam. Imo verò, dato quòd homo nõ haberet potentiam & capacitatem ad gratiam, hoc nihil faceret ad hoc, quòd productio gratiæ in homine esset miraculosa. Quia sicut creatio animæ in homine non censetur miraculosa, quoniam suapte natura non potest aliter incipere esse, quam per creationem; ita quia gratia non potest aliter produci suapte natura, quam eo modo, quo producitur à Deo in homine; idcircò productio eius non est cẽsenda miraculosa. Si dicas, quòd peccatum in impio est id, quod reperitur in eo, propter quod non esset sic iustificandus. Sed hoc nihil est: Quia dato sit verum quòd peccatum repugnet gratiæ, sicut suprà diximus, sicut etiam calor repugnat frigiditati; tamen hæc repugnantia non facit iustificationem miraculosam: Quia (vt colligitur ex S. Thom. hic ad. 2.) quando opus est contra naturam rei, tunc quidem solum censendum est miraculum, quando fit præter ordinem causæ, quæ potest tale opus violentum facere: sed solus Deus est, qui potest iustificare, & communis iustificatio non fit præter communem ordinem, quem Deus habet in iustificatione: ergo licèt intelligamus repugnantiam inter peccatum & gratiam, communis iustificatio non est miraculosa. ¶ Sunt qui dicant, quod iustificatio deficit à ratione miraculi, quia licèt proueniat ex causa superioris ordinis; prouenit tamen iã via ordinaria & trita. Sed profectò hæc ratio non satisfacit: Quia Theologi in materia de Eucharistia, disputantes an illud mysterium sit miraculosum, dicunt, non esse contra rationem miraculi, quòd fit tritum ex voluntate Dei: potest namque Deus facere aliquod miraculum iam via ordinaria, seu quod sit ordinarium: Et ob id diximus quòd de ratione miraculi est, quòd fiat contra id quod exposcit



posc it ordo naturæ, vel aliter, quam exposcat natura effectus,

*Conclus.2.* Secunda propositio. Ratio cur suscitatio mortui & illuminatio cæci sit miraculosa, non autem iustificatio impij, est, quia vita restituta in suscitatione mortui, est supra naturalem potentiam talis corporis, iustificatio verò impij, idcirco non est miraculosa communiter, quia anima naturaliter est capax gratiæ, ex eo quod facta est ad imaginem Dei, vt dicit D. August. Hanc rationem insinuat S. Thom. hic in corpore articuli. Et sanè ratio hæc est difficilis, & impugnatur à plerisque: Quia materia cadaueris licet non habeat potentiam proximam ad reunionem animæ; habet tamen potentiam remotam eiusdem ordinis cum anima; at verò anima nõ habet naturalem potentiam proximam vel remotam ad gratiam, sed tantum obedientialem, & capacitatem quandam gratiæ, iuxta illud Aug. de prædestinat. Sanct. capit. 5. Posse habere fidem, naturæ est hominum; habere autem, gratiæ est fidelium: Ergò iustificatio potius est miraculosa, quam suscitatio mortui. Et cõfirmatur: Quia suscitatio mortui, & illuminatio cæci, est supernaturalis ex parte modi; iustificatio verò est supernaturalis ex parte vtriusque: ergo. Ad hoc respondet Sanct. Thom. quòd iustificatio secundum communem & consuetum cursum, vt Deo mouente interius animam, homo conuertatur ad Deum, primo quidem conuersione imperfecta, & tandem conuersione perfecta; sic non est opus miraculosum ex hac parte. Nam vna ex conditionibus miraculosis est, quòd opera miraculosa talia sint, vt in eis inueniatur aliquid præter solitum & consuetum ordinem causandi effectum: Sicut cum infirmus assequitur sanitatem subitò præter solitum cursum sanationis, quæ fit à natura vel ab arte. Et certe, in illuminatione cæci, & suscitatione mortui, aliquid inuenitur præter solitum & consuetum ordinem causandi, quod non inuenitur in iustificatione impij secundum communem cursum iustificationis. ¶ Quapropter, ratio Diui Thom. Si introspiciatur, est; Quia de ratione miraculi est, quòd fiat contra id, quod exposcit ordo naturæ, vel aliter, quam exposcat natura effectus, vt ipse dicit expresse 1.parte quæstione. 105. articulo. 7. & locis etiam supra citatis. Cùm ergo sit aliter, quam exposcat productio vitæ, & productio oculi, & ordo naturæ, illuminatio illa cæci, & suscitatio illa mortui; sequitur quòd illæ sint miraculosæ; at verò non est præter ordinem naturæ ipsius gratiæ, aut aliter quã exposcat natura effectus, & ipsius iustificationis, quòd sic fiat iustificatio: ergo ex hoc capite non est miraculosa simpliciter. Ita docet Ferrar. 3. contragent. capit. 101. &. 102. Præterea. Ratio D. Thom. hæc est: Quia suscitatio motui est supra facultatem naturalem materiæ, iterum recipientis eandem numero animam & formam: sed quòd anima habeat gratiam, hoc supponit potentiam obedientialem, & veram capacitatem, & ille ordo non est ad eandem numero gratiam. Imo verò, suscitatio mortui & illuminatio cæci, dicuntur supra facultatem & naturalem potentiam materiæ & corporis: Quia id non exposcit ordo naturæ, vt fiat suscitatio aut restitutio, & quia aliter hæc fiũt quam exposcat natura effectus. Et sic est intelligendus Sanct. Thom.

Tertia propositio. Iustificatio, quæ fit præter communem ordinem, qualis fuit iustificatio Pauli & Magdalenæ & Latronis; illa quidem est miraculosa. *Conclus.3.* Probatur: Quia conuersio ista includit multa præter communem ordinem connaturalem productioni iustificationis: Est enim præter communem ordinem, quòd Deus etiam in ipso cursu peccandi, tam vehementer & subito moueat animam, vt statim assequatur perfectionem iustitiæ, vt in conuersione Pauli expressissime liquet, qui cum actu persequebatur Ecclesiam Christi, etiam cum prostratione exteriùs facta, & ingenti illuminatione, vehementer fuit commotus, & subitò mutatus, & iustificationem assequutus: ergo. Quocirca Sanct. Thom. communem modum iustificandi impium, dicit, secundum quid posse dici miraculosum, tum quia fit sola virtute diuina, tum quia habet quasi causam occultam; non tamen absolute & simpliciter.

Ad obiectiones propositas initio huius dubij, patet ex dictis in prima & secunda conclusione, & præsertim dissoluentur dubio secundo sequenti. *Ad obiect.*

## DVBIVM II.

*Vtrùm in anima sit potentia passiua naturalis ad suscipiendam gratiam.*

HOc dubium mouetur propter verba Diui Thom. in litera, vbi dicit, quòd anima naturaliter est capax gratiæ, & quòd ob id iustificatio nõ est supra naturalem potentiam animæ. De qua difficultate fusè nos & luculenter egimus supra in hac materia, & idcirco modo rem hanc paucis aperiemus. ¶ Et primò arguitur contra dictum Diui Thom. Nam potentia naturalis est illa, cui respondet in natura potentia actiua, à qua possit reduci in actum: sed nulla est potentia actiua naturalis, quæ possit producere gratiam in anima: ergo non est in anima potentia passiua naturalis ad suscipiendum gratiam. Probatur consequentia: Quia hac ratione ostendimus resurrectionem non esse naturalem. ¶ Et confirmatur: Quoniam separata anima à corpore, non manet in ipso corpore emortuo potentia passiua ad recipiendum animã, quamuis possit à Deo coniungi illi: ergo separata gratia ab anima impij, non manet in ipsa anima potentia passiua ad recipiendam gratiam; quamuis possit produci à Deo in illa. Ostendo consequentiam: Quoniam multo minus videtur quod anima sit in potentia ad gratiam deperditam, quam materia ad animam rationalem. Quia materia per transmutationes multas, potest tandem peruenire naturaliter ad hoc, quod informetur anima rationali, ad quod non potest peruenire anima impij respectu gratiæ. Item vltimo. Quia D. Thom. 3. contra Gent. cap. 161. dicit, quod iustificatio impij fit præter id, quod exigit ordo rerum & naturæ, sicut illuminare cæcum: ergo anima non est in potentia naturali ad gratiam: sed illuminare cæcum, est miraculum: ergo ita etiam iustificare impium. *Argum. 1.* *Secundum.*

Bartholom. Medina in comment. huius art. refert quandam opinionem de hac difficultate, nempe, *Medina.*

quòd ſicut in animis noſtris eſt naturalis inclinatio ad videndum Deũ, vt eſt in opinione quorundam; ſic etiam eſt in nobis naturalis inclinatio ad gratiam & charitatem, quæ ſunt media neceſſaria ad videndum Deũ. Verum iſte modus dicendi, neque nobis, neque illi probatur. Primò: Quia ex illo ſequeretur, reſurrectionem mortuorum eſſe ex inclinatione naturali. Quia in anima ſeparata eſt inclinatio naturalis ad vnionem corporis, & ad informationem, & reſumendum corpus. Nam S.Tho. 3.p.in additionib.q.75.art.3.dicit, quòd reſurrectio mortuorum ex parte principij actiui eſt ſupernaturalis; cæterum ex parte finis eſt naturalis: ergo. Rurſus etiam, non eſt certa neque valde rationabilis illa opinio quæ dicit, quòd Deus clare viſus eſt finis naturalis: ergo iſte modus dicendi non eſt verus.

*Dico.1.* Vt dubitationem hanc explicemus, Dico primò, quòd S.Thom. vt minimum, loquitur de potẽtia remota in hoc ſenſu, quòd in anima eſt quædam capacitas ad iuſtificationem & gratiam, qualis nõ reperitur in alia natura corporali: Et hæc eſt aperta *D. Auguſt.* ſententia D.Auguſt.lib.de Prædeſtinat.Sanct. cap. 5.dicentis, poſſe habere gratiam & charitatem, naturæ eſt hominum; habere autem, gratiæ eſt fideliũ.

*Dico.2.* Dico ſecundò, quòd potentia paſsiua, tribus modis poteſt dici naturalis: Primo modo, quia forma introducenda, poteſt educi de potentia materiæ per actionem, & vim agentis naturalis, & hæc eſt proprijſsima potentia naturalis; & iſto modo anima non eſt in potentia naturali ad gratiam. Quoniam gratia non educitur de potentia ſubiecti per actionem agentis naturalis. Secundo modo, potentia paſsiua dicitur naturalis, quia naturale agens, licet non poſsit educere formam de potentia ſubiecti; tamen poteſt educere diſpoſitionem neceſſariam ad illam formam. Et hac ratione materia eſt in potentia ad animam rationalem: Sed neque iſto modo anima eſt in potentia ad gratiam. Quia nulla cauſa præter Deum poteſt ex ſe producere diſpoſitionem ad gratiam, ſcilicet, contritionẽ, quamuis homo concurrat ad contritionem & dilectionem, cum ſint actus vitales, vt ſupra vidimus. Tertio modo, quando licet ex tali potentia paſsiua nõ poſsit educi forma, neque diſpoſitio ad formã per agẽs naturale; poteſt tamen diſpoſitio ad formam produci per agens eleuatum, & ſupernaturale cũ diuino auxilio. Et iſto modo anima eſt in potentia ad gratiam: Quia anima producit cõtritionẽ, quæ eſt conaturalis diſpoſitio ad gratiã. Quare licet ea diſpoſitio ſit à Deo per diuinum auxilium; tamẽ quia eſt actus voluntatis, ideò verè effectiue cõcurrit ad eã diſpoſitionem. Vnde, colligitur hanc eſſe differentiam inter ſuſcitationẽ mortui, & impij iuſtificationem; quod ad ſuſcitationem mortui non cooperatur homo; ad iuſtificationem autem operationes noſtræ ſunt neceſſariæ, quæ ſunt actiones elicitæ vitales per auxilium ſpeciale Dei, &c.

*Dico.3.* Dico tertio, quod talis potentia animæ debet vocari potentia obedientialis, quæ potentia qualis ſit, & an ſpecificetur per actũ ſupernaturalẽ & ab agẽte extrinſeco, diximus in ſpeciali quæſtione de hac re in ſuperioribus. Hoc ita tenet Caie. in hoc ar. An vero iſta potentia animæ in ordine ad gratiam, magis ſit dicenda ſupernaturalis, quam naturalis, aut obediẽtialis, diximus loco citato; vbi explicuimus Cur appellet eã S.Th. naturalẽ potentiã: & an id ſit quia Deus producit gratiã poſita vltima diſpoſitione, quæ eſt actus elicitus, quem anima producit ex ſpeciali Dei auxilio ſupernaturali. Caiet. hic in cõment.arti.inquit, quòd illa potentia animæ ad gratiam, quandoq; naturalis paſsiua, quandoq; non naturalis, ſed obedientialis, aut ſupernaturalis vocatur: ſimpliciter tamen loquendo, non eſt naturalis; quia eſt ad res ſuperioris ordinis. Vndè, quoniam Deus ab initio inſtituit creaturã rationalẽ eleuandam ad hunc ſupremum ordinẽ gratiæ, etiam per ſua opera vitæ, ex ſupernaturali ordine & auxilio procedentia; idcirco iuſtificatio, quæ ſecundũ communem curſum fit, non dicitur miraculoſa; & hanc non acciperet anima, ſi Deus ſolum naturalem ordinem rerum creaſſet, ac inſtituiſſet.

*Ad argum.* Ad argumenta. *Ad primũ.* Ad primũ reſpõdetur ex dictis, & ſentiendũ eſt, potentiã illam animæ eſſe obedientialem, & eſſe potẽtiam paſsiuam per ordinẽ ad agens ſupernaturale operans ex diuino auxilio ſpeciali: Et hæc nihil aliud eſt, quã ipſa natura obediẽs, etiã relata ad agens ſupernaturale. *Ad confirm.* ¶ Ad confirmationẽ negatur conſequentia: eſt enim maxima differẽtia inter mortuũ & cæcũ, & animam impij. Nã anima impij habet potentiã occupatam contrario gratiæ, ſicut aqua, quæ poteſt calefieri, ex eo q̃ habet frigiditatem, habet potentiã paſsiuã quam habet ad calorem; occupatã cõtrario caloris, nẽpe frigiditate; mortuus verò aut cæcus non habent potentiã occupatã contrario vitæ, aut viſus, ſed nullã habent prorſus potentiã naturalẽ ad vitã aut viſum: Quoniam à priuatione vltima ad habitũ non eſt regreſſus. Ratio autẽ huius differentiæ inde colligi poteſt: Quoniã anima poſtquã ſemel receſsit à corpore nũquã ſecundũ cõmunẽ curſum redit ad corpus, neq; in ordine naturæ, in quo ipſa eſt reperitur potẽtia ad id. De gratia verò nõ ita euenit: quia poſtquã homo perdidit eã, fiſtẽdo in ordine ſupernaturali, ſecũdũ cõmunẽ curſum, quẽ Deus ſeruat, in pœnitẽtia impiorũ illã recuperat. Rurſus etiã: Quia anima ad diſpoſitionẽ gratiæ concurrit effectiue; mortuus verò nõ concurrit actiuè ad ſuam ſuſcitationẽ, ſed ſolus Deus. *Adſcutia.* ¶ Ad vltimũ dicendũ, quod, ſi cõſideretur ordo iuſtitiæ, ſic præter rerũ ordinem, ideſt iuſtitiæ fit iuſtificatio impij: Ex eo nãque quòd impius habet peccatũ, quantũ eſt ex ſe, apponit impedimentum gratiæ; & ideò ſecũdũ ordinẽ iuſtitiæ merebatur q̃ illi nõ daretur gratia. Vnde, ſi Deus illã ei cõfert, eſt gratis, & ex mera miſericordia, ita vt plus excedat donũ gratiæ proportionabiliter impiũ, quã donum gloriæ iuſtũ. Si autẽ conſideretur ordo cauſandi iuſtificationem ipſam, vt S.Tho.dicit.in litera; tunc quandoque fit iuſtificatio ſecũdũ cõſuetũ curſum; quandoq; verò ſupra illũ. Nã gratia datur ſecũdũ ordinẽ cauſandi in communibus iuſtificationibus, quem Deus vult ſuauiter ſeruare in nobis; & ob id tales iuſtificationes non ſunt miraculoſæ; ſecus eſt quando iuſtificatio fit ſupra conſuetum modũ cauſandi, vt S. Thom. dicit in litera adducens exemplum de Paulo, & nos adduximus etiam exemplũ de Latrone. Et ſic patet ſolutio ad hoc vltimum argumentum. De qua re lege etiam quæ diximus dubitatione præcedente.

QVÆST.



# QVAESTIO CENTESIMA DECIMAQVARTA.

## De merito, quod eſt effectus gratiæ cooperantis.

HÆRETICI Lutherani contendunt, in humanis operibus nullum poſſe eſſe meritũ hominis ad gloriam aſſequendam: & putant eſſe Pelagianum aſſeuerare, hominem poſſe mereri aliquid apud Deum. Nam credunt, vniuerſa hominis opera eſſe peccata; Imo verò, nullò modo cooperari liberum arbitrium. Et ob ib adducunt illud Pauli; Non ex operibus, ne quis glorietur, ad *Epheſ.2.* Epheſ.2. & illud; Non ex operibus iuſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit, ad Titũ.3. Vnde, vita æterna vocatur gratia Dei, ad Rom.4. Vndè, ſi daretur ex operibus, iam non ex gratia, vt Paul. videtur colligere ad Rom.11. *ad Tit.3. Rom.4. Genes.* Dicunt etiam hæretici, illud vocabulum, meritum, inauditum eſſe in ſacris literis, & barbarum eſſe; ac proinde non eſſe cur meritum aſſeratur. Sed quoniam in diſcurſu huius diſputationis plerumq; ſumus acturi de merito, & eius eſſentia, atq; præmio, deque fundamento ipſius meriti etiam contra hæreticos; idcirco nunc paucis hoc abſoluo.

*Concluſio.* Vt igitur Hæreticorum furorem comprimamus, Catholica concluſio eſt, Meritum conſtituendum eſſe bonorum operum in ordine ad Deum, idq; nomen, frequenter reperiri in ſacris literis, aſſeueramus. Hæc aſſertio expreſſè definitur in Concil. Trident.ſeſſ.6.cap.16. Vbi agitur de fructu iuſtificationis, hoc eſt, de merito bonorũ operum, deq; ipſius meriti ratione. Et quòd homo in gratia conſtitutus, poſsit mereri vitam æternam, definietur à nobis art. 3.ſequenti. Et ſanè, ſumpto merito, vt dicit relationem ad mercedem, eſſe meritum nulla ratione negari poteſt, *Ierem.31. Sapient.5.* Ierem.31. Erit merces operi tuo Sap. 5. Iuſti autem in perpetuum viuent, & apud Dominũ eſt merces eorum. Extat etiam Matth.20. tota illa Parabola de denario diurno, quam ſi quis intelligat, non poterit adeò ſtultus eſſe, vt neget meritum in operibus bonis in ordine ad mercedem. Nam ibi legimus; Voca operarios, & redde illis mercedem ſuam: Cùm igitur merces, apud plures, à merendo dicatur, & merces ſit id, quod quis meretur, non eſt cur nomen meriti repellatur. Vnde, Propheta Pſal. 61. Tu reddes vnicuique ſecundum opera ſua. Extat etiam illud Matth.10. Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet. Et Marci.9. Qui dederit potum aquæ frigidæ, &c. Sap. 10. Dabit Deus mercedem laborũ Sanctorum ſuorum. Et tot quidem ſunt huius rei Sacræ Scripturæ teſtimonia, vt ſingula referre, longiſsimum eſſet. Ruth.2. Ioan.4. Sap.5. Lucæ.10. Matth.10. Proverb.11. Geneſ.15. Eccleſiaſ.18. Apocal.22. Ierem.31. Iſaiæ.40.

*Matth.20.* *Pſalm.61.* *Matth.10.* *Marci.9.* *Sap.10.*

Et profectò, eſt mirabile, quòd hæretici dixerint, vocabulum meriti barbarum eſſe, & inuſitatum in Sacris literis: Nam apud latinos authores meritum propriè ſignificat opus illud, quod quis facit cur præmium accipere, vel pœnam pati dignus eſt. Vndè Plaut.in Moſtell. Quid merear, quam obrem mẽtiar. Et Cicero.1.de natura deorum; Quid enim mereas, vt Epicureus eſſe deſinas? Terent. in Andria; Vnum hoc ſcio hanc meritam eſſe, vt memor eſſes ſui. Plaut.in Trinummo, Non video deor meruiſſe laudem, culpa caruiſſe arbitror. Vnde, meritum eſt vocabulum medium, quod tam in meliorem, quam in deteriorem partem accipi poteſt; & verè accipitur etiam apud prophanos authores. 3.Æneidos: Et Pater Anchiſes paſsis de littore palmis, Numina magna vocat, meritoſq; indicit honores. Quocirca, etiã Philoſophis moralibus cognitum fuit nomen meriti, mercedis, & præmij, & turpiſsimum iudicauerũt id re-

*Plautus.* *Cicero.* *Terentius.* *Virgil.*

id repellere. Nam etiam lumini naturali conſtat, mercedem & meritum ad eam, nõ poſſe tolli in bonis moribus & operibus. Nam Comicus rogante Pamphilo, quid meritus eſſet? reſpondit in perſona *[Terentius.]* Daui, Crucem. ¶Quod vero dicunt hæretici, id nomen in Sacris literis inauditum eſſe, mentiuntur, *[Ecclef.16.]* vt patet Eccleſiaſt.16. Miſericordia omnis faciet locum vnicuique ſecundùm meritum operum ſuorũ. Quod teſtimonium reijciunt hæretici, dicentes, hunc librum Canonicũ non eſſe, id referente *[Hieronym.]* Hieronymo in Prologo Galeato, cum librum hunc inter Hebræos non reperiri dicat: Sed tamen Iræneus & Egeſypus, qui proximi fuerunt Apoſtolorum temporibus, hunc librum canonicum citant. Et id *[D.Auguſt.]* confirmatur ex Auguſt. lib.17. de Ciuit. capit.20. ex *[D.Damaſ.]* Damaſc. lib.4. fidei capit.18. & *[Euſebius.]* Euſebio lib.4. & in Concil. Carthagin.3. pro canonicò acceptus eſt & *[2.Corint.4.]* in Trident. ſeſsione.4. decreto.1. D. Paulus.2. Corinth.4. ait, Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, de reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Deus iuſtus iudex. Cuius teſtimonij ſingula verba ſunt expendenda; In quibus quanta vis in operibus meritorijs ſita ſit, declaratur. Vnde, poſt curſum & certamen, ſeu meritum, repoſitam eſſe dicit ſibi coronam iuſtitiæ. Quapropter, nomen meriti, non tantum reperitur in Sacris literis, ſed etiam res per meriti nomen ſignificata, vt paſsim conſtare poteſt, legentibus Sacras literas. *[D.Dionyſ.]* De qua re legendus eſt Dionyſ. libr. de Sacro ſancto Eccleſiæ Principatu cap. vltimo *[D.Baſil.]* D.Baſil. de Oratione, quam habuit pro.40. Martyribus, & in Oratione in diuites, & in Oratione.10. in Examerõ. *[Nazian.]* Grego. Nazian. in Epitaphio Baſilij, *[Chryſoſt.]* Chryſoſt. in explicatione poſterioris epiſtolæ ad Corinth. non ſemel explicans illa verba, Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Domini noſtri.

Meritum, latius ſumpto verbo, ſignificat condignitatem alicuius ad aliquam rem. In quo ſenſu aſſeueramus, prudentem & inſignem virum, dignum eſſe officio aliquo, aut dignitate Reipublicæ. Et interdum ſecundum propriam acceptionem meritũ ſignificat ius ex propria operatione acquiſitum ad aliquod præmium obtinendum. Interdum verò accipitur meritum pro ipſo opere in quo fundatur tale ius. ¶Aliquando verò meritum capitur in malam partem. *[2.Paral.19.]* 2.Paralipom.19. Iram merebaris. *[Hebræ.10. & 13.]* Hebræ.10. Supplicia mereris. Sed frequentius in bonam partẽ, Hebræ.13. Talibus hoſtijs promeretur Deus. *[Ecclef.16.]* Eccleſiaſti.16. Miſericordia facit locum vnicuique ſecundum meritum operum ſuorum. Et quod latinis eſt ſecundum meritũ, Græcis eſt, Cathata erga, In qua acceptione vſos fuiſſe hoc verbo Claſsicos Authores, probat *[Perionius.]* Perionius. 2. de Topica Theologia. Ita *[D Cyprian.]* Cyprian. lib.4. epiſt.5. & 6. *[D.Hilar.]* Hilarius pſal.1. *[D.Ambro.]* Ambroſ. ſermo.37. de ieiunio & Eleemoſyna, *[D.Auguſt.]* Auguſt. ſermo.19. de Tempore *[D.Hieron.]* D. Hiero. ſæpius ſuper Iſaiam, præſertim capit.66. & de viduitate ſeruanda ad Saluinam. ¶Verum eſt, quod aliquando accipitur meritum pro ipſa mercede, vt notauit *[Budæus.]* Budæus ex Terentio in Phormione, dicente; Nihil ſuaue meritum eſt; id eſt, nulla res ſuauis data eſt mihi pro mercede. Et in eodem ſenſu intelligi debet B. Clemens in Epiſt. ad Iacob. fratrem Domini, Vbi dicit, futurũ ſeculũ eſſe tẽpus meritorũ; Quo loco aperte ſumpſit meritum pro præmio. Cæterum loquendo propriè & in rigore, meritum ſignificat aliquod opus, cui debetur merces, vel retributio.

Tandem, Apoſtolus Paul.1. Corinth.3. Vnuſquiſque propriam mercedem accipiet ſecundum ſuum laborem. *[1.Corinth.3.]* Et certe, ſi nullum eſſet meritum, non diſtribueretur merces iuxta laboris menſuram, ſed iuxta voluntatem donantis. Et Sapient.3. Sapiens loquens de iuſtis ait; Tentauit illos Deus, & inuenit *[Sap.3.]* eos dignos ſe; Si digni: ergo meritum habentes. Et *[2.Theſſal.1.]* 2. ad Theſſal.1. Paulus ſcribens de tribulationibus, quas illi patiebantur, ait; Quas ſuſtinetis in exemplum iuſti iudicij Dei, vt digni habeamini regno Dei, pro quo & patimini.

Ad teſtimonia, quæ hæretici obijciunt. Ad primum quod eſt Pauli ad Epheſ.2. vbi dicitur: Gratia enim eſtis ſaluati per fidẽ, non ex operibus ne quis glorietur, Cum dixerit Paul. Rom.3. iuſtificati gratis per gratiam ipſius nunc excludit merita huius *[Rom.3.]* iuſtificationis, dicens; Non ex operibus, ſcilicet præcedentibus, hoc donum gratiæ & fidei meruimus aliquando quòd ſaluati ſumus & iuſtificati; Quoniam hoc ex gratia Dei eſt, quòd ſi eſt ex gratia; iam non ex operibus, ne quis glorietur in ſe ipſo, ſed vt tota gloria in Deum referatur; aliàs gratia iam non eſſet gratia, ſed merces meritorũ præcedentiũ. Vnde, non antecedunt opera, quibus mereamur remiſsionem peccatorum, aut iuſtificationem. Et in hoc ſenſu explicantur reliqua teſtimonia ibi ab hæreticis allata. Et ſic explicat D. Thom. ad Epheſ.2. lectio.3. ¶Ad illud vero Pauli, quòd vita æterna appellatur gratia Dei, reſpondetur, quòd hoc non excludit merita fundata in gratia. Vnde vere dicitur, quòd gratia Dei contingit vita æterna nobis: Quia gratia Dei efficimur membra Chriſti, cuius vi & virtute promeremur vitam æternam. Ita Docet D. *[D.Auguſt.]* Auguſt. Epiſt.105. & de Grat. & libero arbit. cap.7. & 8. Vbi ſic ait: Hæc vita æterna, quæ in fine ſine fine redditur, ex meritis præcedentibus redditur: Sed quoniam hæc merita nõ propter noſtrã ſufficientiã data ſunt, ſed propter gratiam donatam; idcirco Paul. dicit: Gratia Dei vita æterna *[D.Thom.]* D. Tho. ad Rom. 11. lect.11. explicans illud Paul. Si gratia eſt ex operibus, iam non eſt gratia; Adducit illud ad Titum.3. *[Ad Titum.3.]* non ex operibus iuſtitiæ, quæ fecimus nos, & illud *[Ioan.14.]* Ioan.14. Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos. Et ex hoc infert Paulus (vt ibidem dicit S. Tho.) concluſionem dicens; Si autem gratia ſalui facti ſunt, iam nõ ex operibus eorum; aliàs ſi gratia eſt ex operibus, iam non eſt gratia, quæ dicitur ex eo quòd gratis datur, iuxta illud Pauli Rom.5. Iuſtificati gratis per gratiam ipſius.

# ARTICVLVS I.

*Vtrùm homo poſsit aliquid mereri à Deo?*

PRima Concluſio. Reddere mercedem pro meritis, eſt actus iuſtitiæ. ¶Secunda concluſio. Inter Deum & hominem eſt meritum, non quidem ſecundum abſolutam æqualitatem & perfectã iuſtitiam, cuiuſmodi eſt inter homines, ſed ſecundum proportionem quandam. ¶Tertia concluſio. Homo non poteſt mereri à Deo, niſi ſuppoſita diuina



na ordinatione; ea tamen poſita poteſt iuſtus mereri apud Deum. ¶Quarta concluſio. Secluſa quauis ordinatione diuina, non poteſt eſſe inter hominem & Deum ratio mercedis & meriti ſimpliciter. Quia ex ſuppoſitione diuinæ ordinationis datur tale meritum in ordine ad Deum.

# DISPVTATIO I.

*Quid ſit meritum ſecundum eſſentiam: & an libertas ſit neceſſaria ad meritum?*

*[Argum.1.]* QVòd libertas non requiratur ad meritum, putauerunt Aliacenſ. & Holcoth. in.1.d.17. Nam Chriſtus habuit actum charitatis vere meritorium: ſed ille actus non erat liber, quia erat beatificus: ergo libertas non eſt neceſſaria ad meritum. Et confirmatur: Quia Chriſtus habuit præceptum moriendi à Patre, & cũ non poſſet peccare, neque omittere, quod ſibi præcipiebatur, non poterat non mori, & tamen meruit moriendo: igitur libertas non requiritur ad *[Secundum.]* meritum. ¶Secundò. Opus neceſſarium, poteſt eſſe honeſtum, & ortum ex plena ordinatione rationis, vt amor Dei in beatis, & Deus poſſet promittere *[Confirm.]* præmium habenti illum actum: ergo. Et confirmatur: Quia noſtra opera dicuntur meritoria ex diuina acceptatione: ſed poteſt Deus acceptare opera naturalia ad vitam æternam: ergo talia opera poſſunt eſſe merita ſine vlla libertate.

In hac controuerſia, tres præcipuè articuli veniunt à nobis explicandi. Primus eſt, quid ſit meritum ſecundum eſſentiam? & an libertas ſit de ratione meriti? Secundus eſt, Vtrum opera noſtra habeãt rationem meriti præciſa acceptatione diuina? Tertius eſt, vtrum ad rationem meriti pertineat conſtituere Deum debitorem? Quibus explicatis, explicabitur etiam eſſentia meriti.

De prima difficultate, ſeu articulo agendum eſt primo. Et principio ſuppono, quòd ad veram & propriam rationem meriti apud Deum, quinque requiruntur conditiones; Prima eſt, libertas; Secunda, bonitas & honeſtas operis; & proportio cum præmio, cum quadam æqualitate valoris: cum enim meritũ pertineat ad Iuſtitiam; æqualitatem aliquam inter meritum & præmium requirit. Tertia, ordinatio in Deum; Quarta, gratia; hoc eſt, quòd perſona ſit Deo grata. Quinta, ſtatus, nempe quòd homo ſit viator & non ſit in termino. ¶Secundò ſuppono, libertatẽ eſſe duplicem; contrarietatis, & contradictionis: libertas contrarietatis, eſt libertas quantum ad ſpecificationem, & eſt libertas indifferentiæ ad oppoſita contrariè. Libertas contradictionis, ſeu libertas quoad exercitium, eſt libertas indifferentiæ ad oppoſita contradictoriè. Addunt alij alteram eſſe libertatem complacentiæ, & ſic dicũt liberum & voluntarium eſſe idem. In quo ſenſu dixerunt diſcipuli Scoti, Patrem, & filium liberè produxiſſe Spiritum ſanctum, ideſt, voluntariè, per libertatem complacẽtiæ ſolum. Cęterum ridiculum eſt affirmare, hanc eſſe veram & propriam libertatem, nempe præciſam complacentiam voluntariam; & idcirco etiam eſt falſum, quòd Scoti diſcipuli dicunt, Beatos liberè prorſus amare Deum. ¶Suppono tertio, quòd quando S. Thom. in præſenti articulo quærit, vtrum poſſit homo aliquid mereri à Deo, non quęrit hoc tantũ de homine exiſtente in gratia, ſed de homine abſolutè, etiam abſtrahendo ab homine exiſtente in peccato, vtrum opera hominis, ſi ſint bona ſaltem moraliter, ſint meritoria apud Deum. Et licet hanc quæſtionem ſupra.q.21. definierit Sanctiſsimus Præceptor, dicẽs quòd omnis motus bonus moraliter, habet rationem meriti apud Deum; tamen hic iterũ mouet eandem quæſtionem, vt explicet quale meritum eſſe poteſt hominis ad Deum. Et affirmat, quòd hominis ad Deum non poteſt eſſe meritum ſimpliciter & abſolutè, ſed ſolum ex ſuppoſitione diuinæ ordinationis. ¶Tandem aduerto, quòd meritum vt ſic, ſeu actio meritoria, includit rationem debiti in ordine ad alium, qui debet reddere præmium vel mercedem. Et inde eſt, apud D. Auguſt. & reliquos Sanctos Patres, quod dari aliquid gratis, repugnat huic, quod eſt dari ex meritis formaliter loquendo, vt recte oſtendit Vega lib.8. in Trident. *[Vega.]* capit.10.

*[Concluſ.1.]* His ergo ſic prælibatis, eſt prima propoſitio. Ad meritum non ſufficit libertas illa complacentiæ, ſed requiritur libertas indifferentiæ, eſtque eſſentiale merito quod ſit opus liberum non tantum à coactione, ſed etiam à neceſsitate. Hanc aſſertionem tenent omnes catholici. *[D.Thom.]* Ita D. Thom. hic & ſupra.q.21.art.3.& Theologi in.1.d.17. *[Oſius.]* Oſius in expoſit. fidei cap.37. *[D.Bernar.]* D.Bernardus, lib. de grat. & libero arbit. & ſermo.81. ſuper Cant. *[Tertulian.]* Tertulian. lib.2. contra Marcion. *[D.Damaſ.]* Damaſ. lib.2. fidei cap.26.27. & *[D.Auguſt.]* D.Aug. ſpecialiter contra Fortunatum. Et ſanè, omnes qui ſtatuunt liberum arbitrium, præſertim contra Lutherum docẽt, ſine libertate indifferẽtię nullũ prorſus eſſe meritũ, vel demeritum. De qua re legendus eſt *[Ruard T.]* Ruardus Tapper artic.6. & 7. *[Pigius.]* Pigius lib.2. & 3. de libero arbit. *[Roffenſis.]* Roffenſ. articulo.32. contra Lutherum. *[Caſtro.]* Caſtro, verbo liberum arbit. *[Sotus.]* Sotus.1. de natura & gratia.cap.5. & lib.3. cap.7. *[Vega.]* Vega lib.2. in Trident. cap.6. & lib.6. cap.2. & lib.8. cap.10. & lib.15. cap.16. & *[Medina.]* Bartholom. Medina in Comment. huius arti. ¶Probatur hæc aſſertio ex D. Paul.1. Corinth.9. *[1.Corinth.9.]* non ſum liber? Non ſum Apoſtolus? Nonne Chriſtum Ieſum Dominum noſtrum vidi? Nonne opus meum vos eſtis in Domino. Et paulo inferius; Si volens hoc ago, mercedem habeo. Et præmiſerat antea, ſe eſſe liberum, dicẽs, Non ſum liber. Et idem habetur.2. ad *[2.Timo.2.]* Timoth.2. Non coronabitur niſi qui legitimè certauerit. Vbi ſupponit eſſe in poteſtate hominis non legitime certare. Et in Epiſt. ad Philemon. *[Ad Phile.]* Ne ex neceſsitate bonum tuum eſſet, ſed voluntarium, ſeu ex voluntate. Et Eccleſiaſti.15. *[Eccleſ.15.]* Deus fecit hominem liberum, & reliquit eum in manum Conſilij ſui, appoſuit ignem & aquam, ad quod voluerit extendet manum ſuam, adiecit mandata & præcepta, ſi voluerit mandata ſeruare, conſeruabunt illum. Vbi Sancti Patres legunt, ſi obſeruauerit mandata, recipietur à Deo. ¶Hoc ipſum dicunt omnes Sancti: Nam vbicumque probant liberum arbitrium, ſtatim colligunt, aliàs non poſſet eſſe meritum, neque demeritum. Sic *[D.Gregor. Nazian.]* Gregor. Nazian. homil.4. de Paſchate. *[Chryſoſt.]* Chryſoſt. hom.22. in Geneſ. *[D.Cyrillus.]* Cyrill.1. in Ioan. capit.54. *[Lactant.]* Lactant. lib.4. diuinarum inſtitution. capit.24. Qui dat

(in-

(inquit) pręcepta, libertatem relinquit vt præmium sit constitutum,&c. D. Hieron.2. contra Iouin. Vbi necessitas, ibi neque damnatio neque Corona est, D. Aug. de vera religione cap. 11. &.15. & tribus libris de libero arbitrio. *D. August.*

Rationibus etiam ostenditur præfata assertio. Et ratio à priori sumitur: Quia sine libertate vlla, actus non est moralis, neque est humanus; neque homo est illius dominus: sed in ipso merito intercedit quidam iustitiæ contractus; ratio verò iustitiæ non habet locum, nisi inter eos, qui sunt domini suorum actuum; Quia vbi nõ est dominium, neque ius: ergo. Secundo. Meritum est quasi via, qua homo se mouet ad præmium; hæc autem debet esse libera. Quia cum sit via per quandam rationem iustitiæ,& per tendentiam meriti & præmij, hoc saluari non potest, nisi apud eos, qui (vt diximus) habent verum dominiũ suorum actuũ; aliàs per solas actiones necessarias aut naturales, quæ sunt à natura, quibus neque laudamur, neque vituperamur, mereremur præmium. Tertio. Is qui meretur, quodammodo quasi pretio quodam emit præmium: oportet ergo vt aliquid offerat proprium: Nam qui meretur obligat alterum: sed per ea, quę sunt necessaria prorsus, non possumus alium constituere debitorem: ergo. Quartò probatur. Quia quod non est laudabile, non potest esse meritum: sed opus necessarium non est laudabile, vt sæpius Arist. dicit in Ethicis ad Nicomachũ: ergo. Et confirmatur: Quia vbi non est libertas, non potest esse meritum pœnæ vt sic: nemo enim peccat in eo, quod vitare non potest: ergo pari ratione vbi non est libertas, non est meritum præmij. *Arist. Ethicor. capit.3. & .5. & alibi sæpius.*

Ex his colligo, pessimè fuisse loquutũ Holchot. in.1.q.1.&.d.17. quem refert Almayn.in.3.d.17. Et si loquatur de facto, erronea est sententia illius: Si de possibili, est impossibilis, & contra prædictos Sanctos, qui loquuntur de merito secundum id, quod omnino necessario requiritur. Nam profectò, si Deus tribueret alicui beatitudinem, vel ratione cõsanguinitatis aut pulchritudinis, illud quidem non esset meritum, vt constat ex consensu omnium rectè sentientium: ergo si daret eandem beatitudinẽ propter qualitates naturales, propriè non esset meritum. Quia certe omnino impossibile est, quòd homo demereatur apud Deum per opera naturalia & necessaria: ergo pariter est impossibile quòd mereatur per opera purè naturalia sine vlla libertate. Nã certe, de essentia actus meritorij est, quòd sit opus liberum præstitum in obsequium alterius: sed opera naturalia, quorum non habemus dominium, non præstamus in obsequium alterius: ergo talia opera non possunt esse merita. Et confirmatur: Quia actus omnino carens libertate, non est actus virtutis, aut vitij: ergo non est dignus laude, aut vituperio;& naturalibus quidem non meremur neque demeremur: ergo.

Ad hoc respondet Holchoth loco citato, quòd posset Deus facere legem, vt mereremur per opera merè naturalia. Quia totum meritum, quod est in operibus nostris, procedit ex acceptatione diuina, nempe, quia Deus ordinauit vt per talia opera consequamur præmia; sed etiam potest Deus acceptare opera naturalia,& ita ordinare, vt per illa consequamur præmium: ergo. Imo verò Apostoli,& Beatissima Virgo, qui erant in gratia confirmati, & Christus, supposito quòd habuit præceptum moriendi, isti omnes impleuerunt præceptum merè naturaliter; Quia non poterant transgredi, quandoquidem non poterant peccare, & nihilominus meruerunt: ergo merè naturaliter. ¶Verum tamen hæc sententia, vt paulò antea dicebam', si loquatur de facto,& de lege iam data à Deo, iam diximus quòd nullus secundum legem, potest mereri per opera omnino naturalia, sed solum per opus liberum, vt patet ex loco Pauli allegato, Si volens hoc ago, mercedem habeo,& ex plerisque alijs citatis, & ex Sanctis Patribus. Vnde, per opera naturalia, neque meremur, neque demeremur, vt communi proloquio dicitur: ergo, vt opus sit meritorium, debet esse opus morale,& humanũ. Nam per actus virtutum aut vitiorũ meremur aut demeremur: sed opus morale oportet quòd sit liberum, quia prima radix moralitatis, videtur esse libertas. ¶Quapropter, etiam si Deus faceret legem, quòd habenti talia opera naturalia daretur tale præmium; nihilominus propriè loquendo per talia opera naturalia omnino, repulsa libertate, homo ille non mereretur, neque opera naturalia præcisè dicenda essent merita, neque beneficium illud collatum, esset dicendũ merces, sed in eo euentu, tale beneficium diceretur conferri à Deo donatione liberali. Nam si princeps contulisset homini alicui particulari, vel propter pulchritudinem, vel propter genus, vel propter aliam causam omnino naturalem, bẽneficium aliquod, illud propriè non esset merces, aut præmium meriti: ergo pari ratione loquendum est de Deo. Rursus; mereri apud aliquem, est aliquid quodammodo dare illi, & conferre in bonum illius: sed per opera omnino naturalia homo nihil proprie dicitur dare, quia nemo propriè dat nisi illud, cuius est dominus: sed homo non est dominus actionum naturalium, & operum naturalium, in quibus nulla omnino est libertas, aut pulchritudinis: ergo per illa opera nõ meremur. Fauet etiam: Quia meritum est obsequium quoddam: sed nullus obsequitur propriè, nisi per liberum arbitrium: Ergo. ¶Et per hoc dissoluitur fundamentum Holchoth. Dicendum est enim quòd etiam si Deus faceret legem, quòd habenti talia opera naturalia, daretur tale præmium; non tamen ob id illud esset meritum: Quia fieri non potest, vt per omnino naturalia quis mereatur, vt statim apertius ostendemus.

Secunda Propositio. Vt opus aliquod sit verè,& propriè meritorium, requiritur vt sit moraliter bonum. Hæc assertio colligitur ex superioribus, & ex omnibus dictis Sanctorum, quos citauimus. Fauent etiam omnes rationes allatæ,& colligitur, ex Scriptura, quæ dicit, peccatum displicere Deo; opera autem meritoria esse Deo grata. 1. Ioan. 3. Si cor nostrũ non reprehenderit nos, fiduciam habeamus: Quia ea, quæ sunt placita coram Deo, fecimus Ioan.5. Ibunt qui bona egerunt in vitam æternã. Ad Rom. 2. Reddet vnicuique secundum opera eius, ijs quidem, qui secundum patientiam boni operis, gloriã & honorem, & incorruptionem quærunt; vitam æternam, &c. Fundamentum huius assertionis est: Quia opus malum vel est contra Deum, vel præter Deum: ergo non meretur Deum. De hac re lege Vegam *Conclusio.* *1. Ioan.3.* *Ioan.5.* *Rom.2.*



Vegam lib.11. in Trident. cap.17. ¶Vnde valde obserua, vt colligitur ex D. Thom. 1.2.q.21. art.3. quòd tria considerantur in actione humana; Primum est, quòd est libera & ex hoc habet q̃ possit esse vituperabilis vel laudabilis: Quia propter actus omnino naturales, neque laudamur, neque vituperamur. Secundum est, quod habet ordinem ad finem, & ex hoc habet, quod sit vel non sit recta, & quòd sit actus bonus vel malus, per conformitatem, vel difformitatem à lege,& quatenus ordinatur ad finem debitum,&c. Tertium est, quòd actio humana habet respectũ ad alterum, & potest fieri in obsequiũ alterius, & consequenter talis actio potest afferre vtilitatem, vel nocumentum quantum est ex se, & ex hoc habet rationem meriti, vel demeriti. Reperitur tamen ordo inter hæc tria, quæ sunt in actione humana. Nam secundum, includit primum, & tertium includit primum & secundum. Ex quibus patet, quòd meritum postulat quòd sit opus liberum; & quòd sit opus honestum virtutis; & quòd cedat in vtilitatem alterius, seu quòd sit opus exhibitum in obsequium alterius: Quia meritũ est actus iustitiæ,& consequenter dicit ordinem ad alterum. ¶Ex quibus plane colligitur essentia meriti: est enim meritum opus bonum moraliter & liberum, in obsequium alterius exhibitum, cui de iustitia merces debetur. Vnde, in merito concurrunt quatuor, nempe persona quæ meretur, actus studiosus, qui est ipsum meritum,& merces, quæ correspondet merito;& tandem persona, apud quam meremur, & in cuius obsequium opus meriti est exhibitum.

*Argum.* Ad argumenta seu obiectiones huius difficultatis primæ. Ad primum de merito Christi Domini communis quorundam solutio est, quòd in Christo fuit duplex actus charitatis, vnus beatificus regulatus à visione beata,& hic erat omnino necessarius; alter vero regulatus à sciẽtia infusa animæ Christi, & hic non erat beatificus, sed omnino liber;& Christus non meruit per amorem beatificum; sed per istum alium amorem, quem habuit in quantum viator. Vnde, recentiores nonnulli dicunt, Christum non meruisse per dilectionem Dei formaliter loquendo, sed per dilectionem proximi,& alios actus ordinis supernaturalis, qui ex se sunt relati in finem supernaturalem, & per obedientiam spontaneam, qua fuit Patri obediens. Ita respondet Bartholom. Medina hic ad.2. Sed profecto hic modus dicendi, in plerisque deficit: Quia necessario constituit in eodem subiecto duo accidentia solo numero differentia; quod licet probabiliter admittatur in accidẽtibus respectiuis; id tamen verum habet quando distinguntur saltem ex parte obiecti, vt distinguntur conceptus Petri & Pauli. Sed isti duo actus charitatis, idem omnino obiectum respiciunt. Vnde, non manet aliqua ratio diuersificans illum: ergo. Secundò: Quia cognitio diuersa intellectus, non est sufficiens multiplicare actum charitatis; Quia idem actus charitatis in via, potest continuari in Patria; cum tamen sint diuersæ cognitiones, altera fidei, altera vero visionis claræ. Multo igitur melius respondetur, quòd cum charitas creata sit participatio quædam charitatis diuinæ, maximè ipsi assimilatur in Patria, vbi charitas est omnino perfecta. Cum ergo hoc habeat amor Dei, quòd licet respectu sui sit necessarius; respectu tamen creaturarum, quæ non habent connexionem necessariam cum Deo, est omnino liber; sequitur quòd simili ratione charitas Christi Domini, si comparetur respectu Dei, est omnino necessaria, & secundum hanc rationem non meruit Christus Dominus per talem actum omnino necessarium & beatificum; idem tamen actus charitatis respectu hominum & redemptionis ipsorum, erat liber: quia non erat necessaria connexio inter Deum & talem hominem; & secundum hanc rationem libertatis vere potuit mereri Christus per talem actum. Itaque meruit Christus, per actum beatificum, non secundum quòd erat dilectio Dei præcisè, sed secundum quòd erat dilectio Dei in ordine ad homines, & redemptionem illorum: Neque enim aliter diligebat homines, quam ex dilectione Dei, quæ sane libere applicabatur ad creaturam. Neque est idem iudicium de alijs beatis, qui cum sint simpliciter comprehensores & in termino, & nullo modo viatores, nullo etiam modo merentur per tales actus, vt sunt liberi; Christus autem Dominus, simul erat viator & comprehensor, & in quantum viator meruit per talem actum. Quia omnis actus liber informatus gratia, hominis viatoris, est actus meritorius. ¶Sunt recentiores Theologi qui dicant quòd Christus per libertatem increatã, si adessent aliæ meriti conditiones, posset mereri: Quia dilectio illa beatifica Dei, erat simpliciter libera Christo, quia in quantum Deus, libere poterat illam suspẽdere: Et idcirco dicunt isti, q̃ sicut sine gratia habituali potuit mereri per gratiam increatam; ita per libertatem increatam, si adessent aliæ meriti cõditiones. ¶Sed profecto, iste modus dicendi, quòd Christus poterat mereri per libertatem increatam, est ridiculus,& non est tutus, vt ostendemus. 3.p.q. 19. art.3. Ridiculum namque est, quod liberum arbitrium creatum Christi Domini, mereatur respectu alicuius actionis,& quod libertas, quæ est de essentia eiusdẽ meriti,& actionis creatæ liberæ, sit libertas increata, non in libero arbitrio animæ Christi, sed in libero arbitrio increato Dei, qui non potest mereri in quantum Deus. ¶Ad confirmationem, Bartholom. Medina in Comment. huius arti. dicit, quòd fortassis Christus non habuit præceptum moriendi: Et quibusdam recentioribus placuit hoc: Quia dicunt, quòd Christus meruit per passionem, quia non habuit præceptum moriendi, vel quia nõ sunt ei determinatæ circunstantiæ temporis, loci, motiui, intensionis. Verum hæc solutio nunquam mihi probari potuit: Sentio enim Christum habuisse præceptum, vt. 3. p. olim diximus, & Deo volente etiam dicemus. Et quamuis sentiam habuisse tale præceptum, ex hoc non sequitur non habuisse libertatem in impletione eius. Quocirca, hoc argumentum fusè solutum est à nobis. 1.p.q.22. artic.4. disput. vnica, dubio.2. Nunc verò paucis respondendum est, Christum habuisse huiusmodi præceptum,& ex obedientia Patris ipsum impleuisse,& pariter simul libere impleuisse. Nam præceptum non tollit libertatem, neque sustulit eam in Christo: Quoniam semper ex natura actus non habebat necessariam connexionem mors cum volũtate Christi Domini, neque præceptum causauit talem connexionem necessariam, sed solum erat incompossibilitas in sensu cõposito, *Ad Confir.*

posito, quæ non tollit libertatem, vt diximus. Necessitas verò ex suppositione, non tollit libertatem, sicut Theologi omnes dicunt de confirmatis in gratia, qui licet supposita confirmatione peccare non possint mortaliter; tamen absolute loquendo sunt liberi, & in sensu diuiso peccare possunt. *Ad secūdū.* ¶ Ad secūdum respondetur, quòd si Deus ita promitteret, non deberet præmium ex iustitia, neque ratione operis; sed propter suam fidelitatem, vt si promitteret aliquid habenti bonum ingenium, vel pulchritudinem. *Ad confir.* ¶ Ad confirmationem respondetur ex dictis, quòd posset Deus conferre beatitudinem ratione qualitatis naturalis; sed tunc non esset meritum, vt explicatum est supra.

*Dubium.* Occasione difficultatis propositæ, nonnulli Theologi interrogant, vtrum possit sufficere ad meritum imperfecta libertas, qualis est illa, quæ in peccato veniali ex surreptione inuenitur? De qua rē nos supra egimus disputantes de iustificatione. q.113. art. 3. disputat. 2. & præcipuè. 3. Vbi egimus de motu liberi arbitrij inuento in dispositionibus ad gratiam.

*Dubium.* Rursus. Altera etiam excitari posset hoc loco quæstio, vtrum actus liberi arbitrij extortus metu cadente in constantem virum, sit meritorius? Vt si quis vellet me occidere, si non amo Deum, & explico ipsi quòd amo Deum. Et ratio dubitandi posset esse: Quia contractus extorti per talem metum, in simili casu sunt inualidi: ergo pari ratione amor ille metu illo extortus, non erit validus ad Deum promerendum. Nam Deus nō videtur acceptare actiones inuitas & inuoluntarias; quia istæ non fiunt principaliter propter Deū: non enim placet Deo coacta obsequia & non volūtaria. ¶ Sed de hac re, commodius alibi disputabitur. Nūc verò paucis dico sentiendum esse, præfatam libertatem, etiam extortam per motum ad amorem Dei super omnia, Deum eam minime respuere, atque adeo sufficere libertatem illam, dummodo actus ille dilectionis Dei super omnia, referatur in Deum. Neq; audiui aliquem, qui contrarium huius dicat, aut qui hoc reuocet in dubium. Et probatur: Quoniam illa libertas sufficit ad mortale, & sufficit ad demeritum, seu meritum æternæ damnationis: ergo pari ratione sufficit ad meritum æternæ vitæ; cùm Deus procliuior sit ad præmiandum, quam ad puniendum. Rursus: In casu posito, ille homo diligit Deum super omnia simpliciter loquendo, & libere amat Deum propter se ipsum, vt supponimus; quia talis amor est qui extorquetur per metum illum: ergo verè meretur. Et cōfirmatur; Quia si ea actione homo ille se disponeret ad gratiam, eam consequeretur: ergo mereretur vitam æternam. Tandem: Actus ille dilectionis Dei, est supernaturalis & bonus ex obiecto & circunstantijs, & in homine viatore habente gratiam: ergo est meritorius. Neque in casu posito obsequium illud est vere coactum: Quoniam licet metu sit extortum aut excitatum; tamen iam non fit ex solo metu, sed propter Deū, & sufficit quòd ex natura sua referatur in Deum; matrimonium verò vel votum, & alij contractus extorti metu iniusto graui, sunt inualidi, vel iure tantum positiuo ecclesiastico, diuino, aut gentium: & certum est quòd nō sunt validi positiue. Vel rursus dicendum est, quòd non sunt irriti defectu libertatis, cum facti metu iusto, non haberent maiorem libertatem; & tamen essent validi: Sed sunt & dicuntur irriti ex natura rei, ex eo quòd si inducerent obligationē, penè infinita damna sequerentur in Republica. Et tandem certum est, quod non sunt validi positiuè de iure naturæ tales contractus extorti per metum supra dictum. De hac tamen re alio loco commodiùs disputabitur.

## DIFFICVLTAS II.

*Vtrùm opera nostra habeant rationem meriti, præcisa acceptatione diuina?*

HÆc difficultas est, quam secundo loco supra pertractare proposuimus, Et eam multo exactius aperiemus infra q.114. art.3. & in eum locum remitto lectorem. In qua quæritur, vtrum præter gratiam requiratur ad meritum promissio Dei & acceptatio Dei? In qua re, aliqui Theologi dicunt, de ratione meriti non esse ordinationē diuinam de conferendo præmio ijs, qui talia opera meritoria faciunt; sed dicunt, opera facta in gratia ita ex natura sua esse meritoria gloriæ, vt non requiratur pactum Dei. *Sotus.* Ita sensit Sotus.3. de natura & gratia cap.7. & *Caietan.* Caietan. art.3. sequenti, qui id tribuit S.Thomæ. *Argum.* Et probatur: Quia peccator sine vlla alia ordinatione, ratione peccati demeretur vitam æternam, & meretur supplicium & ignem æternum: ergo ex opposita ratione iustus benè agens & meritoriè, sine vlla alia ordinatione meretur, &c. *Secundò.* ¶ Secundò. Si ratione promissionis mereremur gloriam, pari etiam ratione mereremur primā gratiam per vltimam dispositionem, & antiqui Patres meruissent aduentum Christi. Quia etiam hæc Deus promisit, vt patet Isaiæ.1. & Lucæ.1. *Confirm.* Et confirmatur: Quia iusti ante aduentum Christi merebantur de condigno vitam æternam, de qua non fuit illis facta promissio, vt dicit *D. August.* D. August. 1. retractat. cap. 2. & 19. cōtra Faustum cap. vltimo. *Tertium.* ¶ Tertiò Gratia ex natura sua constituit hominem filium Dei, & hæredem illius beatitudinis ad *Rom.8.* Rom.8. ergo opera hominis existentis in gratia, & filij Dei, etiam ex natura sua sunt digna tali hæreditate absque alia promissione: Gratia namque, acceptatio est ad gloriam: ergo non requiritur vlla alia ordinatio specialis. *Confirm.* ¶ Et confirmatur: Quoniam si ordinatio reddendi debitum, & obligatio reddendi gloriam, oritur ex promissione; tunc Deus denegando illam non esset iniustus, sed duntaxat infidelis, contra illud Pauli; Non enim iniustus est Deus vt obliuiscatur, &c. ¶ Quartò arguitur. Bona opera hominis aut angeli facta in puris naturalibus, essent natura sua meritoria beatitudinis naturalis, absque vlla alia promissione, solum quia beatitudo illa, est proportionata illis operibus, & tali naturæ: sed eandem prorsus proportionem habet supernaturalis beatitudo cum operibus factis in gratia, & meritorijs factis à filio Dei: ergo intentum, &c. *Confirm.* ¶ Et confirmatur ex Sacris literis apud *1.Corinth.* Paul.1.Corinth.4. Vbi gratiam dicit esse pondus ad gloriam: igitur sicut ponderi debetur centrum absque vlla alia ordinatione, ita etiam operibus meritorijs à gratia procedētibus. Rursus: Gratia dicitur.

2.Cor-



*2.Corint.1.* 2.Corint.1. pignus gloriæ: sed pro pignore aliquid debetur ex iustitia: ergo. Et in Trident. sessione. 6. cano.32. præter gratiam, nihil ad meritum exigitur, cùm dicitur, quòd iustificati bona opera, ita sunt dona Dei, vt etiam sint bona merita, quibus merentur vitam æternam: ergo.

*Marsilius.* Marsilius in.2. quæstione.17. articulo.3. conclus.1. dicit, quòd omnis actus quo quis meretur, est meritorius ex acceptatione diuina speciali, & quæst. 18. artic.4. conclus.1. & .2. dicit, quòd siue considerentur merita nostra secundum se, siue secūdum quòd sunt ex gratia cooperante, non sunt opera meritoria vitæ æternæ de condigno sine acceptatione diuina, originaliter procedente ex merito passionis Christi: Quia nullus potest constituere Deum debitorem suum: ergo nullus potest mereri etiam per quamcunque gratiam, sine speciali acceptatione illius meriti. *D. August.* Patet antecedens ex D. August. lib.2. cōfession. dicente, quòd Deus reddit debita nulli debens. *D. Bernar.* D.Bernard. sermo. de Annuntiatione Dominica, dicit; Credere oportet, quòd vitam æternam nullus poterit bonis operibus promereri, nec talia sunt operum merita, vt propter ea debeatur vita æterna ex iure. Et confirmari potest hoc ex illo Apocalyp. *Apocal.2.* 2. Ambulabūt mecum in albis, quia digni sunt; vbi ponit saluator aliquos dignos vita æterna. Itē probat Marsil. Quia posset Deus actum productum ex gratia & libero arbitrio non acceptare ad aliquod meritum, neque ad aliquod præmium: igitur in actu meritorio, id quod principale est, est acceptatio specialis, & non gratia, aut liberum arbitrium. Vndè infert Marsil. quòd principale in actu meritorio, est Dei acceptatio, & accessorium, est liberum arbitrium & gratia; & consequenter formale ipsius meriti, est Dei acceptatio; materiale verò censetur esse quasi gratia & liberum arbitrium. Quia acceptatio diuina semper dat esse meriti; sicut forma dat esse rei; non tamen oportet quòd hoc faciat gratia: Quia stat de potentia Dei, actum esse à gratia, & nullius esse meriti. *D. Anton.* Hoc idem sensit D. Antonin.4. part. titulo.9. cap.7. Vbi dicit, nullum actum procedentem à gratia, posse esse meritorium apud Deum, nisi ex suppositione diuinæ ordinationis, vt scilicet, id homo consequatur à Deo per suam operationem, quasi mercedem, ad quod ei Deus virtutem operandi deputauit, &c. *Gabriel.* Gabriel in. 2. distinct. 27. quæstione vnica, notabili.1. apertè dicit, quòd secundum potentiam Dei ordinatam, vt aliquis actus sit meritorius in actu, requiritur specialis acceptatio Dei, quæ est ordinatio diuina huius actus meritorij ad vitam æternam tanquam ad præmium. Et ob id dicit, quòd tria requiruntur ad meritum, nempe, aliquid in operante, & aliquid in opere, & aliquid in præmiante: In operante requiritur, quòd sit amicus, quia inimicus non est dignus præmio. Nam odio sunt Deo impius, & impietas eius, *Sap.14.* Sapient. 14. In opere, requiritur, quòd sit ordinabile ad obsequium, vtilitatem, vel honorem præmiantis; & ob id opus existentis in gratia non ordinatum finaliter in Deum, non est meritorium de condigno; In præmiante verò requiritur acceptatio siue ordinatio actus sic eliciti, vel imperati, ad tale præmium. Est autem hæc ordinatio in proposito secundum Gabrielem nihil aliud, quam voluntas diuina, quatenus voluit actū à tali & ex talibus principijs elicitum, esse meritum condignum tali præmio. Ex quo colligit, quòd debitum iustitiæ in præmiando actum, ex gratia procedentem, tali præmio æterno, non innititur bonitati actus, quam habet in se, sed diuinæ ordinationi, quæ est quædam promissio, siue pactum & conuentio. *Scotus.* Scotus in. 1. distinctione.17. quæstione.2. inquit, quòd actus nostri, etiam vt procedentes à gratia non sunt meritorij, nisi quatenus à Deo ordinantur, vel acceptantur ad gloriam, vel quatenus innituntur merito Christi. *Vega.* ¶ Vega, in opusculo de iustificatio. quæst. 5. solutio. ad.1. dicit, quòd opera iustorum etiam considerata secundum perfectionem supernaturalem, quam habent à gratia, & ab Spiritu sancto inhabitante animas iustorum, possunt duobus modis adhuc considerari, vel secundum valorem, quem habent ex perfectione supernaturali & gratia Spiritus sancti inhabitantis, seclusis omnibus alijs; vel secundum valorem, quem supposita hac perfectione supernaturali habent ex lege, acceptatione, & promissione diuina. Quòd si considerentur seclusa acceptatione, lege, & promissione Dei, adhuc apud plerosq; Theologos dicuntur esse opera condigna beatitudine, & meritoria ipsius de condigno, quatenus voluntariè fiunt propter Deum, ex amore & charitate ipsius, & quatenus fiunt & procedunt à gratia Spiritus sancti. At verò apud eundem Vegam, seclusa promissione & acceptatione diuina, non sunt condigna beatitudine præfata opera, etiam vt sunt à gratia & ab Spiritu sancto: Quia non est æqualitas inter ipsa & beatitudinem; & consequenter neque condignitas, quamuis sit quædam congruitas & cōdecentia, vt operibus quæ sunt à gratia & ab Spiritu sancto respondeat gloria & merces æterna, qualis decet filios Dei. Quoniam Spiritus sanctus, vt ait Paulus.2. Corinth. 1. est pignus hæreditatis nostræ, & quos inhabitat, mouet in vitā æternam. *2.Corint.1.* Si verò considerētur opera iustorum secundū valorem, quem Deus donauit illis sic perfectis ex sua promissione, pacto, & acceptatione, quam fecit de retribuenda beatitudine istis operibus, sic dicūtur esse merita beatitudinis, qua deficiēte speciali acceptatione liberali, promissione, & pacto Dei, Paul. dixit, nō esse cōdignas passiones huius tēporis, qualescunq; illæ sint, ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.

*S. Thomas.* S.Th. videtur fuisse huius sentētiæ, qui in hoc art. & sequēti nō aliā ponit condignitatē meritorū, nisi eā, quæ est à Deo acceptāte & ordināte operationes iustorū ad consequendā beatitudinē, vt mercedem earum. Et probatur præfata sententia: Quia de ratione meriti est, quòd sibi debeatur prēmiū ab eo apud quē meretur: sed Deus nullum debet præmiū seclusa sua ordinatione: ergo. Minor ostendetur difficultate.3. sequen. Maior probatur. Quia Aug. & alij Patres scribentes contra Pelagiū, pro eodē accipiunt dari ex meritis, & dari ex debito. *Rom. 8. & 11.* Vnde, Rom. 8. Ei qui operatur, merces nō imputatur secundū gratiā, sed secundum debitum. Et cap 11. Si ex operibus, iā non ex gratia. ¶ Itē secundò: Meritum pertinet ad iustitiam; iustitia verò requirit æqualitatem & proportionem: sed opera nostra non habent æqualitatem, aut proportionē cum gloria, si secludas ordinationem diuinam, quia sunt imperfectissima, & aliàs debita,

debita,& sunt diuini dominij potiùs quã nostri: ergo. Et cõfirmatur: Quoniã.5.Ethicor.cap.6.dicitur, inter dominum & seruum non esse iustitiam simpliciter. Quoniam quidquid habet seruus, domini est. Similiter inter Patrem & filium non est iustitia simpliciter: quia filius totum quod est, debet Patri; & non potest parem referre gratiam; sed etiam nos nihil habemus, quod non sit Dei, & totum debemus Deo: ergo secluſa ordinatione diuina, non possumus iure agere cum Deo, seu mereri. ¶Tertiò arguitur. Nam si quis laboret in vinea aliena sine ordinatione alterius, & sine pacto aut promissione alterius, nempe Domini; nihil meretur de iustitia apud illum: ergo similiter in proposito. ¶Et confirmatur: Quia alijs nihil mereor, ea solum ratione, quia non est pactum neque ordinatio Dei: ergo secluſa eadem ordinatione Dei, neque mihi mereor, &c. ¶Et confirmatur iterum ex Sancto Thoma, quodlibeto. 2. articulo. 2. dicente, ad emptionem alicuius rei, requiri quantitatem pretij, & ordinationem seu deputationem illius pretij ad acquirendam rem: ergo ad emendum regnum cælorum, non solum requiruntur opera supernaturalia à nobis facta, sed etiam, quòd deputentur & ordinentur à Deo ad acquirendam gloriam. ¶Quartò. Si naturaliter diligeremus Deum super omnia, & hæc dilectio ordinaretur à Deo tanquam meritum omnium scientiarum naturalium; tunc sanè posita tali ordinatione, verè mereremur consecutionem illarum scientiarum, & illa ordinatione secluſa, non mereremur scientias illas, aut earum possessionem: ergo ordinatio ipsa, & acceptatio, est quæ verè causat meritum.

*Conclus.1.* His præmissis, pro explicatione veritatis, est prima conclusio. Meritum æternæ vitæ, sicut de facto nunc est in hominibus iustis, & Sanctis, fundatur non solum in gratia, sed etiam in pacto & promissione Dei. Hæc assertio est catholica, & à nemine negari potest sine præiudicio fidei. Et in hac conueniunt omnes Theologi Scholastici suprà citati, Scotus in.1.distinctione.17.quæstione.1. Marsil. etiam locis citatis à fortiori, Gabr. Vega vbi supra, Castro de hæresibus, verbo, Meritum, hæresi.1. D.Antonin. Caietan. Barthol. Medina hic, & artic. 3. sequenti, & plerique alij ex familia D. Thom. & Sanct. Thom. 1. 2. quæstione. 112. artic. 3. ad. 1. Vbi expressè inquit, quòd si Deus non acceptaret, neque reciperet opus meritorium ex gratia factum, faceret contra iustitiam, quam ipse statuit. Et in hoc artic. dicit apertè, non esse meritum hominis ad Deum, nisi suppositа Dei ordinatione. Et artic. 6. sequenti affirmat, id nos mereri, ad quod motio Spiritus sancti se extendit. Et quoniam in Christo se extendit ad gloriam aliorum & gratiam, ideò meretur illam.

*Scot. Marsil. Gabriel. Vega. Castro. D. Anton. Medina. D.Thomas,*

Probatur rursus hæc assertio ex sacris literis; in quibus totum ius meriti refunditur & refertur in opera, vt subsitant promissioni Dei, dicente Paulo ad Ephes. 1. Signati estis Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ, Iacobi. 1. Quam repromisit Deus. Et Matthæi. 2. legimus; Nonne ex denario conueniſti mecũ? & ad Hebræ. 6. Non enim iniustus est Deus, vt obliuiscatur operis vestri, & dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius, &c. Et subiungit infra; Imitatores eorum, qui fide & patientia hæreditabunt promissiones. Et alibi Paul. appellat coronam vitæ, quam repromisit Deus, &c. Vndè Tridentinum, sessione. 6. capit. 17. dicit, quòd vita æterna speranda est tanquam gratia filijs Dei misericorditer promissa, & tanquam merces ex ipsius Dei promissione, ipsorum operibus fideliter reddenda. Et Diuus Augustinus, sermo. 16. de verbis Apostoli: Debitor nobis factus est Dominus, non aliquid accipiendo, sed ei quòd placuit promittendo. Et D. Anselm. in Prosologio; cap. 10. Idem insinuat.

*Ad Eph.1. Iacobus. Matth.2. Hebræ.6.*

*Conc.Trid. D.Aug. D.Anſelm.*

Probatur ratione: Quoniam meritum iustorum, nunc est de facto de iustitia: sed non potest intelligi ratio iustitiæ propriè hominis ad Deum absq; aliquo eius pacto, vel promissione: quia nulla alia ratione posset Deus concipi vt debitor, aut quodammodo constitui debitor: ergo. ¶Item secũdò: Deus de potentia absoluta posset denegare gloriam homini grato, non intercedente promissione: at verò ex suppositione promissionis, & in sensu compositо, sicut non potest negare se ipsum, sita non potest negare promissionem gloriæ pro meritis. Sicut fides nostra de potentia Dei absoluta falsa esse non potest, ita neque spes vana: ergo intentum. ¶Tertiò: Si sola ratio filiationis diuinæ præcisè cõsideretur, merentur homines aliquo modo de condigno hæreditatem; at verò non adhibitis meritis & operibus, non merentur augmentum; Sicut filius ante officia pietatis erga patrem, non meretur statim augmentum hæreditatis: at iusti per opera meritoria id merentur: ergo Deus non tantum se habet cum iustis, sicut pater cum filijs, vt filij sunt præcisè, sed etiam se habet vt remunerator, qui præmia proponit, & brauium certantibus, vt Paul. describit. In qua ratione promissio & pactum includitur: ergo. ¶Aliqui adducunt hanc rationem: Beati nunc de facto grati sunt Deo, & multò maiora & excellentiora opera efficiunt, quam viatores; & tamen non merentur, dumtaxat, quia deficit ordinatio diuina, & pactum Dei seu promissio. Si dicas, quòd non ob id, quia deficit illis pactum, sed quia non sunt viatores; ac proinde, cùm non sint in via, non sunt in statu merendi. Sed contra: Non esse in via, non est aliud, quam non esse pro tali statu promissum præmium, quod quia fuit promissum Christo Domino, idcirco meruit, licèt esset beatus. Quare, ad hanc conditionem, de qua nunc agitur, reuocatur altera quæ ab omnibus assignatur, nempe, conditio viatoris, quia nimirum, tantum propter ipsa opera in via facta, promisit Deus præmium. ¶Sed profectò, negari non potest, nisi quòd requiritur via ad præmium, ratione cuius, is qui tendit in illud, dicatur viator: aliàs qui est in termino & in præmio ipso, non dicitur in via ad illud. Rursus: Libertas operis, est essentialis merito: Nam per opera omnino necessaria, vt ostendimus suprà, nemo meretur. Quare si ex diuina ordinatione donatur aliquid operi omnino necessario, illud propriè non est meritum, sed donum liberalitatis diuinæ, vt dictum est supra. Tãdem probatur: Homo in puris naturalibus per bona opera moralia, non meretur præmium naturale, ita vt ibi intercedat ratio iustitiæ: sed communis prouidentiæ: ergo verissima est nostra assertio.

Secunda



*Conclus.2.* Secunda conclusio. Non potest intelligi inter Deum & hominem meritum, quod obligationẽ iustitiæ ex parte Dei inducat, aut includat, ratione operis meritorij eiusdẽ hominis, nisi suppositо pacto, & suppositа promissione Dei. Hanc assertionem tenent omnes authores supra citati, & hoc volunt dicere in præfatis sententijs allegatis. Et hæc debet esse certa in omni opinione. Nam profectò, aliud est opus aliquod esse dignum aliqua mercede, aliud verò aliquem teneri ex iustitia ad retribuẽdum illam. Quia inter homines, labor vnius diei dignus est tali stipendio; tamen si quis voluntate propria & sponte, nulla conuentione facta, aut pacto, laboret in prædio alieno, is quidem faciet opus dignum tali stipẽdio, sed nihilominus illius prædij Dominus non tenetur ex iustitia, aut ex debito iustitiæ retribuere illi stipendium illud, quia ad id non se obliguit: Ergo pari ratione sentiendum est inter nos & Deum ipsum. Nam (vt infra ostendemus cõclusione. 3.) opera hominis iusti, sunt digna secundum se, vt à gratia procedentia, & habent quãdam condignitatem & excellẽtiam ab Spiritu sancto inhabitante per gratiam, & ex illius motione. Imo vero, ex quadam ratione prouidentiæ conueniens est, vt Deus donet illis operibus meritorijs tale præmiũ; Cæterùm secluſa promissione, non habet vim meritum illud ad obligandum Deum aliquo modo ex iustitia. Quod videtur certissimum, primò: Quia Deus nulli debet absolutè loquẽdo; si tamen debet, id est intelligendum debere suæ ordinationi & promissioni, vt S. Thom. dixit. 1. part. quæst. 21. art. 1. ad 3. vbi inquit, quòd Deus tribuit vnicuique quod suæ sapientia ordinauit & instituit. Secundò: Quia nulla creatura ratione alicuius perfectionis creatæ potest obligare Deum, nisi ipse priùs se obligauerit; & tunc obligatur sibi, & fit debitor sui sibi ipsi; & suæ promissioni. Sicut enim opera serui non sunt meritoria respectu domini, nisi priùs aliàs dominus promiserit se daturum præmium aliquod pro illis. Ita in proposito dicẽdum est respectu Dei & hominis. Quia Deus est verè Dominus, & tribuens gratiam, non abdicat à se dominium illius. ¶Rursus probari potest eadem assertio, & est confirmatio præcedentis argumenti. Quoniam quidquid creatura operetur; si non præcesserit pactum & promissio Dei, non erit Deus iniustus denegando quodcumq; præmiũ, quia est Dominus absolutus: ergo è conuerso licèt retribuat, non erit opus iustitiæ: quia contraria versantur circa idem. Neq; verò potest dici quod Caietanus insinuat, nempe pactum hoc, seu promissionem hanc, esse necessariò coniunctam cum gratia. Quia licèt de facto coniungantur, & ob id de facto gratia secum afferat diuinam acceptationem; tamẽ cùm gratia & beatitudo sint distinctæ perfectiones, non sunt omnino necessariò connexæ, neq; est vnde inferatur, Deum necessariò daturum gloriam habenti gratiam, sicut non necessariò promittit beatitudinem naturalem habenti naturam benè operantem. ¶Postremò: Opera supernaturalia iusti, ex se non exigunt secundum iustitiam aliquod determinatum præmium: ergo nullum exigunt ex iustitia. Probatur antecedens: Quia si Deus statuisset illis in præmium aliquod donum supernaturale, nempe scientiam infusam, vel gloriam corporis, hæc sufficerent illis in præmium.

*Conclus.3.* Tertia conclusio. Homo gratus ratione suæ gratiæ, secluſa omni promissione, est dignus æterna vita. Probatur: Quia homo iustus ratione gratiæ & donorum supernaturalium, & quia mouetur ab Spiritu sancto, habet dignitatem proportionis & connaturalitatis ad gloriam & æternã vitã, ad eũ modũ, quo rationalis natura dicitur digna suo fine. Et hoc probant argumenta superius allata, præsertim in exordio huius difficultatis. Et ita, condignitate proportionis medij ad finem, possunt dici hæc opera meritoria de condigno. Nam gratia, natura sua facit hominem consortem diuinæ naturæ, & Dei amicum, vt colligitur Ioan. 1. & 15. & Iacobi. 2. Facit etiam animam iusti templum & sponsam Spiritus sancti, ad Ephes. 5. & Osee. 2. Dat rursus vt diximus, participationem diuinitatis. 2. Petri. 1. Est etiam Spiritus sanctus, vt ait Paulus, pignus hæreditatis nostræ, & quos inhabitat, mouet in vitam æternam, iuxta illud Ioannis. 4. Fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Et quando dicitur ad Ephes. 2. pignus hæreditatis, virtute tantum valet, quantum gloria, vt aduertit Sanctus Thomas eo loco: Et per hanc gratiam Spiritus sanctus inhabitat, & mouet animam, Ioannis. 14. & ad Galat. 4. Quæ motio Spiritus sancti accommodata est naturæ ipsius gratiæ; & idcirco in eundem finem; atque adeo in vitam æternam tendit, iuxta testimonium allatum, Fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Præterea: Gratia est veluti semen gloriæ, quoniam quasi in radice eam continet; & cùm appellatur pignus hæreditatis, vt notat Diuus Thomas virtute tantum valet, quantum gloria. Vnde & per gratiam efficimur filij Dei, adoptamurque in filios eius. Nam; Qui Spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei: ergo ex ipso iure adoptionis debetur hæreditas. Nam si filij, & hæredes.

*Ioan.1.& 15. Iacobi. 2. Ad Eph. 5. Oseæ. 2. 2. Petri. 1. Ioan. 4. Ephes. 2. Ioan.14. Galat. 4. Rom. 8.*

Ex quibus omnibus liquidò constat, gratiam & opera ipsius diuina & supernaturalia, natura sua ferri ad illum finem, & ex consequenti esse media ad illum consequendum. Ex quo etiam colligo argumentum. Creatura rationalis, quæ tendit ad aliquem finem per media illi connaturalia & consentanea, meretur secundum quandam condignitatem illum finem, & licèt Deus illum non promiserit; tamen ad eius prouidentiam pertinet illum retribuere: ergo homo gratus, ratione suæ gratiæ per opera meritoria meretur secundum quandam condignitatem, illum finem vitæ æternæ. ¶Et confirmatur: Quia licèt nullus esset ordo supernaturalis; nihilominus pertineret ad Dei prouidentiam punire malos & præmiare bonos, secundum aliquam proportionem, & condignitatem: quæ non potest esse maior, quam proportio & condignitas finis & medij: ergo, &c. Antecedens constat lumine naturali, vt dicit Plato libr. de Rep. & Aristo. 2. Ethicor. capit. 1. Vt demonstrat Eusebius libr. 3. de Præparatione Euangelica, capit. 7. & libr. 11. capit. 20. & lib. 12. capit. 6. & D. Chrysost. homil. 4. de Prouidentia.

*Plato. Aristot. Eusebius.*

*Corollar.1.* Ex dictis colligo duo: Primum est, quòd pactum seu promissio specialis, non est de essentia meriti respectu præmij in communi, habita ratione ad

meritum: Nam secluso omni pacto, meritum vt sic, dicitur respectu præmij secundum eundem ordinem, in quo meritum collocatur; Potest tamen pactum esse de ratione talis præmij in particulari, secundum tales circunstantias, & talem modum, &c.

*Corollar. 2.* ¶Secundò colligo, de ratione & essentia meriti in communi, non esse ordinationem diuinam de conferendo præmio ijs, qui talia opera faciunt. Ita Sotus. 3. de natura, & gratia, cap. 7. vbi carpit opinionem Scoti allatam, & confessionem Concilij Petri Kouiensis: Et Osius in explicatione fidei, cap. 73. Caieta. hic, & artic. 3. & Bartholom. Medina, qui affirmat, nostra opera non solum esse meritoria ex Dei pacto: sed etiam quatenus procedunt à gratia Dei, & à motione Spiritus sancti. Nam profectò, si pactum esset de essentia meriti, implicaret hominem mereri, & non præmiari: Quia implicat Deum non stare suo pacto, aut suæ promissioni: consequens est contra omnes: ergo illud ex quo sequitur. Præterea persuadetur: Nam secluso ordinatione, promissione, seu pacto speciali, opera procedentia à gratia & charitate, habent proportionem & connaturalitatem, imò cõdignitatem seu æqualitatem cum gloria, vt postea dicemus: ergo secluso illa speciali promissione & ordinatione, sunt meritoria & digna illo præmio. Et confirmatur: Quoniam si Deus nullam fecisset ordinationem (vt supra diximus) ni si condere hominem cum suis naturalibus perfectionibus, opera eius bona & libera, essent meritoria præmij naturalis: ergo similiter loqui oportet in supernaturalibus. ¶Tertiò probatur: Quia id quod omnino se tenet ex parte alterius, non reddit opera simpliciter meritoria: Nam meritum debet se tenere ex parte merentis: sed diuina ordinatio tenet se ex parte Dei: ergo opera nostra non erunt meritoria simpliciter. Postremò idem probari potest: Quia si meritum constitueretur per ordinationem illam, sequeretur, quòd opera facta viribus naturæ, mererẽtur gratiam & gloriam, si Deus sanciret aut statueret dare hæc facientibus illa. Imo verò nũc de facto per opera supernaturalia, quæ vltimò disponunt ad gratiam, mereremur absolutè ipsam gratiam: Quoniam de facto adest ordinatio diuina de danda gratia ijs, qui illa fecerint, & vltimatè se disposuerint: consequens autem est falsum: ergo & antecedens. Et confirmatur: Quoniã opera nostra merentur illam acceptationem & ordinationẽ ad gloriam: ergo illa acceptatio non reddit essentialiter opera meritoria. Patet consequentia: Quia habet rationem præmij. Et antecedens probatur: Quoniam is, qui meretur gloriam, meretur acceptari ad gloriam: ergo intentum.

*Soto.*

*Osius. Caietanus. Bartho. Medina.*

### *Maior præcedentium explicatio.*

SOlet à Theologis ex parte Dei assignari conditio meriti, ad quẽ pertinet, & acceptare meritum, & præmium retribuere: quod interueniat pactum, seu promissio Dei, quæ sint veluti fundamentum huius meriti, seu obligationis iustitiæ, quæ ex illo nasci potest. In qua conditione explicãda, repellenda est primum sententia illa, quæ totum omnino valorem operis meritorij, tam in Christo, quam in nobis, reponit in quadam acceptatione extrinseca Dei: ita sanè, vt non ob id opus acceptetur ad præmium, quia illo dignum sit, sed potius è conuerso, ob id sit dignum præmio, quia acceptatur ad illud. Vnde in hac sententia opus bonum dicitur ésse maioris, vel minoris præmij meritorium præcise, secundum quòd Deus voluerit illud acceptare ad tantum, vel tantum præmium. Quem modum dicendi sequutus est Scot. in. 1. dist. 17. q. 3. & in. 3. dist. 19. & in. 4. dist. 15. & Gabr. in. 1. dist. 17. q. vnica. art. 3. dub. 2. & in. 2. dist. 27. quæst. vnica. artic. 3. dubio. 2. & in. 3. distinct. 19. quæst. 1. nota. 3. & conclus. 1. & Almayn. cum plerisque alijs suæ familiæ. Dixi sententiam hanc repellendam esse omnino: Quia veram & propriam rationem meriti euertit. Nam verũ meritum, est opus dignum præmio: at sola acceptatio extrinseca, non potest tribuere hanc dignitatẽ operi: Sicut etiam fieri non potest, vt per extrinsecam imputationem præcise, opus aliquod sit dignum pœna, vel tali pœna, nisi prius in se talem habeat dignitatem. ¶Rursus etiam difficilis est illa sententia, quæ negat promissionem, seu pactum Dei, vel necessarium esse, vel posse ad meritum aliquid conducere. Quem modum dicendi videtur sequutus Caiet. & nonnulli Thomistæ. artic. 3. sequenti: Quorum authorum fundamẽtum potest esse illud, quod promissio, seu acceptatio, & pactum Dei, nullum tribuit operi valorem, aut dignitatem; cum tam promissio, quam acceptatio, sint omnino illi extrinseca; & meritum fundetur in ipso valore & dignitate operis. Quod præcipuè verissimum est, de vero merito ex perfecta iustitia, quale fuit Christi meritum: Nam cũ tam acceptatio, quam ipsa promissio Dei, sit gratuita, quò meritum fundatur magis in acceptatione ista, eò habet minus de perfectione iustitiæ, vt ex dictis liquet.

*Scot. Gabr. Almayn. Caietan.*

Verum existimo, de ratione meriti perfecti esse, vt opus ipsum secundum se, & moraliter considerata, sufficientem habeat proportionem, & valorem condignum, respectu illius præmij, ad quod ordinatur: Nam aliàs non seruaretur æqualitas, quã postulat iustitia; Meritũ vero de quo loquimur, debet esse ex propria iustitia, aut etiã ex perfecta iustitia, si in particulari fiat sermo de merito Christi. Præter hãc etiã operis dignitatẽ & proportionẽ, sentio etiã necessariã esse promissionẽ sub conditione operis, in quo tale opus nitatur? Quia meritum, vt Theologi censent, est actus seu operatio, cui ex iustitia merces debetur, vnde non satis est, vt operatio illa de se sit condigna & proportionata præmio; sed etiam requiritur, quòd habeat vim inducendi obligationem ex iustitia, ex qua illi præmium debeatur. Cum ergo nullum opus meritorium apud Deum possit habere respectu eius hanc vim, nisi fundetur in ipsius pacto, vel promissione: cum Deus ipse sit absolutus & supremus Dominus; sequitur, quòd nemo potest per se obligare illum ex iustitia, eius promissione secluſa; Posita tamen tali promissione sub conditione operis, rectè satis intelligitur opus ipsũm factum in virtute talis promissionis, habere vim inducendi huiusmodi obligationem.

Quod autem verum & perfectum meritum, exposcat hanc vim iustitiæ; primo constat ex ipso nomine meriti, quod absolute & simpliciter dictum, vt meritum est, dicit ordinem ad mercedem; merces



merces vero non est nisi vbi intercedit debitum iustitiæ, vt plane constat ex sacris literis, ex quibus; & ex modo loquendi earum, sumenda est apud Deum propria ratio meriti: Et quidem in sacris literis merces iustorum appellatur corona iustitiæ. 2. Timot. 4. & ad Hebræ. 6. Non est iniustus Deus, vt obliuiscatur operis vestri; Et Matthæi. 20. firmentio expressa facti: Nonne, ait, ex denario cõueniisti mecum? tolle quod tuum est & vade. Quocirca Sanctissimus Præceptor, supra quæst. 112. art. 3. affirmat, quod si Deus præmium merito denegaret, faceret contra iustitiam, quam ipse sanciuit: Et infra requirit ad meritum ordinationem diuinam, quam ordinationem nos vocamus promissionem sub conditione operis; & declaramus hanc esse mẽtem D. Thom. inclusam in verbo illo, ordinationis diuinæ. Hæc promissio sub conditione operis insinuatur apud Isaiam. cap. 53. in verbis illis. Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longeuum, & voluntas Domini in manu eius dirigetur. Et simili modo exponitur à plerisque Sanctis illud Psalm. 2. Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam. ¶Secundò persuaderi potest: Quia opera, quæ Christus nunc in cælo operatur, qualia sunt amor Dei & hominum, oratio etiam, & omnes actus prudentiæ, &c. non sunt minoris dignitatis; quam erant similes actus, quos in statu viæ exercuit; & tamen per illos actus meruit in statu viæ, & nunc non meretur per eos in patria, quod quidem referri non potest, nisi in pactum & promissionem Dei, quod quidem pactum solum pro statu viæ constitutum fuit. Et simile omnino argumentum potest fieri de animabus iustis, quæ sunt in purgatorio, vel quæ fuerunt in sinu Abrahæ.

*Caietan.*

Dices forsan, hoc non tantum ex pacto Dei prouenire, sed simul etiam ex naturali conditione animæ humanæ, cui est veluti connaturale proficere posse semper, quamdiu est in statu huius vitæ. Respondetur tamen hanc legem aliquod habere fundamentum, & proportionem cum natura hominis, tamen per se non sufficere solam conditionem naturæ, nisi promissio & pactum Dei intercederent: Tum, quia illa temporis circunstantia, vel status animæ in corpore, vel extra corpus passibile, aut impassibile, non variat dignitatem personæ, nec bonitatem operis: Tum etiam, quoniam si Deus concessisset animæ separatæ tempus aliquod ad bene agendum, promittendo illi præmium, nihil certè ibi deesset ad perfectionem meriti: & è contrario potuisset Deus non concedere totum huius vitæ tempus ad merendum, sed ætatem aliquam specialem definire, præmium promittendo pro eo tempore: Sicut vero simile est Enoch, & Elias, etiam si adhuc viuant in mortali corpore, non semper esse in statu merendi tam longo tempore. Quapropter cum hęc moralia sint, non possunt in præcisa & sola rei natura fundari, nisi interueniat diuina ordinatio: ergo signum est hanc esse necessariam ad meriti iustitiã.

Rursus tertio persuaderi & declarari potest id, quod diximus: Quia si crearetur homo in puris naturalibus, & ille Deum amaret, ac bene moraliter viueret, tunc eius opera haberent proportionem, & condignitatem quandam cum naturali beatitudine, vel alio naturali præmio: Sed nihilominus non haberent illam propriam rationem meriti; quam nunc habent opera iustorum, quia re vera non deberetur illis corona iustitiæ, sicut nunc debetur iustis. Tandem ex his quæ inter homines contingunt explicari potest quod diximus: Nam vnus non meretur ex iustitia mercedem ab altero, nisi ali quod genus pacti intercedat: ergo, &c.

Quod verò huiusmodi conditio meriti, quæ est interuentio pacti & promissionis Dei, non minuat simpliciter de perfectione iustitiæ, declaro: Nam certè, aliud est loqui de acceptatione: aliud vero de promissione sub conditione operis, si in rigore vtamur vocabulis: Acceptatio namque intelligitur esse quasi posterior ipso opere meritorio, & quasi extrinsece, & accidentariè aduenire illi, & idcirco nihil conducit ad morales effectus; videtur enim acceptatio hæc respicere actum, tanquam obiectum quod supponit, & ob id ipsum nec physicè, nec moraliter mutat, sed talem eum acceptat, qualis ipse est: Cæterum promissio sub conditione operis intelligitur antecedere ipsum opus, quod in tali promissione fundatur quodammodo, & illi innititur, & vt sic valde potest conducere ipsa promissio ad moralem æstimationem, & efficaciam operis. Potest huius rei esse exemplum ex peccato Adæ desumptum: Nam si omne pactum & legem Dei secludamus, transgressio illa soli Adamo nocere potuisset: at vero postquam ex lege Dei constitutus est Adam veluti caput, quod pro se, & posteritate sua legem accepit, cui etiam eodem modo promissio iustitiæ, vel comminatio mortis facta est, per transgressionem diuini pacti & legis, non solum sibi, sed etiam suis posteris meruit de condigno odium, & inimicitiam Dei. Et pari modo potuit Deus constituere aliquem purũ hominem, qui in genere gratiæ esset caput aliorum hominum, & talem promissionem, seu pactum cum illo sancire, vt posset homo ille in tali constitutus dignitate, verè alijs ex iustitia mereri: Quia illa personæ conditio, & pactum diuinum, moraliter loquendo, plurimum conducerent, ad moralem æstimationem, & efficaciam operum. Sic ergo quando promissio sub conditione operis antecedit, & opus meritorium in illa promissione fundatur, vim habet inducendi debitum ex iustitia, quam aliàs minime haberet. Et huius ratio reddi potest: Quoniam actus morales accipiunt valorem & moralem efficaciam, etiam à circunstantijs, quod autem opus fiat ex prædicta promissione, est circunstantia quædam, ratione cuius, tale opus pertinet ad iustitiam; & idcirco potest inducere obligationem iustitiæ: ergo pactum seu promissio sub conditione operis, nihil derogat perfectæ iustitiæ. Hęc omnia confirmari possunt ex his, quæ à Theologis dicuntur. 3. parte, quæstione prima, articulo secundo, quo loco plures explicant, quæ sit differentia inter promissionem simplicem, seu absolutam, & onerosam, seu quæ sub conditione operis fit: Illa enim per se loquendo non inducit obligationem iustitiæ, sed fidelitatis: Hæc autem, posita conditione, seu adimpleto & posito opere, inducit iustitiæ obligationem. Imo verò loco citato, & in materia de merito explicatur à Theologis, quomodo huiusmodi promissio ni

hil diminuat de perfectione iuſtitiæ: ſicut in omni contractu, quod contrahentes libere paciſcuntur, non tollitur, quin obligatio inde orta pertineat ad perfectam iuſtitiam, quod præcipuè eſt verum, quando opus ipſum eſt proportionatum præmio & mercedi, quæ ſub illius conditione promittitur ex tali pacto, quod inter eos, qui paciſcuntur intercedit.

*Ad argum.*
*Ad primũ.*

AD argumenta initio huius ſecundæ difficultatis poſita. Ad primum reſpondetur, non eſſe eandem, ſed diſparem rationem: Quia homo demerendo, conſtituit ſe debitorem, quod ſanè fieri poteſt ſine pacto, aut promiſsione vlla; per meritum verò conſtituit Deum debitorem, quod fieri non poteſt ſine eius promiſsione, quia Deus nulli debet, ſed ſi debet, ſuæ ordinationi & promiſsioni debet. Imo verò, homo ex vi & iure creationis debet obedientiam Deo, & ita ſecũdum iuſtitiam poteſt puniri; ſi non obediat: Deus autem ex eo quòd det gratiam, non ſe obligat homini ad dandam gloriam. Eſt tamen in hoc conuenientia: Quia ſicut Deus ſine pacto & promiſsione reddit pœnam cõdignam culpæ, & ſi non redderet non faceret iniuſtitiam; ita quidem ſine promiſsione & pacto, poſſet reddere præmium proportionatum meritis; Si tamen etiam tunc non redderet, non faceret iniuſtitiam. Voluit tamen Deus veluti maiori vinculo ſe obligare ad præmiũ, quam ad pœnam, iuxta modum explicatum, propter duas cauſas. Prima eſt, quia illud eſt magis conſentaneum voluntati eius, & propenſioni, atque liberalitati ad benè faciendum. Secunda cauſa eſt: Quia ardenter vult homines magis excitare certa quadam ſpe præmiorum, magis inquam quam timore malorum. Penes hoc etiam eſt proportionalis ratio: Nam ſicut bonis operibus nullum præmium ſpeciale aut determinatum de facto reſponderet, niſi Deus illud ſtatuiſſet, ita nec pœna ſpecialis & determinata alijs. Quapropter, ſicut hac ratione beati non merentur nouum præmium, ita neque damnati merentur pœnam eſſentialem de nouo, quæ illis de facto de nouo conferatur.

*Ad ſecundũ*

¶Ad ſecundum reſpondetur, non ſufficere promiſsionem, niſi ſit cõdignitas in opere, vt ſuprà diximus, & inferiùs fuſè oſtendemus.

*Ad confir.*

¶Ad confirmationem reſpondetur, quòd D. Auguſt. ſolum intendit, non fuiſſe tam expreſſam promiſsionem ante Chriſti aduentum vitæ æternæ ſub hoc nomine expreſſo, regni cælorum; ſicut modò in noua lege & in nouo teſtamento D. Hiero. lib. 2. contra Pelag. & Theophylat. Ioan. 6. Chryſoſt. homil. 4. in Marcũ, planè dicunt, regnum cælorum primum fuiſſe in Euangelio prædicatum expreſſè; anteà verò in figura præmiorum. Verumtamen ſentiendum eſt, etiam in pleriſque locis veteris teſtamẽti reperiri promiſſionem illam, vt expreſſè docet D. Auguſt. lib. 2. contra Fauſtum. cap. 2. Et patet ex illo Sapien. 6. Concupiſcentia ſapientiæ ducit ad regnum cælorum. Et Sap. 5. Sors iuſtorum inter filios Dei, & merces apud eum, & regnum decoris. Idem etiam dicit Paul. ad Hebræ. 11. Lege S. Thom. infra art. 10. ad. 1. & ſuprà in materia de legibus, quo loco dicturi ſumus plura de hac. Lege etiam Diuum Auguſtinum lib. 4. cõtra Fauſt. cap. 2. non longe poſt principium tom. 6.

*D. Hieron.*
*Theophyla.*
*D. Chryſoſt.*
*D. Auguſt.*
*Sap. 5. & 6.*
*Hebræ. 11.*
*D. Thomas.*
*D. Auguſt.*

*Ad tertium*

¶Ad tertium eiuſque confirmationem reſpondetur, quòd probat tertiam concluſionem cum ſuis appendicibus, ſicut à nobis explicata fuit. Si dicas: Si ordinatio reddendi debitum, & obligatio reddendi gloriam non oriuntur ex promiſsione; tũc Deus denegando illam non eſſet iniuſtus, ſed tantum infidelis, contra illud Pauli ſupra citatum; Non enim iniuſtus eſt Deus vt obliuiſcatur operis veſtri, &c. reſpondetur, quòd ſuppoſita promiſsione & pacto, &c. non tantum Deus diceretur infidelis, non præſtando promiſſum, ſed etiã videretur iniuſtus: Quia promiſit non merè gratis ſine operibus meritorijs: ſed propter opera proportionata tali præmio; Sicut ſi dominus conueniſſet cum ſeruo, &c. ¶Sed contra: Ergò falſò dicitur communiter Deum poſſe modò de potentia abſoluta denegare iuſtis gloriam, cũ non poſsit eſſe neque iniuſtus, neq; infidelis de potentia abſoluta. Reſpondetur, ex ſuppoſitione promiſsionis ſuæ, ſeu in ſenſu compoſito non poteſt; quia tamen potuit non promittere, poterit non dare, niſi intelligas promiſsionem factam ſecundum legem ordinariam. Sed de hac re fuſior diſputatio habenda eſt nobis inferiùs, vbi magis mentem noſtram aperiemus.

*Ad quart.*

¶Ad quartum patet ſolutio ex his, quæ diximus concluſ. 1. Et ad confirmationem eius etiam patet ſolutio ex tertia concluſione, quam quidem probat præfata confirmatio.

*Ad alia argumenta.*

Ad alia argumenta, quæ videntur eſſe pro ſententia aduerſariorum, quæ poſita ſunt cum diximus, quòd S. Tho. videtur fuiſſe illius ſententiæ, arbitror eſſe ſoluta ex dictis in diſcurſu difficultatis. Vnde dicendum eſt, quòd opera meritoria ſupernaturalia procedentia à gratia & motione Spiritus ſancti, verè habent proportionem, & quandam condignitatem, & æqualitatem cum gloria, ſi habent conditiones eas, quæ verè ſpectant ad rationem meriti, licèt ſecludamus ſpecialem ordinationem ſeu promiſsionem. Neq; obſtat, quòd opera noſtra dicũtur imperfecta, neque rurſus quòd ſint debita, niſi ad rigorem iuſtitiæ. ¶ Et quamuis inter Patrem & filiũ, dominum & ſeruum, illis rationibus non poſsit eſſe rigor iuſtitiæ; tamen poteſt eſſe iuſtitia ſufficiens ſimpliciter, vt filius mereatur apud Patrẽ, & ſeruus apud dominum: ſic nos reſpectu Dei. Quare, ſi ille homo qui in vinea aliena laboraret mereretur apud alterum, non ſic, ſecluſo pacto aut ſecluſa ordinatione, vt alter maneret obligatus de iuſtitia, ſed vt de quadam gratitudine & prouidentia. Deus tamen ſecluſa ſua ordinatione aut promiſsione, per noſtra opera non manet obligatus etiam de gratitudine, vt poſtea examinabitur; tamen apud illũ meremur. ¶ Ad illud verò de emptione reſpondetur, quòd per emptionem transfertur dominium; & hoc non poteſt fieri ſine voluntate domini, & ob id requiritur pactum; & ſufficit æqualitas pretij: At verò per opera, & merita, fit quædam proportio & condignitas merentis ad præmium, ad quam condignitatem & proportionem non requiritur pactũ. Quare regnum cælorum non dicitur omnino emi per noſtra merita, neque transfertur dominium præmij ex illa condignitate ſola merentis ad præmium: Et ob id non eſt omnino ſimile.

(?)

DIF-



## DIFFICVLTAS III.

*Vtrùm ad rationem meriti pertineat conſtituere Deum debitorem?*

DE hac difficultate plura acturi ſumus infrà, & idcirco paucis nunc aperietur à nobis. Sed nihilominus offerunt ſe difficultates non paruę circa titulũ quæſtionis. Prima eſt: Quia naturæ rationali debetur à Deo intellectus & voluntas, & ſi benè operetur viribus naturæ, debetur ei beatitudo naturalis: ergo Deus debet hæc: ergo pari ratione benè operãtibus ex gratia & charitate Dei, ſeu merẽtibus debet gloriam. ¶Secunda difficultas eſt. Promiſsio, præſertim acceptata, & iuramento confirmata, non ſolum obligat homines de iuſtitia, ſed etiam Deum, ita vt infidelis eſſet ſi non impleret promiſſa; & ob id Paul. 2. ad Timot. 2. dicit; Fidelis eſt Deus, ſe ipſum negare non poteſt. Et ad Hebræ. 6. Impoſsibile eſt mentiri Deum, & cap. 10. Fidelis eſt enim qui repromiſsionem adimpleuit. Et idem habetur ad Tit. 1. & apud Prophetã in Pſalmis; Quæ procedunt de labijs meis non faciam irrita: Sed Deus promiſit etiam cum iuramento dare gloriam iuſtis, & alia huiuſmodi Iacobi. 1. Beatus vir, qui ſuffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit accipiet coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe. Lucæ. 1. Ius iurandum quod iurauit ad Abraham patrem noſtrũ, daturum ſe nobis. Et iterũ Pſal. 109. Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum, &c. Et in lib. Sap. Iure iurando fecit illum Dominus creſcere in plebem ſuam. Et. 1. Timot. 3. Pietas promiſsionem habet vitæ, quæ nũc eſt & futuræ. Igitur Deus poteſt obligari; & ad rationem meriti pertinet conſtituere Deum debitorem. ¶Et cõfirmatur: Quia acceptatio promiſsionis & iuramentum, habent aliquam firmitatem promiſſi: non aliam niſi obligare Deum: ergo. ¶ Et confirmatur ſecundò: Quia inter homines, promiſsio acceptata & iurata transfert vim promittentis in eum cui fit promiſsio: ergo apud Deũ idem euenit. ¶Tertia difficultas eſt. Deus debet gloriam merenti de iuſtitia: ſed vbicumq; eſt iuſtitia, eſt obligatio & debitum in eo qui facit iuſtitiam: ergo, &c. Maior patet ex Paulo. 2. ad Timot. 4. Repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi iuſtus iudex. De quare legendus eſt Hieron. ſuper eundem locum, & D. Auguſt. epiſt. 105. & lib. 4. contra Iulian. cap. 3. aſſeuerantes, quòd gloria datur ex iuſtitia. Et Conc. Arauſic. dicit, quòd bonis operibus debetur merces. ¶Et confirmatur primò ex illo Pauli ad Hebræ. 6. Non enim iniuſtus eſt Deus, vt obliuiſcatur operis veſtri: Igitur vt Caiet. colligit art. 3. ſequenti, Deus eſſet iniuſtus ſi non redderet prẽmium: igitur ita obligatur ad reddendum: & ita tenetur, vt niſi reddat, faciat contra iuſtitiã. Et confirmatur ſecundò: Quoniã Scriptura excuſat Deum ab acceptatione perſonarum, quia omnibus reddit præmium, iuxta ipſorũ merita. Quare Paul. ait: Non enim perſonarum acceptor eſt Deus, ſed in omni gente, quæ timet Deum, & operatur iuſtitiam acceptus eſt illi: ergo ſupponit quòd ſi non redderet præmium, eſſet perſonarũ acceptor & iniuſtus: ergo obligatur reddere.

*Difficul. ... Secunda. ... 2. ad Tim. 2. Hebr. 6. & 10. ad Tit. 1. Iacob. 1. Luc. 1. Pſal. 109. Eccleſ. 44. 1. Tim. 3. Confirm. 1. Confirm. 2. Tertia. 2. Tim. 4. D. Hieron. D. Auguſt. Confirm.*

*Quarta.*

¶Quarta difficultas eſt: Quoniam promiſsio ſeu pactum, inducit obligationem iuſtitiæ: ſed Deus pepigit cum hominibus de præmio, Geneſ. 9. 15. & 16. Exod. 24. Ierem. 31. Matthæi. 20. Ergò.

*Quinta.*

¶Quinta difficultas eſt, & maior de Chriſto Domino. Quia ſaltẽ Chriſtus videtur cõſtituiſſe Deum debitorem, aliàs in quo conſiſtit rigor iuſtitiæ, quo meruiſſe dicitur, niſi in hoc, quòd pater tenebatur acceptare merita, & ſatisfactionem Chriſti, ſicut Theologi dicunt in materia de Incarnatione Dominica Chriſti Domini noſtri.

*Concluſ. 1.*

Pro explicatione harum difficultatum, dico primò. Deus vt ſic, nihil debet alteri propriè loquendo. Hęc aſſertio certa debet eſſe apud omnes Catholicos, & hanc tenuit Sanctiſsimus Præceptor. 1. par. quæſtione. 21. artic. 1. ad. 3. Et. 3. contra gent. cap. 28. & 29. & 1. 2. quæſt. 111. artic. 1. ad. 2. & in hoc articuli, ad. 3. Vbi affirmat, quòd licèt actio noſtra non habeat rationem meriti, niſi ex ſuppoſitione diuinæ ordinationis, nõ ſequitur, quòd Deus efficiatur ſimpliciter debitor nobis, ſed ſibi ipſi. Quocirca, Deus nulli ſit propriè debitor; & hæc eſt communis ſententia. Ita ſenſit Durand. in. 1. diſtinctione. 17. quæſtione. 2. & in. 2. diſtinctione. 27. quæſtione. 2. & Gabriel. quæſtione. 3. & plerique alij. Et probatur: Nam ſi debitor non reddit quod debet, eſt iniuſtus: ſed Deus etiam ſi nulli hominum det gloriam; imò verò etiam ſi omnes beatos è cœlo repelleret, non eſſet iniuſtus: ergo. Et confirmatur: Quia Deus à nullo accipit quidquam, quod ſuum non eſſet: Nam omnia ſunt Dei tanquam Domini abſoluti, nec poteſt, & ſi velit à ſe abdicare dominium. Vndè ad Rom. 11. dicitur; Quid habes, quod non accepiſti? Si accepiſti, quid gloriaris? Ergò Deus ratione nullius obſequij debet quicquam alteri. Præterea perſuadetur. Nam debitor quodammodo ſubijcitur creditori: ſed Deus nulli ſubijcitur prorſus: ergo nulli eſt debitor propriè.

*Durand.*

*Concluſ. 2.*

Dico ſecundò. Deus etiam ſibi ipſi propriè loquendo nihil debet, & eſt ſermo de debito obligationis. Hæc aſſertio eſt D. Auguſt. lib. 1. Confeſsion. cap. 4. vbi inquit; Reddis debita, nulli debens, ideſt, non debens tibi, neque alteri. Item probatur ratione: Quoniam obligatio propriè eſt ad alterum, quæ verò ad alterum non eſt, propriè non pertinet ad iuſtitiam, vt. 5. Ethicor. Ariſt. dicit: ergo.

*D. Auguſt.*
*Ariſt.*

*Concluſ. 3.*

Dico tertiò. Deus quodammodo debet nobis, ſed multò magis ſibi ipſi, qui dedit nobis naturam & gratiam, & vires, atque auxilia tàm naturalia, quam ſupernaturalia, vt mereremur, & conſequenter, vt deberetur nobis merces, ſi ratio iuſtitiæ ſeruanda eſſet. Et præterea decreuit, ſtatuit, promiſit, & iurauit ſe daturum præmium ſic operanti. Quocirca diceretur infidelis & fallax, ſi non adimpleret quod iurauit, & promiſit. Hoc probant argumenta contenta in ſecunda & quarta difficultate. Et Sancti Patres frequenter concedunt, quòd Deus ſua gratia & miſericordia dignatus eſt fieri debitor hominibus. Ita expreſſè D. Auguſt. lib. 2. ad Simplician. q. 2. & ſermo. 16. de verbis Apoſtoli, & lib. 5. confeſſ. cap. 9. & Pſal. 109. dicit, quòd Deus ex promiſsione debitor eſt, & quòd ob id poſſumus dicere ad Dominum, Dñe redde quod promiſsiſti, quia fecimus,

*D. Auguſt.*

*D. Fulgent.* cimus, quod iusisti. Idem etiam docet D. Fulgent. in Prologo librorum ad Monimum. En, ait, qualis est Dominus noster, vt donando debeat, & quantò magis donat, tanto magis eum debitorem esse non
*Guillermus* piget. Guillermus Parisiens. in tractatu de Meritis, dicit, quòd homo merens facit Deum debitorem, non solum ex ratione promissionis & pacti, sed etiã ex gratia adoptionis filiorum, cui debetur hæreditas gloriæ & vitæ æternæ. ¶Sed quoniam de hac re fusior est habenda nobis disputatio, præcipuè artic. 3. sequenti; idcirco hæc modò sufficiant ad præsentem controuersiam explanandam.

*Ad difficultates.* *Ad primã & tertiam.* *S. Thomas.* *Driedo.* *Soto.* *Antoninus* *Capreolus.* *Caietanus.* *Medina.* *Tiletanus.* Ad difficultates seu argumenta in eis tacta, restat respondere, quamuis luculenta & exacta disputatio earum, fiet inferiùs plerisq; in locis, præsertim articulo. 3. Ad primam ergo & tertiam difficultatem simul pro nunc respondetur cum S. Thom. locis citatis, & cum Driedone de captiuit. & Redempt. generis humani, pag. 2. & Soto. 3. de natura & gratia, cap. 3. cum Antonino. 4. part. titul. 9. capit. 7. in initio, & cum Capreolo, in. 2. distinct. 27. & Caietan. hic & artic. 3. & Bartholom. Medina ibidem, & cum Tiletano in fine Apologiæ pro Trident. quæst. 4. de Meritis; Concedendo, quòd Deus debet aut dicitur debere non tam ipsi creaturæ, quam suę ordinationi, qua ipsam produxit & conseruat in esse naturali & supernaturali, & qua promisit atq; iuramento firmauit se daturum præmium. Quocirca, suppositâ ea ordinatione & promissione donandi præmium, inuenitur debitum fidelitatis & veritatis. Cæterum, secluſa hac ordinatione, solùm reperitur debitum quoddam conditionatum, nempe, quòd si Deus debet agere secundum iustitiam, debet dare tale præmium taliter operanti, sed nihilominus in sua voluntate libera, situm est agere secũdum illum modum iustitiæ. Sicut princeps liberè potest punire secundum iustitiam aliquem delinquentem, vel secundum misericordiam illi parcere. Cùm igitur Paul. dicit ad Hebræ. 6. Non enim
*Hebræ. 6.* iniustus est Deus, vt obliuiscatur operis vestri: Vult, quòd non ageret secundum iustitiam, si non redderet ei præmium; non tamen dicit, quòd omnino faceret iniustitiam, aut contra iustitiam, nisi hoc intelligatur impropriè, quatenus non faceret, quod debet suæ fidelitati. Et pariter ob eandem rationem non esset Deus personarum acceptor, si vni redderet, & non alteri, ita vt committeret defectum, & culpam acceptionis personarum: sed ita solùm vt priuaret se magna quadam perfectione extrinseca, non agendo communiter secundum iustitiam in redditione præmiorum, sed prætermisso tali ordine iustitiæ. Ex his etiam patet ad duas confirmationes positas in tertia difficultate.

*Ad secundã & quartam* Ad secundam & quartam difficultatem, & ad argumenta ibi contenta respondetur ex dictis, quòd promissio, pactum, & iuramentum obligant Deum sibi ipsi, ratione fidelitatis & veritatis vt diximus, & non hominibus propriè loquendo: Quoniam homines nullum capiunt ius & dominium in rebus ipsis respectu Dei, sicut quando homo promittit aliquid homini cum iuramento, vel facit pactum cum eo: Quia homo potest abdicare, imò verò abdicat à se hac via ius & dominum, quod sanè Deus à se abdicare non potest, aut repellere. Quapropter, sicut nulla potest esse obligatio iustitiæ inter dominum & seruum vt sic, vt habetur in iure ciuili. l. ius. ff. de iudicijs, &. l. Placet. ff. de acquirend. possessione: Quoniam quidquid habet seruus, Domini est; ita sanè inter homines & Deum, quia semper manet Deus absolutus dominus omnium. Vndè, iuramenta & pacta, non idcirco adhibentur à Deo, quasi pro maiori firmitate secundum se ipsum, sed vt nos meliùs intelligamus, & cognoscamus quòd firmiter euenient, quæcumque ipse promisit nobis.

### *Num Deus teneatur necessario acceptare Christi satisfactionem?*

*Ad quæst.* QVinta difficultas postulat vt explicemus, Vtrùm Deus teneretur acceptare satisfactionem & merita Christi Domini? Et suppono primò pro solutione difficultatis quintæ, quod inter alia, rigor iustitiæ Christi, etiam consistit in hoc, quòd ex proprijs dat æquale vel maius, quam sit præmium; tamen adhuc non obligatur de iustitia & absolutè Pater ad acceptandum. Quia obsequium sibi præstitum à Christo, est etiam sibi propriam tanquam Domini absoluti, & in solidum; non potest autem non acceptare ratione conformitatis, quæ est inter suam & filij voluntatem. ¶ Sed dices, Supponamus Christum perfe- *Obiectio grauis.*
cundum actum meruisse à Deo, vt acceptaret primum; tunc, in eo casu, Deus tenebatur acceptare; quoniam tunc pro tali acceptatione Dei, quæ valoris est infiniti, offertur etiam actus valoris infiniti: Potest ergo Deus obligari, vel saltem suppositâ pro missione erit iniustus Deus non acceptando.

¶Ad hoc argumentum, vt dissoluam difficultatem tactam, An Deus teneatur acceptare de iustitia satisfactionem Christi, ita vt Deus constituatur debitor illius acceptationis, de iustitia? Dico primò, *Dico. 1.*
quòd ex parte diuinæ voluntatis, erat infallibile Deum acceptare satisfactionem Christi. Quod hac ratione explicatur: Nam antequam intelligamus verbum incarnari, præintelligimus Deum efficaciter voluisse verbum incarnari, & satisfacere pro peccatis hominum. In qua sanè volitione cum illa sit absoluta & efficax, virtualiter includitur quilibet actus, qui ad illius efficaciam & executionem est requisitus. Quare, cùm Christus de facto non posit satisfacere pro peccatis hominum, quin Deus acceptet eius satisfactionem; ideò in primò illo actu efficaci & absoluto, includitur volitio acceptandi: Sicut volitio medij necessariò includitur in volitione efficaci finis. Hinc patet, qualiter necesitetur ex suo actu ad intra, & non ad extra ex aliqua creatura; & qualiter ex suppositione, & non simpliciter. Quæ necessitas non tollit, quin omnino liberè acceptet, vt liquet ex dictis.

Dico secundò: Deus non poterat non acceptare Christi Domini merita & satisfactionem, sup- *Dico. 2.*
posito quòd Christus efficaciter intendebat voluntate sua humana, satisfacere pro peccatis hominum; quamuis per impossibile Deus non præhabuisset acceptandi volitionem. Hoc expressè Sotus docuit, in. 4. distinct. 19. quæst. 1. artic. 2. Vbi inquit: Quòd erat implicatio contradictionis; Christum offerre aliquid Patri, & illud nõ esse acceptũ Patri.

Itaq;



Itaque ex suppositione voluntatis humanæ Christi intendentis efficaciter satisfacere, Deus non poterat non acceptare Christi satisfactionem. Et ratio est: Quia suppositum Christi erat infinite gratum: ergo illius omnia opera infinite grata, infinite etiã placebãt Deo; Igitur non potest Deus respuere petitionem ipsius. Et ob id Paulus loquens de Christo, dicit ad Hebræ. 5. Cum clamore valido, & lachrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia. Præterea confirmari potest: Quia Christus erat suppositum infinitum, infinitæ efficaciæ & virtutis: ergo impossibile erat, eius voluntatem frustrari posse. ¶Sed dices; Si hoc est verum, sequitur quòd Deus necessitaretur ab extrinseco. Respondetur; Deũ minime necessitari absolute loquendo; cæterum ex suppositione suæ liberæ volitionis, qua voluit & statuit vnire sibi humanitatem, vt facta vnione satisfaceret pro hominibus, eo ipso voluit eius actus, esse sibi infinitè gratos; ac proinde in tali volitione, seu voluntate includitur efficaciter & necessario ea voluntas, qua infallibiliter, (sed liberè) acceptat petitionem Christi, cum ipse sit filius naturalis Dei; & ob id exaudiri deberet pro sua reuerentia. ¶ Contra: Antequam voluntas humana Christi Domini vellet eius satisfactionem acceptari à Patre; Deus potuisset ab æterno habere voluntatem efficacem nõ acceptandi, ita vt hoc decretum ignoraret anima Christi, vel nollet se illi conformare: ergo Deus necessario non acceptat: non ergo potest meritũ Christi constituere Deum debitorem. Ad hoc argumentum, breuiter dico duo: Primum est: Deum ita gubernare voluntatem humanam Christi, vt non possit illa efficaciter aliquid petere contra voluntatem Dei. Et hac ratione non potuit Christus offerre suã satisfactionem, vt esset efficax in reprobis, sicut vere alias erat sufficiens. Secundum est: Quod si Christus fecisset opus aliquod, & illud non offerret Patri ad satisfaciendum pro hominibus, neque id efficaciter sua voluntate intenderet; tunc Pater poterat non acceptare illud opus in satisfactionem hominum. Cæterum si Christus offerret opus illud, id efficaciter intendens, nempe satisfacere pro genere humano; Patet non poterat non acceptare opus illud satisfactorium: Quia opus illud erat à supposito infinite grato, & de se grato; etiã à sola gratia vnionis: Vnde erat exaudiendus pro sua reuerentia. Et cum esset illud opus diuini suppositi, non poterat nõ esse acceptũ Patri, circa id quod intẽdebat. Erat rursus eadem voluntas Christi & Patris, quia Christus nihil volebat, quod Pater non vellet. Ita docet Martinus à Ledesma in. 2. p. quarti. q. 11. art. 2. dubio. 1. in fine.

Dico tertio: Deus non tenebatur acceptare de iustitia satisfactionem Christi pro hominibus; imo verò nulla facta suppositione sed absolutè loquendo, non tenebatur Deus acceptare Christi opus in satisfactionem hominum, si id Christus non absolutè & efficaciter intendisset. Hoc sensit Vega. 7. in Trid. cap. 9. & Ioan. Medina. C. de pœniten. admittens vt probabile, meritum Christi esse infinitũ, ait; Quòd sublata omni suppositione, neq; de iustitia, neq; absolute tenebatur Deus acceptare Christi satisfactionem pro hominibus; nisi eam absolutè & efficaciter Christus intendisset. Quod patet: Quia potuit Christus non velle vt eius opera acceptarentur, vt satisfactoria, sed solum illa offerre in gloriam Dei. Imo verò, licet Christus id peteret, non tamen ob id ex iustitia obligaretur Deus, aut teneretur acceptare, quamuis non posset non acceptare propter conformitatem illam voluntatis diuinæ & humanæ, si Christus id efficaciter intenderet; præcipuè quia cum Christus esset suppositum infinitè gratum, omnia eius opera infinitè placebant Deo ergo id, quod intendebat Christus, & consequenter non poterat eius petitionem respuere, sed infallibiliter approbare. Quòd verò de iustitia non teneretur Deus accepare, patet; Quoniam is, qui ex iustitia tenetur, verè est obligatus: sed is, qui manet obligatus ex iustitia, est aliqua ratione inferior, & quasi subordinatus ei, cui tenetur ex iustitia: Deus verò nulli manet subordinatus, aut inferior; ergo. Præterea: Persona offensa habet verum ius contra offendentem: ergo non tenetur ex iustitia acceptare alterius satisfactionem. Nam profecto sicut offensa fuit facta ab hac persona; ita sanè is, qui offensus est, habet ius supra illam: poterat ergo Deus, sine vllo debito, aut obligatione iustitiæ, seu absque iniustitia vlla, nihil acceptare; & punire homines in æternum, iuxta legem à se latã: Inquacumque hora comederis, morte morieris. Nã certe, non tenetur Rex ex iustitia, admittere satisfactionem alterius Regis, pro offensa sibi facta, sed potest libere sumere iustam viadictam ab offensore. Et confirmatur: Quia pro iniuria futura, nullus tenetur acceptare satisfactionem præsentem de iustitia: ergo neque Deus, &c. Rursus persuadetur ex differentia inter satisfactionem, & restitutionem: Quod restitutio præcipue est respectu rei ablatæ, vel debitæ: & idcirco à quocumque fiat, creditor tenetur acceptare illam; quia non habet ius ad personam, sed ad rem; & si habet ad personam, est ratione rei; sed offensus non tenetur acceptare satisfactionem à quocunque fiat; quoniam satisfactio principaliter respicit personam, ex lege æquitatis, quæ id præcipit; vt puniatur ipse idem, qui peccauit; & culpam seu offensam commisit. Fauet etiam; Quod satisfactio est dispositio quædam ad remissionem culpæ & pœnæ; dispositio autem & forma, debent esse in eadem persona: ergo. Potest etiam à simili id quod diximus, persuaderi: Nam sicut peccatũ vnius hominis non transit in alios, nisi ex lege Dei; vt cõstat de originali peccato; ita etiam, neque satisfactio potest transire in alium ex debito iustitiæ, aut nisi ex pacto Dei, quod non est iustitia, sed misericordia, vt superius est dictum.

Dico vltimo. Negari non potest, quòd in hac acceptatione satisfactionis Christi, aliquo pacto, & ratione, interuenit iustitia; quatenus Deus volens sibi satisfieri secundum iustitiam, tenebatur hanc Christi Domini satisfactionem acceptare. Neque poterat aliam exigere; cum & hæc est sit omnium potissima; neque alia fit, non solum de rigore iustitiæ, sed neque ad æqualitatem possibilis. Præterea; Suppositio pacto; Deus tenetur secundum iustitiam id præstare, applicando talem satisfactionem, ijs pro quibus est acceptata; alioqui non tantũ infidelis, sed iniustus videretur, & esset; vt amplius explicabitur in discursu huius materiæ, in hoc art. 1. 2. &. 3. vbi aperiemus, quonam pacto Deus posit esse debitor. Et

iuxta sensum huius vltimi dicti, sunt intelligenda testimonia Scripturæ, quibus Deus dicitur debere præmium iustis, secundum iustitiam; vt ad Hebræ. 6. Non enim iniustus est Deus, vt obliuiscatur operis vestri. Et 2. ad Timoth. 4. Quam reddet mihi iustus iudex. Vnde licet ipsis iustis, propter vera opera meritoria, debeatur gloria de condigno, cæterũ Christo potissime debetur de rigore iustitiæ, vt iustis propter talia opera conferatur gloria. Et ita potest intelligi illud Apocalyp. 12. Cum iustitia iudicat, & pugnat pro omnibus iustis. Et per hoc dissoluitur argumentum supra tactum.

Sunt etiã multi Theologi, qui affirmant, dici posse, quòd nullũ est inconueniens Deũ obligari, aut cõtrahere debitũ: Quoniã illa obligatio & debitũ, non oriuntur ab aliquo extrinseco, sed ex sola volũtate ipsius Dei, & ex habitudine & conuentione diuinarum personarum: Sicut patet in veracitate & promissione Dei, quæ secundum communem modum loquendi, obligat eum: tenetur enim adimplere promissa. Vnde, ex suppositione diuinæ voluntatis, & ex pacto & conuentione diuinarum personarum, orta est obligatio filij, vt reddat pretium, & Patris vt eo oblato, acceptet illud.

Omitto modo eam sententiam, quæ putat, Deum nullo modo teneri ad acceptationem satisfactionis Christi quantumcunque valentem: Quia aliud est rem valere tantum, & aliud acceptare ad dandum pro illa cum effectu, id quod valet; stat enim quòd tu conferas pretium iustum & æquiualẽs pro domo mea, & quòd ego nolim acceptare, quia nolo vendere: neque in hoc est aliqua iniustitia. Et pariter stat quòd pretium pro captiuo oblatũ plus valeat, secundum communem æstimationem, quam ipse captiuus, & quòd dominus captiui, nolit acceptare pretium oblatum, sine aliqua iniustitia. Sic ergo Vega sesti. 6. super Trident. cap. 9. inquit, quòd quamuis Christus satisfecerit pro hominibus de rigore iustitiæ; nihilominus Pater æternus sine iniustitia potuit non acceptare, exigendo iustas pœnas ab ipsis delinquentibus. Sed de hac sententia, qua ratione debeat intelligi, aliquid explicuimus paulo antea. Et plura dicemus statim.

*Maior explicatio ad præcedentia propter opiniones nouè ortas.*

POst compositum hoc opus, perlegi quosdam recentes theologos, qui dixerunt non esse improbabile, Deum ex vi rectitudinis Iustitiæ, necessitari ad acceptandam Christi satisfactionẽ pro culpis hominum oblatã. Huius sententiæ fundamentum est, quod satisfactio Christi, includit formalem commutatiuę Iustitiæ rationem, & rectitudinẽ: ac proinde quod ex parte Dei, respondet illi stricta quędam necessitas acceptandi ipsam satisfactionẽ ex eo quod ratio iustitiæ commutatiuæ, ponit æqualitatem in vtroque extremo, ita vt si vnus tribuat quantum debet, alter teneatur acceptare, & debitũ remittere. Quæ quidem sententia cõfirmari potest: quia alias satisfactio Christi non esset simpliciter de rigore iustitiæ, si Deus illam non teneretur acceptare ex vi rectitudinis Iustitiæ: ergo si Christi satisfactio est rigorosa, sequitur Deum non potuisse non acceptare, ac proinde necessitari, ad acceptandum eam. Alterum fundamentum huius sententiæ fuit, quod operatio Christi satisfactoria, licet materialiter fuerit comprehensa, & contenta sub vniuersali iure, & dominio Dei, non tamẽ quatenus procedebat à Verbo, nã Verbũ nulla ratione, nulloq; precepto potuit obligari ad operandũ, sed potius ex sũma libertate propriæ voluntatis se applicuit ad operandum, & agendum per humanitatem: Potuit ergo desumi ex hac ratione, perfecta quædam iustitiæ ratio, inter Christum, & Deũ: quatenus id, quod Christus Deo contulit, & dedit, non plene continebatur sub vniuersali ipsius Dei potestate, atque dominio. ¶ Aduertunt tamẽ huius sententiæ auctores, se non dicere, necessitatem hanc acceptandi satisfactionem Christi, prouenire à Deo, aut ex fideli promissione ipsius, aut ex summa concordia voluntatum Dei, & Christi; nam in hoc nihil esset difficultatis, sed affirmare necessitatem illam, prouenire ex vi rectitudinis Iustitiæ; ita tamen, vt non ob id Deus, teneatur aliquo Iustitiæ præcepto; quia hoc est omnino absurdum: ex eo quod diuina voluntas, sicut nullum habet superiorem, sic nullo præcepto, nullaque lege potest obligari, aut constringi. Vnde prædicti authores solum dicunt, Deum tunc necessitari ex rectitudine iustitię, eo modo, quo Theologi docent, Deum necessitari ad amandum semetipsum, ad nõ mentiẽdũ, & similia; in quibus reperitur intrinseca bonitas & rectitudo: quæ necessitas non prouenit ab extrinseca, sed ab intrinseca rectitudine voluntatis diuinæ, licet pendeat tanquam à conditione, ab extrinseca rectitudine Iustitiæ, quæ in ipsis Christi operibus reperitur. Rursus aduertunt, quod cum omnis operatio humana Christi domini, & omnis rectitudo eius, sit reducenda ad voluntatem Dei liberam, quatenus liberè voluit Verbum humanitati hypostatice vniri; quod ex consequenti, tota necessitas quæ ex Christi operibus ad Dei voluntatem inducitur, est necessitas ex suppositione tantum, trahens primam originem ex ipsa Dei voluntate libera, sicut theologi dicunt de necessitate, qua Deus suis tenetur stare promissis. ¶ Tandem, vt probabilitas huius sententiæ ostendatur ab his authoribus, censent quod hæc rectitudo Iustitiæ, cui Deus necessitatur attendere, pertinet ad commutatiuam Iustitiam, sublatis imperfectionibus, quæ in nostra Iustitia reperiuntur; Nostra enim iustitia commutatiua, consistit in quadam æqualitate dati & accepti, quæ quidem æqualitatis ratio, non rigorosè pensanda est inter Christum, & Deum; quia Deus nihil accipit, quod ad ipsius emolumentum pertineat, cum non egeat aliquo, neque possit augmentum suscipere in proprijs bonis. Similiter etiam commutatiua Iustitia in nobis inuenta, mutuam constituit dependentiam, & subiectionem inter eos, in quibus apud nos reperitur; ex eo quod necessitas & obligatio, qua quis alteri ex Iustitia obligatur, illique tenetur, prouenit ab extrinseco, hoc est ex vi operis Iusti exhibiti ab alio; Nam, verbi gratia, qui emit equũ ab aliquo, ex vi emptionis, & venditionis, & ex vi traditionis ipsius equi, tenetur pretium rependere, & soluere; quæ obligatio, cum proueniat ab extrinseco, est veluti seruilis quædam subiectio. At vero necessitas, qua Christi meritum Deus acceptare tenetur, non prouenit ab extrinseco, vt dictum est, sed ex summa rectitudine Diuinæ voluntatis, quæ ob id potius vocatur necessitas, quam obligatio; Nam multo proprius dicitur, quod Deus necessitatur ad acceptãdum, quã quod teneatur acceptare Christi satisfactionem. Sublatis igitur his, & similibus imperfectionibus, quæ in nostra Iustitia commutatiua reperiuntur ex conditione subiecti, putant præfati authores, nulla improbabilitate dici, Deum necessitari ex rectitudine Iustitiæ commutatiuæ, ad acceptandum Christi satisfactionem: Quia ibi saluantur ea, quæ sunt necessaria ad iustitiam commutatiuam, nempe æqualitas rei ad rem, hoc est satisfactionis ad offensam, & meriti ad præmiũ, & etiam æqualitas inter personas ipsas scilicet, inter Deũ, & Christum. Et ex his omnibus saluant probabilitatem recitatæ sententiæ.

Ioannes de Medina putauit quod si Christi satisfactio veram haberet rationem Iustitiæ, seu rigorosam, quod Deus non posset non illam acceptare, atque ita quod necessitaretur ad acceptandum eam: Cæterum quia credit Christi satisfactionem non habere veram, & rigorosam rationem Iustitiæ idcirco consequenter docet, Deum non teneri illam acceptare. ¶ Sotus in. 4. d. 19. q. 1. art. 2. Ledesma. 2. p. 4. q. 11. art. 2. dubio. 1. docent, Deum non potuisse non acceptare satisfactionem oblatam à Christo, propter dignitatem personæ, quæ tanta erat, vt posset inducere etiam circa Deum obligationem acceptandi; cum diuina voluntas non possit ab humana diuini suppositi, discordare.

Authoris sententia.

Sed profecto quamuis Christi domini opera, nõ potuerint non esse Deo grata, & dignissima iudicari, atque sufficientissima, ad satisfaciendum pro peccatis hominum: quia hoc, ita necessario illis conueniebat ratione vnionis, vt manente vnione, non posset ab eis separari, sicuti etiam non potest non esse grata Deo humanitas vnita Verbo; Nihilominus sentiendum est nullam obligationem, & necessitatem commutatiuæ Iustitiæ in Deum cadere, sed potius hanc remouendã esse à Deo; Potuit ergo Deus si voluisset de potentia absoluta (nulla intercedente promissione) non acceptare opera illa in satisfactionem pro hominibus. Nam hoc non includit contradictionem vllam. Hæc mihi videtur esse sententia D. Thomæ in hoc articulo. 1. quem modo interpretamur, & 1. p. q. 21. art. 1. in quibus locis quamuis S. Thom. non loquatur expresse de Iustitia Dei erga Christum; tamen par ratio videtur esse ad tollendã huiusmodi obligationem, & necessitatem commutatiuæ Iustitiæ omnino à Dei voluntate respectu cuiuscumque.

Hæc doctrina & sententia, habet fundamentum in hoc, quod obligatio, & necessitas Iustitiæ commutatiuæ, inducit subiectionem quandam voluntati, eius qui obligatur ex iustitia: Subiectio autem repugnat volũtati diuinæ; ac proinde talis obligatio, & necessitas, non potest circa Deum cadere. ¶ Ad hoc fundamentum respondent authores oppositæ sententiæ, quod necessitas diuinæ voluntatis ad acceptandum satisfactionem Christi domini, ob id nullam inducit subiectionẽ diuinæ voluntati, quia non prouenit ab extrinseco, sed solum ex intrinseca, & essentiali rectitudine ipsius voluntatis. Sed cõtra hoc arguitur; Quia necessitas, qua volũtas diuina teneretur acceptare satisfactionem Christi (si alia qua esset talis necessitas) oriretur ex æqualitate personæ satisfacientis, & ex æquialentia satisfactionis ad offensam (non enim aliam rationem huius necessitatis possumus assignare) Sed quamuis necessitas, quæ ex prima causa proueniret, posset fortè censeri non ab extrinseco, quia æqualitas Christi ad Deum est omnino ipsi Deo intrinseca, & secundum essentialem identitatem; at vero necessitas ex secunda ratione desumpta, sine dubio esset ab extrinseco, quia operatio Christi, & satisfactorius eius valor, extrinsece se habent ad Deum ex eo quod satisfactio ipsa cum omni suo valore, est quid creatum: ergo, &c. Et confirmari hoc potest; Nam si necessitas acceptandi satisfactionem Christi, pertinet ad ordinem Iustitiæ cõmutatiuæ, vt aduersarij dicunt; ergo fundatur in ipso valore satisfactionis, quatenus constituit æquialentiam inter operationem satisfactoriam Christi, & offensam Deo illatã, & hoc sanè non solum tanquam in requisita conditione, sicut dicimus de necessitate adimplendi promissionem, quæ postulat, vt conditionem quandam requisitam illud opus, quod ipsa Dei promissio ad sui adimpletionem postulauit; Sed tanquam in formali ratione: Quia formalis ratio iustitiæ commutatiuæ, quæ in satisfactione reperitur, per se, & formaliter postulat, & requirit huiusmodi æquialentiam, ergo prædicta necessitas, si ad iustitiam commutatiuã pertinet, ab extrinseco pendet. ¶ Rursus potest confirmari; Quia si esset vera opposita sententia, pari ratione vera esset ista causalis: Quia Christus est æqualis Deo, & illi obtulit condignam satisfactionem, & æquialentem pro offensa, idcirco necessitatur Dei voluntas ad eius satisfactionem acceptandam: ergo necessitas voluntatis diuinæ, pendet ab extrinseca Christi satisfactione, tanquam à sui causa. Ostẽdo antecedens; quia si causalis illa non est vera, nulla potest esse ratio cur necessitas diuinæ voluntatis acceptandi satisfactionem ad rationem Iustitiæ pertineat.

Moueor etiam ad prædictam doctrinam, & sentẽtiam, quia licet valor satisfactorius operationis Christi præcisè consideratus vt à Verbo procedit, siue à volũtate eius libera, siue ab eius esse infinito, non sit debitus Deo alio quouis titulo, neque subsit vniuersali dominio Dei, & ob id dicatur Christus ex proprijs, & alias indebitis satisfeciisse, absolute tamen, & secundum omnem suam entitatem est ipsius Dei, & sub amplissimo eius Iure, & dominio clauditur. Itaq; in illo instanti tẽporis, vel naturę, quo intelligitur productus extra suam causam, intelligitur etiam simul comprehendi sub vniuersali dominio Dei, eo quod est ens creatum, & participatum ab esse diuino: ergo exhibitio huius satisfactionis, huiusque valoris satisfactorij non potest inducere in Deo necessitatem, aut necessariam iustitiæ obligationem acceptandi satisfactionem ipsam Christi Domini; Patet consequentia, quia totum id, quod Deo confertur per huiusmodi satisfactionẽ, est ipsius Dei; atque adeo satisfaciens, re ipsa, nihil Deo tribuit: Nam id, quod dat, & tribuit, alio titulo pertinebat ad Dei dominium, nempe quatenus est ens creatum, vt sępe dictum est.

Moueor vlterius, quia non apparet vnde talis neces-

necessitas acceptandi imponatur Deo, cum acceptatio ista non habeat connexionem necessariam cum ipso Deo, neque cum aliqua virtute. Nam necessitas hæc, seu obligatio, non oritur ex iustitia, ex eo quod nulla persona offensa tenetur acceptare satisfactionem ab alio, quam ab ipso offendente, vt patet ex communi omnium hominum cõsensu, quod liquet ex differentia, quæ assignari solet inter restitutionem, & satisfactionem; nam restitutio respicit res ipsas secundum se; Vnde si reddatur res æqualis nihil refert quod ab vno, vel ab altero reddatur; Cæterum offensa, & pariter ipsa satisfactio, respiciunt actiones, & personas: & ob id nullus tenetur ad acceptandam satisfactionem, nisi ab ipsamet persona, quæ illum offendit. Neq; etiam oritur hæc necessitas acceptandi, seu obligatio, ex concordia voluntatum, quia si propriè loquendum est, non voluntas Dei humanæ, sed humana Diuinæ conformari debet; Vnde nunc ita fit vt inter has voluntates sit summa concordia, quia Christus semper vult absolute, quod scit Deum velle vt ipse velit. Si tamen ad rem hanc explicandam fingamus, non esse reuelatum Christo homini quid Deus æterno suo consilio Decreuisset circa acceptationem operum ipsius Christi in satisfactionem pro hominibus, & Christũ illa opera offerre ex quodam simplici charitatis effectu: licet Deus illa non acceptaret in satisfactionem, non esset proprie dissentio, aut contrarietas voluntatum; quia hæc solum reperitur quando voluntates discrepant in ratione volẽdi: ergo posset Deus illa opera non acceptare in satisfactionem. Imo verò quamuis propter dignitatem talium operum Christi, per se hoc sit valde conueniens, nempe acceptare illa: tamen simpliciter non est necessarium, quia non cogitur Deus omne id velle, quod conueniens est, neque deessent illi infinitæ rationes ad nõ acceptandum, si hoc illi placuisset: Sicut etiam est conueniens, quòd Deus puniat peccatum; tamẽ hoc non est absolute, & simpliciter necessariũ Deo, ipsum ad hoc obligans, aut necessitans. Tandem potuisset Deus ordinare ab æterno, ne Christus offerret sua opera pro hominibus; & Christus tunc deberet illi parere: ergo multo magis posset decernere illa non acceptare, etiam si Christus per humanã voluntatem hoc desideraret; nunquã enim hoc posset ita efficaciter, & absolute velle, quin voluntatem suam humanam diuinæ subijceret. Vega, quem supra retulimus lib.7.in Trident. concedit, potuisse Deum non acceptare Christi satisfactionem, negat tamen inde sequi non fuisse ex vera iustitia ipsam Christi satisfactionem; quia ad proprietatem, & veritatem iustitiæ nõ pertinet, vt ille, cui offertur satisfactio teneatur illam acceptare, sed satis est ipsam esse talem, vt si alius illam acceptet, iuxta valorem, quem habet, plene illi satisfactum sit, neque possit amplius exigere. Sed intelligitur Vega non supposito pacto, aut de potentia Dei absoluta; Sic enim intelligit Deum potuisse non acceptare talem Christi satisfactionem; Nam de lege, & suppositia ordinatione diuina non bene loquitur.

Diximus supra potuisse Deum de potentia absoluta, nulla interposita promissione, non acceptare opera illa Christi in satisfactionem pro hominibus; quia hoc non involuit contradictionem; in quibus verbis expendendum est, quod dicitur, nulla interposita promissione. Nam certe interposita promissione, seu posito pacto, non potuit Deus non acceptare opera illa in satisfactionem; quia Deus fidelis est, & seipsum negare non potest, vt Paulus docet. 2. ad Timoth.2. Quod autem de facto interuenerit pactum hoc, & promissio Dei ad Christum, id quidem insinuatur à Sanctis Patribus super illud psalmi.2. Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ, vbi plerique patres intelligunt testimonium hoc, de hac promissione; Nam in verbo illo, Postula à me, intelligitur significari ipsa Christi oratio, fundata in suis meritis, & satisfactione, & in dignitate suæ personæ. Constat autem ex diuina Theologia in materia de merito, & satisfactione, promissionem hanc factam esse alijs etiam hominibus; ergo multo magis ipsi Christo.

Quare sentiendum est, quod posita hac promissione, debuit Deus Christi satisfactionem acceptare ex propria, & vera iustitia: Quia positis pacto, & promissione, necessarium fuit Deo acceptare id, de quo pactum, & promissio intercessit: quæ quidem necessitas non dicit imperfectionem: quia non oritur ex aliqua lege, neque ab extrinseco, sed potius pertinet ad perfectionem, quia oritur ex intrinseca rectitudine ipsius diuinæ voluntatis; & non est necessitas absoluta, sed ex suppositione eiusdem voluntatis diuinæ; sicut si Deus vult loqui, necesse est, vt vera loquatur; & si promittit, vt vera promittat, & adimpleat. Rursus etiam actus ille, & debitum illud acceptandi satisfactionem non pertinet formaliter, & propriè ad simplicem virtutem fidelitatis, & veritatis: tum quia nõ fundatur in simplici promissione, sed in promissione onerosa, & sub conditione operis: tum etiam, quia maius aliquod ius ad aliquam rem intelligitur habere ille, cui promissa est talis res sub conditione alicuius operis, & ipse ob eam comparandam illud est operatus, quam ille, cui simpliciter, & absolute sine pacto, & conditione alicuius operis, res ipsa est promissa: ergo pertinet actus ille ad aliam virtutem, quæ quidem nulla alia esse potest, nisi iustitia. ¶Neque est vlla ratio cur talis iustitia non possit propriè & formaliter Deo cõuenire, quoniam reuera importat maximam perfectionem, sine vlla imperfectione; Quia ista ratio debiti, quæ pactum, & promissionem supponit sub conditione operum, nullam denotat imperfectionem, & ob id non repugnat Deo. Vnde Augustin.psalm.83. explicans locum Pauli.2. ad Timoth. 4 Reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi dominus iustus iudex, ait Augustin. Quid reddet? quod tibi debet. Vnde tibi debet? Quid illi dedisti? debitorem ipse se fecit non accipiendo, sed promittendo. Idem docet D.Cyprian.sermone de opera, & eleemosyna prope finẽ. Præclara inquit, & diuina res salutaris operatio, promeretur Christum iudicẽ, & Deum computat debitorem. Idem docet Petrus Chrysologus sermone.25.in fine, & D.Chrysost.homilia.3.in Matth.prope finem, vbi sic ait: Habemus Deum debitorem ob res bene gestas, tu gratiam cõfitere, vt se tibi debitorem fateatur. Nihil ergo derogat perfectæ iustitiæ Christi vt intercedat hoc pactum, vel promissio Dei, vt Deus ex iustitia debeat illius



illius satisfactionem acceptare: non enim vera iustitia postulat, vt vnus possit cogere alium ad contrahendum, sed solum vt seruata in omnibus æqualitate possint voluntariè pacisci, & posito pacto quod ex iustitia seruari debeat: vt Rex habens sub potestate sua homines iure captiuos, etiam si pro illis offeratur pretium æquale, & condignum, non tenetur illud acceptare, neque illos libertate donare: cæterum si cum aliquo pacisceretur & promitteret se daturum libertatem captiuis, si hoc vel illud opus faceret, tunc sane adimpleta cõditione teneretur stare promissis ex vera, & propria iustitia. Sic ergo dicendum est in proposito, quia in omni iusta conuentione, ferè simile inuenitur.

Restat tamen dissoluere fundamenta aduersariorum, quæ supra attulimus: Primo enim dicendum est, quod sicut in relatiuis quando extrema nõ sunt eiusdem rationis, sed vnum perse pendet ab alio, & nõ è cõtra, vt constat de scientia, quę pendet à scibili, & non scibile à scientia, & creatura à creatore, & non è conuerso, relatio, quæ fundatur in illa dependentia vnius extremi ab altero, est realis ex parte extremi dependentis, & ex parte alterius, est rationis; & ita se habent omnes relationes, quæ inueniuntur inter Deum, & creaturas. Eodem igitur modo in præsentia est dicendũ, quod propter Dei excellentiam & vniuersale dominium, quod Deus habet super creaturas omnes, non est inconueniens quod ex parte Christi Domini, quatenus offert satisfactionem Deo, reperiatur ratio pertinens ad commutatiuam iustitiam, ob id quod eius satisfactio est æquiualens offensæ, & ipse Christus est æqualis Deo, ex proprijs & non ex alienis satisfaciens; & nihilominus quod ex parte alterius extremi, scilicet Dei, nulla respondeat iustitiæ obligatio, eo quod, id quod ei confertur in cõpensationẽ pro offensa, eo ipso quod ponitur in rerum natura extra suas causas, pertinet ad ipsius dominium, quamuis neque à Christo, neque ab alio ei offerretur: Vnde fit vt re ipsa nihil Deo tribuatur. ¶Huic solutioni plerique Theologi non acquiescunt: quia censent non posse constitui commutatiuam iustitiam in vno extremo quin constituatur in altero. Sed certè ego nullam huius rei cerno necessariam causam, & rationem. Verum ne ab eis omnino discedamus, possumus dicere ob id nos docuisse in actu satisfactionis Christi formalem reperiri iustitiæ commutatiuæ rationem, quia quantum est ex se, & quatenus procedit à Christo satisfaciente, habet omnia, quæ sunt requisita ad inducendam obligationem iustitiæ in altero extremo, quam tamen non inducit de facto propter eius excellentiam, quæ ipsum reddit incapax totius obligationis, & propter illud vniuersale dominium dudum à nobis expositum, quod habet super res omnes: & quia ratio illa non videtur pertinere ad aliam virtutem, quoniam nulla alia est virtus, quæ prædictam æqualitatem constituat & perpendat: idcirco reduximus eam ad iustitiam commutatiuam. ¶Ad confirmationem huius fundamenti dicendum est, Christi satisfactionem dici ex rigorosa, & exacta iustitia procedere, quia secũdum se habet omnia requisita ad inducendam iustitiæ commutatiuæ obligationem; quod si non inducit hanc necessitatem, & obligationem absolute, & simpliciter, id quidem non est ex defectu eius aliquo, sed ex summa Dei excellentia, ob quam nulli obligari potest, neque ab aliquo necessitari, vt dictum est.

Ad secundum fundamentum, quod adducunt authores oppositæ sententiæ, respondetur ex dictis, quod si Christi satisfactio cum suo valore infinito perpendatur, solum quatenus exit à Verbo diuino, & quatenus ab ipso habet infinitatem nulli est debita, neque etiam ipsi Deo: quia Verbum nihil debet Deo, neque vlla obligatione tenetur suam personalem dignitatem alicui operationi communicare; & hoc est satis vt operatio illa satisfactoria, præcisè considerata prout egreditur à suo principio, habeat omnia necessaria vt ingrediatur formalem rationem iustitiæ commutatiuæ. Cæterum hoc ipso quod Verbum in aliquam prorumpit actionem, suamque illi dignitatem, & valorem communicat, constituit illam cum omni valore communicato sub vniuersali iure, & dominio Dei; & ex consequenti, eo ipso quod actio illa est producta, caret aptitudine, & proportione ad inducendam iustitiæ obligationem in Deo. Et ex hoc possemus aliam desumere intelligentiam ad id, quod diximus, in Christi satisfactione inueniri formalem rationem commutatiuæ iustitiæ: Dici enim potest quod si Christi Domini satisfactio consideretur quatenus exit à suo principio, hoc est à Christo Deo & homine, habuit totum quod requiritur ad formalem rationem iustitiæ commutatiuæ; Veruntamen si consideretur in re, & in facto esse sine dubio non reperitur in ea vna ex conditionibus necessarijs; nimirum quod ita fiat ex proprijs satisfacientis, quod non fit omnino sub plenario iure, & dominio eius, cui fit satisfactio. Nam si fingamus esse aliqua bona pertinentia ad integrum, & plenarium dominium duorum hominũ, ita vt totaliter omnino sint vnius, sicut alterius; tũc huiusmodi bona non essent apta ac proportionata materia, vt illorum vnus posset alteri satisfacere ex illis bonis pro aliquo debito, quia re vera nihil illi daret, cum talia bona tribueret. Quia cum ille, cui debitum soluitur, haberet antea plenariũ dominiũ, & ius integrum illorum bonorũ, reuera nihil accipit de nouo, nihilque proinde illi confertur. Quod si hoc non est certum inter hos duos priuatos homines, quia posset quis dicere quod ille, cui fit solutio, licet non acquirat de nouo simpliciter illa bona: acquirit tamen nouum titulum, ex quo nouo titulo proindè fiunt ei propria, pluribusque titulis postea eorum habet dominium: at vero in Deo, id quod diximus certissimum esse videtur: Quia Deus nullum potest nouum titulum acquirere, neque ex nouo titulo potest crescere eius dominium, & ius erga rem aliquam creatam propter eius dominij & Iuris amplitudinem, & vniuersalitatem, quæ nullo pacto crescere, aut augeri potest.

## DISPVTATIO II.

*Vtrùm opera hominis possint esse apud Deum meritoria verè & propriè, alicuius præmij, quodcumque sit illud?*

Ratio

Ratio dubitandi desumitur ex S. Thom. in hoc art. argumēto. 2. Nam vna conditio meriti, iuxta Sanctissimum Præceptorem, est quòd meritum cedat in vtilitatem alterius: sed homo per sua merita quantumcunque sint bona & honesta, nihil proficit Deo, neque vllam vtilitatem ei adducit, iuxta illud Iob. 35. Si iustè egeris, quid donabis ei, aut quid de manu tua accipiet? Ergò nihil potest mereri apud Deum per sua opera. ¶ Repellamus in hac re Lutherum, qui nulla opera nostra voluit habere rationem meriti apud Deum verè & propriè, quem errorem intulit ille ex altero; nempe, quod omnia opera hominis, etiam iusti, sunt peccata, & quòd caret libertate in suis operibus. Sed quoniam Lutheri fundamenta sunt hæretica; idcirco hæreticum est dicere, opera nostra nō esse alicuius præmij meritoria apud Deū. *Iob. 35*

¶ Supponamus ergo in hac controuersia duo, quæ postea fusius erunt à nobis explicanda. Primum est, quòd meritum pertinet ad iustitiam; quoniā meritum est opus, pro quo, qui meretur, constituit eū apud quem meretur, debitorem alicuius mercedis: Sicut is, qui laborat in agro alterius ex pacto, constituit dominum agri debitorem mercedis, ratione laboris. Vnde, meritum intrinsecè dicit de se ordinem ad alterum. Et quoniam ad iustitiam pertinet, quòd quilibet soluat illud, cuius est debitor, idcirco meritum & retributio mercedis pro tali merito, pertinent ad iustitiam. Ex quibus colligitur, quòd eo pacto, quo reperiri potest iustitia inter nos & Deum, possunt nostra opera esse meritoria apud illū. ¶ Supponamus secundò, duplicem esse iustitiam; alteram perfectam, & hæc est illa quando datur æqualitas rerum simpliciter, nulla inquam supposita liberalitate; vt si quis emat equum pretio iusto, ita vt sit æqualitas inter datum & acceptum, quia tantum datur quantum recipitur, sine liberalitate vlla; & iste actus pertinet ad iustitiam perfectam: Alteram verò esse iustitiam imperfectam, quæ non habet æqualitatem rerum; sed tamen non est æqualitas simpliciter inter res, si personæ sunt inæquales ad rationem iustitiæ: Itaque dicitur non esse æqualitas simpliciter inter res, quando personæ taliter sunt inęquales inter se, quòd vna non potest soluere alteri, quod illi debet; vt iustitia, quæ est filij ad patrem, Domini ad seruum: Ex eo enim quòd filius recipit esse, & viuere à patre; & ex eo etiam quòd seruus quidquid habet, est ipsius domini, neuter potest reddere ęquale Patri aut domino, & ex consequenti omnis iustitia reperta inter illos, est imperfecta. Rursus etiam tunc dicitur non esse æqualitas inter res simpliciter quando licet aliàs res sint æquales; tamen iustitia seu æqualitas fundatur in liberalitate illius, cui fit iustitia, aut satisfactio; vt si quis donet mihi equū vt ex pretio illius ego emam agrum, ab eo, qui dedit mihi equum, tunc licet sit æqualitas inter datum & acceptum; cæterum, quia talis æqualitas fundatur in liberalitate donantis equum; idcirco tunc non est æqualitas rerum simpliciter, & talis emptio agri, non pertinet ad iustitiam perfectam. Et idem est quando ego reddo alicui rem aliàs debitam, vt si ego aliquo titulo debeo alicui centum aureos, & postea creditor mutuet mihi alios centū aureos, & velit vt si isti reddantur, censeatur totum debitum solutum, ita vt hac vnica solutione sit contentus; tunc non est æqualitas rerū simpliciter; quia fundatur in liberalitate illius, qui mutuauit pecuniā. Ex quo sequitur, quòd sicut est duplex iustitia, ita est duplex meritum; alterum quidem perfectum; & est illud per quod cōstituimus aliquem debitorem secundum perfectam iustitiam; alterum imperfectum: per quod sane constituimus alterum debitorem secundum iustitiam imperfectam.

*Conclu.* His ita prælibatis, est prima conclusio. Siue homo sit in gratia, siue non, nullo modo possunt esse meritoriæ actiones nostrę apud Deum alicuius præmij secundum iustitiam perfectam. Hæc assertio est D. Thom. in hoc art. conclus. 2. Nam idem est dicere, quòd hominis ad Deum non potest esse meritum simpliciter & absolute, & dicere, secundum perfectam iustitiam. Et probatur primò: Quia filij ad Patrem non est rigorosa seu perfecta iustitia, nec meritum secūdum rigorem iustitiæ; tum propter inæqualitatem personarum; tum etiam quia quidquid habet filius, est Patris: sed multò maior est inæqualitas inter creaturam & creatorē, quandoquidem in infinitum distant, & quidquid habet creatura, est ipsius Dei: Quia quæ de manu eius accepimus, reddimus illi: ergo non potest esse inter eos perfecta iustitia. Secundò probatur. Quoniam ad perfectam iustitiam requiritur quòd sit simpliciter æqualitas rerum, nulla præsupposita liberalitate; sed quantumcunque homo operetur, & Deus tribuat homini minimum præmium, nunquam inter Deum & hominem est simpliciter æqualitas rerum: ergo nunquā mereretur homo apud Deum ex perfecta iustitia. Minor probatur: Quia quātumcunque homo operetur, omnia illius opera sunt ipsius Dei, quandoquidem ad omnia concurrit auxilio speciali vel generali: & deinde omnia opera sunt illi aliàs debita iure creationis, quia contulit homini esse, & viuere, & alia etiam dona naturalia, vel supernaturalia. Vnde Paralipom. 29. dicitur; Tua sunt omnia Domine, & quæ de manu tua accepimus, reddimus tibi. Et Isaiæ. 26. Omnia opera nostra, operatus est in nobis Dominus: ergo non est simpliciter æqualitas rerum inter opera hominis, & præmium quod confert illi Deus. Patet ista consequentia. Quia tunc esset simpliciter æqualitas rerum inter id, quod do & accipio, quando id quod do, est ex meo, & non est alterius, neque est illi aliàs debitum; alioqui non erit æqualitas, nisi fundata in liberalitate alterius, quod est non esse simpliciter & exactè æqualitatē. Et confirmatur: Quoniā dato ita sit, quod inter opus hominis & mercedē, quam accipit homo à Deo, sit secūdū se & simpliciter æqualitas; tamen inter opus hominis, & illam mercedem vt acceptam à tali præmiatore, qui est Deus, nullo modo potest esse æqualitas simpliciter: ergo homo per nullū opus potest mereri apud Deum secundum perfectam iustitiam. Antecedens declaratur simul, & probatur hic à Caietano. Vnde ait, quòd meritum seu opus hominis potest comparari ad ipsam mercedem, quam accipit à Deo, & ad ipsum Deum, siue ad ipsam mercem, quatenus est ab hoc præmiatore, qui est Deus. Quod si opus hominis comparetur ad ipsam mercedem, non est dubium, nisi quod aliquādo *Paralip. 29.* *Isaiæ. 26.*



do est æqualitas simpliciter inter opus & mercedē. Si autem comparetur opus ad mercedem quatenus redditur ab hoc præmiatore, qui est Deus, cum hic præmiator sit huiusmodi, quòd omnia quæ illi reddimus sunt illius, & donata ab illo, & illi aliàs debita; inde fit, vt inter illum & nos, non possit esse æqualitas simpliciter. Tandem probatur: Quoniam mereri aliquid apud Deum ex iustitia perfecta, est constituere illum simpliciter debitorē nostrum: sed est impossibile quod nostris operibus cōstituamus illum debitorem nostrum, vt patet ex Paulo ad Rom. 11. Quis prior dedit illi, & retribuetur ei: ergo, &c.

*Conclus. 2.* Secunda conclusio. Actiones nostræ possunt esse meritoriæ apud Deum alicuius præmij secundum imperfectam iustitiam. Hæc assertio est manifesta: Quia si filius ex iustitia imperfecta potest aliquid mereri apud Patrem, etiam id poterit apud Deum. ¶ Sed hoc loco aduertunt plerique Theologi id, quod S. Thom. hic in litera insinuat, nempe quod hoc meritum secundum iustitiam imperfectam, non potest esse apud Deum, nisi secundum suppositionem diuinæ ordinationis, hoc est præsupposita diuina ordinatione & lege. Pro quare aduerte, quòd operationes nostræ dupliciter possunt considerari: vno modo absolute absque lege Dei, aut vlla eius ordinatione, vel promissione, seu pacto; & sic siue procedant à gratia, siue non, non habent quòd sint meritoriæ de iustitia alicuius præmij specialis: Sunt enim talia opera ipsius Dei, & ipsi Deo debita; & in eo casu non ordinantur ad speciale aliquod præmium; nec est à Deo aliqua lex sancita, seu pactum circa hoc; & ob id non sunt meritoria de iustitia alicuius præmij. Et hinc est, quod etiam existētes in purgatorio nihil merentur apud Deum, quamuis eorum opera procedant à gratia, & libere fiant. Nam illic opera illa ex ordinatione Dei aut pacto, nō sunt ordinata in aliquod præmiū. Altero modo possunt considerari operationes nostræ supposita diuina ordinatione & lege Dei, seu pacto, quo sanciuit quòd viatori sic vel sic operanti, detur tale vel tale præmium speciale. Et hoc modo opera nostra sunt meritoria apud Deum alicuius præmij ex iustitia imperfecta. Nā supposita hac ordinatione & lege, operamur; & opera meritoria licet sint ipsi Dei, & illi aliàs debita; tamen Deus non solum ex sua ordinatione & promissione, sed etiam ex se ipso nobis dedit virtutem, vt per ea opera consequeremur apud illum præmium, tanquam mercedem: Et ob id dicendum est, quod sunt meritoria ex iustitia, iuxta eum modum, quem diximus supra disputat. 1. difficultate. 2. ¶ Rursus aduerte, quòd hoc meritum hominis apud Deum, quod nos appellamus secūdū iustitiam imperfectam, est verum & proprium meritum, quamuis minus perfectum. Vnde, licet hoc meritum vocetur à S. Tho. meritum secundum quid, & non simpliciter, non inde debet colligi, quod est meritum improprium, sed proprium: Quia per meritum simpliciter, solum intelligit S. Thom. meritum secundum perfectam iustitiam, & per meritum secundum quid, meritum minus perfectum, & secundum iustitiam imperfectam. Intendit igitur S. Tho. quòd licet opera nostra non sint meritoria apud Deum alicuius præmij secundum iustitiam perfectam, sed solum secundum iustitiam imperfectam; nihilominus sunt merita secundum veram iustitiā. Quoniam supposita lege Dei, & ordinatione, & cōdignitate hominis iusti existentis in gratia, opera nostra possunt habere veram æqualitatem cum mercede, quam recipimus à Deo: sicut enim filius quamuis plurimum laboret in obsequium patris, nunquā potest reddere patri æquale. Nam Dijs, Parentibus, & Magistris, non possumus reddere æquale, vt commune Philosophorum omnium habet prouerbium; Simpliciter tamen, si obsequitur Patrem, iure naturali verè meretur hoc præmium, quòd alatur & educetur à Patre, & exerceat erga illum pleraque alia bona: Quia inter obsequium, quod præstat filius, & alimentum atque educationem, & alia, quæ tribuit ei pater, est vera æqualitas. Sic ergo licet homo nō possit reddere Deo æquale simpliciter; tamen supposita lege & ordinatione, cum opera nostra sint connaturalia & æqualia mercedi, ex eo quod sunt opera procedētia ex gratia & motione Spiritus Sācti, vere sunt meritoria ex iustitia, alicuius pręmij apud Deum, vt dictum est. ¶ Dices: Mereri apud Deum, licet sit secundum iustitiam imperfectam, cùm illa sit vera iustitia, est facere & constituere illum debitorem verum secundum iustitiam, saltem minus perfectam, seu imperfectam, quod est dicere, supposita lege, ordinatione, & pacto Dei: Sed etiam supposita lege, si Deus homini bene operanti nullum redderet præmium, non fieret illi iniuria: ergo signum est, quòd per opera illius hominis etiam supposita lege non constituitur illi debitor, & per consequēs homo non vere meretur apud Deum, secundum iustitiam illam veram, sed imperfectam. Huic obiectioni, aptius respondebimus art. 3. sequente: Nunc verò paucis respondetur, quòd, quia opera nostra solum sunt meritoria apud Deum de iustitia, supposita illius ordinatione & lege; inde fit, quod per illa opera non efficitur Deus simpliciter debitor nobis, sed sibi ipsi, qui talem statuit & sanciuit legem. Quoniā debitum est, quòd lex ab ipso statuta impleatur. ¶ Si dicas: Deus, nulla ratione potest esse debitor alicui creaturæ: Nam si debet, sibi soli debet, & suæ ordinationi, & non craturæ: ergo nullatenus possumus mereri aliquid apud ipsum. Respondetur, quòd sicut in naturalibus, cum dicimus debitum esse homini, vt habeat duas manus & quinque sensus, &c. illa ratio debiti, potest dupliciter intelligi: Primò in ordine ad Deum, in quantum, scilicet, debetur Deo vt in rebus impleatur id, quod sapientia & voluntas eius ordinauerunt: Secūdò, in ordine ad ipsam creaturam, in quantū vnicuique rei debetur id, ad quod suapte natura ordinatur, tanquam ad propriam perfectionem, & quod est requisitum vt ipsa creatura sit perfecta secundum exigentiam suæ naturæ. Sed hæc secunda ratio debiti pendet ex prima, & oritur ex illa. Nam in tantum debetur creaturæ aliquid, in quantum diuina sapientia ordinauit vt illud haberet; ac proinde, non dicitur Deus debere creaturæ, sed ordini suæ sapientiæ diuinæ, & sibi ipsi, vt optimè ostendit S. Thom. 1. p. quæstione. 21. artic. 1. ad. 3. & libr. 2. contra Gent. capit. 29. Et similiter in supernaturalibus, Deus non dicitur simpliciter debitor creaturæ, sed sibi ipsi, & suæ ordinationi, in quantum iustum & debitum est, vt impleatur diui- *Obiectio.* *Solutio.* *Replica.* *Solutio.*

diuina ordinatio, qua statuit, pro operibus factis ex gratia reddere gloriam. In quo sensu dicitur, quod debet homini operanti, vitam æternam: Et ita debet intelligi, quòd Deus fiat debitor meritis iustorum, quibus reposita est corona iustitiæ, quam reddet illis Deus iustus iudex in illa die, vt dicit Paulus. De qua re lege Driedo. lib. de captiuit, & redẽpt. generis humani, tractatu. 2. cap. 2. p. 3. art. 3. An vero merces & vita æterna, quæ redditur iustis pro suis meritis, reddatur secundum iustitiam cõmutatiuã, vel tantum secundum distributiuam, dicemus inferiùs.

*Driedo.*

*Concl. 3.* TErtia conclusio hoc meritum secundum iustitiam imperfectam, quod potest esse in nobis de facto, debet fieri ab homine existente in gratia, & non ab homine existente in peccato mortali. Hæc est de fide, de qua dicemus inferius. Et sanè, qui est in mortali, est Dei inimicus: ergo opera eius non sunt grata Deo; vt sit hæres vitæ æternæ, & ob id illa opera non ordinantur ad aliquod speciale præmiũ vitæ æternæ ex lege, aut pacto aliquo Dei respectu præmij, quandoquidem sunt opera inimici, & nullam habent condignitatem, aut æqualitatem cum aliqua mercede apud Deum, etiam secundum iustitiam imperfectam. Vnde, licèt homo possit apud alium hominem inimicum mereri aliquid, vt præmium laboris, vt si laboret in agro suo; tamen apud Deum nullum præmium mereri potest præcipuè de iustitia, quandiu est in mortali. Vndè, in Genesi dicitur, quòd respexit Deus ad Abel & ad munera eius. Et ratio differentiæ est aperta: Quia labor meus respectu alterius hominis, vere est alicuius pretij & valoris, & cum non sit alteri homini debitum, tenetur ille alter homo ex iustitia soluere id, quod laborauit in agro suo: Verum tamen, opera facta in peccato mortali, non habent condignitatẽ neque valorẽ respectu æternæ vitæ: Et ob id neque sunt ordinata à Deo ad concedẽdum præmiũ hoc. Præsertim, quia præmium æternæ vitæ, est hæreditas filiorum Dei; qui autem est in mortali, non est filius Dei, & consequenter non dicitur hæres. Verum est, quod quoniã Deus est summè bonus, sæpe sæpius bona opera eorum qui sunt in mortali, remunerat aliquibus bonis tẽporalibus: sed illud non est, quia homo tunc propriè loquendo talia bona opera temporalia mereatur, sed ex pura Dei liberalitate & misericordia. Quocirca, quod dicunt aliqui Theologi. 1. 2. q. 21. art. 4. quòd in vniuersum est verum, omne opus bonum liberum, etiam illius, qui est in mortali, esse meritorium alicuius boni temporalis; debet intelligi de merito largissimè, appellãdo meritum, id, quod Deus ex sua liberalitate confert. Quoniã si loquamur propriè de merito, nullum sibi meretur peccator in mortali bonum temporale per sua opera, licet verũ sit, bona opera moralia peccatoris deseruire ad multa alia bona ipsius peccatoris; De qua re infra dicemus. Propter quæ bona, cõsulendi sunt peccatores, ne illa opera bona omittant, aut relinquant.

*Concluſ. 4.* QVarta conclusio, quamuis homo, qui est extra gratiã Dei, modò nihil mereatur apud Deũ; tamen si esset homo sine gratia in statu naturæ integræ cũ sola iustitia, aut dono aliquo integrante naturã, vel si crearet Deus hominem in puris naturalibus, videtur quòd ille homo posset ex iustitia imperfecta mereri apud Deum aliquod præmium, non quidem supernaturale, sed naturale: verbi gratia, posset mereri fælicitatẽ naturalem. Et patet: Nam ob id peccator nõ potest aliquid mereri apud Deum, quia habet impedimentum ex parte personæ, scilicet peccatũ mortale: sed in statu naturæ integræ etiam sine gratia, & in puris naturalibus non haberet homo impedimentum istud ex parte personæ: quia licet homo in illis statibus non esset Deo gratus, tamen non esset ingratus: ergo vere posset mereri aliquod præmiũ apud Deũ. Probatur consequentia: Quia communiter dicunt Theologi. 1. 2. q. 21. art. 4. omnem actum bonum moraliter, desse esse dignum aliquo præmio, & desse esse meritorium apud Deum, nisi sit impedimentum ex parte personæ. Et sanè, operà bona moralia præcisè, quandoquidem sunt opera Dei, & illi aliàs debita, non possunt esse apud Deum meritoria alicuius præmij ex iustitia; nisi ex diuina ordinatione, lege, seu pacto, sint ordinata ad consequutionem illius præmij promissi: sed credibile valde est, quòd si homo aliquis in solo statu naturæ integræ sine gratia, aut in puris naturalibus, perseueraret, quòd Deus sua lege ordinaret opera bona moralia illius specialiter ad consequutionem alicuius boni naturalis: ergo illa opera bona moralia, dicerentur tunc meritoria boni naturalis. Verum est tamen, quòd quia isti status hominis sunt concepti, & imaginantur à nobis, vt possibiles, & non quia modo sint de facto; idcirco dicemus, quòd extra statum gratiæ non est alius status, nisi status peccati de facto, in quo statu nihil meretur homo apud Deũ; sed nihilominus si tales status naturæ integræ & in puris naturalibus darentur, valde rationabile est, quod diximus de merito in illis statibus.

Ad rationem dubitandi initio disputationis posi tam, respondet S. Th. hic ad. 2. quòd Deus ex nostris operibus non quærit vtilitatem suam, sed manifestationem suæ bonitatis. Vnde, cũ hoc intendat Deus, meremur aliquid à Deo, non quòd ei accrescat aliquid ex nostris operibus, sed meremur in quantum propter eius gloriã operamur. Itaq;, licet opera nostra non cedãt in vtilitatẽ Dei, cedũt tamẽ in illius honorẽ, & in illius gloriã, idest manifestationẽ suæ bonitatis, quod etiam ex suis operibus quærit Deus; & hoc sufficit, vt per illa opera mereamur apud Deum: meremur enim ob id quòd propter Dei gloriam operamur, vt S. Thom. dicit in litera.

## DISPVTATIO III.

### *Vtrùm meritum pertineat ad iustitiam commutatiuam, vel distributiuam?*

HEc disputatio pertinet ad hunc articulũ, & partim ad tertiũ articulũ sequentẽ. Vndè, difficultas hęc eo loci cõsũmabitur, & hic sumet initiũ. Quæritur ergo, Cuius virtutis iustitiæ sit actus, meritum ipsum? Vtrũ præmiũ debeatur merito secundũ iustitiã commutatiuã, vel secũdũ distributiuã? Et pro expositione tituli aduerto, quòd iustitia cõmutatiua consistit in æqualitate Arithmetica, quæ est æqualitas rei ad rem, vt si accipio decem, do decem; iustitia autem distributiua cõsistit in æqualitate Geometrica, quæ est æqualitas proportionis ad proportionem, ita vt talis sit proportio præmij ad præmiũ, qualis est meriti ad meritum; seruatur autem hæc æqualitas proportionum, quando vnusquisq; tãtum recipit, quãtum est sua dignitas, & nõ quantũ recipit, qui dat.

*Durand. & Thom.* Quo suppposito, Durand. in. 2. d. 27. q. 2. & S. Tho. 2. 2. q. 61. art. 4. ad. 1. & in. 4. d. 46. q. 1. art. 1. dicunt, quòd redditio, qua Deus reddit præmiũ pro meritis, pertinet ad iustitiam commutatiuam, & non ad distributiuam. Quare Sanct. Thom. 2. 2. loco citato, dicit, quòd forma diuini iudicij, attenditur secundum formam iustitiæ commutatiuæ, prout, scilicet, recõpensat præmia meritis, & pœnas peccatis; & ibi. q. 108. artic. 2. ad. 1. ait, quòd vindicatio peccatorum, est actus iustitiæ commutatiuæ. Sotus. 3. de iustitia & iure, quæst. 5. artic. 4. ad. 1. dicit, quòd in punitione saluatur simpliciter iustitia commutatiua, nõ verò distributiua, nisi fortè secundariò & peraccidẽs: In redditione verò præmij è contra. Pro quo extat illud Apocalyp. 18. Quantum glorificauit se, & in delicijs fuit, tantum date ei tormentum, &c. Et Capreol. in. 2. distinct. 27. dicit, quòd in redditione præmij seruatur iustitia commutatiua: Quia opera nostra, vt procedunt à gratia & motione Spiritus sancti, sunt æqualia gloriæ. Imò verò inquit Durandus, quòd quotiescunque aliquis benè meretur de Republica, aut de principe, & confertur illi præmium pro tali seruitio, illud pertinet ad iustitiam commutatiuam, & non ad distributiuã. Putat enim Durand. quòd quandocunque aliquid datur per iustitiam distributiuam, ibi neque est ratio præmij, nec meriti; atque ita quòd quando est ratio præmij & meriti, tunc illud pertinet ad iustitiam commutatiuam.

*Sotus.*

*Apocal. 18. Capreol.*

*Argument. primum.* ¶Probat Durand. hanc sententiam. Primò: Iustitia distributiua, non respicit ad opera personarum, sed solum dignitatem personæ, & si respicit opera, est quatenus faciunt ad dignitatem personæ, verbi gratia, quando distribuuntur bona communia personis priuatis, tunc quantò persona dignior est, & maiorem habet principalitatem in communitate, tanto plura recipit de bonis communibus: Sed in retributione mercedis pro merito, principaliter habetur respectus ad opera, non autem ad conditionem personarum, nisi quatenus conditio personarum facit distinctionem operum: ergo distributio mercedis pro merito, non pertinet ad iustitiam distributiuam, sed commutatiuam. Probatur minor: Quoniam sicut quando quis conducit operarios in vineam suam, soluendo illis mercedem, non respicit dignitatem, sed opus; ita etiam quotiescunq; respublica, aut princeps confert præmium pro seruicio, respicit ipsum opus: & idem facit Deus in retributione mercedis. Quod patet ex Parabola conducentis operarios in vineam suam, & ex illo Matthæi. 25. Venite benedicti Patris mei, percipite regnum: Quia esuriui, & dedistis mihi manducare, &c. Et ita Paul. inquit, quòd recipit vnusquisq; prout gessit in corpore.

*Matth. 25.*

*Secundum.* ¶ Secundò probatur. Quoniam iustitia distributiua, non respicit proportionem, quæ est inter donantem & accipientem, sed proportionem recipientium, vt scilicet, quantò quis maiorem principalitatem habet in communitate, tantò plus de bonis communibus recipiet; sed in retributione mercedis pro meritis, non respicitur principaliter proportio, quæ est inter ipsos recipiẽtes, sed potius proportio, quæ est inter dantem & accipientem: ergo talis retributio non pertinet ad iustitiam distributiuam. Minor probatur: Quia ita videtur hic dicere Sanct. Thom. ait enim, quòd hominis ad Deum non potest esse iustitia secundum absolutam æqualitatem, sed secundum proportionem quandam; & explicãs proportionem, dicit; In quantum scilicet, vterq; operatur secundum modũ suum. Vbi insinuat, proportionem, quæ seruatur in iustitia inter nos & Deum, esse proportionem inter modum, quo Deus operatur, & modũ, quo nos operamur. Quod est dicere, quòd proportio quæ attenditur, est inter dantem & accipientẽ. ¶ Tertiò proba tur. Quia licèt non seruetur iustitia rigorosa in merito respectu præmij; seruatur tamẽ æqualitas rei ad rem. Quoniam sine respectu vnius ad alterum, vnicuiq; datur præmium æquale suis meritis, ae si non essent alij; vt patet ex Paulo iam citato. 2. Corinth. 3. Vnusquisque propriam mercedem accipiet prout gessit. ¶ Tandem, totum negotium Durandi, maximè consistit in prima ratione: Quia videlicet in ipsa iustitia distributiua, vt dictum est, potius habetur ratio personarum, quam operum, sed hic è cõtra, potius considerãtur opera, quam personæ: ergo intentum. ¶ Et confirmatur: Quia si quis promittat dare decẽ pro aliquo opere, tenetur reddere decẽ, non tantũ ex debito promissionis & fidelitatis, sed etiam ex debito iustitiæ: sed Deus promisit hominibus præmia pro bonis operibus: ergo nõ tantũ ex debito fidelitatis aut promissionis, tenetur reddere præmia pro bonis operibus, sed etiã ex debito iustitiæ: ergo est vera iustitia inter Deum & homines; Quod sanè videtur docuisse D. Aug. de verb. Apost. hom. 19. & Psalm. 109. Vbi ait; Deus ex promissione debitor factus est nobis, ita vt cũ fiducia possimus ad Dominũ nostrũ accedere, dicẽtes; Domine adimple, quod promisisti; quoniã fecimus quod iussisti. ¶ Et confirmatur iterũ: Quia iustus est filius Dei adoptiuus: ergo habet ius ad Patrẽ: ergo saltẽ est vera iustitia inter Deum & homines, qualis est illa, quæ est inter Patrẽ & filium. Vndè, Deus dicitur iudex & iustus iudex respectu hominũ: ergo est in Deo vera & propria iustitia in ordine ad nos. Ita Paul. 2. ad Tim. 4. De reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi iustus iudex in illa die.

*Tertium.*

*2. Corint. 3.*

*Quartum.*

*Confirm. 1.*

*D. Augst.*

*Confirm. 2.*

*2. Timot. 4.*

Bartho. Medin. in commen. huius art. & Vict. putãt, quòd si opera meritoria cõsiderentur quatenus procedũt à libero arbitrio, sic redditio præmij, habet rationẽ iustitiæ distributiuæ: Si verò cõsiderẽtur vt procedũt à gratia, & ex virtute meritorũ Christi; sic redditio præmij pertinet ad iustitiã cõmutatiuã: Quia inter meritũ ex gratia procedẽs, & præmiũ, nõ tãtũ est æqualitas proportionis, sed æqualitas in quantitate, vt S. Tho. dicit art. 3. sequẽ. Sed profectò hæc solutio non satisfacit. Quia opera nostra primo modo considerata quatenus procedũt à nobis, & à nostro arbitrio, non habent rationem meriti, neque proportionem cum vita æterna, vt idẽ Barth. Medi. concedit in hoc art. respõdens ad argumẽta Luthe ri: Quo pacto explicatur illud Lucæ. 17. Cũ feceritis hæc omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite, Serui

*Medina.*

*Lucæ. 17.*

*Rom.8.* inutiles sumus: Et illud ad Rom.8. Non sunt condignæ passiones huius vitæ, &c.

*Caietanus.* Caietanus.2.2.q.61.art.4.ait, quòd inter Deum & hominem nullo modo potest esse iustitia commutatiua, & multò minus, quàm inter dominũ & seruũ. Quia Deus nihil non suum accipit à nobis, vt teneatur reddere.

*Not.1.* Pro explicatione huius difficultatis aduerte primò, quòd in ipso merito, quatuor concurrunt, nẽpe persona, quæ meretur, ipsum meritum, merces, & persona reddẽs mercedem. Et ordo ad hæc omnia, exigitur ad rationem meriti. Nam meritum debet esse alicuius vt merentis, & alicuius vt debitæ mercedis, & ad aliquem redditorem mercedis: Quia frustra aliquis operaretur & laboraret pro mercede à nullo habenda: Quoniam exhibitio meriti, & redditio mercedis pro eo, sunt actus ad alterum secundum æqualitatem rei ad rem, hoc est, meriti ad mercedem, & è contra: Et ob id, ad rationem meriti exigitur ratio iusti, quàuis hæc sola non sufficiat: Nam plus requiritur ad rationem meriti, cùm ratio iusti & debiti reperiantur in alijs rebus sine libero arbitrio. Nam iustum est homini vt habeat oculos, & iustum est grauibus & leuibus vt sint in suis locis, & hæc dicuntur debita illis; Veruntamen ad rationem meriti, requiritur voluntarium & liberum, vt suprà diximus. Et quia iustum, necessariò est inter duos, & ad diuersos diuersimodè; idcirco ratio meriti ex ratione iusti & voluntarij ad alterum, & ordinis ad alterum consurgit & integratur. Et quoniam Deus nulli potest esse debitor nisi sibi; idcirco, sicut in rebus naturalibus dando oculos homini, & centrum grauibus, dat debita rebus ex ordinatione sua, & cõsequenter per hoc quasi sibi ipsi soluit debitum; sic ibi est ratio iusti, vt S. Thom. fusè ostendit.2. contra Gen.cap.29. Et quoniam redditor mercedis debitor est; idcirco, in redditione mercedis debitæ merito humano, Deus non aliter potest constitui debitor, nisi quatenus ab ipso Deo supponitur actus ille meritorius ordinatus ad consequendum mercedem: Sic enim Deus constituitur debitor sibi ipsi, & reddendo nobis mercedem, suæ satisfacit ordinationi. Quare, Pater familias redditurus mercedem operarijs vineæ, priùs conduxit eos promissione facta de mercede per se ipsum. Vnde, propter hoc S.Tho. in litera in dicit, ex præordinatione diuina actũ meritoriũ habere, quòd respiciat Deum vt debitorẽ.

*Not.2.* Secundò aduerte, quòd sicut satisfactionis sunt plures gradus, ita & meriti; Primus est de summo rigore iustitiæ, quando ille qui verbi gratia offendit, obligat personam offensam ad remissionem culpę, & totius pœnæ offerendo ex proprijs & aliàs indebitis, recompẽsationem omnino æqualem iniuriæ; & meritò quidẽ omnes istæ conditiones requiruntur: Quia tunc proceditur secundum rigorem iustitiæ, quando nulla interuenit gratuita condonatio, quę sanè interueniret, si vel persona offensa accepta ret satisfactionem quando non tenetur, vel si acceptaret loco satisfactionis rem aliàs sibi debitam, aut si admittat satisfactionem minorem debito. Secundus gradus est de rigore iustitiæ, quãdo fit ad æqualitatem ex proprijs nõ debitis; ita tamen vt nõ obliget personam offensam ad acceptãdum talem satisfactionem. Tertius est ad æqualitatem, quando redditur æqualis recompensatio, sed nõ ex proprijs & aliàs indebitis. Dicitur autem indebitum, quod nõ est debitum, id est, quod non est sub præcepto, sed tantum sub consilio. Sic etiã loqui possumus distinguendo diuersos gradus in ipso merito. Vndè, quod attinet ad rigorem iustitiæ cõmutatiuæ, requiritur primò, quòd qui aliquod bonum accepit, nõ minus det, quam accepit, sed æquale vel maius; & qui malum passus est nõ plus, sed æquale, vel minus rependat. Secundò requiritur, quòd qui aliquid boni accepit, reddat ex proprijs, & non aliàs debitis. Vnde *Aristo.* 5.Ethicor.cap.6. hac ratione inter seruum & dominũ, dicitur non esse iustitia. Tertiò requiritur, quòd non sit etiam proprium eius, cui datur; sed fiat proprium per ipsam commutationem. Nam si alicuius boni tam dans, quàm accipiens sit dominus in solidum, non erit inter ipsos rigorosa iustitia. In merito igitur Christi seruantur duæ conditiones priores. Nam non minus fuit eius obsequium, imò maius quàm præmium, & fuit ex proprijs & indebitis Patri, in quantum Christus erat Deus: Quia vt sic erat absolutus dominus propriorum actuum, neq; quicquam debebat Patri, & secundum has conditiones fuit rigorosissima iustitia in Christo. Tertia tamen conditio habet aliqualem difficultatẽ propter Scotum nõ bene loquentem, cùm putauerit, Christum nõ meruisse de toto rigore iustitiæ. Nam Pater erat absolutus dominus actionis humanæ, quam habuit Christus, & debebatur sibi à Christo in quantum homo, vt fatetur Bartholom.Medina.3.p.q.1.art.2. *Medina.* & per commutationem, neque ea quæ erant Patris subducta fuerunt ab eius dominio, neq; ea quę erãt filij, extracta sunt ab eius dominio, & trãsierunt in dominium Patris. Vnde, propter hoc, difficultatem habet tertia hæc conditio. Veruntamẽ, huius rei explanatio ad alium pertinet locum, nẽpe ad tertiam partem, vbi constitutissimum est ex sententia Sanctis. Præceptoris & nostra, Christũ meruisse de toto rigore iustitiæ, quo loco hæc res explanabitur à nobis fusè, & art.3. sequenti nonnulla dicemus.

*Conclus.* His ergo ita prælibatis, est prima conclusio. Si sit sermo de hominibus in ordine ad Deum, & de merito puri hominis, nulla prędictarum cõditionum rigorosi meriti saluatur, nisi fortè quòd merita & obsequia nostra sunt æqualia alicui gradui gloriæ; non tantum æqualitate proportionis, sed etiam quantitatis; De quo postea disputabitur. Probatur: Quia non damus aliquid ex proprijs nobis, & alienis Deo, neque quæ erant in nostro dominio, transeunt nunc in dominium Dei, aut quæ in dominio Dei, transeunt in dominium nostrum: semper namque Deus est absolutus dominus nostrorum meritorum, & præmiorum: nostra item obsequia omnia debentur Deo si illa velit exigere, quia sua sunt. Quapropter, Lucæ.17. dicitur; Cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite, Serui inutiles sumus. Sed de hac conclusione redibit sermo iterum art.3. sequenti. *Luc.17.*

*Concl.2.* Secunda conclusio. Præmium ex Dei ordinatione promissum, debetur meritis tam ex iustitia commutatiua, quàm distributiua. Ita sentit Caietan.2.2. quæstione.61. articulo quarto. Ferrar.1. contra Gent. capit.92. Imò verò hæc est sententia Diui Thomæ, quòd in redditione præmij pro meritis ex Dei ordinatione, reperitur vtraq; iustitia tam commutatiua quam distributiua. Et hoc etiã insinuat idem S.Tho.1.p.q.21.ar.1.& in.1.d.27. q.vnic.ar.3.&.4.& Henric.in summa ar.46.q.2. Nam profectò, licèt Aristot.5.Ethicor.cap.6.& lib.8.cap. 14.dicat, filij ad Patrem & serui ad Dominum non esse commutatiuam iustitiam; tamen loquitur de rigorosa iustitia, & quando nõ interuenit promissio: Deus autem sua promissione se obligauit ad reddendum prędmium æquale meritis, & ad seruandam proportionem inter præmia & merita, iuxta illud quod Paul. dicit.2.Corinth.9. Qui parcè seminat, parcè & metet. *Thom. Henric. Aristot.* *Corinth.9.*

Profectò, in remuneratione iustorũ, Deus seruat cõmutatiuam iustitiam, quantùm ad hoc quòd reddit quantum debetur meritis secundum æqualitatẽ iustitiæ. Vndè, redditio præmij pro meritis, appellatur merces in Sacra scriptura. De hac assertione nos multa diximus.1.p.q.21.art.1.disput.1. vbi diximus, quòd licèt creatura non possit reddere æquale Deo simpliciter; potest tamen reddere Deo æquale sibi possibile secundum paruitatem suæ potentiæ. Nam sicut Deus reddit creaturis secũdum excellentiam suæ potentiæ abundanter & splendide, ita creatura reddit Deo, quod est sibi possibile, & proportionale; In malis autẽ & in supplicijs, Deus tantũ tribuit de supplicio, quanta est culpa, iuxta illud, Quãtùm se glorificauit, tãtum date ei de tormento. ¶ Et quãuis ex parte nostra non sit propria aut rigorosa iustitia commutatiua cum Deo; tamen ex parte Dei in multis seruatur iustitia cõmutatiua; Quoniam pro obsequijs nostris reddit ipse ex proprijs & aliàs indebitis, non minus, imò plus, quã sint obsequia; pro peccatis verò rependit non plus, sed minus quam fuerit iniuria, iuxta Theologorũ proloquium, Deus punit citra condignum, & præmiat vltra condignum. Hoc etiam probant argumenta Durandi facta in principio disputationis.

Quòd verò seruetur iustitia distributiua; Imo verò quòd magis seruetur iustitia distributiua, quam cõmutatiua, patet: Quia Deus nõ solùm reddit præmium quantum satis esset secundum cõmutatiuam iustitiam, sed reddit amplius Lucæ.6. Mensuram bonam, & cõfertam, & coagitatam, & supereffluentẽ, dabunt in sinum vestrũ. Et hoc sibi volunt Theologi communiter dicentes, quòd Deus præmiat vltra condignũ, & punit citra. Et quòd ratio distributiuę iustitiæ perfectè seruetur ibi, declaratur & probatur: Quoniã qualis est proportio inter merita iustorum ad inuicem cõparata, talis est omnino inter eadem præmia; & in hac proportione cõsistit ratio distributiuæ iustitiæ, quæ verè seruatur in redditione præmiorum pro meritis, in quantũ non solũ reddit Deus æquale ꝓ obsequio, sed maius, & pro peccato reddit minus, & semper seruata certa proportione. Nã sumptis duobus hominibus, quæ proportio est inter ipsorũ merita vel demerita, eadem erit inter ipsorũ prędmia, vel supplicia; ita tamen vt in prędmio donet vltra condignũ, & in punitione puniat citra. Propter quam causam S.Tho.1.p.q.21.ar.1.& Caiet. ibi, & in.2.d.27.q.1.ar.3. & in.4.dist.46.q.1.ar.1.quæstiunc.1. Capreol.in.1.d.45.artic.1. Durand.in.4.d.46. q.1. Dionys. Richel.q.1.2.&.3. D.Bonau. Ricardus, & alij dicunt, quòd Deus in redditione præmij & supplicij, magis seruat modũ iustitiæ distributiuæ, quã cõmutatiuæ. Quod præsertim habet verũ, si merita nostra nõ habẽt æqualitatem quantitatiuã, sed proportionalem cum præmio, de quo postea dicemus: ergo vtraque ratio iustitiæ videtur interuenire hic, licet Caiet. & Ferrar. locis citatis, distributiuã simpliciter hic reperiri dicant, cõmutatiuam autem quasi secundum quid: vtraque enim videtur per se intenta. Quoniam vnicuique per se promittitur merces condigna suis operibus. *Caietanus. Ferrar.* *Thom. Caietan. Capreolus. Durand. Dionys. Richel. D.Bonau. Ricardus.*

Tandem quòd non ita propriè ad cõmutatiuam, sicut ad distributiuã iusticiã pertineat illa redditio præmiorum, fusè ostendimus.1.p.q.21.ar.1. disputat. 1. Et probatur rursus ex ratione & natura iustitiæ. Nam cõmutatiua iustitia, cùm respiciat æqualitatẽ rei ad rem, nõ potest propriè reperiri in aliquo, nisi sit perfecta & absoluta æqualitas inter rem datam & acceptam. Quia si solũ reperiretur æqualitas suppositа liberalitate dantis; tunc non est perfecta iustitia cõmutatiua: Nam inter filium & Patrem, quia non potest reperiri æqualitas simpliciter, non reperitur propriè in rigore iustitia commutatiua, sed solùm pietas: sed inter nos & Deum non potest reperiri perfecta & absoluta æqualitas; quandoquidem ipse nihil accipit à nobis, & cùm facimus aliquid propter ipsius honorem, omnia sunt sua & illi aliàs debita: ergo inter nos & Deum, non solùm non est perfectè, sed etiam nec propriè & in rigore iustitia commutatiua. Restat ergo vt redditio prædmiorum, quæ fit à Deo, pertineat propriè ad iustitiam distributiuã, & quòd principaliùs ad distributiuam, quã ad cõmutatiuam: Tum, quoniã principalius attenditur dignitas subiecti, & merita cõsiderantur omnia quatenus ex illis crescit dignitas subiecti. Nam ob hanc causam appellatur beatitudo in Scriptura, corona & brauium, quę sunt nomina pertinẽtia ad rationẽ iustitiæ distributiuæ. Tum etiã, quia in reddẽdis prædmijs, vt frequẽter docet S.Tho. Deus magis habet rationẽ distribuẽtis, quàm cõmutantis. Nam profectò de ratione iustitiæ distributiuæ non est æqualitas rei ad rem, sed solũ est æqualitas proportionũ, ita quòd vnicuiq; tribuatur secundũ dignitatẽ suã: Sic enim seruatur æqualis proportio prædmij ad prædmiũ, & meriti ad meritũ: sed hoc Deus maximè obseruat in redditione prędmiorum pro meritis, reddens vnicuiq; secundum dignitatẽ suam. Vnde, si respicit merita & opera recipientiũ, est quatenus faciunt dignã, magis vel minus, ipsam personã recipientẽ: ergo verissimè & proprijssimè hoc pertinet ad iustitiã distributiuã. ¶ Verum est, quòd inter nos & Deũ non reperitur ita restrictè & perfectè distributiua iustitia, sicut inter homines: Quia inter homines iustitia distributiua respicit simpliciter bona communia, quæ sunt distribuenda necessariò inter personas particulares; bona autem diuina, non sunt simpliciter bona communia, sed facta sunt communia pro omnibus: Quia Deus sua voluntate voluit facere illa communia. Rursus: Iustitia distributiua inter homines, quãuis nõ respiciat simpliciter debitũ; tamen respicit debitũ hoc modo, q; nisi distribuere tur secundũ dignitatẽ personarũ, fieret iniuria ipsis personis. Verbi gratia, si quis vult distribuere bona sua in ciues, quamuis illa bona non sint simpliciter debita ciuibus; tamen iam quòd illa distribuit, sunt

debita hoc modo, quòd debet illa distribuere secũdum vniuscuiusque dignitatem; aliàs fieret illis iniuria. In Deo autem nõ sic est: Quoniam Deus non solum sua voluntate vult nobis distribuere bona sua, sed etiam si illa non distribueret, sicut modo distribuit; nulli faceret iniuriam: ergo non ita strictè accipitur iustitia distributiua inter nos & Deum, sicut inter homines.

Verùm, quamuis ea iustitia, quę inter nos & Deũ reperitur, magis propriè dicatur distributiua, & minus propriè commutatiua, quia inter nos & Deum non est perfecta æqualitas, quod requiritur ad commutatiuã, licèt reperiatur redditio mercedis, iuxta vniuscuiusque dignitatem, quod pertinet propriè ad distributiuam iustitiam; tamen rigorosa iustitia distributiua non reperitur secundum omnem rigorem inter Deum & hominem; & hoc est quod voluit Durand. locis citatis. Quoniam iustitia distributiua fundatur in debito, iuxta quod ille qui distribuit communia bona, tenetur reddere ciuibus secundum dignitatem, & secũdum merita: sed Deus non est debitor neq; potest esse debitor respectu hominum: Quia cũ distribuit ista dona & charismata rebus pro diuersa dignitate rerum; id quidem facit, sed non ex debito aliquo præcedente: ergo in toto rigore, iustitia distributiua rigorosa non reperitur inter homines & Deum: Nam profectò, ex mera liberalitate donat hæc Deus hominibus: ergo illa distributio ad liberalitatem pertinet, nõ ad iustitiam. Nam iustitia inuoluit debitum. Plura argumẽta ad rem hanc ostendendam. 1.p.q.21.artic.1. disputat.1. concluſ.3. congessimus, quæ eò loci sunt videnda. ¶Sed huic argumento respondent nõnulli Theologi, quòd simpliciter debitum, est de ratione iustitiæ commutatiuæ; & quòd ob id, vbi nõ est simpliciter debitum, nõ est propriè iustitia commutatiua: Sed tamen de ratione iustitiæ distributiuæ non est debitum simpliciter, sed debitum secũdum quid, & hoc sufficit ad hoc quòd propriè sit iustitia distributiua. Quia Deus saltem debet secundũ quid dare ex bonis suis vnicuiq; secundũ opera sua, suæ legi & suæ promissioni. Hoc insinuat. S. Thom. 1.p. loco citato, vbi distributiuam iustitiam translatam ad Deum, dicit nõ esse rigorosam iustitiam, quamuis habeat verum modum iustitiæ, & vocari condecentiam diuinæ bonitatis. Sed profectò, eadem.q.21. allegata art. 1. ex sentẽtia D. Dionys. 8. & 9. cap. de Diuinis nominib. dicit, in hoc veram Dei esse iustitiam, quòd omnibus tribuit propria secũdum vniuscuiusq; existẽtium dignitatẽ & vniuscuiusq; naturã, & vniuscuiusq; naturam in proprio ordine & virtute saluare.

*Matth.20. Obiectio.* Sed obijcies illud Matth.20. vbi Christus æquale præmium dedit his, qui minori tempore laborauerunt in vinea: ergo nõ seruatur iustitia cõmutatiua, neq; distributiua, cùm non seruetur æqualitas quantitatis, vel proportionis. Dices, quòd habuerunt maiorem conatum & charitatẽ, & quòd ob id minori tempore plus meruerunt. Contra: Cur ergo non respondit hoc Christus ad querimonias eorum, qui plus laborauerant, vt sedaret eos, sed dixit, An non licet mihi quod volo facere? An oculus tuus nequã est, quia ego bonus sum? Quibus verbis insinuare videtur quòd ex sua liberalitate vltra quantitatem & proportionem meriti præmiat aliquos, ita vt nõ sit proportionalitas inter merita & præmia. ¶Respondetur, quòd liberalitas illa Christi illis verbis significata, An non licet mihi quod volo facere? non est referenda ad collationem præmij secundum se, sed secundum radicem: Quia cum illis, qui minoritem pore laborauerunt, fuit magis liberalis, conferens eis plura auxilia, vt minori tempore nõ minus quã alij meruissent. Turrianus, opusculo de diuina electione, hunc sensum tribuit verbis illis Christi ex Matthęo citatis, vt sit sensus, An nõ licet mihi quod volo facere, cũ sit iustum, cur oculus vester erit iniquus, & iniustus, me existẽte bono & iusto, & recte præmia distribuẽte iuxta cuiuscumq; meritum? Secundum quam expositionem in illis verbis vera & sola iustitia insinuatur. Plures solutiones sõlẽt addu cere alij Theologi, quas omnes adducit Bartholo. Medina. 1.2.q.5.art.2. & eo loco Thomistæ cum eo.

*Solutio.* *Medina. Conclus.3.*

TErtia concluſio. Etiam meritum inter homines inuentum, quo quis apud aliquem meretur, & ipsa redditio mercedis pro tali merito, possunt pertinere ad iustitiã distributiuã. Quare falsissimum est, quod Durãdus putauit, nẽpe, quòd quotiescunq; inter homines est ratio meriti & præmij, illud pertinet ad iustitiã solum cõmutatiuam. Pro qua re aduerte, quòd si quis mereatur apud aliquem, & tale meritũ non procedit ex amicitia, quã habet ad ipsum, apud quem meretur; tunc sanè tale meritum pertinet ad cõmutatiuam iustitiã, vt quando quis locat opera sua, ius acquirit ęqualis mercedis, vt scilicet, soluatur ei tãtum quãtum laborauit; & hoc pertinet ad cõmutatiuam iustitiam: Quia hic solum pensatur ęqualitas rei ad rem, scilicet laboris ad mercedẽ, siue talis labor fiat ex bona, siue ex mala intentione. Quando verò quis meretur apud aliquem, & meritum procedit ex amicitia, vt quando quis dicitur benè mereri de amico, aut de Republica, aut de Principe; tunc tale meritum & redditio mercedis pro tali merito, pertinet ad iustitiã distributiuã. Et probatur: Quia tunc primò & per se non pensatur æqualitas rei ad rem, sed potiùs dignitas personarum: ergo, &c. Patet antecedens: Quoniam cùm quis ex amore deseruit amico, aut Reipublicę, aut Principi, ad remunerandum talia seruitia, nulla ratio habetur æqualitatis rei ad rem, sed vnicuique exhibetur præmium secũdum dignitatem personæ. Vnde, licet tũc persona sit digna maiori vel minori præmio, quia exhibuit maiora vel minora seruitia; tamen nõ primò & per se respicitur tũc ad seruitia, sed ad dignitatẽ personæ; & ex cõsequenti ad seruitia quatenus faciunt magis vel minus dignã personã. ¶Quòd si quis dicat pro Durando: Iustitia distributiua respicit proportionẽ recipiẽtium, vt qualis est proportio dignitatis recipientiũ, talis sit proportio præmiorum: sed potest contingere, quòd qui de amico bene meretur, vel de Republica, sit duntaxat vnus, & tunc si quæ proportio seruatur, illa est inter donantem & accipientem; non autem inter plures accipientes: ergo tunc meritum & redditio mercedis pro illo, pertinent ad iustitiam commutatiuam, & non ad distributiuam. ¶Ad hoc respondetur, quòd per accidẽs est quòd ille, qui de amico benè meretur, aut de Republica, sit vnus duntaxat, vel plures: Quia satis est ad iustitiam distributiuam, quòd non respiciatur primò & per se, nisi ad dignitatem

*Obiectio.* *Ad argum. Durandi.* *Ad primũ.* *Solutio.* *Ad secundũ.*



dignitatem personæ. Nam dato quòd sit sola vnica persona illa, quæ remuneratur; tamen virtualiter seruatur proportio inter accipientes: Quia si plures essent benè meriti de amico, iuxta proportionem dignitatis ipsorum, præmiarentur ab amico.

*Concluſ. 4.* QVarta concluſio. Quamuis Deus propriè nulli creaturę obligetur, & ex consequenti nõ sit propriè debitor respectu alicuius; nihilominus negari non potest, quòd in merito quo apud Deum meremur, seruetur quidam modus iustitiæ commutatiuæ, vt etiam explicatum est concluſ. 2. & multo melius, & fusius explicabitur disputatione. 4. sequenti. Hæc concluſio duas habet partes; Prima est, Deum propriè nulli creaturæ obligari, & ex consequenti non esse debitorem propriè respectu alicuius. Et hæc pars certissima & euidentissima est, non solum apud Christianos Philosophos & Theologos, verum etiam in Philosophia morali. Et probatur: Quia debitor in quantum debitor, est inferior creditore, & aliquo modo illi subijcitur, & consequenter habet superiorem cui obligetur: sed Deus nulli subijcitur, & est super omnia, nam non habet superiorem: ergo neque potest esse debitor creaturæ, neque alicui propriè obligari. Rursus: Debitor non persoluens debitum, iniuriam facit creditori: sed Deus nulli facit iniuriam, neque facere potest: ergo nullius creaturæ est debitor. Probatur minor: Quia cùm omnium sit Deus Dominus absolutus, nulli potest irrogare iniuriam. Imò verò dicunt Theologi, quòd si Deus repelleret vniuersos beatos à beatitudine, nemini irrogaret iniuriam: stat ergo firma sententia, quòd cùm Deus sit absolutè Dominus totius vniuersi, omnibus absolutè consideratis, simpliciter colligitur, Deum non posse esse debitorem alicuius creaturæ. Imò verò, si esset obligatus creaturis, neque haberet plenarium dominium creaturarum, neque bonorum omnium, neque esset sui iuris, aut perfectè liber, sed debitor alicuius creaturæ: ergo, &c.

Secunda pars huius concluſionis est D. Tho. plerisque locis supra citatis, præsertim. 2.2. quæst. 61. art. 4. ad. 1. Itaque Deus, quando remunerat hominum merita, vtramque iustitiam seruat, scilicet, commutatiuam, & distributiuam: sed quòd seruet modum commutatiuæ, liquet: Quia Deus tantum tribuit de præmio, quantùm creatura reddit de merito, & tantum recipit de supplicio & pœna, quanta est culpa secundum diuinam ordinationem: ergo. ¶Pro intelligentia huius secundæ partis lege disputationem quartam immediate sequentem, sine qua hæc secunda concluſionis pars non potest intelligi.

AD argumenta omnia facile respondetur ex his quæ diximus in discursu huius disputationis, tàm in fundamentis quàm in concluſionibus, & ex his quæ diximus. 1.p.quæst.21. artic. 1. disput. 1. in solutionibus argumentorum. Sed nihilominus ad argumenta Durandi facile respondetur; Ad primum iam patet, quòd si Deus respicit ad opera, illud est quatenus faciunt magis vel minus dignam personam. Vnde, de Abel cum obtulit sacrificia Domino, Scriptura dixit, Respexit Dominus ad Abel; & posterius subiungit; Et ad munera eius. ¶Ad secundum negatur minor: Et ad probationem dico, quòd in illis verbis non negat S. Thom. quòd in iustitia distributiua, qua Deus præmiat pro meritis, attendatur proportio inter ipsos recipientes, quin potiùs hæc proportio attenditur primò & per se. Sed quando dicit, quòd hominis ad Deum, est iustitia secundum proportionẽ quandam, in quantum scilicet, vterque operatur secundum modum suum, solum voluit explicare modũ commutatiuæ iustitiæ, quæ seruatur inter nos & Deum. Itaque, cùm dicit, quòd hominis ad Deum est iustitia secundum proportionem quandam, intelligit quòd seruatur quidam modus iustitiæ commutatiuæ. Quoniam supposita diuina ordinatione, qua vult ordinare nostra opera ad consequendum præmium, est æqualitas inter opera nostra, & mercedem datam à Deo. In qua re Deus & homo secundum modum suum operantur: Quia homo operatur secundum mensuram & ordinationem factam à Deo; Deus verò sine mensura & ordinatione præfixa illi ab aliquo. De qua re lege Sanct. Thom. in. 4. dist. 46. loco citato. ¶Ad tertium & quartum argumentum iam diximus, quòd Deus seruat aliquando iustitiam commutatiuam, aliquando distributiuam, iuxta eum modum quem diximus in concluſionibus. Verùm in rigore in ordine ad nos, non est in Deo iustitia, quæ faciat illum propriè debitorem, vel illum obliget. Rursus, suppositа gratia, est æqualitas inter meritum & præmium; cæterum opus ipsum etiam ex gratia procedens relatum ad Deum, non constituit illum debitorem; quia Deus est Dominus omnium; & idcirco, licet sit verissimus iudex, quia dat supplicia & præmia secundum valorem operum sine acceptione personarum: tamẽ ex fidelitate & promissione, ita præstabit quod promisit, vt censeatur solùm factus esse debitor sui ipsius, non propter obligationem, quæ sit in eo, sed quia debet illud, quod promisit suæ ordinationi & promissioni. Nam si Deus non adimpleret, quod promisit, neque esset verax nec fidelis. Fauet etiam ad ostendendum quòd non sit debitor ex iustitia propriè; Quia debitum ex iustitia oritur ex altero, nempe ex illo, cui debetur: sed debitum non nascitur ex creaturis respectu Dei, sed solùm ex fidelitate & promissione eius. ¶Aliqui Theologi dicunt, quòd Deus ex sua promissione & ordinatione fit debitor; nulli tamen propriè loquendo dicitur debitor, quia non est capax obligationis respectu creaturæ. Quia debitum nascitur (vt dixi) ex illo, cui debetur; & tamen in Deo non potest esse ratio debiti, quæ oriatur ex ipsa creatura. Et hæc sint dicta de hac disputatione.

*Ad argum. Durandi.* *Ad primũ.* *Ad secundũ.*

*Aduertium & quartũ.*

## DISPVTATIO IIII.

*Vtrum saltem actus meritorius, & satisfactorius Christi, pertineat propriè ad iustitiam commutatiuam?*

DIctum est, non esse propriè iustitiam commutatiuam inter Deum & hominem, & S. Thom. hic solut. ad. 2. affirmat, quòd Deus non efficitur simpliciter debitor nobis, sed sibi ipsi. Ob id ergo quæritur, vtrũ saltem

saltem actiones Christi fuerint actiones iustitiæ cõmutatiuæ propriè respectu Dei? Pro parte negatiua argumentor primò. Nam iustitia commutatiua potissimè est ad alterum, secundum Aristo. 5. Ethicor. cap. vltimo. Sed Christi satisfactio, aut meritum nõ sunt ad alterum: ergo actiones meritoriæ & satisfactoriæ Christi, non pertinent ad iustitiam commutatiuam. Probatur minor: Quia non solum meritum, sed etiam satisfactio Christi tendit in Deum: ergo non tendit ad alterum. Patet consequentia: *Secundum.* Quia Christus est Deus, & non est alter à Deo. ¶ Secundò. Peccatum, quod homo commisit, non fuit peccatum iniustitiæ, neque contra iustitiam: ergo meritum & satisfactio, seu compensatio pro peccato, non potuit formaliter esse actus iustitiæ. Consequentia est nota: Quia per iustitiam non compensatur, nisi quod per iniustitiam ablatum est. Probatur antecedens: Quoniam peccatũ Adæ, pro quo Christus meruit apud Patrem, & cuius deletionem curauit, aut fuit superbiæ, aut inobedientiæ: ergo compẽsatio & satisfactio Christi pro illo peccato Adæ, non fuit compensatio pertinens ad iustitiam. Patet consequentia: Quia peccatum Adæ non fuit cõtra iustitiam, *siquidem solum fuit peccatum superbiæ, aut inobedientiæ.* Neq; satisfacit dicere, quòd peccatum illud Adæ includebat etiam iniustitiã, quatenus erat contra honorem diuinum. Nam sequeretur ex hoc quòd pariter omnia peccata essent cõtra iustitiam, quod est falsum apertè. ¶ *Tertium.* Tertiò arguitur. Satisfacere pro peccato, propriè loquendo, non est commutatio, nempe, do vt des; sed potius est quædam vindicatio ad deletionem peccati: ergo nõ pertinet ad iustitiam commutatiuam actus satisfactionis. *Confirm.* ¶ Et confirmatur: Quoniam iustitia commutatiua duntaxat respicit medium rei, & nõ medium rationis: sed actio Christi satisfactoria, seu satisfactio Christi potissimum consistit in medio rationis; nam præcipuè consistit in respiciendo personam, & in modo dilectionis ipsius humanitatis: ergo hæc satisfactio attenditur ex medio rationis.

*Quartum.* ¶ Quartò arguitur. Nam si satisfactio Christi est actus commutatiuæ iustitiæ in Christo; sequitur quòd etiam si Christus relinqueret humanitatem, & exerceret eundem actum, ille procederet ab eadem virtute: consequens est falsum: ergo. Sequela patet: Quoniam virtutes, quæ sunt in anima Christi, & pariter actus illarum, possunt manere in humanitate Christi, cui inhærebant, etiam si verbum relinqueret humanitatem; Imò verò de facto manerent, si non esset speciale aliquod miraculum. Minor probatur: Quia tunc iustitia in anima Christi esset eiusdem rationis, & non maioris virtutis quam sit iustitia nostra. *Quintum.* ¶ Quintò arguitur. Tunc satisfactio est actus commutatiuæ iustitiæ, quando in restitutione honoris, iustitia subijcit offensorem personæ offensæ seu personam satisfacientem ipsi personæ offensæ, eliciendo vel imperando aliquem actum, quo fiat compensatio, & satisfactio: sed iustitia commutatiua non potuit subijcere personam operantem ipsi Deo, cùm iustitia sit qualitas creata; persona verò operans & satisfaciens, sit increata: igitur non potuit iustitia habere imperium supra personam illam, eam subijciendo alteri personæ offensæ. *Sextum.* ¶ Sextò arguitur. Iustitia commutatiua quæ est virtus specialis, per se respicit solum æqualitatem, quæ fit inter homines; non tamen respicit ius illud, quod est hominis ad Deum: sed Christi satisfactio immediatè respicit Deum, & ius quoddam diuinum: igitur non est actus iustitiæ commutatiuæ, quæ est virtus specialis. Probatur maior: Quoniam ob id ponimus virtutem religionis, quæ respicit iustum diuinum, & honorem illi exhibendum, quia iustitia non sufficit constituere æqualitatem inter nos & Deum. Huic argumento nonnulli dicunt, quod virtus iustitiæ commutatiuæ non respicit adæquatè iustum inter homines, sed quòd de se abstrahit ab æqualitate hominum, & ab illa, quæ est hominis ad Deum. Vnde, actus contritionis nostræ, est actus iustitiæ respiciens æqualitatem & compensationem immediatè factam Deo. Ex quo nonnulli intulerunt, iustitiam Christi & nostram secundum substantiam esse eiusdem speciei, licet secundum modum essendi distinguantur, quamuis ex subiecto & supposito Christi habeat aliquid in ipso, quod non habet in me. Sed contra: Quoniam actus Christi fuerunt de rigore iustitiæ; nostri verò de iustitia imperfecta: igitur non sunt eiusdem speciei, sed valde diuersi.

*Conclu.* His tamen non obstantibus, sit conclusio. Satisfactio Christi Domini vt sic, est actus iustitiæ commutatiuæ, neque distinguitur specie à iustitia commutatiua, quæ est in nobis, & per hanc eandem virtutem, per quam etiam meremur de condigno gloriam animæ, Christus etiam meruit sibi gloriam corporis. Prima pars huius assertionis ita certa est, sicut est certum, Christum satisfeciſſe de iustitia, vt Catholici vno ore fatentur. 3. part. quæstione prima, articulo secundo. Et quamuis actus charitatis & actus obedientię vt sic, pertineant ad diuersas & speciales virtutes; cæterũ velle per hos actus satisfacere Deo, hoc sanè est actus iustitię; quoniã est velle reddere æquale alteri. ¶ Secunda autem pars conclusionis, quòd non distinguatur specie, probatur: Quia reddere æquale, quod est obiectum iustitiæ, non variatur essentialiter penes hoc, quòd reddatur Deo vel creaturis: iustitia enim solùm respicit medium rei, & ita non variatur essentialiter ex distinctione personarum; aliàs vna esset virtus iustitiæ in ordine ad Deum, & alia in ordine ad homines. *Obiectio.* ¶ Sed obijcies: Virtus, qua Christus satisfecit pro alijs, & qua sibi meruit, est eiusdem speciei cum ea, qua nos meremur: ergo nos possumus per nos mereri, & pro alijs satisfacere perfectè. *Solutio.* Respondetur, quòd non sufficit eadem virtus iustitiæ, nisi habeat pretium æquiualens: debitores enim habent virtutem iustitiæ, qua possunt reddere debitum, si habent vnde soluant. Neque actus iustitiæ Christi repugnat nostræ iustitiæ ob rationem formalem, sed tantum materialem: Sicut per nostram iustitiam non possumus soluere infinitam pecuniam, quia implicat illam habere: Si autem esset possibilis infinita pecunia, nor exigeretur alia virtus iustitiæ ad soluendum infinitam pecuniam. ¶ Tertia quoque pars conclusionis vera est, nempe, quòd per eandem virtutem iustitiæ, per quam Christus meruit gloriam sui corporis, per



per eandem nos meremur de condigno gloriam animæ. Sed dices: Satisfacere & mereri distinguntur essentialiter: ergo pertinent ad diuersas virtutes: ergo non est eadem virtus, per quam Christus meruit & satisfecit. Respondetur, quòd in ratione iustitiæ non distinguntur: Quia Christum satisfacere pro alijs, non est aliud, quam reddere æquale pro remissione peccatorum; mereri verò est reddere æquale pro tali gloria, Quæ differentia in ordine ad iustitiam, duntaxat est materialis; vt in humanis, per eandem virtutem reddo æquale pro damno alteri illato, & pro præmio mihi vel alteri conferendo, & per eandem reddo debitam pecuniam, & debitum honorem, qui per iniuriam ablatus est, & debitam etiam de condigno mercedem: ergo similiter in proposito. *Obiectio.* ¶ Sed dices; Contra: Christus meruit de rigore iustitiæ, nos autem de iustitia imperfecta: ergo tales actus non sunt eiusdem speciei. *Solutio.* Respondetur, quòd actus, quo meremur gloriam, absolutè est de iustitia, licèt intercedant plures gratiæ Dei, vt in hoc artic. dicit S. Tho. supposito tamen pacto Dei, eiusque promissione & ordinatione, iam secundum iustitiam est debitum præmium: Quod ergo iustitia in Christo sit perfectior, non extrahit ad aliam rationem iustitiæ, seu speciem, & est sermo de iustitia, speciali virtute, inhærente animæ Christi.

*Secunda.* Secunda conclusio. Species iustitiæ commutatiuæ, non tollitur, neque veritas eius dissoluitur per hoc, quòd quis mereatur aut satisfaciat & non ex proprijs, sed ex bonis ipsius creditoris. Probatur: Quoniam specialis difficultas, quæ est in actu iustitiæ, in eo consistit, vt id quod meum est, dem alteri: dare autem alteri vt recompenset mihi vel alio tertio, hoc per accidens se habet ad veritatem iustitiæ; Quia per eandem virtutem iustitiæ, fit talis solutio & satisfactio. Imo verò sentiendum est, quòd per eandem virtutem, per quam Christus sibi meruit gloriam corporis, meruit alijs gloriam animæ. Probatur pari ratione: Quia specialis difficultas, quæ est in actu iustitiæ, consistit in eo, vt id quod meum est, dem alteri; dare autem alteri vt recompenset mihi vel alteri tertio, hoc per accidens se habet ad rigorem iustitiæ. Nam per eandem virtutem iustitiæ soluo debitum meum, ac alienum: Quia actu charitatis vel liberalitatis, quo volo alteri bene facere, potest imperari iustitia, vt per eam reddat debitum pro illo. ¶ Sed obijcies, Contra: Hæc virtus, qua Christus sibi & alijs meruit, & pro alijs etiam satisfecit, est eiusdem speciei cum illa, qua nos etiam meremur: ergo pariter etiã nos possumus alijs mereri, & satisfacere perfectè. Respondetur, quòd non sufficit eadem virtus iustitiæ, nisi habeamus pretium æquiualens: debitores namque habent virtutem iustitiæ, qua possunt reddere debitum, si habeant vnde soluant. Neque actus iustitiæ Christi repugnat nostræ iustitiæ ob rationem formalem; sed ob materialem; Sicut per nostram iustitiam non possumus soluere infinitas pecunias, quia implicat eas dari; Si autem illæ essent possibiles aut de facto darentur, non esset requisita vlla alia virtus iustitiæ distincta, ad illas soluendas; & idcirco rigor iustitiæ saluatur respectu Christi; non tamen respectu nostri meriti, aut nostræ satisfactionis, quamuis saluetur veritas iustitię ad modum superiùs explicatum.

### *Maior explicatio ad præcedentia.*

Sed adhuc manet scrupulus de iustitia, quæ iustitia sit hæc quæ se tenet ex parte Dei, ad quã in Deo pertinere dicitur actus ille, secundum quem Deus se habet in acceptatione satisfactionis, & meritorum? sic enim, si hoc explicetur, facile intelligemus quæ iustitia intercedat inter Deum, & Christum. Et ratio dubitandi est, quia non videtur quomodo hæc iustitia, ad quam hic actus in Deo dicitur pertinere, possit esse commutatiua: Nam hanc Theologi propriè esse in Deo, negant; quia videtur imperfectionem supponere. Rursus non est distributiua iustitia: quia non seruat proportionem inter multas, sed solum æqualitatẽ rei ad rem: ergo, &c.

*Animaduer sio.* Vt difficultas hæc à nobis explicetur, obseruare oportet ex Aristot. 5. Ethic. c. 1. quod sicut in nobis iustitia dicitur dupliciter, vno modo generaliter quatenus significat omnem virtutẽ, seu potius collectionem omnium virtutum; altero modo specialiter quatenus significat certam speciem virtutis: ita etiam de ipso Deo eisdem modis dici potest iustitia: quia primò generali ratione dicitur Deus esse iustus, ex eo quod in omnibus facit, quod decet, & conuenit; & isto modo iustitia Dei dicitur esse veluti virtus generalis, per quam operatur in omnibus, quod bonum & æquum est; & in hac acceptione iustitia non distinguitur propriè à misericordia, & alijs virtutibus, nisi tanquam quid commune, & generale, sub quo cõtinentur cætera omnia. Secundò iustitia specialiter in Deo significat speciale attributum, & specialem virtutẽ, per quam Deus reddit vnicuiq; id, quod speciali iure est illi debitum supposito pacto, & supposita promissione ipsi⁹ Dei: Et hæc iustitia habet quidquid perfectionis reperitur in commutatiua, & distributiua iustitia repulsis imperfectionibus: Nam quatenus in reddendo hoc debito seruat æqualitatem rei ad rem, formã habet iustitiæ commutatiuæ, vt nos diximus cum S. Tho. 2. 2. q. 61. art. 4. & quatenus etiam persoluit debitum aliquo modo fundatũ in iure acquisito per opus digno tali præmio, factum ex pacto cum promissione, & conditione talis operis, per quod impleta est voluntas promittentis, in omnibus his seruat similiter Deus formam, & perfectionem iustitiæ commutatiuæ. At verò quatenus hæc obligatio non est orta ex aliquo opere, quod verè cedat in Dei vtilitatẽ, & quatenus ipse Deus ita est debitor vt semper maneat supremus Dominus, ac tãdem quatenus iustitia hæc non versatur propriè in datis, & acceptis, deficit à modo iustitiæ commutatiuæ, quæ in nobis est. Et in hoc sensu sunt interpretãdi, & explicãdi illi omnes, qui negant in Deo cõmutatiuam iustitiã; sunt enim intelligendi, quod negent iustitiã cõmutatiuam in Deo quantũ ad has imperfectiones: Vnde quantũ ad hoc hæc iustitia habet id, quòd est perfectionis in iustitia distributiua, ad quã nõ pertinet restituere alteri, quod suũ erat, sed conferri id, ad q̃ habebat aliquod ius ratione meritoriũ; in quo similiter Deus seruat formam iustitiæ distributiuę; nam iuxta proportionẽ meritoriũ tribuit præmia. Repellit tamen, & excludit imperfectionem, quam in hoc

habet iuſtitia diſtributiua humana: Nam, quia hæc non ſemper poteſt conferre præmium ſingulis ſecundum æqualitatem rei ad rem, idcirco ſeruat ſolum æqualitatẽ proportionis: at vero Deus vtrumque omnino ſeruat, quia vtrumque explere poteſt: ſingulis enim præmium confert æquale, iuxta proportionem Arithmeticam, & inde in omnibus reſultat æqualitas, & Geometrica proportio.

*Sententia Authoris.* Abſolutè ergo, & ſimpliciter dicendum eſt, in ſatisfactione Chriſti Domini ſeruatam fuiſſe propriam & veram iuſtitiã, tam ipſius ad Deum, quam Dei ad ipſum; Quoniam nihil frequentius clamat diuina ſcriptura, quam fuiſſe ſeruatam iuſtitiam, & clariſsimè oſtenſam, in redemptione facta per Chriſtum; vt liquet ex Paulo ad Roman. 3. & 5. ergo cum ſacræ literæ hoc abſolutè doceant, debet intelligi de propria, & vera iuſtitia, ſi hoc abſque abſurdo, & incõuenienti aliquo fieri poteſt. Et profectò vt aliqua virtus, ſeu actus eius propriè in Deo reperiatur, non oportet, vt eodem modo, & cum omnibus imperfectionibus in Deo ſit, quo in hominibus, aut inter homines reperitur; alias neque liberalitas, neque miſericordia eſſent propriè in Deo, neque iuſtitia vindicatiua, quia in Deo neque eſt compaſſio, neque etiam priuatur illis bonis, quæ alijs liberaliter communicat, neque ſe tuetur, neque ſeruat incolumem, alios puniendo, nam certè cum hæc attributa, virtutes, & perfectiones; non vniuoce, ſed analogice dicantur de Deo, & nobis; quamuis in Deo ſint propriè, & formaliter, tamen in ipſo excellentiori modo neceſſe eſt vt ſint; vt ergo virtus aliqua, quæ in hominibus reperitur, dicatur Deo propriè conuenire, ſufficit quidem vt formalis ratio illius virtutis formaliter, & propriè in Deo, & nobis reperiatur; vt conſtat de liberalitate, magnificentia, miſericordia, & iuſtitia. De qua re fuſius diximus in materia de virtutibus: tunc enim talis imperfectio non eſt de conceptu formali illius virtutis ſecundum ſe; ſed tantum conuenit illi prout eſt in nobis; cuius rei ſignum eſſe poteſt, quoniam præciſa per intellectum imperfectione illa, intelligitur manere quædam ratio formalis virtutis, diſtincta ſecundum rationem ab alijs virtutibus, vel perfectionibus, quæ formaliter, & propriè Deo cõuenit, & in nobis etiam inuenitur, quod qua ratione ſit intelligendum de iuſtitia diuina, partim liquet ex dictis, & partim etiam ex his, quæ ſupra diximus in hoc articulo diſputatione prima difficul. 3. diſputantes de ſatisfactione Chriſti, & eius iuſtitia.

Quibuſdam placuit recentioribus virtutem illam, per quam Chriſtus ſatisfactionem æqualem reddidit pro peccatis hominum, non fuiſſe eiuſdem rationis cum illa virtute, per quam homines Deo ſatisfaciunt, neque cum iuſtitia commutatiua, quæ eſt inter homines. Veruntamen, ſi quiſpiam hoc affirmaret, & crederet iuſtitiam Chriſti eſſe alterius rationis cum iuſtitia commutatiua ad homines, neceſſario tenetur dicere, talem iuſtitiam ob id non eſſe eiuſdem rationis, quia ius diuinum eſt altioris ordinis, quam ſint omnia iura humana, ſicut implere promiſſum Deo, etiam in Chriſto ſeruatore noſtro pertinet ad aliam virtutem, quam ſit fidelitas inter homines, non quia nõ poſsit impleri ad æqualitatem, quod promiſſum eſt Deo, ſed quia promiſsio ad Deum inducit ius, & obligationem altioris ordinis quam promiſsio ad hominem. Quo fit, quod cum dicitur, iuſtitiam illam non eſſe eiuſdem rationis cum iuſtitia cõmutatiua ad homines, id non proueniat ex defectu æqualitatis, ſed vt dictum eſt, quia ius diuinũ eſt altioris ordinis, quam ſint omnia iura humana.

*Obiectiones aduerſariorum. Obiectio 1.* Sed adhuc reclamant aduerſarij dicentes, quod ſatisfactio Chriſti non erat propriè de iuſtitia, ex eo quod iuſtitia propriè eſt virtus, quæ eſſentialiter alterum reſpicit, & ex conſequenti debet eſſe inter perſonas omnino diſtinctas; Chriſtus autem per ſe primò ſatisfecit Deo pro hominibus; ipſe autem non eſt alter à Deo, cum ipſe ſit Deus; ergo ſatisfactio eius non fuit ad alterum. ¶ Rurſus, ſatisfactio Chriſti vt ab ipſo procedebat, & offerebatur patri, non erat actus veræ, & propriæ iuſtitiæ: Nam Chriſtus non tenebatur ex iuſtitia mori pro hominibus, aut pro illis ſatisfacere: Poterat enim teneri ex obedientia, vel ex charitate, ſi præceptũ illi impoſitum eſt: ſed ex iuſtitia non apparet vnde potuerit obligari: ergo ſatisfactio illa vt ab ipſo procedebat, non erat actus iuſtitiæ, repugnat enim eſſe actum iuſtitiæ ſine obligatione iuſtitiæ. *Obiectio 2.* Dices Chriſtũ potuiſſe teneri ex iuſtitia, ex aliquo pacto vt fideiuſſorẽ hominum: Sed cõtra; Nam ipſimet homines nõ tenentur ex propria iuſtitia Deo ſatisfacere pro peccatis, ſed ex pœnitentia, aut religione; ergo licet demus Chriſtum in ſe ſuſcepiſſe debitũ, & obligationem hominum, illa pertinere non poteſt ad iuſtitiam; quia non poteſt eſſe maior obligatio fideiuſſoris, quam principalis debitoris.

*Solutio, & reſponſio ad aduerſariorum.* Sed profectò iſtæ aduerſariorum obiectiones nõ obſtant, quominus illa, quæ diximus ſint veriſsima; Nam licet Ariſtot. non cognouerit poſſe veram, & propriam iuſtitiam interuenire, eiuſdem perſonæ ad ſe ipſam ſecundum diuerſas naturas, quia non cognouit, neque intellexit duas naturas habentes duas volũtates liberas, & propria dominia ſuorum actuum, poſſe in eodem ſuppoſito conuenire; Cæterum ſuppoſito incarnationis myſterio, hæc diſtinctio ſufficiens eſt, vt idem Chriſtus, inquantum homo, ſibi vt Deo ex propria iuſtitia ſatisfaciat; & vt ibi reperiatur ſufficiens ratio ad alterum, ad ſaluandam rationem iuſtitiæ; quia per diuerſas voluntates liberas ſatisfactio offertur, & acceptatur: Quod ſanè quam verum ſit, apertè oſtendo. Primo: Quia obedientia, & religio in ſuo genere non minus eſt ad alterum, quam iuſtitia, ſed Chriſtus vt homo, veram & propriam obedientiam, & verum, ac proprium orationis, & religionis cultũ, præſtabat ſibi ipſi vt Deo; ergo ſimili ratione poterat ſatisfactionem offerre. ¶ Præterea hic homo Chriſtus, per humanam voluntatem habet proprium dominium illorum actuum, quos operatur liberè per eandem voluntatem, & hoc dominium diſtinctum eſt à proprio dominio diuinæ volũtatis: Nam hoc eſt altius, & tribus perſonis commune; illud autem eſt inferioris rationis, & proprium Chriſti hominis, vt homo eſt: ſed vbi ſunt dominia, & iura diſtincta, reperitur ſufficiens ratio vt poſsit intercedere iuſtitia: ergo. ¶ Tertiò declaratur; Nam quamuis ſuppoſitum ſit, quod operatur, tamen ratio agendi, & principium operandi eſt natura; ſubſiſtentia namque

ſolum



ſolum ſe habet veluti complementum requiſitum ad agẽdum; ergo vbi eſt diſtinctio naturarum, cum ibi ſit diſtinctio principiorum, quæ per ſe ad actionem concurrrunt, licet ſubſiſtentia ſit eadem, id quidem ſufficiet, vt poſsit vera, & propria iuſtitia interuenire; *...his diſ... ...tur pri... ...aduerſa... ...um obie...* Neque contra hoc probat aliquid aduerſariorum obiectio; quia licet Chriſtus ſimpliciter non ſit alter à Deo, tamen habet naturam humanam, alteram à natura diuina; & hoc ſatis eſt ad rationem iuſtitiæ, vt dictum eſt. ¶ Quartò hoc poteſt oſtendi, quia Chriſtus in quãtum Deus, eſt vltimus finis, & in quãtum homo eſt mediator inter Deum, & hominem: ſed non videtur eſſe minus neceſſaria diſtinctio inter mediatorem, & eum apud quem mediat, & intercedit, quam ſit neceſſaria in actu iuſtitiæ: ergo, &c. ¶ Quintò idem perſuadeo: Nam ſi Chriſtus poſſet peccare per naturam aſſumptam, veram iniuriam Deo faceret, & toti Trinitati: vel ſi aſſumeret Angelus humanitatem, ſiue hoc ſit poſſibile, ſiue non, tunc inter voluntatem humanam, & angelicam huius perſonæ poſſet eſſe diſcordia, & hic Angelus poſſet huic homini iniuriam inferre, ſed vbi eſt ſufficiẽs diſtinctio, vt intercedat vera iniuria; ſimiliter etiam eſt ſufficiens diſtinctio, vt poſsit interuenire vera iuſtitia: ergo, &c.

*Authoris ...ulus ma... ...declara... ...* Tandem vt propoſita difficultas eruatur à prima radice, & vt diſſoluatur ſecunda aduerſariorũ obiectio, duo ſunt à nobis dicenda, & ſtatuẽda. Primum eſt, de actu iuſtitiæ, de quo affirmandum eſt, quod ad exercendum proprium actum iuſtitiæ non ſemper requiritur, aut eſt neceſſariũ agere ex propria, & rigoroſa iuſtitiæ obligatione: Quia aliquando ſatis eſt agere, & operari ad conſtituendum verum, ac proprium medium iuſtitiæ, intuitu ipſius iuſtitiæ, & æquitatis, & ex directione ad iuſtitiam; etiam ſi id abſque obligatione fiat ex parte agentis: Nam certe hoc ita eſſe, manifeſtum eſt in omnibus alijs virtutibus; Cur ergo hoc in actu iuſtitiæ non inuenietur? Rurſus declaratur exemplo: Nam Deus cum punit peccatorem, exercet actum vindicatiuæ iuſtitiæ, quæ propria iuſtitia eſt, & ad commutatiuam pertinet, vt patet ex S. Thom. 2. 2. q. 108. artic. 2. ad. 1. & Sot. 3. de iuſtit. & iure. quæſt. 5. artic. vltimo ad. 1. & nihilominus Deus non punit peccatorem, quia teneatur ad hoc ex iuſtitia, poſſet enim Deus ſine iniuſtitia vlla non vlciſci. Ratio enim hoc ſimiliter perſuadet efficaciter; Quia, vt actus aliquis pertineat ad aliquam virtutem, & ſit proprius illius, ſatis eſt quod in obiecto eius inueniatur honeſtas illius virtutis, & quod intuitu illius honeſtatis fiat: Quod totum fieri quidem poteſt ſine obligatione. Sicut ergo in exemplo poſito, voluntas, qua Deus punire vult peccatorẽ, ratione diſtinguitur ab alijs voluntatibus, nempe liberalitatis, beneficentiæ, vel miſericordiæ, & ſecundum propriam rationem, honeſta eſt talis volũtas; quia fertur in obiectum propter æquitatem, quæ in illo eſt; & hoc ſufficit vt ille ſit actus iuſtitiæ; neque poteſt concipi alia virtus in Deo, ad quam pertineat: Ita ſane ad hunc modum illa voluntas ſatisfaciendi Deo, quæ fuit in Chriſto homine, quamuis concedamus non fuiſſe ortam ex obligatione iuſtitiæ, poſſumus intelligere habuiſſe honeſtatem iuſtitiæ; quia per eam intendebat conſtituere inter Deum, & homines quandam æqualitatem recompenſando iniuriam Deo factam, idque propter honeſtatem propriam talis obiecti, quæ ad honeſtatem iuſtitiæ pertinebat, vt ſi homo aliquis vellet pro altero debitum ſoluere, formaliter intendens, ne alius patiatur iniuriam, & vt æqualitas illi ſeruetur, re vera faceret actum habentem honeſtatem iuſtitiæ; quia licet verum ſit, huiuſmodi actus ſufficienter fieri poſſe ex charitate, vel miſericordia, & frequentius forſan ſic fieri; tamen ad ſaluandam proprietatem iuſtitiæ, ſatis eſt in obiecto eſſe honeſtatem, quam quis poteſt per actum iuſtitiæ intendere, quamuis ad id non teneatur, vt explicatum eſt.

*Dico. 2.* Dicendum eſt ſecundo, quod vt intercedat propria, & vera iuſtitia inter duos, nõ eſt neceſſarium, neque requiritur, quod vterque illorum operetur ex propria iuſtitia, ſeu proprio, atque formali actu iuſtitiæ; quia ſatis eſt operari, & agere quantum in re eſt neceſſarium, ad conſtituendam æqualitatem iuſtitiæ, quamuis non fiat ex formali actu iuſtitiæ; Et explicatur exemplo: Cum enim ſunt propoſita præmia operantibus hoc, vel illud, qui operatur ad cõſequendum præmium, non requiritur vt ex iuſtitia operetur; nã poteſt agere, & operari propter ſuum commodum, ſeu vtilitatem, ſed nihilominus ille re ipſa exhibet, & facit quidquid eſt neceſſarium, vt præmium ex iuſtitia ei donetur: Et eodem prorſus exemplo intelligitur poſſe optimè fieri, vt aliquis non operetur ex obligatione iuſtitiæ, & tamẽ quod poſita operatione eius intercedat inter eum, & alium, circa quem operatur, propria ratio iuſtitiæ. Sic ergo ſentiendum eſt in præſenti; quãuis demus voluntatem ſatisfaciendi in Chriſto, neque fuiſſe ex obligatione iuſtitiæ, neque etiam fuiſſe verum actum iuſtitiæ, poſſe nihilominus intelligi ſatisfeciſſe ex vera, & propria iuſtitia; quia talem Chriſtus exhibuit ſatisfactionem, cui ex perfecta æqualitate, & iuſtitia debebatur remiſsio pœnæ, vel culpæ, pro qua ſatisfaciebat: ſicut verè aliquis meretur ex iuſtitia, quamuis neque ex iuſtitia teneatur mereri, neque dum meretur actum aliquem iuſtitiæ, operetur: iuxta ea, quæ diximus in exemplis adductis.

¶ Ex dictis colligitur, quod ad hoc vt inter duos mediet, ſeu intercedat vera, & propria ratio iuſtitiæ, non eſt neceſſarium; vt ratio, vel obligatio iuſtitiæ in vtroque ſit ita reciproca, & mutua vt omnino ſit eiuſdem rationis: Nam quamuis in iuſtitia commutatiua humana hoc reperiatur, quia extrema ſunt eiuſdem ordinis, & medium inter ea conſtituendum eſt eiuſdem rationis; tamen hoc non eſt per ſe neceſſarium, vt in exemplis adductis facile poteſt oſtendi: & in iuſtitia diſtributiua, & legali poteſt rectè hoc intelligi; poteſt enim contingere, vt ciuis ex iuſtitia legali teneatur pugnare pro Republica, & poſtquam pugnauit, teneatur Princeps ex iuſtitia diſtributiua debitum illi præmium tribuere; Imò verò fieri poteſt vt extrema, & iura eorum ſint diuerſarum rationum, vt conſtat ex dictis in ſuperioribus.

*Dico. 3.* Dicendum eſt tertiò, obiectum iuſtitiæ, propriè eſſe ius, & ex conſequenti, quod vbicumque inuenitur verum, & proprium ius, ibi poteſt eſſe vera, & propria iuſtitia, quæ inclinet ad ſeruandum tale ius, vel ſi læſum fuerit ad compenſandum. Cum igitur

in Deo respectu hominum sit verum & excellentissimum ius, vt illi satisfiat pro peccatis hominum: sequitur in ipsis hominibus esse specialem virtutē, quæ ad seruādum Deo hoc ius vere inclinet; à qua virtute in ipsis peccatoribus nascitur quædam obligatio,& voluntas satisfaciendi Deo: quæ sanè virtus pertinet ad iustitiam, vt Sāctissimus Præceptor docet.3.p.quęst.85.Et quidem quantum ad ius diuinum,quod respicit,seu obligationem, quam inducit, perfectior virtus est, & fortius obligat, quam vulgaris iustitia inter homines: solum enim deficit à ratione iustitiæ, quia non potest reddere æquale Deo pro offensa contra illum factam: Nam si hoc haberet,verior,& perfectior iustitia esset, quam iustitia commutatiua,quæ inclinat ad compensandas iniurias hominibus factas. Christus ergo seruator noster licet pro peccatis proprijs,aut suis neque habuerit, neque habere potuerit hanc obligationem iustitiæ ad Deum, tamen quatenus fuit constitutus caput hominum,& quatenus suscepit onus satisfaciendi pro omnibus hominibus, potest dici subijsse, & suscepisse obligationem hanc, quasi ex pacto quodam inter ipsum,& Deum: Aliunde verò,quia propter dignitatem personæ suæ, potuit ad æqualitatem satisfacere, nihil defuit in ipso ad veritatem iustitiæ,& proprietatem.Et per hoc satisfit secundæ obiectioni aduersariorum.

*Ad argum. Ad primū.* AD argumenta. Ad primum,nonnulli Theologi dicunt, sufficere distinctionem naturarum,vt Christus videlicet in quātum homo satisfaciat sibi Deo; quæ sufficit quòd satisfactio sit ad alterum in natura. ¶Sed contra:Quia satisfactio vel est à Christo vt includit præcisè naturam humanam cum modo vnionis; & hoc non,quia vt sic est aliquid creatum:ergo nisi includat Deum, non potest intelligi cum infinita dignitate requisita ad satisfaciendum. Si autem includit Deum: ergo iam non seruatur sufficiens distinctio inter personam satisfacientem,& eam,cui fit satisfactio. Rursus,satisfactio non est opus naturæ,sed suppositi: ergo non respicit naturam,sed personam, cui talis satisfactio impenditur: igitur si est ad alterum, debet esse ad alterum suppositum. Neque satisfacit dicere,Christum satisfeciſſe Patri,& Spiritui Sancto, à quibus habet sufficientem distinctionem in persona.Quoniam illis satisfecit in quantum habent naturā diuinam;at ex eadem natura diuina habet valorem ipsa satisfactio:ergo,&c.Et confirmatur:Quia vt Theologi dicunt in materia de incarnatione, ipse Christus etiam sibi vt Deus est,satisfecit:ergo intentum.

*Solutio.2.* ¶Propter hæc argumēta alij Theologi aliter respōdent.Dicunt enim Christum satisfeciſſe ea ratione qua habet naturam humanam, non quidem præcisè, sed ea inquam ratione, qua ex vnione ad Verbum,natura humana contrahit valorem infinitum: Ista autem ratione non est Deus creditor, sed vt in se habet naturam diuinam. ¶ Sed contra hoc argumentantur alij: Quia licet Christus non sit formaliter satisfaciens in quantum Deus, quantum ad substantiam satisfactionis; benè tamen quo ad valorem:Non enim habet Christus dare infinitum valorem ex eo præcisè, quòd sustentat naturam humanam,sed ex eo, quòd habet infinitam dignitatē, quam potest communicare operibus naturæ assum ptæ:Tunc vltra,Christus in quantum Deus,dat infinitum valorem operibus:ergo in quantum Deus, est formaliter satisfaciens quo ad valorem: ergo vt sic distinguitur à se ipso Deo offenso; ac proinde opera illa non habent valorem, nisi quatenus sunt propria creditoris,quod est omnino contra rationē iustitiæ.¶Propter hoc argumentum sunt qui dicāt, quòd iustitia verè est ad alterum,& similiter satisfactio,quæ est inter homines;Cæterum dicunt,satisfactionem Dei esse alterius ordinis,quam Aristoteles minimè nouit;Quod explicatur in actu obedientię & subiectionis personalis, quæ secundum Philosophum, & secundum ea, quæ communiter concipimus,verè sunt ad alterum;& nihilominus est certū quòd Christus obedit sibi ipsi, & subijcitur Deo,à quo non distinguitur vt Deus, cùm sit idem Deus, qui est Pater & Spiritus Sanctus. *Solutio.3.* ¶Quocirca respōdetur tertiò,Christum esse satisfactorē,ratione suppositalitatis diuinæ vt sustentat naturam humanā; esse autem creditorem ratione eiusdem diuinæ suppositalitatis prout subsistit in natura diuina:Suppositalitas namq; Christi etiam vt est distincta secundum rationem cōmunem à natura diuina, habet in se infinitam dignitatem,ratione cuius possunt opera ipsius esse infiniti valoris,ita vt si per impossibile tale suppositum non sustentaret naturam diuinā, sed duntaxat humanam, adhuc opera illius essent infiniti valoris; ac proinde talis natura simpliciter nulli esset inferior, & haberet absolutum dominium supra suas operationes. Cùm ergo Christus ratione propriæ suppositalitatis, vt ratione distinctæ à natura diuina, habeat ex proprijs infinitum valorem, potest satisfacere ex proprijs naturæ diuinæ. ¶ Sed contra: Ipsa Christi suppositalitas non differt essentialiter à natura diuina: ergo ipsa natura diuina non poterit essentialiter satisfacere Deo, cùm ratio satisfacientis, & ea cui fit satisfactio,sit eadem essentialiter.Respondetur tamē, quòd sicut nō obstante hac identitate esset verum, Christum sustentare humanitatem ratione suppositalitatis,& non ratione naturæ humanæ, sic etiam est verum,ratione illius verè satisfacere naturæ diuinæ:Quia sicut eminenter habet talem distinctionem, quæ sufficiat vt à parte rei suppositalitas sustentet, & non natura, ita etiam sufficit vt à parte rei per suppositalitatem det valorem,& non per naturam.Nam certè suppositalitatē ipsam identificari naturæ diuinæ, non tollit quin ex proprio conceptu habeat tantam perfectionem, ac si essentialiter distingueretur ab illa.Imo verò, ex hoc manifestatur & ostenditur nostra solutio. Nam Christus satisfecit ea ratione, qua tribuit valorem operibus naturæ humanæ: sed non tribuit valorem huiusmodi operibus,nisi ratione suppositalitatis,vt est sustentans humanitatem: ergo. Probatur minor: Quia Christus non tribuit valorem operibus naturæ humanæ, nisi vt sustentat naturam humanam: sed non sustentat illam, nisi ratione suppositalitatis: ergo. Quapropter, in ordine ad actiuè satisfaciendum,personalitas se habet per se & formaliter; cæterum natura diuina se habet materialiter & quasi per accidens:Quia vt sic nō dat valorem operibus: è contrario verò in satisfactione passiua,suppositalitas non est,cui propriè & primò atque formaliter satisfit;



satis fit;& sic se habet materialiter;Natura autem diuina,est,cui per se satisfit,& sic se habet formaliter. Ex quibus patet sufficiens distinctio inter satisfaciētem, & eum cui fit satisfactio: est enim distinctio realis in naturis,& distinctio eminens in rationibus formalibus,per quam,& cui fit satisfactio.

Sed contra hæc aliqui obijciunt: Opera accipiūt valorem infinitum ex ipsa infinitate Dei:sed infinitas nō est à suppositalitate; nam infinitas est aliquid absolutum, atq; adeò aliquid commune tribus personis:ergo,&c. Respondetur, quòd licèt vocabulū infinitum,sicut subsistentiæ,& existentiæ,significetur per modum absoluti; potest tamen intelligi per modum relatiui,ita vt sicut in conceptu intrinseco filius includit subsistentiam distinctam ab alijs personis, sicut & existentiam, ita etiam in suo proprio conceptu includit propriam perfectionem infinitā relatiuam,à qua sufficienter possunt desumere valorem opera Christi, quæ perfectio infinita relatiua, vocatur à quibusdam non simpliciter simplex,vt retulimus.1.part.quæst.39.artic.1.disputat.2. in explicatione maiori tertiæ conclusionis:non ex defectu alicuius perfectionis, sed quia est incommunicabilis pluribus.

*Solutio.4.* Quartò respondetur ad præfatum argumentum primum;quòd esse ad alterum stat dupliciter, nempe physicè,& moraliter; physicè quidem dicitur alterum, quod est diuersum entitatiuè & suppositaliter,vt Petrus & Paulus;moraliter verò alterum dicitur id,quod habet alietatem,quæ sufficit vt exerceātur operationes & contractus etiam morales, quæ respiciunt alterum,ac si esset omnino diuersitas suppositorum,vt patet inter filium emancipatum,& Patrem,inter ciuem & patriam: Quia licet filius emācipatus sit aliquid Patris,& pars illius,sicut filius nō emancipatus; nihilominus contractus iustitiæ, perfectè & exactè exercetur inter hunc filium & Patrem, propter conditionem & statutum quod habent, ratione cuius pater & filius, ita se habent moraliter loquendo in cōtractibus iustitiæ, ac si essent suppositа, nullam inter se habitudinem habentia. Idem etiam patet in obedientia,quam præstat Christus Deo & Patri; moraliter nāq; ita exercetur obedientia inter Christum Deum, ac si essent duo suppositа, & hoc propter diuersitatem naturæ & volūtatis creatæ ab increata.Sic ergo in proposito, propter diuersitatem naturæ & voluntatis, & propter diuersum modum subsistendi in natura diuina & humana, ita se habēt istæ actiones iustitiæ,ac si exercerentur inter personas omnino diuersas. Et ob id, habitudo huius satisfactionis non est ad alterū physicè;bene tamen moraliter;ad alietatem autem moralem non requiritur diuersitas personalis physica, sed sufficit diuersa ratio termini in esse morali.

*Solutio.5.* Quintò respondetur à doctissimis Theologis;nō esse negādum, Christum satisfeciſſe pro nobis sibi, & toti Trinitati;ita tamen vt primò & per se satisfecerit Deo,& consequenter tribus personis, vt vnus Deus sunt.Et hæc est aperta sententia D. Pauli.1.ad Tim.5.dicentis: Erat Deus in Christo,mundum reconcilians sibi; vbi sicut Deus dicitur esse in Christo ratione naturæ diuinæ;ita ratione eiusdem dicitur reconciliasse mundum sibi. Vnde statim dicitur ibidem; **Omnia ex Deo**, qui nos sibi reconciliauit. Hoc & docet D.Ambros.3.de fide.cap.5.Vnde Paulus.1.ad Timot.2. vocat Christum mediatorem Dei & hominum;quæ verba tractans August. enarrat.2. super Psalm.29. ait, Quid est mediatorem esse inter Deum & homines? Non inter Patrem & homines, sed inter Deum & homines, &c. D.Cyril.Alexand. in defensio.ait.Nō vt maiori offerat sacrificium,sed sibi ipsi & Patri. Ratione etiam hoc potest ostendi: Nam satisfactio illi offertur, cui offensio facta est: Sed offensa primariò fit Deo vt sic, & tribus personis consequenter,vt sunt vnus Deus:& vnus legislator, cuius præceptum peccator transgreditur: & vnus finis vltimus à quo auertitur: vnus Dominus quem offendit: vnus denique Deus, qui satisfactionem suscipit,& peccata remittit. Tandem, certum est personam Filij, per peccatū Adæ offensam fuisse:ergo,si illi satisfactum non est,sequitur, quòd nō fuit Christi satisfactio sufficiēs,sed oportuisset Spiritum sanctum incarnari, vt Filio satisfaceret. Et ita soluitur difficultas argumenti.

*Solutio.6.* Sextò respondetur, quòd esse ad alterum conuenit iustitiæ secundum rationem genericam.Quare, vbi non fuerit perfectè ad alterum, non erit ex isto capite perfecta ratio generica iustitiæ;ac proinde fatemur, quòd ratio generica iustitiæ in Christo, ex isto capite quod est esse ad alterum, non erat tam completa sicut illa, quæ est inter duas personas omnino diuersas. Et nihilominus, in Christo fuit exactissima iustitia, & exactissima ratio specifica iustitiæ: Quia fuit redditio superabūdans totius debiti, & dignitas iustitiæ, atque excellentiæ non attenditur ex perfectione generica,sed potissimè ex essentia specifica. Sicut in scientijs, Theologia simpliciter præstat omnibus,quia in ratione specifica habet præstantius obiectum,licèt in ratione generica sciētiæ Mathematicæ sint clariores, & euidentiores, & per consequens secundum quid & in ratione generica scientiæ præstantiores,non descendēdo ad specialem rationem scientiæ.

*Ad secūdū.* Ad secundum respondetur, quòd mala quæ sunt in peccato,reparantur diuersis virtutibus, per gratiam reparatur macula existens in anima, per charitatem reparatur auersio, & per iustitiam reparatur iniuria,& offensa facta Deo. Vnde, falsum est dicere, quòd peccatum reparetur solùm per virtutem sibi oppositam. *Ad tertium* ¶Ad tertium respondetur, quòd vindicare ad æqualitatem, etiam pertinet ad iustitiam commutatiuam: Do enim talem actum,vt persona offensa det mihi ius,quod contra me habet. Sed dices: Satisfactio est dolor de peccatis: sed iste est actus pœnitentiæ: ergo non est actus iustitiæ. Respondetur, quòd dolere de peccato vt se disponat ad gratuitam remissionē ex parte Dei,est actus pœnitentiæ,at dolere de peccato ad reddendum æquale,est actus iustitiæ. *Ad Confir.* ¶Ad confirmationem dicendū, quòd in Christo attenditur dilectio, & modus operandi,valorq; personæ, vt fiat æqualitas rei ad rem. Quocirca,per se mediū in tali satisfactione, est medium rei;Sicut si loquamur de actione nostra, vt satisfactoria est, quatenus supponens gratiam, & vt meritoria est de iustitia ipsius præmij. Certum est enim,quòd tunc attenditur valor gratiæ, & personæ gratæ, & nihilominus est propter constituendā æqualitatem. *Ad quartū.* ¶Ad quartum dicendū, quòd si relinquere

queret Deus humanitatem, virtutes illæ, quæ sunt modò, manerent in humanitate; nihilominus non cum eodem valore & virtute: Quia non significarentur à supposito diuino, sicut modo; & ita non inconuenit quòd data illa hypothesi, iustitia in humanitate non possit, quod modò potest in Christo, dignificata & eleuata à supposito diuino.

*Ad quintũ.* ¶ Ad quintum respondetur, quòd iustitia Christi Domini, nõ subijcit personam diuinam Deo, neque hoc concedendum est absolutè; subijcit tamen illam vt subsistentem in natura creata; & sic intelligendum est illud Pauli; Qui me dilexit, & tradidit se ipsum pro me. Et illud, Obtulit semetipsum oblationem & hostiam Deo.

*Ad sextum.* ¶ Ad sextum in eodem argumento responsum est. Ad replicam verò dicendum, quòd actus quo meremur gloriam, est actus iustitiæ, vt S.Tho. & Theologi cum eo in hoc articulo dicunt. Quòd verò iustitia in Christo sit perfectior, non extrahit ipsam ad aliam rationem, aut speciem iustitiæ. Er hæc sufficiant de hac dubitatione; Nam plura alia pertinent ad materiam de merito & satisfactione Christi.

## DISPVTATIO V.

*Vtrum opus bonum ex obiecto, malum verò ex aliqua circũstantia, poßit esse meritoriũ?*

DIfficultas hæc est de actu, qui secundum substantiam est bonus, malus autem secundum aliquam circunstantiam; An ille ea ratione qua bonus est, sit meritorius? Itaque, tota hæc disputatio, est de circunstantia reddẽte actum malum moraliter; hęc autem circunstantia, aliquando est circunstãtia finis, vt cùm actus fit ob inanem gloriam; aliquando verò est defectus attentionis, aut intentionis; & aliquando est circunstantia temporis aut loci. Rursus, circunstantiæ, quædam sunt impertinentes actui, illæ videlicet, quæ quamuis malæ sint, non reddunt actum malum, vt si quis dicat mendacium, & pariter simul velit dare eleemosynam: tunc enim mendacium illud, non est moralis circunstantia eleemosynæ, neque vitiat illam; & tamen certum apud plures est, quòd actus bonus etiam si habeat istas circunstantias malas impertinentes, non amittit meritum, quia non reddunt illum malum.

Aliqui Theologi de hac re sentiunt, posse eundem actum esse meritorium gloriæ, & ex alia parte esse peccatum veniale ex circũstantia distractionis temporis, aut loci; non tamen ex circunstantia finis. Et assignant discrimen: Quia si quis habeat finem malum, tunc non potest ille actus esse ex charitate, & sic non erit meritorius; Secus verò si talis actus sit malus ex alia circunstantia. ¶ Alij putant, quòd idem actus exterior potest esse meritorius & demeritorius in ordine ad vitam æternam, & ad pœnam purgatorij, non tamen idem actus interior. Ita Almayn. in moralib. tractatu. 1. cap. 12. & refert aliquos idem dicentes de actu interiori. *Almaynus.* ¶ Tandem alij dicunt, quòd quando circunstantię impertinenter & concomitanter se habent, vt si quis simul dicat mẽdacium, & pariter velit dare eleemosynam; tunc dicunt, quòd actus ille bonus licet habeat circunstantiam illam malam impertinentem, scilicet, mendacium iocosum, non amittit meritum, neque viciat actionem illam. Citant pro hac re Nauarrum, capit. quando, notab. 6. numero. 36. & D.Thom. in 2. dist. 38. quæst. 1. artic. 4. ad. 4. *Nauarrus.* Assignat autem exemplum Nauar. vt si quis vno actu velit dare eleemosynam propter Deum, & alio actu distincto propter inanem gloriam; tunc vnus esset meritorius, & alter demeritorius. Idem insinuant Hugo Cardinalis, & Hugo de Sanct. Victo. super illud Paul. 1. Cor. 3. Quale vniuscuiusque opus sit, ignis probabit. *Hugo Card. Hugo de S. Victo.*

*Argum. 1.* Partem affirmatiuam huius disputationis persuadent sequentia argumenta. Primò. Quia oppositum esset rigidissimum, & vix opus vllum esset meritorium; Quia pauca sunt opera, quæ nulla omnino mala circunstantia inficiantur, præsertim in tepidis hominibus. Vnde Isai. Propheta dicit de operibus nostris, quòd omnes iustitiæ nostræ sunt tanquam pannus menstruatæ: ergo si vnica circunstantia mala viciat actum, ita vt non sit meritum, apertè sequitur quòd nullus est actus meritorius. Et maxima opera iustorum frustrarentur præmio, si ibi interueniret circunstantia vlla gloriæ vanæ. *Secundum.* ¶ Secundò arguitur, & est confirmatio præcedentis. Si quis optimum opus efficeret in obsequium Regis, licèt aliqua leui culpa macularetur; tamen acceptaretur, & præmiaretur à Rege: ergo similiter à Deo. *Tertium.* ¶ Tertiò. Charitas non est minoris efficaciæ ad meritum, quam veniale ad demeritum; præcipuè cùm Deus pronior sit ad præmiandum, quam ad puniendum: sed actus ille, qui procederet ex inani gloria, esset demeritorius ob circunstantiam venialem: ergo pari ratione etiam esset meritorius, quia procederet à charitate. *Quartum.* ¶ Quartò arguitur. Si quis incipiat recitare diuinum officium propter Deum, & in progressu & discursu sit aliqua distractio venialis; tunc illa oratio non amittit, neq; perdit bonitatem aut meritum suum; quia talis actio est bona ex obiecto & fine, & relata virtualiter, vel etiam actualiter in Deum: ergo. *Confirma.* ¶ Et confirmatur ex S.Tho. 2.2. quæst. 83. artic. 13. vbi ait, quòd ad meritum in oratione non requiritur quòd actualis attentio continuetur per totam, sed vis primæ intentionis reddit totam orationem meritoriam, sicut in alijs actibus meritorijs euenit: ergo. *Confirma.* Et confirmatur secundò: Nam quando est circunstantia extrinseca, non tollit quin actus eliciatur à virtute fidei temperantiæ: ergo neque tollit quòd eliciatur à virtute charitatis: ergo neque quòd sit meritorius. *Quintum.* ¶ Quintò fortiter arguitur. Si quis primum actum pœnitentiæ aut charitatis eliciat ob inanem gloriam, iustificabitur: ergo merebitur vitam æternam. *Sextum.* ¶ Sextò arguitur. Quoniam si quis puellam & virginem pauperem alat propter charitatem, & simul etiam vt aliquid gloriæ & laudis ab hominibus sumat, voluntas bona est & Deo placens, quamuis non sit perfecta voluntas, vt dicit D. Theodoret. lib. de ędificatione virtutum: ergo opus vanum ex vana gloria acceptatur à Deo; si tamen aliàs procedit ex charitate. *Theodor.* *Septimum.* ¶ Septimò arguitur. Quia si ex sola circunstantia peccati venialis aboleretur omne meritum ab actu bono; sequeretur, martyrium & alia opera ex charitate procedentia, sæpe numero frustrari suo



suo merito; Imò verò etiam ipsa dilectio Dei, si non fieret conuenienti tempore, &c. ¶ Et confirmatur: Quia is, qui accedit ad Eucharistiam cum aliqua irreuerentia veniali, nõ perdit effectum & fructum illius: ergo neque perdit meritum, is, qui alicui operi bono apponit circunstantiam venialiter malam.

Pro explicatione huius difficultatis est prima propositio. Bonus actus absolutè dicitur, qui nullum habet malum. Hanc tenet Caietan. in opuscul. tomo. 1. tract. 31. de. 17. responsionib. responsione. 14. Marsil. & Theologi in. 1. dist. 17. & in. 2. dist. 40. & 41. D.Bonauent. quæst. 1. Adrian. quodlib. 8. art. 1. Gregor. in. 2. dist. 42. Et profectò hęc assertio est expresse D.Thom. 1.2. quæst. 18. art. 4. præcipuè ad. 3. vbi dicit, quòd nulla actio est bona simpliciter, nisi omnes bonitates cõcurrant: Quoniam quilibet singularis defectus causat malum. Idem dicit. q. 19. sequenti art. 7. Vbi dicit, quòd siue actus sit bonus secundum speciem suam, siue non; tamen si deficiat secundum circunstantias, vel si ordinetur in malũ finem, semper erit malus. Hæc est sententia D.Dionys. 4. cap. de diuin. nominib. vbi habetur celebre illud proloquium, Bonum est ex integra causa, malum ex singularibus defectibus. Et probatur: Quoniam non stat idem corpus simul esse pulchrum & deforme: Quoniam quidquid ei deficiat ex requisitis ad pulchritudinem, desinit esse pulchrum simpliciter, vt docet D.August. 8. de Trinit. cap. 3. ergò pari ratione implicat, eundem actum humanũ simul esse bonum & malum. Vnde Philosophus dixit, vno modo actus noster bonus est, multisque nefandus. Quare, receptissima sẽtẽtia est & indubitata, etiam apud Philosophos omnes, non solum circunstantiam malam superuenientem reddere opus viciosum, verùm idem efficere defectum cuiuscumque circunstantiæ debitæ inesse, siue in productione operis, siue etiam in continuatione.

Secunda conclusio. Actus malus ex circunstãtia, quæcumque illa sit, nequit esse meritorius vitę æternę, siue sit actus interior, siue exterior. Hanc assertionem vt verissimam supponunt communiter Theologi in. 2. dist. 40. S.Thom. ibidem. quæst. 1. art. 4. Scot. & Durand. quæst. vltima. D.Bonauent. Adrian. & S. Thom. locis supra citatis, & 2.2. q. 83. artic. 5. & q. 33. art. 2. ad. 3. ¶ Caietan. tract. 1. opuscul. 31. allegato, expressè dicit, posse stare combinationem bonitatis substantialis cùm peccato veniali in aliquo opere, vt dum quis facit actum moraliter bonum ex suo genere cum aliqua circunstantia moraliter mala, vt si quis donet eleemosynam vel audiat sacrum, & apponat circunstantiam vanæ gloriæ, vel si non faciat debitè huiusmodi opera; non tamen posse stare combinationem meriti cum peccato veniali. Quia tantæ efficaciæ, & tantę vis est peccatum veniale, vt tollat ab actu quem efficit, meritum vitę æternæ. Et subiungit; Quamuis non tollat æternæ vitæ meritum à persona (multi namque viri Sancti absque hoc quòd perdant æternæ vitæ meritum, peccant venialiter.) Cæterùm per illos actus, qui sunt peccata venialia, non merentur vitam æternã.

Quòd actus malus ex circunstãtia finis, nequeat esse meritorius, apertè docet D.Prosper epistol. ad Demetriadem, & patet Matth. 6. Attendite, ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis: alioquin mercedem nõ habebitis apud Patrem vestrum, qui in cælis est. Et subiungit de ita operantibus; Amen dico vobis receperunt mercedem suam. Ex quo loco D.Augu. 5. de Ciuit. c. 15. D.Chryso. D.Hieron. D.Tho. Theophil. Eutym. & Rupert. Abbas dicunt, quòd inanis illa gloria tollit actui valorem & meritum. *D. August.* Legendus est etiam Prosper. 3. de vita contemplat. cap. 14. D.Antonin. 2. p. titulo. 3. cap. 1. §. 1. col. 3. & Nauar. lib. de Finib. num. 38. vbi dicit, quòd etsi malus finis sit minus principaliter intentus, viciat actum. *D. Prosper. D. Antoni. Nauar.* Imo verò, etiam si actus non sit malus ex circunstantia finis, sed ex alia erit demeritorius, & non meritorius; Quia eadem est ratio: Et sic de omni circunstantia docet S. Tho. 1.2. q. 18. & 19. ex D.Dionys. dicente, Bonum ex integra causa; malũ verò ex singularibus defectibus. *D. Dionys.* Et patet ex Paul. 1. Corinth. 3. vbi peccatis venialibus non nisi ignis promittitur. *1. Corin. 3.* Et D.Gregor. in Parabola de Virginib. Matth. 25. inquit; Cauẽdum est, ne per hoc, quod rectum geritur, fauor aut gratia humana requiratur, & appetitus laudis subrepat, eo quod à mercede euacuetur. *D.Gregor.* Vnde Scriptura dixit illud, Mundi sunt oculi Dei, ne videant malum, respicere ad iniquitatem non potest: Sed actus qui est malus ex circunstantia, est absolutè malus & iniquitas: ergo non respicitur à Deo, vt pro illo conferat vitam æternam. Nam quis non cernit, absurdum esse & irrationabile dicere, eundem actum esse donum Dei & peccatum, Deo placere, & displicere, Dei instinctu & Dæmonis simul fieri, Deo & Diabolo simul esse gratum, meritum præmij, & simul meritum pœnæ, conformem legi, & difformem. Quæ omnia apertè sequũtur si dicas, eundem actum simul esse bonum, & meritoriũ, & simul esse peccatum & demeritorium. Nam certum est ex illo Matt. 6. quòd nemo potest duobus dominis seruire. *Matth. 6.*

*Obiectio.* Sed contra obijciet aliquis: Cùm quis laborat ad bonum & in bonum alterius hominis, meretur mercedem alterius hominis & sui laboris, etiam si laborando peccet: ergo. *Solutio.* Respondetur, quòd in ordine ad finem, quem intendit alter homo, illa est recta operatio; non verò in ordine ad finem virtutis, quem Deus intendit. Et ita, ad hanc conditionem reuocatur alia, quæ solet requiri ad meritum, scilicet, vt opus cedat in vtilitatem vel gloriam præmiantis propriè; non tamen requiritur vt opus tale sit, quale à præmiante exigitur: In proposito autem cedit in honorem Dei, quia bonum est.

*Obiectio.* Sed dices, Contra: Quia si vnica circunstantia mala viciat actum; ita vt non sit meritum: ergo nullus est actus meritorius, cùm omnes iustitiæ nostræ sint tanquam pannus menstruatæ. Imo verò maxima opera iustorum frustrarentur præmio, si ibi interueniret circunstãtia vanæ gloriæ. *Solutio.* Ad hoc respondent plerique Theologi, quòd circunstantia potest esse ita extrinseca actui bono, vt constituat alium actum malum; qui tantum se habeat cõcomitanter ad priorem, vt si facio actum bonum ex omni parte, & per alium reflexum cupio vanam gloriam de illo; tunc prior actus est meritorius. Ita S.Tho. 2. 2. quæst. 83. artic. 13. Si verò circunstantia sit in ipso actu, ita vt illum reddat in indiuiduo malum; tunc nullo modo erit meritorius, vt patet ex illo Matth. 6. allegato; Attendite ne iustitiam vestram faciatis *Matth. 6.*

coram

coram hominibus vt videamini, alioqui mercedem non habebitis. Et postea dicit, quòd isti tales receperunt mercedem suam, id est, nõ apud Deum. Profectò, opus malum ex circũstantia, absolutè est malum, vt suprà ostendimus: ergo non procedit à charitate: ergo non est meritorius: Quia aliàs (vt vidimus supra) idem numero actus esset meritorius & demeritorius, quod licet concedat Alensis. tamen est contra omnes Doctores in. 2. distin. 24. & contra Caietanum vbi supra, Medinam codice de restitut. quæst. 27. Vegam lib. 11. in Trident. capit. 27. De qua etiam re infra iterum redibit sermo, & dicemus multa alia.

*Ad argum.* Ad argumenta. *Ad primũ.* Ad primum respondetur, quòd non esset rigidissimum, imò verò est valde consentaneum diuinę legi & Sacrę Theologię, quòd opus malum in individuo, licet esset bonum secundum obiectum; si tamen est malum secũdum circunstantiam, non sit meritorium vitæ æternæ: Et negatur quòd vix opus vllum esset meritorium: multa namque opera nulla inficiuntur malitia, vt patet ex Trident. sessio. 6. vbi decernitur, quòd licèt nostra vita respersa sit multis maculis venialibus, nihilominus multa opera fiunt bona, quæ nulla inficiuntur malitia à iustis & rectè operantibus. *Ad secũdũ.* ¶ Ad secundum respondetur, negando consequentiam propter rationem tactam paulò antea in responsione ad quandam obiectionem contra secundam conclusionem. Vndè, oculi Dei mundiores sunt, quàm oculi hominum; & idcircò, licèt Rex præmiaret optimè opus infectum aliqua circunstantia veniali contra ipsum Regem; non tamẽ Deus (vt diximus) nisi fortè in ordine ad bonum temporale, vt tenet communis opinio, de qua dicemus artic. vlt. *Solutio. 2.* ¶ Secundo respondetur, quòd in ordine ad Regem, & ad finem quem intendit Rex, illa est sufficiès & recta operatio; non tamen *est sufficiens aut recta in* ordine ad *Ad tertium.* finem virtutis, quem Deus intendit. ¶ Ad tertium respõdetur, quòd cùm bonum sit ex integra causa, efficacius est veniale peccatum ad tollendum meritum à bono opere, quam dilectio ad reddendum illud meritorium. Et multò meliùs dicetur, quòd cũ integritas bonitatis ex obiecto & circunstantijs, sit necessaria omnino, vt opus possit esse meritorium; idcircò, cùm peccatum veniale efficiat opus ipsum malum in individuo, implicat esse meritorium; ac proinde non est cur fiat illa comparatio inter peccatum veniale, & charitatem, quia non prouenit ista difficultas ex parte ipsius charitatis, sed ex parte de- *Ad quartũ.* fectus culpabilis, qui est in ipso actu. ¶ Ad quartum cum eius prima confirmatione respondetur, quòd distractio venialis mixta in oratione, non tollit meritum partibus antecedentibus nec subsequẽtibus ipsius orationis, sed parti quæ fit cum tali distractione. Si verò sit distractio naturalis sine vlla culpa, neque præsenti parti tollit meritum, sed tota oratio ex vi primæ attentionis & intentionis, ex charitate *Ad cõfir. 2.* & dilectione Dei facta, dicitur meritoria. ¶ Ad secũdam confirm. antecedens est difficile, & quidquid sit de illo, negatur consequentia. Quia non sufficit vt actus sit meritorius, quòd procedat ab aliqua virtute, sed requiritur quòd nulla ex parte inficiatur, cùm bonum ex natura sua debeat esse ex integra *Ad quintũ.* causa. ¶ Ad quintum pleriq; Theologi dicunt, quòd si quis eliciat actum primum pœnitentię, aut charitatis, ob inanem gloriam, quòd fortè non iustificabitur, quia talis dispositio non acceptatur à Deo. Imo verò, quãuis iustificaretur, nihilominus dicunt Theologi, quòd tunc illa vltima dispositio, seu primus actus pœnitentiæ ob inanem gloriam factus, non mereretur gloriã, licèt conferretur gloria propter gratiam; Sicut cùm quis iustificatur per sacramentum sine actu meritorio. *Ad sextum.* ¶ Ad sextum dicendũ, quòd D. Theodor. solùm vult, quòd quãdo quis habet duos actus interiores, quorum altero vult alere puellam propter Deum, & altero appetit inanem gloriam, primus actus est bonus, sed volũtas hominis imperfecta est propter secũdum, quia est peccatum veniale. Et aliqui Theologi dicunt, quòd primus actus est meritorius; secundus verò demeritorius. Sed hæc res infra ampliùs examinãda est simul cum ea doctrina, quæ *insinuatur* à nobis in exordio huius disputationis. *Ad septimũ.* ¶ Ad septimum dicendũ, quòd meritum dat ius ad gloriam & ad præmium, & est quo quis verè meretur augmentum gratiæ. Vndè, si inficiatur aliqua culpa, aut inani gloria, amittit meritum. Nam meritũ est actus operis operãtis. *Ad confir.* ¶ Vndè ad confirm. respondetur, quòd Eucharistia cùm sit sacramentum, causat gratiam ex opere operato; & idcirco etiam si recipiatur cum aliquo defectu veniali, vel cum aliqua parua irreuerentia veniali; nihilominus causabit gratiam: sed suscipiens, susceptione illa non merebitur gloriam ratione operis operantis, propter rationes supra tactas.

Hoc loco solet disputari, vtrum ad meritum sit necessaria actualis relatio in Deum, vel vtrum sufficiat virtualis? quæ ob id poterat disputari hoc loco, vt examinarentur simul omnes cõditiones meriti. Sed profectò, hæc controuersia commodius explicabitur art. 4. sequenti, quo loco de ea disputant Theologi; vbi interrogant, Quo pacto gratia sit principium meriti principalius per charitatem, quàm per alias virtutes?

## ARTICVLVS II.

### *Vtrùm homo sine gratia possit mereri vitam æternam?*

PRima conclusio. Homo in puris naturalibus, vel etiam in statu naturæ integræ, non potest mereri vitam æternam sine gratia. ¶ Secunda conclusio. Multo minus id potest homo existens in peccato; ac proinde homo sine gratia non potest mereri vitam æternam.

DE fide est, quòd nullus homo per sua naturalia potest mereri vitam æternam. Ita definitur in Mileuit. contra Pelag. & in Arausic. & in Tridentin. sessio. 6. cano. 2. Et probatur ex Paul. ad Roman. 6. Gratia Dei vita æterna, & cap. 8. *Rom.* Non sunt condignæ passiones huius temporis, &c. Lege Diuum Augustinum libro. 2. Confessionum capit. 9. *D. Aug.*

DISPV-



# DISPVTATIO I.

### *Vtrum de potentia absoluta possit aliquis mereri vitam æternam sine gratia?*

DE hac controuersia Scotus in. 1. d. 17. quæst. 1. quem plerique alij suæ familiæ sequuntur, docet, posse hominem mereri beatitudinem per bona opera moralia, sine aliquo dono supernaturali, sed solum ex ordinatione extrinseca, & quadam acceptatione Dei. Et citatur Sotus pro hac sententia in. 4. d. 1. q. 3. artic. 1. Probatur hæc sententia primò. Deus eleuat creaturam ordinis naturæ ad effectum supernaturalem causandum, verbi gratia, aquam ad causandam gratiam: ergo pari ratione potest eleuare operationes bonas moraliter ad merendum gloriam. Nam profectò, tãta proportio requiritur inter causam & effectum, sicut inter meritũ & præmium: ergo, &c. ¶ Et confirmatur: Quoniam posset Deus acceptare opus factum ex puris naturalibus, & illi in præmiũ assignare gloriam: ergo suppositia illa acceptatione tunc erit meritorium gloriæ. Nam si Rex statueret vt exiguus numus æstimaretur maiori pretio; tunc ex regia ordinatione haberet illum maiorem valorem, & is qui illum alteri cõferret, mereretur æquales ipsi numo: ergo. ¶ Secundò probatur. De potentia absoluta potest quis habere perfectissimum actum cũtritionis sine vlla gratia supernaturali: sed in eo casu illud opus haberet proportionẽ cum gloria: igitur posset esse meritorium eiusdem gloriæ. *Concl. 2.* ¶ Secunda sententia est, etiam de potentia absoluta necessariam esse gratiã habitualem ad meritũ vitæ æternæ. Ita sensit Capreol. in. 1. dist. 17. q. 1. ad. 1. & 2. Aureoli contra. 1. concluſ. Ferrar. 3. cõtra Gent. cap. 147. & D. Tho. hic & 3. contra Gent. cap. 150. Duran. in. 1. dist. 17. q. 2. Hi omnes sentiunt, quòd sine gratia habituali non potest esse aliqua operatio intrinsecè meritoria vitæ æternæ, etiam de potentia absoluta. Pro hac parte fecimus pleraq; argumenta supra. q. 110. art. 4. disputat. 3. & 4. Et probatur: Quia dignitas & perfectio intrinseca operationis, debet sumi & attendi penes principium proximum operandi & agendi: Sed sine gratia habituali, homo operans nõ est intrinsecè proportionatus vitę æternæ: ergo operatio procedens à tali homine, non habet intrinsecam condignitatem ad vitam æternam. Patet consequentia: Quia vt opus sit meritorium gloriæ, debet esse proportionatum eidem gloriæ, prout est eius, qui meretur: sed opus factum sine gratia habituali non est proportionatum gloriæ prout est eius qui meretur, sed tantum prout est ab Spiritu Sancto mouente: ergo, &c. Maior patet: Quia mereri est conditio tenens se ex parte operantis, & conuenit actui, non vt est à Deo, sed vt est ab homine: ergo eget principio ex parte hominis. ¶ Et confirmatur. Quia sine gratia habituali homo non operatur cõnaturaliter opera gratuita & supernaturalia: ergo eiusmodi opera non sunt meritoria intrinsecè & connaturaliter. De qua re legenda sunt quę diximus quæstio. 110. artic. 3. & 4. ¶ Tandem probatur. Quia si homo potest sine gratia habituali mereri gloriam: ergo pariter poterit mereri primam gratiam habitualem. Quia opus quod est proportionatum gloriæ, etiam tali gratiæ.

Caietan. hic in Comment. excusat se ab hac quæstione, & solum dicit, ex hoc articulo non haberi partem negatiuam quæstionis. *Caietan.*

Pro explicatione tamen difficultatis, aduertere oportet primò, aliud esse Deum promittere beatitudinẽ propter opera moraliter bona; aliud verò opus moraliter bonũ, esse meritorium beatitudinis, etiã suppositia promissione Dei: Quia ad promissionem sufficit sola Dei volũtas, ex qua propter fidelitatem Deus certò donabit & conferet beatitudinem operanti illud opus; Ad meritum verò cũ interueniat aliqua ratio iustitiæ inter ipsum & præmium, requiritur aliqua proportio inter ipsum & præmium; neque debet hæc proportio esse ex sola & præcisa acceptatione extrinseca præmiantis, sed etiam ex ipsa natura operis, quatenus procedit à tali principio: Sicut opus factum à charitate secundum quòd procedit à gratia & charitate, habet connaturalitatem condignitatem, & proportionem cum fine supernaturali, vt explicat S. Tho. art. 3. sequenti. ad. 3. Aliàs enim si non sit hæc proportio, condignitas, & connaturalitas, redditio talis promissi, potius habebit rationem liberalitatis, quàm iustitiæ, vt si quis propter trientem promitteret regnum. Itaque est grande disidium inter hæc merita, quia meritum quod oritur ex gratia præter diuinam institutionẽ, habet proportionem cum præmio reddendo, cùm gratia faciat nos filios Dei, & cõsequenter heredes & participes naturę diuinæ: at verò illa alia merita nõ habent proportionem, vt diximus. *Not. 1.* *Not. 2.* ¶ Secũdò aduerte, quantum sit disidiũ inter adoptionẽ filiorum Dei, & adoptionem humanã. Nam certè adoptio humana tantum dat ius ad paternã hæreditatem; adoptio autem diuina, præter ius hæreditatis, tribuit etiam consortium & participium diuinæ naturæ; & ob id gratia est semen Dei, qua generamur participes naturæ diuinæ, & nominamur & sumus filij Dei.

His ita prælibatis, est prima conclusio. De potentia ordinaria in pura creatura requiritur & est necessaria gratia habitualis ad merendum gloriam. *Concluſ. 1.* Hanc tenet S. Thom. hic & in. 1. dist. 17. & in. 2. dist. 27. Alexand. Alensis. 3. p. quæst. 70. memb. 3. Sotus lib. 3. de natura & grat. cap. 17. Et patet ex Triden. sessio. 6. cano. 2. dicente, sine gratia neminem mereri posse. Idem etiam docet D. Augustin. lib. de Spiritu & litera cap. 27. Prosper in sententijs cap. 46. Probatur etiam ex Paul. ad Roman. 6. vbi vita æterna vocatur gratia: Quia videlicèt vitam æternam non meremur sine gratia, neque sine ea ad gloriam peruenire valemus. Et cap. 8. Quòd si filij, & heredes, &c. Et Genes. 4. Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius, quasi dicat, priùs placuisse personam, quàm munera. Quod ita interpretatur Gregor. 22. Moral. capit. 12. & D. Augustin. expendit & ponderat ad hoc illud Ioan. 1. Gratiam pro gratia, & Cyrill. & Chrysostom. illud Ioan. 4. Vbi gratia appellatur fons aquæ salientis in vitam æternam, D. Bernard. sermo. 67. in Cant. D. Augustin. lib. 2. confession. capit. 5. Chrysostom. homil. 30. ad popul. Antiochen. Et hoc quidem definitur in Arausican. canon. 8. Debetur merces bonis operibus, sed gratia quæ non debetur, præcedit vt fiant. Quocirca, *Sotus. D. Auguſt. D. Proſper. Roman. 6. & 8. Geneſ. 4. D. Gregor. D. Auguſt. Ioan. 1. D. Cyrill. Ioan. 4. D. Bernar. D. Chryſoſ.*

Ecclesiastes

*Eccles.34.* Ecclesiastes.34.legimus,quòd dona iniquorum nō
*Isaiæ.1.* probat altissimus; & ob id Deus Isaiæ. 1. inquit;
Quò mihi multitudo victimarum vestrarum,incen
sum abominatio est mihi.

Ratione probatur:Quoniam aliàs posset quis per
sola opera moralia si moreretur, obtinere gloriam
sine gratia, quod est contra fidem. Et confirmatur:
Quoniam gratia facit nos participes diuinæ natu-
ræ: ergo consequenter facit nos hæredes, vt Paul.
loco citato dixit, Quòd si filij, & hæredes: ergo è
contrario,si non sumus filij,non possumus hæredi-
tatem mereri.Nam qui non participat naturam diui
nam per gratiam, non debet participare eius finem
per gloriam.Item probatur: Quoniam qui non est
in gratia,est in peccato mortali,vel originali:igitur
*Rom.6.* potius meretur mortem, quàm vitam æternā, iuxta
illud Roma.6. Stipendia peccati mors.Et sanè,adeò
vera esse censetur hæc conclusio à D.Tho.vt si cha-
ritas daretur sine gratia, opera nostra non possent
esse meritoria. Ita dixit Sanctissimus Præceptor de
verit.quæst.27.artic.2.ad.4.Tandem probatur: Quia
præmium gloriæ est supernaturale : ergo & opus
meritorium illius debet procedere à persona eleua-
ta ad ordinem supernaturalē gratiæ. An verò Chri-
stus sine gratia habituali per gratiam vnionis præ-
cisè,verè meruerit,de hoc dicemus inferius in spe-
ciali dubitatione de hac re.

*Conclus.2.* Secunda conclusio. Implicat contradictionem,
quòd aliquod opus bonum solis viribus naturæ fa
ctum,sit meritorium vitę æternę intrinsecè,& qua-
si connaturaliter.Probatur:Quia opus solis viribus
naturæ factum ex sua intrinseca ratione nihil respi-
cit supernaturale : ergo implicat quòd sit intrin-
sece & quasi connaturaliter meritorium vitæ æter-
*Ferrar.* næ . Hanc tenet Ferrar. 3. contra Gent. capit. 147.
*Capreol.* &. 150.& à fortiori in distinct. 17. quæstio. 1. ad ar-
gumenta contra.1. &.2. conclusionem. Nam certè,
de ratione meriti propriè sumpti, est proportio in-
ter merentem,& eum apud quem meretur,& inter
obsequium & præmium:sed hæc proportio non est
in puro homine sine gratia:ergo.

*Conclus.3.* Tertia conclusio. Licèt de potentia absoluta non
requiratur gratia habitualis; requiritur tamen gra-
tia in esse gratiæ, vt quis de condigno mereatur
gloriam. Prima pars huius assertionis ostensa fuit
à nobis suprà quæstione. 110.artic.4. & quæstio.112.
Potest namque quis sine qualitate adiecta esse ami-
cus Dei. Hanc autem amicitiam requiri, proba-
tur: Quia ad hoc vt opus sit meritorium alicuius
præmij, vt sæpiùs diximus, debet habere propor-
tionem cum illo: ergo persona operans; cuius di-
gnitas potissimè attenditur in merito, debet esse
eiusdem ordinis & dignitatis : Qui enim pro re
leuissimi momenti promitteret ingentissimum pre
miū;potiùs diceretur liberaliter & gratis conferre
illud:sed quodcumque opus non procedens à gra-
tia Dei, est leuissimi momenti in ordine ad glo-
riam : ergo si promitteretur pro illa gloria, potiùs
liberaliter & gratis redderetur, quàm vt præmium
debitum. Rursus persuadetur:Quia aliàs posset ho-
mo peccator mereri gloriam , imo & primam gra-
tiam,vt suprà intulimus. Itaque,cum opera morali-
ter bona ex solis naturæ viribus facta, non habeant
proportionem cum gloria, neq; secundum se, neq;
secundum principium à quo procedunt cum bea-
titudine,non possunt esse meritoria gloriæ,propriè
loquendo de merito perfecto: Et ob id,si Deus do-
naret pro his operibus gloriam; tunc homo conse-
queretur beatitudinem ex liberalitate Dei, & infal
libili veritate suæ promissionis, potius quàm ex ra-
tione meriti aut iustitiæ propriè loquendo. Et pari
ratione , ex hoc dissoluitur dubitatio illa paulo an-
tea insinuata, vtrum si quis haberet charitatem &
non gratiam in esse gratiæ, actus illius charitatis
essent meritorij ? Dicendum est enim negatiuè, vt
insinuauimus:Quia persona est indigna vel non di
gna. Quia charitas, cùm de potentia absoluta pos-
sit esse simul cum peccato (vt multi dicunt) non
tribuit sufficientem dignitatem. Si tamen è contra
habeat gratiā & non charitatem;tunc persona esset
digna & particeps diuinę naturæ per gratiā, qui ca
sus si de potētia Dei daretur, tunc opera illius pos-
sent esse meritoria,de qua re inferi' redibit sermo.

Quarta conclusio. De potētia absoluta,tale opus *Conclus.4.*
viribus naturæ factum, potest esse meritorium vitæ
æternæ, per quandam extrinsecam denominatio-
nem & ordinationem;sed hoc non esset mereri bea
titudinem merito perfecto aut proprio. Probatur:
Quia posset Deus ordinare,vt quicumque ex homi
nibus daret eleemosynam,ex solis naturalibus con
sequeretur vitam æternam;& tunc tale opus extrin
secè esset verè ordinatum ad vitam æternam, licèt
id non haberet ex sui intrinseca ratione. Vnde, ob
id diximus , quòd potiùs hoc meritum pertineret
ad liberalitatem Dei.

Quinta conclusio.Probabile est quòd sine gratia *Conclus.*
habituali potest dari opus, quod sit intrinsecè meri
torium vitæ æternæ.Nam q.113.art.2.diximus,posse
hominem de potentia absoluta iustificari sine dono
habituali.Probatur hæc assertio : Quoniā si quis ex
motione Spiritus Sancti diligat Deum super omnia
in quātum est finis vltimus supernaturalis,illa dile-
ctio ex sua intrinseca ratione est supernaturalis, &
proportionata vitæ æternæ:ergo esset meritoria in-
trinsecè, licèt nō præsupponeretur habitus gratiæ.
Patet cōsequentia : Quia adhoc vt opus dicatur in-
trinsecè meritoriū, satis est quòd habeat intrinsecā
proportionē cum vita æterna.Et confirmatur:Quia
si de potentia absoluta iustificaretur aliquis sine do
no habituali,iā ille homo ita iustificatus, posset per
speciale auxilium habere supernaturalia opera, &
exercere dilectionem Dei supernaturalem,vt dixi-
mus:ergo per opera illa supernaturalia posset mere
ri.Patet consequentia:Quia illa opera essent homi-
nis iustificati,& proportionata cum præmio. Iuxta
hunc modum est intelligenda doctrina.S.Thom.3.
contra Gen.c.146.&.190.& Ferrar.ibidē: Non enim
docent,esse simpliciter necessariam gratiā habituā-
lem ad merendum, etiam de potētia Dei absoluta,
vt aliqui putant, sed gratiam secundum quòd dicit
supernaturale auxilium eleuās intrinsecè potētiam
ad operationem supernaturalem & diuinam.

*Ad arg.* Ad argumenta . Ad primum respondetur, ne-
*Ad prim.* gando consequentiam : Quoniam res naturales
concurrunt & eleuantur tanquam purè instru-
menta : at verò ad meritum concurrit homo in ra-
tione causæ moralis & meritoriæ , & ob id concur-
rit homo vt causa principalis per suos actus, quia
liberè se mouet tanquam dominus actus meritorij,
& ipse solus homo est qui meretur, non Deus. Vn-
dè, debet esse proportio inter meritum & præmiū.
Cùm ergo homo in ratione causæ moralis,per suos
actus sit causa principalis, si illi actus ex se non ha-
bent proportionem , non possunt ad id assumi tan-
quam instrumenta. ¶ Ad confirmationem respon
*Confirm.* detur,quòd valor pecuniæ non aliter attenditur , quā
secundum æstimationem Regis,sed valor boni ope
ris debet attendi secundum se ipsum,& secundum
principium à quo procedit,vt sit opus meritorium.
¶ Secundò respondetur ex dictis,quòd ad meritum
de condigno,requiritur aliqua proportio,neq; suf-
ficit extrinseca tantum æstimatio. Vnde,potius tūc
deberet Deus gloriā propter suam fidelitatem,quā
propter meritū operis,seu propter opus illud: Quo-
*Ad secundū* circa non sufficit illa proportio extrinseca. ¶ Ad se-
cundum respondetur,tunc illud opus non esse me-
ritorium:Quia persona à qua procedit, cuius digni
tas principaliter attenditur , non est proportionata
tali merito,sicut nec modò peccator per actus fidei
meretur;alias per contritionem quæ est prior natu-
ra,quam gratia,meretur illam. Vnde, Scriptura di-
xit,quòd respexit Deus ad Abel & ad munera eius.
Ex quo patet, quòd persona à qua procedit meritū,
debet habere dignitatem proportionatam merito,
quam non habet si careat gratia.Sed de hac re dice
mus infrà.

*Argum. sententiæ. Plurimum* Ad argumenta quæ militant pro secunda senten
tia,ferè quidem sunt soluta ex superioribus. Ad pri
mū pleriq; censent, probabilius esse quòd sine gra-
tia habituali non potest esse aliqua operatio intrin-
secè meritoria vitæ æternæ, etiam de potentia abso-
luta, & ita senserunt Ferrar. & Capreol. locis suprà
citatis, moti ex efficacia huius argumenti & suæ cō-
firmationis;& ita concedunt modò nonnulli ex re-
centioribus.Sed nihilominus respondetur, quòd si
Deus sine habitu gratię,ex motione tamen Spiritus
sancti,de potentia absoluta efficeret hominem gra-
tum sibi,tunc illud opus esset proportionatum glo-
rię;quia procederet ab homine eleuato ad esse super
naturale,& formaliter amico Dei , licèt non modo
consono naturis rerum,scilicet, per habitum etiam
vt est ab operante,& proportionatum: Quia suppo
no procedere ex influxu gratiæ , nempe ex motio-
ne Spiritus sancti efficientis in homine id,quod ef-
*Ad secundū* ficeret habitus ipse. Et ex his patet ad confirmatio-
nem. ¶ Ad secundum nonnulli dicunt , quòd sicut
homo potest de potentia absoluta sine gratia habi-
tuali mereri gloriam , ita per idem meritum posset
ex eadem potentia absoluta Dei mereri habitū gra
tiæ à Deo donandum;& tūc antecederet meritum,
quod ab Spiritu sancto mouente procederet, ipsam
infusionem gratiæ habitualis,sed hoc est dumtaxat
de potentia absoluta Dei. Nam de lege ordinaria
oppositum est verum & secundum fidem. Sed de
hac re fusiorem habebimus disputationem in se-
quentibus.

## DISPVTATIO II.

*Vtrùm saltē Christus potuerit mererisine gra-
tia creata,aut habituali de lege?*



Disputatio hæc explicanda est à no-
bis hic, vt aperiatur quāta sit neces-
sitas gratiæ ad merendum , & an sit
aliquis homo , qui sine habituali
gratia verè possit mereri aliquid su
pernaturale apud Deum ? Et titulus quæstionis est,
Vtrùm necessariò sit ponenda gratia habitualis in
Christo,vt possit mereri, & esse grata eius humani-
tas? Vel vtrum sufficiat præcisa & sola gratia vnio-
nis? In quare Palud.in.3.dist.13.q.2.Marsil.in.3.q.10. *Palude.*
art.1.Durand.in.3.dist.12.q.1. Capreol.dist.19.&.20. *Marsilius.*
q.vnica.Driedo de captiuit.& redempt.generis hu- *Durandus.*
mā.part.2.fol.8.partem tenent affirmatiuam.Putant *Capreolus.*
enim gratiam habitualem sic fuisse necessariā Chri *Driedo.*
sto , vt neque etiam de potentia absoluta potuerit
mereri , aut edere operationes supernaturales sine
tali gratia. ¶ Alij verò dixerunt, quòd de lege ordi-
naria & suaui dispositione Dei , fuit necessaria gra-
tia habitualis in Christo , ad meritū & operationes
supernaturales;non tamē de potentia Dei absoluta.

Quòd verò pars affirmatiua de necessitate gratię
habitualis in Christo ad merendum,quam sequun-
tur authores supra citati,sit probabilis,ostendunt se
quentia argumenta. Nam primò. Omnis operatio *1.Argum.*
meritoria,habet proportionem cum præmio , scili-
cet,cum vita æterna: sed sine gratia,operationes hu
manitatis Christi, non haberēt proportionem cum
vita æterna: ergo, &c. Maior est certa in materia de
merito:Minor verò probatur:Quia illę operationes
essent merè naturales, si proficiscerentur ab huma-
nitate sine gratia.Neq; sufficit dicere,quòd etiā ho-
mo iustus meretur vitam æternam per operationē
virtutis acquisitæ , nempe , per opera misericordiæ
& temperantiæ : Quia est dispar ratio in Christo &
in nobis:Illud enim suppositum hominis iusti , est
iustū & gratum Deo secundū gratiam illā habitua-
lem ; at humanitas Christi secluſa gratia habituali
non est grata isto modo per se,neq; per se ordinata
in vitam æternam.Nam per solam gratiam vnionis,
non est per se ordinata in vitam æternam humani-
tas Christi,quòd si anima eius nullam haberet gra-
tiam neque charitatem, nunquam posset per actum
charitatis edere operationem meritoriam & super-
naturalem,qua per se referret se ipsum ad Deum &
ad merendū;siquidē careret,vt supponimus, gratia
& charitate. Dices,q̄ in eo casu,sufficeret voluntas
Verbi referentis omnia opera ad Deū. Sed cōtra:Nā
volūtas Verbi vt sic,nō est meritoria,neq; potest es-
se meritoria;quia est volūtas Dei:ergo volūtas crea
ta requiritur ad meritū. ¶ Secūdò arguitur. Necesse *Secundum.*
est,vt is qui meretur in quantū meretur apud Deū;
sit illi gratus: sed Christus in quantum homo nō est
gratus Deo,nisi per habitualem gratiam : ergo non
potest mereri nisi per gratiam creatam.Ostendo cō
sequentiam: Quia Christus nō meruit in quantum
Deus,sed in quantum homo.Minor probatur.Quia
in quantum homo non est gratus per gratiam vnio
nis , id est gratitudine essentiali diuina , Quoniam
gratitudo hæc conuenit illi in quātum Deus, & nō
prout est homo. Probatur maior : Nam meritum
hominis apud Deum,non potest esse ex rigore iusti
tiæ: ergo formaliter loquendo fundatur in gratia. *Tertium.*
¶ Tertiò arguitur : Gratia vnionis in Christo per
se loquendo ordinatur ad vnionem hypostati-

cam; & nõ ordinatur ad visionem supernaturalem: ergo neq; per illam potest mereri. Ostendo consequentiam: Quia meritum ordinatur per se ad vitam æternam; sicut medium ad præmiũ: ergo illa gratia vnionis nõ ordinat ad præmium, neq; ad meritum.

*Confirm.* ¶Et confirmatur: Quia aliàs Christus homo, posset mereri primam gratiam: sed prima gratia non cadit sub merito: ergo.

*Quartum.* ¶Quartò arguitur. Si Verbum assumeret humanitatem in puris naturalibus, tunc illa humanitas haberet intellectum nudum & voluntatem nudam sine cognitione vlla supernaturali: ergo haberet ignorantiam: ergo non posset mereri per operationes exercitas talis naturæ in puris naturalibus: ergo neque esset grata Deo illa humanitas assumpta à Deo in puris naturalibus.

*Quintum.* Dices, naturam illam ex suppositatione in supposito infinitè grato, necessariò fieri gratam. ¶Sed contra arguitur quintò. Nam diuersa ratio est de operationibus, ac de natura: Operationes enim procedũt à libertate immediata ipsius naturæ gratæ Deo; at verò natura, quæ est in supposito grato, habet distinctam libertatem ab illo. Et declaratur hoc. Nam si Angelus gratus assumeret naturam humanam, non ideo humanitas necessariò esset grata, neq; eius operationes meritoriæ, licèt suppositum esset gratum: ergo similiter humanitas Christi. Antecedens probatur: Nam posset Deus humanitatem infectam peccato vnire angelo grato, & tunc ex vnione ad Angelum non fieret grata: ergo, &c. ¶Et confirmatur: Quoniam cùm humanitas habeat distinctam libertatem à libertate suppositi, licèt suppositum vellet inire amicitiam cum Deo, potest humanitas ipsa refilire: ergo.

*Sextum.* ¶Sextò arguitur. Quia si humanitas esset accepta & grata Deo per gratiam vnionis, & nõ esset necessaria ad hoc gratia habitualis in Christo, sequeretur, quòd non posset Deus assumere naturã humanam de potentia absoluta, quæ non esset per se ordinata ad vitam æternã: consequẽs est falsum, & contra communem opinionem. Sequela probatur: Quia si quis est in gratia, eo ipso quòd est in illa, necessariò est ordinatus in vitam æternam; igitur si per hanc gratiam vnionis Christus potest mereri: ergo non potest de se nõ esse ordinata natura assumpta in vitam æternam: hoc autem videtur apertè falsum: ergo.

*Caietanus. D. Thomas* Huius sententiæ videtur fuisse Caiet.3.p.q.7.ar.7.8.&.9.&.10. Vbi semper supponit gratiam istam habitualem fuisse necessariam ad meritum in Christo, & hæc videtur sententia D.Thom.3.part. quæst.7.artic.1.ratione.3.& solut.ad.1.&.2.&.3.part. quæst.14. artic.1.ad.1.& de verit.quæst.29.artic.1.in corpore, & ad.4.& expressiùs artic.5.ad.4. Vbi dicit, quòd licèt meritum Christi habeat quandam infinitatem ex dignitate personæ; tamen rationem meriti habet ex gratia habituali, sine qua meritũ esse non potest. Neque satisfacit dicere, quòd loquatur S.Thom.de lege ordinaria. Quoniam D.Thom.loquitur de per se & necessariò requisitis ad merendum. ¶ Nam ad meritum requiritur ordo in finem supernaturalem: sed in puris naturalibus non est talis ordo in humanitate, cùm in puris naturalibus non sit participatio diuinæ naturæ intrinseca, quæ non potest haberi nisi per gratiam: ergo. Et confirmatur: Quia meritum de condigno, nullum est, nisi proportionetur fini supernaturali, vt S.Thom.in hoc artic.& sequẽti dicit: sed in puris naturalibus nullum opus est proportionatum fini supernaturali, cùm is finis excedat omnem naturam: ergo in tali statu nõ potest esse meritum. Probo consequentiam: Quia secluſa gratia creata omnino & donis supernaturalibus, vnio hypostatica præcisè de se tantum habet communicare esse personale Verbi, & de se nõ includit ordinem ad beatitudinem creatam: ergo neq; de se tribuit vires ad meritum vitæ æternæ. Quòd verò de se non includat ordinem ad beatitudinem creatam, ostendo: Quia aliàs sequeretur, quòd Deus de potentia absoluta non posset assumere naturam humanam absq; eo, quòd illam beatificaret: Quia quæ sunt de intrinseca ratione & natura rei, Deus non potest immutare: ergo. Vndè, cùm ad meritum vitæ æternę sit necessaria operatio supernaturalis, quia sola illa potest attingere finem supernaturalem, neq; sufficiunt vires naturæ; sequitur, quòd in puris naturalibus non potest esse meritum. ¶Propter hæc argumenta nonnulli Theologi ex recentioribus crediderunt, gratiam creatam, ita fuisse necessariam in Christo ad merendum, vt sine illa nulla ratione potuerit mereri, neque sufficere gratiam vnionis; cùm hæc de se solum habeat communicare esse personale. Et sanè, omnes illi Theologi qui putant, quòd Christus non satisfecit de rigore iustitiæ, velint nolint, debent dicere, quòd sine ista gratia creata non poterat Christus mereri. Et dicunt hanc esse opinionem communem.

*Suppon.1.* Pro explicatione huius difficultatis suppono primò vt certũ de fide, quòd in anima Christi fuit gratia creata: Et id constat ex diuinis literis Ioan.1. Vidimus gloriam eius gloriam quasi vnigeniti à Patre plenum gratiæ & veritatis, & Lucæ.2. Et gratia Dei erat in illo. Isaiæ.11. Requiescet super eum Spiritus Domini; Qui sanè dicitur esse, & requiescere in homine per gratiam. Et Ioan.10. Quem Pater sanctificauit. Vnde, in Concil. Trid. sess.6.cano.7.&.11. definitur, gratiam in Christo & in omnibus iustis esse aliquid creatum inhærens animæ. *Ioan.1.* *Luc.2.* *Isaia.11.* *Ioan.10.*

*Suppon.2.* ¶Suppono secundò, quòd de potẽtia absoluta Dei potuit fieri vt Verbum assumeret naturam humanam, & hypostaticè eam terminaret, non producendo gratiam creatam aut habitualem in ipsa; Nam potuit assumere naturã illam in puris naturalibus, hoc est sine gratia vlla creata. ¶Tertiò suppono, quòd de potentia absoluta Dei, non est necessaria ad meritum in nobis aut in Christo habitualis gratia: Nam de potentia absoluta possumus iustificari sine habitibus infusis; sed vt minimum absolutè requiritur ad meritum supernaturale aliquod auxilium eleuãs naturam ad operationes supernaturales.

*Suppon.3.*

*Conclus.* His ergo ita prælibatis, est prima conclusio. Christus vt homo, per gratiã vnionis fuit formaliter Deo gratissimus; & etiam ipsius humanitas, ita vt neque per Dei potentiam fieri potuerit, quin ille homo Christus fuerit Deo gratus, eiusque humanitas dilecta, grata, & sancta. Probatur: Quoniam fieri non potest, quin humanitas illa vnita Verbo, efficacissimè diligatur à Deo dilectione supernaturali: Quia volũtas Dei nõ supponit bonum quod diligit, sed cõfert: & ob id tantum diligit quantũ confert: sed contulit humanitati bonũ infinitè



infinitè superans naturam creatam; nempe ipsum esse personale Verbi Dei: ergo necessè est summè diligi à Deo. Neque satisfacit dicere, ex hoc tantum sequi humanitatem esse amatam amore beneuolentiæ; sed non sequi, esse amatam amore amicitiæ. Quia potest Deus cõmunicare se ipsum alicui per visionem beatam, quæ est maximum bonum, sine eo quòd tribuat ei gratiam in esse gratiæ. Sicut homini in puris naturalibus posset Deus conferre fidem, & plura alia dona supernaturalia sine gratia: ergo pari ratione poterit cõmunicare se ipsum personaliter alicui naturæ per hypostaticam vnionem, sine eo quòd conferat gratiam. Non inquam satisfacit hoc, neque quicquam valet: Quoniam vnio per visionem beatam, tenet se tantum ex parte intellectus; atque adeo, sicut fides non sufficit gratificare, quia non est primum principium supernaturale eleuans naturam & essentiam, & reddens illam proportionatam in actu primo, vt redametur à Deo: Ita neque præcisa visio beata; At vnio hypostatica, quæ in ipso Verbo est, respectu totius naturæ participãtis totum esse diuinum, quod formaliter est omnis gratia, & fons omnium gratiarum; est principium perfectiuum redamationis. Secundò potest dici, quòd etiam si visio beata, & qualitas gratiæ de potẽtia Dei absoluta possint esse in peccatore, quòd tũc non esset gratus, quia haberet aliquid contrarium amicitiæ Dei, & ita non diligeretur amore amicitiæ à Deo: Si tamen ponerentur hæc in homine non habente peccatum, tunc eò ipso esset gratus, & esset dilectus Deo, & constitutus in actu primo vt diligat ipsum Deum, etiam si de facto non diligat secũdum exercitium actuale. Sicut pueri baptizati, sunt amici Dei, etiam si Deus statuisset, vt nunquam eliceret actus charitatis. Neque est eadem ratio de fide, quæ tantum eleuat intellectum, & nõ naturam, neque est radix redamationis, ad quam ordinatur amicitia. Præterea: Deus diligit iustum tanquam amicum propter bonum illi collatum: ergo à fortiori diligeretur humanitas assumpta à Verbo tanquã sibi grata & amica: Quia tribuit illi maius bonum, quam omnibus iustis simul. Rursus: Gratia vnionis talis est, & tantæ virtutis, vt cum illa natura non possit peccare: ergo per hanc gratiam vnionis manet eadem natura rectificata in ordine ad finem supernaturalem: ergo manet grata. Ostendo consequentiam. Quia esse gratam, nihil aliud est, quã habere in se vnde meritò diligatur dilectione supernaturali, & carere omnino eo, vnde possit odio haberi; quod totum est inseparabile ab hac vnione, seu à gratia vnionis. Imo verò, hæc gratia vnionis continet in se secluſis imperfectionibus, quidquid est in omni gratia supernaturali: ergo sicut gratia creata facit esse gratum, & dignum diuino amore, & diuina dilectione, id multo magis efficit gratia vnionis hypostaticæ ad esse personale Verbi.

Persuadetur etiam hæc conclusio. Quoniam non est persuasibile aut intelligibile, quòd deriuetur gratia suppositi ad operationes mediante natura, & quòd non deriuetur in ipsam naturam, quæ est immediata ipsi supposito, & quæ mediat inter suppositum & operationes. Antecedens verò, quòd operationes illæ essent gratæ Deo, probatur: Tunc essent meritoriæ infinitè: sed hoc non esset propter præcisam gratiam animæ Christi, quæ vt sic finita est, sed propter suppositum: ergo etiam tunc essent infinitè meritoriæ. Tunc vltra: Operationes Christi essent gratæ Deo: ergo ipsa humanitas esset grata. Patet consequentia: Quia implicat, operationes alicuius naturæ placere Deo, & quòd ipsa natura, ex qua immediatè fluunt, non placeat Deo: quoniam operationes non placent propter se præcisè, sed propter naturam. Et ob id Scriptura dixit priùs, quòd respexit Dominus ad Abel, & deinde dixit, Et ad munera eius. ¶ Dices ad hoc, operationes placere propter suppositum. Sed contra: Nam si operationes placent, quia procedunt à tali supposito: ergo multò magis natura placet, quoniã immediatius & perfectius natura vnitur ipsi supposito, quam operatio: Suppositum enim non influit speciali concursu in operationes, & non in naturam; sed quia sustentat naturam, ad quam sustentandam immediatè cõcurrit: ergo intentum.

Probari etiam potest conclusio efficaciter ex sanctis Patribus super illud, Psalm.44. Vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ, & Isaiæ.61. & Lucæ.4. Spiritus Domini super me, propter quod vnxit me; dicunt enim vnctionem hanc, qua Christus fuit vnctus, esse ipsam diuinitatem, seu Verbum, per cuius præsentiam humanitas sanctificatur. Ita docet Cyril.lib.4.in Ioan.cap.29. Et Nazian.oratio.36.&.93.& oratio.42. Idem D.Damascen.1.de imaginibus, &.3. de fide.cap.3.4.&.17.& lib.4.cap.6. D.Augustlib.de prædestin. Sanctorum. cap.15. & ab alijs citatur in plerisque libris de Trinitate. Vbi ait, vnctam fuisse inuisibili Deo humanam naturam, quando diuinæ est iuncta personæ. Et Nicetas.lib.3. Thesauri.cap.3. ait. Ipse se ipsum vnxit, diuinitas enim, humanitatis est vnctio. D.Anselm.ad Hebræ.1. D.August.lib.3. contra Maximin.cap.16. Idem docet Fulgent.de Incarnat.& grat.cap.10. Omnes ergo isti sancti Patres censent, Christi humanitatem, seu Christum vt hominem, formaliter ex vi ipsius gratiæ vnionis, absolute fuisse vnctum, & sanctum, & simpliciter Deo gratum. Hoc ipsum dicitur in Concil. Francfordiẽsi, sub Adriano.1. Idem docet D. Athanas. oratio.2. contra Arrianos. Quod etiam videtur insinuari Lucæ.1. in illis verbis. Quod enim nascetur, sanctum vocabitur filius Dei. Sanè Christus in quantum homo prædestinatus est esse filius Dei naturalis, nullo habito respectu ad gratiam habitualem. Vt docet Sanct. Thom.3.part.quæst.24.artic.2. Sed prædestinatio intrinsecè claudit Dei dilectionem, imo eam supponit secundum rationis ordinem: ergo. Hoc etiam ex illo Ioan.3. confirmatur; Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret: Nam pari ratione dicere poterat, Sic Deus hanc Christi humanitatem dilexit, vt ei filium suum vnigenitum per vnionem hypostaticam daret: ergo Christus, vt homo, summè est dilectus à Deo per hanc vnionem, summèque gratus, &c.

*Conclus.2.* Secunda conclusio. Si sit sermo nõ de lege, sed de potentia Dei absoluta, quãuis Christus nõ haberet gratiã habitualem, aut creatam, sed dũtaxat gratiã vnionis; nihilominus verè posset mereri, & satisfacere pro hominibus. Hæc assertio est cõmunis modo inter Thomistas, & explicat magis dignitatẽ Christi. Hãc olim tenuit *Victoria.* Vict. & *Sotus.* Sot.in.4.d.

1.q.5.art.5. & dist.19.q.1.art.2.&.3.de natu.& gratia, cap.6.Vbi ait, loquēs de satisfactione Christi, quòd etiam si nulla gratia creata esset in Christo, esset meritū de rigore iustitiæ, ratione gratiæ vnionis. Quia eius opera procederent à supposito infinitè grato. Quare, citati authores dicunt, quòd licèt Christus poterat absolutè de condigno mereri ex rigore iustitiæ, etiam sine ista gratia creata; nihilominus data est Christo ad maiorem perfectionem humanitatis, & pulchritudinem animæ, & propter maiorem dignitatem ad merēdum, & vt operationes eius essent meritoriæ omnibus titulis. Hoc idem sensit Bartho. Medina. 3.part.quæst.7. artic.1. & Vega in Trident. locis citatis.

*Medina. Vega.*

Probatur præfata assertio: Quoniam valor operū sumitur principaliter à supposito: sed hoc est infinitè gratum, quia est filius naturalis Dei: ergo licèt Christus non haberet gratiam creatam: eius opera essent verè meritoria. Et confirmatur: Nam opera Christi de facto fuerunt infiniti meriti: sed non prout fluebant à gratia habituali creata infinita: ergo sicut suppositum de facto præstitit infinitum valorem, quem præstare non poterat ipsa gratia; ita sine vlla gratia creata id posset. ¶Et confirmatur iterum: Quoniam ad meritum requiritur, quòd operatio sit subiecti grati Deo, & ordinata in finem supernaturalem, & quòd habeat aliquid supernaturalitatis: sed hoc habent opera Christi, etiam secluſa gratia creata: ergo. Probatur maior: Quoniam ad opus meritorium non requiritur in iustis aliud, nisi quòd sit ordinis supernaturalis, & ordinatum in finem supernaturalem, & quòd procedat ab amico; Quòd verò Christi opera sint huiusmodi, probatur: Quia opera quæ procedunt ex supposito grato, gratitudine participata & imperfecta, habent veram supernaturalitatem, & ordinem ad supernaturalem finē: ergo à fortiori opera quæ procedunt à supposito infinitè grato, participant aliquid supernaturalitatis, & efficaciter ordinantur in supernaturalem finem: ergo sunt meritoria. ¶Sed dices: Opus non est meritorium nisi actualiter referatur, vel saltem habitualiter per actum supernaturalem præcedentem: ergo si Christus non haberet vllum actum, quo referret talia opera, neq, vllum actum supernaturalem; tunc non mereretur per talia opera, sicut neq; merentur iusti. Respōdetur, esse diuersam omnino rationem: Quia in nobis requiritur actus referens talia opera, ob id, quòd ipsa opera non habent valorem, vt eliciuntur ab homine, sed vt eliciūtur à gratia. Et quoniam non censentur elici à gratia, nisi in quantum per aliquem actum referuntur in finem gratiæ; idcirco in nobis requiritur actus. At verò opera Christi habebant valorem quatenus eliciebantur à supposito; & idcirco nō indigebant actu, per quem cēferentur elicita à gratia, & à supposito grato: Quia omnis actio de se habet vt sit à supposito. Rursus probatur: Nam homo verè meretur & potest mereri per gratiam creatam aut habitualem: ergo multò magis per gratiam vnionis hypostaticæ, quæ est eleuatior vnio, & continet omnem gratiam. Imo verò, Si Christus nō posset mereri sine ista gratia creata; sequeretur, quòd eius meritum non esset de rigore iustitiæ, neq; posset esse de rigore iustitiæ. Probatur sequela: Quia illa gratia est finita, quòd si necessariò est principium meriti, & gratia vnionis est imperti nens ad meritum; sequitur, quòd meritum erit finitum: ergo non de rigore iustitiæ: At opera Christi sunt infiniti valoris personaliter, quia sunt opera Verbi incarnati: ergo infinitè meritoria. Vnde implicat, quòd Christus filius Dei naturalis, offerat Patri opus aliquod, & quòd illud non sit infinitè acceptum Patri. Nam ieiunium hominis iusti relatum in gloriam Dei, est meritorium vitæ æternæ de condigno: ergo multo magis ieiunium Christi, cùm sit filius Dei naturalis, quod habet per vnionem hypostaticam. Profectò, Opera Christi ex vnione hypostatica, erant eleuata ad eundem ordinem cum fine supernaturali, & erant infinitæ dignitatis: ergo maximè erant meritoria, &c.

*Conclus.3.*

TErtia conclusio. Valde probabile est, quòd seclusо omni supernaturali principio creato, siue sit auxilium siue habitus, intellectus & voluntas Christi possunt elicere operationes supernaturales, non solum supernaturalitate morali, sed physica & entitatiua. Probatur hæc conclusio. Quoniam secundum communem sententiam sufficit auxilium actuale supernaturale, vt homo per intellectum & voluntatem eliciat operationes supernaturales, nō solum moraliter, sed physicè & entitatiuè: sed Verbum diuinum, quod operatur in Christo per intellectum & voluntatem humanā, est altius principium, quam quodcunq; auxilium actuale: ergo intellectus & voluntas Christi, quatenus mouentur à Verbo diuino, secluso quocunq; alio supernaturali auxilio, eliciunt operationes simpliciter supernaturales physicè & entitatiuè, & non solum moraliter. ¶Sed profectò hoc indigebat maiori examinatione: Quoniam cùm intellectus & voluntas mouentur à Verbo ad opus supernaturale, & intellectus aut voluntas eliciunt operationes supernaturales simpliciter, moraliter & entitatiuè, iam intellectus & voluntas suscipiunt aliquid supernaturale in se ipsis, vel motionem supernaturalem transeuntē secundum effectum. Sed de hac re, & quo pacto hoc debeat explicari & intelligi, dicemus fusius. 3.part. loco citato, modo etiam aliqua dicemus.

*Conclus.4.*

QVarta conclusio. Licet Christus in quantū Deus homo, non indiguerit gratia creata, vt esset Deo gratus & sanctus, tamē fuit illi necessaria, ad cōsummatam perfectionē, & statum sanctitatis, omni ex parte. Vnde quamuis vnio ad Verbū, seu gratia vnionis, ex vi sua efficiat Christum perfectè sanctum, & Deo gratum in suo genere, seu substantialiter, vt Damasc. dixit, lib.3. fi- *Damas.* dei orthodoxæ. cap.3.4.&.17. Et lib.4.cap.6. & oratione.1. de imaginibus, ante medium; cæterum nō omnimodo, seu accidentaliter sanctificat, & quoniam perfectio creaturæ, qualis est anima Christi, per accidentia etiam consummatur & perficitur; idcirco anima Christi Domini, præter substantialē illā vnionem, ad cōsummatā perfectionē suæ sanctitatis omnimodo, indiguit etiā formis accidētalibus, vt sunt rectæ operationes, & earū principia. Imo verò dici potest, q̄ licet Verbū per se, sanctificet perfectè omnino, ex eo quod tribuit sanctitatē, quę eminēter cōtinet ista omnia; quia etiā illa secū adducit, iuxta naturæ assumptę capacitatē; tamen nō est dubium; nisi quòd Christi anima perficitur, & sanctificatur, & cō





summatur, per gratiam illam habitualem, quam in se habet. Vnde aduerte quòd esse gratum vt sic, non est effectus formalis adæquatus gratiæ creatæ, sed solum esse gratum tali modo, hoc est, per participationem diuinæ naturæ.

Sunt tamen hodie nōnulli Theologi, qui docēt, Christum ex vi solius hypostaticæ vnionis, non esse simpliciter gratum formali gratitudine, sed tantum radicaliter: Quia formalis gratitudo est effectus formalis & primarius gratiæ habitualis: Dicunt enim, quòd sicut rationalitas est radicaliter risibilitas, quia ex ipsa rationalitate naturaliter fluit & oritur; ita tamen, quòd quamdiu non intelligitur in homine ipsa risibilitas formaliter, homo non dicitur simpliciter risibilis formaliter, sed radicaliter: Ita Christus ratione vnionis solum, radicaliter est gratus & sanctus, gratitudine formali: Quoniam ipsa habitualis gratia, cuius effectus est hæc formalis gratitudo, radicaliter præhabetur & cōcipitur in ipsa vnione. ¶Et ex hac doctrina colligunt authores isti, testimonia omnia Scripturæ, & Sanctorum, quibus ostenditur humanitatem Christi, seu Christum vt hominē fuisse absolute & simpliciter sanctum, etiam formaliter ex vi ipsius vnionis; nō esse intelligenda de sanctificatione formaliter ex vi ipsius gratię vnionis facta, sed posse interpretari & exponi causaliter, & nō formaliter; hoc est, non quòd Verbum ipsum per se sit forma sanctificans humanitatem, vel hunc hominem, sed quòd gratia vnionis est, & fuit radix, seu fons, à quo sanctitas in illam Christi animam manauit. ¶Sed profecto si verba sanctorum Patrum, expendantur, in quibus dicitur, vnctionem humanitatis fuisse ipsam diuinitatem, clarissime his verbis explicarunt etiam rationem formalem; præcipuè cū aperte dicant per ipsam vnionem qua Christus cōstituitur, esse diuinitate vnctum: Sic docent D. Hilar. lib.7. de Trinita. D. Chrysost. homil.60. in Ioannem, exponentes illa verba Ioannis. 10. Quem Pater sanctificauit: dicunt enim verba illa intelligi de sanctificatione Christi in humanitate; & Christum sanctificatum esse à Patre, non vt alij homines sanctificantur, sed ipsa diuinitate, in persona filij, humanitati vnita, Nam certè necesse est humanitatem assumptam, seu hunc hominem Christum maximo amore supernaturali diligi à Deo, quia maximum donum supernaturale in eius humanitate, à Deo suscipit, quod est obiectum diuinæ dilectionis, totum naturæ ordinem superantis; ac proinde vnio illa hypostatica præcise, per se ipsam reddit naturam illam maxime Deo gratam, & dilectam, non vt hæc denominatio dilecti potest esse extrinseca ab actu diligentis, sed prout dicit obiectū dilectionis, quod diuinus amor & efficax, non tam supponit, quam constituit, per illud donum, quod amando tribuit. Adde etiam huiusmodi donum gratiæ vnionis tale esse, vt nullam admittat peccati maculam in natura vnitam; ac proinde per se habet constituere hunc hominem innocentem: ergo per se constituit sanctum & gratum Deo, hoc est supernaturaliter dilectum tali dilectione, quæ necessario omne odium excludat, & obiectum tali amore intrinsecè dignū constituat. Quod etiam confirmari potest: Quia huiusmodi donum tale est, vt ratione illius debeantur humanitati omnes supernaturales perfectiones, qui bus ad beatam vitam & rectam operationem optimè disponitur: de ratione autem doni formaliter sanctificantis, non est quòd præcisè per se ipsum solum tribuat omnem perfectionem, quia satis est, vt ipsum per se reddat animam gratam, & dilectam, & secum adducat alia dona, vt de gratia habituali, quæ est in essentia animæ, dicunt Theologi in hac materia.

*Hilar. Chrysost.*

Ex dictis colligo primò, quòd Christus vt homo, ex vi hypostaticæ vnionis, prius natura quam fuerit prēditus habituali gratia, simpliciter fuit gratus, & sanctus, & acceptus Deo, sanctitate & gratitudine personali, & hæc sanctitas Christo Domino conueniret, etiā si careret habituali gratia creata. Vnio namq; hypostatica vere & propriè est gratia, & appellatur à Theologis gratia vnionis, quæ sanè gratia facta fuit Christo, non vt Deo, sed vt homini: ergo ex vi illius Christus vt homo, est gratus, & acceptus Deo; atq; adeò etiam sanctus. Quam rem vt intelligas obserua; quod cum diximus Christum ex vi vnionis hypostaticæ esse gratum gratitudine personali, non volumus, quòd tunc fiat ipsa Christi persona grata Deo: Quia non licet dubitare, Vtrū Christi persona sit infinite sancta & grata Deo, cum illa sit filius dilectissimus naturalis Dei: Personæ namq; Christi nulla potuit fieri gratia, nec filiatio diuina ex vi alicuius gratiæ, potest illi competere: Quia nō est filius Dei per adoptionem, sed per naturam: Nā per naturam est naturalis Dei filius, non per gratiā. Quo fit vt in præsenti fiat sermo de Christo formaliter, includendo ipsam eius naturā humanam: & sic asseueramus, quòd substantialis gratitudo, & sanctitas diuinæ personæ, nempe Verbi, ex vi vnionis hypostaticę, communicata est humanitati Christi, non accidentali aliqua participatione, sed communicatione substantiali, qua personalitas Verbi, humanitati cōmunicatur, & humanitas vere & proprie terminatur personaliter, & personalitate Verbi cōpletur, in qua communicatione substantiali, consistit gratia vnionis: Et sic affirmamus, intelligi non posse, quòd hoc esse diuinum personale, communicetur humanitati, & quòd ipsa non diligatur à Deo: Nam velle illi tantum bonum, est ipsam diligere, & amare præcipua dilectione.

Secundo colligo, potuisse Deum assumere humanam naturam sine habituali gratia creata: Nam cum illa gratia habitualis sit qualitas omnino ab anima distincta, & à gratia vnionis, nihil repugnat, Deum sustinere influxum illius, conseruando vnionem; nullam enim contradictionem physicam, nec moralem indecentiam hoc includit. Præcipuè hoc est verum: Quia habitualis gratia non est propria passio, physicè emanans per simplicem resultantiā, ex hypostatica vnione, sed per nouā Dei actionē producitur in anima Christi: Quia diuinū Verbū nihil operatur ad extra necessariò, seu per modū naturalis necessitatis, cum Deus, non sit causa necessaria rerum ad extra, sed volūtaria & libera; si autem gratia per simplicem & naturaliter resultantiam cōsequeretur vnionem hypostaticam, tunc Verbum diuinū esset causa eiusdē gratiæ habitualis, non per modū libertatis, sed potius per modū necessitatis naturalis; ac proinde sequitur, Christi gratiā habitualē nō simplici & naturali emanatione in Christi humanitatē ef-

fluxisse,sed noua Dei actione tributam esse fuisse; Nã simplex emanatio non est libera, sed naturalis productio formæ emanantis ex termino producto per actionem principalem primam, vt patet de intellectu,qui naturali emanatione consequitur essentiam animæ productæ per creationem,ita vt hæc emanatio tribuatur essentiæ animæ præhabenti virtute intellectiuam potentiam,& reducatur ad Deum creãtem animã, vt ad principalẽ causam. ¶Dices quòd vnio hypostatica,ad quam sequitur gratia habitualis,illa quidem fuit simpliciter libera Deo. Sed profecto solutio hæc quamuis liberet oppositam sententiam à periculo erroris;de necessitate productionis habitualis gratiæ,tamen nec videtur sufficiens,nec satisfacit:Quia iuxta hanc solutionem, quamuis efluxus gratiæ habitualis in humanitate Christi sit liber absolutè & simpliciter ex parte totius Trinitatis,tamen habito respectu ad Verbum, ex quo tanquam ex immediato & principali termino vnionis hypostaticæ gratia dimanat& fluit,esset necessarius effluxus ille gratiæ:Sicut in exemplo posito, quãuis emanatio intellectiuæ potentiæ, comparatione ad Deum creatorem animæ rationalis, libera sit & voluntaria absolutè & simpliciter, tamen respectu ipsius animæ ad quam immediatè sequitur ipsa intellectiua potentia,necessaria est simpliciter & naturalis illa emanatio,& non libera. Magnam autem absurditatem habet dicere,quòd sit effectus aliquis ad extra productus,qui necessario emanauit ex Verbo, ita vt non libere ex ipsius voluntate processerit.

¶Rursus etiam sequeretur, quòd supposita vnione hypostatica, non posset impediri ille effluxus gratiæ per Dei potẽtiam; imò verò,quòd Christi humanitas à Verbo assumpta non posset nõ perfici & eleuari per gratiam habitualem:Consequens est aperte falsum.Et probatur sequela : Quia Verbum diuinum humanitati vnitum,nequit impedire prædictũ effluxum gratiæ,si est propria passio eius: sed quod impediri non potest à Verbo, nec etiam potest impediri à tota Trinitate, cum nõ sit maior totius Trinitatis potestas ad extra,quã solius Verbi:ergo,&c. Maior autem probatur : Quia vt opposita sententia docet,Verbum humanitati vnitum, est causa necessaria,& naturalis habitualis gratiæ Christi:sed causa naturalis & necessaria alicuius effectus nõ potest ipsum impedire, cum respectu eius non sit indifferens,sed omnino determinata,alias simul erit causa naturalis,& non naturalis,necessaria,& non necessaria,sed libera:ergo intentum,&c.

Tertiò colligo quòd quamuis gratia,& dona, & charismata creata,nõ fuerint necessaria animę Christi ad repellendum peccatũ, sicut sunt homini peccatori,nec etiam ad primam seu primariam sanctificationem eius,sicut fuerunt necessaria Angelis, & Adæ in statu innocentiæ:Quoniam Christus aliam habuit priorem & excellentiorem sanctificationẽ: Verumtamen ad debitam animæ illius dispositionem,& pulchritudinem,& ad connaturalem modũ agendi eius,seu operandi, atq; adeo ad participationem diuinitatis perfectam, & consummatam iustificationem omni ex parte, necessaria fuit hæc gratia habitualis animæ Christi, sicut alijs,vt optimè insinuauit S.Thom.3.p.q.7.art.1.ad.1.& art.9.ad.2.Nam certe aliunde multo maiori ratione hæc optima dispositio erat illi animæ conferenda,propter dignitatem personæ Verbi,& diuinæ naturæ, cui erat coniunctissima: Nam inde etiam habuit vt esset veluti vniuersale quoddam principium, & exemplar perfectissimum gratiæ,alijs conferendæ.

QVinta conclusio.Gratia actualis adiuuans, fuit necessaria animę Christi de lege,ad supernaturales actus efficiẽdos, sicut nobis. 5.Cum

In hac assertione supponimus ex.q.111.duplicem esse gratiam, scilicet, habitualem, & actualẽ,& actualem diuidi,in excitantem, & adiuuantẽ, sub qua diuisione comprehenduntur reliquæ omnes diuisiones gratiæ:Et nomine gratiæ adiuuantis intelligimus auxilium illud,quo Deus actu,& intimè influit in opera gratiæ, & in liberum arbitrium; nomine autem excitantis gratiæ, intelligimus reliqua omnia supernaturalia auxilia,quibus Deus præuenit,vel excitat,vel à malo liberat, & custodit. Et quidem ad supernaturales actus,est in nobis necessaria gratia adiuuans: Quia ad illos indigemus concursu altioris ordinis, non tamẽ ad naturales actus: Quoniam illi cum naturali cõcursu efficiuntur;cæterum gratia excitans potest esse aliquo modo necessaria ad vtrosq; actus,vel vtilis,iuxta varietatem vel perfectionem, vel multitudinem actuũ. His ergo prælibatis proposita assertio inductione constat: Nam nemo dubitat,intellectum animæ Christi indiguisse supernaturali auxilio actuali ad cernendum & videndum Deum,& pari modo voluntatem animę Christi,indiguisse actuali auxilio supernaturali, ad diligendum Deum supernaturaliter, seu ad amãdum ex charitate;& hoc auxilium appellamus gratiam adiuuantem. Ratio autem huius est , quoniam actus isti sunt supernaturales in se , & respectu animæ Christi,& intellectus,& voluntatis, & potentiarum eius; Nam sunt supra illarum vires naturales: ergo concursus necessarius ad actus illos, supernaturalis esse debet tam secundum se , quam respectu eius,cui confertur concursus,& talis concursus supernaturalis,vocatur gratia adiuuans:Dices cõcursum istum supernaturalem suppleri satis,per presentiam Verbi,cui anima Christi,& potentiæ eius sunt coniunctæ, & vnitæ; ac proinde per eandem Verbi præsentiam suppleri ; & adiuuari defectum naturalem harum potentiarum; ac proinde non esse ita necessariam animæ Christi gratiam illam adiuuãtem. Sed contra hoc est , quòd vnio Verbi per se & formaliter accepta, præcisè terminata est ad subsistendum:& non est formale principium,aut ratio agendi , & efficiendi aliquid : ergo non potest supplere per se defectum,quem habet natura assumpta ad aliquid efficiendum: Velut si calor existẽs in hoc, aut illo subiecto,nihil ab ipsis , vel eorum formis adiuuetur ad agendum , non poterit plus agere in vno, quam in altero subiecto propter nobilitatem ipsius subiecti:Et confirmari hoc potest efficaciter : Quia potentia naturalis non potest adiuuari à Verbo ad supernaturalem actum, nisi quatenus Verbũ ipsum per se,actu influit in actum illũ,seu mouet & eleuat potentiam ad ipsum actum:sed influxus iste,aut motio cum sit effectio quædã,necessario debet esse cõmunis Patri & Spiritui sancto:ergo nõ est à Verbo, vt peculiariter vnito hypostatice,sed vt à causa prima,& principali adiuuante:ergo totũ illud auxilium ad



ad gratiam adiuuantem pertinet;ac proinde eiusdẽ rationis est cum auxilio quod confertur alijs hominibus ad similes actus. Et confirmatur vlterius etiã efficaciter : Nam propter similem rationem indigebat anima Christi , eodem naturali concursu ad actus naturales,quo indigent aliæ animæ: & similiter ad facienda miracula , indiguit anima Christi gratia miraculorum, & sic de reliquis:Igitur tantũ est differentia , quòd hæc gratia , licet in se sit vere gratia,& supernaturalis animæ Christi,tamen respectu animæ vnitæ , est veluti naturalis concursus illi debitus ratione vnionis , vt explicant Catholici in materia de incarnatione.

De gratia autẽ excitante ad supernaturales actus, restat dicere;An Christus illa indiguerit? In qua re sentiendum est, quòd anima Christi vnita Verbo,si consideretur vt beata , & ornata scientia infusa , & alijs similibus perfectionibus,videlicet, vt constituta in statu beatitudinis;sicut de facto ipsa fuit,nulla indiget excitante gratia,ad supernaturalia opera,in intellectu,præter beatam visionem, & scientiam inditam,quam semper Christi anima habuit : nec etiã in voluntate præter amorem, quo Deum semper dilexit; Ipsa namque visio fuit illi sufficiẽs principiũ, vt per se ipsam posset veluti se excitare , & applicare ad considerandum quidquid necessarium est ad omnem rectam & supernaturalem actionem , seu operationem: amor autem satis etiam mouit & impulit illam voluntatem animæ Christi ad huiusmodi omnem actum seu actionem.¶Verumtamẽ si fingeremus animam illam Christi esse assumptam in statu viatoris præcisè, sine dubio tunc,non obstante vnione illa , indigeret gratia excitante ad prædictos actus supernaturales , qua indiget quæcunque alia anima, non vnita Verbo in eodem statu viæ cõstituta,non obstante vnione; itaq; si anima assumpta à Verbo solum differret ab alia anima non vnita, in ipsa vnione tantum,indigeret hac gratia excitante ad supernaturales actus,seu actiones,vt dictũ est: Quod quidem certò sentiendum est , & pari modo probandum , sicut ostensum est paulo antea de gratia adiuuante: Nam talis anima ita vnita extra statũ beatificum, non posset magis habere supernaturalẽ cognitionem supernaturalium mysteriorũ sine præuia aliqua diuina motione , aut inspiratione , quam alia quælibet anima nõ vnita Verbo. Præcipuè hoc est verum: Quia necessitas gratiæ excitantis sumitur ex eo,quòd totus ordo illorum actuum supernaturalium,est supra humanæ animæ naturam & capacitatem:ergo pari ratione est supra naturalem capacitatem illius animæ ita vnitæ prout nunc loquimur : Nam vnio non immutat naturalem capacitatem,nec præcisè per se ipsam tantum formaliter eleuat potentias,illis conferendo obiecta supernaturalia , aut eas excitando, & mouendo , vt dictum est. Quare anima Christi Domini vt Beata, nõ indiguit gratia excitante,indiguit tamẽ illa,si vt viatrix præcisè consideretur,vt antea explicuimus.

Ad argum. ad primũ. AD argumenta.Ad primum respondetur negando minorem,quæ quidem minor intelligenda est iuxta tertiam conclusionẽ , quã paulò superiùs constituimus. Secundò respondetur,quòd vt minimum operationes Christi etiam si ne gratia creata, sunt supernaturales in esse moris, quatenus participant dignitatem suppositi diuini, & ita in esse moris sunt proportionatæ præmio supernaturali. Sed contra : Præmium supernaturale siue vita æterna,non solum est quid omnino supernaturale in esse morali, sed etiam physicè & entitatiuè : ergo vt opera Christi sint proportionata huic præmio, necesse est quòd physicè & entitatiuè sint supernaturalia. Hoc argumentum sufficienter probat, per se & simpliciter necessarium esse aliquod principium supernaturale eleuans potentiam animæ Christi , vt eius opera sint meritoria ; Cæterum non probat esse necessarium secundum absolutam Dei potentiam , aut quòd non sufficiat secundum hanc,dignitas moralis,quæ ex diuino suppposito refundirur ad opera Christi. Quocirca , cùm ratione vnionis hypostaticæ , Christus sit filius Dei naturalis,& infinitè gratus Deo,hoc sufficit,tùm ad meritum;tum etiam ad finem & terminum meriti.

Ad secundũ. ¶Ad secundum respondetur , quòd etiam Christus in quantum homo,est filius Dei naturalis. Nam ex prædestinatione habet hic homo, qui est Christus, vt sit filius Dei; ac proinde Christus secundũ quòd homo, non potest dici filius adoptiuus; Quo fit , vt neganda sit minor : Quia Christus non tantum est gratus Deo per habitualem gratiam, quam de facto habuit, sed etiam per gratiam vnionis. Secundò respondetur , quòd tantum procedit de lege ordinaria , & secundum naturam ordinis supernaturalis; non autem de absoluta potentia Dei.

Ad tertium. ¶Ad tertium dicendum, quòd quamuis gratia vnionis ordinatur ad vnionem hypostaticam stando in ordine supernaturali ; nihilominus secundum absolutã Dei potentiam , Deus poterat illam ordinare in vitam æternam: nam , sicut opera quæ procedunt à Christi humanitate secluſa omni gratia habituali , ex parte principij proximi erant simpliciter ordinis naturalis. Vnde,ex natura ordinis naturalis non possent esse meritoria bonorum supernaturalium,neque ex se ordinarentur ad vitam æternam; poterant tamen per absolutam Dei potentiam ordinari ad bona supernaturalia , quatenus procedebant à supposito infinitè grato,secundum quod habebant proportionem cum supernaturalibus bonis.

Ad confir. ¶Ad confirmationem respondetur, concedendo maiorem : Nam illa non est propriè prima, respectu istius hominis; quia iam erat gratus per gratiam vnionis.

Ad quartũ ¶Ad quartum respondetur, implicare contradictionem, sicut dicit prima conclusio , quòd humanitas assumatur in puris naturalibus,quæ neque sit grata, neque ingrata, sed necessariò debet esse grata per gratiam in esse gratiæ ; & ita humanitas assumpta à Verbo , per solam gratiam vnionis esset grata. Et ad argumentum respõdetur , quòd tantum probat, operationes quatenus procedunt ab humanitate,secluſa gratia præcisè, nõ esse meritorias,neq; habere proportionem cum præmio supernaturali, si tamen considerentur quatenus procedunt à supposito grato, habent valorem & vim meritoriam.

Ad quintũ ¶Ad quintum patet solutio ex dictis in vltima probatione, seu ratione pro prima conclusione. Ad illud verò de Angelo respondetur,disparem esse rationem, quia suppositum angeli , non est gratum per suam naturam , sed per habitum ; humanitas autem si vniretur angelo, vniretur quidem secundum suam

intrinsecam naturam;non tamen vniretur illi secũdum habitum,quod est extrinsecum , & idcirco nõ contraheret gratiam à supposito angeli, sicut à diuino supposito,quod secundum suam naturam est ipsa gratia.¶Dices:Opera istius humanitatis vnitæ angelo iusto,haberent valorem à supposito:ergo si illa opera in se bona sunt,etiam si humanitas non habeat gratiam, erunt meritoria à supposito grato ; si autem opera sunt meritoria : ergo & humanitas est grata , sicut dicit vltima ratio primæ conclusionis. Respondetur , tunc opera humanitatis respectu iustæ æstimationis naturalis,esse maioris valoris propter suppositum, at nullo modo essent alicuius valoris supernaturalis, quia non procedunt à supposito grato vt gratum est:Cùm enim tũc Angelus & homo haberent distinctas naturas,haberent etiam distinctas voluntates;& ita non ex eo quòd vellet Angelus applicare suos habitus supernaturales ad operandũ,sequeretur operatio in humanitate , sicut sequitur in mẽbris exterioribus hominis,ex eo quòd voluntas velit.Neq; etiam humanitas si operari vellet,posset applicare sibi habitus existentes in Angelo;& ita eius actus non essent meritorij,cùm nõ procedant ex influxu habitus supernaturalis. *Obiectio.* ¶Sed contra:Ergò eadem ratione, neq; humanitas Christi habet valorem à supposito diuino,cùm habeant naturæ distinctas voluntates. *Solutio.* Respondetur,vt suprà diximus,humanitatem sustentatam in angelo,inde contrahere necessariò valorem naturalem in suis operationibus , quia vnitur ei secundum suam naturam. Ita humanitas sustentata in Verbo , quia est vnita secundum gratiam,& secundum infinitatem; ob id necessariò contrahit valorem gratiæ infinitum. *Ad sextum* ¶Ad sextum respondetur concedendo primam consequentiam,seu sequelam,vt expressè in discursu primæ conclusionis explicatum est. *Obiectio.* ¶Sed objiciet aliquis: Vnio hypostatica & gratia in esse gratiæ,sunt omninò distincta: ergo realiter possunt separari: Iustis namq; Deus communicat gratiam ; non tamen vnionem hypostaticam,& lapidi posset communicare vnionem hypostaticam;non tamen gratiam:ergò potest communicare humanitati vnionem hypostaticam,sine eo quòd communicet gratiam. *Confirm.* ¶Et confirmatur.Vtrumque est donum gratuitum, procedens à libera voluntate Dei : ergo ex hoc quòd conferat vnum, non necessitatur ad conferendum aliud. Neque valet dicere , vnionem hypostaticam esse necessariam radicem gratiæ , nam etiam est radix charitatis & reliquarum virtutum; & tamen potest esse sine illis. *Solutio.* Respondetur , quòd licèt ista sint separabilia,ita vt sit gratia sine vnione hypostatica; non tamen potest esse vnio hypostatica sine gratia formaliter,quando subiectum est capax,quia intrinsecè includit illam , sicut opera naturæ suppositatæ in Verbo , necessariò habent valorem infinitum , si subiectum sit capax illius.¶Ad confirmationem respondetur,vtrumque esse donum gratuitum,sed ex donatione primi , necessariò sequitur aliud , sicut gratis omnino fit & producitur creatura & essentia eius in actu existentiæ, sed ex ea necessariò fluunt passiones. Et hæc sufficiant de hac disputatione , quæ alibi fusiùs disputabitur.

# DISPVTATIO III.

*Vtrùm cæteris paribus , qui maiorem habet gratiam,plùs mereatur eodem actu?*

HVius disputationis titulus est , Vtrũ meritum crescat ex dignitate operãtis , sumpta dignitate ex parte gratiæ?hoc est, Vtrùm quò magis intensa est gratia seu habitus gratiæ , quãuis operatio meritoria sit æqualiter intensa & perfecta ex omni parte,crescat in ratione meriti, & valoris meritorij ex hoc quòd gratia ipsius operantis est maior,aut magis intensa ? Verbi gratia , Paulus habet gratiam vt decem,Ioannes verò vt quinq;,operatur vterque actionem bonam, omnino æqualem, & ex omni circunstantia: Quæritur ergo , Vtrùm actus ille procedens à Paulo , qui æqualiter bonus est cum altero actu facto à Ioanne,sit magis meritorius,ob id dumtaxat quòd Paulus habet maiorem gratiam & charitatem habitualem ? In qua re , Salmanticenses olim non infimæ notæ viri & Theologi, inter quos fuit Victoria,crediderũt,quòd æquale opus omnino in Paulo & Ioanne, in vno est magis meritorium,& crescit in valore meriti,ob id solum , quòd in Paulo , verbi gratia, est maior gratia habitualis. ¶Sanct.Thom.1.part.quæstione.95.artic.4. in corpore affirmat,quòd efficaciora fuissent hominis opera ad merendum in statu innocentiæ,quã post peccatum,si attendatur quantitas meriti ex parte gratiæ,quæ tunc copiosior fuisset, nullo obstaculo in natura humana inuento. Et quidquid sit de gratia Adæ, an fuerit minor in Adam , quam in nobis , vt insinuat Augustin. de correctione & gratia, cap. 11. quia tunc data est gratia propter Christum, & merita eius nondum exhibita; nunc verò propter merita , eiusque copiosam redemptionem actu exhibitam. Vndè, copiosior videtur nunc illius gratia ; Nam & exauditus est Christus pro sua reuerentia ; tamen Sanctissimus Præceptor videtur insinuare , quòd opera Adæ erant magis meritoria, quam nostra, considerata ex parte gratiæ & charitatis,quæ in Adam erat maior.

*Argumentum.* Quòd verò meritum crescat ex dignitate operantis,& quòd qui habet maiorem gratiam cæteris paribus amplius mereatur,arguitur primò. Quoniam quodlibet opus Christi erat infinitè meritoriũ propter infinitam dignitatẽ: ergo quodlibet opus hominis magis iusti, erit magis meritorium propter maiorem dignitatẽ personæ. Dices, iustum nõ operari secundum illam maiorem dignitatem,quia nõ operatur perfectiori modo , & secundum totam intensionem habitus.Sed contra hoc est:Quia pari ratione dicemus,Christum non mereri infinitè, quia nõ transfundit,neque influit suam infinitatem in actũ. *Confirm.* ¶Et confirmatur : Quia in humanis , opera maioris amici,cæteris paribus,sunt magis grata & impetratoria; Imo verò, quo persona in humanis,in maiori dignitate est constituta,cæteris paribus , magis impetrat & meretur per idẽ opus,&quo persona est vilior,minus impetrat:ergo pari ratione dicẽdũ est in supernaturalibus. *Secunda confirm.* ¶Secũdò arguitur.Apud Deũ,oratio melioris,est magis impetratoria cæteris paribus:

ergo



ergo & magis meritoria. Patet cõsequẽtia ex Alex. PP.1 q.1.c.Ipsi Sacerdotes. Vbi ait; Quãto fuerint digniores Sacerdotes , eò facilius exaudientur in necessitatibus,pro quibus clamãt. Vnde,in materia de Eucharistia plerique Theologi dicũt,quòd Missa melioris Sacerdotis,non solum ex opere operantis,sed etiam ex opere operato, est magis impetratoria & satisfactoria,quam missa Sacerdotis minus boni.Et idem dicunt alij , esse probabile de orationibus institutis ab Ecclesia, quòd etiam ex opere operato id habent,nam ex opere operantis omnes conueniunt.Et Bartholom.Medina vbi supra ait , quòd oratio melioris est magis impetratoria.Quod probari potest ex illo Prophetæ;Propè est Dominus omnibus inuocantibus eum in veritate. *Prouer. 15.* Et prouerb.15. Longe est Dominus ab impijs,& orationes iustorũ exaudiet. *Tertium.* ¶Tertiò arguitur.Licèt duo actus virtutis acquisitæ,sint æqualiter relati à charitate;nihilominus qui intensior est, est magis meritorius : ergo si intensio naturalis actus est sufficiens augere meritum , à fortiori dignitas supernaturalis operantis. Ostendo consequentiam:Quia ille actus intensior, idcirco est magis meritorius,quia relatio charitatis eleuat totum illum,licet nõ influat magis in ipsum, quam in alium minus intensum : sed gratia etiam maior,à qua virtualiter procedũt opera iusti eleuat ipsum actum: ergo facit illum magis meritorium. *Quartum.* ¶Quartò arguitur. Nam ex eo quòd actus versetur circa dignius obiectum,est magis meritorius: ergo etiam ex eo quòd procedat à digniori persona,cæteris paribus, erit magis meritorius. Ostendo consequentiam.Quia,vt dicemus , magis sumitur valor actus ex dignitate personæ , quam obiecti.Si dicas, non procedere à nobiliori persona , nisi ex maiori intensione procedat. Contra: Quia vere censetur opus versari circa dignius obiectũ,licet cum æquali intensione tendat in illud:ergo similiter in proposito. *Quintum.* ¶Quintò arguitur. Meritum fundatur in gratia,& dignitate personæ:ergo & maius meritum in maiori,si cætera sunt paria;nam sicut simpliciter ad simpliciter,ita magis ad magis. Adde etiam , quòd habens maiorem gratiam, per se loquendo cæteris paribus,promptius & liberiùs agit:ergo saltem hac ratione ampliùs meretur.¶Sextò arguitur.Nam cæteris paribus, actus qui imperatur à perfectiori actu charitatis, est magis meritorius : ergo & actus , qui est elicitus ab homine habente maiorem gratiam. Probo consequentiam: Quia perfectius eleuat gratia actus supernaturales vt sint meritorij,quam relatio charitatis illos actus naturales. Rursus:Illa relatio,nihil magis influit in vnum,quam in alium ; & nihilominus vnus est magis meritorius : ergo licèt maior gratia hominis iusti non influat in actũ maiorem conatum , vel alium perfectiorem modum; nihilominus efficiet illum magis meritorium. Patet antecedens : Quia si actus ille habet esse meritoriũ ab illa relatione:ergo à maiori relatione erit magis meritorius,Vt si lapis mouetur sursum ab impetu,sequitur,quòd à maiori impetu magis mouetur. Et pari modo argumentor in proposito. Nam certè à gratia habet opus,vt sit meritorium: ergo à maiori gratia magis meritorium.¶Et confirmatur : Quoniam actus charitatis intensus vt sex , meretur augmentũ gratiæ vt sex,licet procedat à gratia vt quatuor , vt infra explicabitur: ergo sicut existente æquali gratia,ille actus est magis meritorius, qui est magis intensus,quamuis gratia non magis influat;ita existẽte æquali intensione , ille erit magis meritorius, cuius subiectum est magis gratum,licet gratia non magis influat;Quia magis conducit ad meritum ratio gratiæ , quam intensionis. *Septimum.* ¶Septimò arguitur. Quia moraliter loquendo , in maiori æstimatione habetur beneficium factum à persona magis amica: ergo idem erit erga Deum. *D.Gregor.* Vnde,D.Gregor.22.moral.cap.12.inquit;Deo non tam placet homo propter opera sua,sed opera propter hominem. Et ob id *Genes.4.* Genes.4.prius dicitur , Deum respexisse ad Abel, quam ad munera eius. *Confir.1.* ¶Et confirmatur.Quia secundum ordinem charitatis , æqualia opera amici magis placent, quam alterius , qui non ita amicus est: sed noster ordo charitatis imitatur eum , qui est in Deo: ergo etiam Deo magis placent opera magis amici.Maior patet : Quoniam secundum ordinem charitatis , magis amamus eum, qui magis amicus est : ergo etiam Deus magis complacet in opere maioris iusti,cæteris paribus.Vnde, oratio Sanctissimi hominis iusti,magis impetrat à Deo , quam alia minus iusti. *Confir.2.* ¶Et confirmatur iterum:Quia magis satisfactorium & meritorium est idem opus factum à Rege,quam à Duce:ergo. *Octauum.* ¶Octauò arguitur. Quia meritum consistit in opere,quod in alterius vtilitatem fit:sed cum homo operatur , non solum opus suum, sed etiam se ipsum & suam dignitatem submittit in obsequium alterius:ergo quo persona quę submittitur in alterius obsequium , dignior est ; eò meritum illius,cæteris paribus,erit maius.

Propter hæc argumenta,Salmanticenses Theologi transactis diebus senserunt,meritum crescere,cęteris omnibus paribus , ex sola intensione habitus maioris in subiecto;atque adeò concedunt id,quod intendunt omnia argumenta facta ; Et Victoria fuit olim huius opinionis,& plures suę familiæ cum eo. Et certè,propter fundamenta tacta non est improbabilis omnino eorum opinio,

*Conclusio.* COnclusio tamẽ omnino certa mihi videtur, ꝙ quãuis istorũ sentẽtia nõ sit improbabilis; rationabilior tamen & probabilior videtur oposita, quam Canus vt veriorem,est amplexus, & Bartholom.Medina.1.2.q.114.artic.8.dub. vltimo & Gerson tractatu de meritis litera R.& S. *Canus.* *Medina.* Probatur hæc opinio : Quoniam homines non merentur nisi per actus,neque sunt iudicandi ex habitibus,sed ex operibus:referet enim vnusquisque prout gessit; & reddetur vnicuiq; iuxta opera sua ; vt inquit Paulus ad Roma.2.&. 14. & Ierem.31. Est merces operi tuo: *Rom.2. & 14. Ierem.31.* Ergo quando actus sunt æquales supposita dignitate personæ,meritum erit æquale;quia habitibus non meremur neque demeremur, sed actibus:ergo licet habitus gratiæ sit inæqualis ; si tamen actus sunt æquales,meritum erit æquale. Huic argumento respondent aduersarij,quòd licèt non mereamur per habitus formaliter loquendo ; tamen meremur per actus eleuatos ex aliquo habitu dante dignitatẽ veluti substantialem personæ,nempe ex gratia. Sed hoc non satisfacit profectò:Quia si meritum cresceret iuxta dignitatem personæ,quia est in maiori gratia , nunquam posset actus meritorius esse minoris valoris, quam est tota intensio gratiæ significantis

subiectum, quod est apertè falsum. Rursus. Habitus ille gratiæ non transfundit omnes suos gradus in illum actum meritorium; imo verò fieri potest vt habitus gratiæ sit intensus & vehemens, & quòd actus ille sit tepidus & remissus. Præterea; Gratia supposito quòd collocat subiectum in statu merendi, nisi concurrat specialiter ex motione Spiritus sancti maiore, intendendo actum, non videtur quo pacto seruata paritate in omnibus, ille actus sit magis meritorius, cum talis actus neque sit intensior, neq; de meliori obiecto, neque ex maiore motione Spiritus sancti. Quocirca, aperte sequitur exopposita opinione, vt antea deduximus, quod quantus fuerit excessus gratiæ in operante, tantus erit excessus in valore meriti, vt si gratia Pauli excedit gratiam Ioannis per quatuor gradus; sequitur quod operatio bona Pauli, aliàs æqualis operationi Ioannis, sit magis meritoria vt quatuor, quam operatio facta à Ioanne: Consequens autem est aperte falsum, quod authores oppositæ sententiæ etiam repellunt, & ob id dicunt, quòd ille excessus in valore meriti debet accipi non secundum totam quantitatem gratiæ excedentis, sed secundum præscriptam & determinatã quandam perfectionem; ita quidem vt operatio Pauli in eo casu excedat vt vnum, vel vt duo in ratione meriti, operationem factam à Ioanne. Sed profectò, hæc solutio est voluntaria omnino & sine fundamento: Quia non est maior ratio quòd crescat meritum vt vnum vel vt duo, quam secundum totam latitudinem gratiæ; Imo verò, rationes aduersariorum aperte ostendunt id, quod intulimus contra ipsos. ¶ Secundò probatur: Quia sequeretur etiam, aliquem hominem magis mereri per actum remissum, quam alium per intensissimum, vt patet in eo, qui habens intensissimum habitum, remissè operatur. Et confirmatur: Quoniam aliàs si habitus vnius hominis excedat habitum alterius vt decem, eius actus cæteris paribus esset magis meritorius vt decem, *quod non videtur rationi consentaneum.* ¶ Huic argumento respondent aduersarij, concedẽdo quòd vir Sanctissimus, quandoque per actum remissum meretur amplius, quam minus Sanctus & iustus per feruentissimum; non tamen si est sanctior vt decem, meretur magis vt decem, quia quantitas meriti non solum attenditur ex dignitate personæ, sed ex alijs multis; & idcirco, vt meritum excedat per decem gradus, omnia debẽt augeri per decem gradus, vel aliqua ita debent augeri, vt suppleant augmentum, quod non fit in alijs. ¶ Sed hæc responsio inanis est. Primò, quia deuorat illud inconueniens, quòd est allatum. Secundò; Quia si vt excedat per decem gradus, omnia debent augeri per decem, iam non sunt omnia æqualia; quòd tamen supponitur in casu nostræ quæstionis. ¶ Tertiò probatur: Quoniam opus factum ex puris naturalibus ab angelo vel ab homine, si in omnibus alijs conueniant, non est magis meritorium in angelo licet sit dignior persona: ergo, &c. ¶ Quartò probatur: Quia aliàs actus quo quis meretur augmentum gratiæ vt sex, esset meritorius maioris gratiæ, vt informatur ab illa gratia vt decem; Et rursus istud maius augmentum informaret adhuc actum, & faceret duplo magis meritorium, & sic in infinitum: ergo. ¶ Quintò persuadetur: Quia dignitas quæ resultat ex habitu, non censetur deriuari in actum; nisi secundum influxum, quem habet in illum: sed cùm actus elicitus à maiori gratia est æqualis illi, qui à minori gratia elicitur, non magis influit vna gratia, quam alia: ergo actus non procedit vt à persona magis digna formaliter loquendo, quia non procedit à gratia vt magis intensa: cùm illa maior intensio per accidens se habeat ad talem actum; & idcirco talis actus non procedit à magis amico formaliter, nec à magis intensa gratia, cum illa maior intensio solũ se habeat concomitanter. ¶ Et confirmatur: Quia non sufficit actum effici & produci ab homine grato, vt sit meritorius, nisi gratia influat in talem actum, vt dictum est supra, & infra magis explicabitur art. 4. Ergo nõ sufficit produci ab homine magis grato, vt sit magis meritorius, nisi illa gratia magis influat. Nam si albedo requiritur vt homo sit albus: ergo maior albedo vt sit magis albus. ¶ Sexto probatur: Quoniam actus non est magis demeritorius eo quòd procedat ab habitu intensiore, vel à maiore peccatore, si omnia aliàs sunt paria: ergo pari ratione non est magis meritorius. ¶ Huic argumento nonnulli respondent, quòd quanto persona est vilior, tanto ampliùs eodem actu demeretur cæteris paribus, quia sicut idem obsequium præstitum à digniori, est gratius quia humilius, ita iniuria eadem illata à viliori, molestior est, quia superbior. Sed profectò hoc non satisfacit: Quia quando agnoscitur dignitas & vilitas personæ ab operante, auget quidem obsequium vel iniuriam; quando verò ignoratur, non auget: ergo si militer esset dicendum in proposito, quòd si quis agnoscẽs se esse in gratia obediat Deo, amplius merebitur cæteris paribus, quam qui agnoscens se habere minorem, obedit, &c. Tamen, si neuter cognoscat quantitatem suæ gratiæ, æquale erit meritum; quia obsequium non est humilius in vno quamin altero. ¶ Sed respondent secundò aduersarij, quòd gratia eleuat veluti substantialiter personam, & eleuatione proportionata ad præmium supernaturale; idcirco, etiam si non cognoscatur, tamen auget meritum; Cæterum habitualis malitia mali, est accidentalis omnino, & non diminuit veluti substantialiter personam præsertim in ordine supernaturali ad Deum. Sed profectò hæc responsio, nobis occasionem tribuit impugnandi aduersarios. Quoniam sicut gratia eleuat personam, ita peccatum facit hominem indignum diuino amore, & diuina amicitia & quantò magis peccator est, tanto magis facit indignum diuino amore, & diuina dilectione, & dignum maiori pœna: ergo hęc ratio pari ratione militat vtrobique. Rursus: Sicut habitualis malitia se habet per accidens, ita etiam illa maior gratia se habet concomitanter & per accidens.

Moueor etiam ad præfatam opinionem. Quoniã aliàs gloria non daretur principaliter secundum opera, sed secundum subiecti dignitatem, quod est contra Paulum ad Rom. 2. &. 14. vbi dicitur, quòd reddet vnicuique sicut gesit, & secundum opera sua. Valde ergo probabile est quòd cæteris paribus, qui habet maiorem gratiam non mereatur magis. ¶ Fauet etiam, quòd vt actus sit meritorius, requiritur, quòd sit liber & bonus: ergo vt sit magis meritorius, magis liber & magis bonus: sed præcisè ex eo quòd operans habet maiorem gratiam, *actus eius* neque

*Alterius.* *Rom. 14.*



neque est magis liber, neque magis intensus aut bonus, neque de meliori obiecto vt supponimus: ergo neque magis meritorius. Et confirmatur: Quoniam qui amplius diligit, etiam si habeat minorem gratiam, operatur efficacius, & formaliter vt maior amicus: ergo plus meretur. Tandem, Quando actus sunt omnino æquales in bonitate, intẽsione, & obiecto, & merito, ille excessus præcisè, qui est in habitu, est per accidens & quasi non esset: ergo talis excessus nihil conducit ad maius meritum. Sed respõdent aduersarij, quod ille excessus est otiosus quantum ad actiuitatem; tamen non est otiosus; quãtum ad eleuationem formalem actus in ratione meriti. Sed profecto, hæc solutio est friuola, & impugnata satis ex dictis. Quia quamuis requiratur gratia ad eleuationem actus meritorij, tamen excessus ille non requiritur ad eleuationem actus meritorij talis actus, cum sufficiat gratia in minori gradu, vel in gradu æquali.

*Ad argum. 1. primũ.* AD argumenta. Ad primum iam diximus supra quòd etiam infra magis explicabitur, Christum operari ex dignitate suppositi, & quoniam actiones sunt suppositorum, idcirco sem per influit totam dignitatem moralem in ipsum actum, licet physicè limitatus sit; Alias etiam ostenderet argumẽtũ opera hominis iusti esse meritoria sine vlla relatione charitatis, imo verò sine vlla gratia habituali, sicut opera Christi Domini. ¶ Ad secũ *2. secundũ* dum quidquid sit de antecedente, negatur consequentia: Nam profecto, merces & præmium per se loquendo, correspondet proportioni operis. Nam tantum debet esse præmium, quantum fuit opus eius, qui meretur. Quare, maior illa dignitas operantis, si non facit maius opus, non auget meritum. Vnde, licet proportio inter operantem & præmiantem intrinsecè supponatur ad omne meritum; tamen quantitas meriti non sumitur ex hac proportione, sed ex illa, quæ est inter opus & præmium. Dices, quòd nihilominus opera quæ fiunt à maiori amico, sunt magis grata. Sed respondetur, quòd si ius meritorium, esset præcisè ius amicitiæ, argumentum cõcluderet; Cæterum ius meritorium, est ius iustitiæ, quod causatur ex ipso opere meritorio in ordine ad mercedem, & in ordine ad præmium & præmiantem; ac proinde requiritur quòd opus sit tantum, quantum præmium debet esse. Ex quibus liquet, quòd non est par ratio de merito, & de impetratione. Nam plerique Theologi concedunt facile, quòd opera maioris amici, ob id solum quia procedunt ab homine magis amico Dei, sunt magis impetratoria coram Deo; Quia impetratio tota fundatur in amicitia, & in liberalitate donantis. Alia vero quæ in eodem argumento continentur pertinent ad materiam de sacrificio Missæ, quæ modo disputare non vacat, sed eo loco dicentur. ¶ Ad tertium respõdetur, mediante actu charitatis eleuari totum actũ moralem ab ipsa gratia; & ideo supposita hac eleuatione, magis meretur coram Deo, qui magis conatur: Ex eo autem præcisè quòd homo sit magis gratus secundum intensionem habitus, si nullo modo magis conatur, aut non melius & intensius operatur, non censetur actus magis eleuari, neque ille magis mereri coram Deo; & ob id dixit Paulus. 1. Corinth. 3. quòd vnusquisque propriam mercedem accipiet; secundum quod laborat, siue secundum proprium laborem; non tamen ex eo quòd est magis gratus, seu ex eo quòd habet intensiorem habitum, magis laborat. ¶ Ad quartum dicendum, eum qui *Ad quartũ.* eligit perfectius obiectum, ex se magis laborare: Quia cùm posset, verbi gratia, eligere obiectum minus difficile, ad illud quod difficilius est conatur. Sicut qui vult dare in eleemosynã maximas diuitias, plus conatur, quam qui tantum vnum argenteum, licèt eodem conatu physico vterq; operetur. ¶ Ad *Ad quintũ.* quintum respondetur, quòd meritum fundatur in gratia, quatenus se explicat in opera actualia meritoria. Vnde, quando hæc sunt minora, minor est merces. ¶ Ad sextum patet solutio ex his, quæ diximus *Ad sextũ.* supra solutione ad tertium. Et præterea dicendum, quòd ex eo quòd quis magis imperat, magis laborat. Rursus dicendum, quod si forte præcesserit multum imperium, non est actus magis meritorius ob id. Et ad replicam dico, non esse actum meritorium nisi procedat ab illo imperio, sed non ob maius imperium causat maius meritum, nisi sit æqualis intensio in actu; Sicut è contra, potest esse actꝰ magis meritorius, si sit magis intensus. ¶ Ad septimũ respõdetur, inter homines id posse euenire, qui magis mouentur ex affectu, quam ex quantitate aut æqualitate operis: Et licet magis amemus eos qui sunt nobis magis amici, non ideo debemus opera æqualiter bona, deteriora putare in minus amico: Priùs autem Deus dicitur respexisse ad Abel, quia licet propter opera moueatur; tamen amor ad personam principaliter tendit & terminatur. ¶ Ad confirmationem dico, in humanis tales personas moraliter operari secundum maiorem dignitatem: Quia magis æstimabile est quod homo maximæ dignitatis totam illam submittat in obsequiũ alterius. Vnde, hæc confirmatio dissoluetur plenè art. 4. in disput. illa, qua quæritur, Vtrum opus meritorium debeat procedere ex gratia, sine vllo alio influxu gratiæ, aut relatione ad Deum formali vel virtuali. ¶ Ad *Ad octauũ.* octauum respondetur, illud esse minus materiale, neque esse sufficiens, nisi specialiter ex dignitate quam habet, operetur, vt fusè satis supra explicatum est.

*Ad septimũ.* *Ad confir.*

## DISPVTATIO IIII.

### *Vtrùm meritum crescat ex intensione, & ex alijs circunstantijs?*

DE hac disputatione egimus. 1. p. q. 25. art. 4. præsertim disputat. 2. in. 2. omo. Sed nihilominus, quia aduersarij quotidie insurgunt, idcirco veritas indiget defensore. Hispalensis. in. 3. d. 3. q. 1. notab. 9. tenet, quòd meritum præmij essentialis, præcisè pendet ex charitate & gratia; meritum verò præmij accidentalis, pendet ex obiecto & ex alijs circunstantijs, quæ sunt in opere. Constituit exempl. vt si quis diligeret amicum dilectione vt quinque, & alius diligeret inimicum eriam vt quinque, illi haberent æquale præmium essentiale, quia habent æqualem charitatem; Cæterum, quia dilectio amici est melior ex

*Hispalens.*

ex obiecto,idcirco meritum accidentale illius qui diligit amicum,erit maius. Vnde, secundum hunc authorem, maius vel minus augmentum gratiæ vel charitatis, solum est pensandum ex maiori vel minori gratia vel charitate,à qua procedit opus; quia gratia est acceptatio ad gloriam,& præmium essentiale,& charitas illi proportionantur.Hanc dicit ille esse sententiam D. Thom.1.p. loco citato,vbi S. Thom.inquit,quòd quantitas meriti si pensetur ex radice charitatis & gratiæ,respondet præmio essentiali:Si vero pensetur quantitas meriti ex quantitate operis,respondet præmio accidentali.Et.2.2.q.18. art.2.ad.2.S.Thom.dicit,quod labor operis exterioris operatur ad augmentum præmij accidentalis: Sed augmentum meriti respectu præmij essentialis, consistit principaliter in charitate.

*Conclus.1.* PRo explicatione huius difficultatis, est prima conclusio.Actus, quò melior fuerit ex aliqua circunstantia aut intensione,eo erit magis meritorius cæteris paribus.Hæc videtur mihi esse sententia D:Thom.infra art.4.ad.2.& etiam.3.p.q.89.ar. 2.vbi dicit,quòd secundum intensiorem motum liberi arbitrij resurgẽtis à peccato per pœnitentiã, datur maior aut minor gratia; & ex consequenti maius præmium.Hanc assertionem tenuit olim pater Victoria in Commentarijs primæ partis.q.95.ar. 4.Canus,Bartholom. Medina in hac materia de merito sæpè sæpiùs.Quocirca, Theologus dubitare nõ debet, vtrum quantitas meriti attendatur ex parte operis & intensionis, etiam quantum ad meritum essentiale; Non inquam debet dubitare neque absolutè,neque in via S.Th.vt fusius aperiemus disput. 5.sequenti:Et certe,maior intensio operis,perse pertinet ad laborem operis;& tamen inquit Paul.quod reddet Deus vnicuique secundum proprium laborem,& iuxta opera sua.Et Ierem.31. Est merces operi tuo. Et intensiori demerito respondet maior pœna:ergo è conuerso intensiori merito,&c.

*Ierem.31.*

Moueor etiam ad hanc assertionem: Quia actus, quò melior est,de se est proportionatus maiori præmio,vt patet in actu charitatis,qui est magis meritorius quò est magis intensus, vel quò magis durat. Et idem est in alijs actibus virtutum acquisitarum, licet æqualiter sint relati à charitate.Probatur:Quia licèt requiratur illa relatio; tamen hoc ipso quòd relatio cadit in maiorem bonitatem actus, eleuat totũ illum ad ordinem supernaturalem; & idcirco tota illa potest dici quodammodo supernaturalis in modo.Et hinc etiam resultat,quòd totus actus, est dignior & magis proportionatus fini supernaturali. ¶Dices: Si actus sunt ordinis naturalis non sunt meritorij,nisi quatenꝰ à charitate referũtur in finẽ supernaturalem: ergo licet differant in intensione, & in alijs circunstantijs;si tamen sunt æqualiter relati à charitate,erunt æqualiter meritorij.Patet consequentia: Quia conueniunt in ea ratione,à qua habent esse meritorium: ergo conueniunt in ratione meriti. Respondetur, quòd hoc ipso quòd relatio charitatis cadit in maiorem bonitatem actus,eleuat totum illum actum ad ordinem supernaturalem, vt diximus;Et sic,tota illa bonitas potest dici supernaturalis in modo; & consequenter totus actus est dignior, & totus est magis proportionatus fini supernaturali:Quia licet requiratur relatio charitatis; illa tamen supposita,actus melior,est magis meritorius propter rationem assignatam. Et licet requiratur gratia in subiecto; actus tamen charitatis intensior,est magis meritorius in vno, quam in altero,licèt in gratia æquali conueniant omninò.

Rursus cõclusio persuadetur secũdò:Inter actus æqualiter à charitate imperatos, ille est perfectior, qui habet perfectius obiectum, vt ostendemus disputatione sequenti: igitur etiam ille erit perfectior qui habet perfectiores alias circunstantias. ¶Tertiò persuadetur.Quoniam si actus intensus vt tria non est magis meritorius,quam intensus vt duo; tunc sequitur quòd ille tertius gradus intensionis non est meritorius: quod sane est aperte falsum, cùm gradus ille sit eiusdem rationis cum alijs duobus.Idem etiam argumẽtum potest fieri de durationc:Nam si actus, qui,verbi gratia,durat per duas horas, non est magis meritorius,quam ille qui durat per vnam; sequitur quòd ille actus qui durat per duas, in tota vna hora non fuit meritorius; cùm tamen habeat tunc eadem conditiones, quas in præcedenti hora habebat:Et actus bonus ex omni circunstantia,fine & obiecto toto tempore quo durat, est meritorius: ergo si magis durat,magis meritorius est. Nam profecto,mercenarius magis meretur,quò magis laborem continuat:ergo similiter in proposito.

SEd obijciunt contra hoc nonnulli.Quia si hoc est verum, sequitur actum esse meritorium ratione omnium graduum intensionis quos habet:consequens autem est falsum:ergo illud ex quo sequitur. Probatur minor: Nam si omnes gradus sunt meritorij, ita vt cuilibet correspondeat suus gradus gloriæ;tũc æqualiter meritorius esset actus vt octo elicitus à charitate,& actus vt octo imperatus tantum ab illa,& elicitus à virtute acquisita:cõsequens autem plane est falsum,vt infra dicetur:ergo.Et confirmatur: Quia actus habet infinitos gradus intensionis, ita vt si quilibet gradus esset per se separatus, haberet distinctam partem & æqualem meriti:ergo simul omnibus correspondet infinitũ præmium. ¶Huic argumento, nonnulli Theologi respondent, actum remissum non esse meritorium; & ita consequenter dicunt,actum intẽsum esse meritorium ratione illius gradus intensionis, in quo actus superat principium suum. Sed profecto illud fundamentum est plusquam falsum. Nam quidquid sit de augmento gratiæ in esse qualitatis,de quo alibi,certum est ex Tridentino, omnem actum procedẽtem à gratia,esse meritorium.Ex quo sequitur, actum esse meritorium ratione omnium graduum intensionis quos habet.Et probatur:Nam ponamus actum esse in minima intensione, & habere cæteras conditiones,ille erit meritorius,& si aliquantulum magis intendatur,erit magis meritorius: ergo tota latitudo intensionis auget meritum:Sed hoc dupliciter intelligitur;Primò;vt tot gradus gloriæ respõdeant actui meritorio,quot gradus intensionis ipse habet;ita vt seruetur veluti æqualitas rei ad rem.Secundò, vt cuilibet gradui intensionis ipsius actus, correspondeat aliquod præmium,non cum æqualitate rei ad rem,sed cum æqualitate proportionis,ita vt si actus est vt quatuor,non necessariò correspondeat gloria vt quatuor, sed vt duo,&c.Victoria, in relectione de augmento charitatis, hunc secundũ modum



modum dicendi veriorem putat, sed alijs placet prior.Ego tamen existimo,distinctione vtendum esse.Nam in actibus à charitate elicitis, prior modus verior apparet:Quia illi actus sunt in supremo gradu actuũ meritoriorum; imo verò habẽt summam proportionem,quam habere possunt cum præmio, ita vt Scoto & suis placuerit, præmium nõ differre essentialiter ab illis.Rursus:In prima iustificatione, quæ fit per actum charitatis, tam intensam gratiam & charitatem recipit aliquis,quam intensam habet dispositionem charitatis,quia non minus diligitur, quam diligat:ergo à fortiori de gloria. Præterea, nullum in homine video inconueniens:ergo.¶Sed solum obijci potest:Quia sequitur Beatam Virginẽ per vnum solum actum charitatis meruisse maiorẽ gloriam,quam vnus vel plures Sancti per totam vitam,quod sane facilè concedi debet.De actibus verò aliarum virtutum,necessariò dicendum est, non posse secundum primum modum, sed secundum alium respondere illis præmium.Quia nisi hoc modo esset seruanda æqualitas, omnes gradus intensionis in omnibus actibus virtutum essent æqualis meriti,quod est aperte falsum, vt ex dictis constat. Ad cõfirmationem respondetur, meritum esse infinitũ secundum partes proportionales, quod est secundum quid,& eodem modo est infinitum præmium, de quo fit idem argumentum,quod de merito.

Adducor etiam ad veritatem prioris conclusionis.Quia omnes circũstantiæ in homine peccatore augent demeritum:ergo è contrario omnes circunstantiæ bonæ in homine iusto, augent meritum. ¶Ex dictis ergo primò patet, quo modo maior libertas ad operandum malum, & minor ad operandum bonum, conferant ad augmentum meriti, iuxta illud elogium,Qui potuit transgredi, & non est transgressus.Quia vtrumque efficit vt actus quatenus terminatur ad obiectum honestum, sit magis liber & voluntarius, atque adeo melior,vt victoria tentationũ eo est magis meritoria cæteris paribus, quo tentatio magis minuit voluntarium ad vincendum peccatum.Ita S.Thom.2.2.q.2.art.10.ad.3. ¶Secundò liquet,quo pacto difficultas actionis augeat meritum.Nam si illi conueniat ratione obiecti, auget;quia tunc actus cæteris paribus de se est melior, iuxta illud.1. Corinth.13. Vnusquisque mercedem accipiet secundum suum laborem.

*...rinth.13.*

*...ectio.*

Sed nihilominus aduersarij non quiescunt, & obijciunt contra conclusionem nostram. Quia si illa est vera, sequitur actum finitæ durationis esse infinitè meritorium. Probatur sequela: Quia actus durans per vnam horam,æquiualet infinitis actibus durantibus per vnum instans:Sed illis responderet infinitum præmiũ,quia quilibet habet distinctã partem,& æqualem meriti:ergo.Item etiam, actus charitatis durans per vnam horam, est meritorius in primo instanti,ita vt tunc correspondeat illi suum determinatum præmium,vt patet si duraret duntaxat per illud tantum instans:sed inquolibet alio instanti meretur idem quod in primo, cum sit idem omnino agens eiusdem dignitatis,& idem tempus & eædem omnino circunstantiæ:igitur cùm sint in finita instantia, correspondebunt infinitæ partes præmij,non tantum proportionales,sed determinatæ,& æquales priori,vt deductum est iam. ¶Et confirmatur:Quia aliàs minus mereretur homo continuando vnum actum per vnam horam, quam efficiendo aliquem numerum actuum in eadem hora, quod videtur absurdum; Quia aliàs consulendum esset hominibus ne durent in actibus,sed quod frequenter repetant eos.Sequela patet:Quia si meritũ actus durantis per vnam horam, est infinitum sicut decem:ergo poterit æquari per decem actus: ergo & superari addendo aliquos alios, qui omnes perfici possunt,& impleri intra horam.

*...firm.*

*Solutio.* HIs obiectionibus aduersariorum statim respondere oportet.Almaynus tractatu.2.moral.cap.7.&.11.& Gregor.in.2.d.5.q.2.art.3. ad.4.introducunt quãdam necessariam morulam in nostris actibus,& in ea dicunt non augeri meritum de qua re nos multa diximus.1.p.præsertim.q.14.art. 13.disput.3.Cæterum apertè est falsa sententia istorum:Quia sequitur ex ea, hominẽ in hac vita posse esse extra statum salutis,vt si incipiat peccare in illa morula,in qua necessariò durat actus, & non habet aliud tempus vitæ.Ratio tamen à priori est;Quia nostri actus per successionem fiunt,quia nõ sunt entia permanentia, & libere continuantur, sicut libere eliciuntur.Quia nõ est causa, quæ magis ad vnum, quam ad alterum necessitet.Item, in voluntate angelica id est per se notum, & in illa habet locum idem argumentum.¶Sed dici posset,nullum actum per se requirere tempus; tamen quando vnus actus fit post alterum necessariò,alter eorum deberet durare per tempus,& hac ratione esse finitum numerũ actuum,qui possunt fieri in hora.Sed neque hoc satisfacit: Quia licet actus illo modo requirat tẽpus; non tamẽ certum & determinatum,sed ante quodlibet instans potest desinere esse, & hoc satis est vt numerus actuum,qui possunt fieri in hora,sit infinitus syncathegorematicè, & sic procedit argumentum.Vnde Victoria,*in relect.de augmento charitatis* irridet hanc difficultatem dicens, durationem non augere meritum, *nisi sit diuturna.* Sed neque hoc nobis placet,neque ipsi probatur; & qua ratione id negatur de parua duratione, potest negari de magna:Quia vtrobique currere potest idem argumentum.¶Quapropter respondetur ad argumentũ & dicendum est,aduersariorum argumentum procedere in illuminatione continui,de qua tamen manifestior solutio data est à nobis alio in loco.Rursus constat, durationem maiorem directè volitam per modum obiecti, non augeri in infinitum, vt infra dicemus: igitur neque augebit posita illa in actu exercito.Vnde censendum est, durationem hanc esse veluti proprietatem & circunstantiam actus,quę per se non tantum valet, quantum ipsa substantia actus;& idcirco,licet addat aliquid merito; non tamen oportet quod illud habeat proportionem æqualitatis cum ipsa substantia actus: Quia potest esse tã parua duratio addita actui,vt non adæquet valorem eius;& in idem redit alia disparitas:Quia in sequentibus instantibus non tantum agit, sicut in primo. Nam in primo agit tanquam in mensura adæquata productionis; *in alijs verò non nisi sicut in continuatione.* ¶Et sic patet ad confirmationem. Necessario ergò fatendum est, duos actus etiam si durent per duo tantum instantia,esse maioris meriti, quam sit aliquis actus durans per tempus; neque hoc est incon-

*Ad confir.*

inconueniens aliquod,licet vnus ille actus excedat in perseuerantia.Ex quo vlterius patet, vnum actũ non æquiualere infinitis actibus, si in distinctis instantibus fierent.

Sed adhuc interrogabit aliquis; Num difficultas faciat aliquid ad meritum essentiale?De qua re non nulla diximus paulo antea.Sed vt id melius percipiatur & explicemus, suppono, quòd difficultas potest prouenire vel ex parte subiecti operantis vel ex parte operis;ex parte operantis,vt quia homo est parcus & auarus ex conditione propria, ex parte autem operis, quia opus est difficile secundum se & ex suo obiecto. Vnde, in casu quod liberalis & parcus donent æqualiter eleemosynam,non minus merebitur liberalis,quam parcus; Nam alioqui, illi qui acquisierunt bonum & studiosum habitum,essent peioris conditionis, quam vitiosi, qui magna cum difficultate ob culpam suam postea operantur. Imo verò studiosi paterentur iacturam ex sua bonitate,& ex acquisitione virtutum & habituum.Difficultas igitur est, An quando ex parte operis, & ex propriis ipsius operis & obiecti, opus est difficile, an talis difficultas operis faciat ad meritum essentiale? De qua re, sequentem conclusionem subijcio.

*Conclus.2.* Secunda conclusio.Difficultas quæ est operi intrinseca, & sumitur ex propijs ipsius operis, hæc proculdubio facit ad augmentum meriti essentialis.Hanc assertionem tenet Victoria loco citato,& sequitur ex superioribus, vbi diximus quòd in vniuersum omnia illa quæ faciunt aliquod opus esse magis bonum alio, faciunt illud esse magis meritorium præmij essentialis.Nam certe, circunstantiæ omnes,quæ efficiunt opus esse magis malum,efficiunt illud magis demeritorium:ergo è conuerso, omnes circunstantiæ,quæ efficiunt opus magis bonum,efficiunt illud magis meritorium simpliciter: Quoniam Deus pronior est ad præmiandum,quam ad puniendum.Et confirmatur: Quia si opus magis laudabile fiat ab existente in gratia,est magis meritorium:sed circunstantiæ omnes augentes bonitatem,faciunt illud opus esse magis laudabile: ergo. Præterea persuadetur: Quia virtus est circa difficile:igitur si omnia alia sunt paria,& operatio ipsa ex sibi proprijs est difficilior,seu ex natura sua, sequitur, quod magis merebitur essentialiter: Et ideo, omnia quæ faciunt ad actum bonum & meliorem, faciunt ad præmium essentiale.Itaque, in illis operibus,in quibus nonnulli difficulter agunt difficultate solum proueniente ex parte subiecti;alij verò difficultate deuicta, faciliter operantur, non est minus meritũ in delectabiliter agentibus, quã in difficiliter operãtibus;& ita sensit Victoria.1.p.q.95.ar.4. ¶Ex his patet cõtra Hispalens.quòd diligere amicũ est magis meritoriũ præmij essentalis quã diligere inimicũ,si procedat ex æquali charitate: Quia dilectio amici est melior ex obiecto,vt statim dicemus; Similiter si opus sit intensius & difficilius;Similiter si sit maiori tempore cõtinuatum: etiam si procedat ex æquali charitate cum alio tempore, erit magis meritorium præmij essentialis.

*Conclus.3.* Tertia conclusio. Meritum præmij essentialis principaliter pensandum est ex charitate & gratia;secũdario verò ex ipsis operibus.Probatur ex S.Thom.2.2,q.18.artic.2.ad.2.vbi ait, quòd augmentum meriti respectu præmij essentialis principaliter consistit in charitate.Si ergo Sanctissimus Præceptor nõ dixit duntaxat,aut solum in charitate consistere,sed principaliter, inde plane colligitur, quòd secundum D.Thomam, etiam ex ipsis operibus sumitur secundariò augmentum meriti respectu præmij essentialis.Secundò probatur ex eodem Sanctissimo Præceptore, in.2.d.29.artic.4. vbi ait, quòd opus habet quòd sit magis meritorium, ex gratia, voluntate, & obiecto. Nam quanto maiori charitate & gratia actus informatur, tanto magis est meritorius; & similiter quanto magis voluntarius; & pariter etiam quanto opus est magis arduũ & difficile: Igitur ex his & alijs pertinentibus ad ipsum opus,meretur homo maius præmium essentiale,& non tantum accidentale. Vnde, idem S. Tho. art.4.sequenti ad.2.dicit,quòd difficultas ex magnitudine operis siue ex obiecto, auget meritum; non autem illa,quæ est ex parte subiecti;quia hæc potiùs minuit: ergo ex difficultate operis, & ex obiecto maiori, vt dicemus, opus est maius meritum præmij essentialis. Hoc etiam probatur ex Paul.1. Corinth.3.Vnusquisque propriam mercedẽ accipiet secundum proprium laborem. Certè,si vnus dilectione vt quinque det paruam eleemosynam, & alius cum eadem dilectione faciat opus heroicum, & patiatur martyriũ pro Christo;Tunc sic argumẽtor: Vnusquisque præmiandus est secundum suum laborem præmio essentiali: sed iste secundus patitur maiorem laborem:ergo,&c.Quia profectò aliàs nó esset retributio secundum opera. Omitto modo, quòd qui opus magis arduum operatur,regulariter habet intensiorem voluntatem:sed etiam si eam nó habeat,erit magis meritorium præmij essentialis cæteris paribus:ergo. ¶Ex his colligo,quod quotiescumq; opus est magis meritorium præmij essentialis, magis per illu daugebitur gratia & charitas non solum formaliter ,sed etiam in esse qualitatis, quamuis hoc sit diuerso modo;Quia gratia & charitas formaliter augentur magis per actus magis meritorios secundum totam latitudinem actus; in esse verò qualitatis solum augentur secundum excessum actus supra habitum.Sed de his.2.2.disputabitur à nobis.

1.Corinth.3.

Ad ea verò quæ dicit Hispalens.fusè nos respondemus.1.p.q.95.art.4.præsertim propos.3. vbi explicantur & expenduntur à nobis verba S. Thom. Sed nihilominus pro nunc respondetur, quòd S. Thom.loquitur de quantitate operis ex parte ipsius operis,quando nihil addit supra efficacem voluntatem;tunc verum est, quòd quantitas operis respondet præmio accidentali.Verbi gratia,si quis incipit pati martyrium cum voluntate efficaci;non tamen perimitur aut mactatur, dicit D. Thom. quod dato non consummet opus,tamen quia voluntas erat efficax non secus atque si cõsummaretur, nihil addit opus ad præmium essentiale,sed accidentale, scilicet,ad laureolam. De qua re videnda sunt quæ dicunt Theologi.1.2.q.20.artic.3.&.4. Sed tamen per hoc non vult negare S. Thom. quòd opus melius, habeat maius præmium essentiale. Et per hoc patet quid sit dicendum ad locum ex.2.2. desumptum. ¶Secundò etiam responderi potest, quòd vt opus sit meritorium, essentiale est ei quòd procedat ex gratia & charitate; reliquę autem circunstantiæ nõ ita requiruntur essentialiter,vt de non meritorio faciant meritorium,sed solum faciunt opus esse magis meritorium;& idcirco dicit D.Tho.quòd meritum præmij essentialis, respondet charitati, maius autem aut minus præmium essentiale, respondet etiam operi;quia vnusquisque accipit retributionẽ secundum opera,& secundum proprium laborem, vt dixit Paul.Vnde, cùm dixit S.Thom. quod accidentale respondet labori, per hoc non negat quòd tam labor, quam charitas augeant præmium essentiale, vt vidimus, & id inferius magis explicabitur.



## DISPVTATIO V.

### *Vtrùm ex præstantia obiecti, meritum & valor eius crescat?*

Hæc controuersia,nisi haberet hodie aduersarios & inimicos,non indigeret longo discursu.Verum, quod sine dolore dici non potest à viro Catholico, sunt hodie ex recẽtioribus nonnulli,qui censent, ex præstantia obiecti meritũ non crescere, atque adeo quòd si æquali charitate vnus efficiat actum heroicum moriendi pro Christo;alter vero reddat debitum vxori petenti,non habebit maius præmium essentiale is qui pro Christo moritur,quam is qui reddit debitum vxori. Omitto modo præmium accidentale, & laureolam martyrij,& loquor solum de præmio essentiali & fruitione Dei.Dicunt etiam, quòd siquis statum religionis suscipiat,& in ea religiosè viuat,frequenter orationem habeat,disciplinam suscipiat, nudus incedat pro Christo,flagella sustineat,Missæ sacrificium peragat per charitatem, verbi gratia, vt decem, quòd hæc opera ex præstantia obiecti, & ex difficultate obiecti,non sunt magis meritoria,quam opera viri aut hominis,qui alit familiam,& amat vxorẽ pulchram, & filios, & hæc omnia facit per charitatem vt decem.Denique repellit diuersitatem meritorum in statibus;ita vt meritum non crescat, cæteris paribus, ex præstantia status, & præstantia obiecti, & ex difficultate intrinseca operis. Hoc persuadent. Quia si obiectum quò perfectius & excellentius est, eo actus circa ipsum est magis meritorius; sequitur, actum quo quis efficaciter desiderat dare in eleemosynam infinitos thesauros, esse infinite meritoriũ, & eum actum quo diligo Deum esse infinitè magis meritorium,quam actum quo diligo Patrẽ,aut vxorem:Quia obiectum ex quo crescit meritum,infinitè excedit aliud.Si dicas, obiectum influere suam bonitatem vt causam vniuersalem,& ob id limitari ab actu finito.Contra est argumentum. Nam proximum obiectum,est specificatiuum actus:ergo nõ se habet vt causa vniuersalis,neque potest aliter limitare perfectionem actus nisi quatenus terminat ordinem,quem actus dicit ad illud: Sed vt sic non limitat,imo verò existente æquali ordine actus ad ipsum,eo dat maiorem valorem actui,quòd ipsum obiectũ ex se est perfectius. Item etiam: Quia si limitat, suppono limitare vsque ad centum: ergo actus de imperfectiori obiecto cæteris paribus potest esse tãtum meritorius, sicut actus de infinitè perfectiori obiecto.Nam obiectum perfectum vt vnum,tribuit actui valorem vt vnum:ergo sic calculando vsque ad centum,obiectum perfectum vt centum,tribuet valorem vt centum.Nam cum talis valor finitus sit, finita dignitas obiecti potest illi adæquare.Huic argumento nonnulli dicunt,actũ illũ esse infinitè meritoriũ secundũ quid,scilicet ex parte obiecti;nõ tamen absolutè; sicut actus quo ego Deũ cognosco. Sed contra.Primò: Per actum quo quis efficacissime desiderat dare in eleemosynam infinitos thesauros,tantum quidem meretur, ac si eos de facto daret: sed si daret illos mereretur infinitè: ergo illud desiderium est infinitè meritorium. Probatur minor: Quia per actum illum quo daret, verbi gratia,infinitos numos aureos, tantum mereretur ac si singulis actibus daret singulos: sed tunc constat quòd mereretur in infinitum,quoniam per quemlibet actum mereretur gradum gloriæ vnum distinctum ab his,quos meretur per reliquos:ergo intentum,&c.Secundò:Obiectum specificat actum:ergo maximè est intrinsecum actui meritorio,qui versatur circa ipsum:ergo si obiectum est infinitum, meritum etiam est infinitum.Tertiò:Si actus esset infinitè intensus, esset patiter infinitè meritorius: ergo idem erit si habeat infinitum obiectum.Patet consequentia:Quia sicut actus habens maiorem & perfectiorem intensionem,magis est meritorius, ita etiã habens perfectius obiectum; Imo verò à fortiori hoc habet verum ex parte obiecti, quia obiectum specificat actum,vt diximus:at intẽsio & similia dũtaxat sunt accidentales circunstantiæ:ergo. ¶Aliqui etiam respondent, ad supra tactum argumentum, actum habẽtem infinitum obiectũ, habere valorem superioris rationis:non tamen infinitum; Sicut non valet, Lumen est perfectius, quò est de perfectiori obiecto:ergo illud quod est de obiecto infinito,erit infinitè perfectum; sed sufficit esse alterius ordinis. Sed contra;Nam actus quo diligo Deum,& quo diligo creaturam,verè sunt actus charitatis: ergo eiusdẽ ordinis:Et visio Dei quæ correspõdet vtrique est etiã eiusdẽ ordinis:ergo,&c.Præterea. Quid obstat esse eleuationis ordinis & rationis ne habeat totũ valorẽ,quem obiectum præstare potest? Rursus; Si quò obiectum perfectius est,eo actus est magis meritorius: ergo ea proportio quæ est inter obiecta,ea etiam est inter actus:Imo verò, licet actus non sumat infinitam perfectionem simpliciter ab obiecto, adhuc est difficultas,Vtrum actus de obiecto infinito, excedat in infinitum alium æqualem actum,scilicet,de obiecto finito?si excedit finitè, sit verbi gratia,excessus ille in duplo: Tunc sic:ergo obiectum duplò perfectius quam illud finitum, tribueret parem rationem meriti, quam tribuit obiectum infinitum. Si autem est infinitè magis meritorius: ergo eius præmium infinitè excedit præmium alterius: ergo est infinita visio Dei:Nam si est finita, illa poterit esse præmium adæquatum actus æqualiter intensi habentis finitum obiectum, vt modo deductũ est;Atque ita,ex eo quòd habent æquale præmium colligemus fuisse æqualis meriti, & consequenter non crescere meritum ex præstantia obiecti. ¶Alij tandem Theologi respondẽt ad præfatum argumentum

tum exordio factum, dici posse, actum habentem obiectum infinitum, esse infinite meritorium, non simpliciter, sed ex parte obiecti, & quòd ita eius præmium excedit infinitè ex parte obiecti, præmium alterius. Nam si Petrus habuit actum circa Deum, Ioannes verò circa creaturam, præmium Petri erit Deus clare visus, vt productiuus speciei possibilis, quæ licet in se finita sit; in infinitum tamen excedit species possibiles, quas alius intuetur in Deo. ¶Sed contra hanc responsionem sunt etiam sua argumẽta & rationes: Nam quæcumque species possibilis, est finitæ perfectionis, vt etiam ipsi fatentur: ergo non excedit in infinitum eas, quas alius cernit & intuetur, nisi solum penes hoc quòd aliæ quantumcunque crescant, nunquam peruenient ad illam; qui sane excessus non est propriè infinitus: igitur non seruatur recta proportio, cum non sit excessus infinitus ex parte præmij, sicut ex parte obiecti operationis. ¶Itẽ secundo: Quia visio talis speciei excellentis, est finita visio; atque adeo potest correspondere adæquatè in præmium actus meritorij de obiecto finito, si proportionaliter procedamus calculando, sicut supra: igitur tunc tales actus erunt æquales in merito: Suppono enim esse æqualis intensionis. ¶Item tertiò: Deus potest beatificare aliquos sine eo quòd in se ostendat aliquam creaturam: ergo. Et confirmatur: Quia illi actus etiam sunt meritorij augmenti gloriæ, in quibus nõ potest assignari ea proportio inter præmia, quæ est inter actus meritorios: ergo. Rursus etiam confirmatur: Quoniam eadem prorsus difficultas militat in demerito. Nam profecto obiectum quod directe offenditur, quò perfectius est, eo actus est magis demeritorius: sed in pœna nõ possumus fingere similem proportionem, ita vt pœna odij contra Deum, in infinitum excedat pœnam odij contra creaturam: ergo cum tot difficultates oriantur ex eo quòd meritũ crescat ex præstantia obiecti; sequitur dicendum esse quòd cæteris paribus, ex præstantia obiecti meritum non crescat. ¶Hoc argumentum, quod palmarium putant aduersarij, idcirco à me est propositum fideliter, tũ vt ostendam difficultatem huius disputationis; tum etiam vt veritas rei magis aperiatur & examinetur

*Suppo.1.* Pro explicatione huius difficultatis suppono ex Sanctissimo Præceptore 1.2.q.21.artic.3.&.4. quòd actus humanus, in quantum est bonus vel malus, habet rationem meriti vel demeriti. Imo verò in art.4. dicit, quòd in quantum est bonus vel malus, habet rationem meriti vel demeriti apud Deum, quantum est ex ipsa ratione actus. Quæ verba Caiet. explicat in Comment. eiusdem articuli. Nã dupliciter actus humanus alicuius potest habere rationem meriti vel demeriti, primò quidem ex ipsa ratione actus: secundò verò ex statu personæ agentis; & hoc secundo modo non omnis actus humanus est meritorius vel demeritorius, sed solum actus existentis in statu gratiæ: Primò tamen modo ait Caietanus, omnis actus humanus est meritorius vel demeritorius quantum est ex ipsa ratione actus, quod debet intelligi (inquit ille) non de merito vitæ æternæ, sed simpliciter apud Deum: Quia loquendo latissimè de merito, omnis actus bonus retributionem, & malus punitionem exposcit. Quæ explicatio Caietani modo à nobis examinanda non est, sed ex ea, & ex doctrina D.Thom. constat, actum duobus modis dici meritorium; Primò ex ipsa ratione actus, nempe quia bonus est ex obiecto & circunstantijs, & ex conformitate ad suam regulam. Secundò modo ex parte agentis, nempe quatenus est in gratia, vel non est in gratia. Et priori modo omnis actus bonus est meritorius coram Deo; posteriori autem modo non est meritorius coram Deo; nisi sit actus bonus existentis in gratia. Nam certo sentiendum est, quòd opera bona existentis in mortali, non merentur vitam æternam, neque peccatorum remissionem, vt Paul. dicit. 1. Corinth. 13. Si tradidero corpus meum ita vt ardeam; charitatem autem non habuero, nihil mihi potest. Vnde, bona opera sine charitate nullius valoris sunt coram Deo. Sed nihilominus certum est, quòd actus bonus vt sic, quantum est ex ipsa ratione actus, meritorius est coram Deo. Vnde homo si sine gratia & peccato operaretur bonum morale & studiosum, mereretur aliquod præmium à Deo, licet non visionem beatificam: hoc enim est præmium supernaturale, ad quod requiritur status gratiæ & charitatis. Secundò constat, quòd si actus humanus in quantum est bonus vel malus, intrinsecè habet rationem meriti vel demeriti coram Deo, quantum est ex ratione actus & suam bonitatem vel malitiam habet ex obiecto & circũstantijs, quòd valor meriti quantum est ex ratione actus, ex obiecto & circunstantijs debet sumi, & hæc est expressa doctrina D.Tho. loco citato.

*Suppo.2.* Secundò suppono, perfectionem Christianæ vitæ consistere in charitate, ac proinde in obseruatione præceptorum, quæ præcepta inæqualia sunt secũdum perfectionem: alia namque maiora sunt & excellentiora ex obiectis, quæ intrinsecè respiciunt; alia verò minora sunt, & minoris perfectionis ex obiectis suis. Perfectio ergo vitæ Christianæ consistit in dilectione Dei & proximi: Nam in his duobus mandatis tota lex pendet: Dilectio autem proximi, per varia præcepta se extendit inæqualia secũdum perfectionem. ¶Suppono etiam, varios esse status vitæ Christianæ in Ecclesia Christi, & non omnes habere æqualem perfectionem; imo verò secundum speciales rationes, inter se specialiter & essentialiter differre, & esse inæquales, neque æqualem valorem eis ab intrinseco conuenire, sed alium & alium pro diuersitate perfectionis intrinseca cuicumque eorum, vt S. Thom. fusè ostendit. 2.2. in materia de statibus à.q.183. & deinceps. Nam ob id Ecclesia dicitur circumamicta varietate. Et præterea dicitur varietate circũdata doctrina Apostolorum; confessione Martyrum, puritate Virginum, & lamento pœnitentium. Dicitur etiam circundata varietate propter varia officia; quia Deus dedit quosdam Apostolos, quosdam Prophetas, alios Euangelistas, alios autem pastores & Doctores ad consummationem Sãctorum. Et quidem ista varietas pertinet ad necessitatem actionum, quæ sunt in Ecclesia. Vnde, officia distinguntur per actus, maiora inquam vel minora, vt Sanct. Thom. loco citato deducit.

*Conclus.1.* His ita prælibatis, est prima conclusio. Quantitas meriti, non debet accipi ex quantitate obiecti in esse entis, sed in esse termini, hoc est secundum quòd est terminus talis actus, & secundum



secundum quòd actus sortitur bonitatem ex modo tendẽdi in illud. Hæc assertio videtur mihi esse D. Tho. loco citato cùm dixit, omnem actum bonum quantum est ex ipsa ratione actus, esse meritoriũ coram Deo: actus enim in quantùm actus, si bonus est, suum valorem accipit ex obiecto vt sic: ergo nõ ex obiecto in esse entis, sed in esse obiecti & termini. Constat etiam esse sententiam D. Tho. qui bonitatem & malitiam actuum ex obiectis dicit esse pensandam, & ex cõformitate ad regulam. ¶Ex his colligo argumentum quo persuadetur conclusio. Nam actus meritorius in tantum est meritorius in quantum bonus: ergo in tantum sumitur ex obiecto quãtitas meriti, in quãtum ex eo sumitur bonitas actus. Et ex hoc assignatur planè disparitas inter obiectũ & suppositum: Obiectum namque in re nihil dat actui; imò verò in rigore ipsa entitas obiecti non specificat actum, sed potius ordo actus ad illud obiectum, est immediatum & intrinsecum specificatiuum ipsius actus; ac proinde valor ex parte obiecti sumitur ex illo ordine, quem dicit actus ad obiectum, & non ex eo quem dicit obiectum ad actum; atque adeò limitatur talis valor secundum naturã, & secũdum ordinem, quem dicit actus ad obiectũ; At in alio non sumitur valor actus ex eo quòd ordinetur actus ad suppositum, sed ex eo quòd suppositum ordinetur ad actum eliciendo illum; Et licet actus physicè limitatus sit; moraliter tamen habet tantam bonitatem, sicut persona quæ semper censetur operari secundum totam moralem dignitatem quam habet; Nam operatur persona vt sic: Igitur si persona est infinitè digna, etiam eius operatio; At obiectum, neque specificat, neque tribuit valorem secundum suam entitatem, sed secundum modum, quo actus tendit in ipsum; & quoniam non amatur obiectum infinitum quantum amabile est; idcircò non tribuit tantum valorem, quantum ex se natum est dare: Igitur quantitas meriti & valoris non sumitur ex quantitate obiecti in esse entis, sed secundum quòd actus sortitur bonitatem ex modo tendendi in illud, & secundum quòd est terminus talis actus. ¶Dices; Supposito quòd actus tẽdat æqualiter in duo obiecta, ille actus est dignior, maiorisque valoris, qui habet perfectius obiectum: igitur non tantum ex modo tendendi, sed etiam ex diuersitate entitatiua, sumenda est talis dignitas, & accipiendus est talis valor. Respõdetur, quòd hoc quod est versari circa obiectum infinitum cum conatu, v.g. vt decem, moraliter æstimatur vt meritorium, v.g. vt centum. Quoniam cùm possit versari eodẽ conatu circa finitum obiectum, eligit versari circa infinitum; & inde, considerato modo tendendi ipsius actus, hoc quod est versari circa infinitum obiectum, non iudicatur nisi finiti valoris, propter modum limitatum tendendi in ipsum.

*Conclus.2.* Secunda conclusio. Non semper ex varietate essentiali obiectorum sumitur aut accipitur diuersitas esse meritorij. Hæc cõclusio, certa debet esse apud omnes: Quoniam esse meritorium accipitur ex morali æstimatione & appretiatione: sed actus tendẽtes in varia & distincta obiecta, possunt iudicari eiusdem valoris moraliter loquendo: ergo. Vnde, sicut in humanis res specie differentes æstimantur eodem pretio, ita etiam putandum est in valore operum, licèt versentur circa obiecta essentialiter distincta. Rursus probatur: Quia isti actus sunt meritorij quantum volũtarij & liberi, & quantum ex maiori affectu, ad vltimum finem procedũt: sed in hac ratione possunt esse æquales actus, qui in alijs pluribus sunt inæquales: ergo intentum, &c. Item etiam probatur: Quia cùm actus sumat valorem ex pluribus causis & circunstantijs, ille qui habet minus perfectum obiectũ vel essentialiter vel accidentaliter, poterit aliunde, nempe ex intensione, vel ex quantitate, adæquare valorem actus de perfectiori obiecto, vt ex suprà dictis constat: ergo vera est conclusio.

*Conclus.3.* Tertia conclusio. Tota illa ratio meriti; quæ reperitur in actu finito ex eo quòd tendat in obiectum infinitum, potest adæquari ex eo quòd actus de obiecto finito habet maiorem intensionem, quãuis hæc sit finita. Hæc assertio liquet ex dictis paulò antea. Nam, vt vidimus, illa ratio meriti quæ resultat ex obiecto, est finita; alias actus esset infinitè meritorius: Potest ergo adæquari per finitam intensionem. Rursus, patet ex his quæ in secunda conclusione paulò antea dicebam: Et præterea ex eo quòd ratio meriti sumitur ex maiori voluntate & affectu ad vltimum finem: Et ita moraliter magis iudicatur facere is, qui maximo conatu versatur circa rem difficillimam ex imperio charitatis, & qui ingentem facit eleemosynam vel pœnitentiam, quam is qui remississimè versatur immediatè circa Deum. Nam obiectum, vt diximus supra conclusione prima, non præstat omnem suum valorem, nisi iuxta modum, quo actus tendit in ipsum. Patet præterea ex eo quòd homo tribuens in eleemosynam vnum aureum cum ingenti feruore, potest tantum mereri, atque alius qui remississimè habet actum, quo vellet infinitos dare; quod sanè satis colligitur ex illo Marci. 12. Vbi Christus dicit, viduam mittentem duo minuta in Gazophilatium, plus omnibus meruisse: igitur tota ratio meriti, quæ reperitur in actu finito, ex eo quòd tendat in obiectum infinitum, potest adæquari, ex eo quòd actus de obiecto finito, habeat aliàs maiorem intensionem. Imo verò aliquando multo magis crescit actus ex intensione, quam præcisè ex obiecto. Quod patet ex eo quòd si actus esset infinitè intensus, esset infinitè meritorius; at verò actus qui de facto est de obiecto infinito, non est modò infinitè meritorius: ergo fieri potest, vt aliquando magis crescat actus ex intensione, quam præcisè ex obiecto. Rursus etiam: Quia ratio meriti sumitur ex affectu ad vltimum finem: sed is qui intensè operatur, magis ostendit hunc affectum, quã is qui remississimè operatur etiam circa dignius obiectum: Quoniam hoc materialiter se habet ad actum: ergo intentum.

*Conclus. 4.* Quarta cõclusio. Quantò perfectius est obiectum, tanto actus qui circa ipsum versatur, cæteris paribus, est magis meritorius. Hæc conclusio proculdubio est S. Thom. vbicumque loquitur de hac re, & in. 2. distinctione vigesima nona, articulo quarto, in corpore dicit, quòd opus habet quòd sit meritorium ex gratia, voluntate, & obiecto, & quòd ex his tribus efficacia

ficacia merendi mensurari potest, & quòd quantò obiectum est magis arduum, tantò magis actus est meritorius. Et subiungit, quòd arduum auget rationem meriti, & quòd hoc non habet ex difficultate laboris, sed ex bonitate, scilicet, operis aut obiecti: Quia quantò aliquid melius est, tantò suprà vires hominis operantis est magis eleuatum. Et in fine inquit, quòd opus arduum non auget rationem meriti, nisi ratione bonitatis: ergo si opus habet quòd sit meritorium ex gratia, voluntate & obiecto: ergo quanto maiori gratia & charitate actus informatur, tantò magis est meritorius: Et similiter, quantò obiectum est excellentius & perfectius & magis arduum, magisque voluntarium, tantò magis erit meritorium: ergo ex obiecto, & ex alijs pertinentibus ad ipsum opus, meretur homo maius præmium essentiale, & non accidentale tantum cæteris paribus. Item probatur ex eodem Sancto Thoma, secunda secundæ quæstione vigesima septima, articulo septimo, vbi dicit, amorem amicorum ex obiecto dici magis meritorium, quam amor inimicorum, quod intelligitur cæteris paribus: ergo diligere amicum, est magis meritorium præmij essentialis, quam diligere inimicum, si procedat ex æquali charitate; quoniam dilectio amici est melior ex obiecto. Idē sensit Sanctus Thomas, infrà articulo quarto, ad secundum. Vbi dicit, quòd opus aliquod potest esse laboriosum & difficile dupliciter; primò quidem ex magnitudine operis, & sic magnitudo laboris pertinet ad augmentum meriti, quoniam charitas non diminuit hunc laborem, imo facit aggredi opera maxima. Altero modo prouenit hæc difficultas siue hic labor ex defectu subiecti & operantis: Quia vnicuique est laboriosum & difficile quod non prompta voluntate facit; & hic labor non auget, sed potius diminuit meritum, & à charitate repellitur.

Hanc assertionem videtur Paulus expressisse. 2. Corinthio. 3. Vbi ab eo antefertur virginitas matrimonio, & Concilij Tridentinū, sessione. 24. cano. 10. apertè dicit, statum coniugalem anteponendum non esse statui virginitatis, vel cælibatus, & melius esse, ac beatius manere in virginitate, aut cælibatu, quam iungi matrimonio. Et. 2. Corinthio. 9. habemus ex Paulo, quòd qui parcè seminat, parcè & metet. Et ex eodem etiam Paulo habemus, quòd vnusquisque propriam accipiet mercedem secundum proprium laborem: ergo cæteris paribus, si quis opus heroicum & arduum efficeret, & non reciperet nisi æquale præmium cum alio minimè arduo, & non heroico, sed facili, & minus excellenti ex suo obiecto, non reciperet mercedem iuxta proprium laborem. Tandem: Quia aliàs si non diceretur actus bonus propter excellentius obiectum arduum, magis meritorius; sequeretur, quòd non esset magis meritorium, cæteris paribus, facere opus heroicum, aut credere propter amorem Dei, quam ieiunare, si relatio amoris esset æqualis, vt supponimus, quod planè videtur absurdum. Imò verò, ex aduersariorum sententia, si cæteris paribus, non esset magius meritum in obseruatione castitatis & virginitatis, & in custodia religionis, & in operibus heroicis, (loquor de merito & præmio essentiali) apertè retardarentur homines ab huiusmodi operibus, & possent dicere, Si ego ex æquali voluntate duco vxorem, & reddo illi debitum, & filios meos diligo, & educo, atque instruo, æquale præmium essentiale gloriæ habeo cum eo, qui monasticam vitam strictè & rigorosè obseruat, & cum eo, qui à solicitudinibus huius vitæ seiungi vult, & cum eo qui Martyrium pro Christo perferre vult, & cum illo etiam, qui heroica peragit opera, & non est cur tantopere homines discrucientur, sed placidam vitam sumentes si volunt, & si operentur sine hac difficultate & arduitate operum, idem merebuntur de gloria & præmio essentiali vitæ æternæ. Quia non solum saluari possum in statu coniugali placidæ vxoris & sociæ; sed etiam, cæteris paribus, ex parte charitatis, tantum mereri, sicut illi qui ingentia, & hæroyca opera, ardua, & difficilia operantur semoti à consortio hominum in eremo degentes, & in religione commorantes, vigilijs, orationibus, & cultu Dei dediti, &c.

Ex quo liquet, cæteris paribus actum charitatis esse magis meritorium, quam omnes alios, & quem libet actum supernaturalem, quam omnes actus naturales. Imò sequitur, actum supernaturalem fidei cùm imperatur à charitate esse meritorium, non solùm ratione illius bonitatis, quam illi imprimit illud imperium, sed etiam ratione suæ intrinsecæ bonitatis, cùm iam sit actus ille eleuatus ex charitate ad ordinem merendi supernaturalem; Quia videlicet ex proprio obiecto habet bonitatem supernaturalem, & aliam ex obiecto charitatis ad quòd dirigitur. Et confirmatur: Quoniam magis meretur is, qui cum æquali charitate elargitur in eleemosynam centum, quam qui tantum quinque, & qui efficaciter desiderat dare centum, quam dare quinque: ergo.

Rursus. 2. 2. Sanct. Thom. quæstione. 182. artic. 2. comparat vitam actiuam & contemplatiuam, & dicit contemplatiuam esse perfectiorem: ergo ex eodem habitu qui orat Deum, aut qui sacrificat in honorem & cultum Dei, & religionis, magis meretur quam qui dat paruam eleemosynam pauperi. Vnde. 2. 2. quæstione. 27. articulo. 7. Sanctissimus Præceptor affirmat, quòd qui ex minori charitate diligit Deum, plus meretur quam is, qui cum maiori diligit proximum: igitur non est dubitandum de posita assertione, neque absolutè, neque in via S. Thom. Sed sentiendum est, quòd bonitas maior obiecti dilecti & amati, cæteris paribus, faciat ad maius præmium essentiale, quod apertè S. Thom. loco citato. 2. 2. quæstione. 27. articulo. 7 & 8. palam docet, dicēs, quòd dilectio Dei est magis meritoria quā dilectio proximi, & intelligit cæteris paribus, aliàs nihil diceret; & intelligit de dilectione proximi, quando illa est meritoria. Et in art. 7. dicit, quòd dilectio amici est magis meritoria, quā dilectio inimici, & intelligit de præmio essentiali. Quod patet, Quia de accidentali affirmat, q̄ magis meritoria est dilectio inimici, & intelligit cæteris paribus: Quia cōparationes debēt esse in aliquo, cæteris alijs pariter se habētibus. Quoniā certū est quòd qui ex intēsione vt centū diligit inimicū, plus meretur quā is, qui



qui tepidè diligit amicum. Vnde, apud Sanctum Thomam, etiam maior dilectio & maior charitas potest vocari ipsum opus maius: Et ob id, perfectiorem dixit esse vitam contemplatiuam. Et sanè, qui patitur pro Christo, licèt non cum tanta intensione, magis meretur, & vt minimum tantùm, sicut is qui dat obolum pauperi. Et ratio est: Quia in eo qui patitur pro Christo ex vi ipsius operis est maior dilectio, quia ponit vitam pro Christo. Nam maiorem dilectionem nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Rursus persuadetur idem: Quia tantum meritum est dare simul centum aureos, sicut eos donare centum vicibus; imò verò fortè magis meritorius: Quod patet; Quia si iste decem diebus daret illos, & tantùm mereretur, qualibet vice, sicut is qui solum vnum aureum dedit: ergo dando centum simul, multò magis merebitur, quam is qui solùm dat vnum in casu posito, cæteris omnibus paribus, &c.

Quòd verò maior intensio actionis, & maior conatus ex auxilio Dei faciant præmium essentiale maius; res est certa, de qua non est dubitandum, vt disputatione quarta ostendimus, & id insinuat Sanctissimus Præceptor, tertia parte, quæstione. 89. articulo. 2. Nam ait, quòd quando aliqui resurgunt à peccato, qui cum maiori conatu resurgunt, maiorem gratiam recipiunt. Itaque, secundum intensiorem motum liberi arbitrij resurgentis à peccato per pœnitentiam, datur maior aut minor gratia, & ex consequenti maius præmium, &c.

*Argum. aduersarior.* AD argumentum exordio quæstionis factum pro aduersarijs, & ad reliquas obiectiones & replicas ibi contentas, respōdetur, actum esse magis meritorium, quando habet obiectum perfectius & excellentius, non solum in esse entis, sed in esse termini, vt formaliter est obiectum, sicut dictum est supra conclusione prima. Eo autem modo non excedit in infinitum obiectum vnius actus, obiectum alterius: Quoniam nec vnus actus excedit in infinitum alterum, sed tantum excedit essētialiter, cui excessui dumtaxat correspondet excessus finitus in eadem ratione præmij; vt patet ex conclusione secunda. Quocircà, non tantum fingēdus est excessus vnius præmij ad aliud, sed vnius obiecti ad aliud, scilicet, in esse obiecti, quomodo accidit obiectum in esse entis imperfectiùs excedere aliud. ¶ Per hoc patet ad obiectionem illam; Actus habens infinitam intensionem est infinitè meritorius: ergo & habens infinitum obiectum. Respondetur, si habeat obiectum infinitum in esse obiecti formaliter, concedo; aliàs nego. Nam iuxta tertiam conclusionem, tam sumitur ratio meriti ex intensione, quam ex materiali ratione obiecti.

¶ Sed nihilominus adhuc militant contra hoc nonnullæ obiectiones, quæ supra positæ sunt. Prima obiectio est: Nam si actus de obiecto infinito habet finitum valorem: ergo poterit dare actus de obiecto finito, qui adæquet illum. Respondetur, quòd si actus crescat in intensione, vel in alijs circunstantijs, id quidem est concedendum; si tamen crescat in sola dignitate obiecti, negatur, neque id potest esse. Quoniam licèt excessus alterius sit finitus; sumitur tamen ex parte obiecti essentialiter distincti & infiniti, ad quod nunquā peruenier aliud. Sicut, quamuis homo finitè excedat omnes species animalium; nunquam tamen vlla illarum perueniet ad perfectionem hominis; & similiter, licèt pœna sensus pro mortali, sit finita; nunquam tamen pœna peccati venialis perueniet ad illam. Et quando arguis: Actus de obiecto digno vt vnum, est meritorius vt vnum, & pari modo crescente dignitate obiecti crescit valor operis: ergo si crescat vsque ad centum, perueniet ad valorem vt centum, quem vt suppono, habebat actus de obiecto infinito. Respondetur minimè crescere valorem in eā proportione, sed semper in multo minori, & qua si diuersæ rationis. Et sanè, consequentia illa instatur per exempla allata de speciebus & de pœna peccati mortalis & venialis; sicut quamuis gratia sit finiti valoris; nunquam tamen accidentia naturalia, quantumcunque crescant, perueniunt ad talem perfectionem, sicut neque argentum ad valorem auri; si tamen crescat in quantitate, inde potest fieri, vt adæquet valorem auri. Ex quibus patet ad illud argumentum: Qui daret infinitos thesauros, infinitè mereretur: ergo qui veller illos dare, pariter meretur infinitè. Respondetur namque negando antecedens. Et quando iterum arguis; Si quis infinitis actibus distinctis donaret illos, infinitè mereretur: ergo si vnico. Respondetur negando consequentiam, iuxta ea quæ diximus disputatione quarta præcedente, conclusione prima, fere ad finem eius, vbi ferè simile argumentum dissolutur, & solutio illa est videnda.

*Obiectio.* Rursus contra traditam doctrinam se se offert noua difficultas & obiectio. Actus intensus vt octo de obiecto finito, potest esse tam meritorius, sicut actus intensus, vt duo de obiecto infinito: sed actus intensus vt duo de obiecto finito, potest esse tam meritorius sicut ille prior: ergo sicut alius secundus. Consequentia est euidens ex illo principio, Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se. Maior autem patet ex conclusione tertia, supra posita; Minor probatur: Nam intensio in qua actus ille superat, est omnino finita: ergo intra latitudinem obiecti finiti tantum potest crescere obiecti dignitas in illo actu intenso vt duo, vt tribuat tantum valorem, sicut tribueret tota illa intensio. Quod patet; Si ille actus intensus vt duo, habeat duplo perfectius obiectum, erit magis meritorius, & sic successiuè: ergo tantum potest crescere, vt adæquet saltem id, quod tribuit vnicus actus intensionis: ergo si postea in duplo vel quadruplo crescat, adæquabit alium gradum, & cum illi sint finiti, adæquabit omnes. ¶ Et confirmatur: Si præmium actus intensi vt duo de obiecto infinito, sit verbi gratia, visio Dei vt octo; Tunc arguimentor; Actus intensus vt duo de obiecto finito, meretur verbi gratia, visionem Dei vt duo: ergo si crescat dignitas obiecti, merebitur maiorem, & intensiorē visionem: ergo tantum potest crescere, vt perueniat ad visionem vt octo: ergo intentum.

*Solutio.* Huic difficultati & obiectioni respondetur, non posse actum ex eo præcisè quòd crescat dignitas obiecti finiti, peruenire ad valorem alicuius gradus determinati, quem habet actus æquiualens alteri de obiecto infinito, quia est valor quasi alterius rationis, & non propriè comparabilis.

¶ Simili etiam modo ad confirmationem respondetur, non posse peruenire ad illam rationem, sed infra illam verificabitur illa calculatio, quòd quantò obiectum est perfectius, tanto actus est magis meritorius, ad quod sufficit quòd crescat proportionaliter, licet non æqualiter: infra illum autem gradum finitum, est infinita latitudo proportionalis. Faciunt ad hoc & faciunt suprà allatæ instantiæ, vt si homo æstimaretur; verbi gratia, mille aureis, tunc esset verum eò magis æstimari quamlibet speciem, quo perfectior est; sed licèt in infinitum possent crescere; non poterunt ad illud finitum pretium & æstimationem peruenire. Et ad nostrum modum intelligendi prædicta diuersitas præmiorum explicari posset in ordine ad visionem Dei, vt productiua diuersarum specierum, iuxta ea quæ suprà dicta sunt in vltima solutione, & proportionaliter in pœna quæ consistit in carentia Dei vt magis visibilis. Et iuxta hoc, licèt actus intensus vt quatuor, ex obiecti præstantia posit æquiualere actui intenso vt quinque, sed quantò maior est excessus obiecti, non est æqualiter maior excessus meriti, sed minor semper quam antea: Nam est minor difficultas in exercitio libertatis. Vnde dum taxat crescit vniformiter difformiter per proportionem, & modum ipsius actus; ita scilicet, vt bonitas obiecti communicetur actui secundum modum intensionis, & aliarum circunstantiarum; Sicut virtus actiua agentis naturalis, commensuratur dispositioni & modo patientis. Quare, sicut licet agens naturale esset infinitum, operando circa materiam præsuppositam, nùnquam produceret effectum infinitum, sed limitatum secundum dispositionem materiæ, ita similiter in proposito. ¶ Posset tamen quis dicere; In latitudine obiectorum quæ specie differunt in ratione virtutis, non esse processum in infinitum, cùm scilicet, virtutes finitæ sint, & in processu quantitatiuo sit infinitas, vt patet in danda eleemosyna, sed tunc qui plus dat cæteris paribus ex parte indulgentiæ seu donationis censetur intensius operari: Quia vincit maiorem difficultatem ex parte obiecti, dando plus quam alius.

*Alia respõsio.*

¶ Neque obstat illud, quod obijcitur de vidua Marci. 12. quæ idcircò dicitur plus obtulisse, quia de penuria sua misit totum victum, alij autem ex eo tantum quod abundabat, sed tunc vt patet, non sunt cætera paria: Quia si essent, ille magis mereretur qui plus offerret, quod ex eadem etiam ratione colligitur: Quia tunc auferret plus de victu. Et patet ex illo Christi Domini; Maiorem charitatem nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis: ergo ex eo quòd dat rem pretiosiorem, qualis est vita, censetur habere maiorem charitatem, atque adeò maiori intensione agere. De hac re plura alia diximus in disputatione de habitibus, agentes de augmento illorum, & de intensione physica & morali, & an crescat ex parte obiecti propter valorem eius.

*Marci.12.*

(?)

# DISPVTATIO VI.

## *Vtrùm ex infinitate suppositi merentis, crescat valor operis & meriti in infinitum?*

QVæstio & disputatio hæc, insignis est, & difficilis valde, & quæ huic instituto est maximè accommodata. Nam cum disputatio suscepta, sit de merito, & de valore operũ, inuestigare oportet à quo sumatur valor meritorum, & valor operum omni ex parte? Et an meritum infinitum sumat valorem suum infinitum ex infinito supposito, vel ex infinita gratia? Et quid sit ille valor, & an sit aliquid reale? Nam certè, cùm Sanct. Thom. in hoc secundo articulo, & sequentibus disputet de valore meriti, & vtrum possit habere valorem aliquem actio hominis sine gratia, respectu vitæ æternæ, & cùm disputauerimus à quo sumitur valor meritorum, opportunè satis disputabitur à nobis modò, An quando est infinitus valor meriti, ille sumatur à supposito, vel à gratia iustificante, vel à quo sumatur. Et quoniam inter suppositа merentia, solum reperitur suppositum Christi, quod est suppositum infinitum merens; idcirò præcipua hæc controuersia erit, à quo accipiant valorem & dignitatem atq; infinitatem actiones Christi ad merendum & satisfaciendum? ¶ In qua re, nõnulli putant, quòd actiones & operationes suppositi infiniti, etiam operationes meritoriæ Christi Domini, dicuntur meritoriæ ex valore quem habent, qui sumitur per habitudinem rationis ad æstimationem. Adducunt exemplum in pecunia, cuius valor non attenditur ex materia, sed ex signaculo Regis dicente respectum rationis ad æstimationem & voluntatem Regis. Subiungit tamen hæc opinio, quòd valor, verbi gratia, in operatione Christi, qui est moralis quædam infinitas, non fundatur in voluntaria impositione, vt cõtingit in numis, sed fundatur in natura intrinseca indiuiduali ipsius operationis. Nam ex eo quòd est operatio elicita à diuino supposito per humanitatem; digna est infinitæ æstimationis. Sed profectò hæc opinio habet aliqua difficilia, & vnum est, actiones & merita ex sola habitudine rationis ad æstimationem, & ex sola relatione rationis habere valorem; ac proinde, meritum non esse aliquid reale. Nam profectò, licèt præscindamus ab æstimatione & volũtate Dei merita Christi, nihilominus operationes eius de se sunt infinitæ dignitatis, & consequenter habent valorem meriti, & satisfactionis: igitur valor non solum sumitur ex solo respectu rationis ad æstimationem Dei. Et confirmatur: Quoniam valor iste est perfectio istarum operationum: ergo aliquid reale est. Rursus; operatio Christi ex intrinseca ratione indiuiduali, est digna æstimationis infinitæ, vt opposita sententia fatetur: igitur infinitas valoris moralis, aliquid reale est. Ostendo consequentiam: Quoniam infinitas moralis in actione & operatione Christi, vel est ipsa dignitas æstimationis infinitæ, quæ conuenit realiter operationi, vel consequitur necessariò ad hanc dignitatem. Tandem: Sanguis Christi & eius mors, dicuntur in se pretiũ redẽptionis nostræ: ergo in se ipsis



ipsis habent valorem. Consequentia est nota, & antecedens habetur ex Paulo ad Hebræ. 10. &. 1. Petri 2. Neque sufficit dicere, quòd dominium in Deo est perfectio, & similiter creare; & tamen quòd de formali, dominium & creare, important aliquid rationis; ita hic non inconuenit quòd valor sit perfectio actionum, & similiter quòd actiones sint meritoriæ & satisfactoriæ; & nihilominus quòd valor & satisfactio formaliter dicant respectum rationis: Quoniam nullus dicet, quòd propter respectum rationis, & per respectum rationis, Deus habeat perfectionem dominij, aut quòd virtute illius respectus Deus creat & producit omnia: At verò in præsenti, ratione valoris dicũtur operationes Christi meritoriæ & satisfactoriæ. Neque exemplum allatum de numo & pecunia, aliquid probat aut valet: Quia numus solum continet valorem Regis tanquam signum; nullus tamen Theologorum dicere audebit, actiones Christi Domini solum valere, quia sunt signa valoris Christi. Infra tamen præfata opinio fusiùs examinabitur.

Bartholomæus Medina, tertia parte, quæstione prima, articulo secundo, putat, quòd valor iste realis in merito Christi & operationibus eius, licèt valor realis sit; tamen nihil dicit præter actiones ipsas, quatenus diriguntur à diuino supposito, sicut in motu brachij artificioso cùm pictor depingit imaginem, non est necesse quòd fluat aliquid ab intellectu artificis in brachium, sed satis erit, quòd dirigatur ab intellectu pictoris. Et pariter etiam à gratia existente in anima sumunt valorem opera meritoria, licèt gratia non influat physicè in ipsa opera. Ex qua doctrina sunt Theologi qui colligant, valorem in operationibus Christi, qui desumitur à supposito, non esse aliquam realitatem, sed tantum esse denominationem quandam extrinsecam, ex eo quòd coniungitur humanitas cum supposito diuino. Cuius rei ratio est: Quia diuinum suppositum id dumtaxat efficit, quod efficeret proprium suppositum, proprium autem non concurrit immediatè eliciendo operationes, sed tantum sustentando naturam elicientem.

Hic tamen modus dicendi, est difficilis, & contra eum militant argumenta nonnulla. Primum est. Quia suppositum sustentare naturam, non est sufficiens ad dandum valorem moralem operationi elicitæ à natura: ergo. Probatur antecedens: Nam valor moralis ex hoc resultat, quòd suppositum mediante operatione, se subijciat alteri: igitur non sufficit ad hoc operatio naturæ, nisi pariter sit aliquis influxus moralis ipsius suppositi. Quoniam cùm valor sit causa moralis illius, debet influere moraliter. Quod ita declaratur & explicatur: Nam cùm natura est in suo proprio supposito, sufficit operatio naturæ adhoc vt totum suppositum censeatur moraliter concurrere, vt si Petrus præstet obsequium alteri, non requiritur aliquis influxus distinctus ad hoc, vt habeat dignitatem suppositi ille actus, quia Petrus habet dominium supra se totum; atque adeo suprà suum suppositum, & idcirco mediante illo suo actu potest se alteri subijcere; at verò cùm natura est in alieno supposito, non habet dominium supra illud; Et ob id talis natura non potest per suum actum subdere, aut subijcere alteri dignitatem suppositi; atque ita talis actus non habebit dignitatem suppositi. Nam si natura humana existeret in supposito angelico; tunc operatio elicita ab humanitate illa, non haberet dignitatem angeli, aut suppositi angelici, nisi angelus ipse specialiori alio modo concurreret ad operationem illam. Quòd probo: Quia si angelo contradicente, humanitas se alteri subijceret aut subderet, non posset dici, actum illum habere dignitatem angeli, cum per talem actum non subdatur angelus obsequio alterius; Imò verò haberet positiuam voluntatem non subijciendi se, vt patet. ¶ Alterum argumentum est contra eandem sententiam. Nam si persona diuina non influeret in operationes Christi mediatè, sed tantum fluerent ab humanitate, apertè sequeretur, quòd non essent infiniti valoris. Patet sequela: Quia denominatio illa, quæ resultat ex eo quòd humanitas sit in supposito, non sufficit ad dandum valorem infinitum actui; aliàs opera naturalia & necessaria Christi, vt nutritio, augmentatio, etiam essent infiniti valoris.

Vt hæc dissoluant authores citatæ sententiæ, aduertunt differentiam, quæ versatur inter obiectum & suppositum; obiectum enim non concurrit ad actum per se & intrinsecè, sed vt terminus extrinsecus habitudinis, quam dicit actus ad illud; & ita sumunt suum valorem seu bonitatem seruata proportione, quam actus habet ad obiectum, quod magis vel minus attingi potest. Vnde, non immediatè concurrit sicut suppositum, quod immediatè & intrinsecè elicit totum opus: Et idcirco, in esse morali est quasi forma intrinseca operis, in quantum persona quæ meretur, se ipsam subijcit alteri, & non solùm operationem, sed etiam ipsam personam refert in obsequium alterius: Operatio verò est quasi expressio & significatio huius personalis submissionis, & inde habet opus totam dignitatem personæ, nulla alia seruata proportione. Nam cùm intimè vniatur operanti, sicut secum fert dignitatem personæ, ita etiam participat totum, quod potest ex dignitate personæ. Et quamuis opus sit physicè limitatum; moraliter tamen habet tantam dignitatem, sicut persona, quæ semper censetur operari secundum totam dignitatem quam habet. Quare, sicut persona principaliter offert se ipsam, ita Deus principaliter respicit ad illam. Nam sic Scriptura dicit, quòd respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius Genes. 4. Igitur cùm Christus merebatur aut satisfaciebat, non solum offerebat opus Patri, sed etiam ipsum suppositum, seu personam diuinam; Quod mirè Paul. explicauit, dicens de Christo quòd exauditus est pro sua reuerentia ad Hebræ. 5. quo loco Theophyl. connectit verba immediate sequentia, Exauditus est pro sua reuerentia, quia filius Dei erat. Chrysost. verò ait, Quamquam esset filius, pro reuerentia sua exauditus est; Volens ostendere magis esse eius effectum, quam gratiæ Dei. Quod etiam insinuauit Paul. ad Ephes 5. Tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiã per satisfactionem: Ergò non solum actum, sed etiam semetipsum obtulit Deo: igitur nõ tam obtulit actũ, quã semet-

*Genes.4.*

*Hebræ.5. Theophyl.*

ipsum, & propriam personam mediante actu ipso. ¶ Ex quo etiam alia oritur differentia inter obiectum & suppositum. Nam obiectum concurrit obiectiuè ad bonitatem actus mediante cognitione sui, coadiuuando potentiam ipsam, quæ cùm sit totale principium effectiuum actus, limitat illū, quia eius bonitas, est quid intrinsecum in actu, dependens ex realibus & intrinsecis conditionibus illius, quæ bonitatem limitant, suppositum autem cùm nihil reale causet, sed tantum extrinsecam denominationem, non habet à quo limitetur: immediatè enim sumitur valor operis ex coniunctione humanitatis cum supposito, neque requiritur specialis influxus ex parte suppositi: non enim per illum per se causaret valorem infinitum in nostris actibus charitatis, licèt actiuè influeret in illos, quia non concurreret intrinsecè vt suppositum.

Vndè, hæc sententia quæ viris & Theologis non infimæ notæ vera esse videtur, tanquam certior suscipitur ab eis, & consequenter respondent ad duo argumenta facta. Ad primum respondet hæc sententia, naturam subsistentem in Deo naturaliter subdi; atque subijci eius gubernationi, atque sicut voluntas applicat intellectum per naturalem subordinationem, ita voluntas diuina mouet voluntatem humanam. Quare, sicut eleemosyna exterior, est actus bonus moraliter quatenus dirigitur ab interiori, à quo sumit formalem bonitatem, ita satisfactio Christi est infiniti valoris, quatenus dirigitur ab actu diuino ipsius Verbi. ¶ Sed profectò hæc solutio non videtur vera: Nam ex eo quòd vna natura vniatur alteri supposito, non per se subditur illi, cùm retineat suam voluntatem distinctam, vt patet si humanitas suppositaretur in angelo; & idcirco non conflatur vnus actus moralis per se ex voluntate humana, & ex voluntate diuina Verbi. Item secundò: Quia volitio Verbi est vna & eadem in tota Trinitate: ergo si ex voluntate diuina Verbi per se & immediatè resultat valor; sequitur, quòd immediatè prouenit à tribus diuinis personis, & non specialiter à Verbo. ¶ Sed dices, contra: Si non esset ista subordinatio per se, nempe voluntatis diuinæ & humanæ; sequeretur, quòd etiam si humana voluntas peccaret, non peccaret diuina. Respondetur, sufficere Verbum teneri ad gubernandam naturam sibi coniunctam, ad eum modum quo pater tenetur gubernare filium; non tamen ob id operatio filij accipit aut sumit valorem ab actu, quo ipse gubernatur. ¶ Vnde respondetur secundò ad argumentum, dignitatem prouenientem naturæ, & in eo resultantē, ex eo quòd sit suppositata in angelo, esse naturalem & necessariam, non dependentem à voluntate angeli: Quia sicut humana natura existens in angelo habet dignitatem sumptam ex angelico supposito, quia sibi est iam appropriatum etiam si angelus dissentiret, ita operationes elicitæ à tali natura, habent dignitatem angelicam, quantumuis angelus repugnet: Quia natura humana habet quasi partialiter dominiū suprà illud suppositum, quod tunc est quasi duplex formaliter, sustentans naturam humanam & angelicam; & ea ratione quatenus sustentat humanam naturam, potest ipsa submittere dignitatem talis suppositi in obsequium alterius. Quod quidem patet: Quoniam dignitas à supposito prouenientes, non est quia influat immediatè aliquid, sed quia sustentat naturam influentem, & elicientem actum: sed natura eo ipso quòd operari potest in tali supposito, potest elicere actum sustentatum à tali supposito: ergo & recipientem dignitatem à tali supposito, quod sustentat naturam: Sicut si Rex aliquem adoptet in filium, eo ipso quòd adoptat, opera illius habent dignitatem principis, etiam si Rex vellet, quod non haberet: Nam suppositā voluntate primi, id est, adoptionis, necessarium est secundum. ¶ Rursus; Authores præfatæ sententiæ respondent ad secundum argumentum suprà factum, operationes naturales Christi Domini, non esse capaces meriti vel demeriti; & hac ratione non contrahere valorem à dignitate suppositi, neque etiam physicum: Quia suppositum non influit in actum: Operationes autem liberæ, desumunt valorem à supposito tanquam à fundamento primo & intrinseco sustentante naturam, qua ratione dicimus actiones esse suppositorum. ¶ Ex quibus omnibus colligit hæc opinio, suppositum nō tribuere physicam perfectionem actui, sed tantum moralem, & hanc non esse realitatem in actu, sed tantum denominationem extrinsecam. Nam idem actus fidei in peccatore, & in homine iusto, habet omnino eandem realitatem intrinsecam; sed in homine iusto est meritorius & satisfactorius, & non in alio; Et idem numero actus, qui non erat meritorius, potest fieri meritorius sine reali mutatione.

Hæc opinio iuxta modum dicendi explicatum, in plerisque suam habet probabilitatem; cæterùm quando infert & colligit, valorem solum importare denominationem extrinsecam conuenientem actui ex coniunctione ad Verbum, sicut parieti conuenit videri, & corporilocari; in hoc non habet verum: Quia tunc sequeretur, satisfactionem & valorem non esse formaliter in Christi operibus; sed toraliter in persona ipsa, quod non est concedendum. Item etiam: Quoniam hæc denominatio, vel est relatio rationis ex parte ipsius operis, quod ista sententia negat, vel est realis denominatio: at si est realis denominatio, non potest competere Christi actionibus, nisi habeant peculiarem modum & habitudinem ad extrinsecum: actio enim licèt non sit in agente; non tamen denominat realiter, nisi agens fuerit aliter se habens, & habuerit habitudinem realem ad effectum. Similiter, corpus non dicitur locatum, nisi propter realem habitudinem ipsius ad locum: igitur si Christi actiones realiter denominantur satisfactoriæ, licèt hæc denominatio sit ab extrinseco; supponit tamen aliquid reale in actionibus, ratione cuius conueniat. ¶ Rursus: Operationes Christi ex propria & indiuiduali essentia, imò verò ex formali ratione, sunt satisfactoriæ pro peccatis hominum: ergo non per extrinsecam denominationem. Ostendo antecedens: Quoniam operationes istæ, ex propria & indiuiduali ratione respiciunt diuinum suppositum & gratiam infinitam, à quibus procedunt media voluntate humana: ergo ex se ipsis habent, quòd sint satisfactorię. Probatur consequētia: Quia est impossibile q̄ valor personæ, & valor gratiæ cooperantis, nō refundātur in operationes liberas: igitur Christi Domini



Domini operationes, habent intrinsecum valorem ad satisfaciendum & mercedē; Quod sanè vel hac ratione confirmari potest: Quia hic valor non est separabilis à Christi actionibus, neque Deus eum separare potest: ergo est aliquid reale intrinsecum & inhærens.

*Conclus. 1.* His ergo sic prælibatis est prima conclusio. Substantia valoris moralis actionum, sumitur à proximo principio efficiente, scilicet, ab humanitate, media gratia, & habitibus supernaturalibus. Probatur hæc assertio: Nam quòd actio sit moralis creata & regulata per rationem, ordinataque ad talem finem, habet quidem ex voluntate creata simul cum gratia & charitate, & non à Deo, nisi tanquam à causa vniuersali: igitur substantia valoris moralis actionum & operationum, non sumitur à voluntate Verbi, sed à natura humana, & voluntate eius cum qualitatibus superadditis, vt dictum est.

*Conclus. 2.* Secunda conclusio. Infinitas valoris sumitur per se primo à diuino supposito tanquam à primo principio & intrinseco fundamento sustētante naturam; consequenter autem & proximè à dilectione & gratia, neque adhoc requiritur quòd suppositum in natura diuina moraliter operetur, sed satis fuerit quòd sustentet naturam creatā exercentem operationes, & actus morales, ad quas concurrit Verbum non solùm in genere causæ efficiētis per voluntatem diuinam liberè operantem, & quidquid habet Verbum in hoc genere, commune est alijs personis, sed etiam in genere causæ formalis, quatenus videlicet terminat naturam dignificando ipsam in ordine ad actus postmodum exercendos. Itaque Verbum vnitur naturæ terminando potentiam eius ad existendum, & consequenter terminat potentiam eiusdem naturæ, quam habet vt dignificetur, & vt dignè operetur, quæ sanè causalitas reducitur ad formalem. Vnde, Verbum propriè nō influit peculiari concursu in ipsas actiones, si influere denotet efficientiam; dicitur tamen specialiter influere formaliter, vel propriùs loquendo, qualificat formaliter potentiam naturæ ad moraliter operandum.

Prior pars assertionis huius, ex dictis ostensa & manifesta est: Quoniam valor operationum moralium, crescit ex valore personæ, ita vt persona operans sine vlla modificatione transfundat totum suū valorem in operationem: ergo infinitas valoris per se primò reducetur in infinitatem suppositi. ¶ Secunda etiam pars assertionis probatur: Quoniam gratia Christi, sicut & charitas illius, de facto est infinita: ergo etiam præstant valorem infinitum. Ostendo consequentiam: Quoniam suppositum sine gratia & charitate, non poterat præstare valorem supernaturalem actioni liberæ: ergo neque valoris infinitatem. Et confirmatur: Quoniam anima Christi Domini est formaliter grata & accepta ad vitam æternam per gratiam inhærentem; & similiter operationes humanæ idcirco gratæ sunt, & Deo acceptæ in ordine supernaturali, quia procedunt immediatè ab humanitate grata: ergo si Christus assumeret humanitatem sine gratia formaliter gratificante, operationes inde sequentes non haberent valorem supernaturalem: ergo non essent de se meritoriæ, neque satisfactoriæ, vt ab humanitate procedunt: igitur valor consurgit per se primò à supposito; consequenter autem & proximè à gratia & charitate, quæ sine supposito diuino non possent præstare infinitatem valoris actionibus moralibus humanitatis Christi: Quia gratia non potest esse infinita, nisi per coniunctionem ad infinitum suppositum.

Verum vt res hæc facilius percipiatur, de infinitate valoris; quo pacto sumatur per se primò à diuino supposito, id quidem est explicandum, ex differentia quæ reperitur inter operationem, quæ procedit ab infinito supposito; & eam quæ solum versatur, erga infinitum obiectum, quod eam terminat. Et hinc totius materiæ campus magis aperietur: Vnde valde obseruare oportet, quàm sit diuersus modus ille, quo persona operans afficit suam operationem, & moraliter influit in illam, & quo obiectum infinitum, seu extrinseca persona, quando solum se habet veluti materia, circa quam versatur actio, ad illam concurrit. Nam certè multo magis conducit ad valorem moralem, influxus personæ operantis, vt liquet; primò ex modo loquendi sanctorum, quia operatio facta à persona diuina, Theandrica dicitur, & diuina: Operatio vero, quæ fit circa Deum, tale dignitatis nomen non recipit, sicut patet de operatione facta ab angelo, quæ verè est angelica, cæterum illa, quæ fit circa angelum, sicut circa obiectum, non dicitur angelica: Secundo etiam liquet ex re ipsa, quia obiectum, & aliæ similes circunstantiæ, solum terminant habitudinem actus ad ipsa: quæ sanè habitudo finita est, etiam si obiectum, vel persona, ad quam terminatur sint infinita; & idcirco, tota dignitas, vel bonitas actus inde orta, est in suo genere finita: At verò persona operans, quodammodo per se ipsam informat moraliter suam operationem, ob id quod non solum ipsa operatio in abstracto, sed etiam ipse qui agit, seu ipsum operans, in quo ipsa persona includitur, se se submittit, & offert in obsequium illius, cui satisfacit: Quod quidem apertè insinuauit Paulus ad Philippenses. 2. dicens; Humiliauit semetipsum, & ad Ephesios. 5. Tradidit semetipsum pro nobis oblationem, & hostiam Deo: Vbi Chrysost. homilia. 7. inquit; Quantum habuit celsitudinis, tantum humilitatis vicissim subijt. Et isto modo dicit Cyrillus. 4. de Trinitate prope initium; Quia est ipse filius Dei: &c. Indicans ipsam personam per se ipsam conferre dignitatem operi, & valorem satisfactioni. Quo fit, vt dignitas hæc, & valor sit infinitus simpliciter in suo genere quādoquidē persona ipsa est simpliciter infinita. Potest rursus declarari hæc infinitas, quia vnio hypostatica est quædem infinita dignitas humanitatis assumptæ, quia persona simpliciter infinita, est illi humanitati realiter coniuncta; & per ipsam mirabili modo illam afficit, & sustentat: sed actus, vel passiones illius humanitatis in tali persona, habent similem quandam coniunctionem quasi hypostaticam, cum eadem persona, quamuis mediante natura; ergo ratione huius coniunctionis habebunt infinitam quandam dignitatem, & valorem moralē: Quocirca, vt inferius dicemus, sicut ad intelligendam infinitam illam dignitatem in humanitate assumpta, non oportet inesse ipsi

*Aduerte.*

*Philip. 2.*

*D. Chrysost.*

*Cyrillus.*

humanitati rem aliquam physicè, vt sic loquar, infinitam, simpliciter ab ipso Verbo distinctam; ita neque in ipsis actibus Christi, vt habeant valorem infinitum, oportet eis inesse physicam aliquam entitatem infinitam, sed solam dictã vnionem ad Verbum, à quo illam habent dignitatem, & valorem. Obserua tamen differentiam inter humanitatem, & actus, aut operationes eius, quòd humanitas immediatè vnitur Verbo, vnde vnio illa est proprius modus realis ipsius humanitatis: at verò actus, seu operationes eius, solum per humanitatem vniuntur Verbo, quia videlicet inhærent humanitati, seu fiũt per humanitatem vnitam Verbo. Quare hæc vnio nullum realem modum physicum ponit in ipso actu, seu operatione respectu Verbi, præter modũ vnionis ipsius humanitatis: ab illo tamen participat valorem moralem, & æstimationem, vt dictum est antea. Sed vt hoc exacte explicetur, tertiam subijcio assertionem.

*Conclus. 3.* TErtia cõclusio. Id per quod formaliter Christi operatio redditur & constituitur infinita, est aliqua entitas realis, non quidem physica, sed moralis. Quòd sit entitas realis, patet ex primo modo dicẽdi, quem retulimus in exordio quæstionis, de quo dicemus paulò inferiùs conclus. 4. Quòd verò non sit physica probatur: Quoniã operatio Christi est satisfactoria & infinitè meritoria per huiusmodi infinitatem: ergo si huiusmodi infinitas est entitas physica, humanitas Christi non concurrit ad satisfactionem Christi tanquam forma principalis, sed tanquam instrumentum coniunctum Verbo, ita quòd Verbum operetur, non vt suppositum humanæ naturæ, sed tãquam principalis causa vtés humanitate tanquam instrumento: Probatur consequentia: Quia illa infinitas physica, excedit totam proportionem humanæ naturæ: ergo natura humana non concurrit ad illam tãquam principalis causa, sed tantum in ratione instrumenti. Ex quo deducuntur plura inconuenientia. Primò, quòd valor satisfactionis Christi nõ desumeretur ex infinita Dei virtute prout est propria Christi, sed prout communis est toti Trinitati. Patet sequela: Quia prout Verbum operatur per naturam humanam, non in ratione suppositi illius, sed vt causa principalis per instrumentum, eius operatio est communis toti Trinitati, cùm operetur per diuinam naturam, & virtutem, quæ communis est toti Trinitati, tanquam per principium formale quo, proximum operationis. Secundò deducitur aliud absurdum; nempe, quòd consimilis infinitas posset reperiri in operatione puri hominis, ita vt operatio elicita à mea voluntate, posset habere infinitum valorem, essetque proinde satisfactio rigorosa, quod non est admittendum. Sequela probatur: Quia quidquid Verbum potest agere, & operari per suam humanitatem tanquam per instrumentum, potest agere & efficere, medio quocumque alio instrumento.

¶ Item secundò probatur conclusio: Quia non est possibile quòd detur entitas aliqua realis & physica simpliciter infinita, à Deo producta in aliquo genere: ergo in operatione Christi non reperitur entitas physica infinita in genere satisfactionis. Probatur antecedens: Quoniam data tali entitate infinita, iam potentia Dei maneret exhausta in tali genere. ¶ Postrema pars cõclusionis probatur: Quoniam quidquid habet actio Christi in ordine ad meritum & satisfactionem, est morale: ergo pari ratione infinitas valoris etiam est moralis. Patet antecedens: Quia ieiunium, vel deambulatio, seu motio Christi localis, si hæc inquam physicè considerentur præcisè, nihil amplius habent, quam meus motus, seu deambulatio: sicut motus Regis physicè consideratus, non plus habet vt sic; imò fortè est debilior: Ergò omne illud, quod habet peculiare Christi actio ad meritum & satisfactionem, in quo excedit meã actionem, est morale. Et cõfirmatur: Quoniam tam valor iste, quam infinitas eius, solũ explicantur per terminos significantes moralitatem, vt quod sint actiones Christi condignæ de rigore iustitiæ infinitæ, quòd sit pretium redemptionis, quæ sanè omnia dicunt moralitatem: ergo, &c.

VErùm nonnulli obijciunt contra præfatam assertionem, eamque impugnare volũt, sed immeritò quidem. Argumentantur autem hoc pacto: Si valor huiusmodi meriti & satisfactionis esset entitas realis infinita moralis, sequeretur, quòd natura humana solùm concurreret ad illum valorem, tanquam instrumentum, & non tanquam causa principalis & formalis. Probatur sequela: Quoniam hæc infinitas moralis excedit proportionem humanæ naturæ: ergo non potest natura humana esse principium formale istius valoris infiniti: igitur valor iste non sumitur à Verbo, quatenus operatur per humanitatem tanquam suppositum eius. ¶ Huic obiectioni & argumento, nonnulli Theologi concedunt, naturam humanam concurrere tanquam instrumentum. Sed contra; Impossibile est, quòd causa principalis physica vtatur instrumento morali ad suum effectum, cùm instrumentum debeat esse proportionatum causæ principali: sed Verbum quatenus operatur per humanitatem tanquam per instrumentum, non habet rationem causæ moralis, sed physicæ: ergo. Probatur minor: Quia Verbum, quatenus vt sic operatur, non est causa meritoria, aut satisfactoria: ergo vt sic non est causa moralis. Probatur antecedens: Quia mereri vel satisfacere, solùm conuenit Verbo prout sustentat naturam humanam, tanquam eius suppositum, & vt operatur per eam similiter tanquam ipsius suppositum: Et præterea non esset causa consulens aut præcipiens: ergo non est moralis. ¶ Alij Theologi respondent, quòd infinitas meriti aut satisfactionis, non desumitur ab humanitate, sed à sola suppositi infinitate. Quare, non est necesse quòd habeat proportionem cum humanitate ipsa. Itaque, humanitas neque est principium formale, neque instrumentale infinitatis moralis. ¶ Tandem respondetur, quòd licèt humanitas secundum se considerata, non habeat proportionem cũ illa infinitate morali; cæterùm prout est ornata gratia infinita in genere gratiæ, proportionem habet cum infinitate morali satisfactionis, aut meriti. Quod vt intelligas aduerte, quòd infinitas moralis meriti aut satisfactionis Christi, non est entitas distincta realiter ab ipsa substantia meriti aut satisfactionis, sed tantum formaliter, habetque modum relationis, in quantũ ipsa per se primò non est, sed est quia consequitur substantiam meriti aut



ti aut satisfactionis, pro vt procedit, aut progreditur à verbo operante per humanam naturam in ratione suppositi eius. Itaque, hæc proportio requisita ex parte humanitatis ad ipsam infinitatem, in hoc sita est, quòd humanitas sit vnita hypostaticè Verbo, ita quòd Verbum tanquam suppositum illius per illam operetur; qua proportione supposita, resultat infinitas illa moralis, quæ immediate desumitur à supposito. Quod insinuauit Caietan. 3. p. q. 1. art. 2. cum dixit, satisfactionem Christi personaliter & suppositaliter esse infinitam, idest, immediate desumptam à supposito.

Sed adhuc, qui euertere contendunt infinitatem meriti Christi, obijciunt. Meritum Christi non est aliquid reale, sed solum est habitudo quædam ad præmium, prouenies ex lege Dei: sed lex Dei volũtaria non causat aliquam realitatem in opere ab homine facto: ergo neque in opere Christi: ergo id per quod formaliter operatio Christi constituitur meritoria aut infinita, non est aliqua entitas realis. Probatur maior: Quoniam operatio Christi non erat ordinata ab essentia sua ad præmium illi præstitum: ergo illud habuit solum ex lege diuina voluntaria: non enim operatio illa ex natura sua ordinabatur ad reparationem nostram, quam Deus de facto meruit per talia opera: Quia manifestum est, quòd si homo non peccaret, & nihilominus Christus veniret in carne, operationes illius tunc non mererẽtur reparationem nostram: Minor autem probatur: Quia si Deus modo ordinaret meam locutionem ad præmium aliquod, nihil reale poneret in illa: non igitur est vlla entitas realis id, quo operatio Christi redditur infinita aut meritoria: Dices; meritum Christi esse in operibus Christi quid consequens ex natura ipsorum operum, seu consequium operum. Contra: Quia si hoc esset verum; sequitur quòd idẽ haberet meritum Petri, nam sunt eiusdem rationis & essentiæ formaliter: ergo sicut ex vi vnius sequitur habitudo ad præmium: ita ex vi alterius, & ex consequenti D. Paul. ex vi suorum operum meruit exaltationem sui nominis, aut resurrectionem &c. sicut Christus meruit.

Hæc aduersariorum obiectio inquirit, vtrum meritum Christi sit aliquid reale: & idem inquirit consequenter de merito nostro, & specialiter procedit de merito Christi propter rationem in argumento tactam, nempe, quia merito Christi respondent specialia præmia constituta ab ordinatione diuina, quę consequenter videntur voluntaria, ac proinde meritum erit quid rationis, quia ex voluntate ordinatur ad tale præmium.

*Conclus. 4.* VTres hæc plane dissoluatur, est quarta conclusio. Meritũ Christi est aliquid reale simpliciter & formaliter; imo verò meritum est habitudo quædam & modus operationis moralis ordinatæ in præmium; Quemadmodum Theologi de satisfactione disputantes, dicunt, virtutem satisfaciendi, & infinitatem eius; esse quendam modum non distinctum ab operatione. Hæc conclusio duas habet partes principales; Prima est, quòd meritum Christi est aliquid reale simpliciter, & formaliter; & hæc pars probatur: Quoniam meritum Christi, est perfectio operationum moraliũ: ergo est aliquid reale formaliter. Probatur antecedens: Quia meritũ est complementum illarum operationum; propter quod illis correspondet præmium reale, & nullus audet dicere, quod Christo Domino potuit deesse meritum, quin intelligat consequenter quòd illi perfectio aliqua vera defuisset. Præterea: Infinitas meriti Christi, vt supra ostendimus, est aliquid reale: ergo pariter etiam ipsum meritum est aliquid reale. Rursus persuadetur conclusio: Quoniam meritũ vt sic, loquendo propriè de merito, importat quandam condignitatem ad præmium secundum se, & importat valorem operis in ordine ad præmium; valor autem ille est aliquid reale, vt vidimus: ergo. Vnde, Theologi dicunt, iudicandum esse de realitate meriti, cum importet habitudinem ad præmium, sicut de alijs relationibus prædicamentalibus, quæ ad sui esse reale exigunt extrema & fundamenta realia, & realiter existentia. Nolo dicere, meritum Christi esse relationem prædicamentalẽ: Quia aliàs infinitas illius esset relatio prædicamentalis, & non posset intelligi conuenire merito Christi, quia relatio non habet infinitatem aliquam, vt in præsenti loquimur; & tunc etiam sequeretur quòd meritum Christi non esset præstantius merito nostro, sicut relatio Christi non est præstantior relatione nostra; neque relatio paternitatis præstantior est in homine, quam in leone. Et tandem, quia locutiones quæ de merito circunferuntur, non possunt congruè verificari si meritum sit relatio prædicamentalis. Nam qualiter rogo meritum erit causa & origo præmij? aut qualiter meritum erit proprietas & perfectio ipsius operis moralis? Sed solum vòlo dicere, esse aliqualiter iudicandum ad modum aliarum habitudinum & relationum.

Secunda pars conclusionis affirmat, meritum vt sic, esse quandam habitudinem, seu modum operationis moralis ordinatæ in præmium, & habentis proportionem & condignitatẽ ad illud, quòd pleri que explicant Theologi, quemadmodum de satisfactione, qui ponunt virtutem satisfaciendi & infinitatem eius, esse quendam modum non distinctum ab operatione. Sic ergo intelligi potest de merito, quòd non distinguatur entitatiuè ab operatione morali; bene tamẽ formaliter. Nam superaddit affectionem & modum ipsius operantis, & habitudinẽ ad extrinsecum, nempe ad præmium, quamuis habitudo hæc sit transcendentalis. ¶ Vnde, ad argumentum quod aduersarij obijciunt contra hanc quartã assertionem, & contra tertiam etiam antea positam, respondetur, quod omne præmiam respondens merito Christi, erat in virtute ipsius operationis moralis procedentis à supposito infinitè grato; & hæc virtus realis est, & habitudo etiam realis ipsius operationis ad præmium, quamuis, præmium in particulari, de facto designetur à voluntate Dei. Quemadmodum locutio mea habet quòd ordinetur à libera voluntate mea in hunc vel illum finem; & tamẽ habitudine reali respicit illum finem de facto. Fauet ad intelligentiam huius vulgatum illud Axioma, quòd gratia est acceptatio ad gloriam, in quo cernimus, quòd quamuis acceptatio sit libera aut voluntaria; nihilominus tamen habitudo gratiæ ad præmium, realis est, & quidquid confertur homini grato propter gratiam, est in virtute gratiæ radicaliter: ergo similiter dicẽdum est de operibus meritorijs,

in quorum virtute ipsum præmium continetur, quodcumq; illud fuerit præstitutum à Deo. Imo verò meritum nihil aliud videtur esse, quam virtus hæc operationum moralium, quæ explicatur per habitudinem & ordinem ad præmium, vt insinuat Sanct. Thom. 1.2.q.21. postremis duobus articulis.

*Conclus.5.* QVinta conclusio, Christi meritum & satisfactio, & omnes eius actus humani sunt simpliciter finiti in esse entis & bonitatis essentialis. Hæc conclusio debet esse cõmunis in omni opinione, quam etiam tenet Scot. in 3.d.19.q.vnica. Quam vt ostendamus & probemus suppono, duplicem esse moralem bonitatẽ in actu. Prima quidem est quasi respectiua, quæ principaliter consistit in denominatione extrinseca sumpta à supposito; & sic actus Christi (vt dictum est & dicemus) habet infinitatem in tali bonitate, idest in valore; Alia est bonitas absoluta & intrinseca, quæ sumitur ex obiecto secundum conformitatem ad rectã rationem vel ad legem; & secundum hanc bonitatem actus Christi esse finitos, probatur: Nam vel talis bonitas est qualitas realis conformitatis actus ad obiectum, vt communiter omnes dicunt; & tunc certa videtur esse conclusio. Nam aliàs si talis bonitas esset simpliciter infinita; daretur qualitas realis simpliciter infinita. Si autem consistit, secundum alios, in denominatione extrinseca conformitatis ad bonum, etiam sic persuadetur conclusio: Quoniã conformitas actus ad obiectum, est limitata secundum modum, quo actus tendit in obiectum: sed iste modus etiam est finitus in actibus Christi. Quod probo: Quoniam ordo ad obiectum non sumitur ex dignitate suppositi, sed ex modo quo potentia attingit obiectum: sed iste est finitus: ergo. Rursus etiam: Quoniam actus charitatis in Christo ex se habet perfectiorem essentiam, quã actus obedientiæ: ergo ex se habet maiorem bonitatem essentialem, non tantum in esse entis, sed etiam in esse moris.

Adducor etiam ad veritatem huius conclusionis: Quoniam quotiescumque manet eadem potentia & idem obiectum, pari ratione actus semper manet etiam cum eadem intrinseca & absoluta bonitate & dignitate: sed manente eadem potentia & obiecto, posset manere actus Christi sine valore illo infinito, & cum bonitate essentiali, vt constat si idẽ actus Christi conseruaretur in natura, quæ separatur à Verbo: igitur talis valor minimè pertinet ad bonitatem essentialem actus. Et confirmatur: Nam in homine iusto idem actus moralis si sit relatus à charitate est meritorius, aliàs non; & tamen illa relatio neque imprimit bonitatẽ intrinsecã, neque aliquid reale in actu, sed tantum denominationem valoris: ergo. Et confirmatur iterum. Quoniam aliàs actus humani Christi, haberent tantam bonitatem essentialem, atque actus diuini, & consequenter possent de se beatificare Deum, &c. ¶Et vt exactè intelligas quæ diximus, aduerte, actum bonum ex obiecto etiam habere valorem & dignitatem. Nam quò actus est melior essentialiter, eo est, cæteris paribus, ex parte personæ seu dignitatis eius, magis honoratiuus Dei, & hac ratione intrinsecum est actui bono esse honoratiuum Dei, & proportionabiliter est intrinsecum peccato, esse offensiuum; Sed quatenus actus est bonus vel malus essentialiter, respicit Deum vt primam regulam: vt verò est honoratiuus vel offensiuus, respicit ipsum Deum vt vltimum finem; & ideo, licet hæc ratio aliam comitetur; tamen quia in priori consistit essentia actus boni vel mali; idcirco secundario potest augeri ex parte suppositi, sine eo quòd æqualiter augeatur ex parte obiecti.

*Difficultas non mediocris.* Offert se tamen ex modo dictis non mediocris difficultas, Cur inquam hæc quantitas valoris vel iniuriæ, non transeat in quantitatem bonitatis vel malitiæ essentialis? Si enim transit, tunc actus Christi erit infinitus in bonitate essentiali & in valore. Respondetur tamen, dignitatem vel indignitatem operantis posse transire in obiectum. Primò quando variat essentialiter regulam ipsam, vt actus quo filius honorat Patrem, pertinet ad pietatem; & actus luxuriæ in Sacerdote est alterius speciei. Secundo, quando solum auget rationem essentialem actus. Nam quò persona dignior est, eò peccatum eius de liberatum est grauius, vt dicit S. Thom. 1.2.q.73.art. 10. & opus bonum illius erit melius: ergo dignitas Christi tansit in obiectum, aliquando mutando speciem: Quoniam actus satisfaciendi pro mortalibus, in ipso pertinet ad iustitiam, non in alijs; aliquando augendo bonitatem, vt patet in actu pœnitentiæ. Nam quò dignius est suppositum, eo iniuria illiilla ta est maior, & eius patientia eo est intrinsecè melior, quia est volitio patiendi maiorem iniuriã: Sed tamen non inde sequitur, tantam bonitatem essentialem esse in actu, quantus est eius valor; atq; adeo non sequitur, valorem vt sic pertinere ad essentiam actus. Ratio est, quia suppositum ad valorem actus concurrit vt suppositum; at verò ad essentiam actus, concurrit vt obiectum: Supponimus autem nunc ex superioribus & ex infra dicendis, suppositum tribuere actui totam dignitatem, quam habet: obiectũ verò non item: Probatur ergo, suppositum in ordine ad actum & eius essentiam, concurrere, vt se tenet ex parte obiecti, quia ex obiecto sumitur tota actus essentia, & quantitas eius. Sed explicatur specialius in actibus Christi. Nam ideo infinitas suppositi facit esse actum iustitiæ, quia ratione talis infinitatis resultat obiectum iustitiæ, quod aliàs non resultaret; & pariter in actu patientiæ idcirco auget eius bonitatem, quoniam auget obiectum quod est iniuria, & inde etiam actus patiendi maiorem iniuriam, est melior. Hinc etiam patet, tales actus non habere infinitam bonitatem essentialem, quoniam iniuria quæ fit contra personam infinitam, non est simpliciter infinita, quia similiter limitatur ex modo tẽdendi. Id etiam patet cum variatur essentia actus. Nam ex eo quòd in Christo requiratur infinitas vt posset reddere æqualẽ, non ob id sequitur, talem actum esse infinite bonum. Nam si quis det infinitas diuitias, reddendo illas, non faceret actũ iustitiæ infinite bonum. Quia ex eo quòd est maius debitum, non est maioris bonitatis reddere illud, nisi secundum quid ex parte difficultatis.

*Solutio.* Dices; Valor operum Christi, ex eo est infinitus simpliciter, quia per actum offert se totum Deo: ergo etiam erit sufficiens, vt bonitas essentialis, sit simpliciter infinita. Respondetur negando consequentiam: Quoniam offerre bonum infinitum, nõ habet tantam

*Obiectio.*



tãtam bonitatem, sicut est in eo quod offertur; aliàs velle bonum infinitum, vel dare infinitam eleemosynam, esset actus infinitæ bonitatis, & velle destruere Deum, esset malitiæ simpliciter infinitæ, quod nõ est verum: De valore autem alia est ratio iam assignata. Obserua tamen, dignitatem personæ non semper augere rationem essentialem actus: Quia actus charitatis eiusdẽ, seu æqualis intẽsionis, tã bonus est in iusto, atque in alio iustiori; & actus infidelitatis æqualiter efficax, tam malus est in eo, qui sanctior fuerat, quam in alio; si tamen aliquando dicitur augere malitiam, solum est ob ingratitudinem, vel ob alias circunstantias, quæ transeunt in obiectum, & tam parum conferunt ad quantitatem malitiæ essentialis, vt nisi mutent speciem, non semper augeant nisi venialiter. Quòcirca, quamuis dignitas personæ etiam augeret bonitatem essentialem, hoc argumentum non esset efficax, imo verò esset leuissimũ, sed verè non auget communiter loquendo, imo quodammodo minuit. Nã quò persona est dignior, eò conueniens eius est, vt operetur recte; in actibus verò in quibus auget, vt in humilitate, quæ eò est maior, quò persona dignior subijcitur alteri, iam dictum est quo nam pacto nõ augeat cum eadem proportione ad valorem. ¶Ex quibus omnibus colligunt plerique Theologi, non esse inconueniens vllum, aliqua esse mortalia peccata maiorem habẽtia malitiam essentialem, quam sit bonitas essentialis actus Christi. Nam sufficit, vt possit pro infinitis peccatis satisfacere, eius actus esse valoris infiniti, vt ostensum est.

*Solutio.* SExta conclusio. Nihil potest cadere sub merito absolute, quod Christus quantum ad sufficientiam non potuerit mereri suis operationibus. Quo circa, quodlibet Christi opus liberũ, erat tanti valoris, vt mediante eo posset quodlibet præmium excogitabile mereri, absque hoc, quod illis operationibus superadderetur nouum donum; & hoc nos appellamus meritum cuiusuis præmij quãtum ad sufficientiam, aut verò secundum virtutem quod idem est. Probatur: Quoniam valor operum Christi, est illimitatus in ordine ad præmium: ergo potest se extendere ad omne illud præmium, cuius est capax tale subiectum operans. Antecedens est de fide, in Extrauaganti Vnigenitus, vbi definitur meritum Christi esse infinitum; Consequentia autẽ probatur: Quoniam quod infinitum est in aliquo genere, se extendit ad omnia illius generis, verbi gratia si daretur lumen infinitum, se extenderet ad omne illuminabile, & si daretur scientia infinita, haberet virtutem ad omne scibile: ergo à simili, si datur meritum infinitum, habet virtutem ad omne præmium excogitabile. Et confirmatur: Quoniam si daretur præmium aliquod, ad quod non posset se extendere valor operum Christi: ergo iam meritum illud haberet terminum, & exhauriretur; cum non posset pertinere ad tale præmium. Et ex hoc sequeretur, quòd posset esse meritum in rerum natura præstantius & maius, quam sit meritum Christi Domini, videlicet meritum illud, cui respondet præmiũ, ad quod non potest pertingere. ¶Verum est quod Theologi concedunt, Christum Dominum potuisse applicare suam passionem ad saluandos de facto plures homines, & ad videndam diuinam essentiã intensius & clarius, & similiter ad videndas plures creaturas in diuina essentia, quam de facto videãt. Cæterum diuina Sapiẽtia præscripsit eum terminũ animæ Christi, qui & erat conueniens, & decebat eius dignitatem. ¶Hinc etiam colligunt, quod respectu præmij, quod vocant Theologi essentiale, meritum Christi non dicitur infinitum: Quia merito Christi non potest respondere tale præmium essentiale infinitum de facto, etiam de potẽtia Dei. Cuius ratio est: Quia essentiale præmium, in visione Dei consistit: sed non potuit esse visio animæ Christi infinitã, quia non potuit infinitè videre Deum: ergo nec potuit esse præmium essentiale infinitum. Dices potuisse Christum videre infinitas creaturas eminẽter existentes in potentia Dei. Respondetur, hoc solum arguere infinitam extensionem visionis, quod modo de facto habet visio animæ Christi in ordine ad cogitationes futuras, & ad actus liberos, quorũ ipse est iudex; cum quo tamẽ stat, visionem eius, esse de facto finitam.

*Conclus.7.* SEptima conclusio. Tanta est infinitas meriti Christi, vt nullum præmium possit de facto adæquari eius virtuti & valori operis. Sed ante quam hæc assertio probetur suppono, duo esse consideranda in opere Christi, & quòd procedit à persona infinite accepta, & quòd suapte natura, est opus ordinabile in præmium; Ex primo sumitur valor operis (vt diximus) ratione cuius potest satisfacere Deo; ex secundo autem sumitur ratio meriti, propter quod fuit Christo de iustitia debitum præmium. Suppono etiam, quòd licèt meritum consistat in ordine ad præmium; tamen quantitas eius præcipuè sumitur ex valore operantis. Vnde, in nobis quantitas meriti pensatur ex gradu charitatis à quo procedit; quare impossibile est quòd meritum excedat valorem operis aut præmij, in quo radicatur; & pariter est impossibile quod valor ipsius operis & personæ operantis, non refundatur in opus, quatenus respicit præmiũ, licet nulla esset lex de præmio. Nã quamuis Deus statuisset, nulli se daturum gloriam, nihilominus gratia esset habitualis acceptatio ad gloriam, & similiter operatio procedẽs ex gratia, suapte natura esset meritoria operis, & haberet quandam proportionem & condignitatem. ¶Iam ergo persuadetur conclusio, & probo tantam esse infinitatem in merito Christi, vt de facto illius valori nullum præmium adæquetur. Nam si de facto daretur præmium adæquatum respondens illi, produceretur de facto infinitum: imo verò produceretur Deus plusquam potest, nam produceret infinitos gradus gratiæ, & gloriæ, & produceret infinitos homines, quibus tale meritum est applicabile, quod non potest conuenire potentiæ Dei. Ex quo palam deducitur, quòd infinitas meriti, & infinitas præmij, sunt diuersæ rationis, & quæ mutuo non se inferunt subsistendi consequentia. Nam meritum Christi de facto est infinitum; præmium verò non itẽ: licet formaliter mutuo se inferant. Valet enim; Meritum aliquod est infinitum: ergo præmium quod illi correspondet absolute loquendo, suaptè natura habet etiam suam infinitatem. ¶Secundò deducitur, quòd virtus & valor operum Christi non debet explicari per ordinem ad præmium, quod illi de facto respondet, sed per ordinem ad

per-

personam operantem, & ex habitudine ad præmium absolute consideratum.

*Argumenta contra doctrinam traditam.*

*Obiectio.1.* SEd obijciet aliquis: Gratia Christi est finita, & ex tali gratia non potuit elici meritum infinitum; tum, quia Christus non potuit mereri, nisi per animam creatam, quæ non potuit mereri infinitum, cũ ipsa sit finita *in* sua essentia, & *in* omnibus; tum etiam, quia si Christi meritum est infinitum: ergo tantum meruit, vt eò amplius Deus non posset præmiare, quia vltra infinitum Deus, non potest facere quicquam. Imo verò sequitur, quòd Christus plus meruit, quam Deus possit facere & præmiare: Nam meruit præmium infinitum, & Deus non potest facere præmium infinitũ. Rursus; Vel Christus meruit nobis visionem finitam, vel infinitam? si finitam: ergo eius meritum est finitum; Si infinitam: ergo meruit Dei comprehensionem: ergo meruit impossibile, quod implicat: Nam impossibile est, quod creatura Deum cognoscat, & quod comprehendat illum, quantum comprehensibilis est. Præterea; si meritum Christi fuit infinitum: ergo fuit infinitè gratum Deo: ergo fuit Deus. Ostendo cõsequentiã. Quia nulla res est infinitè grata Deo, nisi sola diuina essentia. Si dicas, meritum Christi esse finitum; sequitur, quòd potest quis tantum demereri peccando, vt Christi meritum pro eius reconciliatione nõ sufficiat, quod est contra fidem; Imo si meritum Christi est finitum, sequitur quòd meritum creaturæ poterit esse illi adæquatum, & eũ excedere, quia omni finito dato, Deus potest facere melius & excellentius:

*Obiectio.2.* Secundò obijciet aliquis; Neque de facto, neque de possibili, potest dari præmium infinitum respondens merito Christi: ergo meritum eius non est infinitũ. Patet consequentia: Quia meritum & præmiũ sunt correlatiua: ergo si non potest dari infinitum præmium, neque etiam poterit esse infinitum meritum. Probatur antecedens: Quia tale præmium non est, nec potest esse aliquid increatum; alias anima Christi posset videre infinite Deum, vel si videt finitè, etiam anima D. Petri diceretur habere præmiũ infinitum, quia illi respondet præmium increatum. Neque etiam potest esse aliquid creatum, quia nihil creatum est infinitum: ergo:

*Obiectio.3.* Tertiò obijcies: Præmium collatum Christo, fuit finitum: ergo & meritum. Ostendo antecedens: Quia visio animæ Christi, in qua præmium consistit essentialiter, est visio finita; Nam & lumẽ præstitum animæ Christi fuit finitũ: ergo præmium etiam fuit finitum.

*Obiectio.4.* Quartò obijcies: Nam si meritum Christi fuit infinitum: ergo fuit adæquatum potentiæ præmiantis: Consequens est falsum: ergo. Patet sequela: Quia potentia præmiantis eò potest se extendere, vt præmiet infinitum meritum. Quòd autem consequens sit falsum, probatur: Quia tunc aliquid creatum, quale est meritum Christi, commensuraretur alicui infinito simpliciter, quale est Dei potentia ad

*Confirm.* præmiandum. ¶ Et cõfirmatur. Quia sequitur bene, Christi meritum fuit infinitum: ergo plus meruit Christus, quam Deus illi conferre posset in præmium: Consequens est falsum: ergo. Sequela probari solet, quia Deus non potest producere infinitũ præmium. Sed efficacius probatur: Quia tunc posset dari quòd meritum Christi esset adæquatum præmio, ita vt non posset vltra se extendere, quod constat esse falsum: Quoniam dato quocumque præmio adhuc posset Christus applicare suam operationem & dirigere in aliud præmium.

*Ad obiect.* AD has obiectiones statim respondere oportet. Ad primam respondetur, meritum Christi fuisse infinitum. Vnde ad antecedens respondetur, quòd meritum non expenditur præcipue penes quantitatem actus, vel penes quantitatẽ habitus gratiæ habitualis, sed præcipuè penes dignitatem personæ promerentis, & acceptationem diuinam; & quoniam Christus erat persona infinitæ dignitatis, omne opus ab eo elicitum, fuit Deo infinitè acceptum & gratum. Et ad probationem respõdetur, Christum meruisse per animam creatam, quę finita est, sed quoniã illa erat suppositata à persona infinita, cui præcipuè attribuuntur actiones; idcirco operationes Christi erant infiniti valoris & pretij coram Patre æterno. Ad secundam probationem plerique Theologi, inter quos est Marsil. in. 3. q. 12. respondent (& non est irrationabilis eorum responsio) Primò quòd Christus meruit tantum, quantum Deus de potentia ordinaria potest præmiare genus humanum: Quia omne meritum hominum fundatur in merito Christi. Secundò dicunt, quòd Deus non potuit amplius acceptare meritum Christi, quã acceptauit; Nam acceptauit infinitè. Tertiò dicunt, quòd Deus nec potuit, neque potest de potentia ordinaria siue de potentia absoluta, præmiare plures homines, quam sunt ij, pro quibus Christus meruit quantum ad sufficientiam: Nam Christus meruit pro infinitis hominibus, & non possunt esse plures infinitis. Fatendum est tamen quòd nunquam de facto tot præmiauit, quin possit præmiare plures. Ad tertiam probationem, nonnulli Theologi dixerunt, esse concedendum, plus meruisse Christum, quam Deus præmiare posset: sicuti Deus plus cognoscit quam Deus possit facere: cognoscit namque mala, & cognoscit infinitum; & tamen non potest facere mala culpæ, neque infinitum in actu, & materia inclinatur ad plures formas quam possit habere. Neque hoc prouenit ex impotentia diuinitatis, sed ex eo quòd non est factibile vt omnes gradus meriti Christi sint præmiati. Et cõfirmatur hoc: Quoniam, secundum veram Theologiam, Deus non potest facere omnes angelos possibiles, nam est *in*factibile quòd omnes angeli possibiles, sint creati: Quoniam quibuscumque datis, Deus potest producere plures: sed quocumque præmio dato propter merita Christi, adhuc Christus maius promeruit, & maius: igitur non potest præmiari totum meritum Christi. Et confirmatur iterum: Quia possibili posito in esse, nullum sequitur inconueniens: sed non potest esse quòd totum meritum Christi sit præmiatum, quia quocumque præmio dato, adhuc Christus cumulatius promeruit. Neque ex hoc sequitur quòd potentia meritoria sit maior, quam potentia factiua Dei, vtraque enim est infinita, sed duntaxat aliquid cadere sub merito, quod fieri non potest. Sicuti, ex hoc quòd Deus plus nouit, quam potest facere, solum sequitur aliquid cadere sub scientia diuina, quod



quod à Deo fieri non potest. ¶ Sed quidquid sit de hac solutione, dicendum est, quòd Christus non promeruit infinitum præmium in actu, neque infinitam visionem, neque infinitam beatitudinem. Nã Christus non ordinauit suum meritum ad id, quod nouerat esse impossibile: at impossibile est quòd præmium sit infinitum actu: ergo. Præterea sic arguẽtor: Si Christus meruit infinitam visionem diuinitatis: ergo meruit comprehensionem; Sed impossibile est creaturam Deum comprehendere: ergo non meruit comprehensionem. Tertio si meritum Christi tãtum fuit infinitum in genere meriti: ergo non omnibus modis infinitum, alioqui esset Deus: ergo præmium huius meriti non fuit infinitum simpliciter & omnibus modis, sed infinitum syncathegorematicè, ideſt, quocumque dato præmio & demonstrato, adhuc melius præmium promeruit Christus. Itaque, sicut virtus diuinitatis ex eo ostenditur esse infinita, quia potest producere infinita syncathegorematicè, ideſt; quibuscumque datis, potest plura & meliora producere: Sic ad eundem modum, meritum Christi ostenditur fuisse infinitum euidenter: Quia quocumque præmio dato & demõstrato, adhuc melius promeruit Christus; licet non promeruerit præmium infinitũ actu Cathegorematicè. Quemadmodum Deus non potest producere infinitam creaturam. ¶ Rursus alia ratione potest demonstrari meritum Christi esse infinitum ex modo merendi; Quia meruit de omni rigore iustitiæ. Itaque, sicut creatio ostendit Dei virtutem infinitam, non ex parte creaturæ productæ, quæ finita est, sed ex modo faciendi. Quoniam aliquid ex nihilo producere, infinitam virtutem exigit, sic meritum Christi ex toto rigore iustitiæ, ex modo merendi fuit infinitum. ¶ Tandem ex alia causa ostenditur Christi meritum fuisse infinitum: Quoniã sicut meritum Christi fuit infinitum ratione vnionis hypostaticæ, sic potuit habere præmium infinitum, ratione eiusdem vnionis hypostaticæ. Nam, vt plerique Theologi dicunt, si Christus efficaciter dirigere voluisset suam operationem, & suũ meritum, vt Spiritus sanctus carnem assumeret humanam, id quidem meruisset de condigno. ¶ Ex quibus sequitur, Christum non plus meruisse, quam Deus præmiare possit: Quoniam Christus tantum meruit infinitũ præmium syncathegorematicè, & Pater æternus optimè potest conferre ipsum infinitum præmium syncathegorematicè; Et similiter patet ex dictis quid sit dicendum ad aliam probationem. ¶ Tandem sentiendum est, quòd meritum Christi non fuit omnibus modis infinitum, sed dũtaxat in genere meriti, & idcirco Deus non est. Vnde meritum Christi est actus creatus & productus à voluntate humana Christi. ¶ Obseruare tamen valde oportet, quòd ad intelligendam infinitatem meriti Christi, non oportet fingere quòd à Verbo diuino effluat aliquid positiuũ in operatione humana Christi, sed satis est intelligere, quod est operatio elicita & exercita à Verbo incarnato, vt intelligamus quòd habet infinitum valorem & pretium coram Patre æterno; Sicut in motu brachij artificioso, quo pictor depingit imaginem, non est necesse fingere, quòd fluat aliquid positiuum ab intellectu artificis, sed satis est quòd operatio dirigatur ab intellectu artificis. ¶ Ex quibus omnibus sequitur, quòd meritum Christi in genere entis, est actus finitus & finite intensus; sed est infinitus personaliter, eo quòd proficiscitur ab infinita persona infinitæ dignitatis, vt supra explicatum est.

*Ad obiect.2.* Ad secundam obiectionem respondetur, quod præmium de facto correspondens merito Christi, est adæquatum secundum iustitiam, quod sanè non aduersatur præcedentibus. Et quòd hoc sit verum, ostendo: Quoniam Deus, vt fide constat, præmians Christi meritum & eius opera, exercuit actum iustitiæ: ergo dedit adæquatum præmium secundum æqualitatem iustitiæ. Patet antecedens; tũ, quia omnia loca Scripturæ, quæ loquuntur de merito & satisfactione Christi, explicant præmium sibi respondere de iustitia, vt patet ex illo Iob. 36. Causa tua quasi impij iudicata est, causam iudicij recipiens. *Iob.36.* Idem ad Philip. 2. & Isaiæ. 53. Tum etiã: Quia si Christus de facto meruit præmium in quod direxit suas actiones, & Deus denegaret tale præmiũ Christo, esset iniustus: ergo de facto præmium Christo collatum, fuit quod ex iustitia illi respondebat. *Philip.2.* ¶ Sed interrogabit aliquis & dicet: Quare potest dari infinitas meriti de facto, non verò infinitas præmij? Respondetur, quia infinitas meriti, nõ est infinitas simpliciter in genere entis; infinitas autem præmij si daretur, esset infinitas simpliciter saltem secundũ multitudinem, & etiam secundum intensionem, quia debet esse infinitum bonum secundum multitudinem & intensionem de facto. Tandem ad exactam solutionem huius obiectionis, oportet recurrere ad solutionem præcedentem, in qua plene dissoluitur difficultas tacta hic.

*Ad obiect.3* Ad tertiam obiectionem respõdetur, quod Christus Dominus non meruit de facto visionem beatificam. Nam Christus erat vnigenitus Patris, & hæres regni cælestis. Vnde ex vi filiationis naturalis illam habuit. Imo verò Theologi. 3. p. q. 19. probant, gloriam animæ Christi habere *rationem* proprietatis naturalis in eo, & ita visio animæ Christi nõ fuit de facto præmium meriti, sed exaltatio sui nominis & hominum gloria, & resurrectio ipsa: & Christus licet non promeruerit præmium infinitum actu cathegorematicè; meruit tamen infinitum præmium syncathegorematice: Quoniam quocumque dato præmio & demonstrato, adhuc melius præmium promeruit, vt ostendimus in respõsione primæ obiectionis, & ita non est inconueniens quòd præmium sit actu finitum in sensu explicato; meritum autem infinitum, quia non se inferunt subsistendi consequentia. ¶ Et nihilominus adeo verum est Christi meritum fuisse infinitũ in ratione meriti, vt id quod Christus meruit per plures actus, meruerit per vnũ, & quòd meruit per actum intensum, potuerit mereri per actum quantumcunque remissum, quoniam quilibet actus erat infiniti valoris meritorij, neque crescebat eius valor ex coniunctione ad reliquos actus meritorios: Nam quantitas meriti sumebatur ex persona operante; atq; ita quodlibet opus Christi erat tanti valoris, vt non posset dari maius meritum quamuis idem posset sæpius repeti & iterari. Cum ergo ex persona infiniti valoris, qualis erat persona Christi, non posset non refundi valor infinitus in ipsam operationem, sanè licet procederet à charitate

minus

minus intẽsa,& operatio fuisset minus intensa,quã fuit;nihilominus haberet valorem infinitum ex persona Christi agente. Ex quo sequitur insigne dissidium,quod reperitur inter nos & Christum in merito,& in quantitate illius, quòd meritum nostrum sumitur ex intensione charitatis & operationis, ex quibus valor refunditur in personam operantem; meritum vero Christi è contra ex valore operantis consurgit,& communicatur,tam gratiæ, quam operationibus Christi.

*Ad obiect.4* Ad quartam obiectionem dico primo,quòd non plus meruit Christus, quam Deus præmiare possit illum: quoniam Deus potest præmiare in infinitum & infinitis modis: ergo meritum non potest excedere potentiam absolutam præmiantis. Et rursus: Quia excessus meriti ad potentiam præmiantis, quem tu, verbi gratia, ponis, non esset ad aliquod præmium, siquidem illud est impossibile; ac proinde talis non esset excessus meriti, quamuis de facto impossibile est, vt diximus, Deum producere præmium adæquatum merito Christi de se: Sicut licet Deus possit producere infinitos angelos; tamen nõ potest de facto dari infinitas angelorum actu producta. *Dico.2.* ¶ Dico secundo, quòd Christus eisdem actibus potuit mereri infinitam visionem sui cathegorematicè, ita vt quocunque gradu visionis & intensionis illius dato, potuerit maiorem & intensiorem mereri, si in illum applicaret & dirigeret meritum suum. Nam certè, si Christi meritum ex sua natura esset determinatum in ordine ad visionem, esset etiam determinatum in suo valore; eo vel maxime quòd valor meriti attenditur ex habitudine ad præmium essentiale, quale est visio. Et præterea; Quia non est ratio cur merito Christi respondeat quantũ ad sufficientiam determinata visio; & tamen non respondeant alia præmia accidentalia, etiam determinata. Quod confirmari potest: Quoniam natura visionis, charitatis & gratiæ, est vt non habeat terminum in intensione, sed quacumque gratia & charitate data, potest dari maior, & sic in infinitum: ergo meritum Christi habet infinitatem saltem syncathegorematicam, aut potius syncathegorematicè explicandam in ordine ad visionem si voluisset ita dirigere & applicare suũ meritum; nam hoc est de potentia, &c. *Dico.3.* ¶ Dico tertiò: quòd infinitas meriti Christi in ordine ad ea præmia, quę de facto meruit, non satis digne explicatur per infinitatem syncathegorematicam aut extensiuam: hæc enim non est maxima perfectio; sicut non est maxima aut magna perfectio naturalis in igne, quod possit successiue infinita iguire cõbustibilia. Quo circa, multò melius explicatur perfectio & infinitas meriti Christi per hoc, q̃ sit sufficiẽs de se ad omne præmiũ, in quod dirigitur à Christo Domino, & nũquã exhausta manebit virtus eius, sed semper habet maiorem eminentiam valoris, quam quæ de facto adæquetur aliquo præmio. Itaque dicendum est, quod eminenter infinitas meriti Christi claudit infinitatem extensiuam & intensiuam quantum ad sufficientiam; extensiuam quidem, quia potest se extendere ad infinita; intensiuam autem, quia propter coniunctionem ad personam, habet valorem & virtutem sufficientem ad omne præmium excogitabile. Sunt etiam plerique alij Theologi, qui explicant hanc infinitatem in modo causandi independenter & tanquam prima causa cuiusius præmij. De qua re legendi sunt recentiores interpretes D. Thom. 3. p. q. 19. ¶ Sed nihilominus adhuc explicare oportet, vtrum valor operum Christi sit infinitus simpliciter in esse valoris? De qua re statim agendum est à nobis disputatione sequenti; in qua disputatione completur intelligentia huius controuersiæ.

## DISPVTATIO VII.

### *Vtrum valor in actionibus meritorijs Christi in uetus, sit in esse valoris æmpliciter infinitus?*

HÆc controuersia appẽdix est ad præcedentem, mutuoque fœdere illi cõiuncta; & idcirco ad exactam præcedentis cognitionẽ necesse fuit eam statim hoc loco euoluere & pertractare. Et quidem, cum agitur de valore operũ Christi in esse valoris, non solum agitur de valore meritorum, sed etiam de valore eorundem operũ Christi, quatenus habent rationem satisfactionis. Et principio negatiuè argumentor. *Argum.* Non communicatur actioni Christi totus valor, qui potest resultare à persona diuina: ergo non est summus valor ille. Probatur antecedens: Suppositum diuinum non operatur secundum totum conatum: ergo valor inde resultans non est summus. Antecedens probatur: Quia si operaretur secundum totum conatum, produceret quidquid potest: sed hoc non est admittendum, quia semper potest vlteriùs intensiorem actum producere. *Confir.1.* ¶ Et confirmatur: Quoniam actus ille poterat procedere ex intensiore gratia & dilectione: ergo modò de facto non habet omnem valorem quem potest. Consequentia aperta est: Quia ex intensiore dilectione gratiæ & charitatis per se crescit valor ipsius actus. *Confir.2.* ¶ Et confirmatur secundo retorquendo rationem: Nam gratia, dilectio, & reuerentia personæ Christi subsistentis in duplici natura, præstant plurimum valoris: ergo persona non præstat quidquid potest; sed omnia annumerata, sunt causæ coadiuuantes & partialiter concurrentes ad causandum & augendum valorem: Ex quo sequitur, vel quod singulæ producant infinitum valorem, quod est inconueniens, vel quòd ex omnibus partialiter & limitate concurrentibus, resultet quoddam infinitum. *Confir.3.* ¶ Et confirmatur tertiò: Quia nullus datur actus Christi, qui non possit esse maioris & maioris valoris: ergo nullus est infinitus simpliciter in valore. Probatur antecedens: Quoniam quilibet actus charitatis potest esse intensior, & alij actus possunt habere perfectius obiectum: ergo possunt esse maioris valoris. Patet consequentia: Quia intensio & perfectio obiecti, augent valorem: ergo actus charitatis Christi est maioris valoris, quam temperantiæ. Neque valet dicere, actum iam habere infinitum valorem ex personæ dignitate, & sic reliquas circunstantias non augere intensiue, sed extensiue. Contra: Illa circunstantia intensionis vel obiecti, nullo modo continebatur in valore, quia resultat ex supposito: ergo intensiue reddit actum maioris valoris. Antecedens probatur: Quia valor, qui resultat ex supposito, est distinctus ab eo, qui resultat ex circunstantijs. Quod patet: Nam si valor actus esset infinitus intensiuè, & non procederet à supposito infinito, non esset valor simpliciter infinitus, quia non esset infinitus secundum omnem modum qui conuenire potest actui: ergo, &c. Item: Intensio & illę circunstantiæ, sunt intrinsece in ipso actu, ita vt in propria entitate actus boni moralis illum perficiant: ergo non absolute extensiuè, sed etiam intensiuè illum perficiunt. Et præterea: Si Deus haberet infinitam perfectionem Sapientiæ, & tamen careret infinita potentia, non diceretur simpliciter infinitus in perfectione; quia non haberet infinitam perfectionem ex omni parte, ex qua potest resultare perfectio: ergo cum opera Christi nõ habeant infinitatem valoris ex omni parte, ex qua valor potest resultare, non erunt infiniti valoris simpliciter loquendo.

*Secundò arguitur.* Quoniam valor personæ Christi deriuatur ad actionem media humanitate: sed humanitas est quid limitatum in ratione essendi & operandi: ergo valor qui inde sequitur, non erit infinitus. Maior est manifesta; Quia humanitas & Verbũ ordinata sunt ad tales operationes: Consequentia est aperta: Quia virtus infinita Dei, non potest deriuari ad effectum per instrumentum limitatum. Et confirmatur: Quoniam virtus obiecti infiniti, non potest causare infinitam actionem in potentia limitata: ergo suppositum infinitum non potest causare actionem infiniti valoris, media limitata potentia, qualis est potentia humanitatis Christi,

*Tertio.* Possunt dari actus habentes maiorem dignitatem, quam actus Christi: ergo illi non habent infinitam dignitatem simpliciter. Ostendo consequentiam: Quoniam infinito simpliciter, non potest dari maius. Antecedens probatur: Quia generatio æterna & alij actus diuini, qui sunt ad intra, habent maiorem dignitatem, cum sint simpliciter infiniti in ratione perfectionis: ergo, &c. *Confirmatio* ¶ Et confirmatur: Quia opera Christi habent valorẽ ex vnione ad Verbũ: sed potest esse maior vnio, ergo maior valor. Probatur minor: Quia maior vnio esset, si illa fieret immediatè in diuina natura. Et confirmatur iterum: Quia si ita est quòd actus Christi habent infinitum valorem & infinitam dignitatem, sequitur quòd placent infinite Deo: ergo beatificant illum, quod repugnat, quia repugnat Deum esse beatum per aliquid extrinsecum.

*Quartò arguitur.* Quia si actiones Christi sunt infinitæ in valore meriti, sequitur exhaustam esse virtutem suppositi diuini in præstando valorem. Sequela probatur: Quoniam si virtus illa diuini suppositi, iam produxit valorem infinitum simpliciter, nõ potest vlterius producere alium maiorem neque digniorem: ergo. Imo verò sequitur quòd de facto sit producta infinita bonitas moralis. Patet sequela: Quoniam infinitus valor moralis infert moralem bonitatem infinitam. Quod verò sit falsum, esse productam infinitam bonitatem moralem, ostendo: Quia sicut repugnat ex parte rei quòd sit productũ infinitum bonum naturale, ita videtur repugnare quòd sit productum infinitum bonum morale. Dices, quòd licet repugnet creaturæ seu rei creatæ infinita bonitas transcendentalis, non tamen moralis. Contra: Bonitas moralis, secundum communem sententiam, est qualitas moralis realis in ipso actu: sed repugnat dari qualitatem realem simpliciter infinitam: ergo & bonitatem realem aut moralem infinitam simpliciter. Dices, hanc bonitatem non esse essentialẽ & realem, quæ cõsistit in conformitate ad legem, sed respectiuam, & secundum denominationem extrinsecam. Contra: Bonitas moralis consurgit ex omnibus illis, quæ reddunt actum moraliter perfectiorem, vt ex intensione & obiecto: ergo sicut bonitas quæ resultat ex his, est quid reale in ipso actu, ita & quæ resultat ex supposito. Profecto, si actus Christi habent valorem infinitum simpliciter: ergo & bonitatem simpliciter infinitam. Patet consequentia: Quoniam valor operis sumitur ex bonitate morali.

*Quintum.* Quintò arguitur. Si Deo posset aduenire de nouo aliqua ratio, quæ de se diceret perfectionem; tunc non esset infinite perfectus, sed intenderetur eius perfectio per illam de nouo aduenientem. Cum ergo actui Christi possit aduenire maioritas intensionis, quæ est ratio valoris; signum est, non esse valoris infiniti simpliciter, sed intendi eius valorem per illum superadditum; alias similiter diceremus Deum non amplius perfici ex superaddita realitate de nouo; atque adeo non implicaret illam superaddi, quia non esset ideo magis perfectus. Sed dices, repugnare ex immutabilitate. Contra: Ideo Deus est immutabilis, quia non est perfectibilis: Sed ex superaddita realitate non perficeretur: ergo non repugnaret illi.

*Sextum.* Sextò arguitur. Actus qui versatur circa obiectũ infinitum, ob id non est simpliciter infinitus, quia licet ex ea parte non possit crescere; bene tamen aliàs potest actui prouenire valor: ergo sicut Deus quãdo est obiectum actus non dat illi valorẽ simpliciter infinitum, ita etiam neque quando est suppositum. Dices, valorem actus limitari ex modo tendendi in obiectum. Sed contra: Quia idem similiter diceremus de supposito infinito; Nam cum operetur mediante humanitate finita, & non possit elicere actum nisi finitum, ex his medijs limitabitur valor. Et confirmatur: Quoniã actus Christi, non est infinitè intensus: ergo neque infiniti valoris. Ostendo cõsequentiam: Quia actus non participat valorem suppositi, nisi adæquet eius intensionem, vt si homo gratus vt sex, eliciat actum intensum vt duo, talis actus non est nisi valoris vt duo, vt supra diximus in hoc articulo disputat. 3. ergo idem est dicendum in proposito.

*Scotus. Durandus. Gabriel. Ioan. Medina.* Scotus, Durand. Gabriel, locis supra citatis, & Ioan. de Medina in codice de pœnitent. & satisfact. apertè sentiunt, actiones Christi neque esse infinitas in ratione meriti, neque in ratione valoris, neq; in ratione satisfactionis; & ob id crediderunt, neque meruisse neque satisfeciisse de rigore iustitiæ. Et ad id mouentur ex primo argumento supra tacto. Rursus etiam mouentur: Quia si Christus satisfecit in quantum passus est reduplicatiue; & in quantum homo est reduplicatiuè, cum istæ sint rationes finitæ, sequitur quòd satisfecit finitè. Tertio etiã mouẽtur: Quia offensa peccati non est simpliciter infinita: ergo neque satisfactio Christi est infinita. Patet consequentia: Quia sicut ratio satisfactionis principaliter sumitur ex persona satisfaciente, & ob id non

non potest esse maior satisfactio, quam quæ est à persona infinita, ita non potest esse maior offensa, quã illa quæ est contra personam infinitam, & cum hæc persona non posit crescere in dignitate, ita neque peccatum in ratione iniuriæ. Si dicas, posse quidem crescere ex parte circunstantiarum. Contra; Quia idẽ militat in actu Christi. Similiter enim dicemus non augeri intensiuè, sed extensiue tãtum. Si dicas, satisfactionem Christi ex vtroque extremo esse infinitam. Contra: Quia iam dictum est quòd quo persona cui satis fit est indignior, tanto satisfactio est maior. Et inde conficitur argumentum. Nam si Christus satisfaceret creaturæ, eius satisfactio maior esset: igitur modo non est infinita simpliciter. ¶ Hæc sunt argumenta quibus aduersarij permouentur, saltem sunt quibus permoueri poterant, pro hac parte negatiua: Nam Scotus & sui cum Durando & alijs; debiliora & minus efficacia argumenta adducunt, quam hæc quæ retulimus.

*Conclusio.* His tamen nihil obstantibus, conclusio prima certissima sit. Actiones omnes liberæ, meritoriæ, & satisfactoriæ Christi Domini, habuerunt infinitatem in esse valoris. Hæc assertio à Catholicis Theologis & recte sentientibus inconcusse defenditur, & videtur mihi expreslè haberi ex definitione Clementis sexti, in Extrauag. Vnigenitus, de pœnitentijs & remissionibus; Vbi loquẽs de Thesauro indulgentiarum passionis Christi, ait, vt sic sit infinitus Thesaurus hominibus. Et subiungit loquens de pretio redeptionis nostræ; De cuius consumptione seu minutione non est aliquantulũ formidandum, tam propter infinita Christi merita, &c. En, definit Pontifex infinita esse merita Christi, quod non potest non intelligi de infinitate valoris, & de infinitate meritorum simpliciter loquendo. Secundo probatur: Nam actus, eo est maioris valoris, quò persona agens satisfaciens aut merens est dignior: sed persona Christi habet infinitam dignitatem simpliciter: ergo & actiones eius habent infinitum valorem, præcipue cum non habeant vnde limitentur. Neque valet dicere, quòd limitabitur valor ex finita intensione actus. Nam valor quem tribuit suppositum actui, est diuersæ rationis à valore qui resultat extensione actus: Quoniam opus remissum Regis, & opus intensum ipsius, conueniunt in modo valoris; Quia est à persona regia, licet aliunde differant; & idcirco opus Regis est maioris valoris, quam opus obscuri hominis, quamuis opus illud sit æquè intensum. Nam valor resultans ex persona, non habet connexionem neque dependentiã ab alio valore, qui resultat ex intensione: igitur non potest limitari ab ea. Fauet etiã, quòd actiones Christi in infinitùm superexcedunt nostras: ergo sunt infiniti valoris. Probatur antecedens: Quia tantũ excedebãt actiones Christi actiones nostras in suo genere, quantum persona operans supereminet nobis in his omnibus quæ considerãtur in Christo ad præstandũ valorem moralem actionibus: sed persona Christi excedit personã creatã simpliciter infinitè: ergo. Et confirmatur. Quia nõ potest dari actio melior aut dignior quã actio Christi: ergo. Ostẽdo antecedens: Quia si posset dari actio dignior: ergo pręstantior & rigorosior, & quæ pluris æstimaretur à Deo potuit dari, quod est impiũ. Imo verò tunc sequeretur quod potuit esse præstãtior persona & carior ipsi Deo, quã persona Christi de facto: Quia si operatio potuit esse dignior & maioris valoris, operans etiã potuit esse præstãtius apud Deum, & dignius. Certe, si Christi merita solũ essent infinita secũdũ quid in valore, formidari posset & timeri cõsumptio & minutio eorũ, quod tamen est blasphemum. Nã quodlibet opus Christi est sufficiens ad satisfaciendũ pro omnibus peccatis factis & possibilibus, & est sufficientissimũ ad merendũ gratiã & gloriã omnibus creaturis possibilibus: ergo valor meritorũ & satisfactionis Christi, est infinitus simpliciter. Patet consequẽtia: Quia peccata possibilia sunt simpliciter infinita. Similiter gratia, & gloria pro omnibus creaturis possibilibus, est infinita syncathegorematicè: sed ad hæc omnia promerenda requiritur actus qui habeat valorẽ cathegorematicè infinitũ, vt disputa.6. præcedẽte dictũ est: ergo. Itẽ probatur: Quoniã si daretur charitas quæ sine alio specialiori auxilio posset elicere intẽsiorem & perfectiorem actum in infinitum: aperte cognosceremus ipsam habere intensionem cathegorematicè infinitam: ergo cum meritum Christi possit æquiualere perfectiori & intensiori gloriæ in infinitum, certũ est habere valorem simpliciter infinitum.

Moueor etiam ad hoc: Quia quãuis potentia creãdi ipsius Dei, non possit se extendere ad infinitũ in actu; tamẽ quia semper potest perfectiorẽ creaturã producere, inde colligunt Catholici illã esse infinitam actu: ergo pari ratione, quãuis Christi meritum non se extendat ad gloriã actu infinitã; tamen quia semper potest perfectiorẽ & intensiorẽ gloriam, & maiorẽ peccatorũ remissionẽ mereri; inde cõstat ipsum meritũ esse infiniti valoris, nã meretur præmiũ propter valorem: sed meretur maius & maius præmiũ in infinitũ: ergo talis valor est maior & maior in infinitũ: Sed non est finitus valor: ergo infinitus etiã cathegorematicè. Nã quod est à parte rei, necesse est vt sit finitũ aut infinitũ determinatè. De efficacia huius rationis multa diximus disputat. 6. præcedente. ¶ Itaq;, iure sumitur valor infinitus in actionibus meritorijs Christi ex persona infinita Christi, qui valor nõ habet connexionẽ essentialẽ ab illo valore qui resultat ex intensione actus, neq; etiã habet ab illo dependẽtiã, & ob id nõ potest ab eo limitari, vt in prima probatione huius conclusionis diximus. ¶ Dices; Si valor qui resultat ex persona infinita, est infinitus, & nõ potest ab aliquo limitari: ergo pari ratione valor qui resultat ex obiecto infinito simpliciter, erit simpliciter infinitus, neq; aliũde limitabitur. *Obiectio.* Huic obiectioni, vt existimo; satisfecimus disput.6. præcedente ex differẽtia quæ est inter obiectũ & suppositũ: *Solutio.* Obiectũ enim in re nihil dat actui, imo verò ipsa entitas obiecti sumitur ex ordine formali, quẽ dicit actus ad obiectum, & nõ ex eo quẽ dicit obiectũ ad actum, & ob id limitatur talis valor secundũ naturam actus; Cæterũ respectu suppositi valor ipsius actus non ita sumitur, nẽpe ex ordinatione actus ad suppositũ, sed è cõuerso potius, nẽpe ex eo ꝙ suppositũ ordinetur ad ipsum actum, eum eliciendo. Vnde, obiectũ non concurrit intrinsece per se ad actum, sed vt extrinsecus terminus illius habitudinis quam dicit actus ad ipsum: & ob id actus sumit valorem seruata proportione, quam



quam idem actus habet ad obiectum, quod magis vel minus attingi potest, vt loco citato explicuimus: Et ita, non immediate concurrit per se intrinsecè sicut suppositum, quod intrinsecè & immediatè elicit totum opus: Et ob id suppositum in esse morali est quasi forma intrinseca operis, inquantum persona quæ meretur, seipsam subijcit alteri; & ita non tantum opus ipsum, sed etiam personam refert in obsequium alterius; & ideo opus istud vt diximus, est quasi expressio & insinuatio huius personalis submissionis, & inde est vt opus ipsum omnino in se concipiat totam dignitatem personæ, & eam in se habeat imbibitam, nulla alia seruata proportione. Propter quam causam quamuis physicè sit limitatum opus illud; tamen moraliter habet tantam dignitatem sicut persona ipsa, quæ operatur semper secundum totam dignitatem quam habet; quia operatur persona vt sic: igitur si persona est infinitè digna, etiam eius operatio erit infiniti valoris: ergo pari ratione, sicut persona principaliter se seipsam offert, ita principaliter Deus ad illam respicit: ergo cùm satisfaciebat Christus, non tantum afferebat opus suum, sed etiam suam personam. *Hebr.5.* Quod significauit Paul. vt suprà retulimus, dicens, quòd exauditus est pro sua reuerentia. Et ita Christus non tam obtulit actum, quàm se ipsum mediante actu. Quocirca, cùm idem Christus est obiectum actus, sicut cùm Simeon obtulit illum in templo, non tribuebat tantum valorem ipsi actui Simeonis, quia concurrebat vt obiectum, & non vt suppositum. Hinc patet peccata lædentium Christum, non esse offensas simpliciter infinitas, aut infinitè demeritorias, sicut neque actus visionis, quo Deus videtur à nobis, est infinitus, neque etiam alij actus liberi charitatis habẽt infinitam perfectionem aut valorem, quamuis Deus immediatè ad eos concurrat, quia non concurrit vt suppositum, & quasi forma intrinseca eorum, sed tantum vt obiectum, & vt extrinseca causa. ¶ Dices; Persona diuina non influit immediatè in ipsas operationes, sed illæ fiunt ab humanitate Christi, illa autem denominatio quæ resultat ex eo quòd humanitas sit in diuino supposito ad tribuendum infinitum valorem actui; non sufficit ad dandum infinitum illum valorem, quia aliàs opera necessaria & naturalia Christi, vt sunt augmentatio & nutritio, essent etiam infiniti valoris. Dices; Posse responderi, ipsum Verbum etiam influere vitaliter in operationes. Sed hoc est falsissimum, vt ostendunt Theologi.3.p. Quoniam suppositum diuinum, id tantum efficit, quod efficeret proprium; proprium autem non concurrit influendo vitaliter in operationes, sed sustentando naturam elicientem, vt in materia de Incarnatione dicitur.

*Conclus.2.* Vnde, vt præcedens obiectio dissoluatur, & materia hæc ampliùs aperiatur, sit secunda conclusio: Operationes naturales Christi, non sunt capaces meriti vel demeriti, & idcirco nõ contrahunt valorem moralem ex dignitate suppositi; Operationes autem liberæ, desumunt valorem, vt ostensum est, à supposito tanquam à primo fundamento & intrinseco sustentante naturam, & omnia quæ sunt in ipsa; & ob id dicuntur actiones esse suppositorum. Quam autem perfectionem tribuat suppositum ipsi actui, & quo pacto tribuat illi valorem moralem, & quid sit illud per quod formaliter operatio Christi redditur infinita, & an sit entitas realis saltem moralis, luculenter diximus disputat. 6. præcedente. Vnde, valor ex obiecto, sumitur secundum limitationem potentiæ; ex supposito verò sine limitatione vlla, quia refunditur secundum totam suam dignitatem in actum, & sic causat valorẽ. ¶ Sed dices; Suppositum sustentare naturam, non sufficit ad dandum valorem moralem operationi elicitæ à natura. Probatur: Quia valor moralis resultat ex hoc, quòd suppositum mediante operatione subijciat se alteri: ergo non sufficit ad hoc operatio naturæ, nisi etiam sit aliquis influxus moralis ipsius suppositi. Cùm enim influxus sit moralis valor, causa illius debet influere moraliter. Quod explicatur hoc pacto. Nam profectò, quando natura est in suo proprio supposito, & non in alieno, sufficit operatio naturæ ad hoc, vt totum suppositum iudicetur concurrere moraliter, vt si Petrus præstet obsequium alteri, non requiritur influxus aliquis distinctus ad hoc, vt habeat dignitatem suppositi talis actus: Quia Petrus habet dominium supra se totum; atque adeò supra suum suppositum, & ideò mediante suo actu potest se totum subdere alteri; Cæterùm, quando natura est in supposito alieno, non habet dominium suprà illud; & ob id talis natura per suum actum non potest alteri subdere dignitatem suppositi, & consequenter talis actus non habet dignitatem suppositi, vt in casu sępius allato, si natura humana esset in angelo, operatio elicita ab humanitate, non haberet dignitatem angeli, nisi angelus specialiori alio modo concurreret ad operationem illam. Quod patet: Quia si angelo contradicente humanitas se subderet alteri, non potest talis actus habere dignitatem angeli cùm in eo casu per talem actum nõ subdatur angelus obsequio alterius; imo verò vellet non subdi neque subijci.
¶ Respondere possumus huic obiectioni, naturam subsistentem in Deo, naturaliter subijci eius gubernationi, atque sicut voluntas applicat intellectum per naturalem subordinationem, ita volũtas diuina mouet humanam. Quare, sicut exterior eleemosyna est actus moraliter bonus quatenus dirigitur ab actu interiori, à quo sumit formalem bonitatem; Ita satisfactio Christi est infiniti valoris, quatenus dirigitur ab actu diuino ipsius Verbi. Verũ hæc responsio contradictores habet; Quia sunt Theologi, qui dicant, quòd innititur falso fundamento. Quoniam ex eo quòd vna natura vniatur alteri supposito, nõ per se subditur illi, cùm nihilominus retineat suam voluntatem distinctam, vt patet si humana natura suppositaretur in angelo. Sed quo pacto hæc dissoluantur, & quid de hoc sit sentiendum, dictum est à nobis disputat.6. præcedente explicantes eã sententiam, quam iuniores interpretes D.Tho. defendunt hodie, inter quos est Barthol. Medina, quẽ ibi citauimus; & idcirco legere oportet quæ nõ longè à principio diximus de hac re ibi. ¶ Et ex dictis hic & eo loci, sequitur, quòd si per impossibile Verbũ nullũ haberet actum ad intra, quo gubernaret naturam ipsam, adhuc operationes talis naturæ assumptæ, essẽt infiniti valoris, vt satis ex superioribus liquet.

*Ad argum. Ad primū.* AD argumenta in exordio diſputationis facta. Ad primum reſpondetur, quòd diuinum ſuppoſitum non propriè dicitur conari in ſuis actionibus: conatur enim qui impetu difficultatem vincit; ac proinde Deus neque magis neque minus conatur reſpectu nullius effectus, ſed quandoque dicitur operari ſecundum vltimum potentiæ quantum ad ſubſtantiam, vel quantum ad modum, qualiter diximus quòd Deus ſummè eleuauit naturam trahendo ipſam ad ſuum eſſe. Secundò etiam dicitur operari ſummo modo ex ſuppoſitione, quatenus vno ſuppoſito, non poteſt non ſequi aliud: ſicut ſuppoſito quòd communicauit naturæ ſuum eſſe, non potuit non communicare ſuam dignitatem & eſſe diuinum. Verbum igitur vtroq; modo communicauit ſuum valorem actionibus moralibus humanitatis; Primò, quia ſecundum vltimum potentiæ dignificauit illas; Secundò, quia ſuppoſito quòd voluit operari mediante humanitate aſſumpta, non potuit non habere illas operationes in ſummo valore; neque magis valerent, licèt ab intenſiori qualitate procederent, ſed lio modo valerent, nempe, magis intenſe, quod non auget valorem moralem infinitum formaliter loquendo, ſed ſolùm materialiter & entitatiuè; ſicut ſi daretur linea recta infinita, & alia linea circunflexa etiam infinita, iſtæ duæ lineæ non ſe excederent formaliter, licèt ſit euidens quòd materialiter, & ſecundum partes ſignatas & determinatas in quantitate, linea circunflexa excederet rectam; Ita quidem in propoſito. Et per hoc patet quid ſit dicendum ad confirmationes & replicas, animaduerſa & conſiderata doctrina primæ concluſionis.

*Ad.2.cōfir.* ¶ Ad ſecundam confirmationem reſpōdetur, quòd dignitas diuini ſuppoſiti non eſt infinita in vno genere & finita in alio, ſed abſolutè loquendo in omni genere & ratione, illa dignitas eſt infinita; & ob id actus ſumens dignitatem à tali ſuppoſito, infinitam dignitatem habet ſimpliciter, in qua eminenter continetur tota dignitas, quæ ex circunſtantijs & ex intenſione poſſet reſultare. Quapropter, vt ex dictis. 1. p. colligitur, ſicut Deus & creatura non ſunt quid perfectius intenſiuè quā ſolus Deus; ita ſi actus Chriſti haberent infinitam intenſionem, non eſſent magis infiniti valoris, quàm modo; neque ſi haberent infinitam intenſionem; & tamen non procederent ab infinito ſuppoſito, non haberent valorem ſimpliciter infinitum, ſed duntaxat in certo genere; quia non continetur eminenter valor ſuppoſiti infiniti in valore intenſionis, ſicut valor intenſionis continetur in valore ſuppoſiti: ſicut creatura infinita non eſt æqualis perfectionis cum Deo. *Ad.3.cōfir.* ¶ Ad alteram confirmationem reſpondetur, quòd ſolùm probat circunſtantias illas reddere actum bonum, aut magis bonum in eſſe entis, ſicut actus charitatis Chriſti erat melior eſſentialiter, quàm actus obedientiæ eiuſdem; non tamen erat maioris valoris, quamuis habeat valorem ſuppoſiti, qui eſt ſimpliciter infinitus. ¶ Ad poſteriorem illam replicam, ſi quis fingeret Deum habere verbi gratia, potentiam infinitam increatam; carere tamen ſapientia increata, tunc non eſſet ſimpliciter infinitus, quia primum non contineret eminenter aliud, quod ſequitur ex ſuppoſitione. Quocirca ad argumentum negatur conſequentia: Quoniam ſicut Deus continet formaliter omnem perfectionem ſimpliciter, & eminēter omnem creaturā, qua ratione, licèt per impoſsibile adueniret ei perfectio creata, non redderet ipſum magis perfectum intenſiuè; Ita actus Chriſti continet eminenter & formaliter omnem valorem ſimpliciter infinitum, & eminenter omnem valorem, qui reſultare poteſt ex intenſione & alijs circunſtantijs & idcircò intenſiuè non poteſt creſcere valor actuum ex illis. Et quando obijcitur; Non habet actio Chriſti valorem ex omni parte, ex qua poteſt illi reſultare: ergo non habet ſimpliciter omnem infinitum valorem; reſpondetur, quòd quamuis non habeat ipſum formaliter ex omni parte; bene tamen eminenter; & hoc ſufficit, vt patet in Deo, qui licet non habeat perfectionem creatam formaliter; tamen quia eam habet eminenter, hoc ſufficit vt infinitus ſimpliciter dicatur. Dices, Deo repugnat habere in ſe perfectionem aliquam creatam formaliter ob ſuam infinitam perfectionem: ergo actionibus Chriſti repugnabit creſcere extenſiue in valore ob infinitum valorem earum. Sed reſpondetur negādo cōſequentiam: Quoniam Deus eſt infinitus omnino in omni genere, & in eſſe entis, & in omni ratione imaginabili; & idcirco nullo modo poteſt creſcere; At verò actiones Chriſti licet ſint infinitæ in valore, & ob id nō poſſint creſcere intenſiue; tamen quia ſunt finitæ entitatis & finitæ intenſionis, & poſſunt creſcere intenſiue, & id quod ſuperadditur ex intenſione ipſi entitati, habet aliquem valorem; idcirco poſſunt creſcere duntaxat extenſiue in valore, ſed non intenſiuè in valore, vt dictum eſt. Ex his etiam patet quid ſit dicendum ad antecedentes confirmationes.

*Ad ſecūdū* Ad ſecundum argumentum reſpondetur, quòd humanitas non limitat diuinum influxum moralem. Secundò reſpondetur, argumētum ſolum probare quòd iſte valor nō ſit infinitus in genere entis, ſicut neque humanitas, in cuius actionibus reperitur; non tamen probare quòd in genere actionum moralium nō habeat infinitatem, vt patet in gratia, quæ licet in genere entis ſit finita & limitata, quia ſubiectum inhæſionis illius eſt limitatum; nihilominus in genere gratiæ illimitata eſt. *Ad confir.* ¶ Ad confirmationem dicendum, quòd obiectum nō cauſat actionem moralem immediatè, niſi media proportione, quam habet potentia ad ipſum, & media ſui cognitione, terminando potentiam, quam ſic vel aliter poteſt finitè terminare: Suppoſitum verò immediatè & intrinſecè cauſat operationes inde ſequentes; vnde, ſi illæ morales ſint, impoſsibile eſt quòd non dignificentur à ſuppoſito.

*Ad tertiū* Ad.3. reſpondetur, ipſos actus diuinos, eſſe magis bonos phyſicè & entitatiuè; non tamē eſſe maioris valoris, de quo loquimur. Imo verò, nō poſſunt eſſe meritorij, & idem eſt de actibus humanis ſi immediatè ſuſtentarentur à Verbo, qui non eſſent liberi; Et licet daremus eſſe meritorios, non ob id eſſent maioris valoris. Per hoc patet ad priorem confirmationem. ¶ Ad ſecundam reſpondetur, beatitudinem noſtram conſiſtere in viſione ſummi boni abſolutè; actus autem humani Chriſti Domini, non ſunt abſolutè ſummum bonum, neque ſimpliciter ſunt infiniti in ratione ſummi boni, ſed in ratione talis





*Obiectio.* bonitatis moralis, id eſt, in ratione valoris. ¶ Sed obijcies; Actus Chriſti non placent Deo quantum ipſe ſibi, cùm non poſsint beatificare ipſum: ergo magis diſplicet Deo peccatum, quam placeat ſatiſfactio Chriſti. Oſtendo conſequentiam: Quia offenſa Dei tantum diſplicet ipſi Deo, quantum ipſe placet ſibi ipſi, cùm offenſa ſit priuatio Dei; & abſolutè loquendo quantum quis amat aliquid, tantum habet odio priuationem illius. Itaque, ex quantitate amoris ſumitur quantitas odij circa oppoſitum. *Solutio.* Reſpondetur, quòd actiones Chriſti infinitè placēt Deo, non quidem ratione intrinſecæ entitatis, ſed ratione denominationis à ſuppoſito, quia procedunt à ſuppoſito infinito, & habent valorem infinitum; peccatum verò non tantum illi diſplicet, ſed multò minus; quia de facto non eſt priuatio Dei, neque habet tantam malitiam, atq; ſi de facto eſſet priuatio Dei. Sed quo pacto actus meritorij Chriſti dicantur infinitè grati Deo, abunde explicuimus præcipuè diſputatione. 6. præcedente.

*Ad quartū.* Ad quartum reſpondetur, quòd Dei potentia exhauſta non manet, quoniam iſti actus poſſunt in infinitum multiplicari, & pleriſque modis alijs infinitis & mirificis, reſultare potuit dignitas actionum moralium ex dignitate diuini ſuppoſiti. Fatemur tamen, quòd Deus ſalua infinita potentia eius, non potuit producere actum magis pretioſum atq; dignum formaliter, quam actiones Chriſti eſſent; Sicut ſalua Dei omnipotētia dicere poſſumus quòd nullus modus præſtantior exiſtendi quàm humanitatis in diuino ſuppoſito, potuit reperiri, neque excogitari. ¶ Aliqui Theologi ſecundò reſpondent, non eſſe abſurdum concedere, Dei potentiam ſecundum aliquid ſeu in aliquo effectu eſſe exhauſtam: Hunc tamen dicendi modum non probo; quamuis concedam quòd Deus produxit effectum ſummum in tali genere. ¶ Ad replicam quando infertur, quòd de facto ſit producta infinita bonitas moralis, reſpondetur Chriſti ſatisfactionem, omneſque actus eius humanos, eſſe ſimpliciter finitos in eſſe entis, & bonitatis eſſentialis. Quam rem vt intelligas, aduerte, quòd duplex eſt bonitas moralis in actu. Prima eſt quaſi reſpectiua, quæ ſecundum aliquos principaliter conſiſtit in extrinſeca denominatione à ſuppoſito aſſumpto, ſeu accepta; Et hæc, vt diximus, eſt infinita: Alia verò eſt bonitas abſoluta & intrinſeca, quæ ſumitur ex obiecto ſecundum conformitatem ad rectam rationem vel ad legem, & ſecundum hanc bonitatem actus Chriſti ſunt finiti. Quod oſtendo; Quia vel talis bonitas eſt qualitas realis conformitatis actus ad obiectum; & tunc certum eſt quòd debet eſſe finita; alias ſi talis bonitas eſſet infinita ſimpliciter, daretur qualitas realis ſimpliciter infinita; Si autem, ſecundum alios, conſiſtit in extrinſeca denominatione conformitatis actus ad obiectum, etiam debet eſſe finita, quia conformitas actus ad obiectum, eſt limitata ſecundum modum quo actus tendit in obiectum: ſed iſte eſt finitus in actibus Chriſti: ergo. Minor probatur: Quoniam ordo ad obiectum ſumitur non quidem ex dignitate perſonæ, ſed ex modo quo potentia attingit obiectum: ſed iſte modus finitus eſt: ergo. Quocirca, non valet benè, neque indifferenter ſe inferunt; Eſt infinitus in eſſe valoris: ergo in eſſe bonitatis eſſentialis; quia neq; vnum infert aliud, neque dependet ab eo. Quod eſſe verum, liquet: Quia actus ab eadem potentia & obiecto manet ſemper cum eadem intrinſeca & abſoluta dignitate & bonitate: ſed actus Chriſti, manente eadem potentia & eodem obiecto, poſſet manere ſine valore infinito, & cum eadem bonitate eſſentiali, vt patet ſi conſeruaretur idem actus in natura ſeparata à verbo, & non vnita illi hypoſtaticè. *Ad quintū.* ¶ Ad quintum patet ex dictis ad primum, eius ſolutio, præſertim ex dictis ad poſteriorem replicam illius argumenti. Vnde negatur conſequentia, ſeu illatio argumenti. Nam ſicut Deus continet formaliter omnem perfectionem ſimpliciter, & eminenter omnem perfectionem creatam, qua ratione licet per impoſsibile ei creata perfectio adueniret, non redderet ipſum magis perfectum intenſiuè; ita actus Chriſti continet eminenter & formaliter omnem valorem ſimpliciter infinitum, & eminenter omnem valorem, qui poteſt reſultare ex intenſione & alijs circunſtantijs; & ob id non creſcit valor actus intenſiue ex illis. Si dicas, Non habet valorem omni ex parte, ex qua poteſt reſultare: ergo non habet valorem ſimpliciter infinitum; Reſpondetur, quòd quamuis non habeat ex omni parte formaliter; benè tamen habet eminenter; Vnde, nego quòd non ex omni parte eminenter: Alia etiam dicuntur in dicta ſolutione primi citata.

*Ad ſextum* ¶ Ad ſextum iam diximus, eſſe aſsignatam diſparitatem, cur non ſumitur valor infinitus ex infinito obiecto, ſicut ex ſuppoſito. Et ad impugnationem reſpondetur, etiam non limitari valorem ex humanitate, vel intenſione actus: Quia omnia quæ ſunt in actu, tam gradus intenſus, quam remiſſus, deſumunt æqualem valorem à ſuppoſito. Dices; Totum eſt melius & perfectius quàm pars: ergo totus actus Chriſti eſt melior, quam quælibet pars gradualis. Reſpondetur, in eſſe entis concedo; non tamen in eſſe ſatisfactionis: Nam etiam pars rei infinitæ, eſt infinita, & æqualiter participat denominationē à ſuppoſito remiſsiſsimus gradus, ſicut alij; Et quamuis inſtrumentum modificet effectum principalis agentis quantum ad eſſe naturale; non tamen quantum ad valorem moralem. Nam ſigillum Regis tantum valet ſiue ſit aureum, ſiue ferreum, &c. Sic ergo tantum valet actus Chriſti in quantum eſt inſtrumentum ſuppoſiti, ſiue actus ille ſit remiſſus ſiue intenſus. *Ad confir.* ¶ Ad confirmationem reſpondetur, dignitatem in homine iuſto, ex habitu quo vti poteſt prouenire, ſecundum gradum quem applicat ad actum; At verò dignitas in Chriſto, ex perſona prouenit, quæ ſemper operatur ſecundum dignitatem, quam naturaliter habet; & quia ſemper neceſſariò ita operatur ſecundum hanc dignitatem quam habet; idcirco influit totum valorem, quem habet de ſe.

*Ad argum. Scoti, &c.* Ad alia argumenta ſtatim propoſita pro Scoto, Durando, Gabriel. & alijs, reſpondere reſtat. Et primò ad illud, quo rurſus mouentur aduerſarij cùm dicitur, Chriſtus ſatisfecit in quantum paſſus eſt reduplicatiuè, & in quantum homo reduplicatiuè: ergo finitè ſatisfecit. Reſpondetur diſtinguendo antecedens, Satisfecit in quantum paſſus eſt, ita vt ly, in quantum, reduplicet ſubſtantiam actus, cōcedo; ita

vt reduplicet valorem ſeu rationem valoris nego: Imò verò paſſus eſt in quantũ homo,& ſatisfecit in quantum Deus & homo: Quia pati, eſt ratione ſolius humanitatis; ſatisfacere verò ratione vtriuſq;. ¶Ad tertium motiuum,quo Scotus,Durand.& Gabriel.permouentur, reſpondetur negando conſequentiam.Et ad impugnationem reſpondetur,non concurrere obiectum ipſum eodẽ modo ad actum, ſicut ſuppoſitum;& idcircò,quamuis infinitum ſuppoſitum det valorem infinitum; tamen perſona diuina, quæ eſt offenſa, non tribuit actui infinitam indignitatem,ſed limitatam,iuxta modum finitum quo actus tendit in obiectum: Et quoniam modus iſte ex parte actus poteſt creſcere intenſiuè;ideo iniuria ſimpliciter poteſt maior eſſe, ſicut eſt maior iniuria odium Dei vehemens & intenſum, quam remiſſum.Cum ergo iniuria ſit finita ſimpliciter,vt inſinuauimus, non inconuenit ei additionem fieri. *Ad confir.* Et ad confirmationem dicendum,quòd ſi Chriſtus ſatisfaceret creaturæ,illa ſatisfactio non eſſet maior intenſiuè, ſed quodammodo extenſiuè, quatenus videlicèt ex alio etiam capite habet valorem, ſicut ex parte exceſſus, quo perſona ſatisfaciens ſuperat eam perſonam, cui ſatisfit. Et hæc ſatis ſint de hac controuerſia & præcedente.

## DVBIVM I.

*Vtrum opus quantò minus debitum, ſit magis meritorium?*

*S.Thom.* DIfficultas hæc mouetur propter S.Tho.qui ſolutione ad.2. videtur aſſeuerare, minus meritorium eſſe opus, quantò magis eſt debitum. *Medina.* Bartholo. Medina dicit, quòd hoc axioma, Opus quantò minus eſt debitum,tantò magis meritorium eſt, non eſt vniuerſaliter & ſemper verum, quia opus quod fit ex voto,eſt magis debitum, quã quod fit ſpõte & propria voluntate. *Ricard.* Ricardus verò & pleriq; alij in.4.d. *Nauarrus.* 38.Nauar.in Manual.capit.12.numer.32. & Anſelm. *Anſelm.* lib.de ſimilitudinibus. apertè dicunt, eum qui aliquid facit ex vi voti, ſimilem eſſe ei, qui donat arborem cum fructu; eum verò qui facit non ex vi voti, ſimilem eſſe offerenti fructum ſine arbore.

¶ Item ſecundò. Dilectio Dei eſt magis meritoria, quàm dilectio proximi, & dilectio amici magis, quàm dilectio inimici, vt ſupra in exordio huius articuli diximus; tamen eſt magis debita: ergo non quò opus magis eſt debitum, eſt minus meritoriũ. *D. Auguſt.* ¶D.Auguſt.1.de adulterinis coniugijs cap.14.dicit; Multa ſunt facienda non iubente lege, ſed libera charitate,ſed ea ſunt in noſtris officijs gratiora,quę cùm liceret nobis ea non impendere;gratia tamen dilectionis impendimus. Et lib. de Sancta Virginitate cap.14.eandem ſententiam inſinuat,& ſermon. *D. Ambroſ.* de natiuitate Chriſti.D.Ambroſ.epiſt.82. ad Eccle- *Nauarrus.* ſiam Vercel.Nauar.in capit.Cùm in officijs, de Teſtament. ait; Opus conſilij cæteris paribus, plus meriti habet,quàm opus præcepti. ¶Argumentari *Lucæ.17.* etiam poſſumus ex illo Lucæ.17. vbi attenuatur ratio meriti ex debito, cùm eò loci dicatur, Cùm feceritis omnia quę pręcepta ſunt vobis,dicite,Serui inutiles ſumus, quod debuimus facere fecimus. Quocirca, Theologi omnes affirmant, ob id creaturam non poſſe mereri de rigore iuſtitiæ,quia omnia eius opera ſunt aliàs debita ob ſuſcepta beneficia. Et plerique etiam adducunt illud. 1. Paralipo. *1.Paralip.* vltimò, Quæ tua ſunt Domine tibi obtulimus, & quæ de manu tua accepimus, reddimus tibi. Ita adducit Pariſienſis, in tractatu de meritis, qui videtur inſinuare hanc ſententiam. Et adducitur illud Auguſtin. Voluntatis eſt vouere,ſed neceſſitatis reddere.

Pro explicatione huius difficultatis,dico primò. *Dico.1.* Quamuis debitum non tollat, neque extenuet meritum quantùm ad collationem præmij eſſentialis; eſt tamen cauſa & ratio cur meritum illud non ſit de rigore iuſtitiæ. Probatur: Quoniam Deus pari modo præmiat opera noſtra bona in illum relata, ſicut ſi eſſent nobis propria, & aliàs etiam eſſent indebita à nobis: Igitur quo ad præmium eſſentiale non attenuatur meritum, licet attenuetur quo ad rigorem iuſtitiæ. Nam, vt in argumentis ſupra tactis oſtendebatur, ex ratione debiti attenuatur iuſtitiæ rigor.Et confirmari poteſt hoc ipſum:Quia ſi debitum extenuaret meritum quantùm ad præmium eſſentiale, ſequeretur quòd ſic adeò poſſent creſcere obligationes & rationes debiti,vt vel meritum eſſet minimum omnium,vel vt totaliter pręmium diminueretur,aut ferè eſſet nullum. ¶Dico *Dico.2.* ſecundò. Abſolutè loquendo, & cæteris paribus, opus quod ex voto debetur, magis meritorium eſt, quam quod non debetur ex vi voti. Aſſertum hoc liquet ex dictis; & probari etiam poteſt: Quoniam tale opus cæteris paribus ſi excedat reliqua opera in eo, quod fit ex vi voti iam pertineret ad plures virtutes: ergo eſſet excellentius & melius opus: ergo magis meritorium:Oſtendo antecedẽs:Quoniam opus ex vi voti ſpecialiter factum, pertinet ad religionem, ad quam quidem non expectat, neque pertinet quando non fit ex vi voti: igitur ſi ex vi voti fiat, & eſt melius & magis meritorium. ¶Dico tertiò. Si non ſint cætera paria de facto, *Dico.3.* communiter minùs voluntariè, minuſque intenſe fit opus obligatorium & debitum, quàm opus ſupererogationis; & idcirco opus ſupererogationis plerumque eſt magis meritorium:Id tamen procedit, quia opus debitum fit minus intenſe, & cum minori volũtate & efficacia;opus autem ſupererogationis,plerumque fit cum maiori voluntate efficacius & intenſius; & ob id ſæpe eſt magis meritorium opus ſupererogationis. Hoc aſſertum eſt D. Auguſtin.locis ſuprà citatis,& nihil ampliùs inten- *D. Auguſt.* dit Auguſtin.in illis teſtimonijs. Idem dicit D.Hie- *D.Hieron.* ronym.in epiſtol. ad Philemon. & D.Auguſtin. de Sancta Virginit.cap.30.Huic fauet quod dixit Paul. *D.Paul.* in epiſtol.ad Philemon.capit vnico,Propter quod, multam fiduciam habens in Chriſto Ieſu imperandi tibi, quod ad rem pertinet: Propter charitatem magis obſecro, cùm ſis talis, vt Paulus ſenex,nunc autem & vinctus Ieſu Chriſti. Vbi Paulus inſinuat, ſe nolle imperare, vt quò liberius eſſet opus, eò eſſet magis meritorium, & minus periculoſum. Dixi, quòd plerumque ex maiori voluntate aut libertate fit opus ſupererogationis; & ob id euenire, vt aliquãdo ſit magis meritorium. Nam etiam opus obligationis ex alia parte, aliquando ſuperat valde opus ſupererogationis; & aliquando obligatio illa impellit opus ad eminentiorem quãdam virtutem ſpiritualis obedientiæ vel religionis; vt ſi opus ſit obligatorium ex iuramento aut voto, aut ex poſitiua aliqua lege, ſeu poſitiuo præcepto diuino vel humano; tunc namque opus redditur, vt dictum eſt,magis meritorium.Et hoc eſt quod S.Thom.ſu- *Michael de Medina.* prà inſinuauit & dixit.Quod ſanè fuſe oſtendit Michael de Medina, lib.4. de continentia controuerſ. *D.Anſel.* 8.D.Anſelm.lib.de ſimilitudinib.cap.82.&.84. Sup- *Gabriel.* plementum Gabriel. in.4. d.38. q.1. & Sanctiſſimus *D.Thom.* Præceptor Opuſcul.18.capi.12. & hæc ſufficiant de hac dubitatiuncula.



## DVBIVM II.

*Vtrùm homo ſine gratia poßit mereri beatitudinem naturalem?*

HVius loci propria eſt difficultas hęc quam tamen tetigimus ſupra.quęſt. 109. Et cùm hactenus dixerimus, neminem ſine gratia poſſe mereri vitam æternam, nũc quæritur, vtrũ ſaltem ſine gratia poſsit homo mereri naturalem beatitudinem & fœlicitatem. ¶Et *Prima ratio* ratio dubitandi eſt: Quia homo ſine gratia & ſine peccato adhuc ſimpliciter eſt ſeruus Dei,& non eſt vlla æqualitas etiam proportionalis in tali caſu inter talem hominẽ & Deum: ergo nihil poteſt apud *Secunda.* Deum mereri. ¶Secunda ratio dubitandi eſt:Quia ille homo ſine gratia ex viribus naturæ non poteſt facere Deum ſibi debitorem: ergo neq; poteſt mereri apud Deum. Nam meritum inducit debitum ex parte præmiantis. ¶De hac difficultate nonnulli Theologi dixerunt,hominem in puris naturalibus non poſſe mereri finem naturalem per opera moraliter bona; dixerunt tamen, quòd homo ille conſequeretur quidem per tales actus moraliter bonos finem ſuum; ſicut lapis conſequitur centrum per modum naturalem; nõ tamen ſecundum rationem meriti & præmij.

*Nota.1.* Vt nodus iſte aperiatur aduerte, quòd de homine ſine gratia poſſumus loqui, vel in ſtatu peccati, & in eo caſu, homo in ſtatu culpæ certum eſt quòd non poteſt mereri finem naturalem, cùm ſit inimicus Dei,& indignus tali præmio. Rurſus poſſumus loqui de homine in puris naturalibus, vel in rectitudine naturali,id eſt,in vigore rationis ad comprimendum appetitum ſenſitiuum, quos ſtatus ſupra q.109. oſtendimus eſſe ſeparabiles de potentia Dei. *Nota.2.* ¶Secundò aduerte, quòd homo etiam in puris naturalibus ſine peccato & culpa, taliter etiam diceretur ſeruus Dei,quòd haberet nihilominus ſpecialem aliquem amorem ad Deum, non quidem amicitiæ,qualis eſt ille charitatis, ſed beneuolentiæ ſpecialis amor, per quem Deum finem vltimum diligeret, & ſe ſe referret & omnia ſua in ipſum. Et quamuis talis amor etiam eſſet debitus Deo;nihilo minus libere amaretur Deus ab illo homine in tali ſtatu, & poſſet quidem aliquando habere talem actum amoris & beneuolentiæ, quando non teneretur: ſicut etiam poſſet pleraque alia opera moraliter bona exercere, ad quæ ex præcepto minimè teneretur. Poſſet rurſus conuerſari cum Deo amicabiliter, ipſum inuocare, & gaudere de bono illius. Quæ ſanè omnia ſunt extra rationem ſeruitutis rigoroſæ dictæ. Et idem eſſet in ſtatu rectitudinis,ſiue integritatis naturalis. Neque enim accipimus modò rectitudinem naturalem vt dicit ſolam conuerſionem potentiarum, & ſubiecti ad Deum. Hæc enim etiam eſſet in puris naturalibus, ſed vt dicit plenam ſubiectionem rationis ad Deum, & vigorem in ipſa ratione ad gubernandum perfectè appetitum ſenſitiuum, quod erat donum ſuperadditum naturæ.

His ergo ſic prælibatis,dico primò.Homo in ſta- *Dico.1.* tu naturæ integræ poterat mereri per opera moraliter bona, finem naturalem. Hanc tenent omnes recentiores Theologi. Et perſuadetur: Quoniam homo ille in eo ſtatu, eſſet ſpecialiter ordinatus ad talem finem per donum ſuperadditum naturę:ergo rationabile eſt dicere,quòd per actus eidẽ fini proportionatos,& liberè exercitos, poterat mereri talem finem. Fauet etiam; Quia homo ille eſſet ſpecialiter à Deo dilectus:Nam collatio illius doni,eſt effectus cuiuſdam ſpecialis beneuolentiæ: ergo in tali ſtatu poterat mereri talem finem naturalem. Sed vt hæc aſſertio apertiùs oſtendatur, alteram ſubijciam aſſertionem.

Dico ſecundò. Homo ſine vlla culpa & peccato *Dico.2.* in puris naturalibus conſtitutus,quandiu ſine peccato permaneret per opera bona moraliter,mereretur naturalem finem.Hoc aſſertum inſinuatur apertè à S.Tho.1.2.quęſt.21.art.3.&.4.vbi affirmat,quòd opus moraliter bonum ex hoc ipſo quòd eſt bonũ moraliter,eſt meritorium & laudabile.Loquitur autem eo loci Sanctiſſimus Præceptor, de operibus bonis ſecundum naturam præciſe conſideratis, & non prout informantur gratia;Quoniam de hac ratione,& ſub hac conſideratione diſputat de illis alibi,& in hoc articulo.Item ſecundò probatur:Quoniam homo per talia opera bona moraliter ſi eſſet ſine peccato, & perſeueraret ſine illo, haberet ius ad finem naturalem: ergo mereretur illum; Quia, vt ſupra diximus & oſtendimus,meritum eſt ius ad aliquod præmium. Antecedens autem probatur: Quoniam homo ille non ſe haberet ſicut paruulus, qui in illo ſtatu moreretur ante vſum rationis: talis enim paruulus conſequeretur finem naturalem, non ſecundum rationem præmij, ſed ſecundum rationem finis vltimi; adultus verò per bona illa opera acquiſiuit ius ad ipſum finem naturalem,& quaſi fecit ſe dignum tali præmio.Et confirmari hoc poteſt: Quia eadem proportio eſt inter actum moraliter bonum hominis exiſtẽtis in puris naturalibus,& finem naturalẽ, quæ inter actum informatum gratia,& finem ſupernaturalẽ:ergo ſicut actus informatus gratia, eſt meritorius finis ſupernaturalis, ita actus moraliter bonus & ab homine ſine vlla culpa factus, erit meritorius. Quocircà, quamuis tunc non eſſet ita perfectum meritum, quia non verè tunc homo eſt amicus Dei per gratiã,ex qua parte proportio huius ſtatus excedit proportionem ſtatus puræ naturæ; nihilominus tamen in ſuo ordine naturæ, & reſpectu finis naturæ, eſſet

verum meritum in puris naturalibus: sed multò magis in statu naturæ integræ: ergo per opera illa moraliter bona in casu posito haberet homo ille ius ad finem naturalem, & mereretur finem illum.

*Ad rationē dubitandi.* Ad duas rationes dubitandi exordio dubitationis positas. Ad primam respondetur, iuxta ea quę in

*Ad primū.* secunda animaduersione diximus: Dicendum est enim quòd homo in tali statu, ita esset seruus, vt pariter etiam haberet aliquam rationem specialis beneuolentiæ, per quam posset mereri. Et sicut consequuto iam fine naturali non haberet præcisè rationem serui, sic etiam neque in merito vel in opere meritorio haberet rursus specialiter homo ille quòd esset dilectus à Deo ex speciali beneuolentia,

*Ad secūdū.* vt supra diximus. ¶ Ad secundam rationem dubitandi, Quo pacto sit vel non sit Deus debitor præmij, iam diximus suprà art. 1. & etiam in hoc secundo, & specialiter dicemus artic. 3. sequenti de præmio supernaturali. Verùm hæc ratio debiti, multo minus militare debet in præmio naturali. De quo statim.

## ARTICVLVS III.

*Vtrùm homo in gratia constitutus, possit mereri vitam æternam de condigno?*

PRima conclusio. Si opus hominis consideretur secundum suam substantiam, & secùdum quòd procedit à libero arbitrio; sic non est in illo dignitas vitæ æternæ, sed congruitas. ¶ Secunda conclusio. Si consideretur huiusmodi opus quatenus procedit ex motione Spiritus sancti & gratia gratum faciente, est meritorium vitæ æternæ de condigno.

## DISPVTATIO I.
### contra hæreticos.

*Vtrum opera vt à gratia procedentia, habeant rationem meriti?*

HÆretici negant prorsus opera iusto rum esse meritoria vitæ æternæ. Cal uinus fatetur, nos mereri aliam retributionem, sed non vitam æternā, quę non datur vt merces seruorum pro seruitijs, sed vt hæreditas filiorum merè gratis ex adoptione per Christum. Et alij dixerunt, quòd licèt nō mereamur æternam vitam per opera gratiæ & charitatis, meremur tamen aliquam retributionem in ipsa vita æterna. Imo verò hodie dicūt aliqui, quòd pro actibus meritorijs gratiæ & charitatis, si sint minus intensi, quam habitus illi vnde procedunt, nunquam de facto dabitur nobis in alia vita aliquis gradus gloriæ essentialis de nouo, sed solum laus quædam & accidētalis gloria. Denique, qui recedunt à veritate, tot dicunt sententias, & tot pronunciata edunt, vt sit penè infinitus

*Argum.1.* labor ea omnia recensere. ¶ Argumentantur tamen hæretici primò. Quia omnia opera bona iustorum, sunt debita propter beneficia recepta: ergo nō possunt mereri per illam nouum beneficiū. Et hoc insi

*Lucæ.17.* nuant verba Christi Domini Luc. 17. Cùm feceritis hæc omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite; Serui inutiles sumus. ¶ Et confirmatur: Quia aliàs liceret *Confirm.* confidere in operibus nostris, quod videtur contra Scripturam. ¶ Secundò argumētantur. Quia ponere merita ex parte nostra derogat virtuti passionis & sanguinis Christi, & eius meritis, Nam sequitur quòd Christi merita nō sufficiāt nobis sine proprijs *Secundo.* meritis. ¶ Et confirmari potest hoc: Quoniam iustis *Confirm.* redditur æterna vita iure hæreditatis, vt filijs adoptatis per Christum: ergo sine meritis proprijs. ¶ Ter *Tertiò.* tiò argumentantur hæretici ex illo Psal. 102. Qui coronat te in misericordia & miserationibus, vbi D. *D. Aug.* Augustinus inquit, Coronat Deus dona sua, non merita tua. Idem dicit Augustinus Psal. 98. & epist. 107. & de libero arbit. cap. 8. & 9. & de correct. & grat. capit. 23. *Torrensis.* Torrensis lib. 2. capit. 9. §. 3. 4. & 5. D. Bernard. sermo. 67. in Cant. D. Gregor. 4. Dialogor. cap. 44. Eusebius *D. Bernar. D. Gregor.* Emissen. homil. 3. Vnde Paulus ad Tit. 3. Secundum misericordiam suam saluos nos fecit. Et ad Rom. 6. *Eusebius.* dicitur: Gratia Dei vita æterna: ergo non ex meritis. Patet consequentia ex eodem Paulo ad Rom. 4. *Ad Tit. 3.* Ei qui operatur, merces non imputatur secundum *Rom. 6.* gratiam, sed secundum debitum; Nam si ex operibus iam non ex gratia, ad Roma. 11. Ex quibus col- *Rom. 4.* ligi videtur, quòd corona gloriæ & vita æterna da- *Rom. 11.* tur ex pura gratia & misericordia, & nullo modo ex debito, aut ex meritis, vel ex iustitia. ¶ Et confir- *Confirm.* matur ex verbis D. Bernardi, sermo. de Annuntia- *D. Bernar.* tione, vbi inquit. Æternam vitam nullus potest operibus promereri, quibus verbis & similibus vtūtur interdum aliqui ex Sanctis Patribus. ¶ Quartò ar- *Quartum.* gumentantur. Gratia non cadit sub merito: ergo neque gloria. Patet consequentia; Quia gratia est acceptatio ad gloriam, qui autem non meretur acceptari ad gloriam, non meretur gloriam. ¶ Et con- *Confirm.* firmatur: Quia titulo gratiæ debetur homini gloria: ergo vel non debetur titulo operum, quod est intentum ab hæreticis, vel debetur duplici titulo, quod est superfluum. Patet antecedēs: Quia eo ipso quòd homo habet gratiā, est filius: ergo hæres vitæ æternæ, Rom. 8. Quòd si filij, & hæredes, sicut con- *Rom. 8.* tingit in humanis, quòd titulo filiationis debetur hæreditas: Nam ob id in Scriptura Sacra vita æterna appellatur hæreditas. Vnde Propheta in Psalmis dicit, Cùm dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini. Et iterum, Nouit Dominus Deus vias immaculatorum, & hæreditas eorum in æternum erit. ¶ Tandem, Cùm Paulus Apostolus ad *Quintum.* Roma. 6. dixisset, Stipendia peccati mors, non dixit statim, Stipendia meritorum vita æterna, sed, Gratia Dei vita æterna: ergo. Vnde meritum Christi fuit infinitum, & sufficiens pro omnibus hominibus: Ergò (inferunt hæretici) iniuria irrogatur Christo, si asseramus necessitatem operum, vel efficaciam meritorum nostrorum.

His igitur hæreticorum dictis & sententijs, qui meritum saltem ad gloriam omnino negant, omissis, conclusio Catholica est, & de fide tenēda, quòd opera bona iustorum simpliciter & absolutè, sunt meritoria vitæ æternæ. Hæc assertio expresse constat ex Paulo. 2. Timo. 4. Reposita est mihi corona *2. Timo.* iustitiæ, quam reddet mihi iustus iudex in illa die. *Hebræo.* Ad Hebræo. 6. Non enim iniustus est Deus, vt obliuiscatur operis vestri. Psal. 17. Retribuet mihi Do- *Psal 17.* minus secundum iustitiam meam Ecclesiast. 16. *Eccles.16.*

Omnis



Omnis misericordia faciet vnicuique locum se- *2. Corint. 4.* cundum meritum operum suorum. 2. Corinth. 4. Quod momentaneum est & leue tribulationis nostræ supra modum æternæ gloriæ pondus operatur. Ex quibus apertè constat, vitam æternam reddi iustis secundum exigentiam diuinæ iustitiæ; ac proinde ex meritis & ex debito. ¶ Et confirmatur: Quoniam in Scriptura vita dicitur merces operum, quę *Ierem. 31.* fiunt à iustis, Ierem. 31. Est merces operi tuo. Matth. *Matth. 5.* 5. Merces vestra copiosa est in cælis. 1. Corinth. 9. Si volens hoc ago, mercedem habeo. Et cap. 3. dictum fuerat, vnusquisque suam mercedem accipiet secundum proprium laborem: sed merces secundum propriam vocem & significationem, denotat id quod redditur vt stipendium & præmium pro meritis.

Rursus secundò probatur hæc veritas ex commu *Conc. Arau* ni sensu Ecclesiæ. Nam in Concil. Arausic. dicitur, *sicanum.* quòd debetur merces bonis operibus si fiant. Et in *Tridentin.* Concil. Tridentin. sessione. 6. capit. 16. & canon. 32. apertè definitur, iustos per bona opera mereri verè & propriè augmentum gratiæ & vitam æternam, ac ipsius vitæ æternæ consecutionem. Idem habetur in Concil. Lateranen. sub Innocent. III. capitu- *Lateranēse.* lo Firmiter, & in Concil. Florentin. in vnione Græ- *Florentinū.* corum. ¶ Diuus Augustinus epist. 105. ad Sixtum, *D. Augusti.* dicit, quòd sicut merito peccati vt stipendio debetur mors; ita merito iustitię tanquam stipendium redditur vita æterna. Idem sentiunt Cœlestinus *Celestin. I.* primus, in epistol. ad Episcopos Galliæ capit. 12. *Innocent. I.* & Innocent. I. epistol. ad Episcopos Africanos, & *D. Hieron.* in rescriptis Africanorum ad eundem D. Hieronymum. *D. Bernar.* lib. 2. in Zachariam capit. 8. D. Bernard. cap. 67. super Cantica, omnes hi Sancti Patres idem sentiunt, vt *Ipsi.* refert Osius cap. 73. Confessionis Catholicæ.

Tertiò probatur: Quoniam ad Rempublicam bene institutam pertinet vt in ea sint constituta præmia pro laboribus impensis in obsequium principis vel Reipublicæ: ergo similiter in Republica spirituali. Et confirmatur: Quoniam opera naturalia omnino bona moraliter, in homine in puris naturalibus, sunt meritoria beatitudinis naturalis, vt artic. precedente diximus: ergo & supernaturalia beatitudinis supernaturalis. Et sanè, hoc pertinet ad maiorem gloriam Dei, qui dedit hoc liberaliter Sanctis suis, & iustis, vt haberent gratiam, qua suppositā mererentur gloriam. Pertinet etiam hoc ad quandam maiorem gloriam Sanctorum, quatenus glorioſius est habere aliquid ex merito, quam sine illo.

Fauet etiam ratio ex diuina Theologia desumpta: Quia merces & merita sunt correlatiua: sed sæpè sæpius gloria in Scriptura dicitur merces, vt suprà vidimus, & cōstat ex testimonijs allatis Ierem. 31. Est merces operi tuo, Matth. 5 Merces vestra copiosa est in cælis. Et idem habetur Matth. 10. & 20. *Matth. 5. & 10. & 20.* & ad Roman. 2. & Apocalyp. 21. dicitur, quòd Deus *Rom. 2.* reddit vnicuique iuxta opera sua. Et idem habetur 1. Corinth. 13. Neque sufficit dicere, vt Lutherani contendunt, testimonia Scripturæ allata, esse intelligenda de merito Christi: Quoniam in prædictis testimonijs expresse asseritur, quòd Deus tribuit vnicuique secundum opera sua; & ob id Paul. *1. Timot. 4.* loco citato de se ipso loquens. 1. ad Timot. 4. dixit, Reposita est mihi corona iustitiæ, Et præmiserat se legitimè certauisse, cursum consummauisse, & fidē seruasse; & ideo subiungit, De reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die, iustus iudex; non solùm autem mihi, sed & ijs qui diligunt aduentum eius. Quæ verba in eodem proposito citantur à Concil. Tridentin. sessione. 6. ¶ Sed respondent vlterius hæretici, quòd cùm dicitur; quòd Deus retribuet vnicuique secundum opera sua, intelligenda esse opera illa de merito bonorum temporalium. Sed sanè ridicula est explicatio hæc, si semel legantur Scripturæ testimonia allata. Vndè, Matth. 19. expresse asseritur, *Matth. 19.* quòd qui reliquerit Patrem aut matrem, aut sorores, aut agros, &c. centuplum accipiet in hac vita, & vitam æternam possidebit. Vndè, Abrahamo Patriarchæ dixit, Ego merces tua magna nimis.

Ad argumenta Hæreticorum. Ad primum respō- *Ad argum.* detur, quòd licèt opera sint aliàs debita; nihilomi- *Ad primū.* nus possumus mereri per illa, non quidem ex toto rigore iustitiæ, sed tamen ex condigno secundum veram & propriam iustitiam. Stat enim quòd Deus nolit exigere illa opera vt debita pro beneficijs acceptis duntaxat, sed etiam vt merita pro vlteriori præmio conferendo. Quocircà, quando iusti implentes & facientes præcepta Domini ex charitate & gratia, dicunt se esse seruos inutiles; intelligendum est quòd ex eorum operibus nulla vtilitas, vel cōmoditas acquiritur Deo secundum se, quasi ipse egeret nostris seruitijs & operibus. Imò verò hæc opera & merita, ipsis iustis sunt valde vtilia, & verè meritoria illis. ¶ Ad confirmationem dicendum, *Ad confir.* non quidem licere confidere in proprijs operibus præcisè aut principaliter; benè tamen minus principaliter aut secundariò, quatenus fundatur in gratia & passione Christi: vt enim dicit Chrysostomo. ho- *Chrysost.* mil. 5. &. 66. super Matth. & habetur in Tridentin. session. 6. cap. 11. & cano. 26. Spes nostra primum reponenda est in Dei gratia; deinde verò in proprijs laboribus & morum sanctitate. Vnde & Paul. dicebat; Cursum consummaui, fidē seruaui, de reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus iustus iudex, &c. ¶ Ad secundum re- *Ad secūdū.* spondetur, multò magis cedere in Christi gloriam & suorum meritorum, quòd ex illis nō tantum habeamus vitam æternam, sed etiam intrinsecam condignitatem & merita propria ad illam recipiēdam, quam si tantum haberemus ex eius meritis eandem vitam æternam. Quocirca, non adhibentur opera nostra ex defectu aliquo meritorum Christi, sed potius ex eorum abundantia & efficacia maxima.

¶ Ad confirmationem respondetur, quòd vita æter *Ad confir.* na appellatur aliquando in Sacris literis hæreditas iustorum ad denotandum quòd primum ius ad illam fundatur in gratia, qua in filios Dei adoptamur; & nihilominus plerumque, imo verò sępissimè vocatur merces & stipendium ad denotandum quòd datur ex meritis, vt eleganter adnotauit Ruar- *Ruard. Tap* dus Tapper. artic. 11. contra Caluin. Vnde, in Tri- *per.* dentin. sessio. 6. cap. 16. notanter dicitur, quòd vita æterna est proponenda fidelibus, vt gratia, filijs Dei misericorditer per Christum promissa, & tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis eorum operibus & meritis reddēda. Lege Sotum lib. 3. de nat. *Sotus.*

*Vega.* *Castro.* & gratia, cap.8.&.9. Vegam opusc. de iustificatione. q.4.& lib.15. super Triden. cap.16. Castro verbo meritum. Et ob id neganda est consequentia confirmationis. *Ad tertiū.* ¶ Ad tertium respondetur, quòd vita ęterna & corona gloriæ dicitur dari ex gratiæ, & ex misericordia, quia merita pro quibus datur, fundantur in Dei gratia & misericordia, qua Deus nos iustificat; atque adeo sunt dona ipsius. *D. August.* Ita Augustin. epist. 105.& lib. de grat.& libero arbit.& de correct. & grat. cap.23. *Torrens.* De quo legendus est Torrens. lib.2. confessionis Augustinianæ, cap.9. & ob id dicitur quòd Deus coronat in misericordia, & quòd vita æterna, est gratia. Verum est quòd in illo Psalmi, coronare, non tantum accipitur pro collatione gloriæ, sed pro eo, quod est circumdare misericordijs, &c. Vnde, iuxta solutionem datam, possunt explicari testimonia allata in tertio argumento. *Ad confir.* ¶ Ad confirmationem respondetur, quòd D. Bernard.& alij Patres in verbis illis citatis, & in alijs similibus loquuntur de operibus factis sine diuina gratia ex solis naturalibus. Rursus, vt hoc argumentum & præcedentia dissoluantur, aduertenda est doctrina D. Tho. hic ad.1. vbi dicit, quòd Apostolus loquitur de passionibus Sanctorum secundum eorum substantiam. Vnde tota ratio meriti fundatur in liberalitate & misericordia Dei, qua ratione merita nostra, licèt sint de condigno, vt videbimus, non tamen de rigore iustitiæ vt explicabimus. *Ad quartū.* ¶ Ad quartum respondetur, quòd si aliquid probat, est de prima gloria; non tamen de tota gloria. Secundò respondetur, quòd etiam de prima gloria non procedit, vt postea dicemus; & quamuis prima gratia nō cadat sub merito; augmentum tamen eius cadit sub merito. *Ad confir.* ¶ Ad confirmationē respondetur, non esse inconueniens; neque superfluum quòd debeatur duplici titulo, altero gratiæ, & altero quidem meriti, in quo clauditur ipsamet gratia, & ne vnus titulus separetur ab altero; statuit Deus adultis non esse dandam gratiam, nisi per dispositionem meritorum gloriæ, id est per cōtritionem, vt patet extra sacramentum. Et per hoc patet ad testimonia ibi allata. *Ad quintū.* ¶ Ad quintum respondetur, quòd mors semper est stipendium peccati etiam in paruulis decedentibus cum solo originali; vita autem æterna nō semper habet rationem præmij, sed aliquādo datur solum ex gratia respectu eius, cui confertur beatitudo, licèt etiam tunc habeat rationem præmij in ordine ad merita Christi, vt constat in paruulis decedentibus cum solo baptismo; In adultis etiam, qui per meritoria opera consequuntur beatitudinem, gratia Dei consequuntur vitam ęternam, propter rationes superius tactas. Ad illud verò de infinitate meriti Christi respondetur, quòd sicut virtus primæ causæ non minuitur, sed potius augetur ex eo quòd dederit virtutē agendi & operandi causis secundis, ita neque virtus meriti Christi minuitur ex hoc quòd homines etiam mereantur apud Christum in virtute meritorum eiusdem Christi Domini nostri, sed potius augetur, vt explicuimus solutione ad.2. paulò antea.

(∴)

# DISPVTATIO II.

*Vtrùm homo poßit mereri gloriam de condigno? Et an Christi meritum sit solum de rigore iustitiæ?*

EXplosis igitur Hæreticorum erroribus, qui meritum saltē ad gloriam omnino negant, vt vidimus, circa meritum gloriæ de condigno, inter Catholicos sunt varij modi dicendi. Et supponimus, quòd est sermo de operibus iustorum factis ex gratia & charitate Dei, de quibus quæritur, An iusti per illa opera facta ex gratia & charitate mereantur de condigno vitam æternam. *Gregor. Arimin.* Gregor. Ariminens. in.1. dist.17. q.1. artic.2. in probationibus secundæ conclusionis dicit, simpliciter & absolutè nullum actum hominis ex quantacumque gratia & charitate procedat, esse meritorium de condigno apud Deum respectu vitæ æternæ, imò verò neque respectu alicuius alterius præmij æterni, vel temporalis. *VValdens.* VValdens. de sacramentalibus titu.1. cap.7. videtur irridere meritum de condigno, imo & omne nostrum meritum per ordinem ad Deum. Sed reuera non loquitur de operibus nostris, vt procedunt à gratia & motione Spiritus sancti, sed quatenus fiunt ex solis naturæ viribus, vt patet attētè legenti doctrinam eius cap.7.& cap.9. *Burgens.* Burgens. super Psalm.35. videtur defendere sententiam Gregorij: dicit enim nullum esse meritum condigni respectu tanti præmij, vt est gloria. *Pigius.* Idem sensit, cum Gregorio, Pigius controuers. 2. Et quamuis plerique ex Scholasticis concedant dari meritum de condigno; tamen negant quòd opera nostra habeāt rationem meriti quatenus procedunt à voluntate & auxilio diuino; & vt sunt in subiecto grato, vel etiam vt procedunt à gratia; & dicunt, quòd vt sit condignitas, debet adiungi acceptatio diuina in omnibus. *Durand.* Ita Durand. in.1.d.17. quæst.2.& in.2. dist.27. q.2. & in.3. d.18. q.2. *Gabriel.* Gabriel. in.2. d.27. q. vnica, *Scotus.* Scotus in.1. d.17. quęst.2. *Vega.* Vega de iustificat. q.5. & Parisiens. lib. de meritis. Imo verò videtur sensisse Durand. quòd in operibus procedentibus ex gratia, propriè non est meritum vitæ æternæ de condigno, sed largo modo & impropriè; quatenus videlicet in iustis est quædam dignitas, quæ nō reperitur in alijs peccatoribus. Scotus verò dixit, quòd licet opera nostra secundum se & vt procedunt à gratia, non sint meritoria gloriæ de condigno; tamen vt originaliter procedunt ex passione Christi & ex diuina acceptatione; sunt meritoria de condigno.

*Argum.* Arguitur pro his opinionibus, ostendendo quòd iustus per opera facta ex gratia & charitate, de condigno non mereantur vitā æternam. Primò ex diuinis literis, in quibus dicitur gloriam dari gratis, & ex misericordia: ergo non ex iustitia, neque ex merito condigni. *Rom.6.* Vnde Paul. ad Roma.6. inquit; Gratia Dei vita æterna. *Rom.8.* Et præcipuè arguitur ex eodem Paulo Rom.8. vbi expresse dicitur, Non sunt condignę passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. *Confirm.* *Lucæ.17.* *Glossa.* ¶ Et confirmatur ex glossa super illud Lucę 17. Serui inutiles sumus, quæ dicit, iustos esse seruos inutiles, quia non sunt condignæ passiones huius temporis. *D. Basil.* Et D. Basil. in id Psalmi, Conuertere anima mea in requiem tuam, dicit, Æterna requies, non secundum operum debitum ac meritum tribuitur, sed iuxta Dei gratiam his qui in ipso sperauerunt, exhibetur. *Secundum.* ¶ Secundo arguitur. Quia vbi est meritum simpliciter, ibi est debitum simpliciter: meritū namq; de cōdigno includit debitum iustitiæ simpliciter & absolutè; ita vt citra in iustitiam non posit negari alicui id, quod debetur illi de condigno: sed Deus nihil potest debere hominibus, quia nulla lege adstringitur, debitum autem semper oritur ex lege. Imo verò Deus absque nota iniustitiæ posset denegare iustis vitam æternā, quantumcunque operati fuerint ex gratia & charitate; aliàs iniustus esset Deus si nō daret illam, quod est falsum: ergo. Rursus sequeretur, quòd Deus deberet hominibus vitam æternam, cùm tamē Augu. dicat; Reddis debita, nulli debens: Et quòd hoc sequatur ostēdo: Quia si vita æterna debetur iustis de condigno, & non nisi à Deo: ergo Deus est debitor. Patet consequentia: Quia iustus habet ius iustitiæ per merita de cōdigno apud Deum: ergo de iustitia debet illi vitam æternam: ergo illi obligatur. *Tertium.* ¶ Tertiò arguitur. Quia inter Dominū & seruum, vt probat *Aristoteles.* Aristot.5. Ethic. cap.6. non est iustitia propriè: ergo neq; inter Deum & creaturam erit iustum simpliciter. Imo verò multo minus, quam inter dominum & seruum: sed homo etiā in gratia constitutus adhuc est creatura: ergo inter eam & Deum non est meritum de iustitia; meritum autē de condigno est actus iustitiæ: ergo. *Confirm.* ¶ Et confirmatur: Quia inter patrem & filium non est simpliciter iustum, vt Aristoteles citatus ait: ergo neq; inter filiū Dei adoptiuū & Deum: Ostēdo consequentiā: Quia nō plùs iustitię habet filius adoptiuus in ordine ad patrē adoptātem, quàm filius naturalis ad patrē naturalem: ergo. *Quartum.* ¶ Quartò arguitur. Opera facta in gratia, non habent æqualitatem cum gloria: ergo non sunt meritoria gloriæ de cōdigno, & ex iustitia. Probatur antecedens: Quia nullus actus meritorius quantumcumq; excellens: est tantum ac tam grāde bonum, sicut ipsa vita ęterna: ergo pro nullo actu meritorio debetur vita æterna secūdum æqualitatem iustitiæ. Certè, nullus actus bonus est tantum donum, sicut vita æterna: sed ex iustitia non debetur maius donū pro minori: ergo cùm opera meritoria sint finita; præmium autem sit infinitum, cùm sit ipse Deus, iuxta illud, Ego ero merces tua; & opus sit duratione breue, præmium autem æternum; sequitur, &c. *Confirm.1.* ¶ Et confirmatur: Quia posset Deus sufficiēter præmiare quemcumque actum minori bono. *Confirm.2.* ¶ Et confirmatur iterum ex S. Thom. in.2. dist.27. q.1. art.3.& in.4. d.46. q.1. art.1. quæstiunc.1. qui ait, quòd reddere præmium non pertinet ad iustitiam commutatiuam, quæ est secundum æqualitatem Arithmeticam, sed ad distributiuam, quæ est secundū æqualitatem proportionis. *Soto.* Et Sot.3. de iust.& iure. q.5. ar.4. ad.1. & S. Tho. in hoc artic. dicunt, quòd gloria est quid maius, quam meritum & gratia, & *Antonin.* Antonin.4. p. tit.9. c.7. §.1. dicit non esse æqualitatem quantitatiuam inter opera nostra, etiam vt procedunt à gratia, & ipsum præmium: ergo neq; condignitas. Et conducit illud Pauli citatum; Quod momētaneum est & leue tribulationis nostræ, &c. *Lucæ.16.* Et illud Luc.16. Mensuram bonam & confertam & coagitatam dabunt in sinum vestrū. *Osius.* Et Osius in expositione fidei c.73. idem dicit, & ait, quòd si quis iustitiam spectet commutatiuam, certum esse neq; esse iustum neque dignum, vt passionibus huius tēporis detur ęterna gloria. Si quis tamen spectet distributiuā; sic reperitur aliqua æqualitas, quæ vocatur proportionis inter opera, quæ charitate sunt informata, & futuram gloriam, quæ licèt quantitate sit quid maius, quam gratia & charitas quibus meremur; tamen non est maius virtute; vt semen arboris non est maius virtute, quàm tota arbor: Quia Spiritus sanctus, qui est maior & author gratiæ, est fons aquæ viuæ salientis in vitam æternam; & ideo vocatur pignus hæreditatis nostræ à Paulo. Et vtitur Osius illo simili de semine arboris, quo etiā vtitur D. Tho. hic ad.3. Ergo inter præmium & merita nostra non est æqualitas quantitatis; sed proportionis, veluti inter semen & arborem: ergo neque condignitas. *Confir.3.* ¶ Et confirmatur iterum: Quia maius est frui Deo in æternum, quam dare eleemosynam pauperi ex charitate & gratia. *Confir.4.* ¶ Et confirmatur iterum: Quia opera etiam vt procedunt à gratia, non sunt meliora, quàm ipsa gratia, sed gratia est longe minus bonum, quàm gloria: quoniā gloria est gratia consummata; non verò gratia habitualis, & gloria est terminus gratiæ, & finis ipsius; melior autem est terminus & finis, quā medium, &c. *Confir.5.* ¶ Præterea confirmari potest: Quia beatitudo est nobilissima operatio, per quā Deum possidemus: ergo est melior quàm actus nostri, etiam vt procedunt à gratia, qui neque sunt beatitudo, neque satiant animam: ergo in illis non est condignitas aut meritum de condigno. *Confir.6.* ¶ Postremò confirmatur: Quia obsequium qualificatur ex nobilitate obsequentis; præmium verò ex nobilitate præmiantis: ergo quodlibet datum à Deo, etsi in se paruum; tamen est magnæ æstimationis, & obsequium nostrum, etsi in se sit magnum, est paruę reputationis respectu Dei: ergo nulla est condignitas inter obsequia nostra & beatitudinem.

*Quintum.* Quintò arguitur. Antequam Deus conferat gratiam alicui, neque debet illi gratiam neq; gloriam: sed per hoc quòd donet gratis charitatem & gratiam, non resultat aliqua obligatio nouæ iustitiæ: ergo. *Confirm.* ¶ Et confirmatur: Quia omnia nostra merita sunt dona Dei gratis nobis impensa: ergo per illa non possumus obligare Deum ex iustitia. *Sextum.* ¶ Sextò arguitur. Quia nos nihil vtilitatis possumus afferre Deo: ergo nihil de condigno meremur apud illum. *Confirm.* ¶ Et confirmatur: Quia post omne opus hominis manet Deus tàm absolutus Dominus quam antea, & nihil retribuendo, non erit iniustus. Imò verò, vt diximus, posset Deus quemcumq; actum nostrum sufficienter præmiare per aliud bonum minus vita æterna: ergo non debetur illa ex iustitia. Quare Sanct. Thom. in artic.1. præcedente dicit, quòd inter Deum & creaturam non potest saluari iustitia simpliciter propter maximam inæqualitatem creaturæ ad Deum. *Septimum.* ¶ Septimò arguitur. Si gratia non cadit sub merito: ergo neque gloria. Ostendo consequentiam. Quia gratia nihil aliud est; quàm acceptatio ad gloriam. *Confirm.* ¶ Et confirmatur: Quia homo non meretur prædestinationem, quæ est ordinatio ad glo-

*Octauum.* ad gloriam : ergo neque gloriam. ¶ Octauò arguitur. Quia bona opera iustorum, sunt debita Deo propter beneficia accepta: ergo per ea non merentur nouum beneficium: Non enim quis meretur ex eo quòd soluat debitum suo creditori : sed omnia quę potest facere homo sunt debita Deo titulo creationis, & alijs pluribus : ergo. *Confirm.* ¶ Et confirmatur ex Scoto ita obijciente: Si opera vt à gratia procedũt, sunt de condigno meritoria vitæ æternæ, sequitur quòd si illis positis Deus non tribueret homini vitam æternam, esset iniurius illi : consequens est falsum : ergo.

*Not.1.* Pro explicatione huius difficultatis aduerte, quòd meritum de condigno includit debitum ex iustitia; de ratione autem iustitiæ perfectæ sumpta in rigore, requiritur primò quòd vna res detur pro alia; Secundò quòd sit æqualitas inter rẽ quæ datur, & eã pro qua datur; Tertiò, quòd res quę datur verè detur, ita vt sit dantis, & nullo modo accipientis. Quare, ad meritum de condigno secundum totum rigorem iustitiæ, duæ potissimũ conditiones requirũtur, altera quòd sit æqualitas inter datum & acceptum; altera verò quòd is qui meretur, mereatur ex proprijs & aliàs indebitis, & defectu huius secũdæ conditionis nõ potest saluari rigorosa iustitia inter Patrem & filium, & multò minus inter Deum & hominem. Et hinc est, quòd nulla pura creatura potuit mereri apud Deum, aut satisfacere de toto rigore iustitiæ, sed hoc fuit proprium Christi Dei & hominis. Et fortè, Durandus locis citatis, solùm negat in hominibus iustis meritum de rigore iustitiæ, & illum vocat meritum de condigno. *Not.2.* ¶ Secundò aduertè, multipliciter posse intelligi quòd quis mereatur præmium quod sibi datur: Primò quidem sine aliqua præuia obligatione, vel promissione ex parte dantis; vt si Rex aut princeps conferat dignitatem alicui, licèt nulla obligatione teneretur dare. Secundò potest intelligi donari huiusmodi præmium cum obligatione præuia ex vi nudæ promissionis sine aliquo pacto, quo exigeretur prius opus vel seruitium à recipiente dignitatem; & tunc, licet Rex vel Princeps qui promisit, obligaretur dare; alter tamen non diceretur mereri ex iustitia: Quia obligatio Principis ad dandum, non tã erat iustitiæ, quam fidelitatis & veracitatis cuiusdam. Tertiò modo potest dari huiusmodi præmiũ cum obligatione præuia ex parte dantis, taliter quòd illa obligatio non nascitur ex nuda promissione, sed ex pacto & conuentione, qua quis certum exigit seruitiũ seu opus, & obligat se daturum pro illo præmium determinatum; & hoc sanè adhuc potest stare dupliciter; Primò, ita quòd præmium longè excedat seruitium, quod pro illo exigitur. Itaque, ipsum seruitium seu opus de se aut ex natura sua nõ sit proportionatum præmio, sed ex sola liberalitate & acceptatione præmiantis. Secũdò, ita quòd opus vel seruitium quod exigitur ex intrinseca bonitate & propria natura æquiualeat præmio, & habeat quandam proportionem & æqualitatem cum illo, vt in exordio primi articuli fusius explicuimus.

*Conclus.1.* His ita prælibatis, est prima conclusio. Iustus meretur gloriam per opera facta in gratia. Hæc assertio est de fide, & supponitur vt talis ex disputatione prima præcedente. Et probatur ex illo Ecclesiast.16. Omnis misericordia faciet locum vnicuique secundum meritum operum suorum, & secundum intellectum peregrinationis ipsius. *Eccles.16.* Matth.20. Redde illis mercedem. Et subiungit, *Matth.20.* Tolle quod tuum est & vade. Apocal.vltim. Merces *Apoca.vlt.* mea mecum est. 1.Corint.3. Vnusquisque suam mer *1.Corint.3.* cedem recipiat. Hanc autem mercedem esse vitam æternam, patet Matth.5. Merces vestra multa est nimis; *Matth.5.* & ita Sancti Patres communiter per denarium diurnum Matth. 20. beatitudinem intelligunt, vt Chrysostom. & alij, D.Hierony.2. contra Iouinian. *D.Chryso.* D.Augustin. de virginit.cap.26. D.Gregor.4.moral. *D.Hieron.* capit.42. Et definitur in Arausican.capit.28. debetur *D.August.* merces bonis operibus si fiant. Idem in Lateranens. *D.Gregor.* vt habetur in capit. Firmiter, & in Trident. sessione 6.capit.16. & canon.26. & 32. Hoc communiter Sancti tradunt, D. Ambros.1. de officijs cap.15. & lib. *D.Ambro.* de Cain & Abel, capit.9. D.Augustin. de natura & *D.August.* gratia, cap.2. & episto.109. D.Gregor.18. Moral.cap. *D.Gregor.* 24. & lib.24.cap.1. D.Cyprianus sermo. de eleemosyna, *D.Cypria.* D.Bernard.sermo.68. & 81. super Cant. D.Hirenæus *D.Bernar.* lib.4.cap.2. & 41. vbi oppositum dicit hæresim esse. *D.Hiren.* Et quoniam hæc assertio supponitur ex superioribus, & ex dicendis infra amplius patebit; idcircò pro nunc satis sit de ea.

*Conclus.2.* Secunda conclusio. Iustus per opera meritoria verè meretur de condigno & ex iustitia gloriam. Itaque, licèt meritum iustorum fundetur in diuina gratia, & innitatur misericordiæ & gratiæ Dei acceptantis, iuxta Paulum dicentem; Gratia Dei vita æterna, & iuxta Prophetam affirmantem; Qui coronat te in misericordia & miserationibus; nihilominus meritum iustorum & Sanctorum verè & propriè est meritum de condigno & ex iustitia. Hęc est Catholica conclusio, quam tenent Theologi Scholastici, D.Bonauent. in.2. dist. *D.Bonau.* 27.quæst.vlt. Ægid.quæst.2. & 4. Capreol. ibidem ad *Ægidius.* 1.Durand. Caietan. in hoc artic.dub.vltim. Ferrar.1. *Capreol.* contra Gent.capit.93. Imò verò isti omnes dicunt, *Caietan.* quòd ista condignitas, non solum consistit in æqualitate *Ferrar.* proportionis, sed etiam in quadam æqualitate quantitatis. Et Sanct.Thom. in corpore articuli expresse affirmat, quòd si sit sermo de opere meritorio secundum quòd procedit ex gratia Spiritus sancti, sic est meritorium vitæ æternæ ex condigno; Quia sic valor meriti attenditur secũdum virtutem Spiritus sancti mouentis nos in vitam æternam, secundum illud Ioan.4. Fiet in eo fons aquæ salientis *Ioan.4.* in vitam æternam. Eandem assertionẽ tenet Alens. *Alens.* 3.p.quæst.70. Ricard.in.4.dist.46. Tiletan. in Apolog. *Ricard.* Tridentin. quæst.4. de Meritis. Et Capreol. inquit, *Tiletan.* quòd D.Tho. correxit oppositam sententiam, quam *Capreol.* iuuenis tenuerat in. 2.distin.27. Et quamuis non sit expresse de fide, quia non est expresse definita; est tamen proxima fidei; vt liquet ex Scriptura, in qua sæpe numero fit mentio iustitiæ, & coronæ iustitiæ. Vnde conficio hoc argumentum cum S. Tho. hic: Id quod redditur secundum iustum iudicium, videtur esse merces condigna: sed vita æterna redditur nobis à Deo secundum iudicium iustitiæ, iuxta illud Paul.2.ad Timo.4. In reliquo reposita est mihi *2.ad Tim.4.* corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex : igitur homo meretur vitam æternam de condigno. Et.1. ad Thessalon. 1. Vt digni *2.ad Thessalon.1.* habeamini



habeamini regno Dei, pro quo & patimini; si tamen iustum est apud Deum retribuere tribulationem, ijs qui vos tribulant : & vobis qui tribulamini, requiem nobiscum in reuelatione Domini Iesu *Ad Colos.1.* de cęlo cum angelis virtutis eius, &c. Et ad Colossen.1. Dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine, &c. Et Sapient.3. Inuenit eos dignos se, *Sapient.3.* & Apocal.3. Ambulabunt mecum in albis, quia di- *Apocal.3.* gni sunt. Psalm.16. Retribuet mihi Dominus secun *Conci.Trid.* dum iustitiam meam. Et in Concil. Trident. appel- *Psal.16.* latur vita æterna vera corona iustitiæ ex sententia Pauli. ¶ Confirmatur hoc : Quia de fide est, quòd opera nostra sunt simpliciter & propriè meritoria vitæ æternæ, vt fundantur in gratia, vt ostensum est supra; sed non sunt meritoria impropriè, vt sunt ab auxilio diuino & gratia Dei: ergo vt sic sunt meritoria de condigno. Patet consequentia: Quia meritum, quod non est de condigno, non est simpliciter & propriè meritum.

Mouentur ad hanc assertionem defendendam Catholici Theologi : Quia opera nostra dicuntur emere cælum, in qua emptione datur æqualitas: ergo in operibus meritorijs vt sic, & vt ab Spiritu sancto, est condignitas. Antecedens docet D. Basil. *D.Basil.* Homil. super Initium Prouerb. D. August. de moribus Ecclesiæ cap.25. & de verbis Apostoli capit. 22. Psal.49. & 43. & 120. & lib.50. homiliarum, homil.13. *D.Ambro.* & D.Ambros. de Elia & Ieiunio cap.20. D.Chryso- *D.Chrysos.* stom. homil.9. de pœniten. & sermo.36. ad populum *D.Nazian.* Antiochen. & super Matth. homil. 12. & 78. D.Na- *D.Chrysol.* zian. oratione de Baptismo, Chrysolog. serm.8. Ger *Gerson.* son lect.3. de vita spirituali. Clemens Alexand. ora- *D.Clemens Alexand.* tione exhortatoria ad Gentes. Paulinus, epistol. ad *Paulinus.* Seuerum, Saluian. oratione de Eleemosyna. Et pro- *Saluianus.* fecto, vita æterna dicitur stipendium mercenarij, vt patet apud Diuum Hilarium cano.6. in Matth. & apud alios Sanctos iuxta parabolam vineæ, & iuxta illud Iob; Sicut mercenarius præstolatur finem operis sui: sed inter stipendium & labores mercenarij, est æqualitas & condignitas: ergo. ¶ Rursus probatur : Opera naturalia, eandem proportionem habent ad finem naturalem, & ad beatitudinem naturalem, quam supernaturalia hominis iusti & grati ad supernaturalem finem, & beatitudinem: sed naturalia & moralia opera bona in statu sine culpa, habent æqualem valorem cum fine & beatitudine naturali: ergo & supernaturalia hominis grati cum supernaturali.

*Medina.* Bartholom. Medina in commentario huius articuli eandem assertionem amplexatur & defendit, & dicit, quòd Catholici referunt merita bonorum operum, primò quidem in pactum diuinum cum hominibus celebratum; pactum verò & id quod sub eo instituitur sub his verbis, Faciam si feceris inducit obligationẽ iustitiæ: sed Deus hoc pactum instituit cum hominibus, si seruaueritis & custodieritis mandata mea, dabo vobis vitam æternam: ergo seruantibus mandata Dei, ex pacto diuino debita est vita æterna. Huius pacti meminit Scriptura *Genes.1.* Genes.9.15. & 16. Exod.24. Ierem.31. Matth.20. vbi *Ierem.31.* habetur mentio de conuentione facta cum opera- *Matth.20.* rijs ex denario diurno. ¶ Secundò referunt Catholici merita iustorum, in gratiam Spiritus sancti, quæ efficit nos consortes diuinæ naturæ & filios Dei adoptiuos, quòd si filij, & hæredes apud Deum per Deum, vt Paul. dicit Roman.8. Quo autem pacto gratia Spiritus sancti sit æqualis cum vita æterna, explicat optimè Sanct.Thom. hic ad tertium dicens, quòd gratia Spiritus sancti, quam in præsenti habemus, licet non sit æqualis gloriæ in actu; est tamen æqualis in virtute : sicut semen arborum, in quo est virtus ad totam arborem. ¶ Tertiò referunt Catholici meritum in Spiritum sanctum mentes nostras inhabitantem, qui est causa sufficiens vitæ æternæ; vnde dicitur pignus hæreditatis nostræ, ad Ephes. 1. & 2. Corinth.1. ¶ Quartò & vltimò refe- *Ephes.1.* runt in hoc quòd, iusti sunt membra Christi viua *2.Corin.1.* per connexionem spiritualem cum eo. De qua re infra specialiter agemus.

Adducuntur plerique Theologi in assensum huius conclusionis : Quia valor operis sumitur ex dignitate operantis: sed homo gratus, est alicuius dignitatis supernaturalis apud Deum, & alicuius valoris : ergo opera meritoria ab huiusmodi supernaturali principio procedentia, habent aliquem valorem respectu finis supernaturalis. Et confirmatur: Quia si meritum seu opus ex gratia & Spiritu sancto procedens innixum meritis Christi, nihil valet gloriæ, neque habet condignitatem respectu illius: ergo nihil differimus ab hæreticis illis, qui aiebãt, huiusmodi opera nullius esse valoris ad vitam æternam, sed ad aliam retributionem, & quòd vita æterna non datur ex iustitia. Imò verò, si nihil gloriæ valent hæc opera, sequitur quòd sub hac ratione pari modo se habent ad illam, sicut opus merè naturale. Et confirmatur: Quia opera nostra meritoria & supernaturalia innixa meritis Christi, vt à gratia & motione Spiritus sancti procedunt, sunt proportionata, & in eodem ordine atque genere cum vita æterna : ergo ita sunt meritoria vt habeant condignitatem & valorẽ vitæ æternæ; Non quòd habeant æqualitatem perfectionis cum gloria, quia hoc est aperte falsum, sed solum proportionem, condignitatem, & valorem apud Deum propter obsequium, quod præstatur Deo.

Persuadetur vlteriùs : Quia in Scriptura asseritur, præmium esse ex iustitia reddendum, & appellatur nomine mercedis, coronæ, stipẽdij, & alijs eiusmodi pertinentibus ad iustitiam : sed nõ potest esse ratio iustitię aliqua sine condignitate operum: ergo illa necessariò est admittẽda. Maior huius argumenti, ostensa est paulo antea ex plerisq; testimonijs Sacræ Scripturæ Apocal.3. Ambulabũt mecũ in albis, *Apocal.3.* quia digni sunt, &c. 2. ad Thessalon.1. Vt digni habea *2.Thessal.1.* mini in regno Dei pro quo & patimini. Hanc rationem confirmant Sancti Patres dicentes, vitam æternam esse coronam iustitiæ, quod desumũt ex Paulo vbi supra. Et idem argumentum fit in Trident. sess. *Trident.* 6.cap.16. vbi etiam in cano.32. bona opera hominis iustificati facta per Dei gratiam & Iesu Christi meritum, dicuntur esse meritoria augmenti gratiæ, & verè esse meritoria vitæ æternæ, & consequutionis ipsius, & augmenti ipsius gloriæ. Eodem argumento de corona iustitiæ vsus est Cœlestinus Papa epi- *Cœlest.PP.* stol.2. ad Episcopos Galliæ, & Clemens Primus, epi *Clemens.I.* stol.1. & eodem modo loquuntur Sancti communi- *D.Basil.* ter. D.Basil. lib. de Spiritu sancto, cap.14. Chrysosto. *D.Chrysos.* homil. 4. de Lazaro, D. Augustin. locis citatis, & *D.August.* Psalm.

*D. Hieron. D. Hilar.* Psalm.93.&.100. D.Hieron.Isaiæ.66. D.Hilar.Psal.1. ¶Et profectò plerique ex Catholicis hac ratione cõfirmant secundam assertionem; Quia in iustis hominibus rectè agentibus & operantibus ex gratia & motione Spiritus sancti, cum alijs requisitis ad rationem meriti, reperiuntur omnia necessaria ad tale meritum: ergo. De qua re legendus est D. Prosper lib.2.de vocat.Gentium cap.8. & D.Isidor. lib. 2.de summo bono cap.15.

*D. Prosper. D. Isidorus.*

Tandem persuadetur: Nam ille qui promouet bonum communitatis, ex iustitia meretur apud rectorem illius: sed iusti per bona opera promouent bonum spirituale Ecclesiæ: ergo verè merentur apud Deum, &c. Et confirmatur: Quoniam is qui operatur debitè in gloriam alterius, verè & ex condigno meretur apud illum: sed iusti operantur in gloriam Dei: ergo merentur verè apud ipsum, & ex condigno. Cùm ergo opera procedentia ex gratia, habeãt omnia prærequisita ad meritum de cõdigno, & sint proportionata fini, & facta in ordine ad illum consequendum: igitur sunt digna illius; & ob id opera iustorum dicuntur in Scriptura digna vita æterna.

*1. Corint. 9.* Vnde Paul.1.Corinth.9. comparat nos currentibus in stadio. Et certè, vita æterna est peculiare præmiũ filiorum Dei, iuxta illud Pauli, Si filij, & hæredes.

*Conclus. 3.* TErtia conclusio. Iustorum merita, vno solo Christo excepto, non sunt merita de rigore iustitiæ coram Deo. Hæc assertio est certa & communis apud omnes Theologos, quam supponunt 3.p.q.1.art.2.& eam ibi S.Thom. probat & tenet. Hæc conclusio duas continet partes; Vna est, Christi meritum fuisse de rigore iustitiæ; Secunda verò quòd merita aliorum iustorum non sunt merita de rigore iustitiæ, quamuis sint de cõdigno. Et probatur: Quoniam Christus meruit ex proprijs & aliàs indebitis: ergo de rigore iustitiæ. Antecedens constat: Quia pari ratione dicunt Theologi quòd Christus satisfecit de rigore iustitiæ, quia satisfecit ex proprijs & aliàs indebitis; & valet argumẽtum; Satisfecit de rigore iustitiæ: ergo meruit de rigore iustitiæ. Quòd verò ex proprijs & aliàs indebitis meruerit & satisfecerit, probatur: Quia Christus satisfacit quatenus hypostaticè sustentat humanã naturam: sed vt sic habet plenarium dominium omnium suarum operationum; nam vt sic est suppositum talium actionum: ergo vt sic habet dominium suprà illas. Nam etiam suppositum naturæ intellectualis, verè habet dominium suprà suos actus, quatenus habet liberam facultatem ad eliciendum eos. ¶Sed contra: Suppositum nostrum, licet habeat liberam facultatem ad eliciendum suos actus, & sit proprium suppositum suarum operationum, non habet verum dominium in ordine ad Deum, siquidem dependet à Deo in suis operationibus, & ab eo impediri potest: ergo neque Christus habet dominium: ergo nõ meruit, neque satisfecit ex proprijs. Respondetur, quòd operationes sequũtur naturam & conditionem sui suppositi: si enim illud est subditum Deo, & ipsæ operationes, & tunc suppositum non habet absolutum dominium illarum in ordine ad Deum, vt reperitur in omnibus creaturis, at suppositum diuinum etiam in Christo ex se est infinitè perfectum; & ob id nõ est inferius Deo, neq; dependet ab ipso; & ob id operationes eius sunt propriæ, ita vt habeat ex proprijs Christus dominiũ illarum; ac proinde ex proprijs mereatur & satisfaciat. ¶Dices; Contra, Deus per diuinam naturam concurrit libere ad tales operationes Christi: igitur posset nõ concurrere: ergo pendent ab ipso: ergo habet absolutum dominium earum: ergo neq; meretur neque satisfacit ex proprijs. Respondetur, nõ posse negari Deum habere absolutum dominium talium operationum; Imò verò haberet tale dominium earũ, sed non eo modo quo Verbum, scilicet in quantũ suppositum; & hac ratione non pendet à Deo, nec possunt actiones ab ipso impediri. Nã ex suppositione vnionis naturæ humanæ cũ diuino supposito, Deus non potest non concurrere ad omnes operationes, quas voluerit elicere tale suppositum mediante sua natura, neque potest illas impedire; & hoc profectò sufficit, vt suppositũ illud dicatur habere & habeat absolutum dominium earum. Et hoc est fundamentum propter quod Theologi.3.p.dicunt, ex suppositione voluntatis Christi petentis vt eius satisfactio acceptaretur, non posse non acceptari, neque posse meritum eius non esse de rigore iustitiæ: De quare ibi dicemus; & è contra Theologi eõ loci dicunt, quòd eo modo quo Deus habet dominium supra tales operationes, non habet dominium Christus vt suppositum præcisè præscindendo à natura diuina; Quia vt sic & sub hac præcisione nõ cõseruat illas; & ideò per voluntatem humanam non habet absolutum dominium illarum rerum sub prædicta cõsideratione. ¶Sed contra; Ratione humanitatis non præcise, sed vt sustentatæ à verbo, habet absolutum dominium suprà suas operationes vt posit mereri ex proprijs & de rigore iustitiæ: ergo eodem modo habet absolutum dominium supra alias res. Respondetur negando consequentiam: Quoniam respectu operum est suppositum proprium; & idcirco habet illud dominium quod requiritur ad rationem suppositi infiniti vt sic; at verò in ordine ad alia non est suppositum, neque ratione suppositi præcisè habet id, quod requiritur ad dominium supra tales res, scilicet cõseruationem vel creationem illarum. Vnde patet, Christum ea ratione qua est merens & satisfaciens, habere aliquid propriũ, quod possit Deo reddere ex proprijs; & sic saluatur ratio iustitiæ, vt scilicet, reddat ex bonis proprijs, & quę nõ sunt propria creditoris, eo modo quo sunt propria Christi ratione suppositi, vt ostensum est & explicatum.

Secunda assertionis pars affirmat, meritum hominis iusti coram Deo non esse de rigore iustitiæ. Et sanè, hæc secunda propositæ assertionis pars, certa est apud omnes, in qua non dissident Theologi, & est D.Tho.3.p.loco citato. Et probatur: Quia rigor iustitię postulat, vt inter cõtrahentes nulla intercedat gratia, in qua totum pactũ fundetur: sed nostra merita sumunt dignitatẽ primò à gratia sanctificante; secundò ab adiuuante: tertiò à liberali promissione Dei, qua voluit retribuere pręmiũ operibus, quę multis alijs titulis erant ipsi debita. Et in hoc sensu dicit Trident.sessio.6.cap.16.eam esse Dei benignitatem, vt ea voluerit nostra esse merita, quæ sunt ipsius dona. Et habetur in lib. de Ecclesiasticis dogmatibus cap.32. & apud D.Augustin.sermo.13. de verbis Apostoli, & Psalm.142. Sed dices, Si merita nostra non sunt de rigore iustitiæ: ergo nec simpliciter

*Concil. Trid.*



citer de iustitia. Respondetur, quòd semper seruatur forma & ratio iustitiæ in merito & præmio, & non esse de rigore iustitiæ, non tollit formam iustitiæ, sed tantum supponit gratiam: atque adeò excludit iustitiam rigorosam. ¶ Sed vt hoc apertiùs intelligatur aduerte, quòd apud Theologos meritum de cõdigno siue ex iustitia, habet latitudinem; Nam est duplex, quoddam perfectũ omnino, quod nullam admittit aut suscipit rationem gratiæ & liberalitatis, quale est meritum, quo quis locat operas suas, & meretur mercedem earum: hoc enim meritum cùm pertineat ad iustitiam commutatiuã, solùm innititur æqualitati rei ad rem, & non liberalitati præmiantis. Aliud verò est meritum minus perfectum, & est illud, quòd præsupponitur & fundatur in liberalitate alterius, sed cum hoc habet quòd est verum & proprium meritum; Quoniam suppositа tali liberalitate reperitur æqualitas inter ipsum & mercedem. Nonnulli adducũt exemplum de filio, qui obsequitur Patri, & meretur mercedem apud illum, non quidem perfectè, sed verè & propriè: Quoniam suppositа hac quasi gratia, quòd est dare illi esse, & illum producere in rerum natura, ista opera quæ filius agit, habent æqualitatẽ cum mercede, quam potest illi tribuere pater. Quocirca, licet absolutè & secundum se fortè ista opera ex se & ex obiecto, quæ filius agit, non habeant æqualitatem cum aliqua mercede, vel cum ingenti hæreditate paterna; tamen suppositо quòd sunt opera filij obtemperantis Patri, & obsequentis, æqualitatem habent cum hæreditate. Sed multò aptius & clarius exemplum est de filio adoptiuo; si Petrus in quam, adoptet Ioannem in filium, iam illi debetur hæreditas ex iustitia; Quia suppositа adoptione, opera illius, quatenus sunt filij obsequentis Patri, habent æqualitatem cum hæreditate. ¶ Et licet meritum de condigno, quo iustus meretur apud Deum vitam æternam, non sit meritum de condigno omnino perfectum, quale est illud, quod nullam suscipit rationem gratiæ, aut liberalitatis; tamen est verè & propriè meritum de condigno. Et fortè, cùm Durand.dixit, in homine non esse meritum de condigno, intellexit de merito condigni in priori acceptione: Quia tale meritum includit rigorem iustitiæ, & inter nos & Deum non potest esse ista iustitia simpliciter, quæ includit rigorem. Nam solus Christus potuit hoc merito omnino perfecto, quod est de rigore iustitiæ, mereri apud Patrem, quandoquidem erat verus Deus æqualis Patri: igitur purus homo nullo modo potuit mereri isto modo de rigore iustitiæ.

*Quòd meritum hominis iusti sit de condigno.*

Quòd verò meritum illud de condigno, quo iustus meretur apud Deum vitam æternam, licèt non sit omnino perfectum sine vlla gratia aut liberalitate; tamen sit verum & proprium meritum contra Durandum, quia in hoc male loquitur; probatur. Primò: Quia verum & proprium meritum de condigno, est per quod acquirimus ius ad hæreditatẽ: sed iusti per opera meritoria ab ipsis facta, acquirunt ius ad hæreditatem cœlestem; & certè, eò ipso quo sunt filij adoptiui, acquirunt ius ad hæreditatem, secundum illud Ioan. 1. Dedit eis potestatem filios Dei fieri; vt videlicet haberent ius ad hæreditatem cælestem, quod expressiùs Paul. dicit Roman.8. Si filij, & hæredes. Quapropter, sicut Christus, qui erat filius Dei naturalis, habebat ius ad omnia, quæ dedit illi Pater; ita iusti quia filij Dei adoptiui sunt, habent ius vt conformes fiant imagini filij Dei; ita tamen vt ipse sit primogenitus in multis fratribus. ¶ Rursus etiam: Quia verum meritum & proprium de condigno in secunda acceptione, quamuis supponat gratiam & liberalitatem; tamen habet æqualitatem cum mercede, & talia sunt opera hominis iusti procedentia à gratia ex motione Spiritus sancti, & per Iesu Christi meritum, vt dicit Tridentin. ergò. Declaratur minor: Quia opera hominis iusti iam non sunt serui, sed amici & filij, & hominis iam elevati in consortium & participium diuinæ naturæ: Fit enim homo iustus, Deificus, & præterea, homini iusto communicatur passio Christi Domini. Quare, iusti opera magnam habent efficaciam apud Deum, & æquantur hæreditati cælesti. Vndè, licèt Deus dederit mihi gratiam, & adoptauerit in filium, & communicauerit passionem Christi, & id fuerit mihi concessum ex magna Dei liberalitate; tamen postquam hæc mihi sunt concessa, profecto mea opera æquantur in valore hæreditati, quæ ad filiationem adoptionis sequitur: Quia licet secundum se & ex obiecto non æquentur, iuxta illud Pauli; Non sunt cõdignæ passiones huius temporis; tamen quatenus sunt opera filij Dei & amici, & illius qui est membrum Christi, æquantur. Et hoc expresse affirmat Sanct. Thom. in artic. dicens, quòd opus meritorium vt procedit ex gratia Spiritus sancti, est meritorium vitæ æternæ ex condigno: Quia sic, valor meriti attenditur secundum virtutem Spiritus sancti mouentis nos in vitam æternam, iuxta illud Ioan. 4. Fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. ¶ Sanè, si quis daret mihi liberaliter centum aureos, & deinceps illis emerem ab illo fundum, verè esset iustitia in tali emptione inter me & illum; quamuis non esset omnino perfecta seu rigorosa omni ex parte. Et ratio est: Quia suppositа donatione, ille obtulit merendo tantum, quantum valet hæreditas, sed hoc idem facit iustus in suis operibus: ergo. Et confirmari potest: Nam si homo qui nihil debet ciuibus Salmanticensibus, legem sanciret, vt quicumque faceret tale opus, peteret ab illo tantam pecuniam aut tantum præmium, quod se daturum aut soluturum promittebat; Tunc sanè, si ego facerem opus illud, petere possem pecuniam; & suppositа illa lege, meum opus verè & propriè esset meritum talis pecuniæ: sed Deus statuit legem, & sua promissione se obligauit daturum vitam æternam benè operanti, vt dictum est: ergo.

*Rom.8.*

*Ioan.4.*

*Aduerte.*

Tandem probatur: Quoniam res naturales, licet non possint operari aut agere sine virtutibus & potentijs naturalibus acceptis à Deo; tamen suppositо quòd eas recipiunt, operationes ipsæ sunt verè ipsorum agentium naturalium, dato ad illas concurrat Deus: ergo pari modo dato quòd non possimus mereri nisi per virtutem supernaturalem, datam nobis à Deo per Spiritum sanctum; tamen

suppositо quòd eam accepimus ab ipso,
verè & propriè meremur de
condigno.

Argumenta

*Argumenta contra priorem partem tertiæ assertionis.*

QVamuis dictum sit, meritum de condigno rigorosum, quod excludit omnem liberalitatem, solum reperiri in Christo domino; Sunt nihilominus contra hoc quorundam aduersariorum pleraque argumenta, qui negũt Christum meruisse de rigore iustitiæ, neque etiam satisfeciſſe ex eodem summo rigore dicunt, inter quos Scotus & sui cum Gabriele recensentur, & Durandus in.3.dist.20.quæst.2. & in.4.dist.15.q.1. & Ioan.à Medina codice, de pœnitentia tractatu.3.q.1.

*Scotus.* *Gabriel.*

*Argum.1.* ¶ Primum argumentum sit. Quia summus rigor iustitiæ, sicut excludit omnem gratiam, ita non indiget precibus: sed ad hoc meritum, & ad hanc satisfactionem rigorosam, fuerunt necessariæ preces, vt patet ex Paul. Hebræor. 5. Qui in diebus carnis suæ, preces, supplicationesque ad eum qui posit illum saluum facere à morte cum clamore valido, & lachrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia.

*Hebræo.5.*

¶ Et confirmatur: Quia opera Christi erant meritoria de rigore ob vnionem naturæ cum Verbo: sed hæc vnio fuit summè gratuita: ergo iam fundamentum meriti & satisfactionis Christi, est aliqua gratia, & non summa iustitia. ¶ Secundò arguitur Christus non meruit neque satisfecit ex proprijs, neque ex aliàs indebitis: ergo neque de rigore iustitiæ meruit, aut satisfecit. Ostendo antecedens: Quia Christus meruit & satisfecit per operationes creatas: sed istæ neque sunt propriæ, neque indebitæ. Probatur minor: Quia Deus habet absolutum dominium supra omnem operationem creatam, & illam iustè potest exigere sub præcepto, nullo apposito præmio: ergo. Neque valet dicere, debitum intelligi respectu humanitatis, ipsum autem suppositum nihil debere, cùm sit æquale Patri: Quia Christus vere erat subditus Patri & obediens illi: ergo eius opera erant absolutè debita Patri: Licet enim Deus non habeat ius supra personam infinitam; habet tamen ius suprà omnia creata vbicumque sint: ergo sicut implicat intelligere creaturam sine ordine ad Deum, ita etiam sine debito in ordine ad illum.

*Secundum.*

*Tertium.*

¶ Tertiò arguitur: Christus dominus formaliter meretur, & est formaliter satisfaciens per opera humanitatis, vt sumunt valorem à suppositalitate præscindendo à natura diuina: sed Christus sub hac ratione non habet dominium suarum operationum: ergo vt sic neque meruit neque satisfecit ex proprijs. Patet consequentia: Quia id tantum est proprium, supra quod Christus habet verum dominium. Minor probatur: Quia dominium non conuenit rei nisi ratione voluntatis & libertatis: hac enim ratione dicitur in materia de iustitia, bruta non habere dominium: sed suppositalitas vt sic, eo modo quo abstrahit à natura, etiam abstrahit à voluntate & intellectu: ergo à dominio: ergo vt sic nullum habet dominium.

*Confirmat.*

¶ Et confirmatur. Quia dominium suprà creaturas non conuenit Deo, nisi iure & titulo creationis: sed suppositalitati vt sic, præsertim præscindendo eam à natura diuina, non conuenit creare, quoniam hoc est proprium Dei ratione naturæ: ergo.

*Quartum.*

¶ Quartò. Nemo tenetur alteri debitum, conferendo illi quod suum erat: sed omnia opera Christi erant ipsius Patris: ergo per illa non soluit debitum Patri: ergo neque meretur per illa de rigore iustitiæ.

*Confirma.*

¶ Et confirmatur: Quia Christus manet tàm verè dominus eius quod dat, postquam datum est, atque antea erat: Et Pater non manet magis dominus eius, quod datur in debiti solutionem, atque ipse erat priùs: igitur neque Christus verè soluit aut satisfacit, neque Patri soluitur aut satisfit. Probatur antecedens: Quoniam Deus, sicut nunquam amittit dominium entis creati, ita etiam neque vnquam maius acquirit.

*Quintum.*

¶ Quintò. Proprium est meriti de rigore iustitiæ, quòd ita fit ex proprijs ipsius merentis, quòd non fit ex his quæ sunt eius, apud quem meretur; Sicut pari ratione, proprium est satisfactioni de rigore iustitiæ, quòd ita fit ex proprijs satisfacientis, vt non fit ex his quæ sunt eius, cui fit satisfactio: sed Christus non solùm satisfecit ex his, quæ sunt communia ipsi & alijs personis diuinis, sed etiam meruit ex communibus, & ex gratia quam habuit: ergo, &c. Maior aperta est: Quia intelligi non potest quo pacto aliquid soluatur de rigore iustitiæ ex ijs, quæ sunt communia creditori & debitori insolidum, & idem est de merito: Minor autem ostenditur: Quia non tantum vita humana Christi & actio volitionis humanæ, quâ soluere voluit hoc pretium, sunt communia toti Trinitati, sed etiam valor infinitus meriti, & huius pretij & solutionis à diuina persona participatus, est quidem communis, cùm talis valor sit infinitus, quia est Dei vel procedens à Deo; esse autem Deum, commune est tribus personis.

*Confirmat.*

¶ Et confirmatur: Quia si Christus meruit de rigore iustitiæ, & similiter satisfecit de eodem rigore: ergo sine causa petitur à nobis aliud meritum: & pari ratione iniustè petitur à nobis alia satisfactio; hoc autem est contra fidem: ergo.

*Sextum.*

¶ Sextò. Summus gradus meriti secundum iustitiam in eo cõsistit, vt obliget personam apud quam est meritum, vt tribuat præmium: sed meritum Christi non potest obligare Deum: ergo. Probatur antecedens: Quia simili modo dicunt Theologi, quòd summus gradus satisfactionis secundum iustitiam, consistit in eo quòd obliget personam cui fit satisfactio secundum iustitiam ad eam acceptandam: sed Christi satisfactio nõ obligat Deum: ergo neque meritum Christi obligat ipsum: ergo non meruit ex summo gradu rigoroso iustitiæ.

HÆc argumenta aduersarij adducũt vt suam confirment sententiam, dicunt́que Christum non meruisse de rigore iustitiæ, sed solum de condigno secundo modo; & pari ratione, non solùm non meruisse de rigore, sed neque satisfeciſſe de eodem rigore. Quæ sententia falsa est & indigna viro Catholico, & contra ea quæ diximus paulo antea in exordio tertiæ conclusionis, & in discursu illius, quæ quidem si aduertantur, plenè dissoluunt argumenta istorum: Est etiam præfata sententia contra Sanct. Thom. & omnes suæ familiæ discipulos. Vndè, quoniam disputatio hæc solum pertinet ad tertiam partem satis modo erit, proposita iam tertia assertione, dissoluere argumenta facta.

*Ad.1. arg.*

¶ Ad primum respondetur, quòd preces non idcirco funduntur, quia precibus id tantum tanquam ex sola gratia obtinendum esset, sed quoniam



niam ipsa iustitia rigorosa exigit satisfactionem ac cõmodatã ipsi offensæ, quod quidèaptè satis & optimè fit per lacrymas & supplicationes: istis enim operibus submittitur maxime satisfaciens ad satisfaciendum & compensandum iniuriam, quam homo fecit eleuando se supra Deum authorem & finem suum.

*Ad confir.*

¶ Ad confirmationem dico, gratiã fuisse factam humanitati Christi, & ita Christus ratione humanitatis præcisè, non potuit rigorosè satisfacere; non tamen est facta aliqua gratia ipsi suppositi diuino sustentanti naturam creatam & operanti.

*Ad secundũ.*

¶ Ad secundum. Nonnulli Theologi dicunt, rem oblatam Deo in satisfactionem, non tantum esse operationem humanam, sed simul etiam diuinam, & hoc compositum, non esse debitum Deo, quod appellant Græci Theandricum, ob id quòd opus Christi licet sit humanum quãtum ad substantiam, est tamen diuinum quantum ad infinitum valorem.

¶ Sed hæc solutio est difficilis: Quia si esset admittenda, tunc sequitur quòd partim esset debita illa satisfactio: atque adeò non esset de rigore iustitiæ tota, & consequenter neque totum illud opus esset meritorium de rigore iustitię, sed partim deberetur illi præmium de rigore iustitiæ, & partim non de rigore, sed de condigno secundo modo. Quare, melius & aptius respõdetur, Deum habere dominium supra tales operationes vt creatæ sunt, sed non vt talis suppositi, ita vt posit illas impedire vt sunt à supposito. Potest etiam secundò dici & respondeti, quòd Deum habere dominium illarum operationum, non tollit, quin sub alia ratione Christus habeat dominium independens, vt explicuimus in discursu tertiæ conclusionis; ac proinde, iam tunc offert Deo aliquid Christus, suprà quod habet omnino dominium independens Christus, illud offerens Deo, supra quod non habet dominium ipse Deus, cùm illud sit proprium ipsius suppositi diuini, seu Verbi diuini vt sic.

*Ad tertiũ.*

¶ Ad tertium facile respondetur, quòd si suppositalitas vniret sibi naturam irrationalem, non diceretur propriè habere dominium suarum operationum, quia neque ex parte suppositalitatis, quam hic intelligimus præcisam, neque ex parte naturæ intelligitur voluntas, quæ necessaria est ad dominium. Et pari ratione, neque opera talis naturæ essent valoris & dignitatis infinitæ: Quia de se non sunt apta taliter denominari: Ex eo verò quòd sibi vniat naturam intellectualem, opera eius sunt infiniti valoris, non quia talis natura adducat valorem illum infinitum, sed quia est fundamentum capax vt illud recipiat. Et pari ratione, mediante tali natura censetur habere absolutum dominium supra eius operationes, non quia talis natura adducat dominium illud absolutum, sed quia adducit conditionem necessariam ad hoc vt suppositum vt sic habeat dominium: non enim ex suo conceptu potest habere dominium, nisi quatenus est suppositum naturæ habentis voluntatem, per quam habeat liberam & non impedibilem facultatem supra suos actus, in quo consistit absolutum dominium. Et per hoc patet ad confirmationem quid ad eam sit dicendum.

*Ad quartũ.*

¶ Ad quartum respondetur, in contractu emptionis & venditionis requiri abdicationem dominij in eo qui vendit, & acquisitionem de nouo in eo qui emit; at verò ad rationem satisfactionis, verè id non requiritur. Nam cùm ego satisfacio Petro humiliando me in eius obsequium, non constituo illum dominum actus mei. Nam sicut quando illum affeci iniuria, non abstuli ab eo aliquid, sed solum fui causa vt eius honor paruipenderetur; ita ad satisfaciendum illi, sufficit efficere aliquid, ratione cuius honor tanti vel pluris habeatur, quàm antea habebatur.

*Ad quintũ.*

¶ Ad quintum dicendum, Christum dominum ea ratione qua satisfacit Deo, habere vt satisfaciens est, aliquid proprium, quod posit Deo reddere, & non ex bonis ipsius creditoris: non enim sunt propria Dei ea ratione, qua sunt propria Christi ratione suppositi, vt patet ex obiectionibus & argumentis factis paulo antea cõtra tertiam assertionem: Diximus namque, quòd operationes sequuntur naturam suppositi, & cùm suppositum vt sic sit infinitè perfectum independens, habet suas operationes, quæ non dependent ab alio, quarum habet dominium, non vti Deus habet dominium omnium rerum iure creationis, quod illi conuenit ratione naturæ diuinæ: sed vt suppositum diuinum sustentans naturam humanam, qua ratione Deus non habet dominium. Et præterea, principaliter satisfactio est à Christo prout sustentat naturam humanam, qua ratione, non est à Deo, nisi vt subsistit in natura diuina.

*Ad confir.*

¶ Ad confirmationem respondetur, quòd licet satisfactio Christi fuerit infiniti valoris quantum ad sufficientiam; noluit tamen ipse quòd haberet efficaciam in actu secundo, nisi secundum certas leges, scilicet vt ex parte nostra cooperemur per veram pœnitentiam, & alias virtutes, obediendo eius præceptis, iuxta illud Paul. ad Hebræos. 5. Factus est sibi obtemperantibus causa salutis æternæ, quasi dicat, non alijs; & idcirco Tridentinum sessione. 6. canon. 21. dicit, Christum Iesum à Deo hominibus datum fuisse, non tantum vt redemptorem, cui fidamus, sed etiam vt legislatorem, cui obediamus: Neque per hoc minuitur dignitas satisfactionis Christi; sed multò magis extollitur, quia ex virtute & efficacia illius prouenit in nobis gratia ad obtemperandum eius præceptis.

*Hebræ.5.*

*Ad sextum*

¶ Ad sextum respondetur, Christum satisfeciſſe de rigore iustitiæ, quæ satisfactio, licèt non obligauerit Deum secundum iustitiam, quia Deus non est capax obligationis; tamen tam efficax est & tanti valoris, vt non posit Deus nõ acceptare illam, quod sufficit vt nulla interueniat gratia, vt suprà vidimus artic. 2. præcedente, vbi specialiter diximus, Deum non potuisse non acceptare satisfactionem & meritum Christi.

*Maior explicatio sententiæ Sancti Thomæ.*

QVæ hactenus diximus conclusione tertia & quarta, & in solutionibus obiectionum contra easdem, in defensionem Sanctissimi Præceptoris, satis erant vt reor, ad defensionem veritatis. Sed quia aduersarij nunquam quiescunt, & intellectus semper cupit magis ac magis veritatem penetrare; idcirco dico, sentiendum esse, quòd licet opera facta à iustis ex gratia & motione Spiritus sancti, non sint meritoria vitæ æternæ secundum totum rigorem iustitiæ; merentur

merentur tamen illam de condigno propriè & ſtrictè, ita vt ex ſua natura & intrinſeca bonitate atque perfectione, æquiualeant æternæ vitæ, & non tantum ex acceptatione extrinſeca ipſis ſuperueniente. Hæc eſt vera ſententia S. Thom. in hoc articulo. Et ne quis putet Sanctum Thomam ſolum fuiſſe huius ſententiæ authorem; idcirco dico, plures & graues authores id ipſum ſenſiſſe; Omitto Sanctos Patres, quos ſupra citauimus, & recenſeo Scholaſticos Theologos, inter quos eſt D. Bonauent. in. 2. diſtinct. 27. quæſtio. vltima, & Caietan. in comment. huius articuli. Ægid. Roman. in. 2. diſtin. 27. quæſt. 2. artic. 4. Ferrar. 3. contra Gent. capit. 93. Capreol. in. 2. diſtin. 27. reſpondens ad primum argumentum Durandi, Sotus. 3. de natura & gratia. capit. 7. Et quamuis olim iuuenis Sanct. Thom. in. 2. diſtinctione. 27. viſus fuerit tenere quòd non eſt meritum de condigno propriè reſpectu vitæ æternæ; hic tamen corrigit ſententiam antiquam, ſaltem magis explicauit ſententiam ſuam, vt benè notauit Capreol. loco citato.

*D. Bonau.* *Caietan.* *Ægidius.* *Ferrar.* *Capreol.* *Sotus.* *D. Thom.*

Hæc quo modò diximus probari poſſunt primò ex teſtimonijs ſupra allatis, ex quib⁹ habetur quòd vita æterna debetur, vt merces & ſtipẽdium bonorum operum. Extat etiam illud Zacha. 4. Exæquabit gratiam gratiæ, id eſt, vitam æternam meritis procedentibus ex gratia gratum faciente. Ita interpretatur D. Auguſtin. lib. de Correction. & grat. capit. 13. & de gratia, & libero arbitrio. cap. 9. Et pari modo ſolet explicari illud Ioan. 1. Gratiam pro gratia, id eſt, gratiam conſummatam, quæ eſt gloria, dabitur à Deo pro gratia, qua benè operamur. Ex his autem & ſimilibus locis ſuperiùs citatis habetur quòd vita æterna correſpondet bonis operibus iuſtorum ſecundum quandam æqualitatem & proportionem intrinſecam. ¶ Secundò etiam oſtendi poſſunt ea quæ diximus: Quia valor operum, non ſolum penſatur ex ſubſtantia & intenſione actus, ſed etiam ex dignitate & excellentia perſonæ operantis: maioris enim valoris eſt cæteris paribus, opus factum à Rege, vt ſuprà diximus, quam ab homine plebeio: ſed homo exiſtens in gratia habet connaturalitatem & condignitatem intrinſecam ad bonum diuinum, quod eſt beatitudo æterna: igitur ipſius opera quatenus ex tali gratia procedunt, ſunt verè & propriè condigna vitæ æternæ, quod non potuit expreſsius dicere Paulus, quam verbis citatis ad Coloſſenſ. 2. Dignos nos fecit in partem ſortis Sanctorum. Et. 2. ad Theſſalon. 1. Vt digni habeamini regno Dei, pro quo & patimini. Fauet etiam illud 2. Petri. 1. Magna & pretioſa nobis promiſſa donauit, vt diuinæ efficiamur conſortes naturæ. Ex quibus locis habetur, quòd iuſtus habet in ſuis operationibus meritorijs connaturalitatem & condignitatem quandam reſpectu gloriæ. ¶ Sanè, nullum præmium citra gloriam eſt ſufficiens ad remunerandum opera iuſtorum ſecundum æqualitatem: ergo præmium correſpondens illis ad æqualitatem, eſt ipſa gloria. Patet antecedens: Quoniam gratia eſt quid excellentius omni bono creato citra vitam æternam.

*Zachar. 4.* *D. Auguſt.* *Coloſſen. 2.* *2. ad Theſ. 1* *2. Pet. 1.*

Mouentur rurſus Theologi Catholici ad præfatam veritatem & doctrinam D. Thom. defendendam & oſtendendam. Quoniam gloria debetur iuſtis benè merentibus ex conuentione & pacto diuino, ſicut Paterfamilias debet ſtipendium de quo paciſcitur cum operarijs: ſed ſtipendium debetur operarijs verè & propriè ſecundum condignitatem, iuxta illud Lucæ decimo. Dignus eſt operarius mercede ſua. Et fauet Parabola Patriſfamilias conducentis operarios in vineam ſuam ex denario diurno: ille namque Paterfamilias debebat denarium ex iuſtitia operarijs laborantibus. Vnde & ibidem dicitur; Quod iuſtum fuerit dabo vobis. Et profectò, Sancti Patres per denarium diurnum communiter intelligunt vitam æternam, vt ſuprà vidimus, quam Deus promiſit iuſtis tanquam iuſtum ſtipendium ſuorum laborum. Et ob id, in fine parabolæ ait Paterfamilias; Amice, non facio tibi iniuriam, Nonne ex denario conueniſti mecum? tolle quod tuum eſt & vade. Quaſi dicat; Si tibi non redderem denarium, facerem tibi iniuriam, quia non redderem quod debeo, & quod tuum eſt ſecundum conuentionem & pactum. *Lucæ. 10.*

Tandem; Si eſſet agricola infirmus & egenus, neque vires neque inſtrumenta habens ad laborandum, & alter gratis & liberaliter ſanaret eum, dans ei vires & inſtrumenta, & inſuper conduceret illum vt operaretur in vinea ſua cum pacto dandi illi ſtipendium conſuetum dari alijs operarijs; proculdubio ille homo ſeu agricola laborando & operando, mereretur ex iuſtitia ſtipendium conſuetum, non quidem ex rigore iuſtitiæ, quæ nullam præſupponit gratiam & liberalitatem; ſed ex vera & propria iuſtitia: ſed ſimiliter euenit in propoſito: ergo intentum. Lege de hac re Driedo. de Captiuitate & redemptione generis humani, tractatu ſecundo, capit. ſecundo, part. tertia, articulo tertio, propoſitione ſexta. *Driedo*

His ergo rationibus & fundamentis præiactis, quibus præcipua veritas quæſtionis patefacta eſt, ſequuntur tria valde aduertenda ex ſupra dictis. Primum quod ſequitur eſt, quòd gloria non datur iuſtis rectè operantibus purè gratis & liberaliter ſolùm, ſed ex debito. Quocirca, iuſtus non dicitur bene meritus reſpectu gloriæ ad eum duntaxat modum, quo aliquis dicitur benemeritus reſpectu alicuius dignitatis, quam rex illi donat ex pura gratia & liberalitate: ſed longe perfectiori modo dicitur benemeritus, nempe, quia ſibi debetur gloria. ¶ Secundò colligitur, quòd hoc debitum non fundatur in nuda promiſsione diuina, ita vt Deus ſolùm teneatur ex fidelitate & veracitate quadam, prout dicunt hæretici; ſed fundatur in conuentione & pacto ſecundum rationem dati & accepti; atque adeo eſt debitum iuſtitiæ in ordine ad merita procedentia ex gratia & motione Spiritus ſancti per Ieſu Chriſti meritũ, cuius viuum membrum eſt iuſtus. ¶ Tertiò colligitur ex ſupradictis, quòd debitum hoc non reſultat ex ſola extrinſeca ordinatione & acceptatione, qua Deus acceptat opera iuſtorum ad remunerandum illa, præmio vitæ æternæ: ſed conſurgit ex intrinſeca conditione & proprietate iſtorum operum, ſecundum quòd procedunt ex gratia, vt explicatum eſt. Itaque, huiuſmodi opera iuſtorũ orta ex gratia, intrinſecè



trinſecè ſunt ordinata ad illud præmium, & habent æqualitatem cum illo, non quidem æqualitatem ſecundum eſſe actuale & formale, ſed ſecundum virtutem, & efficaciam; Quia videlicèt opus factum ex gratia, virtualiter æquiualet gloriæ; ſicut ſemen æquiualet arbori virtualiter, quamuis formaliter ſit longè minus. Vndè, ſicuti ſemen terræ mandatum habet vim connaturalem & proportionatam intrinſecè, vt ex ipſo naſcatur arbor, ita opera bona facta ex gratia, habent intrinſecam connaturalitatẽ, & proportionem ad gloriam ſuo tempore recipiendam. Itaque, huiuſmodi opera valent tantum, quantum ipſa vita æterna, non ſolum quaſi ex impoſitione, & ad placitum vt numus aureus valet modium tritici, ſed ex ipſa natura & conditione intrinſeca operis, vt explicatum eſt in diſcurſu huius controuerſiæ.

*Diſſoluuntur argumenta in exordio quæſtionis facta.*

*Argum. 1. primum*

POſita veritatis luce, & exploſis aduerſariorũ ſententijs, reſtat reſpondere ad argumenta in exordio ſecundæ diſputationis facta. Ad primum reſpondetur, quòd Paulus vocat vitam æternam, gratiam, quia fundatur in gratia. Ita docet D. Auguſt. de correct. & gra. cap. 15. & epiſt. 105. ad Sixtum. Et ita intelligendum eſt illud Eccleſiaſt. 16. Miſericordia vnicuique faciet locum ſecundum merita ſua. Ad aliud teſtimonium Pauli ad Rom. 8. communis ſolutio eſt, quam adducit S. Tho. ſuper hunc locum, nempe opera noſtra non eſſe condigna ex ſe, vt procedunt à libero arbitrio, niſi vt procedunt ab Spiritu ſancto, & in tale præmium mouentur. Vndè loquitur Paulus de operibus noſtris & laboribus, vt procedunt ex libero arbitrio præciſa gratia; Ita D. Bernard. ſermo. 67. ſuper Cant. ¶ Ad confirmationem ſimiliter reſpondetur, ratione naturæ non eſſe vtiles, ſed per gratiam fieri vtiles. Ita D. Auguſt. vbi ſuprà, & de gratia & libero arbitrio, cap. 18. Vbi citat illud. 1. ad Timoth. Qui ſe mundauerit ab his, erit vas in honorem vtile Domino, vel ſumus per opera noſtra inutiles Deo, non nobis, iuxta illud Iob. 26. Si iuſtè egeris, quid donabis ei? &c. Et ex his explicatur teſtimonium Diui Baſilij. *D. Auguſt. Epiſt. 16.* *D. Bernar. ad confir.*

*Ad ſecundũ S. Thomas.* *Abulenſ.* *Caietanus.* *Capreolus.* *Matth. 20. Rom. 4.*

¶ Ad ſecundum Sanct. Thom. refugit concedere, Deum debere aliquid merentibus, vt ſupra artic. 1. ad. 3. liquet, ſed debet, inquit, ſibi ipſi, quia debitum eſt ipſi Deo, vt eius ordinatio impleatur: & ita etiam docuit. 1. part. quæſt. 21. & idem ſenſit Abulenſ. explicans illud Geneſ. 23. Per me metipſum iuraui. Caietan. reſpondet, quòd Deus eſſet iniuſtus, iuxta illud ad Hebræ. 6. Non enim iniuſtus eſt Deus, vt obliuiſcatur operis veſtri, & intelligitur ſuppoſito pacto. Vnde Capreolus in. 2. diſtinctione 27. quæſtio. 2. ad. 7. & alij cum eo admittunt illum modum loquendi, iuxta illud Matthæi. 20. Tolle quod tuum eſt & vade, & ad Rom. 4. Ei qui operatur, merces non imputatur ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum. Vnde Auguſt. Pſalm. 83. ait, Quam reddet mihi Dominus: Donator (inquit) eſt indulgentiæ, debitor coronæ, Quid tibi reddet, niſi quod tibi debet, debitorem ipſe fecit ſe, non accipiendo, ſed promittendo. Idem habetur libr. 3. confeſsion. capit. 5. Idem D. Cyprian. ſermo. de Elemoſyna, D. Chryſoſt. homil. 3. in Matth. & homil. 4. ad Populum Antiochen. D. Thom. vult, Deum non obligari ab homine abſolutè, ſed virtute ipſius promiſsionis Dei. Quare D. Auguſt. libr. 1. confeſsion. capit. 4. dixit, Reddis debita nulli debens, donans indebita nihil perdens; & ita per modum pacti & promiſsionis ſuæ, poteſt Deus habere obligationem ex iuſtitia; Neque obſtat ipſum eſſe abſolutum dominum, quia ipſe voluit ita ſe obligare ad reddendum præmium pro meritis. Quocircà, recentiores Theologi dicunt, non poſſe citra iniuſtitiæ notam negari præmium iuſtis bene operantibus ex gratia, quod expreſsè videtur Paul. dicere loco citato ad Hebræ. 6. Non enim iniuſtus eſt Deus vt obliuiſcatur operis veſtri & dilectionis, quaſi dicat, quòd eſſet aliqua iniuſtitiæ nota in Deo, ſi obliuiſceretur præmiare bona opera iuſtorum. Sed aduerte, quòd hoc non eſt quia nos obligauerimus Deum ſimpliciter & abſolutè, ſed quia ipſe ſe ipſum obligauit ſecundum regulam ſuæ iuſtitiæ, cùm dedit gratiam ad operandum; atq; adeo, ſi non redderet gloriam iuſtis, non ſeruaret regulam ſuæ iuſtitiæ, quam ipſe ſibi præfixit. Et hoc ſonant verba Auguſtini loco citato; Donator eſt indulgentiæ, debitor coronæ. Vnde, debitor accipit aliquid; & ſtatim Deus debitorem ſe fecit, non accipiendo, ſed promittendo. *Hebræ. 6.*

*2. Solutio.* ¶ Secundò reſpondetur ad argumentum, quòd ſi meritum eſſet de toto rigore iuſtitiæ, non poſſet Deus citra notam iniuſtitiæ negare præmium; ſed non eſt meritum noſtrum de rigore iuſtitiæ, quia fundatur in gratia accepta ab ipſo Deo; & idcircò, licèt ex ſuppoſitione gratiæ poſsimus mereri de condigno; poterit tamen Deus citra notam aliquam iniuſtitiæ ſecundum potentiam ſuam abſolutam, negare præmium iuſtis, & auferre à beatis gratiam & gloriam; imò verò & annihilare illos: condignitas enim noſtrorum meritorum, non tam conſiſtit in obligatione, qua Deus ſit nobis obligatus, quam in æqualitate & proportione, ſine commenſuratione intrinſeca, quæ eſt inter opera profecta ex gratia, & ipſam gloriam. *Ad tertium* ¶ Ad tertium reſpondetur, quòd ſi meritum refertur ad Deum retributorem, non videtur eſſe iuſtum ſimpliciter, ſed iuſtum paternum vel dominatiuum; ſi tamen referatur ad mercedem, iuſtitiæ eſt & æqualitatis de condigno ad futuram gloriam, iuxta interpretationem D. Thomæ, hic ad. 3. *Solutio. 2.* ¶ Secundò reſpondetur, quòd ſicut filius ſtudioſus & obediens habet ius vt alatur à parentibus, ita habet ius ad paternam hæreditatem, & pari modo filius Dei adoptiuus habet ius ad æternam hæreditatem. *Solutio. 3.* ¶ Tertiò reſpondetur, negando quòd ſit par ratio de domino & ſeruo, vt ſeruus eſt præciſè, & de Deo & creatura rationali, ſeu de homine vt habet filiationem adoptionis, hæc autem differentia fuſè explicata eſt à nobis ſupra in diſcurſu diſputationis pleriſque in locis. Et ſic patet ſimiliter ad confirmationem. *Ad quartũ.* ¶ Ad quartum aliqui Theologi dicunt, quòd maius bonum debetur nobis ab opulentiſsimo Dei, quam habent perfectionis dona noſtra; non tamen quam habeant valoris in ratione obſequij. Sed quidquid ſit de hac ſolutione; Reſpõdetur eſſe aliquo modo æqualitatem inter gratiã & gloriam: ſunt enim participationes Dei finitæ ex parte ſubiecti; infinitæ

verò ex parte obiecti. Et præterea, iustus ex vi affectus & ipsius gratiæ quo operatur, vellet durare in æternum; & ideo præmium meretur æternum, sicut peccator æternam pœnam: Gratia etiam ex se ipsa æterna est. Rursus addo, non requiri æqualitatem omnimodam, sed proportionem quæ possit fundare iustitiam distributiuam. ¶ Secundò respondetur, *Solutio.2.* argumentum probare, nos non mereri apud Deum de toto rigore iustitiæ; non tamen probare quòd non mereamur ex iustitia verè & propriè. Quia licèt meritum nostrum fundetur in gratia; est tamen æqualitas inter ipsa opera & gloriam, & intercedit ratio debiti respectu gloriæ ex suppositione pacti diuini, quo Deus ordinauit ad gloriam opera facta ex gratia, non quidem ordinatione & acceptatione extrinseca; sicut ordinauit aquam in Baptismo ad causandam gratiam: sed ordinatione intrinseca, & connaturali ipsi operi, vt ordinauit semen ad *Solutio.3.* plantam & fructum. ¶ Tertiò respondetur, quòd licèt actus meritorius formaliter & secundum suum esse actuale non sit tantum bonum, neque tam perfectum sicut gloria; virtualiter tamen & æquialenter est tantum bonum, vt de semine respectu plantæ nos diximus cum Sanct. Thoma.

*Ad cõfir.1.* ¶ Ad primam confirmationem negatur antece-
*Ad cõfir.2.* dens. ¶ Ad secundam respondetur, quòd illa testimonia intelligenda sunt de excessu in ratione perfectionis, non in ratione valoris, vel vt alij volunt, de excessu totius beatitudinis, & non alicuius gradus. Denique recurrendum est ad precedentes solu-
*Ad cõfir. 3.* tiones, & ad ea, quæ diximus in discursu quæstionis. ¶ Ad tertiam confirmationem aliqui respondẽt, quòd maius bonum datur nobis ab opulentissimo Deo, quàm habeant perfectionis merita nostra ex gratia procedentia; non tamen quam habeant valoris in ratione obsequij. Secundò tamen respõdetur & meliùs, quòd licèt actus noster meritorius secundum suum esse actuale & formaliter non sit tãtum bonum, neq; tam perfectum sicut gloria; virtualiter tamen & æquivalenter est tantum bonum, vt de se
*Ad cõfir. 4. 5. & 6.* mine respectu arboris dictum est supra. ¶ Ad quartam, quintam, & sextam confirmationem, similiter patet sicut ad præcedentes confirmationes dictum est, nam ex eadem doctrina dissoluuntur. ¶ Ad quintum argumentum principale cum sua confirmatione respondetur, quòd verè ostendit, nos non mereri apud Deum de toto rigore iustitiæ; non tamen ostendit quod non mereamur verè & propriè ex iustitia. Quia vt sæpiùs diximus, licèt meritum nostrum fundetur in gratia; est tamen æqualitas inter ipsa opera & gloriam, Vbi intercedit ratio debiti respectu gloriæ ex suppositione pacti diuini, & ordinationis diuinæ, supposita connaturalitate operis meritorij, vt dictum est, respectu gloriæ. De qua re videnda sunt quæ paulò antea diximus in solutio-
*Ad sextum.* ne ad quartum. ¶ Ad sextum principale patet ex his quæ diximus solutione ad secundum. Deus enim per modum pacti & promissionis quodammodo dicitur se obligare, neque obstat ipsum esse Dominum, quia ipse voluit ita se obligare ad reddendum præmium pro meritis. Vnde ad replicam dicendũ, quòd licèt Deus propriè cùm careat superiore cui obligetur, & ipse non sit capax obligationis in se ipso; tamen suppositis eius ordinatione, pacto & promissione, merita iustorum procedentia ex gratia & per Iesu Christi meritum, cuius viua membra sunt iusti, non alio præmio minori debet illa præmiare, sed vita æterna, vt dictum est: Nam hanc meretur iustus de condigno. Et profectò, S. Thom. solùm voluit in verbis citatis in eodem argumento, non posse esse rigorosam iustitiam inter nos & Deum; est tamen vera iustitia iuxta modum quem explicuimus. *Ad septim.* ¶ Ad septimum respondetur, gratiam dici acceptationem ad gloriam iure hæreditatis & filiationis; non verò titulo iustitiæ & præmij, quo modo per opera meretur quis gloriam in executione, licèt non mereatur ante opera fuisse prædestinatum ad illam. Per hoc patet ad confirmationem: Quia licet nullus mereatur prædestinationem, vt prima *Ad confir.* parte diximus; potest tamen mereri vltimum termi num, nempe gloriam. *Ad octauum.* ¶ Ad octauum similiter patet ex his quæ diximus solutione ad secundum principale; Imo verò dissolui potest ex doctrina tradita in solutionibus argumentorum: Solùm enim concludit, quòd cùm ipsa opera iustorum sint aliàs Deo debita, non efficiunt meritum de rigore iustitiæ. Aliqui Theologi inter recentiores dicunt vlteriùs, nos debere Deo omnia opera nostra ex gratitudine: Quia bona omnia quæ nobis contulit, gratis nobis Deus ea dedit; & ita ex gratitudine nos esse debitores. Cæterùm, ex sua ordinatione voluit, vt cùm bona merita exercemur, illis præmium gloriæ donetur. Cuius rei exemplum est, si Paulus gratis donaret Petro mille aureos, Petrus verò deinceps commodaret eidem Paulo centum; tunc sanè Petrus verè constituit Paulum suum debitorem ex iustitia, licèt Petrus ipse sit debitor Pauli, & verè debitor ex debito gratitudinis. *Ad confirm.* ¶ Ad confirmationẽ dicemus infra in speciali difficultate de hac re, vbi explicabitur, Vtrùm Deus propriè iustis debeat? quamuis difficultas hæc tacta sit maxima ex parte supra art.1. huius quæstionis.

## DISPVTATIO III.

### *Vtrùm iustus per opera procedentia ex gratia mereatur de condigno totum illud, ad quod Deus merita illa ordinauerit?*

DIsputatio hæc explicat vim meriti vt à gratia procedit, & quam connaturalitatem habere possit cum præmio. Vnde quæritur, Vtrum iustus mereatur de condigno totum illud, quod à Deo fuerit promissum? Et suppono propriè esse sermonem de opere meritorio vt meritorium est; & vt procedit ex gratia, & habet valorem ex illa; & ita inquiro, Vtrùm opus meritorium ex gratia procedens, mereatur de condigno totum illud, ad quod Deus illud ordinauerit: Quod est quærere: Vtrùm si Deus in præmium charitatis vt quinque, quo meremur gloriam vt quinque, promitteret maiorem gloriam, vel totam gloriam, quæ est in anima Christi, vel gratiam & gloriam omnium aliorum hominum, Vtrùm talis actus mereatur de condigno illa, suppositò quòd Deus ea promiserit in præmium illius meriti vt quinque?

¶ Ratio



*Ratio dubitandi difficilis, seu argumenti. 1.* ¶ Ratio dubitandi difficilis, quæ sese offert primo loco, est: Quoniam meritum de condigno vt sic, dicit quandam æqualitatem & condignitatem operis cum præmio & quasi quandam commensurationem & connaturalitatem: sed in casu posito, illud opus vt quinque non potest habere æqualitatem neque condignitatem, aut commensurationem cum toto illo præmio: ergo iustus per quodlibet opus meritorium non potest de condigno mereri totum illud, quod fuerit à Deo promissum. Ostendo minorem: Quia opus illud, verbi gratia vt quinque, de facto habet modo condigniratem cum gloria vt quinque: igitur si assignetur illi in præmium maior gloria, vel gratia & gloria omnium aliorum hominum, non merebitur illam de condigno. Probatur etiam consequẽtia: Nam aliàs, vel sequitur quòd modò non tribuitur iustis condignum præmium, vel sequitur quòd tunc tribueretur excessiuum; atque adeò esset præmium vltra condignum: Quoniam si de facto modò gloria vt quinque, est adæquatum præmium & condignum respectu meriti vt quinque; sequitur, quòd quidquid ampliùs aut vltrà datur, est supra valorem & *Confirm.1.* dignitatem illius meriti. ¶ Et confirmatur: Quoniã supponamus præmium illud excellens, esse condignum respectu operis meritorij vt mille; tunc implicat quòd sit condignum respectu operis merito rij vt mille, & quòd non excedat dignitatem operis vt quinque; Quia implicat etiam rem aliquam æstimari centum argenteis, & aliam parui valoris seu viliorem, tantundem æstimari, loquendo de vera æstimatione & vero valore: ergo. ¶ Et confir-
*Confirm.2.* matur secundò: Quia certum est, quòd opus meritorium puri hominis iusti, habet valorem limitatum de se: solum enim meritum Christi est infiniti valoris: ergo si opus meritorium hominis iusti, *Ad confirm.* est limitati valoris, sequitur, quòd illi dumtaxat correspondet de iustitia limitatum præmium: igitur quidquid vlterius datur, est ex gratia, & non est ex iustitia: ergo iustus non meretur de condigno totum illud præmium, quod fuerit à Deo promissum.

*Argum.2.* Secundò arguitur in confirmationem præcedentis argumenti. Quoniam si potest aliquis iustus cũ gratia, verbi gratia vt quinque, mereri apud Deum præmium vt decem, supplente ordinatione Dei defectum illorum quinque graduum gratiæ & meriti, sequitur, quòd pari ratione potest verè & propriè mereri sine vlla gratia, quod expressè est contra ea quæ articulo secundo præcedente definita sunt. Et probatur sequela: Quoniam eadem est proportio inter hominem iustum cum gratia & merito vt quinque, ad præmium vt decem, atque est inter iustum sine vlla gratia & merito ad præmium vt quinque. Nam si Deus facit album vt decem cum albedine dumtaxat vt quinque, pari ratione poterit facere album vt quinque sine vlla albedine prorsus, quod est impossibile & incredibile. *Confirm.* ¶ Et confirmatur: Quoniam pari ratione homo iustus posset satisfacere ad æqualitatem pro culpa alterius, quod sanè quàm sit falsum, patet ex dictis in.3. parti sequela autem probatur: Quia sicut talis persona merens vt quinque dumtaxat, est improportionata ad merendam tam excessiuam gloriam; ita etiam ad satisfaciẽdum pro peccatis ad æqualitatem: igitur sicut Dei ordinatio potest supplere vtrum, ita etiam potest supplere aliud.

Tertiò arguitur. Si quodlibet opus bonum meritorium cuiuscumque sit gradus, potest mereri de condigno maius præmium in infinitum, solùm propter ordinationem Dei; pari ratione sequitur quòd ex eadem ordinatione poterit opus prauum & peccaminosum mereri de condigno maiorem pœnam in infinitum; Quod esse falsum, ostendo: Quia si peccatum de cõdigno meretur totam pœnam quæ potest illi donari, & ad ipsum ordinari in infinitum: sequitur, quòd peccatum illud de condigno meretur totam illam pœnam in infinitum illi ordinatam, quòd habet infinitam malitiam etiam cathegorematicè. Patet consequentia efficaciter: Quia peccatum non meretur pœnam nisi ratione malitiæ & culpæ: ergo si meretur maiorem & maiorem pœnam in infinitum; sequitur, quòd habet maiorem & maiorem malitiam, & non finitam: ergo infinitam cathegorematicè. Nam profectò quidquid est à parte rei, verè est actu: igitur vel est actu finitum, vel actu infinitum: sed non est finitum actu per te: ergo infinitum. ¶ Et confirmatur etiam efficaciter: *Confirm.* Quia si daretur lumen gloriæ, quo quis beatus sem per posset intensiùs in infinitum Deum cernere intuitiuè, illud lumen esset actu infinitum, sicut lapis esset cathegorematicè infinitus, si ab eo possent infiniti lapides distincti, & non se communicantes diuidi & partiri: Sed idem proportionabiliter est in casu posito: ergo etiam eadem ratione sequitur, quòd si alicui operi bono assignari potest in infinitum maius & maius præmium, ita vt illud de condigno mereatur tale opus, quòd tale opus habet in se modò & de facto dignitatem quandam infinitam in ratione meriti: ergo pari ratione habet bonitatem infinitam. Quæ quidem sequelæ euidentes fiunt ex dictis: ergo ne hæc absurda & maiora sequantur, videtur non esse dicendum, quòd iustus mereatur de condigno per quodcunq; meritum, totum quod promissum fuerit à Deo.

*Tertium.*

Quartò arguitur: Quia si vera esset pars affirmatiua, sequitur, quòd si positis æquali gratia, & æquali opere meritorio inter duos, sola extrinseca ordinatio Dei sine infusione maioris gratiæ & auxilij, est sufficiens vt illi operi meritorio vnius, correspondeat maius meritum seu merces maioris præmij: ergo tale præmium non datur ex condigno; Nam dari ex condigno est idem, quòd ex iustitia, & non dari ex iustitia, est omnino esse ex gratia, nulla interueniente iustitia. Et profectò, secundum iustitiam æquale præmium debetur æqualiter laborantibus: igitur si illi æqualiter laborauerunt, æquale debetur præmium: ergo si quid datur vni, quod non alteri; hoc est mera gratia. ¶ Et confirmatur: Quia aliàs opera multò maiora & me- *Confirm.1.*
liora, & hominis magis iusti, essent minus meritoria de condigno, quam opera minora & minus bona, elicitaque ab homine minus iusto. Quod patet, si Deus minus præmium promisisset illi, quam huic minus iusto: sed hoc non est secundum iustitiam: ergo. ¶ Et confirmatur iterum: Quia opus ve- *Confirm.2.*
rè est meritorium in quantùm bonum: ergo implicat esse magis meritorium, & minus bonum: ergo

implicat iustum mereri de cõdigno totum id,quod promissum à Deo fuerit;aliàs sequerentur inconuenientia data.

*Quintum.* Quintò arguitur. Quia benè sequitur : Iustus de condigno potest mereri totum, quod à Deo fuerit promissum sine noua aut intensiori gratia, & sine maiori merito quam habebat : ergo potest mereri pro infinitis:Nam potest Deus opus meritorium illius ordinare in maius & maius præmium in infinitum : sed hoc est apertè falsum : Quia aliàs tale opus illius hominis esset tam meritorium, sicut opus Christi; & esset meritorium ex condigno & ex iustitia. Rursus : Ratio meriti sequitur ad bonitatem moralem operis : sed tale opus est finitum in omni eius bonitate : igitur non est infinitum in ratione meriti,& in ratione laboris aut valoris.

*Sextum.* Sextò arguitur pro eadem parte. Nam si Princeps statueret in præmium maiorem partem sui regni, ei, qui occideret quemcunque hostem Reipublicæ, profectò regia illa ordinatio nunquam efficeret, vt tam paruum & commune opus de condigno esset meritorium tam eximij præmij: ergo pari ratione, quamuis opus meritoriũ vt quatuor, quod est meritorium gloriæ etiam vt quatuor, ordinetur à Deo ad gloriam,verbi gratia vt mille, nõ erit sufficiens talis ordinatio vt tale meritum sit de condigno respectu gloriæ vt mille:cùm præmium vt mille, sit suprà valorem actus; ordinatio verò solùm est conditio sine qua non, vt Deus obligetur ex iustitia, & non est id quod dat valorem operi, quia dumtaxat est pactum reddendi condignum præmium operi iuxta valorem eius : ergo intentũ,&c.

Pro explicatione huius difficultatis suppono cũ Theologis in. 4. Iustos mereri de condigno totum illud præmium quod de facto illis confertur propter ipsorum opera.Suppono etiam,esse verum tritum illud proloquium Theologorum & Sanctorũ Patrum, Deus præmiat vltra condignum, & punit citra.Quod habet fundamentum in Euangelio Lucæ.6. & Matth.5. Estote ergo misericordes, sicut & Pater vester misericors est. Et subiungit; Date & dabitur vobis, Mensuram bonam & confertam, & coagitatam,&supereffluentem dabunt in sinum vestrum,&c. Et antea dixerat Euangelista, Merces vestra copiosa est in cælis.Quòd etiam axioma habetur apud Chrysost. homil. 28. ad popul. Antiochen. & habetur ex D. August. 21. de Ciuit. capit. 24.& in Enchyrid. cap. 12. & ex Basilio Psalm.119. D. Bernard. sermo. 1. de Annuntiatione. Et profectò, omnibus operibus Dei, vt constat ex testimonijs sacrarum literarum, tribuitur iustitia & misericordia, & in plerisque significatur abundantissimum præmium respondere iustorum operibus, vt patet ex locis allegatis Matthæi. 5. & Lucæ. 6. & Psalm.21.

*Lucæ.6.* *Matth. 5.* *D. Chrysost.* *D. August.* *D. Basilius* *D. Bernar.*

Sed quo pacto cohæreant duo illa pronuntiata, quæ supponimus : nempe, quòd iustus meretur de condigno totum præmium, quod de facto illi propter opera confertur, & quòd nihilominus Deus præmiat vltra condignum, id quidem explicatione indiget. Quocirca, nonnulli volunt, præter omnem gloriam respondentem meritis ex Dei promissione, gratis donari aliquid amplius beatis. Hoc tamen non mihi probatur : Quia tunc sequitur,quòd absolutè datur beatis aliqua gloria, quam iusti non meruerunt; & pari ratione sequitur,quòd peccatores merebuntur pœnam aliquam, quam non patiẽtur, quia punit citra condignum. Quod sanè videtur contra sacram Scripturam, quæ decernit, cuilibet esse retribuendum secundum opera, & ob id Matth. 18. ingratus seruus visus est, reddere vniuersum debitum,&c. Præterea: Quia hoc quod isti dicunt, vel est firma lege statutum, de qua quidem non constat, vel si non est vlla lex, gratis illud asseritur, & tunc quibusdam dabitur, alijs verò non dabitur : ergo. ¶ Vega, opusc. de iustificatione, quæstione. 5. ad. 2. dicit, quòd iustus de facto meretur præmium de condigno, quod excedit dignitatem meritorum, vt communiter Doctores dicunt in quarto distinctione quadragesimasexta.Dicit tamen, Deum præmiare vltra condignum respectu operum, si opera secundum se considerentur, quæ vt sic non adæquant valorem & excellentiam præmij; & hac ratione interpretatur quòd Deus præmiat vltra condignum, & concordat allatas sententias.Quæ interpretatio nonnullis recentioribus visa est probabilis, sed non iuxta mentem Sanctorum Patrum, neque iuxta mentem Theologorum, qui non ponunt excessum in sola excellentia præmij. Quoniam huiusmodi excessus excellentiæ, semper datur, etiam si vnus solus gradus gloriæ donetur pro meritis; & idcirco ponunt illud in quodam augmento huius gloriæ, vt patet legentibus disputationem de merito apud Scholasticos Theologos. ¶ Quapropter dicendum est, opera supernaturalia hominis iusti procedentia ex gratia & Spiritu sancto per Iesu Christi meritum, habere intrinsecè connaturalitatem & proportionem cum illa beatitudine quam merentur, & habere quandam condignitatem, secluſa etiam promissione illa supra dicta. Quo fit, vt talia opera habeant proportionem cum tanta gloria, & meliora & maiora opera cum maiori gloria. Deus ergo gloriam promisit propter hæc opera, non tantum seruata proportione rigorosa, vt pro tanto merito detur tanta gloria secundum quantitatem, sed etiã abundantiori modo. Et ista quidem ratione confert præmium vltrà condignum; id est, vltra condignitatem proportionis, sed non vltra promissionem; & ita seruatur & liberalitas in promittendo, & iustitia in reddendo; vt patet in punitione malorum : Nam Deus punit citra condignum,non sanè quia remittat aliquid pœnæ statutæ singulis peccatis; Nam quo ad hoc fit iudicium sine respectu ad misericordiam, Apocalyps. 18. & Iacob 2. Sed quoniam minorem pœnam statuit dare, quam ipsa peccata merentur. Sic ergo explicari possunt ea, quæ diximus, & aliqua ratione adumbrari,&c. *Vega.* *Apocal.* *Iacob.*

Secunda animaduersio sit, quòd præter meritum de rigore iustitiæ, & de condigno, est aliud meritum, quod potest dici de iustitia, & dicitur de iustitia : Vnde meritum potest esse triplex : Primum & imperfectissimum meritum, quod neque est de rigore, neque de condigno, est illud quod dumtaxat innititur fidelitati promittentis, & non dignitati operis:vt si Deus promisisset gloriã benè operanti ex puris naturalibus. Aliud est meritum quod *Nota.*



quod proprijssimè est de condigno, quando opus de se habet condignitatem & determinatam proportionem cum tali præmio, quæ proportio potest sumi, vel ex æqualitate inter gratiam & gloriam, vt suprà dictum est, vel ex condignitate, quam ex natura sua, etiam secluſa promissione, habet gratia in ordine ad gloriam, sicut medium in ordine ad finem, vt diximus suprà artic.1.&.2. Nam gratia ex natura rei facit hominem hæredem gloriæ : & gratia vt quatuor, facit hæredem gloriæ vt quatuor. Inter hæc duo mediat aliud meritum de iustitia, quod dici potest etiam de condigno, in quo differt à primo, sed non ita propriè dici potest de condigno, sicut hoc secundum meritum, de quo paulò antea loquebamur. Quia cùm dignitas in illo non sumatur secundum aliquem modum æqualitatis, vel determinatæ proportionis, sed secundum modum cuiusdam radicalis habitudinis, & connaturalitatis rei ad rem, licèt non gradus ad gradum; idcircò nõ ita propriè dicitur meritum de condigno: Et ob id Theologi dicunt, loquentes de hoc merito tertio modo, quòd Deus præmiat vltra condignum, id est supra id quod de condigno secundo modo meremur. Et hoc insinuat Sanct. Thom. in. 4. dist. 46. quæstio. 2. artic. 1. Vt si labor diurnus mercenarij æstimetur duobus argenteis, & quis velit ex amicitia æstimare illud quatuor aut quinque argenteis;tunc mercenarius non eodem modo meretur duos aut tres alios argenteos, sicut duos priores; Quoniam duo vel tres posteriores potius videntur ex gratia dati,quàm pro labore reddi. Ita expressè sentit Caietan. in hoc. 3. art. Et idcirco dicitur Deus dare mẽsuram bonam supereffluentem,confertam,& coagitatam Lucæ. 6. Et ob id etiam dicitur quòd centuplum accipiemus. *Luc.6.* *Conclusio.*

HIs ergo sic prælibatis, est conclusio. Iustus meretur de condigno totum id,quod Deus propter eius bona opera meritoria promiserit. Hæc assertio sequitur ex prima & secunda animaduersione supra tacta. Et probatur : Nam iustus de condigno meretur de facto totam gloriam quã recipit à Deo, vt suprà dictum est:sed ista gloria excedit dignitatem operum, vt explicatũ est animaduersione prima & secunda:ergo quamuis præmiũ excedat dignitatem operis secundum se,si tamen à Deo ordinetur,merebitur illud de condigno. ¶ Vbi aduerte, quòd est sermo de merito condigni sumpto non secundum aliquem modum æqualitatis vel determinatæ proportionis gradus ad gradum; sed secũdum modum cuiusdam radicalis habitudinis, aut connaturalitatis rei ad rem, & non gradus ad gradum, vt dictum est. Quare, probatio facta pro conclusione,solum ostendit iustum mereri de condigno eos gradus gloriæ, qui correspondent gradibus gratiæ secundum suam præcisam dignitatẽ; alium verò gradum, quem vltra condignum Deus ordinauit, non ita propriè de condigno meretur, sed dumtaxat tertio modo,quo diximus in secunda animaduersione. Et hoc videntur significare Theologi omnes dicentes, Deum præmiare vltra condignum, hoc est supra id quod de condigno secundo modo meremur.Quòd verò non ita propriè de cõdigno hoc mereamur,apertè constat:Quia si totum id quod Deus promisit meremur ita propriè de cõdigno, sequitur non minus verum esse Deum præmiare citra cõdignum,quam vltrà: Quoniã si Deus statuisset duplex præmium pro operibus, quàm de facto statuit, si per te mereremur totum illud præmium ita propriè de condigno sicut dicis de præmio nunc statuto, licèt excedẽs sit:ergo sicut dicis Deum præmiare vltra condignum,quia taxauit maius præmium, quam nostra opera de condigno merentur secundum æqualitatem proportionis & cõdignitatis gradus ad gradum;ita etiam possemus dicere præmiare citra condignum, quia statuit minus,quam nostra opera possent de condigno mereri. Nam si duplum statuisset præmium, totum illud mereremur de condigno propriè per te:ergo, &c.

Secũdò persuaderi potest proposita assertio:Quia aliàs non posset iustus de condigno mereri simul augmentum gratiæ & gloriæ, quod esse plusquam fallum infra ostẽdemus. Et probatur sequela:Quia si Deus solam gloriam, & non augmentum gratiæ assignaret in præmium,tunc nullam faceret homini iniustitiam, sed condignum præmium illi tribueret, sicut de facto tribuit primæ contritioni, quæ vt infra dicemus, dumtaxat est meritoria gloriæ, & nullius gratiæ. Et idem esset si solum Deus assignaret in præmium, augmentum gratiæ,& non gloriæ : sed nihilominus modo vtrumque meretur homo de condigno propter ordinationem Dei : ergo similiter est dicendum in proposito nostræ quæstionis,& in casu nostræ conclusionis. ¶ Sed aduerte, quòd iuxta ea quæ diximus animaduersione secunda ante conclusionem, hæc ratio concludit in dispari casu. Nam qui meretur finem, meretur etiã & media ad finem; & idcirco qui meretur augmentum gloriæ, meretur etiam propriè de condigno augmentum gratiæ quod est medium ad illud; quando verò non requiritur vt medium, tunc non meretur, vt patet in prima contritione: Quòd si Deus alterum tantum illorum statuisset in præmiũ, nullam faceret iniustitiam, sed non assignaret totum id quod correspondet dignitati operis : amicus enim per opera grata meretur magis amari ab alio amico.

Rursus persuaderi potest prẽfata conclusio:Quia Theologi omnes. 3. part. concedunt, posse iustum de potentia absoluta Dei fieri & constitui caput gratiæ, ita vt mereatur de condigno gratiam omnibus, & tamen si prima gratia data vni constitueretur in præmium, esset sufficiens, & pari ratione qua conceditur, hominem habentem gratiam vt quatuor posse mereri pro pluribus gratiam vt quatuor, est etiam concedendum, posse aliquibus mereri intensiorem gratiam, quam ipse habeat : Quia gratia vt quatuor data duobus, æquiualet gratiæ vt octo. Nam si homo meretur singulis filijs singulas vrbes, posset vni plures mereri. ¶ Et confirmatur : Quoniam communiter admittunt Theologi, tertia parte, quæstione secunda, articulo vndecimo, potuisse iustum de potentia absoluta Dei mereri de condigno incarnationem : sed iste excedit dignitatem operum absolutè loquendo, nisi considerentur vt ordinata à Deo : Nam multò minus præmium, vel incarnatio Angeli esset illis sufficiens:ergo.

Moueor etiam ad eandẽ assertionẽ:Quoniam cõ-

dignitas inter præmium & meritum, non resultat ex æquiualentia physica: Quia actus breuis & limitatus procedens à gratia vt quatuor non habet isto modo æqualitatem cum gloria, quæ cùm sit æterna & inamissibilis, est longe excellentioris rationis, iuxta Paulum dicentem; Quod leue & momentaneum est tribulationis nostræ supra modum æternum gloriæ pondus operatur: Attenditur ergo ex hoc quòd cum gratia Dei sit participatio diuini esse, secundum quam est homo consors diuinæ naturæ, est radix cuiuscumque boni per participationem diuini esse, & ita virtualiter & quasi in radice continet quodcumq; præmium, ad quod potest ordinari. Nam sicut in dignitate diuina & diuino esse, eminenter includitur quodcumque, ita etiam suo modo in gratia quæ est participatio illius esse, & illius dignitatis. ¶Tandem; Nonnulli Theologi hac ratione suadent propositam assertionem, est tamen eorum ratio argumentum symbolicum. Dicunt enim, quòd si Rex sanciret vnum argenteum æquiualere aureo; tunc is qui pro re valẽte vnum aureum, daret vnum argenteum, verè redderet æquiualens pretium de iustitia: Ergò similiter in proposito dici potest.

Ex dictis colligo, quòd non eodem modo meretur iustus de condigno totum id quod promittitur, aut promitteretur à Deo, cùm sit triplex genus meriti à nobis distinctum, vt in discursu secundæ animaduersionis diximus; & consequenter rationes paulò antea factæ, tantum concludunt de merito tertio modo, quod etiam debent concedere authores dicentes, opus naturale mereri de condigno gloriam saltem primo modo, si eam Deus pro tali opere promitteret; sed tunc illud meritum esset imperfectissimum, quod potiùs innititur fidelitati promittentis, quam dignitati operis. ¶Quòd verò sit constituendum meritum illud medium, fundatum in gratia, quod dici potest de iustitia, & quasi de condigno, vt superius animaduertimus, fundari potest in sententia illa Euangelica Matth. 20. quo loco id quod vltrà condignum datum est operarijs qui vltima hora venerunt, etiam vocatur & dicitur denarius & merces pro labore diurno: Aptè igitur & conuenienter distinguitur illud medium meritum inter imperfectissimum, quod dumtaxat innititur fidelitati promittentis, potius quam dignitati operis, & inter illud quod proprijssimè est de condigno, quando opus de se habet condignitatem ex natura sua etiam seclusa promissione. Quòcirca, cùm diximus quòd iustus meretur de condigno totum id quod Deus propter eius bona opera promiserit, loquimur de merito non quidem eodem modo, sed secundum diuersam rationem meriti pro diuersitate generis aut ordinis meriti aut promissionis, secundum explicationem datam: semper tamen est dicendum, quòd secundum legem à Deo præscriptam, iustus meretur apud Deũ per opera ex gratia procedentia, augmentum gratiæ & vitam æternam. Quæstio autem nostra est etiã de potentia absoluta, & explicat diuersos modos meriti & merendi, quos Deus statuere potuisset si vellet; de facto tamen iustus meretur de condigno præmium, quod de facto illi propter opera proponitur & confertur.

*Matth. 20.*

*Ad argum. Ad primũ.* AD argumenta. Ad primum respondetur, optimè probare nõ posse tale opus mereri de condigno proprijssimè, sed solum primo modo, aut tertio modo, loquendo de merito illo intermedio, quod explicuimus in secunda animaduersione, & etiam in discursu conclusionis; sicut si labores & opera mercenarij, quæ de se æstimantur quinq; argenteis, vellet quis magis æstimare, atque ita ratione huius, labor ipsius amici potest ampliùs mereri & magis æstimari. ¶Et per hoc patet solutio ad quintum argumẽtum supra positum. Nam ex eo quòd quis mereatur pro infinitis hominibus, vt si Deus opus alicuius ordinaret in maius & in maius præmiũ in infinitum, non sequitur esse infinitè bonum, neq; eius actum esse tam meritorium, sicut actum Christi, qui non solum ex cõuentione extrinseca, sed etiam ex intrinseca dignitate actus vt procedit à tali supposito, meretur infinitum præmium; & ex hoc apertè ostenditur differentia constituta à nobis in secunda animaduersione, & in discursu cõclusionis nostræ. ¶Ad secundum respondetur, negãdo consequentiam. Non enim gratia dicitur causa formalis meriti sicut albedo est forma albi; est tamẽ gratia omnino requisita sicut libertas, & ab aliquibus dicitur quòd est conditio omnino requisita. Vndè, sicut potest esse actus magis meritorius licèt nõ sit magis liber, ita etiam in proposito, &c. ¶Ad confirmationem respondetur negando consequentiã: Quia sicut ad merendum præmium supernaturale, requiritur omnino gratia & libertas, neq; id potest à Deo suppleri; ita ad satisfaciendum ad ęqualitatẽ, requiritur vt persona satisfaciens sit æqualis cũ persona offensa, vt superius ostẽdimus disput.2.& alijs. ¶Ad tertium respondetur ex dictis, in merito reperiri duplicem condignitatem, alteram commensuratam bonitati operis, & secundum hanc quæ limitata est, pretium etiam est limitatum, & quantò actus habet maiorem bonitatem etiam habet maius præmium. Et de hac condignitate, optimè concludit argumentum, quòd si præmium posset crescere in infinitum, ipsa esset iam infinita in actu & in bonitate & in valore. Altera tamen condignitas est, quæ non commensuratur bonitati & valori operis secundum se sumpti, sed prout ordinatur ad tale præmium, supposita fundamentali proportione & radicali. Et in hoc casu, ex eo quòd crescat præmium, non sequitur actum in se meliorem esse, sed magis æstimari ratione extrinsecæ ordinationis Dei. Et quoniam hæc potest crescere in infinitum, pari ratione potest crescere etiam ratio meriti. Et proportionabiliter idem concedunt recentiores Theologi de peccato, cuius malitia licèt finita sit, qua ratione meretur pœnam tantum finitam, sed quia est contra infinitum obiectum, contrahit infinitatem quandam, ratione cuius potest mereri de condigno vltimo modo, videlicèt loquendo de merito illo intermedio, quamcumque pœnam à Deo præscriptam, quamuis in præmio proprius habeat locum, quam in pœna, vt in humanis patet; Et hinc posset assignari disparitas, cur homo posfit mereri de condigno præmium, quod est vltra condignum; non autem pœnam: Quia implicat mereri pœnam, & non ex rigore iustitiæ, atque adeò ex omnimoda æqualitate

*Ad secundũ. Ad confir. Ad tertium.*



litate ad culpam. Præmium autem non meretur homo de rigore iustitiæ: Quia interuenit gratia & liberalitas; quæ liberalitas non habet locum in ordine ad pœnam, nisi fortè vt sit citra condignum, non verò vt sit vltra: Et ita, cùm Deus maiores cruciatus infert, quam peccatum de se meretur, illi tantum habent rationem pœnæ, qui correspondent malitiæ, alij autem non, sicuti si homini iusto infligerentur. Nam cùm finita sit malitia, finita pœna ei correspondet; aliàs tantam mereretur pœnam veniale, quam mortale, & mortale maximum, quam minimum, & è contra: Neque ordinatio Dei sufficiens videtur, vt sicut facit opus bonum dignum maiori præmio, ita faciat opus malum dignum maiori pœna quam ex se mereretur, propter rationem tactam, sed potius erit actus absoluti dominij, quã iustæ punitionis: vt si vellet vnicum veniale iusti eadem pœna qua plurima mortalia, afficere; & hæc videtur aliqualis disparitas. Sed profectò melior est prima responsio & solutio, & ob id sequenda. ¶Ad quartum & sextum argumentum respondetur, de se habere valorem finitum; cæterum supposita ordinatione, potest in infinitum ampliùs æstimari, sicut de numo & argento dici potest. Vnde, liquet ex his solutio sexti argumenti supra positi in exordio disputationis. ¶Ad quintum arbitror me satis dixisse in solutione ad primum & in discursu quæstionis: ex eo enim quòd quis pro infinitis hominibus mereatur ex sola extrinseca dignitate diuinæ ordinationis, non sequitur meritum illius esse infinitè bonum, neque etiam sequitur eius actum esse tam meritorium sicut actum Christi, qui non solum ex conuentione extrinseca, sed etiam ex dignitate intrinseca actus, quatenus procedit à tali supposito, meretur infinitum præmium. ¶Ad vltimum iam diximus in solutione ad quartũ.

*Ad quartũ, & sextum. Ad quintũ. Ad vltimũ.*

## DISPVTATIO IIII.

*Vtrùm opera iustorum facta ex gratia & charitate, sint meritoria ex propria & intrinseca bonitate, vel ex sola extrinseca acceptatione Dei?*

*De hac disputatione ie[...] quæ diximus supra artic.1. huius quæstionis. 4. difficultate 2.*

DIsputationis huius titulus est, Vtrũ præter gratiam & Spiritus sancti motionem, requiratur vlterius alia ordinatio & promissio Dei ad hoc quòd opera nostra sint meritoria vitæ æternæ de condigno? Sunt enim Theologi qui dicant, opera facta ex gratia, esse meritoria de condigno ex sola acceptatione, & non ex propria & intrinseca bonitate, neque ex intrinseco valore conueniente ipsis operibus meritorijs ex sua natura. Et consequenter affirmãt, quòd etiam in operibus meritorijs à gratia procedentibus, propriè & strictè loquendo non est meritum, sed solùm largè. Huius sententiæ author est Scotus in.1. distinct.17. quæst.2. vbi tenet, hanc propositionem non esse veram, Quia istud opus procedit ex gratia, est meritoriũ. Nam dicit, quòd ratio meriti completur in acceptatione diuina, & quòd requiritur alia promissio ad rationem meriti, in qua præcisè fundatur ratio meriti. Idem sensit Durand. in.1. distinct. 17. quæst. 2.& in.2. distinct.27. quæst.2. Gabr. in.1. distinct.17. quæst. 3. & in. 2. distinct. 27. quæst. 1. & Guillerm. Parisiens. tractatu de Meritis, & Vega de iustificat. quæst.5.

*Scotus. Durand. Gabriel. Guillerm. Vega.*

*1. Argum.* Argumenta quæ pro hac sententia militare possunt, sunt quæ sequuntur. Beati habent opera procedentia ex gratia, & multò perfectiora quam nostra, & tamen non merentur per illa, quia non est promissio Dei, neque ordinatio illorum operum ad præmium: ergo talis promissio & ordinatio est necessariò requisita. Neque satisfacit dicere, quòd beati sunt in termino: Quia esse in termino, nihil aliud est, quam quòd non sit ex parte Dei talis promissio & ordinatio. Nam si eorum opera ordinarẽtur à Deo in præmium, verè essent meritoria. ¶Secundò arguitur. Quia Deus iniustus esset si non tribueret præmium beatis iuxta illud Paul. ad Hebræ. 6. Non enim iniustus est Deus, vt obliuiscatur operis vestri: sed hæc iniustitia non potest intelligi nisi supposita promissione Dei, quod videtur dicere S. Thom. supra quæst.112. artic.3. ad.1. Vbi ait, quòd si Deus non conferret gloriam merentibus eam, faceret contra iustitiam, quam ipse statuit. ¶Tertiò arguitur. Actiones meritoriæ de condigno debẽt habere æqualitatem cum gloria: sed nisi Deus illas acceptaret, non haberent hanc æqualitatem, quandoquidem semper sunt minores quam gloria, dicente Paulo, Quod leue & momentaneum est tribulationis nostræ, &c. ergo. ¶Quartò. Actiones nostræ licèt sint à gratia, non merentur confirmationem in gratia, aut perseuerantiam in illa, nã Deus non acceptat actiones nostras ad hoc: ergo neque etiam merentur gloriam, ad cuius consecutionem requiritur perseuerantia, nisi ad hoc specialiter acceptentur à Deo. ¶Denique authores citati hoc fundamento permouentur ad suam sententiam. Quia si gratia esset sufficiens principium ad merendum vitam æternam; sequitur, quòd operanti ex gratia nõ posset Deus non retribuere beatitudinem, & aliàs esset iniustus. Patet: Quia opus illud est dignum vita æterna ante diuinam acceptationem: ergo iniustitia esset non dare pro illo vitam æternam.

*Secundum. Hebræ. 6. Tertium. Quartum. Quintum.*

*Marsilius.* Marsilius in.2. quæst.17. &. 18. ex prædictis argumentis & fundamentis colligit, quòd multò magis requiritur ad meritum ipsa specialis acceptatiò, & ordinatio Dei extrinseca, quam gratia. Et probat: Quia possumus intelligere, quòd licèt homo nõ sit in gratia, nihilominus opus illius acceptetur à Deo tanquam meritorium alicuius præmij, & è conuerso possumus intelligere hominem in gratia, & Deum non acceptare illud opus: igitur multò magis requiritur ipsa acceptatio, & ordinatio extrinseca Dei.

Alij Theologi dicunt, quòd cum meritũ quo homo iustus meretur apud Deũ, nõ sit meritũ perfectũ, sed imperfectũ, nõ est dubitandũ nisi quòd ad hoc quòd apud illũ mereamur vitam æternã, requiritur quòd opera nostra sint illi accepta, & sint ab illo ordinata ad consequutionem talis finis: Quia cũ omnia nostra opera sint Deo aliàs debita, nullo modo per illa meremur de condigno vitam æternam, nisi sua lege & ordinatione statuisset, q nos per talia

opera consequeremur vitam æternam. Quòd si per acceptationem diuinam intelligant Scotus & sui, diuinam legem & ordinationem, multi discipuli D.Thom. ex eius familia dicunt esse veram sententiam Scoti sic intellectam, scilicet, quòd præter gratiam, ad hoc vt opus sit meritorium de condigno, requiritur acceptatio; imò verò quòd plus requiritur acceptatio ad rationem meriti, quam gratia. Quoniam opera Beatorum & animarum existentium in purgatorio, sunt ex gratia; & quia non est lex aut diuina ordinatio, quòd per illa opera acquiratur aliquod præmium, idcirco non dicuntur meritoria de condigno.

*Nota.1.* Pro explicatione huius difficultatis, obserua primò, quòd homo iustus & gratus, ex ipsa ratione & natura gratiæ, est intrinsecè ordinatus ad beatitudinem, & proportionatus illi. Nam vt suprà ostendimus, gratia ex ipsa ratione gratiæ, facit iustum participem & consortem naturæ diuinæ, filium Dei; ac proinde hæredem, templum & habitaculum dignum Spiritus sancti: & per charitatem verè amicum Dei. Vnde gratia vocatur semen vitæ æternæ, vt eleganter explicuit Sanct. Thom. in hoc artic. ad. 3. Quia gratia secundum propriam rationem continet virtualiter ipsam beatitudinem: appellatur etiam gratia fons aquæ viuæ salientis in vitam æternam, & pondus gloriæ. ¶ Rursus obserua,

*Nota.2.* quòd meritum de condigno includit debitum ex iustitia. Quare, non potest citra iniustitiæ notam negari præmium iustis benè operantibus ex gratia & motione Spiritus sancti per Iesu Christi meritum, iuxta illud Paul. ad Hebræ. 6.

*Hebræ. 6.* Non enim iniustus est Deus vt obliuiscatur operis vestri & dilectionis: quasi diceret quòd esset aliqua iniustitiæ nota in Deo si obliuisceretur præmiare bona opera iustorum. Verùm aduerte, quòd hoc non est quia nos obligauerimus Deum simpliciter & absolutè, sed quoniam ipse se ipsum obligauit secundum regulam suæ iustitiæ, cùm dedit gratiam ad operãdum, atque adeò si non redderet gloriam iustis, non seruaret regulam suæ iustitiæ, quam ipse sibi præfixit.

*D. August.* Hoc confirmat eleganter D. August. super Psalm. 83. dicens; Donator est indulgentiæ, debitor coronæ. ¶ Tandem obserua,

*Nota.3.* multipliciter posse intelligi quòd quis mereatur præmium, quod sibi datur: Primò, sine vlla præuia obligatione vel promissione ex parte dantis, vt si Rex aut Princeps conferat dignitatem seu pensionẽ aliquam, ad quam nulla obligatione tenebatur. Secundò potest intelligi dari huiusmodi præmium cum præuia obligatione proueniente ex vi nudæ promissionis, sine aliquo pacto, quo exigeretur priùs opus vel seruitium à recipiente dignitatem aut præmium; & tunc, licèt Rex qui promisit, obligaretur dare, alter tamen nõ diceretur mereri ex iustitia: quia obligatio Principis ad dandum, non tam erat iustitiæ, quam fidelitatis & veracitatis cuiusdam. Tertio modo dari potest huiusmodi præmium, cum obligatione præuia ex parte dantis, taliter quòd illa obligatio non nascitur ex nuda promissione, sed ex pacto & conuentione, qua quis exigit certum seruitium, & obligat se daturum pro illo præmium determinatum. Et hoc potest stare dupliciter; Primò, ita quòd præmium longè excedat seruitium, quod pro illo exigitur: Quia seruitium de se & ex sua natura non est proportionatum præmio, sed ex sola liberalitate, & acceptatione præmiantis. Secundò, ita quòd opus vel seruitium quod exigitur, ex intrinseca bonitate & propria natura æquiualeat præmio, & habeat quandam proportionem & æqualitatem cum illo, vt alibi fusiùs explicuimus.

*Conclus.1.* His ita prælibatis, est prima conclusio. Opera hominis iusti facta ex gratia, ita merentur de condigno vitam æternam propriè loquendo, vt ex intrinseca bonitate & perfectione æquialeant vitæ æternæ, & non tantum ex acceptatione extrinseca superueniente illis. Quocirca sentiendum est, quòd ad meritum vitæ æternæ non requiritur alia ordinatio vel promissio Dei distincta ab ea, quæ clauditur intrinsecè in gratia. Hæc assertio est S. Thom. & omnium discipulorum eius. *D.Thomas.* Ita Caietan. in hoc artic. Sotus de natura & gratia, *Caietanus.* capit. 7. Ferrara. 3. contra gent. capit. 93. Capreol. in 2. distinct. 27. quæst. 1. ad. 1. Durandi: Et idem sensit D. Bonanent. in. 2. distinct. 27. quæst. vlt. Ægyd. ibidem. quæst. 2. artic. 4. Et licèt olim Sanct. Thom. iuenis in. 1. distinct. 27. visus fuerit tenere, quòd non est meritũ de condigno propriè respectu vitæ æternæ; hic tamen corrigit illam sententiam, & se ipsum apertius explicauit, vt notauit Capreol. loco citato. Probatur conclusio ex testimonijs suprà allatis disputatio. 2. ex diuinis literis, vbi ex eis constat, vitam æternam appellari stipendium bonorum operum, & mercedem, Matthæi. 7. Qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis: Ex quo patet, meritis esse præmia commensuranda. Et Zachar. 4. Ex æquabit gratiam gratiæ, id est, vitam æternam meritis procedẽtibus ex gratia, vt exponit D. August. lib. de correctione & gratia, capit. 13. & de gratia & libero arbitrio. cap. 9. ¶ Rationibus etiam persuadetur conclusio: Nam homo meretur apud Deum id ad quod est ordinatus ab ipso, vt Sanct. Thom. docet cum omnibus Theologis: sed per gratiam est homo ordinatus ad beatitudinem ex ipsa natura gratiæ sine speciali & noua promissione superadita: ergo opera vt à gratia procedentia, verè merentur sine noua promissione superaddita. Itaque, eò ipso quòd Deus donat homini rationalem animam, eum ordinat vt habeat intellectum & voluntatem, & esset miraculum si non conferret illi intellectum: ergo pari ratione, eo ipso quòd confert gratiam & virtutes operatiuas supernaturales, ordinat illum ad beatitudinem, sic quòd esset miraculum si nõ conferret beatitudinem homini iusto habenti gratiam, & multò magis homini iusto operanti per illam: Quia ex proprijs operibus acquisiuit ius ad beatitudinem: ergo sine causa ponitur alia distincta & noua promissio.

*Matth.5.* *Zachar.4.* *D.Aug.*

Adducor etiam ad præfatam sententiam: Quoniam valor operum non solum pensatur ex substantia &, intensione actus, sed etiam ex dignitate & excellentia personæ operantis. Nam maioris valoris est, cæteris paribus, opus factũ à Rege, quã ab homine plebeio: sed homo existens in gratia habet connaturalitatem & condignitatem intrinsecã ad bonũ diuinum, quod est beatitudo æterna: ergo eius opera vt ex tali gratia procedunt, sunt verè & propriè cõdigna vitæ æternæ. Et cõfirmatur apertè ex



*Paulus. Colossen.2. Thessal.1. 2.Petri.1.* ex Paul. ad Colossen. 2. Dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum, & 2. ad Thessal. 1. Vt digni habeamini regno Dei, pro quo & patimini. 2. Petri. 1. Magna & pretiosa nobis promissa donauit; vt diuinæ efficiamur consortes naturæ. Ex quibus testimonijs colligitur, quòd iustus habet in suis operibus meritorijs connaturalitatem & condignitatem quandam respectu gloriæ. ¶ Rursus persuadetur: Nam gloria debetur ex conuentione & pacto diuino, sicut Pater familias debet stipendium, de quo paciscitur cũ operarijs: sed stipendium debetur operarijs vere & propriè secundum condignitatẽ, iuxta illud Lucæ. 10. Dignus est operarius mercede sua: ergo. Et confirmatur ex Parabola Patris familias conducentis operarios in vineam suam ex denario diurno: Ille enim Pater familias, debet ex iustitia denarium operarijs laborantibus. Vnde, ibidem in Euangelio dicitur, Quod iustũ fuerit dabo vobis: Sancti autem Patres communiter per denarium diurnum intelligunt vitam æternam, seu visionem beatam, quam Deus promisit iustis tanquam iustum stipendium suorum laborum; & ob id in fine Parabolæ Pater familias ait; Amice, non facio tibi iniuriam, nonne ex denario conuenisti mecum? tolle quod tuum est & vade; quasi diceret, Si non redderem denarium, facerem iniuriam, quia non redderem quod debeo, & quod tuum est secundum conuentionem & pactum. ¶ Item probatur: Quia si esset operarius egenus & ægrotus, neque habens vires neq; instrumẽta ad laborandum, & alter gratis & liberaliter sanaret illum, donãs ei vires & instrumenta, & conduceret illum vt operaretur in vinea sua cum pacto dandi illi stipendium consuetum dari reliquis operarijs proculdubio operarius ille laborando mereretur ex iustitia stipendium consuetum, non sanè ex toto rigore iustitiæ, quæ nullam præsupponit gratiam & liberalitatem, sed ex vera & propria iustitia. ¶ Sed vt intelligas allata argumenta, oportet in memoriam reuocare ea quæ diximus supra disputat. 2. notab. 1. & 2. & etiã ea quę diximus conclu. 2. & 3. & in explicationibus eiusdem controuersiæ.

Moueor præterea: Quia Deus, ex eo quòd dedit nobis charitatem, fecit illam principium sufficiens ad diligendum, & ex eo quod dedit fidem, fecit sufficiens principium ad credẽdum: ergo ex eo quòd tribuit gratiam, fecit illam sufficiens principium ad merendum: igitur non requiritur noua alia acceptatio, quam Scotus & sui fingunt. Et cõfirmatur: Quia si Deus vellet facere qualitatem istam gratiæ, vt esset principium meriti sufficiens, id quidem vere posset facere: sed si hoc voluisset, non fecisset aliter, quã de facto fecit: ergo. ¶ Et confirmatur: Quoniam opera hominis dicuntur accepta ad vitam æternã, quia sunt ab homine accepto ad vitam æternam: Si enim respexit Deus ad Abel & ad munera eius, prius oportet intelligere personam acceptam, quam intelligamus opus esse acceptum: sed homo est iam acceptus per gratiam ad vitam æternam: Quia gratia, secundum omnes, est acceptatio ad gloriam: ergo eo ipso quòd homo habet gratiam, non indigent opera alia noua acceptatione. ¶ Et confirmatur iterum: Nam filius eò ipso quòd est filius, habet ius ad hæreditatem, iuxta illud Paul. ad Rom. 8. Si filij, & hæredes: sed homo est filius Dei per gratiam: ergo

*Rom.8.*

ad consequendam hæreditatem, non indiget acceptatione. ¶ Et confirmatur iterum ex argumento aliorum, quod examinatione indiget, & inferius examinabitur. Nam nullum præmium citra gloriam videtur sufficiens ad remunerandum opera iustorum secundum æqualitatem: ergo præmium ad æqualitatẽ correspõdens operibus meritorijs procedentibus à gratia & motione Spiritus sancti per Iesu Christi meritum, est ipsa gloria, Probatur antecedens: Quia gratia est quid excellentius omni bono creato citra vitam æternam.

*Conclus.2.* Secunda conclusio. Sine dubitatione vlla est dicendum, quòd in meritis iustorum & Sanctorum interuenit promissio Dei & pactum diuinum, veraque ordinatio operum ad vitam æternam: qua ratione apud Paulum ad Ephes. 1. dicuntur fideles signati spiritu promissionis Sanctæ, & ad Hebræ. 6. inquit, quod per fidem & pietatem Sancti hæreditabunt repromissionem. Et concil. Trident. sessio. 6. cap. 16. dicit, quòd benè operantibus vsque in finem, & in Deo sperantibus, proponenda est vita æterna, & tanquam gratia filijs Dei per Christũ Iesum misericorditer promissa, & tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus, & meritis fideliter reddenda. Quapropter, disputatio proposita, non est, vtrum promissio, pactum, & diuina ordinatio Dei sit necessaria ad meritum: hoc enim certissimum est, & Sanctissimus Præceptor sępius illud dixit: sed controuersia est, Vtrum hæc ordinatio & promissio claudatur in ipsa natura gratię vel vtrum requiratur alia distincta ordinatio & promissio, sicut Scotus & sui credebant.

*Ephes.1.* *Hebræ.6.* *Trident.*

*Conclus.3.* Tertia conclusio. Cum gloria datur vt præmium & stipendium rectè operãtibus ex gratia, & laborantibus in vinea Domini, vere dicitur corona iustitiæ, vt patet ex Trident. sessio. 6. cap. 16. Quo fit, vt gloria quæ stipendium est meritorum, non dicatur merè gratis, & pure liberaliter solum dari iustis rectè laborantibus & operantibus sed ex debito. Cæterum aduerte, quod huiusmodi debitum non fundatur in nuda promissione diuina, ita vt Deus solum teneatur ex fidelitate & veracitate quadam, prout volunt hæretici, sed fundatur in conuentione & pacto secundum rationem dati & accepti: atque adeo est debitum iustitiæ. ¶ Rursus: Hoc debitum, non resultat ex sola extrinseca ordinatione & acceptatione, qua Deus acceptat opera iustorum ad remunerandum illa, vita æterna, sed consurgit ex intrinseca conditione & proprietate horum operum secundum quòd procedunt ex gratia. Itaque, huiusmodi opera intrinsece sunt ordinata ad illud præmium, & habent æqualitatem cum illo, non quidem æqualitatem secundum esse actuale & formale, sed secundum virtutem & efficaciam: Quoniam opus factum ex gratia, virtualiter æquiualet gloriæ, sicut semen æquiualet arbori virtualiter, licet formaliter sit longe minus. Quapropter, sicut semen terræ mandatum, habet vim connaturalem & proportionatam intrinsece vt ex ipso nascatur arbor, ita opera bona facta ex gratia, habent intrinsecam connaturalitatem & proportionem ad gloriã, suo tempore recipiendam. Itaque, huiusmodi opera meritoria valent tantum, quantum ipsa vita æterna, non solum quasi ex impositione & ad placitum vt

numus aureus valet modium tritici, sed ex ipsa natura & condignitate & conditione intrinseca operis meritorij procedentis à gratia, & ab Spiritu sancto.

*Ad argum. Ad primũ.* AD argumenta. Ad primum respondetur iuxta solutionem ibi datam. Et ad replicam respondetur, quòd nõ dicitur homo esse in termino, quia desit promissio Dei, sed quia est immediate & inseparabiliter coniunctus vltimo fini, ita quod iam ex ipsa natura beatitudinis sine noua promissione Dei, & est homo ipse impeccabilis, & beatitudo inamissibilis: Quoniam actus visionis & charitatis beatificæ, sunt ex propria natura sua necessarij, etiã quantum ad exercitium. Vnde, quamuis de potentia absoluta possint beati mereri augmentum beatitudinis per opera libera; illud tamẽ esset miraculũ, & extra rationem beatitudinis, quæ simpliciter constituit hominem in termino. *Ad secundũ.* ¶ Ad secundum respõdetur quòd etiam supposita promissione & pacto diuino, licet Deus non dicatur secundum se obligatus ex iustitia, quia non est capax obligationis, sed solum ex veracitate & fidelitate, in quibus non potest non esse infallibilis Deus; tamen reperitur vera ratio iustitiæ in redditione præmij, secundũ quòd cõsistit in æqualitate meriti ad præmium. Vnde, verè peritur vera ratio iustitiæ in ordine ad præmium, ita vt detur ad minus tanta beatitudo, quantum fuit meritum, & si Deus illud nõ conferret, faceret contra iustitiam, quam ipse statuit, non quidem ex parte sua, sed in ipsa natura & proportione meritorum & præmij; Et hoc solum voluit S. Thom. Cæterum res hæc, simul cum testimonio Pauli, inferius est presiùs examinanda in disputatione speciali de hac re in hoc articulo. *Ad tertiũ.* ¶ Ad tertium respondetur, quòd ista acceptatio meritorum in vitam æternam, clauditur intrinsecè in ipsis meritis procedentibus ex gratia Dei & motione Spiritus sancti. Vnde habent intrinsecè condignitatem, & quandam æqualitatem suprà iam dictam cum gloria. *Ad quartũ.* ¶ Ad quartum respondetur, negando cõsequẽtiã. Imo verò Sanctũ *Conc. Trid.* Concil. Trident. sessio. 6. Cano. 32. sic ait, Si quis dixerit, hominis iustificati bona opera, ita esse dona Dei, vt non sint etiam bona ipsius iustificati merita, aut ipsum iustificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam & Iesu Christi meritum, cuius viuũ membrum est, fiunt, non verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipsius vitæ æternæ, si tamẽ in gratia decesserit, consequutionem, atque etiam *Ad quintũ.* gloriæ augmentum; anathema sit. ¶ Ad quintũ, quod est fundamentum aduersariorum, respõdetur, quòd opus iustitiæ est dignum vita æterna ante nouam illam acceptationem, quam aduersarij postulant; est autem dignum tali vita, quatenus procedit ex gratia & motione Spiritus sancti; & hoc debitum (vt dixi) non fundatur in nuda promissione diuina, ita vt Deus solum teneatur ex fidelitate & veracitate quadam, prout volunt hæretici, sed fundatur in conuentione & pacto secundum rationem dati & accepti, atque adeo est debitum iustitiæ. Ex quibus colligitur, non posse citra iniustitiæ notam negari præmium iustis bene operantibus ex gratia, iuxta *Hebræ. 6.* id Hebræ. 6. Non enim iniustus est Deus vt obliuiscatur operis vestri & dilectionis, Quasi dicat, quòd esset aliqua iniustitiæ nota in Deo, si obliuisceretur præmiare bona opera iustorum: Sed hoc nõ est quia nos obligauerimus Deum simpliciter & absolute, sed quia ipse se ipsum obligauit secundum regulam suę iustitię, cum dedit gratiam ad operandum; atque adeo si non redderet gloriam iustis, non seruaret regulam suæ iustitiæ, quam ipse sibi præfixit: Et ob id dicitur ab Augustino, quòd Deus donator est indulgentiæ, & debitor coronæ. *Secundus Instis.* ¶ Secundò respondetur, quòd si meritum esset ex toto rigore iustitiæ, nõ posset Deus citra notam iniustitiæ negare præmium. Non est autem meritum nostrum de toto rigore iustitiæ, quia fundatur in gratia accepta ab ipso Deo. Et ob id, licet ex suppositione gratiæ possimus mereri de condigno; poterit tamen Deus citra aliquam notam iniustitiæ, secundum potentiam suam absolutam, negare præmium iustis, & auferre à beatis gratiam & gloriam, imo & annihilare illos. Condignitas enim nostrorum meritorum, non tam consistit in obligatione, qua Deus sit nobis obligatus, quam in æqualitate & proportione, siue commensuratione intrinseca, quæ est inter opera meritoria profecta ex gratia, & ipsam gloriam, seu præmium.

## DISPVTATIO V.

### *Vtrùm iustus per solam cessationem à peccatis, possit mereri gloriam?*

HÆc disputatio est de pura omissione peccatorum, vtrum non solum positiue per actus bonos, sed etiam per puram omissionem mali & peccati, possit iustus gloriam mereri? Quæ controuersia à paucis vel à nemine differitur. *Argum.* Et in gratiam affirmatiuæ partis se se statim offert fundamentum & ratio. Nam in pura omissione vere potest esse peccatum vel demeritum saltem in aliquo casu rarissimo; Imo verò omissio rei præceptæ, secundum se est mala: ergo demeritoria: ergo pari ratione, omisio peccati est bona & meritoria: ergo in pura omissione potest esse meritum. Patet consequentia ex paritate rationis; Nam vtrobique militat idem fundamentum & argumentum. Et augetur difficultas: Nam si alicui occurrant vehementes tentationes, aut occasiones peccandi contra præceptum aliquod negatiuum, verbi gratia cõtra quintum & sextum præceptum: Non occides, Non fornicaberis; tunc si iustus cui occurrunt istæ occasiones peccandi, suspendat actum voluntatis, non habens consensum vllum, tunc illa omissio non est mala: ergo bona, & pariter illa suspensio non est mala: ergo bona. Patet consequentia: Quoniam in liberis & humanis nõ datur medium inter bonum & malum: ergo est meritoria. *Confirm.* ¶ Et confirmatur iterũ: Quia si omittere occasionem illam, est bonum & ab homine iusto: ergo præmiatur à Deo, qui multo pronior est ad miserendum & præmiandum, quam ad puniendum. Et ex his impugnatur doctrina D. Thom. 1.2.q.71.ar.5.ad.1.&q.1.de Malo.art.1.ad.3. quòd quia bonum est ex integra causa, & malum ex singularibus defectibus; idcirco, vt omisio sit meritoria, requiritur actus, non verò vt sit demeritoria. Nam contra arguitur: Vera & integra causa meriti, est se gerere optime



me & laudabiliter coram Deo: sed qui sciens & prudens omittit malum, gerit se bene laudabiliter coram Deo: ergo meretur per omisionem illã mali & peccati. ¶ Et confirmatur amplius: Quoniam ad nertenter non velle, est virtualiter nolle: sed per nolle meretur iustus: ergo & per sic non velle. Rursus probatur: Quoniam in Sacris literis præmium promittitur ei qui potuit transgredi, & non est transgressus, & ei, qui potuit facere mala & nõ fecit: ergo in pura omisione à malo & peccato potest constitere meritum. Et plerique Theologi docent, iustitiam Christianam in duobus consistere, scilicet in recedere vel abstinere à malo, & facere bonum; *Ad Titũ. 3.* q tangitur & insinuatur à Paul. ad. Tit. 2. vt abnegãtes impietatem & seculania desideria, iuste & pie, & *Petri. 2.* sobrie viuamus in hoc seculo. Et. 1. Petri. 2. Si bene facientes patienter sustinetis: hæc est gratia apud Deũ. Et ad hoc inducit exemplum Christi, Qui cũ malediceretur, non male dicebat: ergo iram continere, & ab his malis abstinere, vere est meritorium apud Deum. His argumentis fuere nonnulli, qui inaduertenter persuasi, putauerunt non esse prorsus improbabile asseuerare, posse iustum mereri per solam & puram omisionem: Sed male.

Sanctissimus Præceptor, oppositum docuit. 1.2.q.71.ar.5.ad.1. vbi cum in primo argumento voluisset probare, nõ posse peccatum esse absque aliquo actu, ostendit illud, supponendo quòd meritum non potest esse absque aliquo actu, & inde colligit. Ergò neque peccatum potest esse absque aliquo actu. Et dissoluens difficultatem hanc, respondet ad primum negando consequentiam, propter disparem rationem: Quia inquit ille, plura requiri ad bonum, quam ad malum: Quia bonum est ex integra causa, & malũ ex singularibus defectibus, iuxta D. Dionysij sententiam. 4. cap. de diuinis nominib. Et idcirco peccatum potest euenire siue positiue, cum quis facit quod non debet facere, siue negatiue non faciẽdo quod debet & tenetur; At verò meritum non potest esse nisi quis faciat voluntariè aliquid, quod debet: Et idcirco meritum non potest esse sine actu: sed peccatum potest esse sine actu. Ex quibus patet, sententiam sanctissimi præceptoris esse, quòd in pura omisione mali, nõ potest esse meritum: ac proinde, quòd nunquam est meritum sine actu.

*Dico. 1.* Pro explicatione huius difficultatis, dico primò. Si sit sermo de pura omisione vt sic, illa quidem nõ potest esse meritoria. Hoc tenet S. Thom. loco citato, & cum eo eius omnes discipuli. Et probatur efficaciter: Quia alias iustus toto tempore quo permanet in gratia & iustitia, & non peccat, fere continuè mereretur, cùm libere omittat multa mala, quæ facere posset. Et ratio à priori huius doctrinæ sumitur ex eodem Sãctissimo præceptore loco citato, quam nos supra attulimus, quam nonnulli iuniores Theologi impugnant, vt vidimus in argumentis supra tactis. Imo verò ijdem iuuenes Theologi impugnant rationem efficacem à nobis nunc allatam, & dicunt eã non procedere, neque quicquam probare: Quia licet mereamur per liberam omisionem alicuius mali, quod nunc possemus facere; nõ tamẽ per omisionem omnium malorum. Nam si facerem vnum, non possem interim aliud facere, & sic tota collectio non est meritoria; quia non est libera: ergo solũ merebimur ex omisione maioris mali inter illa mala incompossibilia, quę se offerunt, vt patet quando ea omittimus; vt fit communiter per aliquem actũ. Cæterum, hoc nihil est contra D. Thom. qui solum vult, quòd in pura omisione mali & peccati non potest esse meritum. Quia vt optimè aduertit Conrad. 1.2.q.71.artic.5. vitare aliquod malum & peccatum, dicitur dupliciter, vno modo secundum purã negationem; & sic aliquis vitando malum nihil meretur, quia etiam dormiens isto modo vitat peccatum; Altero modo dicitur vitare secũdum aliquam affirmationem, quatenus ob id dicitur vitare peccatum, quia positiue vult non peccare; & in hoc sensu non loquitur Sanctissimus Præceptor, & ob id obiectio non militat contra ipsum. ¶ Secundò persuadetur optima ratione quòd per puram omisionem mali & peccati, iustus non mereatur. Quoniã talis pura omisio mali & peccati, nihil habet super naturalitatis in se, neque in aliquo alio actu, à quo procedat: est enim in mea potestate relinquere malum propter hoc vel aliud motiuum: ergo etiam si sit bona; non tamen ob id erit meritoria, nisi sit volita per aliquem actum relatum in finem supernaturalem, vel nisi procedat ex aliquo actu relato in eundem finem, vt si verbi gratia, ex amore Dei, vel ex oratione relata in Deum finem supernaturalem, sequitur vt aduertenter omittam aliquod malum, talis omisio erit meritoria gloriæ; Si verò nullo modo sit relata in finem supernaturalem, erit quidem bona talis omisio, sed non meritoria supernaturalis beatitudinis.

*Dico. 2.* Dico secundo. Omisio mali & peccati volita ab homine iusto per actum formalem, vel interpretatiuum seu virtualem, illa quidem est meritoria: si tamen sit relata in finem supernaturalem. Hoc tenet S. Thom. loco citato, & idem tenet Conrad. vbi supra; quo loco affirmat, quòd si quis vult omittere peccatum, quia vult non peccare, cum ista voluntas possit esse ex charitate, ob id vitare peccatum mortale isto modo; est meritoriũ. Et probatur: Quoniã in casu posito interuenit actus positiuus formalis vel virtualis in alio inclusus, & talis actus procedit ab homine iusto vt supponimus, & ex amore Dei est relatus in finem supernaturalem, & cadit supra obiectum debitum, nempe supra omisionem mali & peccati: ergo talis omisio mali vt volita, est bona & meritoria. Et confirmatur: Nam vt dicit S. Thom. loco citato, meritum non potest esse sine actu, sed in tali casu datur actus formalis vel interpretatiuus aut virtualis: ergo. Sanè, omisio volita per actum formalem aut virtualem de aliquo præcepto; mihi imputatur ad malum & peccatum: ergo pari ratione, omisio mali & peccati volita positiuè per actum formalem & virtualem, imputabitur iusto ad meritum: Quia ibi intercedit actus positiuus bonus, vt vult S. Thom. ergo.

*Conradus.*

*Ad argum.* Ad argumenta. Ad primum respondetur, quòd non potest dari pura omisio sine aliquo actu formali vel virtuali aut interpretatiuo, quo mihi imputetur & fit voluntaria, vt diximus in disputat. de peccatis. Secundò respondetur per solutionem datam à *Ad confir. 1.* S. Thom. loco superius citato. ¶ Ad primam confirmationem seu replicam respondetur, quòd si alicui occurrant vehementes tentationes, aut occasiones, pec-

peccandi, tunc si ille nolit consentire, iam habet actum positiuum. Rursus, si velit omittere formaliter vel virtualiter occasiones delectationis oblatas, tunc pariter meretur, sed non sine actu positiuo. Si tamen velit suspendere actum; si illa volitio suspensionis humana sit, & fiat propter bonum finem, tunc ratione actus positiui, talis suspensio non erit incapax meriti. Veruntamen, quia tempore quo occasiones & tentationes occurrunt peccandi, tenetur vnusquisque eas vt malas & noxias repellere; idcirco, cum per solam & præcisam suspensionem non adimpleat id, quod ex naturali lege tunc tenetur facere, idcirco talis suspensio præcisè, non erit meritoria, imo verò erit mala, & in illa erit peccatum veniale vt minimum. Nam adhuc posita suspensione illa, permanent pericula, & tentationes, quæ cùm adhuc permaneant, voluntariè videntur non repelli, neque respui. Quare, nihil concludit contra nos argumentum. ¶ Ad secundam & tertiam confirmationem respondetur, quòd qui aduertenter omittit, & sciens & prudens omittit malum, iam tunc habet actum positiuum, quo recedit à malo. Quocirca, hac ratione promittitur præmium ei, qui potest trãsgredi, & non est transgressus, non solum quia positiuè seruauit præcepta, quæ transgredi poterat: sic enim dicitur quòd potuit transgredi, & non est trãsgressus illa; sed etiam quia dum occurrerent ei occasiones transgrediendi præcepta, voluit non transgredi legem, & potius occasiones & tentationes repellere, in quibus semper reperitur actus positiuus. ¶ Tandem, per doctrinam traditam in primo dicto, potest dissolui argumentum & fundamentum oppositæ sententiæ cum suis confirmationibus.

*Ad cõst. 2. & 3.*

## DISPVTATIO VI.

### *Vtrùm Deus de iustitia teneatur reddere præmium?*

HIus disputationis titulus est: vtrum ad rationem meriti pertineat constituere Deum debitorem? In quo sensu disputatio hæc tacta est à nobis supra in hac.q.114.art.1.difficult. 3. Et argumenta quæ eo loco facta sunt, maximè deseruiunt pro præsenti cõtrouersia. Quod verò Deus sit debitor noster, & debitor iustorum, seu quòd propriè debeat iustis merentibus præmium vitæ æternę, probatur: Primò ex D. August. Psam. 109. & homil. 16. de verbis Apostoli, vbi August. inquit, quòd Deus ex promissione debitor est, ita vt possimus exigere & petere à Deo Domine, redde quod promisisti, quia fecimus quod iussisti. Idem videtur sensisse D. Fulgent. in Prologo Ad Monimum, vbi inquit; En qualis est Dominus noster, vt donando debeat, & quanto magis donat, tanto magis eum debitorem esse non piget. ¶ Et confirmatur. Nam Christus meruit apud Deũ de toto rigore iustitiæ: ergo Deus de eodem rigore debet illi præmium: ergo si nõ redderet Christo præmium, iniuriam illi faceret. ¶ Secundo arguitur. Ex pacto & iuramento diuino debetur iustis vita æterna: ergo ab aliquo illis debetur: sed non nisi à Deo: ergo verè & propriè Deus dicitur esse debitor.

*Argum. 1. D. August.*

*Confirm.*

*Secundum.*

¶ Et confirmatur: Quoniam Deus iuranit & promisit se daturum præmium iustis, vt constat ex lectione sacrarum literarum: ergo iure iurando & promissione sua se se obligauit: ergo debet stare promissis: ergo debitor est iustorum merentium. ¶ Tertiò arguitur. Iustus per gratiam iustificantẽ est filius Dei adoptiuus: ergo hæres Dei: ergo est quædam æqualitas inter præmium reddendum, & interopus bonũ, quod efficitur à iusto: igitur si Deus non donaret illi præmium, erit quædam inæqualitas & iniustitia, ob id quòd non donaret: ergo tenetur reddere præmium de iustitia, alias erit iniustus.

*Confirm.*

*Tertiũ.*

*Hebræ.6.*

Pro explicatione huius difficultatis obserua, quod meritum de congruo, includit debitum ex iustitia; vt nos fusè superius sumus prosequuti; quod sanè debitum non fundatur in nuda promissione diuina, ita vt Deus solum ex fidelitate & veracitate quadam teneatur, sed fundatur huiusmodi debitum in conuentione & pacto secundum rationem dati & accepti; atque adeo est debitũ iustitiæ. ¶ Rursus obserua, quod licet Deus non sit debitor absolute loquendo, nihilominus vberrimè implebit quidquid promisit hominibus, aliàs neque esset Deus, neque veritas prima. Vnde Paul. 2. ad Timoth. 2. inquit, Fidelis Deus, se ipsum negare non potest, & ad Hebræ. 10. Teneamus spei nostræ cõfessionem indeclinabilem: fidelis enim est qui repromisit.

*Notandũ.*

*Nota.*

*2. Timo. 2. Hebræ. 10.*

HIs ergo sic prælibatis, est prima propositio. Certum est, non posse dici Deum debitorẽ nostrum ex iustitia perfecta; ac proinde Deus non obligatur propriè creaturis, loquendo de obligatione quæ efficiat Deum debitorem ex perfecta iustitia. Probatur: Quia nos non meremur apud illum ex iustitia perfecta & rigorosa: ergo nequeil le debet nobis aliquid ex iustitia perfecta. Præterea: Is qui debet aliquid alicui ex iustitia perfecta, recipit aliquid ab illo cuius est debitor: sed Deus nihil recipit à nobis: Nam quamuis nos operemur bona opera propter illum, illi nihil accrescit vtilitatis ex nostris operibus: ergo. Et confirmatur: Quoniam si quis est debitor alicuius ex perfecta iustitia, si nõ solueret illi debitum, faceret illi iniuriam: sed vt supra diximus, si iusto Deus nõ daret gloriam, non faceret illi iniuriã: ergo. Rursus: Qui est debitor alicuius ex iustitia perfecta, tenetur aliqua lege, quã si fregerit, reus est culpæ vel pœnæ: sed Deus (loquendo de iustitia omnino exacta & perfecta) nulla lege tenetur nobis nullaque lex illum obligat. ergo. ¶ Et confirmatur: Quoniam debitor vt sic est inferior creditore, imo verò aliquo modo illi subijcitur: sed Deus neque est inferior creaturis, neque illis subijcitur: ergo. ¶ Et confirmatur iterum: Quia Deus semper manet absolutus Dominus: ergo etiam si nulli hominum daret gloriam, imo si omnes repelleret è cœlo, non esset iniustus: ergo non est debitor noster ex iustitia perfecta & consummata. ¶ Et cõfirmatur tertiò: Quia Deus à nullo accipit quicquam, quòd suum non sit per absolutum dominium; imo verò etiam si velit, non potest à se abdicare dominium: ergo.

*Conclus.*

SEcunda propositio. Non est inconueniens vllum concedere, quòd Deus ex pacto & conuentione, supposita sua lege & ordinatione, sit debitor noster, & debeat nobis vitam æternam, neque



que est cur timeamus id cõcedere, & ob id diximus disput. 4. præcedente, conclu. 3. & deinceps, quòd nõ potest citra iniustitiæ notam negari præmium iustis bene operantibus ex gratia, iuxta illud Paul. ad Hebræ. 6. Non enim iniustus est Deus, vt obliuiscatur operis vestri & dilectionis. Quasi dicat, quòd esset aliqua iniustitiæ nota in Deo, si obliuisceretur præmiare bona merita iustorum: cæterum hoc non est, quia nos obligauerimus Deum simpliciter & absolute, vt diximus conclus. 1. sed quoniam ipse se ipsum obligauit secundum regulam suæ iustitiæ, cùm dedit gratiam ad operandum, atque adeo si nõ redderet gloriam iustis, non seruaret regulam suæ iustitiæ, quam ipse sibi præfixit. Vnde, retulimus supra D. August. Psal. 83. dicentem; Donator est indulgentiæ, debitor coronæ. Et statim; Debitorem ipse Dominus se fecit, non accipiendo, sed promittẽdo. Quocirca, ex suppositione gratiæ, verè de condigno meremur; Cum quo tamen stat, quòd absolute loquendo & secundum potentiam suam absolutam, Deus citra iniustitiæ notam possit negare præmiũ iustis, & auferre à beatis gratiam & gloriam, imo verò & annihilare illos. Quia condignitas nostrorum meritorum, non tam consistit in obligatione qua Deus sit nobis obligatus, quam in æqualitate & proportione siue commensuratione intrinseca, quæ est inter opera profecta ex gratia, & ipsam gloriam.

*Hebræ. 6.*

Probari potest asserta cõclusio; primò: Quia Deus ex suo pacto, & ex sua promissione & ordinatione se nobis obligauit: ergo est debitor iustorum. Patet antecedens: Quoniam homines se mutuò obligant per pactum & conuentionem, & per promissiones suas: ergo pari ratione dici potest quòd Deus per suum pactum, & per suam promissionem & ordinationem se obligauit; non quia nos obligauerimus Deum absolutè & simpliciter, sed quia ipse se ipsum obligauit secundum regulam suæ iustitiæ cùm dedit gratiam ad merendum vitam æternam: igitur si eam non redderet iustis meritoriè operantibus ex gratia, non seruaret legem suæ iustitiæ, quam ipse sibi præfixit. ¶ Secundo: Promissio cum iuramento verè obligat: sed Deus multa promisit cum iuramẽto, vt patet ex illo Lucæ. 1. iusiurandum quod iurauit, &c. ¶ Item tertiò: Si Deus vellet, posset se constituere debitorem nostrum: ergo de facto se constituit debitorem. Ostendo Consequentiam: Quia nullum aliud videtur esse medium ad constituendum se debitorem nostrum, quam velle ex conuentione & pacto promittere aliquid nobis cum iuramento reddendum meritis à gratia procedentibus. ¶ Rursus extat commune argumentum: Vita æterna est nobis debita, siquidem nos illam meremur: ergo Deus illam nobis debet. Patet Consequẽtia: Quia non benè intelligitur quòd sit nobis debita, & quòd nullus eam nobis debeat. Quare, videtur ridicula solutio dicere, quòd vita æterna verè debetur iusto, sed à nemine illi debetur. ¶ Quocirca dicendum est, quòd suppositio pacto diuino, diuinaque conuentione & promissione seu ordinatione Dei, Deus debet iustis vitam æternam, quia debet illam meritis iustorum. ¶ Dices; Deus, suppositia sua ordinatione & promissione, debet nobis vitã æternam: ergo suppositia hac lege, nos constituimus illũ debitorem. Respondetur, in rigore negandam esse consequentiam. Quoniam dato quòd Deus suppositia lege debeat nobis vitam æternam; tamẽ nos nõ constituimus illum debitorem, sed ipse sua voluntate, pacto, promissione, & ordinatione se fecit & constituit debitorem. Quapropter, quando ego in particulari operor aliquod opus meritorium, non constituo illum mihi debitorem, sed quia ipse sua lege se obligauerat daturum vitam æternam operanti bene ex gratia; & similiter dato quòd suppositia lege, nobis debeat vitam æternam; tamen licet eam non daret, non peccaret, neque faceret hominibus iniuriam: Quoniam neque sua lege obligatur ad culpam, neque etiam debet nobis aliquid, nisi ex sua promissione aut pacto. Vnde, si non adimpleret promissum dando iustis beatitudinem, non nobis iniuriam inferret, sed suæ promissioni. ¶ Sed obijcit Capreolus, quòd dicere Deum esse debitorem nostrũ, est contra modum loquendi Sanctorum Patrum. Respondetur tamen, quòd Sancti quando negant Deum esse debitorem nostrum, solum contendunt, Deum non esse debitorem absolute alicuius, rebus ipsis absolute consideratis, aut non esse debitorem alicuius secundum iustitiam perfectam. Quoniam si debet nobis aliquid, id quidem est suppositia sua liberali donatione & promissione. Et quòd iste sensus sit verus, videtur insinuare Sanctissimus Præceptor art. 1. præcedente cùm dicit, quòd Deus non efficitur simpliciter debitor noster: quasi diceret, quòd rebus absolute consideratis, non potest effici debitor à creaturis; potest tamen reddi & effici debitor ex sua ordinatione, pacto, & promissione. Idem insinuat idem Sanctissimus Præcepror. 1. p. q. 21. art. 1. Vbi inquit, quòd nullo modo dicitur aliquid debitum alicui propter hoc, quòd Deus creaturæ obligetur, obligatione, scilicet absoluta, & secundum perfectam iustitiam. Quia hoc modo nõ obligatur: Ergo insinuat, Deum posse dici debitorem aliquo modo. ¶ Vbi obserua, quòd si Deus dicitur esse debitor noster saltem secundum iustitiam minus perfectam, quòd non est omnino impropria ratio debiti in illo, & per consequens meritum quod in nobis respondet debito, quod est in præmiante, non est imporium meritum, sed verum & proprium, quamuis non ita perfectum, Ac proinde, quomodocumque loquamur, dicendum est, quòd vel Deus ratione suæ promissionis debet nobis, vel quod Deus debet sibi vt det nobis. ¶ Et ob id diximus supra, quòd gloria non datur iustis rectè operantibus mere gratis omnino & liberaliter, sed ex debito, quod debitum non resultat duntaxat ex sola extrinseca ordinatione aut acceptatione, qua Deus opera iustorum acceptat ad remunerandum illa, vita æterna; sed cõsurgit ex conditione intrinseca, & proprietate horũ operum, secundum quòd procedunt ex gratia & Spiritu sancto. Nam ista opera vt ita procedentia, intrinsece sunt ordinata ad illud præmium; & habent quandam æqualitatem cum illo secundum virtutem & efficaciam, vt supra vidimus.

*Conc. Trid.*

Tandem, veritas assertionis propositæ, magnum habet fundamentum in Trident. sessi. 6. capit. 16. quo loco agens de merito, postquam dixit; Abunda te in omni opere bono, scientes quòd labor vester non est inanis in Domino; subiungit ex eodem D. Paul.

Paul. Non enim iniustus est Deus vt obliviscatur operis vestri,& dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius. Et videtur feciſſe hanc conſequētiā ſimilem illi de fide noſtra, Si Chriſtus nō reſurrexit, inanis eſt fides noſtra: Nam pari ratione virtualiter colligit Cōcil.cum Paulo, ſi Deus obliuiſcitur operis veſtri & dilectionis,ſeu meritorū veſtrorū: ergo iniuſtus eſt Deus. Nā Paulus ita colligit conſtituēs illā cauſalē,Non enim iniuſtus eſt Deus vt obliuiſcatur operis veſtri;Quaſi diceret; Quia Deus iniuſtus non eſt;idcirco nō obliuiſcetur operis veſtri & dilectionis.Rurſus ſubiungit Concil.Bene operātibus vſque in finē,& in Deo ſperantibus,proponenda eſt vita æterna,& tanquam gratia filijs Dei per Chriſtū Ieſum miſericorditer promiſſa,& tanquam merces ex ipſius Dei promiſſione,bonis ipſorū operibus & meritis fideliter reddenda.Et ſtatim: Hæc eſt enim illa corona iuſtitiæ,quā poſt ſuum certamē & curſum, repoſitam ſibi eſſe aiebat Apoſtolus,à iuſto iudice ſibi reddendam, non ſolum autem ſibi, ſed & omnibus qui diligunt aduentum eius. En quomodo præmium à Deo reddendū appellat Paulus iuſtitiæ coronam, & à iuſto iudice reddendam.

*Ad argum.*

*Ad primū.*

A D argumenta. Ad primū reſpondetur, quòd teſtimonia Patrum oſtendunt ſecundam cōcluſionem eo modo intellectam, ſicut expliquimus in diſcurſu eius. Secundò reſpōdetur, quòd Deus dicitur debere, non quia nos obligauerimus Deum ſimpliciter & abſolutè, ſed quia ipſe ſua ſpōte ſe cōſtituit debitorem,& quia ipſe ſe ipſum obligauit ſecundum regulam ſuæ iuſtitiæ, quā ipſe ſibi præfixit, cùm dedit gratiam ad merendū gloriā, atq; adeo, ſi non redderet gloriā iuſtis benè merētibus, non ſeruaret regulam ſuæ iuſtitiæ. Vnde Aug. Pſal. 83. ſæpius citato dixit; Donator eſt indulgentiæ, debitor coronæ. ¶ Ad confirmationē dico quòd petit difficultatē illam, vtrū Deus teneatur acceptare ſatisfactionem Chriſti? De qua difficultate egimus ſupra in hac.q.114.ar.1.difficultate.3. in quē locum remitto lectorē. ¶ Ad ſecundū dico, quòd probat ſecūdam propoſitionē,& nihil amplius. ¶ Sed dices; An tequā Deus conferat gratiā alicui, nec debet illi gratiam nec gloriā: ſed per hoc quòd donat gratis gratiā & charitatē, non reſultat aliqua obligatio iuſtitiæ nouæ: ergo. Et cōfirmatur: Quoniā omnia noſtra merita ſunt dona Dei gratis nobis impēſa: ergo per illam non poſſumus obligare Deū ex iuſtitia. Reſpōdetur, quòd hæc obiectio oſtendit, nos non mereri apud Deū de toto rigore iuſtitiæ; non tamen probat q̄ non mereamur ex iuſtitia vere & proprie. Quia licèt meritū noſtrum fundetur in gratia: eſt tamen æqualitas inter ipſa opera & gloriā,& intercedit ratio debiti reſpectu gloriæ ex ſuppoſitione diuini pacti, quo Deus ordinauit ad gloriā opera facta ex gratia, nō quidē ordinatione & acceptatione extrinſeca, ſicut ordinauit aquā in baptiſmo ad cauſandam gratiā, ſed ordinatione intrinſeca,& cōnaturali ipſi operi, prout ordinauit ſemen ad plātā & fructū. ¶ Et eodem modo reſpondetur ad confirmationē ſecūdi argumēti, quòd probat ſecundā propoſitionē. ¶ Ad tertiū reſpondetur, quòd ſi meritū eſſet ex toto rigore iuſtitiæ, non poſſet Deus citra notā iniuſtitiæ negare præmium; non eſt autem meritū noſtrum de toto rigore iuſtitiæ, quia fundatur in gratia accepta ab ipſo Deo;& idcirco, licèt ex ſuppoſitione gratiæ poſsimus mereri de condigno; poterit tamen Deus ſecundū potentiam ſuā abſolutā citra aliquam iniuſtitiæ notam, negare præmiū iuſtis, & repellere beatos à gratia & gloria, imo & annihilare illos. Quia condignitas noſtrorum meritorū, non tam conſiſtit in obligatione, qua Deus ſit nobis obligatus, quā in æqualitate & proportione, ſiue cōmenſuratione intrinſeca, quæ eſt inter opera profecta ex gratia,& ipſam gloriā. ¶ Bartholom. Medina dicit ſolutione ad. 4. quod ſi Deus non redderet præmium, eſſet mendax, ſed non iniuſtus. Concedit tamē, quòd ſi Deus debitor cōſtitueretur, & non exolueret promiſſam mercedē, eſſet iniuſtus. Cæterum, cùm nos dixerimus, Deū abſolutè non eſſe debitorem; poſſe tamen ex pacto & ordinatione ſua dici debitorē, non quia nos obligauerimus Deum ſimpliciter & abſolutè, ſed quia ipſe ſe ipſum obligauit ſecundū regulā ſuę iuſtitiæ, quam ipſe ſibi præfixit; Idcirco, cum Conc. Triden. & cum D. Paulo reſpōdemus iuxta ſenſum ſecundæ propoſitionis, valere illā conſequentiam, Deus obliuiſcitur meritorū, & ſuppoſito pacto & ordinatione ſua, ſecundū quam dicitur eſſe debitor coronæ à D. Aug. non tribuit coronā pro meritis: ergo eſt iniuſtus. Nam hanc cauſalē dedit Paul. dicens; Non enim iniuſtus eſt Deus vt obliuiſcatur operis veſtri & dilectionis. Et in redditione huius coronæ iuſtitiæ Deum appellat Paulus iuſtum iudicem. Fatemur tamen quòd hoc debitum ex iuſtitia non habet exordium & initiū ex creatura, aut ex ire eius, ſed ex parte Dei,& ſui pacti & ordinationis, iuxta modum ſuperius explicatum.

*Auguſt.*

*Ad confim.*

*Ad ſecundū*

*Replica.*

*Solutio.*

*Ad confir.*

*Ad tertium*

*Medina.*

## DISPVTATIO VII.

*Vtrùm tota gloria, etiam prima, cadat ſub merito?*

HÆc controuerſia petit, Vtrum vltima diſpoſitio ad gratiam ſit meritoria? & vtrum contritio ſit meritoria primæ gloriæ? Hæ namq; difficultates ſimul ſunt explanandæ. Sed de eis non hoc loco, vt plerique volunt, ſed potius art.5. ſequēti agendum eſt, vbi S. Thom. inquirit, vtrum homo poſsit ſibi mereri primam gratiam: ibi enim agetur, An ſaltem poſsit ſibi mereri primam gloriam ratione vltimæ diſpoſitionis ad gratiam, ſeu ratione primæ contritionis. Et profectò eo loco fuſè & luculēter controuerſias has aperiemus.

## DISPVTATIO VIII.

*Vtrùm meritum iuſtorum, vt innititur meritis Chriſti, ſit non tantum de cōdigno, ſed etiam de rigore iuſtitiæ?*

HÆc controuerſia inquirit, Vtrum iuſtus quatenus eſt membrum Chriſti, non ſolum mereatur de cōdigno, ſed etiā de rigore iuſtitiæ? Et titulus quæſtionis eſt, vtrum merita noſtra prout innituntur merito Chriſti, accipiant vlteriorem alium valorem, quòd non ſolùm habeant valorem de condigno, ſed etiam valorem de rigore iuſtitiæ? Et



Et profectò, hæc diſceptatio valde neceſſaria eſt in hac materia, ſine qua non habemus exactam notitiā & completam illius. ¶ Ratio dubitandi, quæ ſe ſe mihi obtulit, ſumitur ex Verbis Concilij Triden. ſeſſio.6.capit.16. Vbi ſic habetur: Cum enim ille ipſe Chriſtus Ieſus, tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites, in ipſos iuſtificatos iugiter virtutem influat; quæ virtus bona eorum opera ſemper antecedit, comitatur, & ſubſequitur, & ſine qua nullo pacto Deo grata & meritoria eſſe poſſent; nihil ipſis iuſtificatis amplius deeſſe credendum eſt, quominus plene illis quidem operibus, quæ in Deo ſunt facta, diuinæ legi pro huius vitæ ſtatu ſatisfeciſſe, & vitam æternam ſuo etiam tempore, ſi tamen in gratia deceſſerint, conſequendam, vere promeruiſſe conſeantur: cum Chriſtus Saluator noſter dicat: Siquis biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum: ſed fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam. Ita, neque propria noſtra iuſtitia tanquam ex nobis propria ſtatuitur, neque ignoratur, aut repudiatur iuſtitia Dei. Quæ enim iuſtitia noſtra dicitur, quia per eam nobis inhærentem iuſtificamur; illa eadem Dei eſt, quia à Deo nobis infunditur per Chriſti meritum. Et paulo inferiùs dicit Concil. Abſit tamen vt Chriſtianus homo in ſe ipſo vel confidat, vel glorietur, & non in Domino, cuius tanta eſt erga omnes homines bonitas, vt eorum velit eſſe merita, quæ ſunt ipſius dona. Et cano. 32. dicit, quòd bona opera hominis iuſtificati, ita ſunt bona merita ipſius, vt ipſis per Dei gratiā & Ieſu Chriſti meritum, cuius vidum membrum eſt, iuſtus, factis, vere mereatur augmentum gratię, & vitam æternā, &c. In quibus locis videtur inſinuari, quòd iuſtus inquantum membrum Chriſti, & per idem meritum Chriſti, & non ſolum quatenus habet gratiam, habet aliquem alium ſpecialem valorem in ratione meriti, ratione cuius mereatur non tantum de condigno, ſed etiam de rigore iuſtitiæ, quatenus innititur meritis Chriſti.

*Ratio dubitandi.*

*Conc.Trid.*

*unt.*

Scotus in.1.d.17.q.1. Quamuis non tribuat Chriſto meritum de rigore iuſtitiæ; tamen tribuit meritum de iuſtitia & de condigno, & idem meritum tribuit noſtris operibus, vt innituntur merito Chriſti, in quo videtur inſinuare, quòd ſi meritum Chriſti eſſet de rigore iuſtitiæ apud eundem Scotum, idem meritum tribueret noſtris operibus, vt innitū tur merito Chriſti. ¶ Caietan.3.p.q.1.art.2. Sotus in. 4.d.19.q.1.art.2.conclu.3.& Bartholom.Medina.3.p. q.1.ar.2.dub.vlt. Omnes hi dicunt, quòd meritū noſtrum vt innititur merito Chriſti, eſt de rigore iuſtitiæ: Quia licet iuſtus vt particularis perſona à Chriſto diſtincta non mereatur de toto rigore iuſtitiæ; tamen iuſtus vt eſt membrum Chriſti, & membrum corporis myſtici, cuius caput eſt Chriſtus, ſic meretur & ſatisfacit de rigore iuſtitiæ.

*aietanus.*

*ius.*

*dina.*

Hæc ſententia ſuaderi poteſt his argumentis. Primum eſt. Chriſtus eſt caput omnium hominum influens motum & ſenſum, meruitque omnibus gratiam & gloriam, iuſtis verò & prædeſtinatis, ſuam prædeſtinationem: ergo merita iuſtorum ſunt effectus meritorum Chriſti: ergo valor Chriſti & ſuorū operum vnitur meritis iuſtorum: ergo tali vnione participant valorem: ſed valor meritorum Chriſti eſt de rigore iuſtitiæ: ergo valor participatus in meritis iuſtorum, etiam eſt de rigore iuſtitiæ. Nam certa res eſt quòd merita iuſtorum ex ea cōiunctione & vnione, quam habent ad Chriſtum, & ad eius merita, aliquem valorem accipiunt ſupra rationem meriti de condigno, quam aliàs habent: ergo capiunt rigorem iuſtitiæ à merito Chriſti ſeu ex vi illius vnionis. ¶ Secundò arguitur. Iuſtus vt eſt membrū Chriſti, & vt innititur meritis & ſatisfactioni Chriſti, vere ſatisfacit de rigore iuſtitiæ, p peccatis ſuis: ergo verè meretur de rigore iuſtitiæ. Patet Conſequentia: Quia opus ſatisfactorium iuſtorum, ſimul eſt meritorium: ergo ſi eſt ſatisfactorium de rigore iuſtitiæ, ſimul etiam erit meritorium de rigore iuſtitiæ. Antecedens probatur: Quia Chriſtus cum membris ſuis facit vnam perſonam myſticam, & vnum corpus, cuius caput eſt Chriſtus: ſed quidquid facit perſona per caput ſuum, id cenſentur facere membra omnia: igitur quodlibet membrum Chriſti, & quilibet iuſtus vt membrum huius capitis ſatisfacit rigoroſe, & conſequenter meretur rigoroſe. Probatur minor à ſimili: Quia ſi ſocietas aliqua debeat aliquid alicui, ſi vnus ſocius, nomine totius ſocietatis perſoluat debitum, tunc tota ſocietas, & quilibet eius ſocius dicitur ſatisfeciſſe de toto rigore iuſtitiæ. Imo verò, quòd facit Rex & caput & Magiſtratus Reipublicæ, id quidem tota Reſpublica dicitur facere; & pariter, ſi dux victoriam conſequitur, milites dicuntur vicisſe: ergo pari ratione loquendum eſt in propoſito. ¶ Et confirmatur; Quoniam opera capitis tribuuntur membris, & opera membrorum eundem habent valorem, quem habet operatio capitis, vt patet in moralibus: ſed Chriſtus eſt caput iuſtorum, & iuſti ſunt eius membra, vt patet ex Paulo ad Epheſ.4.& 1. Corinth.12. ergo. Oſtendo conſequentiam à ſimili. Nam membrum non eſt quod abſolute operatur, ſed corpus mediante membro: ſed totum corpus vt Chriſtum includit, ſatisfacit de rigore iuſtitiæ: ergo etiam membrum vt mouetur à tali corpore. ¶ Rurſus hoc confirmari poteſt: Quoniā ſecundum modum loquendi Scripturæ Sacræ, quæ dicuntur de capite, verificantur de membris, vt habet celebris regula Tychonij, quam approbat D. Auguſt. lib.3. de Doctri. Chriſtiana cap.30. & 31. D. Paul. ad Rom.8. poſtquam dixit, Si Deus pro nobis, quis contra nos; explicat modum, quo Deus pro nobis eſt, dicens; Qui proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, hoc eſt vt vice omnium noſtrum mactaretur & puniretur: Quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit: ergo donauit nobis vt meritum noſtrum etiam eſſet de rigore iuſtitiæ. Nam ſi poſsibile eſt nobis donari vt de rigore iuſtitiæ mereamur; ſequitur quod de facto illud nobis donauit, quatenus ſumus membra Chriſti. ¶ Tertiò arguitur. Quando iuſtus vel meretur, vel ſatisfacit, tunc ſimul Chriſtus offert merita illa & ſatisfactionem illam; Imo verò Chriſtus Dominus noſtra omnia merita ſimul cum ſuis proprijs obtulit Patri, vt patet ex Trident. ſeſsio. 14. capit. 8. vbi habetur, quod fructus pœnitentiæ à Chriſto vim habent, & ab illo offeruntur Patri, & per illum acceptantur à Patre: ergo verè ſatisfacimus & meremur de rigore iuſtitiæ, quatenus cum illo coniungimur. Vnde, Concil. loco citato ſic ait; Accedit ad hæc, quòd dùm ſatisfaciendo patimur pro peccatis, Chriſto

*Secundum.*

*Confir.1.*

*Epheſ.4.*

*1.Corint.12.*

*Confir.2.*

*D. Auguſt.*

*Rom.8.*

*Tertium.*

*Trident.*

Christo Iesu,qui pro peccatis nostris satisfecit , ex quo omnis nostra sufficientia est, conformes efficimur, certissimam quoque inde arrham habentes, quòd si compatimur,& conglorificamur. Et statim subiungit;Neque verò ita nostra est satisfactio hæc, quam pro peccatis nostris exoluimus,vt non sit per Christum Iesum. Nam qui ex nobis tanquam ex nobis nihil possumus, eo cooperante,qui nos confortat,omnia possumus;ita non habet homo vnde glorietur,sed omnis gloriatio nostra in Christo est, in quo viuimus,in quo meremur,in quo satisfacimus; facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habent,ab illo offeruntur Patri,& per illum acceptantur à Patre. Si ergo opera iustorum ex Christo vim habent,& ab illo offeruntur Patri, & per illum acceptantur à Patre:ergo per merita Christi & satisfactionem Christi acceptãtur, quæ merita cùm rigorosa sint,sequitur quòd etiam merita nostra & satisfactio nostra,rigorose debent acceptari, & esse

*Confirm.* meritoria,¶Et confirmatur:Quoniam si quis de cõsensu amici persoluat debitum creditori ex pecunijs ipsius amici,vere satisfacit creditori de toto rigore iustitiæ:sed sic satisfacimus Patri offerendo illi merita filij sui:ergo, &c.Sanè , cùm Petrus soluit de rigore iustitiæ pretium rei, quam emit vt mihi detur,tunc res illa debetur mihi de rigore iustitiæ:sed Christus ita meruit vt nobis remitterentur peccata: ergo peccatorum remissio nobis debetur

*Quartum.* de rigore iustitiæ. ¶ Quartò arguitur ex S.Thom.3.p.q.1.art.2.ad.2.vbi dicit,quod satisfactio nostra habet efficaciam à satisfactione Christi ; & eadem.3.p.q.48.artic.2.ad.1.dicit, quòd caput & membra sunt vna persona mystica,& quòd ob id satisfactio Christi ad omnes fideles deriuatur,sicut ad sua membra. Et q.49.sequenti,art.1.dicit, quòd sicut homo per aliquod opus meritorium,quod manu exerceret,redimeret se à peccato,quod oculis vel pedibus commisisset;sic per satisfactionem capitis nostri, quod est Christus, liberamur à peccatis, quæ nos commisimus.

*Nota.1.* Pro explicatione huius difficultatis obserua, quòd aliquod meritum potest dici nostrum dupliciter; primo formaliter & intrinsecè , quia in nobis est,& nobis inest;Secundò participatiue,& per quādam denominationem extrinsecam,seu imputationem,ad eum modum quo membra exteriora dicuntur operari liberè per quandam denominationem, & participationem extrinsecam , quia videlicet mouentur à potentia libera ad agendum,iuxta quē modum ciues dicuntur vicisse inimicum, quamuis non pugnauerint,per hoc solum quòd dux,& exercitus cõsequuti sunt victoriam , & isto modo etiam

*Psalm.21.* Christus nostra peccata vocat sua , iuxta illud Psal. 21.Longe à salute mea verba delictorum meorum, Non quòd in ipso essent formaliter,sed quia imputantur illi in quantum sumpsit personam peccato-

*Nota.2.* rum ad satisfaciendum pro peccatis. ¶Obserua secundò , esse de fide , nos esse iustos non per solam imputationem iustitiæ Christi,sed per iustitiam intrinsecè & formaliter inhærentem nobis, & pari ratione opera nostra ex gratia & charitate sunt iusta, & meritoria atque satisfactoria , nempe per iustitiā & bonitatem supernaturalem realiter & formaliter

*Trident.* illis inhærentem. Ita habetur in Trident. sessio.6 cap.8.&.16.& cano.10.1 &.26.&.32. Vndè, & vnus iustus potest esse magis iustus,quam alius,& omnia nostra merita & satisfactiones non habent æqualitatem,quod sanè non esset verum si essemus iusti non per iustitiam inhærentem,sed per solam imputationē extrinsecā iustitiæ Christi.Et pari ratione,merita omnia nostra essent æqualia,& omnes nostræ satisfactiones,si tam meritum,quam satisfactio nostra,essent de rigore iustitiæ,prout sumus membra Christi:Quia tunc in omnibus esset vna & eadem ratio meriti, & idem valor rigorosæ iustitiæ,nempe procedere à supposito infinito Christi, quod est caput omnium membrorum merentium.¶Tertò suppono

*Nota.3.* quòd licet nostra satisfactio sit alia à satisfactione Christi,habet nihilominus vim & efficaciam ab illa multis titulis,nempe & inquantum gratia & charitas per quam satisfacimus,collata est nobis ex meritis Christi; secundo in quantum opera satisfactoria,quæ à nobis fiunt,offeruntur à Christo Deo Patri,& per ipsum acceptantur ab æterno Patre,vt habetur in Trident.sessio.14. cap.8.cuius verba relata sunt in tertio argumento.

*Conclus.1.* HIs ita prælibatis & statutis , est prima conclusio.Iustus multo perfectius meretur,ex eo quòd est vnitus Christo , & ex eo quòd est membrum eius , quam si alia via gratiam haberet,vt si haberet illam ex meritis alicuius creaturæ, quam Deus constituisset caput gratiæ , & idem sentiendum est de satisfactione iustorum,quòd perfectius satisfacit iustus,ex eo quòd est vnitus Christo, & ex eo quòd est membrum Christi,quam si haberet gratiam ex meritis alicuius naturæ,vel alia quacunque via. Hoc insinuant vt minimum Concilia

*Trident.* supra citata,& præcipue Trident. Et hoc est quod S.Thom.insinuat vbi supra , & Alexand. Alens.3.p. q.1.memb.5.Et hoc communiter tenent Doctores in.3.d.20.Et probatur ex plerisque sacrarum literarum testimonijs , quæ specialem abundantiam gra-

*Ioan.1.* tiæ ex Christo nobis promanasse ostendunt Ioan.1. De plenitudine eius nos omnes accepimus, gratiā pro gratia,&c.Et cap.10.Ego veni vt vitam habeant

*Rom.5.* & vt abundantius habeant. Ad Rom.5. Vbi abundauit delictum superbundauit & gratia.Quocirca, Deus propter vnigeniti sui incarnationem & merita rigorosa & abundantissima , appellatur diues in misericordia.Vnde attendenda est copiosissima illa gratia,quam Deus effudit in nos abundè per Christum,vt ait Paulus, & vehemēs ille Spiritus replēs

*D. August.* omnes in die Sancto Pentecostes.Vnde D. August. lib.de Correct.& grat.cap. 11. dicit, gratiam nobis collatam per Christum esse potentiorem & efficaciorem,quam quæ collata fuit Adæ sine Christi meritis , vt ibi videtur supponere. Idem insinuatur in Trident.sessio.14.citata cap.8.vbi dicitur , In Christo satisfacimus facientes fructus dignos pœnitentiæ,quia ex illo vim habent , ab illo offeruntur Patri ; &c. Ergo specialis perfectio est in operatione meritoria iustorum , quòd habeat vim à satisfactione Christi;alias frustra hæc omnia essent,si nihil speciale proueniret iusto ex eo quòd eius opera offerā-

*D. Bonau.* tur à Christo. ¶Hanc eandem sententiam tenet D. Bonauent . saltem eam vehementer insinuat in.2. d.

*Gabriel.* 29.artic.3. quæstione. 2. & consentit Gabri. ibidem q.vnica ar.2.De qua re nos etiam nonnulla diximus in



in.2.tomo.1. part. quæstio. 95. artic. 4. præsertim, dubio.3.

*Dubitatio.* Sed dubitabit aliquis meritò , Quid sit hæc specialis abundantia & perfectio , quæ est in operationibus meritorijs iustorum,quatenus eorum merita innituntur meritis Christi, & iusti sunt vniti Christo? In qua rē aliqui dicunt , quòd talis abundantia potest prouenire & consistere in hoc , quòd modò habeamus intensiorem gratiam & plura media ad sacramenta ; Sed hoc non satisfacit neque dissoluit difficultatem, cùm omnia hæc possemus habere sine Christo , si Deus voluisset. ¶ Vnde, alij dicunt, quòd consistit in hoc quòd eidem actui meritorio hominis iusti quatenus innititur meritis & satisfactioni Christi,correspondeat quasi ex opere operato maius præmium,quam de se corresponderet illi, si homo alia via esset iustus ; Sicut multi dicunt, Deum præmiare vltra condignum,quia statuit maius præmium,quam corresponderet operibus secūdum proprietatem,quam de se habent. Et hoc insinuat Caietan.3.p.q.1.art. 2. Et pari ratione plerique Theologi dicunt esse probabile in lege Euangelica adhuc perfectius præmiū tam in gradu gloriæ, quā in augmento gratiæ,& remissione pœnæ temporalis,correspondere actibus, quam in lege scripta & naturali; Quia licèt tūc iusti fuerint membra Christi venturi,sed tamen à Christo actualiter influente habent abundantiorem gratiam. Nam propter hoc, certum est modò sacramenta conferre maiorē gratiam,quam in veteri lege. Quapropter,cùm Leo Papa.1. sermo. de Natiuit. Christi ait ; Non minus adepti sunt, qui in hoc mysterium credidere promissum,quam suscepere donatum; non intelligitur de identitate gradus,sed rei. Nam quidquid habuerūt antiqui, non minus fuit à Christo , &c. ¶ Sed licèt iste modus dicendi possit esse verus ; adhuc tamen non dissoluit difficultatem, neque plenè satisfacit. Quoniam potuisset similiter Deus operibus meritorijs alicuius iusti, qui non esset membrum Christi,eundem excessum præmij conferre : Præsertim, cùm actus supernaturales secūdum plerosq; Theologos , non habeant physicam commensurationem ad gloriam,sed iuxta taxationē,&c.Rursus:Si Christus solùm ita se habuit,vt mereretur gratiam abundātē nobis, qua nos mereremur & satisfaceremus: ergo non est verum Christum pro nobis satisfecisse,aut meruisse,sed solùm erit verum,Christum meruisse nobis gratiam , qua nos & satisfaceremus & mereremur. ¶Alij Theologi affirmant, hanc perfectionem posse consistere in eo vt nostra satisfactio sit quasi dispositio,qua posita,tunc Christus censeatur satisfacere efficaciter pro nobis,applicando nostræ satisfactioni suam rigorosam satisfactionem. Et hoc videntur intendere Doctores Theologi quādo dicunt, nostram satisfactionem habere efficaciā

*Ioan. 15.* à Christi satisfactione , iuxta illud Ioan. 15. Sicut palmes non potest fructum à semetipso, nisi manserit in vite,sic nec vos nisi in me māseritis; Ego sum vitis, vos palmites, qui manet in me , & ego in eo, hic fert fructum multum, &c. vt hac ratione Christus in nobis satisfaciat,& nos in Christo.Quomodo loquendi vtitur Trident.locis citatis.Et inde habet homo vnde satisfaciat de iustitia. Hoc significa

*Isai. 50.* tur Isaiæ.50. vbi de Christo Domino loquēs ait Propheta; Iuxta est, qui me iustificat , quis contradicit

*Rom. 8.* mihi? Et ad Rom. 8. Quis accusabit aduersus electos?&c.Deus qui iustificat, Quis est qui condemnet?Christus Iesus,qui mortuus est , id est , non est cur timeamus subire iudicium, cùm per Christum iam satisfecerimus,si eius satisfactione per nostram

*2.Corint.5.* cooperationem vti voluerimus.Et.2.Corinth.5. Eū qui non nouerat peccatum,pro nobis peccatum fecit, vt nos efficeremur iustitia Dei. Quæ verba ex-

*D. August.* plicans August.in Enchirid.cap. 41. hunc eundem sensum videtur approbare.

Ex qua responsione colligunt recentes Theologi, quodammodo dici posse iustum quatenus membrum Christi satisfacere de rigore iustitiæ , & hoc dumtaxat intendunt authores supra citati Caietan. Sotus,Medina & alij propter argumenta tradita in exordio quæstionis. Nam, quod est proprium capitis tribuitur membris , & ea etiam quæ sunt mem-

*Psalm. 21.* bris propria, tribuuntur capiti,vt Psalm.21. Longè à salute mea verba delictorum meorum, vbi pecca

*Actor. 9.* ta hominum tribuuntur Christo. Vnde Actorum.9. Saule, Saule, quid me persequeris? Id est, iustos &

*Esai. 61.* me.Et Isaiæ.61.Christus ipse personam sponsi agēs, sibi tribuit indui vestimentis salutis, & indumento iustitiæ dicens;Induit me vestimentis salutis, & iustitiæ indumento circundedit me quasi sponsum:ergo pari ratione Christi satisfactio de rigore iustitię, quæ est propria Christi , potest tribui membris per quādam participationem. Sed vt res hæc aperiatur & explicetur,subijcio alteram conclusionem, Nam difficile est censere de hoc.

*Conclus. 2.* SEcunda conclusio iuniorum Theologorum. Si iustus consideretur quatenus est membrū Christi,& vnitus Christo, tunc participatiuè, & per quandam extrinsecam denominationem dici potest , quòd operatio & satisfactio ipsius , est perfecta & rigorosa . Hanc assertionem recentiores Theologi hodie constituunt , vt explicent nodum & difficultatem propositæ controuersiæ , de qua quid ego sentiam, in fine eius dicam:Et probāt quòd participatiuè & per hanc denominationem extrinsecam , nostra satisfactio , aut nostrum meritum , dici possint perfecta aut rigorosa; tum , quia satisfactio quæ formaliter est ipsius Christi , denominatur nostra in quantum offertur pro nobis , & quatenus ab illa virtutem satisfaciendi participamus ; tum etiam quoniam nostra opera secundum quòd à Christo offeruntur æterno Patri , habent vt illis debeatur de rigore iustitiæ remissio pœnæ pro qua offeruntur ab ipso Christo. ¶Sed totum hoc minimè sufficit , vt infra dicemus , vt simpliciter & absolutè possit concedi , iustos etiam quatenus membra Christi sunt, satisfacere de rigore iustitiæ. Quoniam locutiones absolutè & simpliciter prolatæ , debent verificari in sensu formali & proprio : illa autem locutio facit hunc sensum formaliter , nempe, quòd satisfactio membri Christi , vt tale membrum est, formaliter & intrinsecè est perfecta & de rigore iustitiæ , qui sensus falsus est:Quia licet de rigore iustitię satisfactū sit pro nobis , nos tamen formaliter loquēdo nō satisfecimus de rigore iustitiæ. Quia nostris operibus vt nostra sunt formaliter, non debetur de rigore iustitiæ remissio pœnæ. Atq; adeò , licet Christo debeatur

de rigore iustitiæ quòd remittatur nobis pro qua ipse obtulit efficaciter suam satisfactionem: hoc tamẽ non debetur nobis pro nostris operibus, quatenus sunt nostra formaliter & intrinsecè. Relinquitur ergò, quòd rigorosa satisfactio Christi, potest tribui membris per quandam participationem & intrinsecam denominationem, seu participatiuè & extrinsecè, non quatenus consideratur quilibet iustus per se cum sua grãtia, neque à ratione qua Christus effectiuè & meritoriè tanquam caput influit talem gratiam, sed quatenus omnes iusti cum Christo cõstituunt vnum corpus mysticum, cuius corporis satisfactio quatenus includit Christum, est de rigore iustitiæ; eo modo quo Regnum Hispaniæ, quatenus est idem corpus ciuile cum militibus & ducibus qui vicerunt, dicitur ipsum vicisse, sicut etiam membra exteriora dicuntur operari liberè, non formaliter & intrinsecè, sed per denominationem extrinsecam.

*Obiectio.* Sed obijcies contra hanc assertionem. Quia si vera est, sequitur hanc locutionem posse affirmari, nempe, quòd iustus mereatur primam gratiam de rigore iustitiæ; Imo verò, quòd iustus sit æqualis Deo: *Soluti.* Quoniam Christus est æqualis Deo. Respondetur, negando sequelam: Quia non denominantur actus membri, nisi secũdum suam naturam. Etenim, quia homo verè satisfacit pro pœna, dicimus posse satisfactionem eius denominari extrinsecè rigorosam à satisfactione Christi, & similiter etiam eius meritũ in ordine ad gloriã; sicut hac ratione ex satisfactione Christi & Sanctorum fit vnus cumulus in Ecclesia, qui est Thesaurus eius. Sed quoniam iustus nullo modo meretur primam gratiam; idcirco non est illud concedendum, nec sunt extendendæ denominationes istæ, quæ tantum in vnione corporis mystici fundamentum habent, quæ non est physica aut mathematica vnio.

Quibusdam placuit Catholicis aliter loqui de resolutione huius controuersię; Dicunt enim, optimè & Catholicè dici posse, passiuè nos iustificari, nobis peccatum remitti, nostrasque dispositiones, vel satisfactiones acceptari ex perfecta iustitia, & rigorosa: actiuè tamen nulla ratione dici posse verè, aut propriè nos satisfacere de rigore iustitiæ, maximè pro culpa mortali. Et sanè prima pars huius sententiæ potest ostendi: quia homo dicitur satisfacere vt membrum Christi, non quia illi satisfactio Christi imputetur, sed quia re vera homo ipse satisfacit per gratiam, propter Christum acceptam, quam Christus influit tanquam caput in membra: Et rursus dicitur homo satisfacere vt membrum Christi, quia omnis puri hominis satisfactio fundatur in satisfactione, & meritis Christi: non solum quia fundatur in gratia habituali data per Christum, sed etiã, quia auxilia actualia ad satisfaciendum, dantur per Christum: Tertio etiam homo vt membrum Christi dicitur satisfacere, quia opera eius ex diuina promissione propter Christi iustitiam acceptantur, vt docet Trident. sess. 14. cap. 8. Tandem homo satisfacere dicitur vt membrum Christi, quia si quid valoris, vel perfectionis, & dignitatis deest in satisfactione nostra, totum id compensatur, & suppletur ex coniunctione ad Christi satisfactionẽ: ergo si Christus nobis meruit illa omnia ex perfecta iustitia, & pro nobis perfectè satisfecit, vt nobis peccata ex perfecta iustitia remitterentur, ex perfecta inquam iustitia non nobis debita, sed ipsi Christo, sequitur passiuè recte dici posse nos iustificari, & nobis remitti peccatum, nostrasque satisfactiones acceptari ex perfecta, & rigorosa iustitia. Hæc videtur esse sententia D. August. in Enchirid. cap. 41. quo loco explicans D. Paulum. 2. Corinth. 5. Eum, qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit, vt efficiamur iustitia Dei in ipso. Dicit August. Iustitia non nostra, sed Dei, neque in nobis, sed in ipso: Non quia cum iustificamur, non vera, & formalis iustitia infundatur nobis, aut quod per extrinsecam Christi iustitiã formaliter iustificemur, non enim Paul. & August. de hoc agunt, sed quod ipsa formalis iustitia nõ detur nobis ex debito iustitiæ nostræ, sed ex Dei iustitia, ipsi Christo debita: Hæc etiam videtur esse sententia Chrysost. homil. 11. super. 2. ad Corinth.

Quod autem actiuè dici non possit quod nos verè, & propriè satisfaciamus de rigore iustitiæ, præciuè pro peccatis mortalibus, probatur ex superius dictis, vbi tam multa diximus, tam in præcedẽtibus controuersijs, quam etiam supra. q. 113. artic. 5. disp. 2. Nam certè si per illam coniunctionem mysticam membri ad Christum, propria perfectio satisfactionis Christi, quæ est rigor iustitiæ, membris Christi, etiã viuis tribui potest, pari ratione dici posset mẽbrum Christi infinitè satisfacere: & quod vna gutta sanguinis alicuius martyris, vt est Christi membrũ, est infiniti valoris; sicut vna gutta sanguinis Christi: quod sane non licet concedere, præter quam quod est absurdissimum: Sequela autem probatur, quia non est minus proprium Christi Dei & hominis satisfacere de rigore iustitiæ, quam satisfacere infinite, vt Theologi dicunt in materia de Incarnatione: ergo si primum dici posset, similiter secundum. Secundò probatur eadem secunda pars: Quoniam satisfacere actiuè propriè, re vera est veluti actus vitalis ipsius satisfacientis: ergo non potest propriè tribui ipsi satisfacienti, nisi secundum eum modũ, & perfectionem, quam habet prout est ab ipso satisfaciente. Quare si purus homo proximè satisfaciẽs, non habet in se gratiam, vnde possit de condigno satisfacere, non potest verè dici vt membrũ Christi condigne, & rigorosè satisfacere: quia Christus vt caput verè non influit in illum virtutem ad ita satisfaciendum; quamuis influat effectum suæ infinitæ satisfactionis: & ita euenit in satisfactione pro peccato mortali. Cæterum si iam homo habeat gratiam ad condignè satisfaciendum, poterit isto pacto dici satisfacere, non tamen de rigore iustitiæ, eo modo quo Christus: Quia Christus etiam non influit in suum membrum virtutem ad satisfaciendũ illo perfectissimo modo, & sibi proprio, qui est de rigore iustitiæ, & infinitus, sed alio inferiori: sicut etiam Christus satisfacit per modum causæ primæ in illo genere; hoc est vt independens ab alio principalio ri satisfaciente: non tamen communicat suo mẽbro vt satisfaciat hoc modo: Quod sanè nos fusius explicuimus supra. q. 113. artic. 5. disputatio. 2. ¶ Sed dices: *Obiectio.* Actiones capitis tribuuntur membris, & è conuerso: ergo hoc maximè competit Christo, & suis membris propter hanc mysticam coniunctionẽ: ergo sicut Christus dicitur satisfecisse de rigore iustitiæ,



*Responsio.* tiæ, ita & membra illius vt illi coniuncta, pari modo poterunt satisfacere. Respõdetur hanc obiectionem non esse difficilem; Quia locutiones illæ, quæ videntur fundari in quadam regula Tyconij, quibus actiones membrorum communicantur capiti; vel è contra, sunt metaphoricæ, & impropriæ; Veluti cum in persona Christi dicitur, Psalm. 21. Longè à salute mea verba delictorum meorũ: non propriè, sed metaphoricè, delicta nostra dicuntur esse Christi: quia Christus saluator noster suscepit obligationem satisfaciendi pro illis, vt non actiuè dicantur delicta Christi, quia ipse illa perpetrauerit, aut commiserit, sed passiuè, seu quasi passiuè, quia videlicet in eo vindictæ effectum habent; Sic ergo è contra satisfactiones Christi dici possunt nostræ, non propriè; & actiuè; quasi nos faciamus per ipsas, sed passiuè, quia nobis donatæ sunt, & in nobis habent effectum remissionis atque gratiæ. Quod si obijcias vlterius: genus humanum rectè, & propriè dici satisfeciſſe Deo de rigore iustitiæ: ergo & quilibet homo vt membrum Christi similiter. Respondetur si genus humanum accipiatur quatenus in se Christũ includit, tunc verum est per suum caput Christum satisfeciſſe de rigore iustitiæ, tanquam vnum integrum corpus morale constans ex capite, & membris; Si verò sumatur genus humanum, vt à Christo condistinctum non propriè satisfecit de rigore iustitiæ, sed pro ipso potius satisfactum est à Christo de rigore iustitiæ. Quãdo autẽ loquimur de figulis mẽbris, tũc planè illa condistinguimus à capite, licet intelligãtur habere influxũ à capite, aliàs nõ esset sermo de satisfactione ipsius membri, sed potius de satisfactione membri, & capitis simul sumptis, vt superius dicebamus.

*Altera obiectio.* Quod verò non sufficiat extrinseca illa imputatio Christi ad hoc vt opera hominis dicantur satisfactoria de rigore, & habere moralem illum valorẽ coram Deo, & veram, & propriam denominationẽ rigoris iustitiæ, id quidem vt certissimum stabiliendum est; Et contrarium dicere, planè est falsum, & hac præcipuè ætate non bene, sed male audit. Nam aliàs pari ratione posset dici peccator mereri de rigore iustitiæ primam gratiam propter imputationem meritorum Christi: Et puer, qui absq; vllo suo opere iustificatur per Christum, posset dici satisfacere Deo de rigore iustitiæ, per similem imputationem quod sane nullus bene sentiens audebit cõcedere. Sanè si per illam mysticam coniũctionem mẽbrorum ad Christum, propria perfectio rigorosæ satisfactionis Christi, & rigorosæ iustitiæ, membro etiam Christi viuo tribui potest, pari ratione dici posset, membrũ Christi infinitè satisfacere, & quod vna gutta sanguinis eius in martyrio esset infiniti valoris, tanquam gutta sanguinis membri Christi, vt Christi membrum est; sicut etiam vna gutta sanguinis Christi est infiniti valoris: quod quidem concedi non potest de membris; imo esset absurdissimum: Quod autem talis sequela, & absurditas esset concedenda, ostendo: Quia non minus proprium est Christi Dei hominis, de rigore iustitiæ satisfacere, quam infinitè satisfacere, & ex infinito valore operum: ergo si primum conceditur, pari ratione secundum, vt paulò antea colligebamus: ergo intentum, &c.

*Conclus. 3.* Tertia conclusio. Iustus, etiam quatenus est membrum Christi, absolute loquendo neq; meretur de rigore iustitiæ, neq; satisfacit de rigore iustitiæ. Itaque, meritum nostrum formaliter & intrinsecè etiam vt procedit à nobis Christo vnitis per gratiam & fidem, non est de rigore iustitiæ denominatione intrinseca. Hæc conclusio apertè constat ex modo dictis. Probatur: Quia opera nostra satisfactoria & meritoria vt à nobis fiunt, etiam supposita gratia Christi, sunt finiti valoris, nec taliter sunt propria nobis, quin multò magis sint Dei, apud quem meremur, & cui satisfacimus. Cùm ergo nostra merita non sint ex proprijs & aliàs indebitis; sequitur, quòd absolutè loquendo & simpliciter non possunt esse de rigore iustitiæ. Nam etiam si nostra dilectio & gratia causetur ex merito Christi; tamen non damus Deo ex proprijs, ipsique indebitis: ergo ex hac ratione non est rigor iustitiæ. Et confirmatur: Quia aliàs cùm ipsa gratia detur ex merito Christi diligenti Deum; sequitur, quòd dilectio merebitur gratiam de rigore iustitiæ, quatenus adiungitur merito Christi, quod est falsum. Concedunt tamen pleriq; Catholici Theologi, nostra opera meritoria & satisfactoria vt adiunguntur merito Christi nobis applicato, eximium capere valorem, nempe, quòd vt sic vnita & adiuncta, refutari non possunt à Patre, propter conformitatẽ, quam habẽt ad voluntatem filij, qui nobis applicuit suum meritum. Cærerùm, licèt gratia & gloria, & alia dona supernaturalia relata ad Christum & eius meritum, dẽtur nobis de rigore iustitiæ propter merita Christi nobis applicata; non tamen quia nos ea mereamur de rigore iustitiæ, etiam vt Christo innitimur.

Adducor ad veritatem propositæ assertionis: Quoniam iustus potest considerari quatenus efficiens dispositionem, cui Christus voluit applicare satisfactionem; & hoc modo neque satisfacit, neque meretur iustus de rigore iustitiæ, sed Christus ipse meruit de rigore iustitiæ, vt iustus ipse satisfacere posset imperfectè, & vt eius imperfecta satisfactio acceptaretur in virtute illius, quam Christus obtulerat. Rursus potest considerari iustus vt membrum recipiens influxum gratiæ à Christo capite; sed neque isto modo satisfacit de rigore iustitiæ. Quoniam iste influxus receptus, est finitus, & opera iusti vt à tali gratia infusa per Christum, sunt finiti valoris. Vnde, quamuis caput influat in membra corporalia; non tamen omnia eundem actum habent, vt dicit Apostolus, nec cum æquali perfectione: ergo similiter in proposito dicendum est. Tandem tertiò iustus potest considerari prout denominatur pars istius corporis mystici includentis Christum. Sed hoc non sufficit vt dicatur absolutè satisfacere de rigore iustitiæ, sicut neque sufficit vt absolutè dicatur Christus ipse habere delicta. Nam similes propositiones si absolutè sumãtur, verificari debent in sensu formali, in quo sunt falsæ, vt suprà vidimus. Quia licèt tale corpus satisfaciat de rigore iustitiæ ratione capitis, quod includit; non tamen ratione membrorum. Quare, non est vlla ratio cur de ipsis membris id absolutè dicamus, sicut neq; ea quæ cõueniunt corpori naturali, ratione capitis prædicãtur de mẽbris. Neq; Episcopus quatenus est membrũ corporis hierarchici

continentis Papam, dicitur habere omnino eandem potestatem propriè.

Moueor etiam: Quia esse membrum Christi, est gratia facta ipsi iusto: ergo iustus etiam vt est Christi membrum, non satisfacit de rigore iustitiæ. Ostêdo consequêtiam: Quia rigor iustitiæ excludit gratiam, qua ratione neque ipsa humanitas Christi satisfecit de rigore iustitiæ: ergo neque alij iusti. A quo modo loquendi maximè his temporibus abstinere debemus, ne vllo pacto conueniamus cum Hæreticis asserentibus, homines iustificari & satisfacere per solam imputationem iustitiæ & satisfactionis Christi. Et confirmatur: Quoniam nostra opera vt à nobis fiunt etiam suppositа gratia, vt sæpiùs diximus, sunt finiti valoris, neque taliter sunt propria nostra, quin magis sint ipsius Dei, apud quem meremur, & cui satisfacimus: Nam profectò gratia per quam satisfactoriè operamur, & hoc ipsum quod est esse membrum Christi, est acceptum à Deo, & magis est donum ipsius Dei. ¶ Item probatur: Quoniam ex eo præcisè dicunt Theologi cum D.Thom. Christum satisfeciſse & meruisse de rigore iustitiæ, quia opera eius procedebant immediatè à supposito infinito: sed hoc non habet locum in nostris operationibus: ergo operationes nostræ, etiã quatenus sumus membra Christi, non merentur de rigore iustitiæ.

Rursus persuadetur conclusio: Quia ex oppositа sententia, sequitur quòd opera nostra formaliter sunt iusta & meritoria, atque satisfactoria per meritum & satisfactionem ipsius Christi. Imò verò vlteriùs sequitur quòd omnia nostra merita sunt æqualia, & omnes nostræ satisfactiones sunt æquales, sicut Theologi dicũt de operationibus Christi, quòd quælibet illarum erat infinitè meritoria, quia in omnibus erat vna & eadem ratio meriti, scilicet, procedere à supposito infinito. Et tandem sequitur ex oppositа sententia, quòd vnus non esset magis iustus aut merens, vel satisfaciens quã alius; quæ omnia sunt hæretica dogmata. Et confirmatur ab exẽplo allato in simili de corpore naturali. Nam in corpore naturali, quamuis omnia membra recipiant virtutẽ à capite; nõ tam ẽomnia operãtur eodẽ modo, aut cum æquali perfectione, aut cum eadem virtute: Quia vt inquit Apostolus, Non omnia mẽbra eundem actum habent: ergo licet iusti sint membra Christi, & quatenus talia operentur; non tamen operãtur cum eadem perfectione, qua Christus operatus est, neque eodem modo, quo Christus operabatur; atque adeò non est dicendũ, quòd opera iustorum formaliter & intrinsecè sint meritoria, aut satisfactoria de toto rigore iustitiæ. Ex quibus liquet, quòd cum ipsa gratia, à qua procedunt merita iustorum, gratis donetur hominibus, & nõ proueniat ex proprijs, & opera ipsa sint finiti valoris, & ipsum esse membrum Christi Deo acceptũ, sit gratia Dei, & magis ipsius Dei, quòd merita quæ fundantur in esse membri, & in esse gratiæ, non sunt de toto rigore iustitiæ. Quò fit, vt satisfactio nostra etiam vt subordinatur Christo, & ex coniũctione ad ipsum, adhuc sit ex acceptis & misericorditer donatis. Vndè, rigor iustitiæ non soluatur per ordinem ad nos, & ad nostra merita, sed per ordinem ad Christum.

*Ad argum.* A D argumenta. Ad primum patet ex dictis in prima & secunda conclusione. ¶ Secũdò respondetur negãdo vltimam consequentiã: *Ad primum 2. Solutio.* Nam vt habetur ex sententia D.Thom. ex eo quòd opera nostra procedunt à nobis quatenus sumus illius membra coniuncta per gratiam & charitatem, solum habetur quòd merita nostra ex eo quòd sumus membra coniuncta Christo, habent quandam maiorem vim & efficaciam ad merendum & satisfaciendum, quam si procederent ex gratia & charitate non habita ex meritis Christi. Vnde iusti, qui sunt membra Christi, multis titulis & rationibus præstant alijs iustis, si per impossibile darentur sine merito Christi; primò quidem quia intuitu Christi dantur illis abundantiora auxilia, vt se disponant ad gratiam, & consequenter datur illis vberior gratia per se loquendo. Itaque cæteris paribus ex parte nostra quantum ad intensionem & conatum, vberior & abundantior gratia dabitur illi qui iustificatur ex meritis Christi, quam alijs. Quod consonat Paulo dicenti ad Roman. 5. Vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia. Secundò iustus qui est membrum Christi, excedit alium iustum, si per impossibile esset, qui non esset membrum Christi: Quia cæteris paribus, perfectius operabitur quam ille, qui non est membrum Christi, tum, quia Deus efficacius mouebit illum per auxilia interna, vt Augustin. dicit lib. de correctione & gratia, capit. 11. affirmans, gratiam nobis collatam per Christum, esse potentiorem & magis efficacem, quã quæ collata fuit Adæ sine meritis Christi, vt ibi supponit Augustin. Tum etiam, quia per fidem mysteriorum Christi, habet iustus, qui est membrum eius, perfectiora motiua dilectionis, & totius virtutis. Tertiò membra Christi excederent alios iustos si fortè essent: Quia opera membrorum Christi facta ex gratia & charitate, iuxta Trident. sessione. 14. capit. 8. offeruntur à Christo Domino æterno Patri, & acceptantur per ipsum; & ex hoc habent maiorem vim & efficaciam ad merendum, & satisfaciendum, taliter quòd cæteris paribus ex parte conatus & ex parte gratiæ correspondebit maius præmium, & maior satisfactio operibus factis in Christo, & per Christum oblatis æterno Patri, quam alijs: Nam aliàs frustra & sine fructu videretur esse quòd Christus illa offerret æterno Patri. An verò membra Christi post eius passionem accipiant maiorem & vberiorem fructum, quam membra quæ illũ præcesserunt; Aliqui Theologi absolutè respondent, maiorem fructum illis correspondere cæteris paribus: Et hoc verum est quantum ad gratiam, quæ datur mediantibus sacramentis: Quoniam sacramenta nouæ legis efficaciora sunt sacramentis veteris legis; Sed quantum ad gratiam quæ datur extra sacramenta mediantibus proprijs dispositionibus, fortè sunt pares iusti noui & veteris testamenti, si omnia alia sint paria, etiam ex parte suarum dispositionum. Sed de hac re satis diximus supra. ¶ Tertiò respondetur, iustos non esse *3. Solut.* membra naturalia, sed tantum moralia ipsius Christi. Vnde non eodem modo participant valorem à persona Christi, sicut participat opus factum à Christo per aliquod membrum naturalem, sicut neque ciuis habet eandẽ dignitatẽ in operando, quã habet

Rex,



Rex, cum quo vnum corpus polyticum constituit.

*Ad secundũ* Ad secundum respondetur, negando antecedẽs. Et ad probationem respondetur, quòd solum probat quòd ista persona mystica Ecclesiæ quatenus includit caput, satisfacit de rigore iustitiæ; non tamen vt condistinguitur à capite, & solùm importat corpus participans virtutem & gratiam ab illo.

*Ad cõfir. 1.* ¶ Ad confirmationem respondetur similiter, quòd ex illa regula Augustini non habetur quòd ea quæ conueniunt formaliter capiti, conueniant etiã formaliter membris, sed secundum quandam denominationem extrinsecam, vt dictum est in discursu quæstionis. Itaque, nos non ratione nostri, neque per aliquid formaliter in nobis existens satisfecimus de rigore iustitiæ; sed quia Christus satisfecit & meruit de rigore; idcirco denominatione extrinseca, vt dictum est, solùm concedi potest id quod diximus supra conclus. 2. ¶ Et ex his patet solutio ad

*Ad cõfir. 2.* secundam confirmationem. Nam vt diximus, iustus non est membrum naturale, sed tantum morale ipsius Christi. Vnde, non eodem modo iusti participant valorẽ à persona Christi, sicut participat opus factum à Christo per aliquod membrum naturale: Sicut etiam neq; ciuis habet aut potest habere eandem dignitatem in operando, quam habet Rex, cũ

*Ad tertium* quo constituit vnum corpus polyticum. ¶ Ad tertium respondetur, quòd licèt nos offeramus Patri merita filij sui, non ob id satisfacimus de rigore iustitiæ; Quia oblatio illa vt à nobis, non est de rigore iustitiæ. Sed contra: Quia si quis bona amici sibi iam applicata offerat in satisfactionem pro suo debito, verè satisfacit de rigore iustitiæ: ergo similiter dicendum est in proposito. Respondetur, quòd quãdo hoc illi concesit amicus, iam dedit illi dominium talium bonorum, & tunc omnino & ex proprijs satisfacit: Vel si non tribuit illi dominium, remanet obligatus ipsi amico eodem modo atq; primo creditori, cui satisfacit de rigore iustitiæ: Quia restitutio respicit rem, suprà quam habet ius; at verò satisfactio respicit personam, & similiter meritũ. Cùm ergo id quod offertur à iusto, non sit propriũ illius, neque habeat valorem nisi commensuratũ suæ dispositioni, ideo neque satisfacit neque meretur de rigore iustitiæ. ¶ Alij Theologi respondent

*Solutio. 2.* ad idem principale tertium argumentum & redit in idem, quòd quamuis nos offeramus satisfactionẽ Christi, & Christus offerat satisfactionem nostram; per hoc tamen nihil intrinsecè & formaliter reperitur in nostra operatione, ratione cuius dici debeat nostra operatio perfecta, & rigorosa satisfactio, aut rigorosum meritum. ¶ Ex quibus liquet, quomodo

*Ad confir.* sit intelligendum Concilium. ¶ Ad confirmationẽ respondetur, quòd qui soluit de pecunijs amici ex consensu eius, satisfacit de rigore iustitiæ, vt suprà vidimus: Quia tunc valor solutionis non pendet ex operatione ipsius, sed tantum ex conditione pecuniarum, quas soluit. Valor autem nostrorum meritorum vt nostra sunt, vel satisfactionis nostræ pro peccatis, sumitur ex nostra operatione, qua ratione nostra est. Et quoniam quidquid est formaliter & intrinsecè in nobis & in nostra operatione, est limitati valoris; idcirco non potest absolutè concedi aut simpliciter, quòd nostra merita, aut nostræ satisfactiones sunt de rigore iustitiæ, etiam prout sumus Christi membra. Et ad replicam in eadem confirmatione contentam respondetur negando consequentiam, propter rationem superius tactam: Quia is qui soluit pretium, vt mihi detur res, de facto abdicat à se dominium pretij & rei emptæ; & idcirco ei cui transtulit tale dominium debetur res; Christus verò neque abdicauit à se dominium, neque transtulit in nos dominium suorum operum, sed eorum satisfactionem nobis applicat gratuitò: Sicut etiam quamuis conferatur nobis gratia ex Christi meritis, & sit debita illi ex iustitiæ rigore; tamen nobis gratis donatur. Vndè, nunquam meritum nostrum erit de rigore. ¶ Ad quartum respondetur, quòd Sã- *Ad quartũ.* ctissimus Præceptor in illis locis duo insinuat. Primum est, quòd satisfactio perfecta & rigorosa Christi, deriuatur & pertinet ad eius membra, in quantũ ipsi debetur de rigore iustitiæ quòd nobis remittantur peccata, & detur gratia & gloria, supposito quòd ille applicat efficaciter sua merita & satisfactionem pro hoc: Sed ex hoc solum habetur, quòd Christus satisfecit de rigore iustitiæ, & meruit de rigore iustitiæ; nõ tamen quòd ipsa membra Christi, etiam quatenus membra, meruerint aut satisfecerint de rigore. Secũdum quod insinuatum est, quòd nostra opera, eò quòd simus Christi membra, illi coniuncta per gratiam & charitatem, vim habent maiorem & efficaciam ad merendum & satisfaciendum, quàm si aliàs procederent ex gratia & charitate aliàs habita non ex meritis Christi. Vndè, suprà diximus, quòd iusti qui sunt membra Christi, multis titulis præstant & præstarent alijs, si qui per impossibile forent, qui nõ essent membra Christi. De qua re legenda est solutio ad primum, vbi fusiùs hoc explicatur.

## ARTICVLVS IIII.

*Vtrùm gratia sit principium merendi principaliùs per charitatẽ, quàm per aliàs virtutes?*

CONclusio Sanctissimi Præceptoris est affirmatiua.

### Discursus articuli.

CONclusio quæ à Sanct. Thom. in articulo proponitur, quãtùm ad id quod docet, actũ charitatis esse perfectiorem, & secundum se magis meritorium; quam sit actus alterius virtutis, est proxima fidei. Nam charitas docente Paulo, perfectior est omni virtute infusa, etiam fide. Licèt enim intellectus immediatiùs se habeat ad essentiam animæ, in qua subiectatur gratia; tamen in ratione virtutis & moralitatis, principalior est voluntas, quam intellectus. Vnde, gratia quæ perficit hominem in ordine ad actus morales & meritorios, perfectiùs & principaliùs perficit voluntatem per habitum charitatis, qui cum versetur immediatè circa finem, refert actus aliarum virtutum in ipsum. Itaque, non attingunt finem, nisi secundum motionem charitatis, qua ratione dicitur forma virtutum ab omnibus Theologis. ¶ Rursus; Sanctissimus Præceptor in toto hoc artic.

& etiam articulo. 8. sequenti, supponit gratiam esse primam radicem totius meriti, taliter quòd si per impossibile daretur habitus charitatis in aliquo sine gratia, ille non posset mereri, vt expressè dixit *S. Thomas.* Sanct. Thom. de veritate, quæstione. 27. artic. 2. ad. 4. & artic. 5. ad. 5. Et ratio huius est: Quia, sicut adhoc quòd aliquis actus sit vitalis, requiritur intrinsecè quòd procedat ex principio intrinseco viuente, ita etiam vt sit opus meritorium requiritur quòd procedat ex persona condigna: Quia condignitas operis nascitur ex dignitate personæ operantis, & secú *Genes. 4.* dum hoc communiter exponitur illud Genes. 4. Respexit Dominus ad Abel & ad munera eius, id est, ex eo quòd Abel erat Deo gratus, etiam ipsius opera fuerunt grata & meritoria. ¶ Hinc colligitur & sequitur, quòd si Deus de potentia absoluta daret alicui charitatem sine gratia, actus charitatis, quê ille eliceret, non esset meritorius connaturaliter & intrinsecè, sicut modò; posset tamen esse meritorius extrinsecè, si Deus vellet acceptare. ¶ Sed dices, *Obiectio.* Contra: Quia tunc ille actus charitatis esset eiusdem speciei, & haberet eandem perfectionem intrinsecam, quam modò habet; ergo esset tanti valoris & meriti. Respondetur, quòd valor operis, & *Solutio.* ratio meriti non tam attenduntur ex perfectione absoluta & intrinseca ipsius operis secundum se sumpti, quam ex perfectione & dignitate operantis; cuius signum est, quòd idem opus cum eadem intensione factum à Christo, erat infiniti valoris & meriti; factum verò ab alio homine iusto, esset finiti valoris & meriti. ¶ Tandem aduerte, quòd quando plerique Theologi dicunt, quòd homo per charitatem sine gratia non posset mereri; hoc non est intelligendum de gratia habituali: Quia sine gratia illa habituali, de potentia Dei potest iustificari homo & mereri, vt suprà ostendimus. Solùm ergò debet intelligi de gratia secundum quòd facit condignitatem personæ, aut secundum quòd dicit acceptationem Dei, quia sine illa non potest esse meritum. Hæc tamen gratia siue acceptatio, ex sententia *S. Thomæ.* D. Thomæ, est inseparabilis à charitate, de veritate, quæstione. 27. artic. 2. ad. 6. Quia sola charitas inter omnes virtutes nõ potest esse informis: Quia cùm sit vera amicitia ad Deum, & supernaturalis amicitia, implicat hominem habere hanc charitatem, & non esse eius amicum; & consequenter illi acceptum. Nam amicitia importat mutuam beneuolentiam.

## DISPVTATIO I.

### *Vtrùm ad meritum sit necessaria actualis relatio in Deum?*

DEbitum persoluere nostrũ decreui hoc loco: suprà enim promisimus controuersiam hãc aperire & euoluere in hoc articulo. Et cùm dixerimus, nullum opus esse meritoriũ vitæ æternæ, nisi procedat ab homine habente gratiam habitualem, nunc inquiritur, An hoc sufficiat? vel vtrum requiratur ad rationem meriti quòd procedat ex charitate actualiter referente ipsum meritum in vltimum finem, vel vtrum sufficiat habitualis, vel virtualis relatio in Deum finem vltimum supernaturalem? Vt tamen quæstionis titulus planè aperiatur & percipiatur, aduerte, quòd relatio boni operis meritorij in vltimum finem, seu in Deum finem supernaturalem vltimum, triplex esse potest, nempe habitualis, virtualis, & actualis; habitualis relatio est, quando subiectum ipsum est relatum in Deum per gratiam & charitatem; opus tamen ipsum non refertur de facto in Deum finem supernaturalem, quamuis sit referibile. Vnde, gratia & charitas ibi se habent dum taxat concomitanter. Huius rei exemplum esse potest in homine qui virtute sacramenti factus est ex attrito contritus, & postea nullum alium actum charitatis habuit vel supernaturalem, & solum ex pietate naturali motus, dat eleemosynam. Altera est relatio virtualis; quando homo actu nihil cogitat de fine, cogitauit tamen proximè antea, & in illa intentione præcedente retulit talem actum in finem supernaturalem. Hæc tamen virtualis relatio adhuc duplex est, altera proxima, quando videlicet opus procedit etiam secundum substantiam ex præcedente illa relatione in vltimum finem, ita vt si non præcessisset relatio illa vel intentio finis, non exerceretur opus illud; vt si quis, verbi gratia, proposuit peregrinari in sepulchrum Christi, labores itineris, sumptusque illius, relatione proxima virtualiter referuntur in talem finem: quia aliàs non esset labor ille assumendus, neque etiam fierent sumptus illi. Altera & secunda relatio virtualis est remota, nempe quando opus etiam quantum ad substantiam; non sequitur ex intentione finis præcedente: Quia etiam si illa non præcessisset, adhuc exerceretur opus; tamen illud opus est relatũ iam in finem supernaturalem ex præcedente illa intentione, qua se & omnia sua retulit in Deum. Et hæc potest esse duplex, vna quidem circa determinatum genus operum, vt si apud me dicerem, Omnes eleemosynas quas fecero, refero in Deum; alia autem in communi, vt si dicerem, Bona omnia opera quæ fecero, ea refero in Deum. Tandem tertia relatio est actualis, quando videlicet homo actu refert operationem moralem in finem supernaturalem, actu intendendo finem illum, & actu etiam cogitando de illo. Vnde, titulus quæstionis est; Quæ istarum relationum necessariò requiritur ad meritum? Vtrùm sufficiat habitualis, vel vlterius requiratur actualis aut virtualis relatio necessariò?

*Sententiæ.* IN hac disputatione, varia sunt Theologorum placita: Nam prima opinio est, quòd vt opus aliquod sit meritorium, neque requiritur actualis, neque virtualis relatio charitatis, sed sufficit habitualis. Tenet ergo hæc sententia, quælibet opera moraliter bona, esse meritoria apud Deum eò ipso quòd fiant ab homine iusto, licèt nullus alius influxus gratiæ interueniat. Huius sententiæ videtur fuisse Caietan. 1. 2. quæst. 8. artic. 3. & quæstio. 21. *Caietan.* artic. 4. licèt plenam resolutionem huius differat in quæstionem. 12. & in hunc locum, & in. 2. 2. quæst. 24. vbi nihil dicit. Sotus. 3. de natura & gratia, ca- *Sotus. Capreol.* pite quarto. idem sensit, Capreolus in. 2. distinctione. 40. artic. 1. conclusione. 2. Et aliqui putant hanc esse Sanct. Thom. sententiam, & communem Thomistarum: quia secundum Sanctissimum Præceptorem. 1. 2. quæst. 18. artic. 9. & quæst. 21. art. 3. & 4. & plerisque alijs in locis non datur actus humanus indifferens in indiuiduo, sed quilibet necessariò est bonus vel malus, laudabilis vel vituperabilis, meritorius vel demeritorius. Et licèt Sanct. Thom. ibi non loquatur de bonitate supernaturali, nec de merito respectu vitæ æternæ; tamen in plerisque alijs locis expressè dicit, quòd in homine habente gratiam non datur actus indifferens secundum meritum, vel demeritum vitæ æternę, sed quilibet est necessariò meritorius vitæ æternæ, vel demeritorius. *D. Thomas.* Et ita dicit expressè D. Thomas in. 2. dist. 40. quæst. 1. artic. 5. & de Malo. quæst. 2. art. 5. ad. 7. & 11. & idem etiam dixit Capreol. vbi supra. Et ex hac doctrina apertè videtur colligi, quòd omnis actus bonus moraliter, factus ab existente in gratia, est meritorius vitæ æternæ, quamuis neq; referatur actualiter, ne- *Argum. 1.* que virtualiter in Deum. ¶ Probatur. Quoniam talis actus non est demeritorius, cùm sit bonus & secundum regulam rationis: ergo necessariò est meritorius, aliàs daretur actus factus ab existente in gratia, qui nec esset meritorius nec demeritorius; quod est contra allatam doctrinam D. Thom. ¶ Et confir- *Confirm.* matur: Quoniam eo ipso quòd opus bonum procedit à persona grata censetur gratiam in illud influere, licèt nulla relatio interueniat: ergo erit meritorium. Antecedens probatur: Quia omnia opera Regis censentur maximæ dignitatis, licèt non fiant cũ speciali relatione, & omnia opera Christi essent infinitè meritoria, licèt non procederent ex imperio *Confirm. 2.* charitatis. ¶ Et confirmatur secundò: Quia in sacris literis, sola iustitia personæ dicitur sufficere ad dignificandum opus, Genes. 4. Respexit Dominus ad Abel & ad munera eius. Rursus; Homini iusto seruanti mandata promittitur gloria Matth. 19. & 2. Corinth. 3. ergò sufficit esse opus bonum elicitum à iu- *Secundum.* sto; adhoc vt sit meritorium gloriæ. ¶ Secundò arguitur. Nam vt aliquis actus sit malus, & contra finem charitatis, non requiritur quòd aliquis actualiter & expressè, aut etiam virtualiter deordinet illũ à fine charitatis, sed nulla recordatione, aut relatione aliqua eò ipso quòd amat obiectum aliqua lege prohibitum, peccat & demeretur: ergo pari ratione, vt aliquis actus dicatur ordinatus in finem charitatis, & bonus bonitate supernaturali, non requiritur quòd ordinetur actualiter aut virtualiter in finem ipsius. Ostendo consequentiam ex paritate ra- *Tertium.* tionis. ¶ Tertiò arguitur. Quia omne opus bonum de se tendit in Deum: ergo si agens seu operans est in gratia & charitate, & per eam eleuatus ad finem supernaturalem; tunc tale opus tendet in Deum secundum quòd est finis charitatis, sine alia speciali *Confirmo.* relatione. ¶ Et confirmatur: Quoniam meritum & demeritum opponuntur priuatiuè: ergo non est dare medium inter illa respectu proprij & immediati subiecti: sed proprium & immediatum subiectum, *Quartum.* quod potest mereri vel demereri, est homo existens in gratia: Nam is qui caret gratia, non est immediatè dispositus ad meré dum. ¶ Quartò arguitur. Quia si requiritur aliqua relatio saltem virtualis, tunc sequitur, quòd opera iusti, qui iustificatus est cum sola attritione, sacramento suscepto, non essent meritoria. Probatur: Quia talia opera nullo modo sunt imperata à charitate. ¶ Quintò. Nullum bonum de- *Quintum.* bet relinqui irremuneratum: sed opera moraliter bona, quæ sunt in ipsis iustis, & ab eis fiunt; sæpè non remunerantur temporaliter: ergo debent remunerari æternaliter; aliàs pauca opera iustorum merebuntur gloriam, si non sufficit relatio habitualis. ¶ Sextò arguitur. Quia si in homine iusto nul- *Sextum.* lum datur opus indifferens in indiuiduo respectu bonitatis & malitiæ: ergo neque etiam respectu meriti aut demeriti, cùm sit proportionalis ratio. ¶ Et confirmatur: Quoniam omne mortale est dignum æterna pœna, vt diximus: ergo omne opus bonum hominis iustificati erit dignum vita æterna. Præterea, Opera moraliter mala, sunt contra Deũ, non solum vt est finis naturalis, sed etiam vt est finis supernaturalis: ergo è conuerso opera moraliter bona hominis iustificati, tendent in Deum finẽ supernaturalem.

Hæc opinio, quatenus dicit, neque actualem, neque virtualem relationem requiri, vt opus sit meritorium, sed sufficere habitualem, est singularis opinio, & quantum arbitror ferè nullus author eam defendit: Nam Caietan. locis citatis nihil de hac re definit: Imo verò. 1. parte, quæstione. 63. articul. 6. expressè docet, non satis esse ad hoc, vt actus sit meritorius vitæ æternæ, vt ipse sit moraliter bonus, aut quòd operans sit in gratia & charitate: sed vlterius requiri quòd actualiter, vel virtualiter referatur in Deum in virtute alicuius actus charitatis, quo quis omnia sua ordinauit in finem vltimum. Et quamuis citetur Capreolus pro contraria parte; tamen idem Capreolus loco à me citato ad primum contra secundã cõclusionẽ, idem dicit quod Caietanus. Sotus verò loco etiam superius citato, quamuis dicat, nihil aliud requiri ad opus meritorium, quam quòd sit opus bonum ex obiecto & circunstantijs, & quòd fiat ab amico Dei; tamen statim reddens rationem huius, inquit, ex eo talia opera esse meritoria, quia quando quis conuertitur in Deum, virtualiter refert omnia sua opera in ipsum. Vndè, omnes hi Theologi Doctores, præter relationem habitualem exigunt aliam ad rationem meriti.

*Sententia. 2.* SEcunda opinio tenet, quòd vt opus sit meritorium, requiritur, quòd procedat ex charitate & relatione actuali. Tenet ergo hæc sentẽtia, nulla opera esse meritoria, nisi procedant ex speciali influxu gratiæ per imperium charitatis, in quo plerique Theologi conueniunt: Et addit vlterius, requiri imperium actuale charitatis in quolibet *Durand.* opere. Hæc sententia solet tribui Durando in. 2. distinctione. 46. quæstione. 2. & distinct. 4. quæst. 2. & *Scotus.* etiam Scoto in eadem distinctione, sed immerito. Posset etiam tribui Gregorio Ariminensi, in secundo distinctione. 28. &. 29. Vbi necessarium esse dicit ad hoc, vt opus sit bonum etiam moraliter, quòd procedat ex intentione vltimi finis supernaturalis; atque adeo ex charitate. Verùm est, quòd non aperit satis, Vtrum sit necessaria relatio actualis, licèt hoc insinuet. Et quamuis, neque isti authores citati, neque alij distinguant inter opera ordinis naturalis, vel supernaturalis.

*Argum. 1. pro secunda opinione.* Quòd tamen nulla opera sint meritoria, nisi actualiter à charitate imperẽtur, probatur primò ex sacra

Scriptura, quæ charitati tribuit totam rationem meriti. 1. Corinth. 2. Nec oculus vidit nec auris audiuit, neque in cor hominis ascenderunt, quæ præparauit Deus diligentibus se. Et Ioan. 4. Qui diligit me, diligetur à Patre meo. Et cùm de alijs operibus Scriptura loquitur, semper vtitur aliqua particula quæ indicet requiri imperium charitatis, & actualem illam relationem, vt patet ex illis verbis, Qui susceperit vnum ex istis in nomine meo, & Matth. 15. Qui dederit potum aquæ frigidæ in nomine meo; Quæ loca notauit D. Augustinus 16. contra Faustum. cap. 26. &. 3. Confession. cap. 16. Quòd etiam opera de se supernaturalia non sint meritoria nisi imperentur à charitate specialiter, significat Scriptura ad Galat. 5. Neque circumcisio aliquid valet neque præputium, sed fides, quæ per charitatem operatur. Et. 1. Corinth. 13. enumeratis donis supernaturalibus Prophetiæ, fidei, &c. concludit, Si ne charitate nihil sum. ¶ Secundò arguitur pro hac eadem parte. Quoniam meritum resultat ex bonitate morali, quam non habent actus intellectus: ergo licèt habeant bonitatem intellectualem ex se, requiritur imperium charitatis, à quo habeant bonitatē moralem & meritoriam. Nam actus scientiæ ex se non esset meritorius in puris naturalibus, nisi quatenus imperatur à voluntate: moralitas ergo à voluntate est. ¶ Et confirmatur: Quia aliàs actus Theologiæ, qui secundum plures est supernaturalis, erit de se meritorius sine alio imperio: Consequens est falsum; Nam magis meremur faciendo maximas eleemosynas, quam eliciendo talem actum: sed ad primum requiritur imperium charitatis: ergo ad secundum. ¶ Tertiò. Vt opus sit meritorium, necesse est, vt habeat pro obiecto idem charitatis obiectum: sed hoc non potest habere nisi ex motione speciali ipsius charitatis: ergo. Quòd autem non sufficiat virtualis intentio & relatio, patet: Quia hæc non sufficit in ordine ad diuinum officium, neque ad ministranda sacramenta: ergo, &c. ¶ Quartò arguitur. Illa tantum sunt opera demeritoria, quæ actualiter referuntur in malum finem: ergo illa tantum erunt meritoria vitæ æternæ, quæ actualiter referuntur in finem supernaturalem. Patet antecedens: Quia aliàs omnia opera infidelis, qui semel se obtulit in Idolum, essent demeritoria. ¶ Quintò arguitur: Quia aliàs possemus mereri sine auxilio supernaturali, scilicet, per actum moraliter bonum cum relatione habituali præsenti, vel cum actuali, quæ præcesit, & manet in virtute: Consequens est contra Concil. & contra Sanctos Patres suprà citatos, vbi diximus, quòd non possumus sine auxilio speciali Dei facere opus meritorium vitæ æternæ. ¶ Vltimò arguitur. Nam ad demerendum, non sufficit relatio habitualis; vel virtualis, sed requiritur actualis: ergo etiam ad merendum. Patet consequentia: Quia cùm bonum sit ex integra causa, plus requiritur ad meritum quam ad demeritum. Antecedens verò probatur: Quia aliàs vt diximus, opera omnia infidelium essent peccata mortalia, quia sunt virtualiter relata in idolum per relationem, quam habuerunt à principio. ¶ Et confirmatur: Quia vt palmes ferat fructum, non sufficit quòd sit coniunctus cum vite, sed requiritur actualis cōcursus, nos autem sumus palmites vitis Christi: ergo vt mereamur, requiritur actualis eius influxus & relatio in Deum. ¶ Hæc tamen sententia meritò repellitur ab omnibus: Quoniam est valde rigorosa & stricta, & facit Deum nimium exactorem; imò verò secundum eam sæpiùs eueniret vt homines perfecti minus mererentur in suis bonis operibus, quam incipiētes, & imperfecti: Illi enim cùm paruam sentiant difficultatem, sintque optimè assuefacti, sæpè operantur absque actuali & expressa relatione; Hi verò propter difficultatem, quā sentiunt in operando, frequentiùs referunt expresse & actualiter sua opera.

*1. Corint. 2.* *Ioan. 4.* *Matth. 15.* *D. August.* *1. Corint. 13.* *Secundum.* *Confirm.* *Tertium.* *Quartum.* *Quintum.* *Sextum.* *Confirm.*

*Sententia.*

TErtia opinio est, quòd sufficienter opus bonum dicitur meritorium, ex relatione actuali generali, quam quis habuit cum primùm conuertitur & iustificatur apud Deum. Nam, cum tunc referat se & omnia sua in finem supernaturalem, & hæc relatio duret per totam vitam, nisi interrumpatur per mortale, illa sufficit, vt opus bonum sit meritorium per totam vitam. Et pari ratione, authores huius sententiæ tenentur concedere, quòd ex relatione actuali generali, quam quis habuit in primo instanti vsus rationis, si in eo fuit iustificatus & conuersus in Deum explicitè, omnia opera sequentia per totam vitam, sufficienter sunt meritoria: Quia sufficit illa relatio prima actualis generalis. Hanc sententiam tenet Bartholom. Medina in hoc artic. Et fortè hoc est quod senserunt Sotus & Capreolus locis suprà citatis, & Bartholomæus Medina dicit Sanctum Thomam, fuisse huius sententiæ, quod ego minimè credo. Hæc etiam sententia tribuitur Victoriæ & Adrian. quodlibet. 10. art. 3. ad. 4.

*Medina.* *Sotus.* *Capreolus.* *Victoria.* *Adrianus.*

*Nota.*

Pro explicatione huius difficultatis suppono ex his quæ Theologi dicunt in materia de charitate, quòd charitas dicitur forma virtutū, vt colligitur ex sacris literis, & ex doctrina Sanctorum Patrum. Nam dicunt charitatem esse vitam animæ nostræ, & sine charitate nihil mereri, nihilq; nos esse sine illa, vt patet. 1. Ioan. 3. Qui non diligit manet in morte. Et cap. 4. sequenti, Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo; quasi dicat, quòd per charitatem habemus esse diuinum, sicut per animam habemus esse humanum. Vnde Iacobi. 2. legimus; Sicut corpus sine anima mortuum est, ita fides sine operibus mortua est; Vbi Apostolus loquitur de operibus charitatis, iuxta illud Paul. ad Galat. 5. Fides per charitatem operatur. Vnde D. August. lib. de cognitione veræ vitæ, capit. 38. dicit, quòd fides dilectione animatur, vt corpus anima viuificatur. Et D. Bernard. sermo. 2. de resurrectio. Vita corporis est anima, per quam mouetur & sentit; vita verò fidei est charitas, quia per illam operatur. Et eodem modo loquitur D. Ambros. libr. 2. super Lucam, D. Hieronym. super Epistol. ad Galat. capit. 6. D. Gregor. homil. 27. in Euangelia, & tandem Trident. sessione. 6. cap. 7. Ex quibus omnibus apertè constat, charitatem esse veluti animam & formam fidei, in quantum dat illi esse formatum & viuere, atque adeò operari bene & perfectè in ordine ad finem vltimum supernaturalem. Et idem omnino est dicendum suo modo de vniuersis alijs virtutibus, quòd charitas est forma omnium virtutum. Nam de illis omnibus dixit Apostolus. 1. Corinth.

*1. Ioan. 3. & 4.* *Iacobi.* *Galat. 5.* *D. Aug.* *D. Bern.* *D. Ambr.* *D. Hier.* *D. Greg.* *Conc. Trid.*



*1. Corint. 13.* rinth. 13. quòd nihil sunt vel prosunt sine charitate.

*Obiectio.* ¶ Dices: charitas non est pars essentialis aliarum virtutum, neque illis inhæret tanquam subiecto: ergo non est forma earum. Respondetur ex S. Thom. 2. 2. q. 23. artic. 8. ad. 1. quòd charitas non est forma aliarū virtutum essentialiter intrinsecè, sicut anima rationalis est forma hominis. Neque etiam exemplariter sicut idæa dicitur forma extrinseca rei, quæ fit ad eius imitationem, sed est forma effectiua in quantū suo imperio efficit vt actus earundem virtutum ordinētur ad vltimum finem, qui est Deus. Cum enim actus humani accipiant speciem & formam ex fine ad quem ordinantur, non immerito dicitur, quòd virtus præstans finem actui virtutis, præstet etiam formam. Sed contra: Nam ex hoc sequitur quòd prudentia sit forma omnium virtutum moralium, nam omnes ordinat præstituendo illis finem, vt S. Thom. dixit. 1. 2. q. 66. ar. 3. ad. 5. Imo verò sequitur quòd obedientia etiam sit forma reliquarum virtutum in quātum omnes monet ad exercendos proprios actus, quādo præceptum illorum vrget, vt seruetur debita subiectio ad superiorem præcipientem. Respondetur, non esse inconueniens concedere, quòd Prudētia est forma reliquarum virtutum moralium, in quantum omnibus imperat, & omnium actus dirigit & disponit in ordine ad debitos fines. Et pari ratione potest concedi, quòd obedientia est forma aliarum virtutum, in quantum illis imperat in ordine ad proprium finem ipsius obedientiæ; & generaliter loquendo, quandocumque vna virtus particularis imperat actum alterius, ordinando illum ad proprium finem virtutis imperātis, potest dici quod virtus imperans, est forma eius, cui imperat in quātum præstat finem specificantem actum ipsius. Sed neque Prudentia, neque obedientia, neque alia virtus, est forma aliarum virtutum cum ea proprietate & perfectione, quam habet charitas, in eo quod est esse formam aliarum virtutum: Quamuis enim prudentia dicatur quodammodo præstituere finē alijs virtutibus, in quantum disponit media, per quæ firmiter & conuenienter tendant in proprios fines; tamen simpliciter & absolute loquendo non est officium prudentiæ præstituere finem alijs virtutibus: non enim versatur prudentia directe & per se circa finem, sed circa media, vt nos expressè in materia de virtutibus diximus ex sententia Caietani & D. Thom. ibi; &. 2. 2. q. 47. art. 6. Multo autem minus conuenit alijs virtutibus præstituere finem alicui alteri virtuti, quia omnes versantur circa media eligenda in ordine ad finem præstitutum à ratione naturali per synderesim, quamuis per accidēs eueniat quod vna virtus imperet alteri, mouendo illam ad operā dum in ordine ad aliquem finē particularem virtutis imperantis; Sed charitas hoc habet speciale ex natura sua, vt per se, directeque respiciat finem vltimum, cui subordinantur fines omnium aliarum virtutum. Non enim versatur directe & perse circa media, sed circa finem vltimum & supremum omniū humanorum actuum, ratione cuius omnes virtutes subordinantur, & subijciuntur per se loquendo imperio charitatis in ordine ad vltimum finē simpliciter. Et idcirco charitas ipsa, specialissima ratione est forma omnium aliarum virtutum, non solum quia actus omnium virtutum habent esse meritorium ex charitate, sed etiam quia habent ordinari ad finem ipsius, secundum quòd ab illa imperantur: At verò charitas, non subiacet imperio alterius virtutis, sed est veluti Regina omnium; & ob id nulla alia virtus potest dici forma charitatis. ¶ Sed dices; Contra. Actus charitatis regulatur secundum prudentiam infusam, & sæpe proficiscitur ex virtute obedientiæ imperantis charitati vt eliciat actum quando occurrit præceptum dilectionis diuinæ: ergo prudentia & obedientia possunt esse forma charitatis. Respondetur, hoc esse dissidium inter charitatem & alias virtutes morales, quòd aliæ regulantur per rationem humanam mediante prudentia; charitas verò non regulatur per prudentiam, neque per rationem humanam, sed immediatè à diuina sapientia, quæ præscribit illi finem, in quem tendat, vt S. Th. docet. 2. 2. q. 24. ar. 2. ad. 2. Et ob id, omnis prudentia tā acquisita quā infusa subiacet charitati in quātum charitas fertur in finem vltimum per amorem, & illum proponit imperando, vt quærat media conuenientia ad consecutionem talis finis. Et eadem ratione, ipsa virtus obedientiæ & quęcumq; alia subiacet charitati. Quia hoc ipsum quod est velle obedire præceptis diuinis & humanis, progreditur ex amore, quo charitas tendit in finem vltimum simpliciter, qui est Deus. ¶ An verò ex isto imperio & informatione charitatis resultet aliquid intrinsecum realiter existens in alijs virtutibus, quæ per charitatem informantur & imperantur, postea dicemus; nunc autem sufficiant quæ diximus de imperio charitatis, vt intelligamus, quòd sicut nullum est meritum sine charitate, ita neque sine informatione aut imperio eius; & ob id explicuimus quo pacto charitas sit forma omnium virtutum.

*Obiectio.* *Solutio.* *S. Thomas.*

*Conclus. 1.*

HIs ergo ita constitutis, est prima conclusio. Opera iustorum, nisi speciali modo ex gratia procedant, non possunt esse meritoria de condigno vitæ æternæ. Hanc assertionem tanquam præambulam constituo ad dicenda, quam defendit S. Thom. supra art. 2. &. 3. & art. 8. Quibus locis, semper refert opus meritorium in motionem Spiritus sancti. Et in hoc art. affirmat, actus aliarum virtutum non esse meritorios, nisi prout imperantur à charitate; & in tota hac materia vult meritum esse à gratia cooperante; & idem colligitur ex S. Thom. plerisque in locis, & quodlib. 5. arti. 2. &. 1. p. q. 62. art. 4. ad. 2. Caiet. 1. p. q. 63. art. 6. Capreol. in. 2. d. 4. conclus. 2. Durand. ibi. q. 2. Bonauent. Scot. Gabr. d. 41. Marsil. in. 2. q. 17. & idem Scot. quodlit. 13. Et probatur ex Trident. sessio. 6. cap. 16. vbi sic habetur; Cū enim ille ipse Christus Iesus tanquam caput in mēbra, & tanquam vitis in palmites, in ipsos iustificatos iugiter virtutem influat, quæ virtus bona eorum opera semper antecedit, comitatur; & subsequitur, & sine qua nullo pacto Deo grata & meritoria esse possent, &c. Idem fere decernitur Cano. 32. Et patet ex loco citato Ioan. 15. quod ita interpretatur à Concilio, Sicut palmes non potest fructum facere, ita & vos, &c. ergo sicut oportet palmitem sumere humorem à vite, ita etiam opera meritoria à gratia. Idem indicatur in Arausic. Cano. 25. & Mileu. cano. 3. Idē Leo. PP. epist. 62. &. D. Aug. sæpissimè, præsertim epist. 105. & 106. & Cæleſt. in epist. ad Episcopos Galliæ & Vega. quæst. 12. de iustificat.

*Conclus. 1.* *S. Thom.* *Capreolus.* *Caietanus.* *Durandus.* *D. Bonaue.* *Scotus.* *Gabriel.* *Marsil.* *Conc. Trid.* *Conc. Arau.* *Mileuit.* *Leo. P P.* *D. August.* *Cæleſt. PP.* *Vega.*

& communiter Sancti Patres affirmant, opus meritorium principaliter à gratia procedere. Item persuadetur: Quoniam opus ordinis naturalis vt sic ex se non est dignum vita æterna, neque est illi proportionatum vt fide constat, & oppositum est Pelagianum. Neque vero ex promissione Dei, quia nulla est talis, cum omnia testimonia Scripturæ, quæ promittunt operibus vitam æternam, semper indicent aliquid supernaturale, vt persuadent testimonia adducta pro secunda opinione. Rursus probatur: Quoniam non decuit ordini diuinæ prouidentiæ, vt acceptaret tanquam sufficiens medium ad finem consequendum, illud opus, quod neque ex natura sua, neque ab operante refertur in illum finem. Tandē probatur ex dictis in suppositione facta de charitate vbi diximus quòd charitas est quæ fertur in finē vltimum per amorem, & quòd illū proponit imperando, & quòd ipsa est quæ tendit in finem vltimum simpliciter qui est Deus.

*Cōclus.2.* Secunda conclusio. Quamuis opera moraliter bona pertinentia ad ordinem naturæ præcisè, fiant alias ab homine grato, non ob id censentur procedere à gratia, nisi aliquo modo referantur in supernaturalem finem; & ex consequenti, talia opera, nisi imperentur ab aliquo supernaturali actu, non erunt meritoria vitæ æternæ. Hæc assertio sequitur ex dictis, eamque defendunt omnes authores supra citati pro priori assertione, & eadem argumenta facta, atque fundamenta, hanc eandem ostendunt. Nam profecto, nullum opus est meritorium, nisi ex motione Spiritus sācti: sed in talibus actibus moraliter bonis pertinentibus ad ordinem naturę, non est necessaria motio Spiritus sancti, quamuis fiant ab homine existente in gratia, seu ab homine grato: ergo tales actus nisi aliquo modo referantur in supernaturalem finem, non censentur procedere à gratia ex eo quòd fiant ab homine grato. Hanc veritatem optimè ostendit testimonium illud Christi *Matth.5.* Matth.5 *si diligitis eos qui vos diligūt, quam mercedem habebitis*: hoc est, si ex amore naturali quamuis bono diligatis, & non propter supernaturalem finem & ordinem, non habebitis supernaturale præmium. Secundo probatur: Quoniam actus non ob id est demeritorius, quia procedit à persona indigna & mala præcisè, nisi eius malitia influat in talem actum: ergo similiter nec ideo erit meritorius, quoniam procedit à persona grata seu digna præcisè, nisi talis etiam dignitas aliquo modo influat in illum actum, vt reddatur meritorius. Tertiò persuadetur: Nam dignitas personæ operātis, non est in præsenti à natura, sed ab habitu: sed nunquam opus censetur procedere à dignitate habitus, nisi procedat ex aliquo influxu illius: Quia habitibus vtimur cū volumus: ergo, &c. Quartò efficaciter probatur: Quoniam tale opus de quo nobis est sermo, de se est improportionatum gloriæ; sed non proportionatur sufficienter ex eo præcisè quòd persona sit grata: ergo. Consequentia patet: Quia requiritur proportio inter meritum & præmium. Minor vero probatur: Quoniam in ipso medio; est requisita talis proportio: sed ex eo præcisè quòd operans est in gratia, nō sequitur eius opera esse proportionata, nisi eius opera fiant ex influxu speciali eiusdem gratiæ, vt patet in peccatis venialibus quæ fiunt à iustis: ergo opera moraliter bona ordinis naturalis, non censentur à gratia procedere ex eo præcisè quòd fiant ab homine grato, nisi aliquo modo referantur in supernaturalem finem; & ex consequenti nonerunt meritoria glorię, nisi imperentur ab aliquo actu supernaturali.

Tertia conclusio. Sola relatio habitualis, non sufficit vt opus sit meritorium. Hæc assertio est contra authores primæ opinionis. Et sequitur euidenter & præcedenti secunda, ex patet ex eisdem fundamentis & argumentis. Et probatur aperte. Quia opus non est meritorium nisi procedat ex speciali motione Spiritus sancti: sed tale opus nō procedit ex motione speciali, sed præcisè ex viribus naturæ: ergo non est meritorium: neque sufficit dignitas habitualis subiecti; Quia cùm talis dignitas non sit à natura, sed ab ipso habitu, non refunditur in operationem, nisi habitus ipse aliquo modo concurrat ad illam, sed solum concomitanter se habet, sicut scientia vel alij habitus, quos homo ipse haberet. Et confirmatur: Nam cùm gratia non sit immediatè operatiua, sed medijs virtutibus, quæab illa procedunt, sequitur quòd si tale opus non procedit ex aliquo speciali influxu gratiæ, vel suarum virtutum ab ea procedentium, quod non erit opus meritorium, & consequenter non sufficiet sola relatio habitualis. Omnia etiam argumenta, quæ militant pro secunda conclusione antea posita, probant hanc assertionem. Item etiam persuadetur: Quoniā relatio habitualis subiecti existentis in peccato, nō reddit opera demeritoria: ergo nec meritoria. Præterea: Opera nostra nō sunt meritoria ex relatione, quæ non est causa actus, vt infra amplius aperietur; sed cum charitas nihil agit, non est causa actus: ergo etiam si homo sit in charitate quod est habere relationem habitualem, non sequitur quòd ex hoc præcisè actus eius sunt meritorij. Aliqui Theologi, hac ratione volunt ostēdere præfatam assertionem: Quia si auferatur habitus charitatis ab homine iusto, & nihilominus maneat gratia, quæ est habitus distinctus; tunc non minus essent vel non essent actus illius iusti, meritorij: Quia in vtroque casu nō fiunt ex imperio charitatis, neque ex speciali relatione in vltimum finem: ergo habitualis illa relatio videtur impertinens ad meritum: ergo intentum.

*Corollar.* Ex his colligitur quòd relatio illa generalis, quæ non est causa actus, non sufficit ad meritum. Hoc est contra authores tertiæ opinionis, & etiā primæ opinionis. Nam certè, relatio quæ non est causa actus, non reddit illum bonum nec malum, meritorium vel demeritorium, etiam si fit simul cum actu: ergo multo minus si iam diu præcesserit, & est plurimum antiquata relatio. Et confirmatur: Quia etiā aduersarij concedunt, quòd actus meritorius debet procedere à gratia, & quòd debet esse virtualiter relatus in Deum vltimum finem: sed talis relatio generalis verbi gratia, facta in primo instanti vsus rationis, non est causa huius actus, qui modo fit: ergo non procedit à gratia, neque ex illa virtualiter refertur in Deum: igitur talis actus non est meritorius. Rursus efficaciter persuadetur: Quia relatio generalis actus in malum finem, non inficit actum, neque illum demeritorium reddit, nisi fit causa illius; alias vt supra diximus, omnia opera Idololatræ, qui aliquando



quando ea retulit in Idolum generaliter; erunt mala & demeritoria: ergo nec relatio generalis erit sufficiens vt singuli actus in discursu vitæ sint & reddantur meritorij. Requiritur ergo quòd talis relatio sit causa actus. Adhoc argumetum aliqui Theologi dicunt non esse simile: Quia opera bona, violenter tendunt in malum finem. Vnde, si diu præcesit illa mala intentio, bonitate operis quasi resistente, & agēte, extinguitur illa veluti impulsus, & cessat tendentia in malum finem, vt in motu proiectorum, cui resistit grauitas. ¶Sed contra: Quia nihil habet amplius opus quod non procedit ex relatione, quæ sit causa eius, siue videatur proximè relatum, quam habeat opus illud procul relatum, cum vtrobique relatio non sit eius causa: ergo si vnum tendit in malum finem, similiter & aliud, &c. ¶Et confirmari potest. Quoniam opus bonum ex obiecto, neque in vno neque in alio cāsu repugnat relationi in malū finē, imo verò ex malitia agentis potest aptari malo fini, verbi gratia inani gloriæ: igitur non tollit relationem in malum finem. ¶Et confirmatur præterea: Quoniam relatio illa est solum denominatio extrinseca ab actu præcedente nō retractato: ergo non tollitur per opus bonum, sed semper opus denominatur relatū ab illa relatione: ergo si sufficit q̄ dicatur ea relatione relatū vt sit demeritoriū, erit certe demeritoriū siue sit relatum proxime, siue remote. Sed profecto, mihi videtur, q̄ antiqua illa & vetus relatio generalis, cū sit relatio moralis, est interrupta, & adeo antiquata, vt modo non censeatur relatio neq; proxima neque remota, sed solum habitualis, & ob id sic appellatur, quia ratione habitualis peccati mā sit solum, quod peccatum habituale propriè dicitur indignitas ad vltimum finem, & ob id si actus boni ex omni circunstantia fiant ab Idololatra, illi censentur relati ex se se actualiter in bonum finem, nisi specialiter distrahantur à sua natura.

*Corollar.2.* Secundò colligitur, quòd etiam si adsit actualis relatio simultanea, non redditur actus meritorius, si talis relatio non est causa illius actus, sed tantum adest ibi per concomitantiam præcisè. Hic appendix sequitur etiam ex dictis. Et probatur: Quoniam ille actus in casu posito, non fit propter Deum, hoc autem est necessarium ad meritum, vt dicemus, & vt etiam diximus: ergo. Præterea: Relatio actus in malum finem, si non est causa illius actus, sed tantū est ibi concomitanter, non reddit actum malum & demeritoriū specialiter in se ipso, vt supra ar.1. specialiter ostendimus ex S.Thom. Almayno, & ex Dorotheo lib. de ædificatione virtutum; sed tūc solum erit mala illa relatio, cum sit in malum finem; tamen cum actus non sit effectus illius malæ relationis, neque relatio sit eius causa, sed præcisè se habeat concomitanter vt supponimus; sequitur intentum, &c. Quare, illa non erit propriè relatio illius actus in malum finem.

*Conclusio.* Quarta conclusio. Præter relationem habitualem, exigitur vt minimum alia relatio maior saltem virtualis ad rationem meriti respectu vltimi finis, ita vt operatio dicatur esse ex imperio charitatis, saltem proximè præcedente, & propter finem supernaturalem, quem proxime antea iustus intendebat. Nam hæc intentio virtualis sufficit in omni negotio morali humanę vitæ. Nam profecto cum quis incipit orare religionis gratia, vt hæc oratio meritoria sit in homine iusto, non semper requiritur actu recolere supernaturalem finem. Et pari ratione, cùm quis Hierosolymā tendit religionis gratia, vt peregrinationis labor meritorius sit, non semper oportet diu, noctuque recogitare supernaturalem finem; sicut neque quando artifex operatur, non semper actu considerat Idæam, aut regulam artis: Quòd autem non sufficiat habitualis relatio, ostensum est supra, & sequitur bene; Non sufficit habitualis relatio, & requiritur relatio in vltimum finem charitatis: ergo vt minimum requiritur virtualis. Et hæc mihi videtur expressa sententia D.Tho. in art.ad.3. vbi inquit, quòd actus fidei, patientiæ, & fortitudinis, non est meritorius nisi fides, patientia & fortitudo, per dilectionem operentur. Vnde subiungit, quòd actus istarum virtutum non sunt meritorij, nisi aliquis ex charitate hæc operetur. Et tota hac quæstione passim dicit S. Thom. opus non esse meritorium, nisi procedat ex gratia & motione Spiritus sancti: Semper ergo presupponitur ad meritum, quòd opus virtualiter saltem procedat ex motione Spiritus sancti mouentis nos per charitatem. ¶Ratione etiam ostenditur hęc assertio ex impugnationibus oppositæ sententiæ: Quoniam vt supra ostendimus, actus non recipit bonitatem nec malitiam ex habitu concomitanter solum se habente, nisi aliquo modo moueat & causet talē actū: igitur si habitus charitatis dumtaxat se habeat concomitanter ad opus, nullā illi communicabit bonitatem, & per consequens nec meritum. Antecedens patet inductiue tam in virtutibus quā in vitijs: Si enim aliquis habeat omnes habitus virtutum, & tantum operetur secundum vnum illorū, operatio nō habebit bonitatem ex alijs adiūctis virtutibus & concomitantibus, sed ex his tantum à quibus procedit siuè elicitiuè siue imperatiue. Nam idem est dicendum de eo qui facit actum vnius vitij: Nam quamuis is habeat plures habitus viciosos; tamen actus ille non recipit malitiam omnium illorum: ergo similiter in nostro casu.

Moueor etiam: Quoniam opus non est meritoriū nisi informetur à charitate: sed charitas non informat operationem per inhæsionē, sed per hoc quod illam ordinat in suum finem: ergo requiritur charitatis imperium, & saltem virtualis relatio. Et confirmatur: Quoniam actus humani recipiunt formam ex fine ad quem diriguntur: sed non possunt dirigi in finem charitatis, nisi actualiter vel virtualiter ex charitate procedant: ergo. Fauet etiam, quòd Christus non promisit beatitudinem & regnum cæleste, nisi illis qui in nomine eius, id est ipsius amore & intētione ei placendi, operarentur, vt superius ex plerisque testimonijs Sanctarum literarum deduximus: Sed qui nunquam retulit suas operationes in Deum vltimum finem charitatis, non operatur in nomine Christi: ergo. Imo verò aperte colligitur, quòd si Christus tantum promisit beatitudinem illis, qui in nomine eius operantur, quòd opus quod non procedit ex amore Dei formaliter vel virtualiter, non meretur præmium beatitudinis. Et confirmatur hoc ex Trident.sessio.6. cano.32. vbi rationē meriti solum tribuit actibus iustificati, quæ sunt dona Dei, & ab eo fiunt per Dei gratiam. & Iesu Christi *Trident.*

sti meritum: ergo actus moraliter boni qui sunt in homine iusto, si non procedunt ex relatione supernaturali saltem virtuali, non dicuntur propriè fieri per eius gratiam & meritum Iesu Christi. Torrens. loco citato in fauorem huius rei adducit pleraque loca D.August. Et profecto, quod magis vrget est doctrina Scripturæ Conciliorum & Sanctorum Patrum dicentium, quòd sine auxilio Dei supernaturali, non possumus facere aliquod bonum, scilicet meritorium: quæ loca nos adduximus supra, & adducuntur à Bartholomæo Medina, hic. Vnde, Paul. ad Galat. 5. dicit; In Christo Iesu, neque circúcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides quæ per dilectionem operatur, seu agit, aut exercetur, vt optime interpretatur Turrian. de Iustificat. cap. 5. ergo requitur actus dilectionis saltem virtualis. Et ob id D. Prosper lib. 3. de vita contempl. cap. 13. charitatem dicit esse causam meritorum bonorum. Et cap. 14. ait, quòd quando Paul. 1. Corint. 13. inquit; Si linguis hominum loquar & angelorum, charitatem autem non habuero, &c. non vult quòd opera bona non possint esse sine charitate, sed quòd nulla possunt meritoriè esse fructuosa, nisi fiant propter charitatem Christi, &c.

Galat. 5. Turrianus. D. Prosper.

Dicet aliquis; Virtualem relationem requisitam ad meritum, esse relationem illam generalem, qua quis in sua conuersione, vel in principio vitæ rationalis, se & omnia sua ordinauit in Deum; & consequèter satis esse quòd præcesserit generalis illa relatio. Ad hoc iam ostendimus non sufficere veterem illam & antiquissimam relationem generalé; Quod etiam restatur D. Bonauent. vbi supra: Certo enim putat non sufficere generalem relationem, qua quis retulit omnia sua opera quæ facturus est per totam vitam, imò verò nec per annum, aut per plures menses, sed requiri specialem relationem, qua quis retulerit operationes certi & determinati generis, siue illæ fieri debeant vna die, siue pluribus diebus, vt qui decreuit amore Dei peregrinari in Hierusalem, postea cùm emit necessaria ad iter, licet non recordetur finis, meretur: Quia semper operatur virtualiter ex illa intentione. Et idem dicit D. Bonau. de monacho, qui ex charitate vouit religionis statum: ille enim in singulis operationibus pertinentibus ad regularem obseruantiam, quas postea facit, meretur, licet non recordetur prædicti finis actualiter. ¶ Sunt qui dicant, satis esse generalem relationé qua quis ordinauit se & omnia sua in Deum; si tamen virtus huius relationis non extendatur ad totam vitam, si sit longa, sed ad mensem, vel duos mẽses, &c. ac proinde dicunt, bona opera facta intra istud tempus, esse meritoria, & virtualiter ordinata per prædictam relationem; non tamen opera sequentia, si diu protrahatur illa relatio, & nõ iterum reuocetur de nouo. ¶ Sunt etiam alij, inter quos recẽsentur Caietan. Sot. Victor. Capreol. cum Sanctissimo eius Præceptore, qui censent, satis esse relationem illam generalem, qua quis à principio vsus rationis vel suæ iustificationis, se & omnia sua retulit in Deum. Nam hac supposita relatione, omnia opera moraliter bona, quæ quis facit quandiu perseuerat in gratia, erunt meritoria vitæ æternæ. Ratio & fundamẽtũ huius est: Quia illa intentio & directio operum durat virtualiter ex interpretatiõe quandiu nõ

D. Bonau.

reuocatur vel interrumpitur. Rursus, quia opera moraliter bona de se sunt referibilia in diuinum obsequium: ergo censentur relata in Deum, si fiant ab eo qui se totum retulit in Deum, & se totum consecrauit diuinis obsequijs. Nam profecto in humanis, vt seruus iudicetur placere domino suo in operibus quæ facit, & vt illius opera domino sint accepta, satis est quòd à principio se adstrinxerit eius obsequio, & quod opera quæ facit, de se pertineant ad debitum famulatum. Et idem constat de monacho, qui à principio vouit religionem ex Dei amore: tunc enim quæcumque bona opera postea facit ad religionẽ spectãtia, sunt meritoria, vt D. Bonauẽt. fatetur: Ergo pari ratione Christianus iustus, qui à principio voluit placere Deo, & viuere secundùm Christianam regulam, merebitur in omnibus bonis operibus: omnia enim hæc pertinent ad Christianã vitam. ¶ Veruntamen, hæc dèbent intelligi secundùm ea quæ communiter de facto contingunt in hominibus. Nã iustus, nisi ex speciali protectione à Deo conseruetur, communiter non diù & multotẽpore perseuerat in gratia, sed aliquando peccat, & iterum resurgit. Vnde forte relatio illa à principio facta, & virtus eius durabunt per duos aut tres menses, & ita semper verificabitur requiri relationem virtualem. Quòd si ex speciali Dei auxilio aut protectione iustus diu & multo tempore perseueraret in gratia, non est dubium, nisi quòd de facto sæpe sæpius se & sua referat in Deum, habebitque dolorem præteritorũ, & exercebit actum dilectionis, se & omnia sua amando propter Deum: iustus enim semper florebit in domo Domini: & impossibile est moraliter loquendo, quòd aliquis sit domesticus Christi, & dilectus in domo eius, & sæpius loquens cum Deo, audiensque diuina, & si est sacerdos, offerens sacrificia: præcipue altaris; & quòd de factonõ habeat relationes illas formales & virtuales, quibus ipsius opera fiant meritoria. Quocirca, regulariter loquendo, in homine iusto, actus eius moraliter boni, dicuntur meritorij. Dixi regulariter: quia fortè posset dari casus, in quo aliquis actus careret virtuali relatione, vt supra vidimus, sed tamen moraliter loquendo, nemo durat in gratia per multum tempus, nisi frequenter se & sua omnia referat in Deũ, se Deo subijciendo, eiusque auxilium implorando. Addit tamen Sotus, quod vt opus sit meritoriũ, debet procedere ex speciali motione Spiritus sancti actualiter mouentis cùm fit opus, vel saltem ex virtuali motione, ita vt procedat in virtute motionis Spiritus sancti præteritæ, per quam retulit iustus antea omnia sua in Deum.

Cãdido.

QVinta conclusio. Non est improbabilis illa sententia, quæ dicit, omnes actus supernaturales virtutum infusarum, factos ab homine iusto existente in gratia, esse meritorios vitæ æternæ, quamuis non procedant ex relatione charitatis, neque actuali neque virtuali. Itaque, actus fidei, spei, timoris, religionis infusæ, iustitiæ infusæ, & cuiuscumque virtutis, siue Theologicæ, siue moralis infusę in homine existente in gratia, dicitur esse meritorius; quia omnes isti actus supernaturales, & à supernaturalibus virtutibus elicìti, ex natura sua tendunt in finem supernaturalem; Imo verò omnes isti actus virtualiter sunt charitatis,



tis, quia ex illis virtutibus infusis & supernaturalibus procedunt, quæ deriuantur ex gratia, & infunduntur iustis mediante gratia & charitate, & ita tẽdunt in eundem finem, & ob id tales actus sunt meritorij. Hoc etiam probatur ex Trident. sessio. 6. cano. 32. vbi dicitur, opera bona quæ à iustis fiunt, ita esse dona Dei, vt sint ipsius iustificati merita gloriæ, &c. Quæ diffinitio cùm vniuersalis sit, habet vim distributiuæ: Sed omnes actus virtutum infusarum sunt dona Dei, & ex eius gratia fiunt, scilicet ex supernaturali Dei auxilio: ergo.

Trident.

Rursus persuadetur: Quoniam ista opera supernaturalia virtutum infusarum, ex se tendunt in finem supernaturalem: ergo non indigent alia relatione vt sint meritoria. Patet cõsequentia: Quia opera naturalia moralia ex omni parte bona, sunt meritoria præmij naturalis sine relatione actuali simultanea vel præcedente: Quia ex se talia opera tendunt in finem naturalem, licet non referantur specialiter ab operante: ergo similiter opera supernaturalia à supernaturalibus habitibus elicita & procedentia, erunt meritoria præmij supernaturalis. Nam profecto, huiusmodi actus, de quibus est sermo, sunt supernaturaliter boni: ergo ex natura sua tendunt in Deũ, vt est finis supernaturalis: ergo sunt meritorij eiusdem finis. Ostendo consequentiam: Quia ad meritum finis satis est actus liber & bonus ordinatus ad illum finem, supposita dignitate operantis, cùm procedant ex motione Spiritus sancti, quæ mouet hominem in vitam æternam. Et confirmatur: Quia cùm tales actus sint supernaturales & eliciti à supernaturalibus habitibus, sunt proportionati fini supernaturali, & sunt media proportionata eidem fini supernaturali: sed nõ possumus commodius in finem moueri, quam per media ipsi consentanea: ergo.

Mouentur præterea plerique Theologi ad eandẽ assertionem defendendam: Quia alias nulla esset differentia quo ad hoc inter opera naturalia & supernaturalia, quod est aperte falsum. Vnde, hęc est differentia quod illa in ordine ad finem supernaturalem non habent bonitatem nisi eleuentur à charitate: bene tamen ista; & ita actus fidei in homine iusto non solũ est meritorius quia specialiter fit propter amorem Dei, sed secundum se, quia actus credendi Deo, & actus supernaturalis ex se relatus in vltimum finem, si fiat ab homine existente in gratia; & ideo in epistola ad Roman. meritum fide imaxime commendatur.

Fauet etiam communis ratio multorum, quòd vt opus sit meritorium, sufficit quod procedat ex gratia: sed isti actus procedunt vere ex gratia: ergo, &c. Probatur Minor: Quoniam omnes isti sunt actus virtutum procedentium à gratia, sicut procedit charitas, & ex se tendunt in obiectum supernaturale: ergo sicut hac ratione actus charitatis dicuntur procedere à gratia, ita etiam isti sunt magis proportionati fini supernaturali, quam actus morales qui relati sunt ab habitu charitatis, & eius actu iam diu præterito: sed illi sunt meritorij: ergo & isti. Et confirmatur; Nam illi censentur procedere à gratia licet remotissime. Quia licet procedant intentionaliter ab actu præterito charitatis; tamen satis remote procedunt: Sed isti actus proximius & immediatiùs oriũ

tur à gratia: ergo, &c. Et confirmatur: Quoniã alias primus actus fidei qui necessariò supponitur, ante actum charitatis, nõ esset meritorius, quia ante illũ non datur relatio in finem supernaturalem. Vnde, Bartolom. Medina in hoc art. dicit, quòd vt sit meritorius, satis est quòd habeat motiuum supernaturale. De hac re lege quæ dicuntur. 2. 2. q. 2. ar. 5. ¶ Aliqui tamen probare contendunt eandem assertionẽ hoc pacto. Nam si quis doleat de peccatis actu pœnitentiæ vel charitatis antequam eliciat amorem Dei, quod esse possibile putãt, iustificabitur homo: ergo tunc merebitur gloriam, quia citra sacramentum non datur gloria sine merito; tamen non præcessit formalis relatio in Deum: ergo.

Medina.

Tandem; cum actus supernaturales virtutum infusarum moralium de lege non possint esse informes; nam habitus supernaturales infusi, à quibus eliciuntur, semper consequũntur gratiam & charitatem, qua amissa amittuntur ea. Et cùm huiusmodi virtutes morales per se infusæ, versentur circa media, & non in ordine ad finem naturæ, sed in ordine ad finem supernaturalem, imo verò in ordine ad finem charitatis, cuius sunt pedisequæ, videtur valde rationabile, quòd istarum virtutum operatio, non solum secundum se habitualiter referatur in finem charitatis, sed etiam virtualiter ad minus: Quoniam operationes elicitæ ab huiusmodi virtutibus per se infusis, habent rationem medij in ordine ad finem: sed in omni appetitu medij clauditur saltem virtualiter amor finis, cum medium non appetatur nisi propter finem: ergo in istis operationibus necessario clauditur amor finis. Et confirmatur: Quia virtutes morales infusæ, non operantur nisi ex aliquo motiuo supernaturali: sed in tali motiuo necessariò clauditur virtualiter saltem amor finis: ergo non tãtum habitualiter, sed etiam virtualiter. Denique: Sicut virtus moralis ex se ipsa saltem virtualiter refert proprium opus in finem proportionatum, sic & virtus supernaturalis eo ipso quòd operatur ex motiuo supernaturali, refert saltem virtualiter operationem illam in finem proportionatum. ¶ De fide autem & spe, est specialis ratio; cum tam fides, quam spes possint esse informes, & non pendeant in suis actibus à gratia. Quare, in illis sufficit habitualis relatio charitatis vt explicat quinta conclusio; Præsertim, cum huiusmodi duæ virtutes sint Theologicæ, & immediate versentur circa Deum ex natura sua. ¶ Alijs tamen Theologis etiam placet, esse valde probabile quod etiam actus fidei in homine iusto, fertur virtualiter in finem charitatis, quia ille actus in homine iusto, verè elitur à fide viua, neque tantum se habet ibi vita concomitando, sed etiam influendo in talem actum: Quia cum actus fidei procedat ex pia affectione voluntatis, & supernaturaliter affecta per charitatem; & ita sub illa ratione mouet ad actum fidei. Vnde infertur, quòd omnis actus virtutis supernaturalis, eo ipso quòd talis est, refertur in finem vltimum, si procedat ex subiecto in quo est gratia; quia semper influit in illud, vt modo explicabamus. Et existimo, interpretandam esse quintam conclusionem positam iuxa hæc, quæ diximus modo de virtutibus moralibus infusis, & de duabus illis Theologicis fidei & spei.

*Cõclus.6.* SExta conclusio. Si à iusto existente in gratia iustificante fiat opus moraliter bonum, & tale opus procedat aliquo modo ex auxilio gratiæ mediante aliqua motione Spiritus sancti, hoc est ex influxu alicuius virtutis infusæ & supernaturalis, scilicet, fidei vel spei, licet non procedat ex imperio charitatis, erit meritorium gloriæ in opinione peritissimorum Theologorum. Probatur: Quoniam sufficit imperari à charitate vt dicatur procedere à gratia & esse meritorium: ergo in illo iusto sufficit imperari vel dirigi à fide vel spe, quæ sunt virtutes supernaturales & formatæ in eodem iusto. Ostendo consequentiam: quoniam istæ virtutes ex se sunt supernaturales, & sunt formatæ in homine iusto, imo verò virtutes morales infusæ, non tantũ sunt supernaturales, sed procedẽtes à gratia, & ex se sunt meritoriæ, vt dictum est conclusione. 5. ergo sicut charitas est sufficiens ad dirigendum actum in finem gratiæ, ita & illæ. Item probatur: Quia talis actus verè est fructus gratiæ & meritorum Christi, & refunditur tandem in ipsam gratiam, & charitatem ab ea procedentem veluti in principium: ergo. Et confirmatur: Quia finis vltimus, & primum principium, sibi correspondent proportionabiliter: ergo omnia opera quæ procedunt ex fonte gratiæ, tendunt etiã ex Dei ordinatione in finem ipsius gratiæ, si suppositum sit dignum. Tertiò persuadetur: Quoniam si actus procedat tum ex fide, tùm ex aliquo affectu ad Deum authorem supernaturalem & finem supernaturalem, scilicet, ad beatitudinem ipsam etiam si sit per spem, vel ex quadam obedientia vel religione, censetur aliquomodo procedere à charitate, quę virtualiter in illa includitur. Et præterea: Quia homo tunc operatur vt membrũ Christi, & non tantũ vt rationalis: ergo, &c. Hanc conclusionem addidi, vt aperiatur campus huius difficultatis, & vt explicetur quo pacto se extendat meritum, & similiter qua ratione semper refundatur in ipsam gratiam & charitatem veluti in fontem meriti. Hanc constitui conclusionem solum vt dicerem eam non esse omnino improbabilem; quam modo non assertiuè defendo.

*Conclus.7.* SEptima conclusio. Ad meritum non requiritur relatio actualis simultanea. Hæc assertio sequitur ex antecedentibus apertè, imo verò ostensa fuit à nobis in superioribus, & recipitur ab omnibus ferè Theologis contra Durandum. Et probatur: Quia si hanc actualem relationem & actuale imperium charitatis, Deus exigeret necessario ad meritum; esset durissimus exactor, & via salutis esset difficillima. Vnde, valde rigorosa & stricta est Durandi imaginatio. Præterea, vt sacramenta sortiantur effectum, nõ requiritur necessario ista actualis relatio simultanea: ergo neque vt actus sit meritorius. Adhæc: Nam alias viri Sanctissimi & perfecti minus mererentur in suis bonis operibus, quã incipientes & imperfecti. Quoniam perfecti operantur ex habitu, & cùm sint optime assuefacti, paruamq; sentiant difficultatem, sæpius operantur absque actuali & expressa relatione; incipientes verò & imperfecti, cùm in operando sentiant difficultatem, frequẽtius referũt expresse & actualiter sua opera, & egent actuali Dei memoria & relatione in Deũ. Præterea probatur: Quia sine illa relatione potest actus vere fieri propter Deum finem supernaturalem: ergo. Tandem; Meritum naturale constat sine actuali illa relatione simultanea ad finem naturalẽ: ergo & supernaturale absq; actuali relatione simultanea ad supernaturalem finem. Certe nullus reclamat circa veritatem huius conclusionis, in qua omnes conueniunt; & idcirco non est necesse plura adducere in confirmationem eius.

*Ad argu. primæ opinionis.* AD argumenta primæ opinionis, quæ tã actualem, quam etiam virtualem relationem charitatis repellit, & duntaxat habitualẽ sufficere dicit, respondetur. *Ad primũ.* Ad primum respondetur primò S. Thomam suprà. q. 21. & 28. dixisse, omnem actum humanum esse meritorium, vel demeritoriũ, & nullum indifferentem: Sed tamen ibi non loquitur S. Thom. de merito vitæ æternæ, sed in communi de merito alicuius præmij, siue æterni siue temporalis. Vnde, quando dixit quòd in homine existente in gratia quilibet actus est demeritorius vel merito sius vitæ æternæ, non hoc dixit resolutorie, vt solet loqui in partibus, sed id dixit incidenter & obiter in disputatis vel sententijs; atque adeo id non tenemur defendere. *Secunda solutio.* Secundò respõdetur & melius; verum esse quod in doctrina Thomistarum & S. Tho. quilibet actus existentis in gratia, est meritorius vel demeritorius etiam respectu vitæ æternæ; sed hoc non est, quia ad meritũ sufficiat sola relatio habitualis, sed quia nemo potest esse in gratia & operari moraliter loquendo & humano modo, quin saltẽ virtualiter retulerit omnia sua opera in Deum. Nã si puer iustificatur, tenetur in primo instanti vsus rationis facere hanc relationem conuertendo se in Deum, aliàs amittet gratiam. Si verò ille qui iustificatur est adultus, non potest iustificari sine proprio actu, quo se & sua omnia in Deum referat, & in virtute huius relationis erunt meritoria opera bona, quæ postea egerit iuxta modum à nobis explicatũ. *Ad conf.* ¶Ad confirmationem respondetur, homines iustos habere dignitatem ex habitu, quo vti possunt cum voluerint, & non vti, Rex autem ex dignitate regia id habet quòd non potest ad libitum vti, sed eo modo quo est applicabilis pro libito ad opus, eò modo proportionaliter concurrit ad valorẽ. Quare, maioris valoris est obsequium illius dùm sedet pro regio tribunali, quam dùm veluti persona priuata id præstat occultè. Similiter dignitas Christi, principaliter consistit in persona: Et quia non potest nõ operari vt persona libera, quoniam actiones necessariò sunt suppositorum: idcirco eius opus non potest non esse meritorium: At verò dignitas iusti cõsistit in habitu, quem si non applicat ad actum, non communicat actui eius dignitatem, vt conclusione. 2. supra diximus. *Ad secũ.* ¶Ad secundam confirmationẽ respondeo, Deum respexisse ad personam Abel, non vt dignam tantum habitualiter, sed vt influentem in illum actum. Ad aliud respondeo etiam, seruanti mandata promitti gloriam, nõ ita, vt cuiuscumque mandati in indiuiduo, correspondeat tale præmium, nisi debito modo fiat, vt vidimus. *Ad secũ.* ¶Ad secundum negatur consequentia: Quia minùs requiritur vt opus sit malum, quam vt sit bonum; Nã bonum est ex integra causa; malum verò ex quocumque singulari defectu, vt D. Diony. testis est, & communis Theologorum Schola. *Ad tertiũ.* ¶Ad tertium respondetur, falsum esse quòd opus moraliter bonum ordinetur de se in finem supernaturalem sufficienter ad meritum, nisi ex parte operantis in illum finem dirigatur saltem virtualiter vt dictũ est. *Ad confir.* ¶Ad confirmationem respondetur, falsum esse quod meritum & demeritum opponantur priuatiuè respectu vitæ æternæ: constat enim in homine peccatore dari plures actus, qui nec sunt meritorij nec demeritorij. *Ad quartũ.* ¶Ad quartum respondetur plerumque illos referre se & omnia sua in Deum, quod si id nunquã præstitissent, & talia opera caruissent illa relatione omnino, non esset durum quòd aliqua opera bona ordinis naturalis, in eo casu carerent præmio illo supernaturali. *Ad quintũ.* ¶Ad quintum similiter patet, & Durandus dicit, quod in eo casu temporaliter remunerabitur. Cæterum verissimum est, quòd si opera illa habeant virtualem relationem, remunerabuntur æternaliter, vt dictum est. *Ad sextum.* ¶Ad sextum dicendum, diuersam & disparem esse rationem: Nam bonitas & malitia, sunt proprietates intrinsecæ actuum; at vero ratio meriti pendet ex pacto & promissione: Et idcirco, potest dari actus indifferens in ratione meriti, qui nec sit meritorius, nec demeritorius. *Ad confir.* ¶Ad confirmationem respondetur negando consequentiam. Quia plus requiritur ad id quod perfectum est, quam ad defectum. Præterea, non omne opus morale habet tantam bonitatem, quantam malitiã habet peccatum. Et ad aliam replicam ibi contentam dico, peccatum de facto esse contra finem supernaturalem, quia priuat supernaturali amicitia, ad quam homo est eleuatus: At verò opus morale bonum, ex se non causat neque auget talem amicitiam supernaturalem.

*Ad argum. secundæ opinionis.* AD alia argumẽta quæ militabant pro secũda opinione. *Ad primũ.* Ad primum respondetur, tribui omne meritum charitati tanquam radici & fundamento, & tanquam formæ virtutum, & tanquam imperanti & mouenti, & etiam quia illa perficit vinculum amicitiæ inter nos & Deum, in quo fundatur totum meritum. Quare, fides censetur verè per charitatem operari, quando charitate viuit, & opera virtutum sibi proportionata exercet. Rursus, ipsa præceptorum obseruatio & obiecta voluntatis Dei, dicuntur ipsius dilectio in Scriptura. Nam qui seruat mandata, diligit Deum, & qui eius seruat voluntatem, filius Dei dicitur, & similiter qui in eũ sperat, dicitur se sanctificare. *Hebræ.6.* Et ad Hebræ. 6. etiam aliorum operum fit mentio cùm dicitur, Non est iniustus Deus, vt obliuiscatur operis vestri, & dilectionis, quam ostendistis, &c. *Obiectio.* ¶Dices, Contra: Nã opus meritorium, vt liquet ex Concilijs allatis supra conclus. 1. dicitur procedere à gratia, & fieri ex motione Spiritus sancti. *Solutio.* Respondetur, hoc ita esse verum quòd vt opus sit meritorium requiritur vt procedat ex motione speciali Spiritus sancti, sed non requiritur ꝙ necessariò procedat ex motione actuali actualiter mouentis cùm fit opus: Quia satis est si procedat in virtute motionis Spiritus sancti præteritæ, per quam iustus retulit olim omnia sua in Deũ. *Sotus.* Ita docet Sotus vbi supra, vbi tenet quòd opus moraliter bonum factum ab existente in gratia, est meritorium, in quo dicit quòd moraliter loquendo non requiritur semper specialis motio Spiritus sancti ad singula opera moraliter loquendo. Sed de hac re alibi diximus. *Ad secundũ* ¶Ad secundum respondetur, quòd tantum concludit requiri, quod sit voluntariè elicitus talis actus fidei; non tamen per se requirit imperium charitatis vt dirigatur in finem supernaturalem, cùm ex se tendat in talem finem. Quò fit, quòd cùm actus fidei & spei supernaturalis, sint dona Dei, & ipsius hominis iustificati bona opera ab homine grato Deo, & ex auxilio supernaturali Dei, quòd possunt habere rationem meriti respectu vitæ æternæ, & in eo casu tales actus fidei & spei sunt media proportionata fini supernaturali. *Obiectio.* ¶Dices; Ad meritum vitæ æternæ est necessaria virtualis relatio, ex imperio charitatis in finem supernaturalem: ergo saltem primus actus fidei in homine existente in gratia, nunquam erit meritorius: Quia actus fidei semper præcedit amorem charitatis. Nã non potest amari bonum supernaturale, quin prius cognoscatur per fidem. Nam nihil potest amari nisi priùs cognoscatur, quia nihil est volitum quin præcognitum. *Solutio.* Huic obiectioni communiter respondetur, quòd ad illud meritum fidei, satis est quòd homo sit in gratia, & quòd habeat motiuum supernaturale, & hoc verè reperitur in illo actu fidei elicito ab homine iusto, vt supponimus. Sed dico secundò, quòd actus ille supernaturalis elicitus à fide infusa in homine qui iustificatur, verè informatur charitate in illo eodem instanti iustificationis: Quia in eodem instanti verẽ homo ille habet charitatẽ & gratiam, quamuis ordine naturæ ille actus antecedat charitatem, sed hoc non tollit quin de facto & in re, in illo eodem instanti informetur charitate & gratia. Tertio respondetur, ex dictis in conclus. 5. *Ad confir.* ¶Ad confirmationem dicendũ, quòd actus Theologiæ acquisitæ non est secundum substantiam supernaturalis; Nam Theologia acquisita non est per se ex infusione, neque postulat Theologia acquisita per se loquendo, infusionem habitus scientifici. Cæterum, de responsione huius confirmationis multa diximus in primo tomo. 1. parte quæstione. 1. *Ad tertium* ¶Ad tertium respondetur, non requiri eandem intentionem in omnibus. Nam ad contrahendam & cõseruandam amicitiam humanam, sufficit illa virtualis intentio: ergo & ad diuinam, quamuis non sufficiat ad alia. Vnde, semper requiritur motio specialis ipsius charitatis, sed sufficit virtualis, vt explicatum est. *Ad quartũ.* ¶Ad quartum respondetur ex dictis, relationem in malum finem esse violentam actui de se bono. Relatio verò in finem supernaturalem, licet sit extrinseca & suprà naturam actus boni naturalis; non tamen est illi violenta aut dissona, imò verò est maximè illi consona, quia tendit in eundem finem sub excellentiore ratione. *Ad quintũ.* ¶Ad quintum respondetur, quòd non possumus mereri sine supernaturali auxilio Dei concomitante vel præcedente seu antecedente. *Ad sextum.* ¶Ad sextum respondetur, quòd sicut generalis relatio in malum finem, non reddit postea tractu temporis omnem actum demeritorium, nisi sit causa illius; ita neque in bonum finem, & multo minus relatio habitualis. Quocirca, in homine Idololatra & infideli, qui generaliter retulit se in Idolum, quando postea tractu temporis exercet aliquod bonum opus morale, tale opus non semper vitiatur ex illa generali & antiqua relatione, quam habuit ad Idolum.

Quia

Quia opus bonum morale ex se & suapte natura refertur in bonum finem, & in Deum verum, & non in Idolum: & ob id, quòd referatur in Idolum, est veluti violentum illi. Quò fit, vt si relatio illa fuit generalis & antiqua, iam senescat, & non censeatur motus eius etiá virtualiter durare; Sicut patet in physicis: Nam motus violentus impressus sagitæ aut lapidi, non multo tempore durat, sed senescit & cessat paruo tempore postea, cùm sit violentus; & lapis reuertitur ad motum suæ naturæ. Quapropter, nisi ex intentione Idololatræ dirigatur actus bonus moralis in malum finem, habebit bonum finem, & intentio illa generalis in idolum, iam fuit finita senio, & ita antiquata vt perierit cum violentia in ipso opere studioso bono moraliter: Quia impetus generalis relationis, iam cessauit, cùm fuerit ille motus violentus, & non mansit virtualiter in opere illo bono moraliter: Et ob id, ablata violentia illa proijcientis illum in Idolum, actus ille redit in suam naturam, & in suum finem.

*Ad confir.* ¶Ad confirmationem respondetur, quòd sicut in actuali fructificatione palmitis non oportet actu in eodem puncto humorem à radice deriuari, quia satis est quod inde ad venas & canales seu vehicula palmitis veneritre vera; ita vt opus sit meritorium, satis est concurrisse actualiter gratiam Christi ad illud efficiendum meritorium, & satis est concurrisse ad actum, ex quo procedit.

## DISPVTATIO II.

*Vtrùm ista relatio in Deum, sit necessaria, non solum in infusis virtutibus, sed etiam in acquisitis; & Vtrum gratia sit principium meriti, per alias virtutes acquisitas?*

*Ioan.14. Argum.1.* CHristus Dominus in Euangelio Ioan. 14. inquit; Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei me ipsum. Quo loco, soli dilectioni, quæ est actus charitatis elicitus, promittitur gratuita Dei dilectio; secundum quam est in nobis gratia; & promittitur etiam manifestatio ipsius Dei, in qua consistit gloria: ergo gratia & gloria, & præmium vitæ æternæ; imo verò augmentum gratiæ, & gloriæ, & charitatis soli dilectioni promittitur: ergo ad huiusmodi præmium non conducunt operationes aliarum virtutum, sed sola dilectio ex habitu charitatis elicita: ergo gratia non est principium meriti per alias virtutes: ergo ad rationem meriti ita requiritur actus charitatis & dilectionis, vt non sufficiat sola relatio in actibus virtutum moralium acquisitarum. *Confirm.* Et confirmatur hoc ex Paul. ad Colossens. 3. dicente; Super omnia autem hæc charitatem habete, quod est vinculum perfectionis: ergo non meremur secundum operationes virtutum acquisitarum, sed duntaxat secundum actum elicitum ab ipsa charitate. Imo vero, cum præmium essentiale gloriæ commensuretur gratiæ, & charitati, apertè videtur colligi quòd neque etiam actus aliarum virtutum possunt augere gratiam & charitatem, & quòd solum augeantur gratia & charitas per actus à charitate elicitos, & non per imperatos aliarum virtutum. *Secundo.* ¶ Secundò arguitur pro eadem parte negatiua. Nam opera nostra quantumcunque sint bona in esse moris, & opera cuiuscumque virtutis acquisitæ, seclusa charitate nihil valent, præsertim in ratione meriti vitæ æternæ dicente Paulo. 1. Corinthior. 13. *1. Corint.* Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum ita vt ardeam; charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest: ergo operationes virtutum moralium, non possunt esse meritoriæ, nisi ratione actus eliciti à charitate: vnde, ex actu elicito charitatis à quo procedunt, habent totum suum valorem, & omnem rationem meriti, ita sane vt nihil ampliùs valeant, neque nos mereamur per illas virtutes & earum operationes in ordine ad finem supernaturalem, quam per ipsum actum elicitum charitatis: respectu ergo illarum non requiritur relatio in illis ad meritum, quia non sufficit, cùm *Confirm.* meritum ex solo charitatis actu procedat. ¶Et confirmatur: Quia si meremur per actus imperatos virtutum acquisitarum; sequeretur posse euenire & contingere vt aliquis sine culpa sua aut negligentia priuaretur merito & augmento præmij essentialis, nempe ex eo solum quòd non est oblata illi opportunitas exercendi opera aliarum virtutum: Consequens est falsum: ergo. Probatur sequela: Quia si dentur duo iusti cũ æquali dilectione Dei, & cum æquali voluntate placendi Deo in omnibus & per omnia; sed vni occurrat pauper, cui ex dilectione illa Dei tribuat eleemosynam; alteri verò non occurrat: tunc, si ex eleemosyna quæ est actus imperatus à charitate, meretur quis vitam æternam, & augmentum vitæ æternæ & gloriæ essentialis, aperte sequitur quòd iste secundus qui non dedit eleemosynam, priuatur præmio & augmento gloriæ essentialis, quod datur alteri absque culpa, & negligentia eius qui priuatur. Quod verò hoc sit absurdum probatur: Quoniam iste secundus erat paratus dare eleemosynam non minus quam primus quantum erat ex parte sua, & ex parte voluntatis ipsius, si pauper illi occurrisset. Deus autem respicit ad voluntatem vniuscuiusque. Nam voluntas ex eo quòd habet, accepta est apud ipsum, vt dicit Paulus; ac proinde non debet minus habere præmium iste qui habebat æqualem voluntatem cum altero: ergo intentum, &c. ¶ *Tertiò.* Tertiò pro hac eadem parte negatiua arguitur: Quoniam hæc videtur esse communis sanctorum Patrum sententia, præcipuè Diui Augustini tractatu. 68. super Ioan. vbi ait, quòd desiderium dilectionis, est præparatio mansionis in æterna beatitudine. Et libr. 83. qq. quæst. 46. dicit, tantum esse dandum vnicuique de lumine gloriæ & visione beata in cœlo, quantum, adhæserit Deo per charitatem in hac vita. Et D. Gregor. homil. 5. super euangelia affirmat, quòd ad promerendam vitam æternam & placendum Deo, potius pensari debet affectus, quam census, hoc est, magis debet attendi ad conatum & intensionem amoris, quo quis seruit Deo, quam ad



ad opera externa, vel diuitias quas pro illo expendit. Et reddit rationem D. Grego. dicens, Cor namque & non substantiam pensat, neque perpendit quantùm in eius sacrificium sed ex quanto profera tur. Ex quanto, scilicet, amore, vt patet de vidua quæ cùm misisset duo æra minuta in Gazophilatium, de ea dixit Christus quòd plus omnibus misit, quia cum maiori deuotione & affectu cordis illa misit. Hæc videtur esse sententia D. Thom. 1. part. quæstio. 95. art. 4. & in. 4. distinct. 49. quæstio. 1. artic. 4. quæstiunc. 4. potissimè ad. 3. & ibidem, quæst. 5. art. 1. & ad Rom. lect. 5. &. 1. Corinth. 3. lect. 2. & ad Hebræ. 6. lect. 3. in quibus locis distinguit inter præmium essentiale & accidentale dicens, quòd præmium gloriæ essentialis minimè correspondet actibus aliarũ virtutum secundum proprium genus ipsarum, sed tantum radici charitatis; præmium autem accidentale, quod non est aliud, quam gaudium quoddam de bonis factis, correspondet operibus aliarum virtutum secundum se: ergo per actus aliarum virtutum nullo modo meremur, præsertim per actus virtutum acquisitarum.

Pro explicatione huius difficultatis suppono primò, actus studiosos & bonos à charitate imperatos, posse duobus modis considerari, primò sanè quantùm ad id quod habent ex propria & intrinseca ratione, seu ex proprio genere secundum suum obiectum & circunstantias, præscindendo à perfectione & bonitate supernaturali, quam participant ex vnione & coniunctione ad charitatem & gratiã. *Nota.1.* *Nota.2.* ¶Suppono secundò, actus virtutum posse ordinari & referri ad finem charitatis tripliciter. Primò quidem relatione actuali, seu formaliter & expressè, vt cùm quis actualiter cogitans de Deo, & illum diligens ex charitate, applicatur ex tali dilectione & actuali intentione placendi Deo ad faciendũ opus iustitiæ, temperantiæ, vel misericordiæ, vel alterius virtutis, dirigendo actu & formaliter operationem virtutis, quam facit in ipsum. Secundò, relatione habituali seu habitualiter tantum & interpretatiuè, vt euenit in illo, qui per sacramentum est iustificatus cum sola attritione, & nullum elicuit actum charitatis; exercet tamen opera aliarum virtutum, quando & quomodo oportet: talia enim opera licèt non referantur actualiter, neque etiam virtualiter in Deum, referuntur tamen habitualiter & interpretatiuè in quantum procedunt à subiecto habitualiter ordinato in finem charitatis. Nam eò ipso censetur operans interpretatiuè referre omnia sua opera bona in Deum, quia omnia illa sunt referibilia in ipsum. Quare, relatione habituali operatio refertur in Deum ex charitate per hoc quòd is qui operatur, habet habitum charitatis, sed tamen non operatur ex illo, neque etiam habuit operationem aliquam præcedentem charitatis, in cuius virtute nunc prodeat præsens operatio. Tertiò actus virtutum possunt ordinari & referri ad finem charitatis virtualiter tantum, seu relatione virtuali, quæ est media inter duas præcedentes, vt quando quis retulit se actualiter, & omnia sua in Deum ex charitate, vel proposuit actu facere aliquod opus virtutis in gloriam Dei, & postea nihil actualiter cogitans de Deo, exercet prædictum opus virtutis. Itaque, cùm quis facit opus moraliter bonum, licèt actu non cogitet de Deo, nec actu expresso dirigat operationem suam in ipsum; tamen quia cogitauit & direxit prius, & virtute illius prioris directionis operatur modò, dicitur relatione virtuali seu virtualiter agere, vt, verbi gratia, qui ex charitate voluit peregrinari in Diuum Iacobum, licèt non recordetur singulis momentis illius finis; omnes tamen actus censentur virtualiter relati in illum.

¶ Et quamuis controuersia sit inter Theologos, Vtrùm ad hoc, quòd actus imperati à charitate sint meritorij vitæ æternæ, requiratur quòd referantur formaliter & expressè in finem charitatis, vel sufficiat referri virtualiter aut habitualiter tantum; tamen semper illud est certum apud omnes, quòd si formaliter & expressè referantur, merentur vitam æternam, & tantò ampliùs merentur, quantò formaliùs & expressiùs referunt in finem charitatis. Vndè, vt difficultas proposita clariùs explicetur, loquemur in hac disputatione semper de actibus virtutum formaliter & expressè ordinatis in finem charitatis.

¶ Postremo loco suppono, quòd quando vna virtus imperat alteri, actus imperatus & actus imperans sese mutuò perficiunt in bonitate, quia quantò virtus imperans est excellentior, tantò actus imperatus, maiorem bonitatem participat ab illa, & quò actus imperatus est melior ex proprio genere & obiecto, eò actus imperans redditur perfectior: Cum enim actus imperatus habeat se quodammodo vt obiectum imperantis, & actus sumant bonitatem & malitiam ex obiecto; necessariò dicere oportet, quòd actus imperans in quantum imperans, eò est melior, quò actus imperatus melior est secundum se; ac proinde, sicut dici solet quòd bonitas & malitia moralis deriuatur ab actu exteriori in interiorem tanquam ab obiecto, licèt deriuetur ab interiori ad exteriorem tanquam ab efficiente; ita pariter dicendum est, quòd bonitas deriuatur ab actu imperato ad imperantem tanquam ab obiecto; ab imperante verò deriuatur ad imperatum tanquam ab efficiente & mouente. Quocircà, sicut actus interior tantò est melior cæteris paribus ex parte intensionis, quantò actus exterior, in quem fertur tanquam in obiectum, est melior; ita etiam actus à charitate elicitus, per quẽ charitas imperat alijs virtutibus, tantò erit melior cæteris paribus ex parte intensionis, quantò actus quem imperat fuerit melior ex proprio obiecto & circunstantijs, & ipse actus imperatus, tantò perficietur magis in bonitate, quantò magis processerit ab actu charitatis magis intenso & perfecto in se ipso. *Nota.3.*

*Conclus.1.* HIs ita prælibatis, sit prima conclusio. Si sit sermo de actibus virtutum acquisitarum imperatis à charitate, quantùm ad id quod habent ex proprio genere & circunstantijs, præscindendo ab eo quod participant à charitate & gratia, sunt quidem meritorij alicuius præmij accidentalis, siue in hac vita, siue in futura; non tamen sunt meritorij gloriæ essentialis, neque augmenti gratiæ & charitatis. Quæ conclusio semper est intelligenda cum præcisione facta à charitate & gratia. Hanc assertionem tenet Diuus Thomas locis citatis in tertio

argumento. Et probatur quantum ad primam partem: Nam omnis actus studiosus virtutis, eo ipso quòd talis est ordinatur in Deum aliquo modo, atque adeo est meritorius apud ipsum, & dignus aliquo præmio, saltem est dignus gaudio accidentali, quod consequitur ad ipsum actum, & est dignus laude, & idcirco communiter dicitur, nullum bonum esse irremuneratum, nullumque malum impunitum; & hoc idem intendit D.Thom. 1. 2. quæstione. 21. articulo. 3. & 4. Vbi docet, quòd ratio meriti & demeriti consequitur bonitatem & malitiam humanorum actuum, non minus quàm ratio laudabilis & vituperabilis. ¶ Secunda autem conclusionis pars, qua dicitur huiusmodi actus à charitate imperatos quantum ad id quod habent præcisè ex proprio obiecto, & ex proprio genere non mereri gloriam essentialem, neque augmentum gratiæ & charitatis, id quidem sufficienter probant argumenta à principio facta, & nihil amplius ostendunt. Quod quidem efficaciter potest comprobari & confirmari: Quoniam tales actus secundum prædictam rationem sunt ordinis naturalis, & quātum est ex se possunt reperiri in homine peccatore, omne autem meritum vitæ æternæ; & augmenti gratiæ & charitatis, fundatur in ipsa gratia, iuxta illud Paul. Rom. 6. Gratia Dei vita æterna, & iuxta illud Genes. 4. Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius. Vbi insinuatur, nullum munus aut sacrificium aut opus nostrum placere Deo in ordine ad vitam æternam, nisi priùs persona quæ illud offert & operatur, Deo placeat per gratiam: igitur actus illi non sunt meritorij gloriæ essentialis, si considerentur præcisè quantum ad id quod habent ex proprio genere & obiecto. Neque obstat dicere, quòd actus virtutum moralium infusarum ex propria & intrinseca ratione sui obiecti, sunt ordinis supernaturalis, & tendunt in finem charitatis; atque adeo erunt meritorij vitæ æternæ, & augmenti gratiæ & charitatis independenter à motione & imperio charitatis. Hoc inquam non obstat de actibus virtutum moralium infusarum. Primò, quia conclusio posita loquitur de actibus virtutum acquisitarum imperatis à charitate quantùm ad id, quod habent ex proprio genere & circunstantijs, præscindendo ab eo quod participant à charitate & gratia. Secundò, quia actus virtutum moralium infusarum secundum veriorem opinionem, intrinsecè dependent ab actuali motione charitatis, sicut actus virtutum moralium acquisitarum intrinsecè dependent à virtute prudentiæ; ac proinde, licèt verum sit quòd actus virtutum moralium infusarum ex propria & intrinseca ratione sint ordinis supernaturalis, tendentes in finem charitatis, & meritorij vitæ æternæ; tamen hoc totum habent ex imperio actuali charitatis, à quo intrinsecè dependent, vel saltem ex imperio virtuali, quod necessariò præsupponitur, vt limitauimus supra disputatione. 1. huius articuli, non longè ante finem quintæ conclusionis §. Tandem, cùm actus supernaturales.

*Rom. 6. Genes. 4.*

*Conclus. 2.* SEcunda conclusio. Actus boni aliarum virtutum moralium etiam acquisitarum à charitate imperati, quatenus ex eius imperio procedũt & fiunt, sunt meritorij de condigno vitæ æternæ, & augmenti gloriæ essentialis & gratiæ & charitatis. Hæc conclusio adeò certa est, vt illam negare videatur mihi temerarium esse. Primò, quia in ea conueniunt omnes Theologi supra relati disputatione. 1. conclusione. 1. vno excepto Altisiodoren. lib. 3. suæ summæ, tractatu. 11. capit. de Merito virtutum, quæstione. 3. & 5. vbi dicit, sola opera supererogationis mereri augmentum gratiæ & charitatis, non autem opera communia & ordinaria, quamuis ex gratia & charitate procedant. Est etiam suo modo contra Durand. in primo distinctione decima septima, quæstione octaua. Vbi dicit, huiusmodi opera non mereri augmentum gratiæ & charitatis, nisi procedant ex actu intensiori charitatis, vel æquè intenso cum habitu: sed nos asseueramus in hac assertione vniuersaliter loquendo, omnia opera studiosa quæ fiunt ab homine iusto ex gratia & charitate, esse meritoria vitæ æternæ, & augmenti gratiæ & gloriæ essentialis, & charitatis, siue procedant ex actu intenso, siue minus intenso charitatis. Secundò, quòd temerarium sit hanc conclusionem negare patet: Quia Scriptura, Concilia & Sancti, absolutè & simpliciter dicunt, per bona opera moralia facta ex amore Dei, mereri nos gloriam, limitare autem hoc ad moralia infusa, & fine ratione est, & contra regulas generales Scripturæ, Sanctorum, & Conciliorum; & præterea non est certum de fide, dari virtutes illas morales infusas iustitiæ, temperantiæ, &c. & tamen in omni sententia Theologorum & Sanctorum per opera bona moralia facta ex amore Dei, meremur vitam æternam. Imo verò videtur hęc assertio expressè definita in Trident. sessio. 6. capit. 10. & 16. & Cano. 24. 26. & 32. Quibus in locis absolutè & simpliciter definitur, bona opera iustorum quæ in Deo sunt facta, siue quæ ex gratia & charitate procedunt, esse meritoria vitæ æternæ, augmenti gratiæ & gloriæ, atque adeo charitatis: Quibus verbis vniuersaliter loquitur Concil. de omnibus operibus ex gratia & charitate factis, non solum elicitiuè, sed etiam imperatiuè, non solum magnis, sed etiam paruis & minus intensis, vt apertè constat ex contextu Concilij, & fusiùs id ostendemus infra artic. 8. Et profectò, hęc fuit mens Conciliorum & Sanctorum Patrum, vt ibi ostendemus. Faciunt etiam ad hoc testimonia illa Scripturæ, in quibus additur particula illa, In nomine meo, indicans relationem charitatis sufficere, vt Matth. 10. Qui dederit potum aquæ frigidæ in nomine meo, &c.

*Matth.*

Hæc est expressa sententia D.Thom. artic. 3. præcedente, & in hoc art. 4. & infra, vbi apertè dicit gratiam esse principium merendi non solum per charitatem, sed etiam per alias virtutes, licet principalius per charitatem, atque adeo dicit Sanctissimus Præceptor, quòd omnia opera aliarum virtutum quatenus ex gratia procedunt, & ad finem charitatis aliquo modo ordinantur, sunt meritoria de condigno ex iustitia, non solum vitæ æternæ, sed etiam augmenti gratiæ & gloriæ essentialis, atque adeo charitatis. ¶ Rursus probatur: Quia actus aliarum virtutum quatenus ex gratia & charitate procedunt, fiunt ex impulsu Spiritus sancti in ordine ad vitam æternam, & ad magis ac magis placendum Deo: ergo ex iustitia & de condigno merentur vitam æternam & augmentum gratiæ, secundum



cundum quam placemus Deo, & consequenter etiam merentur augmentum charitatis, quæ consequitur ipsam gratiam per modum proprietatis connaturalis. Patet cõsequentia: Quia tota ratio meriti de condigno & ex iustitia nostrorum operum, attenditur penes hoc quòd procedũt ab Spiritu sancto inhabitante animam, vt S. Tho. in his omnibus articulis dicit.

Adducor etiam: Quia in sacris literis promittitur tanquam præmium & merces vita æterna, & augmentum gratiæ diuinæ, non solùm pro actibus à charitate elicitis, sed etiam pro actibus aliarum virtutum: De humilitate enim dicitur. 1. Petri. 5. Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Et Isaiæ. 66. Ad quem autem respiciam nisi ad pauperculum & contritum spiritu, & trementem sermones meos? Quo loco Septuaginta interpretes legunt, Super quem autem requiescet spiritus meus, nisi super humilem & mansuetum, &c? De patientia verò dicitur Matth. 5. Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Et. 1. Petri. 2. Si benè facientes patienter sustinetis, hæc est gratia apud Deum; Quasi dicat; Per hoc obtinebitis magnam gratiam apud Deum. De misericordia etiam dicitur Matth. 5. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur; Et ad Hebræ. 13. Hospitalitatem nolite obliuisci: per hanc enim placuerunt quidam angelis hospitio receptis. Et infra; Beneficentiæ autem & communionis nolite obliuisci; talibus enim hostijs promeretur Deus. Et Tobiæ cap. 2. & 12. Bona est oratio cum ieiunio & eleemosyna magis, quam thesauros auri recondere; quoniam eleemosyna à morte liberat, & ipsa est quæ purgat peccata, & facit inuenire misericordiam & vitam æternam. Et paulò inferiùs Angelus Raphael dicit ad Tobiam; Quando orabas cum lachrymis & sepeliebas mortuos, &c. ego obtuli orationem tuam Domino, & quia acceptus eras Deo, &c. Vbi clarè constat, opera misericordiæ facta ab homine iusto ex gratia & charitate, valde placere Deo, & acceptari ab illo ad vitam æternam. Sed apertius hoc habetur Matth. 25. Vbi Christus in extremo die iudicij tribuit regnum cælorum & vitam æternã pro huiusmodi operibus misericordiæ, dicens; Venite Benedicti Patris mei percipite regnum, &c. Esuriui enim & dedistis mihi manducare, sitiui, &c. Et confirmatur ex illis verbis Matth. 19. Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Et Ioan. 14. Siquis diligit me, sermonem meũ seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus: vbi vita æterna & gratia Dei siue augmentum illius, promittitur tanquam præmium non solum dilectionis diuinæ, sed etiam aliorum bonorum operum, quibus implentur mandata Dei, quæ dantur etiam de actibus aliarum virtutum.

*1. Petri. 5.* *Isaiæ. 66.* *Matth. 5.* *1. Petri. 2.* *Hebræ. 13.* *Tobiæ. 2. & 12.* *Matth. 25.* *Matth. 19.* *Ioan. 14.*

*Conclus. 3.* TErtia conclusio. Vt actus virtutum acquisitarum sint meritorij cùm ex imperio charitatis fiunt, non est necesse vt singuli actualiter imperentur à charitate; Imò verò superiùs diximus sufficere relationem virtualem. Probatur hæc conclusio. Primò: Quia non est credibile Deum semper exigere ab homine fragili id, quod optimum & exactissimum est, & difficillimum moraliter loquendo; vt scilicet, actualiter referat omnia opera in finem supernaturalem: hoc enim rigidum esset, & in paucissimis operibus homines iusti mererentur. Item secundò: Quoniam is qui peregrinatur in Diuum Iacobum, semper censetur ea intentione pergere in talem terminum, licèt non dirigat in illum actualiter omnes gressus: ergo vt opera iustorum sint meritoria, & vt sint propter Deum, non est necesse vt omnia actualiter omninò referantur in illum, sed sufficit virtualiter, vt abrenũciè explicuimus suprà disputatio. 1. per plures conclusiones. Et huius sententiæ diximus esse Adrian. quodlibe. 10. articulo. 3. ad. 4. & Caietan. 1. parte, quæstione. 63. articulo. 6. & Diuum Thomam in 2. distinctione. 28. quæstione. 1. articulo. 1. ad. 4. & distinctione. 40. quæstione. 1. articulo. 5. & de charitate, quæstione vnica, articulo. 11. ad. 2. & 3. Nam certè, quando actus de se sunt boni & referibiles in talem finem, si aliquando actualiter à Charitate imperentur & referantur, postea subsequentes actus dicentur fieri ex charitate propter Deum, vt patet etiam de eo, qui primo mane retulit omnia sua in Deum; & de monacho in ingressu religionis, & in professione quam emittit, vbi opera illius postea censentur relata in talem finem, quamuis sæpe sit oblitus illius relationis actualis, dum modo per contrariũ actum eam non destruxerit, aut non senuerit, & antiquata fuerit valde per longissimum tempus, aut interrupta per mortale: Quia tunc iterum in principio nouæ conuersionis resurgit relatio illa actualis. In humanis etiam, seruus qui se conseruauit obsequijs Domini, omnia quæ facit in commodum rei domesticæ, non solum censetur illa facere in obsequium Domini, sed etiam illa sunt digna stipendio; Deus autem multò magis benignus est, & multò magis pronus ad remunerandum opera: ergo, &c.

*Conclus. 4.* QVarta conclusio. Per opera aliarum virtutum facta ex charitate, si operans decedat in gratia, augebitur illi gloria essentialis quantùm ipsa opera meruerunt, quamuis non processerint ex actu intensiori, neque subsequatur actus intensior charitatis. Hæc assertio, quamuis à nonnullis malè negetur; tamen est adeò certa, vt oppositum sit temerarium & in fide periculosum. Probatur ex sacris literis & Concilijs, & ex communi consensu Sanctorum Patrum, ex quibus manifestè habetur, vitam æternam seu gloriam essentialem, dandam esse secundum merita vniuscuiusque, taliter quòd quantò plura vel maiora fuerint merita, tantò maior erit beatitudo & gloria essentialis, quæ redditur pro illis, vt fusè ostendemus articulo octauo sequenti, & etiam ostendimus. 1. parte, quæstione. 95. articulo quarto: & omnia testimonia Sanctorum Patrum & Conciliorum, quæ ostendunt, per actus meritorios minus intensos charitatis augeri gloriam essentialem si homo in gratia decedat, æquè efficaciter ostendunt augeri etiam per actus aliarum virtutum, quatenus ex gratia procedunt, & à charitate imperantur. Nam Scriptura, Sancti, & Concilia, quæ loco citato adducemus, nõ solum loquuntur de operibus à charitate elicitis, sed generaliter de omnibus operibus bonis ex gratia procedentibus, à quacumque

*Conci.Trid.* virtute eliciantur, vt patet ex Trident.sessio.6.cap. 10. & .16. & canone.24.26.&.32. vbi absolutè & simpliciter dicitur, per bona opera iustorum, quæ ex gratia fiunt, & per quæ obseruantur mandata Dei & Ecclesiæ, mereri iustos vitam æternam, & augmentum gratiæ & gloriæ, & eius consecutionem; ac proinde sperare debere quòd infallibiliter consequentur huiusmodi augmentum pro talibus operibus, si in gratia decedant. Constat autem quòd præcepta Dei & Ecclesiæ, non tantum dantur de actibus à charitate elicitis, sed etiam de actibus aliarum virtutum: ergo pari certitudine, qua iudicamus quòd actibus à charitate elicitis etiam minus intensis, correspondebit de facto augmentum gloriæ essentialis, si homo in gratia decedat, est sentiendum quòd correspondebit actibus aliarum virtutum à charitate imperatis. Et confirmatur: Quoniam aliàs sequeretur non esse distinctos gradus gloriæ essentialis in æterna beatitudine, secundum quòd aliqui beati & iusti se exercuerunt in excellentioribus virtutibus, quam alij; atque adeò non habebit maiorem gloriam essentialem qui seruauit virginitatem perpetuã propter Deum, quam qui cõiunctus est matrimonio propter ipsum Deũ: Consequens est falsum, & contra communem sensum Sanctorum & fidelium omnium: ergo. Patet sequela: Nam si augmentum gloriæ essentialis duntaxat correspondet actui intensiori charitatis, non erit maior gloria essentialis quæ datur pro virginitate, quam quæ datur pro coniugio, neque conducet quicquam ad maiorem vel minorem gloriam essentialem, excellentia virtutis moralis, in qua quis se exercet propter Deum, sed solum erit attendendus actus intensior elicitus à charitate. Minor

*Cõc.Telens.* autem probatur ex Concilio Telensi sub Syritio Papa, in quo ex professo definitur maius esse meritum *in virginitate, quam in coniugio*, & maiorẽ remunerationem illi correspondere in æterna beati-

*D.August.* tudine. Et idem dicit Augustin. sermon. 59. de Verbis Domini, vbi postquam dixit, Pro diuersitate meritorum fulgebunt Sancti, alius magis alius minus, per maius scilicet, vel minus lumen gloriæ, Subiungit; Alio modo erit ibi castitas coniugalis, alio integritas virginalis; Alio modo ibi erit fructus boni operis, & alio corona passionis. Et idem iterum docet D. Augustin. lib. de Virginit. capit. 26. &. 27. &. 1. de ciuitat. Dei, capit. 13. vbi inquit, maiorem remunerationem dari in cælo pro eleemosynis, quæ exhibentur viuis, quam pro sepultura quæ exhibetur mortuis, quia illud est opus excellentius ex genere suo, quam istud. Et idem apertè sensit D.

*D. Ambro.* Ambros. 2. de vocatione Gentium capit. 10. propè finem dicens, quòd secundum exercitia virtutum fiunt incrementa meritorum, & quòd sunt coronandi iusti secundum sua merita. Idem docet D.

*D.Gregor.* Gregor. in expositione vltimi Psalmi pœnitentialis dicens, secundum qualitatem operum futuram esse retributionem gloriosam. Et ita intelligit illud quod sæpiùs Scriptura repetit; Reddet vnicuique

*D. Hieron.* secundum opera sua. Idem etiam docet D. Hieron. lib. 2. aduersus Iouinia. & omnes alij Sancti Patres, quibus consentit D. Thom. in hoc art. 4. Nam dicit in corpore, meritum vitæ æternæ, non solum pertinere ad charitatem, sed etiam ad alias virtutes secundum quòd à charitate imperantur. Et solutione ad secundum subiungit, quòd magnitudo laboris vel operis imperati à charitate, facit ad magnitudinem meriti, atque adeo ad magnitudinem præmij. Et. 2. 2. quæst. 182. artic. 2. affirmat, inter actus imperatos à charitate, quosdam esse magis meritorios quam alios, secundum quòd ex proprio genere pertinent ad excellentiorem virtutem, & magis accedentem ad perfectionem charitatis. Et ita dicit, quòd opera vitæ contemplatiuæ de se sunt magis meritoria, quam opera vitę actiuę; & opera religionis, magis quam opera aliarum virtutum moralium. Inter opera verò virtutum moralium, illa sunt magis meritoria de se, quæ magis pertinent ad dilectionem proximorum. Ex quibus liquet, quòd ratio meriti in ordine ad vitam æternam, licèt principaliùs attendatur secundum charitatem, quæ est principium operationum; tamen etiam debet attendi secundum bonitatem quam habẽt ipsa opera ex proprio genere: illa enim licet præcisè sumpta non inducat meritum vitæ æternæ; tamen eleuata per imperium charitatis, conducit ad meritum, & illud auget. De qua re legere oportet ea quæ diximus suprà artic. 2. per plures controuersias.

Moueor etiam ad hanc veritatem ostendendam: Quia si nõ augetur gloria essentialis per actus aliarum virtutum à charitate imperatos; sequitur quòd si duo homines conuertantur ad Deum cum æquali actu charitatis, & vnus eorum statim moriatur; alter verò per centum annos perseueret in gratia, & propter Deum se exerceat continuè in operibus misericordiæ & aliarum virtutum; nunquam tamẽ eliciat actum intensiorem, non erit beatior, neque habebit maiorem gloriam essentialem iste, quam ille. Et pariter sequitur quòd si ingens peccator conuertatur in articulo mortis cum actu charitatis æquali cum eo quem habuit in sua prima conuersione; ille quem diximus perseuerasse cẽtum annis in gratia, & continuo exercitio bonorum operum, habebit ille tantam gloriam essentialem sicut iste: Consequens est contra communem sensum fidelium, & contra manifestam intentionem Sãctorum & Conciliorum: ergo.

Adducor rursus ad defensionem eiusdem assertionis: Quia Deus promisit in Sacris literis gloriã essentialem, & augmentum ipsius pro bonis operibus aliarum virtutum ex gratia & charitate factis: ergo infallibiliter dabit huiusmodi augmentum facienti talia opera, si in gratia decedat. Patet consequentia: Quia Deus est fidelis, iustus & verax, & ideo non potest euacuari eius promissio, vt sæpè Paulus dicit præcipuè ad Hebræo. 6. Non enim in- *Ad Hebr.*
iustus est Deus vt obliuiscatur operis vestri & dilectionis. Quibus verbis apertè ostendit, non solùm pertinere ad diuinam iustitiam reddere mercedem pro dilectione ipsius, sed etiam pro alijs bonis operibus, quæ ex illa dilectione progrediuntur. Antecedens probatur; tum ex testimonijs suprà adductis in confirmatione secundæ conclusionis, tùm etiam ex ipsa ratione meriti de condigno, quæ conuenit his operibus, vt ostensum est. Ratio namque meriti de condigno importat debitum iustitiæ, fundatum in diuina promissione, & in propria & intrinseca conditione & perfectione operum





ne operum, secundum quòd ordinantur ex gratia & charitate.

Præterea persuadetur posita assertio: Quia contraria sentẽtia plurimum retrahit homines tepidos, vt ferè sumus nunc omnes, à bonis operibus, auferendo illis spẽ retributionis gloriæ essentialis. Imò verò fauet hæreticis huius ætatis, qui valde sunt inimici bonorum operum, vt fugiant laborem qui in eis reperitur: igitur opposita sententia propulsanda est à Catholicis & pijs Theologis atque fidelibus. His argumentis & similibus variè aduersarij respondere solent, & cùm in omne latus se vertunt, non solutiones, sed euasiones quærunt, quas omnes fuse satis sumus impugnaturi articulo. 8. sequenti, & partem impugnauimus. 1. part. quæst. 95. articulo. 4. Quocirca, sicut per actus minus intensos charitatis statim augetur gratia & charitas, ita etiã dicendum & sentiendum est eandem gratiam & charitatem statim meritoriè augeri per bona opera aliarum virtutum, quatenus ex gratia & charitate procedunt. Quoniam gratia & charitas necessariò debent commensurari gloriæ essentiali, atque adeo iuri quod quis habet ad illam; Quod quidem col- *Conci.Trid.*
ligitur apertè ex Tridentin. sessione. 6. capit. 10. vbi definitur, quòd iusti per obseruationem mandatorum Dei & Ecclesiæ, & per alia bona opera ex gratia & charitate facta, crescunt in iustitia accepta, & quotidie viuificantur magis ac magis: Ibi enim per iustitiam videtur necessariò intelligenda gratia & charitas habitualis; atque adeò, per hoc quòd Concilium dicit, iustos bonis operibus crescere in iustitia accepta; videtur apertè asseuerare, quòd crescunt statim in gratia & charitate habituali; non tamen hoc definit ita apertè, quin posset probabiliter defendi, non augeri statim gratiam & charitatem habitualem per huiusmodi opera, sed in fine vitæ quando iam tempus est vltimæ retributionis essentialis gloriæ.

Tandem probatur: Quoniam sæpe est consilium, imo verò præceptum obligans sub mortali, cessare ab actuali contemplatione & dilectione Dei, vt possimus facere aliarum virtutum operationes cõmuni bono, & proximorum saluti necessarias ad maiorem Dei gloriam: sed non est ipersuasibile Deum consulere vel præcipere aliquid, per quod defraudemur à profectu spirituali, & augmento essentialis gloriæ: ergo intentum, &c. Et confirmari potest hoc: Nam quando Sancti & Scriptura exhortantur nos ad opera aliarum virtutum, vnum ex præcipuis motiuis, quo id faciunt, est spe retributionis gloriæ essentialis; & eius augmenti: ergo absque dubio est sentiendum, per huiusmodi opera ex gratia & charitate facta, gloriam essentialem augeri, & iustos verè eam mereri.

*Ad argum.* Ad argumenta. Ad primum respondetur, quòd in verbis illis, nomine dilectionis Dei, non tantum intelligitur actus charitatis elicitus, sed etiam actus imperatus, quo seruantur alia præcepta diuina, quod apertissimè statim declaratur ex verbis adiunctis. Nam statim subiungitur; Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, &c. Vbi diuina gratia qua Deus nos diligit, & eius augmentum; non solum promittitur dilectioni, qua nos Deum diligimus per actum charitatis elicitum, sed etiam obseruationi mandatorum, & consiliorum Dei, quæ per actus aliarum virtutum exercetur secundum imperium & motionem charitatis. Vnde, communi prouerbio etiam dicitur; Obras son amores, &c. Ergo nomine dilectionis etiam intelligunturactus à charitate imperati, quibus alia Dei præcepta implemus. ¶ Ad con- *Ad confir.*
firmationem respondetur negando quòd perfectio essentialis Patriæ, & præmium essentiale, correspondeat solum charitati viæ præcisè & secundum se sumptæ; sed correspondet charitati secundum se & secundum fructus, siue effectus ipsius, qui sunt merita bonorum operum, vt nos fuse diximus. 1. p. quæst. 95. artic. 4. & Scot. non nihil insinuat in 4. dist. 22. quæst. vnica, artic. 2. vbi ait, quòd sententia tenens, gradum essentialem gloriæ correspondere meritis, est consona Scripturæ, quæ in multis locis dicit, quòd Deus reddet vnicuique secundum opera sua, nunquam autem dicit, quòd reddet vnicuique secundum habitum suum; & etiam consonat obseruationi legis diuinæ; Quia ex eo quòd hæc sententia dicit, singulis operibus meritorijs correspõdere in acceptatione diuina determinatum gradum gloriæ essentialis, valde animantur fideles ad operandum continuè secundum legem diuinam. Quare, in Patria omnia erunt æqualia, gratia, charitas, & gloria. ¶ Secundò respondetur, quòd licet *Solutio. 2.*
perfectio essentialis viæ formaliter & per se in sola charitate consistat; tamen causaliter & meritoriè consistit in operibus aliarum virtutum, prout à charitate imperantur: per illa enim meremur augmentum gratiæ & charitatis; atque adeo crescit ipsa perfectio essentialis viæ, non solum extensiuè quantum ad plura merita, sed etiam intensiuè quantum ad ipsum habitum gratiæ & charitatis. Et per hoc respõdetur ad propositionem illam aduersariorum quam adducunt, Perfectio essentialis vitę Christianæ, in sola charitate consistit, &c. & simul respondetur ad testimonia allata ex Paulo.

Ad secundum respondetur, omnem rationem *Ad secundũ*
meriti, & totum valorem nostrorum operum in ordine ad vitam æternam prouenire ex gratia & charitate tãquam ex prima radice; ex illa quidem tanquam ex principio primo vel remoto, vt alij dicũt, per quod primò constituimur in esse vitæ supernaturalis; ex hac autem tanquam ex principio proximo, vt rectè docet S. Thom. in. 3. dist. 18. artic. 5. ad. 1. Sed hoc non tollit quin actus aliarum virtutum in quantum sunt fructus ex hac radice producti, sint meritorij vitæ æternæ & augmẽti gratiæ & charitatis, atque adeo illam verè augeant. Imo ex hoc ipso quòd charitas est radix merendi, cõsequitur necessariò, quòd omnes actus aliarũ virtutum in quantũ ex charitate procedunt, & ab ipsa informantur, sint verè & propriè meritorij vitæ æternæ & augmenti gratiæ & charitatis, vt etiam ipse Sanctus Thomas infinitis penè in locis affirmat. Quare, excellentia valoris & meriti nostrorum operum, primò & formalissimè prouenit ex gratia & charitate; tamẽ prouenit etiã aliquo modo dispositiuè & materialiter ex qualitate & bonitate propria ipsorum operum. Et in hoc optimè loquitur Altisiodorensis loco citato quæst. 3. ad. 2. dicit enim quòd quamuis penes

charitatem sit tota vis merendi primò, non tamen totus effectus vel efficacia, sed dispositiones operum faciunt ad efficaciam merendi. Nam sicut idem calidum, verbi gratia, Sol, quædam magis, & quædam minus calefacit propter variam dispositionem ipsorum, ita eadem charitas in quibusdam operibus habet maiorem efficaciam merēdi, quam in alijs; quia videlicèt, quanto opus de se est melius, est magis ordinabile ad finem charitatis, & magis acceptabile Deo secundum illam ordinationem & relationem. Vnde, ex his liquet quòd ratio meriti non tantum reperitur in actibus imperatis à charitate per quandam extrinsecam denominationem, sed etiam formaliter & intrinsecè; ac proinde licèt primò & per se ratio meriti supernaturalis conueniat actui elicito charitatis; tamen secundariò & participatiuè conuenit etiam formaliter actibus elicitis ab alijs virtutibus ex imperio charitatis, taliter quòd in ipsis est proprium meritum distinctum ab eo quod erat in actu elicito charitatis; atque adeò cæteris paribus ex parte intensionis actus eliciti charitatis, erit maius meritum in actu imperato excellentiori & meliori. Veruntamen in actibus exterioribus, sicut non est distincta ratio bonitatis moralis, ita neque distincta ratio meriti, sed eadem numero bonitate & perfectione, quo actus interior est bonus & meritorius, dicitur etiam bonus & meritorius actus exterior, per quādam extrinsecam denominationem. ¶ Ad confirmationem dicendum, quòd in eo casu, ille qui dedit eleemosynam ex charitate, magis meretur, quā ille qui non dedit neque voluit dare. Quoniam licet istè esset paratus dare quasi habitualiter; non tamen meremur per habitus formaliter loquendo, sed per actus. Quapropter, quando communiter dicitur quòd voluntas pro facto reputatur, & quando Paulus etiam ait, quòd voluntas accepta est secundum id quod habet, &c. Totum hoc debet intelligi de voluntate actuali secundum volitionem efficacem & absolutam: hęc namque voluntas non defraudabitur merito & præmio suo, ex eo quòd non possit exequi exteriùs id quod efficaciter intendebat, aut facere volebat propter Deum. ¶ Ad tertium dicendum, quòd Sancti Patres ibi citati, duntaxat intendunt, meritum nostrorum operum respectu vitæ æternæ principaliùs esse attendendum secundum feruorem & intēsionem actus charitatis, quam secundum qualitatem propriam operum quæ ex imperio charitatis fiunt, & offeruntur Deo: Per hoc tamen non negant, meritum etiam prouenire aliquo modo ex ipsa qualitate & bonitate operum suppositō imperio atq; ordinatione charitatis. Imo verò, eo ipso quòd isti Sancti comparatiuè dicunt, magis esse attendendum ad affectum charitatis ex quo opera fiunt, quàm ad opera ipsa, planè insinuant, etiam esse attendendum ad opera facta ex charitate, neque Sanct. Thom. oppositum voluit locis ibi citatis: Quia solum vult quòd meritum gloriæ essentialis non correspondet formaliter & per se nostris operibus secundum bonitatem moralem, quam habent ex proprio genere; bene tamen secundum quòd bonitas illa eleuatur ex gratia & motione Spiritus sancti & ex imperio charitatis, vt satis in superioribus explicatum est.

*Ad confir.*

*Ad tertiū.*

## DVBITATIO appendix.

### *Vtrum ex informatione & imperio charitatis resultet quid intrinsecum realiter existens in alijs virtutibus imperatis, quatenus à charitate imperantur & informantur?*

DVbitatio hæc mota est à nobis, vt explicentur ea quę diximus de imperio & relatione charitatis. Rursus etiam mota est, vt examinemus sententiam quæ à quibusdam recentioribus asseueratur. Nam putant, virtutes etiā à charitate imperatas, nihil prorsus intrinsecè & realiter acquirere, neq; quoad habitus neq; quo ad actus, ex imperio & informatione charitatis, sed solùm informari & ordinari ad finem charitatis per extrinsecam quandam denominationem. Quæ sententia persuaderi potest primò. *Argum.* Quoniam seruus scribens vel legens ad imperium domini, nihil acquirit intrinsecum ex illo imperio: Nam ex eo quòd ad imperium Domini scribat, nihil intrinsecum ponitur in ipso actu scribendi aut legendi quod non haberet actus ille, si fieret absq; tali imperio. Et pari ratione, si quis applicet ignem ad comburendum, vel ordinet pecunias ad emendum aliquid, ex tali applicatione vel ordinatione nihil ponitur intrinsecè in igne, aut in ipsa calefactione, neque in pecunijs: ergo similiter, ex hoc quòd actus fortitudinis seu temperantię à charitate imperetur, & ad eius finem ordinetur, nihil realiter intrinsece ponitur in habitu temperantiæ, neque in eius actu, sed sola extrinseca denominatio. ¶ Et confirmatur. *Confirm.* Quoniam imperium charitatis, est actus immanens: ergo nullum habet effectum extra charitatem, & multò minus extra voluntatem, quæ est charitatis subiectum; ac proinde fides quæ est in intellectu veluti in proprio domicilio, & temperantia atque alię morales virtutes, quę sunt in appetitu sensitiuo veluti in subiecto inhæsionis, nihil prorsus reale & intrinsecum habebunt ex imperio charitatis productum & causatum. ¶ Secundò arguitur. *Secundo.* Quia si actus temperantiæ à charitate imperatus, habet intrinsecè & realiter ordinem ad finem charitatis, sequitur apertè quòd ex multiplicatione similium actuum causetur habitus in appetitu sensitiuo inclinans ad actus realiter & intrinsecè ordinatos ad finem charitatis: Cōsequens autem est impossibile: ergo. Sequela de se patet, & probatur minor: Nam si daretur talis habitus, sequeretur quòd pereunte charitate per mortale, nihilominus maneret habitus ille ordinatus ad finem vltimum supernaturalem, atque adeo sine charitate habituali esset in homine aliquis habitus ordinans ipsum in finem vltimum supernaturalem, quod est absurdum valde. ¶ Tertiò arguitur. *Tertium.* Nam si esset aliquis modus realis intrinsecus in actu temperantiæ acquisito prouenies ex habitu charitatis; sequeretur quod talis actus temperantię esset simul naturalis & supernaturalis, naturalis quidem, secundum quòd



quòd procedit à virtute acquisita; supernaturalis verò, quatenus ex charitatis imperio, ad finem vltimum supernaturalem ordinatur: Consequens est impossibile: ergo & antecedens.

*Conclus. 1.* Pro explicatione huius difficultatis, est prima propositio. Certum est, quòd ex informatione charitatis & eius imperio per se loquendo, nihil intrinsecum reale ponitur in virtutum aliarum habitibus. Et suppono quòd charitas non est forma aliarum virtutum essentialiter intrinsece, sicut anima rationalis est forma hominis, sed dicitur forma effectiua, in quantum suo imperio efficit vt actus earundem virtutum ordinentur ad vltimum finem, qui est Deus. Nam cum actus humani accipiant speciem & formam ex fine ad quem ordinantur, non immeritò dicitur quòd virtus præstans finem actui virtutis, præstet & formam. Quæ doctrina est expresse D. Thom. 2. 2. quæst. 23. articulo octauo, in corpore & ad. 1. & 3. Quo supposito probatur posita assertio: Quoniam tales habitus virtutum, non dependent in suo esse à charitate, neque variantur in propria entitate ex consortio charitatis, sed solùm perficiuntur quodammodo extrinsecè ex parte subiecti, in quantum anima quę est subiectum istorum habituum, à quo ipsi habitus habent esse, perficitur & disponitur melius per gratiam & charitatem ad vtendum istis habitibus in ordine ad finem supernaturalem: & ita isti habitus secundum quòd dependent à subiecto sic dispositō, sunt quodammodo in actu primo ad eliciendum suos actus ex charitatis imperio in ordine ad finem ipsius.

*Conclus. 2.* Secunda propositio. Actus virtutum interpretatiuè & virtualiter duntaxat à charitate imperati, non habent ex hoc aliquem modum essendi intrinsecum, secundum quem ordinentur ad finem charitatis, sed tantum dicuntur ordinati ad illum per denominationem quandam extrinsecam. Quod quidem vt plane percipiatur, aduerte, quòd dupliciter potest aliquis actus virtutis procedere ex imperio charitatis. Primò sane formaliter siue actualiter, vt si quis formaliter & expresse cogitans de fine charitatis, ex affectu illius mouetur ad eliciendum actum temperantiæ vel fortitudinis. Secundò verò potest imperari actus à charitate duntaxat virtualiter & interpretatiuè; vt quando quis retulit se & omnia sua opera in Deum ex affectu charitatis; & postea nihil cogitans de Deo neque charitate, facit opus temperantiæ aut fortitudinis; tunc sanè ille actus temperantiæ censetur à charitate imperatus, non formaliter & expresse siue actualiter, sed virtualiter tantum & interpretatiuè. Quocirca, sentiendum est quòd actus à charitate imperati hoc secundò modo, non censentur ordinati in Deum per aliquid realiter & intrinsecè existens in ipsis, sed solùm per quandam denominationem extrinsecam, ad eum modum quo paries dicitur visus per solam extrinsecam denominationem, & non per aliquid realiter & intrinsece ipsi inhęrens. Probatur: Nam, quando tales actus producuntur & acquirunt esse, charitas nihil operatur aut efficit, vt supponimus in casu, quo actus solum interpretatiuè dicatur imperatus: ergo non est in ipsis actibus virtutum interpretatiuè duntaxat imperatis, aliquid realiter & intrinsecè causatum à charitate; sed solum habent extrinsecam illam denominationem suprà dictam.

*Conclus. 3.* Tertia propositio. Quando actus virtutum procedunt formaliter & expresse ex charitatis imperio, ex illo actuali & formali imperio habent specialem quendam, & realem modum essendi, & intrinsecum modum, secundum quem tendunt in proprium obiectum sub excellentiori ratione finis charitatis. Hæc videtur esse expressa sententia Sanctissimi Præceptoris. 2. 2. quæst. 23. artic. 8. in corpore, & solut. ad. 1, & 3. vbi ait, quòd charitas informat effectiuè actus aliarum virtutum, & quòd est quasi mater illarum, in quantum ex appetitu finis concipit actus aliarum virtutum, imperando ipsos; Sed ista efficientia non potest intelligi absque eo quòd in ipsis actibus sit aliquid realiter effectum à charitate. Vnde Caietan. in comment. illius articuli dicit, quòd charitas non solum informat effectiuè quatenus imperat & ordinat actus virtutum, quia hoc est commune omni virtuti imperāti, sed etiam quia ipsa participatio passiua imperij sui recepta in actibus virtutum, constituit illos in esse virtutis formatæ & simpliciter. Vnde, secundum plures Theologos, prædicta doctrina etiam se extendit ad virtutes acquisitas, quatenus gratia quæ perficit naturam efficit mediante charitate, vt actus virtutum acquisitarum attingant non solum finem supernaturalem, ad quem diriguntur supra rationem & proportionem propriam, sed etiam vt attingant finem vltimum sibi naturaliter proportionatum: ergo, &c. Rursus, doctrina huius assertionis, clarius habetur ex eodem Sanct. Thom. in. 3. distinct. 27. artic. 4. quæstiunc. 3. vbi dicit, quòd modus charitatis participatur in virtutibus inferioribus ab ipsa imperatis, sicut motio agentis principalis participatur in instrumento. Ex quo sic argumentor pro nostra assertione: Nam profectò, quando artifex operatur & mouet artificiosè instrumentum, in ipsa actione instrumenti est aliquis modus realis participatus ab arte, & intrinsecè ordinatus ad formam per se intentā ab artifice: ergo similiter quando charitas actualiter & formaliter mouet temperantiam, vel aliam virtutem in ordine ad finem vltimum, ex tali motione & imperio participatur aliquid in actu temperantiæ, ratione cuius formaliter & intrinsecè est ordinatus ad finem per se intentum à charitate. Patet consequentia: Quia tunc temperantia habet se veluti instrumentum ipsius charitatis. Secundò probatur: Quoniam actus temperantiæ, quamuis sit elicitus ab appetitu sensitiuo, qui de se solum habet respicere bonum sensibile; tamen ex motione voluntatis & imperio prudētiæ habet realiter & intrinsecè ordinari ad bonum rationis, quod per se intenditur à prudētia: ergo pari ratione ex imperio charitatis habebit actus temperantiæ realiter intrinsece ordinari ad bonum diuinum supernaturale, quod per se respicitur à charitate. Et confirmatur: Nam quando aliquis ex intentione mœchandi furatur, non solum ipsa intentio respicit obiectum mœchiæ, sed etiam electio furti habet realem & intrinsecum ordinem ad obiectum mœchiæ; & idem est vniuersaliter loquēdo, de alijs actib⁹ imperatis: ergo similiter in proposito nostro est dicendum. Tertiò persuadetur: voluntas mouet

realiter & physicè intellectum & appetitum sensitiuum ex parte principij, impellendo istas potẽtias & applicando illis ad hoc vel illud obiectum, & per talem motionem causat in ipsis proprios actus & operationes cum ordine reali & intrinseco ad propria obiecta: ergo similiter charitas quæ est in voluntate, poterit mouere realiter & physicè alias virtutes tam existentes in voluntate, quam in intellectu & appetitu sensitiuo, causando actus proprios ipsarum quantùm ad substantiam & entitatem talium actuum, vel saltem quantùm ad aliquem modum realem & intrinsecum illis: ergo. Probatur cõsequentia: Quia modus causandi habituum proportionatur modo causandi potentiarum, in quibus recipiuntur ipsi habitus. Et ex his liquet, quonam pacto ex actuali & formali imperio dicatur esse intrinsecè aliquid in ipsis actibus virtutum.

*Ad argum.* *Ad primũ.* Ad argumenta in exordio dubij posita. Ad primum respondetur negando consequentiam. Et ratio disparitatis est: Quoniam in vniuersis illis exemplis allatis, non variatur ex imperio vel applicatione forma dans esse rei, quæ subiacet tali imperio vel applicationi; at verò quando charitas imperat formaliter & expresse actum alterius virtutis, varia tur aliquo modo forma dans esse actui imperato, in quantum additur ex parte obiecti noua ratio operandi. Cùm enim actus humani habeant suum esse intrinsecum per ordinem ad obiectũ, eò ipso quòd variatur obiectum formale actus, variatur etiã substantia & entitas ipsius actus saltem quãtum ad aliquem modum accidentalem intrinsecum ipsi: Et quia ex imperio charitatis fit, vt actus temperantiæ feratur in suum obiectum, non solum secundum quòd est consonum regulæ rationis, sed etiã secundum quòd est consonum fini charitatis; inde est quòd ex tali imperio resultat in actu imperato aliquis modus realis & intrinsecus, quem nõ haberet, si procederet ex sola temperantia. Hinc colligitur apertè, magnum esse disidium inter actus exteriores à charitate imperatos, & actus interiores ab eadem imperatos: actus enim exteriores, nullum modum realem & intrinsecum acquirunt ex tali imperio, sed solum dicuntur ordinati ad bonum rationis vel diuinum, per quandam denominationem extrinsecam, quia potentiæ exteriores & executiuæ, formaliter & per se loquendo, non attendunt rationem formalem operandi, sed solum respiciunt id quod est materiale in ipsa operatione, at verò actus interiores intellectus & voluntatis, & appetitus sensitiui, respiciunt sua obiecta, non solum quantum ad id quod est materiale in ipsis, sed etiam quãtum ad rationem formalem, cui subordinantur; & ob id ex imperio virtutis ordinantis obiectum harum potentiarum ad alium finem, variatur intrinsecè actus huiusmodi in proprio esse. ¶ *Ad confir.* Ad confirmationem respondetur, quòd imperium & electio quãuis sint actus immanentes, & formaliter existant in voluntate, habent tamen vim motiuam inferiorum virtutum propter subordinationem naturalem, quam habent aliæ potentiæ ad ipsam voluntatem. ¶ *Ad secũdũ.* Ad secundum respondetur negando sequelam: Sicut enim ex actibus charitatis & aliarum virtutum infusarum, non producuntur in nobis habitus supernaturales, qui sint eiusdem rationis cum habitibus infusis à quibus eliciuntur tales actus; ita etiam neque ex actibus imperatis à charitate potest produci habitus inclinans ad similes actus imperatos à charitate. De qua re fusiorem habuimus disputationem 1.2.quæst.51.de habitibus infusis. ¶ Ad tertium dicendum, non esse incõueniens quòd vnus & idem actus quantum ad substantiam suam sit naturalis, & quantum ad modum aliquem accidentalem sibi intrinsecum, sit supernaturalis. Et ita fatendum est, quòd actus temperantiæ acquisitæ imperatus à charitate, est naturalis quo ad substantiam, & supernaturalis quo ad modum, quẽ participat per accidens in ordine ad finẽ supernaturalẽ; & in hoc differunt actus moralium infusarum virtutum ab actibus earundem virtutum acquisitarum, quòd illi essentialiter & secundum suam substantiam sunt supernaturales; isti verò tantum sunt supernaturales accidentaliter quantum ad modum superadditum ipsis ex charitatis imperio, vt fusiùs diximus in materia de virtutibus.1.2.q.63.art.4. *Ad tertiũ.*

## ARTICVLVS V.

*Vtrum homo possit sibi mereri primã gratiam?*

Conclusio Sanct.Thom.est negatiua.

## DISPVTATIO I.

*Vtrum homo mereatur de condigno sibi primam gratiam?*

*Argum.* RAtio dubitandi est: Quia meritum fundatur in pacto & promissione diuina, & in motione Spiritus sancti: sed Deus promisit pœnitentibus primam gratiam, & contritio procedit liberè à pœnitente & ex motione Spiritus sancti: ergo ex pacto diuino adimpleta conditione, pœnitens meretur primam gratiam. ¶ *Confirm.* Et confirmatur: Nam in instanti iustificationis, pœnitens satisfacit de iustitia pro culpa & pœna: sed satisfactioni de iustitia debetur remissio peccatorum de iustitia: ergo. ¶ *Secundò.* Secundò arguitur. Facienti quod in se est viribus naturæ, infallibiliter datur prima gratia excitans. Rursus, Facienti quod in se est ex auxilio supernaturali Dei, infallibiliter datur gratia iustificans: ergo vtraque gratia cadit sub merito de condigno. Ostendo consequentiam: Quia solùm meritum de condigno dicit infallibilitatem. ¶ *Tertiò.* Tertiò arguitur. Vita æterna correspondet nostris operibus meritorijs, cùm sit merces illis debita & proposita: ergo pariter meremur acceptari ad gloriam: sed gratia intrinsecè habet inter alia quòd sit acceptatio ad gloriam: ergo homo meretur acceptationem illam: ergo gratiam. ¶ *Confirm.* Et confirmatur: Nam Christus meruit nobis gratiam & remissionem culpæ de rigore iustitiæ: ergo remissio culpæ & prima gratia, non gratis, sed de iustitia nobis donantur: Sed in prima iustificatione iuxta modum dispositionis suæ, homo recipit gratiam: ergo per talem dispositionem homo innitens meritis Christi, de iustitia recipit gratiam, & consequitur remissionem culpæ. ¶ *Quartò.* Quartò arguitur. Quia meritum de condigno consistit in proportione operis cum tali præmio supposita Dei promissione: sed supremum opus naturæ habet proportionem cum infimo gradu gratiæ, nempe cum prima vocatione, neque potest intelligi opus magis illi proportionatum; & contritio habet proportionem cum ipsa gratia habituali: ergo, &c. Interuenire autem promissionem Dei, quantum attinet ad primam vocationem, videntur dicere nonnulli Theologi supra.q.112. De gratia autem iustificante patet apud Ezechielem cap.18. Si impius egerit pœnitentiam, vita viuet. Zachar.10. Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos, Isaiæ.10. Venite & arguite me. ¶ Et confirmatur: Quoniam promissio sub conditione operis, inducit obligationem iustitiæ: ergo agenti pœnitentiam Deus debet iustitiam non solum debito fidelitatis, sed etiam iustitiæ. Quod optimè expressit Ioan.1.canon.cap.1. Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & iustus Deus vt remittat nobis. ¶ *Quintum.* Quinto arguitur. Quoniam prior natura est gratia in esse gratię, quam in esse qualitatis: sed vt opus sit meritorium, sufficit quòd procedat à gratia in esse gratiæ, ergo contritio, vt procedens à gratia, in esse gratiæ, & vt prior quam gratia in esse qualitatis, erit meritoria talis qualitatis. ¶ *Sextum.* Sextò arguitur. Quia saltem contritio vt procedit à gratia habituali, erit meritum charitatis & aliorum habituum infusorum, qui sunt posteriores natura, quàm gratia; atq; adeo quam contritio vt informata gratia. Quod patet: Quia contritio vt sic, habet sufficientem proportionem cum tali præmio, & interuenit promissio Dei, & infallibilitas dandi: ergo meretur de condigno primam gratiam. ¶ *Septimum.* Septimò arguitur. Contritio de peccatis, & dilectio Dei super omnia, antecedunt gratiam & iustitiam in genere causæ dispositiuæ & materialis: ergo gratia est terminus istarum dispositionum & operationum: ergo est merces illarum, & consequenter cadit sub merito. Vnde S.Tho. in hoc art. apertè dicit, quòd merces est terminus bonorum operum.

*Ezech.18. Zacha.10. Isaiæ.10. Confirm.* *1.Ioan.1.* *Quintum.* *Sextum.* *Septimum.*

*Concluſ.1.* Pro explicatione huius controuersiæ, sit prima conclusio. De fide est, hominem non mereri de cõdigno primam gratiam auxiliantem, hoc est, vocationem. Hæc assertio definitur in Triden.sess.6.cap.5.& cano.1.&.2.& in Arausic.cap.vltimo. De qua re fusè & copiosè agit D.Augustin.epist.47.&.106.& lib.2.contra duas epist. Pelagian.cap.4. &.9. vbi refert, hoc fuisse definitum contra Pelagium in plerisq; Concilijs Africanis; Et eam ex professo ostendit Paul. in epist. ad Roman. in qua sæpiùs prædicat, neminem iustificari ex operibus. Ratio verò pro hac conclusione, efficax est & euidens ex dictis. Nam opera quæ antecedunt istam primam gratiam, sunt naturalia; & facta à peccatore; opera autem subsequentia, non possunt esse meritoria de condigno antecedentis gratiæ, vt suprà ostendimus: ergo. Lege Diuum Bernardum sermon. 68. super Cant. Diuum Augustinum libro de Hæresib. cap.88.& de Prædestinat.Sanctor.cap.5.&.15. &.22. de gratia Christi capit.3. Oſium, in expositio. fidei, capit.73. *Conci.Trid. Arausic. D.August. Concluſ.1.* *D.Bernar. D.August. Osius.* *Concluſ.2.*

Secunda conclusio. De fide est, hominem non mereri de condigno primam gratiam sanctificantem; ac proinde, opera supernaturalia facta ante primam gratiam, non merentur eam de condigno. Hæc assertio probatur à Paulo ex professo tota epistola ad Roman. vbi Apostolus docet, quòd iustificamur gratis, & non ex operibus; alioqui gratia non esset gratia, vbi non solum contendit Apostolus excludere opera naturalia, sed etiam supernaturalia respectu primæ gratiæ. Idem docet Paulus in epist.ad Ephes.capit.2. Iustificati gratis per gratiam ipsius, & ad Titum.3. Vnde Trident. sessione 6.capit.8.dicit, quòd quando Apostolus dicit hominem iustificari gratis per fidem, ea verba in eo sensu intelligenda sunt, quem perpetuus Ecclesiæ Catholicæ consensus tenuit & expressit, vt scilicet, per fidem ideo iustificari dicamur, quia fides est humanæ salutis initium, fundamentum & radix omnis iustificationis, sine qua impossibile est placere Deo, & ad filiorum eius consortium peruenire: Gratis autem iustificari ideo dicamur, quia nihil eorum quæ iustificationem præcedunt, siue fides, siue opera, ipsam iustificationis gratiam promeretur: Si enim gratia est, iam non ex operibus, alioquin, vt idem Apostolus inquit, gratia iam non est gratia. Et Conc. Arausi. c.17. dicit, quòd charitas diffusa est in cordibus nostris, nullis meritis eam præcedentibus; & capit.18. Merces debetur bonis operibus si fiant, sed gratia, quæ non debetur, præcedit vt fiant. Profectò, si ex meritis & dignitate operum datur gratia iustificans, & reconciliatio cum Deo, gratia haberet rationem debitæ mercedis, & non rationem gratiæ: Quæ est sententia Paul.in epistol.ad Roman.capit.3.4.5.&.11.& ad Galat.2. De qua re legendus est Diuus Augustinus locis citatis pro prima conclusione, & libro de gratia Christi capit.tertio, & epistol.105. & in Enchirid.capit.107.&.1.ad Simplician.quæst.2. & de prædestinatione Sanctorum capit. quinto, qui aduertit, nunquam in Sacris literis gratiam vocari mercedem, quamuis interdum id, quod est merces, vocetur gratia; quia videlicet gratia ita est gratia, vt non sit merces, merces autem ita est merces, vt sit etiam gratia. Idem docet Diuus Ambrosius ad Romanos.11. Diuus Bernardus sermo.67. &.68. super Cantic. Et licèt Sancti Patres damnantes Pelagium, solùm videantur definire, quòd opera ex viribus naturæ facta non sunt meritoria gratiæ; tamen re vera intendebant definire, quòd prima gratia, qua formaliter sumus grati, non cadit sub merito alicuius operis ex solis viribus naturæ, siue ex auxilio Dei; Et ob id Tridentin. dixit sessione.6. capit.8.citato, hunc perpetuum sensum Ecclesiam tenuisse. *Ephes.2.* *Ad Tit.3.* *Trident.* *Cõc. Arausi.* *D. Auguſt.* *D. Ambros.* *D.Bernar.*

Probatur ratione: Quoniam, vel homo meretur istam gratiam per opera, quæ antecedunt tempore, vel per ea quæ subsequuntur, vel per dispositionem vltimam, quæ simul tempore est; non primum, quia illa opera sunt naturalia, & valde improportionata; & ita nec propriè disponunt, vt supra diximus, vel sunt supernaturalia antecedentia; & de illis etiam probatur. Quia subiectum operans illa, est inimicum Deo: ergo sicut non potest mereri gloriam, ita neque gratiam: Nam qui meretur gratiam, necessariò meretur gloriam. Imò verò tales dispositiones sunt remotæ: ergo cum illis non habet gratia infallibilem connexionem:

nem : ergo non merentur illam de condigno. Neque meretur istam primam gratiam per opera subsequentia, vt expresse ostendit Diuus Augustinus de Prædestinatione Sanctorum capit.5.&.12. *D. August. D. Hieron.* Et id patet ex Diuo Hieronymo ponderante illud ad Ephes.primo. Elegit nos vt essemus Sancti, non quia futuri eramus. Rursus,Si Deus respicit quando iustificat, ad opera futura, vel id facit præuidendo illa, vel dando gratiam, quasi sub hac conditione bene merendi ipsam. Primum dici non potest, quia repugnat Paulo loco citato ad Ephes. primo & secundo. Vbi dicit, Deum præparasse nos per gratiam, vt in bonis operibus ambulemus, & abundemus. Item etiam : Quia plerisque datur gratia, qui postea non benè vtuntur illa, vt patet in paruulis,qui post baptismum moriuntur in adulta ætate in peccato; Et tandem, quia ille modus præuisionis non est posibilis, nisi præcedente diuino decreto & prædefinitione illorum bonorum operum; & hoc totum refunditur in Dei gratiam: Et ita opera illa non dicuntur meritoria primæ gratiæ. Secundum etiam dici non potest; Aliàs semel iustificatus perderet gratiam,etiam si non peccaret mortaliter, tantum quia non benè operatur. Quòd verò vltima dispositio non sit meritoria gratiæ, patet : Quia vt est prior natura ipsa gratia, non est ab homine grato,& vt est posterior natura, supponitur iam gratia, & ab illa habet rationem meriti : ergo nullo modo est meritoria primæ gratiæ.

*Conclus.3.* Tertia conclusio. Renera non meretur homo de condigno primam infusionem alicuius habitus supernaturalis. Hæc assertio patet ex Trident. in quo simpliciter decernitur, neminem posse mereri iustitiam, iustitia autem, vt suprà ostendimus, etiam comprehendit reliquos habitus *supernaturales* ex gratia & charitate ortos: ergo. Probatur etiam ratione: Quoniam homo non censetur perfectè amicus, neque constitutus plenè in statu supernaturali apto secundum legem ad merè dum,nisi postquam habet charitatem & omnes habitus supernaturales, qui ad eam, & ad gratiam consequuntur: ergo homo minimè meretur de condigno primam infusionem alicuius habitus supernaturalis & infusi. Hæc etiam assertio satis colligitur ex dictis,& ob id non indiget maiori probatione.

*Conclus.4.* Quarta conclusio. Si sit sermo de gratia in esse qualitatis præcisè,homo posset de absoluta Dei potentia mereri de condigno primam gratiam in esse qualitatis, & omnes alios habitus supernaturales, scilicet charitatem & iustitiam in esse qualitatis, &c. Hæc assertio fusius examinanda est inferiùs, vbi disputabitur, vtrum homo posit de potentia absoluta mereri primam gratiam, & remissionem culpæ. Cæterùm, quia hæc assertio loquitur solum de gratia & charitate, alijsque habitibus infusis præcisè in esse qualitatis, & respectu potentiæ absolutæ Dei; idcirco satis patet ex argumentis in principio disputationis factis. Nam si, verbi gratia, quis sine qualitate vlla esset amicus, quod non implicare ostensum est satis in superioribus, tunc si iste eliceret ex Dei auxilio actum supernaturalem, haberet proportionem cum illis habitibus: ergo si illi proponerentur in præmium, propriè & de condigno illos mereretur,& haberent se vt terminos illius actionis meritoriæ,& tanquam merces proposita à Deo in casu posito.

Ad argumenta. Ad primum respondetur, Deum *Ad argum. Ad prim.* promisisse verè pœnitentibus primam iustificationem & gratiam, non tanquam mercedem aut præmium seu stipendium illius actus pœnitendi; ac proinde non ita promisit vt pœnitentia sit meritum primæ gratiæ, sed promisit verè pœnitentibus primam gratiam,& ob id solùm sequitur quòd pœnitentia & contritio est vera dispositio ad primam gratiam. Vnde Paul. dixit, Credenti in eum qui iustificat impium, fides reputatur ad iustitiam secundum propositum gratiæ suæ, non secundum debitum; & pari ratione pœnitenti pœnitentia reputatur ad iustitiam secundum propositum gratiæ suæ. Ita explicat hoc Bartholom.Medina in hoc articulo. ¶ Ad confirmationem arbitror me satis dixisse suprà quæst.113. artic.5. vbi disputaui, vtrum posit pœnitens de iustitia satisfacere pro culpa? Et sanè certum est, remissionem peccatorum, & iustificationem impij gratis omnino fieri,vt tam Scriptura quam Concilia sæpissimè testantur.Cùm igitur peccatorum remissio gratis omnino donetur, sequitur quòd non cadit sub merito tanquam merces & stipendium,neq; debetur pœnitenti de iustitia;ac proinde, in puncto iustificationis homo non satisfacit pro culpa de iustitia, neque debetur illi de iustitia remissio peccatorum. Vnde ad præfatam confirmationem dicendum, Deum remittere & condonare culpam gratis nobis, per Christi satisfactionem nobis applicatam ex sua misericordia, quæ sanè applicatio in adulto fit per actum pœnitentiæ, qui non meretur remissionem peccatorum,sed est præparatio ad illam habendam. Quo fit, vt si aliquando Sanctissimus Præceptor dicat, hominem per pœnitentiam satisfacere pro culpa, sensus sit, quòd suis operibus concurrit ad suam iustificationem, quia non se habet vt instrumentum inanime, vt Concil.Tridentin.definit;non tamen quòd illam mereatur, aut quòd de iustitia ei debeatur. Et quando apud D.Thomam inuenitur, quòd in iustificatione impij inuenitur quidam modus iustitiæ, id est verum in hoc sensu, quoniam Deus sanciuit, vt qui ex adultis non operatur, non iustificetur. Rursus est verum, quia licèt non iustificetur homo ex propria iustitia; iustificatur tamen ex iustitia Christi. Verùm,quia iustificatio est opus gratiæ operantis; idcirco Deo tribuitur, & non nostris operibus. Huius etiam rei plures attulimus explicationes loco citato.quæstione.113.articulo.5. ¶Alij tamen Theologi sunt qui fatentur,hominem in instanti iustificationis suæ satisfacere de iustitia pro culpa; negant tamen consequentiam, nempe quòd debeatur illi remissio peccatorum de iustitia, aut quòd mereatur remissionem peccatorum; Primò, quia illa satisfactio est aliàs debita Deo de iustitia, ac proinde non meretur de iustitia coram Deo remissionem illam. Secundò, quia meritum respicit bonum ipsius qui meretur. Nam qui meretur, dicitur sibi præmium mereri, & non alteri, at verò in satisfactione quę Deo fit per pœnitentiam, homo nihil acquirit sibi, sed constituit æqualitatem inter se ipsum, & Deum, quam illi debebat ex iustitia;



iustitia; & dicitur esse bonum ipsius Dei, iuxta illud Baruch.2. *Baruch.2.* Anima quæ tristis est supra magnitudinem mali, reddit tibi gloriam & iustitiam Domine.Vnde,in peccato duo sunt, vnum est deordinatio voluntatis eius qui peccat, nempe ipsa auersio à Deo & conuersio ad creaturam; alterum est offensa & iniuria, quæ fit Deo, prout creatura illi præponitur,& hoc est malum ipsius Dei, non quidem secundum effectum, sed dumtaxat secundum affectum peccantis. Quapropter,quando nonnulli ex Theologis putât, quòd homo satisfacit Deo pro culpa, intelligunt de satisfactione pro culpa secundum quòd est offensa & iniuria Dei, & non secundum priorem rationem. Nam si peccatum consideretur vt includit deordinationem voluntatis,auersionem à Deo, & conuersionem ad creaturam, remissio peccatorum omnino gratis fit, sicut & ipsa infusio gratiæ. ¶Sed profecto, hæc sententia nunquam mihi probatur, nempe, quòd homo satisfaciat ex iustitia pro culpa,aut quòd debeatur homini pœnitenti de iustitia,recõciliatio cum Deo:hoc enim est contra Paulum, qui iustificationem & reconciliationem cum Deo dicit,omnino gratis fieri per Christum.Et idem decernunt Concilia:Nam si fit gratis:ergo non ex iustitia. Quia si tam remissio peccati,quam reconciliatio ipsa debetur pœnitenti ex iustitia: ergo ei etiam ex iustitia debetur quòd redeat cum Deo in gratiam:ergo prima gratia non datur gratis.An verò valeat illa consequentia. Homo satisfacit de iustitia pro culpa:ergo meretur de iustitia remissionem culpæ,& vt Deus illi reconcilietur,quod sanè consequens hæreticum est.Id quidem satis aperuimus loco citato.q.113.art.5.Rursus, quòd homo habeat gratiam,& sit Deo supernaturaliter gratus,non debetur homini peccatori ex iustitia: ergo neque debetur illi peccatorum remissio, aut reconciliatio cũ Deo.Patet consequentia: Quia si iam habet Dei gratiam,& est illi gratus,iam intelliguntur peccata illi remissa.Quare,hoc argumentum efficax est cùm ita colligit, Si homini pœnitẽti debetur de iustitia reconciliatio cum Deo, quia satisfacit de iustitia pro culpa, vt dicunt authores oppositæ sententiæ,tunc vel supponitur homo iam gratus Deo, vel fit gratus per illud opus pœnitentiæ;Si supponitur gratus,& id merè gratis,iam præintelliguntur peccata esse remissa,& iniuria ei condonata,aliàs non esset gratus Deo; Si autem dicas quòd fit gratus Deo per opus pœnitentiæ,sequitur quòd pœnitẽti illi ex iustitia debeatur gratia,quod sanè dicere,non est tutum.Et confirmatur : Quia si opus pœnitentiæ,tantæ virtutis est, vt ei ex iustitia debeatur reconciliatio cum Deo, & remissio iniuriæ,certissimum est quòd procedit ex gratia : Quia opus quod non procedit ex gratia, nihil valet corã Deo de iustitia:ergo si ex gratia procedit,iam supponuntur peccata remissa,& iniuria condonata: ergo non est possibile quòd pœnitenti debeatur ex iustitia iniuriæ & offensæ remissio.Sed de hoc aliàs loco citato.

*Ad secundũ & quartum* Ad secundum & simul etiam ad quartum patet quid sit dicendum ex quarta assertione. Non enim est condignitas & proportio in talibus operibus in ordine ad præmium supernaturale, neque est propriè per actum naturæ donanda gratia propter talia opera : Imò verò est simplex manifestatio Dei; non tamen includit obligationem iustitiæ.Et licèt operanti ex auxilio supernaturali, facientiq; quod in se est ex gratia Dei, detur gratia,& id faciat rem certam propter Dei veritatem, hoc tamen non includit obligationem iustitiæ, vt dictum est. Neque est eadem ratio de gloria,vt dicit D.August. Epist. *D.Augst.* 105.Quoniam gloria & præmium vocantur in Scriptura corona & brauium & merces; at nihil tale dicitur de remissione peccati,& de gratia:Si quæ tamen facta est promissio, id est respectu Christi, vt Paulus plerisque in locis insinuat, præsertim cum dicit; Fidelis sermo, & omni acceptione dignus, &c.Rursus, non quæcunque promissio sub conditione *operis* inducit propriè obligationem iustitiæ, nisi opus vt est à tali operante, habeat proportionem cum re promissa. Quia si Rex promitteret ciuitatem operanti opus nullius ferè momenti, nõ teneretur propriè ex iustitia; Et orationi debitè factæ,promissum est quòd exaudietur, & tamen non omnis talis oratio id meretur de condigno, vt docet Sanct.Thom.2.2.quæstione.83.articulo.15.&.16. In proposito verò, quodcumque opus peccatoris est improportionatum præmio de condigno,præciputè tantò,quantùm est remissio peccati vel gratia: Quia illud opus ex indignitate subiecti, fit nullius valoris, vt colligitur ex verbis Pauli, Nihil sum, Nihil mihi potest,&c.Adde etiam,tale opus quantumcunque sit bonum, esse Deo debitum pro peccatis ex rigore iustitiæ, & ideo non potest Deum ex iustitia obligare. Illud verò Diui Ioannis, quod in confirmatione continetur, de remissione tantũ venialium explicat Augustin.ibi. Et quamuis ratione promissionis suæ, Deus ex fidelitate debeat tribuere habenti contritionem talem gratiam, nihilo minus omnino gratis tribuit, *sicut* qui promisit se gratis donaturum centum, etiam si postquam promisit teneatur;tamen gratis dat:imò multũ est gratiæ quantò strictius se obligauit ad donãdum; quia sic est maius beneficium.Et quamuis promissio solennis & acceptata, inducat obligationem iustitiæ inter homines, quia leges humanæ statuuntur de hoc:non ita tamen est in ordine ad Deum,qui non censetur se vlla lege ad id obligare.Vnde, eius obligatio est similis illi,quæ ex gratuita & simplici promissione omnino ponitur inter homines. Et per hoc omnino dissoluitur quartum argumentum cum eius confirmatione.

Ad tertium dicendum, quòd gratia non est acce *Ad tertium* ptatio ad gloriam, sed est participatio quædam diuinæ naturæ,& est etiam diuina beneuolentia, qua Deus nos amat & charos habet. Vnde neganda est vltima consequentia. Secundò respondetur, quòd *2.Solutio.* possumus mereri ius & acceptationem ad gloriam, absque eo quòd mereamur primam gratiam, vt explicabitur inferiùs in hoc artic. cùm disputauerimus, Vtrùm prima contritio sit meritoria primæ gloriæ. ¶Sed dices, Prima gratia est eiusdem ratio- *Obiectio.* nis cum augmento gratiæ : sed augmentum cadit sub merito de condigno,vt infra videbimus : ergo & prima gratia.Respondetur, quòd prima gratia est *Solutio.* alterius rationis ab augmento, sicut forma est alterius rationis à modo ipsius formæ. Secundò respondetur;quòd licèt sint eiusdem rationis; tamen quia dispositio

dispositio ad gratiam non inuenit subiectum Deo placens; idcirco non meretur de condigno ipsam gratiam; at verò dispositio ad augmentum quia iam inuenit subiectum Deo placens, meretur de condigno ipsum augmentum. ¶Sed dices, Contra: Facienti quod in se est præsertim ex auxilio diuino, debetur ex diuina conuentione & pacto, iustificationis gratia: ergo meretur illam de condigno. Patet consequentia: Quia meritum condigni, solum importat meritum ex conuentione & pacto. Respondetur, quòd vt articulo tertio diximus, meritum condigni vltra conuentionem & pactum importat proportionem, & commensurationem intrinsecam operis meritorij ad præmium; nulla autem operatio præcedens gratiam iustificantem, est intrinsecè proportionata & commensurata ipsi gratiæ, quia nulla talis operatio procedit à subiecto grato. Secundò respondetur, non esse legem infallibilem Dei, vel conuentionem aut pactum dandi gratiam pro aliqua operatione præcedente, quæ non procedat ex ipsa gratia, sed solùm est lex infallibilis, quòd habenti vltimam dispositionem ad gratiam, dabitur gratia pro vltima dispositione, non tanquam merces pro merito, sed quòd detur post illam secundum ordinem diuinæ sapientiæ, vt dixi solutione ad secundum. ¶Ad confirmationem dico, quòd prima gratia & remissio peccatorum merè gratis donantur, hoc est, non donantur ex nostris meritis. Nam si hæc ad nos comparentur, est pura gratia; si verò hæc referantur ad Christum, & ad meritum & redemptionem eius copiosam, sic fatemur quòd hæc non dantur sine meritis Christi, qui hæc omnia meruit; Quæ duo simul copulauit Paul. dicens: Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu. ¶Ad quartum patet solutio ex dictis ad secundum & tertium, & negandum est, quòd opus naturæ habeat proportionem cum quocumque gradu gratiæ vt sic, cùm sint omnino diuersi ordinis. ¶Ad quintum negatur maior, iuxta ea quæ nos diximus supra quæst. 110. præcipuè articulo secundo. Vel respondetur, negando consequentiam vt statim dicemus. ¶Ad sextum respondetur, de lege ordinaria non admitti à Deo tanquam actum meritorium, nisi illum qui procedit ab homine perfectè constituto in esse supernaturali, vt conclusione tertia dictum est. Rursus dici posset, gratiam propriè non esse priùs natura; Quia hæc prioritas est prioritas causalitatis, gratia autem non est causa operatiua aliorum habituum, nisi secundum quandam accommodationem: non enim gratia est habitus operatiuus; sed nihilominus virtutes morales supernaturales, ordine quodam dicuntur emanare à gratia mediante charitate, &c. ¶Ad septimum respondetur, quòd ista opera, nempe detestatio peccati, & dilectio Dei super omnia, dicuntur antecedere gratiam & iustitiam in genere causæ dispositiuæ & materialis, & vt sic antecedentia, si ita concipiantur, præintelliguntur sine gratia, & homo concipitur vt tendens ad gratiam habendam; ac proinde concipitur homo pro illo signo sine gratia; & sic illa opera vt sic considerata, non possunt esse meritoria apud Deum; Si verò considerentur prout à gratia procedunt in genere causæ formalis, iam non merentur gratiam, sed gloriam, quam nondum habent. Veruntamen, quomodocunque considerentur hæc opera, sentiendum est, quòd non sunt meritoria primæ gratiæ: Quia gratia prima, est prima radix & prima causa totius meriti. ¶Secundò respondetur, quòd stando in ea sententia, quæ dicit, primam contritionem procedere ex speciali auxilio Dei, & non à gratia, res est valde aperta quòd contritio illa non potest esse meritoria, quia licet antecedat gratiam; tamen non procedit à gratia iustificante, quod requirebatur, vt posset esse meritoria.

*Obiectio.* *Solutio.* *Ad quartũ.* *Ad quintũ.* *Ad sextum.* *Ad septimũ* *Solutio.*

## DISPVTATIO II.

### *Vtrum homo mereatur de condigno remissionem culpæ & pœnæ æternæ?*

ARgumenta omnia, quæ in exordio præcedentis disputationis adducta sunt, huic instituto accommodari possunt pro parte affirmatiua. Sed nihilominus sunt alia difficiliora argumẽta pro eadem parte. Primũ est. Homo satisfacit de cõdigno pro culpa: ergo meretur de condigno remissionem illius. Ostendo consequentiam: Quia omnes conditiones, quę requiruntur ad meritũ, requiruntur etiã ad satisfactionem. Imo verò, satisfactio & meritum non videntur differre nisi penes ordinem, quem meritum dicit principaliter ad præmium, & satisfactio ad recompensandam iniuriam. Antecedens autem probatur: Quia per actum contritionis potest homo reddere tãtum bonum, quantum malum fuit illatum per peccatum: ergo potest satisfacere de condigno, & ad æqualitatem pro culpa. Ostendo antecedens: Quia charitas restituit subiecto rectitudinem, & Deo honorem, quantum peccatum abstulerat. Nam certè, peccatum non abstulit plus boni, quam natum aptum erat in esse actui humano: sed per charitatem habet actus humanus tantum bonum, quantum ablatum fuerat, quia priuatio non habet plus malitiæ, quam actus habeat bonitatis, sicut tenebræ tantum habent mali, quantum boni lux: sed malitia in omni sua ratione est priuatio: ergo optimè potest homo satisfacere de condigno pro culpa. ¶Et confirmatur ex Sanct. Thom. 3. part. quæst. 48. articulo secundo. Vbi dicit, quòd ille propriè satisfacit pro offensa, qui exhibet offenso id quod æquè vel plus diligit, quàm oderit offensam: sed Deus æquè vel plùs diligit actum charitatis & contritionis, quàm oderit offensam: ergo. ¶Et confirmatur secundò: Quia actus contritionis habet eandem infinitatem, quam habet peccatum: ergo adæquatè correspondet bonitas contritionis malitiæ peccati. Patet antecedens: Quia peccatum non est infinitum essentialiter, aut intensiuè; cùm sit actus procedens à potentia omnino finita, neque est infinitum in duratione, cùm duret tempore finito; sed est infinitum ex parte obiecti; Quia formaliter vel virtualiter est contra Deum: sed eandem infinitatem habet actus charitatis, quia directe tendit in Deum vt in obiectum: ergo per illum actum homo satisfacit de condigno

*Argum.* *Confirm.* *Confirm.*



condigno pro culpa. Imo verò ex hoc sequitur posse hominem satisfacere ad æqualitatem pro peccato, quod sentiunt Scotus, & Aureolus, & Paludan. in 3. distin. 20. quæst. 2. & Caietan. 3. par. quæst. 1. articulo 2. & Ioan. de Medina, codice de pœnitentia, tractatu 3. quæst. 1.

*Secundum.* Secundò arguitur, ostendendo quòd homo mereatur de condigno remissionem culpæ & pœnæ. Nam prior natura est infusio gratiæ, quam remissio culpæ, cũ illa sit causa huius: ergo opus vt est prius natura à gratia, erit meritorium remissionis culpæ.

*Tertium.* ¶Tertiò arguitur. Quia saltem infusio gratiæ & remissio culpæ præcedunt natura remissionem pœnæ æternæ: hæc enim consequitur: remittitur enim pœna, quia remissa est culpa: ergo posset remissa culpa manere pœna æterna: ergo opus vt procedit ab homine grato; cui est remissa culpa, erit meritorium remissionis pœnæ æternæ. ¶Quartò arguitur.

*Quartum.* Iustus de condigno meretur videre Deum, quia in hoc consistit gloria essentialis eius: ergo meretur non priuari visione Dei: Nam qui meretur de iustitia vt sibi detur præmium, consequenter meretur non fraudari illo. Tunc vltra; Meretur non carere visione Dei: ergo meretur non habere pœnam æternam, quę principaliter in carentia visionis Dei consistit: ergo meretur remissionem pœnæ æternæ. His argumentis affirmatiua pars suadetur.

*Conclus.1.* PRo explicatione huius controuersiæ, est prima propositio præambula. Homo per Dei gratiam potest efficere actum, qui ex obiecto & specie tantam habeat bonitatem, quãtam malitiam habet peccatum mortale ex obiecto & specie: Quãuis per ipsum non possit homo satisfacere pro illo. Hæc est sententia D. Thomæ, & hoc videtur duntaxat intendere Scotus. Sed vt intelligas hanc assertionem aduerte, quòd sicut est duplex bonitas moralis, altera absoluta, quæ consistit in conformitate ad legem Dei, altera verò quasi relatiua in ratione valoris, quæ consistit in denominatione extrinseca: ita quidem in peccato est duplex malitia: Prima est specifica, in qua distinguitur ab alijs peccatis, quæ ex obiecto desumitur; Altera verò est communis omnibus peccatis, quæ sumitur ex parte Dei offensi, secundum quòd est finis vltimus. Huiusmodi verò malitiæ ita differunt interse, quòd prima consistit in ordine transcendentali ad obiectum indebitum, seu in priuatione conformitatis ad legem Dei, vel in positiua deformitate ad illam: Secunda verò consistit in auersione ab ipso Deo, cui antefertur creatura. Vnde, hæc secunda malitia, quæ sumitur ex persona offensa, considerata etiam qualitate offendentis, sumitur ex fine. Et quamuis hæc secunda malitia intrinsecè sequatur ex prima, quia ideo fit iniuria Deo, quia non conformatur actus legi eius; tamen Deus ipse potest considerari vt prima regula; & sic habet peccatum malitiam essentialem ex eo quòd est contra talem regulam. Secundò potest considerari Deus vt finis vltimus, cui præfertur creatura, quæ per peccatum eligitur vt vltimus finis; & inde sumit peccatum rationem iniuriæ contra Deum, & rationem offensæ. Sic etiam in actu bono est duplex bonitas moralis, altera absoluta, quæ consistit in quadam conformitate ad legem Dei; altera quasi relatiua in ratione valoris, quę consistit in denominatione extrinseca. Et quòd hoc sit verum patet: Quoniam idem actus habens eandem bonitatem ex obiecto, potest variari in ratione satisfactionis, quia humiliatio est eiusdem bonitatis specificæ, quando fit ab homine antequam esset Rex, postea verò maioris est satisfactionis. Et pariter dici potest de actu malo, quòd alapa qua percutitur quis antequam esset Rex, eiusdem malitiæ est obiectiuè, at verò postquam est Rex, multò maioris iniuriæ est. Vnde, secundum primam considerationem, actus bonus charitatis aut pœnitentiæ, aut aliarum virtutum supernaturalium, tantam habet bonitatem, quantam habet malitiam peccatum: Et ita, ex hac parte creatura per Dei gratiam potest efficere actum, qui ex obiecto & specie habeat tantam bonitatem, quantam malitiam habet peccatum mortale ex obiecto & specie, secundum primam considerationem, vt diximus. Itaque comparando bonitatem & malitiam primo modo, sic dicimus posse dari actum bonum qui tantam habeat bonitatem obiectiuam, quantam malitiam habuit peccatum primo modo. Si verò consideretur peccatum secundo modo, seu quantum ad secundam malitiam communem omnibus peccatis, quæ sumitur ex parte Dei offensi secundum quòd est vltimus finis cui antefertur creatura, quæ per peccatum acceptatur vt finis vltimus, à quo peccatum sumit rationem iniuriæ & offensæ; sic eius malitia excedit bonitatem quamcumque, cuiuscumque actus charitatis, vel pœnitentiæ. Et ex isto capite dicunt Theologi, hominem non posse reddere Deo actum tantæ bonitatis, vt per illum possit reddere satisfactionem æquiualentem pro offensa, quam intulit.

Quibus ita explicatis, probatur conclusio à nobis posita: Quoniam odium mortale in præcisa ratione obiectiua non videtur habere maiorem malitiam, quam sit bonitas actus charitatis: ergo. Probatur antecedens: Quia sicut odium tendit in destructionem Dei per hunc affectum formalem vel virtualem, Si ego possem destruere Deum, vtique destruerem illum; ita etiam actus charitatis tendit in constructionem Dei per affectum contrarium, verbi gratia si Deus posset amittere esse, quod ego possem ei restituere, id vtique præstarem. Dices, actum odij cùm sit contra rationem, includere posse affectum implicantem contradictionem, non verò actum charitatis, quia non est secundum rationem supponere in amore Dei id quod ipsi rei repugnat. Sed contra: Nam cùm exprimitur talis effectus conditionalis, actus est bonus: ergo non repugnat quòd virtualiter includatur in actu charitatis, vel saltem actus charitatis dum præfert Deum omnibus creaturis, quantùm est de se tribuit Deo id quod odium Dei intendit auferre & tollere. Imò verò, actus bonus videtur excedere ex parte difficultatis: Quoniam difficilius est attingere scopum, quam ab illo recedere. Et fauet illud Dionysij de Diuinis nominibus, capit. quarto; Potentius est bonum quam malum, vel saltem plures actus eximiæ charitatis continebunt tantam bonitatem, quanta est malitia vnius peccati odij Dei. Et inde à fortiori colligitur, actum charitatis esse magis bonum, quam sit malum peccatum mortale

tale infimæ speciei, in quo remotè & indirectè includitur odium Dei. Et confirmatur: Nam tanta est bonitas vitæ corporalis, sicut malitia mortis: ergo similiter in proposito. Et inde patet differentia huius duplicis rationis: sicut enim cùm quis occidit aliquem ibi est malitia iniuriæ; ita peccatum in prima ratione est malum, dùm quasi physicè intendit destructionem Dei, & in secunda ratione quatenus contemnit illum. Præterea, malitia primo modo priuat actum conformitate debita cum regula Dei: at secundo modo priuat Deum honore sibi debito vt vltimo fini, quæ etiam in puris naturalibus esset; & isto modo actus amoris Dei *finis* naturalis æqualeret malitiæ peccati ad modum explicatum. Hanc eandem assertionem insinuat Martin. à Ledesma in secunda parte quarti, quæstione vndecima, articulo. 2. *Martin. à Ledesma.*

Verumtamen, quamuis homo possit reddere actum æquè bonum in ratione obiectiua, cum ratione obiectiua peccati; tamen non idcirco sequitur, posse satisfacere pro illo, quia satisfactio respicit peccatum secundum malitiam secundo modo, quatenus est offensa & iniuria Dei, vt D. Thom. & Alexander Alensis dicunt. Nam peccatum contra Deum habet quandam infinitatem ex infinitate diuinæ maiestatis offensæ; sed satisfactio puræ creaturæ quantumuis iustæ est finita: ergo, &c. Et quidem efficacia huius rationis oritur ex morali æstimatione: Quia offensa & iniuria eo est maior, quò persona offensa est dignior, & quò persona offendens est vilior; satisfactio verò eò est maior quò persona satisfaciens est dignior, & quò persona cui fit, est vilior. Cuius rei ratio est: Quia quantò persona est dignior, tantò debetur ei maior reuerentia. Vnde, si illi fiat iniuria, illa quidem est maior, & quantò persona dignior est, tanto illi minorem reuerentiam debet. Vnde, si illam exhibet, maioris valoris est; & quò est magis debitum & rationabile personam vilem subijci digniori, & eam honorare, eò est grauiùs eam iniuria afficere; & quò minùs debitum est personam digniorem subijci viliori, eò est maioris valoris eius subiectio, qua se illi subijcit & submittit vt satisfaciat ei. Et pari ratione, ratio iniuriæ minuitur ex dignitate offendentis, & vilitate offensi; ratio verò satisfactionis minuitur ex vilitate satisfacientis, & dignitate eius cui fit satisfactio. Nam, quò persona cui satisfit dignior est, eò satisfactio est minor ex illa parte: Et hinc sequitur iniuriam crescere principaliter ex dignitate personæ offensæ; satisfactionem verò ex dignitate personæ satisfacientis: Cui enim fit offensa, aufertur ab illo per offendentem, quantum est de se honor, & quantò maius est quod aufertur, tantò magis crescit iniuria; satisfactio verò est reddere honorem alteri, quem reddit persona satisfaciens, eoque quanto est dignior, tantò ipsa est maior satisfactio.

Ex quibus apertè satis liquet, maiorem iniuriam esse eam, quam continet ipsum peccatum, quam sit satisfactio inclusa in actu charitatis; Quia peccatum est contra personam infinitam; atque adeo ex hac parte habet infinitatem, quia habet id vnde crescit ratio iniuriæ in infinitum: Quia id vnde crescit principaliter ratio iniuriæ, habet infinitatem, nempe ex persona offensa, quæ est infinita, à cuius dignitate habet iniuria & offensa crescere. Cæterum actus charitatis est à persona finita; & ita ex ea parte, vnde principaliter sumitur ratio satisfactionis, non habet infinitatem: Imò verò peccatum habet supremum gradum in genere offensæ; Quia quantitas offensæ eius, augetur ex vtroque extremo, nempe ex infinitate maiestatis, dignitateque personæ offensæ, & ex vilitate offendentis, qui in infinitum est vilior, & quasi nihil respectu Dei: sed actus charitatis in genere satisfactionis habet infimum gradum, quia minuitur eius dignitas ex dignitate personæ, cui satisfit, & ex vilitate satisfacientis: sed infimum non potest adæquari summo: ergo cùm offensa peccati tendat immediatè contra Deum, & actus charitatis non sit immediatè à Deo, sed à creatura, quæ semper est finitæ dignitatis; idcirco non est æquiualentia inter hanc satisfactionem & illam iniuriam. Et confirmatur ex illo Iob. 9. Verè scio ita esse quòd non iustificabitur homo compositus Deo; si voluerit contendere cum illo, non respondebit ei vnum pro mille. Et infrà; Qui etiam si habuero quidpiam iustum, non respondebo, sed meum iudicem deprecabor. *Iob. 9.*

Mouentur etiam ad idem asserendum plerique, hoc argumento: Quia peccatum non solum auertit voluntatem peccantis à Deo, & eam priuat rectitudine, quam participat ex conuersione ad bonum diuinum infinitum, sed etiam ex natura sua est destructiuum ipsius boni diuini infiniti; sed actus charitatis, licèt habeat duo priora, vt per se patet, & iam est à nobis ostensum; non tamen habet tertium: ergo, &c. Huic argumento dici solet, quòd sicut peccatum secundum peccantis affectũ est destructiuum Dei, *ita* actus charitatis secundum affectum diligentis est constitutiuus infiniti boni. Sed contra: Nam actus charitatis etiam in affectu diligentis præsupponit Deum esse infinitum bonum: ergo non est constitutiuus infiniti boni. Quia si supponit ipsum, quo pacto erit factiuum illius? Sicut potentia præsupponens suum obiectum, non potest dici factiua illius. Antecedens probatur: Quoniam charitas ex eo diligit Deum super omnia, quia Deus est infinitum bonum: ergo dilectio charitatis præsupponit Deum esse bonum infinitum. ¶ Sunt tamen qui oppositum defendentes, respondeant huic argumento; Primò, quòd licèt charitas supponat Deum esse bonum infinitum; tamen ex natura sua potest dici constitutiua boni infiniti in hoc sensu, quòd si posset accrescere Deo bonum aliquod infinitum per impossibile, charitas vtique illud præstaret; & sic non est constitutiua illius boni infiniti, quod præsupponit, sed alterius infiniti boni, si esset Deo possibile. Secundò respondent, quòd quamuis charitas non sit constituiua ipsius Dei; est tamen conseruatiua eius in hoc sensu, quòd si diuina bonitas indigeret conseruatione, charitas conseruaret illam; & hoc videtur esse satis, vt infinitas charitatis adæquet infinitatem peccati, quæ omnia intelligenda sunt secundum affectum operantis. ¶ Cæterùm, de his omnibus censere modò non vacat locus: pertinent enim hæc omnia ad materiam de satisfactione, & ad materiam de incarnatione. 3. p. q. 1. artic. 2.



*Concluſ. 2.* *D. Bonauē.* *Durandus.* *Ricardus.* *Capreolus.* *Caietanus.* *Vega.* *Ferrara.* *Conc. Tridē.*

Secunda conclusio. Nullus sibi meretur remissionem culpæ mortalis. Hæc assertio habetur ex communi & concordi sententia Catholicorum Theologorum. Ita D. Bonauentura in tertio, distinctione vigesima, per plures quæstiones; Durand. Ricard. Capreol. & alij in quarto distinctione 14. Caietan. 3. parte, quæstione. 35. articulo. 3. Ferrara 4. libr. contra gent. Sotus, Vega, & alij, quos disputatione sequenti citabimus: & habetur hæc assertio in Concilio Tridentino, sessione. 6. capite. 7. 8. & 9. dicente, necessarium esse credere, neque remitti, neque remissa vnquam fuisse peccata, nisi gratis ex diuina misericordia propter Christum; & non solum in prædicto capit. 9. sed etiam, capit. 5. 6. & 8. dicit Concil. totam iustificationem gratis fieri, & tamen iustificatio includit remissionem mortalis, & complectitur remissionem peccatorum, vt decernit capite. 7. ergò. Idem decernitur in Concilijs Arausican. & Mileuit. Idem Sanctus Thomas, tertia parte, quæstione octuagesima sexta, articulo quarto, & Diuus Augustinus lib. 3. Hypognost. & sermo. 15. de Verbis Apostoli, & Psalm. 55. explicans illud, Pro nihilo saluos facies illos; Secundam adducit explicationem, id est, nullis eorum meritis præcedentibus saluos facies illos. Et subiungit; Et cùm ad te nihil afferant vnde saluentur, pro nihilo saluos facies eos: Nam quid ille latro attulerat ad crucem, de fauce in iudicium, de iudicio in lignum, de ligno in paradisum? Credidit propter quod locutus est, sed & ipsam fidem quis donauit, nisi qui iuxta pependit? Pro nihilo saluos facies eos, &c. Idem docet de bono perseuerantiæ, capit. 20. in Enchyrid. capite. 107. D. Basil. Psalm. 8. D. Anselm. libro primo & secundo, Cur Deus homo. Extant etiam testimonia Sanctarum literarum Psalm. 31. Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Quem locum exponens Paul. ad Roman. 4. dicit illam inchoatam beatitudinem, quæ in remissione peccatorum consistit, gratis donari; & ferè tota illa Epistola id ipsum confirmat. Et ad Ephesios 2. Cùm essemus mortui, &c. Et, Gratia saluati estis, &c. Idem ad Titum. 3. Non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit. Lucæ. 7. Non habentibus illis vnde redderent, donauit vtrisque. Isaiæ 55. Venite, emite absque argento, & absque vlla commutatione; vbi Diuus Hieronymus, dicit, sermonem esse de remissione peccatorum, quæ vocatur emptio: Quia aliquid debemus facere, sed sine pretio, quia illa dilpositio non meretur gratiam. Denique omnes Sancti Patres eodem modo docent de remissione peccati, quòd non cadit sub merito sicut de gratia. ¶ Rationibus persuadetur etiam: Nam homo non meretur primam gratiam: ergo neque eius effectum formalem, sub quo includitur remissio peccatorum. Secundò: Omne meritum de condigno supponit remissam culpam mortalem, quia supponit gratiam: ergo. Tertiò: Non potest homo satisfacere Deo æqualiter propter iniuriam mortalem, vt patet ex rationibus supratactis: ergo, &c. Patet consequentia: Quia nullus meretur de condigno remissionem culpæ, nisi qui sufficienter satisfacit: ergo. Quartò: Remissio peccatorum fit formaliter & intrinsecè per gratiam, quatenus dignificat hominem ad vitam æternam & amorem Dei: sed gratia vt dignificat, non potest cadere sub merito condigni: ergo non potest homo mereri de condigno remissionem culpæ. Et quamuis homo cùm conteritur, se disponat sufficienter ad remissionem culpæ; tamen non illam meretur; veluti si fur, quod abstulit restituat de iustitia parti læsæ, & sic quodammodo disponatur ad remissionem criminis; adhuc tamen non meretur de iustitia illius remissionem; imò verò manet dignus odio, & punitione iudicis; Sic in proposito, quamuis nõ sit æquale exemplum in omnibus, quia in plerisque deficit. *D. Basil.* *D. Anselm.* *Psalm. 31.* *Rom. 4.* *Ad Ephe. 2.* *Ad Tit. 3.* *Lucæ. 7.* *Isaiæ. 55.* *D. Hieron.*

*Concluſ. 3.* *Conc. Tridē.*

Tertia conclusio. Homo iustus non meretur de condigno remissionem pœnæ æternæ, sed tantum temporalis, remissa iam culpa, & tunc pro temporali pœna satisfacit. Hæc assertio debet esse certa viro Catholico, & habetur ex communi & concordi sententia Doctorum, & Theologorum. Cuius assertionis prima pars habetur in Concilio Tridentino, sessione sexta, capite decimo quarto, vbi decernitur, pœnitentiam continere satisfactionem per ieiunia, eleemosynas, orationes, & alia pia spiritualis vitæ exercitia, non quidem pro pœna æterna, quæ vel sacramento, vel sacramenti voto vnà cum culpa remittitur, sed pro pœna temporali, quæ vt sacræ literæ docent, non tota semper, &c. Ecce, Concilium dicit, pœnam æternam simul cum culpa remitti, & ob id non posse hominem pro illa satisfacere. Et idem colligitur ex sessione decima quarta, & ex testimonijs Scripturæ in eisdem sessionibus adductis, ex quibus sumitur ratio efficax pro hac conclusione: Quia remissa culpa, non manet homo dignus pœna æterna, cùm remissa culpa homo sit Dei amicus, & dignus diuino amore, & vita æterna. Nam profecto, destructo fundamento, simul tollitur quod in illo fundabatur: sed pœna æterna est comes indiuiduus culpæ mortalis: ergo destructa culpa mortali, non manet homo dignus pœna æterna, ac proinde homo iustus non meretur de condigno remissionem pœnæ æternæ.

Secunda pars conclusionis est, quòd homo iustus dumtaxat satisfacit pro temporali pœna; & hæc expressè decernitur in eodem Concilio Tridentino loco citato, & sessione decima quarta, vbi traditur doctrina de Sacramento pœnitentiæ, & Cano. 12. & 13. Nam certè, homo potest satisfacere condignè pro hac pœna: Sic enim sancitur canone illo. 13. Si quis dixerit, pro peccatis quo ad pœnam temporalem minimè Deo per Christi merita satis fieri pœnis ab eo inflictis, & patienter toleratis, vel à Sacerdote iniunctis, sed neque sponte susceptis, vt ieiunijs, orationibus, eleemosynis, vel alijs etiam pietatis operibus, atque ideò optimam pœnitentiam esse tantum nouam vitam; anathema sit. Idem etiam mirabiliter decernitur in eodem Tridentino sessione decima quarta, capite octauo, de satisfactionis necessitate & fructu, vbi dicitur; Neque verò securior vlla via in Ecclesia Dei vnquam existimata fuit ad amouendam imminentem

nentem à Domino pœnam, quam vt hæc pœnitentiæ opera homines cum vero animi dolore frequentent. Et subiungit; Neque verò ita nostra est satisfactio hæc, quam pro peccatis nostris exoluimus, vt non sit per Christum Iesum. Nam qui ex nobis tanquam ex nobis nihil possumus; eo cooperante qui nos confortat, omnia possumus; ita non habet homo vnde glorietur, sed omnis gloriatio nostra in Christo est, in quo viuimus, in quo meremur, in quo satisfacimus, facientes fructus dignos pœnitentia, qui ex illo vim habent ab illo offeruntur Patri, & per illum acceptantur à Patre. Tandem probatur hæc pars: Quia iustus, postquam iam est in gratia, & est dignus diuino amore, potest mereri quidquid est necessarium post iustificationem: ergo, &c.

*Conclus. 4.* QVarta conclusio. Remissio peccatorum venialium; est opus diuinæ gratiæ; Volo dicere, quòd remissio peccatorũ venialiũ, hoc est culparum, non est stipẽdium meritorum. Vnde, iustus non meretur de condigno & de iustitia remissionem culparum venialium. Nam, quamuis de fide sit, iustum satisfacere pro pœna temporali, & pro pœnis eorundem venialium; cæterùm, quòd mereatur remissionem culparum, seu remissionem peccatorum venialium de condigno; id quidem non mihi probatur, imò verò quamuis satisfaciat pro peccatis venialibus; non tamen est dicendum quòd meretur de iustitia & de condigno remissionem peccatorum venialium tanquam stipendium. Hæc assertio mihi videtur esse D. Thom. 3. parte, quæstione. 87. articulo. 4. vbi censet, remissionem venialium esse opus diuinæ gratiæ, & non meritorum. Et profectò, idem Sanctissimus Præceptor eadem quæstione. 87. vbi de remissione peccatorum venialium disputat, semper docet, remissionem peccatorum venialium esse effectum pœnitentiæ & infusionis gratiæ, & remitti per orationem Dominicam, tunsionem pectoris, per aspersionem aquæ benedictæ, & alia sacramentalia: Nunquam tamen dicit, quòd homo meretur remissionem peccati venialis, aut culpæ venialis. Et idem docet in. 4. distinctione. 16. Hoc idem tenet

*Pet. à Soto.* Petrus à Soto tractatu de institutione Sacerdotum, titulo de Sacramento pœnitentiæ, lect. 18. de Pœnitentia & remissione peccatorum venialium.

*Soto.* Sotus in. 4. distinctione. 15. quæstione. 1. &. 2. præsertim in quæstione. 2. nunquam dixit, quòd homo meretur remissionem culparum & peccatorum venialium; quamuis dixerit, venialia remitti per pœnitentiam, vel per displicentiam virtualem, & per augmentum gratiæ, & tandem dicit, quòd remissio peccati venialis non fit nisi per actum meritorium, quia tunc augetur gratia in genere gratiæ, quamuis non semper augeatur in genere qualitatis. Probatur hęc assertio primò ex testimonio Diui Pauli, qui beatitudinem hominis ait esse, si illi non imputauit Dominus peccatum, quod glossa (inquit Sanct. Thomas) etiam de veniali intelligit. Et apertius ostenditur ex ipsa Dominica oratione, in qua de quotidianis maximè peccatis, vt exponunt Patres, dicimus, Dimitte nobis debita nostra. Vbi, duo sunt (dicit Petrus à Soto) quæ hoc confirmant; primum quòd oramus vt dimittantur. Oratio verò (ita sentientibus antiquis omnibus Patribus, & Concilijs antiquioribus contra Pelagianos) cùm innitatur diuinæ gratiæ; eò ipso quòd fit, excludit merita omnia. Secundò etiam verbum ipsum, remissionis, idem probat: Debitum enim quod remittitur, non soluitur. Omne debitum, inquit Euangelium, remisi tibi; quoniam rogasti me: Rogauerat autem, quia non habebat vnde solueret. Igitur vera fides & orans Deum, & vtens verbo remissionis, confitetur ex gratia remitti peccata venialia. Idem docet Diuus Augustinus, tractatu. 56. super Ioan. super illa verba; Qui lotus est non indiget nisi vt pedes lauet, &c. Et idem docet de ipsis venialibus, explicans locum illum. 1. Ioan. 1. Si confiteamur peccata nostra, fidelis & iustus est, vt dimittat: Et in Enchyrid. ad Laurent. capite septuagesimo primo, dicit, satisfacere orationem hanc fidelium pro quotidianis, leuibusque peccatis; sed notum est quo pacto verbum satisfaciendi sumat, nimirum pro obtinendi remissionem. Ratione etiam probatur: Quoniam peccatum veniale dicit nonnullam offensam & iniuriam, & nonnullam separationem à Deo, quamquam non perfectam, neque æternæ damnationis, aut diuinæ inimicitiæ dignam, vt docet Sanctus Thomas, tertia parte, quæstione octuagesima septima, articulo primo & secundo, sed pro offensa & iniuria hac in Deum commissa, quamuis leuissima, homo non potest habere merita, quibus veluti stipendium & merces, atque præmium correspondeat remissio illius offensæ & iniuriæ, quamuis leuissimæ. Nam huiusmodi condonatio & remissio offensæ, opuș est diuinæ gratiæ: ergo. Quapropter Sanctus Thomas, tertia parte, loco citato, nempe, quæstione octuagesima septima, articulo tertio, ad tertium, solùm dicit, quòd peccata venialia tolluntur quantum ad culpam, tùm virtute alicuius satisfactionis, tum etiam virtute charitatis, cuius motus excitatur per prædicta. Et dixerat antea, quòd ad remissionem venialis sufficit aliquis actus procedens ex gratia, quo aliquis detestetur peccatum veniale, vel explicitè, vel implicite, sicut cum quis feruenter mouetur in Deum: Et subiungit, quòd triplici ratione causatur remissio venialium peccatorum, vno modo per infusionem gratiæ, vt fit in omnibus sacramentis. Secundò causatur talis remissio, in quantum aliqua fiunt cum aliquo motu detestationis peccatorum, sicut fit generalis confessio, tunsio pectoris, & oratio Dominica, in qua dicimus; Dimitte nobis debita nostra. Tertiò remittuntur venialia in quantum aliqua fiunt cum aliquo motu reuerentiæ in Deum, vt patet de sacramentalibus Ecclesiæ. Nunquam tamen dixit D. Thom. quòd homo meretur de condigno remissionem peccatorum venialium quantum ad culpam.

*Mileuitani, Arausic. Cælesti. Episcopi Galliæ, Innocentio. Africani Concilij & ad Epist. quinque Episcoporum. D. August.*

Recentiores tamen oppositum huius assertionis defendunt. Putant enim quòd homo iustus meretur de condigno remissionem venialium; idque colligunt ex verbis Sanct. Thom. loco citato. 3. parte, quæstione. 87. articulo. 3. ad. 3. Citant Sotum in. 4. distinctione. 15. & Durand. distinctione. 16. & Paludan. ibidem, quæstione prima. Sed tamen immeritò citantur pro hac parte, quia nihil dicunt de merito de condigno respectu remissionis venialiũ. Citant tamen August. tractatu. 1. in primam Ioan. super illum locum, Fidelis est & iustus vt remittat peccata vestra; vbi dicit, intelligendam esse de venialibus. Et probant suam sententiam: Quia reperiuntur omnes conditiones ad tale meritum de cõdigno: ergo, &c. Potest enim homo mereri de condigno remissionem pœnæ temporalis: ergo & culpæ, quæ tantum hanc pœnam meretur. Rursus potest mereri de condigno omnia quæ post iustificationem necessaria sunt ad consequendam gloriam, vt infra disputabitur & explicabitur: ergo.

Fateor, quòd argumentũ supra allatum pro quarta conclusione, in quo arguitur; Si homo meretur de condigno & de iustitia remissionem venialium, sequitur, quòd non est necessariò orandum pro remissione venialium; fateor quòd hæc ratio non cõcludit, vt patet in simili de augmento gratiæ, quod iusti merentur de condigno; & tamen id petimus in oratione. Rursus etiam petitur augmentum fidei, iuxta illud; Adauge nobis fidem. Sed nihilominus modus dicendi pro quarta conclusione allatus, multò conformior est Sacræ Scripturæ, & modo loquendi Theologorum & Sanctorum Patrum.

*Ad argum. Ad primũ.* AD argumenta. Ad primum respondetur negando antecedens: Diximus enim supra. q. 113. art. 5. hominem non satisfacere de iustitia pro culpa mortali. Adde etiam, quòd non est eadem ratio satisfactionis & meriti, vt ibidem diximus. Ad illud verò quòd per actum contritionis potest homo reddere tantum bonum, quantum damnum fuit illatum per peccatum; patet etiam solutio ex discursu primæ propositionis præambulæ. Nam ferè in medio illius discursus diximus, quòd licèt homo posit reddere actum æquè bonum in ratione obiectiua, cum ratione obiectiua peccati; tamen non potest ob id satisfacere pro illo; tum, quia satisfactio respicit peccatum secundum malitiam secundo modo, quatenus est iniuria & offensa Dei, secundum quam rationem, peccatum habet infinitatem quandam, eò quòd offensa crescit ex infinitate personæ offensæ. Et ita, maiorem iniuriam continet peccatum factum contra Deum, quam sit satisfactio inclusa in actu charitatis, tùm etiam propter alias speciales rationes, quas nos superiori quęstione. 113. articulo. 5. attulimus, disputantes Vtrùm pœnitens posit de iustitia satisfacere pro culpa mortali, in quem locum remitto lectorem; quia hic non est locus iterum euoluendi difficultatem illã.

*Ad secũdũ.* ¶ Ad secundum respondetur, quosdam dixisse, fortè non esse verum ordinem prioris & posterioris inter gratiam & remissionem peccati, sed secundum nostram considerationem, quæ non sufficit ad verum meritum; Nam pari ratione dici posset, quòd quia remissio culpæ est in alio genere prior quam gratia, posset opus esse meritorium gratiæ. Quocircà respondendum est, opus hominis non esse meritorium, nisi vt procedit à iusto & amico Dei, qualis non censetur ante remissionem culpæ mortalis. Vnde, id quod præexigitur ex parte subiecti & termini à quo, non potest esse terminus ad quem. Alij etiam aliter dissoluunt hoc argumentum, nempe, quòd ad merendum non solùm requiritur præintelligere in homine participium diuinæ naturæ, quod fit per gratiam & charitatem, & dignitatem ad amorem Dei, quæ ex illa consequitur, sed oportet præintelligere priùs, ablatam esse dignitatem ad odium Dei, seu ablatum esse peccatum: hoc enim vt obstat ad hoc vt persona Deo placeat, ita etiam obstat vt opera ipsius personæ placeant, & acceptentur ad aliquod præmium de condigno.

*Ad tertium.* ¶ Ad tertium respondetur, conuincere de potentia absoluta, non autem de lege aut de potentia ordinaria, secundum quam nomine remissionis culpæ, intelligitur etiam remissio pœnæ ęternæ, vt patet ex Concilio Tridentino, & ex adductis conclusione tertia, vbi plenaria solutio huius argumenti traditur.

*Ad quartũ.* ¶ Ad quartum respondetur, optimè concludere, actum meritorium primæ gloriæ per se sufficere ad merendam remissionem pœnæ damni, vt importat solam illam negationem & carentiam Dei, nisi supponeretur remissa talis pœna per remissionem culpæ. Qua ratione de facto non meretur illam, quia ante omne meritum intelligitur homo proportionatus gloriæ tanquam filius adoptiuus, atque adeo iam non est dignus pœna ęterna, quamuis neque tunc intelligatur dignus vita æterna, dignitate iustitiæ, sed tantum dignitate filiationis & proportionis.

*Obiectio.* ¶ Sed contra: Ante illum actum, & intelligitur dignus vita æterna, & indignus pœna æterna: ergo sicut potest per illum actum mereri vitam æternam, quæ ratione gratiæ antea erat sibi donata gratis, eodem modo de remissione pœnæ æternæ, licèt antea ratione gratiæ fuerit condonata & remissa.

*Solutio.* Respondetur, quòd si semel condonata est pœna, iam non manet ipsa postea, cuius remissionem posit mereri; manet tamen gloria, cuius assecutionem posit de iustitia mereri. ¶ Quam rem vt intelligas aduerte, quòd carentia visionis diuinæ præcisè, non est pœna damni, nisi prout dicit ordinem ad culpam præcedentem, cui est condigna talis pœna; & ob id in puris naturalibus talis carentia verè non est pœna. Quòd si modò Deus vellet beatum aliquem priuare visione Dei, tunc illius visionis carentia non censeretur esse pœna propriè, quòd si is postea mereretur gloriam, etiam mereretur non carere visione Dei; non tamen hoc diceretur meritum remissionis pœnæ. Sic ergo nunc iustus licèt ex eo quòd meretur videre Deum, mereatur etiam non carere tali visione; non ob id meretur remissionem pœnæ, qua supposita condonatione per gloriam, iam non maneret obligatus ad pœnam æternam. Vnde in forma; Qui meretur visionem Dei, meretur non habere carentiam visionis: ergo meretur non habere pœnam æternam. Distinguo antecedens; meretur non habere carentiam visionis tanquam sibi debitam & condignam, nego; Meretur non habere carentiam visionis sibi debitæ, concedo: & in primo consistit quòd quis mereatur remissionem pœnæ, non autem in secundo. Et ex hoc dissoluitur quartum argumentum, & omnes eius consequentiæ. Et hæc de hac disputatione, quia plura nos manent certamina.

# DISPVTATIO III.

*Vtrùm homo mereatur de cōgruo primam gratiam, & remißionem culpæ?*

RAtio dubitandi huius controuersiæ, sumitur ex Sanctißimo Præceptore in articulo, qui cùm neget primam gratiam cadere sub merito, videtur loqui de iustitia & de condigno. Quocirca, ferè omnes Theologi putant, partem affirmatiuam esse veram. Vnde dicunt, quòd hoc interest inter meritum de congruo & de condigno, quòd meritum de condigno secum affert rationē debiti & iustitiæ, ita quòd merces verè debetur pro illo; meritum autem de congruo, est opus cui de iustitia minimè debetur merces, sed duntaxat ex quadam congruitatē. Quo constituto, ferè omnes putāt, quòd licèt nullus possit mereri sibi primam gratiam de iustitia & de condigno; benè tamen potest de congruo. Et per hanc distinctionem affirmant, se nō incidere in errorem Pelagij: Quia dicūt, quòd cùm Pelagius aiebat gratiam cadere sub merito, loquebatur de merito de condigno & ex iustitia.

*1.Sententia* Verumtamen, authores hi qui meritum de congruo constituunt respectu primæ gratiæ, nō eodem modo loquuntur. Nam quidam dicunt, opera viribus naturæ facta, esse meritoria de congruo primæ gratiæ excitantis: Et huius sententiæ videtur fuisse Durand. & alij cum eo in.1.dist.17. quæst. 2. Et hoc tenent omnes illi qui putant, posse hominem viribus naturæ se disponere ad primam vocationem & gratiam excitantem: De qua re suprà diximus. q. 112. Potestque suaderi hæc sententia his argumentis. *Argum. 1.* ¶Primò. Quia facienti quod in se est, congruum est vt illuminetur à Deo. *Secundum.* ¶Secundò. Quia licèt bona opera moralia in homine peccatore non mereātur gloriam; conducunt tamen vt Deus illum iustificet: ergo id meretur de congruo. *Tertium.* ¶Tertiò. Quia secundum Diuum Thomam, suprà art. 3. opera bona ex libero arbitrio procedentia, prout sic sunt meritoria de congruo; sed non respectu gloriæ: ergo respectu gratiæ. Et ex hoc colligitur quòd saltem secūdum D. Thom. non requiritur ad tale meritū quòd opus procedat ex gratia.

*2.Sententia* Alij Theologi putant, & est secunda sententia, quòd opera procedentia ex speciali Dei auxilio, sunt meritoria de congruo primæ gratiæ, licèt tempore præcedant eādem primam gratiam. *D.Thomas.* Huius sententiæ fuit olim S. Thom. iuuenis, in.2.dist.27.quæst. 1.art.4.ad.4. quo loco affirmat, quòd si indignum sumatur negatiuè dumtaxat, sic Deus dat gratiam indignis, quia dat his, qui non sunt sufficiēter ad hoc digni, sed tamen habent aliquam dispositionem ad recipiendum, ex quo dicuntur quodammodo de congruo gratiam mereri. Et quid simile insinuat, quamuis non ita apertè supra.q.112. præsertim solutione ad.1. *D.Bonauē.* D.Bonauent. fuit huius sententiæ in. 2.d. 27.art.2.q.2.& in.4.d.15.q.5. *Henricus.* Henric. quodlib.4. q. 19. & quodlib.8.q.5. *Ægydius.* Ægyd. in.2.d.27.art.4.ad.4.& artic. 6. *Ferrara.* & Ferrar.3. contra gent.cap.149. *Vega.* Vega quæst. 7. de iustificat. & super Trident. lib.8. capit.6.&.8.& deinceps. *Roffens.* Roffens. artic. 1. contra Luther. *Adrianus.* Adrian. quodlib.6.&.7.quæst.4. Nonnulli istorum citant *D. August.* Aug. Epist.105. ad Sixtum dicentem. Neque ipsa remissio peccatorum sine merito est; & Epist. 106. & 107.&.1. de Peccator. meritis, dicentem, peccatores mereri gratiam. *Argum. 1. pro secunda sententia.* ¶Et probatur: Quoniam cùm quis excitatus à Deo petit iustificationem, & exercet se in actibus bonis supernaturalibus, congruum est, vt Deus det illi gratiam; Sicut *Actor. 8. & 10.* Actor. 8. Eunuchus legēs Isaiam meruit vt ad se mitteretur Philippus. Et cap. 10. Cornelius meruit iustitiam per orationē & eleemosynas. *Secundum.* ¶Rursus secundò. Bonum opus morale elicitum à peccatore, de congruo meretur præmium temporale, vt infra disputabitur artic. 10. Ergò opus supernaturale merebitur præmium supernaturale, quia est eadem proportio. *Marsilius.* Marsil. in. 2. q. 18. artic.3. & Gregor. in.2. dist. 27. q. 1. fauent etiam huic sententiæ; Imo verò S.Thom. artic. sequenti ad 1. vbi dicit, quòd fides aliorum valet alijs ad salutē merito congrui, & non merito condigni. Et art. 3. præcedente dicit, quòd opus nostrum si consideretur secundum substantiam operis, & secundū quòd procedit ex libero arbitrio; sic non potest esse ibi condignitas, quamuis sit ibi congruitas propter aliquam vel quādam æqualitatem proportionis; Nam videtur congruum vt homini operanti secundum suam virtutem, Deus recompenset secundum excellentiam suæ virtutis. *Torrensis.* Huius sententiæ videtur esse Torrensis in toto opusculo de iustificatione, & in altero de electione diuina, vbi sæpiùs concedit quòd meremur per opera supernaturalia primam gratiam, sed merito congrui; *Pet. à Soto.* & Petrus de Soto in tractatu de institutione Sacerdotum, agens de Sacramento pœnitentiæ lect.9. vtramque partem sine vllo periculo dicit affirmari posse. *D. August.* Et putat D. August. Epist. citata ad Sixtum, id voluisse asseuerare: Nam dicit August. Sed neque ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito fidei est, si fides hanc impetret. Et cùm dixerit August. meritum, leniuit illud, addito vocabulo, aliquo, & lib. 3. Hypognost. idem videtur asseuerare *D. Dionys.* D. Dionys. cap. 9. cœlest. Hierarch. videtur ponere hoc meritum gratiæ dicens; Ipsa lucis participatio pro suscipientium meritis varia fit. *D. Gregor.* Idem D.Gregor. homil.9. in Ezechiel. num.1.

*3. Sententia* Postrema sententia de hac controuersia tenet, saltem per vltimam dispositionem ad gratiam, hominem mereri de congruo primam gratiam. Huius sententiæ sunt à fortiori omnes authores supra citati cum Magistro in.2. distinct.27. *D.Thomas.* Et hoc fortè voluit insinuare Sanctissimus Præceptor eadem distinct. quæst.1. artic.4. ad.4. *Scotus.* Idem sensit Scotus, in.1. distinctione.17. quæst.2. & in.4. distinctione.14. quæstio.2. *D. Bonauē.* Idem D.Bonauent. loco citato, *Gabriel.* & Gabriel. *Alens.* Alens.4. part. quæst.56. membr.2. *Albertus.* Albert. Magn. in. 1. distinctio.41. artic.2. *Osius.* Osius, in confessione Polonica. cap. 37. ¶Et probatur primò: Quia ita communiter loquuntur Sancti Patres, quos omnes citat *Vega.* Vega super Concil. Trident. loco citato in Trident. cap.8. & deinceps. *D. Cyprian.* Legendus est D. Cyprian. sermo. 7. de Oratione Dominica, D. Gregor. in primam regul. capit. 4. *D. Ambr.* & Diuus Ambrosius, libr.7.&.10. super Lucam, &. 2. de Pœnitentia, capite tertio. *Argum. 3. sententiæ Primum.* ¶Rationibus etiam persuadetur: Quoniam dispositio illa est



supernaturalis; & de se habet maximam proportionem cū gratia, nam per illam homo se disponit, & facit quantum potest, imo verò quantum iuxta naturam rerum est possibile, vt Deo satisfaciat: sed qui ita se disponit & operatur, congruum est vt obtineat formam ad quam se disponit, & veniā: ergo. *Secundum.* ¶Rursus secundò. Homini sic se disponenti, tribuitur gratia, & remissio peccatorum ei correspondet tanquam causæ aliquo modo efficienti, vt dicit S. Tho.3.p.q.85.art.2.ad.3.& hoc nō physicè: ergo meritoriè saltem de congruo. *Tertium.* ¶Tertiò suadetur: Quoniā peccatori datur ipsa gratia & venia intuitu dispositionis eius, iuxta id, Vidit Deus opera eorum, & misertus est eorum *Ionæ.3.* Ionæ.3. Et sanè, opus est de se tale, vt ad hoc Deum moueat; & ob id Scriptura dicit sicut canit Ecclesia, Deum dissimulare peccata hominum propter pœnitentiam.

*Notand. 1.* Pro explicatione huius controuersiæ aduerte, quod opus quod potest intelligi meritorium esse de congruo primæ gratiæ, est triplex; primum est naturale, quòd homo ante gratiam producit suis viribus; & tale est opus bonum morale. Secundum est opus supernaturale, quod producitur ex speciali Dei auxilio, quod quidem opus tēpore antecedit ipsam primam gratiam iustificantē, quale est opus fidei, spei, & timoris inferni, dolor imperfectus de peccatis; omnia enim hæc homo habet ex peculiari Dei auxilio antequā habeat gratiā iustificantē. Tertiū opus est supernaturale, & simul tempore cum ipsa gratia iustificante; & hoc opus est actus cōtritionis. Et de vniuersis his operibus, præsens controuersia est aperienda. *Notand. 2.* ¶Rursus obserua, quòd meritum de cōgruo non importat debitum iustitiæ, atque adeo non est meritum simpliciter, sed secundum quid, quia meritum simpliciter & absolutè dictum, includit debitum iustitiæ, vt ostensum est suprà, & docet etiam S.Tho. art.3.&.6. huius quæst.

Recentiores Theologi dicunt hodie, quòd meritum de congruo est duplex, scilicet ex parte Dei, & ex parte operum; ex parte Dei est quando Deo congruit vt homine aliquid faciente, ipse aliquid aliud faciat: & ita opera facta viribus naturæ, merētur de congruo, non quòd earum author obtineat semper, neq; aliquando gratiā iustificantē, nulla alia præuia dispositione supernaturali, neq; quòd infallibiliter habeat talem dispositionem, & consequenter gratiam, sed dūtaxat merentur de congruo quòd Deus opportunè illuminet authorem eorum per se, vel per angelum, vel per hominem, vt habeat auxilium sufficiens, quo disponatur supernaturaliter ad gratiam. Sic D. Chrysost. sermo. de fide & lege naturæ insinuat, secūdum quem Cornelius, operibus factis viribus naturæ, consequutus est, vt à Deo illuminaretur, licèt D. August. & Prosper affirment, quòd illa opera faciebat ex auxilio gratiæ. Alterum est meritum de congruo ex parte operum: Quia in eis est aliqua proportio ex natura rei cum gratia. Sic, apud hos recentiores, opera supernaturalia merētur gratiam de congruo, quia illam petūt naturaliter; sicut calor summus petit formam ignis. Et quāuis ad solam dilectionem & pœnitentiam sequatur gratia; tamen etiam alij motus supernaturales spei, timoris, &c. faciunt vt detur auctior gratia, & sic etiam illam merentur de congruo, congruitate se tenente ex parte operum. Quod videtur concedere Bartho. *Medina.* Medina supra.q.109.art.6. Sed addunt iuniores, dici posse, quòd licèt non detur gratia de iustitia simpliciter; datur tamen de iustitia secundum quid. Vnde super illud ad *Rom. 5.* Rom. 5. Iustificati ex fide, &c. dicit *Glossa.* Glossa, Deus recipit eum qui ad se confugit, aliter esset in eo iniquitas. *D.Thomas.* Et D. Thom. supra. q.112. dicit, iustum esse, Deum gratiam dare præparanti se supernaturaliter ad illam. Et ita videtur intelligēdus D. Tho. & *Osius.* Osius, & plerique alij Theologi supra citati quando dicunt quòd opera nostra vt procedunt à libero arbitrio merentur gloriam de congruo, exponendi sunt, vt procedunt à libero arbitrio cū auxilio supernaturali prius natura quam informentur gratia. Nam si loquerentur de operibus vt præcisè procedunt à libero arbitrio, falsum esset quòd merentur de congruo gratiam iustificantem.

*Conclus. 1.* HIs tamen non obstantibus, pro explicatione huius controuersiæ est prima cōclusio. Homo, non potest viribus suis naturalibus mereri primam gratiam de congruo; hoc est, nullū potest dari opus ordinis naturæ præcisè, aut in eo qui est in peccato, aut in eo qui sit in puris naturalibus, quod sit meritum congruum primæ gratiæ. Probatur primò: Quia ex naturalibus non potest homo disponi ad gratiam, vt ostensum est supra.q.109. art. 6. ergò neque etiam mereri illam vllo modo. Patet consequentia: Quia meritum ampliùs dicit, quam dispositio. Secundò probatur: Quia opus meritoriū est illud, cui debetur merces, vnde sicut operi meritorio de condigno debetur merces de iustitia; ita si opus est meritorium de cōgruo, illi debetur merces de congruò. Nam si merces est correlatiuū meriti, eo modo quo aliquid est meritorium, siue illud sit propriè siue impropriè, est debita illi merces: sed gratia nullo modo est debita nostris operibus naturalibus, nec propriè nec impropriè, quoniā gratia omnino gratis datur. Nam sicut si esset propriè debita, non esset propriè gratia, ita si saltem esset nostris operibus impropriè debita, minueretur iam ratio ipsius gratiæ: ergo opera nostra naturalia nullo modo sunt meritoria primæ gratiæ. ¶Tertiò probatur: Quia si Deus pro operibus naturalibus statuisset dare gratiam, tunc supposita hac lege, gratia esset nostris operibus debita; atque ita opera naturalia mererentur illam de condigno, quod tamen dici non potest. Sed nonnulli aduersariorum putant statuisse Deum pro operibus naturalibus dare homini gratiam: ergo consequenter debent concedere, posse hominem mereri primam iustitiam, quod est Pelagianum. Item probatur efficaciter: Quoniam hoc meritum de congruo in nostris operibus naturalibus respectu gratiæ, est nouum inuētum Scoti & suorum, præter doctrinam antiquorū Patrum & Conciliorum: ergo non est asserendum. Patet antecedens: Quia Sancti Patres, qui debellarunt aduersus Pelagium dicentem nos iustificari ex meritis, nunquam meminerunt huius meriti de congruo, imò verò neque ipse Pelagius, vt se defenderet ab eis, meminit vnquam huius meriti. Quocirca, si Sancti Patres, aut Pelagius intellexissent esse aliquod meritum congrui in nostris operibus naturalibus, profectò eam distinctionem attulissent; & tamen cernimus cum toto rigore Sā-

ctos Patres definiuisse contra Pelagium, nullum esse in nobis meritum gratiæ.

*D. August.* D.August. est huius sententiæ, lib. de Prædestin. Sanctor. cap.1.&2.vbi dicit, quòd nullo modo possumus mereri primam gratiam; Et libr.3. Hypognost.& super Epist.ad Galat.capit.4.& Epistol.2.ad Sixtum, quæ est.105.& de gratia & libero arbitrio, capit.2.

*Sotus.* Sotus, libr.2.de natura & gratia, capit.4. Et

*Conc.Palæst.* Concil. Palæstin. referente D. Augustino ad Paulin. anathematizat eos qui dixerint, gratiam Dei, secundum merita nostra dari. Idem in Concil. Mile-

*Milevitan.* uit.cap.5.quo loco postquam sancitur quòd non solùm datur nobis gratia ad faciliùs implendum diuina mandata, sed etiam ad simpliciter implendum, ibi apertè insinuatur, quòd initium nostri meriti, est gratia, & quòd ante gratiam nihil possumus mereri. Et in Concil. Arausic. capit.25.expressè dicitur,

*Arausican.* quòd Deus in nobis *nullis* præcedentibus bonis

*Trident.* operibus, & fidem, & amorem inspirat. Et in Trid. sessione.6.capit.5.habetur, quòd exordium iustificationis, incipit à Dei vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis vocãtur; & tamen certum est, quòd cùm Concilium excludat merita ante primã vocationem, non tantum loquebatur de merito de condigno, quia hoc solùm reperitur in homine existente in gratia; sed etiam de merito de congruo se tenente ex parte operum ante omnẽm gratiam, in homine peccatore: ergò, &c.

Moueor etiam: Quia si esset constituendum hoc meritum de congruo in nostris operibus naturalibus respectu gratiæ, id quidem esset, vt Scotus vult, quia aliàs difficile saluaretur quo pacto in Deo non sit acceptio personarum: sed August. & Sancti Patres debellantes aduersum Pelagium, vt repellerẽt hoc inconueniens, non confugiebant ad meritum de congruo, dicentes Deum non esse personarum acceptorem, quia quibusdam confert gratiam eò quòd eam meruerint de congruo; quibusdam verò non, quia eam minimè meruerint; sed confugiebãt ad veram, Catholicam, & rationabilem responsionem, nempe; quòd ob id Deus non est personarum acceptor, quia Deus nulli quicquam debet: Et ita, quibus dat suam gratiam, liberaliter donat & gratis; quibus verò non dat, cùm illis nihil debeat, iure id facit. Igitur propter soluendum argumentum Pelagij, non oportebat constituere meritum de congruo in operibus naturalibus respectu gratiæ. ¶ Dices, constituendum esse meritum de congruo in nostris operibus naturalibus respectu gratiæ, quia congruum est, quòd Deus det homini gratiam pro bonis operibus naturalibus. Sed neque hoc satisfacit: Quoniam homo per mortale peccatum, de iustitia repellitur à gratia & amicitia diuina: ergo non est congruum vt detur homini inimico & peccatori prima gratia iustificans ratione alicuius operis purè naturalis, veluti propter meritum, cui congruè correspõdeat talis gratia. Imò verò, non est cõgruũ, vt pro stipula conferat homo homini mille aureos, Nam illud esset prodigalitas: ergo multò minus cõgruit vt pro opere nullius valoris, respectu gratiæ, facto à Dei inimico, Deus conferat suam gratiam, quasi præmium illius operis. Nam certè, meritũ de congruo, quamuis excludat debitum ex iustitia; tamen quantum habet de ratione meriti, tantum habet de ordine ad præmium: Quia habitudo meriti ad præmium, est intrinseca illi, vel ex debito iustitiæ, vel ex debito congruentiæ: ergo multò minus congruit, vt pro opere peccatoris purè naturali, Deus illi conferat suam gratiam. Nam quæ congruitas esse potest meritoria, quòd Deus inimico suo per seueranti in inimicitia, tribuat ea quæ confert suis filijs & amicis: ergo cùm conferat verè eam gratiã, eam quidem cõfert purè gratis, & sine vllo merito congrui confert. ¶ Quocirca, inter homines opera naturalia habent valorẽ natura sua, & ideo nõ sunt de congruo; sed de condigno & de iustitia vnus meretur apud alterum: qui enim alterũ offendit, si propter eum qui læsus est se exponat periculo mortis, & liberet eum, meretur ex iustitia quòd alius illi cõdonet offensam: Cæterum opera nostra naturalia vt sic non sunt aliquo pacto digna diuina amicitia, aut diuina charitate & gratia Dei, quia nulla est proportio inter ea, & Dei gratiam, cũ gratia sit participatio quædam diuinæ naturæ, & habeat quodammodo infinitatem quandam. Vnde, Sanctiſ. Præceptor hic in summa, nunquã voluit asseuerare meritum de congruo in nostris operibus naturalibus respectu primæ gratiæ, neq; in *nostris* operibus tẽpore gratiam antecedentibus. Et quãuis in.2.senten. tenuerit oppositum; tamẽ vt benè Capreol. dicit, hic in summa mutauit sententiã. Id verò quod dixit supr. q.112.art. 3.ad.1.est intelligẽdũ de operibus precedẽtibus gratiã, quæ procedũt ex speciali Dei auxilio supernaturali, de quibus statim dicemus; non tamen de operibus naturalibus, de quibus propriè modo disputamus in hac conclusione.

*Conclus.* SEcunda conclusio. Peccator, non potest de cõgruo mereri primam gratiã excitantẽ; Imo verò, nec per dispositiones remotas, quãuis illæ sint supernaturales, meretur homo ille de congruo primam gratiam iustificantẽ. Hæc assertio duas habet partes; Prima pars docet, non posse hominẽ mereri de congruo primam gratiam excitantẽ. Et hæc videtur mihi definita in Trid. sess.6.cap.5. cuius hæc verba sunt; Declarat præterea, ipsius iustificationis exordiũ in adultis, Dei per Christũ Iesum præueniẽte gratia sumẽdum esse, hoc est, ab eius vocatione, qua nullis eorũ existentibus meritis vocãtur. Eam repellit & excludit cõciliũ omne meritũ ante iustificationis exordiũ, & omne meritũ antecedẽs eriã primam vocationẽ: sed meritũ antecedẽs primã vocationẽ, & omnẽ gratiã, nõ poterat esse meritũ de cõdigno, neq; meritũ de iustitia: ergo si aliquod posset præcedere debuisset esse de congruo, & excluditur omne prorsus: ergo, &c. ¶ Sotus.2.de nat.& grat. fusè rem hanc iure defendit. c.4. Imo verò dicit in

*Trident.* 4.d.14. quòd cùm in Conc. Trid. fautores huius meriti de cõgruo, multarũ dierũ disputationibus intẽdissent, vt in capite illo sexto allegato poneretur; Nullis nostris propriè meritis præcedẽtibus, vt illo verbo, propriè, insinuaretur præcedere saltẽ merita de congruo; nunquã hoc potuerunt obtinere, eò q; Patres in omnibus Concilijs citatis, semper ante gratiam nomen meriti exhorruerunt audire. Hanc etiam primam huius assertionis partem fusè ostendimus suprà quæstio. 109. artic. 6. disputatio. vnica, conclusio. 8. & in toto discursu illius controuersiæ. Nam profectò, si homo non potest se disponere ad talem



talem gratiam: ergo neque illam vllo modo mereri, cùm opera quæ talem gratiam antecedunt, sint naturalia, atque adeo improportionata ad gratiam; Imo verò sequeretur, quòd exordium & initium salutis esset à nobis.

*Trident.* Secunda pars propositæ assertionis, in qua asseueratur, hominem sine gratia Dei, etiam per dispositiones remotas supernaturales, non mereri de congruo primam gratiam iustificantem; probatur primò ex Concil. Trident. sess.6.cap.8. vbi dicitur, ideo gratis hominem iustificari, quia nihil eorum quę iustificationem præcedũt, siue fides, siue opera, ipsam iustificationis gratiam promeretur. Nam certè, tantum minuitur de ratione gratiæ, quantum concedi tur de ratione meriti. Secundò probatur: Quoniã taliã opera quantumcũnque procedant ex auxilio speciali Dei, sunt opera inimici: ergo nulla est in eis congruitas, vt pro illis detur prima gratia. Patet consequentia. Nam etiam inter homines, inimicus perseuerans in inimicitia, non est obiectum cõgruum vt ab alio diligatur. Et confirmatur: Quoniam tale opus non est satis proportionatum, & illi non est facta vlla promissio, & subiectum est indignum: ergo non meretur de congruo gratiam hanc iustificantem. Nam profectò, etiam si tale opus procedat ex auxilio Dei, illi operi non debetur gratia in ratione præmij: ergo tale opus non est meritoriũ de congruo primæ gratiæ. Patet antecedens: Quia gratia & debitum repugnant. Consequentia etiam liquet ex dictis: Quia vt diximus, meritum vt sic dicit debitum: ergo sicut meritum de iustitia dicit debitum de iustitia, ita meritum de congruo dicit debitum saltem de congruo. Tertiò: Nullum est meritum siue dignitas in opere alicuius, nisi priùs intelligatur persona digna per gratiam iustificãtem. Nã priùs respexit Dominus ad Abel, & deinde ad munera eius: sed ante gratiam iustificantem homo nõ est dignus diuino amore: igitur opera peccatoris, & inimici Dei quantumcunque procedant ex auxilio speciali, non sunt aliquo modo meritoria primę gratiæ. Nam profectò, omne meritum innititur amicitiæ, igitur si homo est impius & peccator, & caret hac amicitia, nihil ei debetur nisi supplicium, vt dicit August. Tandem patet ex illo Pauli ad Ephes.2. Gratia saluati estis per fidem, & hoc non ex vobis: donum enim Dei est, non ex operibus, ne quis glorietur. Si verò gratia caderet sub merito congrui, etiam ipsorum operum, quæ habentur ex auxilio possemus quidem in operibus ipsis aliquo modo gloriari: ergo.

Nonnulli Theologi aduertunt, præfatam conclusionem debere intelligi de homine existẽte in peccato: Quia si fiat sermo de homine non peccatore, & in puris naturalibus, non videtur ita certũ, quòd in eo opera procedẽtia ex auxilio speciali & supernaturali, non possint habere rationem meriti de cõgruo respectu primæ gratiæ: Quia in eo casu, talia opera non sunt opera inimici, imo verò sunt dispositiones cõnaturales ad gratiam: ergo in eo casu videtur asserendum tale meritum de congruo. Et cõfirmari potest: Quoniam conclusione præcedente prima, inter alias causas allatas diximus, opera naturalia peccatoris quantumcunque bona, nõ esse meritoria de congruo primæ gratiæ: Quia cùm gratia excedat omnem ordinem & facultatem naturæ, nõ est congruum quòd detur gratia pro operibus purè naturalibus: sed ista quæ fiunt ex auxilio Dei speciali, sunt huiusmodi cum gratia: ergo, &c. ¶ Ego tamen existimo, rationabilius esse quòd neque etiam in eo homine, qui est in solis & puris naturalibus, huiusmodi opera quæ fiunt ex auxilio Dei speciali, sunt meritoria de congruo primæ gratiæ: Quoniam dato talia sint eiusdem ordinis cum gratia; tamen quia prima gratia nullo modo potest esse debita, & quia in nostris operibus non intelligitur meritum neque dignitas respectu gratiæ, nisi prius intelligatur persona digna; idcirco, simpliciter est dicẽdum, talia opera neque esse digna, neque meritoria primæ gratiæ.

*Obiectio.1* Sed contra conclusionẽ obijciet aliquis ex Marsilio & Gregorio locis citatis. Verbum illud Glossæ ad Rom.5. Deus recipit eum, qui ad se cõfugit, aliàs esset in eo iniquitas, quo loco Sanct. Thom. dicit, quòd illud Verbum glossæ, si referatur ad motum liberi arbitrij ante gratiam, loquitur de confugio hominis ad Deum per motionem diuinam, quam iustum est non deficere. Ita apertè sentit D. Thom. supra.q.112.art.3.in solut.ad.1. Respondetur tamen, *Solutio.* quòd S. Th. eo loci non dicit, confugium hominis per motionem diuinam, esse meritũ primæ gratiæ, sed dumtaxat dicit, tale confugium per motionem diuinam ad Deum, non esse à Deo deserendũ, sed iustum esse seu æquum, Deum nõ deficere postquã incepit, si homo non contradicat. In quo verbo Sãctissimus Præceptor non insinuat, in nostris operibus factis ex diuina motione, esse aliquod meritum respectu primæ gratiæ; sed dumtaxat insinuat, quòd in Deo est quædam decentia & congruitas, vt qui semel suo auxilio speciali promouetur, & cæpit mouere, non desistat à tali motione, neq; deficiat ab illa, quousq; perueniat ad terminum, scilicet, ad infusionem gratiæ.

*Obiectio.2.* Sed adhuc obijcies iterum. Facienti quod in se est ex auxilio speciali Dei, congruum est quòd detur gratia: sed potest homo ante gratiam iustificantem facere quod in se est ex auxilio Dei speciali: ergo. Et cõfirmatur: Nam Deus mouet hunc hominẽ *Confirm. 1.* illis operibus vt habeat gratiam, & iste homo non resistit illi motioni, sed obsequitur: ergo congruũ est, &c. Et confirmatur secundò: Quoniam illa opera, postquam sunt facta ex Dei auxilio, sunt verè dis- *Confir. 2.* positiones cõnaturales gratiæ: ergo sunt meritoriæ illius saltem de congruo. ¶ Respõdetur, quòd faciẽti quod in se est ex auxilio supernaturali & speciali *Solutio.* Dei, congruum est vt detur gratia, sed ea congruitas non est in ipsis operibus, dato illa sint bona, & ex speciali Dei auxilio: sed congruitas est in ipso Deo: congruum enim est illi, quòd qui incepit mouere hominem nisi ille malè agat aut resistat, mo- *Ad cõfir.1.* neat illum vsque ad infusionem gratiæ. Ad primam confirmationem respondetur negando consequentiam: Quoniam non intellecta gratia iustificante, nulla motio specialis aut actio habet rationem meriti respectu illius gratiæ. Ad secundam confirma- *Ad cõfir.2.* tionem pariter respondetur negando cõsequentiã: Quia vt ostensum est, & inferius magis aperietur, plus requiritur ad esse opus meritorium, quã quòd sit dispositio ad gratiam.

*Obiectio.3.* Sed adhuc instant aduersarij. Homo qui habet motus illos supernaturales ex speciali Dei auxilio, dignus est gratia : ergo meretur illam de congruo. Probatur antecedens in naturalibus : Nam dispositiones quibus disponitur subiectū ad formam substantialem suscipiendam, dignificant subiectum ad suscipiendum illam formam : ergo pariter etiam in supernaturalibus, dispositiones istæ, quibus disponitur homo ad gratiam, dignificant eum ad illam. Dices, negandam esse consequentiam ob id, quòd licèt homo habeat eas dispositiones ad gratiam; tamen est Deo inimicus & ingratus, & ob id per talem dispositionem non meretur gratiam. Hoc tamen non videtur satisfacere : Quia tanta repugnantia est, verbi gratia, inter formam substantialē ligni, & formam ignis, quanta est inter peccatum & gratiam : sed hoc non obstante, lignum adhuc habens formam ligni, per dispositiones ignis, quas recipit, dignificatur ad suscipiendum formam ignis : ergo etiam quamuis peccatum & gratia opponantur; tamen homo habens peccatum, per dispositiones supernaturales dignificabitur ad suscipiendam gratiam, ac per consequens merebitur illam

*Solutio.* de congruo. ¶Respondetur, quòd etiam homo ille habens motus illos, non habet dignitatem meriti respectu gratiæ; & ob id negatur in hoc sensu antecedens cum consequentia. Ad probationem dicendum, quòd dispositiones in naturalibus, sunt tota ratio dignificandi subiectum ad formam venturam: Cæterum in supernaturalibus & moralibus, cùm subiectum ipsum sit inimicum ratione peccati, persona ipsa non est digna, neq; accepta: Et ob id opera non possunt habere rationē meriti respectu gratiæ futuræ, propter rationes supra allatas. Alij Theologi, ad probationem negant consequentiam. Alij verò putant, quòd quando in naturalibus dispositiones dicuntur dignificare subiectum ad susceptionē formæ contrariæ, illud debet intelligi dupliciter: Primò, quòd dignificent, id est faciant dignum subiectum tali forma, & hoc modo non dignificant. Alio modo quòd disponant ad hoc quòd aliquando sit dignum, & hoc modo verum est quòd dignificant, quia disponunt vt sit dignum subiectum, scilicet, quo introducatur vltima dispositio; Ad hunc ergo modum dicunt, quòd homo per supernaturales dispositiones antecedentes gratiam, non est dignus gratia, sed disponitur vt sit dignus: Quare non sequitur quòd tales dispositiones mereantur de cō gruo ipsam primam gratiam.

*Conclus.3.* TErtia conclusio. Valde rationabile est asseuerare, quòd vltima dispositio ad gratiam nulla consideratione est meritoria de congruo ipsius gratiæ; ac proinde neque per vltimam dispositionem supernaturalem meretur homo de cōgruo aut remissionem culpæ mortalis, aut primam gratiam. Hanc assertionem tenet D. Anselm. in Prosolog. cap. 11. dicens; Cùm punis malos, iustus es, quia illorum meritis congruit; Cùm verò parcis malis, iustus es, non quia illorum meritis, sed quia tuæ bonitati, & voluntati congruit. Idem insinuat D. Augustin. lib. 1. ad Simplician. quæst. 2. & de spiritu & litera, cap. 29. & habetur in Concil. Arausican. cap. 27. quo loco dicitur, charitatem nobis infundi, nullis meritis eam præuenientibus. Et in Trident. sess. 6. capit. 8. dicitur, nihil eorum quæ iustificationem præcedunt, ipsam iustificationis gratiam promereri, quia si gratia est, iam non ex operibus. Cùm ergo concilia absolutè & vniuersaliter negent omne meritum; & Paulus, non propter opera gratiam infundi dicat, tutius videtur omnem rationem meriti respectu primæ gratiæ repellere. Et quamuis Sanctissimus Præceptor alibi id concesserit, non tamē in summa; imo verò nunquam admittit meritum de congruo nisi in habente gratiam. ¶Capreolus, in. 4. dist. 14. q. 2. ad argumenta Henrici, Osius, in confessione fidei, cap. 73. Sotus lib. 2. de natu. & grat. cap. 4. & in. 4. distin. 14 q. 2. art. 5. & Canus, relect. de pœnitent. Omnes hi constantissimè defendunt hanc tertiam assertionem.

*D. Anselm.*

*D. August.*

Ratione etiam probatur : Quoniam priùs quam homo intelligatur gratus Deo, omnia eius opera sunt inimici; Nam tūc Deus odio eum prosequitur tanquam dignum æterna damnatione, iuxta illud, Odio est Deo impius & impietas eius : ergo non possunt esse meritoria de congruo tam maximi doni. Præterea, meritū principaliter respicit personā: sed illa non est digna, neque accepta Deo : ergo. Si dicas, quòd talis vltima dispositio est effectiuè à gratia iustificante, vt dicunt plerique ex discipulis D. Thom. Contra; Nam illa vltima dispositio, vel consideratur quatenus est effectiuè à gratia iustificāte, vel quatenus est prior natura in genere causæ materialis; quam sit ipsa gratia; si consideretur primo modo, sic non potest esse meritoria primæ gratiæ, quia meritum debet præcedere præmium: sed vltima dispositio quatenus est effectiuè à gratia iustificante non præcedit ipsam gratiam, sed potius sequitur illam: ergo non est meritoria illius. Si verò consideratur secundo modo, sic etiam non potest esse meritoria primæ gratiæ. Quod probo : Quia prima gratia omnino gratis datur, & non ex aliquo debito : ergo vltima dispositio quatenus natura antecedit gratiam, non meretur illam. Rursus, cùm nullum opus intelligatur esse meritorium, nisi præintelligatur persona digna, & in illo priori naturæ quo vltima dispositio antecedit gratiam, non intelligatur persona digna, sequitur, quòd in illo priori antecedenter ad gratiam illa vltima dispositio non est meritoria vllo modo; Quod argumentum multò efficacius est in ea sententia, quæ tenet, vltimam dispositionem procedere ex auxilio speciali, & non ex ipso habitu.

Fateor tamen, oppositam sententiam, quæ ponit hoc meritum de congruo, non esse improbabilem, imo verò esse magis communem; & nonnulli dicunt, fortè esse quæstionem de nomine; quia omnes concedunt, contritionem habere sufficientem congruentiam vt disponat ad gratiam, & vt illa posita, Deus gratiam infundat. Cæterum nostra sententia, tum propter testimonia allata Conciliorū, tum etiam propter Scripturam diuinam, & authores citatos, securior est & rationabilior, quia si meritum simpliciter est, debitum est simpliciter; si autem est meritum secundum quid, debitum est secūdum quid : ergo non omnino purè gratis donatur gratia ipsa. Et confirmatur: Quoniam à fortiori posset mereri talis homo reparationem post lapsum; quod infra sumus negaturi.

Sed



*Obiectio.* Sed contra præfatam tertiam assertionem arguitur, ostendēdo ex sententia D. Tho. quòd contritio, quæ est vltima dispositio ad gratiam, est meritoria primæ gratiæ de congruo. Nam S. Thom. artic. 6. sequenti. ad. 1. affirmat, quòd fides aliorum valet alijs ad salutem, saltem merito congrui. Vbi certum est, quòd loquitur de homine existente in gratia, & de illo affirmat quòd potest alteri mereri de congruo primam gratiam : ergo eodem modo potest homo in ipso instanti iustificationis mereri sibi de congruo primam gratiam. Ostendo consequentiam: Quia idcirco ille meretur alteri de congruo primā gratiam, quia est in gratia, & quia illud opus est opus amici Dei, sed etiam in ipso instanti iustificationis vltima dispositio ad gratiam est opus amici: ergo.

*Solutio.* Respondetur negando consequentiam: Quia non est simile de homine existente in gratia, & de me quādo recipio primam gratiam: Nam, cùm ego recipio primam gratiam, dispositio vltima quā ego habeo, habet valorem suum ab ipsa prima gratia; & ob id nullo modo potest esse meritoria illius; Cæterùm, quando homo est in gratia, opus illius non recipit valorē à gratia, quam alius accipit; & ideo optimè potest illam mereri de congruo. Vnde, secundū hanc doctrinam respondetur in forma ad probationem consequentiæ, quòd ille qui est in gratia, per opus suum meretur alteri de congruo primam gratiam, sed nō est solùm quia est opus amici, sed quia est opus amici, qui non habet valorem ab ipsa gratia, quam meretur. Propter hanc enim duplicem conditionem colligitur quòd vltima dispositio ad gratiam nullo modo meretur illam. Nam si quis est in gratia meretur alteri primam gratiā de cōgruo, quia opus suū est opus amici, inde colligitur quòd vltima dispositio, qua ratione antecedit gratiam, nō meretur illam, quia in illo priori, non intelligitur esse opus amici; & si meretur alteri primam gratiā, quia opus suum non accepit neq; accipit valorem à gratia, quam alteri meretur, inde colligitur quòd ipsa vltima dispositio quatenus procedit ex gratia, non meretur illam, quoniam accepit valorem ab illa. ¶Hæc solutio data, procedit etiam in ea opinione quæ putat, quòd vltima dispositio ad gratiā procedit ex habitu gratiæ. Nā in ea sentētia quæ docet, vltimam illam dispositionem procedere ex speciali auxilio supernaturali, solutio multò facilior est, cū talis dispositio verè & realiter dicatur antecedere gratiam, & non procedat à gratia habituali, neque supponat vllo modo subiectum seu personam acceptam ex gratia.

*Obiectio.* Sed contra. Homo per vltimam illam dispositionem redditur dignus gratia : ergo meretur illam saltem de congruo. Patet antecedens: Quia in naturalibus, subiectum redditur dignū per formam, quando habet illius vltimam dispositionem : ergo idē est in supernaturalibus. Huic obiectioni, pleriq; Theologi dicunt, non esse magnum piaculum concedere, quòd vltima dispositio ad gratiam meretur illā de congruo, neq; esse simile de dispositionibus supernaturalibus, tempore antecedentibus gratiam. Quoniam cum illæ non sint dispositiones procedētes ex gratia iustificante, neq; supponant hominem gratum saltem concomitanter, non sunt actus hominis Deo amici, neq; personæ gratæ; & ob id, nulla consideratione possunt esse meritoriæ de cōgruo primæ gratiæ; vltima tamen dispositio ad gratiā, vel est à gratia iustificante, & ob id dicitur opus hominis Deo grati, ita vt aliqua cōsideratione possimus intelligere in illa esse aliquod meritum congrui ad gratiam, vel saltem talis vltima dispositio procedit ab homine qui in eodem instanti simul aliàs habet gratiam; & ita potest intelligi in tali opere seu dispositione, quòd sit aliquod meritum congrui. Sed nihilominus, hoc non obstante, respondetur ad argumentum distinguendo antecedens: Nam si velit dicere, quòd per dispositionem vltimam homo redditur dignus gratia, id est, sufficienter dispositus ad gratiam, sic verum est; & in hoc sensu etiam est verū quod cōmuniter conceditur in naturalibus, nē pe quòd subiectum est dignum forma, quando iam habet vltimam illius dispositionem, quia videlicet tunc est sufficienter dispositum ad illam. Si autem velit dicere, quòd per vltimam illam dispositionē homo redditur dignus gratia, id est, acceptus Deo & amicus ad hoc vt ei conferatur prima gratia, sic falsum est, quia cùm omnis acceptatio hominis & personæ apud Deū proueniat ex gratia, ante ipsam gratiam nō potest intelligi quòd sit homo acceptus Deo, ac per consequens ante ipsam gratiam, & per dispositionem vltimam præcisè non est homo acceptus neq; dignus ipsa gratia, sed per dispositionem illam disponitur vt sit dignus per gratiam, non quidem ad merēdum ipsam primā gratiam, sed gloriā.

*Obiectio.* Sed dices; Contra: Vltima dispositio, quæ est in instanti iustificationis, ex natura sua ordinatur ad gratiam : ergo est meritoria talis gratiæ. Probatur antecedens; Quia est vltima dispositio. Consequentia autem probatur: Nam opera nostra facta in gratia, sunt meritoria vitæ æternæ, quia ordinantur ad vitam æternam : ergo, &c.

*Solutio.* Respondetur negando consequētiam. Et ad probationem iterum etiam negando est consequentia: Quia opera nostra facta in gratia, taliter ordinantur in vitam æternam, quòd non capiunt valorem ab illa, sed à gratia quam homo habet: Et idcirco, potest homo per talia opera mereri vitam æternam. Vltima autē dispositio ad gratiam, taliter ordinatur ad gratiam, quòd accipit valorem ab illa; Et ob id nullo modo est meritoria illius.

*2. Solutio.* Secundo respondetur, stando in ea sententia quæ docet, vltimam dispositionem seu contritionem procedere ex speciali auxilio Dei, & non esse effectum habitus gratiæ; negandam esse consequentiam. Et ad probationem respondetur, quòd ille actus non est meritorius ipsius primæ gratiæ, vt est dispositio. Primò: Quia vt talis est, consideratur vt prius natura, imo verò est priùs natura quam gratia, & sic nō potest habere rationem, meriti respectu illius, quia sic præintelligitur persona non accepta, neque grata, vt actus ille possit esse meritorius. Rursus etiam dicendum est, quòd prima gratia non cadit sub merito, quia aliàs haberet rationem debiti, & non esset absolutè gratis donata.

*Obiectio.* Sed dices, Sanct. Thom. supra art. 3. dixisse, quòd in opere nostro meritorio secūdum quòd procedit ex libero arbitrio, & secundū substantiam operis, non potest esse cōdignitas propter maximā inæqualitatē; posse tamē esse ibi congruitatē : ergo iā in cōtritione, quæ est vltima dispositio ad gratiā, possum⁹

*Solutio.* ponere meritū de congruo.Respōdetur huic obiectioni,S. Tho.nūquam dixisse,quòd in opere quod procedit ex libero arbitrio sit meritum congrui;sed solùm dixisse,quòd in eo opere est congruitas quędam.Quia videtur congruum quòd personæ operāti secundum suam virtutem, Deus recompenset secundum excellentiā suæ virtutis, hoc autem est verum: cæterùm ea congruitas non est in ipso opere, sed in Deo.Sotus in.4.d.14.q.2.art. 5. sic explicat D. Tho.Sed profectò, non est certum an sic debeat intelligi hoc loco S.Tho.Quia in art.sequenti referēs se Sanctis. Præceptor in hunc art. dicit, quòd opus nostrum habet aliquo modo rationem meriti secūdum quòd procedit ex libero arbitrio, in quantùm voluntariè aliquid facimus: & ex hac parte meritū congrui est, quia congruum est: Ergò quando art. 3.dixit, quòd in opere nostro est congruitas,intelligit quòd si opus illius consideretur vt procedit ex gratia & motione Spiritussancti,sic est meritum de condigno; Si verò consideretur secundū quòd procedit ex libero arbitrio, sic est meritum de cōgruo. Quòd si dicas:Ergò eodem modo est concedendū, quòd vltima dispositio ad gratiam,quatenus procedit ex libero arbitrio, est meritoria de congruo ipsius primæ gratiæ. Ad hoc negatur consequentia. Quoniam quando homo est in gratia constitutus, opus illius si consideretur vt ex libero arbitrio procedit, quoniam in ea consideratione vt sic antecedit gratiam, & in illo priori non intelligitur opus esse amici siue filij, ideo in hac consideratione non potest esse meritoria de congruo. Quocirca,quādo S.Tho.art.6.sequenti ponit meritum congrui,illud solum est in homine existente in gratia,non autem in operibus, quatenus tempore vel natura antecedunt ipsam infusionem gratiæ.Et hæc est causa cur quando quæritur art. sequenti, Vtrùm vnus homo possit alteri mereri primam gratiam; distinguit D. Tho.de merito cōdigni & congrui. Quoniā homo in gratia constitutus,potest alteri mereri primā gratiam,sed in hoc.5.art.non distinguit de merito,quoniā nec de cōdigno nec de cōgruo potest homo ante infusionem gratiæ mereri ipsam primam gratiā.

*Sotus.*

*Conclus.4.* QVarta cōclusio. Si per meritum de cōgruo intelligatur opus, cui debetur ex lege vel pacto diuino merces, nulla ratione debet concedi meritum de congruo respectu primæ gratiæ.Hæc est contra Vegā,lib.8.in Trident.cap.8 Et probatur:Quia aliàs gratia non daretur merè gratis.Et confirmatur:Quia id quod debetur pro opere ex conuentione & pacto, aliquo modo debetur;debitum autem iustitiæ totaliter repugnat gratiæ.Tandem probatur: Quia sicut principiū meriti de condigno,est gratia,ita de congruo:ergo sicut non potest mereri sibi primam gratiam de cōdigno,ita neq; de congruo.Antecedens patet ex S. Tho.art.6.sequenti in corpore.¶Aliqui recentiores Theologi dicunt,quòd si meritum congrui non importet rationem debiti, quod se teneat ex parte ipsius operis,sed congruentiam vel decētiam diuinæ bonitatis, vel largitatis, nullum est inconueniens, quòd aliquis mereatur de congruo suam iustificationem per bona opera facta ex supernaturali Dei auxilio.Et hoc ostendunt ex verbis D.Tho.art.6.sequenti,dicentis;Congruum est vt dum homo benè vtitur sua virtute, Deus secundum super excellentem virtutem suam operetur & recompenset hominis opera. Et Sancti Patres frequenter dicunt, gratiam iustificationis dari vnicuique secundum sua merita. Sed hoc non potest intelligi de merito condigni : ergo intelligendum est de merito congrui. Vnde,D.Augustī.Epist.105.&.106.inquit,quòd fides meretur iustificationem. Sed profectò, cùm ratio meriti non conueniat Deo, quia Deus non potest mereri, & homo sit qui meretur, & meritum dicat ordinem ad præmium siue debitum ex iustitia, siue debitum ex congruo, nulla ratione adducor ad sentiendum quòd homo mereatur de congruo suam iustificationem, aut quòd sit illi debita vllo modo, etiam respectu meriti de congruo:aut quòd sit præmium vel stipendium meriti de congruo; aliàs prima gratia non daretur gratis, quod est contra Paulum,& contra omnes Patres.Quocirca,D.Augustī. ex sententia D.Thom.hic ad primum, retractauit illud quod priùs dixerat; nempe initium fidei esse ex nobis,& ita in simili videtur retractasse, fidem mereri iustificationem.Vnde dicit D.Tho.quòd supponendo veritatem fidei, nempe, quòd initium fidei est in nobis à Deo,iam etiam ipse actus fidei consequitur gratiam;& ita non potest esse meritorius primæ gratiæ.Quæ solutio D.Thom.certa est,si per primam gratiam intelligamus primum auxilium Dei speciale: sic enim verissimum est, quòd actus fidei non est ex nobis,sed ex Deo,eiusque auxilio speciali, & ideo talis actus consequitur gratiam & primā gratiam,quæ est auxilium speciale,& non potest esse meritorium talis primæ gratiæ.Similiter certa est eadem solutio D. Thom. si sit sermo de prima gratia iustificante, & de actu fidei iam formatæ,qui est in primo puncto iustificationis; Quia cùm talis fides seu actus fidei sit ex gratia iustificante quantùm ad esse meritorium, consequitur ipsam gratiam, & non potest esse meritorius illius. Verumtamen loquendo de prima gratia iustificāte,& de actu fidei, de quo nos loquimur in prȩsenti,scilicet,de actu fidei,qui tempore præcedit ipsam gratiam iustificantem; tunc habet difficultatem hæc solutio D. Tho, Quia loquendo de hoc actu fidei, nō est idem dicere,initium fidei non esse ex nobis, & quòd per fidē mereamur iustificationem.Nam supposito quòd initium fidei non est ex nobis,sed à Deo ex speciali auxilio ; tamen cum talis actus fidei tempore præcedat gratiam iustificantem, posset quis fortè dicere, quòd quatenus procedit ex speciali Dei auxilio,meretur de congruo iustificationem , & quòd quātum ad hoc videtur,quòd D.Augustī.nō se retractauerit. Ad hoc, quantùm attinet ad Sanctiss.Præceptorem dicendum est, nullo modo voluisse dicere,nō posse esse actum fidei ex auxilio Dei speciali ante gratiam iustificantē, quia certum est quòd potest esse: Sed voluisse dicere,quòd quātum ad meritū, idem est dicere initium fidei esse ex nobis, id est, ex nostro merito, & dicere quòd fide mereamur iustificationem. Hoc autem est verissimum: Nam ,cum Augustin. & alij Sancti Patres non putarent esse duas actiones Dei ipsam motionē hominis ad gratiam , & ipsam gratiam iustificantem , sed potius vnam prorsus , sicuti motum & eius terminum, inde colligitur quòd pro eodem reputabant initium



tium fidei esse ex nostro merito , & fide nos mereri iustificationem : Quoniam si diuina motio per fidē est ex nostro merito, etiam videtur quòd terminus motionis,qui est iustificatio , sit ex fide tanquam ex merito nostro.Et eodem modo per oppositum putabant pro eodem , initium fidei non esse ex nostro merito, & fide nos mereri iustificationem : Quia sicut in nobis nullum est meritum ad initium fidei, ita neque etiam ad ipsam iustificationem.Et ita, D. August. qui retractauit,initium fidei esse ex nobis, id est,ex nostro merito , eadém propositione videtur retractasse,fide nos mereri iustificationem. Quare,verisimum est quod dicit S. Thom.nēpe,quòd si supponamus initium fidei esse in nobis à Deo, id est esse in nobis meritorium à Deo,oportet quod ipse motus fidei consequatur primam gratiam etiam iustificantem. Quia nulla alia motio Dei ad gratiā habet rationem meriti , nisi præintellecto termino qui est gratia iustificans;& ita talis actus fidei si consequitur primam gratiam, non poterit esse meritorius primæ gratiæ.Vnde,quamuis ita fit quòd possumus habere actum fidei non ex nobis , sed ex Deo, tempore præcedentem gratiam iustificantem , qui non sit meritorius illius;tamen si talis actus fidei intelligitur esse meritorius, oportet necessariò intelligere gratiam iustificantem,à qua procedat, quoniá ab illa est omne meritum. Vnde , si quis diceret talem actum fidei ante gratiam iustificantem esse meritorium de congruo primæ gratiæ, quia procedit ex auxilio Dei speciali,non loqueretur ad mentem D.Augustī.& Sanctorum Patrum,qui nullum meritum agnoscunt , nisi præsuppositā gratia iustificante. Hoc igitur modo intelligendus est S. Thom.in articulo.

Alij Theologi,aliter explicant D.Augustī.nempe quòd D.Augustin. vbicumque dicit , fidem mereri aut impetrare primam gratiam , loquitur de fide, quæ tempore præcedit primam gratiam iustificātē: sed non ita debet intelligi, quod actus fidei qui est ante gratiam iustificantem,sit meritorius illius. Nā cùm D.Augustī.non cognouerit aliud meritum prȩter meritum condigni,intelligi non potest quod ante gratiam iustificantem ponat in actu fidei aliquod meritū;sed ob id affirmat quòd fides meretur , quia est inchoatio meriti , non quidem inclusiue, ita vt actus ipse fidei ante gratiam sit meritorius , sed exclusiue,nempe quod fides ostendit nobis vnde petere debeamus auxilium ad operandum meritoriè, & hoc vocat Augustī.impetrare iustificationem. Nam profecto alias , sicut principium meriti de condigno,est gratia,ita de congruo: ergo sicut non potest quis mereri sibi primam gratiam de condigno , ita neque de congruo. Antecedens liquet ex S.Tho.ar. 6.sequenti in corpore.

*Ad argum.* AD argumenta in exordio quæstionis facta, satis vt arbitror quid sit dicendum ad illa, patet ex dictis, & similiter ad omnia fundamenta contraria,quę duntaxat probant,in ipsis operibus quando sunt supernaturalia , esse sufficientem proportionem , vt moraliter disponant ad gratiam, & ex parte Dei esse congruitatem , vt subiecto ita disposito,gratiā ex sua benignitate infundat , quod non sufficit ad rationem meriti de congruo. Quia licèt non exigatur promissio Dei, ratione cuius infallibiliter sequatur effectus,in quo distinguitur à merito de condigno ; debet tamen procedere à persona grata illi,à quo exigit præmium.Nam principaliter hoc meritum consistit in ea congruitate morali quæ solet esse vt amico iusta petenti , vel aliquid quantum potest intendenti,id concedatur quod petit vel intendit.Vnde,dispositio solum dicit capacitatem proximam respectu gratiæ per modum remouentis prohibens; sed meritum vltra hoc dicit ius iustitię,quòd nō potest esse neque imperfectè in Deo , vt obligetur reddere aliquid peccatori. ¶Ad D.Augustī. iam dictum est quid sit respondendum; Et respondet Sotus loco citato,D.Aug.retractauisse illam sententiam,nempe lib.1.retractat.cap.25. Cæterum expressè eo loco solùm retractat alteram propositionem,scilicet,initium fidei esse ex nobis. Veruntamen,idem Augustī. videtur se ipsum explicare epist.106.ad Bonifacium:Quia ibi insinuat,quòd cū dixit, fidem mereri iustificationem , loquebatur de augmento iustificationis , & non de prima gratia. Neque obstat.Aug.ibi dixisse;nec ipsam remissionē peccatorum esse sine merito : Cùm etiam ipsum iustificationis augmentum vocetur remissio peccatorum.Psal.50.Amplius laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me,id est,à radice peccati , & reatu pœnæ,quia iam erat iustificatus. Vel si aliqui Sancti loquantur simpliter & absolutè de merito, quod modò est contra Concilia quæ tunc non erāt, abstinendum est à tali modo loquendi; & explicandum est , illos tantum intendere congruitatem supra dictam ex parte dispositionis.Si obijcias,peccatorem mereri de congruo bona tēporalia:ergo non requiritur dignitas personæ,Respondetur,illud meritum esse nimis imperfectum,& præterea non esse paritatem rationis respectu bonorum temporaliū, & respectu primæ gratiæ, quæ cùm sit alias initium merendi,implicat cadere sub merito. Est etiam disparitas, quia dignitas peccatoris intra ordinem naturæ præcisè quamuis per peccata sit læsa; non tamen ita destructa , quin maneat dignitas naturalis sufficiens ad præstandam aliquam rem ordinis naturæ operi moraliter bono. Homo autem sine gratia, nullam dignitatem supernaturalem habet in persona, præter eam quæ est in ipso actu ; aliàs peccator Deo inimicus , per quemlibet actum fidei mereretur supernaturale aliquod bonum tanquam præmium. ¶Ad reliqua argumēta,quæ pro singulis opinionibus sunt dicta , patet ex dictis , & etiam ex argumentis & obiectionibus adductis in discursu primæ,secundæ, tertiæ,& quartæ assertionis.

## DISPVTATIO IIII.

### *Vtrùm possit homo de potentia absoluta Dei mereri primam gratiam , & remissionem culpæ?*

COntrouersia hęc à me proponitur, vt ad amussim explicetur disputatio de merito.Et in ea putant nō nulli,partem affirmatiuam veriorē esse, quam authores meriti de congruo respectu primæ gratiæ à fortiori defendunt ; & eandem tuentur omnes illi qui

ad meritum etiam de condigno sentiunt sufficere promissionem Dei sine gratia. Nos tamen qui catho licè asseueramus, ad veram rationem meriti de condigno & congruo gratiam prærequiri, pariter etiã sentimus, si sit sermo de merito, hominem per opus quod à gratia minimè procedit, non posse primam gratiam mereri.

*Argum.1.* Sunt tamen argumenta in fauorem primæ sententiæ, quæ authores oppositæ factionis adducunt. Vnde sic argumentor. Deus potest conferre alicui homini primam gratiam propter opera alias futura eli cienda ab ipsamet gratia: igitur in eo casu posset tunc homo mereri primam gratiam. Quod quidem confirmari potest communi exemplo à Theologis adducto. Nam si Rex tribueret militi equum, sub hac lege & conditione, vt si benè vratur illo, sit illi in præmium & mercedem. Rursus etiam; Mercenarius per opera futura meretur aliquando eam mercedem, quam ante opera ipsa recepit, quæ sanè eorum intuitu fuerat prius concessa iam illi: ergo pariter in proposito sentiendum est. Dices, esse disparitatem: Quoniam equus militis, seu merces operarij non est principiũ meriti, sicut ipsa gratia, quæ cũ sit principium, neque potest esse terminus neque effectus. ¶ Sed contra. Nam etiam equus est causa boni vsus propter quem datur, & pari ratione alimentum & argentum redditum pro mercede confortat ipsum operarium, atque adeo est causa operis meritorij sui ipsius. ¶ Dices, quòd licet sit causa operis meritorij, quòd non est tota causa sicut est gratia: Quia virtus militis seu equitis, & etiam ipsa industria agentis & laborantis, est præcipua causa meredi. Sed contra: Nam equus etiam est aliquo modo causa, cùm miles sine illo equitare non possit: Sed eodem modo implicat esse causam partialem sui ipsius, sicut implicat esse totalem, & sicut potest ille sua industria benè vti equo, ita & homo benè vtitur gratia. Rursus etiam, si equus esset talis conditionis, vt ipse pugnaret proprio suo instinctu, milite tamen solum non impediente, tunc multo minus esset causa, quam homo cum gratia; Sed nihilominus posset per hoc quòd est non impedire vsum equi, mereri: ergo opera, &c. ¶ Rursus secundò: Si in casu posito non posset homo primam gratiam mereri, maximè quoniam gratia est totalis causa meriti, vt Sanctissimus Præceptor insinuat in hoc articulo: sed hæc ratio non est sufficiens: ergo potest homo mereri primam gratiam. Probatur minor: Quoniam ob id effectus non potest esse meritorius suæ causæ totalis, quia causa ipsa iam præcedit effectum: sed res quæ est præmium potest præcedere meritum, vt patet in illo casu de milite: ergo hoc nõ obstat quin minus homo possit mereri in casu posito suam gratiam. ¶ Dices, effectum non posse mereri suam causam, quia illam supponit esse in subiecto, eodem prorsus modo, & cum eodem dominio quo etiam postea est, quoniam gratia eodem modo inhærèt antea & post. Sed contra arguitur: Quia hoc habet se impertinenter ad rationem causæ, cùm etiam possit militare inter res, quæ non sunt causa & effectus; in quibus tamen nihil valere, inde patet: Quia posset Deus infundere alicui scientiam, ita vt si postea fit bonus moraliter, illam habeat in præmium, alias verò auferatur & tollatur ab illo, sicut etiam supra dictum est de equo: tunc sanè iam supponitur inhærens talis scientia eo modo quo postea inhærebit, & nihilominus cadit sub merito: ergo similiter in proposito. ¶ Tertiò dici potest, inter meritum & præmium requiri aliquam distinctionem: Quoniam is qui meretur aliquid ab alio, dat aliquid distinctum ab eo quod recipit in præmium. Cùm ergo opus procedens ex gratia, minimè iudicetur meritorium nisi pro vt est coniunctum gratiæ, sequitur quòd qui meretur à Deo aliquid, debet dare opus vt est coniunctum gratiæ, atque adeo ipsam gratiam, vnde aliud debet recipere à Deo in præmium: igitur non ipsam gratiam, quam ipse dat pro merito. ¶ Sed contra: Nam dat aliquid formaliter distinctum ab eo quod recipit: dat enim gratiam vt sibi erat gratis concessa ad vsum, recipit autem ipsam vt debitam ex iustitia, & non auferendam, sicut proportionaliter dictũ est de equo, qui militi donatur. ¶ Dices postremo id implicare. Quia eadem prorsus res non potest esse principium & terminus meriti, sicut neque potest esse idem terminus à quo & ad quem. Sed contra: Non implicat eundem esse terminum à quo & ad quem secundum diuersas rationes, vt patet apertè in termino motus circularis. Igitur hinc constat quam inefficax sit solutio illa, quæ dicit primam gratiam non posse cadere sub merito, quia est causa totalis meriti. Nã hæc solutio petit principiũ. Quoniam id quærimus, cur non possit esse præmiũ sui effectus hæc causa totalis sub distincta ratione. Item etiam, quia non est causa totalis omnino ipsius meriti. Nam de essentia meriti etiam est libertas, & hæc non est formaliter à gratia: ergo, &c. ¶ His argumentis affirmatiua pars iuxta sensum quæstionis suadebatur à nonnullis Theologis, sed non rectè.

*Conclus.* His ergo nõ obstantibus, vere sentiendum est, nõ posse hominem mereri primam gratiam, & ex consequenti neque remissionem culpæ mortalis, etiam de potentia absoluta Dei. Hæc est communis modo inter Theologos Catholicos, à quibus hanc ego colligo rationem, vt probem assertionem prefatam. Quoniam si posset homo de potentia absoluta mereri primam gratiam & remissionem culpæ mortalis, vel posset eam mereri per opera quæ antecedunt gratiam; & hoc non: quia iuxta ea quæ diximus, illa opera non procedunt à persona grata & condigna, vt Sanctissimus Præceptor in hoc articulo docet. Quòd verò per opera quæ subsequuntur gratiam nequeat mereri, ostendo: Quoniam id quod gratis semel datum est & possessum, non potest cadere sub merito ea ratione qua gratis donatum est: sed prima gratia vt sic est gratis data & possessa ante omne meritum: igitur non potest cadere sub merito. Patet maior: Quoniam nõ possum ego facere alio modo esse meum id quod iam antea perfectè possedi: igitur non possum illud mereri. Probatur minor: Quia non habet rationem primæ gratiæ entitas gratiæ vt conseruabilis, sed vt primò gratificans: ergo licet per opera gratiæ possit quis mereri, vt Deus conseruet in eo gratiam, & non auferat illam; hoc tamen potius est mereri continuationem gratiæ, quam ipsam primam gratiam. Implicat ergo omnino mereri eam: Nam non meretur aliquis nisi illud præmium, quod dandum est ab alio: sed postquam iam gratia verè semel est data & gratis infusa, implicat



cat dari de nouo primã gratiam: ergo intentũ, &c. Probatur hæc minor: Quia prima gratia est illa prima gratificatio: sed hanc Deus modo non dat, sed dedit antea, nec potest vllo modo auferre, neq; homo perfectiori aut firmiori modo potest illam habere; Nam implicat non fuisse gratum; vel supposito quòd fuit tali modo gratus, fuisse perfectiori modo. Rursus implicat etiam non habuisse gratiam tã quam propriam eo modo quo habuit iam illã prius: ergo intentum, &c. ¶ Et confirmari hoc potest efficaciter: Quoniam illud verè est præmium, quod pendet ab opere meritorio: sed prima gratia data ante opera, non pendet ab vllo opere, quia etiam si nullum sit futurum, illa fuit prima gratia, eodem prorsus modo ac si postea sequantur opera: igitur prima gratia & remissio culpæ, non possunt verè cadere sub merito.

Ex his colligitur primo, non esse formalem illam rationẽ, ideo primã gratiã nõ posse cadere sub merito, quia prima gratia est totalis causa meriti. Quia, si per opera elicita ab ipso libero arbitrio potuisset quis mereri primam gratiam; tamen non posset illã mereri per opera, quæ post primam gratiam gratis donatam eliciuntur, vt aperte constat ex ratione assignata à nobis, quæ quidem etiam ostendit, per opera subsequentia non posse hominem mereri primã infusionem scientiæ supernaturalis, aut alterius doni inhærentis, licet tale donum non sit principium meriti: & ita pariter concluditur atque colligitur, non posse hominem mereri creationem animæ suæ, neque Christum Dominum potuisse mereri suam incarnationem. Quocirca, illa ratio bona videtur quatenus hanc includit, & addit maiorem repugnãtiam in hoc, quod causa totalis meriti sit principium istius: Sequitur enim idem opus esse causam sui ipsius, dum causat meritoriè suam causam. Sed per te hoc præcisè non videtur sufficiens, quia non implicat, effectum causæ physicæ esse causam moralem suæ causæ, ad modum quo res quæ est causa finalis alterius, potest esse effectus illius. Et sanè, labor mercenarij, est causa meritoria alimenti prius dati in mercedem, quod quidem fuit causa physica talis laboris, vt supra dictum est. Quapropter, si illud quod est totalis causa, non esset prius gratis datum & possessum, posset cadere sub merito, non obstante illa causalitate: esset enim causa & effectus secundum distinctas rationes, quod sanè non implicat. Nam sicut dat quis mercenario mercedem pro labore futuro, ita posset Deus non gratis conferre aut donare primam gratiam, sed pro futuro illius vsu. Quod si dicas, posse hominem postea nihil agere, & non operari ex bono vsu, idem dicam prorsus de mercenario, cuius exemplum attulimus. Rursus patet: Quoniam Deus potest efficaciter opera præ definire; & prædeterminare: ergo.

Veruntamen sentiendum est, quòd si causalitas meritoria pertineat ad efficientem causam, quæ præ requirit existentiam, & non tantum ad finalem, de qua re alibi dicendum est, tunc quidem formalis erit ratio illa, quam tradit D. Thom. hic, nempe ob id primam gratiam non posse esse præmium meriti, quia est causa totalis illius, & consequenter erit dicendum, neque æquum esse præmium boni vsus futuri, quousq; talis vsus sit, vt constat ex supra dictis, & ex dicendis infra. Vnde, ratio Sanctissimi Præceptoris, si rectè perpendatur, ea est quam nos pro conclusione tradidimus, scilicet. Id quod est gratis iam possessum, quòd vt sic tenet se ex parte principij ante meritum, non posse esse terminum meriti. ¶ Certè, cùm apud D. Thom. propriè non possit esse vllũ meritum neque de condigno neque de congruo respectu supernaturalium, nisi vt procedit à gratia, & à persona grata non potest intelligi qua ratione homo possit sibi mereri primam gratiam. Nam ante primam gratiam deficit ipsum primum initium & exordium merendi; & ita per nulla opera antecedẽtia potest cadere sub merito. Cùm ergo quidquid potest habere rationem meriti, sit post ipsam gratiã, & fundetur in illa, & hæc præintelligatur ante omnia merita; sequitur quòd gratia est totalis causa meriti: ergo non potest cadere sub merito aliquo antecedente. Et hæc ratio est particularis si referatur ad merita antecedentia; si verò referatur ad merita subsequentia, constat eius vis ex alia radice, nẽpe quòd ipsum principium meriti, quod est gratia, gratis est priùs donatum, & possessum ab operante, & præintelligitur gratis datum ex parte principij, & ante omne meritum: ac subinde nõ potest intelligi quo pacto sit stipendium & terminus meriti, & quòd supponatur gratis iam possessum ex parte principij ante omne meritum.

Sed dubitabit aliquis; Cur prima gloria potest simul gratis donari, & etiam simul alio titulo iustitiæ deberi, vt disputatione sequenti disceptabitur; & tamen hoc non potest verificari in prima gratia; Respondetur, quòd differentia, cur prima gloria potest simul gratis dari, & etiã alio titulo ex iustitia deberi; non tamen id de prima gratia verificari, est: Quoniam ob id non possum mihi mereri quod gratis mihi est datum, & à me possessum, quia non possum facere alio modo meum id quod iam possedi vt iam illud habui, at verò si illud esset solum gratis promissum, possem facere alio titulo meum: Quia si postea qui promisit, nollet aliqua ratione adimplere promissum gratis factum, maneret adstrictus alio titulo, scilicet, ex iustitia, quod nõ habet locũ in re iã data & possessa: Quoniã nisi velit illã auferre, nõ potest facere quin fuerit mea, sed potest facere vt deinceps non sit mea. Vnde possum ego rem gratis datam & possessam mereri, vt deinceps sit mea, quod est meri continuationem ipsius; sed tamen non possum mereri vt fuerit mea, quia implicat non fuisse meã eo tempore quo fuit, etiam ante omne meritum.

*Obiectio.* ¶ Sed obijciet aliquis: Ergo pari ratione poterit quis mereri suam prædestinationem, & postea gloriam, ad quam quis est prædestinatus. Si recurras ad hoc quòd ipsa opera meritoria sunt effectus prædestinationis, hoc non videtur obstare; Quia præcisa ratio causalitatis, non est sufficiens, vt supra insinuabamus.

*Solutio.* Respondetur, diuinam prædestinationem gratis esse concessam prædestinatis, neque cadere sub merito. Vnde aliud est mereri prædestinationẽ, aliud verò gloriam, ad quam quis prædestinatur. Nam meritum gloriæ est immediatè ad habendam gloriam; & idcirco, quandiu non habetur, licet sit promissa possum illam alio titulo mihi facere debitam; Sicut Christus pluribus titulis sibi meruit ea, quæ habuit, & quæ illi alias erant debita. At verò mere-

mereri prædestinationem, est mereri vt infallibiliter ordinetur ad gloriam;& est mereri vocationem & gratiam & infallibilem perseuerantiam, quæ est vnus ex præcipuis effectibus prædestinationis. Vnde,vel supponitur quis prædestinatus,& ita iam habet gratis prædestinationem, quam non potest alio modo possidere;si autem non est prædestinatus, nõ potest efficere opera meritoria condigna ad tale præmium,nisi supponat habere gratiam.

Verum vt ea quæ in exordio huius controuersiæ diximus explicentur, & vt difficultatis nexus magis aperiatur, obserua, quod dupliciter potest præmium anticipatum tribui in præmium. Primo quidem ita vt si postea operetur,sit illi in præmium; si autem noluerit operari,illud relinquat. Et isto modo,sicut non potest homo mereri primam gratiam, ita neque miles equum ante datum,& mercenarius mercedem anticipatam: Et sicut isti merentur postea; Alter, vt equus iam sit suus, Alter vt merces non possit ab illo repeti;ita posset homo mereri entitatem primæ gratiæ,idest vt prima illa gratia,quæ à principio gratis donata est; & quæ tunc posset auferri,iam post meritum non posset sine iniustitia auferri,sed incipiat esse debitum ratione meriti,quod aliàs primò gratis donatum erat. Secundo modo fieri potest tale pactum vt non relinquatur libertati ipsius hominis,sed ita vt à tempore acceptæ mercedis incipiat esse obligatus ad præstandum opus æquiualens illi mercedi; & in eo casu nulla fit gratia sicut fiebat in primo modo,sed entitas mercedis correspondet entitati laboris,& anticipatio mercedis,anticipatæ obligationi ad laborandum; & tunc propriè nihil meretur homo per opera subsequẽtia, quia anticipationem mercedis meretur per obligationem laborandi,quæ potius est antecedens ad tale præmium,ipsa autem entitas mercedis non habet rationem præmij vsque dum operetur.Et in hoc est differentia in ordine ad gratiam: Nam anticipata obligatio ad laborandum, est de se meritoria illius vsus,qui potest sumi ex anticipata obligatione,at vero obligatio,qua quis se obligaret ad vtendum ipsa gratia, non potest esse meritoria vllo modo ipsius gratiæ.Quia obligatio illa,vel oritur à gratia, & ita ante obligationem habuit gratis primam gratiam; si vero non oritur à gratia,non potest esse meritoria illius,vt supra dicebamus, propter indignitatẽ personæ:Et inde etiam oritur alia differentia,quod nomine primæ gratiæ non tam intelligimus ipsam entitatem gratiæ, quam infusionem illius primam; at cùm de equo,vel de alia temporali mercede loquimur,non curamus de prima largitione ad vsum, sed de ipsa entitate rei; & idcirco absolutè dicimus,posse cadere sub merito subsequentium operum, quod non dicimus de gratia.Præterea; quia homo non habet maius dominium gratiæ,quam penes hoc quod per illam intrinsecè informatur, ita vt ea possit cũ voluerit vti; & ita post meritum non habet maius dominium, nisi forte quasi obligationem ex parte Dei, vt non auferatur. Ratio autem dominij in rebus temporalibus aliter considerandus,&c.

*Conclusio.2* Secunda conclusio.Si Deus de potentia absoluta statueret pro bonis operibus moralibus præciſè sic vel sic factis,dare suam gratiam iustificantem;tunc, quamuis ex vi promissionis diuinæ daretur gratia homini bene moraliter operanti;tamen opera bona moralia præciſè, non essent merita illius gratiæ iustificantis:Quia secundum se non haberent condignitatem,neque proportionem, neque connaturalitatem,aut valorem respectu illius gratiæ,sed solum hoc, quòd,illis positis ex diuina promissione præciſè,daretur homini ita operanti gratia. Sed de hac re alibi diximus,nempe disputat.1.huius articuli

Ad argumenta patet solutio facile,ex dictis.

## DISPVTATIO V.

### *Vtrùm vltima dispositio ad gratiam sit meritoria primæ gloriæ?*

COntrouersia hæc, proceres Theologiæ scholasticæ habet authores inter se diuisos, & non idem sentientes: Et solet disputari sub alijs verbis, Vtrum iusti taliter mereantur gloriam, quòd sub merito cadat tota gloria,& omnes gradus eius. Ratio autem cur mouetur præfata controuersia, ea est: quia primus gradus gloriæ correspondet primæ gratiæ: sed prima gratia, vt sancitum est in superioribus, non cadit sub merito: ergo neq; prima gloria:Eo præsertim,q̃ omne nostrũ meritũ gratiã supponit, gratia verò est ipsũ ius ad gloriã:igitur absq; omni nostro merito,datur nobis ius ad gloriam;ac per cõsequẽs non meremur primam gloriam; Imo verò, ex hoc præciſè quòd quis cõstituitur in gratia, secluso quocumque opere meritorio ipsius, consequitur gloriam: non ergo potest prima contritio, seu vltima dispositio ad gratiam esse meritoria primæ gloriæ.

*Ruard.* Ruard. Tapper Decanus Louanienſ. putat, eos qui in vltimo vitæ instanti aut termino pœnitent. non habere gloriam ex meritis;ac proinde credit vltimam illam contritionem vel dispositionem, qua se ad gratiam disponunt à Deo moti, non esse meritoriam primæ gloriæ.*Canus,* Canus, relect.de Pœnitent.1. p.propè finem quæstionis.§.Ad secundam vero, affirmat se tenuisse olim, vltimam illam dispositionẽ seu contritionem non esse meritoriam primæ gloriæ.Gregorius in.1.d.17.q.5.art.2.Palud.in.4.d.14.q. 3.Idem sensit.Gabriel in.4.d.14.q.1.ar.2.circa finem vbi dicit,generaliter, quòd in ipso instanti infusionis gratiæ, nullus actus hominis est meritorius de condigno; Quia licet tũc temporis sint aliqui actus boni & gratia informati:tamen quia non eliciuntur à gratia, idcirco non sunt meritorij. Hoc idem tenet Cosmas Philiar.tractatu de Prædestinat.cap.12. loquens de prima contritione & vltima dispositione ad gratiam;*Vega,* Vega,opuscul.de iustificat.q.6.solut. ad.9.pariter credidit,vltimam dispositionem ad gratiam nullius gloriæ esse meritoriam,atque adeo neque primæ gloriæ:Imo verò colligit, aliquem adultum beatum posse habere gloriam sine vllo merito proprio,& sine sacramento, nempe gratis collatam cum prima gratia.Colligit secundò,neminem beatorum habere totam suam gloriam ex proprijs meritis.Nam vt minimum sine meritis habet eum gradum gloriæ,qui correspondet gratiæ;Et sanè,quod vltima dispositio ad gratiam,& conuersio in Deum non



non sit meritoria primæ gloriæ,insinuatur à S.Tho. & citatur pro hac parte à quibusdam.1.p.q.62.art.2. ad.3. Habetque hæc sententia magna fundamenta

*Argum.1.* & argumenta.¶Primum est, quòd prima contritio non procedit à gratia habituali, sed solum ex speciali auxilio supernaturali Dei, vt ostensum est q. 113.de Iustificat.si ergo non procedit à gratia habituali,sequitur quod non est meritoria. Ostendo sequelam: Quia nullum potest esse meritum, nisi à

*Confir.1.* gratia procedat.¶Et confirmatur hoc: Nam vltima dispositio ad gratiam procedit ab homine antequã intelligatur gratus:ergo à peccatore & inimico:ergo non est meritoria primæ gloriæ.Dices,contritionem illam & dispositionem ad gratiam informari ab ipsa gratia,ac proinde esse meritoriam. Contra:

*Confir.2.* Quia tunc opera bona moralia facta in instanti iustificationis,essent meritoria sine alia relatione.¶Et confirmatur iterum:Quia alias sequeretur actum attritionis, qui durat in instanti quo per sacramentũ gratia infunditur esse meritorium. Patet;quia informatur à gratia:Consequens autem est falsum, quoniam actus ille attritionis est vnicus actus cõtinuus: ergo sicut antea non erat meritorius, ita neque postea est meritorius.

*Secundum.* Secundo etiam argumentantur authores citati. Nam Christus Dominus,sicut non potuit mereri ipsam vnionem hypostaticam, ita neque gratiam & gloriam, quoniam gratia & gloria sequebantur ex hypostatica illa vnione, naturali quadam sequela: sed ita ab intrinseco sequitur ad primam gratiam ius ad primam gloriam, sicut gratia & gloria sequũtur ex vnione hypostatica: ergo sicut Christus neque meruit gratiam neque gloriam, ita etiam is qui conuertitur per dispositionem illam vltimam ad gratiam,ius non habet ad primam gloriam. Dices, quòd ius ad gloriam non sequitur ex ipsa natura gratiæ:sed ex ipsa ordinatione & acceptatione Dei, & ob id fieri posse vt quis habeat primam gratiam, & quòd nondum sit acceptus ad gloriam, nisi eliciat actum contritionis aut dilectionis Dei. Contra: Nam pariter in anima Christi non ex ipsa rei natura,sed ex ordinatione Dei & pacto, sequutę sunt ex vnione ad Verbum gratia & gloria, nam poterant non sequi:ergo sicut Christus ob id non meruit gratiam & gloriam, quia hæc sequebantur ex vnione hypostatica, ita etiam illi qui primò iustificantur, non merentur primam gloriã, quia talis gloria prima,sequitur inseparabiliter ex prima illa gratia,quę non potest cadere sub merito. ¶Sed dices vlterius, Christum non meruisse gratiam & gloriam, quia à primo instanti vnionis hypostaticæ habuit ipsam gratiam & gloriam,vt S.Thom.dicit. 3.p.q.19. art.3. vbi ait, quòd cum meritum non sit nisi eius quod nondum habetur,oportuisset Christum caruisse gratia aut gloria, si ex meritis gratiam & gloriam esset habiturus:sed in nostro proposito,is qui vltimò ponitur ad gratiam,nondum habet gloriam,quamuis in illo instanti contritionis habeat gratiam: ergo ex isto capite nihil obstat, quominus possit primam gloriam promereri.Imo verò Christus hac ratione meruit gloriam corporis sui, quia cùm eam meruit,eam non habebat.

*Tertium.* Tertio arguitur. Nam fide constat, quod vltima dispositio ad gratiam non est meritoria primæ gratiæ: ergo neque est meritoria primæ gloriæ. Patet Consequentia:Quia eo ipso quòd quis habet primã gratiam, concipitur acceptus ad primam gloriam: Nam eò ipso quòd quis habet quemcumque gradũ gratiæ iustificantis,intelligitur particeps diuinæ naturæ, & consequenter filius Dei, atque hæres vitæ æternæ.Nam si filius,ergo hæres,ad Galat. 4. Ergò si *Galat.4.* filiatio Dei non cadit sub merito,sequitur quòd neque hæreditas illa prima beatitudinis. Et hoc videtur intellexisse Paulus cùm ad Rom.6.dixit,gratiam Dei esse vitam æternam. ¶Quarto arguitur. Vltima *Quartum.* illa dispositio ad gratiam, in quantum est dispositio necessario antecedit gratiam, & vt illam antecedens,non est meritoria; Nam vt meritoria est consideratur vt informata gratia, & vt posterior gratia: ergo in genere causæ formalis aut meritoriæ præsupponit ipsam gratiam: ergo iam præintelligitur ipsa gratia ante illud meritum:ergo pariter præintelligitur ius ad primam gloriam: ergo illud meritum nõ dicit ius ad primam gloriam; Nam nullus meretur id quod antecedenter iam habet in re.¶Dices, non esse absurdũ quòd duplici titulo homo ille habeat ius illud ad gloriam. Nam Christus habuit multa multis etiam titulis.Sed contra:Quia licèt per se loquendo non sit absurdum,quòd aliquid conferatur alicui duplici titulo;cæterum si tituli pugnant inter se, fieri non potest vt in vno & eodem opere simul copulentur:sed titulus gratiæ maximè repugnat cũ titulo iustitiæ,quia sunt tituli repugnantes: pugnat enim quod aliquis ex iustitia mereatur præmium veluti mercedem & stipendium, & quod omnino gratis ei conferatur,& è conuerso: ergo cùm omnino gratis ex dono primæ gratiæ conferatur iusto ius ad primam gloriam, sequitur quod non potest mereri primam gloriam per vltimam illam dispositionem. Nã eo ipso quod cõfertur prima gratia illi homini, ex eadem gratia gratis accipit ius ad gloriam, quia *Quintum.* dicente Paulo,Quod si filij,& hæredes,&c. Quintò arguitur. Homo meretur primum gradum gloriæ per primam illam contritionem: ergo videre Deũ: ergo non priuari in æternum visione Dei: ergo remissionem æternæ pœnæ damni, quæ est carentia diuinæ visionis:consequens autem est falsum,& cõmuniter negatur.3.p.q.86.art.4.propter Trident.sessio.6.cap.14.vbi dicitur,quòd satisfactio quæ in pœnitentia includitur, non est pro pœna æterna, quæ simul cũ culpa per pœnitẽtiã remittitur.Vbi apertè significatur quòd sicut remissio culpæ datur gratis, ita remissio pœnæ æternæ:ergo. Et hæc omnia confirmãtur ex loco Pauli allato, Gratia Dei vita æterna,quasi dicat vitam æternam dari gratis, quia correspondet gratiæ quæ datur gratis.

Aliqui alij Theologi tenent præfatam opinionẽ, *Sententia.2* sed ne concedant, sine merito quempiam esse in cœlo,dicunt, quod vltima dispositio ad gratiam in eodem instanti, licet non mereatur primã gloriam, meretur tamen augmentum gratiæ,& gloriæ simul.

Tertia sententia dicit, quòd si consideremus pri- *Sententia.3.* mam contritionem quatenus antecedit gratiam in genere causæ materialis, sic sicut non est meritoria gratiæ, ita nullo modo est meritoria gloriæ; Quia omne meritum pendet ex gratia, contritio autem quatenus antecedit gratiam non pendet ex illa: ergo secundum hanc considerationem nõ est meritoria

ria gloriæ neque de congruo, neque de condigno. Quod confirmari poteſt: Quia per primam illam cõtritionẽ in illo priori antecedenter ad gratiam, non ſit homo filius Dei, nec illi acceptus: ergo tunc nihil meretur apud illum. Si vero conſideremus primam contritionem quatenus procedit ex gratia, & eſt poſterior illa in genere cauſæ efficientis & formalis; ſic quamuis non ſit meritoria primæ gratiæ; eſt tamen meritoria de condigno gloriæ correſpondentis illi gratiæ. Et hoc videtur inſinuare S. Thom. ſupra q.112.art.2.ad.1. vbi inquit, quod præparatio hominis ad gratiam, eſt quidem meritoria, non gratiæ quæ iam habetur, ſed gloriæ quæ nondum habetur. Vbi loqui videtur Sanctiſsimus Præceptor de prima gratia, & de gloria illi correſpondente. Et quòd hoc ita ſit, poteſt perſuaderi. Nam meritum ex eo eſt meritum, quia homo per illud mouetur ab Spiritu ſancto, & ordinatur ad vitam æternam: ſed prima illa contritio quatenus procedit ex gratia ordinatur ab Spiritu ſancto in vitam æternam: ergo eſt meritoria illius. ¶ Et confirmatur: Quia ſecunda & tertia contritio vere eſt meritoria gloriæ: ergo etiam prima. Patet conſequentia: Quia etiam procedit prima contritio à gratia; ſicut ſecunda & tertia.

*Concluſio.1.* PRo explicatione huius controuerſiæ, eſt prima concluſio. Contritio quæ eſt vltima diſpoſitio ad gratiam, eſt meritoria primæ gloriæ de condigno; Et hanc vltimam diſpoſitionem ad gratiam, ſeu primam contritionem puto informari à gratia, & ob id eſſe meritoriam primæ gloriæ. Hanc aſſertionem tenet Sanctiſsimus Præceptor ſupra q.112. art.2.ad.1.& q.113.Caiet.etiam, & omnes communiter ibidem; Sotus, in.4.d.14.q.2.artic.6.&.2. de nat.& grat.cap.18.propè finẽ, & lib.3.cap.9. Canus, relect. de Pœnit.p.1.propè finem. Vnde, nulla ratione videtur poſſe defendi quòd primus gradus gloriæ in adulto qui per proprium actum diſponitur ad gratiam, non cadat ſub merito primæ contritionis. Nã profectò, ſi prima gloria non cadit ſub merito, ſicut neque prima gratia, ſequitur poſſe adultum aliquẽ ſaluari extra ſacramentum ſine proprio merito, hoc autem videtur eſſe contra vniuerſam ſcripturã clamantem quòd Deus reddet vnicuique ſecundum opera ſua, & quòd vnuſquiſque mercedem accipiet
1.*Corint.*3. ſecundum proprium laborem. 1. Corinth. 3. & quòd non coronabitur niſi qui legitime certauerit. Quod autem ſequatur adultum conſequi gloriam ſine proprijs meritis, patet ſiſtendo in hac ſententia, ſi cùm primum iuſtificatur homo, ſtatim moriatur in inſtanti terminatiuo contritionis. Nam profecto, ſi quis poſt primam contritionem ſtatim moriatur, tunc vel illi dabitur aliqua gloria, vel non? non poteſt dici quòd non, cùm illi per contritionem ſint remiſſa peccata: ergo dicendum eſt quòd illi dabitur aliqua gloria: Tunc interrogo, an iſte gloriam illam meruerit vel non? Si dicas quòd illam meruit, cum non potuerit eam mereri per alium actum, niſi per contritionem illam, ſequitur quod illa fuit meritoria gloriæ. Si autem dicas quòd non meruit illã gloriam, tunc ſequitur inconueniens allatum, nempe quod homini adulto ſecluſis ſacramentis datur gloria ſine meritis, quod eſt contra Paul. 1. Corint.
2.*Corint.*3. 3. Vnuſquiſque propriam mercedem accipiet ſecundum ſuum laborem, &. 2. Corinth. 5. Omnes nos manifeſtari oportet vt referat vnuſquiſque prout geſſit, ſiue bonum, ſiue malum, & ad Rom. 2. Reddet vnicuique ſecundum opera ſua. *Rom.2.*

Secundò probatur: Quia certiſsimum eſt; non ſolum ipſum augmentum gloriæ, ſed etiam ipſam primam gloriam cadere ſub merito: ſed non poſſumus primam gloriam mereri, niſi per primam illam contritionem: ergo prima illa contritio eſt meritoria primæ gloriæ. Maior patet ex Concil. Trident. ſeſsio. 6. cano. 32. vbi diſtinguens illa duo dicit Cõcilium, nos vere mereri vitam æternã, & ipſius vitæ æternæ ſeu gloriæ augmentum. In quo loco Trid. Concil. apertiſsime diſtinguit vitam æternam ab eius augmẽto, & vtrumque nos mereri dicit, videlicet gloriam & augmentum gloriæ, hoc eſt primam gloriã, & ipſius augmentum. Quod plane ex Scriptura colligitur, quæ non tantum augmentum beatitudinis, ſed ipſam beatitudinem vocat ſimpliciter hæreditatem & mercedẽ ad Coloſſenſ. 3. Minor verò probatur, nempe quòd non poſſumus talem primam gloriam niſi per contritionem mereri, ſeu per vltimam diſpoſitionem ad gratiam: Quia opera præcedentia gratiam, non poſſunt eſſe meritoria, quia procedunt à peccatore, ipſa autem opera quæ ſequuntur poſt gratiam, iam ſunt meritoria augmenti gratiæ & gloriæ; atque adeo non primæ gloriæ, vt infra deducemus: ergo ſola vltima diſpoſitio ad primam gratiã, eſt meritoria primæ gloriæ, & hoc dicit D. Auguſt. de Vera & falſa pœnitentia, cap. 17. &. 21. Vbi dicit, pœnitentiam remunerari. Nam profecto reliqui omnes actus eliciti poſt iſtans iuſtificationis promerentur augmentum gratiæ & gloriæ. Quocirca, in eodem Trident. ſeſsio. 6. cano. 32. dicitur, iuſtum bonis operibus vere mereri augmentũ gratiæ, vitam æternam, &c. Vbi expende; Concilium ſe abſtinuiſſe à merito gratiæ: Nam non dixit nos mereri gratiam & augmentum gratiæ: Quia ſi diceret nos mereri gratiã, crederemus primã gratiã cadere ſub merito: ergo cùm in illo canone decernatur, nos vitam æternam & eius augmentum mereri, ſtatim putare debemus primam gloriam ſeu primam vitam æternam cadere ſub noſtro merito, & ex conſequenti ſub merito primæ contritionis.

Adducor etiam tertio in perſuaſionem primæ cõcluſionis, Quia in illa vltima diſpoſitione ad gratiam, ſeu in prima illa contritione poſtquam informata eſt per gratiam, reperiuntur omnes conditiones neceſſariæ ad meritum: ergo illa eſt meritoria primæ gloriæ, eſt enim prima illa contritio actus bonus elicitus ab homine iuſto, & propter Deum ſummè dilectum, vel ſaltem ille primus actus eſt ipſa formalis dilectio Dei elicita à principio ſupernaturali, hoc eſt ab habituali gratia, vel actuali, ſcilicet, à Dei ſpeciali auxilio, & ab Spiritus ſancti motione & impulſu ſpeciali, à quo & refertur in ſupernaturalem finem; imo verò elicitur à perſona quæ re vera eſt Deo grata: ergo nihil deficit quo minus actus ille habeat rationem meriti, & vt primam gloriam mereatur.

Moueor præterea: Quia ſecundum oppoſitam ſententiam, non aliter meremur gloriam, quam gratiã: vtrumque enim meremur quoad eius augmentum, & neutram meremur abſolute, & quo ad primum eius gradum: ſed hoc eſt falſum quantum ad gloriã: Scripturæ enim & ſancti abſolutè docent quòd gloria non datur ſine noſtris meritis, gratia autem datur: ergo. Et hoc ſane ſemper mihi videtur voluiſſe definire Concil. vt ſupra diximus. Nam vult Concilium, iuſtos verè mereri augmentum gratiæ, & vitã æternam, ac ipſius vitæ æternæ conſequutionem; Vbi aperte hoc conſtituit diſcrimen iam dictum inter gratiam & gloriam, quòd non meremur conſequutionẽ gratiæ, nec primum eius gradum, ſed augmentum tantum, gloriam autem meremur abſolute, & quoad primũ gradum, & quoad conſecutionẽ eiuſdem. ¶ Et profectò hoc maximè pertinet ad dignitatem, honorem, atque gaudium beatorum: Quia glorioſius & delectabilius eſt frui re debita proprijs laboribus & meritis, quam data merè gratis, & ſine meritis.

Dicet tamen aliquis, non eſſe abſurdum aut inconueniens aliquod, ſupra allatum, quòd ſequeretur ſi prima contritio non eſſet meritoria primæ gloriæ, adultum aliquando conſequi gloriam ſine proprijs meritis. Nam non videtur inconueniens quòd cùm quis iuſtificatur per ſacramentum in voto, obtineat gloriam ſine proprio merito, nempe per meritum Chriſti ſibi applicatum; ſicut cum iuſtificatur cum ſacramento in re cum ſola attritione habita tẽpore præcedente. Vnde poteſt hoc pacto formari argumentum. Ille qui iuſtificatur virtute ſacramenti, poteſt habere gloriam ſine vllo proprio merito: ergo pari ratione is qui iuſtificatur virtute cõtritionis ſecluſo ſacramento in re, poteſt habere gloriam ſine meritis. Sed cõtra hoc eſt: Quia ſecundum hoc nunquam dabitur gloria ex meritis, quod eſt inconueniens; nullum autem eſt inconueniens quod aliquando merita ſuppleantur per ſacramentum re ſuſceptum, & hoc eſt rarum, etiam per ſacramentum, adultum aliquem iuſtificari ſine merito. Nam communiter in inſtanti illius iuſtificationis adeſt fides ſpes, attritio, vel aliquis alius actus ſupernaturalis, qui in eodem inſtanti eſt meritorius gloriæ propter coniunctionem cum gratia perſonæ iam gratæ. ¶ Et confirmatur concluſio: Quia ſaltem angeli in quibus non ſunt iſta ſacramenta neque in re, neque in voto, qui neque ſecundum communem ſententiam acceperunt gloriam ex meritis Chriſti, glorificati ſunt ſine proprijs meritis, quod eſt pluſquã falſum: ergo dicendum eſt, diſpoſitionem ad gratiam eſſe meritoriam primæ gloriæ. Vnde, ad argumentum quod formabatur reſpondetur primò, conſequentiã illam nullam eſſe. Nam qui ex vi ſacramenti in re, gratiam conſequitur, habebit gloriam, meritis Chriſti in ſacramento operantibus reſpondentem; & ob id, quamuis ſine proprio merito habeat gloriam; non tamen ſine merito Chriſti, cuius virtutem ſuſcepit in ſacramento. Cæterum, quando quis extra ſacramentum factus eſt iuſtus, ſi diceremus illum nõ meruiſſe gloriam per contritionem illam, non poſſet facilè reſponderi, virtute cuius meriti habeat in alia vita gloriam. Secundo etiam reſponderi poteſt iuxta id quod paulo antea diximus. Nam communiter in inſtanti illius iuſtificationis adſunt actus fidei, ſpei, & doloris, & alij actus ſupernaturales, qui ſunt coniuncti cum gratia, & meritorij ipſius gloriæ. ¶ Sed ſunt Theologi qui dicant, quòd non permittet Deus illum hominem mori ſine merito augmenti gloriæ. ſicut Canus & alij cum eo dicunt de iuſtificato per fidem implicitam Chriſti, quòd non permittet Deus illum mori ſine fide explicita. Sed contra: Nam hoc eſt voluntarium, ſine cauſa, & gratis dictum, tam in exemplo, quam in propoſito; & ob id facta argumenta, præſertim primum, quo probatur noſtra Concluſio, verè concludunt intentũ.

Sed contra hanc Concluſionem ſemper eſt im- *Argum.cõ* portunum argumentum. Nullus homo meretur *tra conclu.1.* primam gratiam, vt oſtenſum eſt ſupra: ergo neque primam gloriam. Oſtendo conſequentiam: Quia primæ gratiæ ita eſt debita prima gloria, vt etiam ſi iuſtus nihil poſtea operetur de facto eam obtinebit, niſi apponat impedimentum: ergo non meretur illam, cùm etiam ſine merito iam ſibi antea eſſet debita. ¶ Et augetur difficultas huius argumenti: Quia hominem mereri primam gloriam, eſt mereri ius ad illam: ſed non poſſumus mereri ius ad illam: ergo non meremur primam gloriam. Patet Maior: Quoniam cùm merenti gloriam non ſtatim detur ipſa gloria, non videtur quid aliud mereatur, quam ius ad illam poſtea ſibi dandam. Minor autem probatur: Quia gratia eſt ius ad gloriam: ergo ſicut gratis Deus confert illam, ita & ius ad gloriam, quod non eſt aliud quam gratia, vel quid conſequens ad illã: ergo non eſt ex meritis. Si dicas, Id quod eſt gratis conceſſum ratione gratiæ, nouo titulo deberi tanquam præmium propter merita, ſicut Chriſtus gloriam corporis ſibi debitam ratione animæ & vnionis hypoſtaticæ meruit propter opera. Contra ſic argumentor. Nam id quod quiſque iam habet & poſſidet, non poteſt mereri; Nã hac ratione negant Theologi poſſe hominem mereri primam gratiam: igitur ſi homo habet iam ratione gratiæ ius ad gloriam, non poterit mereri alio titulo illud ius; aliàs poſſemus illo eõdem titulo mereri gratiam iam habitam. ¶ Et cõfirmatur: Quia ideo non poſſumus mereri de *Confirm.* iuſtitia primam gratiam, quia implicat dari gratis & ex iuſtitia. Nam ſi ex operibus, iam non eſt ex gratia: ergo implicat primam gloriam dari gratis, & ſimul etiam ex iuſtitia: Quoniam iſti modi omnino ſunt repugnãtes inter ſe, cũ vnus includat negationẽ alterius, neque vnquam Chriſtus, id quod abſolutè ſibi gratis datum eſt, poſtea ex iuſtitia alio titulo meruit,

Hoc argumentum longas excitat Tragædias, de *Solutio.* quo etiam dicemus ſolutione ad. 3. principale in exordio quæſtionis factum; Nunc vero paucis diſſoluetur à nobis. Vnde reſpondetur ex Tride. ſeſsio. 6. cap. 16. gloriam dari iuſtis, & vt hæreditatem debitã filijs, & etiam vt mercedem debitam operantibus. Quocirca, gratia de ſe ante quodlibet opus efficit hominem acceptum ad gloriam ſecundum proportionem quæ eſt filij ad hæreditatem; tamen ratione operis debetur tanquam merces ex iuſtitia hæreditas illa. Quo modo Chriſtus Dominus ſibi meruit gloriam corporis, aliàs ſibi debitam tanquam filio, & tanquam beato. Si dicas, adhuc contra hoc militare argumentum factum: Nam adhuc ſequitur, gratis & ex meritis eandem gloriam tribui. Reſpondetur, quòd licet prima gratia vt eſt prior natura quam intelligatur cõtritio meritoria, ſit ius ad gloriam per modum proportionis & connaturalitatis; non tamẽ ita vt pro illo priori cenſeatur iam gratis abſolutè con-

conceſſa.Nam cum gratia non ſit ius ad gloriam niſi ex diuina ordinatione, Deus ſanciuit & ſtatuit vt in eo qui per propriam diſpoſitionem manentem in eodem inſtanti iuſtificatur, non ſit gratia ius ad gloriam,niſi mediante tali diſpoſitione,quæ ſit meritoria gloriæ.Et hoc conuincunt nonnulla teſtimonia, quæ infra adducẽtur à nobis,in quibus indicat Scriptura, gloriam adultis non gratis, ſed propter merita dari,ſi autem prima gloria ex operibus, iam
*Alia Solut.* non ex gratia, neque eſt gratia. ¶Aliqui Theologi reſpondent ſecundo ad hoc argumentum, fatentur que quòd primæ gratiæ correſpondet gloria,ſed in his qui iuſtificantur per proprios actus extra ſacramenta non poteſt reperiri gratia ſine meritis, non quidem præuijs ad ipſam gratiam,ſed concomitantibus,vel certè conſequentibus.Vnde,gratia formaliter non eſt acceptatio ad gloriam,vel ius ad illam, vt optime Canus relect.de Pœniten.p.1.loco citato adnotauit; ſed eſt quædam qualitas ſupernaturalis abſoluta dans eſſe deiforme & diuinum;ex hocque conſequitur quòd Deus acceptet ad gloriam eum qui habet talem qualitatem ; Cæterum non acceptat Deus eum adultum, qui iuſtificatur extra ſacramenta, niſi mediantibus proprijs actibus ; atq; adeo licet gratia detur ſine meritis;gloria tamẽ ſemper præſupponit merita.¶Poteſt tandem dici, non implicare,gloriam & gratis promitti,& alio titulo ex iuſtitia deberi,ſicut eandem gloriam, quam mihi mereor de congruo, vt ſupra dictum eſt in illa controuerſia, qua quæritur,Vtrum homo mereatur de congruo,&c.

*Conclu.2.* SEcunda concluſio. Contritio quæ eſt meritoria primæ gloriæ,neque eſt meritoria augmenti gloriæ,neque augmenti gratiæ.Hæc aſſertio eſt contra recentes Theologos, qui modo neſcio quam phantaſiam ſunt commenti,vt dicerent,contritionem ſimul eſſe meritoriam primæ gloriæ, & ſui augmenti,& primæ gloriæ,& augmenti gratiæ; & etiam contra eos, qui putant, non eſſe inconueniens quòd quis ſimul mereatur primam gloriam & eius augmẽtum, & quod ſimul ſuſcipiat primam gratiam,& eius augmentũ, ita vt ſimul gratia creetur & augeatur,& ſimul etiam detur ex gratia,& augeatur ex iuſtitia.Quod vt defendant, conſiderant primam gratiã ſecundum varios intenſionis & perfectionis gradus,ita vt ſecũdum quoſdam detur purè gratis,& ſecundum alios ex iuſtitia.¶Contra hos ergo omnes ſtatuitur præfata concluſio. Et probatur prima eius pars,quæ dicit, contritionem meritoriam primæ gloriæ, non eſſe meritoriam augmenti gloriæ ſimul. Nam cuilibet operi correſpondet de lege ordinaria ſuum adæquatum præmium:ſed prima gloria eſt adæquatum præmium reſpectu illius contritionis: ergo non meretur augmẽtum gloriæ. Probatur minor:Quoniam prima gloria eſt ad menſuram diſpoſitionis vltimæ, & eſt præmium illius, vt dictum eſt concluſione.1.præcedente: ergo adæquatur illi.¶Secundò probatur, & eſt confirmatio antecedentis argumenti. Ille actus contritionis ſecundum totam ſuam latitudinem,non eſt aliud quã diſpoſitio vltima ad gratiam : igitur gratia illi correſpondens, non eſt niſi prima gratia ſecundum totam ſuam latitudinem; & ſimiliter gloria ſecũdum ſe totam non erit niſi prima gloria.Maior probatur: Nam licèt contritio illa habeat latitudinem ; tamen quantumcunque latitudo illa ſit magna, ſemper habet,cum ſit prima contritio , quòd re vera & de facto ſit diſpoſitio ad gratiam; ac proinde tota gloria & tota gratia illi correſpondens , erit prima gloria & prima gratia. Si ergo tota gloria illi correſpondens, eſt prima gloria : ſequitur quòd nullum augmentum gratiæ aut gloriæ ſimul poterit promereri. Itaque,quãuis ille idem numero contritionis actus, ſi continuetur per horam , & in primo inſtanti fuit diſpoſitio ad gratiam , & primæ gloriæ meritorius; tamen quouſque deſinat eſſe diſpoſitio ad gratiam, non poterit eſſe meritus augmenti gloriæ, aut augmenti gratiæ.Nam toto tempore quo prima illa contritio aut dilectio Dei manet intra rationem & limites diſpoſitionis ad gratiam , ſemper gloria & gratia ei correſpondentes , ſunt prima gloria & prima gratia , quamuis ſint magnæ perfectionis & intenſionis , iuxta valorem & intenſionem illius contritionis.

*Obiectio.* Dices.Actus miſericordiæ & iuſtitiæ eliciti in eodem inſtanti conuerſionis , in quo elicitur vltima diſpoſitio ad gratiam,ſunt meritorij augmenti gloriæ & gratiæ : ergo pari ratione vltima illa diſpoſitio poteſt promereri illud augmentum. Reſpondetur,quòd actus ille vltimæ diſpoſitionis , contritionis,aut dilectionis Dei ſuper omnia , non minus eſt ſupernaturalis & diuinus,imo magis , quã ſit actus ille miſericordiæ aut temperantiæ ; idcirco ex hac parte tam meritorius eſſe poteſt quam illi ſint.Verũ differentia maxima eſt, quòd actus illarum virtutũ, cum non ſint diſpoſitiones ad gratiam , non concipiuntur neque intelliguntur vt antecedentes gratiam, ac proinde prima gratia non proportionatur eis, ſicut proportionatur vltimæ diſpoſitioni , ſcilicet, contritioni , vel dilectioni Dei ſuper omnia. Quocirca,Sanctiſsimus Præceptor.3.p.q.85.ar.5.&6.actus iſtarum virtutum moralium non tanquam diſpoſitiones antecedentes , ſed veluti operationes conſequentes actum pœnitentiæ & charitatis,conſtituit.

Sunt præterea alia argumenta etiam efficacia ad oſtendendam præfatam ſecundam concluſionem quantum ad primam eius partem. Nam profecto nullus actus eſt meritorius augmenti gloriæ , quin ſimul mereatur augmentum gratiæ:ſed talis actus nõ poteſt mereri augmentum gratiæ:ergo nec augmentum gloriæ.Probatur maior:Quoniam de lege ordinaria,hominem acceptari ad maiorem gloriam eſt magis diligi à Deo : ergo qui meretur acceptari ad maiorem gloriam, meretur etiam magis diligi à Deo , quia non poteſt de facto conſequi maiorem gloriam,niſi ſit magis dilectus:ergo intentum, &c. ¶Tandem perſuadetur eadem pars: Quia ſi poſt primum illud inſtans iuſtificationis eliciatur talis contritio,meretur augmentum gloriæ , & non primam gloriam:ergo è conuerſo,quando meretur primam gloriam , non merebitur augmentum illius ; aliàs vel in primo caſu maius eſſet præmium quam meritum, vel in ſecundo caſu eſſet minus præmiũ quam meritum,atque adeo in neutro ſaluaretur condignitas & iuſtitia.

Secunda pars concluſionis,quæ affirmat,contritionem meritoriam primæ gloriæ , non eſſe meritoriam



riam augmenti gratiæ , contra eoſdem recentes Theologos probatur.Quoniam ille actus qui meretur augmentum gratiæ , meretur etiam augmentum gloriæ:ſed ille non meretur augmentum gloriæ , vt conſtat ex paulo antea dictis: ergo. Patet maior: Quia per eundem prorſus actum, quo meremur magis de medio & via,meremur etiam magis de termino & fine. Item etiam : Quia gratia eſt ius ad gloriam:ergo cum meremur magis de gratia,meremur ius ad maiorem gloriam : & ita gloria ſemper reſpondet æqualiter ad gratiam , ita vt gratiæ vt quatuor , correſpondeat gloria vt quatuor. At verò ſi meremur augmentum gratiæ & non gloriæ, non eſſet iſta æqualitas,vt patet: ergo, &c. Et confirmatur efficaciter:Quia in primo inſtanti ſolùm datur gratia,quę correſpondet illi diſpoſitioni & contritioni: ſed illa talis gratia ſecundum totam ſuam latitudinem eſt prima gratia , quia datur gratis : ergo nulla datur vt præmium,aut vt merces.¶Dices, contritionem & præcedere gratiam prout eſt diſpoſitio ad ipſam,& hac ratione contritioni vt quatuor correſpondere gratiam vt quatuor, & ſubſequi gratiam quatenus contritio ipſa informatur gratia : Nam hac ratione eſt poſterior natura quam illa , & vt ſic eſt meritoria augmenti gratiæ;ſub qua conſideratione & vt ſic meretur quatuor alios gradus gratiæ, ita vt conferãtur octo gradus,quorum quatuor priores habeant rationem primæ gratiæ ; alij verò habeant rationem præmij & mercedis. Sed profecto hoc non ſatisfacit; Quocirca, contra, ſic argumentor . Nam cum in eodem inſtanti infundatur illa gratia,fictitium videtur & ridiculum ipſam gratiam in illo eodem inſtanti receptam , ſecundum aliquos gradus eſſe principium meriti , & ſecundum alios eſſe terminum & præmium ſeu ſtipendium. Et confirmatur : Quia ſicut contritio dicitur informata à gratia vt quatuor, eodem modo diceretur informata à gratia vt octo, quæ in illo eodem inſtanti ſimul eſt cum contritione, & ſic mereretur gratiam vt decem , & ita in infinitum. Sentiendum eſt ergo , primam illam contritionem meritoriam primæ gloriæ, & diſpoſitiuam ad gratiam , non eſſe ſimul meritoriam augmenti gratiæ.

Ex his colligitur,non debere concedi quòd aliquis ſimul in eodem inſtanti mereatur primam gloriam,&eius augmentum,& primam gratiam,& eius augmentum:ſic enim fieret quòd illa gratia quam recipit in illo inſtanti , quæ habet rationem primæ gratiæ,daretur titulo iuſtitiæ,& ex meritis ipſius peccatoris : at repugnat quòd munus aliquod ſimul ſit omnino gratis & ex iuſtitia. Cùm igitur prima illa gratia iuſtificationis omnino gratis ſit collata;ſequitur quòd non tribuatur ex titulo iuſtitiæ,& ex merito de iuſtitia. Et confirmatur : Quia tota illa prima gratia quæ datur , correſpondet diſpoſitioni ipſius operantis:ſed illa diſpoſitio nõ eſt meritoria eius,vt dictum eſt : ergo per illam non meretur homo augmentum gratiæ ſimul cum collatione primæ gratiæ. Imo verò ridicula videtur illa diſtinctio gradualis eo fine facta vt reſpectu meriti homo ſimul mereatur cum infuſione gratiæ per vltimam diſpoſitionem ad gratiam,augmentũ gratiæ, aut gloriæ. ¶Sed dicunt aduerſarij,quòd ſi quis iuſtificatur per ſacramentum cum ſola attritione , & ſimul in eodem inſtificationis inſtanti eliciat actum contritionis, tunc ſi contritio illa habet rationem diſpoſitionis, & eſt prior natura quam gratia ſacramenti , neque auget gratiam , neque gloriam , ſed præciſè diſponit ad primam gratiam , & meretur primã gloriam: Quia tota gratia , & tota gloria , quæ correſpondet illi contritioni vt diſpoſitio eſt ſecundum totam ſuam latitudinem , eſt prima gratia & prima gloria: at prima gratia & prima gloria datur ad menſuram diſpoſitionis.Veruntamen,ſi cõtritio illa nõ eſt vere diſpoſitio , quia per attritionem iam homo ille ſufficienter ſe diſpoſuit ad gratiam in ſacramento ſuſcipiendam , tunc quamuis in eodem inſtanti iuſtificationis fuerit elicita , promeretur augmentum gratiæ & gloriæ , ita vt præter duos gradus gratiæ & gloriæ , qui tribuuntur virtute ſacramenti propter attritionem , dentur alij duo propter contritionem , præſertim ſi illa eſt intenſior ; & ita fiet tunc, vt cum producitur gratia ſimul augeatur ; ſed augebitur quidem contritione , non vt diſpoſitione: ſed vt opere meritorio. Ex quibus colligunt aduerſarij , non eſſe inconueniens diuerſis actibus ſimul mereri gloriam & eius augmentum,& ſimul ſuſcipere primam gratiam & eius augmentum , & eandem gratiam duplici titulo dari , nempe , gratis & ex meritis ; gratis quidem prout eſt prima gratia attritioni & ſacramento correſpondens; ex iuſtitia verò & ex meritis , quatenus ſimul augetur virtute operis meritorij , hoc eſt contritionis. ¶Sed profecto præfata reſponſio non ſatisfacit : Primo ; quia dicit vnum impoſsibile , nempe , quòd in inſtanti iuſtificationis , in quo homo diſponitur antecedenter ad ſacramentum & ad receptionem gratiæ eius, ſimul & ſemel eliciat homo actum attritionis , & actum contritionis , & quod iſti ſint duo actus vitales diſtincti ab eodem ſimul in eodem inſtanti eliciti : Nam certe non poſſunt eſſe vnus actus; aliàs vnus & idem actus eſſet intrinſece & formaliter attritio ex eius obiecto , & formaliter & intrinſece contritio ; & vnus & idem actus eſſet formatus , & intrinſece informis ; ſaltem ſequeretur quòd vnus & idem actus eſſet ſimul propter Deum ſumme dilectum in ſe ipſo , & non propter Deum ſumme dilectum , ſed ſolum propter pœnas inferni , & ſimul eſſet medium efficax ad remiſsionem peccati ſecundum ſe, & cui de lege extra ſacramentum tanquam diſpoſitioni correſpondet gratia ex diuina ordinatione , & cui non correſpondet gratia extra ſacramentum ex ordinatione Dei : ſiquidem vnus & idem actus eſt formaliter attritio & contritio , & formaliter vltima diſpoſitio ad gratiam etiam extra ſacramentum , & non vltima diſpoſitio , quæ omnia manifeſtam habent implicationem. ¶ Secundo : Quia dato & conceſſo quòd in eodem inſtanti eliciat homo ſimul actum vitalem attritionis, & actum contritionis , tunc ambo actus haberent ſe in genere diſpoſitionis reſpectu ſacramenti : Et ita , quæcumque gratia per ſacramentum collata in illo primo inſtanti,haberet rationem primæ gratiæ,& reſponderet cauſationi ſacramenti,iuxta modũ & quantitatem illarum diſpoſitionũ;ac proinde,non ſimul pœnitẽs ille recipiens ſacramẽtum, ſuſciperet primam gratiam,& eius augmẽtum: imo verò tota illa gratia haberet rationem primæ gratię.

¶ Tertiò displicet mihi vehementer id quod dicunt aduersarij, quòd contritio prima, quam peccator habet in eodem instanti in quo suscipit sacramentum, non habet rationem dispositionis respectu sacramenti si in illo vnico instanti in quo accedit elicitur. Quia certè contritio illa verè est dispositio, imò verò magis proportionata & connaturalis quã attritio, & consideratur vt antecedens. Et dicere, quòd illa contritio non est dispositio, est ridiculum. Quocirca, non videtur mihi tutum neque conforme sacris literis, aut sanctis Patribus asseuerare, quòd illa gratia quæ primò datur in iustificatione peccatoris, simul sit prima gratia, & augmentum gratiæ, & quòd detur gratis & simul titulo iustitiæ ex meritis ipsius peccatoris. Et cùm tota illa gratia habeat rationem primæ gratiæ, & correspondeat iuxta proportionem vltimæ dispositionis; ridicula est illa partitio gradualis, qua asseueratur quòd duo gradus respondent dispositioni per modum primæ gratiæ, & alij duo per modum augmenti.

An verò fieri possit vt eadem qualitas simul producatur & augeatur, non est præsentis loci. Sed nihilominus certissimum est, quòd ab eodem agente, & in eodem instãti, & vnica actione implicat quòd simul producatur & augeatur; ac proinde, si aliquid producitur in instanti, A, quidquid in illo instanti fit, habet rationem primæ productionis. Vndè, cùm gratia & augmentum eius à solo Deo producatur in instanti primæ iustificationis, tota illa gratia quæ producitur quando adultus per contritionem dispositus recipit gratiam, habet rationem primæ dispositionis, & non habet rationem augmenti. Quid autem sit de exemplo illo, si Deus primò crearet luminosum vt quatuor, & in eodem instanti creationis statueret illud in conspectu Solis, Vtrum in eodem instanti augeretur lux? Non est cur disputemus modo; Primò quia tunc essent plures actiones, & plura agentia. Secundò, quia fortè non fieret intensio lucis in instanti productionis, vt Vega loco superiùs citato egregiè dicit.

*Conclus. 3.* Tertia conclusio. Omnes illi actus meritorij, qui fiunt ab homine iusto post iustificationis suæ primum instans, non sunt meritorij primæ gloriæ. Quò fit, vt actus meritorius qui simul est cum ipsa iustificatione, vt diximus de prima contritione & vltima dispositione ad gratiam, ille sit meritorius primæ gloriæ. Hæc conclusio, non solum sequitur ex antecedentibus, sed etiam ostendit vera esse quæ paulò antea diximus respondentes aduersarijs. Et probatur: Nam omnes actus meritorij qui fiunt ab homine iusto post primum instans iustificationis, merentur augmentum gratiæ & gloriæ: ergo non primam gloriam. Consequentia liquet ex dictis in prima & secunda conclusione. Antecedens probatur: Quoniam iustus per opera subsequentia meretur tale augmentum, vt Cõciliũ Tridentinũ decernit, sessione. 6. cano. 32. Excipere autem ea opera subsequentia, quæ sunt actus meritorij, est planè sine fundamento: ergo, &c. Secundò probatur: Quia ille homo qui in instanti iustificationis primam gratiam consequutus est, si non peccet postea mortaliter, licèt nullum opus meritorium efficeret, consequeretur primam gloriam: ergo non datur propter merita. ¶ Dices: Ergo plures adulti gloriam consequuntur, & non per propria merita, scilicet, illi qui per sacramentum iustificantur; Consequens autem videtur esse contra Scripturam, quæ loquens de adultis, semper dicit, illis propter merita tribui præmia, vt. 1. Corinth. 3. *1. Corinth. 3.* Vnusquisque suam mercedem accipiet secundum suum laborem, & Matthæi. 20. *Matth. 20.* Non accepit denarium, nisi qui in vinea laborauit, & Apocalyps. 21. *Apoc. 21.* Deus reddet vnicuique secundum opera sua; & ad Roman. 2. *Roma. 2.* Non coronabitur nisi qui legitimè certauerit. Respondetur, hoc argumentum militare in omni opinione. Quapropter, vel homo ille qui consequitur gratiam per sacramentum, quia accessit attritus solum, in instanti, in quo iustificatur, non habet actum meritorium, vel postea; & tunc quidem si antequam peccet moriatur, consequeretur ex vi gratiæ receptæ in casu posito, gloriam sine vllo merito proprio; non tamen sine proprio actu, quo applicantur merita Christi; & hoc tantum intendit Scriptura, quæ loquitur regulariter. Nam contingit aliquando hominem in baptismo sine proprio actu iustificari, & postea mori antequam aliquid mereatur, & tunc sine aliquo actu proprio gloriam consequetur; si tamen post primum instans iustificationis actum meritorium eliciat, consequetur gloriam, ita vt augmentum illius detur propter merita; at in eo casu prima gloria, non propter vlla merita, sed omnino gratis consequetur.

*Obiectiones contra 2. & 3. conclus. Obiectio 1.* Obijciunt tamen aduersarij nonnulla argumenta contra secundam & tertiam conclusionem. Et primò obijciunt Diuum Thomam de veritate, quæstione. 28. articulo. 3. ad. 18. Vbi videtur insinuare, primam contritionem posse esse meritoriam primæ gloriæ, & augmenti gratiæ, & augmenti gloriæ. Quoniam omnis actus bonus & supernaturalis meretur augmentum gratiæ, vt Sanct. Thom. infrà articulo. 8. deducit: sed talis est contritio & dispositio vltima ad gratiam: ergo, &c. Et augetur difficultas huius argumenti: Quia omnis actus meritorius gloriæ, est meritorius alicuius gratiæ; sed non primæ gratiæ: ergo augmenti illius. Probatur maior: Quia acceptari hominem ad gloriam, est diligi à Deo, & gratum haberi: ergo non potest mereri gloriam, quin mereatur gratiam: sicut non potest mereri augmentum gloriæ quin mereatur augmentum gratiæ; Nam aliàs iste actus esset minus meritorius quam alij, cùm alij præter gloriam mereantur gratiam. Præterea; ex eo quòd fiat in primo instanti iustificationis, non minus meretur quam postea: sed si postea fieret idem actus mereretur gratiam & gloriam: ergo intentum. *Obiectio 2.* ¶ Rursus obijciunt secundò: Nam si homo in eo instanti quo iustificatur, præter illum actum, quo disponitur, qui non elicitur à charitate, sed ab auxilio speciali, eliciat per charitatem alium actum, ille est meritorius augmenti gratiæ: ergo & alius. Patet antecedens: Quia tunc est tanti valoris, ac si eliceretur post horam receptionis gratiæ: non enim est tunc deterioris conditionis: Sed si esset post horam vel post diem mereretur augmentum: ergo & tunc. Rursus: ille actus meretur augmentum gloriæ: ergo & gratiæ. Antecedens patet: Quia nõ meretur primam gloriam, cùm ista debeatur illi actui, qui fuit dispositio: Nam distinctum præmium conferri debet distincto actui. Dices, talem actum mereri vt gratia post illud instans augeatur; non verò in eodem instanti: Quia implicat rem simul produci, & augeri. *Obiectio 3.* ¶ Contra hoc sic argumentor. Nam ex hoc sequitur, idem esse dicendum de contritione, scilicet, esse meritoriam gratiæ augendæ post tale primum instans. Et confirmatur: Quia si ipse actus esset intensior ipsa charitate, in eodem instanti augeret illam: sed in ordine ad gratiam, idem est actum esse remissum & intensum: ergo in eodem instanti augetur ipsa gratia. Maior probatur: Quoniam non implicat esse, produci, & augeri in eodem instanti: Nam si Deus in eodem instanti quo creat Solem, simul crearet aërem cum luce vt duo, tunc lux illa aëris intenderetur à luce Solis, vt de se patet: Quia aliàs deberet expectare tempus contra naturam agentis naturalis, & ipsius operantis: ergo in eodem instanti produceretur & intenderetur lux aëris, vt dictum est. Dices non posse ab eodem agente in eodem subiecto eundem effectum in eodem instanti produci & augeri; benè tamen à diuersis. *Obiectio. 4.* ¶ Sed contra obijcio quarto loco. Deus in se habet eminentissimè rationem diuersorum agentium: ergo potest in eodem instanti producere gratiam & augmentum gratiæ; gratiam inquam, conferendo gratis vt liberalis & misericors, & augere etiam illam vt iustus & præmiator reddens debitum morale, ita sanè quòd in gratia, verbi gratia, vt octo, sex gradus habeant rationem primæ gratiæ correspondentis dispositioni vt sex; alij verò habeant rationem augmenti, ad eum modum quo tertia parte, quæstione octuagesima sexta, dicunt multi Theologi, homini qui ante peccata, habebat decem gradus gratiæ cùm iterum iustificatur & reparatur cum dispositione vt decem, conferri illi gratiam vt viginti, ita vt decem gradus habeant rationem primæ gratiæ correspondentis dispositioni; alij verò correspondeant præcedentibus meritis, quę habuit ante lapsum. Similiter, cùm homo modò meretur augmentum gratiæ vt sex, posset quidem Deus conferre illi gratiam vt duodecim, ita vt sex gradus correspondeant vt præmium merito, alij verò conferantur gratis & liberaliter.

Hæc argumenta adeò magna visa sunt nouitijs Theologis, vt non valentes ea dissoluere, recesserint à veritate aientes, nullum esse inconueniens, quòd quis simul mereatur primam gloriam, & eius augmentum, & quòd simul suscipiat primam gratiam, & eius augmentum. Quia affirmant, fieri posse quòd gratia simul creetur & augeatur, & quòd simul detur ex gratia, & augeatur ex iustitia. Sed nihilominus persistendum est in doctrina tradita à nobis. Quocirca, ad argumenta seu obiectiones aduersariorum conabimur respondere. *Ad obiectionem. 1.* Ad primum ergo respondetur, meritum primò & per se esse in ordine ad gloriam. Nam cùm meritum habeat rationem viæ & medij, primò & per se tendit in vltimum finem & terminum qui est gloria: gratiam verò non primò & per se meretur homo, sed tanquam medium ad gloriam. Vndè, quando quis meretur augmentum gloriæ, meretur etiam augmentum gratiæ, quia hoc est necessarium ad illud tanquam eius fundamentum. Cùm autem in nostro casu, tota gratia necessaria ad primam gloriam supponatur gratis data, non est necessè, vt ad merendum primam gloriam, mereatur quis nouam gratiam. Quia vt constat, ea gratia quæ est requisita iam supponitur, & si aliam mereretur, esset improportionata tali vltimo præmio. Neque ob id talis actus est minus meritorius in ordine ad gloriam & principale præmium, quam alij qui sunt posteriùs tempore quam gratia, quamuis alij quasi extensiuè magis mereantur, dum etiam merentur gratiam proportionatam augmento gloriæ. Neque aliud voluit insinuare Sanctus Thomas loco allegato in argumento. Igitur in forma ad argumentum respondetur distinguendo propositionem illam, Omnis actus meritorius gloriæ, est meritorius alicuius gratiæ, quòd est vera vniuersaliter de omni actu bono & supernaturali procedente à gratia, vt dicit Concilium; tamen non est vera si includat primam contritionem seu vltimam dispositionem ad gratiam, quæ ex auxilio speciali procedit, & gratiam antecedit ad quam disponit. Nam hæc vltima dispositio ad gratiam seu prima contritio, licèt sit per se meritoria gloriæ, cùm meritum habeat rationem viæ & medij per se loquendo in vltimum finem, & in vltimum terminum qui est gloria, non postulat per se, quòd sit meritoria gratiæ, propter rationem supra tactam. ¶ Et ex his patet solutio ad secundam obiectionem. *Ad. 2. obiectio. respondetur infra.* Verumtamen, quia hæc secunda obiectio tangit insignem difficultatem, idcirco tantisper silere oportet modò: Quia infra solutione ad primum principale dissoluemus fusè difficultatem huius argumenti, & in eum locum remitto lectorem.

*Ad obie. 3.* Ad tertiam obiectionem dicendum est, contritionem illam non esse meritoriam gratiæ augendæ post tale instans, cùm iam præcesserit meritum illius vltimæ dispositionis; & nulla est ratio cur dicamus, talem actum dispositionis vltimæ mereri vt gratia post illud instans augeatur, non verò statim in eodem instanti. Nam profectò, si contritio prima esset meritoria gratiæ augendæ, non quidem augendę in eodem instanti, sed post tale instans, sequeretur quòd non solum postea, sed etiam tunc in illo primo instanti mereretur augmentum gloriæ, quod non potest stare cum merito primæ gloriæ, vt ostensum est supra. Quòd verò hoc sequatur patet: Nam si quis meretur augmentum gratiæ postea conferendæ, intelligitur de gratia in esse qualitatis; non verò de gratia in esse gratiæ. Vnde, homo tunc meretur vt sit magis gratus Deo: ex tunc enim acceptatur ad maiorem gratiam in esse qualitatis postea dandam: ergo ad maiorem gloriam: ergo tunc meretur augmentum gloriæ, quia ex tunc habet ius ad maiorem gloriam: ergo est magis dilectus formaliter: Quia Deus vult illi maius bonũ propter bonitatem ipsius. *Ad confir.* ¶ Ad confirmationem dicendum, quòd solum probat eandem qualitatem posse simul produci, & augeri à diuersis agentibus, & diuersis actionibus, vt suprà diximus. *Ad obie. 4.* ¶ Ad quartam obiectionem seu replicam respondetur, valde rationabile esse, non posse ab eodem agente naturali eundem effectum physicè produci & augeri: Quocirca, si Sol producat in aëre lucem vt quinque, non potest eandem lucem in eodem instanti simul augere & intendere vsque ad octo, sed

erit vnica productio lucis intensæ vt octo. Nam non est vnde distinguantur actiones; aliàs cũ semper producatur lumen in aliqua intensione, semper interuenirent duæ actiones, nempe productio & intensio seu augmentatio; Imò verò etiam infinitè secundum intensionem graduum. ¶ Alij verò Theologi dicunt, se non cernere implicationem in eo quòd effectus in eodem instanti quo producitur, in eodem augeatur: non enim repugnat in eodem instanti quo res aliqua producitur, eandem actionem habere vim & rationem duplicis actionis, hoc est, vnam productionem physicam gratiæ vt quatuor, habere rationem duplicis actionis in esse moris, scilicet, donationis gratuitæ secundum duos gradus, & etiã iustitiæ & retributionis secundum alios. Itaque, vna physica productio gratiæ vt quatuor, potest habere rationem duplicis actionis, mercedis scilicet, & donationis gratuitæ secundum duos gradus, & etiam iustitiæ secundum alios duos, vt dictum est. Sicut si Paulus mihi donet simul centum aureos, ita vt quinquaginta sint donati, alij verò pro debito soluti, sicut probat argumentum de gratia quando reuiuiscit. ¶ Sed profectò, ex his casibus nunquam ostenditur aut probatur, eundem effectum simul produci & augeri seu intendi, sed solum ostenditur, eundem effectum per vnicam actionem productum, duobus titulis secundum diuersos gradus conferri & donari. ¶ Sed adhuc aduersarij dicunt, quòd potest in eodem instanti gratia produci & augeri. Et probant: Quia in eodem instanti in quo producitur gratia, potest quis elicere actum quo mereatur sui augmentum, vt patet communiter cùm quis meretur augmentum gratiæ: parùm enim aut nihil interest quòd gratia à qua producitur, sit prior tempore vel natura: Quia non implicat meritum & præmium esse simul tempore, vt constat apertè cùm per actum intensiorem in eodem instanti augetur ipsa gratia, secundum sententiam D. Thom. Rursus etiam patet: Quia aliquando in eodem instanti in quo producitur gratia in esse qualitatis, meretur sui augmentum in esse gratiæ: ergo & posset in esse qualitatis; imò & de facto sic euenit, nisi dicas de lege ordinaria conuenientiùs videri, magisque conforme rerum naturis, vt non simul producatur & augeatur in esse qualitatis. An verò hoc sit maius inconueniens aut peius quam quòd gratia sit in esse gratiæ, & non in esse qualitatis habitualis, ad alium pertinet locum. Tandem de his aduersariorum postremis calumnijs inferiùs dicemus, & etiam redibit sermo in solutionibus argumentorum, quæ proposuimus in exordio quæstionis, vt statim patebit.

*Ad argumẽta. Ad rationem dubitãdi.*

Ad argumenta in exordio quæstionis posita. Et primò ad primam rationem dubitandi, quam pro titulo quæstionis proposuimus respondetur, quòd primæ gratiæ correspondet gloria, sed in his qui iustificantur per proprios actus extra sacramenta non potest reperiri gratia sine meritis, non quidem præuijs ad ipsam gratiam, sed concomitantibus, vel certè consequentibus. Vnde aduerte, quòd gratia formaliter non est acceptatio ad gloriam, vel ius ad illam, vt egregiè perpendit Canus, relect. illa de pœnitent. parte prima, sed est qualitas quædam supernaturalis absoluta dans esse deiforme & diuinum, ex hocque consequitur quòd Deus acceptet ad gloriam eum qui habet talem qualitatem, sed non acceptat eum qui iustificatur extra sacramenta nisi mediantibus proprijs actibus; atq; adeo, licèt gratia detur sine meritis, gloria tamen semper præsupponit merita.

*Ad argum. 1. sententiæ. Ad primum*

Ad argumenta verò quæ pro prima sententia Ruardi, Gabrielis, & Gregorij, & aliorum militabant satisfacere oportet. Ad primum respõdetur ex dictis in superioribus: Diximus enim contritionem informari ab ipsa gratia moraliter, neque requiri alium influxum physicum ipsius gratiæ habitualis, sed illud sufficere; sicut ad hoc quòd opera naturalia censeantur meritoria mediante relatione præterita charitatis: & hoc secundum omnes ita est dicendum. Nam in omni opinione contritio vt dispositio, non est meritoria, nisi vt supponit gratiam; aliàs vt intelligitur præcedens gratiam, vel vt prius natura quam intelligatur remissum peccatum, esset meritoria remissionis peccati, quod est apertè falsum & absurdum. Et per hoc patet ad primam confirmationem. ¶ Ad secundam respondetur, actum attritionis quem homo habet in instanti in quo iustificatur, esse meritorium, quia informatur gratia, & est ordinis supernaturalis, sicut contritio. Sed dices; Contra: Nam, vel iste actus meretur totam primam gloriam, quæ correspondet gratiæ datæ ex vi sacramenti, vel partem illius; non primum, quia contritio est magis meritoria quam attritio: ergo si attritio meretur totam illam gloriam, contritio vltra primam gloriam aliquid ampliùs meretur. Rursus, si in illo instanti quo homo per sacramentum iustificatur, eliceret contritionem, ampliùs mereretur per illam, quam per attritionem: sed per contritionem non meretur amplius quã primam gloriam, vt dictum est: ergo per attritionem non potest mereri totam primam gloriam. Si verò partem illius tantum meretur, iam prima gloria quę correspondet primæ gratiæ secundum aliquos gradus datur gratis, & secundum alios ex meritis. Respondetur, ad mensuram dispositionis donari gratiam, & consequenter gloriam. Vnde, si dispositio minor est, confertur etiam ex vi sacramenti minor gratia; & ita talis actus est meritorius totius primæ gloriæ, quæ tamen est minor, quam quæ correspondet gratiæ collatæ per maiorem dispositionem. Ex quo patet, non esse tam meritoriam attritionem, sicut contritionem. ¶ Sed dices: Si homo per attritionem quæ tempore præcesserit iustificationem, ita iustificetur per sacramentum, vt in eodem instanti efficiat actum contritionis, quid tunc merebitur? Respondetur, quòd vel illa contritio est prior natura quam gratia collata per sacramentum, & tunc habet rationem dispositionis; & sic attritio & contritio vnius, censentur vnica moralis dispositio, cui maior correspondet gratia, quam si vnica tantum illarum esset. Si autem actus contritionis elicitur in eodem instanti à gratia collata per sacramentum, tunc propriè non habet rationem dispositionis, vt suprà dictum est, atque adeò est tunc maior dispositio. Certum enim videtur tunc homini conferri maiorem gratiam, & acceptari ad maiorem gloriam, quam si illum actum contritionis non haberet: ergo præter quinq; gradus gratiæ, qui dantur virtute sacramenti propter attritionem

vt



vt quinque; dabuntur etiam alij gradus gratiæ vt octo propter contritionem, quam suppono esse vt octo. Tunc sic, Isti gradus gratiæ non correspondẽt contritioni tanquam dispositioni, sed tanquam operi meritorio: ergo in eodem instanti datur gratia secundum aliquos gradus gratiæ, & secundum alios propter merita: ergo in eodem instanti producitur & augetur gratia. Probatur antecedens: Quia vt suprà diximus, non est dispositio ad gratiam illa quæ fit ab ipsa gratia. Præterea, fit à gratia vt quinque correspondente ex vi sacramenti attritioni vt quinque: ergo nõ est dispositio ad ipsam, cùm procedat à gratia habente ita perfectam dispositionem, & productam ad mensuram illius. Rursus: ergò perfectior gratia quæ ad illam contritionem sequitur, dabitur in præmium illius, cùm iam contritio procedat ab homine grato; & ita posset esse meritoria. Quæ difficultas eodem modo militat in augmento gratiæ, cũ in eodem instanti quo augetur, possit elicere actum proportionatum augmento. ¶ Respondetur tamen, non esse apertam omnino implicationem, quòd eadem gratia secundum aliquos gradus detur gratis, & secundum alios propter merita; sicut contingit cùm homo reuiuiscit & resurgit ad gratiam quam amisit. Et similiter videtur hic contingere; non tamen ideo sequuntur illa incommoda quæ suprà intendebamus vitare, scilicet, quòd eadem gratia secundum se totam detur gratis & propter merita: quod vt patet, hic non reperitur; Vel quòd idem actus sit meritorius primæ gloriæ, & augmenti gloriæ. Nam contritio in prædicto casu non est meritoria primæ gloriæ, quæ gratis omnino respondet illi gratiæ vt quinque, habita ex attritione vt quinque per sacramentum; sed tantum est meritoria augmenti gratiæ, & augmenti gloriæ, sicut si post instans iustificationis eliceretur. ¶ Dices, saltem sequitur eandem gratiam in eodem instanti produci & augeri. Respondetur, quòd quamuis id non putem esse verum; tamen non est omninò repugnans, neque esset tam magnum inconueniens illud concedere. Cæterùm, vt inconueniens hoc quod superiùs tale esse diximus, vitemus, facilè dici potest mereri augmentũ gratiæ post illud instans conferendum, sicut Sanctissimus Præceptor dicit de actibus remissis. Quam sententiam videtur tenuisse Sanct. Thom. de verita. quæstione. 28. artic. 3. ad. 8. ¶ Sed contra: Ergò eadem ratione contritio quæ est dispositio, poterit esse meritoria augmenti gratiæ postea conferendæ. Respondetur, non esse parem rationem. Nam quando contritio est dispositio, iam tota gratia quæ illi correspondet, habet rationem primæ gratiæ gratis datæ; at verò in isto casu contritio non habet rationem dispositionis, vt ostensum est. Item, Contritio quæ est dispositio, est meritoria primæ gloriæ; & ita non potest esse meritoria augmenti gloriæ, vt dictum est sepè, & per consequens neque augmenti gratiæ, etiã postea conferendæ, vt suprà deduximus; At verò illa contritio quæ non est dispositio, non meretur primam gloriam; & ob id potest mereri augmentum illius & augmentum gratiæ, & hoc est necessariò dicendum in alijs etiam casibus suprà tactis in discursu obiectionum & argumentorum. Nam si quis per contritionem iustificetur, & simul in eodem instanti quo gratia & virtutes infunduntur, eliciat actum misericordiæ, qui non videtur incompossibilis in illo eodem instanti cum actu contritionis, tunc iste actus misericordiæ est meritorius, & non primæ gloriæ, quæ correspondet illi gratiæ, à qua talis actus procedit: ergo augmenti.

Fateor esse difficile satisfacere difficultatibus vniuersis, ortis ex propositis obiectionibus & argumentis. Sed nihilominus semper sentiendum est, primam contritionem siue illa procedat à gratia habituali in genere causæ efficientis, siue solùm eliciatur à supernaturali & speciali auxilio, ità vt in omni genere causæ antecedat gratiam; semper tamen esse meritoriam. Nam vt aliquis actus sit meritorius apud Deum, satis est quòd sit bonus, & quòd sit supernaturalis, & à supernaturali principio elicitus saltem ab auxilio Dei speciali à quo reducatur in finem charitatis, & quòd sit opus amici, seu procedens ab homine iusto & grato. Cùm ergò totum hoc reperiatur in illo actu contritionis, & ex alia parte pro illo eodem instanti homo sit in gratia, & iustus atque amicus Dei, nihil omnino deficit illi actui, quo minus possit esse meritorius; Nam quòd ab habituali gratia omnino eliciatur, non est necessarium prorsus, quamuis necessarium sit pro eodem illo instanti, quòd homo habeat gratiam habitualem, quæ ipsum constituat in iustitia & amicitia Dei, & quæ actum illum contritionis informet, non quidem eliciendo aut efficiendo ipsum, sed ei coassistendo, vt optimè dixit D. Bonauent. in. 4. distinctione. 17. quæstione. 1. articulo. 6. Gabriel, distinctio. 14. quæstione. 1. articulo. 2. propè finem, Caietan. 1. 2. quæstione. 21. articulo. 3. & 4. Soto. 3. de natura & gratia, capit. 4. ¶ Ex quibus colligo, actum attritionis, quæ vsque ad instans iustificationis durat cum sacramento, pari ratione esse meritorium, vt suprà diximus: Quia est actus bonus, & ab auxilio speciali supernaturali procedens, & informatus gratia coassistente: Quia iam in illo instanti homo est in gratia & amicitia Dei, vt supponimus. Et loquimur de attritione, quæ procedit ex auxilio supernaturali & diuino, quæ cum sacramento sufficit ad gratiam suscipiendam; & non de illa quæ viribus naturæ fit, & cũ solo concursu generali Dei, quæ non est sufficiens ad sacramentum dispositio.

*Ad secundũ*

Ad secundum argumentum principale respondetur, quòd ratio cur Christus neque meruit gratiam, neque gloriam animæ, fuit quia hæc omnia habuit à principio suæ incarnationis & conceptionis, & quia tam gratia quam gloria animæ naturaliter sequebantur & debebantur illi, suppositа hypostatica illa vnione. Sed dices. Ergo si hæc ratio est vera, Christus non debuit mereri gloriam corporis, neq; nos primam gloriam, quæ tamen correspondet iustis ratione primæ gratiæ. Probatur sequela: Quoniam gloria corporis debebatur Christo multis alijs titulis, & naturaliter sequebatur ex gloria animæ, quam Christus iam possidebat sine vllo merito. Respondetur, quòd non est par ratio: Quia præcipua ratio meriti fundatur in ordinatione & pacto Dei. Vnde ex Scriptura colligimus fuisse quãdam ordinationem & quasi pactum à Deo cum Christo factum, vt gloria corporis ei non cõferretur, nisi merito passionis & mortis suæ, vt liquet ex illo Psal. 109. De torrẽte in via bibet, propterea exaltauit caput. Et Lucæ. 2.

*Psal. 109. Lucæ. 2.*

Nonne hæc oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam; & ad Philippenses. 2. Christus factus est pro nobis obediens vsque ad mortem, propter quod Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen quod est super omne nomen. Et ad Hebræ. 2. Videmus Iesum per passionem gloria & honore coronatum. Quocirca, gloria corporis nõ fuit Christo collata duplici titulo, neque gloria animæ sequebatur veluti propria passio ex vi illius vnionis; & ob id existimo certissimum esse, quòd licèt ex vnione sequi debuisset corporis gloria; tamen statutum & ordinatum fuit à Deo, vt non aliter sequeretur quam ex merito suæ passionis, atque adeo de facto hoc solo titulo sequuta fuit. Item etiam sancitum atque à Deo ordinatum est ne alicui adulto extra sacramentum iustificato, gloria conferatur nisi merito suæ dispositionis & operationis; ac proinde, licèt aliàs ex natura gratiæ, & ex vi eius sequi potuisset gloria; de facto tamen non sequitur nisi merito dispositionis, atque adeo hoc solo titulo meritorũ & iustitiæ debet sequi, & non multis titulis. Et per hæc patet solutio ad secundum & eius replicas.

*Philippē.2.* *Hebræ.2.*

*Ad tertium* Ad tertium respondetur, quòd vltima illa dispositio ad gratiam, seu prima contritio non est meritoria primæ gratiæ; & cùm argumentaris: Ergò neque primæ gloriæ, negatur consequentia. Cum Cano relectione citata, parte. 1. prope finem, & Soto lib. 3. de natura & gratia, cap. 9. Si obijcias: Gratia est acceptatio ad gloriam, Canus negat antecedens. Nam gratia potiùs est forma, per quam aliquis est amicus Dei, & per quam homini grato, & ad consortium diuinæ naturæ admisso, datur potestas ad gloriam promerendam per bona opera. Adducit Canus egregium exemplum de anima rationali, quam, quia est actus primus dans esse & viuere, consequũtur naturales potentiæ, intellectus, scilicet, & voluntas, per quas operatur ad consequutionem sui finis. Sic ergo gratia est forma tribuens animę esse supernaturale & viuere, & hanc consequuntur charitas & cæteræ virtutes, quarum operationibus homo finem consequatur suum, hoc est, gloriam promereatur. Idem docuit Sotus in. 4. distinct. 14. quæst. 2. artic. 6. Vbi dicit, quòd gratia facit duo: constituit enim hominem in esse quodam supernaturali filij Dei, & hac ratione gratia antecedit actum contritionis, scilicet, in esse meriti, & facit illum esse meritorium. Secundò habet vt sit acceptatio ad gloriam; & hac ratione actus est prior illa, ipsaq; sequitur post actũ: Vnde Sotus affirmat, gratiam illam vt præintellectã contritioni, non facere nos acceptos ad vitam æternam, nisi deinde media contritione. Et hæc pariter est sententia, quam Canus sequitur loco citato.

*Obiectio.* ¶Sed dices: In illo eodem instanti naturæ, quo homo gratiam habet, intelligitur etiam vt acceptus ad vitam æternam, siue id faciat gratia primariò, siue secundariò & ab extrinseco, seu ex lege Dei: ergo cũ pro illo instanti quo contritio meritoria est, iam supponatur homo esse gratus, etiam præsupponitur acceptus ad primam gloriam, & ex consequenti non potest per illum actum primam gloriam promereri: Quia prima illa gloria iam præsupponitur vt debita. *Confirm.* Et confirmatur ex Trident. sessio. 6. capit. 16. Vbi habetur, vitam æternam donari iustis, & tanquam gratiam filijs Dei per Christum Iesum misericordiater promissam, & etiam tanquam mercedem ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus & meritis fideliter reddendam & debitam. Ex quibus verbis argumentum secundum initio quæstionis factum, quod hic dissoluere conamur, incrementum difficultatis suscipit. Nam ex hac Concilij doctrina, sequitur, quòd priùs quam homo eliciat opus meritorium, iam sibi debetur gloria secundum proportionem, quæ est filij ad hæreditatem, quamuis non secundum, quæ est operis ad mercedem: ergò cùm priùs natura intelligatur esse filius Dei, quam faciat actum meritorium, sequitur, quòd priùs intelligitur iam fuisse sibi collatum ius ad hæreditatem seu ad gloriam, quamuis suis operibus adhuc minimè debeatur, quia nondum intelligitur tunc fuisse operatus. *Solutio.* ¶Vnde iam ad argumentum respondetur, quòd quamuis gratia in illo priori antequam contritio sit meritoria, sit ius ad gloriam per modum cuiusdam proportionis, & connaturalitatis: Nam idoneus & proportionatus est homo ille ex eo quòd concipitur habens gratiam, vt etiam habeat gloriam: Cæterùm absolutè in illo priori in adultis, & extra sacramentum gratia illa non dat ius ad gloriam, neque dicitur facere acceptum ad illam, quousque homo proprio actu eam promereatur: fundatur enim nostrum meritũ in diuina ordinatione & pacto; Deus autem ordinauit & sanciuit vt in eo qui iustificatur extra sacramentum per propriam dispositionem gratia non sit ius ad gloriam, nisi mediante tali actu & dispositione, quę sit meritoria glorię. Et ob id, quousque homo intelligatur habere dispositionem illam, licèt habeat gratiam extra sacramentum, nondum dicitur habere consummatum, & absolutum ius ad gloriam. Vnde, cùm Paul. ad Roman. 8. dixisset, Quòd si filij, & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi; & his verbis ostendisset, quòd eò ipso quòd quis efficitur filius Dei, scilicet, per gratiam, statim est hæres per modum cuiusdam condignitatis & connaturalitatis, & consequẽter priùs habere quodammodo ius ad gloriam, quam contritio sit meritoria; tamen vt explicaret nobis Paulus possessionem huius hæreditatis, & perfectum ius ad illam minimè nobis conferri, quousque operemur, & illud promereamur siue per contritionem, siue per qualemcunque aliam actionem vel passionem propter Deum, qua acquiramus perfectum & consummatum ius ad illam gloriam, addidit Paulus statim, Si tamen compatimur, vt & conglorificemur. In quibus verbis apertè Paulus insinuauit, quòd vt quispiam ex adultis glorificetur, necessarium est illi aliquod meritum, ratione cuius habeat ius ad mercedem & ad gloriam, sicut ratione gratiæ habet filiationem, & ex consequenti proportionem & connaturalitatem cum eadem gloria. *Obiectio.* ¶Sed dices: Etiam Deus sua lege sanciuit vt nemo iustificetur ex adultis, nisi media contritione: ergo iam talis contritio promerebitur iustificationem. Patet consequentia: Nam ob eam causam dictum est, dispositionem illam esse meritoriam gloriæ, quia Deus statuit non conferre ius ad gloriam alicui, nisi mediante illa. *Solutio.* ¶Respondetur, quòd contritio illa cùm intelligitur esse meritoria gloriæ, iam præsupponit gratiam, & antecedit gloriam, & sic potest esse meritoria gloriæ. Nã hoc requiritur vt actus sit meritorius, nempe,



nempe, quòd sit à gratia, & quòd antecedat præmiũ ipsum; & hoc deficit illi contritioni in ordine ad priman gratiam merendam: Quia si talis contritio cõsideretur vt præcedens gratiam, sic non est à gratia, neque informatur gratia, & ideò non potest esse meritoria. Si autem consideretur, vt procedens à gratia, sic sanè meritoria esse potest, sed non illius primæ gratiæ, quæ iam præsupponitur. Nam præmium *Solutio.2.* non debet præsupponi merito. ¶Secundò respondetur, non pari modo promisisse Deum gloriam operantibus, sicut promisit iustificationem & gratiam disponentibus se per pœnitentiam. Nam illis gloriã promisit tanquam stipendium pro labore, & tanquã mercedem operum; atque adeo ex iustitia. At verò alijs, id est, habentibus contritionem, & pœnitentiam agentibus, non promisit iustificationem & gratiam tanquam stipendium seu mercedem ex iustitia, sed veluti donum quoddam gratuitum ex pura eius misericordia, vt apertè liquet ex sacris literis.

Alij verò Theologi dicunt, non esse inconueniẽs quòd prima gloria, quæ correspondet primæ gratiæ, etiam cadat sub merito, ita vt duplici titulo homini conferatur, nempe, & ratione primæ gratiæ, quæ ex se habet ordinem ad primam gloriam, & ratione meriti per contritionem. Et huc attinet exemplum illud de gloria corporis Christi, quæ sibi debebatur ex vi filiationis diuinæ, & etiam ex vi gloriæ animæ, quam habuit ab instanti conceptionis. Nam eandem met meruit Christus ab instanti conceptionis per passionem & alios actus. Sed quam habeat hoc veritatem, dictum est supra: & statim dicemus ad quartum.

*Ad quartũ* Ad quartum principale dictum est satis in solutione ad. 3. vbi etiam diximus, quòd duplici illo titulo, nempe ex gratia, & ex iustitia, cùm sint tituli repugnantes & se destruentes, non confertur aliquid alicui, aut non posse ex iustitia & gratia simul conferri. Sed quidquid sit de hoc, nos minimè dicimus ius ad gloriã duplici titulo dari illi, qui iustificatur per propriam dispositionem, sed vnico dumtaxat & simplici titulo, scilicet, ex meritis & iustitia. Vnde, in solutione tertij argumenti præcedẽtis explicuimus, quo pacto gratia illa quatenus in ratione meriti antecedit actum dispositionis vel contritionis, non tribuit absolutè & consummatè ius ad gloriam, sed tantum facit acceptum ad illam, per modum cuiusdam proportionis, vsque dum homo intelligatur exercuisse propriam dispositionem, per quam consummatè aut simpliciter & absolutè promereatur gloriam, idque ex pacto & lege Dei seu ordinatione, ad sensum explicatum in superioribus.

Aliqui tamen Theologi respondent huic quarto argumento, imò verò etiam tertio præcedenti, quòd verè meremur ius & acceptationem ad gloriam, & idem ius, vel aliud alterius rationis consequitur ad gratiam, etiam seclusis meritis, vt patet in pueris; Imò verò dicunt, quòd aliquando hoc posset contingere in adultis, vt patet de adulto attrito, qui dormiens occisus est pro Christo. Et ita, quando non solùm propter gratiam, sed etiam propter merita datur gloria, tunc duplici titulo datur, scilicet, iure hæreditario filiationis adoptiuæ, & iure laborum & obsequiorum, vt in filio qui suis obsequijs meretur hæreditatem, sicut Christo duplici titulo data fuit gloria animæ, & quia filius Dei, & quia postea illam fecit nouo titulo debitam, quia illam meruit.

Ad quintum respondetur, quòd carentia seu negatio illius visionis, præcisè non est pœna, nisi prout respondet culpæ, & vt est in persona digna tali carentia; dignitas autem talis carentiæ tollitur omnino gratis: ergò & pœna etiam tollitur omnino gratis. Patet: Quia carentia in puris naturalibus ideo non esset pœna, quia non esset in homine digno tali pœna seu carentia: ergo solum est pœna in homine digno. Minor verò probatur: Quia gratia datur omnino gratis: ergo & exclusio illius dignitatis ad carentiam, quæ exclusio connaturaliter sequitur ad gratiam, imo formaliter est idem cum exclusione peccati habitualis. Quo autem pacto exclusio illius dignitatis seu remissio peccati sit omnino gratis, dictum est suprà fusè satis in hoc articulo. *2. Solutio.* ¶Secundò respondetur, quòd quamuis remissio pœnæ æternæ gratis donetur quatenus consequitur ad gratiam & ad gratuitam remissionem peccati, quæ gratis datur; tamen iustus eo ipso quòd meretur beatitudinem, meretur non priuari beatitudine, nisi apponat impedimentum peccati. *Ad confir.* ¶Ad confirmationem respondetur, vitam æternam appellari gratiam, quia omnia fundantur in gratia Dei, &c.

*Ad quintũ.*

## ARTICVLVS VI.

*Vtrùm homo possit alteri primam gratiam mereri?*

PRima cõclusio. Nemo præter Christum potest de condigno alteri mereri primam gratiam. ¶Secunda conclusio. Iustus potest de cõgruo mereri alteri peccatori primam gratiam.

## DVBIVM I.

*Vtrùm prima conclusio sit vera, & ratio Diui Thomæ, quæ pro ea militat in articulo? Et an de condigno, vel de congruo quis possit alteri mereri primam gratiam?*

PLerique Theologi hoc loco disputant, Vtrùm pura creatura habens gratiam, possit mereri alteri de cõdigno primam gratiam, de potentia ordinaria? *Ratio.1. dubitandi.* ¶Ratio prima dubitãdi, quæ sese offert, est: quoniam iustus potest reddere æquale Deo pro gratia alterius, nempe actum suum meritorium, qui vt dictum est, est æqualis suæ gloriæ: sed sua gloria est maior, quã alterius gratia: ergo non tantum æquabit, sed superabit illam. Neque valet dicere, quòd ad merendum vltra æqualitatem, requiritur lex, qua tale opus ad tale præmium ordinetur: hoc enim nõ requiritur specialiter in actu meritorio, vt articulo præcedente quarto disputabamus. ¶Secũdò arguitur: Quia homo potest de iustitia & de condigno satisfacere pro alio: ergo & mereri; quia eadem videtur ratio vtrobiq;. *Ratio.2.*

*Argumenta contra rationem S.Tho.*

Quòd verò ratio D.Thom. in articulo non sit efficax, probatur: Nam si ratio D. Thom. qua probat priorem conclusionem bona esset, sequeretur, quòd posset homo de condigno mereri primam gratiam. Probatur: Nam ob id homo meretur sibi de condigno gloriam, & non meretur alteri de condigno primam gratiam, quia Deus sua lege sanciuit dare gloriam homini habenti gratiam, & nō ordinauit quòd per opus istius, alteri daretur gratia: sed etiam Deus sua lege ordinauit dare remissionem peccatorum & primam gratiam homini habenti contritionem, secundum illud Ezechielis Propheræ, In quacumque hora ingemuerit peccator, ampliùs non recordabor iniquitatum eius; & secundum illud Ieremię, Conuertimini ad me, & ego *conuertar* ad vos: Ergò homo de condigno meretur sibi primam gratiam.

*Conclus.1.*

Conclusio tamen Sancti Thomæ, semper est verissima; nempe, quòd nullus homo præter Christum potest alteri mereri gratiam de condigno. Et quidem conclusio hæc, quòd nullus possit alteri mereri primam gratiam de condigno, si intelligatur de lege, ab omnibus Doctoribus conceditur. Et probatur: Quia tale meritum de condigno siue de iustitia, constare non potest nisi ex Scriptura vel ex consensu Ecclesiæ, aut ex dictis Sanctorum: sed ex nullo istorum constat quòd purus homo iustus alteri mereatur de condigno & de iustitia primam gratiam: ergo. Item secundò probatur: Quia nulli hominum data est de lege gratia capitis, nisi Christo, vt scilicet, posit alios redimere, instituere sacramēta ad illorum iustificationem, eisque mereri primam gratiam & omnes dispositiones ad illam: igitur nullus alter aliorum hominum poterit alijs mereri primam gratiam. Rursus persuadetur: Quia aliàs sequeretur, quòd in manu cuiuslibet iusti esset alterum iustificare. Patet: Quia si ille applicaret suum meritum, & mereretur alteri de condigno primam gratiam, iam illi esset debita de iustitia, & Deus de sua lege ordinata teneretur illam dare: Consequens est falsum: ergo. Quartò persuadetur: Quoniam si purus homo posset alteri mereri gratiam de condigno, vel hoc esset auferendo à se præmium, vel nihil sibi detrahendo; primum est indecens, quia aliàs præmiarentur mali & damnarentur boni, quod est contra naturalem ordinem: Si dicas secundum; contra arguitur: Quia hoc esset tribuere creaturæ infinitatem quandam saltem extensiuam in merendo, ita quidem vt nihil sibi detrahendo, posset infallibiliter pluribus & pluribus in infinitū mereri eodem actu certum præmium. Et confirmatur: Quia idem obsequium non debet pluries præmiari.

Moueor etiam ad hanc assertionem defendendā: Quia profectò oppositum dicere, apertè est contra Scripturam, quæ docet, vnumquemque iudicandum esse ex his; quæ in corpore gessit. Item etiam: Quia Deus non tantum respicit personam merentem, sed etiam eam, cui quis meretur, nisi suppleatur per infinitatem personæ merentis: sed quando persona merens non est iusta, nihil meretur de condigno: ergo neque quando illa, cui meretur est iniusta; & quamuis hæc ratio dumtaxat procedat de prima gratia; tamen plures aliæ procedunt de augmento. Tandem probatur: Quia non est rationabile quòd malus potiatur gloria, quam mereri potuit & noluit, & quòd non puniatur vt debet, imò hoc esset quodammodo dare causam flagitijs: ergo nullus potest alteri mereri gratiam de condigno.

Dixi in superioribus, si intelligatur de lege: Quia si sit sermo de potentia absoluta Dei, nulla est repugnantia, quòd Deus conferat alicui iusto puro homini gratiam capitis, per quam possit mereri alijs hominibus primam gratiam, & alia dona supernaturalia. Verum tamen est, quòd licet in eo casu meritum illius hominis, (supposito quòd de potentia absoluta id institueret & faceret Deus) quod procederet à gratia capitis illi data, esset de condigno; tamen non esset ita de condigno aut de rigore iustitiæ sicut meritum Christi; quia meritum Christi fuit meritum omni ex parte perfectissimum, nulla præsupposita gratia aut liberalitate; meritum verò illius puri hominis, esset meritum de condigno imperfectum, fundatum in liberalitate Dei acceptantis illius opera ad primam gratiam & gloriam aliorum hominum, & non esset de condigno perfectum quale illud Christi. Vnde satis erit, quòd sicut purus homo iustus potest sibi mereri de condigno gloriam, ita etiam homo ille, de quo loquimur, posset de potentia absoluta Dei alteri mereri de condigno primam gratiam & alia dona.

Nonnulli Theologi citant Caietanum pro opposita sententia huius conclusionis, dicuntque ipsum sensisse, iustum posse de lege mereri alteri talia dona gratiæ & gloriæ de condigno; & citant Caietanum. 1. Corinth. 3. & ad Colossens. 1. propter illa verba Pauli, Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea pro corpore eius, quod est Ecclesia. Sed profectò malè citatur: Quia Caietanus nunquam id sensit neque tenuit, præsertim cum Sanctissimus Præceptor illius id ita expresserit plerumque, præsertim in hoc articulo. 6. & in. 2. distinct. 27. & in. 4. distinct. 15. Potissimè etiam, cùm hæc sit Diui Augustini sententia tract. 4. & 5. in Ioannem, & 1. de peccatorum meritis, capit. 14. qui vtitur illis testimonijs Scripturæ, quibus soli Christo tribuitur mereri alijs. Est etiam sententia Diui Ambrosij 1. de Sacrament. capit. 4. Et profectò, ratio efficax Catholicorum in hac re est: Quia solus Christus habuit gratiam capitis: ergo solus ille dicitur author salutis. Rursus; Nulla extat promissio de hac re: Imò verò in Scriptura dicitur, vnumquemque recepturum, secundum opera sua: ergo. Tandem; Meritum cuiuscumque iusti est finitum, & cuilibet merito tribuitur condigna retributio: ergo intentum, &c.

*Obiectio.*

Sed obijciet aliquis, Contra: Adam peccando demeruit nobis omnibus: ergo si in gratia permansisset mereretur pro omnibus. Probo consequentiam: Quia primus parens fuit caput generis humani: ergo potuit mereri alijs primam gratiam & iustificationem. Nam mirabile est, quòd Adam induxerit peccatum in omnes posteros in condemnationem, & quòd non potuerit de lege mereri suis membris primam gratiam & iustificationem. Huic argumento respondetur primò, Adam non potuisse mereri de lege alijs dona supernaturalia, quia non fuit caput quantum ad influxum donorum supernaturalium, sed dumtaxat quantum ad receptionem:

*Solutio.*



tionem: Quia recepit iustitiam originalem transfundendam in posteros omnes per naturalitatem: si tamen ipse permansisset in iustitia & sanctitate, in qua conditus est. Ita putat respondendum esse Bartholomæus Medina in hoc articulo. ¶ Secundò respondetur apertius, Adam fuisse quidem caput nō gratię sed naturę, ita vt propter merita eius, gratia transfunderetur in reliquos; sed vt eius perseuerantia in bono, esset conditio ex pacto Dei requisita vt per naturalem propagationem iustitia deriuaretur in posteros. Vnde, in eodem sensu S. Thom. in. 2. d. 20. q. 2. art. 3. ad. 3. negat, Adam demeruisse nobis. Nam dicit, quòd peccatum non transit in posteros à primo parente per modum demeriti, quasi ipse omnibus mortem meruerit, & infectionem peccati, sed per modum traductionis consequentis traductionē naturæ: non enim vnius personæ actus toti naturæ mereri vel demereri potest, nisi limites naturæ humanæ transcendat, vt patet in Christo qui Deus & homo est. Vnde à Christo nascimur filij gratiæ cùm iustificamur, non per carnis traductionem, sed per meritum actionis; ab Adam verò cùm ille peccauerit & transgressus fuerit legem diuini pacti, demeruerituque ob culpam suā inobediendo & superbiendo; nascimur quidem filij iræ per propagationem, non per demeritum, vt Sanctissimus Præceptor loco citato docet.

*Solutio.2.*

*Conclus.2.*

Secunda conclusio. Iustus potest mereri alteri de congruo ea, auxilia, quibus ad iustitiam consequendam maximè indiget, & hac ratione potest alteri mereri primam gratiam de congruo. Hæc est sententia D. Thom. in hoc articulo, quam etiam tenet D. Cæsarius Episcop. Arelatens. homil. 11. & insinuatur plerisque locis Scripturæ, quibus monemur vt alij pro alijs oremus. Et extat illud Genes. 18. Si in Sodomis essent decem iusti, &c. & illud, voluntatem timentium se faciet, & deprecationes eorum exaudiet &c. ¶ Aliqui Theologi sentiunt, quòd quamuis iustus possit mereri alteri de congruo ea auxilia quibus ad iustitiam consequendam maximè indiget, & hac ratione primam gratiam; nihilominus asseuerāt, non posse iustum mereri alteri etiam de congruo gratiam immediate præstandam, ideſt, sine dispositione propria recipientis: Quia id quod nunquam fit non cadit sub merito. Secundo: Quia iustus non potest alteri mereri primam gratiam, nisi orando Deū pro illo vt eam illi conferat, quam orationem congruum est, vt Deus exaudiat. Sed hoc ita fit quod eum disponendo & emolliendo iustificet: ergo, &c. Tertiò probant efficaciter: Quia homo non potest sibi nec de congruo mereri reparationē post lapsum: ergo neque alteri. Patet consequentia. Nam ob id primum non potest, quia petit gratiam subiecto pro répore quo indignum est: sed idem est de alio: ergo, &c. Et confirmatur: Quia alias posset vnus iustus mereri alteri de condigno augmentum gratiæ, illo nihil operante, quod omnino est falsum, licet Scotus, Gabriel, & alij in materia de baptismo, contrarium insinuent sine ratione dicentes, dari paruulis interdum maiorem gratiam propter merita parentum, quod non solum non probo, sed condemno. ¶ Dices, Deum exaudire orationes iustorum. Respondetur, de lege ordinaria non esse conuenientem petitionem ita petere gratiam immediatè præstandam peccatori vt sine dispositione vlla propria recipientis detur.

*D. Thom. D. Cæsarius Genes. 10.*

Sed dubitabit aliquis, vtrum meritum de cōgruo habeat effectum infallibilem, vt alteri conferatur gratia? Sed de hac difficultate infra adducemus dubium speciale. Interim tamen sentiendum est, hoc meritum quo quis potest mereri alteri de congruo ea auxilia, quibus ad iustitiam consequendam maximè indigent: ac proinde hac ratione primam gratiam, non habere infallibilem effectum, quia non nititur promissioni diuinæ, sed amicabili congruentiæ. Vnde fieri potest vt non habeat effectum propter alias rationes prouidentiæ diuinæ, & etiam quia ille, cui alter meretur, potest valde resistere.

*Dubium.*

Ad argumenta. Ad primum, quod est prima ratio dubitandi, respondetur, longè maius esse mereri alteri primam gratiam & dispositiones ad illam, quam sibi ipsi gloriam. Quoniam is qui meretur gratiam & dispositiones, meretur etiam gloriam, & meretur ei qui non erat dignus & capax, sed potius positiuè indignus; at vero is, qui meretur sibi gloriam, non meretur sibi neque dispositiones neque primam gratiam, neque meretur incapaci & indigno, sed potius ei qui prius natura est dignus & capax, quam eius actus sit meritorius, & ob id est dispar ratio, &c. Hoc videtur insinuare Sanctissimus Præceptor supra. quæstione. 113. de Iustificat. artic. 9. vbi docet, maius beneficium esse dare gratiam peccatori etiam dispositō, quam suppositā gratia dare illi gloriam.

*Ad argum. Ad primum*

¶ Ad secundum seu secundam rationem dubitandi, Respondetur posse pro pœna temporali alteri debita iustum offerre cōdignam satisfactionem. Neq; est simile de merito; Primò, quia per satisfactionem nō offeruntur illa inconuenientia, sicut per meritum inferuntur, vt suprà vidimus. Secundò; quia nunquam potest opus meritorium ita pro alio offerri, vt is qui meretur, careat suo condigno præmio; at verò fructu satisfactionis potest aliquis se priuare, & alteri donare. Et ratio est: Quia in præmiandis meritis præcipuè seruatur iustitia distributiua; in satisfactione autem magis attenditur commutatiua, in qua vnus potest pro alio soluere. Sed contra; Nam in eo casu iam meretur saltem quis de condigno pro alio, vt Deus remittat illi talem pœnam temporalem. Nam propono esse legem Dei de admittenda satisfactione vnius pro altero; tunc opus illud est condignum illi præmio, & interuenit pactum. Respondetur, nos non negare, eum qui satisfacit pro aliquo, mereri vt alteri remittatur pœna temporalis; sed tamen non ob id meretur alteri primam gratiam, neque etiam ita meretur pro alio, vt præmium essentiale actui suo debitum, alteri conferatur & donetur. ¶ Itaque, licet iustus possit alteri applicare satisfactionem propriam, ita vt ille, cui applicatur, satisfaciat ex condigno pro temporali pœna quam debet, sicut de facto Ecclesia per indulgentias applicat merita & satisfactiones Sanctorum, ex quibus constat Thesaurus Ecclesiæ, vt habetur in Extrauagāti. Vnigenitus de Pœnitentijs & remissionibus; tamen hæc applicatio satisfactionis præsupponit hominem constitutū in gratia, & illo supposito statu & iustitia, satisfacit alter per meam satisfactionem, quam voluntariè illi applico. Neque adhuc in gratia constitutus potest mereri de condigno etiam alteri existenti in gra-

*Ad secundū*

*Obiectio.*

*Solutio.*

tia; quia meritum de condigno semper respicit personam quæ operatur respectu præmij, neque mouetur à Deo per gratiam ipse homo, vt possit pro alijs de condigno mereri; Satisfactio verò pro pœna alterius, non requirit specialem motionem Dei, sed solam voluntatem satisfacientis, vt constat etiam in humanis: potest namque vnus homo soluere debitum alterius ex sola sua voluntate, etiam sine voluntate creditoris.

*Ad argum. contra ratio nem. D. Thomæ.*

Ad argum. verò quod fecimus contra rationem D. Thom. in articulo respondetur, quòd ratio cur homo meretur sibi gloriam & augmentum gratiæ, & non primam gratiam, est illa quam assignauimus articulo præcedente per plures controuersias, quibus simul addendum est, quia Christus non communicat homini ita suam passionem, vt mereatur primam gratiam; bene tamen vt mereatur gloriam & augmentum gratiæ. Sed sustinendo rationem D. Thom. dico, quòd vt ex superioribus patet, meritum nostrũ apud Deum, non prouenit solum ex lege, nec solum ex gratia, sed ex vtroque: Certum est enim quòd opera beatorum licet procedant ex gratia, non sunt meritoria, quia non est lex quòd illi mereantur, neque conuenit statui illorum, cùm sint in vltimo termino, & iam habeant palmam meritorum. Similiter è conuerso, dato esset lex quòd sic operanti daretur illud, lex illa non sufficeret ad meritum, nisi opus illud procederet ex gratia; Quia gratia est quæ constituit hominem in statu digno præmio & mercede, cùm illa sit quæ hominem facit filium Dei. Hinc patet quòd non est eadem ratio de merito gloriæ, & de merito primæ gratiæ, quamuis esset lex de vtroque: Quia lex qua Deus sanciuit dare homini gloriam, respicit hominem in statu gratiæ, in quo est dignus mercede ex merito iustitiæ; & idcirco benè meretur gloriam de condigno; Sed tamen lex de cõuersione peccatoris respicit hominem in statu non digno, & ob id antequam per gratiam sit dignus, nihil meretur. Quocirca, quando Sanctissimus Præceptor dicit, quòd homo illud meretur ad quod mouetur siue ordinatur ex diuina motione, non intelligit hoc vniuersaliter: Quia certum est quòd ante gratiã habet homo plures motiones Spiritus sancti, quibus homo ordinatur & excitatur ad suum finem, sicut sunt motio fidei, spei, & timoris seruilis; & tamẽ per eas ante susceptam gratiam non meretur vitam æternam: sed intelligit de motionibus, quibus homo mouetur ab Spiritu sancto præsuppositа gratia. Quia cùm gratia efficiat hominem filium Dei, non præintelligendo gratiam, nullum est meritum.

## DVBIVM II.

*Vtrùm Christus meruerit nobis gratiam de condigno?*

DVbium hoc excitatur occasione S. Thom. in litera aientis, solum Christum posse mereri alteri de condigno primam gratiam: Quia anima Christi mota est à Deo per gratiam non solum vt ipse peruenire ad gloriam vitæ æternæ, sed etiam vt alios in eam adduceret in quantum est caput Ecclesiæ & author salutis humanæ, secundum illud ad Hebræ. 2. Qui multos filios in gloriam adduxerat authorem salutis eorũ per passionem consummare. Et licèt hoc loco plures possent tractari difficultates pertinentes ad meritum Christi; cæterum cùm illæ potius disputentur in materia de Incarnatione. 3. p. q. 1. art. 2. & q. 19. Idcirco decreui ab eis supersedere, & Lectorem in eũ locum remittere; Quamuis nos supra disputantes de valore meriti & eius ratione, nonnulla dixerimus huius instituti non aliena. Paucis ergo rem & controuersiam hanc volo aperire. ¶ Et principio Arguitur; Christum non meruisse de condigno gratiam nobis. Nam purus homo iustus dicitur alteri mereri primam gratiam solum de congruo, ob id quòd tantum meretur quòd alius se disponat ad gratiam, sicut Stephanus meruit Paulo: sed Christus non meruit aliter adultis primam gratiam, nisi merendo quòd se disponant ad illam: ergo meritum quo Christus meruit nobis primam gratiam, non fuit meritum de condigno, sed duntaxat de congruo. *Argum.*

¶ Secundo arguitur pro eadẽ parte. Quia si Christus nobis meruit de condigno primam gratiam, sequitur quòd prima gratia non donatur nobis gratis, sed ex debito, imo verò gratia in nobis non esset gratia, cùm talis gratia quæ nobis tribuitur, Christo debeatur ex iustitia: sicut si Rex tribueret beneficiũ Petro, quia prius illud meruit ex iustitia, non dicere mus Regem dedisse beneficium illud Petro gratis, quandoquidem hoc esset falsum: ergo. *Secundum.*

¶ Tertio arguitur fortius. Quia sicut requiritur proportio inter eum qui meretur, & eum apud quem meretur, & ob id requiritur vt is qui meretur apud Deum sit particeps naturæ diuinæ per gratiam; pari ratione, ille cui quis meretur de condigno, debet necessariò habere proportionem cum Deo, & participare eius naturã per gratiam; Qua ratione diximus, quòd purus homo non potest alteri mereri gratiam de condigno: sed peccator non est proportionatus Deo collaturo præmium gratiæ & donorum supernaturalium: ergo neque Christus meruit nobis peccatoribus gratiam de condigno. *Tertium.*

¶ Quartò arguitur. Quia homo non potest satisfacere pro eo qui est in peccato mortali, vt patet ex materia de Pœnitentia, eo quòd persona pro qua offertur, displicet Deo, & odio habetur, estque illi inimica: ergo pari ratione videtur quòd Christus non potuerit peccatori gratiam mereri de condigno. *Quartum.*

¶ Quinto arguitur. Gratia nostra est eiusdem rationis cum gratia Christi: sed nostra non potest mereri de condigno gratiam alijs: ergo neque gratia Christi. Nam profecto, si potest Christus per gratiam suam, & non purus homo iustus, inde videtur sequi quòd gratia Christi sit alterius speciei quã gratia nostra, quod est aperte falsum. Patet sequela: Quia aliquid conuenit intrinsecè gratiæ Christi, quod non conuenit gratiæ nostræ, scilicet, ordinatam esse ex diuina motione ad merendum alijs gratiam. *Quintum.*

His tamen non obstantibus, veritas fidei est, Christum nobis meruisse de condigno omnem gratiam, vt latè deduximus. 1. p. quæst. 23. art. 5. disputat. 2. vbi disceptatur, vtrum Deus prædestinauerit homines propter Christi merita præuisa? Imo verò, Scriptura & Ecclesia tribuunt simpliciter & absolutè gratiam nostram merito Christi, & expressè Trident. Concil. sessio. 6. plerisque in locis, & S. Thom. expressè in hoc art. vbi solum Christum dicit posse mereri alteri pri- *Veritas fidei.*



primã gratiam merito condigni; & ob id dicit, Christum esse & authorem salutis humanæ, & caput Ecclesiæ. Et adducit illud Pauli ad Hebræ. 2. Qui multos filios in gloriam adduxerat, authorem salutis eorum per passionem consummare: Vnde de Christo dicitur ab eodem Paulo quòd exauditus est pro sua reuerentia. Sed quoniam disputatio hæc pertinet ad. 3. part. loco supra citato, idcirco hęc nũc sufficiant, & solum nos conuertere oportet ad solutionem argumentorum.

*Ad argum. Ad primum*

Ad argumenta in exordio dubij facta. Ad primum respondetur, negando minorem: Nam Christus meruit totaliter de condigno omnem iustificationem, & omnem bonum motum supernaturalem à prima dispositione vsque ad vltimam gratiam & eius augmentum, &c. Quocirca, latissima differentia est inter purum hominem iustum & Christum: Nam Christus etiam promeruit multis primam gratiam sine aliquo motu ipsorum, vt patet de omnibus paruulis baptizatis: Hoc autem non potest efficere purus homo de lege; Nam quantumcunque sit Sanctus is, qui paruulum baptizat, non meretur paruulo gratiam, non solum de condigno, sed neque etiam de congruo. Quia mereri de congruo inter homines, est mereri alteri adulto dispositionem ad gratiam, & consequenter gratiam, ita vt mereatur gratiam dependenter à dispositione adulti, quæ ex Spiritu sancto fit. Quod meritum de condigno explicari debet iuxta modum, quem nos in superioribus explicuimus, & iuxta eum quem S. Thom. explicat hic; hoc autem non habuit purus homo respectu paruulorum. Quare, meritum Christi est de condigno respectu illorum, purus autem homo neque meretur illis de condigno neque de congruo. Rursus, etiam respectu adultorum est insignis differentia, quòd præterquam Christus meruit in vniuersali quantum ad sufficientiam de condigno pro omnibus, sicut & pro omnibus satisfecit quantum ad sufficientiam; tamen cum voluit passionem suam offerre pro aliqua persona particulari, meruit etiam secundum efficaciam illi dispositionem omnem ad gratiam, & meruit illi hoc verè ex iustitia, & de condigno; & esset repugnantia, quòd Christus mereretur illi dispositionem illam, & quòd illi non donaretur. Veruntamen, cum purus homo iustus suam orationem aut ieiunium, labores aut passionem offert pro aliquo, sicut Stephanus orationem suam pro Paulo obtulit, tunc non esset contra iustitiam, neque contra legem quòd illi non detur dispositio ad gratiam, & ob eam causam meritum Stephani respectu conuersionis Pauli, duntaxat fuit de congruo. Ratio vero huius diuersitatis est, quia de lege nullus alius homo præter Christum habuit gratiam capitis, neque fuit redemptor noster. Vnde hæc Christo conueniebant per se, quia erat Deus & homo, cuius opera erant infinitè meritoria, &c.

*Ad secundũ*

Ad secundum Sanctus Thom. de veritat. quæst. 29. artic. 3. ad. 3 respondet, quòd id quod ex efficacia meriti Christi nobis confertur, gratis confertur. Quibus verbis insinuat, quòd si prima gratia quam recipit iustus, conferatur ad Christum, sic debetur illi ex iustitia Christi, sed si conferatur ad hominem recipientem illam, sic mere gratis confertur, nam antequam illi daretur erat inimicus, indignus & displicens Deo. Vnde, cùm Paulus inquit, quod si gratia esset ex meritis non esset gratia, non intendit dicere, quòd absolutè gratia non detur nobis propter aliquod opus meritorium Christi Domini. Nam certum est Christum nobis promeruisse gratiam, & certum est quòd cum confertur nobis, per Christum & eius merita nobis confertur, qui meruit illam nobis de condigno. Sed intendit, gratiam non dari hominibus ex merito recipientis, quia tunc gratia, iam non esset gratia, sed esset debitum respectu recipientis, qui illam mereretur. Vnde, licet gratia quam recipimus, Christo non sit gratia; tamen recipientis est mere gratia. ¶ Sed quamuis hæc omnia vera sint, adhuc tamen videtur quòd argumentum non sit solutum vt patet ex simili adducto. Et confirmatur: Si purus homo mereretur Petro de iustitia primam gratiam, Deus non diceretur dare illi gratiam, scilicet, Petro gratis: ergo pari modo, si Christus nobis meruit de iustitia primam gratiam, Deus non dicetur dare nobis gratis huiusmodi primam gratiam. Respondetur tamen, verissimum esse quòd Christo debetur gratia ex iustitia pro his quibus ipse voluit; Cæterum ipse Christus est, qui eam isti vel illi dat gratis. Et quoniam totius Trinitatis est eadem voluntas, inde sequitur quòd si Christus eam nobis confert gratis, & Deus confert etiam nobis gratis. Quare ad argumentum respondetur negando sequelam: Quia simpliciter dicendum est, Deum nobis gratiam conferre gratis, licet Christus illam nobis meruerit. Quia licèt detur de rigore iustitiæ propter meritum Christi, tamen neque amittit nomen, neque rationem gratiæ, quoniam adhoc fatis est vt detur siue merito proprio suscipientis. Neque valet simile in exemplis allatis: Nam qui meruit à Rege beneficium, non dat illud sicut Christus nobis dat gratiam; quam ipse meruit; & dato ille daret beneficium; tamen non est eadem voluntas ipsius & Regis, sicut est eadem voluntas Christi & Patris. Quapropter, licet Rex dans beneficium Petro propter meritum Patris, non daret illud gratis; non sic est de Deo, licèt nobis gratiam tribuat propter meritum Christi, vt ostensum est. Et eodem modo respondetur ad confirmationem. ¶ Secundo respondetur, quòd absolute loquendo Deus gratis gratiam nobis confert; quia licet Christus illam meruerit ex iustitia; tamen sine merito suscipientium datur nobis, & Christus ipse voluit vt respectu suscipientium, gratis conferatur.

*Ad tertium*

Ad tertium respondetur, quòd quamuis ea ratione purus & priuatus homo non possit alteri mereri primam gratiam de condigno; tamen Christus potuit, quia per infinitatem sui meriti suppleuit omnia quæ requirebantur: tantum enim placebant Patri opera Christi, vt etsi peccatores illi essent & ingrati; tamen acceptaret illa opera Christi ad conferẽdum illis gratiam, & hoc de iustitia; Et ita meruit paruulis baptizatis, meruitque etiam omnibus adultis, qui iustificantur, iustificationem & gratiam, omnemque dispositionem antecedentem, & omnem gratiam præuenientem & impulsum gratiæ Dei. Rursus. Christus est caput nostrum, & idcirco nobis merendo, quodammodo sibi ipsi meretur, cùm nos simus membra

bra illius,& efficiamur vnum corpus cum illo;Et idcirco sufficit quòd ipse sit gratus, licet nos Deo ingrati simus;at vero quia homo iustus non est caput respectu alterius,merendo alteri, non censetur mereri sibi, & ob id non solùm requiritur gratia ex parte ipsius ad merendum de condigno, sed etiam requiritur ex parte alterius: Imo non sufficit quòd ponatur ex parte alterius vt mereatur illi de condigno propter rationes supra allatas in dubio præcedente.

*Ad quartū.* Ad quartum respondetur, quòd purus & priuatus homo non potest pro peccatore satisfacere, seu pro homine existente in mortali; secus tamen Christus, qui dicitur satisfecisse secundum sufficientiam pro peccatis totius generis humani propter infinitatem suæ satisfactionis,& propter rationem capitis. Sicut igitur ex causis iam dictis potest satisfacere de iustitia pro peccatore; ita & mereri illi primam gratiam de condigno, sicut explicatum est. *Ad quintū.* ¶ Ad quintum respondetur, quòd gratia per quam Christus merebatur, potissime erat gratia vnionis, quæ est alterius rationis à nostra gratia;& ideo poterat alium habere effectum.Quocirca, mereri alijs primam gratiam de condigno, & de rigore iustitiæ, non conueniebat Christo ex vi gratiæ habitualis præcisè sumptæ, sed ex vi gratiæ vnionis. Vnde, quamuis mereretur solum per gratiam habitualem quæ est eiusdem rationis cum nostra; tamen quia in illo erat vt in capite,poterat mereri de condigno;non tamen in nobis qui capita non sumus. Et ad replicam respondetur, negando sequelam: Quia quòd gratia Christi ordinetur ad merendum alijs,non conuenit sibi per se & intrinsecè secundum rationem gratiæ vt sic, sed extrinsecè & quodammodo per accidens in quantum est gratia capitis,sicut natura humana aut vis generatiua in Adam non erat alterius speciei quàm in reliquis hominibus, quamuis in illo haberet facultatem transfundendi iustitiam in posteros pro tota posteritate,in alijs non.Verum est quòd ille non transfunderet per modum meriti sicut Christus,sed per modum propagationis: Adā enim erat caput vt Pater naturæ, & ideo per natiuitatem corporalem debebat gratiam & iustitiam originalem transfundere;at vero Christus erat caput spirituale perfectissimum; & idcirco non per modum propagationis naturalis, sed per modum meriti transfusurus erat gratiam,vt rectè explicuit Driedo tractatu. 2.de Captiuit.& Redemp.generis humani cap.2.fol. 44.Si dicas, Christus meruit nostram iustificationem: ergo non iustificamur gratis; Respondetur ex dictis, quòd dicimur iustificari gratis in ordine ad nos,non in ordine ad Christum:Christo enim debita est nostra iustificatio,nobis minimè.

## DVBIVM III.

*Vtrùm iusti post hanc vitam mereantur nobis gratiam de congruo?*

Hoc loco dubitari solet,vtrum Sancti in cœlo existentes mereantur de cōgruo per suas orationes nostram iustificationem? Quod est quærere, vtrum Beati in Patria possint alijs mereri primam gratiam & iustificationem. *Ratio dubitandi.* Ratio dubitandi, quæ primò aspectu se se offert, communis est.Nam meritum de congruo fundatur in quadam congruentia: non enim innititur iustitiæ, sed congruentiæ:sed congruum est vt orante, verbi gratia, beato Paulo pro conuersione alicuius peccatoris, eius oratio exaudiatur à Deo: ergo beati in patria merentur alijs primam gratiam & iustificationem de congruo.

Quidam Theologi,non solum iustis tribuunt post hanc vitam, quòd nobis impetrent multa bona, sed etiam quòd nobis vere mereantur etiam de condigno. Hæc sententia tribuitur Nauarro in capit. Quando,notab.20.num. 83. *Nauarr.* Et aliqui ex recentioribus in fauorem eius argumentantur. Nam, licet eo quòd ipsi Beati iam sunt in termino,non possint sibi mereri; tamen quid obstat quòd mereantur nobis, qui non sumus in termino; sed in via. ¶ Secundo. Quia Ecclesia non solum petit propter preces, sed etiam propter merita Sanctorum, vt patet in plerisque orationibus canonicis, D. Hilarius Psal.129. asseuerat, *D.Hilar.* quòd infirmitas nostra indiget angelorum intercessione ad impetrandum & promerendum; & sermone quodam in laudibus Sanctorum Martyrum dicit se accepisse robur precibus & meritis eorum. Et D.Maxim.in Natali Sanctorum Nazarij & Celsi, *D.Maxim.* vsus est eodem termino meriti, D. Ambros. lib.2. de *D.Ambr.* Cain & Abel, cap.5. D. Leo. PP. sermo. de Petro *D.Leo.* & Paulo,& D.August.lib.10.contra Faust. cap.21.& *D.Aug.* lib.21.de Ciuit.cap.27.& plerisque alijs in locis,& vt refert Torrens.lib.2. confession.cap.9.§.8. Idem videntur sentire.¶ Sotus in.4.d.45.q.3.ar.1.explicat hoc dictum Sanctorum Patrum. Nam dicit, quòd licet Sancti non mereantur post hanc vitam;tamen applicantur nobis merita, quæ in hac vita habuerunt; & ideo non solum precibus, sed etiam meritis Sanctorum multa nobis conceduntur.

Alij recentes Theologi dicunt, difficile esse reddere rationem cur non mereātur iusti illi ciuesque Patriæ cœlestis existentibus in via; & asseuerant, quòd cùm sint in statu tam diuerso à nostro, constituantque diuersam rempublicam, ob id non debet tanta esse illorum communicatio nobiscum, & consequenter dicunt quòd nobis non communicant bona per modum meriti.

*Notab.* Pro explicatione tamen huius difficultatis suppono, quòd tam in orationibus, quàm operibus nostris possumus perpendere & rationem meriti, & rationem impetrationis, vt egregiè admonet S. Tho.22. q.83.art.15.& in hoc art.ad.2.vbi asseuerat,quòd impetratio orationis innititur misericordiæ; meritum autem condigni innititur iustitiæ,& quòd ob id multa orando impetrat homo ex diuina misericordia, quæ tamen non meretur secundum iustitiam, iuxta illud Daniel.9. Neque enim in iustificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis.¶ Quo constituto sentio, *Conclus.* Certissimum esse & catholicum, Beatos orare pro nobis in Patria,& pariter sentio, orationes exaudiri à Deo;tamen orationis vim & efficaciam magis inniti diuinæ misericordiæ,quam meritis.Vnde existimo, Beatos neque mereri nobis in Patria de congruo,neque de condigno.Itaque, orationes Sanctorum existentium in cœlo,obtinent nostram iustificationem per modum impetrationis, & non per modum meriti.Et quod dicitur à quibusdam, quod merentur nobis de condigno gratiam & iustificationem, puto omnino plusquam falsum. Et quòd Beati in Patria nobis non mereantur gratiam & iustificationem etiam de congruo, probatur: Quia Beati sunt extra statum merendi, cùm sint simpliciter in termino: ergo quamuis nobis impetrent gratiam & iustificationem, tamen non merentur propriè loquendo de merito. *S.Thom.* Sanctus Thom.in.4. dist.45. q. 3.artic.3.ad.4.dicit, Sanctos in Patria non esse in statu merendi; esse tamen in statu iuuandi nos ex merito præcedente.Nam hoc apud Deum viuentes meruerunt, vt eorum orationes exaudirentur post mortem. Et quamuis non sint ibi in statu merendi actu; tamen ex hoc non sequitur quòd non sint in statu impetrandi. *Medina.* ¶ Bartholom. Medina, in Comment. huius art.putat,quòd licet dici possit,orationes Sanctorum existentium in cœlo obtinere nostram iustificationem per modum meriti de congruo; magis autem propriè dici quòd obtinent per modum impetrationis, quia illi iam sunt omnino extra statum merendi.Et hæc sufficiant de hac dubitatione. ¶ Ad argumenta patet quid sit dicendum ex responsione à nobis facta.



## DVBIVM IIII.

*Vtrùm meritum congrui habeat effectum infallibilem, vt alteri conferatur gratia?*

Ratio dubitandi est: Quia meritum de congruo quatenus habet rationem meriti non potest concipi respectu primæ gratiæ, nisi ipsa aliquo modo debeatur: sed implicat primam gratiam deberi, cùm detur omnino gratis: ergo impossibile videtur iustum mereri alteri de congruo primam gratiam. Nam profectò Deus sine infidelitate vlla promissionis, & absque iniustitia potest denegare iusto alicui oranti conuersionem alterius & iustificationem: licet pro eo offerat sua merita & fundat preces: igitur nemo ex iustis potest alteri mereri primam gratiam de congruo.

Pro explicatione huius dubij suppono, tria esse necessaria ad meritum, nempe dignitatem operantis, & proportionem operis cum præmio, & etiam ordinationem Dei, seu diuinam motionem. Et licet in homine existente in mortali hæc omnia desiderentur etiam quando operatur ex auxilio Dei, vt quando credit, sperat, aut timet extra gratiam constitutus; tamen in viro iusto vere reperitur dignitas operantis & personæ acceptæ,& proportio operis cum præmio:Solum autem deficit illi diuina ordinatio & lex: non enim sanciuit Deus vt opera iusti applicata pro conuersione alicuius peccatoris, valerent ex infallibili lege, sed ex sua misericordia.

*Conclusio.* Certissima ergo conclusio est: Meritum congrui non habere effectum infallibilem vt alteri conferatur gratia. Hanc tenet Sotus in. 4. distinctione. 45. quæstione. 2. articulo. 1. Vega, libr. 5. in Trident. capite. 4. & lib. 8. capite. 8. & de Iustificatio. quæstione. 6. ad. 5. quamuis dicat quòd certius & frequentius obtinet quam oratio peccatoris, quæ non habet vim merendi, sed impetrandi. Idem sensit Bartholom. Medina hic & supra quæstione. 109. articulo. 6. Probatur: Quia hæc est communis sententia Scholasticorum. Secundò: Quia in hoc merito congruitatis non reperitur ratio debiti simpliciter, neque ratio iustitiæ;& ob id non est meritum simpliciter, sed secundum quid. Tertiò: Quia gratia nunquam conceditur ob orationes & merita alterius independenter à conuersione peccatoris: sed peccator etiam supposita alterius oratione & meritis, omnino manet indifferens vt conuertatur vel non conuertatur: ergo oratio & meritum de congruo viri iusti, non obtinet illi infallibiliter gratiam. Maior est Adriani quodlib. 8. artic. 1. & Ioan. à Medina Codice de Oratione quæstione.19.Et eandem tradit Vega, de iustificat. quæstione. 6. ad. 5. & D. Chrysost. homil.79. ad populum, dicens, Bonum est Sanctorum oratione frui; sed cùm & nos simus cooperatores; si non fuerimus, nihil aliorum prodest auxilium, nam & cum illo perimus. Rursus ratione probatur: Quia alias adultus posset iustificari sine actu proprio, quod est hæreticum, maxime extra sacramentum. Vnde liquet, quòd in viro iusto reperitur meritum congruitatis, in quo non solùm reperitur dignitas ex parte operantis, sed etiam opera Deo accepta; & ob id congruum est & rationabile vt quòd Dei amicus exposcit, fiat & impleatur;Ita tamen hoc est intelligendum vt in tali merito congrui non reperiatur ratio debiti simpliciter: Et ob id solum est meritum secundum quid, & non simpliciter.

¶ Hoc autē quod à nobis dicitur de gratia & iustificatione, eadem ratione dicendum est de augmento gratiæ, vt dicunt Sotus & Adrianus locis supra citatis. Quocirca, fallitur Medina Complutens. loco supra citato conclusione.10. putans,quòd quamuis gratia nunquam detur ex lege infallibili propter orationes & merita alterius; tamen datur auctior gratia, quā ipsius dispositio exigit: & Nauarro vbi supra. Existimo enim iustum ex merito congrui fallibiliter obtinere abundantiora auxilia illi pro quo offeruntur orationes & merita. Nulla est enim lex infallibilis in huiusmodi merito de congruo; aliàs inueniretur ratio debiti simpliciter. In homine autem peccatore non inuenitur ratio meriti etiam de congruo, cùm peccator sit inuisus Deo, eique inimicus, vt latè deducunt Theologi, tum in hoc articulo tùm etiam supra quæstione.109.articulo. 6. vbi de hac re fusiorem etiam nos habuimus sermonem.

## ARTICVLVS VII.

*Vtrùm. Homo possit sibi mereri reparationem post lapsum?*

Conclusio S.Thom. est. Iustus, neque potest mereri reparationem suam post lapsum de condigno, neque de congruo.

DVBIVM.

## DVBIVM I.

*Vtrùm iustus possit sibi mereri de condigno reparationem post lapsum: Et vtrum ratio D. Thom. in litera sit efficax?*

QVando quæritur, vtrum homo existens in gratia possit sibi mereri reparationem post lapsum, id quidem quæritur, vtrum iustus qui recidiuam timet, si oret Deũ, mereatur si ceciderit, vt resurgat à peccato? Quod sub alio titulo solet disputari, vtrum iustus & amicus Dei, qui quandiù est in gratia timet culpas admittere, si oret, quòd si ceciderit, reparetur à Deo post suum lapsum, vtrum talis oratio sit meritoria reparationis ad antiquum statum gratiæ? Et quoniam meritum hoc duplex est, de condigno & de congruo, primò disputabitur, An possit mereri reparationem post lapsum merito de condigno? deinceps verò disputabitur, An saltem possit mereri hanc reparationem à peccato ad gratiam saltem merito de congruo.

*Caietanus.* Caietan. dubitat de ratione D. Thom. quam adducit in litera, vt ostendat hominem non mereri sibi de condigno reparationem post lapsum: Est enim ratio D. Thom. hæc: Meritum de condigno, est ex motione Spiritus sancti: sed hæc motio interrumpitur per peccatum sequens: ergo non potest mereri quòd resurgat à peccato post lapsum. Ista autem ratio nihil valet: Quia etiam probaret quòd homo existens in gratia non meretur vitam æternam. Probatur: Quia Deus nos mouet per gratiam ad merendum vitam æternam: sed hæc motio sæpius interrũpitur ab homine per peccatum, vt patet in omnibus qui amittunt gratiam per peccatum mortale, & patet in Iuda, in quo motio Spiritus sancti interrupta est: ergo si ratio D. Thom. efficax est, sequitur quòd iustus qui est in gratia, si postea cadat ab illa per peccatum, non verè dicetur meruisse quando erat in gratia, vitam æternam. ¶ Et confirmatur: Quoniam sequitur ex ratione D. Thomæ si efficax est, quod requireretur omnino perseuerantia in gratia ad merendum, quod est aperte falsum. Quia tantumdem est dicere, interruptionem gratiæ tollere meritum condigni, quòd dicere nihil nos mereri ex condigno, nisi illud ad quod peruenitur ex gratia continuata.

*Argum. 1.* Quod verò iustus possit mereri merito condigni reparationem post suum lapsum, his argumentis suadetur. Primum est. Iustus per bona opera meretur vitam æternam & eius consequutionem, & meretur quidem merito de condigno: ergo de iustitia: sed post quam lapsus est per peccatum, non potest consequi vitam æternam nisi reparetur: ergo sicut meretur vitam æternam, meretur etiam reparationem post lapsum. Nam certe, is qui meretur finem, meretur ea quæ consequenter sunt necessaria ad consecutionem finis: sed reparatio post lapsum necessaria est ad vitæ æternæ consequutionem, quam vitam iustus meruit antecedenter merito condigni, præsertim fundendo orationem meritoriã ad Deum vt repararetur post lapsum, & repelleretur peccatũ, si forte in ipsum incideret: ergo. ¶ Secundo arguitur ex Paulo ad Hebræ. 6. vbi agens cum existentibus in peccato, de eorum salute quam sperare debet, inquit; Confidimus autem de vobis dilectissimi meliora & viciniora saluti, tametsi ita loquitur: non enim iniustus est Deus vt obliuiscatur operis vestri & dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius, &c. ergo vult Paulus ea opera meruisse de iustitia reparationem eorum: dicit enim se confidere de eorum salute & conuersione propter bona opera quæ gesserunt cùm iusti essent. Et subiungit, quòd Deus non potest obliuisci illorum operum, quia alias esset iniustus. Vult ergo Paulus quod per illa bona opera meruerint ex iustitia reparationem lapsi. ¶ Tertio arguitur. Iustus in gratia & amicitia Dei potest mereri alteri primã gratiam de congruo, & hoc est mereri reparationem post lapsum alterius: sed si semel Deꝰ acceptet hoc meritũ, licet is qui meretur, peccet, alter reparabitur, cui meritum applicatum fuit: ergo multo melius potest quis mereri sibi reparationem post lapsum merito condigni. ¶ Et confirmatur: Quia Deus excitat peccatores vt conuertantur, & plerisque modis eos allicit & vocat, Conuertimini ad me, venite ad me, &c. ergo de lege potest cadere sub merito huiusmodi reparatio: sed meritum iusti est opus æque bonum, sicut reparatio post lapsum: ergo ex iustitia & lege Dei potest iustus mereri reparationem suam post lapsum.

*Secundum Hebræ. 6.* *Tertium* *Confirm.*

*Nota.* Pro explicatione huius difficultatis suppono, quod gratia duobus modis concurrit ad meritum; Primò, vt constituens hominem in statu remunerabili, quòd sane gratia efficit, ob id quod constituit hominem diuinæ naturæ consortem & participem. Secundo concurrit ad meritum vt principium actus meritorij: Et hoc secundum supponit primum in ratione principij, sicut agere supponit esse; & præterea meritum ipsum necessario exigit statum remunerabilem in eo qui meretur, ita quidem vt nullus mereatur ex condigno sibi mercedem vel præmium simpliciter, sibi inquam homini, vt Caietan. dicit, sed sibi constituto in gratia, & in statu remunerabili. Nam meritum efficit mercedem debitam sibi in solo statu digno mercede: Nullus namque meretur quicquam sibi exhibendum in statu indigno merce de illa.

*Conclus.* His ergo ita prælibatis, est prima conclusio. De fide est, neminem iustorum mereri reparationem suã post lapsum, de condigno. Hanc tenet S. Tho. expresse in litera: dicit enim neminem posse sibi mereri reparationem post lapsum futurum, merito condigni. Eandem tenet Caietanus hic, D. Antonin. 4. p. tract. 9. cap. 7. §. 3. Et est de fide: Quoniam in plerisque concilijs plane definitur quòd homines iustificantur à Deo mere gratis. Imo verò ex plerisque locis Scripturæ id ipsum expressissimè habetur, & ex D. Paulo, vt supra ostendimus. Si autem aliquis meruisset de condigno suam iustificationem & reparationem, non gratis iustificaretur. Secundò probatur: Quoniam si aliquis iustus potest mereri reparationem post lapsum de condigno, sequeretur quòd omnes habentes huiusmodi meritum saluarentur finaliter & essent prædestinati, ac per consequens soli prædestinati, essent iusti, quod damnatur in Trident. sessione

*D. Thom.*

*D. Aug.*



sione. 6. Cano. 17. Item probatur ex illo Ezechiel. 18. Si auerterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem, omnes iustitiæ eius quas fecerat, non recordabuntur: ergo nihil valebunt ei præcedentia merita vt resurgat à peccato merito condigni. Quod testimonium adducit D. Thom. cum sua illatione hic in argumento, Sed contra. Item gratia requiritur ad merendum non solum ex parte principij, sed ex parte termini ad recipiendum effectum meriti: ergo, &c. Præterea: Peccatum facit hominem indignum diuino amore & indignum venia: ergo gratia quæ præcessit, non facit hominem dignum venia postquam peccauit & lapsus est; Imo verò vt aliqui dicunt, qui postquam habuit gratiam peccauit & offendit Deum, est magis ingratus diuinis beneficijs; ac proinde gratia præcedens non facit hominem dignum venia & reparatione post lapsum: ergo nullo modo potest mereri de condigno reparationem post lapsum. Et profecto, plus est mereri sibi de condigno reparationem post lapsum, quam mereri alteri de condigno primam gratiam: sed hoc secundum est impossibile: ergo primum. Tandem probatur: Quoniam omne meritum mortificatur per lapsum & per peccatum, ita vt non possit consequi effectum antequam à peccato resurgat: ergo prius esset peccator reparandus, quam illud meritum consequeretur suum effectum: ergo reparatio peccatoris non est effectus talis meriti. Et hæc ratio videtur mihi efficax ad ostendendam nostram assertionem. Imo verò, si recte perpendatur litera D. Thomæ, hæc est eius ratio, in qua aperienda tantopere laborauit Caietanus. ¶ Et confirmatur: Quia licet desiderium illud quo iustus desiderat reparationem post lapsum, iustum dicatur, & similiter oratio qua hoc petit apud Deum dicatur iusta petitio; non tamen ita quòd hoc innitatur iustitiæ, aut quòd sit meritum de iustitia; sed ita solum quòd hoc innitatur diuinæ misericordiæ, cum (vt paulò antea diximus) is qui meretur, non mereatur nisi homini in statu remunerabili. Et cum meritum omne per lapsum ita sit mortificatum, vt non possit consequi effectum per modum meriti antequam homo à peccato resurgat, sequitur, &c. Et hęc etiam est ratio Diui Thom. hic solutione ad primum. ¶ Confirmari potest secundo hoc: Quia quòd iustus possit alteri mereri de congruo primam gratiam, ob id fieri potest; quia saltem ex parte merentis non est vllum impedimentum: sed in casu nostræ quæstionis, quando quis post meritum gratiæ à iustitia recedit, reperitur verum impedimentum: ergo. ¶ Et hoc est quod Caietanus in Comment. huius articuli dicit, quando colligit, quòd ex hoc quòd gratia constituit statum dignum mercede alias debita merito de condigno, ideſt, statum remunerabilem, sequitur aperte impossibile esse habere rationem mercedis debitæ ex merito de condigno, quod in sua ratione includit & concipit statum oppositum, seu contrarium. Et ex hoc colligitur argumentum pro conclusione: Reparatio post lapsum in ratione sua claudit subiectum in statu opposito, qui status efficitur per mortale: ergo impossibile est quod reparatio post lapsum habeat rationem mercedis debitæ ex merito de cõdigno. ¶ Cõstat etiã afferta cõclusio. Quia nulla est facta promissio de hoc

*Conclusio. 2.* Secunda Conclusio. Ratio Sanct. Thom. in litera, qua ostendit iustum non posse de condigno mereri reparationem suam post lapsum, efficax est, & efficaciter hoc ostendit. Est autem ratio D. Thom. quam supra retulimus, hæc quæ sequitur, Meritum de condigno, est ex motione Spiritus sancti; Nam ratio huius meriti pendet est motione diuinæ gratiæ: Sed hæc motio interrumpitur per sequens peccatum: ergo non potest iustus mereri quòd si peccet mortaliter, resurgat à peccato post lapsum. Hæc autem ratio D. Thom. ad hanc, quam supra fecimus reducitur; imò verò est eadem si attentione perpendatur. Omne meritum mortificatur per peccatum, & per lapsum in mortale, ita vt non possit consequi effectum antequam à peccato resurgat iustus qui prius meruerat: ergo prius esset peccator reparandus, quam illud meritum consequeretur suum effectum: ergo reparatio peccatoris non est effectus talis meriti. ¶ Vt tamen D. Thomæ rationem explicemus aduerte, quòd quando Sanctissimus Præceptor affirmat, quòd homo qui est in gratia non meretur reparationem post lapsum, quia Spiritus sancti motio per peccatum est interrupta, non intendit dicere aut infinuare quòd requiratur ad meritum perseuerantia in gratia, aut quòd homo sit prædestinatus; hoc enim ipse Doctor Sanctus impugnat hic ad. 3. & est error damnatus in Concilio Palæstino sessio. 15. Imo verò in Trident. sessio. 6. cano. 17. Rursus obserua, quòd meritorium opus ex ratione sibi propria vt meritorium est, habet vt sit opus, quo constituimus alterum debitorem alicuius mercedis reddendæ, cùm homo est in statu remunerabili & digno mercede. Quia implicat quòd aliquis mereatur præmium & mercedem reddendam in statu indigno ipso præmio & mercede, vt Caietan. in Comment. dicit. Et hinc colligitur, quòd quia gratia constituit hominem in statu digno præmio & mercede quam meruit; idcirco impossibile est quòd aliquis existens in gratia mereatur tanquam præmium & mercedem id quod in sua ratione includit statum indignum præmio & mercede, qui status est mortale peccatum. Et quoniam reparatio post lapsum supponit peccatum, ratione cuius reparatio est facienda, & meritum huius reparationis supponit quod homo peccet vt reparetur; idcirco impossibile est quòd homo existens in gratia per bona opera mereatur reparationem post lapsum.

¶ Rursus fauet pro hac conclusione, & pro defensione rationis Diui Thomæ, quòd interruptio, quæ fit per peccatum mortale potest esse duplex, quædam namque est quæ solum præstat impedimentum ad meritum perseuerantiæ in gratia, aut quòd homo sit prædestinatus; hoc enim ipse Doctor Sanctus impugnat hic ad. 3. & est error damnatus in Concilio Palæstino sessio. 15. Imo verò in Trident. sessio. 6. cano. 17. Rursus obserua, quòd meritorium opus ex ratione sibi propria vt meritorium est, habet vt sit opus, quo constituimus alterum debitorem alicuius mercedis reddendæ, cùm homo est in statu remunerabili & digno mercede. Quia implicat quòd aliquis mereatur præmium & mercedem reddendam in statu indigno ipso præmio & mercede, vt Caietan. in Comment. dicit. Et hinc colligitur, quòd quia gratia constituit hominem in statu digno præmio & mercede quam meruit; idcirco impossibile est quòd aliquis existens in gratia mereatur tanquam præmium & mercedem id quod in sua ratione includit statum indignum præmio & mercede, qui status est mortale peccatum. Et quoniam reparatio post lapsum supponit peccatum, ratione cuius reparatio est facienda, & meritum huius reparationis supponit quod homo peccet vt reparetur; idcirco impossibile est quòd homo existens in gratia per bona opera mereatur reparationem post lapsum.

¶ Rursus fauet pro hac conclusione, & pro defensione rationis Diui Thomæ, quòd interruptio, quæ fit per peccatum mortale potest esse duplex, quædam namque est quæ solum præstat impedimentum ad meritum consequendum, & talis interruptio non impedit meritum, sed consequutionem mercedis debitæ pro merito; Et sic fuit in Iuda proditore, qui cùm fuit iustus, vere aliquando meruit, sed postea propter peccatum, & multiformia scelera fuit indignus præmio, & illo priuatus. Et idem est de omnibus qui vere merentur, licet postea propter peccata eorum, non sint præmia consequuturi. De hac igitur interruptione loquitur Sanct. Thom. hic ad. 3. Vnde, quòd iustus in gratia existens absolute mereatur vitam æternam, siue postea sit peccaturus siue non, certa fide est credendum

dendum. Quoniam quando est in gratia, verè est filius Dei adoptiuus: ergo habet verum ius ad hæreditatem. Quòd verò per peccatum sequens apponat homo impedimentum consequutioni præmij quod verè meruit, probatur: Nam etiam inter homines id ipsum contingit. Nam filius propter peccatum commissum in Patrem, priuatur hæreditate ad quam habet ius: ergo. Vnde Scriptura de peccato mortali dicit, quòd cùm consummatum est generat mortem, & quòd Deo odio est impius & impietas eius. Altera est interruptio, quæ per se includitur in primo termino, id est, in re impetranda à Deo, vt si quis deprecaretur Deum vt illi vires conferat ad se occidendum, & quòd postquam se occiderit resurgat; tunc sanè ea interruptio tenet se ex parte rei impetrandæ à Deo: Quia hic petit à Deo rem quæ per se & necessariò requirit mortem. Pari ergo modo, si quis petat à Deo reparationem post lapsum, interruptio per peccatum se tenet ex parte rei impetrandæ: Quia petimus rem, ad quam per se requiritur casus: & huiusmodi interruptio tollit meritum. Probatur: Quoniam nullus potest mereri tanquam mercedem à Deo id ad quod per se requiritur peccatum: Si enim quis meretur vitam æternam, ad obtinendam illam non requiritur per se peccatum, imo si homo non peccaret meliùs obtineret illam: sed si homo peccat illud est peraccidens; ad obtinendam autem reparationem post lapsum, requiritur lapsus antecedens, cuius reparatio sit præmium meriti antecedentis, & ita requiritur per se peccatum: igitur homo non potest illam mereri à Deo.

¶ Profectò, irrationabile est asseuerare, hominem mereri præmium conferendum à Deo in eo statu quo homo sit inimicus Dei, sicut irrationabile esset, quòd homo vellet per sua opera constituere Regem debitorem, Para que le hizieſſe mercedes de vna encomienda, quando fuesse su enemigo capital. Tandem persuadetur: Quia per peccatum homo verè amittit & destruit meritum, vt habetur Ezechiel decimo octauo: ergò etiam quando est in gratia non potest mereri de condigno pro eo tempore quo est in statu irremunerabili, seu pro eo tempore quo est in peccato. Verum est tamen quòd post reparationem reuiuiscunt merita ad gloriam, sed nunquam fuerunt merita, neque habuerunt valorem ad hanc reparationem post lapsum, vt explicatum est. Quod potissimè est verum: Quia nulla est facta promissio de tali præmio respectu talis meriti. Et rursus, quia gratia ipsa requiritur ad merendum non solum ex parte principij, sed etiam ex parte termini ad recipiendum effectum meriti, vt suprà diximus: ergo, &c. Sanè de fide est, iustum non posse mereri de condigno reparationem post lapsum, ex omnibus quibus suprà ostendimus idem de prima gratia. Nam certè, si iustus mereretur de condigno reparationem post lapsum, apertè sequeretur, quòd is qui semel esset iustus & mereretur, esset certus de sua reparatione, etiam si cadat, quod est erroneum.

Tertia conclusio. Etiam si sit sermo de potentia absoluta, nemo potest mereri de condigno reparationem post lapsum. Probatur: quia nemo potest mereri ex iustitia id quod non potest consequi præsertim in statu irremunerabili: sed tunc in casu propositæ controuersiæ non posset ex iustitia consequi reparationem post lapsum, vt dictum est: ergo. Minor patet: Quia postquam aliquis labitur in peccatum, mortificantur omnia opera eius: igitur postquam homo incidit in peccatum, iam non habet vllum opus meritorium, cui ex iustitia debeatur reparatio. ¶ Dices; De potentia absoluta possent opera non mortificari quoad meritum in acceptatione Dei, atque adeo si Deus ita pacisceretur cum iusto, Si per quatuor menses perseueraueris in gratia, in præmium huius, te restituam si postea excideris ab statu gratiæ. Respondetur, quòd implicat opera non mortificari quoad dignitatem & valorem intrinsecum, quia hunc habent ex eo quòd procedunt à gratia, quæ tunc non est; possunt tamen manere quoad acceptationem extrinsecam Dei, sicut si Deus propter opus naturale promitteret gloriam, quod vt suprà vidimus non esset meritorium de condigno; Imò verò non esset opus connaturale. ¶ Et confirmatur: Quia prima gratia non potest cadere sub merito: ergo neque reparatio post lapsum, quæ tunc erit prima gratia. ¶ Postremò persuadetur: Quia si posset quis de potentia absoluta mereri de condigno & de iustitia propriè loquendo de merito, reparationem post lapsum, pari ratione mereretur quis de congruo de facto & de lege, reparationem post lapsum; quod est expresse contra Sanctum Thomam, & contra ea quæ statim dicemus dubio sequenti: ergo.

*Ad argum.* Ad argumenta. Ad illa quæ militabant contra rationem Diui Thomæ, patet ex dictis conclusione secunda. ¶ Ad reliqua verò argumenta, quæ potissimè militant contra priorem conclusionem, suo ordine respondere debemus. Ad primum aliqui respondent, quòd iusti per bona opera non merentur absolute vitam æternam, sed sub conditione, si perseueraverint; Et quod per solum actum finalis gratiæ, merentur absolutè vitam æternam. Ita videtur sentire Piccus Mirādul. in Apolog. q.2. Et fauent verba illa Concilij Trid. 6. sessio. cap. 16. & Cano. 32. Vbi dicitur de iustis merentibus vitam æternam, & augmentum gratiæ, quòd merentur ipsius vitæ æternæ consequutionem atq; gloriæ augmentum; si tamen in gratia decesserint. ¶ Sed hanc sententiam expressè S. Tho. repellit in hoc art. solut. ad. 3. & dicit esse irrationabilem: Quoniam actus finalis gratiæ sæpè sæpiùs est minus perfectus, quam actus præcedentes: Si ergo ille meretur absolutè vitam æternam, alij etiam merebuntur absolutè vitam æternam. *Solutio.* ¶ Respōdetur secundò, quòd quilibet actus meritorius, meretur absolutè vitam æternam, hoc tamen non obstat quin exequutio huius meriti possit impediri per peccatum sequens, sicut causa naturalis absolutè habet virtutem producēdi effectum, & tamen quoad executionem potest impediri eius efficacia. Et ob id in Trid. loco citato cùm dictum fuerit absolutè, iustos per bona opera mereri vitā æternam, subditur conditionalis illa, quòd merentur cōsequutionem vitæ æternæ; si tamen in gratia decesserint. Vbi conditio ponitur respectu consequutionis vitæ æternæ, eò quòd consequutio pertinet ad exequutionem. Itaque, quamuis priora opera absolutè mereantur gloriæ consequutionem: tamen vt executioni mandentur, necessaria conditio est decedere in gratia. *Obiectio.* ¶ Sed dices: ergò similitèr potest quis mereri reparationem post lapsum, seu iustificationem post lapsum; licèt postea impediatur. *Solutio.* Respondetur quòd mereri vitam æternam, non importat repugnantiam ex parte termini: non enim iustus meretur vitam æternam indigno, sed sibi digno. Si verò meretur reparationem post lapsum, meretur indigno; & ita importat repugnantiam ex parte termini, vt sæpiùs dictum est.



*Ad secundum.* Ad Secundum respondetur, quòd locus ille Pauli variè interpretatur à Sanctis Patribus. Primò de operibus bonis factis ab ijs qui erant in peccato, dùm in peccato essent: Et tunc sensus est, quòd per huiusmodi opera merentur peccatores de congruo suam reparationem. Ita interpretatur S. Tho. Paulum eo loco. Hæc tamen interpretatio mihi nō probatur: Quia nullum agnosco meritum in homine peccatore, quandiù existit in mortali, præcipuè respectu donorum supernaturalium. Secundò potest intelligi de operibus factis cùm essent in gratia: Et sensus est, quòd illa opera per pœnitētiam reuiuiscunt, etiam si fuerint mortificata per peccatum, atq; adeo illis correspōdet præmium vitę æternæ. Vnde, non intendit Apostolus quòd propter illa reparentur lapsi, sed quòd iam reparati, obtinebunt gloriam propter illa. Tertiò exponitur ille locus Pauli, quòd non loquatur cum lapsis, sed cum iustis & in gratia perseuerantibus, quibus ex iustitia debetur & de condigno præmium propter bona opera meritoria. Ita Anselm. & plerique alij cum eo super illum locum.

*Ad tertiū.* Ad Tertium dicemus dubio sequenti, vbi disputabitur, vtrùm saltem iustus possit mereri sibi de congruo reparationem post lapsum. Interim tamen negatur consequentia. ¶ *Ad confir.* Ad confirmationem respondetur negando consequentiam. Pro cuius solutione aduertenda sunt, quæ S. Thom. docet hic solutione ad. 1. & 2. ¶ *Obiectio.* Si obijcias iterùm: Homo simplicitèr meretur vitam æternam, etiam si interrumpatur motio per peccatum sequens: ergo etiam simplicitèr poterit mereri reparationem post lapsum, licèt interrumpatur illa motio per peccatum. *Solutio.* Hæc obiectio soluta est à nobis sæpiùs in simili. Dicendum est enim quòd gratia requiritur ad meritum non tantum ex parte principij, sed etiam ex parte termini, id est, quòd quando homo fuerit consequuturus præmium, etiam sit in gratia: requiritur namque quòd sit dignus præmio, quæ dignitas efficitur per gratiam. Vnde ad obiectionem in forma respondetur, negando consequentiam: Quia quando datur vita æterna, iam homo est dignus per gratiam, neque vnquam potest mereri quòd detur sibi vita æterna, dum fuerit in peccato mortali; qui autem est in peccato, est simplicitèr inimicus Dei, & consequentèr indignus præmio supernaturali, vt dictum est. Quare, non potest de condigno id mereri, & forsan etiam de potentia absoluta non potest mereri talem reparationem. Quia licèt Deus posset acceptare opus aliquod, vt propter illud conuerteret peccatorem; illa tamen acceptatio potiùs esset ex mera liberalitate Dei, & ex sola diuina misericordia, quam secundum rationem meriti, vt. S. Thom: docet hic Ad primum.

## DVBIVM II.

*Vtrùm iustus possit sibi mereri saltem de congruo reparationem post lapsum?*

PLerique sunt Theologi, qui putent iustum sibi mereri de congruo reparationem post lapsum. Ita Diuus Bonauent. in. 2. distin. 28. in expositione literæ, Gabriel in 2. d. 27. q. 1. art. 3. dub. 3. Et videtur D. Thom. esse huius sententiæ super Epist. ad Hebræ. capitu. 6. lect. 3. explicans illud citatum, Non enim iniustus est Deus vt obliuiscatur operis vestri. Vega de iustificat. quæst. 6. ad. 6. dicit, vtramq; opinionem esse probabilem, & vtrāque posse problematicè defendi; sed ipse magis declinat in partem affirmatiuam. Et illi omnes qui putant, hominem existentem in peccato posse sibi mereri de congruo primam gratiam, à fortiori tenent, iustū posse sibi mereri de congruo reparationē post lapsum. ¶ Horum Authorum sententia, his argumentis suadetur. *Argumentū Primum.* Primò. Iustus potest alteri mereri reparationem post lapsum de congruo: ergo etiam sibi si cadat. Consequentia patet ex paritate rationis; Imo verò, opera hominis existentis in gratia, magis sibi prosunt, quam alijs. Antecedens autem probatur: Quia homo existens in gratia potest alteri mereri primam gratiāergo & reparationē post lapsum. *Solutio.* Dices, disparitatem esse, quia cùm aliquis alteri meretur reparationem post lapsum, adhuc in ipso tempore reparationis adsunt merita, nō quidem mortificata, sed viua ipsius iusti. Nam volēs reparare peccatorem ex meritis alicuius iusti, attendit in eo qui meretur gratiam & amicitiam, & eius actuale meritum, cuius intuitu alterum reparat: Nam cùm peccator ille reparatur, est aliquid ex parte alterius merentis, quod Deus attendit; hoc autem non habet locum quādo ipse qui meruit lapsus est in peccatum: Quia iam non habet merita præsentia quæ intueatur: Quia iam omnia illius merita sunt mortificata: Sed contra: Quia sequitur ex hoc, quòd meritum quo iustus meruit alteri primam gratiam, impediatur per hoc quòd ipse iustus qui meruit, labitur in peccatum ante alterius conuersionem, hoc autem videtur falsum: Nam si iustus qui meruit alteri reparationem, peccet, adhuc alter reparabitur ob illa merita: ergo illa non sunt mortificata per lapsum illius iusti; ergò neque cùm ipse meretur sibi & postea labitur, mortificabuntur ipsius merita, sed propter illa reparabitur. Vnde. S. Thom. hic dicit, quòd si quis meruit gratiam alteri, si peccet antequam recipiat plenum effectum, meretur de congruo illi gratiam: ergo pari ratione possum mihi mereri reparationem, licèt postea peccem. *Replicā.*

Secundò arguitur, Benignior est Deus ad misereū dum quā homo: sed qui ex infirmitate offendit amicum: cui magna & ingentia obsequia præstitit, meretur ex quadam congruitate reduci ad eius amicitiā: ergo. *Secundum.* ¶ Et confirmatur ex illo Pauli sæpiùs citato Hebræ. 6. Nō enim iniustus est Deus vt obliuiscatur *Confir.*

operis vestri:Nam ibi loquitur Paul.cum lapsis,ac si dicat, Conuertimini ad Deum, qui propter opera vestra vos reparabit.¶Tertiò arguitur.Si iustus qui diu perseuerauit in iustitia peccet, faciliùs resurget, quam qui paruo tempore rectè vixit. Quod sanè satis est conueniens ordini diuinę prouidętiæ: ergo.¶ Et cõfirmatur ex illo Psalmi, Cùm defecerit virtus mea, ne derelinquas me:sed hanc orationem congruum est exaudiri à Deo; aliàs illam non funderet Dauid. Et confirmatur iterum : Nam homo siue in gratia siue in peccato sit, potest fructuosè petere à Deo huiusmodi reparationem post lapsum : ergo & illam mereri de congruo. Patet Consequentia ex D. Augustin. qui explicans verba allegata, Cùm defecerit virtus mea ne derelinquas me Domine, inquit ; Nil iustiùs à Deo petitur, quam quòd quis reparetur post lapsum ; Vbi denotatur aliquale meritũ, cùm dicitur,Nil iustiùs. ¶ Quartò arguitur ex argumento suprà tacto contra rationem D.Thomæ:Non enim sequitur,Meritum fuit interruptum per peccatum : ergo non fuit meritum reparationis ; quia etiam interrumpitur per peccatum meritum in ordine ad gloriam; & tamen antea fuit verum meritum: ergo similitèr in proposito &c.

*Tertium.* *Confir.1.* *Confir.2.* *Quartum.*

His argumentis, recentes Theologi putant sententiam hanc esse probabilissimam . Et quòd verè iustus meretur sibi de congruo reparationem post lapsum ; si tamen hæc ratio meriti intelligatur, non quòd infallibilitèr propter opera facta in gratia, consequatur quis reparationem post lapsum, sed quòd infallibilitèr iuuabitur ad illam, secundum maiorem vel minorem sanctitatem præcedentem cæteris paribus. Et ita dicunt explicari posse Sanctum Thom.hic quando negat meritum congrui respectu reparationis post lapsum,quòd videlicèt duntaxat neget meritum infallibilis reparationis. Neque valet contra hoc ratio Altisiodorensis lib. 3. tract. 2. quæstio. 6. quòd oratio non habet vim merendi, nisi fiat cum perseuerantia ; & quia is qui labitur non perseuerat, sequitur quòd non merebitur reparationem. Hæc inquam ratio non satisfacit. Quoniam ad meritum non requiritur perseuerantia.Nam cùm iustus operatur benè ex motione Spiritus sancti,absolutè meretur apud Deum, quamuis postea ex fragilitate peccet: ergo &c.

*Altisiodorensis.*

His ergò non obstantibus, certissima debet esse Conclusio. Sancti Thomæ, Iustum neque etiam de congruo posse mereri sibi reparationem post lapsum.Hanc tenet hic in corpore articuli, & in solutionibus argumentorum. Albertus Mag.in.2.distin. 28.Alens.3.par.quæst.69.memb.5.artic.3.Bartholom. Medina idem sensit super hunc artic. D. Chrysost. homil.1.de Pœnit. Ratio verò huius assertionis est: Quia homo qui peccat mortalitèr, ponit impedimentum omnibus meritis præcedentibus etiam quoad rationem meriti de congruo. Primò ; quia se omnino facit indignum omni bono. Secundò; quia mutat voluntatem, & quasi reuocat omnes voluntates bonas præcedentes. Tertiò, quia non facit quod in se est vt aliquid obtineat à Deo,& quò plura habet merita, maiori ingratitudine peccat.¶ Vnde, ratio D. Thomæ efficax est ad propositam assertionem confirmandam:Quia meritũ congrui, quo quis meretur alteri primam gratiam, impeditur ne consequatur effectum propter impedimẽtum peccati, quod est in eo cui meretur: ergo multo magis impedietur talis meriti efficacia propter impedimentum eius, qui meretur , & cui meretur: sed huiusmodi impedimentum habet qui peccat post lapsum : ergo quando erat in gratia, sibi non meruit de congruo reparationem post lapsum. Verùm est quòd hæc ratio D. Thom. prima facie nihil videtur concludere: Quoniam Sanctissimus Præceptor vult hic probare quòd homo existens in gratia, non mereatur sibi de congruo reparationem post lapsum ; & tamen ratio solum procedit de consequutione mercedis, quam quis meruit : Quamuis enim sit verum quòd per peccatum quis impediatur à consequutione eius quod meruit; tamen inde non sequitur quòd ante illud non meruit . Et quamuis ita sit quòd per peccatũ, per quod quis interrumpit gratiam , fit impedimentum ad consequendam reparationem;tamen non inde videtur se qui quòd quando homo erat in gratia , non mereatur de congruo reparationem post lapsum. Cæterùm,licèt hæc ratio in cortice literæ non appareat efficax; tamen si rectè perpendatur & intelligatur, cõcludit & est efficax.Nam intelligi debet ad modũ præcedẽtis rationis, quã fecimus dubio primo.Ratio igitur hæc est: Homo in gratia existens non potest primã gratiã mereri alteri post lapsum: ergo neque sibi potest mereri reparationẽ post lapsum.Antecedens liquet: Quia nullus potest mereri etiam de congruo id,ad quod obtinendum per se requiritur peccatum : Cùm ergo ad obtinendum quòd alius habeat primam gratiam post lapsum, requiratur quòd peccet ille alius,inde fit vt homo existens in gratia, non possit mereri illam primam gratiam post lapsum. Probatur *consequentia*. Quoniam tota ratio Antecedentis est, quia ad tale meritum apponitur impedimentum ex parte rei impetrandæ in eo cui quis meretur, & in eo qui meretur:Quoniam in hoc casu omnia coeunt in eandem personam : igitur multò minus potest quis sibi mereri de congruo primam gratiam post lapsum.¶Hanc eandem assertionem vt certissimam defendit Bartholome. Medina in Commenta. huius artic. qui quamuis in principio minus aptam rationem adducat ad ostensionem eius; tamen rationabile est vt exaudiatur iustus orans sæpè Deum vt si fortè labatur ex fragilitate in peccatum , à Domino reparetur. Et ob id fauet illud Psalmi allatum , Domine cùm defecerit virtus nostra ne derelinquas nos. Nam profectò oratio est impetratoria munerum diuinorum , inter quæ præcipuum est , vt si homo lapsus fuerit , reparetur à Deo. Et in casu posito nostræ disputationis non innititur meritis & iustitiæ , sed diuinæ misericordiæ , respectu cuius congruum est vt iustis ita clamantibus & benè operantibus respectu diuinæ misericordiæ,& liberalitatis diuinæ peccatores reparentur & viuificentur.

*D.Chryso.*

Ad argumenta . Ad Primum respondetur ex dictis in eodem argumento. Et præterea respondetur, quòd quando quis labitur in peccatum , cui alter iustus perseuerans , meruit reparationem, tunc merita illius reparationis non mortificantur, cùm maneat in gratia ille qui meruit; at verò omnia merita siue de condigno siue de congruo , per peccatum proprium mortificantur , vt colligitur ex Ezechiel. 18. Si auerterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem , omnes iustitiæ eius quas fecerat non recordabuntur . Imò verò , licèt primus reparetur propter merita iusti perseuerantis;tamen secundus reparari non potest per sua propria merita , cùm omnia sint mortificata. Vnde ad argumentum respondetur negando consequentiam propter disparitatem rationis assignatam.

*Ad argumenta. Primum.* *Ezechi. 18.* *Ad replicam.*

¶Ad replicam respondetur, quòd etiam si iustus qui meruit de congruo alteri reparationem , non perseueret in gratia, alius reparabitur ex diuina misericordia propter merita illius quæ iam applicata fuerunt alteri . Vnde, nihil interest quòd qui illa applicuit , postea labatur vel non ; sicut satisfactio quã iustus alteri applicuit dũ erat in gratia,prodest alteri iusto , etiam si primus qui satisfactionem applicuit , postea labatur. Quo circà , neganda est illa consequentia, quòd possit quis mereri sibi reparationem post lapsum . Nam meritum alterius postquam semel est mihi applicatum , iam reputatur meum,& non merentis:actio enim est in passo.Quare,licèt ille peccet, nihil mihi nocet? Cæterùm quãdo egomet mihi ipsi merui , non solum est ruina ex parte agentis , sed etiam pono impedimentum mihi ipsi recipienti. Vnde , cùm ille qui mihi meruit peccat , interrumpitur meritum per accidens: ex eo enim quòd ille deliquit , non amitto ius ad præmium . ¶ Sed contra. Licèt ego sim in peccato mortali , applicatur mihi meritum Petri , & licèt etiam Petrus peccet , non ideo reuocatur eius meritum quod pro me obtulit , quia obtulit illud dum erat in gratia: ergo sicut manet hoc meritum , ita & illud quod ego obtuli pro me, dum eram in gratia , quamuis modò sim in peccato . Et confirmatur : Nam quando aliquid datur in præmium correspondens merito , datur propter dignitatem quæ tunc existat in aliquo : sed nulla est modò in Petro qui pro me obtulit , quia ipse peccauit ; nec in me,quia etiam sum in peccato:ergo.

*Obiectio.* *Confir.*

¶ Huic obiectioni respondetur quòd per lapsum iusti qui meruerat alteri de congruo primam gratiam,impeditur tale meritum quoad consequutionem præmij , seu illius primæ gratiæ , quia mortificantur omnia eius opera; non tamen tollitur quin opus à principio fuerit meritorium . Dices : Ergò pariter iustus potest mereri suam reparationem, quia licèt postea per peccatum interrumpatur meritum, quoad consequutionem præmij; tamen hoc non tollit quin fuerit verum meritum à principio. Respondetur vt sæpiùs diximus ex Caietano , quòd interruptio potest accidere merito ex parte executionis ipsius meriti , & consequutionis præmij & hoc non tollit quin opus fuerit meritorium cùm factum fuit . Rursus potest accidere interruptio meriti ex parte termini ; & ita est implicatio dicere quòd quis mereatur mercedem pro statu interruptionis : merces enim reddenda à Deo supponit in eo cui redditur non esse repugnantiam directam ad recipiendam mercedem ab ipso Deo : Dicere autem quòd aliquis mereatur præmium reddendum tempore quo interrumpitur & mortificatur eius meritum per peccatum mortale , est dicere quòd mereatur præmium reddendum indigno positiuè,& repugnanti , quod implicat. ¶ Sed contra: Nam oratio qua quis petit à Deo vt reparetur post lapsum,est valde rationabilis,& vtilissima, imo verò est conformis diuinæ misericordiæ , iuxta illud Psalm.70. Cùm defecerit virtus mea ne derelinquas me Domine:ergo aliquo modo meretur reparationem. ¶ Respondetur , talem orationem esse vtilem vt homo faciliùs resurgat post lapsum: sed hoc non esse ex vi meriti,quod insit illi orationi, sed ex pura Dei misericordia condescendẽtis talibus precibus: Lõgè namque differunt quòd mereatur quis etiam de congruo à Deo, vel quòd impetret sua oratione. Quia meritum importat quandam recompensam respectu præmij dandi; impetratio verò in merâ & sola gratia fundatur.¶ Tandem , ad consequentiam principalem argumenti plures Thomistæ dicunt, quòd meritum quo merui Petro de congruo primam gratiam,non interrumpitur per peccatũ meũ in ordine ad alterũ cui merui ; & ità quòd quamuis ego peccem;tamen si alter reparetur , est ex merito meo.Et ratio est:Quia tale meritũ non dependet ex futuro contingenti. Semper igitur neganda est consequentia argumenti principalis,nam nullius est valoris: Quia respectu Petri , peccatum quod postea ego committo , non se tenet ex parte rei impetrandæ ; & idcirco non impeditur meritum , sed tamen respectu mei tenet se peccatum ex parte rei impetrandæ;& ob id non possum mihi mereri reparationem post lapsum.

*Obiectio.* *Solutio.*

Ad Secundũ respondetur,quòd qui offendit amicum,quamuis antea præstiterit obsequia ; tamen si illis non obstantibus meruit per offensam omnino ab amicitia excludi , tunc ratione offensæ & illatæ iniuriæ perijt illa congruitas meriti ad pristini status restitutionem , hoc est ad eius amicitiam. Vnde , qui offendit amicum , non merebitur reduci ad amicitiam propter obsequia priùs præstita.¶ Ad confir.patet ex dictis dubio præcedente , vbi expositionem Pauli fusius sumus prosequuti.¶ Ad tertium respondetur , duntaxat probare secundum quid ex parte diuinæ misericordiæ nonnihil esse cõgruitatis,vt si Deus aliquem vult à peccato extrahere,benignè inclinetur vt conuertat eum, qui habuit multa merita , & qui fuit insignis eius amicus, quã alium ; Resurgit etiã faciliùs qui minus resistit Deo per contrarios habitus & actus prauos . Et per hoc patet ad confirmationem,de qua etiam nonnulla diximus solutione ad primum; illa enim oratio iuuat vt faciliùs quis resurgat non ex merito , sed ex Dei misericordia, vt Sanctus Thom. hic ad primum docet.¶ Ad Secundam confir. respondetur negando consequentiam : Vnde , qui est in gratia, fructuosè petit reparationem post lapsum; non tamen illam meretur. Nam inutile esset meritum, quod ex vi meriti nunquam consequeretur effectum , & tale esset illud , cùm definitum sit peccatorem non posse mereri suam reparationem post lapsum , cùm accedente peccato esset mortificandum , & hoc includat repugnantiam ex parte termini ; vnde nunquam posset reparatio ab illo causari. Quando verò Diuus Augustin. dicit, Nihil iustius &c. optimè id explicatur à Sancto Thom.

*Ad Secundum.* *Ad confir.* *Ad tertiũ.* *Ad confir.1* *Ad confir.2*

hic ad. 1. & ab Altisiodorense loco citato, quòd non dicitur iustiùs quia petitio ipsa mereatur de iustitia illud, sed quia nihil honestius & sanctiùs peti potest, quam si fortè quis ceciderit, non derelinquatur, & quòd reparetur post lapsum.

*Ad Quartum.*

¶ Ad quartum respondetur negando vltimam Consequentiam. Ratio verò cur negetur, & plenaria solutio huius argumenti tradita est à nobis dubio præcedente tùm in secunda conclusione, tùm in solutionibus argumentorum, & etiam hic in solutione ad replicas primi argumenti.

## DVBIVM III.

*Vtrùm homo, saltem de potentia absoluta, poßit per opera naturæ viribus facta, reparare suum lapsum?*

DIsputatio hæc similis est illi quæ circunferri solet de homine, consideratis eius operibus ex naturæ viribus, Vtrùm homo operibus bonis, ex prudentia & virtutibus moralibus præcisè factis, posſit reparare lapsum suum de potentia Dei absoluta, saltem satisfaciendo Deo imperfectè pro culpa? Et quoniam non loquimur de lege, neque de potentia Dei ordinaria, quia sic fide infallibili sentiendum est, hominem ex operibus moraliter bonis, viribus naturæ factis, non posse reparare lapsum suum, aut satisfacere Deo pro culpa mortali, & oppositum esse Pelagianum; quia aliàs non esset verum quod Paulus dixit ad Titum. 3. Non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit, &c. Idcircò vt rem hanc intelligamus aduerte cùm Trident. sessio. 6. capite. 7. quòd sicut ad iustificationem hominis lapsi duo concurrunt, nempe remissio culpæ, & renouatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ & aliorum donorum supernaturalium, quæ illam consequuntur, ita in peccato duplex malum reperitur, alterum est ipsius peccantis, quatenus peccans priuatur rectitudine & conformitate ad verum finem; Alterum est ipsius Dei, quatenus per peccatum contemnitur ipse Deus, à quo habet peccatum quòd sit offensa Dei. Et quidem, constitutissima res est, vt diximus in superioribus, neminem posse mereri remissionem sui peccati, neque etiam ex operibus, præcipuè factis viribus naturæ, Deo satisfacere pro culpa. Vnde, in præsenti examinare oportet, vtrùm si peccatum consideretur quatenus est offensa Dei, & contemptus Dei, malumque ipsius, posſit homo saltem de potentia absoluta per opera bona facta ex naturæ viribus, satisfacere Deo? Et hoc est quod quæritur in initio dubitationis in titulo, vtrùm secundum absolutam Dei potentiam fieri posſit vt homo per opera facta ex naturæ viribus, Deo satisfaciat imperfectè saltem pro culpa mortali?

*Pro hac assertione le-*

De hac difficultate vera sententia est negatiua, cuius fundamentum est: Quia homo in puris naturalibus solum potest sua operatione consequi effectum proportionatum suæ virtuti actiuæ, & nihil operari vltra proportionem virtutis actiuæ principalis, aut instrumentalis: sed recompensatio offensæ in Deum commissæ, est effectus improportionatus virtuti naturali hominis: ergo &c. Minor probatur: Quoniam culpa mortalis habet multiplicem infinitatem: sed nihil quod homo præstare potest viribus naturæ, habet proportionem cum infinitate offensæ: ergo. ¶ Huic rationi respondent aduersarij, eam tantum probare, non posse hominem in puris naturalibus seclusa acceptatione & ordinatione diuina, satisfacere sufficienter; non tamen probare quòd non potest satisfacere sufficientèr pro culpa, etiam prout est contra Deum authorem gratiæ, supposita acceptatione & ordinatione diuina, ex qua veluti ab extrinseco sortitur sufficientem proportionem & valorem ad satisfaciendum. ¶ Sed contra: Nam, vt egregiè insinuat Sanctissimus Præceptor. 1. 2. quæst. 14. artic. 2. &. quæst. 109. artic. 5. diuina ordinatio & prouidentia nunquam ordinat res ad id quod excedit proportionem suæ virtutis: igitur si recompensatio offensæ excedit proportionem virtutis hominis in puris naturalibus, nunquam ad id ordinatur & acceptatur à Deo. Item etiam: Quia extrinseca Dei ordinatio nullam dignitatem seu valorem constituit in illa operatione: ergo non constituit illam satisfactionem æquiualentem pro culpa. Rursus; si extrinseca illa Dei ordinatio sufficit constituere operationem illam in ratione sufficientis satisfactionis; sequitur quòd etiam posset illam efficere perfectam & æquiualentem, quod ab vniuersis Theologis repellitur. Et patet: Quoniam qua ratione extrinseca illa Dei ordinatio, nihil ponendo in illa operatione, potest eam efficere sufficientem, pari ratione poterit eam efficere æquiualentem & perfectam. ¶ Moueor etiam ad rem hanc ostendendam: Quia valor satisfactionis sumitur ex persona operante, vel saltem ex principio, quo mediante operatur: ergo si illa operatio merè naturalis non habet valorem in se, neque ex parte principij, neque ex parte personæ; sequitur quòd non potest esse recompensatiua pro offensa, vt dictum est.

*ge quæ diximus paulo antea disputatione seu dubio. 1. huius art. præsertim. Concl. 3.*

¶ Adducor etiam: Quia si Deus homini benè operanti per facultatem naturæ, promitteret vitam æternam; tunc illa operatio non censeretur meritum de condigno vitæ æternæ, sed Deus gratis donaret illi vitam æternam solùm quia promisit: ergo operatio naturalis non posset dici satisfactio pro culpa mortali, etiam si Deus statuisset remittere culpam homini talitèr operanti. Maior conceditur ab vniuersis Theologis: Quia talis operatio, etiam supposita diuina ordinatione, nullam habet proportionem cum vita æterna: ergo non esset meritum de condigno vitæ æternæ. Consequentia verò manifesta est: Quoniam ita se habet operatio satisfactoria ad offensam commissam, sicut se habet operatio meritoria ad præmium æternæ vitæ: ergo eadem est ratio in merito & satisfactione. ¶ Huic argumento respondent etiam aduersarij, quòd non est eadem ratio de satisfactione & merito: Quia ad rationem meriti de condigno seu de iustitia,

*Responsio aduersarij.*



iustitia, quod est idem, verè requiritur proportio inter meritum & præmium, quia hoc designat meritũ de condigno, id est, præmio dignum; Ad satisfactionẽ verò de iustitia imperfecta, non requiritur quòd operatio satisfactoria sit æqualis aut proportionata grauitati offensæ, sed satis erit quòd reddat totum id quod offensus exposcit loco satisfactionis. Verùm hæc responsio neque satisfacit difficultati, neque mihi probatur. Quia reddere totum id, quod exposcit offensus, tantum arguit quòd fiat satis eius voluntati, non autem quòd fiat satis iniuriæ & offensæ, quod erat necessarium ad iustam rationem satisfactionis. Quoniam iustitia constituit æqualitatem rei ad rem: ergo quantum defuerit satisfactioni de æqualitate ad offensam, tantum interueniet omnino de misericordia & gratia.

*Non probatur, nec satisfacit responsio aduersariorum.*

*Obiectio.*

¶ Sed contra obijciunt nonnulli: Quia licèt, rebus vt nunc, peccatum sit contra finem supernaturalem; tamen si homo crearetur in puris naturalibus, peccatum eius solùm esset contra ordinem naturalem: ergo posset tunc aliquis per solas naturæ vires satisfacere pro culpa, & constituere quandam æqualitatem.

*Solutio. 1.*

¶ Ad hoc respondetur primò, quòd peccatum tunc haberet suam infinitatem ex parte Dei offensi; bona autem opera naturalia nunquam haberent valorem infinitum. Propter quam rationem aliqui Theologi fatentur, quòd operatio purè naturalis posset quidem reparare peccatum, secundum quòd est malum peccantis, reddendo voluntati illam rectitudinem & conformitatem ad finem naturalem, quam abstulerat peccatum. Cæterum, non fatentur neque concedunt, quòd posset reparare peccatum secundum quòd est malum Dei, etiam vt est author naturæ. Et fundantur quantùm ad id quod primò dicunt: Quia si Deus statueret remittere peccatum alicui propter operationem purè naturalem sibi oblatam, talis quidem operatio esset necessaria conditio ad obtinendam veniam peccatorum; tamen non esset satisfactoria pro peccatis ex iustitia etiam imperfecta, sed gratis illi remitterentur peccata: Quia ex opposito sequeretur, quòd homo in puris naturalibus haberet vnde posset sibi comparare gratiam, siquidem poterat satisfacere pro offensa, ad quod necessariò sequitur infusio gratiæ, & amicitia Dei, quod est contra Paulum ad Galatas. 2. Vbi probat, quòd si iustitia est ex lege vel ex natura, Christus pro nobis gratis mortuus est.

*Solutio. 2.*

¶ Quocircà, alitèr iudico respondendum esse nempe, quòd illud peccatum licèt actu non destrueret bonum supernaturale, in eo casu quòd homo ille esset conditus in solis & puris naturalibus; tamen esset destructiuum & impeditiuum illius; bona autem opera naturalia non essent causatiua boni supernaturalis; & ita non possent constituere æqualitatem: Quia principium harum operationum, vnde ipsa desumunt totum suum valorem, est omnibus modis finitum, cùm sit ratio & virtus naturalis humana. Rursus aduertendum est, quòd etiam peccatum illud factum ab homine in puris naturalibus creato, tunc vt paulò antea dictum est, suam haberet infinitatem ex parte Dei offensi, tamen bona opera naturalia nunquam haberent valorem infinitum. ¶ Neque etiam dici posset, quòd opera illa essent satisfactoria de rigore iustitiæ: Nam hoc est apertissimè falsum & absurdissimum: Quia saltem essent opera illa à Deo per generalem concursum, & essent debita Deo plerisque titulis, pluribusque, iustisque de causis. Et hæc sufficiant de hac dubitatione, de qua in simili nos diximus multa per plures controuersias in superioribus in hac disputatione de gratia, & in hac quæstio. 114. de Merito. articulo. 5. disputat. 1. 2. &. 3.

## ARTICVLVS VIII.

*Vtrùm Homo posſit mereri augmentum gratiæ, vel charitatis?*

COnclusit. S. Thom. est affirmatiua, quòd augmentum gratiæ & charitatis cadit sub merito non solum de congruo, sed etiam de condigno.

## DISPVTATIO. I.

*Vtrùm argumentum gratiæ cadat sub merito de condigno?*

HÆc controuersia vnum supponit, & alterum inquirit. Supponit enim charitatem & gratiam augeri; Inquirit verò, vtrùm tale augmentum cadat sub merito condigni? Suppositum vero, nempe gratiam & charitatem augeri, est de fide. Vnde, in Concl. Trident. sessio. 6. cap. 10. & Cano. 24. definitur quòd charitas & gratia augentur in iustis per bona opera; Siquis dixerit, iustitiam acceptam non conseruari, atque etiam non augeri coram Deo per bona opera; sed opera ipsa fructus solum modò, & signa esse iustificationis adeptæ, non autem ipsius augendæ causam; anathema sit. Et patet ex Sacris literis Prouerbio. 4. Iustorum semita quasi lux splendens procedit & crescit &c. Et Ecclesiastic. 18. Non verearis vsque ad mortem iustificari. Apocaly. 22. Qui iustus est, iustificetur adhuc. Ad Ephes. 4. In charitate crescamus in illo. Ad Philip. 1. Oro vt charitas vestra magis ac magis abundet. 1. Petri. 2. In eo crescatis in salutem. 2. Petri. 3. Crescite verò in gratia. Et. 2. Corinth. 4. Licèt is qui foris est homo noster corrumpitur; tamen is qui intus est renouatur de die in diem: id enim quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ suprà modum in sublimitate, æternum gloriæ pondus operatur in nobis. 2. Corinth. 9. Augebit incrementa frugum iustitiæ. Psalm. 83. Ascensiones in corde suo disposuit; Et subiungit infrà, Ibunt de virtute in virtutem. Hæc est sententia Sanctorum Patrum Hieronymi, Ambrosij, Gregorij, August. Prosper. Semper crescit charitatis facultas dùm vsu fit maior, & largitate fit ditior. Lege Tilet. in Apolog. Trident. Vegam lib. 10. in Trident. cap. 3. & deinceps.

*Concilium Tridentinũ.*
*Prouerb. 4.*
*Ecclesi. 18.*
*Apocal. 22.*
*Ephes. 4.*
*Phili. 1.*
*1. Petri. 2.*
*2. Petri. 3.*
*2. Corint. 4.*
*2. Corint. 9.*
*Psal. 83.*

Id verò quod inquiritur in præsenti cõtrouersia est,

est, vtrùm hoc augmentum gratiæ possit cadere sub merito de condigno? Hæretici huius ætatis absolutè negant hoc augmentum, & multò magis quòd nostris meritis fiat. Vnde pro parte negatiua arguitur. Quia ad meritum de condigno requiritur æqualitas, proportio, & commensuratio inter meritum & præmium: sed gratia imperfecta & remissa non est æqualis neque commensurata sibi ipsi auctæ: ergo per illam minimè possumus mereri de condigno augmentum gratiæ. ¶ Secundò arguitur ex scriptura quæ docet, de ratione gratiæ esse, vt gratis detur: sed augmentum gratiæ est gratia, & eiusdem rationis cum prima: ergo &c. Sed specialiter probatur ex Paul. ad Roma. 4. vbi dicitur, Abraham fuisse iustificatum; non tamen ex operibus; & tamen loquitur de augmento iustitiæ, vt patet ex simili loco Iacob. 2. propè finem, & ex contextu literæ.

*Argument. primum.* *Secundum.* *Rom. 4.* *Iacob. 2.*

¶ Tertiò arguitur. Præmium debitum de condigno non potest excedere dignitatem operis: sed augmentum gratiæ excedit, quia opus quod est ante augmentum, procedit à minori gratia vt dictum est: ergo. Sed dices, per gratiam vt quatuor, & per auxilium Dei specialius, potest homo facere actum meritorium vt sex. Contra: Quia vel istud auxilium constituit hominem in esse principij magis grati in esse gratiæ, licèt non in esse qualitatis, vel saltem in esse principij magis actiui ad producendum intensiorem actum. Si primum: ergo antequam faciat actum meritorium vt sex præintelligitur gratus vt sex. Hoc autem esse falsum patet: Quoniam Deus non magis diligit hominem de nouo, nisi propter aliquid quod de nouo videt in homine à se collatum: sed tale non videt ante actũ: ergo. Et confirmatur: Quia aliàs priùs esset acceptus ad gloriam vt sex, quam faceret actum quo mereretur gloriam vt sex. Patet sequela: Quia gratiæ vt sex, correspondet gloria vt sex. Si dicas secundum; contra: ergò neque eius opera magis meritoria: quia si potest magis mereri sine maiori gratia: ergo absolutè potest mereri sine gratia, quod est impossibile. ¶ Confirmatur: quia sequitur hominem sine auxilio speciali posse facere actum meritorium sine maiori gratia, & quantò illud esset intensius, magis mereretur: ergo posset peruenire ad meritum illius actus supernaturalis, quo homo meretur maiorem gratiam. ¶ Quartò arguitur. Illud opus meretur gloriam, vt patet: ergo non augmentum. Patet consequentia: quia sufficiens præmium illius operis est gloria: ergo quidquid aliud datur, non est ex condigno. ¶ Et confirmatur: quia nulla qualitas potest se ipsam augere: ergo neque gratia se auget meritoriè. ¶ Quintò arguitur, quia sequeretur eundem actum & gradum in eodem instanti posse produci & augeri, ita vt simul sit in termino à quo & ad quem. Probatur: quia si gratia sit vt quatuor & eliciat actum vt sex, ratione illius augebitur in eodem instanti vsque ad sex, quia ad hoc non requiritur successio: ergo in eodem instanti poterit ipsa gratia aucta augere suum actum, & rursus actus intensior, augebit iterum gratiam, & sic in infinitum. ¶ Sextò arguitur. Quia vel actus meretur vt in eodem instanti gratia augeatur, vel vt postea augeatur. Si primum: ergo in eodem instanti, in quo est meritum, est præmium illius, contra commune pro loquium quo dicitur, meritum esse priùs tempore quam præmium: qua ratione Christus non potuit mereri sibi gloriam animæ. Si dicas secundum, contra: in illo instanti meretur, & in illo instanti est possibile præmium de lege ordinaria: ergo &c. Præterea etiam patet: quia eo ipso quòd facit talem actum, diligitur statim à Deo magis quam antea: sed hoc est augeri gratiam: ergo. ¶ Septimò arguitur. Si in eodem instanti iustus meretur augmentum gratiæ, sequitur quòd in illo eodem instanti idem habitus simul est intensus & remissus. Patet sequela: Nam in eodem instanti gratia vt quatuor efficit actum, & in eodem instanti fit vt sex: ergo simul est intensa & remissa: Quod enim implicat, non potest considerari in facto esse sub duobus terminis, sicut neque lux simul intensa vt quatuor, & remissa vt duo: Nam vnus terminus dicit negationem alterius, aliàs de qualibet forma intensa vt quatuor, posset dici semper esse vt duo. Si dicas, illum actum meritorium non effici à gratia minus intensa; hoc non obstat: Quia saltem pro illo signo quo intelligimus fieri actum intensiorem, intelligimus gratiam remissam. Nam actus vt sex, cùm elicitur, supponit potentiam cum habitu tantum vt quatuor. Præterea etiam; Quia habitus semper concurrit ad actum iuxta gradum suæ perfectionis, licèt ad alios gradus iuuetur ab auxilio alterius: ergo &c.

*Tertium.* *Confir. 1.* *Confir. 2.* *Quartum.* *Confir.* *Quintum.* *Sextum.* *Septimum.*

D. Bonauentu. in. 2. d. 27. par. 2. quæst. 2. & penultima dicit, augmentum gratiæ cadere sub merito, sed non sub merito de condigno, neque de congruo, sed sub quodam merito medio, quod magis accedit ad meritum congrui, & minus ad meritum condigni. Vnde videtur sentire, quòd non meremur illud ita propriè, sicut vitam æternam. *D. Bon.*

Conclusio Catholica huius controuersiæ est, Augmentum gratiæ & charitatis verè cadere sub merito de condigno iustorum, & ita verè & propriè sicut vita æterna. Hæc est communis sententia omnium Scholasticorum & Catholicorum. Et patet: Quia in Concil. Tridentin. sessio. 6. capite. 16. & Cano. 32. eodem omnino tenore verborum definitur, iustos per bona opera verè mereri augmentum gratiæ, & vitam æternam. Ratio verò. S. Tho. efficax est in articulo: Quia per gratiam meremur ipsius consummationem & complementũ, quod habetur per gloriam: ergo eodem modo meremur progressum & viam ad tale complementum. Sanè, illud cadit sub merito condigni, ad quod motio gratiæ se extendit; sed motio mouentis non solum se extendit ad vltimum terminum motus, sed etiam ad totum progressum in motu; at terminus motus gratiæ, est vita æterna; progressus verò huius motus sit secundum augmentum charitatis vel gratiæ, iuxta illud Prouerb. 4. Iustorum semita quasi lux splendens procedit, & crescit vsque ad perfectum diem, qui est dies gloriæ: ergo augmentum gratiæ cadit sub illo merito condigni. *Conclus. Catholica.*

Moueor etiam: Quia opera supernaturalia facta ab homine grato, sunt magis connaturalia ac proportionata augmento gratiæ, quam ipsi gloriæ: sed merentur de condigno gloriam: ergo etiam



etiam augmentũ gratiæ. Et confirmatur: Nam sicut parua arbor est proportionata suo augmento, & illud continet in virtute: imò verò se auget, ita gratia respectu sui augmenti: ergo.

Quòd verò iustus mereatur & possit mereri augmentum gratiæ de condigno, videtur de fide ex locis scripturæ, quæ operibus iustorum tribuunt augmentum iustificationis, Ecclesiastic. 18. Ne verearis iustificari vsque ad mortem, Apocal. 22. Qui iustus est iustificetur adhuc. Et etiam ex locis Concilij Tridenti. citatis. Hæc est Augustin. sententia tracta. 5. in Ioan. Charitas cùm fuerit nata, nutritur; cùm fuerit nutrita roboratur & perficitur. Et epist. 106. ad Paulin. Gratia meretur augeri, vt aucta mereatur perfici. Idem lib. de Prædestinat. Sanctor. cap. 2. Et ad idem est illud Matth. 22. quòd quibusdam talentis alia acquiruntur. Et. 1. ad Timoth. vltimo, diuitibus præcipiendum ait vt sint diuites in bonis operibus, vt thesaurizent in vitam æternum. ¶ Quocirca, illud meritum medium quod fingit D. Bonauent. inter meritum de congruo, & de condigno, videtur omnino fictum, vt ostendit Vega de iustificat. q. 4. contra eundem Bonauent.

*Eccles. 18.* *Apoca. 22.* *D. August.* *Matth. 22.* *1. Timoth. vltimo.*

Ad argumenta. Ad primum respondetur primò, quòd id quod datur in augmento gratiæ, nõ semper est magis quam præexistens gratia: cõtingere enim potest vt habens gratiam vt quatuor, mereatur gratiam augeri per vnum, vel per duos gradus duntaxat: Dico secundò, quòd licèt gradus additi per augmentum, sint plures, quam gradus gratiæ præexistentes; nihilominus tamen erit commensuratio & æqualitas inter meritum & præmium: Quia licèt gratia præexistens esset minor secundum gradum quem actualiter habebat; virtualiter tamen cõtinebat gradus subsequentes, sicut in naturalibus paruula planta in virtute est magna; & idcirco auget se ipsam vsq; ad magnam quantitatem; ita etiam & gratia. Hinc August. loco citato inquit, charitas cùm fuerit nata nutritur, cùm fuerit nutrita robora tur, & cùm roborata fuerit perficitur. Et epist. 106. Gratia meretur augeri, vt aucta mereatur perfici; atq; ita constat, quòd iam datur commensuratio inter opera nostra & augmentum gratiæ. Tertiò respondetur, quòd gratia non meretur augmentum sui, nisi in virtute motionis diuinæ; & licèt ipsa in se sit remissa & imperfecta; vt tamen subest illi motioni potest habere actum longè intensiorem, qui sit æqualis & proportionatus gratiæ conferendę per augmentum ipsum. ¶ Ad Secundum, dicendum, augmentum gratiæ, & esse ex gratia si habeatur ratio primæ causæ & originis, & esse ex iustitia ratione meritorum, quibus debetur tamquam præmium, sicut vita æterna gratia dicitur ad Roma. 6. ¶ Ad illud verò Paul. ad Roma. 4. dico, Abraham per illam fidem qua credidit non primam gratiam, sed eius augmentum fuisse consequutum, vt Iacobus dicit loco ibi citato. Aliqui intelligunt de prima vocatione Genes. 12. & tantum excludit illa opera, quæ anteceserant. Ita Hieron. epistol. ad Thesiphon. & August. suprà. Sed planè Paulus numerat historiam Genes. 15. & non aliam. Et cap. 3. Paul. exclusit omnia opera dicens, Nullam habere vim ad promerendam iustitiam. Quod capi. 4. exemplo Abrahæ confirmat. Addo etiam, Diuum Paulum ibi confirmare voluisse, totum negotium iustitiæ coram Deo non habere fundamentum in nobis, & quoniam hæc iustitia incipit propriè à prima iustificatione, de hac etiam specialiter loquitur, vt D. Augusti. & alij Sancti Patres interpretantur. Et patet ex verbis illis, credenti autem in eum qui iustificat impium, & ex Psalm. 9. quem ibi citat, Quorum remissæ sunt inquitates. Exemplo autem Abrahæ vtitur Paulus quasi à fortiori vel minori; expendit enim verbum illud, credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad Iustitiam. Dicitur autem reputari ad iustitiam, quia non fundabatur illa iustitia in operibus Abrahæ prout ab ipso erant, sed in gratia, & fide. Ex quo vult concludere, totam iustitiam Abrahæ, abstrahendo à prima vel secunda, non fuisse ex operibus; atque adeo totam fundari in gratia, quod erat intentum. Quem sensum intendit D. August. & prosequitur D. Basili. homil. de humilitate. Quo circa, verbum illud, ex operibus, alium sensum habet in D. Iacobo, alium in D. Paulo: Iacobus enim loquitur de operibus fundatis in gratia & fide, Paulus verò excludit opera, quæ ab humana iustitia possunt habere valorem, iuxta illud, Non ex operibus, nequis glorietur.

*Ad Argumenta. Ad primum.* *Ad Secundum.* *Roma. 6.*

¶ Ad tertium dicendum, quòd quamuis requiratur amicitia vt quis mereatur coram Deo; illa tamen supposita potest mereri vt sit magis amicus; sicut licèt requiratur libertas, non tamen requiritur maior libertas, vt actus sit magis meritorius; Quia aliunde potest crescere ratio meriti. Fateor ergò, actum illum procedere à gratia vt quatuor: sed nihilominus ex maiore intensione habet valorem vt sex. Adde etiam, quòd ex auxilio supernaturali constituitur homo simul cum gratia in esse principij magis actiui ad producendum intensiorem actum, iuxta explicationem datam solutione ad primum. Vnde per hæc, & illa quæ diximus ad primum patet solutio ad primam & secundam confirmationem, in quibus neganda est sequela. *Ad Tertiũ.*

Ad Quartum existimo satis dictum esse in superioribus. Vnde, cùm quis meretur finem, eodem modo meretur ea quæ sunt necessaria media ad illum, neq; alterũ illorũ esse per se sufficiens secundũ dignitatem & proportionem, quæ ex natura rei est requisita. ¶ Sed dices: ergò actus meritorius habet duplex præmiũ, scilicet augmentum gloriæ & gratiæ: cõsequens est falsum, quia satis præmiatur per augmẽtũ glorię. Respõdetur, quòd augmentũ gratię & glorię pro eodẽ prẽmio reputãtur, quia vnũ consequitur ad aliud, & quia vt diximus, cũ quis meretur finem, eodem modo meretur ea quæ sunt necessaria media ad illum finem. ¶ Sed contra: In naturalibus id quod nequit causare formam, nequit eam augere aut intendere: ergo pari ratione, cùm nostra opera nequeant mereri gratiam, sequitur quòd neque eius augmentum merentur. Respondetur, in augmẽto quantitatiuo dari instantiam; Nam viuens nõ potest producere se, benè tamen augere se. De augmẽto verò intensiuo, quàmuis non detur instãtia in naturalibus; tamen alia ratio est in merito; Quia causa effectiua & intensiua rei sunt eiusdem rationis; & idem quod potest vnum, potest aliud; Cæterũ causa meritoria augmenti gratiæ est distinctæ rationis à

*Ad Quartũ.* *Obiectio.* *Solutio.* *Obiectio.* *Solutio.*

causa meritoria ipsius gratię. Quoniã altera est opus supponens gratiam in ipso subiecto; altera verò debet antecedere ipsam gratiam, & necessariò debet esse causa extrinseca: Quoniã cũ ad meritũ requiratur gratia in merente, non potest ipse merens sibi mereri gratiam. Præsertim etiã, quòd gratia & augmentum, quodammodo sunt diuersæ rationis: Quia augmentum est quodammodo quasi effectus formalis; gratia verò est ipsa forma. Secundò respondetur, esse discrimen inter primam gratiam, & augmẽtum eius quantùm attinet ad rationem meriti: Quia prima gratia, cùm sit principium totius esse supernaturalis, non potest cadere sub merito, ob id quòd tale esse supernaturale, necessario supponitur ad omne meritum, & ideo nunquam potest habere rationem præmij; In augmento verò iam præsupponitur esse supernaturale per primam gratiam, & ita homo potest cooperari ad tale augmentum, sicut viuens, licèt non possit operari ad propriam generationẽ, & ad primam quantitatem: potest tamen illa suppo sita, cooperari ad augmentum quantitatis, quia verè augetur ab intrinseco. *Ad Confir.* ¶Ad confir. respondetur, gratiã non se augere ex se, sed speciali auxilio Dei. *Ad Quintũ.* ¶Ad Quintum respondetur, saltem moraliter non esse possibile vt homo qui in eodem instanti elicit substantiam actus, simul in eodem instanti conetur de nouo ad intendendum illum actum: Quia distincta iudicia & applicationes quæ ad hoc sunt requisita, non videntur in eodem instanti composibilia. Rursus etiã hoc est verũ propter rationes suprà tactas, quia non potest eadem res produci simul & augeri physicè, præcipuè ab eodem agente, & vnica & eadem actione. *Ad Sextũ.* ¶Ad Sextum dicendum, in eodem instanti mereri & consequi augmentum. Ad illud verò axioma dico, esse intelligendum cum duplici limitatione, seu grano salis. Primò de præmio vltimo visionis beatæ, & de merito fundato in fide & gratia. Vnde, non est illa ratio sufficiens, propter quam negemus Christum meruisse gloriam animę. Nam præmium & meritum per se loquendo non requirunt successionem temporis, sed naturæ; quia se habent vt via instantanea, quæ est tota simul velut agens sine resistentia. Et hæc sufficiant ad hoc argumentum pro nunc. *Ad Septimum.* ¶Ad Septimum dicẽdum, quòd quamuis priùs natura intelligatur habitus gratię vt remissus, sed absolutè non est in eodem instanti intensus & remissus, sed intensus tantum, vt suprà explicuimus de luce, quam Deus crearet vt duo in aẽre, quæ in eodem instanti posset intendi à Sole &c. quæ simpliciter est intensa; sicut, licèt prima materia in primo instanti generationis intelligatur priùs natura informis & nuda, quia forma non introducitur nisi in materiam nudam; non tamen est simul nuda & informata, quia hęc omnino implicant, sed simpliciter dicitur informata. Ita etiam in proposito est dicendum, eo quòd denominatur ab eo quod permanet, quod posterius & principalius est. *Obiectio.* ¶Sed dices; Contra; Quod nõ est simpliciter, nõ causat: sed in hoc instanti habitus remissus causat actum: ergo est simpliciter remissus in hoc instanti. *Solutio.* Respondetur, q̃ in hoc instanti absolutè nõ causat habitus remissus, licèt habitus prout remissus causet: Nam ly, prout, designat illum terminum, vt stat sub abstractione vel præcisione, scilicet vt intelligitur priùs natura. Et quando arguis; Causat in hoc instanti, & causat vt remissus: ergo in hoc instanti est remissus; Concedo antecedens, & nego consequentiam; Nam arguis à præcisiua ad negatiuam: In antecedente enim solùm sumitur abstractiuè, in cõsequenti verò facit sensum negatiuũ, scilicèt quòd non est intensus. Est simile de materia, quæ in hoc instanti recipit formam, & recipit illam vt nuda; nõ tamen est materia nuda simpliciter in hoc instanti.

Aliqui dicunt, quòd in eodẽ instanti in quo actus est intensior, est etiam intensior habitus. Itaq; licèt ordine naturæ meritum intensionis antecedat præmium; tamen in eodem instanti temporis est vtrumque. Vndè, cùm habitus, vt superiùs dictum est, operentur in eodem instanti in quo sunt, si habitus in illo instanti est intensior, in eodem poterit habere illum actum: Quo autem pacto talis actus procedat ab illo habitu, & simul mereatur intensionem illius, duobus modis explicatur à discipulis S. Tho. Primus est, quòd illa maior intensio habitus secundum quòd est principium actus intelligitur præcedere, non in ratione habitus, sed in ratione cuiusdam supernaturalis auxilij intrinsecè subleuantis potentiam, vt habeat actum intensiorem habitu præexistente, quod speciale auxilium habet rationem gratiæ cooperantis: quoniam ex illo meretur homo vt augeatur ipse habitus secundum propriam rationem. Secundus modus explicandi est, quòd actus ille intensior, procedit effectiuè ab habitu in ratione habitus intensi à Deo, & nihilominus meretur intẽsionem illam. Nam in genere causæ efficientis, actus ille est posterior habitu intenso; in genere tamen causæ meritoriæ, est prior ipsa intensione habitus. Vnde, neque est inconueniens neque repugnat, quòd in diuerso genere causæ idem sit priùs & posteriùs, vt in superioribus latiùs deduximus.

## DISPVTATIO. II.

*Vtrùm quolibet actu meritorio mereatur homo augmentum gratiæ, & charitatis; & per quemlibet augeatur statim defacto, etiam per minus intensum?*

HAnc controuersiam aperire hoc loco decreui, quia S. Thom. nobis huius rei occasionem dedit in hoc articulo solutione ad. 3. Nam, cùm in argumento tertio sic obiecerit; Id quod cadit sub merito, meretur homo per quemlibet actum procedẽtẽ à gratia vel charitate, sicut per quemlibet talem actum meretur homo vitam æternam: ergo si augmẽtum gratiæ aut charitatis cadit sub merito; sequitur quòd per quemlibet actum charitate informatum, aliquis mereatur augmentum charitatis, & consequentèr per quemlibet actum meritorium augeretur gratia aut charitas, quod videtur inconueniens, cùm actus meritorij quandoq; non sint plurimũ feruentes, ita vt sufficiant ad augmẽtũ charitatis: ergo charitatis augmentũ nõ cadit sub merito. Respõdet Sanctissimus Præceptor, quòd augmentũ gratiæ, sicut & cõsummatio gratiæ, quæ est vita æterna, cadit sub quolibet actu meritorio, ita vt quolibet actu meritorio iustus



iustus mereatur augmentum gratiæ, quamuis non statim detur illud augmentum, neque statim augeatur gratia & charitas, sed suo tempore nẽpe cũ quis fuerit sufficientèr dispositus ad augmentum gratię, sicut etiam vita æterna quam iustus meretur, non statim redditur, sed suo tempore. En, apertissimam sententiam & responsionem, qua satisfacit Præceptor Sanctissimus difficultati propositæ. Erat autem difficultas in tertio argumento, An quolibet actu etiam minus intenso, mereretur homo augmẽtum gratiæ & charitatis? Nam, cùm aliquando actus non sint plurimum feruentes, ita vt sufficiant ad charitatis augmentum, videtur inconueniens, quòd per hos actus meritorios minus feruentes & intensos, quis mereatur augmentum charitatis. Et huic difficultati apertè respondet D. Thom. quòd sicut quolibet actu meritorio, siue intenso siue minus intenso, meretur homo consummationem gratiæ, quæ est vita æterna; ita quolibet actu meritorio meretur homo augmentum gratiæ. Et quamuis hoc augmentum non statim reddatur, sicut neq; statim redditur vita æterna; reddetur tamẽ verè illud augmentum suo tempore, vt ibi. S. Tho. apertè dicit.

Nos hanc controuersiam fusè sumus prosequuti. 1. p. q. 95. art. 4. disputat. 1. in. 2. Tomo nostrorum operum, vbi aduersariorum sententiam fideliter retulimus, & eorum argumenta, quæ eo loco videnda sunt: Nos enim cumulatiùs quàm ipsi & efficaciùs, argumenta deduximus. Sed & nunc in discursu huius disputationis alia adducemus, & euidenter reijciemus, vt ostendatur quàm exiliter eorum sententia probetur.

*Durandus.* Durandus in. 1. d. 17. q. 8. cum Altisiodorensi lib. 3. tract. 16. q. 3. &. 5. putat, actus minus intensos seu remissos charitatis, non mereri augmentum illius; vocantur autem actus remissi seu minus intensi in proposito illi, qui non sunt tam intensi sicut habitus ipse à quo procedunt. Huius sententiæ fuit olim iuuenis D. Tho. in. 1. dist. 17. quæst. 2. arti. 3. & in. 2. d. 27. q. 1. arti. 5. ad. 2. Et argumentatur Durandus pro hac sententia. Ille qui actum intensiorem, aut saltẽ æquè intensum producit, in nullo deest gratiæ Dei, quia operatur secundum exigentiam illius habitus: ergo meretur augmentum ipsius gratiæ & charitatis, atq; adeo debetur illi tale augmentum: sed ille qui facit actum minus intensum, non operatur secundum exigentiam gratiæ acceptæ: ergo non est dignus maiore gratia & charitate; Nam nõ est dignus nouo beneficio vel gratia qui negligentèr vtitur acceptis; sed qui remissè operatur, negligentèr vtitur charitate accepta à Deo: ergo non meretur augmentum illius. *D. Thomas. Argumenta. Durãdi. Primum.* ¶Sanè in humanis ita cernimus, quòd is qui negligentèr vtitur gratia Principis, nõ crescit in illa, sed satis benè cum eo fit si permaneat in antiqua familiaritate & gratia. *Secundum.* ¶Secundò suadetur Durandi & Altisiodor. sententia. Quia actus remissi tantum abest quòd augeant habitus acquisitos, quòd potiùs disponunt ad eorum diminutionem, vt. S. Tho. dicit. 1. 2. q. 52. arti. 3. ergo idem est sentiendum de actibus charitatis minus intensis seu remissis, quòd non disponunt ad augmentum, neque illud merentur, sed magis disponunt ad diminutionem, vel destructionem eius. Patet consequentia. Quoniam de rebus supernaturalibus & diuinis vbi non est expressa Ecclesiæ definitio, non possumus aliter philosophari, quam per similitudinẽ ad hæc inferiora. ¶Et fauet illud Apocal. 3. Quia tepidus es incipiam te euomere de ore meo. Cuius loci sensus esse videtur, quòd tepiditas & remissio bonorum operum, disponit ad charitatis dissipationem potiùs quam ad eius augmentum. *Apocal. 3.* ¶Tertiò obijciunt aduersarij. Si quilibet actus charitatis etiam remissus, mereretur charitatis augmentum; sequeretur quòd illi qui per longum tempus permanent in diuinis obsequijs, quamuis tepidè & remissè operentur, habebunt charitatem intensiorem, quã alij nouiter conuersi, qui per breue spatium diligentèr & strenuè se exercent in diuino seruitio: Consequens videtur esse contra experientiam, imò contra communem sensum Sanctorum Patrum, qui in expositione Parabolæ de Operarijs Matth. 20. vbi dicitur quòd operarij serò venientes acceperunt præmium æquale illis qui venerunt summo mane. Super quem locum dicunt Sancti Patres, sæpè euenire vt qui longiori tempore continuarunt aliqua bona opera, minus mereantur propter suam remissionem & tepiditatem, quam alij qui infine vitæ feruentèr valde conuertuntur ad Deum: ergo. Sequela autem patet: Quia si quilibet actus remissus mereretur augmentum charitatis, impossibile videtur quòd vnicus actus consequatur tantum præmium respectu illius qui modò est conuersus, sicut plures & innumerabiles actus boni exerciti per longũ tẽpus, quãtùmcumq; remisse & tepidè sint facti. *Tertium.* *Matth. 20.* ¶His argumentis permotus fuit Durandus, vt putaret, habitum charitatis solùm augeri per actum intensiorem habitu charitatis, vel per actum æquè intensum; non autem per actus minus intensos. Sed eius argumenta dissoluentur infine huius disputationis.

Hæc tamen Durandi sententia communiter reijcitur: Quia si augmentum charitatis debet attendi per enalogiam ad augmentum habituum acquisitorum, qui augentur per proprios actus, non est dicendum quòd charitas augeatur per actus æquè intensos: Quia vt. S. Tho. dicit. 1. 2. q. 52. art. 3. &. 2. 2. q. 24. arti. 6. habitus acquisiti non augentur per actus æquè intensos, sed per intensiores. Nam cùm huiusmodi actus effectiuè physicè augeant suos habitus acquisitos, & per modum dispositionis naturalis, non possunt causare maiorem perfectionem in habitu, quam sit in se ipsis, atque adeò ex vi talium actuum non potest crescere habitus, qui alias erat æquè intensus cum ipsis actibus; sicut in naturalibus calidum vt tria non potest intendi & augeri ex vi alterius calidi vt tria tantum. Si verò charitatis augmentum est attendendum, non quidem secundum rationem efficientiæ physicæ, aut dispositionis naturalis, sed duntaxat secundum rationem meriti, non tantum augebitur charitas per actus intensiores aut æquè intensos, sed etiam per minus intensos: Quia in his etiam reperitur propria atq; distincta ratio meriti, vt infra ostendemus.

Secunda opinio tenet, quolibet actu charitatis etiam minus intenso seu remisso, statim augeri gratiam in esse gratiæ; non tamen in esse qualitatis, quouslq; adueniat actus intensior, & idem dicit hæc opinio de charitate, quòd augetur in esse charitatis & amicitiæ per quemlibet actum, nõ autem in esse *Sentẽtia. 2.*

qualitatis & habitus.¶ Si autem petas, Quid sit gratia in esse gratiæ, & quo pacto differat à se ipsa in esse qualitatis? Respondent Authores huius sententiæ, quòd gratia in esse gratiæ solum importat acceptationem ad gloriam, siue hoc fiat per aliquid intrinsecum nobis, siue per solam extrinsecam denominationem; gratia verò in esse qualitatis importat entitatem & qualitatem, seu habitum quendam, per quem formaliter & intrinsecè sumus Deo acceptabiles. Vnde, cùm illi qui habent plures actus meritorios, etiam minus intensos seu remissos, sint accepti ad maiorem gloriam; eo ipso habent maiorem gratiam in esse gratiæ, & sunt magis amici Dei; sed non crescit gratia aut charitas in esse qualitatis vel habitus per huiusmodi actus remissos. Quia ad suauen Dei dispositionem pertinet vt habitus isti non augeantur, nisi per intensiores actus, vt solent augeri alij habitus acquisiti, de quibus diximus in materia de habitibus.

Sed contra hanc opinionem occurrit statim argumentum. Nam secùdum legem communem, nemo est Deo gratus nisi per qualitatem inhærentem tanquam per causam formalem: ergo qui magis est Deo gratus, intensiorem & perfectiorem habet gratiæ qualitatem. Quia hoc quòd est esse gratum Deo, est effectus formalis huius qualitatis, talitèr quòd secùdum aliquos implicat contradictionem esse aliquẽ gratũ Deo sine ista qualitate: ergo impossibile etiã est, esse magis gratum sine intensiori qualitate. Qua propter, quamuis quantùm attinet ad gratiam posset saluari aliquo modo quòd sine perfectiore qualitate vel habitu aliquis sit magis gratus non intrinsecè, sed extrinsecè ratione plurium meritorũ, quæ præcesserunt; tamen quantùm attinet ad charitatem, nulla ratione dici potest quòd augeatur in esse charitatis, & non in esse qualitatis. Quoniam propria charitatis ratio est, esse principium diligendi Deum: Quod autem aliquis possit perfectiùs diligere Deum, non contingit nisi ratione perfectioris habitus: ergo non stat charitatem augeri vt sic in esse charitatis, quin etiam augeatur in esse qualitatis vel habitus. Vnde, sicut dicemus inferiùs, quòd non stat gratiam augeri, quin etiam augeatur charitas & ius ad maiorem gloriam; ita etiam dicendũ est, quòd non stat augeri gratiam & charitatem secundum propriam rationem charitatis, quin etiam augeantur in esse qualitatis & habitus per maioré intensionem. De qua re legenda sunt ea quæ nos alibi scripsimus fusè satis. 1.p. q. 95. artic. 4. disputat. 1. conclu. 2. &. 3. & in explicatione eiusdem tertiæ assertionis, & in obiectionibus contra ipsam.

*Sentent. 3.* Tertia opinio est, quam tenet Victoria, relect. de augmento charitatis, quòd per quemlibet actum charitatis etiam minus intensum seu remissum augetur gratia statim; non tamen augetur charitas, nisi duntaxat per intensiores actus, vel saltem per multiplicationem actuum, talitèr vt in ratione meriti, sua multitudine excedant ipsum habitum charitatis. Itaq; dicit Pater Victoria, quòd vt Deus augeat de facto charitatem, non expectat actum intensiorem, sed maius meritum, quàm sint gradus in habitu præexistẽte, siue illud maius meritum proueniat ex actu intensiore, siue ex multiplicatione vel continuatione actus minus intensi.¶ Quòd si inquiras à Victoria, Quid si aliquis per totam vitam non habeat actus tanti meriti, sicut habitus præexistens; & nihilominus habeat plures actus meritorios, Nunquid dabitur ei augmentum charitatis, saltem in fine vitæ? Respondet ipse Victoria, quòd si non datur statim ipsum augmentum charitatis, voluntarium est dicere quòd dabitur in fine vitæ; atq; adeo videtur sentire quòd si merita actuum sequentium non excedant meritum habitus præexistentis, nunquam augebitur charitas virtute talium meritorum, licèt augeatur gratia: non enim reputat inconueniens quòd gratia & gloria excedant charitatem. Imò expresè dicit, quòd charitas in adulto nunquam est æqualis gratiæ, & quòd gloria non correspondet charitati, sed gratiæ: & quantùm ad hoc, idem sensit Sotus, lib. 12. de nat. & grat. cap. 17. Totum fundamẽtum huius sententiæ est: Quia cùm charitas sit habitus operatiuus, & per actus remissos non reddatur homo promptior ad operandum, non potest dici quòd virtute illorum augeatur habitus charitatis, nisi, fortè in ratione meriti propter multiplicationem eorum, vel continuationem, excedant ipsum habitum. Cæterùm, cùm gratia non sit habitus operatiuus, optimè augeri potest per quemlibet actum meritorium quantumuis remissum, ratione cuius redditur homo magis acceptus ad gloriam. Nam eo ipso quòd aliquis est magis acceptus ad gloriam, est etiam magis gratus Deo, atq; adeo habet gratiam maiorem, & augmentatam magis.

Verùm hæc sententia falsa est, præcipuè quantùm ad hoc quòd asseuerat, charitatem non augeri quando gratia augetur: Nam, cùm charitas consequatur gratiam veluti connaturalis proprietas ipsius, impossibile est gratiam augeri, quin proportionabiliter charitas augeatur. Et confirmatur: Quoniam hoc quod est nos Deum diligere per charitatem, prouenit ex eo quòd diligamur ab ipso per gratiam, iuxta illud Christi Domini, si quis diligit me, diligetur à Patre meo, & non quasi nos dilexerimus illum, sed quia ipse prior dilexit nos. Ergò non stat quòd aliquis sit magis dilectus Deo & magis gratus, quin ipse etiam magis diligat Deum saltem habitualiter.¶ Rursus, secundum Augustinum plerisq; in locis, & secundũ Sanctos Patres, ille dicitur esse simplicitèr melior, & absolutè melior, qui maiorem habet charitatem; sed quicumq; est magis gratus Deo, est melior: semper enim meliora sunt Deo gratiora: ergo non stat gratiam augeri, quin etiam charitas paritèr augeatur.¶ Item etiam secundum D. Tho. 1. p. q. 12. art. 6. qui plus habebit de charitate, perfectius Deũ videbit, & maiorem gloriam habebit: ergo etiam habebit maiorem gratiã, & non poterit stare maior gratia aut gloria cum minore charitate, vt Victoria falsò supponit.¶ Tandem: si aliqua causa est, cur nõ augeatur charitas per actus minus intensos seu remissos, quamuis augeatur gratia, maximè quia charitas est habitus operatiuus: sed hoc non obstante charitas augetur secundum eundem Victoriam per actus remissos, quando secundum multitudinẽ in merito excedunt proportionem ipsius habitus, quamuis nullus actus illorum in particulari detur in tensior illo habitu: ergo manifesta cõtradictio est indictis Victoriæ. Nam, si in augmento charitatis vult seruare proportionem aliorũ habituum acquisitorum, qui sunt habitus operatiui, consequẽter dicere debet quòd nunquam augetur nisi per actũ intensiorem & feruentiorẽ, in propria entitate intrinseca. Si autem in augmento charitatis vult solam rationem meriti attendere, non est cur neget, per quẽlibet actum meritorium charitatem augeri: Quoniã in quolibet reperitur noua & distincta ratio meriti. Et ex hoc facilè dissoluitur Victoriæ argumentũ: Dicendũ est enim quòd licèt charitas sit habitus operatiuus; tamen cõsequitur gratiã; & ideo augetur secundũ rationẽ meriti, sicut augetur ipsa gratia, & nõ tantũ secundũ modũ & rationẽ causalitatis naturalis, aut efficientiæ physicæ; ac proinde, quotiescũq; gratia augetur meritorie, etiã augetur charitas ipsa, ita vt non stet gratiam esse maiorem charitate, vel è contra, loquendo de lege communi & ordinaria. Neq; valet dicere, quòd gratia in Christo fuit infinita; charitas verò non erat infinita, nã non poterat elicere actũ infinitè intensum gradualiter: Hoc inquã non valet neq; obstat: Quia gratia habitualis Christi, non erat intensiuè infinita simplicitèr, sed tantũ erat infinita secundum quid, quantùm ad hoc scilicet quòd habebat omnem perfectionem gratiæ, quæ potest reperiri de lege ordinaria, & quãtùm ad hoc etiam quòd erat principiũ meriti infiniti, & pro infinitis hominibus. Hæc autem infinitas secundum quid, etiã conueniebat charitati ipsius Christi; atq; adeò charitas & gratia habitualis semper ad inuicẽ commensurantur quantum ad suam perfectionem intrinsecam, tàm in Christo Domino, quam in nobis etiam. Victoriæ mentem nos copiosè explicuimus. 1. part. quæst. 95. art. 4. disputat. 1. in quem locum remittimus Lectorem, vt ibi cernat plura alia quæ huic instituto maximè sunt accommodata.

*Sent. 4.* Quarta opinio putat, nunquam augeri gratiam vel charitatem extra sacramenta, nisi per actus intensiores ipso habitu charitatis. Vnde, Authores huius sententiæ dicunt, quòd licèt plurimum quis se exerceat in bonis operibus ex charitate, & multiplicet actus remissos seu minus intensos à charitate elicitos per longum tempus; si tamen non efficiat actum feruentiorem & intensiorem habitu charitatis, licèt per tales actus mereatur de condigno augmentum gratiæ & charitatis; tamen nunquam consequetur de facto tale augmentum neq; in hac vita, neq; in futura; & ex consequenti fiet vt virtute talium actuum nunquam augeatur illi gloria essentialis in patria illa fæliciſsima, non obstante quòd actus isti verè meruerint de condigno augmentum gloriæ, vt dictum est. Pro hac sententia citantur ab aduersarijs plures Authores Theologi, sed falsò quidem, quia originales Codices non legerunt. Nam citatur Capreolus in 4. dist. 14. quæst. 2. artic. 3. ad argumenta Scoti contra 2. conclu. sed certè ibi potiùs tenet cõtrarium, vt statim ostendemus. Citatur etiã pro hac sententia Palude & Alensis, sed profectò neuter ipsorum hanc sententiam tuetur. Solus Altisiodorens. antiquis & trãsactis temporibus videtur fuisse huius opinionis, quem ob id meritò repellũt Catholici Theologi, li. 3. tract. 16. q. 3. &. 5. cuius titulus est, vtrũ ex condigno mereamur augmentũ gratiæ, & vtrũ multitudo bonorũ operũ valeat ad meritũ: Ibi enim fatetur quòd meremur augmentũ gratiæ ex condigno, sed nõ quibuslibet operibus charitatis, sed dũtaxat operibus supererogationis, & strenuitatis. Nã, cùm operibus charitatis mereamur vitã æternam secundũ mensurã charitatis, nõ venitur ad augmẽtum gloriæ, nisi per opera supererogationis, nec ad augmentũ gratiæ. Subiungit tamẽ, quòd operibus supererogationis meretur quis augmentũ gratiæ sub hac conditione, si expedit, non quidem sub conditione merendi, sed sub conditione habendi: Quia Deus non semper dat quod petitur, quia nõ expedit. Et subiungit vlteriùs, quòd in tali casu nõ semper expedit charitatem augeri, etiã per actus meritorios supererogationis: Quia fortè inde superbiret homo, sicut Lucifer superbiuit ex pinguedine bonorum suorum.¶ Fundamentum aduersariorum est. Quia S. Thomas olim iuuenis in. 1. distin. 17. quæst. 2. arti. 3. & in. 2. dist. 27. art. 5. ad. 2. dixit, per actus charitatis remissos, nos non mereri augmentum gratiæ vel charitatis, neq; gloriæ essentialis. Et licèt D. Tho. ex presso in hoc art. 8. ad. 3. & 2. 2. q. 24. arti. 6. mutauerit sententiam quantùm ad hoc quòd actus minus intẽsi seu remissi verè sunt meritorij augmẽti gratiæ & charitatis; semper tamen docuit quòd tale augmentum de facto non dãtur, nisi cùm homo se disponit per conatum proportionatum huic augmento, prorumpendo videlicèt in actũ intensiorẽ & feruentiorẽ ipso habitu.¶ Mouentur rursus aduersarij ad suã sententiam: Quia habitus acquisiti nunquã de facto augentur, nisi per actus intensiores: ergo paritèr sentiendum est de infusis habitibus. Cõsequentiã ostendo: Quia ad suauẽ Dei prouidẽtiam pertinet augere habitus infusos, secũdũ modũ quo augẽtur habitus acquisiti seu naturales. Nã, cũ nostri actus cõcurrãt ad augmentũ infusorũ habituũ, non tãtũ per modũ meriti, sed etiam per modum causę dispositiuæ; apertè sequitur quòd non possunt augere habitũ, nisi intensiores sint actus ipsi.¶ Confirmant præterea suam sententiam: Quia in sacris literis, qui negligentèr & tepidè vtuntur Dei gratia, potiùs censentur disponi ad totalẽ destructionem & deperditionem ipsius gratiæ, quam ad eius augmẽtum, iuxta illud Eccles. 19. Qui minima negligit paulatim decidit. & Matth. 13. Habenti dabitur, & abundabit; ab eo autem qui non habet, & quod videtur habere, auferetur ab eo. Et Apocal. 3. Quia tepidus es incipiam te euomere &c. Ex quibus locis sancti videntur colligere, valde periculosum esse remissè & tepide agere, & exercere charitatẽ, quia est via totalis perditionis.¶ Tãdẽ, experientia instruimur, quòd per huiusmodi actus remissos non fit homo promptior aut facilior ad exercenda opera charitatis: ergo per tales actus non augetur charitas & gratia, nisi accedat feruẽtior & intensior actus.¶ Conradus. 1. 2. q. 114. art. 8. in expositione rationis D. Thomæ multa dicit, neq; se satis explicat; Veruntamen hæc sunt quæ potui colligere. Primò dicit, non quẽlibet actum augere gratiã vel charitatẽ, sed solũ illũ in quo quis vtitur gratia secũdũ proportionem suarũ virtutũ: talis enim actus est meritum & propinqua dispositio ad augmentum. Secundò proponit dubitationem hanc, An plures actus meritorij remissi non augentes charitatem, mereantur maiorem gloriam, & maius præmium essentiale? Et huic dubitationi respondet ex doctrina Capreoli, quem ibi citat, quòd per opera remissa nullus acquirit nec meretur nouum gradũ gloriæ, nisi quia

*Fundamentum aduersariorum.*

*Argumentũ Primũ aduersariorũ.*

*Confir.*

*Eccles. 19.*

*Matth. 13.*

*Apoc. 3.*

*Secundum.*

*Conradus.*

quia simul meretur nouum gradum gratiæ vel charitatis, & quòd ob id principalis conatus debet esse cuilibet, vt crescat in gratia & charitate Dei & proximi. Vbi aduerte, Conradum non dixisse opera minus intensa non esse meritoria noui gradus gloriç, sed solùm dixisse, quòd per opera minus intensa seu remissa, nullus acquirit nec meretur nouum gradum gloriæ, nisi quia simul meretur nouũ gradum gratiç vel charitatis; & hęc duo sunt valdè diuersa: Quia solũ vult Conrad. quòd nisi quis mereatur nouũ gradũ gratiæ vel charitatis, nullus meretur neque acquiret nouum gradum gloriæ. Et quòd hæc sit Conradi sententia patet: Quia citat D. Thom. in 3. d. 18. q. 1. arti. 2. ad 4. dicentẽ, quòd siquis non aucta charitate vel gratia, facit plura opera bona ex charitate, meretur idem pluribus modis; & tamen per actum etiam meretur augmentũ gratiæ, & nouum gradum, quando gratia est augmentabilis; quo tamen non habito, gloria commensuratur gradui habito: Possibile est enim (inquit Cõradus) secundum D. Tho. in 1. quòd aliquis mereatur maiorem gradũ gratiæ, & ipsum nõ consequatur propter hoc quia non intensè & feruidè agit secundũ proportionẽ gratiæ præhabitę. Nã præter meritũ requiritur etiã dispositio intensa excedens gradum præhabitũ. En, candide Lector, fatetur Conrad. ex D. Tho. sententia, quòd potest aliquis mereri maiorẽ gradũ gratiæ, & ipsum non consequi, nisi se per dispositionem excedentem gradum gratiæ præhabitũ, disponat. Et cùm dicat, mereri aliquem maiorem gradũ gratiæ, & ipsum non consequi, nisi se disponat præter ipsum meritum ad receptionem per dispositionem intensam excedentem gradum præhabitũ gratiæ; apertè insinuat, actũ illum, quo ille meruit maiorem gradum gratiæ, quem non consequitur statim; esse actum minus intensum, quam sit gradus gratiæ præhabitus. Vnde, credit Conrad. quòd stat aliquẽ mereri maiorem gradum gratiæ, & non consequi illum, nisi feruidè & intensiùs operetur.

*Conclu. 1.* His tamen non obstantibus, vt huius controuersiæ veritas aperiatur est prima Conclusio: Quilibet actus meritorius ex gratia & charitate procedẽs, meretur charitatis augmentũ. Itaq; nõ tantũ actus charitatis feruidus & intensior, sed etiam actus charitatis non ita intensus neq; feruidus, sed minus intensus aut remissus, meretur augmentum ipsius charitatis. Hæc assertio sine vlla controuersia est D. Tho. in hoc art. solut. ad. 3. & 2. 2. q. 24. art. 6. ad. 1. Scotus etiã, qui in plerisq; aduersatur Diuo Thomæ, hac in parte illi assentitur & sensit idem in 4. d. 14. &. d 22. q. 1. arti. 2. Gabr. etiam & Almain & Ocham, & vniuersi Theologi huius ætatis, & Bartholom. Medina. Vnde, hæc Conclusio est apertè contra Altisiodorens. & Durand. locis citatis. De hac assertione nos fusè multa diximus. 1. p. q. 95. art. 4. disputat. 1. conclu. 2. 3. & deinceps, vbi egimus de valore meritorũ ad essentialem gloriam. An verò illud augmẽtum, quod iustus quolibet suo actu meritorio meretur, statim illi conferatur, vel quando confertur; modò non dicimus, dicemus autem inferiùs, licèt. 1. p. quid tunc sentiamus satis ostendimus in. 2. Tomo loco citato.

Hæc conclusio probatur primò ex Concilijs. Nã in Concil. Araus. cap. 18. expresè dicitur, quòd debetur merces bonis operibus ex gratia factis. Et quoniam aduersarij volunt eludere verba Cõcilij, minus aptas reddendo interpretationes, & eas quas Catholici tradunt repellendo; idcircò probatur ex Concil. Trident. sessio. 6. capit. 10. & 16. & Cano. 24. & 26. & 32. Quibus in locis, vniuersalitèr decernitur & definitur, iustos per bona opera ex gratia Dei facta, non solum mereri vitam æternam, sed etiam augmentum ipsius vitæ æternæ, & gratiæ, atq; adeò charitatis: Nam hæc tria, gratia, charitas, & gloria, ad inuicem proportionantur. Hæc autem sunt verba Concilij; Si quis dixerit, hominis iustificati bona opera ita esse dona Dei, vt non sint etiam bona ipsius iustificati merita, aut ipsum iustificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam, & Iesu Christi meritum, cuius viuum membrum est, fiunt, non verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratia decesserit consequutionem, atq; etiam gloriæ augmentum; anathema sit. Ergò non licèt citra fidei periculum & errorem magnamq; & ingentem temeritatem, negare omnẽ actum charitatis etiam remissum & imperfectum, esse meritorium, & de facto mereri augmentum gratiæ & charitatis. Quare, licèt tempore Altisiodorensis, quia res hęc non erat adeò aperta, illi fuerit probabile forsan, quòd actus meritorij charitatis minus intensi non merentur augmentũ ipsius charitatis neq; gratiæ aut gloriæ; tamen post præfatam definitionem Concilij Tridentini, non video quo pacto possit hoc defendi absq; temeritate magna. Nam Sacri Trident. Concilij definitio & doctrina, est vniuersalis de bonis operibus ex charitate & gratia factis; & ob id aliqua huiusmodi bona opera excipere à definitione vniuersali Concilij, temerarium est. Neque valet dicere, quòd Concilium duntaxat intendit definire contra Hæreticos huius ætatis, iustos posse per sua bona opera mereri gloriam & augmentum illius, & quòd non intendit definire quòd per quodlibet opus bonum mereantur iusti augmentum gratiæ & gloriæ. Hoc inquam non valet; Quia licèt verum sit quòd principalis intentio Concilij est contra Hæreticos negantes vniuersalitèr merita iustorum; tamen doctrina tradita à Concilio, intendit affirmare vniuersalitèr, omnia opera bona iustorum ex gratia & charitate facta, esse vniuersalitèr meritoria, vt sicut illi vniuersalitèr negant omnia merita; ita Catholici affirment vniuersalitèr, omnia bona opera ex gratia & charitate facta iustorũ, esse meritoria vitæ æternæ, & augmenti gratiæ, & charitatis & gloriç. Vnde, doctrina tradita à Cõcilio procedit de bonis operibus iustorum ex gratia & charitate factis, absque restrictione vlla ad actus intensiores. Imo verò ex contextu eiusdem Concilij euidenter constat & colligitur quòd intendit definire de quibuscumq; operibus ex gratia & charitate factis, quantumcumque minus intensis, aut remissis, quod vel mediocris Theologus statim cognoscet perlecto Concilio, nisi cæcus sit? Nam Concilium ipsum ad confirmationem suæ doctrinæ cap. 16. eiusdem sessionis adducit illud Paul. 2. Corinth. 15. Abundate in omni opere bono, scientes quòd labor vester non est inanis in Domino. Et illud. 2. Corin. 4. Id quod in præsenti momentaneũ & leue est tribulationis nostrç, supra modũ in sublimitate

*2. Corint. 15*

*2. Corint. 4*



mitate æternũ gloriæ pondus operatur in nobis. Ex quibus locis intendit Concilium colligere, nullũ esse opus bonum quantumuis leue, momentaneũ, & minus plenum, seu intensum; si tamen procedat ex gratia & charitate, quod non mereatur augmentum gratiæ & gloriæ. Et ob id adducit etiam Concil. illud Paul. ad Hebræ. 6. Non enim iniustus est Deus vt obliuiscatur operis vestri.

*Hebræ. 6.*

Rursus probatur asserta Cõclusio, non solùm ex testimonijs à Concilio allatis, & iam citatis, sed etiã ex alijs. Et primò probatur ex scriptura & testimonio Paul. ad Roma. 2. Reddet Deus vnicuique secundum opera sua; & Matth. 10. Omnes capilli capitis vestri numerati sunt, & quicumque potum dederit vni ex minimis istis, calicem aquæ frigidæ tantum in nomine discipuli, non perdet mercedem suam. Et. 2. Corinth. 5. Oportet nos manifestari ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis prout gessit &c. Ex quibus testimonijs, & pluribus alijs infrà citãdis, planè colligitur, nullum esse opus bonum ex gratia & charitate factum, cui non correspondeat aliquod præmium & merces apud Deum, atque adeò per quemlibet huiusmodi actum iustus meretur nouum gradum gloriæ: sed gloria proportionatur gratiæ & charitati: ergo per quemlibet actum charitatis quantumuis minus intensum seu remissum, meremur augmentum ipsius charitatis & gratiæ. Neq; valet dicere cum Durando, quem libet actum charitatis quantumuis remissum, mereri vitam æternam; non tamen augmentum gratiæ & charitatis: Quia si actus iste meritorius minus intensus seu remissus, meretur vitam æternam, necessariò statim dicendum est quòd pro illo dari debet aliquis gloriæ gradus, qui non erat dandus pro gratia & charitate præcedente, si non extitisset actus iste: ergo cùm certum sit apud omnes, gloriam correspondere gratiæ & charitati, necessariò sentiendum est, quòd sicut iste actus remissus meretur nouum gradum gloriæ, ita etiam meretur nouum gradum charitatis & gratiæ; & ex consequenti augmentum charitatis præexistentis. ¶ Ad hæc tamen recentiores quidam Theologi dicunt, quòd actus remissus charitatis nõ meretur nouum gradum gloriæ essentialis, sed meretur gloriam præexistentem, vt nouo titulo præmij dandam, ad eum modum quo opera Christi Domini, quæ faciebat in discursu vitæ, erãt meritoria nõ præmij noui, quod non meruisset per primum actum, sed eiusdem præmij, vt nouo titulo dandi. Ita insinuat Conrad. 1. 2. q. 114. arti. 8. Vbi dicit, quòd si quis non aucta charitate vel gratia facit plura opera bona ex charitate, meretur idem pluribus modis. ¶ Hæc tamen responsio non satisfacit: Quoniam actui meritorio debetur ex iustitia præmium: ergo nouo actui meritorio debetur ex iustitia nouum præmium, & non satisfit illi per antiquum præmium alio titulo debitum. Neque est simile id quod de Christo Domino adducitur: Quia cũ quilibet actus ipsius esset infinitè meritorius respectu cuiuscumque præmij possibilis, non potuit per actus sequentes mereri maius præmium, quam per primum actum; secus verò in nobis, quia merita nostra finita sunt; Et ita, per actus sequentes meritorios possumus mereri maius atque maius præmium, quam per primum actum meruerimus.

*Rom. 2.*
*Matth. 10.*

*2. Corint. 5.*

Ratione etiam probatur hæc Conclusio. Quoniã actus charitatis intensus vt centum, si fiat ab homine habente charitatem vt tria, meretur augmentum charitatis citra omnem controuersiam, & contrarium dicere, esset hæreticum: ergo idem actus charitatis intensus etiam vt centum, merebitur augmentum charitatis, si fiat ab alio iusto habente charitatem vt centum, vel vt centum & viginti. Ostendo consequentiam: Quoniã ille actus meritorius & intensus vt centũ, non est minoris valoris in isto magis iusto, quã in illo qui habet minorem gratiam, charitatem, & iustitiam. Imò verò videtur esse maioris valoris: Quia procedit à subiecto magis grato & digno, magisque amico Dei. ¶ Moueor etiã ad idem: quia peccator, per quemlibet actum malum quantumuis leuem & remissum, meretur augmentum pœnæ essentialis: ergo pari ratione iustus, per quemlibet actum charitatis meritoriũ quantumcumque paruum & remissum, meretur augmentum gloriæ essentialis; atque adeo charitatis, cui gloria ipsa correspondet. Patet consequentia: Quia Deus pronior est ad præmiandũ, quã ad puniendũ. Antecedens probatur ex illo quod legitur Apoc. 18. Quãtum glorificauit se & in delicijs fuit, tantũ date illi tormentum & luctum. ¶ Probatur etiam ex prudentissimo discursu eorũ quæ in vita humana eueniũt: non enim possunt homines moraliter loquẽdo semper operari feruentissimè: Quia iuxta discursum vitæ humanæ non sunt homines æqualiter dispositi in omni euentu, neque casus occurrentes æqualiter occurrunt. Vnde frequentèr, moraliter loquendo, & secundum naturæ fragilitatem, operãtur non ita intensè semper, sed remissè; Durum autem & asperum est asseuerare, quòd opera iustorum maiori vel maxima ex parte sint inania, & sine nouo fructu vitæ æternæ: ergo cùm Deus nouerit figmentum nostrum, non est credibile quòd Deus exigat ad præmiandum nos nouo præmio, vt non tantum operemur noua opera, & noua merita ex gratia & charitate, sed etiam vt operemur illa maximo conatu, & feruentiori & intensiori actu.

*Apocal. 18.*

*Conclu. 2.* Secunda conclusio. Omne id quod requiritur & sufficit ad meritum augmenti gratiæ & charitatis, & ad meritum vitæ æternæ, & ad meritum augmenti gloriæ, verè definitur & traditur à Concilio Tridentino sessio. 6. cap. 16. & Cano. 24. & 32. Hanc assertionem tradidimus nos Tomo. 2. nostrorum operum. 1. part. quæst. 95. art. 4. disputat. 1. concl. 7. Probatur: Nam cap. 16. Concilij dicitur; Cùm enim ille ipse Christus Iesus tanquam caput in membra, & tamquã vitis in palmites in ipsos iustificatos iugiter virtutẽ influat, quæ virtus bona eorũ opera semper antecedit, comitatur, & subsequitur; & sine qua nullo pacto Deo grata & meritoria esse possent: nihil ipsis iustificatis ampliùs deesse credendum est, quo minùs plenè illis quidem operibus, quæ in Deo sunt facta, diuinæ legi pro huius vitæ statu satisfeciſſe, & vitã ęternã suo etiã tẽpore, si tamẽ in gratia decesserint, consequendã, verè promeruisse censeãtur. Et Cano. 32. Si quis dixerit, hominis iustificati bona opera, ita esse dona Dei, vt non sint etiam bona ipsius iustificati merita, aut ipsum iustificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiã & Iesu Christi meritũ, cuius viuũ membrum est, fiunt, non verè

*Concilium Tridentinũ.*

*2. Corint. 4*

mereri

mereri augmentum grátię, vitam æternam, & ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratia decesserit, consequutionem, atque etiam gloriæ augmentum; anathema sit. En, Concilium dicit sufficere ad augmentum gratiæ & ad augmentum gloriæ, quòd opus aliquod sit bonum & ab homine iusto, & quòd fiat ex Dei gratia & charitate, & per Iesu Christi meritum, cuius viuum membrum est iustus. Et capite. 16. in doctrina de fructu iustificationis, ideſt de merito bonorum operum, & de ipsius meriti ratione, dixit, quòd requiritur influxus virtutis Christi in bona opera iustorum, sine qua opera ipsa, neque Deo grata, neque meritoria esse possunt. Et subiungit, Nihil ipsis iustificatis ampliùs deesse credendum est, quominùs plenè illis quidé operibus quæ in Deo sunt facta &c. vitam æternã suo etiam tempore, si tamen in gratia decesserint, consequendam, verè promeruisse censeantur. Ergò hæc quæ à Sacro Concilio dicuntur & recensentur, sufficiunt & requiruntur ad hoc vt opus aliquod sit meritorium, seu vt verè mereatur vitam æternam, & ipsius vitæ æternæ, si quis *in* gratia decesserit, cõsequutionem, & vt verè mereatur tale opus bonum & iustificati meritum, ex Dei gratia & charitate factum, & ex ipsius Christi influxu atque merito, cuius ipse iustus viuum membrum est; augmentum gratiæ, atque etiam gloriæ augmentum. Sed quodlibet opus cuiuscumque iusti, si bonum & meritorium est, & ex Dei gratia procedens, & per Christi meritum & influxum factum, quantumcumque sit paruum, & minus intensum, habet omnes has cõditiones, quas petit Concilium Trident. ad verè merendum ea omnia, quæ Concilium dicit cadere sub merito: ergo. ¶ Vnde dixit Concil. capit. 16. citato; Nihil ipsis iustificatis amplius deesse credendum esse, quominus plenè illis quidem operibus, quæ in Deo sunt facta &c. verè promeruisse censeantur. Ergo Concilium tradit prædictis *in locis* eas *conditiones* quæ sufficiunt & requiruntur ad veram rationem meriti, ¶ Itaque necessarium est vt opera bona sint meritoria, primò quòd sint bona opera, secundò quòd procedant ab homine iustificato & viuo membro Christi, & quòd fiant per Dei gratiam ex motione Spiritus sancti, (in quo includitur in finem supernaturalem actualis vel virtualis relatio) & per Christi meritum, quo posito talia opera bona hominis iustificati habent id quod sufficit, & id quod requiritur vt verè mereãtur apud Deũ id quod Cõcilium dicit, nempe augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipsius vitæ æternæ consequutionem (si homo qui ita meretur decesserit *in* gratia) & ipsius etiam gloriæ augmentum, vt in postremis verbis illius Canonis dicit Concilium. Ergò anathema erit qui dixerit, hæc non sufficere vt quis mereatur augmentum gratiæ, & augmentum gloriæ. Si ergò hæc omnia reperiuntur in opere bono meritorio quantumuis paruo aut minus intenso; sequitur quòd opus illud habet omnes conditiones quæ sufficiunt & requiruntur ad merendum ea omnia, quæ Concilium dicit cadere sub merito; quæ sanè sunt, augmẽtum gratiæ, vita æterna, eiusque (si in gratia decesserit) consequutionem & gloriæ augmentum. Nomine autem gloriæ & vitæ æternæ, intelligitur ipsa Dei visio, & amor Patriæ cœlestis; Et ita intelligunt Sancti Patres. Vnde D. Ioan. dixit; Hæc est vita æterna vt cognoscam te; & ex consequenti per gloriæ augmentum intelligit augmentum visionis Dei, & amoris Patriæ, & augmentum eius gloriæ qua Beati redduntur, ciues illi, & domestici Patriæ sanctorum. De qua beatitudine dicunt Theologi Scholastici, quòd est status omnium bonorum aggregatione perfectus. ¶ Sed dicunt recentiores Theologi, quòd beatitudo ipsa potest considerari, & in quantùm est actio visionis Dei, & in quantum est præmium meritorum ipsius beati, quod accidit visioni & fruitioni Dei, quæ est vita æterna, ex diuina gratia & ordinatione. Sed de hac re infrà dicemus; Nam etsi verum sit, posse considerari beatitudinem & in quantùm est actio visionis Dei, & in quantùm est præmium meritorum; tamen hoc magis est (vt postea ostendemus) contra eosdem aduersarios, quam pro illis; Neque est distinctio illa fundamentum aliquod suæ sententiæ & opinionis: Quia pariter etiam est verum in sententia, quam Theologi rectè sentientes asseuerant. ¶ Circa discursum & intelligentiam Concilij & huius secundæ Conclusionis, multa diximus Tomo. 2. primæ partis. quæst. 95. artic. 4. conclus. 2. & 7. quæ ibi legenda sunt.

*Conclus.* Tertia Conclusio. Quicũq; iustus qui meruit de condigno augmentũ gratiæ & gloriæ, infallibilitèr illud consequetur, nisi superueniat impedimentum peccati mortalis, per quòd amittat gratiã; ac proinde per actum verè meritoriũ quantũcumq; paruum aut minus intensum, meretur iustus augmentũ gratiæ & gloriæ, illudque consequetur, si in gratia perseuerauerit vsque ad finẽ vitæ. Quo fit, vt si adultus meruit per actum intensum contritionis, gloriã, & deinceps efficiat aliqua bona opera minus intensa; tamen ex charitate & gratia Dei & motione Spiritus sancti; habebit nouũ augmentũ gloriæ essentialis ad præcedentẽ. Itaque repellenda est prorsus & relegãda illa sententia, quæ putat, nunquã dari augmentũ gratiæ & charitatis neq; in hac vita neq; in futura, illis qui meruerunt de condigno augmentũ gratiæ & glorię per actus minus intensos seu remissos; si tamen quamuis in gratia decedãt, non eliciãt priùs actum magis intensum ipso habitu charitatis. Puto enim valde periculosam esse eã sententiã quæ dicit, quòd quantumcũque iustus eliciat actus charitatis minùs intensos habitu, & quantũcumq; multiplicet bona opera charitatis meritoria per longũ tẽpus; si tamẽ non faciat actũ intẽsiorẽ habitu charitatis, quãuis per tales actus mereatur de condigno augmentũ gratiæ & charitatis; ꝙ nunquã consequetur de facto tale augmentũ gratię & gloriæ, neq; in hac vita neq; in futura; & ꝙ virtute taliũ actuũ meritoriorũ nõ augebitur essentialis gloria in Patria, nõ obstante ꝙ huiusmodi actus meruerint augmentũ gloriæ. Hanc assertionem constituo cõtra Altisiodorensem & suos, lib. 3. tract. 16. capi. vnico. q. 3. &. 5. Et hæc est sententia omniũ Theologorũ catholicorũ, & est D. Tho. plerisq; *in locis* suprà à me allatis, qui quam iuuenis tenuerat sententiam, mutauit in melius. Et hanc tenent ferè omnes Thomistæ ex familia. D. Thomæ, inter quos etiam est Bartholom. Medina. 1. 2. q. 52. art. 3. & putat, oppositã sententiam falsam esse & contra fidem; & Pater Victoria non abhorret



abhorret hanc sententiam, quam hac tertia conclusione edidimus. Inclyta etiam Salmanticensis Academia ita fauet nostræ assertioni, vt oppositam sententiam dicat neq; esse securam, neq; vlla ratione defendendam, sed potiùs censura inurendã, quidquid aduersarij nõ nulli reclament: Nã iniurijs & maledictis nos insequuntur, & his ostendunt plerumque quod opinantur; Nos verò modestè & pro Christi fidelibus, & pro sacri Concilij Tridentini doctrina & veritate pugnabimus & agemus; Testis est Deus, & non mentior, quòd solo zelo veritatis, & amore iustorum & fidelium Christi hoc facio.

*Concilium Tridentinũ.* Probatur etiam nostra Conclusio: Primò quidem ex sacris Concilijs. Nam veritas nostræ assertionis sicut exposita est, definitur palàm in Concilio Trident. sessio. 6. capit. 10. Vbi dicitur, per obseruationem mandatorum Dei & Ecclesiæ *in* ipsa iustitia per Christi gratiam accepta, cooperante fide bonis operibus, crescunt iusti atq; magis iustificantur, sicut scriptum est Apocal. vltimo; Qui iustus est iustificetur adhuc, & iterùm Ecclesiasti. 18. Ne vereris vsque ad mortem iustificari. Quibus sanè verbis planè Concilium docet, per opera quibus obseruauntur mandata, seruatis conditionibus in eodem concilio contentis, augeri iustitiam & gratiam, atque adeo gloriam, nihil curando an fiant cum minori, vel cum maiori & intensiori conatu, quam sit charitas & gratia, mouens ad talia opera. ¶ Quo circa Cano. 24. eiusdem session. ita habetur: Si quis dixerit, iustitiam acceptam non conseruari, atque etiam non augeri coram Deo per bona opera, sed opera ipsa fructus solummodo, & signa esse iustificationis adeptæ, non autem ipsius augendæ causam; anathema sit. Et Cano. 26. Si quis dixerit, iustos non debere pro bonis operibus quæ in Deo fuerint facta, expectare, & sperare æternam retributionem à Deo per eius misericordiam, & Iesu Christi meritum, si benè agendo, & diuina mandata custodiendo vsque ad finem perseuerauerint; Anathema sit. Et expressiùs Cano. 32. Si quis dixerit, hominis iustificati bona opera ita esse dona Dei, vt non sint etiam bona ipsius iustificati merita, aut ipsum iustificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam & Iesu Christi meritum, cuius viuum membrum est, fiunt, non verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipsius vitæ æternæ; si tamen in gratia decesserit, consequutionem, atque etiam gloriæ augmentum: anathema sit. ¶ Circa quæ decreta diligentèr aduertere oportet & perpendere, quòd eodem tenore verborum, quo definitur, iustum bonis suis operibus ex gratia & charitate factis, mereri vitam æternam, etiam definire, quòd eisdem bonis operibus merentur augmentum gratiæ & gloriæ: Imò verò vlteriùs definitur & decernitur, quòd per talia opera augetur iustitia, & merentur iusti consequutionem vitæ æternæ, & augmenti ipsius, si in gratia decesserint; ac proinde sicut esset periculosum in fide, vel planè erroneum dicere, quòd iustus nõ meretur vitam æternam per actus charitatis minus intensos ipso habitu seu remissos; ita etiam est periculosum asseuerare, quòd per tales actus non meretur augmentum gratiæ, & vitę ęternę, aut quòd licèt mereatur; tamen nunquã consequetur illud augmentũ nouum gratiæ vel gloriæ; quod illis actibus meritorijs de nouo meruit, etiam si in gratia decedat, nisi fecerit actum intẽsiorem habitu charitatis. Nam omnia hæc eisdem verbis, & sub eodem tenore sunt ibi definita. Neque valet dicere, quòd concilium duntaxat intendit de finire contra Hæreticos, iustos posse mereri vitam æternã & eius augmentum & consequutionem per bona opera sua; non tamen definire vniuersalitèr, ꝙ per omnia bona opera ex gratia & charitate facta, id mereantur; & ex consequenti ꝙ sine periculo potest restringi definitio concilij ad solos actus intensiores & vehemẽtiores. Hoc inquã non valet: Quoniam Concilũ Tridentũ absolutè loquitur, & doctrinalitèr de bonis operibus ex gratia & charitate factis; propositiones autem doctrinales & indefinitæ, æquiualent vniuersalibus; Aliàs sicut definitio Cõcilij restringitur ad actus intensiores charitatis, eò ꝙ non dixit per omnia bona opera augeri iustitiã, gratiã, & gloriam, sed solum dixit indefinitè per bona opera iustorum &c. ita etiam posset restringi ad iustos huius vel illius conditionis, eò quòd Concilium non dixit, omnes iustos mereri ea quæ dicta sunt, sed indefinitè dixit, iustos hæc mereri per bona opera sua; ergo sicut non licèt restringere definitionem Concilij quo ad iustos istos vel illos, dicendo quòd solum debet intelligi de iustificatis extra sacramẽta per proprios actus; ita etiam non licet restringere quoad bona opera ex gratia & charitate facta, dicendo quòd solum debet intelligi de intensioribus aut feruentioribus. ¶ Huic argumento respondent aduersarij, quòd assertiones & definitiones Concilij non sunt tam vniuersales sicut dicimus. ¶ Sed profectò hæc responsio, peior est sententia ipsorum; Nam prædicti Canones sunt doctrinales vt dictum est, & omnes Catholici Theologi fatentur eos esse vniuersales: Nam ille modus loquendi quo vtitur Concilium Trident. sessio. 6. Cano. 26. & 32. Si quis dixerit, iustificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam & Iesu Christi meritum fiunt, secundum omnem rigorem dialecticum & grammaticalem, faciunt sensum vniuersalem, ratione illius copulæ implicationis: Relatiuum enim ibi positũ, habet vim signi vniuersalis; Nam perinde est dicere, Si quis fecerit hoc punietur, ac dicere, Quicumque hoc fecerit punietur, vt patet ex modo loquendi Scripturæ, & omnium legislatorum in constitutione suarum legum; ergo pari ratione quando Concilium dicit; Si quis dixerit, per opera quæ ex gratia & charitate fiunt, iustos non mereri vitam æternam & eius augmentum atque cõsequutionem & augmentum gloriæ &c. perinde omnino est ac definire, iustos hoc mereri per quæcumque bona opera ex gratia & charitate facta; atque adeo Canones Concilij vniuersales sunt, neque possunt sine magna violentia ad sola opera intensiora, verba Concilij restringi. ¶ Rursus etiam: Quia si liceret cuique vlo restringere verba Concilij, ferè omnes leges & definitiones Conciliorum perirent. Nam ferè omnes Canones sub illo eodem tenore verborum traduntur; quos tamẽ vt vniuersales semper veneratur Ecclesia. ¶ Sed adhuc respondent ijdem aduersarij, quòd Concilium non intendit, quòd talibus operibus bonis semper crescat habitus gratiæ intensiuè:

Quia

Quia aliàs opinio Scoti illic condemnaretur, negátis habitualem gratiam augeri per actus remissiores, quod quidem non admittent Scotistæ, neque Thomistæ. ¶ Sed profectò isti sibi obijciunt quod à nomine illis obijcitur: nemo enim ex Catholicis, aut ex rectè sentientibus Theologis dicit, Concilium definire quòd semper crescat habitus charitatis & habitus gratiæ intensiuè: Quia neq; huiusmodi habitus esse, est definitum ab Ecclesia in Concilijs, neque fuit cura Concilio agere de augmento habituum & qualitatum, sed solùm de vero augmẽto gratiæ & charitatis, quæ sunt vera dona supernaturalia Dei; & ita neque damnatur Scotus, neque damnantur Thomistæ circa hoc, & multò minùs dicimus definitam esse in Concilio opinionem Nominalium aientium; quolibet actu meritorio à gratia & charitate procedente minus intenso aut remisso, statim habitum gratiæ, & habitum charitatis augeri, secundum totam latitudinem intensionis ipsius actus, sed solum definiri; Quolibet actu meritorio à gratia & charitate procedente, etiam minus intenso & remisso, *iustum* mereri augmentum gratiæ & charitatis, vitam æternam, & augmentum gloriæ, & quòd illud nouum augmentum gratiæ & gloriæ, quod promeruit iustus, de facto consequetur, si decedat in gratia, & perseueret in gratia vsque in finem vitæ. Quare aduersarij, malè insimulant & agunt, vt Catholicam sententiam repellant, & suam statuant, eam dicere esse sententiam Nominalium. Nam veritas fidei & catholica sententia à quocumque defendatur, non debet nomine illius, aut authoritate illius particularis circunferri, sed nomine Dei, qui est prima veritas, & nomine Ecclesiæ, aut Sanctorum & Cõciliorum. Itaque, cùm Nominales pleriq; Catholicè sentiant, in Christo esse duas voluntates, non ob id est dicendum, Hæc est sententia Nominalium, sed affirmandũ est, hanc esse fidei sententiam, quam & Concilia, & Sancti Patres, & Theologi Catholici vno ore confitentur, non solùm qui sunt ex familia D. Thom. sed etiam nominales omnes. Neque rursus asseueramus, definiri in Concilio, quòd per quælibet bona opera moralia, meretur iustus augmentum gratiæ & gloriæ sine vlla relatione formali vel virtuali charitatis, aut nisi procedant ex actu chatitatis in finem ipsius, & ex relatione eiusdem charitatis: Quia de hoc versantur opiniones inter Theologos Catholicos; Sed solum asseueramus, quolibet actu meritorio facto ab homine iusto viuo Christi membro ex gratia & charitate, seu per Dei gratiam & charitatem, & Iesu Christi meritum, iustum verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipsius vitæ æternæ, si in gratia decesserit, consequutionem, atque etiam gloriæ essentialis augmentum ad præexistentem gloriam, ita vt actus meritorius, qui ex gratia & charitate procedit, etiam si sit minus intensus, quam habitus à quo procedit, non sit cariturus nouo præmio & gloria essentiali, quamuis iustus in gratia decedens non fecerit opera intensiora ipso habitu; quod aduersarij negant: Dicunt enim quòd etiam si quis mereatur per opera remissa augmentũ charitatis gratiæ & gloriæ; hoc tamen augmentum non cõsequetur vnquã iustus de facto, etiã si in gratia decedat. Putant ergo quòd quantumcũq; aliquis se exerceat in bonis operibus ex charitate, & quantũcunq; eliciat actus charitatis remissos, & eos multiplicet per longissimum tempus, si non faciat actũ intẽsiorẽ habitu charitatis, quamuis per tales actus mereatur de condigno augmentum gratiæ & charitatis, nunquam tamen cõsequetur de facto tale augmentum, neq; in hac vita, neque in futura; ac per cõsequens virtute talium actuũ, non augebitur gloria essentialis in patria, non obstante quòd huiusmodi actus meruerint augmentum gloriæ; cuius oppositum nos tradidimus in hac tertia assertione. ¶ Extat etiam Araufican. Concil. cap. 18. vbi sic sancitur, De betur merces bonis operibus si fiant, sed gratia Dei præcedit vt fiant; Quibus verbis Conciliũ intendit vniuersalitèr dicere, nullũ esse omnino opus bonũ ex gratia factum, quod nõ debeat habere propriã & specialem mercedem in gloria. Et hoc ipsum fusiùs & clariùs definitur in Cõcilio Thelensi sub Siricio Papa cõtra Iouinianum & eius socios; vbi habetur, diuersos esse gradus meritorum & præmiorum in futura vita, secundum diuersos actus virtutum. Verba Concilij hæc sunt. Agreslis vlulatus est, nullam virginitatis gratiam, nullumque castitatis ordinem reseruare: promiscuè omnia velle confundere, diuersorum gradus abrogare meritorum, & paupertatem quandam cœlestium remunerationum inducere, quasi Christo vna sit palma, quam tribuat, & non plurimi abundent tituli præmiorum. Sed profectò, omnium clarissimè & expressissimè definitum est in Trident. locis citatis.

*Concilium Araufican.*

*Thelensecilium.*

### *Sacrarum literarum testimonijs, & Sanctorum Patrum dictis, ostenditur tertia assertio supra posita.*

QVòd si quis decedat in gratia Dei, & nullum apposuit impedimentũ peccati, consequatur gloriæ essentialis augmentum intensiuum ipsius visionis beatificę; quod per actus etiam minus intensos seu remissiores meruerat, quamuis actus intẽsiores habitibus charitatis & gratiæ non ediderit; probatur testimonijs Sanctarũ literarum, & dictis Sanctorũ. Et primò probatur ex Paulo. 2. Corint. 4. vbi sic ait; Id quod in præsenti est momentaneũ & leue tribulationis nostræ: supra modũ in sublimitate æternũ glorię pondus operatur in nobis. Si ergo quis moriatur pro Christo ex actu charitatis vt centũ, quãuis habitus charitatis in ipso sit vt centũ & viginti, sequitur q; opus hoc illustre Martyrij, non solũ coronabitur præmio accidẽtali & martyrũ aureola, sed etiã augmento intensiuo ipsius visionis beatificæ; Imò verò quando. S. Tho. loquitur de augmento præmij essentialis, semper loquitur & intelligit de augmento intensiuo ipsius visionis beatificæ. Et tantò gratius erit opus illud martyrij, quã tò persona erat magis grata Deo; Cur ergo Martyr ille moriens in actu martyrij ex charitate vt centum, agens propter Deum, & testificans illius fidem, non habebit augmentũ præmij essentialis, seu augmentum intensiuum ipsius visionis beatificæ, cũ Paulus dicat, Quod in præsenti est momentaneũ & leue tribulationis nostrę: supra modum in sublimitate, æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Extat rursus illud Pauli capite. 5. sequenti eiusdem Epistolæ; Oportet nos manifestari ante Tribunal Christi,



Christi, vt referat vnusquisque propria corporis prout gessit siue bonum siue malum. Vbi apertissimè Paulus docet, vnumquodq; opus siue paruum siue magnum, siue magis, siue minus intensum, ex maiori vel ex minori charitate, siue bonum, siue malum, præmiandum vel puniendum esse, secundum quòd per propriam & intrinsecam bonitatem vel malitiam, aut meruit aut demeruit. Vnde, cap. 9. eiusdem epistolæ iterum subiungit; Qui parcè seminat parcè & metet, & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. Quibus verbis clarissimè Apostolus dicit, quòd sicut egregijs operibus correspondet egregium præmium in gloria, ita & paruis operibus bonis, correspõdebit suum præmiũ proportionatum secundum legem diuinæ iustitiæ. Et hoc est quod etiam contendit idem Apostolus ad Hebræ. 6. dicens. Non est iniustus Deus vt obliuiscatur operis vestri. Ad quem locum alludens D. Hieronym. lib. 2. aduersus Iouinianum ait, Non est iniustus Deus vt obliuiscatur operis eius, vt dispar meritum æquali mercede compenset. Quod Paulus ad Rom. 8. iterum confirmat dicens; Reddet Deus vnicuique secundum opera sua. Et. 1. Corinth. 15. Abundate in omni opere bono, scientes quòd labor vester non est inanis in Domino. Item Psalm. 1. de viro iusto dicitur, Et folium eius non defluet, & omnia quæcumq; faciet prosperabuntur. Quod ea ratione dicit, quia iustorum opera ex radice charitatis procedentia, siue parua illa, siue magna fuerint, habebunt specialem gradum prosperitatis æternæ. Nam, vt habetur Ecclesiast. 16. Misericordia diuina locum faciet vnicuique secundum meritum suorum operum. Fauet etiam plurimum illud Matth. 10. Vestri capilli capitis omnes numerati sunt. Quem locum explicans lib. 2. de Spiritu sancto in Prologo D. Ambrosius, his verbis significari quòd Deus est bonorũ operum nostrorum peruigil testis, vt remunerationem donet æternæ gloriæ. Et in eodem capite apud Matth. subiungitur iterum: Quicumque potum dederit vni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantum in nomine discipuli, amen dico vobis non perdet mercedem suam. Quæ verba expenduntur valde in Trident. sessio. 6. cap. 16. vt ostendatur quanti Deus æstimet iustorum opera etiam minima, si ex gratia & charitate Dei procedant & fiant. Plura etiam alia loca supra attulimus, & infra adducemus, ex quibus omnibus liquet apertè, quòd secundum diuinam Scripturam, præmia vitæ æternæ ita meritis iustorum correspondent, vt quantò merita iustorũ in via fuerint plura vel pauciora, maiora vel minora, magis vel minus intensa, tantò præmium æternæ gloriæ erit maius vel minus: ergo non potest affirmari, quòd stat aliquem plura habere merita siue plures actus meritorios augmenti gratiæ & gloriæ vsque ad finem vitæ perseuerando in gratia, & in ea decedendo, & quòd nihilominus nõ habeat maius præmium gloriæ essentialis, quam alius qui non habet tot merita, seu quòd non habeat augmentũ præmij essentialis & intensiuum ipsius visionis beatificæ, potiùs quam ille, qui tot merita non habuit.

*Rom. 8.* *1. Corin. 15.* *Psalm. 1.* *Eccles. 16.* *Matth. 10.*

Communis etiam Sanctorum Patrum sententia clamat pro hac eadem assertione: nũquam enim dubitatum fuit inter Patres, an si opus quòd fit à iusto, sit minoris intensionis, quam ipse habitus charitatis, sit cariturus præmio essentiali gloriæ, & intensiuo augmento ipsius visionis beatificæ, Sed pro comperto habuerunt semper præmiari opera meritoria etiã minus intensa, præmio essentiali, & intensiuo augmẽto gloriæ & visionis Dei, quando homo in gratia decedit, licèt fortè nõ exercuerit post plures actus meritorios alium intensiorem in via. Vnde, supponunt vt certum quod ab eis non dubitatur: & ob id dicũt quòd sicut in supplicijs erit varietas pro varietate demeritorum; ita etiam pari ratione in retributione bonorum operum & meritorum, erit varietas secundum varietatem meritorum, taliter vt qui plura vel maiora habet merita, maiorem recipiat mercedem æternæ gloriæ, & visionis Dei. Hæc est sententia D. Auguſt. Epist. 105. & fermo. 59. de Verbis Domini, & fermo. 3. de Natiuit. & lib. de Virginitate, cap. 26. & 27. & aliàs non semel. Hæc est etiam sententia Diui Ambrosij locis antea citatis, & lib. 5. super Lucam explicans illud, Beati pauperes spiritu; & libr. 7. interpretans illud, Homo quidam habuit duos filios, &c. Quo loco inter alia dicit, ampliorem dandam mercedem citiùs venientibus & diutiùs laborantibus in vinea Domini cæteris paribus. Et lib. 2. de vocatione gentium, cap. 10. propè finem dicit, Per laborem operationum, per instantiam supplicationum, per exercitia virtutum, fiunt incrementa meritorũ, & qui bona gesserint, secundum sua merita coronantur. ¶ Expressè etiam fauet nostræ sententiæ D. Hieronym. Ezechiel. 4. & 8. & Isaiæ. 6. & fusiùs lib. 2. aduersus Iouinian. Idem insinuat apertè D. Clemens Papa & Martyr, Epistola. 1. & 2. ad Iacobum fratrem Domini: Vbi postquam dixerat, tempus huius vitæ, esse tempus meritorum ad futurum sæculum, subiungit; Quantò amplius tribulamini, tantò purgatiores ac beatiores efficiemini; si tamen tribulatio ipsa patienter fuerit supportata. Quibus verbis palam intendit, quòd tribulatio quæcumque patienter supportata, siue magna siue parua, proprium habebit gradum beatitudinis, quod sibi respondeat: Et idem intendit de vniuersis alijs operibus ex charitate factis. ¶ Extat etiam Diui Gregorij magni authoritas super Psalm. 7. pœnitentialem circa illa Verba, Audiram fac mihi manè misericordiam tuam, quia in te speraui. Vbi adducens illud Prouerb. 24. Tu reddis vnicuique secundum opera sua, inquit: In eo quod dicitur, secundum opera, ipsa qualitas operum intelligitur, vt cuius apparuerint bona opera, eius sit & retributio gloriosa, nempe, secundum qualitatem & perfectionem vniuscuiusque operis. Idem etiam docuit D. Gregor. lib. 5. Moral. cap. 42. dicẽs: Quò hic alius alium merito superat, illic alius alium retributione transcendet; Atque ita explicat locum Ioan. 14. In domo Patris mei mansiones multæ sunt, quia videlicet secundum inæqualitatem meritorum erit inæqualitas gloriæ & visionis Dei. Idẽ docet. 6. Moral. capit. 7. & 8. & lib. 19. capit. 21. Hinc Paul. 2. ad Timot. 3. inquit; Ad omne opus bonum parati: Quia videlicet quodlibet bonum opus ex charitate factum etiam minimum, est causa specialis retributionis æternæ, & æternum gloriæ pondus operatur: & ob id nullum est negligendum. ¶ Possem ego pleraque alia Sanctorum Patrum adducere testimonia; adducta tamen efficacia sunt & sufficiant.

*D. Auguſt.* *D. Ambro.* *D. Hieron.* *D. Clemens Papa.* *D. Gregor.*

*Rationibus ostenditur eadem assertio, & simul impugnantur aduersarij.*

QVòd certa & verisima sit nostra sententia, aduersariorum autem falsissima & repellẽda omnino; efficaciter ostendemus rationibus Theologicis, & interdum ex sacro
1. *Ratio.* Concilio Tridentino, desumptis. ¶ Prima ratio sit. Ille qui meretur augmentum gratiæ & gloriæ essentialis, illud quidem meretur de iustitia & de condigno: ergo debetur illi de iustitia: ergo infidelis esset Deus si non adimpleret suam promissionem, & non donaret illi tale augmentum: Quia profectò si iste adimplet conditiones omnes quas Deus exigit, & quas Concilium postulat ad opus meritorium siue paruum siue magnum, siue intensum, siue minus intensum; sequitur, quòd infidelis esset Deus, si non donaret illud augmentum gratiæ & gloriæ essentialis & visionis Dei, homine decedente in gratia; Imo verò sequitur, quòd cùm homo iustus impleuerit cõditiones omnes, quas Deus exigit, vt debeatur illi de iustitia tale augmentum, quòd non adimpleretur promissio ex parte alterius extremi promittentis. Sed quotiescumque quis facit opera meritoria, quibus meretur augmentum gratię & gloriæ, ex gratia & charitate, etiam si illa sint opera meritoria minus intensa seu remissa, verè adimplet omnes conditiones, quas Deus postulat, & Concilium exigit; vt illis operibus etiam minus intensis & remissis, debeatur de iustitia tale augmentum gratiæ & gloriæ essentialis, & visionis Dei: Ergò verè in alia vita recipiet iustus nouum præmium gloriæ essentialis & intensioris visionis Dei. ¶ Nam profecto, cuilibet operi meritorio debetur ex debito promissionis, augmentum gratiæ & gloriæ; ergò infidelis esset Deus si illud ei non donaret; præsertim cùm præmium & promissio per se dicant ordinem ad exequutionem rei promissæ. ¶ Et confirmatur hæc ratio, sumpto ar-
2. *Tim. vlt.* gumento ex verbis illis Paul. 2. ad Timot. vltim. Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui, de reliquo reposita est mihi corona iustitię, quam reddet mihi iustus iudex in illa die. Ex quibus verbis sequitur, meritum de condigno ex propria eius ratione facere debitum ex iustitia respectu præmij, quod cadit sub merito, vt egregiè Sanctissimus Præceptor deduxit suprà in hac. q. 114. artic. 1. & deinceps: ergò quicumq; meruit de condigno augmentum gratiæ & gloriæ essentialis, infallibiliter illud consequetur, nisi superueniat impedimentum peccati mortalis: ergo dici nõ potest quòd per actus meritorios minus intensos seu remissos, quis mereatur de iustitia augmentum gratiæ & gloriæ, & quòd illud non consequatur, quamuis perseueret in gratia vsque ad finem vitæ. Ostendo consequentiam: Quia infallibile est Deum seruaturum esse ordinem iustitiæ suæ, reddendo vnicuique, quod ei debetur pro bonis operibus meritorijs, nisi apponat ille impedimentum peccati: Et hoc sibi vult Apostolus loco citato cùm addidit; Quam, supple coronam iustitiæ, reddet mihi iustus iudex, non solum autem mihi, sed & omnibus ijs qui diligunt aduentum eius. ¶ Et confirmatur iterum: Quoniam ratio debiti ex iustitia, qualis reperitur in merito de condigno, fundatur in eo quòd opus meritorium fit ex impulsu Spiritus sancti in ordine ad fruitionẽ beatam, & in eo quòd Deus promisit & ordinauit, pro tali opere dare certum præmium beatæ visionis & fruitionis: ergo si actus charitatis minus intensi aut remissi, mererentur de iustitia & de condigno augmentum gratiæ & gloriæ, vt dictum est, infallibiliter illud consequentur, si operans permaneat in gratia vsque ad finem vitæ. Patet consequentia: Quia cùm Deus sit fidelis & verax, non potest non adimplere promissionem & pactum suum inclusum in ipsa ratione meriti de condigno. Quoniam vt dicit Paul. 2. ad Timot. 2. Fidelis manens Deus, non potest negare se ipsum. 2. *Tim. 2.*
¶ Hoc argumentum cum suis confirmationibus, ita profectò est efficax, vt Catholicam concludat sententiam à nobis traditam. Sed nihilominus aduersarij respondent, requisitam esse priùs dispositionem quandam alterius actus meritorij intensioris & feruentioris, vt cùm se iustus per illam disposuerit, accipiat augmentum quod promeruit. Vnde putant aduersarij, illud augmentum gratiæ & gloriæ non esse debitum aut promissum actibus remissis, nisi sub ea conditione, quòd sequatur postea aliquis actus intensior habitu charitatis, & non aliàs.
¶ Sed profectò huiusmodi responsio non valet, neque satisfacit. Primò: Quia quando homo se disponit per intensiorem & feruentiorem actum, tunc illi nouæ dispositioni correspondet, cùm sit nouum meritum, suum etiam nouum præmium essentiale adæquatum: ergo non datur ratione illius illud aliud augmentum, quod priùs debebatur; siquidem huic dispositioni quæ modò est, iam correspondet suum augmentum adæquatum totale & integrum: ergo illud meritum prius erat & est sufficiens dispositio, respectu sui præmij essentialis; ad quod nihil aliud postulat Deus, aut Concilium Tridentinum, locis citatis. ¶ Secundò etiam non satisfacit aduersariorum responsio: Quia talis conditio quam ponunt, neque habetur ex sacris literis, neque ex Sanctis Patribus, neque ex Concilijs; Imò verò apud sacras literas lex vniuersalis & absoluta est Dei, quòd reddet vnicuique secundum opera sua, vt Matth. 16. ad Rom. 2. 2. Corinth. 5. Psal. 61. Prouer. 24. Quibus locis eisdem ferè verbis repetitur promissio & diuina lex qua dicitur, Deum redditurum esse vnicuique secundum opera sua. Et idem vult Paul. cùm dicit, Vnusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem: & Trident. locis citatis, nullam aliam conditionem petit ad consequendum augmentum gratiæ & gloriæ quod quis promeruit per bona opera sua ex gratia & charitate facta, nisi quòd in gratia decedat. Quocircà, meritũ de condigno absque vllo dubio importat immediatum ordinem ad præmium, quod cadit sub tali merito, taliter vt non requiratur altera dispositio ad consequendum præmium, præterquam quòd homo perseueret in illo merito & gratia vsque ad diem retributionis. ¶ Quapropter, grauiùs decipiuntur illi qui putant, actus remissos charitatis mereri augmentum gratiæ & gloriæ, nunquã tamen illud cõsequi, quam illi qui negant omnino, per tales actus minus intensos mereri augmentum gratiæ & gloriæ: Quia isti non admittunt, Deum promisisse huiusmodi operibus aliquod augmentũ gratiæ & gloriæ, neq; illis deberi ex iustitia tale augmentũ; atq; adeo licèt faciant



faciant Deum minus liberalem, non tamen faciunt illum iniustum, vel infidelem in reddendis promissis, quod tamen efficiunt illi qui affirmant, actus minus intensos seu remissos mereri augmentum gratiæ & gloriæ essentialis; nunquam tamen illis donari. Sed profecto, ambo intolerabiliter errant, vt dictum est.

Tandem; plerique hunc formant discursum in cõfirmationem præcedentis rationis: Actio remissa potest esse moraliter bona, ac melior quam intensa, scilicet, cùm est de meliori obiecto, & ex charitate & gratia, &c. Ergò si actio intensa, est meritoria nouæ gloriæ, etiam remissa. Nam apud homines actus boni meritorij, etiam si non sint valdè intensi, sed remissi, etiam si fiant post feruentem actum, verè sunt meritorij: ergo non minus idem est dicendũ apud Deum, &c. Præsertim, quia in his actibus remissis, vt iam ostendimus, concurrunt omnes cõditiones meriti, quas hic & art. 1. posuimus. Dicere autem quòd actus illi non mereãtur nouum præmium, sed idem, est gratis dictum, neque Deum decet, cùm posit illa noua opera suo nouo præmio remunerare, & pronior sit ad misericordiam, quam ad seueritatem, vt dicit Ambrosius: Sed pro quocumque peccato remisso auget Deus tormentum: ergo etiam pro quocumque bono opere remisso auget gloriam subitan tialem: aliàs deterioris conditionis esset qui haberet actum intensum, quam qui remissum, vt infra declarabitur. Quia hic secũdus qui habet paruam charitatem, meretur nouum præmium per actus remissos, non verò primus.

*Ratio. 2.* Secunda ratio, qua asserta doctrina & conclusio ostenditur, est quam aduersarij optimam esse dicunt & subtilem, quæ talis est. Quilibet actus charitatis ex natura sua & vt actus charitatis est, habet connaturalitatem, seu naturalem proportionem cum essentiali præmio, & non tantum ex ordinatione Dei extrinseca: ergo si est nouum meritum in nouo actu charitatis fundatum; necesse est vt ipsa visio futura sit intensior; aliàs non esset maius præmium ipsa visio, quam fuisset ante actum illum charitatis minus intensum, seu remissum. ¶ Huic argumento aduersarij respondent supposita distinctione quadam, nempe, quòd non est de ratione beatitudinis, quæ in Dei visione & fruitione consistit, & quæ dicitur vita æterna, quòd sit præmium Beati: neque est propria passio aut proprietas ipsius beatitudinis esse tale præmium: Quia esse præmium meritorum, accidit illi ex diuina gratia & ordinatione. Nam paruuli, qui statim post baptismum ante adultam ætatem & vsum rationis migrant ab hac luce, beatitudinem consequentur & Dei visionem; non tamen præmiũ meritorum suorum. Deus etiam beatus est se ipsum intuens, & tamen eius beatitudo non est præmium sui. Quò fit, vt beatitudo ipsa possit considerari & in quantum est visio Dei, & in quantum est præmiũ meritorum: Cæterùm intensio visionis commensuratur intensioni gratiæ; Quò fit, vt gratia non intendatur per actus remissiores: Et ob id neque per illos assequetur homo intẽsiorem visionem, quamuis assequatur maius præmium, vt visio præmium est. Qua posita doctrina, ad argumentum respondent, consequentiam illius non valere, nempe, est nouum meritum habens connaturalitatem cum præmio videndi Deum: ergo visio erit intensior. Quia connaturalitatem illam habet meritum ex ipsa gratia. Vnde, nisi gratia crescat in esse qualitatis per actus intensiores, non erit visio intensior danda in præmiũ. Et hac solutione putat aduersarius se satisfeciss argumento. ¶ Sed profectò, quamuis distinctio posita vera sit; tamen adhuc non dissoluitur per eam argumentum factum. Imo verò, ex hoc quòd Deus visionem sui ipsius vòluit esse præmium meritorum, apertè colligitur, quòd vbi est nouum meritum, est noua visio Dei, fietque in Patria, vt intensio visionis commensuretur intensioni gratiæ. Nam, sicut iustus de iustitia meruit augmentum gratiæ, ita etiam ratio debiti ex iustitia postulat, vt posito nouo merito siue paruo siue magno, augeatur iusto gratia præcedens, ita vt reddatur intensior ratione meriti postquam decesserit homo in gratia; atq; ita intensio visionis commensurabitur intensioni gratiæ. Imo verò vlteriùs, si iustus meruit ex charitate & gratia; illi merito etiam paruo & minus intenso, sicut correspõdet præmium essentiale, quod ex ordinatione Dei in visione illius est positum, correspondere debet augmẽtum luminis gloriæ, vt ex diuina promissione, visio Dei quæ facta est præmiũ, maior & intensior sit pro ratione noui meriti, quod antea non erat. ¶ Rursus etiam, eo ipso quòd iustus, v. g. moritur pro Christo, etiam si moriatur ex charitate vt centum, quamuis aliàs habitus illius fuerit intensior vno aut duobus gradibus supra centum, ipse gratior est Deo, & persona magis grata & dilecta. Quia iuxta illud Christi Domini, Maiorem charitatem nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis: ergo nouũ illud meritum martyrij veram habet connaturalitatem cum præmio illo videndi Deum, & cum intensiore visione, siquidẽ persona est magis grata Deo. An verò crescat statim gratia illa in esse qualitatis, vel in esse gratiæ; Præterquam quòd hoc positũ est in disputatione scholastica; tamen sufficit quòd crescat in ratione qualitatis in termino: & id non requiritur in via: Et tunc fiet vt intensio visionis commẽsuretur intensioni luminis, & intensioni gratiæ. Negandum est ergo, quòd nouum illud meritum charitatis non habeat connaturalem proportionem ad intensiorem visionem præmij essentialis. Quia nouum illud meritum, sicut meretur nouum præmium intẽsioris visionis Dei; ita etiam meretur nouum augmẽtum intensiuum gratiæ, quod ex debito iustitiæ, & promissionis Dei, illi donabitur infallibiliter saltem in termino. Fauet etiam, quòd præmium immediatè respicit meritum vt sic; & ita vbi est nouum meritũ, nouum etiam præmium essentiale debet esse: sed ex diuina ordinatione, vt etiam aduersarij fatentur, factum est vt visio Dei sit præmium meritorum: ergo vbi est nouum meritum, erit intensior visio seu præmium intensiuum maius. Eò præsertim, quòd per primum actum meritoriũ iustus meretur visionem Dei: ergo per secundum, & tertium, & quartum actum meritorium, &c. meretur maius præmium intensiuum. Imò verò, per primum actum meritorium, verbi gratia, per primam contritionem meretur iustus primam gloriam, & iuxta proportionem meriti & contritionis, meretur tantam gloriam seu tantam visionem intensiuam maiorem vel minorẽ: ergo idẽ dicendũ est de actibus meritorijs subsequẽ-

tibus,quòd meretur nouum præmium eſſentiale ſecundum tantam vel tantam intenſionem:Et hoc eſt loqui de augmento intenſiuo ipſius viſionis beatificæ. ¶Quare, ſecundum argumentum ſuprà factum efficax eſt,& non diſſoluitur ab aduerſarijs. De quo etiam paulò inferiùs plura dicemus.

*3.Ratio.* Tertia ratio eſt, quam nos.1.part.quæſt.95.art.4.diſputa.1.concluſ.8.primam eſſe voluimus,quæ etiam adducitur ab Altiſiodorenſi lib,3.tracta.16.quæſt.3. & tamen non diſſoluitur ab eo eius efficacia: Quæ talis eſt. Cuicumque peccato ſiue magno ſiue paruo, ſiue intenſo ſiue remiſſo, correſpondet nouus gradus pœnæ ſenſus,imò & pœnæ damni in vita futura,iuxta illud Deuteron.15. Pro menſura peccati erit & plagarum modus; & Apocal.18. Quantùm ſe glorificauit & in delicijs fuit,tantum date illi tormentum & luctum: ergo cuicumque actui charitatis ſiue paruo ſiue magno correſpondet proprius & ſpecialis gradus gloriæ in cælo. Patet conſequentia: Quia pronior eſt Deus ad præmiandum quàm ad puniendum:ergo ſicut diuerſitas ſuppliciorum correſpondet diuerſis peccatis, ita etiam diuerſitas præmiorum correſpondet diuerſis meritis bonorũ operum, vt apertè docent Auguſt.Hierony.Ambroſ.& Sancti Patres ſuprà citati. Itaque argumentum eſt. Pro quocumque peccato mortali etiam remiſſo & minimo,Deus punit peccatorem in illis peccatis decedentem,ſupplicio & pœna eſſentiali: ergo pari ratione pro quocumque opere meritorio charitatis & gratiæ etiam minimo augebit præmium eſſentiale viſionis Dei: Quia pronior eſt Deus ad miſerendũ, quam ad puniendum. Et profecto implicare videtur, quòd aliquis actus de nouo fit meritorius de cõdigno,& ex iuſtitia,& quòd non detur pro eo nouũ eſſentiale præmium,ſi in gratia deceſſerit iuſtus,&c. ¶Huic argumento aduerſarij reſpondent mirabiles quidem ſolutiones,quas, ſi ipſi putant ipſum diſſoluere, turpiter decipiuntur. Sed quoniam eas omnes reiecimus.1.part. loco citato adducentes hanc eandem rationem; idcircò non eſt cur iterum à nobis repetantur modo.

*4. Ratio.* Quarta ratio eſt.Quia ex aduerſariorum ſententia ſequuntur plura abſurda,& malè ſonantia: Nam primò ſequitur,quòd datis duobus iuſtis,quorum vnuſquiſque habeat charitatem vt decem,ſi vnus eorum ſtatim moriatur, alter verò viuus ſuperſit per centum annos,& perſeueret in gratia,& continuò exercitio virtutis per actus charitatis,& in obſeruatione legis Chriſti,ita vt hæc continuò exerceat per actus charitatis intenſos vt nouem;quòd poſt centum annos benè peractos, non habebit maiorem gloriam in cælo iſte, quã ille qui mortuus fuerat cum paruo merito: Conſequens eſt valde abſurdum, & contra communem ſenſum fidelium: ergo. ¶Secundò ſequitur ex eadem aduerſariorum ſententia,quòd regulariter & vt in plurimum non correſpondet aliquis nouus gradus gratiæ & gloriæ bonis operibus iuſtorum: Quia ea eſt fragilitas naturæ humanæ, vt rariſsimè operetur bonum ſecundum totum ſuum conatum bonum; Imo verò ſi quis iuſtus ex magno charitatis erga Deum amore, aſcendit ad quendam gradum perfectiſsimum charitatis; poſtea moraliter loquendo non ſemper operatur in omni actione bona & meritoria, ex tota illa intenſione charitatis, quam habet; vt ſi, verbi gratia, haberet charitatem intenſam vt mille, non operaretur ſemper, etiam ſi prudenter viueret & ageret, per actus intenſiores quam mille.Igitur cùm ſecundum aduerſarios inter ipſos actus charitatis, ſolus actus intenſior habitu, conſequatur de facto augmentum gratiæ & gloriæ eſſentialis;apertè colligitur quòd bona opera iuſtorum regulariter & vt in plurimum, non habent aliquem proprium & ſpecialem fructum eſſentialem vitæ æternæ: Conſequens eſt abſurdum & valde diſſonum modo loquendi Conciliorum & ſacrarum literarum: ergo intentum, &c. ¶Tertiò ſequitur ex aduerſariorum ſententia,quòd quanto quis eſt melior & ſanctior, tantò illi minus profint ad gloriam bona opera,quæ facit cæteris paribus ex parte intenſionis actus charitatis à quo procedunt talia opera: Conſequens eſt contra communem ſenſum fidelium; Et ſequela patet: Quia ſi dicamus quòd Paulus eſt vir ſanctiſsimus & habet.v.g. charitatem vt mille,licèt faciat plures actus charitatis intenſos, imò verò intenſiſsimos,vt.100.vel vt.200.vel.900.nullum gradum gloriæ conſequetur eſſentialem,neq; augmentum intenſiuum gloriæ ex vi talium actuum meritoriorũ,iuxta hanc aduerſariorum ſententiam:Si verò Petrus ſolum haberet charitatem vt quinquaginta, & faceret actum intenſum,vt centum,vel vt.200.vel vt.500.imo minus intenſum, & longè minus intenſum, conſequeretur maximũ augmentum gloriæ ex vi illius actus meritorij, quòd non conſequeretur Paulus. ¶Quartò ſequeretur ex oppoſita ſententia, quòd per cõtinuationem actus charitatis quantumcunq; longam,& pariter etiam per multiplicationẽ actuum charitatis eiuſdem intẽſionis quãtumcunq; magnam,non conſequeretur homo vllam maiorem gloriam in cælo: Conſequens eſt impersuaſibile & falſum:ergo,&c.Sequela conceditur ab aduerſarijs, & ſequitur ex dictis eorum;Minor verò probatur ex D.Ambroſio ſuper Lucam,lib.7. quo loco, vt ſuprà vidimus, palam dicit quòd qui longiori tempore permanent in bonis operibus,recipiunt ampliorem mercedem à Deo, ex eo quòd plures actus fecerunt in eius obſequium & gloriam.Et hoc idem colligũt Sancti communiter ex verbis illis Pſalm.93. Secundum multitudinem dolorum meorũ in corde meo, conſolationes tuæ lætificauerũt animam meam.Qui locus non ſolum debet intelligi de conſolationibus vitæ præſentis,ſed potiore iure de conſolatione æternæ gloriæ & vitæ fœliciſsimæ.¶Tandem poſtremò ſequitur,aduerſariorum opinionem plurimũ derogare dignitati & valori & efficaciæ bonorum operum,atque meritorum, quæ à iuſtis fiunt ex Spiritus ſancti impulſu,mediãte charitate & gratia:Nam aufert ab illis vniuerſaliter fructum ſpecialem præmij eſſentialis & vitæ æternæ,excepto actu intẽſiori charitatis.Item etiam retardat plurimum iuſtos & viros bonos ab exercitio bonorum operum; Nam aufert ſpem proprij & ſpecialis præmij vniuſcuiuſque operis,quæ ſpes ſolet eſſe motiuum benè operandi,iuxta illud Pſalm.118.Inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas in æternum, propter retributionem:Ergò repellenda eſt hæc ſententia,ne videatur hæreticis fauere plurimum, qui enixè contendunt, valorem bonorum operum & meritorum quæ à iuſtis fiunt,impugnare & conculcare. *Pſalm.118.*

Quid



*Quid aduerſarij reſpondeant ad ſupra tacta rationes, & reſponſionum ſuarum impugnatio.*

*Aduerſariorum reſponſio.* QVamuis dùm recitaremus Catholicas rationes contra aduerſarios, interdum eorum reſponſiones nouè excogitatas reieceri-mus; tamen animus eſt nũc nouè euoluere quid aduerſarij dicant & reſpondeant ad argumenta tacta, quæ pro veritate militant. Nam primò reſpondent ad argumenta facta,& ad plura alia quæ nos prima parte retulimus, quòd licèt actibus minùs intenſis ſeu remiſsis non correſpondeat in vita futura aliquod augmentum intenſiuum gloriæ eſſentialis; correſpondebit tamen augmentum gloriæ accidentalis, in quantum quò plura bona opera iuſtus fecerit ex charitate & gratia,eò magis gaudebit in cælo de bonis quæ fecit, & ita erit maior gloria in ratione præmij & laudis; Sed non ideò perfectiùs Deum videbit, neque eo fruetur perfectiùs, quæ quidem pertinent ad eſſentialem gloriam. Illud autem gaudium & accidentalis gloria, quæ conſequitur ad bona opera in Patria, eſt præmium ſufficiens actuum remiſſorum charitatis, & actuum aliarum virtutum.

*Impugnatio aduerſariorum.* Sed profectò, iſte modus reſpondendi non ſatisfacit, neque vlla ratione valet. Quoniam Tridentinum,& Sancti Patres, ſicut affirmant iuſtos ſuis bonis operibus mereri vitam æternam;pari ratione dicunt mereri augmentum eiuſdem vitæ æternæ, hoc autem non poteſt benè intelligi de accidentali gloria.Quoniam Sancti & Concilia dicunt,quòd ſecũdum diuerſitatem meriti bonorum operum, erit diuerſitas & inæqualitas in ipſa beatitudine ſeu viſione Dei,quam Deus promiſit loco præmij & mercedis bonorum operum: Igitur cùm certum ſit, quòd merces promiſſa,eſt viſio Dei & beata fruitio in qua conſiſtit beatitudo & gloria eſſentialis, apertè ſequitur quòd inæqualitas præmij correſpondens inæqualitati operis,eſt attendenda ſecundum præmium gloriæ eſſentialis, & non tantum ſecundum præmium gloriæ accidentalis. ¶Et confirmatur:Quoniam iſta gloria accidentalis quæ de bonis operibus habetur, non tam habet rationem præmij, quam effectus naturaliter conſequentis ad conſcientiam bonorum operum.¶Rurſus etiam: Quia huiuſmodi accidentale gaudium non ſolùm poteſt haberi de operibus factis ex gratia & charitate, ſed etiam de alijs operibus moraliter bonis. Imo verò habebitur & poteſt haberi de facto de aliorum beatorum bonis operibus: ergo non eſt præmium adæquatum ſufficiens ad bona opera facta ex charitate & gratia præmianda & remuneranda. ¶Tandem: Iſte modus aſſignandi præmium accidentale bonis operibus iuſtorum,& non præmium eſſentiale nouum,non ſufficit ad obuiandum hæreticis noſtri temporis.Nam vt refert Vega lib.15. ſuper Trident.cap.16.iſti hæretici cum Caluino ſuo peſsimo præceptore, benè fatentur, iuſtos bonis operibus mereri aliquam retributionem & aliqua bona in vita æterna, quæ pertinerent ad aliquale gaudium & accidentalem gloriam; negant tamen meritum vitæ æternæ & augmenti illius ſecundum quòd pertinet ad gloriam & beatitudinem eſſentialem. Itaque ſolum negabant meritũ vitæ æternæ,& augmenti illius prout ad eſſentialem beatitudinem & gloriam pertinet,& non negabant retributionem aliquam ſeu gaudium,aut accidentalem gloriam. Quò fit, vt aduerſariorum reſponſio non ſatisfaciat efficaciæ argumentorum, neque veritati noſtræ doctrinæ, neque grauitati Concilij Tridentini.

*Secunda reſponſio aduerſariorum* Dicunt rurſus ſecundò aduerſarij,explicãtes verba Concilij, quòd nihil magis fauet ſententiæ eorum,quam quòd cùm in illo Cano. 32. ſextæ ſeſſionis fiat mentio de merito augmenti gratiæ,& de merito augmenti gloriæ,& de merito vitæ æternæ;cum ad conſequutionem ventum eſt, non definiit Concilium,conſequutionem augmenti gratiæ,neque cõſequutionem augmenti gloriæ, ſed vitæ æternæ cõſequutionem mereri iuſtum; ſi tamen in gratia deceſſerit:Et ita putant aduerſarij, Concilium;locum reliquiſſe ſuæ ſententiæ.

*Reſpõſio ad aduerſariorum non ſatisfacit.* Sed profectò, modus iſte eludendi Concilium, quis non videat quàm alienus ſit à vero ſenſu eius. Nam poſſent authores huius ſententiæ pari ratione dicere,quòd cùm Concilium dicat,vitam æternam, & ipſius vitæ æternæ, ſi tamen in gratia deceſſerit, conſequutionem; quòd cum non dixerit conſequutionem augmenti gratiæ,neque conſequutionẽ augmenti gloriæ;non eſt definitum, iuſtos per heroyca opera & feruentiora,ex charitate & gratia facta,decedendo in gratia: verè mereri conſequutionem augmenti gratiæ & gloriæ correſpondentis illis operibus intenſioribus, quod nemo Catholicorum dicere audebit. ¶Rurſus,cum in præfatis verbis Concilij ventum eſt ad vocabulum,Conſequutionem,ſtatim ſubiungit Concilium,Atque etiam gloriæ augmentum,quod intelligitur de augmento glorię etiã eſſentialis:Nomine enim vitæ æternæ,& gloriæ beatorum veram eſſentialem gloriam etiam intelligimus: Neque eſt cur hoc non ita intelligatur, vt author eſt Sanct.Thom.in.1.diſtinctione.17. Sed poſita conſequutione gloriæ & vitæ æternæ, ponitur in re gloriæ augmentum quod promeritum eſt ex iuſtitia & de condigno; alioqui Deus infidelis eſſet, & non adimpleret promiſsionem: ergò in eiſdem verbis Concilij planè intelligitur conſequutio augmenti gratiæ,& augmenti glorię,ſicut & meritum eiuſdem augmenti. Nam ſi iuſtus meretur,iuxta decretum Concilij, augmentum gratiæ, & augmentum gloriæ, de condigno & de iuſtitia, tunc ſi iuſtus ille in gratia decedat, & ſit in termino conſequutionis; quid ſpectare oportet ad conſequutionem ipſam? Nam in conſequutione vitæ æternæ clauditur intimè conſequutio præmij promeriti de condigno, & de iuſtitia; Quod ita definitum eſſe à Concilio, liquet etiam ex Canone. 26. Vbi decernitur, iuſtos pro bonis operibus, expectare & ſperare æternam retributionem à Deo, ſi benè agendo, & diuina mandata cuſtodiendo vſque ad finem perſeuerauerint: Expectare autem, & ſperare æternam retributionem ſi vſque in finem perſeuerauerint, per ſe dicit ordinem ad conſequutionem rei pro merito, & præmij ex condigno & de iuſtitia retribuendi. Imo verò hanc conſequutionem expreſsit Concilium in eadem ſexta ſeſſione, capite decimo ſexto, quod eſt de fructu iuſtificationis & merito bonorum operum, vbi dicitur; Nolite amittere confidentiam veſtram, quæ magnã

habet remunerationem, &c. Vbi adducit Concilium testimonium Pauli de corona iustitiæ, quam sibi reddendam dicebat à iusto iudice in illa die; & tamen non solum est corona iustitiæ vita æterna, sed etiam ipsum augmentum vitæ æternæ promeritum à iustis, quod est à Deo fideliter reddendum in illa die, quæ omnia important ordinem ad exequutionem, quam semper cognouit Concilium etiam respectu augmenti gratiæ & gloriæ. ¶ Quare sic obijcio contra aduersarios. Iustis, ratione meritorum ex charitate procedentium, debetur ex iustitia augmentum gratiæ & gloriæ promeritum: Sed hoc debitum, dicit ordinem iustitiæ ad consequutionem quæ fit in termino quãdo est consequutio vitæ æternæ: ergo consequutio vitæ æternæ respectu iustorũ, habet necessariò coniunctam consequutionem præmij essentialis, & substantialis correspondentis meritis antecedentibus de condigno. Nam si debetur iustis augmentum gratiæ & gloriæ de iustitia: ergo illis perseuerantibus in ea, in ipsa consequutione vitæ æternæ seu gloriæ fiet consequutio illius augmenti gratiæ, & gloriæ; quod promeruerunt: quod sanè in eisdem verbis Concilij apertè includitur, vt fusè deduximus. ¶ Alias responsiones aduersarij adducunt Grammaticales quidem, nempe, quòd accusatiuus ille, augmentum gratiæ, vitam æternam, & gloriæ augmentum, construitur cum verbo meretur. Quod sanè illis libenter donamus: Sed quia in consequutione vitæ æternæ cùm iustus in gratia decedit, fit consequutio totius præmij substantialis, quod promeruit, fide ipsa docente; idcircò cùm dixit, iustum habere consequutionem vitæ æternæ si in gratia decedat, pariter dixit, habere consequutionem omnium quæ promeruerat de iustitia & de cõdigno, cùm omnia illa sint promissa à Deo. Quia aliàs si ipsa consequutio vitæ æternæ, non est simul consequutio totius præmij substantialis promeriti in via, & consequenter ipsius augmenti gratiæ & gloriæ, quod pariter est ex iustitia & de condigno promeritum; nunquam sane daretur, neque retribueretur tale præmium seu augmentum. Ergo tur in ipsa consequutione vitæ æternæ clauditur cõsequutio augmenti gratiæ & gloriæ, quod augmentum antea erat promeritum; Quam consequutionẽ paulò antea explicuerat idem Tridentinum, tùm in doctrina totius sessionis, tùm etiam Cano. 26.

*Aduerte.*

¶ Cùm hæc scriptis mandabam, dùm attentè per legerem verba Canonis. 32. venit in mentem id, quod quidam Catholicus Theologus in publicis concertationibus & scholasticis certaminibus dixit, videlicet, quòd sicut accusatiuus ille, Atq; etiam gloriæ augmentum, construitur cum verbo meretur, pariter cum verbo consequutionis. Quia sicut vtrumque est verum, ita vtramque constructionem oportet Catholicè tribuere ipsi Concilio, vt sensus sit; Si quis dixerit, merita iustorum, &c. non verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & eiusdem vitæ æternæ, si in gratia decesserit, consequutionem, atque etiam mereri augmentum gloriæ, scilicet, consequendum si in gratia decesserit; anathema sit. Nam si titulus quo quis de iustitia meretur vitam æternam, & ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratia decesserit, consequutionem, est meritum de condigno, & meritum de iustitia: ergo cùm pari ratione de iustitia & de condigno mereatur iustus ipsum augmentum gloriæ; sequitur, quòd eodem titulo meretur, si tamen in gratia decesserit, consequutionem eiusdem augmenti gloriæ.

*Tertia responsio aduersariorum.*

Tertiò respondent aduersarij, quòd bona opera iustorum meritoria ex gratia & charitate facta quãuis remissa sint, præmiantur de facto vita æterna, nõ ita sanè vt pluribus operibus huiusmodi correspondeat maior gloria essentialis, sed quia eadem omnino gloria essentialis datur pluribus titulis secundum quòd plura fuerunt opera, quibus illam meruimus. Et hanc solutionem dicunt esse D.Thom.in.3. distinct.18.quæstione.1.artic.2.ad.4.vbi ait, quòd ille qui meretur, proficit quantùm ad mercedem quam meretur, vt videlicèt eam sibi debitam faciat vel simpliciter, vel quantùm ad aliquem modum, quo sibi priùs debita non erat. Ex qua doctrina liquet apud Sanctum Thomam, quòd non est necessarium vt merito correspondeat præmium nouum simpliciter, sed satis est vt antiquum nouo modo seu nouo titulo correspondeat.

*Impugnatio responsionis.*

Sed profectò neque responsio hæc magis quietat intellectum aut satisfacit, quam præcedentes. Quia habere gloriam nouo titulo, non est habere maiorem gloriam, aut intensiorem; sed Concilia & Sancti palàm definiunt, quòd is qui plura merita habuerit, maiorem etiam habebit gloriam: ergo non satisfit authoritati Scripturæ sacræ & Conciliorum, asseuerando dumtaxat, quòd per bona opera habebimus vitam æternam nouo titulo: sed necessariò dicendum erit, quòd nouis meritis existentibus, nouum etiam augmentum vitæ æternæ seu gloriæ essentialis sumus habituri si in gratia decedamus. Locus autem ex Sanct. Thom. allatus in.3. sententia. loquitur de Christo, cuius meritum fuit infinitum etiam in primo suo actu: & ob id non potuit augeri per sequentes actus ex parte præmij debiti, sed dumtaxat ex parte tituli aut modi habendi illud; at verò meritum nostrorum actuum semper est finitum, & idcirco adueniente nouo merito augetur præmium, neque erit iusta retributio pro diuersis actibus meritorijs, nouisque meritis, idem & vnum omnino dari præmium secũdum eundem gradum; sicut non esset iusta solutio pro diuersis pretijs vnã & eandem rem conferre minimè excedentem valorem vnius pretij.

Sed dicunt aduersarij, nusquam eos negauisse, præmium meritorum conferendum esse si homo in gratia moriatur, sed asseruisse tantùm, quòd dabitur præmium eo modo, quo homo meruit; quòd si homo meruit per actus remissiores charitatis augmentum gloriæ, dabitur etiam illi gloria & merces maior, non quidem in ratione actus videndi Deum intensiùs, sed erit maior gloria in ratione præmij & laudis; quod sanè præmium potest dici essentiale quando Deus clarè visus, visionem sui concedit Beato. Vnde, quia ratio præmij accidit visioni; idcirco dicunt hi autores distinguendum esse de augmento & maioritate præmij essentialis in ratione præmij, vel in ratione essentiæ beatitudinis, ita vt reddatur corona iustitiæ pro meritis ei, qui perseuerat, sed non semper opus est vt visio sit intensior propter nouum meritum, nisi actus merendi fuerit intensior. Et iuxta hunc modũ dicunt



dicunt explicandum esse Concilium: Quia ista doctrina in nullo repugnat dictis Concilij Tridentini. Quoniam quando Concil. definit quòd meretur homo augmentum gratiæ & gloriæ, non descendit ad particularem modum augmenti, an debeat esse intensiuum semper vel extensiuum. Dicit itaque hæc sententia, quòd multiplicationi meritorum & actuum charitatis etiam remissorum, tribuitur maior ratio præmij etiam essentialis, secundum rationem præmij, non autem secundum rationem actionis videndi Deum magis intensè, sicut & ipsum meritum non fuit magis intensum. ¶ Sed profectò, hæc responsio in idem redit cum præcedente, qua aduersarij dicebant, iustos per multiplicata meritorum nus intensa mereri de facto vitam æternam, quæ est præmium essentiale; non tamen ita vt pluribus huiusmodi operibus & nouis meritis correspondeat maior gloria essentialis, sed vna & eadem pluribus titulis data. Vndè, eisdem argumentis impugnatur. Et præterea: Quia Diuus Thomas quando loquitur de augmento præmij essentialis, seu substantialis, semper intellexit de augmento intensiuo ipsius visionis beatificæ, vt etiam ipsi aduersarij fatentur; ergo non satisfacit præfata solutio. Rursus; Si aliquis meretur de nouo aliquid apud Deum, & nihilominus moriens in gratia, non recipit illud quod meruit, videlicet, maiorem intensionem habitus gratiæ, quam per actum charitatis remissiorem meruit; sequitur, quòd non accipit verum præmium illi correspondens: ergo pariratione, si non accipiat præmium intensiuum ipsius visionis beatificæ, non dicitur accipere augmentum præmij essentialis, sed solum dicitur habere eandem beatitudinem essentialem nouo titulo. Item etiam: Quia per quodcumq; meritum charitatis, non tantum meretur homo visionem Dei, sed etiam tantam vel tantam visionem maiorem, vel minorem, seu tantum vel tantum præmium intensiuum ipsius visionis, iuxta quantitatẽ ipsius actus meritorij. Vnde, per primum actum meritorium gloriæ, nõ solum meretur homo gloriam, sed etiam meretur tantam aut tantam gloriam, quia actus ille meritorius potest esse maior vel minor, ve hemens vel remissus; vt liquet in prima contritione: ergo pari ratione quicumque actus meritorius etiam minus intensus seu remissus, & est meritorius gloriæ; non solùm vt præmium essentiale, sed vt præmium intensiuum ipsius visionis beatificæ, iuxta valorem & quantitatem ipsius meriti maiorem vel minorem. Denique; Ex diuina ordinatione factum est, vt aduersarij fatentur, quòd visio Dei sit præmiũ essentiale meritorum: ergo qui noua & plura merita habuerit, maiorem habebit visionem in ratione præmij: ergo augmentum præmij essentialis quod correspondet cuilibet merito, est augmentum intensiuum ipsius visionis beatificæ.

*Quarta aduersariorum responsio.*

Quarta aduersariorum responsio est, quòd actus meritorij remissi seu minus intensi eliciti ex charitate, merentur gloriæ essentialis augmentum, quòd infallibiliter obtinebunt, secundum quòd cadit sub eorum merito: Sed quoniam isti non merentur istud augmentum nisi in quantum disponunt ad actum intensiorem habitu; idcircò non subsequuto actu intensiore, non dabitur illud augmentum; eo autem subsequuto, dabitur tale augmentum.

Hæc tamen responsio neque satisfacit difficultati propositæ, neq; est melior, quã aliæ suprà tactæ. Quoniam secundum hunc modum dicendi, actus remissi non merentur augmentum gratiæ & gloriæ simpliciter & absolutè, sed conditionaliter solùm, nempe si subsequutus fuerit actus intensior, aut certè merentur directè & immediatè quòd sequatur actus intensior, & indirectè tantum & consequutiuè meretur augmentum gratiæ & gloriæ: sed hoc est apertè contra mentem Concilij Tridentini locis citatis, in quibus apertissimè decernitur, bona opera iustorum quæcumque fiunt ex gratia & charitate, mereri augmentum gratiæ & gloriæ, & consequutionem illius, si in gratia iusti decesserint, & quòd hoc iusti spera re debeant pro suis bonis operibus & meritis, nulla mentione facta de actu intensiori; ergò voluntariè & temerè additur illa conditio actus intensioris. Et confirmatur: Quia si quis prorumpat in actum feruentiorem, non datur augmentum, nisi iuxta quantitatem excessus illius actus feruentioris: ergo semper illud meritum remissum, quod antea præcesserit, carebit perpetuò suo præmio, & manebit sine augmento, quamuis in actum feruentiorem semper prorumpat iustus: Item arguitur contra aduersarios. Quia siquis exerceat diù opera remissa meritoria, & non prorumpat deinceps in actum feruentiorem, & moriatur; sequitur, quòd perpetuò carebit tali augmento charitatis, & consequenter carebit essentiali gloria correspondente illis meritis: Quia si charitas non augetur; & gloria commensuratur charitati & gratiæ; sequitur, quòd iustus ille perpetuò carebit tali gloria meritis minus intensis debita, quod est apertè falsum, & contra sanam doctrinam. ¶ Rursus contra præfatam aduersariorum responsionem arguitur: Quia si adueniente actu intensiore post multos actus remissos datur aliquis gradus gratiæ & gloriæ pro actibus remissis præcedentibus, vltra illum qui correspondet ipsi actui intensiori secundum se, manifestè colligitur quòd gratia & gloria non proportionantur intensioni actus, sed ipsam excedunt, atque adeò non erit inconueniens, quòd pro actibus remissis augeatur gratia indepen denter ab actu intensiore. Si verò intensiori actu ad ueniente non datur gradus aliquis gratiæ vel glorię pro actibus remissis, qui præcesserunt vltra illum qui correspondet actui intensiori præcisè sumpto, manifestè sequitur quòd actus meritorij remissi absque vlla culpa merentis manent totaliter priuati proprio præmio essentiali visionis Dei, quod illis debebatur de condigno & ex iustitia, quod sanè est contra Theologorum proloquium, quòd nullum bonum manet irremuneratum, &c. Imo verò est contra Conc. Trid. sess. 6. vbi suprà. ¶ Tandem; Aduersarij dicunt, quòd si quis mereatur modò vt quinque augmentum gratiæ & gloriæ, quamuis verè mereatur illud augmentum; tamen si habebat habitum charitatis vt sex, nunquam illi dabitur tale augmentum donec in actum feruentiorem prorumpat: sed quando prorumpit in actum feruentiorem non datur augmentum, nisi iuxta quantitatem excessus illius actus feruentioris: ergo semper illud meritum vt quinque, manebit sine augmento & sine vllo præmio, quamuis operans in actum feruentiorem prorumpat, & in gratia decedat. Ex quibus clarè

*Non satisfacit solutio data.*

colligitur, ne prolapsi erremus, quòd sentiendum est, iustos bonis suis operibus ex charitate factis, infallibiliter consequi, si tamen in gratia decesserint, quidquid de condigno & ex iustitia meruerunt: Ergò dici non debet, quòd præmium actuum meritoriorum remissorum, dependet præcisè ex actu intensiori subsequuto: Præsertim cùm sequantur tot incóuenientia allata euidentissimè.

*Dissoluuntur fundamenta quartæ opinionis.*

*Ad fundamentum & argumenta quartæ opinionis.*

His ergò iam statutis, restat dissoluere fundamenta, quæ pro quarta opinione, non longè post initium disputationis proposuimus in fauorem aduersariorum, præsertim ex sententia D. Tho. & pariter etiam restat dissoluere duo argumenta ibi tacta pro eisdem aduersarijs. ¶ Ad fundamentum ergò aduersariorum ex testimonio S. Tho. desumptum respondetur, non posse negari nisi quòd verba S. Tho. tam in primo & secundo senten. quam in 2.2. locis ibi citatis, superficie tenùs considerata, videantur suo modo fauere huic quartæ opinioni: Cæterùm si attentè & diligèter considerẽtur, potiùs fauent oppositæ sententiæ. Quia Sanctiss. Præceptor nunquam negauit, illud augmentum gratiæ & gloriæ, quod iusti merentur etiam per actus charitatis remissos, de facto postea esse conferendum, saltem in fine vitæ: Imo verò S. Tho. hoc palam insinuat in hoc art. ad. 3. vbi ait, quòd per actus remissos charitatis meremur augmentum gratiæ, sicut & gratiæ consummationem, quæ est vita æterna: Sed sicut vita æterna non statim redditur, sed suo tempore: ita neque gratia augetur statim, sed suo tempore nempe, cùm quis fuerit sufficienter dispositus ad gratiæ augmentũ. Quibus sanè verbis apertè satis Sanctiss. Præceptor insinuat, quòd gratiæ augmentum correspondens merito actuum remissorum, de facto donabitur saltem in fine vitæ simul cum ipsa vita æterna; Quia tunc est proprium tempus recipiendi præmiũ bonorum operum. Neque oppositum intendit. 2.2. quæst. 24. artic. 6. Nam licèt in calce corporis dicat, tunc charitatem augeri in actu & de facto, quando prorumpit iustus in feruentiorem actum dilectionis, quo conatur ad charitatis profectum; Et solutione ad 1. ibi dicat, quòd quilibet actus charitatis meretur charitatis augmentum, & quòd non statim augetur, sed quando aliquis conatur ad eius augmentum; semper tamen supponit augmentum gratiæ & gloriæ, quod quis meruit sibi fore dãdum & conferendum aliquando, nisi ipse apponat impedimentum peccati mortalis, siue dandum sit modò, siue postea: Quia ad rationem meriti de condigno pertinet infallibilis consequutio eius quod quis meretur, nisi superueniat impedimẽtum peccati mortalis. Quapropter, eò ipso quòd S. Thom. 2.2. quæst. 24. artic. 6. & in hoc artic. mutauit sententiam quam tenuerat iuuenis in 1. & 2. sentent. nempe, quòd non merebamur augmentum gratiæ aut gloriæ essentialis per actus charitatis remissos; censetur mutauisse sententiam, quam ibi tenuerat, videlicet, per huiusmodi actus non augeri præmium gloriæ essentialis. Ita explicat & intelligit Diuum Thomam, Capreolus in 4. distinct. 14. quæst. 2. artic. 3. ad. 1. Scoti contra. 2. concluſ. Vbi apertissimè tenet, quòd quicumque merito addito gratiæ, correspondet maius præmium essentiale quã sit gratia præsens, ex qua tale opus processit; non tamen maius quam sit gratia futura. Quoniam omnis actus qui est meritorius nouæ gloriæ, vel noui gradus eius, est etiam meritorius noui gradus gratiæ, cui correspondet, & commensuratur nouus gradus gloriæ. Vnde Capreol. in confirmationem huius doctrinæ, citat Diuum Thomam. 2.2. & in hoc art. affirmans, non esse tenendum id quod S. Thom. iuuenis in sententijs protulerat, quia deinceps mutauit sententiam locis citatis. Rursus, multò apertiùs idem Capreol. in 1. distinct. 17. quæst. 2. art. 1. ad. 2. principale Aureoli contra. 3. 4. &. 6. conclusionem ait, quòd intẽsio charitatis fit per hoc quòd subiectum magis disponitur; hæc autem maior dispositio est frequentatio actuum charitatis; ita vt quantò anima habet plures charitatis actus, tantò plus dicatur ad charitatem disponi. Neque requiritur quòd ista dispositio fit maior intensiuè, sed quòd sit maior extensiuè, id est, quòd sint plures actus charitatis quam priùs, & non quòd aliquis eorum intendatur. Hæc sunt expressa & formalia verba Capreoli, quibus concordat Petrus Vergomens. author Tabulæ operum Sanct. Thom. in Concordantijs, dub. 881. Quo loco cùm adduxisset verba Sanct. Thom. ex. 1. &. 2. sententia. & ex. 2. 2. quæ videntur pugnantia, ea concordans dicit, per actus remissos charitatis non augeri gratiam & charitatem in via; augeri tamen in Patria, Et ita explicat Sanctissimũ Præceptorem in. 1. &. 2. sententia. vt solùm velit dicere, quòd per actus remissos non augetur statim gratia & charitas; sed in. 2.2. & in hoc articul. intendit docere, quòd licèt non statim augeantur charitas & gratia per actus remissos; augebitur tamen postea saltem in fine vitæ aut in Patria: Quia licèt actus isti remissi non sufficiant ad augendum dispositiuè per modum dispositionis naturalis & perfectæ; sufficiunt tamen ad augendum meritoriè quando sit tempus præmiandi eosdem actus meritorios: Ita ferè loquitur ille: Et ad eundem modum Victoria, Canus, & Soto, & recentiores alij Theologi in suis scriptis interpretantur, & explicant Sanctum Thomam, quia omnes supponunt, tanquam certum, quòd secundum Diuum Thomam. 2.2. & hic actus omnes charitatis meritorij etiam remissi, merentur augmentum gratiæ & gloriç, & quòd hoc augmentum infallibiliter dabitur saltem in fine vitæ, si homo in gratia permaneat. Quapropter, magna iniuria irrogatur Sancto Thomæ, eiusque discipulis antiquioribus, si eis tribuatur sententia opposita & contraria, vt fusissimè satis explicuimus in superioribus. ¶ Ad primum argumentum ex ratione desumptum, quod pro eadem quarta opinione militat, quo aduersarij mouentur ad suam sententiam, respondetur negando consequentiam: Quia habitus acquisiti effectiuè producuntur & augentur per nostros actus; & quoniam actio non sequitur à proportione minoris inæqualitatis; inde fit, vt tales habitus non possint augeri nisi per actum intensiorem: At verò habitus infusi charitatis & gratiæ & aliarum virtutum, neque producuntur, neque augentur effectiuè per nostros actus, vt diximus in materia de habitibus, sed tantum dispositiuè aut meritoriè; & idcircò non est necesse quòd actus sit intẽsior, sed satis est quòd habeat notam & specialem

*Ad arg.*





rationem meriti ad hoc, vt intuitu illius, Deus augeat gratiam & charitatem, siue statim siue postea in fine vitæ. ¶ Sed dices: Gratia & charitas in prima infusione & productione sua, quando quis iustificatur extra sacramenta per proprios actus contritionis & dilectionis, non excedit intensionem actus contritionis & dilectionis, aut dilectionis, quo homo ad gratiam disponitur: ergo neque in augmentatione gratiæ & charitatis debet excedere habitus intensionem actus charitatis, quo mediante fit augmentum. Ostendo consequentiam: Quia idem modus videtur seruandus in augmentatione, qui seruatur in prima productione; alias dabitur forma gratiæ aucta sine conuenienti & proportionata dispositione. Respondetur quod in prima infusione & productione charitatis & gratiæ non concurrit actus noster in genere causæ meritoriæ, sed tantum in genere causæ dispositiuæ, quasi connaturalis: & ob id opus est vt gratia producta non excedat intensionem actus, qui est dispositio; At vero in augmentatione charitatis & gratiæ actus nostri concurrunt in genere causæ meritoriæ de condigno & ex iustitia; & idcirco non tantum debet attendi ad intensionem ipsius actus, sed multo magis ad rationem meriti, & secundum illam dari debet nouus gradus gratiæ & gloriæ proportionatus ipsi merito secundum rationem & ordinem diuinæ iustitiæ, vt pulchrè explicatum est in superioribus. ¶ Ad confirmationem dicendum, ex locis illis Scripturæ nihil haberi contra nos, sed potius pro nobis: Quia illud Ecclesiasti. 19. & Apocal. 3. non intelligitur de bonis operibus remissis, sed de peccatis leuioribus quę negligenda non sunt aut parui pendenda: Quia disponunt ad grauiora. Id vero quod ex Matthæo cap. 13. adducitur, scilicet; Habenti dabitur & abundabit, &c. secundum Diui Hieronym. interpretationem significat, quòd ei qui habet fidem, & bonam in Domino voluntatem etiam si quid minus in opere habuerit, augebitur præmium à bono iudice; qui autem fidem non habuerit, etiam cæteras virtutes quas videbatur naturaliter possidere, perdet. Ita fere ad verbum D. Hieronym. super illum locum, cui consentit D. Ambrosi. lib. 2. de vocat. Gentium cap. 2. D. Tho. in Comment. super Matth. cap. 13. aliter explicat hunc locum Matthæi, vbi dicit, quòd quatuor sunt præparatoria adhoc vt detur aliquid, & vnum est desiderium seu voluntas efficax, vt habetur Sapient. 6. iuxta illud, Petite & accipietis. Vnde, qui habet hoc desiderium & hanc voluntatem efficacem, dabitur ei & abũdabit, quia ipse est qui dat abundanter omnibus & non improperat Iacob. 1. qui autem non habet hanc voluntatem aut hoc desiderium, & si aliquam videatur habere aptitudinem ad sapientiam vel iustitiam, & sit tepidus, id quod videtur habere & nõ habet, aufertur ab eo. Dicit etiam quòd requiritur charitas omnium virtutum radix: Quia est omnium bonorum operum mater & radix, iuxa illud Paul. ad Ephes. 3. In charitate radicati & fundati. Vnde, si habes charitatem, scito eam esse patientem, benignam, non quærere quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi, vt Paul. dicit. 1. Corinth. 13. Quare, si non habes eam (inquit D. Thom.) totum siccatur; Nam quodcumque bonum habet homo sine charitate, nihil est. Alia etiam pro sequitur eodem loco D. Tho. quæ Candidus Lector animaduertere poterit illo loco. Vnde, ex his omnibus interpretationibus, nihil possunt colligere contra nos aduersarij. ¶ Ad Secundum & postremum argumentum quartæ opinionis respondetur, quòd sicut nõ possumus experimentaliter cognoscere quis habeat gratiam & charitatem infusam, ita etiam non potest constare experientia quis habeat maiorem gratiam & charitatem; sed duntaxat per coniecturas. Est autem optima coniectura maioris gratiæ & charitatis, multiplicatio actuum bonorum, & continuatio per longum tempus. Et licet gratis daremus non augeri gratiam & charitatem statim atque fiũt actus illi remissi, non ex eo sequitur nunquam augendam esse per tales actus. Dici namque potest quod augebitur postea in fine vitæ, de qua re infra nonnulla dicemus. ¶ Sed obijciunt aduersarij: quòd ex dictis sequitur quòd Sãcti qui diutius vixerũt, sunt lõge altius beati quã illi qui minori tẽpore vixerunt, sic adeo vt D. Ioan. Euangelista, qui superuixit Diuo Petro & Paulo ferè triginta annis, habebit in cœlo multo maiorem gloriam quam illi: Consequens autem nõ videtur rationabile: ergo. Respondetur, verum esse quod cæteris paribus maiorem habebit gloriam is qui diutius vixit in exercitio continuo bonorum operum ex charitate & gratia: sed quoniam ista temporis diuturnitas & bonorum operum continuatio potest recompensari & superexcedi per feruorem actuum charitatis, aut per dignitatem aut difficultatem operum, vt supra ostensum est; Idcirco bene stat quòd ille qui breui tempore Deo inseruiuit, sanctior & beatior sit in cœlo, quam alius qui longissimo tempore vixit in diuino seruitio: Ac proinde non est temere præferendus vnus Sanctus alteri, ex eo tãtum quòd longiori tempore Deo seruierit: Potest enim fieri vt alter breui tempore consummatus, ex pleuerit tempora multa propter nimium charitatis ardorem. ¶ Sed obijcies iterum: Quia si per quemlibet actum charitatis etiam remissum charitas augetur, siue statim siue postea, sequitur quod per quemlibet actum charitatis continuatum per horam, vel per aliud maius vel minus tempus continuum, debeat charitas infinitè augeri. Patet Sequela: Quoniam actus charitatis continuatus per tempus quantumcumque breuissimum, æquialet infinitis actibus. Nam in quocumque tempore breuissimo sunt infinita instantia, & in quocumque instanti exercetur ille actus: ergo æquialet actibus infinitis: sed infiniti actus charitatis causant infinitum augmentũ, supposito quòd quilibet actus etiam remissus augeat habitum: ergo. Huic obiectioni dicere possumus, idem argumentum posse fieri contra eosdem aduersarios quantum ad id quod ipsi etiam fatentur de gloria accidentali. Nam, si per actum quemcumque remissum augetur gloria accidentalis, vt ipsi etiam concedunt, & hoc illorum argumentum aliquid valet; sequitur quòd per actum charitatis remissum cõtinuatum augebitur infinita gloria accidentalis: Imo verò gloria ipsa essentialis: Nam ipsi aduersarij etiam fatentur nobiscum, gratiam & charitatem augeri per actum intensiorem habitu: sit ergo casus, q̃ Paulus per dimidiam horam magis ac magis intẽdat suum actum sine interruptione illa; tũc manifestum est quod in quolibet instanti illius temporis erit actus magis intensus quam antea: ergo in quo-

*Obiectio.* *Solutio.* *Confirm.* *D. Hieron.* *D. Ambro.* *D. Thomas.* *Iacob. 1.* *Ad secũdũ.* *Obiectio.* *Solutio.* *Obiectio.* *Solutio.*

libet instanti augebitur etiam habitus charitatis & gratiæ, & proportionabiliter postea gloria. Nam, cum in quolibet minimo tempore instantia sint infinita, si calculatio ista aliquid valet, infinitè augebitur charitas, gratia, & gloria, per hoc solum quòd actus charitatis intendatur continuè quantumcumque breui tempore. ¶Sed respondent prædicti Authores, quòd cùm intensio sit motus continuus, non potest perfici in instanti: atque adeo non potest dici quòd in quolibet instanti continuationis actus, sit ipse actus intensior. Sed contra: Quia actus charitatis est indiuisibilis: ergo siue sit intensus siue remissus, totus potest esse in vno instanti; ac proinde sicut ipsi dicunt quòd actus continuatus cum vno & eodem gradu intensionis, æquiualet infinitis actibus eiusdem intensionis; ita etiam nos dicimus quòd vnus actus continuè intensus per vnum tempus, æquiualet infinitis actibus, quorum quilibet sit intensior præcedente. *Solutio.2.* ¶Quo circa, in omni opinione, respondetur secundo, quòd licet vnus actus continuatus æquiualeat infinitis actibus eiusdem intensionis: tamen continuatio actus siue motus, non est in instanti formaliter & intrinsecè, sed in tempore; & idcirco perfectio actus consurgens ex continuatione, non potest esse infinita secundum intensionem, neque secundum rationem meriti, quia non consurgit ex infinitis instantibus in tempore continuationis repertis, sed ex ipso tempore per quod continuatur actus; Atque adeo, sicut tempus continuationis est finitum simpliciter & absolutè, non obstante quòd potentialiter includat infinitas partes proportionales & infinita instantia; ita etiam meritum correspondens continuationi actus; est finitum absolutè & simpliciter, & non æquialet merito infinitorum actuum eiusdem intensionis. Nam, quamuis in quolibet instanti illius temporis diuisiuè sumpto, posset elici vnus actus charitatis; non tamen possunt elici tot actus, quot sunt instãtia collectiuè.

*Ad argum. Durandi pro prima opinione.* Ad argumenta Durandi, quæ pro prima opinione militant, & ea fecimus statim in exordio quæstionis, restat respondere: *Ad primũ.* Ad primum ergò respondetur, quòd etiam ille qui facit actum charitatis meritorium & bonum ex omni parte, quamuis non operetur secundum totam intensionem gratiæ habitualis; tamen operatur bene & laudabiliter, imo verò ille actus est meritorius augmenti: & quamuis is qui facit actum minus intensum meritorium non operetur secundum totam exigentiam intensionis gratiæ acceptæ; operatur tamen secundum naturam, & secundum ordinem gratiæ, quia operatur supernaturaliter & meritoriè, & facit opus connaturale gratiæ. Quocirca, ille qui operatur remissè opera charitatis, non male sed bene operatur, & ex consequenti non est indignus nouis beneficijs: *Solutio.2.* Quia reuera non negligit operari & vti gratia accepta. ¶Secundò respodetur, quod quamuis inter homines qui sunt parum liberales & grati, non censeatur dignus nouo beneficio, qui negligenter & remissè vtitur accepto; tamen apud Deum, propter suam maximam liberalitatem, censetur dignus nouo beneficio gratiæ quicumque vtitur recte gratia accepta: quamuis non semper operetur intensius, sed aliquando minus intense seu remisse. ¶ Respondetur tertio, quòd vbi intercedit vera & propria ratio iustitiæ, non tantum sunt remuneranda opera egregia, sed etiam minora, parua, & infima secundum proprium valorem vniuscuiusque; In operibus vero ex charitate factis, reperitur vera & propria ratio iustitiæ in ordine ad gloriam & ad eius augmentum, in quantum ex ordinatione diuina, & ex Spiritus sancti impulsu diriguntur talia opera ad æternam retributionem gloriæ, atque adeo ad augmentum gratiæ & charitatis, cui gloria ipsa proportionari debet: & idcirco, nullũ opus ex charitate factum, debet carere propria ratione meriti & pretij iusti respectu certi gradus gloriæ & charitatis. Ex quibus responsionibus liquet nostræ sententiæ & doctrinæ veritas. ¶ Ad secundum respondetur negando antecedens: Nam plerique etiam ex Thomistis dicunt, actus remissos disponere ad augmentum habituum acquisitorum, & non ad diminutionem vel deperditionem eorum, vt nos retulimus prima secundæ, quæstione. 52. Dico secundò ad argumentum, quòd quamuis actus remissi disponant per accidens ad diminutionem habitus, in quantum per illos non plenè vincuntur passiones & difficultates, quibus crescentibus tandem destruitur habitus: Sed nihilominus actus ipsi remissi per se loquendo, & ex parte positiui quod includũt, disponunt verè ad augmentum habitus acquisitiui, vt Sanct. Thom. Docet secunda secundæ quæstione. 24. art. 6. & probatur à simili de guttis cauantibus lapidem insensibiliter seu paulatim; Et iuxta hanc doctrinam conciliandus est Doctor Sanctus dicens ex vna parte, quòd actus remissi disponunt ad diminutionem habitus; & ex alia parte affirmans, quòd disponunt ad eius augmentum. Primum namque verum habet considerando actus remissos ex parte priuationis, seu cessationis ab actibus intensis & feruentioribus. Secundum autem habet verum considerando eosdem actus remissos ex parte positiui, quod intrinsece includunt, vt egregiè Caietanus perpendit 2.2. quæstione. 24. articulo. 6. ¶ Ad illud verò quod aduersarij adducunt Apocalyp. 3. respondetur, quòd tepiditas ibi, secundum expositores aliquos, significat mortalia peccata admixta operibus bonis; & secundum alios significat peccata venialia frequentia, quæ disponunt ad mortalia; Nullo autem modo accipi potest ibi tepiditas pro actibus bonis ex charitate factis quantumcunque remissis. Quia huiusmodi actus procedunt ex speciali impulsu Spiritus sancti; atque adeo non possunt prouocare Deum ad iram, aut displicere illi: Quia re vera ipsi placent & sunt grati. *Ad tertium* ¶Ad tertium respondetur, solum ostendere quòd potest euenire quòd aliquis per vnicum actum feruentissimum plùs mereatur, quam alius per plures actus remissos; hoc tamen non aufert neque tollit, quin actus ipsi remissi meritorij suum etiam habeant valorem & meritum. Neque aliud intendunt Sancti Patres in expositione illius parabolæ, vt constare potest legenti Sanctos & antiquos Scripturæ interpretes.

DISPVT.



# DISPVTATIO III.

*Vtrùm hoc augmentum gratiæ & charitatis detur statim; vel vtrum in fine vitæ fiat, & conferatur simul cum augmento gloriæ substantialis?*

*Ricardus.* Ricardus in.1. d.17. art.2.q.3. asseuerat, charitatem non augeri per quẽlibet actum remissum; augeri tamen præmium substantiale & essentiale, etiam per huiusmodi actus meritorios etiam minus intensos & remissos: Et inde aperte colligitur secundum ipsum, quòd in fine vitæ augetur gratia & charitas habitualis, nempe virtute illorum actuum remissorum qui præcessunt. Quoniam augeri non potest gloria essentialis, quin proportionaliter augeantur gratia & charitas habitualis. Pro hac parte citantur Canus & Scotus in.4.d.22.q.vnica, & S.Thom. in hoc art. ad 3. Nam cùm dicat, per actus remissos mereri hominem augmentum gratiæ & charitatis, non tamen statim dari, sicut neque datur statim vita æterna, quam homo eisdem actibus meretur, manifestè videtur insinuare quòd huiusmodi augmentum dabitur postea in fine vitæ simul cum ipsa vita æterna. *Fũdamentũ* ¶Fundamentum huius sententiæ est: Quia isti actus remissi merentur ex iustitia augmentum gratiæ & charitatis: sed hoc augmentum non potest dari statim, quia non est homo plene dispositus ad illud per hos actus remissos: ergo donabitur postea in fine vitæ, quando iam adest proprium tempus remunerationis: Quod sane confirmari potest illo Apoc.14. Opera enim illorum sequuntur illos. Quia videlicet cùm quis decedit & migrat ab hac luce, comitantur illum opera sua, vt secundum illorum meritum recipiat præmium. ¶Hanc opinionem sequutus sum vt probabilem & valde rationabilem.1.p.q.95. art.4. disputat.1. Sed nihilominus quamuis illa sit valde probabilis & rationabilis; tamen est difficilis, vt dixit Patet Victoria in relect. de augmento charitatis. Quia videtur voluntarium dicere, quòd differatur augmentum gratiæ & charitatis: quod quis meruit de iustitia & de cõdigno vsque ad finem vitæ. Nam, cum nullum sit impedimentum ex parte eius qui meruit, quo minus statim recipiat huiusmodi augmentum charitatis & gratiæ, quod de condigno & de iustitia meruit, videtur gratis dictum quòd non detur statim illi. Et confirmatur hoc: Quoniam si huiusmodi augmentum est conferendum in fine vitæ, vel est conferendum antequam anima à corpore exeat, vel postquam fuerit egressa; non primum: Quia tunc non est homo magis dispositus ad hoc augmentum, quam antea, neque est proprium tempus remunerationis quandiu anima manet in corpore. Neque rursus potest dici secundum: Quoniam postquam anima à corpore egressa est, iam nullus est locus proficiendi in vita spirituali, quia iam est in termino, vel saltem in purgatorio, vbi non est locus proficiendi, sed duntaxat satispatiendi pro peccatorum pœnis: ergo intentum, &c. Hoc præterea persuaderi & confirmari potest ex illo Eccle- *Ecclesiast.11.* siast. 11. vbi ceciderit lignum, siue ad Austrum, siue ad Aquilonem, ibi erit. Quibus verbis secundum expositionem communem Sanctorum Patrum insinuatur quòd in statu quo quis ab hac vita decesserit, defixus perpetuo manebit; ac proinde quòd nemo habebit maiorem charitatem & gratiam in alia vita, quam in ista habuerit. Neque valet argumentum factum pro hac opinione: dici namque potest quòd non est necessaria vlla alia dispositio ad obtinendum augmentum gratiæ & charitatis, præter meritum illius, vt fusius ostendemus infra

Secunda opinio docet, per quemlibet actum charitatis etiam remissum, statim augeri habitum charitatis & gratiæ, prout actus ille meretur. Hunc modum dicendi sequutus est Vega lib.15. in Triden. capit.9. & Almain. in Moralib. tractatu.2. cap. 11. & in.4. d.14. Gabr. in. 1. d.17. quæstione.4. & in.2.d.27. quæstione vnica, & in.4. d.14. quæstione.3. dub.3. Quem modum dicendi nos Tomo.2.1.p.q.95. art.4. disputat.1. conclusio.5. diximus non esse improbabilem extra Scholam S.Thom. *2.opinio.*

Vt res hæc difficilis aperiatur, suppono primò, quod actus charitatis in ordine ad augmentum charitatis possunt dupliciter considerari, primo quidem per modum dispositionis connaturalis ad augmentum; Secundò per modum causæ meritoriæ & moralis: stat enim aliquem actum concurrere ad augmentum habitus infusi per modum dispositionis connaturalis, & non concurrere per modum meriti, vt patet quando in peccatore fideli augetur habitus fidei vel spei per actus intensiores harum virtutum, prout de facto contingere potest: Tunc enim actus illi non concurrunt meritoriè ad illud augmentum. Quoniam deficiente gratia & charitate, nullum est meritum hominis in ordine ad Deum, sed tantum concurrunt in genere causæ dispositiuæ. Ad eundem ergo modum, licet quilibet actus charitatis sit meritorius augmenti charitatis; tamen actus intensiores habitu, non solum habent concurrere ad eius augmentum in genere causæ meritoriæ, sed etiam in genere causæ dispositiuæ & quasi connaturalis; vt explicatum est. *Suppo.1.* *Suppo.2.* ¶Secundò suppono ex supra dictis, negari non posse vlla ratione sine vehementi fidei periculo, quemlibet actum charitatis quantumcũque minus intensum seu remissum mereri de condigno & de iustitia augmentum charitatis, gratiæ, & gloriæ essentialis. Neque rursus negari potest, hoc augmentum gloriæ essentialis, quod iustus de condigno meruit, conferendum illi esse de facto in cœlo, si ille qui meruit, perseuerando in gratia decedat. Et hoc videtur expresse definitum in Trident. sessio.6. locis citatis. *Suppo.3.* ¶Tertiò suppono, charitatem, gratiam, & gloriam essentialem ad inuicem proportionariitita sane quòd nõ habebit iustus maiorẽ essentialem gloriam, quam habuerit gratiam, & qui non habuerit maiorem gratiam, non habebit maiorem gloriam essentialem. Quoniam gratia vel est ius ad gloriam, vel saltem fundamentum iuris & acceptationis ad gloriam. Neque etiam potest iustus aliquis maiorem habere gratiam, quam charitatem, si sit sermo de lege, quia charitas consequitur gratiam veluti connaturalis ipsius proprietas. Vnde, tam gratia quam charitas sunt veluti

luti connaturalis dispositio ad gloriam:Et ob id hæc tria ad inuicem commensurari debent, vt fusius in superioribus ostendimus.

*Conclus.1.* His ergo sic prælibatis; est prima propositio.Habitus charitatis, quamuis minime augeatur statim per quemcumque actum in genere causæ dispositiuæ connaturaliter concurrentis ad augmentum;augetur tamen hoc modo, nempe, per modum causæ dispositiuæ connaturaliter concurrentis, duntaxat per intensiores actus. Itaque, non augetur habitus charitatis connaturaliter &. dispositiuè, nisi solum per intensiores actus. Hanc assertionem tenet D. Thom.locis supra citatis,&.2.2.q.24.artic.6. Et iuxta hunc modum explicandus est Sanctissimus præceptor quando dicit, per actus remissos non augeri statim habitum charitatis, vt duntaxat velit dicere quòd non augetur per tales actus dispositiuè secundum rationem dispositionis sufficientis & connaturalis; Et hoc est contra.Gabrielem & nominales alios qui putant, quemlibet actum remissum, esse causam sufficientem ad augendum dispositiuè & connaturaliter suum habitum,non tantum in habitibus infusis, sed etiam in acquisitis. Nos tamen asseueramus cum Sanctissimo Præceptore & cum antiquis Theologis,solum actum intensiorem disponere sufficienter & connaturaliter ad augmentum habitus charitatis & aliorum habituum tam infusorũ, quam acquisitorum.Probatur: Quoniam in qualitatibus materialibus non fit augmentum vel intensio nisi per actionem maioris virtutis, quam sit forma augenda:ergo pari ratione in qualitatibus spiritualibus non fiet augmentum vel intensio connaturaliter secundum rationem dispositionis vel causalitatis connaturalis, nisi per actum intensiorem habitu, qui augeri debet. Patet consequentia ex paritate rationis;& antecedens probatur : Quia si ferrum esset calidum vt quatuor, non posset intendi aut augeri eius calor,nisi virtute alterius magis calidi, vt patet experientia: & idem est in omnibus alijs qualitatibus materialibus, & in habitibus acquisitis, vt fusè ostensum est à nobis in materia de habitibus. 1.2.q. 52.¶Sed dices:Quando charitas augetur per actum intensiorem, fit actio à proportione minoris inæqualitatis : ergo non est vllum inconueniens quòd gratia vel charitas augeantur etiam dispositiuè & connaturaliter per actum remissum. Ostendo Antecedens : Quoniam charitas est principium intensioris actus,quam sit ipsa:ergo non est inconueniens quòd effectus sit perfectior sua causa, vt patet in casu quo quis habens charitatem vt tria,elicit actum intensiorem vt quinque.¶Huic argumento nonnulli respondent,quòd actus intensior qui modo fit, non procedit ab habitu charitatis præexistente, sed ab habitu intenso secundum exigentiam illius actus. Itaque, actus intensior in genere causæ dispositiuæ & meritoriæ,est prior quam charitas aucta & intensa; sed in genere causæ efficientis prior est charitas intensa, quam ille actus intensior:Nam alias in eodem instanti esset charitas intensa & remissa; remissa quidem quatenus est principium actus ; intensa vero quatenus est terminus illius actionis : In eodem enim instanti quo producitur actus intensior, augetur etiam & intenditur habitus. ¶Cæterum hæc solutio est difficilis. Quoniã inintelligile videtur quòd aliquid effectiuè producat dispositionem per quam acquirit esse:inde enim sequeretur quòd efficeret se ipsum,quod implicat;ergo cum actus intensior,sit dispositio ad intensiorem habitus, siue ad esse secundum gradum intensionis;manifesta videtur implicatio quòd habitus vt intensus & auctus per actum intensiorem, efficiat ipsum actum intensiorem, per quem augetur.Vnde,aliter videtur esse sentiendum, quòd actus intensior non procedit effectiuè ex habitu secundum quòd est intensus per ipsum,sed procedit effectiue ex habitu præexistente & ex diuino auxilio,sicut enim naturalis potentia cum habitu acquisito potest elicere actum intensiorem quam sit habitus,mediante maiori conatu naturali ipsius potentiæ;ita etiam potentia voluntatis cum habitu charitatis potest elicere actum intensiorem quam sit ipse habitus mediante maiori auxilio & conatu supernaturali;& tunc non fit actio à proportione minoris in æqualitatis:Quia auxilium diuinum est longè maioris virtutis,quam quilibet noster conatus; & quamuis habitus charitatis præexistẽs sit remissior quam ille actus intensior ; tamen vt subest diuino auxilio habet virtutem proportionatam ad eliciendum illum actum.Neque tamen sequitur ex hoc,quod charitatis habitus in eodem instanti sit remissus & intensus, sed solum sequitur quod in illo instanti in quo fit intensus per proprium actum intensiorem desinit esse remissus.Sed de hac solutione plura & maiora diximus in superioribus.

*Conclus.2.* Secunda propositio. Habitus charitatis augetur meritoriè per quemcumque actum etiam remissum statim atq; producitur ille talis actus; esto nõ augeatur ipse habitus charitatis & gratiæ, cõnaturaliter & dispositiue per actum remissum.Itaque,illud augmentum fit meritoriè per quemcumque actum remissum,sed non fit connaturaliter & dispositiuè per ipsum actum remissum.Conceditur ergo illud augmentum meritoriè factum;negatur tamen fieri connaturaliter & dispositiuè, quando fit per actum remissum.Hanc assertionem tenẽt authores omnes supra citati. Almain. Gabriel , & alij supra citati.Probatur ex Trident. sessio. 6. capit.10. vbi decernitur, quòd iusti crescunt in ipsa iustitia per obseruationem mandatorum Dei & Ecclesiæ , & per alia bona opera supererogationis: sed iustitia qua iusti sumus coram Deo,est ipsa charitas &gratia habitualis, vt habetur ex eodem Trident. sessio.6.capit.7.ergo per quælibet bona opera ex gratia & charitate facta, statim augetur & crescit habitus ipse gratiæ, & charitatis.Ostendo consequentiam : Quia ad obseruandum mandata Dei & Ecclesiæ , non est necessarius actus intensior,sed sufficit remissus: ergo cum Concilium dicat quòd iustitia crescit per obseruationem mandatorum Dei & Ecclesiæ , & per alia bona opera ex gratia facta, apertè insinuat statim augeri gratiam & charitatem, & non expectari finem vitæ, neque actum intensiorem. ¶Moueor etiam ad veritatem huius assertionis: Quoniam iustus per quemlibet actum meritorium etiam remissum acceptatur ad maiorem gloriam ; ergo statim habet in se maiorem gratiam & charitatem. Patet consequentia: Quia gratia nihil aliud est quam condignitas gloriæ & quædam acceptatio passiua ad gloriam ; atque adeo acceptatio ad maiorem gloriam non est sine maiori



maiori gratia & charitate. Antecedens verò probatur : Quoniam ex eo quis dicitur mereri augmentum gloriæ, quia fit dignus illo , & acceptatus siue ordinatus ad ipsum. Cum ergo per quemlibet actũ charitatis iustus mereatur augmentum gloriæ,aperte consequitur quòd per quemlibet actum meritorium charitatis,sumus Deo magis accepti, & magis digni gloria eius.¶Adducor rursus:Quia is qui melior est coram Deo,maiorem habet gratiam & charitatem,vt D.Augustsæpe refert: sed qui plura habet merita est melior coram Deo: ergo.Patet minor: Quia ille qui plura habet merita , diligitur magis à Deo , Nam vult illi Deus maiora & potiora bona æternæ glorię secundum præsentem iustitiam , hic autem quem Deus magis diligit, est melior apud ipsum simpliciter & absolute loquendo.Et confirmatur:Nam ex Sanctis scripturis & ex Sanctis Patribus certissime habetur,vnicuique dandam esse æternam gloriam secundum propria merita , ita quòd pluribus meritis correspondebit maior gloria; & hoc multo certius est quam quòd sit danda gloria secundum proportionem habituum: Quia de habitibus rarissima fit mentio, de meritis verò frequentissimè loquitur Scriptura:ergo pari ratione etiam est certum quòd ille qui habet plura merita cæteris paribus,diligitur magis à Deo , atque adeo est melior coram eo simpliciter & absolute loquendo. ¶Fauet etiam:Quia si gratia & charitas habitualis non augeretur statim atque iustus meretur eius augmentum per actum remissum ; sequeretur quod vel augenda esset gratia postea adueniente actu intensiori , vel in fine vitæ:sed nihil horum dici potest : ergo sentiendum est quòd statim augetur nulla expectata mora. Minor probatur quoad priorem partem : Quoniam sæpe contingit quòd non superueniat actus intensior per totam vitam;Tùm etiã ; Quia licet adueniat actus intensior; ille tamen solum disponit ad augmẽtum ipsi correspondens, atque adeo ex vi illius non dabitur augmentum correspondens merito actus remissi præcedentis,sed manebit actus ille totaliter irremuneratus & priuatus præmio augmenti gratię, & charitatis , & gloriæ essentialis,quod ante meruerat:hoc autem est ingens absurdum , & non concedẽdum.Quoad secundã verò partem probatur etiam eadem Minor:Quoniã in fine vitæ non est homo magis dispositus per se loquendo ad augmentum gratiæ & charitatis quam statim cùm illud meretur de præsenti: ergo si illi non datur statim tale augmentum quod promeruit,neque etiam dabitur in fine vitæ.¶Rursus persuadetur eadem assertio:Quia gratiæ & charitatis augmentum , non tantũ correspondet intẽsioni actus, sed etiam merito ipsius quod in ipso reperitur:ergo licet actus non excedat in intensione habitum , augebit illum si addat nouam rationem meriti. Probatur antecedens: Quia vt supra ostendimus , potest euenire quòd actus charitatis cum æquali intensione sit magis meritorius propter excellentius obiectum aut difficilius ad quod mouet,& propter circunstantias alias occurrentes.¶Tãdem probatur efficaciter: Quoniam per quemlibet actum charitatis etiam remissum meretur homo augmentum ipsius gratiæ & charitatis , & non est aliquod impedimentum,quo minus detur statim illud augmentum : ergo de facto statim dabitur. ¶Dices,subiectum non esse dispositum ad augmentum. Sed contra : Nam, licet subiectum non sit connaturaliter dispositum, est tamen dispositum moraliter, & in genere causæ meritoriæ. Et potissime hoc est verum:Quia Deus est liberalissimus , & valde pronus ad præmiandum,iuxta illud.2.Petri.3. Nõ tardat Deus promissionem suam,&c. ergo statim dat augmentum gratiæ,quod quis promeruit,& ita habetur intentum.

*Conclus.3.* Tertia conclusio.Quando augetur habitus charitatis statim per quemlibet actum meritorium etiam remissum,debet intelligi quod augetur habitus gratiæ & charitatis etiam in esse qualitatis per eosdem actus remissos,& pari ratione est loquendum de alijs virtutibus infusis quæ augentur meritoriè. Hæc assertio est interpretatiua præcedentium,quam vt probabilem tradidimus, extra Scholam D.Tho. Tomo. 2.nostrorũ operum.1.p.q.95.art. 4.& eam tenent Gabriel,Almain.tractatu.2.moral.cap.11.&.12.qui citat plures alios,quos nos supra retulimus. Hanc etiam tenent omnes recentiores Theologi huius ætatis. Nam posita hac sententia cessant omnia inconuenientia,& dissoluuntur facile difficultates occurrentes. ¶Et quòd sit valde probabile,gratiã in esse qualitatis augeri statim,etiam per actus remissos, Probatur:Quoniam de lege ordinaria non sumus grati nisi per qualitatem istam: ergo neque magis grati nisi per maiorem qualitatem. Item , sine gratia nullus actus est meritorius gloriæ , quia subiectum non est proportionatum gloriæ:ergo nec sine maiori gratia erit meritorius maioris gloriæ:sed actus remissus est meritorius maioris gloriæ : ergo. ¶Tertiò : Anima quo plura merita habet , est acceptior Deo , & pulchrior : sed pulchritudo de lege est à qualitate gratiæ: ergo habet istam qualitatem intẽsiorem:sed per actus remissos fit acceptior Deo:ergo.¶Moueor etiã ex argumento sæpius facto : Quoniam actus minus intensi possunt esse magis boni & meritorij, tùm ex præstantia & excellentia materiæ & obiecti , tum etiam ex circunstantijs & difficultate operis, quam aliqui intensiores : ergo si intensiores augent hanc qualitatem,etiam illi remissiores.

Quod verò etiam charitas statim augeatur in esse qualitatis, etiã per actus remissos meritorios,probatur. Quoniam par ratio est de charitate & gratia & charitas sequitur gratiam. Rursus charitas etiam crescit per actus meritorios aliarum virtutum saltem intensiores:eo quòd augent gratiam : ergo & per actus proprios remissiores , quia etiam augent gratiam.Præterea,& est efficax argumentum.Homo per actus remissiores meretur augmentum charitatis:sed statim positis meritis homo iustus est capax talis augmenti:ergo statim datur antequam migret in cælum, vel faciat actum intensiorem : non enim tardat Deus promissionem suam.2.Petri.3. ¶Tandem:Si non augeretur charitas statim per actum meritorium minus intensum , esset propter analogiam ad habitos acquisitos,vt authores oppositę sententię dicunt:sed hæc analogia est nulla:ergo.Probatur minor,quia in multis deficit, vt supra fusius declarauimus.Vnde , Victoria concedit quod actus meliores & excellentiores,licet remissiores sint, augent charitatem; non tamen ita accidit in habitibus naturalibus.Rursus etiam habitus naturales augentur effectiue

ctiuè per actus nostros, non tamè charitas. Præterea: habitus naturales minuuntur per peccata venialia, non tamen charitas. Rursus: charitas augetur per actus meritorios aliarum virtutum, unus tamen habitus naturalis nō augetur per actus alterius virtutis. Præterea, si actus non auget habitum naturalem statim, neque auget illum postea; at verò etiam authores oppositæ sententiæ fatentur quòd charitas augetur per actus remissos, & quòd iustus obtinet illud augmentum quando fit actus feruentior, & se disponit ad illud augmentum. Imo verò in naturalibus nunquam actus auget habitum nisi secundum excessum; at verò etiam apud authores contrariæ sententiæ conceditur quòd actus charitatis qui excedit ipsam vt duo, & meretur vt decem, augebit nunc vt duo; in gloria verò augebit vt octo. ¶ Tandem, charitas augetur per sacramentum quantumuis remisse susceptū: ergo etiam per actus remissos extra sacramentum. Denique, eisdem argumentis, quibus præcedens assertio ostenditur, potest etiam hæc probari.

*Obiectio.* Contra hanc assertionem fit ab aduersarijs validum argumentum quod supra insinuauimus. Quia omnes alij habitus tam acquisiti quam infusi non augentur statim per suos actus remissos, sed solum disponuntur remotè ad augmentum futurum per actum intensiorem efficiendum: ergo idem videtur dicendū de habitu gratiæ & charitatis. Respondetur

*Solutio.* negando consequentiam. Et ratio est: Quia actus aliorum habituum acquisitorum non augent habitus acquisitos meritoriè, sed effectiuè vel dispositiuè tantum; actus verò charitatis ex propria & intrinseca ratione auget meritoriè. Et quoniam meritum habet se per modum pretij respectu eius quod meretur; inde est quòd cuilibet actui meritorio cor respondeat statim tanquam propria merces, augmētum gratiæ & charitatis, quod meruit, sicut correspondebit postea augmentum gloriæ essentialis in vita futura. ¶ Sed contra hoc arguitur: Nam illi qui se exercent in actibus remissis, non experiuntur in se ipsis maiorem facilitatem ad actus charitatis modò quam antea: ergo non est in illis charitas magis aucta. Respondetur primo negando antecedens: Quia licèt per vnum aut alterum actum remissum non sentiat homo maiorem facilitatem aut promptitudinem, quia augmentum illud correspondens vni vel alteri actui remisso, est imperceptibile; tamen si isti actus frequententur per longum tempus, sine dubio persentietur maior quædam promptitudo ad ea quę sunt charitatis. Dico secundo, negandam etiam esse consequentiam: Quoniam sicut non possumus experiri gratiam & charitatem quoad substantiam, ita etiam neque quoad eius augmentum. Difficultas enim quæ solet sentiri in operationibus studiosis tam charitatis, quam aliarum virtutum infusarum, debet tolli per exercitium nostrorum actuum, quo exercitio mediante, excutitur & repellitur torpor qui in nobis inuenitur, & in potentijs operatiuis; Atque ita euenire potest vt aliquis habeat habitum infusum, & quod minimè experiatur in se facilitatem aliquam ad operationes illus habitus, vt patet in puero baptizato, inter infideles nutrito, qui quamuis habeat gratiam: & habitum charitatis & fidei, & alia rum virtutum infusarum; tamen peruenies ad vsum rationis non sentiet se promptiorem aut faciliorem ad actus istarum virtutum, quam alter non baptizatus. Sic ergo in proposito, non est mirabile quod is qui meruit augmentum gratiæ & charitatis, illudque obtinuit per actus remissos, non experiatur neque sentiat statim in se ipso maiorem illam promptitudinem, vel feruorem charitatis, quousque actus intensiores exerceat. ¶ Tandem obijciunt aduersarij *Obiectio.* contra Conclusionem: Quia sequitur ex ea quòd charitas augeatur secundum totam latitudinem intensionis ipsorum actuum tam intensorum quam remissorum; ac proinde sequitur habitum charitatis semper esse intensiorem suo actu: Imo verò sequitur, habitum charitatis infinitè augeri per continuationem actus: hæc autem omnia sunt absurda: ergo. ¶ Hoc argumētum excitat nouas Tragœdias, nouasque disputationes, de quibus infra dicemus. Interim tamen dico, quòd hæc inconuenientia & alia similia quæ adduci solent contra Conclusionem posita, procedunt quidem ex suppositione quod ratio meriti commensuretur duntaxat soli intensioni actus: hoc autem est falsum, vt dicemus; & idcirco negandum est quòd habitus charitatis augeatur secundum totam latitudinem intensionis suorum actuum sed solum augetur secundum rationem meriti, quæ reperitur in ipso actu, vel secundū excessum actus in tensioris, vt deinceps à nobis aperietur.

*Obiectio.2.*

*Solutio.1*

*Solutio.2.*

*Solutio.*

## DISPVTATIO IIII.

*Vtrùm tantum sit charitatis augmentum, quanta est latitudo intensionis actus, qui est causa ipsius augmenti?*

RAtio disputationis huius, & cur sit modo definienda, ea est: Quoniam videtur esse rationabile, actus charitatis augere habitum eiusdem charitatis secūdum totam latitudinem suæ intensionis omnino. Nam cùm actus charitatis augeat in quantum est meritorius, ratio autem meriti conueniat illi secundum omnes & singulos gradus suæ intensionis; aperte videtur colligi actum charitatis augere habitum secundum totam latitudinem suæ intensionis. ¶ Sunt tamen quibus hoc apareat incredibile & impossibile. Nam si id esset verum sequeretur in plerisque sanctis & iustis charitatem esse immensam & pœnè infinitam: imo verò longe maiorem, quam credi posset de Sanctissimo Baptista, & de alijs multis Sanctis à Deo dilectissimis. Rursus verò, incredibilis esset charitas & gratia in Beatissimo Ioanne Euangelista, & in Diuo Petro Principe Apostolorum: Nam, cùm quotidie plerosque actus charitatis feruentissimè & secundum totum conatum ederēt, ita vt in nullo deessent gratiæ Dei, sed potius indies actus feruētiores habitu exercerent, si per quemlibet actum charitas augetur secundum omnes intensionis gradus; aperte deducitur quòd semper cùm huiusmodi Sancti Deum hoc pacto diligebant, duplicabatur in illis habitus charitatis, quo facto efficeretur, vt in fine vnius anni charitas aucta, maneret fere infinita in illis & immensa, sicut in simili est immensa quantitas illa, quæ augetur in simili illa vulgarique calculatione grano



granorum frumenti, si quis prima die anni vnum tantum frumenti granum accipiat, & in secunda duo, & in tertia quatuor, & sic deinceps vsque in finem anni grana multiplicando quotidie, vt Arithmetici deducunt: Sic enim efficeretur, vt duplicādo grana tritici singulis totius anni diebus, in fine habeantur penè infinita: ergo pari ratione, si iugiter per singulos dies charitas multiplicatur saltem per vnum actum, in fine annierunt immensa merita, & erit immensa charitas: ergo in D. Ioanne Euangelista & D. Petro, qui plerisque annis vixerunt in charitate Dei semper proficiendo in diuina dilectione & amore, illorum charitas erit penè infinita & immensissima.

Quocirca, multi Theologi dicunt & sentiunt, nullum actum augere charitatem secundum totam latitudinem intensionis eiusdem actus omnino, sed duntaxat secundum illos gradus, in quibus excedit intēsionem habitus; Et hunc modum dicendi sequūtur omnes illi qui putant, actus charitatis minus intensos aut remissos non mereri augmentum ipsius. Et id ipsum sentiunt omnes illi qui existimant, actus remissos charitatis mereri quidem augmentum illius, nunquam tamen illam augeri, nisi superueniente actu intensiori & feruentiore; & tunc non dari augmentum secundum totam intensionem omnino, sed duntaxat secundum illos gradus, in quibus actus intensior habitum præexistentem excedit & superat. ¶ Hæc tamen sententia explosa est quantum ad multa in disputationibus & controuersijs præcedentibus: Nam supponit quòd actus remissi charitatis semper frustrantur præmio sibi debito quod meruerunt, ita vt de facto nihil illis speciale correspondeat in augmento gratiæ & charitatis & gloriæ essentialis, quod alias non corresponderet soli actui intensiori superuenienti, etiam si non præcessissent tales actus remissi, quod sanè non tantum est falsum, sed etiam parum consonum fidei, vt fusius deduximus supra allatis argumentis contra hanc sententiam.

Alij Theologi dicunt, charitatem augeri tantum secundum excessum meriti qui est in actibus supra ipsum habitum. Itaque, non augetur secundum totam latitudinem intensionis ipsius actus, neque etiam secundum totam latitudinem meriti, sed tantum secundum gradus meriti, quibus actus excedunt habitum charitatis. Itaque, si quis habeat gratiam & charitatem vt duodecim, & eliciat actum meritorium vt decem, non augebitur eius charitas vel gratia iuxta hanc sententiam; si verò eliciat actus meritorios vt quindecim, augebitur gratia & charitas eius per tres gradus solummodo; & quantum ad hoc nihil refert, nihil interest, vtrū ille excessus meriti inueniatur in vno actu, vel in pluribus. Nam si quis multiplicet actus meritorios, licet quilibet illorum per se sumptus esset minoris meriti quam habitus; augebitur tamen habitus si omnes illi actus simul sumpti excedant meritum ipsius, & intensionem habitus. Ita docuit olim Victoria in relectione illa citata de augmento charitatis. ¶ Verum hæc sententia est difficilis; imo verò non repellit inconueniens allatum paulò antea. Nam adhuc sequitur ex hac sententia, quòd si quis faciat plures actus meritorios remissos, non tamen excedentes meritum sui habitus, nullum præmium consequatur gratiæ vel gloriæ essentialis de nouo pro illis actibus, quod quam sit absurdum, ostensum est supra.

Tertia sententia est, quę docet habitum charitatis augeri omnino secundum totam latitudinem intensionis sui actus, ita tamen vt si actus fuerit intensus vt vnum, habitus augeatur per vnum alium gradum, & si fuerit intensus vt decem vel vt mille, totidē gradus superaddantur & accrescant habitui charitatis præexistenti supra illos quos antea habebat. Ita sensit Almain. in moralib. tractatu. 2. cap. 11. & 12. Gabr. in. 2. d. 17. q. 4. & alias non semel, cum plerisque alijs sui temporis qui hoc ipsum dixerunt etiam de habitibus acquisitis, & de actibus eorum. ¶ Verùm hæc sententia apertè supponit vnum falsum, nempe quòd quilibet actus causet effectiuè intensionem habitus: Nam, vt vidimus supra, actus remissi non possunt efficere habitum perfectiorem quam sint ipsi, ac proinde suppositio quòd habitus præexistens plures habeat intensionis gradus quam actus remissus, nequaquam potest augeri effectiue per ipsum; imo verò vniuersaliter loquendo nullus actus potest effectiue augere habitum, nisi respectu acquisitorum quantum ad id in quo excedit intensionem ipsius? Quoniam actio secundum ordinem naturæ præscriptum, solum fit à proportione maioris inæqualitatis, & non minoris.

Vt rem hanc explicemus & aperiamus suppono primò, duobus modis posse contingere quòd charitas augeatur nostris actibus; primo quidem meritoriè duntaxat, vt quando augetur per actus remissos & minus intensos, & per actus è charitate imperatos. Secundo sanè augeri potest charitas nostris actibus quasi dispositiue per modum dispositionis cōnaturalis & proportionatæ, vt quando ita augetur meritoriè, vt augeatur per actum intensiorem; & in primo modo augmēti per se loquendo præcisè attendi tur ratio meriti & valoris actus in ordine ad vitam æternam; in secundo autem modo augmenti potissimum attenditur ad intensionem actus per ordinem ad habitum charitatis qui per se primo augetur secundum istum modum, scilicet, dispositionis cōnaturalis & proportionatæ. ¶ Suppono secundo, quòd in actibus charitatis valde differunt intensio & meritum; quia intensio consistit in firma quadam adhæsione potentiæ ad obiectum, secundum maiorem vel minorem vehementiam & conatum affectus. Ratio autem meriti consistit in dignitate & valore operis meritorij, quæ dignitas seu valor non tantum pensari debet secundum intensionem actus, sed etiā secundum excellentiam obiecti, & secundum dignitatem personę operantis, & secundum alias circunstantias, ex quibus bonitas & perfectio ipsius actus atque valor consurgit, vt fuse in superioribus explicuimus: constat enim quòd actus bonus eiusdem intensionis in Christo seruatore nostro erat longe magis meritorius quam in quocumque homine vel Angelo propter infinitam dignitatem personæ; Imo verò in nobis dilectio Dei est maioris meriti quam dilectio proximi propter maiorem excellentiam obiecti, quamuis vtraque dilectio ab eodem habitu emanet, & eliciatur cum æquali intensione actus, & cum æquali conatu. ¶ Tertio aduerto, quod in hac controuersia intendimus definire & aperire

palam

palam quãtum crescat charitas per suos actus. Nam, cum in superioribus visum sit per quos actus & quo modo augeatur charitas, quia videlicèt per omnes suos actus tam elicitos quam imperatos, tam intensos quam remissos, quia omnes augent charitatem non quidem effectiuè sed meritoriè, vel connaturaliter & dispositiuè per intensiores actus; restat tandem aperire quantum augeatur charitas per suos actus, Num augeatur secundum totam latitudinem intensionis ipsorum omnino, quod est interrogare, vtrum tot actus intensionis crescant & superaddantur habitui, quot sunt in ipso actu, ita videlicet vt si quis habeat charitatem vt quatuor, & faciat actum intensum vt sex, augeatur & crescat habitus vsque ad decem gradus, vel solùm crescat secundum duos illos gradus, in quibus actus excedit habitum, taliter vt in eo casu habitus sit duntaxat intensus vt sex, & solum crescat per duos gradus in quibus, excedit?

*Conclus.1.* His ita prælibatis, est prima conclusio. Quicumque actus meritorius sive ille sit intensus & feruens, sive sit remissus & minus intensus, sive etiam sit elicitus, sive imperatus à charitate, verè auget eandem charitatem & gratiam secundum totam latitudinem meriti & valoris ipsius actus, ita quidem vt si actus sit meritorius vt quinque, augeantur gratia & charitas per ipsum vt quinque, & si est meritorius vt tria, augeatur vt tria de nouo, &c. Hanc ego assertionem vt certissimam constituo: Quia cùm charitas crescat & augeatur meritoriè, sequitur quod tantum augetur charitas semper, quantus est valor meritorum. Quod probo: Quia meritum & præmium sunt correlatiua & proportionãtur ad inuicem: ergo quantum fuerit meritum in actu, tantum erit præmium augmenti in habitu. Nam profecto, quantum *fuerit meritum cuiuscumque, tanta est futura essentialis* gloria, iuxta illud, Deus reddet vnicuique secundum opera sua: sed essentialis gloria commensuratur gratiæ & charitati, vt sæpius dictum est: ergo, &c. ¶Ex quibus colligo, quod actus meritorij non augent habitum gratiæ & charitatis tantum secundum excessum intensionis vel meriti supra intensionem aut meritum ipsius habitus: Quia alias multi actus meritorij frustrarentur, & manerent irremunerati in gloria & in vita beata: Quoniam non excedunt charitatem præexistentem in intensione; neque in merito; hoc autem est valde absurdum, vt deduximus in superioribus controuersijs: ergo, &c. ¶Secundò colligo, quòd in homine iusto recte agente & operante propter Deum omnia illa, quæ conducunt ad maiorem bonitatem actus, conducunt etiã ad maius meritum & ad maius augmentum gratiæ & charitatis. Quoniam supposito quòd procedat actus ex charitate & gratia, quantò melior fuerit actus, tanto erit magis meritorius cæteris paribus ex parte intensionis actus charitatis. Quo circa, sicut bonitas actus desumitur ex obiecto & circunstantijs temporis, loci, & personarum; ita quidem omnia hęc sunt aduertenda in merito ipsius actus, & quò actus fuerit melioribus circunstantijs vestitus, eo erit magis meritorius, quando ex charitate Deo effertur. Et profecto, inter circunstantias omnes, quæ considerari possunt circa actus meritorios, specialem habent difficultatem continuatio actus & multiplicatio illius, atque intensio. Sunt enim qui putant, continuationem actus meritorij secundum se nihil conducere neque ad augmentum charitatis, neque ad meritum. Sed profecto hoc est falsum: Quia sicut offerre Deo eleemosynam magnæ quantitatis, cæteris paribus, est maioris meriti, quam offerre Deo paruam eleemosynam, vt palam. 1. Corinth. 9. dixit Apostolus affirmans, quòd qui parcè seminat, parcè & metet, & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet, &c. ita etiam offerre Deo orationem continuatam per horam, est maioris meriti cæteris paribus & perse loquendo, quam si dũtaxat duraret per quartam partem horæ, aut per dimidiam horam, Et pari ratione dilectio Dei plus continuata est magis meritoria. ¶Neque tamen ob id sequitur quòd actus iste sic continuatus, sit infinitè meritorius: Quia in qualibet continuatione temporis transeunt infinita instantia, & infinitæ partes proportionales; tamen neque istæ partes neque instantia illa sunt actu infinita, sed tantum in potentia, ac proinde licèt in quolibet instanti diuisiuè possit elici vnus actus meritorius, & ita in infinitis instantibus possent elici infiniti actus meritorij; tamen vnus actus continuatus non æquialet infinitis, quia per continuationem non elicitur de nouo actus in quolibet instanti, neque applicatur voluntas de nouo ad operandum, sed toto illo tempore, & per omnia illa instantia elicitur vnicus actus finitæ cõtinuationis, & per consequens finitæ bonitatis, & finiti meriti. ¶Dices, sequi ex hoc quod charitas intẽ datur successiue toto continuationis tempore, & non instantaneè, quod videtur esse contra naturam qualitatis indiuisibilis, qualis est charitas. Respodetur, quòd fortè datur augmentum charitatis correspondens continuationi in instanti terminatiuo ipsius continuationis actus, & *non in toto tempore ipsiusmet continuatio*nis. Secundò respondetur, non esse absurdum aut inconueniens quòd augeatur successiuè charitas per totum tempus continuationis sui actus: Quia licèt sit qualitas spiritualis & indiuisibilis; tamen habet latitudinem gradualem & intensiuam secundum quam potest continue & successiue crescere per aliquod tempus, vt patet si aliquis continuet actum intensiorem dilectionis Dei per aliquod tempus, & in ipsa continuatione magis ac magis incessanter intendatur actus: tunc enim in omni opinione necessariò est dicendum, quòd habitus charitatis intenditur successiuè virtute illius actus intensioris; & ita sentiunt & respondent obiectioni Gregor. in. 1. d. 17. q. 5. art. 2. & Gab. ibidem. q. 4. art. 2. ¶Tertiò colligo, nemi nem posse in hac vita determinare in particulari quantum augeatur charitas vel gratia per nostros actus: hoc enim est proprium Dei, quia solus ipse est ponderator spirituum, vt habetur Prouerb. 16. sed duntaxat possumus in generali dicere, quòd quantũ quis meretur aut meruerit, tantum recipiet de augmento gratiæ, & gloriæ, & charitatis, & quòd quanta fuerit proportio inter merita actionum seu actuũ, tanta etiam erit proportio inter augmenta habituũ, quæ correspondent illis actibus.

*Conclus.2.* Secunda conclusio. Quamuis plurimum conducat ad meritum intensio actus; tamen non commensuratur illi secundum æqualitatem: Quia non semper est vnius & eiusdem valoris determinatè, sed maioris



maioris vel minoris secundum quòd adiungitur actui magis vel minus bono ex obiecto & circunstantijs. Nam sicut in rebus materialibus eadem intensio vel puritas vt quatuor, est maioris valoris in auro, quam in argento, & in argento quam in ferro, & decem libræ auri, plus valent quam aliæ decem argenti; ita etiam in actibus charitatis plùs valent quatuor gradus intensionis in actu meliori ex obiecto & circunstantijs, quam totidem gradus intensionis in actu minus bono ex obiecto & circunstantijs; ac proinde non potest sumi certa regula ex sola intensione actus ad cognoscendum eius valorem & meritum, sed oportet expendere circunstantias omnes, ex quibus reddi potest actus melior, quòd sanè non tantum habet verum in actibus virtutum moralium à charitate imperatis, sed etiam in ipso actu elicito à charitate. Itaque, non semper meritum commensuratur intensioni: & ob id non valet, Sunt tres gradus meriti: ergo tres gradus intensionis, neque rursus intensio, est semper vnius & eiusdem valoris. Quia puritas auri maioris valoris est quam puritas ferri. Semper tamen est verum quod tantum augetur charitas, quantus est valor meritorum, qui sane valor ex multis pensatur, vt dictum est in superioribus.

¶Verum obserua, quòd sicut tot possunt multiplicari pondera argenti, vt æquiualeant vni libræ auri, imo vt eam superent, ita etiam tot possunt multiplicari actus virtutis inferioris, vt plus valeant quam vnicus actus virtutis superioris & ille non plurimum intensus; & tot etiam multiplicari possunt actus remissi eliciti à charitate, vt plus valeant, quam vnus actus intensus; Cæterum per se loquendo magis conducit intensio ad meritum, quam multiplicatio, vel continuatio actus, vt nos inferius ostendemus. Et idem sensit Victoria, relect. de augmento charitatis numero. 17. Quare, per se loquẽdo vnus actus intẽsus maioris valoris est, quã multi remissi: Quoniã per feruorẽ & intẽsionẽ traditur cor magis Deo, & pariter traditur magis affectus Deo, & magis illi adhæret, præcipue quia virtus vnita fortior est se ipsa dispersa: & sicut in naturalib⁹ gẽma magni põderis & molis plus æstimatur quam multæ paruæ, quæ simul iunctæ idem habeant pondus: sic etiam apud Deum plus valet vnus actus charitatis intensus vt decem, quam decem actus charitatis, quorum quilibet sit intensus vt vnum; cuius rei signum est: Quoniam difficilius est, per se loquendo, habere vnum actum intensum, quam multos remissos, sicut difficilius est simul ferre pondus centum librarum, quam centies pondus vnius libræ. Eisdem ferè argumentis persuadetur quòd continuatio actus per se loquendo magis conducit ad meritum, quam multiplicatio; per accidens autem potest contingere quod sit melius & magis meritorium multiplicare actus quam continuare, vt habere bis orationem per dimidiam horam diuersis temporibus, quam semel per horam continuam. Quoniam multiplicando actus renouatur affectus & conatus animi, & sæpenumero crescit; continuando autem per multum tempus, laxantur interdum animi vires, & remittitur conatus. Nam ob id Sancti Patres apud Cassianum collatione nona, capite. 36. consulebant vt orationes essent breues & frequentes potius quam longissimæ, & raræ. Cæterum in his omnibus non potest certa regula generalis assignari, sed opus est spirituali discretione, & maxima prudentia.

*Conclus.3.* Tertia conclusio. Certum est quòd difficultas seu labor operationis, quando consurgit ex natura ipsius operis, conducit ad meritum. Dixi, quando consurgit ex natura operis: Quia secus contingit si labor ex defectu operantis proueniat. Sic docet Sanct. Thom. in hac quæstione. 114. articulo. 4. ad. 2. Quapropter, minime est verum vniuersaliter loquendo quòd opus difficilius, sit magis meritorium, sed tunc solùm opus difficilius est magis meritorium, quando ex eo quòd est difficilius, redditur melius, vt docet Sanctus Thomas, secunda secundæ, quæstione. 27. articulo octauo, ad. 3. ex cuius doctrina illo loco aperte colligitur regula generalis, quòd quanto opus fuerit melius omnibus pensatis, tãto erit magis meritoriũ cæteris paribꝰ, ex parte modi referẽdi opus ipsũ ad Deũ ex charitate: Quia vt supra vidimus, quanto opus magis formaliter & expressè fuerit ordinatum & relatum ad Deum ex charitate, tanto per se loquendo erit magis meritorium. Quò fit, vt opus formaliter & expressè relatum & ordinatum in Deum sit magis meritorium cæteris paribus, quam si solum virtualiter ordinetur in Deum per actum charitatis præcedentem, & rursus erit magis meritorium, si sit virtualiter ordinatum, quam si solum ordinetur habitualiter & interpretatiuè cæteris paribus. Imo verò secundum probabiliorem sententiam non satis est ad meritum vitæ æternæ, quod opus referatur in Deum habitualiter, sed vlterius requiritur vt minimum, quòd sit virtualiter relatum, vt colligitur ex Tridentino Concilio, sessione sexta, capite decimo sexto, & canon. 26. & 32. vbi Concilium loquens de bonis operibus iustorum dicit, quòd ad hoc quòd sint meritoria, debent esse in Deo facta & per Christi gratiam, & influxum meritorum eius: Quibus verbis palam insinuatur, non satis esse ad meritum vitæ æternæ, quòd opus sit bonum moraliter, & factum ab homine existente in gratia, nisi ex virtute alicuius actus charitatis referatur in Deum tanquam in finem vltimum supernaturalem, & obiectum æternæ beatitudinis: Quoniam ex tali relatione & ordinatione, accipit opus bonum quendam valorem supernaturalem in ordine ad vitam æternam, ratione cuius opus sic relatum, habet proprium meritum distinctum ab eo, quod erat in actu charitatis, per quem tale opus fuit relatum in Deum. Imo verò ipse actus charitatis quo diligitur Deus, ex eo quòd extenditur ad causandam dilectionem proximi, vel ad efficienda alia bona opera propter Deum, redditur perfectior in se ipso, & magis meritorius; vt apertè videtur insinuare Sanctissimus Præceptor, secunda secundæ, quæstione vigesima septima, articulo octauo. Quo loco propter hanc rationem ait, quòd diligere proximum propter Deum, est magis meritorium, quam diligere Deum propter se.

*Conclus.4.* Quarta conclusio. Si charitas non tantum meritoriè augeatur, sed dispositiuè etiam, modo sibi con

naturali per intensiorem actum; sic tantum crescit secundum excessum intensionis actus, & non omnino secundum totam latitudinem gradualem ipsius actus. Volo dicere, quòd si iustus habens charitatem vt sex, eliciat actum intensum vt octo, non augebitur actus de nouo per octo gradus, ita vt resultet habitus intensus vt quatuordecim, sed solum augebitur per duos illos gradus, in quibus actus excedebat habitum in intensione, atque adeo resultabit habitus intensus vt octo ex vi illius dispositionis connaturalis præcisè sumptæ. Probatur: Quoniam iste modus augmenti est secundum modum, quo habitus augentur acquisiti & naturales: sed illi non augentur per actus intensiores secundum totam latitudinem ipsorum *actuum*, sed dumtaxat secundum excessum intensionis actus, vt diximus in materia de habitibus: ergo, &c. Minor probatur: Quoniam nulla causa naturalis producit effectum in passo secundum quòd est simile sibi, sed tantum secundum quòd est dissimile: ergo solùm producit effectum quantum ad illos gradus perfectionis, in quibus excedit ipsum passum. Quod patet, si calido vt quatuor applicetur calidum vt sex: tunc enim solùm producet in illo duos gradus caloris, in quibus ipsum superat. ¶ Aduerte tamen, quòd cùm dicimus charitatem crescere per actum intensiorem, solùm est sermo de illo augmento, quod aliquando tribuitur charitati, quando augetur dispositiuè, & modo sibi connaturali. Nam præter hunc modum connaturalem & dispositiuum, etiam sibi conuenit quòd augeatur meritoriè, vt dictum est; neque repugnant simul isti duo modi. Solùm ergo dicimus, quòd augmentum quod fit ex vi illius dispositionis præcisè sumptæ, & ex vi illius modi connaturalis, tantum fit per *actum intensiorem*, & secundum excessum intensionis actus, & non secundũ totã latitudinẽ gradualẽ. Secus verò est si sit sermo de augmẽto meritoriè facto per eundem charitatis actum.

*Conclus. 5.* Quinta conclusio. Si charitatis augmentum fiat meritoriè per actus remissos, non ob id augetur charitas secundum totam latitudinem intensionis eorundem actuum remissorum. Hanc assertionem tenet Victoria relect. de Augmento charitatis. nu. 16. vbi dicit, q augmẽtũ charitatis nõ cõmensuratur intẽsioni actus, ita scilicet, vt si actus est intẽsus vt duo, habitus etiam augeatur vt duo. Itaque quando charitas augetur, non quidem dispositiuè secundum modum connaturalem, sed meritoriè duntaxat per actus remissos; tunc sanè non augetur secundum totam latitudinem intensionis eorundem actuum remissorum. Hæc assertio probatur: Quoniam actus intensior non auget habitum secundum totam latitudinem gradualem sui ipsius: ergo multo minus augebit actus remissus, secundum totam latitudinem gradualem intensionis suæ: aliàs actus remissi melioris essent conditionis, quam actus intensi. Posset namque contingere quòd actus remissus magis augeret habitum quam intensus; quia si quis habeat charitatem vt quinque, & eliciat actum intensum vt sex, solum augebitur habitus per vnum gradum, in quo actus ipse habitum excedit: si vero eliciat actum remissum vt quatuor, & huiusmodi actus augeat secundum totam suam latitudinem intensiuam, augebitur habitus per quatuor gradus, & ex consequenti magis augebitur per actum remissum, quam per intensum. ¶ Et confirmatur; Quoniam isti actus augent habitum quatenus sunt meritorij: sed ratio meriti non solum prouenit ex intensione, sed etiam ex plerisque circunstantijs, quæ faciunt ad maiorem bonitatem actus; ergo augmentum habitus, non debet commensurari intensioni actus secundum totam suam latitudinem, vt explicatum est. ¶ Sed contra: Nam licet meritum crescat ex alijs circunstantijs; tamen hoc non tollit, quin ex intensione proueniat, secundum omnes gradus intensionis actus: ergo vnusquisque actus meretur augere habitum secundum omnes gradus intensionis, quos habet in se ipso: ac proinde, quot fuerunt gradus intensionis in actu, tot etiam erunt in augmento habitus. Respondetur, negando consequentiam; quia licet tota intensio actus, & omnes eius gradus conducant ad meritum, & ad augmentum habitus, non tamen secundum æqualitatem illam metaphysicam & numeralem, sed secundum certam aliquam, & veram proportionem: ita sane vt quanto actus fuerit intensior, tanto amplius sit meritorius, cæteris paribus; non tamen meretur augeri habitus secundum totam intensionem actus physicam, aut gradualem. Quoniam vnus gradus intensionis in ipso habitu, fortasis aliquando est præmium sufficiens multorũ graduum intensionis in actu; nam habitus maiorem habet permanentiam quam actus; & ob id maioris valoris esse videtur vnus gradus intensionis in habitu, quam multi gradus intensionis per modũ actus. Quæ omnia probabiliter à me dicta sunt; quia non habemus certam regulam in hac parte: solum enim certo sentimus, quòd tantum crescit charitas semper, quantus est valor meritorum, qui valor ex multis pensatur, vt supra vidimus. Rursus etiam est certissimum; charitatem, gratiam, & gloriam, commensurari in suis augmentis, taliter, quod quanta fuerit gratia, tanta erit charitas, & tanta etiã erit gloria in futura vita. Et ex consequenti quanto quis meruerit augeri gloriam, tantũdem etiam merebitur augeri charitatem & gratiam.

*Adargum.* Ad argumenta, seu ad rationes dubitandi, exordio huius disputationis factas; si recte attendatur ea quę diximus, patet solutio. Ad primã enim dicẽdũ; quòd licet tota intensio actus secundũ omnes suos gradus omnino conducat ad meritũ, non tamen æquiualet æquali intensioni in habitu, sed certæ & determinatæ intẽsioni, secundũ certã aliquã proportionẽ, quã in particulari solus ipse Deus nouit. ¶ Ad secũdã obiectionẽ, seu argumentũ quod ab alijs adducitur, quibus oppositũ suæ sẽtẽtiæ videtur incredibile; Respõdetur, quòd argumẽtũ optime ostẽdit non crescere habitũ secũdũ totã latitudinẽ intensionis actus: hoc tamẽ nõ tollit quin crescat & augeatur secũdũ totã latitudinẽ valoris & merici ipsius actus; siue ille sit multũ intensus, siue parum; siue sit remissus: semper enim expẽditur in eo tota latitudo valoris moralis.

## DISPVTATIO V.

*De quibusdam dubijs, totam articuli materiam concernentibus.*



VTea quæ in discursu articuli dicta sunt explicẽtur, aperire oportet dubitationes quasdã breues præsenti controuersiæ accommodatas. ¶ Primò ergo dubitatur; Quo pacto continuatio actus conducat ad augmẽtũ gratiæ & virtutum? Secundo; Quid conducat ad maius augmentum gratiæ, intensio, continuatio, vel multiplicatio? Et an per actum vnius virtutis infusę alię augeantur? Et, an posit iustus in instanti infusionis gratiæ mereri augmentum gratiæ statim conferendum?

Ad primam & secundam dubitationem suppono tanquam rem certissimam ex dictis in superioribus, quòd omnia ista augent meritum & præmium essentiale, secundũ D. Tho. nempe, actus charitatis, bonitas obiecti, difficultas operis, intensio actus, continuatio illius, & multiplicatio: & in vniuersum omnia illa quæ efficiunt opus aliquod esse magis bonũ, si tamen opus illud ex charitate & gratia procedat, faciũt illud magis meritoriũ præmij essentialis: Quia alias non esset retributio secundum opera. Et præterea etiam: quia omnes circunstantiæ quæ efficiunt opus esse magis malum, efficiunt illud magis demeritorium: ergo. Patet consequentia: Quia Deus promptior est ad præmiandum quam ad puniendum: ergo omnes circunstantiæ augentes bonitatem, faciunt actum esse meliorem, magisque laudabilem, &c. Et hoc tenent vt certum omnes discipuli D. Tho. præsertim recentiores omnes, vt Bartholom. Medina, & reliqui omnes cum ipso. ¶ Hoc igitur ita statuto, Almayn. & Gregor. Ariminen. putant, necessario actũ continuari aliquo tempore determinato, vel vt alij dicũt, indeterminato & indesignato, quo tẽpore cõtinuationis necessariæ dicunt, nullum prorsus esse meritum gloriæ neque gratiæ in tali continuatione, sed duntaxat postea, quando iam continuatio illa actus fit libere. Verum iste modus dicendi, falsus est & reiectus à nobis tam in superioribus, supra. q. 111. & q. 113. ar. 7. disput. vnica, quam. 1. p. q. 14. art. 13. disputat. 3. Nam alias daretur tempus, in quo homo non posset saluari; nempe illud quod necessario debet continuari: & supponamus esse tempus in quo quis continuat actionẽ peccaminosam. Actus enim intellectus & voluntatis potest durare solum per instans, siue voluntate illum libere suspendente, siue aliqua distractione naturaliter suborta, siue ex alijs causis, quas. 1. parte retulimus. Et præterea, dato tempore indesignato vt alij dicunt, nunquam inciperemus mereri augmentũ, neque esset dare certum tempus quo mereremur illud augmentum per liberam cõtinuationem. Quia quolibet instanti signato post hoc, antea continuabamus liberè actum, &c. Plura alia argumenta congessimus. 1. p. loco citato. ¶ Alij dicunt, quòd actus potest toto tempore liberè continuari, & in eodem continuo tempore mereri maiorem & maiorem gloriam atque gratiam: sed qui putant per actus remissos vel æquè intensos non statim augeri gratiam & alias virtutes, dicere debẽt, q nisi actus cõtinuetur intẽsius & intẽsius sẽper, nõ dabitur statim auctior & auctior gratia cum augmẽto reliquarum virtutum. Qui vero tenent, actus etiã remissiores augere statim gratiam, & non charitatem, dicere debent, quòd etsi actus non continuetur feruentius, augebitur quidem magis & magis gratia; non tamen charitas aut aliæ virtutes. ¶ Sed quidquid sit de hoc; Nos qui asseueramus actus meritorios etiam minus intensos & remissos statim augere gratiam & charitatem, aliasque virtutes, consequenter affirmare debemus, quòd etiam si actus remissus continuetur, augebit statim gratiam & virtutes, secundum totam latitudinem meriti gloriæ & quantum actus permanet in eadem extensione. Ita sensit Gregor. in. 1. dist. 17. q. 5. & plures alij recentiores. ¶ Sed dices: Ergo in fine horæ erit infinitum augmentum gratiæ: Quia actus est æquè meritorius in cæteris instantibus, sicut in primo: sed in primo meretur vnum gradum, qui statim datur: ergo in quolibet sequentium: ergo cùm sint infinita instantia in fine horæ, erit infinitum augmentum. ¶ Huic argumento quidam dicunt, quòd meritum non respondet instantibus, sed solum tempori continuationis, in quo cùm non sint infinitæ partes æquales, non erit infinitum meritum. Ita Victoria relect. de augmento charitatis numero. 18. Et ratio ipsius est: Quia in primo instanti, actus habet suum totum esse; in sequentibus verò tantum habet continuationem. Vnde, non debet tantum mereri in alijs instantibus, sicut in primo. Sed pro certa continuatione meretur certum gradum; sicut lumen continue augetur per approximationem luminosi; non tamen augetur infinitè. Sed hoc alijs non satisfacit: Quia luminosum non auget lumen aeris, nisi quando de nouo applicatur, in instanti autem non applicatur, quoniam applicatio fit per motum, qui non potest esse in instanti; & ideò nihil luminis instantibus correspondet. Verum hic in proposito, in quolibet instanti meremur certum gradum additum merito primi instantis; alias non amplius merebitur is qui continuat actum per horam & instãs terminatiuũ horæ, quã qui per solam horã cessãdo in instãti terminatiuo horæ. ¶ Dices: ergo ex cõiunctione æqualium graduum gratiæ non cõmunicantium, quos meremur in singulis instantibus illius continuationis, respondet infinita moles gratiæ. ¶ Ad hoc aliqui dicunt, quòd pro instanti terminatiuo nihil datur vel tollitur, quia Deus de tam modica re nihil curat: maximè cum implicet ei respondere certum præmium. Verum hæc responsio non mihi probatur; Quia nihil reliquit Deus irremuneratum quantumcumque sit paruum meritum. Vnde, alij dicunt quod pro instanti terminatiuo datur certa quantitas, quia est consummatio actionis, non vero pro alijs, quibus non consummatur actio, & quia fuit implicatorium illis respondere certum præmium. Vndé, qui durat per instans amplius meretur, quam qui in eo instanti cessat ab operatione, licet tempus continuationis fuerit æquale.

*Almaynus. Ariminen.*

¶ Dico tamen, quòd continuatio actus conducit ad augmentum gratiæ quatenus conducit ad meritum, & quatenus conducit ad maiorem valorem operis. Continuatio verò vel potest esse vniformis & eiusdem intensionis; & ita tota illa continuatio debet considerari moraliter, sicut vna actio habens specialem difficultatem ratione continuationis. Vndè, totum illud consideratur veluti vnicus valor & meritum; & non debet diuidi secundum partitionẽ Geometricam, aut physicam & quantitatiuam, sed si

cõtinuatio est magna, magnus est valor, si parua, parvus. Quantus autem sit valor, id Deo omnia perpendenti relinquitur: Quia spirituum ponderator est Dominus. Vel continuatio est difformis, quia in prima parte continuationis, actus qui continuatur, non est ita intensus sicut in secunda, & in tertia, & in vltima: & ita consideratur ille actus veluti multiplex actio multiplicem habẽs valorem meritorium. Semper tamen est dicendum, quòd sicut tempus continuationis est finitum, ita meritum correspondens continuationi actus est finitum, absolute & simpliciter, & nõ æquiualet merito infinitorũ actuũ eiusdem intensionis. Quia licet in quolibet instanti temporis illius continuationis, diuisiue sumpto, posset elici vnus actus charitatis, non tamen possunt elici tot actus, quot sunt instantia collectiue. De qua re legenda sunt quæ supra diximus disputatione. 2. Solutione ad. 2. argumentum quartæ opinionis, & ea etiam quæ diximus disputatione quarta.

6. *Dubitat.* De secunda dubitatione; Quid magis conducat ad comparandam maiorem gratiam, intensio, multiplicatio, vel continuatio? Victoria relect. illa de augmento charitatis numero. 17. putat, intensionem plus conducere, quam continuationem, vel multiplicationem: Quia per illam magis homo adhæret Deo, & magis sese ipsum iustus dat Deo. Et præterea etiam: Quia difficilius est habere vnum actum intensissimum aut heroycum, quam plures remissos, vel vnum remissum continuatum. Secundò dicit, quòd cæteris paribus magis conducit continuatio quam multiplicatio: Quia continuatio actus, fortiùs & magis vnitè continet suam bonitatem. Per accidens verò aliquando magis conducit multiplicatio, si facta interruptione reparentur vires lassatæ, & feruentius homo repetat actum meritorium, quam si continuaret antiquum; Idcirco consulebãt Patres antiqui, quòd aliquando orationes essent breues & frequentes potius quam longissimæ, vt habetur in collationibus Patrum apud Casian. collat. 9. capite. 36. quod incipit: Ob quod frequenter quidem, sed breuiter est orandum, ne immorantibus nobis locum, vel tempus, inferere aliquid nostro cordi insidiator possit inimicus. Vnde vigiliæ noctis, diuersis aptabantur temporibus ad orandum, vt constat de primitiuo antiquitatis ardore.

An vero per actum vnius virtutis infusæ aliæ augeantur; Quibusdam videtur impossibile; & idcirco negant, quia vnus habitus acquisitus non augetur per actum alterius: Imo verò neque fides informis augetur per actum informem spei. ¶ Verum de hac re communis sententia tenet oppositum, quod per actum meritorium vnius, aliæ infusæ augentur, siue sit actus elicitus, siue imperatus. Probatur: Quoniam omnes isti actus meritorij merentur augmentum gloriæ: ergo & gratiæ in esse gratiæ, sed semper aliæ virtutes sunt æquales gratiæ, siue in cœlo, siue in prima infusione, siue alio tempore, vt supra ostensum est: ergo. Secundò; Actus alicuius virtutis auget proprium habitum quatenus meretur gloriam, cui proprius habitus debet proportionari; sed etiam alienus habitus debet æquari & proportionari gloriæ: ergo etiam auget illum consequenter. Tertiò: Per actum charitatis & pœnitentiæ, quia infunditur gratia, infunduntur omnes virtutes: ergo quando actu aliquo gratia augetur, augentur etiam reliquæ virtutes. Quartò probatur: Quoniam Scriptura ponit quatuor virtutes morales veluti quatuor columnas domus, & veluti angulos ciuitatis positæ in quadro: ergo semper sunt æquales: ergo aucta vna augetur altera etiam. ¶ Ad argumenta verò dicendum est, non esse simile: Quoniam habitus illi acquisiti non augentur ratione meriti, sicut isti habitus de quibus est sermo, augentur.

*Dubium 4.* Quartum & postremum dubium petit, vtrum in instanti infusionis gratiæ possit homo simul mereri augmẽtum gratiæ statim conferendum? De qua difficultate nonnulli dicunt, non posse hominem in illo eodem instanti mereri augmentum statim conferendum; benè tamen conferendum immediatè post illud instans: Quoniam implicat aliquid esse in eodem instanti intensum & remissum: sed gratia producitur, verbi gratia, remissa vt duo: ergo non potest in eodem instanti augeri meritoriè, & fieri vt quinque, sicut implicat quòd homo in eodem instanti quo est bipedalis, fiat tripedalis: Quia istę terminationes quantitatis in illo vnico instanti compossibiles non sunt.

¶ Pro explicatione tamen huius rei aduerte, quòd tripliciter intelligi potest gratiam posse augeri meritoriè in instanti infusionis; primo quidem post contritionem quæ disposuit ad ipsam infusionem, nulla facta augmentatione ipsius contritionis; Secundò intendendo in eodem instanti contritionem ipsam per habitum pœnitentiæ ad quem disposuit ipsa contritio, vel per auxilium Dei. Tertiò propter nouum actum charitatis vel alterius virtutis, qui in eodem instanti elicitur per ipsas virtutes infusas. ¶ Quo supposito dico primò. Per contritionem quæ ad gratiam disposuit eodem modo se habentem, & non amplius intensam, impossibile est meritoriè augeri gratiam. Quoniam gratia infunditur maior vel minor iuxta intensionem & perfectionem contritionis: sed in naturalibus quanto subiectum est magis dispositum ad formam intensibilem, tanto recipit illam intensiorem, dummodo non sit defectus ex parte agentis. Vnde, aer magis diaphanus, magis illuminatur: Quia actus actiuorum sunt in patiente bene disposito. Quare aduerte, quòd tota illa gratia quæ vltimæ dispositioni respondet, dicitur prima gratia, quia datur statim iuxta quantitatem illius dispositionis vt dispositio est: Quare tota datur gratis, & non pars ex meritis, & pars sine meritis, & non est maior ratio de vna parte, quam de altera, sicut neque in ipsa contritione est maior ratio quare vna pars sit meritoria quam altera.

Dico secundò. Non potest contritio in illo eodem instanti in quo producitur, intendi, & per intensionem illam, simul gratiam augere meritoriè. Probatur: Quia agens creatum cùm producit aliquem effectum, producit illum cum suo gradu & terminatione: sed postquam iam terminatus est vna terminatione, non potest in eodem instanti terminari alia terminatione, quia implicat simul esse intensum & remissum: ergo cum homo producit contritionem, producit illam terminatam in vno aliquo certo gradu, & non potest in illo eodem instanti intendere illam, & terminare in superiori gradu: ergo intentum, &c. Præterea:



terea: Si oppositum assertionis foret possibile, sequeretur quòd in eodem instanti productionis possent fieri innumeræ intensiones ipsius contritionis, & consequentèr gratiæ, & virtutum infusarum, quod est absurdum. Tertiò probatur: Nam ab eodem agente non potest simul prodire multiplex actio adæquata circa eandem formam: ergo non potest homo vnica actione tantum, producere contritionem vt duo, & simul in eodem instanti alia actione producere eandem contritionem vt tria: ergo non potest contritio in vno illo eodem instanti in quo producitur, intendi, & simul per illam intensionem meritoriè gratiam augere.

Dico tertiò. In vno illo & eodem instanti in quo gratia producitur, potest homo operari per virtutes infusas, & mereri augmentum gratiæ statim conferendum: nunquam tamen homo promeretur primam gratiam, quia illa omnino gratis donatur, & quia prima gratia est prima radix meriti, à qua contritio habet valorem vt sit primæ gloriæ meritoria. Hoc tenet Bartholomeus Medina hic. Et probatur: Quia nihil prohibet quòd virtutes illæ in instanti infusionis reducantur in actum; vt Sol in eodem instanti in quo producitur illuminat: sed actus illarum virtutum merentur nouam gloriam: ergo & augmentum gratiæ. Neque est cur non conferatur statim: ergo. ¶ Dices: Non potest conferri statim; quia sequeretur quòd tunc gratia simul erit intensa & remissa. Contra: Nam habitus acquisiti in eodem instanti in quo agunt secundum gradum intensiorem, per tales actus augentur effectiuè, aliàs nunquam augerentur, quia transactis actibus augeri non possunt: ergo etiam gratia in instanti quo intelligitur infusa in gradu inferiori, potest per proprios actus ascendere ad superiorem gradum. Item secundò: Si ego immediatè post hoc eliciam actum dilectionis per gratiam vt duo, illo actu augebitur meritoriè gratia, & fiet vt tria in eodem tempore: ergo similitèr in hoc instanti infusionis gratiæ, vel continuationis per actum dilectionis, gratia quæ erat vt duo, poterit fieri vt tria: cæterum de hoc tertio dicto, quid sentiendum sit de illo augmento: An simul fiat, melius diximus alia multa supra. articulo. 5. disputat. 5. ¶ Vnde ad argumenta oppositæ sententiæ responderi potest, quòd non ponimus in eodem instanti gratiam intensam & remissam: Quia hæc dicunt non solùm varios & distinctos gradus, sed etiam contrarias terminationes ipsorum, quæ simul esse non possunt.

## ARTICVLVS IX.

*Vtrùm homo possit perseuerantiam mereri?*

PRima Conclusio. Iustus potest mereri de condigno perseuerantiam gloriæ: Nam illud cadit sub merito condigni, quod comparatur ad motum liberi arbitrij directi, à Deo mouente, sicut terminus eius: sed perseuerantia in gloria, est terminus prædicti motus: ergo perseuerantia gloriæ cadit sub merito. ¶ Secunda Conclusio. Perseuerantia gratiæ in via, non cadit sub merito; Nemo enim in hac vita potest mereri perseuerantiam in bono vsque ad finem vitæ, merito condigni: Quia quod se habet veluti principium meriti, non cadit sub merito de condigno: sed perseuerantia viæ, est ex motione diuina, quæ est principium omnis meriti: non ergo cadit sub merito de condigno: ergo Deus gratis donat perseuerantiæ donum omnibus illis, quibus illud tribuit.

## DVBIVM I.

*Vtrùm homo possit mereri sibi de condigno perseuerantiam in gratia?*

DE bono perseuerantiæ nos egimus in superioribus per plures controuersias; idcirco consulenda sunt ea quæ diximus quæst. 109. artic. 9. & 10. & ob id hic paucis agemus. Ratio autem propositę difficultatis est: Quia pronior est Deus ad miserendum, quam ad puniendum: sed homo potest per peccatum mereri obdurationẽ in malo & in peccato, & obstinationem atq; permanentiam in eo, etiam de condigno: ergo pari ratione iustus per bona opera potest mereri confirmationem & perseuerantiam in bono. Probatur antecedens ex Paul. Rom. 1. Tradidit illos Deus in reprobum sensum; & in Sacris literis frequentissimè habetur, quòd Deus induxerat corda hominum & excæcat propter peccata: ergo. ¶ Secundò. Iustus meretur augmentum gratiæ, ex quo augmento gratia perficitur: ergo pari ratione meretur perseuerantiam in illa. Ostendo consequentiam: Quia perfectius est gratiam augeri, quam conseruari, imò ex augmento sequitur conseruatio: ergo iustus qui potest in augmentum, quod est maius, potest in conseruationem quod est minus. ¶ Et Confirmatur: Nam perseuerantia in gratia, est aliquid minus, quam perseuerantia in gloria: sed hoc meretur homo de condigno: ergo & illud. ¶ Tertiò. Iustus meretur perfectionem gratiæ, & meretur eius augmentum, vt dictum est: ergo & hanc perfectionem vt moriatur pro Christo: sed pro Christo moriens, habet donum perseuerantiæ coniunctum in fine vitę: ergo. ¶ Quartò. Omnia quæ supponũt præuisionem meritorum, possunt conferri in præmium illorum: sed perseuerantia in gratia supponit illam præuisionem meritorum: ergo. ¶ Quinto. Ex continuatione gratiæ sequitur perseuerãtia in gratia: sed ex cõtinuatione augmẽti gratię sequitur necessariò continuatio gratiæ, & iustus potest mereri magis ac magis augmentum gratię: ergo & cõtinuationẽ & perseuerãtiã in illa.

*Ratio prima dubitandi.* *Secunda.* *Confir.* *Tertia.* *Quarta.* *Quinta.*

Pro explicatione huius controuersiæ, est prima Conclusio. Certum est secundum fidẽ quòd non potest iustus mereri de condigno perseuerantiam in gratia secũdum legem communem & ordinariam. Vnde in Concil. Trident. sessio. 6. capi. 13. & Cano. 16. definitur, perseuerantiam esse donum Dei speciale; & paritèr definitur quòd Deus neminem deserit, nisi prius ab homine deseratur. Et indicat, quòd perseuerantia non cadit sub merito: sic enim

*Concil. Tridentinũ.*

habetur in Trident.Nemo sibi certi aliquid absolura certitudine polliceatur, tametsi in Dei auxilio firmissimam spem collocare, & reponere omnes debent: Deus enim nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cœpit opus bonum, ita perficiet operans velle & perficere. Veruntamen, qui se existimant stare, videant ne cadant; & cum timore ac tremore salutem suam operentur in laboribus, in vigilijs, in eleemosynis, in orationibus, oblationibus, in ieiunijs, & castitate: formidare enim debent, scientes quòd in spem gloriæ, & non dum in gloria renati sunt, de pugna, quæ superest cum carne, cum mundo, cum Diabolo &c. En, apertè insinuatur quomodò iustus non meretur de condigno perseuerantiam: Nam aliàs si eam meruit de condigno, sequitur non esse formidandum illi tantum; & sequitur etiam quòd qui semel est iustus, infallibilitèr saluatur: si quidem Deus debet illi dare perseuerantiam de iustitia; quod asserere hæreticum est. Vnde hanc assertionem tenent omnes Theologi Catholici in hoc articulo & in. 2. distinctio. 28. &. 29. Et probatur etiam: Quoniam aliàs, posset iustus via ordinaria & communi tantum proficere, vt redderetur impeccabilis saltem peccato mortali, quod damnatur in Clementi. Ad nostrum. de Hæreticis, de quo multa dicit Hieronym. contra Iouinian. & refertur de Pœniten. distinctio. 2. capit. Si enim. Sequela probatur. Quia meritum condigni non frustratur suo præmio, sed infallibilitèr illud consequitur, nisi subsit impedimentum: Si ergo iusti possunt mereri de condigno suam perseuerantiam, infallibilitèr perseuerabunt in gratia; atque adeò non poterunt illam amittere per peccatum mortale: Profecto, si quis mereretur de condigno perseuerantiam in gratia, qui semel mereretur hoc; non posset iterum cadere à gratia, quod est contra fidem in viatoribus. Vnde; si homo meretur, vel potest mereri de condigno de lege, perseuerantiam in gratia, hoc posset tribui omnibus actibus meritorijs, quia non est maior ratio de vno, quam de altero; Neque esset necessarium referre hoc ad collectionem plurium actuum meritoriorum. Quia singuli actus per se habent suum meritum, & verum meritum de condigno: ergo.

*Clementina.*

¶ Dices, quòd poterit impediri huiusmodi meritum per peccatum mortale subsequens. Sed contrà: Quia est implicatio manifesta quòd aliquis meruerit de condigno perseuerantiam in bono & in gratia, & quòd subsequatur peccatum mortale: mereri enim perseuerantiam, est mereri quòd non subsequatur huiusmodi peccatum. ¶ Rursus probatur Conclusio: Quoniam apertè constat, plerosque sanctos post egregia & præclara merita corruisse in mortalia peccata. Vnde Paul. 1. Corinth. decimo, dixit, qui se existimat stare, videat ne cadat: Quia scilicet nemo adeò profecit meritis, quin cadere possit, vt ostendimus ex Tridentin. sessio. 6. capite. 13. citato. Præterea meritum condigni sundatur in lege infallibili & pacto Dei: sed nulla est talis lex de danda perseuerantia, pro certis operibus: ergo. ¶ Fauet etiam ratio Sanct. Thom. in artic. quæ licèt subobscura sit, efficax tamen est, & potest sic deduci: Illud tantum cadit sub merito, quod est terminus diuinæ motionis, vt sæpè dictum est in discursu huius materiæ: sed donum perseuerantiæ non se habet vt terminus diuinæ motionis, sed potiùs se habet vt principium: ergo. Minor patet: Quoniã donũ perseuerãtię nihil aliud est, quam Dei specialissimum auxilium conseruans primam gratiam, & mouens nos ad operandum & persistendum contra tentationes. ¶ Item etiam; Non fuit conueniens statui viæ, qui est status pugnæ & timoris: ergo. Dices: Potest iustus oratione assidua impetrare hoc donum. Respondetur non esse simile, quidquid sit de antecedente, de quo modò nihil dicimus; Quia est generalis assertio, Quid quid petieritis &c. quæ lex non innititur meritis, sed diuinæ misericordiæ omnino; nulla est tamen talis lex de merito. Vnde, perseuerantia est donum Dei, quo manu tenet iustum, & conseruat gratiam, quam primò omnino gratis contulit; & sicut illam in initio gratis omnino contulit, sic eam gratis omnino conseruat. Nam sicut creaturas gratiosè omnino condidit; sic etiam gratiosè in esse conseruat. Nam aliàs, si ex duobus iustis vnum morte rapit; ne malitia mutet intellectum eius; alterum verò finit in peccatum prolabi permissiuè, hoc non est tribuendum merito hominis, sed diuinæ misericordiæ: ergo iustus non meretur de condigno permanentiam gratiæ secundum se. Et hoc probat ratio Diui Thom. explicata à Caieta. hic in articulo.

*Conclusa.*

Secunda Conclusio. Iustus non meretur de condigno secundum legem ordinariam talia auxilia, quibus infallibilitèr maneat residuo tempore vitæ suæ in gratia, vel quòd in illa decedat. Hæc conclusio explicat præcedentem; & sanè quòd non omnis iustus hoc mereatur, patet: Quia aliàs omnis esset prædestinatus & confirmatus in gratia. Sed quòd neque vllus iustus hoc mereatur, ostendo ex dictis: Quia sic mereretur confirmationem in gratia, quod damnatur in Clementina, Ad nostrum, de hæreticis, citata. Si dicas quòd meretur decessum in gratia. Contra: ergò meretur reparationem post lapsum, contra ea quæ diximus suprà artic. 7. ¶ Item: si opera egregia saltem, mererentur de condigno perseuerantiam; sequeretur quòd nonnulli præsciti qui similia opera fecerunt, perseuerabunt, quod est plusquam falsum. ¶ Fauet etiam: Quia meritum condigni est commune omnibus: sed donum perseuerantiæ est proprium prædestinatorum, sicut donum confirmationis fuit speciale priuilegium quorundam electorum: ergò non est meritum de condigno respectu perseuerantiæ. ¶ Tandem: Opera meritoria iustorum ad æqualitatem præmiantur per gloriam: ergo sub merito illorum operum non cadit confirmatio, neque debetur illis confirmatio.

An verò iustus possit de potentia absoluta mereri de condigno perseuerantiam in gratia, habet specialem difficultatẽ. Nã recentes Theologi id affirmãt, & probant sequentibus argumentis. Primũ est. Homo cõstitutus à Rege in aliqua dignitate, potest mereri q̃ Rex illũ cõseruet in ea vsq; ad mortem: ergo pariter id de Deo dici potest. Dices, diuersam esse ratio-



tionem: Quia perseuerantia habet rationem principij, & ideo non potest habere rationem termini. Sed contra: Quia licèt respectu vltimi actus vitæ habeat rationem principij; non tamen respectu aliorum: ergo per alios actus potest homo mereri perseuerantiam; Sicut, licèt augmentum gratiæ sit principium respectu alicuius operis meritorij, & in ordine ad illud non possit esse præmium, benè tamen in ordine ad alios præcedentes ipsum augmentum. Sed dices, in ordine ad omnes esse principiũ: Quia perseuerantia in gratia est conseruatio gratiæ, rem autem conseruari, non est aliud quam eius productionem continuari; & ita sicut gratia in produci non potest cadere sub merito, ita nec in conseruari. Sed contra: Quia licèt rem conseruari, sit eius productionem continuari, at verò ista continuatio est posterior illa prima productione: ergo licèt illa prima productio non possit cadere sub merito, quia non potest supponere opus procedens à gratia, at continuatio poterit cadere sub merito, quia supponit gratiam productam; aliàs neque augmẽtum gratiæ caderet sub merito, quia est quædam productio gratiæ. Et hac ratione multi dicunt, quòd licèt homo non possit mereri primam gratiam, vel primum esse naturale; posset tamen mereri eorum continuationem.

Item secundò probant idem. Quia si iustus non posset de potentia absoluta Dei mereri de condigno perseuerantiam in gratia, eadem ratione nec posset homo mereri perseuerantiam gratiæ futuram in gloria, quod est falsum. Quoniam is qui meretur gloriam, pariter meretur perseuerantiam in gratia futuram in ipsa gloria. ¶ Tertiò. Possumus impetrare per seuerantiam per orationes, vt S. Tho. dicit solutione ad. 1. ergò & illam mereri. Ostendo consequentiam: Quia similiter ad impetrationem requiritur vt res impetranda non sit principium operis, quod debet impetrari. ¶ Quartò. De potentia absoluta Dei posset fieri ab ipso, vt mediãte operatione naturali posset mereri homo, quòd Deus illum conseruaret in esse naturali, & Christus potuit mereri continuationem incarnationis: ergo, &c. ¶ Quintò arguitur pro eadem parte. Nam prima gratia data gratis, indifferens est homo, vt perseueret vel non perseueret, nec statim eo ipso est data perseuerantia: ergo potest dari postea propter bonum vsum gratiæ. ¶ His argumẽtis vt suprà dixi, aliqui Theologi ostendũt, quòd licèt nullus possit de lege mereri perseuerantiam in gratia, seu perseuerantiam viæ; tamen de potentia absoluta id fieri posse.

*D. August.*

Sunt tamen alij qui asseuerant, etiam de potentia absoluta non posse perseuerantiam cadere sub merito condigni. Primò: Quia etiam si Deus statuisset dare perseuerantiam gratiæ & perseuerantiam viæ in bono, facienti talia opera meritoria; tamen ea opera non exigerent naturaliter ipsam perseuerantiã, quia sufficienter præmiantur sine illa. ¶ Secundò: Quia si quis mereretur etiam de potentia absoluta suam perseuerantiam, sequeretur, quòd mereretur se non posse deficere, neque corruere: imò meruisset suam confirmationem in gratia. Quia si corrueret in via post illud meritum, vel non meruisset perseuerantiam, vel defraudaretur, eo quod semel promeruerat. Vnde D. August. de bono perseuerantiæ, cap. 6. ex professo docet, non posse amitti donum perseuerantiæ si datum fuerit.

Sed profectò, aliquid denegare omnipotentiæ Dei sine manifestissima ratione, non est rationabile. Quocirca sentiendum est, Deum potuisse de potentia absoluta, legem sancire, vt postquam iustus gratis & merè gratis iustificatur à Deo; per opera subsequentia ex gratia & charitate facta, mereatur perseuerantiam viæ, ordinando merita subsequuta post gratiam ad perseuerantiam viæ; Sed totum hoc esset pura gratia Dei, vt supponimus; & fundaretur tunc huiusmodi præmium in pacto & lege sancita à Deo, quod qui fecerit post iustificationem suam, talia vel talia opera meritoria, perseueraret in bono gratiæ, quod, illis positis operibus, iustus consequeretur ex vi diuinæ promissionis. ¶ An verò postquã quis iustificatur per merita immediatè sequentia ante vllum lapsum, possit mereri iustus vt si ceciderit, iterum resurgat: & ita quòd in fine vitæ resurgat & permaneat in gratia vsque ad animæ migrationem ab hac luce, id quidem existimo fieri non posse vlla ratione. Vnde, sicut iustus non potest mereri reparationem post lapsum; ita etiam neque hunc modum perseuerandi, merendo transitum à peccato ad gratiam, & primam gratiam, & reparationem lapsi cum vltima permanentia & perseuerantia. Quare, Vega 12. in Trident. cap. 23. & vltimo dicit, quòd si quis mereretur de condigno perseuerantiam, is certè iã corruere & deficere non posset: Quia aliàs si corruere, vel non meruisset perseuerantiam, vel defraudaretur, eo quod semel promeruerat. Et ob id, si quis de potentia absoluta mereretur, vel posset mereri per opera bona subsequentia gratiam & iustificationem eius, perseuerantiam, & permanentiam viæ in bono gratiæ, is certè mereretur nõ corruere neque deficere de facto. An verò hoc esset mereri suam cõfirmationem in gratia, & an confirmatio *in* gratia dicat aliquid amplius gratiæ, quam permanentia viæ in bono, sine casu, aut lapsu; modò nolo disputare.

*De hac dubitatione diximus copiosè supra in hac. q. 114. art. 7. dubio 1. 2. & 3.*

Ad argumenta. Ad primum respondetur negando consequentiam: Quia ad demerendum seu merẽdum permanentiam in malo, non indigemus motione diuina: Nam per nos ipsos possumus mereri illã. Quoniam malum est ex nobis; cæterum ad perseuerantiam in bono, requiritur motio Dei: Et quoniam Deus neque nos mouet per meritum ad habendam perseuerantiam veluti ad præmium, sed potiùs è diuerso, quia gratia perseuerat in nobis, ipso illam gratis conseruante; ideo nos meremur; ideo perseuerantia in bono, non cadit sub merito, sed si illam Deus dat, id est ex mera liberalitate eius. Nullam etiam Deus legem sanciuit de aliquo merito respectu perseuerantiæ in bono; & ob id diximus suprà, quòd de lege non fuit conueniens statui viæ, qui est status pugnæ & timoris. Et ob id Paul. dixit, quòd non coronabitur nisi qui legitimè certauerit, &c.

*Ad argum.*
*Ad primũ.*

¶ Dico secundò, quòd illa permanentia in peccato seu obduratio, potest se habere vt terminus peccati præteriti; perseuerantia verò in gratia viæ, nõ potest se habere vt terminus, vt suprà explicatum est. Verùm, licèt homo per sua peccata mereatur obdurationem; Deus tamen ex benignitate sua & misericordia, non ita dicitur obdurare, quin semper præstet auxilium, quo possit peccator conuerti.

*Ad secũdũ.* ¶Ad secundum respondetur negando consequentiam: Quia non est eadem ratio de augmento gratiæ,& de perseuerantia.Nam augmentum gratiæ est gradus distinctus,qui habet rationem termini; Conseruatio autem gratiæ non habet rationem termini. Vnde, respectu gloriæ potius se habet illa perseuerantia vt principium motus ad ipsam,sicut ipsa gratia,quam vt terminus.¶Ad confirmationem respondetur,negando consequentiam. Et ratio differentiæ est: Quia perseuerantia gloriæ habet se vt terminus diuinæ motionis:nihil enim est aliud quam ipsa gloria ad quam tendimus; Perseuerantia autem gratiæ non se habet vt terminus, vt dictum est,sed vt principium.Et hac eadem de causa possumus mereri augmentum gratiæ,& non perseuerantiam. Dices: Si possumus mereri gratiam quæ datur per augmentũ, Cur non poterimus mereri perseuerantiam eiusdé. Respondetur, quòd non stat perseuerare secundam gratiam sine prima;Quia sunt idem:non enim fit augmentum per additionem gradus ad gradum, sed per maiorem radicationem in subiecto: Et ob id, sicut non possumus mereri perseuerantiã primæ gratiæ,ita nec secundæ. ¶Ad tertium D. Augustin. negat consequentiam: Quia perseuerare in bono, & pro Christo mori,est speciale Dei donum,iuxta illud ad Philippens.1.quod adducitur ad propositum à D. Augustin.Vobis donatum est, non solum vt in illum credatis,sed etiam vt pro illo patiamini. ¶Respondetur secundò, quòd licèt iustus possit mereri augmentum & perfectionem charitatis;nunquam tamẽ meretur hodie de condigno, vt crastina die in gratia conseruetur & moriatur. ¶Ad quartum dicendum, quòd probat de potentia absoluta, iuxta sensum à nobis explicatum,sed non de facto, neque de lege.¶Ad quintum respondetur negando,quòd iustus possit mereri continuationem augmenti,& augmenti gratiæ. Nam quãuis quoljbet actu meritorio mereatur augmentum gratiæ; non tamen meretur magis ac magis continuationem seu permanentiam continuationis magis ac magis: Quia hoc esset mereri perseuerantiam illam. Cùm ergo perseuerantia nunquam habeat rationem termini, sed principij: Nam perseuerantia nihil aliud videtur quam conseruatio illa gratiæ,& continuatio eius permanens; sequitur, q̃ nemo potest mereri gratiæ perseuerantiã.

*Ad tertiũ.* *Ad Phili.1.* *Ad quartũ.* *Ad quintũ.*

## DVBIVM II.

### *Vtrùm saltem de congruo iustus possit mereri perseuerantiam in gratia.*

HAec dubitatio petit, Vtrùm perseuerantia cadat sub merito congrui? In qua re Sanct.Thom. nihil expressè determinat in articulo;videtur tamen tenere partem negatiuam; & hanc reputant probabiliorem eius discipuli.Sed Vega lib.12.in Trident.capit.vltimo propè finem, & in Opuscul. de iustificatione, quæstione.15.tenet oppositum, & ait; donum perseuerantiæ infallibilis, posse cadere sub merito congrui licèt non sit infallibile quòd habenti tale meritum detur tale donum:Imò verò ait, non quæuis opera, sed egregia simul cum operationibus feruentissimis, mereri de congruo tale donum. Probatur hæc sententia primò ex D. August. lib. de bono perseuerantiæ,capit.6.vbi expressè habetur, iustum posse à Deo suppliciter emereri donum perseuerantiæ. Vndè,cap.7.&.17.eiusdem libri docet, vtiliter hoc peti à Deo in oratione Dominica, cùm dicimus, Et ne nos inducas in tentationem:Quia Deus sæpe hęc concedit propter orationes iustorum.Et D.Cypria. sermo. de oratione Dominica, docet, hoc donum etiam peti à iustis cùm dicunt,Sanctificetur nomen tuum. Quod etiam affirmat August. de correctio. & gratia.cap.6.&.7.& Sanct.Thom.hic ad.1. & D. Fulgent.Epist.6.ad Theodorum cùm dixisset,neminem posse perseuerare sine gratia Dei, & ideò hanc gratiam esse petendam, ipsum verò affectum petendi; etiam esse à Deo; nihilominus docuit quòd possumus hoc donum impetrare. Vnde D.Prosper. respõsione ad.10.dub.Genuens.ait;Vos itaque ipsam obediendi perseuerantiam,à Patre luminum sperare debetis,& quotidianis orationibus poscere;atque hoc faciendo, confidere non vos esse à prædestinatione populi eius alienos,quia etiam hoc vt faciatis, ipse largitur: ergo perseuerantia potest cadere sub merito congrui.Quia in homine iusto id quod impetrari potest ab eo,potest etiam de congruo mereri;Præcipuè si est eiusdem ordinis cum operibus ipsius iusti, vt est perseuerantia.

*Argum.1.* *D. August.* *D.Cypria.* *D.Fulgen.* *D. Prosper.*

Bartholom.Medina,in Comment.huius artic.tria dicit.Primum est,non posse iustum infallibiliter impetrare perseuerãtiam ex lege infallibili:Quia aliàs posset se constituere confirmatum in gratia, quod est falsum:quia plerique Sancti exciderunt à gratia. Imo verò, qui existimaret se tenere donum perseuerantiæ, efficeretur segnior: ergo non decet de hoc esse legem infallibilem. Dicit secundò, quòd si iustus perseuerauerit orando,verè & piè orans pro se, infallibiliter saluabitur, & hoc dicit demonstrari à Sanct. Thom.2.2.quæst.83.ex Scripturis & Sanctis Patribus.Dicit tertiò,quòd si iustus perseuerauerit, in oratione, piè & verè perens donum perseuerantiæ,infallibiliter illud consequetur.Et subiungit Medina, quòd primum dictum non contrariatur huic: Quia primum dictum intelligitur de iustis in communi,quibus non est datum impetrare tale donum; alijs tamen datum est,quia illis donatum est tali modo orare, perseuerando vsque in finem in oratione: & hoc est speciale Dei donum,neque illud infallibili lege iustus à Deo cõsequitur; quia semper est Dei donum, ex Dei gratuita beneuolentia proueniens. ¶Verùm hæc opinio multa habet difficilia. Nam aliqui damnatorum habuerunt, vel habere potuerunt tam egregia opera,& tam perfectam orationem, sicut alij, quos dices impetrauisse hoc donum: ergo pari etiam ratione esset dicendum quòd illi impetrauerunt,quod tamen est apertè falsum: ergo.

*Medina.*

Alij recentes Theologi dicunt, quòd donum perseuerantiæ, id est potestas perseuerandi, est impetrabilis infallibiliter, & cadit sub merito congrui: Quoniam iusti habent promissionem Dei saltem respectu eorum, quæ ad salutem sunt necessaria, Ioannis. 15. Si manseritis in me, & verba mea in vobis mãserint, quodcumque volueritis petetis, & fiet vobis:Et capit.14. Quodcumque petieritis in nomine meo;hoc faciam.Marci.11. Petite & accipietis. Aduertunt tamen isti authores quòd oratio illa quæ infallibiliter impetrat necessaria auxilia ad obtinendam gratiã, vel perseuerantiã, debet esse super naturalis, vt patet ex Beato Fulgentio & Prospero, & Epigrãmate.27.& lib.de Ingratis, capite.25.&.45. Imo verò Concilium secundum Arausican.cap.3.dicit; Si quis inuocationem humanam, gratiæ Dei ait posse conferri, non autem ipsam gratiam facere vt inuocetur à nobis; contradicit Isaiæ Prophetæ, vel Apostolo idem dicenti, Inuentus sum à non quærentibus me, palam apparui his, qui me non interrogabant.

*Ioannis.15.* *Isaiæ.65.* *Rom.10.*

His nihilominus non obstantibus,pro explicatione huius difficultatis,est prima conclusio. Nemo potest mereri de congruo infallibilem perseuerãtiam. Hæc videtur esse D.Thomæ in hoc art.& idem sentit Caietan.Antoni.4.p.titulo.9.cap7.Vigerius cap.3. §.7. versu.8. qui authores sine distinctione, qua in alijs vti solent,absolute negant meritum perseuerantiæ.Et probatur: Quia sequuntur eadem inconuenientia,quæ in merito condigni, nempe quòd quis se reddat confirmatum in gratia impeccabilem, cum ex merito congrui sæpe sæpius obtineat iustus suum præmium, maxime cum spirituale est. Et pari ratione excluditur perseuerantiæ infallibilis impetratio.

*Conclus.1.* *D.Thom.* *D.Antoni.* *Vigerius.*

Secunda conclusio.Iusti impetrare possunt & de congruo mereri abundantiora auxilia ad perseuerandum, quam in generali sunt promissa omnibus iustis: Congruit enim & maximè decens est vt Deus amicos suos orantes, & egregiè petentes ad impetrationem exaudiat,& specialiter iuuet in rebus sanctis & quòd benè vtẽti vno auxilio,detur aliud,sicut male vtenti negatur.Vnde,Apocal.3.vtinam calidus esses aut frigidus, &c.Matth.25. Habenti dabitur & abundabit, eĩ autem qui non habet, & id quod videtur habere auferetur ab eo.Idcirco Dauid sic petebat à Deo,Spiritu principali confirma me, ideſt, robora me copiosis Spiritus sancti auxilijs: ergo valde rationabile est,iustos impetrare posse,& de congruo mereri abundantiora auxilia ad perseuerandum,quã sint in generali & in communi omnibus promissa.

*Conclus.2.* *Apocal.3.* *Matth.5.*

Tertia conclusio.Huiusmodi auxilia non cadunt sub merito condigni.Hæc assertio à nonnullis probatur hac ratione:Peccator non meretur de condigno destitui auxilijs necessarijs & abundantibus;alioqui semper negarentur illi.Quoniam merito condigni semper respondet præmium: ergo neque iustus meretur illa auxilia de condigno. Sed profecto, quamuis per quodcumque mortale sufficienter homo demereatur de condigno pœnam æternam, & quòd Deus eum non conuertat; tamen Deus quia benignissimus,liberalis,& misericors est,omnes vocat & inuitat ad pœnitentiam, & statuit remedia & sacramenta,quibus de lege vnusquisque saluari possit;Et præterea allicit interiùs & pulsat cor,& sua gratia præueniente atque vocatione, nullis hominum meritis existentibus excitantur ad conuersionem & iustificationem,cùm dicat per Prophetam; Conuertimini ad me,& ego conuertar ad vos.Et sua auxilia offert omnibus, quippe qui extendit manus suas ad populum non credentem & contradicentem sibi. ¶Vnde, alijs rationibus probari potest conclusio. Primò; quia nulla est lex, quòd huiusmodi auxilia cadant sub merito condigni. Secundò: Quia opera meritoria iustorum, per gloriam & visionem Dei præmiantur ad æqualitatem:ergo non debentur hęc auxilia de condigno illis.Tertiò probatur:Quia aliquando propter varias & diuersas causas,vel propter mortis inopinatum aduentum, aliquando non donantur huiusmodi auxilia: ergo non cadunt sub merito condigni, quod est meritum de iustitia, & quòd semper habet effectum.

*Conclus.3.*

Quarta conclusio. Valde probabile est,iustum posse mereri de congruo perseuerantiam in gratia, de potentia ordinaria.Nam,cùm homo in gratia constitutus,sit Dei amicus & filius Dei adoptiuus, valde congruum est quod ipso orante,& bona opera atque meritoria assiduè agente pro operibus illius ex diuina misericordia donetur perseuerantia,quam instantissimè petit.Hanc assertionem tenet Pater Vega de iustificat.q.15.& lib.12.in Trident.cap.vltimo, & colligitur plane ex D.Aug. cap.7.&.16.&.17.Vbi dicit, vtiliter hoc peti à Deo in oratione Dominica cùm dicimus,Et ne nos inducas in tentationem: Quoniam iustus potest suppliciter emereri à Deo donum perseuerantiæ:Nam Deus sæpe hoc concedit propter orationes iustorum.Et profectò,nihil deesse videtur ad meritum de congruo, si Deus concedit iustis perseuerantiam propter eorum orationes,& attendendo ad bona opera ipsorum. Quocirca, idem Augustin. gratiæ propugnator, de bono perseuerant. cap.6.&.7.ait, Quod si vt certissimum est, posci à se Deus hoc donum vult,& id iusti instanter & frequẽter petunt,& quandoque obtinent,& propter opera eorum egregia, & feruentissimas orationes, Deus eis hoc donum impartitur, Cur nõ & illud meruisse eos dicamus?Ergo cùm nihil deesse videatur ad meritum de congruo pijs operibus, & orationibus iustorum,sequitur rationabile esse asseuerare tale meritum de congruo in proposito. ¶Et confirmatur: Nam iustus potest assidua oratione impetrare huiusmodi donum perseuerantiæ, vt inquit August,Nam petitio facta à iusto cum omnibus circunstantijs,meritoria est de congruo, præsenti si orationeadiungantur multa bona opera hac intentione facta.¶Rursus, potest quis alteri mereri de congruo primam gratiam:ergo & sibi hanc perseuerantiam. Nam secundum D.Tho.æquiparantur hæc duo.¶Et sanct illud supra allatum Matth.7.Petite & accipietis, & illud Ioã.15.Si mãseritis in me,& verba mea in vobis manserint,quodcumque volueritis petetis & fiet vobis.¶Et confirmatur iterum ex D.August.sermo. De D.Laurentio, vbi inquit, Martyres ita se deuinxerũt legibꝰ Saluatoris,vt propter actã vitã mererentur ad hanc martyrij palmam peruenire. De quo etiam legendus est Euseb.lib.6. cap.3.sed martyrium morte completum includit perseuerantiam in amore Dei vsque ad vitæ exitum.¶Tandem;Antiqui Patres meruerunt de congruo incarnationem Christi, quòd maius quid est: ergo.¶Sed dices; Perseuerantia est effectus prædestinationis: ergo qui meretur illam, meretur etiam prædestinationem.Respondetur, negando Consequẽtiã.Nã etiã augmentũ gratiæ est effectus prædestinationis,de qua re alibi diximus.1.p.

*Matt.7.* *Ioan.15.* *Eusebius.*

Veruntamen,Sanct.Thom. nunquam expressè docuit,iustum de congruo mereri posse hãc perseuerã-

rātiā,quamuis fateatur iustum bonis operibus & orationibus posse impetrare à Deo huiusmodi donum. Et Batholom. Medina in comment. huius art. dicit, hominem iustum tantùm posse impetrare à Deo per orationem, id quod pertinet ad conditionem viatoris. Quod autem homo habeat voluntatem determinatam ad bonum vsum gratiæ, potiùs est conditio existentis in termino. Nam quandiù liberum arbitrium hominis non peruenit ad vltimum terminū, semper est in vtramque partem flexibile. Vnde, lex orationis non extenditur ad donum perseuantiæ, sed tantum est referendum in specialem Dei misericordiam; Et ob id in Trident. perseuerantia vocatur ingens & magnum donum. Cum ergo S. Thom. absolute neget aliquem mereri sibi perseuerantiam, & ipse optimè nouerit distinctionem meriti de congruo & de condigno; videtur quod non tantum id neget de merito condigni, sed etiam de merito congrui: Et ratio Sanctissimi Præceptoris de vtroque merito procedit: Sicut enim nō potest quis mereri sibi neque de condigno neque de congruo primam gratiam, quia prima gratia est principium omnis meriti; ita secundum eundem D. Thom. neque de condigno, neque de congruo potest sibi mereri perseuerantiam in gratia. Quoniam perseuerantia in gratia, in me etiam est principium meriti, & non habet rationem termini. ¶ Vnde, rationes quæ adducuntur contra S. Thom. si aliquid probarent, etiam ostenderent quod homo potest de congruo mereri quod nunquam peccet venialiter; quod tamen nemo concedere audebit. Patet sequela: Quia etiam videtur congruum, quòd amico det Deus id quod pertinet ad exactam amicitiam: sed non peccare venialiter est huiusmodi, quia peccata venialia adhuc sunt offensæ, quamuis leues: ergo. ¶ Quocirca, discipuli S. Thom. dicunt, satis esse ad amicitiam diuinam quod Deus concedat homini tale auxilium, quo possit perseuerare si velit, & quod sua culpa sit nō perseuerare. ¶ Dices; Iustus in gratia est Dei amicus & filius Dei: ergo congruum est quod pro operibus illius bonis det illi Deus perseuerantiam: ergo potest mereri illā de congruo. Respondetur primò per ea quæ paulò antea diximus, quod satis est ad amicitiā diuinam, quòd Deus concedat amico tale auxiliū, quo possit perseuerare si velit. Respondetur secundò cū S. Tho. hic ad. 1. bona opera & orationes impetrare posse à Deo perseuerantiam, nō autem mereri. ¶ Sed dices, Contra: Iustus potest alteri mereri perseuerantiā: ergo sibi. Patet antecedens: Quia iustus potest mereri alteri de cōgruo primā gratiā: ergo & perseuerātiā in illa. Respōdetur negādo consequentiā. Nā sicut potest quis alteri de cōgruo mereri primā gratiā, & non sibi, eo quòd prima gratia in me est principium omnis meriti, ita etiam patest homo de congruo mereri alteri perseuerantiam; non tamen sibi propter eandem rationem: Quia videlicet perseuerantia in me est principiū meriti; at verò perseuerantia in altero respectu mei meriti, magis habet rationē termini.

## ARTICVLVS X.

*Vtrùm bona temporalia cadant sub merito?*

PRima conclusio. Si cōsiderentur hæc bona prout sunt vtilia ad opera virtutum, & vt conducunt ad vitam æternam, sunt bona simpliciter, & cadunt sub merito simpliciter, sicut augmentum gratiæ.

¶ Secunda conclusio. Hæc bona temporalia secundum se considerata, non sunt bona simpliciter, sed secundum quid; & ita cadunt sub merito secundum quid, non simpliciter.

## DISPVTATIO VNICA.

*Vtrùm homo possit mereri bona temporalia de condigno, vel de congruo?*

RAtio dubitandi est. Quia D. Tho. in litera solum dicit quòd bona temporalia aliquando simpliciter cadunt sub merito, non tamen distinguit, neque dicit de quo merito loquatur, & an intelligat quòd aliquādo cadant sub merito condigni, & idcirco aliqui interpretes D. Tho. putant, priorem Conclusionem intelligendam esse de merito congrui tantum: Quia meritum condigni fundatur in ordinatione gratiæ, gratia verò per se non ordinatur ad bona temporalia: ergo. Quocirca, secundum hos authores meritū simpliciter & secundum quid in hoc art. non sunt idē q̄ meritū de cōdigno & de congruo. Nā dicūt, q̄ meritum simpliciter hic dicitur id quod habet pro termino bonum simpliciter, siue debeatur de congruo, siue de condigno, meritum autem secundum quid, est quod habet pro termino bonum secundum quid, siue debeatur ex iustitia, siue ex sola cōgruitate.

*Sentent.1.* In hac re prima sententia est, quòd in peccatore nullum est meritum de condigno boni temporalis neque æterni; est tamen meritum congrui respectu boni temporalis, quando bene agit moraliter, licet non supernaturaliter, etiam si actus eius sit malus ex circunstantia finis. Hæc tribuitur Alensi, 4.p. q. 45. memb. 1. Gabrieli lect. 59. super canon. & in. 4. d. 16. q. 2. dub. 4. Soto. q. 2. ar. 4. ad. 2. Et probant hāc sententiā: Quia cùm peccatum reddat personam Deo indignam, & dignam æterno supplicio, impedit omne meritum condigni nouum, & mortificat omnia priora. Rursus: Si iustus non meretur de condigno bona tēporalia; multo minus peccator; neq; etiam beatitudinem naturalem; quia per peccatum quod committit contra Deum, meretur q̄a priuari.

Sanct. Tho. 1. 2. q. 21. art. 3. & 4. dicit, quòd opera moraliter bona eò ipso quòd bona sunt, merentur præmium à Deo, sed non merentur vitam æternam: ergò præmium temporale.

Postrema sententia est, quòd omnia bona temporalia quæ nos ordinant ad beatitudinem, cadunt solum sub merito congrui, quamuis differenter: Nam illa quæ consequimur ex particulari Dei motione, meremur de congruo per se & propriè, quod meritum dicitur à S. Tho. meritum simpliciter; illa verò quæ consequimur solum ex auxilio generali Dei, meremur de congruo impropriè, quod meritum appellatur secundum quid. Quare, quando S. Tho. dixit, quòd bona temporalia quæ nos ordinant in vitam æternam, meremur simpliciter, non loquitur nisi solum de illis bonis, quæ consequimur ex auxilio Dei supernaturali & gratuito: Quia alia bona quæ consequimur auxilio generali, licet sint vtilia ad beatitudinem, non cadunt sub merito simpliciter, sed secundum quid.

Pro



*Conclu.1.* Pro explicatione huius difficultatis, est prima Cōclusio. Si sit sermo de bonis operibus quæ duntaxat sunt moraliter bona, & nihil habent supernaturalitatis, per hæc bona præcisè nō merentur de cōdigno homines apud Deum siue tēporale, siue æternū bonum. Hæc debet esse certa in omni opinione. Ita sentit Alens. 4. p. q. 85. mēb. 1. Sotus in. 4. d. 17. q. 2. arti. 4. ad. 2. Gabriel. q. 3. dub. 4. & super Canon lect. 59. Et probatur: Quoniam meritum condigni fundatur in acceptatione Dei, & lege diuina: hac namq; acceptatione Dei secluſa & de medio sublata, nulla potest esse iustitia nostri ad Deum; sed Deus nullum opus acceptat tāquā dignū præmio, nisi priùs acceptauerit sua gratia personam operantem, iuxta illud, Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius. Hinc colligitur & sequitur, grauiter errare eos, qui vt refert Sotus loco allegato, aiebant, impios post mortem anteqüam detrudantur in infernum, detineri in aliquo amæno loco, vbi accipiunt remunerationem pro bonis operibus in vita gestis.

*Conclu.2.* Secunda Conclusio. Opera bona moraliter merētur apud Deum aliquòd præmium tēporale de congruo. Itaq; etiā peccator potest aliquo modo mereri hæc bona temporalia secundū se considerata. Prima pars huius assertionis, quòd opera moraliter bona merentur de congruo apud Deū aliquod tēporale præmiū, est. S. Thomę. 1. 2. q. 21. art. 3. ad. 4. & habetur ex communi Theologorū proloquio, Nullū bonum irremuneratū, & nullū malū impunitum apud Deū. Quod habetur ex Glossa interlineali super illud Iob. 31. Nonne ipse considerat vias meas? Et cōmuniter recipitur ab omnibus. Et fauent verba Hierony. Aggei. 1. qui (vt refertur de pœnitentia. d. 3. ca. Si quando), ita inquit; Non est tàm iniustus Deus, vt propter multa mala obliuiscatur paucorū bonorū. *D. Hieron.* Et D. Greg. homil. 40. de Diuite epulone, & refertur ibidem, capit. Cauendū, tenet eandē doctrinam & assertionē. Vnde inquit Gregor. diuitem illum accepisse bona in vita sua in remunerationem bonorū operum, quæ gesserat. Idē docet D. Augustl. 5. de Ciuitate, cap. 12. & deinceps, vbi affirmat, Romanos accepisse à Deo imperium orbis in præmium bonæ gubernationis Reipublicæ. Hac ratione colligūt recentiores, intelligendā esse promissionē, qua Deus promisit terram Promissionis filijs Israel; si benè se gererent; & similiter filijs obedientibus parentibus. (Omitto modò meritū obedientię si ex gratia procedat, & loquor de sola bonitate morali) promissa est prosperitas temporalis, & longæua vita, quæ quidem merentur de congruo, vt docet. S. Thom. 2. 2. q. 122. art. 5. ad. 4. Verum est tamen, quòd ista remuneratio nō est coarctata ad bona externa & diuitias, sed aliquando præmiat Deus opera bona moraliter alijs modis, vt explicant Doctores Theologi. 1. 2. q. 21. artic. 4. ¶ Verùm vt res hæc apertius intelligatur, obserua, quòd duplicitèr potest Deus mouere hominē ad consequendū bonū temporale, vno modo motione gratiæ & auxilio supernaturali & gratuito; & quando hoc modo mouet Deus hominem, meretur bona temporalia quatenus ordinant hominē in vitā æternam, vt infrà declarabitur; Alio modo motione quadam speciali absq; gratia & auxilio supernaturali, vt quando mouet aliquem peccatorē ad cōsequē dum aliquod bonum tēporale, sicut. S. Tho. dicit in argumentis. Appellatur tamen hæc motio specialis, non quia sit supra hominis naturā, sed quia ex proposito ordinatur homo à Deo vt per talia opera cōsequatur talia bona temporalia, quamuis talis consequutio non excedat hominis naturam; & quando mouetur homo à Deo hoc modo ad consequendum bonum tēporale; tunc meretur homo bona tēporalia secundū se, ideſt quatenus conducunt ad statum præsentis vitæ. In qua re aduerte, quòd quia nostra opera apud Deum secundū se non habent valorem vt habeant rationem meriti apud illū; idcirco oportet quòd ab illo sint ordinata ad consequutionē alicuius præmij. Vnde hac ratione dicimus q̄ si homo per sua opera moralia meretur apud Deū bona tēporalia etiā secundum se, oportet, q̄ illud sit ex diuina ordinatione, qua ordinetur homo à Deo per talia opera ad consequutionē taliū bonorum tēporaliū.

Quòd verò secunda conclusionis pars sit valde rationabilis, nempe quòd peccator per opera bona moraliter, possit mereri aliquo modo aut de cōgruo hæc bona temporalia secundū se considerata, id quidem insinuat. S. Tho. in præsenti articulo, & in. 2. d. 27. arti. 4. Quā sententiam libentèr amplectitur Alens. vbi suprà, & 4. p. q. 85. memb. 1. & 3. Gabr. loco citato. q. 2. Adrian. quodlib. 8. q. 2. Capreol. in. 2. d. 28. q. vnica ad. 8. contra. 2. conclus. Ioan. à Medina, in Codice de satisfactione. q. 2. Syluest. in Rosa aurea tracta. 3. in quæstionib. Ricard. in. 4. d. 15. & Adrian. iterum. q. 4. de satisfact. Hoc etiam docet Prosper lib. 2. de Vita contemplat. cap. 13. D. Hieronym. in Ezech. cap. 29. D. Grego. homil. 40. de Diuite epulone, & locis suprà citatis. Idem D. August. 4. de Ciuitat. capit. 12. qui dicit, Romanos accepisse à Deo imperiū orbis quasi in præmium plurium actionum vitæ moralis. Idē docet D. Tho. de regimine principū, cap. 4. 5. & 6. Nauar. præludio. 7. dicit, opera bona peccatoris mereri de congruo bonum aliquod speciale vel tēporale, ex Glossa, capit. Quod quidam, de Pœnit. & remiss. & capit. Quæras. §. Quòd autem, de Pœnit. d. 3. Quod verò aliquādo dicitur in decretis nihil pro deſſe, exponit. Nauarrus ad gloriam. Vnde, Sylvest. feria. 4. ante Dominicam in Passione aduertit, quòd non semper hoc meritum consequitur effectum in hac vita, vel quia aliquando non conuenit prosperitas illa temporalis, vel quia homo præuentus moritur, vel propter alias causas.

*D. Prosper. D. Hieron. D. Gregor. D. August. D. Thomas.*

D. Chrysost. in Imperfecto super Matth. cap. 23. citat D. Petrum sic loquētem apud D. Clementem, Si infidelis fuerit, propter opus bonum reddet ei Deus bona in hoc sæculo. Et homil. 17. & 18. ad Popul. Antiochen. expendit illud Lucæ. 16. Recepisti bona in vita tua. Matth. 6. Amen dico vobis receperunt mercedem suam. Et huic consonat illud citatum D. Augustl. cū dicit Romanos propter aliquas imperfectas virtutes meruisse, scilicet de congruo, imperium orbis. Et in hoc sensu diximus, filios aliàs iniquos, sed parentibus obedientes, meruisse aliquādo longæuā vitā. ¶ Fundamentū huius sententiæ & doctrinæ est: Quia suppositā Dei misericordia & congruentia, quā habet; bonū opus morale in ordine ad præmiū temporale, videtur congruum ex diuina misericordia tribui pro illo tēporale bonū. Cæterū cū absolutè persona peccatoris sit indigna, meritum omnino est imperfectum, ita vt neque de congruo sit perfectum

*D. Chrysost.*

ctũ meritũ,aut omnino propriũ. Ita aduertit Sotus in. 4. d.15.q.2.art.4.ad.3. & etiam ad.2. qui consulendus est in plerisque circa hanc controuersiam.

*Conclus.3.* Tertia Conclusio. Bona temporalia per se considerata, non cadunt sub merito de condigno, sed tantum de congruo. Hæc est communis apud Theologos in.2. distinct.27. &.28. & Diuum Thom. 2. 2. quæstion. 122. articu. 5. ad. 4. Et prima pars probatur: Quia bona temporalia per se considerata, non sunt simpliciter & absoluta bona homini, & aliquando plus habent mali quam boni, animaduersa cõditione alicuius, ipsiusq; vita. Itẽ probatur: Quia omne meritũ de condigno refertur per se ad beatitudinẽ: ergo hęc bona non cadunt sub merito cõdigni, nisi prout referuntur in beatitudinem; neq; rursus est aliqua lex, neq; ordinatio, vel pactum Dei circa hoc. Tertiò probatur: Quoniam sæpè cernimus eos qui magis abundant meritis, magis carere ijs bonis temporalibus, pessimos verò esse affluentes, iuxta illud Prophetæ; Quare via impiorum prosperatur, benè est ijs qui operantur malum &c. ergò. ¶ Secunda conclusionis pars, nempe quòd illa bona mereãtur de congruo, satis ostensa est in antecedentibus; Et quòd possint cadere sub merito congrui, apertè constat; Quia licèt bona temporalia sint infima bona; nihilominus tamen sunt vera bona: ergo &c.

*Conclu.4.* Quarta Conclusio. Bona temporalia, si considerẽtur quatenus sunt vtilia ad opera virtutum, quibus perducimur & ordinamur ad vitam æternã, vel quatenus conducentia sunt ad gloriam consequẽdam, & vt instrumenta sunt bonorum operum ex diuina ordinatione, sic possunt cadere sub merito decondigno. Hanc tenet D. Tho. & omnes eius discipuli. Sic Canus, Sotus, Barthol. Medina hic, qui affirmat, ex hoc articulo euidenter colligi bona temporalia posse cadere sub merito de condigno, quia Sãctissimus Præceptor affirmat, quòd aliquando cadũt sub merito, sicut augmẽtum charitatis, augmentum autem charitatis cadit sub merito condigni. Rursùs ostendit sententiam esse D. Thom. quòd possint cadere sub merito condigni temporalia bona: Quia aliàs non distingueret Sanct. Thom. inter hæc temporalia quatenus conducunt ad vitam æternam consequendam, & quatenus secundum se considerantur, si vtroq; modo tantum caderent sub merito de congruo. Ob id ergò sentiendum est, quòd bona hæc temporalia, quæ ex speciali Dei auxilio & prouidẽtia iustis conceduntur vt instrumẽta virtutum, & quatenus conducunt ad vitam æternam consequendam, sic cadunt sub merito condigni, & recensentur inter effectus prædestinationis.

*Psalm.73.* ¶ Probatur hoc ex illo Psalm. 73. Inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono, &

*Psalm.36.* Psalm. 36. Non vidi iustum derelictum, nec semen

*2. Timo.4.* eius quærens panem. 2. ad Timothe. 4. Promissionem habens huius vitæ præsentis, paritèr & futuræ. Et fauet illud Matthæi. 19. Centuplum accipietis & vitam æternam possidebitis, quod multi interpretantur quoad illa verba Centuplum accipietis, de bonis huius vitę. ¶ Potissimè autẽ vera est nostra assertio de illis bonis, quæ conferuntur iustis à Deo auxilio speciali & gratuito, vt instrumenta conducentia ad vitam æternam, vt sunt multa bona, quæ hominibus iustis eueniunt suprà hominum

*Matth. 19.*

prudentiam. Et probatur etiam: Quoniam meritum condigni est ex speciali auxilio & gratuita motione Spiritus Sancti: sed aliquando Spiritus Sanctus mouet supernaturalitèr hominem ad bona temporalia habenda, vt scilicet conferat liberales elecmosynas deinceps, vt templa sacra ædificet, pauperes & ægrotos foueat &c. ergò. Vbi aduerte, quòd quando cadunt sub merito condigni huiusmodi bona in casibus expressis in hac conclusione. 4. intelligitur de homine existente in gratia: Quoniam radix & principium meriti de condigno, est gratia, & supernaturale auxilium. Vnde, nonnulli discipuli D. Thom. colligunt, quòd quando non mouetur homo specialitèr ad consequenda ista bona sub rationibus diuinis suprà tactis, sed duntaxat generali & naturali auxilio & communi; non cadunt sub merito condigni. ¶ Aliqui Theologi recentiores dicunt, quòd bona temporalia, quatenus necessaria sunt ad gloriam consequendam, possunt cadere sub merito de condigno. Quod si interroges ab illis, qualis debeat esse hæc necessitas; Respondent nonnulli, debere esse necessitatem simpliciter. Sed profecto hoc est dicere, nunquam ferè hæc bona cadere sub merito de condigno. Nam si quis est in gratia, vt esse debet ad hoc meritum, non semper erunt illi simpliciter necessaria hæc bona ad beatitudinem. Satis ergo erit secundum Diuum Thom. moralis necessitas, seu certe vtilitas: Nam cùm hæc bona ad hunc finem ex Dei prouidentia, homini conferantur, optimus prouidentiæ modus postulat & exigit, vt opportuno tempore dentur. ¶ Sed dices: *Obiectio.* Ergò omnia quæ sunt vtilia ad beatitudinem, possunt cadere sub merito de condigno: ergo & perseuerantiæ donum. Respondetur, non omnia cadere sub tali merito, sed ea quæ sunt media ex lege ordinaria, non illa quæ habent specialissima & extra ordinaria priuilegia, neque illa quæ habent rationem termini aut primi principij. *Solutio.*

Ad rationem dubitandi in exordio dubij positam, solutio patet ex dictis.

## DVBIVM APPENDIX,

### *Vtrùm opera maculata ex aliqua circunstantia, mereantur de congruo bona temporalia?*

HOdie reperio nouos Theologos ætatis huius, qui dicunt, non solum per opera moralitèr bona homines mereri de congruo bona temporalia, verùm etiam mereri eadẽ bona per opera mala aliquando, non quatenus mala sunt, sed quatenus aliquid boni, ex diuina motione factũ illis admiscetur. Vnde putãt, q̃ bona opera moralia, licèt maculentur circũstantia mali finis, merentur de cõgruo bona temporalia. Hoc insinuat. S. Thomas hic in fine corporis, & ad. 2. & id tenet Adrian. quodlib. 8. q. 1. cõc. 1. Ant. 4. p. tit. 9. cap. 7. §. 4. Et probatur. Quoniã obstetrices Ægypti, mentiẽtes, vt saluarentur infantes Hebręi, pręmiũ tulerũt à Deo pro illo facto; & tamen mentientes peccauerunt saltem venialitèr. Quòd autem præmium tulerint pro illo facto, *D.Greg.* docet Greg. 18. Moral. capi. 2. & habetur. 22. quæst. 2. *Exod.1.* capi. si quilibet: Ædificauit enim illis Deus domos,

illa



*Exod. 1.* illa de causa, Exo. 1. Similiter Nabuchodonosor pro bello, quod instigatione Dei gesserat cõtra Tyrum, peccauit ex sinistra intentione quam habuit; & tamen sibi data est merces à Deo, & præmium pro illo

*Ezech.29.* bello, Ezech. 29. Et est simile de carnifice, qui ex imperio iudicis hominẽ interficit nequam: Licèt enim contingat eum peccare eo facto propter sinistram intentionem odij, vel inimicitiarum, quam admiscet, meretur tamen à iudice suum stipendium: Sic euenit in Nabuchodonosor: erat enim velut minister deputatus à Deo ad puniendam Tyrum. Similiter Romani, licèt opera multa inficerent inani gloria; præmium tamen temporale acceperunt: In illa enim ferè totius orbis gubernatione, peccabant ex inani gloria; & nihilominus acceperunt præmiũ pro illa. Quòd præmium tulerint obstetrices, & pariter etiam Romani pro his operibus, testis est non solũ

*D. August.* Gregorius, sed etiam Augst. qu. in Exod. & lib. contra mendacium, cap. 15. &. 5. de ciuitate, cap. 12. vsq; ad. 16. vbi specialiter de Romanis sermonẽ instituit.

Oppositam sententiam alij amplectuntur, inter quos est Gerson, lect. 4. de vita spirituali, Nauar. cap. Quando, notab. 6. num. 66. Negant enim quòd per hæc opera aliàs peccaminosa, propriè mereantur de congruo bona illa tẽporalia, nisi in hoc sensu, quòd Deo magis congruit dare bona temporalia istis, quã alijs, quia minus peccant; cùm sola intentio sit mala, & opera sint aliàs moraliter bona, nisi macularentur ex vana gloria, vel ex circunstantia mali finis.

¶ Ad illud verò quod ex obstetricibus adducitur, aliqui respondent, quòd non pro mendacio, sed pro liberatione infantium Hebræorum, & pro bona intentione acceperunt præmium, vt Caietan. docet Exod. 1. Similiter etiam Nabuchodonosor pro bello iusto, & Romani pro bonis operibus multis, quæ inani gloria non inficiebantur, præmium temporale acceperunt. Vel meritum eorum erat, quòd minus quã alij imperium demerebantur. Quocirca, D. August. 5. de Ciuit. cap. 19. ad demerita & mala opera aliorũ, etiam refert prosperitatem Romanorum.

*Conclusio.* Pro explicatione huius rei inter tot & tam varia dicta, constituo hanc assertionem. Nec peccator nec iustus meretur aliquod bonum præmium per peccatum, à Deo. Probatur: Quoniam meritum fundatur semper in honestate operis: opus enim malum, non habet proportionem, nisi cum pœna. Sed dicunt authores suprà citati, inter quos est etiam Bartholom. Medina, quòd per peccatum, quatenus illi admiscetur bona circunstantia, meretur homo bona temporalia: Ait enim Medina, peccatores mereri ex Deo præmium temporale, per opera quæ efficiũt, ex Dei motione & ordinatione, licèt habeant peruersam intentionem. Pro qua sententia citat August. & Greg. locis à me allatis, & D. Thom. in præsenti, & illud Ezech. 29. Erit merces exercitui illius, scilicet Regis Babylonis, quia oppugnauerunt Tyrum secundum voluntatem Dei, licèt ipse praua intentione feciſſet. Et in eodem sensu D. Gregor. & D. August. vbi suprà; & lib. contra Mendacium dixère, obstetrices Ægyptiacas terrenam meruisse remunerationem ob pietatem, qua mentitæ sunt; & Raab, Iosuę. 2. præmiũ recepisse propter mendaciũ, quo saluauit exploratores. ¶ Respondetur tamen, non per peccatum, neque per actum peccati meruisse mercedem, sed per actum distinctum moraliter bonum id meruisse: nõ enim semper aut malè operabantur, aut apponebant expressè circunstantiam illam mali finis. Quare, Obstetrices ob pietatem, & quia timuerunt Deum, ædificauit illis domos: Et Raab, propter benignitatem erga exploratores, Romani, propter continentiam, & bonarum legum obseruantiam. Neque aliud intẽdunt Sancti supra allati: non enim est credibile, per actum quo quis meretur priuari omni bono temporali & æterno, & quo quis demeretur & peccat, quòd per illud mereatur à Deo propriè aliquod bonum etiam de congruo. Quoniam per talem actum malum & peccaminosum potiùs mouetur ad iram & vindictam, quam ad misericordiam & liberalitatem. ¶ Alia quoque se insinuabat dubitatio hoc loco, Vtrùm quis posset mereri de congruo bona temporalia, quæ postea vergant in perniciem ipsius? Sed non opus est vt minutulas & paruas quæstiones nunc differamus. Certum namque est, quòd si quis mereretur temporalia bona, quæ conducunt ad statum huius vitæ, quòd postquam possidentur ab homine, cùm possessor illarum adhuc maneat liber, & possit benè & malè illis vti, quòd in eo casu posset sic malè vti illis pro sua libertate, vt de facto cederent in perniciem ipsius. ¶ An verò opera bona ex circunstantia mali finis, priuentur merito in homine iusto, copiosè valde à nobis est explicatum in superioribus; & ob id silentium & finem huius materiæ tempus est vt accipiamus. Faxit Deus, vt quæ diximus vtilia sint Ecclesiæ eius. ¶ Volo tamen quęcumque dixi in vniuerso hoc opere, humiliter subiecta esse censuræ Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ. Et quoniam incredibilem laborem pertuli in euoluendis obscurissimis & difficillimis interpretationibus & Sanctorum Patrum, atque Theologorum codicibus, & latebrosis disceptationibus: hæc omnia non nisi in gloriam Christi refero; quem & amare, & præmium omnium laborum meorum ardenter exposco: Cui sit laus, honor, & gloria in sempiterna sæcula.

Amen.

*F I N I S.*

Omnia subijcio correctioni Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ.



*SALMANTICAE,*

Excudebat Ioannes Ferdinandus.

Anno M. D. XCIII.

*IMposuit finem huic secundo tomo Commentariorum super Primam Secundæ S. Thomæ, Reuerẽdus, & Sapientißimus Pater F. Franciscus Cumel Palentinus à Pintia, apud Salmanticenses Doctor Theologus, & in eadem Salmanticensi Schola publicus professor: Instituti Beatæ Mariæ de Mercede de Obseruantia Ordinis Redemptorum: Quondam Prouincialis eiusdem ordinis in Prouincia Castellæ, Vandaliæ, & Lusitaniæ: & Vicarius Generalis totius Ordinis.*

# INDEX QVAESTIONVM
## QVÆ IN HOC SECVNDO TOMO PRÆCIPVE DISSERVNTVR.


### *Quæst. CIX. De exteriori principio humanorum actuum.*

*Disputationes Artic. I.*

Dubium primum. Vtrùm sine gratia posit homo cognoscere veritates omnes speculatiuas. pa.3.b
2. Vtrùm homo sine gratia posit cognoscere veritates omnes naturales practicas & morales, pag. 6. a
Prima disputatio. Vtrùm potẽtia naturalis sine gratia Dei, posit tẽdere in obiectum supernaturale, pag.8. b
2. Vtrùm sine gratia Dei posit intellectus cognoscere aliquid supernaturale, & assentire rebus fidei. pag.18. a

*Disputationes Artic. II.*

Prima disputatio: Quid intelligat S.Thom.per hominem in natura integra, & in natura corrupta. pag. 30. a
2. Vtrùm status consonus naturæ rationali ex vigore rationis posit creari distinctus ab statu iustitiæ & ab statu in puris naturalibus. pag.35.b
3. Vtrùm quantum ad sufficientiam operãdi sit par ratio de homine in puris naturalibus,& in natura lapsa. pag.39.b
4. Vtrùm homo in puris naturalibus cõstitutus posset esse beatus,vel necessario deberet esse infelix & miser. pag.41. b
5. Vtrùm homo in statu naturæ integræ sine vllo alio auxilio speciali Dei posset agere omne bonũ honestum virtutis moralis. pag.46. a
6. Vtrùm speciale auxilium Dei requiratur, vt homo in natura lapsa posit absolute bonum morale efficere. pag.49. a

*Disputationes Artic. III.*

Prima disputatio. Vtrùm in puris naturalibus constitutus homo posset diligere Deum finem naturalem super omnia suis viribus. pag.60.a
2. Vtrùm homo in natura lapsa ex suis viribus possit diligere efficaciter Deum finem naturalem. pag.71.b
3. Vtrùm homo sine gratia viribus naturæ posit diligere Deum super omnia,finem supernaturalẽ per fidem ostensum. pag.82.b

*Disputationes Artic. IIII.*

Prima disputatio. Vtrùm homo in natura integra potuerit implere præcepta omnia quoad substantiam per sua naturalia. pag.94.a
2. Vtrùm in natura lapsa posit homo peccata omnia vitare,& omnia præcepta naturalia seruare ex solis naturæ viribus. pag.97.a
3. Vtrùm homo sine gratia ex suis viribus posit implere præcepta supernaturalia. pag.115.b

*Disputationes Artic. VI.*

Disputatio vnica. Vtrùm proprijs viribus posit quis se disponere ad gratiam. pag.126.a

*Disputationes Artic. VII.*

Dubium primum. Quid sit peccatum à quo homo dicitur peccator transacto actu peccati. pa.142.b
2. Vtrùm homo posit propriis viribus sibi restituere ordinationem naturalem quam peccando amisit. pag.146.b
3. Vtrùm supposito auxilio gratiæ,posit homo promereri remissionem culpæ quoad maculam & reatum pœnæ æternæ. pag.148.a

*Disputationes Artic. VIII.*

Dubium primum. Vtrùm homo in natura integra, etiam sine gratia, potuerit cauere omnino peccatum. pag.149.b
2. Vtrùm ex eo specialiter quòd quis sit in peccato habeat impossibilitatem ad vitanda alia peccata. pag.151.b
3. Vtrùm Deus alicui de facto deneget auxilium,ex cuius defectu excusetur à peccato. pag.159.b
4. Vtrùm Deus posit denegare auxilium ad nõ peccandum in peccato determinatè. pag.162.a
5. Vtrùm posit denegare Deus auxilum ad nõ peccandum in communi. pag.171.a

*Disputationes Artic. IX.*

Prima. Vtrùm homo in gratia constitutus posit vitare omnia venialia. pag.180.b
2. Vtrùm fuerint aliqui de facto qui ex speciali priuilegio caruerint venialibus per totam vitam. pag.185.b
3. Vtrùm impossibilitas vitandi omnia venialia sit physica,an tantum moralis. pag.188.b

*Disputationes Artic. X.*

Prima. Vtrùm homo in gratia constitutus posit in ea lõgo tempore perseuerare sine alio speciali auxilio. pag.193.b
2. Vtrùm homo iustus, vsque ad mortem posit perseuerare sine nouo alio auxilio gratiæ speciali in ea gratia iustificãte,quã semel accepit. pag.199.b

### *Quæst. CX. De gratia Dei quãtum ad eius essentiam.*

*Disputationes Artic. IIII.*

Prima. Vtrùm gratia à charitate & virtutibus distinguatur. pag.214.a
2. Vtrùm gratia sit immediate in essentia animæ vel in eius potentijs. pag.219.a
3. Vtrùm huic qualitati (quæ est gratia) conueniat intrinsecè,vt formalis actus ipsius, facere hominẽ gratum & Deo acceptum,vel an posit de potentia absoluta quis esse gratus sine qualitate gratiæ. pag.222.a
4. Vtrùm qualitas supernaturalis quę est gratia,posit manere in peccatore de potentia absoluta Dei. pag.235.b
5. Vtrùm gratia sit ordinis supernaturalis, & vtrũ posit produci substãtia eiusdem ordinis supernaturalis cum gratia & lumine gloriæ. pag.241.a

# Quæstio. CXI. De diuisione gratiæ.

## Disputationes Artic. II.

Prima. Quomodo intelligatur diuisio gratiæ in operantem & cooperantem. pag. 257.a
2. Quid sit gratia excitans, & adiuuans. p.266.a
3. Vtrùm actus gratiæ operantis sint actus nostræ voluntatis. p.270.b

## Disputationes Artic. III.

Prima. Vtrùm rectè diuidatur gratia, seu auxilium Dei in præuenientem & subsequentem, & in plura alia membra. p.273.b
2. Vtrùm efficax auxilium prædeterminare possit omnino actum liberum. p.286.b
3. Vtrùm ad omnes omnino actus supernaturales semper requiratur auxilium efficax antecedens, seu prædeterminans, quod sit præmouens, pagina. 292.b
4. Vtrùm ad actus liberos naturales & morales sit necessarium efficax auxilium præuium, pagina. 312.a
5. Num requiratur auxilium prædeterminás ex parte solius prouidentiæ extrinsecè Dei, pag. 313.b

# Quæstio. CXII. De causa gratiæ.

## Disputationes Artic. I.

1. Vtrùm Deus sit principalis causa gratiæ: & quo pacto id sit verum. p.330.b
2. Vtrùm Christus in quantum homo sit causa principalis nostræ iustificationis & gratiæ, & an sit causa efficiés quasi physica, vel potius solum moralis. pag. 339.a
3. De modo causandi instrumentorum & humanitatis Christi, vbi explicantur melius quæ dicta sunt prius. p.352.a
4. Vtrùm fieri possit creatura, quæ possit esse causa principalis gratiæ. p.376.b
5. De formali ratione productionis gratiæ: Vtrùm fiat per creationem à Deo, vel educatur de potentia obedientiali animæ. p.382.a

## Disputationes Artic. II.

Prima. Vtrùm requiratur causa dispositiua ad gratiam. p.409.a
2. Vtrùm supposito auxilio gratiæ præuenientis, vel operantis, quod dicitur auxilium sufficiens, possit homo solis naturæ viribus, sine vlteriori auxilio, se disponere ad gratiam per consensum liberi arbitrij. p.415.a
3. Quæ dispositio requiratur ad infusionem gratiæ. pibidem.
4. Vtrùm cum æquali auxilio præueniente, aliquando æquetur vltima dispositio ad gratiam, conuersionem, & iustificationem, aliquando verò non. pag. 417.a
5. Vtrùm de potentia absoluta requiratur dispositio ad gratiam. p.421.b
6. Vtrùm auxilium sufficiens ita conferatur omnibus à Deo, vt neminem excipiat à collatione eius. pag 424.a
7. Vtrùm vt seruetur libertas arbitrij cum efficacia diuini auxilij, sit necessariò dicendum hominem adiutum solo sufficienti Dei auxilio, se ipsum determinare ad eos actus, quibus vltimò disponitur ad gratiam antequam recipiat in se ipso ad hanc determinationem efficax auxilium. p.424.a

## Disputationes Artic. III.

Prima. Vtrùm disponenti se ex naturalibus, detur gratia infallibiliter. p.437.a
2. Vtrùm ad dispositionem secundum quòd est à Deo mouente, sequatur infallibiliter gratia, & an contritio possit elici ex solis naturalibus, pagina. 444.a
3. Vtrùm dispositio ad gratiam præcedat necessariò ex gratia & charitate, vel ex solo auxilio Dei, pagina. 457.a
4. Vtrùm homo possit se disponere ad excitantem gratiam. p.459.a
5. Vtrùm Deus conferat gratiam excitantem sufficienter omnibus. p.460.b
6. Vtrùm vltimæ dispositiones ad gratiam, sint causa eius, & in quo genere causæ præcedant: & an contritio sit effectus gratiæ, vel procedat ex auxilio speciali solum. p.475.a

## Disputationes Artic. IIII.

Prima. Vtrùm sit de fide quòd vnus habeat maiorẽ gratiam, quam alter. p.475.b
2. Vtrùm gratia semper possit esse maior. p.478.b

## Disputationes Artic. V.

Prima. Vtrùm homo possit scire se habere gratiam. pag. 491.a
2. Vtrùm possit aliquis esse omninò certus quòd habet fidem supernaturalem. p.508.b
3. Vtrùm cum aliqui reuelatur se habere gratiam, vel fidem supernaturalem, teneatur assentiri & assentiatur per fidem Catholicam. p.515.b

# Quæst. CXIII. De effectibus gratiæ seu potius de iustificatione impij.

## Disputationes Artic. I.

Prima. De discursu articuli, quid sit iustificatio, pagina. 520.a
2. Vtrùm iustificatio impij sit mutatio realiter distincta à remissione peccatorum. p.522.a
3. Vtrùm remissio peccati sit vera destructio ipsius, an sola rectio. p.524.b

## Disputationes Artic. II.

Prima. Vtrùm interior renouatio animæ fiat per aliquam iustitiam internam, vel per solam imputationem iustitiæ Christi. p.527.a
2. Vtrùm de potentia Dei absoluta possit remitti peccatum absq; infusione gratiæ. p.529.b
3. Vtrùm gratia & peccatum opponantur. p.549.a
4. Vtrùm gratia & charitas destruantur formaliter, vel effectiuè per actum peccati, vel solùm moraliter. p.553.a

Dispu-



## Disputationes Artic. III.

Prima. Vtrùm motus liberi arbitrij, sit simpliciter requisitus ad iustificationem. p.563.a
2. Vtrùm de potẽtia absoluta possit iustificari adultus sine vllo motu liberi arbitrij, seu actu & consensione. p.571.a
3. Vtrùm dispositio ad gratiam debeat esse motus plenè liber. p.572.a

## Disputationes Artic. IIII.

Prima. Vtrùm actus fidei requiratur per se ad iustificationem, vel solum ratione actus charitatis aut pœnitentiæ. p.575.a
2. Vtrùm hæc fides, quæ requiritur ad iustificationem, sit supernaturalis. p.577.a

## Disputationes Artic. V.

Prima. Vtrùm præter motum fidei, requiratur motus spei, & pœnitentiæ in iustificatione impij, pagina. 597.a
2. Vtrùm pœnitens per actum contritionis satisfaciat ex iustitia imperfecta pro culpa mortali & pro remissione peccatorum. p.620.b

## Disputationes Artic. VI.

Primum dubium. Vtrùm remissio peccati & infusio gratiæ sint duæ mutationes saltem formaliter distinctæ. p.640.a
2. Vtrùm iustificatio sumat speciem à remissione peccatorum. p.642.a

## Disputationes Artic. VII.

Prima disputatio. De discursu articuli, & de dispositione instantanea ad iustificationem. p.646.b

## Disputationes Artic. VIII.

Prima disputatio. Vtrùm dispositiones vltimæ ad quas infallibiliter sequitur gratia, procedant à gratia, vel sint causa gratiæ, & in quo genere, pagina. 642.b
Primum dubium. Vtrùm præter infusionem gratiæ sit aliud auxilium speciale, quo nos Deus mouet & præparat. p.676.b
2. Vtrùm actus charitatis sit prius natura, quã actus pœnitentiæ, qui est contritio. p.677.a

## Disputationes Artic. IX.

Primum dubium. Vtrùm absolutè loquendo iustificatio sit opus miraculosum. p.679.b
2. Vtrùm in anima sit potentia passiua naturalis ad suscipiendam gratiam. p.681.b

# Quæstio. CXIIII. De merito, quod est effectus gratiæ cooperantis. pag. 683.a

## Disputationes Artic. I.

Prima disputatio: Quid sit meritum secundum essentiam, & an libertas sit necessaria ad meritum. pag. 685.a
Prima difficultas. Vtrùm opera nostra habeant rationem meriti præuia acceptatione diuina. p.688.b
2. difficultas: Vtrùm ad rationem meriti pertineat constituere Deum debitorem. p.695.a
3. disputatio. Vtrũ opera hominis possint esse apud Deum meritoria verè & propriè alicuius præmij quodcumque sit illud. p.701.b
3. Vtrùm meritum pertineat ad iustitiam commutatiuam vel distributiuam. p.704.b
4. Vtrùm saltem actus meritorius & satisfactorius Christi pertineat propriè ad iustitiam commutatiuam. p.709.b
5. Vtrùm opus bonum ex obiecto, malum verò ex aliqua circunstãtia, possit esse meritoriũ. p.716.a

## Disputationes Artic. II.

Prima disputatio. Vtrùm de potentia absoluta, possit aliquis mereri vitam æternam sine gratia, pagina. 719.a
2. Vtrùm saltem Christus potuerit mereri sine gratia creata, aut habituali de lege. p.721.a
3. Vtrùm cæteris paribus, qui maiorem habet gratiam, plus mereatur eodem actu. p.728.b
4. Vtrùm meritum crescat ex intensione & ex alijs circunstantijs. p.731.b
5. Vtrùm ex præstantia obiecti, meritum & valor eius crescat. p.735.a
6. Vtrùm ex infinitate suppositi merentis crescat valor operis & meriti in infinitum. p.740.b
7. Vtrùm valor in actionibus meritorijs Christi inuentus sit inesse valoris simpliciter infinitus, pagina. 750.b
Primum dubium. Vtrùm opus quantum minus debitum, sit magis meritorium. p.756.a
2. Vtrùm homo sine gratia possit mereri beatitudinem naturalem. p.757.a

## Disputationes Artic. III.

Prima. Contra hæreticos: Vtrùm opera prout à gratia procedentia habeãt rationem meriti. p.758.a
2. Vtrùm homo possit mereri gloriam de cõdigno, & an Christi meritum sit solum de rigore iustitiæ. p.760.b
3. Vtrùm iustus per opera præcedentia ex gratia, mereatur de cõdigno totum illud, ad quod Deus merita illa ordinauerit. p.770.b
4. Vtrùm opera iustorum facta ex gratia & charitate, sint meritoria ex propria & intrinseca bonitate vel ex sola extrinseca acceptatione. p.775.a
5. Vtrùm iustus per solam cessationem à peccatis possit mereri gloriam. p.778.b
6. Vtrùm Deus de iustitia teneatur reddere præmium. p.780.a
7. Vtrùm tota gloria, etiam prima, cadat sub merito. p.782.b
8. Vtrùm meritum iustorum vt innititur meritis Christi sit non tantum de condigno, seu etiam de rigore iustitiæ. ibidem.

## Disputationes Artic. IIII.

Prima. Vtrùm ad meritum sit necessaria actualis relatio in Deum. p.790.a
2. Vtrùm illa relatio in Deum sit necessaria non solum in infusis virtutibus, sed etiã in acquisitis, & vtrùm gratia sit principium meriti, per alias virtutes acquisitas. p.800.a
Dubitatio appendix. Vtrùm ex informatione & imperio charitatis resultet quid intrinsecum realiter existens in alijs virtutibus imperatis quatenus à charitate imperãtur & informãtur. p.806.b

## Disputationes Artic. V.

Prima. Vtrùm homo mereatur de condigno sibi primam gratiam. p.808.b

2. Vtrùm homo mereatur de condigno remissionẽ culpæ & pœnæ æternæ. p.812.b
3. Vtrùm homo mereatur de congruo primam gratiam, & remissionem culpæ. p.818.a
4. Vtrùm possit homo de potentia absoluta Dei mereri primam gratiam & remissionem culpæ, pagina.825.b
5. Vtrùm vltima dispositio ad gratiam sit meritoria primæ gloriæ. p.828.b

*Disputationes Artic. VI.*

Dubium primum. Vtrùm prima conclusio sit vera? & ratio D. Thom. quæ pro ea militat in articulo? & an de condigno, vel de congruo quis possit alteri mereri primam gratiam. p.839.b
2. Vtrùm Christus meruerit nobis gratiam de condigno. p.842.a
3. Vtrùm iusti post hanc vitam mereantur nobis gratiam de congruo. p.844.a
4. Vtrùm meritum congrui habeat effectum infallibilem vt alteri conferatur gratia. p.845.a

*Disputationes Artic. VII.*

Dubium primum. Vtrùm iustus possit sibi mereri de condigno reparationem post lapsum? & vtrùm ratio D. Thom. in litera sit efficax. p.846.a
2. Vtrùm iustus possit sibi mereri saltem de cõgruo reparationem post lapsum. p.849.b
3. Vtrùm homo saltem de potentia absoluta possit per opera naturæ viribus facta reparare suum lapsum. p.852.a

*Disputationes Artic. VIII.*

Prima. Vtrùm augmentum gratiæ cadat sub merito de condigno. p.853.b
2. Vtrùm quolibet actu meritorio mereatur homo augmentum gratiæ & charitatis, & per quemlibet augeatur statim de facto, etiam per minus intensum. p.856.b
3. Vtrùm hoc augmentum gratiæ & charitatis detur statim? vel vtrùm in fine vitæ fiat & conferatur simul cum augmento gloriæ substantialis, pagina.875.a
4. Vtrùm tantum sit charitatis augmentum, quanta est latitudo intensionis actus, qui est causa ipsius augmenti. p.878.b
5. De quibusdam dubijs totam articuli materiam concernentibus. p.882.b

*Disputationes Artic. IX.*

Dubium primum. Vtrùm homo possit mereri sibi de condigno perseuerantiam in gratia. p.885.b
2. Vtrùm saltem de congruo iustus possit mereri perseuerantiam in gratia. p.888.a

*Disputationes Artic. X.*

Disputatio vnica. Vtrùm homo possit mereri bona temporalia de condigno vel de congruo. p.890.b
Dubium appendix. Vtrùm opera maculata ex aliqua circunstantia mereantur de congruo bona temporalia. p.892.b

*Finis Indicis disputationum.*

# INDEX SECVNDVS AVTHORITATVM SCRIPTVRÆ SACRÆ, QVÆ IN HOC SECVNDO TOMO CONTINENTVR.

A, columnam primam. B, secundam designat.

EX GENESI.
Cap. 2. Masculum & fœminam creauit Deus, pagina.404.a
Cap. 3. In sudore vultus tui vescêris pane tuo, pag.8.a
Cap. 4. Nonne si bene egeris recipies? Sin autem male, statim peccatum tuum in foribus tuis aderit. pag.99.b
Respexit Dominus ad Abel & ad munera eius. p.719.b.& 802.a
Cap. 23. Per memet ipsum iurani. p.769.a
EX EXODO.
Cap. 4. Ego indurabo cor Pharaonis, pag.463.b & 471.b
Cap. 31. Dabit ei spiritum Dei, intelligentiam, sapientiam, & scientiam, ad ea omnia, quæ fiunt ex auro & ex ære. p.8.a
EX DEVTERONOMIO.
Cap. 6. Deum diligendum esse ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente, pagina.454.b
EX LIBRO REGVM.
3. Reg. 3. Qui habuit cognitionem infusam rerum naturalium, quam posset naturaliter comparare. p.8.a
EX LIB. PARALIPOM.
1. Paralip. 29. Omnia sunt tua domine, & quæ de manu tua accepimus reddimus tibi, pagina.1.b
EX LIB. TOB.
Cap. 9. Si venerit ad me, non videbo eum, & si abierit non intelligam, pag. 492. a, & 503.b
Si non reprehenderit me cor meum, os meum condemnabit me: & si simplex fuero, hoc ipsum ignorauit anima mea. pag.496.a
Verè scio ita esse, quod non iustificabitur homo compositus Deo. p.814.b
Cap. 21. Recede à nobis scientiam viarum tuarũ nolumus. p.462.a
Cap. 26. Si iustè egeris, quid donabis ei, pagina. 769.a
Cap. 36. Causa tua quasi impij iudicata est causam iudicij recipiens. p.749.b
EX LIB. PSALMORVM.
Psalm. 1. Non sic impij non sic, sed tanquam puluis quem proijcit ventus à facie terræ, pagina.154.a
Et folium eius nõ defluet, & omnia quæcumque faciet prosperabuntur, pagina. 863.a
Psalm. 2. Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam. p.693.a.& 700.b
Psalm. 4. Quis ostendet nobis bona. p.7.a
Psalm. 17. Retribuet mihi Dominus secundum iustitiam meam. p.358.b
Psalm. 18. Cæli enarrant gloriam Dei. p.44.a
Psalm. 21. Longè à salute mea verba delictorum meorum. p.784.a
Psalm. 31. Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata, pag.525.a & 815.a
Dixi confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino: & tu remisisti impietatem peccati mei. p.633.b
Psalm. 33. A Domino gressus hominis dirigentur, pag.98.a
Psalm. 34. Viæ illorum tenebræ & lubricum: & Angelus Domini persequens eos, pagina. 155.a
Psalm. 50. Cor mundum crea in me Deus. p.383.a & 404.a
Vt iustificeris in sermonibus tuis. p.520.a
Amplius laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me. p.825.b
Psalm. 44. Vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ, pagina.723.b
Psalm. 55. Pro nihilo saluos faciès illos. p.815.a
Psalm. 70. Cũ defecerit virtus mea ne derelinquas me. p.850.a.& b
Psalm. 73. Dimisi eos secundum desideria cordis eorum. p.463.a.& 471.a
Inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono. p.802.a
Non vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem. ibidem.
Psalm. 75. Dixi nunc cepi: hæc mutatio dexteræ excelsi est. p.459.b
Psalm. 76. Numquid obliuiscetur misereri Deus, aut continebit in ira sua misericordias suas. p.465.a
Psalm. 78. Appone iniquitatem super iniquitatem eorum. p.463.b.& 471.b
Psalm. 83. Ascensiones in corde suo disposuit, pagina.479.b
Psalm. 93. Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo: consolationes tuæ lætificauerunt animam meam. pagina. 868.b
Psalm. 83. Donator est indulgentiæ: debitor coronæ. p.776.a
Psal. 102. Qui coronat te in misericordia & miserationibus. p.758.b.& 760.a
Psal. 109. De torrente in via bibet propterea exaltabit caput. p.837.b
Psal. 118. Testimonia tua credibilia facta sunt nimis. p.28.b
Deduc me Domine in semitã mandatorũ tuorum. p.98.a

Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum, propter retributionem. p.868.b

EX ECCLESIASTE.

Cap.5. De propitiato peccato, noli esse sine metu. p.492.b.& 496.a

Cap.7. Deus fecit hominem rectum, pagina.47.b, & 107.b

Non est homo iustus in terra, qui faciat bonum. p.56.b

Cap.9. Sunt iusti atque sapientes & opera eorum in manu Dei, & tamē nescit homo vtrū amore vel odio dignus sit. p.501.b

Cap.11. Vbi ceciderit lignū, siue ad Austrum, siue ad Aquilonem, ibi erit. p.875.b

Cap.15. Deus ab initio constituit hominem, & reliquit in manu consilij sui. p.99.b

Si volueris mandata mea seruare, seruabūt te. ibidem.

Cap.16. Omnis misericordia facit vnicuique locū secundum meritum operum suorum, pagina.759.a, & 762.b, & 769.a, & 863.a

EX PROVERBIIS.

Cap.1. Quia vocaui, & renuistis, & despexistis omne consilium meum, ego quoque in interitu vestro ridebo, pagina.463. & 471.b

Cap.2. Quis potest dicere mundum est cor meū, p.492.a.& 496.a.& 503.b

Cap.15. Prope est Dominus omnibus inuocātibus eum in veritate. p.729.a

Cap.16. Hominis est præparare animam, pagina.13.a

Cor hominis disponit viam suam, ibid.

Cap.17. Qui iustificat impium, & qui condemnat iustum abominabilis est vterque apud Deum. p.520.a

Non verearis iustificari vsque ad mortem. p.479.b

Cap.21. Cor Regis in manu Domini, & quocumque voluerit vertet illud. p.13.a

Cap.43. Iustorum semita, quasi lux splendens procedit. p.853.b

EX CANTICIS.

Cap.1. Trahe me post te, curremus in odorem vnguentorum tuorum. p.439.a.& b

EX SAPIENTIA.

Cap.6. AEqualiter est illi cura de omnibus, pagina.476.a

Cap.8. Sciui quoniam aliter non possum esse cōtinens, nisi Deus det. p.56.b.& 57.a.& 98.a,& 105.b, & 115.a

Cap.9. Cogitationes mortalium timidæ, & incertæ prouidentiæ nostræ. p.7.b

Corpus quod corrumpitur, aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem. p.37.a

Cap.12. Quis tibi imputauerit si perierint nationes, quas fecisti. p.440.a

EX ECCLESIASTICO.

Cap.10. Cunctæ res difficiles, non potest eas homo explicare sermone. p.7.b.

Cap.18. Non verearis vsque ad finem iustificari, pagina.520.a,& 853.b,& 863.a

Cap.19. Qui citò credit, leuis est corde. p.21.b

Fecit Deus ab initio hominem rectum, ipse autem immiscuit se mille quæstionibus. p.37.b

EX ISAIA.

Cap.5. Expectaui vt faceret vuas, fecit autem labruscas. p.463.a.& 471.a

Cap.6. Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua. p.471.b

Cap.10. Nunquid gloriabitur securis contra eum qui secat. p.13.a

Cap.11. Et replebit eum Dominus spiritu sapientiæ. p.490.a

Cap.26. Omnia opera nostra operatus est in nobis Dominus. p.3.a

Cap.44. Omnes iustitiæ nostræ, quasi pannus menstruatæ, facti sumus vt immundi. pagin. 185.b,& 525.a

Cap.50. Dominus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico, retrorsum non abij. pagina.21.a

Iuxta est qui me iustificat, quis contradicit mihi. p.785.b.

Cap.53. Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum, & voluntas Domini in manu eius dirigetur. p.693.a

Cap.55. Venite, emite absque argento, & absque vlla commutatione. p.815.a

Cap.61. Induit me vestimentis salutis, & iustitia, indumento circundedit me quasi sponsam. p.785.b

Cap.64. A sæculo non audierunt, nec auribus perceperunt, oculus non vidit, Deus absque te quæ præparasti spectātibus te. p.43.a

Cap.65. Inuentus sum à non quærentibus me, pagina.459.b

Cap.66. Ad quem autem respiciam, nisi ad pauperculum & contritum spiritu & trementem sermones meos. p.805.a,& b

EX IEREMIA.

Cap.8. Si pœnitentiā egerit gens illa à malo suo, agam & ego pœnitentiam. p.633.b

Cap.10. Quod non est hominis via eius, neque viri est, vt ambulet & dirigat gressus suos p.98.a,& 103.b

Cap.21. Conuerte me Domine, & conuertar, postquam enim conuertisti me, egi pœnitētiam. p.453.a

Cap.31. Est merces operi tuo. p.729.b.& 750.a

Cap.81. Conuerte me Dñe, & conuertar. p.811.a

EX BARVCH.

Cap.2. Anima quæ tristis est supra magnitudinem mali, reddet tibi gloriam & iustitiā Domine. p.811.a

EX EZECHIELE.

Cap.2. Nolo mortem peccatoris, sed magis vt cōuertatur & viuat. p.461.b

Cap.3. Non propter eos faciam, sed propter nomen meum. p.459.b

Cap.18. Si auerterit se iustus à iustitia sua & fecerit iniquitatem, omnes iustitiæ eius quæ fecerat, non recordabuntur. p.847.a

Cap.36. Faciam vt in iustificationibus meis ambuletis & iudicia mea obseruetis. p.564.a

EX DANIELE.

Cap.4. Peccata tua eleemosynis redime. p.612.a

Cap.9. Neque enim in iustificationibus nostris proſternimus preces ante faciem tuā, sed in miserationibus tuis multis. p.844.b

EX IOELE.

Cap.2. Quoniam benignus & misericors est. pag.78.a

EX ZACHARIA.

Cap.4. Exæquauit gratiam gratiæ. p.776.b


EX



# EX NOVO testamento.


EX MATTHAEO.

Cap.4. Beati pauperes spiritu, beati qui lugent, pagina.42.a

Cap.5. Si diligitis eos, qui vos diligunt, & salutaueritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis nonne ethnici hoc faciunt. pag.53.a.& 794.a

Merces vestra copiosa est in cælis, pagina.759.a

Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam: quoniam ipsorum est regnum cælorum. p.803.a

Cap.6. Nemo potest duobus Dominis seruire: aut enim vnum odio habebit & alterum diliget. p.473.a

Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis, pagina.717.a

Cap.7. Qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis. p.776.b

Cap.10. Omnes capilli capitis vestri numerati sunt pag.861.a.& 863.a

Centuplum accipietis, & vitam æternam possidebitis. p.892.a

Qui amat patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus. p.473.a

Qui amat animam suam, perdet eam, pagina.454.b

Cap.11. Væ tibi Corozayn. Væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro, & Sidone factæ fuissent virtutes, quæ in te factæ sunt olim in cinere & cilicio pœnitentiam egissent. p.293.a,& 304.b,& 305.a,& b,& 306.b,& 421.a,& 443.b

Confiteor tibi pater cæli, & terræ, quia abscondisti hæc à sapiētibus & prudēti bus & reuelasti ea paruulis. p.478.b

Cap.13. Habenti dabitur, & abundabit, pagina.873.a

Cap.19. Si vis ad vitam ingredi, serua mandata, pagina.803.a

Cap.20. An non licet mihi de meo facere quod volo? p.476.a,& 708.a,& b.

Reddet illis mercedem. p.772.b

Non accepit denarium, nisi qui in vinea laborauit. p.834.b

Operarij sero venientes acceperunt præmium æquale illis, qui venerūt summo manè. p.857.b,& 874.b

Cap.21. Talenta dantur vnicuique secundū propriam virtutem. p.477.a

Cap.23. Hierusalem, Hierusalem, quoties volui cōgregare filios tuos, sicut gallina cōgregat pullos suos, & noluisti, pag.403.a, & 471.a

Cap.25. Venite benedicti patris mei percipite regnum: esuriui enim & dedistis mihi manducare. p.803.a

Cap. vlt. Qui vero non crediderit, condemnabitur pag.411.a

EX LVCA.

Cap.1. Spiritus sanctus superuenier in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi, pagina.409.b

Quod enim nascetur sanctum, vocabitur filius Dei. p.723.b

Cap.2. Nonne hæc oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam. p.838.a

Cap.6. Mensuram bonam & confertam, & coagitatam, & superefluentem dabunt in sinum vestrum, pagina.707.a,& 770.a, & 773.a

Cap.7. Non habentibus illis vnde redderent, donauit vtrisque. p.815.a

Cap.10. Homo quidam descendebat ab Hierusalē in Hierico, & incidit in latrones, pagina.33.a

Dignus est operarius mercede sua, pagina 768.b

Cap.14. Qui non odit patrem suum, aut matrem suam, non potest meus esse discipulus. pag.473.a

Cap.17. Cum feceritis hæc omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite serui inutiles sumus, p.705.b.& 758.a,& b,& 769.a

Cap.18. Nemo bonus, nisi solus Deus. p.185.b

EX IOANNE.

Cap.1. Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. p.592.a,& 462.a

Gratiam pro gratia. p.762.a

Dedit eis potestatem filios Dei fieri, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis. p.130.a

Deum nemo vidit vnquam. p.247.a

De plenitudine eius nos omnes accepimus. p.339.a,& 363.a

Vidimus gloriam eius gloriam quasi vnigeniti à Patre plenum gratiæ, & veritatis. p.490.a

Cap.3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto. p.397.b

Qui non diligit, manet in morte, pagina 792.b

Cap.4. Qui manet in charitate, in Deo manet & Deus in eo. p.792.b

Charitas ex Deo est. p.86.b

Perfecta charitas, foras mittit timorem, pagina.506.& 499.a

Cap.6. Omnis qui audit à patre & discit, venit ad me. p.466.b

Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat. p.121.a

Hoc est opus Dei, vt credatis. p.22.b

Nemo potest venire ad me, nisi pater meus traxerit eum. p.12.a,& 129.b,& 297.a,& b,& 438.b

Cap.10. Quem pater sanctificauit. p.725.a

Cap.12. Cum tanta signa fecisset coram eis, nō poterant credere. p.21.b.& 28.b

Cap.14. Qui diligit me, mandata mea seruabit, & qui habet mādata mea & seruat ea, hic est qui diligit me. pag.62.b, & 68.a,& 69.a

Si quis diligit me sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum. pa.83.a, & 85.a,& b.

Maiorem charitatem nemo habet, quām vt animam suam ponat quis pro amicis suis

suis. p.92.a,& 93.a
Vos autem cognoscetis eum, scilicet, Spiritum sanctum, quia apud vos manebit & in vobis erit. p.493.b.& 507.a
Cap. 15. Sine me, nihil potestis facere. p.8.b.& 93.a & 118.b.& 129.b
Sicut palmes non potest fructum facere à semetipso nisi mãserit in vite, sic neque vos nisi in me manseritis. p.785.a & 793.b

EX ACT. APOSTOLORVM.

Cap.2. Pœnitentiam agite,& baptizetur vnusquisque vestrum. p.612.b
Cap.9. Saule, Saule, quid me persequeris, pagina. 785.b
Cap. 16. In ipso viuimus, mouemur,& sumus, pagina.3.a
Aperuit Dominus cor illius. p.23.a

EX EPIST. AD ROMANOS.

Cap. 1. Quod notum est Dei, manifestum est in illis. p.44.a
Deus enim in illis manifestauit. pa.758.b, & 760.a,& 802.a
Inuisibilia Dei à creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur. pag.5.a
Qui cum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt. pag.7.a,& 53.a, 64.b
Cap.2. Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt, faciunt. pag.53.a. & 114.a.& 578.a.& 593.b
Reddet Deus vnicuique secundum opera sua. p.861.a.& 863.a
Factores legis iustificabuntur. pa.441.b
An ignoras, quia benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? tu autem secundum duritiam tuam, & impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ. ibidem
Referet vnusquisque prout gessit. p.729. b.& 830.b
Non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit. p.834.b
Cap. 3. Iustificati gratis per gratiam ipsius. pa.2.a. & 600.a.& b
Cap.4. Credidit Abraham Deo & reputatum est illi ad iustitiam. p.854.a
Beatitudinem hominis cui Dominus accepto fert iustitiã sine operibus. p.527.b. & 529.a
Gratia Dei vita æterna. p.684.b.& 760.b & 769.a
Ei qui operatur merces non imputatur secundum gratiam, sed secundũ debitum pag.758.b
Cap. 5. Deus recipit eum, qui ad se confugit, aliàs esset in eo iniquitas. p.821.b
Vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia. p.784.b
Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. p.86.b
Per obedientiam Christi sumus consecuti, quod per inobedientiam Adæ perdidimus. p.33.b
Cap.6. Ne regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis. p.100.a
Cap.7. Non enim quod volo bonum hoc facio. p. 58.a.& 98.a
Infelix ego quis me liberabit de corpore mortis huius. pagina.58.b. & 98.a.& 115.a
Velle adiacet mihi, perficere autem, nõ inuenio. p.98.a
Concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, non concupisces, pagina. 525.a. & 526.a
Cap. 8. Quod si filij & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. p.838.b
Quis accusabit aduersus electos? Deus qui iustificat. Quis est qui condemnet, Christus Iesus, qui mortuus est. p.785.b
Non sunt condignæ passiones huius vitę. p.706.a.& 769.a
Iustificati ex fide pacem habeamus ad Deũ per Iesum Christum. pagina.493. b. & 507.a
Certus sum, quòd neque mors, neque vita, neque profundum, neque creatura poterit nos separare à charitate Dei. pagina.497.a
Spiritus adiuuat infirmitatem nostram, mã quid oremus sicut oportet nescimus, pagina.98.a
Cap.9. Iacob dilexi, Esau autem odio habui. pag. 464.a.& 473.a
Non est volentis neque currentis, sed Dei miserentis. p.439.b
Cap. 10. Corde creditur ad iustitiam; ore autem cõfessio fit ad salutem. pag.21.a
Quomodo credent sine prædicante. pagina.20.b
Cap. 11. Si autem gratia, iam non ex operibus, alioquin gratia, iam non est gratia. pagina. 627.a
Cap. 13. Et si quod est aliud mandatum, in hoc verbo restauratur, diliges proximum tuũ sicut te ipsum p.62.a. & 116.b
Plenitudo legis, est dilectio. pag.63.a.& 69.a.& 122.b

EX EPIST. AD CORINT.

1.Cap. 1. Christus, factus est nobis iustitia, sanctificatio,& redemptio. p.209.b.& 210.a
Quæ stulta sunt mũdi, elegit Deus, vt cõfundat sapientes,& infirma mundi elegit, vt confundat fortia. p.478.b
1:Cap.2. Nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparauit Dominus ijs qui diligunt illum pag.43.a
Nos autem non spiritum huiusmodi accepimus, sed spiritum Christi, qui ex Deo est, vt sciamus quæ à Deo nobis donata sunt. p.493.b.& 507.a
Christus factus est nobis iustitia, sanctificatio,& redemptio. pa.527.b.& 529.a
1. Cap.3. Ego plantaui, Apolo rigauit, sed Deus incrementum dedit. p.381.b
Dei enim adiutores sumus. p.437.a
1.Cap.4. Quid habes quod nõ accepisti, si accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis. pag. 56.b.& 57.a.& 421.a,& 460.a
Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum. p.492.b.& 503.b
1.Cap.6. Hæc aliquando eratis, sed abluti estis, sanctificati estis, iustificati estis. pa.523.a
1.Cap.12. Sufficit tibi gratia mea. pag. 492.b.& 496.a







1.Cap.13. Si habuero, inquit, prophetiam,& nouero mysteria omnia. p.8.a
1.Cap.10. Omnia vestra in charitate fiant. p.100.a
1.Cap.14. Quid habes quod non accepisti. p.1.b
1.Cap.15. Gratia Dei, sum id quod sum. ibidem.
Abundantius omnibus illis laboraui, non ego sed gratia Dei mecum, pagina.14. b.&.15.a.
Abundate in omni opere bono, scientes, quod labor vester non est inanis in Domino. p.863.a.
Si Christus non resurrexit, & omnino mortui non resurgunt, quid faciunt qui baptizantur pro mortuis. p.474.a.
1.Cap.16. Omnia in gloriam Dei facite. p.100.a.
2.Cap.3. Deus est qui operatur in nobis velle & perficere pro bona voluntate. pa.56.b.&. 57.a,&.421.a.&.460.a,
Non sumus sufficientes, cogitare aliquid ex nobis. p.8.a.&.57.a.&.b.&.460.a.
Quoidam ædificare supra Christum argentum, alios vero aurum, alios autem lapides pretiosos. p.476.b.
Vnusquisque propriam mercedem accipiet pro vt gesit. p.705.b.&.830.a.&. 834.b,&.861.a
2.Cap.4. Deus qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis Dei in facie Iesu Christi. p.130.a.
Habemus autem Thesaurum istum in vasis fictilibus, vt sublimitas sit virtutis Dei,& non ex nobis. p.196.a.
Quod momentaneum est & leue tribulationis nostræ, supra modum, æternum gloriæ pondus operatur, p.759.a.
2.Cap.5. Eum qui nõ nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit, vt nos efficeremur iustitia Dei. p.785.b.
Quoniam quidem Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi. pagina.527 b.&.529.a
2.Cap. vltim. An non cognoscitis vos metipsos, quia Christus in vobis est nisi forte reprobi sitis? p.493.b.&.507.a.
2.Cap.9. Qui parcè seminat, parcè & metet. pagina, 707.a.
2.Cap.5. Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis pro vt gesit, siue bonum siue malum. p.865.a.

EX EPIST. AD GALATAS.

Cap.1. Licet nos aut Angelus de cœlo euangelizet vobis præter quam quod euangelizaui nus, anathema sit. p.27.b.
Cap.3. Prius quam veniret fides detinebamur inclusi in eam fidem, quæ reuelanda erat, pag.588.a.
Cap.4. Quoniam autem estis filij Dei, misit spiritum suum in corda vestra. p.507.a.
Cap.5. In Christo Iesu nec circuncisio aliquid valet, nec præputium, sed fides quæ per dilectionem operatur. p.796.a.
Cap.7. Infœlix homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? pag.103.b

EX EPIST. AD EPHESIOS.

Cap.1. Inquo signati estis spiritu promissionis sancto. pag.208.a.&.777.b.
Cap.2. Creati in Christo Iesu in operibus bonis. pag.404.a.
Ipse est pax nostra, qui fecit vtraq; vnum pag.529.a,
Gratia enim estis saluati per fidem, non ex operibus ne quis glorietur. pagina. 684.b.
Iustificati gratis per gratiam ipsius. pag. 809.b.
Cap.4. In charitate crescentes, donec occurramus ei in virum perfectum. pagina. 479.b.&.853.b.
Vnicuique data est gratia secundum mensuram donationis Christi. pagina. 480. b.&.481.a.
Cap.5. Tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam per satisfactionem. pag. 741.b.&.743.b.
Cap. 6. Nõ est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem, sed aduersus principes & potestates. pag.58.a,

EX EPIS. AD PHILIPPEN.

Cap.1. Deus est qui operatur in nobis velle & perficere. pag.126.&.56.b.&.57.a
Vobis donatum est pro Christo non solum in eo credatis, sed etiam vt pro illo patiamini. pag.22.b,
Cap.2. Hæc oro vt æquitas vestra magis ac magis abundet. pag.479.b
Humiliauit semetipsum. p.753.b.
Christus factus est pro nobis obediens vsque ad mortem. pag.838.a,

EX EPIS. AD COLOSSENS.

Cap.2. Dignos nos fecit in parte sortis sanctorũ. pag.768.a.& 767.a

EX EPIST. AD THESSALON.

1. Cap. 2. Gratias ago Deo, quòd cum accepissetis Verbum Dei, accepistis illud nõ vt verbum hominum; sed vt verè erat Verbũ Dei. p.27.a
2.Cap.1. Vt digni habeamini Regno Dei, pro quo & patimini. p.763.a.& 768.a & 777.a
2.Cap.2. Qui diligit nos, dedit consolationem æternam & spem bonam. p.86.b

EX EPIST. AD TIMOTHEVM.

1.Cap.2. Deus vult omnes homines saluos fieri. p. 461.b,& 465.a
1.Cap.5. Erat Deus in Christo mundum reconcilians sibi. p.715.a
Qui se mundauerit ab his, erit vas in honorem. p.769.a
2.Cap.4. Quam reddet mihi iustus iudex. p.693.a
Reposita est mihi corona iustitiæ, quã reddet mihi iustus iudex. p.758.b,& 762.b
2.Cap.2. In magna domo non solum sunt vasa aurea & argentea, sed & lignea. p.476.b

EX EPIST. AD TITVM.

Cap.3. Non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundũ suam misericordiam saluos nos fecit. p.815.a.& 758.b. & 760.a

EX EPIST. AD HEBRAEOS.

Cap.2. Videmus Iesum per passionem gloria,& honore coronatum. p.838.a
Cap.5. Cum clamore valido & lachrymis offerẽs, exauditus est pro sua reuerẽtia. p.697. a.& 741.b.& 766.a
Factus est sibi obtemperantibus causa salutis æternæ. p.767.b
Cap.6. Nõ enim iniustus est Deus, vt obliuiscatur operis vestri. p.693.a,& 776.a.& 781. a.& 849.a

Cap. 11. Accedẽtem ad eum, oportet credere quia est, & quod requirentibus se remunerator est. p.585.b.& 593.a.& b.
Sine fide impossibile est placere Deo, pagina.569.b
Cap. 13. Hospitalitatem nolite obliuisci, per hanc enim placuerunt quidam angelis hospitio receptis. p.803.a
Cap. 6. Per fidem & pietatem sancti hæreditabũt repromissionem. p.777.b

EX EPIST. IACOBI.

Cap. 2. Dæmones credunt,& contremiscunt, pagina.146.a
Videtis quoniam ex operibus iustificatur homo & non ex fide tantum. p.520.a
Sicut corpus sine anima mortuum est, ita fides sine operibus mortua est, pagina. 792.b
Cap. 5. Vt simus initium aliquod creaturæ eius. pag.383.a

EX EPIST. PETRI.

1.Cap.2. Qui regenerauit nos in speciem viuam,pagina.86.b
Si benefacientes patienter sustinetis, hæc est gratia apud Deum. p.803.a
1.Cap.5. Deus superbis resistit,humilibus autem dat gratiam. p.803.a
2.Cap.1. Magna & pretiosa nobis promissa donauit, vt diuinæ efficiamur consortes naturæ, p.708.a,& 767.a
2.Cap.3. Deus patienter sustinet nolens aliquos perire,sed omnes ad pœnitentiam reuerti, p.461.b,& 465.a
Non tardat Deus promissionem suam. pagina. 877.b

EX EPIST. IOANNIS.

1.Cap.1. Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est. p.525.a,& 526.b
1.Cap.2. Qui dicit se nosse Deum, & mandata eius non seruat,mendax est. p.62.a
1.Cap.3. Qui natus est ex Deo, peccatum non facit. pagina.184.b

EX APOCALYPSI.

Cap.3. Ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt. p.763.a
Quia tepidus es, incipiam te euomere de ore meo. p.855.b.& 864.b
Cap.12. Cum iustitia iudicat & pugnat pro omnibus iustis. p.693.a
Cap.14. Opera enim illorum sequuntur illos.pagina.865.a
Cap.18. Quantum glorificauit se,& in delicijs fuit; tantum date illi tormentum & luctum, pagina.861.b
Cap.21. Deus dedit vnicuique secũdum opera sua, pag.834.b
Cap. vlt. Qui iustus est, iustificetur amplius, pagina.479.b,& 525.a, & 526.b,& 853.b & 863.a

*Finis Indicis locorum sacræ Scripturæ.*

# INDEX TERTIVS RERVM ET SENTENTIARVM MEMORABILIVM, QVÆ IN HOC SECVNDO TOMO CONTINENTVR.

A, columnam primam. B, secundam designat.

A.

ACTVS.

PER actus humanos intelliguntur operationes, quæ sunt propriæ ipsius hominis. pag.2.b
Actus supernaturales, sunt tãtum illi, qui versantur circa obiectum omnino supernaturale, pagina.111.a
Actus vitales,cum in illis interueniat effectus causæ formalis, non possunt suppleri à Deo, pag.13.a
In actu vitali duo sunt consideranda, & productio ipsius ad quam Deus concurrit, & passio,siue receptio ipsius actus vitalis, quæ pertinet ad vitalem immutationem. ibidem.
Actus aliarum virtutum à charitate,tripliciter possunt ferri in sua obiecta,& quomodo. pag.95.a.
Inter actus Fidei, Spei, & virtutum moralium, differentia. ibidem.
An iste actus sit peccatum,nolo ire in cælum,in illo cui sua damnatio reuelatur. pag.179.b.
Actus gratiæ operantis,an sint actus nostræ voluntatis. pag.271.a.&.b.
Actus gratiæ operantis, quòd sint vitales & quatenus precisè ad gratiam excitantem pertinent,non sint liberi. ibidem.
An Deus prius natura concurrat cum libero arbitrio ad actus supernaturales gratiæ præuenientis & excitantis,vel omnino simul. pagina.280.a & b.
Ad omnes actus supernaturales requiritur auxiliũ efficax,non solum concomitans, sed antecedens, seu prædeterminans. pag.296.a.&.b.
An detur aliquis actus charitatis naturalis, pagina. 78.b.
Ex actibus charitatis nunquam generabitur habitus acquisitus. pag.80.b.
Non est idem Deum concurrere ad actum,& præde terminare illum. pag.316.b.
Ad actus naturales liberos, non concurrunt Deus & liberum arbitrium, vt duæ causæ partiales. pag.322.a.&.b.
Actus supernaturales quare non possunt producere habitum supernaturalem. pagina. 335. a. &. b, & 338.b
Actus contritionis,vel fidei supernaturalis, vel charitatis,non est mixtus ex naturalitate & supernaturalitate. pag.337.a.
Absolutè & iuxta proprietatem sermonis non debet concedi,quod nostri actus extra sacramẽtum, attingant effectiuè gratiæ productionem. pagina. 412.b
Homo adiutus solo sufficienti auxilio non se determinat ad actus, quibus vltimo disponitur ad gratiam,antequam recipiat in se ipso ad hanc determinationem auxilium efficax, pagina. 427.a. & b. & pagina. 428. a. &. b. & pagina. 429. a. & b.
Ratio liberi in actibus voluntatis quomodo sit intrinseca. pag.431.b.
Ad actum contritionis, dilectionis supernaturalis, & ad actum supernaturalem,quòd requiratur efficax motio Dei. pag.459.a.
Actus fidei, spei, & charitatis,an sint supernaturales,& quomodo defferant ab actibus virtutum ac quisitarum. pag.118.a.
Actus medius inter fruitionem & vsum an detur. pagina.59.a.
An ad hunc actum dilectionis Dei, requiratur maius auxilium, quàm ad reliquos omnes naturales. pag.60.b.
Actuum aliqui versantur circa obiectum supernaturale formaliter, & propriè vocantur supernaturales, aliqui tantum circa obiectum supernaturale materialiter, & non sunt supernaturales, pag.21.a.
Ad actum dilectionis Dei,non sufficit virtualis relatio alicuius operis in Deum, pag.62.a.
Differentia inter actum dilectionis Dei, & aliorum actuum. ibidem.
Supernaturalitas actuum,& habituum, vnde proueniat,& quid sit. pag.243.b.
Ad eliciendum actum supernaturalem, non solum indiget potentia habitus sed auxilio, quo habeat actiuitatem partialem. pag.14.a.&.b.
Actus circa supernaturale obiectum, non sunt naturales secundum substantiam. pag.10.b.&.15.a.
Per actum intellectus, tripliciter aliquid cognosci potest. pag.512.a.
An ad actum contritionis, qui est vltima dispositio ad gratiam, concurrat efficienter habitus charitatis & gratiæ. pag.522.a.
Actus credendi, æquiuocè dicitur de actu qui est in nobis & in Dæmonibus. pag.16.a.
Actus vitalis dicit ordinem formalem ad potentiam vitalem. pag.17.a.
Voluntarius atque liber actus, est, credere rebus fidei. pag.20.b.&.21.a.
Ad actum credendi vtraque potentia concurrit,voluntas, & intellectus, diuersimodè tamen, pagina.20.b.&.21.a.
Adultus cum ad Deum cõuertitur per actum liberi arbitrij,pœnitentiæ,& dilectionis Dei super omnia,actiuè & efficienter concurrit ad actum contritionis. pag.567.a.
Actus charitatis non est pœnitentia virtualis.pagina.613.

na.613.a.& b.
Actus charitatis & pœnitentiæ an sit vnus actus, & quomodo, pag.619.a,& b,&.620.a.&.b.
Actus charitatis simpliciter est prior natura, quàm actus pœnitentiæ. p.978.a
Actus diuersarum potentiarum possunt esse in eodē instanti. p.651.a
Actionem intellectus & voluntatis in eodem instanti incipere & desinere esse, non est inconueniēs. pag.651.b
Primus actus disponens ad habitum naturalem non fit ab habitu. p.662.a
Actus antecedentes habitum eiusdem speciei sunt cum subsequentibus. p.668.a
Actus humanus dicit ordinem ad libertatem & ad finem. p.687.a
Actus absolutè bonus quis dicatur. p.717.a
Duplex est bonitas moralis in actu, respectiua, & absoluta. pagina. 726. a, & pagina.755.a, & pagina.813.a
Actus bonus ex obiecto potest habere valorem, & dignitatem. ibidem.
Actus studiosi dupliciter possunt imperari à charitate. p.801.a
Actus virtutum tripliciter possunt ferri ad finem charitatis. ibidem.
Actus ex eo quod imperentur à charitate, an acquirant aliquid. p.807.a,& b.
Actus dupliciter potest procedere ex imperio charitatis. ibidem.
Actus imperans & imperatus quomodo se adiuuent in bonitate. p.801.b
Actus virtutum acquisitarum, an sint meritorij. ibidem.& p. 802.& 803.a.& b.
Quòd sint actus immanentes imperium & electio. pag.808.a
Actus an possit esse naturalis & supernaturalis, ibidem.b
Cur non possit esse tanta bonitas in actu, quantus est valor eius. p.719.b.& 802.a
Dignitas personæ an semper augeat rationem essentialem actus. p.747.a

## AVXILIVM.

Auxilium diuinum est necessarium in statu naturæ integræ & corruptæ ad quodcumque bonum volendum & operandum. p.29.a
Auxilio solo generali Dei in statu naturæ integræ poterat homo operari omne bonum suæ naturæ proportionatum: non tamen bonum excedēs eius naturam. ibidem.a
In statu autem naturæ corruptæ poterat homo operari aliquod bonum proportionatum sibi: non tamen omne bonum naturale; ita vt in nullo deficiat. ibidem.a
Auxilij generalis & specialis differentia, pagina. 52.b
An intra ordinem naturæ detur aliud auxilium præter generale. p.70.a.&.b.& 79.a
An Deus habuerit voluntatem vniuersalem dandi omnibus auxilia sufficientia ad salutem, pag.160.a.& 307.a.& b.& 465.a
Quòd Deus conferat omnibus auxilia necessaria, & sufficientia adhoc, vt possint cauere peccata, ibidem.b.& 282.a
Contra fidem est asserere aliquem excusari à peccato ex defectu Dei auxiliantis. p.161.a
Deus nulli denegat auxilium necessarium ad implenda præcepta & cauenda peccata, pag. 164.b & 202. a, & b, & 204.b.& 279.b
An sit implicatio Deum me obligare ad actum aliquem, quem si non facio peccabo; & simul denegare auxilium sufficiens ad non peccandum, pagina 165.a
An dato casu quod peccator vitauerit omnia peccata præter vltimum, si Deus nolit dare auxilium ad vitandum vltimum, an imputetur ei ad culpā. p.166.a.& 167.a
An possit denegari auxilium ad non peccandum in communi. p.165.a
An denegato auxilio ad vitandum collectiue omnia peccata relicto auxilio ad vitandum diuisiuè, excusetur homo vel peccet. p.177.a
An Deus possit de potentia absoluta denegare auxilium ad seruandum collectiuè & diuisiue omnia præcepta. ibidem.
An sit imputandum peccatori quod careat diuino auxilio. p.99.a
Iustificatus non indiget alio auxilio habituali ad operandum bene moraliter & vitandum peccatum. p.179.b
Iustificatus indiget auxilio per modum mouentis ad operandum bonum & vitandum peccatum, ibidem.
An homini cōstituto in esse supernaturali debeatur auxilium supernaturale. p.180.a
An existentes in gratia possint vitare omnia peccata venialia vltra aliud specialius auxiliū. p.181.b.& 191.a
Quare requiratur auxilium per modum inhærentis ad actus liberos, & non ad indeliberatos, pagina.264.b
Erroneum est dicere quod fortasè est lex infallibilis & vniuersalis Dei quod peccatori bene operanti moraliter ex viribus naturæ, donentur auxilia supernaturalia, quibus de facto infallibiliter conuertitur. p.132.a
Auxilia supernaturalia quæ sint, pagina. 195.a, & 464.b
Auxilium supernaturale ad inspirationes & illuminationes, quare non dicatur gratia existens, nec adiuuans. p.269.a
Efficacia auxilij supernaturalis qua secernitur efficax à sufficienti à quo proueniat. p.265.b.& 269.b.& 300.a.& b.
Auxilia alia sufficientia, alia efficacia, pag.202.b,& 464.b
Diuersitas vtriusque auxilij. p.441.b
Conuenientia vtriusque auxilij. pag.466.a,& b.
Auxilia Dei quomodo sint inæqualia, & quòd Deus aliquando sit ipsum auxilium. pag. 260.b. & pag. 664.b
Auxilium sufficiens, quod omnes recipiunt, quid sit. pag.468.b
An siquis habeat auxilium sufficiens ad credendum & resistat, dicatur infidelis, ibidem,& 472.b
Auxilia sufficientia, non ita continuo & incessanter confert Deus omnibus hominibus vt perpetuo in omnibus recipiatur. p.469.b
An sint aliqua determinata tempora quibus auxilia sufficientia conferantur. g.470.b
Homines qui nihil de Euangelica prædicatione audierunt, habent sufficiētia auxilia quibus possint se in Deum conuertere. p.472.a
Quòd pueris ante vsum rationis & adultis, somno, aut amentia vsu rationis priuatis non conferantur supernaturalia auxilia. ibidem.b
Præter auxilium sufficiens, est necessarium ad salutē efficax. p.470.a

Efficax



Efficax auxilium per se loquendo non dicit nouum principium operandi distinctum ab auxilio sufficienti. ibidem.
An stet quod dentur omnia necessaria ad salutem, & quod Deus decreuerit aliquibus ab æterno non dare auxilium efficax. ibidem.a.& b.
Auxilium efficax ad conuersionem an sit prius natura quam conuersio, pagina. 280. b. & 428. b. & 425.a
Auxiliū quod duobus modis dicatur efficax, in actu primo & secundo. p.287.a
Auxilium efficax an possit antecedere actum liberū ipsumque arbitrium præmouere seu prædeterminare, vt sequatur infallibiliter. p.287.b
An Deus solum prædeterminet arbitrium physicè, vel etiam moraliter per auxilium efficax, pagina. 288.b.& pag.420.a.&.b.& pag.443.a,& 569.a, & b.
Stante æquali auxilio Dei non stat quod vnus conuertatur & alter non. pag.299.a.&.b.& 300. a,& b.& 421.& 418.a,& b.
A quo proueniat quod sit constituendum efficax auxilium antecedens præuium in conuersione supernaturali. p.301.b
Quare efficacia auxilij sit in causam & in effectum in supernaturalibus; secus autem in naturalibus, pag.302.a
Efficax auxilium & liberum arbitrium nō sunt duo agentia partialia. p.305.b
An Deus statuerit non dare omnibus auxilium efficax. p.307.a,& b.
Sine auxilio efficaci homo sufficienter est constitutus in actu primo ad conuersionem per auxilium sufficiens. p.309.a.& b.
An detur auxilium prędeterminans voluntatem infallibiliter ad aliquos actus naturales liberos, pagina.314.a
Non datur auxilium prædeterminans voluntatem ad actum peccati pro materiali. ibidem.b
Auxilium efficax antecedens præmouens, reperitur in omnibus actibus liberis naturalibus bonis moraliter. p.317.b
Quid sit auxilium efficax præuium prædeterminās. pag.322.b
An requiratur auxilium prædeterminans ex vi prouidentiæ Dei. p.324.b
An tale auxilium requiratur non solum ex vi prouidentiæ, sed ex natura rei. p.325.b
Libertas arbitrij se compatitur cum efficacia diuini auxilij, pagina. 429.a.&.b.&.430.a.&.432.b.& 433.a.& 570.a
Voluntas munita auxilijs sufficientibus si se ipsam determinaret ad actum conuersionis sine auxilio efficaci, an esset causa primi effectus prędestinationis. p.429.a
In auxilio efficaci duo possunt considerari, infallibilitas, & necessitas pugnans cum libertate, pagina. 430.b.& 435.a
Si non omnes recipiunt auxilium efficax, an sit illis imputandum quod non conuertantur, pagina. 442.a
An si Deus reuelaret alicui quod ab æterno statuit non dare illi auxilium efficax, peccaret si non conuerteretur. ibidem.b
Licet Deus sit paratus omnibus conferre auxilium efficax non omnes illud recipiunt, quod non contingit in sufficienti. p.460.a.& b.
Omnibus adultis præbet Deus sufficienter auxiliū, vt quolibet momento possint iustificari, pagina. 461.a.& b.
Si adulto non daretur auxilium supernaturale ad præstandum aliquem actum supernaturalem, de quo extat præceptum non imputaretur illi non implere. p.405.a
Sine auxilio gratiæ non potest homo proprijs viribus velle aliquid supernaturale. p.80.b
Sine auxilio gratiæ non potest diligere Deum super omnia, vt est finis supernaturalis. pagina. 89.a
Probabile est, hominem in puris naturalibus sine speciali auxilio, posse diligere Deum super omnia finem & authorem naturæ dilectione perfecta, pagina.45.b

## BEATVS.

Beati non habent fidem de perpetuitate suæ gloriæ. pag.25.b
Beatus an possit mereri de potentia absoluta augmētum gloriæ. p.778.a
A beatis an possit Deus auferre gloriam, pagina. 781.a
Beatus an possit mereri alteri de congruo primam gratiam. p.844.b.& 845.a
An possit quis dubitare se esse baptizatum, vel suscepisse sacros ordines. p.505.b

## CAVSA.

Causalitas alia, physica, alia moralis & in quo consistat. pag.339.b
Ex causis physicis & moralibus quæ sit perfectior. pag.397.b
Vna & eadem causa potest esse physica & moralis. pag.392.a
Causarum aliæ naturales, aliæ liberæ, aliæ physicæ aliæ morales. ibidem.
Existentia causæ an pertineat ad rationem formalē agendi. p.400.a.& b.
In causis efficientibus, potest Deus supplere conditiones sine quibus non: & quas Deus non possit supplere. p.337.a
Differentia inter causam præcipuam & instrumentum. p.391.b
In quo consistat principaliter solum causare gratiam. p.332.a
Causam secundam modificare primam quomodo intelligatur. p.433.a.& b.
Materia non est causa producens, nisi quatenus subditur agenti, in sua actiuitate & conseruatione. pagina. 15.b

## COGNITIO.

Cognitio potest dici supernaturalis tribus modis ex parte obiecti, ex parte modi, & ex parte vtriusque. p.21.a
Cognitio supernaturalis, & de obiecto supernaturali, quomodo sit necessaria ad salutem, pagina. 581.a
Cognitio Dei naturalis præcisè, non est simpliciter fides alicuius mysterij supernaturalis. pagina. 587.b

## CONTRITIO.

Contritio & attritio, an differant secundum substantiam. p.119.a
Contririo, an possit haberi ex viribus naturæ, pag. 447.a.& 448.b

Contritio

Contritio quid includat. p.450.b
Contritio tribus modis potest considerari, pagina. 624.a
Contritio an sit dispositio physica, vel moralis ad gratiam. p.639.a
Contritio, an possit esse à libero arbitrio, & postea causari à gratia. p.660.b
Contritio, & dilectio Dei, quibus homo vltimo disponitur ad gratiam, non sunt causæ efficientes gratiæ, aut successionis illius. p.639.b
Contritio non procedit effectiuè à gratia habituali, & à quo procedat. p.660.a
Probabile est cõtritionem procedere effectiuè à gratia. pag.674.a,&.b.& 675.a,& b.
Contritio vt gratiam antecedit, an sit compensatiua pro pœna temporali. p.638.b
Non est tutùm dicere, quòd contritio vt ordine naturæ præcedit gratiam, habeat aliquem valorem ad satisfaciendum pro peccato. pagina. 148.b
An ex natura contritionis expellatur peccatum, pagina. 635.b
Contritio an per se primò respiciat culpam, & quomodo dicatur compensatiua illius. pagina. 637.b
Contritio quomodo concurrat ad destructionẽ peccati. p.639.a. & 670.b
Contritio necessario includit dilectionem Dei super omnia. p.454.a
An per contritionem vt antecedit gratiam homo diligatur à Deo. p.671.b
Contritio vt antecedit gratiam quomodo non dicatur amicitia. ibidem.a
Contritio quare dicatur sacrificium. p.639.a
Vnde oriatur infallibilis consecutio inter contritionem, & gratiam. p.447.a
Non est tutum asserere, quòd habenti actum contritionis statim non detur gratia. p.446.a
Contritio vt antecedit gratiam, an sit meritoria vitæ æternæ. p.667.a
Contritio est meritoria primæ gloriæ de condigno. pag.830.a
Contritio meritoria primæ gloriæ, an sit meritoria augmenti gloriæ, & augmenti gratiæ, pagina. 832.a


## CHARITAS.


Charitas quomodo augeatur per actus intensiores & remissos. p.687.b.& a.
Charitas habitus an in eodem instanti sit remissus, & auctus. p.876.b
Habitus charitatis augetur meritoriè per quemcunque actum remissum statim, atque producitur talis actus. ibidem.b
Charitas non augetur connaturaliter & dispositiuè per actum remissum. ibidem.
An quando augetur habitus charitatis per quemlibet actum meritorium, etiam remissum, etiam augeatur in esse qualitatis. p.877.b.
Charitas augetur per actus aliarum virtutum pagina.878.a.
Charitas augetur per sacramentum. ibidem.
Charitas an augeatur secundum totam intensionem actus. p.899.a.&.b. &.880.a.&.b
Charitas dupliciter potest augeri meritoriè & naturaliter. p.879.b.
Si charitas augeretur meritoriè, & dispositiuè an tantum creceret secundum excessum intensionis actus. p.882.a.
An quando augetur gratia etiam augeatur charitas. p.858.b.&.859.a
Quilibet actus meritorius ex gratia & charitate procedens meretur charitatis augmentum, pagina.860.a.&.b.
Quilibet actus charitatis quantumcunque minus intensus seu remissus meretur de condigno &de iustitia augmẽtum charitatis, gratiæ & gloriæ essentialis. p.875.b.
Charitatis effectus quis sit. p.230.a.


## CHRISTVS.


Actiones nostræ & Christi satisfactoriæ quomodo sint eiusdem speciei.


## GRATIA CHRISTI.


In Christo an fuerit gratia creata & quomodo pagina.722.b.
Gratia creata ad quid fuerit necessaria in Christo. p.724.b.&.726.a.
Gratia habitualis an fuerit necessaria in Christo ad merendum. p.723.b.
An Deus potuerit assumere naturam humanam sine gratia habituali creata. p.725.b.
Habitualis gratia Christi ansequatur tanquam propria passio. p.726.a.&. 488.b.
Christus an fuerit gratus per gratiam vnionis pagina.722.b.
Christus vt homo an fuerit prius gratus ex vi hypostaticæ vnionis, quam fuerit prædituς habituali gratia. p.725.b.
An fuerit necessaria Christo gratia actualis adiuuãs ad supernaturales actus. p.726.b.
An fuerit necessaria gratia excitans. p.727.a.
Christi operationes sine gratia quomodo essent supernaturales in esse moris, & non in esse physico, ibidem.b.
An secluso omni principio supernaturali creato, posset elicere Christus operationes supernaturales. p.724.b
Christus an posset assumere naturam, quæ neque esset grata, neque ingrata. p.727.b
Quare si angelus gratus assumeret naturam humanam, natura humana nõ esset grata sicut in Christo. p.728.a
Gratia habitualis Christi non est operatiua, pagina. 342.a,& 345.b
Gratia capitis in Christo quomodo possit esse operatiua. p.343.a
Christus in genere moralis causæ in quãtum homo, est causa principalis nostræ gratiæ,& gloriæ, pag. 340.b,& 394.b
Christus in quantum homo quomodo, neque in genere physico, neque morali sit causa principalis nostræ gratiæ, sed instrumentalis, pag. 349.a, & pag. 343.b
Non est temerarium asserere Christum, quatenus homo, esse causam secundariam principalem nostræ iustificationis. p.341.a,& b.
Tutius est non esse causam principalem secundariam. pag.342.a


## INFINITAS GRATIAE Christi.


Gratia Christi quare non dicatur infinita ratione entis. pag.479.a
Gratia Christi secundum essentialem rationem sui, simpliciter est finita. p.481.a


Gratia




Gratia Christi, an sit infinita ex coniunctione humanitatis ad Verbum. ibidem.b
Habitualis gratia Christi, an sit infinita in entitate & intensione. p.482.a
Gratia Christi, an sit infinita simpliciter in genere gratiæ & secundum ordinem moralem, & in quo ordine non habeat infinitatem. p.483.b
Infinitas moralis gratiæ Christi quod sit realis perfectio & intrinseca ipsi. p.485.b
Moralis illa entitas infinita in gratia Christi, quomodo sumatur à Verbo. p.486.a
Gratia Christi quot modis dicatur infinita. p.485.a. & b.
Gratia Christi quomodo differat specie à gratia nostra, & quomodo non. p.486.a.& b.
Gratia Christi non est dispositio antecedens vnionem, sed concomitans. p.487.a
Gratia habitualis quomodo dicatur posterior gratia vnionis, si est naturalis Christo. pagina. 489.b
Gratia habitualis Christi, quòd fuerit simul tempore cum gratia vnionis. p.490.b
Gratia Christi, an habeat tantam actualem intensionem quantam habebit omnis gratia, tam hominum, quàm angelorum in vltimo die iudicij. pag.490.a.& b.
Charitas amentiam dicatur infinita. pag. 487.b. & 489.a
In Christo fuit duplex actus charitatis, alter beatificus & alter liber. p.687.a


## CHRISTI HVMANITAS.


Humanitas Christi non efficit gratiam in anima mediante aliqua qualitate pag.355.b.& 356.a & b. & 360.b.& 361.a & b.
Humanitas Christi, an producat physicè gratiã per relationẽm diuini imperij ad creaturas, pag.357. a.& p.401.b
Humanitas Christi non solum est causa moralis, sed physica gratiæ. pag. 397. a & b. & pag. 348. a & b.
Humanitas Christi potest operari in animas iustorũ à se longissimè distantes absque operatione prius in corpora intermedia. p.402.b
In humanitate Christi non sunt ideæ per quas producat gratiam. p.401.b
Humanitas Christi non fuit causa principalis efficiens productiua gratiæ, sed tantum instrumentalis. p.344.b
Probabile est humanitatem Christi præconcepram, fuisse causam efficientem iustificationis antiquorum Patrum. p.348.a & b.
Humanitas Christi quomodo efficienter cauter iustificationem nostram. pag.348.b. & 349.a. & b. & 401.b
Imperium diuinum practicum per quod humanitas Christi dicitur efficienter concurrere ad iustificationem nostram, an sit actio transiens, vel immanens. ibidem.
Humanitas Christi induit infinitam dignitatem ex coniunctione ad Verbum. p.487.b
Humanitas Christi quare dicatur specialiter instrumentum Verbi, & non totius Trinitatis, pagina. 349.a
Humanitati Christi fuit communicata virtus supernaturalis ad facienda miracula. pagina. 344.a
Humanitas Christi non fuit principium principale proximum ad facienda miracula. ibidem.
Virtus operatiua miraculorum, an reperiatur in Christo per modum permanentis vel transeũntis, p.350.a. & b.
Operationes Christi & passiones esse instrumenta physica ad causandam gratiam & cæteros supernaturales effectus. ibidem.
Operatio Christi communicata eius corpori ad iustificandum, an sit virtualis vel spiritualis, pagina 349.a
Quòd Christi corpus iam mortuum, sepultura, & descensus ad inferos, & resurrectio Christi, non fuerint causa meritoria, aut moralis, nec præcipua, nec instrumentalis nostræ iustificationis: fuerunt tamen causæ efficientes physicæ, pag. 394. a. & b.
Passio Christi quomodo causet iustificationem antiquorum patrum & nostram, pagina. 395.a. & 403.a, & b.
Quòd promissio incarnationis & passionis Christi non pertineat formaliter ad fidem. p.396.b
Christus quomodo in omnibus suis operationibus operatus fuerit nostram salutem. p.402.b


## CHRISTI MERITVM.


Christus non potuit mereri per voluntatem creatã. pag 687.b
Christi meritum an sit aliquid reale, pagina. 745. a. & b.
Meritum Christi est habitudo quædam, seu modus operationis moralis ordinatæ in præmium, ibidem.b.
Nihil potest cadere sub merito, quod Christus quantum ad sufficientiam non potuerit mereri, pagina. 747.a
Christus per eandem virtutem, gloriam sibi meruit & alijs. p.710.b.& 711.a.
An Christus plus meruerit, quàm Deus præmiare possit. p.749.a
Christus an meruerit de facto visionem beatificam. ibidem.b
Christus an possit alteri mereri de condigno primã gratiam. p.842.a.& 843.a.& b.
Christi meritũ, satisfactio, & omnes eius actus, sunt simpliciter finiti inesse entis, & bonitatis essentialis. p.746.a
Christi meritum non dicitur infinitum respectu præmij essentialis. p.747.a
De facto nullum præmium potest adæquari merito, & valori operis Christi. ibidem.
Christi meritum, quod non pensetur ex alijs nisi ex dignitate personæ. p.748.b
Christi meritũ quomodo dicatur infinitum? & quomodo non? p.749.a
Ad infinitatem Christi meriti, an à Verbo diuino efflaat aliquid positiuum in operatione humana Christi. ibidem.
Actus remissi & intensiores æqualis valoris fuerunt in Christo. ibidem.
Differentia inter meritum Christi & nostrum, & à quo proueniat valor eius. p.750.a
Christi merita sunt ex rigore iustitiæ. p.764.a
Infinitas meriti Christi, an explicetur per infinitum syncathegorematicè. p.750.a.& b.
Actiones liberæ & meritoriæ & satisfactoriæ Christi, habuerunt infinitatem inesse valoris, pagina. 752.a
Valor infinitus in operationibus Christi non habet connexionem cum valore, qui prouenit ex intensione actus, nec potest ab eo limitari. ibidem.b


Verbum

Verbum quomodo cõmunicauit suum valorẽ actionibus moralibus humanitatis Christi. pag.754.a
Si actus Christi haberent infinitam intensionem,an essent maioris valoris.ibidem.
Actiones Christi quare possent extensiuè crescere in valore & non intensiuè. ibidem.b
Actus Christi an sint absolutè summum bonum? ibi.
Actiones Christi an infinitè placeant Deo? & ratione cuius? pag.755.a
An Deus potuerit producere actũ magis pretiosum quàm essent actiones Christi. ibidem.
Actus Christi continent eminẽter omnem valorem qui potest resultare ex alijs circunstantijs. ibid.b
Id per quod formaliter Christi operatio redditur infinita, est entitas realis non physica, sed moralis, pag.744.a

## CHRISTI SATISFACTIO.

Christus satisfecit inquantum passus est, quomodo intelligatur. pag.755.b
Christi satisfactio quomodo fuerit ex iustitia, pag. 712.b
In satisfactione Christi an seruata fuerit vera & propria iustitia tam ipsius ad Deum,quàm Dei ad ipsum. ibidem.a
An sufficiat distinctio naturarum ad satisfactionem Christi. pag.714.a
Satisfactio Christi an sit actus iustitiæ cõmutatiuæ. pag.710.b
Iustitia commutatiua, an sit eadem in nobis & in Christo. ibidem.
An res oblata Deo in satisfactionem sit operatio diuina & humana. pag.762.a
Infinitas satisfactionis an reducatur ad suppositum diuinum. pag.487.a
Infinitas satisfactionis, an pensetur ex perfectione charitatis. pag.488.a
Deus an teneretur acceptare satisfactionem Christi & quomodo. pa.696.b.& 700.a.& b.& 697.a & b.
An fuerit facta promissio Christo acceptandi eius satisfactionem. pag.700.b
Christus an habuerit præceptum moriendi, pagina. 687.a
Christus quomodo habeat dominium supra suas operationes. pag 667.a
Christus secundum quòd homo,an fuerit filius Dei naturalis. pag.727.a

## CREATVRA.

Nulla creatura est causa principalis gratiæ, pagina 332.b
In quo sensu sit de fide creaturam non posse esse causam principalem gratiæ. pag.333.a
Creatura non potest eleuari vt instrumentum gratiæ per qualitatem,quæ sit potentia completè productiua eiusdem gratiæ.pag.360.b.& 361.a & b.
Creatura bene potest eleuari ad gratiæ productionẽ per qualitatem incompletam. pag.361.b
Non datur aliqua creatura, etiam de potentia absoluta Dei,quæ sit causa principalis gratiæ,pa.377. a. & b.
Pura creatura posset de potentia absoluta esse causa moralis & meritoria de condigno gratiæ alienæ. p.380.b
Creatura ista non est principalis causa gratiæ etiam in genere moris & meriti. ibidem.
Nulli creaturæ potest communicari quòd sit instrumentum creationis gratiæ,neque communicatum fuit humanitati Christi. p.390.b
Implicat dari creaturam,quæ sit causa principalis remissionis peccatorum. p.361.b
Nulla creatura est efficiens causa principalis habituum supernaturalium:sed Deus immediate illos producit. p.335.a
Creatura an possit esse causa moralis eorum, quæ fiunt à solo Deo. p.393.a
Creatura an possit esse instrumentum annihilationis. p.408.a.& b.

## DEVS.

Deus vt author naturæ,nullum opus bonum irremuneratum relinquit. p.44.b
An Deus ante suam prædiffinitionem & prædeterminationem aliquid cognoscat & præuideat futurum. p.328.b.& 329.a.& b.
An Deus in indifferentia liberi arbitrij possit cognoscere aliquid futurum. p.329.a
Deus infallibiliter cognoscit ea omnia,quæ cognoscit per quamcunque cognitionem, etiam futura conditionata. p.330.a.& b.
Solus Deus est causa principalis gratiæ. p.332.a
Deus solus est causa principalis efficiens nostræ iustificationis. p.340.b
Deus solus est finalis causa vltima nostræ iustificationis. ibidem.
Deus non est acceptor personarum. p.141.a
Quod Deus sit causa moralis eorum, quæ fiunt à creatura,contra quosdam asseritur. p.392.b
Deus habet prouidentiam respectu actuum voluntatis,tam in particulari,quàm in vniuersali. p.428. a.& b.
Deus non solum determinat substantiam actus: sed etiam vltimam eius rationem, vel modum. pag. 430.a,& b. & 431.a. & b. & 432.a & b.
Deus suo auxilio efficaci, & voluntas sua cooperatione sunt causæ efficientes actus liberi. ibidem.
Deus est causa physica & naturalis actus voluntatis,etiam quatenus est liber & humanus, pagina. 431.b
An possit stare quod Deus me efficaciter moueat & quod liberum arbitrium non mouetur. pa.436. a. & b.
Quare voluntas Dei conuertens vnum & non aliũ non sit irrationabilis. p.436.b
Deus an sit causa partialis nostræ conuersionis.pag. 443.a.& b.
In quo sensu Deus dicatur causa negationis conuersionis peccatoris. ibidem.
Deus potest supplere vicem contritionis extra sacramentum. p.539.a.& b.
Deus potest immutare voluntatem peccatoris sine actu elicito ipsius. p.541.a
In hoc obiecto, Deus est, an contineatur implicitè obiectum fidei. p 589.b
Ignorantia explicita Dei, an detur pro aliquo tempore. p.591.b
Deus an dicatur simpliciter debitor. p.695.b
Deus an dicatur debitor sui ipsius. ibidem.
Deus non dicitur debitor creaturæ:sed suæ promissioni. p.703.b
Deus an dicatur debitor ex perfecta iustitia,pagina. 780.b
An possit cadere in Deum aliqua obligatio iustitiæ commutatiuæ. p.699.a & b.
Iustitia dupliciter in Deo inuenitur, & quomodo dicatur distributiua & commutatiua. pa.711.b
Deus non necessitatur ab intrinseco. p.697.a





Deus præmiat vltra condignum, quomodo intelligatur.p.772.a.&.b.
Perfectiones Dei,aliæ sunt quæ possunt communicari creaturis,& quæ non possint.p.249.a.
Virtutes & perfectiones non vniuocè, sed analogice dicuntur de Deo & de nobis,p.712.a.
Voluntas permittẽdi peccatum in Deo, quòd sit bona,pa.304.a.

## DILECTIO.

Dilectio naturalis duplex & quid, p.62 a.&.p.48.a.
Dilectio naturalis Dei super omnia, quid includat, p.68.a. &.77.b. &.99.b.
Dilectio Dei,vt est author naturæ, an includat posse Deum diligi, vt est author supernaturalis, ibidem. b.
Dilectio Dei orta ex viribus naturalibus, an differat specie ab ea, quæ procedit ex auxilio supernaturali,p.91. b.
Dilectio, alia naturalis, alia supernaturalis,p.73.b.
Dilectio Dei vel potest includere omnia mãdata,vel singularem actum,ibidem.
Diligere Deum super omnia, an sit idem quod operari propter vltimum finem,p.74.a.
Dilectio Dei, quomodo sit simplex & quid virtualiter includat,ibidem.
Dilectio Dei supernaturalis dupliciter stat, & quid includat,p.85.b. &. 108.b. & p.447.b.
Cum dilectione supernaturali bene se compatitur veniale,non autem mortale,ibidem.
Licet dilectione elicita & libera ex suis viribus homo non diligat Deum plusquam se, bene tamen dilectione naturali non elicitâ, p.86. a.
Omnis dilectio consequens cognitionem supernaturalem, requirit auxilium supernaturale ex parte intellectus,p.89.b.
Si dilectio cõsequens cognitionem supernaturalem est efficax,requirit auxilium supernaturale ex parte voluntatis,p.90. a.
Dilectio Dei, an possit impleri quantum ad substantiam actus,& quomodo sit duplex,ibidem.
An detur dilectio Dei super omnia supernaturalis absoluta & inefficax, p.478. a. & b.
Dilectio alia intensiua alia appreciatiua, p. 454. b.
Dilectio Dei super omnia sine actu pœnitentis, non est sufficiẽs simpliciter ad expellendum peccatum p.614. a. & b. &.615.a. &. b.
Dilectio charitatis,quæ est prior actu pœnitẽtiæ, est actus charitatis infusæ & non acquisitæ, p.678. a.
Appetere mortem pro Christo,an includat dilectionem Dei super omnia,p.81. a. &,b. &. 92. a.

## DISPOSITIO.

Dispositio, an debeat esse eiusdem ordinis cum forma introducenda,p.337. a.
Explicatio illius, qui ponit vltimam dispositionem ad formam ponit formam, p.ibidem. a. &. b.
De fide est nullum adultum iustificari sine præuia dispositione, pag.409. b.
Adultus,quomodo disponatur ad gratiam,p.410.b.
De fide est quod in paruulis non requiratur vltima. dispositio & præparatio ad gratiam, ibidem. b.
An sit idem sentiendum de adultis, qui nunquam habuerunt vsum rationis,ibidem.
An omnibus paruulis detur æqualis gratia, & an ex priuilegio alicui sanctorum fuerit data maior, pa. 411.a.
Innocentibus ab Herode occisis, an fuerit data gratia per propriam dispositionem,pag.ibid.
An Ioãnes Baptista per propriam dispositionem fuerit sanctificatus in vtero,ibidem. a.
An Beata Virgo habuerit vsum rationis in vtero,& an fuerit sanctificata per propriã dispositionem, ibidem, b. & pag.412.a.
Angeli & Adam receperunt gratiã per propriam dispositionem,p.413.b. & 568.a.
An paruuli qui nascerentur ex Adam reciperent gratiam per propriam dispositionem,pag.414. b.
Actus supernaturales non sunt dispositiones ad gratiam quatenus sunt à nobis,pag.573.a.
De potẽtia absoluta potest Deus infundere gratiam sine propria dispositione,p.409.b. & pa. 423.a.
De fide est, quòd dispositio ad gratiam necessariò includit actum fidei supernaturalis,pag.415.a.&.b.
Fides quæ necessaria est ad iustificationem, in quo cõsistat,ibidem,b.
Sola fides non sufficit ad dispositionem gratiæ, sed requiritur in voluntate motus fidei Christianæ, pag. 416. a.
An in actu conuersionis,vel dispositionis requiratur actus formalis spei,vel sufficiat virtualis, ibidem.
Præter actum fidei,& spei,necessaria est conuersio in Deum ad dispositionem ad gratiam,ibidem. b.
Qui actus requirantur ad dispositionem ad gratiam, ibidem. b.
An conducat ad gratiam facere quod in se est, ex viribus naturæ,pag.439. b.
De fide est, q̃ homo suis viribus non se potest disponere ad gratiam habitualem,pag.450.a.
Per vires naturæ nemo potest se ad gratiam excitantem disponere,ibidem.b. &.460.a.
Qui nihil de fide audiuit, non potest sine excitante gratia, se ad gratiam disponere, p.457. b.
De fide,est quòd ad recipiendam gratiam primam excitantem nulla dispositio requiritur ex parte hominis, pag.459. b.
An homo se disponat in hac vitã ad recipiẽdam gratiam in alia vita,p. 474.a. & b. &.475.a.
Dispositio ad gratiam ex suo genere, an postulet, vt sit motus penè liber, p.572.b. & 573.a &.b.
Dispositio quo fuerit maior,maior gratia recipietur, pag. 477.
Nullus est qui amplius minusue conetur, vel disponatur sicut oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur, quàm sit proportio diuini auxilij supernaturalis,pag.439.a.
An sit sufficiens instantanea dispositio ad gratiam? p.650. a.&.b.
Dispositiones vltimæ ad gratiam,an procedãt à gratia,vel sint causæ gratiæ? pag.634.a.&.b. &. 660. a.&.b.
Vltima dispositio ad gratiam, an sit meritoria de cõgruo primæ gratiæ? pag. 822.a. &. b.
An si homini habenti vltimam dispositionem ad gratiam,non daretur illi,si fieret iniuria? pag.455.a.
Ad dispositionem remotam, non sequitur infallibiliter gratia.pag.444.a.

## DONVM.

Donum perseuerantiæ, quomodo infundatur simul cum gratia, pag.191.b.
Donum perseuerantiæ,an distinguatur â gratia habituali? pag.193.a.&.b.
Donum perseuerantiæ, quot modis accipiatur, pag. 195.a.
Ad perseuerandum in gratia, & obseruanda omnia mandata per longum tempus, nõ sufficit auxilium supernaturale, sed requiritur auxilium speciale gratiæ. pag.195.a.&.201.a.&.b.
An Deus sit paratus conferre omnibus hominibus auxilium ad perseuerandum,siue per longum tem

pus, siue per totã vitã? p. 198. b. &. 205. a. &. 207. a.
An in statu innocentiæ & iustitiæ originalis ad perseuerandum, requiratur auxilium speciale præter supernaturale. p. 196. b. &. 205. a.
Donum perseuerantiæ, aliud ad posse perseuerare: aliud ad perseuerandum de facto, p. 197. b.
Perseuerantiæ præceptũ, quomodo obliger, p. 198. b
Donum perseuerãtiæ, quomodò differat à confirmatione in gratia. p. 199. b.
Donum perseuerantiæ, quid? p. 201. b. &. 202. a
Nemo potest scire se habiturum esse magnum illud vsque in finem perseuerãtiæ donum, p. 493. a. & 497. a.

FOELICITAS.

Fœlicitas, alia naturalis, altera supernaturalis, p. 45. a & b.
Fœlicitas duplex, Ea consistit in præmio, altera in merito, p. 42. a.
Fœlicitas naturalis, in quo consistat. p. 44. b.

FINIS.

Finis alius operis, alius operãntis, p. 57. a.
Finis naturalissimus hominis, quis sit, p. 43. a.
Tantum est vnus finis hominis, p. 57. a.

FIDES.

Auxilij necessitas ad credendum oritur, tam ex parte credibilium supernaturalium, quàm ex parte ipsius assensus & credulitatis, p. 24. b.
Amplius requiritur ad credendum assensu firmo & catholico, quam ad non credendum assensu Christiano, p. 28. a.
Vnus & idem sensus, non potest esse verus & falsus, fidelis & hæreticus, p. 27. b.
Differẽtia, quæ versatur inter Catholicũ, Paganum, & Sarracenum, quantum ad credendum, p. 28. a.
Hæreticus credens Deum Trinum & vnum, non credit propter testimonium Dei, sed propter rationes humanas, p. 26. b.
Motio voluntatis necessaria est, vt intellectus rebus credendis per fidem assentiatur, p. 21. a.
Nemo potest sine inspiratione Spiritus sancti credere sicut oportet, p. 22. b.
Multò difficilius est credere, quàm iudicare mysteria fidei euidenter esse credibilia, p. 24. a.
Error est dicere, fidem humanam tam certam esse sicut diuinam, p. 27. a
Christianus tenetur credere, saltẽ in genere, quæ in vtroque sunt testamento: & quæcunque Ecclesia dixerit esse de fide, p. 27. a
Testimonium Ecclesiæ, an sit illud in quod resoluitur fides nostra? ibidem.
An reducatur ad authoritatem eiusdem Ecclesiæ, quãtum ad distinctionem & explicationẽ credendorum, & Ecclesiam esse regulam infallibilem proponendi & explicandi veritates fidei, ibidem.
Ratio naturalis apertè & euidẽter ostendit fidei mysteria non esse impossibilia, p. 24. a.
Res fidei nostræ, an sint euidenter credibiles, pag. 28. b.
Error est in fide asserere esse possibile, vt res quæ per se sub fide cadunt possint ostendi euidenti naturalique ratione, p. 24. a.
Rerum naturalium & supernaturalium differentia, quantum ad credulitatem, p. 25. a.
An sit bona hæc consequentia: possumus cognoscere apertè religionis nostræ mysteria esse credibilia: ergo ex eadem ratione esse possibilia, ibidem.
Probabile est, quòd potest aliquis euidenter cognoscere, quòd actus credendi, quem habet, est ille, quòd Ecclesia catholica prædicat omnes fideles habituros, & esse actus credendi supernaturales, pag. 511. b.
Nemo potest euidẽter cognoscere, quod fides quam habet, est infusa & diuina, ibidem.
Probabilius est, nos non cognoscere certitudine infallibili fidei supernaturalis præsentiam nostræ fidei supernaturalis, p. 512. a.
Non est certus fidelis, certitudine infallibili fidei, se credere per habitum infusum fidei, p. 511. a.
Non est de fide esse habitus infusos, ibidem.
Quo pacto sit euidens nobis, quod habemus fidem, p. 510. b. &. 511. a.
An aliquis sit certus q̃ habet fidẽ supernaturalem, p. 513. a. & b. &. 514. a & b.
Fidei supernaturalitas, magis excedit vires nostras, quam externa signa quibus permouetur homo ad credendum. p. 24. b.
An possit ignorare Catholicus quod habet fidem infusam, p. 513. a & b. & 514. a & b.
Non est de ratione fidei quod fidelis infallibiliter iudicet se habere fidem supernaturalem, ibidem.
Quod possit quis dubitare de actu credendi qualis sit quãuis non dubitet de obiecto credito, ibidem.
Fides infusa & Catholica, non sunt duo habitus, & quomodò, p. 516. b.
Fides, an sit intrinsecè habitus obscurus, p. 517. a
Per fidem Catholicam, quæ sint credenda, ibidem.
Quæ sit ratio formalis obiecti fidei? ibidem. & pag. 518. a.
An per eandem fidem assentiamur omnibus reuelatis à Deo?
Fidelis non potest credere certò & infallibiliter per fidem humanam, p. 517. b.
Fides Adæ & Angelorum eiusdem rationis est cum fide nostra, & quomodo. p. 518. a.
An primi magistri Ecclesiæ habuerint euidentem notitiam omnium quæ tradiderunt Ecclesiæ. pagina 518. b.
Differentia inter fidem Catholicam, vt Catholica est, & fidem Catholicam, vt diuina & supernaturalis est, p. 119. a.
Fides, an sit necessaria dispositio ad iustificationem. p. 575. b.
Actus fidei requiritur ad iustificationem, & quod haberi non possit actus charitatis aut pœnitẽtiæ sine illo, p. 576. a.
Fides supernaturalis in omni tempore, quomodo fuerit necessaria ad iustificationem? p. 579. a & b.
Quæ fides requiratur ad iustificationem? explicita? an implicita Christi? p. 586. a & b.
Fides implicita & explicita Christi non differũt specie, p. 588. a
Fides implicita Christi requiritur ad iustificationem adulti, primo peruenientis ad vsum rationis, ibidem. b.
Ad iustificationem pueri requiritur fides explicita Dei, ibidem.
Præcepta fidei, an possint ignorari ignorantia inculpabili, p. 594. a.
Sine fide explicita Christi & Trinitatis, an possit quis iustificari? ibidem. b.
Fides supernaturalis necessaria est ad iustificationẽ, tam extra sacramentum, quam in sacramento, pa. 595. b.
Actus primus fidei, quomodo possit esse meritorius, p. 797. b. &. 799. b.
Fides informis potest infundi sine gratia & Charitate, pag. 27. a.
Fides prærequirit sufficiẽtem propositionem ad euidentiam credibilitatis, & dictamen prudentiæ rectæque rationis, p. 24. b.

Fides,



Fides, an causet euidentiam credibilium, tantum in subiecto disposito, pag. 28. b.
Probabile est euidentiam articulorum fidei intestificante solum posse simul stare cum fide. pag. 25. b.
Differentia quæ versatur inter assensum fidei diuinæ & humanæ, ibidem. b. &. p. 28. a.
Fides dæmonum, an sit vera fides. p. 16 a. &. 27. b.
Dæmones credunt, non propter affectum bonum, sed coacti euidentia signorum, ibidem.

FORMA.

Quis effectus formalis formæ possit suppleri à Deo? pag. 226. a.
Omnis forma; quæ deducitur de potentia subiecti, an donetur illi secundum mensuram dispositionis eius, p. 405. b.
Forma, an recipiatur in materia disposita? p. 410. a. & 422. a.
Forma, an possit conseruari sine propria dispositione. p. 412. b.
Forma, quot modis habeat terminum magnitudinis, pag. 479. a
Quare detur terminus augmenti in formis naturalibus: non autem in gratia & charitate. ibid. a. &. b.
Ex quibus possit prouenire perfectio alicuius formę, ibidem. b.
Omnis forma dicitur sufficiens ad quod nõ est opus speciali Dei auxilio. p. 5. a. & 412. a

GLORIA.

Gloria duplici titulo datur, pag. 760. a.
Iustus quomodo mereatur gloriam de condigno, pa. 762. &. 768. a.
Gloria, an detur purè liberaliter. ibidem. b.
Debitum gloriæ, in quo fundetur, ibidem.
Quomodo dicatur Deus debitor gloriæ? p. 769. b
An requiratur proportio inter gratiam & gloriam admerendum de condigno, & qualis sit. ibid. & pagina 770. a.
Gloria, quomodo dicatur Corona iustitiæ, p. 777. b.

GRATIA

Gratia est necessaria, non vt facilius credamus, sed vt simpliciter credamus, p. 22. a
Gratia specialis requisita ad credendum, est necessaria ex parte intellectus & voluntatis, pa. 23. a.
Gratia, quare dicatur externum principium humanorum actuum, & quare gratia nominetur. pa. 1. a. &. b.
Gratiæ nomine, non intelligitur bonum & malum. pag. 2. a.
Gratiæ nomine, intelligitur supernaturale quoddam donum, specialisque Dei auxilium gratuitum, siue actuale internum, siue externum habituale, ibidẽ. &. pag. 667. a.
Huiusmodi donum, vocatur animæ motio, ibidem.
Gratia, virtutes omnes præuenit & actiones, ipsasque efficit. ibidem.
Gratia accipitur pro qualitate supernaturali animæ essentiæ inhærenti, ibidem.
Gratia vocatur principium operis meritorij & habitualis, ibidem.
Gratia vocatur semen Dei, ibidem.
Gratia est auxilium Dei speciale, vt distinguitur contra naturam, p. 2. a. & b.
Gratia, dicitur quia gratis & non ex debito, ibidem.
Gratia iustificans est potissimum obiectum huius tractatus: gratia vero in communi adæquatum, ibidem. b.
Gratia, non solum accipitur pro gratia gratum faciente, sed etiam pro dono gratuito. p. 3. a.
Sine gratia non potest homo veritates omnes collectiuè cognoscere. pag. 4. b. & 7. b. & 8. a.
Sine gratia nõ potest homo per disciplinam alterius, aut per industriam collectiuè cognoscere omnes veritates naturales. pag. 5. a
Sine gratia, potest homo cognoscere quamcunque veritatem naturalem. p. 8. a.
Gratia quomodo sit necessaria ad vincendas tentationes, p. 58. a.
Gratia, non est conditio necessaria ad singula mandata adimplenda, pa. 102. b.
Non est tutum in fide asserere, quod gratia gratum faciens, vel charitas, est necessaria ad obseruationem singulorum mandatorum, p. 117. b.
Ad recipiẽdam gratiam habitualem non requritur aliud donum habituale, p. 125. a.
Hæreticum est dicere, posse hominem ex solis viribus naturæ efficere opus aliquod, quod sit meritorium gratiæ, vel ex quo naturaliter sequatur, pag. 130. b.
Erroneum est, dicere, quòd facienti quòd in se est ex viribus naturæ, infallibiliter, ex lege daretur gratia, pag. 122. a. & 438. b. & 440. a.
Gratia iustificans efficit hominem Deo gratum, & præstat vires ad bene operandum, pa. 197. a.
Gratia iustificãs quomodo sit sufficiens ex parte principij ad vitanda omnia peccata, licet ex parte subiecti sit necessarium speciale auxilium, p. 198. b.
Collata gratia per Christum quomodo sit abundantior, quàm gratia Adæ, pag. 199. a.
Gratia quot modis accipiatur, & an ponat aliquid in anima, p. 207. b.
An gratia sit nobilior quacunque substantia creata, p. 112. b.
An gratia creetur, vel concreetur, p. 113. b. &. 114. a.
Gratia & charitas, an sint duo habitus realiter distincti, p. 215. b.
Gratia, an sit qualitas distincta à qualibet alia virtute, ibidem.
Quod sit officium & munus charitatis & gratiæ, pa. 216. b.
Gratia & charitas quòd sint formæ virtutum diuersimodè, p. 217. a.
Gratia & charitas, an habeãt connexionem cum cæteris virtutibus, p. 218. b. & p. 538. a.
Gratia simpliciter excellentior charitate, ibidem. a.
Gratia immediate est in essentia animæ, pa. 219. a.
Gratiæ diffinitio & essentia. pag. 220. a.
Actus primus gratiæ, an sit facere consortem diuinæ naturæ, & quis sit eius effectus, p. 221. a. &. 224. b &. 225. a & b. &. 226. b.
Gratia, an primò reddat intellectum gratificabilem, vel potius voluntatem. p. 222. a.
Esse gratum Deo contingit intrinsecè & extrinsecè, & in quo sensu sit effectus intrinsecus qualitatis gratiæ, p. 226. b. &. 227. a.
An sine qualitate gratiæ de potentia absoluta Dei possit homo esse formaliter Deo gratus, pa. 228. b. &. 229. a. &, b.
Quid sit prius, hominem esse gratum Deo, quàm habere qualitatem gratiæ. pagina. 232. b. &. 234. a. &. b.
An qualitas supernaturalis gratiæ possit esse in homine peccatore de potentia absoluta Dei, & quod vtraque pars sit probabilis p. 238. a.
De fide est gratiam esse ordinis supernaturalis. pagina. 242. b.
Gratia non potest esse connaturalis alicui creaturæ. pag. 244. a.

Gratia, alia iuſtificans, alia gratis data, & an diſtinguantur inter ſe. p. 255. b. & 256. a.
Gratia operans & cooperãs, quid ſint. p. 257. a. & b. & 261. a & b. & 274. a & b.
Quod gratia operans ſolear appellari excitans; cooperans verò adiuuans, & quare illa dicatur præueniens, hæc verò ſubſequens & concomitans. pag. 258. b. & 286. b.
De fide eſt quod gratia actualis, ſeu auxilium Dei, recte diuiditur in excitantem & adiuuãtem, & quid ſint. p. 259. a. & 266. a. & b.
Iuſtificatio, quomodo dicatur eſſe effectus gratiæ operantis & cooperãtis. p. 260. a.
Gratia actualis & habitualis, quid ſint. ibidem.
Quomodo illuminationes & inſpirationes, quæ dicuntur gratia excitans, ſine nobis vel à nobis producantur. p. 267. b. & 271. a & b.
Quod gratia excitas & adiuuans ſint idem realiter. pag. 269. a.
Quod iſtæ gratiæ diſtinguantur. p. 278. b.
Gratia adiuuans, quòd habeat ſemper coniunctum effectum non verò excitans. p. 269. & 270. a.
Quod cauſalitas gratiæ excitantis ſit moralis, adiuuantis verò phyſica, ibidem.
An melius conuertantur qui maiore excitãte gratia præueniuntur, ibidem.
An poſsit ſtare quòd aliquis mutetur ad conuerſionem per gratiam excitantem, & quod non conuertatur. p. 278. a.
Gratia excitans & adiuuans, an ſint æque neceſſariæ ad opera ſupernaturalia. pagina. 281. a & b. & 283. a.
Gratia excitans & adiuuans, an ſint neceſſariæ ad ſingulos actus ſupernaturales. pagina. 283. b. & 284. a.
Peccator fidelis non ſe poteſt conuertere ad Deum, aut iuſtificari ſine gratia excitante. pagina. 457. b. & 458. a.
An ad conuerſionem requiratur alia gratia præter excitantem. ibidem.
Gratia excitans, quid ſit ibidem.
Gratia excitans, an ſit diuerſa in quolibet opere. pagina. 459. a.
Gratia excitans & primò diſponens, non æquè datur, ſed quibuſdam maior, alijs minor. pagina. 475. b.
Aliæ gratiæ quæ immediatè diſponunt ad vltimam iuſtitiæ introductionem, etiam ſunt inæquales. pagina. 476. a.
Hominibus qui per propriam diſpoſitionem gratiã recipiunt inæqualis infunditur gratia pro modo & ratione ſupernaturalis diſpoſitionis. ibidem. b.
Gratia quæ confertur ſine propria diſpoſitione iuſtificantis, æqualis eſt in omnibus, pag. 478. a.
Gratia nos facit ſimiles Chriſto, vt homini quamuis non immediatè. p. 336. a.
Effectus formalis gratiæ, qui eſt facere gratum Deo, an poſsit ſuppleri a Deo. p. 552. a.
Gratia formaliter, an ſit acceptatio & ius ad gloriã. p. 836. a & b.
Anima noſtra quomodo ſit in potentia ad gratiam. pag. 682. a.
Gratia, an educatur de potentia animæ, vel creetur. p. 384. b. & 385. a & b. & 404. b.
Gratia, quomodo educatur de potentia ſubiecti. pag. 385. a & b. & 406. a.
Explicatio illius, Facienti quod in ſe eſt, Deus nõ denegat gratiam. p. 205. b.
Gratia, an producatur in primo inſtanti & quomodo. p. 384. a. & 406. a & b.
Gratia Adæ & angelorum non fuit creata, ſed educta de potentia ſubiecti. p. 404. b.
Gratia alia præueniens alia ſubſequens, & quomodo diſtinguantur inter ſe, & ab operante & cooperante. p. 273. b. & 274. a & b.
Gratia operans & cooperans, quòd ſint communes, tam in peccatoribus quam iuſtis. p. 274. b.
Eadem gratia dicitur operans & cooperans. pagina 673. a.
Gratia actualis, alia eſt ſufficiens, alia efficax, & quid ſint. p. 275. a.
Gratia præueniens, an diſtinguatur ab actibus ad quos liberum arbitrium per eam excitatur. pagina 278. a.
An ſemper detur gratia iuſtificans homini facienti illud ad quod Deus immittit auxilium præueniẽs. p. 454. b.
An cum iuſtus creſcit in gratia ſit cauſa illius augmenti efficienter per ſua bona opera. p. 381. b.
Augmentum gratiæ, an cadat ſub merito condigni. pag. 854. b.
An poſsit aliquis mereri alteri de condigno primam gratiam, vel de congruo. pagina. 840. a & b. & 841. a & b.
An qui maiorem habet gratiã, cæteris partibus, plus mereatur eodem actu. p. 729. b.
Quare gratia in ſua prima productione non excedit intentionẽ actus ſicut in augmentatione per actus remiſſos. p. 873. a
Gratia an augeatur per actus remiſſos. p. 862. a & b. & 865. a & b.
An augmentum gratiæ & charitatis per actus remiſſos detur ſtatim. pag. 876. b.
In inſtanti infuſionis gratiæ poteſt homo operari per virtutes infuſas & mereri augmentum gratiæ ſtatim conferendum. p. 385. a
Infuſio gratiæ dupliciter accipitur, paſsiuè & actiuè. p. 664. a.
Infuſio gratiæ, quomodo ſit prior motu liberi arbitrij, ibidem.
An eodem motu Deus infundat gratiam & moueat liberum arbitrium. p. 677. a.
Gratia tripliciter poteſt augeri in inſtanti infuſionis pag. 884. b.
Gratia ex propria ratione non habet terminum magnitudinis & intenſionis, & an poſsit in infinitum creſcere de potentia abſoluta, p. 479. b.
Viator ſemper poteſt creſcere in gratia Dei. ibidem.
Gratia non habet terminum intenſionis, neque ex parte cauſæ efficientis, neque ex parte ſubiecti. pagina. 480. a.
Gratia habet de facto terminum ſecundum ordinem diuinæ prouidentiæ. ibidem. b.
Gratia non poteſt dari actu infinita. p. 483. a.
Gratia vere habet extrinſecum terminum, ità vt infinita in actu de potentia Dei non poſsit dari. pagina. 490. a & b.
Abſque diuina reuelatione, an poſsit aliquis habere euidentiam certitudinis quòd ſit iuſtus. pagina 492. a.
Certitudo gratiæ, quot modis poſsit euenire. pagina. 491. a & b.
Quod Paulus cognouerit ſe eſſe in gratia habituali. pag. 492. b. & 493. a.
Beatæ Virgini, an fuerit reuelatum ſe eſſe in gratia. p. 493. a
Certitudo gratiæ alia moralis & humana, alia diuina ſupernaturalis, quæ eſt multiplex. pagina. 495. a & b.







Certitudo alia ex parte ſubiecti alia ex parte obiecti. pag. 495. b.
Hæreticum eſt dicere omnes catholicos teneri credere abſque hæſitatione eſſe in gratia. pagina 495. b.
Hæreticum eſt quòd poſsit iuſtus de lege ordinaria eſſe certus immediatè per fidem catholicam eſſe in gratia. pag. ibidem. & pag. 497. b.
Iuſtus an poſsit habere aliquam cognitionem de ſua gratia. pag. 498. a. & 505. a. & b.
Quatuor ſunt gradus certitudinis gratiæ. pagina 500. b.
Nullus in hac vita poteſt habere certitudinem infallibilem ſuæ gratiæ, & quomodo. pagina. 501. a. & b.
Secundum legem communem, an poſsit quis habere tantam certitudinem gratiæ, vt excludat omnem formidinem & dubitationem. pagina. 502. b. & pagina. 503. a.
Certitudinem moralem nullus poteſt habere de ſua gratia. pag. 503. b.
Certitudo moralis gratiæ, an excludat omnem dubitationem. pag. 504. b.
An ſit verum prius natura in genere cauſæ materialis expelli peccatum quàm infundatur gratia. pagina. 523. a. & b.
Vna & eadem gratia numero, an poſsit dici præueniens vocans & excitans. p. 278. b.
Quod gratia operans, vocans, & præueniens, ſit de lege neceſſaria ad conuerſionem: aſſeritur contra quoſdam. p. 282. a. & b.
Quomodo concurrat anima ad eſſe gratiæ quaſi materialiter ſine aliquo ſupernaturali dono eleuãte potẽtiam eius paſsiuam. pag. 386. a. & b.
Efficacia gratiæ & prædeſtinationis non derogat libertati. pag. 329. b. & 569. b.
Facienti quod in ſe eſt ex viribus naturæ Deus non denegat gratiam. p. 441. a. b. & 549. b.


## HABITVS.


Habitus in ratione habitus dicit ordinem ad operationem, pag. 41. a & b.
Conuerſio habitualis ad creaturam alia phyſica, alia moralis, & quæ ſe compatiatur cum gratia. pag. 24. a.
Actualis intentio an ſit efficacior, quàm habitualis vel virtualis. pag. 59. a.


## IVSTIFICATIO.


Iuſtificationis quæ ſint acceptiones. pag. 520. a. & b. & 521. a. & b. & 522. a.
Iuſtificationis definitio. ibidem.
Iuſtificatio an poſsit accipi pro præuijs diſpoſitionibus actuum ſupernaturalium credendi, ſperandi. pag. 521. b.
Differentia, quæ verſatur inter diſpoſitiones ad formas ſubſtantiales, & ad iuſtificationem. ibidem.
An ſint duæ mutationes diſtinctæ ponendæ in iuſtificatione impij. pag. 522. b. & pag. 523. a.
Iuſtificatio poteſt dici remiſsio peccatorum, & quomodo. pag. 523. a.
Iuſtificatio actiua non ſpecificatur à remiſsione peccatorum. pag. 523. b. & 524. a.
Iuſtitia qua ſumus iuſti formaliter non eſt illa iuſtitia qua Chriſtus iuſtus eſt in ſe ipſo. pag. 528. b. & 529. a. & pag. 784. a. & b.
An quis poſsit iuſtificari de potentia abſoluta Dei ſine actu elicito. pagina. 540. b. & 571. a. & b. & 572. a.
Ad iuſtificationem impij quomodo requiratur motus liberij arbitrij. pag. 564. a. & b.
Quando quis iuſtificatur ſine ſacramento per contritionẽ motus liberi arbitrij motus eſt ſimultaneus gratiæ, & quomodo. pag. 564. b.
In iuſtificatione impij per ſacramentum, an requiratur motus liberi arbitrij. ibidem. & 565. a.
An ſit verum hominem ſe præparare ad ſuam iuſtificationem & gratiam. pag. 566. a. & b. & pagina 567. a.
Adultus ſe iuſtificat, an poſsit concedi. ibidem. b.
In iuſtificatione per ſacramentũ, an requiratur actus ſis deuotio. pag. 570. b.
Iuſtificatio quare in ſcriptura tribuatur fidei. pagina 577. a. & 599. b.
Exordium iuſtificationis noſtræ à quo proueniat. pagina. 282. a.
Nemo poteſt iuſtificari ſine illis, quæ ſunt neceſſaria neceſsitate finis. pag. 594. b.
Ad iuſtificationem præter actum fidei alij actus requiruntur. pag. 598. b.
Ad iuſtificationem præter actum liberi arbitrij requiritur actus ſpei explicitus, & ſimul timor. pag. 601. b. & 602. b.
Ad iuſtificationem impij, an requiratur actus pœnitentiæ. pagina. 604. a. & b. & pagina. 606. a. & b.
An requiratur formalis pœnitentia ad iuſtificationem. pag. 609. b.
In iuſtificatione impij inuenitur iuſtitia & miſericordia. pag. 631. b.
Iuſtificatio adulti, an fiat mediante contritione quatenùs eſt meritum vel quatenus eſt diſpoſitio. pag. 632. b.
Iuſtificatio impij & remiſsio peccatorum, an ſint vnus actus. pagina. 641. a. & b. & pagina 642. a.
Iuſtificatio impij, an ſumat ſpeciem à remiſsione peccatorum. pagina. 642. b. & pagina. 643. a. & b.
Iuſtificatio impij & Adæ quomodo differant ſpecie pag. 644. a. & b.
In iuſtificatione impij quomodo terminus ad quem ſit iuſtitia & remiſsio peccatorum. pag. 645. a.
Error eſt dicere, quòd ad iuſtificationem peccatoris neceſſariò requiritur vt contritio continuetur per aliquod tempus. pag. 648. a.
Iuſtificatio impij ſit in inſtanti & quomodo non fiat. ibidem. b.
An ſeruetur ordo in iuſtificatione impij inter gratiam, & liberum arbitrium, & alios actus. pag. 666. b. & 677. b.
Ad iuſtificationem, an requiratur auxilium gratiæ Dei adiuuantis & præuenientis nos. pagina 438. b.
Iuſtificatio impij abſolutè non eſt miraculoſa. pagina. 680. b.
Quare iuſtificatio non ſit miraculoſa, ſuſcitatio autem mortui & illuminatio cæci ſit miraculoſa. pagina. 681. a.
Iuſtificatio Pauli, Latronis, & Magdalenæ fuit miraculoſa. ibidem. b.


## IVSTITIA.


Iuſtitia dupliciter dicitur. pag. 312. b.

Actus iustitiæ an possit esse sine obligatione iustitiæ. pag.713.a.
Obiectum iustitiæ est ius. ibidem. b.
Iustitia alia perfecta, alia imperfecta. p.702.a
Iustitia alia distributiua, alia commutatiua. pagina 704. b.
Quare non reperiatur ita perfectè iustitia commutatiua inter nos & Deum, sicut distributiua. pag. 708.a.
Iustitia distributiua rigurosa; an reperiatur inter nos & Deum. ibidem.
Rigor iustitiæ in quo consistat. pag. 764.b.

INTELLECTVS.

Intellectus tripliciter potest ferri in Deũ obiectum supernaturale. pag.20. b.
Intellectus promptior est ad assentiendum veris quàm falsis in naturalibus, non autem in supernaturalibus. pag. 26. b.
Intellectus noster vt moueatur in assensum fidei non sufficit præcisè sola voluntas cum sola apprehensione terminorum. pag. 21. a.&.b.
Vt intellectus noster assentiatur rebus fidei postquam illi propositæ sunt non est necessarium donum gratiæ habitualis, nec habitus infusus, pagina 23. b.

INSTRVMENTVM.

Ad eleuationem instrumenti, an requiratur existentia. pag.365,b.
In quolibet instrumento, reperitur duplex motus, quidam simplex, alius artificiosus, pag. 370.b. & 371.a. &.375.a.&.b.
Isti motus instrumẽtisan distinguantur inter se. ibid.
Instrumentum debet reduci ad causam efficientem, & non ad alias causas. pag.391.a.
Instrumenta alia physica, alia moralia. pag.392.a.
An sit contra rationem instrumenti, quòd operetur per intellectum & volantatem. pag.351.a.
Instrumentum an habeat aliquam actionem præambulã ad actionem agentis principalis. pag.387.a. &.345.a.&.374.b.
Explicatio illius. De ratione intrinseca physici instrumenti est, quòd sua virtute producat in passo aliquam actionem prærequisitam. p.398.a.&.b.
Instrumentum virtute agentis principalis potest producere effectum nobiliorem se. pag.402.b.
Ad rationem instrumenti an requiratur contactus immediatus quãdo agens principale immediate attingit effectum. pag.401.a.
An Deus possit, supplere præuium & physicum contactum instrumenti. pag.388.a.& b.&.402.b.
An sit idem agere instrumẽtum per contactum præuium, & operationem præuiam. p.402.b.
Ad rationem instrumenti physici vt possit assumi à Deo, sufficit quòd aliquando extiterit in rerum natura. pag.400.a.&.403.a.
Distantia temporis præteriti an possit suppleri in instrumento. pag.402.b.&.404.a.
Instrumẽtum est quod operatur in virtute alterius, quomodo intelligatur. pagina.15.a. &.124.a.& 340. a.
Instrumentum diuinæ virtutis, non aligatur distantia loci. pag.349.b. &.400.a.

LIBERVM.

Liberum arbitrium est in nobis & quomodo. pag. 438.a.&.b.
An sit de ratione libertatis quòd operans liberè sit prima causa sui actus. pag.569.b.
Ratio libertatis in quo consistat. ibidem.
Liberum arbitrium à Deo motum & excitatum potest dissentire si velit, an simpliciter sit vera. pag. 291.a.
Efficacia prædestinationis non derogat libertati, pa. 329. b. &.569. b.
Libertas duplex, vna contrarietatis, & altera contradictionis. pag.685.a.&.b.

MARTYRIVM.

In martyrio an requiratur formalis displicentia peccatorum. pag.422. a.
An, ratione martyrij detur gratia in primo non esse hominis. pag.474. b.
An si quis subito raperetur ad martyrium teneretur discutere conscientiam suam. pag. 538. b. & 517. b. &.518, a.
An si isti homini darentur indutiæ & tempus, teneretur confiteri. Ibidem.
An in isto casu teneretur baptizari, si non ast baptizatus. ibidem.
Martyrium an conferat gratiam ex opere operato. ibidem.
Martyrium an operetur physice, vel moraliter. pag. 475. a

MERITVM.

Quòd sit constituẽdum meritum bonorum operum. pag.683.a.&.b.&.702.a.
Meritum esse constat ex sacris literis. pag.684.a.
Meritum quot modis accipiatur. ibidem.b.
Ad meritum quid requiratur. pag.685.a.&.b.
Meritum includit rationem debiti. pagina.685.b.& 702.a.
Ad meritum non sufficit libertas complacentiæ. ibidem.
Essentiale est merito esse opus liberum. ibidem.
Per opera naturalia, nec meremur, nec demeremur. pag.686.a.&.b.
Si Deus faceret legem vt per opera naturalia daretur præmium, illa opera non dicerentur meritum. ibidem.
Ad opus meritorium requiritur quòd sit moraliter bonum. ibidem.b.
Essentia meriti quæ sit? pag. 687.a.
Meritum ex quo sit pensandum. p.734.a.
Actus liberi arbitrij extortus metu cadente in constantem virum, an sit meritorium. p.688.a.
Meritum vitæ æternæ non solum fundatur in gratia, sed in pacto & promissione Dei. pagina.690. a. & b.
An possit intelligi meritum quòd includat rationẽ iustitiæ apud Deum secluſa ipsius promissione. pagina.691.a. &.693.b.
Secluſa acceptatione diuina & omni promissione, homo gratus ratione suæ gratiæ, est dignus vita æterna. ibidem. b.
Pactum seu promissum, non est de essentia meriti. ibidem.
De essentia meriti non est ordinatio diuina de conferendo præmio. pag.692.a.
An Enoch & Elias viuendo in hoc mortali corpore mereantur. pag.693.a.
Differentia promissionis & acceptationis operis meritorij. ibidem.b.
An sicut ad constituendum Deum debitorem requiritur pactum Dei, ita ad demerendum. pag.694.a.







Meritum duplex, aliud perfecti, aliud imperfectum. pag.702.b.
Opera nostra nõ possunt esse meritoria alicuius præmij ex perfecta iustitia. ibidem.
Actiones nostræ possunt esse meritoriæ alicuius præmij ex imperfecta iustitia. pag.703.a.
Existentes in purgatorio per suas actiones nihil merentur, ibidem.
Meritũ ex imperfecta iustitia quare appelletur meritum secundum quid. ibidem.
De fide est, quòd meritum secundum imperfectam iustitiam debet procedere ex gratia, pagina 704.a.
Quomodo intelligatur illud dictum theologorum: omne opus bonum liberum, etiam illius qui est in mortali, est meritorium alicuius boni temporalis. ibidem.
Homo conditus in statu naturæ integræ extra gratiam, vel in puris naturalibus, an mereretur aliquid apud Deum. ibidem.b.
In merito quatuor includuntur, & quæ sint, pagina 706.a.
In merito sunt diuersi gradus, ibidem. a. &. b.
Duplex est meritum de condigno; pag. 775. a.
In merito duplex condignitas reperitur, pagina 774. b.
Meritum de condigno quid includat. pagina.762. a
Iustus quòd mereatur de condigno totum præmium, quod illi confertur. pagina, 772. a. &. b. &.773. a.&.b.
An iustis detur aliqua gloria, quam non meruerint de condigno. pag.772.b.
Cur homo possit mereri de condigno præmium, quod est vltra condignum, non verò pœnam. pagina. 774.b.
Homo non meretur de condigno primam gratiam auxiliantem. pag.809.a.
Homo non meretur de condigno primam gratiam sanctificantem. ibidem.b.
Non meretur homo de condigno primam infusionem alicuius habitus supernaturalis. pagina 810. a.
Differentia inter meritum de congruo & de condigno. pag.818.a.& 819.a.
Meritum de congruo, an habeat infallibilem effectum, pag.841.b. &.845. a.&.b.
Homo non potest viribus naturalibus mereri primam gratiam de congruo. pag.819.b.
Peccator non potest mereri de congruo primam gratiam excitantem. pag. 820. b. &. pag. 824. a.
In puris naturalibus, an posset homo mereri de congruo primam gratiam. ibidem, & pag. 821. a.&. b.
Iustus non meretur de congruo reparationem post lapsum. pag.850.a.&.b.
Nemo sibi meretur repatationem post lapsum, etiam de potentia absoluta. pagina. 846.b.& pagina.848.b.
Vtrùm de potentia Dei absoluta mereatur quis per opera naturalia reparationem post lapsum. pagina.892.a.&.b.&.893.a.
An opus procedens ex solis naturæ viribus, sit meritorium. pag.720.a.
Actus ex viribus naturæ quomodo possit esse meritorius vitæ æternæ. ibidem.b.& pag.794.a.
An requiratur gratia habitualis, vel solum gratia in esse gratiæ ad merendum. ibidem.
Quod præter meritum de rigore iustitiæ, & de condigno sit aliud ex iustitia. p.772.b.&.773.a.&.b.
Meritum inter homines, an pertineat ad iustitiam distributiuam. pag.708.b.
Iustorũ merita non sunt de rigore iustitiæ. p.764.a.
Actus malus ex circunstantia nequit esse meritorius. pag.717.a.
Idem actus non potest esse meritorius & demeritorius. pag.718.a.
Actus quò melior est ex aliqua circunstantia, aut intensione, eò erit magis meritorius. p.732.a.
Actus an sit meritorius ratione omnium graduum intensionis, quos habet. ibidem.b.
Actus humanus dupliciter potest habere rationem meriti, vel demeriti. pag.736.a.
Actus meritorius de obiecto finito, & actus de obiecto infinito, quomodo possunt esse æquales. pagina 737. b.
Actus charitatis magis est meritorius, quam alij. pagina. 738.b.
Quare actus infinitæ intensionis est infinitè meritorius; & non actus de obiecto infinito. pag. 739. a. &. b.
Quantò obiectum est excellẽtius, tantò magis actus circa illud est meritorius. p.737. b.
An semper ex varietate essentiali obiectorũ sumatur diuersitas esse meritorij. ibidem. a. &.b.
Quantitas meriti non debet accipi ex quantitate obiecti in esse entis, sed in esse termini. pag.736.b.
Opus quod ex voto debetur magis est meritorium, quàm quod non debetur ex voto. pag. 756. b.
An votum supererogationis sit magis meritorium, quàm debitum. ibidem.
Opera iustorũ simpliciter sunt meritoria vitæ æternæ. pag.758.b.
Gratia an sit causa formalis meriti. pag.774.b.
De potentia ordinaria in pura creatura, an sit necessaria gratia habitualis ad merendum. p.719.b.
Difficultas actionis an augeat meritum. p. 733.a.& 734. a.&. 881. b.
Quale sit magis meritorium; diligere amicum, vel inimicum, si procedat ex æquali charitate. pagina 734. a.
Infinitas meriti, & præmij, an mutuo se inferant. pa. 747. b.
Quare detur infinitas meriti & non præmij. pagina 749. b.
Debitum quomodo non tollat, neque extenuet meritum quantum ad collationem præmij essentialis benè tamen quod non sit de rigore iustitiæ. pag. 756. b.
Per opera meritoria meretur iustus vitam æternam, tam ex intrinseca bonitate operis meritorij, quam ex acceptatione. pag. 776. b.
In meritis iustorum, an interueniat promissio Dei, & ordinatio ad vitam æternam. pag.777. b.
Pura omissio, an possit esse meritoria. p.779.a.&.b.
Meritum dupliciter potest dici nostrum, intrinsecè & extrinsecè. pag. 784. a.
Iustus, vt est membrum Christi, an mereatur amplius quàm si alia via mereretur. p.784.b.
In quo consistat illa maior abundantia, quæ est in operibus iustorum, quatenus innituntur meritis Christi. pag.785.a & b.
An possit esse meritum in iusto habente charitatem sine gratia. pag.790.a.
Relatio operis meritorij in vltimum finem triplex potest esse. ibidem. b.
Opera iustorum vt sint meritoria non sufficit referri habitualiter in vltimum finem. pag.794.b.
Quæ relatio requiratur in vltimum finem, vt actus sit meritorius. pagina.795.a. & b. & pagina.796. a.& b.

a. & b. & pagina. 798. a.
Probabile est omnia opera iustorum esse meritoria, licet non procedant ex relatione Charitatis.pagina.796. b.
Opera iustorum,quomodo ad hoc quod sint meritoria debeant procedere à gratia. pag.793.b.
Opera moraliter bona quomodo possint esse meritoria, pag.798. a.
Omne meritum quare tribuatur charitati. pagina 799. a.
Per opera aliarum virtutum an augeatur gloria essentialis. pag.803.b.
De potētia absoluta, an possit homo mereri primam gratiam. pag.810.a.&. 826.b.
Augmentum gratiæ, quomodo cadat sub merito, & non prima gratia. p.811.b.
An quis simul mereatur primam gloriam & augmentum eius. p. 845.a. & b.
Quare gratia nō possit dari duplici titulo, sicut gloria. pa.827.b.
An quis mereatur augmentum gloriæ essentialis,& gratiæ per actus minùs intensos statim illi conferendum. pagina. 866. a. & b. & pagina. 871. a & b.
Meritum non semper commensuratur intensioni actus. pag.881.a. & b.
Quæ sint illa quæ augent meritum,& quomodo? pagina.883.a.& b.
Per actum meritorium vnius virtutis aliæ augentur. pag.884.a.& b.
Non potest mereri iustus de condigno perseuerantiam in gratia. pag. 885.b.
An de potentia absoluta mereatur iustus de condigno perseuerantiam in gratia. pag. 887. a.& b.
Nemo potest mereri de congruo infallibilem perseuerantiam, pag.889.a.& b.

## NATVRALIA.

Naturalia manserunt integra post peccatum exponitur. pag.41.a. &.43.b.
Naturale esse homini viuere secundum rationem.pagina. 43.a.

## OBIECTVM.

Obiectum supernaturale, quando supernaturalitas se tenet ex parte obiecti, tantum potest attingi ex proprijs viribus per aliquem actum. pagina.22.a. & pag.119. b.
Obiectum supernaturale formaliter acceptum,ita vt supernaturalis sit ratio formalis sub qua tendendi,non potest ex proprijs viribus sine speciali auxilio Dei supernaturali attingi,& hoc est de fide.pagina.22.a.&.b. & pag.60.b. & pag.119.a.
Obiectum proportionatum naturæ integræ hominis,est collectio omnium bonorum moralium. pagina.48. a.
Obiectum & suppositum respectu actus,quomodo distinguantur, pag.741.b. & pag.742.a.
Obiectum & suppositum diuersimodè cōcurrunt ad actum. pag.756.a.
In obiectum supernaturale materialiter assensu opinatiuo, benè potest quis sine speciali auxilio tendere, pag.16.a. & pag.26.b.

## ORDO.

Ordo naturalis & supernaturalis diuersi. pag.38.a.

## OPVS.

Opus bonum aliud morale, aliud meritorium. pag. 51. a. & b.
Opera de se indifferentia,an sint bona vel mala, pagina.59. b.
Damnati & dæmones,an habeant aliquas operationes bonas moraliter, pag. 58. a.
Opus dupliciter potest referri in Deū explicite,& implicitè. pagina.55. b.
Operationes humanæ, moraliter loquendo, durant per tempus,& non tantum per instans. pagina. 647. b.
An sit necessarium quod operationes humanæ continuētur per aliquod spatium temporis.ibidem.
Opus meritorium de congruo triplex potest esse.pagina.819.a.
Opera supernaturalia hominis iustificati, an procedant ex gratia excitante. pag.458. b.
Opus infidelis,an nō sit peccatum. pag,52.b.&.53. b. & 59.a. & 455. a.&.b.

## PECCATVM.

Peccatum & gratia in esse gratiæ,non possunt esse simul.p.549.b. &.561.a.
Probabile est peccatum & gratiam tantum opponi moraliter: & quod etiam contrarientur ex natura sua. pagina.550.a.&.b. & pagina.538.a.& pag. 547.a.
De fide est per quodlibet peccatum mortale gratiam dissipari.p.554.b.
Secluſa causalitate demeritoria, peccatum habet vim moralem ad expellendam gratiam effectiuè, & quod etiam destruat gratiam demeritoriè. pagina.555. b.
Peccatum mortale destruit gratiam & charitatem effectiue physicè,ibidem.
Peccator,quomodo dicatur effectiuè gratiam destruere. p.557.a & b.
Peccatum an destruat & quomodo, tam rectitudinem naturalem, quam supernaturalem. pagina 559.a.
Probabile est peccatum non destruere physicè gratiam,ibidem.b.
Peccatum non remittitur formaliter per actum liberij arbitri,sed dispositiuè tantum.p.561.a.
Peccatum duobus modis potest considerari. Primò, in quantum est Dei offensa & malum diuinum. Secundò, vt est malum ipsius peccatoris. pagina 627.b.
In peccato duplex est malitia. pag.813.a.
In peccato reperitur deordinatio voluntatis & offensa Dei. p.811.a.
Remissio peccatorum quare tribuatur Charitati, Fidei,spei,& alijs remedijs. p.602.a &.b.
Remissio peccatorum fit gratis, pagina. 631. b. & pag.634.b.
Remissio peccatorum quare debeatur sacramento applicato ex iustitia,& similiter gratiæ, & nō contritioni.p.633 a.
Remissio peccati, distincta est à gratia contritionis, ibidem.
An Deus possit nō remittere peccatum homini contrito, pagina. 635. a.
Peccatum non solum reparatur per virtutem sibi oppositam.p.715.b.
Remissio peccati, an sit vera destructio illius,vel sola tectio.p.585.a & b. &.526.b.

Non



Non imputari ad peccatum quot modis accipiatur. p. 528.a.
Remissio peccati alia perfecta,alia imperfecta. pagina.534.b.
Deus potest remittere peccatum de potentia absoluta,sine qualitate habituali gratiæ. pag.534. b. & 537.b.&.541.b.
Peccato permanente in homine,potest Deus remittere omnem pœnam. ibidem,
Peccatum remitti sine gratia quomodo implicet, & non implicet.ibidem. & p.337.a & b.&.535.a. & b.&.544.a.
In omni statu implicat peccatum remitti sine renouatione aliqua interna. p.535. b.
Peccatum an possit remitti absque aliquo dono supernaturali.p.536.a.
Peccatum an possit remitti per solam rectitudinem naturalem.p.548.a.&.b.
Peccatum directè priuat rectitudine supernaturali. ibidem.b.
Peccatū an possit remitti de potentia absoluta absq; pœnitentia formali per solam Dei dilectionem. pagina.538.b.
An ille qui totaliter est oblitus alicuius peccati mortalis teneatur habere formalem contritionem, vel saltem in confuso. p.538.b.&.539,a.
Peccatum posse remitti sine formali pœnitentia,tam in pueris quam in adultis. p.540.a.
Peccatum potest remitti de potentia Dei absoluta, sine omni actu elicito peccatoris.ibidem.b.
Peccatum hominis elenati ad finem supernaturalem, an possit tolli sine amicitia supernaturali.p,541.b &.542.a.
Peccatum duo habet contraria, rectitudinem naturalem & supernaturalem. p.542. b.
Peccatum secundum se,an dicat priuationem gratiæ. pag.544.a.
Peccatum originale non aufertur, nisi per gratiam. ibidem.
An possit vnum peccatum sine alio remitti.ibidē. b.
Ad peccandum multo minus requiritur, quam ad implendum aliquod præceptum, p.95. b.
Impossibilitas vitandi omnia venialia collectiuè,an sit physica,vel moralis. p.190.b.
An possimus physicè nostris viribꝰ vitare collectiuè omnia peccata venialia. pagina.188. b. & pagina. 189.a.
An per breue tempus possit iustus non peccare venialiter solo auxilio generali gratiæ. pagina. 183.a. &.184.a.
An possit iustus ex speciali priuilegio vitare omnia peccata venialia per totam vitam.p.182.a
An sit peccatum in homine iusto non vitare collectiuè omnia peccata venialia.p.37.b.
De fide est B.Virginem caruisse per totam vitam omni culpa,etiam veniali.p.186.a.
An hoc priuilegium possit concedi alicui creaturæ. ibidem.b.
Ioannes Baptista,an habuerit peccatum veniale. pagina.187.a.
Ioannes Baptista,an habuerit aliquod peccatum veniale contra castitatem & pudicitiam. pagina, 188. a.
An sit temerarium affirmare Hieremiam prophetam & alios etiam iustos caruisse venialibus. pagina 187. a.
Quid sit peccatum transacto actu peccati. pag. 145. a & b.
Si Deus reuelaret alicui peccatum finalis impœnitentiæ propter quod esset damnandus, an liberè peccaret. p.37. b.
An sit peccatum nolle vitare omnia peccata mortalia collectiuè? & quare non sit idem de venialibus. pag. 108. b.
Non potest homo viribus naturæ cognoscere peccatum, prout est offensa diuinæ amicitiæ. pagina 140.a.
De fide est hominem non posse resurgere à peccato sine auxilio gratiæ.p.141.b.
An possit reparare aliquod nocumentum ex peccato sine auxilio gratiæ? ibidem.
An sit idem posse vitare omnia peccata cōtra finem supernaturalem, & posse adimplere præcepta supernaturalia.p.150.a.& b.&.151.a.
An possit homo vitare peccata contra præcepta supernaturalia absque auxilio supernaturali? ibidem.b.
An possit peccator existens in mortali ex suis viribus præcisè diu vitare sine nouo peccato? pagina 154.a.
An possit aliquis remissionem culpæ & pœnæ æternæ mereri.p.149.a.&.815.a.& b.
Remissio peccatorum venialium,est opus diuinæ gratiæ.p.816.a.&.b.
Repugnantia & rebellio, quare dicatur lex peccati? pag.48.a.
De fide est,quòd homines qui de facto à Deo condīti sunt ordinati ad dona supernaturalia possint resurgere à peccato.p.45.b.
An per peccatum homo sit magis corruptus & vulneratus secundum appetitum,quàm secundum intellectum. p.85.a.
Remedium contra peccatum duplex, aliud efficax, aliud inefficax.p.81.b.

## POENITENTIA.

An sit de iure naturæ pœnitere de peccatis. pag. 81.b.&.107.a.
An imperfecta pœnitentia possit esse ex viribus naturæ.p.78. a.

## PRAEMIVM.

Præmium promissum ex Dei ordinatione, an debeatur nostris meritis, tam ex iustitia commutatiua, quàm distributiua,pag.706.b.&.780.a.&.b.
Præmium quot modis possit conferri. p. 762.a.
Præmium quot modis possit mereri.p,776.a.

## PRAECEPTVM.

An detur præceptum seruandi omnia præcepta collectiuè, & pariter ad vitanda omnia peccata collectiuè. pag. 173.b.
Præceptum imposuit Deus homini statim in initio,ne ederet de ligno scientiæ boni & mali.pagina. 33. a.
An sit præceptum vitandi collectiuè omnia peccata venialia. p.37.b.&.191.a.
Præceptum nō est de impossibilibus.p,39 a.&.98.b. &.95.a.&.164.a.&.178.a.
Præceptum,an detur de fide. p.21.a.
An sit præceptum vt fidelis iudicet certò & infallibiliter se credere fide supernaturali. p.14. b.
An præceptum fidei,obliget credere Deo sub ratione supernaturali. p.117.a.
Præceptum non est de habenda gratia.pa.95.b.
Adam, an habuerit præceptum de seruanda gratia. ibidem. &.173.b.

Præceptum

Præceptum dilectionis Dei super omnia, an detur? pag.65.a
Huiusmodi præceptum dupliciter potest adimpleri. pag.63,b
Huiusmodi præceptum quare sit difficillus impletu? pag.71.a
Præceptum charitatis an includat modum vt diliga tur Deus ex toto corde?p.90.a
Præceptū de dilectione Dei naturali quomodo obli get?p,95.a
An omne medium necessarium ad charitatem cadat sub præcepto?p 97.a
An omne præceptum obliget vt seruetur ex charita te?p.100.a.&.102.b;&.119,b.& 185.a
Præceptum diuinum Eucharistiæ non potest impleri sine gratia.p.120.b
Aliqua sunt præcepta, quæ sine charitate & gratia, impleri non possunt.p.121.b
Præcepta supernaturalia possunt diuisiuè adimpleri per auxilium supernaturale Dei.ibidem.
Præceptum dupliciter dicitur supernaturale,& quan tum ad genus,& quantum ad speciem.p.95.a
Præcepta, quædam sunt iuris naturalis,alia diuina po sitiua.p.94.a
Præcepta sunt inæqualia,alijs alia excellentiora.pag. 736.b
Præcepta naturalia an diuisiuè possint adimpleri in statu naturæ lapsæ?p.105.b
An si aliquis haberet hanc volitionem, volo non ser uare omnia præcepta Dei collectiue,peccaret mor taliter?p.114.b
Implere præceptum quantum ad substantiam actus, quid sit?& implere quantum admodum?p.94.a

POTENTIA.

Differentia inter potentiam physicam adimpletio nis præceptorum,& potentiam moralem.p.178.a
Potentia obedientialis activa ad supernaturales ef fectus,an sit constituenda in creatura.p.335.a.& b & 354.a.& b.& 367.a.& b.
Potentia obedientialis passiua est constituenda in creatura.p.368.a & b
Quare sit constituenda potentia obedientialis passi ua & non activa.ibidem,b.& 369.a,& 405.b
Potentia obedientialis animæ, quomodo differat à potentia naturali eius.ibidem.
Potentia obedientialis non habet terminū.pa.480.b
Potentia obedientialis supposita eleuatione gratuita, sufficiens est ad supernaturalem formam.p.15.b.
Potentia naturalis,est naturaliter inclinata in suum obiectum.p.16.a.& b.
Potentia naturalis non est purè instrumentum in or dine ad obiectū supernaturale.p.12.a & b.& 17.a
Potentiæ obedientialis obiectum,quale sit.p.16.b
Potentia potest ferri in obiectum sibi proportiona tum.p.5.a
Potentia an constituatur sufficienter in actu primo supernaturali,per auxilium supernaturale.p.669. a.& b.
An cū auxilio supernaturali possit producere actus supernaturales.ibidem.b.70.a
Potentia passiua tribus modis potest dici naturalis. p.682.a
Potentia supernaturali auxilio eleuata, efficitur eius dem ordinis cum actu producendo & quodammo do illi connaturalis.p.15.a
Sub ratione formali & indiuisibili obiecti alicuius potētiæ,possunt esse duo obiecta materialia.p.15,b
Deus non creditaut sperat mediante potentia eleua ta sed solus homo.ibidem.
Potentia ex se an habeat aliquam actiuitatem respe ctu actus supernaturalis,p.16.a
Potentia eleuata per Dei auxilium, est principale agens.p.12.a.&.17.a

PVER.

Ad quid teneatur puer cum peruenit ad vsum ratio nis vt iustificetur.p.140.b.& 442.a.& 467.a.& 469.a & b.& 583,a & b.& 589.b
An omnibus pueris pertinentibus ad vsum ratio nis detur statim explicita cognitio fidei.pag.491.a & b.
Quid sit prius in pueris,infundi lumē fidei in instan ti deliberationis, aut ipsos non apponere impedi mentum.ibidem.b
Puer cum peruenit ad vsum rationis an possit in illo puncto se ordinare in debitum finem.p.468.a
Puerum ordinari indebitum finem tripliciter accipi tur.ibidem.
Puer conuertens se ad debitum finem iustificatur, quomodo intelligatur.p.594.b
An si puer moriatur in primo non esse prolationis verborum,recipiat sacramentalem gratiam.p.406 b.&.474.b

RELATIO.

Relatio quæ est inter extrema, quæ non sunt eiusdē rationis,quomodo sit realis & rationis.p.701.a

REVELATIO.

Reuelatio facta alicui quando ex omni parte est eui dens an reducatur in habitum fidei vel lumē pro pheticum.p.527.a.& b.
Si Deus reuelaret alicui propositionem aliquam ex qua deduceret esse in gratia vel esse in fide,an tūc assensus pertineret ad fidem catholicam. p.518.b
Reuelationes particulares si narrentur alijs, an te neantur fide catholica vel humana,ibidem.
Si aliquis non crederet aliquid cernens sibi priuatē reuelatum à Deo,an esset hæreticus vel peccaret. p.519.b
Rectitudo in homine altera naturalis,altera superna turalis,p.536.a
Rectitudo naturalis non potest coexistere cum auer sione à fine supernaturali.p.537.a.& b.
Ratio naturalis an dictet Deum esse diligendum.pa. 92.a

REATVS.

Reatus,alius culpæ,alius pœnæ.p.146.b

SACRAMENTVM.

Sacramenta non producunt gratiam mediante ali qua qualitate. pag. 355.b. & 356.a.& b.& 360.b
An possit dari qualitas incompleta, quæ infunda tur partibus successiuis sacramentorum ad eorum eleuationem.p.362.a.& b.
Duplex successio reperitur in partibus sacramento rum discreta & continua.ibidem.
Sacramenta an sint instrumenta physica gratiæ per hoc quod deferunt diuinum imperium practicum ad creaturas.p.357.a
Sacramenta an ex præcisa conjunctione cum Deo,se cluso omni alio,habeantvim productiuam gratiæ. p.369.b
Sacramenta quomodo valeant attingere effectum principalem gratiæ.p.370.b
Sacramenta an ex eo præcisè quod mouentur à Deo valeant producere gratiam.p.371.b





Virtus sacramentorum ad productionem gratiæ, & effectuum supernaturalium,an sit spiritualis, vel corporalis: & an sit quid distinctum ab ipsis. pag. 371.b.& 373.a.& 375.b.& 376.a
Quid sit ille motus sacramentorum quo producunt supernaturales effectus.pag.374.a
Qua ratione sacramenta,humanitas Christi, & pas sio eius sint instrumenta physica Dei ad educendā gratiam de potentia animæ.pag.388.a.& b.
Sacramenta sunt causæ morales instrumentales,& quomodo.pag.394.b.& 395.b
Negare sacramenta esse causas physicas gratiæ an pertineat ad fidem.pag.395.b
An esset error negare sacramenta nouæ legis esse ve rè & propriè causas instrumentales gratiæ.ibid.
Sacramenta nouæ legis simul esse instrumenta mo ralia,& physica gratiæ.p.397.a.& b.
In sacramentis nouæ legis quæ sit prior causalitas, physica, vel moralis?ibidem.b
Contactus physicus potest supplerī in sacramentis. pag.398.a
Quæ sit illa operatio quæ requiritur in sacramentis ad rationem instrumenti physici.p.378.b.
Quid sit sacramēta esse physica instrumenta gratiæ per delationem imperij diuini.pag.398.b
Sacramenta quando non existunt quomodo physicè causent gratiam.p.399.a.& b.& 400.a.& b.
In sacramentis,duplex motio reperitur, vna instan tanea:altera tempore præcedens infusionem gra tiæ & ista constituit sacramentum in actu primo. pag.399.b
In sacramento informi, licet nō reperiatur ratio cau æ efficientis in actu secundo, reperitur tamen in actu primo.pag.400.a
In sacramento informi,non sufficit ad effectum gra tiæ sola determinatio diuinæ virtutis si excluda tur motio diuina.pag.401.a
Quod sacramenta antiqua sint tantum conditiones sine quibus non daretur gratia,& quomodo.pag. 396.a.& b.
Sacramenta antiqua non fuerunt instrumenta mora lia Christi, etiam per modum causæ finalis. ibid b
Quæ versetur differentia quantum ad causalitatem moralem inter sacramenta noua & antiqua.ibid.a & b.
Sacramenta antiqua an tantum præfigurarent Chri sti passionem prout futura erat causa moralis no stræ redemptionis,vel etiam prout figura erat cau sæ instrumentalis physica nostræ iustificationis. pag.401.b

SATISFACTIO.

Differentia inter satisfactionem, emptionem & ven ditionem.pag.767.a.& b.
Differentia inter satisfactionem & restitutionem. pag.697.b,& 700,a
Satisfactio,meritum,& impetratio, quomodo differ rant.pag.639.a
Meritum & satisfactio quomodo sint idē vel distin guantur.pag.626.a.& 631.a.& 711.a
Quot sint gradus in satisfactione.p.706.a
Triplex modus satisfaciendi pro culpa. pag. 621.b & 622.a.& b.
Pœnitens an possit satisfacere pro culpa.pag.811.a & b.& 814.a
Contritio vt antecedit gratiam non satisfacit pro culpa nec pro pœna.pag.624.a.& b.
Differentia inter opera antecedentia gratiam & sub sequentia ad satisfaciendum.p.628.a.& b.
Contritio vt subsequitur gratiam, non est satisfacto ria pro culpa.ibidem.a
Cōtritio vt est satisfactoria per se primò respicit bo num diuinum:secundariò autem bonum pœniten tis.pag.631.a
An sit lex quod contritio subsequens gratiam sit sa tisfactoria pro culpa.pag.632.a
Contritio vt subordinatur satisfactioni Christi,non habet quòd satisfaciat ex iustitia pro culpa, sed tantum pro pœna temporali.ibidem.b
Satisfactio tribus modis potest dici æqualens.pag. 624.a
Homo nō potest satisfacere ad æqualitatem pro cul pa mortali.pag.635.a.& b.
An possit concedi,quod satisfacienti pro culpa de beatur ex iustitia remissio peccatorum.pag.626.b
Pœnitens per actum contritionis non facit sibi debi tam remissionem culpæ duplici titulo pag.630.a
Satisfactionem esse ad alterum stat physice & mora liter.pag.715.a
Satisfactio nostra quomodo habeat efficaciam à sa tisfactione Christi.pag.784.b

STATVS HOMINIS
in puris naturalibus.

Status hominis exponuntur,qui sint.pag. 30.a.& b.
Si conderetur homo à Deo in puris naturalibus,con tulisset Deus illi generale auxilium sufficiens,vt posset in singulari operari rectè.pag.37.a
Homo cōstitutus in tali statu ex imbecillitate natu ræ si viueret per longum tempus,deficeret in ali quo præcepto.pag.37.a
Homo in puris naturalibus cum repugnantia appe titum,si peccaret,libere peccaret.ibidem.b
Homo est liber in qualibet singulari operatione nō tamen circa omnem collectionem.pag.39.a
Homo in puris naturalibus non esset necessariò mi ser.ibidem.& 44.a
Si homo in puris naturalibus haberet vigorem,quo posset agere & perficere omne bonum honestum an ille vigor pertineret ad purè naturalia.p.43.b
Quid requireretur vt homo in puris naturalibus ef fet beatus in naturalibus.ibidem.a
Homo in puris naturalibus esset gratus & dilectus naturaliter à Deo.pag.44.b
Homo in puris naturalibus conditus non haberet fœlicitatem consummatam.pag.45.a
Homo in puris naturalibus quomodo possit cogno scere primam rerum causam,quæ est Deus & quæ ad ius naturale spectant & hæc quandoque vsu præstare.pag.44.a
An si iste homo haberet hunc actum moraliter bonū volo sequi bonum honestum,& statim moreretur, an reciperet à Deo præmium huius operis.ibidē.b & 80.a
Probabile est quòd homo potest in puris naturalibus ad breue tēpus efficaciter diligere Deū super om nia vt est finis naturę sine auxilio speciali pa.64.a
An posset homo in puris naturalibus per multum tē pus perseuerare in dilectione Dei naturali sine au xilio speciali.pag.67.a
An sit probabilius non posse hominem in puris natu ralibus efficaciter diligere Deum super omnia sine gratia & sine auxilio speciali.pag.67.b
Homo in puris naturalibus quomodo mereretur fi nem naturalem.pag.757.b
Status naturæ in puris naturalibus potest cōdi à Deo neque conferendo illi gratiam neque iustitiam ori ginalem neque vigorē rationis.pag.36.b. & 42.b
Possibilis est status medius inter statū in puris natu ralibus & statum iustitiæ originalis. pag. 37.b. & 38.a,& b.
Status naturæ integræ & in puris naturalibus diffe rentia

rentia.pag.35.b
Status naturæ lapſæ & in puris naturalibus conuenientia & differentia. pag.54.b.& 59.a
Peccatum quod committeret homo in puris naturalibus non redunderetur in Deum.pag.37.a
Huiuſmodi peccatũ quomodo remitteretur? ibid.b

STATVS HOMINIS IN NATURA integra.

Homo in natura integra ſine ſpeciali auxilio Dei potuit perficere omne opus bonum moraliter nõ ſolum diuiſiuè,ſed etiam collectiuè pag.47.b
Homo in natura integra poteſt perſiſtere in bonitate morali &nũquã ab ea deficere.pag.48.b.& 107.a
Homo in ſtatu naturæ integræ potuit implere omnia præcepta per ſua naturalia quantum ad ſubſtãtiam operis.pag.93.b.& 99.b
In ſtatu naturæ integræ an poſsit homo implere præcepta quãtũ ad modũ ſine gratia Dei? p.94.a.&95.b
In iſto ſtatu non potuit homo per ſuas vires naturales implere præcepta ſupernaturalia fidei, ſpei, & charitatis.pag.95.a
In ſtatu naturę integrę ita fuit homo creatus à Deo, vt haberet pariter cum naturæ ſuæ integritate dona alia ſupernaturalia diuina.pag.33.a
Status naturæ integræ an includat naturam perfectã cum iuſtitia originali vt diſtinguitur à gratia gratum faciente,& qualis ſit? ibidem.b.& 47.a
In ſtatu innocentiæ non ſunt duo ſtatus, alter naturæ integræ ex vigore rationis: & alter iuſtitiæ originalis.pag.34.a
Status naturæ primi hominis & naturæ integræ differentia.pag.46.a
Homo in iſto ſtatu an poſsit mereri finem naturalẽ pag.757.b
In iſto ſtatu poterat cauere peccatum omne mortale & veniale ſine gratia habituali.pag. 149. & 150.
Homo in natura integra ſine gratia gratum faciẽte poteſt diligere Deum ſuper omnia dilectione naturali ex naturæ viribus.pag.48.a.& 59.b.& 60.b

STATVS HOMINIS IN natura lapſa.

Status naturæ lapſæ includit naturam cum priuatione originalis iuſtitiæ & rectitudinis ab ea prouenientis.pag.34.a
Homo in ſtatu naturæ lapſæ an poſsit facere aliqua opera bona moralia ſine auxilio Dei ſpecialis. pag. 53.a.& 56.a.& b.102.b
In natura lapſa an poſsit homo diligere Deum ſuper omnia naturali dilectione? pag.56.a. & 59.a. & b. & 78.b
Homo in quocumque ſtatu poteſt habere dilectionẽ Dei in efficacem elicitam,ſed nõ poteſt habere efficacem & diuturnam. pag.60.b,& 93.b.&.78.a.& 108.a
Homo exiſtens in peccato mortali habituali an poſsit diligere Deum ſuper omnia? pag.74.a
An contrarium huius ſit tutum in fide? pag.76.a
Homo in peccato originali non poteſt ſuis viribus diligere Deum ſuper omnia.pag.77.a
An poſsit homo proprijs viribus loquendo materialiter,diligere Deum finem vltimum ſupernaturalem.pag.90.a.& 92.b
Dicere,poſſe hominem ex viribus naturę ſine gratia & charitate in peccato mortali diligere ſuper omnia finem ſupernaturalem, periculoſum eſt valdè in fide.pag.90.b
In ſtatu naturæ lapſæ, non poteſt homo ſine gratia ſeu auxilio ſpeciali omnia legis mandata adimplere,nec quo ad ſubſtantiam nec quoadmodum.pag. 94 a.&.95.b
De fide eſt non poſſe hominem omnia mandata legis adimplere viribus naturæ ſine auxilio ſpeciali. pag.98.a
De fide eſt hominem abſolutè poſſe adimplere omnia mandata cum gratia.pag.99.a
An ſit abſolute concedendum,quòd homo in quocũque ſtatu poteſt vitare omnia peccata: omnia præcepta adimplere pag.100.b.& 117.b
In natura lapſa non poteſt homo ſine gratia omnino ſe abſtinere à peccato.pag,149.a
In natura lapſa,ſi homo ſit in gratia, an poſsit cauere omnia peccata venialia & mortalia? ibidem.
An poſsit homo in iſto ſtatu recuperare rectitudinẽ naturalem ſuis viribus pag.147.a
An deordinando ſe homo ab vno fine deordinetur ab alio.ibidem.
Nullus eſt ſtatus hominum, cui Deus non prouiderit auxilium ſufficiẽs ad ſalutem.pag.472.b

SVBSTANTIA.

Subſtantiam creatam ſupernaturalem cur implicet dari & non accidens ſupernaturale? pag.244.a.& 248.a.& b.
An Deus poſsit facere ſubſtantiam ſupernaturalem, cui ſit intrinſeca viſio Dei & lumen gloriæ. pag. 249.b
In generatione ſubſtãtiali duplex mutatio reperitur. altera inſtantanea,altera præuia.pag.399.b

TENTATIO.

Tentationes aliæ internæ,aliæ externæ,&quomodo poſsit homo eas vincere? pag.58.a
Explicatio illius,& ne nos inducas in tentationem ibidem.b.& 106.a

VERVM.

Verum aliud naturale,ſiue practicũ ſiue ſpeculatiuũ ſit: aliud ſupernaturale.pag.3.a.& b.
Quid intelligatur nomine veritatis naturalis? pa.5.a
Veritates naturales quæ ſenſibilibus cognoſci poſsũt pro hoc ſtatu, ſunt obiectũ noſtri intellectus.ibid.
Veritates oẽs naturales, an poſsit homo integer ſimul cognoſcere per inuẽtionẽ & diſciplinã. ibid.
Appetitus naturalis inclinat ad omne verum cognoſcendum,non tamen ad omnem collectionem moraliter impoſsibilem.ibidem.
In veritatibus moralibus,quæ ad prudentiam pertinent,non ſumitur veritas per conformitatem ad rem,ſed ad appetitum rectum.pag.6.a
Veritates quæ pertinent ad prudentiam in multiplici ſunt differentia.ibidem.
In quocunque ſtatu an poſsit homo ſine generali auxilio Dei aliquam veritatem cognoſcere? pag.6.b
In ſtatu naturæ lapſæ poteſt cognoſcere ſine gratia Dei quamlibet veritatem practicam & moralem diuiſiue,& poteſt iudicare in moralibus quid fugiendum,quid ſequẽdum. ibidem.
In veritatibus moralibus poteſt haberi duplex cognitio,vna perfecta,& alia imperfecta.pag.7.b
Vulnus ignorantiæ,conſiſtit in deſtitutione rationis ab ordine ad verum.pag.3.b
Supremam veritatem poteſt noſter intellectus cognoſcere.pag.5.b
Aliqua eſt veritas,quã nullus eſt aſſequutus.pag.5,b

VIRTVS.

Virtus an acquirat aliquid reale intrinſecum ex imperio charitatis.pag.807.a

FINIS.

UNIVERSITÄTS